



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
14 — M
16

P. F. ELIGII
BASSÆI
CAPVCINI.
Flores Totius
THEOLOGIAE
PRACTICÆ.

Duobus Tomis diſtinctis.



FLORES TOTIVS
THEOLOGIÆ
PRACTICÆ,
TVM SACRAMENTALIS, TVM MORALIS.


AVTHORE P. F.
ELIGIO BASSÆO
Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum
Prouinciæ Gallo-Belgicæ.

EDITIO VLTIMA, NOVISSIME RECOGNITA, & in meliorem, ac faciliorem vsum quam anteà redacta.

TOMVS PRIMVS
INCIPIENS A LITERA A, VSQVE AD I.



REVERENDISSIMO PATRI MAGISTRO
F. RAIMVNDO CAPISVCCO
Ordinis Prædicatorum.





VENETIIS. Apud Nicolaum Pezzana. MDCLXVI.
SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO. 71



REVERENDISSIMO
PATRI MAGISTRO.



VM diù, & feriò mecum agitarem de Patrono huic, quod Typis meis excudo, operi adoptando, fama mihi dubitanti occurrit, teque Reuerendiſſime Pater, intento digito monſtrauit: & parem ſuis, & oculis, & linguis edixit. Suſpexi, & in tua Perſona multa, & Illuſtria, tùm accepta, tùm propria decora recognoui: & vera dixiſſe famam deprehendi. Nam Imagines Familiæ tuæ clariſſimæ iam indè à pluribus Seculis recenſenti Capiſucchij Heroes inter arma, & litteras ſplendidi eminebant tot ornamentis cumulati, vt arbor ipſa genealogica ſub eorum nobili pondere ingemiſceret, & quæ gloria Cœlum attingeret, ea onere tropheorum in Solum vergeret. Nec ſplendor à fortuna, nec honor à caſu, ſed à vera, & ſolida virtute profectus, meritis nixus, & rebus in vtraque Republica, tùm Domi, tùm Foris præclarè geſtis cumulatus. Adeout cum inclytus ſanguis in venas tuorum influxerit, neſcio quo pacto ab eo, qui è venis exiuit, claritudine ſuperetur. Itaque nulla eſt ſpecies dignitatis, quæ in tuam Familiam non incurrerit, quaſi eam omnes ambirent, vt ornarentur, & creſcerent. In ea Purpuræ, Infulæ, Laticlauia, Trabeæ, Lemniſci, ſi Togam ſpectes: Galeæ, Scuta, Tela, Enſes, Coronæ, Trophea, Vexilla, Signa, Teſſeræ, ſi Sagum conſideres inueniuntur. Hinc illi Petri, Manfredi, Nicolai, Ioannes, Iacobi, Ludouici, Pauli, Ioannes Antonij, Papirij, Cincij, Camilli, Blaſij, Tarquinij, qui vel ipſo ſplendore nominis famam obuiam perſtringunt, & feriunt: eiſ-

que nobile testimonium clari Scriptores reddunt. Certè vna Capisucchiorum Domus Romam veterem, si imagines virtuti pendantur quodammodò repræsentat. Ea quasi magnes alias nobilissimas Romæ Vrbis, Italiæque Familias ad se traxit vinculo affinitatis copulandas. En Farnesij, en Vrsini, en Comites, en Annibaldi, en Cæsarini, en Aldobrandini ad vestram Arborem confluentes. Ecce Matthæij, Mutij, Capocij, Margani, Porcarij, Cincij, Crescentij, Santacrucij, Fabij, Capiferrei, Thebaldi vestris ramis insidentes. Quid quod Arcionij, Albertonij, Coronati, Gottifredi, Capranici, Alterij, Magdaleni, Cecchini, Lenij, Sanctorij, Mazzatosti, Ariccij, Maccarani, Tomarozzii, trunco vestro genealogico inhæserunt. Iam verò Sommalij, Anguiscioli, Mariscotti, Laudati, Vbertini, Sanframundi, Piscicelli, Baldeschi, Clementini, Surculos suarum arborum vestræ oculis inseruerunt, vel ex ea decerptos suis inocularunt. Nobilia Oppida prætereo, quorum olim claris additis titulis dominatum obtinuistis, Pectoranum, Castrum Candulfi, Catinum, Podium, Catini, Monterium, Fossacœca, Fabrum, &c. Insignia item, & perampla fileo Prædia à vobis in Agro Romano possessa, vti sunt Castra dicta, Polidori, & Lombardorum, Cerquetum, Vallis Caia, Cicognola, Sanctus Cyriacus, Prescianum, Sanctus Ianuarius, Colles Sancti Spiritus, Turricella, Castrum nuncupatum Marci Simonis, & alia plura. Hac certè ratione effectum, vt Nemus honorum, & Sylua dignitatum Arbor Capisucchia esse videatur: quæ longè, latèque diffusa ceù odisset ob generositatem angustias in Neapolitanum Regnum, in Galliam, in Germaniam suam illustrem pompam propagauit, & clarissimis immixta Familijs, earum armis, & stemmatis splendorem addidit, & Luminaria, quæ iam sua ingenita luce fulgebant nouis illatis radijs accendit; Obuia hæc vestræ Familiæ decora alia plura, & maiora sub antiquitate latere demonstrant.

At verò hæc eadem Reuerendissime Pater, quamuis præclara, aliena tamen. Excelsa in te alia, sed propria. Religio in Deum. Pietas in Superos, eò testata quod à pueritia sic es institutus, vt cum inter delicias, & opes versari pro tui sanguinis claritudine, & Familiæ dignitate posses, maluisti tamen litteris operam dare, & te in primæuo vernantis ætatis flore Deo in Religiosissimo Prædicatorum Ordine consecrare. In quo breui tale ingenii, & virtu-

tis

tis ſpecimen præbuiſti, vt adultior, ſed intrà iuuentutem maturus ab Optimo, & Integerrimo Pontifice Innocentio X. ad ampliſſimos honorum Sapientibus Religioſis debitorum gradus euectus fueris. Primum à Secretis Sacræ Congregationis Indicis inſtitutus ſic te geſſiſti, vt alium quaſi cumulum, promerueris. Igitur Examinator Epiſcoporum creatus: in quo ſic te munere obeundo probaſti, vt màiori dignus honore appareres. Quarè Magiſter Sacri Palatij ab eodem Innocentio electus ad litterarii culminis faſtigium aſcendiſti. In eo Tu ſcientiæ, doctrinæ, integritatis, modeſtiæ, grauitatis, conſtantiæ, ea documenta dediſti, vt non modo Magiſter litterarum, ſed virtutum omnium habereris. Accedebat eximia quædam concionandi gratia, & facultas, qua mirè omnium aures demulcebas, & animos conciliabas. His dotibus, & officiis minimè dubiam ſpem feciſti, vt ſi diutiùs viueret Innocentius ad multò altiores gradus prouehendus fuiſſes: tanti apud illum erat, cum virtus ſingularis tua tum amplitudo tuæ Familiæ. Itaquè & priuata, & communi ratione honeſtates tibi ampliſſimas deſtinabat. Hæc ego cum & dona in te Cœleſtia, & Pontificia decora recognoſcerem, honorificum mihi duxi, ſi te mihi Patronum eligerem, à quo certè ſpero laudem, & ſplendorem Operi conſecuturum, vt ex vmbra tui Patrocinii plus hic Liber luminis, quàm à Solis radiis mutuetur. Vale, ac viue ad tui Ordinis gloriam, ad tuæ Familiæ ornamentum.

Venetijs ex mea Typographia Anno Domini MDCLXVI.

Dominationes Tuæ Reuerendiſsimæ

Addictiſsimus Humiliſsimus Seruus

Nicolaus Pezzana.

AD LECTOREM.



Cce in tui gratiam, Lector Beneuole, Typographus noster suis Sumptibus, & industria tibi dat sub vno Alphabeto sparsos in duobus tomis nostræ Theologiæ practicæ, tum Sacramentalis, tum Moralis, Flores, itavt in futurum, in quacumque materia, non indigeas ad manum duos libros habere, ad reperiendum, quæ desideras & peroptas inuenire, sub vno enim titulo habebis, quidquid in duobus sparsim libris tibi inquirendum foret. Hæc erit tua commoditas, & vtilitas. Sed quia in vltimis editionibus vtriusque tomi Antuerpiæ anno 1659. & 1660. factis apud Hieronymum & Ioannem Baptistam Verdussem, ac Cornelium VVoms tibi occurrent, si bene aduertas, errores satis graues, non solùm in textu materiarum, verùm etiam & multò plures in citationibus Authorum: Te ideò monitum velim, non Authoris, sed Typographorum ignauia, & incuria esse commissos. Vnde meritò tibi aliàs dixi, esse dolendum maximè his temporibus, quod licet Typographorum numerus abundet, vix tamen vnus inuenitur, qui dum suam potius vtilitatem, quàm vel Auctoris æstimationem, vel Lectoris commodum quærit; non ita mendosè & deprauatè omnia imprimat, vt nihil planè, aut in sententijs rectum, aut in Doctorum auctoritatibus citatis certum aliquid studiosus Lector habere possit. Tamen in hac editione meliora spero. Vale & apud Altissimum mihi tuis precibus faue.

Approbationes Theologorum, qui de mandato admodum Reuerendi Patris Generalis totius Ordinis Fratrum Capucinorum tomum primum horum Florum Theologiæ practicæ examinarunt.



Irtute commissionis mihi factæ ab admodum Reuerendo Patre Innocentio à Calatayerone Ordinis nostri Generali librum hunc, cui titulus: *Flores totius Theologiæ Practicæ, tum Sacramentalis, tum Moralis*, à Reu: Patre ELIGIO BASSÆO compositum, & tertia manu accuratis additionibus & flosculis recentioribus venustè ac appositè adornatum, studiosè & sedulo perlustraui, in quo nihil offendi Orthodoxæ fidei, sanæ doctrinæ, aut morum regulæ aduersum, sed omnia eruditè, solidè, prudenterque, facili, doctaque methodo conscripta, proindeque de nouo publica luce hoc tertio prælo dignissimum iudico, confidens de publico applausu ob prægustatam secundo à plurimis summam eius ad rectè & pacificè dirigendas fidelium omnium conscientias, vtilitatem. Datum Antuerpiæ 29. Augusti 1645.

Frater SEBASTIANVS ANTVERPIENSIS *cap. Guardianus & Exlector Sacræ Theologiæ ac casuum conscientiæ.*

FLores totius Theologiæ practicæ, tum Sacramentalis; tum Moralis R. P. ELIGIO BASSÆO Sacerdote Capucino auctore cum suis additionibus Iussu Reuerendi admodum P. Generalis studiosissimè perlegi & in ijs non tantùm nihil Orthodoxæ fidei contrarium aut bonis moribus repugnans inueni, sed toti Ecclesiæ vtilissimum, Seraphicæ nostræ Religioni honorificum, & pro tertia vice luce dignissimum iudico Datum Alosti in Conuentu nostro 2. Septemb. 1642.

Frater LIVINVS ALDENARDENSIS *Guardianus indignus & Sacræ Theologiæ quartò Exlector.*

Facultas Admodum R. P. Generalis.

NOS Frater Innocentius à Calatayerone Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum Generalis Minister. Cùm opus, titulum habens *Flores totius Theologiæ practicæ, tum Sacramentalis, tum Moralis*, ab admodum Venerando P. ELIGIO BASSÆO nostri Ordinis Presbytero compositum, à Theologis nostris, iuxta commissionem nostram, relectum & approbatum fuerit, vt cum nouis additionibus typis tertiò iam mandari possit, quoad nos spectat perlibenter licentiam, & facultatem concedimus, seruatis alijs de iure seruandis. In quorum fidem præsentes manu propria subscriptas & sigillo maiori officij nostri munitas damus Fani in Piceno die 22. Octobris 1645.

Locus ✠ *sigilli* F. INNOCENTIVS, *Minister Generalis.*

Approbationes Theologorum Ordinis, qui supplementum examinarunt.

EX commissione Adm. R. P. Fortunati à Cadoro Ordinis nostri Generalis mihi facta, legi tomum secundum R. P. Eligij Bassæi Capucini, quem *Flores Theologiæ Practicæ tum Sacramentalis, tum Moralis, cum supplemento intitulat*: Supplet enim si quid in priori tomo desideretur; Suffulcit, si quid nutet. Flores sunt, seu dogmata selecta, ex amplissimis campis Theologiæ ac vtriusq; iuris summa diligentia ac labore collecta. Cùm verò in ijs nihil fidei ac bonis moribus contrarium repererim; sed doctrinam solidam ac facilem; copiosam simul & compendiosam; moderatè laxam & benignè rigorosam, censeo quòd hic secundus tomus ad vberem fructum ac magnam Confessariorum, Canonistarum, & Legistarum commoditatem, in lucem euulgabitur. Datum Brugis 13. Nouembris 1654.

F. MARCELLINVS HELMONDANVS, *Capucinorum Brug. Guardianus, quondam Theologiæ Lector, & Diffinitor.*

Ego

EGo infrà scriptus ex commissione Adm.R.P.Fortunati à Cadoro Ordinis nostri Ministri Generali cum magna diligentia perlegi librum (cui titulus est *Flores Theologiæ Practicæ tum Sacramentalis, tum Moralis, cum supplemento Tomus Secundus*) à R. P. Eligio Bassæo Capucino Presbytero Ex-Guardiano, & non solùm non inueni aliquid in eo Sacro Sanctæ Orthodoxæ fidei aut bonis moribus contrarium, sed & etiam reperi insigni doctrina refertum, vnde & cupio & rogo vt citius, tanquam omnibus non solùm Theologis vtilissimus, sed & Iuristis non parum, prælo detur. Datum Bruxellis 27. Nouembris 1654.

F. PATRITIUS HASEBROCANUS, *Capucinus Diffinitor & Guardianus Indig. & Exlector Philosophiæ ac Theologiæ.*

Facultas Admodum R. Patris Generalis,

NOs F. Fortunatus à Cadoro Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum Minister Generalis, licet immeritus, Tenore præsentium facultatem concedimus vt seruatis seruandis, Liber, cui titulus est, *Flores Theologiæ Practicæ tum Sacramentalis, tum Moralis cum supplemento*, compositus à P. Eligio Bassæo Sacerdote Capucino, & à Doctis nostræ Religionis Patribus, quibus id commisimus, recognitus, & approbatus, Typis mandari valeat. Datum in Conuentu nostro Alonensi 18. Ianuarij 1655.

Locus ✠ *Sigilli*. F. FORTUNATUS, *Minister Generalis*.

Noi Refformatori dello studio di Padoa.

HAuendo veduto per fede del P. Commissario del S.Officio, che nel Libro intitolato *P.F. Eligij Bassæi Ord. Fr. Min. S. Francisci Capucinorum Flores Totius Theologiæ Practicæ tum Sacramentalis, tum moralis*, non i esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi concedemo licenza, che possi esser stampato, osseruandosi gli ordini.

Data à primo Giugno 1663.

(Angelo Correro Caual. Procurat. Refformatore.
(Nicolò Sagredo Caual. Procurat. Refformatore.

Angelo Nicolosi Segretario.

AD FLORES AUTHORIS.


Vis me commouet, inter atra noctis?
Non audis? aperi *Hortulane* Turbis;
Sensere eminus, vndequaque spargi
Spiramenta tui recentis horti?
Hortulane, aperi! Introite, Turbæ.
Et noua calathos replete messe.
Vos, ò *Merx sacra*, flosculi nouelli,
Soli pignora chara BASSÆANI;
Ite, & naribus este literatis,
Quod est haustus aquæ, siti æstuosis:
Ite, & fundite per vias odores,
Ac rudes hominum innouate mores.
Si quis vos roget, vnde? quidve sitis?
Flores dicite, pauperis Parentis
Eligi; elige: vel negare prolem;
Aut admittere te suum Parentem:
Scio, tu fugis, & cupis latere.
Francisci æmulus, ac pusillus esse.
Nil sum, nil merui. *Nihil mereris*?
Tui hoc stet penes arbitros laboris:
Cæteri parere ipsa membra sparsim,
Tu reponere sparsa cuncta iunctim?
Horum, quis Pater? Ille qui reunijt,
Ac totum generosus excitauit.
Sed vos arte noua, styloque iuncti,
Selecta methodo, ordine eleganti.
Nunc pulchri magis ac fragrantiores.
Flores latiùs optimos odores
Exhalatis. Ades sinuque aperto
Messem congere lector hoc ab horto.
Prodit hoc opus octies, subinde
Centeno Dubio auctius priore.
Immensus labor! Esto, dum salubris:
Esto, dummodo prosit vniuersis:
Æternus Deus, æstuantium spes,
Dignetur tua solus esse merces.
Ite ergo modò, flosculi tenelli,
Per manus hominum orbis vniuersi:
Thesauris inhiant virum ora vestris.
Posthac parcere læta, mille libris;
Si languetis amore, Casuistæ,
His vos *fulcio floribus*, fauete.

ELEN-

Elenchus Verborum, & Titulorum omnium, quæ in hoc Primo Tomo continentur.

Hære-

ELENCHVS.

FINIS.

PROŒMIVM.



HEOLOGIA, alia eſt poſitiua, alia ſcholaſtica. *Poſitiua* eſt, quæ verſatur circa principia fidei nempe circa Scripturam ſacram, & traditiones diuinas; ita dicta, quod ponat ea quæ tractat, non autem probet aut deducat ex alijs principijs, verſatur enim potiſſimùm in explicando ſacræ Scripturæ ſenſu, ad eumque eliciendum, tum alijs adminiculis, tum præcipue Sanctorum Patrum vtitur authoritate. *Scholaſtica* eſt, quæ ſubtiliter ex principijs à Poſitiua acceptis; ea animaduertit, quæ Sacræ doctrinæ vel conſentanea ſunt, vel aduerſa, deductis varijs concluſionibus, quæ veritatem fidei magis illuſtrent, & aduerſus hæreticorum fraudulentiam tueantur, quemadmodum in ſcholis fieri ſolet.

Theologia ſcolaſtica duplex eſt; Theoretica & Practica; Theoretica eſt, quæ Dei naturam, attributa, operationes & effectus ſpeculatur prout in ſe ſunt, ſiſtendo in eorum veritate. Practica eſt, quæ præſcribit modum perueniendi ad Deum, nempe bene operandi, cauendi peccata, ſequendi conſilia Euangelica, &c. & ſic inſtruit mores hominum: vnde & Moralis dici ſolet: quod enim præſtat Ethica, ſiue Philoſophia moralis lumine rationis in ordine ad finem naturalem, hoc facit Theologia practica lumine fidei, in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem. Scientia Caſuiſtica eſt pars Theologiæ practicæ ſiue moralis, eaque potiſſima & maximè neceſſaria: tum quia nititur principijs reuelatis, & verſatur circa res diuinas, præſcribitque modum rectè tractandi conſcientias, in ordine ad æternam beatitudinem; dicitur eſſe tantùm pars, quia non tam latè ſpargitur quàm Theologia moralis, ijs eſt contenta, quæ attingunt conſcientiam, omiſſis magna ex parte, quæ diſputantur de gratia, virtutibus, & vltimo fine: tum quia nihil præſtantius, vtilius, aut magis neceſſarium, quàm id cognoſcere; alijſque tradere, in quo cardo ſalutis noſtræ vertitur, iuxta illud Ieremiæ 9. *Non glorietur Sapiens in ſapientia ſua, &c. ſed in hoc glorietur, qui gloriatur ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra.* Quod animaduertere deberent quidam Theologi, ſpeculatiuis quæſtionibus, quarum nullus eſt vſus, nimium intricati, quos optimè depingit *Ioannes Gerſon* in tract. de oratione, & eius valore, in fine, vbi ſic ait. *Hanc ſapientis admonitionem.* Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper. *Non obſeruant multi Theologorum noſtri temporis, qui de moralibus, quaſi de rudibus materijs, ſtudere vel inquirere, non dignantur: Sciemus, inquiunt, talia cùm voluerimus, cùm tamen nulla ſit ad cognoſcendum benè, & reſolutè ſcientia difficilior, propter circumſtantiarum innumeras varietates: nec eſt aliquis tam excellentis ingenij nec à puero in hac ſcientia tam exercitatus, qui non & quidem nouiter quotidie inueniat, quod priùs non ita planè cognoſcebat.* Hæc ille. Porò ſubiectum huius facultatis (*Theologiæ, ſcilicet, practicæ*) ſunt caſus conſcientiæ, (hoc autem nomine intelliguntur certæ facti ſpecies, de quarum honeſtate, turpitudine, indifferentia, & ſimilibus qualitatibus, conſcientiam attingentibus, dubitari poteſt, vt an mentiri, ſemper ſit malum? an poſſidere plura beneficia ſit peccatum mortale? an liceat minus malum facere ad euitandum maius, &c. vnde à Theologis, ijs præſertim, qui moralem Theologiam profitentur, caſus conſcientiæ dicitur, omnis quæſtio de moribus facta, ſiue pertineat ad peccata, ſiue ad cenſuras, ſiue ad vota, ſiue ad iuramenta diſpenſanda vel relaxanda, ſiue ad quodcumque aliud, quod ad mores aut conſcientiam ſpectat; licet propriè & ſpecialiter *Caſus* dicatur ſolùm peccatum, quo quis à virtutis rectitudine cadit.) Probatur, quia aliud eſt ſubiectum ſcientiæ ad cuius plenam cognitionem & directionem, omnia referuntur quæ cadunt ſub illam ſcientiam: tales autem ſunt caſus conſcientiæ in propoſito; nam omnia quæ hic traduntur, eò ſpectant, vt illuminent, dirigant, & inſtruant conſcientiam vniuſcuiuſque in actibus humanis, vt norit quid proſequendum, quid fugiendum, quanta ſit obligatio legis, quanta grauitas peccati, &c. adeo vt actus humani ſint ſubiectum materiale, ratio verò formalis ſit ordo ad conſcientiam: quemadmodum enim omne & ſolum quod colore affectum eſt, cadit ſub aſpectum, ita omne & ſolum quod attingit conſcientiam cadit ſub hanc facultatem. Præterea obiectum huius ſcientiæ Caſuiſticæ eſt concluſio attingens conſcientiam, quatenus eſt illata ex principio diuinitus infuſo; quia illud eſt obiectum ſcientiæ, quod directè ab ipſa cognoſcitur, ex vi proprij principij, vt patet inductione in omnibus ſcientijs, ſed in propoſito, id quod cognoſcitur, eſt concluſio moralis idque ex vi reuelationis diuinæ immediatè, vel mediatè; ergo v. g. omne peccatum mortale eſt confitendum, omnis fornicatio eſt peccatum mortale. Ergo dicitur immediatè, vel mediatè, quia aliquando vtimur principio fidei, quod eſt immediatè reuelatum à Deo, aliquando verò vtimur concluſione ex principijs fidei deducta, vt fungatur vice principij ad vlteriores concluſiones inferendas. His præmiſſis, ad particulares reſolutiones deſcendamus.

FLO-



FLORES TOTIVS THEOLOGIAE PRACTICÆ.

ABBAS.

SVMMARIVM.

1 *VÆNAM iure communi in Abbate requirantur.*

2 *An omnes Abbates sacrari, aut benedici debeant? & quibus diebus? An possit benedictio iterari? à quibus benedicantur?*

3 *Benedictio non est necessaria vt iuribus Abbatialibus Benedictio competentibus gaudere queat.*

4 *Abbas exemptus Romani Pontificis auctoritate confirmari debet, aut Legati à latere. Non exemptus Episcopi auctoritate confirmatur.*

5 *An per confirmationem, vel per benedictionem Abbati iurisdictio conferatur?*

6 *Abbatis auctoritas ad quæ se extendat in solemni benedictione populi? & an possit minores Ordines conferre subditis? An Prælati mendicantium gaudeant hoc priuilegio?*

7 *Abbatum quorumdam potestas circa benedictiones calicis, Altaris, &c.*

§. 1.

8 *Quid possint Abbates, & alij Prælati Regulares circa subditos in absolutionibus, & dispensationibus irregularitatum, suspensionum, &c. virtute Concilij Tridentini.*

§. 2.

Summorum Pontificum priuilegia recensentur, in quorum vim Abbates, & alij Prælati regulares absoluunt subditos à Casibus Papæ reseruatis.

§. 3.

In quibus irregularitatibus possint Abbates, & alij Prælati regulares cum sibi subditis dispensare?

§. 4.

Multiplex potestas Prælatorum in subditos enarratur.


§. 5.

An priuilegiis Regularium sit derogatum per Bullam Cœnæ Domini.

9 *Abbatis Commendatarij potestas in Capitulo.*

10 *Abbas à quarum regularum obseruantia ius habeat soluendi, & eximendi Monachos? An Abbates possint in præceptis Ecclesiæ dispensare.*

11 *Ætas iure requisita in Generalibus, Prouincialibus Ordinum, Guardianis, Prioribus, Diffinitoribus, &c.*

1 *VRE communi* requiritur in Abbate vt sit expressè professus; Sacerdos; ætatis 25. annorum; vt sit à Monasterio, cui præesse debet, electus; & ex eodem Monasterio, ad cuius præfecturam assumitur, erectus: nisi quando Monasterium idoneam personam non haberet; tunc eligi potest de alio: denique vt præfectus sit tantùm vni Monasterio, vel Ecclesiæ, habentibus curam animarum, nisi vnum Monasterium, vel Ecclesia depédeat ex alia, vel inuicem sint annexa; hæc colliguntur ex multis Capit. Iuris Canonici hic citatis, *c. Nullus de elect. in 6. c. 1. de ætat. & qual. ordinand. c. Abbas. & c. Abbatem, 18. q. 2. c. Quam sit, 18. q. 2. c. vlt. de religiosis domib.* Propterea Abbatia regularis, quæ est beneficium, non datur in Titulum, nisi Monacho religionem professo; in Commédam autem, aut in administrationem perpetuam dari potest, etiam non professis, neque Sacerdotibus; vt commendari solet Cardinalibus, alijsque primarijs Ecclesiæ Clericis. Vide Tamburinum, *tom. 1. disp. 5. q. 10. & seq.* Azorium, *tom. 1. lib. 12. c. 20.* Layman, *lib. 5. tract. 9. cap. 13. §. vnic. n. 15.* Syluest. *v Abbas, n. 1. 2. 4.* Tambur. Azorius. Syluest.

2 *Illi soli Abbates* benedicuntur ab Episcopo, qui iuxta suæ Ecclesiæ morem benedici solent, non alij: *c. Alienat. 12. quæst. 2. cap. Tua de consecrat. Eccles.* hæc autem benedictio *iure* fieri potest etiam non Dominicis diebus; & si ad alteram Abbatiam eligatur Abbas semel benedictus, secundùm communem sententiam, quam tradit Nauarrus, *cons. 2. de statu Monachorum*, non est iteranda, licet characterem non imprimat; sicut benedictio nuptialis nó reperitur, *cap. 1. & 3. de secundis nuptijs*. Abbatis verò benedictio ab Episcopo fit assistentibus duobus Abbatibus: quamquam consuetudo permittit, vt à tribus Abbatibus benedictio conferatur, vt docent Syluester, *v. Abbas, n. 3.* Layman, *cap. n. 17.* Extat priuilegium Innocentij Octaui datum anno 1489. die nona Aprilis; quo concessit Ioanni Abbati Monasterij Cistertij, vt Abbates, & Abbatissas sui Ordinis benedicere possit. Bullam refert Rodriquez *in noua coll. priuileg. mendic. & non mendicantium.* Clemens autem VIII. *die 24. Iulij, anni* 1599. concessit eidem Abbati Cistertij Generali totius Ordinis, vt possit deputare Vicarios per Prouincias, qui benedictionem nouis Nauar. Syluester. Rodrig.

Abbatibus, & Abbatissis dicti Ordinis impenderent. Ita Tamburinus *de iur. Abbatum, tom.* 1. *disp.* 11 *quæsit.* 11.

3 *Abbatis benedictio* non est adeò necessaria, quin sine ea electus, omnibus, & singulis honoribus, præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis, iuribus, & insignijs Abbatialibus benedicto competentibus gaudere queat; prout concedunt Eugenius IV. Iulius II. & Leo X. apud Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg. quæst.* 12. *art.* 4. *& quæst.* 18 *art.* 2. Tamburin. *tom.* 1. *dist* 11. *quæst.* 13. Vnde benedictio Abbatis potiùs ad solemniatem spectat, quam ad substantiam; vt rectè annotauit Ioann. Selua, *p.* 6. *de benef. quæst.* 2. *n.* 7. apud Layman *c. n.* 17. quin quidam Abbates sola confirmatione absque alia benedictione constituuntur, vt plenam potestatem exercere possint. *Idemque* dici debet si Episcopus tertiò requisitus benedictionem conferre nolit: tunc enim minores ordines conferre potest, non secus, quàm si illi benedictionis munus fuisset impensum. *Ex concessione Alexandri III.* facta *Cisterciensibus, c. Statuimus, de supplent. neglig. Præl.* quia Abbas electus, & confirmatus in Abbatem, ante benedictionem dicitur Abbas. Ita Azorius *cap. quæst.* 6. Tamburinus *disp.* 11. *quæst.* 5.

Rodriq. Tambur.

Azorius Tambur.

4 Abbates exempti Romani Pontificis auctoritate generali, vel speciali confirmari debent, vel auctoritate Legati a latere, si vllus sit in Prouincia; etiamsi Prouinciam, & legationem exuisset, secundum Glossam *cap. si Abbatem, de elect. in* 6. iuncta Gloss. Syluester *v. Abbas quæst.* 3. Layman, *cap. §. vnic. numer.* 15. Azorius *cap. quæst.* 6. Si verò non sint exempti, Episcopi auctoritate confirmantur, licet Romanorum Pontificum priuilegio Monastici Ordines obtinuerint, vt inferiores eorum Abbates suorum Superiorum Abbatum, vel Præsidentium auctoritate confirmentur; quemadmodum Priores, & Ministri Prouinciales Mendicantium Ordinum, nutu, & auctoritate Prioris, & Ministri generalis confirmari solent Syluest. Layman, Azorius.

Azorius Layman

5 Quando confirmatio sola benedictionis vicem, & firmamentum habet, aut vbi sola benedictio sine vlla confirmatione priori locum obtinet, tunc per confirmationem, aut per benedictionem omnis potestas, & iurisdictio Abbati conceditur. At verò vbi confirmatio præcedit & à benedictione distinguitur, per confirmationem conferuntur Abbati omnia, quæ ad iurisdictionem spectant. Panormitanus *in cap. vnic. de offic. ordin.* Azorius *cap. q.* 6 Syluester. *cap. n.* 4.

Azorius Syluester.

6 Abbas potest populum solemniter benedicere in Ecclesijs sibi pleno iure subiectis; alijs autem in locis non nisi ex priuilegio speciali, post Missarum sacrificia perfecta, & absoluta, post vespertinas preces, aut matutinas decantatas, *cap. Abbates, de priuileg. in* 6. Glossa Syluester. *cap. q.* 2. *num.* 5. Rodriguez *tom.* 1 *qq. reg. q.* 18. *art.* 1. Ecclesiæ autem dicuntur Monasterio pleno iure subiectæ secundum Glossam, quæ tum in iis, quæ ad spiritualium, tum in iis, quæ ad temporalium rerum administrationem pertinent, sunt in cura, & potestate Monachorum. Præterea potest Abbas minores Ordines & tonsuram conferre, non obstante desuetudine etiam longi temporis, *cap. Quoniam, dist.* 69. *& c. Cum conting. de ætat. & qualit.* seruato tamen decreto Concilii Trid. *de reform. sess.* 23. *c.* 10. Syluius *in supplem. q.* 38. *art.* 1. Portel *verb. Abbas, n.* 2. *in dub. reg.* Azorius *cap. q.* 7. quod sic habet: *Abbatibus, aut aliis quibuscumque quantumuis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius Diœcesis, consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subitus, sibi non sit, tonsuram, vel Minores Ordines conferre.* Hæc ibi. Vnde hoc potest Abbas non ratione Ordinis, sed demandata sibi potestate à iure tam antiquo quam nouo. Non obstante tamen prædicto decreto ex declaratione sacræ Congregationis Cardinalium, Abbas potest sæcularibus, aut aliis Monachis sibi nón subiectis tonsuram, & Minores Ordines conferre, modò Episcopi, vel Superioris licentia accedat. Nota tamen, quod facultas illi Ordines conferendi, restringenda esse videtur ad eos Prælatos regulares, qui ius mitram & baculum deferendi habent. Vt testantur Zerola *in praxi verb. Abbas* Barbosa *p.* 2. *allegat.* 3. *num.* 13. noster Sorbus *in Compend. priuileg. verb. Ordines Sacri.* Et licet Superiores, & Prælati Mendicantium Ordinum communicent in priuilegiis cum Monachis, hoc tamen priuilegio Ordines conferendi, minimè gaudent, cùm enim ex sua concessione primæua Abbatibus benedictis elargitum sit huiusmodi priuilegiū, non fuit postea Prælatis Mendicantium communicatum, seu extensum, cum ipsi non benedicantur, nec præeminentiam & dignitatem quandam, quam sibi Abbates iam antiquitùs acquisiuere, vendicent, vt colligitur ex Suarez, *tom.* 4. *de relig. lib.* 3. *c.* 29. *n.* 28. Laurent de Peyrin *tom.* 2. *de Prælat. cap.* 7. *n.* 25.

Sylueſt. Rodrig.

Portel.

Zerola

7 Quidam Abbates infulati, idest, qui insignibus Pontificalibus vtuntur immemorabili consuetudine calices, altaria, campanas, lapides, & pyxides consecrandi facultatem præscripserunt; quæ consuetudo etsi sit contrarius commune, vt patet ex *cap. Abbates* iuncta Glossa *in verbo tonsuram, de priuileg. in* 6. fundata in priuilegio Innocentii VIII. apud Tamburinum *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 23. *quæst.* 13. Armillam *verb. Calix, n.* 4. & ideo hanc sententiam docent Barbosa *de potest. Episc. part.* 2. *allegat.* 27. *nu.* 36. Miranda *tom.* 2. *q.* 46. *artic.* 4. Portel. *cap. n.* 3. Rodrig. *in sum. tom.* 3. *c.* 19. *n.* 2. apud Dianam *de dub. reg. resol.* 15. quamuis talem consuetudinem reprobent Syluester *v. Benedictio, n.* 5. Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 2. *c.* 30. *n.* 8. Vide *verb. Benedictio.*

Armilla. Barbosa. Miranda.

8 Quid autem possint Abbates, & alii Prælati regularium circa suos subditos regulares in absolutionibus & dispensationibus; tā virtute iuris cōmunis, quàm priuilegiorū, sūmariè persequentes paragraphos distinguemus.

§. I.

Certum est apud omnes Sacri Concilii Tridentini decretum *sessione* 24 *capit.* 6. vbi habetur: *Liceat Episcopis in irregularitatibus & suspensionibus omnibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiā Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua, per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem, & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.* Quandoquidem probabile sit hanc facultatem Episcopis in hoc decreto concessam, non esse reuocatam per Bullam Cœnæ, vt asserunt Puteanus 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 4. *dist.* 2. Fagundez *p.* 2. *lib.* 8 *cap* 8. *nu.* 32. 33. Sanchez *lib.* 2. *Moral cap.* 11. *n.* 27. Diana 4. *p.* 4. *resol.* 239. Crousers *ad cap.* 7. *reg. Min. lect.* 11. *fol.* 584. & alii multi penes ipsos: quia in bulla Cœnæ non fit expressa mentio Concilii Tridentini, quod quidem est necessarium, vt censeatur illi derogatum, eo quòd Constitutioni, seu decreto Concilii propter eius grauitatem non intelligatur derogatum, nisi de eo fiat mentio specialis Vt patet. *cap. Nonnullis, de rescript.* Quæstio tamen est: Vtrum particula *Episcopus*, cōprehendat Prælatos habentes iurisdictionem Episcopalem, vt sunt Abbates, & Prælati religionum exemptarum, Generales, Prouinciales, Locales, eorumque Vicegerentes; ita vt hoc idem possint in suos subditos, siue religiosos, siue alios; quod Episcopi in Diœcesanos; Suarez *de censur. disp.* 41. *sect.* 2. docet illos non comprehendi, propter quamdam declarationem Cardinalium circa dictum decretum, quam his verbis refert: *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem; sed tantum Episcopi, priuatiuè quoad omnes alias.* Tum quia hæc facultas datur Episcopis iure speciali, & intuitu authoritatis, & dignitatis, qua pollent; ergo non est extendendæ ad alios non Episcopos, quamuis iurisdictionem Episcopalem habeant. Nihilominus mihi probabilius est contrarium, cum Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 2. *n.* 12. quem sequitur noster Crousers *cap. lect.* 11. cum Henriquez *lib.* 6. *de pœn cap.* 16 *num.* 1. Rodriguez *tom.* 2. *summa cap.* 10. *n.* 6 *& qq. regul tom.* 1. *quæst.* 61. *art.* 9 Diana *part.* 7. *tract* 2. *resol.* 4. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 25. *disp.* 5. *sect.* 17. *num.* 118. & aliis. Ratio est: quòd id decretum sit tanquam fauorabile ampliandū: quia hæ censuræ, & casus occulti, non censentur reseruati Papæ; & ideo sub iurisdictione Episcopali, amplè accepta comprehenduntur, maximè, cum hoc decretum

Fagundez Sanch

Crousers Henriq. Rodriq.

plerisq;

pleriſque Doctoribus, non ſit ius nouum, exorbitans ab antiquo, & quamuis eſſet exorbitans: tamen cum in corpore iuris claudantur, latè eſt interpretandum. Nec obſtat declaratio Cardinaliũ in contrarium adducta: Quia, vt inquit Sanchez, de ea non conſtat authenticè, neque neceſſario illi ſtandum, cum non faciat ius: quãuis magnam auctoritatem habeat. Quare hoc intelligendũ cenſet noſter Crouſers, non ſolum reſpectu ſuorũ ſubditorum qui etiam Regulares ſunt, ſed etiam aliorum, qui nõ ſunt: quales ſunt famuli ſæculares, in Monaſterio habitãtes vel incolæ territorij exempti. Hęc de iure communi.

§. II.

Crouſers.

Ex multorum Pontificum priuilegijs clarius conſtant Prælatorum regularium auctoritas in ſubditos regulares, *Compend. priuil. Mendic. verb. Abſolutio ordinaria quoad fratres*, §.18. Crouſers *ad c.7.reg.* S.Franc. *lect.* 12. *fol.* 593. tam ante, quã poſt Conc. Trid. conceſſis: vnde dicimus 1. Ex cõceſſione Alexandri VI. Generalis, Prouinciales & Cuſtodes Minorum vltramontani, illud omne quod Epiſcopis, quoad caſus occultos, per Trident conceditur, poſſunt circa ſuos ſubditos, ſiue fratres, ſiue Moniales S. Claræ, ſiue Tertiarios vtriuſque ſexus, quia prædictus Pontifex eis facultatem facit abſoluendi ſibi ſubditos hæreticos & apoſtatas, etiã relapſos: ſed qui id poteſt, iuxta *reg. iur. cui licet quod eſt maius, licet vtique quod eſt minus*, poteſt abſoluere caſus reliquos Papæ reſeruatos, etiam in Bulla Cęnæ, qui ſunt minus graues & enormes. Et huic regulę iuris concluſionique per eam probatæ, conſonat viuæ vocis oraculum Pauli V. quo R. P. Franciſco Hyberno huius noſtræ Prouinciæ Belgicæ Cuſtodi in Capitulo noſtro Generali 1608. declarauit, quod qui poteſt abſoluere ab hæreſis, poſſit etiam ſaltem ſemel in vita abſoluere quemlibet à reliquis Bullæ Cœnæ, & ab aliis Papalibus toties quoties. Verum hæc conceſſio Alexandri fuit tantum viuæ vocis oraculo data & ideo hoc tempore annulata ab Vrbano VIII. in Bulla *alias fœlicis*. Præterea ex priuilegio Clementis IV. & Sixti IV. Generalis, Prouinciales, Cuſtodes, Guardiani, Superiores locales, prædictorumque Vicarij omnes poſſunt in ſuos ſubditos proferre abſolutionem caſuum Pontifici reſeruatorum, etiam in Bulla Cœnæ Domini, etiam hæreſeos quia hi occulti caſus tales ſunt, quod propter illos non ſunt religioſi ſubditi meritò deſtinandi ad Sedem Apoſtolicam, cùm ab Epiſcopis abſolui poſſint. Conceſſio autem Clementis IV. ſolum excipit caſus propter quos delinquentes deſtinandi ſunt ad Sedem Apoſtolicam, quando non ſũt occulti: & Sixtus IV. declarauit ad Sedem Apoſtolicam deſtinandos eſſe hæreticos relapſos, ſchiſmaticos, & qui literas Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent, vt referunt Caſarubius *in Compend. cit.* §.7. Rodriguez *10. 1. qq. reg. q.* 10. *art.* 2. & ex noſtris Crouſers *cap. lect.* 12. Sorbus *verb. Abſolutio quoad ſaculares & fratres*. Ex quibus conſtat, quod quantum ad caſus, qui non ſunt Prouincialibus reſeruati, quilibet Prælatus localis, eiuſque vices gerens, modo ſint occulti, habet in ſuo Conuentu vel loco tantam auctoritatem, quantam Prouincialis in prouincia tota, & quantam Generalis in toto Ordine.

Caſarub. Rodrig. Crouſers. Sorbus.

Porrò poſt Concil. Trident. Pius V. ad inſtantiam Prouincialis Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum tribuit Prioribus Conuentualibus, quæ ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.24. capit. ſexto* conceſſit Epiſcopis, ſcilicet poſſe abſoluere in foro conſcientiæ ab omnibus peccatis ſubditos ſuos & diſpenſare cum illis in omnibus irregularitatibus ex delicto; ne Prior Conuentualis & aliis Prælati communicantes in Priuilegijs, deterioris conditionis quam Clerici ſæculares exiſtant. Sorbus *citatus*. Hinc virtute harum conceſſionum poſſunt Prelati abſoluere ſuos regulares & ſubditos. *Primo* ab hæreſi occulta id eſt, non publica, quamuis iuridicè probari poſſit. Ita Portel. *in dub. reg. verb. Abbas, num.* 6. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 3. Crouſers *cap. lect.* 12. *fol.* 591. Suarez *to. 4. de relig. tract.* 10 *lib* 9. *c.* 2. *n.* 17. Hieron. Rodrig. *in Compend. reſol.* 3. *n.* 3. & alij, nõ obſtãte declaratione Eminent. Dom. Cardinalium, quæ in his Prouincijs Belgicis publicata

Sorbus. Portel. Sanchez. Crouſers. Suarez. Hieron. Rodrig.

non fuit: tum quia in his non viget Sac. Inquiſitionis officium. Imò ex nouo decreto Pauli V. in partibus vltra montanis abſoluere etiam poſſunt ab hæreſi ſubditos ſuos in foro externo, modò poſtea illud S. Inquiſitionis officio indicent: vt refert noſter Crouſers *lect.* 12. *fol.* 588. Secundò, & à reliquis caſibus Bullæ Cœnæ *Tertiò*, à Simonia quomodolibet contracta, ex priuilegio Eugenij IV. apud Rodriguez *c. art.* 13. Crouſers *c. fol.* 597. Vecchis *diſp.* 9. *dub.* 13.

Rodrig. Crouſers. Vecchis. Caſarub. Rodrig. Sorbus. Crouſers.

Quartò, ab excommunicatione Canonis *ſi quis ſuadente Diabolo*, Caſarubius *cap.* §. 40. Rodriguez *cap art.* 2. & 12. Sorbus *citatus*. Crouſers *c. fol.* 598. etiamſi incurratur propter percuſſione enormem, vel etiam occiſionem. Solus tamen Generalis vel Prouincialis abſoluit ab hoc caſu, ſi illum ſibi reſeruauerit, iuxta Decretum Clementis VIII. alias Prælatus localis poterat olim abſoluere, prout conceſſerat Martinus V. ſed. modò non poteſt, quia eius conceſſio fuit tantum viuæ vocis oraculum, vt notat Caſarubius *in Compendio loco citato*.

Quintò poſſunt Prælati regulares abſoluere ſubditos a quibuslibet caſibus, & excommunicationibus Epiſcopo reſeruatis, in quos forte lapſi eſſent ante profeſſionem, modò ſententia excommunicationis ſit tantùm generaliter lata. Ex priuilegio Clementis IV. Et licet Martinus V. hanc exceptionem non faciat, eius tamen conceſſio fuit tantùm viuæ vocis oraculum & ideò hoc tempore annullatum, propter dictam Bullam Vrbani VIII. Caſarubius *cap.* §. 4. Portel. *v. Nouity abſolutio*, *num.* 32. Vecchis *in praxi noua diſp.* 9. *dub.* 7. Rodriguez *cap. art.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 46. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæſt* 35. *art.* 22.

Caſarub. Portel. Vecchis. Rodrig. Diana. Miranda.

Denique cùm Moniales gaudeant priuilegiis Ordinum quibus ſubſunt in quantum capacitas illarum ſe extendit: hinc Prælati, præſertim Ordinis Minorum, & Dominicanorum, nec non Confeſſores per eos deputati, abſoluere poſſunt Moniales ſibi ſubditas ab omnibus peccatis, & cenſuris, a quibus poſſunt abſoluere ſuos fratres Ita Rodriguez *c. quæſt.* 20. *art.* 22. Crouſers *c. lect.* 12. *fol.* 601.

Rodrig. Crouſers.

§. III.

Omnes Prælati Ordinum, tam Generales, quam Prouinciales, & Locales, poſſunt cum ſibi ſubditis regularibus diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta illa, quæ prouenit ex delicto etiam occulto homicidij voluntarij Ex Concilio Tridentino *ſeſſ.24. cap.6.* & priuilegio Pii V. cui non derogatur per Sixtum V. contra malè promotos, ſaltem quoad irregularitatem ex delictis ibidem prohibitis, contractam. Ita Sorbus *in. reſol. mater. abſolut. in principio*. Crouſers *c. fol* 602.

Conc. Trid. Sorbus. Crouſers.

Ex priuilegio autem Martini V. apud Caſarubium *in Compend. v. Diſpenſatio*. §. 24. Corduba *ibid.* Superiores regulares facultate gaudebant diſpenſandi in foro conſciẽtiæ ſuos ſubditos ſuper irregularitate ex homicidio occulto, membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione etiam occulos, & ſecundùm Cordubam hæc diſpenſatio intelligebatur de quocumque homicidio voluntario, uel caſuali directo uel indirecte, dumodò iudicialiter non potuiſſet probari. Imò iuxta Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 41. *ſect.* 2. *num.* 6. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſtinct.* 37. *num.* 11. Nauar *cap.* 27. *num.* 255. Toletum *lib.* 1. *cap.* 68. & alios, vt colligitur ex *cap. veſtra, de cohab. Cleric.* &c. licet fuerit probabile, dicetur adhuc occultum, quamdiu non fuerit deductum ad forum contentioſum per accuſationem, aut denunciationem, & parti intimatum. Sed hoc priuilegium non fuit bullatum, ſed viuæ vocis oraculum tantùm, & ideo ab illius vſu eſt abſtinendum. Poſito tamen quòd per Bullam cõfirmaretur, Prælatus non deberet reum homicidij abſoluere, nec cum illo diſpenſare, cuius crimen ad forum eſt delatum, ſed expectare deberet, ſi fortè probaretur: ſi autem poſt aliquod tempus ſibi conſtiterit actorem in probatione non progredi, diſpenſari poſſet: ſicut, & quando reus à foro contentioſo eſt abſolutus: quia delictum, non fuit probatum: nam tunc homicidium remaneret occultum, & redactum ad ſtatum priſtinum, quamuis reus iniquè falſis teſtibus adductis, ſe tutatus fuerit: Ita Sãch. *c. lib.* 8. *diſt.* 34. *n.* 58. Sayrus *de cenſur lib.* 4. *c.* 17. *n.* 22. Vecchis *diſp.* 9. *dub.* 16. *num.* 6. & alii. Si autem homi-

Caſarub. Cordub. Suarez. Sanchez. Nauar. Toletus. Sanchez Sayrus Vecchis.

Sanchez. Reginald. Auila. Henriq. Sayrus. Gutierr.

cida, cuius delictum fuit deductum ad forum contentiosum, indicio facto punitus sit, satis probabile putant, in simili casu loquentes de facultate à Tridentino concessa, Sanchez *lib.* 2. *Moral.cap.*11 *n.*21. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 26. Auila *de censur.part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 7. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 7. *n.* 5. & alij contra Sayrum *cap. n.* 23. Gutierrez *lib.* 1. *quæst.canon.cap.* 3. *num.* 10. à Prælato regulari vi præfati priuilegij iam de nouo concessi per Bullam, dispensationis beneficium impendi posse: quia memoratum priuilegium, excipiendo delictum notorium propter scãdalum, intendit, vt fori contentiosi auctoritas seruetur, & vt scandalo prouideatur, sed utrique prouidetur, quando in iudicio reus sufficienti pœna punitur.

Rodrig. Diana.

Extat aliud priuilegium Pauli III. relatũ à Rodriguez *in Bullario tom.* 2. *Bulla* 10. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 45. & *part.* 4. *tract.* 2. *res.* 63. quo religiosis D. Benedicti Vallisoleti conceditur, vt singulis annis primo die Lunę Quadragesimæ dispensent cum omnibus subditis in omni irregularitate, quauis occasione vel causa contracta. In qua cõcessione obseruant Hieronymus Rodrig. *in Compend. qq. reg. resol.* 16. Portel *in addit. ad dub. reg. verb. Dispensare, num.* 5. quod Summus Pontifex non limitat si sit homicidij voluntarij, neque casualis, neque limitat si sit delictum occultum vel publicum, neque excipit bigamiã, &c. sed absolutè, & in communi ait, quauis occasione, aut causa contracta. Cumque concessio sit tam ampla & generalis, & Papa id possit concedere; nec ab aliquo successore reuocatum inueniamus in speciali, videtur posse religiosos illa uti sicut iacet sine limitatione; quia cùm lex uel Princeps non distinguit; neque nos distinguere debemus. Hac autem concessione non possunt uti Prælati nisi semel in anno, uidelicet, feria secunda primæ Dominicæ Quadragesimæ.

Hier. Rodr. Portel.

Item super omni irregularitate, aliunde, quam ex delicto prouenientе, etiam ex bigamia, non solum occulta, sed etiam notoria in foro conscientiæ posse eosdem Prælatos subditos dispensare, uirtute concessionis Martini V. supra memoratæ, docuit noster Crousers *cap. lect* 12. *fol.* 603. ut patet exceptione in ea posita, per quã inter notorias irregularitates excipiuntur tantum illæ, quæ ex homicidio uoluntario, mutilatione membrorum & enormi sanguinis effusione proueniunt. Sed hæc doctrina, modò sustineri non potest propter Bullam Vrbani VIII. ut dictum est, supra. Quidam uolunt Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 8. *dub.* 4. *concl.* 8. Henriquez *lib.* 2. *de matr. c.* 6 *n.* 11. religiosos dispensari posse in bigamia uera & interpretatiua, nedum à Superioribus, sed etiam à quocumque cõfessario Ordinis ex cõcessione Sixti IV. facta Minoribus, quæ habetur *in Compend. priuil. Mendic. verb. Absolutio extraordin. n.* 5. Casarubius *in Compend. cap. num.* 5. Rodriguez *p.* 1. *Summ. cap.* 157. *concl.* 6. Nauar *lib.* 3 *cons* 84. *de regul.* Vecchis *disp.* 9. *dub.* 15. *nu.* 2. Sigismund à Bononia *part.* 2. *cap.* 4. *dub.* 568. *n.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 5. *c.* 6. *num.* 7. & alij contrarium docent: quia in concessionibus Pontificijs semper excipitur bigamia, nisi singulariter explicetur: & ideò *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verisimiliter cõcessurus*, ut habet *regula iuris in* 6. Hæc opinio modò in facti contingentia est tenenda, non tantum, quia est probabilior, ut sustinet Diana *part.* 4. *tractatu secundo resolut.* 63. sed quia concessio Sixti Quarti est tantum uiuæ uocis oraculum hoc tempore annullatum. Prælati tamen regulares auctoritate quasi Episcopali gaudentes dispensare possunt cum subditis super bigamia similitudinaria quoad ordines & religionis Prælaturas, modò hæc ex delicto occulto non deducto ad forum contentiosum insurgat; quia sicut Episcopi hac facultate potiuntur iure communi antiquo & nouo Tridentini: ita eadem auctoritate gaudent de iure communi præfati Prælati, & uirtute priuilegiorum, ut obseruant Suarez *de censuris, disputat.* 49. *sectione sexta*, De la Crux *libro primo, capite sexto, dub.* 17. *conclusione prima* Rodriguez *tomo primo quæstionum regularium quæst.* 24. *articulo secundo* Miranda *tom.* 2 *quæstione octaua articulo secundo* Sigismund. *c. dub.* 68. *numero secundo* & alij.

Crousers. Auila. Henriq. Casarub. Rodrig. Nauar. Vecchis. Sigism. à Bononia. Layman. Diana. Suarez. De la Crux. Rodrig. Miranda. Sigism.

§. IV.

Ex dictis colligitur *Primò* Prælatis, regularibus integrum esse dispensare cum subditis in irregularitate ex homicidio, seu mutilatione iusta irretitis: quia qui habet priuilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia, mutilatione membrorum, & homicidio voluntario, potest dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis, & quando in priuilegiis excipitur irregularitas ex homicidio procedens, intelligenda est de homicidio voluntario, id est, per se directè volito, & iniusto per industriam, per insidias, ex proposito, propria voluntate. Hanc autem potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus pro semper, exceptis illis tribus, concessit Sixtus IV. per Bullam, vt refert Casarubius *in Compendio verb. Dispensatio* §. 12. & 13. De hac quæstione vide Caietanum 2. 2. *quæst* 64. *art.* 8. Auilam *cap. part.* 7 *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 1. *concl.* 2. Vecchis *cap. disp.* 9. *dub.* 18. Mirandam *tom* 2 *quæst.* 8. *art.* 4. Dianam *p.* 4. *tract* 2. *resol.* 69. & alios citatos. An autem hæc irregularitas ex defectu lenitatis sit dispensabilis ab Episcopo, alij affirmant, alii negant probabiliter apud Dianam *proximè citatum*.

Caietan. Auila. Vecchis. Miranda. Diana.

Secundo possunt Prælati regulares auctoritate quasi Episcopali gaudentes dispensare cum suis subditis in irregularitate ex vitiis corporis prouenientе, dummodò vitium non sit tam fœdum, aut turpe, vt ex èo scandalum oriri rationabiliter formidetur: hinc cum habente membrum abscisum etiam manifestum, & sua culpa, dum tamen cesset homicidii præsumptio, vt si careat pede, oculo dextro vel digito, qui alias non sit polex, dispensare possunt Prælati; quia cum sibi subditis potest Episcopus dispensare: ergo, & dicti Prælati. Ita Miranda *c. q.* 8. *art.* 3. *concl.* 3. Rodriguez *tom* 1. *qq. reg. quæst.* 24. *art.* 3. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 73. De la Crux *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 17. Vecchis *cap. disp.* 9. *dub.* 20. & alii.

Miranda. Rodrig. Diana. De la Crux. Vecchis.

Ad quem verò spectet iudicare, an defectus corporis sit ita notabilis, vt inducat irregularitatem, vel non? Certum est circa clericos sæculares spectare id ad Episcopum; sed quoad regulares est dubium; quidam enim negant id ad suos superiores spectare. Ita Syluester *verb. Corpore vitiatus*, Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. §. 2. Rodriguez *c. art.* 4. Verum affirmatiuam sententiam tenent, & merito Suarez *de censur. disp.* 51. *sect.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 7. Miranda *cap. concl.* 3. Vecchis *cap. dub.* 21. Diana *cap. resol.* 73. quia hoc magis spectat ad iurisdictionẽ, Episcopalem, quam ipsi Prælati habent, quàm ad Ordinis characterem. Licet liberum sit Episcopo, qui daturus est Ordines admittere vel reiicere tale arbitrium factum a præfato religionis Prælato. Vt aduertunt Doctores hic citati.

Syluest. Henriq. Rodrig. Suarez. Layman. Miranda. Vecchis. Diana.

Tertio, prædicti Prælati non possunt dispensare cum fratribus infamia iuris macularis: nam & si à damnato per iudicem vel per legem ciuilem valeat abolere infamiam iudex ipse, qui sententiam tulit, aut Princeps, vt docent Sayrus *de censur. lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 15. Auila *part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 5 hoc. tamen memoratis Prælatis non conceditur; vnde in iuris Canonici infamia solus Papa dispensat, ad quem pertinet quamcumque iuris infamiam tollere, Ita Nauarrus *cap* 27. *num.* 204. Valentia *tom.* 4. *disput.* 7. *q.* 19. *part.* 3.

Sayrus. Auila. Nauarr. Valentia.

Hinc inferunt Rodriguez *cap. quæst.* 24. *artic.* 6. Miranda *cap. quæst.* 8. *art.* 5. *concl.* 1. Superiores regularium dispensare non posse cum religioso conuicto, & iuridice condemnato de crimine nefando, quia ipso iure est infamis. Idem dicendum putant de aliis huiusmodi criminibus, quæ in iure notantur infamia: & hoc propter scandalum, quod generarent fidelibus propter notorietatem dictæ enormitatis, & sic pro eis ad Papam est recurrendum. Quamuis iure priuilegiorum Pij V. & Gregorij XIV. in hac etiam irregularitate posse Prælatos dispensare, sustineat Bordonus *citatus infra verb. Irregularitas X. num.* 7. Certum est tamen, si delictum sit occultum posse dispensari à Prælatis regularibus; quia in eo dispensant Episcopi, ergo, & Prælati. Sicut quando crimina non sunt adulterio grauiora, vt in furto, sacrilegio, falso testimonio, Episcopus super eis dispensando, accessoriè tollit infamiam ex tali delicto ortam, vt astruunt Nauarrus *cap. num.* 204. Toletus *lib.* 1.

Rodrig. Miranda.

Nauar. Toletus. Reginald.

Cap. 68. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 196. Sic Generalis, aut Prouincialis, cui licet sicut, & Episcopo in iis delictis dispensare, vt docent De la Crux *c. cap.* 6 *dub.* 15. Vecchis *c. d.* 22. *num.* 16. Rodriguez *c. art.* 17. Miranda *tom* 1. *quæst.* 31. art. 11. Similiter in infamia facti potest dispensari per Prælatum regularem: quia cum hac infamiâ commaculato dispensare potest Episcopus. Licet hæc infamia facti pœnitentia vel etiam per purgationem aboleri queat, vt docent communiter, Doctores, ex Nauarro.

De la Crux. Vecchis. Rodrig. Miranda.

Quarto, ex priuilegio Engenij IV. & constitutione, Gregorij XIV. apud Portel. *in dub. regul. v. Illegitimus, num* 9. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 65. Tamburinius *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 14. *num* 10. Possunt Prælati dispensare cum suis subditis illegitimis ad Prælaturas & dignitates etiã extra Capitulum Generale vel Prouinciale vel intermedium, vt annotauimus *infra verb. Irregularitas III. num* 7.

Portel. Diana. Tamburin.

Quintò ad Prælati Ordinum possunt dispensare in foro externo regulares sibi non subditos ad se declinantes, eiusdem ordinis tamen, super omni irregularitate dummodò non sit ex bigamiâ, vel ex delicto homicidij voluntarij, mutilationis membrorum, aut enormis effusionis sanguinis: ex cõcessione Clement. IV. & Sixti IV. quæ generaliter facta est absque limitatione ad forum internum. Ita noster Crousers *ad cap* 7. *regul. Min. lect.* 12. *fol.* 604.

Sextò. Possunt iidem Prælati respectu subditorum, etiam in foro externo restituere priuatos ab officiis, & perpetuò in habiles ad illa, per constitutiones Apostolicas ob crimina grauia, si aliàs Papa non reseruat sibi talium dispensationem: & hoc patet, tum ex iure Antiquo, *cap. at si Clerici, de iudiciis*, tum nouo; in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. tum etiam ex concessione Pij V. Gregorij XIV. Et quamuis Concilium solum ex primat, casus reseruatos, irregularitates; & suspensiones, & non ex primat priuationes officiorum, & inhabilitates, tamen sub nomimine pœnarum, & suspensionum, imò irregularitatum comprehenduntur, quia lato modo sunt suspensiones & includuntur *in verbo Suspensio.* Vt docent Rodriguez *quæst.* 24. *art.* 17. De la Crux *c. cap.* 6. *dist.* 15 Nauarrus *cap.* 27. *n.* 152. Portel. *de dub. reg. verb. Abbas in addit. n.* 1. Crousers *c. lect.* 12. *fol.* 604. Diana *de dub. reg. res.* 66. *part.* 3. *lib.* Sanchez *lib.* 6. *Moral. c.* 15. *num.* 78. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 31. *art.* 11.

Crousers.

Rodrig. De la Crux. Nauar. Portel. Crousers. Diana. Sanchez. Miranda.

Septimo, Prælati ordinum per potestatem dominatiuam quam habent in subditos regulares, possunt irritare vota omnia eorum, & iuramenta, exceptis tribus Religioni essentialibus. Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: possunt, item ea vota commutare dispensare, etiam transeundi ad arctiorem religionem; quia votum arctioris religionis, non est simpliciter votum religionis, sed religionis arctioris: vnde taliter dispensans, non dispensans, non dispensat in substantia voti, id est, non absoluit eum à religione, sed dispensat solum in quadam religionis qualitate, seu circumstantia voti: & hoc ex priuilegio Martini V. concesso Benedictinis, vt scilicet possint dispensare in votis Episcopo reseruatis; sed Episcopus facultate gaudet dispensandi in eo voto, vt tradunt cõmuniter Doctores, ergo. Vide Caietanum 2. 2. *quæst* 88. *art.* 8 De la Crux *c. c.* 6. *dub.* 1. & 20. Crousers *c. fol.* 604. Dianam *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 91. Vecchis *c. disp.* 10. *dub.* 1. *num.* 7. Azorium 1. *part lib.* 11. *c.* 18. *quæst.* 4. Lessium *lib.* 2. cap. 40, *num.* 124. *Compend. priuil. Societ. tit. dispensare*, §. 10.

Caietan. De la Crux. Crousers. Diana. Vecchis. Azorius. Lessius.

Octauò, Licet virtute priuilegiorum iam memoratorum Superiores omnes tam maiores, quã minores præfata auctoritate polleant circa absolutiones, & dispensationes, apud nos tamen, vt refert noster Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit. disp.* 9. *dub.* 7. *num.* 3. vel in capitulis, vel à superioribus maioribus, vel saltem consuetudine eadem autoritas arctatur superioribus localibus, & ideò Guardiam, alique superiores locales in religione nostra maiori facultate in absoluendo, dispensandòque non gaudent, quam à suis superiorioribus eis concessa videtur. Quare mos apud non viget ex Generalis Capituli indulgentia anno 1613. vt omnes superiores locales, nec non & confessarij deputati valeant in foro conscientiæ tantum absoluere, dispensare, habilitarèque in omnibus, in quibus potest ipse Generalis iuxta pœnitentium indigentiam propter vsum solummodo Sacramentorum, & non vltra, & cum obligatione pœnitentibus se præsentandi coram superiore maiori pro casibus reseruatis. Hæc Vecchis.

Barthol. de Vecchis.

§. V.

Quæri hic posset, an prædictis concessionibus Pontificiis derogatum sit per Bullam Cœnæ? Duplex est sententia, vna affirmans, altera negans. Affirmant *Collect. priuileg. verb. Absolutio ordin. quoad fratres, num.* 13. Sorbus *ibidem*, Vecchis *cap. d.* 9. *dub.* 6. *num.* 3. Graffis *in append. lib.* 2. *cap.* 7. *num* 22 & 23. De la Crux 3. *lib.* 2. *cap.* 6 *dub.* 15. *conclus.* 1. & alij, quia in publicatione dictæ Bullæ, quæ fit singulis annis derogantur expresse Mendicantium priuilegia per hanc clausulam; *Non obstantibus priuilegiis,* &c. *etiam ordinibus Mendicãtibus concessis, & aliis sufficientibus derogatoriis.* Hæc sententia est probabilissima. Qua non obstante contraria negans apud multos Doctores reputatur etiam probabilis: tum quia verisimile non est, quòd per clausulas Bullæ Cœnæ addita solitas, derogantes quibuscumque, & quorumcumq; priuilegiis, derogentur anteriores vel etiam aliorum Pontificum concessiones, quibus expressa facultas sit absoluendi a casibus Bullæ Cœnæ: quia alioquin arguit magnam in tanto Principe qualis est Papa, inconstantiam, cuius voluntas debet esse immobilis: reuocare autem statim, vel sine graui causa, qod sui antecessores, vel ipse de proximo concesserint, leuitatem arguit, quam a legum conditore suspicari nefas est. Ergo non debet censeri derogare per non obstantias, solere addi Bullæ Cœnæ, dictis priuilegiis. Idque amplius confirmatur ex Bullis Sixti V. Clementis VIII. & aliorum Pontif., qui derogantes omnibus priuilegiis, & literis, concessis, & concedendis, excipiunt tamen his verbis (*nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur*) unde ex his clausulis exceptiuis colligitur nolle supradictos Pontifice per suas clausulas derogatorias derogare priuilegiis, in quibus dicti casus expressi cõprehenduntur, quòd si allij Summi Pontifices similem exceptionem semper expresse non faciant, tacitè illam innuere censendi sunt, dum specialiter talibus priuilegiis non derogaut: taciti autem, & expressi idem est iudicium, pro vt dicitur in iure. Et certè, si sub generali concessione casuum Papalium, non censentur casus Bullæ Cœuæ comprehensi; cùm tamen concessio sit amplificanda, quia beneficium est, sed oportet specialem eorum mentionem fieri, ut censcantur concessi, idque propter singularem eorum atrocitatem; cur quæso, ad reuocandam eorum concessionem specialem satis erit derogatio, Generalis quorumcumque priuilegiorum: cùm derogatio sit stricti iuris, & sic strictè interpretanda? tum quia Bulla Cœnæ in uullis Prouinciis, & Episcopatibus huius Belgii publicatur publicatio autem ipsius in vnoquoque Episcopatu requiritur, ad hoc vt reuocatio priuilegiorum, inter alia etiam sufficiens, sortiatur effectum. Tum quia in clausula Bullæ Cœnæ non prohibetur absoluere absolutè ratione priuilegiorum, sed eorum prætextu, prætextus autem non excludit illud, quod fit legitima facultate interuenien-te, sed illud quod sub aliquo velamine exercetur: & hanc sententiam amplectuntur Rodriguez *tom.* 2. *qq. reg. quæst.* 20. *art.* 9. Suarez *tom* 4. *de relig. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 3. Sousa *in Bullam Cœna, cap.* 23 *dist.* 100. *conclus.* 7. Peyrinus *de priuil. Minim. tom.* 1. *constit.* 4. Sexti IV. §. 5. *num.* 6. *& seq.* Crousers *ad cap.* 7. *reg Minim. lib.* 12. *fol.* 594. & 595. Portel *de dub. reg. v. Abbas, num.* 12. Villalobos *in Summ. part.* 1. *tract.* 9. *disp.* 41. *n* 5. & probabilem vocat Diana *p.* 1. *tract.* 5. *resol.* 6. & *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 10. quamuis cõtrariam tenendam esse existimet. Tum quia Iulius II. in cõstit. 10. *Exponi nobis fecisti.* data 27. Febr. anno 1510. declarauit, quòd non obstante publicatione Bullæ Cœnæ, quę fit singulis annis, possunt illi quibus per priuilegia cõcessum est, in perpetuum absoluere ab omnibus in ea contentis, exceptis quinque, scilicet relapsus in hæresim, schisma, falsificatio literarum Apostolicarum, delatio pro hibitorum ad Infideles, & conspiratio in Romanum Pontificem, ac si prędicta Bulla Cœnę non esset facta, nec fieret. Quod etiam declarauerunt Paulus IV. pro Congregatione Clericorum regularium. Et Gregorius XIII. pro Societate, IESV. Et Clemens VII. per viua vocis orac ulum factum Cardi-

Sorbus. Vecchis. Graffis. De la crux.

Rodrig. Suarez. Sousa. Peyrinus. Crousers. Portel. Villalob. Diana.

Cardinali Campegio pro Ordine Minorum: vt testatur Peyrinus *hic citatus*.

Rodrig.

9 Abbas Commendatarius perpetuus potest omnia illa exercere, quæ potest propietarius, in cuius locum subrogatur, cũ sit factus caput Capituli, sine quo gesta firmitatem minimè obtinet. Ita Rodriguez *tom. 2. qq reg. q.* 53. *art.* 8. tum quia prædictus Abbas est verè Prælatus: & si non admitteretur in actibus capitularibus tam circa administrationem personarum quàm rerum in electionibus Canonicorum, & cæterarum personarum, sequerentur Ecclesiæ plura incommoda, quæ præsente Prælato cessarent: vnde cui officium Abbatiale est commissum, cõcessum fuisse censetur omne illud, quod competit, & dependet ex officij contemplatione. Quamuis iuxta mentẽ

Conc. Tri.

Concilij Tridentini *sess. 25. de regul. cap.* 21. non deceat talem præfici, qui non est professus in eodem ordine: vnde decreuit, *vt Monasterijs quæ commendata reperiuntur & quæ suos Conuentus habent, regulares personæ eiusdem ordinis expressè professæ, & quæ gregi prærre & præesse possint, præficiantur. Quæ verò in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferrantur, quoad ea verò Monasteria, quæ Capita sunt, ac Primates Ordinum siue Abbatiæ, siue Prioratus, filia illorum Capitum nuncupantur, teneantur illi qui in præsenti ea in commendam obtinent nisi sit eis de regulari successore prouisum, intra sex menses religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere alias commendæ prædictæ ipso iure vacare censeantur*. Hæc Concilium.

10 Communis Doctorum sententia est omnibus religionum Abbatibus, seu Prælatis, iure prohibitum esse, dispensare in Obseruantiis regularibus statui religionis essentialibus, quales sunt quæ cõmuniter dicuntur tria religionis essentialia & substãtialia vota, obedientiæ, scilicet paupertatis, & castitatis: quod probatur ex quadam Decretali Innocentij III. *c. Cum ad Monasterium. de statu*

Crousers.
Conc. Tri.
Miranda.

Monachorum Crousers *ad cap.* 10 *reg. Minor. lect.* 6 & ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 1. de regul.* Miranda *in Man. Prelat. to. 2. q. 9. art. 6.* vbi cunctis Prælatis subditis præcipitur tam viris quã mulieribus, vt ad regulæ quam professi sunt præscriptum, vitam suam instituant atque componant, in primis, vt ea, quæ suæ professionis sunt, obedientiam, scilicet, paupertatem & castitatem obseruent. *Similiter* religionum Prælati dispensare non possunt in communi & pro toto ordine, in illis Obseruantijs regularibus, quæ continentur in suis regulis, transgressores obligantibus ad mortale: nã despensatio sic in cõmuni facta, & absque legitima causa non esset propriè dispensatio, sed dissipatio: cùm nulla sit, aut esse possit iusta & rationabilis causa dispensandi in aliqua tota regula, alias

D. Bern.
Rodrig.
Syluest.

per Sedem Apostolicam confirmata D. Bernardus *lib. de dispens. & precept.* Rodriguez *to. 1. qq. reg. quæst. 26. art. 1.* Syluester *verb. dispensat. num.* 2. Secus dicendum de dispẽsatione, non in cõmuni, sed in particulari: iusta enim existente & rationabili causa dispensare possunt cum aliquo religioso in particulari in aliquibus, seu in omnibus Obseruantijs regularibus & essentialibus, etiam si alias omnes suos professores obligent ad mortale, dummodo non sit aliqua specialis prohibitio per Summum Pontificem, seu ipsius auctoritate speciali statuto facta quod apertè & manifestè probatur ex dicto *c. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum*; licet enim prædictæ obseruantiæ vtcumque essentiales & obligatoriæ sint sub mortali, non tamen sunt de essentia & substantia regularis vitæ, cum sine ipsis aliæ religiones reperiri possint: ergo obseruantiæ prædictæ ex causa & in casibus particularibus,

Crousers.
Angelus.
Syluest.

Superiorum subsunt despensationi. Ita Crousers *c. lect. 6. fol* 900. Et huic sententiæ fauent Angelus *verb. Dispensat. §.* Syluester *ibid. num. 20. quæst. 14. in 7. casu.* Multo magis dispensare poterunt Prælati & Abbates in obseruantiis, quæ non sunt essentiales & suos professores ad nullã culpam mortalem obligant.

Vide Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 20. quæst. 16.*

Sed circa prædicta Doctores non sunt concordes, Rodriguez enim *loco citato* tria distinguit in religione, scilicet, quædam substantialia religioni formali, quæ indispensabilia sunt à Superioribus, alia verò substantialia tali religioni, vt talis religio est: huiusmodi sunt omnia vota quæ in aliqua religione, preter tria substãtialia sunt. *Secundò* sunt omnia præcepta, quæ ad peccatum mortale obligant. *Tertiò* sunt omnia accidentia, quæ in regula continentur & obligationem non includunt. Quibus positis, idem author docet potestatẽ Abbatum & Prælatorum regularium extendi ad omnia, tam in secundo, quã in tertio ordine contenta, & insuper ad vota quæ non sũt de substantia regularis vitæ ut sunt uota uitæ quadragesimalis Minimorũ, Redẽptionis captiuorũ, mercenariorum nõ acceptãdi Prælaturas extra religionẽ Patrũ Societatis

Suarez.

Iesu & similia; Sed hæc doctrina, inquit Suarez *tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 12. num.* 28. non potest sustineri sine limitatione: quia distinguenda sunt vota peculiaria vniuscuiusque Religionis à regulis, & præceptis obligantibus sub mortali: est enim inter hæc duo maxima differentia, quamuis ambo ex regula & ex voto oriri videantur: nam vota pẽculiaria secundum regulam fiunt, & præcepta regulæ aliquo modo includunt votũ obedientiæ: est nihilominus differentia: quia licet regula ordinet, vt votum fiat tamẽ immediatè nõ oritur obligatio, ex regula, sed ex voto vt in Religione Minimorũ regula ordinat fieri quartũ votũ abstinẽdi à carnib. facto autẽ voto comedere carnes est sacrilegiũ immediatè oppositũ votũ ẽ cõtrario verò, si sola regula immediatè obliget ad eandẽ abstinentiã, obliget immediatè, v.g. etiã si obliget sub mortali, nõ est obligatio voti, neq; excedit obligationẽ præcepti humani Ecclesiastici: quia votũ obediẽtiæ, quod supponit illa lex, obligat immediatè ad seruãdã vnãquãq; regulã. Igitur talia vota non possunt per Generalem neque per Episcopum dispensari, irritari, aut commutari; quia ex vi status, cui sunt annexa, sunt alterius ordinis, & habent quasi peculiarem modum reseruationis. Ita Suarez, cui addendus Portel. *in dub. regul. verb. Voti irritatio, n.* 68. Layman *lib. 4. tract. 4. c. 7. n. 6.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 3. disp. 4. q. 8. n. 7.* Diana *p. 7. tract. 8. resol.* 34.

Suarez.
Portel.
Layman.
Tamburg.
Diana.

Sed petes an Abbates & Prælati possint dispensare in præceptis Ecclesiæ? Resp. Affirmatiuè: quia quidquid iure communi possunt Episcopi in hoc genere circa suos subditos, possunt etiam Abbates & Prælati exempti circa suos ex illo principio, quod huiusmodi Prælati habent iurisdictionẽ quasi Episcopalẽ, quæ in dispensationibus necessaria est. Nec obstat, quod in aliquibus religionibus habeantur priuilegia Summorũ Pontificum, virtute quorum Abbates & Prælati possint in præceptis dispensare: quia huiusmodi priuilegia nihil concedunt supra ius commune, sed tantum indicant scrupulosis hanc potestatem reperiri clarè & manifestè in eorum Prælatis, modò adsit iusta causa dispensandi. Vide Suarez *loco citato num.* 18. Rodriguez *tomo primo, quæstionum regularium, quæst.* 42. *art.* 7.

Suarez.
Rodrig.
Tamburr.

11 De iure commmuni *c. Cum in cunctis de elect. cum Gloss.* Tamburrinus *tom. 1. de iure Abbat. disp. 5. quæst. 9.* decernitur & præcipitur vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam 30. annum ętatis exegerit: & secundum Glossam non sufficit quod prædictum annum incohauerit: quod autẽ ibi de Episcopis dicitur, intelligendum perinde est de Generalibus; & Prouincialibus Ordinum, Episcopalem, aut quasi Episcopalem iurisdictionem habentibus, Guardiani verò, Priores, Rectores, & quicumque Superiores conuentuales, nec non omnes habentes aliquod officium cui animarũ cura est annexa, debent prius quã officium suscipiant 25. suæ ætatis annum attigisse. Vt decernitur iure antiquo *cap. Licet, Canon. de elect. in 6.* & nouo

Conc. Trid.
Mirand.
Sigism. à Bonon.

Concil. Trident *sess. 24. de reform. cap.* 2. Miranda *in Man. Prelat. tom. 2. q. 3. art. 1.* Sigismundus à Bononia *dub. 59. in tract. de elect.* & ratio est, quia potestas iurisdictionis spiritualis, licet non sit immediatè potestas clauium, hoc est potestas remittendi peccata, ordinatur tamen ad illam, immo ex illa ortum habet & originem: sed potestas remittendi peccata, solum competit Sacerdotibus, Sacerdotes autem iuxta prædictum Concil. Trident esse non possunt, nisi qui 25. annum attigerint, ergo Prælati esse non possunt qui hanc ætatem non habuerint. Porrò vt aliquis possit esse diffinitor, discretus seu vocalis vt vocẽ deferet ad capitulum, debet ad minus ad 22. suæ ætatis annum peruenisse: quod probatur ex Concilij Tridentini decreto *sess. 24 c. 12. de reform.* quod sic habet: *Ad ceteras*

Conc. Trid.

autem

autē dignitates vel personatus, quibus animarū cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & viginti duorum annorum non minores adsciscantur Sub quibus verbis comprehenduntur diffinitores, & discreti, quorum officia sunt personatus quidam, atque dignitates sine iurisdictione.

De Abbate, & aliis Prælatis. Vide *verbo Benedictio*, nu. 7.8.10. *Altare*, n.3. *Irregularitas*, 11.n.6.& 9. *Absolutio*, n. 29. *Bigamia*. num.12. *Alienatio*, num.10 *Dominium*, 1.nu. 9. *Lex*, 1.nu.6. *Simonia*, 4.num.8. *Votum*, 5.nu.3.8.& sequ. *Votum*, 6.n 5. *Votum*, 7.num.3.5.11.25 *Clausura*, num.11. & 15. *Apostasia*, n.10. *Donatio*, n.6. *Feudum*, n.4. *Immunitas*, n.6. *Interdictum*, 4.n.1. *Iuramentum*, 3.n.7. *Iuramentum* 5.n.8. *Locatio*, n.5. *Ludus*, 1 n.3. *Matrimonium*, 4.n.4. *Paupertas religiosa*, n.9.10.13.19. *Pignus*, n.6. *Beneficium*, 7.n.3. *Prælatus*.

SVPPLEMENTVM.

S V M M A R I V M.

1 *Abbatis nomen quid significet? Et an omnes Abbates habeant dignitatem.*
2 *Inter Abbates alii sunt Regulares, alii sæculares.*
3 *An nomine Ordinarii, vel Episcopi, vel Pontificis veniat Abbas? Et an nomine Abbatis veniant alii Prælati Religionum.*
4 *An in Abbate regulari sit potestas dominatiua, & iurisdictionis.*
5 *An potestas iurisdictionis in foro exteriori Abbatibus, & Prælatis Religionum iure diuino competat?* Refertur duplex sententia.
6 *An debeat esse Sacerdos Abbas, vt validè possit Ordines Minores conferre? Et an benedictus.*
7 *An Abbas electus, & confirmatus in Episcopum, ante consecrationem possit tonsuram, & Minores Ordines subditis illius Episcopatus conferre.*
8 *In casu quo Abbates ordinarent sibi non subditos, an talis ordinatio sit valida.*
9 *An Abbates Conuentuales Regulares, & alii Prælati sæculares teneantur personaliter residere in Monasterio, & locis suorum beneficiorum.*
10 *An habentes Abbatias, vel Prioratus, vel alias Ecclesias in commendam perpetuam teneantur in eis residere? Et an Prælati regulares, & Abbates non residentes in suis Ecclesiis, ligentur pœnis à Concilio Tridentino statutis contra Episcopos non residentes.*
11 *An Abbates, & Prælati Conuentuales inferiores possint condere statuta perpetua, quæ habeant vim legis? Et an id possint Generales sine Capitulo.*
12 *An aliquis Prælatus Romano Pontifice inferior, possit aliqua statuta condere, quæ sint contra ius commune.*
13 *An Abbates, & Prælati sæculares exempti habentes iurisdictionem Episcopalem possint statuta condere? Et quid de Abbatibus regularibus habentibus territoriū, & subditos sæculares.*
14 *An Abbates, & Prælati regulares inferiores, possint pro solo arbitratu à Superioribus suo munere priuari? Et quæ sint causæ, ob quas Abbas iure deponi potest.*
15 *An Abbates, Priores, Guardiani, & alij huiusmodi Prælati possint eorum Prælaturis renunciare, & ob quas causas, & coram quo.*
16 *An Abbates, & Prælati inferiores exempti Episcopalem quasi iurisdictionem habentes possint beneficiorum resignationes recipere, & permutationes probare.*
17 *Ratio cur Abbatiæ antiquitus commendari ad tempus consueuerint.*
18 *An solus Summus Pontifex possit Abbatias in commendam tradere.*
19 *An Abbatiæ idoneis tantùm commendandæ sint.*
20 *Abbatiæ commendantur ad tempus, & in perpetuum. An Commendatarius titulum Ecclesiæ commendatæ habeat? Remissiuè.*
21 *An liceat Episcopo Abbatiam à Summo Pontifice commendatam, rursus commendare.*
22 *An Abbatialem dignitatem possit Religiosus expetere.*
23 *An Abbatialis dignitas ex consuetudine potius perpetua sit, quam temporalis.*
24 *An magis expediat Abbatem, & alios Prælatos Religionum esse perpetuos, quam ad tempus.* Refertur duplex sententia.
25 *An ratione dignitatis, aut ex priuilegio Abbatibus exercitium, & vsus Pontificalium insignium competat.*
26 *An vsus Pontificalium de iure communi denotet exercitium iurisdictionis in eo loco, in quo quis eis vtitur.*
27 *An liceat Abbati mitram, & cætera Ponficalia insignia deferre extra loca suæ iurisdictionis, & dignitatis.*
2 *An Abbates licitè possint in locis ab Ordinariorum iurisdictione exemptis, Pontificalia exercere, si à Prælatis eorum inuitentur.*
29 *An Abbates possint benedictionem solemnem fidelibus elargiri? Et quando, & vbi.*
30 *An præsentibus Episcopis, vel maioribus Ecclesiæ Prælatis possint Abbates hanc benedictionem dare.*

1 ABbas quoad ipsius significatum idem nobis significat, quod Pater, & hoc nomen secum importat, & honorem, & dignitatem atq; onus, & solicitudinem: nam huic eidem nomini regulariter est annexa cura, simul cum iurisdictione. Abbas nempe regularis in suo Monasterio Rectoris munus exercet, & cuncta administrat. Non tamen omnes, qui appellantur Abbates habent dignitatem, nisi in eis concurrat aliquod ex tribus signis requisitis ad dignitatem constituendam. *Primò*, administratio rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione. *Secundò*, nomen dignitatis, & insimul prærogatiuæ in Ecclesia, tam in choro, quàm in capitulo, licet non adsit vera administratio, vel iurisdictio. *Tertiò*, consuetudo Ecclesiæ, quòd quid reputetur pro dignitate. Proinde vbi nō concurrit aliquod ex dictis trib. signis nō dicitur dignitas, sicut resolutum fuit per Rotam *in vna Aquens. Monastery 31. May 1568. coram D. Cardinali Lancellotto seniore*, nempe, Abbatiam, quæ caret cura, & Conuentu non esse dignitatem, nec requirere ætatem 25. annorum. Ex quibus sequitur, quod licet nomen Abbatis regulariter præseferat dignitatem, & Abbatia dignitas vocetur, tamen nudum nomen non sufficit, nisi etiam concurrat prærogatiuæ. Ita Hostiensis *in cap. De multa, num. 11. vers. sed nec est de prabendis*, Ancharanus *in Clement. 1. num. 1 eodem titulo*, Tamburinus *de iur. Abbat. tom. 1. disp. 1. quæst. 2.* & alij penes ipsos. Rota. Hostiens. Ancharan. Tamburi.

2 Abbates, alii regulares sunt, alii autem sæculares, sæcularium quidam sunt, qui non solùm in Clericos, verùm etiam in Laicos sibi subiectos, quasi Pōtificalem, siue Episcopalem iurisdictionem exercent; ac pariter Pontificalia insignia gestant, nam vtuntur annulo, mitra, & baculo pastorali, & istorum dignitas est Episcopali proxima.

Alii sunt Abbates prædictis longè inferiores, qui nec Episcopalem iurisdictionem habent, nec Pontificalibus insigniis vtuntur, quorum Abbates, quamuis etiam dignitates sint, non tamen Episcopi dignitatem proximè sequuntur.

Alii sunt denique Abbates sæculares, qui in quibusdam Cathedralibus Ecclesiis inter dignitates locum habent, qui nulli Canonicorum Collegio præsunt, sed tantùm in choro, & Comitiis prærogatiuam, seu primum locum obtinent.

Alii vocantur Abbates Commendatarij, cùm enim per sacros Canones non possent Clerici sæculares Monasteriorum Conuentuum esse Rectores; vt Abbatiæ illis perpetuò commendarentur, compertum fuit, vt ij, quibus prohibitum erat Regulares Abbatias in titulum obtinere, earum retentionem per viam perpetuæ commendæ licitam efficerent.

Abbates regulares, alii actu sub se regulares subditos habent, quorum regimini, & gubernationi præfecti sunt, iuxta *cap. Cum ad Monasterium, & cap. in singulis, de statu Monachorum*. Et hi dicuntur verè Prælati, omnibusque Abbatum, præeminentiis, ac prærogatiuis gaudent. Ex his alii sunt inferiores, alij verò supremi. Abbates inferiores sunt illi, qui Conuentuales, seu locales appellantur, quorū singuli singulis præsunt Monasteriis, itavt sub illis nullus alius Prælatus existat, & hi etiam verè Prælati sunt.

Alii sunt Abbates Generales, quibus inferiores cæterorum Monachorum Abbates locales, siue Conuentuales subduntur, & hi dicuntur supremi Prælati respectiuè ad suam Religionem.

Alij

Alijdemum sunt Abbates solo nomine, qui regulares sub se subditos non habent, vel quia fortassis Monachi locum reliquerunt, vel quia Monasterium est alio translatum, vel alicui sæculari Clerico commendatum: & hi titulares Abbates vocantur, ac Pontificalibus insigniis vtũtur de licentia tamen Abbatum localium, in quorum Ecclesiis ea exercere voluerint: gestant etiam insignia Prælatorum, & habent suffragia, & liberam vocem Capitulis, qoamuis in alio Monasterio sub obedientia alterius Abbatis existant. Sunt & alii Abbates, qui Abbatiam renunciarunt, & hi nullam dignitatem obtinent, sed tantùm ob honorem quemdam Patres Abbates appellantur.

[Panorm. Minsing.] 3 Cùm Abbas habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, & eam habeat ex vi sui officij, quod est eam ordinariam habere, meritò venit appellatione ordinarii: quia hoc nomine comprehenditur, quicumque superior, siue inferior Prælatus, qui ordinariam iurisdictionem, siue ex priuilegio, vel ex præscriptione, aut ex Canone habet; vt docent Panormitanus *in cap. vt fama, num.6. de sentent. ex comm.* Minsinger. *in cap. post cessionem, n.2. de probat.* Vnde cùm in aliquo iuris decreto aliquid Ordinariis committitur, vel de Ordinariis mentio fit, nisi subiecta materia aliud exposcat, non ad Episcopos tantùm, sed etiam ad Abbates, & Prælatos omnes ordinariam iurisdictionem habentes commissio dirigitur, modò proprium territorium habeant. Ita Glossa, *in cap. Ordinarij, verb. Locorum, de offic. ordinar. in 6.* Gutierrez *quæst. Canonic. libr.1. cap.10. n.15.* Sanchez *de matrim. lib.3. disp.29. n.5.* & alii. [Glossa. Gutierrez. Sanchez]

Nomen autem Episcopi nullo modo Abbatibus conuenire potest, quia auctoritas, & potestas Episcoporum plena, & multiplex est ac maior, quàm Abbatum, & ideò eorum iurisdictio non simpliciter Episcopalis, sed cum diminutione, addita particula, *quasi*, appellatur.

Nomine autem Pontificis, veniunt Abbas, & omnes Prælati inferiores habentes vsum, Pontificalium, scilicet, annuli, mitræ, baculi Pastoralis, & cœterorum Pontificalium insigniorum. Aliàs Pontificale Romanum pro omnibus Ecclesiæ Prælatis à Clemente VIII. ordinatum quodque ab eisdem Prælatis obseruari præcipit, Abbatibus non conueniret; quia fere semper Pontificis nomine appellatur in Rubricis Pontificalis Prelatus ille, ad quem functiones in eodem Pontificali præscriptas exercere pertinet.

[Suarez. Tamburr.] Sub nomine Abbatum, veniunt etiam alii regularium, tam mendicantium, quàm non mendicantium Superiores quo ad ea, quæ spectant ad potestatem iurisdictionis, quia reuera omnes sunt Prælati. Sed quoad ea, quæ spectant ad potestatem Ordinis, & dignitatis Episcopalis, quam Abbates participant, alii Regulares Prælati Abbatum nomine non veniunt, cùm ipsi neque mitra, neque Baculo Pastorali, aut aliis Pontificalibus Insigniis vti possint; nec ex consequenti ordinare, vel alia, quæ sine huiusmodi insigniis perfici nequeunt, exercere, vt docent Suarez *tom.4. de Relig. tract. 8. lib.2. cap.29. num. vlt.* & alii, de quibus vide Tamburrinum, *loc. cit. q.5.6. & 8.*

4 In Abbate Regulari duplex potestas reperitur, dominatiua, scilicet, seu œconomica, altera politica, seu iurisdictionis. Per potestatem dominatiuam intelligitur ius acquisitum Religioni, atque eius Prælatis ad imperandum Religiosis, eorumque operibus vtendũ, prout conueniens iudicauerint. Hæc potestas non pertinet ad claues, neque à Christo deriuatur per specialem donationem Ecclesiæ factam, sed manat radicaliter à voluntate eorum, qui Religionem professi sunt, & illi se tradiderũt cum promissione, & obligatione obediendi secundùm regulam talis Religionis. Homo enim non se priuat dominio in seipsum, nisi quatenus illud in alium transfert, ergo per hanc abdicationem, seu oblationem propriæ voluntatis, & translationem dominii proprii in seipsum, in Prælatos Religionis, oritur in eis potestas dominatiua singulorum Religiosorum ita se tradentium, quæ est distincta à potestate iurisdictionis, & ab ea separabilis.

Per potestatem iurisdictionis, intelligitur potestas spiritualis, ad claues Ecclesiæ pertinens, & consequenter à Christo Domino tradita, vel deriuata medio eius Vicario Summo Pōtifice, vel aliis Episcopis. Supposito enim, quòd Religiones exemptæ sint, tota iurisdictio, quam Episcopi in ipsos Religiosos habebant, translata est in Abbates, & Prælatos Regulares. Eo enim ipso quòd Religio ab Episcoporum iurisdictione eximitur remanet immediatè subiecta solius Summi Pontificis iurisdictioni; at non poterat conuenienter immediatè regi per Summum Pontificem, aut per eius delegatos, ergo necessarium fuit vt proximè cura propriis vniuscuiusque Religionis Prælatis incumberet, qui dicerentur proprii Pastores. De his vide Suarez *de Relig. tom.3. lib.2 cap.18. num.6. & seq. & tom. 4. tract.8. lib.2. c.1. n.6.* [Suarez.]

[Victoria. Sotus. Castro. Medina. Rodrig. Miranda.] 5 Quorumdam peritissimorum Theologorum sententia est, potestatem iurisdictionis in foro exteriori Prælatis Religionum, & Abbatibus iure diuino competere. Probatur *Primò*, quia Prælati Ecclesiæ illam habent iurisdictionem, de qua Matth.18. *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Vbi nomine *Ecclesiæ* Prælati intelliguntur: vt inter alios interpretatus est S. Ioannes Chrysostomus. At Abbates, & Superiores Religiosorum sunt verè Prælati, ergo iure diuino habent iurisdictionem, & potestatem. *Secundò*, Episcopi habent potestatem iurisdictionis extra Sacramentum immediatè à iure diuino, ex multorum sententia, vt probant Victoria *de potest. Eccles. qu.2. numer.28.* Sotus *lib.10. de iustit. q.1. artic.4.* Castro *lib.2. de iusta hæret. punit. capit.24.* & alii. Sed Abbates, & Præfecti Religionum Generales, & Prouinciales sunt similes quoad iurisdictionem ipsis Episcopis. Ergo Prælati Religionum habent suam potestatem immediatè à Christo, sicut Episcopi. Ita Medina *lib. de indulgent. cap.24.* Rodriguez *tom.1. qq. reg. qu.17. art.2.* Miranda *in Man. Prælat. tom.1. qu.13. artic.4.* & alij probabiliter. Sed quia vt probabilius amplexi sumus contrarium *tom.1. v. Confessarius.1. num.8.* cum Doctoribus ibi citatis, quantum attinet ad iurisdictionem Episcoporum, nempe illam non dari Episcopis immediate à Christo, sed per Summum Pontificem, & hoc sensu non habere illam diuino, sed humano iure; ideò idem dicendum est, de Abbatibus, & Prælatis Religionum. Probatur, quia quod ab Ecclesia non semper fuit obseruatum, non est de iure diuino. Sed nō fuit semper in Ecclesia obseruatũ Abbates, & Prælatos Religionum hac iurisdictione potiri, non enim semper illam habuerunt, ergo non est de iure diuino, vt patet exemplo SS. Antonii, Hilarionis, Pachomii, & Benedicti, qui talem iurisdictionem non habuerunt, quia non erant Clerici. Accedit quòd talis modus Prælationis, scilicet Abbatis, vel cuiuscumque Prælati Regularis, immediatè est institutus ab Ecclesia, & non à Christo Domino, nec talis institutio fuit ex aliquo præcepto diuino, sed ex prudenti Summorum Pontificum arbitrio, ergo hæc iurisdictio nō diuino, sed humano iure his Prælatis concessa est, vt pluribus rationibus probat Suarez, *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.1. num.7.* an autem iurisdictio Prælatorum Regularium sit ordinaria? diximus *tom.1. v. Prælatus, num.3.* [Suarez.]

6 Vt Abbas possit Ordines Minores conferre, debet esse Sacerdos, vt colligitur ex *capit. 1. distinct. 69.* & ex *capit. Cum contingat, de ætat. & qualitat.* vbi habetur expressè in vtroque textu. *Et constet illum esse Sacerdotem.* Ratio est, tum quia collatio Ordinum est actus Ordinis; actus autem Ordinis non potest exerceri ab eo, qui caret Ordine; quia nemo dat, quod non habet, *leg. si vniuersa, Codic. de legat. capit. quod autem, de iure patron.* Tum etiam quia potestas conferendi Ordines supponit potestatem supra Corpus Christi verum, *capit. ex literis, de excess. Prælat.* sed solus Sacerdos habet potestatem supra Corpus Christi verum, ergo solus Sacerdos potest Ordines conferre. Ex quo patet, Abbatem, qui non est Sacerdos, non posse validè Ordines Minores conferre.

Sed petes, an Abbates non benedicti possint Minores Ordines conferre. Respondeo, quod secundum ius cōmune antiquum Abbates ante benedictionis susceptionem non poterant Ordinis actus exercere, vt videre est *in capit. Cum contingat, de ætat. & qualit.* vbi Innocentius Tertius concedens Abbatibus vt possint suis Monachis Lectoratum conferre, ait, *Dummodo ipsis ab Episcopo* (secundum morem præficiendum) *manus impositio facta noscatur*, vbi per manus impositionem nihil aliud, nisi benedictio intelligitur, vt notant communiter Doctores. Postea hoc ius ex arte ampliatum est, ex concessione Alexandri Papæ Tertii facta Cisterciensibus, vt habetur *in cap.1. de suppl. negl. Prælat.* vt si Episcopus

pus tertio cum humilitate, ac deuotione, ficut conuenit, requifitus Abbates benedicere tenuerit; liceat Abbatibus, proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad huiufmodi officium pertinent, exercere. Demum ex fpeciali priuilegio Eugenii Quarti conceffo anno Domini 1457. eifdem Cifterc ienfibus poffunt Abbates hoc munus exercere non folum benedicti, fed etiam non benedicti, imò nec benedicendi, vt funt Abbates triennales, & alii, qui ad tempus creantur. Hæc funt uerba priuilegii. Vt Abbates triennales, licet eis benedictioois munus non impendatur, omnibus, & fingulis honoribus, præeminentiis, priuilegiis, prærogatiuis, iuribus, & infigniis Abbatialibus fungi poffint. Ita docent Miranda, *tomo primo, in Manual. Prælat. qu.* 38. *articulo nono, conclufione tertia*, Rodriguez *tomo primo quæftionum regularium, qu.* 18. *articulo primo, & fecundo, & tomo tertio, qu.* 23. *articulo fecundo*, Hieronymus Rodriguez, *in Compend. refolut.* 5. *num.* 19. Suarez *de Relig. tomo quarto, tractatu primo libr.* 2. *cap.* 29. & alii penes ipfos.

Miranda.
Rodrig.
Suarez.

7 Abbas electus, & confirmatus in Epifcopum, etiam ante confecrationem, poteft tonfuram, & Minores Ordines fubditis illius Epifcopatus conferre. Ratio, quia repetitur in eo tunc vtraque poteftas Ordinis, fcilicet, & iurifdictionis, quæ eft neceffaria ad Ordinum collationem: nam vt Abbas habet poteftatem Ordinis, & per electionem, & confirmationem acqoifiuit in fubditos illius Epifcopatus iurifdictionem. Idem dicendum eft de Abbate, qui datus eft adminiftrator alicuius Cathedralis Ecclefiæ, poteft enim ordinare fubditos illius Epifcopatus; quia per dationem adminiftrationis, tribuitur ei iurifdictio, qua ad id indigebat.

8 Si Abbates ordinarent fibi non fubditos, fiue regulares fint, fiue fæculares, etiam fine dimifforiis, & licentia Epifcopi loci, huiufmodi ordinatio valida effet, fed taliter ordinati indigent difpenfatione ob fofpenfionem ab eorum Ordinum exequutione. Ratio eft, quia per huiufmodi ordinationem character imprimitur, & licet Concilium Tridentinum prohibeat Abbatibus ordinare illos, qui fibi fubditi non funt, non tamen, decernit ipfos Abbates ordinando non fibi fubditos, illis characterem non conferre. Tum quia actus factus contra formam traditam à lege fine claufula annullatiua valet, licet contrafaciens veniat puniendus. Sic Gloffa fubfequuta Archidiaconum *in c. Abbates, de priuileg. in* 6. *verb. Tonfura*. Rota 1. *par. decif. in nouiff. decif.* 570. Tum quia quoad fæculares, in quos ipfi Abbates Ecclefiafticam, vel quafi Epifcopalem iurifdictionem non obtinent, adeft refponfum Sacræ Congregationis Concilii Tridentini circa *capit.* 10. *feff.* 23. *de reformat.* quòd taliter ordinati non indigeant iterum tonfura, vel aliis Minoribus Ordinibus iam receptis, initiari, fed tantum indigeant difpenfatione ob incurfam fufpenfionem, vt refert Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 20. fed de his plura *infra verb. Ordo*.

Gloffa.
Archidiac.
Rota.

Suarez.

9 Cùm omnes habentes beneficium, cui aoimarum cura, fiue in foro interiori tantùm, fiue in exteriori tantùm, fiue in interiori, & exteriori fimul, annexa eft, ad refidendum in fuis Ecclefiis, & Monafteriis, vel locis fui beneficij, adftricti fint, ex *c. Licet, de elect. in* 6. *c. Nonnullis, de Cleric. non refident.* quos Canones innouauit, & confirmauit Concil. Trid. *feff.* 6. *c.* 1. *de reformat. & feff.* 23. *c.* 1. *de reformat.* Hinc Abbates Conuentuales regulares, qui verè, & propriè Prelati funt, atque animmarum curam fimul cum iurifdictione in fuos Monachos habent, tenētur perfonaliter refidere, & adeffe in Monafteriis, & locis, qoorum adminiftratio, & cura ipfis tradita eft. Idem dicendum eft de Abbatibus fæcularibus, & Prælatis Epifcopo inferioribus: nam ipfi ad refidendum quoque perfonaliter in locis fuorum beneficiorum adftringuntur, provt preter citata iura, voluit Concil. Trident. *feff.* 24. *c.* 12. *de reformat.* vnde hæc obligatio refidendi in Abbatibus eft etiam de iure diuino, vt habet vera, & cōmunis fententia Theologorum, Caietani 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. Dom. Soti *de iuft. & iur. lib.* 10. *q.* 3. *ar.* 1. Azor. *p.* 3 *lib.* 7. *c.* 4. *q.* 1. Regin. *lib.* 30. *tract.* 3. *n.* 52. Nauar. *in Man. c* 25. *n.* 121. & aliorū plurium apud Barbofam *de offic. & poteft. Epifc. p.* 3. *alleg.* 53. Et hæc fententia probatur ex Conc. Trid. *feff.* 23. *c.* 1. *de reform.* ut dicitur *Cū præcepto diuino mādatum fit omnibus, quibus animarum cura commiffa eft, oues fuas agnofcere, pro his facrificiū offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiftratione, ac bonorū omnium operum exēplo pafcere*, &c. Et eft rationi confentanea; nā Chriftus nō mercenarijs, fed proprijs Paftoribus commendauit animas fuo pretiofo Sanguine redemptas quando dixit Petro, & in eius perfona omnibus animarum cuftodibus. *Pafce oues meas*, Ioan 21, & D. Petrus Epift. 1. cap. 5. *Pafcite eum qui in vobis eft gregem Dei*. Ex quibus locis colligitur Abbates perfonaliter fuo gregi inftitui debere, illum præire pecoris fui ultum agnofcere, inuifere, afpicere, oues foas tanquam uerus Paftores nominatim uocare, eafque præfentia fua confolari, & confequenter illos de iure diuino ad refidendum obligari.

Conc. Tri.

Caietan.
Sotus.
Azorius.
Reginald.
Nauarr.
Barbofa.
Conc. Tr.

10 Ex Conftitutione Pij Papæ IV. quæ incipit, *In fuprema militantis Ecclefiæ fpecula*, publicata die 4. Decembris 1564. habentes Abbatias, uel Prioratus, uel alias huiufmodi Ecclefias & Monafteria in commendam, uel perpetuam adminiftrarionem etiam quoad fpiritualia, tenetur in eis refidere quia habent eādem obligatiooem, & idem onus, quod haberent, qui in titulum huiufmodi beneficia & Ecclefias obtinerent. Si tamen Monafterium non habeat curam animarum fæcularium, nō femper Abbas tenetur ad perfonalem in eo refidentiam: quia fæcularis habens Monafterium in commenda, non habet curā Conuentus, nec Monacorum fed ea tota eft penes Priorem Conuentualem, feu Vicarium à Superiore conftitutum: & Commendatarij Abbatiarum curam iurifdictionalem tantum, non autem facramentalem habentes, nullo Concilij decreto ad refidendum adftringuntur, neque fi non refideant, pœnis ab eodem Concilio in non refidētes conftitutis arctantur, vt à S. Cōgregatione decisū fuiffe, refert Barbofa *de offic. & poteft. Epifc. p.* 3 *Alleg.* 53. *n* 12

S. Congr.
Barbofa.

Aduertendum tamen eft hic, Abbates & Prelatos regulares non refidentes in fuis Ecclefiis & Monafterijs nō ligari pœnis à Concilio Tridentino contra Epifcopos, & Prælatos non refidentes pofitis, nifi habeant curam animarum fæcularium per ipfefmet adminiftrandam; quia de huiufmodi cura loquitur Conciliom, vt refpondit S. Cōgregatio Eminentiff. Cardinal. tefte Leffio *de iuft. lib.* 2. *cap.* 34 *dub.* 29. *num.* 161. At Regulares Prælatos in adminiftratione & cura fuorum fubditorum regularium, relinquit proprijs ftatutis, & Superiorum Religionum ordinationibus.

S. Cong.
Leffius.

De caufis excufantibus à refidentia, tum ad breue, tum ad longum tempus, diximus *tom.* 1. *v. Refidentia, num.* 5. *& feqq.* Quibus addo quando quis ob corporis neceffitatem impeditur à refidentia, *cap.* 1. *§. qui vero, de Cleric. non refident. in* 6. Appellatione corporalis neceffitatis intelligitur omne iuftum impedimentum corporale, per quod Prælatus, vel beneficiatus etiamfi velit, non poffit ire ad refidendum, vel faltem non fine periculo læfionis corporis, vel amiffionis rerum fuarum, vt notat Tamburinus *de iur. Abbat. tom.* 1. *difp.* 14. *q.* 4. *n.* 3. ex Archidiacono & Geminiano.

Tambur.

11 Abbates & Prælati Conuentuales inferiores non poffunt condere ftatuta perpetua, quæ habeant vim & rationem legis. Ratio eft, quia tota Religio fe habet tanquam vnum corpus politicum, quod feruare debet vnitatem, quoad fieri poffit: & ideo regulariter expendit, vt non folum fubftantialia regulæ, verum etiam ftatuta perpetua & leges, fiue conftitutiones eædem in tota Religione fint: propterea hæc poteftas reperitur in ijs, qui publicā iurifdictionem & poteftatē in tota Religione habēt.

Si dicas, quod Abbates habent iurifdictionem Epifcopalem, feu quafi, ergo poterunt ficut Epifcopi ftatuta facere? Refpondeo, quod non in omnibus Abbates parem habent, aut fimilem cum Epifcopo poteftatem, & ideò quafi Epifcopalem iurifdictionem habere dicuntur: Epifcopi enim habent per fe, ac immediatè iurifdictionem à Sūmo Pontifice, cui etiam immediatè fubiecti funt: ideoque per fe iurifdictionem ad ftatuta condenda habent. Abbates autem inferiores non immediatè à Papa, fed vel à Generali vel à fua Religione habent iurifdictionem dependentem tamen à Generali, & ideo non conceditur illis iurifdictio fine Generali, vel Religione ad concedenda ftatuta, quia eft res grauiffima & quę concernit totum corpus Religionis.

Ita

Suarez. Ita Suarez *tom.4.de Relig.tract.8.lib.2.capit.8.numer.4.* Igitur facultas statuta condendi est penes Generales cum consensu maioris partis Capituli: vnde Generales nisi cum vniuersali Congregatione eiusmodi auctoritate non fruũtur. Nam Generalis non est simpliciter totius Religionis supremum tribunal: Capitulum enim Generale superius est illo: & ideò regulariter Capitulo hæc potestas condendi statuta reseruantur, quæ meri, & mixti imperii iurisdictio vocatur à Iurisconsultis, Baldus *in leg.1.ff.de iustit. & iur.* & communiter Canonistæ *in c. Cum accessissent, de constitut.* ita quod alter sine altero statuere nequit. Cum.n. Generalis sit factus caput Capituli sine illo gesta firmitatem non obtinent, vt habetur *in cap. Cum non liceat de rescript.* Ratio est, quia statutum fieri debet in vtilitatem publicam, & totius Religionis bonum: ideò ex consensu eorum quorum interest condi debet; imò nec statutum vlterius extendetur, nisi hi, quorum interest, consentiant, vel ad minus sint præsentes, secundùm Innoc. *in c. A nobis, el 2. de sent.excomm. & c.fin.de his, quæ fiunt à Prælatis.*

Baldus.

12 Nullus Prælatus Romano Pontifice inferior, absq; speciali eius auctoritate sibi tradita, potest aliqua statuta condere, quę sint contra ius commune, patet per *c. Quod super his de maior.et. & obedient.* & ibi Doctores: quia lex superioris per inferiorem tolli nequit, *Clement.ne Romani, de elect.* Quia inferior nullam habet iurisdictionem contra superiorem. Ex quo fit, quod non sufficiat Generalis licentia ad statuta condenda; sed requiritur vt Generalis cum Capitulo obtineat specialem facultatem vt derogari possit iure communi; aliàs nullius momenti erunt statuta condita: nam quando Summus Pontifex dat licentiam generalem condendi statuta aliqua in communi, ac deniq; in Generali illa confirmat, intelligitur, dummodò sint licita, & honesta, ac sacris Canonib. non aduersentur. Secus dicendum esset, si statuta contra ius cõmune sancita à Capitulo, confirmata essent à Sũmo Pontifice in forma speciali, nẽpe ex certa scientia, tunc illa confirmatio validat Constitutionẽ aliàs inualidam contrariam Canoni. Ratio autẽ principalis executionis est, quia Ius Canonicũ principaliter intendit hominem dirigere ad Deum, & venit ad bonũ publicum Ecclesiasticum: vnde statutũ contrariũ editum ab inferioribus præsumitur temerariũ, & ambitiosum, & fini æterno contrarium. Ita Rodriguez *tom.1.quest.regul.quæst. 69.art.4.* Suarez *lib.6.de leg.c.26.* Portel. *in dub.reg.v.Statutum, n.9. & 11.* vide à nobis dicta *to.1.v Priuilegiu, IV.n.11.*

Rodrig. Suarez. Port.

13 Abbates, & Prælati sæculares exempti habentes iurisdictionem Episcopalem possunt statuta condere. Ratio est, quia se habent tanquam Episcopi; & iure ordinario habent in suo territorio potestatem excommunicandi, suspendendi, interdicendi, & similia, quæ in Episcopis competunt.

Facultas autem condendi statuta est annexa potestati, & iurisdictioni Episcopali; cum Episcopis liceat ferre leges Ecclesiasticas; quia habent auctoritatem publicam, iurisdictionem, & vim coactiuam. Ita communiter Canonistæ, & Summistæ teste Suarez *de leg.lib.4.c.4.*

Suarez.

Idem dicendum est de Abbatibus regularibus habentibus territorium, & subditos sæculares, in quos iurisdictionem Episcopalem exercent: hi enim, licet quoad Monachos, & Religiosos sibi subditos nequeant leges, & statuta ferre; tamen respectu subditorum sæcularium id possunt; hæc enim potestas eis competit, quatenus Episcopali iurisdictione potiuntur, & habent subditos, in quos illam exerceant; cùm talis potestas Episcopali, vel quasi Episcopali iurisdictioni annexa sit. Nec requiritur ad hoc consensus Capituli, vel Synodi Parochorum; quia sicut Episcopis nõ confertur potestas hæc dependenter à Clero, ita nec his Prælatis. De quibus vide Vasquez *t.2. disp.153.c.2.* Suarez *de leg.lib 4.c.5.n.2.* Layman *lib.1.tract.4.c.7.§.4.num. 9.* Sãchez *lib5.Mor.c.4.num.64.* Bonacinam *de leg.disp.1. qu.1 punct.3.n.24.*

Vasquez. Suarez. Layman. Sanchez. Bonacina.

Excipiuntur tamen causæ quæ ad Capitulum quoque attinent, vel in eius damnum cedere possunt, in his enim etiam consensus Capituli tanquam collegarum, seu consortium in tali causa exigitur, vt notant Suarez, & alij præcitati Doctores.

14 Abbates olim ab Episcopo, in cuius Diœcesi Monasterium situm erat, deponebantur, vt colligitur ex Concilio Turonensi 11. *cap.1.§.7.* nunc autem postquam Religiones ab Episcoporum imperio solutæ sunt, Abbates, & Prælati regulares inferiores, qui ad vitam, vel etiam ad certum tempus creantur, nequeunt intra illud tempus licitè, sine iusta, & legitima causa, & pro solo arbitratu à Superioribus suo munere priuari. Ex *c. Nullum, 18.q.2. & c. Monachi de statu Monachorum*, vbi dicitur, *Priores autem cum in Ecclesiis Conuentualibus per electionem Capitulorum suorum canonicè fuerint instituti, nisi pro manifesta, & rationabili causa non mutentur.* Ratio est, quia electus, & confirmatus acquirit aliquod ius in Abbatia, & Prælatura ad quam electus fuit. Ita Panormitanus *in d. cap.num.8.* & Glossa. Suarez *de Relig.tom.4.tract.8 libr. 2.cap.2.num.25.* Idem dicendum de prouiso à Generali, vel aliis Superioribus Religionis Prælatis, ad quos id spectat, cùm prouisio facta ab eo qui habet potestatem eligendi simul, & confirmandi, eodem iure habeat vim electionis, & confirmationis, quia priuare Religiosum Abbatia sine causa, esset illi pœnam sine culpa imponere, quia illicitum esset.

Conc.Tur

In iure autem enumerantur quædam causæ, ob quas Abbas ab Abbatia deponi potest, quarum *Prima* est, si Abbas esset dilapidator bonorum Monasterij, & negligens in eorum administratione, ex *cap.Si quis Abbas, 18. quæst.2. cap.Cum ad Monasteriorum, §.final. de statu Monachorum*, vbi Glossa *verb.Negligens*. Intellige, quando negligentia esset magna, & supina. Dilapidatio autem bonorum Monasterii non probaretur ex eo, quòd Monasterium ære alieno grauatũ reperiatur de tempore administrationis Prælati, de cuius dispositione agitur, quia potest contigisse quod illud æs alienum fuerit contractum ex iusta causa.

Secunda causa est, si Abbas incontinenter viueret: nam sola incontinentia absque alia delicti qualitate est sufficiens causa ad deponendum Abbatem, vt habetur *in cap. Monachi de statu Monachorum in fine*, ibi, *si incontinenter vixerint*.

Tertia causa sufficiens est, si Abbas inuentus esset Regulæ præuaricator, ex *cap.Cum Monasterium, de statu Monachorum §.final.* ibi: *Quod si præuaricator ordinis fuerit.* Præuaricator autem dicitur, qui regulam prædicat, & eam non obseruat, vel qui exterius videtur Religiosus in habitu, intrinsecus autem est lupus rapax, vel qui subditis falsas culpas imponit.

Quarta causa remouendi Abbatem à sua Abbatia, est aliqua vrgens ratio maioris boni communis: in hoc enim casu supremi Religionis Prælati sufficientem habent causam faciendi huiusmodi mutationem, & remouendi Abbates ab eorum muneribus, iuxta *cap.Monachi, de statu Monachorum in fine*, vbi dicitur, *Aut si etiam pro necessitate maioris officij de consilio fratrum fuerint transferendi.*

Quinta causa sufficiens deponendi Abbatem est, illiteratura, siue ineruditio, ex *cap.Quamuis multa, de ætat.& qualitat.* toleratur tamen si sciat bene legere, & loqui Latinè, vt dicunt Glossa, & Doctores *in Clement.1.de concess. præbend.* & Panormitanus, *in capit.cum in cunctis, num.4. de elect.*

15 Abbates, Priores, Guardiani, aliique huiusmodi Prælati possunt eorum Prælaturis renunciare; talis tamen renunciatio fieri debet in manibus illius, qui habet potestatem instituendi, & destituendi simul inuitum iustis de causis; adeò vt fieri nequeat in manibus illius, qui ius conferendi tantùm habet, inuitum autem destituere nequit. Ita Glossa *in Clement.1 de renunciat.in verb. In manibus, in Clement.1.de rerum permutat.* Innocentius, *in cap.Quod in dubijs, in fine,* & ibi Panormitanus *num.3.de renunciat.* & alii communiter iurisperiti. Proinde renunciatio facta in manibus non habentis potestatem instituẽdi, & destituendi, nulla est, nullumque renuncianti præiudicium infert, etiam quoad possessionem, Rebuff. *de pacific.possess.num.311.*

Glossa. Innoc. Panorm. Rebuffus.

Causæ autem legitimæ, ob quas Prælatus ad sui officii renunciationem admitti potest sine culpa, nonnullæ colligi possunt ex *capit. Nisi cum pridem*, & ex *cap. Post translationem, de renunciatione*, & ibi notatis per Doctores.

Prima

Prima causa legitima ad cedendum Prælaturæ est conscientia criminis, quod inesse debet, vt Ordinis executionem post peractam pœnitentiam impediat quæ autem sint huiusmodi crimina, vide Panorm. *in d. cap. Nisi cum pridem.*

Panorm.

Secunda causa legitima ad dandum licentiam cedendi, est quando Abbas, vel Prælatus est senex & adeò corpore debilis, vt nequeat rectè suo muneri satisfacere, considerata personæ qualitate, & consideratis oneribus Abbatiæ. Et in hoc iudex erit ille superior, in cuius manibus, & de cuius licentia renunciatio facienda est, *cap Nisi cum pridem, §. alia vero*, Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part. 3. alleg. 69. n. 52.*

Barbosa

Tertia causa, est infirmitas corporis adeo frequens, ut volens renunciare non possit rectè suum munus exercere. Quis autem sit dicendus valetudinarius, remittitur arbitrio Iudicis iuxta Menochium *de arbitrar. casu* 60.

Menoch.

Quarta est defectus scientiæ. *Quinta* est graue scandalum, quod aliter sedari non possit. *Sexta* causa est, quando Prælatus est corpore impeditus, ita vt non possit præstare id, ad quod tenetur. De his videndus Tamburinius *tom. 1. de cur. Abbat. disp. 13. quæsit. 1.*

Tambur.

16. Abbates, & Prælati inferiores exempti Episcopalem quasi iurisdictionem habientes possunt beneficiorum resignationes recipere. Probatur, quia qui possunt destituere, possunt etiam beneficiorum resignationis recipere; sed Abbates, & Prælati exempti possunt destituere; & hoc importat iurisdictio Episcopalis, quam habent. Accedit quod huiusmodi Abbates, & Prælati dicuntur Ordinarij. vt dictum est *suprà num.* 3. & habent Ecclesias sibi pleno iure subiectas, adeò quòd in illis Episcopus se intromittere nequit. At habere Ecclesias pleno iure subiectas, idem est, ac habere in eis potestatem instituendi, & destituendi, visitandi, & corrigendi. Sed hoc intelligendum est, de resignatione pura, & simplici: nam resignationes conditionales, & in fauorem certæ personæ coram Ordinario admitti nequeunt, sed fieri debent coram Papa, nisi vbi contrarium introductum est. Ita Cardinal. Parisiens. *consil.* 22. *n.* 14. *volum.* 4. Garciaz *de benefic. part.* 11. *cap.* 3. *num* 152. Hieronymus Rodriguez *in Compend. resol* 1. *num.* 26. Similiter Abbates, & Prælati Episcopo inferiores exempti iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possunt beneficiorum permutationes facere, & probare. Quia hæc facultas competit Episcopis ratione iurisdictionis, non verò ratione dignitatis, aut Ordinis: & ideo cum hi Prælati Episcopalem iurisdictionem habeant, non videtur, cur illis deneganda sit facultas permutationibus beneficiorum auctoritatem interponendi. Ita Bonacina *de simonia, quæst.* 4. § 12. *n.* 7. Reginaldus *lib.* 23. *n.* 261 & alij communiter.

Card Paris.
Garcia.
Hier. Rodr.
Bonacina.
Regina ld.

Cæteri autem Prælati Episcopalem iurisdictionem non habentes, non possunt permutationibus beneficiorum auctoritatem interponere, nisi hanc facultatem præscriptione acquisierint, Lessius *de iustit. lib.* 2. *cap.* 34 *num.* 196. Azorius *part.* 2. *lib.* 7. *cap* 29. *q.* 4. *in fine*, & alij.

Lessius.
Azorius

17. Abbatiæ antiquitùs ad tempus commendari consueuerunt quoad vsque illarum Rector eligeretur. Ratio illas commendandi fuit; tum quia sæpè Rectorum, & Prælatorum electio ob lites, & controuersias eligentium differebatur, ne Monasteria diu absque Superiore existentia aliquod paterentur detrimentum, & tunc Summi Pontifices illa ad sex mensis commendare cœperunt. Tum quia cùm decrescente Monachorum numero, & propterea Cœnobijs pene destitutis, vix idonei regulares, qui ipsis præfici possint reperirentur, Romani Pontifices Regulares Ecclesias, & Abbatias sæcularibus Clericis, nullo voto, aut Monastica regula adstrictis, ad tempus in commendam concedere cœperunt, ne dictæ Ecclesiæ sine custode remanerent. Proinde modus prouidendi per viam commendationis fuit à Summis Pontificibus introductus, vt qui non est habilis ad retinendum beneficium in titulum, sit habilis ad retinendum illud in commendam; vel vt beneficium cum alio incompatibili possit per viam commendæ retinere. Ita Garciaz *de benefic. p.* 4. *c.* 4. *n.* 24. & 25. & alij.

Garciaz.

18. Solus Summus Pontifex potest Abbatias in commendam tradere, vt definiuit Leo Papa X. *in Constitut.* 7. *§.* 9. apud Laertium Cherubinum *in Bullario tom.* 1. Ratio est, quia potestas commendandi regulatur à potestate cōferendi, argum. *cap. Cùm per singula, §. prohibemus, de prebend. in* 6. vbi beneficia per Monachos vnius Monasterij regi consueta, non possunt committi per inferiorem à Papa Monachis alterius Monasterij. & loquitur ibi textus de quibuscumque Ecclesijs, vel administrationibus. Ita Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 31 *quæst.* 15. Barbosa *de offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 68. *num.* 16.

Laertius.
Cherubin.

Aliæ etiam Ecclesiæ, & beneficia non possunt commendari in perpetuum, ab alio, quàm à Summo Pontifice ad vtilitatem commendatarij: vnde nec Legatus à latere potest isto modo commendare absquè speciali Papæ facultate, Secus dicendum de commenda temporali, quæ fit in vtilitatem Ecclesiæ, hæc enim non solùm ab Episcopis, & alijs Prælatis Superibus fieri potest, verum etiam ab alijs Episcopo inferioribus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem; proinde Ecclesia Parochialis, & alia beneficia, quibus inest animarum cura, possunt ab Episcopo ad sex menses commendari, Azorius *loco citato*, Garciaz *de benefic. part.* 4. *cap.* 4. *num.* 13.

Azorius.
Barbosa.
Azorius.
Garciaz.

19. Abbatiæ idoneis commendandæ sunt, vt definitur in Bulla Leonis X. supra. Idoneus autem censetur ad hunc effectum habens ætatem, & alias qualitates legitimas requisitas ad obtinendum verum beneficium. Et quamuis Monasteria, & dignitates commendari non possint Minoribus 25. annis, ex *cap. Nemo deinceps, de elect. in* 6. Hoc tamen procedit in commodis, quæ fiunt per Ordinarios ad sex menses in fauorem Ecclesiarum. Secus est de commendis nostri temporis ad vtilitatem commendatariorum, quæ fiunt passim etiam Minoribus 25. annorum, vt docet Garciaz *loc. cit. c.* 4 *n.* 32.

Garciaz.

20. Abbatiæ duobus modis commendantur, nimirum ad tempus, & in perpetuum. Primus modus commendæ dicitur factus in vtilitatem Ecclesiæ, quando scilicet mortuo Abbate committitur Monasterium ad tempus fidei alicuius veluti depositarij, & curæ, in quo loco se habet ille veluti tutor, curator, siue custos non autem beneficiatius, vel titularis Commendare enim nihil aliud est, nisi deponere, *l. commendare ff. de verb. significat. & cap.* 1. *de deposito* Secundus modus dicitur in vtilitatem Commendatarij, quando alicui in perpetuum, eius vita durante Abbatia committitur, vt eam gubernet, & regat, cum facultate disponendi de fructibus illius, sicut verus beneficiatus. Ita Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *q.* 1. Garziaz *de benefic part.* 4. *cap.* 4. *num.* 7.

Difficultas est, inter Iuris Pontificij consultos, an Commendatarius titulum Ecclesiæ commendatæ habeat? sed de hac difficultate vide infra *verb. Commendationes Ecclesiarum, n.* 4.

21. Non licet Episcopo Abbatiam, siue ad tempus, siue in perpetuum à Summo Pontifice commendatam rursus commendare. Quia eo ipso quòd Papa in ea manum apposuit, manet affecta, & habetur pro reseruata. Sedisque Apostolicæ potestat, subiecta, ita vt in posterum nemo absque eius auctoritate illam possit conferre; arg. *cap. Vt nostram, de appellat.* Et quia cessante commenda, non inducitur noua vacatio per obitum Commendatarij, sed beneficium vacat semper vt priùs, & quodammodo resurgit prima vacatio adeò quò non est attendendus mensis in quo Commendatarius obierit. Et hoc dictum sit secundū praxim Romanæ Ecclesiæ, nam in Gallia, Ecclesia commendata vacare dicitur per mortem Commēdatarij, Garciaz *loco cit. c.* 4. *n.* 64. & 68. Azorius *p.* 2. *lib.* 6. *c* 31. *q.* 5. & alij. Sed de his plura infra *verb. Commendationes Ecclesiarum*, & apud Tamburinium *tom.* 1. *de iur. Abbatum, disp.* 4. apud Azorium *loco cit. cap.* 31. & alios hic citatos.

Azorius.
Garciaz.
Garciaz.
Azorius.
Tamburin.
Azorius.

22. Abbatialem dignitatem non debet Religiosus expetere, ne incidat in ambitionem, quæ est pestis Religionis, *cap. Quorumdam de elect. in* 6. vnde nihil Monacho est in hac vita periculosius, quàm officium vel Prælaturam expetere; nam qui ambitiosè exquirēdo tale onus desiderat, nō Religiosus Monachus, sed mundanus homo est apellādus.

Hinc qui se ambitiosè ad dignitatem ingerit, est ab ea reppellendus sicut inuitatus renuens est promouendus, ita *cap. Sicut is,* 1. *quæst.* 6. cuius textus verba sunt hæc. *Sicut is qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris altaribus est admonēdus: sic qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit*

est

est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius in profundum descendat? Et D.Gregorius in epist. 126.lib 7.ait *Væ qui culmen regiminis, non ad officium portandi oneris suscepit, sed ad appetitum gloriæ & transitorii honoris affectat.* Et Diuus Bernardus ad Episcopum London. epist. 24 clamat contra hos ambientes *Curritur ad Ecclesiasticas curas tanquam sine curis iam quisque victurus sit, cum ad curas peruenerit. Et qui nondum has curas expertus sunt, videntes alios, qui iam humeros submiserunt huic sarcinæ, non solum non gemere, tanquam sub onere, sed insuper appetere plus oneris, nō deterrentur periculis, quæ cupiditate cæca non vident. Quæ ista insania est? vbi timor Dei? vbi mortis memoria? vbi gehennæ metus? & terribilis expectatio illa iudicii? Quæ ascendis miser? vt ab altiori gradu sit casus grauior? neque enim paulatim decides sed tanquam fulgur in impetu vehementi, quasi alter Satanas subito decideris. Non cum tanta alacritate currerent ad honores, si esse sentirent, & onera grauari profecto metuerent: nec cum tanto labore & periculo dignitates affectarent: affectant autem, quia sola attenditur gloria, non pœna.* D.Bernar.

Et idem Sanctus in serm. sup. Cantica loquens contra illos, qui absque virtute, & debitis qualitatibus se ingerunt Prælaturis, ait: *Mater audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas & tribulos vineis tamen Dominicis se ingerere non vereri, fures sunt, & latrones, non custodes nec cultores.*

Ex his patet, non posse, nec debere Religiosos Abbatiam vel alias dignitates, & officia Religionis procurare, & maxime per externos fauores, quia nihil magis Religiosorum statum perturbat, quam fauorum, & suffragiorum secularium conquisitio, & procuratio: nam ex his Superiores cogūtur, digniores prætermittendo, indignos nonnūquam ad munera, & dignitates Religionis assumere, in non paruum ipsius Religionis præiudicium. Contra hoc ambitionis pessimum vitium committentes, & procurantes externos fauores, dignitates; & officia in Religione, Summi Pontifices varias Bullas ediderunt, quibus præcipitur Superioribus, ne vllum omnino ad dignitates, Prælaturas, vel officia Ordinis promoueāt ad fauorē cuiusuis Principis; aut Prælati extra Congregationem; vbi etiam adijciuntur variæ pœnæ transgressorib. Quas refert Tābur. to.1.de iur. Abbat. disp. 10.quæst. 1.n. 10.& seq & pro Ordine Minor. Bullas adduximus to.1.v. Electio, n.14.& 15. Tambur.

23 Abbatialis dignitas ex consuetudine ipsarum Religiunum potius perpetua est, quam temporalis Mos.n. & consuetudo Religionum Monasticharum fere omniū est, vt quem in Abbatem semel assumpserunt, nunquam nisi grauibus de causis, Abbatiali dignitate priuent. Ex quo fit Abbatialem dignitatem de iure communi perpetuam esse: de iure vero speciali à Summo Pontifice confirmato, in temporalem in multis Religionibus conuersa est: vnde de iure speciali particularium vniuscuiusq; Religionis Constitutionum, aliqua est, super hoc in Monachorum Congregationibus varietas & dissimilitudo: nā in aliquibus Generalis perpetuus est, & ad vitam durat, vt in Congregatione Cistercensium. Similiter reliqui Abbates inferiores eiusdem Ordinis in Gallia, & Belgio In Italia autem, & Hispania eiusdem Ordinis Abbates, tam Prouinciales, siue nationales, quam inferiores, siue locales ad tēpus cernatur, sicut & in aliis Monachalibus Religionibus: & in hoc modo creandi Abbates ad tempus, est etiam inter easdem Religiones nonnulla uarietas nam aliquæ ipsarum consueuerunt per biennium, aliæ per quadriennium Abbates creare, deinde Abbatias ab illis auferre; & aliis tradere.

24 Varij, & discordes sunt Doctores in iudicando, an magis expediat Abbatem, & alios Prelatos Religionum esse perpetuos, quam ad tempus: Et quidem pro affirmatiua multa possunt adduci. *Primo*, per Prælatorum regularium mutationem, ac temporalem gubernium, multū ipsorum auctoritatem eneruari, atque diminui, circa regendos, & gubernandos sibi subditos, cum in suis officiis & administrationibus ab eorum suffragiis depēdeant ipsorumque gratiam, & beneuolentiam mendicare cogantur, vt iterum eligantur. Minuitur præterea eorundem subditorum reuerentia, & obedientia, cum propter hoc iidem minus timeant, quia eisdem indigent. Quod probari potest, ex *cap. visis 16. quæst.* 2.vbi continetur illud celebre ac solemne dictum, nempe, *Humanus moris illū timere cuius iudicio, quis nunc erigitur, nūc deprimitur.*

Secundo, ex temporanea præfectura, innumera exoriuntur in Religionibus spiritualia vitia, & imprimis truculenta quædam ambitio, quæ Religionis pestis est, ac Religiosorum oculus sic excæcat, vt quasi suæ professionis immemores, qui contemptis honoribus, abiectis diuitiis, spretisque deliciis, alterius ditioni proprium subiugarunt arbitrium, retro aspicientes ad aratrum manu missa dum præcipitanter ruunt: in litigiorum anfractus, multis causarum strepitibus semetipsos inuoluunt, vt habetur *in c. Quorundam, de elect.in 6.* Ex qua ambitione Religiosæ disciplinæ neruus, & rigor relaxatur; dum eligi cupientes plura dissimulant, vt gratos habeant suffragatores, quibus animi gratitudinem declarare cupientes maiora, quam conuenit, pollicientur.

Tertio: exoriuntur subornationes, simulationes, dissidia, factiones, & collusiones, quæ fraternam pacem, & concordiam mirum in modum impediunt ac perturbant & alia huiusmodi, quæ latè prosequitur Nauar. *Comment.3.de regular.n.*3.Miranda in *Manual. Prælat.tom.*2. *quæst. 6. art.* 6.Suarez *de relig.to.4.tract.8.lib.2.c.7.n.5.* Ex quibus colligitur magis expedire Prælaturas perpetuas esse quam temporales, non solum, quia ex illis incommoda veniunt; verum etiam quia ex perpetua duratione vnius personæ in eodem officio vtilitates, & commoda sequuntur: tum quia ex maiori consuetudine, & quasi perpetuo vinculo maior affectus generatur; tum quia homo maiori cura suscipit munus, in quo perpetuo est duraturus. Tum etiam quia longa experientia valde confert ad bene, & cum prudentia gubernandum. Non sic autem in temporalibus Prælatis, qui quando incipiunt sui muneris experientiam habere, tunc deficiunt, nec de rebus perpetuis nimium curant. Nauarr. Miranda. Suarez.

His tamen non obstantibus non desunt rationes, & coniecturæ, quibus contrarium suaderi possit, Nam plus mouere debet mutatio antiquæ illius consuetudinis, quā ipsa antiqua consuetudo, cum enim non in vno, aut altero loco, sed in omnibus fere Religionibus, etiam ijs, in quibus antiquus ac primarius feruor, ac regularis disciplinæ rigor obseruatur, hæc mutatio facta sit indicat eam non ex priuato errore, aut imperfectione contigisse; sed quia experientia rerum magistra, compertum est, tale regimen esse magis Religioso statui accommodatum. Præterea Summi Pontifices semper in hanc partem magis inclinarunt, vt Religionum Prælati temporales sint: ergo est signum Apostolicæ Sedi hunc regendi modum Religioso statui magis conuenientem videri; vt pluribus firmat Suarez *loco cit. n.6.* Rodriguez *tom.1.quæst.reg.q.16. art.1.*uide Pellizzarium *in Man. reg. tract.9 cap.1.num. 15.& sequentibus.* Suarez. Rodrig. Pellizzari

Penes alios sit in hac re iudicium, quorum prudenti existimationi me remitto: nam res arbitraria est, & sine imprudentia alterutra pars eligi potest, dūmodo incommoda, quæ in unaquaque illarum contingere possunt, quantum fieri possit, euitentur.

25 Abbatibus exercitium, & usus Pontificalium insignium competit ex iure priuilegiario, non autem ratione dignitatis. Probatur, quia Prælati Episcopis inferiores, regulariter loquendo, his Pontificalibus insigniis uti non possunt, nisi speciali Apostolicæ Sedis priuilegio muniti sint, aut ex consuetudine, uel præscriptione lōgi temporis, cuius non sit memoria in contrarium illa acquisiuerint; aliàs nulla daretur differentia inter ipsos, & Episcopos, Tum quia sic habetur *in.c.vt Apostolicæ, de priuil.in 6.* unde prouenit, ut non omnes Abbates eadem habeant insignia, sed alijs plura alij uerò pauciora, iuxta tenorem priuilegiorum, & prout à Sede Apostolica eis indultum fuerit; ideò, si unumquodque priuilegium percurramus, quo Pontificalia hæc Monachorum, Religionibus concessa sunt, inueniemus aliquibus solius Baculi usum: alijs uerò maiora concessa fuisse.

26 De iure communi vsus Pontificalium denotat exercitiū iurisdictionis in eo loco, in quo quis eis vtitur, vt *in cap.*

cap. Ex tuarum eodem tit. Sed cùm Abbas circa Pontificalium vsum procedat à pari eum Episcopis, & cum omnibus, quibus talis vsus permissus est, & sicut Episcopis & Archiepiscopis de iure conceditur talis vsus non solùm in Ecclesia Metropolitana & Cathedrali, sed etiam in qualibet Ecclesia suæ Diœcesis, vel Prouinciæ, ita & Abbati etiam in alijs Ecclesijs & beneficijs vnitis est permissus talis vsus, cùm in ipsis locis etiam habeat iurisdictionem: vnde cum militet eadem ratio in Abbate, quæ militat in Episcopo, idem ius in eo militare debet, *iuxta l. illud, ff. ad l. Aquiliam & l. à Titio, ff. de verb. oblig.* quia potestas exercendi Pontificalia non solùm in Ecclesia propria, sed etiam in alijs sibi pleno iure subiectis competere noscitur Abbatibus, per text. *c. Abbates, & c. vt Apostolica, de priuilegijs in 6.* ac per priuilegia specialia super hoc eis concessa à Sede Apostolica.

27 Abbati non licet mitram & cætera Pontificalia insignia deferre præterquam in locis suæ iurisdictionis & dignitatis: quia Archiepiscopo prohibetur, vt faciat Crucem in alia Prouincia ante se deferre. Item non licet Archiepiscopo in aliena Prouincia Pallium gestare, *cap. Ad honorem, cap. Ex tuarum, de auctor. & vsu Pallij.* Non pateretur enim Rex Diadema regium ab alio in suo regno deferri. Denique consuetudine Ecclesiæ receptum est, vt inferior, accedente Superiore, insignia sua deponere debeat, *c. volentes, de offic. Legati, l. final. de offic. Procons.* Ita pariter dum adest Episcopus, Abbas tamquam eius inferior, mitram, aliaque insignia sibi ex priuilegio competentia, dimittere debet.

Ex quibus infertur *primò*, minimè licere Abbatibus & alijs Prælatis Episcopo inferioribus mitram & baculum Pastoralem gestare extra proprias Ecclesias, quod probat expresè textus *c. vt Apostolica, de priuil. in 6.* quatenus expresè concedit Abbatibus & alijs Prælatis inferioribus, si sint exempti, in Prouincialibus & Episcopalibus Concilijs vti posse mitris aurifrisiatis non habentibus laminas aureas, vel argenteas, aut gemmas; in alijs uerò locis exemptis & non exemptis, mitris vti licere illis, pro ut concessa eis à Sede Apostolica indulta permittunt; ergo si talia indulta id non permitterent; minimè liceret eis mitris vti extra suas Ecclesias, præterquam in Concilijs Prouincialibus & Synodis Episcopalibus, quę exceptio in alijs firmat regulam in contrarium; idem dicendum de Baculo Pastorali, vt notat Durandus *de ritib. Eccles. lib. 2. cap. 9. num. 38.* Durand.

Secundò, quando vsus Pontificalium fuit simpliciter concessus, potest Abbas deferre insignia Pontificalia in Ecclesia exempta, licet priuilegium dicat; vt deferat in suo Monasterio, Barbosa *lib. 1. de iur. Eccles. cap. 17. nu. 58.* Barbosa.

Tertio, Abbates, & alij Prælati Episcopis inferiores non solum mitræ vsum non possunt exercere, & Baculum Pastoralem gestare, sed neque etiam quæcumque Pontificalia exercere extra suas Ecclesias. Nomine autem actuum Pontificalium, intelligitur Ordinum Minorum collatio, Ecclesiarum, Altarium, vasorum & campanarum consecratio, aut reconciliatio; populi solemnis benedictio, cemeterij, & secundum quosdam etiam corporalium, aliorumque Altaris paramentorum benedictio, vt colligitur ex Gloss. *verb. Pontificalibus, in Extrauag. suscepti regiminis, de elect.* & docent Alterius *de censur. tom. 2. disp. 16. de suspension. c. 3.* Layman *in quæst. Canon. c. 17. n. 224.* Glossa. Alterius. Layman.

28 Abbates licitè possunt in locis ab Ordinariorum iurisdictione exemptis Pontificalia exercere, si ab eorum Prælatis inuitentur. Quia Concilium Trident. *sess. 6. c. vlt. de refor.* prohibens Episcopis, ne in alterius Diœcesi Pontificalia exerceant, requirit Ordinarij loci licentiam. At Abbates, & alii Prælati exempti habent iurisdictionem, quasi Episcopalem, seu Ordinariam, & proinde Ordinarij etiam appellantur. Inuitati igitur Abbates à Prælatis extraneis exemptis, quasi Episcopalem iurisdictionem habētibus poterunt in eorum Ecclesiis Pontificalia exercere. Proinde Abbas inuitatus ab alio Abbate, vt in sua Ecclesia Minores Ordines conferat, potest illos conferre, sicut Episcopus ab alio Antistite inuitatus hoc facere potest. Ita Gloss. *in cap. Quoniam, dist. 69. v. Monasterio,* quod probat ex *c. Lugdunensis 9. q. 2.* Eandem Glossam secuti sunt Hostiensis & Ioannes Andreas quos refert & sequitur Dominic. de S. Gemin. *in cap. Abbates, vers. quid si Abbas, de priuil. in 6.* Mayolus *de irregul. lib. 3. cap. 23. nu. 12.* Sayrus *de censur. lib. 4. cap. 13 num. 5.* Graffiis *part. 2. lib. 1. cap. 10. num. 2,* & alij. Glossa. Hostiens. Io. Andr. Dominic. Maiolus. Sayrus. Graffiis.

29 Abbates benedictionem solemnem possunt fidelibus intra eorum Ecclesias existentibus post Missarum solemnia, Vespertinas ac Matutinas Horas elargiri: vt patet *in cap. Abbates, de priuil. in 6.* vbi habetur, quòad Abbates, quod Apostolica Sedes in exhibitione benedictionis super populum, speciali priuilegio insigniuit, in Ecclesijs, quæ ad eos pertinent pleno iure, quando in eis diuina officia celebrant, possunt post Missarum solemnia & Vespertinas, ac Matutinas Laudes benedictionem solemnem supra populum elargiri. Ecclesiæ autem dicuntur Abbatibus pleno iure subiectis, quæ tam in his, quæ ad spiritualium, quàm in his quę ad temporalium rerum administrationem pertinent, sunt in cura & potestate ipsorum Abbatum & Monachorum. Ita Glossa *in d. cap. Abbates, verb. pleno iure,* & ibi communiter Doctores. Glossa.

Ex priuilegio autem possunt Abbates huiusmodi solemnem benedictionem populo dare, non solùm in Ecclesijs sibi pleno iure subiectis, verùm etiam in Ecclesijs, quæ sibi subsunt, quamuis non pleno iure. Sic habet indultum Bonifacij Papæ IX. sub datum Romæ Pontificatus sui anno 12. apud Tamburinum. *de iur. Abbatum, tom. 1. disput. 21. quæst. 8.* Imò Abbas celebrans in Ecclesia aliena in Pontificalibus, potest vti benedictione Pontificali, cum verbis. *Sit nomen Domini benedictum,* &c. quia illa est potius Ordinis quàm iurisdictionis: nam si potest in aliena Ecclesia absque Ordinarij licentia, celebrare, poterit etiam benedictionem Pontificalem dare, cùm sit accessorium & consequens ad illam celebrationem, per *cap. cui licet, de reg. iur. in 6.* Tambur.

30 De iure communi nequeunt Abbates præsentibus Episcopis, vel alijs maioribus Ecclesiæ Prælatis, benedictionem solemnem populo elargiri, *cap. Ministrare, 16. q. 6.* quia minor non debet maiorem benedicere, ex *cap. Denique, distinc. 21.* Iuri etiam communi consona sunt quamplurima priuilegia per Sedem Apostolicam Abbatibus concessa, vt possint solemniter in Ecclesijs sibi pleno iure subiectis populum benedicere, & in his addita est clausula, *Dummodo in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens non fuerit, vel si præsens fuerit, eius ad hoc accedat consensus.* Ita habetur in priuilegio Vrbani VIII. sub Datum Romæ anno 1624. 17. Iulij Abbati Cvioniensi in Belgio concesso. Vide v. Baptismus 4. *num.* 13. Benedictio *nu. 6. 9. 10. & sequent.* Beneficium 3. *num.* 7. Beneficium 5. *nu.* 13. Beneficium 4. *nu.* 11. Dignitas *num.* 7. Excommunicatio 1. *num.* 7. Fides 2. *nu.* 9. Nouitius *num.* 21. Votum 2. *nu.* 11.

ABBATISSA.

SVMMARIVM.

1 *Quæ dicatur Abbatissa? & quid in ea requirat Concil. Tridentinum?*

2 *Quæ Abbatissa benedicantur? & an eius benedictio possit iterari? An corrupta vel vidua possit eligi in Abbatissam, vel Priorissam?*

3 *Abbatissa non est capax potestatis ordinis? An autem sit capax spiritualis iurisdictionis?* Refertur duplex sententia

Vna Theologorum, Altera Iurisconsultorum.

4 *Abbatissa, aliave Monialium præfecta non potest imponere Monialibus sibi subditis præcepta spiritualia; sicut nec dispensare in votis Monialium, in ieiunijs & alijs legibus Ecclesiasticis. In quibus differat præceptum Prælati & Abbatissæ?*

5 *Illegitima non potest esse Abbatissa vel Priorissa sine dispensatione? & quis cum illa possit dispensare iure communi, & quis virtute priuilegiorum?*

1 IN Monialium Monasterijs siue Conuentibus Abbatissa, seu Priorissa dicitur illa religiosa, quæ ibidem habetur, tanquam cunctarum mater, moderatrix, gubernatrix, atque magistra; Rodriguez *tom. 1. qq. reg.*

Rodrig. Conc. Trid.

quæst. 12. *artic.* 2. & post Concilium Tridentinum *seß.* 25. *de regularibus, cap.* 7. *eligi debet non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit: quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori qui electioni præest videatur, ex his quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio superiore consentiente vna eligatur. Duobus verò Monasterijs nulla præficiatur. Et si qua duo vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, vno excepto, intra sex menses cætera resignare* Hæc Concilium.

2 Abbatissę vbi solent benedici intra annum à suæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis suscipere debent, alioqui à iure suo, nisi subsit causa rationabilis, prorsus se nouerint excidisse; vt habetur *in Clement. Attendentes de statu Monachorum*. Ergo vbi moris non est Abbatissas benedici, benedictione non egent. Secundum autem Glossam *ibidem*, Layman. *lib.* 5. *tract.* 9. *c.* 13. *§. vnic. num.* 17. Azorium *tom.* 1. *Moral. lib.* 13. *cap.* 10. *q.* 4. vbi Abbatissæ de more benedicuntur, iustis de causis excusantur, si benedictionem non petant, ob morbum, aut quia is cuius est benedicere, recusat, aut legitimè non potest; quia Abbatissa nondum pacificam possessionem adepta est. Aduerte tamen ex Miranda *tract. de Monialibus, quæst.* 7. *ar.* 7 Rodriguez *cap. art.* 3. non omnes Abbatissas posse, aut debere benedici, sed solummodo illas, quæ perpetuæ sunt. An autem Abbatissæ benedictio possit iterari, si ad aliud transierit Monasterium, alij aiunt, alij negant: & fortè probabiliùs apud Azorium: sed Glossa ait quæri debere, quid hac in re Curiæ Romanæ vsus habeat.

Glossa. Layman. Azorius. Miranda. Rodrig.

Præterea dubium est, an corrupta, seu vidua possit eligi in Abbatissam? Affirmatiuè respondent Sanct. *lib.* 5 *Moral cap.* 5. *nu* 22. Portel. *de dub. reg. verb. Abbatiss. num.* 10. qui probant ad Abbatissæ munus non desiderari virginitatem; & dato & non concesso quòd aliqua lex canonica prohibeat viduam, aut corruptam fieri Abbatissam, iam est abrogata per contrarium vsum; Ideò Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 16. asserit probabilem esse hanc opinionem, maximè si consuetudo id approbet; nihilominus contraria sententia est tenenda, quam docent Miranda *de Monial. quæst.* 7. *art* 6. citans multa *Cap.* & Glossas iuris, multos item Doctores, Barbosa *de potest. Episcop. par.* 3. *alleg.* 100 *num.* 14. Lucas Castellin. *tract. de elect. cap.* 17. *nu.* 5. 14. & 17. qui testatur sic declarasse Sacram Cardinalium Congregationem his verbis die 15. Iulij 1616. *Si vidua Monasticum habitum assumat, ad Abbatissæ, aut Priorissæ munus obeundum, absque Sedis Apostolicæ dispensatione eligi non potest*. Vide Rodriguez *tom. prim. quæst.* 66. *artic.* 4.

Sanch. Portel. Suar. Miranda. Barbosa. Lucas Cast.

3 Secundùm communem tam Theologorum *in* 4. *distinct.* 29. & *distinct.* 25. Syluester *verb. Abbatissa num.* 8. *quæst.* 3. Miranda *cap. quæst.* 6. *art.* 5. Layman *lib.* 1. *t.* 5. *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. *cap. Noua de pœnit. cap. Statuimus* 20. *quæst.* 2. quàm Canonici iuris interpretum *in cap. Dilecta de maiorit. & obedientia*, Abbatissa non est capax potestatis quæ dicitur ordinis: vnde non potest aquam vel subditas benedicere ex officio & publicè, secus autem priuatè, ad modũ quo aliqua mater filiam suam benedicit. Nec audire confessiones suarum subditarum; nec circa ipsas aliquem actum Sacramentalem exercere. Nec prædicare, aut publicè docere, licet sancta sit & docta; secus autem in Capitulo vel in claustro Monialium; neque in Missa Euangelium legere, quamuis possit in Matutinis, vnde in iure Diaconissa appellatur. Neque Moniales velare, &c. de quibus *v. Fœmina.*

Syluest. Miranda. Layman.

An autem Abbatissa capax sit iurisdictionis spiritualis, dubiæ est quæstionis D. Thomas 4. *dist.* 19 *quæst.* 1. *artic.* 1. Syluester *c. num.* 1. Syluius *in supplem. quæst.* 10 *art.* 3. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 6. Sotus 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 4. Miranda *de Monialib. qu.* 6. *ar.* 5. negant eam esse capacẽ spiritualis iurisdictionis ordinariæ, sed tantùm commissæ, & delegatæ Romani Pontificis auctoritate; quia licet potestas iurisdictionis spiritualis non sit immediatè potestas clauiũ, ordinatur tamen ad illam, imo ex illa ortum habet, sed mulieres non possunt habere potestatẽ clauiũ, nec potestatem ordinis, vt habet communis Doctorum sentẽtia; ergo nec potestatem spiritualis iurisdictionis Iurisconsulti tamen ex Panorm. *in cap. Dilecta de maiorit. & obedient.* & Gloss. & alijs ibi Azorius *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 10. *quæst.* 6. Layman. *cap. nu.* 4. *censur. part.* 1. videntur innuere illam esse capacem iurisdictionis etiam ordinariæ, non solùm delegatæ, & demandatæ; & hæc sententia fortè probabilior est; quia sicut fæmina ratione dignitatis, vel muneris, capax ex ciuilis iurisdictionis; potest enim esse Regina, Ducissa, &c. Sic etiam Abbatissa ratione publici muneris & officij, ius habet aliquando instituendi clericos in Ecclesiis suo Monasterio subiectis & beneficia conferendi, vt colligitur ex *cap. Dilecta*, c. quod non negat D. Tomas Syluester, Miranda, Plaudanus, & alij.

D. Thom. Syluest. Syluius. Nauar. Sotus. Miranda. Panorm. Azorius. Layman.

Verùm licet Abbatissa ius habeat suspendendi clericos suæ iurisdictioni subiectos, tam à beneficio, quàm ab officio; hæc tamen suspensio non est censura Ecclesiastica propriè: sed tantùm quædam prohibitio, ob cuius violationem non contrahitur irregularitas vt aduertunt Syluester, *c. n.* 6. Auila *de censur. part.* 1. *dub.* 6. Suarez *de censur. sect.* 3. *disp.* 2. *num.* 6. Layman *lib.* 1 *tract.* 5. *p.* 1. *c* 3. *num.* 3. Miranda *c. art.* 5. *in quarta conclus.* Quamuis non sit improbabile fœminam posse de absoluta Summi Pontificis auctoritate ferrè censuras: quia non est contra ius diuinum vel naturale Summum Pontificem posse huiusmodi facultatem concedere, vt docent Suarez *c. nu.* 7. Filliucius. *tract.* 11. *cap.* 2. *quæst.* 8. Syluius *c. in suppl. quæst.* 19. *art.* 3. Miranda *cap. quæst.* 6. *art.* 5. *cap.* 1. De iure autem ordinario Abbatissa vel fœmina non potest; quia Ecclesia numquam eiusmodi potestatem per censuram homines ligandi mulieri concessit.

Syluest. Auila. Suarez. Layman. Miranda. Filliucius. Syluius. Miranda.

4 De iure ordinario communi loquendo Abbatissa, & Priorissa, aliaque Monialium præfecta non possunt sibi subditis, ponere obedientiam aliàque spiritualia præcepta, sicut religiosorum Prælati Valent. *tom.* 4. *dist.* 7. *q.* 16. *p.* 3. D. Tho. 4. *dist.* 19. *qu.* 1. *ar.* 1. Suarez *tom.* 5. *distin.* 2. *sect.* 3. Sanchez *lib.* 6. *Moral. cap.* 1 *num* 21. Miranda *cap. art.* 5. *conclus.* 3. Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg. quæst* 13. *art.* 1. Portl. *in dub. reg. verb. Abbatissa, nu.* 1. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *resol.* 16. Victoria *in summ. de clauib. num.* 325. quia ex Ecclesię vsu pręcepta sic imponere pertinet ad solos Prelatos Ecclesiasticos potestate spirituali præditos. vnde communiter non plus auctoritatis tribuitur Abbatissis, quam matrifamilias ciuilique Magistratui, qui nihil imperare queunt quo subditorum conscientiæ obligentur, nisi ratione rei & materiæ imperatæ, quæ si grauis fuerit & alicuius momenti, grauem obligationem continebit, sin minus leuem: quia penes hos potestas spiritualis non est, sed tantùm domestica & ciuilis. Nec obstat uotum obedientiæ emitti Abbatissæ, & sic videri eam posse exigere obedientiam uirtute eius uoti debitam, quia ut tradunt Miranda, Rodriguez, Sanchez, citati post Sotum 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *ar.* 4. Bartholomæus à S. Fausto *in thesaur. relig. lib.* 6. *quæst.* 91. 92. 93. votum obediendi alteri intelligitur pro vt moris est obtemperare; nempe si laico fiat ut obedientia potest deberi laico, qui præceptum spirituale imponere nequit. Sic ergo Moniales uouent obedire Abbatissæ, iuxta potestatem, cuius ipsa est capax, quæ est instar potestatis domesticæ & ciuilis; & proinde non poterit imponere præceptum spirituale. Concedendum tamen est Abbatissam præcipere posse sub pœna uoti obedientiæ ipsi præstiti, uel uirtute obedientię ipsi debitæ, sicut Princeps sæcularis & materfamilias possent pręcipere uirtute obediẽtiæ, uel sub pœna obedientiæ ipsis debitæ: quia hæ omnes præcipiendi formulæ nullam aliam obedientiam exigunt, quam temporalem & domesticam, seu politicam superioribus illis debitam.

Valentia. D. Thom. Suarez. Sanchez. Miranda. Rodrig. Portel. Diana. Victoria. Miranda. Rodrig. Sanchez. Sotus. Barthol. à S. Fausto.

An autem Episcopus uel Prælatus committere possit Abbatissæ, ut in graui necessitate hæc præcepta spiritualia imponat, & in uirtute sanctæ obedientiæ, affirmant Sotus, Rodriguez, Miranda *cit.* Lopez 2. *part. instruct. cap.* 1. *de clauibus*, Henriquez *lib.* 6. *de pœn. c.* 2. *nu.* 4. eo quod non sit de iure diuino hæc potestas fœminis interdicta, citra tamen excommunicationis sententiam; nam hæc facultas numquam mulieribus commissa est, neque eis committi debet, ut dictum est. Quorum tamen sententiam non approbat Sanchez *capit. num.* 23. & 25. dicens Prælatum inferiorem Summo Pontifice, id non posse committere

Sotus. Rodrig. Miranda. Lopez. Henriq. Sanchez.

mittere

mittere, vtpote, qui nihil contra ius Canonicum & communem Ecclesię vsum efficere possit. Quamquam Prelatus posset imponere Monialibus præceptum obligans ad mortale, uno eis præcipiat, vt obediant Abbatissæ iubenti hanc vel illam rem concernentem finem spiritualem, quę materia grauis sit. Ita Barth. à Ledesma *in summ. Sacram. de clausibus difficult. 4. dub. vlt. c. 2.* cum Sanchez.

Barthol. à Ledesma.

Hinc non conceditur Abbatissis, Priorissis & alijs Monialium præfectis, vt dispensent cum Monialibus in ieiunijs, & quibusdam legibus Ecclesiasticis, quia hæc dispensatio pertinet ad solam potestatem Ecclesiasticam: similiter non possunt dispensare in votis suarum Monialium, aut ea commutare, quamuis id possint Prælati, quia carēt spirituali iurisdictione: bene tamen possunt ea irritare, cùm maiorem potestatem dominatiuam habeant in suas Moniales, quam pater in filios aut maritus in vxorem: neque peccant vota irritantes sine causa, si illa facta sint absque sua licentia. Vt docent Rodriguez *to. 1. q. 25. art. 7.* Portel. *c. nu. 2.* Suarez *lib. 6. de voto, c. 7. &* to. Reginald. *l. 18. nu. 324. 340.* Fillincius *tract. 26. nu. 243.* Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 39. nu. 7.* & alij apud Bonacinam *de voto disp. 4. q. 2. p. 7. §. 1. nu. 26. & §. 4. nu. 29.*

Rodrig. Portel. Suarez. Reginald. Fillucius. Sanchez. Bonacina.

Sed ex dictis occurrit difficultas in quo scilicet consistat differentia inter præcepta Prælati regularis respectu Monachorum, aut Monialium sibi subiectarum, & Abbatissę respectu illarum? Resp. in tribus consistere hanc differentiam. *Primò*, in modo & fine præcipiendi; nam Prælatus potest præcipere in virtute Spiritus sancti & obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, qualiter nequit Abbatissa iubere. *Secundò*, Prælatus tamquam iurisdictionem spiritualem habens, spectat in suis præceptis, vt illorum finem, spiritualem religiosorum profectum, ac in virtutibus progressum, & perfectionem, & ad hoc tendit cogere ad perfectam regulæ obseruationem. At præcepta Abbatissæ, & vis quam habet cogendi ad seruandas regulas, non spectant hunc finem; illum enim directè spectare est potestatis spiritualis: sed solum spectant bonum politicum communitatis, vt pacificè, & absque scandalis & perturbationibus obseruetur, & vt recta sit gubernatio, qui finis est præceptorum potestatis ciuilis & domesticæ. *Tertiò*, Prælatus plura præcipere potest, quàm Abbatissa. Hęc enim est executrix regularum, & sola ea præcepta imponere potest, quæ necessaria sunt, vt Monasterium quietè gubernetur. At Prælatus potest omnia, quæ ad maiorem spiritualem subditorum profectum conducuat præcipere, modò non sint præter, nec supra regulam. Vide Vasquez *1. 2. disp. 158. c. 6. nu. 59. & 60.*

Vasquez.

5 Dubium est an vitium ex natalium defectu consurgens purgetur in Monialibus per professionem, ita vt illegitima possit esse Abbatissa, seu Priorissa? Rodriguez *to. 1. qq. reg. quæst. 13. art. 21.* Miranda *de Monial. q. 6. art. 3.* Portel *v. Abbatissa, nu. 6 & in resp. Moral. par. 3. casu 25.* asserunt Moniales illegitimas non indigere dispensatione, ad hoc vt eligantur & præficiantur in Abbatissas & Priorissas, quia textus *c. 1. & c. finali, de filijs Presbyt.* interdicentes illegitimis prælationes & dignitates, agunt de masculis, & nullo modo de fœminis? & iuxta *reg. iuris de elect. in 6.* in materia odiosa fœminæ non comprehenduntur, nisi nominentur expresse: deinde fœminæ non sunt propriè Prælatæ, sed quasi ex commissione eo munere funguntur, ob periculum habitationis Prælati cum Monialibus. Nihilominus frequentissima omnium sententia est, illegitimam non posse absque dispensatione esse Abbatissam, seu Priorissam, eò quod illegitimi professi excludantur ab omni Prælatura & dignitate; Abbatissæ autem officium dignitas est. Attento autem iure communi & seclusis religionum priuilegijs solus Papa dispensat in hoc sicut cum viris, & huius sententiæ sunt Nauarrus *comm. 2. de reg. nu. 60. & in Man. c. 27. nu. 201.* Viuald. *p. 3. c. 5. nu. 10.* Sayrus *in Thesauro, to. 2. lib. 6. c. 11.* Suarez *to. 5. disp. 50. sect. 5.* & alij apud Sanchez *lib. 5. Moral. c. 58. nu. 19.* At priuilegium habent Generales & Prouinciales Ordinum Mendicantium ad dispensandum cum Monialibus sibi subditis; vt non obstante hoc vitio possint esse Abbatissæ: & ad concedendam hanc dispensationem non est opus Capitulo Prouinciali. Vide Rodriguez *c. quæst. 13. art. 22.* & Mirandam *cap. art. 3. concl. 2.* quid cento,

Rodrig. Miranda. Portel. Nauar. Viuald. Sayrus. Suarez. Sanchez. Rodrig. Miran.

quòd quando concipitur aliquod priuilegium viris, censeri fœminis concessum, si talis priuilegij sint capaces.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Conditiones & qualitates eligendæ in Abbatissam, iuxta Concilium Cabilonense II. can. 52. & ex libr. 2. Concilij Aquisgranensis can. 7.*

2 *Qualitates requisitæ ex Concilio Tridentino.*

3 *Circa ætatem eligendæ in Abbatissam varia decreta diuersis temporibus emanarunt.*

In ætate requisita ex Concilio Tridentino non potest Episcopus vel alius Superior dispensare.

4 *Abbatissæ, seu Priorissæ, &c. electio spectat ad Monasterium, seu Conuentum.*

5 *Vt Abbatissæ electio sit Canonica, debet fieri per vota secreta, alias est irrita: & in hoc non potest Episcopus dispensare.*

6 *Iure antiquo Moniales, quæ ad minus 12. ætatis annum attingebant, vocem actiuam habebant in electione Abbatissarum: hodie per Tridentinum requiritur ætas 16. annorum completorum: quamuis maior ætas in aliquibus Religionibus secundum earum statuta, requiratur.*

7 *In iure lata est excommunicatio contra eos, qui vocati ad dirigendas Moniales in electionibus, non abstinent se ab ijs, ex quibus discordia oriri, vel exorta nutriri possunt circa electiones.*

8 *Electionem Abbatissæ vel Priorissæ Moniales vnanimi consensu possunt compromittere in Episcopum vel alium Prælatum.*

9 *Moniales descendentes ex maculato genere, possunt eligi & præfici in Abbatissas.*

10 *Veriùs est Monialem bigamam posse eligi in Abbatissam.*

11 *Monialis infamis non potest eligi in Abbatissam.*

12 *Monialis, quæ per vim aliquam virginem sitam scienter admiserit, &c. incurrit excommunicationem ipso facto, & fit inhabilis ad officium Abbatissatus.*

Inobseruatio propria regulæ reddidit indignam Monialem, vt in Abbatissam eligatur.

13 *Abbatissa electa debet confirmationem accipere à suo Superiore.*

14 *Abbatissa electa & nondum confirmata, nullam habet auctoritatem: in aliquibus tamen casibus ante confirmationem permissa est illi administratio.*

15 *Abbatissæ in Italia per triennium tantum in suo officio durare possunt.*

16 *Prima fundatrix alicuius Conuentus S. Claræ potest continuare in officio Abbatissatus per viginti annos.*

Extra Italiam Abbatissæ præter Clarissas possunt finito triennio reeligi & continuari.

17 *Abbatissa completo triennio sui officij potest ad breue tempus in præsidentem Monasterij assumi, donec Abbatissa eligatur.*

18 *Abbatissa non est verè Prælata.*

19 *Abbatissæ delegari non potest potestas ferendi leges spirituales & Ecclesiasticas.*

20 *Summus Pontifex delegare potest spiritualem potestatem Abbatissis, alijsque fœminis ad ferendas leges, etiam quæ à iure diuino emanant.*

21 *Abbatissa ratione dignitatis potest habere beneficiorum collationem, sicut & quæcumque fœmina.*

22 *Abbatissa habet liberam bonorum sui Monasterij administrationem, sicuti Abbas.*

23 *Abbatissa cum maiori parte Monialium, nouitiam profiteri cupientem, ad professionem admittere debet.*

Professio Monialium fieri solet coram Episcopo vel alio ab ipso facultatem habente: in Monasterijs exemptis regularibus subiectis fit coram Superiore.

An solius Abbatissæ sit nouitiam ad professionem admittere, vel totius Conuentus? Refertur duplex sententia.

24 *Abbatissa, seu Priorissa Canonissarum tenentur aliæ Canonissæ obtemperare & reuerentiam impendere.*

Hier. Rod. *nial. quæst. 6. art. 2.* Imò Hieronymus Rodriguez *in Compend. resolut. 2. n. 8.* addit, quòd Moniales descendentes ex maculato genere, etiam pœna combustionis olim punito, eligi possunt in Abbatissas. Emã. Rod. Idem docet Emanuel Rodriguez *tom. 1. quæst. reg. q. 14. art. 13.* Ratio est, quia Abbatissas, & Priorissas non sunt prælationes habentes iurisdictionem ordinariam, sicut sunt officia Generalatus, Commissariatus, Proiiincialatus, quæ in dictis Constitutionibus Pauli IV. & Clementis VII. denegantur descendentibus ex maculato genere. Mirand. Ita etiam Miranda *loco cit.*

10 Quidam Doctores negant Monialem Bigamam eligi posse in Abbatissam; quia sicut viri Bigami sunt Prælationum incapaces, ita & mulieres Bigamæ. Quid autem intelligatur nomine Bigamæ, dico quod intelligitur mulier, quæ etiam post castitatis votum præuaricata est, quatenus sermo sit de muliere transeunte ad nuptias post solemne votum castitatis. Sanch. Ita Sanchez *lib. 9. Moral. cap. 1. num. 23.* Mayol. Mayolus *lib. 1. de irregul. cap. 29.* Viuald. Viualdus *in candelab. p. r. 3. cap. 5. num. 8. in 2. edit.* Hier. Rod. Ab hac tamen sententia meritò recedit Hieronymus Rodriguez *resolut. 2. num. 23.* quia lex pęnalis loquens de viris, non extenditur ad fęminas *c. Generali de elect. in 6.* Tum quia Bigamiæ irregularitas est indicta à iure ad arcendos Bigamos à susceptione Ordinum sacrorum primò & directè; vnde ex vi huius prohibitioois illi in directè tantum incapaces videntur prælationum & dignitatum, quatenus scilicet illis est annexa iurisdictio, & potestas clauium. Cùm ergo fęminæ sint incapaces sacrorum Ordinum, consequenter fiunt incapaces Bigamiæ; & huiusmodi inhabilitatis, ac proinde illis non videtur repugnare habere officium Abbatissatus, quatenus est administratio quædam sine iurisdictione spirituali, & sine potestate clauium, quæ administratio earum statui non repugnat, idque absque dispensatione fieri posse consequenter est dicendum. Ita ille. Verum quidquid sit, in hac re obseruandum est quod habet legitima consuetudo.

11 Monialis infamis non potest eligi in Abbatissam, siue infamia sit iuris, siue facti: quia infames non possunt eligi ad dignitates & honores: nam neutra infamia per professionem deletur, sicut docent Nauarrus *Comment. 2. de regul. n. 60.* Sanch. *lib. 5. Moral. c. 5. n. 24.* & alij. Nauar. Sanch.

12 Monialis, quæ per vim virginem aliquam, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam ad Religionem admiserit, vel auctoritatem præstiterit cogenti, vel auxilium, præsentiam, siue consensum, consilium, vel fauorem, incurrit excommunicationem ipso facto, & consequenter fit inhabilis ad officium Abbatissatus, si scienter hæc præstiterit. Hæc tamen censura non habet locum in coactione à iure permissa; puta quando mulier cogitur, vt in pœnam suorum criminum Monialis fiat, ex *c. Impudicas 27. q. 1.* Mayol. Ita Mayolus *de irregul. lib. 1. c. 29. n. 20.* quod probat ex Conc. Trid *sess. 25. cap. 18. de regul.*

Denique inobseruatio propriæ regulę indignam reddit Monialem, vt in Abbatissam eligatur, sicut & transgressio Constitutionum Monasterij, quòd si fortassè electa esset Monialis inobseruatrix regulæ & Constitutionum, tunc tenetur illas obseruare, & si contra fecerit scienter, contumax efficitur, ex *cap. si quis Abbas 18. q. 2.* Imò Abbatissa electa impediri potest, vt non permaneat, si sit superba, indiscreta, non casta, immisericors, non sobria; propter enim huiusmodi crimina deponi potest, ex *dict. cap. si quis Abbas*, & licet ibi sermo sit de Abbate, tamen idem dicendum est de Abbatissa, ex eodem Mayolo *loco citat. num. 21.*

13 Abbatissa electa debet confirmationem accipere, nam *in Clement. Attendentes, de statu Monach.* videtur tamquam certum poni, eam confirmari solitam, cùm dicitur, Abbatissam benedici debere intra annum à suæ cõfirmationis tempore computandum. Debet ergo Abbatissa confirmari ab Ordinario loci, si Monasterium illi subdatur, si verò immediatè Sedi Apostolicæ subijciatur, confirmatio à Summo Pontifice per Procuratorem, vel ab illius Prouinciæ Legato peti debet. Electio verò Abbatissæ Monasterij regularibus subiecti, à suo Prælato Regulari confirmanda est; nam per confirmationem iurisdictio confertur, ergo exempta ab Episcopo confirmari nequit. Miran. Azor. Ita Miranda *tom. 2. quæst. 23. art. 32. conclus. 2.* Azorius *par. 2. lib. 6. cap. 16. quæst. 7.* Nulla determinatur Confirmationis forma, sufficit enim quòd confirmatio fiat per quodcumque dictum, vel factum, aut scriptum, quo Prælatus declaret suam voluntatem. Debebit tamen Pręlatus Monialium confirmationem facere, non in Camera, sed in Ecclesia, & in loco, vbi habita fuit & publicata electio. Vnde extra suam Diœcesim, aut iurisdictionem confirmare nequaquam potest, ex *c. qua fronte de appelat.*

14 Abbatissa Canonicè electa & nondum confirmata nullam habet auctoritatem, & ideo ab exercitio omninò abstinebit, ex *c. Nosti, c. Qualiter, de elect.* & *cap. Auaritia, de elect. in 6.* & communiter Doctores, quia electio dat habitum, confirmatio exercitium, nisi iusta, & rationabilis causa subsit illam non confirmandi, quod si superior noluerit eam confirmare, aliamque eligens, coegerit Moniales per metum, vt mutent suffragia, grauiter peccabit & posterior electio erit irrita, ex Hier. Rodrig. *in Compend. resol 2. n. 11.* ac per consequens Abbatissa ante confirmationem prohibetur suum officiũ administrare; vnde quidquid interim ante confirmationem ab Abbatissa ageretur, irritum esset. In aliquibus tamen casibus ante confirmationem permissa est administratio, *Primò*, si à confirmante tam longè distat, vt non sine periculo differri possit administratio, tunc enim poterit administrare ante confirmationem, ex *cap. Nihil. §. finali, de elect. Secundò*, in conseruatione rerum quæ tempore conseruari non possunt, licet cautius agat abstinendo, si aliæ Moniales possint administrare. *Tertiò*, si à maiori parte electa est, & pendet cognitio obiectorum contra ipsam, tunc impunè potest administrare, ex *cap. Indemnitatib. de elec. in 6 vers. si verò. Quartò*, quando per compromissũ est electa si opponẽtes non fuerint duplo maiori numero quam consentientes.

15 Nullæ Abbatissæ, aliæue Præfectæ Monasteriorum Monialium in vniuersa Italia & præsertim in vtriusq; regnis Siciliæ existentium vltra triennium in suo officio & ministerio durare possunt, vt patet ex Bulla Greg. XIII. *Exposcit debitum Pastoralis officij*. Et triennio finito tenentur renunciare sub pœna excommunicationis. Ex qua Constitutione colligitur *Primò*, Abbatissam eligendam esse per triennium tantum, non autem ad vitam, aliàs electio nullius roboris erit, vt tenent Nauarrus *cons. 3 de regul.* & Nouarius *in Sum. Bullary verb. Abbatissa, n. 1.* Nauar. Nouar.

Colligitur *Secundò*, si Abbatissa fuerit electa contra formam dictæ constitutionis, & vltra triennium, non poterit exercere officium Abbatissatus, nec etiam per triennium. Ratio est, quia Constitutio Pontificia dat formã electionis, propter quã redditur actus indiuiduus & sic sequeretur regula vtile per inutile vitiari, *c. Nõ debet, de reg. i .i 6.*

Colligitur *Tertiò*, quod si Abbatissa electa fuerit ad beneplacitum Monialium, non censetur benè electa, quia Officiales non possunt eligi ad beneplacitum, aliàs dicerentur perpetui, quæ perpetuitas ab hac Bulla reprobatur. Non tamen prohibetur, quin singulis annis mutari possint Abbatissæ, sicut declarauit S. Congregatio Cardinalium *in vna Arminen. 18. Nouemb. 1595.*

Abbatissa S. Claræ ex Bulla Nicolai V. quæ incipit, *Digna reddimur attentione soliciti*. Nonis Martij anni 1447. in partibus Italiæ poterant tantum durare per annum, quod confirmatũ fuit à Leone X. vt habetur *in Compend. verb. Abbatissa, §. 9.* vbi statuit & mandauit vt dum annis singulis Abbatissæ & illorum monasteria à Prouincialibus, siue visitatoribus circa ipsarum officium visitantur, Abbatissæ, iuxta Vrbani IV. Constitutionem in regula absolutionem sui Ministerij & Officij à dictis Visitatoribus petere teneantur, & quod si ijsdem Visitatoribus videbitur, & ipsa necessitas, ac Monasterij exegerit reformatio, acceptare illam cum effectu debeant, & quod huiusmodi Abbatissa officium in ipsius visitatoris manibus dimittere teneatur, ita quod mera & libera eidem visitatori remaneat facultas eisdem sororibus, seu Monialibus sub excommunicationis sententia, & alijs sibi visis sententijs, censuris & pœnis, præcipiendi, vt circa alterius Abbatissæ electionem intendere debeant Nicol. V.

Alia est Bulla, seu Constitutio Sixti V. quæ incipit, *Et communis cura Pastoralis*, edita 27. Iunij 1587. quæ prohibet similiter Abbatissis Ordini Minorum subiectis vt vltra triennium in Officio Abbatissatus non perdu- Sixt. V.

rent, & per aliud triennium debere vacare: In ordine verò Prædicatorum per quatuor annos ad minus, nisi esset Monasterium nouum, vel nouiter reformatum. Sed in Portugalia Abbatissæ S. Claræ presertim in Prouincia Algarbiarum non possunt reeligi intra triennium, ex speciali Const. Pauli V. vt refert Portel. *verb. Abbatissa, n. 4.*

Paul. V. Portel.

16. Constitutiones præfatæ Sixti V. & Gregorij XIII. probibentes Abbatissas perpetuas, non habent locum in illis, quæ fiunt per præsentationem & institutionem, quia talis institutio & confirmatio est perpetua, vnde Portel. *loc. cit. nu.* 10. subdit primam fundatricem alicuius Conuentus S. Claræ posse continuare in officio Abbatissæ per 20. annos in vim statutorum eiusdem Ordinis: imò resoluit Hieronym. Rodriguez *in Compend. resolut. 2. n. 7.* post expletos 20. annos Abbatissatus, posse præfatam fundatricem iterum eligi in Abbatissam.

Hier. Rod.

Notandum tamen quòd omnes Abbatissæ præter Clarissas extra Italiam, possunt finito triennio reeligi & continuari, vt docent Eman. Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 16. art. 2. & 3.* & eius compendiator Hieronym. *resol. 2. n. 6.*

Ema. Rod.

17. Abbatissa completo trieunio sui officij potest ad breue tempus in præsidentem Monasterij assumi, donec Abbatissa eligatur. Probat hoc Miranda *de Monial. q. 7. art. 9. concl. 2.* hoc pertinere ad bonum regimen Monasterij, vt scilicet, pro paruo tempore eadem Abbatissa, non verò alia Monialis Præsidens constituatur ad euitanda innumera mala, damna atque incommoda, quæ ex contrario facto, vt plurimum oriuntur, aut saltem possent euenire. In Bulla enim Sixti V. prædicta prohibentur tantummodo Abbatissæ subiectæ Ordini Minorum expleto triennio, habere in dictis Monasterijs aliud Officium, quocumque nomine nuncupetur per triennium, sicut est Officium Vicariæ, seu alicuius similis, hoc enim est in Officijs perpetuari; non vero Abbatissam esse Præsidentem finito suo Abbatissatu pro paruo tempore, donec alia eligatur Abbatissa.

Mirand.

18. Iurisdictio spiritualis & potestas Ecclesiastica clauium dignitati Prælatitiæ annexa est, ex qua postea emanat ordinaria iurisdictio, qua cùm careat Abbatissa (vt diximus *to. 1. verb. Abbatissa, nu.* 3. cum Doctoribus ibi citatis) nec erit verè Prælata, nec habebit iurisdictionem ad instar Prælatorum: quamuis habeat potestatem quandam maternam, domesticam & ciuilem, qualem habet materfamilias in filios & Magistratus in ciues, ac proinde possit suis Monialibus præcipere, & eius præcepta obligabunt illas iuxta qualitatem rei, quæ si sit grauis, obligabit sub mortali, si sit leuis, sub veniali; talis tamen potestas domestica præcipiendi non constituit in proprio esse Prælaturæ Abbatissam. Dicitur, *in proprio esse*; quia sub latiori significatione, & impropriè potest appellari Prælata in virtute dictæ potestatis domesticæ, non vero iurisdictionis spiritualis, vel potestatis Ordinis, quæ propriè & formaliter veram prælaturam instituunt.

19. Potestas ferendi leges spirituales & Ecclesiasticas Abbatissæ delegari non potest: quia talis potestas à iure diuino orta, ordinatur ad gubernationem populi & directionem in finem spiritualem: directio autem huiusmodi interdicta est ipso iure mulieribus 1. *Corinth.* 14. per illa verba: *Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* Et in epist. 1. ad Timoth. 2. *Mulier in silentio discat, cum omni subiectione, docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Probatur etiam ex *cap. Mulier distinct.* 23. in quo sancitum est, ne mulier, quamuis docta & sancta viros in Conuentu docere præsumat.

20. Summus Pontifex delegare potest spiritualem potestatem Abbatissis, alijsque fœminis ad ferendas leges, etiam quæ à iure diuino emanant, quod probatur ex *cap. Dilecta, de maiorit. & obedient.* vbi Honorius III. videtur definire Abbatissam habere spiritualem hanc iurisdictionem præcipiendi & leges in Clericos condendi, eosque puniendi, propter inobedientiam & eorum culpas; talis autem potestas, spiritualis & Ecclesiastica est. Tum quia nullo iure diuino prohibitum videtur, vt Summus Pontifex pro sua suprema potestate possit mulieri delegare potestatem ferendi leges, sicut non videtur prohibitum posse committi potestatem excommunicandi habenti iurisdictionem Ecclesiasticam, licet non habeat claues. Imò ex S. Gregorio *lib. 2. Epistolarum* 25. habetur, laico delegari posse facultatem suspendendi, excommunicandi, &c. Et hæc dicta sint propter amplitudinem potestatis Summi Pontificis, vt docent Suarez, Filliucius, Syluius, Miranda *citati to. 1. v. Abbatissa, nu. 3. in fin.*

Hon. III.

21. Si Monasteria Monialium habeant beneficium Curatum vnitum, Abbatissa potest de consensu sui Capituli Clericos instituere, & beneficia, ac Capellas conferre, ad instar aliorum Prælatorum, præsentando scilicet Episcopo Vicarium perpetuum, vel amouibilem, iuxta tradita *in c. Nostra, & cap. Noscit, de his quæ fiunt à Prælatis.* Potest enim fœmina, ratione dignitatis habere beneficiorum collationem, Rebuffus *tract. nomin. q. 8. n. 9.* In dictis autem beneficijs instituit ea institutione, quæ dat possessionem & titulum, non autem institutione auctorizabili, per quam datur potestas exercendi curam animarum, ligandi atque soluendi, Rodrig. *to. 1. qq. reg. q. 17. art. 2.* Miranda *de sacr. Monial. q. 6. art. 5. concl. 4.* Pellizz. *in Man. reg. tract. 10. cap. 10. nu.* 131.

Rebuffus.

Rodrig. Mirand. Pellizz.

22. Abbatissa habet liberam bonorum sui Monasterij administrationem, sicuti Abbas, & ideo pro suo Monasterio potest esse procuratrix: imò non obstante fœmineo sexu disponantur res Monasterij per Abbatissam & Moniales; sicut per Abbatem & suos Religiosos. Idem tradunt ferè omnes Doctores *in cap. Dilecta*, iuxta Glos. *verb. Iurisdictioni, de maior. & obedient.* vniuersalem administrationem, tam temporalem, quam spiritualem Monasterij pertinere ad Abbatissam, quoad omnia, quorum fœmina est capax. Hodie tamen dicta administratio non videtur absoluta, sed ferè in omnibus Monasterijs habet relationem ad alias Moniales, & in rebus magni momenti ad Episcopos, seu Superiores earum.

Glossa.

Addit. ad n. 22.

Sed rogabis, an Abbatissa iure suo possit applicare bona opera Monialium subditarum personis extraneis, ijs tribuendo litteras communicationis? Respondeo posse, & probatur, quia eo ipso quòd habet curam Congregationis, habet auctoritatem dispensatiuam bonorum communium eiusdem Congregationis, iuxta *cap. Quanto, de translat.* Colligitur ex Nauarro *de Iubilæo notab. 3. nu.* 18. quem citat & sequitur Lezana *to. 1. cap. 18. nu.* 67. Consentit Sorbus noster *in Compend. v. Indulgentiæ quoad seculares* 4. Ex quo fit, quòd Abbatissa possit indicere suis Monialibus certas preces pro benefactoribus, & quidem etiam sub peccato, si occurrat iusta causa (verbi gratia, ad implendam obligationem impositam Monasterio ex iustitia) aut aliàs quoad hoc se sufficienter declaret, idque ratione obedientiæ, quam vouent in manibus Abbatissæ se obligando ad obediendum illi in omnibus rebus licitis pertinentibus ad eius superioritatem, & alioqui non excedentibus regulam propriæ professionis. Vnde cùm iniunctio talium precum sit res licita, & non excedens regulam, sine dubio poterit indici ab Abbatissa, & debebit impleri à Monialibus. Ita Pellizzarius *in Man. reg. tract. 10. cap. 10. num.* 144.

Nau. Lezana Sorb.

Pellizz.

23. Abbatissa cum maiori parte Monialium, nouitiam profiteri volentem, ad professionem admittere debet. Ratio est, quia cùm de notabili Conuentus commodo & vtilitate agatur, admittendo ad Religionem, opus est, vt admissio ab eo fiat, cui ex officio incumbit onus consulendi bono Conuentus; ille autem cui tale opus incumbit est immediatè Superior cum maiori parte Capituli; & sic Abbatissa in suo Monasterio potest Monialium professionem acceptare, nam talis acceptatio est actus superioritatis pertinentis ad potestatem œconomicam, quam reuera Abbatissa erga Moniales exercet. Ita Hostiensis *in cap. Consuluit, qui Clerici vel vouentes*, Azorius *par. 1. lib. 12. cap. 5. q. 6.* & alij.

Pellizz. *in Man. reg. tract. 10. c. 1. n. 7.* Host. Azor.

Professio tamen Monialium in Monasterijs Episcopo subiectis fieri solet coram Episcopo, vel alio ab ipso facultatem habente, vel ab eius Vicario, præuio tamen assensu maioris partis Capituli nouitiam ad professionem admitti consentientis.

Idem etiam dicendum erit de Monasterijs exemptis & regularibus subiectis, respectu Superiorum. Imò iubente Episcopo, vel alio Prælato Monialium, recipi nouitiam in Monasterio sibi subiecto, contradicente maiori parte

Monia,

Monialium, non debet admitti, quia admissio ad professionem pertinet ad Abbatissam cum consensu maioris partis Conuentus, quod si Episcopus in tali casu compelleret Moniales, poterunt ad Superiorem appellare. Ita Archidiac. *cap.final.* 16.*q.*7. *nu.*2. (Archid.)

Nec etiam totus Conuentus repugnante præfecta, nec præfecta repugnante maiori Monialium parte, admittere possunt nouitiam ad professionem; dum facultas admittendi pertineat ad Prælatum, siue ad præfectam, & ad Conuentum, Rodriguez *to.*3.*q.*17.*art.*7. (Rodr.)

A fortiori Episcopus non poterit in Monasterijs exemptis auctoritate propria admittere nouitiam ad professionem, quia non est illius superior; tum quia ad ipsum non spectat, quemquam Religioni exemptæ incorporare. Ita Rodriguez *loc.cit. art.*11. (Rodr.)

An autem solius Abbatissæ sit nouitiam ad professionem admittere, vel totius Conuentus? in hac re à simili procedere debemus de Abbate respectu professionis Nouitiorum. In qua difficultate, prima sententia tenet, posse Abbatem in admissione professionis Nouitij audire consilium Conuentus, non tamen teneri illud sequi. Ita Abbas *in cap. Ad Apostolicam, de regul.nu.*11. Rodriguez *to.*2.*summ. cap.*8.*nu.*8. *concl.*7. (Abbas. Rodr.) Secunda sententia docet, debere Abbatem sequi consilium Conuentus in admissione Nouitij ad professionem & non tantùm audire, quia talis est vsus & praxis Religionum, vt Superior sequatur consensum suorum Monachorum, quos tanquā collegas ad consilium adhibet, vt sui officij participes; non requiritur tamen consensus totius Capituli, sed maioris partis: quia quæ à maiori parte decernuntur, à toto Capitulo fieri censentur. Verum in hac re standum est consuetudini Religionum & Monasteriorum, nec non priuilegijs & Constitutionibus à Sede Apostolica approbatis, si quæ extent. Vide Sanchez *lib.*5. *Moral. cap.*4.*nu.* 64.65. *& sequent.* (Sanchez)

24. Abbatissæ, seu Priorissæ Canonissarum tenentur aliæ Canonissæ obtemperare & reuerentiam impendere, eiusque salubria mandata obseruare: imò talis Abbatissa, seu Priorissa non solùm habet iurisdictionem in Canonissas, verùm etiam aliquando in Clericos, eo quod huiusmodi Clerici sint ipsius auctoritate Ecclesijs, siue Capellis Canonicorum Collegio subiectis præfecti, vt colligitur ex *cap. Dilecta, de maiorit. & obedient.*

Si quæras, an dictæ Canonissæ habeant simul cum earum Abbatissa collationem beneficiorum? Respondeo, hoc non esse in iure clarum; in hac re Hostiensis *in cap. Dilecta,* negat Abbatissam habere collationem beneficiorum & officiorum priuatiuè ad suas Canonissas.

25 Abbatissa habet eandem potestatem concedendi licentiam suis Monialibus largiendi, possidendi, accipiendi vel expendendi, quam potest Abbas suis Monachis. Ratio est, quia Abbatissa habet administrationem sui Monasterij & bonorum illius, ad instar Abbatis, vt docet Nauarrus *Comment.* 3. *de regul. nu.*4. (Nauar.)

Vide v. Benedictio *nu.* 9. Beneficium 3. *nu.* 18. Votum 2. *num.*11.

ABORSVS.

SVMMARIVM.

1 *Non licet aborsum procurare fœtus inanimati, procuratione matris periclitantis.*

2 *Peccatum est mortale impedire conceptionem fœtus, vel procurare eius aborsum quando est animatus. An autem in dubio de fœtus animatione, procurans aborsum censendus sit irregularis?* Refertur duplex sententia.

Et quis in hac irregularitate dispenset?

3 *Excommunicatio lata à Sixto V. contra procurantes aborsum; cum moderatione Gregorij XIV.*

1 QVibusdam Doctoribus videtur licitū dare pharmacum ad faciendum abortum, si fœtus nondum sit animatus, quando id necessarium putatur, ad curationem matris periclitantis, secus verò si sit animatus: ratio prioris est, quia in hoc casu fœtus est aggressor, & sicut praui humores inuadit naturam; ergo simili ratione pelli potest, cùm nihil incommodi maioris momenti ex ea re sequatur: huius sententiæ sunt Henriquez *lib.* 11. *cap.*26. *n.*8. Sanchez *de matr.lib.*9. *disp.*20.*nu.*9. Grassius 1.*part.lib.*2.*cap.*63.*nu.*24. Sà *verb. Homicidium nu.* Layman *lib.*3.*sect.*5.*tract.*3. *part.*3.*cap.*4. *num.*4. (Henriq. Sanch. Grass. Sà. Laym.) Alijs tamen Doctoribus & mihi videtur verius (quamuis contraria sententia sit probabilissima) non licere præbere pharmacum eo animo vt faciat prolis abortionem, siue ante, siue post animationem, non licet post, quia esset homicidium, neque etiam ante, quia procurare aborsum propter sanitatem est illicitum, sicut procurare pollutionem ob eundem finem; vtrumque enim est contra naturam generationis; neque est medium per se necessarium ad sanitatem. Deinde non sunt facienda mala, vt eueniant bona, vnde nullo bono fine honestari potest abortus. Ita docent P. Nauarra *lib.*2.*de rest.c.*3.*n.*140. Lessius *lib.*2. *c.*9. *n.*61. 62. Filliucius *tract.*29.*cap.*6. Couar. *Clement. si furiosus, p.*2. *§.*3. Syluius 2.2. *q.*64. *art.*7. *quæst.*4. Tannerus 2. 2. *disp.*4.*quæst.*8. *dub.*4.*nu.*58. (Nau. Lessius. Filiuc. Couar. Sylu. Tann.) Admittit tamen hæc sententia in periculo vitæ matris, si aliud non sit remedium, posse ei præberi pharmacum directè tendens in curationem, etiamsi putetur indè abortio secutura, modò proles non sit animata: quia abortio tunc censetur solùm permissa, non procurata, quia præter intentionem superuenit, matre suo iure vtente. Imò ex communi sententia hoc extendit Diana *p.*5.*tract.*5.*resol.*11. etiam post fœtus animationem esse licitum. (Dian.)

An autem quando medicamenta æquè tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, vbi salus infirmæ omninò est desperata & fœtus etiam periret, liceat illa præbere, negant Rodriguez 1.*to.summ.cap.*5. *concl.*3. *n.*3. Corduba *lib.*1.*q.*38.*dub.*3. Lopez 1.*p.inst.c.*62. Licet Sanchez *c.nu.*19. & Diana *p.*7. *tract.*5. *resol.*36. affirmatiuam sententiam doceant etiam in casu dubij; (Rodr. Cord. Lop. Sanch. Dian.) quia in tali euentu melius est anceps auxilium experiri, quàm omni spe destitutam, sinere infirmam perire. Secundùm tamen omnium ferè sententiam non liceret aborsum fœtus etiam inanimati procurare, ad vitandum periculum vitæ, quod ex partu fœmina sibi imminere experta est, vel famæ vitæque iacturam, quam probabiliter metuit detecto crimine, si concipiat, fœtusve in lucem prodeat: Pontius *de matr. lib.*10.*c.*13.*nu.*2. Diana *p.*3.*tract.*5.*resol.*11. Sanchez *cap. nu.*10. Filliucius *cap. n.* 103. (Pont. Dian. Sanch. Filiuc.) quia in his casibus fœtus non est aggressor, periculumque non est præsentaneum, sed distans: quidquid in contrarium doceant improbabiliter Franciscus Torreblanca *de Magia lib.*2. *c.*43. *nu.*10. Leo Zambellus, Bordonus, Lezzana, Trullench apud Dianam citatum & *part.*6. *tract.*8.*resol.* 37. (Torrebl.) quorum sententia fertur fuisse damnata in Congregatione Sancti Officij. Et huic nostræ sententiæ nouissimè subscribunt Caspensis noster *to.*2.*tract.*18. *disp.*3.*sect.*5. *nu.*40. Et alij apud Dianam *par.*7.*tract.*5.*resol.*32. (Casp. Dian.)

2 Qui malitiosè impedit ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, mortaliter peccat; quia secundum Nauarrum *in Man. c.*16.*nu.*33. Layman. *lib.* 3. *tract.*3.*p.*3.*c.*3. Sà *verb. Homicid.nu.*15. Sanchez *cap.dict.* 20.*nu.*1. Syluius *c. concl.* 3. (Nauar. Laym. Sà. Sanch. Sylu.) nullo bono fine honestari potest sumptio potionis, quâ prolis conceptioni obstetur: similiter mortaliter peccat, qui procurat aborsum fœtus animati, quia homicida est & irregularis: iuxta autem Couar. *c.§.*3.*nu.*1. sententiam, mas ferè animatur die 40. post conceptionem, fœmina verò 80. (Cou.) In dubio autem credendum est fuisse marem. Vide Dianam *part.* 7. *tract.* 5. *resol.* 6. (Dian.)

An dicendus sit irregularis qui fecit aborsum, vbi dubitatur de fœtus animatione, communiter Doctores affirmatiuam sententiam docent: quia in tali casu, qui præbuit causam abortus, est dubius, an sit homicida, ergo censendus est irregularis. Ita Sayrus *lib.*6.*c.*25.*nu.*9. Sotus 4. *d.* 25.*q.*1.*art.*3.*concl.*4. Sanchez *lib.*1. *Moral.c.*10. *num.*43. Aula *part.*7. *disp.*2. *dub.*5. *concl.*1. & alij. (Sayr. Sotus. Sanch. Aula.) Contraria tamen sententia probabilis etiam Dianæ 4.*part. tract.*2.*res.* 16. Præpositus 3.*p.q.*5. *de irreg.dub* 8. *nu.*58. & alijs videtur, quam tenet Præpositus: (Præp.) quia in præsenti casu dubium versatur circa conditionem subiecti, an scilicet viueret necne; vnde dispositio iuris non intelligitur de nostro dubio, &

nali factus fuit in odium mariti, ne ex ipſo mulier filios haberet, tunc qui ita eſſet cauſa aborſus, non punitur mortis pœna, ſed alia exilij arbitraria. Si autem mulier pecunia accepta, eiuſmodi aborſum efficiat, vt loco partus ſuccedat ſubſtitutus, tunc punitur pœna mortis.

Si aliquis vel aliqua poculum alicui dedit, vt aborſum faceret, quando fœtus nondum erat animatus, aut dedit alicui amatorium poculum ad libidinem, tunc ſecuta morte eius, qui aut qua poculum ſumpſit, is qui poculum dedit pœna mortis punitur.

Si cauſa conceptionis datum eſt alicui fœminæ poculum, aut aliud medicamentum, illaque præter dantis intentionem mortua eſt, non punitur pœna mortis, ſed arbitraria relegationis.

7 *Clericus, qui habet beneficium Eccleſiaſticum, & conſilium dedit, vt fieret aborſus, tempore quo fœtus nondum erat animatus, ſed culpa mandatarij, vel conſilium petentis, factus eſt aborſus fœtu iam animato, eſt irregularis, ob id tamen beneficium non amittit, nec fructus eius.*

8 *Epiſcopus iſtius Clerici poteſt cum illo diſpenſare in iſta irregularitate, quia homicidium non fuit voluntarium, ſed caſuale.*

9 *Procurare aborſum quid ſit? & ſit tribus modis.*

10 *Ignorantia iuris vel facti, etiamſi ſit craſſa, ſupina & affectata excuſat à ceaſura cooperantes ad aborſum.*

11 *Qui propinat remedia ſterilitatis mulieri, vt impotens fiat ad generandum, non incurrit cenſuram Sixti V.*

12 *Vir vel fœmina, qui in actu carnali retrahunt ſe à ſeminis emiſſione vel receptione in vaſe debito, non incidunt in pœnas Bullæ Sixti V. nec in caſum Epiſcopalem reſeruatum aborſus, qui ex odio mulieri potionem præbeat, quominus concipiat.*

13 *Probabilius eſt, pœnam priuationis priuilegij clericalis & omnium dignitatum, officiorum, &c. impoſitam in Bulla Sixti V. non afficere reum in conſcientia, ante iudicis ſententiam declaratiuam criminis.*

14 *Aborſus caſualis non præiudicat à Religioſo non inducit reſeruationem: & quis ſit dicendus aborſus caſualis?*

14 *Hinc reſoluuntur multi caſus aborſus caſualis, in quibus non incurritur reſeruatio Epiſcopalis.*

15 *Maritus habens copulam cum vxore, ea intentione, vt ex magna agitatione corporis aborſus ſequatur, incidit in caſum reſeruatum & in cen ſuras, ſecuto effectu aborſus fœtus animati: ſecus verò ſi abortum non intendat, ſed tantum explere libidinem.*

16 *Fœmina, quæ ſtatim poſt copulam mingit, vel digitis ejicit ſemen viri, non dicitur aborſum procurare: licet peccet mortaliter.*

Fœmina mingendo vel ſe erigendo ſtatim poſt copulam, non poteſt generationem impedire: quamuis peccet mortaliter contra conſcientiam, ſi hoc modo intendat generationem impedire.

Mulier vi oppreſſa à non ſuo, poteſt mox à coitu ſemen expellere vt exinde non concipiat.

17 *Quidam docent licere procurare abortum fœtus inanimis ad euitandum periculum vitæ vel infamiæ alicuius puellæ prægnantis: ſed communis Theologorum & Iuriſtarum ſententia hoc factum damnat.*

18 *Tenetur mater prægnans cum periculo ipſius vitæ, medicamenta non adhibere, cum adeſt probabilis ſpes, vt illa à medicamentis abſtineate, poſſit fœtus in lucem edi & baptizari.*

19 *Non tenetur mater pro ſaluanda vita ſpirituali filij, pati mortem corporalem, quando ipſa timet probabiliter ſe eſſe in peccato mortali: An autem idem dicendum ſit in caſu quo mater eſt moraliter certa de ſua vita ſpirituali,* Refertur triplex ſententia.

20 *Quando mulier grauida parata eſt ſe occidere ad vitandam infamiam, verius eſt licere ſuadere abortum, tamquam minus malum, ſi fœtus non ſit animatus.*

21 *Quidam putant procurantem abortum fœtus animati, ſecuto effectu, non gaudere immunitate Eccleſiaſtica; ſed contrarium eſt probabilius.*

ABORSVS.

1 Tria genera perſonarum comprehendũtur in Bulla Clementis VIII. ſuper caſuum reſeruatione ab omnibus regularium Superioribus obſeruanda. *Primum* eſt earum, quæ aborſum procurant potione, baculo, vel onere. *Secundum* genus eſt dantium auxilium ad faciendum abortum ſcienter, vt inſtruendo, parando herbas, coquendo, potionem porrigendo, & ſimilia. *Tertium* genus eſt conſulentium dictum aborſum, etiamſi id facerent ad ſaluandam vitam mulieris, quia numquam licet occidere innocentem. Ita Peyrinus *lib. 2. de Prælato, quæſt. 3. cap. 1. nu. 46.* Peyrinus.

Vt autem prædicti omnes incurrant caſum reſeruatum, fœtus, cuius aborſus procuratur, debet eſſe animatus anima rationali, vt ex verbis Clementis VIII. expreſsè colligitur, quod ſi ſit inanimatus, procurantes aborſum, licet grauiſſimum peccatum committant, vt patet ex pœna huic delicto impoſita, nam ſi criminis auctor nobilis ſit, parte bonorum amiſſa relegatur, ſi ignobilis, ad metalla damnatur, *ff. de pœnis, l. ſi quis aliquid, §. qui abortionis.*

Non tamen procurantes abortum incurrunt reſeruationem caſus, nec ſunt excommunicati, aut irregulares, cùm verba Pontificis, requirant in reſeruatione odioſa fœtum animatum.

Quando autem fœtus ſit animatus, non vna eſt omnium Doctorum opinio, nam aliqui dicunt, mares animari die 40. à conceptu, fœminas verò 80. & aliquando 90. ita Ariſt. *lib. 7. de anima, c. 3.* Plinius *lib. 7. cap. 6.* Alij vt Hyppocrates *lib. de natur fœtus*, maſculi formationi tribuit dies 30. fœminæ verò ad ſummum 42. quod probat ex purgatione fœminæ, quæ poſt partum maſculi durat dies 30. poſt partum verò fœminæ durat ad ſummum dies 42. D. Auguſt. vniuerſaliter aſſerit humani corporis fabricam die 45. formatam eſſe. Albertus Magnus *lib. 9. de anima, tract. 2. cap. 5.* vult aliquando maſculum animari die 25. alij alias ſecuti ſunt opiniones. Ariſtot. Plinius. Hyppocr. Albert. Mag.

Verùm cùm quid certi de hac re ſtatui non poſſit, ac per conſequens ſæpè ſæpius res dubia cenſeatur, conſulendum eſt in foro conſcientiæ fœtum debere putari animatum poſt dies 40. quia in illo foro tutior pars eſt eligenda, atque ita credunt Nauarrus *in Man. c. 27. nu. 223.* Peyrinus *to. 2. q. 3. c. 2. nu. 46.* Coriolanus *p. 2. de caſ. reſeru. caſ. 6. nu. 3.* Diana *p. 7. tract. 5. reſ. 6.* Nauar. Peyrinus. Coriolan. Diana.

Aduertendum autem, quod quando fœtus eſt animatus anima rationali & aliquis procurat abortum exequẽdo, auxiliando, ſeu conſilium dando, non requiritur, quod verè ſequatur effectus abortus, nam in hoc caſu dicitur opus conſummatum, quando mulier id accepit, ex quo abortus ſequi potuiſſet; licet de facto ſecutus non ſit propter aliquod impedimentum: verum tamen eſt, quod ſi aliquis ordinaret medicinam abortiuam, ſeu eam conſuleret; mulier tamen ſtante commoditate & conſilio non ſumeret; tunc qui ordinauit & conſuluit abortum, non incurreret in caſum reſeruatum, quia ſic non intelligeretur opus conſummatum fuiſſe: nam in noſtro caſu pro perfectione operis requiritur applicatio. Ita Graffius *de caſ. reſeru. lib. 3. c. 5. in fine*, Portel. *in Addit. ad dub. reg. verb. Aborſus, nu. 5.* Graffius. Portel.

2 Hodie procurans aborſum fœtus animati ſecuto effectu incurrit excommunicationem, ſed non reſeruatam Papæ, ac per conſequens poteſt ab ea abſoluere Epiſcopus vel Confeſſor ad id ſpecialiter ab eo deputatus, vt habetur expreſsè in Conſtit. Gregorij XIV. Sedes Apoſtolica pia mater, quæ eſt moderatoria Bullæ Sixti V. *Effrænatam*, & hoc in foro conſcientiæ tantùm, per quod innuit Pontifex in foro exteriori abſolutionem reſeruatam eſſe Sedi Apoſtolicæ. Greg. Sixt. V.

Modò procurans, conſulens aborſum vel deformans embrionem inanimatum, aut propinans mulieri, aut viro potum, quo eis generandi potentia impediatur, non incurrit excommunicationem, nec irregularitatem, quia ius commune tales pœnas huic crimini non imponit, ſecus ſi fœtus ſit animatus.

Procurans hodie huiuſmodi aborſum fœtus animati, ſi ſit

ex eo quod abstineat à Missa, vel ab exercitio Ordinum, delictum suum manifestabitur, & incidet in notabilem populi infamiam, poterit præmissa priùs sacramentali Cõfessione delicti Missam celebrare ad euitandam infamiã, vel Ordines sacros ad eundem finem exercere, sed hoc solo in illis vicibus, in quibus necessarium sit vitare infamiam. Et celebrans cum isto moderamine non peccabit, nec pœnam aliquam incurret, & hoc dummodò in dispensatione procuranda negligens non sit; suæ verò conscientiæ remittitur arbitrari an non celebrans incurrat infamiam, & vtrum in procuranda dispensatione negligens sit. Ratio prædictorum est communis Doctorum, quia præceptum naturale de conseruanda fama præponderat præcepto positiuo Ecclesiæ, quo iubet ne irregularis sacros Ordines exerceat: hoc enim præceptum non obligat cum damno notabili infamiæ. Sic tenet Rodriguez *in summ. c. 178. n. 11. concl. 6.* citans Nauar. Castro, Gutierrez & tenet Suarez *loc. cit. nu.* 18.

Rodrig. Suar.

8 Episcopus istius Clerici potest cum illo dispensare in ista irregularitate. Probatur, quia licet Concil. Trident. *sess. 24. c. 6. de reform.* concedens Episcopis amplam dispensandi facultatem in irregularitatibus excipiat, dummodo non sit homicidij voluntarij, irregularitas istius Clerici non fuit homicidij voluntarij, dans enim consilium aborsus ante fœtus animationem clarè videtur quòd homicidium non intenderit, sed solùm voluit quod aborsus fieret tempore, quo non fiebat homicidium. Cùm ergo homicidium istius Clerici solùm fuerit casuale, poterit Episcopus ex commissione Tridentini cum illo dispensare. Homicidium enim voluntarium iuxta Suarez *de censur. disp. 44. sect. 1. nu.* 3. est illud quod fit ex proposito, & illud fit ex proposito quod fit cum animo occidendi, & ius ciuile, vt aliquod homicidium sit voluntarium, requirit dolum; quæ duo defuisse videntur in hoc aborsu. Sed in hoc standum est conscientiæ ipsius Clerici informantis de animo quem habuit dando consilium. Cùm ergo, vt supponitur, hoc homicidium fuerit solùm casuale & occultum, non deductum ad forum contentiosum, poterit Episcopus dispensare iuxta concessionem Trident.

Suar.

9 Procurare aborsum nihil aliud est, nisi studiosè quærere, siue per se, siue per alium, vt fœtus immaturè ex vtero matris eijciatur. Tribus autem modis, procuratio hęc contingere potest. *Primo*, impediendo ne fœmina concipiat, V. G. si vir ante concubitum potionem aliquam fœminæ præbeat, per quam ea sterilis euadat; verum hæc non dicitur procuratio abortus, vt patebit. *Secundo* procurando, vt fœtus conceptus quidem, sed necdum animatus eijciatur. *Tertiò* procurando, vt fœtus iam conceptus & animatus abigatur. Quare procurator abortus propriè dicitur ille qui studiosè id agit, vt fœtus, siue ille animatus sit, siue inanimatus, ex vtero abigatur: & hæc procuratio multis modis fieri potest, puta potionibus, percussionibus, magnis itineribus, laboribus, oneribus magnis prægnantibus mulieribus impositis, alijsque modis, quos identidem perditarum mulierum excogitat audacia, vel libido, vt obiter tangit Bulla Sixti V. *Effrenatam*, Quibus adde vsitatum illum fascinantium vetularum modum, vt per maleficia abortum procurent.

10 Cooperantes ad aborsum ope, consilio, fauore, potione, vel alio cuiusuis generis medicamento, aut iuuantes scribendo litteras priuatas, vel apochas, aut alia ratione verbis, aut signis, excusantur à censura, si in illis adsit ignorantia iuris vel facti, etiamsi sit crassa, supina & affectata. Ratio, quia Sixtus V. in sua Bulla apposuit particulam *scienter* quæ omnem excludit ignorantiam, nisi sit coniuncta cum ingenti temeritate, qualis intercedit cùm quis vehementem habet suspicionem delicti prohibiti. Quando autem adest ingens temeritas, tunc ignorantia nullo modo excusaret, licet censura vel alia pœna fuisset imposita contra scienter aliquid facientes, seu contra præsumentes, vel certè audentes facere, quia hæc ignorantia importaret latissimam culpam & dolo æquipararetur. Ita Sanchez *lib. 2. Moral. c. 10. nu.* 38. in simili & *de matr. lib. 9. disp. 32. nu. 36. & 39.* & etiam annotauimus *in primo tomo Summæ verb. Ignorantia, nu.* 19. ex Bonacina & alijs ibi citatis.

Sanch.

11 Qui propinat remedia sterilitatis mulieri, vt impotens fiat ad generandum, non incurrit censuram Sixti V. quia in hoc Gregorius XVI. correxit Bullam Sixti V. Sed dubium est, an in terminis Bullæ Sixti V. ante correctionem Gregorianam incidebat in censuram, si quis porrigebat remedium sterilitatis alicui viro? Affirmant aliqui, sed prorsus negatiua sententia tenenda est, quia Sixtus V. in Bulla expressè dicit, *Pregnantes mulieres*. Sed pœnæ non sunt extendendæ extra casum: ergo. Ita Sayrus *de censur. lib. 3. c. 35. num.* 27. Damnatur tamen hic casus *in cap. si aliquis extra de homicid. vol.* vbi ex Concilio VVarmatiensi dicitur teneri, vt homicidam, qui homini & mulieri aliquid fecerit, vel dederit ad potandum, vt non possit generare, aut concipere, aut nasci soboles.

12 Vir vel fœmina, qui in actu carnali retrahunt se à seminis emissione vel receptione in vase debito, causa generationem impediendi, non incidunt in pœnas Bullæ Sixti V. quia mens Pontificis est agere de abortu fœtus, vbi autem seminis receptio non est, non fit fœtus & consequenter, nec aborsus. Tum quia si id admittatur, necessarium est idem in multis alijs admitti, vt quisque per se videre potest, & denique non sunt extendendæ pœnæ. Ita Portel. *in dub. regul. verb. Abortus, num.* 4. Bonacina *tom. 3. de censur. in particulari, disput. 2. quæst. 2. punct. 10. num.* 14.

Portel. Bonacina.

Hinc in casu Episcopali reseruato aborsus excipitur ille, qui ne liberos suscipiat, vel alia de causa, puta ex odio mulieri potionem præbet, quominus concipiat: quia iste non dicitur propriè aborsum procurare, sed tantùm impedire conceptionem, siue agere vt semen non sit prolificum, quæ duo distincta sunt, vt patet. Mortaliter tamen ille peccabit, quia dicitur priuare naturam effectu suo, cum priuet semen vita, ad quam directè tendebat.

13 Quidam docent pœnam priuationis priuilegij clericalis & omnium dignitatum & officiorum, & beneficiorum impositam in Bulla Sixti V. contra procurantes aborsum sequuto effectu afficere reum in conscientia ante omnem Iudicis declarationem. Ratio, quia hæ pœnæ priuant ipso iure publicis officijs, &c. & censentur obligare in foro conscientiæ reum ad dimittenda officia, etiam in casibus occultis, quia hæc bona magis pendent à potestate publica legislatoris. Ita Clauis Regia *lib. 3. cap. 6. nu.* 35. vbi ait, quod reus tenetur, vel dispensationem, seu rehabilitationem procurare cum omni diligentia & sollicitudine, vel dimittere officium, seu renunciare; si tamen possit renunciare sine manifestatione proprij criminis, aliàs enim non teneretur cum sui infamia dimittere. Sed contrariam sententiam docent communiter Doctores: quia nullus tenetur esse reus & iudex, ergo requiritur sententia declaratoria etiam in foro conscientiæ, antequam quis obligetur imponere sibi pœnam à iure statutam. Et lex humana non censetur obligare cum tanto rigore, saltem nisi exprimat, vt in conscientia ante omnem declaratoriam dimittere teneatur: tum quia hæc pœna exigit factum hominis positiuum ad sui executionem. Ita Marchinus *de Sacram. Ordinis, tract. 1. p. 8. c.* 4. Barbosa *de potest. Episcop. p. 2. Allegat. 44. num.* 29. & alij ab ipsis citati. In praxi tamen passim recepta præsertim ex stylo curiæ admittitur prior sententia, quando casus est manifestus; quia tunc superioris acta incipiunt esse nulla, cessante titulo colorato ob priuationis notorietatem. Quamdiu autem priuatio est occulta, non videtur obligari in conscientia, quia eius acta ratione publici officij sunt valida manente titulo colorato.

Clau. Reg.

March. Barbosa.

Idem dicendum de pœna inhabilitatis apposita in Bulla Sixti V. hæc enim probabiliter non obligat ante declaratoriam, cum hac tamen limitatione, quod si inhabilitatis pœna sit lata solùm quoad illud numero beneficium, obligat in conscientia ante omnem declaratoriam. Ita Lessius *lib. 2. c. 35. dub.* 26. Sanchez *lib. 2. Moral. c. 39. num. vlt.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. vltim. de Simonia, c. 58. num.* 9. Certum est autem quod inhabilitas consurgens ex censura vel irregularitate, obligat in conscientia ante omnem sententiam & tali ratione ligat inhabilitas, quam sacra Pœnitentiaria dispensando super irregularitate ex homicidio, vel aborsu, relinquere solet in eodem dispensato. Ita Diana *p. 7. tract. 5. res.* 18. Sed de his vide à nobis dicta *to. 1. nostra summa verb. Pœna, num. 7. in edit.* 3.

Lessi. Sanch. Suar.

14 Abor.

14 Aborſus caſualis non præuiſus à Religioſo, non inducit reſeruationem: quia applicatio cuiuſcumque rei ſit, non dicitur procuratio abortus, ſed alterius rei: tum quia iſte caſus intelligi debet iuxta Conſtitutionem Sixti V. vbi facit mentionem de abortu voluntario, non caſuali. Abortus autem caſualis eſt ille, qui ſequitur ex aliqua actione, quam Religioſus fecit non ex intentione & animo abortiendi, ſed alio fine, ſiue malo, vt ex odio; vel vt ex morte ſuccederet in hæreditate; ſiue bono, ne ſequeretur infamia, &c. Ita Bordonus *in conſil. regular. to. 1. reſ. 45. quæſt. 3. num. 3.*

Bordonus.

Hinc non incidit in caſum reſeruatum aborſus, qui interrogatus de cauſis abortiendi, remedium aliquod bona fide aperiret, quo poſtea fœminæ aliquæ ad abortum procurandum vterentur: in eo enim ſi bona fides adfuit, defuit voluntas aborſum procurandi, proindeque in nullam reſeruationem dicendus eſt incidiſſe.

Item excuſatur medicus ille à reſeruatione, qui vt matrem morte liberet, illi in partu laboranti potiones præbet, vel quid aliud exhibet, vt faciliùs partus iam maturus naſcatur: licet enim partus mortuus naſceretur, adhuc tamen non eſſet hoc medico imputandum ad peccatũ: quia ille non habebat intentionem procurandi aborſum, ſed partum naturalem. Si autem medicus neſciens an mulier ſit grauida, idque nec animaduertens, nec animaduertere valens medicinam præberet, ex qua aborſus ſequeretur, non incidit quidem in caſum, licet fortè mortaliter peccet ob inaduertentiam culpabilem: quia ad caſum hunc incurrendum, non ſufficit vt aborſus poſſit alicui imputari, ſed debet eſſe dedita opera & ex induſtria quæſitus.

Item non incidit in caſum reſeruatum maritus, vel pater, qui vxorem, vel filiam leuiter caſtigat, vel verbum aliquod profert, vnde mulier ira & furore percita abortum patitur: quia hoc modo non dicitur procurare aborſum, neque in ſe, neque in ſua cauſa; quod verum eſt, etiamſi percuſſio grauis eſſet, ita vt percutiendo, vel obiurgando ad mortalem culpam peruenerit; ita tamen vt aborſus non fuiſſet intentus. Ita Capeauilla *caſu 9. procur. abortus, quæſt. 2. in princ.*

Capeauilla

Item, mulier, quæ ex repentina aliqua animi paſſione, putà lætitia, metu, appetitu, ſibi natura repugnante, vel terribili, & formidabili alicuius aſpectu, vel terrore ex armatorum, vel rixantium hominum viſione, aborſum patitur, non incidit in caſum: quia ipſa non dicitur procurare, ſed effectus per accidens & contingenter ſequitur. Imò excuſatur ille, qui huiuſmodi metum mulieri grauidæ incutit, ſi probabiliter ignorabat periculum aborſus. Secus vero, ſi ſciens illius facilitatem in abortiendo, alicuius monſtri figuram & imaginem dedita opera repræſentauit ad finem aborſus: quia tunc verè dicitur procurator aborſus.

Similiter mulier excuſatur, quæ aliàs experta ſe paſſam eſſe aborſum graue aliquod onus portando, vel ſcalas conſcendendo, illud defert, aut ſcalas conſcendit, ſed tamen præter intentionem faciendi aborſum. Ratio eſt, quia non dicitur dedita opera & ſtudioſè illum procuraſſe: quod verum eſt, etiamſi caſu contingeret vt ea ob id aborſum pateretur.

Item, medicus non incidit in caſum reſeruatum, qui medicinam ordinauit ad aborſum faciendum, vt ea Caiæ grauidæ porrigeretur, & ea per aromatarij, aut ancillæ imprudentiam fuit porrecta Semproniæ item grauidæ. Ratio eſt, quia abortus ille caſualis eſt, proindeque nec medico imputandus.

15 Si maritus habens copulam cum vxore nimia vtatur libidine ea intentione, vt ex magna corporis agitatione aborſus ſequatur, tunc incidit in caſum & cenſuras, ſi fœtus ſit animatus & effectus ſequatur. Secus verò ſi abortum non intendat, ſed tantùm explere libidinem: tunc enim licet ex magna illa corporis agitatione aborſus fuerit ſecutus, & illum aliquo modo coniuges præuidiſſent, adhuc tamen excuſantur ab hac reſeruatione. Ratio, quia licet ij peccaſſent mortaliter, & eſſent in culpa, non tamen dicerentur procuraſſe abortum, quia non ſtudioſè, nec ex induſtria ille fuiſſet quæſitus. Non tamen liberaretur à pœnis impoſitis contra procurantes abortum, ille, qui in præſentia mulieris cum qua rem habuiſſet diceret, nollem te eſſe grauidam, quia inde graue aliquod malum tibi & mihi ſuſpicor euenturum: vnde ipſa & malo itura obuiam & amatori gratificatura aborſum procuraret. Quod intelligendum eſt, quoties deſiderium hoc exprimendo aduertet futurum, vt perdita fœmina aborſum procuraret: In hoc enim caſu diceretur per alium procurare aborſum. Ita Diana *part. 7. tract. 5. reſol. 30.*

Diana.

16 Fœmina, quæ ſtatim poſt copulam mingendo vel digitis eijcit ſemen viri receptum, non dicitur abortum procurare, ſed tunc ſolùm cùm eſt conceptum ſemen, hoc eſt, inceptum fieri fœtus in loco ſuo naturali, per organizationem, licet imperfectam; ſimplex enim electio ſeminis quatenus adhuc tale eſt, formaliter aborſus non eſt. Ita Bordonus *in conſil. regular. reſol. 45. quæſt. 1.* Talis tamen fœmina ſi à viro ſuo cognita ſit, numquam poteſt voluntariè ſemen viri expellere ad vitandas partus difficultates, vel vt prolibus non grauetur, vel aliam ob cauſam; hoc enim eſt contra naturę & generationis ordinem, cùm prodigatur ſemen à natura inſtitutum ad prolem ſuſcipiendam. An autem poſſit fœmina poſt copulam ſtatim mingendo vel ſe erigendo impedire generationem & ſemen emittere? Certum eſt quod non; quia matrix mulieris habet vim attractiuam & retentiuam ſeminis, vnde fruſtra poſt coitum mulier mingit vt illud foras emittat. Tum quia ſemen recipitur in collo matricis, quod diuerſum eſt à meatu per quem vrina è veſica eijcitur. Vnde dicendum eſt talem fœminam non peccare mortaliter de ſe ex natura actus, tunc mingendo, ſed ſolùm ex conſcientia erronea, quatenus putat hoc conducere ad non concipiendum. Ita Bellochius *in praxi de caſib. reſeru. part. 2. quæſt. 4. num. 365.* Mazuchellus *tract. de caſ. reſeru. diſp. 2. cap. 3. diſt. c. 4. nu. 24.* Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 15. & part. 7. tract. 5. reſol. 31.* Certum eſt tamen mulierem vi oppreſſam à non ſuo, non ſolùm poſſe extrahere opprimentis ſe virilia, licet ſemen ſit effundendum extra uas, ſed etiam mox à coitu poſſe ſemen expellere; quia hoc eſt ſe defendere contra inuaſorem iniuſtum, quæ inuaſio & iniuſtitia adhuc durare cenſetur moraliter in ſemine illius qui oppreſſit. Neque hic caſus erit his temporibus extraordinarius, in quibus milites in quaſcumque obuias mulieres uim libidinis exerunt. Ita Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp. 22. nu. 13.* Marchantius *in reſol. paſtoral. part. 1. cap. 6. quæſt. 21.*

Bordonus. Bellochius. Mazuchel. Diana. Sanch. Marchant.

17 Quidam docent licere procurare abortum ad euitandum periculum uitæ & infamiæ alicuius puellæ prægnantis, ſi fœtus non ſit animatus, quia in eo caſu nulli fit iniuria ſi procuretur remedium ne concipiatur & animetur. Tum quia quando aliud non ſuppetit remedium pro ſalute infirmæ matris, probabiliter aſſerunt Aragon, Sayrus, Leſſius, Henriquez, Reginaldus, Sanchez & alij, poteſt quis licitè procurare abortum fœtus inanimis, ergo hoc etiam facere licitum erit in noſtro caſu: nam caſus ſeſe offerre poteſt adeò premens, vt nullo alio medio poſſit mulier eripi, niſi abortu fœtus nondum animati: unde uel negandum in vtroque caſu licitum eſſe procurare abortum, uel concedendum eſt in utroque caſu licere. Ita Lezana *in Summ. tom. 3. verb. Abortus, num. 5* Bordonus *in conſil. reg. reſol. 45. quæſt. 4. nu. 4. in fine*, Trullench. *in decalog. tom. 2. lib. 5. c. 5. dub. 4* Torreblanca *de magia lib. 2. c. 43. nu. 10.* & ad mentem illorum probabiliter. His tamen non obſtantibus non eſt diſcedendum à communi ſententia negatiua Theologorum & Iuriſtarum, & contrariam eſſe improbabilem tenet Candidus Sacri Palatij Magiſter *in diſquiſ. Moral. to. 2. diſquiſ. 1. art. 1.* Imò dicitur priorem ſententiam fuiſſe damnatam in Congregatione Sancti Officij. Ratio eſt, quia non ſunt facienda mala, ut eueniant bona. Tum quia hoc eſt contra naturam generationis, fœmina verò ſibi imputet periculum mortis uel infamiæ. Imò hoc uerum eſt in fœmina cuiuſcumque conditionis, etiamſi nobilis ſit, aut Monialis & Deo ſacra, aut etiamſi ſcandalum timeatur. Ita Caſpenſis noſter *tom. 2. tract. 18. diſp. 3. ſect. 5. num. 40.* Diſcatillus *de iuſtit. libr. 2. tract. 1. diſput. 10. dub. 13. num. 173.* Alphonſus de Leone *de cenſur. Recollect. 7. num. 18.* Diana *par. 3. tract. 5. reſ. 11. & par. 6. tract. 8. reſol. 37. & par. 7. tract. 5. reſol. 32.* Et periculoſam priorem ſententiam vocat Pellizzarius *in*

Lezana. Bordonus. Trullen. Torrebl. Candidus. Caſpenſ. Diſcatill. Alphonſ. de Leone. Diana. Pellizzari.

Man.

*Man. regular. tract.*8. *cap.*3. *num.*98. quæ non debet practicari niſi inſtar antimonij.

18 Tenetur mater cum periculo ipſius vitæ medicamenta non adhibere, cùm adeſt probabilis ſpes, vt illa ab illis medicamentis abſtinente poſſit fętus in lucem prodire & baptizari: vnde mortaliter peccat contra charitatem Medicus talia medicamenta applicando, & mulier aſſumendo. Ratio eſt, quia præceptum charitatis illam obligat ad præferendam vitæ ſuæ corporali vitam ſpiritualem proximi extremè indigentis qualis eſt puer non baptizatus. Et in caſu hoc vnico repugnabit charitatis legi, matris vitam medicamento ſeruare cum probabili periculo necandi fętus, ſi non adhibito tali medicamento, de mortua matre credatur fętum viuum in lucem edendum & baptizandum fore. Ita Layman *lib.*3. *sect.*5. *tract.*3. *par* 3. *cap.*4. *num.*4. Candidus *in disquiſ. tom.*1. *disquiſ.*1. *art.*1. *dub.*1. *num.*3. Hunc tamen caſum vix eſſe poſſibilem teſtatur Sanchez *de matrim. lib.*9. *disp.*20. *num.*17. Conſtat tamen multis exemplis contigiſſe, vt mortua iam matre, fetus ederetur viuus & baptizaretur. Aduertendum autē eſt, quod ſi tali remedio non adhibito valde probabile eſſet vtrumque moriturum: eo verò adhibito probabile eſſet matrem ſaltem poſſe conſeruari, in tali caſu licitè poſſet illud adhiberi, vt notat Leſſius *lib.*2. *cap.*9. *dub.*10. *num.*64.

Layman.
Candidus.
Sanchez.

19 Non tenetur mater pro ſaluanda vita ſpirituali filij, pati mortem corporalem ſcilicet ad hoc vt filius baptizetur, quando ipſa timet probabiliter ſe eſſe in peccato mortali: non enim tenetur vitam ſpiritualem propriam contemnere pro vita ſpirituali alterius. In caſu vero in quo mater eſſet moraliter certa de ſua vita ſpirituali, eſt tota difficultas, an tunc teneatur pati mortem corporalem pro vita ſpirituali prolis? cuius deciſio pendet ex communi quæſtione, an pro ſalute ſpirituali proximi, teneatur quis propriam corporalem vitam perdere, multi affirmant eſſe ſcilicet obligationem. Alij verò dicunt hoc eſſe verum, quando quis ex iuſtitia tenetur vitæ ſpirituali alterius conſulere, v. g. in Paſtoribus Eccleſiarum tempore peſtis ne fideles ſubditi ſine Sacramento Penitentiæ moriantur. Alij autem docent, quamuis in alijs caſibus ſit talis obligatio, negant tamen in noſtro caſu. Et vtraque ſententia eſt probabilis & tuta. Ita Caſpenſis noſter *t.*2. *tract.*18. *sect.*5. *nu.*139. *& ſeq.* vide à nobis dicta *in to.*1. *noſtra ſummæ verb. Charitas, num.*18.

Suarez.

20 Quando mulier grauida parata eſt ſe occidere ad infamiam vitandam, multi abſolutè negant licere ſuadere abortum fętus inanimati; ita *D. Antoninus, Gabriel, Syluester, Caietanus, Conradus, Couarruuias, Valentia, Anglos*, quos affert Sanchez *lib.*7. *de matrim. disp.*11. *num.*14. qui eam ſententiam ſatis probabilem putat. Alij tamen communiter, quos idem Sanchez refert & meritò ſeq. *nu.*16. dicunt, cum debitis circumſtantiis id licitum eſſe: hoc eſt, ſuadere minus malum, ad euitandum maius: nempe, quando ille cui id conſulitur, firmum animum habebat vtrumque, vel certè grauius malum faciendi, nec aliter potes illum auertere à grauiori malo. Ratio eſt, quia conſilium illud non eſt abſolutum; ſed conditionatū explicitè, vel implicitè, ſcilicet ſi vnum ex bis facturus es, fac hoc minus & non illud grauius, quod quidem veriſſimè & rationabiliter conſulitur: quia ex duobus malis minus malum eſt eligendum. Imò in hoc euentu non tantùm licet conſulere, ſed etiam inducere ad minus malum perpetrandum: vt etiam diximus *in tom.*1. *noſtra ſummæ verb. Reſtitutio* 111. §. 11. *num.*4.

21 An procurans abortum fętus animati ſecuto effectu gaudeat Eccleſiarum immunitate? Quidam negant, alij autem probabilius affirmant, vt dicetur infra v. Immunitas Eccleſiarum *num.*16.

De aborſu vide *v.* Excommunicatio 5. *num.*14. Irregularitas 2. *num.* 13.

ABSOLVTIO.

SVMMARIVM.

1 *Forma Sacramenti pœnitentiæ.*

2 *An hac forma data per modum impetrationis ſit ſufficiens?* Refertur duplex ſententia.

3 *Abſolutio non eſt danda cum ratihabitatione vel conditione: de futuro: ſed bene de preſenti vel præterito: & in quibus caſibus.*

4 *An poſſit aliquando repeti abſolutio ſuper eadem confeſſione peccatorum?*

5 *Quando abſolutio differri poſſit poſt factam confeſſionem.*

6 *Non eſt neceſſarium manus imponere capiti pœnitentis, dum abſolutio profertur.*

7 *Abſolutio quando poſſit dari preſiſtenti in proxima peccandi occaſione, vel recidiuo. Quænam ſit dicenda occaſio proxima, quæ remota? & an aliquando poſſit occaſio proxima petenti confeſſario celari?*

8 *Abſolui non poteſt, qui non vult abſtinere ab eo, quod eſt certum eſſe peccatum mortale.*

9 *Abſolui poteſt qui in remota ſolum occaſione peccati preſiſtit.*

10 *Extra neceſſitatem ſinguli pœnitentes ſeorſim ſunt abſoluendi.*

11 *Mutus & extraneus loquens eo idiomate, quod à confeſſario non ſatis bene percipitur, tempore Præcepti, poſſunt abſolui.*

12 *Poteſt & debet abſolui pœnitens, qui petito pœnitentiæ Sacramento, amplius loqui non poteſt adueniente confeſſario, ſed tantum ſigna pœnitentiæ in communi oſtendit.*

13 *Confeſſarius tenetur abſoluere pœnitentem ſub conditione, qui in eius abſentia exhibuit ſigna contritionis.*

An poſſit Sacerdos abſoluere moribundum, ſub teſtimonio teſtis mediatæ, illum antea petiiſſe confeſſionem.

An ſufficiat vnius teſtimonium, an verò requirantur plures.

An teſtimonium hoc debeat dari coram ipſo infirmo?

14 *Abſolutio Sacramentalis non poteſt dari abſenti poſt decretum Clementis VIII. Et an pœnitens poſſit abſolui, dum iam a Confeſſionali receſſit?*

15 *Valida eſt abſolutio collata à parocho nominatim denunciato excommunicato, vel notorio clerici percuſſore, modo interueniat communis error & titulus coloratus.*

16 *Inualida eſt abſolutio Sacerdotis, quem pœnitens ſciebat eſſe excommunicatum vitandum.*

17 *Validè abſoluit Sacerdos, cui fictè Epiſcopus, conceſſit abſoluendi facultatem. Similiter quando collatio beneficij Parochialis fuit inualida ob occultum impedimentum: modo illud non ſit iuris diuini.*

18 *Epiſcopus, Parochus vel confeſſarius poſſunt ſuos ſubditos abſoluere extra diœceſim.*

19 *Ad abſolutionem cenſuræ non eſt neceſſaria certa forma verborum.*

20 *In abſolutione cenſuræ pro foro externo requiritur cauſæ ipſius expreſſio.*

21 *Abſolutio generalis data ab eo, qui poteſt ab omnibus cenſuris & peccatis abſoluere, comprehendit etiam cenſuras & peccata, quæ pœnitens ex obliuione in confeſſione tacuit.*

22 *Abſolutio à cenſuris, an impendi poſſit extra confeſſionem.*

23 *Habens priuilegium abſoluendi à cenſuris reſeruatis, an poſſit in vtroque foro abſoluere & quid nomine partis intelligatur in hac materia.*

24 *Abſolutus in foro conſcientiæ, an indigeat noua abſolutione, ſi eius crimen in iudicium deferatur?*

25 *Habens poteſtatem ordinariam abſoluendi à quacumque cenſura reſeruata, an validè abſoluat, nondum ſatisfacta parte? & quid dicendum de habente facultatem delegatam?*

26 *Quando in priuilegio abſoluendi dicitur*, Non valeat, non poſſit abſoluere, &c. *an requiratur ſatisfactio, & priuilegium limitet poteſtatem? Quid ſi in priuilegio dicatur*, Satisfacta parte, vel de conſenſu partis. *Refertur hic duplex ſententia.*

27 *Pœnitens qui moraliter non poteſt ſatisfacere, an abſolui poſſit ab eo, qui habet priuilegium abſoluendi cum limitatione ſatisfactionis? Si quis autem hac forma fuerit excommunicatus*, Sit excommunicatus donec ſatisfaciat vel reſtituat, *an excommunicatio ſtatim auferatur, ſine abſolutionem.*

28 *Qui poſſint abſoluere à cenſuris reſeruatis, & à non reſeruatis?*
29 *Epiſcopi virtute Concilij Trident. poſſunt abſoluere à cenſuris & caſibus occultis Summo Pontifici reſeruatis. Et an hæc poteſtas competat alijs Prælatis?*
30 *In quibuſdam caſibus poteſt Epiſcopus à cenſuris publicis Papæ reſeruatis abſoluere.*
31 *In articulo mortis an quilibet ſimplex Sacerdos poſſit abſoluere à cenſuris & peccatis reſeruatis, licet adſit ſuperior vel alius confeſſarius approbatus?* Refertur duplex ſententia.
Et quando dicatur periculum, ſeu articulus mortis?
32 *Multiplex forma abſoluendi à cenſuris.*
33 *Ritus ſeruandus in abſolutione, quæ in foro externo impenditur.*

c. 3.

1 FOrma Sacramenti Pœnitentiæ eſt illa: *Ego te abſoluo à peccatis tuis.* Et eſt de fide ex Concilijs Florent. & Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Suarez *de pœnit. diſput.* 19. *ſect.* 1. Sancius *in ſelect. diſp.* 6. *n.* 13. Syluius 3. *par. quæſt.* 84. *art.* 3. Filliucius *tract.* 6. *c.* 3. *quæſt.* 6. & 7. Nauar. *in Man. c.* 26 Toletus *lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 1. vſu Eccleſiæ & traditione perpetua. Eſſentialia verba ſunt, *Abſoluo te*, hoc eſt, confero tibi gratiam expulſiuam peccati; & per ſe quidem eorum peccatorum remiſſionem ſignificat, quæ pœnitens confeſſus eſt, ea enim directè dicuntur abſolui, per accidēs autem etiam aliorum remiſſionem, quæ indirectè remittuntur. Ita Suarez, Sancius, Syluius & alij.

Conc. Trid. Suarez. Sancius. Syluius. Filliucius. Nauar. Toletus.

Verba autem quæ præmittuntur, vt *Miſereatur tui*, &c. non præmittuntur, vt neceſſaria ad conficiendum Sacramentum, ſed ad impetrandum à Deo, ne ex parte pœnitentis impediatur Sacramentum; ſicut etiam ad eundem effectum præmittitur abſolutio à cenſura, verba verò quæ ſequuntur, vt, *Paſſio Domini*, ſecundum omnes nec etiam ſunt neceſſaria de præcepto; laudabiliter tamen adduntur & poſſunt omitti ex qualibet cauſa rationabili. Præterea ſicut in baptiſmo ſufficiunt verba æquiualentia, (vt docemus *v. Baptiſmus II.*) ſic & iſta ſufficerent, *Sacramentum abſolutionis tibi do, peccata tibi remitto, peccata tibi remittuntur; abſoluitur, vel abſoluatur Seruus Chriſti, N abſoluaris à Deo*; modò nulla iſtorum ſumatur deprecatiuè, ſed imperatiuè; quod tamen imperium non terminetur ad Deum, ſed ad effectum qui in penitente recipitur Vaſquez 3. *p. q.* 84. *art.* 3. *dub.* 3. *n.* 12. Valent. *to.* 4. *diſt* 7. *q.* 1. *p.* 3. quia per eiuſmodi ſermonem ita prolatum ſatis ſignificatur peccatorum remiſſio, quæ eſt effectus huius Sacramenti, vt procedens à poteſtate iuriſdictionis Sacerdotis: tamen ab omnibus his mutationibus eſt abſtinendū, cum nullæ fieri poſſint ſine peccato. Vt docent Syluius *cap. ar.* 3. Henriq. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 3. Suarez *cap. ſect.* 1. *nu.* 24. Bonac *tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 4. *p.* 2. *n.* 3. & alij.

Vaſquez. Valentia. Syluius. Henriq. Suarez. Bonacina.

Sed dices, hæc forma videtur aliquando falſa, vt primò cùm quis venit ad Sacramentum penitentiæ ſine neceſſaria diſpoſitione. 2. Cùm venit perfectè contritus. 3. Cùm accuſat ſe de peccatis antea legitimè confeſſis, quod ſæpè fit in confeſſione generali: nam primus non abſoluitur, vt patet, nec etiam alij duo, quia non ſunt ligati.

Reſp. formam ſemper eſſe veram, quantum eſt ex parte Dei, & Sacramenti, & in foro Eccleſiæ: nam in primo caſu, per accidens eſt, quòd penitens non abſoluatur, quod etiam in alijs Sacramentis contingit. In tertio tametſi penitens non ſit verè ligatus; ſufficit, vt fuerit aliquando ligatus, & tamquam ligatum ſe exhibeat, vt patet in foro ciuili, vbi vnus & idem, de iiſdem criminibus, poteſt in varijs tribunalibus abſolui.

In ſecundo caſu ſunt quatuor ſententiæ; nam cum quis venit ad confeſſionem perfectè contritus, volunt aliqui ſenſum verborum eſſe, oſtendo te abſolutum; alij, abſoluo te à reatu pœnæ; alij, impendo tibi Sacramentum abſolutionis, ſeu ſacramentaliter te abſoluo; alij denique, abſoluo te quantum in me eſt, & ex parte Dei. Prima expoſitio ſapit hæreſim Lutheri, quæ nihil Sacerdotibus relinquit præter nudum miniſterium annunciandi peccata, nobis propter Chriſtum eſſe remiſſa. Secunda eſt improbabilis, quia abſolutio fit à culpa quæ diſtinguitur à reatu pœnæ, præterquam quod fieri poſſit, vt tota pœna ſit remiſſa. Tertia & quarta expoſitio eſt valde bona nam Sacerdos abſoluendo confert gratiam ſacramentalem, quæ potens eſt omnem culpam abſtergere, tametſi per accidens nulla inueniatur: imò culpa non fuit remiſſa, niſi per votum Sacramenti, vt docet Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Quare cum Sacerdos contritum abſoluit, complet quod penitens in voto gerebat, & applicat illi remedium, cuius virtute fuit ſanatus.

Conc. Trid.

2 Quidam vt D. Bonauentura 4. *diſt.* 18. *art.* 2. *quæſt.* 1. & 2. Alenſis *quæſt.* 80. putant hanc formam datam per modum impetrationis validam eſſe & ſufficientem, *vt abſoluat te Deus*: ſed negant alij, vt D. Thom. 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 3. *ad* 1. Paludanus *diſt.* 23. *quæſt.* 3. Nauar. *cap.* 1. *de pœnit. diſt.* 6. *num.* 9. Suarez *cap. ſect.* 1. *num.* 25 Filliucius *c. nu.* 68. 69. quia forma deprecatiua repugnat cum forma iudicis; de eſſentia autem huius Sacramenti eſt vt fiat per modum iudicij; ergo. Si tamen verba prolata in ſenſu deprecandi, proferantur modo & intentione imperandi, in illo ſenſu erunt æquipolentia, & conſequenter etiam ſufficientia; quia practicè ſignificant efficiendo talem effectum, quo ſenſu valebit illa forma *abſoluatur Petrus*. Quamuis præſumptuoſum & valde illicitum ſit, illa vti: vt dictum eſt.

D. Bonau. Alenſis. D. Thom. Paludan. Nauar. Suarez. Filliucius.

3 Abſolutio cum ratihabitione facilè danda non eſt: & quidem ſi detur cum conditione de futuro irrita eſt; Toletus *lib.* 3. *cap.* 12. Caietanus *verb. Abſolutio.* Crouſers *ad cap.* 7. *reg. Min. lect.* 31. Graffiis *lib.* 1. *cap.* 32. *num* 2. Diana *de dub. reg. reſol* 11. *part.* 3. Syluius *cap. art.* 3. Tannerus *de pœnit. diſt.* 6. *quæſt.* 9. *num.* 3. quia non eſt in poteſtate Miniſtri ſuſpendere effectum Sacramenti; ſi autem conditio ſit de preſenti vel præterito, non vitiat effectum formæ; vnde ſub conditione de præſenti in duobus caſibus licet abſolutionem dare. *Primo*, cum Sacerdos dubitat de pœnitente an habeat vſum rationis, vel an ſit amens. *Secundo* quando dubitat, an ſint peccata ea quæ audiuit. Conditio autem non eſt inter verba formæ apponenda, ſed potiùs ante penitenti aperienda, & mente tantum abſoluentis ſubintelligenda. Imò poſſet quis alium abſoluere ex præſumpta voluntate Superioris, ſi præſumptio fundetur in ſignis, quæ ſufficienter indicent præſentem voluntatem Superioris: alias non, quia præſumptio ſi non fundetur in aliquibus ſignis, non ſufficit ad dandam iuriſdictionem, nam ſic eſt tantum exiſtimatio de futuro conſenſu Superioris, & coincidit cum ratihabitione de futuro, quam non eſſe ſufficientem docent communiter Doctores. Ita Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 71. Becanus *de Sacrament* c. 38. *q.* 8. *n.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 11. Et alij ab ipſo citati ſed plura de his, vide infra *verb. Confeſſarius* 11. *num.* 17.

Toletus. Caietan. Crouſers. Graffiis. Diana. Syl. Tannerus. Fagundez. Becanus Diana. Suarez Filliucius. Syluius.

4 Abſolutio non poteſt repeti ſuper eadem confeſſione peccatorum abſque ſacrilegio Suarez *c. d.* 18. *ſect.* 4. *nu.* 10. Filliucius *tract.* 6. *c.* 3. *num.* 77. & 78. Syluius *cap* quia caderet ſuper materiam nullam, & ideo irrita eſſet: poſſet autem vtiliter iterari in ordine ad eadem peccata iam remiſſa ſacramentaliter, ſi adeſſet nouum motiuum erubeſcentiæ & doloris: nam materia proxima penitentiæ non eſt ſola confeſſio, ſed & contritio, & ſatisfactio, ergo totum eſt repetendum. Contra Ioannem de la Crux & Petrum Ledeſma apud Dianam 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 116. qui docent quod repetita ſola confeſſione vocali, repetitur ſaltem virtualiter dolor in ordine ad confeſſionem vocalem. Sed prima ſententia eſt probabilior & tutior.

De la Crux. Ledeſma. Diana.

5 Abſolutio per plures dies differri poteſt poſt factam confeſſionem & taxatam penitentiam: etiamſi confeſſarius interea obliuiſcetur talis penitentiæ dummodo ea illi in memoriam prius reuocetur, D. Antonin. *in ſumm. tit.* 1. *part.* 2. *cap.* 4. quia Sacramentum penitentiæ non requirit tantam continuitatem agendorum & dicendorum, quantam alia Sacramenta; Vt dicitur infra *v. Sacramentum* 11. *num.* 9.

D. Anton.

6 Ad abſolutionis ſubſtantiam minimè pertinet, vt dum ea profertur, manus capiti pænitentis imponatur: imò neque de neceſſitate præcepti eſt, imò iuxta Nauarrum aliquando malum eſſet id facere, quando penitens eſt fœmina: ſimiliter nec videtur neceſſarium eſſe, vt Sacerdos dum abſoluit, manum extollat, niſi conſuetudo Religionis

Nauarrus

gionis suadeat in contrarium. Ita Tannerus *de pœnit. dist. 6. quæst. 9. num. 2.* Reginald. *lib. 8. c. 1. n. 12.* Petr. Ledesma *de pœnit. cap. 4.* Soto *4. dist. 14. q. 1. art. 4.* Vasquez *de pœnit. quæst. 48.*

7 Regulariter non est danda absolutio pœnitenti, qui persistit in proxima peccandi occasione, quia talis non censetur habere sufficientem dolorem ac propositum vitandi peccata in futurum; Sayrus *lib. 8. cap. 2. num. 9.* Navarrus *in Manuali cap. 3 num. 15.* Crosuers *cap lect. 31.* Diana *4. part. tract. 4. resol. 165.* secundum tamen communem sententiam ex Nauarro posset absolui pœnitens, quamuis non relinquat occasionem peccandi concurrentibus quatuor conditionibus. *Prima* est dolor de peccatis præteritis. *Secunda* firmum propositum non peccandi de futuro. *Tertia* est credulitas, qua credit se cum Dei auxilio non peccaturum, quando se in ea occasione inuenerit. *Quarta* quando adest rationabilis causa non separandi se ab ea occasione. Hinc confessarius posset aliquando concubinarium verè pœnitentem absoluere; vt quando non potest dimitti concubina sine graui infamia vel scandalo, vel alio graui incommodo; tunc enim occasio peccandi nō fit proxima, & proinde inuoluntaria erit; Nauarrus *c. 3 num. 19.* Diana *part. 2 tract. 2. res. 45.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 9.* Similiter absolui potest concubinarius, qui in articulo mortis existens non potest tunc concubinarium eiicere, sed habet firmum propositum illam eiiciendi quam primum poterit. Ita Syluius. *2. 2. quæst. 154. art. 2.* Filliucius *tract. 30. num. 56.*

Item absolui possunt mercatores, scribæ & aliorum officiorum personæ, in quibus officijs adest occasio peccandi; dummodo proponant vlterius non peccare; quia nullus tenetur occasionem peccandi vitare cum magno detrimento, quod sanè interueniret officium deserendo. Et D. Ioannes Bapt. quærentibus militibus quid efficere deberent ad salutem consequendam, non præcepit militiam deserere. *Lucæ 3.* Nauarrus *cap. nu. 14.* Graffijs *lib. 1. part. 1. c. 28. n. 25. & 9.* Sancius *in select. disp. 10. n. 11. 12.* etiam docent posse absolui pœnitentem non eiecta concubina, cum reincidendi periculum cessat v. g. quia deformis facta est; aut qui cognatio inter eos effect suborta quæ ab ipsis contemni non creditur, aut noua alia interfunt obstacula.

Sed petes *Primò*, quænam sit dicenda occasio proxima, quæ remota? Resp. Proxima est illa, ob cuius ratio. nem aliquod peccatum committitur in particulari, alias non committendum si ea abesset eo quod occasio frequenter præ manibus offertur peccatori, illum ad peccatum inducēdo, taliter quod potius occasio quærat peccatorem quam ipse eam: ob quod stante occasione proxima, difficile sit satis à peccato abstinere; est enim natura obiecti præsentis efficacius mouere, quam absentis. Remota est illa occasio, quam nisi peccator inquirat, aut non inueniet, aut saltem difficulter, ob quod facilis erit vitatio peccati. Hanc remotam occasionem pœnitens non tenetur vitare, bene tamen proximam.

Petes *Secundò*, an qui habeat occasionem proximam ineuitabilem sine magno incommodo, & scandalo, possit æquiuocatione vtendo negare occasionem, licet inter rogetur, à Confessario, si credat non iri absolutum si ea cognita? Respondet affirmatiuè Sancius *in selectis disp. 9. n. 9.* quia posito vero proposito emendationis, habet pœnitens ius ad absolutionem, quæ sine errore à Confessario negari non potest; errore vero Confessarij fouere pœnitens non tenetur. Imò etsi certo credat ademptum iri se absolutionem, poterit negare occasionem; cum ad hoc, minister rectè suo fungatur officio: nihil conducat scire, sitne pœnitens in occasione vel non, dato quod, illā vitare non potest, eo quod, siue cognoscat occasionem, siue non, teneatur tamen absolutionis beneficium impertiri.

An autem recidiuis sit impertienda totics quoties absolutio, quando nullus apparet profectus? Negatiuè respondet Suarez *c. disp. 32. sect. 2.* Graffis *p. 1. lib. 1. c. 28. n. 23.* Reginald. *li. 8. n. 19.* Nauarrus *c. n. 11.* eo quod tunc præsumantur fictitium propositum pœnitentis, Contrariam tamen sententiam docent Viualdus *tit. de absolut. num. 43.* & nouissimè Sancius *in selectis disp. 9. & 10.* nempe, numquam propter recidiuum, esse absolutionem negandam, si pœnitens habeat dolorem de præterito, & propositum de futuro, quia impossibile moraliter non est, pœnitentem modo vere dolere de peccato, & proponere cauere, statim vero occasione instāte mutare propositum: si enim respectu venialium reperiri queat verum propositum, & dolor absq; aliquo profectu, quare respectu mortalium id inueniri non valebit? Vnde dum pœnitens vero proposito est affectus, dignus est absolutione, quantum. cumque nulla notetur emendatio. Hæc doctrina Sancij, quia noua, est à viris doctis dijudicanda, vt aduertit Diana *supra citatus*.

8 Absolutio danda non est nolenti abstinere ab eo, quod certum est esse peccatum mortale, ne Sacramentum sacrilegè contaminetur; pro nolente autem abstinere habendus non est ille, qui propter magnam consuetudinem, quam habet peccandi, putat se iterum peccaturum, sed omnino vult cauere & firmiter proponit non peccare. Victoria *de Sacram. num. 197.* Nauar. *c. 26. num. 3.* Vnde si pœnitens statum suum malum agnoscens, roget absolutionem sibi impendi, excusatur à sacrilegio, si bona fide cum viro docto & pio id tractet, neque existimet sacrilegio, sed bono operi se operam dare. Caietanus *tom. 1. opuscul. tract. 5. quæst. 5.*

9 Non est deneganda absolutio persistenti in remota solum occasione peccati, & qui ter vel quater in anno peccauit cum ancilla, repentina libidine correptus absolui potest qui de domo patris non expellit concubinam, vel aliā cum qua peccare solet; modo habeat firmum propositum non peccandi amplius in futurum, & non solum cum sola conuersandi: Graffius *c. capit. 28. capit. 13.* Lopez *prima parte, capit. 78.* Sancius *in selectis distinctione 10. num. 16.* quia hæc non dicitur occasio voluntaria respectu filij, qui non est sui iuris. Porrò Confessarius non debet denegare absolutionem adolescenti qui sæpius in mollitiem incidit carnis fragilitate, huiusmodi enim occasio non censetur voluntaria: potest tamen aliquando differri absolutio, vt pœnitens cum maiori proposito proponat cauere peccata hæc carnalia. Coninck *de pœnit. disp. 8. dub. 17. num. 134.* Iudicat tamen absolutè Sancius *in selectis disp. 9. num. 12.* numquam fore rectum consilium absolutionem negare habenti consuetudinem peccandi, quantumuis consentiat pœnitens, supposito, quod licitè possit absolui: quia quando negatur absolutio, eo fine fieri debet, vt cautior pœnitens reddatur ad precauenda peccata: non apparet autem, quod maiores vires inhæsuræ sint pœnitenti ad peccata vitanda, si careat gratia sacramentali, & cæteris auxilijs à Sacramento prouenientibus, quā si ea & illis induatur: in eius enim cor ascendere poterit, quod vberiores præstet vires, ad fugienda peccata dolor ille à pœnitente conceptus, ob negatam absolutionem, quam gratia, & auxilia de facto exhibita? Hæc ille. Qui etiam adnotat non esse diuersum, Confessarium absolutionem negare, & illam differre: quia quod differtur, pro illo tempore negatur, illud est cum Confessarium iudicare de pœnitente amplius non peccaturo, aliud sentire propositum à peccato cessandi non adducere primum non sufficiat ad negandam absolutionem, bene tamen secundum. Deinde talis pollutionibus se inficiens non est dicendus manere in occasione peccandi, cum occasio illa ad peccatum pelliciens intrinseca sit & inseparabilis, quocumque enim pergat quis, suam secum defert carnem, nec à seipso recedere valet. Cognouit absque dubio Christus nostram fragilitatem, dum Petro dixit *Matt. 18.* veniam dabis penitenti *non solum septies, sed etiam septuagies septies*, ac si diceret, semper, siue quotiescumque opus erit, siue innumeris vicibus, imo innumerabilibus: vt eleganter explicuit Maldonatus super. *Matth. 18. num. 22.*

10 Sicut singuli pœnitentes seorsum audiendi sunt confitentes, sic etiam absolutendi sunt singuli seorsum Syluester *verb. Confessio. 1. n. 2. & 3.* Nauar. *cap. num. 13.* Tannerus *c. n. 4.* Henriquez *lib. 4. c. 11. §. 4.* Viualdus *de absol. nu 76.* vrgente tamen extrema salutis necessitate vt accidit in maris procella, aut peste sæuiente aut conflictu belli deest commoditas singulos seorsim audiendi & absoluendi, Sacerdos tunc potest auditis peccatis aliquibus vniuscuiusque

cuiusque simul omnes absoluere, dicendo: *Ego vos absolvo à peccatis vestris*. Præmissa cohortatione ad dolorem concipiendum de omnibus suis peccatis. Ita etiam Suar. ConincK, Vasquez, De la Crux apud Dianam *tract.2. Miscell.resol.41.par.2.*

Suarez. Coninck. Vasqu. De la Crux Diana.

Imò secundum Hurtadum *de Sacram.pœn.disp.9.diffic.* 10.& Dianam *part.5.tract.3.resol.71.* in periculo mortis, vt in peste, bello, & naufragio, quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul signo aliquo, vt genuflexione, significare se peccasse, sic in communi, & de eo dolore, vt continget, si Confessarius dicat, omnes, qui volunt à peccatis absolui, genuflectant, & tunc etiam possunt omnes simul absolui à Confessario, *vt sup.*

Hurtad. Diana.

11 Mutus tempore præcepti confessionis absoluendus est, quamuis Confessarius ipsius peccata percipere nequeat: Bonacina *tom.1. disp.5.q.5.sect.2.part.2.diffic.4.nu.6.* Reginald. *lib.6.n.155.* Sà *verb. Absolutio nu.9.* Crousers *c.fol.797.* Diana *part.5. tract.6. resol.3.* nam impotentia loquendi excusat ab integritate materiali confessionis: similiter absolui potest extraneus loquens eo idiomate, quod à Confessario non satis bene percipitur, modò nun adsit alius Sacerdos, qui bene percipiat ipsius idioma; quia talis pœnitens moraliter facit quod in se est, cùm manifestet peccata, quantum in se est.

Bonacina. Reginald. Sà. Crousers. Diana.

Vide infrà *verb.Confessio V, n.5.*

12 Absolui potest, qui petito pœnitentiæ Sacramento, sed postea adueniente Confessario, non potest amplius loqui, uel aliquod peccatum in particulari exprimere, sed tantùm exprimit aliquid in genere, uel solùm ostendit signa pœnitentiæ & peccatorum in communi Vasquez 3. *par.quæst.91.art.2.dub.1.* Paludanus 4.*dist.21.quæst.2.art.2.* Syluester *verb.Confessor 3.quæst.13.* Diana *de abs.morib. resol.9.part.3.* Suarez *de pœnit. disp.23.sect.1.nn.5.* Syluius 3.*part.quæst.9.art.2. quæsit.5. in supplem.* quia in hoc casu censetur adesse materia sufficiens ad absolutionem, cùm alia exhiberi possit, ob impotentiam loquendi, quæ excusat à materiali integritate confessionis. Imò non solùm potest confessarius, verùm etiam tenetur, saltem ex charitate absoluere pœnitentem, qui dat signa contritionis in periculo mortis & non potest vllum peccatum in particulari explicare; quia cùm hæc sententia sit probabilior cōtraria, tenetur in hoc casu confessarius illa vti, beneficium absolutionis impendendo, ne pœnitentem in statu damnationis relinquat, cùm fieri possit, vt per absolutionem efficiat illum de attrito contritum, illumque constituat in statu salutis. Ita Clementem VIII. viuæ vocis oraculo respondisse ferunt Bellarminus apud Coninck *tomo 1. disp 7.dub.10. nu.* 105. Quidquid in contrarium doceant Soto, Cano. & Nauarrus apud Suarez *hic citatum*. Et certè non videtur, quomodo iam Nauarri sententia sustineri possit, postquam à Paulo V. in suo Rituali Romano contraria opinio sit approbata, & toti Ecclesiæ ad praxim Pontificia auctoritate proposita est in ritibus de Sacramento pœnitentiæ his verbis: *Sciuter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere; quibus vtcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Vbi expressè Summus Pontifex non solùm permittit, sed præcipit omnibus Parochis, absolutionem in casu proposito impendere.

Vasqu. Paludan. Syluest. Diana Suarez. Syluius.

Bellarm. ConincK Sotus. Cano. Nauar. Suarez

13 Confessarius tenetur sub conditione absoluere pœnitentem, qui in absentia Confessarij exhibuit signa contritionis, sed adueniente Confessario ita sensibus est destitutus, vt nullum exhibere possit signum, quo indicet se peccasse, & velle sibi Sacramentum pœnitentiæ administrari, adstantes tamen fatentur ipsum dedisse signa contritionis, aut confessionem petijsse. Suarez *cap.disp. 26. sect.6. & dist.23. sect.1. num. 1. & 13.* Filliucius *tract. 7.nu.18.* Toletus *lib.8. cap.8.* Diana *de abs. morib. resol.4. p.3.* Crousers *ad c.7. reg. Min. lib.31.* Syluius *in supplem. quæst.9. art.2. quæst.5.* Sancius *in selectis disp. 44. num.32.* quia attestatio astantium vicem confessionis supplet, & periculum damnationis, cui exponitur nisi absoluatur, iusta causa est impendendi absolutionem sub conditione si materia est sufficiens, vel si pœnitens est capax; & melius est infirmum decedere cum dubio Sacramenti, quàm sine vllo Sacramento. Imò ipse Sancius *hic citatus* notat, quòd quando Doctores dicunt ministrandum esse Sacramentum sub conditione, id intelligendum esse in dubio propriè, non in opinionibus: vnde talis secundùm illum posset absolutè absolui sine vlla conditione; quia qui agens aliquam actionem iudicat se non delinquere, absolutè potest illam exercere, nec opus erit conditionem addere. Attentè tamen est obseruandum, necessarium esse illa signa contritionis adhiberi in ordine ad claues, quia contritio, vel manifestatio eius per se non est sufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ; sed quatenus informat confessionem aliquam, cum qua perficit accusationem sacramentalem, & hoc est exhibere signa in ordine ad claues. In dubio autem an illa signa orta sint ex contritione vel ex angustia mortis, absolutio deberet conferri sub conditione. Ita Layman *lib.5.tract.6. cap.8. num.4.* Diana *cap. part.3. resol. 3.*

Suarez. Filliucius. Toletus. Diana. Crousers. Syl. Sancius.

Layman. Diana.

Et propter hoc absolui potest amens, qui antea dedit signa contritionis, seu doloris propter rationes supradictas. Sà *verb. Absolutio, n.10.* Henriquez *lib.6.c, 10. nu.9.* Non posset tamen sacramentalis absolutio impendi iuxta communem sententiam DD. quando adueniente confessario nulli sunt præsentes, qui fidem faciant petitę confessionis ab infirmo, vel signorum contritionis. Ratio est, quia absolutio ex Concilio Tridentino, est actus iudicialis, sed iudicium non exercetur, vbi accusatio nulla est, ergo. Sic Malderus *de sigil. confess.c.15.* Naldus *in summ. verb. Confess. num.32.* Quamuis non desint, qui doceant talem debere absolui sub conditione, si est capax, modò in articulo mortis constitutus, Christiano more viuere soleret & bonus ac fidelis homo æstimetur. Hanc sententiam probabilem ex principio extrinseco putat Diana *cap. resol.8. & 4.p. tract.4 resol.92.* quam tenent Homobonus *in exam.part.1.tract.7. c.18.quæst.84.* Molsesius *in summ. tom.1. tract.7.cap.5.num.48.49.* Lezana *to.3.summ. verb. Confessio n.11.* & alij. Ratio est, tum quia in necessarijs ad salutem tutior pars est amplectenda, & certiori periculo occurrendum est; Irreuerentia autem Sacramenti, vel periculum sacrilegij cessare dicitur & conditione apposita & authoritate Doctorum hanc opinionem tuentium. Tum, quia in hoc casu adest aliquo modo materia, quæ per testificationem & famam probitatis moribundi efficitur præsens.

Sà. Henriq.

Malder. Nald.

Diana. Homob. Molsel. Lezana.

Plus addit Petrus Marchantius *in tribun. sacr. tom. 1. tract.6.tit.2.quæst.7.concl.2.* Reperio, inquit, hominem in via vulneratum, vel infirmum animam agentem, nescio an sit Catholicus, vel Hæreticus, signa etiam apparentia sufficienter non habeo de eius dispositione. Interim agitur de damnatione æterna & hic nullum formare possum iudicium, nec certum, nec dubium, quia in dubio vtrimque debent rationes aliquæ apparere, minùs opinosum eadem ratione, sed habeo puram nescientiam ex qua perplexus sum ne anima pereat, quam fortè iuuare possem; licet tunc mihi sub conditione mentali vel explicita, *si sis dispositus*, illum absoluere. Ratio est, quia in graui & extrema necessitate, ratio charitatis postulat vt quæcumque remedia, quæ quouis modo vel quauis etiam incertitudine incurrunt, adhibeamus, modò nobis constet non posse nocere. Hæc ille.

Marchant.

Proinde in supradictis casibus confessarius non solùm potest, sed etiam tenetur absoluere. Antonius de Litteratis *in summ. part.1. c.35. nu.7.* apud Dianam *cap. resol. 8.* Caramuel *lib.3. Theolog. mor. nu.* 1542. quia cùm hoc licitè possit facere, ad hoc obligatur, vel ex charitate, vel ex iustitia si pœnitentis pastor est; quod etiam verum est respectu eorum, qui contrariam sententiam tenent; quia cùm hanc sententiam possint in praxi tutò sequi propter suam probabilitatem, idque sit saluti moribundi valdè expediēs, aut etiam necessarium, si solùm sit attritus, ad hoc vel ex charitate, vel ex iustitia tenetur: quia ex duabus opinionibus semper eligenda est illa, quæ fauet pœnitenti, & non illa quæ in reuerentia Sacramenti. Et confirmatur hæc sententia, quia tunc nulla fit iniuria huic Sacramento, quando sub conditione impertitur absolutio, vnde si non reperiatur dispositus, absolutio habetur pro non data, & sic prodesse, non autem nocere potest.

Ant. de Lit. Diana. Caramuel.

Sed

Sed stando in priori & communi sententia, petes *Primò*, an possit Sacerdos absoluere moribundum, quando ij, qui testantur de voluntate, & petitione confessionis, non audierunt hoc ab ipso infirmo, sed ab alijs, atque adeò non sunt testes immediati, sed mediati? Resp. sufficere in casu necessitatis eam notitiam, quę ex testibus mediatis haberi potest; nam notitia mediata notitia est & quæ sufficit ad alios effectus, in quibus maior certitudo requiritur; vnde in Rituali Romano generaliter dicitur, *Si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est*. Ita Ioannes Lugo *de pœnit. disp. 17. sect. 5. n. 81.*

Ioan. Lugo

Petes *Secundò*, an sufficiat vnius testimoniū, an verò requirantur plures? Resp. sufficere testimonium vnius. Sancius *in select. disp. 44. n. 35.* Diana *part. 3. de absolut. moribund. resol. V.* Ratio est, quia vbi non agitur de præiudicio alterius, creditur vni testi, quamuis non sit omni exceptione maior & iuridicè legitimus; nec requiritur, quòd testis ille sit fidelis: potest enim sufficere infidelis, vel hæreticus, quando credibile est, in hoc casu ipsum non mentiri. Ita Ioannes Sancius, Diana, & alij.

Sancius. Diana.

Petes *Tertiò*, an testimonium hoc debeat dari coram ipso infirmo, vt possit absolui? Negāt illi posse tunc absolui qui dicunt in hoc casu confessionem fieri in absentia, & ita esse contra Decretum Clementis VIII. qui non solùm damnauit absolutionem absente pœnitente, sed confessionem absente confessario; nam si confessio fit tunc, quando testis dicit, infirmum petiisse confessionem, consequens est, vt debeat fieri quando confessarius præsens est pœnitenti; alioquin confessio fieret in absentia, si solùm itinere id audijsset Sacerdos, & testis ad alium locum discessisset. Ita Diana *part. 3 tract. 3. resol. 7.* adducens in sui fauorem multos: & hæc sententiam tutior est, & amplectenda: Alij tamen generaliter loquuntur & volunt, quomodocumque illud confitendi desiderium confessario innotuerit, posse Sacerdotem absoluere pœnitentem præsentem sensibus destitutum. Ratio est quia illa non est confessio strictè, sed magis vniuersaliter sumpta, quæ in defectum strictæ confessionis acceptatur ad proferendam sententiam absolutionis. Et proinde Decretum Clementis VIII. intelligendum est de confessione strictè sumpta, quæ non potest fieri validè, aut licitè, nisi in presentia confessarij. Et ita Romæ à multis iudicatum fuisse, refert Bonacina. *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 33.* Vnde hæc sententia est satis probabilis, vt etiam concedit Diana.

Diana.

Bonacina.

14 Absolutio collata pœnitenti absenti non est valida, quamuis pœnitens in articulo mortis existat; quia obstat Decretum Clementis VIII. in quo decernitur, talem absolutionem esse inualidam; & afficiuntur excommunicatione Summo Pontifici reseruata, qui absoluunt absentem, vel dicunt, vel docent aliqua posse per litteras, vel per nuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; & opposita sententia damnatur vt falsa, temeraria & scandalosa Suarez *de pœnit. dist. 19. sect. 3. num. 15.* Vasquez. *de pœnit. q. 91. art. 3. dub. 2.* Victoria *de confess. n. 171.* Soto *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 6.* Filliucius *tract. 6. n. 80. 81.* Toletus *lib. 3. cap. 6.* Sà *v. Absolutio num. 8.* Tannerus. *c. n. 6. 7. 8.* Syluius *cap. quæst. 9. art. 2.* Ratio autem est: quia Sacramentum fit per modum iudicij, quod ante absolutionem requirit causæ cognitionem, & cum sit iudicium internum & voluntarium, in quo pęnitens habet vicem accusatoris, testis, & rei ostendentis suam dispositionem ex natura rei postulat præsentiam iudicis: præterea de ratione huius formæ est, vt proferatur voce humana & dirigatur ad personam præsentem ex illo pronomine, *te*, ergo non potest conferri in absentem. Tamen si pęnitens per litteras mitteret peccata sua confessario, deinde in præsentia eiusdem confessarij diceret se de omnibus illis accusare, valide absolueretur. Bonacina *tom. 1. disp. 5. q. 4. punct. 6.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 6.* Vt docet Diana *de Sacramentis resol. 127. part. 3.*

Suarez. Vasquez. Victoria. Sotus. Filliucius. Toletus. Sà. Tannerus. Syluius.

Bonacina. Layman. Diana.

Sed dubium est: an confessarius possit absoluere pœnitentem, dum iam à confessionali recessit, & adhuc in conspectu illius est, si forte confessarius oblitus sit dare absolutionem? Resp. Affirmatiuè, si incommodum sit illum reuocare, vel illum adire. Ratio est, quia præsens est, & moraliter censetur habere ius ad absolutionem quam redit se accepisse, vti & accipere debuit virtute confessionis sacramentalis factæ; censetur enim voluntas pœnitentis interpretatiue permanere recipiendi absolutionem ex actibus prioribus; quia si sciret sibi non datam absolutionem, vtique rediret vt sibi debitam exigeret. Nec refert quod sit extra locum confessionalis, nec amplius cogitet de absolutione recipienda; locus enim non est de necessitate ad validitatem Sacramenti, sicut nec actualis cogitatio de recipienda absolutione. Secus dicendum esset, si pęnitens ita longe adfuerit vt totaliter sit extra conspectum Sacerdotis, & moraliter absens ab illo, tunc enim non potest Sacerdos illum sic absentem absoluere: quia vere talis est absens & vt dictum est, absenti non potest impendi absolutio.

15 Valida est absolutio collata à Parocho nominatim denunciato excommunicato, uel notorio clerici percussore, in eo loco in quo communi errore & titulo colorato habebatur pro uero Parocho; Sanchez *de matrim. li. 3. disp. 22. n. 46.* Suarez *de cens. disp. 11. sect. 2. n. 14* Syluius *in suplem. q. 9. art 2. quæsit. 6.* quia in hoc casu Ecclesia supplet iurisdictionem, qua caret excommunicatus denunciatus, uel notorius clerici percussor; idem dicendum de suspenso & irregulari. Imò Pontius & Sancius, apud Dianam asserunt quod vt absolutio valeat satis sit haberi communem errorem, sine titulo; & hanc sententiam probabilem putat Diana *2. part. tract. 2. Miscellan. resol. 43. & de Sacram. resol. 122. & part. 8. tract. 1. resol. 94.*

Sanchez. Suarez. Syluius.

Diana.

16 Inualida tamen esset absolutio Parochi vel Sacerdotis quem pœnitens sciebat esse excōmunicatum uitandum; quamuis ille Parochus communiter in illo loco haberetur pro legitimo superiore & non excommunicato; & hoc nō defectu iurisdictionis, cum Sacerdos illam habeat per errorem communem, cum titulo colorato, sed ratione participationis in diuinis cum excommunicato vitando, quæ sub peccato mortali ab Ecclesia prohibetur, nisi necessitas vel alius titulus excuset. Reginaldus *lib. 1. num. 117.* Bonacina *de quæst. 2. part. 8. num 35.* Cronsers *cap. lect. 21.*

Reginald. Bonacina. Cronsers.

17 Valida est absolutio data ab eo Sacerdote, cui Episcopus verbis tantum, & cum fictione concessit facultatem absoluendi: sicut etiam valide absolueret Sacerdos, qui communiter habetur pro Parocho, cuique Episcopus contulit beneficium Parochiale, sed collatio fuit inualida ob occultum impedimentum ipsius Sacerdotis puta excommunicationis, irregularitatis, cuius effectus est irritam facere collationem Sanchez *c. num. 46. ex l. Barbarius ff. de offic. pretoris, C. infamis 3. q. 7.* Lessius *lib. 2. c. 29. dub. 8.* quia in his casibus interuenit communis error & titulus collatus à legitimo superiore.

Sanchez. Lessius.

Aduertendum autem maximopere est, absolutionem fore inualidam collatam ab eo, qui verè Sacerdos non est, quamuis errore communi & titulo colorato haberetur pro vero Sacerdote; quia adest impedimentum iuris diuini, quod ab Ecclesia suppleri non potest; facultas enim absoluendi iure diuino competit tantum vere Sacerdotibus. Sanchez *cap. num. 22. & seq.* Caietanus *v. Confess iteratio* Paludanus *4. dist. 17. quæst. 6. art. 1.* Reginaldus *lib. 1. n 97.*

Sanchez. Caietan. Paludanus Reginald.

18 Episcopus, Parochus, uel confessarius facultatem delegatam habens in aliquas personas possunt suos subditos absoluere ubique, etiam extra diœcesim; quia iurisdictio quæ absq; strepitu iudicij exercetur, potest extra proprium territorium & diœcesim exerceri, & cum isti confessores habeant iurisdictionem in personas pęnitentium, non attenditur territorium, vel præsentia localis, sed tantum persona. Vide *v. Confessarius 1. num. 10.* Sanchez *de matr. l. 3. disp. 19. n. 8.* Reginald *l. 1. n. 93.* Diana. *de Sac. resol. 144. p. 3.*

Sanchez. Reginald. Diana.

19 Ad absolutionem censuræ non est necessaria certa & determinata forma uerborum, sed sufficiunt quæcumque uerba ore prolata, uel in scriptis expressa, quibus sufficienter exprimatur absolutio; Episcopi tamen, aut alij Prælati inferiores Summo Pontifice non possunt impendere absolutionem cēsuræ per nutus & signa absq; uerbis uel scriptura; quia tales Pręlati tenentur seruare formam iuris communis; Summus autem Pontifex si declaret, se uelle solo nutu uel facto absoluere, potest ab-

Valentia. Suarez. Filliucius. Sanchez.

ſoluere; quia habet ſupremam poteſtatem & facultatem abſoluendi non ſeruata forma iuris. Valentia *tom. 1. diſp. 7. quæſt. 17. punct. 8* Suarez *de cenſur. diſt. 7. ſect. 9. num. 13. 14.* Filliucius *tract. 11. cap. 10. quæſt. 8.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſt. 4. num. 24.*

Sed petes, vtrùm Sacerdos poſſit his verbis, *Abſoluo tè* validè vti ad abſoluendum à peccatis, ſimul à cenſuris? Reſp. affirmatiuè, modò Sacerdos iiſdem verbis intendat abſoluere à cenſuris, & à peccatis. Et in hoc caſu abſolutio à cenſuris cenſetur prior natura abſolutione à peccatis. & verificatur ſenſus formæ Sacramentalis, ſufficienterque indicatur relatio vinculi cenſuræ. Ita Nauarrus *de pœnit. diſt. 6. cap. 1.* Sotus 4 *diſt. 14. quæſt. 1. art. 3.* Henriquez *lib. 4. c. 11. num. 3. litt. X* Filliucius *tract. 11. num. 328.* Certior tamen modus abſoluendi eſt, ſi confeſſarius dicat: *Ego abſoluo te ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis.* Vt docet Suarez *de cenſur. diſp. 10. ſect. 2. num. 7.* quia certiſſimum eſt illa ſola verba, *Ego te abſoluo*, eſſe eſſentialia, & ſufficientia ad abſolutionem ſacramentalem, quod non eſt ita certum de abſolutione à cenſura, ſi non aliquo modo exprimatur.

Nauar. Filliucius. Sotus. Henriq. Filliucius. Suar.

20 In abſolutione cenſuræ per ſe loquendo expreſſio cauſæ ipſius cenſuræ non requiritur; quia hæc expreſſio nullo iure præſcribitur: fieri tamen poſſet vt ſit neceſſe cauſam exprimere, vt ſi quis pluribus cenſuris ſit irretitus, & abſoluens vnam tantum per abſolutionem intendat auferre; tunc enim exprimenda eſſet cauſa cenſuræ, vt conſtet quænam auferatur: item in abſolutione pro foro externo rationabiliter cauſa cenſuræ exprimeretur. Ita Suarez *cap. diſp. 7 ſect. 9 num. 6.* Nauarrus *cap. 26. num. 8* Filliucius *cap. q. 7. nu. 329.*

Suarez. Nauarrus. Filliucius.

21 Abſolutio generalis omnium cenſurarum data à confeſſario habente facultatem abſoluendi à cenſuris ex officio vel ex priuilegio, comprehendit etiam cenſuras reſeruatas, quas pœnitens ex obliuione tacuit; vnde ſi talis pœnitens poſt confeſſionem recordetur alicuius cenſuræ vel peccati obliti, poteſt abſolui à quolibet ſimplici confeſſario potenti abſoluere à mortali peccato; quod intelligendum eſt, modò obliuio fuerit inculpabilis, ſeu non fuerit ita culpabilis, vt Sacramentum ſit inualidum, nam ſi Sacramentum eſt inualidum & nullum, inualida etiam & nulla erit abſolutio à cenſuris & peccatis reſeruatis. Henriquez *lib. 6. cap 16. num. 5.* Rodriguez *cap. 183. nu. 15.* Suarez *de pœnitent. diſp. 31. ſect. 4. num. 14.* Filliucius *tract. 7. num. 313.* Nauarrus *cap 26. num. 13.* Ratio aſſertionis eſt; quia dum confeſſarius abſoluit, habet, & habere debet intentionem quamcumque reſeruationem à pœnitente remouendi, illum iuxta poteſtatis ſuæ extenſionem abſoluens: vnde talia peccata deſinunt eſſe reſeruata & habere excommunicationem adiunctam, quippe quæ per priorem abſolutionem ſublata fuerunt, & remanent deinceps ſolubilia à quouis proprio Sacerdote, vt docet Nauarrus hic citatus. Vide Dianam *part. 3. tractat. 4. reſolut. 145.*

Henriq. Rodriq. Suarez. Filliucius. Nauar.

22 Probabile eſt abſolutionem cenſurarum impendi poſſe extra confeſſionem, quamuis in confeſſione facultatis dicatur, *auditis confeſſionibus* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 15. num. 25.* Suarez *de relig. tom 2. tract 6 lib. 6. cap. 16. num. 4.* Diana *de dub reg. reſol. 20. & 4. par. tract. 4. reſol. 8.* Tabiena *v. Abſolut. 2. q. 4. num. 7.* nam hæc clauſula refertur ad abſolutionem à peccatis; vnde habens priuilegium & facultatem abſoluendi à cenſuris in foro conſcientiæ, poteſt illarum abſolutionem impendere extra confeſſionem, etiamſi non abſoluat à peccatis, aliud enim eſt forum conſcientiæ, aliud forum Sacramenti pœnitentiæ: immò qui habet facultatem abſoluendi in foro pœnitentiæ, poteſt abſoluere extra ſacramentalem confeſſionem, quoties abſolutio cadit ſupra materiam, ad quam per ſe non requiritur abſolutio ſacramentalis, niſi aliter colligatur ex verbis conceſſionis. Abſolutio autem in foro conſcientiæ hoc importat, vt remaneat ſemper ſaluum ius apud ſuperiorem cognoſcendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam & ſatisfactionem imponendi. Filliucius *tract. 11. cap. 9. quæſt. 7. nu. 292.* hinc talis abſolutio non tollit ius tertij. Vnde Rodriguez *tom. 1. qq. regul. q. 61 art. 10.* & noſter Crouſers *ad cap. 7. reg. Minor. lect. 11. fol. 582* docent triplex eſſe forum, quoddam contentioſum, quoddam pœnitentiale, aliud verò quaſi pœnitentiale, quod eſt medium inter hæc.

Sanchez. Suarez. Diana. Tabiena. Filliucius. Rodrig. Crouſers.

23 Habens priuilegium abſoluendi à cenſuris reſeruatis, ſi illud priuilegium concedat facultatem, nec limitet expreſsè, aut implicitè ex circunſtantijs ad forum interius tunc poterit in vtroque foro Rodriguez *in ſumm. cap. 83. num. 9.* Nauarrus *c. 27. num. 278.* Suarez *de cenſur. diſp. 7. ſect. 5. num. 21.* Filliucius *c. num. 291.* quia cùm hæc facultas ſit gratia, eſt latè interpretanda, in foro tamen exteriori talis abſolutio non ſuffragatur, niſi ſatisfacta parte, iuxta declarationem Pij V. Et vt de illa conſtet & proſit in eodem foro, debet qui abſoluit fidem facere in ſcriptis coram notario & teſtibus, idque fieri debet ex licentia pœnitentis in foro interno. Nomine autem partis in hac materia non intelligitur ſuperior Prælatus conditor cenſuræ, ſed alia perſona diſtincta quæ læſa fuit: nomine verò *ſatisfactionis* intelligitur reſtitutio honoris, vel famæ, vel aliorum bonorum. Ita Henriq. *lib. 13. c. 27. num. 3.* Suarez *cap. num. 47.* Diana *tract. de Bulla Cruc. p. 1. & p. 5. tract. 9. reſol. 23.* Auila *p. 2. c. 7. diſp. 3. dub. 7.*

Rodrig. Nauar. Suarez. Filliucius. Henriq. Suarez. Diana. Auila.

Vnde infertur quòd nomine partis non intelligitur Iudex, cui ipſo iure applicatur pœna pecuniaria: quia Iudex non eſt pars, ſed tertius inter partes; hinc poterit abſolui pœnitens antequam ſoluat iura Iudici, vel tabellioni: quia hoc non pertinet ad ſatisfactionem partis, ſed ad pœnam delinquentis, ad quam nemo tenetur ante condemnationem.

24 Abſolutus in foro conſcientiæ, non indiget noua abſolutione, quando eius crimen defertur ad iudicem; nam reuera fuit abſolutus; conſequenter poteſt ſe gerere tamquam abſolutum; modò conſtet alijs ipſum fuiſſe abſolutum, ita vt non ſubſit ſcandali periculum: immò qui fuit abſolutus in foro conſcientiæ ab excommunicatione publica, poteſt occultè cum iis participare, qui norunt ipſum fuiſſe abſolutum, quamuis abſolutio non publicè conſtet, nunc enim non videtur imminere ſcandali periculum. Coninck *diſput. 14. dub. 16. quæſt. 12. num. 247. & ſeq.* Vgolinus *tab. 1. c. 24.* Suarez *c. nu. 29.* Nauarrus *cap.* Diana *p. 5. tract. 9. reſol. 33.*

Coninck. Vgolinus. Suar. Nauar. Diana.

25 Confeſſarius, cui competit poteſtas ordinaria abſoluendi à quacumque cenſura reſeruata, validè poteſt abſoluere pœnitentem, qui nondum ſatisfecit parti læſæ, quamuis antea potuerit ſatisfacere, aut cautionem ſatisfaciendi exhibere, *cap. Venerabilibus, §. ſanè, de ſentent. excommunicat. in 6.* Filliucius *cap. num. 295.* Nauarrus *cap. 27. num. 37.* Syluester *verb. Abſolut. 3. num. 3.* quia cùm ordinarius non habeat iuriſdictionem limitatam, ideò validè ea vtitur quoties voluerit; grauiter tamen peccaret, abſoluendo pœnitentem ante realem ſatisfactionem, quã præſtare poterat, & quidem iuxta Henriquez *lib. 3. c. 28. num. 2.* & alios non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, cùm ex officio teneatur bonum partis procurare.

Filliucius. Nauarr. Syluest. Henriq.

Idem dicendum de habente facultatem delegatam, ſeu priuilegium abſoluendi abſque limitatione ſatisfactæ partis; validè enim talis abſolueret; quia vices gerit ordinarij, & priuilegium tantum valet quantum ſonat. Ita Suarez *diſp. 7. ſect. 5. nu. 42.* Sà *v. Abſolut. ab excomm. num. 4.*

Suarez. Sà.

26 Certum eſt, quando in priuilegio limitatè conceditur poteſtas ad abſoluendum à cenſuris ſub hac formâ, *non valeat, non poſſit abſoluere*, vel aliter: *non poſſit abſolui, vel nullius eſt roboris, vel momenti abſolutio*, ſatisfactionem requiri tamquam neceſſariam conditionem, & priuilegium limitare poteſtatem ac iuriſdictionem. Controuertitur tamen inter Doctores, ſi in priuilegio dicatur tantùm, *ſatisfacta parte, vel de conſenſu partis*, an ſatisfactio requiratur tamquam conditio neceſſaria limitans poteſtatem: affirmant Suarez *diſput. 7. num. 44.* Sayrus *lib. 2. cap. 18. num. 10.* Filliucius *c. num. 295.* Caietanus *verb. Abſolutio.* & docent abſolutionem fore inualidam datam ante ſatisfactionem partis; quia conceſſio illa cenſetur conditionata, ſi non formaliter, ſaltem æquipollenter; hæc ſententia eſt ſatis probabilis. Alij autem vt Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 33. num. 3.* & Auila *ſecunda parte, cap. 7. diſp. 3. dub. 9. concluſ. 2.* Diana *part. 5. tract. 9. reſol. 12.* exiſtimant validam eſſe abſolutionem collatam ante ſatisfactionem, niſi in priuilegio addatur particula

Suarez. Sayrus. Filliuc. Caietanus. Sanch. Auila. Diana.

expreſſe

expreſsè irritans abſolutionem, vel præſcribens nouam formam, quamuis abſolutio non licitè detur. Et fortè hæc ſententia probabilior videtur: quia ſuperior apponens huiuſmodi clauſulas, non intendit nouam formam inducere: aut limitare iuriſdictionem, ſed intendit tantummodo certiorem facere confeſſarium, vt ſeruet formam iuris communis.

27 Qui habet priuilegium abſoluendi cum limitatione ſatisfactionis, poteſt abſoluere pœnitentem, qui moraliter non poteſt ſatisfacere, aut qui non poteſt ſatisfacere ſine graui damno famæ, vel ſtatus, vel bonorum, modò creditor non ſentiat æquale damnum. Nauarrus *num.* 45. Reginaldus *lib.* 9. *num.* 65. Suarez *cap. num.* 41. Rodriguez 1. *p. cap.* 83. *num.* 3. quia benignè explicanda ſunt verba priuilegij, cùm ſuperior non velit obligare pœnitentem ad impoſſibile. Imò qui dubitat ſe teneri ad ſatisfaciendum, in foro externo poteſt abſolui ante præmiſſam ſatisfactionem. In foro verò interiori non ita abſolutè loquendum eſt, cùm forum interius non innitatur præſumptioni, ſed verbis ipſius pœnitentis. Reginaldus *cap. num.* 67. Nauarrus *cap.* 26. *num.* 7. Suarez *c. num.* 45.

Nauar. Reginal. Suarez. Rodrig.

Reginal. Nauar. Suar.

An autem auferatur excommunicatio abſque alia abſolutione, ſatisfactione, vel reſtitutione facta, quando aliquis fuit excommunicatus hac forma. Sis excommunicatus donec ſatisfacias vel reſtituas, dicendum eſt non ſtatim auferri, ſed adhuc abſolutionem regulariter requiri. Ita Filliucius *tract.* 11. *c.* 10. *q.* 1. *v. Abſolutio ab excomm. num.* 12.

Filliucius. Sa.

Ex dictis in prima parte huius numeri patet reſolutio ſequentis caſus. Impegit quis Clerico noctu fuſtes, aut alapas, & percuſſor ab eo cognitus non eſt; confiteretur (cauſa vrgente) Sacerdoti, à quo iudicaret non eſſe recepturum abſolutionem, niſi prius de iniuria ſatisfactionem reddat, declarando ſe eſſe percuſſorem; Quæritur, an poſſit talis tacere circumſtantiam ſacrilegij, & interrogatus negare cum æquiuocatione? Reſponſio eſt affirmatiua, quia tunc pœnitens non tenetur ſe prodere reum criminis, etiamſi impoſita eſſet excommunicatio, niſi ſe proderet: & conſequenter nec veniam petere à Clerico tenetur. Ab excommunicatione verò ſufficienter manebit abſolutus, per abſolutionem conditionatam, quæ præmitti ſolet ante abſolutionem à peccatis: ſcilicet, *abſoluo te ab excommunicatione, ſi fortè incurriſti*. Nec eſt neceſſarium ſatisfacere de iniuria honoris per interpoſitam perſonam; eò quòd perſona læſa nunquam recipit ſatisfactionem, niſi fiat ab offenſore, vel ab alio eius nomine determinatè; non tamen vagè, nempe, nomine cuiuſdam hominis; eò quòd qui ſatisfacit incognitus, nec ſe humiliat, nec verecundatur. Si verò Clerico irrogata fuiſſet iniuria non ſolùm in honore, ſed etiam in rebus; tenebitur iniurians, ſi poſſit, ſatisfacere Clerico ante abſolutionem cenſuræ; dum virtute Bullæ abſolui non poſſit, niſi ſatisfacta parte. Tamen ſi ille, qui iniuria affecit Clericum, indiget conſilio alicuius viri docti, ad ſciſcitandum de modo & quantitate, quæ reſtitui ob damnum debeat; qui tamen præ manibus non habetur, iudicatur impotens ad reſtitutionem pro tunc, & conſequenter abſolui debet etiam virtute Bullæ, licet non ſit pars ſatiſfacta, cùm per offenſorem non ſtet, quin omnino ſatisfaciat. Vide Sancium *in ſelectis diſp.* 9. *num.* 15.

Sancium.

28 Abſoluere poteſt à cenſuris iuris reſeruatis ille, qui eas tulit vel eius ſuperior, vel ſucceſſor in dignitate. A cenſuris verò iuris nemini reſeruatis abſoluere poſſunt omnes Prælati iuriſdictionem habentes in foro externo; vt Epiſcopus, Abbates, Priores, Guardiani, &c. Imò etiam Parochus, & alius quicumque Sacerdos poteſtatem habens abſoluendi à mortalibus. Suarez *diſp.* 7. *ſect.* 3. & 4. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 27. Reginaldus *lib.* 9. *nu.* 12. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 39. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 22. quia dum ſuperior non reſeruat abſolutionem, cenſetur cuicumque confeſſario concedere facultatem abſoluendi, teſte communi conſuetudine; licet in aliquibus locis ſancitum ſit, nec Parochi vel alij Sacerdotes, abſoluant à cenſuris, excepta minori excommunicatione. Idem dicendum de cenſura non reſeruata lata per ſententiam generalem; iure enim communi tolli & auferri poteſt à quocumque poteſtatem habente abſoluendi à mortalibus, contra Suarez & alios, Nauarrus *cap. num.* 44. Conirick *d.* 14. *num.* 257. quia ſententia generalis in multis æquiualet ſtatuto & canoni. Cenſura verò lata per ſententiam particularem, contra particularem aliquam perſonam, auferenda eſt ab eo, qui eam tulit, vel ab eius ſucceſſore, vel ſuperiore, vel ſaltem ab habente facultatem delegatam, ne perturbetur ordo iudicandi, Valentia *to.* 4. *diſp.* 1. *q.* 17. *p.* 8. Filliucius *tract.* 11. *num.* 303.

Suarez. Henriq. Reginald. Nauarrus. Sayrus.

Nauarrus. Conirick.

Valentia. Filliuc.

29 Abſoluere poſſunt Epiſcopi non ſolùm à cenſuris latis à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus, ſed etiam ab omnibus cenſuris & caſibus reſeruatis Summo Pontifici per ſeipſos, aut Vicarium ad hoc ſpecialiter deputatum: vt patet ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 5. Rodriguez 1. *part. cap.* 30. *num.* 1. Reginald. *lib.* 1. *num.* 135. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 11. & *lib.* 8. *de matr. diſp.* 34. Crouſers *ad cap.* 7. *reg. S. Franciſci lect.* 11. Diana *part.* 7. *tract.* 2. Notandum tamen eſt circa hanc conceſſionem Tridentini: *Primò* abſolutionem ab Epiſcopis datam tantùm extendi ad forum conſcientiæ. *Secundò* abſolutionem debere ab Epiſcopo impendi in propria diœceſi. *Tertiò* peccata debere eſſe occulta, id eſt, non publica, nec notoria, nec famoſa, licet probari poſſint teſtibus: Delicta autem dicuntur publica, quando ſciuntur in maiori parte viciniæ, vel Collegij, vel Parochiæ, vel Monaſterij. *Quartò* delicta non debere eſſe deducta ad forum contentioſum; dicuntur autem delicta talia ſtatim ac denunciatio, aut accuſatio de illis coram legitimo iudice facta eſt. Si tamen reus non fuit iudicio conuictus, ſed potiùs ſe purgauit, & defendit falſis teſtibus, aut via iniqua, & à iudice fuit abſolutus definitiuè, vel ab inſtantia, cenſentur delicta adhuc occulta; ab illiſque poterit Epiſcopus abſoluere, cùm non fuerint deducta ad forum contentioſum cum effectu: & non fuerint probata. Hac eadem poteſtas abſoluendi à cenſuris occultis Summo Pontifici reſeruatis, competit etiam Capitulo Sede vacante; aliiſque Prælatis habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem. Clauis Regia *lib.* 6. *c.* 11. *nu.* 83. Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg. q.* 61. *art.* 9. Henriquez *lib.* 6. *c.* 16. Contra Toletum *lib.* 1. *cap.* 83. & Suarez *de cenſur. diſp.* 41. *ſect.* 2.

Conc. Trid. Henriq. Rodrig. Reginald. Sanch. Crouſers. Diana.

Clau. Reg. Rodrig. Henriq. Toletus. Suarez.

Sed circa prædictum decretum Conc. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform.* occurrunt quædam dubia breuiter reſoluenda. *Primum*. Qui nomine Epiſcopi, cui conceditur abſolutio ab hæreſi, & alijs reſeruatis in eo decreto, comprehendantur? Reſp. non ſatis eſſe Epiſcopum eſſe conſecratum, ſi diœceſi, ac ſubditis careat, quales ſunt Epiſcopi titulares: Dico igitur Epiſcopos electos & confirmatos, quamuis non conſecratos poſſe vti priuilegio Concil. Trid. *in cap. Liceat*, quia dictis Epiſcopis competunt ea, quæ ſunt iuriſdictionis, quamuis Sacerdotes non ſint, ſed talis eſt facultas diſpenſandi, abſoluendi à cenſuris, ergo. Tum quia ad hanc abſolutionem non exigitur confeſſio Sacramentalis, quæ ſoli Sacerdoti fieri poteſt, ſed ſatis abſolutio ab excommunicatione, qua ablata, poteſt quilibet confeſſarius à peccato abſoluere. Ita Doctores communiter.

Conc. Trid

Conc. Trid

Secundum. An Epiſcopi vbi Conc. Trid. non eſt receptum, poſſint vti priuilegijs huius capitis? Reſponſio communis eſt negatiua: quia par debet eſſe fauorum & onerum ratio: vbi ergo Tridentinum non recipitur, quoad leges & onera, acceptari nequit quoad fauores; nec enim mens Concilij fuit aliter eos concedere: & ſic deciſum eſſe à Sacra Congregatione Concilij teſtantur Suarez *de cenſ. diſp.* 41. *ſect.* 2. Garzias *de beneſic. p.* 7. *c.* 11. *n.* 23. Nihilominus poſſe prædictum Tridentinum, vt docet Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 11. *num.* 3. quoad omnia alicubi receptum eſſe, ac obligandi vires ſumpſiſſe; at poſtmodum decurſu temporis abrogatum eſſe contraria conſuetudine legitimè præſcripta, quoad leges & onera: manente in robore priſtino, quoad fauores. Quis cùm ſemel ius acquiſitum ſit ad fauores, nec conſuetudo amplius, quàm id de quo inducta eſt, abroget; non eſt cur conſuetudine ſolùm inducta circa leges & onera & proinde illa abrogante, cenſeantur quoque fauores abrogati. Contra communem hanc ſententiam ſtant Zypæus apud Dianam *part.* 6. *tract.* 9. *reſolut.* 27. & Andreas Duuallius Sorbonicus Doctor, qui docet in Gallia Epiſcopos vti facultate diſpenſandi per Canonem liceat, Concilij Tridentini

Suarez. Garzias. Sanch.

Dianam.

abſque

absque vllo ad Summum Pontificem recursu.

Tertium. Quid intelligatur in eo Tridentini decreto per ea verba: *In foro conscientia, & in diœcesi sua?* Resp. quosdam tenere verba illa, *in foro conscientia*, esse intelligenda, id est, in foro Sacramenti pœnitentiæ, & in confessione Sacramentali & audita confessione: Sed veriùs est particulam illam non requirere, quòd hæc absolutio impendatur in sacramentali confessione, sed solùm importare, vt absolutio ista non valeat pro foro externo, si contingat reum delicti ad iudicium trahi.

De particula autem *in Diœcesi sua* quidam eam intelligunt de Episcopo, dicuntque desiderari, vt intra diœcesim suam resideat, vt possit hac absoluendi facultate vti: quia sicut alia verba ibidem apposita *in foro conscientiæ* limitatoria sunt, quia ex vi illorum non prodest absolutio pro foro externo: ergo etiam sunt limitatoria *in Diœcesi sua*. Hæc sententia est probabilis, quam sustinent Henriquez, Rodriguez & alij: Suarez vero & alij intelligunt hanc particulam, *in Diœcesi sua*, de subditis, dicuntque exigi, vt subditi intra Diœcesim existant, vbicunque sit Episcopus. Cæterùm non minùs est probabilis sententia Sanchez *cap. num. 16. & 17.* quam sequitur Diana *par. 7. tract. 2. resol. 8. & 9.* docentis, eam particulam, *in sua Diœcesi*, explicandam esse, erga subditos sua Diœcesis: atque ita posse Episcopum prædicta facultate vti, etsi tam ipse, quàm subditi sint extra Diœcesim: quia iura, ad exercendam voluntariam iurisdictionem in subditos, non attendunt locum, in quo ipse Episcopus, vel subditi sint, sed iurisdictionem in personas.

Sancht. Diana.

Porrò nomine subditorum in hoc decreto intelliguntur. *Primò* vagabundi, quia cùm nullibi habeant domicilium, subduntur Episcopo in cuius diœcesi repetiuntur. *Secundò*, habentes duplex domicilium ex æquo in duplici diœcesi. *Tertiò*, peregrini, vt sunt scholastici & mercatores propriam diœcesim habentes (hi enim possunt absolui ab Episcopo eius diœcesis, in qua inueniuntur ex generali Ecclesię consuetudine, seu interpretatiua propriorum Prælatorum voluntate. *Quartò*, religiosi exempti secundùm probabilem sententiam: hi enim si ex Prælati sui licentia subijciantur Episcopo, potest cum illis Episcopus vti facultate huius decreti, vt doctè resoluunt Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 39. num. 32.* Diana *p. 7. tract. 2. resol. 6.* & alij ab ipsis citati. De hac materia iterum infrà *v. Irregularitas XI. num. 5.*

Sanch. Diana.

30 Episcopus potest ab excommunicatione publica & alia quacumque censura Papæ reseruata absoluere, quando excommunicatus laborat longa infirmitate etiam non periculosa, aut senectute, aut paupertate, vel si persona excommunicata sit fœmina, vel impubes; aut si laboret alio simili impedimento, quod legitimum existimetur iuxta prudentis viri iudicium, quamuis postea cessante impedimento tenetur Papam adire. Nauarrus *cap. 27. n. 90.* Reginaldus *lib. 9 num. 2.* Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 13. num. 36.* Ratio autem desumitur ex benigna Summi Pontificis voluntate, qui non præsumitur voluisse absolutionem reseruare cum tanto incommodo: Imo iuxta Henriquez *lib. 12. cap. 3. num. 1.* Vgolinus *in Bulla Cœna 3. p. fol. 465.* laborans aliquo ex dictis impedimentis non tenetur mittere Romam Epistolam vel procuratorem pro absolutione obtinenda, nec adire legatum, etiamsi possit, vel alium habentem priuilegium absoluendi.

Nauarr. Reginald. Sanch. Henriq. Vgolinus.

31 Ex longo Ecclesiæ vsu & ex communi Doctorum sententia quilibet simplex Sacerdos, quamuis sit degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus potest absoluere à censuris & peccatis reseruatis, quoslibet pœnitentes in articulo, seu probabili periculo mortis, quando non patet aditus ad superiorem, cui censuræ & casus sunt reseruati, vel ad confessarium approbatum qui velit absoluere Conc. Trident *sess. 14. cap. 7.* Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 13.* Molina *tom. 3. disput. 63. num. 7.* Diana *4. part. tract. 8. resol. 235.* quamuis Eman. Sà *v. Absolutio num. 3.* Rodriq. *1. part. cap. 59. concl. 3.* Diana *tract. de absol. ab heresi resol. 5. & 4. part. tract. 4. resol. 161.* & alij doceant simplicem Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere, licet adsit superior, vel alius confessarius approbatum, quia Concil. Trid. non distinguit & nullam limitationem ponit: hæc sententia non est improbabilis, licet contraria sit communior, & fortè verior. Periculum autem mortis, seu articulus dicitur, quando adest probabile dubium de morte, quæ vt plurimum soleat in eo euentu contingere. Reginaldus *lib. 9. num. 10.* Vasquez *de pœnitent. quæst. 93. art. 1. dub. 5. num. 2.* Suarez *de pœnit. disput. 26. sect. 4 num. 3.* Syluester *verb. Absolut. 1. num. 8.* vt quando est suscepturus nauigationem periculosam, vel iter prædonibus expositum; aut quando fœmina est partui proxima, & nondum aliàs peperit, aut si aliàs peperit, experta est se parere cum periculo mortis. Item, si miles in bello propinquus sit conflictui & hostes aggressurus. Itẽ, si quis damnatus est ad mortem, itavt infra paucos dies debeat plecti. Item, cui debet exscindi calculus, aut hernia, &c. Ita etiam Crousers *ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 23.* ex Sayro *lib. 2. sui thesauri, c. 20. num 20.* qui docet articulum mortis, & periculum mortis pro eodem accipi à Romanis Pontificibus & Decretis iuris Canonici & Doctoribus multis vtriusque iuris, & nihil referre, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco instet vel periculum vel mortis articulus: proinde bannitus, qui impunè vbique potest occidi, potest absolui vt moribundus, quia vbique & semper uersatur in periculo mortis: si tamen haberet saluum conductum, non posset illi dari absolutio ab omni peccato & censura per quemcumque confessarium. Imò iudicatur articulus mortis quoad effectum absolutionis à reseruatis, si timeatur amissio vsus rationis perpetua, licet mors non timeatur; vt docet Sanchez *lib. 2. Moral. c. 13. num. 3.* Item arbitratur Sancius *in select. disp. 12. num. 5.* absolutionem à reseruatis posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, tabardillo, &c. quia amittens vsum rationis absque absolutione, ita est constitutus in periculo damnationis, ac si absque absolutione moreretur. Vide infra *v. Heresis, num. 18. in fine. Excommunicatio V. num. 7.*

Conc. Trid. Sanch. Molina. Diana. Eman. Sà. Rodriq. Diana. Reginald. Vasquez. Suarez. Syluester. Crousers. Sayrus. Sanchez. Sancius.

32 Absoluendi forma à censuris multiplex est, alia enim à iure, alia ab homine ferri potest: alia absoluta, alia conditionalis est. Si conditio sit de præsenti vel præterito, valet absolutio à censura; si de futuro, etiam valeret, etsi non liceat secundùm quasdam, quamuis non sit improbabile talem absolutionem sub conditione de futuro non esse illicitam, quia nullo iure prohibetur: non positiuo, cùm nullum extet, nec naturali, quia sic absoluere non est contra rationem, sicut nec excommunicare sub conditione. Tertia est absolutio simplex, quæ absolutè fertur quando constat censuram incursam esse, & est absolutio ad cautelam, cùm uel ignoratur, uel est dubia, & ad maiorem certitudinem petitur. Quarta est absolutio simpliciter cùm tollitur in perpetuum, & est absolutio ad reincidentiam, cùm ita tollitur, ut post certum tempus reditura sit, siue ita ex intentione concedentis absolutionem accidat, siue pendeat à conditione satisfaciendi, uel se præsentandi in pœnitente. Ita Filliucius *tract. 11. cap. 10. quæst. 1.* Nauarrus *cap. 26. num. 13.* Suarez *de censur. disp. 7. sect. 8. & disp. 4. sect. 8.* Sayrus *de censur. lib. 2. c. 16. nu. 7.*

Filliucius. Nauarr. Suar. Sayrus.

33 In absolutione, quæ in foro externo impenditur, is ritus seruandus est: petitio rei debet præcedere, non ex necessitate & essentia absolutionis, sed ex congruitate. *Secundò* debet pœnitens promittere se pariturum mandatis Ecclesiæ. *Tertiò* si censura cum alterius detrimento sit contracta, satisfactio realis præmittenda est si fieri possit, sin minus sufficiet iuratoria vel debita cautio. *Quartò* debet censuratus super humeros leuiter cedi virga, fune, aut flagello dum recitatur Psalmus Miserere, *c. Per tuas, & cap à nobis 2. de sentent. excommunic.* Suarez *cap. sect. 10. num. 2.* Toletus *lib. 1. cap. 14. nu. 14.* Nauarrus *cap. 26. num. 8.* Sayrus *lib. 2 c. 18.*

Suar. Toletus. Nauarr. Sayrus.

Post absolutionem publicanda est absolutio, si delictum publicum erat & censura denunciata, ne fidelibus cum eo participantibus scandali & ruinæ occasio præbeatur. Quando autem pœnitens absoluitur solùm in foro conscientiæ, opus non est has cæremonias seruare. Reginaldus *lib. 9. num. 83.* Filliucius *tract. 11. num. 333.* Imò non esset peccatum mortale etiam in foro externo has cæremonias omittere, secluso contemptu & scandalo: vnde si quis in absolutione excommunicati sine contemptu non exigeret iuramentum, vel non recitare aliquem Psalmum Pœnitentialem, aut Orationem Dominicam, &c. non pecca-

Reginald. Filliucius.

peccaret nisi tantùm venialiter. Ita Tannerus *to. 4. disp. 6 quaest. 10. dub. 6. num. 124.* Suarez *de censuris, disp. 19. sect. 2. num. 13.* Turrianus *de censur. lib. 2. disp. 24. dub. 3.* qui obseruat mendicantes habere priuilegium absoluendi sine solemnitatibus: Ita concessit Fratribus Minoribus Leo X. De absolutione videetiam, *Casus reseruatus, Censura.* num. 18. & seq. *Concubinatus*, num. 2. & 3. *Confessarius* 5. nu. 6. *Excommunicatio* 5. *Interdictum* 5 nn. 4. & 5. *Matrimonium* 8. nu. 18. *Iubilaus. Suspensio* 3. n. 4. 5. 6. *Restitutio* 4. n. 15. *Potum* 6. nu. 13.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos non absoluit auctoritate Pontificis, sed Christi.*

2 *Plures absolutiones valida possunt simul cadere supra eandem Confessionem, a pluribus ministris prolata, sed non erunt licita.*

3 *Quoties facultas absoluendi à casibus reseruatis cadit in peccata iam commissa, non habet locum onus comparendi.*

An hac facultas pro peccatis committendis dari possit cum illo onere.

4 *Iuxta quosdam Superior potest concedere facultatem absoluendi a reseruatis, sub ea conditione, quod ipse Sacerdos teneatur pœnitenti, talem pœnitentiam imponere. Sed alij contrarium docent.*

5 *Absolutio a censuris reseruatis simpliciter & generaliter, omnes comprehendit, etiam oblitas.*

6 *Censura oblita tolluntur per se per absolutionem generalem, ita vt non sit necessaria alia absolutio earum, licet in memoriam redeant: secus dicendum de peccatis oblitis.*

7 *Qui ab alieno Episcopo excommunicatus fuit ratione delicti patrati in sua Diœcesi, is rediens in propriam Diœcesim non potest à proprio Episcopo absolui ab illa excommunicatione.*

8 *Absolutio a censura non solùm absolutè, sed etiam sub conditione in futurum pendente, validè conferri potest.*

9 *Omnes Sacerdotes, etiam excommunicati, Schismatici & Heretici absoluere possunt in articulo mortis.*

10 *Qui virtute Bulla absoluitur in articulo mortis a casibus Bulla Cœna Domini, non tenetur, si conualescat, ad comparendum.*

11 *Post septennium completum absoluendus est puer sub conditione, nisi constet non habere vsum rationis, maximè in articulo mortis.*

12 *An absolutio danda sit Heretico negatiuo iam destinato ad comburendum.*

13 *Potest Episcopus absoluere ab excommunicatione publica Papa reseruata, quando est impedimentum adeundi Papam: Et qua sint illa impedimenta.*

14 *Quid faciendum à Confessario, quando à reseruatis sine facultate absoluit.*

15 *Confessarius sine facultate absoluens sciemter & ex malitia à reseruatis, incurrit excommunicationem Papa reseruatam: Aliqui tamen casus dantur in quibus non incurrit.*

16 *Absolutio data à censuris absolutè per Iubilaum & Priuilegia regularium, in vtroque foro habet locum.*

17 *Qui Religionem ingreditur potest absolui à Superiore Religionis à censura lata per suum Episcopum per sententiam generalem, aut per statutum, non verò per sententiam propriam & specialem.*

18 *Obtenta facultate absoluendi à casibus reseruatis, potest quis absolui etiamsi in casus reseruatos denuò inciderit post obtentam facultatem antequam confiteatur.*

19 *Confessarius, qui petit à Superiore facultatem absoluendi aliquam personam a casu reseruato, quando possit vti illa facultate pro se.*

20 *Episcopus potest reseruare excommunicationem Summo Pontifici, in quo casu ipse non potest illam absoluere, potest tamen Archiepiscopus.*

21 *Verius est simplices Sacerdotes non habere potestatem absoluendi à peccatis venialibus ex iure diuino, sed immediatè ab Ecclesia.*

22 *Qua sit dicenda occasio propinqua peccandi, quam debet pœnitens relinquere, vt absolui possit à Confessario.*

Periculum peccandi, vt censeatur proximum, debet esse euidens physicè, aut moraliter; si enim tantum sit probabile, periculum morale non est, nam probabiliter etiam censere poteris periculum nullum subesse.

ABSOLVTIO.

1 SAcerdos non absoluit auctoritate Pontificis, sed Christi. Ratio est, quia licet potestas iurisdictionis per Pontificem conferatur, tamen principaliter manat à Christo; à Pontifice verò solùm vt à Vicario Christi; & ideò etiam simpliciter in Christi auctoritate fit hoc iudicium. Tum quia dum Sacerdos profert hanc sententiam absolutionis, non solùm profert illa verba vt declaratiua iuris, quod commune est alijs sententijs; sed vt efficacia eius effectus, quem significant, quod habent ex potestate Ordinis quatenus est virtus Christi, cuius personam gerit Sacerdos: & propterea dicere potius debet se absoluere auctoritate Christi. Ita Suarez *in 3. part. to. 4. disp. 16. sect. 3. num. 33.*

2 Plures absolutiones validæ possunt simul cadere supra eandem Confessionem, à pluribus ministris prolatæ, sed non erunt licitæ, quia est contra morem vniuersalis Ecclesiæ, & contra conuenientem vsum Sacramenti pœnitentiæ: si tamen fiat, & aliud non obstet, validum erit Sacramentum. Non tamen erit multiplex, sed vnum Sacramentum; quia materia proxima est vna, & absolutiones illæ, licet materialiter sint plures, concurrunt per modum vnius. Vnde, etiamsi fingamus vnam absolutionem cadere in plures Confessiones eorumdem peccatorum successiuè factas, simul enim fieri non possunt, erit vnum Sacramentum; quia illæ Confessiones licet materialiter sint plures, moraliter verò est vna accusatio. Ita Suarez *cit. disp. 18. sect. 4. nu. 4.* & alij.

3 Quoties facultas absoluendi à casibus reseruatis cadit in peccata iam commissa, non habet locum onus comparendi: quia ad hoc petitur facultas, vt ab onere comparendi subditus liberetur. At verò pro peccatis committendis, potest, iuxta Suarez & alios eum illo onere dari; quia hoc onus per se non repugnat eum ordinatio fine, propter quem hæc facultas conceditur, qui non est liberare simpliciter pœnitentem ab onere comparendi coram superiore, sed est subuenire alicui necessitati, ne fortè occasione illius nimium differatur pœnitentia. Idem dicendum est, quamuis illis peccatis non sit censura annexa. Proinde hic modus deputandi confessarios, vt ipsi absoluant à casibus reseruatis cum onere sese præsentandi superiori est licitus & conueniens. Probatur *Primò*, quia hic modus est approbatus in multis Religionibus à Summis Pontificibus vt testatur Præpositus *in 3. p. quaest. 9. de pœnitent. dub. 3.* Quod etiam particulariter testantur pro nostra Congregatione Capucinorum Coriolanus *de casib. reseruat. part. 1. lect. 1. art. 8. num. 15.* Crousers *in reg. Sancti Francisci lect. 20. ad cap. 7. fol. 670.* Gesualdus *in Theol. Moral. p. 1. tract. 26. cap. 4. num. 13.* Imò dictus modus fuit à Sacra Congregat. Cardinal. Sancti Officij approbatus, ergo talis modus est bonus & conueniens etiam secundùm iura & conscripta Pontificum, nam aliàs non fuisset approbatus à Summis Pontificibus & à dicta Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium.

Probatur *Secundò*, quia si Superior potest absolutè delegare potestatem absoluendi à casibus reseruatis, quare non poterit alijs eum delegare vt restrictam, id est, sub onere comparendi coram se, maximè in bonum finem, scilicet, in speciale bonum ipsius pœnitentis: nec fit pœnitenti iniuria quòd ad hanc comparitionem obligetur; quia *Primò* fit ipso consentiente. *Secundò*, cum superior non teneatur hanc facultatem subdito dare iusta saltem negandi causa subsistente, qualis semper ferè subsistit, facultatem eam tunc negando, nulli facit iniuriam, multò minùs si dederit illam cum dicto onere.

Probatur

Tanner. Suarez. Turrianus. Suarez. Suarez. Præpos. Coriolan. Crousers. Gesuald.

Probatur *Tertiò*, hic modus est valdè utilis, nam quatenus per eum datur potestas absoluendi directè à peccatis reseruatis, tollitur omnis nota infamiæ; item occasio uagandi & omne impedimentum, seu retardatio ad Missas celebrandas & Sacram Eucharistiam sumendam depellitur. Hæc enim omnia mala sequi possent, si Religiosi tenerentur statim recurrere per se ad Superiorem: quatenus autem per dictum modum relinquitur onus comparendi tempore congruo coram Superiore, meliùs prouidetur de remedio efficaciore pro emendatione pœnitentis, & magis condigna peccato pœnitentia imponitur. Hanc doctrinam tradunt Suarez *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 5. Card. Lugo *de pœnit. disp.* 15. *sect.* 6. §. 3. ConincK *de Sacrament. disp.* 8. *dub.* 15. Et ex nostris Coriolanus *suprà*.

Suarez. Lugo. ConincK.

Sed quomodo hoc onus imponi possit, varij sunt inter Doctores citatos dicendi modi, quos referunt, & impugnant Card. Lugo & Coninck, cum multis alijs eiusdem Societatis, in qua viget hæc consuetudo; tamen in hoc conueniunt omnes hoc onus imponi subditis ex quodam pacto inito inter subditum & Superiorem, qui illi impartitur facultatem vt absoluatur à peccatis reseruatis, si ipse vult comparere coram eodem Superiore; quod si subditus acceptat, voluntariè manet obligatus, & cùm sit in graui erit mortale non adimplere, & stare pacto, vt significant Paludanus *in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 5 *artic.* 1. *num.* 6. Medina & alij apud Coriolanum *loco citato num.* 20. Gesualdus *loco citato num.* 13. Contra Vasquez *de pœnitent. disp.* 93. *art.* 1 *dub.* 6. *à num.* 11. Sancium *in selectis disp.* 12. *num.* 3. Thomam Hortado *in suis resolut. Moral. part.* 1. *tract.* 5. *c.* 4. *resol.* 23. §. 2. Quia vnusquisque potest ex suo consensu obligari ad confitendum iterum peccatum semel legitimè confessum, vt docet Nauarrus *in cap. Fratres, num.* 30. per textum satis apertum in Extrauag. *inter cunctas, de priuileg. & c. Qui vult, de pœnit. dist.* 6. §. 3.

Paludan. Medina. Coriolan. Gesualdus Vasquez. Sancius. Th. Hurt. Nauarrus.

Proinde Religiosus, qui consentit seruare statuta suæ Religionis, in quibus id determinatur, consentit etiam determinationi & obligationi, si quam illi imponunt, ad confitendum bis illud peccatum, vel ad se præsentandum superiori post Confessionem factam Confessario deputato.

4 Quidam censent posse superiorem concedere facultatem absoluendi à reseruatis, sub ea conditione, quod ipse Sacerdos, quem eligit pœnitens, imponat ei pœnitentiam virtute clauium, coofitendi scilicet iterum crimina superiori, & ita teneri pœnitentem certiorem facere Sacerdotem, quem eligit, vt eam sibi imponat pœnitentiam. Ita Suarez *de pœnit disp.* 30. *sect.* 5. *nu.* 23. & 24. Vasquez *de pœnit. q.* 93. *art.* 1. *dub.* 6. *n.* 11 Quibus tamen non assentitur Sancius *in selectis disp* 12. *num.* 6. quia sic superior reseruans cum onere scilicet, quod à Confessario iniungatur sub pœnitentia reiteratio Confessionis, in messem alienam falcem mitteret, & in iurisdictione aliena iudicaret, solus enim minister audiens Confessionem, Iudex erit pœnitentiæ iniungendæ, vnde ab alio iudice non poterit taxari qualis, quantane sit Iniungenda. Tum quia concessa semel illi facultate absoluendi, vltimatè iudicabit absoluendo, cùm immediatè à Christo accipiat potestatem, tam circa absolutionem, quàm circa Iniunctionem pœnitentiæ, ab eadem namque radice oritur vtraque potestas, & pari iure immediatè à Christo dimanat. Vnde Vasquez ait firmum non esse hunc reseruandi modum, quia a ius Confessarius audita Confessione, aut idem commutare poterit postea pœnitentiam illam.

Suarez. Vasquez. Sancius.

5 Absolutio à censuris reseruatis simpliciter, aut generaliter data, omnes comprehendit, etiam oblitas; itaut alia absolutio necessaria non sit: V. G. si habent potestatem absoluit generaliter aliquem ab omnibus censuris, omnes tollit, quæ cadunt sub eius potestatem. Ratio est, quia potestatem habet de se efficacem, & ea vtitur cum intentione conferendi effectum: & non est quod illam impediat, cùm ex parte absolutionis non sit necessaria scientia talis censuræ in particulari; & multò minus requiritur ex parte absoluti, quia potest quis ligari ignorans, ergo & absolui. Ita Suarez *de censuris disp.* 7. *sect.* 5.

Suarez.

6 Censuræ oblitæ tolluntur per se per absolutionem generalem, ita ut necessaria non sit alia absolutio earum, licet in memoriam sedeant. Secus dicendum de peccatis oblitis in Confessione, quæ solùm per accidens auferunt, & ideo semper manent obnoxia simili iudicio. Ratio differentiæ est, quid iudicium sacramentale in quo datur absolutio peccatorum requirit integram causæ cognitionem per se, & præcepto diuino omnia peccata mortalia clauibus subiiciuntur; non est autem tale præceptum Ecclesiasticum de censuris impositum: nec absolutio à censura ad alium finem iotrinsecum ordinatur, nisi ad tollendum illud impedimentum Ecclesiasticum, & ideò quacumque ratione auferatur ab eo, qui habet potestatem, non manet alia obligatio. Ita Suarez *tom.* 5. *disp.* 7. *sect.* 5. §. *Imò in hoc, num.* 17.

Suarez.

7 Qui ab alieno Episcopo excommunicatus est, factus illius subditus ratione delicti patrati in sua Diœcesi, vel ob quod iussus ab illo satisfacere sub pœna excommunicationis intra certum tempus, non satisfecit, vel citatus, in aliqua causa coram ipso, contigit excommunicari; is rediens in propriam Diœcesim, non potest à proprio Episcopo absolui, quia in bis casibus factus est subditus alterius Episcopi, qui in illum ratione delicti; vel litis, ius acquisiuit, vt habetur *in cap. Proposuisti, de foro competenti*, & docet Philippus Faber *de censur. in* 4. *pœnitent. dist.* 25. *quæst.* 1. *disp.* 4. *cap.* 8. *num.* 243. & Doctores citati *tom.* 1. *nostræ summæ verb. Censura, num.* 19.

Faber.

8 Absolutio à censura, non solùm absolutè, sed etiam sub conditione in futurum pendente, validè conferri potest. Probatur ex *cap Præterea* 2. *de appellationibus*, vbi tamquam valida censetur hec excommunicatio, si quis Iudex protulerit. Si intra viginti dies non satisfeceris, te excõmunicamus. Ergo à simili posset ferri absolutio conditionalis. Imò talis absolutio data sub conditione nõ solùm valida est, sed licita: quia absolutio sic facta nullo iure irritatur, ac proinde impleta conditione, sub qua fuit facta, habebit effectum tollendi excommunicationem: & quod possit licitè fieri probatur, quia nullo iure prohibetur, non positiuo, cùm nullum extet, nec naturali, quia sic absoluere, non est contra rationem, sicut nec excommunicare sub conditione. Ita Turrianus *de Cens. l.* 2. *disp.* 24. *dub.* 1. Faber citatus *cap.* 9. *num* 266. Diana *par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 14. contra D. Antoninum, Angelum, Syluestrum, docentes absolutionem sic factam esse illicitam & nullam, quia absolutio sacramentalis à peccatis, cui videtur æquiparanda facta sob conditione est illicita & nulla. Sed nostram sententiam amplectitur etiam Emanuel Sà *verb. Absolutio ab excommunicatione, nu.* 2.

Turrianus. Faber. Diana. Eman. Sà.

9 Post Tridentinum facultas absoluendi in articulo mortis, seu periculo competit omnibus Sacerdotibus, etiam nominatim excommunicatis, vel publicis Clerici percussoribus, hæreticis, vel Schismaticis: quia particula *omnes* hunc sensum recipit, & proinde in ea amplitudine potest intelligi. Confirmatur, per particulam *quoslibet, & quibusuis*, quilibet fideles absolui possunt ab omnibus prorsus peccatis, ergo similiter per particulam *omnes*, quilibet Sacerdos, nullo excepto, potest absoluere. Deinde id aliquo modo postulat motiuum Concilij, vt scilicet, animarum saluti in tali necessitate consulatur. Ecclesia ergo voluit in hoc casu summum fauorem fidelibus præstare, & concedere iurisdictionem omnibus, qui ex suo gradu illius sunt capaces, quales sunt omnes Sacerdotes. Et quidem de hæretico dicendum est, quod ratione Sacerdotij habet radicalem iurisdictionem in peccata, proximè autem illi est concessa vel à Pontifice immediatè, vel alia ratione vt in eo articulo possit pœnitens absolui. Nec enim potestas data est Ecclesiæ in perniciem animarum, sed in salutem: at tunc iurisdictionis ademptio esset in animarum perniciem, & grauissimè peccaret Papa, qui eam conaretur adimere. Ex parte autem penitentis ipsa necessitas se purgandi Sacramento est satis excusationis; hæreticus enim tenetur Sanctè Sancta tractare, si aliter agit, est eius vitio, quod penitens cum tanto discrimine suo non tenetur vitare. Obseruandum tamen est esse fugiendum periculum deceptionis: quapropter ego monerem penitentem, ne hæretico permitteret verba facere de fide, aut errore, sed cum cogat ad audienda, & absoluenda crimina. Si verò ille nolit penitentem absoluere, nisi prius verbis de suis erroribus factis, illum audiat, qua poterit distractione. Quòd si prudenter timeat immine-

re sibi

re ſibi periculum deceptionis, tenetur illum non audire, nec adhibere, niſi certus ab hæretico, nulla de fide verba facienda. Tunc autem det operam contritioni, aderit enim præſtò Deus fugienti Sacramentum, eo dumtaxat animo, ne Deum offendat. At periculum deceptionis debet cadere in virum conſtantem; alioquin facienda eſt Confeſſio ob imminens vitæ diſcrimen. Si autem Sacerdos erret in forma, aut intentione Sacramenti, non eſt adhibendus ad Confeſſionem, niſi prius conteſtetur ſe Hurtadus. vſurum intentione & forma legitima, de quo debet ægro eſſe prudens perſuaſio. Ita Hurtadus de Mendoza *tom. 1. de fide, diſp 84. ſect. 8. §. 139. & 140.*

10 Qui virtute Bullæ abſoluitur in mortis articulo à caſibus in Bulla Cœnæ reſeruatis, non tenetur ad comparendum, nec poteſt illi id onus imponi: quia Bulla ali quod ei priuilegium donat diſtinctum ab his, quæ habet in ipſo mortis articulo, alioquin quæ gratia donatur per Bullam? ſed in eo articulo nulla alia gratia donari poteſt, niſi obligatione comparendi ſolui; quia abſolutio directa iam ei erat licita ipſo mortis articulo, ergo ſoluitur onere comparendi; quod ſi in mortis articulo fuit abſolutus cum onere comparendi, quia non habebat Bullam, poteſt ea habita iterum abſolui in eodem, vel alio mortis articu- Sanchez. Henrique. lo, & eo onere ſolui. Ita Sanchez *lib. 2. Moral. cap 13. nu. 31. & 32.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. c. 10. nu 5 in comment. litt. G. in fine.*

11 Poſt ſeptennium completum abſoluendus eſt puer ſaltem ſub conditione, niſi conſtet non habere vſum rationis, maximè in articulo mortis: quia ſtat pro illo iuris præſumptio de vſu rationis: quod ſi æqua ſit pro vtraque parte probabilitas, quia Confeſſarius æquè ſentit puerum habere vſum rationis, & non habere; ſi tamen talis puer fateatur peccatum veniale, vel mortale, abſoluendus eſt neceſſario ſub conditione in articulo mortis: quia hæc pars eſt tutior, dum certum ſit damnandum eſſe puerum, ſi in peccato mortali diſcedat, in quo poteſt eſſe, licet illud non agnoſcat & irreuerentia Sacramenti tollitur conditione appoſita.

12 Abſolutio impertienda eſt hæretico negatiuo iam deſtinato ad comburendum, quando Sacerdoti conſtat euidenter de innocentia negatiui, vel quia teſtes conſeſſi ſunt crimen falſi teſtimonij, vel quia decepti ſunt in perſona accuſata, vel aliam ob cauſam. Ratio eſt, quia omnia argumenta videt veræ pœnitentiæ, & alioquin exponeretur periculo damnationis: imò videtur ad id Sacerdotem teneri, quia priuatim leges fori non præiudicant legibus conſcientiæ: poteſt enim quis innocens in conſcientia eſſe, reus in foro. Idem dicendum etiamſi Sacerdos non ſit certus de falſo crimine, quia in foro ſacramentali ſtandum eſt Confeſſioni ipſius pœnitentis, dum non conuincitur mendacij à miniſtro Sacramenti, tunc autem non conuincitur; ergo tenetur ſtare illius Confeſſioni. Igitur dum prudenter credit negatiuum eſſe verè pœnitentem, tenetur illi dare Sacramentum pœnitentiæ, priuatim tamen & occultè, iudice inconſulto, quia vt iudex id tenetur prohibere. Tum quia collatio Sacramenti nulli periculo exponitur tunc, negatio autem Sacramenti eſt Hurtadus de Mend. expoſita damnationis æternæ negatiui; ergo eſt adminiſtrandum id Sacramentum. Ita Hurtadus de Mendoza *de* Portel. *fide diſp. 86. ſect. 2. §. 29.* Portel. *in addit. ad dub. regular. v. Sollicitare fœminas, num. 24.* qui nouiſſimus docet, hæreticum à publica Confeſſione excuſari, ſicut cæteri rei qui negatiui moriuntur. Imò magis, quantò maiorem infa- Sanchez. miam affert hæreſis, quàm cætera crimina, Sanchez verò *lib. 3. Moral. cap. 7. num. 10.* docet talem non eſſe abſoluendum propter ſcandalum, quia præſumitur mori hæreticus, & ideo ſi verè reus eſt, crimen ſuum fateri tenetur, Portel. vt ex hoc ſcandalum ceſſet. At Portel. ait, ſcandalum ceſſare, quia omnes ſciunt, ſolere reos negare, & nihilominus verum ſacramentaliter confiteri. Et hanc opinionem teſtatur in praxi ſeruari à viris doctis, hæreticos ad patibulum comitantibus.

13 Poteſt Epiſcopus abſoluere ab excommunicatione publica reſeruata Papæ, quando excommunicatus non poteſt recurrere ad Papam, vt habetur *in cap. De cætero, de ſent. excomm.* Iſta autem impedimenta ſunt. Primò, periculum mortis in itinere, *cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4. cap. ea noſcitur, de ſentent. excommun.*

Secundò: Infirmitas longa, etiamſi periculoſa non ſit, *c. de his, & c. quamuis, de ſent. excomm.*

Tertiò: Paupertas, nam niſi mendicare ſoleat, non tenetur Romam ire mendicando, *cap. ea noſcitur, eodem tit.* Ad pauperes tamen reducitur obligatio alendi vxorem, filios ac familiam proprio labore.

Quartò ætas, ſiue pueriis, ſiue in puberibus, ſiue ſenilis *cap. quamuis, de ſent. excomm.* licet petat poſt pubertatem abſolutionem ab excommunicatione reſeruata, quam ante pubertatem incurrerat ex *cap. final. de ſentent. excommunic.*

Quintò ſexus fragilitas, vt fœmina cuiſcumque conditionis, *c. Mulieres, c. Quamuis, c. De Monialibus, de ſent. excommunic.*

Sextò alteri adſtrictus, qui ſui iuris non eſt, vt filius familias & ſimiliter ſeruus quando Papam adire non poteſt ſine præiudicio parentis vel domini, *cap. Relatum, de ſent. excommunic.*

Septimò cura animarum, vel temporale dominium, quando timetur quòd per abſentiam eius vel Vaſſalli detrimentum patiantur, *cap. Ne pro dilatione de pœnit. & admiſſ.*

Octauò, debilitas in viris delicatis, qui labores itineris ſuſtinere, minimè poſſunt, *c. Mulieres, & cap. Quamuis citati* ſunt etiam debilitas in membris in cæco & claudo, *c. Ea noſcitur, de ſent. excommunic.*

Vltimò, quodlibet aliud impedimentum, quod arbitrio prudentis viri iudicetur legitimum.

Circa prædicta nota primò, quod ſi in tali caſu poteſt excommunicatus impetrare abſolutionem à Papa per procuratorem vel epiſtolam, docet Bonacina *de cenſuris* Bonacina *quæſt. 7. diſp. 1. punct. 2.* teneri hoc facere & non poſſe abſolui ab Epiſcopo; ſed contrarium tenendum eſt, quia Gaſp. Hur. ad id non obligatur à iure. Ita Gaſpar Hurtado *de excom.* Diana. *diſp. 15. diffic. 3. nu. 20.* Diana *p. 4. tract. 4. reſ. 58.*

Nota ſecundò, quod ſi non valens Papam adire, poſſit adire Nuncium Summi Pontificis, vel alium habentem priuilegium abſoluendi, non tenetur illum adire, ſed poteſt nihilominus abſolui ab Epiſcopo: quia exiſtente impedimento recurrendi ad Papam, reſtituitur Epiſcopo ordinaria poteſtas, quam per reſeruationem amiſerat; ergo non eſt, cur ſit recurrendum ad Nuncium. Adde, quod reſeruatio eſt odioſa & ſtrictè interpretanda, vnde explicari debet de recurſu ad ſolum Papam. Tamen excommunicatus ſic abſolutus ab Epiſcopo, tenetur poſt impedimentum ſe præſentare Pontifici, ſaltem per Procuratorem, ſub pœna reincidentiæ. Quam obligationem tenetur illi iniungere Epiſcopus, ſi non ſit impubes. Ita Hurtado *loco citato.* Hur

☞ Confeſſarius qui non habens iuriſdictionem à reſeruatis abſoluit, tenetur facultatem petere à Superiore, & ſi ſcandalum abſit, admonere pœnitentem ad iterum confitendum, vel ſi ille inſcius veniat iterum ad confitendum, petat Confeſſarius ab eo, an dolaer etiam de peccatis præcedente Confeſſione dictis, & cupiat, ſi qua ratione neceſſe ſit etiam ab ijs abſolui: & ſi dicat quod ſic, illum abſoluat, nihil de defectu primæ Confeſſionis dicendo. Ita ex communi Syluius *in ſupplem. 3. part. quæſt. 8. art. 4.* Syluius. *quæſtiunc. 8. concluſ. 1. &* 2 Coninck *de Sacram. diſput. 8.* Coninck. *dub. 17. num 141. & 143.* licet quidam Doctores ſentiant in caſu quo pœnitens eſt ignarus, nihil à Confeſſario faciendum eſſe, nec à ſuperiore licentiam abſoluendi impetrandam eſſe, quia taliter abſolutus eſt ab omnibus, ſcilicet directè à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis per Valerus. inſuſionem gratiæ, & pro hac ſententia citantur Valerus, Corduba. Corduba, Henriquez à Diana *par. 2. tract 15. reſol. 60.* ex Henriq. ex argum. *cap. Quia circa, de conſang. & affinit.* Sed primam Diana. ſententiam tene.

15 Confeſſarius non admiſſus pro reſeruatis, nihilominus abſoluens ſcienter & ex malitia, peccat mortaliter, & incurrit ipſo facto excommunicationem Papalem Clementis VIII. vt patet ex decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum & regularium edito die 9. Ianuarij 1601. apud Quarantam *in Summ. Bullarij verb. Caſus reſeruati,* pro Italia, & ex alio decreto, Vrbani VIII. mandaro Quarant. edito die 17. Nouembris 1628. etiam extra Italiam, quod decretum

decretum recensemus *tom. 1. nostræ summæ verb. Casus reseruatus, nu.* 38.

Sed circa prędicta decreta aduerte *Primò*, quòd excommunicationem prædictam & alias pœnas non incurrit Confessarius regularis absoluens à casibus reseruatis in Religione; quia decreta loquuntur tantùm de casibus Bullæ Cœnæ & Episcopis reseruatis, hoc est, quos ipsi sibi specialiter reseruant non de alijs. Ita Floronus *de reseru. p. 1. cap. 5. §. 4.*

Floronus.

Secundò, nec incurrit absoluens ab Episcopalibus vel Papalibus sine prætextu priuilegij, quia in decreto primo dicitur *prætextu priuilegiorum*. Ita Gambarupta *de reseru. c. 3. num. 12.*

Gambar.

Tertio, non incurrit Confessarius absoluens sine facultate, sed sub spe ratihabitionis, vel ex inconsideratione, aut ignorantia non crassa, quia dictæ pœnæ latæ sunt contra præsumentem.

Quartò, non incurrit Confessarius absoluens Episcopales casus reseruatos à iure, quales sunt etiam post Tridentinum Papales occulti, vt tradunt Sanchez & noster Crousers *citati tom. 1. nostræ Summæ verb. Casus reseru. num.* 39. quos sequuntur Marullus & Diana *ibidem citati*.

Sanchez. Crousers. Marullus. Diana.

Quintò, non incurrit absoluens censuras Episcopales, quia decreta loquuntut tantùm de casibus, non habent ergo locum in censuris, nam à diuersis non fit illatio, ex *l. Papinianus, ff. de minor. cap. Ad audientiam, de decimis*, quamuis contrarium sit etiam probabile, quod tenet Marullus apud Dianam *p. 3. tract. 2. res. 13.*

Marullus. Diana.

Sexto, ab hac excommunicatione possunt absoluere Episcopus, modò sit occulta, ex Tridentino. Deinde Regulares priuilegiati tam intra quàm extra Italiam, nam pro Italia à iurisdictione regularium videntur solùm excepti casus Bullæ Cœnæ, & sex alij casus secundi decreti, inter quos non videtur comprehensa præsens excommunicatio, casus illos sex vide *tom. 1. nostræ summæ v. Casus reseruatus, num. 36. §. Regulares approbati. edit. 3.*

16 Absolutio data à censuris absolutè per priuilegia, aut Iubilæum, in vtroque foro habet locum; quia cùm verba sint absoluta & gratiam contineant, amplianda sunt potiùs quam restringenda. At verò quando priuilegium datur cum limitatione, V.G. pro foro conscientiæ, non amplius valet? quia Pontifex pro suo arbitriu potest non plus concedere, & ideò si priuilegium restringit, non plus valet, quàm sonat. Hinc quando potestas conceditur absoluendi à censura pro foro conscientiæ tantùm, illa limitatio operatur duo, id est, vt non obstante tali absolutione & pœnitentia imposita in foro pœnitentiæ, possit Ecclesiasticus Iudex de illo delicto cognoscere, & satisfactionem accommodatam foro publico imponere. *Secundò* necesse est, vt licet non iteretur illa absolutio, saltem declaretur, ac comprobetur in foro exteriori. Vt autem talis absolutio nota sit in foro exteriori, sufficit, vt ille, qui absoluit, de ea fidem faciat, & si necesse fit, potest illius iuramentum postulari. Plura verò testimonia, sunt aliena ab omni ratione exigere: & quando Confessor fidem hanc præbet per seipsum, debet tale scriptum dare pœnitenti, coram testibus & tabellione, qui in altera scripturæ facie, fidem faciat illud scriptum esse talis Sacerdotis: vnde Iudex contra ita absolutum, non tenetur procedere, & si velit esse benignus, potest hanc absolutionem etiam pro foro exteriori acceptare & repellere accusationem fiscalis accusantis crimen, vel in ferenda sententia contra reum temperare rigorem & pœnam. Vide Suarez *de censur. disp. 7. sect. 5.* ConincK *de Sacram. disp. 14. dub. 16. nu. 227.* Henriquez *lib. 13. c. 27 nu. 5.* circa finem, Dianam *p. 2. tract. 11 resol. 26. & p. 5. tract. 9. resol. 13.*

Suarez. ConincK. Henriq. Diana.

17 Qui Religionem ingreditur, potest absolui à Superiori Religionis à censura lata, per suum Episcopum, per sententiam generalem, aut per statutum. Ratio est, quia superior Religionis est tunc eius Ordinarius: secus dicendum de absolutione censuræ latæ per sententiam propriā & specialem: tunc enim ratione litis, seu causæ inchoatæ, iurisdictio permanet apud priorem Iudicem: at verò aliquæ Religiones possunt ex priuilegio absoluere ab omni censura ab homine lata contracta ante ingressum Religionis, dummodò talis censura generaliter lata sit: quod priuilegium datum fuit Fratribus Minoribus à Clemente IV. postea ab alijs Pontificibus confirmatum, vel de nouo aliis Religionibus concessum, & multæ aliæ fruuntur illo per viam communicationis. Quod intelligite de sententia generali, & non speciali: quia numquam comprehenditur sub his priuilegijs. At vero censura lata pro particulari delicto, occulto tamen quoad personas, potest absolui ratione horum priuilegiorum; in quas confusè tantum & sub ratione delinquentium lata sit, post satisfactionem exhibitam parti. Ita Suarez *de censuris, disp. 7. sect. 2. §. ad tertium dubium, num. 28.*

Suarez.

18 Si Parocho petenti per litteras potestatem absoluendi aliquem à casibus reseruatis in quos inciderat, ea facultas concedatur, & pœnitens rursus incidat in similem casum antequam confiteatur, potest etiam ab illo absolui: quia petitio & concessio tacitè intelliguntur de similibus casibus, qui post illam concessionem clauibus bona fide subijcientur, quod etiā videtur verum, licet Parochus scripsisset non esse periculum relapsus quia eo non obstante concessio est absolutè facta, & independenter ab eo quod non relaberetur, neque id adijciendo Parochus bona fide decepit Episcopum. Ita Præpositus *in 3. p. q. 9. de reseruatione casuum dub. 3 n. 22.*

Præposit.

19 Confessarius petens à Prælato facultatem absoluendi à reseruatis pro vna vice in hac forma, *Est pœnitens qui indiget vestra auctoritate, placetne vobis illam mihi dare?* potest illa vti pro seipso. Secus vero si dicat, Rogo te, vt des mihi facultatem tuam pro vna persona. Ratio est, quia in generali sermone comprehenditur etiam persona sua, quando loquens concepit verba in persona alterius. Ita Floronus *de cas. reser. part. 1. cap. 3. §. 1. num. 3.* Vnde Villalobos *tom. 1. tract. 9. diffic. 64. num. 4.* asserit, quod cùm superior facultatem non limitat, intelligitur illam concedere tam actiuam, quam passiuam.

Floronus. Villalob.

20 Episcopus reseruare potest excommunicationem Summo Pontifici, in quo casu ipse non potest illam absoluere. Potest tamen Archiepiscopus. Ratio est quia licet reseruatio facta per Ordinarium Papæ, tollat ipso iure potestatem absoluendi vigore renunciationis factæ tamen hoc non potest præiudicare Metropolitano, quin in casibus in iure permissis non valeat absoluere. Tum quia licet quis possit renunciare fauori suo, non tamen in alterius præiudicium. Sic Vassallus non potest in præiudicium domini absque eius consensu alterius iurisdictioni consentire. Sic Clerici non possunt renunciare eorum priuilegio. Sic Pater non potest renunciare donationi inofficiosæ. Sic iuramentum non firmat contractum in præiudicium tertij. Ita Nouarius *in quæst. forensibus p. 2. q. 66. per totam.*

Nouarius.

21 Quidam Doctores contendunt quemlibet Sacerdotem habere de iure diuino facultatem absoluendi à peccatis venialibus, adeoque non posse ab Ecclesia illam auferri: & ideo non posse peccata venialia, ac similiter mortalia alias rite absoluta, amplius ab Ecclesia reseruari. Ita Capreolus, Paludanus, Sotus, Caietanus, Vasquez apud Dianam *part. 8. tract. 1. resol. 55.* Bordonus *in consil. regul. tom. 1. resol. 36. quæst. 20. num. 57.* putat simplices Sacerdotes non habere potestatem absoluendi à venialibus, nisi sint ab Episcopo approbati: quia ad absoluendū à peccatis etiam venialibus requiritur potestas iurisdictionis; hanc autem nemo habet, nisi ex præuia approbatione Episcopi, unde sine approbatione non tenet absolutio, ergo ad absoluendum à venialibus requiritur approbatio. Hæc sententia est contra communem. Dicendum est ergo. Contra primam sententiam, simplices Sacerdotes non habere potestatem absoluendi à venialibus ex iure diuino, sed immediatè ab Ecclesia: quia hoc Sacramētum, siue versetur circa mortalia, siue circa pœnalia, semper exercetur per modum iudicij, atque adeo, in ministro ad valorem absolutionis requiritur iurisdictio ordinaria vel delegata vt vult Tridentinum *sess. 14. cap. 7.* Sed in Sacerdote simplici, non est iurisdictio ordinaria, cum ipse non sit Pastor, nec Prælatus: ergo solum habet iurisdictionem delegatam ab eo, qui habet Ordinariam, nempe à Summo Pontifice, qui eam potest pro libito valide auferre, & aliquando licitè, & prudenter aufert ab excommunicato vitando ac degradato quod non posset facere, si

Diana. Bordonus. Conc. Trid.

habe-

haberent eam iuriſditionem iure diuino: quia etſi poſſet tunc efficere vt illicitè abſoluerent, non tamen poſſet efficere vt inualide abſoluerent pœnitentem bene diſpoſitum. Ex quo planè apparet hanc facultatem & iuriſdictionem pendere ab Eccleſia, poſſeque iuſtè auferri. Sed quia iam ab vniuerſali Eccleſia ab omnibus Sacerdotibus collata eſt, non poteſt ab vllo Prælato Papa inferiore, cuiquam auferri, aut limitari, niſi infligendo & publicè denunciando excommunicationem, iuxta ſuas regulas & ſimiliter ſuſpenſionem: alias ſolus Papa poteſt illam auferre. Ita ex communi Lugo *de pœnit. diſp. 18. ſect. 3.* Caſpenſis *tom. 2 tract. 24. diſp. 5. ſect. 3.* Suarez *de pœnit. diſp. 26. ſect. 5.* & alij.

Lugo. Caſpenſis. Suarez.

22 Occaſio propinqua, à qua neceſſario ſe debet abſtinere pœnitens, & ſtatuere in animo nunquam ſe ea vſurum vt abſolui poſſit, eſt omnis illa, quæ eſt peccatum mortale: aut eſt talis occaſio peculiaris, qua credit, vel credere debet Confeſſarius, vel pœnitens, nunquam vel rarò ſe vſurum ea ſine peccato mortali bene prepenſis eius circunſtantijs. Dixi, *quod in ſe eſt peccatum mortale*, ad includendum officium & artem Negromanciæ, & fœnerandi, & alias artes, quæ exerceri nequeunt ſine peccato mortali. Dixi, *peculiaris occaſio* ad excludendam generalem occaſionem, quam præbet officium, ars, aut exercitium: quo poſſumus licitè vti: credimus tamen nos aliquando in eo peccaturos mortaliter, hæc non impedit, ab abſolutione. Dixi, *Confeſſ. aut pœnitens* quia ſatis eſt, quod alter eorum credat, aut debeat credere quod eſt talis occaſio. Dixi, *nunquam aut raro*, ad includendum eas occaſiones, quibus rariſsime vtimur ſine mortali. Dixit, *perpenſis circunſtancijs*, ut ſignificaremus, quod hæ poſſunt eſſe cauſæ, ut eadem occaſio ſit talis uni pœnitenti & non alteri. Ratio horum eſt, quod nemo poſsit abſolui, niſi ſtatuat, nunquam ſe in poſterum peccatorum mortaliter & conſequenter uitaturum occaſionem, quæ ex ſe ſit mortifera, aut peculiaris huiſmodi, quã credit probabiliter peccati mortalis cauſam ſibi fore.

Sed circa hæc eſt aduertendum quod occaſio, ſeu periculum, ut cenſeatur proximum, debet eſſe euidens phyſicè, aut moraliter, ſi enim tantum ſit probabile, periculum motale nõ eſt, nam probabiliter etiam cenſere poteris periculum nullum ſubeſſe. Rationes euidentes aſſenſum prædeterminant ■, ſi ſint mere probabiles mentem non cogunt, ſed opinio eligenda cõmititur opitioni uoluntatis

Si iueris ad talem domum decies & quinquies peccaueris & quinquies non peccaueris, eſt probabile, ſi reuertaris te peccaturum eſſe, & æquè probabile te non peccaturum eſſe, Ergo non eſt periculum proximum. Si octies iueris & ~~ſpecies~~ septies peccaueris & ſemel non peccaueris eſt probabilius te peccaturum eſſe: eſt tamen probabile te non peccaturum eſſe. Ratio eſt, quia octaua pars eſt grauis, & ſi ſeptem lapſus te condemnant conſtantia quam ſemel habuiſti, contra ſeptem lapſus dat grauem auctoritatem, facitque opinionem probabilem. Si nouies iueris & octies fueris lapſus, ſcias te exponi periculo proximo, ſi reuertaris, quia nona pars non eſt grauis auctoritatis, & ideò improbabile eſt te, data occaſione reſtiturum eſſe: ac per conſequens eſt moraliter euidens hoc eſt certum, te ſi eo redeas, miſerimè peccaturum Ergo eſt periculum proximum in tali caſu. Ita Caramuel *in reg. D. Benedicti diſp. 70. num.* 1056.

Caramuel.

Periculum cognoſcitur ab experientia: quod & optime notauit Suarez *de charit. diſp 9. ſect. 1. num. 8.* ubi ſic ait: Periculum eſt in detrimenta materia, in qua aliquis fragilem ſe expertus eſt. Examinare enim, utrum periculum ſit proximum, nihil eſt aliud, quam conſulere experientiam, & videre vtrum tuæ future conſtantię faueat grauis experientia: illa dicenda eſt grauis quã non uincit alia pluſquam ſeptulo maior: & hoc cæteris paribus. Quid ſi mutentur circunſtantiæ tollitur periculum proximum, ſi non poſsit iudicium ſumi ab experientia. Hinc lux obſcuriſsimis difficultatibus.

Suarez.

Deinde iuxta eundem Suarez, ut aliqua ſit moralis occaſio proxima peccandi, requiritur, uel ut ex ſuo genere talis ſit, quæ frequenter inducat homines ſimilis conditionis ad tale peccatum, uel certè ut experimento conſtet in hoc homine habere talem effectum. Item neceſſe eſt, ut illa occaſio voluntaria ſit, alias enim, quod ex illa naſcitur, non erit voluntarium, vnde nec culpabile, & ſic quãdo moraliter euitari non poteſt, illam non cenſeri voluntariam, nec aſſumptam, ſed illatam, & ideò non eſſe aliquid morale, ſed neceſſitatem quandam vel impotentiam propter quam non ſit homo abſolutione indignus. Ita ille *tom. 4. diſp. 32. ſect. 2. §. Sed eſt ſpecialis.*

Suarez.

Vide v. Debitor *nu.* 2. Excommunicatio 2. *n.* 4. 5. Excomm. 6. *num.* 18 *& ſeq.* Forum *num.* 6. Interdictum *nu.* 19. Legatus *n.* 11. *& ſeq.* Reus *n.* 5. 6. 7.

A C C E P T I O
P E R S O N A R V M.
S V M M A R I V M.

1 *In quo conſiſtat acceptio perſonarum.*
2 *Quale peccatum.*
3 *In quibus rebus locum habeat.*

1 ACceptio perſonarum in eo conſiſtit, vt quis in diſtributione bonorum communium, non attendat ad eam conditionem perſonæ, quæ faciat eam dignam bono per talem diſtributionem conferendo, ſed ad aliquid aliud: vt ſi beneficium detur alicui, non quia ſit eo dignus, ſed quia conſanguineus, quia diues, quia nobilis, Ratio eſt, quia tunc cenſetur illud bonum tribui perſonæ, vt perſona, eſt, & non vt digna eſt, quandoquidem eæ conditiones perſonæ attenduntur, quæ non pertinent ad dignitatem, reſpectu boni conferendi, & ob id dicitur accipi perſona. Ita D. Thomas 2. 2. *q. 63. art. 1.* Syluius *ibid.* Leſſius *lib. 2. c. 32. dub. 1.* Layman *lib. 4. tract. 2. ca. 15. n. 6.* Syluest. *v. Acceptio perſonarum, num. 1.*

D. Thom. Syluius. Leſſius. Layman. Syluest.

2 Acceptio perſonarum, eſt peccatum contrarium iuſtitiæ diſtributiuæ, & quidem ex ſuo genere mortale. D. Thomas *cap.* & Syluius *artic.* 1. Leſſius *cap. num.* 4. Syluester *cap. num.* 1. Prior pars probatur, quia iuſtitiæ diſtributiuæ munus eſt communia bona diſtribuere ſecundum dignitatem perſonarum, vt rectè totum corpus reipub. ſe habeat, cuius contrarium fit cùm accipitur perſona. Altera pars patet ex D. Thom. 2. 2. *q. 59. art.* 4. Malderus 2. 2. *tract. 9. c. 1. dub.* 1 & alijs communiter: quia ius communitatis violare, ſecundùm ſe, eſt contra iuſtitiam & charitatem, ac proinde eſt ex genere ſuo mortiferum, Ratione tamen paruitatis materiæ, poſſet aliquando eſſe veniale, vt ſi in re parui momenti, v. g. in loco accumbendi ad menſam præferatur minus dignus digniori; vel ſi non ſit magnum diſcrimen inter minus dignum & digniorem. Ad incurrendum autem hoc peccatum duo requiruntur, vt notant Syluester *c. n.* 1 & Syluius hic citati. *Primò*, quòd collatum conferendum ſit ex debito, ſecus ſi ex gratia. *Secundò*, quòd ratio & cauſa dandi nõ faciant ad hoc quod recipiens reddatur dignus accepto. De hoc vitio & eius remedio conſulatur noſter Crouſers *ad cap. 10. reg. Minor. lect. 6. fol. 907. & ſequent.*

D. Thom. Syluius. Leſſius. Syluest. D. Thom. Malderus. Syluest. Syluius. Crouſers.

3 Locum habet acceptio perſonarum. *Primò*, in diſtributione dignitatum & officiorum ſæcularium ad regimen reipub. temporale pertinentium, vt magiſtratum, præturarum, &c. hæc enim ſunt bona quædam communia reipublicę inſtituta ad ipſius commodũ, quorum diſtributio pertinet ad Principem, uel communitatem, unde Princeps iure naturæ tenetur ea maximè idoneis & reipub. utilibus conferre. Leſſius *li. 2. cap. 32. dub. 2.* Diana *part. 1. tract. 1. Miſcellan. reſol. 66. & 4. part. tract. 4. reſ.* 172. Syluius 2. 2. *queſt: 63. art. 2. quæſit. 6.* Malderus 2. 2. *de iuſt. tract. 9. cap. 1. dub. 5.* Quando autem ſit peccatum mortale in huiuſmodi, uide *v. Electio* n. 11. *Secundò*. Acceptio perſonarum reperiri poteſt aliquando in diſtributione iuris facienda per Iudices, dum partibus ius dicunt ius enim ſuo modo eſt bonum quoddã commune debitũ partibus, vnde in hoc diſtribuendo intueri debet Iudex, nõ perſonam, ſed cauſæ æquitatem. *Tertiò*, Inuenitur acceptio perſonarum in diſtributione onerum, hæc enim certa proportione ſunt diſpenſanda, adeò ut ſi ſecus fiat in materia graui ſit peccatum mortale. D. Thomas *q. 63. a. 4.*

Leſſius. Diana. Syluius. Malderus. D. Thom.

Syluius. Leſsius. Syluius *ibid.* Leſſius *c. num.* 7. *Quarto* poteſt interueni acceptio perſonarum in exhibendo honore & reuerentia vt ſi quis in publico conſeſſu, aut in menſa, alicui non aſſignet locum, qui ei ratione eruditionis, virtutis, potentiæ, ætatis debetur, debet tamen id fieri dulo vel lata culpa, alias non cenſetur iniuria. D. Thomas *c art.* 3. Syluius *ibid.* Leſſius *c num.* 8. *Quinto*, locum habet in collatione beneficiorum & in electione & præſentatione ad illa, beneficia enim Iure naturali & poſitiuo debent conferri dignioribus, id eſt, qui optimè putantur officio functuri, vnde ſi cōſanguinitas, amicitia, vel ſimile quiddam nihil ad officium pertinens in electione, præſentatione vel collatione, ſpectetur omiſſis dignioribus, committitur vitium acceptionis perſonarum. D. Thomas *c. a.* 2. Syluius 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. *quæſit.* 4. Leſſius *l.* 2. *c.* 14. *dub.* 13. Diana *p.* 2. *tra.* 1. *Miſcell. reſol.* 37. 38. & 40. Vide *v. Electio.* n. 10.

D. Thom. Syluius. Leſsius. (margin)

D. Thom. Syluius. Leſsius. Diana. (margin)

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quædam notanda recenſentur de acceptione perſonarum in diſtribuendis publicis officijs ſæcularibus.*

2 *Quando peccatum acceptionis perſonarum committatur a Proregibus, Præſidibus conſiliorum regiorum, & alijs, quibus commiſſa eſt poteſtas diſpenſandi officia ſæcularia.*

3 *Quamuis de rigore iuris naturalis ſæcularia officia vēdi poſſint, id tamen non expedit extra caſum grauis neceſſitatis*

4 *Acceptio perſonarum in iudicijs damnabilis eſt & peccatum grauiſſimum, nec iuſtificatur ex conditione perſonæ pauperis.*

5 *Acceptio perſonarum habet etiam locum in iis iudicijs quæ relinquuntur iudicis arbitrio, ſeu de quibus lex nihil ſtatuit.*

6 *Honores dupliciter conſiderantur, tùm vt actu exhibentur huic vel illi perſonæ: tum vt poſſunt huic vel illi exhiberi.*

7 *Ex peccato acceptionis perſonarum grauiſſima oriuntur mala, quæ bonos ſimul & malos offendunt, & inſuper communem vtilitatem enormiter lædunt.*

Acceptio Perſonarum.

1 AD indicandum de acceptione perſonarum commiſſa in diſtribuendis publicis officiis ſæcularibus ſequentia notare oportet.

Primum eſt. Conferre indignis eiuſmodi officia, non ſolùm peccatum eſt mortale, ſed etiam vt plurimum obligare, tum collatorem ad deponendum conſtitutum, à ſe in tali officio, tum eundem conſtitutum, ad reſignandum idipſum officium. Ratio eſt, quia Reſp. in eo læditur, dando ei officialem indignum, cùm dignus ei ex iuſtitia debeatur, vt ergo tali iuſtitiæ, prout debet, ſatisfaciat, amoto indigno dandus eſt dignus: Accedit quòd ex tali collatione naſcatur multorum malorum occaſio, quæ tollenda eſt per remotionem cauſæ ex qua naſcitur. Itaque mortaliter peccant nō modo conferentes indignis magiſtratuum officia, ſed etiam indigni ipſi, qui ſuæ indignitatis ſibi conſcii, talia ſiue acceptant, ſiue retinent, propter iuſtitiæ nimirum diſtributiuæ violationem, in quam conſentiunt, ac propter periculum cui exponuntur agendi multa contra iuſtitiam commutatiuam, quando officia annexam habuerint iuriſdictionem, vt Gubernatorum, Iudicum, Prætorum & cæterorum id genus magiſtratuum. Nihilominus, ſi quis eſſet bene meritus de Principe probèque ſciretur nolle facere iniuſtitiam in exercitio alicuius officij, poſſet talis in eo tolerari, aſſignato ipſi aſſeſſore docto, qui ſuppleat defectum doctrinæ ipſius, vel certè dari ei Vicarius, qui officio illo fungatur accepta congrua ſtipendiorum portione.

Secundum eſt. In electione ad officia ſæcularia maiorem rationem habendam eſſe vtilitatis reip. quod ſpectat ad iuſtitiam commutatiuam: quàm meriti perſonarum, quod ſpectat ad diſtributiuam, ita vt ille aliis ad officium obtinēdū habendus ſit dignior, qui cum maiore vtilitate Reip. illud obiturus cognoſcitur. Ratio eſt, quia talia ſunt principaliter inſtituta ad vtilitatem Reip. eaque de cauſa, in hac honores ac ſtipendia attributa ſūt ſuſcipiētibus illa.

Tertium eſt. Ex collatione publici officij facta indigno præter peccatum, oriri obligationem damna inde ſecuta reſarciendi, tam ab eo qui officium contulit, quam ab ipſo indigno qui damnum intulit. Limita niſi Reſpub. contulerit officium indigno; quia ſi ipſa damnum inde patiatur, debet illud ſibi imputare quæ tali periculo ſe ſponte expoſuerit: cum non fiat volenti iniuria. Secus verò eſſet ſi indignus per vim curaſſet officium ſibi à Repub. conferri: aut eam per malitiam læderet in aliquo læſurum eſſe ea non potuit probabiliter exiſtimare, in vtroque enim hoc caſu is tenetur reſarcire damnum ipſi Reipub. illatum. Præterea tenetur reſarcire damnum per iniuſtitiam illatum ciuibus quantumcumque reſpubl. ei officium ſpōte contulerit. Non enim ea de cauſa excuſatur, vt nec ſi Princeps contuliſſet.

2 Peccatum acceptionis perſonarum ratione infidelitatis committitur à Proregibus, Præſidibus conſiliorum regiorum & aliis quibus à Regibus aliiſve Principibus non agnoſcentibus ſuperiorem in terris ſuis, commiſſa eſt poteſtas & cura diſpenſandi officia ipſa ſæcularia, quando dignoribus præferunt minus dignos. Nam non eſſe eam mentem illorum quorum vices gerunt debent probabiliter præſumere, cum contrarium ſit melius, ac magis deceat bonum Principem: moraliter enim certum eſt, quod Princeps ipſe ad id teneatur, quia ſcilicet alioqui negligerentur ſtudia & alia exercitia, quibus ciues redduntur idonei ad publica munia obeunda. Etenim Rex etiam ex iuſtitia tenetur vitare damnum reipub. vtpote qui ab ea poteſtatem & imperium accepit in vtilitatem illius, non in detrimentum.

3 Quamuis de rigore iuris naturalis, ſæcularia ipſa officia uendi poſſint, id tamen, non expedit extra caſum grauis neceſſitatis. Ratio prioris eſt, quia reſpublica libera, poteſt ſeipſam vendere in caſu grauis neceſſitatis patet ex eo quod Geneſis 47. Ægyptij ſe & ſuam terram, uniuerſam graui neceſſitate famis preſſi, uendiderunt Pharaoni, emente Sancto Ioſeph. Multo magis igitur poteſt officia ſua uendere, quæ ſunt bona quædam publica pretio æſtimabilia, vtpote lucroſa, nec ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa. Malis autem quæ poſſint inde oriri, prouideri poteſt curando, ut nō niſi dignoribus magiſque idoneis idque moderato pretio uendantur. Ratio poſterioris eſt, quia uix poteſt impediri, quin ille qui emit conetur lucrum quærere, non ſolum ad ſuſtentationem ſuam, ſed etiam ad recuperationem pecuniarum, quas pro officio ſoluit: quin item plerumque ambitionis, nec ſatis dignis eadem officia iſto modo dentur, ac quin ea de cauſa langueant ſtudia uirtutis ac literarum, ita ut merito iure ciuili prohibita ſit huiuſmodi uenditio *in Authent. collat.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1.

4 Acceptio perſonarum in Iudiciis damnabilis eſt, ut habetur *Prouerb. cap.* 18. illis uerbis, *Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum.* Neque iuſtificatur ex conditione perſonæ pauperis, cum dicatur Exodi 23. *Pauperis quoque non miſereberis in iudicio.* Hinc de regulis iuris in 6. abſolutè dicitur. *In iudiciis non eſt perſonarum acceptio habenda.* Peccatum autem eſſe grauiſſimum, patet quia monſtro ſimile eſt, ut iudex, qui peculiariter eſt iuſtitiæ cuſtos, iuſtitiam labefactet: prout ei contingit cum in iudiciis ferendis non procedit ſecundum Ordinem iuſtitiæ diſtributiuæ exigentis ut quanto quis dignior eſt fauorabiliori ſententia, tanto magis faueatur ei in iudicio: ita ut iudex contra eiuſmodi ordinem faciat (idcoque perſonarum acceptor ſit) qui alicui indigno patrocinatur ſententia fauorabili, quæ alteri dignori debebatur. Hæc autem dignitas penſanda eſt ſecundum cauſę equitatem uniuſcuiſque perſonæ. Reg. iur. (margin)

5 Acceptio perſonarum habet locum in iis etiam iudiciis, quę relinquuntur Iudicis arbitrario, ſeu de quibus lex nihil ſtatuit. Ratio eſt, quia non minus teneretur Iudex ſeruare Ordinem iuſtitiæ diſtributiuæ in iudiciis, ſi nullæ eſſent ei præſcriptæ leges, quam nunc tenetur conſtitutis legibus. Nam auctoritas ipſi conceſſa eſt ad exercenda iudicia, ea diſpenſando tamquā cōmunia bona, ac uendicando-

do ab iniuriis illos de communitate, qui easdem patiuntur.

6 Honores, qui in republ. singulis pro dignitate exhiberi possunt & debent, dupliciter considerantur: tum vt actu exhibentur huic vel illi personæ, tum vt possunt huic vel illi exhiberi, priore modo non sunt bona communia, in quibus acceptio personarum habet locum, cùm sint particularia ac propria singularum personarum quibus exhibentur. Posteriore modo vero bona sunt communia morali æstimatione; ex qua prouenit vt debeant pro cuiusque dignitate distribui; quod si secus fiat, violata iustitiæ distributiuæ regula, committitur peccatum acceptionis personarum.

7 Ex peccato acceptionis personarum grauissima sæpius oriuntur mala, quæ bonos simul & malos offendunt; bonos quidem, dum ipsi videntes iniquos defendi vel tolerari ab his, qui eos punire debuerant, exasperantur, exulcerantur & ad malum quandoque prouocantur. Malos, quia vel rigidius quàm par est tractantur à Prælato, & tunc contingit, quod contigit Lamech cæco sagittario, qui intendens occidere feram, occidit hominem sic incauti Prælati, dum peccati feram volunt interimere, animam subditi perdunt.

Neque hoc vitium acceptionis personarum bonos & malos tantùm offendit in particulari, sed insuper communem vtilitatem adeò enormiter lædit, vt meritò Antisthenes interrogatus, quæ res potissimum ciuitatibus exitium portenderet, *Cum in his*, inquit, *inter bonos & malos nullum fuerit discrimen*. Sentiebat quidem vir prudens, rempublicam esse non posse in qua leges, qui flagitiosis pœnas decernunt, locum non habent. (Antisthen.)

ACCVSATIO.

SVMMARIVM.

1 *Accusatio quid sit, & quæ de iure requirantur ad illam.*
2 *Differt accusatio à denuntiatione & querela.*
3 *Quando accusator teneatur ex iustitia vel charitate præmittere secretam monitionem.*
4 *Tria cauenda ad iustitiam accusationis.*
5 *Licitum est alterum de iniuria sibi facta accusare.*
6 *In quibus criminibus sit obligatio accusandi apud Iudicem sub obligatione peccati mortalis.*
7 *Quilibet tenetur accusare vel denunciare quando crimen est in fieri contra tertiam personam priuatam, & est probabile per testes.*
8 *Quinam peccent mortaliter & teneantur ad restitutionem, accusationem omittendo.*
9 *Quando officiales non peccent mortaliter non accusando.*
10 *Officiales tenentur ad restitutionem, si aliquid accipiāt vt non accusent: An autem teneantur ad restitutionē eius quod acceperunt? Refertur duplex sententia.*
11 *Officiales dissimulantes & se abscondentes, vt delinquentes capiantur in delicto & puniantur, an peccent mortaliter.*
12 *Praxis & vsus communis officialium est non restituere ex eo quod non accusarunt.*
13 *Quinam iure repellantur ab accusatione.*

1 Libellorum, ff. de accusat. cap. Qualiter, & quando 2. de accusat. Clauis Regia lib. 12. cap. 14. Layman lib. 3. tract. 6. cap. 3. Azorius 3. part. lib. 13. cap. 19. Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 1. Accusatio est delatio rei de crimine ad vindictam publicam libello facta. Et ad eam requiruntur sex. *Primò*, vt fiat in scriptis, quamuis consuetudine receptum sit vt sufficiat verbalis. *Secundò*, vt exprimatur dies & annus quo intentatur. *Tertiò*, nomen accusatoris & accusati. *Quartò*, species delicti. *Quintò* locus & etiam tempus, nempe annus & mensis, quo delictū commissum est. *Sextò* inscriptio accusantis. Notandum autem est vt sufficiat verbalis, debet eam notarius statim in scriptis referre Sextum verò nō est necessarium in foro sæculari, retrahit enim homines ab accusando, & modò non videtur in vsu. Imò neque videtur in vsu in curia Romana, nisi quis per calumniam denuntiauerit. (Clauis Re. Layman. Azorius. Lessius.)

2 Azorius c. cap. 12. Filliucius tract. 40. cap. 7. num. 201. Bonacina tom. 2. disputat. 10. quæst. 3. part. 1. num. 3. Accusatio differt à denunciatione, quod illa semper est ob publicam vindictam criminis, hæc verò non semper, vt cum fit superiori tamquam patri, sed aliquando. A querela autem distinguitur, quia non semper hæc fit ob publicam vindictam criminis, sed aliquando ob priuatum bonum partis offensæ: præterea accusatio fit oblato libello accusatorio, & subscriptione accusatoris; at querela fit nudis verbis, & Iudex deinde ex officio procedit ad accipiendos testes & informationes contra reum. (Azorius. Filliucius. Bonacina.)

3 Angelus v. Accusatio nu. 1. Azorius c. lib. 13. cap. 19. disp. 3 Filliucius c. num. 203. 204. Tabiena v. Accusat. nu. 3. Syluius 2. 2. quæst. 68. art. 1. concl. 3. Quandocumque crimen est probabile in iudicio non tenetur accusator ex iustitia præmittere secretam monitionem sed potest sine iniuria accusationem instituere: quia accusatio instituitur est propter publicum bonum, vt nimirum crimina puniantur ad aliorum exemplum: fieri tamen potest vt prius, quam accuses, vel denuncies iuridicè, tenearis lege charitatis proximum monere vt desistat à crimine, si delictū sit occultum & speretur emendatio: secus est si crimen fit contra bonum publicum & adhuc pendet, vel continuandum putatur in futurum. (Angelus. Azorius. Filliucius. Tabiena. Syluius.)

4 Ad iustitiam accusationis tria cauenda sunt, *Primò* calumnia, id est, imposito falsi criminis ex malitia & scienter, siue fit in causa criminali siue in ciuili; vtroque autem vltra peccatum inducit obligationem restitutionis ad arbitrium boni viri. Calumniator enim dicitur, qui verum crimen, sed quod probari non potest in iudicio scienter obiicit alteri, eodemque modo obligatur ad restitutionem damni. Item si in ciuilibus rem sibi debitam peteret modo indebito, vt adhibitis falsis instrumentis, vel testibus. *Secundò* preuaricatio, quando quis, scilicet cum fraude abscondit crimina, de quibus accusatio proposita erat, dissimulando, & non inducendo veras probationes contra reum vel acceptando falsas exceptiones vt vincatur: si id fiat in causis criminalibus, cum notabili damno reip. aderit obligatio restituendi: in ciuilibus autem liberum est desistere a causæ prosecutione ob lites & impendia. *Tertiò* tergiuersatio est cauenda, quando scilicet absque iusta causa desistit quis ab accusatione obligante eum ratione boni communis vel præcepti iudicis procedentis in causa ex officio. Licet in causa propria possit quis desistere, si in processu agnosceret se errasse, ex metu iusto & propter Principis auctoritatem & imperium. Ita D. Thomas 2. 2. q. 68. art. 3. Clauis Regia lib. 12. c. 15. n. 12. & seq. Syluius 2. 2. q. 68 art. 3. Nauarrus c. 25. num. 32. Toletus lib 5. c. 57. Sotus de secret. memb. 2. quæst 5. concl. 3. Lessius cap. dub. 3. Arragon. 2. 2. quæst. 68. artic. 3. (D. Thom. Clauis Re. Nauar. Toletus. Sotus. Lessius. Arragon.)

5 Vera & communis sententia est licitum esse alterum de iniuria sibi facta accusare, quamuis ad id non teneamur. Clauis Regia lib. 12. c. 14. Salon Bannez, Arragon, Caietanus in 2. 2. quæst. 68. Nauarrus in c. inter verba 11. quæst. 3. nu. 640. Syluius 2. 2. quæst. 68 art. 1. in conf. 1. & 2. ratio prioris est, quia accusatio & vindicato iniuriam auctoritate publica, est actus virtutis iustitiæ, vnde si cum debitis circumstantiis fiat, licitus est cauendum tamen est ne quis ex odio, aut alia peruersa passione accuset. Ratio posterioris est, quia lex gratiæ id consulit, dum in Oratione Dominica precemur Dominum vt dimittat nobis debita, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: ergo non obligatio ad agendum contrarium. (Clauis Reg. Salon. Bannez. Arragon. Caietan. Nauar. Syluius.)

6 Quilibet tenetur sub peccato mortali accusare apud iudicem, quando crimen est contra bonum commune & in fieri, seu in procinctu vt fiat, & est probabile per testes; quale est crimen hæresis, crimen læsæ maiestatis, conspiratio in Principem, recessio, falsificatio monetæ homicidia & furta quæ fiunt ab assassinis, grassatoribus, & latronibus qui viam regiam obsident, ambitio & subornatio suffragiorum in electionibus & maximè circa beneficia, & his similia D. Thomas 2. 2. quæst. 68. art. 1. Layman lib. 3. tract. 6. cap. 3. Filliucius tract. 40. num. 214 Valentia. 2. 2. d. 5. q. 5. quæst. 12. part. 1. Clauis Regia c. num. 6. Nauarrus c. n. 25. Syluius c. concl. 3. Ratio autem est, quia quilibet tenetur impedire damnum pub icum eo meliori modo quo potest, ergo si non potest aliter impedire quam (D. Thom. Layman. Filliucius. Valentia. Clau. Reg. Nauar. Syluius.)

accusando, tenetur accusare: & hoc verum quamuis delinquenti promissum sit secretum cum iuramento, modò non sit secretum confessionis; iuramentum enim tale est de re illicita, similiter etiam si delinquens ob accusationem damnum sit passurus in fama, hoc enim ipsius culpæ imputandum est; quia damnum commune præponderat famæ priuati. Notandum tamen est, quando tale crimen, contra bonum publicum in totum factum A completum est, ita vt nullo modo maneat in actu, non tenetur quis amplius illud accusare, vel denunciare nisi in iudiciū vocatos fuerit a iudice & interrogatus iuridicè, hoc est, cùm criminis illius sit infamia, notoreitas, aut aliqua probatio; secus dicendum si crimen sit omninò occultum. Toletus *lib. 5. cap. 57.* Filliucius *c. num* 216.

Toletus. Filliucius.

7 Quando crimen est in fieri contra tertiam personam priuatam, vel in procinctu vt fiat: si testes habeat, quibus probare possit, quilibet etiam tenetur delinquentem accusare, vel saltem denunciare, vt impediat damnum, quod si crimen non sit in alicuius tertij damnum & præiudicium, etiamsi non sit iam inchoatum, sed sit in procinctu vt inchoetur & fiat, ad nihil tenetur illud sciens nisi ad correptionem fraternam, si sit spes emendationis, opportunitas temporis, & nihil periculi denunciant fraternè redundet, alias enim non tenetur. Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 33. *artic.* 7. Salon *secunda secundæ, quæst.* 68. *con.* 1. Bonacina *c. part. t. n.* 6. Filliucius *c. num.* 217. Clauis Regia *c. n.* 8. & 9.

D. Thom. Salon. Bonacina. Filliucius. Clauis Re.

8 Qui ex solâ charitate tenetur accusare vel denunciare delinquentem contra bonum publicum vel priuatū, si non accusat vel denuntiat, non tenetur ad restitutionem, quamuis peccet mortaliter: Salon *cap. quæst.* 68. *artic.* 1. *contron.* 3. Filliucius *cap. num.* 218. & 219. Clauis Regia *cap. num.* 13. Bonacina *cap. num.* 7. Syluius 2. 2. *quæst.* 62. *artic.* 7. *de muto.* ratio prioris est, quia obligatio restituendi non oritur ex violatione charitatis, sed ex violatione iustitiæ: posterioris autem est, quia quilibet tenetur ex charitate succurrere proximo grauiter indigenti. Illi autem qui ex iustitia tenentur accusare vel denunciare, vt sunt officiales, verbi gratia fiscalis, custos syluarum, gabellarum, &c. vltra peccatum mortale contra iustitiam quod committunt non accusando, tenentur ad restitutionem damni illati ex omissione accusationis, vel denuntiationis, quia qui non facit quod tenetur ex officio, violat iustitiam, ex violatione autem iustitiæ oritur obligatio restitutionis.

Salon. Filliucius. Clauis Re. Bonacina. Syluius.

9 In quibusdam casibus officiales non peccant mortaliter non accusando, vel quia delinquentes contra legem, quam officiales tenentur custodire, id agunt ducti necessitate, vt si pauper ligna cædat ex sylua, quam officialis habet in custodia; vel quia tales delinquentes sunt consanguinei vel amici eorum qui legem condiderunt, & rationabiliter censeri potest non fuisse mentem eorum, vt tales comprehenderent. Idemque dici potest in casu, quo delinquentes tales sunt, vt si licentiam petiissent, habuissent; neque enim Domini censentur inuiti de reipsa, etiamsi de modo non consenserint. Ita Nauarrus *cap.* 17, *num.* 122. P. Nauarrus *li.* 3. *num.* 138. *c.* 4 Clauis Regia *c. num.* 14. Ioannes Medina *Cod. de restit. q.* 12. *dub. vlt.*

Nauar. P. Nauar. Clauis Re. Medina.

10 Officiales qui aliquid accipiunt vt non denuntient, seu non accusent, tenentur ad damnum illatum reipublicæ, aut tertiæ personæ ex illo crimine, vt furto lignorum ex sylua cæsorum, animalium occisorum in agro prohibito & similibus Medina *C. de restit. quæst.* 3. *causa* 10. *versu* 5. Siluius *v. Restit.* 3. *q.* 5. Sotus *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 122. Couarruuias *in reg. peccatum part.* 2. *§.* 2. *num.* 7. *de reg. iur in* 6. Filliucius *tract.* 40. *n.* 220. quia qui cooperantur negatiuè ad damnum cùm alioquin ad id tenentur ex officio, tenentur ad restitutionem damni cui cooperatus est. An autem etiam teneantur ad restitutionem eius quod acceperunt, affirmant *Medina, Syluester & Sotus.* Sed negant *Nauar. Couarru. & Filliucius* & fortè veriùs, vt videre est apud Clauem Reg. *citata num.* 16.

Medina. Syluius. Sotus. Nauar. Couar. Filliucius. Clauis Re.

11 Officiales dissimulantes & se abscondentes, vt alij liberam occasionem nacti delinquendi, capiantur in delicto & puniantur, communiter peccant & hoc mortaliter nisi in casu quo permitterent eos ingredi, vt semel deprehensi iterum ingredi caueant, non tenentur tamen ad restitutionem delinquentibus, si quod illi damnum incurrāt quia ex officio ipsorum non tenentur consulere bono delinquentium, sed bono Reipub. Ita Nauarrus *cap.* 17. *nu.* 173. Syluius *cap.* Corduba *q.* 66. *§.* 2. Filliucius *c. nu.* 221. Ioannes Medina *Cod: de restitut, quæst.* 12. *dub, vlt.*

Nauarrus. Cordub. Filliucius. Medina.

12 Quantum ad conscientiam attinet, in hac obligatione restituendi, maximè valet vsus, & praxis bonorum sunt enim pauci officiales qui restituunt, eò quòd non accusarunt, nec confessores etiam alioquin docti & timoratæ conscientiæ illos obligare solent: imò fortè nec pars læsa communiter censet sibi deberi talem restitutionem: vt docent Clauis Regia *c. n.* 20 Salon 2. 2. *q.* 68. *a.* 1. *con.* 3. Vide *v. Restitutio I I I.* n. 17.

Clauis Re. Salon.

13 Quatuor genera personarum iure repellantur ab accusatione, *C. prohibentur* 2. *q.* 1. *l. qui accusare, ff. de accusat. Primò*, quidam in pœnam proprij peccati vt excommunicati, proditores, publici concubinarij, vsurarij & quicunque iure infames; licet in crimine hæresis, proditioris, vel læsæ maiestatis admitteretur prædictorū accusatio. *Secundò* ob decentiam repelluntur subditi respectu Prælatorum, serui respectu Dominorum, filij respectu parentum, nisi commune bonum postulet vt admittantur ad accusandum. *Tertiò* ob decentiam status repelluntur Clerici, ne Laicos maximè in causa sanguinis accusent, nisi in criminibus quæ vergunt contra bonum publicum, aut priuatum innocentis, aut contra proprium: & tunc præmitti debet protestatio se non intendere vindictam sanguinis, sed bonum commune, vel proximi, vel proprium. *Quartò* excluditur inimicus. Ita Diuus Thomas *quæst.* 68 *artic.* 1. *ad secundum.* Lessius *l.* 2 *c.* 30. *disp* 5. Filliucius *cap. num.* 227. Bonacina *c. num.* 10. Clauis Regia *c. cap.* 14 *num.* 35. Syluius *c. art.* 1. *concl.* 3.

D. Thom. Lessius. Bonacina. Clauis Re. Syluius.

De accusatione vide *Denunciatio n.* 4. *Exhæredatio* n. 1. *Irregularitas* 5. *num.* 12. *Iudicium publicum* num. 1. *Testis.* n. 2

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Qui in accusatione tergiuersatur, incidit in pœnam quinque librarum auri, fiscu applicandarum quando crimen est publicum. secus si sit priuatum.*

2 *Licet quiuis de populo admittatur ad accusandum de delicto publico: excipitur tamen persona accusare prohibita.*

3 *Persona legibus prohibita accusare, admittuntur ad accusandum, quando prosequuntur suā, aut suorū iniuriā.*

4 *Quando accusatio pertinet ad aliquos praeter se quatenus actio quam habebat defunctus, transit ad hæredes.*

5 *Consanguinei omnes vsque ad quartum gradum computandum iuxta ius Canonicum, dicuntur prosequi suorum iniuriam, vnde ergo non possunt ferre testimonium contra illos, sicut nec vxor respectu mariti, ac maritus respectu vxoris.*

6 *Clerici non possunt criminaliter accusare, etiam suorū iniuriam prosequendo, siue pœna sanguinis sit imponenda, siue non, alias irregulares sunt, conqueri tamen possunt apud iudicem, modò protestentur se non intendere pœnam sanguinis.*

7 *De iure communi solum admittuntur proximiores in gradu, quando ipsi accusare volunt.*

8 *Si vxor defuncti concurrat ad accusandum cum alijs consanguineis mariti, aut cum hæredibus extraneis, hæredes mariti admittēdi sunt cum illa ad accusandū*

9 *Quando pater vxorem interfecisset, ex qua filius communis remaneret, etsi filius in eo euentu patrem accusare non teneatur, admitti tamen potest ad accusandum, si velit.*

10 *Si filius defuncti, aut alius consanguineus interfectori remissionem concedat, aut illum accuset, non censetur eo ipso adire hæreditatem defuncti.*

11 *Filius spurius, aut aliter illegitimus licet admittatur iure sanguinis ad accusandum mortem patris, titulo tamen hæredis non admittitur, nisi legitimetur.*

12 *Si*

12 *Si Religiosus patrem habens iniustè interficiatur, non ad patrem, nisi in defectu Monasterij, sed ad Monasterium pertinet accusare eam mortem; ea remittere atque circa illam transigere. Quando autem filios legitimos hæredes in sæculo reliquit, ad ipsos simul cum Monasterio pertinet accusare, &c.*

13 *An Prælati regulares possint abolere accusationem coram ipsis factam aduersus Religiosum subditum.*

14 *An Regulares possint accusari à laicis vel à Religiosis alterius Ordinis.*

15 *Accusatore mortuo, quando aliquis alius possit prosequi accusationem, quando non.*

ACCVSATIO.

1 QVid accusationem criminalem intentauit & post litem contestatam omninò proposuit accusationem non prosequi, non interueniente abolitione eius criminis, vel priuata iudicis videlicet auctoritate facta, vel publica, facta principis, aut legis auctoritate, quod iura tergiuersari in accusatione appellant, in Turpillianum incidit, hoc est, in pœnā quinque librarum auri, fisco applicandarum, si crimen, de quo accusabat, erat publicum, vt habetur *l. 3. §. vlt. ff. de preuaric.* & *l. 1. C. ad senat. consult. Turpill.* Si verò crimen, de quo accusabat, erat priuatum, non incidit in eam Turpilliani pœnam, sed punitur pœna iudicis arbitraria pro criminis qualitate, vt habetur *l. si quis repetere, §. si Stellionatus, ff. ad senat. consult. Turpill.* & consentit communis Doctorum sententia.

3 Licet quiuis de populo admittatur ad accusandum de delicto publico; excipitur tamen, nisi sit persona accusare prohibita talis quippe non admittitur, Eiusmodi sunt mulier, minor, infamis & alij. Notandum tamen est, quod in locis, in quibus iudices ex suo officio procedunt ad cognoscendum de omnibus criminibus: quamuis eiusmodi prohibiti accusare non admittantur ad accusandum, iudices tamen habita notitia eorum criminum ex horum oblata accusatione, delatione, aut querimonia; procedere possunt via inquisitionis ad illa detegenda ac punienda, & proinde in praxi quoad effectum punitionis perinde res se habet ac si prædicti etiam ad accusandum admitterentur. Ita Iul. Clarus *lib. 5. sentent. §. vlt. quæst. 14.*

Clarus. 3 Personæ legibus prohibitæ accusare, admittuntur nihilominus ad accusandum quādo prosequuntur suam, aut suorum iniuriam, idque siue crimen sit publicum, siue priuatum. Vnde si iniuria facta sit mulieri, minori, aut infami, admittuntur ad accusandum prosequendo eam suam iniuriam. Si item delictum est publicum, vt homicidium, aut est quoduis aliud, & is, qui iniuria fuit illo affectus sit mortuus, permittitur vxori & consanguineis, aut hæredibus, tam masculis, quam fœminis, esto minores sint, aut infames, accusare prosequendo eam suorum iniuriam. Item quando actio iniuriarum ad hæredes transit, tunc hæredes siue masculi sint, siue fœminæ & siue minores sint, aut infames, permittuntur accusare eam suorum defunctorum iniuriam prosequendo. Quando itaque lege prohibentur aliqui accusare, id non intelligitur suam, aut suorum iniuriam prosequendo, sed aliorum ac boni communis iniuria ac læsionem prosequendo. Ita habetur *leg. hi tamen omnes, ff. de accusat. leg. non prohibentur, & duabus sequentibus, Cod. de his, qui accusare non possunt.* Affirmatque communis Doctorum sententia quam referunt & sequuntur Clarus *q. 14. citata, num* 2. Anton. Gomez *tom. 3. variar. resol. cap. 1. num. 32.* Clarus. Ant. Gom.

4 Quando accusatio pertinet ad aliquos precisè quatenus actio; quam habebat defunctus, transit ad hæredes tunc actio, prosecutione eius actionis, solum pertinet ad hæredes quicumque illi sint, maximè si accusatio sit ciuilis apd pœnam pecuniariam parti applicandam. Ratio autem est, quoniam solo titulo hæredum repræsentantium personam defuncti ea actio in eos deriuatur. Quando tamen partem aliquam eius pœnæ habiturus esset aliquis alius propter ius, quod ad illam habebat, tunc ad eum etiam spectaret prosequutio eius actionis, aut certè sine consensu illius remitti ab hæredibus non posset pœna quoad portionem ex ea pœna quæ illum contingeret.

Quando autem accusatio esset ad pœnam pro delicto in defunctum commisso, non quidem, quæ idcirco ad aliquos deriuaretur, quod defunctus litem esset contestatus antequam ex hac vita decederet, sed quia delictum esset publicum, vt in homicidio cernitur, aut quia priuilegium id crimen haberet, vt quiuis de populo accusare de illo posset: tunc licet quiuis de populo de eo posset accusare, nihilominus quibusdam peculialiter incumbit accusare de eo crimine tanqam prosequentibus suorum iniuriam: atque hi non solum præferuntur cæteris, sed etiam condonantibus his veniam, nullus alius de populo potest accusare, saltem de iure Castellæ & Lusitaniæ regnorum; tametsi iudex ex suo officio prosequi accusationem possit.

3 Consanguinei omnes vsque ad quartum gradum computandum iuxta ius Canonicum, atque adeo vsque ad octauum gradum computandum iuxta ius Ciuile dicuntur prosequi suorum iniuriam. Item causam suorum prosequi dicuntur, neque cogi possunt ferre testimonium aduersus illos in causa criminali socer, aut socrus comparatione generi, aut nurus, & è contra: vitricus ac nouerca comparatione priuigni, & è contrario; libertus comparatione patroni & vxoris patroni, & filiorum patroni & è contra hi comparatione suorum libertorum. Ita habetur *l. lex Iulia, ff. de testibus.* Et communis Doctorum sententia. Vxor etiam comparatione mariti, & maritus comparatione vxoris, non coguntur ferre testimonium.

Quando item aliquis carens descendentibus & ascendentibus, hæredem instituit aliquem extraneum, aut aliquos extraneos, tunc tales hæredes prosequi dicuntur homicidium defuncti: imò præponuntur in accusatione consanguineis defuncti: non verò vxori, aut marito, quando vxor fuit iniustè interfecta. Ratio autem cur huiusmodi hæredes præponantur in accusatione consanguineis defuncti, est: tum quia de iure communi tenentur accusare mortem defuncti, alioquin hæreditatem fisco amittunt: Tum quia defuncti personam repræsentant; quod non conuenit ijs consanguineis, qui hæredes interfecti non sunt. Ita Anton. Gomez 3. *tom 3. variar. resol. cap. 3. num. 64.*

6 Clerici accusare non possunt criminaliter, etiam suorum iniuriam prosequendo, siue pœna sanguinis veniat imponenda, siue non, *cap. Sacerdotes 2. quæst. 7.* Gomez *citatus cap. 1. n.* 33. Quòd si accusent & sequatur interfectio, aut mutilatio accusati in pœnam, irregularitatem incurrunt. Conqueri tamen coram iudicibus sæcularibus possunt, & petere coram illis competentem emendam, & vt prouideatur ne quid simile in posterum ipsis fiat, de iniuris ipsis factis, aut quæ in ipsos redundant; & damnis ipsis & suis Ecclesijs illatis, esto videant procedendum esse vsque ad pœnam mortis, modò protestentur, non intendere ac velle, vt pœna sanguinis infligatur. Ita habetur *c. 2. de homicid. in 6.* & docent Auctores citati *in to. 1. nostræ summæ verb. Irregularitas V. num. 12.* Gomez.

7 De iure commun: solùm admittuntur ad accusandum proximiores in gradu, quando ipsi accusare volunt, alioquin admittuntur, qui post illos sunt proximiores, satisque est solos proximiores in gradu condonare remittereve delictum. Quod si multi sint æquè propinqui in eo gradu, vt si sint multi filij defuncti, aut multi fratres, tunc omnes æqualiter admittuntur ad accusandum, necessariumque est, vt omnes condonent, seu remittant delictum. Ita Iul. Clarus *lib. 5. sentent. §. vlt quæst. 14. num. &* *q. 58. nu. 21.* Couarruuias *2. var. resol. c. 10. num. 5.* Clarus Couar.

8 Si vxor mariti defuncti concurrat ad accusandum cum alijs consanguineis, aut cum hæredibus illius extraneis, quando illa sola non esset hæres mariti; hæredes marito ex testamento, aut ab intestato admittendi sunt vna cum illa ad accusandum, neq; sufficit remissio talis vxoris, sine remissione hæredum, neque remissio hæredum absque remissione vxoris. Ratio est, quia vxor, qua uxor, non repræsentat personam mariti, vt illam repræsentant hæredes, eaque de causa hæredes vicem personæ mariti subeunt in accusando, & in remittendo post mortem illius. Tam ergo uxor, quàm hæredes mariti admittendi imme-

diatè sunt ad accusandum; vxor quidem tamquam persona magis coniuncta marito, quàm cæteri: hæredes verò tanquam repræsentantes defunctum, & vicem illius post eius mortem ad omnia subeuntes: eaque de causa, tam vxoris, quàm hæredum, necessaria est remissio.

9 Quidam contendunt, quando pater vxorem interfecisset, ex qua filius communis remaneret, tunc filium admittendum non esse ad accusandum patrem, sed admittendos esse consaguineos alios vxoris interfectæ; sufficere nihilominus remissionem filij, qua patri remittat mortem matris, neque necessariam esse tunc remissionē consanguineorum talis mulieris interfectæ. Cæterum quamuis non teneatur filius in eo euentu patrem accusare; non tamen videtur, cur admitti non possit ad accusandum si accusare patrē velit. æquitas verò postularet, vt ad remittendum vxoris mortem non sufficeret remissio filii qui ex affectu ad patrē minimo negotio illi remittet mortem matris, sed simul necessaria esset remissio consanguineorum ascendentium, aut collateralium talis vxoris, qui proximiores tali vxoris essent in gradu: et vt illi ad accusandum admiterentur, esto filius accusare etiam vellet. Vide Iul. Clarum *lib. 5. sent. §. vlt. q.* 58. *num.* 31. **[Clarus.]**

10 Si filius defuncti, aut alius, cui iure sanguinis competebat accusare interfectorem, remissionem illi concedat, aut illum accuset, non censetur eo ipso adire hæreditatem defuncti, siue his heres esset defuncti, ex testamento siue ab intestato. Ratio est, quia cum accusare ac remittere possit solo iure sāguinis, ex eo capite censetur id efficere, quando aliud non constat aliunde, ac proinde non censetur exercere actum hæredis quo tacitè censeatur adire hæreditatem. Ita communis Doctorum sententia, quam refert & sequitur Clarus *cit. q.* 58. *num.* 33. **[Clarus.]**

11 Filius spurius aut aliter illegitimus admittitur iure sanguinis ad accusandam mortem patris, neccessariaque est eius remissio, quatenus aliorum consanguineorum, qui in eodem gradu fuerit, cum defuncto, fuerit solo iure sanguinis necessaria. Quatenus autem hæres non fuerit defuncto, quia incapax hæreditatis, neque priuilegio legitimationis fuerit hæres, non admittitur ad accusandū titulo hæredis, neque eo titulo necessaria an valida est illius remissio.

De iure antem communi, nisi hæredes existant interfecto, vel priuilegio legitimationis, vel alia ratione, vt quia succedit illegitimus matri interfectæ, non competit illi accusare, neque necessaria, aut valida erit illius remissio, nisi in defectu hæredum, qui accusent, & nisi proximiores in gradu & æquè proximi sint defuncto, ac alius, qui solo iure sanguinis ad accusandum admittitur. Atque iuxta hæc accipienda sunt, quę Antonius Gomez & Iulius Clarus *quæst.* 58. *citata num* 26. hac de re affirmant. **[Clarus. Gomez.]**

12 Religiosus, esto patrem habeat, si tamen interficiatur iniustè, non ad patrem, nisi in defectum Monasterij, sed ad Monasterium in quo erat Religiosus pertinet accusare eam mortem, eam remittere, atque circa illam transigere: quia ius totum eius Religiosi transiuit in Monasterium, & per professionem egressus est patriam potestatem. Quando verò interfectus filios legitimos in sæculo reliquit qui nihil impediente professione illius, verè sunt hæredes illius, videtur simul pertinere accusare circa eam mortem ad Monasterium & ad filios, atque vtrumque necessariam esse remissionem. Pertinet id quidem ad Monasterium propter ea, quæ proximè dicta sunt ad filios verò, non solùm propter arctum ius sanguinis, sed etiam quia verè hæredes existunt patri, ipsumque repræsentant Ita Iulius Clarus *quæst.* 58. *citata, num.* 25.

13 Prælati regulares supremi, quales sunt Generales, Prouinciales, &c. abolere possunt accusationem coram ipsis factam aduersus Religiosum subditum, aut impedire accusatorem, ne illam prosequatur, modò id faciant ex iusta causa, nec non citra scandalum & accusatio facta sit à Religioso ipsis respectiuè subdito. Ratio est, quia supremus Princeps potest iusta de causa & modò citra scandalum fiat, tum à principio abolere accusationem tum impedire accusatorem, ne illam prosequatur, & hoc siue accusatio sit de iniuria publica, siue de priuata, dummodò alia via restituantur damna, quæ forte illata sunt accusatori. Tum quia quia Princeps supremus potest dispensare in lege, & potest euenire casus, in quo expediat, quod dispenset, verbi gratia, si qui petitur damnandus sit morte, & sit valde vtilis bono communi. Quæ doctrina sine dubio potest applicari proportionaliter ad præsentem casum, & colligitur ex Sanchez *lib. 6. consil. cap. 4. dub.* 1. *num.* 6. Rodriguez *tom. 2. qq regul. quæst.* 7. *artic.* 7. Pellizzario *in Man. regular. tract. 9. cap. 4. nu.* 88. **[Sanchez Rodrig. Pellizzar.]**

14 Regulares accusari non possunt à laicis, nisi in casu quo suam, aut suorum iniuriam prosequantur. Ratio est, quia accusator & accusatus debent esse eiusdem fori; cū acceusator iuxta sacros Canones teneatur ad pœnam talionis casu quo defecerit in probatione criminis delati, & alias talis pęna à iudice regulari infligi non possit in Laycos, aut Clericos sæculares modo dicto deficientes contra Religiosum ab ipsis accusatum Propter hanç rationem Religiosus vnius Religionis accusare non potest Religiosum alterius Ordinis, nisi suam, aut suorum iniuriam prosequatur in quo casu si Religiosus accusator deficeret in probatione, puniendus esset, siue à proprio superiore, siue à Prælato Religiosis accusati, cui Prælato Religiosus accusator fieret subditus ratione delicti sicque inter dictos Superiores daretur locus præuentioni; vt euenit in delictis mixti fori. Ita Lezana *tom. 1. cap. 27. num.* 25. referens excommunicationem latæ sententiæ à Leone X. in fauorem Ordinis Prædicatorum prolatam cōtra Religiosos, qui alios eiusdem sui Ordinis, ex quauis causa conueniant coram iudice externo, imò & contra ipsum Iudicem, si admittat talem conuentionem. Vide Rodriguez *loco citato, art.* 7. Pellizzarium *loc. cit. num.* 87. **[Lezana. Rodrig. Pellizzar.]**

15 Accusatore mortuo potest aliquis alius prosequi accusationem, si compareat intra 30. dies; imò & post 30. dies si velit de nouo accusare principaliter & per se admitti intra tempus à iure accusationi præfixum. Ita Bartolus *in l. liberorum. § final. nu. 6. ff. de accusat.* Clarus *lib. 5 practic. § fin. quæst.* 51. vbi monet, accusatore desistente posse iudicem procedere, ac processum finire, iis tamen solum in causis, in quibus iudex ab initio potuisset procedere ex officio. Quod si probetur delinquentem obijsse, iudex non debet ad vlteriora procedere, cum crimen & pœna, morte extinguatur, *l. defuncto, ff. de public. iudic.* nec mortuo accusato transeat accusatio in hæredes, *l. 1. Cod. Si reus, vel accusator mortuus fuerit.* Dantur tamen delicta, in quibus etiam post mortem delinquentis procedi potest, cuiusmodi sunt heresis, lęsa Maiestas, &c. & alia in quibus imposita est à iure pœna amissionis bonorum; tunc enim procedi potest contra hæredes ad effectum confiscationis bonorum. Ita Iulius Clarus *suprà.* **[Bartolus. Clarus. Clarus.]**

Vide v. Parentes *n.* 4. Regulares *num.* 21. *vers. Quintus.*

ACEDIA.

SVMMARIVM.

1 *Acedia quid sit.*
2 *Quale peccatum, & de filiabus acedia.*
3 *Potest esse veniale.*

1 ACedia propriè est incuria, negligentia, pigritia, hic autem sumitur pro tristitia quæ contrariatur bono diuino: bonum autem diuinum dupliciter consideratur. 1. vt Deo bonum 2. vt nobis bonum: cùm itaque quis voluntariè tristatur, de sanctificatione nominis diuini conuersione infidelium, profectu iustorum, &c. grauissimè peccat & directè aduersatur gaudio quod nascitur ex charitate. Similiter cum quis dolet se esse creatum ad vitam ęternam grauissimè peccat, minùs tamen quàm ille prior; quia semper ratio voluptatis & tristitiæ sumenda est ex operatione quam sequuntur. Est & alia acedia quę per omnia vitiorum genera vagatur, illa nempe tristitia, quę refugit pulchritudinem & honestatem virtutis oppositæ, ea contristatur, vt gulosus dolet actibus temperantiæ, delectatur contrariis, ignauus dolet actibus fortitudinis, &c. eius autem grauitas expendenda ex necessitate & pulchritudine virtutis cui opponitur; eò enim peior erit, quò de meliori bono doluerit. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 35. *art.* 1. Syluius, Malderus, Bannez *ibid.* Reginaldus

lib. 17.

Toletus. Layman. Bonacina. Filliucius. *lib.17.num.*107. Toletus *lib.de 7.peccat. cap.*68. Layman *lib.2.tract.3.cap.9.nu.*1. Bonacina *tom.2. disp.3.q.4. p.vlt. §.3.nu.*1. Filliucius *tract.*28. *cap.8.q.9. num* 186.

2 Acedia est peccatum mortale ex suo genere si transcendat sensualitatis terminos, attingens vsque ad consensum rationis: quia secundùm propriam rationem contrariatur charitati; cùm proprius charitatis effectus sit gaudium de Deo, Acedia verò sit tristitia de bono spirituali inquantum est diuinum. Numeratur inter peccata capitalia, quia ex Acedia alia peccata oriuntur. *Primò*, malitia, qua homo odio habet ipsa bona spiritualia secundùm se, vel dolens quòd fecerit ea ad quæ obligabatur, vel cupiens non nouisse Christum, desiderando se non fuisse natum, &c. & est mortale. *Secundo*, rancor erga eos qui hortantur ad bona spiritualia, puta religiosos, concionatores, & alios huiusmodi. Et hic est veniale, nisi coniungatur cum odio. *Tertiò* pusillanimitas erga omnia spiritualia tamquam ardua: quæ etiam consistit in subtrahendo se à bonis quæ fieri potuissent timore deficiendi: puta à ieiunijs, religione, &c. & hæc est veniale ex se. *Quartò* desperatio consequen iæ Beatitudinis: & est peccatum mortale, cùm ex consensu rationis pleno fit. *Quintò* Torpor in obseruantia diuinorum præceptorum: & hic mortale est. *Sextò*, Euagatio mentis ad illa illicita: & hæc ex se veniale peccatum est, nisi cùm exigitur ex præcepto aliqua attentio, puta in recitandis horis canonicis, & in audiendo sacrum diebus festis. Ita D. Thom. *c.art.*3 *&* 4. Syluius *ibidem*. Syluest. *verb. Acedia num.*1. *&* 3. Toletus *c. cap.*69. *&* 70. Filliucius *cap. num.* 188. *&* 189. Nauarrus *in Man. c.23 num.*124. *&* 125. Tannerus *tomo* 3. *disp.2. q.6.num* 6.

D. Thom. Syluius. Sylu. Toletus. Filliucius. Nauarrus. Tannerus.

3 Acedia potest esse peccatum veniale duobus modis. *Primò* ratione imperfectionis actus, quia videlicet, non est plenè deliberatus: sed sistit solùm in parte sensitiua, aut in ratione imperfecta. *Secundò* ratione actionis quæ omittitur ex ea; si enim non præcipiatur sub mortali, sed tantùm sub veniali, erit acedia tantùm peccatum veniale, quia tunc charitas non videtur grauiter lædi. Sic D. Thomas *c.art.*3. Syluius *ibidem*. Toletus *c. cap.*69. Syluester *cap num.*1. Layman *c.num.*2.

D. Thom. Syluius. Toletus. Siluester. Layman.

ACTIO ACTOR.

SVMMARIVM.

1 *Actio quid sit, & quotuplex.*
2 *Differentia inter actionem personalem & realem.*
3 *Actor quis dicatur? & quid incumbat ipsi facere, postquam reus citatus comparuit.*

1 ACtio est ius prosequendi aliquid in iudicio, quod sibi debetur *Instit. de act. in princip.* & secundùm Syluestrum *verb. Actus*, verbum *debetur*; largè sumi debet, ita vt dicatur res illa etiam debita, quam quis petit vt suam siue rei vendicatione, siue actione commodati, siue depositi. Duplex est actio. Prima *realis*, quæ datur in rem aliquam, aut nostram, aut nobis obligatam, quæ & vendicatio rei dicitur. Altera est *personalis*, quæ scilicet datur contra personam nobis obligatam ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto. Actio realis alio nomine solet dici ius in re, personalis verò ius ad rem. Actio realis varijs modis competere potest, videlicet, ratione dominij directi, aut dominij vtilis, vel quasi dominij, aut ratione seruitutis, pignoris, seu hypothecæ constitute. Ita Filliucius *tract.*33.*cap.6.num.99.& seq.* Layman *lib.3. tract.4.cap.1. num.*2.

Syluest. Filliucius. Layman.

2 Actio realis differt à personali in eo, quòd realis non sequitur personam actoris, aut eius qui dicitur reus, sed rem ipsam in qua habetur ius reale, quare datur hæc actio contra quemcumque possessorem rei quocumque titulo apud se habeat. Actio verò personalis non egreditur personam, sed semper eam sequitur; nisi sit aliqua alia persona, quæ debitorem repræsentet, vt hæredes debitoris, *l. actionum genera, ff. de act. & oblig.* Filliucius *c. tract.* 33. *num.* 102.

Filliucius.

3 Actor dicitur, qui agit & pulsat alium, rem aliquam ab ipso petens in iudicio, *l. in tribus, ff. de iudic. l. qui prior. ff. de iudic.* Layman *lib.3. tract.6. cap.*3. vnde qui in ciuibus actor, in criminalibus accusator dici solet: Actori verò incumbit postquam reus citatus comparuit, libellum intentionis suæ ante omnia offerre, & per iudicem ipsi reo, vt is deliberare possit, cedere, an litigare malit; quod si actione personali agatur, causa obligationis in libello exprimenda erit; si in actione reali, dominium necessariò inserendum est libello. Vnde libellus actoris syllogismum iuridicum continere debet, cuius proposito sit principium iuris, assumptio verò facti speciem, conclusio petitionem contineat, *l.2. ff. de petitionibus.*

Layman.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quamuis actio furti ad duplum, aut ad quadruplum, & actio ad recuperandam rem furto ablatam, aut æstimationem eius: distincta sint; vtraque tamen actio intentari potest eodem libello.*
2 *Ille a quo aliquid est furto ablatum, potest, si velit aduersus furem agere criminaliter & ciuiliter.*
3 *Actio arborum cæsarum, licet pœnalis sit, est tamen perpetua.*
4 *Actio arborum cæsarum competit domino earum aduersus eum, qui damnum dedit; & competit etiam Emphyteutæ.*
5 *Venditor agri in quo arbores erant, si antequam eum alienaret, damnum datum fuit in arboribus, poterit aduersus damnificatorem agere actione arborum cæsarum.*
6 *Actio de damno dato competit domino rei & hæredibus illius post eius mortem: competit item vsufructuario, nec non possessori rei bona fide & cum titulo, &c.*
7 *Actio aduersus furem, quocumque furti genere, ad rem furto ablatam, ad fructus illius, ad damna omnia, etiam lucri cessantis ex furto subsequuta, competit ei à quo res furto est ablata, tum hæredibus illius.*
8 *Actio furti ad pœnam, solum competit aduersus furem, non verò aduersus illius hæredes: Excipitur tamen crimen peculatus & de residuis.*
9 *Vt competat actio furti, non satis est interuenire furtum formaliter, sed necessarium etiam est, vt interueniat furtum materialiter.*
10 *Si res commodata absque vlla culpa commodatarij furto fuit ex illo erepta: ad solum commodantem attinet agere conditione furtiua & furti actione ad pœnam ipsi applicandam.*
Quando commodatarius tenetur commodanti de re furto ablata; tunc integrum est commodanti, vel agere aduersus commodatarium actione commodati, vel aduersus furem conditione furtiua & actione furti.
11 *Depositario non competit ordinariè actio furti ob rem depositam furto ex ipso ablatam, ita vt agere possit ad commodum pœna sibi applicandum, sed ea actio competit domino talis rei.*
12 *Quando aliquid domini est furto ablatum ex œconomo, aut ex tutore, aut curatore aliquid minoris, tunc his competit actio furti, non nomine proprio, sed domini, aut minoris.*
13 *Qualiter competat vsufructuario actio furti aduersus furem, qui rem mobilem ab ipso abstulit.*
14 *Quibus competat actio furti, si auferantur fructus ex agro locato colono pro certa pensione.*
15 *Quando res est vendita & nondum emptori tradita, si furto auferatur absque culpa vel cum culpa venditoris, qualis actio competat venditori.*
16 *Quid si res esset solùm promissa & antequam esset tradita furto sit ablata.*
17 *Quid, quando res esset alicui legata, & post mortem testatoris, est furto ablata.*
18 *Facilius concedenda est vim passæ actio bonorum raptorum, quam concedatur actio furti.*

ACTIO.

1 QVamuis actio furti ad duplum, aut ad quadruplum & actio ad recuperandam rem furto ablatam, aut æstimationem eius, distinctæ sint, vt patet *§. ex maleficijs, instit. de actionibus*, & *§. vltim. instit. de oblig. quæ ex delict.* seorsimque possint intentari: actio enim ad pœnam solùm competit aduersus furem, & non aduersus hæredes illius, quasi post mortem iuris possit aduersus eos intentari, nec debetur, nisi post latam sententiam. Ad rem verò furto ablatam, si illa existat, agi potest rei vendicatione, etiam aduersus quemcumque illius possessorem, ad quem transierit: & siue existat, siue non, agi potest condictione furtiua ad illius æstimationem, & interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, tam aduersus furem, quàm aduersus illius hæredes, agereque possunt etiam hæredes eius, à quo furto est ablata, eo quòd præstatur verum debitum, quod fur hæredesque ipsius de bonis illius, tenentur soluere in foro conscientiæ, nulla expectata sententia. Quamuis, inquam, hæc ita sint, vtraque tamen actio intentari potest eodem libello, aut certè potest res, aut æstimatio illius, & interesse peti incidenter in eodem libello, in quo intentatur actio furti ad pœnam, iuxta Bartolum *l. interdum, §. qui furem, ff. de furtis*, consentaneè ad eam legem, quæ habet, simul condemnari posse furem, vt restituat rem furto ablatam, & vt subeat aliquâ pœnam ob furti delictum, vbi innuitur incidenter posse peti pœnam, & ad eam condemnari, intendendo recuperationem rei furto ablatæ: & eadem ratione agendo ad pœnam furti, potest simul incidenter peti restitutio rei furto ablatæ. Bartolus.

2 De iure communi Cæsareo, si is, à quo aliquid furto est ablatum, velit agere criminaliter, ad pœnam corporalem, punitur fur pœna corporali, iudicis arbitrio, pro criminis qualitate, & quantitate, & pro qualitate personæ imponenda attentisque circunstantijs omnibus concurrentibus: atque Vlpianus *l. vlt. ff. de furtis*, suo tempore plerumque consueuisse agi aduersus fures criminaliter; id tamen non impedire quominus, qui velit, possit aduersus furem ciuiliter agere, ad pœnam scilicet dupli, aut quadrupli. Et quando agitur criminaliter, accusantem teneri se subscribere, ad talionis pœnam se obligando, non quasi crimen furti sit publicum, cuius accusatio ad quem cumque de populo spectet, sed vt temeritas, ita sine causa accusantium, ea extraordinaria pœna coerceatur. Vlpianus.

3 Quamuis actio arborum cæsarum pœnalis sit quoad incrementum supra damnum datum; actionesque pœnales regulariter non sint perpetuæ, sed solùm concedantur intra annum vtilem, vt habetur *instit. de perpet. & temp. act. in princip.* hæc tamen actio perpetua est, vt habetur *l. furtim in fine, ff. arb. furt. cæsar.* quæ proinde non minori tempore præscribetur, quam præscribantur actiones debitorum prosequutione. Quando autem aliquis clam alienas arbores cædit, aut euellit, lucri faciendi causa, hoc est, gratia vsurpandi, furandi ve ligna, tunc non solùm competit actio legis Aquiliæ, & actio arborum cæsarum, comparatione damni dati in arboribus, sed etiam simul competit actio furti comparatione lignorum, atque actio ad ligna exhibenda. Ita habetur *l. facienda, ff. arb. furt. cæsar.* & *l. verum est, 1. §. eorum, ff. de furt.*

4 Actio arborum cæsarum competit domino earum, aduersus eum, qui damnum dedit. Et competit etiam emphyteutæ, qui dominium vtile habet perpetuum: sed pro æstimatione damni, quod respondet præcisè dominio vtili, vt illi adiudicetur duplum damni illius: quoad reliquum verò æstimationis damni proprietatis, competit domino directo, vt ipsi duplum æstimationis etiam adiudicetur. Atque hoc est quod intenditur *l. cadere, ff. arb. furt. cæsar.* Ea verò lex denegat hanc actionem vsufructuario. Id tamen Glossa ibi intelligit de actione arborum cæsarum directa: secus verò de vtili. Glossa.

5 Qui agrum in quo arbores erant, vendidit, aut quouis alio titulo in alium transtulit, si, antequam eum alienaret, damnum datum fuit in arboribus, poterit, post illud alienatum, agere aduersus eum, qui damnum dedit, actione arborum cæsarum, ad ipsumque pertinet duplum eius damni, & non ad nouum agri dominum. Ita habetur *l. vlt. arb. furt. cæsar.*

6 Actio de damno dato competit domino rei & hæredibus illius post eius mortem, præcisè quoad damnum, atque etiam quoad pœnam, si eis fuerat à defuncto contestata, aut præparata. Competit etiam vsufructuario atque vsuario, sed præcisè quoad damnum in vsufructu, aut in vsu susceptо. Ita habetur *l. item Mela. §. vltim.* & *l. sequenti, ff. ad leg. Aquil.* Item possessori rei bona fide, in qua damnum est datum, competit hæc actio, ita vt repelli non possit exceptione, quod ad ipsum non attineat. Ita habetur *l. item Mela. §. sed si seruus bona fide, ff. ad leg. Aquil.* Quod Glossa intelligit, modò cum titulo possideat. Depositarius item agit loco domini, si sit absens. Et idem videtur esse de commodatario & de quocumque alio legitimo rei detentore, quando dominus rei est absens. Glossa.

7 Actio aduersus furem, quocumque furti genere, ad rem furto ablatam, ad fructus illius, etiam qui percipi potuerunt, & non sunt percepti, aut ad æstimationem cuiuscumque horum, si non existant, aut deteriores sint reddita, itemque ad damna omnia, etiam lucri cessantis, ex furto subsequuta competit, tum ei, à quo res furto est ablata, tum etiam hæredibus illius, & competit, tum aduersus furem, tum etiam aduersus hæredes illius de bonis, quæ ex fure ad ipsos deuenerunt: atque actio ad hæc omnia conditio furtiua nuncupatur, quæ in odium furti comprehendit etiam vendicationem rei furto ablatæ, ac proinde condictio furtiua realem & personalem actionem comprehendit. Ita *l. si pro fure, §. 1. ff. de condict. furt.* Ratio autem cur actio ad hæc omnia transeat ad hæredes eius, qui id damnum iniustè à fure est passus & aduersus hæredes furis, hæc est: quia fur horum omnium est debitor, non in pœnam, sed in conscientiæ foro, nulla expectata sententia, ratione iniustæ acceptionis, damnique iniustè dati, ac proinde rationem sortiuntur verorum debitorum furis, cõparatione eius, à quo furatus est, & cui iniustè id damnum dedit: vera autem debita & transeunt ad hæredes eius, cui debentur, & aduersus hæredes eius qui illa debebat. Quod autem ad hæc omnia competat actio, ex se est notissimum & constat ex *l. 3.* & ex *l. in re furtiua, ac ex legibus seq. ff. de condict. furt.*

8 Actio furti ad pœnam, in omnibus furti speciebus, solùm competit aduersus furem: non verò aduersus illius hæredes, nisi pœna sit pecuniaria, & actio litis contestatione fuerit aduersus furem ante illius mortem intentata: nam tunc hæredes illius tenentur de bonis furis ad pœnam pecuniariam, in qua fur condemnatus fuerit. Ita habetur *instit. de perpetuis actionibus. §. non autem.* Excipe crimen peculatus & de residuis, in quibus ex peculiari priuilegio agi potest ad pœnam aduersus hæredes, etiamsi lis contestata ante mortem aduersus delinquentem non fuerit, vt habetur *l. vlt. ff. ad leg. Iul. peculatus.* (Peculatus autem nuncupatur, quando furto accipitur res publica, ad fiscum Regis, aut ad bona illius, attinens, vel ad ciuitatem Romanam. Cum crimine peculatus est coniunctum crimen legis Iuliæ de residuis. Nempe quando aliquis pecuniam aliquam publicam apud se habet, neque illam in eo expendit, ad quod est destinata, vt insumatur, sed eam conuertit in suum vsum ac commodum, defraudando Principem, aut communitatem, cuius est, aut alios, quibus ex præscripto Principis, aut communicatis, est tradenda, vsu illius ac emolumento) Glossa verò Accursij *§. non autem ci... verb. Contestata*, ait, satis esse actionem fuisse præparatam à defuncto, etiamsi contestata non fuerit: vt hæredi concedatur ea actio aduersus furem: quin, subiungit, hodie concedi ei querelam, etiamsi defunctus actionem non præparauerit. Glossa.

9 Vt competat actio furti, non satis est interuenire furtum formaliter, sed necessarium etiam est, vt interueniat furtum materialiter, hoc est, rei verè alienæ, quatenus furto accipitur, ac verè inuito eo, cuius est, alioquin actio non datur. Quando tamen quis induxisset alienum mancipium, vt furaretur proprio domino, furtumque illud ad se afferret, aut similiter induceret, vt furaretur à patre, atque ad se furtum adduceret, tunc si sciente id domino, aut patre, consentirent, vt id efficeret, gratia puniendi pœna furti, qui id ita consuleret, competeret aduersus eum, qui id

qui id ita consuleret, actio furti domino ac patri. Ita habetur *leg. si quis seruo, C. de furt.* quæ etiam de filio idem disponit.

10 Si res commodata absque vlla culpa commodatarij furto fuit ex illo erepta, ita vt de re commodata non teneatur commodanti, tunc ad solum commodantem attinet agere conditione furtiua, itemque furti actione ad pœnam sibi applicandam, aduersus furem, non verò ad commodatarium: nisi quando commodans esset absens, neque agere posset aduersus furem: nam tunc ad commodatarium attineret actione in factum repetere rem & damna, quatenus ui commodati, teneretur curare, ne res illa commodanti periret, aut in deteriorem statum transiret, interim dum ei non esset reddita. Imò si commodatarius iacturam aliquam ex eo furto est passus, saltem lucri cessantis, quia scilicet ob id furtum priuatus fuit vsu rei sibi commodatæ emolumentoque ex eo usu, quod, perseuerante contractu, erat percepturus, tunc ad id etiam poterit agere.

Quando commodatarius tenentur commodanti de re furto ablata, uel quia culpa commodatarij fuit ablata à fure, vel quia ex pacto apposito tenetur illam soluere commodanti: tunc integrum est commodanti, vel agere aduersus commodatarium actione commodati, uel aduersus furem conditione furtiua & actione furti, & quodcumque elegerit, sciens rem furto esse ablatam, non potest postea pœnitere, relictaque vna actione, intentare alteram. Si tamen ignorans, aut dubitans rem esse furto ablatam, egerit aduersus commodatarium actione commodati; tunc si competit rem furto esse ablatam, necdumque æstimationem rei commodatæ acceperit à commodatario, desistere poterit ab actione commodati, quam aduersus commodatarium intentare cœperat poteritque intentare conditionem furtiuam, actionemque furti, aduersus furem, totaque pœna furti ad ipsum tunc attinebit. Secus autem, si iam à commodatario acceperat æstimationem rei commodatæ: quoniam tunc non poterit intentare actionem aduersus furem, sed ad solum commodatarium spectabit, repetere rem furto ablatam, aut æstimationem illius & damna omnia etiam lucri cessantis, subsequuta, atque agere actione furti ad integram penam sibi accipiendam. Hæc omnia habentur *l. vlt. C. de furt. §. quæ de fullone instit. de oblig. quæ ex delict.*

11 Depositario regulariter non competit actio furti ob rem depositam furto ex ipso ablatam, quasi agere possit ad commodum pœnæ ipsi applicandum, sed ea actio competit domino talis rei. Ratio est, quia regulariter ad ipsum non spectat periculum, sed ad dominum rei illius, si dolus depositarij non interueniat: quando autem dolus interuenit, non debet ex illo reportare commodum, ut ad pœnam sibi applicandam agere possit. Potest tamen agere ad rem recuperandam, vbicumque illam repererit: intellige actione in factum, & interim dum dominus non agit conditione furtiua, *l. cum qui, §. is autem ff. de furt. & Institut. de action. quæ ex delict. §. sed is.* Quia tamen depositarius tenetur de lata culpa, vt à dolo presse sumpto distinguitur, affirmant Bartolus & alij, tunc competere illi actionem de furto, intellige, si soluendo integrè sit deponenti, aut si, quando integrè non sit soluendo, deponens eligat agere potiùs actione depositi aduersus eum, quam aduersus furem conditione furtiua, furtique actione, & quando deponens non est præsens vt agere possit.

12 Quando ex œconomo aliquid domini esset furto ablatum, aut ex tutore, vel curatore, aliquid minoris, tunc competit his actio furti, non nomine proprio, sed domini, aut minoris, neque in commodum proprium, sed domini, aut minoris: quoniam *l. qui iniuria, § qui in alienis, & l. is cuius, ff. de furt.* eiusmodi hominibus, etiamsi ex ipsis res eorum, quorum negotia gerunt, culpa ipsorum furto sint ablatæ, non conceditur actio furti nomine proprio: bene tamen eis conceditur furti actio nomine eorum, quorum sunt tales res, vt habetur *l. interdum, §. qui tutelam, ff. de furt.* Quando tamen dominus rei exigeret rem suam à tutore, curatore, aut negotiorum gestore, cuius culpa esset furto ablata, non prius teneretur eam ei soluere, quàm ipsi cederet actiones suas aduersus furem, atque ex eo puncto agere tutor, curator, aut negotiorum gestor, posset actione vtili furtiua aduersus furem agere, atque item furti actione in suum commodum proprium, vt habetur *l. qui iniuria, §. qui alienis, ff. de furt.*

13 Si res mobilis furto auferatur ex vsufructuario, agit vsusfructuarius aduersus furem quoad valorem præcisè vsusfructus, & proprietarius quoad valorem præcisè proprietatis. Similiter agere poterit proprietarius aduersus fructuarium furti actione præcisè quoad valorem rei deducto valore talis vsufructus, si vsusfructuarius furetur proprietatem, aut si proprietarius rem quoad vsumfructum ex vsufructuario furetur, vt habetur *l. inter omnes, §. si seruus, & seq. §. hæc actio in fine ff. de furt.* fructus autem si auferantur furto à re immobili, cuius usufructus ad aliquem spectat, actio aduersus furem soli usufructuario conuenit.

14 Furto si auferantur fructus ex agro locato colono pro certa pensione, quam colonus soluat, ad solum colonum pertinet actio aduersus furem. Si pro quota fructuum, quam soluit domino agri, illum colat, actio pertinet ad utrumque pro rata Si colonus solùm accipiat quotam in mercedem, actio competit soli domino agri; sed colonus cogere eum potest ut illam intentet, ut ipse accipiat suam partem fructuum & partem pœnæ deductis expensis. Hæc habentur *in l. cum qui, §. prætereà, & leg. apes. §. vlt. & l fullo, §. frugibus, & l. cum in plures, §. messem, ff de furt. locati.*

15 Quando res erat vendita, & nondum tradita emptori, si furto auferatur, absque culpa venditoris, tenetur venditor vel agere conditione furtiua aduersus furem, furtique actione, vt emptori restituat rem & damna, & insuper emolumentum pœnæ furti, quod fuerit consequutus à fure, vel cedere emptori actiones ad hæc omnia, vt uenditor maluerit. Ita habetur *l. cum qui in princ. leg. si vendidero, ff. de furt.* Si autem culpa venditoris res fuisset furto ablata, nec recuperaretur, teneretur emptori ad damna. Quando verò res venditori periret, ageret venditor in suum commodum aduersus furem.

16 Quando solùm res aliqua esset alicui promissa, etiamsi promissio esset stipulatione vallata, & antea quam ei traderetur, furto esset ablata ex potestate promissoris, tunc ad promissorem spectaret agere aduersus furem conditione furtiua, & actione furti: satisfaceretque ei, cui illam promiserat, tradendo illi rem promissam, aut æstimationem illius: non tamen teneretur tradere ei aliquid de pœna furti etiamsi per promissorem stetisset, quominus eam illi traderet tempore congruo. Ita habetur *leg. is cui ex stipulatu, & l. is cuius interest vers. vlt. ff. de furtis.*

17 Quando res alicui est legata, & post mortem testatoris est furto ablata: competit legatario actio furti aduersus furem ad commodum pœnæ: nam eo ipso, quòd legatarius legatum rei determinatæ in singulari sibi relictum acceptat, censetur comparasse dominium illius à puncto mortis testatoris, ac proinde tale furtum commissum est aduersus ipsum, quando iam dominium eius rei comparauerat. Et quod tunc actio furti ad ipsum spectet, habetur expressè *l. si dominium, ff. de furtis.* Si verò ante mortem testatoris sit ablata, legatario solùm competit rei vendicatio illius, aut actio ad æstimationem; hæredibus verò conditio furtiua

18 Quamuis actio bonorum raptorum regulariter solùm concedatur ijs, quibus furti actio concederetur, si in ea iniusta vsurpatione uis non interueniret, nihilominus faciliùs est concedenda vim passis actio bonorum raptorum, quando aliquo modo sua refert rem ex ipsis non esse ereptam, quam concedatur actio furti, ita ut minus interesse eorum sufficiat ad actionem bonorum raptorum eis concedendam, quàm requiratur ad concedendam actionem furti presse sumpti, vt à rapina distinguitur. Ita habetur *l. 2. §. & generaliter, ff. de vi bonor. rapt. & §. vlt. instit. eod. titul.* Plura de actione furti, vide apud Molinam *tract. 2. disp. 696.*

De actione vide v. Adulterium *num. 4. & seq* Compromissum *n. 14.* Contractus *nu. 14.* Pignus *n. 13.* Depositum *nu. 8.* Locatio *n. 14.* Mandatum *n. 11.* Emphyteusis *nu. 21.* Iniuria *nu 8.* Iuramentum *nu. 19.* Legatum *nu. 21.*

SVP-

SVPPLEMENTVM.

ACTOR.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus non potest esse actor in iudicio, nisi in causa propriæ excommunicationis.*
2 *Actor siue sit publicè, siue occultè excommunicatus agere in iudicio non potest.*
3 *Si actor fateatur in se fuisse sententiam excommunicationis latam, in actione sua non admittitur, donec nullitatem excommunicationis ostendat: at extra iudicia non est vitandus.*
4 *Actor ex vi solius excommunicationis non peccat mortaliter ius suum in iudicio petens bona fide procedendo; secus, si interueniat iniustitia ex parte causæ, &c.*

ACTOR.

1 VT actor admittitur excommunicatus in causa propriæ excommunicationis, intendens probare, vel non esse excommunicatum, vel esse absoluendum iuxta *cap. de rescriptis in 6.* Excommunicatus autem extra causam suæ excommunicationis, non potest esse actor, siue in iudicio sæculari, siue Ecclesiastico, vt habetur *in cap. decernimus, de sentent. excommunic. in 6.* Item non potest suum actorem conuenire, quia hoc iam est agere, seu potius reagere. Item nec potest per se, nec per alium agere, quia moraliter loquendo, qui per alium agit, ipse agere censetur: sed in neganda conuentione, non negatur ei beneficium defensionis: nam hoc maximè naturale est, quia reconuentio alterius non est propria defensio, sed noua accusatio; quod intellige de reconuentione quæ est omnino extra causam conuentionis, nam si est de eadem, magis habebit rationem defensionis. Vt si à reo excommunicato Actor debitum petat, & ille respondeat iam soluisse, & cautionem ab ipso de solutione facta accepisse incuria tamen eius fuisse combustam, vel furto sublatam; hoc, & quidquid simile fuerit, non habet vim reconuentionis, sed defensionis. Ita Suarez *de censuris disp. 16. sect. 3.* Syluester *verb. Procurator.*

Suarez. Syluester.

2 Actor siue sit publicè, siue occultè excommunicatus agere non potest in iudicio: quia ipse semper tenetur, quantum in se est, alios vitare, neque illi concessum est ullum priuilegium per *Extrauag. ad euitanda.* Reus verò, quamuis possit non vitare illum, tamen retinet suum ius, ad vitandum, si uelit, & consequenter potest illi exceptionem excommunicationis objicere, etiamsi denunciatus non sit, imò etiamsi excommunicatio non sit publica, dummodo ad illam probandam se offerat.

3 Exceptio excommunicationis tantam uim habet, vt si actor fateatur in se fuisse sententiam excommunicationis latam, nullam tamen fuisse, vel iniustam respondeat, id satis non sit, vt statim ad progrediendum in actione sua admittatur, donec nullitatem excommunicationis sufficienter ostendat. Statuitur *in cap. 2. de sentent. excomm. in 6.* huiusmodi actorem, pendente probationis articulo, in iudicijs vitandum esse; at verò extra iudicia in officijs, postulationibus, electionibus, & alijs legitimis actibus, non esse vitandum. Ratio differentiæ est: quia cùm actor in iudicio sit veluti aggressor, oportet vt prius ostendat se non esse impeditum per iura ad agendum contra alium, qui exceptionem objicit. At verò in alijs actionibus extraiudicialibus, ubi non agitur contra alium, vtitur iure suo.

4 Non peccat mortaliter ex vi solius excommunicationis, ius suum in iudicio petens excommunicatus, donec per exceptionem repellatur, petendo rem iustam & alioqui sibi debitam, & bona fide procedendo, & absque contemptu Ecclesiasticæ censuræ: secus dicendum est, si interueniat iniustitia ex parte causæ quæ proponitur, uel dolus, & fraus in repellenda exceptione, uel quippiam simile, quia ex hoc capite poterit esse mortale. Item non peccabit, si graue damnum, aut præiudicium immineat ex dilatione & mora, si prius procuranda sit absolutio, quàm in iudicio audiatur, v.g. si moraliter timeatur fuga debitoris, nisi à iudice capiatur, quia in his euentibus, non tam potest dici agere, quàm defendere se & tueri. Ita Suarez *c. 5. Ex his autem, num. 9.*

Suarez.

Vide v. Excommunicatio 2. *n. 15.* Gabella *n. 13.* Regulares *nu. 19. & seq.*

ACTVS.

SVMMARIVM.

1 *Actus qui fiunt contra legem irritantem sunt inualidi.*
2 *Ad actus irritationem incurrendam non requiritur scientia legis irritantis.*
3 *Actus qui fiunt contra legem prohibentem non sunt inualidi per se.*
4 *Actus celebrati sine forma substantiali, in vtroque foro sunt inualidi. Et an quælibet omissio formæ substantialis reddat actum irritum?* Refertur duplex sententia.

1 ACtus qui fiunt contra legem irritantem ipso facto, inualidi sunt, non solùm in foro externo, verùm etiam in foro conscientiæ, *Reg. 64. de regulis iuris, in 6.* Salas *de leg. disp. 16. sect. 4.* Lessius *lib. 2. cap 17. disp. 6.* quia penes legislatorem residet potestas irritandi actus factos contra legem, cùm possit certam actibus formam præscribere, cuius defectu cesset actuum obligatio; vnde qui contractu irrito rem accipit, non potest illam tamquam propriam retinere, vi talis actus præcisè. Ad cognoscendum autem an lex irritet aliquem actum ipso facto, inspicienda est forma verborum, aut ipsorum sensus, præsertim an verba contineant irritationem, vel tantummodo negent actionem in judicio: vnde irritus est actus qui sub hac loquendi forma prohibetur; *Ipso iure irritus sit, non valeat, pro infecto habeatur, careat viribus, nullas vires habeat, incassum aget, frustra aget, locum non habeat.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 16.* Suarez *de leg. lib. 5. cap. 24. & 32.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1 6. 7. §. 5. nu. 13.* Hæc autem irritatio ipso facto incurritur ante declarationem, quoties irritatio non fundatur in falsa præsumptione, seu quoties non seruatur forma substantialis ad valorem actus requisita; quando autem irritatio est purè pœnalis, putant probabiliter quidam requiri sententiam declaratoriam ad incurrendam actualem irritationem. Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 4. & 17* Salas *c. sect. 3.*

Salas. Lessius. Layman. Suarez. Bonacina. Sanchez. Salas.

2 Ad incurrendam irritationem actus, illius præsertim qui defectu formæ substantialis irritatur, non requiritur scientia legis irritantis. Nauarrus *cap. 23. num. 44* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 2. num. 7.* Sanchez *c. disp. 17. nu. 10.* quia lex per se irritat talem actum, & non respicit cognitionem, aut scientiam operantis; vnde, qui bona fide & ex ignorantia profitetur ante decimum sextum annum, inualidè profitetur. An autem ex actu humana lege irrito inducatur naturalis obligatio, seu in conscientia: dicendum est quòd non. Sotus *lib. 4. quæst. 5. artic. 3.* Sanchez *cap. lib. 1. disp. 7. num 16.* quia ex actu cui lex resistit, nulla nascitur naturalis obligatio; propterea Ecclesia & Principes possunt actus in vtroque foro irritare.

Layman. Sanchez. Sotus. Sanchez. Nauarrus.

3 Actus qui fiunt contra legem prohibentem, non sunt inualidi per se, & ex natura sua, ex eo solùm capite, quòd prohibentur à lege; quia aliud est irritare, & aliud prohibere, & aliqua prohibentur, quæ valida sunt, iuxta tritum sermone Prouerbium: *Multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent.* Aliunde tamen fieri potest, vt actus factus contra legem prohibentem sit irritus, vt patet in actu celebrato contra jus commune, prohibens talem actum; talis tamen actus non est irritus in foro conscientiæ & ante sententiam iudicis, sed est irritus, quia per Iudicis sententiam ita declarari potest irritus, ac si fuisset irritus à principio, ab eo videlicet tempore, quo talis actus præstitus fuit. Requiritur ergo, vt actus prohibiti lege Canonica, aut alia sint inualidi, vt addantur particulæ irritantes. Ita Suarez *de leg lib. 5. cap. 25. 27. & 28.* Salas *de legibus, disputat. 16. sectio. 8. num. 26.* Reginaldus *libr. 13. num. 185.*

Suarez. Salas. Reginald

4 Actus celebrati sine forma substantiali, seu sine solemni-

lemnitate requisita à iure, inualidi sunt, non solùm in foro externo, verùm etiam in foro conscientiæ: quia sicut in physicis res non subsistit sine forma substantiali, ita in moralibus res, seu actus non subsistet si celebretur sine solemnitate, seu forma substantiali requisita à iure. Cognoscitur autem aliqua forma, seu solemnitas esse substantialis, & non tantummodo accidentalis. *Primò*, quando præscribitur aliqua forma, seu solemnitas, apposita clausula irritante. *Secundò*, quando præscribitur aliqua solemnitas, dum committitur, seu communicatur alicui potestas ad faciendum aliquid seruata tali forma, seu solemnitate. *Tertiò*, quando aufertur, aut limitatur potestas ad aliquid faciendum cum tali forma. Suarez *de legibus, lib. 5. cap.* 32. Sanchez *de matrim. lib. 3. disp.* 33. *num.* 3. *&* 4. Molina *tract.* 1. *disp.* 81. Guttierrez *de matrim. cap.* 61. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 7. *&* 8. An autem quælibet omissio formæ substantialis reddat actum irritum, affirmant Azorius 1. *part. lib* 5. *cap.* 28. & Suarez *cap. nu.* 10. Negant Molina *cap.* & Sà *verb. Interpretatio, num.* 6. dicentes ob leuem formæ omissionem non effici actum irritum, quia parum pro nihilo reputatur: & hæc sententia est probabilior: quamquam magna prudentia opus sit in dijudicanda grauitate, & leuitate omissionis; nam fieri potest, vt aliqua omissio sit leuis entitatiuè & physicè, & nihilominus moraliter censeatur grauis.

Suarez. Sanchez. Molina. Guttierrez Layman.

Azorius. Suarez. Molina. Sà.

Vide *Consuetudo* nu. 8. tc. 11. *Indulgentia.* 2. num. 6. 7.

ACTVS HVMANVS I.

Quid sit actus humanus, & quid voluntarium.

SVMMARIVM.

1 *Actus humanus quid sit.*
2 *Quid voluntarium.*
3 *Voluntarium duplex perfectum & imperfectum.*
4 *Voluntarium perfectum aliud est liberum, aliud necessarium.*
5 *Actus liber quis sit? duplex libertas voluntatis, vna contradictionis, altera contrarietatis.*
6 *Libertatem contrarietatis an habeat homo in hac vita circa bona particularia, & circa bonum & malum in communi.*
7 *Ad peccandum vel merendum, an requiratur voluntarium liberum.*
8 *Sicut duplex est necessitas, vna legis præcipientis siue prohibentis, altera, necessitas naturæ: Ita duplex est etiam libertas, vna ab obligatione legis; altera à necessitate naturæ.*
9 *Homo est liber in actibus naturalibus et ciuilibus. Contra Lutherum.*

§. 1.

Soluuntur obiectiones Lutheri contra libertatem voluntatis.

§. 2.

An verum sit, Deum ideo præscire futura, quia futura sunt.
10 *An voluntas nostra priùs natura Physicè moueatur à Deo, quàm ipsa seipsam moueat & determinet ad agendum?* Refertur triplex sententia.
11 *Libertate voluntatis gaudet etiam homo in actionibus moralibus.*
12 *In actionibus supernaturalibus est etiam homo liber.*
13 *Actus humani diuiduntur in elicitos & imperatos.*
14 *Homo non potest cogi in actibus à voluntate elicitis: benè tamen in imperatis.*
15 *Necessitari potest homo in actibus à voluntate elicitis tum obiectiuè, tum efficienter:*
16 *Solus Deus efficienter potest necessitare voluntatem.*
17 *Voluntarium an possit esse sine omni actu.*
18 *Voluntarium aliud est directè, aliud indirectè.*
19 *Quid voluntarium directè & indirectè.*
20 *Voluntarium directum triplex.*
21 *Virtualiter voluntarium quid.*
22 *Quid habitualiter voluntarium.*
23 *Multiplex est voluntarium indirectè.*
24 *Multis modis potest peccatum interpretatiuè esse voluntarium.*
25 *Vt voluntarium sit sine omni actu, tria requiruntur,* Posse, debere, *&* non facere.
26 *Voluntarium an semper censeatur id, quod sequi solet ex causa volita.*

1 Actus humani dicuntur, qui homini proprij sunt, quatenus homo est; qui videlicet, à voluntate deliberata procedunt, quorumque homo est Dominus, per liberum voluntatis arbitrium, vt ad finem sibi propositum peruenire possit: D. Thomas 1. 2. *quæst.* 1. 6. *&* 7. Vasquez 1. 2. *disp.* 23. *& seq.* Syluius 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. Filliucius *tract.* 21. *num.* 48. *& seq.* hoc interest inter actus hominis & belluæ; quòd hæc tantùm sensu mouetur ad id quod præsens est, necessarioque illi sese accommodat, paululum sentiens præteritum, aut futurum: Homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum & effectus considerat, ex præteritis colligit futura, & ad finem sibi præstitutum præparat res necessarius, aut valdè vtiles, totiusque vitæ suæ cursum ad portum fœlicitatis vtcumque dirigere potest: vt colligitur ex D. Thoma & alijs Doctoribus hic citatis.

D. Thom. Vasquez. Syluius. Azorius. Filliucius.

2 Voluntarium est quod à principio intrinseco cum aliqua finis cognitione procedit; ratio prioris est; quia quæ extrinsecùs mouentur nihil habent voluntarij, quatenus ita mouentur, sed potiùs violentiam, aut coactionem, aut necessitatem: Posterioris autem; quia voluntarium ab appetitu vitali procedit, qui appetitus sequitur formam apprehensam; & sicut motus naturalis dicitur, qui est ab appetitu naturæ, ita motus voluntarius, qui ab appetitu voluntatis est. Voluntas autem, essentialiter conuenit homini, bestijs autem per quandam participationem & similitudinem. D. Thomas 1. 2. *quæst.* 6. *art* 1. *&* 2. Syluius *ibid. art* 1. Filliucius *cap. nu* 52. Layman *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 1. *nu.* 1. Præpositus 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 1. Clauis Regia *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 1.

D. Thom. Syluius. Filliucius. Layman. Præposit. Clauis Re.

3 Voluntarium duplex est: perfectum & imperfectum: quia cognitio finis potest esse perfecta, quando nimirum cognoscitur formaliter & apprehenditur, non solùm res, quæ est finis, sed etiam ratio finis, & proportio mediorum ad finem: & potest esse imperfecta, quando tantùm cognoscitur materialiter, v. g. quando sistitur in sola finis apprehensione, sicut faciunt bestiæ per sensum & æstimationem naturalem, sine vlla ordinatione mediorum ad finem. Prioris generis sunt, omnes actus humani, qui laudi vel vitio dantur. Posterioris, sunt omnes passiones & motus appetitus sensitiui præuenientes aduertentiam rationis; & multi motus voluntatis siue in bonum, siue in malum, vt sunt omnes gratiæ præuenientes, vt sic, omnes tentationes ad peccatum, motus infidelitatis, blasphemiæ, vindictæ, &c. quæ rationem anteuertunt. D. Thomas *cap. quæst.* 6. *art.* 2. Syluius *ibidem*. Filliucius c. *nu.* 55. 56. *& seq.*

D. Thom. Syluius. Filliucius.

4 Voluntarium perfectum, aliud est liberum, aliud necessarium: quia quædam ex perfecto rationis iudicio ita volumus, vt possimus non velle, aut velle etiam contrarium, quædam autem ita volumus, vt non possimus non velle, aut velle contrarium; vnde hæc necessitas: nihil aliud est, quàm determinatio quædam voluntatis ad vnū, siue quoad speciem, sicut viatores necessitantur ad amandum beatitudinem in communi; siue quoad exercitium, quo modo comprehensores & beati necessitantur amare Deum clarè uisum. Sic Syluius c. *quæst.* 9. *art.* 1. *& q.* 10. *artic.* 1. *conclus.* 2. Tannerus *tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 1. *dub.* 2. *nu.* 31. *&* 37.

Syluius. Tannerus.

5 Actus liber est, qui procedit à principio uoluntario libero: tale autem liberum, siue quod idem, Liberum arbitrium, secundùm D. Thomam 1. *part. q.* 83. *art.* 4. *in corp.* nihil est aliud quàm uis electiua, id est, est ipsamet uoluntas, quatenus ex præuia deliberatione & iudicio practico

D. Thom.

intel-

intellectus, sic potest eligere unum, ut ex alio præuio iudicio, possit eligere eius contradictorium. Et licet liberū arbitrium Dei, agit à nullo alio motum, vtpote idem quod Deus & proinde infinitum, independens ac omnium primum, arbitrium tamen creatum tam Angeli, quàm Hominis, agere non posse, nisi priùs natura physicè & efficaciter à Deo motum ac determinatum ad agendum,
D. August. patet ex D. August. & *lib. de corrept. & grat. c.14. & 15.*
D. Thom. Item *lib.5. de Genes. ad lit. c.20.* ex D. Thoma *c.q. 105. & 1.2.q.109. art.6.* & *lib. de potent. q.3. art.7.* plurimis in locis, vt optimè docet *Eximius Dominus Franciscus Sylvius Vice Cancellarius Regalis Duacenæ Academiæ*, tum in suo libro de motione primi motoris Duaci impresso anno 1609. vbi recenset plurimos alios similiter sentientes, tum alibi, in suis doctissimis D. Thomam commentarijs. Ratio autem est, necessaria subordinatio, & dependentia creaturæ à creatore in esse, posse, & agere, præcipuè si attendamus omnes causas secundas & volū-
D. Thom. tates nostras esse instrumenta Dei, iuxta D. Thom. *de verit. quæst.24. art.1. arg. num.5.* Nam vt creatura sit, accipit à Deo essentiam & existentiam, vt possit accipit potentiam, vt agat verò accipit motionem, hoc quidem cum tam essentiali dependentia, vt sicut nisi Deus det conseruetque illud esse, ipsa est nihil, & nisi addat potentiam, ipsum esse nihil potest; similiter nisi moueat & quasi excitet potentiam ad agendum, potentia dormit, mota autem & excitata, simul cum Deo cooperante eundem effectum operatur, & illa essentialis subordinatio præbet homini (si attendat) realem fundum super quo hypothecanda est eius sincera humilitas. Vnde libertas voluntatis duplex est, vna secundùm *exercitium*, quæ dici solet libertas contradictionis, & est potestas siue indifferentia ad agendum, & non agendum: hanc libertatem habet homo in hac vita circa omnia obiecta: Altera est libertas quæ dici solet *specificationis* siue *contrarietatis*; & est potestas siue indifferentia tum hanc, tum contrariam actionem circa idem obiectum exercendi, v.g. circa Deum, amorē & odium. Ita Sylvius *1. part. quæst.83. art.3. & 4. quæsit.*
Syluius. Azorius. Fillucius. Becanus. *3. & 1.2. quæst.9. artic.1.* Azorius *c. lib 1. cap.2. quæst.5.* Fillucius *c. num.62.63. & seq.* Becanus *in summ. de liber. arbitr. cap.1. q.2. num.3.*

6 Libertatem contrarietatis habet homo in hac vita circa omnia bona particularia, non item circa bonum & malum, siue fœlicitatem ac miseriam in communi; ratio prioris est, quia nullum particulare obiectum, quod intellectui in hac vita adeò bonum apparcat, vt non etiam iu eo reperire possit aliquam rationem malitiæ siue inconuenientiæ, comparatione ipsius appetentis hoc loco, tempore, &c. quin & ipsa priuatio, v. g. mors propria, quatenus à maiore malo liberat, bona & appetenda iudicari potest, non quidem per se, sed per accidens. Posterioris autem ratio est, quia adæquatum, siue totale obiectum voluntatis volentis est bonum, adæquatum verò obiectū voluntat. s nolentis est malum; sed in bono vniuersim consideratio, non reperitur illa qua ratio mali, neque in malo, siue in miseria abstractè considerata reperitur aliqua ratio boni, Ergo voluntas odisse non potest fœlicita-
D. Thom. Azorius. Layman. Becanus. Syluius. tem, neque amare miseriam in communi. Ita D. Thom. *1.2. quæst 10. artic.2.* Azorius *c. cap.20; quæst.5.* Layman *lib.1. tract.2. cap.2. num.4.* Becanus *cap.2. qu.7. n.6. & 7.* Sylvius *1.2. q.10. art.2. conol.1. & 2.*

7 Ad peccandum uel merendum vitam æternam omnino requiritur voluntarium liberum. Sylvius *1.2. quæst:*
Syluius. Bellarm. *114. art.2. quæsit.1.* Bellarmin. *de amiss. grat. & stat. pecc. lib.2. c.a.18.* nam nemo peccat in eo quod vitare non potest, & laudatur in scripturis is qui potuit trasgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit. *Ecclesiastici 31.* Opera autem necessaria, quamuis maximè sint voluntaria neque laudem, neque vituperationem, nec præmium, nec pœnam merentur, quia tamen in viatoribus, nullus est actus perfectè voluntarius, qui non sit etiam liber (si vnicum excipias circa beatitudinem in communi) ideo San-
D. August. cti Patres vsurpant passim voluntarium pro libero, vt cū D. August. *lib. de vera relig. c.9.* dicit, peccatum vsque adeò esse voluntarium ut si voluntarium non sit, peccatum non sit.

8 Sicut duplex est necessitas, una legis præcipientis, siue prohibentis, quæ non est simpliciter dicta necessitas sed ex hypothesi, si culpæ reatum ac pœnam declinare velis: Altera est necessitas naturæ & propriè dicta, sic homo sumpto cibo non potest non nutriri. Ita duplex est etiam libertas, vna ab obligatione legis: qua ratione libera opera dicuntur, quæ sub præceptum non cadunt. Altera est libertas à necessitate naturæ, qua ratione libera opera dicunt ea omnia, quæ non naturæ impetu, sed ex deliberatione rationis & electione voluntatis fiunt, & vocantur actiones morales, quia pertinent ad mores. Vide Tannerum *tom.1. disp.2. quæst.1. dub.2.* Becanum *de lib. arbitr. c.2. n.3.* Sylvium *1. p.q.83. art.3. & art.4. quæsit.2.* Tannerus. Becanus.

9 Homo est liber in actibus naturalibus & ciuilibus; quia multa sunt media contingentia utilia quidem ad finem, sed non necessaria, quæ potest voluntas arripere, aut respuere, vt ipsa experientia docet D. Thomas. *1.p.* D. Thom.
quæst.83. artic.2. & *1.2. quæst.13. art.6.* & *quæst.24. art.1. & 3. Magister 2. dist.25 lit.F.* Sylvius *1. part. q.14. a 13.* Syluius.
q.2. Tannerus *1.p. disp.2. q.8. dub.10. & 11.* & *tc.1. disp.2.* Tannerus.
q.1. dub.1. n.12. Bellarmin. *lib.4. de grat. & lib. arbitr. c.5.* Bellarmin.
& 7. Vasquez *1. part quæst.14. artic.8.* & *disp.68. cap.6.* Vasquez.
Contra *Lutherum*, qui ducet omnia absoluta necessitate fieri, eò quòd Deus præscit infallibiliter actiones nostras ergo (inquit) necessariò sunt euenturæ, alioqui falleretur præscientia diuina: ad quod dicendum est eam necessitatem tantùm esse consequentiæ, non autem consequentis. Ex eo enim quòd supponitur, Deum eas ab æterno præscire, ac præscientiam eius falli non posse, necessariò sequitur, id est, optimè & infallibiliter infertur, quòd euenient, & illa est, quā vocant consequentiæ, necessitas autē consequentis hic nulla est, cùm consequens hic, saltem incomplexum, sit ipsa actio humana, quæ quando euenit, non fiet necessariò, seu ex necessitate naturæ ad vnam determinatæ, sed liberè & per electionem, nimirum à nostra voluntate tanquam à causa, ex natura sua indifferente & indeterminata, ac per præuium intellectus iudicium seipsam ad alterutram contradictionis partem determinante, quod ipsum non est necessitas consequentis, vt patet, sed propriè dicta libertas.

§. I.

Quod attinet ad illud absurdum quod Lutherus imaginatur secuturum, nempe quòd falleretur Dei præscientia, nisi actiones nostræ futuræ, fierent absoluta necessitate. Dicendum est, tantum abesse vt potius è contrario sequeretur Dei præscientiam falli, si poneretur præscire tem aliquo modo eunturam, quam nata sit euenire, adeoque ne erremus circa Dei præscientiæ infallibilitatem certissimè credere debemus Deum infallibiliter præuidere omnia futura, non solùm necessaria, sed etiam contingentia & libera, & quidem singula eo modo, quo pro conditione causæ suæ, nata sunt euenire, necessaria necessariò, contingentia contingenter, libera liberè & per electionem. Porrò illa certitudo præsciendi in Deo, non bene potest dici fundari præcisè in voluntate humana, quasi ille ab æterno, certò præuideri possit ad quam partem contradictionis, ipsa seinetipsam sit determinatura, quia causa secunda libera, antequam de facto agat, est ex natura sua intrinsecè & essentialiter indeterminata, eò quòd omni tempore præcedente instans actionis, sit ex se, & in se verissimè indifferens ad vtramque partem contradictionis, Proinde nulla certitudo præsciendi actus liberos humanos, potest peti ex præuisa vlla determinatione in voluntate, seu causa libera, cùm in ea nulla sit determinatio ante actionē, repugnat autem Deū verè præuidere causam aliter, quam ipsa in se essentialiter sit. At verò Deus præcognoscit infallibiliter futura contingentia & libera in semetipso, nimirum secundum esse obiectum, quod habent in essentia & mente diuina, D. Thom.
prout docet D. Thomas *1. p.q.14. ar.5.* & *q.25. art.5.* Et cùm diuina voluntas ab æterno præterminarit futura esse omnia, quæ futura sunt, ipsisque aptare decreuerit conuenientes causas proximas, necessarias necessarias, liberis liberas, eàsque suo tempore ad ea producenda præmouere; ex eo etiam capite futura nostra libera certissimè præcognoscuntur à Deo, cùm non possit nescire quod

decre-

D. Thom. Syluius.

ueri facere: ipse enim est omnium causa & proinde (inquit D. Thomas 1.part.q.14.art.7.) effectus suos in seipso videt, sicut in causa. Vide Syluium *libro de motione primi motoris, part. 2. art. 12.*

§. 2.

Syluius. D. Thom. D. Bonau. D. Ansel. D. August. Syluius.

Malè autem putant quidam, Deum ideò præscire futura, quia futura sunt quasi res futuræ sint causa scientiæ Dei: cum è contra sit. Syluius *de motione part. 2. ar.* 13. Scientia enim Dei adiuncta uoluntate, est causa rerum futurarum, vt probat D. Thomas 1. *part. quæst.* 14. *art.* 8. per comparationem ad scientiam, seu artem Artificis, quæ est causa rerum artefactarum, unde res à Deo scitæ non sunt priores eius scientia, sicut apud nos est, sed sunt ea posteriores (inquit idem Sanctus contra Gentes,) proinde diuina scientia non pendet ex re scita, inquit D. Bonauentura *in 1. sent. dist. 39. quæst. 2.* Hinc D. Anselmus *lib. de concordia præscientiæ & prædest. cap. 7. Si Deus*, inquit, *à rebus habet scientiam, sequitur quod illa prius sint quàm eius scientia*, & *sic à Deo non sint, à quo nequeunt esse nisi per eius scientiam*. Ita & D. Augustinus *de Trinit. lib. 15. cap. 13. Non quia sunt*, inquit, *ideo nouit sed ideo sunt, quia nouit*. Quod bene probat Doctor Syluius *citatus*, ubi suprà art. 13. *Quia si ideo sciret Deus*, inquit, *res esse futuras, quia futura sunt: quærenti quare futura sunt, quid tandem respondebimus? Nunquid fides nos docet res ideo esse futuras, quia Deus vult esse futuras, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Prius ergo natura est, Deum velle res esse futuras, quàm quod futura sint, sicut causa prior est effectu, & consequenter etiam prius est Deum scire res esse futuras, quàm quod futuræ sunt, quod enim est prius priori, est prius posteriori, sed scientia Dei est prior (iuxta modum nostrum concipiẽdi priori) scilicet voluntate Dei, ergo est etiam prior posteriori, id est, quod res sint futuræ.* Nec obest quod *Origenes* in Epistola ad Romanos dicit, quod quia futurũ, ideo scitur à Deo antequam fiat, nam hoc intelligendum est, secundum causam consequentiæ, inquit D. Thomas 1. *part. q.* 14. *art.* 8. non secundum causam essendi: sequitur enim si aliqua sunt future, quod Deus ea præsciuerit, non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus sciat. Nihilominus dici etiã potest, quod si sermo sit de Dei scientia merè & præcisè speculatiua, prout non habet adiunctam uoluntatẽ diuinam, ipsa ut sic, non est causa rerum, cùm etiam præsciat peccata, quorum tamen non potest esse causa. Ex quibus omnibus colligi potest, cõtra *Lutherum* diuinam præscientiam falli non posse, circa futurarum actionũ nostrarum, etiamsi sint liberæ, cùm ipse, vt dictum est per suam præscientiam sit causa futuritionis earum.

10 Contra hanc libertatem opponitur à quibusdam, uoluntatem nostram non uideri posse priùs natura Physicè moueri à Deo, quam ipsa seipsam moueat, & determinet ad agendum, alioqui enim præmotio illa Dei necessitatem uoluntati nostræ inferret & libertatem tolleret; proindè que præstare admitti tantummodo quamdam Dei indifferentem concursum cum uoluntate nostra simultaneum, in solum effectum uoluntatis nostræ, absq; prædeterminatione, seu Dei influxu in ipsam uoluntatẽ, quo ipsa priùs natura applicetur ad agendum.

Alii dicunt, uoluntati nostræ necessariam esse hãc motionẽ, seu prædeterminationem, nec posse in actum suum procedere, nisi moueatur à Deo, sicque Deum humanã uoluntatem mouere, quod non ex necessitate ad unum determinet, sed remanere motum eius contingentem, & non necessariũ, nisi in his ad quæ ipsa naturaliter mouetur, & proinde posita motione qua Deus uoluntatẽ mouet, uoluntatẽ nihilominus retinere facultatẽ ad nõ uolẽdum & ad non agendũ, ideoque simpliciter posse nõ agere. Proinde dicendo, quòd Deus humanam uoluntatem mouendo eã determinet, non ita intelligendum est, quòd ipsam uni parti affigat, necessitatẽ illi inferendo, sicut determinat causas naturales, sed quòd eam fortiter & suauiter moueat; fortiter quidẽ faciẽdo, ut ipsa infallibiliter operetur, suauiter autẽ faciẽdo, ut operetur iuxta modũ suæ naturæ propriũ, hoc est, liberè, mediante scilicet iudicio rationis, indifferẽtis & uolũtati obiectũ proponẽtis.

Porrò ad mentem D. Augustini exsurgit tertia sententia, cum neutra ex præcedentibus ex integro conueniens sed aliquid ab utraque sumens. A posteriori enim accipit quod gratia uoluntati consensum efficaciter inclinando, atque adeò prædeterminando, largitur. A priori uerò quod sit actus quidam uitalis, utpote cœlestis, & ineffabilis suauitatis delectatio, non tamen expectat impulsum uoluntatis ut secum influat, sed ei tribuit: nec hæret quodammodo ex arbitratu uoluntatis eligentis, ut uelit aut nolit, sed arbitratum uolendi ad hoc ipsum determinando suauitatis efficacia uoluntatem, efficit.

Sed quia apud Sanctã Sedem sub Indice tota hæc quæstio manet indecisa & à sacra Eminentissimi Cardinalis Congregatione, ex mandato S.D.N. Vrbani VIII. nouissimè iterum decretum est, ne quid circa hanc quæstionẽ deinceps typis mandetur absque licentia eiusdem sacræ Congregat. ideo ab ulteriore discussione huius difficultatis supersedemus, cũ parũ Theologiæ morali cõferat.

11 In actionibus moralibus gaudet homo etiam libertate uoluntatis. Contra Caluinum *lib. 2. instit. cap. 5.* qui hanc ueritatem frustra cõuellere conatur. Actio autem moralis uocatur, quæ uel turpis est, uel honesta & uerè meretur præmium, aut pœnam, dicimúsque hominem libera sua voluntate ad alterutrum se posse determinare siue viribus naturæ, siue uiribus gratiæ. Ratio est, quia alias homo non esset capax præcepti, nec posset peccare, aut benefacere, nec item mereri præmium, aut supplicium, iam uerò diuina scriptura plena est præceptis, docetque hominem peccare, transgrediendo legem & supplicium mereri, item benefacere obediendo legi & mereri præmium Vide Bellarmin, *de grat. & lib. arbitr. lib. 5. c. 14.* Tannerum *to. 2. disp. 2. qu. 1. du. 1.* Bellarm. Tannerus.

12 Est etiam homo liber in actionibus supernaturalibus, quæ videlicet, pertinent ad salutem æternam, est contra Lutherum, & Caluinum, quorum ille voluntatem vult se habere merè passiuè & tractari à Deo non aliter quàm lutum tractatur à figulo, cùm formam illi affingit. Hic autem docet voluntatem agi & agere: agi à Deo, vt principali agente; ut instrumentum Dei, non vt instrumentum liberum, sed vt naturale, quod actioni suæ non dominatur, sicut est, verbi gratia, penicillus in manu pictoris. Sed hoc est hæreticum & contra scripturas, vbi in operibus pietatis uocamur operarii, ædificatores, plantatores, rigatores, cooperatores, vt plurimis locis uidere est. Ratio autem est: quia decebat creaturam intelligentem ad suum finem perduci modo nobilissimo; modus autem nobilissimus est ut aliquis finem suum & beatitudinem obtineat ex se, & non ex alio; per liberum autem voluntatis arbitrium aliquo modo ex se gratia Dei excitatum, eleuatum & adiutum, illam sibi in Christo promeretur. Ita Bellarminus *lib. 6. de grat. & libero arbitr. cap. 9. & 10.* Tannerus *cap. dub. 1. num. 17.* Bellarm. Tannerus.

13 Actus propriè humani, seu liberi diuiduntur in elicitos ac imperatos, actus eliciti dicuntur, qui à libera voluntate immediatè eliciuntur; tanquam à principio immediato, cuiusmodi sunt volitiones & nolitiones. Actus à voluntate imperati sunt actus aliarum potentiarum, videlicet, intellectus, appetitus sensitiui, & externorum membrorum, quæ voluntatis motionẽ suscipere debent, tales sunt intelligere, ambulare, loqui, scribere & alia huiusmodi. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 6. Syluius *ibidem.* Layman *lib. 1. tract. 2. c. 2. num. 8.* Becanus *de actibus humanis, cap. 3. num. 1.* D. Thom. Sylu. Layman. Becanus.

14 Homo per nullam potentiam cogi potest in actibus à voluntate elicitis, in imperatis potest: prior pars probatur: quia homo vellet simul & non vellet: nam implicat contradictionem, ut uoluntas eliciat actum, & tamen ei actui repugnet, cùm uolendo eliciat actum. Secunda pars probatur: quia isti actus pendent ab aliis potentiis, vt ab intellectu, phantasia, sensibus externis, &c. quæ potentiæ à causa extrinseca, ad opus applicari possunt renitente voluntate, sic Deus cogit intellectum damnati semper cogitare suas miserias, & potentias inferiores compellit sentire dolores suos ipsa voluntate repugnante. Ita D. Thomas *c. quæst. 6. artic. 4.* Syluius *ibid.* Azorius *tom. 1. lib. 1. c. 9. quæ 5. & 6.* Becanus D. Thom. Syluius. Azorius. Becanus.

Tannerus. Vasquez.

in summ. de lib. arbitr. c. 2. q 10. n. 43. & 44. Tannerus 1. 2. *disp. 2. q. 1. dub 5. n. 57. & 62.* Vasquez 1. 2. *disp 26. c. 1. & 3.*

15 Homo necessitari potest in actibus à voluntate elicitis, tum obiectiuè, tum efficienter. Quia voluntas cum pleno rationis iudicio potest determinari ad actum, siue quoad speciem, siue quoad exercitium, ergo potest necessitari quia potest illi offerri ratio boni sine vlla admixtione mali (vt fit in beatitudine in communi, & fieret in bono quouis particulari, si Deus auferret omnem mali speciem & considerationem) & tunc voluntas si velit versari circa hoc obiectum, necessario ipsum amabit, quia non inueniet obiectum odij, aut fugæ. Item potest illi offerri tota plenitudo bonitatis, in suo fonte primario, quod fit per claram Dei visionem, & tunc non potest non amare, aut non perseuerare in amore, & his duobus modis, voluntas necessitatur obiectiuè. Quod si Dominus Deus immittat voluntati motionem tam efficacem, vt ipsa determinetur ad consensum, tunc non poterit à consensu resilire per omnem suam potestatem & necessitatur bus efficienter. Ita Syluius 1. 2. *q. 5. art. 4. fol.* 62. & *q* 10. *art.* 1. Becanus *de liber. arbitr. c. 2. q. 10. nu. 35.* Præpositus 1. 2. *q. 10. art. 2.* Tannerus *to. 2. disp. 2. quest. 2. dub. 3. nu. 22. & dub. 5. n. 439.* Vasquez *c. disp. 39 c. 2. & 3.*

Syluius. Becanus. Præposit. Tannerus. Vasquez.

16 Solus Deus potest efficienter mouere voluntatem quia creatura nulla est, nec Angelus: nec dæmon, nec corpus cœleste, cui hoc sit concessum, cum solius creatoris sit creaturam suam tam intimè peruadere & penetrare. Ratio est, quia Angeli nihil possunt circa creaturam corporalem, nisi mouendo localiter vel applicando actiua passiuis, vt habet communis sententia Theologorum: ergo minus poterunt aliquid in voluntatem quę planè spiritualis est. Cœlum autem & astra tantum possunt efficere aliqu[illegible] alterationes corporales, quibus positis, phantasia variè de rebus iudicat, & appetitus sensitiuus variè commouetur: semper tamen in potestate voluntatis est, motus illos reprimere, saltem per gratiam diuinam: nam si sapiens, multo magis Christianus dominabitur astris. Ita D. Thomas 1. 2. *quest. 9. art. 6.* Syluius *ibid.* Tannerus *c. disp. 2, quest. 2. dub. 5. num* 52. Præpositus *prima secunde, quest. 9. art, 6.*

D. Thom. Syluius. Tannerus. Præposit.

17 Voluntarium potest esse sine omni actu moraliter; physicè non potest: Posterior pars probatur, quia voluntarium physicè est, quod verè & realiter est volitum: implicat autem aliquid esse volitum sine volitione, ac proinde sine actu. Prior pars patet in eo, qui cum potest ac debet agere, non agit, v. g. ludit, aut ambulat, cùm potest ac debet audir sacrum; quamuis enim talis, fortè, nihil cogitet de sacro, aut si cogitat, voluntas habeat se negatiuè, tamen illud non audire, est ipsis voluntarium, cum habuerit dominium illius actus & obligationē illius exercendi. Sic D. Tho. 1. 2. *q. 6. ar. 3* Syluius Medina *ibid.* Tannerus *1. 2. disp. 2. q. 1. dub. 2. n. 31.*

D. Thom. Syluius. Medina. Tannerus.

18 Quamuis multis modis voluntarium dici aliquid possit, horum tamen modorum vsus in materia morali ad duos possunt reduci, ad *voluntarium directè, & indirectè*, vt docet D. Thomas 1. 2. *quest. 77. art. 7.* & 1. 2. *q. 6. art. 3.* Clauis Regia *lib. 2. cap. 2. num. 2.*

D. Thom. Clau. Reg.

19 Directè voluntarium est, quod ab intellectu apprehensum & iudicatum, voluntati proponitur, ut appetendum uel fugiendum, siue distinctè, siue in confuso sicut cùm aliquis vult quippiam agere, quod reuera agit, vel vult non agere id quod posset ac deberet agere, eius volitio est directè voluntaria. Indirectè voluntarium est, quod secundum se uoluntati non proponitur, sed uel in sua causa, uel in suo materiali, uel in eo, cum quo habet necessariam connexionem, uel purè secundum æstimationem moralem. Ita D. Thomas *c. art. 3.* Syluius *ibid.* Tannerus *c. dub. 2. n. 27.* Azorius *to. 1. c. 3. q 2.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 3. num. 5.*

D. Thom. Syluius. Tannerus. Azorius. Layman.

20 Voluntarium directum triplex est nam uel est uolitum actualiter, uel uirtualiter, uel habitualiter. Actualiter ut cum quis signat suum actum, quem exerciturus est; v. g. Sacerdos consecraturus, ita secum loquitur: uolo consecrare uel ut habere intentionem Christi: Et hoc uocamus uelle in actu signato. In actu autē exercito vult cōsecrare qui sine reflexione super suum actum attentè facit, quod Christus instituit, dicendo cum plena cognitione sui facti uerba consecrationis. Ita Bonacina *to. 1. disp. 1. quest. 3. parte secunda, §. 3. nu.* 3. Fillucius *tract. 21. num. 56. & 57.* D. Thomas *tertia parte, quest. 64. art 8. ad tertium* Layman *c. nu. 4.*

Bonacina. Fillucius. D. Thom. Layman.

21 Virtualiter uoluntarium est, quod exercetur uirtute uolitionis præcedentis, quæ actu desiit esse: ut *Primò* cum Sacerdos ponit in altari pixidem hostiarum cum intentione consecrandi omnes sunt consecratę, etiamsi actu non cogite: de pixide, modo prior intentio aliquem influxum habeat in consecratione. Immò secundum Reginaldum *lib. 26. num.* 38 uoluntarium uirtualiter dicitur, seu intentio uirtualis, quæ ex natura sua uel Ecclesiæ institutionem comprehenditur sub altera intentione, cum qua sic coniuncta est, vt ea præsente, censeatur ipsa quoque adesse. Sic eo ipso quod Sacerdos vult secundum Sacerdotum consuetudinem induere vestes sacerdotales, habet virtualem intentionem celebrandi Missam. Quia enim induere vestes sacerdotales, medium est ab Ecclesia institutum ad Missæ celebrationem, fit, vt in tali actione duendi, comprehendatur virtualiter actio celebrandi; & in intentione in[illegible]uendi intentio celebrandi donec adhibeatur actus contrarius, per quem hæc tollatur Ita ille. Vide Suarez *tertia parte, tom. 3. disp. 13. sect. 3.* Bonacinam *cap. num. 11.*; Vasquez. *3. part. tom. 2. disp. 138. cap. 6.* ConincK *de Sacrament. quest. 64. art. 8. dub. 2. num. 71.* Fernandez *part. 3 cap. 1. §. 4. nu. 6.* Dianam *part. 2. tract. 3. Miscellan. resolut.* 3 2. & alios apud illum citatos. Quibus adde Syluium *3. part. quest. 64. art. 8. concl. 6.*

Suarez. Bonacina. Vasquez. ConincK. Fernandez. Diana. Syluius.

22 Habitualiter uoluntarium est circa quod nullus, actus exercetur sed antea exercitus est & habitualiter manet: uel est intentio quam præcessit uoluntas operis faciendi, sed posta nullo modo influit in operationem, quia nec est in memoria, uel cogitatione, nec per se, nec per aliud est causa talis actionis. Ita Doctores superiori numero citati.

23 Indirectè uoluntarium multiplex est, nam complectitur id omne quod secundum moralem æstimationem, interpretamur à uoluntate pendere: unde & uocatur uolitum interpretatiuè; quod locum habet sępissimè in peccatis, rarò in alijs, nunquam in meritis; nam ad meritum requiritur actus positiuus, cum explicita uel implicita intentione honestatis supernaturalis. Vide D. Thomam 1. 2. *qu. 77. art. 7.* Filliutium *cap. n. 59.* Layman *c. num 5. & seq.*

D. Tho. Filliutius. Layman.

24 Interpretatiuè uolumus peccatum. *Primò* in sua causa ut qui uult iacere sagittam, sine debita cautione, censetur uelle homicidium secutum. *Secundo* in suo materiali, ut qui ex ignorantia culpabili committit usuram. *Tertiò* in connexo uel naturaliter uel uoluntate Legislatoris: nam Hæresiarcha hoc modo uult pernicem tot animarum, peccans mortaliter odit Dominum Deum, vult pœnas inferni &c. *Quartò*. Imputatiuè cùm nec intellectus aduertit, nec uoluntas uult, sed potuit ac debuit aduertere, & uelle ut cùm quis præ ardore ludendi omittit Sacrum in die festo, Cum magistratus studio alsarum rerum negligit punire malefactores, &c. & hoc voluntarium est sine omni actu, qui videlicet pertinet ad istud voluntarium. Probabile enim est intellectum & voluntatem non posse ab omni prorsus actu cessare, sed illi actus habent per se accidens ad voluntarium vt colligitur, ex Doctoribus supra citatis. Vnde plurimi ex his modis ostendi possunt in facto *Iuda* quando *Genesis* 38. cognouit *Thamar* nurum suam, nam incestum voluit materialiter, fornicationem formaliter, odium Dei & pœnas inferni interpretatiuè malum si quod culpabiliter secutū est, imputatiuè formalissimè volut delectationem.

25 Vt voluntarium sit sine omni actu, tria requiruntur, scilicet, posse, debere, & non facere, quare necessarium est præceptum, si absit omnis actus, quod si ponamus aduertentiam intellectus, tunc poterit esse voluntariū sine volitione & sine præcepto, vt si quis die festo aduertat se posse audire Sacrum & negatiuè se habeat ac ommittat. Ita D. Thomas 1. 2. *q. 6. art. 3.* Syluius *ibid. concl. 2.* Clauis Regia *lib. 2. cap. 6. num* 8. & alii communiter.

D. Thom. Syluius. Clau. Reg.

26 Non censetur semper voluntarium id quod sequi solet ex causâ volita, *Primò*, cum quis habet ius ad causam, siue sit actio siue ommissio, modo nō teneatur euitare

effectum

effectum, verbi gratia. Dux exercitus pulsat mœnia, aut expugnat vrbem, vnde sequitur mors innocentium, item moritur quis præ fame, & ommitto ei succurrere, propter periculum propriæ vitæ, &c. vtraque mors est nobis non voluntaria, quia iustè permittitur, cùm non teneamur istos effectus euitare, non est tamen propriè inuoluntaria, quia omnibus consideratis, volumus vti iure nostro: atque hoc est fundamentum totius tractatus de scandalo: vt ibidem inferius *verb. Scandalum* docetur. *Secundò.* Cùm certi sumus effectum non secuturum, quemadmodum *Beata Virgo*, dum contraxit matrimonium cum *Iosepho*, consensit in copulam coniugalem, nullo tamen modo in copulam carnalem. Vide Lessium *lib.4. cap.3. dub.14. num.97. & seq.* & Dianam *part.3. tract.5. Miscell. resol.22.*

Lessius. Diana.

De actu humano & libero vide *vera. Præceptum. n.5.*

ACTVS HVMANVS II.

An violentia, metus, cupiditas, ignorantia, tollant voluntarium:

SVMMARIVM.

1 *Voluntas variè potest affici in suis operationibus.*
2 *Actio vel passio violenta quando censetur inuoluntaria.*
3 *Quando voluntaria.*
4 *Quando non voluntaria.*
5 *Metus an tollat voluntarium, & faciat inuoluntarium. Et an metus magni mali excuset à transgressione legis.*
6 *Passio concupiscentiæ consequens non minuit, sed potius auget voluntarium.*
7 *Passio antecedens auget voluntarium, minuit liberum.*
8 *Ignorantia voluntatem antecedens tollit voluntarium.*
9 *Ignorantia consequens voluntatem, relinquit actum suo modo voluntarium.*
10 *Ignorantia concomitans vt sic, relinquit actum non voluntarium.*

1 Voluntas variè potest affici in suis operationibus vel à principio extrinseco, vel ab intrinseco; ab extrinseco vt per vim, & necessitatem, ab intrinseco vt per cupiditatem & ignorantiam, ab vtroque simul vt per metum: nō enim per vim intelligimus hic, graue aliquod malum, quod nobis occurrit, vel intentatur, quomodo accipiunt Iuristæ *Tit. de his quæ vi*, sed intelligimus necessitatem illatam à principio extrinseco, nihil conferentibus nobis, quomodo *2. Machab. 6.* Eleazarus aperto ore hians, compellebatur, carnem porcinam manducare & multæ virgines Christianæ vim passæ sunt. Ita colligitur ex D. Thom. 1.2.q.6.

D. Thom.

2 Actio vel passio violenta est inuoluntaria, quando voluntas repugnat quantum potest ac debet: quia violentum est id, quod est à principio extrinseco, nihil conferente vim passo, vt definit *Philosophus* 3. Ethic. t. ergo est contra voluntatem, ergo inuoluntarium, ergo extra culpam: hinc fit vt omnes motus primò primi sint inculpabiles, quia ingeruntur à causa extrinseca, voluntate quantum debet repugnante, vt sunt impuræ cogitationes, motus infidelitatis, blasphemiæ, &c. Ita D. Thomas 1.2. *quæst.6. art.5.* Syluius *ibid.* Bonacina *to.2 disp.2.q.8. punct.2.num.1. & 2.* Reginaldus *lib.1. cap.6. ad finem.* Azorius *cap.lib.1.cap.9.n.65* Filliucius *tract.21. c.2.nu.65. & seq.* Layman *lib.1.tract.2.cap.6.n.1.* Tannerus *to.2 disp.2.qu.1 dub.4.* Vasquez 1.2.*disp.25. & disp. 27.*

D. Thom. Syluius. Bonacina. Reginald. Azorius. Filliucius. Layman. Tannerus. Vasquez.

3 Actio vel passio violenta censetur voluntaria, quando voluntas non resistit, quantùm potest, quantum debet. Ratio est, quia voluntarium est id quod est aliquo modo à voluntate, ergo uiolentum quod approbatur à uoluntate, uel non reiicitur ut oportet, eatenus tribuitur, uel imputatur uoluntati, ad meritum uel ad culpam. Ad meritum, ut tormenta Martyrum, cùm non resistunt quantùm possunt; Ad culpam, ut stuprum uirginis, cùm illa non resistit quantùm debet; Si tamen metu mortis nō clamet, aut terret aliquit grauius, excusaretur, quia non tenetur sub tanto periculo, ista media adhibere.

4 Actio uel passio uiolenta est non uoluntaria, quando uoluntas haber se negatiuè, Probatur, quia non est uoluntaria, cùm uoluntas nihil agat, nec teneatur agere; non etiam inuoluntaria, quia uoluntas nō repugnat, ergo est media inter utramque, & potest dici permissa; ut si quis me, neque uolentem neque repugnantem, aliquò uiolenter trahat. Sic peccata neque Deo sunt uoluntaria quia illa prohibet, neque inuoluntaria, quia permittit, sed possunt dici non uoluntaria; quemadmodum cùm magistratus lupanaria, aut fœneratores, aut alia eiusmodi permittit, ad euitandum maius malum. De his omnibus consulantur *D. Thomas, Syluius Bonacina, Reginaldus, Azorius, Filliucius, Layman, Tannerus, Vasquez,* his tribus numeris citati.

5 Metus non tollit uoluntarium simpliciter, facit tamen inuoluntarium secundùm quid, ideoque efficit ut actio sit ueluti mixta ex uoluntario & inuoluntario. Ratio prioris est, quia uoluntarium est, quod consultò fit ab agente cognoscente singula circa quæ est actio, uel est quod uoluntas hic & nunc efficaciter uult, sed metus facit voluntatem multa uelle efficaciter, quæ alias non uoluisset, unde qui metu mortis negat fidem, aut latroni dat pecunias, is, consideratis omnibus ac singulis cōsultò eligit tanquam hic & nunc bonum sibi negare fidem, aut pecunias dare, ergo uoluntaria est illi negatio fidei, aut datio pecuniæ. Posterior pars probatur, quia uoluntas abhorret ab illo, si nudè & sepositis circunstantiis consideretur, ac propterea est inuoluntarium, sed secundùm quid, & inefficaciter, ut patet in ægroto qui amaram potionem secundùm se consideratam ualdè abhorret, sed metu non recuperandæ sanitatis, illam sumit. Non est tamen necessarium semper, ut id quod metu fit, habeat adiunctam nolleitatem: nam qui dolet de peccato metu gehennæ, non habet hunc actum, nollem pœnitere, nisi timerem damnari, nam sic peccaret mortaliter, sed sufficit ut quis metu adigatur ad id faciendum, aut patiendum, quod aliàs facere, aut pati noluisset. Vt colligitur ex D. Thoma *c. artic.6.* Syluio, Medina *ibid.* Filliucio *tract.21. num.73.74 & 75,* Azorio *c. cap.10 quæstio.13.* Clauis Regia *lib.2.cap.2.num.5.* Layman *lib.1.tract.2.c.4. 6.nu.7.* Becano *de lib.arbitr.c.2.q.10 n.19. & seq.* & aliis.

D. Thom. Syluius. Medina. Filliucius. Azorius. Clau. Reg. Layman. Becanus.

An autem metus magni mali excuset à transgressione legis, Dicendum est non excusare, posita obligatione legis: sed sæpè contingit, vt occurrente graui periculo lex desinat obligare; quia intentio legislatoris non est, subditos suos ita adstringere, vt quouis euentu teneantur facere, aut vitare, quod lex præcipit, aut vetat, sed quando moraliter & humano more possunt; quod ex circunstantiarum conditione iudicandum est, & hoc non tantùm in humanis legibus locum habet, sed etiam in diuinis; modò non prohibeant id, quod est intrinsecè malum, ut mentiri, fornicari, blasphemare, &c. quia nulla potest occurrere occasio, nec vlla necessitas quâ hæc, & similia possint honestari, modò etiam metus non incutiatur in odium religionis. Ita Suarez *de censuris, disp. 6. sect.3. num.7. & de leg. lib.3. cap.30. nu.9.* Clauis Regia *lib.3.c.7.* Sanchez *lib.1. Mor.cap.18 num.4.* Bonacina *tract.2.disp.2.q.8 part.2. num 3.* Vasquez 1.2.*disp.16 t.c.2.* Azorius *c.cap.11. quæst.1. & lib 5. cap.6. quæst.6.* Layman *lib.1.tract.4.cap.14.n.5.* Diana *p.3. tract.6. Miscell. resol.48:* qui plurimis exemplis hanc doctrinam ex probatis auctoribus confirmat.

Suarez. Sanch. Bonacina. Vasquez. Azorius. Layman. Diana.

6 Cùm cupiditas, seu concupiscentia secundùm D. Thomam. *c. art.7.* nihil aliud sit, quàm passio appetitus sensitiui prosequentis bonum delectabile, cuiusmodi sunt amor, desiderium, spes, gaudium siue voluntas, ita: & talis passio diuidatur in *antecedentem, ac consequentem:* dicendum est *Primò*, quòd passio concupiscentiæ consequens, hoc est, quæ excitatur a voluntate, ut ad promptiorem, seu expeditiorem operationem inseruiat, non minuit, sed potius auget voluntarium, consequenter & moralem malitiam: uel bonitatem actionis, & vt ait *D. Thomas*, signum est magnitudinis peccati, quia demonstrat intentionē uoluntatis ad actum peccati. Ita quod *D. Thom.* Doctores hic citati Medina, Valentia, Beccanus,

D. Thom. Medina. Valentia. Becanus.

Malderus. Tannerus. Syluius. Filliucius. Azorius.

Malderus, Tannerus, Syluius *ibid.* Filliutius *c. num.* 77. Azorius *c. cap.* 17. *&* 18.

7 Passio concupiscentiæ antecedens, idest, quæ naturaliter exurgens, omnem voluntatis deliberationem præuenit, ac proinde secundùm se nec meriti capax est, auget voluntarium, minuit liberum. Probatur prior pars: quia voluntas cupiditate incitata, toto impetu fertur in bonum sibi oblatum, vt videre est aliquando in hominibus iracundis, libidinosis, &c. cum enim duplex sit appetitus in homine, sensituus & rationalis, in eadem anima radicati & connexi, qui si in vnum & idem obiectum conspirent, totam animam eodem trahunt, eliciuntque actus intensissimos Probatur posterior pars, quia libertas consistit in quadam indifferentia voluntatis vt sit in potentia contrad & onis, vel etiam contrarietatis: hæc autem indifferentia multum minuitur per inclinationem in alteram partem, quo copiditas trahait. Ita Syluius *c. art.* 7. *concl.* 3 proposit 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 7. Layman *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5 *num.* 3. Becanus *de liber. ar. c.* 2. *quæst.* 10. *n.* 25. *& seq.* Tannerus *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. *dub.* 7. *num.* 79. Valentia *tom.* 2 *disp.* 2. *q.* 1. *punct.* 5.

Syluius. Prepofit. Layman. Becanus. Tannerus. Valentia.

8 Ignorãtia voluntatem antecedens, quæ alias dici solet ignorantia iusta, probabilis, inuincibilis, tollit voluntarium: quia opus ex tali ignorantia factum, neque est volitum in se cum non sit cognitum: neque in sua causa, cum ipsa sit inuoluntaria: nam voluntas fecit quod debuit, & ita præparata est vt possita scientia, vellet ab opere abstinere, Vnde fit vt tale opus v. g. fornicacio Iacob *Genesis* 20. censeatur non tantum non voluntarium, sed etiam inooluntarium suo modo. Nota tamen cum vnum & idem opus habeat diuersissimas circunstantias, posse cognosci secundum vnam, aut alteram, & secundùm alias ignorari, (v. g. eum *Iudas* accessit ad *Thamar Genesis* 38. nouerat se committere fornicationem, sed incestum inuicibiliter ignorabat. Item cum quis dat eleemosynam vnius aurei, putans assem dare nouit se dare, pecuniam, sed quantitatem ignnrat) vnde fit vt culpa & meritum, secundum id quod cognitum est, æstimentur, non autem secundùm id, quod iouicibiliter fuit ignoratum. Vt colligitur ex D. Thoma *c. art.* 8. & Doctoribus hic citatis. Syluius Medina. Præposito *ibi.* Filliutio *c. n.* 69. *& seq.* Azorio *c. lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 12. Layman *l.* 1. *tract.* 2. *c.* 4. Bonacina *de cens. disp.* 1. *q.* 2. *n.* 5. Tannerus *to.* 2. *disp.* 2 *q* 1. *dub.* 8. *num.* 90.

D. Thom. Syluius. Medina. Præposit. Filliutius. Azorius. Layman. Bonacina. Tannerus.

9 Ignorantia consequens uoluntatem directam uel indirectam, quæ alias uocari solet ignorantia iniusta, improbabilis, uincibilis, relinquit actum suo modo uoluntarium: quia, qui sic operatur, tametsi non uellt ipsum actum in se, nempe secundùm circunstatiam ignoratam vult tamen in sua causa, quia vult aut conuincitur uelle ipsam ignorantiam: sicut fere contingit illis, qui ignorant tactus impudicos, pollutiones morosas delectationes, &c. esse peccata mortalia. Dixi, *suo modo* interpretatiue uidelicet & imputatiue nam quod incognitum est, directè appeti nulla ratione potest. Et hic modus maximas admittit uariationes, & multos habet gradus, pro qualitate negligentiæ, aut malitiæ, quæ ignorationem antecedit. Ita ex D Thoma *capit. artic.* 8. Syluius *ibid.* Præpositus *cap. artic.* 8. *dub.* 2. Azorius *cap.* 12. & aliis communiter Doctoribus.

D. Thom. Syluius. Præposit. Azorius.

10 Ignorantia concomitans ut sic, relinquit actum non uoluntarium. D. Thomas *cap. artic.* 8. Syluius *ibidem* Filiutius *tract.* 21. *cap.* 2. *num.* 71. Tannerus *tom.* 2. *disp.* 2 *quæst.* 1. *dub.* 8. *num.* 88. Valentia *c. quæst. punct.* 6. Vasquez. 1. 2. *disp.* 29. *num.* 7. *&* 8. Præpositus *c. dub.* 3. Becanus *c. num.* 36. *& seq.* Probatur: quia non causat inuoluntarium cum nihil iudicat quod repugnet uoluntati, neque uolontarium: quia non potest esse uolitum, quod est ignoratum, ergo causat non uoluntarium, cum non sit aliud membrum huius diuisionis: Est enim ignorantia concomitans, qua depulsa nihilominus opus fieret, & sic potest dici, habitualiter uolitum, & dispositiuè, ut si quis putans percutere Petrum, percutiat Paulum, quem tamen percussurus erat, etiamsi illum agnouisset. Dixi *Concomitans vt sic*, quia omnis ignorantia relinquit actum voluntarium, aut inuoluntarium, sed hoc vt antecedens; illud vt consequens: Vnde intelligere licet illud quod afferri solet ex D. Tom. 1. 2. *q.* 76. Ignorantia antecedẽs excusat, consequens accusat, concomitans neque accusat neque excusat

D. Thom. Syluius. Filliutius. Tannerus. Valentia. Præposit. Vasquez. Becanus.

De violentia, vide *Debitum coniugale* 1. n. 15. *Matrimonium* 7. n. 47. *Auaritia*. n. 2. *Stuprum*. n. 2. *Raptus*.

De metu, vide *Contract.* n. 20. & seq. *Irregularitas* 8. n. 3. *Iuramentum* 2. n. 5. *Matrimonium*. 3. n. 7. *Matrimonium* 5 num 7 *Matrimonium* 7 num. 47: & seq. *Praceptum*. nu. 4. *Stuprum* n. 2. *Scandalum* n. 10. *Religio* 4 n. 5. *Votum* 1. n. 5. *Metus per totum*. *Ordo* 3. n. 5.

De cupiditate vide *Peccatum* 3. n. 3. *Peccatum* 5.

De ignorantia vide *Ignorantia*. *Peccatum* 3. num. 3. & 4.

ACTVS HVMANVS III.

De actibus voluntatis.

S V M M A R I V M.

1 *Actus voluntatis alij sunt eliciti, alij imperati.*
2 *Actus qui eliciuntur a voluntate sunt sex.*
3 *Tres sunt actus voluntatis circa finem.*
4 *Quid sit amor.*
5 *Quid sit intentio.*
6 *Quid sit fruitio.*
7 *Tres sunt actus voluntatis circa id quod est ad finem.*
8 *Quid sit consensus.*
9 *Quid electio.*
10 *Quid vsus.*
11 *Quale discrimen inter vti & frui.*
12 *Imperium an sit actus voluntatis, an potius rationis.*
13 *Imperium vocari potest omnis actus liber rationis, aut voluntatis, ex quo sequitur alius.*
14 *Omnis actus intellectus potest imperari quoad exercitium.*
15 *Quando iudicium intellectus subiaceat imperio voluntatis quoad speciem actus.*
16 *Actus appetitus sensitiui imperari potest ex parte, non totaliter.*
17 *Membra corporis quæ sunt instrumenta virium vegetantium & naturalium non admittunt imperium rationis.*

1. SEcundùm Theologos actus voluntatis duo sunt, (vt dictum est supra) vnus ab ipsis appellatur elicitus, alter autem imperatus. Elicitus vocatur qui fit à voluntate proximè & per seipsam, & qui excipitur tanquam in sede sua in ipsa voluntate, à qua proximè producitur, vt sunt hac, *velle, amare sperare, concupiscere, nolle, odisse*, Imperatus autem actus dicitur qui fit à voluntate, ministerio & opera alterius facultatis, quæ eum actum proximè gignit, & transit interdum in materiam aliquam externam: tales actus sunt credere, intelligere, uidere loqui, ambulare occidere, &c. quoties motu & imperio uoluntatis fiunt. Vide D. Thomam 1. 2. *q.* 6. *in proœm* Syluium *ibid.* Layman *lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 2. *n.* 8. Azorium *tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 19. Becanum *de actib. humanis c.* 3. *n.* 1.

D. Thom. Syluius. Layman. Becanus.

2 Actus qui à uoluntate eliciuntur, sex in uniuersum colliguntur, à D. Thoma. 1. 2. *q.* 9. 1n. 11. 12. *& seqq.* Azorio *c. q.* 2. *&* 3. Becano *c. cap.* 3. *quæst.* 1. nimirum *velle, intendere, frui, eligere, consentire & vti.* Ad hos sex actus reducuntur cæteri uoluntatis actus, imò in ipsis comprehenduntur ueluti, *Amor, delectatio, spes desiderium. gaudium.* Hæ autem operationes uoluntatis, quædam circa finem, quędam uero circa ea quæ sunt ad finem, quia obiectum uoluntatis est bonum: bonum autem est duplex absolutum, & respectiuum absolutum, quod propter se expetitur, & uocatur finis: respectiuum, quod expetitur propter aliud, & dicitur medium ad finem: sic sanitas est bonum absolutum, quod propter se expetitur, & habet rationem finis: amarum autem medicamentum est bonum in ordine ad sanitatem & propter illam expetitur, habetque rationem medij, quia per se non est appetibile, sed potius contristat appetitum.

Azorius. D. Thom. Azorius. Becanus.

3 Actus uoluntatis qui sunt circa finem, tres sunt uidelicet, *amare, intendere, frui.* D. Tomas 1. 2. *in proœm. quæst.* 8. Becanus *c. num.* 6. quia bonum absolutum considerari potest tripliciter: absolutè, ut absens, ut presens si

D. Thom Becanus.

absolutè

nascitur amor si vt absens nascitur intentio, si vt præsens oritur fruitio.

4 Amor est prima Inclinatio voluntatis in bonum propositum, tanquam per se expetibile, abstrahens à presentia & absentia; sicut considerans qui sanitatem illa afficitur propter intrinsecam conuenientiam, quam habet cum natura animalis ibi sistendo. Valentia *tom. 2. disp. 3. quæst. 2. punct. 1.* Syluius *1. 2. quæst. 26. artic. 1.* Azorius *cap. 23.* Tannerus *tom. 2. disp. 2. quæst. 3. n. 20.* vocatur hic actus etiam *voluntas*: quia est primus motus voluntatis in finem; qui nullum alium præsupponit, sicut cognitio primorum principiorum vocatur *intellectus*, qui est simplex motus intellectus, non præsupponens aliam intellectionem ex cuius vi exoriatur. Vt explicat D. Thomas *c. quæst. 8. art. 2.* Dixi, *ibi sistendo*, quia si amor progrediatur ad expetenda media, quibus finis possit comparari, erit alius motus voluntatis.

Valentia. Syluius. Azorius. Tannerus. D. Thom.

5 Intentio est volitio finis, quatenus est per media comparabilis due enim sunt rationes in fine. Prima, quod sit bonum quoddam per se amabile, & sic in illud tendit voluntas, siue amor tanquam in suum obiectum. Secunda, quod sit bonum quoddam per media comparabile, & sic est obiectum intentionis vt ex nomine intelligitur: nam intendere, nihil aliud quam in aliquid tendere: vnde hic actus versatur tantum circa bonum absens, & comprehendit sub se desiderium & spem: quamquam spes connotet persuasionem & credulitatem obtinendi bonum amatum ac propterea videtur videtur esse actus distinctus cum non sit. Ita D. Thomas *1. 2. quæst. 12. artic. 2. ad 1.* Syluius *ibid.* Valentia *to. 2. disp. 2. q. 7. part. 1.* Azorius *c. cap. 13.* Tannerus *c. dub. 2 n. 22.*

D. Thom. Syluius. Valentia. Azorius. Tannerus.

6 Fruitio est actus voluntatis quiescentis in bono adepto. D. Thomas *c. quæst. 11. art. 1. & 3.* Syluius *ibid.* Tannerus *c. quæst. 3. dub. 2. n. 26. & seq.* Ratio est, quia frui est fructum capere, fructus autem est id quod vltimum ex planta cum delectationem percipitur; ergo fructus operis seu possessionis boni desiderati est fruitio seu delectatio voluntatis. Vnde fruitio propriè versatur circa finem vltimum: nam eo non adepto manet voluntas semper inquieta, donec omnis uacuita eius expleatur, & ita loquitur sæpè *D. Augus.* Hinc Theologi concludunt, frui creatura esse peccatum mortale. Nihilominus secundum phrasim scripturæ, & communem usum loquendi, rectè dicimur frui sine intermedio, ut uoluptate, usuta huius uitæ consortio Angelorum, &c.

D. Thom. Syluius. Tannerus.

7 Actus uoluntatis circa id quod est ad finem, tres sunt; *eligere consentire, vti*, ut docent D. Thomas *1. 2. in procæmio quæst. 13.* Syluius *1. 2. quæst. 13.* Becanus *c. quæst. 1. num. 6.* Ratio est, quia bonum utile, seu respectiuum potest à uoluntate approbari, & executione mandari; Si approbetur, & acceptetur tamquam conueniens ad finem obtinendum erit consensus, si ab aliis mediis separetur, erit electio: si mandetur executioni, erit usus.

D. Thom. Syluius. Becanus.

8 Licet consensu varie vsurpetur, tum in scriptura, tum in Principibus: secundum tamen communem Theologorum sententiam, est actus voluntatis libere acceptantis bonum à ratione propositum, siue propter se expetatur, siue propter aliud quomodo omne peccatum dicitur consummari per consensum, dum videlicet, sequitur suggestionem & delectationem: propriè autem consensus vsurpatur à D. Thoma *1. 2. quæst. 15 art. 1.* Syluius *ibid.* Valentia *c. quæst. 10. punct. 1.* Becanus *c. cap. 3. q. 1.* pro actu voluntatis acceptantis certa media, quæ post perfectam deliberationem iudicata sunt conuenire ad aliquem finem obtinendum. Vide plura *v. Consensus*.

D. Thom. Syluius. Valentia. Becanus.

9 Electio est efficax volitio medii particularis inter multa ad obtinendum aliquem finem; dicitur *volitio*, quia est actus voluntatis sequens deliberationem intellectus. Dicitur *medij* quia, electio non versatur circa finem sed circa id quod est ad finem, nam idem est obiectum deliberationis & electionis; dicitur *particularis*, quia ad media in commune se extendit etiam intentio, sed electio proprius accedit ad executionem, quæ in singularibus consistit; dicitur *inter multa*, quia eligere nihil aliud est, quam vnum ex multis separare, illud reliquis preferendo, quamquam promiscuè vtamur hoc vocabulo, etiam cum vnum tantùm est medium, v. g. obseruatio mandatorum Dei ad vitam æternam. Dicitur *ad obtinendum finem*, quia electio & deliberatio versatur circa ea quæ sunt in nostra potestate: vnde circa bonum amatum impossibile adeptu, aut maxima cum difficultate, desinit statim & deliberatio & electio, atque adeò intentio. Ita D. Thomas *cap q. 22. artic. 1. & 3.* Syluius *ibidem.* Azorius *c. cap. 25.* Tannerus *tom. 2. disp. 2. q. 3. dub. 3. num. 12 33.* Vasquez *1. 2. disp. 43. num. 11.*

D. Thom. Syluius. Azorius. Tannerus. Vasquez.

10 Vsus est actus voluntatis applicantis potentias executrices ad operationem: vnde vti nihil aliud est, quàm rem aliquam applicare ad suam operationem vel finem: vt utimur oculo dum uidemus; utimur pecunia, dum eam expendimus, &c. uoluntatis autem est applicare seipsam, & cæteras omnes animæ uires, item corporis mēbra, & res exteriores ad suas operationes ac proprios fines; ac proinde usus ijs tantùm conuenit, qui habent liberum uoluntatis arbitrium: & circa eas res uersatur, quæ nostro arbitrio subijciuntur, alioque tamquam ad finem referuntur. Atque hic usus est duplex, seu applicatio potentiarum ad operandum, seu executionem eorum quæ sunt ad finem; Actiuus unus, qui ut dictum est, est actus elicitus uoluntatis, & absolutè intelligitur nomine usus: Alter passiuus, qui est ipsamet executio potentiarum ministrantium uoluntati. D. Thomas *1. 2. q. 16. art. 1. & 2.* Syluius *ibid.* Azorius *c. cap. 27. q. 1.* Tannerus *c. dub. 3. nu. 37.* Valentia *c. q. 11. punct. 1.*

D. Thom. Syluius. Azorius. Tannerus. Valentia.

11 Theologi Sanctum Augustinum secuti, discrimen ponunt inter *vti & frui*, quòd frui, sit in bono desiderato & obtento cùm delectatione suauiter & iucundè acquiescere, ita ut bonum illud sit finis simpliciter ultimus: & proinde solo Deo nobis est perfruendum: *Vti* uerò est actus, quo uoluntas aliquid boni adhibet, ad aliud consequendum, & propterea rebus procreatis, non autem Deo est nobis utendum: ex hoc patet usum non esse de fine ut finis est, sed tantùm de medio: nam uti est applicare rem ad suam operationem, atque adeò rem alio referre. Patet etiam, bestijs usum propriè dictum non competere, quia nihil possunt applicare ad opus, cùm hoc requirat cognitionem finis & mediorum, mutuamque proportionem. D August. *lib. 10. de Trinitate, cap. 11.* D. Thom. *1. part. q. 39. art. 8. ad 3.* Azorius *c. cap. 27. q. 2.*

D. August. D. Thom. Azorius.

12 Cùm duplices sint actus voluntatis, qui conscientiam contingunt, quidam eliciti à voluntate (de quibus iam actum est) quidam verò imperati, qui nempe eliciuntur ab alijs potentijs, motis tamen priùs & impulsis à voluntate: de imperio videndum est, cuiusnam potentiæ sit actus, an voluntatis, an potiùs rationis.

Controuertitur inter Doctores in quo actu siue intellectus, siue voluntatis imperium propriò consistat; quidam enim vt D. Bonauentura *3. disput. 17. quæst 1. artic. 2.* Scotus *3. disp. 36. quæst 1. art. 2.* Durandus *2. disp 24. quæst. 3. & disp. 37. quæst. 2.* apud Azotium *lib. 1. cap. 29. quæst. 1.* existimant esse actum voluntatis, quia voluntas est veluti Domina, Regina & Imperatrix omnium humanarum facultatum; nam ipsa omnes mouet & impellit quò vult, & ad id, quod vult, & ipsa omnium suprema est. Nihilominus dicendum est cum D. Thomas *1. 2 quæst. 17. art. 1.* Syluius, Caietanus, Conradus, Medina *ibid.* Sotus *lib. 1. de iust. quæst. 1. art. 1.* Tannerus *tom. 2. disp. 2 quæst. 3. num. 55. & 56.* & alijs, imperium proprijssimè sumptum esse actum intellectus, præsupposita voluntate, quo homo sibi loquitur impellendo potentias executrices ad id quod iudicatum est esse faciendum: quia prudentiæ est propriè præcipere, non solùm exquirere & iudicare; sed prudentia est rationis, igitur hæc imperat, non voluntas. Deinde tres conditiones requiruntur ad imperium, prima, *superioritas*, secunda, *ordinatio*, tertia, *motio*, & hæc conditiones optimè conueniunt in illam locutionem, qua homo se excitat ad operandum, dicendo, fac hoc. Nam sic fit sibi quodammodo superior: vnde & homo debet seipsum iudicare, *1. ad Corinth. 11.* & ordinat se ac mouet ad opus exequendum: ergo.

D. Bonau. Scotus. Durand. Azorius. D. Thom. Syluius. Caietanus. Conradus. Medina. Sotus. Tannerus.

13 Omnis actus liber rationis, aut voluntatis ex cuius vi impulsiua sequitur alius, potest etiam vocari imperiū: vnde actus imperatus est actus potentiæ humanæ, quæ subditur vsui & motioni voluntatis: & propriè imperium

ditur ab intellectu sub ratione mali; quia contrariorum contraria est ratio, & sicut intellectus nulli assentitur & dissentit: nisi sub ratione ueri, aut falsi: ita uoluntas nihil appetit, aut refugit nisi sub ratione boni, aut mali. Itaque impossibile esset uoluntati repudiare scientiam & uirtutes, nisi earum comparatio, aut exercitium haberet adiunctam difficultatem, & impossibile esset amplecti ignorantiam & uitia, nisi haberent aliquam speciem boni, V. G. fugam laboris, delectationem, &c. Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 1. Syluius *ibid. conclus.* 1. & 2. Tannerus *to.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 2. *dub.* 1. Bellarminus *lib.* 3. *de grat. & liber. arbitr. cap.* 12. Becanus *in Summ. de libero arbitr. cap.* 2. *q.* 7. *nu.* 5. & 6.

D. Thom. Syluius. Tannerus. Bellarmin. Becanus.

Non uolitionis obiectum potest esse bonum sub ratione boni, & malum sub ratione mali; non uolitio dicitur, quando uoluntas suspendit suum actum, siue positiuè siue negatiuè, ut si proposito obiecto uirtutis, aut uitij, nolit, aut non uelit circa illud operari. Ratio est, quia licet uoluntas uiatoris, non habeat libertatem contrarietatis, seu quoad speciem, circa bonum ut sic, & circa malum ut sic, habet tamen semper libertatem contradictionis, siue quoad exercitium, ut possit operari, & non operari: quia uiatoribus nunquam proponitur ullum bonum; ne ipsa quidem beatitudo in communi, ut non possint uel omittere illius cogitationem, uel actum uoluntatis suspendere.

2 Bonitas moralis est conformitas in actu uel obiecto cum recta ratione: ratio autem per synderesim, aut per prudentiam proponit actum voluntati eliciendum cum omnibus suis circunstantijs necessarijs; & resultat bonitas obiectiua, v. g. comedere quando, & ubi oportet; quantum & quale oportet, quomodo & quo fine oportet, &c. cùm verò voluntas exequitur actum à prudentia ita præscriptum, resultat bonitas formalis, quæ est bonitas virtuosa, à qua homo formaliter denominatur bonus, & potest mereri præmium virtutis: hæc tamen bonitas aliquando est naturalis, aliquando positiua, nam amare Deum, odisse peccatum, temperatè comedere, &c. ex rei natura honestum est, propter naturalem conuenientiam extremorum; at abstinere à carnibus die Veneris, &c. habet suam honestatem a sola rationabili uoluntate legislatoris. D. Thomas 1. 2. *q* 18. *art.* 2. Syluius *ibid. art.* 1. *conclus.* 3. Clauis Regia *lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 2 Azorius *to.* 1. *lib.* 2. *c.* 1. *q.* 1. Filliucius *tract.* 21. *c.* 3. *nu.* 87. & 88. Tannerus *cap. disp.* 2. *q.* 5. *dub.* 1. Layman *lib* 1. *tract.* 2. *c.* 7. *nu.* 2.

D. Thom. Syluius. Clauis Re. Azorius. Filliucius. Tannerus. Layman.

3 Malitia moralis est difformitas cum recta ratione, quæ reperitur uel in actu, uel in obiecto; nam malitia est priuatio bonitatis debitæ inesse, ac propterea tollit eam conformitatem, quam debebat actus habere cum recta ratione, siue fiat per omissionem actus præcepti, siue per commissionem actus prohibiti. Ita Becanus *de actib. human. c.* 5. *q.* 1. *num.* 11. Tannerus *c. dub.* 2 Syluius 1. 2. *q.* 71. *art* 6. *q.* 2.

Becanus. Tannerus. Syluius.

4 Non omnes actiones hominis bonæ sunt uel malæ, sed quædam sunt indifferentes secundùm suam speciem; quia neque conformitatem habent cum recta ratione, neque repugnantiam, super se & nudè considerentur, vt ambulare, comedere, &c. nam additis bonis circunstantijs redduntur bonæ, additis malis fiunt malæ: tamen nullæ actiones hominis ut sic sunt indifferentes in indiuiduo, sed omnes sunt bonæ, aut malæ, non autem omnes sunt meritoriæ, aut demeritoriæ: quia omnis actus in indiuiduo, id est, qui hic & nunc exercetur, vel est conformis rectæ rationi, uel non, si est conformis, est bonus, si non, est malus; & si actus à ratione deliberatiua procedens, non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi & habet rationem mali; si verò ordinetur ad debitum finem, siue intrinsecum, siue extrinsecum, conuenit cum ordine rationis, & habet rationem boni. Hæc est sententia D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 8. & 9. Syluij *ibid.* Valentiæ 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 13. *p.* 6. Filliucij *c. cap.* 3. *quæst.* 5. & 6. Clauis Regiæ *c. cap.* 4. *num.* 9. & 10. Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 11. *nu.* 17. Becani 1. 2. *tract.* 1. *cap* 5. *q* 6. & omnium eius discipulorum. Dixi, *hominis vt sic*, quia multæ sunt actiones hominum, quæ rationé præueniunt, nec ex deliberata uoluntate proficiscuntur, vt quæ ex sola imaginatione fiunt, verbi gratia mouere pedem, scalpere, caput, &c. & tales nullam habent moralitatem, nisi fortè obiectiuè, quia uidelicet ratio tenebatur eas impedire.

D. Thom. Syluius. Valentia. Filliucius. Clau. Reg. Sanchez. Becanus.

Cæterùm nonnullorum sententia affirmat actus posse esse indifferentes: vt docent ex antiquis D. Bonauent. 2. *dist.* 41. *art.* 1. *quæst.* 3. Scotus 1. *disp.* 41. *quæst.* 1. & *quodlib.* 18. *art.* 1. Gabriel 2 *d.* 41. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. Almaynus *tract.* 1. *Mor. c.* 14. *dub.* 2. & ex recentioribus Vasquez 1. 2 *to.* 1. *disp.* 52. *c.* 6. *num.* 39. Sancius *in selectis disp.* 4. *n.* 1. & alij ab ipsis citati.

D. Bonau. Scotus. Gabriel. Almaynus. Vasquez. Sancius.

Illorum rationes sunt. Tum quia si quis eleemosynam dederit absque ullo studio & amore honestatis, non est actus uirtutis; quia teste Aristotele, ad uirtutem requiritur, ut actus fiat primò *scienter*: secundò *ex electione*: tertiò *ob honestatem*: nec dicendum est huiusmodi actum esse malum, quoniam non fit alicuius mali gratia, sed tantùm ex quadam naturali commiseratione in alterum, ergo est actus medius & indifferens.

Tum quia non tenetur homo liberè operans semper exercere actionem, quæ sit secundùm rationem positiuè, sed solùm negatiuè, quatenus debet nihil facere quod rectæ rationi contrarium sit: proinde enuntiare uerbum minùs necessarium, dum alias nociuum non sit, aut contra ædificationem, quare contra rectam rationem esse iudicandum erit?

Tum quia teste *Bonauentura* si quis alterum salutet vrbanè, huiusmodi actus nec est bonus, quia non fit ob honestatem, nec est malus, quia cum recta ratione non pugnat; ergo medius est & indifferens.

Tum quia, aliàs materia esset absolutionis, si pœnitens confiteretur se deambulasse ad depellendum frigus, aut fricasse manus eadem de causa: quis autem non rideret similem confessionem?

Aduertunt tamen huius sententiæ authores posse contingere operantem actus indifferentes in indiuiduo, agere contra virtutem: nam si quis nimius esset in scalpenda barba, aut fricandis manibus, contra modestiam agere, aut contra temperantiam.

Proinde in quæstione hac nec est efficax ratio, quæ primam opinionem concludat, nec quæ secundam ita confirmet, vt primam prorsus oporteat deserere; quia inter Patres Hieronymus *Epist.* 11. *quæ est ad Augustinum*, apertè confitetur esse aliquos actus medios & indifferentes. August. verò *contra Iul. lib.* 4. *c.* 3. omnes prorsus actus indifferentes videtur excludere. Et secundùm *D. Bonau.* prior sententia vitam nostram adstringit & contrahit; posterior verò remittit & laxat.

Hieron. August.

5 Dùm tria sint, ex quibus potissimùm moralitas actuum humanorum pendeat, scilicet obiectum, circunstantia, finis; & obiectum nihil aliud sit quàm finis intrinsecus; nempe ratio proximè mouens voluntatem. Finis verò sit obiectum extrinsecum, id nempe quo refertur id quod proximè uolumus; circunstantia autem sit quędam obiecti conditio, quæ salua ipsius substantia; adesse & abesse potest; facit tamen aliquid ad malitiam, aut bonitatem, ideò primò dicendum est de obiecto. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. 3 & 4.

D. Thom.

6 Actus humanus accipit primam & præcipuam bonitatem suam & malitiam ex obiecto: quia sicut se habet res naturalis ad suam formam, ita actus humanus ad suũ obiectum, sed res naturalis primam & præcipuam bonitatem ac malitiam accipit à forma, ergo actus humanus ex obiecto: Obiectum enim dat speciem actui, sicut forma rei naturali: & sicut esse naturale primò & principaliter attenditur, secundùm formam: Ita etiam bonitas uel malitia, quæ consequitur ipsum esse, vel perfectum, uel deficiens, conueniens vel disconueniens. Sic D. Thomas 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. Syluius *ibid.* Clauis Regia *c. cap.* 4. *num.* 3. Filliucius *tract.* 21. *c.* 3. *q.* 2. Tannerus *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 5. *dub.* 4. Layman *c. cap.* 7 *num.* 3.

D. Thom. Syluius. Clau. Reg. Filliucius. Tannerus. Layman.

7 Bonitas vel malitia moralis quam obiectum actioni tribuit, est in ipso obiecto fundamentaliter, atque causaliter, in actione verò formaliter: ad eum modum proportionalem, sicut veritas & falsitas formaliter sunt in actu intellectus. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 5. Layman *cap. num.* 3.

Azorius. Layman.

8 Obiectum tribuit actui humano bonitatem vel malitiam

luntas; vnde sicut actus exteriores participant extrinsecùs libertatem; ita etiam bonitatem & malitiam. Secunda pars probatur, quia bonitas formalis est bonitas virtutis quæ requirit intrinsecam libertatem, actus autem externi non sunt intrinsecè liberi. Tertia pars probatur, quia actus externus prout est in executione, habet rationem effectus tantùm, ergo vt sic non potest causare vllam bonitatem. Si tamen actus ille consideretur vt propositus voluntati per rationem, iam induet rationem obiecti, & in genere causæ formalis; specificabit actum voluntatis.

22 Actus internus ex actu externo sæpè fit in se melior vel peior, quia communiter crebrò multiplicatur occasione actus externi, vt patet in eo qui fornicatur; deinde extenditur, per longius tempus & diutiùs continuatur; imò intenditur & fertur ardentius in obiectum quando venit ad executionem: vt cùm quis vult occidere inimicum. Porrò actus externus sæpe multum adfert commodi, vel incommodi per seipsum, V. G. ad acquirendos bonos vel malos habitus, ad percipiendos fructus Sacramenti, Sacrificij, Martyrij; ad satisfactionem pro peccatis, ad obligationem restitutionis, famæ, fortunarum, &c. ad scandala & ædificationem: ad incurrendas pœnas in foro humano, tam ciuili, quàm Ecclesiastico. Notandum tamen hic est, actum externum addere interno bonitatem primordialem, seu naturalem, quæ ex conuenientia terminorum resultat: Nam si consideretur secundùm se, cùm omnibus circunstantijs necessarijs, habet conformitatem quandam cum recta ratione; & per consequens habet bonitatem quandam, quæ iuxta bonitatem actus interioris, facit illum meliorem extensiuè: actus enim interior V. G. voluntas dandi eleemosynam tendit ad exteriorem tamquam suum terminum quo perficitur, & simile iudicium est de malitia.

D. Thom. Syluius.

23 Iuxta communiorem sententiam D. Thomas *in 2. dist 40. art. 3.* Syluius 1. 2. *quæst. 26. artic. 4. concl. 3.* actus exterior inter nullam addit bonitatem vel malitiam formalem, quia actus externus non est formaliter liber, ergò nec formaliter bonus, vnde non potest augere bonitatem formalem; quia quod necessarium est, nec laudem habet nec vituperationem, sed actus exterior necessario procedit à volitione, nisi aliunde impediatur. Ergo. Actus tamen exterior superaddit aliquando interiori præmiū, aut supplicium accidentale. Ratio est, quia aliquid pœnæ vel præmij respondet separatim ipsi operi exteriori, præter præmium, aut supplicium essentiale, quod tribuitur voluntati: quomodo etiam Sancti gaudent, quando ipsorum exéplo, multi conuertuntur ad pœnitentiam. Vt colligitur *Lucæ* 15. Vide Valentiam 1. 2. *disp. 2. q. 15. punct. 4. & 5.* Vasquez 1. 2. *q. 20. art. 4. disp. 76. c. 2.* Becanus *de actib. hum. cap. 6. num 8.*

Valentia. Valquez. Becanus.

24 Quamuis externus actus nullam addat malitiam formalem, est tamen exprimendus in confessione. *Primò*, quia communiter peior est voluntas accedente executione. *Secundò*, quia ex actu externo multa pendent quæ confessarius discutere debet, ut est restitutio, censuræ scandalum. *Tertiò*, quia totum peccatum exponi debet confessario, ergo & actus externus, qui est ueluti materia & pars essentialis peccati interni, in eo enim peccatum cordis consummatur, & ab eo, vt à fonte malitiam accipit. Ita Syluius 1. 2. *q. 20. art. 4.* Nauarrus *in Man. prælud. 7. n. 19.* Filliucius *tract. 21. n. 112.* Suarez 3 *p. tom. 4. disp. 22. sect. 3. n. 2.* Vasquez 1. 2. *disp. 76. nu. 18.*

Syluius. Nauarrus. Filliucius. Suarez. Vasquez.

25 Externa moralis operatio, obiectiuè quidem prior est actu interno, sed vt exercita ab actu interno posterior, tamquam participans bonitatem uel malitiam ab interno actu; unde actus internus & actus externus in genere moris, non faciunt numerum, unicum enim est peccatum furti, cuius formale atque essentiale est, furandi uoluntas; quare sufficit in confessione explicare actum externum; indicatur enim in ipso propositum; siue uoluntas. Contra Scotum *quodlib. 18. artic. 3.* qui cùm existimet tam actionem exteriorem, quàm interiorem esse intrinsecè, & formaliter malam, censet etiam ex utraque non conflari vnum peccatum, sed esse duo peccata, & esse in eis duplicem imputabilitatem & rationem peccati. Sed multò uerior & magis communis sententia est, actionem interiorem & exteriorem dicendam esse unum peccatum simpliciter. Ratio est, quia actus interior & exterior sunt vnus actus uoluntarius & liber. ergo cùm non sit nisi una voluntas, non potest esse nisi unum peccatum. Ita D. Thoma 1. 2. *quæst. 20. artic. 3.* D. Bonauentura 2. *dist. 41. art. 1. q. 1.* Richardus *ibid.* Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 6. q. 5.* Vasquez 1. 2. *disp. 74. cap. 2.* Filliucius *c. num.* 112. Becanus *c. num. 5.*

Scotus. D. Thom. D. Bonau. Richard. Azorius. Vasquez. Filliucius. Becanus.

26 Euentus sequens addit aliquid bonitatis, aut malitiæ actui exteriori, quando fuit præuisus & præuolitus, aliàs non. Ratio utriusque est, quia, quod nec præuisum, nec præuolitum, est extra genus moris, tamquam per accidens se habens ad voluntatem; quando autem aliquo modo tribuitur uel imputatur voluntatis, eatenus laudari potest vel vituperari. Nota tamen, ad augendum bonitatem, requiri præuolitionem directam, siue ea sit actualis, siue uirtualis: ad malitiam uerò sufficere præuolitionem interpretatiuam. Hinc fundator Religionis, uel alicuius Ecclesiæ, non habebit meritum totius boni consequentis, nisi id actu uel uirtute intendat: Contra verò Hæresiarchæ, malo Principi imputantur omnia damna secuta quę potuerunt præcaueri: & nihil refert vtrum euentus actu sequatur, an non; sufficit enim causam sufficientem esse positam per præuisionem & præuolitionem. Dico *præuisionem & præuolitionem*: quia non sufficit præuisio sola, sed accedere debet obligatio, qua teneamur euentum illum euitare; vnde cessante obligatione, nulla contrahitur malitia ex effectu secuto: nam sic Deus plurima facit quorum præuidet homines peccaturos, & boni viri sæpè aduertunt ex suis operibus secutura scandala Pharisæorum; nec tamen propterea tenentur, imò aliquando non possunt abstinere. Vide D. Thomam 1. 2. *quæst. 20. art. 5.* Syluium *ibidem conclus. 1. 2. & 3.* Tannerum 1. 2. *disp. 4. quæst. 3. dub. 3. num. 39. & sequent.* Pesantium 1. 2. *quæst. 20. art. 5.*

D. Thom. Syluius. Tannerus. Pesantius. Scotus.

ADIVRATIO.

SVMMARIVM.

1 *Adiuratio quid sit, & quot modis fiat.*
2 *Deprecatiua adiuratione vtimur erga Deum, vel Sanctos, vel homines.*
3 *Adiurari non possunt creaturæ inanimatæ per se & directè.*
4 *Vt adiuratio licita sit quid requiratur.*
5 *Ad Exorcistas pertinet solemnis adiuratio Dæmonis.*
6 *Quæ peti possunt in adiuratione Dæmonis.*

1 ADiuratio est rei sacræ contestatio ad permouendum alterum: & fit duobus modis, scilicet, *præcipiendo*, vnde dicitur imperatiua, illaque vtimur erga subditos, vis enim præceptiua dirigitur ad subditos: & *deprecando*, quæ deprecatiua dicitur.

Dæmones non adiurantur adiuratione deprecatiua, quia hæc fieri non potest sine subiectione, submissione & societate, quæ cum dæmone grauissimo humani generis hoste, est illicita; sed adiurantur adiuratione imperatiua, nempe, obiurgando ac tamquam hostes compellendo arcendove, ne spiritualiter, aut corporaliter hominibus noceant. Vnde & Ecclesiæ data est potestas spiritualis dæmones adiurandi, non ad obtinendum aliquid ab eis, sed ad illos expellendum ac fugandum: iuxta illud Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eijcient*, & Lucæ 10. *Domine etiam dæmonia subiciuntur nobis*. Et hæc est propria Ecclesiæ potestas & verè Religionis nota; nulla enim alia religio potest dæmone eijcere. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 90. art. 1.* Syluius *ibid & art. 2.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 3. & 4.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 13. num. 67. 68.* Petrus Ledesma *in Summ. tract. 11. cap. 6.* Filliucius *tract. 24. num. 200. 207.* Viguerius *de virtute instit., vers. 16. cap. 5. §. 5.* & alij.

D. Thom. Syluius. Suarez. Lessius. Ledesma. Filliucius. Viguerius.

2 Adiuratione deprecatiua vtimur erga Deum, vel Sanctos, vel homines ad aliquid deprecandum; vnde sola natura rationalis congruenter idonea est, quæ per se adiuretur, quia hæc sola potest percipere diuina, eorumque reuerentia, & amore ad agendum compelli; & sic Deum adiura-

adiuramus, obsecrando per bonitatem, misericordiam ipsius, per merita passionis Filij sui, & Beatæ Virginis, & Sanctorum omnium: quæ omnia allegamus, exhibemus, & veluti offerimus illi, vt horum intuitu, affectu & amore permoueatur ad præstandum, quod cupimus. Dum autem Sanctos & eorum merita interponimus, & allegamus, tacitè etiam ipsum Numen diuinum, quod illis est causa sanctitatis & meritorum, subintelligitur. Proinde per Iustos, siue beatos, siue viatores potest Deus adiurari, non tantum quatenus in illis Deus lucet, sed etiam præcisè spectando merita talis Sancti: quia tunc non tribuitur illi Sancto aliquid Dei proprium, sed honoratur iuxta sua merita. Vide D. Thomam *cap. art.* 3. Suarez *c. cap.* 3. *num.* 5. Valentiam 2.2. *disput.* 6 *quæst.* 8. *part.* 2. Bonacinam *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct. vlt. num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 42 *nu.* 12. Reginald. *lib.* 18. *c.* 9. *nu.* 108. & 109. & alios.

D. Thom. Suarez. Valentia. Bonacina. Sanchez. Reginald.

3 Creaturæ inanimatæ per se & directè adiurari non possunt; quia non intelligunt, sed adiuratio dirigitur ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, easque mouere potest: ob id aqua vel sal exorcizatur, vt in eius vsu Deus assistat, diaboli vires contundat, eumque expellat, ita vt in illius vsu nocere nequeat.

Item locustæ, mures, grandines, tempestates, non per se, nec directè adiurari possunt, sed per ordinem vel ad dæmonem, & sic adiuratione imperatiua vtimur, imperando illi ne illa moueat, ne noceat, sed desistat, vel ad Deum à quo etiam moueri possunt, & tunc vtimur adiuratione deprecatiua, vt damna eorum auertat, & diabolus per illa non noceat: Hinc ordinariè & ex suo genere peccatum esset mortale, creaturas irrationabiles per se, seu directo sermone ad ipsas, adiurare. Ratio est, quia committitur irreuerentia contra res sacras & exorzismos Ecclesiæ, quæ vanè adhibentur: Ratione tamen bonæ fidei, & ob leuitatem materiæ, vt plurimum potest esse veniale. Ita D. Thomas *c. art.* 3. Syluius *ibidem.* Sanchez *lib.* 2. *Mor. cap.* 42. *num.* 37. & 38. Lessius *c. num.* 72. Reginaldus *cap. num.* 112. Nauarrus *lib.* 5. *consil. tit. de excommun. consil.* 5. *num.* 9. & 10. Tabiena *verb. Adiuratio.* Syluester *verb. Adiuratio. num.* 4. Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *c.* 14. *nu.* 3. Petrus Ledesma *in Summ. tract.* 11. *c.* 6 *concl.* 3. Viguerius *vers.* 16. *cap.* 5. *q.* 5. & alijhic citati.

D. Thom. Syluius. Sanchez. Lessius. Reginald. Nauarr. Tabiena. Syluest. Layman. Ledesma. Viguerius.

4 Vt adiuratio licita sit requiritur vt fiat debito modo, ad quem maximè pertinet discretio, qua caueatur ne ipsa temerè fiat, data quacumque occasione & absque vlla necessitate vel vtilitate, qua ratione in vanum ea fieret: vnde cùm adiuratio tamquam Dei cultus, propria sit virtutis Religionis, licitè tantùm fieri potest propter Deum, siue obsecrando, siue imperando fiat. Ratio est, quia sicut iuramentum debet cum Dei inuocatione fieri, ut uim habeat veritatem certam reddendi; ita adiuratio, vt efficax sit, interponi debet auctorisas Dei, qui solus illam habet summam & coniunctam cum potestare, quæ requiritur ad præbendum vim & efficaciam petitioni, cui ipsa adiuratio admiscetur. Ita Reginaldus *lib.* 18. *num.* 113. Layman *cap.* 14. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 42. *numer* 4. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 4. *nu.* 9. Valentia 2.2. *disp.* 6. *q.* 8 *part.* 2.

Reginald. Layman. Sanchez. Suarez. Valentia.

5 Adiuratio foemnis dæmonis, quæ fit secundum formam publicam ab Ecclesia præscriptam, pertinet ad solos Clericos habentes ordinem Exorcistarum; si verò adiuratio fiat priuatim, potestas adiurandi alijs etiam competere videtur: tamen plerisque in locis & diœcesibus prohibitum est Clericis Exorcistis hanc potestatem exercere; nisi specialiter ad hoc munus fuerint approbati & idonei iudicati, quia præter scientiam & prudentiam, requiritur præcipuè probitas vitæ: quamuis potestas hæc non innitatur sanctitati ministri, etsi ea non parum iuuet, sed inuocationi nominis Diuini, fidei, & sanctitati Ecclesiæ, in cuius persona exorcismi ab eius ministris dicuntur; sicut nec Sacramentorum efficacia à ministri sanctitate pendet: proinde exorcismi non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato habent vim expellendi dęmonem: Et licet exorcismi de facto non semper operentur effectum expellendi dæmones, hoc euenit tum ob ministri, aut dæmoniaci culpam, tum etiam ex occulto Dei iudicio, propter maiorem animæ vtilitatem, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum. Plura apud Delrium *de mag. post* 6. *librum in Anacephal. monit.* 10. Valentiam 2.2. *disp.* 6. *q.* 8. *punct.* 2. *quæstiunc.* 2. Suarez *cap. lib.* 4. *cap.* 2. *nn.* 10. & 11. Syluest. *verb. Exorcista.* Filliucium *tract.* 24. *num.* 208. & 209. Victoriam *de magia nu.* 23. & 24. Reginaldum *lib.* 17. *num.* 184. & alios hic citatos.

Delrius. Valentia. Suarez. Syluest. Filliucius. Victoria. Reginald.

6 In adiuratione dæmonis illa solùm peti possunt quæ spectant ad aliorum vtilitatem, vel ad ipsum expellendum: vnde licet interrogare nomen, causam ingressus, & si sit aliquod obsessi peccatum, an sit vnus dæmon, an plures in eo corpore: alia verò quæ ad hoc non conducunt, uel ad Dei gloriam non faciunt, non licet per se loquendo petere, quia vitanda sunt societatis & beneuolentiæ signa cum dæmone. Qui tamen ex leuitate & curiositate imperatiuè & non deprecatiuè aliquid peteret à dæmone humanum corpus obsidente, mortaliter non peccaret; modò longi sermones præsertim nugatorij & vani non adhibeantur, & hoc non fiat causa addiscendi aliquid ab ipso, & fides illi certa non adhibeatur, nec sit periculum detegendi occultum alicuius peccatum; quia tunc non censetur notabile signum societatis & beneuolentiæ. Proinde maximè cauendum Exorcistis, ne cum dæmone iocentur, nugaciaue misceant: quia cùm sancta res sit dæmones eijcere, sanctè tractanda est. Ita Suarez *c cap.* 2. Nauarrus *in Manual. cap.* 11. *num.* 28. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 42. *num.* 23. 25. & 26. Bonacina *to.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct. vlt. num.* 8. & 9. Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 14. *num.* 6. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 167. Filliucius *cap. num* 212. Delrius *lib* 6. *cap. quæst.* 3. *sect.* 3. *in* 4. *remedio.* Syluius 2.2. *q.* 90. *art.* 2. *concl.* 3.

Suarez. Nauarr. Sanchez. Bonacina. Layman. Reginald. Filliucius. Delrius. Syluius.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Adiuratio in quo conueniat & differat à iuramento & oratione.*
2 *Adiuratio est actus Religionis quando fit per Deum.*
3 *Adiurationis non datur præceptum diuinum: bene tamen aliquando Ecclesiasticum.*
4 *Adiuratio ad sui honestatem requirit veritatem, iustitiam & iudicium.*
5 *Quando quis dicatur dæmonium habere.*
Per quam corporis partem possit dæmon ingredi & egredi.
Dæmonis potestas est potissimum in corpus.
Quandoque vnus, quandoque multi dæmones possunt obsidere idem corpus.
Non semper est adhibenda fides obsessis, nec exorcistis.
Nulla res corporalis habet vim expellendi dæmonem.
Nulla vis est hominibus alligandi dæmonem alicui rei.
6 *Adiuratio imperatiua solis superioribus licet erga subditos in ijs, in quibus illi subduntur.*
7 *Verum est exorcismos Ecclesiæ non habere efficaciam infallibiliter expellendi è corporibus hominum dæmonem.*
8 *An sit superstitiosum dæmoniacum flagellis percutere, vel fumo rutæ & cornuum defatigare?* Refertur duplex sententia.
9 *Adiuratio ex parte modi illicita est mortaliter, tripliciter.*
10 *Ex tribus habentur exorcistæ suspecti de superstitione & pacto cum dæmone.*
11 *In Christianismo dæmonia à corporibus hominum expelluntur quinque modis: & primo per inuocationem Nominis IESV.*
12 *Secundus modus est per vsum reliquiarum Sanctorum.*
13 *Tertius modus per Sanctæ Crucis impressionem.*
Quare ad signum Crucis dæmones fugiant.
14 *Quartus modus est, per vsum rerum consecratarum.*
15 *Quintus est, per exorcismos adiuratio.*
In exorcismo reperiuntur Res & verba.

1 Cum

D. Thom. 1 CVm adiuratio, teste D. Thoma 2.2. *q.90. art.2.* sit aliquam personam imperando, aut obsecrando inducere ad aliquid faciendum, omittendum ve inuocatione alicuius rei sacræ, conuenit cum iuramento: quia sicut hoc adhibetur ad veritatis affirmatæ confirmationem, aut maiorem promissionis factæ firmitatem: ita adiuratio fit vt postulatio, aut iussio, sint efficaciora. Differt autem ab illo, quod in iuramento adducatur Deus vt testis veritatis, aut quasi fideiussor promissionis: in adiuratione autem vt obiectum amoris, vel timoris, eius quem adiuramus, ut inde eius timore, uel amore ducatur ad rem petitam concedendam. Differt etiam adiuratio ab oratione: quia per orationem aliquid à Deo petitur: at per adiurationem, ut sic, non petitur aliquid à Deo, sed propter Deum, & ita potest id peti à Deo, & tunc coniunguntur adiuratio & oratio, aut ab hominibus, & tunc non est oratio aliqua, & aliquando nil petitur, sed imperatur.

2 Adiuratio est actus Religionis, quando fit per Deum, siue expressè, siue tacitè. Quia in hoc adiurans tribuit Deo honorem, quòd eius auctoritatem tamquam plurimum apud omnes valentem interponat ad aliquid obtinendum: unde specialis est actus Religionis, distinctus à cæteris: quia si cum aliquo coincidere deberet, essent iuramentum & oratio, at ab illis differt, ut diximus *supra*. Quando autem adiuratio fit per Sanctos absque tacito ad Deum respectu, non est actus Religionis, sed eius cultus, qui sancto illi debetur, ut hyperduliæ, si fiat per Beatam Virginem, duliæ autem, si per alios Sanctos. Et si fiat per aliam rationalem creaturam, ut per uitam tuam, uel patris, non est propriè adiuratio, sed quædam moralis, & humana. Vide Sotum *lib.8. de iustit. q.3. art.2.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib 4. de adiuratione, cap.2. à nu.4. vsque ad 7. & cap.3. num.6.* Sotus. Suarez.

3 Quamuis adiurationis non sit præceptum aliquod, naturale & diuinum: quia quidquid per adiurationem petitur, potest simplici oratione obtineri: at cadit quandoque sub præcepto Ecclesiastico. Quia publicæ orationes Ecclesiæ horarum Canonicarum & Missæ continent adiurationes per Dominum nostrum Iesum Christum & per Sanctos: & in solemni Sacramentorum administratione etiam sunt exorcismi, & quædam aliæ adiurationes. Quare præceptum hoc non est peculiare, sed coincidit cum præcepto horarum Canonicarum & ritè Sacramenta & Missam administrandi. Potest etiam adiuratio aliquando cadere sub officij obligatione, nempe, supposita hominis obsessi necessitate. Quippe tenentur ministri Ecclesiæ ex officio subuenire necessitatibus suorum fidelium per remedia conuenientia, & iuxta ritum ab Ecclesia institutum, vnum autem est adiuratio per exorcismos. Ita Suarez *cit. lib.4. c.4. num.2.3. & 4.* Suarez.

4 Adiuratio ad sui honestatem exigit eosdem tres Comites quos iuramentum, nempe, *veritatem, iustitiam & iudiciū appellamus*. In adiuratione potest defectus veritatis tripliciter inueniri. *Primo*, quando adiuratio fit per falsum Deum, vt per Iouem, & tunc est mortale idololatriæ crimen. *Secundo*, quando est fictio ex parte petendæ rei, nempe quando in adiuratione interposita petendo aliquid per Dei nomen, deest animus illius rei impetrandæ. Et hæc falsitas est venialis: quia non est grauis irreuerentia Dei, cùm Deus non adducatur vt testis. *Tertio*, potest esse fictio ex parte causæ inducentis ad obtinendam rem petitam, vt si quis ficta paupertate petat ob Deum eleemosynas, & tunc videtur esse solum culpa venialis contra adiurationis Religionem: quia cùm actus ille eleemosynæ, vt ab operante procedit, sit optimus, non est grauis irreuerentia contra Deum, inducere ad illum ob Dei amorem, quamuis aliunde ex parte petentis sit iniquitas & iniustitia mortalis.

Iustitia in eo consistit, vt res petita sit licita: si enim res mala petatur, est grauis Dei irreuerentia, cùm Deus interponatur vt intercessor illius peccati. Et ideo de hac adiuratione dicendum est, sicut de iuramento & voto rei malæ dicunt communiter Doctores.

Ad iudicium autem pertinet vt cum necessitate & debita reuerentia fiat adiuratio, & non temerè in quauis occasione: sicut idem iudicium petitur in iuramento; quia in vtroque nomen Dei assumitur; at sicut in iuramento, hic defectus est venialis, quare ait rectè Sotus exigi adiurationes proportionem cum re petita habere, & Religioni dissonare interponere adiurationem diuini nominis pro re leui. Ita ille *lib. 8. de iustit. q.3. artic. 1. ad fin. corpor.* Syluester *verb. Adiuratio, in fin.* Valentia 2.2. *disp 6. q 8. punct. 2. q.1.* Sylvest. Valentia.

5 Circa adiurationem factam cum dæmoniacis sequentia sunt notanda. *Primum*, vt quis dæmonium habere dicatur, duo exiguntur, prius est, vt in homine ipso dæmon sit, dum enim exterius tantùm à Dæmone affligitur, sicut Iob ac D. Antonius, non dicitur habere Dæmonium. Posterius est, vt quandam vexandi potestatem in eo, in quo est, acceperit, atque est in eo corpore dæmon, vt motor in corpore moto. *Secundum*. Hæc dæmonis potestas in dæmoniacum est potissimum in corpus, & ea certo limite præscribitur, alioqui dæmon ex seipso ob ingens odium in hominem, dæmoniacum neci daret. In animam autem minus potestatis habet, quamuis ex corporis cruciatu & afflictione, valdè retardetur, ne ita liberè & feruidè in spiritualibus vacet. Præterea motus quosdam prauos in corpore excitat, ac praua sensibus externis & internis obijcit, quibus quodam quasi pondere uoluntatem ad malum pertrahit, etsi cogere nequeat.

Tertium, Dæmon cùm spiritus sit, per quamcumque corporis partem potest in ipsum ingredi & egredi, etsi quandoque per os intret, at communiter per os egreditur & quandoque per fluxum ventris. Est autem Dæmon in corpore, sicut anima totus in toto, & totus in qualibet parte illius; plerumque tamen sedes illius est cor hominis.

Quartum. Quandoque vnus, quandoque multi dæmones obsident idem corpus. Item ex eo egredi unus potest, alijs remanentibus, vt plurimum tamen vno egresso, etiam reliqui exeunt: quia cum ea, quibus Dæmon expellitur, sint omnibus illis æquè exosa, verisimile est, ut sicut unus eis fugatur, ita quoque cæteri fugentur.

Quintum. Obsessis à dæmone non semper habenda est fides, quod ita reuera sit, nec etiam ipsis exorcistis: quia vtrique sæpè decipiuntur, uel impostores sunt, illud est signum efficax, si energumenus loquatur lingua antea sibi ignota & peregrina: & ad hoc signum refertur scientia legendi, aut scribendi, aut cantandi, aut rerum naturalium nullo studio comparata.

Sextum. Nulla res corporalis habet uim expellendi dæmones, quia hi spirituales sunt, & res corporalis non habet uim in spiritum. Hinc est ut si herba aliqua id possit, signum sit superstitionis. Potest tamen sedari vexatio energumeni admotis rebus naturalibus nonnullis, quia impediunt dispositionem corporis, qua dæmon vtitur ad nocendum.

Septimum. Nulla vis inest hominibus alligandi dæmonem alicui rei, illumque in illam includendi, ut in annulum, in vas, &c. Quare dum aliqui sic dæmonem quem familiarem uocant, alligatum, aut inclusum dicuntur habere, intelligitur, uel ex pacto, quo dæmon ipse se obstringit, cùm primùm certa carmina, aut incantamenta intellexerit. vel imperio superioris dæmonis. Plura de his vide apud Sanchez *lib 2. Mor. c 42. à num.6. ad 12.* Sanchez.

6 Adiuratio imperatiua, seu coactiua solis superioribus licet erga subditos in ijs, in quibus illi subduntur, existente causa iusta sic adiurandi. Ratio est, quia soli illi erga subditos potestate eis imperandi, eosque cogendi gaudent, vt diuini nominis reuerentia per adiurationem interposita, impellantur magis subditi ad præceptum implendum. Ita D. Thomas 2.2. *quæst.90. art.1.* & alij communiter. Subditus verò contrauenicns superioris præcepto sibi per adiurationem imposito, non periurus, sed solùm transgressor præcepti superioris est: vnde ex sola adiuratione non inducitur aliqua Religionis obligatio, sed sola est malitia transgressionis præcepti superioris. Quia secluso iuramento nequit superior sua adiuratione nouam necessitatem Religionis imponere subdito, sed eam solam imponere potest, quam vis sui præcepti imponit: quare erit mortale contra præceptum, tunc non obedire, quando præceptum est de re graui, & verba superioris satis significant voluntatem imponendi præceptum.

Ita Sua-

Suarez. Ita Suarez *cit. cap. 4. in fine*.

7 Quidam credunt exorcismos Ecclesiæ habere efficaciam infallibiliter expellendi è corporibus hominum dæmonem, secundùm Ordinariam Dei legem; impediri tamen quandoque ob modicam ministri fidem; sicut & gratia est infallibilis Sacramentorum effectus, nisi recipientis obex obstet. Quod dicit esse valdè probabile Valentia. Valentia 2. 2. *disp. 6. q. 8. punct. 2. q. 2.* At veriùs est non esse infallibilem hunc effectum, sed ex congruitate quadam. Atque ita verba Christi Marci vltimo, *In nomine meo dæmonia ejicient*, non tam significant absolutam ea de re promissionem, quam id plerumque esse futurum, quando expediret. Non enim ob solam ministri, aut dæmoniaci culpam, quandoque dæmones non expelluntur, sed etiam ex occulto Dei iudicio propter maiorem animæ vtilitatem, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum. Nec solent exorcismis omnes molestiæ repelli, quas dæmones hominibus inferunt: sed eæ solæ, ad quas repellendas ab Ecclesia ordinantur. Vt sunt molestiæ, quas inferunt manendo in corporibus, & illa vexando: siue dum interius manent, siue dum exteriùs obsident: & illas regulariter sanant. At maleficia & alia damna, quæ nobis inferunt, contra quæ non ordinantur directè exorcismi, non tolluntur per eos, nisi rarò. Ita Delrius *lib. 6.* Delrius. Victoria. *disquis. magic. c. 2. q. 3. sect. 3. remed. 4.* Victoria *de magia, q. 6. num. 24.*

8 Damnatur à quibusdam Doctoribus tamquam superstitiosum, si exorcista dæmoniacum flagellis & alapis percutiat, vel fumo rutæ & cornuum, stercorisque caprini defatiget, quasi horum virtute possit dæmon pelli. Ita Simachas. Delrius. Simachas *de Cathol. instit. tit. 63. num. 32.* Delrius *lib. 2. disquisit. magic. q. 30. sect. 3* Hæc sententia vera est & certa, si hæc adhibeantur tamquam virtutem aliquam habentia directè ad dæmones expellendos, aut affligendos: quia nulla res corporalis id efficere potest. At si non ea existimatione adhibeantur, sed quasi dæmonem confundentia & in ipsius contemptum & contumeliam, vt vel sic se contemni in eo domicilio minimè patiens tamquam superbissimus, illud deserat, non sunt superstitiosa, sed ex se licita: vnde multi sancti dæmonem expulerunt expuendo in eum. Ratio est, quia dæmon se contemni videns torquetur, & ideo aliquando recedit. Posset tamen exorcista aliquando alia ratione peccare, si imprudenter se gereret percutiendo grauiter, aut nimis eo fumo, molestando dæmoniacum: cum enim ea in solam dæmonis contumeliam eiusque contemptum, fiant, & non quasi corporaliter affligentia, satis est, si moderata sint, ita vt corpus dæmoniaci minimè torqueant, sed solam dæmonis superbiam, Thyræus. Philiarch. cum contumelia illa afficiendo. Ita Thyræus *de dæmoniacis, c. 46. nu. 31.* Philiarchus *de offic. Sacerdotis, tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 11.* & alij.

9 Adiuratio ex parte modi illicita est mortaliter, *Primò*, quando superiores, aut æquales adiurantur per modum coactionis: quia id sit vsurpando sibi in alterum potestatem contra iustitiam, in quo contra charitatem notabiliter læditur: nisi fortè id fictè fiat ad explorandum illius animum: vel ipsum in re leui decipiendum per iocum: tunc enim ex lenitate materiæ censebitur peccatum solummodo veniale. *Secundò*, cùm dæmones adiurantur per modum deprecationis, seu petitionis beneuolæ. Id enim est amicitiam iungere cum eis seque disponere ad ineundum fœdus cum eis: quod notabiliter iniuriosum est Deo, & eius amicitiæ repugnat, & ideò peccatum est mortale. *Tertiò*, cùm dæmones per modum coactionis adiurantur, vt discatur aliquid ab eis, vel aliquid obsequij accipiatur. Ratio est, quòd talis recursus ad dæmonem maximoperè diuinæ maiestati displiceat, & ab ea puniatur grauissimè: prout satis indicant verba illa Leuitici 20. *Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam & interficiam illam de medio populi sui.* Vide Suarez *c. cap. 4. n. 7.* Suarez.

10 Quædam exorcistas valdè suspectos reddunt de superstitione ac pacto cum dæmone. *Primum* est, si Laici, aut Clerici sola prima tonsura insigniti, exorcizandi munus quasi ex officio, aut peculiari Dei priuilegio sibi vsurpent. Quia cùm id priuilegium non ostendant, & certum sit id munus ex officio illis non competere, suspecti valdè sunt. *Secundum* est, si quis Clericus, aut Religiosus quasi peculiare sibi vendicet plus virtutis ad dæmones exorcismis expellendos sibi inesse, quàm cæteris ejusdem Ordinis. Quia cum contrarium sit verum, hi sunt clarè mendaces, nisi peculiare Dei priuilegium ostendant. At bene concedendum est aliquos maiori dexteritate præditos esse, ad exorcismos contra dæmones adhibendum; neliusque nosse, quo pacto dæmones in energumenis tractandi sunt. *Tertium* est, si peculiaribus exorcizandi formulis, & ritibus diuersis à communibus Ecclesiæ vtantur. *Quartum* est, si vocibus ignotis vtantur, quas solis dæmoniacis ad aures: dicùt quia adhibere nomina ignota & modus clam dicendi, eos meritò suspectos reddunt. Ita Delrius *in disquisit. magic. post lib. 6. in Anacephalæosi monit. 10.* Delrius.

11 In Christianismo, siue apud Catholicos, dæmonia ex hominum corporibus ejiciuntur quinque modis. *Primus* est, per inuocationem nominis Domini nostri Iesu Christi, de hac Iustinus disp. cum Triphon. in hunc modum: *Per nomen* (inquit) *ipsius filij Dei & primogeniti creaturæ omnis Dæmonium omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur.* Et paulo ante: *Eius nominis* (IESV) *potentiam dæmones tremunt & formidant: & hodie quoque ipsi per nomen Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, qui Iudææ procurationem egit, adiurati nobis parent.* Hanc formam dæmonia ejiciendi per *Nomen Domini nostri*, & Dominus videtur præscripsisse & Apostoli obseruasse & viri sancti vsurpasse. Dominus præscripsit cum dixit Marc. vlt. *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Apostoli ibi gratulantur Luc. 10. quòd *in nomine Christi ipsis subjicerentur dæmonia.* D. Paulus *in Nomine Iesu* præcipit Dæmonio, vt à puella exeat, Act. 16. Id probant varia exempla Sanctorum qui inuocato Christi nomine dæmonia ejecerunt ex hominum corporibus, teste & referente Petro Thyræo *de dæmoniacis disp. 42.* Thyræus.

Obseruandum autem est, quod quamuis & Christi imperio & Christi meritis, & Christi auctoritate dici possit Dæmonia ejici, quando ad nominis eius inuocationem pelluntur, propriè tamen *virtutem eius* intelligimus; vt idem sit in Christi nomine; atque in virtute Christi dæmonibus exitum imperare: quia dæmonum ejectio opus diuinum est, humanas vires longissimè superans, ergo diuinam virtutem requirit, qua dæmones vt expelli dæmonstremus, Christi nomen hoc est, virtutem, quæ diuina est, inuocamus. Itaque in hac dæmones ejiciendi ratione duo videntur concurrere. *Primum* est, Christi nomis vsurpatio; *Alterum* eiusdem virtus & potestas. Illud voce profertur, hoc animo concipitur & verbo insinuatur.

Sed & ratio egregiè pro hac sententia militat. Finis enim qui in dæmonum ejectione propositus fuit, hoc potius, quàm quodcumque aliud nomen requirebat: quia cùm hic propositum esset, vt Christi gloria atque diuinitas innotesceret: ipseque pro vero Deo susciperetur & haberetur, illud nomen assumere oportebat, quod Christo erat maximè proprium, quo ab omnibus passim compellebatur. Atque hoc esse dulcissimum IESV nomen, si non alia, certè Titulus Triumphalis, vt vocamus, satis superque declarat.

12 Secundus modus, seu ratio ejiciendi Dæmones est per vsum Reliquiarum Sanctorum. *Ea est Sanctorum potestas*, inquit Chrysost. orat. de Babil. *Vt illorum superstitum ne vmbras quidem, aut vestes ferre possint Demones: vita autem functorum & loculos quoq; reformident.* Chrysostomo adiungimus semicinctia & sudaria Apostoli Pauli: de quibus ita S. Lucas, Act. 19. *Virtutes, inquit, non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria et semicinctia; & recedebant ab ys languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Addi potest quoque vmbra Petri, qua dæmonibus vim allatam esse haud obscurè insinuatur cap. 5. Actuum Apostolorum. Verùm quia hoc exorcizádi ratio magnos & multos habet aduersarios, pluribus tamen exemplis Sanctorum illustrat & explicat Thyræus *p. 3. disp. de dæmoniacis, c. 43.* Nec mirum est Dæmones, aut profligari, aut cruciari reliquijs: cùm vel maiora, vel certè æqualia Reliquiarum attactu & virtute perfecta esse sciamus. Per has alijs est restitutus visus: alijs redditus vsus pedum: alijs data vita: alij ab incurabilibus morbis liberati. D. Chrys. Thyræus.

13 Ter.

13 Tertius modus est, per Sanctæ Crucis impressionem. Aduerte tamen, quod aliud Crucis Christi, aliud signi Crucis Christi nomine intelligimus. Crucem dicimus illud ipsum lignum, in quo Dominus sa utem nostram operatus est. Signum Crucis, quidquid illud sensibus offert. Hoc signum potest duplex distingui, Alterum est permanens, alterum transiens. Permanens, aut ex ligno, aliaue solida materia fit, aut colore in plano effigiatur. Transiens mox vbi formatum est, esse desinit.

Huius transeuntis duplex vsus est. Quoddam homines sibi imprimunt, vt cùm pietatis studio cruce, vel frontem vel pectus, vel os muniunt, quoddam aliis a se, vt fit in Sacramentorum maximè verò Baptismi, Confirmationis & Extremæ Vnctionis administratione; & quando fideli populo, in Ecclesia, ab Episcopis & Sacerdotibus benedicitur. Vterque modus antiquissimus est & non cum paruo fidelium fructu frequentatus, quod, vt in aliis multis, ita in dæmonum eiectione & profligatione licet deprehendere, cùm nouum non sit ex humanis corporibus, virtute crucis, ipsos eiici, quemadmodum grauissimus testis est Lactantius lib. 4 cap. 27. *Sicut ipse Christus*, inquit *cum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumq; mentes emolliebat & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat. ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine Magistri sui, & signo Passionis excludunt*. Exempla habes apud Thyræum *de dæmoniacis, cap.* 44. *num*. 5. & testimonia Sanctorum Patrum *num* 8. Lactant. Thyræus.

Sed quæret aliquis, cur ad signum Crucis dæmones fugiant, & an aliqua virtus in Cruce sit, quæ dæmones torqueat, aut potius odium ipsius Crucis in ipsis tantum sit, ut potius cum dedecore malint cedere, quàm cum molestia Crucem sustinere. Respondeo, quod virtus huic signo duobus modis intelligi potest. Prior est, vt quemadmodum cæteris rebus virtus impressa est, quà agant; ita quoque signo Crucis sit impressa. Posterior, vt non quidem ipsi virtus sit impressa, sed tanquam instrumentum Dei assumatur, quod Deus ex se, atque ex opere operato, ut in scholis loquimur, ualere uelit ad dæmones expellendos. Nazianz. Epiphan.

Dici nullo modo potest Cruci, quæ in aere formatur, aut, fronti imprimitur, vim ea ratione inesse, quâ sua rebus naturalibus dicitur inesse. Quod Deus Cruce, tanquam instrumento, ex opere operato dæmonia profligari velit, admodum est verisimile; & quidem si non aliunde certè ex illo, quod sæpe homines Iudæi & Ethnici, sine vera fide, aut deuotione, signo Crucis a ff…i sint. Hoc de Iuliano testatur Nazianzenus, *Orat. in Iulian*. D. Iosepho Hebræo Epiphanius *Heres*. 30. Hominum pietas, ut ad alia omnia Apostolo teste, etiam hic vtilis est, & ualet. Quando enim hoc signum pietatis studio assumunt, Christi merita, Crucis signo quasi expressa, postulant & inuocant, ideo dæmonibus signum Crucis opponere, est Christi Passionem opponere, & Deum per Christi merita inuocare. Sed odium dæmonum maximè hic valet. Incredibile est, quantum sit illud erga Christi Crucem. Odij huius causæ duæ sunt, præcipua est, quia signo hoc, vires eorum fractæ, regnum dissolutum. Altera causa odii ex fructu, quem ex signo hoc fideles carpere possunt, oritur, quia signum hoc explicat totam perfectionem Christianam. Promptum enim Crucis insinuat fidem; sub imitas spem; latitudo charitatem longitudo perseuerantiam; quæ si in Christiano inueniuntur, perfectum constituunt.

14 Quartus modus est, per vsum rerum consecratum Antiquissima in Christi Ecclesia consuetudo est, vt res quædam consecrentur, & benedicantur, quibus deinde fideles, tum ad dæmones profligandos, tum ad morbus pellendos, aliaque mala arcenda, vterentur. Hic modus à præcedentibus tribus hoc videtur differre: quod quamcunque in dæmonia potestatem habet, illam accipiat, per orationem & verbum Dei: cùm priores illæ, non ab Ecclesiæ oratione: sed aliunde vim suam habeant.

In Ecclesia Dei benedicitur aqua; benedicitur sal: benedicuntur herbæ; benedicuntur imagines cereæ, quas ab effigie ceræ impressa, Agnus Dei dicimus, & quidè benedicuntur he res, non ob eum finè, vt à dæmonû infestationibus sint liberæ (quomodo aliæ quædam benedicuntur) sed vt iis contra dæmonum infestationes & molestias vtamur.

Noua res in Christi Ecclesia non est creaturarum benedictio: magnam habet auctoritatem a veneranda antiquitate. Oleum quo Apostoli infirmos curabant benedictione mystica hanc virtutem habebat. Benedictionis olei meminerunt, Clemens, Dionysius & Tertullianus apud Thyreum *de dæmoniacis, c.* 45. *n*. 10. Benedictionis panis extra Eucharistiam B. Augustinus *l. a de peccatorum meritis, cap*. 26. Benedictionis cerei Paschalis Strabo *c*. 30. & Patres in Concilio Toletano 4. *cap* 8. Benedictionis Palmarum & Cinerum D. Maximus, cuius extant Homiliæ in scriptæ in die cinerum & in Dominica Palmarum. Thyræus. D. August. Strabo. Conc. To. D. Maxim.

His ergo rebus sensibilibus benedictis dæmones abiguntur, nec desunt exempla, & primum se offeret S. Eligius Nouiomensis Episcopus, qui ad se adductos dæmoniacos, erant autem plures quinquaginta, Aquæ Benedictæ aspersione à spiritibus liberat. Hæc Audoenus Rhotomagensis Episcopus in vita eius, *lib. a. c*. 10. Quod autem hæ res sensibiles benedictæ maximam vim habeant contra maleficia & alia opera magica dissoluenda quoni. de nostris hisce temporibus plusquam perspicuum est, & infinitis exemplis probari possit. Audoenus.

15 Quintus est, dæmonum per exorcismus adiuratio. Exorcismi nomine, hoc loco, illam rationem intelligimus qua per Deum Spiritus nequam adiurantur, vt ab humanis corporibus discedant, Deo que creaturam suam, quam possident, restituant & vexare desinant. Non parvas esse huius adiurationis vires probant clamores, gemitus eiulatus quos in obsessis hominibus sæpissime dæmones dederunt de quibus ita Cyprianus, de idolorum vanitate loquens: *Adiurati*, inquit. *per Deum verum à nobis, statim cadunt & fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce & operatione maiestatis occultæ flagris cædi & igne torreri incremento pœnæ propagnantis ex. endi, eiulari, gemere, deprecari: vnde veniunt & quando discedunt confiteri*. Verum non vna semper eademque huius rationis dæmonia eiiciendi, fuit forma. Olim tere paucioribus rebus videtur constitisse: nunc quandoque plura adhibentur; quod non tam facilè modò quam olim a dæmoniis corpora videantur liberari. Hinc est de dixero vt hæretici, qui vniuersa propemodum Catholicorum pietatis exercitia ad examen reuocant, nunc quoque plura habeant, quæ carpant, ac damnet in nostro, quam in illo prioribus temporibus recepto exorcismo; iniqua tamen est ipsorum censura, indicium temerarium & falsum. Varia autem sunt, quæ in exorcismo reperiuntur, sed ad duo præcipuè genera reuocari possunt, *Res & verba*. Verba partim ad Deum diriguntur, partim ad Sanctos, Dei amicos: partim ad obsidentes dæmones. Ad Deum diriguntur per orationem, & sacrificium Missæ, Ad Sanctos per Litanias ad dæmones, per adiurationem. D Cypri.

Petitur à Deo peccatorum venia. Petitur, vt ministris suis, in tam arduo & difficili negotio velit adesse, velit etiam misereri obsessi hominis, & eundem à Dæmonum potestate eripere. Inuocantur Sancti vt pro nobis & energumeno velint orare. Dæmones durioribus verbis increpantur: imperatur iisdem quandoque, vt se prodant, nomen dicant prodant socios, explicent causas, cur hominis ingressi: ex hominibus discedant, infernum petant, discessum suum aliquo signo declarent.

Res similiter in exorcismo variæ sunt & multiplices: quædam sacræ sunt, vt Sanctissimum Christi corpus, quod sub visibilibus speciebus offertur; Sanctorum reliquiæ quæ aliquando adhibentur aqua benedicta, qua obsessi asperguntur. Quædam res sunt signa Sacrarum, vt crux maximè, quæ nunc fronti, nunc pectori, nunc aliis obsessorum membris imprimitur.

His addo locum vbi exorcismus peragitur; qui plerumque templum est: vestes item sacras, quibus exorcista induitur: stolam, quæ aliquando obsessis imponitur: Impositionem manuum Sacerdotum; Cæreos ardentes; quæ interdum adhibentur flagella: atque digitorum exorcistæ in os obsessi immissio.

Hæc ferè sunt, quæ in exorcismo reperiuntur: tamen

nec omnia hæc necessaria sunt, nec semper adhibentur: nunc plura, nunc pauciora adhibentur. Verum enim verò siue adhibeantur, siue omittantur, superstitione vacant omnia. Sed de his plura apud Petrum Thyreum *de dæmoniacis, cap. 46. num.* 14. *& sequentibus.* Ex dictis clarum est nihil in exorcismo criminis esse, nihil esse superstitionis, etiamsi hęc omnia coniungantur. Christus nobis huius auctor videtur. Potuit ille verbo, ne dicam nutu dæmonia eiicere, sed tamen signa, quæ exorcismi quandam speciem referrent, adhibuit. Cùm enim dæmoniacum quendam sanaturus esset: primum ipsum aprehendit de turba seorsum: tum misit digitos in auriculam eius, post expuens tetigit linguam eius denique suspiciens in cœlum ingemuit, & post quam Epheta dixisset, sanitatem contulit. Et de hac materia satis.

Thireus.

A D O R A T I O

S V M M A R I V M.

1 *Adoratio quid sit. Alia est latria, alia dulia alia hyperdulia.*
2 *Adoratio vna est interior, alia est externa.*
3 *Diuiditur in absolutam & respectiuam.*
4 *Sanctissima Trinitas cultu latriæ adoranda est.*
5 *Eucharistia Sacramentum adoratione latriæ adorandum est, & quando hoc præceptum adorationis obliget.*
6 *Quæ Christum Dominum reipsa tetigerunt cultu latriæ coli debent, vt Crux lancea, &c.*
7 *Crux ex qualibet materia constans latria coli debet, & quid dicendum de aliis instrumentis Dominicæ Passionis.*
8 *Sancti Angeli, & Beati in Cœlo cultu duliæ sunt adorandi.*
9 *Licitus est priuatus cultus Sanctorum quos Ecclesia nondum redegit in catalogum Sanctorum.*
10 *Vsus sacrarum imaginum licitus est.*
11 *Vna & eadem adoratione adorari possunt imago & exemplar quâ prototypum.*
12 *De fide est reliquias esse adorandas.*
Quanam certitudo requiratur in approbãdis reliquiis.

1. ADdoratio secundum Diuum Thomam est exhibitio reuerentiæ propter excellentiam illius cui exhibetur, vel secundum alios, est actus, quo vnus alteri se submittit, seu alterum honorat in recognitionem ipsius excellentiæ; vnde cũ non sit eadem excellentia in Deo & in creaturis, ideo diuersa est adoratio Dei & creaturarum: propterea actus adorationis propter excellentiam increatam est adoratio Dei, quæ dicitur adoratio latriæ; Latria enim censetur esse cultus soli Deo debitus, propter summam & increatam excellentiam, quę in eo datur. Propter autem excellentiam creatam actus adorationis dicitur, *dulia*, quæ debetur creaturis, propter illorum excelentiã & santitatem: quod si illa sanctitas sit aliqua singulari ratione excellens; Theologi vocant illum actum adorationis *hyperduliam*, qua colitur Beatissima Virgo MARIA. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 84. *art* 1. Sylnius *ibid.* Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 3. *punct.* 1. Clauis Regia *lib.* 4. *cap.* 3. *numero* 4. Rodriguez *in Summ. tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 1. Filliucius *t.* 23. *n.* 21. Lessius *lib.* 2. *c.* 38 *dub.* 1. Puteanus 3. *p. q.* 25. *a.* 2. Viguerius *in inst. c.* 5. *§.* 5 *vers.* 12. & alii communiter.

D. Thom.
Sylnius.
Valentia.
Clau. Reg.
Rodrig.
Filliucius.
Lessius.
Puteanus.
Viguerius.

2 Adoratio multiplex, vna est interior, quæ per interiores actus mentis, videlicet, intellectus & voluntatis exhibetur, quæ maximè ad Deum refertur, alia est externa, quæ in exterioribus humilitatis & submissionis signis consistit, putà in genuflexione, in humiliatione, in prostratione, manuum eleuatione. Adoratio autem vera Dei, omnisque latriæ actus principaliter est in mente; secundario verò in actione externa, tanquã signo expressiuo internæ, submissionis & adorationis, vnde si desit actus internus quamuis adsit externus, non est vera adoratio, sed fictio adorationis & irrisio interna autem adoratio esse potest verè sine externa. Porò hic actus adorationis non est fidei, spei, charitatis, humilitatis, vel obedientiæ, vel alicuius alterius virtutis officium, sed est religionis opus, quo se voluntas corã Deo, vt supremo omnium Domino subiicit. Ita Clauis Regia *c. cap.* 3. Azorius *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 4. Laym an *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 2. *num* 3. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 1 *nu.* 4. Filliucius *c. num.* 22. & alii.

Clau. Reg.
Azorius.
Layman.
Bonacina.
Filliucius.

3 Adoratio denuò diuidi potest in absolutam & respectiuam: dici potest adoratio absoluta illa, qua quis vult rem adorare propter intrinsecam excellentiam quam habet: Adoratio autem respectiua: dici potest illa, qua quis adorare vult rem propter aliud, seu propter excellentiam quæ est in aliqua persona, ad quam tales res aliquam habitudinem vel coniunctionem habent: Absoluta adoratio conuenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis & adorabilis est. Respectiua conuenit rebus ratione carentibus, vt imaginibus, quæ non propter se cultum ac reuerentiam merentur, sed tamen respectiuè, quatenus ordinem alicuius repræsentationis habent ad ipsum exemplar, seu prototypon, ita vt totus effectus internæ submissionis ad prototypon referatur, id est, ad eum cuius est imago: Imò Deus potest honorari dupliciter, *Primo*, in seipso. *Secundo*, in sua imagine. Primo modo adoratur per se, & ipse est terminus adorationis sine vllo alio. Secundo modo adoratur in alio, vel imago adoratur per aliud, & relatiuè, & tũc ipsa imago est terminus adorationis, non quidem per se sed ratione rei repræsentatæ. Clauis Reg. *c. n.* 5. Filliuc. *tr.* 23. *c.* 1. *q.* 8. Bonac. *c. punct* 1. *n.* 4. Laym. *lib* 4. *tr.* 7. *c.* 5. *n.* 9. 10. & 11. Vasquez *lib.* 2. *de ador. di.* 8. *c.* 3. Valent. *t.* 4. *d.* 1. *q.* 24. *punct.* 2. Viguer. *in inst. c.* 5. *§.* 5. *vers.* 12. Ideò in Conc. Trid. *sess.* 25. dicitur, quòd adorare imaginem, est ipsum Christum adorare. Vide Doctores hic citatos.

Clau. Reg.
Filliucius.
Bonacina.
Layman.
Vasquez.
Valentia.
Viguerius.
Conc. T.

4 Cultu latriæ adoranda est Sanctissima Trinitas, & singulæ personæ Sãctissimę Trinitatis, quia quælibet diuina persona Deus est, atq; adcò illi debetur suprem' cultus.

Christus quatenus Deus, seu hic homo Christus in diuina & humana natura subsistens, eadem adoratione latriæ adorandus est, qua tota Trinitas & singulæ diuinæ personæ adorantur.

Humanitas autem Christi in quantùm est diuinitati vnita, seu coniuncta, latria adoranda est, ratione hypostasis verbi Dei à qua & in qua sustẽtatur. Si verò Humanitas Christi per se & præcisè consideretur præcisà diuini Verbi personà, qualis nec est, nec vnquam erit, non latriæ adoratione adoranda esset, sed hyperduliæ, tum propter donorum, quibus adornatur, excellentiam, tum quia per se non habet excellentiam increatam, sed creatam: in praxi tamen Christus adorandus est adoratione latriæ, quia humanitas ipsius semper est coniuncta Verbo diuino, quod enim Deus assumpsit, nunquam dimisit. Idem dicendum de Sanguine Christi in triduo mortis separato à corpore Christi. D. Thomas 3. *part. quæst.* 25. *a.* 1. & 2. Sylnius *ibid.* Clauis Regia *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 7. & 8 Vasquez 3. *part. disp.* 96. *cap.* 3. & 4. Filliucius *tract.* 23 *n* 26. Azorius 1. *part. lib.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 7 & 8. Puteanus 3. *part. quæst.* 25. *art* 1. & 2. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *pu.* 2. *nu.* 5. 6. & 7 Suarez 3. *p. de incarnat. disp.* 53. & alii, quia sanguis ille non fuit à Verbo diuino separatus & diuisus, & proinde dignus fuit cultu latriæ.

D. Thom.
Sylnius.
Clau. Reg.
Vasquez
Filliucius.
Azorius.
Puteanus
Bonacina.
Suarez.

5 Eucharistiæ Sacramentum cùm verè, & realiter contineat Christi Corpus, adorandum est adoratione latriæ, nec sub conditione adorandum est si facta est consecratio, sed absolutè coli potest, & sufficit adorantem ita affectum esse vt non adoraret, si panis non esset consecratus: prudentis enim viri est, vt putet panem esse ritè & legitimè consecratum, qui publicè populo ad venerationem & cultum exponitur: quia credendum non est, aut ministro animum & voluntatem defuisse consecrandi, aut necessarium & debitam Sacramenti formam, vel materiam abfuisse, cùm oppositum nobis certò non constet. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 1. *art.* 3. Vasquez 3. *p. disp.* 108. *c.* 12. Rodriguez *to.* 1. *summ. c.* 8. *n.* 2. Filliucius *c. n.* 26. Valentia *tom.* 3 *disp.* 6. *q.* 11. *punct.* 4.

Caietan.
Vasquez.
Rodrig.
Filliucius.
Valentia.

Sed petes, quando occurrat præceptum huius adorationis. Resp. non semper, sed pro tẽporis opportunitate, cùm sit præceptũ affirmatiuum. Toties itaq; obligat, quoties illius omissio censeri posset irreuerentia quædam, seu virtualis contemptus, quod maximè locum habet in sacriti-

crificante, in communicante, in audiente missam, dum post consecrationem eleuatur; in occurrente in itinere, dum honorificè defertur ad infirmos, &c. Vide *cap. Sanè. de celebrat. Missarum.* Secluso autem formali contemptu & scandalo, eiusmodi omissio ob negligentiam aliquam, inaduertentiam, necessitatem, occupationes, vel nullum est peccatum, vel veniale: quod notandum est pro ministris Ecclesiæ, qui quodammodo habitant in templis.

Dubium autem est, an Caro vel Sanguis qui aliquando miraculosè apparet in Eucharistiæ Sacramento, cultu latriæ adorari debeat.

D. Thom.

Respondent aliqui debere, quia vt minimum ea caro vel sanguis repræsentat tanquam signum carnem & sanguinem Christi, Controuertitur enim inter Diuū Thomam *quodlib.3. art.2. & in 4. disp.10. quæst.1. artic.4. & in 3. part. quæst.76. artic.8.* & alios Theologos, an illa caro vel sanguis ex diuino miraculo apparens verè & propriè sit Christi. Negat ille, cùm iuxta illum virtute Dei fieri nō possi vt idem numero corpus simul in duobus locis quantitatiuè & circumscriptiuè consistat, sed est denuò creatum à Deo. Alij verò Theologi Scotus, Ocham, Gabriel, Maior *in 4 dist.10.* docent eiusmodi carnem & sanguinem non ad longa tempora durantem, esse verè & propriè carnem & sanguinem Christi, virtute diuina duobus simul in locis consistentem, in cælo nempe, & in Sacramento altaris. Cæterùm quidquid sit de rei ueritate, si constans & diuturna sit eiusmodi apparitio, censeri debet facta per miraculosam accidentium immutationem, ita vt sub ea panis vel uini substantia naturaliter consistere non possit, proinde totum quod apparet, nō est adorandum cultu latriæ absoluto, sed tantum respectiuo, sicut Crux & imagines Christi. Vide Suarez *3.p.t. 3.di.55.se 2.& 3.* Vasquez *in 3.p. super q.67.a.8.* & alios.

Scotus. ocham. Maior.

Suarez. Vasquez.

6 Latriæ cultu coli debent illa quæ Christum Dominum reipsa tetigerunt vt Crux, claui, lancea, præsepè, spongia, flagella, corona spinea, & alia huiusmodi, non quidem secundùm se, sed per ordinem ad Christum, cum quo fuerunt aliquo modo coniuncta, illa verò quæ Christum Dominum ignominiosè tetigerunt, nefariè & impiè, nullum cultum merentur, sed potiùs execranda sunt, qualis est impia & sacrilega illa manus, quæ Christū alapa percussit, cùm fuerit membrum iniquissimæ personæ, coniunctum cum ipso percutiente, sicut & labia Iudæ adorari non possunt propter conctatum, vt enim ex contactu Christi res aliqua possit honorari, debet sanctitatem ipsius aliquo modo participasse. D. Thomas *4.p.q.25.a.4.* Syluius *ibid.* Suarez *3.p.tom.1. disp.56.sect.1.* Vasquez *3. part. disp. 100.c.2.* Azorius *tom.1.lib.9 c.5 q.9.* Bonacina *c.punct.3.n.6.*

D. Thom. Syluius. Suarez. Vasquez. Azorius. Bonacina.

Res verò intelligentiæ, & rationis cōpotes, quæ Christum tetigerunt, quamuis alioqui religiosè, sanctè & piè tetigerint, non sunt propterea honore & veneratione latriæ colendæ, sicuti Beatissima Virgo Maria & Apostoli qui Christum tetigerunt. Ratio est, quia per se possunt adorari, & honor latriæ qui ipsis tribueretur propter Christi contactum, videretur ipsis tribui propter ipsos, cùm tamen ipsi non sint hac adoratione adorandi. Ita D. Tom. *c.a.5.* Fillincius *tr.23.n.34.*

D. Thom. Filliucius.

7 Latria coli debet Crux ex qualibet materia constans quia eo cultu non solùm Crux, qua Christus pependit, digna est, eò quòd Christum tetigerit, sed etiam quatenus Crux est, hoc est, signum & imago Christi Crucifixi, at verò cætera Dominicæ Passionis instrumenta solùm cultum latriæ merentur, quia Christi Corpus tetigerūt, quare si in alia materia consistāt, cultu latriæ coli non debēt quia non sunt signa, & imagines quæ Christum repræsentent. Vnde hæc est differentia inter Crucem, quæ nūc conficitur, & alia instrumenta quòd illa sint tantùm similitudines eorum instrumentorum, quibus Christus est Cruci affixus. Ita D. Thom. *c art.4.* Syluius *ibid.* Valentia *tom.4.disp.1. q.24.punct.3.* Filliucius *c.num 30.* Bonacina *tom.2. disp 3.q.1.punct.3 n.8.*

D. Thom. Syluius. Valentia. Filliucius. Bonacina.

8 Cultu duliæ adorandi sunt sancti Angeli, & Beati in cœlo regnantes, imò etiam multi homines in terris viuentes digni sunt honore & adoratione propter ipsorum sanctitatem & excellentiam, & hoc probatur ex pluribus Conciliis vt *Nicano 2.a.6. Trid. sess.25.* & ex sacra Scriptura, in qua legitur honorem sæpè exhibitū esse Sanctis, Angelis, hominibus viuentibus & mortuis propter ipsorum sanctitatem & excellentiam. Sed quoad hunc cultum est differentia adhibenda, nam Sancti in numerum Sanctorum ab Ecclesia relati, publico & solemni cultu nomine Ecclesiæ adorari possunt, illi verò Sancti qui nondùm in Sanctorum numerum cooptati sunt, non possunt publicè adorari, illis tamen cultus priuatus exhiberi potest, non nomine Ecclesiæ, sed ex peculiari deuotione colentis priuatim aut publicè: Vt colligitur ex *ca.1 & 2. de reliquis & veneratione Sanctorum.* Cultus autem publicus dicitur, non qui coram aliis exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ & tāquàm ab Ecclesia instituitur. Ita Doctores hic citati. Clauis Regia, *l.4.c.3.n.10.* Filliucius *c.num.31.* Sanchez *l.2. Moral.c.43.n.43.* Vasquez *3. p.disp.97.c.2.* Bellarminus *lib.1. de Sanctis cap.10.* Suarez *disp.55.sect.2.* Azorius *to.1.lib.9.cap.8. quæst.8.*

Clau Reg. Filliucius. Sanchez. Vasquez. Bellarm. Suarez. Azorius.

9 Cultus priuatus Sanctorum quos nondùm in Catalogum Sanctorum Ecclesia redegit, permittit ipsorum imagines in domibus nostris depingi retineri, & colli, non verò in templo, vel in altari inter imagines aliorum Sanctorum reponere, cum hoc pertineat ad cultum publicum, insuper licet pedes & manus ipsius Sancti exosculari, ipsius capillos aut vestes accipere, siue alij videant siue non, modò scandalum absit. Præterea licet cuicumque priuato homini in honorem talis Sanctis nondum canonizati ipso die natali, operibus seruilibus abstinere, aut ieiunare, aut ei votum offerre: hæc enim omnia ad cultum priuatum pertinent. Sanchez, *l.2. Moral. cap.43.n.6.7.* Bellarminus *c. cap.10.* Azorius *tom.1.l.9. cap.8.q.8.* Syluest. *v. Reliquiæ q.1.* Layman *l.4.tract.7.c.5. n.14.* Bonacina *to.2.disp.3.q.1.punct.2 num.2.*

Sanch. Bellarmin. Azorius. Syluest. Layman. Bonacina.

Non licebit tamen inuocare Sanctum nondum canonizatum publicè in Litaniis, aut diuino officio; nec instituere de eo festum publicum diem, aut publicum ieiunium, vel votum, ne publicè eius reliquias adorandas proponere, aut altaria, vel templa ipsi dedicare, nec de eo Missam dicere, quia hic cultus publicus Sancti, nondum canonizati reseruatur Summo Pontifici. *cap.1. de reliq. & venerat. Sanctorum.*

Deinde Sanctissimus *D.N. Vrbanus VIII.* in generali Congregatione S. Inquisitionis *die 4. Aprilis anno* 1625 prohibuit sub pœna suspensionis comminatoriæ aliisque pœnis, ne quis imagines eorum qui cum fama, vel opinione sanctitatis, vel martyrii ex hac vita migrarūt, proponat cum laureolis, radiis vel splendoribus, aut libros continentes gesta, miracula, reuelationes, vel beneficia tanquam ipsorum intercessionibus obtenta publicet, aut tabellas, seu imagines fictas, pictas vel exsculptas appendat, aut lampades, seu lumina ad ipsorum sepulchra sine debita facultate accendat.

10 De fide est, vsum sacrarum imaginum licitum esse & honestum, si prudenter fiat, vt constat, tum ex Concilio Tridentino *sessione 25.* tum ex vsu Ecclesiæ tum ex Christi exemplo qui *Agabaro* Regi Edessæ suam imaginem pallio impressam misit. Tum ex innumeris miraculis quæ Deus per sacras imagines efficere consueuit. Notandum autem est quòd in adoratione ipsa imaginis, non tantum illud cuius est imago adoratur, sed etiam ipsamet imago, cùm illud propriè adoretur, quod est terminus adorationis, seu materia circa quam versatur adoratio. Tamē hæc adoratio nō est absoluta, sed respectiua quia imago non colitur propter excellentiam propriam quā caret, sed propter excellentiam illius, cuius est imago. Ita D. Thomas, *3.p.q.25.a 3. 4. & 5.* Syluius *ibid. à 3.q.1.* Layman *c.num 10.* Suarez *3.p.to.1 disp 5.5. sect.4. assert.1.* Clauis Regis *li.4.cap.3.num.11.* Valentia *to.3.disp.6.q.11.* & alii communiter.

D. Thom. Syluius. Layman. Suarez. Clau Reg. Valentia.

Sed petes, an imagines Dei, & Angelorum, qui non sunt corporei, sed puri spiritus, sint licitæ & admittendæ Catholica responsio est affirmatiua, licet enim imagines adhiberi non possint ad repræsentandum Deum, vt in se est secundum propriam similitudinem, possunt tamen Deus & Angeli manifestari per quandam metaphoram, vel vt alias apparuerunt. Sic non damnatur, sed permittitur imago, qua Pater Cælestis depingitur senex totus capite cano, & Christus Cruci affixus in pectore cōsistens,

& Spiritus Sanctus in specie columbæ. Depingitur ergo Deus in figura seu forma sensibili, non quòd figura Deus in figura seu forma sensibili, non quòd figura vel coloribus constet, sed quòd in ea figura visus sit. Pinguntur etiam Angeli in specie humana, quia in corporibus humanis se exhibuerunt videndos, finguntur iuuenes, vt exprimatur eorum vita perpetua, quæ nullo tempore senescit, sed est semper virens, ac florens. Alæ autem eis affiguntur, nô quòd illis præditi sint, sed quòd sint Dei, à quo mittuntur, promptissimi nuncii. Plura de his apud Doctores hic citatos Vasquez 3. *p. q.* 25. *art.* 3. *disp.* 103. Syluius 3. *p. quæst.* 25 *à* 3. *quæsit.* 2. Azorius *tom.* 1. *l.* 9. *cap.* 7. *quæst.* 2. *&* 3. Bonacina *e. disp.* 3. *q.* 1: *punct.* 3. Sanderus *de cultu imag. l.* 1. *c.* 4. Bellarminus *lib.* 2. *de imag.* 8. Caietanus 3. *p. quæst.* 25. *art.* 3.

Vasquez. Syluius. Azorius. Bonacina. Sanderus. Bellarm. Caietanus.

11 Vna & eadem adoratione adorari possunt imago, & exemplar, vt dictum est suprà. Ratio est, quia imago cum exemplari & exemplar in imagine adoratur, & cultus & honor imagini datus transit ad prototypum & exemplar, quod refert imago. Ita Sancti Patres in 7. Synodo *Act.* 7. quæ est Nicæna secunda, Sic cùm Christum alium ve Sanctum apprehendimus tamquam in imagine nobis præsentatum, illi cultum deferimus, vt tamen terminus adorationis, sit solum prototypon, imago autem concomitanter se habeat tamquam accidens quoddam, & quasi vestimentum prototypi, seu personæ adoratæ. Quemadmodū si Regem in speculo effulgentem uideas, & adores, vno motum & regem adoras, & speciem siue imaginem Regis, ipsum quidem principaliter, sed imaginem concomitanter & per accidés. Propterea Aristoteles *l. de Memor. & Reminis. cap.* 2. docet, eundem esse motum in imaginem, qui est in exemplar, cuius est imago. Ita *Diuus* Thomas 3. *p. q.* 25. *a.* 3. *&* 4. Halensis *p.* 3. *q.* 30. *memb.* 3. *art.* 3. §. 1. D. Bonau. 3. *d.* 9. *art. q.* 2. Suarez *e. disp.* 54. *sect.* 4. *assert.* 1. Syluius 3. *p. q.* 25. *art.* 3. *quæsit.* 5. & cæteri iuniores.

Aristoteles. D. Thom. Halensis. Bonau. Suarez. Syluius.

12 Item de fide est, reliquias esse adorandas absolutè & deuotè custodiendas: vt decernitur in Conciliis, Carthaginensi, Bracharensi, & Tridentino, relatis à Doctoribus hic citatis; quando publicè exponuntur adorandæ & Summus Pontifex aut Episcopus debitam diligentiam adhibuit ad inquirendum, num ueræ sint reliquiæ uiri canonizati, illasque approbauit; uel per traditionem seu diuturnum Ecclesiæ usum pro approbatis habentur. Vnde reliquiis eadem adoratio tribui potest, quæ tribuitur personæ, cuius reliquiæ sunt: & quamuis propter se adorari & coli nequeant, cùm sint irrationales, possunt tamen adorari adoratione respectiuà propter excellentiam & sanctitatem personæ, cuius sunt reliquiæ. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 6. Syluius *ibid.* Bellarminus *l.* 2. *de rel. c.* 1. *& seq.* Sanchez *l.* 2. *Moral. ca.* 43. *n.* 1. Layman *l.* 4. *tr.* 7. *c.* 5. *n.* 15. 16. Puteanus 3. *p. q.* 25. *a.* 6. Azor. *tom.* 1. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 2. Suarez 3. *p. tom.* 1. *disp.* 55. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 11. *punct.* 5. *&* 6. Rodriguez *tom.* 3. *q regul.* 55. *artic.* 2. Bonacina *tom.* 2 *disp.* 3 *q.* 1. *punct.* 4.

D. Thom. Syluius. Bellarm. Sanchez. Layman. Puteanus. Azorius. Suarez. Valentia. Rodrig. Bonacina.

Nomine uerò *Reliquiarum*, intelligitur quidquid ex Sanctorum hac vita decedentium corporibus reliquum mansit, siue sint ipsa corpora, siue, cadauera, carnes, ossa dêtes, capilli, vngues, cineres & pulueres, in quæ côuersa fuerunt, item vestes & uaria vtensilia, quibus in vita sunt vsi, uela item, panni, & similia, quæ in vita sua tetigerunt uel ad eorum demortuorum corpora admota fuerunt.

Aduertendum tamen est ad reliquias priuatim venerandas & adorandas, sufficere priuatum testimonium unius personæ fide dignæ, aut aliqua probabilis ratio uel coniectura, quà sufficienter moueamur, ad prudenter iudicandum ueras, esse Reliquias. Ratio est, quia in adoratione seu cultu priuato, minus periculum subest, etsi interdum error materialis contingat, dummodo bona fide agatur, posita enim probabilitate prædicta, licet absolutè & absquè conditione adorare dictas reliquias: nam adest moralis certitudo, quæ sufficit ad prudenter operandum absquè periculo erroris saltem formalis, & licet fieri possit ut materialiter erretur, si contingat reipsa non esse ueras reliquias, nullum tamen peccatum incurritur, quia adorans bona fide adorat.

Sed petes *Primo*, quænam certitudo requiratur in approbandis reliquiis? *Resp.* esse necessariam certitudinem moralem deductam ex probabilibus argumentis, nô autem euidentiam & argumenta infallibiliter concludentia ille enim dicitur certus, qui probabiliter, & non temere credit. Diana. *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 51.

Petes *Secundo*, an liceat Crucem variis reliquiis non tamen approbatis ornatam in altari collocare, & populo adorandam proponere. *Resp.* affirmatiuè, tum quia sic vsus obtinuit, tum quia cùm Crux in altari collocatur, non Reliquiæ, sed Crux adoranda proponitur, quod verò vnus vel alius reliquias adoret, id est per accidés, & ad priuatum cultum pertinet, non ad publicum Ita Castrus Palaus, *tom. tract.* 8. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 11. Sanchez *li.* 2. *moral. c.* 43. *num.* 17. contra Bonacinam *disp.* 3. *de adorat. q.* 1. *p.* 4. *num.* 6. Tum qui cùm vnum est propter aliud, id solùm propter quod est, consideratur, atqui reliquiæ propter solum Crucis ornatum exponuntur.

Diana. Castrus Palaus. Sanchez. Bonacina.

Porrò nota quando reliquiæ sunt legitimè approbatæ vel bulla Apostolica, vel testimonio Episcopi diœcesis à qua transferuntur in aliam diœcesim, non esse Episcopi diœcesis earum veritatem examinare, quia iam legitimè comprobata est, sed examinare an sint eæ reliquiæ, quæ literis Apostolicis, aut testimonio Episcopi continentur, vt sic det licentiam publicè eas collocandi in sua diœcesi.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Actus adorationis ad virtutem iustitia pertinet, & adoratio est actus voluntatis, supponentis actum intellectus.*

2 *Adorationis nomen interdum vsurpatur latissimè interdum strictè.*

3 *Diuisio adorationis in latriam, duliam, & hyperdulia defenditur contra Caluinum.*

4 *Verius est latriam differre specie à dulia & hyperdulia, licet dulia & hyperdulia ad vnam & eandem planè speciem adorationis pertineat.*

5 *An actus interni & externi quibus colitur Deus, sint ex se & natura sua determinati.*

6 *Non est adoratio latria adsoluta, sed respectiua, quando obiectum materiale adorationis nostra est sola imago Christi, & ratio adorandi solus Christus per imaginem repræsentatus.*

7 *Adoratio propriè est latria, quãdo adoratur totus Christus & imago eiusdem simul, ita vt hæc duo sint obiectum materiale adorationis.*

8 *Hæc propositio,* Istæ reliquiæ Sanctorum, sunt adorandæ. *Non est tenenda tanquam de fide.*

9 *Non est superstitiosus Ecclesiæ ritus cereos, aut lampades accendendi ad sepulchra Sanctorum.*

10 *Nihil superstitionis habet, deferre reliquias Sanctorum collo dependentes.*

Qui aliquod peccatum committit deferendo reliquias, modò non sit contra reliquiarum cultum, grauius non delinquit, nec est illa circunstantia in Confessione aperienda.

11 *Honor & veneratio debetur, sicut imaginibus, nominibus Iesu Christi & trium personarum diuinarum & Sanctorum cœlicolarum.*

12 *Cereis imaginibus, quas, Agnos Dei nominamus, honos & veneratio debetur.*

13 *Absolutè non debet honorari imago sacra, per quam nos alloquitur Dæmon, si dubium sit, an sit dæmon.*

Si autem sit probabile, quod sit dæmon, potest honorari sub conditione. si non sit, sed Christus Deipara, vel Sanctus.

1 Actus adorationis ad virtutem iustitiæ pertinet, nomine iustitiæ utendo, prout sub illa comprehenduntur uirtutes omnes, quæ ad alterum ordinantur, siue sit ipsa propria iustitia cômutatiua, aut distributiua, siue Religio, pietas, obseruantia, aut aliæ similes, quę dicuntur partes potentiales iustitiæ. Cùm enim adoratio

tio ad alterum tendat, necesse est, ut ad illud uirtutis genus cuius munus est, operationes circa alterum moderari. Sicut ergo inter prædictas uirtutes institiæ, quædam uersātur circa homines, quæ uariæ sunt secundum diuersas rationes debiti, quæ inter homines esse possunt, aliæ circa Deum quæ dicitur Religio; ita adoratio debita esse potest & Deo & homini, propter aliquam excellentiam quæ in eis reperitur.

Et quamuis aliqui adorationem actum intellectus esse uelint, ut Toletus *in Summ. lib. 4 cap. 12.* & alij, rectius tamen Suarez *in 3. part. disput. 51. sect. 1.* docet esse actum uoluntatis, supponentis actum intellectus. Qui enim aliquem adorat, præsuponitur cognitionem habere excellentiæ illius, cui adoratio exhibenda est. Talis enim bona existimatio & cognitio excellentiæ supponitur adorationi. Non ergo potest adoratio in illa intellectuali existimatione consistere; unde fieri potest, ut aliquis ueram habeat cognitionem de alterius excellentia, quem tamen nec dubio modo colat, nec adoret. Et ideo D. Thomas *2. 2. q. 84. art. 2.* dicit adorationem Dei maximè consistere in interiori affectu & deuotione at uero *quæst. 82. art. 1.* docet deuotionem esse actum uoluntatis. Idipsum ostendi potest hac ratione, quia in dæmonibus est cognitio excellentiæ diuinæ, & tamen, quoniam eis deest hæc uoluntaria submissio & affectus, non adorant, sed blasphemant Deum.

Toletus. Suarez.

2 Adorationis nomen tam in sacris literis, quam apud Patres, usurpatur interdum latissimè, alias uerò strictè: posteriori modo sumitur Ioannis 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*, & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, quo loco obseruant aliqui Patres, particulam exclusiuam (soli) non esse additam primæ parti istius propositionis, sed postremæ tantum idque quod inculpate possit quilibet nostrum res alias à Deo adorare, nullus tamen nostri est, qui cultum Deo debitum possit alicui alteri impendere, absque uitio idolatriæ ac proinde dicitur *Illi soli seruies*, seruitute scilicet, Deo debita, In priori autem parte dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis*. In prima autem significatione sumitur nomen Adoratio, seu Verbum adorare *Genesis 18.* legimus enim ilic Abrahamum adorasse Angelos, & quidem cum esset pronus in terram, idem dicitur de Loth, *cap. 19.* respectu Angelorum, qui uenerant ut Sodomam perderent.

Neque refert, quod capite vltimo Apocalypsis dicatur D. Ioannem fuisse prohibitum ab Angelo ne eum adoraret; nam Sancti Patres communiter docent Angelum id præstitisse, non quod non potuerit hic adorari à Ioanne, sed quia voluit Angelus indicare dignitatem debitam humanæ naturæ propter Christi incarnationem, imò responsio ista videtur colligi ex verbis subsequentibus Angeli: *conseruus tuus sum & fratrum tuorum*. Deinde voluit Angelus vitare occasionem idolatriæ, vt obseruant recentiores.

Caluinus. 3 Caluinus *lib. 1. suorum institutionum* turpissimè lapsus est damnās Theologos Scholasticos eo quod doceant diuisionem adorationis in latriam, duliam & hyperduliam esse merito retinendam subiungit autem causam, quia, inquit, nomina latriæ & duliæ, eandem planè seruitutem significant, imò dulia maiorem dicit seruitutem quam latria. Cæterum temeritas & insolentia istius hominis ex eo innotescit, quod Hieronymus & Damascenus, itemque alij Patres diuisionem istam admiserunt, tanquam maximè accommodatam ad exprimendam seruitutem debitam Deo & Sanctis: præsertim cum notissimum sit Hieronymum, itemque Damascenum in litteris Græcis quam maximè fuisse exercitatos.

D. Hieron. D. Damasc.

4 Quidam putant latriam & duliam, itemque hyperduliam ad unam eademque planè speciem adorationis pertinere, quia sicut Deus & proximus amantur à nobis per unam & eādem speciē qualitatem. Vtque oratio qua Deum & Sanctos inuocamus uniuoce eadem est & rursus creata reuelata à Deo, per unam speciē fidem, diuinam creduntur: sic Deus, & Sancti omnes per unam & eandem speciē adorationem adorabuntur à nobis. Ita Suarez *disp. 51. sect. 2.* & alij recentiores.

Suarez.

Opinio tamen contraria uidetur uerior; conuenit enim inter omnes vnitatem specificam cuiuslibet actus, aut habitus, petendam esse à suo obiecto, vel à modo tendendi in illud, at qui obiectum adorationis latriæ censetur esse excellentia, seu quod idem est, sanctitas increata, vt tradit D Thomas *in secunda secundæ, quæst. 81. art. 3.* obiectum autem duliæ & hyperduliæ est sanctitas, seu excellentia creata, ergo differunt speciē. Denique nihil est commune Deo & creaturis synonimmè, ex geriori opinione ita multi recentiores. D. Thom.

Concedendum tamen est duliam & hyperduliam ad vnam & eandem planè speciem adorationis pertinere: obiectum enim duliæ est sanctitas, quæ datur communiter in omnibus Sanctis: hyperduliæ verò obiectum est, sanctitas excellentior, quæ reperitur in certis quibusdam Sanctis vnde duo ista se habent tanquam magis & minus sancta, seu excellentia: magis autem & minus non variant speciem, ex communi doctrina Philosophorum, & Theologorum.

5 Actus interni, quibus colitur Deus a nobis, aut etiam Sancti, definiuntur ex motiuo propter quod eliciuntur à nobis; actus autem externi quibus colitur Deus & Sancti, non sunt ex se & sua natura determinati: notissimū est nos genua flectere ante Deum, & Sanctos, attolere, iungereque manus, tondere item pectora, aperire etiam caput, & sic de alijs, unica tamen est actio externa, definita & determinata qua adoramus Deum, & nulla ratione creaturam aliquam, nempe sacrificium Missæ, hoc enim soli Deo offerri potest.

6 Quando obiectum materiale adorationis nostre est, sola imago Christi, & ratio adorandi solus Christus per imaginem istam repræsentatus, adoratio hæc non est propriè adoratio latriæ, aut ut alii loquuntur, non est adoratio latriæ absoluta. Probatur, quia in 2. Synodo Nicena actione 2. 3. & 7. dicitur solum Deum esse colendum latria, at imago Christi in data hypothesi, nec est Deus, neque aliquid Dei, ut est, per se notum. Tum quia Adoratio latriæ absoluta, seu quod idem est propriè dicta, consequitur increatam excellentiam, omnium consensu at excellentia ista non datur in imagine Christi, suponimus enim solam imaginem esse rem adoratam, & rationem adorandi esse Christum repræsentatum per imaginem istam, ergo ut sic, nequit adorari latria. Tum quia aliter se habet increata excellentia ad Christum, & aliter ad eius imaginem; nam ad Christum se habet increata ista excellentia intrinsicè, ad imaginem uerò tantùm respectiuè; ergo imago ista nequit adorari adoratione absoluta latriæ aut ut alii dicunt, adoratione latriæ propriè dicta. Ita sentiunt multi interpretes D. Thomæ. Synodus Nicenae II.

Sed petes, qua ratione nuncupanda sit ista adoratio, quæ dicitur de imagine Christi in data hypothesi, Respondeo, non esse hyperduliam, neque duliam; erit ergo adoratio latriæ, respectiua tamen, non autem absoluta, quoniam adoratio cōsequitur rationē adorandi seu quod idē est, principium formale adorationis, at ratio adorandi imaginem Christi in data hypothesi, est Christus, ac proinde deitas eiusdem, ergo cùm adoratio deitatis dicatur latriæ, imago Christi in data hypothesi adorabitur latria, quia tamen imago huiusmodi non continent Deitatem Christi uerè & realiter, sed, repræsentatiue tantùm: ideo adoratio ista dicitur relatiua non autem absoluta latriæ.

7 Quando adoratur totus Christus, & imago eiusdem simul, ita ut hęc duo sint obiectum materiale adorationis adoratio hæc censetur esse propriè latriæ adoratio. Probatur, quia hæc est mens 7. Synodi *act 4.* dicitur enim illic, eum qui adorat imaginem Regis & Regem, adorare non imaginem, sed Regem; subiungitur ibidem, non esse duas adorationes imaginis prototypi, sed unam & eadem & qui colit imaginem, existimare se non imaginem, sed prototypum eiusdem sibi uideri adorare & tenere.

Deinde, Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 2.* quod est de inuocatione, veneratione, & de reliquiis Sanctorū & sacris imaginibus, ita dicit; *Sed quoniam honor, qui eis, scilicet, imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant, vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus & Sanctos, quorū illa similitudinem gerunt, veneremur.* Deniq; eadē est aduratio prototypi & imaginis quan- Conc. Trid.

quandocumque prototypum & imago simul adorantur, propter excellentiam, quæ datur in prototypo. Idem enim est motus in imaginem & in rem repræsentatam per imaginem, quando imago & exemplar eiusdem simul & semel intenduntur. D.Thom. Ita sentiunt D. Thomas 3 *p. q.25. art.3.* & alij communiter.

8 Quamuis de fide sit reliquias Sanctorum esse venerandas & adorandas; hæc tamen propositio, *Ista vel hæ numero Reliquiæ Sanctorum, sunt adorandæ*, non est tenenda tamquam de fide. Probatur, quia apud Theologos certissima regula est, ea tantùm esse de fide Catholica, quæ fuerunt expressè à Deo reuelata, & quæ auctoritate Ecclesiæ vniuersalis proponuntur credenda: at quis dicat Deum reuelasse in particulari de reliquijs quorumcumque Martyrum & Sanctorum, quòd ita sint huius, vt nullius alterius existant? & licet daremus Deum de quibusuis Sanctorum Martyrum reliquijs in particulari reuelasse, quòd istæ reliquiæ ita sint huius, vt nullius alterius existant: non tamen propterea prædicta propositio esset inter documenta fidei orthodoxæ computanda, quia quælibet reuelatio diuina non sufficit ad rem aliquam de fide constituendam, sed desideratur præterea, vt hæc reuelatio vniuersæ Ecclesiæ fuerit facta, & quod hæc eadem auctoritate Ecclesiæ proponatur credenda; quorum tamen neutrum de prædicta propositione potest dici. Si ergo fidei Christianæ nequeat subesse falsum, vt habet axioma Theologorum omnium ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. D. Thom. si fides ad falsum & adulterinum cultum, nec moueat, nec mouere possit, non poterit propositio hæc pertinere ad documenta fidei Catholicæ. Puteanus. Vide Puteanum *in 3. part. q.25. art.6. dub.2.*

9 Hæretici pugnaciter contendunt Ecclesiæ ritum cereos, aut lampades accendendi ad sepulchra Sanctorum esse superstitiosum & è medio tollendum, propterea quod in Concilio Elibertirio Canon. 34. sancitum sit: Cereos per diem placuit in Cœmeterio non incendi. Inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt. Qui hoc non obseruauerint, arceantur ab Ecclesiæ communione. Et Augustinus improbat sepulchrorum adoratores, D. August. *lib. 1. de moribus Ecclesiæ*, *cap.* 34. Verùm cum ritum cereos, aut lampades incendendi ad monumenta Martyrum, more esse antiquissimo in Ecclesia receptum, manifestum est ex Augustino D. August. *l.8. de ciuitate. cap. vltim. & in lib.6. Confess. in c.2.* Et ex Gregor. D.Gregor. *lib.3. dialog. cap.24.* Quòd autem Augustinus improbat & reprehendit sepulchrorum & picturarum adoratores, ad eos pertinet, qui more Gentilium picturas colebant, & cereos vel lampades in sepulchris quorumuis mortuorum: vel etiam in sepulchris Martyrum accendebant, eis thura adolebant, super ea luxuriosè edebant & bibebant: eis offerebant sacrificia, quia arbitrabantur eiusmodi luminibus Martyres illustrari. Elibertina Synodus prohibet, quo minus cerei accendantur videlicet ritu & more Gentilium, qui putabant, defunctorum corpora aliquid sentire & clausa in tenebris & sepulchris illuminari. Et cùm dicit, inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt, perinde est ac si diceret, Sanctos ipsos vita functos gratum & acceptum non habere eiusmodi superstitiosum ritum ex errore Gentilium profectum: vel sanctos Spiritus videlicet fidelium hominum adhuc in terris viuentium inquietari, hoc est, perturbari.

Quæres cuius rei gratia apud Catholicos lumina accendantur? Respondeo ad significandum lumine fidei illustratos Sanctos decessisse & modò in superna patria gloriæ lumine splendere. Et vt nos item perfusi lumine diuino delectemur, & nostri animi lætitiam significemus.

10 Pij & Religiosi hominis officium est, Sanctorum reliquias collo dependentes deferre, nihilque superstitionis habet is fidelium ritus & mos, dummodò tamen honorificè, & piè ac religiosè deferantur. D. Thom. Ita D. Thomas 2. 2. *q.96. art.4. ad* 3. Conc. Bracharense. Et in Concil. Bracharen. 3. *cap.* 5. solum reprehenduntur Episcopi, quia in celebritatibus Martyrum Reliquias ad collum alligabant & sinebant se in cellulis à Diaconis portari.

Si quæras, an qui eas deferendo aliquod peccatum, at non contra reliquiarum cultum, committit, grauius delinquat quàm si non deferret? Respondeo, si peccando quippiam contra honorem eis debitum admiserit, grauius profectò, delinquet; vt si eas turpiter & obscœnè contrectet: At si eas deferendo peieret, mentiatur, furetur detrahat alteri, in quempiam maledicta conijciat, imò fornicetur, non ob id grauiori se scelere obstringit, nec committitur sacrilegium, nec talis est circumstantia in Confessione explicanda: quia non agitur specialiter contra rem illam sacram vt sacra est, sed tantùm concomitanter se habet ad actum venereum. Ita Diana *part. 1. tract. 7. resol.*18. Sanchez *lib.2. moral. cap.*40. *num.* 28. Syluius 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 10. quidquid in contrarium videatur asserere Philiarcus *de offic. Sacerdot. tom. 1. par. 2. lib.3. c.9. ad finem.* Diana. Sanchez. Syluius. Philiarcus.

11 Nominibus Iesu Christi Domini nostri, siue trium Personarum diuinarum, & Sanctorum cœlicicium, etiã scriptis, aut pronunciatis, siue auditis honor & veneratio debetur, sicut sacris imaginibus: vnde ad Sanctissimum Iesu nomen de more corpus inclinamus, vel caput aperimus, aut etiam genuflectimus, & in sacrificijs Sanctum quoque Mariæ Dei genitricis nomen pio ac Religioso cultu & honore dignamur. Non quod hæc nomina propter ipsa veneremur, non quòd literas & syllabas, quæ attramento describuntur, vel depinguntur vel sono proferuntur, cultu & veneratione prosequamur, vt res sunt sensus, animæ & vitæ expertes: sed quòd totus honor & cultus ad rem significatam referatur: Quare audito, vel prolato nomine Iesu caput denudamus, genuflectimus, aut scriptum nomen piè & religiosè exosculamur, perinde ac si Persona, quam illud significat, præsens adesset, & osculo, aut corporis inclinatione, aut capitis submissione; honoraretur à nobis: sicut sacram imaginem veneramur, quia refert exemplar, sic sacrum nomen honoramus & colimus, quia rem sanctam designat.

12 Cereis formis atque imaginibus, quas *Agnos Dei* à figura agni, scilicet impressa nominamus, honos & veneratio debetur. Quia vetere Ecclesiæ instituto à Summo Pontifice, Christi in terris vices gerentes, solemni precationum ritu, multisque cæremonij miré pietatem redolentibus, non solum primo, sed septimo quoque Pontificatus anno, de more consecrantur: quo in consecrationis munere, sicut ipse Romanus Pontifex, cuius precatio tanto maioris est momenti, quantò eius officium in Ecclesia sublimius, & cum Christo Domino, cuius locum & vices tenet in terra, coniunctus, multa sanctè precatur à Deo vt illis cõcedat, qui animo pio religiosoq; eos sacros Agnos, secum habuerint; ita à pijs quoque hominibus pari Religionis studio ijdem gestandi sunt; ad cosque vsus dumtaxat adhibendi, ad quos sacræ preces antiquo Ecclesiæ instituto referuntur. Testatur Durandus in rationali diuinorum officiorum *lib.6. c.79.* hos Agnos cereos auctoritate Pontificia sacros vim habere contra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, & tempestates ventorum, vel imbrium. Durand.

An autem sit simonia hos Agnos Dei venales exponere & vendere? Vide *in to. 1. nostra Summa, verb. Simonia III. num.4 §. Notandum tamen est.*

13 Absolutè nõ debet honorari imago sacra, per quam nos alloquitur Dæmon, se in bonum Angelum transformans: videlicet, si in ea appareat quidam lucis splendor & radius, aut species, seu effigies hominis è cruce pendentis; quoties ambigimus, sit dæmon necne, qui per imaginem loquitur. Ratio est, quia dum ambigimus, id quod certius & tutius est, sequi debemus, eique adhærere, ne periculo erroris, nos exponamus, ne scilicet dæmoni, tamquam Christo, Deiparæ vel Sancto honorem, cultumque deferamus. Verum cum probabiliter credimus Christum esse, vel Deiparam, vel Sanctum, qui nos per imaginem alloquitur, non licet etiam hoc facere, nisi conditione expresè apposita, si tu es Christus, vel Deipara, vel Sanctus, colo & veneror, sin secus, minimè: quia nouum fermè est & insolitum, Christum, vel Deiparam, vel Sanctos in imaginibus loqui: quod autem preter communem morem est, absolutè & simpliciter non tamquam verum, aut bonum statim leuiter amplectendum, cùm falli ac decipi facilè possimus. Non tamen condemnandus esset rudis & rusticus homo, qui bona fide nihil dubitans in hac parte erraret.

D. Bonau. Gabriel.

curaret. Ita D. Bonauentura *in 3. dist 9. art. 1. q. 6.* Gabriel *de Canon. Missa, lect.* 50. Alexander *part. 3. q. 30. memb. 3. art. 1. §. 3.*

ADVLATIO.

SVMMARIVM.

1 *Adulatio quid sit.*
2 *Quale peccatum.*

1 ADulatio, secundùm *Diuum Thomam*, est excessus delectandi alios verbis laudis, aut factis supra debitum modum virtutis. Nam qui vult in omnibus alteri loqui delectabiliter, peccat, quia virtus affabilitatis, etsi principaliter intendat delectare eos, quibus conuiuit; tamen vbi necesse est, non veretur contristare, propter aliquod bonum.

Adulationis duæ sunt species. Nam, si quis ita delectare studeat, solùm vt alijs sit in conuictu iucundus, vocatur placidus: Si verò causa lucri quempiam plus quàm par sit, uel etiam falsò laudet, vocatur blanditor, assentator seu adulator. Tamen nomen adulatoris, omnibus solet attribui communiter, qui supra debitum modum, uolunt alios uerbis vel factis delectare in communi congressu. Ita D. Thomas, 2. 2 *q. 115. art. 1.* Syluius *ibid.* Tannerus *2. 2. disp. 9. q. 2. num. 10.* Syluest. *v. Adulatio num.* 1. Petrus Ledesma *in Summ. tract* 19. *c. 2.* Lessius *l. 2. c. 47. d. 7. num* 51. Viguerius *institut. cap. 5. §. 13. vers.* 1. & alij communiter.

D. Thom. Syluius. Tannerus. Syluest. Petrus Ledesma. Lessius. Viguerius.

2 Adulatio per se est solùm peccatum veniale, quia est tantùm excessus in studio placendi & oblectandi in communi congressu. Tripliciter tamen potest esse peccatum mortale. *Primo*, ratione materiæ, si laudes alicuius peccatum præsertim mortiferum: sic plerumque adulatores uitia nominibus virtutum tanquam fuco honestant & laudant. *Secundo*, ratione intentionis seu finis; puta cum quis alicui adulatur, vt noceat, vel ad libidem pertrahat, vel ut eum decipiat. *Tertio* Ratione effectus uel occasionis; ut cum per adulationem præbetur occasio alicuius grauis peccati, etiam præter adulatoris intentionem: quia secundùm *Diuum Hieronymum*, nihil est quod tam facilè mentem hominis corrumpat, quàm adulatio. Ita D. Tho. *c. art. 2.* Syluius *ibid.* Syluest. *c. num. 4.* Lessius *c. num. 52.* Viguerius *c.*

D. Thom. Syluius. Syluest. Lessius. Viguerius.

Ad dignoscendum tamen, an adulatio sit mortalis necne, attendi debet utrum occasio sit data, uel accepta, & qualis ruina sequatur, uenialis scilicet aut mortalis; & secundùm hoc iudicandum est. Ita Doctores hic citati. Et Sancius *in Selectis disp. 5. num. 13.* post illos.

Sancius.

ADVLTERIVM.

SVMMARIVM.

1 *Adulterium quid sit: & quot modis possit committi.*
2 *Pœnæ ciuiles adulterij.*
3 *Adulter & adultera tenentur in solidum ad restitutionem damnorum, &c.*
4 *Quid dicendum quando duo adulteri cognouerunt unam & eandem fœminam coniugalam, quæ tunc temporis concepit, quo maritus erat absens.*
5 *Adulter an teneatur resarcire damnum legitimis filijs ex illegitimi successione prouenieas, si non fuit auctor suppositionis.* Refertur duplex sententia.
6 *Si partus non sit secutus, adulter non tenetur ad aliquam restitutionem præcisè ratione adulterij.*
7 *Non tenetur adultera cum periculo vitæ vel famæ seu honoris manifestare prolem esse spuriam.*
8 *Non tenetur filius credere matri dicenti ipsum esse spurium.*
9 *Licet prolem spuriam exponere, vt in hospitali alatur, ad occultandum adulterium, si parentes sint pauperes.*
10 *Adulterium an sit abusus vxoris extra vas legitimum.*
11 *An hoc crimen sit mixti fori?*

1 ADulterium luxuriæ peccatum est, quo uiolatur coniugalis fides, & est accessus ad alienum thorum; unde requiritur ut uterque uel alter sit iunctus matrimonio, vt actu luxuriæ dicatur adulterium. Potest autem triplici modo committi. *Primo*, ex parte viri tantùm, vt si coniugatus rem habeat cum soluta. *Secundo*, ex parte fœminæ tantùm; si primo modo fiat, graue peccatum mortale erit, minus tamen quàm si fœmina copuletur duobus viris: Ratio est, quia fœmina vna pluribus uiris satisfacere nequit, quia ordinariè impediatur generatio, vel si interdum non impediatur, erit tamen contra certitudinem prolis, & in eius præiudicium vergit, cùm sit incertum, cuinam sit assignanda, marito an adultero; deinde fit peculiaris iniuria marito, dum ei aliena proles supponitur: hinc coniugatæ adulterium vindicatur morte si maritus illam iure prosequitur, coniugati vero nequaquam.

Tertio, est adulterium, si vterque coniugij vinculo est adstrictus: & tunc grauissimum erit peccatum, cum in illo actu duplex inueniatur iniuria mortifera, scilicet, violatio iurium duorum matrimoniorum, & duobus coniugibus iniuria irrogetur: unde in confessione explicanda est illa circumstantia, ratione cuius iniuria duplicatur, nec sufficit accusare se adulterio in genere. Vide D. Thomam, 2. 2. *quæst. 154. art. 8.* Syluius *ibid.* Petrus Ledesma *in Summ. tract. 27. c. 12.* Claus Regia *lib. 8. c. 3.* Filliucius *tract. 30. c. 4. quæst 2. & 3.* Nauarrus *in Man. c. 16. num. 3.* Lessius *l. 4. cap. 3. dub.* 10. Bonacina *de matrim. quæst. 4. punct. 15. num. 3. 4. 5.* Sanchez *de matrim lib. 9. disp. 15. num. 6.* Azorius *tom. 3. lib. 3. c. 7.* Viguerius *in inst. c. 7. §. 4. vers.* 2. & alios.

D. Thom. Syluius. P. Ledesm. Clau Reg. Filiucius. Nauarr. Lessius. Bonacina. Sanchez. Azorius. Viguerius.

Petes, quando maritus consentit in adulterium suæ vxoris, uel fit leno ipsius, an sit adulterium?

Responsio communis est affirmatiua. Ratio desumitur ex definitione adulterij, quod scilicet sit ad alienum thorum accessio. Nec obstat commune axioma quòd *scienti & consentienti nulla fit iniuria*, *de regul. iuris in 6*, Quia illud intelligendum est, de rebus quarum homo voluntate sua & libero arbitrio est dominus, non autem de alijs: Ex vinculo enim matrimoniali, in quo traduntur corpora coniugum, naturaliter nascitur obligatio seruandi fidem ad inuicem; & hanc obligationem, vtpote connaturalem matrimonio, neuter coniugum potest ulla ratione sua voluntate & consensu à se abijcere. Tum quia fit contra ius matrimonij, cui non potest alter coniugum efficaciter cedere, quia non competit ipsi in ordine ad priuatum bonum, sed ratione status qui est communis: vnde quantumuis uir consentiat, ut alter vxori suæ carnaliter copuletur, semper remanet locus iniuriæ & adulterij. Ita Doctores citati.

2 Pœnæ adulterij sunt. *Primo* vxor adultera amittit dotem, quæ propter adulterium post sententiam iudicis adiudicatur marito eam accusanti de adulterio: Item, amittit arrhas & munera propter nuptias, non autem paraphernalia. *Cap. plerumque, de donat. Inter virum & vxor.*

Secundo, si maritus postea fornicetur, potest vxor agere contra maritum, & ad thori coniugalis consortium, & ad dotis restitutionem. Item vxor adultera, si viro suo reconcilietur, omnia recuperat.

Tertio, vxor adultera non potest accusari ab hæredibus mariti ad amissionem dotis, si adulterium, uiuente marito commissum, fuit illi notum; secùs si marito non fuit notum. Couarr. *p. 2. c. 7. §. 6. num. 6. 9.*

Quartò, adulter ob adulterium amittit ius petendi debitum coniugale, hoc sensu, quod ei petenti non tenetur alter coniux reddere. D. Thom. *4. d. 35. quæst. unica. art. 3.* D. Bonauent. *ibid. art. vnic. q. 3.*

D. Thom. D. Bonau.

Quintò, adulter per sententiam Iudicis priuari potest cohabitatione cum altero coniuge, quæ pœna dicitur diuortium, *c. ex litteris, de diuortijs.*

Sextò. Contra adulteros Iure Codicis pœna capitis inflicta est: postea iure Pandectarum in fœminis pœna mortis fuit in miniorem pœnam commutata, nam fœmina adultera verberari præcipitur & postea in monasterium detrudi. *L. quamuis 1. C. ad legem Iuliam, de adulterijs. Authent. sed hodie, C de adulter.*

Iure

Iure Canonico communi, pro adulterio, tam masculus quàm fœmina excommunicatur: item in monasterium detruditur: & si maritus nolit eam retinere, ibi cogitur toto vitæ tempore pœnitentiam agere, *C. Gaudemus, de diuortys*.

Clericus.

Septimò, Clericus adulter notorius deponitur ab officio, & in monasterium toto vitæ tempore detruditur, fitque infamis: imò est irregularis, quia omne crimen depositione dignum, quod est notorium, inducit irregularitatem *C. si quis* Clericus. *dist.81. cap.fin. de Temporibus ordinand.* Dicitur autem adulterium notorium, vel quia adulter in iudicio confessus est illud, vel quia in iudicio conuictus est de illo, vel quia adeò est manifestum, vt nulla tergiuersatione celari queat: puta, si adulter habeat eam publicè in mensa, in lecto, & publicè nutrit filios susceptos ex ea. Vide Syluest. *v. adulterium q.7.*

Syluest.

3 Qui prolem ex adulterio genitam, credit indubitanter esse suam, in solidum tenetur cum matre ad restitutionem & compensationem damnorum, quæ adueniunt vero marito vel hæredibus legitimis ex sustentatione prolis spuriæ & hæreditatis partitione. Ratio est, quia adulter & adultera relinquendo prolem spuriam inter filios legitimos veri mariti, sunt illi causa damni contra illius voluntatem, ergo tenentur ad restitutionem. Ex parte enim vtriusque tam adulteræ, quàm adulteri, adulterium est contra iustitiam, & vterque est causa damnorum, quæ ex adulterio sequuntur.

In dubio autem, an proles sit adulterina, non tenetur adulter ad vllam restitutionem, quoties probabiles rationes adsunt dubitandi; Ratio est, quia possessio stat pro matrimonio & præsumendum est prolem susceptam esse ex vero marito; nemo enim tenetur aliquid soluere & re sua se spoliare, nisi ei constet se debere: Imò secundùm *Henriques*, rarò tenetur adulter creder adulteræ, quæ tempore adulterij commissi simul versabatur cum marito: nec enim fœminæ semper constat, an ex hoc aut illo conceperit, an ex vtroque. Ita Lessius, *l.2. cap.10. dub.6.* Syluius 2.2. *q.62. à 2. quæst.7.* Azorius *part.3. l.5. cap.6.* Filliucius *tract.32. num.223.* Salon. 2.2. *q.62. art.6.* Henriques *lib.11. c.21. num.2. & 3.* Bonacina *de matrim. q.4. p.15. num.8. & 9.* Layman *l.3. tract.3. par.3. cap.14.* & alij hic citati.

Lessius. Syluius. Azorius. Filliucius. Salon. Henriq. Bonacina. Layman.

4 Quando duo adulteri cognouerunt vnam & eamdem fœminam coniugatam, quę tunc temporis concepit, quo maritus absens erat, tenetur vterq; ad alimenta prolis & restituere damna pro sua parte, & altero nolente tenetur alter in integrum; Idem dicendum quando duo carnaliter cognouerunt aliquam solutam, ex qua proles genita est, sed dubitatur cuiusnam sit proles suscepta. Molina *tom.4. de iustit. tract.3. disp.103.* Vasquez 1.2. *disp.66. cap.8. num.48. & de restit. cap.5. §.1. d.10. num 23.* Rebellus *l.3. quæst.10.* Ratio est, quia sicut in dubio utrum res sit huius, an alterius, antequam ullus eorum illam possideat, est inter eos æqualiter diuidenda; eodem modo dicendum est, debitum, quod dubium est, ad quem illorum pertineat, æquè inter ipsos diuidendum esse. eadem enim videtur ratio. *Lugo* tamen negatiuam sententiam tenet: quia quotiescumque non constat saltem præsumptiones, vel indicia probabilia hunc esse tuum filium, uidetur te non teneri eius alimenta præstare. Probatur, quia si aliquis inueniatur occisus, & dubitetur, an occisus sit à Petro, uel à Paulo, nec possit dubium illud separari, iniquum erit vtrumque punire, cùm certum sit, alterum ex illis esse innocentem: atque adeo, si uterque puniatur, certum erit innocentem puniri. Ex quo argui potest ad casum, quia licet restitutio, uel solutio non sit propriè pœna, est tamen quasi pœna: nam sicut ex furto V. G. oritur debitum pœnæ, sic etiam oritur debitum reparandi damnum totum, quod ex furto consequitur. Vnde sicut ob delictum incertum, non est aliquis afficiendus pœna certa; sic nec obligandus est ad certam solutionem & restitutionem, quamdiu non constat de debito. Ita Lugo *de iustit. tom.1. disp.13. sect.2.* Diana *p.4. tract.3. resol.31. & p.7. tract.11. resol.35.* autem non approbat quolibet patre deficiente, vel nolente filium alere, alium esse obligatum in integrum; quia aduersus quemlibet non habet filius integrum ius; & pro hac sententia citat. Salas. 1.2. *tract.8. disp. vnic. sect.24. num.248.* Prior tamen sententia est tenenda.

Molina. Vasquez. Rebell. Diana. Salas.

5 Quidam docent adulterum, quamuis certum suam esse prolem, non teneri tamen sarcire damnum legitimis filiis ex illegitimi successione proueniens, modò non fuerit auctor suppositionis. Ratio illorum est, quia iste adulter non est verè causa proxima huius damni, neque illud intendit nec attingit sua actione, cùm ipse solùm intenderit explere libidinem, non generare, vnde aliena actione prouenit, nempe matris suppositione, & fictione: & sicut si adultera procuraret abortum, non diceretur adulter causa homicidij, quia ipse suppeditauit prolem, nisi suasisset, vel adiuuisset, ergo pari ratione non censebitur causa suppositionis, ac proinde nec damni ex suppositione secuti, ergo non ipse, sed mater tenebitur ad restitutionem. Ob has rationes hæc sententia videtur probabilis, cui adhærent Sotus, *de iusti. l.4. quæst.7. art.2.* Henriguez *lib.11. cap.21. numero 3.* Diana *pars. 2. tract.3. mi. resol.55.* & alij ab ipsis citati,

Sotus. Henriquez. Diana.

Verùm contraria sententia est probabilior & communis, à qua in re tanti momenti non est recedendum. Tum quia cùm ex iniurioso facto adulteri, nempe commercio, cum vxore aliena, sequatur falsa credulitas hunc nothum legitimum filium mariti, censetur etiam causa damni; quod ex illa credulitate nascitur, adulter enim præuidere poterat damnum illud, & præcauere debebat. Tum quia adulter dedit operam rei illicitæ, ex qua eiusmodi damna nata sunt sequi, & propterea est causa damnorum, satisq; supponit prolem marito, quando ipse ex ei cohabitante vxore illam generat, neque de omnibus prouidet quæ ad illius educationem & promotionem requiruntur. Imò si adulter adulteram prouocauit, & ad adulterium induxit, ipse in solidum obligatur ad omnia damna, eò quod sit causa principalis, & eam inducendo videatur suscepisse in se eiusmodi damna. Ipso tamen deficiente, adultera tenebitur in solidum, quia voluntariè fuit cooperata ad damnificationem. Ita Azorius, *p.3. l.5. c.6. q.6.* Lessius *l.2. c 10. num.43. & seq.* Vasquez *de rest. cap.5. §.1. num.22.* Nauarr *c.16. num.40.* Syluius 2.2. *q.62. a 2. q.7. concl.3.* Bonacina *de matrim. q.4. p.15. nu.13.* Malder. 2.2. *tract.3. c.4. dub.9.* Rodriguez *in Sum. tom.1. cap.205.* & alij.

Azorius. Lessius. Vasquez. Nauarr. Syluius. Bonacina. Malderus. Rodrig.

6 Secundùm probabiliorem sententiam Doctorum, adulter non tenetur ad aliquam restitutionem marito adulteræ. si partus non sit sequutus. Ratio est, quia iniuriæ ab omni damno separatæ non debetur ex iustitia, nisi satisfactio per signa doloris, veniæ petitionem, non verò restitutio pecuniaria: vnde si maritus adulteræ exigat satisfactionem pecuniariam, alter non tenetur eam præstare, quia hæc conuentio seu transactio pro iniuria adulterij, iure est interdicta *l. transigere 18. C. de transactionibus*. Ita Molina, *tom.4. de iust. tract.3. disp.100.* Syluius 2.2. *quæst.62. art.2. q 7. concl.1.* Filliucius *tract.32. num.222.*

Molina. Syluius. Filliucius.

Si tamen maritus occultè transigeret cum adultero sine scandalo, non videretur peccare, nec ad restitutionem teneri, intellige post commissum adulterium, vt aiunt Lessius *c. dub.5.* Malderus 2.2. *tract.3. c.4. d.8.* Azorius *part.3. l.5. c.6. q.9.* Bonacina *c. part.15. n.15. & 16.* Lex enim enim illa magis pertinet ad Iudices, ne concedatur actio, nimirum in pœnam, ob præsumptionem lenocinij quam ad mores priuatos. Vide *Molinam, Syluium* & alios supra citatos Denique est obseruandum, adulterum si nihil promisit adulteræ pro actu turpi cum ea habito, nihil teneri restituere, quia vsus corporis, secluso contractu & promissione, non est pretio æstimabilis, requiritur ergo vt interueniat aliqua ratio contractus, vt etiam militat in fornicatione inter solutos. Si verò adulter aliquid dedit adulteræ, tunc illa debet illud dare marito; quia quæ adultera acquirit marito acquirit: non enim illa habet potestatem in suum corpus sicut libera & soluta, sed vir talem potestatem habet in corpus vxoris, & ita quæ acquirit vxor per corpus, marito acquirit habenti dominium in illud, cui etiam interest administratio bonorum Hoc tamen intelligitur, si non sit periculum ex hoc detegendi suum peccatum. Vt rectè docet Caspensis noster *tract.18. disp 4. sect.2. num.17.* Sed contra hæc vide

Lessius. Malderus. Azorius. Bonacina.

de infra *in supplemento n.*13.

7 Adultera, quæ est honestę conditionis & passim pro tali habetur, quando partus secutus est, non tenetur cũ periculo vitæ aut famæ seu honoris manifestare prolem esse spuriam, quæ publicè legitima censetur.

Probatur *primo*, de periculo vitæ, quia vita nullo pretio est æstimabilis, ergo propter rei pecuniariæ restitutionem, non tenetur quis vnquam eam prodigere aut periculo exponere: etiamsi amplissima hæreditas ad spurium deuolui deberet.

Probatur *secundò*, de periculo famæ. Tùm quia fama est res superioris ordinis, quæ numquam est necessariò exponenda pro rebus inferioris conditionis. Tum quia fama apud homines pecunia non solet æstimari: *Melius enim est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, vt habetur *Prouerb.*22.

Tenetur tamen adultera, quantum fieri potest sine famæ dispendio & vitæ periculo prouocare ne legitimi hæredes ratione huius illegitimæ prolis aliquid detrimenti capiat, vnde si habeat paraphernalia, tenetur ea relinquere legitimis in compensationem; item si quid ex labore & propria industria capiat lucri; si his modis non potest satisfacere, tenetur spurium inducere ad capessendam religionem, si ad eam videatur idoneus, deniq; si nullo modo possit mater compensare damnum, non tenetur prodere suum crimen marito aut proli, nisi moraliter certa sit damni auertendi, imò in hoc casu nec teneretur cũ periculo famæ vel vitæ, nisi fortè damna quæ proueniunt marito vel hæredibus, iudicio prudentis præponderent, vel sint æqualia famæ ipsius adulteræ. Vide Doctores hic citatos. Clauis Regia *l.*8 *c.*3.*n.*8.*&* 9. Toletus *l.*5 *ca.*11. Nauarr. *in Man.c.*16.*n.*44 *& seq.* Lessius *c.dub.*7 Bonacina *c.n.*17.18.*&* 19. Molina *c.disp.*102. Syluius 2.2.*q.*62. *à* 6.*q.*7. Azorius *c.capite* 6.*q.*2. *&* 3. Diana *par.*3.*tract.*5. *misc. resol.*30. Valentia *to.*3.*disp.*5.*q.*6.*punct.*5.

Clau. Reg. Toletus. Nauarr. Lessius. Bonacina. Molina. Syluius. Azorius. Diana. Valentia.

8 Filius non tenetur credere matri dicenti ipsum esse spurium, quamuis hoc asserat cum iuramento aut etiam in articulo mortis, si mater tempore conceptionis habitabat cum viro, vnde nec tenetur à se abdicare hæreditatem Ratio est, tum quia allegandi suam turpedinem cũ alterius præiudicio, nulla debetur fides, & cùm ipse, & sua & publica opinione sit legitimus, non tenetur cum tanto suo incommodo se reputare illegitimum, nisi conuincatur. Tum quia cùm iste sit natus ac educatus in domo legitimè coniugatorum, fauor matrimonij præualet vt ex matrimonio natus iudicetur, mulierum enim, & specialiter talium, inconstantia est suspecta. Si tamen filius omninò conuincatur, vel quia mater testibus fide dignis sufficienter probat maritum toto conceptionis tẽpore abfuisse, vel quia eiusmodi conceptus adulterini talia sint argumenta, quæ omninò conuincunt, tenetur filius credere se illegitimum & non adire hæreditatem; nisi tempore ad præscriptionem requisito bona fide illam possedisset. Ita Henriquez, *lib.*11.*c.*21. *n.*2.*lit.* K Couarruuias *ad reg.peccatum p.*1.*n.*8. Suarez *de censur.disp.*50. *sect.*4. Bannes 2.2.*q.*62. *art.*6 Diana *par.*3.*tract.*5.*res.*30. Syluius *c.à* 6.*concl.*6. *&* 7. Sayrus *de censur. lib.*6.*c.*10. *num.*37. Azorius *part.*3. *lib.*5.*cap* 6.*quæst.*5. Layman *l.*3. *tract* 3.*p.*3. *c.*14. Caspensis *cap sect.*2.*num.* 12. & alij.

Henriquez. Couarruu. Suarez. Bannes. Diana. Syluius. Sayrus. Azorius. Layman. Caspensis.

9 Ad occultandum adulterium, nullum est peccatum, prolem spuriam exponere, quando infamia & alia mala aliter commode impediri non possent sufficienter: modo adhibeatur debita cautela, ne proles frigore &c. pareat: deberet tamen prius baptizari, ne fortè moreretur sine baptismo, significandùmque esset scripto cum prole posito, an baptizata esset vel non.

Addunt verò communiter Doctores, si parentes sint diuites, teneri restituere hospitali sumptus quos in ea prole alenda fecerit. Ratio est, quia bona hospitalium sunt in vsus pauperum & præsumpta voluntas fundatorum est, vt quãdo ex aliqua iusta causa bona hospitalis eo modo insumerẽtur cum filio alicuius diuitis, parentes tenerentur ea cõpensare in vsus aliorum pauperum. Ad hanc autẽ restitutionem teneretur solus pater, ad quẽ solum ex iuris dispositione spectat tribuere alimenta eiusmodi filiis, exceptis alimentis lactis, quãdo mater lactare commodè potest eum filium, in nostro autẽ casu, efficere id non potest sine suo dedecore, & interdum sine alijs etiã malis; qua de causa pater tenetur hæc etiam tunc soluere: si tamen pater propter paupertatem aut alia de causa, id non possit facere; & mater diues esset, tunc mater teneretur integra alimenta hospitali restituere in defectum patris. Ita Caietanus, *in Summ. v. Adulteriu n.* Nauarr. *in Man.cap.*14.*num.*17. Toletus *l.*5 *cap.*1.*num.*11. Bonacina *de matrim.quæst.*4.*punct.*15. *num.*11. 12. Lessius *lib.*2. *cap.*19 *num.*69. Molina *tom.*4.*de iustit.tract.*3 *disput.* 103. Layman *cap.tract.*3.*p.*3.*c.*14.*num.*4. Caspensis.*tract.*18. *dist.*4.*sect.*2.*num.*16. & alij communiter.

Caietanus. Nauarr. Tolet. Bonacina. Lessius. Molina. Layman. Caspens.

10 Abusus vxoris extra vas legitimum vltrà peccatum contra naturam, adulterium est, tam ex parte viri quàm ex parte vxoris consentientis, & proinde vterque tenetur confiteri vtramque circumstantiam adulterij. Ratio est, quia neuter Coniux seruat alteri suum corpus castè, quod ad bonum fidei pertinet; non enim est coniux ad illum actum, sed ad naturalem, & consequenter talis actus perinde est ac cum alieno coniuge gestus. Imò non satis esset fateri adulterium cum coniugata in genere, ac peccatum contra naturam, sed explicandum est admissum fuisse cum propria coniuge: Ratio est, quia si explicetur cum coniuge in genere, manifestatur iniustitia aduersus illius coniugem, cùm tamen nulla talis sit. Vide Caietanum, 2.2.*q.*154.*art.*1.*ad* 4. Sotum *in* 4.*dist.*31.*quæst. vnic. art.*4. Sanchez *de matrim.disp.*18. Petrum Ledesmam *de matrimonio quæst.*49.*art.*6. *dub.*2.*post.* 1.*conclus.* Dianam *par.*7. *tract.* 12.*resol.* 23. qui licet prædictæ sententiæ adhæreat, refert tamen ex aliquorum Doctorum sententia, posse maritum in tali casu asserere in confessione se commisisse peccatum contra naturam, nihil aliud explicando: nam quidam tenent non esse explicandam personam cum qua habita est Sodomia, vtrum videlicet sit masculus, vel fœmina; nam licet concubitus iste cum fœmina, non sit propriè Sodomia, tamen ad Sodomiam reducitur; vnde pœnitens in confessione satisfaceret, asserendo, peccaui toties contra naturam, Ita *Mazuchellus*. Quod verò in casu de quo loquimur pœnitens non teneatur explicare se esse vxoratum, tanquam probabilem admittit *Machadus*. His tamen non obstantibus non est recedendum à prima sententia.

Caietan. Sotus. Sanchez. P. Ledesm. Diana.

11 Quoties agitur de adulterio ad pœnam sanguinis imponendam, solus Iudex sæcularis est competens, quia Ecclesiastico interdicitur ea pęna punire. *cap. Sententiam sanguinis, ne Clerici vel Monachi*. Quoad alias verò pęnas est mixti fori, atque subinde datur locus præuentioni. Cùm enim sit quædam Sacramenti iniuria, non minùs pertinet ad Ecclesiasticum Iudicem, quàm ad sæcularem punire illud.

Si moueatur quæstio de alimentis præstandis adulteræ, à viro separatæ, coram iudice sæculari, vtroque excipienti de sufficienti causa diuortij, nempe, de adulterio, debet sæcularis liti supersedere, donec Ecclesiasticus diuortij quæstionem dirimat. Vide Barbosam, *de potest. Episc.p.*3. *alleg.*84. Mirandam *de ordin.Iudi. q.*2.*art.*5 Azorium *p.*2. *lib.*3.*c.*53. *quæst.*2. Couarruuiam *de sponsal. part.*2.*cap.*7. *§.*7. *num.*12.

Barbosa. Miranda. Azorius. Couarr.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Concubitus cum sponsa alterius de futuro non est adulterium.*

2 *Verius est, circumstantiam sponsaliorum in prædicto concubitu esse explicandam in Confessione, quando se tenet ex parte fœmina.*

3 *Probabilius est adulterum occultum, dum alterum adulterium latet, non perdere ius exigendi debitum, sed posse ab eo exigere.*

4 *Primus casus in quo ob adulterium locum non habet actio tam ciuilis, quàm criminalis: quando scilicet, coniugata passa est se cognosci ab alio, arbitrata eum esse suum virum.*

5 *Secundus casus: quando coniux matrimonium cum alio celebrauit arbitrans alterum esse defunctum.*

6 *Tertius.*

6 *Tertius. Si maritus libellum repudij vxori dederit dum ambo infideles erant, illaq; alteri nubat: tunc ad fidem conuersi, tenetur maritus eam admittere.*

7 *Quartus. Quando coniugata vi fuit oppressa; imò iuxta quosdam etiam quando metu cadente in constatem fœminam.*

8 *Quintus. Si à puncto adulterij commissi elapsum est quinquennium.*

9 *Sextus. Si adulterium commissum est de voluntate & consensu mariti.*

10 *Septimus. Si maritus cœpit accusare adulterum vel adulteram, & destitit postea animo non prosequendi.*

11 *Octauus. Quando aliquis fuit de adulterio accusatus & in iudicio fuit absolutus.*

12 *Nonus. Quando mulier adultera mortuo marito transiuit ad secundas nuptias.*

13 *Probabilius est, posse mulieres coniugatas retinere sibi lucrum ex adulterio acquisitum.*

14 *Criminalis actio non datur vxori aduersus maritum adulterum ob adulterij iniuriam in eam commissam: licet ei possit negare debitum & petere diuortium.*

15 *Vna integra pœna adulterij punitur multa adulteria ex interuallo commissa ab eodem adultero cum eadem aliena vxore.*

16 *Adulterium cum coniugata si adiunctam habeat circumstantiam incestus punitur duplici pœna.*

Adulter, qui cum duabus vxoribus alienis deliquit, punitur distinctis pœnis.

Si duo adulterati sint cum eadem aliena vxore & maritus vtrumque accuset, vterque punietur: adultera autem vnica tantùm pœna punietur.

17 *Quomodo adulterium probetur per indicia probata per testes duos.*

18 *In dubio, num indicia certam moraliter præsumptionem adulterii efficiant, illi de quibus non est certa præsumptio, non sunt condemnandi ad pœnam ordinariam adulterii, sed ad arbitrariam pro quantitate culpæ.*

19 *Vt innocens coniux possit in foro conscientiæ ab adultero diuertere, sufficit certitudo moralis de eius adulterio.*

20 *Oscula, amplexus & alij tactus impudici, quando non fiunt à cubantibus, certam adulterij præsumptionem non faciunt, nisi aliæ circumstantiæ adiungantur loci, temporis vel personarum.*

21 *Per Xenia missa ab adultero vxori alienæ, aut per verba amatoria non probatur adulterium: de literis verò amatorijs, id iudicis arbitrio remittendum est pro literarum tenore.*

Confessio adulterii in iudicio, probatum censetur: extra iudicium autem non probat: sed tantum inducit sufficiens iudicium ad torturam

22 *Præsumptio est iuris & de iure commissi adulterii ab vxore, si ter admonito viro sibi suspecto à marito, ne cum illa colloqueretur, postea illos maritus inueniret simul in aliquo loco.*

Licitum est viro suspicanti adulterium vxoris, illam obseruare cum testibus idoneis, vt eam de adulterio possit conuincere.

23 *Quamuis indicia* cap. ex literis de præsumpt. *certam moraliter efficiant præsumptionem adulterii: tales tamen possunt habere adiunctas alias circumstantias, quæ in contrarium suadeant, vt nequaquam efficiant certam moraliter præsumptionem adulterii.*

24 *Adulterans cum aliqua, quæ prius meretrix fuit, sed iam non est, incurrit pœnas adulterij ordinarias. Si post matrimonium meretrix fiat conniuente marito, adulterantes cum illa non sunt puniendi pœna adulterii, &c.*

1 CEnsent aliqui concubitum cum sponsa alterius de futuro esse adulterium, ad hunc saltem effectum, vt sponsus fornicantem sponsam possit de adulterio accusare. Ita tenent Glossa *in cap. Quemadmodum, verb. Sponsam, de iureiurando.* Paludan 4. *distinctione vigesima septima, quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 17. Dicendum tamen est non esse Glossa. Paludan. adulterium. Probatur ex adulterij definitione, quàm tradit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 153. *art.* 8. *in corpore*, est alieni tori violatio. D. Thom. Sed accedens ad sponsam de futuro, minimè violat alienum torum, cùm hic ante matrimonium de præsenti non concedatur sponsis: ergo adulterium non committit. Ita communiter Theologi.

2 Esto accessus ad sponsam alterius de futuro non sit adulterium; controuertitur tamen inter Doctores, an hæc circumstantia sponsalium sit necessariò explicanda in Confessione? Prima sententia docet minimè esse explicandam: quia solæ circumstantiæ mutantes speciem sunt necessariò confitendæ, hæc autem non mutat speciem, cùm adulterium non sit: ergo. Tum quia per sponsalia tantùm contrahitur obligatio mutua tradendi corpus per matrimonium, non autem obligantur sponsi ad abstinendum ab alieno concubitu, ante matrimonij contractum: ergo hic concubitus non continet circumstantiam sponsalibus aduersam, nec confitendam. Probabilem hanc opinionem esse docuit Petrus Ledesma *de matrim. q.* 43. *artic.* 1. *dub. vltim.* Petrus Ledesma. Et absolutè tenent Couarruuias & Viualdus. Couarr. Viualdus. Secunda sententia docet eam circumstantiam esse necessariò fatendam, tam ex parte sponsæ de futuro, quàm ex parte sponsi: quia duplex est malitia, altera fornicationis, altera fractorum sponsalium, quæ ob id dirimi possunt ex *c. Quemadmodum, de iureiur.* Ita Syluius *in* 3. *p. supplem. q.* 43. *art.* 1. *quæritur* 2. & alij multi. Syluius. Et hæc sententia est valde probabilis. Verior tamen est tertia sententia docens hanc circumstantiam esse fatendam, quando se tenet ex parte fœminæ, id est, dum aliquis fornicatur cum sponsa alterius de futuro: tunc enim tenetur fornicans & ipsa sponsa fateri hanc circumstantiam sponsalium: at quando se tenet ex parte viri, quia spõsus de futuro fornicatur, hæc circumstantia non est de necessitate detegenda in Confessione. Probatur non esse in sponso circumstantiam necessariò fatendam: quia quamuis etiam contineat ea fornicatio iniuriam ac circumstantiam diuersam specie iniustitiæ aduersus ius acquisitum sponsæ per sponsalia: verum cum ea iniuria reputetur prudentum arbitrio, lenis in fornicatione sponsi de futuro, non excedit limites culpæ venialis, ac proinde non est necessario fatenda, quod secus est in sponsæ fornicatione, quæ atrox est sponsis iniuria, propter periculum, si postea matrimonium cum sponsa contrahatur, supponẽdi sibi alienum fœtum, quando ex alieno concubitu conceptio prolis fortassè sequuta est. Hanc sententiam tenet Rodriguez *in Summ. tom.* 1. *c.* 109. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 2. *n.* 6. Fagundez *prac.* 2. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 21. & alii. Rodrig. Sanch. Fagundz.

3 Quidam probabiliter docent adulterium occultum eo ipso priuatum esse iure exigendi debitum ab vxore, sed tantùm posse humiliter petere. Ratio est, tum quia reddere ex obligatione & exigere sunt correlatiua, sed vxor talis adulteri non tenetur re vera reddere, sed tantum ex conscientia erronea, ergo vir adulter non potest exigere. Tum quia statim ac coniux adulterium admittit, innocens re vera & coram Deo est absolutus à debito reddẽdo ergo adulter non potest petere tanquam debitum cum re vera debitum non sit. Ita Tabiena *verb. Matrimonium* 4. *quæstione* 6. *numero* 7. Armilla *v. Matrimonium numero* 77. Syluester *v. Adulterium quæstione* 6. *num.* 8. *in fine.* Tabiena. Armilla. Syluest. Probabilior tamen sententia asserit coniugem adulterium dum alterum adulterium latet, non perdere ius exigendi debitum, sed posse ab eo exigere. Probator. Adulterum non posse exigere est in pœnã sui delicti, dignus est enim cum fidem matrimonii fregerit, ut ei fides minimè seruetur, sed reus non tenetur prodere suum delictum, vt à iudice, vel ab uxore priuetur, in illius pœnam, iure exigendi, ergo quamdiu delictum non constat uxori, ut adulterum per exceptionem elidat, non priuatur iure exigendi debitum, nec ipse adulter tenetur suæ pœnæ esse executor. Ita Sotus 4. *distinct.* 36. *quæst. vnic. art.* 4 §. *vtrum verò vxor.* Sotus. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 68. *num.* 4. Sanch. Petrus Soto *lect* 16 *de matrim.* §. *penult.* Petr. Soto. Idem dicendum licet coniux innocens suspicaretur alterum adulteratum esse, leuibus tamen iudiciis quæ non sunt sufficientia ad ipsum in foro conscientiæ excusandum.

4 Quando coniugata passa est se ab alio cognosci, arbitrata eum esse suum virum: tunc, sicut ex parte ipsius non

inter-

interuenit culpa adulterij; excusante illam ignorantia, quòd ille non esset suus vir, solumque proinde ex parte illius fuit adulterium materiale, illa neque digna est ulla pœna, ac proinde nec ciuiliter nec criminaliter agi potest aduersus eam ex adulterio, argumento *cap. in lectum* 34. *q.* 1. Aduersus adulterum verò, qui in vera culpa adulterij fuit, constat integrum manere criminalem actionem, acriusque esse puniendum ob dolum ac fraudem, quàm si sciente & consentiente aliena illa vxore id adulterium esset patratum: Et hic est primus casus in quo ob adulterium locum non habet actio, tam ciuilis, quàm criminalis.

5 Secundus casus est, Quando arbitrante vno coniuge alterum esse defunctum, matrimonio cum alio celebrauit, *cap. cum per bellicam* 34. *q.* 1. Atque licet in hoc & præcedente euentu aliqua interuenisset temeritas, quæ non careret aliqua culpa, non propterea concedenda esset actio, quando de malitia non constaret.

6 Tertius est. Si maritus libellum repudij vxori dederat dum ambo infideles erant nondum ad fidem conuersi, illaque alteri nupserat: tunc enim si ambo ad fidem conuertantur, tenetur maritus eam iterum admittere ad matrimoniale consortium tamquam suam adhuc legitimam vxorem, quæ bona fide alteri nupsit, solumque materialiter cum illo altero est adulterata.

7 Quartus est. Quando coniugata vt fuit oppressa, inuitaque est passa adulterium. Sicut enim ignorantia excusat à culpa: ita & vis illata, ac proinde excusare debet à pœna: maximè quando coniugata adulterium pateretur per uiolentiam, absolutam ve ac præcisam vim, ita vt ipsa nihil sua sponte cooperetur ac uellet circa id adulterium. Quando autem metu mortis, aut grauissimi alterius mali, consentiret, constat eam peccare lethaliter adulterij peccato, ac proinde non excusari à culpa circa id obiectum intrinsecè malum, estò inoluntariè mixtè consenserit. Verum autem tunc locum habeat actio ciuilis ac criminalis aduersus eam, est dubium. Couarruuias *in 4. decret. p. 1. cap.* 5 arbitratur, illam esse sufficientem causam, vt maritus possit ei denegare debitum, facereque ab ea diuortium. Et hæc est communissima sententia, quam sequitur Sanchez *de matrim. lib.* 10. *cap.* 5. *nu.* 16. Verum contraria sententia, non est improbabilis sustinens non solùm excusari mulierem à pœna diuortij, quando vi præcisa oppressa est, sed etiam quando metu cadente in fœminam constantem. Ratio est, quia vbi lex dolum requirit, non sufficit culpa, *l.* 1. *ff. de sicar.* & notatur, *l. In actionibus, ff. de in litem iur.* Adulterium autem quoad pœnam requiri dolum, *l. penult. ff. ad l. Iuliam de adulterio.* Ita Syluester. *verb. Adulterium quæst. vltim.* Rosella, Armilla, Tabiena apud Sanchez *loc. cit. num.* 15.

Couarr.
Sanch.

Syluest.
Rosella &
Armilla
Tabiena.

8 Quintus est. Si à puncto adulterij commissi elapsum est quinquennium: eo enim tempore præscribitur actio adulterij, vt deinceps intentari non possit, nisi in adultorio interuenerit vis: nam tunc actio est perpetua, hoc est, quæ minori spatio, quam triginta annorum præscribi non potest. Hæc habentur, *l. mariti à §. sex mensium*, iuncta *l. miles, § quidam, & l. quæsitum est in princip. ff. ad l. Iuliam de adulr.* Hoc tamen intelligendum est, quod attinet ad pœnas iure humano statutas: secus autem quoad debiti denegationem & quoad diuortium, quando vnus coniugum delictum alterius ignorauit: quocumque enim tempore in notitiam certam illius deuenerit, vt potest iure illo suo denegandi alteri ea de causa debitum, diuino ac naturali iure sibi concesso.

9 Sextus est. Si adulterium commissum est de voluntate, aut consensu mariti, quia id illi suasit, vel quia id illa permisit sciens ac potens id impedire, nec impediuit. De quorum numero est is maritus, qui homines in domum suam inducebat illosque cum vxore sua relinquens, recedebat admonitusque ab vxore, quod ab illis sollicitaretur ad peccandum, & non curabat. Ita habetur *cap. discretionem, de eo qui cognouit consang. vxor.* Ex eo autem, quòd maritus illi occasionem adulterij præbeat, non tribuendo illi necessaria, aut illam malè tractando, vel expellendo illam domo ob iram, vel alia simili ratione, non censetur velle ac consentire in illius adulterium. Vt tamen maritus, qui consensit in vxoris adulterio, si velit illam accusare, repellatur, eaque adultera à tali accusatione absoluatur, necesse est, vt vxor id illi opponat ante litem contestatam, atque tunc si illi id probet, punitur maritus de lenocinio vxoris, & tam adultera, quàm adulter, ab accusatione mariti absoluuntur. Vide Sanchez *de matrim. lib.* 10 *disp.* 5. *num.* 3. 4. 5. Sanch.

10 Septimus est. Si maritus cœpit accusare adulterum, vel adulteram, & destitit animo deinceps non prosequendi accusationem: vel si maritus dixit coram iudice, se non velle accusare: posteaque vel prosequi accusationem velit, aut eam incipere ac intentare, repellitur exceptione, quod iam ab accusatione destiterat, vel quod coram iudica dixerit, se non velle accusare. Ita habetur *l.* 2. *§. marito iure, l. si maritus* 2. *§. si negauerit, ff. ad leg. Iul. de adult.*

11 Octauus est. Quando aliquis de adulterio cum particulari aliqua muliere fuerat accusatus, & absolutus in eo iudicio fuit: tunc si vxor de eodem adulterio cum illo accusaretur, habet exceptionem peremptoriam, quòd is, cum quo adulterasse accusatur, iam erat de eo crimine absolutus in iudicio.

12 Nonus est. Quando mulier aliqua adulterata fuit, mortuoque marito transiuit ad secundas nuptias: tunc si maritus secundus accusare eam vellet de adulterio commisso constante priori matrimonio, habet illa exceptionem peremptoriam aduersus illum, quòd contrahendo cum ipsa postea matrimonium, ipse mores illius approbauit, vt non possit de eo crimine eam accusare. Plura de his apud Molinam *de iustit. tract.* 3. *disp.* 96. & Sanchez *de matrim lib.* 10. *disp.* 5. *per totam.* Molina. Sanch.

13 Quidam putant mulierem adulteram teneri lucrum ex adulterio aquisitum marito restituere, ac si aliter laborando illud acquisiuisset; volunt tamen occultè esse reddendum, vt propriæ famæ consulatur, & alia mala vitentur: nisi tamen tale lucrum ab ijs acceperint, qui potestatem alienandi non habent: vt Religiosi, filijfamilias, &c. Ratio est, quia maritus est dominus corporis vxoris suæ quoad actus coniugales. Ita Molina *de iust. tract.* 2. *disp.* 94 Reginaldus *tom.* 1. *lib* 10. *numer.* 193. & alij. Alij volunt acceptum pro opere quod leges puniunt, esse restituendum, si non marito, saltem pauperibus, vel ei qui dedit, sed adulterium à lege punitur, ergo. Ita Couar. *ad reg. peccatum part.* 2. *§.* 1. & alij multi apud illum Molina. Reginald. Couaru.

Hæ duæ sententiæ sunt probabiles, quia tantorum virorum auctoritate sunt fultæ. Probabilior tamen sententia asserit, posse mulieres coniugatas retinere sibi lucrum ex adulterio acceptum, neque restitutioni marito, vel aliis obnoxias esse. Ratio est, quia leges, quas aduersarij citant, licet pacta turpia rescindant, & tollant obligationem ciuilem, ob quam possit in iudicio peti promissum; non tamen reddunt irritam aquisitionem pecuniarum ex tali causa, nec faciunt inhabilem accipientem ad comparandum earum dominium. Ita Bonacina *de contract. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 12. Graffijs *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de furt. consil.* 2. Diana *part.* 2. *tract.* 17 *resol.* 7. Bonacina. Graff. Diana.

14 Quando adulterium à marito committitur, siue cum non coniugata, siue etiam cum coniugata, tunc de iure cæsareo criminalis actio non datur vxori talis mariti aduersus eum ob adulterij iniuriam in ipsam commissam Ita habetur *l.* 1. *Cod. ad leg. Iul. de adulter.* Ratio est, quia longè grauius est crimen adulterij vxoris quam mariti, & ex quo grauiora mala ac damna nata sunt oriri, quam ex mariti adulterio. Tum quia si coniugata ex eo, qui non est suus maritus concipiat, id adulterium in grauissimum dedecus mariti talis coniugatæ cedit, vnde vlterius cædes natæ sunt sequi, grauissimaque odia, familiarumque euersiones, inde effectum est, vt pro adulterio cum coniugata, vtrique adulterum grauissimæ pœnæ, cæsareo præsertim iure, sint statutæ, non verò pro adulterio coniugati cum soluta. Quare quæ de pœnis pro adulterio, tum adulteræ, quam adulteri, dicuntur, intelligenda solùm sunt de adulterio cum coniugata, siue, qui cum ea adulteratur, coniugatus etiam sit, siue non. Pares tamen sunt vir, & vxor iure diuino, vt si vnus alteri fidem fregerit, adulterium aduersus eum committendo, innocens non tenetur debitum illi deinceps reddere, idque propria sua auctoritate:

tate: eoquòd adulter eo ipso, ius, vt sibi reddatur, amiserit, potestque ab eo quoad habitationem etiam recedere, diuortium ab illo efficiendo, vt Christus *Matth.* 5. *&* 19. docuit, idque iudicio ac sententia Ecclesiæ, maximè si adulterium alterius notorium sit.

15 Vna integra pœna adulterij puniuntur multa adulteria ex interuallo commissa ab eodem adultero cum eadem aliena vxore. Idem intellige de multis adulteriis eiusdem alienæ vxoris commissis, etiam cum distinctis adulteris, quando in adultera ipsa omnia illa adulteria veniunt punienda, siue ciuiliter agatur ad amissionem dotis, siue agatur criminaliter, non solùm quando pœna mortis est illi imponenda, quæ iterari non potest, sed etiam quando pœna iterari possit, vt de iure communi est pena flagellorum adulteræ statuta, vna cum reclusione in Monasterio, & de iure aut consuetudine, quorundam regnorum, pena infra mortem & mutilationem imponitur, siue pecuniaria, siue corporalis, aut mixta ex vtraque. Ita, cum Glossa *l. vulgaris in princip. verb fuerit. ff. de furtis.* Couarruuias, 2. *variar. cap.* 10. *in calce n.* 8. Iulius Clarus *lib.* 5 *sent. §. adulterium, numer.* 10. & alii quos citant. Tamen quando vnum adulterium punitum esset in iudicio, tunc aliud, quod in iudicium deducitur integra alia pena est puniendum. Et hæc omnia similiter sunt intelligenda quoad penas concubinariis impositas.

Gloss. Couarr. Clarus.

16 Quando concubitus duplici de causa punitur, vt v. g. adulterium cum coniugata, si adiunctam habeat circumstantiam incestus, aut circumstantiam, quòd sit commissum cum infideli, punitur vna pœna quatenus adulterium & alia quatenus incestus, aut quatenus concubitus cum infideli, tunc id delictum distinctis eis penis simul punitur, etiamsi semel commissum sit: quod tamen intellige, quatenus id patitur qualitas penarum, quæ non ita communicant inter se quasi implicet multiplicari, aut augeri. Si enim adulter, aut adultera mortis pœna essent puniendi, non relinqueretur locus, penæ adulteri corporali. Si item bona eorum omnia amitterentur marito, non relinqueretur locus, vt in penam incestus fisco applicarentur; vel è contrario, vt quod ob incestum applicatur fisco, applicaretur etiam marito.

Quando autem crimen concubitus redundat in iniuriam tertiæ personæ, eaque de causa punitur, vt redundat adulterium coniugatæ & cum coniugata, in iniuriam mariti illius, eaque de causa punitur; tunc, quicumque delinquentium punitur distincta pœna: atque si vnus aduersus duos maritos deliquit, vt quia cum duabus vxoribus alienis deliquit, punitur etiam distinctis penis adulterii, quatenus vna cum alia non communicauerit.

Si verò duo adulterati sint cum eadem aliena vxore & maritus vtrumque accuset, vterque punitur. Vxor tamen adultera vnica pena punietur, non solùm pro multis adulteriis cum eodem commissis, sed etiam pro multis commissis cum diuersis: vt de iure communi, semel flagellata, detrudetur in Monasterium: quia est vnica delinquens, licet pluribus delictis adulterii: & quia ea omnia delicta redundant in iniuriam vnius duntaxat mariti, & non plurium.

17 Adulterium probatur sufficienter, seu planè ad effectum, vt pro eo imponi possit pena adulterii ordinaria, siue agatur ciuiliter, siue criminaliter, ad penam pro adulterio statutam imponendam, si testes duo fide digni omni exceptione maiores deponant, se vidisse eodem loco, & tempore adulteros se commiscentes ac adulterantes. Sic damnata fuit Susanna de adulterio ad mortem Daniel 13. testimonio illorum duorum senum. Probatur insuper adulterium sufficienter per vehementem coniecturā ac præsumptionem, puta si testes deponant, se vidisse eos nudos & solos in eodem lecto iacentes, licet non viderint eos commiscentes. Denique quando arbitrio prudentis iudicis indicia ac præsumptio adulterij, quæ duob. saltem testib. omni exceptione maiorib. probantur, adeo sunt vehementia, ac vrgentia; vt omninò adulterium persuadeant, ita, vt moraliter dubium nullum relinquatur quin ab illis adulterium commissum, tunc talis adulterij probatio est sufficiens. Talia autem indicia sunt, quæ *in cap. ex literis de præsumpt.* desumuntur, cuius capitis verba sunt. *Produxerunt testes firmiter asserentes, quod postquā mulier cum prædicto viro contraxerat matrimonium, consanguineum viri eiusdem, solum cum sola, nudum cum nuda, & in eodem lecto iacentem* (vt credebatur) *intentione, vt eam cognosceret carnaliter, viderunt multis locis* (id est multis locis *secretis, & latebris ad hoc commodis*) vt scilicet inde viderentur, *& horis electis.* Et infrà: *Consultationi tuæ taliter respōdemus, quod ex eiusmodi violenta & certa suspicione fornicationis potest sententia diuortij promulgari.*

Hoc loco obseruandum est quòd indicia illa, quæ talia in eo textu meritò indicata sunt, velut exemplum habere debet iudex ante oculos, vt manducatur ad iudicandum, quando indicia violentam, ac certam moraliter faciant præsumptionem adulterij, aut non. Si autem mulier, de qua sufficienter probarentur eiusmodi indicia, solùm esset desponsata per verba de præsenti, & ante consummatum matrimonium id illi ita contigisset, tunc probare posset aduersus eam certam moraliter præsumptionem, se non commisisse adulterium, integram se esse ostendendo exploratione grauium fideq; dignarum matronarum, vt euaderet pœnam adulterij ordinariam, solumque puniretur pœnâ arbitraria pro culpæ quantitate.

18 In quocùmque dubio, num indicia certam omninò moraliter præsumptionem adulterij efficiant, sanè illi, de quibus est ea non plenè certa præsumptio, condemnandi non sunt de adulterio, nec proinde est illis imponenda ordinaria pœna pro adulterio statuta, siue ciuiliter siue criminaliter aduersus eos agatur; sed solùm erit eis imponenda pœna arbitraria pro quantitate præsumptionis eius criminis ac culpæ: aut etiam torturæ erunt subijciendi, si vrgentia sint indicia, & id petat maritus adulteræ.

19 In foro conscientiæ, vt innocens possit ab adultero diuertere, eique debitum negare, non desideratur certitudo de alterius adulterio metaphysica, sed satis est moralis, qualis habetur per ea indicia, quæ in foro externo probata conuincerent coniugem de adulterio: iuxta *cap. Dixit Dominus* 32. *quæst.* 1. ibi: *Vbicumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur vxor.* Et ratio est, quia cùm adulterium sit ex illis criminibus, quæ in abdito loco & omninò occultè admittuntur *lib. consensu, Cod de repudiis*, est difficillimum probatu: nec verè probari potest: sed ex probationibus petitis ex presumptionibus concluditur. Quod adeò verum est, vt si quispiam nudus supra nudam feminam in ipso actu reperiatur, non verò & metaphysica certitudine constet adulterium consummatum, quale ad penam diuortii exigitur; vt multis citatis aduertit Menochius *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 41 quia fieri potest vt femina sit arcta, vel vir impotens, aut minimè seminauerit intra vas. Vnde fit vt non tam exactæ probationes petendæ sint, ac in aliis criminibus, quæ oculis patent, palamque perpetrantur.

20 Oscula, amplexus, & alii tactus impudici, quando non fiunt à cubantibus simul, sed à stantibus, vel sedentibus, indicia non sunt sufficientia, quæ violentam, ac certam moraliter efficiant præsumptionem adulterii, ac proinde ob talem præsumptionem illi non possunt condemnari adulterii: neque ad diuortium, & penam ciuilem, neque ad criminalem, nisi aliæ circumstantiæ adiiciantur loci, temporis, vel personarum, vt bene docuit Nauarrus *rubric. de indiciis num.* 10. Et licet multi quos ibi refert, dicant sufficere si in loco secreto deprehendantur se amplexantes, & osculantes. At ipse cum aliis ait, id non satis esse, nisi probetur tanto temporis spatio, in eo loco secreto eos fuisse, vt possent adulterium committere. Tum quia oscula, & amplexus, nec à natura, nec à lege pro vrgenti coniectura admittuntur; nec etiā ab homine recipi debent: cum nulla vrgens ratio id suadeat. Nec obstat *quod ait lex* 23. *ff. ad leg. Iul. de adulter.* quia solùm probat licere patri, iuxta illum textum, impunè occidere filiam repertam in iis actibus impudicis, sicut inuentam in adulterio, non tamen probat inde conuinci adulterium. Similiter nec obstat *cap. nec aliqua* 27. *qu.* 1. quia ex eo tantùm probatur illa esse indicia deprauatæ voluntatis adulterandi. Ita Iulius Clarus *lib.* 5. *recept. §. adulterium, num.* 16. *vers. & scias* Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 41. *num.* 28. *& sequent.*

Nauarr.

Clarus. Menoch.

23 Per

trat. Per Xenia missa ab adultero vxori alienæ, aut per verba amatoria, non probatur adulterium: quia minora indicia sunt amplexibus, & osculis. Nec similiter satis erit, si quis glorietur se cum vxore alterius concubuisse. Quoniam non valet Confessio in alterius præiudicium, *cap. 1. de confessis, cap. Significasti, de adulter.* De literis verò amatoriis, non concordant Doctores. Nam quando repertæ sunt literæ amatoriæ ipsius mulieris, probari adulterium asserunt Parisius *consil. 54. in fine, vol. 4.* Mascardus *de probat. concl. 64. num.* 10. Sed Menochius *de præsumpt. libr. 5. præsumpt. 41. in fine,* censet id iudicis arbitrio remittendũ pro literarum tenore: vnde dicit, si mulier in eis præteritum concubitum fateretur, rem esse manifestam contra eam: si verò essent literæ quibus virum induceret ad accessum, arguere adulterium committendum, non tamen commissum. Cæterum videtur non sufficienter probari adulterium, licet in eis mulier proprium fateatur adulterium. Quia confessio extraiudicialis, qualis est hæc, non plenè probat, sed constituit indicium sufficiens ad torturam, vt docent Abbas *in cap. Quam sit graue nu. 2. de excess. Prælat.* Mascardus *de probat. conclus.* 350. Satis autem est Confessio coniugis in iudicio asserentis proprium adulterium, vt illud probatum censeatur. Habetur expressè *cap. penult. de adulter*, quia hæc facit notorium iudiciale: extra iudicium autem facta non plenè probat, sed inducit sufficiẽs indiciũ ad torturã, vt dictũ est.

Parisius.
Mascard.

Abbas.
Mascard.

22 Quando maritus suspectum haberet aliquem machinari adulterium cum sua vxore, terque illum in scriptis admonuisset, ne cum illa loqueretur, postea que illos inueniret simul in aliquo loco, tunc illa est præsumptio iuris & de iure, illos adulterium commisisse, ac proinde puniri tunc possent pęna adulterij ordinaria. Ita habetur *in authentica, vt liceat matri, & auiæ, §. vltim. & in authenth. si quis ei, Cod. ad leg. Iuliam de adulter.* Imò viro suspicanti adulterium vxoris, licet illam obseruare cum testibus idoneis, vt eam possit de adulterio conuincere. Ratio est, quia non est eius peccato conniuere, sed vti eius malitia ad proprium commodum. Tum quia aliud est rogare, consulere, vel iubere malum, quod numquam licet, & aliud permittere, seu non auferre mali occasionem, quod aliquando licet ob aliquod maius bonum. Sicut Deus mala permittit ob maius bonum. Ita D. Thomas *in 4. distinct. 35. q. vnic. art. 3. ad. 4.* Sotus *4. dist. 36. q. vnic. art. 3. in fine.* Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 12. n. 52.*

D. Thom.
Sanchez.
Sotus.

23 Quamuis indicia illa *capitis ex literis de præsumpt.* quantum est ex se, seclusisque aliis circumstantiis, quæ ea temperent, ac extenuent; certam moraliter efficiant præsumptionem adulterii, tales tamen possunt habere adiunctas alias circumstantias, quæ in contrarium suadeant, vt nequaquam efficiant certam moraliter præsumptionem adulterij. Finge enim mulierem coniugatam proficisci terra, aut mari ad suum maritum longè distantem, cum consanguineo, aut amico mariti, vel suo, aut cum aliquo alio, idque vel ex præscripto mariti, vel sine illius præscripto; & in hospitiis mulierum illam cubare cum illo Comite, vel vestitam, vel nudam, idque vel ob defectum alterius lecti, aut cubiculi, vel quod in alio cubiculo erit fortè minus tuta, vel per imprudentiam, aut metum talis mulieris, aliquave alia de causa aut in naui cubare cum eodem Comite, vestitam, aut nudam, quod alibi cubando nõ sit magis secura ab eodem Comite, & ab alijs, qui sunt in eadem naui; certè ita cubare vestitam, aut nudam integris noctibus cum alio à viro suo, licet non sit tutum, sed periculosum valdè, nonnullaque sit præsumptio non leuis adulterij inter illos, iudicari tamen id non potest certa præsumptio adulterii, nisi aliunde adulterium constet, neque proinde puniri illi poterant adulterii pœna. Quare, iudicare quando indicia vehemens certaque moralis præsumptio sint adulterij, prudentis iudicis arbitrio est relinquendum, attentis & expensis diligenter circunstantiis omnibus concurrentibus.

24 Quicumque cum aliqua adulteratur, quæ priùs meretrix fuit, at postea ad bonam frugem se recipit, incurrit pęnas adulterij ordinarias. Si autem post matrimonium in conspectu mariti illa meretrix fiat, neque eam maritus coercere, ac punire curauit, nõ est cur pœna adulterij sint illi puniendi, qui cum ea fornicati sunt, non solũm si ignorantur, illam esse coniugatam, quod præsumendum est, nisi apertè constet, illos coniugatam esse sciuisse, sed etiam si id sciebant. Maritus quippe, dum illam non coercuit, nec punire curauit, quasi consensisse videtur, durumque valde esset, tam multos de adulterio punire, neque postquam illa publica fuit meretrix: tantũ iniuriam vnusquisque eorum, qui cum illa adulterati sunt, marito fecit, quantam ei fecisset, si meretrix non esset. Quando autem maritus est absens à loco, in quo illa est meretrix, & superuenit, potest agere aduersus illam ciuiliter ad diuortium, & ad amissionem dotis, & criminaliter ad pœnam pro adulterio ordinariam, quando non esset censendus consensisse in adulteriis illius. Ratio est, quia longè maiorem iniuriam marito intulit meretricando, totque adulteria, & cum tot hominibus, in illius iniuriam multiplicando ipso omnino inuito, quã si vnum, aut alterum tantum adulterium commisisset cũ vno, aut altero homine. Sed in hoc posteriori euentu puniretur integris eis pœnis, ergo & in illo priori integris adulterii pœnis puniri debet, in quo plus deliquit, & cum longè maiori iniuria mariti peccauit: alias ex multiplicatione, & fœditate maiori suorum delictorum, ipsa commodum excusationemque à pœna reportaret, quod est absurdum. Vide Iulium Clarum *lib. 5 sentent. §. adulterium, num. 3.* & Molinam *de iustit. 3. disp. 92.* Et hæc de adulterio satis.

Clarus.
Molina.

Vide matrim. 2. *num.* 26. Nouitiatus *n.* 13.

ADVOCATVS,

SVMMARIVM.

1 *Qui iure Canonico repellantur ab officio Aduocati.*
2 *Qualis scientia iuris requiratur in Aduocato.*
3 *Tertia cauere debet Aduocatus sufficienter scientia instructus.*
4 *Aduocatus fidelitatem erga clientem seruare debet.*
5 *Aduocatus tenetur gratis patrocinari pauperi extrema vel graui necessitate laboranti.*
6 *Peccat mortaliter Aduocatus defendendo causam iniustiam, & tenetur ad restitutionem. secus si causa sit ex vtraque parte probabilis vel dubia.*
7 *Quale stipendium recipere possit Aduocatus pro patrocinio.*
8 *Aduocatus an possit pacisci cum cliente de aliquota parte litis si vincat.*
9 *Integrum stipendium sibi promissum potest Aduocatus recipere, dum causam deserit ob clientis defectum.*

1. AD exercendum officium Aduocati non omnes admituntur, sed aliqui ab eo exercitio repelluntur iure Canonico ob impotentiam, vt sunt muti, surdi, furiosi, adolescentes, vsque ad decimum octauum annum. Alij non admittuntur ob decentiam & status dignitatem vt sunt Religiosi, excepta causa necessitatis Monasterij cum licentia Abbatis, in ciuilibus tantum; etiam coram Iudice laico Deinde ob eandem rationem non mittuntur Clerici Sacris Ordinibus initiati, vel etiam in minoribus constituti, habentes beneficium. In causa tamen propria vel Ecclesiæ suæ, vel pro coniunctis coniunctione carnali non habentibus Aduocatum idoneum, vel pro miserabilibus personis, prædicti Clerici admitterentur ad munus aduocandi, etiam coram Iudice sæculari, modo negotium fuerit Ecclesiasticum.

Item cæci, infideles, excommunicati, infames, hæretici, seruus, fœmina, & vir voluntariæ passus muliebria, damnatus capitali crimine, vel calumnia publici iudicij repelluntur. Præterea ille qui in causa aliqua iudex est, aut assessor, prohibetur officio Aduocati fungi, quia duo officia in eadem causa non potest exercere, *causa 4. quæst. 4. cap. 1. & 2.* D. Thomas *2. 2. quæst. 71. art. 2* Syluius *ibid.* Clauis Regia *lib. 11. cap. 22.* Reginaldus *lib. 25. cap. 35. n. 663. & 664.* Syluester, Angelus, Tabiena, *verb. Aduocatus* Layman *lib. 2. sect. 5. tract. 4. capit. 26. numer. 11. & 12.* Nauarrus *in c. non dicatis 12. q. 1. Comment. 2.* Azorius *p. 3. lib. 13. c. 29.* Bonacina *tom. 2. disp. 10. q. 3. punct. 4. n. 1:*

D. Thom.
Syluius.
Clau. Reg.
Reginald.
Syluester.
Angelus.
Tabiena.
Layman.
Nauarrus
Azorius
Bonacina.

Aduertendum est ex Panormitano *super rubric. de po-*

ſtulando, quod poſtulare, ſeu aduocare, eſt, *deſiderium ſuum, vel amici ſui in iure apud eum, qui iuriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſiderio contradicere, l 1. ff. de poſtulando*, & 3. *quæſt.7. cap.infames*. Vnde Aduocatus dicitur is,qui in iudicio apud eum,qui iuriſdictioni præeſt deſiderium ſuum,vel amici exponit,vel alterius deſiderio contradicit: Proinde conſulens in camera propriè, Aduocatus non dicitur; nec prohibitus aduocare, cenſetur prohibitus in camera conſulere, vel facere allegationes in ſcriptis. Plura apud Doctores hic citatos.

2 Vt Aduocatus rectè officio aduocandi fungi poſſit, requiritur in eo ſcientia iuris,in quo verſaturus eſt,vt ſufficienter valeat merita, & iuſtitiam cauſarum ſecundùm iura cognoſcere;non tamen requiritur ſumma ſcientia in Aduocato,ſed ſufficit mediocris; pro cauſarum, & negotiorum qualitate, & pro hominum opinione, quia is qui Doctor reputatur,ſeque pro tali gerit,maiorem ſcientiam debet habere,alioquin peccabit,& tenebitur ad reſtitutionem damni, quod clientes paſſi fuerint iniquè propter ipſius imperitiam iuris. Tum quia qui damni cauſam dat,damnum dediſſe videtur. Tum quia Aduocatus tenetur ex iuſtitia defendere cauſam ſui clientis,ratione pacti, quod iniit,& pretii quod accepit;atqui ſi propter ignorantiam litem perdat non ſtat promiſſis,neque adimplet illud ad quod tenetur ex iuſtitia,ergo peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem. Ita Salon. 2.2.*quæſt*.71. *art*.1. Syluius *ibid.art*.2.Nauarrus *in Man.cap.25.numer*.28.De la Crux *in director.precep*:.8.*quæſt*.3.*dub*.19.*concl*.3 D.Anton.3.*par.tit.6.cap.1.§.quantum*,Leſſius,*lib.2.c*.31.*dub*.8. Filliucius *tract*.40.*n*.280.*&* 282.& alij.

Salon. Syluius. Nauarr. Dela Cru. D Anton. Leſſius. Filliucius.

3 Aduocatus ſufficienter ſcientia inſtructus tria cauere tenetur. *Primò*, ne ſit præceps, ſed conſideratus in iudicando,conſulendo,& cauſas defendendo. *Secundò*, vt non conſulat opiniones ſophiſticas,ſed communes. *Tertiò* debet eſſe diligens, & cautus circa cauſæ cognitionem, & defenſionem: ſatis autem erit in ſingulis cauſis eam diligentiam,& induſtriam adhibere, quæ prudentum peritorumque iudicio cenſebitur ſufficiens, pro ratione, & qualitate cauſæ; & aliter agens peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex ſua negligentia parti ſubſequuntur: quia omnibus exercentibus aliquod officium hæc communis obligatio eſt, vt illud cum debita cautela, & diligentia exerceant. Clauis Regia *lib* 12.*cap*.22 *num*.11.Reginaldus *lib*.25.*n*.669. Toletus *lib.5.cap.60.num*.4.Filliucius *tract*.40.*c*.1v.Petrus Ledeſma *in Summ.tract*.8.*c*.26.

ClauisReg Reginald. Toletus. Filliucius. Ledeſma.

4 Aduocatus non ſolùm ſufficientem ſcientiam habere debet, ſed etiam fidelitatem erga clientem ſeruare debet, quæ in his conſiſtit. *Primò*, vt non adducat in medium leges falſas, vel abrogatas, aut falſas, & reprobatas doctrinas afferat, aut leges bonas in ſenſus falſos diſtorqueat,alioqui de falſo tenebitur. *Secundò*, vt in patrocinando non vtatur conuitiis, & maledictis, ſed potius vt par eſt nitatur bonis indiciis, & litem non defendat falſis cauillationibus. *Tertiò*,vt non inſtruat clientem ad iurandum vel falſum, vel falſas ſcripturas, aut teſtes falſos inducendum;nec quærat in grauamen alterius partis dilationes non neceſſarias. *Quartò*, vt non manifeſtet aduerſario merita cauſæ ſui clientis, tunc enim ſicut præuaricator puniendus eſſet; id quod locum habet etiam in caſu quo prius exiſtimans cauſam eſſe iuſtam, poſtea deprehendit iniuſtam eſſe. De his Doctores hic citati Sylueſter *verb. Aduocatus*,*quæſt*.9.Rodriguez *in Summ*.*tom*.1. *c*.3.Nauarrus *in Man.c*.25.*n*.29.Valentia 2.2 *diſp*.5.*quæſt*.15.*punct*.4 Viguerius *cap*.5.*§*.2.*verſ*.8. D.Thomas, 2.2. *q*.71.*art*.3.*ad* 2.Bonacina *tom*.2.*diſp*.10.*q*.3.*punct*.4.*n*.5.

Syluest. Rodrig. Nauarr. Valentia. Viguerius. D. Thom. Bonacina.

5 Sicut quilibet tenetur ſubleuare laborantem extrema,vel graui neceſſitate,ita Aduocatus tenetur gratis patrocinari pauperi extrema,vel etiam graui neceſſitate laboranti,ipſiuſque opera indigenti,dum nullus alius patrocinium præſtiturus eſt. D.Thomas 2.2.*quæſt* 71.*ar*.1. Syluius *ibid*.Clauis Regia *lib*.12.*c*.23.*num* 9.*&* 8.Azotius 3. *part.lib*.13.*cap*.29.*dub*.6.Sylueſter *v. Aduocatus q*.18.Angelus *ib n* 16.Salõ 2.2.*q*.71.*ar*.1.*cõtr*.1.Valẽtia 2.2.*diſp*.5. *q* 15.*punct*.2.Fillincius *tract*.40. *n*.286.*& ſeq*. De la Crux *in direct.prac*.8.*q*.3.*dub*.18.Sãcius *in Selectis diſp*.47 *n*.18. Ratio eſt,quia ſi Aduocatus gratis nõ adiuuet pauperẽ vna ex iã dictis neceſſitatib.laborãtẽ,cũ poſſit;habet ſubſtãtiã, qua iuuare illum poteſt, ac nihilominus claudit viſcera ſua ab eo, igitur mortaliter peccat iuxta illud 1. Ioan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi,& viderit fratrem ſuum neceſſitatẽ habere,& clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Nihilominus certum eſt, in nulla neceſſitate teneri Aduocatum ferre patrociniũ cum grauiſſimo ſuo incommodo, quia opera charitatis non obligant cum tanto damno: cum leui tamen ſuo detrimento teneretur patrocinari etiam in communibus pauperum neceſſitatibus:nam ex ſuperfluis tenentur homines facere eleemoſynas in communibus neceſſitatibus patrocinium autem eleemoſyna quædam eſt, & hoc ipſo quod leui cum detrimento fieri poteſt, habet rationem ſuperflui.

D. Thom. Syluius. ClauisReg Azotius. Syluest. Angelus. Salon Valentia. Filliucius. DelaCrux Sancius.

Extrema neceſſitas tunc eſt, quando pauper ſic eget patrocinio ad quod tamen habendum pecunia & ſimilibus deſtituitur, vt niſi adiuuetur, cauſa ſit caſurus,& vel iuſta morte plectendus, vel ſuis quantulæcumque ſint, rebus omnibus ſpoliandus, ac in extremam inopiam redigendus.

Grauis eſt, quando niſi grauis iuuetur, litem perdet, ratione cuius, aut grauem bonorum iacturam patietur, aut ad triremes dirumve carcerem condemnabitur, aut in morbum periculoſum incidet.

Communis neceſſitas erit, quando, niſi iuuetur pauper litigans, is iacturam aliquam patietur quamuis non adeò grauem ut notabiliter ſtatum eius imminuat. De his plura apud *D.Thomam* & alios hic citatos quos conſule.

6 Aduocatus qui cauſam iniuſtam ſcienter ſuſcipit defendendam non ſolum mortaliter peccat cooperando iniquitati litigantis, ſed etiam ad reſtitutionem damni ſecuti tenetur. Et quidem parti contrariæ tenetur ad reſtitutionem ex peccato commiſſionis, quia fuit illi cauſa poſitiua damni. Clienti verò tenetur ex peccato omiſſionis,quatenus ipſum non admonuit de iniuſtitia cauſæ, nam ratione officii tenebatur admonere clientem, iniuſtitiam cauſæ ignorantem. D. Thomas *c.quæſt*. 71. *artic*. 3. Syluius. Caietanus *ibidem*, De la Crux *c. dub*. 20.

D. Tom Syluius. Caietan. DelaCrux

An autem Aduocatus teneatur fiſco reſtituere mulctam in quam reus fuiſſet condemnandus,ſi non ſic iniuſtè eum defendiſſet? Dicendum eſt quod non quia tales mulctæ non debentur ante ſententiam, & ideò necdum erant debitæ fiſco. Ita Bannez,Salon,2. 2. *quæſt*. 71. *art*.4. Clauis Regia *c*.*cap*.23. *num*. 15.

Bannez. Salon. Cla. Reg

Si tamen vtraque pars actoris & rei, ſi probabilis, poteſt Aduocatus vtramque cauſam tueri, quamuis altera pars, quam ipſe non defendit probabilior ſit. Ratio eſt, tum quia quilibet, poteſt ſequi opinionem probabilem, & ſicut pars, cuius cauſa eſt probabilis, non peccat ſe defendendo aut accuſando, ergo neque peccat Aduocatus cauſam ipſius defendendo. Tum quia opinio quæ aliquibus videtur minus probabilis, fortaſsè videbitur iudici probabilior, ſaltem pro vt ab Aduocato bonis rationibus confirmabitur, Ita communis ſententia apud Clauẽ Regiam *lib*.1.*c*.11.*num*.17.Vaſquez 1.2.*diſp*.64.*c*.1.*num*.3. Nauarrum *in Manual. cap*. 25. *num*. 28. Sanchez *lib*. 1. *Moral. cap*, 9. *num*. 51. Leſsium *lib*.2.*cap*.31.*num*.32.& alios hic citatos.

Cla.Reg. Vaſquez. Nauar. Sanchez. Leſſius.

Sed dubiũ eſt,an prædicta doctrina vti poſsit Aduocatus in cauſa ſanguinis vel amiſſione omnium bonorum, Probabile eſt tunc peccare Aduocatum contra charitatem pro actore minus probabilem cauſam habenti, patrocinantem; & maximè quando reus in ea lite,ſuccumbens deuenturus eſſet in extremam, aut grauem neceſsitatem. Ratio eſt, tum quia in dubio melior eſt rei poſſidentis conditio, neque in dubio quiſpiam condemnandus eſt. Tum quia actor contra charitatem agit, reum probabiliori ſententiæ nixum, ad prædictam neceſſitatem adigere volens, cum ex charitate potius obligatur illi ſubuenire, ſicut vnuſquiſque tenetur proximũ in vrgenti neceſsitate conſtitutum adiuuare. Ita Malderus 1. 2. *q*. 19.*art*.5. *diſp*.86.*aſſert*.8 De la Crux *in director.precept*.8. *art*. 5. *dub*. 1. *concl*. 2 Syluius 2. 2. *quæſt*.71.*art*.3. Bannez *ibidem* 1. *part, dub*. 6. Salon *ibid. controu*. 2.Rodriguez *in Summ.tom*.1.*cap*.2,*num*.2.Toletus *lib*.5.*cap*. 60.*n*.2.& alii hic citati.

Malder DelaCrux. Syluius Bannez. Salon. Rodrig. Toletus

At his

At his non obstantibus, contraria sententia est in praxi tuta. Ratio est, tum quia cùm cliens, in hoc casu iustè litigare possit, nec imprudenter agat, vtpote qui ratione probabili ducitur, integrum quoque erit Aduocato in ea causa minus probabili patrocinari causam actoris, etiam in causa sanguinis, aut honoris, aut de causa ciuili maximi momenti, vt de omnium bonorum possessione. Tum quia munus Aduocati non est, rem definire, reddendo vni quod petit, & auferendo alteri: id enim iudicis est: sed illius tantum est fundamenta iuris, & facti, suo clienti fauentia proponere iudici, vt ille his perpensis decernat, pro quo sententia ferenda sit. Ita Vasquez 1.2 *disp.*64 *cap.*1. *num.*3. Salas 1.2. *tract.*8. *disp. vnic. sect.* 11. *num.* 103. & 104. Clauis Regia *lib.*1. *cap.*11. *num. vlt.* Turrianus 2.2. *tom.*2. *quæst.*71. *art.*3. Diana *part.*2. *tract.*13. *resol.*4. Lorca 1.2. *to.* 1. *disp.* 39. *membr.*2. Azorius *tom.*1 *lib.*2. *cap.*17. *quæst. vlt.* & alij.

Vasquez. Salas. ClauisReg. Turrianus. Diana. Lorca. Azorius.

Porrò non solùm quando sunt probabiles sententiæ, sed & si res sit dubia, non peccat Aduocatus patrocinando. Ratio est ante dicta, quia Aduocatus nec sententiam profert, nec iudicem cogit proferre: solùm enim proponit, quæ sui clientis ius confirmare possunt, quæ proponere Iudici in causa dubia non est iniustum, sed iuuat, vt à Iudice causa meliùs expendatur. Nauarrus *in Manual. c.*25. *n.*28. Syluester *c. qu.*10. Malderus 1.2. *disp.*86. *assert.*8. D. Antoninus *part.*2. *tit.*1. *c.*19. *§.*8.

Nauar. Syluestr. Malderus. D. Anton.

7 Aduocatus pro patrocinio tale stipendium recipere potest, quod est taxatum à lege, vel consuetudine, nisi maius liberaliter donetur. Ratio est, quia quilibet tenetur seruare legem iustè taxantem pretium, alioquin peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem; taxa enim constituit iustum pretium patrocinij venalis; si ergo accipiatur vltra taxam, recipitur vltra iustum; atque adeò cõmittitur iniustitia. Si verò pretium non est vsu, vel iure taxatum, tantum recipere potest Aduocatus, quantum iudicio prudentis viri iustum videtur, habita ratione laboris in patrocinio, dignitatis, scientiæ Aduocati, & grauitatis, seu difficultatis causæ: omnes enim istæ causæ iustã præbent augendi pretij rationem. Ita D. Thomas 2.2. *qu* 71. *art.*4 Syluius, Salon, Bannez, *ibid.* Clauis Regia *libr.*12. *c.* 23. *n.*28. & 29. Filliucius *tract.*40. *c.*10. *qu.*8 P. Ledesma *in Summ. tract.*8. *c.*26. Toletus *lib.*5. *c.*60.

D. Thom. Syluius. Salon. Bannez. ClauisReg. Filliucius. Ledesma. Toletus.

8 Aduocatus non potest pacisci cum cliente de aliquota parte litis, puta si vincat, vt pro pretio det secundam, tertiam partem illius; quia huiusmodi pactum vetitum est *l. Si qui, Cod. de postulando, & l. sumptus, ff. de pactis*, ne via & aditus Aduocatis aperiatur vincendi lites per fraudes, vt parte promissa fruantur: licet tamen pacisci absolutè de tanto pretio soluendo, siue causa obtineatur siue non; & tunc aduocatus ex vi prædictæ pecuniæ promissæ tenetur pro tota causa prosequenda. Ita communiter Doctores hìc citati. Nauarrus *in Manual. cap.*25. *num.*30. Reginaldus *lib.*25. *num.*677 Azorius *part.*3. *lib.*13. *cap.*59. *dub.*8. Syluius 2.2. *quæst.*71. *art.*4. Clauis Regia *c. capit.* 23. *num.*30.

Nauarr. Reginald. Azorius. Syluius. ClauisReg.

Sed quia leges prędictæ prohibentes pactum inter Aduocatum, & clientem de quota litis, fundantur in pręsumptione, quæ non habent locum, nec obligant in foro interiori conscientiæ, quoties deficit præsumptio fraudis, & iniustitiæ, ideò probabile est secundùm Victorellum *in Manual.* Nauarrum *c.*25. *n.*30 Dianam *part.*2. *nu.*2. *Miscellan resol.*49. Valerium *in diff. verb. Contractus, differ.*3. & alios tale pactum non esse peccatum mortale; quia nulli legi naturali, aut diuinæ, aut Ecclesiasticæ, sed solis ciuilis legis verbis, non fortassè legislatoris menti, aduersaretur.

Victorell. Nauarr. Diana. Valerius.

9 Aduocatus potest integrum stipendium sibi promissum recipere, dum causam deserit ob clientis defectum, vt quia cliens aliquid confessus est, ex quo Aduocatus causam iniustam esse cognouit ClauisRegia *lib.*12. *c.*23. *n.*33. Syluester *v. Aduocatus, q.*55. *leg. qui operas. ff. locati.* Vel si stipendium absolutè fuit promissum, & assignatũ pro labore, seu pro lite non habita ratione temporis, & cliens litem inchoatam deserat, ob idque Aduocatus litem non prosequatur: ad exemplum illius, qui locauit operas suas, & deinde conductor non vult illis vti, tenetur integrũ stipendium dare locatori: secùs dicendum esset, si promissũ sit stipendium habita ratione temporis, & laboris, tunc. n. debetur solùm ad ratã Azorius *part.*3. *lib.*13. *cap.*29. *dub.* 10. Bonacina *disp.*10. *q.*3. *punct.*4. *n.*11. Filliucius *tract.* 40. *nu.*293. Denique potest Aduocatus integrum salarium recipere, dum litem non prosequitur, eò quòd cliens compositionem, cum aduersa parte fecerit, per ipsum enim non stat, ne promissam operam præstet. Syluester *c qu.*20. Reginaldus *lib* 25. *n.*678. Rodriguez *part.*1. *Summ. c.*4.

ClauisReg. Syluest. Azorius. Bonacina. Filliucius. Syluest. Reginald. Rodrig.

De Aduocato vide *Conscientia*, num. 18. 19. *Culpa*, n.6. *Festum*, 2. numer. 14. *Irregularitas*, 5. numer. 14. *Falsarius*, num. 2.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Clerici Minorum Ordinũ non beneficiati, in causis ciuilibus, imò & in criminalibus patrocinari possunt sicut laicus, modò non deferant publicè tonsuram clericalem.*

2 *Debet iudex dare pauperi Aduocatum, si in eo loco non sint, qui defendant causas pauperum, & ad hoc potest cogere Aduocatum. Et quid de iudice regulari.*

3 *Aduocatus, qui causam iniustam suscipit scienter, præbendo auxilium actori vt vincat, an teneatur ad restitutionem.*

4 *Quoties Aduocatus ex ignorantia antecedente tuetur causam iniustam, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur. Si verò ex ignorantia concomitante, nihil certi statui potest, quo ad rationem peccati: Si ex ignorantia consequenti, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur.*

5 *Aduocatus, qui ita dispositus est, vt quamcumque causam defendere, siue iustam, siue iniustam, quando peccet.*

6 *Quomodo se debeat gerere Aduocatus, erga clientẽ suum antequam eius patrocinium suscipiat.*

7 *Aduocatus, qui in principio litis causam iudicabat iustam, sed postea deprehendit iniustam, illam statim deserere tenetur.*

8 *In causa sanguinis, vel alterius rei grauissima Aduocatus causam esse iniustam agnoscens, tenetur secreta sui clientis actoris reuelare: modò quatuor concurrant.*

9 *Iudex Aduocato patrocinanti in causis pauperum, debet ex ærario publico mercedem constituere, si pauperes soluere nequeant, & Aduocatus gratis patrocinari recuset:*

10 *Aduocatus, cui certa quantitas pecuniæ promissa fuit pro lite defendenda, si postea appelletur à sententia definitiua extra Prouinciam, non tenetur prosequi pro eodem salario.*

11 *Aduocatus conductus à litigantibus ad annum, sub certa annua mercede ad omnes causas, si nullas causas illo anno partes habuerint, an possit licitè petere salarium.*

12 *Aduocatus excommunicatus licitè patrocinari non potest, si tamen faciat, factum tenet, modò sit vitandus, & denuntiatus.*

13 *Aduocatus excommunicatus potest condignum stipendium accipere, modò illius ministerium in iudicio admissum sit in eius vtilitatem, qui stipendium soluit.*

1 Clerici Ordinum Minorum, non beneficiati in causis ciuilibus, sicut laici patrocinari possunt. An verò in criminalibus idem possint, non ita certum est: nam Panormitanus *in cap.*1. *num.*4. & 5. *de postulando*, indubitanter affirmat non posse, cum vult esse ex parte actoris, quia cùm agat in causa sanguinis, & petat reum puniri, non potest esse Aduocatus ex parte actoris sine metu irregularitatis, quia præstaret auxilium, arg. *cap. Si quis viduam, dist.*50. Alij tamen & meritò docent, Clericum non habentem beneficium, nec Ordinem sacrum, non solum in ciuilibus; sed etiam in criminalibus patrocinari posse, sicut laicus: tum quia est eadem ratio, si satis perpendatur. Tũ quia nõ obstat periculum incurrendæ irregularitatis, quia sicut nõ tenetur ad Ordinem sacrũ, vel

Panorm.

non uellet is desistere. Est enim de iure naturali defendere innocentem in tali casu, ne mortem iniustè, aut tam graue damnum patiatur. Vt autem Aduocatus hoc rectè & iure faciat, quædam debent concurrere. *Primò* quod non sub dubio, sed ex certissima scientia id cognoscat. *Secundo*, quod id facere possit absque scandalo. *Tertiò*, quod faciat id præmissa correptione fraterna, ut desistat. Si autem ille monitus nollet resipiscere tunc cum illius periculo, facere illud tenebitur Aduocatus, melior est enim innocentis & iniuriam patientis in hoc casu conditio, quā iniuriā inferentis *Quarto*, quod iudicet alias innocentem condemnandum iri, & speret se sua auctoritate & testimonio aliquid ad eius liberationem profuturum. His concurrentibus, Aduocatus præuaricator, aut proditor causæ sui clientis dici nequit, quia non agit contra iniustitiam, quin potius innocentem ab iniusta morte & graui damno liberat, prout de iure naturali obligatur.

9 Quamuis iura nonnunquam præcipiant Aduocatus pauperibus à iudice dati, non tamen iubent, ut grauis seruiant, sed mercedem & stipendium illis de ærario publico dare debet, si pauper soluere nequeat, & Aduocatus gratis patrocinari recuset. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. Neque obstat ueritatem uendi non posse, unde nec iudex pro uero iudicio, neque testis pro uero testimonio suo in iudicio aliquid accipere possunt, quasi exinde inferre liceat, nec Aduocatum patrocinium iustum uendere posse, quia maximum est quoad hoc inter Aduocatus, testem & iudicem discrimen, siquidem finis & scopus proprius & immediatus, tam iudicis, quam testis utrique litiganti communis est secundum iustitiam, scilicet, iustum simpliciter & ueritas in communi adeo in neutrā partem, actoris, uidelicet, aut rei inclinent, sed tantum ut ille secundum ueritatem indifferenter iudicet, & iste similiter ueritatem indifferenter dicat, siue pro actore, aut reo, siue contra illos, Quo fit, ut neuter istorum pro ueritate pronuncianda uel testificanda, quidquam accipere possit, cū hac tamen differentia, quod iudex à neutro litigantium etiam pro labore et studio suo aliquid accipere possit, quia legibus ciuilibus id prohibitum est, Testis uerò pro labore suo, non pro ueritate dicenda ab eo à quo citatus & productus est aliquid accipere potest.

At uerò finis proximus Aduocati non est utrique parti cōmunis, hoc est, non est iustū simpliciter, sed iustū tale id est iustū patrociniū. Hinc Aduocatus non solū pro labore, sed etiā pro patrocinio & defensa ueritate mercedē recipere potest, sicut & Doctor pro veritate docenda, quā dilucidat & explicat. Et quamuis patrocinium sicut & scientia iuris sint res spirituales secundùm se consideratæ, non sunt tamen illius generis spiritualium, quæ gratis accipiuntur, & gratis dari debent, sed nostro studio, labore, & vigiliis acquiruntur, ac proinde saltem ratione istorum poterit Aduocatus iustum suum patrocinium vendere. Et licet iudex similiter laboret, quia tamen prouisus est de publico, ideo pretium pro laboribus iudicij accipere non potest. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 71. *art.* 4 *ad* 2. Sotus *lib.* 5. *de iustit. q.* 8 *art* 4. *ad* 2. Arragon. 2. 2. *q.* 71. *art.* 4. *ante finem*, & alij communiter.

D. Thom. Sotus. Aragon.

10 Aduocatus, cui certa quantitas pecuniæ promissa fuit pro lite defendenda, si postea appelletur, non tenetur prosequi in causa talis appellationis pro eodem salario cōstituto. Ratio est, quia licet sit eadem causa, & idem negotium, aliud tamen est iudicium, cùm sint alij iudices. Et hoc procedit, quando appellatio fit extra locum, vel Prouinciam, vel quando appellatio fit à sententia definitiua. Si enim causa tractetur eo loco, vel saltem propè, vbi fuerit quæstio principalis agitata, vel ante sententiam appellaretur, vel in integrum restitutio petatur, tenetur in illa causa pro eodem salario patrocinari. Ita Diuus Antoninus *part.* 3. *tit.* 6. *cap.* 2. *§.* 2. *ante finem*, & alij apud ipsum.

Antonin.

11 Aduocatus conductus à litigantibus ad annum, vel annos, sub certa annua mercede, seu salario ad omnes causas, quas habent, vel habituri sunt, si nullas causas in illo anno partes habuerint, videtur posse licitè petere salarium, quia per eum non stetit: ille enim paratus erat ex sua parte adimplere promissum, & aduocare omnes causas clientis sui: quare si illas non habuit, Aduocato non erit imputandum. Deinde, quia in illo anno habuit obligationem ad aduocandum in habitu, quæ obligatio est pretio æstimabilis: maximè, quia non potest contra suum clientem aduocare, & sic amittit salarium, quod recipere potuisset ex parte contraria. Denique, quia si in illo anno cliens plures causas habuisset, respectu quarum salarium esset exiguum, non posset Aduocatus petere maius. Hæc sententia est valdè probabilis, quam docet Gutierrez *in pract. quæst lib.* 1. *quæst* 32. *n.* 1. & 2. in foro tamen conscientiæ mihi dicendum videtur tali Aduocato non esse salarium denegandum, neque integrè soluendum, sed diminuendum iuxta prudentiam, & arbitrium boni viri. Quia si pro suo cliente in illo anno aduocasset, multas occupationes, & labores sustinuisset, quibus non adhibitis, non sustinuit. Verùm, si talis Aduocatus eius foret ingenij, vt mallet laborare, quàm otiari, in hoc casu, nihil de salario minuendum esset, nisi alia diminuendi causa subesset. Ita Rebellus *de oblig. iust. part.* 2. *lib.* 14. *qu.* 14. *n.* 7. & 8.

Gutierrez. Rebellus.

12 Aduocatus excommunicatus, licet non possit patrocinari licitè, vt est prohibitum *in cap. decernimus de sent. excommunic. in* 6. si tamen faciat, factum tenet: quia valor talium actuum, non tam in iure, quàm in facto consistit: nam præcipuum munus Aduocati, est præbere consilium, & secundùm iura, & rationes causam tueri. Quod autem consilium rectum sit, & sapiens, & allegatio iuridica, in facto, & in reipsa consistit: nec propterea erit minus docta, aut sapiens, quod ab excōmunicato fiat. Quod intellige de excommunicato vitando, & denuntiato; nam toleratus repelli quidem potest, tamen licite potest admitti, si partes, & iudex consentiant. Et eius rescriptum non debet in iudicio admitti, factum tamen tenet: quia nullum decretum irritans inuenitur. Ex quo etiam fit, quòd Aduocatus excommunicatus patrocinium ferens, peccat tantùm venialiter, quia actio ista per se sumpta vt procedit ab ipso Aduocato, priuata est, & personalis, non à potestate aliqua, seu ministerio publico. Ita Suarez *de censur. disp.* 16. *sect.* 7. Suarez.

13 Aduocatus excommunicatus potest condignum stipendium accipere. Ratio est, quia hæc circumstantia impertinens est ad iustitiam stipendii, quod pro æquiualente labore datur: quod verò illi adiungatur aliqua circumstantia mala contra obedientiam Ecclesiæ, iustitiam non lædit: & ideò non impedit quo minus stipendium iustè accipiatur, nec ad eius restitutionem obligat, dummodò Aduocati ministerium in iudicio admissum sit, & in eius vtilitatem cedat, qui stipendium soluit quia si tale patrocinium inutile reddatur propter excommunicationem patrocinantis, non potest à parte ignorante excommunicationem accipere stipendium iustè, cùm ad eius vtilitatem nihil contulerit: secus dicendum quando pars sciebat eius excommunicationem, & nihilominus ab illo patrocinium postulauit, eumque ad ministerium præstandam induxit, tunc licitè potest recipere stipendium, & alter tenetur dare: quia illi periculo voluntariè sese exposuit. Ita Suarez *supra*. Suarez.

Vide v. Cæcus, *num.* 5.

ALIENATIO.

SVMMARIVM.

1 *Alienatio quid sit propriè, & largè sumpta.*
2 *Bona Ecclesiæ alia sunt mobilia, alia immobilia, alia pretiosa, alia non pretiosa.*
3 *Quæ bona Ecclesiæ alienari possint.*
4 *Iustæ causæ ad validitatem alienationis bonorum Ecclesiasticorum.*
Casus permissi, in quibus licita est alienatio sine licentia Sedis Apostolicæ.
5 *Quænam sit solemnitas iure requisita ad alienationem bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum.*
6 *Quid requiratur vt validè possint alienari bona Ecclesiæ non Cathedralis, nec Collegiatæ.*
7 *Si quid datum sit alicui ea lege vt alienare non liceat; illo Religionem ingrediente, transit in Monasterium.*

8 *Alienari an possit res immobilis, vel mobilis pretiosa legato relicta loco pio, sub conditione, vt possit alienari absque iuris solemnitate.*

9 *Alienatio bonorum Ecclesiæ facta sine iuris solemnitate an inualida sit.*

10 *Pœna contra alienantes bona Ecclesiæ sine prædicta iuris solemnitate.*

11 *Bona pupilli & minoris immobilia & mobilia pretiosa validè non alienantur absque iudicis decreto.*

12 *Generalis Societatis Iesu disponit de rebus omnibus collegiorum eiusdem Societatis.*

1 ALienatio propriè & strictè, est omnis actus per quem dominium transfertur: largissimè autem alienatio, dicitur datio in Emphyteusim, & locatio ad longum tempus, id est, vltrà triennium, modò locatio fiat de bonis, quæ singulis annis fructus reddunt, nam si alternis, vel ternis solùm annis fructus reddant, locatio pro rata protrahi potest. Dicitur etiam hypotheca, infeudatio, vel etiam actus, quo vsusfructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. In materia odiosa alienatio capitur strictè, & pro contractu, per quem dominium transfertur: in materia tamen larga, & fauorabili, vt hìc accipitur largissimè. Ita Syluester *verb. Alienatio*, Suarez *de censur. disp. 22. sect. 6.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 2.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 10. numer. 2.* Lezana *tom. 3. v. Alienatio. nu. 2.* Bonacina *tom. 1. tract. de alienat. bonor. Eccles. punct. 2.* Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 27. art. 1.* & alij.

Syluest. Suarez. Azorius. Layman. Lezana. Bonacina. Rodrig.

2 Bona Ecclesiæ quæ alienari possunt, alia sunt mobilia, alia immobilia; bona mobilia dicũtur ea, quæ loco moueri possunt, vt equus, vestis, pecunia, &c. Immobilia dicũtur ea, quæ loco moueri non possunt, vt domus, ager, &c. & sub bonis immobilibus comprehenduntur tam res corporeæ fixæ, & stabiles, quam actiones, & iura, vel reditus longi temporis: Item iura, seu debita rerum immobilium, iam acquisita Monasterio, & ab illo acceptata, Rursus bona, alia dicuntur pretiosa, alia non pretiosa: pretiosa, alia seruando seruari possunt, vt sunt vasa argentea, aurea, tapetes, &c. quæ per triennium non corrumpuntur. Item grex ouium, armẽtum bouum, præsepium equorum, & similia. Alia quæ seruando seruari non possunt, vt sunt fructus, oleum, vinum, pecunia vsui quotidiano inseruiens: huius generis sunt illa omnia, quę vsu absumũtur, vel breui tempore inueterascunt Pecunia autem fructifera, qualis est illa, quę est in Montibus, vel cẽsibus collocata, est bonum immobile, vel pro bono immobili habetur: item illa, quæ pro Monialium dote, & sustentatione traditur, inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt, communiter recẽsetur: potest tamẽ illa pecunia insumi in emẽdo agro, vel vinea, vt de fructibus ipsius, Monialis sustentetur. Item quæ pro venditione rei immobilis, ad alias res immobiles emendas, accepta fuit, hæc enim est res pretiosa, quæ seruando seruari potest, & debet, donec ad eum finem insumatur, ad quem tradita fuit. Plura de his apud citatos Doctores Molinam *de iustit. tract. 2. disp. 465. n. 4. & disp. 468.* Lezanam *tom. 1. c. 10. n. 4.* Bonacinam *cap. punct. 2. num. 2. & seq.* Quarantam *in Summ. Bullar. v. Alienatio n. 24. & 25.* Syluest. *c. quæst. 6.* Vasquez *in opusc. de redit. cap. 2. § 2. dub. 13. n. 5.* Rodriguez *c. art. 4* Azorium *c. lib. 9. cap. 1. q. 5.*

Molina. Lezana. Bonacina. Quaranta. Syluest. Vasquez. Rodrig. Azorius.

3 Alienari possunt bona Ecclesiæ mobilia, & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, ab habente illorum bonorum administrationem, puta Episcopo, vel Prælato, absque alia iuris solemnitate. Ratio est, quia sic apertè colligitur ex *Clement. 1. de reb. Ecclesiæ non alienandis*. Et experientia constat vendi fructus, & alia bona mobilia, etiã pretiosa, quæ seruando seruari non possunt.

Bona verò Ecclesiæ immobilia; vel etiam mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, validè non alienantur, nisi adsit iusta causa, & solemnitas à iure præscripta. Hæc prohibitio extenditur etiam ad loca pia, v.g. Xenodochia, si Episcopi auctoritate constituta sint: Ecclesiæ enim, & loca pia in eiusmodi alienatione æquiparantur. Ita Doctores *num. præced.* citati. Ex *cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien. Extrauag. Ambitiosa, eod. tit. l. iubemus, 2. Cod. de Sacros. Eccles.*

Sed petes ad quam summam debeat ascendere res, vt pretiosa dicatur, ad effectum, vt Prælatus illam alienare non possit: Resp. post determinationem sacræ Congregationis, teste *Homobono*, & *Peregrino* apud Dianam *art. 4. tract. 4. resol. 223.* Tamburinum *tom. 3. de iure Abbat. disp. 13. quæst. 6. & 7.* hic citatum *mobile pretiosum illud censeri, quod excedit valorem 25. Scutorum aureorum.* Naldus verò *in Summ. verb. Alienare, num. 5.* dicit ex stylo Curiæ, quod communiter non excedit valorem viginti ducatorum. Sed quamuis declarationi Sacræ Congregationis pro eo casu quo facta est, standum sit, & stilus ille Curiæ de pretio uiginti scutorum satis rationi consonare uideatur, nihilominus melius uidetur dicendum hoc relinqui debere arbitrio Iudicis, uel prudentis uiri. Ita *Quaranta. Barbosa, Perinus* citati à Lezana *in Sum. tom. 3. v. Alienare, n. 7.* Tamburin.

Item ex decreto alio eiusdem sacræ Congregationis sub die 21. Martij 1626. non possunt Regulares, inconsulta sacra Congregatione, accipere pecunias ad cambium, vel mutuo, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis: nisi excusaret aduersus dictum decretum consuetudo legitimè præscripta *Diana* supra, & *Tamburinus* apud quem exstat hoc decretum, cuius tenor est, *Cum post editum decretum 7. Septembris 1624. de rebus Regularium non alienandis, compertum sit Regulares, qui eodem Decreto prohibentur, census imponere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis. Cumque ex huiusmodi contractu eludatur mens S. Congregationis, cui in primis in votis fuit, consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimum læduntur. S. D. N. approbante dictauit, & declarauit, huiusmodi contractum esse contra mentem Decreti, vt supra editi: ideoque non licere Regularibus, pecunias, vt proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ 21. Martij 1626.*

COSMVS, CARD. DE TORRES.

Locus † sigilli.

PROSPER FAGNANVS

Congregat. Secret.

Item S. D. N. Vrbanus VIII. in Constitut. *Humanæ Salutis.* Anno 1625. prohibet bona Iurisdictionalia in feudum, vel emphyteusim concedere, aut vltra triennium locare vide *tom. 4. Bullarij Laertij Cherubini inter Bullas Vrbani.*

4 Quadruplex iusta causa ad validitatem alienationis huius recensetur. Prima est *necessitas* vrgens Ecclesiæ, cui aliter occurri nequit: scilicet quando debitis grauatur, quæ aliter solui nequeunt, quam per alienationem dictorum bonorum.

Secunda est, *vtilitas euidens* & manifesta, quæ attendenda est tempore quo perficiunt contractus, seu alienatio. Euidens autem vtilitas dicitur, quando nullum dubium est, quin alienatio sit magis profutura Ecclesiæ.

Tertia est, *pietas*, v.g. ad redimẽdos captiuos, vel paoperes graui necessitate subleuandos. Si tamen captiui malefactores essent iustè puniendi, pietas non coget ad eos redimendos.

Quarta est, *incommoditas*, vt, si res sit Ecclesiæ sumptuosa & parum vtilis. Plura de his apud Doctores hic citatos. Ita Syluester *c. num 2.* Lessius *lib. cap. 24. num. 64.* Quaranta *verb. Alienatio n. 3.* Vasquez *de redit. cap. 2. § 2. disp. 9. & 10.* Bonacina *c. punct. 3. num. 1.* Couar. *2. variar. cap 17.* Molina *de contractibus disp. 465.* Nauarrus *in comm. de alien. rerum Eccles.*

Syluest. Lessius. Quaranta. Vasquez. Bonacina. Couar. Molina. Nauar.

Casus autem iure permissi, in quibus licita est alienatio sine vlla Sedis Apostolicæ licentia posita tamen necessitate, euidenti vtilitate Ecclesiæ, sunt. *Primus*, quandò res alienanda est modicí valoris. *Secundus* est, consuetudo legitimè præscripta cõtra *Extrauag. Ambitiosa*, & Decretum S. Congregationis allatum. *Tertius*, quando bona sunt relicta religioni incapaci bonorum in communi, *Quartus*, quando sunt relicta cum tali onere, vt alienari debeant certo tempore, aut casu, aut restitui ex obligatione iustitiæ. *Quintus*: si bona solita sunt infeudari, aut in

Emphy-

Quaranta. Rodrig. Feyrinus. Lezana.

Emphyteusim concedi. Plures casus vide apud Quarantã *in Bullary, v. Alienatio.* Rodriguez *t. 1. qq. reg. q. 57.* Peyrinum *to. 1. priuil. in Constit. 9. Iuly II. §. 1.* Lezanam *in Summ. to. 1. c. 10. n. 4.* & *tom. 2. c. 19. n. 57.*

5 Solemnitas ad alienationem horum bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum requisita, in his consistit. *Primò*, vt fiat super ea re tractatus, id est, vt in Capitulo discutiatur, an expediat hanc alienationem fieri Ad tractatum autem conuocandi sunt illi, quorum interest, ut Canonici in Ecclesia Capitulari, Monachi de Conuentu in Monasterio.

Secundò, vt Capitulum expressè consentiat, sufficeret autem consensus maioris partis Capituli præsentis, etiãsi singulariter præstetur, modò præcesserit tractatus.

Tertiò, ut fiat subscriptio à Capitularibus, ex consuetudine tamen sufficit subscriptio Notarij.

Quartò, ut adsit auctoritas Superioris, qui in non exẽptis est Episcopus, in exemptis autem Prælatus, cui Ecclesia, vel Monasterium pleno iure subest, vt Abbas, Generalis, uel Prouincialis in Ordinibus Mendicantium. quòd si Prælatus procul absit & res non patiatur moram sufficeret consensus præsumptus. Ex *cap. Sine exceptione 12. q. 2. cap. Tua, de his quæ fiunt a Prælatis, cap. Vt super, de rebus Ecclesi. non alien.* Couar. *lib. 2. var. c. 17. num. 1.* Layman *lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 4.* Lessius *lib. 2. c. 24. du. 11. num. 63.* Syluest *v. Alienatio, num. 3. 4 & 5.* Filliucius *tract. 44. cap. 5.*

Couar. Lessius. Syluest. Filliucius.

Quintò, ut licita sit alienatio bonorum Ecclesiæ Cathedralis, iure antiquo requiritur consensus Sedis Apostolicæ: Iure autem nouo per Extrauag. *Ambitiosa, Pauli II.* etiam prædictus consensus desideratur in omnibus aliis bonis Ecclesiasticis alienandis, vbi constitutio illa recepta est quoad hanc partem. Ita communiter Doctores.

6 Vt ualidè possint alienari bona Ecclesiæ nõ Cathedralis, nec Collegiatæ, requiritur consensu Rectoris Ecclesiæ cum consensu Episcopi: imò Summi Pontificis post Extrauag. *Ambitiosa.* Quod si Ecclesia, cuius bona alienanda sunt, Rectore careat, constituendus est defensor Ecclesiæ, qui audiendus est. Ita Panormitanus *in cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. n. 5.* & *cap. Placuit 12. q. 2.* Molina *disp. 468. n. 13.*

Panorm. Molina. Layman.

7 Si quid datum uel donatum alicui sit ea lege, ut alienare non liceat, illo religionem ingrediente, transit in Monasterium: quia hæc est alienatio legis & accessoria ad personam ingredientis, Monasterium enim succedit in bonis professi, non iure hæreditario, sed iure naturalis acquisitionis. Ita Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 13. n. 15.* post Abbatem *cap. in præsentia de probat. n. 73.*

Layman. Abbas.

8 Alienari non potest res immobilis uel mobilis pretiosa, donata, aut testamento, uel legato relicta loco pio capaci, quamuis sub conditione relicta sit, ut possit alienari absque iuris solemnitate, quia huiusmodi conditio pro non adiecta habetur, cùm sit contra iura, quæ præscribunt res loci pii sine solemnitate non posse alienari. Armilla *v. Alienatio, n. 29.* Couar. *in cap. Tua, de testam. n. 6.* Quaranta *v. Alienatio, n. 6.*

Armilla. Couar. Quaranta.

9 Alienatio bonorum Ecclesiæ facta sine præscripta iuris solemnitate, inualida est, non solùm in foro externo uerùm etiam in foro conscientiæ: & non solùm quando ipse contractus alienationis celebratus fuit in fauorem recipientis, uerùm etiam si in fauorem & utilitatem Ecclesiæ alienantis. Ratio est, quia prædicta solemnitas præscripta est tanquam forma substantialis contractus alienationis, formula enim iuris dat esse rei, vt colligitur ex *cap. Tua. de his quæ fiunt à Prælatis.* Et extra casus iure permissas, nullius esse momenti alienationem, planum est ex *cap. Nulli, de rebus Eccl. non alien.* Nam alienatio rei iure prohibitæ, nisi in casu permisso, in Iudicio non subsistit, *l. Non dubium, Cod. de legib.* & *cap. ea quæ, de reg. iuris in 6.* Hæc sententia est magis recepta Suarez *de leg. lib. 5. cap. 24. num. 9.* Molina *de iust. tract. 2. disp. 468.* Farinacius *in decis. 118. num. 2.* & alii. Quamuis non sit improbabile, ualidam esse alienationem in foro conscientiæ, si reuerà omni fraude & dolo uacauerit, hoc est, si in casu iure permisso, & auctoritate Superioris, & eorum, quorum interest, consensu, res alienentur, quamuis prætermissa formula iuris, Omnis enim contractus in foro conscientiæ ratus est: & firmus si in eo fuerit seruatum, quod ius naturale præscribit, hoc est, si consensu eorum qui contrahere possunt, accesserit, & res alioqui alienari queat, ita Panormitanus *in c. Quia plerique, immunit. Eccles.* Syluester. *c. n. 13.* Filliucius *tract. 44. c. 6. q. 6. ad fin.* Layman *lib. 1. tract. 4. c. 16. n. 9.* Rodriguez *to. 1. qq. reg. quæst. 57. art. 9.*

Suarez. Molina. Farinac.

Panorm. Syluest. Filliucius. Layman. Rodrig.

10 Episcopi, vel Abbates alienantes bona Ecclesiæ, vel locorum piorum absque solemnitate à iure requisita, incurrunt interdictum ab Ecclesiæ ingressu, & si per sex menses permanserint in Interdicto, iis elapsis, remanent suspensi à regimine vel administratione Ecclesiæ, vel Monasterii cui præsunt. Inferiores autem Episcopus, vel Abbanbus. priuantur ipso facto, absquè alia declaratione beneficio vel Officio, cuius bona præsumpserint alienare Præterea incurrunt excommunicationem non solum ipsi alienantes, verùm etiam ipsi recipientes, secuta traditione & alienatione.

Extrauag. *Ambitiosa.* Sayrus *de censur. lib. 4. cap. 12. num. 54.* Suarez *de censur. disp. 22. sect. 6.* Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 149.* Tridentinum quoque *sess. 22. cap. 11.* anathemati & aliis pœnis subiicit eos, qui bona quæcumque Ecclesiæ sibi vsurpauerint, & clericos, qui ad id consensum & adiumentum perhibuerint, eidem censuræ supponit, & præterea beneficiis priuat, & ad alia recipienda inhabilitat. Quod Tridentini decretum Sacra Congregatio Concilij extendit ad Clericos omnes malè alienantes, locando, permutando, &c.

Sayrus. Suarez. Nauar.

Hæc excommunicatio *Paulina* non est reseruata, sed Episcopalis, ac proinde potest quilibet supremus Prælatus religionis ab illa absoluere. *Tridentina* verò est Papalis.

Porrò Extrauagans hæc *Pauli II.* paucis in locis recepta est, non solùm quoad priuationem beneficij, verùm etiam quod censuras, unde uidends & attendenda est locorum consuetudo, illique standum est, nam fieri potest, vt recepta sit quoad vnam partem, non uerò quoad aliam, quoad obligationem, non uerò quoad pœnas. Quaranta *ca. n. 48.* Imò Nauarrus *num. 149.* Toletus *in Summ. lib. 5. cap. 91.* Gutierrez *lib. 1. quæst. canon. cap. 8.* Azorius *p. 2. lib. 9. c. 2. q. 1.* Bonacina *c. vnic. §. 5. nu. 4.* Syluester *verb. Excommunicatio 7. nu. 83.* addit, nullibi esse omninò receptam, quia in nullo loco est vsu recepta priuatio beneficiorum, quòd attinet ad inferiores Episcopo Prælatos. Vide *Quarantam, Toletum, Azorium, Bonacinam, Gutierrez,* & alios.

Nauar. Toletus. Gutierrez. Quaranta. Azorius. Bonacina. Syluest.

11 Bona pupilli & minoris immobilia & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, absque Iudicis decreto, ualidè non alienantur, quamuis auctoritas Tutoris intercedat; quia lex tali alienationi resistit, *lib. 7. 11. 15. Cod. de prædiis minor.* Ex Bartolo *in lib. 1. ff. de Nouat.* Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 38. num. 56.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 9. n. 8.* Lessius *lib. 2. c. 17. dub. 8.*

Bartolus. Sanchez. Layman. Lessius.

12 Amplissimum priuilegium concessum est Generali Patrum Societatis IESV pro tempore existenti, vel Capitulo item Generali disponendi de rebus omnibus Collegiorum eiusdem Societatis, habita summariè tantum causæ cognitione, non obstante contradictione proprii Conuentus. Vnde illis licitum est renunciare iuri, pro quo aliquis Conuentus litigat, & legato nondũ tradito, si expedire iudicet. *Collector Compendii Societatis. Alienat. §. 1. & 2.*

Generales aliorum Ordinum, aut Capitula generalia, si habent communicationem priuilegiorum Societatis, possunt vti hac concessione *Iulii III.* Rodriguez *tom. 1. quæstionum regularium, quæst. 27. art. 3.* Vnde Carmelitæ habent a *Gregorio XIII.* in Bulla, *Ex incumbenti* anno 1576. facultatem alienationes faciendi, dummodò fiant in commodum & vtilitatem Monasteriorum, & ex consensu duarum ex tribus partibus Fratrum, vel Monialium accedente etiam consensu, uel ratihabitione Generalis. Quælibet igitur Religio iuxta formam priuilegiorum, quæ habet, post Extrauagantem *Ambitiosa*, à Sede Apostolica impetratorum, potest facere prædictas alienationes sine prædicta solemnitate, habita tamen licentia Sedis Apostolicæ, uel S. Congregationis, cùm

Rodrig.

quoad

quoad illud reuocata non sint priuilegia, si quæ extent.

De Alienatione, vide *Capitulum* n.7. *Depositum* nu.2. *Emphyteusis* n.2. *Fideicommissum*, *Beneficium* 7. nu. 3. *Transactio* n.4. *Tutela*. n.6.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Licentia obtenta à Summo Pontifice alienandi res Ecclesiæ operatur vt non requirantur aliæ solemnitates.*

2 *Alienatio bonorum immobilium Ecclesiæ prohibita est iure ciuili, Canonico, imò & naturali diuino.*

3 *Inter bona immobilia alienari prohibita absque solemnitatibus, reputantur animalia ad culturam Monasterii deputata. Item copiosa Bibliotheca, non autem seruus fugitiuus.*

4 *Posse Prælatum validè repudiare legatum, seu hæreditatem, suæ Ecclesiæ relictam absque solemnitate, alii affirmant, alii negant probabiliter.*

5 *Res Monasterii, seu Ecclesiæ non possunt à Prælato oppignorari, seu hypothecari.*

6 *Prælati sine consensu sui Capituli, possunt arbores suarum Ecclesiarum incidi facere, quando vmbra sua ac nimia densitate nocent: Item quando sunt infructuosæ & earum locis reponuntur arbores fructiferæ.*

7 *Idem potest Prælatus quando arbores sunt vetustæ ac corruptæ, si earum locis alias nouas & magis vtiles substituat.*

8 *Idem dicendum quando arbores sunt cæduæ, tales autem sunt, quæ vtiles tantùm sunt ad lignandum.*

9 *Prælatus non potest absque solemnitatibus arbores fructuosas prædiorum Ecclesiæ suæ, vel etiam infructuosas in magna quantitate incidere, & contrarium faciendo, non euaderet pœnas malè alienantium bona Ecclesiastica.*

10 *Episcopi vel Prælati non possunt sine consensu Summi Pontificis alienare particulas reliquiarum insignium aut in muro clausarum.*

11 *Non possunt Prælati lampades argenteas & alia similia alienare, seclusa consuetudine in contrarium, vt earum pretium conuertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ, vel in alium vsum.*

12 *Bona Ecclesiarum eidem Prælato subiectarum inter regulares possunt alienari de vno Monasterio ad aliud eiusdem Congregationis, sine consensu Apostolico.*

Dismembratio fructuum fieri non potest absque debita solemnitate.

13 *In retrouenditione rei emptæ ab Ecclesia, cum pacto retrouendendi, requiritur solemnitas iuris, quamuis contrarium non videatur improbabile.*

14 *Bona de nouo acquisita Ecclesiæ vel Monasterio non possunt absque assensu Sedis Apostolicæ à Prælato alienari, nisi Monasterium gaudeat aliquo priuilegio, quo id possit.*

15 *Extat priuilegium in Ordine S. Hieronymi, quo Conuentus cum priore possint vendere hæreditates, &c. modò pretium in bona vtiliora, & immobilia commutetur.*

16 *S. Augustini Fratres, ac Moniales habent priuilegium absque assensu Apostolico vendendi & in Emphyteusim dandi, modò emphyteusis non fiat vltra duas generationes, & adsit assensus Generalis.*

Moniales S. Claræ & Tartiariæ S. Francisci habent idem priuilegium, modò adsit duarum partium Conuentus assensus.

17 *Quomodo fieri possit alienatio in Ordine Minorum & à quo.*

18 *Alienationes dicuntur fieri in vtilitatem Monasterii, si pretium conuertatur in emptionem rei stabilis.*

19 *Hodie extat Decretum, Eminentiss. Card. Concilii Tridentini interpretatum, pro rebus regularium non alienandis, absque S. Congregat. licentia.*

20 *Qualibet alienatio, etiam in casu licito, & seruatis iuris solemnitatibus est Romano Pontifici reseruata, per Extrauag. Pauli II. Ambitiosæ.*

Vltra casus in ea Extrau. expressos, in quibus non est necessarius consensus Apostolicus ad alienationem, dantur & alii casus, in quibus hæc extrauagans locum non habet, & enumerantur nouem.

21 *Alienatio bonorum Ecclesiæ vacantis, nulla est, nisi Ecclesia habeat defensorem legitimè constitutum.*

1 Licentia obtenta à Summo Pontifice alienandi res Ecclesiæ operatur, vt non requirantur aliæ solemnitates. Ratio est, quia Papa dicitur esse dominus & dispensator bonorum Ecclesiæ, & ob id ad libitum potest de eis disponere, quod intelligendum est *Primo*, quando Papæ auctoritas legitimè, & validè interponitur, ac si secus si fuerit subreptitia & consequenter nulla, esset enim talis, quando aliquid narratum non fuisset, quod si Papa sciuisset, verisimiliter licentiam non concessisset, vel ad concedendum difficilior redditus fuisset. *Secundò*, intellige quando dicta auctoritas simpliciter, & absolutè obtinetur, & constat confirmationem factam fuisse de certa eius scientia, scilicet, quod Papa habuerit notitiam tenoris rei confirmatæ. Secus verò in eius mandato dato ad confirmandum, cum clausula quatenus per diligentem informationem, &c. conditionaliter rescribendo, si ita est, referendo se ad supplicata. *Tertiò* intellige, quod & si Papæ auctoritas interueniens solemnitates suppleat, non tamen suppleat defectum causæ. *Quartò* intellige, vt valeat alienatio sine solemnitatibus facta etiam per Papæ Commissarium, seruata tamen forma suæ commissionis, cuius est executor, vt innuunt Doctores allegati à Quaranta *in Summ. Bullarii v. Alienatio, num.* 7.

2 Iure ciuili interdictum est Prælatis Ecclesiæ bona immobilia suarum Ecclesiarum alienare, vt habetur *in Authent. de non alien. aut permut. reb. Eccles.* & *in l. Iubemus*, & *in Authent. ob ius porrectum*, *Cod. de Sacros. Eccles.* Et licet leges Principis sæcularis non ligent circa res Ecclesiasticas, nihilominus ligant simul & obligant, quatenus recipiuntur ab ecclesia, & confirmantur iure Canonico. Quaranta.

Iure autem Canonico antiquo & nouo prohibetur bona immobilia Ecclesiæ alienari, vt habetur ex Constitut. 1. Leonis I. quæ incipit. *Occasio*. Et ex Constit. Pauli II. quæ incipit *Ambitiosæ* habetur etiam ex Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. Et ex Bulla Pauli IV. quæ incipit, *iniunctum*. Imo alienatio bonorũ Ecclesiæ vetita est iure naturali diuino, annexo iuramento, si sermo esset de Summo Pontifice & de Cardinalibus respectu bonorum Sedis Apostolicæ, & de Episcopus, Abbatibus, aliisque Prælatis inferioribus respectu bonorum suarum Ecclesiarum, iuramentum enim inducit obligationem iuris naturalis & diuini. Ratio autem ea videtur esse, quia talia bona sunt quasi fundamenta Monasterii, ex quibus subministrantur, quæ ad vsum & conseruationem corporũ pertinent, sine quibus non possunt spiritualia subsistere. Vnde non possunt ita alienare, vt Monasterium illis omninò priuetur, absque æquali, vel meliori compensatione quæ sit in euidentem ipsius vtilitatem. Aliter enim Prælatus non diceretur administrator, sed dissipator bonorum suæ Ecclesiæ, Pellizzarius *in Manual. reg. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 1. Leonis. Paulus. II. Conc. Tr. Paulus iu.

3 Inter bona immobilia alienari prohibita absque solemnitatibus, reputantur animalia ad opus, & culturam Monasterii deputata, quia, licet singula ex ipsis non sint mobilia pretiosa, tamen vt coniuncta prædio, & ad eius culturam deputata, veluti quid immobile dici possunt, & partes prædiorum, & consequenter intra bona immobilia computantur, argum. *l. vlt. C. de administr. tut.* Suarez *tom.* 4 *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap* 27. *num.* 19. Secùs si non sint affixa prædiis & tanquam illorum partes, sed liberè ibi sint posita, hæc enim non censentur bona immobilia, neque mobilia, pretiosa, quæ seruando seruari possunt; saltem in specie, & hoc necessitas prædiorum exigit. Ita Molina *de contract. tract.* 2 *disp.* 465. *n.* 4. Bonac. *tract. de alien. quæst. vnic. punct.* 2. *n.* 4. Pellizzarius *loco citato num.* 96. Suarez. Molina. Bonacina. Pellizzar.

Item copiosa Bibliotheca Monasterio competens censetur mobile pretiosum, & ideò non potest sine solemnitatibus

tatibus alienari Suarez *cit. n. 18.* Pellizzarius *tr. n. 93.* Serui autem fugitiui quando solici sunt fugere, & reuocari nō possunt, absque fugæ timore, alienari possunt & vendi à Prælato, quia tunc vendendo prospicit meliora: habetur *in c. fugitiui 12. quæst. 2.* Et eadem ratio erit si sint ebriosi, latrones, inhonesti, & proinde curret eadem dispositio iuris. Onerosum enim est Monasterio, imò indecorum talem seruum possidere. Ita Portel. *in dub. reg. verb. Alienatio, in addit. num. 3.*

Portel.

4 Probabile est posse Prælatum valide repudiare legatum, seu hæreditatem sine Ecclesiæ relictam absque dubita solemnitate. Ratio est, quia talis repudiatio, seu renunciatio non est alienatio rei Ecclesiæ; illa enim res non pertinet ad Ecclesiam ante Prælati acceptationem. Vnde si Prælatus non potest res Ecclesiæ alienare absque dicta solemnitate & forma iuris, in tali tamen repudiatione non videtur talis forma obseruanda. Ita San. hez *de matrim lib. 6. disp. 4.* Bonacina *cit. punct. 2. num. 33.* Sylvester *verb. Alienatio: quæst. 19.* Opposita sententia affirmat talem repudiationem non valere, quamuis Ecclesia nondum acquisierit dominium, nec habeat ius ad rem, cui iuris Prælatus cedere non potest in Ecclesiæ damnū illam priuando tali iure. & hæc sententia est etiam probabilis, qũın sustinet Molina *de contr. disp. 468.* Quaranta *in Summ. Bullar. v. Alienatio, num. 23.* Certum est, autem iuxta omnes Prælatum peccare contra iustitiam repudiando & non acquirendo, & agere contra proprium officium, quo tenetur vtilitatibus propriæ Ecclesiæ & Monasterio consulere. Ex quo fit, quod in casu sequuto huius repudiationis Monasterium & Ecclesia possit implorare beneficium restitutionis in integrum, quod illis conceditur, quando negligentia Prælati, vel nimia facilitate lædantur, non solum damno accepto sed etiam lucro amisso, ut docet Glossa *in cap. Audiuimus, verb. restitui. mus, de integ. restitut.* vel etiā potest agere contra Prælatū quia tenebatur ex officio rem Ecclesiæ agere eiusque utilitati consulere. Ita Hieron. Rodriguez *in compend. qq. reg. resol. 7. n. 22.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 24. dub. 15. n. 65.*

Suarez. Bonacina. Syluest.

Quaranta.

Glossa.

Hier. Rodriguez. Lessius.

5 Res Monasterii, seu Ecclesiæ non possunt à Prælato oppignorari, seu hypothecari, atque ita elicitur ex Bulla Pauli II. ubi habetur, uerbum illud, *hypotheca:* & licet nomine alienationis propriè significetur actus, quo dominium directum transfertur: nihilominus hic etiam nomine alienationis, actus, quo domini utile transferunt & similiter actus, quo res traditur in pignus, vel hypothecam, & definiri uidetur *cap. ex eo in. §. hoc iut. 10. quæst. 2.* quod ius licet sit dilumptum ex legibus imperialibus, canonizatum tamen iam extat ab Ecclesia, & ideo iam sustinet uim legis Ecclesiasticæ. Ita Quaranta *in Summ. Bullarii verb. Alienatio, num. 16.* Lessius *lib. 2. cap. 24. num. 62.* Quidquid dicat Portel. *in dub. reg. verb. Alienatio in addit. num. 4.* Pellizzarius *in Man. reg. tract. 6. cap. 8. num. 25.* Ratio est quia cum hæc materia sit fauorabilis pro Ecclesia, uerba sunt late accipienda, consequenter facienda est extensio alienationis ad oppignerationem & hypothecam, non solum specialem, uerum etiam generalem.

Quaranta. Lessius. Portel. Pellizzar.

6 Prælati sine consensu Capituli, seu Conuentus possunt arbores suorum Monasteriorum, uel Ecclesiarum incidi facere quæ suo umbraculo sunt nimium efficiunt ac nimia densitate nocent, atque impediunt, ne sint aliæ arbores prædii uberiorem fructum producant. Imò ne quidem hoc Apostolicæ Sedis assensus requiri debet: Quod si possunt licitè huiusmodi arbores incidere, poterunt etiam per consensus easdem uendere absque solemnitate iuris: quia sunt res mobiles, & quæ deseruiunt ad cultum non possunt. Sic docent Rodrig. *tom. 1. qq. reg. q. 27. art. 4.* Nauar. *lib. 3. cons. tit. de reb. Eccles. non alien. conf. 6.* Peyrinus *tom. 1. privil. in annot. ad Constit. 9. Iulii II. n. 28.* Quando autem arbores sunt infructuosæ & umbratiles & earum locis reponuntur arbores fructiferæ; si Prælatus id rectā cum intentione agat, ut nemus illud fructiferum reddatur, & fiant, ea quæ secundum agriculturæ leges sunt necessaria: possit tunc Capituli, seu Conuentus consensu minimè requisito, id facere, huiusmodi enim incisio ad utilitatem, non ad detrimentum Ecclesiæ cederet, nam in de illius reditus augeretur, & sic eius conditio melior red

Rodrig. Nauar. Peyrinus.

deretur ut patet. Ita Doctores citati: licet contrarium sent. Bonacina *tract. de alienat. quæst. vnic. punct. 2. num. 8. §. ego vero,* & Filliucius *de alienat. tract. 33. cap. 4. n. 17.* quia beneficiarius non potest propria auctoritate bona beneficij, vt syluam cum oliueto permutare, ergo multo minus potest præsentem syluam incidere, & in oliuetum futurum incertum conuertere, nisi censuras *Extrauag. Ambitiosæ,* contrahendo. Hæc sententia non est improbabilis.

Bonacina. Filliucius.

7 Potest Prælatus arbores vetustas ac corruptas incidi facere, atque earum locis alias nouas & magis vtiles substituere. Ratio est, tum quia vtiliter geritur negotium Ecclesiæ; tum quia huiusmodi arbores non videntur reducendæ ad bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt: Ita communiter Doctores Si autem Prælatus vnam vel duas arbores fructiferas incidi faceret in prædio, in quo plures aliæ huiusmodi arbores extarent, non esset putandus esset incidisse in pœnas contra malè alienantes; materiæ enim paruitate excusetur, nam de minimis non curat Prætor, *l. Scia. ff. de in integ. restitut.* Verum, si arbores illæ maximè forent æstimationis, vel quia nullæ similes, vel non adeo grandes reperiantur, siue alia de causa arbitrio boni viri, non posset vtrique Prælatus eas incidere: quia non est dominus, sed potius vsufructuarius seu custos bonorum suæ Ecclesiæ. Ita Nauarrus *loc. citato conf. 7.* Peirynus *cit. num. 22.*

Nauarrus. Peirynus.

8 Quando arbores sunt cæduæ, potest Prælatus illas adueniente tempore cædi facere, vel integrè, vel in parte in vsum, in quem impendi consueuerunt: arbores autem cæduæ illæ dicuntur, quæ vtiles sunt tantum ad cædendum, nec fructus ex eis percipi potest, nisi incidendo & alienando, & si incidantur renascuntur, & hæ arbores spectant ad illum, ad quem spectare debet commodum & fructuum ipsius prædii, & dicuntur esse in fructu, vt habetur *in l. si absens, §. syluam ff. de vsufruct. & l. sylua cædua ff. de verb. signif.* Ita Filliucius, Quaranta, Peirynus Bonacina *locis citatis.* Quando autem beneficiarius incidit arbores ad reparationem suæ Ecclesiæ, absque iuris solemnitate, tunc non videtur effici pœnis à iure constitutis contra alienantes bona Ecclesiastica. Itemque quando beneficiatus non habet fructus, quibus Ecclesiam reparet & necessitas vrget. Ratio est, tum quia hæc non videtur alienatio, sed potius localis mutatio, tum quia hic casus per Epicheiam excepta videtur.

Filliucius. Quaranta. Peirynus. Bonacina.

9 Prælatus non potest absque solemnitatibus arbores fructiferas prædiorum Monasterii, seu Ecclesiæ, vel etiā infructuosas in magna quantitate incidere, sine consensu Conuentus, seu Capituli, ac Sedis Apostolicæ, & contrarium faciendo non euaderet pœnas malè alienantium bona Ecclesiastica. Ratio est, tum quia arbores cedunt solo, & inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt enumerantur. Tum quia incisio arborum est actus dominii, *l. diuortio, §. si fundum ff. soluto matrimonio & l. sylua cædua ff. de verb. signific.* Prælatus autem, seu beneficiatus non est dominus bonorum suæ Ecclesiæ, sed custos seu vsufructuarius. Ita communiter Doctores. Aduertere tamen, quod ad hoc, vt Prælati & beneficiarii huiusmodi incisionem peruari possunt beneficiis & dignitatibus que ipsis obtinet, iuxta dispositionem *Extrauag. Ambitiosæ,* & Decreti S. Congregationis Concilii super hoc specialiter editi quod referemus infra, necessarium est, constare de notabili deterioratione prout in emphyteuta, feudatario, vsufructuario & similibus traditum est Baldus in *Authen. Qui rem, n. 2. vers. Secundo nota, C. de Sacros. Ecclesiis.* & alii Probabile tamen videtur Bonacinæ *tract. de alien. quæst. vnic. punct. 2. n. 7.* non litigari excommunicatione extrauagantis *Ambitiosæ*, quia incisio arborum non est propriè alienatio, sed potius affici excommunicatione Concil. Trid. edita contra vsurpantem bona Ecclesiarum & locorum piorum, & contra impedimentum, ne prædicta bona capiantur ab iis ad quos de iure pertinent. De his vide Pellizzarium *in Man. regul. tract. 6. capit. 8. quæst. 36.*

[illegible]

Baldus.

Bonacina.

Pellizzar.

10 Episcopi vel Prælati nō possunt sine consensu Summi Pontificis alienare particulas reliquiarum magnam, aut in muro clausuram quia sunt res mobiles pretiosæ, quæ seruando seruari possunt. Tum quia talis est stylus curiæ Romanæ, qui est legalis. Hoc tamen intelligen-

dum

dum putat Bonacina *cap.punct.2 numer.31.* modò non adsit alicubi consuetudo in contrarium, sed hęc limitatio quibusdā non placet, cùm non possit introduci talis consuetudo in re tanti momenti, maximè cum sermo sit de reliquijs insignibus, aliàs fatendum esset, posse introduci consuetudinem alienandi prædia, & omnes alias res pretiosas Ecclesiasticas. Cæterum praxis in hoc potest tolerari, quę in locis ab vrbe remotis fortè sciente Pontifice inualuit, alienandi partes etiam notabiles reliquiarum, maximè si hoc fiat cum consensu Capituli, seu Conuentus.

Bonacina.

Hinc probabile putat Bonacina *loco cit.* non puniri alienantes excommunicatione lata in dicta extrauagante in qua est tantùm sermo de bonis temporalibus, pretio æstimabilibus, quibus reguntur & illustrantur Ecclesiæ, & loca pia, & quibus Ministri aluntur. Sed hoc merito alij non admittunt, quia communi Doctorum consensu in supradicta Extrauag. *Ambitiosæ*, continentur res pretiosæ Ecclesiasticæ cuiuscunque generis sint quę seruando seruari possunt. Sententiæ tamen Bonacinæ adhæret Pellizzarius *cit. n.51.*

Pellizzar.

11 non possunt Prælati lampades argenteas, & alia similia alienare, seclusa consuetudine in contrarium, vt earum pretium conuertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ, vel in alium vsum. Ratio est, quia, sicut est prohibitus contractus, per quem dominium directum, vel vtile transfertur, etiam inter Ecclesias, ita à fortiori erit inualida alienatio dictarum lampadarum, & similium, quia illarum dominium transfertur in extraneum, idem dicendum de vasis aureis, argenteis, gemmis, ornamentis pretiosis Ecclesiarum, tapetibus, & similibus ornamentis pretiosis & alijs rebus, quæ triennio non corrumpuntur.

Quaranta. Hier. Rod.

Ita Quaranta *v. Alienatio, num.24.* Hieron. Rodriguez. *in compend. resol.7.num.19* & alii communiter.

12 Alienatio ab vna Ecclesia, ad aliam potest fieri sine assensu Apostolico, maximè si loquamur de Ecclesiis eidem Prælato subiectis, & maximè inter regulares, quia cùm omnes Religiones in Congregationem redactæ sint non videtur translatum dominium, si res unius Monasterij transferatur ad aliud Monasterium eiusdem Congregationis.

Riccius. Bonacina.

Ita Riccius *decis.38.* Quamuis contrarium doceat Bonacina *loco citato punct.2. num.14.* quia iura simpliciter & absolutè loquuntur. Certum est tamen dismembrationem fructuum fieri non posse absque debita solemnitate, hæc enim est alienatio, & magis rationem alienationis habet, quam locatio, consequenter ex fructibus Ecclesiæ Parochialis non possunt erigi canonicatus, quando maior numerus Sacerdotum non est necessarius ad Sacramentorum administrationem, vt ex decisionibus Rotæ tradit Genuensis *in praxi Neapolit.c.60.n.17.* & Riccius *decis.47. & 95.*

Genuens. Riccius.

13 In retrouenditione rei emptæ ab Ecclesia, cum pacto retrouendendi, requiritur solemnitas iuris, quia retrouenditio est quædam alienatio, cùm per ipsam transferatur dominium, vt dicunt Menochius *tom.1. consil 13.num.6.* & Riccius *decis.52* & alii.

Menoch. Riccius.

Quamuis contrarium non videatur etiam improbabile, cum retrouenditio non videatur contractus à primo distinctus, sed potius rescissio superioris contractus, consequenter non videtur improbabile retrouenditionem fieri posse absque prædicta solemnitate. Propterea aliqui Doctores aduertunt laudemium non deberi pro retrouenditione, quia laudemium soluitur pro alienatione propriè accepta: retrouēditio autē nō videtur alienatio, sed rescissio prioris contractus. Ita Redoanus. *de reb. Eccles. non alien. q.66.n.9.*

Redoanus.

14 Bona acquisita Ecclesiæ vel Monasterio de nouo non possunt absque assensu Sedis Apostolicæ à Prælato alienari, nisi Monasterium haudeat aliquo priuilegio, quo id possit. Ita Riccius *decis.101.* & Bonacina *loc. cit. n.17.* & alii apud eundem. Qui Doctores vt puto, non loquuntur de his, quę sunt solita locari, vel stante contractu emphyteutico & consimili ad Monasterium redeunt, talia enim bona retinent suam naturam, vnde si sint ab antiquo solita locari ad lineam, vel ad vnam, seu plures vitas, vt quotidie practicatur, absque alia noua solemnitate possunt respectiuè alienari, modò bona non sint Monasterio incorporata.

15 In Ordine Sancti Hieronymi, vt habetur in eius compendio *verb. Alienatio, §.4.* extat priuilegium, quo Conuentus cum Priore possint vendere hæreditates, possessiones, & aura in testamētis legata, & alia similia inutilia Monasterio, dummodo pretium eorum in alia bona vtiliora, & immobilia commutetur. Quo priuilegio gaudent aliæ Religiones communicantes, nisi in eis sit aliqua consuetudo, vel statutum in contrarium: & extenditur concessio ad alios contractus, & alienationes vltra venditiones, imò etiam ad hypotecam, & quando spes certa adest, quod res pignori data redimatur, tenent viri docti, posse præfactos Prælatos, per se solos res suas hypothecare, aliàs sine consensu suorum fratrum facere non licet. Ita Rodriguez *tom.1. qq. reg. q.27. art 2. §. ex his infertur.*

Rodrig.

16 Item ex concessione Gregorij XIII. Fratres, Moniales Eremitarum S. Augustini possunt vendere, alienare, & permutare, ac etiam in emphyteusim concedere, dummodo emphyteusis non fiat vltra duas generationes vel nominationes absque licentia Apostolica, vel loco illius, de consensu & approbatione Generalis Ordinis.

Greg. xiii.

Iidē dictæ locationes possunt fieri in perpetuum, dummodo duæ partes Conuentus consentiant, & fiant in ipsius Cōuentus vtilitatem, & commoditatem, secus tam ipsæ locationes, quàm alii supradicti contractus irriti sunt, & inanes. Quæ concessio & alię similes obseruentur à Religionibus, quibus factæ sunt, aliæ obseruent sibi ipsis indulta, iuxta suas laudabiles constitutiones, Rodriguez *ibidem in fine.* Aliud simile priuilegium Leonis X. apud Bullarium Rodriguez Bulla 26. inuenies, quo datur facultas Monialibus S. Claræ & Tertiariis subiectis Ordini Minorum, ad alienandum de consensu duarum partium Conuentus.

17 In Ordine Minorum regularis Obseruantiæ nullus contractus potest fieri absque expressa licentia Generalis vel Prouincialis, aliter irritus iudicatur. Ex Alexandro IV. Bulla 26. & Honorio IV. Bulla 1. apud Bullarium Rodriguez, quod confirmatum, & reualidatum est per Sixtum IV. Clementem VIII. & alios Pontifices.

Alexan. ix. Honor. iv. Sixtus iv. Clem. viii.

Prælati autem nullam habent facultatem ad alienandum, sed tota hæc auctoritas residet penes Syndicum, qui nomine Papæ & Sedis Apostolicæ (ad quos pertinet dominium omnium rerum vsui fratrum deputatorum) de consensu Prouincialis, ac Conuentus habet eandem potestatem alienandi, quam habent Prælati aliarum Religionum possidentium in communi nomine suorum Conuentuū Vnde dictus Syndicus cum licentia Generalis, vel Prouincialis potest facere facultatem Religioso Minoritæ ad donandum aliquid extra Ordinem intuitu remunerationis, vel eleemosynæ, vel ratione vtilitatis, quæ prouenire potest ipsi Ordini, & huiusmodi donatione. Ita Rodriguez *c. art.3. & 6.*

Rodrig.

18 Alienationes dicentur fieri in vtilitatem Monasterii, si pretium conuertatur in rem duraturam, puta in emptionem rei stabilis, seu ædificium, vel aliud simile, etiamsi vtilitas proueniens ex tali alienatione nō sit perpetua, sed temporalis, vtpote pro colendis agris, colligendis fructibus & similibus, & sufficit, quod tempore contractus dicatur vtilis, licet postea efficiatur deterior. Quando autem fit causa necessitatis, sufficit, quod ex alienatione Ecclesia non patiatur damnum, sed non sufficit, quòd in instrumento dicatur fieri dictam alienationem causa necessitatis, aut vtilitatis, nisi talis necessitas, & vtilitas probetur. Tandem iudicare de huiusmodi vtilitate relinquitur arbitrio boni & prudentis viri pensatis circunstantiis qualitatis & quantitatis rei personæ, loci, temporis, finis, &c. Ita Rodriguez *cit. art.8.* de quo vide Rebuffum *de alien.rer.Eccles. num.27.* Nauarrum *in ca. non dicatis, num.25.* & alios.

Rodrig. Rebuff. Nauarr.

19 Hodie de iure nouissimo ex decreto Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum S. D. N. Vrbani VIII. iussu edito, hæc facultas alienandi sublata fuit à prædictis Generalibus, & Capitulis etiam Generalibus, vel Prouincialibus, vel Congregationibus nec possint amplius, absque ipsius Sacra Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis, res & bona immobilia, & mobilia pretiosa alienare, hypothecare, locare, & conducere vltra triennium, concedere in feudum,

S. Congre.

vel

vel emphyteusim (nisi in casibus à iure permissis) imponere, seu vendere census perpetuos, seu vitalitios, & prohibitum est omne pactum per quod eorum dominium transfertur, sub pœnis in eo contentis, quod decretum publicè circumfertur sub datum Romæ die 7. Septembris 1624. impressum in Typographia Cameræ Apostolicæ, cuius tenor talis est.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. iussu editum pro rebus regularium non alienandis.

Sacra congregatio Cardinalium Concilli Tridentini interpretum, rerum experimento edocta, quantum Religiosis accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium destractionibus, quas crebro faciunt Regulares Apostolicis priuilegijs innixi, ac proinde opera pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compescere, speciali S. D. N. iussu Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuscumque alijs superioribus regularibus, cuiusuis Ordinis Congregationis, Societatis vel instituti intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omnèque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuo prohibet, atque intercedit, absque illius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto, absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali & Protectori, illam moderandi, aut relaxandi facultate pœnis nihilominus Apostolicarum Constitut. & præsertim fælicis record. Pauli II. quæ incipit. Ambitiosæ in suo robore permansuris. Alienationes verò, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones & concessiones quascumque contra huiusmodi prohibitionem faciendas, sanctitatis suæ auctoritate, ipso iure nullas atque irritas decernit. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis in fauorē quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam mendicantium, quàm non mendicantium, militiarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum ac cuiusuis alterius instituti, etiam necessario, & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorum, ac locorum regularium quorumcumq; nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, quoque, indultis & priuilegijs, sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis, vicibus approbatis & innouatis, etiamsi pro illorum sufficenti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis, specialis & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, & aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea, quæ præsenti decreto ac prohibitioni aduersantur illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expressè sanctitatis suæ auctoritate derogat, ceterisque contrarijs quibuscumqe. Datum Romæ die 7. Septembris. 1624.

COSMVS, CARD. DE TORRES.
Loco † sigilli.

PROSPER FAGNANVS.
S. Congreg. Secret.

Verum, quia in hoc decreto non prohibetur acceptio pecuniæ ad cambium, vel mutuò, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis, ideo ab eadem Sacra Congregat. fuit declaratum, non licere Regularibus, pecunias modo prædicto accipere, & si acceperint, in pœnas in dicto decreto contentas ipso facto incidant, vt fuit declaratum 21. Martij 1626. cuius declarationis tenor extat *in to. 1. nostra Summæ; v. Alien. num. 3. edit. tertia.*

In hac tamen pecuniæ conuersione in euidentem vtilitatem, notandum est, solam Confessionem Prælati nō probare, nullis concurrentibus adminiculis, vt dicunt Cardinal. *in Clement. 1. de reb. Eccles. quæstione trigesima* & Baldus *in Authent. Hoc ius porrectum, Cod. de sacrosanct. Eccles.* sed per testes coram iudice, vt consuetum est, ostendi debet. Ex quibus sequitur, emptorem rei Ecclesiasticæ, quæ alienatur, non teneri probare pecuniam versam in vtilitatem Ecclesiæ, nisi in casibus mutui & depositi, & quando Ecclesia vendit, & alienat pro soluendis debitis. Ita probat Genuens. *in praxi Neapolit. cap. 107.* & fatetur de communi.

Cardinalis. Baldus. Genuens.

20 Quælibet alienatio, etiam in casu licito, & seruatis iuris solemnitatibus regulariter hodie est Romano Pontifici reseruata per Extrauag. Pauli II. *Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* Tamen præter casus in ea Extrauag. expressos, in quibus non est necessarius consensus Apostolicus ad alienationem, de quibus supra, dantur, & alij, in quibus eadem extrauagans locum non habet, & possunt Prælati bona Monasteriorum inconsulto Summo Pontifice alienare.

Paulus ii.

Primus est, res immobilis parua potest alienari à Prælato absque solemnitatibus, & assensu Apostolico, vt habetur *in cap. Terrulas 12. quæst. 2.* in quo casu tria copulatiuè requirūtur, nempe, quòd res sit exigua, quòd non sit vtilis Ecclesiæ, & quòd alienatio fiat ex causa necessitatis. Ita Quaranta *in Summ. Bullar. v. Alienatio, n. 41.* vbi addit, Sacram Congregationem Concilij censuisse, nec Constitutionem Pauli II. nec Concilium Tridentinum derogasse dispositioni *c. Terrulas 12. q. 2.* Et addit iuramentum Prælati de non alienando, &c. non extendi ad hanc rem exiguam. Quænam autem dicatur res exigua & modica, Doctores aiunt hoc esse relinquendum arbitrio iudicis. Qui iudex inspicere debet, an Monasterium sit pauper & tenues reditus habens: vel diues & satis abundans, ac etiam consuetudinem terræ, & temporū locorùmq; & rerū qualitatem, Franciscus autem Leo *in thesaur. fori Eccles. p. 1. n. 6.* putat, quod pro iudicanda huiusmodi re minima attendēda sint decreta prouincialia & synodalia cuiuscunque patriæ, in quibus attenditur loci consuetudo. Vide Pellizzariū *in Man. reg. tr. 6. c. 8. n. 139.*

Quaranta. Fran. Leo.

Secundus casus est, si immineret summa necessitas alienandi, & tantum celeritatem requireret, quod superiorem consuli non patiatur, tunc potest alienatio fieri sine consensu Papæ, vel alterius Superioris, cui fuit iuramentum præstitū de non alienando. Puta pro redēptione captiuorum & alimonia pauperum quando periculum esset in mora, *cap. Aurum, & c. Gloria Episcops 1. 2, qu. 2.* Quaranta *verb. Alienatio, n. 42.* & alij, apud ipsum.

Quaranta.

Tertius: in quo non habet locum dispositio *d. Extrauagantis* est in repudiatione, seu remissione legati vel hæreditatis Monasterio præscriptæ, nondum autem acquisitæ, seu incorporatæ, *de qua supra n. 4.* Pro confirmanda autem hac sententia adest priuilegium Iulii III. cōcess. sum Societati IESV, vt habetur *in compend. priuileg. eiusdem Societatis tit. Alienatio. §. 1.* & aliud Gregorij XIII. *§. 2.* qui concesserunt quòd *Præpositus Generalis eiusdem Societatis pro tempore existens, vel ipsa Societas generaliter congregata, possint actionem etiam in non possessorem cedere & repudiare.* Nec dicta priuilegia, quoad hanc partem videntur derogata per Decretum Sacræ Congregationis Concilij *numero præcedenti* relatum, ibi enim prohibetur alienatio. Sed repudiatio non dicitur alienatio, *L. Alienationis, ff. de verb. signific.* Ergo, &c.

Iulius iii.

Quartus casus est, in permutatione bonorum Ecclesiæ vel Monasterij cum alijs Prælatis, vel Rectoribus Ecclesiarum, quæ licitè absque solemnitatibus fieri potest, per *c. Hoc ius porrectum, §. sibi inuicem, 10. q. 2.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 233.* Barbosa tamen *de offic. & potest. Episcop. p. 3.*

Diana. Barbosa.

allegat.95. n.57. docet in praxi contrarium obseruari, nempe, quod in permutatione quoque requiratur assensus Summi Pontificis, Pellizzarius *loco citato num.22.* Pellizzar.

Quintus casus est, vt possit Prælatus transigere absque solemnitatibus, quando Ecclesia, vel Monasterium non essent in possessione illius rei, super qua fieret transactio: alias non valeret, vt aiunt Quaranta *verb. Alienatio, nu.* Quaranta. Rebuff. *43. vers. Duodecimo*, Rebuffus *in compend. alienat. rer. Eccles. n.21.* Pellizzarius *cit. num.26. & 27.*

Sextus casus est, in restitutione rei restitutioni subiectæ, puta, si aliquis reliquit bona sua Monasterio, cum conditione tamen, vt post certum tempus alteri restituerentur, in quo casu potest Prælatus post lapsum dicti tẽporis, absque aliis requisitis solemnitatibus, bona ipsa restituere adimpleta conditione. Ita Quaranta *cit. nu.45.* Rebuffus *cit. num.19. & 30.* Rebuffus.

Septimus est, pro remuneratione meritorum, ad quam faciendã potest Abbas Monasterij bona alienare: nam donatio antidotalis, seu quę fit causa remunerationis, nõ est vera donatio, quia est potius quædã permutatio, siue cõpẽsatio seruitij recepti: quod intelligẽdũ est, dũmodò donentur mobi ia & Pręlatus donationis metas nõ excedat.

Octauus casus est, in re mobili minùs pretiosa, Rebuffus *in dict. compend. num.24.*

Nonus; potest Abbas solus remittere caducitatẽ Emphyteutæ Ecclesiæ, vel Monasterij sibi subiecti, hoc enim dependet ex voluntate beneficiati, Iulius Clarus *in §. emphyteusis, q.9.10. & 11.* Plura de his apud Quarantam. Clarus.

21 Alienatio bonorum Ecclesiæ vacantis, pro quantumuis iusta causa perpetuò facta, nulla est, nisi Ecclesia habeat defensorem ligitimè constitutum, Glossa *in cap. si, cui de elect. in 6.* Gloss.

In Monasteriis verò regularium, cùm numquam desit legitimus defensor, quippe, quia, mortuo Abbate, remanet. Prior claustralis, habens omnem potestatem, quam habebat Abbas, nec non etiam Abbates & Prælati Generales, & Superiores, qui non modò eadem, sed etiam maiori auctoritate pollent; idcirco tales Ecclesiæ nunquam carent defensore legitimo, qui habet facultatem alienandi id, quod permissum erat defuncto Abbati.

Plurale de alienatione habes apud Pellizzarium *in Man. regul. tract.6. cap.8.* per totum.

Vide v. Debitor *num.11.12. & 13.* Emptio *n.51.* Mutuum *num 27.*

ALIMENTA.

SVMMARIVM.

1 *Quæ veniant nomine alimentorum.*
2 *Grauiter peccat Pater negans alimẽta filio licet spurio.*
3 *Mater vltra triennium non tenetur filio lac, aut alimenta præbere. An parentes tenerentur ad restit. si filios exponant.*
4 *Obligatio quâ parentes tenentur alere filios transit ad hæredes illius, qui filios alere tenebatur.*
5 *Pater an teneatur ad restitutionem, qui filio non præstitit. alimenta.*

1 ALimentorum nomine intelliguntur, victus vestitus, lectus, habitatio, & alia ad vitam necessaria, iuxta personæ conditionem & qualitatem, *l. Legatis, ff. de alimentis, l. si quis à liberis, ff. de liberis.* Baldus, Cynos apud Azorium *tom.2. cap.4. lib.2. quæst.2. & 19.* Fillucius, *tract.28 cap.2. num.27. part.2.* Diana *part.1. tract.2. resp. 85.* Layman *lib.5. tract.10. part.3. cap.5. num.7.* Veniant etiam nomine alimentorum, medinæ quibus indigemus tempore prauæ valetudinis, & secundùm aliquos etiam impensæ funeris si filius moriatur, & impensæ competentes pro anima defuncti Proinde crescente ætate, in filio, crescere quoque alimenta debent, & nobilioribus pleniora alimenta debentur, & si persona itidem pro sui status conditione, famulis egeat, eis pariter sunt alimenta præbenda, si magistris item vel pædagogis indigeat, soluenda sunt stipendia debita, si filio opus sit equis, sunt quoque nutriendi equi. Ita etiam communiter Summistæ *v. Alimenta*, præter Doctores hic citatos.

Baldus. Cynus. Azorius. Fillucius. Diana. Layman.

2 Pater denegans alimenta filio licet spurio sine graui causa, grauiter peccat: quia facit contra ius naturæ in re graui: si tamẽ filius sit diues, aut aliunde sibi consulere cõmodè queat arte, vel officio decenti, ad id non teneretur pater, quia filius tunc necessitate laborare non dicitur, & hoc maximè in casu quo pater ita esset pauper, vt illa præstare non possit.

Si filius proscriptus sit auctoritate Principis; vel excommunicatus, pater adhuc illi tenetur alimẽta exhibere: quia Princeps, vel Ecclesia in his casibus non auferunt obligationem iure naturæ introductam. Si verò damnatus sit à Iudice, vt fame pereat, potest quidem pater alimenta præbere, sed ad ea non tenetur. Insuper cùm pater teneatur liberorum onera sustinere, & onus filii sit ut uxorem alat, ideò pater filii uxorem alere tenetur, dum filius alimenta præstare non potest. Vide Sanchez *de matr. lib.4. disp.26. n 20. & 21.* Molinam *lib.2 de primog. c.16. nu.6.* Bonacinam, *to.2. disp.6. q. vnic. p.6. §.1. n.2.* Clauem Regiam *lib.12. c.18. n.30* Bannes *2.2. in præambulo ad quæst.62. disp.5.* Couarruuias *in Epit.2 part. cap.8. §.6.* & alios. Sanchez. Molina Bonacina. Clau Reg. Bannes. Couar.

3 Vsque ad triennium tenetur mater lac filio præbere quamuis spurio: modò lacte non careat; nec iustam non lactandi causam habeat, *L. nec filium, C. de patria potestate*; tunc enim pater lactis impensas facere debet.

Transfacto triennio non peccat mortaliter mater, quãuis filio alimenta non præbeat; quia ex iuris dispositione incumbit patri obligatio filium alendi post triennium; nisi ad hoc pater impotens sit: posita autem impotentia patris tenetur mater *L. si quis a liberis ff. de liberis agnoscendis.* In defectum matris tenentur Aui & alii ascendentes. Ita Clauis Regia *lib.7. c.7. n.6.* Azorius *p.2. l.2 c.5. q 8.* Nauarrus *in Man. c.14. n.17.* Layman *lib.5. tract.10. p.3. c.5. num.5.6.* Molina *tom 1. disp.168.* Clau. Reg. Azorius. Nauar. Layman.

Sed dubium est, an parentes ab obligatione alẽdi filium liberentur, si eum in publica hospitali domo, uel alio simili loco nutriendum curauerint, ut si ad portas oppidi, uel ad ostium priuatorum ciuium, diuitum, & potentum expositu erint?

Resp. secundum probabiliorem, & communiorem sententiam, mortaliter peccare parentes taliter exponendo filios, si illi absque dedecore ullo à parentibus ali possint: quia in *L. Necare, ff. de liberis agnoscendis*, dicitur: *Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat, sed & is qui abiicit, & alimoniam denegat, & is qui publicis locis misericordiæ causa ædificatis exponit, quam ipse non habet.* Vnde taliter exponentes, si diuites sint, restituere debent omnes impensas in filiis eorum nutriendis factas. Si tamen parentes, iustam haberent exponendi causam, uel quia egeni sunt, & per seipsos nutrire nequeunt, uel ut peccatum suum celent, & honorem, famam, ac decus suum tueantur, excusari possent à peccato mortali, (quia nulli adscribitur culpæ, quod quis iusta de causa facit, cùm prudenter operari dicatur) imò & à restitutione facienda, si pauperes sint: secus si tantùm ut infamiæ periculum euitent. Ratio est, quia filios diuitum exponunt animo non resarciendi dãna, & expensas, iniustè aguot, & peccant contra iustitiam; unde tenentur ad restitutionem. Vide Doctores hic citatos, & suprà Syluester, *v. Adulterium, quæst.5.* Clauis Regia *lib.7. cap.7. num.5.* Nauarrus *c. numer.17.* Bonacina *c. n.6.* Reginaldus *leg.20. n.30. & 40.* Layman *lib.3. sect.5. tr. 3. p.3. c 14.* Azorius *p.2. lib.2. c.5. q.7.* Sà *v. Parentes, n 3.* Syluester. Clau. Reg. Nauarr. Bonacina. Reginald. Layman. Azorius.

4 Obligatio, qua parentes tenentur alere filios, transit ad hæredes illius, qui filios alere tenebatur: unde filius etiã spurius alendus esse à monasterio, cui pater, facta in eo professione, sua bona reliquit, nam monasterium censetur hæres patris. *L. si quis à liberis, ff. de liberis agnosc. Auth. licet, C. de naturalibus liberis.*

Tamen hæc obligatio non transiret directè ad eos, ad quos ex donatione uniuersa bona parentum peruenerunt quia nullo iure probatur huiusmodi bona transire cum hoc onere: indirectè uerò transiret, quatenus æquitati consentaneum uidetur, ut authoritate, & officio iudicis compellantur ad alendos donatorios filios, etiam spurios. Multò minus transmittitur hæc obligatio ad eos, qui titulo emptionis, permutationis, similisue contractus bona parentum obtinuerunt: quia æquitas, aut iustitia po-

stulare

ſtulare non uidetur, ut qui titulo oneroſo hæc bona acceperunt & tantundem perſoluerunt domino, cogantur etiam ad filios alendos. Ad fiſcum autem tranſmittetur obligatio filios alendi, cui addicta ſunt bona ob crimen à parente commiſſum, excepto crimine hæreſis & læſæ maieſtatis: quia par non eſt, vt filij innocentes priuētur alimentis, ſibi iure naturæ debitis, ob crimen patris dū aliunde ſuſtentari nō poſſunt. At quando ob dicta crimina publicantur bona, non tenetur fiſcus filios alere, ſed omnia prorſus parentum bona publicantur, nullis alimentis reſeruatis: & hoc ex legis præſcripto fit, ob bonum commune, vt tam atrocis ſupplicij timore arceantur parentes ab his delictis patrandis. Ita DD. citati Gomez *ad l.9.* Tauri *numero* 39. Azorius *p. 2. lib. 2. cap. 5. quæſt. 5. & 6.* Couarruuias *in Epit. 2. p. c. 8. §. 6. num.* 14. Reginaldus *lib. 20. num.* 40. Sanches *lib. 2. moral. c. 16. num.* 25. 26. Bonacina, *tom. 1. diſp. 6. qu. vnic. punct. 6. §. 1. n. 7. 8. 9. &* 10. Farinacc. *in pract. tom. 1. p. 1. tit. de delict. & pœnit. q.* 24. Gomez. Tauri. Azorius. Couar. Reginald. Bonacina Farinac.

5 In foro conſcientiæ pater non tenetur ad reſtitutionem: qui filio non præſtitit alimenta: ſi filius aliquibus annis ſe ſuſtentauit alimentis aliunde acceptis, modò filius ob id debita non contraxerit vt ſeipſū aleret, tunc .n. pater debet æs alienum ſoluere. Ratio autem cur alimenta præterita non debeantur, eſt, quia dantur, vt quis alatur, & viuat: at cum filius ſe aliunde abſque vllo ære alieno ſuſtentauerit, in totum ratio alimentorum, ac proinde tota legis cauſa ceſſat. In foro tamen externo liberum videtur filio agere contra patrem ad repetendam alimentorum æſtimationem. Ita innuunt Clauis Regia *lib. 7. cap. 5. num.* 15 Filliucius *tr. 28. p. 2. c. 2. num.* 40. Azorius *p. 2. lib. 2. c 4. quæſt.* 16. Reginaldus *lib. 20. num* 40. Clau. Reg. Filliucius Azorius Reginald.

De alimentis, vide *Adulterium* n. 4. & 9. *Apoſtaſia* n. 6. *Diuortium* nu. 22. *Dos* n. 3. *Heres* n. 11. *Parentes* num. 3. *Tranſactio* num. 5.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quando Religioſus relegatur in aliud Monaſterium ob aliquod delictum, quis teneatur illi alimenta ſubminiſtrare.*

2 *Monachis recedentibus a proprio Monaſterio ad aliud debentur alimenta a priori Monaſterio.*

3 *Profeſſus iniuſtè expulſus poteſt compellere Monaſterium, vt ab eo alimenta percipiat.*

4 *Si Monacus apoſtata vel fugitiuus ab aliquo caperetur in Monaſterium reuocandus, Monaſterium tenebitur ad alimenta & expenſas.*

5 *Monaſterium in Monachi bona ſuccedens tenetur alimenta præſtare iis, quibus tenebatur Monacus.*

Verius eſt Monaſterium ſuccedens in bona coniugis non teneri alere coniugem eius inopem in ſæculo relictum, qui ingreſſus eſt ipſo conſentiente Religionem.

6 *Monacho exiſtenti in ſcholis, vel in alio negotio ex licentia ſuperioris, tenetur Monaſterium ad expenſas alimentorum.*

7 *Alimenta legata Monacho ad decennium extinguntur morte legatarij alendi antea contingenti.*

[8 *Filius renuncians hæreditati parentum poſtea factus Monacus poteſt petere alimenta, ſi ita pauper efficiatur vt ea aliunde habere nequeat.*

Si nouitius decedat inteſtatus nulla renunciatione paternæ hæreditatis facta, non ſuccedet Monaſterium in expenſas alimentorum ipſius nouitij, niſi pactum eſſet largiendi Monaſterio expenſas nouitij.

9 *Alimenta tenetur Pater præſtare filio abſque eius conſenſu ducenti vxorem, ſi aliunde non habeat.*

10 *Pendente lite de valore matrimonij, tenetur vir alimenta præſtare vxori.*

11 *Vir tenetur vxorem alere, quando ipſi cohabitat.*

12 *Vxor à viro recedens ob nimiam caſtigationem, à viro alenda eſt, ſecus ſi moderata ſit.*

13 *Si vir culpa ſua bannitus, inops ſit, tenetur vxor eum alere: ſi vxor ob propriam culpam in carcerem perpetuum includatur, non eximitur vir ab obligatione eam alendi.*

14 *Maritus inops non tenetur vxorem alere, ſicut nec filios; vxor autem diues tenetur viro inopi alimenta præſtare.*

15 *Verius eſt, quando ſoluto matrimonio nulla viri bona ſuperſunt, non teneri uxorem ex bonis dotalibus ſoluere debita à viro contracta, ad ipſam alendam.*

16 *Non tenetur maritus vxori alimenta præſtare, dote promiſſa, & non ſoluta. Si autem pars dotis ſoluta ſit, tenetur pro rata ad alimenta.*

17 *Maritus tenetur alere vxorem, quam abſque dotis promiſſione duxit: ſi tamen vxor diues eſſet, & nollet dotem conſtituere, non teneretur vir eam alere.*

18 *An vxor alenda ſit a viro, quando dos ipſius publicata eſt, ob eius crimen?* Referuntur variæ ſententiæ.

19 *Alimenta debita viduæ ab hæredibus viri non debentur, ſi intra annum luctus nubat: niſi ſecundus vir ita egeat, vt vxori alendæ non ſit.*

1 Religioſo relegato in aliud Monaſteriū, ob aliquod delictum tenetur alimenta ſubminiſtrare Monaſterium, cui acquiſita eſt illius hæreditas, vel attulit bona. At ſi nihil horum ad illud peruenit: Prælatus, cui ſubditus erat cum deliquit ad id tenebitur. Quod ſi prius Monaſteriū non habuerit vnde eum alat miniſtrabit alimenta poſterius. Quod ſi vtrumq; Monaſterium habuit bona huius, quodlibet modicum contribuere tenetur, Ita Syluester *verb. Apoſtaſia, q. vlt.* Azorius 1. *part. lib.* 12. *c.* 17. *q.* 3. At in Religione Minorum, cum neque in communi, nec in particulari fratres aliquid habeant, vſu receptum eſt, vt Monaſterium in quod mittitur, eum alat. Ita Rodriguez *tom. 2. qq. reg. qu. 24. art. 2.* Quod ſi neutrū Monaſterium ad alimenta ſufficiat, quidam dicunt teneri Epiſcopum contribuere cuius eſt omnibus indigentibus prouidere. Alij dicunt teneri Capitulum generale proſpicere. Sic Hoſtiēſis, Ioannes Andreas, D. Antoninus & alij. Quod ſi nec Capitulum poſſit, dicunt illi teneri Epiſcopum. Sed verius eſt quod docet Sanchez *lib. 6. moral. cap. 9. num.* 14. nullam eſſe ſpecialem obligationem Epiſcopi ſubminiſtrandi hæc alimenta, ſed ſolam generalem, qua tenetur aliis pauperibus; quia nulla eſt ratio ſpecialis huius obligationis, eo vel maxime quod Religioſis ignominioſum non ſit mendicare. Syluest. Azorius. Rodrig. Sanchez.

2 Quando Monaſterium, poſt eius diſciplinam collapſam, ad priſtinam regulæ obſeruantiam reuocatur, data optione Monachis in eo remanendi, aut ad aliud commigrandi, ipſis ad aliud recedentibus debentur alimenta à priori Monaſterio, quia non eſt cur poſterius grauetur ad ea ſubminiſtranda intellige, quando hi Religioſi ſunt poſteriori Monaſterio inutiles; ſi enim ei vtiles ſint, ipſa ratio ſuadet vt ab eo alantur Ita Syluester, Azorius *ſupra citati.* Intellige etiam quando prius Monaſteriom fruitur hæreditate, vel bonis, quæ Monachus ſecum detulerat, ſi enim nihil comodi ad illud peruenit, iniuſtum uidetur ab eo extorquere alimēta iuxta illā iuris regulā à contrario ſenſu, *qui non ſentit comodum, nec onus ſentire debet.* Sylueſt.

3 Profeſſus iniuſtè expulſus poteſt compellere Monaſterium, vt ipſum admittat, ab eo alimenta percipiat, quia iniuſte eo iure ſpoliatus eſt, quod intelligendum venit de alimentis futuris, non tamen præteritis, niſi mutuo illa accepiſſet, vel quibus illa pararet, vt tradit Nauarrus *Comment. 2. de regul. n. 65. verſ. Addo ſeptimo.* Ratio eſt, quia pecunias quibus ſe aluit tenebatur dare Monaſterio & ad ipſum Monaſterium pertinebant, quare in rigore loquendo aluit ſe ſumptibus Monaſterij. Ita Surdùs *de aliment. tit. 5. q. 1. n.* 48. Vnde fit, vt ſi Monachus quaſi iniuſtè expulſus conueniat Monaſteriū; debeat ab illo accipere alimenta, cùm ſit in poſſeſſione Monachatus, & percipiendi alimenta à Monaſterio: imò ſufficeret aliqua Monachatus præſumptio, vt ait Surdus *de aliment tit. 1. quæſt.* 121. *numero* 2. Similiter tenetur Monaſterium expenſas ad lites neceſſarias ei contribuere. Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 9. n.* 8. Ex quo fit, vt alens Monachum hunc, poſſit à Monaſterio alimenta repetere, ſi animo donandi caruerit; quia cum Monaſterium teneatur eū Monachū alere & admittere, qui ipſum aluit dicitur vtiliter Monaſterij negotiū feciſſe vt docet Surdus *de alimēt. tit. 6. q. 19. fin.* Nauar. Sorbus? Surdus. Sanchez. Surdus.

H 4 Quam-

4 Quamuis Monasterium non teneatur ad alimenta Apostatæ vel fugitiui, quamdiu ille in fuga fuerit, tamen si Monachus ab aliquo caperetur in Monasterium reuocandus, ex tunc tenebitur Monasterium ad alimenta, & expensas, quia ex tunc vtiliter eius negotium geritur, fitq; id quod Monasteriũ efficere tenebatur, contingit in seruo fugitiuo, cuius alimenta repetit, qui captum reuocat ad dominum. Tandem tenetur Monasterium ad alimenta & expensas Monachi licitè ex iusta causa fugientis, vt se præsentet superiori; quia ut dictum est, Monasterium tenetur dare Monacho expensas necessarias ad litem, & Monacho accusante Abbatem debentur alimenta, vt constat ex *cap. Ex parte, de accusat.* Ita Sanchez *cap.9. num.*22.

Sanchez.

7 Monasterium in Monachi bona succedens tenetur alimenta præstare iis, quibus tenebatur Monachus, cùm id sit commune vnicuique bonorum successori, vt astringatur ære alieno eius, cui succedit. Vnde cùm Monasterium teneatur ad omnia ingressi, cui succedit, onera, consequẽter tenetur alere eos, quibus tenebatur ingressus alimenta præstare. Ita Couarr *4. decret. 2.p. cap.*28. *§.6. nu.*14. Hinc deducet aliquis Monasterium succedens in bona coniugis, teneri alere coniugem eius inopem in sæculo relictum, qui ingressus est ipso consentiente Religionẽ, quia Monasterium succedens in bona Monachi, tenetur ad omnia ingressi onera, illisque oneribus affecta ea capit, ac onus alendi coniugis inopis competit alteri habenti bona, ergo tenetur ad hoc onus. Ita Ioannes Andreas *in addit. ad speculat. tit qui filij sint legit. §.1. num.*14. Verius tamẽ est, ad id non teneri. Ratio est, quia professione Religionis transferuntur bona profitentis in Monasterium, ac proinde coniux consentiens alterum in Religionem transire, subinde consentit huic alienationi, ac ex bonis per coniugem alienatis altero coniuge consentiente non sunt ab illorum possessore præstanda alimenta, quippe consentiens alienationi, præiudicat sibi. Ita Surdus *de aliment. tit.1.q.37. à num.3. vsque in fin.* Tempore tamen nouitiatus tenetur coniux ex eis bonis alterum inopem alere, quia tunc non sunt alimenta, nec matrimonium ratum est dissolutum, & proinde non est cur id onus cesset,

Couarr. Io. Andr. Surdus.

6 Quando Monachus existit in scholis studiorum causa, vel in alio negotio extra claustrum ex legitima superioris licentia, tenetur Monasterium ad expensas pro alimentis, & aliis necessariis ibi factas, nisi expensæ illæ sunt excedentes quantitatem Religioso illi quotannis destinatam, tunc enim non tenebitur Monasterium, modo excessus ille in expensis, non sit contractus morbi curandi causa, vel ex aliqua vrgenti causa rectè, & iuxta debitam administrationem factus. Si autem ille religiosus esset in studio expensis patris, vel alterius, tunc enim pater, vel ille alter tenebitur, non Monasterium. Ita Sanchez *libr.7.mor. c.31. à n.15. ad* 20. & alij multi apud ipsum.

Sanchez.

71 Alimenta legata Monacho ad certum tempus, v.g. ad decennium, extinguuntur morte legatarij alendi antea contingente. Ratio est, quia alimenta habent ex sui natura determinationem ex illius persona, cui debentur. Atque ideò relictum etiam temporale habet tacitam conditionem, dummodo legatarius toto eo tempore viuit. Accedit quòd omnis dispositio intelligitur iuxta subiectam materiam, ita vt conueniat natura actus, qui celebratur, vt tradunt Iurisperiti. Cum ergo alimenta suapte naturà alendi morte expirent, præfinitio temporis est intelligenda, nisi prius obeat. Ita docent Bartol. & Iason quos refert, & sequitur Surdus *de aliment. tit.*13.*q.*1.*nu.*3. *&* 4. per textum *leg. si cum præfinitione in princip. ff. quando dies legati cedat.*

Bart. Iason. Surdus.

8 Filius renuncians hæreditati parentum postea factus Monachus potest petere alimenta, si ita pauper efficiatur, vt aliunde ea habere nequeat; quamuis iureiurando iuri alimentorum renunciauerit: quia tale pactum aduersaretur iuri naturali, quo pater filium egentem dare tenetur. Ita Couarr. *in c. Quamuis pactum, de pactis, lib.6.2.p.§.1.n.8. concl.17. in fine*, dicens in hoc casu necessariam esse relaxationem iuramenti. Et idem docet Rodriguez *tom.1. Summ. c.10.n.4.*

Couarr. Rodrig.

Ex quibus idem videtur dicendum, quando præfatus filius renuncians paternæ hæreditati professus est in Religione capaci bonorum: nam si iste ante ingressum Religionis poterat petere alimenta iure naturæ debita filio egenti, pari ratione poterit Monasterium ea petere post eius professionem: tum quia in omnia iura professi succedit: tum quia si sentit onus eum alendi tanquam filium Religionis, sentire etiam debet commodum exigendi alimenta naturæ debita, cui ipse Monacus per professionem non censetur renunciare, Ita videtur tenere Sanchez *lib.7. moral.*55.

Sanchez.

Sed quid dicẽdum, si nouitius decedat intestatus nulla renunciatione paternæ hæreditatis facta, succedẽte Monasterium in expensas alimentorum ipsius nouitij? Respondet idem Sanchez *lib.7. moral. cap.3. n.*95. cum alijs à se citatis nõ succedere, quia nouitius non tenetur has expensas alimẽtorum soluere, si mutato animo exeat à Religione: alimenta, nisi pactum esset largiendi Monasterio expensas nouitii, vt in Monasterij Monialium contingit; tunc enim, siue nouitia perseueret, siue resiliat, expensæ debentur, ex vi contractus de soluendo expensas initi, vt idem Auctor resoluit *lib.6. cap.*10.*n* 4. *&* 5.

Sanchez.

9 Pater tenetur alimenta præstare filio absque eius consensu ducenti vxorem, si aliunde non habeat: nam filium diuitem nunquam tenetur pater alere. Quando autem ducit uxorem indignam & alimentis carerent, tenetur pater dotare in modica quãtitate conuenienti ad alimenta vitæ necessaria & hoc propter æquitatem naturalem, ne fame pereant. Ita Rodriguez *tom.1. Summ. c.*14. Sanchez *de matrim. lib.4. disp.26. n.*19 *&* 20. qui etiã addit non tantũ teneri patrem præstare tali filio pauperi alimenta, sed etiam vxori eius, quia non tantum alimenta, sed cætera liberorum onera tenetur pater præbere, ut habetur *l. si quis à liberis. 5. §. si vel parens, vers. non tantum ff. de liberis agnosc.* onus enim filij & obligatio est, quãdo uxorem sine dote duxit, ipsam alere; ergo tenetur pater tali vxori alimenta præstare.

Rodrig. Sanchez.

10 Tenetur uir lite pendente de matrimonij ualore, alimenta uxori præstare, quæ ante litem tenebatur; arg. *l. si neget ff. de lib. agnosc.* Angel. *v. Matrimoniũ 3. imped. 4. n9.* qui limitat, nisi uir certus sit non esse matrimonium. addit Innoc. *in c. Per vestra de donat. inter virum & vxorem* forte teneri uirum ad predicta alimenta, quãuis uxor indotata sit, per *cap. ex parte de accusation.* ubi habetur Monachum cum proprio careat, alendum esse lite pendenti, de bonis Monasterii.

Angel. Innoc.

11 Vir tenetur uxorem alere: quia ideo dotem uxoris recipit, ut matrimonii onera sustineat, ipsi & familiæ alimenta præstans. Constat ex *l. pro oneribus Cod. de iure dotium, & l. Dotis fructus, ff eodem.* Ita Surdus *de aliment. tit.1. tota quæst.*32. Hoc tamen intelligendum est, quando uxor uiro cohabitat, si enim absque uiri culpa, propria temeritate, ab eius consortio recedat, alenda minimè est à uiro debet esse in uiri obsequio, ac proinde si obsequium debitum minimè præstare uelit, receptura non est alimenta sibi debita. Qui enim non facit, quod debet non recepit, quod oportet. Si autẽ uiri culpa, ut ob eius sæuitiã, recedat uxor, alenda est. Nam cum ipsi non imputetur in uiri obsequio non esse, sed culpæ uiri id tribuendum sit, perinde censendum est, ac si in uiri obsequio esset. Ita Surdus *de aliment. tit.1. q.32. n.17. seq. & tit.7. q.16. à n.1.*

Surdus. Surdus.

12 Vxor à uiro recedens ob nimiam castigationem, alenda est à uiro, secus si moderata sit, quia in priori casu, culpa viri est, in posteriori autẽ uxoris. Permissũ est .n. uiro uxorẽ corrigere, moderatèq; punire, *l. Res indicata, ff. solut. mat.* at cautè, & comiter oportet, eã tractare. Talis namque est inter illos societas, qualis inter patrem, & filium, non cuiusmodi inter mancipium, & dominum. Exigitur autem nimius castigationis excessus, quo fuga hæc uxoris culpa uacet, ac proinde extra uiri domum ea non obstante ipsi debeantur alimenta, quamuis enim uir aliquantulum rationis limites in corrigenda uxore excedat, non continuò licet uxori ab eius consortio aufugere Ita Surdus *de aliment. tit.7. q.16 n.5.*

Surdus.

13 Si uir culpa sua bannitus, inops sit tenetur uxor eũ alere, *l. mutus §. manente. ff. de iure dot.* Hæc autem obligatio alendi est fructibus dotis, si hi satis sint, sin autem bonis paraphernis. Ita Iul. Clarus *lib. 5. recept. in practic. crimin. §. fin. q.82 statut. 2. vers Item quæro.* An autẽ uir teneatur uxorem alere, si ob propriam culpam in carcerem

Clarus.

perpe-

perpetuum includatur; videtur enim virum ab aliend obligatione eximi: quia culpa sua extra viri consortiũ esti nec vir, quãuis ob hæresim non celebret diuortium, tenetur in eo carcere illi cohabitare. Cæterum ex hoc capite vir minimè excusatur: quare esto dos manet apud virum tenetur alere, si dinortium non celebretur ob illud crimé, puta hæresim; & similiter si indotatam duxerat. Ratio est, quia culpa illa vxnris non tendit directè ad separatinnem habitationis, sicuti contingit quando propria temeritate aufugit, vnde in separatione illa, nulla vxoris culpa versatur, sed tantum in causa. Tum quia coniux sua culpa recedens, ius alimentorum recuperat, si pœnitentia ductus velir cohabitare; at vxor in carcerem perpetuum inclusa, sui delicti pœnitentiam agit, patataquo est viro cohabitare, vbi sibi permissum fuerit, non ergo ex cohabitationis defectu priuanda est alimentis. Ita Simanchas *in Catol. instuut. in 2. edit. tit.16. num.18. & 19*: Sanc hez *de matrim. lib.9. disp.4. nu.23.* & Surdus *de aliment. tit.7. q.16. num.14.* quamuis in ea sit sententia vt vir non teneatur in hoc casu alere vxorem, nisi per modum eleemosynæ, ne fame pereat.

Simãchas. Sanchez. Surdus.

14 Maritus inops non tenetur vxorem alere sicut nec tenetur filios, iuxta *leg. si quis liberis §. penult. ff. de liberis agnosc.* Et ratio est, quia nnn tenetur vxori vltra quam facere possit *l. etiam, & l. maritum, ff. solut. matrim.* Imò si vxor diues sit; tenemr viro inopi alimeuta præstare, vt probat *l. si cum dotem, 23. si §. maritus ff. solut. matrim.* & Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 35. & 36.* docet cum multis per eum relatis, si bona dotalia minimè sufficiant, teneri vxorem ex bonis paraphernalibus ea alimenta tribnere.

15 Quando soluto matrimonio nulla viri bona supersunt, multi Doctores, & satis probabiliter opinantur, teneri vxorem bonis dotalibus soluere debita à viro contracta, ad ipsam & familiam alendam, posseque conueniri filios, & teneri mutunm à patre inope acceptum pro ipsorũ alimentis, soluere, Ducuntur quia vbi res aliena in vtilitatem alicuius controuersa est, quamuis eam minimè acceperit, tenetur saltem in subsidium accipientis, qui non est soluendo, sed quando maritus, aut pater inops mutuò accepit pecunias ad vxorem & filios alendos pecuniæ ille cessere iu utilitatem uxoris & filiorum, habentque eas ex causa lueratiua non autem nnerosa, ergo uiro, aut patre impotente ad soluendum, tenetur in subsidium. Ita multi iurisperiti apud Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 4. n. 28.* Contrariam tamen sententiam & meritò amplectitur, nempe nec uxorem, nec filios teneri illa debita, per patrem, aut maritum contracta soluere ex suis bonis. Ratio est, quia maritus inops, quamuis ratione impotentiæ eximatur, seo potius excusetur prn tunc ab onere alendi uxorem & filios, nec teneatur ære se alieno grauare: quo huic obligationi respondeat; at si uerè se grauauit, & sic aluit, ueram obligationem ratione impotentiæ suspensam adimpleuit, nec dicetur pecnnia illa conuersa in utilitatem uxoris & filiorum, ad quam pater uerè non tenebatur; nec uxor & filij uerè dicentur effecti locupletiores, & ex causa lucratiua recipientes, sed potius ex causa onerosa, cum uerè ipsi debitum receperint, ac proinde illud mutuum minimè astringentur soluere. Deinde uxor soluto matrimonio potest integram dotem recuperare, licet uir prodigè expenderit ipsam ultra debitum alens, nt docet Nauarrus *in Man. cap. 17. num. 155.* In uno tamen euentu dicendum est uxorem teneri de suo suluere nempe si iussa à uiro tradere uiri creditoribus centum, quæ ipsis ad hoc dedit, uxor expenderet in familiæ sustentationem, & uir non esset postea soluendo: quia causam dedit ne creditores debitum recuperarent. Ita Sanchez *cit. num 29. & 30.*

Sanchez

Nauarrus.

Sanchez.

16 Non tenetur maritus uxori alimenta præstare dote promissa & non soluta. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia dos quasi in pretium datur, ut ex eius fructibus maritus onera matrimonij sustineat, uxoremque alat, *l. pro oneribus, C. de iure dotium*, quare dote minimè soluta, non tenetur maritus stare contractui, eaque onera sustinere: intellige autem, quando soluens est in mora, si enim tempus concessum à uiro ad dotem soluendam nondum accesserit, non potest ob solutionis defectum negare alimenta; quia alter nõ est in mora, sibique imputare debet vir, qui ea dilatione concessa, se ad matrimonij onera subeunda astrinxit. Si autem pars dotis sit tantùm soluta tenetur vir ad alimentorum partem pro rata cùm eadem sit ratio partis quoad partem, quę est totius quoad totum, *l. qua tota, ff. de rei vendicat.* sicut tota dote recepta, tenetur ad integra alimenta, ita recepta parte, tenetur ad partem. Ita multi quos refert, & sequitur Sordus *de alimentis tit.7. quæst.17. num.3.* Notandum tamen si extraneus, qui non habet mulierem sub sua potestate, promiserit dotem, & nondum soluerit, indistinctè maritus non tenetur alere vxorem, quamuis sit in eius obsequio: si autem vxor ipsa, aut ipsius pater, quando ratione impotentiæ non soluunt, non eximitur vir ab alimentandi onere, nisi dolosè promisissent dotem, quam nouerant se soluendo minimè esse. Ratio est, quia vxor eiusque pater gaudent beneficio, vt conueniri nequeant pro dote soluẽda, vltra quam facere possunt. Ita Surdus *loco citato nu. 27. 30. & 36.* Si tamen vir alat vxorem noodnm soluta dote, nihilque protestetur, minimè potest petere alimenta ab ipsa vxore, vel à dotis promissore, videtur enim affectu coniugali facta donatio. Quod colligitur ex *l. si quis a liberis, §. si mater ff. de liber. agnosc.* iuncta Glossa, *verb. Materno.*

Surdus.

Surdus.

17 Maritus tenetur alere vxorem, quam absque dotis promissione duxit, quia sibi imputare debet, quòd nullã dotem exegerit, videtur ipsam vxoris personam pro dote accipere. Ita communiter Doctores. Et licet aliqui censeant hoc tenere verum, licet vxor diues sit, veriùs tamen est non teneri virum ad hæc alimenta, dum vxor illa diues dotem constituere renuit, quia dum mulier absque dotis promissione ducitur, videtur tacitè actum de dote constituenda: quare dum dos tacitè promissã non soluitur; iustam causam vir habet denegandi alimenta. Ita Baldus, Iason, Ioanoes Lupus, & alii quos refert, & sequitur Sanchez *de matrim. lib.9. disp.5. num.9.* Si autem non ipsa vxor, sed eius pater diues esset, dotemque constituere nollet, teneretur maritus, qui nil de dote pactus est, ipsam alere, liberumque illi esset à patre, dotem petero, vt docet Molina *tom.2. de instit. disp.425. §. Si marito dos.*

Baldus. Iason. Sanchez.

Molina.

18 Quidam existimant vxorem alendam esse à viro, postquam ad eius consortium coniugale admissa est, si illa dotata ducta sit, at ob eius delictum publicata dos est, vt ob hæresim vel aliud crimen. Ratio illorum est, quia in defectum dotis, & patrimonij tenetur vir ex debito coniugali vxorem alere. Alii verò putant non teneri virum alere, Sanchez verò *loco citat. num. 10.* existimat indistinctè vxorem alendam esse à uiro quando dos fortuito casu periit, At quando culpa vxoris publicata fuit, docet, quod si pareotes in facultatibus sint, vt ipsam alere valeãt tenentur quidem, virque ab eo onere eximetur, si autem parentes pauperes sint, tenebitur vir. Probatur, quia vir ratione dotis solutæ tenetur vxorem alere, & dum non soluitur, liber est ab ea obligatione, at quãdo culpa vxoris publicatur, perinde est ac si solnta non esset, siquidem vxoris culpa pretium sustentationis aufertur. Quòd autem tunc pater diues teneatur, probatur, quia quamuis culpa mulieris deperdita sit dos, tenetur adhuc pater illam alere vt multis citatis probat Molina *de primogenijs li.2. c.16. n. 24.* Et ubi parentes sunt pauperes, teneri virum. Ratio est, quia in eius obsequio & consortio cũm sit, nec parentes ei subuenire possint, amor coniugalis, & nexus tam arctus petit, ut à viro alatur, ne fame pereat.

Sanchez.

Molina.

19 Alimenta debita viduæ ab hæredibus viri, primo anno à morte viri, quo dotem consistentem in pecuoia, aut aliis rebus mobilibus non restituunt, prout possunt, non debentur, si intra eum annum luctus nubat. Ratio est quia hæredes mariti solùm tenentur ad alimenta eo tempore viduæ præstanda, quando vidua ita pauper est, vt aliunde alimenta nõ habeat. At ubi secundo nupsit, adest uir, cui eam alere incũbit, ac proinde cessat obligatio hęredum uiri Ex qua ratione colligitur, si uir secundus ita egeat, ut uxori alendæ nõ sit, minimè eximi hæredes uiri ab ea obligatione, uel dotem prædictam statim restituẽdi uel præstandi alimenta eo priori anno, quo dotem restituere non tenentur. Quòd ratio, ob quam ea obligatio extinguenda erat, non deficiat. Ita Surdus *de aliment. tuul.*

Surdus.

titul.7.quæst.vigesimasecunda, num.nono, Molina *tom.2.de instit.tract.2 disp.322.vers.Interim dum vxori*.

Vide v. Fillius *num.9.* Fiscus *num.5. & seq.* Legatum *n. 7.* Parentes *n.3.*

ALTARE.

SVMMARIVM.

1 *Altare debet esse lapideum, & multis modis consecrationem amittit. Et an si quis bona vel mala fide celebret in altari non consecrato aut profanato, remaneat consecratum.*

An liceat celebrare in Altari portatili ex duobus lapidibus insertis duobus lignis inuicem colligatis.

An execrata, vel polluta Ecclesia, execretur vel polluatur Altare tam fixum, quam portatile in ea contentum: Remissiuè

An Altare execretur, si in eo celebret excommunicatus, suspensus, &c.

2 *Necessarium sit vt in quolibet Altari sint reliquiæ Sanctorum*

3 *Qui Abbates possint Altaria consecrare.*

4 *Priuilegium* Sixti V. *concessum Mendicantibus pro consecratione Altarum suorum.*

1 AD offerendum Missæ sacrificium necessario requiritur Altare, quod lapideum esse debet, non ligneum vel terreum *cap. Altaria, de consecr. dist.1* atque ab Episcopo consecratum *cap. concedimus, de consecr. dist.* 1.

Duplex est autem Altare, vnum est mobile seu portatile, quod de loco ad locum transferri potest, alterum fixũ, seu stabile: Tantæ magnitudidinis debet esse altare portatile, vt possit capere pedem calicis, & hostiam consecratam commodè: vel vt super eo valeat maior eorum pars firmiter absque vllo cadendi periculo, collocari. Aduertendum item est altare non consecratum, posse esse ligneum: imò neque refert, si tota massa Altaris fixi consecrati, non sit lapidea; dummodo superior mensa, quæ solum consecratur sit ex lapide. Ita Syluester, *V. Altare* Vasquez *disp.233. cap. 2.* Suarez *tom.3.disp.82 sect.5.concl.2.* Syluius *3.p.q.83.art.3.quæsit.4.& 6.in 3.edit.* Azorius *part.1.lib.10.c.27.* Reginaldus *lib.29.n.188.189.* & alij. Syluestr. Suarez. Azorius. Reginald.

Altare fixum consecrationem amittit per amotionem à structura, non item altare portatile per amotionem à ligno execratur: tam portatile, quam fixum, consecrationem amittit per notabilem fractionem, hoc est, quando in nulla integra parte altaris, calix cum patena, moraliter rem æstimando consistere possit; vel quando cornua quæ inunguntur, fuerint fracta; vel si moueatur vel frangatur sigillum sepulchri, vbi reliquiæ appositæ fuerant vel si alio quocumquẽ modo altare amittat suam formam. Ita Henriquez *lib. 9.cap.28.§.1.lit. L.& M.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disp. 23, quæsit.6.num.4.* Barbosa *de offic. Episc. part.2.alleg.27.num.25.* Lezana *tom.3.Sum.v. Altare n. 20.* Lezana ex *cap.1.& cap. Quod in dubiis, & c. Ligneis, de consecrat. Eccles. vel Altar.* Henriq. Tambur. Barbosa. Lezana.

Adnotandum tamen est quod, si mensa altaris seorsim consecretur & postea superponantur inferriori structure etiamsi ita coniũgatur, vt permansura sit inseparabilis, nõ amittet consecrationem per separationem à structura. Ratio est, quia inferior structura non communicat in cõsecratione: atque adeo non est pars altaris, vnde per talem motionem non perditur forma altaris: neque altare sic consecratum exigit ratione consecrationis permanere affixum inferiori structuræ.

Idem dicendum de altari cuius inferiori structura est lignea, quia cum altare non possit constare ex ligno, & illud non possit recipere consecrationem, ideo ex tali separatione non deperditur consecratio aut forma altaris nullo enim iure prohibetur consecrari solam mensam & sicut potest consecrari mensa parua, vt in altari portatili, ita etiam mensa magna, quod enim difficile portari possit, per accidens se habet. Ita Tabiena *verb. Altare. §.5.* Syluester *ibid. quæst.* 10. Similiter non amittet consecratione altare stabile, si de loco ad locum integrũ transferatur, vel si destruatur paries cui est compaginatum. Ratio prioris est, quia cùm remaneat integrum, remanet etiam forma ipsius, atque adeo consecratio, quæ addicta est tantum materiæ, prout stat sub illa forma altaris. Ita Suarez *c. disp.18 sect.5.* Lugo *disp. 20. de Euchar. sect.2. num.74.* Ratio posterioris est, quia altare manet immotum retinens propriam formam, vnde etiam retinet consecrationem, quæ tamdiu durat, quamdiu durat forma altaris.

Sed quid dicendum, si aliquid de stipitibus altaris, seu inferioris structuræ remoueatur vel frangatur, an altare amittat consecrationem. Respond. cum Syluestro non amittere, nisi tot lapides amoueantur, aut taliter structura inferior frangatur, aut mutetur, quòd altare suam formam amittat: quod contingit, quando inferior structura non est amplius apta & sufficiens ad sustentandam mensam altaris. Syluest.

Præterea dubium est, an si quis bona vel mala fide celebret in altari non consecrato, aut quod iam amisit consecrationem: remaneat consecratum, ita vt possit deinceps in ipso celebrari? Resp. illos qui id negant de Ecclesia polluta, aut de calice nondum consecrato, negabunt etiam de altari, quod remaneat consecratum, cùm militet eadem ratio. Sed cùm contraria sententia sit valde probabilis, dico non esse opus alia consecratione, sed posse in ipso celebrari. Ratio est quia consecratio non est aliud quàm quædam deputatio, qua altare deputatur ad offerendum sacrificium Deo, & effectus consecrationis non est alius, quàm sanctificare; & hoc totum habetur ex celebratione in ipso, nam plus est deputare diuino cultui, facto, quàm ceremoniis per celebrationem autem facto ipso deputatur altare diuino cultui, & ex hoc fit, quòd sanctificetur, eo quòd concurrit ad actionem sanctissimam, qualis est Sacrificium, eam in seipso suscipiendo. Ita Doctores citati infra *v. Missa V, n.2,* quibus adde Pasqualigum *decis.45.* qui aduertit adhuc manere consecratum, etiamsi mala fide in tali altari celebratum sit, quia consecratio non pendet ex bona, vel mala fide celebrantis sed solum ex facto ipso, quod ex natura sua est deputatiuum altaris pro ministerio diuino. Pasqualig.

Aliud dubium est, an liceat celebrare in altari portatili ex duobus lapidibus insertis duobus lignis inuicem colligatis ad instar libri, quod claudi & aperiri possit, vt in vno lapide hostia, in alio calix collocetur? Resp. Negatiuè, quia esset contra Ecclesiæ consuetudinem in re graui, & contra mysterium ipsum: nam altare significat Christum in quo non est, nisi vna persona, hic autem essent duo altaria, nam altaria multiplicantur ad multiplicationem lapidum consecratorum. Ita Syluester *cap quæst.3.* Lezana *tom.3.Sum.v. Altare num.8.* Limita, nisi forte id fiat ex speciali licentia Summi Pontificis de hoc dubio vide infra *in supplement. num.5.* Syluestr. Lezana.

An autẽ execrata, polluta seu uiolata Ecclesia execretur, polluatur seu violetur altare tam fixum, quàm portatile in ea contentum. Vide infra *verb Sacrilegum 1.n.8.*

Portò nullum Altare siue fixum, siue portatile execratur ex eo, quòd in ipso celebrauerint excommunicati, interdicti, degradati, &c. Ita enim colligitur ex *cap. 2. de Sacramentis non iterand.* Sic Tamburinus *de iur. Abbatum tom.1.d.23.quæsit.6.* Lezana *tom.3.v. Altare num.23.* & post eum. Tambur. Lezana.

2 Quidam Doctores valde probabiliter affirmant, ad substantiam consecrationis altaris pertinere, vt in eo reliquiæ Sanctorum ponantur, ita vt Altare sine reliquiis cõsecratum pro altari profano non consecrato, sit habendũ, dicitur in *cap. placuit, de cõnsecrat. dist.1.* Ita Syluester *c, n.1.* Azor. *c.l.10.c.27. q.8.* & alii ab ipso citati. Verùm probabilior sententia asserit, esse quidem præceptum Ecclesiæ, ne consecrentur Altaria, absque Sanctorum Reliquiis, consecrationem tamen esse validam, & consuetudine derogatum esse *Can. Placuit* prædicto, necesse seruandum, nisi vbi sacræ Reliquiæ haberi possunt, quia in tanta Altarium multitudine, non potest commodè dicti Canonis præceptũ adimpleri, cũ certæ & exploratæ Sanctor. reliquiæ difficilè haberi possint. Licet ad Ecclesiarũ Prælatos pertineat prouidere, si fieri possit commodè, vt pia & antiqua consuetudo in altaribus sacras reponendi reliquias, perseueret. Ita Sotus, *4 d.13.q.2. art.3.* Suarez *c. sect.5.* Coninck. *q.83. à 3. nu.241.* Layman *li.5. tr.5.c.6. num.8.* Sotus. Suarez. Coninc. Layman.

n.8. Tamburinus *c.quæst.6.num.*3. Reginaldus *l.*29. *nu.* 190. Syluius 3.*p.q.*83.*art.*3. *quæsit.*5.

Tambur. Reginald. Syluius. 3 Quamuis de iure communi, nullus alius præter Episcopum possit altaria consecrare, vt habetur in *c.Nullus Presbyter* 2.*de consecrat. dist.*1. Iure tamen priuilegiorũ, possunt vtique Abbates, priuilegium ad hoc habentes Altarium consecrationem efficere, & non solùm altaria parua portatilia, verùm etiam totum altare fixum, seu mensam benedicere. Quoad altare portatile patet ex priuilegio *Pij IV.* qui anno 1565.*die* 6 *Iunij.* Pontificatus verò 6. concessit Congregationi Cassinen. vt, singuli illius Abbates pro tempore existentes Pontificalibus nõ solùm vterentur insignibus, & ornamentis, verùm etiam, vt quoscumq; lapides marmoreos, porphyrios, aut alios ad vsum Altarium portatilium, pro vsu quorumq; vtriusq; sexus dictæ congregationis Monasteriorum, & aliorum piorum locorum consecrare, & benedicere possint, Ordinariorum locorum facultate minimè requisita. Tamburinus *c. disp.*23 *quæsit.*4.*n.*3.

Quo priuilegio gaudent multi Abbates, cum Cassinensibus in priuilegijs communicantes.

Quoad verò Altare fixum, iisdem Abbatibus licitum est, illud consecrare, ex Concessione *Innocentij VIII.* facta *Ioannis* Abbati Cistercij, ac aliis quatuor Coabbatibus eorumque in perpetuum successoribus, vbi indulsit vt Altaria de nouo constructa, seu translata, restaurata, aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, Chrismate sacro, prius ab aliquo Episcopo Catholico recepto, consecrare liberè, ac licite possint & valeant: nullo tamen modo extra Ecclesias ordinis, hoc priuilegio vti possunt sine expressa licentia Episcopi.

In partibus Indiarum Prouinciales Patrum Societatis IESV, & Fratrum Minorum, nec non ij, quibus ipsi cõmiserint, possunt confirmationis Sacramentum fidelibus ministrare, benedicere Calices, & Altaria etiam pro vsu alieno. Ex concessione *Pauli* 3. *Adriani* 4. *&* *Leonis* 10.

Rodrig. Portel. Tambur. apud Rodriguez *tom.*1. *qq. reg. quæst.*18. *art.*2. Portel. *in dub. reg. V. Abbas num.* 3. 4. *&* 5. *Altare num.*2. Tamburinus *c. disp.*23. *quæsit.*4.*num.*3.

4 Religiosi mendicantes, postquam bis aut ter Episcopum Diœcesanum rogarunt, pro consecratione suorum Altarium, si Episcopus aut Sedes vacans ad id licentiam dare noluerit, possunt alium quemlibet Orthodoxum Antistitem adire, ita tamen quòd ex hoc in posterum nullum præiudicium inferatur. Ita ex *Sixto V.*

Portel. Rodriq. Portel. *in dub. reg. Benedicere num* 4. Rodriquez *cap. art.*1. qui putat hoc priuilegium non esse reuocatum per Concilium Tridentinum *sect.*6.*cap.*5.*de reform.*

De Altari, vide *benedictio n.*6. 8. *Missa* 5. *num.*1.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Altare amittit consecrationem, si ipsa mensa enormiter frangatur, seu quando deperditur forma altaris.*

2 *Altare non amittit consecrationem, si mensa frangatur in cornibus, dummodò non sit in illis sigillum sepulchri.*

Si mensa altaris in duas partes scindatur, non amittit consecrationem, modo partes non separentur ad inuicem localiter.

3 *Quando in consecratione altaris non ponuntur reliquiæ non debet poni corpus Christi sub Eucharistia.*

4 *Altare potest consecrari in quolibet die etiam non in festo, non tamen in tribus vltimis ferijs hebdomadæ maioris, nec in maximis solemnitatibus.*

5 *Probabile est altare portatile posse constare ex duobus lapidibus, vel separabilibus, vel qui claudi possint, & aperiri ad instar libri.*

6 *Altare portatile amittit consecrationem, quando frangitur sepulchrum, aut quando enormiter frangitur; ita vt amittat formam.*

7 *Verius est altare portatile non execrari, si frangatur in quatuor cornibus, quibus consecratur, modo lapis qui remanet, possit commodè capere calicem, & hostiam*

8 *Regulares Missionarij possunt vti altari portatili in quolibet decenti loco, nec possunt prohiberi ab Episcopis.*

9 *Episcopi de iure communi possunt ex rationabili causa vti altari portatili.*

10 *Probabilius est Episcopos etiam extra Diœcesim posse vti altari portatili, aut coram se facere in ipso celebrare sine licentia Ordinarij loci.*

1 Conueniunt omnes Doctores, quod altare amittat consecrationem, si ipsa mensa enormiter fracta fuerit, vt traditur *in cap. Quod in dubiis,* & *in cap. Ligneis, de consecr. Eccl. vel altar.* Difficultas autem est, quanta debeat esse fractura ista, vt censeatur enormis. Aliqui cẽsent tũc esse enormẽ fracturã, quãdo apparet deformitas. Quòd secundùm Hostiensem, apud Syluest. *v. Altare, qu.*8. Episcopi arbitrio determinandum est. Quod etiam docet Hieron. Rodrig *in Compend. resol.*9.*num.*10. Hostien. Syluest. Hier. Rod.

Alij, si fracta fuerit in cornibus, in quibus solet fieri consecratio, vt refert idẽ Syluester. Alii, si sit vltra medietatẽ. Suarez autem *in* 3 *part. tom.*3.*disp.*81. *sect.*5.*vers. Tertio additur,* ait, tunc solùm deperdere consecrationem, quãdo in neutra parte confracti lapidis potest commodè hostia & calix collocari. Hanc sententiam sequuntur Faustus *lib.*2. *de sacrific. quæst.* 212. Marchinus *de Sacram. Ordin. tract.*3. *de sacrific. Missæ, cap.*12. *num.*2. Suarez. Faustus. Marchin.

Nihilominus potest tradi regula vniuersalis, quòd tũc solum fractura sit enormis, quando deperditur forma altaris & tunc non sit enormis, quando remanet. Quando autem permaneat forma altaris, vel deperdatur, morali æstimatione pensandum est, Ratio est, quia remanente forma remanet altare, & pereunte perit, manente autem altari in suo esse, non potest fractura esse enormis, nec perire consecratio, quæ annexa est altari, seu illi materiæ cum forma altaris.

2 Hinc iuxta hanc sententiam, altare non amittit consecrationem, si mensa frangatur in cornibus, etiamsi in ipsis fieri soleat consecratio, dummodò non sit in ipsis sigillũ sepulchri, quia licet in ipsis fiat consecratio, totum tamen altare consecratur, & ipsis fractis adhuc forma altaris permanere potest. Ita Lugo *de Euch. d.*20.*se.*2.*n.*74. Lugo

Insuper colligitur, quòd si talis, sit fractura, vt altare appareat veluti dirutum, amittit consecrationem, quia cum esse diruto non stat forma ipsius.

Non amitteret autem consecrationem, si mensa in duas partes scindatur, dummodò tamen partes non separentur ab inuicem localiter, & adhuc innitatur eidem inferiori structuræ; quia tunc adhuc salua manet forma altaris, vnde poterit scissura conglutinari aliquo lapideo glutine. Secus si ambæ partes, aut altera tantùm localiter moueatur, etiamsi quæ manet fixa, possit capere Calicẽ, & Hostiam, quia tunc censetur altare semidirutum, & pars mensæ, quæ manet, non cẽsetur amplius altare quod erat, sed pars ipsius, pars autem non censetur moraliter esse totum, nec habere formam, quam prius habebat, licet enim altare non requirat formam; quando tamen cum speciali fuit consecratum ea ablata, desinit altare. Ita Pasqualigus *in decis. Moral. decis.*44. Pasqual.

3 Quorumdam antiquorum Doctorum sententia fuit, in consecratione Altaris, quando non ponuntur reliquiæ, debere poni Corpus Christi sub Eucharistia, ita Glossa, *in cap. Placuit, verb. Reliquiæ, de consecrat. dist.*1. Durandus, *lib.* 1. *Rational. cap.*7. *num* 23. & alii. Negatiua tamen sententia tenenda est. Ratio est, quia peruerteretur vsus Sacramenti, est enim ordinatum per modum cibi, vt scilicet sit noster cibus spiritualis, vnde dixit, *Accipite, & edite ex hoc omnes,* vt refertur etiam, *in cap. Panis* 2. *de consecrat. dist.* 2. Quòd si conseruatur solùm conseruari debet pro infirmis, aut alia de causa necessaria ex *cap. vnico de consecrat. Eucharist.* & proinde non debet verti in alios vsus, cùm debeamus vti rebus, & præsertim Sacramentis ad vsum destinatum. Deinde esset exponere manifestæ corruptioni ipsum Sacramentum, quod est, contra reuerentiam ipsi debitam. Consuetudo autem antiquorum, si quæ fuit, abolita est, & ideò hodie non, liceret ponere Corpus Christi in consecratione altaris Glossa. Durand.

H 3 etiamsi

etiamsi reliquiæ deficerent. Et Hostiensis *in Summ. de consecrat. Eccles. vel Altar. §. Et qualiter 1. verb. Dicũt etiam*, ait Innocent. Papam de hoc consultum, adhibuisse peritos, & respondisse, non licere. Ita etiam sentiunt Syluester *verb. Altare, num. 4.* Suarez *3. part. tom. 3. d. 81. sect. 5. vers. Tertio additur in fine.* Lugo *di. 30. de Euchar. sect. 2. num. 75.*

Hostiens. Syluester. Suarez. Lugo.

4 Altare potest consecrari in quolibet die etiam non festo, atq. ex *cap. Tua, de consecrat. Eccles. vel Altar.* vbi dicitur, quod in quolibet die potest consecrari Ecclesia, etiam non festo. Si igitur Ecclesia potest consecrari in die non festo, multò magis poterit Altare. Ratio est, quia opus bonum & ordinatum in cultum Dei est licitum, quocumque tempore, nisi per ius positiuum determinetur ex rationabili causa ad certum tempus. Consecratio autem altaris est operatio bona ordinata ad cultum Dei, & non adest aliquod ius positiuum, quod ipsam limitet ad certos dies: ergo.

Sed petes, an possit consecrari altare etiam in tribus vltimis ferijs hebdomadæ maioris? Respondeo negatiuè, quia licet non adsit expressa prohibitio; implicitè tamen prohibetur, quatenus Ecclesia taxatiuè se habet in præscribendis functionibus & officio illorum dierum, vnde ex vi taxationis excluduntur omnia alia quæ non sunt necessaria. Imò peccaret mortaliter, qui consecraret in illis diebus; quia in re graui faceret contra prohibitionem implicitam Ecclesiæ.

Similiter dicendum est non esse licitam tamen consecrationem in maximis solemnitatibus, nempe, Paschatis, Pentecostes, ipso primo die Natalis Domini, & Epiphaniæ, quia licet non adsit aliqua prohibitio expressa, magnitudo tamen solemnitatis exigit, vt soli ipsi Ecclesiæ incumbat, nec absq; necessitate aliud admittat, & consuetudo ita hanc exigentiam interpretatur, nam cætera differri solent in alium diem.

5 Quidam Doctores arbitrantur altare portatile non posse constare ex duobus lapidibus vel separabilibus, vel qui claudi possint & aperiri ad instar libri seclusa licentia Summi Pontificis. Ratio est, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ. Ita Syluester *citatus in tom. 1. nostra Summa v. Altare, num. 1. §. Aliud dubium*, Cum Lezana, quibus adde Vasquez *3. p. disp. 233. num. 16.* Fagundez *li. 3 de 1. præcept. Eccles. cap. 22. n. 9.* Lugo *disp. 20. de Euchar. sect. 2. n. 67. in fine.*

Syluest. Lezana. Vasquez. Fagundez. Lugo.

Non desunt nihilominus rationes, quibus id fieri posse probetur. *Primò*, quia vnitas quæ requiritur in altari, est necesse quòd sit vnitas naturalis lapidis; sed sufficit quod sit vnitas artificialis, & quod moraliter censeatur vnum, quia altare est quid artificiatum. Vnde non requirit aliam vnitatem, quàm artificialem, saluatur autẽ vnitas artificialis, etiamsi constet ex duobus lapidibus, quocumque modo ad inuicem connexis, nam connexio facit, quod se habeant per modum vnius, Et cum nulla adsit prohibitio non est censendum illicitum, quia in ijs, quæ natura sua mala non sunt, non est illicitum, nisi quod est prohibitum.

Hinc fit, quod possit altare portatile confici ex duobus lapidibus insertis in duabus tabulis ligneis quæ claudi & aperiri possint instar libri, si tamen, quando aperiuntur, remaneant lapides contigui, quia tunc lapides illi coniunguntur in capsula lignea, quod sufficit, vt se habeant per modum vnius, & constituant vnicum altare; siue coniungantur per seipsos aliquo nexu, siue ferreo, siue ex alia materia.

Secundò. Quòd possit confici altare ex duobus lapidibus, qui ita coniungantur, vt possint inuicem separari ad libitum, Ratio est, quia adhuc ratione coniunctionis sũt vnum, nec amittunt per separationem, consecrationem quia altare consecratur cum illa mobilitate, & separabilitate partium, quæ includitur in ipsa forma altaris. Sic etiam calix potest constare ex duplici parte, superiori, & inferiori, ita vt vna sit separabilis ab alia, & cõiungantur opere tornatili, aut aliquo alio modo nec tamen per hoc tollitur, quin sit vnus.

Ad rationes autem contrariæ sententiæ posset responderi *Primò*. Non obstare consuetudinem conficiendi altare portatile ex vnico tantùm lapide, quia non est consuetudo obligatiua. Nec semper facere contra consuetudinem est illicitum, sed tunc solum, quando consuetudo habet vim legis, secus autem quando est mera consuetudo, qualis est ista, nõ enim est fundata in aliquo dictamine rationis, quod sit necessarium ita facere.

Secundò potest dici non esse contra mysterium quia cũ adhuc altare sit vnum, etiamsi lapides sint plures, adhuc significat Christum, vt vnam personam. Non enim oportet, vt in significatiuo sit illa vnitas, quæ est in significato: sed sufficit, quod significatiuum sit vnum in significando, quod erit cum quacumque vnitate in esse materiali. Vnde falsum est quod idem sit, ac si consecraretur corpus Christi in vna Ecclesia, & in alia sanguis. Saluo, &c.

6 Altare portatile amittit consecrationem quando aut mouetur, vel frangitur sepulcrum, aut quando ipsum enormiter frangitur, ita vt amittat formam, vt esset, si nõ posset quod superest commodè capere hostiam & calicem. Ita tradunt communiter Doctores. Item amittit consecrationem, si lapis remoueatur à ligno, quando sepulchrum non est in lapide sed in ligno.

Difficultas est, an quando sepulchrum non est in ligno, sed in lapide? Affirmatiuè respondent plures Doctores, cum hac tamen limitatione quando scilicet lapis est ita paruus, vt non possit capere commodè calicem cum hostia. Ratio illorum est, quia lapis non consecratur, nisi vt affixus alicui tabulæ in qua est vt in proprio loco, vnde hoc altare accipit formam à ligno, & remoto lapide à ligno, perit forma altaris.

Negatiua tamen sententia omnino tenenda est. Ratio est quia execratio altaris est de iure positiuo, vnde non est asserenda, quando ius ipsam non tradit, nullum autem ius tradit, quod altare portatile execretur, quando lapis remouetur a ligno, imò apertè colligitur ex iure positiuo non execrari. Quia ex *cap. Altaria de consecrat. dist. 1.* habetur quod altaria non possunt constare ex ligno, vnde in altari portatili pars lignea non est pars illius altaris atque adeò remoto lapide à ligno, non tollitur aliquid quod sit de substantia altaris; vnde etiam quando consecratur, solus lapis consecratur, ita vt tota consecratio sit in ipso. Hinc patet responsio ad rationem oppositæ sententiæ, Ita Syluester *verb. Altare q. 9.* Suarez *cap. 3. disp. 81. sect. 5.* Lugo *disp. 20. de Euchar. sect. 2. num. 70.* Hieron. Rodriquez *in compend. resol. 9. num. 10.*

Syluest. Suarez. Lugo. Hieronym Rodriq.

7 Veterum Canonistarum sententia fuit altare portatile amittere consecrationem si frangatur in quatuor cornibus in quibus consecratur; quia censebant talem fracturam esse enormem; eo quod esset in illis partibus, in quibus fit consecratio. Huius sententiæ est etiam Bonacina *disp. 4. de Eucarist. quæst. vlt. punct. 9. n.* 15. Verior tamen est sententia negatiua, dummodo lapis, qui remanet sit tantæ quantitatis, vt possit commodè capere Calicem & Hostiam. Ratio est, quia in consecratione totus lapis cõsecratur, quamuis vnctiones fiant tantum in angulis, vnde tam vna pars, quam alia eodem modo manet cõsecrata. Deinde hoc altare non requirit certam formã, sed solum quod lapis sit planus, ita vt possit capere Calicem & Hostiam si igitur frangatur in cornibus, adhuc lapis ille erit sacer; & cùm possit capere Calicem, & Hostiam, poterit adhiberi in vsu sacrificij. Ita Suarez *cit. disput. 81. sect. 5. versic Tertiò additur.* Portel. *in dub. regul. verb. Altare num. 4.*

Bonacina. Suarez. Portel.

8 Regulares missionarij possunt vti altari portatili in quolibet decenti loco. Vnde possunt vti in castris militum in publicis vijs plateis, &c. dummodo tamen locus sit tutus. nec adsit vllum periculum irreuerentiæ. Ita Hieronym. Rodriquez *in compend. resolut. 9. num. 5.* Lezana *in sum. tom. 1. cap. 21. n. 14.* Peirynus *tom. 1. Priuileg. in Cõstit. Pyrr. num. 28.* & alij citati *tom. 1. nostra. Sum. verb. Missa IV. num. 1. vers. Ad tollendum.* Id etiam valet quoad regulares, qui participant priuilegia aliorum regularium: id enim concessum fuit à Paulo III. Societati IESVS. 15. Kalend. Nouemb. 1549. & innouatum à Gregorio XIII. Non obstante Concil. Trid. *sess. 22. Decret. de obseruand. & vitand. in celebrat. Missæ.* Anno sui Pontificatus octauo die 1. Octobris anno 1579. Speciali diplomate quod incipit *vsus Altaris portatilis*. Ex quo fit, quod in ordine ad hoc cessat Authoritas Episcoporum, quam habent

Hieronym Rodriq. Lezana. Peyrinus. Paulo. III. Conc. Tri.

ex citato decreto Conci. Trident. quo tribuitur facultas impediendi regulares, ne celebrent in altari portatili: cùm enim Pontifex tali decreto deroget in ordine ad missionarios, cessat etiam auctoritas collata per Decretum.

9 Episcopi vti possunt altari portatili *ex cap. Quoniam Episcopi, de priuileg. in 6* Debet tamen talis vsus in aliqua rationabili causa fundari, vt ex eodé textu colligitur: quia supponit Pontifex, quòd non possint commodè Ecclesiam adire. Et hoc habet locum solùm quando ipse Episcopus celebrat, sed etiam quando coram se facit celebrare. Tridentinum autem non solùm intendit tollerare abusus; respectu autem Episcoporum non est abusus talis vsus. Deinde cùm hoc priuilegium Episcoporum sit insertum in corpore iuris, debuisset de ipso fieri specialis mentio, vt reuocaretur. Imò potest Episcopus deputare Capellam in proprio palatio, vbi celebret, vel celebrare faciat ad libitum; quia prohibentur tantùm oratoria priuatarum domorum à Tridentino & Paulo V. Palatium autem Episcopi non est priuata domus. Ita Marchinus *de ordine part. 3. tract. 3. c. 9. n. 11* Lugo *disp. 20 de Euchar. sect. 9. n. 49.* Azorius *to. 1. lib. 10. c. 26. q. 4* asserens Sacram Congregationem ita declarasse anno 1586. & alij communiter.

Marchinus. Lugo. Azorius.

10 Dubium est inter Doctores, an Episcopi extra propriam diœcesim vti possit altari portatili, aut coram se facere in ipso celebrare absque licentia Ordinarii illius loci? Negatiuam sententiam quidam amplectuntur pro locis in quibus receptum est Concilium Tridentinum, quia in illo quilibet Episcopus in propria Diœcesi constituitur Delegatus Apostolicæ sedis, quò ad corrigenda ea, quæ sunt contra decentiam celebrationis: quorum vnum censetur ab ipso Consilio celebrare extra loca deputata, vnde si hoc prohibuit Episcopus, vt semper censetur prohibitum in executionem Tridentini, non poterit alius Episcopus sine licentia ipsius vti altari portatili. Ita Nauarrus *lib 5. consil. 16 de priuileg. n. 1. vers. Secundo quod verius* Sà, *verb. Episcopus n. 24.* Opposita tamen sententia est tenenda. Quia priuilegium Episcoporum celebrandi in altari portatili, absolutè, atque adeo tam in propria, quàm in aliena Diœcesi, est insertum in corpore iuris: vnde habet vim legis statuentis, quod conuenit Episcopis ratione status, & dignitatis; & Decretum Tridentini potest habere suum effectũ absque derogatione huius priuilegii. Vnde cum de ipso non fiat specialis mentio, non cẽsetur derogatum. Imò attendendo etiam mentem Concilii Tridentini, & finem, qui est tollere abusus celebrandi in priuatis domibus, ita tenendum est. Vnde ablatio priuilegij ipsorum est extra mensuram finis Concilii, & proinde non admittenda. Ita Portel. *part. 3 respons. moral. casu 20.* Barbosa *de offic. & potestat. Episcop. part. 2. allegat. 53.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 15.* vide v. Indulgentia 2. n. 7. Missa 2. n. 13. 14. & 15.

Nauarr. Eman. Sà. Portel. Diana. Barbosa.

AMBITIO.

SVMMARIVM.

1 *Ambitio quid sit, & quale peccatum.*
2 *In quibus casibus ambitio sit peccatum mortale, & quando nullum.*

1 AMbitio, est appetitus inordinatus honorum, & dignitatum. Est peccatum, quia talis appetitus est contra bonum rationis: Ex suo genere tamen non est nisi veniale. Ita D. Thomas, 2. 2. q. 131. *art.* 1. Caietanus *ibidem*, & alii communiter.

D. Thom. Caietan.

2 Ambitio aliquando est peccatum mortale. *Primò*, cùm ponitur vltimus finis, in ipso honore, & dignitate, quod contingit, cùm homo paratus est mortaliter peccare, vt dignitatem consequatur. *Secundò*, si quis honorem quærat ex aliquo mortali peccato. *Tertiò*, cùm appetitur honos vel dignitas propter finem aliquem, qui sit mortale peccatum; aut sic, vt eius consequendi, vel retinendi gratia, qui scelus aliquod committere paratus sit. *Quartò*, si honorem quærat cum alterius damno, vel iniuria: puta per simoniam, vsuram, homicidium, dolum, vel fraudem, & aliis modis illicitis mortaliter peccaminosis. Si autem honor appetatur moderatè ex re bona, nullum erit peccatum, etiamsi nullus alius finis spectetur: quia per se est obiectum indifferens, proximè accedens ad rationem honesti, cùm sit testimonium, & imago quædam virtutis. Plura apud Syluium, 2. 2. q. 131. a. 1. Toletus *lib. 8. c. 23.* Nauarrus *in Man. c. 23. n. 15.* Petrum Ledesmam *in Sum. tr. 22 c. 3.* Viguerius *in instit. c. 6. §. 4. vers. 3.* Lessius *lib. 3. c. 2. dub. 3. n. 22.*

Contra ambientes, seu procurantes pro se, vel pro aliis officia in religionibus, graues pœnæ impositæ sunt à Clemente VIII. in Decretis pro reformatione Regularium, approbatis a Sacra Congregatione iussu S. D N. Vrbani VIII. vt videre est infra *v. Electio n. 14.*

Prohibitum etiam est religiosis recurrere ad personas extra suam Religionem, pro consequendis honoribus, dignitatibus, aut gratiis in ipsa. Et iure optimo huiusmodi intercessiones prohibitæ sunt Religiosis, quia per illas maximum damnum Obseruantiæ Religiosæ sæpiùs accidit. Sed de hoc plura infra loco citato, *n. 15.*

De Ambitione, uide *Superbia vanagloria*.

APPELLARE.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio quid sit? & an ab arbitris appellari possit.*
2 *Duplex est appellatio: vna iudicialis, altera extraiudicialis. Et intra quod tempus fieri debeat à lata sententia.*
3 *Appellatio iudicialis, & extraiudicialis producit effectũ suspensiuum, & deuolutiuum.*
4 *An per appellationem suspendatur censura lata purè, & absolutè, vel sub conditione ante conditionis euentum.*
5 *Appellatio à sententia sub conditione lata an excuset ab incurrenda pœna.*
6 *Appellatio à sententia declaratoria, an valida sit.*
7 *Requisita ad legitimam appellationem.*
8 *Appellans iniustè obligatur ad expensas litis, & alia damna aduersario illata.*
9 *Secundum ius commune non licet religiosis appellare à correctione, & mandatis suorum Prælatorum legitimè factis iuxta regulares constitutions.*
An religiosus grauatus ab inferiore Prælato possit recurrere ad superiorem sine inferioris licentia.

1 APpellatio, *est prouocatio à sententia, vel alio Superioris grauamine, ad alium maiorem iudicem, seu magistratum,* Glossa *in cap. Non putamus, de consuetud. in 6. cap.* Placuit. 2. *quæst. 6. cap. Cum speciali. § porro, de appellat.* Bonacina *tom. 3. disp. 1 quæst. 3. part. 1.* Sylvester. *v. Appellatio nu. 1.* Quod remedium ad iustam defensionẽ, & vt præsidium innocentiæ institutum est, non ad defensionem iniquitatis: vnde si causa, vel ipsius appellantis antecedente confessione, vel alio quouis modo notoria sit appellationi deferendum non est. Item, si contra absentem ob veram contumaciam sententia lata sit, appellans ab ea non auditur.

Gloss. Placuit. Bonacina. Syluester.

Item ab Arbitris apellari non potest, si partium consensu delecti fuerint, vt habetur *in leg. 1. C. de arbitris*. Nec à Summo Principe appellari potest, cùm is superiorem non habeat, ad quem prouocetur *l. 1. ff. A quibus.* Eademque ratio est, si à Summo Principe alicui causa delegata sit, remota appellatione *cap. Pastoralis, de appellat.* Porrò in eadem causa non nisi bis appellare concessum est, & tertiò appellans non auditur *cap. directa. cap. Sua, de appellat.*

2 Appellatio duplex est, vna iudicialis, altera extraiudicialis; appellatio iudicialis de his instituitur, quæ circa iudicium accidunt, quãuis iure ciuili non nisi à sententia definitiua appellari possit, non item ab interlocutoria. *l. ante, C. Quorum appellationes.* Præterquàm si eius grauamen per appellationem à definitiua reparari nõ possit. Extraiudicialis appellatio est, quæ extra iudicium interponitur ob aliud quodcumque grauamen illatum, vel inferendum: puta, si beneficium alteri collatum sit in meum præiudicium, vel ne electio, aut collatio beneficii indebitè fiat, &c. Glossa *super tit. de appellat.* Syluest *cap. num.* 1. Layman *lib 3. sect. 5 tract. 6. c. 6 n. 3.* Rodriquez *tom. 1. qq. reg. quæst. 29. art. 1.*

Vtrique appellationi tùm iudiciali tùm extraiudiciali

hoc

hoc commune est, quod intra decem dierum spatium à lata sententia, vel ab alio grauamine fieri debeat, quamuis à grauamine extraiudiciali, cùm id in rem iudicatam non transeat, grauatus etiam post decennium audiatur, si per modum querelæ (tanquam remedium iuris communis & ordinarij) Superiorem adeat, eius officium implorando *Authent. hodie, Cod. de appellat. cap. Concertationi, de appellat. in 6.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 69. ad* 3. Bonacina *to. 1. de censur disp. 2. q. 2. p. 2. n. 9.*

D. Thom.

Sententia verò in iudicio lata, si intra decem dies per appellationem suspensa non fuerit, transit in rem indicatam, id est, facit authoritatem rei iudicatæ, & tribuit ius plenum parti litiganti, nisi de iniquitate sententiæ certò constet. *Res*, enim, *iudicata pro veritate accipitur* vt habet *regula* 207. *ff.* & qui intra tale tempus non appellat, censetur sententiæ acquiescere *cap. Cum inter, de sent. & re iudicata. Abb. ibid num. 7.*

3 Appellationi iudiciali & extraiudiciali etiam commune est, vt si rationabili causa nitatur, ordinariè producat effectum suspensiuum & deuolutiuum: quamuis effectus suspensiuus præcipuè locum habeat in appellatione iudiciali, præsertim quæ est à sententia definitiua, illa enim omnino suspendit iurisdictionem Iudicis, quoad illam causam: & pendente appellatione nihil omnino innouari, nec sententia executioni mandari debet: In appellatione autè extraiudiciali tũ demum reuocantur & rescinduntur acta seu attentata post eam, si veritas causæ à Iudice appellationis cognita fuerit.

Deuolutiuus autem effectus in eo consistit, quod iudex ad quem appellatur, priorem indicem inhibere & ad se deuolutam causam ipse cognoscere, ac definire possit *cap. Si à iudice, cap. Non solum, de appellat. in 6.* Syluester *V. Appellatio num. 1.* Portel. *V. appellare num. 5.*

Syluest. Portel.

4 Per appellationem non suspenditur censura lata purè & absolutè; sicut neque suspenditur lata sub conditione, postest conditionis euentu; proinde si lata sit sententia excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti contra clericos gestantes arma, & Titius probetur in iudicio arma detulisse, non excusatur ab incurrenda censura; quia absolute lata sortitur suum effectum, & mandatur executioni, nec datur appellatio à sententia iam mandata executioni, vt decernitur in Iuribus hic citatis *cap. Pastoralis, cap ad hæc 5. de appellat.* Nauar *in Man. cap. 27 nu. 159.* Suarez *de censur. disp. 9. sect. 9. num. 5.*

Nauar. Suarez.

Legitima appellatio excusat ab incurrenda censura lata sub conditione, modo appellatio fiat ante conditionis adimpletionem *cap. Præterea 2. de appellat.* vnde si feratur excommunicatio hoc modo, *præcipio tibi sub pœna excommunicationis ipso facto, vt compareas intra mensem*, censuras suspenditur per interpositam appellationem intra mensem, consequenter non comparens intra mensem, non afficitur censura, eo quod per appellationem causa deuoluitur ad alium iudicem, & suspenditur iurisdictio prioris Iudicis. Ita Sayrus, *de censur. lib. 1. capite 16. num.* 24. Henriquez *libro* 13. *cap.* 16. Syluester *V. Excommunicatio 2. quæst. 1.* Portel *cap. nu. 7.* Filliutius *tract. 11. cap. 3. quæst. 11.*

Sayrus. Henriquez Syluest. Portel. Filliutius.

5 Appellatio à sententia sub conditione lata excusat ab incurrenda pœna, etiamsi postea appellatio ipsa fuerit derelicta *cap. licet. de sententia excom. in 6.* vnde citatus à Iudice ad comparendũ intra mensem sub pœna alicuius censuræ, non peccat, nec censuram incurrit, non comparendo post factam appellationem, etiamsi illam non prosequatur: tum quia appellans à censura, censetur etiam appellare à præcepto; cum censura sit quid accessorium; & præceptum sit, quid principale; tum quia legitima appellatio suspendit censuram sub conditione latam, & deuoluit causam ad alium Iudicem. Ita Sayrus, *cap. lib. 1. cap. 16. num. 23.* Couarruuias *cap. Alma mater 1. part. §. 10.* Bonacina *tom. 1. de censur. disp. 1. quæst. 2. part. 2. n. 4.*

Quando autem occurrit dubium, an appellatio præcesserit sententiam excommunicationis, vel vtrum facta sit post; præsumitur excommunicationem ipsam præcessisse, non vero appellationem *cap. Cum tu, de testibus & attestat.* quia possessio stat pro excommunicatione, quam constat latam esse, & dubitatur de excusatione, vnde in dubio fauendum est possidenti. Ita Sanchez *lib. 1. moral.*

Sanchez.

cap. 10. num. 59. Sayrus *cap. 10. num. 30.* & alij.

Sayrus.

6 Valida est appellatio à sententia declaratoria, vt si iudex declaret aliquem clericum excommunicatum propter delationem sclopi, potest clericus ab hac declaratione appellare, & probare sclopum à se delatum non fuisse: vnde declaratus & denunciatus excommunicatus, non est vitandus facta appellatione à sententia declaratoria: modò delictum non sit adeò notum, vt nulla tergiuersatione celari possit tunc enim non prodest appellatio. Ita Nauar *in cap. cum contingat, de rescript. causa* 15. Suarez *de censur. disp. 3. sect. 6. n. 6. & sect. 15. num* 20. Fillucius *tract. 11. cap. 3. quæst. 11. & cap. 4. n. 118.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 6 num. 5.*

Nauar. Suarez. Fillucius. Layman.

7 Ad legitimam appellationem requiruntur duo. *Primum* est, vt appellatio fiat cum probabili & sufficienti causa, vel saltem vt appellans bona fide appellet, existimans se habere sufficientem & probabilem causam. *cap. vt debitus, de appellat.* Suarez *cap. sect. 6. num. 2.* Syluest. *V. Appellatio n. 6.*

Suarez. Syluest.

Secundum est, vt appellatio fiat debito tempore, debitũ autem tempus ad appellandum est spacium decem dierum *cap. quod ad consultationem, de re iudicata.* Couarr. *in c. Alma 1. par. §. 10. n. 4.* Sayr. *lib. 1. c. 16. 24.* Sylu. *c. nu.* 5. nec potest iudex hoc tempus decem dierum ad appellandum statutum, aut tempus anni, vel bienij ad ipsam appellationem prosequendum: & tempus restitutionis in integrum concessum minuere, vt decernitur in *cap. cum sic Romana, de appellat.* In censuris autem hoc speciale est, vt quocumque tempore ante conditionis euentum fieri possit appellatio, vt dictum est.

Sayrus. Syluest.

Vide *Dianam part. 3. tract. 5. miscel. resol.* 104. vbi quærit, an appellatio sit licita, si sententia lata sit à Iudice secundum opinionem probabilem, vel quod magis est, probabiliorem? Pro negatiua citat P. Ledesmam *in Summ. tract* 8. *c.* 24. *in concl.* 10. Villalob. *tom. 2. tract. 16. diffic. 8.* Sed si hæc opinio esset vera, innumera cõmitterentur peccata à Reis Aduocatis & Procuratoribus: vnde affirmatiua est tenenda, non solum in causa sanguinis, vt docent De la Crux *in direct. præcept. 1. part. 8. art. 3. dub. 11. concl.* 2. Salon 2. 2. *qu. 69. art. 3.* Syluius *ibid.* sed etiam in causis ciuilibus, vt vult Turrianus 2. 2. *disp. 51. dub. 1. num. 4.* cuius sententiæ adæret ipse *Diana* & Ego. Ratio est, quia si semel demus probabilem esse Iudicis Superioris opinionem cõcedendum est iustam fore sententiam illius, secundum talem opinionem; poterit ergo reus ad Superiorem appellare, vt ferat sententiam iustam quia cum sint diuersæ opiniones probabiles, non est cur priuetur reus iure recurrendi ad Superiorem.

Ledesma. Salon. Syluius. Turrian.

8 Qui iniustè appellat, videlicet, vt tempus exequendæ sententiæ differat, omni iure obligatur ad expensas litis & ad alia damna aduersario illata: imò propter illatam calumniam etiam puniri potest, vnde peccat Superior, si deferat appellationi, quæ nulla probabili ratione nititur, ac manifestè friuola & iniusta est. Sicut Abbas *in cap. 2. n. 1. & c. de priore num. 7. de appellat.* Syluius 2. 2. *quæst. 69. artic. 3.*

Abbas. Syluius.

9 Religiosis Mendicantibus sub pœna excommunicationis prohibitum est appellare: quod intelligendum est, seruatis statutis ordinis cum debita maturitate & deliberatione, *Gregorius* tamen XIII. concessit Fratribus Minoribus appellationem à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, à Protectore ad Sacram Congregationem. Ad sæcularia autem tribunalia eisdem fratribus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reseruatæ, & priuationis officiorum appellare ab eodem *Gregorio XIII.* cauetur. Rodriguez *tom. qq. reg. quæst. 29. art. 2. Compend. priuileg. Mendicant. verb. Appellare.* Lezana *in Summ. to. 1. cap. 9. num. 4.*

Rodrig. Lezana.

An autem regularis, in casu iustæ appellationis, possit omisso medio non appellare ad Prouincialem, seu ad Generalem, sed ad Papam, seu ad Nuncium, Affirmatiuè respondet Laurentius Portel. *in dub. reg. verb. Appellare, num.* 3. vt praxis obseruat. Nota etiam quod Sacra Congregatio Regularium iure computari debet inter tribunalia Religionis.

Portel.

Aduertendum insuper hic est, licet, secundum ius commune

mune *c. de priore*, *de appellat.* integrum non religiosis appellare à correctione, & mandatis suorum Prælatorum legitimè factis, iuxta regulares constitutiones; secus tamẽ est dicendum, quando Prælati regulares modum excedũt, tunc enim licet semper ab eorum sententia appellare, siue iudicialiter, siue extraiudicialiter procedatur; vnde Priuilegia, & constitutiones denegantia religiosis appellationẽ, intelligenda sunt eo modo quo ius commune eam denegans intelligendum venit, vt dictum est, nempe quando Prelati religiosorum corrigentes, aut punientes religiosum, non excedunt limites religiosæ disciplinæ: tunc enim minimè grauant, secus quando grauant eos, limites prætergrediendo. Ita Clauis Regia *lib. 12. c. 17. n. 38.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 11. q. 8.* Sanchez *lib. 6. Mor. al. c. 8 num. 102. & seq.* Sylvius *c. art. 3* Diana *p. 3. tract. 2. resol. 54.*

Cla. Reg. Azorius. Sanch. Sylvius Diana.

Vnde in raro, & graui casu, in quo euidenter constaret religioso fieri notabilem iniuriam, in fama, honore, & reputatione à suis Superioribus licita illi esset appellatio ad Summum Pontificem, vel Sacram Congregationem. Ratio est, quia hoc videtur permissum à Summis Pontificibus vt conforme Iuri naturali, non solùm in aliquibus decretis, sed à Iure *in c. de Priore* hic citato. In tali autem casu appellatio executionem sententiæ regulariter suspendit, vt colligitur ex *c. Venientes, de iureiurand.* Necesse est etiam in appellatione causam grauaminis exprimere, quia solummodò admittitur appellatio, cùm modus exceditur. In alijs autem casibus non est tolleranda appellatio Religiosorum, etiamsi illis aliqua iniuria fiat: cùm recta, & bona æstimatio Religionis anteponi debeat, etiam secundũ Ius naturale, bono priuato alicuius Vide Rodriguez *tom. 1. q. 29. art. 3.* Peyrinum *tom. 1. q. 1. de obed. c. 20.*

Rodrig. Peyrinus.

Dubitare hic quis posset, an Religiosus possit recurrere ad Superiorem supremum, sine inferioris Prælati licentia, contra mandatum Concilij Tridentini *sess. 25. c. 4. de regular.* Respondent Nauarrus *in Comment. 2. de regul. n. 61* & *Comment. 3. n. 51.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 11. q. 7.* Clauis Regia *lib. 12. c. 17. n. 40.* Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 29. & q. 30. art 4.* Sàv. *Religio. n. 7 1.* Diana *p. 3. tract. 2. resol. 56. & 115.* Lezana *tom. 3. v. Apostasia n. 6.* Sylvius *1. p. resol. v. Appellatio*, verba Concilij non esse intelligenda de adeunte Superiorem ex graui causa, vt si à Superiore Monasterij nimium fuerit grauatus, & iniquè vexatus, tunc enim per viam iusti grauaminis, & appellationis iustæ, verbo, vel facto interpositæ, potest adire Superiorem ad conquerendum de illo. Et licet Ordinarius iustè possit capere talem regularem per suum territorium transeuntem, iuxta tenorem Concilij Tridentini, non tamen iustè, retinere, nec punire; si fidem faceret, se grauatum appellasse, vel de grauamine potestatum, iter arripuisse ad Superiorem, & ideò licentiam scriptam non deferre, quia noluit eam dare Prælatus, a quo appellauit; vel iustè metuit petere. Plura de his apud Doctores hic citatos, & *infra v. Religio 6. n. 15.*

Nauarr. Azorius. Clau. Reg. Rodriq. Sàv. Diana Lezana. Sylvius.

Qui autem fugit ad Superiorem Prælatum, vel sine fũdamento, vel non nimis, sed tantùm leuiter ab inferiori Prælato grauatus, vel si etiam grauiter, ad faciendam querelam contra ipsum, cùm tamen commodè eam facere posset, vel per literas, vel alio tempore, etsi non sit verus Apostata, contraueniet tamen decreto Concilij Tridentini relato & veluti vagus, & profugus puniri debet iuxta statuta suæ Religionis: Imò ex declaratione facta Generali Fratrum Minorum de Obseruantia à Sacra Congregatione talis Religiosus in foro externo, & quoad pœnas esset plectendus sicut verus Apostata. Portel. *in dub. reg. v. apostata, n. 3. & in addit. n. 6.*

Portel.

De appellatione vide *Festum 2. n. 18.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Inter supplicationem, & appellationem est differentia.*
2 *Appellare, licet in vno tantum casu à sententia Iudicis arbitrarij.*
3 *Grauatus iniustè licitè, & sine peccato ad iudicem superiorem appellare potest.*
4 *Hodie decem dierum spatium damnato conceditur, à sententia lata, ad appellandum, & ter tantum appellari potest.*
5 *Appellans causa differendæ, vel repellendæ iustæ sententiæ, peccat mortaliter.*
6 *Quando sententia est dubia, licitum est reo ad superiorem appellare.*
7 *Appellatio debet fieri ad iudicem competentem, & suo ordine.*
8 *Quando causa decisa fuit per duos iudices, vnum laicũ, & alterum Ecclesiasticum, appellatio debet fieri ad iudicem Ecclesiasticum.*
9 *Non datur appellatio à sententia Inquisitorum contra hæreticos lata diffinitiuè: bene tamen à grauamine illato ante sententiam; imò admitti debet appellatio à sententia torturæ.*
10 *Appellatio generalis ad iudicem competentem, intelligitur facta ad proximum superiorem.*
11 *Verius est appellationem alternatiuè factam ad plures iudices, non esse vitiosam, & inutilem.*
12 *Appellatio ab interlocutoria debet fieri in scriptis, & cõtinere debet grauamen, & causam grauaminis; si regularis à Superiore grauatus timet Apostolos petere, potest ad Superiorem maiorem se transferre, etiam relicto habito regulari.*
13 *Per appellationem subsequentem, suspensio ab officio, & ingressu Ecclesiæ non suspenditur: secus est de suspensione à beneficio.*
Verius est appellationem interpositam suspendere sententiam de reincidentia.
14 *Suspensio à voce actiua, & passiua suspenditur per appellationem subsequentem.*
15 *A lege generali emanata à legitimo conditore non appellatur; quamuis possit ab illa supplicari vt reuocetur aut moderetur.*
16 *Attentis religionum priuilegijs non licet religiosis à sententijs suorum superiorum appellare, & maximè ad externos Prælatos extra ordinem.*
17 *Priuilegia denegantia religiosis appellationem vltra ius commune, hoc amplius continent, quod ea appellatio non suspendat ius, quando excessus Prælatorum manifestus non fuerit.*
18 *Regula obseruanda à religiosis, vt licitè possint recusare Prælatum iudicem tamquam suspectum.*

1 INter appellationem, & supplicationem est differentia; quòd appellatio est ad iudicem superiorem. Supplicatio autem est ad eumdem iudicem, qui sententiam tulit: qua reus fatetur sententiam contra se saltem istam esse, supplicat tamen vt iterum videatur causa, si fortè sit locus misericordiæ, aut moderationis sententiæ.

2 In vno casu licitum est à sententia iudicis arbitrarij appellare, nimirum quando essent plures iudices, puta tres electi, & duo eorum ferrent sententiam renuente, vel absente tertio; tunc enim posset pars litigans ab illis duobus, ad alium iudicẽ ordinarium appellare, *vt in c. Sanè ex consensu 2. q. 6.* habetur. Cessat enim tunc illa nota inconstantiæ ex parte litigantis, quandoquidem non aliter censetur illis collata potestas ferendi sententiam validè; à qua recedi non possit, nisi in ea omnes consentiant, & ad eam ferendam adsint. Quod intelligendum est, nisi litigantes, ita inter se constituerint, vt sententiam quoque à maiori parte illorum iudicum latam, ratam, & validam haberent. In alijs autem casibus ab arbitris appellari non potest, si partium consensu delecti fuerint, vt habetur *in c. à iudicibus, 2 q. 6.* Cùm enim arbiter auctoritatem non habeat, nisi ex consensu litigantium, qui cùm eum elegerunt, compromiserunt omninò sententiæ eius stare iustæ, ad tollendum malum inconstantiæ, & leuitatis animi in ipsis litigãtibus, iure cautum est, ne possint à sententia iudicis arbitri, cuius iudicio, & iustitiæ confidentes se priùs subiecerunt, appellare. Ita D. Thomas *2. 2. q. 69. art. 3. ad 2.* D. Thom.

3 Quotiescumque quis se à iudice grauatum iniustè intelligit, licitè, & absque peccato ad iudicem superiorem appellare potest: vt colligitur ex *c. Omnis oppressus 2 q. 6.* Id quod exemplo Apostoli Pauli confirmatur, qui *Cæsarem appellauit.* Act. 25. Ratio est, quia cùm ius naturale suadeat, vt vnusquisque seipsum meliori modo quo possit, defendat

fendat

fendat, consequenter reus iniustè à iudice grauatus, causæque suæ iustæ confidens, ad iudicem superiorem legitimum appellare potest, vt se hac via ab iniusto grauamine saluet. Nec sic appellando alicui facit iniuriam, cùm vtatur iure suo; & sibi ipsi imputet iudex, à quo appellatur, cùm ei in hoc casu obedire non teneatur. Vnde appellatio meritò defensio, & præsidium innocentiæ est, quod etiam excommunicatis non negatur, *c. cum inter de except.*

4 Quamuis olim cùm maior esset inter homines charitas, reo tantum concessum esset biduum, aut triduum, vt si vellet appellare posset, *c. Anteriorum*, & *c. Biduum*, *2.q.6.* Postea tamen concessum est tempus decem dierum ad appellandum. Quod sanè tempus rationabiliter constitutum est, vt hoc temporis spatio reus secum deliberet, an appellare expediat, post quod tempus appellare non licet. Nisi enim tempus præfixum esset, numquam vlla sententia iusta executioni mandaretur, & in magnum detrimentum boni communis cederet, quod altera pars diutius suspensa maneret. Et quidem olim interdictum fuit super eodē articulo tertio appellare *c. directa*, & *c. Tua nobis, de appellat.* Nunc autem vsus obtinuit, vt ter appellare liceat, tresque sententiæ concordes expectentur, & non sæpiùs: id quod optima ratione concessum est, vt si fortè reus nouā iuris, aut facti probationem adinuenire possit, quam non potuit in tempore coram iudice inferiore proponere, hac
Sotus. Salon. Valentia. ratione se defendat. Ita Sotus *lib. 5. de instit. q. 6. artic. 3. ad tertium*, Salon *2.2. q. 69. art. 3.* Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 13 punct. 3.* Quæ tres appellationes admittuntur solum in articulo, & causa præcipua, circa accessoria verò, & minutiores partes litis, quas legistæ intermedia vocāt, licet quidem ab eodem iudice postulare vt iterum videat, attentiùsque consideret, non tamen appellare, quia aliter numquam, vel vnius litis terminus haberetur.

5 Quando quis appellat causa, vel differendæ, vel repellendæ iustæ sententiæ, calumniosè se defendens, peccat mortaliter. Colligitur ex *c. Quicumque*, & *c. Omnino 2.q.6* vbi statuitur, vt tales appellationes non admittantur, & vt
D. Thom. sic appellantes puniantur. Ita docet D. Thomas *2.2. qu. 69. art. 3.* communiter receptus. Ratio est, quia violat obediētiam iudici debitam, imò iniuriam ei facit, quasi in hāc re falsam tulerit sententiam: testibus etiam falsum imponit, & denique iniuriam facit aduersario perturbando illius iustitiam, & proinde ad restitutionem totius damni, quod patitur & ipse Iudex & pars contraria, nec non expensarum litis tenetur, vt *in c. Omninò cit.* habetur, & tradunt communiter Doctores post D. Thomam. Quod intelligendum est quando appellat à sententia, quę omni ex parte scitur esse iusta.

6 Quando sententia est dubia iudicio prudentum, idest iudicis, & patronorum, & partium, in causa criminali, & capitali, licitum est reo ad superiorem iudicem appellare. Ratio est, quia existente opinionum varietate, dummodo probabiles sint, debet iudex in rei fauorem inclinare, arg. *Reg. cum sunt, de reg. iur. in 6.* Quòd si non fecerit, iam est in tali iudice aliqua impietas, & iustam causam habet Reus ad appellandum.

In causa verò ciuili, si opinio quam secutus est iudex inferior sit minus probabilis, licitum est appellare. Quia licet iudex licitè sequi possit opinionem probabilē relicta probabiliori circa ius, in re tamen facti sequi tenetur probabiliorem. Vnde reus in tali casu non appellat ex confidentia iustæ causæ neque imponit falsum crimen iudici inferiori, sed tantùm obijcit, quòd secutus est opinionem minus probabilem circa ius, & quod hoc examinare intendit in superiori tribunali.

Si opiniones sint æquè probabiles circa ius, & nullus sit in possessione, poterit etiam condemnatus superiorem iudicem appellare, quia nequè in hoc casu imponit iudici falsum, sed vtitur priuilegio iuris in suum fauorem, cùm res sit dubia, & iudex superior iustè illi fauere possit. Quinimò allegare potest aliam opinionem esse probabilem, & cùm in tali casu res ex æquo diuidenda sit, allegare pro se potest, sibi aliquo modo factam esse iniuriam, si aliter iudicatum fuerit.

Si iudex inferior iudicauit secundùm opinionem communem, & probabiliorem, & superior amplectitur minus probabilem, & hoc constet reo, videtur non effici licitum appellare. Ratio est, quia in dubiis probabilior opinio videtur æquior, vnde sic appellans iniuriam facit iudici, qui rectè munus suum exercuit, alteriusque partis iustitiam absque causa iusta perturbat. De his Vide Sotum *libr. 5. de* Sotus.
instit. q. 6. art 3. Salon *2.2. q. 69. art. 3.* Arragon, Bannez *ib.* Salon. Arragon.
Clauem Regiam, *lib. 12. c. 17. n 35.* Dianam *part. 3. tract. 5.* Bannez. Clau. Reg.
resol. 104. qui docet iustam esse appellationem ad superio- Diana:
rem qui iudicaturus est secundùm opinionem minus probabilem, nam iudex appellationis ferre potest sententiam & quidem iustè, secudùm opinionem minus probabilem. Et hanc sententiam amplexati sumus *in tom. 1. nostra Sūma v. Appellare, n. 7.*

7 Appellatio debet fieri ad iudicem competentem, & suo ordine; vnde omnis appellatio à iudice Ecclesiastico ad iudicem laicum est illicita, quia is non est competens. Quod intelligendum est etiam de rescripto, seu Apostolis, testificantibus de appellatione facta coram iudice Ecclesiastico ad Papam, & impedientibus ne interim reus molestetur, quæ appellatur tuitiua appellatio, in regno Portugalliæ concedi solita. Nam huiusmodi appellatio offendit libertatem Ecclesiasticam, & illam reprobare videtur Tridentinum *sess. 25. c. 3. de reform.* Et praxis Curiæ Romanæ, quæ Candelabrum aureum Viualdi, quod cum alijs hanc appellationem defenderet, suspendit: Et in casu, in quo cōceduntur supradictæ appellationes, potest Clericus vel Laicus oppressus recurrere pro remedio obtinendo ad Iudicem Ecclesiasticum competentem, vt Canones iubent, & non ad iudices sæculares incompetentes, quod prohi- Diana:
bent. Ita Diana *p. 3. tract. 2. resol. 103.*

8 Quando causa decisa fuit per duos iudices, vnum laicum, & alium Ecclesiasticum, appellatio facienda est coram iudice Ecclesiastico, quia dignior trahit ad se minus dignum, & cùm in dicta appellatione agatur de actu ipsorum iudicum arbitrorum, quorum iudex non potest esse laicus, dicendum est appellationem interponendam esse coram Ecclesiastico. Ita Felinus *c. 1. de praescript. n. 6.* Bona- Felinus.
cina *in Bulla Cœnæ, disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 5. n. 21.* & alij Bonacina.
apud ipsum citati. Quidquid in cōtrarium afferat Couar- Couarr.
ruu. *2. var. c. 12. in princ.*

9 Appellatio à sententia Inquisitorum lata contra hæreticos eorumque credentes, fautores, defensores, & receptatores non datur; vt patet ex *c. Vt inquisitionis de haeret. in 6.* & sicut hæreticus à sententia contra se appellare non potest, ita nec etiam appellare possunt eius hæredes. Vnde hæc sententia definitiua potest executioni demandari, etiam pendente termino decem dierum à iure communi ad appellandum dato. Verum licet hęreticus non possit appellare à sententia definitiua, potest tamen appellare à grauamine illato ante definitiuam sententiam, & sic ab interlocutoria. Imò admitti debet appellatio rei à sententia torturæ, ex *l. 2. C. de appellat. recipiend.* & *l. penult. C. quorum appellat. non recipiuntur.* Nisi appellatio esset friuola calumniosa: nam in tali casu potest reiici, & ea non obstante ad vlteriora procedi absque attentatorum vitio. Appellationem autem friuolam, & calumniosam iudex arbitrabitur, quando videbit in processu apparere legitima ad torquendum indicia, & ea non fuisse purgata in termino concesso ad defendendum: quæ omnia procedūt, quando constat clarè de calumnia appellationis: Secus autem quādo est dubium tam iuris quam facti, nam tunc iudex debet supersedere in tortura, & expectare quid super appellatione pronuntiet iudex ad quem appellatum est. Ita
Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. c. 3. dub. 15.* Miranda *in ordi-* Sanchez. Miranda.
ne iudic. tom. 2. q. 26. art. 15. conclus. 2. Menochius *de arbitr.* Menoch.
lib. 2. c. 197.

Quando autem hæreticis licitum est appellare, appellatio defertur ad Papam: In tribunali verò S. Inquisitionis Hispan. vbi ex priuilegio Apostolico, appellatio defertur ad supremum Inquisitorem, & si grauamen sit illatum ab Episcopo, possunt laici appellare ad Metropolitanum, non autem exempti. Nam in causis exemptorum quoad hæreses Episcopus procedit non tanquam iudex ordinarius, sed delegatus, & ideò deferenda est Summo Pontifici. Vi- Simancas
de *c. Ad abolendam, §. si qui verò, de haeret. in 6.* Simancham Lium.
in Catholic. institut. tit. 25. Dianam *p. 4. tract. 6. resol. 20. & tract. 8. resol. 20. & 32.* apud quem plura.

10 In vsu iuris Pontificij non est inutilis appellatio generalis

neralis facta simpliciter ad iudicem competentem: nam quamuis omisso medio ad Papam, eiusue legatum appellari possit, voluntas appellantis in dubio esse non censetur, sed potius præsumendum est appellationem ad proximum superiorem iudicem factam fuisse, in dubio enim iure communi potius, quam priuilegio vti præsumitur, leg. eius, § milit.a.ff. de milit. testament. l. in testamento, C. de te stament. milit. Vnde qui appellat verbis generalibus ad iudicem competentem, proximè superiorem debet adire, nó verò maiorem omisso medio, etiamsi ad illum prouocare potuisset. Ita Decius in c. consuluit, n. 4. & 5. de appellat. Diana, p. 5. tract. 10. resol. 18.

Decius. Diana.

11 Appellatio alternatiuè facta ad plures iudices competentes, v.g. Appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam, aut appello ad quem iure possum, & debeo, aut coniuncti ua oratione. Appello ad hunc, & ad illum, multi eo casu incertam, & simul vitiosam appellationem esse existimát. Panormitanus autem ait, quòd si iudici competenti alius incompetens per alternationem adiicitur, appellatio non est vitiosa. Si verò vterque iudex appellatus æquè competens sit, aliqui dicunt appellationem esse inutilem ex incertitudine orta inter iudices, l. prætor, § quod autem, ff. de testamentaria tutela. Verius tamen est, huiusmodi alternatiuam appellationem non adeo esse inutilem, vt pro non scripta habeatur, nam vitium incertitudinis, quod in alternatione latet, poterit ab appellante sequente declaratione purgari: v.g. si appellans vnum ex alternatis iudicibus elegerit, dum tamen talis declaratio, aut electio facta fuerit durante termino ad appellandum designato, videlicet intra decem, aut quinque dies à tempore sententiæ, l. fin. C. de tempor. appellat. Ita Diana p. 5. tract. 10. resol. 18. citans pro hac sententia Magrouiejo, tom. 1. in c. Cum consuluit n. 9. & 10. de appellat.

Diana Magrou.

12 Appellatio ab interlocutoria, siue à grauamine, quo reus se grauari dicit, debet fieri in scriptis, & continere debet duo, idest, granamen à quo appellatur, ex c. Cùm sit Romana, extra de appellat. alterum est causa grauaminis, & non sufficit illa in genere, sed specificè erit explicanda: aliter appellatio non valeret. Ita Pegna in directior. Inquisit. p. 3. Comment. 31. n. 121. Intellige nisi iusta causa hæc impediat, vt si regularis à superiore grauatus timeret Apostolos petere, & literas appellationis præsentare. Nam non est petendus consensus ab eo qui vexat iniquè, vel de cuius culpa corrigenda, & emendanda curatur. Igitur potest se ad superiorem transferre, quæ appellatio dicitur arrepto itinere, & sine scripto; neque hoc intendit prohibere Concil. Trid. sess. 25. c. 4. de regular. vt docent Doctores citati tom. 1. nostræ Summæ v. Appellare, n. 9 §. Dubitare, & v. Religio VI. n. 15. Imò in tali casu si Religiosus ferendo habitum Religionis timeret detegi, & comprehendi à Prælato iniustè grauante, posset habitum dimittere, donec tutò accedat ad Prælatum, ad quem appellauit; quia portare habitum Ordinis est præceptum humanum, at præceptū humanum non obligat cum tanto periculo famæ, carceris & iniusti grauaminis certò moraliter spectari. Tum quia necessitas, quæ talem religiosum facit iustè, idest, sine peccato exire à Conuentu absque licentia Prælati localis, eadem sufficit vt possit deponere habitum Ordinis vrgente eodem periculo, & necessitate. Ita Portel. in addit. ad dub. reg. v. Habitus, n. 3.

Conc. Tr.

Portel.

13 Per appellationem subsequentem, suspensio ab officio, & ingresso Ecclesiæ non suspenditur: quia secum executionem defert, vt patet ex c. Is cui, de sentent. excomm. in 6. secus est de suspensione à beneficio, quod ex eodem c. Colligitur: nam cùm ibidem singulariter dicatur suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ non suspendi per appellationem subsequentem, contrarium innuitur de alijs suspensionibus. Ita Coninck de Sacram. disp. 4. dub. 4. n. 29. Auila p. 3. disp. 3. dub. 4. Imò appellatio nequit impedire denunciationem censuræ iam latæ, & incursæ, vt definitur in c. Pastoralis, de appellat. quia denūciatio est quid accessorium censuræ, ac proinde eam se quitur. Ita Hurtadus de censur. in communi, diffic. 5. n. 110. An autem sublata ab Episcopo suspensione, vel interdicto ad reincidentiam; si detur interim appellatio, suspendat sententiam ne postea dictæ censuræ contrahantur, dicendum est probabile esse appellationem interpositam non suspendere sententiam de reincidentia: verius tamen esse contrarium. Ratio est, quia Episcopus numquam potest tollere suam censuram, nisi illam penitus tollat; quare si appellatur, & iusta sit appellatio, censura remanebit suspensa. Quare si suspendat sententiam, illam prorsus extinguit. Vnde si postea suspensus appellet, talis appellatio habet vim, ne superior possit iterum ferre censuram, nisi antea cognoscatur de appellatione. Ita Alterius de censur. tom. 2. disp. 3. c. 2. Bonacina de censur. disp. 3. punct. 1. n. 4. Diana, p. 5. tract. 10. resol. 17.

Coninck. Auila.

Vlterius Bonacina. Diana.

14 Suspensio à voce actiua, & passiua suspenditur per appellat onem subsequentem: vnde si post appellationem suspensus e igat, vel eligatur, electio erit valida. Quod maximè debent aduertere regulares in similibus appellationibus à priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, quæ apud illos aliquando solet fieri in Capitulis, & Congregationibus. Hæc autem appellatio non solùm potest interponi contra sententiam latam à iudice præcedente processu iuridico: sed etiam poterit interponi contra mandatum quoduis Superioris iniustum, & grauans, non præcedente processu. Potest etiam quis appellare contra electionem ne fiat indebitè si fit de corpore Capituli: vt si præses electionis omisit vocare illos, quos vocare tenebatur, vel si omittat a'iquam solemnitatem substantialem iuris, poterit tunc appellari vel à nocumento proprio sibi sperato, vel inferedo contra bonum commune. Prima appellatio contra sē. tentiā latam in iudicio, dicitur appellatio iudicialis. Secūda appellatio facta à mandato grauante, dicitur appellatio extraindicialis. Vide Rodriguez tom. 1. qq reg. q. 49. art. 5. Mirandam de ordin. Iudic. qu. 30. art. 2. Portel. in addit. ad dub. v. Appellare, n. 1.

Rodrig. Miranda. Portel.

15 A lege generali emanata à legitimo conditore in bonum publicum, seu commune, non licet appellare, quāuis possit ab illa supplicari, vt reuocetur, aut moderetur: interim tamen non potest suspendi eius executio ab inferiore interposita appellatione: nam reuera hæc appellatio est, & suspensio executionis in hoc casu est effectus ipsius appellationis, quæ non permittitur, nisi ob grauamen, grauamen aut legis vniuersalis non est grauamen. Secus dicēdum in rescripto, cuius executio suspenditur interposita supplicatione, quia tangit ius priuatum. Ita Rodriguez tom. 1. qq. reg. q. 6. art. 7. § dico secundo, Rebuffus in l. Sceuola, § si qua pœna, ff. de verb signific.

Rodrigue. Rebuffus.

16 Attentis religionum priuilegiis non licet Religiosis à sententijs suorum Prælatorum, & correctionibus appellare. Bonifacius enim VIII. statuit non licere fratribus Minoribus à correctionibus Prælatorum eiusdem Ordinis appellare, quatenus appellare, Sixtus IV. concessit Augustinianis, & Carmelitanis, vt Generalis eorum possit suum minus obire, reiecta quauis appellatione ab eius præceptis, monitionibus, ordinationibus, & mandatis, ac decretis: vt refert Sorbus in Compend: priuileg. mendic. v. Appellare, n. 1. & v. Generalis, n. 11. & 12. Iulius II. prohibuit sub pœna excommunicationis Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum appellare à mandatis, & Ordinationibus Prælatorum dicti Ordinis, Sorbus ib. v. Appellare, n. 3. Paulus III. concessit Societati IESV, non liceat à correctione regulæ secundùm ordinationes eius factæ appellare, nec postea per quemuis Iudicem, appellationem admitti. Ita habetur in Compend priuileg. Societatis, v. Appellatio, §. 1. & 2. habetur, per priuilegium concessum Canonici Sancti Saluatoris, nullos è Societate IESV posse appellare ad quemcumque, etiam ad Pontificem, nisi de speciali eius licentia, ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mādatis Congregationis Generalis, aut Præpositi Generalis, aut aliorum Superiorum, & appellationes, & inde sequuta fore irrita. Item per priuilegium Cisterciensibus concessum non licere appellare in Societate IESV sub excommunicatione lata ipsi Pontifici reseruata, à reformationibus: seu correctionibus Præpositi Genera is, aut visitatorum quos ipse deputauerit, nisi à Generali Congregatione, & in casu denegatæ iustitiæ, aut pro notoria iniuria.

Sorbus.

Quæ quidem priuilegia meritò, ac iure optimo Religionibus concessa sunt, vt ab eis appellandi vsus excludatur, maximè ad externos Prælatos, vt ad Nuncium, & Pōtificem. Ratio est, ub bonum, & tranquillitatem, ac honorem Religionum, quæ in simplici quadam obedientiā cōsistunt,

Sotus. Clau.Reg. Rodrig.

sistunt,nec modicum hęc detrimentum patiuntur,quando Religiosorum causæ extra priuatos parietes tractantnr, ad Iudicesque externos deferuntur.Ita Sotus,*lib.5.de iust. q.6.art.*3.Clauis Regia *lib.*12.*c.*17.*n.*41.*&* 42.Rodriguez *de ordine iudiciali.c.*13.*num. vltimo. & tomo*1.*qq. regul. articul.* 3. & 29.alij.

Quare solam appellationem ad Prælatos externos videntur prædicti Doctores reprobare:neque enim Religionum decus,ac tranquillitas tantum detrimenti patitur, causis ad eiusdem Religionis superiores delatis. Imò appellatio hæc ad superiores eiusdemOrdinis Religiosis permissa est, ac ipsis non auferentibus grauamen,ad superiores externos:vt diximus *to.*1.*nostra summ.v.Appellare,n.*9

Sanchez.

17 Quamuis priuilegia,& constitutiones denegantia religiosis appellationem, intelligẽda sint eo modo quo ius commune eam denegans,intelligendum venit: quia eodẽ tenore,eademque verborum forma,& eadem vitãdæ Religionum perturbationis ratione,ius commune,& Constitutiones,priuilegiaque appellationem hanc interdixerunt: vt docent Nauarrus,Azorius, Rodriguez, & Clauis Regia:Nihilominus Sanchez, *lib.*6. *Moral.c.*8.*n.*110. existimat aliquid amplius continere priuilegia hæc, & Constitutiones:nam attento iure communi,non solùm conceditur appellatio, quando grauamen est certum, sed etiam quando est dubium, & solùm denegatur quando apertè constat nullum esse grauamen,vt constat ex *c.Cùm speciali,§.porrò de appellat.*& ibi tradunt Doctores,ex Syluestro *v.Appellatio,q.*12.*n.*13.At priuilegia Religionum,ipsarũque Constitutiones à Pontifice approbatę,dum Religiosis apellate interdicunt,hoc amplius continent,nempe vt ipsis appellare non permittatur, nec ea appellatio suspendat, ius quando excessus Prælatorum manifestus non fuerit: hoc enim pax,simplicitas,& obedientia Religiosorum postulat; quæ bona dicta priuilegia, & Constitutiones spectant Quando autem non est locus appellationi,potest ille Religiosus causa quærelæ, ac Superiorem accedere. At hæc querela non suspendit iurisdictionem Prelati inferioris donec inhibeatur, vt benedocent Clauis Regia, *lib.*1. 2.*c.*17.*n.*38. Rodriguez *tom.*1.*qq.reg.q.*29 *art.*2.Pellizzarius *in Manual.reg. tract.*6.*c.*7.*n.*43.

Clau.Reg. Rodrig. Pellizzar.

Sed petes,quale tempus iure concedatur ad prosequendam appellationem? Respondeo,iure ciuili concedi duos menses. *Authentic.de iudic.§.appellat.collat.*7.& *l.*1.*Codic. de temp.appellat.* Iure verò Canonico dari vnum annum, imò & duos ex causa necessaria,ac euidenti,*c.Cùm sit Romana,de appellat.*esto iudex à quo appellatum fuit, iuxta locorum distantiam,& qualitatem personarum, ac negotij, tale tempus moderari possit: vnde si appellans intra tale tempus non est prosecutus appellationem, si appellatum est à sententia, ea transit in rem iudicatam: si verò ante sententiam incepta lite, tenetur stare iudicio illius, ac si non appellasset: quòd si appellatio sit à grauamine ante litis ingressum audietur appellatio,siue appellatione extraiudiciali,siue per viam quærelæ.

Insuper appellans tenetur de iure petere Apostolos infra 30.dies,iuxta *c.Ab eo,de appellat.in* 6.idque à die sciẽtiæ sententiæ latæ,à quo die habuit facultatem appellandi: & si iudex requisitus renuat eos dare, appellans debet id protestari,nec non redire pro illis infra terminum, quem iudex de ipsis expresse non respondendo dederit: alioqui si appellans non compareat infra terminum statutum, appellatio manet deserta:& hoc,licet iudex ea die non venerit ad locum;siquidem non curatur de præsentia Iudicis; sed solùm attenditur diligentia appellantis.

Sanchez.

Apostoli autem,de quibus hic est sermo,sunt literæ testimoniales,testificantes,de facta appellatione:dicuntur.n. Apostoli à verbo Græco, ἀποστέλλω, quod est, remitto. Ex Apostolis verò alij sunt conuentionales, alii dimissorii, alij refutatorii: alij reuerentiales, seu reuerendi, & alij testimoniales.Ita Lexicus *iuris ciuilis,v.Apostoli.*De quibus vide Sanchez*lib.*3.*consil.c.vnic.n.*118.*& seqq.*

18 Cùm recusatio, & appellatio in hoc æquipararentur, vt neutra absque causa liceat apud regulares, quatenus recusatio iudicis Prælati sibi visi suspecti impediret eorum correctionem,iuxta regularia instituta,pro regula sit in hoc casu obseruanda.

Recusans Prælatum vt suspectum debet coram eodem Prælato allegare causas exceptionis, qui Prælatus si viderit causas esse friuolas, & inanes, poterit per seipsum illas repellere,& in causa procedere;habetur expresse,*in c.Cum speciali de appellat.* iuncta ibi Glossa *v.Iusta suspicionis.* Si causa recusationis sit apparens,& probabilis, & Prælatus sit Ordinarius,vt Episcopus,Prouincialis, &c. potest talis Prælatus committere causam alicui personæ non suspectæ,vel aliquibus iudicibus arbitris, qui causam illam iudicent.Si verò sit iudex delegatus, non potest hæc duo facere ex suo imperio: sed ex consensu partium litigantium assignante quauis parte suum arbitrum, & sic poterit iudicari an sit causa sufficiens recusationis, qui si iudicent non esse sufficientem; procedet iudex delegatus in causa commissa:si verò iudicent esse causam sufficientem,cessabit delegatio Et ratio diuersitatis est, quia iudex ordinarius habet magis radicatam iurisdictionem,quam delegatus.Habentur hęc duo *in c.Cum speciali,de appellat.* & in Glossa,& quòd Prælatus ordinarius si sit suspectus, possit assignare alium iudicem non suspectum, habetur *c.si quis de foro competent.* vel ipsa pars potest petere, vt aliquem sibi associet,per textus,quos citat Glossa,*in c.Cum contingat, de foro competent.v.Vel consuetudine.*

Glossa. Glossa.

Aduertendum tamen est, quòd si subditus acceptauit litigare, vel fieri processum aliquem iuridicum coram Prælato ordinario,vel delegato,& post inceptum processum,vult recusare illum iudicem tanquam suspectum, nõ poterit ad hoc allegare causas suspicionis,quæ iam existebant ante litem inceptam. Cùm enim iam has causas ille sciuerit,& nihilominus coram illo litigare consensit, iam videtur illis causis renunciasse. Si verò hæ causæ, vel aliqua illarum orta fuit post litem inceptam,tunc poterit illam allegare,& si fuerit sufficiens,recusabitur iudex. Si denique iam ante litem inceptam erat orta causa suspicionis,vel recusationis, & ipse recusans illam ignorabat, poterit,si id iurauerit,post litem inceptam illam allegare, priùs iurans quòd illam ignorabat ante litem inceptam: *c.insinuante,de offic.delegat.*& Felinus *in c. Pastoral.n.*17. *de except.*& ibi Decius,*n.*9.Couarr.*in pract.c.*26.*n.*2.*vers. Sic & post conclusum.* Hæc omnia habet Portel.*in addit ad Addit.v.Appellare,n.*13.14.*&* 15.

Felinus. Decius. Couarr. Portel.

Cæterum quando Prelatus valdè suspectus crederetur, ac excessurus ob passionem,posse tunc recusari,sicut, & ab eo in hoc casu posse appellari certum est. Dicta tamen recusatio concedenda non est, nisi quando manifesta est causa suspicionis Prælati,cùm recusatio, & appellatio in iure æquiparentur,*c.Super eo,el* 2.*de appellat.*Sanchez *lib.* 6.*Mor.c.*8.*n.*111.Molin.*trac.*5.*de iust.disp.*23. apud quem plura.

Sanchez. Molin.

Vide v.Legatus,*n.*7.Visitatio,*n.*12.Archiepiscopus,*n.*1.

APOSTASIA.

SVMMARIVM.

1 *Triplex est Apostasia,à fide,à clericatu,& à religione.*
2 *Pœna iure canonico Apostatis,& hæreticis decreta.*
3 *Quid sit Apostasia à clericatu,vel à sacro Ordine.*
4 *Quid Apostasia à religione: & an ad Apostasiæ crimen necesse sit habitum religiosum abijcere.*
An Episcopus regularis renuncians Episcopatui, teneatur ad religionem redire.
5 *Apostata, & fugitiuus à religione vbique capi potest à suo superiore.*
6 *Si Apostata habitum dimittat,an gaudeat priuilegijs religionis,prætendens irritam esse professionem:& an priuetur iure alimentorum, quæ religio ei adhibuisset.*
7 *Ad quem pertineant religiosi Apostatæ bona, qui in seculo mortuus est.Et an Abbas teneatur soluere debita Apostatarum,vel fugitiuorum.*
8 *Iure communi propter Apostasiam à religione, non incurritur excommunicatio:bene tamen ex priuilegio,in multis regionibus.*
9 *Retinentes Apostatas, seu auxilium præstantes ne redeant ad suum Monasterium sunt excommunicati.*
10 *Prælati Religionum tenentur fugitiuos, & Apostatas, aut etiam eiectos reuocare, si spes subsit emendationis.*

1 Secun-

D. Thom. Syluius. Sanchez. Syluest. Toletus. Filliucius. Bannez. Lezana.

1 Secundum D. Thomam 2.2. *qu.* 12 *artic.* 1. Syluium *ibid.* Sanchez *lib.* 2. *Moral. c.* 7. *num.* 16. Syluest, *v. Apostasia, num.* 1. Toletum *lib.* 4. *cap.* 6. Fillincium *tract.* 2.2. *num.* 168. Bannez 2.2. *quaest.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. Lezanam *tom.* 3. *verb. Apostasia num.* 2. triplex est Apostasia. Prima est *à fide*: secunda *à clericatu*, tertia *à religione*.

Apostasia *à fide* dupliciter considerari potest. *Primò*, secundum ordinem ad terminum à quo; quatenus est discessus à vera fide, & sic differet ab hæresi tanquam maius à minore: Apostata enim dicitur, qui Christum & fidem Christianam quam suscipit penitus abnegat; hæreticus verò non omninò, sed secundum vnum, aut aliquos articulos. *Secundò*, considerari potest Apostasia secundum ordinem ad terminum ad quem, & hac ratione spectar uel ad Iudaismum, vel Paganismum, quæ specie differentes infidelitates sunt, & à redeuntibus ad Ecclesiam in sacramentali confessione explicandæ. Quamuis quidam apud Dianam *par. prima tract.* 7. *resol.* 54. & *part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 12. (quos ipse sequitur) putent Apostasiam non differre specie ab hæresi, & ideo Apostasiæ circumstantiam tanquam aggrauantem solum, non esse necessario in confessione aperiendam: quia magis, vel minus recedere ab eo, quod semel susceptum est, non mutar speciem. Ergo Apostasia non differt specie ab hæresis, cum illa sit discessus à tota fide, hæc autem à parte fidei. Hæc sententia est satis probabilis.

Diana.

2 Pœnæ Apostatis, & hæreticis canonico iure decretæ sunt hæ.

Excommunicatio maior Summo Pontifici reseruata in Bulla Cœnæ; & habetur *in cap. Ad abolendam, de hæreticis*, *in* 6. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 9. Bonacina *de censuris, tom.* 1. *disp.* 2. *quaest.* 5 *p.* 2.

Sanchez. Bonacina.

Irregularitas vt colligitur ex *cap. Saluberrimum capit. Conuentibus*, 1. *q.* 7. de qua vide *v. Irregularitas X.* num. 1.

Infamia iuris, quæ extenditur ad eorum filios vsque ad secundam generationẽ ex linea paterna, & vsque ad primam ex linea materna, *cap. Statutum* 15. *de hæreticis in* 6. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *c.* 13. Sanchez *cap.* 26 *n.* 1.

Azorius. Sanchez.

Confiscatio omnium bonorum à die commissis criminis, *cap. Cum secundum, de hæreticis, in* 6. Syluester *verb. Heresis* 1. *num.* 1. & 2. Vasquez. 1. 2. *disp.* 169.

Syluest. Vasquez.

Hæretici eorumque fautores, si per annum in excommunicatione persistant, fiunt intestabiles neque ad hæreditatis successionẽ admittuntur; requiritur tamẽ ad hanc pœnam sententia criminis declaratoria, *c. Excommunicamus §. credentes de hæret.* Sanchez *li.* 2. *c.* 24. *n.* 3. Molina *c.* 1. *tr.* 2. *de iusti. d.* 95. Syluius 2.2. *q.* 11. *a.* 3. *quaesit.* 3. & 4.

Sanchez. Molina. Syluius.

Priuatio patriæ potestatis in liberos, etiam ante sententiam iudicis declaratoriam criminis, *cap. Quicumque*, *§. vlt. de hæreticis, in* 6.

Priuatio Ecclesiasticorum beneficiorum ac dignitatũ item publicorum officiorum, *cap. Vt commissi, §. priuandi de hæret. in* 6. Rodriguez *in Sum. tom.* 1. *cap* 129. *num.* 3. Nauarrus *lib.* 5. *consil.* 6. *de hæret.*

Rodrig. Nauar.

Ciuilis pœna in Apostatas & hæreticos hæresim abiurare nolentes, aut relapsos iustè decerni solita, est mortis supplicium *in Cod. Theodosiano, lib.* 56. *de hæreticis* Syluius *c. quaesit.* 4.

De his pœnis plura apud Doctores hic citatos.

Syluius.

3 Apostasia *à clericatu* vel *à sacro ordine* est, cùm quis à perfectiore statu clericali, quem in manu Episcopi, edito etiam continentiæ voto assumpserat, ad statum coniugij, vel laicæ conuersationis, dimisso suo habitu propria temeritate se transfert, *cap. vlt. de vita & honest. Clericorum.* Talis ipso iure est infamis, *cap. Beatus*, 3. *quaest.* 4 Et, si monitus se non correxerit, deponendus, *cap. Praecipimus*, 21. *quaest.* 4. Talis tamen non incurret excommunicationem aliquam in iure latam, nisi vxorẽ ducat. *Clement. vnic. de consanguinit. & affinit.*

Caietan. Syluest. Syluius. Toletus. Viguerius. Filliucius.

Qui minoribus autem tantùm ordinibus initiati sunt, liberam ad nuptias, vel statum laicorũ transeundi facultatem habent, dummodò si quę obtinent Ecclesiastica beneficia derelinquant. Vt colligitur ex *c. Ioannes, de clericis coniugatis.* Vide Doctores hic citatos. Caietanus *v. Apostasia* Syluest *ibid. quaest.* 8. Syluius 2.2. *quaest.* 2. *art.* 1. *q.* 1. Toletus *lib.* 4. *c.* 18. *n.* 4. Viguerius *in instit, c.* 10. *§.* 5. *vers.* 11. Filliucius *tract* 2.2. *n.* 198.

4 Apostasia *à religione*, est criminosa & mortifera recessio à religiosi ordinis instituto, sine reuertendi proposito. Vnde Apostata non est, qui cum licentia Prælati ægreditur, vel ordinis Obseruantia liberatur, aut secundum Canones ad Episcopalem dignitatem transfertur; aut si reuertendi animum retineat vagaturus ad tempus; talis enim fugitiuus censendus est, non propriè Apostata: aut qui ad aliam religionem laxiorem transit, iuxta probabilem nonnullorum sententiam; licet talis fugitiuus censendus sit, quia discedit à sua religione absque debita facultate, & transit ad aliud Monasterium eidem Prælato non subiectum: & quamuis lethaliter peccet, Apostatarum tamen pœnis non subijcitur, quia animus transeuntis non fuit omninò à religioso instituto recedere, sed ad aliam religionem transire, at Apostasia verum animum dimittendi religiosum statum desiderant, vt docent Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg. q.* 30. *art.* 1. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 11. *n.* 1. Sanchez, *lib.* 6. *Moral. c.* 8. *n.* 2. & 8. Azorius, *par.* 1. *lib.* 12. *c.* 16. *q.* 1. & *cap.* 17. *q.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 102. Bonacina *de clausura, q.* 2. *punct.* 11. *diffic.* 5. *§.* 1. & alij hic citati. Porrò ad Apostasiæ crimen, hoc nihil refert, vtrùm quis habitum religiosum abijciat, necne; cùm enim habitus Monacum non faciat, opus non est vt Apostata sine habitu discesserit: quia potest quis esse Apostata etiamsi habitum deferat; sicut etiam potest aliquis non esse Apostata, etiamsi habitum non gerat. Ita Caietanus 2.2. *quaest.* 12. *articul.* 1. Valentia *tom.* 3. *disput.* 1. *quaest.* 12. *punct.* 1. Syluius 2.2. *q.* 12. *articul.* 1. *quaest.* 2. *conclus.* 2.

Miranda. Rodrig.

Valentia. Syluius.

Sed Notandum *Primò*, quod Episcopus regularis renuncians Episcopatui, & manens in sæculo, nec rediens ad religionem, non est verè Apostata, sed potest sic manere: quia per Episcopatum fuit exemptus à iugo religionis dispensatione Papæ, & hæc non cessat deposito Episcopatu, cùm non cesset causa ipsius, scilicet dignitas Episcopalis, & perfectior status Rodriguez *tom.* 3. *qq reg. q.* 52. *art.* 26. Sanchez *lib.* 6 *Moral cap.* 6. *n.* 29. qui non infimus idem dicendum putat, si propter culpam deponeretur ab Episcopatu: Sed verius est teneri regredi ad religionem, & si non redeat, esse veluti Apostatam, quia per depositionem redditur indignus priuilegijs suæ dignitatis, Syluester *v. Relig* 4. *in fine*, Lezana *tom.* 3. *v. Apostata n.* 7. Certus idest, si degradaretur ex propria culpa; cum enim per degradationem exuatur omnibus priuilegijs ratione dignitatis concessis: cessabit quoque exemptionis priuilegium, & tenebitur ad religionem redire.

Rodrigu. Sanchez.

Notandum *Secundò* religiosum, excommunicationem *cap. Vt periculosa, ne cler. vel Monach. in* 6. Sà *v. Religio. n.* 72. Confers *ad cap.* 7. *reg.* S. Franc. *lect.* 8. *fol.* 55. Suarez *de censuris, disp.* 23. *sect.* 4. à iure latam incurrere, si temerè habitum relinquat, & dimittat, etiamsi hoc faciat sine animo apostatandi: Temeraria autem dimissio dicitur, quoties sit sine rationabili causa, & cum contemptu regulæ, seu legis, idest, non obstante prohibitione cognita; siue in perpetuum, siue ad tempus fiat dimissio, ad finem, scilicet, liberiùs vagandi; & secundum Nauarrum *cap.* 27 *n.* 131. Rodriguez *tom.* 2. *qq. reg q.* 77. *art.* 6. propriè habitus dimissio est, quando fit mutatio in alium habitum, ad se occultandum, vel incedendum hoc modo, vnde non afficitur excommunicatione, qui se vestibus spoliat, vt dormiat, vt habitum purget, vel accommodet, vt meliùs studeat, vel quiescat vt ludat, vt saltet, vt saxum deferat, vt liberiùs, & voluptuosiùs peccet, hic enim non dicitur habitum dimittere ad se occultandum, vel incedendum, sed vestibus se spoliare; & hoc verum est, etiamsi alium ad breue tempus assumat; & Sanchez *lib.* 6. *Moral. c.* 8. *n.* 55. Sayrus *de censuris, lib.* 3. *cap.* 33 *num* 13. Filiuccius *tract.* 14 *n.* 133. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 61. & *tract.* 14. *resol.* 72. Syluius *art.* 1. *quaesit.* 2. *concl.* 2. & 3. putat breue tempus esse spatium vnius horæ. Vide plura apud Doctores hic citatos. Quamuis Suarez 3. *part. tom* 5. *disp.* 23 *sect.* 4. *n.* 31. Bannez 2.2. *quaest.* 12. *art.* 2. *dub.* 2. *conclus* 2. & alij contrarium doceant quando dimittitur habitus eo breui spatio causa diuagandi, & eundi incognitus ad lupanar: Ratio illorũ est, quia grauitas huius delicti nõ est pẽsanda ex tẽporis duratione, sed ipsa habitus dimissio est per se res grauis, & sufficiens ad peccatum mortale, quod peccatum

Sanch. Diana. Syluius.

Bannez.

I est

eſt huic legi contrarium, & materia huius cenſuræ. Prima tamen opinio eſt ſatis probabilis.

Ex dictis infertur, quod religioſus Clericus Apoſtata, qui deſerta religione deſerit etiam Clericatum, eſſe bis, ſeu dupliciter Apoſtatam, ſcilicet ratione deſertionis Religionis, & Clericatus, ac per conſequẽs incurrere pœnas Apoſtaſiæ à Religione, & Apoſtaſiæ à Clericatu, quæ deſignantur in Concilio. Trident. & Iure Canonico. Secus eſt, ſi tantum religionem desereret, non Clericatum, vt ſi ex Religioſo fieret Clericus ſæcularis. Tunc enim tantum incurreret pœnas Apoſtaſia à Religione, vt annotat Lezana *to. 3. Summ. verbo Apoſtata, n. 14.*

Lezana.

5 Apoſtata, & fugitiuus à religione, vbique capi poteſt à ſuo Superiore, etiam extra Monaſterium & territorium; quia poſſeſſor alicuius rei poteſt eam capere & vendicare vbicumque illam inuenerit: ſed religioſus eſt ſub poteſtate, & poſſeſſione ſui Superioris, ſeipſum enim in profeſſione tradidit Superiori, ergo, &c. Hic Carmelitis conceſſa fuerunt priuilegia, vt Apoſtatas ſuos capere valeant, etiam in vrbe Roma: ideò Superiores religionũ in hac re conſulere debent priuilegia ſuæ religioni directè vel per communicationem conceſſa. Ita Rodriguez *cit. art. 6.* Sanchez *lib. 6. Moral. c. 8. n. 33. & 36.* Nauarrus *Comment. 3. de regul. n. 50.* & alij. Quod etiam eſt verum quando fratres Apoſtatæ, & fugitiui detinentur ab Epiſcopis; propter Conſtitut. Pij V. quæ incipit, *Etſi Mendicantium*, quia, qui debent aliis perpetuam obedientiam, poſſunt de manibus quorumcumque capi. Quod etiam habet locum, non ſolum quando religioſus fugit ſine licentia, ſed etiam quando exiuit cum illa per certum terminum, & ille eſt tranſactus: vt docent Peyrinus *tom. 2. priuil. in Conſtit. 7. Pij V.* Lezana *in Summ. to. 1. c. 16. n. 16.*

Rodrig. Sanchez. Nauar. Peyrinus. Lezana.

6 Religioſus Apoſtata non gaudet priuilegiis religionis, ſi habitum dimittat, prætendens irritam eſſe profeſſionem: quia par non eſt, vt priuilegijs gaudeat illius ſtatus, à quo abhorret. Ita fuit ſancitum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 19. de reg.* quod non de quibuſcumque Apoſtatis eſt intelligendum, ſed de his qui recedũt à religione habitum dimittẽtes, prætendentes profeſſionem eſſe nullã, vnde cum ſit pœnale hoc decretũ, non eſt ad alios Apoſtatas, in quibus hæ conditiones non concurrunt, extendendum: & cum loquatur per verbum futuri, exigitur ſententia Iudicis, ut ea pœna incurratur.

Conc. Tri.

Imò Apoſtata uel fugitiuus priuatur alimentis, ſeu iure alimentorum, quæ religio ei adibuiſſet: quia frãgenti fidem, fides ſeruanda non eſt, ſed Apoſtata, uel fugitiuus frangit fidem, quia obedientiam, & obſequium religioni pollicitus fuerat, ergo etiam Monaſterium non tenetur illi fidem ſeruare, qua ſe ad ipſum alendum, & ſuſtentandum obſtrinxerat. Proinde Monaſterium non tenetur ſoluere expenſas factas à fugitiuo uel Apoſtata ad ſui ſuſtentationem: quia Monaſterium non tenetur ex contractu uel delicto religioſi, niſi quatenus Monaſterium ea de cauſa factum locupletius, & ditius. Ita Sanchez *lib. 6. Moral. c. 9. n. 21.* Sanctarellus *de Apoſtaſia, c. 3. dub. 2. n. 22.*

Sanchez. Sanctarel.

Porrò altera pœna Apoſtatarum à religione, eſt, ut ſi durante Apoſtaſia ordinem ſacrum recipiant, non poſſint in ordine ſuſcepto miniſtrare, quantũlibet poſtea redeant pœnitentia ducti ad religionem priſtinam, niſi ex diſpenſatione Pontificia, *c. Conſultationi de Apoſtatis* hæc autem diſpẽſatio Pontificia, ut in ordine ſacro ſuſcepto in Apoſtaſia miniſtret, extenditur quoque, ut poſſit ad ſuperiorem ordinem aſcendere; quia ſublato per diſpenſationem illo impedimento, & conceſſo ordinis illius uſu, ceſſat quoque impedimentum aſcendendi ad ordines ſuperiores. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 31. ſect. 6.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 17. q. 3.* Sanchez *c. c. 8. n. 21. & 23.* Bonacina *de clauſura, quæſt. 2. p. 11. §. 4. n. 4.*

Suarez. Azorius. Sanchez. Bonacina.

7 Religioſi Apoſtatæ bona, uel fugitiui, qui non aduolauit ad aliam religionem, ſed in ſæculo mortuus eſt, iure antiquo pertinebant ad Monaſterium, *cap. Abbates, 18 q. 2.* & hoc uerum qantumcumq; in partibus remotis ſit ille Apoſtata, quia ratione illius diſtantiæ, ius Monaſterij nullum detrimentum pati debet. Ita Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 33 n. 2. & ſeq.* Nauarrus *lib. 3. de regul. conſ. 15.* Portel. *v. Apoſtata, n. 7.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 3. diſp. 8. quæſit. 5.*

Sanchez. Nauar. Portel. Tambur.

Iure uero nouo in Conſtit. Gregorij XIII. quæ incipit *Officij noſtri*, eiuſmodi bona acquiruntur Cameræ Apoſtolicæ, ſiue præfata bona deberentur prædicto religioſo ab inteſtato, ſiue donatione, ſiue alia ratione.

Quando autem legitimè tranſit talis ad aliam religionem, acquiſita poſt profeſſionem ſecundæ religionis, pertinent ad religionem ad quam tranſiuit quia ſic ſubditus illius religionis.

Si uero illigitimè tranſierit ad aliam religionem, bona ipſius (exceptis ijs quæ contemplatione ſecundi Monaſterij acquiſiuit) pertinere uidentur ad priorem religionem, etiamſi fortè ſecunda religio bona fide recepit Apoſtatã uel fugitiuum; quia prima religio nunquam amiſit ius in præfatum religioſum. Ita Rodriguez *tom. 2. qq. reg. quæſt. 79. art. 2.* Syluest *v. Religio 4. q. 10.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 15. q. 3.* Molina *tom. 1. de iuſtit. diſp. 144.*

Rodrig. Syluest. Azorius. Molina. Rodrig.

Ex priuilegio ordini Minorum conceſſo à Leone X. apud Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 30. art. 11.* aliter eſt procedendum de bonis Apoſtatarum & fugitiuorum iſtius ordinis. Conceſſit enim dictus Pontifex, ut quandocumque accederit, quod Fratres Minores extra obedientiam uagantes obſeruantiæ fuerint capti, aut ſponte redierint ad ordinem, qui aliqua bona habuerint, quæ tempore Apoſtaſiæ diuerſis uijs acquiſierint, poſſint Prælati ordinis, & alij fratres, quibus ipſi commiſerint, accipere talia bona, & ea exigere à quibuſcumque perſonis ea detinentibus, & uti il is, ſi talia ſunt quorum uſum liceat fratribus habere uel ſi huiuſmodi non ſint, quibus in propria ſpecie fratribus uti non liceat, ut ſunt pecuniæ, ueſtes ſæculares, & ſimilia, quod fiat de talibus rebus ſicut fieri mandatur in declaratione ſuæ regulæ de ſimilibus, quando ſibi ab aliis dantur uel in teſtamentis legantur. Et conceſſit quod ſi oportuerit huiuſmodi bona in iudicio petere, poſſit hoc facere Procurator, ſiue ſyndicus ordini deputatus, auctoritate Sedis Apoſtolicæ: uel alius amicus ſpiritualis fratrum, qui ab aliquo Prælato ordinis ad hoc fuerit nominatus.

Sed rogabis, an Abbas teneatur ſoluere debita Apoſtatarum &, fugitiuorum: uidetur enim quod ſic: nam ſi tales Apoſtatæ, dum uagantur aliud acquirant, non ſibi, ſed Monaſterio acquirunt, vt dicit textus *in cap. Abbates 18. q. 2.* ergo, ſi ex bonis acquiſitis per Apoſtatas Monaſterium ſentit commodum etiam, & incommodum ſentire debet, *cap. Qui ſentit, de reg. iur. in 6.*

Dicendum tamen eſt, Monaſterium non teneri ſoluere debita Apoſtatarum, & fugitiuorum. Ratio eſt, quia Monachus in iure quæſito poteſt prodeſſe, ſed non obeſſe Monaſterio: unde Monaſterium non tenetur ad ſoluendum debita, nec ſuccedit in obligationibus paſſiuis: quamuis enim ſuccedat in actiuis & in iuribus utilibus, non tamen conſtituitur ad ſoluendum debita ab ipſis Monachis contracta, cum ius reſiſtat obligationibus ab ipſis initis; non tamen reſiſtit acquiſitioni dominij, quod per ipſos Monaſterio poteſt obuenire. Tamen ſi id propter quod debitũ fuit contractum, conuerſum ſit in vtilitatem ipſorum Monaſteriorum, poſſunt creditores petere à Monaſteriis ſibi debita ab Apoſtatis ipſorum Monaſteriorum: qui enim ſentit commodum, debet etiam ſentire incommodum. Ita Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 30. art. 11.* qui etiam dicit hoc habere uerum in Minoribus regularis Obſeruantiæ, ſi ad Ordinem reuerſi aliqua bona ſecum traxerint ex his enim debet ſyndicus ipſorum fratrum debita perſoluere: non enim credẽdum eſt piam Sedem Apoſtolicam velle ſibi applicare dictorum, bonorum dominorum, ita ut debita per dictos fratres contracta minime ex rebus per ipſos acquiſitis ſoluãtur; tamen de rigore iuris Sedes Apoſtolica non ſuccedit in obligationibus & debitis Apoſtatæ, ſed tantum de æquitate vt tradit Nauarrus *lib. 3. conſil. de regul. conſil. 73. num. 3.* vide Lezanam *in Summ. tom. 1. cap. 16. num. 19.* qui etiam *num. 20.* docet, ea, quæ acquirit Religioſus Apoſtata vel fugitiuus, pertinere ad ſuam religionem. Tum quia ita definitur *in c. Abbates, 18. q. 2.* tum quia iſti ſunt ueri religioſi, ac per cõſequẽs debent Monaſterio acquirere, quod intellige etiamſi acquirat cõtra uoluntatem Religionis, aut peccando aliquo genere peccati, præter peccatũ contra iuſtitiam. Solum enim hoc peccatum poteſt priuare

Rodrig. Nauar. Lezanam.

Mona-

Monaſterium ſuo iure. *Si autem moriatur religioſus in* Apoſtaſia, vel fuga, bona, quæ illi ſuperſunt, pertinet ad Cameram Apoſtolicam, vt dictum eſt.

8 Propter Apoſtaſiam præcisè iure communi Apoſtata à religione non incurrit excomuoicationem, ſi habitum non dimittat: qoia nullum ius commune extat quod excommunicationem decernit ipſo facto incurrendam, ab Apoſtatis illis, qui habitum non dimittunt nam, *c. Vt periculoſa, Ne Clerici vel Monachi* non alios excommunicatione afficit, quam eos qui habitum ſuæ religionis temerè dimittunt: & eum iuxta regulam iuris, pœnæ non ſint ampliandæ, ſed reſtringendæ, non eſt extendenda pœna excommunicationis huius Canonis vltra tenorem verborum. Ita Bannez 2.2.*queſt.*12.*art.*1.*dub.*1. Leſſius *lib.* 2.*c.*41.*dub.*15.*num.*109. Toletus *lib.*4.*c.*18. Bonacina *c.§.*4.*num.*1. & alij communiter contra Azorium *part.* 1.*lib.*12.*cap.*17.*queſt.*6. In nonnullis tamen religionibus, ex peculiari ptioilegio ipſarum religionum, ſunt excommunicati, etiamſi non deſerant habitum: vt patet ex priuilegiis Societati I E S V. conceſſis à Gregorio XIII. in Bulla: *Aſcendente Domino*.

Bannez. Leſſius. Toletus. Bonacina. Azorius.

9 Iuxta Pauli IV. conſtitutionem qoæ incipit, *Poſtquam diuina bonitas*. omoes & ſinguli qui retineot Apoſtatas, ſeu auxilium præſtant, ne redeant ad ſuom Monaſterium, ſi poſtquā ab Ordinario loci, in quo degant admoniti, à præmiſſis non deſiſtant, ſunt excommunicati. Non eſt tamē reſeruata hæc excommunicatio Immò religioſi, qoi retinent in ſois Monaſteriis Apoſtatas Ordiois Prædicatorum ex Bonifacij Conſtitutione ſententiam excommunicati. Vt teſtatur D Antoninus *cap.* 3.*p. titul.* 24.*cap.*70. Booacina *de clauſur.q.*2.*p.*11.§.5.

D. Anton. Bonacina.

10 Prælati religionum tenentur, per ſe loquendo, fugitiuos & Apoſtatas, aut etiā eiectos data opportunitate reuocare, ſi ſpes ſubſit emendationis: quia ex officio tenetur ſaluti ſubditorum conſulere; ſic enim ſtatuitur *in c. Ne religioſi, de regularibus*. Quem textum ſacra Congregatio ex peculiari S.D.N. Vrbani VIII. facultate innouauit de fugitiuis, & eiectis annuatim reuocandis. Idemque extendit etiam ad eos, qui iuſtè, & legitimè expulſi fuerunt, modò certa ſpes ſubſit emendationis.

Pœna tranſgreſſoribus huius decreti impoſita, eſt priuatio omnium officiorum, quæ tunc obtineant, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, ac perpetuæ inabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, pœnaque huiuſmodi eſt ſanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruata; Superioribus, etiam Generalibus & Protectoribus, illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtas eſt peritus interdicta, & decernitur irritum atque inane, quidquid ſecus à quoquam actum extiterit. Sic ſacra Congregatio *anno* 1624. *die* 21. *Septembris*, apud Bonacinam *de clauſura q.*2.*punct.*11.*§* 2. Tamburinus *de iure Abbat. tom.*3. *diſp* 8.*q.*3. Tenor huiuſdecreti exeat infra *v. Religio VI.n.*3.

Bonacina. Tamburr.

Apoſtaſia à religione eſt caſus reſeruabilis à Superioribus Regularium, vt patet ex decreto Clementis VIII infra, *v Caſus reſeruatus* num.40 *§*.2. Proinde à culpa ipſa Apoſtaſiæ à religione in religionibus vbi reſeruata fuerit nullus abſoluere poteſt, niſi Prælati illi, qui ipſam reſeruauerunt, Superiores, & ſuceſſores ipſorum, vel ab eis habentes facultatem. Nec ad prædictam abſolutionem iouant priuilegia Religioorum, Bulla Cruciatæ, aut ſimilia indulta particularia, vt, dicetur infra *v. Caſus reſeruatus* numer.36.

De Apoſtaſia, vide *Diuortium*, numer. 16. *Irregularitas* 10.n.5. *Magia* num.4. *Appellare* num.9. *Caſus reſeruatus* num.36.& 40.*§*.2.

SVPPLEMENTVM.

S V M M A R I V M.

1 *Apoſtata Græcis idem eſt qui Latinis deſertor, vel transfuga.*

2 *Tribus modis à fide poteſt quis eſſe Apoſtata; nempe mente ſola: facto ſolo, & mente & facto ſimul.*

3 *Verus eſt Apoſtatam exteriorem, ſi verbis tantum à fide deficiat nō mente, in foro cōſcientiæ nō affici excōmunicatione, licet in foro externo cenſeatur Apoſtata.*

4 *Recedens ab Ordine ſacro ex diſpenſatione Papæ, vel à Minoribus Ordinibus, non eſt Apoſtata ab ordine.*

5 *Nouitij à Religione fugientes non ſunt Apoſtatæ: neque mulieres, quæ vocantur Beatæ habitum deſerentes; etiamſi hi omnes vota ſimplicia caſtitatis, obedientiæ & paupertatis emiſiſſent: In Societate tamen I E S V poſt biennij vota, & ſi ſimplicia, appellantur Apoſtatæ.*

6 *Apoſtata non eſt religioſus, perpetuo carceri damnatus ſi fugiat, quando illa pœna nullo iuris ordine ſeruato impoſita fuit, vel quando ſententia fundata eſſet in falſa præſumptione.*

7 *Prælati habent poteſtatem capiendi, & incarcerandi ſuos Apoſtatas, & fugitiuos, vbicumque ſint.*

8 *Apoſtata non eſt religioſus, qui ex licentia Prælati, iuſta exiſtente cauſa viuit extra Monaſterium.*

9 *Bona acquiſita ab Apoſtatis extra clauſtrum degentibus, & decedentibus, inuenta tempore mortis eorum, ſunt Cameræ Apoſtolicæ deducto ære alieno & ſolutis debitis: non autem bona illorum, qui ad ſua Monaſteria reuertuntur, & quæ acquiſita ſunt contra virtutem ſpecialem iuſtitiæ.*

1 APoſtatæ nomen eſt Græcum, quo ſignificatur is, qui recedit ab inſtituto vitæ prioris, quod tuendum publica, & ſolemni profeſſione ſuſceperat. Vnde Apoſtata Græcis idem eſt, qui Latinis deſertor, vel transfuga; is nimirum, qui à Principe, vel Duce ſuo ad hoſtes transfugit, qui à Chriſtianis ad Ethnicos, Iudæos, vel Saracenos ſe confert.

2 Tribus modis poteſt qois eſſe Apoſtata à fide. *Primò* quando quis mente ſola recedit à fide Catholica: & hic iuris pœnas non contrahit, quia eſt peccatum internè tantùm patratum *Secundò*, quando quis exteroè verbis & factis fidem Catholicam deſerit. Et hic poteſt eſſe penitus occultus, ita vt crimen eius nemo nouerit, vel; manifeſtus, quia id plures alii compertum habent.

Quomodocumque autem crimen ſit, ſiue occultum, ſiue manifeſtum, excommunicatione, iure ipſo, auctorem ſuum afficit, vt habetur *in cap. Ad abolendam, de hæreticis in 6.* & reſeruatur hæc excommunicatio Papæ in Bulla Cœnæ. *Tertiò*, poteſt quis eſſe ſolum Apoſtata exterior, qoalis eſt, qui verbis, vel factis, non tamen animo deſciſcit à fide Catholica. Hic io foro exteriori Apoſtata ceoſebitur, & proinde tanquam talis punietur. Io foro tamen interiori ſiue conſcientiæ, nō erit propriè Apoſtata quia voluntate & animo noo recedit à fide Catholica. Hæc autem Apoſtaſia eſt peccatū mortale, quamuis metu mortis fidem quis abneget: qoia eſt per ſe malam fidem, & Religionem Chriſtianam verbo, aut facto deſerere. Vnde hoc peccatum non quidem eſt contra fidem, ſed contra Confeſſionem fidei; nam & animo credere, & ore confiteri fidem Catholicam debemus. Ita communiter Doctores.

3 Quorumdam ſententia eſt, Apoſtatam exteriorem, ſi verbo tantum, vel facto, non animo metu pœnarum, & mortis, à fide deficiat, excommunicationem contrahere Apoſtatis, ſiue hæreticis à iure irrogatam. Ratio illorum eſt, tum quia Eccleſia eum tanquam Apoſtatam punire conſueuit. Tum quia Eccleſia pœnas conſtituit ob exteriora crimina, quoniam habet ius cognoſcendi, condemnandi, & vindicandi huiuſmodi delicta. Tū quia ſi Eccleſia excommunicationem ferret in fures, homicidas, adulteros, ſatis eſſet ad eam contrahendam opus exterius ſcienter factum. Verior tamen opinio communi conſenſu recepta eſt, eum in foro conſcientiæ non affici excommunicatione, quam contrahunt hæretici Apoſtatæ: in forro tamen externo cenſeri Apoſtatam; puniri. Ratio eſt, quoniam hæreticus, aut Apoſtata nemo eſt, niſi ſcienter, & ſponte animo à fide & Religione Catholica diſcedat. Punit verò Eccleſia eum tanquam hæreticum. vel Apoſtatam, probabiliter credit eum mente, atque animo à fide receſſiſſe. Eadem ratione delicta exteriora condemnat & plectit, vel quia ſunt peccata, quæ opere, & facto externo complentur qualia ſunt

homicidium, adulterium, sacrilegium, cuiusmodi non est hæresis, vel Apostasia: vel quia probabiliter iudicat Ecclesia voluntate, & animo delinquere eos, qui scienter exterius aliquid admittunt, quod cùm fidei Catholicæ Cōmissione pugnat. Ita Simanchas *de Catholic. institu. tit. 17. n. 36.* Sylvester *v. Apostata, qu. 1.* Angelus, *v. Apostata, q. 9.* Tabiena, *v Apostasia, q. 3.* & alij Summistæ. Et hæc satis de Apostasia à fide.

Simanchas Sylvester. Angelus. Tabiena.

4 Non omnis qui deserit Clericatum est Apostata ab ordine: talis enim solùm censendus est, qui à statu ordinis sacri propria auctoritate recedit ad statum secularem. Si quis ergo non auctoritate propria, sed ex dispensatione Pontificia rationabiliter obtenta deserat statum clericalem sacris Ordinibus coniunctum. Item, si quis propria auctoritate recedat à Minoribus Ordinibus, vel tonsura, non propriè est Apostata. Neque enim à Deo recedit, qui vel ex auctoritate diuinitus Ecclesiæ concessa deserit certum quempiam coniunctionis modum, retento alio; vel deserit statum in quo necdum erat nisi initiatiuè, & quasi præparatoriè. Vnde talis, neque mortaliter peccat, imò nec venialiter, si absint contemptus, scandalum, leuitas, & similia. Probatur, quia nullum est Ecclesiæ præceptum quo talibus prohibetur, vel tractare causas criminales, vel vxorem etiam viduam ducere. Tum quia Canones non aliam pœnam statuunt huiusmodi Clericis, quàm priuationem beneficij Clericalis, si quid habuerint. Ita communiter Theologi, & Canonistæ.

5 Nouitij, qui à Religione fugiunt, non sunt Apostatæ, etiamsi vota simplicia castitatis, obedientiæ, & paupertatis emisissent. Ratio est, quia non sunt facti verè religiosi, & consequenter non comprehenduntur in diffinitione Apostasiæ, quæ est criminosa, & mortifera recessio à Religiosi Ordinis instituto, sine reuertendi proposito. Similiter sequitur ex eadem diffinitione, mulieres, quas Beatas alicubi vocant, & alibi Vrsulinas, vel Tertiarias, non esse Apostatas, si habitum relinquant, etiamsi simplicia vota, supradicta emisissent: quia non sunt verè religiosæ, imò si matrimonium contrahant, validum erit, quamuis illicitè; quia non quodlibet votum castitatis irritum facit subsequens matrimonium, sed tantùm votum solemne emissum in approbata Religione. Ita Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 8. num. 6.* Bannez *2. 2. quæst. 12 artic 1. de Apostasia à Relig.* quod fertur etiam diffinitum in Sacra Rota Romana. In Societate IESV post biennij vota simplicia, recedentes, Apostatæ appellantur.

Sanchez. Bannez.

6 Apostasiæ crimen non committit Religiosus perpetuo carceri ob aliquod delictum damnatus, si fugiat, quando illa perpetui carceris pœna nulla Iuris ordine seruato imposita fuit: quod etiam habet locum, quando secundùm allegata, & probata iustè condemnatus esset, at sententia fundata esset falsa præsumptione, aut falsis probationibus contra rei veritatem. Ratio est, quia huiusmodi sententia non obligat in conscientia, quamuis secundùm ordinem Iuris lata sit, nam sententia est veluti lex quedam priuata: lex autem non obligat ad id, quod est contrarium fini legis. Sed cùm finis sententiæ sit, cuique quod suum est tribuere; si ex eius obseruatione cōtrarium eueniret, non obligat. Ita Lessius *de iustit. libr. 2. c. 31. dub. 4. n. 24.* qui testatur de communi, vt etiam notauimus *tom. 1. nostræ Summæ v. Lex, 4 n. 11. §. Aduertendum, edit. 3.* cū Doctoribus ibi citatis.

7 Prælati habent potestatem capiendi, cogendi, & vincula coniiciendi huiusmodi Apostatas, eosdemque condignè puniendi, etiam corporaliter, iuxta proprias constitutiones, vel iuxta prudentis viri arbitrium religioso statui consentaneum, & non solùm verè Apostatas, sed etiam fugitiuos hoc modo coercere possunt: de qua potestate fusius tradit Nauarrus *Commentar. 3. de regular. n. 50.* eam confirmans non solùm ex vi iurisdictionis, sed etiam ex titulo dominij, ratione cuius potest dominus seruum fugientem capere, vel rem propriam recuperare, vbicumque illam repererit, præterea hoc confirmatur ex nonnullis concessionibus factis Religionibus à Summis Pontificibus, vt patet *in Compendijs priuilegiorum, verbo Apostata, & verbo Fugitiuus*, quæ ibi videri poterunt, in quibus non solùm id permittitur; sed etiam, quod possint eos vbicumque sint, siue in sæculo, siue in alia Religione inuocato auxilio brachij sæcularis, summariè, & sine figura iudicij reuocare, & in carceres coniicere, ac in eos debito modo animaduertere, vt in specie concessit Pius V. Societati IESV, & refertur in eius compendio, *Verb. Apostatæ, §. 5.* & ex alio priuilegio Fratrib. Carmelitis concesso, licet eiusdem Prælatis regularibus religiosos Apostatas, & fugitiuos comprehendere, etiam si in vrbe reperiantur. Hac potestate supposita, dicendum est, eosdem Prælatos teneri, si commodè possint, ad apostatas, & fugitiuos reuocandos, vt diximus alias *to. 1. verb. Apostata, num. 10. & verb. Religio VI. num. 3.* iuxta *cap. Ne Religiosi, de regular.* & decretum Sac. Congregat. *die 21. Septemb. anni 1624.* Pius V.

8 Apostata non est religiosus, qui ex licentia Prælati iusta existente causa viuit extra Monasterium: quia potest Prælatus Papa inferior concedere facultatem hanc regulari sibi subdito, nempe pro vrgenti aliqua necessitate, vel vtilitate Monasterij. Sed absque iusta causa nullus Prælatus potest concedere suo religioso, vt extra claustrum maneat. Ratio est, quia iure communi potestas supra religiosum est penes Prælatū, *cap. Nullam 18. quæst. 2.* tum quia de iure communi potest quis profiteri aliquam regulam alicuius religionis, manens in propria domo de licentia Prælati, & ad eius nutum, *cap. Insinuante, Qui Clerici, vel vouent.* cuius annqui iuris determinatio à nullo posteriori sublata est, vt probat Nauarrus *in Comment. ar. 2. de regul. num. 16.* Ergo liberum est Prælato, huiusmodi licentiam concedere. Tum quia talis facultatis concessio non est dispensatio in aliquo voto; sed ad summum in Regula, super quam Prælatus habet potestatem dispensandi, ergo potest huiusmodi licentiam concedere. Ita Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 7. n. 3.* Faustus *in thesaur. Relig. lib. 6. quæst. 60.* & communis. Peccat tamen grauiter Prælatus absque iusta causa hanc licentiam concedens: quæ liber enim dispensatio in lege, absque iusta causa facta iniqua est ex parte concedentis, vt tradunt communiter Doctores: imò talis licentia nulla est; quia dispensatio in lege superioris ab inferiore sine iusta causa concessa, non solùm illicita est, verùm etiam inualida, vt alibi probauimus. Suarez Faustus

9 Constitutio Pauli IV. determinans omnia acquisita per negociationem illicitam Clericorum, aut religiosorum, quæ tempore mortis eorum fuerint inuenta, esse Cameræ Apostolicæ, est intelligenda de bonis acquisitis ab Apostatis extra claustrum degentibus, & decedentibus, inuentis tempore mortis eorumdem, quæ veniunt nomine spoliorum, non verò de acquisitis ab illis, qui ad sua Monasteria reuertuntur. Iuxta quem sensum debet intelligi alia similis Const. Gregorij XIII Sed hæ, & aliæ similes Constitutiones determinantes dicta bona, Apostatarum applicanda esse Cameræ Apostolicæ semper debent intelligi, deducto ære alieno, & solutis debitis. Ita Miranda *tom. 1. q. 51. art. 7.* Rodriquez *tom. 1. q. q. reg. q. 30. art. 12.* Nomine autem spoliorum dictæ Cameræ Apostolicæ applicandorum non veniunt acquisita à dictis Apostatis extra claustrum decedentibus per negociationem illicitam, quæ obnoxia erant restitutioni, vtpote contra virtutem specialem iustitię acquisita: quia hæc restituenda sunt proprijs dominis à quibus ablata fuerunt, sed tantum veniunt acquisita contra sacros Canones eis negotiari, vel aliquid aliud agere prohibentes, vt sunt quæ lucrantur per artes Medicinæ, vel Chirurgiæ, per officia publica, & obsequia in Curijs Principum exhibita, ac alia prohibita Ecclesiasticis in iure. Ita Hieron. Rodrig. *in Compend. resol. 11. n. 11. & 12.* post Emanuelem Rodriguez, & Nauarrum. Paulus IV. Greg. XIII Miranda Rodrig. Hier. Rodr.

Vide v. Beneficium 2. num. 12. Irregularitas 2. n. 23.

ARBITRIVM ARBITER

SVMMARIVM.

1 *Arbiter quid sit? & quomodo differant arbiter, & arbitrator.*

2 *Arbitrium quid sit, & quomodo differat ab arbitramento.*

3 Ar-

3 *Arbitri qui esse non possunt.*
4 *An in omni causa, & re, quæ non est prohibita, sit materia arbitrij, & compromissi.*
5 *Arbitria an differant à iudicijs.*

1 ARbiter strictè sumptus, est is quem partes mutua inter se conuentione sibi eligunt, qui controuersias inter ipsas dirimat, & cuius iudicio ac definitioni stent. Si verò latè sumatur, comprehendit quelibet existimatorem, siue suarum siue aliarum rerum; siue alij eius iudicio, & existimationi se subiecerint, siue non *l.* 1. *ff. de arbitr.*

Differunt autem arbiter, & arbitrator, quod ille à partibus constituatur, vt secundum iuris terminos sententiam ferat, ideoque velut iudex quidam est, sed arbitrator tanquam amicabilis compositor à partibus eligitur, vt pro bono pacis seruandæ, vnius iuri demere, & alteri tribuere possit, vitata tamen læsione magna. Vide Molinam *tract.* 5. *disp.* 30. *n.* 2. Filliucium *tract.* 39. *n.* 192. Syluester Tabienam *v. Arbiter.* Sanchez *lib.* 6. *Moral. c.* 13. *n.* 52.

Molina. Filliucius. Syluest. Tabiena. Sanchez.

2. Arbitrium est sententia prolata ab arbitro: Arbitramentum verò est sententia prolata ab arbitratore: modus autem cognoscendi, an is, in quem compromittitur sit arbiter, an potiùs arbitrator, id non ex nomine cognoscendum est, quia sæpè hæc nomina confunduntur, sed potiùs ex modo assumendi, & potestate eis tradita dignoscitur.

Nemo autem potest esse arbiter in propria causa, benè tamen arbitrator; quia arbiter eligitur quasi iudex, & vt procedat iuris ordine seruato: vt in proprio facto nemo potest esse iudex. At arbitrator eligitur vt amicabilis compositor, ut procedat extra iudicium, & partes componat, quod non repugnat in facto proprio. Ita Syluester *c. n.* 2. & 3. Filliucius *c. n.* 104. Sanchez *c. n.* 53. & 54. Abbas *in cap. Quintauallis, n.* 7. *de iureiur.* & alij

Syluest. Filliucius. Sanchez. Abbas.

3. Arbitri esse non possunt. *Primò,* minor 20. annis. *leg. cum lege, ff. de recept. arbitr.* si maior 20. & minor 25. acceptet esse arbitrum, & læsum se reperiat, quia id sibi non expediat, subuenitur restitutione in integrum. *Secundò,* nec mutus, nec surdus nec seruus esse potest; *Lilia verb a, ff. de verb. signif. Tertiò l.* nec mulier, ideoque compromissũ in illam, nullum est: *l. vlt. C. de recept. arbitr.* nisi esset Regina, Ducissa, Marchionissa, &c. uel nisi cõtuetudine loci iurisdictionem exerceret. *Quartò,* nec religiosus, nisi de licentia sui Prælati, & id expediat Monasterio: quia arbitrium requirit formam iudicij, quæ religiosis prohibetur *cap. De præsentium, cap. Monachi* 2. 16. *q.* 1. potest tamen esse arbitrator cum consensu Superioris, si subditus sit. *Quintò.* nec excommunicatus: quia non potest cum alijs communicare; quare nec arbitrator esse potest. *Sextò.* Iudex ordinarius iure ciuili communi prohibetur esse arbiter *l. Sed, & si seruum, ff. de recept. arbitr. Septimò,* laici non possunt esse arbitri in causis spiritualibus, nisi de licentia Summi Pontificis; at laicus simul cum clerico possunt esse arbitri de licentia Ordinarij, aut iudicis delegati eius causæ, *cap. contingit, de arbitr.* Arbitri autem esse possunt alij omnes, qui iure prohibiti non sunt. Plura de his apud Syluestrum *v. Arbiter, quæst.* 16. Molinam *c. disp.* 30. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 11. *n.* 5. Sanchez *lib.* 6. *Moral. c.* 13. *n.* 55. *& seq.* & alios

Syluest. Molina. Layman. Sanchez.

4. Materia arbitrij, & compromissi, est in omni causa, & re, quæ non inuenitur prohibita: in particulari tamen, in causis criminalibus compromitti non potest, nec dari arbitrium. Item in causa pertinente ad libertatem, aut ingenuitatem: neque de rebus spectantibus ad communitatem, vt ad regnum, prouinciam, ciuitatem vel oppidum: neque de causa matrimoniali spectante ad vinculum matrimonij id enim ad Iudices Ecclesiasticos pertinet: neque de sententia quę trãsiuit in rem iudicatam, nisi quoad dubia ortà post illam Molina *c. disp.* 40. Filliucius *tract.* 39. *cap.* 7. *num.* 107. & post illum.

Molina. Filliucius.

5. Differunt à iudicijs arbitria, eò quòd arbitri potestas limitata sit, & extra compromissum iudicare non valeat: At Iudex plura potest, vt punire testem producentem falsa testimonia, seu instrumenta, contumaciam litigantium, & similia. Syluester *verb. Arbiter, quæst.* 13. 14. & 15. Molina *c. disp.* 41. 42. 43 & 44.

Syluester. Molina.

Omnis autem qui transigere potest; etiam in arbitrum valet compromittere. Excipitur circa res spirituales, circa quas inualida est transactio. Filliucius *tract.* 39. *cap.* 7. *quæst.* 5. 6. 8. & 9. Filliucius.

Sententiam præsentibus partibus ferre debent arbitri: quare non satis est fuisse partes præsentes in discussione causæ, sed debent etiam esse præsentes in dicta conclusione, *l. diem, ff. de arbitr. §. si quis.*

Si in compromisso locus designatus fuit, in quo ab arbitris causa cognoscenda esset, eo in loco terminanda erit, aliàs eo in loco causa peragenda est, in quo arbitri compromissum acceptarunt, *l. si cum dies §. si arbiter, ff. de recept. arbitr.*

Arbiter debet seruare formam iudicij, quam ordinarij iudices seruant, nisi quatenus in eis aliqua de illa remissa fuissent, *l.* 1. *ff. de recept. arbitr.*

Si multi sunt arbitri, vel arbitratores, standum est plurium sententiæ, nisi aliud expressum sit. Si in tres compromissum sit, statur sententiæ duorum. Si omnes tres discordent, vno condemnante in decem, alio in quindecim, tertio in quinque, standum est minori summæ, nempe quinque, quia in eam omnes virtute consentiunt, *l. si in tres l. sicuti, ff. de recept. arbitr. l. diem proferre, §. si plures, ff. eod. tit.* Si in duos, neutrius sententiæ standum erit, si dissentiant, *l. item si vnus, §. si in duos, ff. eod. tit.* Si in multos ita compromissum sit, vt si non omnes possint, reliqui sine illis procedant, tunc valet eorum arbitrium. Si verò, vt omnes in eadem sententia conueniant, tunc nisi omnes intersint, & eiusdem sententiæ sint, inualidum est arbitrium, *c. Prudentiam, & c. Cum causa, de offic. deleg.*

Porrò compromissum, & arbitrium expirant morte arbitri, vel cuiuslibet eorum, si multi fuerint: intellige, si nondum per eos abrbitros lata sit sententia definitiua; tunc parum referet mors vnius, vel omnium, *l. item si vnus, §. item plures, ff. de recept. arbitr.*

Expirant etiam morte cuiusuis compromittentium ante latam sententiam definitiuam; lata uerò sententiam dicta ante mortem partium, transit compromissum ad hæredes, *l. diem proferre, l. non distinguemus, ff. eod. titul.*

Item expirat compromissum, si partes transactionem faciant circa illud, uel una pars alteri cedat totum suum ius. Item si partes inter se conueniant vt ab eo discedatur, *l. non distinguemus, §. summa rei. & §. item non est cogendus, ff. eod. tit.*

Denique si nullum tempus in compromisso præscriptũ fuit arbitris, intrà quod causam absoluerent, tunc tenentur finire illam intra congruum tempus, id saltem petente altera partium, & ad id cogi possunt à Iudice ordinario Plura de his apud Medinam *supra.*

Vide *Appellare* num. 2.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus non potest esse arbiter, nisi concurrant licentia Superioris, & vtilitas Monasterij.*
2 *Arbiter esse potest religiosus factus Episcopus, vel si aliquam administrationem habeat, vt Prioratum, absque alia licentia Superioris.*
3 *Verius est etiam ad officium arbitratoris exigi licentiam Superioris.*
4 *Satis probabile est Fratribus Minoribus nõ interdici officium arbitratoris ex Superioris licentia, sed tantum arbitri*
5 *Communis sententia est non valere arbitrium Monachi absque licentia Superioris præstitum.*
6 *Arbiter non potest cogi in causa progredi, si partes ea de re contenderunt, post munus acceptum, coram iudice ordinario vel delegato.*
7 *Item quando partes arbitrum infamauerunt nõ leuiter.*
8 *Item quando graues inimicitiæ oriuntur inter arbitrum vel arbitratorem, & vtrumque vel alterum litigantium.*
9 *Item, si rationabile ac iustum impedimentum arbitro vel arbitratori superueniat, quod id impediat.*
10 *Item, quando comperiretur arbitrum vel arbitratorem munere corruptum esse vel suspectum.*

11 *Arbitri, alij sunt compromissarij, alij iuris.*
12 *Inter arbitros iuris computantur arbitratores, qui ex precepto iudicis eliguntur, vt iuxta ipsorum autem ac peritiam, quid de aliqua re sentiant dicant.*

1 RElígiosus non potest esse arbiter, nisi concurrant licentia Superioris, & vtilitas Monasterij. His autem concurentibus potest, Quia arbiter est verè iudex; at religiosus non debet esse acceptator forensium negotiorum *cap. Monachi, el.2. & cap. De præsentium, 16 q.1.* Item, quia co *cap Monachi, & cap 2. de postulando* dicitur, ne Monachi sint susceptores, & executores absque licentia Abbatis, & vtilitate Monasterij. Nomine autem executorum & susceptorum, Doctores dicunt intelligi, omnia officia iudicialia. Cum ergo officium arbitri iudiciale sit, non licebit. Religiosis, nisi ea duplici conditione concurrente. Ita communiter Iurisperiti. Hanc autem licentiam potest concedere superior immediatus Religionis: nec exigitur licentia Conuentus, quia ex nullo iure petitur, sed solius superioris: nec est necessaria licentia Episcopi, nisi Monasterium ipsis subesset: quia esset verus superior: at in eo casu sufficeret quoque licentia obtenta, & non solom petita, immediati superioris Conuentus, qoia est verus superior: non obstante quod subesset Episcopo, sicut huic veræ superioritati non obstat ipsum esse subditum Prouinciali, & Generali. Quod intelligendum est, nisi in aliqua Religione interdictum esset superiori immediato licentiam hanc concedere Nomine autem vtilitatis Monasterij, quidam intelligunt eam vtilitatem debere esse directam, vt pote, si tractetur de rebus Monasterij conseruandis, aut defendendis, cæterum quamuis hoc sit satis probabile, probabilius tamen est sufficere vtilitatem eam indirectam Monasterij indigentis ad magnam pauperiem subleuandam, & æs alienum soluendum, vt Religiosus id munus obeat; quia id non solius vtilitatis, sed maximæ Monasterij necessitatis iure optimo nomen mereatur: Imò satis esset vtilitas, quæ sequitur ex eo quod id officium præstetur pro amico Monasterij, eique valdè vtili. Ita Rosella *verb. Arbitr. num. 2.* Angelus *ibid. numero 5.* Tabiena *quæst 7. num. 10.* Armilla *num. 12.* & alii multi quos refert & sequuntur Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 13. num. quinquagesimoquinto & quinquagesimosexto.* Porrò Nouitii non comprenduntur in hac prohibitione, quia non sunt verè religiosi.

Rosella. Angelus. Armilla. Tabiena. Sanchez.

2 Arbiter esse potest religiosus factus Episcopus, eo quod à Religionis regulis eximatur, nec ea omnia sibi interdicantur, quæ religiosis intra claustrum degentibus interdicta sunt: imò & Monachi simplices habentes aliquam administrationem, aut aliquem Prioratum, possunt esse arbitri & arbitratores absque Abbatis licentia; quia tunc sunt quasi emancipati ab Abbate. Similiter superior Religionis nulla indiget licentia, vt arbiter sit, quia cum ipse suis subditis eam licentiam dare possit, potest quoque ea vti: quod intelligendum est cum duplici limitatione, prior est, vt concurrat vtilitas Monasterij: posterior est, vt non sit Religio, in qua exigatur licentia supremi Religionis Prælati, Vide Sanchez *cit. numero 57. & 58.*

Sanchez.

3 Quidam censent officium arbitratoris, non interdici religioso, atque adeò nullam licentiam superioris requiri, vt arbitrator sit, quia munus absque iudicij strepitu exercetur, ac opus pietatis maximè religiosos decens sit, lites componere. Dicendum nihilominus est, exigi licentiam superioris; quia esse testamenti executorem est opus pietatis, & tamen exigitur licentia Superioris, eo quod religiosus non habeat velle, aut nolle. Ergo cum eadem militet ratio in arbitratore, exigitur quoque eadem licentia. Ad hoc tamen munus obeundum non exigitur vtilitas Monasterii, quia ad concernentia pietatem absque iudicii strepitu, quale est iudicium arbitratoris, satis est Superioris licentia. Ita docent Rosella *verb. Arbiter, numero 2.* & ibi Angelus *num. quarto*, Syluester *quæstione decimasexta, numero 14.* Tabiena *q. 7. n. 10.* Armilla *n. 11.* & alii Notandum tamen, quod licentia ad munus arbitri & arbitratoris non exigitur, vt religiosus creetur arbiter, vel arbitrator, potest enim ante licentiam aliquam creari, sed exigitur, vt ea munera accepit.

Rosella. Angelus. Syluest. Tabiena. Armilla.

4 Quorundam sententia est, Fratribus Minoribus omninò interdici munera arbitri & arbitratoris, quantumuis licentia Superioris adsit; sicut nec executores testamenti esse possunt de licentia Superioris: puritas enim sui instituti, & omnium sæcularium negotiorum abdicatio, quæ ipsos prohibet munus executoris testamenti quod valdè pium est, acceptare, iuxta *Clement. Exiui, de verb. significat* prohibet quoque munus arbitri, aut arbitratoris de cuiuscumque Superioris licentia suscipere. Ita Decius *consil 94. n. 9. & 10. & consil. 489. n. 3. & 5. vol. 4.* Rodrig. *tom. 1 qq. reg. q. 65. art. 3.* & alii. Quorum opinioni merito subscribit Sanchez cum aliis à se citatis *lib. 6. Moral. cap. 23. numer. 66.* quantum ad officium arbitri, at officium arbitratoris putat licere Fratribus Minoribus ex Superioris licentia, sicut aliis religiosis licet, quod nihil contra sui instituti puritatem sit in arbitratoris officio, imò valde conforme illis sit inter partes dissidentes pacē conciliare: nec huic instituto derogat ipsas compromisisse fecisse de sequendo Fratris Minoris iudicio in ea re, cum hæc omnia absque iudicii strepitu, & per quandam prudentem & amicabilem compositionem fiant.

Decius. Rodrig. Sanchez.

5 Dubium est, an si Religiosus contra iuris prohibitionem fiat arbiter, aut arbitrator, nempe absque licentia Prælati sit irritum factum? Et videtur non esse irritum, quia textus *c. Monachi, el. 2. & c. De præsentium 16. quæstione 1.* non habet uerbum denotans factum irritari, sed solam simplicem prohibitionem continens. Sed communis sententia est, non ualere arbitrium Monachi absque licentia Superioris præstitum à Religioso, quia æquiparatur seruo, serui autem arbitrium nullum est, *leg. Pedius 7. §. in seruum, ff. de arbitris.* Idem tenet loquens tam de arbitrio, quam de arbitramento Fratris Minoris Rodriguez *tom 1. qq. regul. q. 65. art. 3.* cum aliis. Sanchez uero *citatus num. 70.* existimat ualere arbitramentum à quocumque Religioso, etiam Fratre Minore præstitum absque licentia Superioris: quia seruus hoc arbitramentum præstare, potest, vt docet Glossa *in d. c. §. in seruum, verb. Nullum sit, in 2. solutione*, & ibi Baldus, quia est res mere facti, quod bene cadit in seruum. Et ideò nulla est ratio, quia probetur tale arbitramentum non ualere: quamuis peccet Religiosus sic arbitrando absque Superioris licentia.

Rodrig. Sanchez. Glossa. Baldus.

6 Arbiter non potest cogi in causa progredi. *Primo* si post id munus ab arbitrio acceptatum, partes ea de re contenderunt coram iudice ordinario, vel de legato, vel si alium arbitrum circa eādem causam sibi elegerunt. Ita habetur *l. & si in seruum §. ultimo* & duabus legibus sequent. *ff. de recept. arbitr.* Si tamen vna tantum pars vocaret alteram inuitam coram iudice ordinario circa candem causam, atque in compromisso pœna fuisset apposita non stanti compromisso, tunc ea pars, quæ alteram inuitam vocaret coram iudice ordinario, aut delegato, incideret in pœnā illam, eo quod compromisso non steterit; & nihilominus causa integra manet, vt coram eo iudice ordinario peragatur. Ita habetur *leg. si quis rem, ff. de recept. arbitr.*

Hæc autem non solum habent locum in arbitro, sed etiam in arbitratore.

7 Secundò, quando partes arbitrum infamarunt, non leuiter scilicet. Vnde si arbiter uel arbitrator, accepta infamia, non uelit in causa progredi ac ferre sententiam, & partes à iudice ordinario petant, vt illum cogat ad id, non prius ordinarius excusare illū debet, quam causa cognita, uideat, num iniuria tanta ac talis sit, spectatis circunstantiis concurrentibus, quæ illum excuset. Ita habetur *l. sed etsi in seruum, §. vlt.* iuncta Glossa ibi & *l. licet, ff. de recept. arbitr.*

Glossa.

8 Tertiò, quando graues inimicitiæ oriuntur inter arbitrum, uel arbitratorem & utrumque, aut alterum litigantium, aut antecedens post munus acceptum detectæ sunt: tunc enim uno litigantium id petente, præcipere iudex ordinarius causa prius cognita debet arbitro, ne in ea causa ulterius progrediatur, satisque esset protestatio partis tali arbitro facta, ne in causa progrederetur, quoniā sibi ob eas inimicitias est suspectus, ut si arbiter senté-

ciam

tiam nihilominus proferret se ab illa tueri posset doli exceptione, & vt excusaretur a pęna compromisso ei statuta, qui sententiæ non pareret, eadem exceptione doli. Ita habetur, *l. licet, l. non distinguamus, §. cum quidam, ff. de recept. arbitr.*

9 Quartò, si rationabile, ac iustum impedimentum arbitro vel arbitratori superueniat, vt progredi in causa non possit, eamque ad finem perducere, vt morbi, ingressus Religionis, proprium aliquod negotium, quod id impediat, munus ei iniunctum, necessaria, aut valdè vtilis profectio, & similia alia, quæ id rationabiliter, ac meritò impediant. Tunc enim excusatur à Iudice ordinario causa cognita, & sufficienter ab eo iudicata. Atque interdum dilatio temporis ei conceditur, intra quod causam expediat, si circumstantiæ id efflagitent, & litigantes velint. Ita habetur, *l. licet* iuncta *l. ibi sequenti, ff. de recept. arbitr.*

10 Quintò, quando post munus acceptatum comperiretur, arbitrum, vel arbitratorem, munere, aut alia re corruptum esse, vel ante munus acceptatum, vel post illud, vt alteri parti faueret: tunc enim iudex ordinarius præcipere illi deberet, ne in causa progrederetur: quin etsi nihil illi fuisset præceptum, & sententiam tulisset, competeret aduersus executionem illius, & aduersus pœnæ executionem statutæ in compromisso sententiæ non parenti, doli exceptio. Ita habetur, *l. etsi sciuum, §. vlt. ff. de recept. arbitr.* Nota tamen, prohibitum non esse arbitris, & arbitratoribus pretium ab vtraque parte litigante accipere pro munere, quod exercent, & labore, ac industria, quæ in examinanda, ac definienda causa apponunt, vt habetur, Glossa *l. 3. §. aut prætor*, iuncta Glossa ibi, *ff. de recept. arbitr.*

11 Arbitri dicuntur, vel compromissarij, vel arbitri iuris Arbitri compromissarij sunt, in quos partes compromittunt eorum sententiæ, seu definitioni stare, nulla lege, aut statuto ad id eos cogente. Atque hi nullam habent iurisdictionem. Iurisdictio enim à lege est, aut à Principe mediatè, vel immediatè, & non à partibus priuatis: vnde definitio horum, arbitrium potiùs, aut arbitramentum est dicenda, quàm sententia. Arbitri iuris illi dicuntur, qui disponente, ac obligante ad id lege, aut statuto, seu Principis iussu, eliguntur ac sententiam proferunt, siue ex dispositione legis, statuti, aut Principis, eligantur à partibus, siue ab arbitris à partibus iam electis, quando non concordant, & vnà cum arbitris à partibus electis sententiam proferant, siue lex illa talem arbitrum, aut arbitros designet, vel aliquem alium eos designare præscribat. Huiusmodi arbitri iurisdictionem habent, non solùm ad iudicandum, sed etiam ad ea, quæ ad ita iudicandum necessaria sunt, vt ad testes vocandum, & ad eos cogendum, vt testimonium dicant, & ad similia alia: eo quod legis, aut Principis auctoritate sunt constituti: cogique eiusmodi arbitri possunt munus suscipere, vt habetur, *cap. suspicionis de offic. deleg.* Sententia horum arbitrorum vim habet, vt & cæterorum iudicum habentium iurisdictionem: potestque ab ea appellari ex rationabili causa, & à quocunque alio grauamine horum arbitrorum, vt si terminum minùs competentem partibus præscribant, intra quod causas recusationis probent, aut si in aliquo alio aliquam earum grauent. Ita habetur *cap. arbitri, de offic. delegat. in 6.*

12 Cum arbitris iuris computantur arbitratores, qui non à partibus, sed à iudice eliguntur, vt iuxta ipsorum artem, ac peritiam, qui de aliqua re sentiant, dicant, ac statuant, vt quoad dimensionem, & mensuram, quoad valorem rei alicuius, quoad vulnus, an fuerit lethale, vel ex illo, aut aliunde vulneratus obierit, &c. Sic etiam deputantur obstetrices, quæ iudicent, an mulier grauida sit, vel non. Et in alijs multis euentibus deputantur à iudice arbitratores, qui de aliquibus ad ipsorum artem, ac peritiam attinentibus iudicent, Cum autem hi iuxta legum præscriptum publica auctoritate iudicis in similibus euentibus arbitramenta proferant, quibus, si irrationabilia, & iniqua non deprehendantur, in iudicio statur, neque id efficiant sola electione compromisso in illis, ac pacto partium, vtique ad arbitros, seu ad arbitratores iuris pertinent, & non ad compromissarios arbitratores. Molina Ita Molina *tract. 5. disp. 31. n. 3.* Plura de arbitris vide infra *verb. Compromissum*, & v. appellare *num. 2.*

ARCHIEPISCOPVS.

S V M M A R I V M.

1 *Archiepiscopus est Ordinarius superior suffraganeorum siue Coepiscoporum Prouinciæ.*

2 *Archiepiscopus an iurisdictionem habeat in subditos suffraganeorum suorum.*

3 *An possit Archiepiscopus Prouincialia statuta condere sine Synodo Prouinciali.*

1 ARchiepiscopus, postquam à Sede Apostol. pallium accepit, is Ordinarius est superior suffraganeorum, siue Coepiscoporum Prouinciæ, vt ijs præcipere, eosque negligentes ad officium compellere possit *cap. nisi, de authoritate, & vsu pallij, cap. solicitudine, de appell. cap. 1. 2. & seq.*

In causis tamen criminalibus maioribus, ac depositionem merentibus, re cum prouincialibus Episcopis cognita, ad sententiam definitiuam aduersus Episcopum procedi non potest, sine Sedis Apostolicæ authoritatie *cap. 2. de translat. Episc. & cap. 5. & seq. 3. quæst. 6.* Imò iure nouo non solum condemnatio contra Episcopum, sed etiam cognitio, ac processus in criminibus, quæ depositionem vel priuationem merentur, soli Papæ est reseruatus, & inferioribus interdictus, *cap. inquisitores, de hæret. in 6.* Conc. Trid. *sess. 24. cap. 5. de reform.* quod clarè exprimit Conc. Conc. Trid. Trid. loco hic citato, & obseruat Nauarrus, *l. 2. consil. 1.* Nauar. *de foro compet.*

2 Archiepiscopus in subditos Coepiscoporum iurisdictionem non obtinet, nisi in casibus iure expressis, *c. Nullus Primas 9. quæst. 3. Primo*, si ab Episcopo ad ipsum appellatum sit; (non tamen ob solam negligentiam Episcopi; nulla interposita à partibus appellatione) ad Archiepiscopum deuoluitur iurisdictio: propterea Archiepiscopus non potest adiri per viam querelę per subditos suffraganei sui, nisi ipse consentiat, *cap. duo simul, de offic. Ordinarii cap. 1. de offic. Legati, c. significasti. de foro compet.*

Secundo, dum prouinciam visitat (quod liberè facere potest iure communi, etsi nulla Episcopi negligentia intercedat, sed cum limitatione Tridenti Conc. *sess. 24. cap. 3. de reform.*) potest Prouincialium confessiones audire *cap. vlt. de cens. in 6.* Item iubere crucem ante se ferri & populo benedicere, etiam in locis Prouinciæ alioquin exemptis. Clementina. *Archiepiscopo de priuileg.*

Tertiò, Archiepiscopo absolutè permissum est indulgentias intra suam Prouinciam concedere iuxta limitationem Concilij Lateranensis, *c. nostro, de pœnitent.*

3 Quando Archiepiscopus vult Prouincialia statuta condere, Episcoporum Synodum eius rei causa congregare debet, in eaque præsidere tanquam Decanus in Capitulo, *c. Nullus primas 9. q. 3.* Et quod in Prouinciali Synodo decretum fuerit reuocare, immutare, in eove dispensare nequit, cùm sit, inferior Synodo, siue Concilio Episcoporum, à quibus, & iudicari potest; vt resoluunt Suarez *de leg. lib. 6. c. 15.* Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 17. nu. 36.* Suarez Sanchez

De Archiepiscopi authoritate multa adfert *Stephanus Quaranta* in Summa Bullarij V. *Archiepiscopi auctoritas:* sed quia ad conscientiam parum pertinent, à nobis consultò omittuntur.

Vide præterea de Archiepiscopo V. *Excommunicatio 5. n. 6. Matrimonium 5. n. 6. Pallium. Votum 7. n. 4. Ordo 3. n. 2*

SVPPLEMENTVM.

S V M M A R I V M.

1 *Decretum Sacræ Congregationis obseruandum in appellatione ab Episcopo ad Archiepiscopum.*

2 *Archiepiscopus potest intra quamlibet Ecclesiam suæ Prouinciæ vti pallio.*

3 *Archiepiscopus, qui renunciauit Archiepiscopatui non potest exercere Pontificalia cum pallio in diœcesi, & Prouincia renunciata etiam cum consensu Archiepiscopi successoris, & suffraganeorum.*

4 *Archiepiscopus hodie non potest visitare Prouinciam, nisi causa cognita, & probata in Concilio Prouinciali.*

5 *Ar-*

5 *Archiepiſcopus quando poſſit deputare Vicarium in Eccleſia ſuffraganea poſt mortem Epiſcopi.*

6 *Archiepiſcopus vt poſſit compellere Prælatos regulares, vt in Eccleſiis Parochialibus eis ſubiectis, fiat prædicatio Euangelij.*

7 *Propter negligentiam ſolam Epiſcopi, non deuoluitur iuriſdictio ad Archiepiſcopum.*

8 *Archiepiſcopus de iure communi poteſt ante ſe deferri facere Crucem per totam ſuam Prouinciam, etiam in locis exemptis.*

9 *Archiepiſcopus poteſt exercere iuriſdictionem in Prouincia conſuetudine ſibi permittente.*

1 QVia de iure ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum datur appellatio, vt habetur *c. duo ſimul, de offic. Ordin. cap. 1. de offic. legati, c. Significaſti, de for. competent.* ſciendum eſt in hac materia appellationum extare Decretum Sacræ Congregationis tenoris ſequentis.

Decretum S. Congre.

Ad tollendas ambiguitates, & controuerſias iuriſdictionales, quæ inter appellationem, & prioris inſtantiæ iudices, non ſine partium ſuſpenſione, curſuſque iuſtitiæ impedimento, & ſæpè cum ſcandalo oriuntur; Sacra Congregatio cauſis Epiſcoporum præpoſita, facta prius relatione Sanctiſſimo D. N. Clementi Papæ VIII. ac de Sanctitatis ſuæ mandato viuæ vocis oraculo deſuper habito, in hunc qui ſequitur modum, ad omnibus ad quos ſpectat in poſterum fieri, ac ſeruari debere mandauit, & mandat.

Metropolitani, Archiepiſcopi, Primates, aut Patriarchæ in ſuffraganeos eorum, ne ſubditos iudicent, niſi in caſibus à iure expreſſis.

Item, nec alij ſuperiores etiam Nuncij, vel Legati de latere ſpecificam facultatem maiorem non habentes, cauſas in curijs Ordinariorum, vel aliorum inferiorum Iudicum pendentes ad ſe non aduocent, niſi per viam legitimam appellationis ad ipſorum Tribunalia deferentur, tuncque appellantes ab inferiorum iuriſdictionibus quoad alias cauſas eximere non poſſint.

Appellationes numquam recipiantur, niſi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius conſtiterit appellationem a ſententia diffinitiua, vel habẽte vim diffinitiuæ, aut à grauamine, quod per diffinitiuam ſententiam reparare non poſſit, in caſibus à iure non prohibitis per legitimam perſonam, & intra debita tempora fuiſſe interpoſitam, ac proſequutam.

Nec dum cauſa coram inferioribus iudicibus pendens, ante diffinitiuam ſententiam, vel vim diffinitiuæ habentem, de grauamine illato ſuperiores cognoſcere valeant, licet citra præiudicium curſus cauſarum ſe id facere conteſtentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut ſimpliciter mãdare, vt ipſis copia proceſſus tranſmittatur, etiam expenſis appellantis.

Inhibitiones poſt appellationem, ſicut præmittitur, receptam non concedantur, niſi cum inſcriptione tenoris ſententiæ, aut decreti diffinitiui, aut vim diffinitiuæ habentis, vel damnum diffinitiuum irreparabile continentis, alias inhibitiones, & proceſſus, & inde ſequuta quæcumque ſint ipſo iure nulla eiſque impunè non parere liceat.

Si appellans aſſerat ſententiæ, aut appellationis exemplũ culpa iudicis à quo vel actuarij habere non poſſe, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, ſed eis tantum ad quos pertinet, iungi poterit, vt ſoluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum, appellanti intra breuem aliquem competentem terminum tradatur. Caueat tamen iudex à quo, ne ſi verè appellatum fuerit, in caſu appellabili, interim aliquid in præiudicium appellantis attentet, & ſi per actum publicum, aut per teſtium depoſitiones conſtiterit acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta poſſit iudex appellationis adiicere, ne interim aliquid noui contra appellantem attentetur.

Ab executione decretorum Sacri Concilij Tridentini, aut viſitationis Apoſtolicæ appellationis à Metropolitanis non recipiantur, nec ſi Epiſcopi virtute eiuſdem Sacri Concilij procedunt vti Sedis Apoſtolicæ delegati in cauſis, quæ ſub eorum iuriſdictione ordinaria non comprehenduntur, ſalua tamen in hoc caſu Legatorum, & Nunciorum Apoſtolicorum auctoritate.

In cauſis verò viſitationis ordinariorum, aut correctionis morum quoad effectum deuolutiuum tantùm admittantur, niſi grauamine per diffinitiuam irreparabili agatur, vel cum viſitator citata parte, & adhibita cauſæ cognitione iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit etiam quoad effectum ſuſpenſiuum.

Cum à grauamine, quod per diffinitiuam reparari nequit, vt indebitæ carcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis etiam comminatæ appellatur, non niſi viſis actis, ex quibus euidenter appareat de grauamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel prouiſio aliqua concedatur.

Cauſa appellationis pendente, appellans in eodem quo reperitur carcere permanebit, quoad iudex ad quem appellatũ eſt, viſis actis, & cognita cauſa aliter decreuerit, & tunc ſi à iudicis ad quem decreto vim diffinitiuæ habente fuerit appellatum nihil mandare, aut pro ſui decreti executione attẽtare poterit, donec per Iudicem ſuperiorem aliud fuerit ordinatum.

Acta originalia proceſſuum primæ inſtantiæ ad Iudicem appellationis Notarius omittere non cogatur, niſi probabilis aliqua falſitatis cauſa, & ſuſpicio incidat, quæ iudicialiter obiiciatur, & tunc terminata cauſa remittenda ſunt ad Ordinarium, vt in ſuo Archiuio conſeruentur.

Cenſura Eccleſiaſtica in appellantem prolata relaxari, aut nulla declarari per Iudicem appellationis non poſſit niſi auditis partibus, & cauſa cognita, tuncque ſi conſtiterit eã iuſtam eſſe, ad iudicem, qui excommunicauit, appellans remittendus eſt, vt ab ipſo iuxta ſacros Canones beneficium abſolutionis, ſi humiliter petierit, debitamque emendationem præſtiterit, obtineat: ſi verò iniuſtam eſſe clarè appareat, ſuperior abſolutionem impendat, ſi dubitetur, honeſtius eſt vt ad excommunicatorem intra breuem aliquem competentem terminum eidem præfigendum abſoluendus remittatur, licet etiam ſuperior hoc caſu idipſum per ſe præſtare iure poſſit.

Abſolutio ad cautelam nonniſi parte citata, & viſis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ, vel à iure, ſi occurrat dubium facti, vel probabile dubium iuris, concedenda erit, tuneq; ad tempus breue cum reincidentia, & præſtita per excommunicatum cautione de ſtando iuri, & parendo mandatis Eccleſiæ tantum, & ſi iuxta formam a iure præſcriptam apparebit, quem ob manifeſtam offenſam excommunicatum fuiſſe, debitam etiam ſatisfactionem præſtare, & ſi ob contumaciam manifeſtam, expenſas pariter ſatisfacere, & cauere de iudicio ſiſti coram excommunicatore quis tenebitur priuſquam ad cautelam abſoluatur,

A ſententia etiam diffinitiua contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quæuis prouiſio quamdiu appellans in huiuſmodi vera contumacia perſtiterit, concedatur.

Romæ in Sacra Congregatione die 16. Octob. 1600.

ALEX. CARD. FLORENT.

HIERON. AQVCCIVS SECR.

2 Archiepiſcopus intra quamlibet Eccleſiam Prouinciæ ſuæ poteſt uti pallio, iuxta *c. 1. de auctor. & vſu pallii*, etiam in loco exempto. Gloſſa *in Clement. Archiepiſcopo de priuileg.* Et quia Pontificalis officij plenitudo confertur per pallium, antequam illud obtinuerit, licet ſit conſecratus, non ſortitur nomen Archiepiſcopi, vel Primatis, aut Patriarchæ, & non poterit Epiſcopos conſecrare, nec conuocare ad Concilium, nec Chriſma conficere, nec Eccleſias dedicare, nec clericos ordinare etiam pallium in alio Archiepiſcopatu habuiſſet, cùm oporteat petere nouum pallium. Licet enim Epiſcopus poſſit miniſtrare illa, quæ ſunt ordinis, tamen poſtquam fuerit in Archiepiſcopum promotus, & nondum pallium conſequutus, non poteſt Ordines conferre, vt Epiſcopus, nec Archiepiſcopus: & iſtud eſt verum de Clericis ſui Archiepiſcopatus, quia tũc videtur conferre Ordines iure ſuo, & tamquam Archiepiſcopus in ſubditum ſuum, & in collatione Ordinum in ſua Diœceſi, & Prouincia vtitur pallio, quod adhuc non habuit. Ita intelligitur textus *c. quod ſicut, §. præterea, in fine, de elect.* Poteſt tamen ante acceptum pallium alteri cõmittere, Gloſſa *in c. 1. de translat. Epiſcop.* Alios tamen clericos

Gloſſa.

ricos poteſt ordinare ſi ſit inuitatus ab alio Epiſcopo, & nomine illius,alia Eiſcopalia exercere. Ratio eſt,quia in illud non videtur facere iura ſua, & tanquam Archiepiſcopus, ſed vt ſimplex Epiſcopus:tum quia etſi habuiſſet pallium,non poſſet eo extra Prouinciam ſuam vti.

3 Archiepiſcopus,qui renunciauit Archiepiſcopatui,& ſit loco,& non dignitati, non poteſt exercere Pontificalia cum Pallio in Diœceſi,& Prouincia renunciata etiam cũ conſeuſu Archiepiſcopi ſucceſſoris, & ſuffraganeorum, ſed tantùm exercere Pontificalia ſine pallio cum conſenſu prædictorum, quemadmodum in alijs Diœceſibus de conſenſu Diœceſanorum; quia illo pallio ampliùs vti non poteſt,ſed debet retinere penes ſe, & cum eo ſepeliri. Facit textus in *cap.ad ſupplicationem,de renunciat.* Item Archiepiſcopus factus Epiſcopus non poteſt vti pallio niſi ex priuilegio Sum Pontificis: Imò Archiepiſcopus tranſlatus de vno Archiepiſcopatu ad alium non poteſt vti pallio

Diana. priori. Vide Dianam *p.3.tract.6.reſol.37.*

4 Archiepiſcopus,iuxta ius antiquum, poteſt viſitare prouinciam,& procurationem à ſubditis ſuffraganeorum ſuorum exigere,*c.cum Apoſtolus,* ibi Gloſſa in *v. Archiepiſcopi,c.ſopite,& c.nuper de cenſibus,c. cum ex officiis de præſcript.c.1.& c.final.de cenſibus , in 6.* vbi dicitur quòd Archiepiſcopus dum viſitat Prouinciam,poteſt confeſſiones ſubditorum ſuffraganeorum audire, & abſoluere pœnitentes,& ipſis pœnitentias iniungere ſalutares, & poterit abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, & cenſuris, & diſpenſare in foro conſcientię. Abbas *in c. ad extirpanda, de fil.preſbyter.* Non poteſt ordinare , neque concedere literas dimiſſoriales,quia nõ reperitur à iure ei permiſſum. Non poterit exercere iuriſdictionem fori contentioſi in ſubditos Epiſcopi ſuffraganei, niſi in duobus caſibus,in criminibus notorijs , nempe, & contra impedientes eius iuriſdictionem,*c.1.§.notoria,de cenſibus,in 6.c.1.de Offic.*

Conc.Trid *Deleg.* & ibi Gloſſ. Hodie verò per Conc.Trid,*ſeſſ.24.c.3.de reform.* non poteſt viſitare Diœceſes in ſuffraganeorum, niſi cauſa cognita,& probata in Concilio Prouinciali, & tunc viſitando habebit eaſdem facultates, quas ante Concilium de iure communi habebat:nec non alia quę à Concilio Prouinciali,in ſpecie ei committerentur,iuxta facultatem,quam habet à iure Concilium Prouinciale,

5 Archiepiſcopus poteſt deputare Vicarium, ſeu Officialem in Eccleſia ſuffraganea,ſi infra octo dies poſt mortem Epiſcopi,Capitulum non prouiderit,ex decreto Con-

Conc. Trid cili Trident.*ſeſſ.24.c.16.de reformat.* & emo'umenta ſede vacante erunt ſucceſſoris,& non capituli , *Clement.Statutum,de elect.* niſi alia fuerit conſuetudo,Electio tamen Vicarii debet de Capitulari perſona,ſi idonea ibi reperiatur, *cap.ne pro defectu,* & ibi Gloſſa *de elect.* Sed non de neceſſitate.

6 Archiepiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus,poteſt compellere Abbates,& Regulares, Prælatos negligentes,vt prædicatio Euangelijs fiat in Eccleſijs Parochialibus ſubiectis Monaſterijs in nulla Diœceſi exiſtentibus,in cuius Prouincia Diœceſes ipſæ ſitæ ſunt,ex decreto

Conc.Trid eiuſdem Conc.Trid *ſeſſ.5.de reform.cap.2.* Item Archiepiſcopus tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus poteſt conuocare Regulares in cuius Prouincia Monaſteria ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione ſita ſunt,negligentes exequi Decretum eiuſdem Concil.*ſeſſ.25. de reform.c. 8.de regular.*

7 Propter negligentiam ſolam Epiſcopi non deuoluitur iuriſdictio ad Archiepiſcopum niſi poſt terminum aſſignatum per Archiepiſcopum , quando tamen crimina non ſunt notoria. Item ſi Epiſcopus non vult exhibere auxilium Iudici ſæculari,poteſt adire Metropolitanum,vt illum cogat auxilium præſtare ad executionem ſententię,vt eſt communis opinio. Couarr *in pract.quaſt.cap.10. ſub n.10.* An autem Epiſcopus poſſit cogi ab Archiepiſcopo ad pronunciandum: Dicendum eſt,quod ſi cauſa eſt in expeditione, vel retardat expeditionem , tunc ad inſtantiã partis poteſt moneri ab Archiepiſcopo cum termino,aliàs eo elapſo, & nulla ſubſiſtentiæ cauſa rationabili poterit ipſe Archiepiſcopus procedere. Nec poteſt Epiſcopus ſe

Conc.Trid tueri termino biennij dato per Concil. Trident. *ſeſſ. 24. c. 20.* quia in eodem capit. *in §.legati,* quoque expreſsè cautur,quòd negligente Epiſcopo,coque prius requiſito, Iudex ſuperior poteſt procedere , & ratio eſt, quia illa retardatio expeditionis,præſertim ſi reus detinetur in carcere continet grauamen irreparabile à quo poteſt appellari,carcer enim ſemper grauat. Item per negligentiam Epiſcopi in collatione beneficii deuoluitur collatio ad Archiepiſcopum poſt ſex menſes *c.2. de conceſſ. prabend.* Limita in beneficio Curato, ad quod ſi patroni præſentauerint,& præſentatus per examen fuerit approbatus,tenetur Epiſcopus infra duos menſes inſtituere; aliàs poterit Ar- Pij V.

chiepiſcopus ex Bulla Pij V. quæ incip t *In Conferendis* Quaranta.

16.Maij 1567.apud Quarantam in Sum.Bullar.verb. *Beneficiorum Parochialium Collatio.* Qui tamen Auctor conſuluit eo caſu,vt priùs certioretur Ordinarius ad dicendum cauſam quare non debeat fieri inſtitutio ab Archiepiſcopo,vt ipſe tutius procedere poſſit.

8 Archiepiſcopus de iure communi poteſt ante ſe deferri facere Crucem per totam ſuam Prouinciam, etiamſi locus eſſet exemptus vigore conſtitutionis editæ in Concilio Vienneñſi relato in *Clement. Archiepiſcopo, de priuileg.* Delatio enim Crucis licet non ſit contentioſæ iuriſdictionis,eſt tamen inſigne ſapiens ſuperioritatem ; vnde poteſt in loco exempto vti inſignis voluntariæ iuriſdictionis,& honoris. Et Doctores dicunt hoc ei concedi propter reliquias præcedentis ſubiectionis cùm per exemptionem talia loca non deſinant eſſe in Prouincia , vel in Diœceſi , ius namque reuerentiæ numquam tollitur per exemptionem,& ideò Eccleſia exempta,ſeu liberata tenetur nihilominus exhibere reuerentiam Epiſcopo, & ire ei obuiam proceſſionaliter more aliorum.Felinus in *c.cum non liceat* Felinus.

ſub nu.2.de præſcript. Amplia vt poſſit id Archiepiſcopus etiam quando non viſitat, multo magis quando viſitat locum exemptum in ſua Diœceſi , vel Prouincia vti Sedis Apoſtolicæ delegatus, nam dicta Clementina generaliter loquitur. Limita niſi eſſet præſens Legatus Papæ,quia tūc nec Patriarcha,*c.ap.antiqua,de priuileg.* vel præſens Cardinalis non Legatus vel Nuncius cum facultate legati de latere.Vt præſcribit *Caremon.Epiſcoporum,c.3.*

9 Archiepiſcopus poteſt exercere iuriſdictionem in Prouincia,conſuetudine ſibi permittente . Vnde licet Archiepiſcopus regulariter non poſſit exercere iuriſdictionem in Prouincia erga ſubditos Epiſcopi ſuffraganei *c. 1. de foro competent. in 6.* niſi in caſibus iure expreſſis per Gloſſam in *cap. Paſtoralis,de offic.ordinar.* inter quos eſt quando conſuetudo hoc ſibi tribueret,*d.c.1.de foro compe.* Gloſſ.

tent.&c.1.de pœnis,in 6. Ex quo enim quis eſt in poſſeſſione per aliquod tempus ſine controuerſia,dicitur poſſidere pacificè,ita quod ſit in ea conſeruandus & ex hoc inducitur conſuetudo quæ conſuetudo tribuit iuriſdictionem , *cap.conqueſtus 9 quaſt.3.c cum contingat, de foro compet.* Tamen Archiepiſcopus vel alius Prælatus non poteſt cõſuetudine acquirere illa quæ tendunt ad honorem , quæ communiter non conceduntur Eccleſijs ſine priuilegio Apoſtolico,vt probatur in *c.contra morem, diſt.100.* De Archiepiſcopi authoritate plura vide apud Quarantam *v.* Quaranta

Archiepiſcopi Authoritas.

Vide v.Beneficium,3.*n.*6.Diſpenſatio,*n.*8.Lex,2.*n.*7.

ASSECVRATIO.

SVMMARIVM.

1 *Aſſecuratio quid ſit.*
2 *Quinque conditiones requiſitæ ad contractum aſſecurationis.*
3 *Aſſecurator an poſſit aliquid retinere ratione contractus cum periculo , quando neſcit certò rem perueniſſe ad portum.*
4 *Mercator an inualidè contrahat, qui ſciens nauim periiſſe, petit aſſecurationem.*
5 *Quæ aſſecurari ſoleant.*
6 *Fraudes ſolitæ interuenire in contractu aſſecurationis, ex parte aſſecuratoris, aſſecurati, & Domini rei.*

1 ASſecuratio eſt contractus quo alienæ rei periculum ſuſcipitur pro pretio aut alio intereſſe, obligando ſe ad eam compenſandam, ſi perierit; ita vt teneatur ac compenſationem totius, ſi tota res perierit, vel ad reſti.

ad restiutionem partis, si pars tantum modo perierit.

Hic contractus reducitur ad contractum innominatum, facio vt des, ex parte assecurantis, vel addo vt facias, ex parte offerentis pretium pro assecuratione. Reduci etiam potest ad emptionem, & venditionem: assecurator enim vendit susceptionem periculi, vel obligationem soluendi æstimationem rei si pereat pro certo pretio. Ita Molina *tract.* 2. *de iust. disp.* 507. Lessius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 4 *num.* 24. Azorius *p.* 3. *lib.* 11. *c.* 18. *dub.* 1. *&* 2. Filliucius *tract.* 37. *num.* 1. *&* 2. Syluester *v. Negotium, quæst* 5. & alij.

Molina. Lessius Azorius. Filliucius. Syluest.

2 Ad iustitiam contractus assecurationis quinque conditiones requiruntur. *Prima* est, vt ad sit æqualitas inter pretium datum assecuranti, & obligationem, quam assecurator in se suscipit, consideratis circumstantiis temporis, loci, & personarum. Iustum autem pretium in assecuratione censetur, quod est taxatum à lege, vel communi hominum æstimatione: si verò pretium non est taxatum, taxandum est, consideratis periculis, & quantitate, ac qualitate rei; communiter tamen in aliquibus locis accipi solent tres, quatuor, quinque vel sex pro centum in contractu assecurationis. Azorius *c. dub.* 10. Bonacina *de contract. disp.* 3. *quæst.* 9. *p.* 3. *num.* 3. Filliucius *c. num.* 3. Lessius *num.* 27.

Azorius. Bonacina. Filliucius. Lessius:

Seccunda conditio est, vt qui petit assecuratorem, non cogat alterum ad contractum assecurationis secùm ineundum, alioquin imponeret obligationem pretio æstimabilem, ad quam assecurator non tenetur. Imò qui mutuat, & simul est assecurator pecuniæ mutuatæ, in foro externo præsumi posst vsurarius, ex *cap. Nauiganti, de vsuris.* Præsumitur enim dare mutuum cum pacto celebrandi contractum assecurationis, atque adeò cum onere pretio æstimabili, ideòque vsurario. Ita Nauarrus *in Man. c.* 17. *num.* 283. Filliucius *c. n.* 12.

Nauar. Filliucius.

Tertia conditio est, vt assecurator ab eo qui petit assecurationem admoneatur de veris periculis, quibus res assecuranda subiacet. *Quarta* est, ut res, de quà contractus assecurationis initur, existat propterea non est ualida assecuratio, quando quis non habet merces in naui, sed fingit eas habere; dolus enim tunc dat causam contractui. Ita Salon, *de contractu assecurationis art.* 2. *concl.* 2. Azorius *lib.* 11. *c.* 18. *dub.* 9 Bonacina *c. punct.* 3. *n.* 3.

Salon. Azorius. Bonacina.

Quinta conditio, ut res non solùm subsistat, sed etiam sit periculo exposita, aliquid si assecurator sciat ante contractum, rem, v.g. peruenisse ad portum, uel ad terminum ad quem erat deferenda, nihil accipere potest· vnde assecurator in hoc casu, tenetur ad restitutionem pretij accepti, & ad resarcienda omnia damna mercatori secuta ob ipsius dolum; contractus enim celebratus per dolum dantem ipsi causam, est inualidus Ita Doctores citati, quibus adde Lessium *lib.* 2. *c.* 28. *n.* 24. Filliucius *c.* 1. *n.* 5. *&* 7.

3 Quando assecurator nescit certò rem peruenisse ad portum, potest aliquid retinere, non ratione contractus præcisè, vtpote inualidi, sed ratione contractus cum periculo, iuxta maius vel minus periculū, cui se exposuit iuxta prudentis uiri arbitrium. Ita Molina *tractat.* 2. *de iust. disp.* 507. *num.* 3. Imò Lessius *cap. num.* 27. Filliucius *cap. num.* 8. dicunt eum qui per astrologiam vel aliunde nouit non futuram in mari tempestatem: aut ex litteris amicorum accepit, mare tutum esse, & liberum à latronibus, & piratis, posse tātum accipere, quantum acciperet alter assecurator, qui hæc ignoraret. Ratio est, quia non videtur esse deterioris conditionis aliis qui hoc ignorant: sicut enim merces vendi possunt pretio currente etiam si quis sciat citò aduehendas esse in magna quantitate, & vilius estimandas, ita etiam obligatio ista potest vendi pretio, quo communiter æstimatur à peritis, Quamuis in contraria sententia sint Salon *cap. art.* 2. *num.* 7. Azorius *cap. lib.* 11. *cap.* 19. *dub.* 3.

Lessius. Filliucius.

Molina. Lessius. Filliucius.

Salon. Azorius.

4 Mercator, qui sciens nauim periisse petit assecurationem, inualidè contrait; quia adest dolus ex parte ipsius mercatoris, qui eo ipso quo petit assecurationem, indicat rem non perisse, vel se existimare rem non periisse: verum si non sit omninò certus rem perisse, mercator videtur posse aliquid accipere, iuxta prudentis arbitrium, consideratis omnibus circumstantiis. Ita Filliucius, *tract.* 37. *num.* 6. Azorius *cap. lib.* 11. *cap.* 18. *dub.* 9. Bonacina *cap. punct.* 3. *num.* 3. Lessius *cap. num.* 25. *&* 26. Molina *cap. disp.* 507. & alii. Ratio est, quia soluendo pretium exponit se alicui periculo, videlicet, amitendi illud prætium absque incommodo assecuratoris, vt si res non periisset, si ergo perisset, poterit ab eo aliquid repetere supra pretium quod dedit.

Filliucius. Azorius. Bonacina. Lessius. Molina.

5 Quatuor sunt quæ assecurari solent. *Primò*; sunt merces, siue mari, siue terra. *Secundò* sunt pecuniæ; siue quæ transferuntur de loco ad locum mari vel terra, siue quæ sint debitæ; vt si Titius mihi debeat 100. & mercator ea assecuret pro quinque. *Tertio* est libertas, vt cùm quis mare nauigans ob periculum Turcarum, curat sibi assecurari libertatem. *Quarto* est vita, vt si ego mutuam amico meo pecuniam ad quinque annos, quam me amissurum timeo si moriatur amicus intra quinquennannos, possum petere assecurationem vitæ amici mei, traditis assecuratori quinque pro centum, ita vt si meus amicus moriatur intra quinquennium assecurator teneatur soluere pecuniam, quam amico meo mutuaui. Et ratio est, quia vterque subit æquale periculum lucrandi, & perdendi. Vide Doctores hic citatos Syuester *v. Negotium quæst.* 4. Filliucius *cap. num.* 11. *&* 13. Azorius *cap.* 18. *dub.* 8. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 384. Lopez *de contract. lib.* 2. *cap.* 16.

Syluester. Filliucius. Azorius. Reginald. Lopez.

6 Fraudes quæ interuenire solent in contractu assecurationis, ex parte assecuratoris sunt duæ *Prima*, si non habeat sufficientia bona vnde possit soluere, si res assecurata periret. *Altera*, si faciat assecurationem in re, quam certò nouit esse saluam, & in toto constitutam.

Ex parte autem assecurati, & domini rei quæ assecuratur, interueni re possunt fraudes *Prima*, si quando scit certò rem suam perisse, & tamen conueniat cum alio, vt eam assecuret *Altera*, si loco rei assecuratæ substituat aliam rem minoris æstimationis vel nullam; tunc inualidus est contractus. Plura apud Azorium, *part.* 3. *lib.* 11. *cap.* 18. *d.* 9. Sotus Franciscum *de iustit. l.* 6. *q.* 7. Garzias *de contract. part.* 2. *cap.* 15. Bonacinam *de contract. disp.* 3. *quæst* 9. *punct.* 3. *n.* 4. & alios.

Azorius. Sotus. Garzias. Bonac.

De assecuratione, vide *Societas* n. 4.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Assecurationis contractus potest fieri vel per modum salui conductus, vel sponsionis. vel fideiussionis.*

2 *Qui nihil habet in bono actu, hac in spe, non potest stipendium assecurationis recipere sine obligatione restituendi: & talis contractus est nullus. Verius est habentem in bonis solùm quingenta non posse assecurare mille, sed solùm quingenta.*

3 *Qui assecurauit merces per mare trasferendas cum pacto vt nauigatio fieret mense May, sed Dominus nauis nauigauit mense Nouembris vbi casu periit, non tenetur assecurans ad restituendum valorem mercium: Dominus autem nauis tenetur ad pretium assecurationis si fuerit in culpa.*

Qui assecurauit merces licitas per mare vehendas sed Dominus nauis transuexit prohibitas ob quod fuerunt à fisco comprehensa, nō tenetur soluere pretium mercium.

4 *Si quis nauiganti mutuet mille aureos cum obligatione. vt mutuatarius cum eo faciat contractum assecurationis, per quem teneatur illi certum quid soluere pro quolibet centenario numero illorum aureorum, vsuram committit.*

5 *Quid dicendum de securos facientibus mercatores in nundinis tantum vel tantum lucraturos.*

1 Contractus assecurationis potest fieri quatuor modis. *Primò*, fit per modum salui conductus, quem Principes mercatoribus merces per loca suæ iurisdictionis deferentibus concedunt. Ex quo fit, vt Principes dando mercatoribus saluum conductum, explicitè vel implicitè periculum mercium subeant, saltem de consuetudine, adeò quòd si per latrones auferantur merces, tenentur earum æstimationem soluere: quia ex iustitia tenentur viam publicam à latronibus purgare. Limita nisi damnum passus sua culpa inciderit in discrimen, eundo sine iusta causa per loca insolita, & inusitata.

Secundò Assecuratio fit per modum sponsionis, v. g. si Petrus Promiserit Paulo 100. Si Titius fuerit Episcopus, & Paulus

& Paulus promiſerit Petro ſe ſoluturum decem, ſi Titius non fuerit factus Epiſcopus, tunc aſſecuratio eſt, & ſpondens, ſeu aſſecurans licitè poteſt aliquid accipere ratione periculi cui ſeipſum exponit.

Tertiò, aſſecuratio fit per modum fideiuſſionis, vt do tibi centum ſi cras pluet, vel ſi talis infra annum morietur. Et ſicut fideiuſſor poteſt recipere pretium pro obligatione, qua ſe adſtringit, debitore principali non ſoluente debitum ſoluere; ita & aſſecurator pro ſua aſſecuratione, ratione periculi cui ſe ſubijcit.

Quartò fit, quando quis ſuſcipit in ſe periculum mercium per mare vehendarum, & quia timet ſubmerſionem nauis petit ab altero vt ſaluam eam faciat vſque ad portum deſtinatum, cum pacto dandi ei quinque, aut ſex pro centenario.

2 Qui actu nihil de ſuo habet, nec prudenter ſperat breui ſe habiturum bona, vnde perſoluat, ſi merces aſſecuratæ perierint, non poteſt ſtipendium aſſecurationis recipere, ſi nauis ſalua applicauerit ad portum; & ſi recipit, tenetur illud reſtituere danti. Ratio eſt, quia hic reuera nulli ſe exponit periculo, cum ſi perierit nauis, abdere ſe, aut bonis cedere parat. Tum quia de facto iſte nullam præſtat ſecuritatem, cum non habeat vnde ſoluat pretium rei, ſi forte perierit, ſed potius totum periculum imminet negotiatori. Vnde ſicut ludens, qui nihil poteſt perdere, nihil ſubinde ex ludo poteſt lucrari; ſic prorſus aſſecurans nauem pro mercede, cùm nihil habeat in bonis, quod poſſit perdere, neque illam mercedem poteſt lucrari. Imò talis contractus non eſt validus, quia dolus dat cauſam contractui, mercator enim contractum aſſecurationis non celebraſſet, ſi cognouiſſet aſſecuratorem non habere bona ad ſoluendum re pereunte. Proprerea aſſecurator tenetur ad reſtitutionem damnorum inde prouenientium mercatori, cum illorum ſit cauſa iniuſta. Ita Molina *de contract. tract. 2. diſp.* 107. *n.* 10. & communis.

Molina.

Sed dubiæ quæſtionis eſt, an ſi iſte aſſecurator habeat tantum in bonis quingentos aureos, poſſit aſſecurare quantitatem vt mille, accepto pretio iuſto aſſecurationis illorum mille?

In hac quæſtione non ſunt concordes Doctores. Quidam enim putant, ſi illa mille in multis nauibus erant per mare deferenda, poſſe aſſecuratorem, eſto habeat in bonis tantum quingenta, aſſecurare illa mille ſic diuiſa, & accipere integram mercedem aſſecurationis illorum mille, quia non eſt veriſimile, quod omnia illa nauigia ſint naufragium paſſura. Quòd ſi illa mille in vna & eadem naui erant transferenda, poſſe ſolum aſſecurare quingenta, & mercedem quingentorum accipere.

Alij cenſent hunc aſſecuratorem nihil poſſe recipere. Ratio, quia talis aſſecurator non alio titulo poteſt totum vel medietatem pretij aſſecurationis recipere, niſi ex vi contractus aſſecurationis: ſed ille contractus fuit nullus, vtpote per dolum, & deceptionem celebratus, nam ſi mercator cognouiſſet impotentiam aſſecuratoris ad ſoluendum, non celebraſſet cum eo contractum, ſed potius cum alio, ergo rationabiliter eſt inuoluntarius, & per conſequens contractus eſt nullus. Ita Bannes, 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. & alij. Hæc ſententia eſt probabiliſſima.

Bannes.

Sed magis placet ſententia aſſerentium habentem in bonis ſolum quingenta, non poſſe illa mille aſſecurare, ſed ſolum quingenta. Ratio eſt. Tum quia non cenſetur præſtitiſſe ſecuritatem mille, ſed quingentorum tantùm, quingentis autem reſpondet pretium quingentorum. Tum quia ſicut aſſecurator, qui non erat omninò certus de rei ſecuritate, & mercator, qui non erat omnino certus de rei interitu, poteſt aliquid recipere non ratione contractus precisè, ſed ratione periculi, cui ſe expoſuit; ita qui non habet ſufficientia ad ſoluendum re pereunte, poteſt re ſalua retinere pretium reſpondens ſuis bonis, quamuis per ſuam deceptionem ſe exponat periculo reſarciendi omnia damna mercatoris, poſtquam ad pinguiorem fortunam venerit. Ita Rebellus *part. 2. de obligat. iuſtit. lib. 16. quaſt. vnic. n.* 11. Bonacina *de contractib. diſp. 3. quaſt. 9. punc. 3. n.* 4. Lopez *de contract. lib. 2. cap.* 16.

Rebellus. Bonacina. Lopez.

3 Qui aſſecurauit merces per mare transferendas cum hoc pacto, vt nauigatio fieret menſe Maii, ſed Dominus nauis nauigauit menſe Nouembris, vbi caſu perijt, non tenetur aſſecurans ad reſtituendum valorem mercium; imò Dominus nauis tenetur ad pretium aſſecurationis. Secus dicendum eſſet, ſi non fuit in culpa, ſed caſu fortuito, vel ex aliqua iuſta cauſa nauigationem diſtulit; tunc enim non tenetur ſoluere pretium aſſecurationis. Hinc qui conuenit cum alio de deferendis mercibus in vna naui magna & firma, ille autem detulit merces in alia minùs bona, quæ tamen perijt, non tenetur aſſecurans ſoluere valorem mercium, imò debentur ei pretium aſſecurationis, niſi in eodem itinere perijſſet vtraque nauis firma, & minus bona. Hinc qui aſſecurauit merces licitas per mare vehendas, ſed Dominus nauis tranſuexit illicitas & prohibitas, ob quod fuerunt à fiſco comprehenſæ, non tenetur ſoluere pretium mercium, cùm Dominus nauis fuerit in culpa & dolo variando merces; vnde hoc ſibi debet imputari: quia inter alia, quæ deſiderantur ad contractum aſſecurationis eſt, vt ille cuius merces aſſecurantur, ſeruet fideliter omnes conditiones, & pacta appoſita in contractu, verbi gratia, vt nauis, quæ aſſecurata eſt, non recipiat alia onera, quibus illa magis grauetur, ac periclitetur, præter ea, quæ tempore contractus fuerunt expreſſa; non teneat aliam viam, nec dirigatur in alium portum, quam fuit promiſſum aſſecuratori. Vide Sotum *lib. 6. de iuſtit. & iur. quaſt. 6. artic. vnic.*

Sotus.

4 Si quis nauiganti mutuet mille aureos cum pacto & obligatione, vt mutuatarius cum eo faciat contractum aſſecurationis, per quem teneatur illi certum quid ſoluere pro quolibet centenario numero illorum aureorum, vſuram committit: quia obligatio qua mutuatarius ſic adſtringitur, eſt quid pecunia æſtimabile: vnde fit, vt ſine vſura imponi nequeat ratione mutui. Nec refert quòd mutuans non niſi iuſtum pretium pro aſſecuratione accipiat: quia non ideò ipſe in tali caſu vſurarius dicitur, quod ſupra iuſtum pretium aliquid accipiat, ſed quo ex mutuo obligationem acquirat pretio æſtimabilem. Ita Nauarrus *in man. c. 17. n.* 285. Couarruuias 3. *variar. c.* 2. & alij communiter.

Nauarr. Couarr.

Quando autem contractus aſſecurationis non exigitur tanquam conditio ſine qua mutuans non vult mutuare, ſed mutuatarius ſua ſponte illum init cum mutuante, tunc nulla interuenit in eo vſura, quod mutuans aliquid vltra ſortem accipiat ratione periculi, eſto ſe ad eum contractum inuitet, modo præcisè id accipiat ratione periculi quod in ſe ſuſcipit, & non ratione mutui. Imò in eo nullum interuenit peccatum, ſi pretium moderatum ſit, neq; adſit ſcandalum, vt regulariter non aderit. Ratio eſt, quia ſuſcipere in ſe illud periculum, eſt pretio æſtimabile; poſſetque quicumque tertius, qui eumdem aſſecurationis contractum cum mutuatario celebraret, accipere competens pretium pro periculo illo ſubeundo, cùm ergo mutuans ex eo quòd cum mutuatario vtatur beneficio mutui, non ſit deterioris conditionis erga illũ, quàm eſſet quicumq; extraneus eſt, cõſequens eſt vt ſimul cũ eo inear contractum aſſecurationis, poſſit ratione periculi, quod in ſe ſuſcipit, accipere competens pretium vltra ſortem.

5 Hinc contractus ex ſe licitus eſt: largire mihi tantum, & ego ſecurum te facio, quod in his nundinis, in quibus es, aut ad quas proficiſceris, tantum vel tantum lucraberis, ita vt, ſi minus lucreris, incrementum tibi ſoluam: Eſt enim contractus aſſecurationis, ac ſuſcepti periculi pro eo pretio. Ita Sotus *lib. 6. de iuſtit. q. 7. art.* 2.

Sotus.

ASTROLOGIA

SVMMARIVM.

1 *Aſtrologia quotuplex ſit.*
2 *Aſtrologia naturalis non eſt prohibita.*
3 *Aſtrologia iudiciaria, quando cenſeatur ſuperſtitioſa.*
4 *An bulla* Sixti V. *contra aſtrologiam iudiciariam obliget non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientia?* refertur duplex ſententia.
5 *Peccata quæ communiter contingunt in hac prædictione per aſtra.*
6 *Aſtrologia inueſtigare res occultas, ſuperſtitio eſt.*

1 ASTrologia, alia eſt naturalis, alia Iudiciaria. *Naturalis eſt*, quæ ex aſtrorum ſeu planetarum ortu, occaſu,

casu, coniunctione, oppositione, varioque aspectu tum inter se, tum ad stellas fixas de futuris elementorum effectibus, coniectat, vt serenitate, pluuia, siccitate, salubritate animalium, morbis, &c. *Iudiciaria astrologia* est, quæ aspectu syderum obseruato iudicat de futuris euentibus à libero arbitrio aliqualiter dependentibus, vt de conditione vitæ, de matrimonijs, de liberis, de morte, de opibus, &c. Ita communiter Doctores, Bonacina, *tom. 2. disp. 3. q. 5. p. 3. n. 10. 11.* Sylvius, 2. 2. *q. 95. art. 5.* Layman, *lib. 4. tract. 10. c. 3. n. 5.* Filliucius, *tract. 24. c. 4. n. 77.*

Bonacina. Syluius. Layman. Filliucius.

2 Astrologia naturalis, per quam ex intuitu, & contemplatione astrorum, conijcimus effectus naturales, in quos cœlum influit, vel qua ex intuitu cœlorum diuinamus inclinationes hominis, non est illicita, nec prohibita. Ratio est, quia hi effectus non sunt per se occulti, sed per suas causas cognosci possunt, causæ autem eorum sunt celi, & astra, vnde non erit per se malum eos cognoscere per tales causas: Potest tamen interuenire peccatum, in hoc genere inquisitionis, per excessum credulitatis, aut in vsu eius: quia cognitio per astra est valdè incerta hominibus, licet sit possibilis: hęc enim pendet ex conuersu, & aspectu omnium astrorum simul, hic autem cùm quolibet momento varietur, incertissimus est.

Hoc peccatum per se loquendo non pertinet ad superstitionem, quia nullum est pactum implicitum, vel expressum cum dęmone, sed ad temeritatem, & leuitatem, ideòque ex hoc capite tantùm est veniale, nisi inde timeatur damnum graue, vel scandalum. Ita Reginaldus, *lib. 17. numer. 172.* Syluius, *c. a. 5. concl. 1.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. c. 11. n. 5. & 7. tract. 3.* Sanchez, *lib. 2. mor. c. 38. nu. 28.* Layman, *c. n. 5.* Filliucius, *c. c. 4. n. 81.* Rodriquez, *tom 1. sum. c. 7. n. 3.* Salas, 1. 2. *q. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 8. n. 79.* & alij tunc enim esset mortale.

Reginald. Syluius Suarez. Sanch. Filliucius. Rodrig Salas.

3 Astrologia iudiciaria est omninò superstitiosa, quoties certiùs, & cum maiori firmitate prędicit tales effectus, quam ex astris cognosci possint, cùm enim tales effectus pendeant à libero hominis arbitrio non possunt ex aspectu cęlorum cognosci, alioqnin liberum hominis arbitrium rolleretur. Nec refert, quòd quidam Astrologi dicant se non facere stellas causa futurorum euentuum, sicut faciebant antiqui, sed signa dumtaxat; vel enim stellæ sunt signa naturaliter significantia, vel ex arbitraria Dei institutione: si naturàlia sint, necesse est, vt sint vel causæ futurorum euentuum, vel effectus illorum, quorum vtrumque est manifestius error contra fidem, & rationem naturalē. Si ex diuina institutione sint posita ad significandum, quis hanc significationem poterit intelligere, nisi Deus eam reuelauerit? cùm hæc significatio sit denominatio extrinseca ab actu diuino, nihil ponens in ipso signo: vnde inutilis erit tota illa descriptio, & supernacanea, cùm absque reuelatione nihil iuuet, & reuelatio sola sufficiat, D Thomas, 2. 2. *q. 95. art. 5.* Caietanus, & Syluius, *ibid. concl. 2.* Valentia, 2. 2. *disp. 6. q. 12. punct. 3.* Bonacina, *tom. 2. disput. 3. qu. 5. punct 3. n. 11.* Sanchez. *c. n. 33.* Lessius, *lib. 2. c. 43. dub. 6. art. 35. & seq.* Clauis Regia, *lib. 4. c. 5. n 3.*

D. Thom. Caietan. Syluius. Valentia. Bonacina. Sanchez. Lessius. Cl. Reg.

Proinde absolutè damnatur ab *Caus. 26. q. 5.* Sixtus V. *in Extrauag. Cæli, & Terra Creator.* Ecclesia omnis talis prædictio, siue tāquam ex causis siue, tanquā signis capiatur: quia hæc astrologia est fundamentū magiæ, & omnis diuinationis superstitiosæ. Ita D. Thom. & alij cōmuniter.

4 Controuertitur inter Doctores, an prædictio circa futuros euentus sub graui culpa prohibeatur ab Ecclesia præsertim in Bulla Sixti V. *Cæli, & terræ creator*: Quidam enim affirmant dictam Bullam solùm pro foro externo latam esse; non autem in foro conscientiæ obligare; quia non dirigitur ad astrologos, sed ad inquisitores hæreticæ prauitatis, vt iudicialiter agant contra facientes iudicia, & natiuitates, etiamsi ea, quæ asserunt; solum sub dubio, brobabiliter euentura testentur; ex qua sentētia sequitur, eum qui iudicium, seu natiuitates facit prædicens futura, tenuissima sola coniectura, seu ex sola certitudine, qua cognosci possunt per astra, non peccare mortaliter, quia in foro conscientiæ id nullibi vetitum reperitur. Itaque secundùm mentem horum Doctorum, quidquid licitum erat de iure antiquo pr̨dicere ante dictam bullam, & nūc etiam in foro conscientiæ, secluso scandalo, erit licitum. Ita Naldus *in sum. v. Astrologus. n. 4.* Molfesius, *p. 1. tract. 11. c. 7. n. 120.* Valentia, 2. 2. *disp. 6. q. 12. punct. 3.* Diana, *p. 3. tra. 1. miscel. res. 58.* Delrius, *disq. mag. lib. 4. c. 3. q. 1. concl. 2.*

Naldus. Molfesius. Valentia. Diana. Delrius

Probabilior tamen sententia ait, bullam hanc, in vtroq; foro militare, non solùm cùm futura certò prænuntiantur verùm etiam dum Astrologus declarat se id non asseueranter affirmare. Sanchez *lib. 2. Mor. c. 38. n. 34.* Salas. *t. 2. q. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 3. n. 36.* Bonacina, *c. q. 5. punct. 3. n. 12* Farinaccius, *de heresi, q. 181. §. 1. n. 59.* Ratio est, tum quia hic etiam modus prænunciandi futura, est valdè Reiublicæ perniciosus, & expositus multis superstitionum periculis, & calumniis diuinatorum fingentium id dubium. Tum quia Extrauagantem Sixti V. prædictam, approbauit, confirmauit, & innotauit Sanctiss. D. N. Vrbanus VIII. per aliam quæ incipit, *Inscrutabilis, 1. Aprilis* 1631. vbi contra Astrologos iudiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum vsque ad tertium gradum inclusiuè, iudicia facere præsumpserint, ii hici sunt excommunicationis maioris sententiam ipso facto, & vt læsæ maiestatis reis, vltimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum: Clericis quoque, & Presbyteris, alijsque personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quā vtriusque sexus regularibus, vltra prædictas, etiam priuationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum. & inhabilitatis perpetuæ ad illa in posterum obtinenda, pœnas ipso facto incurrendas, infligit, & imponit; ita quòd personæ Ecclesiasticę, præuia illarum degradatione, Curię sæculari, tradantur puniendæ. Hęc Bulla extat apud Dianam, *p. 4.* inter Decreta, & Constitutiones Pontificum; vnde corruit post hanc constitutionem prima sententia. Transgressores autem huiusmodi Constitutionis denunciari debent Iudicibus in ea designatis, etiam si vnus tantùm id sciat, si tales sint pertinaces, alioquin si spes emendę credatur, priùs erunt fraterna correptione admonendi. Cùm enim præceptum correptionis fraternę, quando adest spes probabilis lucrandi fratrem, sit Iuris Diuini, non est cur non obliget in hoc casu hęresis à multis dicatur obligare. Peyrinus *tom. 2. priuileg. in Constit. 4.* Gregor. XV.

Sanch. Salas. Bonacina Farinacc.

5 Tripliciter potest peccari in prędictione hac per astra Caiet. *in sum. v. Astror. obseruatio.* Delrius, *c. lib 4. c. 3. q. 1.* Salas, *c. 3. tract 5. disp. 2. sect. 8. n. 81.* Sanchez. *c. n. 31.* *Primò*, si astrologi velint hæc futura contingentia posse certò ex astris cognosci; quippe tollitur libertas, vt dictum est, & ideò est probibita omni iure. *Secundò*, quando Christianæ fidei mysteria ex astrorum influxu, & situ deducuntur: quia Christiana religio, est super terris, & eius mysteria ex solo Dei decreto pendent. *Tertiò*, quando actiones humanæ, & electiones ita astris subijciuntur, vt certæ cuidam regulæ, ac legis decreto, ita vt quispiam hanc vitæ actionibusque suis regulam præscribat; quippe hoc dignitati diuinæ gratiæ derogat, & est multis illusionum periculis expositum: Aduertit tamen Toletus *in sum. lib. 4. cap. 13. n. 6.* quòd si quis semel, vel iterùm astra aspiceret in suis actionibus indicando rem esse incertam, esset tunc tantū culpa venialis.

Caietan. Delrius. Salas. Sanchez

6 Inuestigare res occultas, siue præteritas, siue præsentes, vt furtum occultum, thesaurum, virginitatem, &c. astrologia, superstitio est, omni iure prohibita; quia hæc per astra sciri nequeunt, absque dœmonis auxilio. Imò quamuis esset certum, posse, occultum delictum per Astrologiam cognosci, culpa foret mortalis id efficere contra iustitiam, quia iniustè crimen occultum panderetur. Ita Suarez, *tom. 1. de relig. lib. 2. de superst. c. 11. n. 27.* Rodriqu. *tom. 1. sum. c. 7. n. 4.* Nauarrus, *in Man. c. 11. n. 28. 30.* & alij.

Suarez Rodrig. Molina.

ATTRITIO.

SVMMARIVM.

1 *Attritio quid sit, & quotuplex.*
2 *Quæ attritio sit sufficiens ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu.*
3 *An timor gehennæ tamquam pœna à Deo infligenda propter peccatum sit actus bonus.*
4 *Attritio cognita an sit sufficiens ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.*

5 *Attri-*

5 *Attritio in re existens est necessaria, & non sufficit inculpabiliter ignorata. Potest quis ita accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ, vt non recipiat gratiam, neque peccatum committat.*

6 *Differentia inter Attritionem & Contritionem.*

1 ATtritio, est dolor quidam imperfectus de peccatis, qui non attingit ad perfectionem contritionis. Et huius attritionis septem sunt species apud Doctores. *Prima* est, qua tantùm dolemus de peccatis, sed non ita feruidè, & super omnia. vt par erat Victoria *de Sacram. nu.* 121. quando concipitur dolor propter Deum, credens se habere sufficientem dolorem, sed in veritate non habet. Nauar. *in Man. c. 1. n. 37.* *Tertia*, quando putat quis se dolere propter Deum, sed non dolet nisi propter metum gehennæ Sot. *4. d. 17. q. 2. art. 5.* *Quarta* quādo concipitur dolor ex metu gehennæ, vel diuini iudicij consideratione vel alterius incommodi, & duo concurrunt scilicet, uolūtas non peccandi de cætero, & est cum spe veniæ. *Quinta*, quando quis dolet de peccatis solùm propter gehennæ timorem, aut solum amoré virtutis, aut propter gloriā amissam. *Sexta* est eorum qui dolēt peccasse, sed non omninò statuunt animum à peccatis abstrahere, & hæc est attritio impœnitentium. *Septima*, quando dolor præcipuè concipitur propter metum, hac tamen uoluntate, quòd non cessaret quis à peccato, si pœnas non timeret. De quibus attritionibus Syluius *in supplem. q. 1. art. 3.* Filliucius *tract. 6. c. 7. n. 179.* Bonacina *de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 3.*

Victoria. Nauar. Sotus. Sylvius. Filliucius. Bonacina.

2 Certum est ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu, necessariam esse attritionem, Ratio est quia ad Sacramentum requiritur materia, sed attritio est pars materiæ Sacramenti, ergo Ita Conc. Trid. *sess. 14. c. 4.* ConincK. *disp. 4. dub. 5. n. 39.*

Conc. Trid. ConincK.

Quælibet tamen attritio non est sufficiens ad gratiam, & ad fructum in Sacramento Pœnitentiæ suscipiendum; non enim sufficit attritio ex motiuo turpi, quia potiùs est perniciosa, peccaminosa & contraria gratiæ, Suarez *de pœn. disp. 5. sect. 1.* Bonacina *de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1 pun. 3. n. 3.* Neque ob finem naturalem, quia iuxta D. Thomam *3. p. quæst. 84. a. 1. ad 2.* Syluium *in supplem. quæst. 1. art. 3. quæsit. 1. concl. 2.* Fernandez *part. 3. c. 6. § 4.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4.* Tannerum *tom. 4. d. 6. quæst. 6. dub. 4.* in Sacramento Pœnitentiæ actus humani sunt pro materia, qui proueniunt ex inspiratione interna, sed dolor seu attritio naturalis non prouenit ex inspiratione interna, ideò enim dicitur naturalis, quia per naturæ vires, sine specialis gratiæ adiutorio concipitur, ergo eiusmodi dolor non est materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Suarez. Bonacina. D. Thom. Syluius. Fernand. Layman. Tannerus.

Præterea non sufficit attritio inefficax, seu quæ non includit absolutum propositum non peccandi in futurum, quia talis dolor requiritur ex Tridentino, qui voluntatem peccandi excludat, & tollat affectum ad peccatum, qui affectus non tollitur, sed moraliter perseuerat quoties peccatum non retractatur efficaciter per formale aut virtuale propositum non peccandi in futurum. Ita Nauarrus *in Man. cap. 1. num. 36.* Reginaldus *l. 5. n. 77.* Henriquez *de pænit. lib. 4. c. 24. n. 2.*

Nauar. Reginald. Henriq.

Porrò non sufficit attritio particularis, quia ad recipiendum Sacramentum cum fructu, dolor debet esse uniuersalis de omnibus peccatis, quæ menti occurrunt facto examine, & de aliis commissis, quæ in mentem non ueniunt. Vnde sola illa attritio, quæ est dolor supernaturalis efficax & vniuersalis cum spe ueniæ, requiritur, & sufficit, tum ut Sacramentum sit ualidum, tum ut sortiatur effectum, qui est gratia & peccatorum remissio. Suarez *c. disp. 4. sect. 6.* Bonac. *c. n. 2.* Syluius *c. conclus. 3. edit. 3.* Fagundez *precept. 2. l. 2. cap 5. num. 16.* Ratio est, quia nullum peccatum mortale remitti potest sine vera pœnitentia, sed attritio quæ non habet essentiam contritionis, non est uera pœnitentia, cùm ad illam requiratur conuersio ad Deum, cum detestatione peccati & proposito emendationis. Concilium Tridentinum cit. tamen declarat hanc attritionem *donum Dei esse & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.*

Suarez. Bonacina. Syluius. Fagundez. Conc. Trid.

Hæc attritio supernaturalis duplex esse potest, uel quia præsupponit cognitionem Dei, peccati, & pœnæ peccato debitæ ex fide, quæ est cognitio supernaturalis, qualis est in peccatore fideli, uel quia peculiari auxilio à Deo mouetur & excitatur ad dolendum de peccato, quatenus est iniuria Dei, uel ob turpitudinem ipsius, uel quatenus est malum uel mali causa, ut docent Suarez *disp. 5. sect. 2* Syluius *cap. q. 3.* ConincK. *c. num. 37.* Bellarm. *de pœnit. l. 2. ca. 17.* Filliucius *tract. 6. c 7. q. 7. & 10.* & alij.

Suarez. Syluius. ConincK. Bellarm. Filliucius. Conc. Trid.

3 De fide est ex Conc. Tridentino *sess. 6. can. 8.* timorē gehennæ tanquam poenæ à Deo insligendæ propter peccatum, esse actum bonum, quia timere malum quod reuera dignum est, ut timeatur, est bonum, ergo non est ratio quare dolor ex tali metu ortus, sit malus. Et hoc verum siue homo timore pœnæ arripiat occasionem dolendi de peccatis & præstandi bonum aliquod opus, siue doleat de peccatis ob pęnam tanquam ob finem proximum, non excludendo tamen ultimum finem, nam in tali attritione intentio finis est bona, cùm sit voluntas euitandi pœnam peccato debitam, similitèrque medium quod assumitur, est bonum cùm sit fugere & detestari peccatum, ac etiam ordinatio medij, per quam, scilicet, detestatio peccati ordinatur ad euasionem pęnæ omnia cùm sint ex obiecto bona ergo etiam ipsa attritio bona erit. Ita. D. Thom. *3. p. q. 85. art. 5. ad 1.* Syluius *in supplem. q. 1. art. 2.* Suarez *c. disp. 5. sect. 2. n. 4.* Nauarr. *c. 1 n. 8.* Filliucius *tract. 6. cap 7. qu. 9.* Reginaldus *lib. 5. n. 28.* Layman *c. c. 9. n. 10.*

D. Thom. Syluius. Suarez. Nauar. Filliucius. Reginald. Layman.

Aduerte tamen timorem, quo quis dolet de peccatis ob metum gehennæ, sed ita est affectus ut si pœna non esset, non præcaueret peccatum, non esse bonum, neque actu neque uirtute includi in attritione, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur, & quam Synodus Tridentina docet esse sufficientem, quia talis timor est peccaminosus, includit enim affectum actualem ad peccatum D. Thom. *2. 2. quæst. 19. art. 4.* Syluius *ibid. & in suppl. q. 1. art. 2.* Nugnus *ibid. dub. 2.* Bonacina *c. sect. 1. p. 3. num. 4.*

D. Thom. Syluius. Nugnus. Bonacina. Diana. Gasp. Hurt.

Tamen Diana *p. 4. tract. 4. res. 193.* Gaspar. Hurt. *de Sacram. disp 6. de pænitent. diffic. 5.* satis probabile putat attritionem & dolorem peccatorum ob malum temporale cū respectu ad Deum, à quo immissum, aut immitendum est in pœnam, id est, dolorem de peccato, quia Deus ob illud immisit, aut immittet dictum malum, sufficere ad effectū Sacramenti Pœnitentiæ, non vero ob malum temporale, ut aliunde eueniens, uel euenturum absque respectu ad Deum. Ratio prioris est, quia talis dolor, quatenus est respiciens Deum, ex se, non solùm est honestus, sed etiam habet motiuum, quod tantùm est ad dolendum de peccato, & non ad dolendum de bono opere, & excludit affectum peccandi, quia Deus etiam eo malo punit peccatum & non opus bonum. Et confirmatur hæc ratio, quia dolor iste, vt sic oritur ex displicentia, aut ex metu pœnarum diuinarum, quem Tridentinum supponit sufficere ad effectum huius Sacramenti. Ratio posterioris est, quia dolor ob bonum temporale, ut non respiciens Deum ut puniturum, sed ut aliunde proueniens, quamuis possit esse honestus, habet tamen motiuum, quod potest esse ad dolendum de bono opere, quia etiam opus bonum potest esse occasio talis mali, & ob id & ex se non excludit affectū peccandi, quod Tridentinum requirit in dolore, vt sufficienter disponat ad gratiam huius Sacramenti. Ita *Diana* ex *Gaspare Hurtado*, & *Coninck*.

4 Vera & integra attritio, est sufficiens dispositio ad effectum Sacramenti pœnitentiæ quamuis cognita sit, neque oportet illam reputare contritionem, vt effectus conferatur, & hoc est probabilius opposito, & hoc tempore practicè certum. Ratio est, tum quia post institutionem Sacramenti pœnitentiæ, nullùm extat præceptum negatiuum non accedendi ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, nisi post ùeram contritioné. Tum quia Sacramentum pęnitentiæ nunquam produceret primam gratiam, nec remitteret peccata mortalia, sed peccata prius supponerentur remissa per contritionem. Tum quia sequeretur legem Euangelicam esse grauioré lege antiqua, in qua homines cum sola contritione iustificabantur, ergo ad iustificationem in Sacramento pęnitentiæ non requiritur contritio, sed sufficit attritio. Tum quia Sacramentum Pœnitentię institutum est ad suscitandos mortuos, ergo hoc ipso ex se non requirit talem dispositionem, quæ mortem expulerit, sed, talem quæ

Suarez. Syluius. Vasquez. Diana.

sufficiat, vt sacramentum ipsum mortem expellat. Ita Suarez *de pœnit. disp. 20. sect. 1. n. 20.* Syluius *in supplem. q. 2. à 3. quæsit. 1. conclus. 4.* Vasquez *de pœnit. q. 92. ar. 1. dub. 3. nu. 14.* Bonacina *tom. 1. disputat. 5. quæst. 5. sect 1. part. 3. num. 10.* Corduba *lib. 1. quæst. 2* Nugnus *in supplem. quæst. 9. art. 1. dub. 3.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 193.* Caspensis *tract. 24. disp. 4. sect. 10. n. 86.*

Sed dices; Attritio non est vera detestatio offensæ Dei, ergo si cognita sit, non potest esse sufficiens dispositio ad iustitiam. Respondetur etiamsi non sit formalis detestatio peccati, quatenus est offensa Dei; tamen est vera detestatio ipsius offẽsæ sub ratione aliqua honesta, & supernaturali; ideòque etiãsi ex se nõ sufficiat ad iustitiã, tamẽ habet proportionem sufficientem, vt ab ea procedat vera peccati accusatio per quam mediante Sacramento, iustitia infundatur. Tum quia existimatio contritionis, nihil perfectionis addit attritioni nec perfectius peccatorem disponit, nec potest aliud operari quam excusationem, à transgressione præcepti, si quod esset, quo inhiberetur ne conscius sibi peccati mortalis, nisi post veram cõtritionem ad Sacramentum pœnitentiæ accederet.

Cæterum negari non potest esse tutiorem sententiam illorum, qui docent, per se loquendo, semper esse necessarium, ut homo bona fide accedat ad Sacramentum pęnitentiæ, putans se esse contritum, quamuis enim practicè verum sit attritionem cognitam sufficere cum Sacramento pęnitentiæ, tamen hoc non est de fide certum, & idem falsum esse potest, quia uiri maximè sapientes oppositũ sentiũt; ut uidere est apud Suarez *c. disp. 20. sect. 1.* Et cum hæc ueritas ab institutione dinina dependeat, opinio probabilis non supplebit medium necessarium, si forte ex Christi institutione Sacramentum pœnitentię subsistere nõ possit cum attritione cognita, vt latius explicatur infra *verb. Consetentia n.* 10. Proinde quidam Doctores sapientissime aduertunt, hominem in fine vitæ videri ex charitate erga se teneri ad perfectam contritionẽ procurandam: licet enim contrariæ sententiæ sint probabiles si tamen hęc ex quocumque demũ capite forte sit vera à parte rei, ex eius neglectu sequetur malum irreparabile: charitas autem erga se videtur hominem obligare vt malum illud quantum in se est euitet, enitendo etiam ad aliquid quod per se loquendo, non obligaretur extra huiusmodi circunstantiam. Ita Suarez *c. disp. 15. sect. 4. num 17.* Nugnus *in 3. p. tom. 2. q. 2. art. 4. dub. 4.* Zambranus *de casus occur. temp. mor. c. 4. dub. 3. n. 4.* Granado *de sacr. contron. 7. tr. 4. disp. 3. sect. 4.* Tannerus *to. 4. disp. 6. q. 6. dub. 3. n. 66. & 68.* Præposit. *3. p. q. 2. de contrit. dub. 5. n. 57.* Sancius *in select. disp. 44. n. 13. §. Rursus*, Sanchez *l. 1. moral. ca. 9. n. 34.* Aduertunt tamẽ si contingeret hominem in eo casu mori sine actu amoris vel contritionis, & sine nouo peccato, vel quia raptus est priusquã hoc aduertere posset, vel quia illos omisit ex probabili ignorantia obligationis, seu iuris aut etiam facti, quia videlicet conatus est ad talem actum habendum, & putauit se habere, re tamen vera non habuit, in his casibus ille homo saluabitur: quia tunc necessitas talis actus non est necessitas medij in re ipsa omnino requisiti, sed præcepti, à cuius trãsgressione tũc excusabitur propter aliquã ex dictis circũstantiis, & ideo non amittit iustitiam, quam per Sacramẽtum consecutus fuerat, ergo ex vi illius saluabitur.

Suarez. Nugnus. Granado. Tanner. Præposit. Sancius.

Cano. Vega. Trident. Molfesius.

5 Aliqui sentiunt, vt Cano *de pœnit. p. 5.* quem sequuntur Vega *l. 13. in Trid. c. 34.* Vasquez *de pœn. q. 92. a. 1. dub. 2.* Molfes. *tr. 7. c. 9. n. 40.* ad Sacramenti Pœnitẽtiæ effectũ non esse necessariam verã attritionem in re existentẽ, sed inculpabiliter, & probabiliter putatam sufficere: saltem quando pœnitens bona fide accedit, & credit se esse sufficienter dispositum; quia tunc pœnitens non ponit obicẽ effectui Sacramenti, ergo consequitur effectũ eius.

Hæc sententia sine dubio falsa est, quia ad remissionem peccati mortalis per Sacramentum, necessaria est vera attritio in ipsa existens, vnde si aliquis sine attritione illud recipiat cum quacumque ignorantia inuincibili, siue iuris, siue facti, excusabitur quidem à noua culpa, nõ tamen consequitur effectum, inuincibilis enim existimatio licet excuset à culpa, tamen in reipsa non adhibet medium necessarium, sicut existimatio fidei, non ponit fidem. D. Bonau. *in 4. dist. 8. q. 3. art. 2.* Alensis *4. p. quæst. 46. art. 2.* Caiet. *p. q. 79 a. 1* Suarez, *de pœnit. disp 20. sect 2.* Fagundez, *precept. 3. libr. 4. cap. 2. num. 14.* Diana, *part. 3. tractat. 6. miscel. resolut. 98.* Syluius, *in supplement. quæst. 1. art. 3. quæsit. 1. concl. 4. edit. 3.* Henriq. *l. 4. c. 26. n. 2.* Bonac. *n. 6.*

D. Bonau. Alensis.

Suarez. Syluius Bonacina.

Concludendum ergo est, posse dari statum medium in receptione Sacramẽti Pęnitẽtiæ, ita vt nec iustificetur, qui de nouo illud recipit, nec de nouo peccet, quia potest carere attritione alicuius peccati ex naturali obliuione, & tunc non peccabit de nouo propter ignorantiam inuincibilem; vel potest inuincibiliter ignorare motiuum suæ attritionis, & existimare esse aliud quàm verè sit, vel esse sufficiens, quod reuera non est, & sic nec iustificabitur: Hinc quando Sacramenta, nempe, Eucharistiam, & Pœnitentiam recipimus, certiores sumus nos non committere nouum peccatum, quam per ipsa Sacramenta iustificari. Vide Doctores hìc citatos, qui ad rationem *Cam* respõdent, negando Assumptum: nam, licet in eo casu recipiens Sacramentum non ponat obicem actualis peccati, tamen ipsummet peccatum priùs commissum, & non satis retractatum, est sufficiens obex gratiæ, cùm in eo statu non possit remitti secundum ordinariam legem,

6 Attritio multum differt à contritione, quia attritio dicitur dolor imperfectus, contritio verò dolor perfectus: deinde diuersum est motiuum contritionis, & attritionis, contritio enim detestatur peccata quatenus sunt offensa, seu malum Dei, attritio verò detestatur peccata ob malũ gehennæ aut aliarum pęnarum. Præterea contritio est actus charitatis, attritio verò est actus virtutis pœnitentiæ Insuper contritio est ex se dispositio ad gratiam, cùm peccator per contritionem constituatur in gratia, attritio verò ex se non sufficit ad cõsequendam gratiam, nisi coniũgatur cum Sacramẽto; si verò coniungatur cũ Sacramẽto sufficit ad consequendam gratiam: & dicitur efficere hominem de attrito contritum: non quia attritio fiat intrinsecè contritio, hoc enim fieri non potest, cùm attritio versetur circa vnum motiuum, contritio verò circa aliud & sint actus diuersæ speciei, & essentialiter differentes, ergo vnus non potest fieri alius, licet possit fieri attritus cõtritus. Suarez. *3. part. tom. 4. disp. 5. sect. 1. num. 9. & sect. 3.* Valentia, *tom. 4. disp. 7. quæst. 8. punct. 2.* Vasquez, *q 86. art. 3. dub. 8. num. 4.* Filliucius, *tract. 6. c. 7. q. 89* 11. Henriquez, *lib. 4. c. 25.* Puteanus, *3. p. q. 90. part. 1. dub. 2.*

Suarez. Vasquez. Filliucius. Henriq.

Quando autem dicitur communiter, quod pœnitens virtute Sacramenti Pęnitentiæ fiat ex attrito contritus: sic sensus prædicti axiomatis reddi potest, secundum Syluiũ, *in supplement. qu. 1. art. 3. quæsit. 2.* P. Ledesmam, *de attrit. c. 7.* Præpositum, *3. p. q. 86. art. 1. dub. 10 n. 67.* Puteanum, *c. dub. 2.* & alios; illum, nempe, qui ante Sacramentum in re susceptum, tantùm habebat attritionem: per Sacramentũ fieri contritum, vel actualiter exercendo actum veræ, perfectæq; contritionis, vel habitualiter, in quantum virtute Sacramenti gratiam, & virtutes supernaturales, & inter eas virtutem pęnitentiæ infusam accipit, qua mediante efficitur habitualiter contritus.

Syluius.

De Attritione, vide *Baptismus*, 3. nu. 10. & 11. *Casus reseruatus*. n. 21. *Communio sacra*, n. 36. 37. *Contritio*, *Extrema Vnctio*, 2. n. 5. *Martyrium*, n. 7. *Pœnitentia*, 4. nu. 3. *Sacramentum*, 4. n. 5.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Attritio, vel contritio non est formaliter dolor de peccatis commissis sed est essentialiter actus detestationis, & odij quo quis nollet peccare.*

2 *Detestatio peccati propter gehennam pertinet ad virtutem spei.*

3 *Attritio ob fœditatem peccati quatenus sit supernaturalis.*

4 *Ad remissionem peccati non sufficit voluntas confitendi, & recipiendi absolutionem, sed requiritur proprius dolor pœnitentis, etiam cum Sacramento.*

5 *Qualis, & quanta esse debeat hæc pœnitentia, ad effectũ Sacramenti pœnitentiæ, referuntur variæ sententiæ, vera tamen est illa, quæ docet supernaturalem, & integram attritionem sufficere, siue illa cognita sit, siue non.*

6 In lege

6 *In lege gratiæ, non est dispensatum vel omnino sublatum præceptum contritionis, ex eo quod attritio cum Sacramento sufficiat ad gratiam.*

7 *In attritione supernaturali, non requiritur quòd habeat certam intentionem quod gradum.*

8 *Vt attritio sit supernaturalis, & vera dispositio ad Sacramentum, debet ipsum motiuum detestationis esse supernaturale, si non in se, saltem obiectiuè.*

9 *Attritio de mortalibus ex iusta causa in confessione omissis, non est pars Sacramenti pænitentiæ, licet sit dispositio ad eius effectum.*

10. *Quando deest attritio peccati obliti ex ignorantia culpabili mortaliter, confessio est nulla, secus si ignorantia sit incolpabilis.*

11. *In confessione venialium requiritur etiam attritio vera & supernaturalis.*

1 QVamuis à Theologis attritio, & cõtritio dolor modò de peccatis commissis appelletur, modò detestatio ac fuga illorum; dicendum est tamen, non esse formaliter dolorem de commissis peccatis nec enim essentia contritionis aut attritionis in dolore, aut tristitia consistit, sed esse essentialiter actum detestationis, & odij, quo quis nollet peccare; quatenus peccatum est Dei offésio, & iniuria, & tunc est cõtritio; vel quatenus est malum, quoddam quod nobis multa incommoda afferre potest, & priuare beatitudine, & tunc est attritio: ex hac autem detestatione semper sequitur dolor, & tristitia in peccatore, & ideò quia dolor ipse indiuiduus comes est ipsius cõtritionis vel attritionis seu potiùs ipsius actus detestationis, attritio, & cõtritio dolor aliquando appellatur; ex eo.n. quod intellectus fide illustratus considerat peccatum, vt Dei offensionem, & vt malum quod nõ potest nõ esse factum, sequitur dolor & tristitia in volũtate, eo quòd Deum immeritò offenderimus, qui dolor, & tristitia sępe mouet sẽsum, & hinc prorũpimus in larchrymas, & gemitus. Ita Tolet. *l.* 3. *Sum. c.* 4. *n.* 3. Toletus

2 Detestatio peccati propter gehennam pertinet ad virtutem spei. Nam eiusdem priuilegij, est amare aliquod bonum, & odio habere contrarium malum. Cùm ergo hic actus fundetur potissimè in timore gehennæ, quæ directè opponitur vitæ æternæ, quam spes intendit, fit, vt huiusmodi actus ad eandem virtutem pertineat, & eandem supernaturalitatem habeat. Et ita etiam obiter intelligitur quo modo in peccatoribus maneat sufficiens principium huius actus, quia cum fide spes etiam in illis permanet, licet aliqui censeant, non esse necessarium vt ab aliqua censeant, non esse necessarium vt ab aliqua virtute hic actus procedat; quia est, inquiunt, imperfectus talis actus; virtutes autem sunt propter actus perfectos. Sed hoc non rectè dicitur; tum quia ille actus non est imperfectus priuatiuè, sed negatiuè tantùm, id est, non tam perfectus sicur contritio; virtutes autem etiam sunt ad huiusmodi actus imperfectos; aliquin vna sola charitas esset nobis infundenda: tum etiam quia ille actus supernaturalis est, cùm sit sufficiens dispositio ad gratiam cum Sacramento, vt sensit Concilium Tridentinum: quod propterea dixit talem actum esse ex motione Spiritus Sancti actus autem supernaturalis, vt debito modo fiat, requirit habitum, & consequenter virtutem à qua eliciatur. Ita Suarez *tom.* 4. *in* 3. *parte disputatione* 5. *sect.* 2. *num.* 10. Suarez.

3 Attritio ob fœditatem peccati ideò supernaturalis est, quia procedit ex illo motiuo, quod in vnaquaque virtute morali per se infusa reperitur: huiusmodi autem motiuum in vnaquaque virtute sumendum est, per conformitatem ad regulam, & rationem supernaturalem in propria materia: nam in vniuersum ratio virtutis moralis cõsistit in hoc vt in materia morali operetur secundùm conformitatem ad rectam rationem. Vnde, quando illa conformitas sumitur per comparationem ad meram rationem naturalem, virtus est acquisita, cuius actus tam in prosecutione boni honesti in tali materia, quàm in detestatione mali oppositi, naturalis est. Quande verò illa conformitas sumitur per cõparationem ad reuelatam regulam, & ad rectam rationem vt eleuatam ad supernaturalem ordinem, tunc virtus est infusa, & actus eius tam in prosecutione boni, quam in fuga mali supernaturales est. Et hęc est attritio de qua loquitur Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 4. *de Sacr. pœnit.* quod ponit diuisionẽ cõtritionis imperfectę seu attritionis in eam quę est ex metu gehẽnę, vel quę est ob fœditatẽ peccati, & hæc diuisio nõ solũ cogrua sed est etiam adequata. Conc. Trid

Quorumdam sententia fuit, nullam formalem pœnitentiam requiri ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, sed sufficere uoluntatem confitendi, & recipiendi absolutionem, dummodo pœnitens nullum actum habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adæreat; nam ipsa voluntas confitendi est quædam virtualis pœnitentia, quia est voluntas abiiciendi peccatum, & recuperandi diuinã gratiam. Ita sentit Syluester, *verb. Confessio* 1. *q.* 21. & tribuit Soto, qui in 4. *d.* 14. *quæst.* 4 *art.* 3. id clarè affirmauit de Baptismo; de pænitentia verò solum ait, quod *licet homo accedat parum attritus, iustificabitur.* Hæc sententia hoc tempore improbabilis est, & temerariæ: nam aperte uidetur damnata in Concilio Trident. quod *sess.* 6. *cap.* 7. & 14. requirit ad remissionem peccati proprium dolorem pœnitentis. etiam cum Sacramento Et *sess.* 14. *cap.* 4. concludit. *Ecclesiam numquam docuisse, aut sensisse Sacramentum hoc pœnitentia dare gratiam sine proprio motu pœnitentis* Tum quia necessitas interioris pœnitentiæ, nõ est ablata in lege noua, cum in illa etiam predicata sit, & ad Baptismum in adultis etiam requisita. Nec etiam satis est, ut quidam aiunt, quod pœnitens displicentiam habeat quod de peccato non dolet; quod significauit Nauarrus *in man. cap.* 10 *n.* 4. quia si illa displicentia est efficax, non erit sola, sed secum afferet dolorem de peccato, si verò solum sit uelleitas, non sufficit ad mutandam voluntatem, & consequentur, neque ad veram pœnitentiam. Syluest. Sotus. Conc. Tri

5 Posito quod aliquis formalis actus pœnitentiæ si necessarius ad effectum Sacramenti, grauis est difficultas inter Theologos, qualis, & quanta esse debeat hæc penitentia, vt sit sufficiens ad effectum Sacramenti pęnitentiæ Quorundam sententia est, requiri verum, & perfectum motum contritionis, & hunc motum ita esse necessarium, vt si in re ipsa non habeatur, etiã si pęnitens bona fide accedat, putans se esse contritum, nihilominus non iustificetur, quamuis in eius susceptione non peccet. Sic tenent Magister Sentent. *in* 4. *dist.* 18. & ibi D. Bonauentura *art.* 2. *quæst.* 1 Grabiel, Maior. Medina Adrianus. Petrus Soto. Ratio illorum est, quia contritio ex lege connaturali gratiæ, est medium necessarium ad salutem; Lex autem gratiæ non destruit naturam, sed perficit: ergo non abstulit medium necessarium, & consequenter post institutum pęnitentiæ, non potest auferri peccatum, sine vera contritione. Tum quia non obstante institutione Sacramenti, pęnitentia interior est necessaria ad remissionẽ peccati, quia Scriptura Sacra hanc pęnitentiam postulat, vt necessariam: sed pęnitentia interior, quam Scriptura, petit, est vera contritio, quia attritio numquam per se fuit necessaria, ergo. Alij requirunt etiam contritionem vt necessarium, per se loquendo, ideoque semper esse necessariam, vt homo bona fide accedat, putans esse contritum ad hoc saltem, vt excusetur ab actuali peccato, accidere tamen posse existente hac bona fide, vt homo cum sola attritione iustificetur atque ita fiat ex attrito contritus, non per mutationem ipsius actus, sed per solam habituũ infusionem: vnde iuxta hanc sententiam sola attritio in re est sufficiens dispositio ad effectum Sacramenti: homo verò ipse habet præceptum accedendi cum contritione, vel ex naturali præcepto contritionis, quod non est sublatũ per institutionẽ Sacramenti, saltem per se loquẽdo, vel ex naturali præcepto, quo tenemur Sancta Sanctè tractare, ac propterea non accedere scienter ad Sacramentum suscipiendum in statu peccati mortalis, vel quia in Sacramento pęnitentiæ debet fieri accusatio exterior quæ procedat ab interiori proportionata; sed exterior cõfessio debet esse de peccato, quatenus offensa Dei est, ergo per se loquendo, requirit contritionem ex proprio, & speciali præcepto. Et ideò qui sciens, & nidens sine illa cõfitetur, indignè confitetur, & non potest effectũ Sacramenti consequi: si autem propter ignorantiam à peccato excusetur, iam non ponit obicem Sacramento ideoque obtinebit effectum. Hanc opinionem tenuit Victoria, Sotus, Vega, Nauarrus, *in man. c.* 1. *n.* 36. & 42. & alij. Mag. Sent D. Bonau. Victoria. Sotus. Vega. Nauar.

Verior tamen sententia hoc tempore post Concilium Tridentinum asserit, ut Sacramentum pęnitentiæ conferat suum effectũ, sufficere ueram, supernaturalẽ, & inte-

gram attritionem peccatorum, fine illa cognita fit, fiue non, & in hoc fenfu efficaciam habere ad efficiendum hominem ex attritio contritum,& nõ requiri infuper, quòd huiufmodi attritio putetur contritio, vt peccatores per eam fructum gratiæ accipiant. Ita ante Concilium D. Thomas *in 4. dift.17.q.3.art.5.q.1.& d.18. quæft.1. art.3. q.3.* Scotus *in 4.d.14.quaft.4.art.3.* Paludanus, Adrianus D. Antonius, Syluefter, Poft Concilium Suarez *de pœnitent.difp.20.fect.1.n.10,* Henriquez *lib.1. de pænit cap.26.* Vafquez *in 3.p.tom.4.q.92.a.1. dub.2.* Diana *p 4. tract.4. refol.193.* Syluius *in fupplem.3.p.quæft.1. art.3.* Fagundez *precept.2.Ecclef.lib.2.cap.5 num.11.* & alii communiter. Probatur hæc fententia ex Tridentino *feff.14.c.4.de pænit* ibi *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, declarat Sancta Synodus effe donum Dei non adhuc inhabitantis, fed mouentis,* & infra: *& difponere peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento pænitentiæ impetrandam, licet per fe fine Sacramento ad iuftificationem illum perducere nequeat.*

Paludanus Adrianus D. Antoninus Syluefter Suarez,

Vide quæ diximus, *tom.1, v. Attritio n 4. verf. Cæterum.*

6 Cùm attritio fupernaturalis fufficiat cum Sacramento penitentiæ ad iuftificationem peccatorum; quæres, an propter hoc in lege noua difpenfatum fit, vel omninò fublatum præceptum contritionis, & ideò non neceffarium? Videtur enim omninò effe fublatum, vel difpenfatum, quia præceptum contritionis inftitutum fuit à Chrifto Domino tanquam medium neceffarium lapfis ad falutem; ergo fi extra hoc medium per attritionem, & Sacramentum poteft peccator confequi falutem, fequitur quòd præceptũ contritionis necefsarium non fit, ac proinde fublatum? Dicendum tamen eft in lege gratiæ non ideò difpenfatum effe, aut omninò fublatum præceptum cõtritionis, quod poffit homo alia via gratiam confequi. Probatur prima pars, quia multis mediis inftitutis à Chrifto Domino, poteft homo gratiam comparare, & tamen quando vno medio comparatur; non ideò difpenfatur in aliis, fed ftante vno medio non obligat aliud. Probatur fecunda pars, quia quando medium confeffionis ex defectu confeffarii applicari non poteft, obligat præceptum contritionis: ergo non eft omninò fublatum. Deinde quia quamuis præceptum contritionis non obliget hominem iam iuftificatum per Sacramentum pœnitentiæ, & attritionem, obligat tamen illum in ea temporis differentia, qua Sacramentum pœnitentię in rę fufcipi non poteft, Ita docent communiter Doctores.

7 Vt fit digna, ac neceffaria difpofitio ad impetrationem gratiæ in Sacramento pœnitentiæ fufficit, quod dolor, & attritio fit fupernaturalis; & non requiritur, quòd habeat certam intentionem, quoad gradum, vna enim attritio cum Sacramento penitentiæ, & vnica contritio, vel remiffa extra illud poteft delere, quodcunque peccatum etiam grauiffimum Ratio à priori, ob quam quælibet vera contritio, feu attritio etiamfi remiffa admodum fit cum Sacramento pęnitentiæ quodlibet peccatum quãtumuis grauiffimum auferat eft, quia ex attritio cum Sacramento, fit homo contritus, & vbi datur contritio datur gratia: minimus autem gradus gratiæ fufficit ad expellenda omnia peccata, & ad reddendos peccatores ex inimicis amicos Dei, vt paffim Doctores atteftantur.

8 Ex motiuo naturali non poteft haberi actus contritionis, vel attritionis fupernaturalis, qui fit fufficiens difpofitio ad Sacramentum confeffionis: quia debet femper ipfum motiuum deteftationis effe fupernaturale, fi non in fe faltem obiectiuè, vt attritio fit fupernaturalis, & vera difpofitio ad Sacramentum. Si dicas, voluntatem pœnitentis ferri immediatè in actum deteftationis, ob motiuum naturale, atque ex motiuo naturali, ex metu fcilicet infamiæ temporalis refultantis ex peccato mortali, aut ex metu gehennæ, & aliarum pœnarum inferni, qui metus naturalis eft? Refpondeo talem metum tunc non effe fimpliciter naturalem, fed effe obiectiuè fupernaturalem, nam quamuis voluntas immediatè feratur in ipfum actũ deteftationis peccati, feu attritionis ex metu pœnæ temporalis, aut pœnæ inferni; tamen non in illum fertur, vt hæc pœna inferenda eft à Deo, vt eft auctor naturæ, fed vt Auctor gratiæ, quam per peccatum amifimus, in quem actum neceffariò fertur ipfa voluntas, nifi exprefsè velimus fiftere in præcifa deteftatione ob meram pœnam temporalem: vnde licet ex metu pœnarum temporalium confurgat, & moueatur voluntas ad actum attritionis eliciendum, tamen cùm de facto & actu elici illum immediatè ob expreffum motiuum, quo timet offenfam Dei ob pœnas inferni, vel alias temporales, atque adeò ex motiuo fupernaturali. Ita Doctores citati, *tom.1 noftra fum. verb. Attritio, n.3. edit.3. §. Tamen.*

9 Attritio de mortalibus ex iufta caufa in confeffione omiffis, non eft pars Sacramenti pœnitentiæ, licet fit difpofitio ad effectum. Ratio eft, quia neque informat confeffionem, nec fit fenfibilis per illam, fed merè interior manet; eft tamen neceffaria ad eius valorem: quia ille; qui confitetur, ex generali lege Sacramentorum, tenetur non ponere obicem effectui Sacramentali: ille autem, fi habet confcientiam peccati, tenetur agere pœnitentiam illius proportionatam Sacramento, & ex illo capite tenetur dolere de peccato illo, quod in confeffione tacet: quia licet tunc non requiratur dolor ad accufationem eius, eo quod non fit futura: eft tamen neceffarius ad tollendum obicem, & digne fufcipiendum Sacramentum: ac proinde, fi voluntariè omittatur, in ipfa confeffione actuale peccatum comittitur, quod repugnat valori Sacramenti. Ita Suarez *tom.4 de pænit.d.20.fect.4. num.24.* Suarez.

10 Si ex ignorantia culpabili mortaliter defit attritio peccati mortalis etiam in confeffione obliti, quod eft materia neceffaria talis confeffionis, tunc confeffio erit nulla. Ratio eft, quia deficit vniuerfalis attritio, vera & efficax; fi tamen ignorantia eft inculpabilis, confeffio erit valida, cum obligatione confitendi peccatum illud, cuius veram attritionem non habuit, fi poftea defectum commiffum recognofcat: quia carentia attritionis circa illud peccatum, folùm eft defectus materialis integritatis, qui non eft contra fubftantiam Sacramenti. Vnde ita iudicandum eft de vniuerfitate attritionis, & eius defectu, ficut de integritate confeffionis, eiufque defectu. Nam attritio, quatenus eft pars Sacramenti, confeffioni copulatur, quia & per illam fenfibilis fit, & propter eius veritatem requiritur. Sicut ergo confeffio illa, in qua peccatum aliquod omninò tacetur ob inculpabilem obliuionem, valida eft, licet materialiter non fit integra, eadem ratione illa attritio eft tunc fufficiens ad veritatem Sacramenti, quia eft vera & fupernaturalis, & de omnibus peccatis ritè confeffis, feu quæ pœnitens hic & nunc potuit ita confiteri, vt ex fola confeffione illorũ Sacramentalẽ confeffionẽ & formaliter integrã faciat. Ita Suar. *proximè citatus n.26.* Suarez.

11 Attritio vera & fupernaturalis eft neceffaria in Sacramento pœnitentiæ, etiamfi tantùm peccata venialia quis confiteatur. Ratio eft, quia ad hoc, vt confeffio fit formaliter vera, & valida, requiruntur eius partes effentiales, & integrales, inter quas in Sacramento ad minus vna eft attritio vera, ergo. Confirmatur, quia licet pœnitens non teneatur confiteri peccata venialia; tamen dum fpontè vult illa fubiicere clauibus Ecclefiæ tenetur debito modo ea fubiicere, & ad minus habere attritionem, vt communiter tradunt Theologi.

A V A R I T I A.

S. V M M A R I V M.

1 *Auaritia quid fit & quale peccatum.*
2 *Eft vitium capitale habens filias feptem.*

1 AVaritia, *eft vitium inclinans ad inordinatum appetitum pecuniæ.* Et quia hæc inordinatio poteft contingere in damnum alterius, & fine illo, fit vt auaritia quæ habetur fine damno alterius, opponatur tantùm liberalitati, & de fe fit tantum venialis, vtpote non aliud dicens, quam inordinatũ affectum erga diuitias, aut acquirendas, aut retinendas. Tamẽ fi affectus ille ad diuitias ita crefcat, vt propter earum amorẽ non vereatur quis facere contra charitatem Dei, vel proximi, volens potiùs præceptũ fub mortali obligans violare, quam non affequi diuitias, aut quàm eas amittere, poffet effe mortale. Auaritia autẽ quæ fit cum alterius damno, opponitur etiam iuftitiæ & de fe eft mortalis: quamuis contingat effe veniale propter imperfectionem actus, aut ob leuitatem materiæ,

D.Tho

D.Thom. Syluius. Toletus. Syluest. Fernand. Viguerius.

D. Thomas, 2.2.*quæst.* 118. Syluius *ibid.* Toletus *l.8. Sum. cap.25.* Syluester *v. Auaritia* Armilla *ibid* Fernandez *p. 4. cap. 2. §. 3.* Nauarr. *in Man cap.23. num.69. & 70.* Viguerius *in instit. c.5. §.14. versu* 1. & alij hic citati.

2 Auaritia numeratur inter peccata capitalia, quæ sũt ueluti fontes & radices multorum aliorum: nam propter pecuniam, quæ est obiectum auaritiæ, siue acquirendam, siue retinendam, multa peccata committuntur tanquam propter finem ab auaro intentum. Hinc D. Gregorius, enumerat septem auaritiæ filias *lib. 31. Moral. cap. 31.* Prima est, *Obduratio cordis.* Hæc enim sæpe ad nimium seruandam pecuniam tendens, à compassione pauperum auertit: vnde ad obdurationem pertinet præcipue non facere eleemosynam, nec subuenire indigenti, & peccatum est ueniale uel mortale, secundum quod præceptum eleemosynæ obligat.

Secunda, *Inquietudo mentis*, idest, uehemens aplicatio mentis, cum timore coniuncta. Hæc inquietudo seu solicitudo, quando est de re mala, est mala: & est mortalis si res ipsa de qua solicitamur, est mortalis: uenialis, uero erit, si res uenialis Mortalis pręterea erit hæc solicitudo de re temporali, constituendo in ipsam finem ultimum.

Tertia est, *Proditio*, quæ nihil aliud est, quam manifestatio occulti, illatiua nocumenti: & fit quadupliciter. Primo, circa personas, ut *Iudas* prodidit *Christum*: & hæc est graue mortale. Secundò, circa res immobiles, ut miles qui prodit ciuitatem sui Domini. Et hoc est mortale obligans ad restitutionem. Tertio circa res mobiles, ut qui nestes latroni ostendit, ut rapiat, Mortale est etiã hoc cum obligatione restituendi. Quarto, circa secreta, ut qui alterius secretum aperit in eius detrimentũ, quod tamen celare tenebatur. Et hoc est mortale in materia graui.

Quarta est *fraus*, seu deceptio alterius opere exhibita: Est autem fraus mortalis, si sit perniciosa in damnum proximi notabile. Secus si circa minimum aut si iocosa, uel officiosa, uel præter intentionem, tunc in his est uenialis: ignorantia enim excusat à peccato tenetur tamen qui fraudẽ commisit reddere, quod per fraudem accepit, tum primum ueritas cognita fuerit.

Quinta est *periurium*, quod est dolus in sermone iurato, seu falsum iuramentum; mortale est periurium formale, ut cum quis aduertit se falsum iurare, & vult iurare Si uero pertineret ex lapsu linguæ, aut inaduertenter, uel ignoranter nõ erit mortale, quia actus non est perfectus, sed tantum periurium materialiter. Si tamen quis non intendens falsum iurare, iuret tamen falsum, non curans adhibere curam, ne falsum iuret, tunc esset mortale, quia conuincitur potius uelle peiorare, quam discutere ne falsum iuret. Plura v. *Iuramentum* 5.

Sexta est, *Fallacia*, quæ est fraus in uerbo, de qua in uerbo *Falsarius*.

D. Thom. Syluius. Toletus. Nauar.

Septima est, *Mendacium*, quo suo loco agemus. De his Auaritiæ filiabus uide D. Thomam *c. art* 7. & 8. Syluium *ibid.* Toletum *c. cap. 26 & sequent.* Nauarrum *c. n. 72.* Lessium *libro secundo, capit. 47. dubio octauo, n.60.* & *Summistas*.

SVPPLEMENTVM.

SVMARIVM.

1 *Auaritia consistens in appetendo, tribus modis fit peccatum mortale.*

2 *Auaritia in acquirendo de se est peccatum mortale, nisi paruitas materiæ excuset.*

3 *Auaritia in retinendo, in tribus casibus, est peccatum mortale.*

1 AVaritia consistit in tribus, scilicet; in appetendo, in acquirendo, in retinendo inordinate diuitias.

Auaritia consistens in appetendo, tribus modis potest esse peccatum mortale; *Primo* appetendo habere animo deliberato aliqnid notabile alienum illicito modo; puta non dato pretio, uel re non petita: quia est contra illud præceptum. *Non concupisces, &c.* Si tamen res esset parui ualoris, uel nõ esset aliena, uel non esset concupita haberi modo illicito, non esset mortale sed ueniale, uel nullum. *Secundò*, appetendo aliqnid illicitum appetenti, puta beneficium Ecclesiasticum, cum sit indignus. *Tertiò*, appetendo superflua appetitu, qui præponderet appetitui charitatis Dei vel proximi, puta, quia propter amorem diuitiarũ quis non veretur facere contra Dei & proximi charitatem, sed iste appetitus non est peccatum actuale, nisi quando quis actu de hoc cogitat, volens potius peccare mortaliter quàm non consequi aliquid diuitiarum, uel quando ex isto appetitu fit aliqua actualis transgressio.

2 Auaritia in acquirendo est peccatum mortale, quãtum est ex sua ratione, nisi res sit modica. Ratio est, quia omnis illicita acquisitio est cõtra iustitiam, & omne quod est contra iustitiam, ex suo genere est mortale, vt tradunt communiter Doctores, quod dupliciter fieri potest, *Primò*, quando acquisitio fit per iniustitiam, ut furando, fœnerando & huiusmodi. *Secundò*, quando fit per actus, qui etiam sine acquisitione essent peccata mortalia, vt cũ quis turpiter agit cum muliere diuite, ut inde ditetur, vel lucretur & huiusmodi; & tunc est quidem peccatum vnum, sed duas habet deformitates.

3 Auaritia in retinendo est peccatum mortale in tribus casibus. *Primò*, quando quis retinet ea quæ restituere tenetur, & potest, & hoc est mortale toties quoties hoc deliberat *cap. Sapè de restitut. spol.* imò & si non deliberat, sed omittit restituere, quando occurrit tempus locus, & casus, in quo restituere tenetur, vt diximus *to. 1. nostræ Sum, verb. Restitutio. Secundò*, quando quis retinet ea quæ sunt superflua necessitati suæ, & suorum, videns aliquem in extrema necessitate: quia tenetur ei de tali superfluo, etiamsi illud esset necessarium ad decentiam status, subuenire. Ita communiter Doctores citati *to. 1. verb. Eleemosyna, n.4.*

Tertius, quando quis retinet superflua non solùm necessitati suæ, & suorum, sed etiam decentiæ, & videt alium indigentem ad necessitatem, vel ad decentiam status quia de ipsis tenetur erogare eleemosynam, etiam non existentibus in extrema necessitate. Vt habet quorundam sententia valde probabilis, qui a nobis citantur, *dicto loco num. 5.*

AVOCATIO CAVSARVM.

SVMMARIVM.

1 *Generales regularium possunt auocare ad se causas pendentes coram inferioribus Prælatis.*

2 *Idem possunt Prouinciales, dummodò hoc non prohibeatur à constitutionibus ordinis vel à Generali.*

3 *Superior Maior non potest absque causa auocare ad se causas, alias peccat contra charitatem, imò etiam contra iustitiam.*

4 *Probabilius est auocationem causæ factam sine causa semper esse nullam.*

5 *Prælatis Superior regularis non tenetur exprimere rationem, ob quam causam auocet.*

6 *Auocata causa cum decreto irritante, acta inferioris iudicis sunt nulla, etiam auocatione ignorata.*

7 *Si auocatio causæ fiat ad istantiam partis cum decreto irritante, ante intimationem acta inferioris iudicis sunt etiam nulla, valida tamen sunt, si pars nolit auocatione vti.*

1 CVm ex decreto S. Congregationis Eminentiss. DD. Cardinalium relato supra *verb. Archiepiscopus, num. 1.* prohibitum sit, ne Superiores, vt Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ etiam Nuntii, vel Legati à letere specificam facultatem maiorem non habentes, causas in curiis Ordinariorum, vel aliorum iudicum pendentes ad se aduocent, nisi per uiam appellationis legitimæ ad ipsorum tribunalia deferantur, & cũ Generalis alicuius Religionis æquiparetur Archiepiscopis, vel Patriarchis, ut notant Rodriguez *tom. 1. qq. reg. quæst. 12. ar. 5. post medium.* Hieronymus Rodriguez *in Compendio resol. 68. num. 7.* Miranda *in Manual. part. 2. qu. 7. art. 1. concl. 1.* qui vltimus docet licere Generalibus Ordinũ, quod licet Archiepiscopis, & prohiberi, quæ ipsis

Decretum. S.Congreg

Rodrig. Hier.Rod. Miranda

 pro-

prohibita sunt: ex hoc videtur sequi, quod non possit Generalis ad se auocare causas inferiorum Iudicum.

Oppositum tamen est certum, ob differentiam, quæ est inter Generales, & Patriarchas, seu Archiepiscopos; Et fundatur in voto obedientiæ, quo omnes Religiosi Generali Ordinis obstringũtur; & ideò ratione maioris obligationis & subiectionis in subditos, possunt ad se auocare causas. Ratio est. Ideò non possunt Archiepiscopi auocare causas Episcopurum suffraganeorum, quia non habent iurisdictionem, seclusà appellatione, super subditos Episcopi. At è contrario Generales sibi ipsis immediatè subiiciunt subditos omnes aliorum superiorum vt constat ex consuetudine; uã Generalis exercet immediatam iurisdictionem in ipsos, concedendo, & prohibẽdo aliqua, ipsos transferendo de loco ad locum; &c & ratione voti obedientiæ, quo quisque immediatè se obligat toti Religioni, atque adeo Capiti ipsius; Et ideò vt immediatus superior, & maioris auctoritatis potest sibi assumere causam pendentem corã iudice inferiori: quia non est magis iudicis inferioris, quam sui ipsius. Tum quia voluntas Prælati inferioris subiicitur voluntati Superioris ratione voti obedientiæ, vnde non potest esse efficax contra voluntatem Superioris, imò nec iusta, quia ratione voti ex iustitia obligatur se conformare cum voluntate Superioris. Ergo ob huiusmodi subordinatione & dependentiam est in potestate Generalis, quod Prælatus inferior prosequatur causam coram se pendentem, vel non prosequatur. Hoc tamen limitandum est, nisi aliter per speciales constitutiones alicuius Religionis statuatur, aut in speciali, aut in generali. Ita docet Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. de religiosis prælat. & c. n. 15. & 16.* Lezana *p. 1. Summ. cap. 18. num. 87.* Suarez. Layman.

2 Prouinciales possunt ad se auocare causas Prælatorum inferiorũ sibi subditorum, dummodo hoc non prohibeatur à Constitutionibus Ordinis, nec Generalis hoc sibi refert. Ratio est, quia Prouinciales sunt Prælati Generales totius Prouinciæ, quibus omnes de illa Prouincia subiiciuntur: & cum hæc subiectio sit fundata in voto Obedientiæ, ratione cuius tenentur inferiores in omnibus obedire, trahit secum conditione talis voti; atque facit quod voluntas Prælatorum inferiorum sit subiecta uoluntati ipsorum, ne possit esse efficax, & iusta, si sit contra ipsam: & quod iurisdictio illorum sit subordinata iurisdictioni Prouincialium, & sub iure ipsorũ unde ob easdẽ rationes quibus potest Generalis auocare ad se causas inferiorũ Superiorũ, possunt etiã Prouinciales. Ita Suar *to. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. c. 2. n. 26.* Suarez.

3 Non potest Superior Maior absque causa auocare ad se causas pendentes coram superioribus minoribus. Ratio est, quia licet Superior inferior habeat totam suam iurisdictionem subordinatam Superiori Prælato adhuc tamen est propria ipsius, & debet ab ipso administrari. Ergo si illa priuetur absque rationabili causa, fit illi iniuria grauis; quia priuatur illa facultate, quæ ipsi conuenit ratione muneris. Quod enim Prælati superiores habeant sibi subordinatos inferiores, non dicit, quod possint de ipsis atque ipsorum iurisdictione ad libitum disponere, sed tantum secundum exigentiam rationis, & in ordine ad bonum communitatis. Ergo non possunt sine rationabili causa restringere auctoritatem, & iurisdictionem inferiorum Prælatorum. Ex quo patet, quod Prælatus auocans ad se ab inferiori causas absque rationabili causa, peccet contra Charitatem: quia non se gerit cum proximo iuxta illam primam regulam operandi, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Fecit etiã contra iustitiam legalem: peruertit enim irrationabiliter ordinẽ institutum ad dirigẽdam communitatem; unde perturbatur communitatis bonum quod consistit in illa mẽsura, & modo debitæ regulationis secundum præscriptã normam rectæ rationis; Regulæ autem rectæ rationis exigunt, quod Prælatus inferior absque rationabili causa non priuetur sua iurisdictione, aut in illa impediatur. Ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2. num. 23.* Lezana *p. 1. Summ. c. 18. n. 87.* An autẽ Prælatus peccet tunc contra iustitiam? Respondet Suarez hoc esse incertum, quia non uidentur religiosi habere tam propriũ dominiũ circa hæc iura, uel officia; Dicendum tamen est, peccare Suarez Lezana contra iustitiam, quia ipsa quoque intercedere potest inter religiosos quoad ea, quæ regula facit propria singulorum, & concernunt statum regularem, vt sunt administrationes, officia, Prælaturæ & alia huiusmodi. Ita Pasqualigus *in decis. Moral. decis. 62.* Pasqualig.

4 Dubium est, an auocatio causæ sine causa sit valida? Videtur affirmatiuè respondendum, ex eo quòd voluntas Superioris Prælati potentior sit absolutè, & nulla lex factum irritet, nec ex rei natura irritatur, quia multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Deinde maior ratio habenda est in his actibus boni communis, quàm priuatæ iniuriæ, ad bonum autem commune spectat, vt talis restrictio timeatur & seruetur, etiamsi inualida appareat. Hæc sententia est probabilis, quam sustinet Suarez *cit. cap. 2. nu. 25.* qui tamen addit, quòd si huiusmodi restrictio contineret intolerabilem errorem contra bonos mores clarè & euidenter, non esset valida, sed omninò nulla. Dicendum tamen est, semper esse nullam quotiescunque fit absque legitima causa, quæ talis est & censetur, quando expediens est restringi iurisdictionem inferioris Prælati ad vitandum malum, quod alioquin sequeretur. Ratio est quia omnis actus, qui fit absque sufficienti iurisdictione, & potestate, est nullus ex natura rei. Superiores autem maiores, etiam Generales, non habent facultatem, seu iurisdictionem causas ad se auocandi absq; rationabili causa, quia ita sunt Superiores vt non sint Domini, sed administratores Religionis: vnde eam debent administrare secundùm præscriptum regulæ, regula autem non permittit auocationes causarum absq; rationabili causa. Quamuis enim de hoc nihil specialiter decernat, quia tamen præscribit ordinem institutum pro regimine, & secundùm hanc præscriptionem dat suam specialem iurisdictionem Prælatis minoribus, & obligat Prælatos maiores ad administrandam Religionem secundùm ordinem præscriptum, ideò ipsos quoque obligat, vt non possint ipsum peruertere, nisi bonum commune id exigat peruerti, vnde si fiat auocatio, erit nulla defectu potestatis. Ita Pasqualigus *in decis. Moral. decis. 63.* Suarez. Pasqualig.

5 Quando Prælatus Superior auocat ad se causas ab inferiori, non est necesse, quòd in auocatione exprimatur motiuum, ob quod fiat auocatio causæ, nec obligatur auocans ad reddendam causam. Colligitur ex *cap. Cæterum, & cap Pastoralis, §. vltim. de rescriptis*, & ex *cap. Sanè, 2. de offic. Delegati.* Ratio autem est, quia Prælatus Superior aduocans ad se causas ab inferioribus, agit tanquam Superior vtens sua potestate in inferiores, per quã potest eorumdem iurisdictionem restringere, cùm autem Superior non teneatur reddere rationem inferioribus suarum operationum, quia non est ab ipsis iudicandus, ideò neque tenetur ipsis assignare causam, ob quam causas ad se auocet.

6 Acta iudicis inferioris facta post auocationem cum decreto irritante eadem acta, non sunt valida, sed omnino vt nulla reiicienda, etiamsi ab illo ignoretur auocatio. Ratio est quia decretum irritans reprobat ipsa acta, vnde quando fiunt, non sinit recipi tanquam acta publica & tanquam acta illius iurisdictionis, à quo proueniunt, vt desumitur ex *cap. Si postquam, & cap. Dubium, §. considerantes*, & *cap. Quidam per literas, de præbend. in 6.* Ita Couarruuias *in pract. quæst: cap. 9. num. 7. vers. Prima conclusio.* Qui citat Felinum, Imolam & alios. Hinc quãdo ponitur clausula irritans, statim sortitur effectum, & afficit prohibitione etiam ignorantes, seu inscios, vt notant communiter Doctores *in cap. Si beneficia, de præbend. in 6. & in cap. 2. de constitut.* Nec refert quòd lex nõ obligat ignorantes & inscios, ad quod respondetur, aliud esse obligare inscios, & aliud irritare facta insciorum, seu ignorantium decretum. Decretum irritans in hoc comparatur legi, quod neque ipsum obligat inscios ad non facienda aliqua acta: & proinde non possunt puniri, si illa faciant, supra tamen legem hoc habet, quòd reddit nulla quæ fiunt contra ipsum. Couarr.

7 Si auocatio causę fiat ad istantiam partis cũ decreto irritante, ante intimationem acta inferioris iudicis adhuc sunt nulla, quia adest decretum irritans, quod semper habet eandem vim annullandi, cùm innitantur eidem potestati, & iurisdictioni, siue fiat ad instantiã partis, siue non.

Tamen

Tamen cum ſit auocatio ad inſtantiam partis, valent, quæ fiunt à Iudice inferiori, ſi pars nolit vti auocatione ſibi conceſſa, non obſtante decreto irritante. Sicut enim quis poteſt proprio iuri renunciare, ita etiã ijs, quę in eiuſdem fauorem fiunt, non obſtante decreto irritante, quia etiam tali decreto renunciat: vnde poſita renunciatione, perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet factum. Ita Couarruuias *in pract. queſt, c. 9. n. 7.* Felinus, *in c. Cæterum, n. 18. de reſcript.* & alij. Plura de hac materia cernere licebit apud Paſqualigum, *in deciſ. mor. deciſ. 67. & ſeq.* & apud Couartuuiam. *loc. cit. c. 9. num. 8.* Couarr.

B

BANNITVS.

SVMMARIVM.

1 *Vnicuique licet bannitum, ſeu proſcriptum occidere, poſitis quibuſdam conditionibus.*

2 *Fas non eſt proſcripto ſe defendere contra iuſtum aggreſſorem.*

3 *Bannitus, ſeu proſcriptus per ſententiam iuſtam, an occidi poſſit extra territorium proſcribentis?*
Refertur duplex ſententia.

4 *Approbatur conſuetudo, & ſtatutum, quo præmium promittitur occidenti bannitum.*

1 BANNITVM, ſeu proſcriptum per publicam mortis ſententiam occidere, cuiuis è populo in conſcientiæ foro permiſſum eſt, modò hæ conditiones adſint. *Prima*, vt id fiat publicæ iuſtitiæ zelo, non ex odio, aut priuatæ vindictæ cauſa. *Secunda*, ne fiat pendente appellatione, aut extra territorium proſcribentis. *Tertia*, excipiendi parentes, liberi, vxor, &c. qui proſcriptum alere tenentur: quia ius ciuile naturalia iura non tollit, tantùm abeſt vt occidere poſſint, niſi actualis ille reipublicæ hoſtis exiſtat. Ita Emmanuel Sà, *v. Bannitus*, Sotus, *de iuſt. lib. 5. q. 1. art. 3.* Clarus, *lib. 5. ſent. v. homicidium, n. 54. & 59.* Armilla, *v. Bannum, n. 1.* & alij. Perſonæ item Eccleſiaſticæ ſiue ſæculares, ſiue regulares grauiter peccarent occidendo bannitum, quãuis immunes eſſent à pœna temporali: quia illis non licet immiſcere ſe in cauſa ſanguinis, quantumuis iuſta: imò eſſent irregulares ea irregularitatis ſpecie, quæ contrahitur propter delictum: licet laici ſolùm contraherent irregularitatem ortam ex homicidio iuſto. Ita Lezana *tom. 3. ſum. v. Bannitus, n. 11.*
Sà. Sotus. Clarus. Armilla.

An autem talis Bannitus poſſit occidi proditoriè, & per inſidias; Molina *tom. 4. tract. 3. diſp. 7. n. 1.* Filliucius, *tract. 29. n. 25. p. 2.* Azorius *p. 3. lib. 2. c. 2. qu. 4.* Diana, *p. 5. tract. 4. reſol. 25.* affirmant: quia ſua culpa ceſſare à peccato non vult, maiorque ratio habenda eſt boni publici, quàm particularis illius, qui ſibi proſpicere poteſt, & non vult: mihi tamen magis placet ſententia negatiua Menochij *de arbitr. lib. 9. q. 90. n. 19.* Bonacinæ, *de contract. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. punct. 2* & aliorum propter periculum damnationis, cui frequenter exponitur bannitus, ſi occidatur in eo ſtatu proditoriè.
Molina. Azorius. Diana. Menoch. Bonacina.

2 Ex communi ſententia Doctorum, fas non eſt proſcripto ſe defendere contra iuſtum aggreſſorem eum occidendo, vel mutilando. Ratio eſt, quia perinde eſt, ac ſi reus, & malefactor condemnatus ad mortem, ſe defenderet contra miniſtros Iudicis, & occideret eos. Deinde, quia eo ipſo quòd poteſt licitè offendi, & occidi, adimitur ei ius ſe tuendi; Non enim eſt permiſſa defendendi facultas; vbi offendendi eſt data libertas: alioquin fateri cogemur dari poſſe bellum ex vtraque parte per ſe ac formaliter iuſtum ſecluſa ignorantia, quod omnes negant. Ita Layman, *lib. 3. ſect. 5. tract. 3. p. 3. c. 2. n. 3.* Sà, *verb. Bannitus n. 4.* Azorius, *p. 3. lib. 2. c. 1. q. 11.*
Layman. Sà. Azorius.

Nihilominus contrariam ſententiam faciunt probabilem quædam rationes, & auctores apud Iulium Clarum, *lib. 5. ſentent. § Homicidium, n. 68. & ſeq.* aſſerentes nempè, quòd bannitus non amittat ius ſe defendendi, & quòd non peccat: tum quia non perdit ius naturale, & gentium: Tum quia ius naturale non poteſt tolli per ſtatutum humanum. Deinde, quia adulter, ſi occidit, vt ſe à morte defendat, non peccat.
Clar.

3 Quidam iuriſperiti expreſsè docent bannitum, ſeu proſcriptum per ſententiam iuſtam, vbique etiam extra territorium proſcribentis occidi poſſe. Quia conſtitutio poteſt ligare perſonas etiam extra territorium exiſtentes. Tum quia taliter occidentes gerunt actum permiſſum, & in factis priuatorum non attenditur territorium, ſed an faciant actum permiſſum, vel prohibitum. Tum quia publicè intereſt tales vbicumque fuerint, perimi, ne reuertantur, & ne Prouincias cladibus, furtis, ac violentijs moleſtent. Ita Baldus, *in leg. cunctos populos, nu. 9. C. de Summ. Trinit.* Clarus, *cit. n. 66.* Megalius, *tom. 1. var. reſol. 60. n. 5.* Graffijs, *p. 1. lib. 2. c. 62. n. 57.* Baldus. Clarus.

Contraria tamen eſt ſententia Theologorum: quia nullus Princeps, ſeu Magiſtratus erga vllum malefactorem, aut proſcriptum ſententiam iuſtitiæ exercere poteſt extra fines territorij ſui, niſi vel expreſſa, vel rationabiliter præſumpta licentia habeatur eius, qui in alieno territorio poteſtate præditus eſt; & niſi reus eſſet bannitus à Summo Pontifice, qui cùm habeat iuriſdictionem illimitatam, & per vniuerſum orbem, poteſt mandare occiſionem homini à ſe proſcripti in alieno territorio: Quamuis ad conſeruandam cuique ſuam iuriſdictionem temporalem, non ſoleant eiuſmodi homicidia præcipi in alieno territorio. Et qui id exequerentur, exponerent ſe periculo ſubeundi pœnam homicidæ, vel ſaltem læſæ iuriſdictionis Principis Ita Toletus, *lib. 5. c. 6. n. 18.* Azorius, *p. 3. lib. 2. c. 2. q. 3* Filliucius, *tract. 29. n. 24. p. 2.* Reginaldus, *lib. 21. c. 2. n. 18.* Diana, *p. 5. tract. 4. reſol. 24.* Sà, *v. Bannitus, n. 1.* Bonacina, *de contract. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. p. 2. n. 2.* Toletus. Diana. Bonacina.

4 Licitus eſt vſus, & ſtatutum, quo præmium promittitur occidenti bannitum; nimirum, vt quicumque ex bannitis alium bannitum occiderit, vitæ libertate, & ſeruitute donetur; vel vt quicumque alius bannitum occiderit, recipiat certam pecuniæ ſummam, vel condonet pœnam vni, vel duobus bannitis, quos ipſe maluerit. Ratio autem eſt, quia aliquando id expedit communi Reipublicæ bono, vt banniti, qui Reipublicę ſunt hoſtes, faciliùs, & commodiùs è medio tollantur Ita Azorius, *p. 3. lib. 2. c. 2. qu. 4.* Filliucius, *tr. 29. p. 2. n. 25.* Clarus, *§. homicidium, verſ. Sed an licebit*, Decianus, *in tr. crimin. lib. 7. c. 30.* Tamen Sotus *de iuſt. lib. 5. q. 1. art. 3.* Bonacina, *de contract. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. p. 2. nu. 3* non admodum probant hunc morem propter periculum damnationis, cui frequenter exponitur bannitus: vnde, ſecundùm Dianam, non eſt facilè hęc facultas concedenda, *p. 5. tract. 4. reſol. 24.*

BAPTISMVS I.

Quid ſit Baptiſmus, & quotuplex, de eius inſtitutione, & neceſſitate.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmus quid. Triplex recenſetur.*
Quale votum ſuſcipiendi Sacramentum requiratur ad Baptiſmum flaminis.
An iuſtificatus ſola contritione abſque Baptiſmo moriens ſi poſtea ad vitam reuocetur, an teneatur ad Baptiſmum ſuſcipiendum?
Et quid dicendum de Cathecumino, qui per martyrium fuit iuſtificatus, ſi poſt mortem reuiuiſcat?

2 *Baptiſmus fluminis an ſit Sacramentum.*

3 *De inſtitutione Baptiſmi.*

4 *Baptiſmus an ſit medium neceſſarium ad ſalutem.*

5 *Baptiſmus neceſſarius eſt, non ſolum neceſſitate medij, ſed etiam præcepti: licet poſſit deferri ab adulto, vel permitti propter imminentem mortem.*

6 *Extra Martyrium infantibus ordinariè eſt neceſſarius Baptiſmus reipſa ſuſceptus.*

7 *Obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum, quando incœperit.*

8 *An in partibus remotis exiſtentes cum inuincibili ignorantia Baptiſmi, & legis Chriſti, ſint damnandi, vel ſal-*

vel saluandi? Refertur duplex sententia.
9 *Tenenda de Baptismo Ioannis.*

1 BAptismus, vox est Græca, & significat ablutionem, siue immersionem in aquam: triplex autem, à Doctoribus Baptismus constituitur. D. Thomas, 3. *part. qu.* 66. *art.* 11. Syluius, *ibid.* Toletus, *lib.* 2. *c.* 18. Bonacina, *de Sacramentis, disp.* 2. *q.* 1. Filliucius, *tr.* 2. *c.* 1. *q.* 1. 2. *&* 5. Layman, *lib.* 5. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 1 *&* 2. Pesantius, 3. *p. q.* 66 *disp.* 6. *Primus* est fluminis, idest, aquæ, qui etiam in duos potest subdistingui, in eum, qui à Ioanne fuit institutus, & eum, qui antonomasticè intelligitur prolato nomini Baptismi. *Secundus* flaminis, idest, pęnitentiæ, & contritionis, quæ quoniam fit impulsu Spiritus Sancti, qui dicitur Flamen; ipsa quoque dicta est flamen. Est autem hic in solis adultis habentibus vsum rationis necdum baptizatis. *Tertius* est sanguinis, idest martyrium; quod hoc nomen sibi vendicat, eò quòd efficiat effectus Baptismi, & Baptismi vices suppleat, de quo docetur, *v. Martyrium.* Differunt autem isti tres Baptismi, *Primò*, ex parte suscipientis; nam flaminis, est adulterum, alij duo etiam sunt communes paruulis. *Secundò*, ex parte effectus, Baptismus enim aquæ imprimit characterem, quem nullus alius Baptismus imprimit, quamuis martyrium det aureolam. Solus Baptismus aquæ est Sacramentum, relinqui non. Præterea Baptismus aquæ, & sanguinis, peccatum cum tota pęna remittit; at flaminis, non nisi iuxta quantitatem doloris, & contritionis pęnam remittit, culpam autem aufert.

Sed cùm in Baptismo flaminis contineatur votum Sacramenti; Petes, quale votum suscipiendi Sacramentum requiratur ad Baptismum flaminis? Respond. cum D. Thoma, 3. *p. q.* 68. *art.* 2. *&* *q.* 69 art. 4. *ad* 2. sufficere ad iustitiam, & gloriam votum implicitum, nempe charitatem Dei super omnia, cum generali proposito seruandi mandata, inter quæ vnum est de suscipiendo Sacramento Baptismi. Hæc enim est sufficiens conuersio hominis in Deum: neque oportet speciatim descendere ad præcepta, quia cùm sint valdè multa, retardaretur hominis iustificatio, etiam post perfectum amorem Dei, quod est inconueniens. D. Thom.

Similiter rogabis, si iustificatus sola contritione absque Baptismo moriatur, si postea ad vitam reuocetur, an teneatur ad Baptismum suscipiendum? Respond. teneri, quia in ipsa contritione habuit votum saltem implicitum, & virtuale illum suscipiendi, quoties commoditas se offerret: quæ obligatio non extinguitur per mortem in eo, qui ex morte ad vitam reuocatur. Idem dicendum de cathecumino, qui per martyrium fuit iustificatus, si post mortem reuiuisceret. Sicut teneretur ad peccata confitenda ille baptizatus, qui martyrium subire cum aliquo peccato, quod inopia confessarij ante martyrium confiteri non potuit. Nam quemadmodum hic teneretur huiusmodi peccatum confiteri, si post lethalia vulnera pro Christo acceptata acquireret copiam confessarij; ita si post mortem iterum ad vitam rediret eùm semper maneat obligatio, quam in voto habuit, seruandi præcepta, cùm primum possit. Hæc pauca modò de Baptismo flaminis, & sãguinis

2 Baptismus flaminis, *est Sacramentum consistens in ablutione corporis exterioris, sub præscripta verborum forma, à Christo instituta ad regenerationem spiritualem*, hæc definitio optima videtur, quia constat genere, & differentia ad modum compositi metaphysici; deinde continet omnes quatuor causas, materialem, formalem, efficientē, & finalem. D. Thomas, 3 *p. q.* 66. *art.* 1. Reginaldus, *lib.* 27. *n.* 3. Nauarrus, *c.* 22. *n.* 5. Henriquez, *lib* 2. *c.* 1. *n.* 9. D. Thom.

3 Baptismus institutus fuit ante Christi Passionem, nō modò quoad designationem materiæ, verùm etiā quoad traditionē formę, & efficaciam; quando *Christus* in Iordane baptizatus fuit à *Ioanne* Matth. 3. *c.* D. Thom. *c. art.* 2. Suarez, *tom.* 3. *disp.* 19. *sect.* 2. Filliucius, *cit. q.* 4. Syluius, *c. ar.* 2. tunc enim indicata fuit materia, id est, aqua; indicata fuit forma; quæ est inuocatio *Sanctissimæ Trinitatis*; nam persona Patris indicata fuit in voce Patris: persona Filij manifestata fuit illis verbis, *hic est filius meus dilectus.* Persona Spiritus sancti indicata fuit per speciem, & figuram columbæ. Per descensum verò columbæ, & cęlorum aperitionem prædemonstratus fuit effectus Baptismi.

4 Baptismus, est medium simpliciter necessarium ad salutem, ad remissionem scilicet peccatorum, & gloriam consequendam: & est de fide confirmatum in Concilijs, Florentino, & Tridentino, Ecclesiæ traditione, & Patrum quibus accedit ratio; quia omnes nascuntur in peccato originali, & filij iræ; indigent ergo aliquo remedio, quo & liberi fiant ab illo, & Christo iungantur; medium autem hoc non aliud est præter Baptismum, vt patet ex illo *Ioannis* tertio: *Nisi quis renatus, &c.* nec minus est necessarius Baptismus filijs infidelium, quàm fidelium, vt definit *Trident. can.* 4. nec obstat, quod parentibus fidelium sit iam remissum originale; per carnalem enim generationem trāsfunditur idem peccatum in filios, vnde etiam hi remedio indigent Conc. Trid. *sess.* 7. *can.* 5. *&* *sess.* 5. *can.* 4. *&* 5. Valentia, *tom.* 4. *disp.* 4. *q.* 3. *p.* 4. Reginaldus, *lib.* 27. *n.* 7. Toletus *lib.* 2. *c.* 21. Suarez, *c. disp.* 27. Vasquez, 3. *p. disp.* 152. *c.* 2. Pesantius, 3. *p. q* 68. *disp.* 1. Valentia. Suarez.

5 In adultis, ad assequendam primam gratiam necessarius est Baptismus in re, vel in voto; ille autem dicitur habere Baptismum in voto, vt dictum est, qui facit aliquid in quo continetur votum, & propositum Baptismi suscipiendi, saltem implicitum, vt qui elicit actum contritionis, aut dilectionis Dei super omnia; idem dicendum est de Martyrio in quo Baptismi votum continetur. Suarez, *c. sect.* 2. *&* *disp.* 31. *sect* 2. D. Thom. 3 *p. q.* 68. *art.* 2 Sylu. *ibid.* Henriq. *lib.* 2. *c.* 3. Filliucius, *tr.* 2. *n.* 122. Suarez

Vnde Baptismus non solùm est necessarius necessitate medij, verùm etiam necessitate præcepti, quod obligat adultos, vt quamprimum, moraliter loquēdo, commodè, & dignè possunt, Baptismum recipiant, vel saltem non multo tempore differant. *Matth.* 28. Reginaldus, *c. n.* 56. Bonacina, *c. p* 2, Coninck, *de Sarament. q.* 68. *art.* 3. *n.* 37. nam adulti differendo Baptismum exponunt se periculo damnationis, hinc pater curare tenetur, vt filij, & domestici quamprimum baptizentur: imò Cathecuminis tenetur sub mortali suscipere Baptismum oblata opportunitate, quāuis sit in gratia constitutus per actum contritionis, quia Baptismus, non solùm necessarius est necessitate medij in voto, verum etiam in re, data opportunitate illius suscipiendi.

Sed petes an propter imminentem mortem liceat adulto differre, aut omninò prætermittere susceptionem Baptismi.

Respondeo licere differre Baptismum propter vitandū eiusmodi periculum; nemo enim per se loquendo, obligatur illum recipere cum tanto vitæ periculo: quia adulto Baptismus in re susceptus, non est medium necessarium ad salutem, sed in voto sufficit. Veruntamen non videtur homo teneri omittere hoc Sacramentum propter periculum mortis, si certò sciat non habiturum postea copiam Baptismi Tum quia hoc non est sibi ipsi mortem inferre, quod est intrinsecè malum, sed mortem ab alio infligi permittere; quod quidem sæpè licitum est ex graui causa; Tū quia per Baptismum homo facilius iustificatur, cùm sæpè valde incertum sit, an habeat contritionem, pręsertim quando de nouo accedit ad fidem. Imò per accidens posset homo teneri Baptismum suscipere, puta si ex Baptismi omissione proueniret graue aliquod incommodum contra Catholicam religionem, vel aliqua infamia. Ratio est, quia maioris momenti est honor fidei nostræ, quà vita vnius, imò & plurium hominum.

6 In infantibus, tempore legis gratiæ sufficienter promulgatæ, secundùm legem ordinariam, est necessarius Baptismus reipsa susceptus extra martyrium; si tamen detur casus, vt aliquis ex priuilegio speciali in vtero matris iustificetur, tenetur sic iustificatus adhuc recipere Baptismū exemplo Apostolorum, & *Beatissimæ Virginis*, qui licet ante Baptismi institutionem receperint gratiam, post Euangelij tamen promulgationem, tenebantur Baptismum suscipere, vt fierent capaces Sacramentorum, quorum ianua est Baptismus, & vt signo characteris distinguerentur ab infidelibus, si antea non fuissent baptizati, D. Thomas, *q.* 68. *art.* 2. *&* *q.* 73. *art.* 3. Syluius, *v. Baptism.* 4. *num.* 1. Henriquez, *c. cap* 5 Filliucius, *tract.* 2. *c.* 6. *q.* 5. Bonacina, *c. n.* 9. & alij.

7 Obligatio suscipiendi Baptismum non statim incepit post prædicationem Baptismi, neque ante Christi mortē, quia

quia ante illam durabat lex vetus ad cuius obligationem, & obſeruantiam tenebantur homines: incępit autem hęc obligatio reſpectu eorum, quibus Baptiſmus fuerat promulgatus poſt Chriſti paſſionem, etiamſi Euangelium nōdum eſſet omnibus promulgatum; quia in morte Chriſti ceſſauit lex vetus, & incępit noua: obligatio verò Baptiſmi generaliter, & quoad omnes, incœpit poſt ſufficientem promulgationem Euangelij factam vniuerſo mundo; quæ promulgatio ſecundùm aliquos facta fuit in die Penteco. ſtes, quo tempore Apoſtoli prædicauerunt varijs linguis omni nationi Iudæorum concurrentium: ſecundum alios verò vniuerſalis obligatio cępit paulò poſt excidium Hieruſalem, quod accidit anno quadrageſimo poſt Chriſti Paſſionem, quo tempore Apoſtoli obierant, & Euangelium toto orbe prædicauerant. Vide Doctores hic citatos Filliucium, *cit. num.* 118. 119. *&* 120. Suarez, *tom.* 3. *disput.* 27. *ſect.* 4. *&* *diſp.* 31. *ſect.* 1. Vaſquez. 3. *part. diſp.* 149. *cap.* 3. Coninck, *q.* 60. *art.* 2. *dub.* 2. Bellarminum, *de Baptiſmo, c.* 5.

Filliucius. Suarez. Vaſquez. Coninch. Bellarm.

8 Quidam putant, illos, qui nunc exiſtunt in partibus remotis cum inuincibili ignorantia Baptiſmi, & legis Chriſti, damnandos eſſe, quia poſt generalem Euangelij promulgationem, non reſtat aliud remedium pro originali præter Baptiſmum in re vel in voto: Alij verò putant ſaluandos eſſe, ſi naturæ legem ſeruauerint: quia credibile eſt Deum ſeruanti legem naturæ, daturum lumen, & ſpeciale auxilium, quo ſe valeat ad ipſum conuertere: hæc ſententia tamquam conformis ſummę pietati, & miſericordiæ diuinæ à Recentioribus quibuſdam Doctoribus tenetur. *Summa Corona, de Baptiſmo, num.* 43. Bonacina, 6. *n.* 15. D. Thomas, 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. *ad* 3.

Boncina. D. Thom.

9 Ex communiore ſententia Doctorum, hęc de Baptiſmo *Ioannis* tenenda ſunt. *Primum*, non fuiſſe Sacramentum præſertim nouæ legis, tum quia non fuit cæremonia permanens, tum quia non fuit inſtitutus ad ſanctificandũ, ſed tantum ad præparandos homines ad Baptiſmum Chriſti. *Secundum*, non habuiſſe vim conferendi gratiam ex opere operato, ſed tantum ex opere operantis; nam ex humilitatis ſigno, cum quadam peccatorum confeſſione in generali, poterant habere contritionem, & iuſtificari. *Tertium*; non impreſſiſſe characterem cùm poſſit iterari, ſicut alij actus pœnitentiæ. *Quartum*, poſt illum neceſſariò percipiendum fuiſſe Baptiſmum Chriſti. *Quintum*, non fuiſſe in præcepto, ſed tantùm in conſilio pro adultis, & durante tantùm prædicationis ipſius *Ioannis* tempore. *Sextum*, fuiſſe inferiorem cæteris omnibus Baptiſmis. Ita D. Thomas, 3. *p. queſt.* 38. Syluius, *ibid.* Bellarminus, *de Baptiſmo. c.* 19 20. 21. *&* 22. Henriquez, *c.* 3. *&* 32. Filliucius, *tract.* 2. *n.* 21. *&* 22. Layman, *lib.* 5 *tract.* 2. *c.* 2. *n.* 3. *&* 4.

D. Thom. Syluius. Bellarm. Henriqi

SVPPLEMENTVM.

Quoad eius nomen, inſtitutionem, & neceſsitatem.

SVMARIVM.

1 *Baptiſmi Sacramentum variis nominibus inſignitur.*
2 *Baptiſmus non fuit inſtitutus Matthei, 28. nec Ioannis 3. Sed Matthai 3. cum a Ioanne baptiZatus in Iordane fuit Chriſtus.*
3 *Inſtitutio Baptiſmi inchoatiuè, & in myſterio facta fuit in Baptiſmo Chriſti.*
4 *Baptiſmus ante Chriſti mortem non aperuit ianuam regni.*
5 *Baptiſmus eſt vnicum Sacramentum in eſſentia, & ſpecie vltima: at verò multiplicatur numericè pro diuerſitate ſubiectorum in quibus recipitur.*
6 *Baptiſmus Chriſti non fuit neceſſarius neceſſitate medii, aut præcepti, ante Chriſti mortem.*

1 INter Sacramenta nouæ legis, primum locum obtinet Baptiſmus; nam eſt veluti ianua quædam, qua in Eccleſiam Dei ingredimur, & mundati à peccatis, in filios Dei regeneramur, hæredes regni inſtituimur, & ius ad reliqua Sacramenta; gratiaſq; ſpirituales acquirimus.

Hoc Sacramentũ Baptiſmi variis nominibus inſignitur; nam *Primo*, vocatur regeneratio: quia quamuis quælibet hominis iuſtificatio, poſſit hoc nomine notari, peculiariter tamen conuenit Baptiſmo, quia per illum fit ſanctificatio ſimpliciter, & abſolutè prima, & funditus deſtruitur peccatum, & ex membro Adæ, fit homo membrum Chriſti, & filius Dei. *Secũdò* ſignaculum, ſeu ſigillũ, propter characterem, quo ſignatur homo, vt ouis Chriſti. *Tertiò* cuſtodia, ſeu præſidium, quia cuſtodit animam in bono conferendo auxiliũ ſpeciale, & comprimendo vires Dæmonis. *Quartò*, Illuminatio ex Apoſtolo ad Hebræos 6 & 10 quia Baptiſmus eſt Sacramẽtum fidei quà illuminantur fideles, & hæc vox frequens eſt apud antiquos Patres. *Quintò*, ſigillum fidei quia in eo fit prima ac ſolemnis fidei profeſſio. *Sextò*, vocatur donum, ſeu gratia, quia cōfert liberaliſſimam culpæ, & pęnæ remiſſionem, primãq; gratiam ſine vllo præcedendi meritò *Septimò*, vnctio, vel ab externa vnctione, quæ in Baptiſmo adhibetur, vel ab interiori vnguento, quo efficimur participes regni, & Sacerdotij Chriſti. *Octauò*, principium, & ianua Sacramẽtorum, quia per illum acquirit homo ius ad cætera Sacramenta recipienda, & fit capax gratiæ Sacramentalis. Vide D. Thomam 3. *part. queſt.* 66. *art.* 1. *ad* 1 & Suarez *ibid.* Syluium *ibid. art.* 1.

D. Thom Suarez. Syluiu.

2 Baptiſmus non fuit inſtitutus Matth. 28. cum Dominus aſcenſurus in cœlum, dixit Apoſtolis, *docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: nec Ioannis 3. cùm dixit Nicodemo, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto.*

Sed Matthæi 3. cum à Ioanne baptizatus fuit in Iordane Probatur prima pars, quia diſcipuli baptizabant Baptiſmo Chriſti initio prædicationis eius, vt patet Ioannis 4. ergo tunc iam inſtitutum erat hoc Sacramentum; quia vſus Sacramenti ſupponit, aut continet inſtitutionem eius. Probatur ſecunda pars, quia Sacramentum eſt cæremonia quædam perpetua, in vtilitatem multorum inſtituta, ergo non debuit inſtitui in priuato colloquio, præſertim nocturno, ſed neceſſaria fuit præſentia aliquorum quibus innoteſceret inſtitutio tanti Sacramenti. Tertia pars eſt, ſententia communis, & ſumitur ex antiquis Patribus, & ex ratione; nam tunc Chriſtus deſignauit materiam Baptiſmatis, & forma ſatis apertè fuit indicata, cùm tota Trinitas peculiariter ibi ſe oſtendit. Itaque D. Hieronymus *in cap.* 3. Matthæi dicit Chriſtum contactu ſuo, tunc aquas ſanctificaſſe, & Theologi communiter dicunt, illo contactu, virtutem regeneratiuam aquis eſſe collatam; quòd, cùm de virtute phyſica intelligi non poſſit, intelligendum eſt, fuiſſe deputationem quandam illius materiæ ad vſum, & effectum Baptiſmi.

3 Inſtitutio Baptiſmi inchoatiuè, & in myſterio facta fuit in Baptiſmo Chriſti; quia ipſe tunc habuit efficacem, voluntatem promulgandi hanc cæremoniam, poſtea autem prò temporis opportunitate, coram Apoſtolis iam collectis, hanc ſuam voluntatem declarauit, fortaſſis eo tempore, quo baptizauit ſanctum Petrum, qui futurus, erat caput Eccleſiæ. Ex his colligere licet, Baptiſmum, non tantùm inſtitutum fuiſſe ante Paſſionem Chriſti, verum etiam habuiſſe eandem formam, & efficaciam, quam poſtea habuit, & nunc habet: nam iam tum erat Sacramentum nouæ legis, & cùm poſtea monuit Apoſtolos Matth. 28. vt baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non mutauit formam priorem, vt quidam putant, ſed præceptum Baptiſmi ſolemniter promulgauit, vt publicè omnibus proponeret ianuam, per quam in Eccleſiam eſſent ingreſſuri, quam oportebat omnibus eſſe notiſsimam.

Dices, Baptiſmus habet efficaciam ex Paſsione Chriſti, ergo ante illam non potuit valere ad ſalutem: vnde, & Ioannis 7. dicitur, *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*. Reſpondeo negando conſequentiam. *Primò* quia Paſsio Chriſti præuiſa promeruit gratiam antiquis Patribus, potuit ergo ſimiliter dare vim, & efficaciam Baptiſmo. *Secundò*, quia Paſſio Chriſti iam erat quodammodo inchoata, quatenus tota Chriſti vita, fuit quaſi quoddam continuum ſacrificium, quod licet in morte fuerit conſummatum, tamen antea habuit infinitum meritum adhunc effectum & ad plures, & maiores alios, ſufficientiſsimum.

4 Baptiſmus ante Chriſti mortem non aperuit ianuam regi;

regni;quo ſenſu dici poteſt, tunc non habuiſſe effectum perfectum in re,ſed in ſpe,vt docet D.Thomas, *3.p qu.69. art.7.ad 2.*tamen hoc non proueniebat ex eo,quod Baptiſmus tunc minorem gratiam daret, aut quæ de ſe minus efficax eſſet,ſed quia Chtiſtus nondum plenè ſatisfecerat, & debitum totius naturæ perſoluerat: & ideò nondum erat ablatum impedimeotum totius naturæ, nec dabatur gratia,quæ ſtatim perduceret ad regnum,ſed ſuo tempore,quæ dilatio non oriebatur ex parte Baptiſmi,ſed aliunde:& ideò dici poteſt non caruiſſe Baptiſmum ſuo proprio & intrinſeco effectu,ſed veluti extrinſeca perfectione ſua Et quoad hoc poteſt dici efficaciam, & inſtitutionem Baptiſmi fuiſſe completam poſt reſurrectionem: Baptiſmus enim ſignificat Chriſti Paſſionem, & Reſurrectionem,vt præteritam,& non vt futuram; vnde antequam Paſſio,& Reſutrectio Chriſti conſummaretur,erat Baptiſmi ſignificatio incompleta:cœpit autem eſſe conſummata,& completa poſt Chriſti mortem.Ita Suarez, *3.p. tom 3. diſp.19. ſect.1.*&alij.

5 Baptiſmus, qui eſt vnum è Sacramentis nouæ legis, eſt vnicum in eſſentia,& ſpecie vltima. Cooclufio eſt cõmunis & certa ex illo Pauli ad Epheſ.4.*Vnus Dominus,vna fides,vnum Baptiſma.* Probari poteſt concluſio ex ſpeciali doctrina,& ratione huius Sacramenti, habet enim vnam formam ſpecificam,quæ omninò neceſſaria eſt, vt hoc Sacramentum conficiatur. Habet etiam eandem materiam remotam,ſcilicet,aquã naturalem,& proximã, ſcilicet ablutionẽ. Illæ enim ablutionum differentiæ accidentales ſunt tam phyſicè, quia omnes fiunt per motũ localem ſolùm accidentaliter diuerſum;quam moraliter,ſeu ſacramentaliter, quia omnes ordinãtur ad eundem finem ablutionis. Deniq;hic Baptiſmus ſẽper ordinatur ad eũdẽ primariũ effectũ ſpiritualis regenerationis,& remiſſionis peccati originalis: vnde eandem ſignificationem habet,& eundẽ characterem in ſpecie imprimit: ergo ſemper idem ſecundùm ſpeciem. At in diuerſis ſubiectis, ſeu hominib. Baptiſmata multiplicantur ſecũdùm numerum,& in ſvnoquoq; habet ſuam numericam vnitatem, quia in diuerſis hominibus neceſſe eſt diuerſas fieri ablutiones.

6 Baptiſmus Chriſti non fuit neceſſarius neceſſitate medij,aut præcepti,ante Chriſti mortem. Probatur quia vſque ad Chriſti mortem lex antiqua vim ſuam retinuit; vt patet, quia Chtiſtus eam ſeruauit vſque ad mortem. Nam pridie quam pateretur, ſeruauit cæremoniam agni Paſchalis:& monebat homines,vt ſeruarent, & facerent, quæ Scribæ, & Phariſei docebant ex cathedra Moyſis. Quare illud Chriſti verbum Ioannis 3 *Niſi qui renatus fuerit, &c.* Non ſignificat ab eo die, quo Dominus cum Nicodemo loquebatur;fuiſſe Baptiſmum neceſſarium;ſed ſignificat neceſſarium futurum fuiſſe in lege noua, poſtquam ceſſarent cęremoniæ legales:vt rectè exponit D. Bernardus,*epiſt.77.ad Hugonem.* Ita Bellarminus, *de Baptiſmo,c.5.*

BAPTISMVS II.

De materia, & forma Baptiſmi.

SVMMARIVM.

1 *Duplex materia Baptiſmi à Thelogis ponitur, proxima ſcilicet,& remota.*
2 *Peccatum eſt mortale vti in Baptiſmo abſque neceſſitate aqua naturali alterata,& fœda.*
3 *Extra neceſſitatem non licet vti in Baptiſmo materia de qua dubitatur an ſit aqua naturalis.Et quare aqua inſtituta ſit pro materia Baptiſmi.*
4 *Materia proxima Baptiſmi quæ? Et an in ablutione requiratur realis contactus, & ſucceſſiuus alicuius partis corporis: Et qualis ablutio ſit materia Baptiſmi,actiua,an paſſiua?*
5 *Quanta pars corporis ſit abluenda, ad validitatem Baptiſmi.*
6 *Infans an poſſit aliquando in vtero matris baptizari.*
7 *An remaneat baptizatus infans, qui à proferente formam in flumen proycitur?* Refertur duplex ſententia.
8 *Babtizari an poſſit infans, alioquin moriturus ſi ex infuſſione aquæ etiam modica, timeatur acceleratio mortis, Et an taliter babtizans ſit irregularis.*
9 *In Baptiſmo conferendo quiſque debet ſequi ritum ſuæ Eccleſiæ.Et quotupliciter fieri poſſit ablutio.*
10 *Forma Baptiſmi in Eccleſiis Occidentalibus.*
11 *Perſona baptizans an debeat exprimi de neceſſitate Sacramenti, vel ſaltem præcepti.*
12 *Actus baptizantis contentus in verbo Baptizo, debet neceſſario exprimi.*
13 *Perſonam, quæ baptizatur,neceſſe eſt in forma Baptiſmi exprimere.*
14 *Vnitas diuina eſſentiæ eſt exprimenda in forma Baptiſmi, cum dicitur,* In nomine.
15 *Explicita inuocatio Santiſſimæ Trinitatis ad valorẽ Baptiſmi,an neceſſaria ſit,an vero implicita ſufficiat:* Fuit olim duplex ſententia.
16 *Subſtantialis mutatio in verbis formæ an reddat Batiſmum inualidum.*
17 *Varii modi baptizandi quibus fit ſubſtantialis mutatio & inualidus Baptiſmus. Et an verba poſſint suppleri ſignis, quando puer eſſet moriturus,& ſolus adeſſet mutus.*
18 *Quando mutatio eſt ſolummodo accidentalis ſubſiſtit Baptiſmus.*
19 *Poſſunt plures unica aſperſione baptizari: dicẽdo: Ego vos baptizo in nomine Patris &c.*
20 *Quando duo poſſint ſimul vnum baptizare. Et quid dicendum quando mutus.& orbatus manibus concurrunt, ille abluendo, alter vero verba proferendo.*
21 *Error perſonæ baptizati, an reddat Baptiſmum inualidum.*

1 Materia Baptiſmi duplex eſt, proxima ſcilicet, & remota. Materia remota eſt, aqua naturalis ut patet ex definitione Concilij Tridentini *ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſm.* Suarez,*3.part.diſp.20.ſect.1.*Henriquez *lib.2.c. 6.n.2.*Reginaldus *lib.27 num.11.*Poſſeuinus *de Baptiſm. num.2.& 3.* Layman *lib. 5. tract. 2. c.3. num.1* Filliucius *tract.2.cap.2.*huic grauiter peccant nec ualide baptizant, qui aliam adhibent aquam præter naturalem, ut ſi adhibeatur cereuiſia, ſudor, lac, urina, lacrymæ, ſputum, ſeu ſaliua, aqua roſacea, aqua diſtillata, uel à uitro profluẽs, aut alius liquor artificialis ſpecie differens ab aqua naturali. Va ide autẽ baptizaret, qui uteretur aqua maris, putei,footis,pluuiæ,balnei; etiãmſi ex ſulſure, aut cinere defluat:hæc enim uidetur aqua naturalis ſiue calida ſit ſiue frigida, ſiue tincta colore, ſiue denſa, item aqua naturalis eſt, quæ profluit à niue, aut à gelu, aut à ſale: ſal enim fit ex aqua natutali ſalſa,& differt tantummodò accidentaliter ab aqua naturali ſecundum aliquos: licet probabile etiam ſit, quod talis aqua non ſit materia ſufficiens: quamuis enim ſal efficiatur ex aqua ſalſa, non tamen hinc licet inferre, quod ita maneat in ipſo aqua, ut quando reſoluitur, in ipſam teſoluatur: ſed potius uidetur quoddam mixtum ex aliquo ſpeciali ſucco concertũ quale eſt ſaccarum,ut bene aduertit Paſqualigus *in deciſ. Moral. deciſ. 76 n.3.* Porrò ualide cooficitur Baptiſmus in qualibet aqua naturali, etiamſi fortè inter aquas naturalas ſecundum multos Doctores detur aliqua ſpecifica differentia: Tamen qui uteretur aqua naturali, quæ ita alterata, & mixta eſſet cum alio corpore, aut liquore,ut amplius non ſit apta ad abluendum, ualidè noo baptizaret. Angles *quæſt. 1. art.2.c.3.4.*Bonacina *c.part.3.num.6.* unde brodium,aut lixiuium bene decoctum, aut lutum, aut uinum modica mixtum aqua, aut alia, quæ ita admixta ſunt ut amplius oequeant aqua denominari, non poſſunt inſeruire pro materia Baptiſmi. Quamuis nõnulli admittant lixiuium tanquam materiam ſufficientem ad Baptiſmũ;quia in lixiuio manet ſubſtantia aquę, quę tantum alteratur ex eo, quod eum cinere concoquitur, vnde talis alteratio non eſt deſtructiua aquæ quatenus ordinatur ad ablutionem, ſed perfectiua quia redditur magis apta ad abluendum: & propter eandem rationem idem docent de cæteris quoque aquis, quæ per infuſionem herbarum, aut florum alterantur, vt ſint magis aptæ ad lauandum. Proinde, ſecundùm illos, ſi quis

Conc. Tri. Suarez. Henriq. Reginald. Layman. Angles. Bonacina

quis baptizaret in lixiuio, aut huiusmodi aquis, quando Baptismus est priuatus, non peccaret, saltem mortaliter? quia materia esset apta; nec etiam per consuetudinem est prohibita: quia consuetudo Ecclesiæ adhibendi aquam consecratam, pertinet tantùm ad Baptismum publicum. Pro hac sententia citatur D. Thomas *3. q. 66. art. 4. ad. 5.* Coninck *ibid. dub. 1. n. 22.* De la Crux *in direct. p. 2. quæst. 1. dub. 1. concl. 2.* Sylu. *v. Bapt. 2. n. 3.* Glacies autem, grando, nix nisi priùs liquefiant, & in aquam redeant, & resoluantur, non sunt apta materia, quia non sunt idonea ad abluendum ex D. Thoma *3. p. q. 66. art. 4.* Reginald. *c. num.* 12. Rodrig. *c. 25. n. 1.* & aliis. Vult. autem hæc sententia, quòd resoluantur, dum adhuc subsunt manibus baptizantis, vel applicationi, antequam recipiantur in corpore baptizandi; non est tamen improbabilis sententia asserens Baptismum saluari posse in ablutione passiua; & sic si glacies, grando, nix resoluantur, dum tangunt corpus baptizandi, adiuncta formâ consueta, validus, erit Baptismus. Vide Dianam *part. 5. tract. 3. resol. 3. in fine*, vbi vtramque sententiam probabilem putat.

D. Thom. Coninch. De la Crux Syluest. D. Thō m. Reginald. Rodrig. Dianā.

2 Quin Baptismo vtitur aqua naturali alterata, & fœda, absque necessitate, quamuis adhuc simpliciter sit aqua & talis denominetur, peccat peccato sacrilegij; quia fecit contra reuerentiam. Sacramento debitam: idem dicendum de illo qui præcisà necessitate baptizat in aliquo brodio parum decocto: nec simpliciter licet ministro adhibere quamlibet aquam naturalem veram, & puram, seclusa necessitate iusta, sed illa aqua adhibenda est, quæ præscribitur ab Ecclesia, qualis est, aqua sacrorum fontium: quia consuetudo, & præcepta seruanda sunt. Toletus *lib. 2, c. 18. num. 5.* Coninck *q. 66. art. 4. dub. 1. n. 22.* Reginaldus *c. num.* 13.

Toletus. Coninch. Reginald.

3 Non licet vti in conferendo Baptismo, præcisa necessitate, materia, de qua dubitatur, an sit aqua naturalis, & materia apta Baptismi. Posseuinus *de Baptismo? numero 5.* Reginaldus *cit. n.* 13 Henriquez *cap. 9. n. 5 & cap. 6. num. 2.* Coninck *cit.* Sà *verb. Bapt. numero tertio*, Viualdus *de Baptismo, cap. 5. num. 23.* Pasqualigus *in decis. Moral decis. 81.* quia adest periculum faciendi Sacramētum irritum, & inualidum; in necessitatte verò licitum est, quando non adest aqua naturalis, & certa, nam meliùs est aliquem baptizari cum materia, de qua dubium est, an sit apta, & sufficiens ad Baptismum, quam nullo modo baptizari; nam fieri potest vt sit vera materia, & consequenter sit verus Baptismus, & consequenter baptizatus saluetur; tamen hoc modo baptizatus, rebaptizandus est sub conditione cum materia solita, & consueta, si superuiuat; quia adest iusta, & sufficiens causa ob quam licet iterum conferre Baptismum sub conditione, cùm fieri possit vt præcedens sit inualidus. Ratio autem cur aqua instituta sit pro materia Baptismi, assignari potest, quia hęc optimè significat effectum Baptismi, qui est ablutio, & quia Baptismus est Sacramentum maximæ necessitatis, par fuit vt ei assignaretur materia omnibus peruia. *Catechismus Romanus de Baptismo.*

Posseuinus Reginald. Henriq. Coninch. Sa. Viuald. Pasqualig.

Verùm ex dictis est adnotandum, aliquos Doctores recentiores docere, in necessitate, moribundo, deficiente aqua naturali, esse adhibendum Baptismum cum aqua rosacea, vel ex aliis herbis expressa: item cum glacie, sale, rore, vel niue, quamuis resoluta non sint; sub conditione tamen exteriùs, vel mentaliter apposita, si materia hęc est idonea, quia extrema necessitas excusat irreuerentiam, quæ aliàs fieret conficiendo Sacramentum sub conditione. Ita Puteanus *3. part. q. 66. art. 4. dub. 1. num. 5.* Præpositus *ibid. n. 22.* Tannerus *tom 4. disp. 4. q. 1. dub. 2. n. 41.* Hurtadus *tract. de Babt. disp. 1. diffic. 2.*

puteaneus, præposit. Tannerus Hurtadus,

Probatur hæc sententia: quia licèt Concilia, ad validitatem Baptismi, requirant aquam naturalem, non tamen Ecclesia definiuit, quòd alia aqua in nullo alio casu sufficiat ad validitatem Baptismi. Et cum Baptismus sit Sacramentum maximæ necessitatis, potest sub conditione conferri in materia dubia, deficiente indubitata: quia fieri potest vt per remedium dubium succurratur proximo: & nulla fit iniuria Sacramento: & charitas obligat vt adhibeatur omne medium.

4 Materia proxima Baptismi, est ipsa ablutio, vt docent omnes Theologi. Suarez *disp. 20. sect. 1.* Layman *c. num. 1.* Reginaldus *c. num.* 14. Filliucius *c. num.* 30. hæc autem, ablutio, siue fiat immersione, vel infusione, siue aspersione, quantum est ex se, sufficit ad valorem, & essentiam Baptismi, vt constat ex vsu Ecclesiæ, quæ omnibus dictis modis visa est baptizare. In praxi tamen secluso casu necessitatis, vt ablutio licitè fiat, seruandus est modus in vnaquaque Ecclesia pro tempore præscriptus, & vsitatus. Ratio uerò, cur ablutio sit proxima Baptismi materia, est quia hoc Sacramentum non est res permanens, sed consistit in vsu, atque adeò non aqua vt sic & manens quieta, sed vt in vsu est posita, & consequenter vt per eam aliquid abluitur, erit proxima materia: ablutio uerò in eo consistit, ut realiter applicetur ei qui baptizandus est, physicèque illum contingat: imò secundùm Suarez, ad ablutionem requiritur quædam successiua effusio partium aquæ ad partes corporis, & motus aliquis localis vel aquæ per corpus, vel corporis sub intrantis aquam, pro ut naturaliter fieri solet: Requiritur ergo ex communi Doctorum sententia realis contractus, & successiuus alicuius partis corporis. D. Thomas *q. 68 art. 11.* Henriquez *de Bapt. c. 7.* Coninck *q. 66. art. 4. dub. 1. n° 29. & dub. 2. num. 29.* Syluius *3. p. q. 66. art. 7.* quia alioquin non posset dici verè, & propriè homo ablutus; vnde si quis inclusus corio, vtre, aut infaos, pellicula suæ generationis, quam dicunt secundinam, tantum abluatur secundùm id in quo continetur, non autem re vera pars aliqua corporis abluatur aqua, secundùm communem sententiam, non erit baptizatus quamuis contra senserit Aureolus apud Syluest. *v. Bapt. 4. n. 2* Præpositus *infra n. 5.*

Suarez. Layman. Reginald. Filliucius. D. Thom. Henriq. Coninch. Syluius.

Sed petes, qualis ablutio sit materia Baptismi actiua, an passiua? Resp. esse vtramque. Nam vt procedit à certo ministro cum debita intentione, est actio, vt autem recipitur ab eo qui est capax Sacramenti, dicitur passio. Vnde patet responsio ad illam quæstionem, vtrum cùm plures simul baptizantur, sit vnum Sacramentum, an plura? Dicendum est enim esse plura: nam, & plures sunt passiones, id est, receptiones aquæ & quamuis actio remota, nempe motio brachij sit vna, proximè tamen sunt plures actiones, videlicet aspersiones, vt procedunt à ministro.

Syluest. præposit.

5 Ad validitatem Baptismi, illa corporis pars abluenda est, quà abluta verum sit dicere, hominem ablutum, secundùm moralem existimationem Bonacina *c. p. 3. n. 20* Toletus *lib. 2. c. 18.* Filliucius *c. n. 32.* Vasquez *disp 145 n. 31.* Victoria *de Sacr. q. 31.* Nauarrus *consil 2. de Baptismo*, quare nec totum corpus necessariò abluēdum est, nec minima quælibet eius pars sufficeret, vt digitus: neque enim ex hoc diceretur homo simpliciter ablutus; ex quo infertur, si capilli sufficienter abluantur, ita vt dicatur homo moraliter capite ablutus, satis erit secundùm probabilem sententiam, etiam si ablutio non pertingat ad carnem; in praxi tamen obseruandum est, vt securior pars eligatur; vnde caput certissima pars est, quia in eo vigent omnes sensus; scapulæ pectus humeri, satis certa; pes vel manus imminente mortis periculo; etiam satis est, licet si euaserit, admonentur Parochi vt rebaptizent sub conditione, licet probabile sit non esse necessarium: idem dicendum, & multò magis de brachio, & tibia, vt ait Layman *c. n. 3.* Imò in necessitate posset etiam inuolutus secundinis baptizari secundùm Præpositum *3. p. quæst. 66. art. 8. dub. 3. n. 90.* Dianam *p 5. tract. 3. res. 4.* Marcum Vidal. *in arca vitali de Bapt. inquisit. 1. n. 11.* quia huiusmodi pellis, & tegumentum censetur pars hominis, & eà abluta, homo censetur ablui. Ita Præpositus citatus, quamuis postea sit sub conditione rebaptizandus, si periculum euadat: & secundùm hanc sententiam si puer sic baptizatus, illicò moriatur, in Ecclesia sepeliendus esset; nam cum pro validitate Baptismi adsit saltem opinio probabilis, non est cur dictus infans debeat carere sepultura Ecclesiastica Vt docent Vasquez *tom. 3. disp. 145. n 31.* Diana *part. 5. tract. 3. resol. 112.*

Bonacina. Toletus. Filliucius V. Soria Nauar. Layman. Præposit. Diana. Marc Vid. Vasquez. Diana.

6 Regulariter non potest baptizari infans in vtero matris existens, cùm ablui non possit: tamen quando periculum est, ne prodeat in lucem baptizandus est eo modo quo baptizari potest, si fortè aqua sic sanguini possit, vt perueniat ad infantem; licet propter incertitudinem, rebaptizādus sit sub conditione, si in lucem edatur viuus. Quod & obseruandum est, quoties Baptismus in periculo mortis confer-

confertur ex opinione probabili, vel in materia dubia; niſi enim moraliter conſtet de valore Baptiſmi, alia Sacramenta ſacrilegè recipientur: igitur ad hæc ſacrilegia impedienda homo tenetur Baptiſmum iteratò ſub conditione recipere. Reginaldus *c.n.*16. Toletus c.*n.*10. Filliucius *c.n.*33. Bonacina *c.n.*25.

Reginald. Toletus. Filliucius. Bonacina.

7 Quamuis non ſint facienda mala, vt eueniant bona, & quiſque debeat prius conſulere animæ ſuæ, quàm alienæ, tamen, ſi quis infantem incipientem mori, & quia non adeſt aqua quà poſſit baptizari, proiiciat in flumen, aut in puteum, proferendo formam Baptiſmi, probabile eſt validum eſſe Baptiſmum, quia adſunt omnia requiſita ad Baptiſmum, & infans talis poteſt vere dici ablutus; Baptiſmus enim non ordinatur ad vitam corporis, ſed ad vitam animæ, ergo quamuis ſequatur mors corporis, nihilominus ſaluari poteſt vita animæ. Vaſquez *diſp.*145.*c.*3.*num.*19. Diana *part.*5.*tract.*3.*reſol.*14. Suarez *diſp.* 20. *ſect.*3. Valentia *tom.*4. *diſp.*4. *q.*1.*p.*2. Reginaldus c.*n.*21. & 22. Layman *c.n.*5. Multi tamen Doctores, talè Baptiſmum negant eſſe validum, eò quòd Baptiſmus ſignificet mortem & reſurrectionem Chriſti, ſed quando infans ſubmergitur, non ſignificat reſurrectionem Chriſti, ergo Et huius ſententiæ ſunt Henriquez c.*cap.*7. n.3. Toletus c.*n.*9. Tabiena, Sylu. Angelus *v. Baptiſm.* Viualdus *de Bapt.*c.5.*n.*6. Syluius 3.*p.q.*66.*art.*7. & alii, quorum ſententia improbabilis non eſt, & fundamentum huius ſententiæ eſt, ad Baptiſmum neceſſariò requiri non tantùm Immerſionem, ſed etiam emerſionem. Quod attinet ad praxim, in hoc caſu poſſet infans, vel fune in ciſtella ſuſpendi; & ſic in aquam mitti & extrahi, vel veſtes, aut ſpongia in aquā demitti, & expreſſione deinde baptizari: ſi autem neque funis, neque aliud quid adeſſet, nullo modo deberet proiici, quia eſſet peccatum mortale, & contraheretur irregularitas. Filliucius c *n.*41. Bonac. c.*n.*28.

Vaſquez. Diana. Suarez. Valentia. Reginald. Layman.

Henriquez. Toletus. Tabiena. Syluest. Angelus. Viualdus. Syluius.

Filliucius Bonacina.

8 Si infanti probabiliter alioquin morituro, timeatur acceleratio mortis ex infuſione aquæ etiam modicæ, poteſt tunc ac debet exigua corporalis vitæ vſura negligi, maioris ſpiritualis iacturæ cauendæ cauſa quandoquidem hoc caſu acceleratio mortis per accidens euenit ex aquæ effuſione, quippe quæ per ſe ac directè ad abluendum tendit, non ad occidendum Suarez *c.diſp.*20.*ſect.*3 Vaſquez *d.*145.*c.*3. Coninck *q.*66.*art.*7. *diſp.*1, n.76. Layman *c.n.*5. Ita etiam præter citatos Diana *p.*5.*tract.*3.*reſol.*8. Vnde in hoc caſu baptizans cauſando mortem baptizandi, uel ipſam accelerando, non fit irregularis; quia non interuenit intentio occidendi, hinc ſi adhibeatur debita diligentia, nulla interuenit culpa, atq; adeo nec irregularitas; baptizatio enim eſt actio debita ex præcepto charitatis, quando autem quis facit id, ad quod obligatur non contrahit irregularitatem ex delicto: etiamſi inde ſequatur mors ex *cap. cum homo*, 23. *qu.*5.

Layman. Suarez. Vaſquez. Coninck. Layman.

9 Tripliciter fieri poteſt ablutio in Baptiſmo Concil: Tolet. 4.*cap.*5. *Cod. de Trina, de conſ. diſt.*4. D.Thom. *q.* 66.*art.*7 & 8. Syluius *ibid.* Filliucius *tract.*2.*cap.*2.*qu.*8. Layman *c.n.*4. *Primò*, per immerſionem. *Secundo*, per infuſionem. *Tertiò* per aſperſionem, immerſio, omnium ſententia ſufficit, non eſt tamen neceſſaria trina immerſio, vnde validus eſſet Baptiſmus, ſi puer, aut Sacerdos moriatur poſt primam merſionem, prolatis verbis formę Sufficit etiā infuſio, vel aſperſio, ex Eccleſiæ cōſuetudine, quæ ſaltem in neceſſitate, illum modum ſemper adhibuit & exemplo Apoſtolorū *Act.*2 qui vna die tria millia baptizarunt, non niſi aſperſione. Omniū tamen harū ablutionū optima eſt immerſio, deìde infuſio, tertiò aſperſio.

Conc. Trid. D. Thom. Syluius. Filliucius. Layman.

Sed circa aſperſionem eſt notandum, quòd dum S. Petrus in diebus Pentecoſtes plura millia baptizauit, non baptizaſſe ſimili modo, quo nos populum nunc aqua aſpergimus benedicta, quia ſi tali aſperſione multitudinis vſus fuiſſet, quali nos, potuiſſet nullitas contingere Sacramēti reſpectu aliquorum, quos vel aqua non attingeret, vel certè ſolas veſtes tingeret. Proinde credendum eſt, quod ſingulos baptizarit ſigillatim, vel paucos ſimul, quamuis per aſperſionem. A miniſtro tamen, qui ex officio miniſtrat Sacramentum Baptiſmi, ſeruanda eſt conſuetudo ſuæ Eccleſiæ, & ſecundùm D. Thom. grauiter peccat baptizans, non ſeruato ſuæ Eccleſiæ ritu, niſi iuſta cauſa excuſetur. Reginaldus *c.n.*19. Coninck *c.n.*48.

Reginald. Coninck.

Quænam autem quantitas aquæ requiratur ad Baptiſmum, dicendum videtur ſufficere illam quantitatem, quę ſufficit ad abluendam corporis partem, quā abluta poſſit homo dici ablutus, ſed ad hoc ſufficit parua quātitas aquę cùm ea quantitas poſſit ſucceſſiuè applicari: Suarez *diſp.* 20.*ſect.*2. Filliucius c *n.*34. Notandum tamen eſt non fore validum Baptiſmum, ſecùdùm probabiliorem ſententiam Valent. *c.* Viuald. *c.cap.*2.*n.*4. Poſſeuin. *c. n.*7 & aliorum quando quis vna vel duabus vel tribus aquę guttis aſpergitur, prçſertim ſi guttæ perſiſtant, & non fluant per corpus, quia vt dictum eſt, ad Baptiſmum requiritur contractus ſucceſſiuus, & tanta quantitas aquę, quā poſſit homo denominari ablutus. Quamuis contrarium ſentiant Vaſquez *d.*245.*n.*32.*c.*4. Diana *p.*5.*tract.* 3.*reſol.*5. & *pa* 3.*tr.* 4. *reſol.* 5. in neceſſitate non improbabiliter. Ratio eſt, quia vt ſaluetur vera materia Sacramenti, ſufficit vera ablutio facta per aquā; vt autem ſaluetur vera ablutio, ſufficit ſi ſaluetur id, in quo formaliter conſiſtit, in eo autem formaliter conſiſtit, quòd aqua tangat corpus, & fluat per ipſum; parua autem guttula poteſt tangere corpus, & fluere per ipſum, atque adeo præſtare effectum formalem ablutionis, ergo. Et huic ſententiæ ſubſcribit etiam Fernand. *p.* 3. *exam.c.* 2. *de Baptiſm.* §. 3. *n.* 6. quatenus docet Baptiſmum poſſe fieri per aſperſionem, ita vt gutta tangat baptizatum. Imò in neceſſitate ad Baptiſmum ſufficeret digitis in aqua intinctis ſignare, aut tergere infantem, quia tunc ſaluatur vera ablutio facta per aquam, nam cùm digitus ſecum deferat aquam: & ducatur ſupra baptizandum, aqua nedum ipſum tangit, ſed etiam trahitur ſupra corpus baptizandi; vnde fluit ſuper ipſum, atque adeò ſaluatur vera ablutio.

Suarez. Filliucius.

Valentia. Viuald. Poſſeu.

Vaſquez. Diana.

Fernandez.

10 Forma Baptiſmi in Eccleſiis Occidentalibus cōſueta hęc eſt. *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.* Sumitur hęc forma ex verbis apud S. Mattheum *c.* 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, hanc tradit Concil. Florentinū in decreto Eugenii: & Conc. Flor. & Trid. *ſeſſ.* 7. *c.*3. D. Thomas *q.*66. *art.*5. Suarez *tom.*3. *diſp.*21. *ſect.*1. Quatuor autem in hac forma cōtinentur. *Primò*, perſona baptizantis. *Secūdo*, actus ipſius. *Tertio*, perſona baptizanda. *Quartò*, Inuocatio Trinitatis, D. Thomas *q.* 66. *art.* 5. Suarez *tom.* 3. *diſp.* 21. *ſect.* 1.

Conc. Flor. & Trid. D. Thom. Suarez.

D. Thom. Suarez.

11 Circa quæ nonnulla ſunt aduertenda: & quoad primum dicendum eſt, perſona baptizantem vel miniſtrum, non debere neceſſariò exprimi in hac forma de neceſſitate Sacramenti, vt patet expreſſè ex Cōcilio Florentino, & exemplo formę Græcanę, quę ſufficiens cenſetur, & tamē in ea non exprimitur miniſter. De præcepto autem Eccleſię debet exprimi, & qui ſciēter omitteret, peccaret, & quidem priuatim, ſecluſo ſcandalo, tantùm venialiter, publicè & ſolemniter, etiam mortaliter, Valentia *tom.*4. *diſp.*4. *q.*1. *par.*3. Henriquez *lib.* 2. *c.*8. *n.*3. Rainald. *lib.*25. *n.*24. Filliucius *tract.* 2. *n.*48. & 49. Syluius 3. *p. q.* 66. *art.*5. *c.*1. & alii.

Valentia. Henriq. Reginald. Filliucius. Syluius.

12. Actus baptizantis cōtentus in verbo *baptizo*, debet neceſſariò exprimi in forma, idq; triplici de cauſa. *Prima*, vt inuocatio Trinitatis ipſi actui baptizandi applicetur, & ita determinetur ad ſacramentalem vſum. *Secunda*, vt per formā ſignificetur effectus Sacramenti, mediante actione miniſtri, hoc eſt ablutione, vt proxima materia, *Tertia*, vt ſignificatio formę ſit clarior. Verùm actio quæ exercetur circa eum qui baptizatur, poteſt exprimi per verbum ęquiualens verbo *baptizo*, vnde valeret Baptiſmus ſi quis diceret: *Ego te mergo, aſpergo, infundo*, &c. Graſſis 2.*part.l.* 1.c.3 *n.*21. Viualdus c.3.*n.*10. Vaſquez 3.*p.diſp.*142.*c.*2. D. Thomas *q.* 66. *art.* 5. *ad* 2. Toletus *lib.* 2. c.19.*num.*7. Syluius *c.concl.*2.

Graſſis. Viuald. Vaſquez. D. Tom. Toletus Syluius.

13 In forma Baptiſmi, exprimenda eſt etiam perſona quę baptizatur, ſiue dicatur baptizo te, ſiue baptizo hunc, ſiue baptizo laicum, ſiue tu baptizaris à me, &c. quia alioquin actus baptizandi practicè non ſignificaretur vt hic, & nūc exercitus; quia non indicaretur diſtinctio baptizantis & baptizati. Vt docet Syluius *concl.* 3. ex D. Thom. c. *ad* 1. Layman c. *cap.* 4. *n.* 2. Rodriguez *c.* 25. *n.* 1. Reginaldus *c. num.* 25.

Syluius. D. Thom. Layman. Rodrig. Reginald.

14 Vnitas diuinæ eſſentiæ, etiam exprimenda eſt in forma Baptiſmi, cùm dicitur, *in nomine*, hoc enim verbum oſtendit vnitatem eſſentię; vnde ſi quis baptizando diceret,

ceret, *Ego te baptizo in nominibus Patris*, &c. aut in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus ſancti, ſecũdum multos Doctores inualide baptizaret, quia dicendo ſic, non oſtenditur vnitas diuinæ eſſentiæ, vt ſentiunt Suar. *diſp.* 21. *ſect.* 3. Regin. *c.n.* 30. Graffiis *c.n.* 26. Sylu. *c. concl.* 4. & allij contra Henriq. *c.* 8. *n.* 2. Coninch *q.* 66. *art.* 5. *n.* 58. Si tamen loco illius verbi *In nomine*, dicatur in uirtute, dubium eſt, an ſit validus Baptiſmus, cum virtus non tot cõprebendat, quot nomen, nomen enim ſignificat virtutem, & inuocationem, multò magis inualidus foret Baptiſmus, ſi loco particulæ, *in nomine*, dicatur, baptizo te, cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu ſancto, aut in verbo Patris Filij, &c. quia non exprimeretur vnitas diuinæ eſſentiæ. Porrò quoties accidit ſubſtantialis mutatio, ſeu defectus in forma Baptiſmi, inualidus eſt. Toletus *c.n.* 7. Sayrus *de Sacram. lib.* 1. *c.* 4. *art.* 3.

Reginald. Graffiis. Sylnius. Henriq. Coninch.

Toletus. Sayrus.

15 An autem ad eſſentiam, & valorem Baptiſmi, neceſſaria ſit explicita inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, an vero implicita ſufficiat, fuit olim duplex ſententia *Prima* ait, ſatis eſſe implicitam in Chriſto, vel à qualibet alia diuina perſona: quia ex Actis Apoſtolicis conſtat Baptiſmum fuiſſe collatum in nomine Chriſti. Ita Nicolaus Papa *in c. A quodam de conſ. diſt.* 4. Beda apud Suarez *c. ſect.* 3. & alij; Secunda ſententia eſt, exprimendas eſſe tres perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, & hæc eſt communior, & probabilior videtur, auctoritate ſcripturæ, & ratione, Eccleſięq; traditione, quia licet probabile ſit initio naſcẽtis Eccleſiæ, adminiſtratum fuiſſe Baptiſmum in nomine Chriſti, ſaltem ante Paſſionem, aut Aſcentionem Chriſti, hoc tamen factũ fuit ex diſpenſatione Chriſti ad tempus conceſſa, ſed nobis nunquam permiſſa, eo quod ceſſauerit cauſa baptizandi hoc modo, vt ſcilicet nomen Chriſti fidelibus amabile redderetur, quod inuiſum, & odioſum erat Iudæis. Probabilius tamen videtur numquam adminiſtratum fuiſſe Baptiſmum, in nomine Chriſti tantum, quod autem in Actis legimus Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti; intelligi oportet, Baptiſmo ipſius Chriſti auctoritate inſtituto, uel in forma Baptiſmi poſitum fuiſſe nomen *Ieſu Chriſti*, loco ipſius particulæ *filij*, ut nomen Chriſti redderetur amabilius apud Iudæos, quibus odioſum erat D. Thomas *q.* 66. *art.* 6. Valquez *diſp.* 143 *c.* 3. & 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *c.* 4. Filliucius *tr.* 2. *c.* 3. *q.* 6. & 8. Bonac. *to.* 1. *diſp.* 2. *q.* 2. *p* 4. *num.* 6. 7. & 8. Coninh *c.n.* 62 Henriq. *lib* 2. *c.* 10. Syluius 3. *p. q.* 66. *art.* 6.

Nicol. Pap. Beda,

D. Thom. Vaſquez, Laman. Filiutius. Bonacina. Coninh, Henriq. Syluius,

16 Subſtantialis mutatio in uerbis formæ, ſecundum omnes, reddit Sacramentum baptiſmi inualidum, ut ſi aſſumantur uerba importantia ſenſu diſtinctum a ſenſu, qui continetur ſub uerbis formæ, ſi ueru mutatio ſit tantum accidentalis, baptiſmus ualidus eſt, unde ſi quis baptizaret in nomine *Genitoris, Geniti, & ſpirati*, inualide baptizaret, ſecundum probabiliorem ſententiam Diui Thomæ, & aliorum, quia Chriſtus uidetur inſtituiſſe, ut baptiſmus ſub his nominibus relatiuis, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, adminiſtretur. *Secundo* inualidus eſt Baptiſmus collatus in nomine *Beatæ Virginis*, aut Sanctorum, ſi baptizans intendat conferre Baptiſmũ in uirtute *Beatæ Virginis*, aut Sanctorum, nam adeſt mutatio ſubſtantialis in uerbis formæ, cum errore contrario ſignificationi uerborum, ſi uero intendat conferre Baptiſmum per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis, aut Sanctorum, validè baptizaret: quia ſenſus formæ non mutatur ſubſtantialiter. Ita Toletus *lib.* 2. *c.* 19. *n.* 7. & 4. D. Thom *c. art.* 5. Suarez *c. ſect* 4 Rodriguez *c.* 25. *n.* 1. Henriq. *c c.* 9. *C. Si non de conſecrat. diſp.* 4. Suarez *diſp.* 21. *ſect.* 4. Henriquez *c. c.* 8. *n.* 2 Layman *c. c.* 4. *n.* 6. Diana *tr.* 1 *Miſcell. reſol* 48. *p.* 2.

D. Thom. Suarez. Rodrig. Henriq. Suarez. Layman. Diana. Henriquez

17 Tertio inualidus eſt Baptiſmus, ſi puer moriatur, nondum finita forma Baptiſmi, unde non eſt ſepeliendus in loco ſacro. Henriq. *lib.* 2. *c.* 11. Similiter inualidus eſt Baptiſmus, quem quis ſibi confert, dicendo: *Ego me baptizo*: quia mutatur ſenſus formæ, poſſent tamen duo ſe inuicem baptizare tempore neceſſitatis, dicendo, *Ego te baptizo*: &c. ſic enim uerificaretur furma. Toletus *lib.* 2. *c.* 20. *n* 1. Victoria *de Bapt. concl.* 18. Henriquez *lib.* 1. *c.* 26. *num.* 7. Item inualidus eſt Baptiſmus, quando duo concurrunt ad baptizandũ unum & eundem, & unus abluit, alter uero formam profert: quia mutatur ſenſus formæ, & forma efficitur falſa. nam uere non baptizat Chriſtus enim inſtituit, ut ab eodẽ fiat ablutio & prolatio formæ, ut patet ex uſu, & conſuetudine. D. Thomas *q.* 67. *art.* 6. Vaſq. *ibid diſp.* 148. *c.* 4. Reginaldus *cit. num.* 43. A fortiori inualidus eſt etiã Baptiſmus, quando unus incipit formam Baptiſmi, & alter eam perficit. Suar. *c. d.* 23. *ſect* 3.

Toletus. Victoria Henriquez

D. Thom. Vaſquez. Reginald

Sed inquires, an verba poſſint ſuppleri ſignis, v. g. quãdo puer eſſet moriturus, & ſolus adeſſet mutus, Reſp. nullo modo fieri poſſe. Ratio eſt, quia Baptiſmus eſt Sacramentum fidei, & quædam profeſſio religionis Chriſtianæ: fidei autem, & religionis profeſſio, verbis fieri ſolet, iuxta illud Apoſtoli ad Romanos 10 *Ore confeſſio fit ad ſalutem* Neque refert, quod Sacramentum matrimonij, & confeſſio ſacramentalis nõ exigant neceſſario verba, quia Chriſtus tantum præcepit, vt peccata noſtra quocumque modo explicaremus: Matrimonium autẽ eſt contractus quidam, qui tantum requirit conſenſum aliquo ſigno externo expreſſum

18 Mutatio accidentalis eſt *Primò*, ac proinde validè baptizat, qui vtitur forma Græcorum, dicendo, *Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris*, &c. aut dicendo, *baptizatus tu* vel *baptizetur iſte* vel *baptizetur hic*, de neceſſitate.n. formę non eſt, vt actus baptizãdi exprimatur, per verbũ actiuum, aut paſſiuum, vel per modũ indicatiui, ſed ſufficit quouis modo exprimatur; grauiter tamen peccat qui vtitur alio modo quam conſueto; quia nõ ſeruat ritũ Eccleſiæ in re graui Henriq; *cit. c.* 8. *n.* 3. & 4. *lib.* 2. Coninch *cit. art.* 6. *n.* 45. Suar. *cit. diſp.* 21. *ſect.* 2. Reginald. *c. n.* 26. Filliuc. *cit. n.* 48 *Secundo*, ſi in forma Latina omittatur pronomen *ego*, aut loco illius particulæ *ego*, dicatur *nos* quando particula, *nos* idem ſignificat, quod *ego* aut qui baptizando Principem, diceret, ego vos baptizo. Reginaldus *c. num.* 24. & 25. Victoria *c. concl.* 17. *Tertio*, ſi loco filij dicatur Verbi vel etiam ſi dicatur in nomine Patris Omnipotentis, & Filij Vnigeniti, & Spiritus ſancti Paracliti. Caietanus apud Bonacinam *punct.* 4. *num.* 13.

Henriquez Coninch. Suarez. Reginald. Filliucius. Suarez.

Reginald. Victoria.

Caietan. Bonacina.

Quarto, ſi verborum tranſpoſitio fiat, ita vt idem ſenſus retineatur, vt ſi dicatur, te ego paptizo in nomine Patris, &c. vel, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti ego te baptizo. Vel ego te baptizo in nomine Filij, & Patris, & Spiritus ſancti. Modo miniſter per hoc errorem inducere non intendat, quaſi Filius ſit principem Patris: tunc enim corrũperet ſubſtantialem ſenſum formæ, & conſequenter veritatem Baptiſmi. Toletus *cit. n.* 8. Filliucius *c. n.* 50. Layman *c. c.* 4. *n.* 6. *Quinto*, ſi Baptiſmus ſolemnis in alio idiomate conferratur, quam Eccleſia præſcribit, videlicet in Romana Eccleſia non Latino, ſed vulgari Cæterum ſi homo illiteratus, verbi gratia, obſtetriz, in caſu neceſſitatis priuatim baptizet, conſultius eſt vt uulgari, ſeu communi idiomate formam proueniet. Bonacina *c. n.* 17. Reginaldus *c. n.* 31. Victoria *concl* 18. *Sextò*, ſi Baptiſmus adminiſtretur per verba ſynonima, vt ſi loco verbi *baptizo*, dicatur abluo, aſpergo, hæc enim non mutãt ſubſtantialem ſenſum verborum. Filliucius *cit. num* 51.

Toletus. Filliucius. Layman.

Bonacina. Reginald Victoria.

Filliucius.

19 Plures poſſunt vnica aſperſione baptizari, dicendo ego vos baptizo, in nomine Patris, &c. modò ſinguli aſpergantur; quia non mutantur ſenſus formæ, cum idem ſit dicere ego vos baptizo ac dicere, baptizo te, &c. & quãdo plures ſic ſimul baptizantur, dici poſſunt plura baptiſmata: quia diſtinctio numerica baptiſmatũ deſumitur à ſubiecto, in quo recipitur Baptiſmus, & quãuis adſit vnica forma formaliter, qua ſimul plures baptizantur, nihilominus virtualiter, & æquipollenter eſt multiplex. D. Thomas *q.* 66. *art.* 5. *ad* 4. Rodriguez *cap.* 25. *num.* 1. Vaſq *diſp* 148. *cap.* 7. *n.* 50. & 52. Coninch *q.* 67. *art.* 6. *diſp.* 2. Henriquez *lib.* 1. *c.* 30 *n.* 1.

D. Thom. Rodrig. Vaſquez. Coninch. Henriq.

20 Quando duo ſimul baptizant, ita vt vterque non ſolum abluat, verum etiam verba proferat, tunc ſi quilibet intendat baptizare independenter ab intentione alterius, validè baptizat, cum adſit debita forma, materia, & intentio miniſtri, ſi vero non perficiant ſimul, ille tantũ modo baptizat, qui prius perficit formam. Si uero intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non validè baptizat, ſiue ſinguli dicant, ego te baptizo, ſiue dicant, nos te baptizamus: quia in utroque caſu falſa eſt forma, quia neuter per ſe baptizat. D. Thomas, *cap. ad* 4. & *quaſt.* 67. *artic.* 6. Suarez, *tom.* 1. *diſput.* 25. *ſection.* 3. Filliucius *tract.* 2. *cap.* 4. *quaſt.* 4. & 5. Valentia *diſputat.* 4. *quæſtione ſecunda, parte ſecunda*, Viualdus. *capit.* 3. *num. ſeptimo*, & alii,

D. Thom. Suarez. Filliucius. Valentia. Viualdus.

L Sed

Sed quid dicendum de Baptiſmo illo in articulo mortis collato, ubi mutus & orbatus manibus concurrunt, ille abluendo, alter uero uerba proferendo? Reſpondent cõmuniter Doctores talem Baptiſmum fore inualidum. Ratio eſt, nam qui uerba formæ proferret, nec exterius ablueret, falſitatem diceret, & ideò nullum efficeret Sacramentum, utpote cuius ad eſſentiam ualiditatemque formæ ueritas neceſſaria eſt. Ita Hurtadus citans Vaſquez, Suarez, Coninck *de Bapt. diſp.* 2. *diffic.* 6. quibus adde Dianam *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 12. Tannerum *tom.* 4. *diſp.* 4. *q.* 2. *n.* 17. Filliuc. *tract.* 2. *n.* 77. quamuis in huiuſmodi caſu nonnulli uelint puerum eſſe ſub conditione baptizandum quia melius eſt in tali extrema neceſſitate accipere Baptiſmum dubium, & aliquo modo probabilem quàm nullũ, Licet ſub conditione Baptiſmus ſit iterandus, ſi poſtea occurreret opportunitas recipiendi indubitatum Sacramẽtum ab uno & eodem miniſtro. Ita Caietanus 3. *p. q.* 67. *a.* 6. Chapeauilla *quæſt.* 20. *de Bapt.* Marſilius *in* 4. *quæſt.* 4. *art.* 6. *dub.* 11. Lezana *tom.* 3. *Summ. verb. Bapt. n.* 12.

Hurtadus. Tannerus. Filliucius.

Caietanus. Chapeauil. Marsil. Lezana.

21 Quando quis putat ſe baptizare fœminam, & baptizat maſculum, aut putat ſe baptizare *Petrum* & baptizat *Ioannem*, ualidè baptizat, quia licet miniſter ſpeculatiuè erret, tamen practicè non errat, cùm dirigat, & dirigere debeat intẽtionem ſuam in præſentem perſonam, ne irritum faciat Sacramentum, error enim perſonæ uel ſexus non impedit Baptiſmum, dummodò miniſter baptizare intendat, niſi exprimeretur in intentione quòd non uult baptizare, ſi eſt alius quàm putat, ſed hoc nullus facit, Toletus *lib.* 2. *c.* 20. Coninck *q.* 66. *art.* 6. *n.* 50. Reginaldus *lib.* 26. *n.* 42. Victoria *de Bapt. q.* 34. Vnde qui pro fœmina baptizatus fuit in infãtia, impoſito nomine quòd imponi conſueuit fœminis, non eſt baptizandus, ſed ſolũ nomen commutandum in nomen uiri, ſi poſtea in uirili ætate promineant uirila membra, quæ in infantia ita latebant ut fœmina putaretur, Sotus 4. *diſp.* 1. *q.* 5. *art.* 8. Sayrus *lib.* 2. *c.* 4. *quæſt.* 6. Viualdus *c.* 5. *n.* 22.

Toletus. Coninch. Reginald. Victoria.

Sayrus. Viualdus

Ratio autem differentiæ inter Baptiſmum, aliaue Sacramenta, & matrimonium, quod irritum redditur per errorem perſonę, eſt, quia contrahens matrimonium hic & nunc intendit contrahere cũ tali perſona peculiari ſibi propoſita, baptizans uerò uel adminiſtrans alia Sacramenta non reſpicit, neque reſpicere debet perſonas particulares ſecundùm conditiones indiuiduas, ſed potiùs circa ſubiectum præſens, quodcumque illud ſit. Ita Bonacina *c. diſp.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 26. Vide *Sacramentum* 2.

Bonacina.

SVPPLEMENTVM.

De materia & forma Baptiſmi.

SVMMARIVM.

1 *Quod aqua vera & naturalis ſit materia Baptiſmi probatur ex ſcripturis.*

2 *Aqua roſacea, aut alii humores aquei expreſſi ex floribus, herbis, frondibus & huiuſmodi, etiam in caſu extremæ neceſſitatis, iuxta veriorem ſententiam non poſſunt adhiberi in Baptiſmo.*

3 *Non eſt improbabile poſſe conferri Baptiſmum, ſub cõditione in extrema neceſſitate cum humore aqueo ſtillante ex vitibus & aliis arboribus.*

4 *Baptiſmus valide confici poteſt in aqua turulenta decoctionis carnium & aliorum elixatorum, niſi ſit tanta reſolutio corporum elixatorum, vt aqua plus habeat de aliena ſubſtantia, quàm de propria.*

5 *Aqua quæ colligitur ex vaporibus denſatis, cum ex ollæ ore euaporantur, & quæ è parietibus fluit, ſufficiens eſt ad Baptiſmum.*

6 *In extrema neceſſitate non inuenta aqua certa, ſed liquore aliquo, de quo dubium eſſet an eſſet aqua, poſſet quis baptizari ſub conditione.*

7 *Quando finitur forma Baptiſmi, perficitur Baptiſmus antequam finiatur ablutio, modo ſit inchoata.*

8 *Tempore neceſſitatis, poteſt ſine vllo peccato in manu, pede, digito, capillis, vnguibus, vmbilico quis baptizari ſub conditione.*

9 *In forma Baptiſmi* Ego, in, &, amen, *non ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed tantum præcepti vel conſuetudinis.*

In neceſſitate poteſt quis baptizari cum forma dubia ſi nemo ſciat certam.

10 *Ex vi inſtitutionis Chriſti nullus eſt Baptiſmus datus in nomine Dei. vel in nomine cuiuſcumque perſonæ Trinitatis, ſine nominatione aliarum; vel in nomine Trinitatis.*

11 *Forma Græcorum*, Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, *eſt valida, non poteſt tamen vſurpari à Latino nec relinqui à Græco.*

1 DE materia Baptiſmi non pauci aliquando extiterunt errores, contra quos ſtatuit Conciliũ Tridentinum *ſeſſ.* 7. *can.* 2 aquam ueram & naturalem requiri ad Baptiſmum. Ex quo intelligimus duo. *Primo*, nullum liquorem eſſe materiam Baptiſmi, qui non ſit vera & naturalis aqua. *Secundo*, omnem ueram & naturalẽ aquam quantumuis accidentaliter alteratam, & mutatã, eſſe materiam idoneam ad Baptiſmum. Id patet ex Scripturis uariis in locis, nam Ioannis 3. dicitur. *Ex aqua & Spiritu Sancto*. Item ibidem orta eſt æmulatio diſcipulorum Ioannis, qui uidebant Chriſtum baptizare per diſcipulos ſuos in aqua, ut etiam ipſe Ioannes baptizabat. Et Actor. 8 *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Et Epheſ.* 5. *Lauacro aquæ in verbo vitæ*. Et Paulus 1. *Corinth.* 10. comparat Baptiſmum mari rubro. Petrus 1. *Petr.* 3. quoque comparat, Baptiſmum diluuio. Denique etiam Prophetę expreſsè prædixerunt Baptiſmum aquæ, ut Ezechiel 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam*.

2 Quidam aſſerunt, in caſu extremæ neceſſitatis, quãdo aqua non ſuppetit, poſſe adhiberi aquã roſaceam, aut alios humores aqueos expreſsos ex floribus, herbis, frondibus uel huiuſmodi, conferendo Baptiſmum ſub conditione. Ratio illorum eſt, quia licet Concilia ad ualiditatem Baptiſmi requirant aquam naturalem, non tamen Eccleſia definiuit, quod alia aqua in nullu alio caſu ſufficiat ad ualiditatem Baptiſmi. Et cũ Baptiſmus ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis, poteſt ſub conditione conferri in materia dubia deficiente indubitata, quia fieri poteſt, ut per remedium dubiũ ſuccurratur proximo, & nulla ſit iniuria Sacramento, & charitas obligat ut adhibeatur omne medium. Ita Puteanus *in tertia parte q* 66. *a.* 4. *num.* 5. Præpoſitus *ibidem num.* 22. Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *dub.* 2. *num.* 41. Hæc doctrina nullo modo tenenda eſt, quia cùm Concilia definiant, quòd aqua naturalis ſit materia neceſſaria ad ualiditatem Sacramẽti Baptiſmi certum manet, quod ſine ipſa non poteſt confici in quocũq; caſu, Quia vbi deeſt materia Sacramẽti, nullo modo fit ſacramentum. Et per hoc ſufficienter eſt ab Eccleſia definitum, quòd in nullo alio caſu alia aqua ſufficiat ad validitatem Baptiſmi, nam definiendo, quòd aqua naturalis ſit materia neceſsaria, ſimul etiam definiuit, quòd in nullo caſu poſſit ſine ipſa fieri Sacramentum, cum certũ ſit, quod non poſſit fieri vnquã ſine vera materia eſſentiali. Certum eſt etiam, quod huiuſmodi liquores non ſint aqua naturalis, licet eam referant, ſunt enim ſucci quidã habentes ſinguli propriam ſubſtantiam.

Puteanus. Tann. &c.

Ad rationem autem in contrarium poſset, reſponderi, quod quamuis Baptiſmus ſit remedium omninò neceſsarium, & charitas obliget ad adhibendum omne medium non tamen obligat ad illud medium, de quo certum eſt non eſſe medium, nec poteſt adhiberi ſine iniuria Eccleſiæ & Sacramenti. Et cum ex ipſius vſu non poſſit ſperari aliquod remedium pro baptizando, irrationabiliter adhiberetur. Ita docent communiter Doctores D. Thom. 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 4. *ad* 5. Peſantius Nugous Syluius Mercerus *ibid.* vide Dianam *par.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 49.

D. Thom. Peſantius. Nugnus. Syluius. Mercerus.

3 Cõmuniter negant DD. poſse conferri Baptiſmum ſub conditione in extrema neceſſitate cũ humore aqueo ſtillante ex uitib. & aliis arborib. Ratio eſt, quia talis humor nõ eſt aqua, ſed ſubſtãtialiter eſt ſuccus, quãuis propter perſpicuitatẽ, & ſimilitudinẽ appelletur aqua. Nihilominus non eſt improbabile, quod ille humor ſtillãs ex arborib. ſit ſubſtantialiter aqua, quia nihil aliud eſt quã humor, qui attraitur è terra, & ab arbore, ſeu vite concoqui nõ poteſt; vnde effluit per poros ipſius. Quod ex eo patet, quia id præſertim cõtingit tẽpore veris. quo virtus cõcoctiua arborũ eſt debilitata à præcedẽti frigore traditur plurimus humor ob indigẽtiam reſtaurationis, qui poſtea effluit cũ nõ poſſit cõcoqui. Vnde cũ probabile ſit eſſe aquã ſubſtãtialiter: in extrema neceſſitate nõ ſuppetente alia aqua, poterit adhiberi: quia baptizãs poterit ãplecti opinionem

nem probabilem quòd sit aqua & illam assumere ut quã iam determinatam per opinionem probabilem, & baptizare saltem sub conditione. Nec in hoc vlla fiet iniuria De la Crux Pasqualig. Sacramento. Ita De la Crux *part.2. Director. quæst.1. de Baptism.dub.1.concl.2.* Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 78. quia cùm Ecclesia sit benigna mater & desideret omnium salutem, quantum fieri potest, non est censendum, quòd nolit prouideri de remedio pro baptizãdo, nisi omninò certissimus de materia Sacramenti, sed potiùs quòd uelit, ut quocumque modo prouideamus, quo probabiliter iudicamus ualiturum remedium.

4 Baptismus ualidè confici potest in aqua iurulenta decoctionis carnium, & aliorum elixatorum, nisi sit tãta resolutio corporum elixatorum, vt aqua plus habeat de aliena substantia, quam de propria. Ratio est quia quando aqua plus habet de propria substantia, quàm de aliena adhuc censetur aqua & ideò pro aqua adhiberi potest. D.Thom. Suarez. Syluest. Ita D. Thomas *3.p.quæst.66.art.4.ad.2.* Suarez *3.part.to.3.disp.20.sect.1.concl.2.* Syluester *verb Baptismus 2. nu.* 3. & alij communites.

Tamen est difficultas, quando aqua concoctionis carnium & aliorum esculentorum est adeò commixta cum substantia rerum concoctarum, quæ ex vi concoctionis effluit, vt non amplius habeatur pro aqua, certè non esset tutum huiusmodi aquam adhibere etiam in casu extremæ necessitatis, nisi conferatur Baptismus sub conditione; quamuis enim conseruetur substantia aquæ, adhuc tamen substantia elixatorum effluens ita in minutissimas partes diuiditur, & cum ipsa commiscetur vt efficiatur saltem quoddam mixtum imperfectum, quod ex eo patet quia inseruit pluribus usibus, quibus nõ inseruit aqua, acquirit diuersum saporem, & habet alia accidentia diuersa ab accidẽtibus aquæ, & potiùs imitatur in effectibus substantiam rerum concoctarum, quàm aquæ. Deinde huiusmodi aqua concoctionis non videtur apta, vt supra ipsam verificentur verba *Ego te baptizo.* Non enim est apta ad lauandum, imò moraliter cẽsetur inepta, quia præstat effectum contrarium, cùm polluat. Ablutio enim est ordinata ex intrinseca sua ratione ad detergendas sordes, non ad polluendum, & ideò quæ polluit, non potest dici ablutio. Et proinde cùm in Baptismo materia proxima sit ablutio, quæ significat internam ablutionem animæ, debet fundari in ea materia, quę sit apta abluere, alioquin nec verba verificarentur, nec haberetur significatio internę ablutionis. Pasqual. Ita tenet Pasqualigus *in decis. mor.d.80.*

5 Aqua elementaris est & sufficiens pro Baptismo cõficiendo, quæ colligitur ex vaporibus densatis, cum ex ollæ ore euaporantur, & testaceo tegumento repercutiuntur. Item quæ hyemali tempore è parietibus, lapidibusve velut è fonte fluit, nam vapores essentialiter aqua sunt. Aqua verò quæ è parietibus manet, aqua est ex aere humido in aquam verso, Fernand. Ita Fernandez *p.3. c.2 § 3. n.3.*

6 In necessitate extrema, non inuenta aqua certa, sed liquore aliquo, de quo dubium esset, an esset aqua, nec posset id examinari, num sit aqua vel aliud ex odore vel gustu, in tali casu existens in periculo mortis posset sub conditione baptizari. Quia cùm præceptum illud non baptizandi absque tali materia oriatur ex reuerentia Sacramenti, sequitur, vt in prædicto casu non obliget tale præceptum, eo quòd summa indigentia proximi, cui aliter subuenire non possumus, prępondereret illi reuerentiæ, & reddit licitam talem operationem propter necessitaté. Aduertunt tamen communiter Doctores quod hoc modo baptizatus, rebaptizandus sit sub conditione cum materia certa & consueta, si superuiuat, vt diximus *tom.1. verb. Baptismus. 2. num.* 3. cum Doctoribus ibi citatis: quibus Adde Ioannem de Lugo, *de Sacram.disp.8.sect.9. num.*140. & Dianam *p.5. tract.3.resol.2.* in fine. Diana.

7 Iuxta quosdam ablutio in Baptismo debet esse determinata & finita, vnde si finita forma, antequam finiatur ablutio, infans moriatur, non habetur Sacramentum, quia ad ministrum pertinet determinare quantitatem materiæ, & illi applicare formam, ergo quamdiu ipse continuat ablutionem, censetur nõdum applicuisse formam, sed adhuc intendere illam applicare ulteriori ablutioni, ergo donec perficiatur ablutio, non est integer Baptismus, nec proinde sortitur effectum. Paludanus Ita Paludanus *in 4. dist.3. quæst.3. ad fin.* Nihilominus contrarium est dicendum, nam eo ipso quòd finitur forma Baptismi perficitur Baptismus, antequam finiatur ablutio, si quando finitur forma, sit ablutio inchoata, quamuis post finitam formam perseueret, quia quæcumq; pars ablutionis, vtpote homegeneę, est vera ablutio, positis autem forma & sufficientia, statim perficitur Sacramentum, ita vt non sit in potestate ministri perfectionem Sacramenti, seu Sacramentalem significationem differre. G Hurtad. Granadus. Ita Hurtadus *de Baptismo, disp.1.diffic.6.* Granadus *in 3.p. contr.4.tract.1.disp.4.n.*14. vbi citat Suarez, Caietanum, Sotũ & alios.

8 Tempore necessitatis, quando maior pars corporis aqua tingi non potest, estque periculum, ne infans aliaa decedat absque Baptismo, potest sine vllo peccato in manu, pede, similiqua parte minori baptizari, imò & debet; quia nulla irreuerentia erga Sacramentum censebitur committi, quòd proximo alioquin perituro consulatur per medium probabile, quamuis incertum, cum melius sit puero tale medium adhibere, quod fortè poterit prodesse, quàm nullum. Idem dicendum de digito, licet de ea parte maius sit dubium, & aliqui afferentes de manu, negent de digito, si solus appareret. Idem dicendum de capillis & unguibus, non quia hæc uiuant, sed quia reputãtur ut partes hominis, & abluens capillos, vel vngues, dicitur abluere corpus. Imò cum aliqua probabilitate idem dici potest de vmbilico per quem infans sugit à matre alimentum, & illI coniungitur, quia non minus dici potest infans ablui per umbiculum, tanquam per aliquid sui, quàm per capillos, quia etiam per illum aqua ad corpus infantis conseri potest pertingere, quamuis, quia excrementum præscindatur à corpore. Et hæc omnia dicta sint pro casu necessitatis, & de collatione Baptismi validæ & licita in necessitate, qui tamen postea iterari debet sub conditione. Sotus Vasquez. Præposit. De his casibus uide Sotum *in 4. dist.3. quæst. vnic.art.7.§.3. argum.* Vasquez *in 3.p. disp.*146. Præpositum *in 3.p. quæst.66. art.8. dub.3. n.90.* Iacobum Marchantium *in resol. Pastoral.tract.2.cap.1.q.2.cas.2.*

9 In forma Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti*, illa omnia, & sola verba sunt præcisè de essentia formæ, quæ significant interiorem ablutionem, sub inuocatione Sanctissimæ Trinitatis. Itaque in rigore ad effectum sacramentalem, sufficeret dicere, *Baptizo te nomine Patris, Filii, Spiritus sancti:* nam *Ego, in, &, amen*, non uidentur necessaria necessitate Sacramenti, sed tantùm præcepti, uel consuetudini, *Ego*, enim includitur in Baptizo, *in*, uidetur hebraismus; nam perinde est, ac si dicas, Baptizo te auctoritate vel uirtute Patris, &c. aut potiùs nominando, & ipsa voce inuocãdo tres personas De uocula (&) maius dubium est. Nam quidam putant esse de essentia ad significandam distinctionem personarum, ut Maior & Gabriel; sed ea sufficiẽter indicatur, singulatim nominando tres personas. Si quis tamen omitteret, *Et*, ad confundendas personas, quasi tantũ sit vna persona in Deo habens varias facultates, vt asserebant Sabelliani, nihil efficeret, qua corrumperet ueritatem formæ. *Amen*, non est necessarium, colligitur *Matth.*28. & est sententia communis. Porrò cum puer est in periculo mortis & nemo est qui sciat formam certam, baptizari potest cum forma dubia.

10 Ex ui institutionis nullus est Baptismus datus in nomine Dei. Pater, quia sicut fides de Deo absolutè, & simpliciter non est fides explicita Trinitatis, ita inuocatio Dei absoluta, non est inuocatio Trinitatis explicita, prout ad Baptismum est necessaria. Similiter Baptismus datur in nomine Patris & Filii, nõn nominato Spiritu sancto, uel in nomine Patris & Spiritus sancti, tacito filio, uel daniq; in nomine cuiuscumq; personæ, sine nominatione aliarum, nullus est. Ratio est, quia nõ continet hæc forma expressam professionẽ totius, Trinitatis, quæ necessaria est ex iostitutione Christi. Imò neq; implicitè tota Trinitas satis indicatur una tantũ uel duabus personis nominatis. Deniq; non sufficit dicere, Baptizo te in nomine Trinitatis, sed personæ singulatim exprimi debẽt quia hic fit quædam fidei professio in Deũ trinum & vnum, Patrẽ, Filium, & Spiritũ S. nam prolato nomine Trinitatis, non satis manifestum est, utrũ illi tres sint Fratres, aut amici, aut alio modo se habeãt. Vide Suarez *t.3. in 3.d.21. § 3.4*

11 Græci ad vitandam reprehenſionem Apoſtoli primæ ad Corinth.1. *Ego ſum Pauli, ego autem Apollo*, &c. vti ſolent hac forma in conferendo Baptiſmo. *Baptizetur ſeruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* De qua dicendum eſt. *Primo*, formam illam eſſe validam. Ratio eſt, quia forma illa ſufficienter ſignificat ablutionem interiorem, & exprimit miniſtrum principalem eumque qui baptizatur, & actum baptizandi: vnde in Concilio Florent. non mandatum fuit Grecis, vt illam relinquerent. *Secundò*, non poſſe vſurpari à Latino. Ratio eſt, quia forma Latinorum eſt expreſſior, & commodior; vnde qui eam mutaret, ſuſpectus eſſet de Schiſmate, vel ſcandalizaret adſtantes, & procaldubio peccaret mortaliter, niſi forte quibuſdam circumſtantiis, ſuum factum iuſtificaret. *Tertiò*, non poſſe relinqui à Græco. Ratio eſt, quia tenetur ſequi conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ, neque eius ritum propria auctoritate mutare; quemadmodum debet etiam conſecrare in fermentato, vt docet D. Thom. *3. part. quæſt. 74. art. 4.* D. Thom.

Vide v. Hæreſis, *num. 3.*

BAPTISMVS III.

De ſubiecto Baptiſmi, & eius Miniſtro.

SVMMARIVM.

1 *Solus homo viator tam paruulus, quàm adultus eſt ſubiectum capax Baptiſmi; Et an monſtrum ſit baptizandum.*

2 *Exiſtẽs in vtero matris regulariter nõ poteſt baptizari.*

3 *Quando mater ob mortem eſt moritura, an ſit ſcindenda, vt infãs extrahatur, & baptizetur? Et quid ſi mater grauida per Iudicis ſententiã damnetur ad mortẽ.*

4 *Baptiſmus collatus infanti abſque conſenſu parentũ eſt validus. Et an licitè conferatur filiis infidelium inuitis parentibus.*

5 *Ordinariè non eſt licitum inuitis parentibus infidelibus eorum infantes baptizare.*

6 *Caſus, in quibus licet filios infidelium inuitis parentibus baptizare.*

7 *Filii infideliũ, qui ſunt vaſalli, & tributarii Principũ Chriſtianorum, vel ſerui an poſſint inuitis parentibus baptizari.*

8 *Prima diſpoſitio neceſſaria in adultis ad Baptiſmum, eſt intentio actualis, vel virtualis illum ſuſcipiendi.*
An moribundus adultus ſit baptizandus, ſi vnicus teſtis dicat illum petiiſſe Baptiſmum.
An ad Baptiſmum ſufficiat conſenſus metu extortus.

9 *Fides ſupernaturalis eſt neceſſaria in adulto ad recipiendum Baptiſmum cum fructu.*

10 *Attritio ex motiuo ſupernaturali, in adultis eſt neceſſaria ad Baptiſmum.*

11 *Habens ſolum originale peccatum, an teneatur habere attritionem.*

12 *Solus Sacerdos, iſque Parochus eſt ordinarius miniſter Baptiſmi, ex commiſſione autem Diaconus.*

13 *Quilibet homo ſiue vir, ſiue fœmina eſt ſufficiens miniſter in neceſſitate.*

14 *Peccat mortaliter, qui extra neceſſitatis caſum baptizat, cui id ex iure ſeu ex officio non competit. Et an monachi poſſint baptizare.*

15 *Quis ordo ſeruandus in adminiſtrando baptiſmo tempore neceſſitatis.*

16 *Quæ requirantur in miniſtro baptiſmi, vt validè, & licitè baptizet. Et an peruerſa intentio miniſtri in conferendo baptiſmo ſuppleatur à Deo?*

17 *Exiſtens in peccato mortali aut in excommunicatione, an grauiter peccet in neceſſitate ſine ſolemnitate baptizans.*

1 OMnis, & ſolus homo viator, nondum baptizatus, tam paruulus, quàm adultus, eſt ſubiectum capax baptiſmi nouæ legis Sacramenti, & hæc aſſertio eſt de fide; quæ ſumitur ex cap. vltimo, S. Matth. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. quia omnes homines ita à Deo creantur, vt capaces eſſe poſſint ſpiritualis ſalutis, ac vitæ æternæ: ſalus autem, & vita hominibus poſt Euangelii promulgationem, ordinariè non contingit ſine baptiſmo. Suarez, *d. 25. ſect. 1.* Valentia, *d. 4. quæſt. 3. part. 1.* Bonacina, *d. 2. quæſt. 2 p. 6. num. 2.* Layman, *lib. 5. tract. 2. c. 6.* Hinc *Satyrus* aut genitus ex ſimioa, & bruto, non eſt capax baptiſmi, quia non eſt homo, nec habet peccatum originale, cùm illud traducatur ex Adamo per virilẽ virtutem Henriquez, *de bapt. cap. 21.* Poſſeuinus, *de bapt. cap. 6. num. 13.* Monſtrum autem, de quo dubitatur an habeat animam rationalem, eo quod habeat caput ferinum, & cætera membra humana, non erit baptizandum, ſed ad ſummum ſub conditione, poſtquam adhibita diligentia dubium remanet; coniectura autem capienda eſt ex pectore, an habeat humanum cor, Filliucius: *tract. 2. nu. 150.* Nauar. *conſ. 5. de bapt.* Monſtrum verò genitum ex viro, & fœmina, baptizandum eſt, quia eſt homo conſtans corpore, & anima rationali: imò ſi conſtet habere duplicem animam, vt ſi habeat duo capita, & duo corpora diuiſa, bis baptizandum eſt; ſi verò dubitetur, an conſtet duplici anima rationali, vt ſi habeat duo capita cum vno pectore, vel duo pectora ſub vno capite, duplex baptiſmus conferendus eſt, vnus abſolutè in ea parte, in qua perfectiùs caput, vel pectus apparet, alter ſub conditione in alia parte. Plura de his apud Doctores citatos Reginaldus, *lib. 27. num. 65.* Viualdus, *cap 5. n. 24* Syluius, *v. baptiſm. 3. qu. 10.* Graffiis, *2. p. lib. 1. c ap. 4.* Toletus, *lib. 2. cap. 21. num. 6.* Syluius. *3 p. q. 68. art. 11.*

Suarez. Valentia. Poſſeuin. Filliuc. Nauarr. Reginald. Syluius.

2 Regulariter loquendo, exiſtens in vtero matris non poteſt baptizari, *Cap. qui in maternis, de conſecr. diſt. 4.* Layman. *lib. 5. tract. 2. c. 3. n. 2.* Victor *c. nu. 31.* Viualdus, *de modo bapt. n. 16.* Chapeauill. *c. 2. qu. 10.* quia ſubiectum baptiſmi eſt homo natus, & non poteſt per baptiſmum renaſci, qui nondum eſt corporaliter natus, cùm non poſſit ablui; nec ſufficit, vt mater abſtergatur, cùm ſit perſona diſtincta à filio exiſtente in vtero, eaque aſperſa non dicatur infans ablutus: ſi autem obſtetrix tã perita ſit, vt manu in vterum inſerta, prolem aqua perfundere poſſit, adiecta verborum prolatione, valebit Baptiſmus. Nam in tali caſu reperiuntur omnia eſſentialia ad Baptiſmum requiſita, nempe ablutio cum debita forma verborum. Ita Suarez, Valentia, Coninch apud Dianam, *tr. 1. miſcel. reſol. 43. p. 2. & p. 5. tr. 3. reſol. 12.*

Layman. Viuald. Diana.

3 Cũ non ſint facienda mala, vt eueniant bona, quamdiu mater viuit, non eſt ſcindẽda, vt infans extrahatur, & baptizetur, etiã mater ob partum ſit moritura; matre verò mortua, ſi proles in ipſius vtero exiſtens credatur viuere, aperienda eſt mater, vt infans extrahatur, & baptizetur D. Thom, *3. p. q. 68. art. 11. ad 3.* Graffiis, *2 p. lib. 1. c. 4. n. 32.* Viuald. *c. 5. n. 21.* Victor. *de bapt. conc. 32.* Quando autẽ mater grauida per iudicis ſententiã damnatur ad mortẽ, differenda eſt executio ſentẽtiæ, donec mater pepererit, modò ex mortis dilatione non immineant damnũ Reipublicæ, *L. prægnantis ff. de pœnis.* Viuald. *n. 20.* Filliuc. *tr. 2. nu. 139.* nam ſi damnũ immineat, quidã Doctores cũ *Filliucio*, putant matris vterum aperiri poſſe ipſa viuente, vt infans extrahatur, & baptizetur, id. n. ex iuſta cauſa fit auctoritate publica. Hæc autẽ opinio tunc eſt practicanda ex mẽte Suarez, quando ſpes eſt infantem non eſſe moriturum, ita Diana, *reſ. 44. & p. 5. tract. 3. reſol. 13.*

Victoria. Viuald. Suarez.

4 Certũ eſt Baptiſmum collatum infanti abſq; conſenſu parentum, validũ eſſe Vaſq. *3. p. d. 155. c. 6. n. 64.* Regin. *n. 68.* Henriq. *c. cap. 25.* cùm adſint materia, forma, & intentio miniſtri, controuertitur autem inter Doctores, an licitè conferatur Baptiſmus filiis infideliũ, inuitis parentibus: in qua controuerſia cum diſtinctione Doctores hic citati concludendo reſpondent. *Primò*, ſi filius habeat vſum rationis, & petat Baptiſmum, baptizari debet, etiam inuitis parentibus; quia cùm ſit ſui iuris, in iis, quæ pertinent ad bonum animæ habet ius petendi, quod ſibi neceſſariũ eſt ad ſalutem; in dubio autem an vſu rationis polleat, ſi iam compleuit ſeptenniũ baptizandus eſt, nam completo ſeptennio præſumitur rationis vſum habere, D. Thom. *3. p. q. 68. art. 10.* Toletus, *lib. 2. cap. 2. num. 2.* Suarez, *diſt. 25. ſect. 3.* Sà, *v. bapt. num. 11.*

D. Thom. Toletus.

5 Ordinariè, inuitis parentibus infidelibus, non eſt licitum eorum infantes baptizare; præterquam ſi parentes, vel eorum paruuli mãcipia Chriſtianorum facta ſint;

quia

quia uel paruuli abſtrahuntur à cura & poteſtate parentum in Christiana fide poſt Baptiſmum educandi, uel nõ abſtrahuntur, ſed parentibus poſtea reſtituuntur, *Primũ* fieri non poteſt ſine iuſtitię uiolatione, cum parentibus etiam infidelibus, ius ſeu poteſtas in liberos ſuos competit, quo inuiti ſpoliari non poſſunt, *alterum* vero fieri non poteſt, ſine Chriſtianæ religionis iniuria & ignominia, cùm Deo per Baptiſmum conſecrati infantes, ſi infidelibus parentibus reſtituantur, manifeſto periculo apoſtaſię exponantur. D. Thom. 3.*p. quaſt*.68. *art*.10. Syluius *ibid.* Bonacina *c. part*.6. *num*.12. Filliucius *nu*.145. Layman *li*.5.*tr*.2.*c*.6.*n*.10. Suarez *c.d*.25. *ſect*.3: & alij.

D. Thom. Syluius. Bonacina. Filliucius. Layman. Suarez.

6 In multis caſibus licet filios infidelium inuitis parentibus baptizare. *Primò*, ſi inſans conſtitutus ſit in euidenti & certo mortis mox euenturę periculo, quia in eo euentu, ceſſat periculum peruerſionis, & parentes ſunt irrationabiliter inuiti Reginald. *c.n*.68. Diana *part*.5.*tr*.3.*reſ*.10. Vaſquez *c.d*.155.*cap*.3 *num*. 22. Syluius *c*. Filliucius *c.num*. 144. *Secundò*, ſi alter parens filium baptizari velit altero reluctante, præferenda eſt voluntas iuſta iniuſtæ, in fauorem prolis innocentis, & fidei Chriſtianę Sà *c num*.11. Azotius *tom*.1.*lib*.8.*cap*.25.*quaſt*.3. *Tertiò* filius natus ex vno ſaltem parente Chriſtiano baptizandus eſt, quia huiuſmodi filius ex vi ſuæ originis eſt ſubditus Eccleſiæ. C. Iudæi 28 *quaſt*. 1. *Quartò*, filius ortus ex vtroque parente infideli, quorum vnus poſtea conuerſus eſt, baptizandus eſt, nam filius ſequitur parentem innocentem, ſeu conuerſum Bonacina *c. n*.12. Diana *tract*.2. *Miſc.reſol*.45 *par*.2. *Quintò*, ſi filij infidelium perpetuò amentes ſint, baptizari poſſunt inuitis parentibus, quia alioquin omni ſpirituali remedio ſpoliati eſſent, quando nulla ſpes eſt ad proprium rationis vſum peruenturos, Layman *c.n*.10. *Sextò*, ſi inſans ab infidelibus parentibus iuſtè uel iniuſtè abſtractus ſit, & ipſis non poſſit vel ſaltẽ non debeat reſtitui, quia hoc caſu quaſi non cenſetur habere partem vel tutorem, ideòque ſuccedit mater Eccleſia, vt prolem recipiat, baptizet, & inſtruat. Henriquez *c. capite* 25.*num*.2. Sotus 4. *d*.5. *art*. 10. Filliucius *c. n*.144 Syluius *c.cap* 5. *Septimò*, filij infidelium, iam baptizatorũ vt hæreticorum aut aliorum apoſtatarum à fide, poſſunt ſubtrahi à parentibus, & Sacramento Baptiſmi initari D. Thom. *c.art*.10. Valentia *tom*.4.*quaſt*.3.*punct*.3. & alij.

Reginald. Diana. Vaſquez. Filliucius. Syluius. Azotius. C. Iudæi. Bonacina. Diana. Layman. Henriq. Sotus Filliucius. Syluius. D. Thom. Valentia.

7 Filij infidelium qui non ſunt ſerui, ſed tantummodò tributarii & vaſalli Principum Chriſtianorum, quales ſunt Iudæi commorantes ex conceſſione Principum, in aliquibus ciuitatibus, non poſſunt inuitis parentibus baptizari: quia tales parentes, vti alia iura & rerum dominia, ita etiam ius patriæ poteſtatis in liberos retinent, quo ſine iniuria ſpoliari non poſſunt, Toletus *lib*,2. *cap*.21. *num*.2. Suarez *c.ſect*.4. Victor *c.quaſt*.27. Vaſquez *c.ca*.2 Sin verò infideles iuſto bello, uel alio titulo in Chriſtianorum ſeruitutem redacti ſint, ſicut alia eorum iura & dominia, ita & ius patriæ poteſtatis Domino ipſorum, à quo capti tenentur, gentium iure acquiritur, qui proinde paruulos ipſis auferre, aliis donare, vendere, conſequenter Baptiſmo abluere iure poteſt; & per ſe loquendo tenetur, quia ſuccedit in locum parentum Coninck *quaſt*. 68.*art*.10.*n*.87. Layman *c.num*. 10, Bonacina *c.n*.12.

Toletus. Suarez. Victor. Vaſquez. Coninch. Layman. Bonacina.

Licet per accidens ratione circumſtantiarum, vt magnæ difficultatis & incommodi, fieri poſſit, vt excuſetur, ſi ſeruis non curet Baptiſmum conferri, vnde Dominus poteſt parentibus aut aliis uendere ſeruos nõdum baptizatos, accepta pecunia, aut facta cõpenſatione Chriſtianorum captiuorum, ne ſubeat incommodum, in illis alendis & educandis, ſi baptizari illos curaret Suarez *c.d*. 25.*ſect*.6. Coninck *c.n*.88. Henriquez *li*.2.*c*.25.*n*.1.& 8.

Coninch. Henquez.

8 Triplex diſpoſitio neceſſaria eſt in adultis, vt Baptiſmum ſuſcipiant. *Prima*, requiritur intentio actualis, ut uirtualis recipiendi Baptiſmum *C. Maiores* §. *item de Baptiſ*. D. Thom. 3.*p.q* 68.*art*.7. Layman *c. cap*.6.*num*. 2. Graffiis 2. *p.lib*.1. *c*.4. *num*.45 Diana *de Sacramentis reſ*.12. Syluius *in* 3.*p.q*.68. *a*.7. Angles *q*.2. *a*.6. *diffic*.1. *conc*.2. quia æquitas non patitur, vt homo ad multas obligationes aſtringatur, niſi conſentiat & intendat eas ſubire, unde adultus nõ remanet baptizatus nec characterem recipit, ſi numquam uoluit baptizari, vel ſi habuit voluntatem, tamẽ reuocauit, ualidus autem eſſet Baptiſmus collatus dormienti, qui Baptiſmum petierat ante ſomnum, hic enim dicitur habere intentionem habitualem, idem dicendum de furioſo & amente, qui dum haberent lucida rationis interualla, petierunt Baptiſmum, etiamſi poſteà dum baptizantur reſiſtere videatur; Verùm quando quis incidit in amentiam, expectandum eſt, vt amens ad ſe redeat, ſi ſpes adſit reſipiſcentiæ, ſublata verò ſpe reſipiſcentiæ, baptizandus eſſet, in dubio verò, an amens petierit Baptiſmum ante amentiam baptizandus eſſet ſub conditione, ſi petierit Baptiſmum, modò non conſtet permanſiſſe in ſtatu peccati mortalis Bellarm. *de Bapt.c* 9. Henriquez *lib*.2.*cap*.24. Nugnus 3.*p.q*.68. *a*.4.

D. Thom. Layman Graffiis. Diana. Syluius. Angles. Bellarm. Henriq. Nugnus.

An autem moribundus adultus ſit baptizandus, ſi vnicus teſtis dicat illum petiiſſe Baptiſmum? Reſpondetur quod ſic, Ratio eſt. Quia ſicut miniſtranda foret Euchariſtia publico peccatori in extremis degenti, licet ſigna pœnitentiæ ſolùm coram vnico teſte præſtiterit, & ſicut adeſſet obligatio abſoluendi illum, qui ſigna doloris oſtendere non poteſt, vnico tantùm teſte teſtimonium ferente ea manifeſtaſſe, multo magis baptizandus erit; cum in Baptiſmo actus ſuſcipientis illum, non ſint materia Sacramenti, ſicut in confeſſione. Quapropter omnes Doctores affirmantes poſſe pœnitentem abſolui, teſtificante alio ſigna doloris manifeſtaſſe, tenentur fateri poſſe adultum baptizari, teſte affirmante Baptiſmum ab illo poſtulatum fuiſſe. Ita Zambranus *de Baptiſmo cap*. 1. Sancius *in ſelectis diſp*.44. *num*.39.40. Reginaldus *cap*.3.*nu*. 8. Lezana *tom*.3.*Sum.v.Bapt*.*n*.7. Sed ſi teſtis dubitet, an adultus moribundus petierit Baptiſmum, ſub conditione baptizandus erit; cum vndequaque oriatur ambiguitas, appoſita conditione ſit vincenda.

Zambranus. Sancius. Reginald. Lezana.

Hinc colligitur quòd ad Baptiſmum, non ſufficiat ſola negatio reſiſtentiæ, ſeu negatiua permiſſio, quia negatio reſiſtentiæ, ſeu negatiua permiſſio, non eſt conſenſus, quem Eccleſia in adultorum Baptiſmo requirit, ſed negatio conſenſus. Quamuis huiuſmodi negatiua permiſſio ſufficeret, vt baptizatus in foro externo maneret ſubiectus Eccleſiæ, a qua cogi poſſet ad fidem ſeruandam.

Sed dubitabis, an ad Baptiſmum ſufficiat conſenſus metu extortus etiam iniuſtæ mortis incuſſo. Reſp. affirmatiuè, & ratio eſt, nam à quacumque cauſa extrinſeca talis conſenſus extorqueatur, ſemper eſt ab intrinſeco principio libero; quod pro ſua innata libertate illum potuit elicere & non elicere: cùm nulla extrinſeca cauſa tollat intrinſecam libertatem, niſi quæ illam in agendo præuenit, qualis non eſt uis, aut metus extrinſecus illatus, Tamen hic conſenſus, etſi ſit ſufficiens diſpoſitio ad Baptiſmum ualide ſuſcipiendum, non autem erit ad eius effectum, vt docet Henriquez *de Sacram.Bapt.li*.2.*c*.24.*n*. 2. in fine, quod probatur ex *ca. Maiores, de Bapt.* Vbi Innocentius III. decernit, *Tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem.*

9 *Secunda* diſpoſitio in adulto ad recipiendum Baptiſmum cum fructu, eſt fides ſupernaturalis, fieri tamen poteſt, ut aliquis non habeat fidem infuſam & nihilominus recipiat verum Baptiſmum & characterem, quamuis nõ recipiat fidem & gratiam, vt quando aliquis inſtructus ab hæretico habet intentionem recipiendi quod fuit inſtitutum a Chriſto quidquid illud ſit. Filliucius *c.num*. 135. D. Thom. *c.quaſt*.68.*art*.8. Reginaldus *c.num*.66. Henriquez *lib*.2.*cap*.26.*n*.1.

Filliucius D. Thom. Reginal Henriq.

Notandum tamen eſt ex Sancio *in ſelectis d*.44.*nu*.41. quòd ſi adultus in articulo mortis ſit baptizãdus qui Baptiſmum petijt, non incumbat baptizanti de fide rogare, quando infirmus reſpondere non poteſt; quia prę ſumi debet explicitè actum credẽdi myſterium Trinitatis & Incarnationis habuiſſe adultum, cum auide Baptiſmum poſtulauit. Et cùm opinionum varietas verſetur, an ſufficiat implicita vel explicita fides, ſub conditione ſaltem Baptizari debet: quia conſtat manifeſtè in Chriſtum implicitè credere, qui ipſi incorporari per Baptiſmum exoptat. Ita etiam Diana, *part*.5.*tract*.3.*reſol*.20. Lezana *to*. 3.*Sum.v.Baptiſ. num*.4.

Diana. Lezana.

10 Tertia diſpoſitio in adulto ad recipiendum Baptiſmũ cum fructu, eſt attritio, quæ ad minimum procedat ex auxilio ſupernaturali propter metũ gehennæ, aut turpitudi-

pitudinem peccati: non est tamen necessaria confessio Sacramentalis, eum Baptismus sit ianua omnino aliorū Sacramentorum. Et hoc uerum, quamuis attritio cognita sit, secundum Dianam *de Sacramentis, resol.* 13.p.3. Conc. Trid. *sess.* 6.*cap*.8. Vasquez *d.* 158.*cap*.4 Toletum *lib.* 2.*cap.* 21. *num.* 5. Layman *lib.* 5.*tract.* 2.*cap.* 6.*num.* 4.

Conc. Tri. Vasquez. Toletus.

11 Habens solum originale peccatum, non tenetur habere attritionem, quia pœnitentia est de peccatis commissis ab ipso pœnitente, cum autem penitens non peccauerit propria uoluntate, non requiritur in ipso penitentia, & detestatio peccatorum, sed sufficit propositum seruandi legem Dei, & ipsis obediendi cum uoluntate suscipiendi Baptismum, & fidem. Filliucius *tract.* 2.*c.* 5.*nu.* 103. Suarez *d. dist.* 28.*sect.* 1. Henriquez *lib.* 2.*c.* 26.*num.* 1.

Filliucius Suarez.

12 Solus Sacerdos, isque Parochus, est ordinarius minister baptismi Conc. Flor. D. Thom. *quæst.* 67 *art.* 2. Syluius *ibid.* quia solus Sacerdos habet potestatem in Corpus Christi uerum, ergo solus etiam in misticum: hinc qui solemniter baptizat cum non sit Sacerdos, illicite baptizat, usurpat enim sibi alienum officium; Ex commissione tamen Episcopi, uel Sacerdotis proprij, ob rationabilem causam facta, etiam Diaconi solemniter baptizare possunt, ubi consuetudine ita receptum est. *C. Diaconos, dist.* 93. Coninck *qu.* 67.*art.* 2.*d.* 23.*sect.* 2. Filliucius *tract.* 2.*num.* 70.71. Layman *c.cap.* 7.*num.* 3. quamuis hoc tempore non uideatur in usu, ut Diaconi solemniter baptizent. Cæteris autem Clericis solemniter baptizantibus imposita est ipso iure irregularitas pœna. Vt habetur *in cap.* 1. & 2. *de Clerico non ordinato ministrante.*

Concil. Flor. D. Thom. ConinK. Suarez. Filliuc. Layman.

13 In necessitate, quilibet homo siue sit uir siue fœmina siue infidelis, siue fidelis, siue baptizatus, siue non, qui loqui possit, & abluere, est sufficiens minister Conc. Flor. D. Thomas *c.q.* 67.*art.* 3. & 4. Vasquez *d.* 147.*c.* 1.5. Henriquez *c.* 18.*num.* 1. Syluius *c.art.* 3. quia cūm Baptismus sit Sacramentum magnæ necessitatis, Christus iure optimo uoluit pro ministro Baptismi constituere quemlibet hominem, rationis usum habentem, ut patet ex traditione Ecclesiæ, qua nobis Christi uoluntas indicatur; Vnde obstetrices possunt aliquando baptizare ratione necessitatis, & ob id obligandæ sunt ad ediscendam Baptismi formam, saltem uulgari lingua: Suarez *d.* 31.*sect.* 5. Reginaldus *lib.* 27. *num.* 45. Similiter hæreticus, immò etiam paganus potest ualide conferre Baptismum, modò intentionem habeat baptizandi: quamuis peccet adultus recipiens Baptismum à pagano, propter periculum non recipiendi Baptismum defectu intentionis, aut propter periculū scandali. Toletus *l.* 2.*c.* 20.*n.* 5. Rodri.*c.* 25.*concl.* 1.

Conc. Flor. D. Thom. Vasquez. Henriq. Syluius. Suarez. Reginald. Toletus. Rodriq.

Anima uerò separata à corpore, non potest baptizare, quia non est homo, cum non possit uitaliter uerba proferre. Homo uero beatus, si baptizaret, ualide baptizaret, quia est homo Bonacina *c. p.* 5. *num.* 7. Angelus non potest baptizare, quia non est homo, & non potest esse minister Sacramentorum absque diuina dispensatione Graffiis 2.*p.l.* 1.*c.* 4. Henriquez *c.*

Bonacina.

14 Quicunque extra necessitatis casum baptizat, cui id iure, seu ex officio non competit, peccat mortaliter; Similiter culpæ lethalis reus est Sacerdos, si extra necessitatis casum non solemniter baptizet: Item mortaliter peccat alienus Sacerdos, si absque licentia proprij Sacerdotis expressa, aut rationaliter præsūpta solemniter baptizet, & multo magis mortaliter peccat laicus, qui, & sine licentia legitima Sacerdotis proprij, & sine solemnitate extra necessitatem baptizat. Consulantur Doctores hic citati D. Thomas *cit. art.* 3. *ad* 1. Syluius *ibid.* Nauar *c.* 22.*n.* 7. Suarez *d.* 31. *sect.* 4. Layman *tr.* 2.*lib.* 5.*c.* 7. Henriquez *cit.cap.* 29.*n.* 2. Reginaldus *c n* 38.

Graffis. Henriq. D. Thom. Syluius. Nauar. Suarez. Layman. Henriq. Reginald.

An autem Monachi peccent mortaliter extra casum necessitatis aliquem baptizando: *Resp.* in *cap. Placuit.* 16. *quæst.* 1 Monacho præcipi ne baptizet, & ideò uideri id prohibitum Religiosis: quod tamen intelligendum est, si id faciant absque licentia Ordinarij, iuxta ea quæ in *Clementina* 1. *de priuilegiis notantur:* ut aduertit Rodriquez *tom.* 1.*qq.reg.q.* 31.*art.* 1. Imò Iacob Grando 3.*p.contron.* 4.*tract.* 2 *disp.* 1. credit id non præcipi sub mortali in iure, & fieri posse saltem aliquando sine ueniali. Nec obstat etiam quod dicitur in Concilio Antisidioresi in *c. Monac. de cōsecr.* 1. *d.* 4. ne Monachi cōpatres cōmatresq; faciant, quia per hoc non prohibetur monachis baptizare, sed tantum ne de baptismo suscipiant filios aut filias nec commatres habeant, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum habeatur. Licet enim in baptismo duplex contrahatur compaternitas, *Prima* ex parte baptizantis, quam per actum baptizandi contrahit baptizans cum Patre, & matre baptizati. *Secunda* ex parte suscipientis, quam suscipiens siue patrinus cōtrahit per susceptionem prolis cum iisdem: sola tamē compaternitas ex susceptione prolis, Religiosis iure communi, & nobis Fratribus Minoribus, etiam per regulæ præceptum prohibetur, quia hæc sola scandalū generare potest, Porrò quod dictum est de Monachis, idem uidetur dicendum de Canonicis regularibus: quia leges disponentes de Monachis habent locum in Canonicis Regularibus, quando leges illæ fundantur in religione, & non cōtinent aliqua uerba, quibus significent non includere Canonicos, Vt docent Panormitanus *in cap* 2. *de postul.* Nauarrus *lib.* 3.*conf. tit. de stat. monac. consil.* 5.

Rodriq. I. Grando. Panorm. Nauar.

In partibus Indiarum possunt Religiosi baptizare non uiter conuersos ad fidem, etiam paruulos, in Ecclesiis tamen Monasteriorum sui Ordinis, uel extra illas in locis ipsarum partium ipsis deputatis. Ex concessione Pauli III. & Pij V. apud Rodriquez *c. art.* 3.

15 Ordo seruandus in administrando baptismo, tempore necessitatis, talis est: ut præsente uiro fœmina non baptizet, nec uir laicus præsente clerico, nec clericus licet Diaconus præsente Sacerdote, etiamsi Sacerdos urbanitatis causa cedat inuersio tamen huius ordinis non est mortale peccatum, nisi adsit Sacerdos, nam præsente Sacerdote nemo potest sine mortali peccato baptizare alioquin sibi usurparet alienum officium in re graui facile tamen potest propter ignorantiam excusari, aut etiā ob necessitatem infantis, si Sacerdos præsens nolit baptizare. Dian. *de Sacram. p.* 3.*res.* 4. & *p.* 5.*res.* 18. D. Thomas *quæst.* 67. *art.* 4. Nauar. *cap.* 22.*n.* 7. Toletus *lib.* 2.*cap.* 20. *num.* 2. Suar. *dist.* 31. *sect.* 4. Layman *c.cap.* 7.*n.* 4. Filliuc. *tr.* 2.*n.* 82. Syluius 3.*p.q.* 67.*art.* 4.

D. Thom. Nauar. Toletus. Suarez. Layman.

16 Multa requiruntur in Ministro baptismi, *Primo*, requiritur intentio baptizandi; unde ille non ualide baptizet qui solum habet intentionem iocandi uel irridendi, secus si habeat intentionem baptizandi & simul etiam iocandi: ualide etiam baptizaret ille, qui baptizat ut lucretur, uel ut occidat puerum intendens iure baptizare, & præterea occidere: nam finis extrinsecus non tollit intentionem requisitam ad Sacramentum, *Secundo*, requiritur ut minister adhibeat debitam materiam, & formam, illamque sciat applicare. *Tertio*, requiritur, ut Sacerdos solemniter baptizans existat in gratia, nam grauiter peccar qui cum conscientia peccati mortalis solemniter baptizat. Ita Suarez *d.* 31. *sect.* 5. Reginaldus *c. num.* 47.48. Graff. 2.*p.lib.* 1.*c.* 30. Tolet. *lib.c.* 20. Henriquez *lib.* 2.*c.* 29. Filliuc. *tract.* 2.*c.* 4 *q.* 8.

Suarez. Reginald. Graffiis. Toletus.

Sed quæres, an peruersa intentio Ministri in conferendo Baptismo, & aliis Sacramentis suppleatur à Deo; Responsio communis est negatiua; quia quod Deus supleat defectum Ministri in tali casu non fūdatur ulla lege, promissione, aut necessaria ratione, & intentionem Ministri necessario requiri est de fide. Ita Syluius 3.*p. quæst.* 68.*art.* 2 *ad* 4. Filliucius *tract.* 1.*num.* 80 Henriquez *l.* 1.*cap.* 10.*n.* 3. Diana *p.* 3.*tract.* 4.*resol.* 17.

Syluius. Diana. Filliucius.

Nihilominus aliqui piè credunt Deum sua infinita bonitate supplere, non quoad characterem, sed quoad gratiam; quia facienti quod in se est non deficit in necessariis, nec alligauit uirtutem suam Sacramentis, & maximè in casu quo malitia Ministri non esset nota. Ita D. Thom. 4. *dist.* 24. *quæst.* 1.*art.* 2.*quæst.* 3. Syluest. *v. Baptismus* 6.*n.* 3. Valentia *to.* 4.*dist* 3.*q.* 5.*punct.* 3. Alensis, Durādus, & Gabriel apud Filliucium supra. Verùm à communi sententia non est recedendum sine fundamento. Plura de intentione ministri. Vide infra, uerb. *Sacramentum*. 111 *num.* 3.4. & 5.

D. Thom. Syluest. Valentia.

17 In necessitate sine solemniter baptizans, non peccat graniter, etiamsi existat in peccato mortali, aut in excommunicatione Diana *tract. de Sacram. part.* 3.*resol.* 10. & *part.* 5.*tr.* 3 *resol.* 24. Suarez *tom.* 3.*dist.* 16.*sect.* 4. nō enim est minister consecratus ad hunc effectū, nec excommunicatio

Diana. Suarez.

municatio impedit, quin poſſit in neceſſitate baptizare. Vt ait Syluius *in 3 p.q.64.art 6.quæſit.1. concl.2.* quidquid in contrarium doceant; etſi non improbabiliter, Layman, Vaſquez, Conick; apud Dianam.

SVPPLEMENTVM.

De ſubiecto Baptiſmi, & eius Miniſtro.

SVMARIVM.

1 *Eccleſia Catholica ſemper docuit infantes eſſe baptizādos, contra Anabaptiſtas.*

2 *Catholicorum ſententia eſt infantes non habere fidem actualem, ſed habitualem, & præterea credere fide aliena & ipſa Baptiſmi ſuſceptione, contra Lutherum, & Caluinum.*

3 *Non habent infantes dum baptizantur, vllos motus nouos, & inclinationes ſimiles actibus fidei, & dilectionis.*

4 *Infantibus in Baptiſmo infunduntur habitus fidei, ſpei & charitatis.*

5 *Paruuli actu credunt, partim reipſa dum baptizantur, partim aliena fide.*

6 *Omnes tenentur ad Baptiſmum; adulti neceſſitate præcepti, paruuli autem neceſſitate medij.*

7 *Refutatur error Caluini docentis paruulos fidelium etiā ſine Baptiſmo eſſe Sanctos, & membra Eccleſiæ, & ſaluari ſi moriantur.*

In hoc errauit etiam Caietanus, exiſtimans in caſu neceſſitatis, ſufficere Baptiſmum in voto parentum, accedente aliquo exteriori ſigno.

8 *In adultis requiritur, & neceſſaria eſt intentio ſaltem habitualis ſuſcipiendi Sacramentum ad eius validitatem.*

9 *In periculo mortis infidelis petens Baptiſmum eſt baptizandus, ſi vtcumque expoſitæ fidei, aſſentiatur.*

10 *Adultus, qui Baptiſmum petiit ante amentiam, poſtea furiosus versus, poteſt ligari, vt ſic baptizari valeat.*

11 *Qui poteſt peccare mortaliter, poteſt baptizari inuitis parentibus, ſi Baptiſmum petat.*

12 *Quando puer baptizandus periculosè ægrotat, aſperſione aqua aliquantulum calida, baptizari debet in ea parte corporis, in qua minus nocere poſſit.*

13 *Baptiſmi miniſtratio omni tempore nunc conceditur.*

Eccleſia autem non poteſt directè hominibus non baptizatis determinare tempus, quo ad ſuſcipiendum Baptiſmum obligentur, ſed tantum indirectè.

14 *Quid de miniſtro Baptiſmi Catholici Doctores ſentiūt.*

15 *Error Caluini refutatur, qui docet nec in extrema neceſsitate licere baptizare ijs, qui non ſunt Ordinarij Eccleſiæ Miniſtri ad hoc ipſum vocati, & ordinati.*

16 *Vnus poteſt ſimul plures baptizare: ſed plures non poſſunt vnum baptizare, vt cauſæ partiales, bene tamen vt cauſæ totales.*

17 *Præſente Sacerdote poteſt laicus baptizare, ſi ille nolit Baptiſmum præbere; Si autem Sacerdos cedat iuri ſuo tantum ex vrbanitate, non poteſt tunc laicus.*

18 *Præferre peccatorem iuſto, in miniſterio Baptiſmi ſolēnis, cæteris paribus mortale eſt, ſi vterque æquale ius habeat; ſecus ſi non ſit æqualitas.*

19 *An baptizatus ab obſtetrice ſit poſtea ſub conditione rebaptizandus, varia eſt praxis Epiſcoporum.*

20 *In articulo mortis, Sacerdos etiam excommunicatus præferri debet cuilibet non Sacerdoti.*

21 *Laicus ex commiſsione Summi Pontificis poteſt in neceſsitate ſolemniter Sacramentum Baptiſmi miniſtrare.*

An autem tunc laicus peccet mortaliter, ſi in peccato mortali Baptiſmum miniſtret? videtur affirmatiuè reſpondendum.

1 Controuerſia eſt inter Catholicos, & Anabatiſtas huius temporis, de Baptiſmo paruulorum, an liceat infantes baptizare? hi enim contendunt non licere Baptiſmum tradere, niſi adultis, qui Baptiſmum per ſe flagitant: & in hoc errore conueniunt omnes Anabaptiſtæ, licet alioqui in multis rebus inter ſe diſsideant. Eccleſia tamen Catholica ſemper docuit infantes baptizandos: quod etiam Concilium Tridentinum, *ſeſſ.7.can.12.13. & 14. de Baptiſmo*, iterum cum anathematis denunciatione definiuit. (Conc. Trid) Probatur primò, ex Scripturis. Primum argumentum ſumitur à figura Veteris Teſtamenti. Nam Circumciſio erat figura Baptiſmi adeò manifeſta, vt Baptiſmus à Paulo dicatur Circumciſio. *Coloſſ.* 2. At Circumciſio dabatur infantibus; *Geneſis*, 17. cur ergo nō etiam Baptiſmus Secundum argumentum colligitur ex duobus locis Euangelij ſimul iunctis, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Hic locus probat infantes ſine Baptiſmo in æternum perire: eſt enim generalis Domini comminatio. At quòd paruuli non pereant, Dominus docet, Matth. 19. Marci, 10 & Lucæ, 18. *Sinite paruulos venire ad me; talium eſt enim regnum cælorum.* Vbi etiam Marcus dicit Dominum cōplexum fuiſſe paruulos, eiſque benedixiſſe. Tertium argumentum colligitur ex locis illis, vbi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, vt in Act. 16. dicitur Lydia baptizata, & domus tota. Et ibidem de cuſtode carceris. *Baptizatus eſt ipſe & domus eius continuò.* Et *baptizaui*, inquit Paulus, *Stephanæ domum.* 1. Corinth. 1. At certè in integris domibus rarum eſt, vt non ſint infantes aliqui. Probatur ſecundò, ex teſtimonijs Eccleſiæ, quæ tanquam traditionem Apoſtolorum id ſemper docuit, & ſeruauit. Probatur tertiò, ex rationibus. Prima eſt. Paruuli ſalui eſſe poſſunt: ſed extra Eccleſiam non eſt ſalus: igitur intrent Eccleſiam neceſſe eſt: at in Eccleſiam intrare non poſſunt, niſi per Baptiſmum: ergo baptizentur neceſſe eſt Deinde id probatur exemplo Sanctorum Innocentium, quos ſaluos eſſe Eccleſia ſemper docuit; tum etiam, quia ſi poſſunt paruuli participes eſſe peccati Adami, cur non etiam gratiæ Chriſti? Alioquin plus poſſet culpa, quam gratia, cuius cōtrarium docet Apoſtolus, *Roman.6.* Plura apud Bellarminum *de Baptiſmo, lib.1.cap.8.* (Bellarm.)

2 Secunda Controuerſia eſt de fide paruulorum, quæ requiritur in Baptiſmo, & hæc eſt cum Lutheranis, & Caluiniſtis. Lutherani enim fidem actualem, aut aliquid ſimile actuali fidei paruulis tribuunt Primus Lutherus *in lib. de captiuit. Babylonica, cap. de Baptiſmo.* (Lutherus.) Caluiniſtæ dicunt infantes non intelligere, neque credere, & tamen recte baptizari, quia iam antea ſanctificati ſunt, & membra Eccleſiæ effecti per donum electionis diuinæ, & promiſſionem parentibus factam. Ita Petrus Martyr, *in c 1. & 7. prioris ad Corinth.* Theodor. Beza, *in ſua Confeſſ. c 4. art.* 48. (Petr Mart, Theodor, Beza.) Catholicorum tamen ſententia eſt, infantes non habere fidem actualem, nec tamen omni fide carere, ſed habere fidem habitualem, & præterea credere fide aliena, & ipſa Baptiſmi ſuſceptione. Probatur primò, quòd infantes non habeant actualem fidem, quia Scriptura Deuteron. 1. & Ioan. vltim. affirmat, infantes non cognoſcere diſtantiam boni, & mali, nec vſquam excipit tempus Baptiſmi; quare ſine Scripturæ teſtimonio id Lutherus affirmat. Ita etiam Sancti Patres ſentiunt. Secundo probatur ratione: nam fides non poteſt operari in mente, niſi ex diuina reuelatione, quæ quidem aut immediatè fit à ſolo Deo; aut per organum verbi Dei prædicati, aut lecti Primus modus non eſt ordinarius, ſed rariſsimus, ac ſolis ferè Prophetis, & Apoſtolis conceſſus Non etiam ſecundo modo gignitur fides in paruulis: nam ſi verbum exorciſmi gigneret fidem certè audiretur, & intelligeretur ab infantibus: proinde attentè auſcultarent infantes; cuius contrarium videmus. Deinde exorciſmus non refertur ad fidem docendam, ſed ad Dæmones coercendos.

3 Non habent infantes, dum baptizantur, vllos motus nouos, & inclinationes ſimiles actibus fidei, & dilectionis. Hæc propoſitio cōtra figmentū Conciliabuli Vuittebergēſis, & Philippi Kemnitij, & aliorum Lutheranorum. Probatur primò, quia repugnat verbo Dei. Volunt enim Lutherani hos ipſos motus infantium ſine cognitione eſſe, & dici fidem, licet impropriè, & eo modo infantes non iuſtificari ſine aliena fide. At in tota Scriptura nuſquam habetur nomen fidei in ea ſignificatione, vt deſignet motum quemdam ſine ſenſu, & ſine cognitione: ſed potius in cōtraria, vt patet Roman. 10 *Fides ex auditu.* Secundò, repugnat rationi: quia non poteſt fieri, vt motus, & inclinatio ad credendum Deo, & diligendum Deum, ſint corporales

vix

cùm Deus sit obiectum spirituale,& altissimum,quod vix mente attingit aliquo modo potest. Si autem sint in animo est implicatio contradictionis, quòd sint absq; cognitione. Quid enim est motus intellectus, nisi intelligere? Et quomodo potest voluntas inclinari, nisi præcedente cognitione: cùm obiectum volitationis non sit aliud, nisi bonum cognitum.

4 Infantes non iustificantur sine vlla fide: quia Scriptura affirmat fidem esse medium ad salutem necessariū, Ioann. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est*. Ex quo loco D.August. Augustinus probat infantes baptizatos habere fidem ali. quam. Proinde dicendum est, infantibus in Baptismo infundi habitus fidei, spei,& charitatis, Et hoc est certum Catholicis ex auctoritate Conciliorum, & Doctorum. Nam licet aliquando disputatum fuerit, an infantes reciperent cum gratia iustificante habitus harum virtutum, tamen semper fuit communior sententia, infundi paruulis D.Thom. Scotus. per Baptismum hos habitus. Ita D. Thomas 3. *part. quæst. 69. art.* 6. Item Scotus, Durandus, Gabriel, & cæteri ferè omnes *in 3. sent. distinct.* 23. Cõstat etiam ex Scripturis iustificationem nullam esse sine fide: igitur constare debet infantes habere saltem habitualem fidem. Denique probatur ratione: nam paruuli baptizati verè dicuntur,& sūt fideles, vt Augustinus docet *libro primo, de peccatorum* Conc.Trid. *meritis, & remissione, capit.* 33. & Concil. Tridentin. *sess. 7. canon. 13. de Baptismo*. At fideles non dicuntur ab actu, sed ab habitu fidei: alioqui, cùm dormimus, aut etiam cùm vigilamus, sed de fide non cogitamus, non essemus fideles.

5 Paruuli actu credunt, partim ipsi, dum baptizan. D.August. tur, partim aliena fide. Prior pars est S. Augustini, *lib. 1. de peccator. merit. & remiss. cap.* 27. vbi dicit, infantibus ipsum baptizari esse credere, quia nimirum ipsa actio est fidei professio. Vnde Ecclesia canit Sanctos Innocentes non loquendo, sed moriendo confessos esse. Posterior pars est contra temeritatem Illyrici, Kemnitij, & aliorum, qui errorem Papisticum esse volunt, baptizari paruulos in fide Ecclesiæ. Sufficit autem ad hanc assertionem probandam, consensus Patrum, Iustini, Dionysij, Ambrosij, Augustini, Prosperi, Bernardi apud Bellarminum, *lib. 1. de Baptismo*, Conc.Trid. *cap. 11.* & denique Concil. Trident. *sess. 7. can.* 13. Nota duplicem fidem requiri in Baptismo; vnam actualem, quæ præcedit Baptismum, vt dispositio quædam: & ea est, quæ exigitur à baptizandis, cùm iubentur recitare Symbolum, & interrogantur an credant. Quæ quidem, vt plurimum iudicio grauium Doctorum non est ex habitu fidei, sed ex auxilio speciali Dei. Altera est, quæ sequitur Baptismum, quæque est pars essentialis iustificationis, & non est actus, sed habitus: & hanc intelligunt baptizandi, cùm interrogati, quid petant, respondent. *Fidem vitam æternam præ-* Conc.Trid. *stantem*, vt habemus in Concil. Trident. *sess. 6. cap. 7.* Iam igitur cùm Patres dicunt paruulos baptizari in fide parentum, aut Ecclesiæ, non loquuntur de fide posteriore, sed de priore. Vnde sensus est fidem actualem, quæ requiritur, vt dispositio ad Sacramentum, non haberi à paruulis propriam, sed alienam.

6 Omnes tenentur ad Baptismum suscipiendum, necessitate præcepti, paruuli autem necessitate medij. Prima pars probatur, Matth. 28. *Baptizate omnes gentes*, quę verba licet dirigantur ad Apostolos, indirectè tamen obligāt omnes gentes; alioquin potestas Apostolorum fuisset superuacanea, & inefficax. Ratio est, quia omnes arctissimo præcepto tenentur suscipere legem Christi, cuius initiatio & veluti ianua, est Baptismus. Probatur secunda pars, quia adulti sunt capaces præceptorum, & alia via, nempe voto Baptismi possunt saluari. Probatur tertia pars, Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Ratio est, quia nemo potest saluari, nisi cui meritum Passionis Christi communicatur, Conc.Trid. vt docet Conc. Trid. *sess. 6. c.* 3. sed paruulis non potest cõmunicari, nisi per Sacramentum Baptismi, ergo. Tribus nãmodis applicatur nobis meritum Christi, per Sacramenta, per Sacrificium Missæ, per opera bona: sed Sacrificium Missæ non confert immediatè gratiam sanctificantem; opera autem bona sunt personalia, nec vllus potest alteri obtinere primam gratiam, quia hoc Christi proprium est: restant ergo Sacramenta, quæ omnia supponunt Baptismum, adeovt vel irrita sint, vel sine fructu, si conferantur non baptizato.

Caluin. 7 Contra prædictam veritatem Catholicam errat Caluinus, *in Antidoto Concilij ad sess. 6. c. 5. & lib. 4. instit. c. 16. §. 24. & 25.* dum docet paruulos fidelium etiam sine Baptismo esse Sanctos, & membra Ecclesiæ, & si moriantur saluari: quia, inquit, non imputatur illis peccatum originale, idque ex vi fœderis Dei facti cum Abraham, Genes. 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui*. Nos enim successimus per Christum in Abrahæ posteritatem. Sed hæc est hæresis manifesta, contra verbum Christi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Contra sensum Sanctorum, qui dicunt nos non nasci, sed fieri Christianos, contra definitionem Conc.Tri. Conc. Trid. *sess. 7. can. 5. de Baptismo*. Argumentum autē Caluini, soluitur ab Apostolo, *ad Roman. 4. & 9. ad Galat.* 3. & 4. non enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ, neq; qui semen sunt Abrahæ omnes filii, &c. vbi apertè docet esse veros Abrahæ filios, & veros Israelitas, qui imitantur fidem patrum suorum: tunc ergo secundùm Apostolum incipimus esse filii Abrahæ, cùm incipimus esse fideles, quod paruuli non faciunt, nisi cùm baptizantur: illis enim baptizari est credere, vt dicit Diuus Augustinus, *supra*.

Errauit etiam Caietanus *in 3 p q. 68. art. 1. & 2.* existimans in casu necessitatis, sufficere Baptismum in voto parentum, præsertim accedente aliquo exteriori signo: nam in lege naturæ sufficiebat fides parentum ad iustificandū paruulum, similiter in lege Moysis ante octauum diem; neque enim masculi erant deterioris conditionis, quàm fœminæ, ergo etiam in lege noua erit aliquod tale remedium, ad iuuandos eos, qui sunt editi in lucē, & qui adhuc in maternis vteris concluduntur.

Sed hæc sententia nullo modo sustineri potest, & à quibusdam habetur hæretica, ab alijs erronea. Certè à nota temeritatis vindicari non potest; quia est contra communem sensum Ecclesiæ, quæ paruulos non baptizatos sē. per iudicauit perire, vt constat ex Concilio Mileuitano, & Conc.Mil. Carthaginensi apud D. Augustin. *Epist. 90. & 92.* Præter, August. quamquod statueretur Octauum Sacramentum, cùm in illam cæremoniam Caietani tota ratio Sacramenti vi- Caietan. deatur conuenire. Dicendum itaque est, quòd lex Euangelica est vniuersalis, obligatque totum mundum, cum lex Mosaica solos Iudæos obligaret; ergo oportebat vt in lege Euangelica, omnia remedia legis naturæ abrogarentur, licet ea adhuc in lege Moysis vigerent.

8 In adultis requiritur & necessaria est intentio saltem habitualis suscipiendi Sacramentum ad eius validitatem: quia licet in ministro requiratur, vt minimum virtualis, in eo tamen qui suscipit Sacramentum, habitualis sufficit, vt videlicet aliquando petierit Baptismum, nec mutarit voluntatem, etiamsi dormiat, aut amens sit dum baptizatur. Ratio est, quia minister est agens in Sacramentum, suscipiens est patiens: plus autem requiritur ad actionem, quàm ad Passionem vnde maior voluntas, & intentio requiritur in ministro ad Baptismum, quam in suscipiente. Ita Diana, *p. 3. tr. 4. ref.* 12.

9 Infideles adulti debent instrui, & probari per aliquot menses ante Baptismum: si tamen vrgeat necessitas obsidionis, vel naufragii, vel similis periculi mortis, tunc exposita fide vtcumque, si petens Baptismum assentiatur, est baptizandus: quia estò necessaria sit fides explicita mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis: non incumbit tamen baptizanti in articulo mortis, de illa rogare, quando infirmus respondere non potest, & præsumi debet explicitè actum credendi hæc mysteria habuisse, cùm auidè Baptismum petiit. Et cùm opinionum varietas versetur, an sufficiat implicita, vel explicita fides, sub conditione saltem baptizari debet: quia constat manifestè in Christum implicitè credere, qui ipsi incorporari per Baptismum exoptat. Ita Toletus, *in Summ. lib. 2. cap. 21. nu.* 5. Sancius, *in Selectis disp. 44. num.* 41.

10 Adultus, qui antequam in amentiam incideret, Baptismum petijt, postea tamen furia accensus se baptizari non patitur, potest ligari, vt sic baptizari valeat. Ratio est quia præcedens voluntas non retractata sufficit vt Baptismus dicatur voluntarius. Ita Syluester, *verb. Baptismus, 4. n.* 3. Imò si contingat adultum illum, qui Baptismum petiit, publico concubinatu viuere tempore postulati Baptismi, adhuc

mi, aduc baptizandus eſt: quia etſi ſcandaloſam vitam ageret, eo ipſo quòd baptizari popoſcit, eredendum eſt vitam in melius mutare deſideraſſe,& conſequenter ſufficientem habere diſpoſitionem, vt baptizari poſsit. Si vero ante infirmitatis tempus, vel amentiæ, Baptiſmum adultus poſtulaſſet, nec huius voluntatis mutationem vnquam habuiſſet, nec oſtendiſſet, poſtea tamen cucubinariam publicè vitam ageret, non poſtulans de nouo Baptiſmum,& in illo ſtatu in amentiam ſit verſus, vel infirmitate correptus, ita vt ſigna pœnitentiæ oſtendere nequeat, non erit baptizandus quantumcumque ſe deſideraſſe Baptiſmum oſtendiſſet ante amentiam, & ante concubinatum. Ratio eſt, quia publicis peccatoribus miniſtranda non eſſe Sacramenta, niſi ſaltem coram vno teſte ſigna pœnitentiæ oſtenderint,docet communis,ſententia Theologorum Cum ergo adultus ille poſt petitionem Baptiſmi, in publico peccato elegerit viuere, & ante tempus amentiæ, uel infirmitatis, ſigna doloris non expreſſerit, in ſtatu publici peccati perſeueraſſe erit iudicandum, cum poſt incurſam amentiam mutare uoluntatem non ualuerit. Aduerte tamen, ſi occultum ſit peccatum, & publicè poſtulauerit ante amentiam,Baptiſmum debet baptizari,eo quod peccatori occulto publicè Sacramenta poſtulanti, deneganda non ſunt, ratione uitandæ infamiæ in peccatoribus. Si autem occultum ſit peccatum, & ſolum coram miniſtro Baptiſmi poſtulet Baptiſmum, & poſt petitionem in concubinatu perſeuerauit, & in ſtatu tali eſſet ab infirmitate, vel amentia detentus, non debet baptizari. De his uide Sancium *in Selectis diſp.* *44.n.43.& ſeq.* Sancius.

11 Cum primum homo peruenit ad eum ſtatum uſus rationis, in quo eſt capax peccati mortalis, iam tunc baptizari poteſt per proprium conſenſum, parentibus etiam inuitis, antea vero non poteſt. Ratio prioris eſt, quia qui habet poteſtatem peccandi mortaliter, iam eſt dominus ſuarum actionum, & perfectè liber. Item, poteſt ſe à Deo auertere, ergo etiam poteſt ſe ad illum conuertere. Nam ſi non eſſet capax habitus, ſeu poſitiuæ conuerſionis, neque etiam eſſet capax priuationis, ſeu auerſionis, qui autem poteſt ſe in Deum conuertere, poterit etiam libere in Baptiſmum conſentire Et hinc etiam ſumitur ratio poſterioris partis, nam qui non eſt doli capax, & mortalis culpæ, non eſt etiam capax ad ſuſcipiendam fidem per proprium ac liberum conſenſum: ergo nec ad recipiendum Baptiſmum propria voluntate. Ad cognoſcendum autem, an peruenerit paruulus ad eum ſtatum, & facultatem vſus rationis, vtendum eſt ſignis, & coniecturis ex experientia deſumptis,& hominis prudentis arbitrio iudicium ferendum eſt. In dubio autem an paruulus vtatur vſu rationis, ſi neceſſitas vrgeat, inclinandum eſt, in fauorem Religionis, & fidei Chriſtianæ, & ſpiritualis ſalutis ipſius paruuli, qui magis poſſidere cenſetur ius ſe tuendi, & animam ſuam, quam parentes poſſideant ius in ipſum; in caſu autem dubio melius ius poſſidentis præferendum eſt. Vide Suarez *tom. tertio diſputatione 25.ſect.3.* Suarez.

12 Quando puer baptizandus periculosè ægrotat, & ablutio magnum illi detrimentum eſt illatura: omnis diligentia adhibenda eſt, ut caueatur omne corporis damnum,& ſalutis detrimentum, v.g. vt fiat aſperſione,quantitate modica ſufficiente, & in ea parte corporis, in qua minus nocere poſſit,& ſi oportuerit, ut aqua etiam modico calore temperetur, & ſtatim poſt aſperſionem abſtergatur, quæ omnia, ſi obſeruentur, vt ſeruari facile poſſunt, moraliter loquendo vix poteſt cogitari,aut fingi, quod ex huiuſmodi Baptiſmo augeatur mortis periculum, uel uitæ diſperatio, quantumuis infans ſit debilis, & in ultimis conſtitutus. Ratio huius obligationis eſt, quia tenemur non inferre damnum proximo, nec cooperari morti eius. Tamen uix poteſt accidere caſus, in quo propter mortis periculum omittendus ſit Baptiſmus quia detrimentum ſalutis, quod ex Baptiſmo prudenter applicato oriri poteſt, nullius fere eſt momenti, & conſiderationis, licet ſi eſt ſpes vitæ, & nullũ ſubitaneæ mortis periculum, differi poſſit, quia tunc non urget neceſſitas, nec præceptum diuinum, nec humanum. At uero, quando iam eſt mortale periculum mortis æternæ, pro nihilo habendum eſt illud detrimentum corporis, quod ex Baptiſmo accidere poteſt, quia reuera nec mors inde cauſatur, nec mortis accelleratio notabilis, aut conſiderationc digna.

13 Quamuis olim certa tempora deſtinata fuerint, uidelicet uigilia Paſchatis, ac Pentecoſtes, quibus ſolis ſacrum baptiſma conferri oportebat, niſi mortis periculũ vrgeret, Poſtea tamen cum Chriſtianus populus valde actus eſſet, & variæ occaſiones mortis contingerent. viſum fuit Prælatis Eccleſiæ Baptiſmi miniſtrationem omni tempore concedere, quamuis adhuc hodie ſolemnitas Baptiſmi Paſchali tempore vel in paucis adultis Romæ celebrari ſolet, ut notauit Rupertus *lib.4.diuinorum* Rupertus. *officior, cap.*18.Sed petes, vtrum Eccleſia hominibus non baptizatis,vel Catechumenis determinare poſſit tempus quo ad ſuſcipiendum Baptiſmum obligentur,Reſpondeo Directè non poſſe eos obligari aliquo Eccleſiæ præcepto quia Eccleſia iudicium in neminem exercet,qui nõ prius in ipſam, per Baptiſmi ianuam, fuerit ingreſſus, vt ait Conc. Trid. Trid.*ſeſſ.14.cap.2.* Sed tantum indirectè, quando cognita diſpoſitione baptizandorum, certum tempus deſignat quo ritè ac decenter baptizari poſſint; adeò, vt ſi illi neglecta hac opportunitate Baptiſmum differant, contra diuinum præceptum delinquat Ita Suarez *diſp.31.ſect.2.* Suarez. Diana *part.8.tract.1.reſol.2.* Diana.

14 De miniſtro baptiſmi Catholici Doctores communi conſenſu ſex pronunciata affirmant. *Primò* docent, ius baptizandi ex officio ordinario conuenire ſolis Sacerdotibus, id eſt, Epiſcopis,& Presbyteris: ſic tamen, vt Presbyteris conueniat cum ſubordinatione, & dependentia ab Epiſcopis. Quemadmodum enim poteſtas abſoluẽdi à peccatis datur Præsbiteris in ſua ordinatione, & tamen, quia abſoluere à peccatis eſt actus iuriſdictionis, quæ eſt Epiſcoporum propria, ideò Presbiteri non poſſunt vti ea poteſtate, niſi quantum eis Epiſcopi concedunt ita quoque de poteſtate baptizandi ſentiendum eſt. *Secundò*, docent, Diaconis quoque ex officio conuenire baptizare, ſed in abſentia Sacerdotum, aut eorum iuſſu. *Tertiò*, nunquam licerè laicis ſolemniter baptizare, neque etiam priuatim præſente Sacerdote, aut Diacono, aut eis etiam abſentibus extra caſum neceſſitatis. *Quartò*, laicis baptizatis licere in caſu neceſſitatis baptizare. *Quintò*, docent, etiam non baptizatis in caſu neceſsitatis licere Baptiſmũ dare, ſi ſciant ritum. De hoc ueteres dubij fuiſſe uidentur, ſed res difinita eſt in Concilio generali Florentino, Conc. Flor ut Auguſtinus uolebat, *lib. 2. contra epiſt Parmeniani,* D. August. *c.13. & lib.7. de Baptiſmo c.53.* Et idem multo antea ſtatuerat Nicolaus Papa, ut habetur *Can. A quodam Iudeo, de conſecrat. diſtinct.4.* Ratio eſt, quia cum non requiratur de miniſtro Baptiſmi fides, aut probitas, aut ordinatio, ut notum eſt, nulla eſt ratio, cur non ſit uerum baptiſma, quod à Pagano, aut Iudæo confertur, ſi adſint ea quæ neceſſaria ſunt ad Baptiſmi eſſentiam. *Sextò* docent non modo uiros ſed etiam fœminas in extrema neceſſitate poſſe baptizare. Ex Conc. Florentino, & Carthagin. Conc. Flor IV. *Can.*100.

15 Caluinus nouam hæreſim excogitauit *l.4.inſtit.c.* Caluinus. *15.§.20.21 & 22.* ubi docet, nec in extrema neceſſitate licere baptizare iis, qui non ſunt ordinarii Eccleſiæ miniſtri ad hoc ipſum uocati,& ordinati, quod etiam repetit in Antidoto Concilii Tridentini *ſeſſ. 7. can.10.de Sacrament. in genere* Verum licere in caſu neceſſitatis baptizare iis, qui miniſtri Eccleſiaſtici non ſunt. Probatur *Primò* exemplo Teſtamenti Veteris. Nam Exodi 4. Sephora uxor Moyſis filium ſuum circumcidit,& eo modo uirum ſuum à mortis periculo liberauit, At circumciſio figura erat Baptiſmi. *Secũdo*, probatur ex eo loco unde Caluinus ſumpſit precipuum argumentum. Matth. ultim, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Nã nos ex eo loco argumentamur. Licet miniſterium uerbi ſit proprium Apoſtolorum, & Epiſcoporum, qui eis ſuccedunt, tamen omnibus licet: imò omnes tenentur in articulo neceſſitatis docere, & inſtruere ignorantes, præſertim in periculo æternæ ſalutis, Exemplum habemus de Aquila, & uxore eius Priſcilla, *Act.* 18. quæ uidentes Apollinem quedam prædicare, cum non bene teneret fidem Domini, inſtruxerunt eum diligenter. Ergo eodem modo,

modo, licet munus baptizandi ſit proprium Sacerdotum tamen in neceſſitate licebit etiam laicis & fœminis baptizare, imò maiori ratione id licebit, cùm ſit magis proprium Apoſtolorum, & Epiſcoporum prædicare, quàm baptizare. *Tertio*, probatur exemplis Scripturæ. Nam Philippus Diaconus baptizauit, qui quidem licet non fuerit laicus, tamen non erat Apoſtolus, nec Epiſcopus, aut Sacerdos. *Act*.8. Ananias etiam Paulum baptizauit, qui neque Apoſtolus erat, neque Diaconus, ſed planè laicus. Id enim factum eſt primo anno à Paſſione Domini, quo tempore nondum erant ordinati vlli Epiſcopi, aut Sacerdotes, præter Apoſtolos; neque erant vlli Diaconi præter ſeptem. *Act*.6. *Quarto* probatur idem teſtimoniis & exemplis Patrum & Concilio Florentino, apud Bellarminum *de Baptiſmo lib*.1.*cap*.7.

Bellarm.

16 Vnus poteſt ſimul plures baptizare, dicendo ego vos baptizo. Probatur, quia Apoſtoli videntur ſic baptizaſſe, *Act*.2. cùm tria millia confluxerunt uno die ad Baptiſmum, & in neceſſitate fieri poteſt, cum morte imminente, plures ſingulatim baptizari non poſſent. Dices, plures non poſſunt vno Baptiſmo baptizari, hic autem eſt tantum vnus Baptiſmus, nempe vna ablutio & vna prolatio formæ, ergo, &c. Reſpondeo, negando minorem, nam ſunt hic plures ablutiones proximæ & plures formę nam, *Vos*, expreſſa & formali ſignificatione continet plures, vnde perinde eſt ac ſi dicatur, baptizo te & te.

Plures tamen non poſſunt vnum baptizare, vt cauſæ partiales, poſſunt autem ut cauſæ totales. Ratio prioris eſt, quia quacumque forma vtantur, dicent mendacium? Reſpondet Caietanus *in* 3.*part. quaeſt*.67. *art*.6. *ſub finem* poſſe illos vti forma Græcorum ad euitandum mendaciũ. Sed contra, quia forma illa, ſic intelligenda eſt, vt cõprehendat miniſtrum, nempe baptizetur à me, & ſic in idem recidit. Idem dicendum eſt, ſi vnus dicat, *ego te baptizo*, & alter adiiciat, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quia non eſſet vna & eadem forma, nec inuocatio Trinitatis determinaret verbum baptizandi & ſignificationem eius. Ratio poſterioris eſt, quia plures cauſæ totales poſſunt concurrere ad vnum numero effectum, vt patet in pluribus conſecrantibus vnam & eandem hoſtiam, & multi Philoſophi putant in rebus naturalibus idem poſſe fieri. Hinc intelligitur illa quæſtio, an valeat Baptiſmus his verbis collatus, *Nos te baptizamus*: nam ſi nos accipiatur pro ego, certum eſt valere, ſi autem comprehendat duos, v.g. Petrum & Paulum tunc uel ſumitur diuiſim vel coniunctim, ſi diuiſim, nempe hoc ſenſu, ego te integrè baptizo, & Paulus te integrè baptizat, ualebit Sacramentum, quia licet ſit falſum, non vitiat tamen eſſentiam formę, cum non proferatur ut neceſſarium ad validitatem Sacramenti, ſi coniunctim de dependentia vnius ab altero, ſicut cùm duo trahunt currum uel nauẽ nihil efficietur, quia falſo vterque ſeparatim affirmaret, ego traho nauem. Ad rationem enim Sacramentorum, excepto matrimonio, requiritur vnus miniſter tantum, ita ut unum Sacramentum à pluribus partialiter concurrentibus conferri non poſſit. Ita D. Thomas 3.*p.quaeſt*.66. *art*.4.*ad* 4. *& q* 67. *art*.6. communiter receptus.

D. Thom

17 Si Sacerdos præſens omninò nolit Baptiſmum dare, in neceſſitate poteſt laicus illum præbere, quia iam eſt caſus neceſſitatis, quid enim refert, quod adſit Sacerdos ſi non vult neceſſitati proximi ſubuenire? Ergo ita poteſt tunc laicus illum dare, ac ſi Sacerdos non eſſet ibi, peccabit tamen tunc Sacerdos miniſterium ſuum negando contra reuerentiam Sacramenti, & contra debitum ſui muneris & officij. At verò, ſi Sacerdos nõ omninò neget miniſterium ſuum, ſed tantum cedat iuri ſuo, concedens alteri facultatem dandi, uel ex indiſcreta quadam vrbanitate, tunc nõ poteſt laicus, nec quiuis alius non Sacerdos vſurpare tale munus ſine graui cauſa, quæ neceſſitati æquiualeat, quia Sacerdos nõ poteſt illam licẽtiam dare & inuertere inſtitutionem per ſe intentam à Chriſto contra reuerentiã Sacramento debitam, quæ in hoc negotio magis eſt penſanda, quam ius ipſius Sacerdotis. Excuſari tamen poteſt laicus à peccato mortali, tunc conferens Baptiſmum ratione ignorãtiæ, quæ in hoc negotio facile interuenire poteſt tam facti, quàm iuris: facti quidem, quia ſæpe poteſt ſine culpa timeri periculum, vbi non eſt & accelerari Baptiſmus non expectato conueniente miniſtro, ſine vera neceſſitate, bona tamen fide exiſtimata, ex zelo charitatis: iuris autem, quia licet hoc ius diuinum ſit, nõ eſt tamen tam clarum, quin facilè poſſit à communi pleb inuinci biliter ignorari. Ita Suarez *tom*. 3. *diſp*. 31. *ſect*. 4. Suarez.

18 Præferre peccatorẽ iuſto, in miniſterio Baptiſmi ſolemnis cæteris paribus, mortale eſt, ſi vterque habeat æquale ius, ſeu eandem facultatem: quia eſſet ad malum inducere, & ad grauem irreuerentiam Sacramenti. At verò, ſi non ſit æqualitas, verbi gratia, ſi peccator eſt Sacerdos, & iuſtus Diaconus, vel ſi peccator eſt Sacerdos proprius, & iuſtus ſimplex tantùm, tunc ab eo eſt petendus Baptiſmus ſolemnis, ad quem ex officio ſpectat dare, nam quando ab illo petitur, iuſtum eſt, & iure petitur, quandoquidem ille ſolus habet ius dandi, quod autem ille iniquè ſit daturus, eſt per accidens ex mala voluntate eius, quæ alteri nõ imputatur. Vide Dianam *part*.5.*tract*.3. *reſol*.18. Diana. D. Antonin. Nauarr.

19 Valde pia, & conſulenda eſt opinio D. Antonini 3. *part. cap*. 13 §.4. & Nauarus *in Man. c*. 22. *numero*. 6. teneri fœminas, quæ ex officio ſunt obſtetrices, ad ſcienda ea, quæ ſunt ſubſtantialia ad Baptiſmum, ſcilicet materiam, & formam, ſaltem vernacula lingua. Vnde præſtaret eas, antequam illud officium exerceant, diligenter examinari à viris doctis, & interogari indiuidualiter de omnibus neceſſarijs ad conficiendum Baptiſmum, videlicet de verbis formę, de quantitate aquę, & de parte corporis vbi infans debet baptizari, ne error aliquis contingat. Sed quia pleriſque in locis ſupradictum examen non practicatur, ideò quando obſtetrices domi baptizarunt, poteſt dubitari de Baptiſmo ab eis ritè collato; ne vel ſubito neceſſitatis caſu turbatæ, aliter quàm referant dixerint vel fecerint; aut ſemel, & iterum deprehenſæ, quòd bene baptizarint, deinceps malitiosè errent, ac nihilominus aſſerant, ſe more ſolito baptizaſſe. Experientia enim notum eſt multas in materia, vel forma errare, interdum per ignorantiam, vel turbationem, interdum verò per malitiam, quia ſunt ſortilegæ, ſiue ob aliud. Proinde vt paruulorum ſaluti conſulatur, in quibuſdam Diœceſibus huius Belgij ſtatutum eſt, vt baptizatus ab obſtetrice domi, poſtea cum in templum defertur, ſub conditione baptizetur. Vt docent Syluius 3.*p.quaeſt* 66.*art*.9 *dub*.2. Molanus *in ſua practica tract*.4.*cap*. 3. Verùm, ſi diligenter examinata obſtetrice, & mulieribus præſentibus in partu, inueniatur eam rectè formam ſcire; & ſi mulieres præſentes firmiter aſſerant nihil tumultuariè factum, ſed formam ritè cum ipſa aqua abluente, pronuntiatam fuiſſe, in alijs Diœceſibus non rebaptizatur. Nec refert quòd aliquæ obſtetrices reperti fuerint ſagæ ſine intentione baptizantes, ſed Dæmoni potius vouentes pueros. Reſpondeo, hoc non eſſe ſufficiens fundamentum ad rebaptizandum vniuerſim babtizatos à mulieribus. Nam etiam inuenti ſunt Sacerdotes ſimiles, magiæque addicti, de quorum poſſi intentione dubitari. Nec tamen ideò Baptiſmus ordinariè repetitur, etiam à flagitioſiſſimis datus. Vnde ſufficit morali quadam certitudine de Baptiſmo ritè collato iudicate. Hinc in Italia, Sicilia, & alibi non repetitur Baptiſmus obſtetricum. Vt teſtatur Diana *part*.5. *tract*.13. *reſol*. 86. Propterea cùm in hoc caſu diuerſæ opiniones inter recentiores Theologos reperiantur, & in Diœceſibus Manualia diuerſimode ordinent, rectè quilibet faciet, qui ſe ſui Epiſcopi ordinationi cõformabit. Vt rectè monet Iacobus Marchantius *in reſol. Paſtoral. tract*. 2. *cap*. 5.

Syluius. Molanus. Diana. Iachob. Marchant.

20 In articulo mortis, Sacerdos etiàm excommunicatus præferri debet cuilibet non Sacerdoti. Ratio eſt, quia quando pluribus conceditur priuilegium, ſeruandum eſt inter ipſos ius commune, *L. aſſiduus, C. qui potiores in pignore habeantur*, ſed iure communi ratione ſuæ conſecrationis munus baptizandi cõpetit ſolis Sacerdotibus, *cap. Diaconos, diſt*.93. *cap. Conſtat, de conſecrat. diſtinct*.4. ergo cum in extrema neceſſitate concedatur vniuerſis facultas licitè baptizandi, ſiue excommunicati ſint, ſiue non ſeruandum eſt ius commune. Ita Diana *part*.5.*tract*.9.*reſol*.87. citans pro hac ſententia Corneio *in* 3. *part. tract*. 5. *de excommunicat*. §.1. *dub* 2.*quaeſt*.4. Quamuis Suarez doceat contrarium *tom*. 5. *de cenſur. diſp*. 11. *ſect*.1. *n*. 11. *&* 12. qui cum alijs exiſtimat, duo debere concurrere ad extre-

Diana. Corneio. Suarez.

extremam necessitatem, quæ habilitat excommunicatum ad licitum ministerium Sacramenti baptismi; alterum quòd se tenet ex parte ipsius baptizandi, nempe quòd sit in articulo mortis: alterum ex parte ipsius ministri, videlicet quòd non sit alius, qui possit, & velit illud Sacramentum conferre: nam si alius ad sit, iam baptizandus non est in necessitate suscipiendi Baptismum ab excommunicato, cū habeat aliū à quo possit baptizari. Ad quod posset respon deri negando necessitatem extremam, in qua datur libera facultas baptizandi etiam excommunicatis integrari ex illis duobus, nam sufficit alterum ex parte ipsius baptizandi, quòd ratione mortis imminentis sit in necessitate recipiendi Baptismum, quamuis non sit in necessitate recipiendi illum præcisè ab illo excommunicato potiùs quàm à quocumque alio.

21 Summus Pontifex potest committere laico vt in casu necessitatis solemniter Sacramentum Baptismi ministret. Ratio est, quia cùm munus solemniter baptizandi non sit de iure diuino, sed Ecclesiastico, potest Pontifex, qui supra totum ius Ecclesiasticum potestatem habet, illud cuicumque committere. Ita Amicus *tom. 7. disp. 11. sect. 3. n. 52.* cui adde Hurtadum *de Sacrament. Baptismi, disp. 2. diffic. 4.* vbi ex communi Doctorum sententia, supponit, ex dispensatione Pontificis laicum posse solemniter baptizare in casibus, in quibus iure diuino potest baptizare.

Amicus. Gasp. Hurt.

Sed petes, an laicus existens in peccato mortali, si ministret Sacramentum Baptismi solemniter ex dispensatione Pontificia, peccet moraliter? Videtur affirmatiuè respondendum, quia sic confert Sacramentum, idque tanquam minister aliquo modo, ex oficio, vt in casu simili dicunt Doctores Diaconum baptizantem solemniter ex commissione Sacerdotis in statu peccati mortalis, peccare mortaliter: quia, & ipse tunc Sacramentum ministrat ratione ordinationis suæ quippe per quam habilis reditur, vt tale sacrum ministerium ipsi à Sacerdote committatur: cumque Diaconus in hoc suppleat vicem Sacerdotis, conuenit eum similem quoque obligationem dignè ministrandi in se suscipere. Sed quia hic casus à nullo, quem viderim, Doctore pertractatur, cogita Lector, an currat par ratio in casu nostro de Diacono ad laicum.

Vide v. Excomunicatio 2. *n. 6.* Parochia *num. 5.*

BAPTISMVS IV.

De effectibus, & ritibus Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *De primario effectu baptismi, qui est deletio culpæ tam originalis quam actualis.*
2 *Secundus effectus est deletio omnis pœnæ ob peccatum constitutæ.*
3 *Tertius est conferre gratiam iustificantem.*
4 *Quartus est conferre gratiam sacramentalem. Et quid sit illa gratia.*
5 *Quintus effectus est character.*
6 *Effectus secundarij baptismi.*
7 *Baptismus per fictionem susceptus confert suum effectum gratiæ recedente fictione. Et quotuplex fictio possit contingere in susceptione baptismi.*
8 *Cæremoniæ seruandæ cum baptismus publicè, & solemniter suscipitur.*
9 *Ritus accidentales baptismi an omitti possint absque peccato mortali.*
10 *Qui infantia ab hæreticis baptizatus fuit, an deducendus sit ad Ecclesiam, si adultus factus ad fidem Catholicam reuertatur.*

1 Effectus primarij baptismi sunt quinque. *Primò*, enim Baptismus delet omnem culpam. *Secundò*, omnem pœnam peccato debitam. *Tertiò*, confert gratiam iustificantem. *Quartò*, gratiam Sacramentalem. *Quintò*, characterem.

1 Quo ad primum attinet, certum, est de fide, Baptismum delere omnem culpam tam originalem quàm actualem, vt patet ex Conc. Trid. *sess. 5. can. 5.* Conc. Florent. Suarez *de Sacram. d. 26. sect. 1.* D. Thom. *3. p. q. 69. art. 1.* Reginald. *l. 27. n. 61.* Filliucio *tract. 2. n. 95.* Syluio *3. p. q. 69. art. 1* & ex multis Scripturæ locis.

Conc. Trid. Conc. Flor. Suarez. D. Thom. Reginald. Filliucius. Syluius.

Notandum tamen est Baptismum non esse institutum, & ordinatum ad remittenda peccata commissa post susceptum Baptismum, alioquin, non esset necessarium aliud remedium præter Baptismum, neque pœnitentia diceretur secunda post naufragium tabula: quare peccata commissa in susceptione baptismi, aut post Baptismum, non delentur per Baptismum, sed subiicienda sunt Sacramento pœnitentiæ. Vide D. Thomam, & alios.

2 Secundus effectus baptismi, est deletio omnis pœnæ ob peccatum constitutæ; vnde Concil. Florentin. decernit baptizatis non esse imponenda opera satisfactoria pro peccatis ante Baptismum commissis, hinc si quis moreretur statim suscepto baptismo absque impedimento, & obice, antequam vllam culpam admittat, statim in cœlum euolaret, ratio autem est, Christi institutio, quia per Baptismum homo Christo moritur, vt S. Paulus, *Roman. 6. Ephes. 4. & 5.* ideò perfectissimè applicatur eius Passio ad plenam totius pœnæ remissionem D. Thom. *c. art. 2. & 7.* Syluius *ibid.* Conc. Trid. *sess. 5. can. 5.* Vasquez *3. p. d. 156. c. 3. & 4.* Toletus *lib. 2. cap. 22.* Bonacina *disp. 2. quæst. 2. part. 7.* & alij communiter.

D. Thom. Syluius. Conc. Trid. Vasquez. Toletus. Bonacina.

Aduertendum est Baptismum non auferre pœnalites in hac vita, quales sunt concupiscentia inordinata, mors, ægritudines, &c. vt homo exerceat se ad luctam, & pugnam spiritualem cum merito fidei, vt deinde coronam victoriæ recipiat; vt homo etiam secum ferat testimonium lapsus *Adæ* & totius naturæ D. Thom. *c. art. 3.* Henriquez *l. 2. cap. 16. num. 7.* Reginaldus *c. n. 63.* Syluius *c. art. 3.* Præter has pœnas iure diuino inflictas, tollit etiam Baptismus pœnas quasdam iure humano constitutas, qualis est irregularitas ob delictum, & homicidium etiam voluntarium; non autem illam quæ est ob bigamiam, vel defectum natalium, & multo minùs reliquas humana potestate constitutas Fillucius *c. num. 97. & tract. 20. num. 255.* Syluester *v. Bapt. 6. num. 2.* Sayrus *de censur. lib. 7. c. 13.* post Siluester. *ex c. Vna, & ex c. Deinde, distinct. 26.* Ratio est, quia homo per Baptismum regeneratur, & fit quasi nouus homo, consequenter omnis macula, & indecentia aufertur, nisi aliter sancitum sit in aliquo casu, vt in casu bigamiæ non consurgentis ex delicto, aut nisi perseueret defectus, propter quem inducta est irregularitas. Vide v. Bigamia, *num. 4.*

D. Thom. Henriquez. Reginald. Syluius. Fillucius. Syluester. Sayrus.

3 Tertius effectus baptismi est, conferre gratiam iustificantem, simul cum reliquis virtutibus, & donis, quæ gratiam consequũtur, modò non sit obex ex parte suscipientis: hæc autem gratia pueris confertur in æquali gradu, adultis verò inæqualis confertur pro ratione maioris vel minoris dispositionis, Conc. Trid. *sess. 7. cap. 6. 7. & 8.* D. Thom. *c. art. 8. & 4.* Suarez *d. 28. sect. 9.*

Conc. Trid. D. Thom. Suarez.

4 Quartus effectus, est conferre gratiam sacramentalem: hæc autem non est aliquis habitus distinctus à gratia habituali, sed vel ipsamet iustitia baptismi, quatenus secum affert remissionem culpæ & pœnæ, vel aliquod maius auxilium, quo homo frequentius, & vehementiùs excitatur ad superandum concupiscentiæ fomitem, & ad exercenda munera ad quæ Baptismus obligat, vel vtrumque: Henriquez *lib. 2. c. 16. num. 7.* Filliucius *num. 99.*

Henriquez. Filliucius.

5 Quintus effectus baptismi, est Character, propter quem Baptismus, non potest iterari, si ritè semel collatus sit, quia indelebilis est; hoc autem signo in substantia animæ impresso, distinguitur fidelis; ab infideli fit potés, & aptus ad recipienda alia Sacramenta; nec requiritur ad illum dispositio in adultis præter voluntatem recipiendi Sacramētum imò imprimitur etiam in anima, quamuis recipiens Baptismum commiserit peccatum mortale in ipsius susceptione, quia peccatum non impedit effectum characteris, qui non habet contrarium. Vide infrà, v. Character. Conc. Trid. *sess. 7. can. 9.* Graffiis *2. p. lib. 1. c. 1. num. 10. & 11.* Valentia *tom. 4. disp. 4. quæst. 1. punct. 4.* Suarez *disp. 11. sect. 1. & disp. 31. sect. 6.*

Conc. Trid. Graffis. Valentia. Suarez.

Quando autem dubitatur de validitate baptismi, iterari potest sub conditione; quocirca si infans alicuis de recenti natus expositus inueniatur in locis Christianorum, baptizari potest sub conditione, nisi ad sit signum vel rationabile

Filliucius. Bonacina. Syluester.

tionabile iudicium collari baptiſmi, in qua re iudicio prudentis viri ſtandum eſt. Filliucius, *c. n.* 149. Bonacina, *c. p.* 7. *n.* 11. Sylueſter, *v. Baptiſm.* 4 *n.* 7.

D. Thom. Henriq. Reginald. Vaſquez.

6 Effectus ſecundarij baptiſmi ſunt tres præcipui; *Primus* eſt apertio ianuæ cęleſtis, ſequitur enim ex eo quod remoueat impedimentum omnis culpæ, & pœnæ. *Secundus*, eſt coniunctio hominis cum Chriſto, illuminat enim, & fœcundat ſpiritualiter conferendo gratiam, & virtutes. *Tertius* ſubijcit hominem iuriſdictioni Eccleſiæ vnde baptizatus obligatur ad ſeruanda Eccleſiæ præcepta, quia implicitè promittit obedientiam Eccleſiæ, D. Thom. *c. art.* 7. Henriquez, *lib.* 2. *c.* 18. *&* 19 Reginaldus, *c. nu.* 64. Vaſquez, *c. diſp.* 156. *n.* 68.

D. Auguſt. D. Thom. Syluius. Sayrus.

7 Quando contingit impediri effectum gratiæ per fictionem, certum eſt ſecundùm omnes Theologos, Baptiſmum conferre ſuum effectum recedente fictione; quia proprius effectus Baptiſmi eſt regenerare, remittere originale, & mortalia commiſſa ante Baptiſmum; idque illi ita conuenit, vt à nullo alio Sacramento conferri poſſit, ideo enim dicitur medium neceſſarium, ergo neceſſe eſt ablata fictione, vel operari ſuum effectum, vel iterari; hoc ſecundum fieri non poteſt: ergo primum. Et ideo ita planè redit eiuſmodi effectus, cùm recedit fictio, ac ſi tunc applicaretur Baptiſmus. Ita D. Auguſt. *lib.* 1. *de Bapt. c.* 12. D. Thom. 3. *p. q* 69. *art.* 10. Syluius, *ib.* Suarez, *diſp.* 28. *ſectione quarta, & quinta.*

Filliuc. Syluius. Vaſquez.

Notandum tamen eſt triplicem fictionem poſſe contingere. *Prima* eſt, cùm quis accedit ſine intentione, & hæc facit Sacramentum irritum. *Secunda*, cum quis accedit cum complacentia peccati venialis, & hæc non eſt propriè fictio, nec impedit principalem effectum gratiæ, & donorum. *Tertia* eſt, quando adeſt complacentia peccati mortalis, & hæc propriè dicitur fictio, & impeditis etiam qui non habet attritionem debitam, dici poteſt fictus. Filliucius, *tract.* 2. *n.* 110. *& ſeq.* Syluius, *c. art.* 9. Vaſquez, 3. *p. diſp.* 159. *cap.* 2.

Dicendum ergo eſt illum, qui recipit Baptiſmum ſine præuia intentione, debere illum de nouo recipere, quia prior Baptiſmus fuit omninò inualidus; qui verò recipit Baptiſmum ſine attritione, & fide, ſatisfaciet auferendo obicem, & defectum attritionis, & fidei, qui cõmiſſus fuit in ſuſceptione Baptiſmi, modò Baptiſmus bona fide ſuſceptus ſit. Qui verò Baptiſmum accepit mala fide, & cum fictione, quæ dicitur cum peccato, requiritur contritio, vel Sacramentum Pœnitentiæ, ad recipiendum fructum Baptiſmi; quia tam ipſamet fictio, quàm cœtera, ſunt verè commiſſa poſt Baptiſmum ergo non poſſunt per ipſũ deleri, ergo per pœnitentiam: quoniam autem vnum peccatum deleri non poteſt ſine alijs, neq; poterit Baptiſmus delere commiſſa ante Baptiſmum, niſi etiam deleatur id quod commiſſum eſt poſt Baptiſmum, vel in ſuſceptione Baptiſmi. Ita Doctores hic citati. Henriquez, *libr.* 2. *c* 27. Valentia, *tom.* 4. *diſp.* 4. *q.* 4. *punct.* 2. Diana, *de Sacrament. reſol.* 14. *p.* 3. Bonacina, *de Bapt. diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 13. *&* 14. De la Crux, *in direct. p* 2. *q.* 4. *dub.* 4. Victoria, *de Sacram. q.* 23. Syluius, *cit. art* 10.

Henriq. Valentia. Diana. Bonacina. De la Crux. Victoria. Syluius.

8 Cùm Baptiſmus publicè, & ſolemniter ſuſcipitur, aliquæ in eo ſeruandæ ſunt cęremonię, quas optimo quidem iure, tum ad inſtructionem noſtram, tùm ad Sacramenti ſignificationem, efficaciam, ac reuerentiam Catholica præſcripſit Eccleſia; & quidem antequam eo quis initietur, quaſi ſub Chriſti vexillo depugnaturus; ſua primò dat nomina, deinde examinatur, abrenunciat operibus Satanæ, fidem profitetur; tùm à Sacerdote ſigno Crucis, exorciſmo, ex ſufflatione, manum impoſitione, vnctione munitur. Denique lingua ſale, nares, & aures ſaliua tanguntur, totique corpori indicitur abſtinentia. Cùm verò ſacro myſterio imbuitur, primò Nomen imponitur, eique ſuſceptor datur; tum aqua confectatur, ad extremum illa perfunditur. Poſt Baptiſmum autem datur oſculum pacis, Chriſmate inungitur, cereum geſtat accenſum, candidam veſtem induit, & lac vnà cum melle delibat. Atque hæc quidem adultis; Infantibus uerò illa tantùm adhibentur, quæ per ætatem licent: de ſignificationibus harum cęremoniarum videndi ſunt citati Auctores, D. Thomas, *c. quæſt.* 71. *artic.* 2. *&* 3. Syluius, *ibid.* Toletus, *lib.* 2. *capit.* 23. Layman, *lib* 5. *tract.* 2. *cap.* 8. Suarez, *c. diſp.* 30. *ſect.* 1. *&* 2.

D. Thom. Syluius. Toletus. Layman. Suarez.

Reginaldus, *lib.* 27. *cap.* 5. *à num.* 32. *ad* 36. Filliucius, *tract.* 2. *cap.* 7. Henriquez, *lib.* 2. *c.* 13. *&* 15.

Reginald. Filliucius. Henriquez.

9 Non poſſunt ritus quamuis accidentales omitti abſque peccato mortali ex ſuo genere, quamuis aliquando paruitas materię poſſit à mortali excuſare Concil. Trid. *ſeſſ.* 7. *can. vlt. de Sacram.* Bonacina, *c. p.* 7. *n.* 18. 19. *& ſeq.* vnde grauiter peccat, qui ſolemniter baptizat in aqua non benedicta; & qui ſine neceſſitate baptizat extra Eccleſiam, quia *in Clementina vnica de Baptiſmo*, hoc ſub grauibus pœnis prohibetur. & ibidem inſuper pręcipitur vt in Eccleſijs ſint fontes ad hoc Sacramentum deputati. Textus enim ait: *Præſenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut alijs priuatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint: aut talis neceſſitas emerſerit propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur, quod alij attentare ſimilia non præſumant.* Hæc ibi Ex quo colligitur citra neceſſitatem non licere baptizare ſine cæremoniis, vt aſſecuretur puer, & poſtea tempore Parentibus, aut Patrinis opportuno, adhibeantur cæremoniæ. Ratio eſt quia inuertere ordinem cæremoniarum, vt poſtponãtur Baptiſmo cæremoniæ, quæ debent præcedere ex inſtituto ipſius Eccleſiæ, cenſetur grauis materia; vnde tollenda eſt praxis quę hoc tempore inualeſcit, vt Paſtores in pagis, vbi aliquis eſt Domicellus, vel vbi auctoritatis alicuius vir id poſcit, ſtatim baptizent puerum à natiuitate, ſed cæremonias differant ad libitum parentum expectantium Patrinos: quo autem iure id faciunt, non apparet; quia obſtat prædicta Clementina, & ideo opere pretium foret, vt Epiſcopi publico decreto Paſtoribus ſuam mentem ea de re indicarent; tum ad importunitatem, quę eis ſolet inuehi propulſandam: tum enim ne ipſi Paſtores, aut alij id petentes ab eis exiſtiment hoc communiter licitum, ob conſuetudinis preſcriptum; quæ tamen errori videtur adſcribenda, aut adulationi. Plura de his apud Vaſquez, 3. *part. diſp.* 166. *cap.* 2. Layman, *lib.* 5. *tract.* 2. *capit.* 8. *num.* 8. Nauarrum, *cap* 22. *num.* 7. Marchantium, *in reſol. paſtor tract.* 2. *cap.* 3. Syluium, *part.* 1. *reſolut. verb. Baptiſmus, IV.*

Conc. Trid. Bonacina.

Vaſquez. Layman. Nauarrus. Mercerus. Syluius.

Item nõ eſt licitum extra neceſſitatem baptizare adhibito Chriſmate alterius anni. In partibus tamen Indiarum poſſunt Religioſi vti Oleo Sancto. & Chriſmate antiquis vſque ad quatuor annos, quia in his partibus ſine difficultate magna nouum oleum, & balſamum habere non poſſunt, *cap. Si quis de alio, diſt.* 4. Nauarrus, *cap.* 21. *num.* 74. Layman, *cap. num.* 10. Sà, *v. Bapt. num.* 5. Ex conceſſione Gregorii XIII. apud Rodriguez, *tom.* 2. *qq. regul. quæſt.* 31. *art.* 5. Mirandam, *tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 4. qui nouiſsimus docet Sacerdotes vti poſſe etiam in his partibus, veteri oleo, & Chriſmate, ſi nondum aduenit nouum; quia paruuli propter tenellam eorum ætatem, ſemper ſunt in periculo mortis, etiam citra mortis articulum. Adulti tamen non poſſunt baptizari veteri Chriſmate, in mortis articulo. Porrò quando quis fuit domi baptizatus ſine cæremoniis ab Eccleſia præſcriptis, ſupplendæ ſunt ſolẽnitates à Parocho in Eccleſia; vt Sacramentum completè adminiſtretur non ſolùm quoad ſubſtantialia, verùm etiam quoad accidentalia.

Rodriguez. Miranda. Nauarrus. Layman. Sà.

Notandum tamen eſt, Poſſeuinum, *de officio Curati, c.* 6. *n.* 23. docere, quòd ſi quis omitteret ſupplere in Eccleſia ſolẽnitates omiſſas in priuato Baptiſmo, ſecluſo contẽptu, non eſſe niſi peccatum veniale. Hanc doctrinã refert Diana, *p.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 6. An autem approbet, non ſe explicat; ſed meo iudicio hæc doctrina nullo pacto ſequenda eſt; quia omittere has cæremonias, eſſet omittere publicam profeſſionem fidei, & publicam acceptationem intra gremiũ Eccleſiæ, & aggregationẽ publicam inter fideles, quę procul dubio eſt res grauis circa profeſſionem Religionis Chriſtianæ; atq; adeo abſq; peccato mortali omitti nõ poteſt: quod probatur etiam ex conſuetudine, quæ cùm ſit optima legum interpretatrix, declarat hanc obligationem eſſe grauem; cùm vnuſquiſque infallibiliter eam ſeruet, exiſtimans omninò ſeruandam eſſe ſub graui culpa. Ob-

Poſſeuinus.

ſeruan-

seruandum tamen est, ut cùm minister homini baptizato dæmonis eiectionem, atq; gratiæ cœlestis donum præcatur, intentionem suam referat ad perfectiorem diaboli, qui numquam omninò infestare desistit, repulsam, uberioremque gratiæ cœlestis communicationem.

Quando autem fuit Baptismus cum solemnitate inualidè administratus, secundù n multos repetendæ sunt etiã solemnitates, quia destructo subiecto destruitur accidẽs. Henriquez, *lib. 2. c. 15. n. 4.* Reginald. *c. nu. 34.* Alii tamen negant, & meritò, nisi aliter usu receptum sit, ut Bonacina citatus. Vide Dianam, *p. 5. tr. 3. resol. 7.* — Henriq. Reginald Diana.

10 Qui ab hæreticis in infantia absque solemnitatibus baptizatus fuit, si postea ad fidem Catholicam adultus reuertatur, non est ad Ecclesiam deducendus, ut omissæ solemnitates suppleantur, Layman, *c. nu.* 10. ne rudis populus existimare possit, nos hæreticorum baptisma debita formà collatum, tanquam minùs ualidum improbare: tamen si sine scandalo fieri possit, nihil erit alienum ab Ecclesiæ uniuersalis consuetudine, etiam in adultis præsertim adolescentibus, omissas solemnitates supplere. Imò consultum foret (ex Synodo 2. Prouinc Mechliniensis per Paulum V. approbata) si ab hæreticis baptizati sub conditione baptizarentur, quia iustissima ratio dubitandi est de ueritate Baptismi illorum, qui hoc tempore Sacramentorum formas peruertunt, & materiam contemnunt, & ab Ecclesiæ intentione mentem alienam habent. Adulti tamen, qui conditionaliter baptizantur, debent cõfiteri peccata post primum Baptismum commissi, ne si fortè primus ille fuisset ualidus, secundus nihil efficeret, ideoque nec peccata remitteret. Ita Syluius, *3. p. qu. 66. art. 9. quæsit. 3.* — Layman. Syluius.

De Patrino adhibendo in hoc Sacramento uide *infra* u. *Matrimonium, 7. n. 26. & seqq.* & *v. Confirmatio, n. 11.*

Vide *Character*, n. 3. 4. 5. *Matrimonium*, 7. n. 29 *Irregularitas*, 8.

SVPPLEMENTVM.

De Effectibus, & Ritibus Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *Per Baptismum tollitur reipsa id omne quod habet in homine rationem peccati. Contra hæreticos.*
2 *Omnes infantes recipiunt æqualẽ gratiã baptismalem.*
3 *Per Baptismum incorporamur Christo, illuminamur, ac fœcundamur.*
4 *Gratia, quæ confertur infantibus per Baptismum, excedit eam, quæ dabatur per Sacramentum legis naturæ, aut per Circumcisionem.*
5 *Ex defectu dispositionis fieri potest, ut adulti nullum effectum gratiæ per Baptismum recipiant.*
Qui ponit obicem gratiæ sanctificanti, præter characterem potest recipere fidem, & spem sine charitate.
6 *Ablata fictione, datur totus effectus Baptismi cum tota extensione, & intensione, cum qua in principio daretur, si fictio non interfuisset.*
7 *Recedente fictione, redit gratia minima, quæ ex opere operato dari potest per Baptismum.*
8 *Quando tollitur fictio per Sacramentum Pœnitentiæ, vtrumque Sacramentum per modum vnius agentis integri concurrit ad dandam gratiam.*
9 *Peccata ante Baptismum commissa remittuntur vi Baptismi, reliqua per pœnitentiam subsequentem.*
10 *Peccatores ad Baptismum accedentes, non tenentur sua peccata confiteri.*
11 *Ex institutione Ecclesiæ in Baptismo solemni, persona adhibetur, quæ baptizatum suscipiat de sacro fonte.*
12 *Susceptor tenetur baptizatum instruere in rebus fidei, & morum, quæ ad salutem sunt necessaria.*
13 *Susceptor esse non potest hæreticus, vel non baptizatus Abbas vel Monachus.*
14 *Ex Concilio Tridentino vnus tantum siue vir, siue fœmina vel ad summum vnus, & vna baptizatum de Baptismo suscipere debent.*
Duo viri, vel duæ fœminæ non possunt baptizatum de sacro fonte leuare.

15 *Conuenientissimus fuit vt Baptismus solemni ritu aliquo in Ecclesia traderetur. Est de fide.*
16 *Instructio, significatio, efficacia, decentia, aut reuerentia Sacramenti, sunt causæ cæremoniarum Baptismi.*
17 *Olim in fluuijs, fontibus, ac priuatis domibus, & alijs locis baptizabantur fideles: nunc verò in singulis Parochialibus Ecclesijs sunt baptisteria designata.*
18 *Qui ritus obseruandi sint circa formam, & materiam Baptismi.*
19 *Catechismus ante Baptismi, alius est adultorum alius paruulorum.*
20 *Cæremoniæ, quæ specialiter in Catechismo adultorum fiebant.*
21 *Catechismus paruulorum etiam est antiquissimus.*
22 *Exorcismus, qui præcedit Baptismum, varijs cæremonijs perficitur.*
23 *Cæremoniæ sequentes Baptismum, quæ sint.*
24 *Patrinus, qui aduocatur ad cæremonias solum; cognationem non contrahit.*
Tolerabilius est differre cæremonias subsequentes baptismum, donec Patrinus aduenerit, quam præcedentes.
In aliquibus Diœcesibus Pastoribus inhibetur Patrinorum officium suscipere.
Susceptor in Baptismo talis ætatis esse debet, vt sit doli capax.

1 FVit hæresis antiquissima Origenistarum, peccata non tolli per Baptismum, sed solum tegi tolli autem peccata tandem per mortem. Hoc idem docent omnes Lutherani. Nam Lutherus ipse *art.* 2. ex iis, quos anno 1520. Leo X. damnauit, sic ait; *In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum, & Christũ simul cõculcare.* Deinde in assertione eiusdem articuli, *Aliud est*, inquit, *omnia peccata remitti, aliud omnia tolli; Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit, sed incipit tollere.* Idem docet Caluinus in Antidoto Concilij Tridẽtini *sess.* 5 vbi refellit decretum de peccato originis. *Manet*, inquit, *unde peccatũ in nobis, neq; per Baptismum statim vno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullũ est.* Idẽ habet *l. 4. inst. c. 15 §. 10. & 11.* Fũdamentũ illorũ est, quia putant ipsam concupiscentiã, quã certum est manere etiam in baptizatis vsque ad mortem, esse verẽ, & propriè peccatum, licet ei non consentiamus, sed repugnemus. Contra hunc errorem grauissimum statuit Concilium Tridentinum *sess.* 5 decretum, quo affirmat per Baptismum tolli reipsa id omne, quod habet in homine rationem peccati. Probatur ex Scripturis Baptismo realiter tolli omnia peccata, ita vt non solum non imputentur; sed nec sit, quod imputari possit ad culpam. Et quidem primò sunt Scripturæ, quę habent vocabula mũdandi, lauandi, tollendi, delendi, auferendi, & similia; quę non possunt nisi ineptissimè exponi per non imputari. Non enim rectè dicitur, quis tollere ignorantiam, vel malitiam ab alio, quia ignoscit illi, quod aliquid ignoranter, vel malitiosè fecerit. Loca autem sunt hęc, psalm. 50. *Dele iniquitatem. Amplius laua me.* Micheæ 7. *Aufers iniquitatem.* Ioannis 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ.* — Lutherus. Caluinus.

2 Omnes infantes recipiunt æqualem gratiam baptismalem. Ratio est, quia sicut non possunt ad gratiam se disponere per proprium actum: ita non possunt ratione dispositionis maiorem, aut minorem gratiam accipere. Adulti verò inæqualiter dispositi inæqualem gratiam accipiunt: quod commune est omnibus Sacramentis, quæ operantur instar causæ naturalis, ideoque iuxta dispositionem subiecti. Ita D. Thom. *3. p. q. 69. art. 8.* Nugnus, Syluius, *ibid.* Quòd verò nonnulli opinantur quibusdã paruulis in Baptismo dari maiorem gratiam, vel ratione prædestinationis, vel ex deuotione ministrorum, nullo fundamento niti videtur. Probatur, quia Deus eum quem prædestinauit ad maiorem gloriam, etiam, regulariter loquendo, prædestinauit ad maiorem gratiam, per ordinaria media consequendam: Baptismus autem non est medium ordinarium ad maiorem gratiam illi, qui non est magis dispositus. Tum quia effectus Baptismi est vi operis operati: ergo vbi est idem opus neque nulla est varietas dispositionum subiecti, est idem effectus. — D. Thom. Nugnus. Syluius.

3 Per Baptiſmum incorporamur Chriſto, illuminamur, ac fœcundamur. *Primò* ratione gratiæ, & charitatis, per quam homo vnitur ſpiritualiter Chriſto. Item ratione characteris, per quem ſpeciali modo conſignatur, vt ſit membrum Chriſti, & Eccleſiæ. *Secundo*, ratione fidei, eſt enim fidei Sacramentum, & ſpecialis eius profeſſio. *Tertiò*, aliarum virtutum ratione, & bonorum operum ab eis procedentium. Ita D. Thomas 3. *p. q. 69. art.* 5. Syluius *ibid.*

D. Thom. Syluius.

4 Gratia, quæ confertur per Baptiſmum infantibus, licet ſit minima inter baptiſmales; tamen excedit eam, quę dabatur per Sacramentum legis naturæ, aut per Circumciſionem: quia hoc pertinet ad plenitudinem legis gratiæ, in qua, & homines aſſumuntur, & per Baptiſmum conſecrantur ad perfectiorem ſtatum, magiſque ſpiritualem, quàm in lege veteri; & Chriſti merita re ipſa iam exhibita copioſius operantur. Item non eſt improbabile excedere minimam gratiam, quæ datur per Sacramentum pœnitentiæ, Extremam Vnctionem, & ſimilia Sacramẽta: quamuis omnis hæc comparatio incerta ſit, ſicut etiam incertum eſt, quot gradus gratię per Baptiſmum paruulis conferantur. Vide Suarez *tertia parte, tom. 3. disput. 28. sect. 3.*

Suarez

5 Ex defectu diſpoſitionis interdum fieri poteſt, vt adulti nullum effectum gratię per Baptiſmum recipiant. Ratio eſt, quia Sacramenta non dant gratiam ponenti obicem.

Item, ex imperfectione diſpoſitionis, poteſt effectus Baptiſmi minui, aut ex perfectione diſpoſitionis augeri: quod intellige quoad ea quæ reſpondent diſpoſitioni ſubiecti, & ſic adultus maiorem gratiam recipit in Baptiſmo, quàm infans quia melius eſt diſpoſitus.

Sed dubium eſt, an is qui ponit obicem gratiæ ſanctificanti, nihil recipere poſſit per Baptiſmum præter characterem? videtur enim non poſſe recipere fidem: quia fides nunquam infunditur extra Baptiſmum ſine charitate; ergo nec in Baptiſmo. Antecedens probatur, quia Catechumenus neque eſt Chriſtianus, neque fidelis, ergo non habet fidem. Dicendum tamen eſt, eum, qui in Baptiſmo ponit obicem gratiæ ſanctificanti, poſſe recipere fidem, & ſpem ſine charitate. Ratio eſt, tum quia accedens ad Baptiſmum poteſt non ponere obicem fidei, & ſpei, ſed habere diſpoſitionem ſufficientem ad illas credendo, & ſperando. Tum quia, ſicut fides, & ſpes in ſui conſeruatione non pendent à charitate ita nec in infuſione; vnde D. Thomas 2. 2. *quæſt. 6. art. 2. ad* 3. ponit aliquem recipere poſſe à Deo fidem ſine caritate. Ad argumentum autem in contrarium negatur antecedens; ad eius confirmationem negatur conſequentia: ordinariè enim non fit aliquis Chriſtianus, & de numero membrorum Eccleſiæ per ſolam fidem, niſi fidei Sacramentum accipiat. Ita Suarez *diſp. 28. sect. 3. §. vna ſuperat*, Syluius *tertia parte, quaſt. 69. art. 9.* & alij.

D. Thom.

Suarez. Syluius.

6 Datur effectus totus Baptiſmi, ablata fictione, cùm tota extenſione, & intenſione, cum qua in principio daretur, ſi fictio non interfuiſſet. Nam in primis datur gratia ſanctificans ex opere operato, & omnes virtutes, & dona: deinde datur remiſſio pecati originalis, & omnium mortalium quæ cum illo coniuncta ſunt: non tamen omnia eodem titulo, & ratione; nam quæ commiſſa fuerunt ante Baptiſmum, per ſe tolluntur virtute illius: quæ verò commiſſa ſunt, poſt Baptiſmum, tolluntur concomitanter, & per accidens reſpectu Baptiſmi, & per ſe reſpectu pœnitentię, ſau in voto eius. Denique datur remiſſio recedente fictione peccatorum venialium, quę commiſſa ſunt ante Baptiſmum, & pœnæ, quę his reſpondet, ſi tamen fictio tollatur reſpectu illorum ita vt non perſeueret homo in complacentia eorum. Ratio eſt, quia ſicut poteſt peccatum mortale remitti ſine veniali, ita poteſt tolli fictio vt impedit remiſſionem mortalium, & non vt impedit remiſſionẽ venialium. At verò venialia commiſſa poſt Baptiſmuũ, nec per ſe, nec per accidens recedente fictione tolluntur; quia Baptiſmus non habet efficaciam circa peccata commiſſa poſt illum, & nec remiſſio peccatorum venialium, habet neceſſariam connexionem cum remiſſione mortalium; ſi de tolluntur iuxta diſpoſitionem, per quam tollitur fictio. Ita D. Thomas 3. *p. q. 69 art.* 10. Syluius *ibidem* Suarez *diſp. 28 sect.* 4. & alij communiter.

D. Thom. Syluius. Suarez.

7 Recedente fictione redit gratia minima quæ ex opere operato dari poteſt per Baptiſmum, quæ nec eſt illa, quę datur infantibus, & cuicumque nec obicem contrarium nec diſpoſitiuã diſpoſitionem ad gratiam habenti. Ratio eſſe poteſt: quia in huiuſmodi homine, nulla eſt diſpenſatio ad Baptiſmum ratione cuius excedat illum minimum gradum effectus gratiæ; quia diſpoſitio ad Baptiſmum dignè ſuſcipiẽdum, ſolum eſt quando ipſe Baptiſmus ſuſcipitur; tunc autem nulla fuit talis diſpoſitio, ut ſupponitur, ergo non eſt unde effectus gratiæ excedat dictum intenſionis gradum. Dici autem poteſt dari iuxta qualitatem actus, quo fictio remouetur. Ratio eſt, quia Baptiſmus ſemel ſuſceptus, tam efficax eſt ad operandum recedente fictione quam in principio actu exiſtens: ergo tantum gratiam dat, recedente fictione cum tali diſpoſitione uerbi gratia, contrictione ut quatuor, quantam in principio daret ſi cum eadẽ ſuſceptus fuiſſet, quia eſt eadem cauſa, & eadem virtus, in qua perinde eſt manere in acceptatione diuina ac ſi actu exiſteret. Vide Suarez 3. *p. tom. 3. diſp. 28. sect. 4.*

Suarez.

8 Quando tollitur fictio per Sacramentum pœnitentiæ utrumque Sacramentum per modum unius agentis integri concurrit ad dandam gratiam, ita ut mutuo ſe iuuent, & totus effectus ſit à ſingulis à neutro tamen independenter ab alio ſed cũ neceſſaria dependentia ab utroque ſimul, ſiue illa dependẽtia tota ſit phiſica, ſiue moralis ſiue ex utraque mixta. Neque hoc erit contra uel præter inſtitutionem talium Sacramentorum: nam ſingula Sacramẽnta habent ex inſtitutione ſua virtutem ad pręſtandum ſuum effectum gratię, vel per ſe ſolum, ſi nullum adſit impedimentum, vel ſimul cum alio Sacramento, ſi occaſio uel neceſſitas ſubiecti id requirat: & tunc conſequenter habent alia Sacramenta ex inſtitutione ſua, vt ſe ſe poſſint iuuare, cooperari ad ſuos affectus, iuxta ſubiecti capacitatem, & neceſſitatem. Et hæc videtur eſſe communis ſententia Theologorum.

9 Peccata ante Baptiſmum commiſſa, remittuntur vi Baptiſmi, reliqua per pœnitentiam ſubſequentem. Probatur prior pars, quia Eccleſia non habet poteſtatem in non baptizatum, vnde peccata ipſius, non ſubduntur clauibus Eccleſiæ. Probatur poſtarior pars, quia Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum eſt neceſſarium, ad remiſſionem peccatorum. Vnde talis debet poſtea cõfiteri, ſe indigne ſuſcepiſſe Baptiſmum, non tamen eſt neceſſe, vt exprimat cauſam fictionis, ſeu permanendi in peccato; nam hæc voluntas eſt prior Baptiſmo: ſuſceptio ſacrilega eſt poſterior: quod quo modo verum ſit, fuſè tractat Suarez, *diſp. 28. sect. 5. concl.* 3

Suarez.

10 Dubium eſt, an peccarores ad Baptiſmum accedẽtes, teneantur ſua peccata confiteri? Ratio dubii ſumitur ex conſuetudine primitiuæ Eccleſiæ, de qua ſæpè apud veteres Patres, vt Tertullian. lib. de Baptiſmo, *cap. 20. Ingreſſuros*, inquit, *Baptiſmus, orationibus, ieiuniis, & Confeſſione omnium retro delictorum, &c.* Similia ſunt apud Nazianzenum, Baſilium, Chriſoſtomum, *in 3. c. Matth.* vbi accedentes ad Baptiſmum Ioannis confitebantur peccata ſua, & ratio eſſe poteſt, quia Confeſſio videtur neceſſaria ad medicinam faciendam pręteritis peccatis, & vt Eccleſiæ conſtet de bona diſpoſitione baptizandi. Nihilominus dicendum eſt hanc confeſſionem eſſe quidem vtilem, non tamen neceſſariam, nec ſacramentalem. Probatur prima pars, quia ad multa poteſt valere hæc Confeſſio, ad humilitatem, ad curationem peccatorum, ad ſpiritualem inſtructionem, ad augmentum veræ pœnitẽtiæ, &c. Probatur ſecunda pars, quia medicina curatiua in hoc negotio nõ eſt neceſſaria, cũ ſufficiat Baptiſmus, & Eccleſia poſſit aliunde certior fieri de bona voluntate baptizãdi. Probatur tertia pars, quia nemo ante Baptiſmum capax eſt Sacramenti pœnitentiæ: imò peccata ante Baptiſmum commiſſa, nõ ſunt ſufficiens materia abſolutionis ſacramentalis, quia ſunt commiſſa extra forũ Eccleſiæ. Illa itaq; conſuetudo antiqua habuit rationem conſilij & cuiuſdam actus humilitatis, & fortè non erat exacta Confeſſio, ſed quædam manifeſtatio conſcientiæ ad inſtructionem, & directionem. Atque hinc intelligere licet, quid ſentiendũ ſit de pœnitentiis, & ſatisfactionibus, quæ ante Baptiſmũ præmitti in Eccleſia primitiua ſolebant; nõ enim erant ſatisfactiones ſacramentales, ſed præparatoriç ad gratiam, & ad iuſtitiam in Sacramento obtinendam

Tertullian. DD. Naz. Baſil. Chryſoſt.

dam. Vide D.Thom 3.*p.q.68.art. 5. & . 6.* Syluium *ibid.*

D Thom. Syluius.

11 Ex inſtitutione, & præcepto Eccleſiæ præter baptizantem, & baptizatum in Baptiſmo ſolemni: perſona adhibetur, quæ baptizatum ſuſcipiat de ſacro fonte. Conſtat ex conſuetudine antiquiſſima Eccleſiæ Munus huius ſuſceptoris eſt præcipuum, vt puerum baptizatum, de manu baptizantis, veluti ſub tutela, & cura ſua ſuſcipiat vt colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ.24.c.2.de reformat.* Et ideò ſolet hic ſuſceptor vocari fideiuſſor, vt patet ex *cap. Vos ante de conſecrt diſt.*4. Item vocatur ſponſor, quia quando baptizatum ſuſcipit, virtualiter fideiubet, & promittit ſe habiturum curam ſalutis ſpiritualis illius. Ratio huius inſtitutionis eſt, quia homo recens baptizatus eſt veluti paruulus nuper genitus, qui pædagogo indiget à quo inſtruatur: ad hoc ergo munus aſſumitur ſuſceptor Baptiſmi, eo quod ſpiritualis pater, qui hominē in Chriſto regenerat baptizādo illum, non ſemper poteſt per ſeipſum hoc munus exercere, & ideò ſuſceptor conuenienter ut, fideiuſſor adhibetur, quo Eccleſia ſecurior ſit, de fide hominis regenerati. Ita D. Thom. 3.*p q.67 art.* 7. & alij communiter.

Conc. Trid

D. Thom

12 Suſceptor tenetur inſtruere baptizatum in rebus fidei, & morum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſariæ, quia vnuſquiſque tenetur munus explere quod aſsūpſit, quæ obligatio urget, quando baptizatus indiget, uerbi gratia, ſi infideles habeat parentes, uel ita negligentes ut filium non inſtruant at uerò ſi puer eſt inter Catholicos natus, & enutritus, & à parentibus, uel tutoribus, uel dominis, ſi ſeruus ſit, uel aliis huiuſmodi ſufficienter inſtrui credatur, facile poſſunt ſuſceptores ab huiuſmodi obligatione excuſari. Quo fit, ut inter Catholicos raro urgeat hæc obligatio, quamuis cauendum ſit, ne hoc munus jam ita ſuſcipiatur, & negligenter ſeruetur, vt ſit pura cæremonia exterior ſine vllo fructu. Denique obligatio hæc non eſt perpetua exiſtimanda, ſed tantum durare cenſenda eſt, donec baptizatus in rebus fidei ad ipſum pertinentibus ſit ſufficienter inſtructus: quod ſi ſemel fiat, ceſſabit ſuſceptoris obligatio; quia iam baptizatus ceſſetur eſſe extra ſtatum infantiæ, in quo pædagogo indigebat. Atque in hunc modum explicanda ſunt, quæ traduntur *in cap. Vos autem, de conſecrat. diſt.* 4.

13 Suſceptor ſeu Patrinus eſſe non poteſt hæreticus, vel non baptizatus: quia eſt omnino ineptus ad huiuſmodi miniſterium, vt habetur *in cap Baptiſmate, de conſecrat. diſt.*4. Item Monachi, & Abbates hoc munus ſuſcipere non poſſunt, quia hæc cura, & ſolicitudo ab eorum ſtatu eſt aliena, vt habetur *in cap. Non licet, de conſecrat. diſt.*4. De fœminis quidam dubitant, an poſſint ſuſceptoris munus obire; ſed certum eſt poſſe, vt conſtat ex vſu & antiqua traditione, *cap. Vos ante, de conſecrat. diſt.*4. & cap. *Quod autem* 30. *quæſt.* 4. vbi Vrbanus Papa dicit, maritum, & vxorem non debere eundem de fonte ſuſcipere hoc tamen vſu receptum non eſt.

14 Olim ſtatutū erat, ut in Baptiſmo vnus tantum ſit vnius baptizati ſuſceptor, ſeu Patrinus vt conſtat ex *cap. in Catechiſmo, & cap. non plures, de conſecrat. diſtinctione quarta.* Poſtea conſuetudo introduxit, vt plures ad eundem baptizatum admitterentur ex *cap. Quamuis, de cognat. ſpirit. in 6.* Hodie verò in Concilio Tridentino *ſeſſione vigeſimaquarta, capite ſecundo, de reformatione matrimon.* ſtatuitur, vt vnus tantum, ſiue vir, ſiue fœmina, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant. & Parocho præcipit, vt diligenter de illis inquirat, & eos tantum admittat, & in libro nomina eorum deſcribat, doceatque eos, quam cognitionem contraxerint: cuius cognationis ſolum ſunt capaces illæ perſonæ numeratæ in dicto Concilio: unde ſi contingerit plures alias tangere, uel ſuſcipere baptizatum, reuera non ſunt ſuſceptores, nec contrahunt cognationē ſpiritualem.

Conc. Trid

Sed petes, quādo duæ perſonæ admittuntur iuxta permiſſionem Concilij, an poſſint eſſe duo uiri, ſeu duæ fœminæ. Reſpondeo, non poſſe, quia uerba Concilij ſunt clara, & hoc tantum pendet ex iure poſitiuo, quod uoluit reſtringere impedimenta matrimonium dirimentia. Si autem de facto contra ius duo uiri, uel duæ fœminæ baptizatum ſuſcipiant: uel ſi plures uiri, uel fęminæ admittantur, ſolum illi, uel illæ perſonæ, quæ ſunt deſignatæ ſpecialiter, per quē ſpectat deſignare, contrahent hanc cognationem. Sed plura de his *tom. 1. ver. Matrimonium VII. num. trigeſimo,* diximus, & dicemus infra, cùm de impedimentis matrim dirimentibus agemus.

15 Cùm hæretici omnes Eccleſiæ cæremonias generatim contemnat, multò tamen magis has irrident; quas in Baptiſmo ſeruat Eccleſia, maximè propter earū multitudinem, quæ videtur valde oneroſa & inutilis. Dicendum tamen eſt, conuenientiſſimum fuiſſe, vt Baptiſmus ſolēni ritu aliquo in Eccleſia traderetur. Eſt de fide. Probatur, quia cæremoniæ, quibus in Baptiſmo vtimur, antiquiſſimæ ſunt, vel ex Apoſtolorum traditione manarūt vel à Sanctiſſimis Patribus inſtitutę ſunt, quorum auctoritas, præſertim tot ſæculis iam confirmata, plus apud nos valere debet, quàm Nouatorū clamores, vt bene docet Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de Baptiſmo, capite* 24. Bellarmin

16 Cauſæ, ob quas hic vſus cæremoniarum magis quodammodo in Baptiſmo, quàm in aliis Sacramentis obſeruatus & auctus eſt, poſsūt ad quatuor capita reduci, quæ sūt inſtructio, ſignificatio, efficacia, ornatus, ſeu decentia, aut reuerentia Sacramenti. *Primò*, enim per hoc Sacramentū regeneratur homo, & à dæmonis poteſtate ad Dei cultum traducitur, & ab infidelitate ad fidem, & in Eccleſiæ gremium recipitur, oportet ergo, vt priùs inſtruatur & diſponatur, quod ſit per Catechiſmum. *Secundò*, oportuit non ſolùm doctrina & verbis, ſed etiam rebus ipſis & actionibus ſignificari myſteria, quæ in Baptiſmo continentur, vel propter ipſum baptizatum, ſi ſit adultus, vel ſaltem propter alios fideles, qui ſenſibilibus ſignis indigent, quibus excitentur ad intelligenda ſupernaturalia myſteria, vt ea poſſint facilius memoria retinere. *Tertiò* nonnullę ex his cæremoniis creduntur adhibitę propter efficaciam alicuius ſpiritualis effectus, qui duplex excogitari poteſt, ſcilicet, ablatio alicuius mali, ſeu impedimentorum, quæ vel Sacramentum, vel effectum eius impedire poſſunt, vel collatio, ſeu impetratio alicuius boni. Propter priorem effectum cenſetur inſtitutus exorciſmus. Alter effectus quaſi poſitiuus per collationem alicuius doni, fundatur in impetratione totius Eccleſiæ, cuius nomine & auctoritate hæc omnia fiunt, fieri ergo poteſt. vt Eccleſia per hæc ſacramentalia impetret bonū animæ motum ad reſiſtendum deteſtati dæmonis, & gratiam conſeruandam, qui motus, vel ſtatim detur, ſi homo fuerit capax, & illo indigeat, vel poſtea tempore opportuno. *Quarta*, cauſa, ſeu ratio harum cæremoniarum eſt, propter decentiam & ornatum tāto Sacramēto debitum, cùm enim hoc Sacramentum ſit Eccleſię ianua & prima ſolemnis fidei profeſſio, decuit maiori pompa & celebritate fieri. Deinde, quia ſubſtantialis ritus huius Sacramenti eſt ſimpliciſſimus, & pauciſſimis rebus, & vulgaribus perficitur, quia ita fieri oportuit propter eius neceſſitatem, & ne apud rudiores homines vileſceret, oportuit debito cæremoniarum cultu celebrari. Plura vide apud Suarez *diſp.* 30. *ſeſſ.*1. Suarez.

17 Olim in fluuiis, fontibus, ac priuatis domibus, & aliis locis ſimilibus baptizabantur fideles, vt ex Actor 2. 8. 10. & 16. colligi poteſt. Poſtea deſignata fuere certa loca, ut in eis Baptiſmus celebraretur, quæ appellabantur baptiſteria, ut cōſtat ex Concil. Antiſiodorenſi *ſub Deus dedit. cap.* 14. Quæ loca erant ſeparata ab Eccleſia. Imò & in ſingulis ciuitatibus, ſeu oppidis vnus tantùm locus exiſtebat. Nunc uerò in ſingulis Parochialibus Eccleſijs ſunt propria baptiſteria deſignata, ut obſeruat Eccleſia uniuerſalis, & ſic non licet niſi in neceſſitate extra Eccleſiam Baptiſmum celebrare, ut conſtat ex *Clement. vni. de Baptiſmo,* ubi filios Regum, uel Principum ab hoc præcepto excepit. Nomine uerò Regum uel Principum ueniunt tantùm Reges, uel alii ſupremi potentatus, qui ferè Regibus æquiparantur.

18 Forma Baptiſmi debet exprimi uerbis ab Eccleſia uſitatis, & in eo idiomate, quo ipſe in publicis officiis ac cæremoniis utitur. Ablutio item debet fieri per immerſionem unam, uel trinam, aut per aſperſionem. Itē aqua debet benedici priuſquā ad uſum baptiſmatis aſſumatur, quæ conſuetudo eſt antiquiſſima, quamuis neceſſitate urgente poſſit fieri Baptiſmus in quacumque aqua naturali, benedicitur tamen, uel ad conciliandam maiorē re-

uerentiam circa hoc Sacramentum Baptiſmi, vel ad ſignificandum Spiritus ſancti gratiam, quæ per ablutionem huius aquæ, & virtutem Paſſionis Chriſti mirabiliter, & ineffabiliter ex opere operato baptizatis confertur. Hæc enim videntur ſignificari in infuſione olei cum benedictione, & crucis ſigno.

19 Catechiſmus, qui debet præcedere ante Baptiſmũ; alius eſt adultorum, alius paruulorũ. Catechiſmus adultorum, alius ſubſtantialis, alius cæremonialis. Subſtantialis eſt ille, qui per ſe, & ex natura rei, ſuppoſita inſtitutione, & ſine Baptiſmi neceſſarius eſt ad conuenientẽ vſum, huius Sacramenti, licet non ſit ſimpliciter de eſſentia eius, Conſiſtit in ſufficiente inſtructione, & doctrina rerum fidei, ac morum, iuxta Matth. vltim. verba. *Docete omnes gentes baptezãtes eos, &c.* Catechiſmus cæremonialis cõſiſtit in quodã ſpeciali modo, & ordine ab Eccleſia inſtituto, & obſeruato in Catecumenorũ inſtructione, & præparatione ad Baptiſmũ. *Primo*, ſcilicet quod animum ad Chriſtianam fidem applicabant, ad res fidei audiendas admittebantur prius quam Baptiſmum peterent, & hi generali nomine ſolent vocari Catecumini, ſpecialiter autem dicuntur audientes, vt diſtinguatur ab aliis, qui competentes vocantur. *Secundo*, quod qui jam decreuerant fieri Chriſtiani, Baptiſmum petebant, & ſua nomina dabant, quæ futura erant non gentilium, ſed Sanctorum. Vnde nunc vt obſeruat Eccleſia, ſtatim in foribus Eccleſiæ in initio Catechiſmi interrogat Miniſter, quo nomine vocari vis, Reſpondet Patrini Petrus vel Ioannes.

20 Cæremoniæ, quæ ſpecialiter in Catechiſmo fiebãt ſunt hæ. *Prima*, erat ſcrutinium, vt certius exploraretur an vera eſſet Catecumenorum conuerſio ad fidem. *Secunda*, quod Catechumeni ſępius ſignabantur ſigno crucis, per quod ſacroſanctum ſignum in vtero Sanctæ Matris Eccleſiæ Catechumenus concipitur, fiebatque hoc ſignum in fronte.

Tertiò. Eſt abrenunciatio Satanæ, & ſolebat Catechumenus conuerti ad Occidentem: facta vero renunciatione conuertebatur ad Orientem, ad ſignificandum hominem baptizandum debere ſpreto Dæmone, Chriſtum intueri. *Quarto*, erat fidei profeſſio, quæ ſepius fiebat in Catechiſmi diebus, & ipſo etiam baptiſmatis die, per publicam ſymboli Confeſſionem. Ratio autem harum cæremoniarum eſt, vt per eas Catecumeni in fide confirmarentur, & perfectè ad Deum conuertantur, & de vtroque ſatis Eccleſiæ conſtet.

21 Catechiſmus paruulorum etiam eſt antiquiſſimus, quem nunc fere eiſdem cæremonijs Eccleſia obſeruat. Fit autem *Primo* in paruulis, vt in eis perficiantur ea, quorum ipſi ſunt capaces, & tunc eis nomen imponitur & ſigno crucis ſignantur. *Secundo*, vt ſuſceptores admoneantur de obligatione, qua tenentur ad inſtruendos infantes, & ideò manus ſuas imponunt capiti baptiaandi & nomine eius ſymbolum profitentur, & orationem Dominicã recitant. *Tertio*, vt quaſi ſolemni profeſſione conſtet non minus manere obligatum paruulùm baptizatum ad fidem, & Religionem Chriſtianam, quam ſi propria voluntate Baptiſmum ſuſcepiſſet.

22 Exorciſmus qui debet præcedere Baptiſmum, eſt increpatio contra immundum ſpiritum: qua eius virtus, & violentia incurſio arcetur ac fugatur, variiſque cæremonijs perficitur. *Prima*, eſt inſufflatio dæmonis facta per miniſtros Eccleſiæ, ad ſignificandum effectum exorciſmi, qui eſt dæmonis expulſio. *Secunda* eſt manus impoſitio cum beneditione Sacerdotis, qua imperatur vt dæmoni præcludatur via, ne iterum redeat. *Tertia* eſt ſal in os baptiaandi miſſam, qua cęremonia, aut diuinæ ſapientię infuſio, aut fidei Confeſſio ſignificatur, quod prius benedicitur, antequam detur, vt modò obſeruat Eccleſia, *Quarta*, eſt ſputo nares, & aures baptizandi linire in ſignum receptionis, & approbationis doctrinæ fidei, quę eſt antiquiſſima, accepta ex Chriſti exemplo, qui os, & aures hominis ſurdi muti tetigit, vt ei ſermonem, & auditum reſtitueret. *Quinta*, eſt iniunctio olei ſanctificati, ad ſignificandam aptitudinem hominis ad pugnandum contra dęmones, quæ inũctio eſt duplex, altera in pectore, qua ſignificatur fides recta in anima ſuſcepta; altera inter ſcapulas ad ſignificandum exercitium bonæ operationis: quia fides ſine operibus mortua eſt, vel per priorem ſignificatur munditia cogitationum in pectore; per poſteriorem verò fortitudo laborum in ſcapulis.

23. Cæremoniæ ſequentes Baptiſmum ſunt hæ. *Prima*, eſt inunctio Chriſmatis, quæ fit in vertice baptizati, quæ vnctio valde diuerſa eſt ab illa, quæ fit in Confirmatione; nam illa eſt cæremonialis, & fit in vertice, iſta verò fit in fronte, & eſt ſubſtantialis Sacramenti Confirmationis; vnde illa poteſt fieri à ſimplici Sacerdote, hæc verò tantùm ab Epiſcopo; quę cæremonia facenda, eſt cum nouo Chriſmate, & non cum veteri, niſi adſit mortis periculum. *Secunda* cæremonia eſt, quòd Baptiſmum baptizatus induebatur veſtimentis albis, ad ſignificandam nouitatem vitæ; quibus veſtibus vtebantur per totam Octauam Dominica in albis dicitur: quia eo die deponebant baptiaati alba veſtimenta: & huius cæremoniæ veſtigia adhuc manent in Baptiſmis adultorum, qui temporibus Paſchæ, & Pentecoſtes fiunt in Romana Eccleſia. In Baptiſmo verò paruulorum Sacerdos operit caput infantis candida veſte. *Tertia* cæremonia eſt, dare cereum accenſum homini jam baptizato, ad ſignificandam fidem viuam, quam baptiaatus ſemper habere debet vſque in finem vitæ. Item olim hominibus baptizatis lac, & mel prægustanda dabãtur, ad infantiæ ſpiritualis ſignificationem. Vnde in Dominica in albis canitur. *Quaſi modò geniti infantes lac concupiſcite, &c.* Quæ iam, non eſt in vſu nec alia de lotione pedum, nec alia de oſculo pacis. Plura de his cæremoniis apud Belarminum *lib. 1. de Baptiſmo, capit. 25. 26. & 27.* Suarez *tom. 3. quæſt. 71. artic. 1. 2. & 3.* Sylvium *ibidem* & alios commentatores huius quæſtionis. Bellarmin. Suarez Sylvius.

24. Circa predicta quædam notanda veniunt. *Primum*. Quòd is qui aduocatur Patrinus ad cæremonias ſolùm, non ſit verè Patrinus, nec cognationem ſpiritualem contrahat: quia talis cognatio oritur ex tenentia in Baptiſmo, ſiue in adminiſtratione ipſius Sacramenti, non verò ex aſſiſtentia ad ſolas cæremonias.

Secundum. Quòd ſi Parochus baptizet, præmiſſis exorciſmis, & aliis cæremoniis Baptiſmum præcedentibus, ſed eas quæ ſequũtur differat ad aliquot dies, donec Patrinus aduocatus aduenerit, hoc nõ tam facilè condemnãdum eſt, quàm ſi omnes cęremoniæ omitterentur: quia inuerſio ordinis, qua cæremonię Baptiſmum præcedentes poſtponuntur, & differuntur, grauior eſt quàm dilatio aliquot cæremoniarum, quæ naturà ſuà & inſtitutione Baptiſmum ſequuntur: & ideò occurrente rationabili cauſa iudicari poſſit iſtud licitum. Hoc tamen facilè in praxim non debet deduci: quia Eccleſiæ conſuetudo, non admittit diſcontinuationem cæremoniarum, niſi grauibus de cauſis.

Tertium. Quod non ſolùm Abbates vel Monachi excludantur à munere ſuſcipiendi proles in Baptiſmo: verum etiam quibuſdam in locis per ſtatuta Synodalia decernitur, vel ſaltem monentur Sacerdotes, maximè Paſtores, vt patrinorum officium non ſuſcipiant. Ratio horum decretorum eſt, quia eadem cauſa quæ militat in religioſis, ob quam arcentur ab hoc munere per Canones, etiam locum habet in Sacerdotibus maximè Paſtoribus, vt inſinuat Catechiſmus Romanus agens de Patrinis; cùm enim, inquit, Paſtores publicæ Parochiarum curationi præpoſiti ſint ſufficere illis debet hoc onus, nec opus eſt, quòd Patrinorum particulari oneri ſe immiſceant, nam & generaliter Patres ſunt omnium, & maximè eorum quos baptizant. Adde id iure ſtatui, vt omnis ſuſpicio tollatur, & omnis occaſio conuerſationis cum mulieribus: oriri enim ſolet quædam familiaritas ex compaternitate, quæ nonunquam in fumum caliginoſum libidinis poteſt exardeſcere, aut certè ſuſpicionem alijs mouere.

Quartum. Quòd ſuſceptor in baptiſmo talis ætatis eſſe debet, vt ſit doli capax, & habeat ſufficiens iudicium ad peccandum mortaliter: ſufficit enim quòd aliquo modo percipere poſſit quid agat, & quænam hic obligatio imponatur. Quòd ſi infrà ætatem octo vel ſeptem annorum admittatur puer ad ſuſcipiendum, non contrahit cognatio-

tionem, vt docet Sanchez *de matrim lib. 7. disput. 61. n. 4.* Sed ordinariè non debent admitti nisi qui eam ætatem superant, puta circa duodecimum annum, aut vndecimũ cum solent pueri communicare: quia tunc censetur capaces ad obligationem illam plenius intelligendam, si instruantur. Sed quia iuxta Concilium Tridentinum sufficit, quod vnus vel vna suscipiat, sic satis erit quod vnus adultus susceptor sit, licet adiungatur ex altera parte puellula necdum ætatis sufficientis, aut contra, quod mulier aliqua matrina adhibeatur, licet ex altera parte puer septennio inferior assistat. Cauendũ tamen ne hæc nimis facile in praxim deducantur, consuetum Ecclesiæ morem temerando.

Sed plura de his suo loco, cum de cognatione spirituali matrimonium dirimente agemus.

Vide v. Irregularitas 3. *num.* 1.

B E L L V M

S V M M A R I V M

1 *Bellum quid sit. quomodo differat a seditione, & rixa.*
2 *Bellum aliud est iustum, aliud iniustum: & de conditione prima requisita ad honestatem belli, quæ est legitima authoritas.*
3 *Secunda conditio est iusta causa.*
4 *Quæ sint illæ iusta causa.*
5 *Tertia conditio est recta intentio.*
6 *Personis Ecclesiasticis, & in sacris ordinibus constitutis, aliquando licet gerere bellum.*
7 *Bellare non est voluntatis sed necessitatis.*
8 *Si hostes post vnum aut alterum constitutum offerant idoneam satisfactionem, an teneatur Princeps læsus illam acceptare, vel possit prosequi bellum.* Refertur duplex sententia.
An possit dari bellum ex vtraque parte iustum.
10 *Quæ liceant in bello, & quæ non.*
11 *Innocentes tempore belli, an possint directè suis bonis spoliari vel in seruitutem redigi.*
12 *Mobilia, & immobilia ab hostibus capta, iure gentiũ sunt militum capientium.*
13 *Ecclesia, & Monasteria an possint expoliari quando conceditur raptus liber.*
14 *In Bello iusto, an possint dari Vrbes militibus in prædam, ante vel post victoriam.*
15 *In bello iniusto, milites deprædantes ciuitatem, peccãt mortaliter, & proprijs Dominis tenentur ad restitutionem.*
16 *Milites extra graue aut extremã necessitatẽ grauãdo rusticos, aut alios suos hospites, peccant mortaliter.*
17 *Dux supremus belli grauiter peccat, & tenetur ad restitutionem si ex stipendijs non solutis, milites ad iniustas rapinas stimulentur.*
18 *Dux supremo subordinatus, in quibus peccet,*
19 *An liceat ab hostibus emere vili pretio ea, quæ ab aduersarijs iniustè extracta sunt.*
20 *Capti in bello iusto vel iniusto ex parte capientium, an fugere possint.*

1 BEllum armorum conflictus, seu professio nocendi vi, & armis contrariæ parti, differt à seditione, & rixa; quod bellũ sit multitudinis cõtra extraneos, seditio multitudinis contra multitudinem eiusdem communitatis rixa autem paucorum vel singulorum contra paucos, & singulos. Ita D. Thom. 2. 2. q. 40 *art.* 1. D. Anton. *p. 2. tit. 4. c.* 8 §. 1. D. Thom. D. Anton.

2 Bellum aliud est iustum aliud iniustum bellum iniustum est graue peccatum, tùm charitati ac paci, tum etiã iustitiæ oppositum, iustum vero charitati ac paci potius inseruit, quia finis belli est pax, & securitas. Bellum iustum duplex est, vnum defensiuum, alterum offensiuum bellum offensiuum non nisi publica auctoritate Principis, vel Magistratus nullum Superiorem agnoscentis geri debet, vnde ad illius honestatem tres conditiones requiruntur *Prima*, est *legitima auctoritas*: qualis residet penes Rempublicam perfectam, vt dictũ est, & in adminiculum iusti belli, licet auxilium petere ab iis, quorum nihil interest bellum gerere, quiq; nullam acceperunt iniuriam, etiam infidelibus, secluso tamen scandalo, & periculo fidei: quia licitum est alium in bono opere adiuuare, quale est bellum iustum. Ita Layman *lib. 2. tract. 3. c. 12. num.* 2. Rodriquez *in summa tom. 1. cap.* 125. Filliucius *tract. 29. cap. 9. n.* 180. Reginald. *tom. 2. lib. 21. num. 84.* Siluius 2. 2. *quest. 40. art. 1. q. 1.* Layman. Rodriquez Filliucius. Syluius

Notandum autem hic est, Rempublicam, aliam esse perfectam, aliam imperfectam; perfecta est, quæ est per se quoddam totum, iure naturali potestatem habens sese gubernandi nempe perfecta Communitas, quæ in iurisdictione sua, nullum agnoscit superiorem, ad quem sit recursus, sed per se potest finire omnes lites, & controuersias Respublica imperfecta est, quæ dependet ab alia superiori, cuius quasi pars est, & ad quam recurrit in grauioribus negotiis.

His præmissis dico *Primò*: Resp. imperfecta, vel Princeps eius, potest gerere bellum defensiuum sine authoritate supremi Principis. Ratio est, quia iure naturæ concessa est vnicuique sui, suarumque rerum defensio, nam vim vi repellere licet, ergo multò magis competet hoc ius Principi, cuius est defendere suam Remp. ab hostibus internis, & externis; cùm bonum commune sit excellentiùs, & vniuersaliùs, quàm bonum priuatum.

Dico *Secundo*: Magistratus reip. imperfectæ, non potest gerere bellum, aggressiuum, sine supremi Principis authoritate. Et quidem si partes, habeant vnum communẽ Superiorem, clarum est nõ posse bellum suscipi, cum Superiori alia via possit dirimere controuersias. Quod si non sit communis Superior, tunc si Resp. imperfecta intulit damnum aut iniuriam, recurendum est ad eius Superiorem, vt satisfaciat, sicut fecerunt filij Israel petentes iustitiam à Tribu Beniamin de viris Gabaa, *Iudicum.* 20. Si verò Resp. imperfecta accepit iniuriam, non potest se vindicare sine authoritate sui Superioris. Cuius ratio est, quia bellum aggressiuum est supremus actus iustitiæ vindicatiuæ; ergo non competit nisi illi, qui habet supremam potestatem publicam, qualis est Magistratus reip. perfectæ.

Obseruandũ tamen est cum Victoria *de iure belli, num.* 9 Diana *pars. 6 tract. 4. resol.* 1. cum belli indicendi authoritas magna ex parte iure gentium aut humano sit introducta, consuetudinem posse dare facultatem, & authoritatem inchoandi belli, Vnde si qua ciuitas aut Princeps, obtinuit antiqua cõsuetudine præscripta ius gerẽdi per so bellum, non est ei neganda hæc potestas, etiã si alias non videatur habere Remp. perfectam. Præterea necessitas multum in hac re posse videtur; vt notat. Layman, *lib. 2. tract. 3. cap.* 12. Becanus 2. 2. *c. 25. q. 1. n.* 3. Molina *de iustit. tom. 1. tract. 2. disp.* 100. Becanus. Molina.

3 Secunda conditio, est *iusta causa*, quæ in vniuersum est propulsatio grauis iniuriæ, & certæ, *cap. Dominus noster* 23. *quæst.* 2. Et non sufficit qualiscumque persuasio, de iusta belli causa, sed requiritur certa, vel saltẽ valde probabilis cognitio, quę arbitrio prudentum sufficere possit, Vnde Princeps tenetur diligentissimæ inuestigare iustitiam belli, tum per alios, adhibito etiam consilio peritorum, Ratio est, quia Iudex tenetur inquirere diligenter & examinare causas ante pronunciationem sententiæ, præsertim in rebus criminalibus, atqui Princeps, qui bellum indicit, fungitur officio iudicis, & quidem in re grauissima, ergo non sufficit vt credat se habere causam iustam, sed debet etiam audire rationes aduersariorum, & ex æquo, & bono cum illis disceptare. Molina *tract. 2. disp.* 102. Bonacina *de restit. d. 2. q. vlt. §. 1. n. 6.* Victoria *de bello n. 20. 21. &* 27. Syluius 2. 2. *q. 40. art. 3. & 4. num.* 2 Syluest. *q. 29. n.* 181. Bonacina. Victoria Syluius. Syluester.

Quod si post sufficientem examinationem, iustitiam belli sit æqualiter dubia, is qui est in possessione, non potest ab alio armis inuadi, quia sequeretur bellum posse esse iustum ex vtraque parte, seclusa ignorantia probabili, quod est contra communem sententiam DD. nam ille qui possidet iustè se defẽderet, & alter possessorẽ iustè aggrederetur hinc patet talem aggressorem non tantũ peccare mortaliter, verum etiam teneri ad restitutionem castri vel Prouinciæ, qua possessorem spoliauit. Valent 2. 2. *disp. 3. quæst. 16. punct. 2.* Azorius 3. *p. l. 2. cap. 7. q. 1. & 5.* Valentia. Azorius.

Victoria Reginald. Syluius.

Victoria *c.n.27.* Sà *v.bellum n.*8. Reginald. *lib.*21. *cap.*8. *num.*88. Syluius *c.q.4. concl.*2.

Porrò milites ordinis inferioris, qui non admittuntur ad consilium bellicum, non tenentur examinare causas belli, sed possunt militare suo Principi, quamdiu non constat de iniustitia belli, quia milites sunt tantum executores sententiæ Principis, sicut lictor sententiæ iudicis, hic autem non tenetur examinare causam partium, &c. Molina, *c.disp.*113. Bonacina *c.num.*10. Sà *cit.num.*10.*&* 12. Diana 4.*p.tract.*3.*resol.*7.*&* *tract.*5 *misc. resol.*96. *part.*3. Malderus, 2.2. *quæst.*40.*art.*1. Secùs dicendum de militibus extraneis, qui neque sunt subditi Principis bellum mouentis, neque stipendiarij; in dubio enim non possunt militare, iuxta sententiam communem; quia militando exponerent se periculo grauissimarum iniuriarum, quod non militando vitare possunt. Syluius *c.concl.*6. Caietan. *v.bellum.* Valentia *c.p.*2. Reginald.*c.num.*103. Bonacina, *c.num.*10 Quamuis P. Nauarra *de rest.lib.*2.*cap.*3.*n.*278. Suarez *de charit.d.*13.*sect.*6.*num.*11.*&* 12. Tannerus 2.2. *disp.*2.*quæst.*6 *dub.*4.*n.*49. probabiliter hos milites non subditos eximant à peccato & à restitutione, si dubium de iustitia belli fuerit negatiuum, vt fermè semper in militibus esse solet.

Molina. Bonacina. Diana. Malderus. Syluius. Caiet. Valentia. Reginald. Bonacina. Bonacina. P. Nauarr. Suare. Tannerus.

4 Causæ, ob quas ille habet auctoritatem iustè potest bellum indicere tredecim a Doctoribus enumerantur. *Prima* est, infidelitas, non quidem sola, sed ob aliquam circumstantiam ei annexam; nempe quando infideles inferunt iniurias Christianis abducendo illos à vera Religione, & impediendo liberam prædicationem Euangelij, &c. *Secunda* est, Hæresis, requiritur tamen vt hæretici sint ab Ecclesia denunciati. *Tertia*, quando negatur aliquid quod iure naturæ debetur. *Quarta* quando terræ vel regna iniustè ab alio possidentur *Quinta* quando populus iniustè opprimitur seruitute vel alijs iniurijs *Sexta*, quando populus præbet auxilium inimicis, qui gerunt iniustum bellum. *Septima*, quando Legati alicuius Principis afficiuntur magna contumelia, *Octaua*, cùm quis seditionem mouet vel rebellionem contra Principem. *Nona*, cum quis defendit hominem sceleratum qui iustè petitur ad supplicium. *Decima*, quando Princeps & populos non stant pactis vel pollicitis. *Vndecima*, defensio amicorum, & liberatio ex captiuitate. *Duodecima*, cædes alicuius viri Principi sanguine iuncti. *Decimatertia*, quando populus confederatus & amicus habet iustam causam inferendi bellum. De his vide Couar. *reg.peccatum*, *p.*2.*§.*9. Molin. *tract.*2. *disp.* 104. Azor. *c.cap.*7. *q.* 3 4. Bonacin. *de rest. disp.*2.*q.vlt.sect.*1.*part.vlt.§.*2.*n.*7. Dianam *part.*6.*tract* 4 *resol* 3. Valentia *c.punct.*2. Layman *c.n.*5. Sylu. *c.quæsit.* 2.

Couar. Molina. Azorius. Bonacina. Diana. Valentia Layman Syluius Clau.Reg. Molina Layman P.nauarr. Bonacina Bannes Rodriq. Filliuccius Syluius.

5 Tertia conditio belli est *recta intentio*. *cap. quid culpatur* 23.*q.*1. Clauis Reg. *l.*7.*cap.*13.*n.*8 Molina *disp.*107. Layman *lib.*2.*tract.*3.*c.*12.*n.*3. P.Nauarr. *lib.*2 *c.*3.*n.*269. Bonac. *de rest.d.*2.*q.vlt. sect.*1.*p.vlt.§.*2.*n.*6. Bannes 2.2. *q.* 40.*art* 2.*dub.*9. Rodriquez 1.*part. c.*125. *num* 1. Filliucc, *tract.*29.*c.*9. *n.*182. Syluius *c. quæsit.*3. Vnde sunt tres belli fines. *Rei ablatæ recuperatio. Vitio iniuriæ. Pax, & securitas Reip.* Bellum enim non est suscipiendum, nisi propter bonum commune, spirituale, aut temporale, nempe ob vnum ex tribus illis finibus, aut ob omnes simul: vt habet communis sententia: quia bellum est supremus actus iustitiæ vindicatiuæ, quæ virtus est personæ publicæ; inclinans hominem in publicam vtilitatem; sinistra autem Principis intentio licet sit mala mortaliter, aut venialiter, nullam tamen inducit obligationem restitutionis respectu aduersariorum. Probatur prior pars, quia finis in moralibus est mensura bonitatis aut malitiæ, ac proinde si geratur bellum ex graui odio erit peccatum mortale, si ex inani gloria erit veniale. Probatur posterior pars, quia Princeps non peccat contra iustitiam; nam ponimus aduersarios iniuriam intulisse, & bellum legitimè esse indictum. Nota tamen, quod si Princeps animaduertat impendere grauiora mala suæ Reip. quam sit bonum quod ex bello potest expectari, & tamen ex odio, vel alia de causa vult persequi suos hostes, tenetur Reip. omnia damna reparare quæ bellum illud secum trahit: tunc enim peccat contra iustitiam, quia tenetur bonum suorum subditorum procurare, & incommoda auertere.

6 Personis Ecclesiasticis interdictum est gerere bellum. *c.eos qui* 20.*quæst.*3. Reginald. *c.n.*89.90. Bannes 2.2.*q.*40. *art.*2. Malderus *ibidem*, Molina *c.num.*108. Diana *p.*6.*tract.*4.*resol.*35. Lezana *tom.*3. *Sum.v.Bellum n.*11.*&* *seq.* Filliuc. *c.n.*110. Syluius *c.art.*2. *quæst.*1.*concl.*5. *&* 6. De la Crux *in directior.præc.*5.*art.*3.& constituti in maioribus Ordinibus pugnando proprijs manibus peccant mortaliter exceptis quatuor casibus. *Primus*, quando non possunt aliter propriam vitam conseruare. *Secundus*, in necessitate Patriæ, Ciuitatis, vel exercitus, & tunc iure naturali tenentur. *Tertius*, quando id omninò necessarium esset ad defendendam vitam innocentis. *Quartus*, si ad consecutionem iustæ victoriæ, à qua pax & commune bonum Ecclesiæ pendeat, id omninò conduceret: vnde in talibus casibus occidendo irregularitatem non incurrunt. Reginaldus, Bannes, Malderus & alij.

Reginald Bannes Malderus Molina Diana Filliucius Syluius De la Crux

Clerici tamen, qui habent dominium temporale in republica perfecta, possunt ex iusta causa indicere bellum, non secus ac alij Principes temporales. Ratio est, quia omnis Resp. perfecta potest mouere bellum; omnis autem Reip. potestas in Principe residet, ergo credendum est, quod cum Pontifex, huiusmodi dominium tradit Episcopo; dispenset cum illo ad bella gerenda. Ita Syluester *v. Bellum* 111.*quæst.*1. Syluius *concl.*4. Vnde Summus Pontifex non solum tanquam Princeps Patrimonij D. Petri, Terrarumque in Ecclesiæ bonis contentarum, mouere potest bellum, non secus ac alij Principes temporales; sed etiam pro potestate, quam in omnes laicas Potestates ad finem supernaturalem habet, poterit vel bellum mouere, vel facultatem illud mouendi alijs concedere, oblata iusta aliqua occasione ac causa, vt rectè admonet Diana *c. resol.*1 qui etiam *resolutione* 2. sui tractatus de bello, docet posse Papam in aliquo casu necessario prohibere, ne Principes Christiani inter se pugnent, non enim pro bono Ecclesiæ expedit, vt Principes ratione status, & ex dubijs, & aliquando fictis titulis bellum gerant, & totam Christianitatem conturbent.

7 Antequam bellum indicatur tentanda sunt Principi omnia media ad suum ius obtinendum conuenientia: vnde debet peti ab aduersarijs condigna satisfactio, & si offeratur debet acceptari; quia *bellare non est voluntatis, sed necessitatis*, vt ait *D. Augustinus*, atqui si hostes offerunt satisfactionem plenam iniuriarum, damnorum, sumptuum bellicorum, &c. iam desinit necessitas bellandi, ergo Caiet. *v.bellum.* Molina *tom* 1.*tract* 2.*disp.*103. Layman *c.lib.*1.*tract.*3.*cap.*13.*n.*5.*assert.*4. D.Aug: *c.volu.*23. *quæst.*1.

Caietanus Molina Layman. D. Aug.

8 Dubium est, an si post vnum, aut alterum conflictum hostes offerant idoneam satisfactionem, teneatur Princeps læsus illam acceptare, an verò possit prosequi bellum. Syluester *v.bellum* 1.*q.*10.*dist.*5. videtur sentire non tantum peccare Principem, non acceptando, verum etiam teneri ad restitutionem, cuius sententiam amplectuntur Valentia *c. quæst.*16. *punc.* 2. Syluius *c. quæsit.* 2. Contrà sentit Caietanus *in Sum.v.Bellum*, neque peccare, neque teneri ad restitutionem, quia hostes, inquit, post bellum inchoatum non sunt ampliùs in statu satisfaciendi, sed satispatiendi, præterquam quod habens bellum iustum, non est pars, sed iudex hostium suorum. Hanc sententiam putat Bannes, 2. 2. *quæst.*40. *art.*1. *dub.*8. esse maxime probabilem Bellarminus autem *libro* 3. *de laicis*, *cap.*15. *num.*8. vtramque sententiam ita conciliat, vt Princeps non acceptans satisfactionem siue post bellum inchoatum, siue ante, non peccet contra iustitiam, sed contra charitatem. *Ratio* prioris est, quia est iudex hostium. *Ratio* posterioris, quia bellum est grauissimum supplicium, quo non solùm punitur qui peccauit, sed etiam per accidens multi innocentes inuoluuntur.

Siluester Valentia Syluius Caietanus Bannes Bellarmin.

Dicendum nihilominus est, si ante inchoatum bellum offeratur idonea satisfactio, peccari contra iustitiam, nisi acceptetur: si post vnum aut alterum prælium peccari contra charitatem, non verò contra iustitiam: si in ipso conflictu Principem eam admittere non teneri. Prima pars videtur esse communis sententia, Syluestri Bannes, Valentiæ, Caietani. Secunda pars est Bellarmini contra Syluestrum, & Valent. ex vna parte qui dicunt peccari contra iustitiam, & contra Caiet. & Bannes ex altera parte, qui negant vllum interuenire peccatum. Tertia pars est

certa:nam in ardore conflictus, difficillimum esset milites reuocare, & daretur occasio iniustè præliantibus, eludendi hostes suos. Vide etiam Dianam, *p.6.tr.4.resolut.*8. Layman, *c.cap.12.n.5. in asser.*4. Syluest. Bannes, Valent. Caietan. citatos.

Diana. Layman. Syluius. Bannes. Valentia. Caietan.

9 Bellum ex vtraque parte potest esse iustum formaliter, & per accidens, vt propter inuincibilem ignorantiã alterius, aut propter opinionem probabilem, quam quisq; sequi potest in bello indicendo: Sic fuit bellum vtrimq; iustum, quod gesserunt Israelitæ contra Chananæos; erat enim iustum ex parte Israelitarum, quia habebant diuini mandatum: erat etiam iustum ex parte aliorum, quia voluntatis, & mandati diuini habebant iustam ignorantiam. Materialiter verò & reipsa non potest esse bellum iustum ex vtraque parte, quia realiter ius competit vni soli, & actus contrarij circa idem non possunt ex se ad eamdem virtutem pertinere: talis autem esset conatus occupandi aliquam ciuitatem, & conatus defendendi. Similiter si vnus Rex possideat regnum opinione probabili ductus, iustè possidet; ergo alter non poterit à possessione deturbare tanquam iniustum possessorem, aliàs à parte rei esset iustus possessor. & iniustus, quod implicatoriũ est. Verum rectiùs dici potest, Regem possidentem opinione probabili ductum, iustum possessorem esse, non absolutè & omnibus modis iustum, sed probabiliter tantùm, adeò vt dicatur possessor iustus probabiliter, & non absolutè iustus possessor: aduersus tamen possessoré iustum probabiliter poterit dari iustus spoliator possessionis, qui reputas quoq; probabiliter alterum esse iniustum possessorem: vnde tunc bellum intercedit inter iustum spoliatorem aduersus iniustum possessorem in opinione spoliatoris, & sic non datur bellum iustum à parte rei ex vtraque parte in opinione spoliatoris. Et licet possidens regnum arbitretur quoque ex sua opinione se iustũ possessorem esse, & alterum iniustum spoliatorem, & sic iustè se defendat, non ob id dicitur à parte rei iustè possidere regnum, & iniustè, sed solùm secundùm assensus opinatiuos contrarios; nam à parte rei, & coram Deo, aut iustus possessor est, aut iniustus, & non vtrumque simul: & ob id, tunc bellum erit iustum ex vtraq; parte, sed ex vna formaliter simul, & materialiter, ex altera verò formaliter tantùm. Vnde licet Rex possidens ex opinione probabili, nulli faciat iniuriam formaliter, cùm non peccet possidendo, facit tamen iniuriam materialiter probabiliter, hoc est secundùm opinionem spoliatoris: ad propulsandam tamen iniuriam materialem quicumq; habet ius, nedum Rex, cùm iure naturę concessum sit cuicumque sius suum illæsum seruare. Vide Couarruu. *p.*2 *ad reg. Peccatum, §.10.n.6.* Malderum, *de virtutib. qu.40.dub.4. art.1.* Syluium, 2.2.*q.40.art.1.quæsit.*5. Vict. *relect. de iure belli, n.32.* P. Nauarr. *lib.3.de restit.dub.*13. Molinam, *tom.1.de iustit, disp* 103 Sancium, *in Selectis, disp.44.n.60.* Reginald. *lib.*21.*n.*98. Filliuc. *tract.29.n.*185. Dianam, *part.2. tract.13.resol.*8.

Couarruu. Malder. Syluius. Victoria. Nauarr. Molina. Sancius. Reginald Filliucius Diana

Milites verò, qui parati sunt sequi quemcumq; ad bellum vocantem seu iustum sit, seu iniustum, dummodò stipendium præbeat, in malo statu versantur, & nisi propositum corrigant, à confessario non debent absolui. Molina, *c. dist.*114. Layman, *c.n.*8. Caiet. *v. Bellum*.

Molina. Layman. Caietan.

10 In bello omnia illa licent, quæ accommodata sunt, aut ad rem ablatam recuperandam, vel compensationem faciendam, aut ad vindictam sumendam pro modo culpæ aut ad pacem componendam, & stabiliendam: quia in actione iusta licitum est adhibere ea omnia media, quæ necessaria sunt, & apta ad finem consequendum Valent. *c.punct.*3. Victoria, *c.n.*18. Syluius, *c.q.*6. Molin. *c.dist.*117. Vnde seclusis mendacijs licitum est procurare victoriam per insidias, & stratagemata: & tam in bello offensiuo, quàm in defensiuo licitum est vltra compensationem iustam rerum, inferre alia damna hostibus, ad vindicandam iniuriam illatam, & pro stabilienda pace in futurum, modò adsint conditiones belli suprà enarratæ. Ita Doctores citati. Sa, *V. Bellum, n.*15. Syluest. *V. Bellum*, 1 *q.*8. Azor. *c. q.14.* & 15. D. Thom. 2.2.*q.*40 *art.*3. Syluius, *ibid.*

Valent. Victoria. Syluius. Molina.

Syluest. Azorius. D. Thom. Syluius.

Notandum tamen est, milites teneri ad restitutionem damni illati cõtra expressam, vel tacitam Superioris prohibitionem, quia ea damna censentur iniustè illata; si autẽ negatio authoritatis nocendi hostibus facta militib. fiat, vt disciplina militaris seruetur, aut ne exercitus damnũ patiatur, peccant quidem milites nocendo, sed non tenentur ad restitutionem, Rodriquez, *c.cap.*12. Azorius, *c.qu.*38. Layman, *c.n.*9. Reginald. *c.n.* 105 & alij.

Rodrig. Azorius. Laiman. Reginald.

11 Innocentes tempore belli possunt directè spoliari suis bonis, quando ex eis creduntur iuuandi, vel muniendi inimici: non licet tamen per se in pugna, aut post pugnam occidere eos, qui sunt, aut præsumi debent innocẽtes, vt infantes, mulieres, Clerici, Religiosi, Legati, Oratores, mercatores transeuntes, rustici euntes, vel in agricultura existentes; hi enim iure naturali, & canonico exempti sunt à damnis. In bello autem perpetuo, vt contra Turcas licet etiam innocentes captiuare: quòd si dati sunt in obsides, & violent hostes fidem datam, non licet illos occidere, nisi sint de numero nocentium, Molina, *c. dist.*122. & 119. Vict. *c.n.*39. Filliuc. *c.nu.*186. 187. & 191. Sà *V. Bellum n.*2. Syluius, *c.quæsit.6.concl.*3. 4. & 5. *cap. Innonamus, de Tregua, & pace, c. paternarum, & c. seq.* 24. *q.* 3. & alij. Per accidens tamen possunt occidi innocentes, v.g. si nequeat arx, aut ciuitas expugnari, nisi diruatur, aut incendatur; quia tunc censetur necessarium ad finem belli: semper tamen considerandum est, an finis belli præponderet innocentium morti, & damnis alijs inferendis, quia non est licitum suam vtilitatem propriam cum iactura aliorum grauissima quærere; & ideò si quæ damna innocentium nihil referant ad finem belli, non possunt iustè inferri; quare si bellum commodè geri potest, absque eo vt innocentes agricolæ bonis suis spolientur, iniustè spoliantur. Sed de his plura apud Dian. *p.6.tr.4.ref.*11. & 12.

Molina. Victoria. Filliuc. Syluius.

Diana.

Sed quæres, an innocentes possint in seruitutem redigi? Respond. Innocentes, qui non sunt membra hostilis Reipub. non posse capi, & in seruitutem redigi, nisi fortè per accidens, quãdo periculũ est, ne aliquando coniũgant se hostibus, aut ab hostibus vi adigantur, vt ipsis subsidiũ præstent: Sicut enim in tali casu licitum est eiusmodi innocentes spoliare armis, pecunia, frumento, & cæteris rebus ad victum, & vestitum necessarijs, sic etiam licitum est eosdem spoliare libertate. Ita Diana, *cit. resol.* 13. contra Lorcam, & Hurtadum de Mendosa.

Diana.

12 Seclusa contraria consuetudine, mobilia ab hostibus capta, iure gentium militum capientium sunt; quamuis conueniat illa tradere Duci exercitus, vt is ea singulis distribuat pro dignitate, & meritis; Immobilia si occupẽtur, ad supremum ducem spectãt, quatenus iustam compensationem, aut pro illata iniuria satisfactionem non excedunt. Victoria, *c.n.*35. Couarruu. *c.p.3.§.11.n.*6 Filliucius, *c.n.*188. Syluius, *cit.q.6.concl.6.* & 7.

Victoria Couarr. Filliucius Syluius.

13 Quando conceditur raptus liber, nõ possunt exspoliari Ecclesiæ, nec Monasteria, si bellum sit contra Dominum temporalem, & deprædantes remanent excommunicati; si autem bellum fiat iustè contra Prælatum Ecclesiæ, tunc Clerici possunt spoliari tanquam subditi eius: præterea quando Ecclesiastici miscent se bellis ciuilibus iuuantque hostes, milites possunt eis nocere, si alia ratione victoria obtineri non potest; similiter quando Ecclesia est incastellata, idest, munita more castri ad hostes oppugnandos, posset Ecclesia comburi, possentque hostes ex ea extrahi, vel in ea spoliari, aut occidi, si hoc necessarium sit ad pacem conciliandam; si tamen solùm incastellaretur Ecclesia ad solam defensionem vel personarum Ecclesiasticarum, vel laicorum innocentium, non est ei vis inferenda, neque personis innocentibus: possent tamen arma, & tormenta belli ea ab eis auferri. Sà, *V. Bellum, n.*3. Rodriquez, *in summ. tom.*1.*c.*127.*n.*3 Syluius, *V. Bellum*, 1.*n.*11. Bannes, 2.2.*q.*40.art.2. Angelus, *V. Bellum, nu* 13. Tabiena, *ibid. n.*18.

Rodriq. Syluius. Bannes. Angelus. Tabiena.

14 In bello iusto quando victoria aliter obtineri non potest, possunt dari vrbes militibus in prædam, quia aliquando necesse est præmio excitare milites: imò parta victoria quandoque licitum est militi Ciuitatem diripiendam tradere, tum ad excitandos milites, & animandos ad noua bella, tum ad terrendas alias Ciuitates hostiles, tum ad pœnam hostium; cauendum tamen est tunc à direptione Ecclesiarum, & ab occisione innocentium. Victoria, *c.n* 13. Azorius, *c.qu.*23. Molina, *c.dist.*122. Reginald. *c.n.*115. Filliucius, *c.n.*198

Victoria. Azorius. Molina. Reginald Filliucius

15 In bello

15 In bello iniusto milites, qui deprædantur Ciuitatẽ peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem propriis dominis si fieri potest, sin minùs Episcopo potest fieri hæc restitutio, vt expendant in bonum publicum & commune: non tenetur tamen milites restituere in integrum totum id quod ceperunt omnes, sed singuli tenentur ad restitutionem pro rata quod ceperunt singuli: si autem omnes simul confluant excitantes se inuicem & auxiliantes in dicta deprædatione, vnusquisque teneretur restituere damnũ in solidũ. P. Nauarr. *lib. 2. de rest cap. 3. dub.* 12 Angles *in 4 q. de rest. ex bello diff.* 10. Vvigers *de iustit. & iur. tract. 3. c. 2. dub. 5. n. 40.* Diana *part. 6. tract. 4. resol.* 31.

P. Nauarra
Angles
Vvigers
Diana

16 Milites peccant mortaliter, rusticos, aut alios suos hospites grauando, exigendove ab illis id ad quod iure non tenentur, quale est suppeditare sibi victum & alia necessaria, ad quæ verberibus & vastationibus rei familiaris compelli solent. Nec illi excusantur ex eò quòd stipendia non recipiant, quia bona rusticorum non sunt ea de causa ipsis obligata: nisi fortè milites sint in graui aut extrema necessitate: aut omnino necessarij ad defensionem Reip. illorum rusticorum non habentes aliunde stipendium. Caiet. *V. Bellum* Layman *c. n.* 18. Armilla *V. Bellum* Syluius *c. quæsit. 7. conc.* 2. Diana *p. 6. tract. 4. resol.* 26.

Caietanus
Layman.
Armilla
Syluius
Diana

17 Dux supremus seu magistratus cuius authoritate bellum geritur, grauiter peccat, si iusta stipendia militibus non prouideat, ex quo ipsi ad iniustas rapinas inferendas stimulantur, ad quarum restitutionem Princeps obligatur: Item peccat cum obligatione restituendi, si disciplinam militarem seruare intermittat, & milites ab iniustis incursionibus, rapinis, stupris, &c. propositis pœnis non coerceat. Laym *l. 2. tr. 3. c. 12. n. 18.* Bonacina *c. §. 3. n. 27.* Syluius *c. q. 7. conc.* 3. Diana *part. 6. tract. 3. resol.* 29.

18 Dux supremo subordinatus peccat. *Primò*, si milites suos absque necessitatis causa temerè exponat certæ internicioni. *Secundò*, si nulla cogente necessitate in locis palustribus & ualdè insalubribus castra figat cum periculo morbi aut contagionis. *Tertiò*, si in solutione stipendiorum iniustis & vsurariis cambiis seu permutationibus pecuniarum vtatur. *Quartò*, si pecunias accipiens pro maiore militum numero, eum non complet. *Quintò*, si stipendium militibus subtrahens permittat eos a rusticis & aliis innocentibus extorquere quæ sibi sunt necessaria. *Sextò*, si in delectu plures milites computet Principi, quã verè habeat. *Septimò*, si donaria ampla à ciuitatibus, & pagis accipiat ne apud eos hospitentur milites; licet enim Duci concessa sit electio vnius populi, pro alio, quando onus non potest æqualiter in omnes diuidi: non tamen est illi concessum, neque concedi potuit, vt hanc electionem venalem faciat, & sibi pretium retineat. Expediret potius in hoc casu si unus populus grauetur hospitando exercitum, vt reliqui ad eius leuamen concurrerent media aliqua contributione. *Octauè*, peccat Dux signans suos famulos in milites, & centuriones, vt stipendium à Principe signatum imminuat & sibi illam partem reseruet; nisi constet ipsos gratias Duci donare: quod raò est credendum P. Nauarra, *l. 2. c. 3. n.* 285. Molina *c. d.* 117. Rodriq. *c. c.* 127. Bonacina, *c. n.* 27. Diana *p. 6. tract. 4. resol.* 27. Maldcrus 2. 2. *quæst. 40. art. 1. dub.* 6.

P. Nauarra
Molina
Rodriq.
Bonacina
Diana
Maldcrus

29 Per se loquendo non licet ab hostibus emere vili pretio ea quę ab aduersariis iniustè extracta sunt: quia per iniustam hostium extractionem & rapinam priores Domini non amiserunt dominium; si autem verisimile sit, ea nunquam peruentura ad priores dominos, vt ordinariè euenit, licet ea emere vili pretio, hoc animo, vt comparente Domino, illi eadem restituantur pro eodem pretio; sin minus licet ea retinere; quia sic vtiliter gerimus negotium dominorum, qui non censentur rationabiliter inuiti. Rodriquez *c. cap* 127. *n.* 6. Reginald. *l. 21. c. 8. n.* 117 Vasquez *de rest. cap. 9. §. 2. d. 5. n.* 28. Bonacina *c. §. 3. n.* 24.

Rodriq.
Reginald.
Vasquez
Bonacina.

20 Capti in bello iusto ex parte capientium cessante scandalo, & speciali manendi pollicitatione fugere possunt: capti autem in bello iniusto ex parte capientium, non solùm fugere, sed etiam bona hostium secum auferre in compensationem damni, aut iniuriæ illatæ possunt. Nauar. *c. 17. n.* 103. Molina *tract. 2. tom. 3. poster disp.* 693. Lessius *l. 2. c. 5. dub.* 5. Diana *c. resol.* 14.

Vide *Irregularitas* 5. *n.* 15. 16. 17.

Bellum.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Bellum quid, & vnde dicatur. Aliquando repugnat charitati formaliter, aliquando materialiter. Bellum aliud est defensiuum, aliud aggressiuum.*
2 *Bellum non est intrinsecè malum, nec Christianis prohibitum, vt volunt hæretici.*
3 *Licitum est Christianis contra Turcas bellum gerere, contra Lutherum.*
4 *Bellum defensiuum non solùm est licitum, sed interdum etiam præceptum.*
5 *Respublica perfecta, vel Princeps illius potest suscipere contra hostes bellum aggressiuum.*
6 *Bellum, quod sine legitima auctoritate indicitur, non solum est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, etiamsi adsit legitima causa.*
7 *In bello iusto potest Princeps ab aliis adiuuari.*
8 *In auxilium belli iusti licitum est per se aduocare milites extraneos etiam infideles, modo non adsit scandalum.*
9 *Posita iusta causa non semper potest Princeps bellum indicere, sed prius petenda est ab aduersario satisfactio.*
10 *Recta intentio Principis in bello, non ad iustitiam, sed ad honestatem belli pertinet.*
11 *Princeps læsus non potest bellum suscipere nisi probabiliter credat se fore superiorem.*
12 *Suscepto bello potest Princeps ea omnia media adhibere, quæ necessaria, vel vtilia sunt ad finem suum consequendum.*
13 *Iure naturali talis modus in toto belli progressu seruandus est, vt nihil committatur contra leges, vel iustitiæ, vel fortitudinis.*
14 *In aliquibus casibus licitum est bellare contra infideles, ob aliquam circumstantiam infidelitati annexam.*
15 *Potest Summus Pontifex ad Christianæ fidei, & Euangelii propagationem, Prouincias, & regna infidelium cuilibet concedere, vt sua faciat.*
16 *In quibus casibus hæresis sit causa sufficiens belli.*
17 *Princeps, qui sua culpa statuto tempore non soluit militi stipendium, tenetur resarcire omnia damna, quæ inde fuerunt subsequuta.*
18 *Quæ sint peccata officialium in exercitu.*
19 *Milites ad quæ teneantur ex iustitia, ratione stipendii quod accipiunt.*
20 *In bello iusto inter Christianos captos ab inimicis tenetur pretium redemptionis sua persoluere.*
21 *Iure naturali non est prohibitum Clericis propria manu pugnare, sed tantum Ecclesiastico.*
22 *Licitum est Clericis in Minoribus Ordinibus constitutis pugnare in bello propria manu. Et quid dicendum de beneficiatis.*
23 *Clerici bello iusto interesse possunt, vt subsidia spiritualia ministrent & ad pugnam excitent, &c.*
An autem ad hoc requiratur licentia Episcopi, Refertur duplex sententia.
24 *Clerici licitè bello assistentes, ex tacita Principis voluntate, possunt spolia inimicorum accipere & retinere, sicut alii milites.*
Verius est Clericos assistentes bello iusto & prælianteis contra prohibitionem Ecclesiæ, non teneri ad restitutionem, si quid de spoliis accipiant.
25 *Omni tempore licet bellum defensiuum: similiter & aggressiuum, quando tunc victoria speratur: non est peccatum mortale diebus Festis sine necessitate præliari, modo audiatur Missa. An autem sit veniale, alii affirmant, alii negant.*

1 NOtandum *Primè* bellum uocari non tantùm ipsum armorum conflictum, seu prælium, uerum etiam voluntatem illam durabilem, & quasi professionem, ui & armis nocendi contrariæ parti, cuius uoluntatis quasi effectus est conflictus iple, seu prælium. Dicitur autem uel à beluis, eo quod homines in eo plerum-

rum que ferocitatem belluarum imitentur; vel vt placet Diuo Hierooymo, *epist.* 127. *mansion.* 33. quia bellum nihil habet bellum, sed plenum est acerbitate. D.Hier.

Secundo. Bellum aliquando repugnat charitati formaliter, aliquando tantùm materialiter: formaliter quidem quando bellum est ioinstom, vel illicitum, idque vel ex obiecto, vel ex modo; materialiter quando iustum est, & debito modo administratur: tunc enim est veluti iudiciū quoddam armatum, & actus iustitiæ vindicatiuæ, qui nō magis repugnat charitati, quàm condemnatio, & punitio nocentis, quæ debito modo fit à Iudice, propter bonum Communitatis.

Tertio. Bellum est duplex: aut enim est defensiuum, aut aggressiuum: defensiuum est, quando propulsatur iniuria & vis vi repellitur: aggressiuum, quando hostis inuaditur, vel ad obtinendam iustam rei ablatæ compensationem, vel ad iniuriam iustè vindicandam, nempè secundum culpæ proportionem, vel ad stabiliendam, & firmādam pacem: hi enim sunt tres fines, quos omnes, vel eorū aliquem, bellatores spectare tenentur. Interdum tamen in apparentia videri potest aggressio, quę tantùm est defensio: nam si hostes, v.g. occupent domos, vel res aliorū, alij verò eos inuaserint non aggressio est, sed defensio. Quo modo leges ciuiles diceotes, si quis velit me expellere à possessione, licere vim vi repellere, etiam io conicientia, veræ sunt, vt *in l. 1. C. vnde vi, & lib. 1. & 3. ff. de vi, & vi armata*, quia illa non est aggressio, sed defensio, quam etiam licet aggredi propria auctoritate, vt habetur, *in c. Solum extra de rest. spoliatorum.*

1 Circa materiam belli variæ fuerunt hæreses: nam Manichæi, teste D. Augustino, *lib. 22. contra Faustum, c.* 74. in vniuersum omnia bella damnabant, ac propterea reiiciebant vetus testamentum, in quo amici Dei, plurima bella gessisse narrantur. D. August. Cornelius autem Agrippa, Erasmus, & Anabaptistæ putat Christianis bella esse prohibita, & præcipuè contra Christianos: quia dictum est Petro Matth. 26. *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit.* At verò Lutherus, licet non reijciat bella contra Christianos, maximè contra Papam, & Papistas, damnat tamē bellum contra Turcas, vt patet ex *art.* 34. in Bulla Leonis damnato. Sed hæc sententia tantam absurditatem; & impietatem continet, vt ipse idem Lutherus postea, cùm ille ardor nonnihil deferbuisset, planè contrarium scripserit in libro de Visitatione Saxonica. Ecclesia tamen Catholica tota semper docuit. Bellum simpliciter nec esse intrinsecè malum, nec Christianis prohibitum. Est de fide. atq; expressum in Scriptura, in veteri namq; testamento laudātur bella facta à Sanctissimis viris, Genes. 14. *Benedictus Abraham, & benedictus Deus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.*

Idem legitur de Moyse, Iosue, Samsone, Gedeone, Dauide, Machabæis, & alijs, quibus sæpè iusserat Deus inferre bellum hostibus Hebræorum: & Paulus ad Hebr. 11. Caietan. dici Sanctos in fide vicisse regna, idem confirmatur aliis testimoniis Patrum apud Gratianum, 23. *q.* 1. & 2. Ratio est, quia lege ipsa naturali, competit hominibus ius propulsandi à se iniurias aliorum, vel defendendo, & prohibendo, ne inferantur, vel aliquo modo vlciscendo, vel amouendo illatas; hoc autem aliquando sine bello fieri nequit, cùm scilicet nullus est vtrique parti communis superior, ad quem recurri possit, pro obtinenda compensatione, & vindicta iniuriæ, Molina. Molina, *tom. 1. disput.* 99. & alii communiter. Neque dicas Imperatorem esse supremum superiorem omnium Principum Christianorum, qui & ipse subiectus est Pontifici, atque ideò omnes controuersias sine bello ipsorum auctoritate posse decidi. Quia licet Imperator habeat quandam Superioritatem in Reges quia potest illos conuocare in commune Ecclesiæ bonū, hæc tamen auctoritas est valdè exigua, & secūdùm quid. Imò Reges Franciæ, & Hispaniæ, sunt prorsus immunes Couarruu. à subiectione Imperatoris, ut ostendit Couarr. *ad reg. peccatum, §. 9. n. 9.* Pontifex autem, etsi sit omnium supremus Princeps in spiritualibus, non tamen in temporalibus, nisi quatenus hoc necessarium est, aut ualde expediens ad finem Ecclesiæ spiritualem. Negandum tamen est, quin Principes Christiani optimè facerēt, si controuersias suas Imperatori, & Pontifici, uel tanquam Iudicibus, uel tanquam arbitris committerent decidendas; sed quia hoc semper commodè fieri non potest, dicimus hoc non esse necessarium, sed posse Priocipem bello suum ius persequi, modo debitas conditiones obseruet.

3 Licitum est Christianis contra Turcas bellum gerere. Probatur quia si vnquam bellum est licitum, maximè contra Turcas, qui sunt immanissimi Christianorum hostes, grauissimas, & contumeliosissimas iniurias per vim, rapinas, & direptiones multorum Regnorum, & Prouinciarum sæpè intulerunt, & adhuc quotidie inferre conātur. Itaq; Deus clarissimis victorijs aliquando huius belli causam approbauit, & præter multos Summos Pontifices etiam Concilia generalia promouerunt, vt Lateranense sub Innocētio III. Lugdunense, & Viennense. Quin etiam D. Bernar. D. Bernardus ad id bellum exortatus est, vt ex ipso intelligi potest, *lib. 1. de considerat. ad Eugenium.*

Dices cum Luthero, pugnare contra Turcas est repugnare Deo, qui per illos iustè peccata nostra punit, ergo est illicitum, sicut non licet reo repugnare ministro iustitię, per quem punitur à magistratu. Respondeo non magis nos repugnare Deo cùm Turcas bello aggredimur quàm si morbum, famem, & alia huiusmodi mala, quibus Deus peccata punire consueuit, depellere studeamus: non enim Deus, ita nos per Turcas, & huiusmodi mala affligit, vt velit nos à Turcis interimi, & expoliari, & per alia incommoda consumi, sicut magistratus vult occidi reum per Carnificem, cui ideirco nefas est resistere, sed intentat tantum discrimen mortis, & aliorum malorum incommodum, relicta nobis potestate, vt remedia conuenientia adhibeamus, & mala repellamus. Adde, quod non semper constat, Deum nos per hæc velle punire, quaptopter retinemus semper ius ad nos, & nostra tuenda, in quorum possessione sumus.

4 Bellum defensiuum non solùm est licitum, sed interdum etiam præceptum. Prior pars habet locum non solùm in publicis magistratibus, sed etiam in priuatis personis, nam vim vi repellere, omnia iura permittunt, *c. si verò extra, de sentent. excommunicat.* Ratio est, quia ius propriæ defensionis est naturale, & necessarium. Posterior suadetur: nam propria defensio interdum esse potest in præcepto, saltem ex ordine charitatis. Item defensio Reipublicæ, præcipuè si ex officio incumbat. Bellum etiam aggressiuum non est pars per se malum, sed potest esse honestum, & necessarium. Ratio est, quia tale bellum sæpè est Reipublicæ necessarium ad propulsandas iniurias, & coercendo hostes, neque aliter possent Reipublicæ in pace conseruari, D. Thomas, 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. Syluius. *ibid.* D. Thom. Syluius

5 Respublica perfecta, vel Princeps illius potest suscipere contra hostes bellum aggressiuum, est sententia cōmunis, ex D. Augustino, D. Thoma *cit. q. 40. art.* 1. & alijs. D. Thom. Et probatur, quia in communitate perfecta, debent esse omnia necessaria ad bonam eius gubernationem & conseruationem, qualis est vel maximè iustitia vindicatiua, quæ exerceri debet, non tantùm contra intestinos pacis perturbatores, verum etiam contra externos: hi enim ratione delicti, constituuntur subditi Reipublicæ offensę, & pertinent ad eius tribunal. Itaque vt rectè notat Caietanus in Summa, qui suscipit bellum iustum gerit personā iudicis, criminaliter procedentis, nempè vsque ad cædē, seruitutemque personarum, damna rerum, euersiones vrbium, &c. quemadmodum consensus & vsus omnium nationum comprobauit: quod fieri non posset, nisi respublica læsa, eo ipso iudex, & superior lædentis constitueretur. Hæc autem potestas necessaria fuit ad pacem, & tranquillitatem generis humani fouendam, & conseruandam quia alioquin daretur causa, & occasio infinitis latrocinijs, homicidiis, grassationibus, &c. si homines nefarii intelligerent se peti non posse bello aggressiuo.

6 Bellum quòd sine legitima auctoritate indicitur, nō solùm est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, etiamsi adsit legitima causa. Ratio est, quia actus ille fit tunc sine iurisdictione legitima, est ergo illegitimus. Et hinc prouenit, vt ex tali bello oriatur obligatio restituendi omnia damna. Verum quidem est, quòd si quis per huiusmodi bellum recuperet tantùm res suas, non teneatur restituere illas, tenebitur tamen ad damna omnia, & expensas aliorum Ratio est, quia in his fecit inæqualitatem,

cùm

cùm eſſet cauſa ininſta omnium illorum; in accipiendo antem res ſuas, propriè non ſecit iniuriam, niſi fortaſſe in modo, ex quo tamen præcisè ſumpto, non oritur obligatio reſtituendi. Imò iuxta Syluestrum. *v. Bellum*, 1. *q.* 10 ille, qui ſine legitima auctoritate bellum facit, etſi aliàs habeat legitimum titulum, incurrit pęnas iniuſtè bellātium; atque adeò, ſi incendiarius ſit, incurrit excommunicationem latam contra incendiarios. Ita Suarez *de charitate, diſp.* 13. *ſect.* 2. *n.* 6.

Siluest.
Suarez.

7 Quando iuſta belli cauſa ſubeſt, non modò poteſt illud licitè inſcipi ab ũs quorum intereſt, hoc eſt, qui iniuriam acceperunt, ſed etiam adiuuari, & promoueri ab aliis, qui uelint eſse iuſti belli ſocii. Sic enim Abraham Geneſis 14. iuſtè pugnauit contra quatuor reges, in gratiam nepotis Loth, quem illi expoliatum in captiuitatem ducebant, atque ea de cauſa laudatus ſuit à Melchiſedech, ut enim rectè ait Caietanus, 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. charitas facit ut ſocii pro uno, & eodem reputentur, & ſicut exercere opus bonum non poteſt niſi bonum eſse, ita etiam alium adiuuare in opere bono. Eadem ratione licitum eſt alios quoque in ſubſidium belli iuſti aduocare, & accerſere. quia quod alii poſsunt ſua ſponte rectè facere, licitè quoque ab eis peti poteſt. Ita communiter Doctores.

Caietanus

8 Licitum eſt per ſe, & abſolutè aduocare milites extrancos etiam infideles in auxilium belli iuſti. Probatur ex Scripturis, 1. Machab. 8. Iudas iniit fœdus cum Romanis, vt alter populus ſit alteri, ſocius belli, quod capite 12. Confirmatur à Ionatha, & cap. 14. à Simone. Ratio eſt, quia licet Principi ſuum ius bello proſequenti, vti omnibus mediis conuenientibus ad ſuum finem. Vnde & opera beſtiarum, u. g. Elephantum, Leonum, Equorum, &c. vtiliſſima eſt in bello; ergo multo magis licebit vti hominum auxilio etiam infidelium; quia fides eorum non requiritur ad bellum iuſtè adminiſtrandum. Itaque Carolus V. Imperator, vt conſtat ex hiſtoriis vſus eſt in bello militib. Lutheranis, idque ex Concilio Theologorum, cùm tamẽ pugnaret contra Gallos Catholicos.

Imò non eſt illicitum mittere copias auxiliares infidelibus, & cum ijs ſocietatem belli inire. Probatur ex Scripturis, nam 4. *Reg.* 3. Rex Ioſaphat venit in auxilium Regi Ioram, ac Regi Edom, & quidem conſulto ante prælium Domino. Similiter Ionatas, 1. *Machab.* 11. mittit ad Demetrium regem infidelem tria millia virorum fortium. Ratio eſt, quia bonum aſt eos promouere, & iuuare, qui ius ſuum iuſtè proſequuntur; neq; enim infidelitas reddit eorum cauſam iniuſtam, ſi nihil aliud obſtet. Per accidẽs tamen ratione ſcandali, aut incommodorum, quæ ſequũtur, fieri poteſt vt ſit grauiſſimum peccatum ſocietatem belli inire cum hoſtibus Religionis Chriſtianæ. Probatur ex Scripturis ſupra allatis, vbi Aza, & Ioſaphat, Reges alioqui boni, acriter obiurgantur, quod impiis præberent auxilium, & ijs, qui oderunt Dominum, amicitia iungerentur, quamquam Aza ideò magis videatur reprehendi, quòd maiorem fiduciam in auxiliaribus infidelium copijs, quàm in diuino auxilio collocaſſet. Sic ratione ſcandali Franciſcus primus Galliæ Rex male audiuit apud Catholicos, quòd Turcas in auxilium aduocaſſet, propter inſigne detrimentum quod Reſpublica Chriſtiana ex belli huius ſocietate incurrit. Ita Rodriguez, 1. *p. Sum. c.* 126. Alterius, *can.* 7. *c.* 5. *in Bulla Cœna*, Regin. *lib.* 21 *n.* 100.

Rodrig.
Alterius.
Reginald.

9 Princeps poſita iuſta cauſa non ſemper poteſt bellũ indicere, ſed prius petenda eſt ab aduerſario condigna ſatisfactio, qua oblata non licet indicere bellum: nã oblata ſufficienti ſatisfactione, ceſſat iniuria præterita, & cauſa iuſta ſuſcipiendi bellum, vel proſequendi iam inceptum. Ita Molina, *diſp.* 103. Bannes, 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 8. Aduerte tamen ſub debita ſatisfactione comprehendi, vt non ſolum tibi reddantur omnia illa, quæ tua ſunt; ſed etiã ſoluantur expenſæ in bello factæ, & pericula, & moleſtiæ quibus te, & tuos expoſuiſti, & iniuriæ factæ compenſentur. Quia, cùm ad hæc omnia ius habeas, omnia hęc compenſari debent, priuſquam tenearis à bello ceſſare. Et inſuper petere potes, quidquid in poſterum tibi neceſſarium eſt, vt ſecurè viuas, & pacem obtineas, quia hic eſt præcipuus belli ſcopus.

Molina
Bannes

Similiter bellum debet ex charitate intermitti, quando ex eo ſecutura ſunt ſcandala, & damna longè maiora toti Reipublicæ, quamuis inimicus nolit condignam ſatisfactionem exhibere: charitas enim dictat, maius damnum præcauendum eſſe.

10 Principes, ſecundùm aliquos, debent rectam in bello intentionem habere, proponere nimirum ſibi tamquã finem bonum commune, pacem, &c. vt patet ex *cap. qui culpatur*, 22. *q.* 1. Sed hæc intentio non ad iuſtitiam, ſed ad honeſtatem belli pertinet: nam ſi iudex ſecundùm leges reum punit animo vindictæ, non peccat contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, vnde non tenetur ad reſtitutionem. Ita Bonacina, *de reſtit. diſp.* 2. *qu. vult. punct. vlt. ſect.* 1. *§.* 2. *n.* 6. Vbi citat Molinam, Bannem, Clauem Regiam, & alios. Tenerentur autem Principes ad reſtitutionem ſuis ſubditis, quoties cum maximo ipſorum incommodo, & detrimento, bellum alioquin iuſtum ſuſcipiant: hoc enim bellum non vndique iuſtum eſt: quia Principes tenentur ex iuſtitia non ſolùm habere iuſtam cauſam bellandi erga inimicos, ſed etiam erga ſubditos, aſſumendo nimirum bellum, cuius ſumptus tolerabiles, & emolumentum periculis, expenſis, & calamitatibus ferendis præponderet: Ita Molina, *diſp.* 102. Quæ vtinam à Conſiliarijs Principum perpenderentur: nam licet à principio ex aliqua cauſa forſitan bellum fuiſſet licitè indictũ tamen poſt multos annos ad pacem res redactæ, populi, & regna exhauſta, & euerſa penitus inueniuntur; vnde magis expediens fuiſſet pro Republica bellum non incipere, quàm cum Victoria illud terminare.

Bonacina.
Molina.

11 Modus belli potiſſimum in eo conſiſtit, vt non lædantur innocẽtes, ſiue in vita, ſiue in libertate, ſiue in fortunis, iuxta præceptum Ioannis Baptiſtæ Luc. 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.* Multa tamen alia ſunt obſeruanda, tum initio belli, tum in medio, tum in fine, ne vel contra charitatem, vel etiam contra iuſtitiam peccetur, propterea.

Dico *Primò*, Princeps læſus non poteſt bellum ſuſcipere, niſi probabiliter confidat ſe fore ſuperiorem, & maiorem ſperet Reipublicę vtilitatem ex victoria, quàm incõmodum ex adminiſtratione belli. Prior pars eleganter inſinuatur à Chriſto Dòmino, Lucæ, 14.

Qui Rex iturus committere bellum aduerſus alium Regem non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe: alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis ſunt. Rationem reddit Caietanus, quia indicens bellum, gerit perſonam iudicis, vtpotè vtens publico gladio contra extraneos impugnatores Reipublicæ, eadem ratione, qua vtitur contra internos perturbatores: huiuſmodi autem iudex, & uindex fungitur perſonà, & officio agentis, agens autem debet ſuperexcedere patiens, vt poſſit illud ſibi ſubijcere, & propterea bellum non debet indici, niſi à potentiori iudice, vt, licet ſit varius euentus belli, humana tamen ratione, quaſi certa ſit victoria, aut ſaltem non ſuccumbere, quemadmodum iudex contra internos perturbatores pacis non procedit, niſi habens tot ſaltem ſatellites, vt ſit quaſi certus, quod capiet malefactores. Quod non tantùm in bello ſuſcipiendo verùm etiam in prælio diligenter eſt obſeruandum, ſi præſertim ex eius euentu ſalus reipublicæ pẽdeat. Hucuſque Caietanus in 2. 2. *qu.* 96. *art* 4. Vnde Coninck, *diſp*, 31. *de bello*, *dub.* 4. *nu.* 73. & alij docent illicitè moueri bellum, ſi minima ſubſit ſpes victoriæ. Palaus autem *tom.* 1. *tr.* 6. *diſp.* 5. *punct.* 3. *n.* 17. dicit ſufficere certitudinem probabilem. Suarez verò *diſp.* 13. *de charitate, ſect.* 4. *in fine*, putat omnia penſanda eſſe, & videndum an ſpes victoriæ præualeat damnis, quæ timentur: nam ſi ſpes præualeat tentari bellum poteſt, ſin minus ceſſandum à bello. Poſterior pars probatur, quia bellum geri debet ob commune Reipublicæ bonum, eoque omnia, quę in bello fiunt, ſunt dirigenda, ergo ſi finis ille ceſſat, ceſſare debent, & media, quę ad illum finem ordinantur.

Caiet.
Coninch.
Palaus.
Suarez.

12 Dico *Secundò*, ſuſcepto bello poteſt Princeps, tum in ipſo conflictu, & præparatione ad illum, tum etiam parta victoria; ea omnia media adhibere, quæ neceſſaria vel ualde utilia ſunt ad finem ſuum conſequendum. Finis autem belli, ut alias diximus, triplex eſt, reparatio damni, uindicatio iniuriç, pax, & tranquillitas Reipublicę hæc propoſitio eſt tanquam regula, & norma, ad quam reſol-

uendi

tiendi sunt plurimi casus particulares, qui in decursu belli occurruntnam finis est mensura mediorum, ac propterea ex proportione mediorum ad finem prudens iudicare debet, quid liceat in bello, quid non liceat. Hinc sequitur quòd si in bello excedatur in inferendis damnis, vltra quàm iustitia postulat, itavt bellum reddatur iniustum, Principem; & milites teneri ad restitutionem. Ratio est, quia secundùm rectam iustitiam modus plagarum debet esse secundùm mensuram delicti, ergo cum exciditur modus, iam fit hostibus iniuria, & ex consequenti nascitur obligatio restitutionis. Hæc tamen omnia, magna ex parte pendent, ex approbata consuetudine Principum Christianorum, quę in particularibus casibus diiudicandis, sēper erit adhibenda. Vide Doctores citatos, *tom. 1. v. Bellum, num. 10.*

13 Dico *Tertiò*, iure naturali talis modus in toto belli progressu seruandus est, vt neque à Ducibus, neque ab inferioribus militibus quidquam committatur, contra leges, vel iustitiæ, vel fortitudinis, Contra iustitiam peccant Duces, qui militibus non soluunt stipendia cùm possunt, & milites si non contenti stipendijs suis, rapiunt bona rusticorum, & aliorum, aut sine facultate expressa, vel rationabiliter præsumpta, aliqua damna hostibus inferant, & multò magis si alios petulanter lædant, qui non sunt hostes, quæ omnia colliguntur ex præscripto Ioannis Baptistæ, *Lucæ 3.* Contra fortitudinem peccant, qui vel nimis temerè, vel nimis timidè se gerunt: peccant enim mortaliter, qui stationem deserunt, etiam metu mortis, si respublica, aut exercitus ex eo notabile periculum incurrat. Similiter, qui per alterum extremum, temerariè absq; vlla vtilitate se exponunt euidenti periculo, vt si vnus solus frustra irruat in hostes, sine vlla probabili spe, quod vel suo exemplo, vel per notabile damnum aut cædem, alicuius, vel aliquorum ex hostibus, esset operepretium facturus, & quasi viam straturus ad victoriam, Idq; maximè in Principe: & Ducibus locum habet. Sed quando aliqua huiusmodi spes probabiliter affulgeret, non tantùm licitè, sed etiam laudabiliter posset si quis exponere mortis periculo etiam euidenti, sicut fecit Eleazarus primi Machab. 6. qui dedit se vt liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum, sufficiendo nimirum Elephantem loricatum loricis regis, à quo tamen erat suffocandus

14 In aliquibus casibus licitum est inferre bellum infidelibus, non quidem ob solam infidelitatem, sed ob aliquā circumstantiam ei annexam. *Primus*, quādo infideles impediunt liberam prædicationem Euangelij. Potest enim tunc illis inferri bellum auctoritate Ecclesiæ, quæ cùm à Christo potestatem acceperit prædicandi Euangelium per totum Orbem Terrarum, Matth. vlt, & Marc. vltim. is qui prædicationem huiusmodi impedit, infert Ecclesiæ

Victoria

iniuriam, quam bello propulsare potest, vt docet Victoria *Relect. de Indis sect. 3. n. 9. & seq. Secundus*, quando infideles, qui Principi Christiano subsunt, leges ipsis ab eo præscriptas legi naturæ consentaneas obseruare nolunt. *Tertius*, quando Princeps Infidelis, nulli fideli subditus committit peccata, quæ non tantum sunt contra Deum, sed etiam contra proximum; tunc enim Princeps Christianus potest ei bellum indicere, si admonitus nolit desistere *Quartus*, quando infideles possident terras, quæ olim erant Christianorum; quo titulo Christiani inferunt bellum Turcis. *Quintus*, quando infideles iniurias Christianis, ut ipsi Turcæ solent. *Sextus*, quando abducunt Christianos à uera Religione. Ex quo patet Christianos nauigantes, qui bona Turcarum capiunt, non peccare, nec teneri ad restitutionem, si facultatem habent generalem à Principibus capiendi illorum bona. Idem dicendum de illis, qui piratas ad littora accedentes expellūt, feriant, uel occidunt: nam pirati sunt iniusti aggressores, contra quos absq; moderamine possumus defensiuum bellū gerere, eosq; titulo belli iusti occidere, & deprædari. Vide

Azorius. Reginald. Bonacina.

Azorium, *p. 3. lib. 2. c. 7. q. 30.* Reginaldum, *lib. 21. c. 8. n. 94.* Bonacinam, *de restit. disp. 2. q. vlt. sect. 1. punct. vlt. §. 2 n. 12*

15 Summus Pontifex, non modò Ciuitates, Prouincias, & Regna, quæ antea Christianam Religionem profitebantur, & deinde fuerunt ab infidelibus usurpata, potest, cui libuerit indubitanter concedere, ut recuperet, suaque faciat: sed ea etiam addicere potest, quæ Christianorum ounquam fuerunt ad Christianæ fidei, & Euangeli propagationem, & idolatriæ extirpationem. Vnde his rationibus motus Alexander VI. Papa istas amplas Indiarum Occidentalium regiones Catholicis Regibus, Fernando, & Isabellę, eorumque successoribus addixit: qui ex illa acquisitione omnem omnino iurisdictioné ac omnē imperium earumdem Prouinciarum sibi iure vendicant Alex. VI non ipso iure, nec iure belli; sed Romani Pontificis auctoritate; quare iustè dicuntur possidere argument. *leg. iuste possidet, ff. de acquiren. possess.* Authores huius sententiæ Diana. vide apud Dianam *p. 6. tract. 4. resol.* 18.

16 Hæresis, quatenus turbat pacem Ecclesiæ, & reip. est sufficiens causa belli. *Primò*, si subditi alicuius regis aut Principis deficiant à fide Catholica, & alios secum trahunt eadem hæresim, & sic dissensionem faciant in Regno vel Prouincia, potest Rex aut Princeps Catholicus bello eos coercere; si alius coercendi modus non suppetit. Sic fecit Moyses, quando pars populi commisit idolatriam in adoratione vituli. Nam bello eos aggressus est, & interfecit quasi viginti tria millia hominum *Secundo*, si Rex, vel subditi vnius regni deficiant à fide Catholica, & conentur subditos vicini Regni in eadem defectionem pertra here; potest vicinus Rex bello se defendere, & iniuriam sibi illatam vindicare. Cæterum quamuis hæresis si iusta causa inferendi bellum, quia grauissima damna toti Republicę adfert; in hoc tamen, est obseruandus ordo iuris: non enim potest hæreticis bellum inferri, nisi ab Ecclesia declarentur hæretici, ex *cap. cum secundum leges, de hæretic. in 6.* Post declarationé autem potest quiuis Princeps Catholicus suis subditis, pro iurisdictione, quam in eos habet, inferre bellum, & bona ipsorum occupare. Vide Becanum *2. 2. cap. 25. quæst. 5.* Reginaldum *lib. 21. n. 95.* Becanus. Reginald.

17 Princeps, qui sua culpa statuto tempore non soluit militi stipendium, tenetur resarcire omnia damna quæ inde fuerunt sequuta. *Primò*, ipsi militi, si oppressus media, sua vili pretio debuerit vendere: aut si grauem morbum in eo incurrerit, & multa fuerit coactus expendere in Medicos contrahendo debita aut membrum aliquod amiserit, aliaque ratione inutilis ad aliquid lucrandum factus fuerit, *Secundo*, alijs subditis suis, aut etiam extraneis non hostibus, quos milites coacti inopia spoliarunt; quia ipse huic damno causam dedit, militem id ad inferendū per subtractionem stipendij compellendo; præsertim cū ipse ex officio teneatur quantum potest, talia impedire *Tertiò*, ipsi Reip. similiter, si ob defectum solutionis rebellauerint, aut suo officio fungi non potuerint; atque ea ratione aut Victoria fuerit amissa, aut bellum diutius cum maioribus Reip. impensis, aut incommodo protractum; aut si clades, alia ve incommoda accepta fuerint, quia Princeps tunc horum omnium sua culpa est causa. Ita Coninch *disputatione 31. de bello dubio 7. num. 94.* Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 5.* Coninch. Palaus.

Aduerte tamen si Princeps necessitate coactus, bellum præsertim defensiuum gerat, tunc interdum accidere posse vt sine culpa Ducis aut Principis diuturnum bellum gerentis, stipendia militibus tardiùs, aut tenuiùs proueniant, quàm ipsi mereantur; quò necessitatis casu(si sumptus, quamuis omni possibili studio quæsiti, & collecti nō sufficiant) partim ipsos milites, partim verò incolas boni publici causa, aliqua incommoda tolerare necesse est Contingere etiam potest, vt etsi maximè belli Dux supremus disciplinam militarem seruare cupiat, non tamen possit: quia milites, eorumque capitanei secessionem ad aduersarios apertè cogitant, si cum supplicij seueritate à prædis omnino arceantur: quo casu interdum minora eiusmodi mala permitti, & ab incolis ęquanimiter perferri debēt, vt grauiora vitentur incommoda: modò talia pericula reuera subsint, & nō vana excusatione prętendātur.

Deinde quò ad stipendij solutionem attinet, consuetudo spectanda est. Nam in quibusdam regionibus mos est, vt milites in partem stipendij sui pannum accipere cogantur eo pretio auctiore, quo mercatores fœneratores Principi vendiderunt. Plerisque verò in licis consuetum est, vt etiam vel quatuor mensium plerumque stipendia militibus seruentur, fortasse ob eam causam; vt dum hanc debitam sibi pecuniam apud Ducem quasi depositam

habeant

non peccant, quatenus nocumenta inferunt, neque testituere debent. Ita Lorca in 2.2. *sect.* 3. *disp.* 53. *nu.* 7. cui adhæret Diana *p. trs.* 6. *tract.* 4. *resol.* 40.

Lorca. Diana.

25 Quo tempore possit iniri prælium dubium esse potest, tum propter magnas solemnitates, v. g. Paschæ, Natalis Domini, &c. tum propter constitutionem Alexandri III. qui *cap.* 1. *de treuga & pace*, certa tempora statuit, quibus a prælio sit abstinendum, & grauibus pœnis in violatores animaduertit. Nihilominus dicendum est *Primò*, omni tempore licere inire prælium defensiuum Probatur 1. Machab. 2. vbi Iudæi prudenter statuunt se defendere: *Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus aduersus illum*. Ratio est, quia leges positiuæ cedunt legibus naturalibus, qualis est inprimis de tuenda uita, & de vi per vim repellenda. Ita D. Th 2. 2. q. 40. *ar.* 4. Syluius ibidem. *Secundò*, Omni tempore licet hostes prælio aggredi, quando id necessarium est aut valde opportunum ad uictoriam consequendam. Ratio est, quia Ecclesia suis præceptis, non intendit impedire magnum alicuius & valde notabile bonum; nã permittit piscationem aliquorum piscium die Festo, *c. licet. de feriis*, & excusamus mercatores: quipropter insigne aliquod & inusitatum lucrum, cuius occasio non facile offeretur, omittunt sacrum &c. ergò multò minus impediet bonum aliquod totius communitatis. Ita Lorca in 2. 2. q. 40. *art.* 4. Sylu *ibid.* Molina *c. d.* 11 1. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 229. & *p.* 6. *tr.* 4. *resol.* 32. Quod ad constitutionem Alexand. III. Glossa asserit cum multis DD. vel non fuisse receptam, vel contraria consuetudine esse abrogatam. *Tertiò*. Nõ est peccatum mortale diebus Festis præliari sine necessitate, aut peculiari utilitate, modò non negligatur Missa, quia in die Festo solùm prohibentur opera seruilia, id est, quæ seruorum propria sunt; at bellare nõ est opus seruile, iuxta mul torum sententiam, quia non minùs pertinet ad Dominos ac Principes, quàm ad seruos. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 4. Bannes *ibi. dub.* 4. Valentia *to.* 3. *disput.* 3. *q.* 16. *punct.* 5. & alii An saltem sit ueniale? affirmant Bannes & Syluius, quia bellum affert magnas distractiones, quæ impediunt pietatem ac deuotionem, cui diebus Festis vacandũ est. Alii tamen putant nullum esse peccatum, si Missa audiatur; vndenulla est circumstantia temporis ad bellandum obseruanda. Ita Granado in 2 2. *contr.* 3. *tract.* 12. *disput.* 4. *sect.* 7. *n.* 65. Lorca *loc. cit.* & Diana *supra*.

D. Thom. Syluius. Iorca. Syluius Molina. Diana. Caietan. Bannes. Valentia. Granado Lorca Diana

Vide v. Dubium *n.* 10. Reliquiæ Sanctorum *n.* 20. Seruus *num.* 6.

BENEDICTIO.

SVMMARIVM

1 *Duplex est benedictio, publica & priuata.*
2 *Quæ res in Ecclesia soleant benedici seu consecrari.*
3 *Benedictiones aliæ sunt constitutiuæ, aliæ inuocatiuæ.*
4 *Quod benedictione Ecclesiastica sacrum effectum est, non soles extra necessitatem ad prophanos vsus adhiberi.*
5 *Benedictiones quæ cum sacra vnctione fiunt, Episcopalis Ordinis propria sunt, & certum, est illas non posse simplici Sacerdoti ab Episcopo delegari.*
6 *Fratres Minores & Presbyteri Societatis in locis infidelium possunt ex priuilegio benedicere, & consecrare altaria, & calices.*
7 *Prælati regulares & eorum vicarii, virtute priuilegiorum licitè benedicunt Oratoria, Cœmeteria, Ecclesias, Corporalia, & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia, vbi Chrisma non interuenit.*
8 *Abbas benedictus mitra & baculi pastoralis usum habens an possit consecrare campanas alterius loci, altaria portatilia, & uestes.*
9 *Benedictiones, quæ de iure aut consuetudine Episcopis reseruata non sunt, an à sacerdotibus fieri possint.*
10 *Prælati Ordinum Mendicantium reconciliare possunt suas Ecclesias pollutas.*
11 *Si aqua uel oleum non benedictum infundatur benedicto, sit benedictum.*

1 Benedictio duplex est, publica & priuata hæc a quouis fideli fieri potest, illa ab Ecclesiæ Sacerdotibus; & ad maiorem seu sanctiorem pertinet alteri benedictio-nem priuatam impartiri, benedictionis autem effectus non est ex opere operato infallibilis, sed per modum deprecationis nomine Ecclesiæ maximam impetrandi uim habet. Suarez 3. *p tom.* 3. *dis.* 15. *sect.* 4.

2 Benedictio seu consecratio Ecclesiastica, alia est personarum, v g Abbatum virginum, viduarum, sponsorum; &c. alia est benedictio rerum; puta aquæ, vini; olei, ceræ, domus, nauis vestium, vasorum, altaris, Ecclesiæ, &c. Syluest. *v. benedictio & v. Abbas Panorm. in cap.* 1. *de consecrat. Eccles.* Suarez.

Res inanimatæ, vt Ecclesia altare, &c. post consecrationem in certis casibus execrari possunt vel pollui, ut noua consecratione vel reconciliatione opus sit, non verò ita personæ; hinc consecratio rerum inanimatarum omnibus diebus etiam non festis fieri potest, fed personarum, scilicet, Virginum, Abbatum, & Episcoporum consecratio Dominicis tantùm diebus de iure fieri debet. *C. qui in aliquo, d.* 51. Sed quia hic textus loquitur tantùm de consecratione Episcopi facienda die Dominica: non autem de impertienda benedictione Abbatibus, & virginibus eodem die; Proinde secundùm communiorem sententiam Oldradi, Ioannis Andreæ, quos Panormitanus sequitur in *cap. cum sis, de consecrat. Ecclesiæ vel Altaris*, cæteris, etiam diebus festiuis benedici pure possunt Abbates: nam illorum benedictio non est tanta, quanta Episcoporum consecratio, nec est maior, quàm Ecclesiæ uel altaris consecratio; in qua adhibetur sacra vnctio, quę tamen aliis diebus, quàm Dominicis, iure communi fit & decentiùs *Cap. Tua, de consec. Eccl uel altar.* Quamuis tutiùs sit si die Dominica benedicantur Abbates & virgines. Lezana *in Sum. to.* 2. *c.* 2. *num.* 36.

Sylu. ster.

Circa benedictionem Abbatum extat declaratio S. Congregat. Rituum *in vna Cameracen.* 6. *Decembris* 1631. his uerbis. *Abbas benedictionem ab Episcopo recipere debet, non autem ab aliis Abbatibus aliàs benedictis*. Ita Barbosa *in collectan. Bullar. v. Abbas.* 1. Quæ declaratio intelligenda est secluso priuilegio in contrarium: de qua si constaret Authenticè, corrueret etiam consuetudo contraria, cuius testes sunt Syluester, & Layman, supra citati *v. Abbas num.* 2. Ideo caute procedendum. Barbosa.

3 Benedictiones aliæ sunt constitutiuæ, quibus res Sacræ constituuntur, ut ad usum profanum sine irreuerentia applicari non possint, ut benedictio aquæ, olei, uestium Ecclesiæ, altaris, &c. Aliæ autem sunt benedictiones inuocatiuæ tantùm quibus res sacræ non constituuntur, neque ab usibus profanis secernuntur, sed adhibetur tantùm ad inuocandum speciale Dei auxilium circa præsentiam & usum talium rerum. Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 4 *cap.* 14. *nu.* 1. Caiet. Suarez.

4 Quod Ecclesiastica benedictione sacrum effectum est, nõ potest vel saltẽ nõ solet vnquã ad prophanos vsus adhiberi extra grauissimã necessitatem; partes autẽ aulii a re consecrata, destructa eius forma saltẽ cum Prelatorum licentia ad usus prophanos adhiberi possunt. Nauar. *comment. de spoliis cler.* § 17 *n.* 5. Caiet. *c. q.* 88. *art.* 11. Nauar. Caiet.

5 Benedictiones aliquæ fiunt cum sacra vnctione, vt consecrationes Ecclesiæ, altaris, calicis, patenæ, agni, cerei, &c. vel aliæ sunt uerbales tantùm & sine vnctione, ut aquæ, salis, uestium, &c. Illæ, quæ cùm sacro chrismate fieri solent, Episcopatis ordinis propriæ sunt; unde ab Episcopo electo & confirmato nondum tamen consecrato fieri non possunt, quamuis Summus Pontifex ex plenitudine potestatis suæ dispensare possit, & talem consecrandi potestatem simplici Sacerdoti committere. Vt docent Suarez *to.* 3. *disp.* 5. *sect.* 3 Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 12. *num.* 9. Azorius *tom.* 1 *l.* 10. *c.* 28. *q.* 1. Suarez. Layman Azorius.

An autem Episcopus hanc facultatem simplici Sacerdoti delegare possit? Certa est sententia negatiua Syluestri *uerb. Episcopus, quæst.* 8. Armillæ *num.* 11. & *uerb. Abbas n.* 8. & aliorum: eò quòd hæc sit actus Ordinis Episcopalis, quem non potest Episcopus delegare, uti potest ea, quę ad iurisdictionem pertinent. Et hæc sententia habet locum quoad ea, quæ chrismatis unctionem requirunt. Apud tamen multos Episcopos praxis est in contrarium: cum sæpissimè videamus aliquos Parochos, & decanos ex commissione Episcoporum benedicere non solùm paramenta sacra, sed etiã campanas, vbi chrisma interuenit. Syluest. Armilla

quam initio conditi orbis rebus omnibus Deus benedictionem contulit, illa ad panes quibus Dominus IESVS Christus benedixit, non pertinet. Vnde concludendum est, quas, res possumus maledicere, easdem nos benedicere posse. At creaturas maledicere possumus, poteramus igitur, & benedicere. Assumptio est certa, quia in noua lege maledixit Dominus ficum. *Marci* 11. Et in veteri, si quando occultum crimen adulterii prodi debuit, in aquis à Sacerdote maledictis, Deus fieri voluit, *num.* 5.

2 Primi inter hæreticos, qui benedictiones aquæ salis, cinerum, cerei &c, quæ fiunt in Ecclesia irridere cæperunt, Vvaldenses sunt: post eos flagellantes exorti sunt qui quod omnẽ pietatem constituerent in Baptismo sanguinis per flagellationem sponte effusi, simul asserebant finem iam accepisse Sacramenta Baptismi, Confirmationis, pœnitentiæ, & cætera omnia, & cum eis omnes benedictiones aquę, cinerum, salis &c. Post eos Vvicleffistæ asserebant benedictiones aquæ, salis, vini, panis, olei, cereorum & similium esse veram practicam necromantię. Martinus Lutherus *in lib de visione Danielis contra Ambrosium Catharinum*, damnat etiam has omnes benedictiones. Caluinus *l.* 4. *c.* 10. *§.* 20. *instiut.* tria dicit contra aquam benedictam. *Primo*, Catholicos pugnare secum, dum dicunt, aquæ benedictionem esse Apostolicã traditionem, & tamen referunt eius institutionem in Alexandrum Papam, qui fuit VI. à Petro. *Secundo*, dicit institutionem hanc esse recẽtiorem multò, quàm vt Apostolis vel Alexandro tribui possit. *Tertio*, dicit, aquæ lustralis institutionem nullo modo à Spiritu Apostolico proficisci potuisse, quandoquidem nihil est aliud, quam quædam Baptismi profanatio & quasi repetitio. Hic illi.

Lutherus. Caluinus.

His tamen nõ obstantibus, dicendum est *Primò*, quòd rectè benedicatur in Ecclesia, aqua oleum, panis, cerei, cineres, rami, & similia. Probatur *Primò*, ex Scripturis, quæ continẽt exemplum & documentum. Exemplum est Domini Matth. 14. & Luc. 9. qui panes multiplicaturus aspexit in cœlum & benedixit eos. Documentum est Pauli, qui dicit 1. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur Sanctificatur enim per Verbum Dei & orationem.* Probatur *Secundò*, ex traditione veterum, ac primum de aqua quòd solet benedici ab ipso tempore Apostolorũ sunt innumerabilia testimonia Clementis, Dionysii, Cyrilli, Cypriani, Ambrosii, Basilii, Epiphanii, Theodureti, Augustini, apud Bellarminum *de cultu Sanct. lib.* 3. *cap.* 7.

Bellarmin.

3 Rectè ad effectus supernaturales efficiendos, & significandos vtimur aqua, oleo aliisque rebus benedictione consecratis, Nam illa omnia benedicuntur in Ecclesia propter tres fines. *Primo*, ad significandos spirituales effectus. Cineris enim aspersio significat pœnitentiam; Palmæ, Victoriam; cerei Paschalis, gloriam resurrectionis. *Secundo*, ad deletionem venialium peccatorum, de qua re vide D. Thomam. 3. *p. q.* 87. *art.* 3. *Tertio*, ad fugãdos Dæmones, & curandos morbos, vt ex precibus paret quibus benedicuntur. Verum est tamen, quod nõ operãtur infallibiliter, sicut operantur. Sacramenta, & ratio est, tum quia vim habens eiusmodi res non ex pacto Dei expresso, quomodo Sacramenta, sed ex precibus Ecclesię & deuotione vtentium, tum etiam, quia aliquando non expedit nobis vt liberemur vel à morbo, vel a Dæmonis vexatione. Probat Bellarminus *cap.* 7. *supra*, istum tertium effectum exemplis Scripturæ & Sanctorum Patrũ.

D. Thom.

Bellarmin.

4 Benedicere est alicui bonũ precari, videlicet à Deo omnis boni largitore: sicut maledicere est alicui malum imprecari. Et cum priuata benedictio cuilibet fideli vtriusque sexus erga alterum fieri possit: Decet tamen etiam in ea obseruari, quod ait D. Paulus ad Hebræos 7. *Sine vlla contradictione quod minus est, a meliore benedicitur.* vt personæ eæ, quæ vel ratione status, vel ratione sanctimoniæ in Ecclesia excellentiores sunt, aliis benedicere debeant; imò in priuata benedictione maior etiam ratio sanctitatis propriæ haberi debet, cùm Deus deprecationem peccatoris pro alio fusam, non ita exaudiat, sicut deprecationem iusti. Erat autem olim frequentissimum, vt à viris sanctitate conspicuis benedictio daretur, seu super personas abeuntes, aut redeuntes, seu super alias res, puta panem, vinum, aquam oleum, habitationem.

5 Benedictiones solemnes seu publicæ sunt ritus quidam, seu formulæ orationum à Ministris Ecclesiæ ex eiusdem institutione, super personis, aut aliis rebus sensibilibus pronunciari solitæ, ad impetrandum hominibus diuinæ gratiæ auxilium & alia Dei dona, sed quia eiusmodi orationes nomine Ecclesiæ fiunt quę semper Deo grata & accepta est, pie credendum, imò pro certo habendum, eiusmodi Ecclesiæ benedictionibus, atq; rebus benedictis magnam uim inesse ad conciliandum hominibus, per misericordiam Dei, bonos motus diuinæ gratiæ quibus à peccatis mundentur, virtutibus augeantur, à corporalibus periculis custodiantur, vel eripiantur, &c. sicut Deo expedire visum fuerit suo loco, & tempore. De qua re videri potest Suarez *part.* 3 *tom.* 3. *disp.* 15. *sect.* 4.

Suarez.

6 communiter asserunt Doctores, quod Abbatibus ex consuetudine liceat sacras vestes, & Pallas Altaris benedicere. Ita Syluester *verb. Benedictio, num.* 5. Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 30. quamuis enim ea, quæ conueniunt Episcopis ratione suæ consecrationis, ex iure diuino (vt Chrisma conficere & similia) non possint consuetudine acquiri, *cap. quanto, de consuetud.* quia consuetudo ius diuinum mutare nequit, tamen alia quæ ipsis Episcopis competunt & reseruantur ex Ecclesiæ institutione, vt benedictio ornamentorum Ecclesiasticorum, possunt per consuetudinem acquiri à simplici Sacerdote vt bene notat Suarez hic citatus. Hæc autẽ cõsuetudo potius est signum concessionis à Summo Pontifice super hoc eis factæ, quàm quòd per eam huiusmodi potestas tribuatur, cũ nullum sit expressũ ius in quo dicatur, illã posse consuetudine acquiri. Notat tamen Barbosa *de iure Eccl. l.* 1. *c.* 17. *n.* 62. nõ esse necessariũ in specie Abbatibus concedendam esse facultatem benedicendi paramenta Ecclesiastica, sed sufficere in genere concessionem à sede Apostolica emanantem pro exercitio Pontificaliũ, quod ex quadam declaratione Sacræ Congreg. Conc. Triden, supra decretum *sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.* desumpsit, verba autem eiusdem Sacræ Congreg. sunt, *Abbas, qui est benedictus vel qui ex priuilegio Sedis Apostolicæ habet, vt pontificalia exercere possit ac si esset benedictus, potest omnia sacra benedicere illis exceptis in quibus vnctio requiritur* Vt refert Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *libr.* 2. *cap.* 30.

Syluester, Suarez

Barbosa.

Con. Trid. Sact. Con.

7 Vestes Sacræ benedictionem amittunt, & iterum benedicendæ sunt, quando ita scinduntur aut frangũtur, vt amplius ad vsum ad quem destinatæ fuerunt, aptæ nõ sint, aut amplius priorem figuram non retineant, alias formam benedictionis non amittunt, etiamsi aliqua pars quæ benedicta non est, vna cum filo prophano non benedicto, assuatur, Angelus *verb. Benedictio n.* 3. Armilla *v. Benedicere, n.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap* 28. *qu.* 9. Vnde stola facta de planeta benedicta, debet iterum benedici, quia est mutata forma, quæ dabat esse rei, & datur ad ipsam stolam particularis benedictio alia à benedictione, quæ data erat Planetæ. Ita Vgolinus *de potest. Episcop. c.* 32. *§.* 1. *n.* 6. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 27. *n.* 45. subdentes quod si tales vestes breuiores fiant, dummodò formam non mutent, noua benedictione nõ indigent. Si autem ex stola manipulus fiat, non erit iterũ benedicendus, nam harum vestium benedictiones nõ differunt, & longitudo & breuitas vestis formam non mutat, si vestis apta sit ad eos vsus, ad quos benedicta est. Si autẽ eò ex vetustate deducta sit, vt amplius diuinis vsibus inseruire nequeat, igne erit comburenda, quia non liceat ea quę in sacrario fuerint male tractari, sed incẽdio vniuersa tradantur, cineres quoq; eorum in baptisteriũ inferantur vbi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pauimentorũ iactẽtur, ne introeuntiũ pedibus inquinentur; ita habetur, *can. Alt. de cons distinct. prima.*

Angelus. Armilla. Azorius.

Vgolinus. Barbosa.

8 Benedictio monialium de iure solis Episcopis competit *ex cap. perlectis, distinct.* 25. *& cap. quamuis. distinct.* 68. Rationem assignat D. Thomas *in* 4. *distinct.* 38. *quæst.* 1. *art.* 5. quia hæc benedictio est spiritualis quædam desponsatio cum Christo, per quam repræsentatur desponsatio ipsius Christi cum Ecclesia, quoad illius incorruptionem, ideò solus Episcopus cui Ecclesiæ cura committitur, Virgines dispõsat velando non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranymphus. Cum D. Thoma sentit communis

D. Thom.

sententia, teste Suarez *de relig. tom.4. tract.9. lib.1. cap. 11. num.12.* Ex priuilegio autem Abbates benedicere possunt moniales, in quas ordinariam iurisdictionẽ habẽt: quia multi Abbates in pacifica possessione benedicẽdi Moniales sibi subditas hactenus perstiterunt & persistũt: quod autem hæc potestas ipsis ex vi iurisdictionis proueniat, non satis probatur, hæc namq; consecratio est actus Ordinis Episcopalis, & non tantùm iurisdictionis, quia consistit in quadam forma per Ecclesiam tradita: & in Pontificali Rom. semper supponitur Episcopus tanquam ordinarius huius consecrationis minister, quod si aliqui Abbates, & Prælati hanc potestatem obtineant, ac tales consecrationes efficiant, id eis ex speciali sedis Apostolicę priuilegio, concessum fuisse oportet, sicut nonnullis Abbatibus datum esse testatur Suarez *supra.*

Suarez.

9 Abbatissæ exemptæ & Abbatibus subiectæ, quę per consuetudinem solitæ sunt benedictionem accipere, ab eisdem Abbatibus erunt benedicendæ. Nec obstat quod quidam Doctores dicant, ad Episcopum pertinere benedictionem Abbatissarum, quoniam respondetur esse intelligẽdum de Abbatissis non exemptis, quæ sub Episcopi potestate & iurisdictione sunt positæ, non autem de aliis, aliàs enim frustra essent exemptæ. Et hoc habetur ex priuilegio expresso Innocentij VIII. dato Generali Cistertij, cuius bulla extat apud Rodriguez, in Bullario 5. inter bullas eiusdem Pontificis. Ac etiam ex alio priuilegio Clementis etiam VIII. sub datũ Romæ die 24. Iunij anno 1599. vt diximus *to.1. verb. Abbas num.2.* Aduerte autem quòd Abbatissę temporales, illæ nẽpe, quę non nisi ad triennium eliguntur ex constitutione Gregorii XIII. de anno 1583. kal. Ianuarii, non sunt de iure benedicẽdæ, nisi Apostolica Sedes aliud expressè decernat, vel seruet contrarium, vt docet Quaranta *verb. Abbatissa, in fine.*

Innoc. viii.
Clem. viii.
Greg. xiii.

10 Abbates nõ possunt solemniter populo benedicere regulariter loquendo, nisi id eis Apostolicæ Sedis priuilegio specialiter concedatur. Benedictio enim solemnis simplici Sacerdoti non competit *cap. Eccles. dist.95.* Exceptis S. R. E. Cardinalibus, qui ex antiquissima consuetudine solemniter benedicere possunt. Item benedictio per vias, & ciuitates & Castra, fieri non potest ab Abbate nisi hoc ei expresso Sedis Apostolicæ priuilegio cõcedatur *cap. Abbates, de priuileg. in 6.* & non potest acquiri talis benedictio ex consuetudine, vt testatur Geminianus *in dict. cap Abbates numer.5.* Vnde priuilegium concessum simpliciter Abbatibus solemniter benedicendi debet restringi & communiter restringitur ac proprias Ecclesias sibi subiectas, ex *cap. de Monachis de excess. Prælat. in 6.* Præterea Sacra Rituum Congregatio in vna nullius Prouinciæ Burgen. anno 1609. die 24 Augusti, declarauit, quòd licet Abbas habet vsum mitræ & baculi, & solemniter populo benedicere possit, priuatam tamen benedictionem, more Episcoporum, per vias minimè dare possit.

Quaranta.
Sac. Cong.

Duo hic sunt notanda. *Primò*, Abbates coram Episcopo nõ posse benedictionem solemniter elargiri *cap. cum Minister, 26. quæst.6. cap. denique dist.21.* vt diximus supra *in verb. Abbas, num.31.* *Secundò*, facultatem benedicendi solemniter populo, non solere concedi à Sede Apostolica, nisi Abbatibus habentibus vsum mitræ & aliorum Pontificalium.

11 Absque speciali priuilegio Abbates non possunt cõsecrare Calices, patenas, Pixides, & alia similia vasa Ecclesiastica, nec non Altaria, & lapides deseruientes ipsis Altaribus; & Campanas, ac omnia alia, in quorum consecratione requiritur vnctio Chrismatis. Ratio est, quia talis consecratio est Ordinis Episcopalis, non iurisdictionis. At ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, non possunt aliis competere, etiam ex consuetudine, vel præscriptione, vt tenent Gemin. Franc. Anchar. & Gloss. *in cap. Abbates, de priuileg. in 6.* Idem etiam videtur prohiberi per Sacram Congregationem Cardinalium, in quodam responso super Concil. Trident *sess. 23. cap. 10.* quod retulimus supra *n.6.* Nihilominus Abbates, qui vtuntur Episcopalibus insigniis nõnullis consecrationes, in quib. Vnctionis Chrisma necessariũ est efficere possunt quia hoc illis ex priuilegio Sedis Apost. conceditur, vt patebit ex infra dicendis. Nec obstat, quòd huiusmodi consecratio sit Ordinis Episcopalis, & propterea non possit aliis competere, etiã præscriptione, vel consuetudine, vt dicunt Gemin. & alii supra, quia, vt ipsimet aiunt, potest Abbatibus conuenire ex priuilegio Romani Pontificis. Vnde eadem Sacra Congregatio postea declarauit, non impediri eosdem Abbates, qui specialibus, ad id Summorum Pontificum priuilegiis gaudent, vti posse: Extat Decretũ eiusdem Sacr. Congreg. In fauorem Monacorum Cassinensium emanatum tenoris sequentis. *Sacra Cõgregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, declarauit decisionem a se alias editam, quòd Abbates vtcumq. benedicti, benedicere non possunt ea in quibus vnctio requiritur non obstare quominus iidem munus prædictæ benedictionis quoad ea, in quibus vnctio requiritur, impendere queant, si specialibus Sedis Apostolicæ priuilegiis, quibus idem Concilium nequaquam derogat, muniti fuerint. Datum die 10. Septembris 1614.*

Geminian.
Francus.
Ancharan.
Gloss.
Sac. Cong.

P. CARDIN. ARIGON.

Hoc decretum extat apud Tamburinum *tom. 1. de iure Abbatum disp.23. quæsit.3.*

Tamburin.

12 Quibusdam Abbatibus concessum est à Sede Apostolica priuilegium consecrandi Calices, Patenas, Pixides & alia similia vasa Ecclesiastica, in quorum consecratione requiritur Vnctio Chrismatis: Quod patet ex concessione Vrbani Papæ II. facta Abbati Manasterii Sanctissimæ Trinitatis Cauensis Ordinis S. Benedicti, vt possit per Terras & Castra sua Ecclesias ædificare, cũ cruce signare & omnia alia Pontificalia exercere, quæ Episcopi in suis Diœcesibus facere possunt (sacrorum Ordinum collatione, Basilicarũ & Altariũ consecratione ac Chrismatis confectione, dumtaxat exceptis) vt plenius continetur in Bulla dicta apud Lærtiũ Cherubinũ *t.1. Bullarii noui.* Subdatum Salerni 18. kal. Octobris, anno 1092.

Vrban. ii.
Cherubi.

Innocentius VIII. anno 1489. ad petitionem Ioannis Abbatis Cistercij concessit illi & quatuor aliis Coabbatibus tunc, & pro tempore existentibus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus, quęcumque vestimenta & ornamenta Ecclesiastica, Corporalia, vasculaque ad reponendam Sacram Eucharistiam in locis & domibus dicti Ordinis benedicere & Calices consecrare, tam de dicto Ordine, quàm si ad eos aliunde nonnunquam deferantur, valeant & possint. Refertur Bulla a Rodriquez in Bullario, Bulla 5. dicti Pontificis.

His & nonnullis priuilegiis gaudent regulares Abbates, qui tùm directè per speciales Summorum Pontificũ concessiones, tum indirectè per Communicationem, prædictum munus consecrationis exercere, possunt.

Sac. Cong.

Et Sacra Congregatio Eminentissimorum DD. Card. Concilii Trident. interpretum die 5. Aprilis 1620. pro Abbatibus Cassinensibus censuit eos vigore suorum priuilegiorum, posse in locis eorum iurisdictioni subiectis, Campanas & Calices cõsecrare, cuius Decretum refert Tamburinus *tom.1. de iur. Abbatum disp.23. quæsit.2.*

Tamburin.

13 Si Episcopus Diœcesanus a religiosis exemptis ter requisitus, eorum Ecclesias consecrare noluerit, quilibet alius Episcopus idipsum facere poterit, per speciale priuilegiũ concessum ab Honorio IV. Fratribus Minoribus vt refertur *in compendio Mendic. verb. Altare, §. 2.* & à Sixto IV. Carmelitis *bulla 37. num.77.* apud Rodriq. Nec videntur huiusmodi priuilegia abrogata per Concil. Trid *sess.6. de reform. cap. vlt.* vbi præcipitur, quòd nullus Episcopus in alterius Diœcesi, sine ipsius licentia, Pontificalia possit exercere, cuiuslibet priuilegij prætextu, &c. quia quoad hoc supra dicta priuilegia, non censentur esse priuilegia, sed continere ius commune, dummodò sit petita licentia, iuxta *c. primum, de supplend. neglig. Prælat & c. nihil. est. §. vlt. de elect.* Ita ait Miranda *in man. Prælat. tom. 2. quæst. trigesimanona, art. 1, concl.3.* quem refert & sequitur Barbosa *citata allegat.27. num.11.* Ex priuilegio autem Pauli III. pro Societate IESVS apud Bullarium Rodriguez *Bulla 8. nu.27.* possunt dicti Prælati Ecclesias suas & cœmeteria benedici, aut consecrari facere à quocumque Episcopo, si Diœcesanus vltra quatuor menses id facere distulerit.

Honor. iv.
Sixtus iv.
Miranda.
Barbosa.
Paulus iii.
Rodrig.

Vide v. Abbas *n.29. 30.* Ecclesia *n.16. & 17.*

B E-

BENEFICIVM I.

Quid sit beneficium, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium quid sit? in quo tria distinguuntur.*
2 *Beneficium aliud est regulare, aliud sæculare.*
3 *Aliud est simplex, aliud duplex. Et quid sit Dignitas, Personatus, & Officium.*
4 *Item beneficium aliud titulare: aliud manuale, aliud electiuum, aliud collatiuum, aliud mixtum.*
5 *Beneficia alia sunt incompatibilia, alia compatibilia.*

1 Beneficium est *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale authoritate Ecclesiæ constitutum.* Tria autem possunt distingui in beneficio. *Primum* est ipsum officiũ seu obligatio, qua quis tenetur aliquam functionem obire spiritualem. *Secundum* est ius percipiendi certos reditus ex bonis Ecclesiasticis, & hoc ius dicitur Præbenda. *Tertiũ* sunt ipsi fructus, qui sunt quid temporale *cap. relatũ, de præbend.* Sylvius *v. benefic. anu.* Malderus *2.2. de iust. tr. 9. c. 2. dub. 1.* Toletus *lib. 5. cap. 76* Filliucius *tr. 41. n. 3. 4.* (Sylvius. Malderus. Toletus. Filliucius)

2 Multipliciter beneficium diuiditur, *Primo*, n. aliud est regulare, aliud sæculare. Regulare est quod tantum Regularibus confertur, vt Abbatia regularis, prioratus canonicatus regularis, &c. Sæculare est omne illud, quod non est pro Regularibus institutum, aut illis peculiariter annexum; huius generis beneficium regularibus sine dispensatione Papæ conferri non potest, nisi sit curatum *cap. cum singula de præb. in 6.* Azor. *2. p. lib. 3. c. 1. q. 4.* Lessius *p. 2. c. 34. d. 2.* Aduertendum autem est omne beneficium præsumi sæculare, nisi probetur esse regulare. Regulares verò Mendicantes incapaces sunt beneficiorum ob renunciationem omnis proprietatis, vnde in his Prioratus, Guardianatus, &c. sunt dignitates, & administrationes ordinis, & regulæ, non autem beneficia Sanch. *l. 7. moral. c. 16. n. 14.* Petr. Greg. *l. 17.* Syntag. *iuris 2. p. n. 27.* (Azorius. Lessius. Sanchez. Petr. Greg. Syntag.)

3 Rursus beneficium aliud est simplex, quod nullam habet administrationem, nec est vlla iuris qualitate affectum; sed tantum institutum ad recitandas horas Canonicas vel alia diuina officia persoluenda, vt Canonicatus etiam Ecclesiæ Cathedralis, Sacella, Altaria, Capellæ: Aliud duplex, quod est scilicet cum administratione, vnde maximum est Papatus; Deinde Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & Cardinalatus. Item beneficia quæ dicãtur Dignitates, vt Præpositura, Decanatus, Personatus Archiediaconatus Abbatia sæcularis, quæ est in quibusdã Ecclesiis instar Decanatus, Abbatia regularis Prioratus cõuentualis, & claustralis, sunt etiam duplicia. Layman *lib. 4. tr. 2. c. 4.* Malderus *c. dub. 1.* Rebuff. *de benefic. c. 4.* Lessius *c. n. 9* Filliucius *c. 1. n. 6.* (Layman. Malderus. Rebuffi. Lessius. Filliucius)

Ex quibus patet esse differentia inter dignitatem, personatum, & officium Dignitas enim Ecclesiastica est beneficium Ecclesiasticum habens iurisdictionem spirituale fori exterioris, vt Abbatia, Decanatus &c. Personatus est quædam prærogatiua in Ecclesia sine iurisdictione, vt habere stallum honorificum in choro, capitulo, in vocibus dandis, & in processionibus plusquam alij sui ordinis canonici. Officium est administratio rerum Ecclesiasticarum sine iurisdictione, & sine prærogatiua in choro vel alibi, & tale habent syndici, procuratores; Castaldi, vicedomini, &c. Ita Sylvester *v. Beneficium 1. n. 2.* (Sylvester.)

4 Beneficium aliud est simpliciter titulare, quod videlicet in titulum perpetuum confertur, & beneficiato sine graui causa, & iusta auferri non potest; aliud est beneficium manuale, quod in titulum quidem confertur, sed reuocabiliter; quia ad nutũ Prælati vel patroni beneficiato auferri potest; vt beneficiũ regulare, quod nec curatũ nec electiuum est, vt Prioratus, officium Custodis, Sacristæ, &c. Porrò beneficium aliud est electiuum, quod scilicet præcedente electione à Canonicis facta, & accedente postea confirmatione ex consensu Superioris confertur; aliud collatiuũ, quod libera, & simplici Superioris voluntate conceditur. Aliud mixtum, quod præsentante Patrono, & Episcopo intuente confertur. Sanchez *c. c. 29. num. 118.* Filliucius *c. num. 6.* Gem. *cap. cum illis §. 1. de præb. in 6.* (Sanchez. Filliucius)

5 Beneficia alia incompatibilia dicuntur, alia compatibilia; incompatibilia sunt ea quorum singula per se, vel naturali iure, vel saltem Ecclesiastica constitutione continuam residentiam postulant; vt sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, duę Parochiæ, duæ perpetuę vicariæ, duę dignitates, siue personatus: deinde beneficia vniformia sub eodem tecto incompatibilia censentur: vt duo canonicatus eiusdem Ecclesiæ: reliqua autem beneficia compatibilia sũt. Laym. *c. c. 8. n. 2. & 3.* Lessius *c. dub. 27. n. 140.* Vide *Simonia 4. n. 3. 4. 5. & 6.* (Layman. Lessius.)

BENEFICIVM II.

De modis quibus beneficia acquiruntur.

SVMMARIVM.

1 *Sex modis beneficium acquiritur.*
2 *Præsentatio quid sit? quid Patronus, & ius patronatus.*
3 *Institutio quid sit, & an valide fit sine patrono facta?*
4 *Quid sit electio, & an per electionem acquirantur ius in re vel ad rem?*
5 *Postulatio quid sit?*
6 *Quid collatio?*
7 *Quid permutatio.*
8 *Quid resignatio vel renunciatio, & quotuplex.*
9 *Quæ requirantur vt resignatio conditionalis, & id quod ex vi illius secutum fuerit sit validum.*

1 Sex modis acquiritur beneficium. *Primo*, præsentatione patroni prçuia, & institutione subsecuta; præsentatio potest fieri per laicos, si ius patronatus habens, institutio autem solum fit per Ecclesiasticos. *Secundo*, electione, & confirmatione. *Tertio*, postulatione, & cõfirmatione, & habet locum tantum in Prælaturis. *Quarto* collatione libera. *Quinto*, permutatione, *Sexto* resignatione in fauorem cum secuta collatione Rebuffus *in praxi tit. quomodo acq. n. 17.* Lessius *c. dub. 3.*

2 Præsentatio est exhibitio quædam personæ per patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta. Patronus autem est qui habet ius patronatus, quod nihil aliud est quam beneficium onerosũ vtile: conueniens alicui ob aliquod meritum vel obsequium in Ecclesia collatum. Panorm. *in cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælat.* Azorius *2. p. l. 6 c. 19. q. 1. 2. 4. & 5.* Filliucius *tr. 41. c. 3. num 8.* Lessius *c. dub. 4. 5. 6. & 7* Malderus *2. 2. tr 9. c. 2 dub. 2.* Est autem hoc ius duplex aliud enim est ius patronatus Ecclesiastici, aliud laici: ius patronatus Ecclesiastici dicitur, non quod Ecclesiasticus possidet, sed quod cõpetit alicui ex eo, quod ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiã fundauit; vel extruxit, vel dotauit, vel quod habetur ratione Rectoratus Ecclesiæ, aut dignitatis Ecclesiæ. Ius patronatus laici dicitur quod competit alicui quia ex bonis patrimonialibus, seu sæcularibus Ecclesiã fundauit, vel construxit, vel dotauit, aut beneficium aliquod erexit, aut quia ab aliquo hoc ũ causã habuit de hoc iure patronatus plura apud Azor. *citat. &* Lessium. (Panorm. Filliucius. Malderus. Azorius. Lessius.)

3 Institutio est concessio beneficii facta legitima authoritate Episcopi, vel alterius, clerico à Patrono præsentatio; vnde institutio solum fieri potest per Ecclesiasticos: horum enim est, beneficia Ecclesiastica conferre, non laicorum. Notandũ autem est, quod institutio sine patrono facta, est irrita ipso iure, si verò patronus sit negligens in præsentando, deuoluitur ad Episcopũ, vel ad eum ad quẽ iurisdictio pertinet, si autẽ patronus patronatũ Episcopo cedat, si ad eũdẽ spectat institutio, tũc cũ collatione confunditur: si vero ad alium inferiorem, Episcopus tantum patronatũ habebit pro ea parte, vel in totũ iuxta facultatem quam habebat is qui cessit, Azor. *c. capite 22.* Ioannes Andreas *c. 2. de offic vicarii in 6.* Lessius *c. n. 12. & seq.* Filliuc. *n. 9.* (Azorius. Io. Andr. Filliucius.)

4 Electio est alicuius personæ, ad Ecclesiam pastore destitutam canonicè facta vocatio: non fit nisi Ecclesia vacante, & dignitas, & Canonicatus, quæ conferuntur

communibus clericorum suffragiis, non dicuntur conferri per electionem, & beneficia electiua ea tantum dicuntur, quæ per dictam electionem conferri debent tantùm locum in ijs qui pastores Ecclesiarum sunt, uel monasterium habentes in illo monasterio, seu Ecclesia supremam iurisdictionem. Per electionem non acquiritur ius in re, sed ad rem: differt autem electio à præsentatione, eò quòd electio fiat à pluribus, vt à Capitulo, & à solis Ecclesiasticis, & per suffragia, & potissimum in Prælaturis locum habeat; præsentatio verò etiam ab vna persona, etsi laica, & in quouis genere beneficij. *De electione plura v. electio.* Hostiensis *in sum. de electione*. Azorius *c.l.6.c.14.q.2.& 4.* Filliuc. *tr.* 41.*c.3.n.1.* Lessius *c.n.13.*

Hostiensis. Azorius. Filliucius. Lessius.

Omnis electio eget confirmatione, Superioris consensu, & authoritate facienda, hoc enim constat ex iure *cap. nihil est, & c. cum dilectus, de elect.*

5 Postulatio est supplex quædam à collegio Canonicarum facta apud Superiorem petitio, qua petitur, vt aliquis certæ Ecclesiæ vacanti præficiatur, non obstante aliquo defectu quem patitur, qui non debet esse moralis sed naturalis tantùm, videlicet quia non sit legitimè natus, non habeat ætatem sufficientem, non esset ordinatus, debent autem in postulatum consentire saltem duæ partes capituli. Hostiensis *in summa tit. de postulat.* Syluius *v. postulatio.*

Hostiensis. Syluius.

6 Collatio est concessio beneficij vacantis, siue per obitum, siue per resignationem, siue deuolutionem, liberaliter facta ab habente potestatem, vt ab Ordinario, Papa, Legato, & c. Iure autem communi beneficia conferenda sunt purè, liberè, palam, sine diminutione, vacantia, & in perpetuum, & idcò nō potest in collatione adijci pactum, aut conditio, seu modus: neque debet fieri per vim, & metum. Conditio autem potest inesse in collatione beneficij quando ipso iore, vel statuto, cōsuetudine, fundatione, aut institutione beneficiorum in illis posita est. Azorius *2. part. lib.6. cap.26. quæst.2. & 3.* Filliucius *tract.41. cap.3. num.10.11. & 12.*

Azorius. Filliucius.

7 Permutatio beneficiorum est reciproca quædam resignatio, quæ ad inuicem inter permutantes fit cum legitima Superioris authoritate. Ad eam septem ferè requiruntur. *Primò*, vt permutantes sint Domini suorum beneficiorū, nemo enim potest permutare cum alio nisi rem suam. *Secundò*, debet permutatio esse libera, non autem extorta metu, uel dolo, alioquin est inualida. *Tertiò*, requiritur vt vterque beneficium suum resignet in manus Ordinarij, cui beneficium subest, siue is sit vnus, idemque, siue alius. Inferior autem Episcopo non potest recipere resignationes ex causà permutationis absque illius consensu, & ex vi illius conferre, nisi alia fuerit consuetudo. *cap. vnic. de rer. permut. in 6.* Rebuff. *in praxi benefic. §. de permut.* Filliucius *c. cap.9. num.2.* *Quartò*, vt beneficia conferantur permutantibus, non alijs, alioquin irrita erit collatio. *Clem. vnic. de rer. permut.*

Rebuff. Filliucius.

Quintò, requiritur consensus illorum ad quos electio vel præsentatio spectat, alioquin non valebit permutatio si tamen patronus requisitus nolit consentire, potest Episcopus sua approbatione supplere consensum, si iudicat permutationem expedientem Ecclesiæ, & tunc valebit permutatio Glossa *in dicta Clem* Lessius *c.n.198.* *Sextò*, si permutans infirmus sit, debet superuiuere viginti dies post resignationem, alioquin censetur beneficium vacare per obitum Reg. Cancellar. *de infir.* Rebuff. *§. reg. de infir.* *Septimo*, si permutatio fiat in curia Romana, debet publicatio fieri in locis beneficij intra sex menses à die supplicationis oblatæ cōputandos, si sunt beneficia citra montes, intra nouem si vltra montes. Si autem permutatio fiat extra curiam, intra mensem Ordinarius debet conferre: permutantes verò intra tres publicare, idque in loco beneficij, Reg. Cancellariæ *de publicandis.* Azorius *2. part. lib. 7. cap.24. quæst.2*, Lessius *c. num.* 194. Plura de permutatione beneficiorum, vide apud Azorium, & Filliucium.

Glossa. Lessius. Reg. Canc. Rebuff. Reg. Canc. Azorius. Lessius.

8 Resignatio vel renunciatio generatim sumpta, est iuris proprij spōtanea & libera dimissio seu cessio, pressè autem sumpta est libera beneficij dimissio facta eū causa coram legitimo Superiore: hæc fit tacitè vel expressè, tacitè fit ex iuris dispositione, absque verborū expressione vt matrimonium contrahendo. Expressè fit, cum quis sponte suum beneficium expressis verbis coram Ordinario legitimè dimittit. Rebuffus *de resign. parte 3. in praxi benef.* Lessius *lib.2. cap.34. dub. 35. num.* 189.

Rebuff. Lessius.

Hæc autem resignatio expressa duplex est, vna simplex seu pura, cùm absque conditione beneficium dimittitur coram Superiore, altera in fauorem tertii, seu conditionalis: & hæc vel est simplex in fauorem, vt quando fit absque reseruatione, vel est qualificata, vt quando fit reseruato sibi iure regressus, vel pensione. Azorius *2. p. lib.7. cap.19. q.1. & 2.*

Azorius.

9 Vt resignatio conditionalis & id, quod ex vi illius secutum fuerit sit validum, requiritur *Primò*, vt beneficium sit resignantis. *Secundò*, debet esse libera, non metu vel dolo extorta, alioquin est inualida: quando enim fraus vel metus dat causam contractui, non obligat, præsertim si velit is, qui iniuriam passus est. *Tertiò*, debet fieri in manibus eius qui potest eam admittere, hic est Summus Pontifex, vel Ordinarius, collator vel institutor, Ordinarius, tamen non potest admittere resignationem cum regressu vel ingressu, quia continet simoniam confidentiæ, iure humano inductæ, licet hanc labem possit tollere Summus Pontifex *Quartò*, debet acceptari à Prælato, in cuius manibus fit, alioquin resignans non perdit ius suū. *Quintò*, debet conferri illi, in cuius fauorem cum clausula consueta est resignatum, alioquin prouisio non valebit, etiamsi à Papa sit facta. *Sextò*, requiritur, vt is, cui confertur ex vi resignationis, illud acceptet, alioquin resignans non amittit suum beneficium propter clausulam *non aliter*, &c. *Septimò*, requiritur consensus patroni, si est beneficium iuris patronatus, vel electorum, si est electiuum *Octauò*, si resignans sit infirmus debet superuiuere viginti dies post resignationem. Porrò debet publicari in loco beneficij, sicut dictum est de permutatione. Rebuffus *§. de resignat. condit. n.16.* Lessius *c. dub.35. nu. 190. & seq.* Plura de resignatione apud Iurisconsultos canonici iuris interpretes, Apud Azorium *l.7. 2. p. 2. c. 20 & seq.* Apud Filliucium *tra.14. cap.10.*

Rebuff. Lessius.

Vide *Simonia 1. n.5. Simonia 4. n.8 9.10. & seq.*

BENEFICIVM III.

De conditionibus requisitis vt quis censeatur idoneus ad beneficium.

SVMMARIVM.

1 *De prima conditione ad beneficium, quæ est legitimus thorus.*
2 *Clericatus requiritur ad beneficium. Et quis sit habitus clericalis An mulieres sint capaces beneficij?*
3 *Ad Episcopatum quid requirebatur iure antiquo, & quid modo iure nouo Tridentini.*
4 *Ecclesiam parochialem adeptus, tenetur intra annum ad sacerdotium promoueri.*
5 *Qui beneficia in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis vel Regularibus obtinent, tenentur intra annū ordines suo officio conuenientes suscipere.*
6 *Aetas iure requisita ad beneficium.*
7 *Scientia requisita ad beneficium, & ad Prælaturas regulares.*
8 *Requiritur etiam morum probitas.*
9 *Item cœlibatus.*
10 *Censuratus an sit capax beneficij.*
11 *Irregularis an sit incapax beneficij, ita vt collatio ei facta sit nulla.*
12 *Requiritur ad beneficium ex parte corporis habilitas.*
13 *Intentio determinata status Ecclesiastici & ordinis requisitis in tali beneficio etiam requiritur.*
14 *Ad beneficium parochiale requiritur intentio suscipiendi intra annum sacerdotium.*

1 MVltæ conditiones requiruntur à iure, vt quis idoneus censeatur ad beneficium Ecclesiasticū *Primò*, enim requiritur *legitimus thorus*. Illegitimus enim est incapax Episcopatus & cuiusuis beneficij habentis curam animarū, nisi per Pontificem cum eo dispensetur; itē est inca-

est incapax cuiuscumque dignitatis vel personatus etiam sine cura Episcopus tamen eum tali dispensare potest ad beneficium simplex, & ad canonicatum etiam Ecclesiæ Cathedralis, & præsertim si talis à Sede Apostolica ad ordines sacros admissus esset, *c.1.de filijs presbyterorum in 6.* Glossa, *ibid.* Sylu. 2.2.*q.*63.*art.*2.*quæsit.*1. Azor. 2 *p. libr.* 6.*c.*3 Filliuc. *tr.*41.*c.*5.*n.*5. Layman, *lib.*4.*tr.*2.*c.*14.*num.*3. Lessius, *lib.*2.*c.*34.*n.*86.87.88. Deinde illegitimus etiam cum dispensatione Episcopi non potest habere vllum beneficium vbi pater est, aut fuit præfectus, aut etiam canonicus: legitimi autẽ presbyterorum filij possunt habere beneficia in Ecclesijs vbi eorum parentes præsident, non tamen illud ipsum, quod proximè parens habuit, *Cod. ad præsentiam, C. cum decorem, C. ad abolendum, de filiis presbyt.* Si tamen inter patrem, & filium alius intercesserit, censebitur species illa successionis hæreditariæ abstersa, & ita filius legitimus poterit illud obtinere sine dispensatione, *C. ex transmissa de filiis presbyt.*

Glossa. Sylvius. Azorius. Filliucius. Layman. Lessius.

2 Secundo requiritur ante omne beneficium præuius *clericatus*, seu prima tonsura, quæ debet conferri à proprio Episcopo; aliàs non erit quis illorum capax iure canonico debet etiam vltra tõsuram, habitum clericalem, vestes scilicet talares dicuntur, quæ vsque ad talos, siue pedes proijciuntur: licet ex epicheia satis essent, quæ ad media crura extenditur: præsertim, vbi talis est consuetudo, *C. cum contingat. de ætat. C. cum adeò de præscript.* Lessius, *c. dub.* 12. Filliuc. *c. nu.*21.*&* 22. Sanchez. *de matr. libr.*7.*disp.* 46. Præterea si beneficium ex institutione requirat certum ordinem, qui illo ordine caret est inhabilis ad illud beneficium consuetudo tamen longa potest illum rigorẽ mitigare. *Doctores in c. dudum,* 1.*de elect.* Azorius, 2.*p. lib* 6.*c.* 8. Malderus, *de instit. tr.*9.*c.*2.*dub.*1. Pesantius, *q.*62.*art.*2. *disp.*1.*de beneficiis.* Ex quibus patet laicum esse incapacẽ beneficij; vt habetur, *c. Ex litteris. De transactionib.* Malderus tamen cum Pesantio, faciunt mulierem capacem beneficij: & clericorum nomine, etiam mulieres diuino officio vacantes intelligunt. Quemadmodum enim sunt beneficia Ecclesiastica ex bonis Deo dicatis, solis clericis conferenda; sic & alia quædam, ex bonis etiam Deo dicatis, solis illis fœminis, quæ pluribus in locis in canonicas cum præbendis assumuntur; & ideo ex iuris beneficio, & Priuilegio, & ratione suæ professionis, Clericæ dicuntur; quasq; in fauorabilibus, non autem in odiosis, in iure, sub nomine clericorum comprehendi, quidam affirmant, inter quos est etiam Flaminius Parisius, *libr* 3.*de resig. benef. q.*12. qui docet esse inter fœminas canonicas, aut moniales beneficia; non masculorum, sed fœminarum: in quibus locus esse potest Clement. *Ad compescendas de sequest. possess. & fruct.* videlicet, vt contra fœminam beneficiariam (vtpotè contra Abbatissam) fiat sequestratio; tum quia Abbatissatus est beneficium; tum etiam quia militat ratio in ea, non secus atque in Abbate, ne bona Ecclesiæ dilapidentur, vt decisum fuit in Rota: & refert D. Aluin. *in tr. de Episc. Abbat. & Abbatiss. potestat. c.*4 *n.* 3. Vide apud illum plura de hac materia: qui etiam annotat, *c.*5.*n.*3. quòd si inter fœminas beneficia non essent, in eis vtiq; constitutiones de Simonia, tam communi, quàm confidentiaria, locum non haberent; ad pensum horarum Canonicarum Abbatissæ, Præfectæ, Canonicæ, Moniales officia regularia fœminina habentes, in titulum, aut ad nutum, non obligarentur: neglectis dictis horis Canonicis, ad fructuum restitutionem non adstringerentur, quæ omnia absurda sunt. Hæc ille.

Lessius. Fornarius. Sanchez.

Azorius. Malderus. Pesantius.

Parisius.

3 Ad Episcopatum iure antiquo requiritur Subdiaconatus Iure autem nouo Trident. adeptus Episcopatum, si munus consecrationis intra tres menses nõ susceperit ad fructuum præceptorum restitutionem tenetur; si per tres alios menses id non egerit, ipso iure est priuatus Episcopatu; post sententiam, scil. *c. à multis, de æ a. & qualit.* Cõcil. Trid. *sess.*23.*c.*2.*de reform.*

Conc. Tr.

4 Adeptus Ecclesiam Parochialem, tenetur ordinari ad Sacerdotium intra annum à die possessionis pacificæ, cessante iusto impedimento, alioquin suo beneficio est ipso iure priuatus, ita vt in conscientia teneatur beneficium dimittere, nec potest eadem Ecclesia illi iterum conferri: Episcopus tamen potest dispensare vt Parochus differat Sacerdotium ad septennium causa studiorum, modò intra annum, quo debebat fieri Sacerdos, Subdiaconus ordinetur, *c. licet canon, de elect. in 6. & cap. commissa ibid.* Rebuffus *in praxi, parte secunda, de non promotis.* Lessius, *cap. num.* 102.

Rebuf. Lessius.

5 Qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, & alia beneficia, in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, vel Regularib. obtineat, tenentur intra annũ iusto impedimento cessante, ordines suo officio conuenientes suscipere sub pœnis in Conc. Trid. statutis Concil. Trid. *sess.*22.*c.*4.*de refor.* Clement. *vt ii de ætate,* Azor. 2.*p. lib.*6.*cap.*8.*qu.*11. Notandum tamen est in Ecclesiis Cathedralibus omnes canonicatus habere annexum Ordinem Presbiterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus sub pena peccati mortalis, & priuatione vocis in capitulo. In cæteris beneficijs nõ requiritur certus ordo præuius; sed sufficit prima tonsura, & habilitas ad suscipiendũ intra annum ordinem beneficio conuenientem.

Conc. Tr. Clement. Azor.

6 Tertiò requiritur ad beneficium, *ætas* iure requisita: & quidem ad Episcopatum requiritur ætas 30. annorum exactorum; ad dignitatem Ecclesiasticam inferiorẽ Episcopatus habentem tamen curam animarum, requiritur æta, 25. annor. saltem inchoatorum. Ad alias verò dignitates, vel personatus, quibus non subest cura animarum requiritur, vt quis non sit minor viginti duobus annis, & hi audi debent esse completi, *c. cum in cunctis. de elect.* Conc. Trid. *sess.*24.*c.*12. Syluius, *c. q.*1. Ad beneficium autem Parochiale requiruntur 25. anni inchoati; sed ad alia beneficia qualiacumq; illa sint, requiritur vt minimũ ætas quatuordecim annorum inchoatorũ, *c. licet canon, de elect. in 6.* Conc. Trid. *sess.*23.*c.*6 Layman. *lib.*4.*tract.*2. *c.*14.*n.*1. licet ratione ordinis, & habilitatis ad ordines, quam Conc. Trid, requirit, sæpè exigatur maior ætas.

Conc. Tr. Syluius.

Conc. Tr. Layman. Conc. Tr.

7 Quartò requiritur ad beneficium *scientia*, & quidẽ tanta vt ad munus beneficio annexum ritè abeundum sit necessaria: in particulari ad simplex beneficium requirens primam tonsuram, requiritur vt sciat legere, scribere, & construere, & sciat rudimenta fidei: ad simplex requirens minores ordines, est necessaria scientia linguæ Latinæ, & vt bonum testimonium habeat à Parocho, & magistro scholæ, in qua educatur, *c. cum in cũctis, de elect.* Nau. *de orat. miscel.*43.*n.*3. Conc. Trid. *sess.*23 *c.*5.11. Syluius, *c. q.*1.*c.*1.*&* 3 Conc Trid. *sess.*22.*cap.*2. requirit, vt qui futurus est Episcopus, sit Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel iure Canonico: aut saltem publico alicuius Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur. Eædem qualitates requiruntur in creandis Cardinalibus, & Archidiaconis; in cæteris autem nihil certi præscribitur, sed quisq; debet esse instructus scientia muneri suo necessaria, quæ vtrum adsit, iudicabit Episcopus & examinatores, quia nemo sine examine ad quodcumque beneficium debet admitti; vnde collatio beneficii facta omnino illiterato est irrita, quia talis nullo modo officium præstare potest. Vide Filliuc *tract* 41.*c.*5.*q.*8. Azorium, 2.*p. lib. c.*6 *cum nobis, de elect.* vbi Glossa, *c. licet canon, de elect. in 6.*

Nauarr. Conc. Tr. Sylu. Conc. Tr.

Filliuc. Azor. Glosse.

Sed inquires, an qui notoriè est idoneus ad curam animarũ, debet se examini subiicere in concursũ Resp. affirmatiuè, etiam si celeberrimus Doctor sit, qui multos annos summa cum laude legerit. Imò, & Vicarius Episcopi si concurrat. Ita S. Congregatio Concilij Trid. interpres. Idq; meritò, tũ quia pro forma examẽ fieri debet, id quod hinc patet, quoniã collatio facta aliter non valet, & nulla est per Constitutionẽ Pij V. incip *In conferendis beneficiis,* & idcirco omitti nõ potest. Tum quia fieri potest, vt alius æquè idoneus sit: quod locum habet, non obstantib. exẽptionibus, priuilegiis, & aliis quibuscumq; Ita Quaranta *in Summ. Bullar. v. Benefic. Parochial. collatio, in Additionib.* Paris. *lib.*8.*de resign. benefic. q.*9.*n.*87.

Paris.

Quæ autem scientia necessariò requiratur in promouendis ad Prælaturas regulares? Sciendum est in Prouincialibus, & Generalibus non desiderari necessariò gradũ scientiæ, vt in Episcopis requirit Concilium Trident. *sess.* 22.*c.*3.*de reform.* Sed in in eis, item & in Definitoribus, cœterisque Conuentualib. Superiorib. exposcere iura cũ, petentem scientiam, quæ ad eorum munus, & dignitatem, bene gerendam sufficit, ad hoc ut sine peccato fiat collatio siue electio. Propterea mortalis labe se commaculat

Conc. Tr.

cu'at

culat, qui munus, seu Prælaturam accepta, & notabili defectu scientiæ necessariæ ad illud vel ad illam exequendam laborat. Ita Nauarrus *c.25.num.12.* Miranda *tom.2. q.4.art* 2. Sigismundus à Bononia *in de elect.dub.60.p.2.* Quamuis promouendi ad Prioratum Præposituram, Rectoratum, Guardianatum, &c. excusari possint quando diuturno vsu ea norunt, quæ ad sui muneris functionem necessaria sunt, licet nunquam didicerint Grãmaticam, Latinique idiomatis rudimenta. Ita post Panormit. *in cap. cum in cunctis de elect. num.* 4. Aaorius *p.2 l.6. c.6.q.6.*

Nauarr. Miranda. Sigis. a Bõ. panorm. Azor.

8 Quintò requiritur *morum probitas c. cum in cunctis, de elect.* Conc. Trid. *sess.24.cap.12.* Nauar. *c.27.n* 251 Azorius 2.*p.lib.6.c.*7 Syluius *c.art.2.quæst.* 1. hoc est, vt non sit deditus grauibus peccatis, nec sit infamis, quia iure naturali minister Dei & Ecclesiæ maximè probus debet esse, cum monitis, exemplis, & piis precibus alios debeat in pietate promouere, non est tamen ipso iure irrita collatio beneficii facta criminoso, seu infami, modò crimen nõ habebat adnexam excommunicationem, uel irregularitatem, quia nullus est textus cõtinẽs nullitatem prouisionis, licet sit irritanda ab eo, qui ad id habet potestatem, vt patet ex *c. inter dictos de excessibus prælatorum*.

Conc. Tri. Nauar. Azor. Syluius.

9 Sextò requiritur *cælibatus*, coniugati enim non sunt capaces beneficiorum, quia sunt prohibiti Ordines suscipere non enim possunt vacare vxori, carnisque uoluptatibus, & diuino obsequio, tamen si qui duxerit virginem, & consentiente vxore castitatem voueret, posset ad beneficium admitti: & tunc si uxor esset iuuenis, deberet ante Religionem ingredi, si autem ætate prouectior, saltem vouere castitatem in sæculo. Hinc si clericus minorum Ordinum habens beneficium, contrahat ualidè matrimonium, ipso iure illud amittit, si verò contrahat tantum sponsalia, non amittit ipso iure, quamuis mereatur priuari, si autem clericus sit in Sacris, & contrahat non amittit ipso iure, sed est priuandus, quia matrimonium est irritum *ca* 1.2.*&* 8.*de clericis coniugatis*. Nauar. *cap.25.n.*120. Filliucius *c.ca.5.q.5.* Lessius *l.2.cap* 34.*nu.*115. Syluius *c.q.*1.

Nauarr. Filliucius Lessius Syluius.

10 Septimò requiritur *vt non sit ulla censura irretitus*; collatio enim beneficii facta excommunicato excommunicatione maiore aut suspenso, aut, interdicto, est nulla; imò etiam electio, præsentatio & postulatio excommunicati, suspensi & interdicti, & resignatio in eius fauorem, est irrita: quod intelligendum est in omnibus beneficiis præter Papatum *c. postulastis, de cler. excomm. c. cum dilectus. de consuet. cap.1. de postulat. prælat.* Couar. *in cap. Alma* 1.*p.§.7.n* 1.*&* 2.

Couar.

An autem quando prouisus ignorat se censuratum ignorantia probabili collatio, beneficii sit irrita? Nauarrus *in in c. Fratres de pænit. dist.5 num.46.* Lessius *c. num.* 117. Filliucius *c.num.*15. & quidam alij negant probabiliter, licet contraria sententia sit probabilior, quæ seruatur in praxi, quia Summus Pont. & Episcopus solent absoluere à censuris, dum alicui de beneficio prouident, ad effectum scilicet præsentis collationis consequendum, Ita Lessius, & Filliucius.

Nauar. Lessius Filliucius

11 Irregularis est etiam incapax beneficii, & ei facta collatio est nulla; quia irregularis est inhabilis ad Ordines & eorum vsum: ergo etiam ad beneficium Ordini annexum, tamen qui sacro Ordine diaconatus uel subdiaconatus est initiatus posset fieri irregularis ad suscipiẽdum sacerdotium, ita vt non sit irregularis ad functionem Ordinis suscepti; & Sacerdos amissis aliquot digitis fieri potest inhabilis ad celebrandum, ita vt maneat idoneus ad audiendas confessiones: quo casu poterit ei beneficiũ conferri quod non requirit aliud ministerium, quàm illud ad quod ille aptus remansit. Panormit. *in cap. tanta, de excess. prælator.* Nauarrus *cap.27.num.251.* Lessius. *c. dub.22.numer.120.121.* Syluius *c.art.2.quæst.* 1. Diana 4. *p.tract.2.res* 79.

pãnorm. Nauar. Lessius Syluius. Diana.

Vide Verbo *Irregularitas* 1.*num.* 13. vbi inuenies probabile esse irregularem non esse incapacem beneficii, licet peccet mortaliter illud accipiendo.

12 Octauò requiritur ad beneficiũ *habilitas ex parte corporis*, & hæc talis requiritur quæ necessaria sit ad decenter præstandum officium; unde impotentes ad exercenda munera Ordinum, sunt etiam iure naturali incapaces beneficiorum; tales sunt qui manibus carent, uel cæci, uel muti, uel amentes sunt perpetuò; si tamen debilitas aliqua superueniat per quam reddatur quis ineptus ad officium, non ideò priuatur beneficio ante obtento, sed potest eo liberè frui *cap. Nisi, de renunciatione.* Filliucius *tract.41.cap* 5 *num.2.* Aaorius 2 *p.lib.6.cap.* 2. Lessius *c.dub.*25.

Filliucius Azor. Lessius

13 Nonò ad omnia beneficia requiritur *intentio determinata Ecclesiastici status*, & ordinis requisiti in tali beneficio: quia absurdum esset dari Ecclesiastica beneficia iis qui aut adhuc fluctuant, neque decreuerunt se dedicare ministerio Ecclesiæ: satis autem est iuxta Nauarrum *cap.25.num.*118. Azor 2.*pars.lib 6.cap* 9. Filliuc. *ca.* 5.*n.* 42. si quis sincerè & bona fide proponeret statum Ecclesiasticum, nec velit ab eo proposito resilire, nisi causa aliqua iusta inciderit.

Nauar. Azorius Filliucius

Hinc qui accipit beneficium eo tantùm animo vt eius fructibus alatur donec studia absoluerit, vel opulentam vxorem inuenerit, cum animo tunc deferendi, peccat mortaliter, nec potest istud beneficium retinere, non tamen tenetur ad restitutionem fructuum, si muneri suo satisfecit; nec est ipso iure priuatus, nisi sit beneficium parochiale Nauarrus *cons.16. de præbendis & de orat. miscell.*44. Sotus *de iust.lib.10.quæst.5.art.6.* Syluius *c.art.2. quæsit.*2.

Nauarr. Sotus Syluius.

14 Ad beneficium Parochiale requiritur intentio suscipiendi intra annum Sacerdotium, & si talem voluntatem non habuit, nõ facit fructus suos, si uerò intra annũ mutauit volũtatẽ, & promotus est, nõ tenetur etiã ad eos quos percepit ante mutationẽ voluntatis, contra Sotum anteà citatum. Idem iuris est si cum priùs voluntatem mutauit, & Sacerdos factus, non est, non tenetur ad restitutionem fructum eousque, perceptorum. Item si quis dubio animo recipiendi Sacerdotium, Parochialem recipit, deficit ab intentione requisita, & talis non facit fructus suos; si verò intra annum fiat Sacerdos, purgat animi ambiguitatem. Porrò si intra præscriptum tempus promotus non fuerit amittit ipso iure beneficium, & afficitur inhabilis ad illud *cap. Commissa, §. cæterum de elect. in* 6. Azorius *c. cap 9.quæst.2.&* 3. Nauarrus *c.nu.*118. Lessius *c. dub.* 26. Filliucius *c.c.5.q.10.* Syluius *c.q.1.concl.* 1.2.3.4.*& seq.*

Azorius Nauarrus Lessius. Filliucius Syluius

Sed dices, pœna temporalis non debetur in foro conscientiæ ante sententiam, ergo etsi Parochus intra annum non fuerit promotus ad Sacerdotium, cessante legitima causa, non tamen ante sententiam tenebitur dimittere beneficium. Resp. hic non interuenit vera pęna, qua videlicet priuatur quis ea re, quæ omninò & absolutè, ipsius erat; sed tantùm impropriè dicta, quæ se habet vt priuatio rei, quæ nondum perfectè habebatur, sed solùm sub certa conditione, qua non impleta, teneatur rẽ illam restituere, eo quòd solùm sub tali conditione poterat absolutè illam obtinere. Sic autem officia, beneficia, & fructus eorum possunt sub tali conditione à legitima potestate concedi, ut si hoc uel illud factum, aut omissum, fuerit, teneatur in conscientia restituere. Vide Nauarrum *in man.c.25.n.*125.

Nauar.

Vide *Excommunicatio* 3. *num.* 15. *Irregularitas* 1. *num.* 13.14.

B E N E F I C I V M I V.

An liceat habere plura beneficia.

S V M M A R I V M.

1 *Pluralitas beneficiorum an sit iure naturali damnata?* Refertur duplex sententia.
2 *Iure canonico multas ob causas conceditur beneficiorum pluralitas.*
3 *Quæ beneficia sint incompatibilia primi generis.*
4 *Quæ sint incompatibilia secundi generis, & causa iusta dispensandi in pluralitate beneficiorum.*
5 *Legatus Papæ vel Episcopus an possit dispensare in pluralitate beneficiorum.*
6 *Qui per dispensationem plura beneficia obtinuit an sit tutus in conscientia.*

Con-

1 Controuersia est inter Doctores, an iure naturali pluralitas beneficiorum damnata sit; nam S. Thomas *quodlib.9. art.15* Sotus *lib 3.q.6.art. 3.* Azorius *lib. 6.c.11. qu.5.* cum multis Canonistis affirmant esse contra ius naturale, quando unum sufficit ad clericum commodè sostentandum: quia videtur cum recta ratione pugnare, vt unus habeat stipendia clericorum, ergo. Alii negant, in his beneficiis pluralitatem esse iure naturali damnatam, eò quòd in his, lex residendi iure naturali præscripta non sit, sed tantum iure canonico. Sic Innocent. Ioannes Andreas, quos citat Cardinalis *in cap. gratia, de rescript. in 6.*

S. Thom. Sotus Azorius. Innocent. Ioan. Andr. Cardinal.

Verumtamen his non obstantibus, non videtur pluralitas beneficiorum res intrinsecè mala, nec omninò indifferens, sed quæ bonitate circumstantiarum cohonestari possit, etsi speciem quamdam mali præ se ferat; quia solitariè consideratum inordinationem quamdam inuoluit. Lessius, *lib.2.c.34 dub.27.n.137.* Filliuc. *tr.41.c.7.nu.12.* Syluius, *conc.2.2.q.63.art.2.quæsit.3.con.1.*

Lessius. Filliuc. Syluius.

2 Iure canonico multas ob causas cōceditur pluralitas beneficiorum. *Primò*, quando habent exiguos redditus. *Secundo*, quando vnum beneficium est alteri coniunctū, & vnitum. *Tertiò*, quando Clericus non inuenitur idoneus. *Quartò*, quando vnum datur in titulum, alterum in commendam. *Quintò*, quando vnum habet curam animarum actu, aliud habitu tantùm, quia ob aeris intemperiem, vel bellum populus abscesserit. *Sextò*, quando ex consuetudine duo beneficia simul possidentur. *Septimo*, ratione iustæ, & debitæ indulgentiæ videtur authoritas Superioris ex causa dispensare, *c. vnio, 10.q.3.c. ante te, de ætate, & qual. c. clericus, 21.q.1. in fin. c. qui plures, 21.q.1 c. licet canon, de elect. in 6. c. Sanctorum dist. 70.*

3 Beneficia aliqua sunt iure compatibilia, alia incompatibilia: beneficia compatibilia dicuntur, quæ uel iure communi, vel saltem consuetudine simul haberi queunt: incompatibilia verò, quæ nec iure, nec consuetudine simul quis habere potest Conc. Tr. *sess.7.c.4.* Azor. *c.c.10.q.1.* Talia sunt, *Primò*, omnia quæ habent curam animarū siue in foro conscientiæ tantùm, vt parochiæ, siue etiam in foro contentioso, vt Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarchatus, &c. *c. quia in tantum, de preb. c. gratia, de rescript. in 6. Secundo*, omnia beneficia, quæ dicuntur Dignitates, Personatus, vel Officia, quæ requirunt residentiam, & distinctionem personarum. *Tertiò*, Canonicatus itidem, & portiones in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis, sæcularibus, vel regularib. *c. quia nonnulli, de cler. non resident. Quartò*. alia sunt incompatibilia ex conditione nimirum sub eodem tecto, hoc est, beneficia, quę simul in eadem Ecclesia haberi nequeunt: *cap. literas, de concess. preb.* Hæc beneficia vocantur incompatibilia primi generis, quia ipso iure alterū excludit alterum, posteriùs prius; vbi posterioris pacificā possessionem nactus quis fuerit. Lessius, *c.n.140.* Azorius, *libr.6 capit.13.* Hinc electus ad Episcopatum obtenta bonorum administratione, & consecratione, vel saltem elapso tempore consecrationi præfixo amittit ipso iure omnia beneficia, quæ ante obtinebat: Similiter habens beneficium cum cura animarum; vel dignitatem, vel Personatum, vel Officium, si secūdum huius generis acceperit, obtenta pacifica possessione secundi, vacat prius, *c. cum in cunctis, §. cum verò. de elect. c. de multa, de preb. Extrauag. Execrabilis, de prebend.* Syluius, *c. art.2. quæsit. con.3.*

Azorius. Lessius. Azorius. Syluius.

4 Beneficia incompatibilia secundi generis sunt, quæ simul quidem licitè retineri non possunt absque dispensatione, tamen non ita pugnant vt alterum vacet obtento altero; talia sunt reliqua beneficia residentiam postulantia, quæ sine graui peccato simul retineri non possunt. Lessius, *c.n.140.* Filliucius, *c.7.n.43.* Papa dispensare potest in pluralitate beneficiorum: liberè quidem vbi tantū esset contra ius commune; quia est supra illud: vbi autem esset contra ius naturale, aut diuinū m, non nisi iustis de causis, huic enim iuri Papa subiicitur, *c. dudum, 2. de elect. c. de multa, de prebend.* Tres iustæ causæ numerantur dispensandi. *Prima*, iusta necessitas Ecclesiæ. *Secunda*, pia eiusdem vtilitas, *Tertia*, euidens prærogatiua meritorū, quæ tandem cedat in maius commodum, & vtilitatem Ecclesiæ; per prærogatiuam meritoru m, intelligitur nobilitas generis, patriæ, vel dignitas personæ, egregia literatura, industria, prudentia, & virtus. Nauarr. *c.25.nu.125.* Lessius, *cit. dub.28.* Azorius, *2.p. lib.6.c.12.* Syluius, *2.2.q.63 art 2. quæsit. 3. concl. 7.* & alij.

Nauarr. Lessius. Azorius. Syluius.

5 Legatus Papæ potest etiam dispensare in pluralitate beneficiorum, sed limitatè. *Primo*, vt non sint Episcopatus dignitates, aut curata beneficia. *Secundo*, vt non excedant congruam substentationem. *Tertio*, vt non sint sub eodē tecto, *c. de multa, de preb.* Filliucius, *c.n.38.* Episcopus potest etiam dispensare, cum limitationibus dictis de Legato. Prçterea si duo beneficia sub eodem tecto dissimilia sint, & vnum non sufficiat ad congruam substentationem, potest dispensare; si verò similia sint sub eodem tecto nō potest; sicut nec Legatus. *c. Sanctorum, dist. 70.* Ioan. Andr. *c.1. de consuet. in 6.* Azorius, *c.c.12.q.6.* Et ita refert declarasse S. Congregationem Garzias *de benef. p.11.c.5.n. 377. super c. sess.7. de reform.* Conc. Trid *his verbis*, *Congregatio Concilii censuit Episcopum ex causa posse dispensare, vt quis possit obtinere duo beneficia difformia sub eodem tecto, dummodo quodlibet per se non sit sufficiens ad prouisi substentationem.*

Ioan. Andr. Azorius. Garzias. Conc. Trid.

6 Qui per dispensationem plura beneficia curata obtinuit, non est tutus in conscientia, sed tenetur alterum resignare, si non putetur subesse legitima causa dispensandi & sequatur damnum animarum ex absentia Prælati, etiā si per Vicarios administretur, vel detur ex hoc scandalum populis; vnde talis non esset absoluendus, nisi vno retento cætera dimittat; idem dicendum de illo, qui non existente iusta causa euidenter obtinuit plures dignitates, personatus, canonicatus, & alia huiusmodi, quæ residentiam requirunt; tenetur is, qui ea habet, retento vno sufficiente, alia dimittere; ea enim retentio inuoluit aliquid contra ius naturale, & diuinum, in quo non potest Pontifex dispensare, nisi interueniat iusta causa, quæ turpitudinem tollat, D. Thom. *quodlibet. 9. art. 15.* Caiet *v. beneficiorum multiplicatio.* Toletus, *lib.5.c.81.n.4.* Sotus, *lib.3.q.6.art. 3.* Lessius, *c. dub.28.nu.151.* Syluius, *c. concl.14.* Qui verò obtinuit alia simplicia beneficia secluso scandalo potest à confessario absolui, qui potest sequi probabilem opinionem Doctorum Canonistarum, Azorius, *lib.6.cap.12.q. 11.* Filliucius, *c.n.40.*

D. Thom. Caietan. Toletus. Sotus. Lessius. Syluius. Azorius.

Notandum autem est collationem secundi beneficii, tertii, & cæterorum esse validam, & conferre verum titulum, nam ad nullum eorum iure naturæ est inhabilis; nec tenetur fructus interim perceptos restituere, modo muneri suo saltem per Vicarium satisfecerit. si verò non satisfecit, etiam fructus tenebitur restituere Ecclesiæ, vel ad pias causas. Lessius, *c.n.152.* Filliucius *cit.*

Lessius.

BENEFICIVM V.

A quos pertineat beneficia conferre.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex est generalis collator omnium beneficiorum, qui tribus modis potest beneficia conferre.*
2 *Dignitates infra Episcopatum, & Abbatiam, & alia beneficia conferri debent intra sex menses.*
3 *Episcopus in vnaquaque diœcesi, an sit proprius collator omnium beneficiorum.*
4 *Episcopi existentes in Curia Romana non possunt conferre beneficia, quæ vacant in propria diœcesi; sed hoc pertinet ad Papam.*
5 *Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in collatione beneficiorum libera, & gratiosa, sed necessaria & debita.*
6 *Vicarius Generalis Episcopi non potest conferre beneficia, nisi illi specialiter committatur, potest tamen electos, & præsentatos confirmare, & instituere.*
7 *Laicis an competat ius conferendi beneficia, instituendi, aut confirmandi? & an possit Laicus, vel fœmina præsentare ad beneficia?*

1 Summus Pontifex est generalis collator, habens generalem potestatem conferendi omnia beneficia in quauis diœcesi; quia est supremus dispensator bonorum Ecclesia-

Ecclesiasticorum, & Superior omnium Episcoporum & Ecclesiasticorum, atque adeò Ordinarius Ordinariorum totius orbis. Gloss. *in cap Felicis. §. fin. de penis in 7. cap. Per principalem, 9. quæst.* 3. Tribus autem modis potest beneficia conferre. *Primò*: iure præuentionis, vt quando alicui confert gratiam expectatiuam ad beneficium primò uacaturum *Secundò*, concurrendo cum aliis collatoribus, necesse tamen est ut in hoc casu reseruet uel conferat beneficium ante Ordinarium, alioquin collatio Ordinarii erit ualida, & hac ratione etiam Legatis a latere concedi solet ut beneficia conferant. Rebuffus *in praxi §. de deuolutionibus num. 46. cap. dudum, de preb. in 6. cap. quia, de concess. prab. Tertio*, confert iure deuoluto; ut quando ratione criminis, uerbi gratia ob simoniam confidentiæ, vel ratione negligentiæ collatoris, ius conferendi deuoluitur ad Pontificem ex dispositione Canonum. Eodem iure semper confert Episcopus quando inferiores collatores sunt negligentes. Filliucius *tract. 41. c. 2. numer.* 12. Pius IV. *in Bullam ad Romanum Pontificem.*

Gloss. Rebuff. Filliucius

2 Dignitates infra Episcopatum & Abbatiam, & alia beneficia regulariter conferri debent intra sex menses, alioquin deuoluuntur ad Superiorem, Similiter si patronus laicus non se præsentet intra quatuor menses, & Ecclesiasticus intra sex beneficium efficitur liberum, eiúsq; dispositio deuoluitur ad eum cuius est instituere. *cap. nulla, de conceß. prabend. cap. unicò, de iure patronatus in 6.*

3 Summus Pontifex rariùs utitur iure præuentionis & concursus, ad vitandas confusiones & lites, & ideò in multis Ecclesiis reseruauit sibi certos menses, quibus confert, reliquis relictis Ordinario; Propterea nisi ex fundatione beneficia vera legitima præscriptione ius conferendi alteri competat, verbi gratia, Capitulo, Decano, Præposito Abbati, uel alteri Ecclesiastico, in quaque diœcesi Episcopus, est proprius collator omnium beneficiorum; hic enim in sua diœcesi est princeps & moderator sacrorum; ac proinde ad ipsum pertinet omnes Ecclesiæ ministros constituere & officia sacra conferre. *Reg. 8. Cancellar. cap. omnes basilica 16. q. 7. cap. nullus 16. quæst. 7.* Filliucius *tract. 41. cap. 2. n. 24.*

Filliucius

4 Consuetudine receptum est, vt Episcopi existentes in Curia Romana, non possint vlla beneficia conferre, etiamsi vacent in propria diœcesi, sed necesse est vt curia exeant ad ea conferenda: possunt tamen in aliena diœcesi: quæ autem in curia vacauerint, ea pertinent ad Pontificis dispositionem; talia sunt eorum qui sunt de curia Romana, & eorum qui Romæ moriuntur, aut prope Romam ad duas dietas, id est, 40. milliaria Italica; denique eorum qui ibi resignant. *Reg. 1. Cancellar. Extrauag. Ad regimen, de prab.* Filliucius *c. num.* 10. Malderus 2. 2. *tract. 9. cap. 2. dub. 4.*

Filliucius Malderus

5 Quamuis Capitulum Sede vacante fungatur vice Episcopi, & succedat in his omnibus quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, non succedit tamen Episcopo in collatione beneficiorum libera & gratiosa, sed necessaria & debita, & per hoc non potest conferre beneficia spectantia ad solum Episcopum, vel ad Episcopum, de consensu & consilio Capituli: item nec præsentare potest, nec eligere, quando præsentatio, aut electio ad Episcopum, spectabat: potest tamen instituere & confirmare electos & præsentatos, & facere omnes alias collationes necessarias, quæ sunt illæ quæ debitæ sunt certis personis, vel certo personarum generi ex fundatione vel dotatione *cap. illa, ne sede vacante cap. si ad Episcopum, ne sede vacante in 6. cap. primo de institu. in 6.* Malderus *c. dub. 4.* Azorius *2. part. l. 3. cap. 38.* Lessius *l. 2. ca pit. 34. dub. 10. numer. 50.*

Malderus Azor. Lessius

6 Vicarius generalis Episcopi non potest conferre beneficia, nisi de speciali mandato, quia ea quæ sunt iustitiæ & necessitatis, & etiam ea quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, non tamen quæ sapiunt gratiam expedire potest at collatio beneficiorum est mera gratia, est enim donatio quædam: mandatum autem speciale habere dicitur, si in eo sit adiecta clausula generalis; & ad omnia alia, etiamsi mandatum exigatur speciale. Licet autem Vicarius præsentare non possit, potest tamen electos & præsentatos

confirmare & instituere, quia hoc est iustitiæ & necessitatis *cap. fin. de offic. Vicar. in 6.* Azorius *c. cap. 44. quæst. 1. 4. & 5.* Filliucius *c. cap 2. n. 48 49.*

Azor. Filliucius

7 Laici non habent ius conferendi beneficia, nec instituendi, nec confirmãdi nec illud possunt comparare præscriptione, uel consuetudine, quamuis longissimi temporis, & immemorialis: possũt tamen priuilegio Papæ, quod aliquando concessum est nonnullis Imperatoribus, & Regibus, apud Azorium. Laicus autem habet ius præsẽtandi ad beneficia vacantia; & hoc ius vocatur. Ius Patronatus, quod est duplex; aliud enim est Ius patronatus Ecclesiastici, id est, quod competit alicui ex eo quod ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiam fundauit, extruxit vel dotauit. Aliud est laici, id est, quod competit alicui ex eo quòd ex bonis patrimonialibus seu sæcularibus Ecclesiã fundauit *cap. cum ex eo, de elect. in 6. & cap. unic. de iur. patron. in 6.* Azorius *lib. 6. cap 25. q. 19.* Lessius *c. dub. 4.* Filliucius *c. cap. 2. q.* 10. Hoc ius potest acquirere & habere fœmina, & si sit hæreditarium in illam etiam trãsit, sicut etiam relictum his, qui sunt de familia, saltem ubi fœminæ succedunt *cap. fin. de conceß. prab. cap. ex litteris de iur. patron.*

Azor. Lessius Filliucius

Vide *Simonia* 2. n. 2. & seq. *Simonia* 6. n. 2.

BENEFICIVM VI.

Quibus beneficia sint conferenda.

SVMMARIVM

1 *Beneficium non potest conferri indigno quando adest dignus: & quis iure indignus uel dignus censendus sit.*

2 *Quando liceat beneficium conferre digno prætermisso digniore.*

3 *Beneficia an sint conferenda dignissimo: Et quis sit censendus dignior.*

4 *In beneficiis simplicibus an sit peccatum mortale, bis aut ter prætermittere digniorem, eligendo dignum.*

5 *In beneficiis quæ dantur per concursum, est peccatum mortale, omittere digniorem, cum obligatione ad restitutionem damni.*

Quæ beneficia debeant conferri per concursum & quæ non?

1 Beneficium nunquam indigno est conferendum, quando adest dignus *cap. cum in cunctis, de elect.* Filliucius *tract. 41. cap. 4 quæst. 7* Lessius *l. 2. cap. 34. dub. 12. cap. graue nimis, de prabendis.* indignus autem dicitur, qui vel est irregularis ex ignorantia, morbo, infamia, &c. vel non putatur futurus utilis, nec aptus officio. Vnde collator ad conscientiæ securitatem debet scire eum cui cõfert, esse dignum, nec satis est nescire esse indignum, quia ex officio tenetur conferre dignis; dignus autem dicitur qui omnibus consideratis putatur optimè officio satisfacturus, Ecclesiæque futurus vtilissimus; & *in cap. cum in cunctis de elect.* tria requirũtur vt quis cẽseatur dignus beneficio curato, nempe ætas conueniens, probitas morũ, & scientia debita, & ipso iure suspenduntur ab electione, pro illa vice, eligentes, indignum, & triennio a suis beneficiis.

Filliucius. Lessius.

2 In quibusdam casibus licet beneficium conferre digno prætermisso digniori. *Primò*. si patronus laicus præsentet dignum, huic debet conferri; si autem beneficium sit curatum & patronatus Ecclesiasticus, tunc dignissimo est dandum. *ca. Monasterium 16. quæst. 7.* Conc. Trid. *sess. 24. cap. 18. Secundò.* si beneficium ex sua institutione dandum sit alicui ex certa familia, vel oppido, vel si decreto Canonum eligendus sit aliquis ex Clericis eiusdem Ecclesiæ, tunc aptissimo inter eos dandum est, non aliis, etsi aptioribus *cap. nullus obitum dist. 61* Couar. *Reg. peccatũ p. 2. §. 7.* Syluius *2. 2. quæst. 63. art. 2. quæst. 4. c. 3. Tertiò*, si aptiores reseruandi sint beneficiis Parochialibus, ob quòd pauci benè idonei ibidem reperiãtur, tunc beneficia sine cura quamuis opima debent conferri minùs dignis, Filliuc. *tr. 41. ca. 4 nu. 76.* Lessius *c. num. 59. Quartò*, si plures sint electores & paucorum suffragia inclinent in di-

Conc. Trid. Couar. Syluius. Filliucius Lessius.

gnissi-

gnissimum, tunc si meum suffragium nihil esset profuturum dignissimo, vt non eligatur indignus, vel minus dignus, teneor omisso dignissimo conferre illud in digni vel digniorem, Filliuc.c.n 176. Diana, tr.5. misc.res.110.p. 3. Lessius, c.n 60. Quintò, resignans in fauorem alterius satis est, vt quęrat dignum, & sic baber recepta consuetudo Caiet v. beneficium, & vt docent Reginald. Mader. apud Dianam, tr.1. misc.res.41.p.2. Ratio est, quia cum iste resignans non sit distributor, si iure permittatur in fanorē resignare, potest resignare digno cui voluerit. Neque hic est locus concursui tamquam ad commune bonum ex parte totius distribuendum, sed pars parti ius suum transfert, vnde patet, etiam tunc collatorem non peccaturum acquiescendo resignationj.

Filliuc. Diana. Lessius. Caietan.

3 Communis sententia Doctorum est ex D.Thom. 2. 2. q.63. art.2. ad 3. & q.185. art.3. Nauarr. in c. si quando, de rescript. except.16 num.10. c. vnic. vt Ecclesiast. &c. Electores, præsentatores, & collatores semper teneri quantum in ipsis est curare, vt dignisimis beneficia conferantur, quia primariò instituta suut beneficia ad cultum Dei, & Ecclesiæ vtilitatem: secundariò vt sint præmia virtutū at si omittantur digniores, contra vtrumque finem peccatur. Vnde in beneficiis habentibus curam animarum, vel aliam functionem magni momenti in Ecclesia, eligere, postulare, aut præsentare dignum, omiso digniore, qui in promptu est, est peccatum mortale; idem dicendū de conferente, qui liberè confert; quia qui omittit digniorem facit contra fidelitatem Ecclesiæ debitam ex officio in re graui. Per digniorem autem intelligitur ille, qui speratur multò melius functurus officio; si enim dubius, aut paruus excessus sit; ad summū erit veniale peccatū Conc. Trid. sess.24. c.1. Couarr. ad Regul. peccatum, p.2 § 7. Filliucius, c.n.178. Lesius, cit.n.64. Azorius, 2.p. lib.6.c.15.q. 1. Aduertendum tamen est probabile esse illos, qui habēt jus cunferendi beneficia per prouisionem liberam, vt sūt, Papa, & Reges, non teneri eligere digniores, nisi in prōptu sint, sed sufficere eligere dignus; alioquin enim semper tenerentur digniorem quærere, quod à Papa, vel à Regibus exigere durum est, inquit Reginaldus, lib.30.n. 179. apud Dianam, tr.1. misc.res.40.p.2.

D. Thom. Nauarr. Conc. Trid. Couarr. Lesius. Azorius. Reginald. Diana.

4 In beneficijs simplicibus, vt canonicatibus, capellaniis, & alijs præter dicta, non censetur peccatum mortale semel, aut bis pręter mittere digniorem, eligendo dignum si autem pasim fiat, nullo delectu vt digniores assumatur, esset peccatum mortale, P. Nauarr. lib.2.c.2.n.148. Sà v. benef.n.42. Arragon. 2.2.q.63. art.2. Angel. v. elect.n.20. Lesius, c.n.66. quia quod semel, vel iterum dignior prætermittatur in huiusmodi beneficiis, non censetur notabile incommodum, aut notabilis iniuria in Ecclesiá, paucorum enim mediocritas, compensari potest uirtute aliorum. Quamuis Diana, c.res.38.p.2. cum aliis citatis absolutē, & simpliciter asserat, omnia beneficia, quæ curam animarum non habent satis esse, ut conferantur dignis, etiam prætermisis dignioribus; nam omnes Prælati, secundum contrariam sententiam, essent in statu damnationis, cùm pasim in beneficiis simplicjbus eligant dignos, dignioribus prætermisis.

Nauarr. Arragon. Angelus. Lesius. Diana.

5 In beneficiis quæ debent dari per oppositionem, & in concursu, omittere digniorem est peccatum mortale, cum obligatione ad restitutionem damni, judicio prudentum; quia tunc dignior habet ius strictum, ex lege Tridētini, & aliquorum Canonum, ergo fit illi iniuria; debet tamē talis notabiliter esse dignior arbitrio prudētis, Conc. Trid sess.24.c.18. Nauarr. c.17.n.74. Lesius, c.n.75. In aliis autem beneficiis non est facienda restitutio, quia dignior non habet ius strictum ad illud beneficium, sed largum dumtaxat, consistens solùm in maiori aptitudine, unde non fit ei propriè iniuria. Si autem beneficiarius nō sit idoneus tenebitur, qui procurauit ad restitutionem non quidem digno, uel digniori, sed Ecclesiæ, quæ debito ministerio caruit, uel etiam damnum accepit; quod si nullum damnum passa esset Ecclesia, ad nihil tenebitur Author. Porrò qui institutus est, si uerè se putet idoneum, non tenetur resignare, etiamsi alterum judicet magis idoneum, quia ipsi non incumbit Ecclesię ministros dare, sed satis est, ut pro suo uirili officio satisfaciat. Couarr. c.p.2. §.7.n.7. Sotus, lib.4.q.6. art.3. Filliucius, c.4.n.183. & 184. Nauarrus, cit. numer.72. Lessius, cit. numer.76. & alii.

Conc. Trid. Nauarr. Lessius. Couarr. Sotus. Filliucius. Nauarr. Lessius.

Sed petes, quænam beneficia debeant conferri per concursum, & quę non? Resp. Concursu conferri ea, quæ curam animarum habent, vt Parochiales Ecclesiæ, quæ vacāt per obitum, vel resignationem etiam in curia factam, vel quacumque alia ratione, ad quemcumque collatio pertineat, vt habetur in Tridentino, sess.24. de reform. c.18. & in Bulla Pij V. incip. in conferendis.

Beneficia quæ Parochialia non sunt, concursu non cōferuntur; quia Tridentinum de Parochialibus tantùm agit; quare nec canonicatus, nec beneficia simplicia: nec Ecclesia Parochialis, vbi in fauorem alicuius resignata est tunc. n. solùm inquiritur, an idoneus is sit, in cuius fauorem resignatio facta est sine concursu, qui adhibetur, vbi plures concurrunt. Item nec Ecclesia iuris patronatus Parochialis concursu confertur, vbi laicorum est; nisi aliud in eius constitutione statutum sit; nam præsentatus tantùm examinatur, nisi præsentati sint plures, tunc. n. inter ipsos fiet quasi concursus. Si verò ius patronatus sit Ecclesiasticum, vel mixtum, etiamsi pro duabus partibus ad laicos pertineat, poterit vltra nominatos à patrone Ecclesiæ, alios etiam clericos admittere Episcopus; nisi aliter in institutione cautum sit, & ita fiet inter hos examen per concursum.

Beneficia regularium concursu non conferuntur; quādo quidem regularibus conferuntur, inquisitione tamen facta an idonei sint, quibus conferuntur. Item nec dignitates, esto extra Parochialem Ecclesiam annexam habeāt. Nec sit concursus de Ecclesia Parochiali, quæ est vnita Canonicatui; & hoc contingit ratione canonicatus, qui non confertur per concursum.

Porrò in permutationibus beneficiorum concursus nō sit: beneficia enim permutatione renunciata conferri debent permutantibus. Imò nec inquisitio ipsorum fit, vbi Ecclesiæ ambæ Parochiales erant, quandoquidem in primis collationibus idonei iudicati sunt. Tamen si quis permutaret simplex beneficium cum alio curam animarum habente, ille suscipiet beneficium curam animarum habens, examinabitur, & non qui simplex.

De his plura apud Paris. de resign benef. lib.8.q.7. & seq.

Conc. Trid.

Aduertendum tamen hic est, quòd multa à Conc. Trid. pręscripta, sess.24.c.18. circa prouisionē Ecclesiarum Parochialium passim non sint recepta: vnde ibi non sunt irrita collationes, quæ secundùm formam Tridentin. non sunt factæ. Vt notat Lessius, lib.2.c.34. dub.16.n.85.

Lessius.

BENEFICIVM VII.

Quibus modis beneficia amittantur.

SVMMARIVM.

1 *Beneficij vacatio potest contingere, vel de facto tantum, vel de iure tantum, vel de facto, & iure simul.*

2 *Admittitur beneficium ex dispositione iuris per mortem beneficiarij naturalem, & ciuilem, per matrimonium ualidum licet non consummatum, & propter alterius beneficij incompatibilis consecutionem.*

3 *Beneficium amittitur ipso iure propter quedā crimina.*

4 *Et propter alia meretur quis suo beneficio priuari per Iudicis sententiam.*

1 VAcatio beneficii multis modis contingere potest; nempe de facto tantū: cum quis scilicet amittit possessionem, non titulum, puta per violentem à possessione exturbationem, vel cùm beneficiarius metu coactus demittit beneficium; de iure tantùm, cùm quis auctoritate iuris beneficio priuatus, possidet tamen illud de facto, & de facto, & iure simul, cùm videlicet beneficium vacat per obitum beneficiarij, c. accepta, c olim, de restit. spol. c. Ad aures, de his, quæ ui. Filliucius, tr 41.c.8.n.1. Azorius, 2 p. lib.7.c 16.q.2.

2 Ex dispensatione iuris amittitur beneficium. *Primò*, sine delicto beneficiarii, videlicet, per mortem naturalem ipsius; per mortem ciuilem, nempe per ingressum, & professionem expressam, vel tacitam in religione approbata emissam, & per matrimonium validum licet consummatū

non

non sit, *c. Beneficium, de reg. in 6.* Lessius, *lib. 2. ca. 34. dub. 34. n. 187.* Layman, *lib. 4. tr. 2. c. 17. n. 1.* Per matrimonium verò inualidum, etsi probabile sit vacare beneficia, præsertim quando id oritur ex impedimento dirimente, vt ob cognationem, vel affinitatem; tamen probabilius videtur non vacare ipso iure sed priuandum esse contrahentem per sententiam. *Secundo,* amittitur, propter alterius beneficii incompatibilis consecutionem, Azorius, *c quæst. 3. & 6.* Paris. *de resignat. lib. 11 qu. 6 n. 118.*

Azorius.

3 Tertiò amittitur ipso iure propter crimina, & delicta sequentia. *Primò,* est hæresis, nec illi prodest possessio triennalis. *Secundo,* Schisma *Tertio,* percussio Cardinalis, vel Episcopi. *Quarto,* homicidium qualificatum, nempe per Sicarium pretio conductum. *Quinto,* falsificatio literarum Apostolicarum. *Sexto,* Sodomia sæpius exercita. *Septimo,* si quis per se, vel alium occidat rectorem, vel alium clericum suæ Ecclesiæ, in qua beneficium habet. *Octauo,* si examinatores ad Parochialem aliquid pro examine acciperent. *Nono,* ob Simoniam confidentiæ. *Decimo,* si obtinens Episcopatum, non accipit consecrationem intra sex menses à pacifica possessione. *Vndecimo,* si obtinens Parochialem, non fuerit promotus ad Sacerdotium intra annum. *Duodecimo,* si quis duo incompatibilia primi generis simul retinere præsumpserit absque dispensatione, amittit etiam secundùm. *Decimotertio,* si Prælatus uel administrator alienet bona Ecclesiæ, uel Monasterii, absque forma iure præscripta, uel inconsulto Romano Põtifice. *Decimoquarto,* si quis ui possessionem sit ingressus. In his, & similibus casibus, ubi hæc iura non sunt usu abrogata, beneficium impetrari potest tanquam uacans, sed crimen est probandum: ipse tamen beneficiarius non tenetur spontè sua dimittere ante sententiam Vide Doctores hic citatos, Azorium, *2. part. libr. 7. c. 17.* Lessium, *lib. 11. c. 34 dub. 34.* Filliucium, *tract. 41. c. 8. num. 15.* Layman, *cit.*

Azor. Lessius Filliucius layman.

4 Quartò, beneficium uacare potest per sententiam Iudicis: propterea ob quinque crimina meretur quis priuari suo beneficio. *Primum* est: quia non resideat in suis beneficiis, *cap. Conquerẽte, de cleric.* *Secundum,* si sit homicida, *c. Clericis, ne cleric. vel.* *Tertium,* si sit publicus concubinarius, & monitus ab Episcopo non deserat concubinam Concil. Trident. *sess. 25. c. 14.* *Quartum,* si sit periurus, *cap. Querelam, de iureiur.* *Quintum,* si blasphemus in Deum, uel Sanctos, *cap. Si quis per capillum, 22. quæst. 1.* Plura de beneficiis apud Rebuffum *in sua praxi benefic.* Azorium, *tom. 2. instit. mor. a lib. 3. ad 9.* apud Filliuc. *tr. 41.* & apud Garziam, *in suo volum. de benefic.*

Conc. Tri.

Rebuffus. Azorius. Filliucius Garzias.

Vide *Suspensio, 2. n. 17. Residentia.*

SVPPLEMENTVM.

De Beneficio Regulari, vel Regularibus concedendo.

SVMMARIVM.

1 *Omnia beneficia præsumuntur esse sæcularia.*

2 *Duobus modis contingit beneficium esse regulare.*

3 *Vt beneficium fiat ex sæculari regulare, vel è contra, sex conditiones desiderantur.*

4 *Beneficium regulare potest nondum professis conferri.*

5 *Religiosus vnius Religionis non est capax beneficii regularis alterius Religionis; imò nec beneficiorum regularium alterius Monasterii eiusdem ordinis.*

6 *Beneficia regularia, alia sunt duplicia, alia simplicia.*

7 *Prior Claustralis, quis dicatur.*

8 *Quibus modis beneficia regularia conferantur.*

9 *Beneficia Ecclesiarum Ordinum Regularium, quamuis manualia sint, verè tamen beneficia Ecclesiastica dicuntur.*

10 *Regulares tenentur, præcipiente Prælato, acceptare beneficia, quæ pleno iure ad ipsius Monasterii Prælatum spectant, quamuis manualia sint.*

11 *Quando beneficia non subsunt pleno iure Monasterio, conferri nequeunt per solam Prælati voluntatem.*

12 *Iuxta veriorem sententiam, attento iure communi, nulla habenda est dispensatio, ut regularis possit habere beneficium sæculare curatum.*

13 *Conditiones requisitæ, vt regularis capax sit beneficij curati sæcularis.*

14 *Canonici regulares de iure communi antiquo, & nouo possunt ad beneficia curata sæcularia promoueri, obtenta suorum Prælatorum licentia.*

15 *Regularis potest præfici Ecclesiæ collegiatæ Beneficia autem simplicia non possunt a regularibus possideri; nec in hoc potest Episcopus dispensare. Regularis est incapax pensionis super beneficio.*

1 OMnia beneficia præsumuntur esse ex sua institutione sæcularia; ex quo fit, ut dicenti beneficium esse regulare, incumbat onus id probandi, cùm iuris præsumptio ei aduersetur, ut docet Rebuffus ex communi Canonistarum sententia, *in praxi beneficiorum, in proœmio, tit. quotuplex sit beneficium, num. 3.* Nec ut beneficiũ regulare dicatur, satis est, ut eius collatio, aut præsentatio ad regulares spectet; aliquando enim beneficium sæculare utrumque ius præscriptione, aut alio titulo potest acquirere; sicut etiam contingere potest, ut neutrum ius in regularia habent. Ita Felinus, *in cap. in nostra, corollar. 40. numer. 44. notab. 7. de rescript.* Selua, *de benefic. 3. part. quæst. 11. num. 129.* Nec item sufficit, ut sit regulare, quod unitum sit Religioni, nisi per literas unionis, uel consuetudinem præscriptam factum sit regulare. Sic Nauarrus *libr. 3. consil. 11. num. 4 de statu Monachorum, in 2 edit.* Zerola, *in praxi Episcoporum, 2. parc. uers. Beneficium, dubio decimosecundo.*

Rebuffus.

Felinus. Selua.

Nauarr. Zerola.

2 Duobus modis contingit beneficium esse regulare. *Primo,* quando in eius fundatione id institutum est per Regulares administrandum, auctoritate Episcopi, uel Abbatis iurisdictione quasi Episcopali præditi. Ita Dominicus, Francus, *in cap. Cum de beneficio, de prabend. in 6.* Rebuffus, *loco citato,* & alij omnes. *Secundo,* dicitur beneficium regulare, quod tempore ad legitimam præscriptionem sufficienti ab uno, uel pluribus regularibus pacificè, & continuò gubernatum est, institutis in eo Rectoribus, etiamsi antea uel post, seculares quandoque in eodem ministrauerint: sicut sæculare dicitur id, quod iuxta eundem modum per sæculares gubernatum est, ut expresse utrũque deciditur, *in c. Cum de beneficio, de prabend. in 6.* Notandum tamen, dum dicitur huius præscriptioni non obstare etiamsi antea uel post, religiosi, aut sæculares in eo beneficio ministrarint: intelligi debet ante inceptam præscriptionẽ: nam si post inceptã id contigerit, interrumperet utiq; præscriptionem: Textus .n. petit tẽpus continuũ ibi, *continuè, & pacificè,* sicut Glossa *ibidem, v. Ante.* Dum autem textus dicit, *vel post,* intelligitur, dum tamen administratio illa post completam præscriptionem non durarit alio quadragenario tempore, quippe præcedentis temporis administratio præscriptione illa quadragenaria sequenti extinguitur: administratio autem præfatam præscriptionem subsequens, non aufert ius ex ea præscriptione acquisitum, nisi tanti temporis sit, quantum sufficit ad aliam nouam inducendam præscriptionem. Sic Glossa, *ibidem, V. Post,* Felinus, *cap. In nostra, corollar. 40. num 41. de rescriptis,* Selua, *de benefic. 3. p. q. 11. n 123.*

Dominic. Francus Rebuffus.

Glossa.

glossa. Felinus. Selua.

3 Vt beneficium fiat ex seculari regulare, uel ex regulari sæculare, sex conditiones desiderantur. *Prima* est, ut tempore ad legitimam præscriptionem à iure petito administratum sit per seculares, ut fiat seculare, uel per regulares, ut fiat regulare. Quod tempus dicunt omnes esse quadragenarium, quia præscriptio legitima aduersus Ecclesiam est regulariter quadragenaria, ut habetur *in cap. Ad aures, & cap. De quarta, de præscription.* *secunda,* ut possidentes beneficium sint in eo instituti, ex *dict. cap. Cum de beneficio:* ibi, *quod tanto tempore ab vno, vel pluribus institutis in eo Rectoribus.* Accipitur autem largè institutio pro collatione, aut alia prouisione, ut docet Rebuffus, *in concordia titul. de collation. §. Volumus, uerb. Regularia, in requisito 1.* *Tertia,* ut sint instituti in beneficio tanquam Rectores, non uerò tanquam Vicarii, uel conductitii clerici administrantes, ut cõstat ex uerbis textus, *cap. Cum de beneficio.* *Quarta,* quod administretur beneficiũ à regularib. tamquam regulare: secus si gubernetur

Rebuffus.

netur tanquam sæculare ad instar clericorum sæculariũ, vt si præficiatur Regularis Ecclesiæ curatæ sæculari, non transibit in Regularem administratione quadragenaria; quia præficitur illi non vt Regularis, sed instar cuiuslibet clerici sæcularis. Vel etiamsi beneficium regulare sęculari, aut sæculare regulari ex dispensatiooe conferatur, etsi possideatur per tempus quadragenarium; quia cùm speciali indulto ea possessio sit, non iuuat præscriptionem. *Quinta*, vt conferantur beneficia animo mutandi statum eorum; & ideo conferens in collatione debet dicere regulari, confero tibi beneficium sæculare; & sæculari, confero tibi regulare. *Vltima* conditio est, quod bona fide possideatur beneficium regulare à sæculari, & è conuerso; nam possessor malæ fidei nullo tempore pręscribit. *Reg. Possessor. de regulis iuris in 6.* Tandem aduertendum est, si capellæ sint fundatæ, in Monasterio, (Rebuffus.) præsumuntur regularia beneficia. Plura de his apud Rebuffum, *in praxi benefic. in proœmio, tit. Quotuplex sit beneficium, numero quinto, & sexto*, & alios citatos, nisi per sæculares teneri solite sint.

4 Quamuis stando in iure antiquiori, *Clementin. Quia regulares de supplend. negligent. Prælat & Clementin. ne in agro, §. Sanè Prioratus, de statu Monachorum*, nouitius beneficii regularis sit incapax, vtpotè quod solis professus est conferendum; (Con. Trid.) at iuxta decretum Concilii Tridentini, *sessione decima quarta, capite decimo, de reformat.* potest dari beneficium regulare nondum professis, imò his qui habitum noodum susceperunt, modò habitum suscipere, & professionem emittere teneantur. Et ita Congregatio Cardinalium declarauit, clericis sæcularibus posse conferri dicta beneficia regularia per ordinarios collatores inconsulto Papa, dummodo habitum suscipere, & professionem emittere omninò teneantur; (Gonzalez.) quam declarationem refert Gonzalez, *in regula octaua Cancellariæ Glossa 8. numer.* 78. Quod quidem videtur intelligendum non quando ratione solius voti tenetur quis ingredi, aut in Religione perseuerare; hæc enim obligatio voti solum Deum respicit, & non forum externum, quod videtur petere Concilium; & ita intelligi debet, vt dentur eiusmodi beneficia conuentione facta vt beneficiarii illi teneantur intra certum tempus ad Religionem transire; sicut & beneficia curata habent eam cooditionem tacitam, quando dantur non Sacerdotibus, vt intra annum teneantur ad Sacerdotium promoueri, *c. Licet canon. de elect. in 6.*

5 Religiosus vnius Religionis non est capax benefici regularis alterius Religionis; imò nec beneficiorum regularium alterius Monasterii eiusdem Ordinis; quia id grauiter interdicitur, *cap. Cum singula, §. Prohibemus de præbendis, in sexto*, adeò vt acceptans fiat per illum textũ (Rebuffus. Rodrig.) intelligibilis, & inhabilis vt ei alias conferantur. Ita Rebuffus, *in praxi benefic. titul. de dispensatione cum regular. numero secundo, & sequ.* Rodriguez, *tomo primo, quæstionum regularium, quæst. 34. articulo octauo*, & alij. Nomine autem electionis in eo textu comprehenditur quicumque modus collationi illius beneficii. Et licet regulariter nomine electionis non veniat collatio, fallit, nisi sit eadem ratio, vt contingit in hoc casu; mentio autem electionis facta est, quia frequentius fiebant electiones in Monasteriis; nec poterit in hoc Legatus Pontificis dispensare absque speciali commissione, quia textus ille dicit, (Rebuffus.) *Absque Sedis Apostolicæ licentia*, vt benè docet Rebuffus, *ibid. numer.* 2 Imò nec Pontifex solitus est concedere Regularibus gratiam assequendi beneficii alterius Ordinis, nisi transferendo illos ad id Monasterium, ad cuius collationem beneficium assequuntur. Hinc deducitur, non licere duobus Religiosis diuersorum Ordinum permutare beneficia regularia de licentia suorum Prælatorum, quia neuter est beneficii alterius capax.

6 Regularia beneficia, alia sunt duplcia, alia simplicia. Duplicia, vt Abbatia regularis. Abbas enim duplici onere fungi debet, tam circa personas, quam circa res Monasterii, *cap. cum ad Monasterium*, & *capit. in singulis, de statu Monachorum.* Prioratus est duplex, alter Cooventualis, alter Claustralis. Prior Cooventualis est ille, qui Cooventui Monachorum, siue aliorum Religiosorum præficitur nempè in Monasteriis, in quibus non adest Abbas. *Clem. ne in agro, §. Cæterum, de statu Monachorum.* Huiusmodi Priores Cooventuales dicuntur habere Conuentum, vel Collegium, *c. Scriptum, de elect.* in tantum, quod appellatione Prioratus Conuentualis ex propria significatione venit Ecclesia Collegiata regularis, non autem sæcularis. Tamen magis propriè Priores Conuentuales sunt, qui Couentui Religiosorum præficiuntur cum bonorum, iurium administratione, & iurisdictione in iis, quæ Regulã concernunt, & statum regularem: ac curam vniuersalem, tam spiritualem, quàm temporalem habent Monasterii, de quibus agit textus, *c. Nullam*, 18. *qu.* 2. vbi Nauarrus, *n.* (Nauarr.) *4. & in cap. Nisi essem, de præbend. & in Clement. dicta.* Huiusmodi Prioratus non sunt collatiui, sed electiui ex *Clement. 2. de rescript.* Hinc est, quod Priores Conuentuales, quos aliqui in quibusdam Religionibus vocant Præpositos, aut Superiores locales, habent eandem facultatem erga Monachos, & administrationem Monasterii, quàm habent Abbates, & iisdem priuilegiis spectantibus ad eandẽ potestatem, & administrationem potiuntur. Imò in aliquibus Religionibus gaudent prærogatiuis, & pręeminẽtiis, quibus pollent Abbates, & vtuntur mitra, annulo, baculo, sandaliis, & exercent Pontificalia ad instar Abbatum, ideò dicuntur dignitatem habere. Ex *Clement. Etsi principalis, de restript.*

7 Prior Caustralis dicitur, qui Religiosis in Claustro & Monasterio præfectus est, & Abbati subiicitur: sed post eum præ cæteris potens esse debet in opere, & Sermone, & exemplo vitæ, verboque doctrinæ suos Monachos instruere possit in bono, & à malo reuocare, *capit. Cum ad Monasteriũ, §. Prior. de stat. Monach.* Hinc Priores Claustrales post Abbatem Monasterio præficiootur cum administratione iurisdictionis tãtùm circa ea, quæ ad Claustrum, & Regulam Monachalem spectant, qui solent etiam appellari Vicarij. Horum Priorum Claustralium aliqui ponuntur ab Abbatibus in Parochiis, & Ecclesiis curatis Monasteriorum: quę Parochiæ, siue Ecclesiæ curatæ cùm habeant Conuentum suppositum, vocantur obediẽtiariæ, ex *c. Cum ad Monasterium, §. tales, de stat. Monac.* Et cùm isti ponantur ad beneplacitum Abbatis, ab eodem amoueri possunt ad nutum ipsius, vt docet Federicus de Senis, *cons. 133 in fine, vers. Ad secundum.* (Federic. de Senis.)

Porrò beneficia regularia simp icia sunt; Prioratus simplex, Monachatus, & Canonicatus regularis, qui suo simplici onere funguntur, *cap. Quod Dei timorem, & cap. fin. de stat. Monachor.*

8 Huiusmodi beneficia regularia conferuntur. *Primò*, per electionem Canonicam, hoc est, suffragiis Canonicorum, seu Monachorum, & confirmatione, Superioris authoritate accedente, vt colligitur, ex *c. Monachi, §. Priores de statu Monachor. Secundò*, conferuntur authoritate Superioris regularis, videlicet, Abbatis, Præpositi, vel Prioris; hæc dicuntur, aut dici possunt beneficia regularia collatiua, illa electiua; quia electiua instar Beneficiorum sæcularium, quæ electiua dicuntur, dantur per electionẽ Canonicorum, & confirmationem Superioris. Collatiua verò in modum sæcularium beneficiorum, quæ vocantur collatiua, simpliciter dantur, vel committuntur Superioris auctoritate.

Tertiò, dari solent per Canonicam institutionem: cum videlicet Patronus nominat, & offert Canonicum, quem vult & Superior eum instituit; hoc est, dat beneficium ei, quem patronus nominat, & offert. *Quartò*, conferuntur auctoritate Romani Pontificis, qui in regula 3. Cancellariæ reseruat sibi Prioratus, Præposituras, ac alias Dignitates Conuentuales, & Præceptorias generales quorumlibet Ordinum præterquam Militarium: non autem Prioratus Claustrales: quia Conuentuales sunt beneficia perpetua, & electiua; cætera verò beneficia non sunt electiua, nec dantur in perpetuum, sed ad nutum Abbatis, ac manualia vocantur in quibus non habet locum regula reseruationis.

9 Beneficia Ecclesiarum Ordinum Regularium, quæ certa portione redituum Ecclesiasticorum pro ministerio spirituali, & administratione Sacramentorum in eisdem Ecclesiis exercenda, dantur quamuis manualia sint, uerè tamen; & propriè beneficia Ecclesiastica dicuntur: quia habent alia omnia beneficio conuenientia

præter id, quòd talia ſint, ut poſsint ad nutum reuocari; & licet aliqoando de facto perpetuitatem non habeant, aptitudinaliter tamen eam habent; nam licet conferantur à Superiore; ita ut prouiſi de illis reuocari poſsint; poſſunt etiam conferri abſque hoc, quod unquam amoueantur. Ita Barboſa; *de iure Eccleſiaſtico, libro tertio, capite quarto, numero ſeptuageſimo*, & alii ab ipſo citati. Non eſt tamen improbabile non eſſe propriè, & ſimpliciter beneficia; nam beneficium propriè, & ſimpliciter tale requirit perpetuitatem, ot docent Rodriguez, *tom.1.q 34.art.2.* Gomez, *tit.de grat.expectat. numero nonageſimo quarto*, qui ultimos addit in reſeruationibus beneficiorum, quas facit Pontifex, non claudi manualia, eo quòd illa ſola reſeruari dicuntur, quæ uerè, & propriè beneficia ſunt.

Barboſa

10 Prouiſio beneficiorum pleno iure alicui Monaſterio ſubiectorum, ad ipſius Monaſterii Prælatum ſpectat, ipſorumque adminiſtratio ad eiuſdem Monaſterii regimen, & commodum attinet, argument. *capit. Quorumdam, de elect in 6* propterea eorum receptio comprehenditur ſub materia obedientiæ religioſæ, quia ordinatur ad commune bonum illius Monaſterii: vnde regulares non poſſunt; verum etiam tenentur acceptare huiuſmodi beneficia, cùm ratione voti obedientiæ ſint plenè ipſimet Prælato ſubiecti, ac teneantur ei obedire in omnibus, quæ ſunt ſecundum regulam, & quæ id ipſam, & ad Monaſterium ſpectant, iuxta Diuum Thomam, *ſecunda ſecundæ, quæſtion. 104. articulo quinto*. Quare ſi Prælatus eis præcipiat, tenentur talia beneficia ſuſcipere: quia tale præceptum iuſtum eſt, & intra limites religioſæ obedientiæ. Quod intelligendum eſt, modò beneficium non ſit adeò tenue, vt Religioſus nequeat ex illius fructibus abſque penuria ſuſtentari: nam tunc, non poſſet cogi, vt relinquens Monaſterium in tali beneficio reſideat: & ſi voluerit Prælatus ſubditum aſtringere ad reſidendum in tali beneficio, tenebitur ibi eidem neceſſaria alimenta ſubminiſtrare. Quæ omnia docent Nauarrus, *commentar.4.de regul.numero vigeſimo tertio*, Rodriguez, *tomo primo, quæſtionum regularium, quæſtione trigeſima quarta*, Suarez, *de Religion. tomo quarto, tractato octauo, capite octauo, capite vltimo*, qui addunt poſſe cogi Religioſum acceptare id beneficium, quamuis ſit manuale, & ad nutum amouibile, niſi iuſta excuſationis cauſa adeſſet: quia crederetur malitioſè ſibi conferri, eò quòd litigioſum eſt, vt litem terminet, & ea terminata ſibi auferatur. Non poteſt tamen Prælatus Regularis ſuos Religioſos cogere ad acceptāda beneficia ſæcularia, vel etiam regularia alterius Ordinis, quamuis vtrumque ex Pontificia diſpenſatione liceret: quia id non eſt ſecundum regulam, ſed præter illam, nec ordinatur ad commune bonum ſuæ Relgionis, aut Monaſterij. Imò neque ad regularia eiuſdem Ordinis, ſed alterius Monaſterij: quia id ſub grauibus pœnis prohibetur, *in capite Cum ſingula, §. Prohibemus, de præbend. in ſexto*. De his vide Sanchez, *libro ſexto, Moral. capite ſecundo, numer. 5 t.*

P. Thom.

Nauar. Rodrig. Suarez.

Sanchez.

11 Quando beneficia non ſubſunt pleno iure Monaſterio, conferri nequeunt Religioſis per ſolam Prælati Regularis voluntatem; quia, ſi eius voluntas ſufficeret, haberet plenum ius in collatione talis beneficii; ſi ergo plenum ius non habet, ex eo eſt, quia beneficium eſt ſubiectum Epiſcopo, vel alteri Prælato quoad inſtitutionem, & deſtitutionem, vt notat Nauarrus, *Comment. 2. de reg. n. 6. verſ. 7*

Nauar

12 Quidam negant Regulares eſſe capaces beneficii curati ſæcularis; nam textus prohibentes beneficia ſæcularia Regularibus; loquuntur vniuerſaliter, & ſolus Epiſcopatus reperitur exceptus; ac ratio cui innituntur, nempe, ne homines diuerſæ profeſſionis ſint ſimul, militat quoque in beneficiis curatis. Poteſt inſuper probari, quia Paulus Quartus edidit Bullam, qua omnes Regulares priuauit beneficiis ſæcularibus quibuſcumque per ipſos acquiſitis. Ita Suarez *de Religione, tomo quarto, tractatu octauo, libro tertio, capite decimonono, numero vigeſimo ſeptimo*, & alij multi apud Sanchez *lib. 7. c. 29. num. 34.* His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, attento iure communi, nullam habendam eſſe diſpenſationem, ut regularis poſſit habere beneficium curatum, etiam ſæculare Probatur ex *c. Quod Dei timorem, de ſtatu Monach.* Et probari poteſt per antiquos canones, in quibus ſatis cōſtat, Monachos poſſe ad Eccleſias Parochiales admitti, ex quo prædicationis officium debent exercere. Quod colligitur præſertim ex *c. in Parochia, 16. q. 1.* Vbi Gelaſius Papa iubet Monachū ad Parochiam præſentatum admitti ab Epiſcopo, nullo facto uerbo diſpenſationis: & ideo ius commune uidetur explicare, quòd hoc in fauorem curæ animarum inductum ſit. Nec obſtant in contrarium adducta, quia iam oſtenſum eſt, eſſe textum excipientem beneficia curata ab ea generali prohibitione, quod beneficia ſæcularia ſint ſæcularibus conferenda. Nec obſtare etiam Bulla Pauli Quarti, quæ uidebatur prædictum ius commune aliquo modo tollere, quia redacta eſt ad ius commune per Pium Quartum. Ita Nauarrus, *lib. 3. conſ. in 2. edit. tit. de ſtatu Monachor. conſil. 11. & 12.* Leſsiu, *lib. 2. cap 41. dub. 12 numer. 98.* Sanchez *in loco citato, num. 35.* & alii multi apud ipſum. Quòd ſi Monachi, qui ex inſtituto uacant tantum contemplationi, poſſunt ad talia beneficia promoueri, etiam poſſunt Mendicantes, & alii Regulares, quorum functiones iſti officio ſunt magis affines, niſi aliquod particulare ſtatutum Ordinis obſtet. Religioſi enim Societatis IESV, ad nullum beneficium promoueri poſſunt: ſicuti nec Fratres Minores, qui ad beneficia curata, & dignitates inferiores Epiſcopatu, niſi ex diſpenſatione Papæ non aſſumuntur.

Paulus iv. Suarez. Sanchez.

Nauarr. Leſſius. Sanchez.

13 Quod diximus de facultate Regularibus conceſſa in fauorem curæ animarum, multipliciter temperandum eſt. *Primò*, ut concurrat neceſsitas, aut utilitas Eccleſiæ curatæ ſæcularis, cui Regulares ſunt præficiendi. Ratio eſt, quia talis conceſsio iuris dimanauit ad fauorem boni animarum, cui proſpicere munus eſt Monachorum, ergo exigitur ſaltem utilitas animarum, ut illarum regimini Regulares præficiantur. Ita habetur in Gloſſa, *capit. Quod Dei timorem, verb. Regimen, de ſtatu Monachor.*

Gloſſa.

Secundò, dummodò Eccleſia illa, cui Regularis præficitur, ſit actu curata, & non ſolo habitu: hoc enim priuilegium conceſſum eſt Regularibus in fauorem curæ animarum: quòd tunc ceſſaret, niſi eſſet actualiter curata. Ita Ancharanus, *in capit. Quod Dei timorem, num. 11. de ſtatu Monachorum.*

Anchar.

Tertiò, dummodò non ſit præſcriptio quadragenaria, ut regatur Eccleſia illa per ſæculares cum excluſione Regularium expreſſa: ſi tamen Regulares excluſi non ſint, poterit ei præfici Regularis. Ita Selua, *de beneſic. 3. p. q. 11. num. 133.*

Selua.

Quartò, ut Regulares ſint capaces beneficii ſæcularis Parochialis, debent habere licentiam ſui Superioris, ut habetur ex *c. Religioſus, de elect. in 6.*

14 Canonici Regulares de iure communi antiquo, & nouo, abſque ſpeciali Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione Superiorum ſuorum Regularium licentia obtenta, poſſunt ad beneficia ſæcularia animarum curam, & regimen annexum habentia promoueri: quod probatur ex Concilio Tridentino, dum *ſeſſion. 14. de reformation. capite vndecimo*, prohibet, Canonicum Regularem ad alium Ordinem translatum, ad ſæculare beneficium etiam curatum aſſumi; nam tacitè uidetur innuere, non translatum aſſumi poſſe. Ita tenuit Rota *in vna Papien. iuriſpatronatus*, die 6. Martii MDLXXXXVIII coram Cardinali Seraphino. Vnde Sacra Congregatio Anno MDCII. declarauit, his uerbis, *Congregatio Concilii cenſuit decretis eiuſdem Concilii Canonicum Regularem non prohiberi obtinere beneficia curata ſæcularia, niſi fuerint ex iis translatis, de quibus habetur in dicto decreto, capite undecimo, ſeſſion 14. de reformatione*, pro confirmatione huius propoſitionis uide Conſilium Diui Vincentii Parentii I. V. D. apud Tamburinum, *tom. 3. de iure Abbat. diſp. 9 quæſit. 8 n. 13.*

Con. Trid. Rota. S. Congreg. Tambur.

15 Verius eſt, poſſe Regularem præfici Eccleſiæ Collegiatæ, abſque diſpenſatione aliqua: quia eadem uidetur eſſe ratio, ac de Epiſcopo, cùm eligatur ad curam eorum, qui ad Collegium pertinent: & ſicut Epiſcopus cum ſuo Capitulo conſtituit unum corpus, ita hic cum ſuo. Ita Rodriguez, *tomo primo, quæſtionum regu-*

larium

larium, quaestion. 34. *articulo quarto*, Selua, *de beneficiis, tertia parte, quaestion.* 70. *numero quarto*, Lessius, *libro secundo, cap.* 40. *dubio decimosecundo, n.* 99. Et alii, & licet Ioannes Andreas, *in capite, Quod Dei timorem, numer.* 16. *de statu Monachorum*, oppositum teneat, hoc procedit ex eo, quia existimant huiusmodi beneficium esse simplex. Rodrig. Selua. Lessius. Andr.

De beneficiis autem simplicibus, dicendum est ea non posse à regularibus possideri propter eorum incapacitatem desumptam ex natura regularis Obseruantiae, & ex sacris Canonibus, qui negant posse Regularem saeculare beneficiũ simplex obtinere & affirmant illum posse praefici beneficio curato in fauorem curae animarum. Quod probatur ex *cap. In noua actione* 16. *quaest.* 7. & ex *cap. Monachus* 16 q. 1. Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg q.* 34. *art.* 4. Syluester *v. Religio* 7. *quaest.* 5. Sanchez *lib.* 7. *Moral. c.* 29. *n.* 75. Nec potest Episcopus in hoc dispensare, quia nullibi id illi conceditur, vt affirmant Rosella *v. Monachatus n.* 4. & Tabiena *n.* 4. *q.* 3. Et minus potest Episcopus dispensare, vt religiosus promotus ad beneficium Parochiale habeat simul beneficium simplex, quia vltra inhabilitatem, quam habet ad beneficium simplex, concurrit aliud impedimentum, scilicet, pluralitas beneficiorum, Hinc deducitur non posse Praelatum facere habilem suum Monachum ad duo sui Ordinis beneficia, vt constat ex *c. Cum singula, de praebend. in* 6. Religiosus enim etsi possit vnum beneficium regulare habere, at nequit duo, nec cũ vno beneficio potest simul habere Capellam, aut pensionem vel portionem regularem, quia quodlibet beneficium est incompatibile Monacho cum pruno, tum quia regularis est incapax pensionis super beneficio saeculari, siue simplici, siue curato obtinendae, absq; dispensatione Summi Pontificis, qui enim est incapax benefici, est etiam incapax pensionis. Sed regularis est incapax beneficij saecularis simplicis, nisi Pontifex dispenset, ergo erit quoque pension is super illo constitutae. Ita Zerola *in praxi Episcopali, p.* 1. *v. Beneficium*. Et quamuis sit capax beneficij curati saecularis, id tamen contingit ex indulgentia iuris fauore curae animarum: qui cum non reperiatur in pensione constituenda, non erit capax pensionis super beneficio curato. Denique nec etiam est capax pensionis super beneficio regulari sui Monasterij constitutae absq; Pontificis dispensatione. Ex *Clement. vnic. de supplend. neglig. Praelatorum.* Rodrig. Syluest. Sanchez. Rosella. Tabiena. Zerola.

Vide v. Abbatissa *num.* 21. Beneficium 2. *num.* 6. Nouitius *num.* 22. Pensio *num.* 12 & 13.

SVPPLEMENTVM

Qui de iure ad beneficia inhabiles reddantur.

SVMMARIVM.

1 *Haeretici sunt inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, eorumque fautores, & receptatores, defensores, eorumque filii vsque ad secundam generationem.*
2 *Inhabiles sunt etiam Apostatae ad beneficia.*
3 *Excommunicati maiori excommunicatione sunt inhabiles ad quaecumque beneficia Ecclesiastica.*
4 *Similiter, & suspensi ab officio vel beneficio.*
5 *Interdicti personaliter non possunt beneficia consequi nec irregulares, nec Sodomitae notorij, nec Bigami, nec aleatores nec simoniaci, nec clerici vsurpantes bona, & iura locorum piorum, nec clerici concubinarij incorrigibiles: nec coniugati nisi seruata regula canonum.*
6 *Multi alii recensentur inhabiles ad beneficia obtinenda.*

1 Inhabiles sunt ad beneficia, Haeretici eorumque fautores, & receptatores, defensores, eorumque filii vsque ad secundam generationem, & si admittantur ad beneficia, esset irrita, & nulla talis admissio. Ex *c. Quicumque, §. Haeret. c. statut. el* 2. *de Haeret. in* 6. Secus dicendum est de superueniente crimine, hoc enim non reddit inhabilem ad beneficium iam obtentum, vt docent communiter Doctores. De filiis verò & nepotibus praedictorum intelligendum est, qui tales esse aut tales decessisse probentur non autem illorum, quos emendatos esse constiterit & poenitentiam egerint: quamuis ante peractam poenitentiam obierint, dummodò tamen ad eam recipiendam parati essent. Sicut docent Surdus *consil.* 360. *num.* 14. & Rota *in Collibricen. Canonicatus* 13. *Iunii* 1616. coram Card. Sacrato. Vbi etiam decisum fuit, non esse faciendam distinctionem inter sponte confessum & condemnatum. Nota tamen quod haec poena tantùm extendatur ad primam generationem in linea materna, ex *dict. cap. statutum* Praeterea, quod haeresis patrui non impedit quominus nepos ad beneficia obtinenda habilis existat, vt decreuit Sacra Congregatio Eminent Card. teste Barbosa *de iure Eccles. lib.* 3. *c.* 13. *nu.* 135. Surdus. Rota. S. Congreg. Barbosa

2 *Secundo*. inhabiles sunt ad beneficia Ecclesiastica Apostatae: tam si habitum suae Religionis non dimiserint, quàm si illo iam spoliati sint: quia possunt etiam esse regulares verè Apostatae, licèt habitum propriae Religionis retineant; vt diximus aliàs. Et docent Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quaest.* 12. *punct* 1. *not* 2 Sanchez *lib.* 2. *Moral. c.* 7. *n.* 18. qui ibi loquitur de Apostata à fide. Valentia Sanchez.

3 *Tertio*, excommunicati maiori excommunicatione sunt inhabiles ad quaecumque beneficia consequenda siue sint maiora beneficia, siue minora, siue sint beneficia saecularia, siue regularia; & hoc valet in foro conscientiae, tam de excommunicatione lata a iure, quàm ab homine, siue per sententiam generalem, siue particularem: etiàsi excommunicatio iniusta sit, dummodò ritè lata fuerit; siue excommunicatio sit occulta, siue publica; siue excommunicati sint denunciati, siue non; imò quamuis excommunicati reputentur communi opinione pro absolutis; vel post collationem sequeretur absolutio; quia talis absolutio sequens non tollit praecedentem incapacitatem, cum in istis spectetur initium; similiter si excommunicati essent absoluti cũ reincidẽtia post aliquod tempus; quia, si post praefixum tempus & reincidentiam fiat illis collatio erit nulla, non obstante, quòd iudicis declaratio non adfuerit. Haec tamen inhabilitas; non procedit, si excommunicatio sit nulla: vel si superuenerit post collationem; vel si prouisus esset possessor triennalis; vel quando excommunicatio fuit lata post appellationem interpositam; modò appellatio fuerit valida & hoc pro certo constaret. secus si notorium esset eam non valere. De his plura apud Barbosam *de iur. Ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 137. & alios ab eos citatos. *Ex cap Postulastis, de cler. excom. ministrant.*

4 Suspensi ab officio vel beneficio sunt inhabiles ad beneficia obtinenda & consequenda, & prouisio eis facta nulla est, ex *cap. Cum dilectus. vers. Quia, nobis, de consuet.* & *cap. Per inquisitionem, de elect.* Sed hoc intelligendum est de suspensis ab omnibus Ordinibus; secus enim dicendum esset, si suspensio esset, ab vno Ordine sa. cro tantùm; quia ratione alterius Ordinis, quem habent sine suspensione, possunt obtinere beneficium, ex *c. Vel non est compos de tempor. ordinand.* Suspensus enim ab Ordine Presbyterali tantùm, licet non possit habere Sacerdotalem praebendam; poterit tamen habere diaconalẽ. Qui verò per annum contumax steterit in suspensione, non solùm nequit amplius beneficium consequi: sed ea, quae interim acquisiuit & priùs habebat, amittit: vt habetur *in cap. Cum bona, de aetat. & qualit.* Barbosa

5 *Interdicti* personaliter non possunt beneficia consequi, Nauarrus *in Man. cap.* 25. *nu.* 134. Nauar.

Irregulares non possunt beneficia obtinere & collatio illis facta, ipso iure nulla est, ex *cap.* 2. *de Cleric. non ordin. ministrant.* Lessio *lib.* 2. *cap.* 23 *n.* 120.

Sodomitae notorii ad beneficia sunt inhabiles, & collatio his facta nulla est. Ita Barbosa *de offic. & potestat. Episc. part.* 2. *alleg.* 44. *nu.* 28. Lessius.

Bigami prohibẽtur beneficia habere, cùm etiam prohibentur ordinari. Propterea beneficii collationem factã bigamo nullam esse affirmat Nauarr. *cons.* 3. *de bigamis.* Barbosa

Aleatores beneficia consequi non possunt, & collatis eis facta, si publici sint, ipso iure sit nulla: si occulti, erit irritanda. Ita diffiniuit Rota Romana *decis.* 426. *part.* 1. *diuers.* & multi ibi allegati. Nauar. Rota.

Simoniaci in assequendo beneficio post eius priuationem fiunt inhabiles ad omnia alia beneficia obtinenda per Bullam Pij V. quę incipit, *cum primum, Kalend. Aprilis 1566.* Pius V.

Clericus quęcumque iura Ecclesiarum, uel piorum locorum usurpans, uel aliis consensum, aut auxilium pręstans, priuatur beneficio, & fit inhabilis ad quęcumque alia beneficia consequenda. Ex Cōcilio Tridentino, *sess. 22.c. 11. de reform.* Côc. Trid.

Clerici concubinarii incorregibiles post multas pœnas, & priuationem beneficiorum redduntur inhabiles ad consequenda beneficia usq; ad emendationem arbitrio Ordinariorum suorum. Ex Conc. Trid. *sess. 25.c. 14. de ref.* Con. Trid.

Coniugatus, qui aliquem de Ordinibus sacris presumit suscipere, matrimonio durante, etiam nondum consummato, nisi seruata regula Canonum, etiam ad beneficium quodcumque, uel officium Ecclesiasticum prohibetur promoueri, per *Extrauag. Antiqua, de voto.* Ioannis xxij. Et si promoueatur ad Ordinem sacrum, efficitur irregularis, ut docet Couarruu. *de sponsal, p. 2.c. 6.* Ioan. xxii. Couarr.

6 Sæcularis, & non professus prohibetur beneficia regularia in titulum regularibus conferri consueta obtinere, nisi eiusdem Ordinis habitum suscipiat, & professionē emittat. Ex Conc. Trid. *sess. 14.c. 10. de refor.* Con. Trid.

Filii Clericorum procreati ex non legitimo matrimonio in Ecclesiis, ubi patres eorum aliquod habent, uel habuerunt beneficium, consequi non possunt beneficia. Cōcil. Trident. *sess. 25.c. 15. de refor.* Con. Trid.

Filii, & nepotes offendentium Cardinalem, inhabiles sunt in posterum ad obtinēda beneficia. Ex *c. felicis, vers. Quod si quis, de pœnis, in 6.*

Non dimittentes beneficia incompatibilia post priuationem eorum, quæ obtinebant, redduntur inhabiles penitus ad alia beneficia obtinenda. *Extrauag. Execrabilis. de prabend.*

Denique habens beneficium unum curatum, non potest aliud curatum, uel aliàs incompatibile obtinere. Ex *c. unico, §. penult. 10. quæst. 3.* Et siquidem auctoritate Sedis Apostolicæ id egerit, ipso iure uacat primum, *ex cap. Quanto de translat. Episcop. & cap. De multa, de prabend.* Quòd si absque Pontificis auctoritate id faciat, amittit utrumque, nulla suffragante consuetudine in contrarium. Ex Concilio Tridenono, *sessione septima, cap. 2. de reform.* Pluta de his, *tom. 1. v. Beneficium, 3.* & apud Auctores ibi citatos. Conc. Trid

Vide V. Nouitios, *n. 21.*

SVPPLEMENTVM.

De Beneficiorum Vnionibus.

SVMMARIVM.

1 *Vnio est plurium beneficiorum, seu Ecclesiarum legitimo Superiori facta annexio.*
2 *Vnio beneficiorum tripliciter fieri potest.*
3 *Episcopus iure communi antiquo potest vnire beneficia, & Ecclesias sua Diœcesis.*
4 *Generalis Vicarius Episcopi non potest beneficia vnire. nisi specialiter sibi ab Episcopo committatur.*
5 *Capitulum Sede vacante potest ea beneficia vnire, qua potest Episcopus.*
6 *Archiepiscopus nequit vnire beneficia in Diœcesi suffraganeorum.*
Verius est id posse Legatum à latere, absque praiudicio tamen Episcopi.
7 *Abbates, & Pralati Episcopo inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt huiusmodi vnionem facere. Alii vero non, nisi hoc ex priuilegio, vel consuetudine, vel prascriptione illis competat.*
8 *Ad hanc vnionem faciendam requiritur iusta causa, qua est necessitas, aut vtilitas Ecclesia.*
9 *Forma, & solemnitates requisita in Ecclesiarum, & beneficiorum vnione recensentur.*
10 *Quando Ecclesia aliqua annectitur Abbatia, sortitur naturam iura, & priuilegia ipsius Abbatia.*
11 *In tribus casibus vnio est ipso iure irrita defectu solemnitatum petitarum.*
12 *Decreta Concilij Tridentini circa vniones beneficiorum.*
An Episcopus possit examinare vniones, ac illarum effectum impedire, non obstante prascriptione.
13 *Ex Tridentino integrum non est Episcopis vnire beneficia diuersarum Diœcesum.*
14 *Episcopus potest vnire beneficia non sola potestate ordinaria, sed etiam delega: a per Trident.*
15 *Attento Tridentino beneficia curata non possunt ab Episcopo vniri Monasteriis, aut piis locis, aut beneficiis simplicibus.*
16 *Tridentinum concedens Episcopis vnionem absque consensu patroni Ecclesiastici, derogauit iuri communi.*
17 *Potestati Episcoporum in vniendis beneficiis sacularibus Religioni non derogauit Tridentinum: modo non sint curata, vel extra Diœcesim.*
Beneficium saculare sic vnitum, statuto Episcopi potest deseruiri per regularem.
Potest Episcopus ex iis beneficiis, qua vnire potest reddere aliquod manuale, & ad nutum amouibile, quod erat perpetuum.
18 *Monasterio Monialium potest vniri beneficium Parochiale in temporalibus, & spiritualibus per Pontificē.*
19 *Pralati Episcopo inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis possunt vniones Ecclesiarum, Monasteriorum, vel beneficiorum dissoluere.*
Causa, ob quas vniones beneficiorum, &c. dissolui possint.
In dissolutione vnionum, vocandi sunt, quorum interesse potest, talem coniunctionem non dissolui.

1 VNio est plurium beneficiorum, seu Ecclesiarum à legitimo Superiori facta annexio, Dicitur beneficiorum, seu Ecclesiarum, vt nomine Ecclesiarum cōprehendantur Episcopatus; nomine autem beneficiorum quęcumq; alia beneficia maiora, vel minora, regularia, vel sæcularia, & Dignitates. Hæc autem vnio quandoq; est perpetua, quandoque autem temporalis. Perpetua est, quando exprimitur, vt perpetuò duret; vel quando dicitur, ad perpetuam rei memoriam, uel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, *c. si gratiosè de rescrpt. in 6.* vel si conceditur contemplatione Ecclesiæ, *cap. 1. Ne sede vacante, &* quando est perpetua, solet in ea dici, *In perpetuum vnimus.* Temporalis autem est, quando conceditur ad tempus, vt ad vitam eius, in cuius fauorem fit, & tunc dicitur fauore personæ fieri, morteque eius expirat. Ita Rebuffus *in prax. benef. tit. de vnion. benef. n. 1. & seq.* Rebuffus.

2 Vnio beneficiorum tripliciter fieri potest. *Primò* modo, vt ex duobus beneficiis vnum fiat: aut si ex duabus Parochiis fiat unica. *Secundo*, ut Ecclesia vna alteri subiiciatur, & tunc vnita erit accessoria, fruetur que priuilegiis principalis cui vnitur, *cap. Recolentes, in fin. de statu Monachor. Tertio* modo fit unio duarum Ecclesiarum, utraque manente Episcopatu, vel Parochiali, ut prius erat, & tunc utraque Ecclesia erit principalis, fruetur que quælibet suis priuilegiis, & habebit sua statuta, idque opera bitur unio, ut idem sit Episcopus, aut Parochus utriusque.

3 Episcopus stando in iure communi antiquo, potest unire beneficia, & Ecclesias suæ Diœcesis. Ex *cap. Sicut vnire, de excess. Pralat.* Quod non tantùm est uerum, si uelit unire Ecclesiam sæcularem sæculari; sed etiam potest unire Religioni alicui Ecclesiam, seu beneficium suę Diœcesis. Ex *Clement. 2. de rebus Eccles. non alienand.* & ex *c. Constitutionib. de donat* ubi expresse deciditur, Ecclesias, seu beneficia nondum uacantia posse donari ab Episcopo Ecclesiis, aut Religiosis locis, quamuis antequam uacent, non possint dari priuatis personis. Quod quidem uerum habet: quamuis Monasterium illud exemptū sit, uel collatio illius beneficii ob Episcopi negligentiam deuoluta esset ad Papam, quòd alio iure deuoluatur, alio autem uniatur. Deuolutio enim concernit titulum, impeditque ne illud Episcopus in titulum dare ualeat: unio autem respicit proprietatem. Ita Azorius, *p. 2. lib. 6. c. 28. q. 15.* Nota tamē si beneficia illa essent exēpta à iurisdictione Episco- Azorius.

pi, tunc

pi, tunc nequiret Episcopus ea vnire, vtpoteque ſuæ diſpoſitioni ſubiecta non ſunt: & ideò tunc vnio pertinebit ad Pontificem, vt ait Rebuffus, *ſupra, n.* 22. Deinde, ſi vnio ſit temporalis, eſt interdicta Epiſcopo, quia vniones ad vitam beneficiarij ſunt odioſæ, tanquam introductæ contra formam iuris communis, aut ſaltem præter illam. Per vnionem enim temporalem fit, vt duo beneficia concedantur vni, obſtitque ille ab altera Eccleſia toto tempore vitæ. Præterea, quia per talem vnionem non Eccleſijs, ſed perſonis prouidetur. Ita Dominicus, *conſ.* 38. Azorius, *cit. quæſt.* 17.

Dominic. Azorius.

4 Generalis Vicarius Epiſcopi non poteſt beneficia vnire, niſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo committatur: quia nec beneficia conferre valet, quod minus eſt. Imò ſi Vicario illi data eſſet poteſtas conferendi beneficia cum generali clauſula, adhuc non poſſet vnire, quia clauſula generalis ſecuta poſt ſpecialia in mandato expreſſa, includit conſimilia, nō autem maiora. At vnire beneficia eſt quid maius, quàm conferre, cùm illud nequeat Epiſcopus abſque Capituli conſenſu; at hoc regulariter poteſt ipſe ſolus. Ita Rebuffus *in praxi benefic. tit. de forma vicariatus, num.* 102. contra Azorium, *p.* 1 *lib.* 6. *cap.* 28. *q.* 10.

5 Capitulum ſede vacante poteſt vnire ea beneficia, quæ poteſt Epiſcopus, dummodo per eam vnionem iuriſdictioni Epiſcopali nihil detrahatur: quia ea, quæ ſunt iuriſdictionis in Capitulum transfeunt, *cap. vnic de maiorit. & obedient. in* 6. Hæc autem vnio eſt iuriſdictionis. Si dicas capitulum non habere poteſtatem cōferendi beneficia; ergo nec vniendi, cùm duo beneficia connectere nequeat, niſi vnum conferens ei Eccleſiæ, cui connectit. Reſpondeo non bene id ſequi, quia beneficium nondum vacans conferri nequit, cùm tamen valeat vniri. *Clement.* 2. *de rebus Eccleſ non abenand.* Tum quia non idem iuris de conferendo, quod de coniungendo; quia conferre eſt voluntatis, & libertatis: at vnire eſt neceſſitatis, cùm vnio fieri non debeat, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, aut vtilitatem. Ita docent Rebuffus, *tit. de vnionibus benefic. nu.* 36. Azorius, *cit. c.* 29. *q.* 9. Imola *Clement.* 1. *num.* 32. *de ſtatu Monachor.* & alij.

Rebuffus. Azorius. Imola.

6 Archiepiſcopus nequit vnire beneficia in Diœceſi ſuffraganeorum: quia non habet iuriſdictionem aliquā in Diœceſi ſuffraganeorum, præter eam, quæ in aliquib. caſibus in iure expreſſa eſt, inter quos hic non numeratur Rebuffus, *cit. n.* 29. & 30. & conſtat ex *cap. Sicut vnire, in fine, de exceſſ. Prælator.* Controuerſia tamen eſt inter Doctores, an Legatus à latere poſſit vnire beneficia Prouinciæ ſuæ legationis? Quidam negant ex *cap. fin de confirmat. vtili*, vbi non approbatur vnio facta per Legatum de latere: tum quia legatus hic nequit iuri Epiſcoporum derogare; at hæc vnio fieri nequit abſque prædicta derogatione; auferetur enim Epiſcopo in perpetuum ius illius beneficii conferendi. Nihilominus dicendum eſt poſſe abſq; præiudicio tamen Epiſcopi: quia poteſt in ſua Prouincia quidquid Epiſcopis in ſuis Diœceſibus; cum ergo poſſit Epiſcopus unire, poterit, & Legatus à latere. At Legatus qui non eſt à latere, nequit unire, & in hoc eſt uera præcedens opinio; quia nequit conferre beneficia, *cap.* 1. *de offic. legati, in* 6. at per unionem magis præiudicatur Epiſcopo, quàm per unicam collationem. Ita docent Rebuffus, *c. e. tit. de vnionibus, à num.* 24. Azorius, *c. c.* 28. *q.* 8. & alij penes ipſos.

Rebuffus. Rebuffus. Azorius.

7 Abbates, & Prælati Epiſcopo inferiores nequeunt huiuſmodi unionem facere, niſi hoc ex priuilegio, uel cōſuetudine præſcripta, aut præſcriptione immemorabili, uel quadragenaria cum titulo illis competat. Ratio eſt, quia facultas uniendi, ſicut etiam conferendi beneficia, eſt iuriſdictionis, non autem Ordinis; at Prælati Epiſcopo inferiores poſſunt præſcribere ea, quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis, *cap. Auditis, de præſcriptionibus* Ergo poſſunt præſcribere facultatem uniendi beneficia Eccleſiarum, ſibi ſubiectarum Ita habetur, *in cap. Sicut vnire, de exceſſ. Prælat.* & *Clement.* 1. *§. Ad hæc, de ſtat. Monachor* Rebuffus, *in praxi benefic. tit. de vnion. benefic. n.* 32. & 33 Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 28. *quæſt.* 11. Sanchez, *lib.* 7. *Moral. c.* 29. *num.* 160. Hoc autem intelligi debet de Abbatibus non habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeu quaſi; quia Abbates, qui Epiſcopali iuriſdictione potiuntur, bene

Rebuff us. Azorius. Sanchez.

Baſſæi Flor. Theolog. Tom. I.

poſſunt Eccleſias, ac beneficia, necnon etiam Monaſteria ſibi ſubiecta ex iuſta cauſa vnire, nam vbi Eccleſiæ ſūt Abbatibus pleno iure ſubiectæ, Abbates dicuntur ibi habere iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, textus *in cap. Quoniam, de priuileg.* & *in cap. vnic. de Capell. Monach. in* 6 Rodriguez *tom.* 3. *qq. reg. q. vlt. art.* 1.

8 Ad hanc vnionem per Epiſcopos, & alios Prælatos dictos faciendam, requiritur cauſa iuſta, quæ in hac parte eſt neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiæ, ut expreſſè habetur *cap. Expoſuiſti, de prabendis, & cap.* 1. *de rebus Eccleſ. non alienand. in* 6. Neceſſitas eſt quando præbenda, cui vnio facienda eſt caret ſufficientibus reditibus ad alendum miniſtrum. Ita docent Doctores, probantque ex *c. Expoſuiſti.* ibi, *De reditibus prabendarum ſuarum nequeunt, ſuſtentari*, & Tridentino *ſeſſ.* 21. *capite primo, de reformat.* ibi, *propter eorum paupertatem*. Similis erit cauſa iuſta vniendi loco religioſo, quod ille indigens ſit reditibus ad miniſtrorū ſuſtentationē. Si Eccleſia ſit deſtructa ab hoſtibus, vel deſolata, propter populi decrementū Itē quando Eccleſię ſunt vicinæ, & reſtant pauci de populo, alijs mortuis. Vtilitas autem eſt, quando propter fructuū tenuitatem nō inueniuntur Clerici idonei ad deſeruiendum. Inſuper eſt cauſa iuſta, vt diuinus cultus augeatur, hinc in huiuſmodi vnione facienda, exigitur cauſæ cognitio, & ſic Ordinarius vnione faciens, debet prius inquirere, & cognoſcere de cauſa vnionis argum. text *Clement final. de rebus Eccleſ non alienand.* Et ſi Papa illam facit, exigitur, vt etiam de cauſa inquiratur in partibus: alias vnio reuocabitur, vt diſponitur *in reg Cancell.* 21. iuſſu Pauli V. & docet Rebuff. *in prax. benefic. tit. de vnion, benefic. n* 43. & 44. & alij.

Rodrig. Con Trid. Rebuffus.

9 Forma, & ſolemnitates requiſitæ in Eccleſiarum, & beneficiorum vnione, ſunt. *Primo*, vt citentur illi omnes quorum intereſt in vnione facienda, vt probatur ex *Clement.* 1. *§. ad hæc, de ſtatu Monachor. Secundo*, vt accedat cōſenſus Capituli Eccleſiæ Cathedralis ſi vnio per Epiſcopū facienda ſit, vt deciditur *Clem.* 2. *de reb. Eccleſ. non alien.* Et ſi Abbas beneficia Eccleſias, uel Abbatias regulares un ire uelit, requiritur aſſenſus Cōuentus, quamuis non requiratur tractatus, ex *cap. Paſtoralis, de donat.* Qui conſenſus poteſt etiam poſt vnionem interuenire, vt docet Rebuffus *in praxi, ſuper reg. Cancell. de vnion. gloſſ.* 2. *n.* 20. Si autem fiat vnio à Legato de latere, ex Pontificia commiſſione, in qua conſenſus Capituli mentio non fiat, non exigetur is conſenſus, quia tunc non uenit ut ordinarius, ſed vt Pontificis delegatus. Quare licet Pontifex poteſt abſque Capituli conſenſu vnire, ita & ipſe Legatus. Si autem id faciat ex poteſtate ſua ordinaria, indiget conſenſu Capituli; quia tunc non amplius poteſt in hac vnione facienda, quam Epiſcopus. Deinde quando Eccleſia eſt iuris patronatus, exigitur conſenſus patroni vt Epiſcopus eā vnire poſſit, quippe præiudicium fit iuri præſentandi competenti patrono per vnionem illam, & ideò vt illa rata ſit, exigitur patronum conſentire vt cōſtat ex *c. Suggeſtum de iurepatron.* Vnio enim de beneficiis iuriſpatronatus facta abſque pattonorum conſenſu non ualet, ex diſpenſatione Concilij Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap* 13. *de reformat.* Vide his Couarruuiam *in quæſt. practic c.* 36. *n.* 11. Flaminium *de reſign benefic. lib.* 2. *qu* 4. *n.* 11. Rebuff. *in prax. benef. regula* 21. *Cancel. de vnionib. Gloſſ.* 11. *n.* 6.

Couar. Rebuffus.

10 Quando Eccleſia aliqua annectitur Abbatię, ſortitur naturam, iura, & priuilegia ipſius Abbatiæ, quia unitum aſſumit naturam conſuetudinis, & priuilegia principalis, cui eſt annexum, & amittit propriam prærogatiuam, ita ut ſi Eccleſia exempta, eſſet incorporata Eccleſiæ non exemptæ amitteret exemptionem, & contra, Leſſius *de iuſtit. & iur. libro ſecundo, capit.* 34. *num.* 148. Azorius *p.* 2. *lib.* 6. *c.* 28. *q.* 20. Notandum tamen eſt non poſſe magis dignum minus digno uniri, ſed è conuerſo c. *Expoſuiſti de præbend. c. ſuper eodem tit. in* 6 Si tamen talis unio fieret auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ualeret, per *c.* 1 *de præbend. in* 6. Rebuffus *dict. tit. de vnion. n.* 17.

Leſſius. Azorius. Rebuffus.

11 In triplici caſu defectu ſolemnitatum petitarum, unio eſt ipſo iure irrita. Primus non citantur ij, quorum intereſt. Secundus eſt, quando non permiſſa cauſæ cognitione vnio fit. Tertius, cum non exprimitur uerus

valor beneficij vniẽdi, & eius cui vnio fit, vt expressè habetur *in reg. 21. Cancell. de vnionibus*, & tradit ibi Rebuffus *à Glossa 5. vsque ad 9.*

Reg. Canc. Rebuffus.

Dubium autem est, an si cæteris seruetur debita forma, sit vnio irrita, eo quòd ex falsa causa sit impetrata? Affirmant quidam, cùm per errorem, & deceptionem concessa sit, & deficiat manifestè concedentis voluntas, & intentio. Sed verius est non esse ipso iure irritam, sed irritandam ope exceptionis. Quia cùm vnio concedatur ex causa necessaria, magis concernit iustitiã, quàm gratiam: rescripta autem iustitiæ valida sunt etiam per subreptionem obtenta, donec ope exceptionis elidantur, id est, donec aduersarius contra quem impetrata sunt, excipiat, allegans ea esse subreptitia. Et sic fertur varijs vicibus decisum esse in Rota. Ita Rebuffus *in praxi beneſic. regul. Cancellar.* 21. Glossa 5. *&* 9. Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 28. quæst. 14.* Hoc autem intelligendum est de vnionibus factis per inferiores Pontifices nam facta à Pontifice ex falsa causa allegata est ipso iure irrita, quia in rescriptis Pontificiis intelligitur semper clausula, si preces veritate nitantur, *cap. 2. de rescriptis.* Et in hoc casu est vera sententia contraria allegata.

Azorius. glossa. Rebuffus.

Cõc. Trid.

12 Circa vniones beneficiorum Concilium Tridentinum multa decreuit, & in aliquibus antiquiora iura correxit Decreta noua videri possunt apud Sanchez *lib. 7. moral. cap. 29. num.* 178 quæ hic breuitatis causa omittimus; præcipua autem decreta sunt, *sess. 7. cap. 6. de reformat* ibi: *Vniones perpetuæ, &c.* Eadem sess. 7. cap. 7. de reformat. ibi: *Beneficia Ecclesiastica, &c.* & sess. 14. cap. 7. de reform. ibi: *Beneficia vnius Diœcesis, &c.* & sess. 21. cap. 5 de reform. ibi: *Possint Episcopi, &c.* Et sess. 24. cap. 13. de reform. ibi: *Ecclesiæ Parochiales, &c.* Et eadem sess. 24. cap. 15. de reform. ibi; *In Ecclesiis Cathedralibus, &c.*

Sanchez.

Con. Trid.

Ex quibus deducitur quòd hodie attento decreto Trident. *sess. 7. cap. 6. de reformat.* possessor beneficii vniti nõ potest se tueri præscriptione illa quadragenaria, quò minùs liceat Episcopo vnionem perpetuam à quadraginta annis citra factam examinare, imò & impedire, si nondum integrum effectum sortita sit, nisi constet ex legitimis causis factum esse, quo casu possessor ad solum Põtificem appellare poterit; quia in eo decreto conceditur Episcopo, vt tanquam delegatus à Sede Apostolica procedat in ea causa. Et à delegato ad solum delegantem est appellandum, *cap. Super quæstionem. §. Porrò, de officio delegati.* Hinc in omnibus casibus, in quibus Tridentinum concedit Episcopis, vt tanquam delegati Sedis Apostolicæ procedant, ad solum Pontificem appellari posse, docet Henriquez *lib. 10. de Sacrament. Ordinis c. 28. in fine* & Rodriguez *to. 3. addit. summæ cap. 32. n. 20.*

Henriq. Rodrig.

Con. Trid.

13 Per Tridentinum *sess. 14. cap. 9 de reform* prohibetur beneficia vnius Diœcesis quacumque de causa alterius Diœcesis beneficio, aut Monasterio, aut Collegio, seu loco pio perpetuò vniri quo correctum est ius antiquum id permittens.

Con. Trid.

14 Statuitur item in eodem Concilio sess. 25. cap. 1. de reformat. *Vt possint Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati iuxta formam iuris, sine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quorumcumq. beneficiorum, etiamsi illa reseruata sint.*

Per quod confirmatur, ac etiam augetur potestas ordinaria Episcoporum, possunt enim non solùm auctoritate ordinaria, sed etiam delegata, attento dicto Trident. Concil. decreto id exequi, ac ideo licebit ipsis Episcopis vtraque potestate, vel etiam alterutra, quam elegerint, procedere, vt constat ex *cap. nisi, de præbend.* aut etiam partim potestate delegata vti. Quod si semel elegerint vna via procedere, non possunt eligere alteram. Si verò non constet, quà potestate procedant, delegata vti præsumitur, iuxta veriorem sententiam, quia in dubio præsumitur actus fieri iuxta facultatem, quæ maiorem firmitatem præbet actui: ex qua doctrina colligitur censeri actum factum ordinaria potestate, quando hoc esset vtilius & firmius valori actus, vt docet Molina *tom. 3. de iust. disp. 582. n. 2.* Sanchez *lib. 7 moral. cap. 29. n. 181.*

Molina. Sanchez. conc. Trid.

15 Correctum est ius commune per Trident. *sess. 24. cap. 13. de reform.* nam attento iure communi non erat restricta facultas Episcopi ad vnienda beneficia curata Monasteriis, aut aliis beneficiis. At Tridentinum eo loco interdicit vnionem cuiuscumque beneficii curati Monasterio, aut cuicumque operi pio, aut beneficiis simplicibus.

conc. Trid.

16 Tandem eadem *sess. 24. cap. 15. de reformat.* conceditur supprimi aliquas præbendas Ecclesiæ Cathedralis, ipsisque aliqua beneficia vniri per Episcopum cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint. Quare à contrario sensu videtur concedere, vt possit id efficere absque patroni Ecclesiastici consensu; nam attento iure communi, in vnione facienda per Episcopum Ecclesiæ iuris patronatus, exigebatur consensus patroni, siue sæcularis, siue Ecclesiastici, vt dictum est *supra num. 9. Exc Suggestum, de iure patronatus.*

17 Stantibus prælatis decretis Tridentini, integrum est Episcopo vnire Monasterio, aut Religioni beneficium aliquod, sicut iure communi id licebat, per *cap. 2. de reb. Eccles. non alienand.* cum duplici tamen limitatione. Prior est vt beneficium non sit extra Diœcesim in qua est Monasterium, quia, vt diximus *num.* 13. interdicit Tridentinum vnire beneficia alterius Diœcesis. Posterior est, ne beneficium vniendum sit curatum, quia vt diximus *num.* 15. interdicit Tridentinum vnire beneficia curata loco religioso. Cùm ergo excipiat hos duos casus tantum, & exceptio firmet regulam in contrarium, *l. neque liquidò, §. final. ff. de pœna legat.* manebit vtique quoad reliqua salua Episcoporum potestas in hac faciẽda vnione. Ita Sanchez *li. 7 moral. cap. 29. num.* 187.

Ex quo sequitur id beneficium sæculare ab Episcopo Religioni vnitum posse regi per religiosos, ipso Episcopo sic statuente, atque statutum operari dispensatiuè cum Monacho præficiendo illi beneficio, quamuis aliter Episcopus super hac translatione dispensare nequeat. Sic Selua *de benefic. 3. part. quæst. 11. numero 226.* referens ad id quandam Rotæ decisionem. Potest item Episcopus ex iis beneficiis & capellanijs vnitis reddere aliquod manuale, & ad nutum amouibile quod erat perpetuum de consensu patroni, si iuris patronatus sit, ex iusta causa quia potest vnire & diuidere, & de nouo creare, & extinguere beneficia inferiora sui Episcopatus, vt constat *ex cap. sicut vnire, de excessib. Prælat. cap. 1. de reb. Eccles. non alienand. in 6.* quo ca in patrono libertas erit præsentandi Capellanũ, & amouendi quoties voluerit, quia iam non erit beneficium, ac per consequens cessabit in Episcopo ius instituendi in ea Capellania. Ita Nauarrus *lib. 1. consil. 6. à n. 1. vsque ad 3. de Offic. Ordin. in 1. edit. & posterior. consil. 9.*

Sanchez. Selua. Nauar.

18 Beneficium curatum potest vniri in temporalibus & spiritualibus per Pontificem Monasterio Monialium, ita vt Abbatissa exerceat curam animarum per Vicariũ. Ratio est, quia etsi fœmina sit incapax iurisdictionis spiritualis quoad actum illam exercendi per seipsam, quoad habitum tamen & potestatem nominandi Vicarios, per quos exerceatur, capax est, vt latè probat Flores de Mena *in suis variis quæstionibus quæst. 10. à numero 4. vsque ad 7.*

Flores de Mena.

19 Summus Pontifex, Legatus à latere, & Episcopi, sicut iure suo possunt Ecclesias vnire, sic etiam eodem iure possunt eas disiungere. Cæteri verò Prelati Episcopis inferiores, etsi consuetudine, priuilegio, aut præscriptione Ecclesias & beneficia vnire possint; nequeunt tamen coniunctas disiungere, nisi etiam hanc facultatem præscripserint: vel nisi habeant iurisdictionem quasi Episcopalem. Probatur, quia vnionem dissoluere, & vnionem facere spectat ad potestatem iurisdictionis, non autem Ordinis. Igitur, sicut Prælati habentes Ecclesias sibi pleno iure subiectas, in quibus iurisdictionem quasi Episcopalem exercent, habent potestatem vniendi, sic etiam disiungendi. Ita Rebuffus *in praxi, tit. de vnion. reuocand. num. 20. & 15.*

Rebuffus.

Causæ propter quas ista disiunctio fieri potest, sunt plures; puta, si essent vnitæ Ecclesiæ vel beneficia propter fructuum tenuitatem, cùm venerint ad augmentũ, poterunt disiungi. *Clement. ne in agro. §. ad hæc, de stat. Monachor.* Si vnio facta fuerit ob populi deficientiam, propter pestem, bellum, vel aeris intemperiem, aut terræ

sterili-

sterilitatem, si denique populus reuerteretur, poterit vnio dissolui, *cap. Quia, de Relig. Domibus, cap. vlt. de Paroch.* Si propter vnionem cœperit Ecclesia detrimentum percipere, vt si tollatur hospitalitas, aut si relaxetur religio, poterit iure ipsa vnio reuocari, *cap. 1. Ne sede vacante, cap. de Monach. de prabend.* Denique, cùm in vnione reuocanda requiratur causæ cognitio, sicut in facienda, *cap. 1. in fin. Ne sede vacante.* Hinc sunt vocãdi quorum interesse potest talem coniunctionem non dissolui. Quòd si beneficium ad duas Diœceses spectet, vtriusque Episcopos vocare necesse erit, *cap. Sicut vnire de excess. Prælator.* Item vocandus erit patronus, ad quẽ interest, ut iuspatronatus redeat, *cap. Pie mentis, & cap. Filius 16, qu. 1.* Similiter is, qui Ecclesiam coniunctam possidet, ac eius Vicarius qui in ea moratur, vtrinsque enim interest. Ita Rebuffus *tit. de vnion reuocand. n. 25.* Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 29. in fine.*

Rebuffus, Azorius

BENEFICIVM VIII.

De Beneficiorum reseruationibus, ac Deuolutionibus.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium quando reseruari dicatur.*
In prima regula Cancellariæ reseruantur Papæ omnia beneficia Curialia.
2 *In secunda regula fit reseruatio Cathedralium Ecclesiarum & Monasteriorum, ac tempore vacation. Episcopatuum, vacaturorum beneficiorum.*
3 *In tertia fit reseruatio Dignitatum & beneficiorum familiarium Papæ & S.R.E. Cardinalium.*
4 *In quarta fit reformatio beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.*
5 *In quinta reseruantur beneficia Curialium, dum curia transfertur.*
6 *In sexta fit reseruatio beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum Papæ.*
7 *In septima reseruauit Papa Beneficia Ecclesiarum S. Ioannis Lateranensis & S. Petri, ac B. Mariæ Maioris de vrbe & Beneficia titulorum Cardin. a Curia absentium.*
8 *In Octaua fit reseruatio Mensium Apostolicorum, & de Alternatiua pro Episcopis residentibus.*
De concordatis cum Germanis & Gallis inter Sedem Apostolicam pro beneficiis conferendis.
9 *Hæ reseruationes Papales restringi debent in aliquibus casibus.*
10 *Deuolutio Beneficii quid sit, & quando fieri possit, & ad quem.*
11 *Quando Prælatus est immediatè subiectus Papæ, beneficiorum collatio, quæ ad ipsum pertinebat, in casu negligentiæ deuoluitur ad Papam vel ad eius Legatum de latere. Alias quando patronus est negligens, deoluitur beneficii collatio ad instituentem.*
12 *Si Episcopus negligentiam committat in conferendis beneficiis, quæ ad ipsum spectant iure proprio, tunc ius collationis ad Capitulum deuolui tur.*

1 **B**Eneficium reseruatum esse dicitur, cuius collationem Superior, videlicet Papa, sibi propriam vendicat, vt ab aliis Ordinariis conferri non possit.

Reg. Canc. Benedi. XII. Ex regula 1. Cancellariæ Apostolicæ, & *Extrauag. Ad regimen, de prabend.* Benedicti XII. reseruat Summus Pontifex sibi omnia beneficia eorum, qui vel per mortem, vel quacumque alia ratione ea amittunt in Curia, hoc est, reseruantur beneficia curialia, & aliorum ad curiam accedentium, vel inde recedentium si moriantur in locis non distantibus à Curia vltra duas diætas legales (Ioann. XXII.) id est, 40. milliaria, uel ratione delicti, vt illa quæ vacare contingerit, per Extrauag. Ioannis XXII. *Execrabilis* & sunt ob delictum retinendi plura duobus, vno cum cura, & alio sine cura, vel plura iniustè, & sine dispensatione, item illa, de quibus ordinaria dispositio erit contra Tridentini decreta.

Circa hanc regulam est notandum *Primò*, non comprehendi hac reseruatione beneficia iuris patronatus laicorum, sed bene iuris patronatus Ecclesiasticorum, quia iis Papa non solet derogare, ne retrahantur à fundationibus illorum, at aliis Ecclesiasticorum solet. *Secundo*, ad effectum huius reseruationis in beneficiis, quæ officiales obtinebant, sufficere ius in re, etiamsi alter de facto possideat, unde si per mortem eius, qui habet ius in re, vacarent, etiamsi superstes esset qui de facto possidet, spectarent ad collationem Papæ, & quisquis posset ea adipisci. Vide Mendozam *in prim. reg. Cancellar. quæst. 8.* Garziam *de benef. part. 5. c. 1 §. 3. num. 198.* (Mendoza, Garzias.)

Tertio, Circa reseruationem de beneficiis, de quibus Ordinarii contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt, & disponent in futurum, posse exemplum afferri in beneficiis collatis iis, qui non habebant ætatem requisitam, ex *sess. 23. c. 6.* & *sess. 24. c. 12.* aut qualitates requisitas, ex *sess. 14. cap 10.* & *sess. 22. cap. 4* & *sess. 23. c. 18.* aut non seruata forma à Concilio præscripta, ex *sess. 7. cap. 18.* & *sess. 24. cap. 18.* aut contra dispositionem *sess. 25. cap. 15. de reformat* eademque ratione, cùm loquatur regula de beneficiis, de quibus Ordinarii disponunt; nõ videtur locum habere in beneficiis, de quibus patroni disponunt contra Trid. etiamsi per ordinarium sit secuta institutio, regula enim est inducta in odium Ordinariorum, non patronorum. Ita Garzias *supra, num. 210.* (Conc. Trid.)

2 Per secundam regulam Cancellariæ reseruauit Papa generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, nec nõ omnia Monasteria uirorum, ualorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocumque uacantia, & in posterum vacatura, Et uoluit quod excessus huiusmodi in literis exprimatur, ac etiam reseruauit dignitates & beneficia omnia, ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcumq; aliã dispositionem Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nec non Abbatum, & aliorũ quorumcumq; Collatorum, & Collatricum sæcularium & regularium, quomodolibet, non tamen ad collationẽ cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia, quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatũ suarum dimissionem, seu amissionem vel priuationem, vsque ad promotionem successorum, ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, uel dignitates Apostolica auctoritate faciendam, & ademptam ab eisdẽ successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacent, & vacabunt in futurum.

Circa hanc secundam regulam notandum *Primo*, olim prouisionem Episcopatuum spectasse ad Capitula vt nunc etiam in Germania, licet confirmatio fiat à Papa iam verò electio etiam ad Papam pertinet, exceptis Ecclesiis Hispaniæ, quarum præsentatio ad Regem pertinet ex priuilegio Apostolico, cui non censetur derogari per hanc reseruationem, exceptis item Ecclesiis Galliæ quarũ præsentatio ad Regem spectat etiam ex priuilegio: prouisio tamẽ faciẽda est à Papa, Garzias *cit. c. 1. §. 4. n. 219.* (Reg. Canc., Garzias.)

Secundo, Monasteria uirorum, quæ reseruantur, esse illa, quæ sunt destituta Monachis, uel sunt solita commẽdari, & hæc dicuntur Monasteria consistorialia, quia de eis consistorialiter prouideri solet per viam schedulæ. Ita Azorius *secunda parte lib. 6. quæst. 10. in reg. 2.* ex Mendoza *in reg. 2. quæst. 1. & 3.* (Mendoza, Azorius.)

Tertio, non comprehendi beneficia spectantia ad collationem Episcopi, & Capituli simul, vt patet ex iis uerbis *non tamen ad collationem cum alio, vel aliis*, Garzias *cit. num. 223.* Idem dicendum in beneficiis, quæ cùm pertinerent ad collationem Episcopi & Capituli simul, postea ex concordia vna uice pertinent ad Episcopum, altera ad Capitulum, retinent enim semper pristinam rationem, & naturam, à qua habent, vt ad utriusque simul collationem spectent, & ita practicari in nonnullis Ecclesiis Hispaniæ, testatur Garzias *à num. 240.* (Garzias, Garzias, Reg. Canc.)

3 In tertia regula reseruauit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates maiores, post Pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis & Patriarchalib. nec nõ ualorem decem florenorũ auri cõmuni æstimatione exce-

excedentes principales in Collegiatis Ecclesiis. Reseruauit etiam Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias dignitates Conuentuales, & Preceptorias generales Ordinum quorumcumque, sed non militarium, ac quæcumque beneficia, quæ sui etiam, dum Cardinalatus fungebantur honore, existentes, ac S.R.E. viuentium nunc, & qui erunt suo tempore Cardinalium familiares continui commensales obtinent, & in posterũ obtinebũt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ, ius eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel aliàs recesserint. Declarans dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales non maiores existunt: & quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quouis modo in Collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reseruatione prædicta comprehendi debere.

Circa hanc regulam est notandum *Primò*, per Dignitates maiores in Cathedralibus, vel principales in Collegiatis, intelligi eas, quæ consuetudine Prouinciarum semper tales habetur, siue iure communi non essent. *Secundò*, clausulam illam, *valorem decem florenorum auri excedentes*, & id posse referri ad præcedentia & ad subsequẽtia, ita ut sensus sit, reseruari maiores in Cathedralibus & principales in Collegiis, dummodò ualorem decem florenorum auri excedant. *Tertiò*, non intelligi reseruari Prioratus, &c. & alias dignitates temporales, vt Ordinum mendicantium: quia hæ non sunt perpetuæ, sed ad nutum Superiorum. *Quartò*, vt familiaris, & continuus cõmensalis Papæ dicatur, licet requiratur, vt per quatuor menses ad minimum fuerit familiaris constitutus, tamen ad effectum reseruationis sufficit, quòd durante familiaritate beneficia obtinuerit, seu in illis vel ad illa ius ei competierit. Ex Garzia *tit. n.* 268. 272. *&* 276. Garzias

Reg. Canc. 4 Item reseruauit generaliter omnia beneficia Ecclesiastica quorumcumque Collectorum & vnicorum in quacumque ciuitate, vel Diœcesi, qui suo tempore officia exercuerint, Subcollectorum fructuum & prouentuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa uidelicet beneficia dumtaxat, quæ durante officio locum obtinebant, & in quibus, seu ad quæ ius tunc eis competebat

Circa hanc quartam regulam notandum est *Primò* debere esse vnicos subcollectores, ut patet ex verbis regulæ: stante tamen subcollectore generali in Prouincia, beneficia subcollectoris particularis in vna ciuitate sunt reseruata, quia est vnicus, non obstante generali subcollectore in Prouincia, & à fortiori beneficia subcollectoris vnici in vna ciuitate vel Diœcesi erunt reseruata, licet ibi sit Collector generalis. *Secundò*, si Collector successiuè plures subcollectores deputauerit in una ciuitate uel Diœcesi, eorum omnium beneficia sunt reseruata, satis enim est, quòd eodem tempore vnus tantùm fuerit subcollector; si autem fuerint plures eodem tempore, neutrius beneficia erunt reseruata; quia non est maior ratio de vno, quàm de altero, Garzias *§. 6. n.* 357. *&* 367. apud quem plura.

Garzias
Reg. canc. 5 In quinta regula reseruauit omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos dum curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo, decedere contigerit in quouis loco, quantumcumque etiam à dicta Curia remoto.

Circa hanc regulam nota *Primò*, Curialem dici eum, qui est de curia. Curia autem dicitur, vbi est Audientia Rotæ cameræ, contradictarum & cancellaria, quæ ibi consistere solet, vbi Papa moratur ordinariè, quàuis possit aliquando Papa abesse a curia; vt cum Clemens VIII. adiuit Ferrariam, relicta curia Romæ. *Secundò*, ad effectum reseruationis in hac regula, beneficia eorum; qui Papam sequentes vltra duas diætas decederent, non tamen translata curia, non esse reseruata: curia autem translata si eam sequerentur, beneficia illorum vbicumque decedere contingeret, esse reseruata, Garzias *§. 2. n.* 387. *&* 394. Clem. viii.

Garzia
Reg. canc. 6 Item reseruauit generaliter idem S.D.N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia Cubiculariorum, Cursorum suorum.

Nota *Primò*, per Cubicularios in hac regula intelligi tantùm Cubicularios officiales, quorum Collegium erectum est per Leonem X. Alii præter illos non dicuntur Cubicularii, nec etiam Camerarii secreti Nota *Secundò*, per Cursores intelligi officiales quosdam Papæ, qui habent locum instar Tribunalis, & ferè omnes sunt Clerici. & in Clericali habitu incedunt, habent suam mansionem in Palatio, & alternatis vicibus comedunt in Tinello, affigunt Bullas Pontificum in locis consuetis valuarum Apostolicarum, & in acie campi floræ. Reg. Canc.

7 Item reseruauit dispositioni suæ generaliter quoscumque Canonicatus, & Præbendas, ac dignitates, personatus & officia, in S. Ioannis Lateranens. & Principis Apostolorum, ac Beatæ Mariæ Maioris de Vrbe Ecclesiis, necnon ad collationem, prouisionem, & præsentationem, seu quamuis aliam dispositionẽ S.R.E. Cardinaliũ a Rom. Cur. absentium, ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorũ Cardinaliũ titulorũ & Diaconiarum spectantia, quandiu absentia sua durauerit, Canonicatus & præbendas, dignitates, personatus, administrationes & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura vacantia, & in antea vacatura, tam in eadem vrbe, quàm in Ecclesiis, Ciuitatibus & Diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia, ac decreuit irritum, &c.

Circa hanc septimam regulam notandum *Primò*, etiãsi Papa sit Episcopus Romæ, & consequenter iure ordinario competere illi videatur potestas conferendi beneficia vrbis, presertim Patriarchalium, attamen expressa fuerunt beneficia harum trium, tum quia forte olim Archipresbyteri harum Ecclesiarum, quia sunt Cardinales, sumpserant sibi ius illa conferendi, tum quia potuissent existimare hoc ipso, quòd Cardinales sunt, ad eos pertinere collationem eorum beneficiorum, sicut aliarum Ecclesiarum, quarum habent titulum in vrbe, *Secundò*, Cardinales in suis titulis, hoc est Ecclesiis attributis in illis in titulum, habere ius Episcopale, non quidem quo ad causarum audientiam; sed quo ad concessionem, & potestatem fulminandi censuras Ecclesiasticas, & collationem beneficiorum, nisi Ecclesiæ, quarum habent titulos, attributæ sint Regularibus, vt sunt tit. S. Crucis in Hierusalem. S. Eusebii S. Petri ad uincula S. Gregorii & aliorum. *Tertiò*, per Episcopatus, quorum beneficia reseruantur per absentiam a Curia Cardinalium, non intelliguntur Episcopatus non adnexi Cardinalatui, sed Episcopatus sex Cardinalibus adnexi, Hostiensis, Portuensis, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, Albanus, qui sunt propè vrbem, & propterea residendo in vrbe, censentur in iis residere; horum igitur beneficiorum collatio ad Cardinales pertinet, si nõ sunt absentes à Curia *Quartò*, Decretum irritans, quod est in fine regulæ, referri etiam ad omnes regulas præcedentes vt notat Garzias *§. 9 n.* 406. *&* 407. Garzias

8 In regula Octaua ponitur reseruatio Mensium Apostolicorum, & alternatiua pro Episcopis residentibus. Circa quam regulam multa adducit & congerit Garzias *cit. §.* 10. *num.* 510. *& sequentibus*, quæ videri possunt apud ipsum; nos autem solùm aduertemus ex eodem Auctore *nu.* 639. quod per hanc regulam excipiuntur Cardinales ordinarii collatores, respectu enim illorum nulli menses sunt reseruati; sic etiam intelliguntur recepti Reges & Principes collatores ex priuilegio Apostolico, & hoc propter altitudinem & excellentiam eorum. Garz. ſe

De concordatis cum Germanis inter Sedem Apostolicam & Fridericum Imperatorem, videnda est Bulla Nicolai V. *Ad Sacram Petri Sedem, &c.* in qua breuiter sancitur, vt *Primò*, in Cathedralibus & Ecclesiis etiam immediatè non subiectis, & Monasteriis immediatè subiectis fiant Canonicæ electiones, quas deferant ad Sedẽ Apostolicam pro obtinenda confirmatione intra tempus constitutum in Bulla Nicolai III. *Cupientes*; alioquin ad eandem Sedem electiones deuoluantur. *Secundò* reseruãtur Sedi Apostolicæ Monasteria Monialium exempta. *Tertiò* in cæteris Beneficiis (exceptis maioribus post Pontificalem, de quibus iure ordinario erit prouidendum per illos, ad quos pertinet) Papa reseruat sibi vacatura Nicol. V Nicol. iii.

Men-

Mensibus Ianuarij, Martii, Maii, Iulii, Septembris & Nouembris, dummodo infra tres menses à die notæ vacationis, in loco beneficiorum non apparuerit, quod de illo ab Apostolica auctoritate prouisum sit, tali enim casu Ordinarius, vel is ad quem pertinet liberè disponat. *Quarto*, in aliis sex mensibus nulla adest reseruatio.

De concordatis uerò cum Gallis, extat Bulla Leonis X. *In eminenti*. In qua statuitur *Primo*, ut Rex Franciæ faciat nominare ad Episcopatus, Abbatias, Prioratus, & Monasteria, & Papa conferat. *Secundo*, in inferioribus conceditur Ordinariis libera collatio in omnibus mensibus iuxta dispositionem iuris communis, ita tamen, quod conferre teneatur in vnaquaque Cathedrali vnum Canonicatum & Præbendam vni Magistro, Licentiato, aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium studuerit cũ onere prædicationis & lectionis Sacræ Scripturæ, & præterea tertiam partem Dignitatum & aliorũ quorumcomque beneficiorum vacantium in quatuor mensibus 1. 4. 7. & 10. viris literatis, graduatis, & per vniuersitates nominatis conferre debeat. *Tertio*, vt nullæ gratię expectat ue, nec reseruationes ad beneficia dicti regni emanare possint à Sede Apostol. neq; lites, aut causæ beneficiales tractari in Romana Curia. De his cõcordatis librũ edidit Petrus Rebuff. referens concordatorũ ipsorum textum cũ interpretationibus, apud quẽ plura.

Leo X.

9 Hæ reseruationes Papales quatenus deroganuæ sunt ordinariæ collationis Episcoporum restringi debẽt. *Primo*, vt locum tantùm habeant in beneficiis perpetuis, non in manualibus, sed ad nutum amobilibus. *Secundo*, vt locum non habeant in beneficiis Ecclesiæ non numeratæ, sed receptiuæ, id est, in qua non est certus numerus beneficiorum, siquidem talia beneficia nũquam censentur vacare. *Tertio*, sub reseruatione non comprehenduntur beneficia resignata causa permutationis, quia nõ censentur propriè vacare, ideoque in quolibet mense possunt permutari beneficia coram Ordinario. Imò aliqui existimant, neque ea semper sub reseruatione comprehendi, quæ vacant causa resignationis. Si tamen vacent per obitum, aut per assecutionem secundi incompatibilis, per priuationem, vel per matrimonium contractum, vel per ingressum Religionis post professionem, reseruantur. Ita Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. *&* 2. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 3. *num.* 63. apud quem plura de reseruatione beneficiorum, sed hæc satis, nunc ad deuolutionem procedamus.

Layman. Filliucius.

10 Deuolutio beneficii est, cùm ius conferendi uel instituendi in beneficio transfertur in alium, ex eo quòd intra tempus iure præscriptum non est à proprio collatũ introducit autem Ecclesia hoc ius deuolutum, ne beneficia diutius, quam par esset, vacarent, & ne Ecclesiæ ob diutinam vacationem damna & incommoda paterentur *cap. quam sit, de elect. in* 6.

Quando ij ad quos spectat non prouident de beneficiis intra tempus iure præfixum, fit deuolutio ad Superiorẽ gradatim, *cap. liceat, de suppl. neglig. Prælat. & cap. 2. de concess. præbend.* Si collator beneficium indigno scienter conferat, vel electores scienter eligant indignum, id est, incapacem, seu impedimento Canonico laborantem, talis collatio, seu electio ipso iure irrita est, & collator, vel electores priuantur ea vice potestate conferendi, eligẽdi & deuoluitur potestas ad alium, plerumque ad proximũ superiorem, *c. cum in cunctis §. final. de elect. cap. si compromissarius, cap. quamquam de elect. in 6.* Quod habet locum etiam in patronis laicis, si non præsentent ei, qui habet ius instituendi. Dixi fieri deuolutionem ad superiorẽ gradatim, vt a patrono laico vel Ecclesia inferiore ad Episcopum, deinde ad Archiepiscopum, tum ad Primatem vel Patriarcham, ab hoc denique ad Papam.

Tempus iure præscriptum hoc est, ut patronus laicus habet quatuor menses ad præsentandum, Ecclesiasticus sex, *cap. 2. de concess. præbend, & cap. Licet, de supplend. neglig. Prælat.* quod semestre habet locum in omnibus beneficiis, tam constitutis in Ecclesiis sæcularibus, quàm regularibus, & idem tempus regulariter currit pro quibuslibet beneficiis, & aliis dignitatibus inferioribus. Ita tenent Innocent. Ioannes Andreas, & Abbas *in cap. Ne pro defectu, de elect.* Rebuffus *tit. de deuolut. num.* 4.

Ioan. And. Abbas. Rebuffus.

11 Quando Abbas vel Prælatus est immediate Papæ subiectus, beneficiorum collatio, quæ ad ipsum pertinebat, in casu negligentiæ, deuoluitur ad Sedem Apostolicã vel ad Legatum de latere. Ratio est, quia proximus Superior talium exemptorum est Papa, *cap. Nulla, dist.* 49. Ex negligentia verò Abbatum regularium inferiorum, ad Episcopum & Ordinarium fit deuolutio, qui Apostolica auctoritate cõfert, *Clement. vnic. de supplend. neglig. Prælat.* Si verò patronus, tam regularis, quàm sæcularis, neglexerit præsentare intra tempus, sibi præfixum, tunc ius conferendi ad instituentem, tanquam ad proximum superiorem deuoluetur, ex *capite 3. & cap. Propter, de iure patronat.* quod etiam docent Rebuffus *in prax. benefic. tit. de deuolut. numero quinquagesimoquarto*, Azorius *parte secunda, libro sexto, cap. 27. quæstione quinta*, qui obseruant, hoc idem esse tenendum, etiamsi instituens fuerit inferior Episcopo, & cui ex aliquo titulo spectauerit potestas instituendi. Et hoc procedit etiam in Prælatis inferioribus Episcopo, licet sint regulares: illis enim negligentibus fit deuolutio ad instituentem, vt colligitur ex Glossa *verb. distinctionem, in Clement. vnic. de supplend. neglig. Prælat.* Porrò facta sic prædicta deuolutione ad instituentem ex negligentia patroni non præsentantis, instituenti reseruantur ad conferendum sex menses à die deuolutionis & notitiæ, etiamsi patronus esset laicus, cui tantùm quatuor menses competerent ad præsentandum, vt habetur *in capite 1. de iur. patron. in 6.*

Rebuffus. Azorius.

12 Si autem Episcopus negligentiam, vel delictum committat in conferendis beneficiis, quæ ad ipsum spectant iure proprio & non deuoluto, tunc ius collationis ad Capitulum deuoluitur iuxta *cap. Cum in cunctis, de elect. & capite 2. de concess. præbenda.* Ratio diuersitatis notanda est inter beneficia spectantia ad Episcopum iure proprio & iure deuoluto, quia non est tanta communio inter Episcopum & Capitulum in beneficiis deuolutis, sicuti in beneficiis spectantibus iure proprio. Nam in deuolutis Episcopus vtitur potestate, tanquam superior illius, à quo est facta deuolutio ideò Capitulum non habet in iis communionem, & meritò ad alium superiorem fit deuolutio. Sed in beneficiis propriis est communio inter eos, cùm Episcopus vnum corpus faciat cum Capitulo suo.

B E N E F I C I V M IX.

De Beneficiis Patronatis.

S V M M A R I V M

1 *Ius patronatus quid sit, & tribus ex causis acquiritur fundatione, ædificatione, & dotatione.*
2 *Quomodo acquiratur hoc ius ex prædictis.*
3 *Ius patronatus est duplex, Ecclesiasticum & laicum.*
4 *Patronus laicus tenetur præsentare instituendum intra quatuor menses, Ecclesiasticus intra sex.*
5 *Patroni laici possunt variare & alium successiue præsentare, Ecclesiastici autem non possunt.*
6 *Ius patronatus laicorum potest in Monasterium transmitti, per hæreditariam successionem, per donationẽ, permutationem & venditionem.*
7 *Patrono competit primum ius præsentandi Episcopo instituendos ad beneficia, tum simplicia, tum curata, modo non sint collegiata.*
8 *Patronus tanquam principalis, primus in processionibus incedit, & est defensor præcipuus Ecclesiæ.*
9 *Si patronus, eiusue filii ad inopiam vergant ab Ecclesia alendus est, ex redditibus superfluis.*
10 *Quid requiratur quando præsentatio fit à pluribus patronis, qui inter se non conueniunt.*
11 *Patronus non potest præsentare seipsum, licet quando sunt plures patroni, vnus ex illis possit ab aliis præsentari.*
12 *Probabile est patronum laicum non teneri præsentare digniorem.*
13 *Episcopus, Vicarius eius generalis, Capitulum sede vacante, iure communi habent ius instituendi præsentatos*

sentatos a Patronis, sicut & Abbates in Ecclesiis & Capellis sibi pleno iure subiectis.

14 *Institutio est ipso iure irrita, si fiat neglecto patrono; & qualis consensus requiratur.*

15 *Summus Pontifex potest derogare cuicumque iuri patronatus.*

16 *Ius patronatus extinguitur quinque modis.*

1 IVs patronatus, est ius nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans Hoc ius ex tribus caussis acquiritur, nempe Ecclesiæ fundatione: ædificatione, & dotatione. Glossa *in capite. Pia mentis 16. quæstione septima.* Fundare dicitur is, qui fundum dat, in quo Ecclesia construatur, ex *capite decernimus. 16. quæstione septima.* Aedificare, qui Ecclesiam construit, *capite Monasterium eadem quæstione.* Dotare dicitur, qui annuos reditus sufficientes assignat arbitrio Ordinarii; alioquin si insufficientes sint, dicetur tãtùm benefactor; quòd si plures concurrant dando simul dotem competentem, etiamsi singuli non dent competentem, omnes æqualiter erunt patroni. Ecclesia autem sine dote consecrari non debet, *capite Cum sicut, de consecrat. Ecclesiæ.* Alioqnin Episcopus eam dotare debebit in patroni defectum, si sine Ecclesiæ detrimento possit. Ita Azotius *parte secunda, libro 6 capite 19. quæstione sexta,* Garzias *p. 5. cap. 9. num. quinquagesimo secundo, & sequent.* Exinde sequitur, quòd & vnus possit esse Ecclesiæ patronus, si idẽ eã fundauit, cõstruxit, & sufficiẽter dotauit; & plures patroni esse possint, si alius fũdauit, alius ędificauit, alius dotauit; imo si plures cõcurrãt ad Ecclesiã fũdãdã, cõstruẽdam, dotandam, licet inæqualiter, omnes acquirunt ius patronatus in solidum; dummodò Ecclesiæ detur dos competens, quæ sufficiat ad necessaria ministrorum, & luminaria, ex *capite Nemo, de consecr. distinct. a.* Aduertendum autem est, eum, qui Ecclesiæ, cui dos constituta non est, etiam post consecrationem, dotem assignat, iuxta *capite Cum sicut, de consecrat. Ecclesia vel Altaris,* effici ius patronatum, & fauore Ecclesiæ quasi retrotrahi patronatum, perinde ac si ab initio constitutus fuisset. Denique si Ecclesia omninò destruatur vel corruat amittitur ius patronatus, si ex sola constructione iurtum habuit; & qui illam reædificat, efficitur nouus patronus. Ita Abbas *in cap. Quoniam nu. 11. de iure patronatus.* Tamen qui ab initio Ecclesiæ aliquid confert, ius patronatus non acquirit, nisi id faciat animo construendi, dotandi, non præcisè donandi.

Glossa. Azotius Garzias Abbas.

2 Si vnus materiam in construenda Ecclesia, alius gratis operas ponit, ut faber, aut soluit ponenti; ambo erunt patroni, si de hoc cum auctoritate Episcopi conuenerunt; alias non: sed erit solus ille qui materiam posuit.

Si tutor nomine pupilli, vel de eius pecunia, aut in eius fundo Ecclesiam fundet, construat, vel dotet, ius patronatus acquiritur pupillo, & non tutori; quia omnia acquisita per tutorem ex rebus pupilli, acquiruntur pupillo.

Si Clericus de pecunia propria Ecclesiam constituat in fundo Ecclesiæ, vtrique, id est, Clerico & Ecclesiæ acquiritur hoc ius; quia Ecclesiæ suæ conditionem deteriorẽ facere nõ potuit, *c. 2 de donat.* Et idẽ si in fũdo proprio ex pecunia Ecclesię. Sed si ex pecunia Ecclesiæ emptus est fũdus & facta cõstructio, licet nõ eius nomine, Ecclesiæ tãtũ acquiritur hoc ius. Et ex his patet, quòd si laicus Cappellã in Ecclesia cõstruat & dotet, non acquiritur hoc ius illi soli, sed etiam Ecclesiæ simul; quia Ecclesia fundum ponit. Ita Panormitanus *in cap. ad audientiam, de Eccles. ædificand.* Syluester *verb. Ius patronatus, numero 2.*

Panorm. Syluest.

3 Ius patronatus est duplex, Ecclesiasticum, & laicum. Ius patronatus Ecclesiastici dicitur, quod Ecclesiasticæ personæ competit, vel ratione dignitatis, aut beneficii sui, puta quia est Ecclesiæ Episcopus, Præpositus, Decanus, vel ratione fundationis, constructionis, dotationis a se factæ ex bonis Ecclesiasticis. Ius patronatus laici est, quod conuenit alicui, seu laicæ, seu Ecclesiasticæ personæ, aut communitati, ratione fundationis, constructionis, vel dotationis ex bonis propriis siue patrimonialibus. Ita Couarruuias *in pract. quæst. cap. 36.* & alii communiter. Cęterum sicut patronatus, tametsi ab initio fuerit laicus, vel Clerico ex patrimonialibus bonis acquisitus: Ecclesiasticus tamen efficitur, si donatione, testamento, aliave ratione in Ecclesiam vel Monasterium transferatur, vel alicui beneficio, verbi gratia, Decanatui, Præpositurae annectatur, vt habetur *in cap. vnic. §. verum, de iure patronat. in sexto,* vt notauit Couarru. *loco cit. numer.* 8. Ita etiam patronatus, licet ex reditibus Ecclesiasticis acquisitus sit ab aliquo beneficiato, si tamen is, ex consuetudine regionis potestatem habeat de superfluis suis reditibus ad causas prophanas testandi, & consanguineis relinquẽdi, tũc pari ratione ad eosdẽ ius quoque patronatus trãsmittere poterit, sicuti notauit Garz. *p. 5. c. 1. n. 594*

Couar. Garzias

4 Patronus si est laicus, præsentare tenetur Episcopo rectorem instituendum in Ecclesia, cuius est patronus, intra quatuor menses à tempore vacationis cognitæ, & si neminem præsentandi, & collatio beneficii libera efficitur, ordinabitque de Ecclesia Episcopus, iuxta *c. quoniam & cap. cum propter, de iure patronat.* Si verò est Ecclesia Monasterium, vel Clericus, conceduntur sex menses, vti habetur *in cap. vnic. de iur. patronat. in sexto.* Quod intelligendum est, si patronus scienter omittat præsentare, quia ei ignoranti non currit dictum tempus, secundùm Ioannem Andræam *in capite secundo, de supplend. neglig. Prælat.* Si autem patroni sint simul laicus, & Clericus, uel Ecclesia, seu Monasterium, habebunt similiter tempus sex mensiom ad præsentandum, & ratione societatis priuilegium Ecclesiæ transibit ad laicum, ad instar eius quod dicitur de eo qui habet rem communem cum pupillo, quæ vsucapi non potest uel præscribi propter pupillum. Sed intellige de patrono Ecclesiastico habente hoc ius ratione Ecclesiæ: quia si haberet ratione patrimonii, esset idem per omnia sicut in laico.

Ioan. Andr.

5 Quamuis patroni laici possint variare, antequam Ordinarius præsentatum instituat. & alium successiuè cumulando præsentare, non licet tamen id facere patronis Ecclesiasticis. Ratio est, quia præsentatio Ecclesiasticorum habet uim electionis, vbi non cadit variatio: electus enim statim acquirit ius in re, *cap. Publicato.* vbi Glossa & *cap. Quod sicut, de elect.* Idcirco patronis laicis conceditur quadrimestre: Ecclesiasticis verò semestre, quia isti variare neqoeunt. Ita Garzias *parte quinta, cap. 9. numero ducentesimo vndecimo, & sequent.* Reginaldus *libro trigesimo, tractatu tertio, numero* 223. Quæ omnia prædicta procedunt quod præsentationem ad beneficia simplicia, & sine cura; secus autem dicendum erit de beneficiis Curatis ac Parochialibus patronatis. Circa quod est obseruandum, quòd omnes patroni & patronæ, tam Clerici, quàm sæculares & regulares habentes ius præsentandi ad Parochias patronatas, tenentur ad eas vacãtes intra uiginti dies à die verisimilis notitiæ uacationis Capellanos pręsentare, iuxta Constitutionem Pii V. editã super collatione Parochialiũ Ecclesiarũ, quæ incipit. *in conferendis beneficiis.* Vbi prohibetur expresse Ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem Ordinariis & Patronis a Concilio Tridentino ad nominandum idoneos ad Ecclesiam regendam coram deputatis examinatoribus præfixum, vltra alios decem dies prorogare audeant, uel præsumant, ac præsentari, examinati & approbati per examen debent intra duos menses à die præsentationis, & confecti examinis ab Ordinario institui, aliàs beneficium deuoluitur ad Papam. Hæc Bulla habetur apud Quarantam *in Summ. Bullarii, verb. beneficiorum Parochialium collatio.*

Garzias Reginald. Pius V. Quaranta

6 Iuspatronatus laicorum potest in Monasterium transmitti, *Primò* per hæreditatem successionem, *cap. Considerandum 16. quæstione septima, Clementin. 2. de iure patronat.* quando scilicet, Monasterium a patrono laico hæres instituerctur: quia tunc accessoriè cum vniuersitate bonorum hæreditatis veniret etiam iuspatronatus vel si patronus laicus efficiatur Religiosus, iuspatronatus ad ipsum spectans transfertur in Monasterium. Ratio est, quia per talem ingressum omnia illius bona acquirunt Monasterio. *Authentic. Ingressi, C. de sacrosanct. Eccles.* Notandum tamen, quòd quando iuspatronatus delatum fuit iure sanguinis ad ipsum patronum, qui Religionem ingressus est, Monasterium habebit ius præsentandi durante vita Monachi tantùm; quia post eius obitum defertur in posteros, Garzias *de benefic. p 5. cap. 1. num. 555.*

Garzias.

Se-

Secundo, iuspatronatus laicorum transit in Monasterium titulo donationis, permutationis, & venditionis, cum vniuersitate bonorum, in qua sit iuspatronatus, *cap. Ex insinuatione de iur. patron.* Glossa *in cap. Pia mentis, 16 quæstione septima.* Circa quod est notandum, quod etsi in translatione iurispatronatus per donationem necessarius sit Episcopi assensus, hoc tamen est intelligendum, si fiat de laico in laicum, vel etiam Clericum causa ipsius, non Ecclesiæ, ne iuspatronatus Ecclesiæ transeat ad hominem suspectum, vel minus Ecclesiæ gratum. Quia si fiat Religiosis etiam per patronum laicum, non requireretur huiusmodi assensus. Ita communiter Doctores *in cap. Nullus, cap. Ex insinuatione, de iur. patronat.* Azorius *p.2. lib.6. cap.20. qu.5.*

glossa

Azorius

Tertio transfertur iuspatronatus à laico in Monasterium per permutationem, *cap. Nemini, 16. quæstione septima,* in qua nec etiam requiritur Episcopi assensus. Permutatio autem ita permissa est, si fiat cum alia re spirituali, puta cum alio iure patronatus, aut alio iure similiter rei spirituali annexo, & non aliter, per *cap Ad quæstiones & c. vlt. de rerum permutat.*

Quarto, transmittitur iuspatronatus a laicis in Religiosos per venditionem veræ vniuersitatis bonorum, in qua est constitutum, putà, cum villa, Castro, hæreditate, fundo dotali, uel alia re, quæ non singula corpora, sed corporum vniuersitatem, id est, aliqua iura contineat *cap. Ex litteris, & cap. cum sæculum, de iur. patronàt.* Couarruuias *lib.2. variar. cap.18. num* 8. Suarez *tom.1. de Relig. lib.4. de simon. cap.28. n.12.*

Couarr. Suarez.

7 Quatuor potissimum iura competunt patrono siue Ecclesiastico, siue laico, vt docent Canonistæ *in cap. nobis, de iure patronat.* Primum est, præsentare Episcopo instituendos ad beneficia, tum simplicia, tum curata, postquam vacauerint. In collegiatis autem Ecclesiis Prælatus siue Rector non ad Patroni præsentationem instituitur, sed à Capitulo eligitur, eique electioni Patronus præsertim laicus, interesse non debet, vel etsi ex speciali consuetudine, aut fundationis lege intersit, libertatem tamen eligentium impedire non potest, neque ius suffragii ferendi, aut consensum præstandi habet, nisi in ipsa fundatione conditio apposita fuisset de consensu eius requirendo: cuiusmodi conditionem admittere potest Episcopus, si patrunus Ecclesiasticus est, sed patrono laico solus Papa talem facultatem concedit. Post factam autem electionem Prælati, nihil prohibet patroni consensum requirere, iuxta, *cum terra, & cap. Sacrosancta de elect.* Quem tamen is negare oon potest, nisi iusta de causa, puta si electum idoneum non esse, ostendat. Ita Syluester *verb. ius patronatus, quæst. 2.*

Syluest.

8 Secundum ius est, quod habet hunc honorem, vt quasi principalis & primus in processionibus & sessionibus incedit. Tertium est, quod habet hoc onus, quod sit defensor præcipuus Ecclesiæ, ideo quod tenetur, eam defendere ab omnibus oppressoribus, *cap. Filiis, 16. quæst. 7. & in cap. decernimus eadem quæst.* dicitur, *vt quamdiu fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere solicitam*, verbi gratia, vt reditus Ecclesiæ patronatæ ad alios vsus non conuertantur, quam secundùm fundationis præscriptum, & vt officia diuina celebtentur, quæ in fundatione constituta fuerunt. Item vt ædes sacræ, & Parochiales conseruentur, reparentur, non quidem suis sumptibus, sed vel Paruchianorum, vel beneficiatorum, si proprii reditus pro Ecclesiæ fabrica deputari non sint, vel loci consuetudo aliud non obtineat.

9 Quartum ius est, si patroous, eiusque filii ad inopiam vergant, ab Ecclesia, eiusue beneficiatis alendus est ex reditibus superfluis, secundùm Ecclesiæ facultates & statum siue qualitatem patroni, ex *cap. quicumque, & capite nobis, in fin. de iur. patronat.* Imò competit patrono actio ad petenda alimenta in statu inopiæ. Tamen extra hunc casum, prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ, ne patronus Ecclesiæ seruitium imponat vel exactionibus quibuscumque grauet, *capite 1. de censibus*, preterquam si Patronus in fundatione, cum Episcopi consensu, prestationem aliquam moderatam alteri reseruauit, v.g. alicui Capellæ, iuxta *ca. præterea 2. de iur. patr.* Porrò hęc iura duobus versibus satis exprimuntur.

Patrono debetur honor, onus, emolumentum.
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

10 Cùm præsentatio ad beneficium vacans fit à pluribus patronis tanquam à Collegio, requiritur vt maior pars Collegii conueniat in præsentatione eius, qui instituendus est, nempe si fuerint decem, conuenerint sex. Cùm verò fit à pluribus tanquam singularibus personis, tale quid non requiritur, sed sufficit vt quis plura suffragia habeat, velut quatuor, cùm alii habeant tantùm duo, aut tria. Si autem plures patroni dissentiant in præsentando, Ordioarium decet curare, vt consentiant. Modus verò aptus ioter se conueniendi esse potest, si ipsi alternatiuam habeant, id est, vnus hoc anno præsentet, alter sequenti, & ita deinceps, iuxta *Clement. final. de iure patronatus.* Quòd si nolint conuenire, Ordinarius optionem habet instituendi, quem maluerit ex præsentatis, si absq; scandalo id facere possit. Si autem scandalum gigni videatur, auctoritatem habet promouendi ad beneficium, aliquem alium, quem iudicauerit dignum Ratio est quia propter discordiam patronurum, Ecclesia non debet priuari ministro sibi debito, aut saltem dum patroni dissentiunt, Ordinarius habet ius commendandi Ecclesiam alicui idoneo. Hinc si pupillus patronus septennium egressus & habens vsum rationis præsentando dissentiat à suo tutore præsentate alium æquè idoneum, præferri debet præsentatus ab ipso pupillo; qua Dominus rei cui coniunctum est ius patronatus Idem dicendum de præsentatio ab vxore, quę in dotem accipit rem in qua est ius patronatus, nempe prælertur præsentato à marito, si ab illa dissentiat, quia vxor est naturalis, & vera dotis domina, *l in rebus, Cod. de iure dotium*, vide Layman *lib.4. tr.2. c.13. n.18.* Syluest. *verb Ius patronatus, q.8. 12. & 13.*

Layman. Syluc.

11 Patronus non potest præsentare seipsum, ex *cap. Per nostras, de iur. patron.* etsi quãdo sunt plures patroni possint præsentare vnum ex suo numero; quia tunc cessat ratio in illo Capitulo allata: quod nullus debeat se ingerere Ecclesiasticis officiis. Item patronus qui scienter præsentat indignum, seu habeotem impedimentum aliquod Canonicum, peccat moraliter. Ratio est, quia infideliter facit officium sibi impositum, & quantum est ex sua parte, infert Ecclesiæ detrimentum, estque innalida præsentatio, si talis præsentetur, qui sit secundùm Canones inhabilis. Hinc vt patronus rectè officio suo fungi possit, debet de Clerico præsentando inquirere, num sit idoneus, maximè si ignotus sit, alioquin periculum esset ne præsentaret indigoum. Et certè magnæ imprudentiæ esset, ignotum oobis, sine inquisitione, iudicare conditiones habere ad beneficium acquirendum requisitas, puta ætatem, scientiam, morum probitatem, ordinem, & si quæ siot alia in eo, qui præsentandus est, requisita, quæ in omnibus non inueniuntur. Et licet nemo existimandus sit malus, nisi probetur, cum agitur de malitia morum; non habet tamen hęc regula locum, cum agitur de conditionibus secundum leges ad aliquod munus requisitis. Difficultas est, an patronus possit præsentare dignum, relicto digniore, de qua videntur dicenda quæ numero sequenti dicentur.

12 Si præsentatio facienda sit de Clerico alicuius determinati Collegi, aut Monasterii, vel ciuitatis, aut loci, vel familiæ, sufficit, si patronus præsentet idoneum de tali Collegio, Monasterio, &c. etiamsi ex ea sint alii magis idonei. Nã iustæ sunt leges statuentes vt ad aliqua beneficia promoueantur solum Clerici ex tali loco, aut Collegio, aut familia, cum ad bonum commune tale quid spectet. Quod si in tali Collegio, ciuitate, &c. duo sint, vnus idoneus alter magis idoneus, patronus debet præsentare magis idoneum alioquin oon videretur fidelis erga Ecclesiã, nec in officio sibi cõmisso vtiliter agere negotium Ecclesiæ, quæ ipsi illud commisit Quod idem pari ratione iudicandum est, si præsentatio sit libera, nec strictè facienda de Clerico certis Collegiis, ciuitatis, &c. Nihilominus non est improbabile patronum laicum non teneri præsentare digniorem etiam quoad beneficia curata. Nam Tridentinum *sessione vigesimaquarta, capite 18. de reformatione*, mandat præsentatos à Patrono laico examinandos & approbandos esse ab examinatoribus

Con. Trid.

syno-

synodalibus, vnde cùm non arctet Patronum ad præsentandum digniorem, neque nos arctare debemus. Igitur quoniam Tridentinum non irritat præsentationem digni factam à Patrono laico, & illa est valida etiam in consciẽtia, tenetur Episcopus illam confirmare, & si nollet, posset cogi à Superiore. Ita Garzias *de benefic. tom. 2. part. 7. cap. 16. num.* 19. Petr Nauar. quos citat & sequitur Diana *p. 2. tr. 15 resol. 37.* & alii ab ipso citati. (Garzias P Nauar. Diana)

13 Episcopus de iure communi habet ius instituendi omnes præsentatos a patronis ad quęcumque beneficia intra suam Diœcesim existentia, *Cap. Ex sequentibus, de instit. in 6.* Id autem ius habet Episcopus, etiam nondum sit consecratus: quia instituere est actus iurisdictionis, non Ordinis, quam ille acquirit dum confirmatur a Papa subiiciente illi populum. Vicarius item generalis Episcopi potestatem habet instituendi iuxta citatum caput; etiamsi non habeat ius conferendi sine speciali mandato eiusdem Episcopi, ex *c fin. de offic. Vicar. in 6.* Idem ius cõpetit Capitulo, sede vacante. Aliis autem Clericis Episcopo inferioribus ius instituendi potest etiam conuenire, vel ex priuilegio, vel ex præscriptione, vel ex consuetudine, vel ex statuto, vel ex fũdatione beneficii: vt v. g. si Capellania fũdetur a laico ea cõditione apposita de cõsẽsu Episcopi, vt Decanus, vel Archidiaconus, vel Præpositus certæ Ecclesiæ, vel alius Præsbyter ius habeat instituendi præsentatum à patrono, non autem Ordinarius Similiter in Ecclesiis & Capellis pleno iure Abbatibus subiectis institutio spectat ad ipsos Abbates, per textum *in Clement.* 1. *vers. Quidam præterea & vers. Quidam etiam, de excess. Prælat.* Ecclesiæ autem & Capellæ dicuntur Abbatibus pleno iure subiectæ, quando Episcopi in eis nullum ius Episcopale exercent; sed tota iurisdictio ad eos Abbates pertinet, & possunt in eis beneficiarios instituere, ac destituere. (gloss.) Glossa *in cap. Abbates, verb. pleno iure, de priuileg. in sexto.* Notandum tamen, si iuspatronatus ad Monasterium transiret cum aliqua vniuersitate bonorum, non transibit ad Abbatem institutio sed manebit, illius, ad quem antea pertinebat; quia per illum transitum non potest plus iuris transferri, quàm erat penes transferentem, *cap. Cum sæculum, de iure patron.*

14 Institutio non est tantummodò irritanda, sed etiã irrita ipso iure, si fiat neglecto patrono. Valida autem redditur iam facta, si patronus postea in eam consentiat. Item valida est institutio, si patronus vocatus ad præsentandum non præsentet, & Episcopus ipso præsẽte, & tacente aliquem instituat. Item si toto tempore intra quod patronus præsentare potest, scienter taceat, & Episcopus instituat, valida quoque est institutio. Similiter si Episcopus iubeat vt patroni præsentent, nec faciant, absque ipsis scientibus & tacentibus ille instituat, ualida adhuc erit institutio Vera enim est regula, quòd sciens, & tacens consentire videatur. (Lambertus Ioan. Andr.) Ita Lambertus *lib. 2. p. 3. quæstione secunda, articulo secundo*, Ioannes Andreas *in cap. 2. de offic. Vicaris in sexto.* Si autem patronus ius præsentandi ad Episcopum sponte sua transtulerit, tunc, si institutio ad alios pertineat Episcopo inferiores, ad Episcopum præsentatio tantùm, ad eosdem institutio pertinebit: si ad Episcopum pertinebat institutio, tunc confundetur cum collatione, si Episcopus solus sit patronus, si autem sint alii etiam, tunc Episcopus vt patronus simul cum aliis præsentabit, vt Episcopus verò instituet.

15 Summus Pontifex potest derogare cuicumque iuri patronatus, est communis sententia. Ratio est, quia iure tantùm Canonico, cui Papa derogare potest, patronis conuenit, & interdum in suis literis de facto derogat; vnde cum in illis dicitur, *beneficium huic, vel illi prouideatur, ad cuiuscumque dispositionem pertineat*, certum est ex communi sententia, per ea verba derogari iuri patronatus Clericorum; non autem iuri patronatus laicorum quia non censetur Papa præiudicare laicis, nisi facta expressa mentione illorum, ne auertantur à fundandis, ædificandis, ac dotandis Ecclesiis. Quod etiam procedit etiãsi in literis Apostolicis fuerint hæc verba. *Ad cuiuscumque præsentationem pertineat*, quia locutio illa generalis comprehendit omnes species Clericorũ ad quos ius presẽtãdi pertinet; vnde per hanc clausulam non præsumitur Papa velle derogare iuri patronatus pertinenti ad Reges, Duces, Marchiones & alios Principes nisi expresè de illis faciat mentionem. Ita enim habetur in regula 41. Cancellariæ, de derogatione iuris patronatus. Imò quando ius patronatus pertinet simul ad Clericum & laicum, ei non derogatur per clausulam dictam generalẽ; quia tale Ius licet quod ad commoda, & fauorabilia, iudicetur Clericorum: quo ad damna tamen & odia censetur laicorum, ne his societas cum Clericis censeatur damnoso. Ita Couarruuias *in practic. quæst. cap.* 36. Rebuffus *in prax. Benefic. parte prima, in tertia parte, signatur. verb. Ius patronatus numero sexagesimosecũdo*, apud quos plura de hac materia. (Couar. Rebuffus)

16 Ius patronatus, extinguitur *Primo*, per cessionem verbi gratia, cùm quis ius patronatus, quod habet, renunciat ei Ecclesiæ, in qua illud habet. Nam tunc talis Ecclesia manet libera, ex *cap. vnic. de iur. patron. in sexto Secundo*, cùm quis Ecclesiam, cuius est patronus, scienter patitur fieri collegiatam sine iuris sui, reseruatione nam tũc de rectore eiusdem Ecclesiæ vacantis non prouidebitur ex illius præsentatione: sed ex Collegij electione, iuxta *cap. Nobis, de iur. patronatus, iuncta Glossa, verb. in Capella. Tertio*, si Ecclesia incendio consumpta fuerit, vel vitio aliquo corruerit, vel capta, detentaque sit ab hostibus; quia sublata substantia rei, consequenter accidens illius perit. *Quarto*, si patronus Rectorem, aut Clericũ ipsius Ecclesiæ per se, vel per alium occiderit, aut mutilauerit, iuxta *cap. In quibusdam, de pœnis.* Panormitanus ibi. *Quinto*, si patronus efficiatur hæreticus, aut incidat in aliud crimen, propter quod omnia bona ipsius confiscata sint, tanquam pereunte, scilicet accidente, dum substantia p tii P nra de his apud Canonistas.

Vide v. Legatus *num.* 3.

BENEFICIVM X.

De forma seruanda in Prouisione Beneficiorum.

SVMMARIVM.

1 *In prouisione beneficiorum seruanda est forma, quam ius, statutum, consuetudo vel fundatio præscripserit.*
2 *Forma seruanda in prouisione Ecclesiarum Parochialium, iuxta Concilium Tridentinum.*
3 *Capitulum sede vacante, Vicarius generalis Episcopi Prælati inferiores Episcopis, qui nullius sunt Diœcesis, & habent proprium territorium, & omnimodam & quasi Episcopalem iurisdictionem, & ius congregandi Synodum, possunt concursum beneficiorum Curatorum facere.*
4 *In concursu omnes ad examen sunt admittendi, etiam post terminos edicti re integra.*
5 *Quid faciendum, si post terminum edicti nullus examinandus compareat.*
6 *In prouisione beneficiorum simplicium, nulla est specialis forma præscripta in iure.*
7 *Beneficium debet conferri vacans, non antea quam ius Papa possit tribuere ius vacaturis beneficiis.*
8 *Tempus intra quod debeat prouideri de beneficiis vacantibus, est semestre, & in quibus habeat locum.*
9 *In prouisionibus, necessariis, non est à iure præfinitum tempus, intra quod necessariò debeat fieri institutio, confirmatio, & collatio.*

1 IN prouisione beneficiorum seruanda est forma, quam ius, statutum, consuetudo, uel fundatio præscripserit. Ratio est, quia forma non seruata, actus corruit, vt ex multis docet Garzias *de benef. part. 9. cap. 1. num. 1.* quod etiam verum est in foro conscientiæ, in quo beneficium absque forma necessaria, nec acceptari nec retineri potest, vt docet Couarruuias *reg. peccatum 2. part. §. 3. num. 9.* Nec obstat, quod etiam non seruata solemnitate actus nullus de iure positiuo, ualidus sit in foro conscientiæ, vt multi Doctores asserunt: nam quando ius etiam positiuum annullat actum, & irritum reddit, etiam in conscientia est irritus, vt communis (Garzias Couarruuias)

munis sententia hodie recepta tenet, teste Garzia *cit.nu.* 13. vnde in hac materia de prouisionibus beneficiorum [Garzias.] forma præscripta à iure Canonico seruanda est, alioqui actus est nullus, si sermo sit de forma intrinseca. Tamen Parisius *de confid.q.14.an.34.* asserit, secluso dolo, vali- [Parisius.] dam esse prouisionem in foro conscientiæ, etiam non seruata forma, vt si non emittatur professio fidei, iuxta Constitutionem Gregorii XIII. non sit approbatus ab examinatoribus synodalibus, iuxta Trid. & similia, contra quē Garzias *loc.cit.nu.3 & 4.* verum sententia Parisii posset habere locum in locis vbi statuta quædam a Conc. Tri- [Greg. xiii] dent. *sess.24.cap.18.de reform.* circa prouisionem Ecclesiarum Parochialium, non sunt recepta; vnde ibi non essent irritæ collationes, quæ secundùm formam Tridentini non sunt factæ, vt monuimus ex Lessius *tom. 1. huius* [Conc. Tr.] *Summæ verò Beneficium VI. in fine.*

2 Igitur forma seruanda in prouisionem Ecclesiarum Parochialium traditur a Trident. *sess 24.cap.18. de reform.* ea autem est, *Primo*, vt Episcopus habita notitia vacationis, statim idoneum Vicarium constituat, si opus sit, [Conc. Trid] cum congrua portione ex fructibus. *Secundo*, vt præuio concursu & examine coram examinatoribus in Synodo deputatis & approbatis, illum eligat Episcopus, quem iudicauerint digniorem. *Tertio*, prouisiones præter formam dictam irritæ sunt & subreptitiæ. Itaiu Pius V. *in Bulla. In conferendis.* [Pius V.]

Si Parochia vacet per obitum vel delictum, & ius patronatus sit Ecclesiasticum, Episcopus & patronatus intra certum tempus ab Episcopo præscribendum, debent aliquos Clericos idoneos nominare. Potest etiam Episcopus per edictum conuocare quotquot se voluerint offerre, qui sunt describendi, & examinandi; patronus autem Ecclesiasticus ex renunciatis ab examinatoribus eligere debet digniorem, & præsentare. Episcopus verò eum instituet, vel alius ad quem spectat. Si verò sit laicum, examen non fit per concursum, sed præsentatus ab eo debet examinari a deputatis examinatoribus, & si fuerit idoneus repertus, admitti.

Si Parochia vacet per resignationem factam in manibus Papæ, in fauorem certæ personæ, & Papa admittat, non est faciendus concursus, sed satis est examinari à deputatis examinatoribus cum Episcopo, & iudicari dignum. Sic fertur respondisse Sacram Congregationem Concilii; tunc enim Papa censetur dispensare in decreto Concilii; si verò sit inferior Papa admittens resignationem liberam, debent fieri examen per concursum; quia Inferior non potest in decretis Concilii œcumenici dispensare.

Si Parochia vacet per permutationem, siquidem permutatio fiat cum alia Parochiali eiusdem conditionis, non requiritur examen, vt declarauit S. Cōgregatio, prius enim satis est: si verò fiat permutatio cum simplici, vel cum alia Parochiali, vbi maior industria requiritur, debet fieri examen per concursum, vt colligitur ex Concilio, & docet Lessius *lib.2.cap.34.num.* 85. Quamuis Gar- [Conc. Trid] zias *de benefic.cap 2.p.9.nu.*161. neque in his faciendum [Lessius.] esse affirmet, ex Parisio, & aliis. [Garzias.]

3 Capitulum sede vacante, vel eius Vicarius potest facere concursum beneficiorum Curatorum; quia succedit in his, quæ sunt iurisdictioni ordinariæ, exceptis casibus iure expressis: hæc autem iurisdictio data Episcopis a Cōcilio est ordinaria. Vicarius autē Generalis Episcopi absque speciali mandato potest facere concursum, quia id est iurisdictionis ordinariæ. Prælati verò inferiores Episcopis non possunt concursum ad Ecclesiæ Parochiales vacantes, quarum collatio ad eos spectat, habere, vt colligitur ex decreto Conc. Trid. *sess. 24. c. 18. de reform.* per quod patet Episcopis uel eorum Vicariis, non autem aliis [Conc. Trid] collatoribus facultatem concursum habendi committi. Idem habetur ex Constit. Pii V quæ incipit *In conferendis* [Pius V.] *beneficii.* Et testatur Garzias *de benefic.part.9.cap.2.n.*121. *& sequent.* ita fuisse pluries declaratum a Sacr. Congreg. Cōcilii. Verum dictæ declarationes & resolutiones limi- [Garzias.] tantur, ut non procedant, quando Prælati Episcopo inferior s sunt nullius Diœcesis & habent proprium territorium, & omnimodam, & quasi Episcopalem iurisdictionem, & ius congregandi Synodum, vt ait Parisius *de resignat.benefic.lib.8.quæst.9.numero* 98. dicens, ita fuisse declaratum per Sacram Congregationem Concilii. Et Garzias *cit.c.2.n.*136. refert idem tenuisse Rotam. Idem [Garzias] procedit de Abbatibus exemptis, qui etsi non sint nullius Diœcesis, tamen habent proprium, & distinctum territorium, & Episcopalem iurisdictionem priuatiuè, & ius congregandi Synodum, & qui cum effectu illam congregarunt, ac examinatores deputarunt, hi possunt cōcursū habere ad Ecclesias Parochiales, quarū collatio ad ipsos spectat, & in e s magis idoneus instituere. Vide Garziam *cit.nu.*137. *&* 140. vbi aduertit, quod, quamuis [Garzias.] Abbates ius Synodum congregandi obtinerent, si nondum illam congregarunt, aut examinatores non deputarunt: concursum habere spectabit ad Episcopum, intra cuius Diœcesim Parochialis Ecclesia existit, vel ad viciniorem. Si autem semel Synodum congregassent, & in ea examinatores deputassent, quāuis examinatores extincti fuerint supradicta non habent locū, sed deuolutio fiet ad Sedē Apostolicam, iuxta prædictam Constitutionē Pii V.

4 In concursu omnes ad examen sunt admittendi, etiā post terminos edicti, re integra, hoc est, antequam examen sit absolutum; quod verum est, licet habeant aliud Curatum, consanguinei tamen Episcopi ad concursum non possunt admitti, quando vacaret Parochialis per resignationem in suis manibus; secus si vacaret per obitum. Si autem vnus tantùm appareat ad concursum, examinari debet, eique danda Parochialis si idoneus sit, validaque erit collatio ei facta; quamuis fraude illius & artificio alii non comparuissent; tamen prouisus in hoc casu tenetur ad restitutionem iniuriæ, & damni facti, illis, qui fortè si digniores fuissent electi, & qui non accesserunt ipsius fraude, vel minis; secùs si tantùm precibus destitissent. Ita Garzias *cit.num.*206.208.211. *&* 215.

5 Quando post terminum edicti nullus examinandus comparet, ex declarationibus Sacræ Congregat. Concilii decretum est, vt refert Garzias *cit.num.* 219. *&* 220. *Primo*, aliud edictum debere proponi, & si nemo concurrat idoneus, tunc conferatur alicui præuio examine sine concursu. *Secundo*, in collatione Parochialium, quæ sunt tenues, vt quia non excedunt 24. ducatos de Camera, si proposito primo edicto nemo compareat, fiat tunc [Garzias.] edictum examinis, sed sine concursu. *Tertio*: beneficia curata, quorum redditus adeò exigui sunt, vt ea aut nullus idoneus requirat, aut rōpareat in concursæ itarudis, [Garzias.] sit neque vulgarem linguam callcat, conferenda sunt iis quos inter omnes, maiores litteraturæ esse cognouerit Episcopus, eosdemque amplius erudiri curabit; *Quarto*, vbi non esset liber cōcursus ob dominos temporales, vel aliam iustam causam, & fructus essent pingues, ponendi sunt Vicarii, donec conferri possint magis idoneis, seruata forma Concilii. *Quintò*, quando nullus esset idoneus cōferatur uni ex comparentibus minùs insufficienti, quē postea instrui curare debet Episcopus, vt idoneus euadat.

6 In prouisione beneficiorum simplicium nulla est specialis forma iure præscripta, si conferantur per liberā collationem Ordinarii, etiam inferioris Episcopo. Vnde nec requiritur vocatio per edictum, neque concursus, [Glossa.] sed satis est prouisum esse idoneum. Ita Glossa *c. Monasterium 16.quæst.vltim.cap.3.de iur. patron.* Tamen in beneficiis simplicibus electi, seu præsentati à personis Ecclesiasticis quibuscumque non debent prouideri, nisi e- [Con. Trid.] xaminati fuerint ab Ordinariis, & reperti idonei Concil. Trid. *sessione septima, capite decimotertio, de reformatione.* Quòd si institutio pertineat ad inferiores Episcopo, debent præsentati priùs ab Episcopo examinari, & approbari, alias institutio ab inferioribus facta nulla est Trident. *sess.25.cap 9. de reform.* At verò quando institutio pertinet ad Episcopum in præsentatis à patronis laicis, hos Episcopus, si velit, examinare potest, non tamen examen necessariò requiritur, ex Tridentino *sess. 7. cap. 13. de reformat.* quod solum loquitur de præsentatis a personis Ecclesiasticis.

7 Beneficium debet conferri post vacationem, non antea nec etiam promitti, *cap.2. & 3. de concess. præbend.* Ratio est, ne quis alienæ mortis desiderium, & procurationem habeat. Papa autē potest jus tribuere vacaturis ex plenitudine suæ potestatis, *cap. Proposuit, de concess. præbend.*

præbend. Hinc patronus non potest præsentare ad vacaturum, nec permittere de facienda præsentatione, *cap. final. de conceff. præbend.* Potest tamen fieri vnio de beneficio viuentis, non solùm Collegio vel capitulo, sed etiam dignitati, aut beneficio alicuius personæ particularis. Ratio est, quia licet videatur dari occasio voti captandæ mortis, tamen, quia non fit particulariter personę, sed eius dignitati, vel beneficio, non consideratur ista ratio. Ita Garzias *de benefic. part* 10. *cap* 1. *n.* 29. ex multis.

Garzias. 8 Tempus, intra quod debet prouideri de beneficiis vacantibus, est, ad quos prouisio spectat, infra sex menses prouidere debent, *cap. nulla* 2. *de conceff. præbendæ, cap. licet, de supplend. neglig. Prælat.* quod habet locũ *Primò*, in electione, nisi sit Ecclesia Cathedralis, vel regularis, quæ ob maius periculum imminens requirit prouisionẽ infra tres menses. *Secundò*, in præsentatione, nisi sit ius patronatus laicale tantùm, quod solùm habet quatuor menses, *cap. vnic. de iur. patron. in* 6. *Tertiò*, in prouisione Parochialium etiam iuxta Trident, *sess.* 24. *cap.* 18. *de reformat.* quando collatio spectat ad Episcopum, nam si (Con-Trid.) ad Papam vel alios, assignatur quadrimestre ex Constitutione Pii V. *in conferendis. Quartò*, in Hospitalibus, quæ conferuntur in titulum. *Quintò*, in habente indultũ à Papa conferente beneficia reseruata. Ita Azorius *pa.* 2. *lib.* 6 *cap.* 26. *quæst.* 10. Nota tamen dictos menses cõputari secundũ Calendar. & secundum quod occurrũt, ita (Azorius.) vt quod deficit de primo mense, accipiendũ sit de vltimo.

9 In prouisione necessaria, quales sunt enumeratæ, non est à iure præfinitum tempus: intra quod necessariò debet fieri institutio, confirmatio, & collatio, vt docet Garzias *cit. cap.* 4. *num.* 1. nec textus *in cap.* 2. *de conceff. præbend.* habet locum in collatione necessaria, sed libera. Quod si is, qui debet instituere, confirmare, &c. negligẽs seu recuset, recurrendum erit ad Superiorem, qui præscribat tempus, infra quod id faciat, quo elapso, ipse supplebit, vel etiam potest fieri appellatio à grauamine sibi (Garzias.) illato, ut docet Garzias *cit. num.* 9.

Quibus autem beneficia sint conferenda, vide *in tom.* 1. *verb. Beneficium VI.* Vide v. Vicarius *n.* 10. 11. *& seq.*

BENEFICIVM XI.

De permutatione, & resignatione Beneficiorum.

SVMMARIVM.

1 *Permutatio beneficiorum priuatis personis iure Ecclesiastico prohibita est.*

2 *Permutatio facienda est auctoritate Ordinarij, v. g. Papæ, vel Episcopi, vel Legati, vel Prælati inferioris, cui competit.*

3 *Quædam permutationes beneficiorum prohibentur fieri coram Ordinariis locorum.*

4 *Quædam obseruanda vt permutatio beneficiorum rectè & validè fiat.*

5 *Permutantes possunt inter se tractare, & agere de beneficiis permutandis & concludere in Ordine ad consensum Superioris, & constituere Procuratores.*

6 *Non est certum tempus in iure constitutum, intrà quod Ordinarius debeat conferre beneficia resignata ex permutatione.*

7 *Permutatio debet fieri ex causa, quæ sit necessitas vel vtilitas Ecclesiæ, vel personarum permutantium.*

8 *Resignatio beneficii simplex differt à resignatione conditionali.*

9 *Super resignationibus beneficiorum extant Bullæ Pii V. quarum summarium recensetur, non comprehenduntur ibi beneficia iurispatronatus.*

10 *Omnes qui habent beneficia possunt illa resignare exceptis Minoribus* 14. *annis, & priuatis ipso iure ob crimen commissum.*

11 *Clericus potest per procuratorem beneficium suum resignare.*

12 *Resignatio cum reseruatione fructuum fieri non potest, nisi ex dispensatione Papæ.*

1 PErmutatio habet in ventre resignationem, in fauorem permutantium, includit enim resignationem & addit nouam collationem eorumdem beneficiorum sic resignatorum, expressam vel tacitam, inter permutantes, vnde priuatis personis prohibita est permutatio, *c. Cum vniuers. de rer. permutat.* ob vitanda multa inconuenientia, si priuatorum arbitrio id relinqueretur. & præcipuè, vt omnis occasio auaritię & ambitionis clericis præcidatur, & ne clerici de beneficiis tanquam de rebus profanis statuere videantur, denique ne putent idem ius se habere in beneficiis, quod in patrimonio; Ratio autem præcipua prohibitionis est, quia is qui permutat, eo ipso suum beneficium dimittit & resignat in manibus superioris, & acquirit aliud, nemo autẽ potest aliud acquirere, nisi ei conferatur a legitimo superiore. Hæc autem permutatio priuata auctoritate facta, iure tantũ Ecclesiastico est prohibita, ut habet communis Doctorũ sententia, quia iure naturali & diuino prohibita tantùm est ea permutatio, in qua res sacræ & spirituales permutantur cum temporalibus, at in permutatione beneficiorum commutantur res adnexæ spiritualibus, consequẽter inter se, quarum permutatio tantum iure canonico probibita est fieri propria auctoritate. Ita Suarez *lib.* 4. *de* (Suarez.) *Simon. cap.* 30. *n.* 8. Sotus *lib.* 9. *de iustit. quæst.* 1. *art.* 2. A- (Sotus.) zorius *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 24. *quæst.* 2. (Azorius.)

2 Permutatio beneficiorum facienda est auctoritate Ordinarii, qualis est. *Primò*, Papa, qui non modò permutationem beneficiorum simplicem, sed etiam illam quæ esset cum adiecto onere pensionis, vel reciproca, vel triangularis, admittere potest, & approbare. *Secundò*, Legatus a latere, quia hic etiam connumeratur inter Ordinarios respectu Prouinciæ cui præest, & habet ex priuilegio Episcopalem iurisdictionem, & multò maiorem. *Tertiò*, Episcopus proprius, vt testatur ordinaria & cõmunis praxis, ex recepta sententia Doctorum, & probari potest, ex *cap. quæsitum de rerum permutat. & cap. vnic. eod. in* 6. *Quartò*, vel alius inferior habens Episcopalẽ iurisdictionem, quia Episcopo competit eiusmodi potestas solũ ratione iurisdictionis, si ergo alius inferior eam habeat, & illi competat collatio beneficiorum permutandorum, poterit etiam approbare permutationem. Vicarius autem Episcopi etiam potest, si habeat ad id speciale mandatum. Vide Azorium *cit. cap* 24. *quæst.* 4. Syluestrũ (Azorius. Syluest.) *verb. Permutatio* 2. *num* 2.

3 Quædã sunt permutationes quæ prohibentur fieri coram Ordinariis locorũ. *Primò*, si sint beneficiorũ Papę reseruatorũ, cũ enim ea conferre Ordinarii nõ possint & in permutatione includatur collatio, nõ poterunt ea permutari corã Ordinario. *Secundò*, si permutetur vnũ cũ pluribus, quæ iure communi simul haberi non possunt, etiam ex licẽtia Ordinarii. *Tertiò*, si sint exempta ab auctoritate Ordinarii. *Quartò*, si sint inæqualia quoad fructus, & minus debeat compensari in positione pensionis, id enim ad Papã pertinet. *Quintò*, si beneficium obtentũ sit à Papa relaxante ius commune, non enim transit relatio Pontificia ad aliud cũ quo permutat. *Sextò*, si ficta esset permutatio, vt si permutaret quis cum beneficio quod non extat, vel quod non habet is cum quo permutat.

4 Vt validè ac rectè beneficia inter se permutentur. *Primò*, curandum ne sit vnum ex iis litigiosum, res enim litigiosa quamdiu lis pendet, nequit alienari, nec pignori tradi; limita, nisi liberè permutans cum litigioso crederet iuri suo. *Secundò*, si alterum esset iurispatronatus, citra patroni consensum permutari non potest, *c.* 1. *de rer. permutat. in* 6. Quòd si auctoritate Episcopi inscio patrono permutetur rescindenda erit permutatio si patronus voluerit, modo intra tempus præfixum reclamet, & offerat clericum quem voluerit. *Tertiò*, ne beneficia sint vnita Monasterio, v. g. quia permutatio impediret effectũ vnionis, & sic noceret Monasterio. *Quartò*, ne sint in diuersis Diœcesibus, sic enim requireretur auctoritas vtriusque Episcopi, in permutatione enim vtrumque dimittitur, & confertur. *Quintò*, ne sint reseruata, reseruatio enim tollit iurisdictionem ad ea conferenda necessariam in permutatione.

Quòd si scienter resignent in manibus Ordinarii, hoc

hoc est, scientes esse reseruata, valida est resignatio: sed permutatio deinde fieri debet auctoritate Papæ, & si hic nolit, non possunt permutantes redire ad sua beneficia, secus si nescientes esse reseruata renunciasent, tunc enim inualida est renunciatio & reuerti possunt ad sua beneficia. *Sextò*, commēdatum beneficium potest permutari, si sit commendatum in perpetuum, si ad tempus, requiritur auctoritas eius qui commendauit. Ita Azorius *p. 2. lib. 7. c. 29. q. 5. 6. 7. 8. 10. & 11.* apud quem plura de iis. Azorius.

5 Permutantes possunt inter se tractare & agere de beneficiis permutandis, concludere etiam tractationem, & promittere se permutationem perfecturos in Ordine ad consensum Superioris, non autem absolutè pacisci, alioqui, nisi pactum tollant, & constituantur in priori libertate, nec perficiant nisi in ordine ad consensum Superioris, Simoniā committerent, & tantùm coram Papa purgari posset, exprimendo pactum initum, *c. vlt. de pactis.* Possunt etiā permutantes constituere Procuratores, per quos sua beneficia permutent, nec est necesse Procuratorem esse clericum, etsi melius sit, ut iudicatum est in Rota. Debet autem Procurator habere ad hoc speciale mandatum Duo item clerici possunt constituere vnū, & eundem Procuratorem; cum unus & idem fungi possit duorum officio. Ita Azorius *citata quest.* 18. Azorius.

6 Non est certum tempus in iure constitutum, intra quod ordinarius debeat conferre beneficia resignata ex permutatione: Superior tamen Ordinarii, potest illi præcipere, ut intra determinatum tempus permutationem absoluat, alioquin eo transacto ipse perficere poterit. Securius tamen fiet citra ullum temporis interuallum, ut admonent Doctores, si autem alter fiat, ualet permutatio, quod contingit cùm permutantur beneficia existētia in diuersa Diœcesi. Tunc enim debent resignari coram diuersis Episcopis, à quibus postea debent etiā conferri. Vnde sequitur, si Petrus & Paulus permutent sua beneficia, & Paulus resignet prior, factaque resignatione, & collatione moriatur antequā Petrus resignationē sui beneficii faciat, Petrus habebit vtrūq; Tutius est, uel vt alter alterum cōueniat, & auctoritate suorum Episcoporū permutationē expediat, uel unus uices suas in hac parte alteri committat, uel denique uterque committat tertio qui nomine amborum beneficia permutet. Ita Lessius *l. 2 c. 34. n. 197.* Azorius *cit. c. 30. q. 2.* Rebuffus, *§. de permut.* Azorius. Rebuffus.

7 Permutatio debet fieri ex causa, *cap. quesitum, de rerum permutat.* Ratio est, quia permutatio res est odiosa, quia contra ius commune, *cap. maioribus, de prebend.* ideòque restringenda, & non facienda sine iusta causa, ex qua Episcopus dispenset.

Duplex est autem iusta causa, prima, *Necessitas*; secunda, *vtilitas Ecclesiæ*, probatur ex *cap. quæsitum, vers. Si autem Episcopus, de rerum permutat.* Sed circa hæc est notādum *Primo*, teneri Ordinarium admittere permutationes quæ ex aliqua ex dictis causis fiunt. *Secundo*, iustam causam etiam esse quamlibet spiritualem, ut puta maius Dei seruitium, vt melius vterque permutantium, vel alter Deo seruiat. *Tertio*, sufficit etiam vtilitas personarum, & quod sic iis expediat. *Quarto*, si sola intercedat cōmoditas temporalis absq; ullo respectu ad diuinū cultum, peccatū esset suo genere graue, non tamen simonia nisi latè sumpta, & probabile est fore nullam factam coram Ordinariis, quia dispensatio in iure communi absque iusta causa, nulla existimatur, præsertim accedente Bulla Pii V. 58. *vers. Ad hæc.* Vbi solum cōceditur Ordinariis admittere permutationes, que canonicis sanctionibus permittuntur, cum decreto irritanti, secus. Ita Garzias *de benefic p. 11. cap. 4. num. 44. & sequent.* Syluester *verb. Permutatio 2. n. 3.* Garzias. Syluest.

8 Cùm duplex sit resignatio, una simplex, seu pura, altera conditionalis, sicut diximus *tom. 1. verb. Beneficium 11. num. 8.* differt tamen simplex à conditionali in duobus. *Primo*, quia simplex fieri potest coram Ordinario, conditionalis autem tantum coram Papa, excipitur eā quæ fit causa permutationis, nam ea etiam coram Ordinario fieri potest. *Secundo*, quia in simplici statim resignans abdicat ius, & manet sine titulo etiā colorato, vnde vt vacans potest liberè conferri & impetrari, in conditionali verò non abdicatur ius nisi impleta conditione, hoc est, nisi beneficium resignatum acquiratur resignatario, in cuius fauorem dimissio facta est, & si resignatarius absens sit, antequam acceptet. Hinc resignās per resignationem amittit omne ius quod habet in beneficio postquam admissa est a Superiore, et si retineat possessionem de facto, & naturalem quodammodo. Et in simplici quidē admissa resignatione per Superiorem & præstito cōsensu, resignans non percipit amplius fructus qui ei debentur vsq; ad illud tempus, in conditionali autem debētur resignanti vel vsque ad tempus expeditionis literarum, in fauorem resignatarii, uel ut habet praxis vsq; ad diem præstiti cōsensus à resignatario, nam vsque ad illud resignans potest pœnitere, fructus verò pendentes diuidendi sunt pro rata temporis inter resignantem, & resignatarium. Ita Couarr. 2. *var. c. 15.* Parisius *l. 1. q. 2. & 6.* Couarr. Parisius.

9 Super resignationibus beneficiorum emanarunt à Pio V. duæ Bullæ, quæ habentur apud Quarantā *in Sum. Bullarii, verb. Beneficiorum resignationes. Prima* data est anno 1567. Sexto Idus Augusti, quæ incipit, *Officium creditũ nobis*, &c. vbi prohibet resignationes admitti, donec de modo earū sit aliquid certi determinatum. Altera data est anno 1568. kal. Aprilis, quæ incipit, *Quanta Ecclesia Dei*, &c. Vbi ponit conditiones, sub quibus possūt resignationes beneficiorum acceptari. Et *Primò*, quidē ex parte personæ resignantis requirit has causas, nimirū vt resignantes sint, aut senio confecti, valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut criminis obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeant, aut non debeant Ecclesiæ, aut beneficio inseruire, seu qui vnum, aliud, vel plora beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoueri Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id reipsā exequantur, denique cum quis ex aliis casibus acciderit qui constitutione felic. record. Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur, Qui etiam ob capitales inimicitias nequeant, vel non audeant in loco beneficii residere securi. Pius V. Quaranta. Innoc. iii.

Secundo, ex parte beneficii requiri, vt non sit datum in titulum ordinationis, vel non sit omninò necessarium ad resignantis sustentationem.

Tertiò, ex parte eorum in quorum manibus resignationes fiunt, siue ad quos spectat resignatorum beneficiorum prouisio, quales sūt Episcopi, Electores, Præsentatores & Patroni tam Ecclesiastici, quàm laici, requirit ne verbo quidē, aut nutu, vel signo, futuri in huiusmodi beneficiis & Officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de iis assumendis promissio inter eos vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

Quarto, Ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de beneficiis & officiis resignandis prædictis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere.

Quinto. Annullat omnem resignationem contra prædictorum obseruantiam factam, superadditis pœnis in facientes.

Hæc constitutio latissimè declaratur per Parisium *in tract. de resignat. benefic. part. 1. lib. 5. quest. 6.* Sed aduertendum ex Quaranta derogatum esse quartæ conditioni per Gregorium XIII. vt non comprehendat beneficia iuris patronatus, de quibus consanguineis, & affinibus, &c. prouideri potest. Et refert testimonium authenticum Cardinalis Matthæi de hac derogatione, quod in libris Sacræ Congregationis Concilii, asseruatur Parisius. Greg. XIII.

Circa tertiam conditionem, vt scilicet in huiusmodi renuntiatione coram Ordinario faciēda, nec etiam nutu designari possit successor in beneficio, alias collatio sit inualida, est aduertendum, per decisionem Rotæ declaratū esse referente Cassadoro *decis. 2. de simon.* non obstante hac constitutione, posse resignantem nutu non præcedēte dimissione facta in foro conscientiæ rogare collatorem absque labe simoniæ vt conferat resignatum beneficium à se nominato, imò renunciare ea intentione & spe concepta, quod conferetur beneficium cui resignans volet, modo nihil horum fit in pactum vel conuentionem deductum. Ratio est, quia non censetur Pontifex voluis- Rota. Cassador.

ſe inijcere conſcientiis laqueum communiter ineuitabilem contra text. *in cap. de viduis 27. quaſt.* 1. Laqueus autem ineuitabilis eſſet, cùm vix reſignantes reperiantur, qui non habeant reſpectum ad aliquem, & vix Collatores vel Epiſcopi ſoleant conferre beneficia reſignata abſque aliqua commendatione. Ita Quaranta. Secluſa ergo promiſſione, pacto, vel obligatione non eſt contra Bullã ſi reſignans aliquem commendet, & Patronus vel collator etiam inclinationem & beneuolentiam erga eum oſtendat. Et hæc deciſio Rotæ eſt communi praxi recepta cui fauet Nauarr *in Man. c. 23. n. 107. & 108.* & *cenſ. 36. & 38. de ſimon. in antiquis*, Diana *p. 5. tr. 14. reſolut. 26.*

Quaranta.
Nauarr.
Diana.

10 Generatim reſignare poſſunt omnes, qui habent beneficia. Ratio eſt, quia quiſque poteſt renunciare rebus ſuis & iuribus dummodo non cedat in alterius præiudicium, & legitimè reſignetur beneficium in manibus Superioris & reſignans ſi ſit in ſacris, habeat vnde aliunde viuere poſſit. Ita Pariſius *lib. 3. quaſt.* 1. Garzias 11. *part. cap. 3. num.* 44. In Curia tamen non admittitur abſolutè omnes reſignationes Parochiarum & aliorum requirentium reſidentiam præſertim cum penſione, ſed exprimendum eſt tempus, in quo reſignans poſſedit, & ſi breue eſt, vtinious 5. annis in circa, hoc eſt 4. cũ dimidio vel ſaltem tribus, reſignatio reiicitur, cœpit autem hic ſtylus anno 1590. ſub Gregor XIV. Limitatur tamen concluſio in Minore 14. annis, qui ex diſpenſatione poſt Trident. *ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat.* beneficium obtinuit hic enim non poteſt reſignare, niſi auctoritate tutoris, & cum cauſæ cognitione, ſecus dicendum de Minore 25. & Maiore 14. talis enim poteſt ſine curatore, quia in beneficialibus habetur pro Maiore ex *cap. vltim. de iudic.* Et ſi læſus non ſit, non gaudet beneficio reſtitutionis ex ſola ætate, ſi vero læſus fuerit & adhuc res eſt integra, gaudet beneficio reſtitutionis, ſi non eſt integra non eſt reſtituendus iuxta deciſionem Rotæ, niſi probetur dolus vel fraus in reſignatario vel in altero tertio. Deinde limitatur in priuato ipſo iure beneficio ob crimen commiſſum, hic non poteſt reſignare, quia caret titulo à die commiſſi criminis, etiamſi poſſeſſione non careat, ſecus de eo qui priuandus eſſet, etiamſi accuſatus fuiſſet, quia adhuc habet ius & titulum in beneficio, vnde validè reſignare poteſt. Ita Garzias *cit. num. 59. & ſeq.*

Pariſius.
Garzias.
Greg. XIV.
Con. Trid.

11 Clericus poteſt per Procuratorem beneficium ſuum reſignare, vt habet communis praxis beneficiatorum. Laicus autem poteſt eſſe Procurator, quia nõ ſuo ſed alterius nomine beneficio cedit, Religioſus verò, prohibitus eſt iure canonico *cap. Monachi* 2. 16. *quaſt.* 1. ne vagandi occaſionem accipiat, intellige, niſi Superioris conſenſus acceſſerit. Multi item Procuratores eſſe poſſunt, vel ita vt ſinguli ſint in ſolidum, vel ita ut omnes ſimul. Imò vnus & idem reſignatis & reſignatarii Procurator eſſe poteſt, illius nomine dimittendo & huius recipiẽdo. Requiritur ad hoc ſcriptura a publico Tabellione confecta, in qua abſens mandatum id tradat Procuratori ſuo ſigno publico iudicis ordinarii vel communitatis, à Tabellione ſubſcriptum. Facultas expreſſa ad id dari debet, beneficium nominari, & locus in quo ſitum eſt. Ita Pariſius *lib. 8. q. 4.* Rebuffus *in praxi part. 3. tit. de procur. ad reſign.* Azorius *p. 2. lib. 7. cap. 20. & 22.*

Garzias.
Pariſius.
Rebuffus.
Azorius.

12 Reſignatio cum reſeruatione fructum iure communi fieri non poteſt, quia beneficium diuidi nequit, *ca. maioribus, de præbendis*, tamen ex diſpenſatione Papæ ſolet admitti iuſtis de cauſis, vel vt reſignans habeat vnde commodè ſuſtentari poſſit, vel ut ſoluantur debita in Eccleſiæ vtilitatem contracta, *cap. ſi tibi conceſſo, de præbend.* vel ad gratificandum beneficiario, qui ratione laboris & munerum egregiè geſtorum, vel ratione prærogatiuæ perſonæ, in iudicio Papæ meretur, reſignatio tamen cum reſignatione omnium fructuum, inualida eſt, ſi Procurator reſignet, nullis fructibus reſeruatis, at ſi Papa nolit admittere reſeruationem omnium, ſed tantùm pro medietate, valet, quia cenſetur Procurator vtiliter geſſiſſe negotium ſui principalis. Ita Pariſius *lib. 9 quaſt.* 17. Azorius *cit. cap. 22. quaſt.* 12. Et hæc de permutatione & reſignatione ſatis.

Pariſius.
Azorius.

Vide v. Abbas *n. 16.* Excommunicatio 2. *n. 10. & 11.* Nouitius *n. 24.*

BENEFICIVM XII.

De certis quibuſdam modis quibus beneficia amittantur.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia non amittuntur per ſponſalia de futuro.*

2 *Verius eſt per contractum matrimonij validum vacare ſtatim ipſo iure beneficium.*

3 *Item per matrimonium validum vacant acceſſus, regreſſus & qualibet alia iura ad beneficium.*

4 *Clericus cõtrahens matrimoniũ tenetur dimittere priora beneficia, & poſſunt impetrari tanquam vacantia.*

5 *Probabilius eſt, quando matrimonium eſt irritum non amitti ipſo iure beneficia, niſi ſententia iudicis fiat priuatio.*

Ordinatus in ſacris contrahens matrimonium non amittit ipſo iure beneficia.

6 *Si Parochus intra annum Sacerdos non fiat, poſt annum elapſum vacat ipſo iure eius beneficium, hoc autem non habet locum in Epiſcopis, Præpoſitis, Decanis, &c.*

7 *Epiſcopus tranſlatus ab vna Eccleſia in aliam, prima vacat per ſecundæ poſſeſſionem pacificam, ſicut etiam omnia illius beneficia quamuis ſimplicia.*

8 *Per profeſſionem tacitam vel expreſſam Religionis approbatæ vacant quæcumque beneficia ante habita.*

9 *Quando ipſo facto tantum & non iure vacare dicantur beneficia.*

10 *Manualia beneficia vacant per collationis reuocationem & per mortem poſſidentis.*

Poteſt Prælatus ad libitum, & abſque cauſa Priorem manualem à ſuo Prioratu remouere, quamuis promiſerit ſe non reuocaturum.

Item, etiamſi promiſſionem iuramento confirmaſſet 2 *vel alias nunquam reuocauerit, vel etiam ſi Prælatus cum Conuentu promiſerit, ſe non reuocaturum, niſi de ipſius Conuentus conſenſu.*

11 *Regularis inuari non poteſt in pacifica poſſeſſione ſui beneficii manualis,* reg. de triennali. *Imo ſpoliatus non poteſt contra Prælatum de poſſeſſorio agere, petendo ſe ad priſtinam poſſeſſionem reſtitui, niſi ſpoliatus ſit ex Prælati malitia.*

12 *Prælatus quando poſſit à ſubdito Prioratum manualem a Papa collatum auferre.*

13 *Quando Papa beneficium manuale a Prælato collatũ ex certa ſcientia confirmat, non poteſt Prælatus illud a religioſo abſque ipſius Papæ licentia auferre, niſi crimen priuatione dignum commiſerit.*

Beneficium manuale per Papæ collationem, aut confirmationẽ nõ mutat naturam ſuam, ſed mortuo poſſidẽte poterit ad Superioris nutũ cõferri & reuocari.

1 CErtum eſt apud omnes, beneficia nequaquam amitti per ſponſalia de futuro. Ratio eſt, quia ſicut per adeptionem poſterioris beneficiũ incompatibilis prius minimè vacat, dũ plenè non eſt poſterioris obtenta poſſeſſio, *c. commiſſa, de elect. in 6.* ita per ſponſalia, quæ ſtatum plenè incompatibilem non inducunt, ſed ſolùm via ſunt ad illum comparandum, nõ uacant beneficia. Ita Rebuff. *in praxi benef. reg. de publ. reſign. gloſſ. 18. n. 40.* & communiter Canoniſtæ Eman. Sà, *verb. Benefic. n. 24.*

Rebuffus.
Eman. Sa.

2 Quidam cenſent per contractum matrimonij ualidum non uacare ipſo iure beneficia, ſed expectandã eſſe iudicis ſententiam, quod probant, quia communis ſentẽtia habet non uacare beneficium ante ſententiã quamuis Canon ſtatuat ipſo iure amitti, addatq; abſq; alia declaratione; Deinde *in c. 1. de cler. coniug.* dicitur. *Si quis clericor. infra ſubdiaconatum acceperint vxores, ipſos ad relinquenda beneficia Eccleſiaſtica, & retinendas vxores, diſtrictione Eccleſiaſtica compellatis & c. quod à te, eodẽ tit. ibi, Beneficiis ſunt priuandi:* Quibus in textibus uidetur apertè deciſi, hunc clericum non eſſe per matrimonium beneficiis ipſo iure priuatũ, ſed priuandum. Ita Rodrig. *to. 1. Summ. c. 224.* Nihilominus certiſſimum eſt, per contractum

Rodrig.

tractum matrimonii validum vacare statim ipso iure beneficia illius clerici in minoribus ordinibus cōstituti cōtrahentis. Ratio est, quia talis se vinculo incompatibili cum beneficio sponte sua innodat, ac proinde eo ipso per spontaneam dimissionem illud videtur repudiare: & hoc minimè statutum est in pœnam delicti, vt sic sentētia iudicis desideretur; nullum enim delictum est hos matrimonium inire. Tum quia ea tacita conditione censetur clericus obtinere beneficium, ne statum incompatibilem eo retento assumat; quare eo assumpto deperditur statim beneficium tanquam conditione deficienti. Ita Glossa *c. vn. v. cleric. de cler. coniug in 6.* & ibi Ioānes Andræas, Anchatanus, & communis. Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 120.* vbi docet talem clericum peccare mortaliter qui post matrimonium contractum per verba de præsenti retinet beneficium; adeò vt non recuperet illud, quamuis vxor ante consummatum matrimonium Religionem ingrediatur: quia cùm ipsum semel vacarit, non potest ad id absque noua collatione redire. Ius enim semel extinctum non reuiuiscit amplius, licet causa extinguens cessarit, *ca. Quam periculosum 7 q. 1.* Item etiam Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 42. n. 6.* & alii *ab ipso citati*.

Glossa. Ioan. Andr. Nauar.

Sanchez

3 Insuper per matrimonium validum, accessus, regressus ac quælibet alia iura ad beneficium Ecclesiasticum ipsi contrahenti competentia, amittuntur; vacant enim iure ipso statim, instar beneficiorum. Vt si quispiam impetraret rescriptum ad præbendam vacaturam, & antequam vacaret, iniit matrimonium, ac defuncta vxore vacauit, non potest eam petere. Quia cùm matrimonium sit status incompatibilis cum beneficiō, per ipsius contractum, non sola beneficia, sed omnia iura ad illa tanquam derelicta habentur. Ita Clarus *lib. 5. recept. in pract. crim. §. final. quæst. 73. n. 5.* Couaruuias *4. decret. 2 part. cap. 6 §. 3.* & alii communiter.

Clarus. Couar.

4 Clericus iuxta dicta contrahens matrimonium tenetur dimittere priora beneficia, & possunt statim tanquam vacantia impetrari, ac alteri conferri; quia inito matrimonio, non iure, sed solo facto possidet. Vnde tenetur hic, si beneficium retinear, ad restituēdos omnes fructus à se potest matrimonium initum, perceptos; quia iniustè occupat beneficium, quod non est suum. Ita Toletus *lib. 5. Summ cap. 82.* Sanchez *cit. num. 10.* Insuper non potest hic matrimonio iā contracto, resignare beneficiū in fauorē tertii, quia nullū ius in id beneficiū ipsi superest, vt docet Flaminius *l. 3. de resign. benefic. q. 1. n. 28 & seqq.*

Toletus Sanchez

Flamin.

5 Probabilius est, quomodocumque & ex quacumque causa matrimonium sit irritum, non amitti beneficia ipso iure, sed in delicti pœnam, sententia iudicis accedente, contrahentem priuandum esse. Ratio est, quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum *de reg. iur. in 6.* Et quod nullum est, nullum potest producere effectum, nec est considerabile. Cùm ergo id matrimoniū irritum sit, nō inducet iuris effectū; nec ad id erit in consideratione. Hæc enim pœnalia non sunt extendēda, maximè cum in contrarium extent omnia iuris principia, clamantia quòd irritum est, nullum producere effectum. Et huius sententiæ sunt Ioannes de Lignano *c. 1. de sponsal. in 6.* cui adhæret Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 43. n 3.* Ex qua sententia deducitur posse clericum resignare beneficium in fauorem cuiuscumque, post matrimonium a se contractum, quod ex quauis causa est irritum, antequam eo priuetur per iudicis sentētiam; quia nō vacat ipso facto. At qui sustinent vacare, dicturi sunt eum non posse resignare in fauorem tertii, quod est etiam probabile. Vt docet Sanchez *cit. n. 11.*

Ioan. de Lignano Sanchez

Sanchez

Ex dictis infertur Ordinatum in sacris contrahentem matrimonium non amittere ipso iure beneficia *c. 1. de cleric. coniug.* ubi loquens de clericis in minoribus ducentibus uxores, decidit vxores, retinendas, beneficia dimittenda: de clericis in sacris, transeuntibus ad nuptias solū dicitur vxores esse dimittendas, vt sentiunt multi Canonistæ. Item beneficiarium contrahentem matrimonium irritum, vel ob consanguinitatem vel affinitatem, siue scienter, siue ignoranter, vel quando est irritum defectu ætatis, vel consensus, non amittere ipso iure beneficia.

5 Quando Parochus intra annum Sacerdotio non ordinatur, vacat ipsius beneficium ipso iure post integrum annum elapsum, & non quando tantùm pars eius elapsa esset, vt non posset is intra ipsum ordinari, habetur *cap. licet canon c. commissa, de elect. in 6.* Computantur autem annus a die possessionis pacificæ, si per eum steterit: si tamen legitimè fuisset impeditus, non computatur annus, vt si Episcopum intra annum non inuenit; vel infirmus fuit in lecto, vel si post impetrationem beneficii factus esset irregularis sine sua culpa, vt quia oculum amisit, vel aliam partem necessariam ex *cap. commissa*, & Glossa *ibi*. Hæc pœna etiam in Vicario perpetuo habet locum, *Clem. 1. de offic. vicar.* Item in Priore Cōuentuali, seu Claustrali siue in titulum, siue in commendam habeat Ecclesiam, *Clement. ne in agro, de stat. Monachor.* Non autem habet locum in Præpositis, Decanis & aliis, de quibus sermo est, *in cap. Cùm in cunctis, § inferiora, de elect.* Neque in Episcopis, aut aliis dignitatibus habentibus curam animarum in foro externo, neque in Ecclesiis Collegiatis; etiā si Parochiales sint, Glossa *cap. licet, Canon. verb. Parochialis, de elect. in 6.* & *cap statutum eodem*.

Glossa

7 Si Episcopus legitima auctoritate ab vna Ecclesia transferatur ad aliam, prima vacat per secundæ possessionem pacificam, *c. si quis iā trāslatus, 22. q 2.* Glossa *ib.* si nō legitima auctoritate, vtramque amittit ipso iure, *cap. quando, de translat.* Sed circa hoc est notandum *Primo*, per promotionem ad Episcopatum, post pacificam eius possessionem vacare omnia beneficia, etiam simplicia. *Secundo*, si intra tres menses confirmationem non petat, aut per ipsum stet, quominus intra id tempus confirmetur, amittit omne ius acquisitum per electionem, *c. quæsit. de elect. in 6.* *Tertiò*, Confirmatus, si infra tres menses non consecretur, aut per ipsum stet, amittit ius quæsitum, *cap. Cùm in cunctis, §. cum verò, de elect* *Quarto*, si electus non præstet consensum electioni infra mensem, aut tempus sibi constitutum, amittit ius, *cap. Quam sit de elect. in 6.* *Quinto*. stylus Curiæ Romanæ habet, vt etiamsi possessionem Episcopus non ceperit, beneficia eius tanquam vacantia conferantur, in quo potuit consuetudo à Papa scita & tolerata præualere, contra *c. Cùm in cunctis*, &c. *Sexto*, in Episcopis qui titulares dicuntur, non vacāt beneficia, quia possessionem Ecclesiarum nō apprehendūt, nec fructus percipiunt, Vt Mendoza *reg. 26. Cancell. q. 4.*

8 Certum est quæcumq; beneficia ante habita vacare professione Religionis approbatæ tacita, vel expressa: Constat ex *cap. Beneficium, de reg. in 6.* vbi deciditur, beneficia ingredientis Religionē conferenda non esse ante professionem tacitam, vel expressam. Ergo à contrario sensu possunt conferri statim ac nouitius profitetur. Ratio est, tum quia beneficium dicitur proprium habentis illud, ab illoque possideri, *cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* at religiosus nihil possidere, nihilque proprium habere potest. Tum quia per professionem religiosus moritur mundo: quare sicut morte naturali vacant beneficia, ita etiam hac morte ciuili. Hinc fit, ingredientis Monasteriū non vt fiat religiosus, sed solùm Monasterii conuersus, nō uacare beneficia, sed ab illo retineri, donec mutato animo uerè profiteatur, quia interim non est uerus religiosus nec mundo mortuus. Item nec uacare beneficia professione equitum militarium D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcātaræ, qui uulgò Commendatores appellantur, & similiū, quia professionem solemnem non emittunt, per quam fiant incapaces, secus autem dicendum de equitib. militaribus D. Ioannis, quippe cùm illi solemnem professionem emittant, est consequēter dicendum, eorum professione beneficia uacare. Item nec uacare beneficia Nouitii toto nouitiatus biēnio in Societate Iesu, quia Trident. *sess. 25 de reg. cap 16* confirmat institutum Societatis Iesu, quod biennium nouitiatus præscribit, quare cùm ex iuris concessione nouitiatus prorogetur, prorogari quoq; censetur tempus uacationis beneficiorum. Imò arbitratur Sāch. *l. 7 Moral. c. 4. n 7.* nec uacare ante solemnem professionem, uel uota coadiutorum formatorū, per quę religiosi Societatis redduntur omninò incapaces retinendi bona, quia textus *cap. Beneficium, de regul. in 6.* per solam professionē tacitam uel expressam, per quam redditur professus incapax retinēdi bona, decidit uacare beneficia. At per uota biēnii nō redduntur hi religiosi incapaces, iuxta Societatis Constitutiones, ergo non uacant beneficia.

Mendoza

Sanchez

cia. Cæterùm quamuis ea non vacent, in Cōgregatione tamen quinta generali ejusdem Societatis can. 5. statutum est, vt ea ante biennii vota resignentur, Quare non vacarent, si ea resignatio non fieret.

Hinc deducitur, si beneficia nouitij conferantur absque eius consensu ante professionem, collationem fore irritam, nec confirmari secuta professione, quia non vacabat tempore collationis, nec vacatio subsequens per professionem, reddit validā collationem, quæ initio irrita
Sanchez. fuerat, sed noua collatione opus est. Ita Sanchez *cit. n.* 8.

9 Ipso facto tantùm & non iure vacare dicuntur beneficia *Primo*, si possessor titularis beneficii, à corporali possessione deiiciatur vi, vel alio modo illegitimo: nam non desinit esse titularis, ideoque beneficium non vacat iure, Sed quia ille non habet possessionem, beneficium dicitur de facto vacare, donec spoliatus restituatur in integrum, *cap. Accepta, de restit. spoliat. Secundo*, si quis metu, aut vi cogatur cintrare beneficium, non ideò minus dicitur titularis, vnde beneficium de facto tantum vacat ex *c. Ad aures, & c. Ad audientiam, de iis quæ vi. Tertio*, si clericus per longum tempus absens sit à sua Ecclesia, censetur habere beneficium suum pro derelicto, quod ideò vacat ipso facto sed quia conferri alteri non potest, nisi post legitimā admonitionem absentis iuxta *c. Et eus, & c. Clericos, de Cleric. non resid.* nō censetur vacare de iure. *Quartò*, si beneficium collatum sit absenti, & ignoranti collationem, ipsum, vt pote nondum acceptatum à prouisio, vacat de facto, non autem de iure, quia Ordinarius non potest illud alteri conferre, ex *cap. si sibi absenti, de prabend. in 6.*

10 Vacant beneficia manualia, quoties Superior re-
Glossa. uocat collationem; item per mortem possidentis, vt docet Glossa *Clement. 2. verb. Per electionem, de rescriptis*.

Pro quo supponendū est, beneficia regularia esse duplicia, quædā collatiua, quædā electiua Collatiua dicuntur, quæ instar sæcularīū cōferūtur auctoritate, Superioris, electiua autē, quæ per electionē Canonicā suffragiis electorum cōferuntur, accedēte Prælati confirmatione.

Potest Prælatus ad libitum, & absque vlla causa Priorem manualem, & administratorem, seu beneficiarium, Monachū à suo Prioratu, administratione, vel beneficio remouere, per textum *in c. Cum ad Monasterium*, ibi: *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda*. At quod non potest absq; legitima causa auferri, dicitur omninò perpetuū, sæcularia enim beneficia, quæ perpetua sunt, possunt etiā legitima de causa auferri, Probatur ex *Clement. vnic. § Præmissa, de supplend. neglig. Pral.* ibi, *Liberè possunt ad Claustrum, cum oportuerit,*
Nauarr. *reuocari.* Non potest autem quid liberè fieri, cum causa
Lessius. legitima necessaria est. Ita Nauarr. *comment. 4. de regul. n. 22 & 25.* Lessius *l. 2. c. 41. dub. 12. num. 98.* Quod est verum *Primo*, vt procedat, licet Prælatus talem Prioratū, administrationem vel beneficium religioso contulisset, vt eo, per totum vitæ suæ tempus fruatur, uel promittēs se illud nunquam reuocaturū, quia sicut Dominus seruo obligari nō potest, *l. Interpositas, ff. de transaction.* ita nec Prælatus suo Monacho, tum etiam, quia huismodi promissio tanquam contraria iuri communi disponenti, nihil concedendum esse Monacho, quod ad Superioris nutum reuocari nequeat, est omninò irrita, vt habet com-
Sanchez. munis sententia apud Sanchez *l. 7. Moral. c. 29. n. 125.*

Secundo, habet locum conclusio, etiamsi Prælatus huiusmodi promissionem iuramento firmasset, incideret tamen hoc casu in periurium reuocando absque iusta causa, quia licet peccauerit, promittendo contra iuris dispositionem, non tamen peccat, non reuocando postea concessionem, quia nullo iure iubetur reuocare, & sic obligat iuramentum, iuxta regulam vulgarem, quoties
Rebuffus. impleri potest absque dispendio salutis æternæ Ita Re-
Sanchez. buffus *de pacific. possessor. n. 274.* Sanchez *cit. n. 126.*

Tertiò, ampliatur conclusio, quamuis non esset memoria hominum in contrarium, quod Superior beneficium illud regulari collatum nunquam reuocauerit, quia vel Superior nunquam reuocauit, quia noluit, & ob id non potest dici inducta consuetudo, nam ex actibus meræ facultatis, seu ex noo vsu non habente in se actum tacitum dispositioni iuris contrarium, non inducitur consuetudo, vt notatur *cap. Ioannes, de clericis coniug.* vel Superior voluit remouere, & ob possidentis potentiam non potuit, & hoc casu nequit dici inducta con- Rebuffus.
suetudo, cùm sit contra votum obedientiæ: Ita Rebuffus Panorm.
cit. n. 277. Panormitanus *in cap. ad nostram, num. penult.* Sanchez.
de confirm. vtili. Sanchez *cuat. cap. 29. num. 117.*

Quarto, ampliatur, vt procedat, etiamsi Prælatus cum Conuentu statuerit, vt ea beneficij collatio Monachis facta reuocari nequeat, absque consensu Conuentus, vel etiam cum illo, quo statuto non obstante poterit Prælatus beneficiarium ad sui libitum remouere, quia id statutum fieri non potuit in præiudicium Prælati successoris, neque Prælatus ipsemet potuit sibi legem imponere, a qua non sit ei integrum recedere, etiamsi id statutum iureiurando confirmatum sit, quia nihilominus reuocatio tenet licet reuocans incidat in periurium, tamen si id statutum auctoritate Superioris confirmatum sit, nequiret Prælatus beneficiatum reuocare, sed id spectabit ad Superiorem, à quo statutum confirmatum est: quia Superior confirmando manum apposuit, ac videtur id sibi voluisse reseruare. Ita Rodriguez *tom. 3. qq. reg. quæst.*
23. art. 9. Syluester *verb. Abbas, quæst. 4. num. 7* Panor- Rodriq.
mit. *in cap. cum ad Monasterium, num. 11. de statu Mo-* Syluest.
nachor. Panorm.

11 Regularis iuuari non potest pacifica possessione triennali talis beneficii manualis, ne molestari possit, iuxta regulam 35. Cancellariæ, de triennali; quia ea est talium beneficiorum natura, vt possint ad Superioris nutum auferri. Imò regularis spoliatus huiusmodi beneficiis à Prælato absque iusta causa, non potest contra illum de possessorio agere, petendo se ad pristinam possessionem restitui; quia Prælatus spoliando vsus est iure suo, & ideò nullam ei fecit iniuriam. Si tamen Prælatus reuocaret ex malitia, vt ratione mali animi, & odii, vt quando accusatus ab eo, vel ad eius instantiam inquisitus spoliaret, posset quidem Regularis beneficiarius reuocatus officium Superioris implorare, ne remoueatur quia præsumitur id efficere animo vlciscendi, vt & malo
Potest autem regularis conqueri de tertio, si eum spolia- Rebuffus.
uit, petendo se restitui. Ita Rebuffus *de pacific. possessor. n.* Nauarr.
274 & 275. Nauarrus *comment. 2. de reg. n. 65* Azorius Sanchez.
part. 1. lib. 12. cap. 11. quæst. 9. Sanchez *cit. cap. 29. n. 114.* Azorius
& 115. qui ex Nauarro docet malum animum præsumi quando Prælatus accusatus a regulari, vel dum contra eum inquiritur ad instantiam illius regularis spoliaret eum beneficio. Vnde concludit ferè semper Galliæ Parlamenta restituere regulares spoliatos, quia rarò accidit vt spolientur, nisi ob indignationem.

Sed quid dicendum de beneficio electiuo, vel Parochiali, vel quando regularis præficitur beneficio sæculari, non vt religiosus, vide à nobis dicta *in tom. 1. verb. Religio 1. num. 9.*

12 Quando Summus Pōtifex contulit regulari Prioratum manualem, vel beneficium, potestate ad ipsum deuoluta, ob Prælati negligentiam, tunc non alteratur natura beneficii manualis, sed sicut ante Papæ collationem poterat Prælatus ad suum libitum beneficiatum remouere, ita etiam post collationem, quia non præsumitur in hoc casu voluisse Pontificem mutare naturam beneficii vt colligitur ex *Clement. vnic. de supplend. neglig. Prælat.* Quia nec plus, nec aliter confert supplens negligentiam, quam negligēs debebat conferre, cum non tanquā prin-
cipalis, sed tanquā ipsius subrogatus conferat. Ita Glossa Glossa
in dict. Clement vnic. verb. Reuocari, Selua *de benef p. 3. q.* Selua.
69. n. vlt. & alii apud Sanchez *cit. c. 29. n. 133.* Quando au- Sanchez.
tem Summus Pōtifex, cessante omni negligentia Prelati contulit talem Prioratum, aut beneficium religioso expressè, vt debeat quoad vixerit, possidere, tunc nō poterit Prælatus eum remouere, iuxta textum *in c. cum inter, de elect.* Rebuff. *de pacific. possess. n. 281.* Si verò cōtulit simpliciter, tunc poterit à Prælato amoueri ad suum nutū,
sicut potuisset, si ipsemet illud contulisset. Ratio est, quia Rebuffus.
cùm Papa concurrat in collatione beneficiorum cum omnibus Ordinariis, simpliciter conferendo non videtur beneficii naturam alterare voluisse, & regulare manuale facere perpetuum. Si autem non simpliciter, sed ex certa scientia illud contulisset, nequiret Prælatus reuocare, quia

re: quia tunc Papa censetur manum imponere, volens id negotium sibi reseruari. Ita Rebuffus *cit. n. 279. & seq.* Nauarrus. *Comment. 2. de regul. n. 6. vers. 7.*

Rebuffus. Nauar.

13 Quando Prælatus beneficium aliquod manuale contulit alicui religioso, qui deinde eius confirmationem à Summo Pontifice obtinuit ex certa scientia quamuis illud fuerit ad nutum Prælati amouibile, tamen non poterit religiosus ab eo remoueri, absq; ipsius Summi Pontificis licentia; sed sicut prius erat Abbatis, seu Prælati obedientiarius; postea vigore confirmationis efficitur obedientiarius Papæ, quoad confirmationem tantum, nẽpe, vt non possit ad libitum remoueri, & vt nemo, nisi Summus Põtifex, possit de iure cõfirmationis cognoscere; in reliquis autem omnibus remanebit Prelato, sicuti antea subiectus; & ita renunciatio, & permutatio illius beneficij, ipsius Prelati auctoritate fieri debet. Nau. *Comment. 2. de regul. sub. n. 65.* Rebuffus *de pacif. poss. n. 279. & 280.* Rodriguez *tom 1. qq. reg. q. 34. art. 2* Notandum tamen est *Primo*, si religiosus ille crimen aliquod priuatione dignum committat, licet beneficium sit ei in perpetuum à Papa collatum, vel ex certa scientia confirmatum, poterit nihilominus à Prælato illo priuari. *Secundo*, quod licet beneficium regulare manuale per talem Papæ collationem, aut confirmationem fiat perpetuum; non exinde dicatur omnino mutasse naturam suam: sed obeunte illo, cui collatum, vel confirmatum est, redibit ad naturam suam, & sic deinceps poterit ad Superioris nutum auferri. Ita Sanchez *cit. c. 29. n. 139 & 141.* & alii ab ipso citati. Et hæc de beneficiis satis, vide Canonistas, ista enim nostram professionem excedunt.

Nauar. Rebuffus. Rodrig.

Vide v. Excommunicatio, 2. *n.* 22. Pœna *n.* 2.

B E S T I A L I T A S

S V M M A R I V M.

1 *Bestialitas quid sit, & quale peccatum.*
2 *Concubitus cum dæmone, an sit eiusdem speciei cum bestialitate.*
3 *Ex concubitu cum dæmone, an possit sequi generatio?* Refertur duplex sententia.
4 *Magnum scelus concubitus Lamiarum cum dæmone præpostera venere.*

1 BEstialitas est cum quis bestiæ commiscetur; est peccatum mortale, & grauissimum omnium eorum quę contra naturam fiunt: pro hoc peccato iure ciuili mortis pœna statuitur; non est autem necesse in confessione dicere cum qua bestia qui peccauit; quia hæc est species specialissima, & vnum est specie motiuum in omnibus, nimirum venerea delectatio cũ re diuersæ speciei. D Thomas *2. 2. q. 154. art. 11. & 12.* Clauis Reg. *lib. 8. c 5.* Azorius *3. p. lib. 3. c. 22.* Filliucius *tract. 30. n. 161.* Diana *de circum resol. 2. p 1.* Bonacina *de matrim. q. 4. p. 12.*

D. Thom. Clau. Reg. Azorius. Filliucius Diana.

2 Ad speciẽ bestialitatis pertinet concubitus cũ dæmone, quãdo in assumpto corpore is sit incubus, vel sucubus, siue assumat corpus bestiæ, siue viri, siue mulieris, siue alterius rei, tamẽ alio respectu hic cõcubitus differt à bestialitate, specie, ratione superstitionis illius, ad quam spectat societas cũ dæmone. Regin. *li 22. n. 51.* Filliuc. *c. n. 162.* An autem omnis concubitus cum dæmone sit eiusdem speciei, dicendum est cum Caietano, esse, quantum est ex natura actus: quantum autem ex parte affectus, possunt esse diuersæ speciei, nam si quis cum dæmone coeat in specie mulieris affectu fornicario, vel adulterino, vel incestuoso, erit præter peccatum bestialitatis, & superstitionis, etiam peccatum fornicationis, adulterii, incestus, & si cum eodem in specie viri affectu sodomitico, erit sodomia, & sic de aliis. Ita Caietanus *2. 2. q. 154. art. 11. ad 3. dub.* Sà. *v. Luxuria, n. 6* Graffiis *lib. 2. cap. 89.* Bonacina *cit. num. 3.*

Reginald. Filliucius. Caietanus. Sà. Graffii. Bonacina.

3 Ex concubitu cum dęmone, & immisso semine viri in vas muliebre generationem posse sequi sentiunt D. Thom. & sequaces illius, multaque eorum exempla referuntur, qui per incubum humano infuso semine progeniti sunt: Negant D. Ioannes Chrysostomus, & quidã alij apud Victorellum *in addit. ad cap. 13. lib. 5. Summa Toleti*. Sed prima sententia est tenenda. Ratio est, quia diabolus semen aliunde acceptum (v. g. in ea, quæ somnianti viro contingit, illusione) potest deferre, & qua est agilitate, & naturalium rerum peritia, calorem prolificum in semine, quantumuis ille subtilis, & aereus sic, & facile dissipabilis, conseruare, & illud denique quo momẽto mulier ad cõcipiendum optimè disposita est, quod eum non latet, tum illud matrici sic infundere, vel naturali vi attrahendum exhibere, & muliebri semini commiscere.

Victorel.

Notandum tamen est, tunc prolis verum patrem non fore dæmonem, sed illum hominem, cuius semine dæmon abusus fuerit; dæmon enim nequit, vi sua, & ex propria substantia, more animantium generare, cum sit substantiæ, incorporeę; & ideo de suo non potest corporeũ semen præstare, est etiã expers animæ, vegetantis autem animæ functio est, naturali calore cibum acceptum concoquere, vnde semen nihil aliud est, quam pars substantię corporeæ viuentis, & residuum cibi optimè concocti.

Sed petes, vtrum etiam ex succubo dæmone, & viro vere concipi possit fœtus humanus, Communis sententia Thologorum, & Physicorum est negatiua: Ratio est tũ quia verisimile non est, vitalem illum actum, quo mater in conceptione prolis debet concurrere, posse sufficienter imitari sucubum dæmonem. Tum quia non potest menstruum sanguinem idoneum suppeditare, vt qui digestionem nullam habeat, nullum verũ sanguinem. Tum quia vt hæc omnia posset, qui poterit sufficere nouem mensium gestationi, fomentis illis vitalibus, alimento fœtus vitali, quod non potest esse nisi à vegetante matris anima Vide D. Thomam *in 2. dist. 8. q. 1. ar. 4.* D. Bonauenturam *ibid. art. 3. q. 1.* Delrium *de magia, lib. 2. q. 15.* Molinam *1. part. q. 50. art. 1.* Malderum *2. 2. tract. 10. cap. 8. dub. 10.* & alios ab ipsis citatos, Porrò contra improbitatem incuborum, & sucuborum, dæmonum remedia sunt, exorcismi, exercitatio sacra, qualis est vsus signi Crucis, salutatio Angelica, inuitatio ad Dei benedictionem, Sacramentalis confessio, Loci mutatio; Impuri spiritus solemnis excommunicatio: Sanctarum reliquiarum gestatio, frequens communio, &c.

D. Thom. Delrius. Molina Malderus.

4 Concubitus Lamiarum cum dęmone præpostera venere duplex est lethale scelus, vnum contra genus; alterum extra naturale vas, & ideo crimen magis graue, quant cum eodem humano more congredi. Ita Delrius *citatus supra*.

Vide *Luxuria* n. 4. 23.

B I G A M I A

S V M M A R I V M.

1 *Bigamia quid sit*
2 *Triplex bigamiæ species.*
3 *Quomodo contrahatur bigamia.*
4 *Qui ante Baptismum bigamiam contraxit, si postea baptizetur, an fiat irregularis.*
5 *De modis, quibus incurritur bigamia interpretatiua.*
6 *Ducens vxorem viduam vel fornicariè cognitam, seu inualide, an sit bigamus atque irregularis,* Refertur duplex sententia.
7 *Bigamus non est ducens fœminam à se solo defloratam.*
8 *Maritus cognoscens vxorem adulteram Ecclesia præcipiente, fit bigamus, & irregularis.*
9 *Multiplicitas matrimonii rati nondum consummati, multiplicata sponsalia, multiplicata fornicationes, vel adulteria ex parte viri, non inducunt bigamiam.*
10 *Ex impura venere non oritur bigamia: sed bene si quis ducat fœminam quam putabat virginem, & non erat corrupto vitio post matrimonii consummationem.*
11 *Summus Pontifex, & Episcopus, an possint dispensare cum quocumque bigamo.*
12 *Dispensat Episcopus in bigamia similitudinaria; Abbates autem, & alii Prælati id non possunt, nisi habeant specialia priuilegia.*

1 Bigamia

1 BIgamia est *multiplicatio nuptiarum*; qui enim plures contraxit bigamus cenietur; hinc bigamiæ irregularitas est ob defectum Sacramenti, quia matrimonium cum altera vxore non perfectam significat coniũctionem Christi cum Ecclesia, quippe qui vnicam sibi copulauit, *c. debitum, de bigam.* Sayrus, *de censur. lib. 6. c. 3.*

Sayrus.

2 Bigamiæ species triplex assignatur. *Prima* est bigamiæ veræ, quæ est quoties quis cum duabus legitimis vxoribus matrimonium consummauit. *Secunda* est bigamiæ interpretatiuæ, quæ est cum quis duxit non virginẽ, vel si virginem, eam tamen post adulterium cognouit. *Tertia* est bigamiæ similitudinariæ, nempè cùm sacris constitutus, aut professus, matrimonium init, & consummat. Et hoc verum, quamuis fœmina cum qua matrimonium contrahitur virgo sit: quia hic post matrimonium similitudinarium initum cum Christo per votum solemne castitatis, de facto ad alias nuptias transiuit, eas copula consummans. Hæc autem irregularitas non oritur ex significationis defectu, sed ex delicto, vt constat ex *c. Nuper, & c. fin. de bigamis*, Sanchez, *de matrim. lib. 7. disp. 83. n. 2.* Filliuc. *tr. 19. n. 97.* Bonac. *de irregul. disp. 7. q. 2. p. 5. n. 2.*

Sanchez. Filliucius. Bonacina.

3 Probabiliùs est pro foro conscientiæ, ad bigamiam contrahendam non solum requiri copulam, sed & seminis virilis intra vas fœmineum immissionem: licet quidam apud Sanchez non improbabiliter ad bigamiæ irregularitatem satis esse penetrationem vasis membro virili factam existiment; quorum sententia posset habere locũ in foro externo ob præsumptionem perfectæ copulæ. Sãchez, *c. n 6.* Vega, *1. tom. sum c. 38.* Borgasius, *de irreg. p. 5. 1 de bigam. n. 21*, Imò ad hanc bigamiam probabilis sententia quorumdam requirit non solùm effusionem seminis virilis, sed etiam fœminæ; quia ex Medicorum sententia semen fœmineum est necessarium ad generationem, & consummationem matrimonii. Ita Præpositus, *3. p q. 5. de matr. dub. 9. n. 81.* Diana, *4. p. tr. 2 res. 43.*

Sanchez. Vega. Borgasius.

Hinc inferunt Doctores contrahentem, ac consummantem matrimonium cum ea, quæ non membro naturali viri cum seminis effusione corrupta est, minimè effici bigamũ, aut irregularẽ; quia carnẽ suã in plures nõ diuisit, & ad bigamiã nõ consideratur uirginitas formalis, sed diuisio carnis in plures. Quippe violenter corrupta cũ seminis immissione, est formaliter virgo, & tamen illã ducens redditur bigamus; & similiter volũtariè polluta absq; virili congressu; est solum materialiter virgo, & illã ducẽs nõ est irregularis. E contra, quãuis fęmina virgo sit quoad corpoream integritatem, si tamen virile semen ex concubitu quacumque arte receperit, id sufficiet ad bigamiam; quia ea copula matrimonium consummatur, & efficitur fœmina vna caro cum eo, cuius semen recepit.

Diana.

4 Qui bigamiam contraxit ante Baptismum, si postea baptizetur, fit irregularis; quia in matrimonio cum duabus, etiam ante Baptismum, deest significatio Sacramenti talis enim suam carnem diuisit in plures; ergo erit inhabilis ad significandam coniunctionem Christi cum vna Ecclesia: licet enim quidam doceant D. Hieronymum secùti, Baptismo bigamiam auferri; in contrariam tamen sententiam eunt vniuersi ferè Theologi, & omnes Doctores iuris Pontificii in *cap. Gaudemus, de diuort.* & iam est hoc definitum, *c deinde*, 26. Baptismus enim culpas tollit, morales, non legales defectus, & verissimum semper erit carnem bigami in plures esse diuisam; præterea sicut Baptismus non tollit matrimonium, ergo nec irregularitatem, quæ ex illo sequitur; est enim prærogatiua ordinis, vt ad eum accessus non pateat nisi monogamo. D. Thom. *4. d. 27. q. 3. ar. 2. c. si quis viduam, d. 34* Toletus, *lib. 1. c. 60.* Sayrus, *de censur. lib. 6. c. 3. n. 23.* Sanchez, *c. n. 8. & 9.* Layman, *lib. 1. tr. 5. p 5. c. 6. n. 8.*

D. Thom. Toletus. Sayrus. Sanchez. Layman.

5 Bigamia interpretatiua quatuor modis incurritur. *Primò*, quando quis duo init matrimonia, & consummat alterum de iure validum, alterum de facto irritum. *Secundò*, quando duo init matrimonia de facto, idest ambo irrita. *Tertiò*, quando quis ducit viduam à priori viro cognitam, vel per fornicationem corruptam, & cum ea consummat matrimonium. *Quartò*, quando virginem à se ductam, & posteà adulteram cognoscit. Sanchez, *c. lib. 7. disp. 84. n. 2.* Suarez *de censur. dist. 49. sect. 2.* Sayrus, *cit. cap. 4.*

Sanchez. Suarez. Sayrus.

6 Secundùm probabilem sententiam Nauarri, *c. 27. n. 195.* Rodriquez, *tom. 1. sum, c. 157.* Henriquez, *lib. 12. c. 6. n. 9.* Bonacina, *c. n. 2.* & aliorum ducens vxorem viduam, vel fornicariè cognitam, inualidè tamen propter aliquod impedimentum, modò id non proueniat ex professione, aut ordine Sacro, bigamus nõ est neque irregularis; quia ista irregularitas non est in iure expressa; non enim est vera bigamia, tacita, vel similitudinaria; cùm non contrahat cum duabus, neque cum vna validè, & cum alia inualidè, aut cum ipsa uidua ualidè, aut post uotum solemne castitatis. Et hæc sententia Romæ in Sacra Pœnitentiaria approbata fuit, ut testatur Nauarr. Quamuis Couarr. *Clem. si furios. de homic. 1. p. . 2. n. 2.* Suarez, *c. dist. 49. sect. 3.* dicãt contrariam esse communem.

Nauarr. Rodriq. Henriq. Bonacina. Couarr. Suarez.

7 Communior, & celebrior sententia est ducentem fœminam à se solo defloratam, bigamum non esse nec irregularem: quia irregularitas ducentis corruptam ideò contrahitur, quòd cum fœmina, cum qua uir efficitur una caro, diuiserit carnem suam in plures, censeatur etiam uirũ diuisisse ex ioris interpretatione, quod hìc nullatenus reperitur: uxor .n. non diuisit carnem suam in plures; cùm ab uno solo cognita fuerit. Toletus, *lib. 1. c. 60. nu. 8.* Rodriquez, *c. c. 157. n. 4.* Henriq. *lib. 12. c. 6.* Sayrus, *libr. 6. c. 4. num. 17.*

Toletus. Rodriq. Henriq. Sayrus.

8 Receptissima sententia est apud omnes ferè Doctores, maritum cognoscentem uxorem adulteram, Ecclesia præcipiente, uel eò quòd lis pendeat, uel quia nequit adulterium probare, esse bigamum, & incurrere hanc irregularitatem, quia bigamia hæc non inducit rationem punitionis, & pęnæ: & ita nil mirum est, si contrahatur absque delicto, imò ob actum meritorium, & obligatoriũ onde omnis irregularitas, quæ procedit ex quacumque bigamia, siue quæ cum peccato, siue quæ sine peccato cõtrahitur, est centenda ex defectu reductiuè, & non ex delicto, quia quamuis aliquis sit bigamus cum delicto, non propter delictum irregularis, & bigamus declaretur, sed propter Sacramentum. Henriquez, *c. c. 6. n. 6.* Nauar. *c. 16. n. 27.* Couarr, *c. 1. p. §. 2. n. 2.* Rodriquez, *c. c. 157. n. 5. concl. 3.* Toletus, *c. c. 68.* Diana, *4. p. tr. 2. res. 41.*

Henriq. Nauarr. Couarr. Rodriq. Toletus. Diana.

An autem dicendus sit bigamus, & irregularis, qui ignoranter cognouit uxorem post eius adulterium perpetratum? Responsio est affirmatiua, unde talis postea mortua uxore, non potest ordines Sacros suscipere. Ratio est, quia contrahitur bigamiæ irregularitas ex quacumque adulterij ignorantia, si post illud cognoscatur; quia hic nõ agitur de uitio promouendi ad Ordines, ad quos desideratur scientia; sed de significationis defectu, quem potest pati ignorans. Et lex promotionis factum requirit non uoluntatem, *c. vlt. 15. q 1.* Idem dicendum est, quamuis fęmina sit ui præcisa cognita, illam enim ducens, aut iam ductam uirginem cognoscens post id adulterium uiolentum, efficitur irregularis, & bigamus: quia uis illa præcisa excusat fęminam à culpa: at non efficit matrimonium illud esse aptum ad significandam coniunctionem Christi cum una Ecclesia. Ita cum pluribus à se citatis Sanchez, *de matr lib. 7 disp. 84. n. 15.* & nouissimè Caspensis noster *tom. 2. tr. 25. disp. 5. sect. 14. n 97.* Licet quidam asserant cognoscentem ignoranter uxorem adulteram repelli ab ordinibus suscipiendis, non autẽ a receptorum executione. Imò Præpositus, in *3. p.* D. Thom. *q. 5. dub. 7. n. 135.* putat probabilem talem non incurrere irregularitatem: quia Canones requirunt, ut uxor commiserit adulteriũ, quod non committit, dum ui ab alio cognoscitur: nam leges in odiosis sunt restringendæ, nec ualet dicere, quòd qui ducit corruptam ab alio, etiam ui, sit irregularis, ergo. Resp. de hoc esse expressam iuris decisionem, quæ non est in nostro casu. Ad argumentum Sanchez, respondetur, ob defectum illius significationis hanc irregularitatem non fore incurrendam, nisi esset iure imposita: in nostro autem casu non sufficienter constare, quòd sit apposita in iure.

Sanchez. Caspensis.

9 Multiplicitas matrimonii rati, nondum consummati non inducit bigamiam: consequenter ille non est bigamus qui contraxit cum una, eaque mortua ante consummationem matrimonii, nouum matrimonium contraxit cum uirgine, & cum ea copulam consummauit, *C. debitum, de bigamia*, Toletus, *lib. 1. c. 61. 62.* Item multiplicata

Toletus.

sponsalia

ſponſalia non inducunt bigam am, etiamſi ſubſecuta ſit copula, quia hæc non ſignificant coniunctionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, ſicut ſignificat matrimonium conſummatum, Valentia, *tom. 4. diſt 7. q. 19. p.* 3. Item nec multiplicatæ fornicationes, vel adulteria ex parte viri non pariunt bigamiam, nam ad hanc, non ſufficit quælibet copula ex parte viri, ſed requiritur, vt copula habeatur cum iis, cum quibus contraxit matrimonium: conſequenter Presbyter, qui plures concubinas habuit, non ligatur irregularitate bigamiæ, *c. acutius*, 28. q. 3. Bonacina, *c. n. 7.*

Valentia.

10 Ex impura, & nefanda venere extra vas naturale non oritur bigamia; quia ex nullo titulo apparet hanc eſſe bigamiam, vt ait Viualdus, *de Sacr. 2. p. n.* 23. & 25. Bigamus tamen eſſet, qui duceret fœminam, quam putabat virginem, ſed poſtea comperit non eſſe virginem, conſummato rum ea matrimonio: ignorantia enim non excuſat à bigamia, cùm non efficiat, quin caro illius fœminæ in plures diuiſa fuerit Suarez, *c. diſt. 49. ſect.* 2. Filliucius, *c. n.* 107. Sicut etiam bigamus eſſet, & irregularis, qui ſuam vxorem carnaliter cognoſceret, poſtquam ipſa, credens virum mortuum eſſe, contraxit bona fide, & conſummauit matrimonium cum alio, quia titulo matrimonii; & affectu maritali accedit ad fœminam ab alio cognitam, Toletus, *lib. 1. c. 61. n. 7.* Nauarrus, *c. 27. n.* 195. Sayrus, *cit. c. 4. n. 19.*

Viuald. Suarez. Filliucius. Toletus. Nauarrus. Sayrus.

11 Papa diſpenſare poteſt cum quocumque bigamo ad omnes ordines maiores, & minores, & ad quaſcumque dignitates; quia hæc irregularitas eſt introducta de iure poſitiuo in quo Papa diſpenſat, Sanchez, *c. diſt.* 86. Sayrus, *cit. num.* 10.

Sanchez. Sayrus.

Ad minores autem Ordines ſuſcipiendos, vel ſuſceptis vtendum, ſecundùm quoſdam Doctores in bigamia vera ſeu interpretatiua diſpēſat etiam Epiſcopus; licet id multis non placet, Sanchez; *cap. 11.* Miranda, *tom. 2 qu 8. art. 2. concl. 2.*

Sanchez. Miranda.

12 Epiſcopus poteſt diſpēſare in bigamia ſimilitudinaria cum eo qui contraxit cum virgine iure ſibi hoc concedente, *c. 1. qui cleri, vel, &c.* Sayrus, *cit. c. 6. n* 14. Diana, 4. *p. tr. 2. reſ. 62. 63.* Abbates verò, & alii Superiores Religioſi non poſſunt diſpenſare in bigamia vera, vel interpretatiua, niſi habeant ſpecialia priuilegia.

Sayrus. Diana.

De Bigamia vide verb. *Abbas*, numer. 8. *Irregularitas*, 4. numer. 6.

BLASPHEMIA.

SVMMARIVM.

1 *Blaſphemia quid ſit.*
2 *Blaſphemia an ſit contra Religionem, & laudem Dei, vel contra Fidei profeſſionem.*
3 *Peccatum blaſphemia, an conſiſtat in intellectu, vel in voluntate.*
4 *Duplex eſt blaſphemia, alia eſt hæreticalis, alia ſimplex.*
5 *An blaſphemia ſit, in ira, vel rixa cum aliquo, enunciare aliquid de Deo, explicitè, vel implicitè, quod eſt verum.*
6 *Blaſphemia ordinariè eſt peccatum mortale; nec fit veniale ratione paruitatis materiæ.*
7 *Aliquid falſi de Deo dicere ioco, aut alio fine, non ex indignatione, an blaſphemia ſit? & quid ſi de Deo vera dicat, irriſoriè tamen, aut cum indignatione.*
8 *Omnes blaſphemiæ non hæreticales an ſint eiuſdem ſpeciei, tam contra Deum, quàm contra Sanctos? & an qualitas blaſphemiæ ſit explicanda in Confeſſione.*
9 *Pœnæ aduerſus blaſphemos conſtituta in veteri lege, iure ciuili, & canonico.*
10 *Blaſphemia crimen eſt mixti fori.*
11 *Aſſueti maledicta in Deum, vel Sanctos paſſim conferre, an ſint abſoluendi.*

1 Blaſphemia eſt *locutio falſa contra Deum, Sanctos, aut res ſacras per modum contumeliæ.* D. Thom. 22. q. 13. *ar.* 1. Syluius *ib.* Valentia 2. 2. *diſp. 1. q. 13. p. 1.* Bannes 2. 2. q. 13. *art. 1. not.* 2. Sanchez *lib. 2. moral. c. 32. n. 6.* Toletus *lib. 4. c.* 13. Filliucius *tr. 25. c. 8. & 9.* Nauarrus *in Man. c.* 12. *n.* 81 Reginaldus *lib.* 18. *n.* 195. 196. Dicitur *Locutio*, vt comprehēdat blaſphemiam mentalem, & vocalem, nam ſicut in fide duo ſunt aſſentiri articulis fidei, & eos corde vel ore pronunciare; ita in infidelitate duo ſunt diſſentire veritati reuelatæ, & dicere intus, vel foris contraria fidei: prima duo pertinent ad fidem, & fidei profeſsionem. alia duo ad infidelitatem, & blaſphemiam Dicitur *Falſa*, quia omnis blaſphemia aliquid falſitatis habet, ſiue ex vi enuntiationis, ſiue ex intentione blaſphemantis, ſiue ex modo elocutionis, v. g. Deus noſtra non conſiderat, pœniteat Deum, vtinam hoc Deus ignoraret &c. Quamuis enim in oratione imperatiua aut optatiua non poſsit eſſe falſitas; vt docent Philoſophi, intentio tamen loquentis, & modus loquendi in actu exercito, inuoluunt quandam falſitatem v. g. Deum poſſe tangi pœnitentia, poſſe aliquid ignorare Dicitur, *Contra Sanctos aut res ſacras* quatenus videlicet ad Deum pertinent, tūc enim talis blaſphemia, vltimo tendit in Deum, atque adeò eſt eiuſdem ſpeciei cum blaſphemia immediata. Idem locum habet in aliis creaturis, ſi maledicantur, quatenus creaturæ Dei ſunt, vel inſtrumentum quo Deus nos punit, &c. Hæc enim maledicta, ſunt blaſphemiæ, non quatenus terminantur ad creaturas, ſed quatenus redundant in Deum.

Toletus. Nauar. Reginald.

2 Blaſphemia propriè, & formaliter eſt contra religionem, & laudem Dei; quia eſt quædam contumelia verbalis in Deum vel in ſanctos: preſsius tamen uſurpando nomen blaſphemiæ, pro verbo contumelioſo, continente vel ſapiente hæreſim, blaſphemia opponitur fidei ſecundum D. Thom. c. *art.* 1. vt quando Caluiniſta dicit Chriſtum in Euchariſtia non eſſe adorandum, quia ita ſentit, hic actus eſt directè imperatus ab infidelitate ſeu hæreſi, & confeſsioni fidei contrarius. Similiter ſi quis dicat *B. Mariam* non eſſe virginem, animo negandi fidem, ſaltem exterius, licet interius non ita ſentiat. Ratio eſt, quia ſignificatio contraria fidei, quæ eſt ipſa materia ſeu verbis, eſt directè volita, ideo enim profert iſta verba, vt per ea ſignificet res ſe habere, & ſe ita credere Leſsius *lib. 2, cap. 45. dub. 5. num.* 23. Nauarrus *c. 12. n.* 82. Filliucius *c. n.* 11.

Leſſius. Nauar.

3 Peccatum blaſphemiæ ſicuti, & heræſis in intellectu conſiſtit: quamuis requirat prauam voluntatis diſpoſitionem ſeu affectionem formalem, vel virtualē, exterioribus autem verbis aliiſue ſignis manifeſtatur; magiq; conſumatur: vnde ſi quis outu, vel alio facto externo, verbi gratia in cœlum expuendo, Deo contumeliam inferat, erit hoc peccatum à Blaſphemia eſſentialiter non diſtinctum, ſed ad eam reducendum. Suarez *tom. 2. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. num.* 3. Leſsius *c. dub.* 5. Filliucius *c. num.* 9 & alii.

Suarez. Filliucius.

4 Blaſphemia alia eſt hæreticalis, alia ſimplex: Sanchez *lib. 2. mor. c. 32. n.* 11. & 36. Azor. *p. 1. l. 9. c. 28. qu.* 1. & 2 Layman *l. 4 tra. 10. c. 6. n. 7.* Suar *c* c. 5. *n.* 8. Filliucius *c. n.* 17. Toletus *lib. 4. c. 13. n. 8.* hæreticalis illa eſt, quæ articulis fidei directè opponitur, ſeu qua aliquid aſſeritur fidei contrarium; puta quando quis aſſentitur intellectu his quæ corde vel ore dicit, tribuēdo aliquid ipſi non conuenit v. g. improuidū iniuſtū eſſe: hæreticus eſt & Blaſphemus & pęnis cenſuriſq; hæreticorū ſubiacet. Simplex autē blaſphemia, ſeu non hæreticalis, dicitur illa, quæ nec formaliter, ne virtute contioet falſitatem contra fidei veritatem, quales blaſphemię ſunt illę, quæ per modos optandi imperandi aut imprecandi proferuntur, item illæ quæ fiunt nominando aliquid quod reperitur in Deo vere, ſed per modum contumeliæ, & irriſionis; vt ſi quis nominet membra Chriſti pudenda.

Sanchez. Azorius. Layman. Suarez.

5 Non eſt proprie blaſphemia in ira vel rixa cum aliquo enūciare aliquid de Deo explicite vel implicite quod verum eſt, v. g. *Corpus Dei, Vulnera Dei, Chriſma, Sacramenta Dei*, ſi effectus indignationis non tendeat contra Deum, ſed tantum contra hominem, vel iumentum, cui aliquis iraſcitur; vnde tale peccatum eſt potius irreligioſitas quam blaſphemia, & ideò tantum veniale peccatum eſt, quamuis ob ſcandalum vel pericolum formaliter blaſphemandi mortale fieri poſsit Nauarrus *c.* 12. *n* 85. Caiet. *in ſum. v. blaſphemia.*

6 Ordi-

6 Ordinariè blasphemia est peccatum graue mortiferum; quia ex natura sua grauem Deo infert iniuriam, & est grauius idololatria periuratione, violatione voti, & sacrilegio; potest tamen esse peccatum veniale ex indeliberatione, & inaduertentia, vt cum homo ira aliqua, vel alia motus pasione, non aduertit verba blasphemiæ quæ protulit D. Thom. *c. art.* 2. Suarez *c. c.* 6. Nauar. *c.* 11. *n.* 84. Filliucius *c num.* 20. Si autem homo esset ita assuetus blasphemare, vt nec curaret emendationem, in statu peccati mortalis esset, ob culpam præcedentem puta quia non abstulit occasionem peccati; & ita ipsi indirectè siue in causa volūtaria blasphemia censeretur Laym. *c. n.* 3. Sanchez *c. lib.* 3. *c.* 5. Toletus *lib.* 4. *c.* 13. Ratione autem paruitatis materiæ non videtur fieri posse peccatum veniale, quia non datur paruitas materiæ in blasphemia cum omnis blasphemia grauem videatur Deo inferre iniuriam nisi ita ioco proferatur, vt non reputetur Deo irreuerentiam afferre. Bonacina *in decal. dist.* 3. *q.* 8. *p.* 3. *n.* 2. Reginaldus *c. n.* 198. Syluius *cit. art.* 2. Diana *p.* 5. *tract.* 5. *res.* 3.

D. Thom. Suarez. Nauarr.

Layman. Sanchez. Toletus.

Bonacina. Reginald. Syluius.

7 Quando quis non seriò, non ex indignatione Deum lædente, sed ioco aut alio fine de Deo aliquid falsi dicit, non blasphemat; e contra, vera dicere de Deo, aut Christo irrisoriè, aut cū indignatione, blasphemia est, si irrisio aut indignatio ad Deum spectet. Ratio est, quia tunc in actu exercito, & implicitè significas Deum mereri indignationem aut irrisionem. Si vero indignabunde in iurgio Dei sanguinem vel corpus appelles, & hæc verba proferas tantum ex indignatione circa illum, cum quo contendis, erit tantū peccatū veniale, vt notat Caiet. *v. Contumelia.* Ratio est, quia nihil significatur hic falsi de Deo; corpus. n. & sanguis Dei vere potest dici de Deo: post Verbū Dei incarnatum. Si autē eadem verba iactes cum indignatione erga Deum, peccabis mortaliter, esto verba illa ex se sint vera, propter rationem iam dictam. Valentia, *tom.* 3. *d* 1. *quest.* 13. *p.* 1.

Valentia

8 Omnes blasphemiæ quę non continent hæresim, sunt eiusdem speciei, tam contra Deum, quam contra sanctos; quia blasphemia, quæcumque sit, repugnat religioni qua tribuitur Deo cultus: sed religio, qua tribuitur cultus Deo, & Sanctis propter Deum, est vnius speciei, ergo. Tamen si blasphemia procedat ex odio, vel desperatione, infidelitate, idest necessariò in confessione explicandum; quia etsi ipsa blasphemiæ malitia per se sit eiusdem rationis, tamen accedit noua, & distincta malitia ex motiuo à quo procedit; item explicandum est an procedat ex odio in Deum volita, an indirectè, vt fit in damnatis, & an fuerit directe Hæreticales autem blasphemiæ inter se differunt, vnde in confessione esset dicēdum, tot blasphemias hæreticales protuli & tot non hæreticales Caiet. *v blasphemia* Azotius *lib.* 9. *cap.* 28. *q.* 10. Filliucius *c. n.* 25. 26. Layman *c. n.* 10. Valent. *c. punct.* 1. Syluius *cit. art.* 1. Diana *p.* 5. *tract.* 13. *res.* 21. An autem qualitas blasphemiæ explicanda sit ex sententia eorum qui putant in confessione solum aperiendas esse circunstantias mutantes speciem, non videtur necesse dicere blasphemiam in Deum, vel in sanctos commissam fuisse cum nō differat specie ut dictum est. Valent. *to.* 4. *d.* 7. *q.* 11. *pun.* 1. Diana *tr.* 7. *res.* 50. *punct.* 1. Verum secundum alios explicanda esset blasphemiæ qualitas, quia hęc non est circunstantia solum aggrauans, sed in hac duplex malitia intercedit una contra personam; quæ contumelia afficitur, cum sit per se honore digna, & adoratione duliæ, altera quatenus redūdat in Deum, & ipsi censetur principaliter fieri Clau. Reg. *l.* 6. *c.* 13. Reginald. *c. n.* 201. Suarez *c. num.* 29. Sanchez *lib.* 2. *moral cap.* 32. *numero* 29. Layman *libro* 4. *tract.* 10. *cap.* 6 *n.* 12 & alij.

Caietan. Azorius. Layman. Valentia. Diana.

Diana. Valentia.

Reginald. Sanchez. Layman

9 Aduersus blasphemos plures pænæ constitutæ sunt nam in veteri lege lapidibus obruebantur, iure ciuili morte plectuntur: aliquando puniuntur triremibus; exilio, linguę abscisione Iure canonico olim blasphematibus erat constituta pœnitentia solemnis, & clericus iubebatur deponi, laicus autē anathematizari Verum hæ pœnæ modo non uidētur amplius in usu. Nonnullis tamen in prōuinciis solet blasphemia notoria reseruari Episcopo, quo ad eius absolutionem Reginaldus *cit. numero.* 102. 103. Azorius *cit. capit.* 28. *quest.* 9. Toletus *cit capit.* 13. Suarez *cit. cap.* 7. *n.* 2. Syluius *c. art.* 2.

Reginald. Azorius Toletus Suarez.

10 Blasphemiæ crimen est mixti fori, ideò tam per Ecclesiasticum iudicem quam per secularem puniri potest, & datur locus præuentioni, Inquisitores autem hæreticæ prauitatis possunt de hoc crimine cognoscere quando sapit, & continet hæresim. Clau. Reg. *c. nu.* 20. Filliucius *c. n.* 35. Azorius *c. q* 5. Diana *p.* 4. *tract.* 8. *res.* 9.

Clau. Reg. Filliucius. Diana.

11 Qui sunt assueti maledicta in Deum vel sanctos passim conferre, non sunt simpliciter ab absolutione Sacramentali à confessario arcendi, sed ad tempus ab ea suspensi merito detinendi, ut interim prauam, & peruersam consuetudinem aliqua ex parte deponant, & exnunc si tamen absolutio commode differri nequeat, & manifesta signa doloris, & detestationis suæ sacrilegię impietatis dederint, possunt à peccatis absolui, imposita tamen salutari pœnitentia ac tanto crimini debita. Azorius *c. q.* 18. Sancius *in selectis disp.* 20. *n.* 7. Syluius *c. art.* 2.

Sancius. Sayrus.

Vide *Ira* n. 3. *Magia* n. 4. *Maledictio* n. 5. *Immunitas* n. 8.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia prohibetur primo, & secundo Decalogi præcepto.*

2 *Potest aliquid falsi dici de Deo variis modis.*

3 *Nefandissima blasphemia est, iurare per falsos gentilium Deos. Item blasphemum est iurare per creaturam sistendo in ea.*

4 *Quæ sint dicenda verba Blasphema?*

5 *Admittantur materiæ paruitas in blasphemiis contra Sanctos, excusans à mortali.*

6 *Blasphemia non hæreticalis minus peccatum est, quàm fidelitas. Odium Dei grauius peccatum est blasphemia. Hæc autem grauior est, quam periurium, & homicidium.*

7 *Catholicus blasphemans grauius peccat, quam hæreticus. si solum ratio blasphemiæ consideretur.*

8 *Blasphemia publica quæ sit? Et an sit Episcopo iure communi reseruata?*

9 *Audiens blasphemum tenetur ad fraternè corripiendum præcepto naturali diuino, quādo speratur emēda.*

10 *Licet blasphemum publicum iudici denunciare, etiam non præmissa correptione fraterna; imo, & post emendationem*

11 *Si quis iocosè quippiam in Deum, in Sanctos aut in fidem dixerit, vel dormiens, vel in ebrietate, vel delirans blasphemauerit, qua pæna plectendus sit.*

1 BLasphemia prohibetur primo decalogi præcepto. Cum enim opponantur confessioni fidei eius prohibitio reducitur ad infidelitatem quę primo præcepto interdicitur. Vel cum opponatur Religioni debitum Deo honorem exhibenti, interdicitur primo præcepto, quod debite Deū colendū præscribit. Potest etiā dici interdici secundo decalogi præcepto. Quod magis in uanum nomen Dei assumat, qui aliquid falsum de Deo asserit, quam qui confirmat falsum per Dei nomen. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 13. *art.* 2. *ad* 2. Nota tamen quando D. Thom. & alii Theologi dicunt blasphemiam opponi confessione fidei, eo sensu exponendi sunt, uel quod magnā similitudinem, & affinitatem habet cum infidelitate hoc ipso quod etiam versatur circa aliquod falsum de Deo, saltem ex intentione blasphemantis, qui intendit aliquam imperfectionē Deo tribuere, id quod falsum est, cū Deus omni imperfectione careat, vel quod proficisci potest, ac interdum solet ex infidelitate: Ad infidelitatis autem genus spectat, non solum falsum sentire de Deo, sed etiam falsum de eo dicere. Non ita vt blasphemia sit infidelitatis species sed quia est species illi cognata Ita Bannes 2. 2. *qu.* 13 *art.* 1. *notab.* 3. Syluius *ibidem*.

D. Thom.

Bannes. Syluius.

2 Peccatum blasphemiæ variis modis contingere potest, id est, potest aliquid falsi dici de Deo variis modis, *Primo*, non solum verbo externo vocis, sed etiam verbo interno mentis, concipiendo, videlicet, per simplicē quādam apprehensionem Deum esse quod non est, aut non esse quod est, nam hoc etiam modo intellectus mentaliter significat, & dicit, esto, non affirmet, aut neget; & hæc

significa-

ſignificatio,& dictio eſt mala, & blaſphema, quando fit cum quadam iniurioſa propenſione volũtatis in eiuſmodi aliquam falſitatem de Deo. *Secundo*, poteſt hæc ſignificatio interna, aut externa fieri enunciatiuè, ſeu affirmando, vel negando; vt ſi dicas, Deus eſt mendax, aut iniuſtus, & etiam optatiuè, ſeu imperatiuè, vt ſi quis interiùs, aut exterius dicat, ſit miſer Deus, opto vt non ſit Beatus, &c. *Tertio*, eadem ſignificatio poteſt fieri non modò in actu ſignato, ſeu expreſsè ſignificando aliquid falſi de Deo, ſed etiam in actu exercito, vt cùm quis ſignificat quidem aliquid uerè de Deo, uel Christo, ſed tamen ipſo modo ſignificandi irriſorio, uel contemptiuo, iudicat ſimul Deũ, uel Chriſtum eſſe deſpicabilem, quod eſt falſum, ut cum nominantur indignè certa membra. *Quarto*, poteſt quis ſignificare aliquid falſi de Deo, atque adeò blaſphemare, etiamſi mentionem Dei non faciat, ſed tantùm creaturæ aliquid tribuat, quod eſt Dei proprium; ut omnipotentiá, &c. nam hoc ipſo etiam in actu exercito iudicat eiuſmodi attributa non eſſe Dei propria, quod eſt blaſphemum. *Quinto*, poſſum aliquid falſi de Deo proferre, non tantũ ſignificando aliquam falſitatem immediatè de Deo, ut ſit quando Deo tribuo, quod ei non cõuenit, uel nego quod ei conuenit; ſed etiam ſignificando aliquid falſi de Sanctis, aut alia creatura, quatenus ea ad Deum pertinet; ut ſi quis indignè loquatur de Sanctis, uel maledicat alicui creaturæ, quia eſt opus Dei, uel inſtrumentum quo Deus nos caſtigat; Hæc enim, & ſimilia uerba ſunt blaſphemiæ non quatenus tendunt ad creaturas, ſed quatenus in ipſũ Deum redundant; ſecus ſi quis maledicat creaturæ, quia ea fuit occaſio peccati, uel aliarum plurimarum calamitatum; tunc enim non committitur blaſphemia, aut ullũ peccatum, ſi modò abſit ira, impatientia, &c. Sic Iob maledixit diei natiuitatis ſuæ, & Dauid Montibus Gelboe. Si autem quis maledicat creaturæ ob leuem aliquam moleſtiam ſine iuſta ratione, eſt peccatum ueniale, quomodo ruſtici maledicunt ſuis beſtiis. De his modis latius tractat Syluester, *v. blaſphemia, q. 2.* Nauarrus, *in Man. c. 12. num. 84. & ſeq.* Couarruuias, *in c. quamuis pactum, de pact. in 6. p. 1. §. 7 n. 7.* Toletus, *lib. 4. Sum. c. 13.* Azorius, *p. 1. lib. 9. c. 28. quæſt. 3.*

Syluest. Nauar. Couarruu. Toletus. Azorius.

3 In primo gradu tanquam omnium nefandiſſima eſt blaſphemia, qua iuratur uerè, uel falſo per falſos gentilium Deos, ut per Iouem, aut Mercurium, &c. Quia eſt idololatriæ genus, honorem uero Deo debitum tribuere falſis Diis. Profitetur enim per illos iurans eos eſſe ſummam ueritatem, ac infallibilem. Si autem cauſa ioci, & irridendi falſos Deos, & non iurandi per illos, id iuramentum præſtaretur, tunc nulla eſſet culpa: Ita Suarez, *tom. 1. de relig. lib. 2. c. 6. n. 13.* Imò blaſphemum eſſet iurare per quamcumque creaturam, ſiſtendo in ea, & non ut in ea Deus relucet. Ratio eſt, quia iurare eſt Deum in teſtem adducere, tanquam ſummam ueritatem, quæ nec fallare, nec falli poteſt. Ergo qui iurat per creaturam in ea ſiſtendo, honorem Dei propriũ illi tribuit, ac proinde blaſphemat. Ita D. Thomas, *2. 2. quæ. 89. art. 6.* & omnes communiter.

Suarez. D. Thom.

4 Verba blaſphemiæ ſunt, non credo in Deum, nego, uel renego Deum. Similiter renego Crucem, uel Chriſma, uel intemeratam Deiparæ Virginitatem; quia hæc omnia implicant fidei Deo debitæ abnegationem.

Blaſphemum eſt etiam hoc Verbum, *malum Deo contingat*, quia Deo attribuitur id, quod eſt omnino alienum ab ipſo, vtpotè cui nullum malum contingere valet.

Similiter blaſphemia eſt, *Deum tædeat. Deo diſpliceat* quia etſi illa propoſitio non ſit Indicatiui modi, vt poſſit formaliter falſum ſignificare, at ex intentione proferentis eſt tribuere Deo, quod ei conuenire nequit; & ita falſum ſignificat. Verum ſpectandus eſt omninò dicendi modus; ſi enim it redundet in Dei contumeliam, & eius honoris diminutionem, verba erunt blaſphema, aliàs non. Vnde aduertendum ſuper quo facto proferantur hæc verba; nam ſi factum eſt illicitum, non eſt blaſphemia, vt tædeat Deum hunc blaſphemare; quia cùm id tanquam peccatum Deo diſpliceat, nil tribuitur Deo, quod ei non conueniat. Vt docet Menochius, *de arbitr. lib. 2. centur. 4. caſu 375. n. 11.*

Menoch.

Verba blaſphemiæ ſunt, *velit, nolit Deus, hoc ſum facturus*, quia etſi peccatum diuinæ repugnet voluntati; at hæc verba diminutionem diuinæ potentiæ important, quaſi Deus non poſſit impedire. At ſi quis diceret, quamuis hoc ſit peccatum, vel offenſa Dei, ſum facturus, non eſſet blaſphemus, quia id ſolum in quam peccandi voluntatem ſignificat; non autem diminutionem aliquam potentiæ, aut alicuius attributi diuini.

Sunt etiam verba blaſphema; Deus eſt iniuſtus, crudelis, malè prouidus, non curat noſtra, & ſimilia: quia attribuitur clarè Deo, quod non habet, vel negatur quod habet, quæ eſt ratio blaſphemię.

Nominare quodcumque verum Dei attributum, vt potentiam, ſapientiam, &c. conuitiando, vel irridendo, eſt blaſphemia: quia eſt falſitas in actu exercito, ſeu modo ſignificandi: nam illa conueniunt Deo; non vt conuitio, aut irriſoriè, ſed vt ſumma laude digna. Inſuper vituperia in quaſcumque res ſacras dicta, diuinum cultum, & alia, quæ ad Deum referuntur, ſunt blaſphemiæ: quia omnia hæc in Deum horum Authorem redundant.

Si ſub conditione hæc verba blaſphemię proferantur, vt non credo in Deum, vel renego Deum, vel Deus eſt iniuſtus ſi res hæc non eſt vera, vel niſi te occidero, huiuſmodi verba ſunt blaſphema; quia fidei diuinæ denegatur omnimoda firmitas; cùm ſignificetur quaſi pendens ex conditione contingenti; & includitur tacita affirmatiua propoſitio, negandæ fidei, vel iuſtitiæ diuinæ, in eo euentu, in quo non ſequatur vindicta illa occiſionis; vel veritas illius rei, quam hìc affirmat.

Iurare per Dei vitam, eſt blaſphemia; quia non adducitur vita Dei tanquam teſtis, vt in hoc iuramento, Viuit Deus. Sed eſt iuramentum execratorium, cuius eſt ſenſus amittat Deus vitam, ſi non eſt ita; Eadem ratione eſt blaſphemia, iurare per Sanctorum vitam; quia ex modo iuramenti execratorii falsò tribuitur Sanctis poſſe vitam amittere.

Item blaſphemiæ ſunt verba iuramenta per pudenda Chriſti, aut Sanctorum membra, illave inhoneſtè nominare; quia etſi reuera ea membra habuerint, non tamen tanquam quid ignominioſum, & vituperabile, ſed tanquã partes naturales corporis; & ita ex modo loquendi eſt falſitas.

Quando autem iuratur per membra honeſta Chriſti, vel Sanctorum, vt per Caput, & Sanguinem Chriſti, vel Sanctorum, aut alia membra honeſta, verius eſt non eſſe blaſphemiam; quia nil Deo, vel Sanctis tribuitur, quod verè non habeant; & cùm membra hæc honeſta nominantur, nulla eſt inhoneſtas, & indecentia, qualis eſt cum inhoneſta nominantur; & ideò non cedit in ignominiam, & deriſionem Chriſti, & Sanctorum. Nec ſenſus iuramenti per hæc membra eſt execratorius, ſed ſimplex, ſicut quãdo iuratur per Deum, per Sacroſanctum Sacramentum, per Euangelia, per Sanctos. Imò ſi hoc iuramentum reuerenter emittatur, nec erit culpa uenialis, ſicut nec alia iuramenta emittere. Imò nec erunt blaſphemia hæc verba, quibus membra honeſta Chriſti nominantur, quando id ſit cum indignatione quadam, & ira erga illum, cũ quo contenditur. Si autem indignatio, & ira ſit aduerſus Deũ, blaſphema erunt illa verba; quia in actu exercito falsè ſignificant Deum mereri indignationem.

Quidam condemnant hæc verba tanquam blaſphema, dum quis dicit, ſicut Deus eſt veritas, ſicut natus eſt ex Virgine, hoc ita eſt. Sed diſtinguẽdum eſt, quia ſi animus proferentis ſit, tantam eſſe certitudinem in eo dicto quãta eſt in ea fidei ueritate, ſunt blaſphema. Secus autem eſt, quando ſenſus eſt ſimilitudinem quamdam ſignificare, nimirum, hoc ſuo modo eſt uerum ſicut ea fidei ueritas.

Porrò eſt aperta blaſphemia, quando creaturæ tribuitur aliquid quod eſt proprium Dei. Vt ſi quis Diabolum dicat eſſe omnipotentem; aut ſatum regere omnia; quia tribuens in attributum creaturæ dicit eo ipſo non eſſe Dei proprium, ſed commune cum creatura; atq; proinde blaſphemus eſt, utpote qui de Deo negat, quod ei propriũ eſt. Crimẽ hoc ſolent admittere laſciui fœminarum amatores, quas ita ardenter amant, & immodicè laudant, ut blaſphemantes nominibus Dei propriis eas appellent. De prædictis blaſphemiæ formis videndi ſunt Azorius, *p. 1. lib. 11. c. 3. q. 2.* Caietanus, *2. 2. q. 13. art. 1.* Couarruuias, *de pactis*;

Azorius. Caetan. Couarruu.

Nauarr. Sanchez. Lopez. Toletus.

pactis, 1. *p.* §. 7. *n.* 9. Nauarrus, *in Man. c.* 12. *num.* 85. Sanchez, *lib.* 2. *Moral. cap.* 32. *num.* 11 *& seq.* Ludouicus Lopez, 1. *p. Instructor. cap.* 51. Toletus, *lib.* 4. *Sum. cap.* 13. & alii. Non eſſet autem blaſphemus, qui vocaret Amaſiam Deam, vel Idolum ſuum: quia verba hæc nec proferuntur, nec accipiuntur in ſignificatione propria, ſed in hyperbolica Ita Lorca, *in* 2. 2. *q.* 13. *ar.* 3. quem ſequitur Diana, *p.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 20.

Lorca. Diana.

5 Quamuis in blaſphemiis in Deum non detur paruitas materiæ excuſans a mortali, vt diximus *tom.* 1. *v. Blaſphemia, n.* 6. Admittitur tamen paruitas materiæ in blaſphemiis in Sanctos, non vt Sancti ſunt, directè, & formaliter; ſed materialiter, & per accidens, & vt quidam homines ſunt: tunc enim ratione paruitatis materię eſſet blaſphemia venialis: quia ſanctitas tunc ſe habet per accidens: Exemplum huius eſt; ſi quis ioco diceret Sanctũ Criſpinum fuiſſe ſutorem; aut Sanctos Ioannem, & Paulum Fratres fuiſſe Eunuchos. Ita Syluius, 2. 2. *quæſt.* 13. *art.* 2. & ibi Bannez, Arragon, Clauis Regia, *lib.* 16. *cap.* 13. *n.* 5. Contumelia enim quæ irrogatur Sanctis, non vt habent reſpectum ad Deum, ſed vt homines quidam ſunt excellẽtes, non opponitur Religioni, ſed ſingulari cuidam obſeruantiæ, quæ eſt peculiaris quædam virtus.

Syluest. Bannes. Arragon. Clau. Reg.

6 Blaſphemia ſimpliciter, & propriè loquendo, minus peccatum eſt, quam infidelitas. Ratio eſt, quia peccata eo maiora ſunt, quo virtutibus maiorib. opponuntur. Maior autem virtus eſt fides, vtpote virtus Theologica, cui opponitur infidelitas, quam Religio, quæ eſt virtus moralis, cui opponitur blaſphemia. Hoc tamen intelligendum eſt de blaſphemia, quæ non eſt cum hæreſi, & infidelitate coniuncta, hoc eſt, quando blaſphemans rectè interius ſentit, & credit, exterius verba blaſphemiæ profert.

Odium Dei grauius peccatum eſt blaſphemia: quia odium Dei grauius peccatũ eſt quam infidelitas; quia opponitur Charitati, quæ eſt maxima virtus. Infidelitas autem grauius eſt peccatum, qua blaſphemia, vt dictum eſt.

Blaſphemia grauius peccatum eſt, quam periurium, qui enim peierat non dicit, aut ſentit aliquid falſum de Deo, ſicut blaſphemus, ſed Deum ſolum adhibet teſtem falſitatis, non tanquam æſtimans Deum eſſe falſum teſtẽ, ſed tanquam ſperans quod Deus ſuper hoc non teſtificetur per aliquod euidens ſignum.

Item grauius peccatum eſt blaſphemia, quàm homicidium quoad obiectum; quia blaſphemia directè eſt contra Deum, homicidium autem contra proximum. In ratione autem nocendi, ſic grauius eſt homicidium, quam blaſphemia, plus enim nocet homicidium proximo, quàm blaſphemia Deo. Sed quia in grauitate culpæ magis attẽditur intentio voluntatis peruerſæ, quam effectus operis, ideò cum blaſphemus intendat nocumentum diuino honori inferre, ſimpliciter loquendo grauius peccat quam homicida; quod enim manibus efficere nequit, verbis ſaltem iniurioſis facere intendit. Ita D. Thomas, 2. 2. *qu.* 13. *art.* 3. Caietanus, Bannez, Syluius, *ibid.* Sotus, *lib.* 8. *de iuſt. q.* 2. *art.* 3. & alii communiter.

D. Thom. Caietan. Bannez. Syluius. Sotus.

7 Si ratio ſolùm blaſphemiæ conſideretur, Catholicus blaſphemãs grauius peccat quã hæreticus. Ratio eſt, quia blaſphemia quæ eſt cum cognitione tali, hoc eſt, quod credat Catholicus imagines Chriſti, & Sanctorum eſſe colendas, plus habet de malitia in intentione ſua, quam illa hæretici ignorantis, & conculcantis eas imagines, quia iudicat eas colendas non eſſe: nam plus habet de voluntario circa illud obiectum; Cæterùm quia hæreticus in tali conculcatione imaginis habet etiam hæreſim, credendo imagines, non eſſe colendas, conſequenter ex circumſtantia hæreſis, & infidelitatis, vnde procedit conculcatio, grauius peccat quam Catholicus, qui tantùm committit peccatum blaſphemię eſt enim infidelitas peccatum grauius quam blaſphemia; Ita Caietanus, Bannez, 2. 2. *q.* 13. *art.* 3.

Caietan. Bannez.

8 Blaſphemia non eſt iure communi Epiſcopo reſeruata, quamuis ſit publica; ſed quia in nonnullis locis ſolent Epiſcopi abſolutionem blaſphemiæ publicæ ſibi reſeruare, dicendum eſt quando blaſphemia publica cenſeatur. Tunc autem publica dicitur, quando eſt notoria, vel notitia iuris, ſcilicet, quando conſtat in actu iudicij, ad quod ſufficiunt tres perſonæ, vel notitia facti. Ad hoc autem vt factum ſit notorium tres conditiones neceſſariæ ſunt, ſcilicet, *notitia multorum hominum, loci qualitas & Temporis*. Notitia multorum ea accipienda eſt iuxta numerum loci, in quo fit blaſphemia, quamuis enim decẽ homines in Ciuitate dicantur pauci, in uilla tamen erunt multi. Vnde qui in publica platea, in mercato, in nundinis coram nouem, aut decem audientibus blaſphemaret, diceretur publicè blaſphemaſſe: quia talis locus non requirit minorem numerum, ad faciendum notorium factũ. Si uerò blaſphemat in foro uillæ, ſufficit ſi ſint ſeptem, ſi in uicinio, uel taberna, uel ſimili; ſufficit quòd ſint quatuor uel quinque; & ſic de ſimilibus iudicandum erit, quia reſpectu horum locorum iſti dicuntur multi; unde publicus blaſphemus dicetur, qui indifferenter, ubicumque inuenitur, ſiue in foro, ſiue in uilla, aut alio loco publico, ſine reſpectu circumſtantium, in blaſphemiam prorumpit. Quãtum ad qualitatem temporis, oportet, ut fiat in die concurrentibus prædictis circumſtantiis; ſi enim fieret in nocte, non diceretur notorius; quæ omnia prudens Confeſſarius conſiderare debet, ad iudicandum de caſus reſeruatione. Vt colligitur ex Panorm. *in c. veſtra, nu.* 16. *de co. habit. cler. & mulie.* Chapeauill. *de caſib. reſeru. c.* 19. *q.* 1. & aliis communiter.

Panorm. Chapeau.

9 Quidam affirmant audientem blaſphemantem teneri eum grauiter increpare, etiamſi nulla emendæ ſpes adſit, ſi tamen poſſit abſque proprio periculo, ſic increpare, quia in Conc. Lateran. *ſeſſ.* 9. §. *Ad abolendam* id uidetur præcipi, ſic enim ait; *Quicumque blaſphemantem audierint, eum acriter verbis obiurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat.* Ita Nauarr. *in Man. c.* 12. *num.* 83. Ludouic. Lop. 1. *p. inſtructor. c.* 51. Hoc decretum uidetur continere nouum ius, ac proinde obligare; quia id apertè indicant ea Verba Concilij; *Acriter obiurgare teneantur*. Fraternè autem corrigere, ad quod præceptum naturale diuinum obligat, eſt admonitio quædam ſuauis, & fraterna; obiurgatio uerò acris eſt, aſpera, & grauis reprehenſio; unde Concilium in hac obiurgatione non tam attendit ad blaſphemantis emendam, quàm ad quoddam eius ſupplicium, & ad tuendum honorem diuinum obiurgatione illa; qui blaſphemia detrimentum patitur. Cæterum eſtò id ius nouum ſit, non eſt tamen uſu receptum: quare ſolùm obligantur audientes ad fraternè corrigendum præcepto naturali diuino, quando ſperatur emenda. Ita Sanchez, *lib.* 2. *mor. c.* 32. *n.* 46. Azorius, *p.* 1. *libr.* 9. *c.* 28. *q.* 7. & alii apud Clauem Regiam, *lib.* 6. *c.* 13. *n.* 18.

Conc. Lat. Nauarr. Lopez. Sanch. Azorius. Clau. Reg.

10 Poteſt quiſque ante omnem priuatam admonitionem, & correptionem, imò etiam poſt emẽdationem, blaſphemum publicum iudici denunciare: quia denunciatio iudicialis, cuius in Concilio Lateranenſi ſupra fit mentio, priuatam admonitionem non poſtulat, eò quòd non ad emendationem eius, qui blaſphemauit, refertur, ſed ad publica crimina pœnis debitis punienda. Atque adeò etiamſi quis in foro pœnitentię interiori abſolutus à blaſphemia fuerit, & pœnitentiam ei iniunctam egerit, poterit nihilominus in foro exteriori à iudice puniri. Ita Couarru. *lib.* 2. *var. c.* 10. *n.* 3. Azorius, *p.* 1. *lib.* 9. *c.* 28. *q.* 13.

Couarru. Azorius.

12 Licet regulariter dictum, vel factum iocoſum pœnam non mereatur, *l. ſicut ſemel, Cod. de liberali cauſa*. In crimine tamen hæreſis aliter iudicandum eſt. Vnde ſi quis iocosè quippiam in Deum, in Sanctos, aut in fidem dixerit, pœna condigna plectendus eſt. Quia verò in iure definitum non eſt, qua pœna huius criminis rei plectendi ſint, ideò arbitraria pœna iniungenda erit, habita ratione perſonarum ea proferentium loci item, & ſcandali, ſi aliquod inde exortum fuit; Modi, etiam proferendi eiuſmodi dicteria, nec non perſonarum audientium, atque ita pœna augenda, vel minuenda erit. Non tamen vt hæretici ſunt puniendi, quia non interueniunt ea, quæ ad hæreſim conſtituendam ſunt neceſſaria, puta error in intellectu, & pertinacia in voluntate, ſed leuiùs, ac mitius. Idem dicendum de eo, qui per lubricum linguæ, ſeu animo indeliberato in blaſphemiam, uel hæreſim prorumpit; non enim inultum relinquendum eſt hoc crimen, quamuis mitiùs puniendum, & aliquando remittendum, maximè quando qui ea verba dixit, ſtatim palinodiam recantauit, & pœnituit, ſed reprehendendus eſt grauiter, & admonendus, vt precaueat in futurum. Si autẽ puniendus ſit pœna pecuniaria

niaria in pios usus eroganda, uel alia arbitraria castigandus erit, consideratis audientium, & proferentium personis, & loci, & scandali circumstantiis. Secus dicendum de eo, qui blasphemiam, vel hæreticalia uerba in ebrietate profert dummodò omninò mente priuatus fuerit, nam perinde de eo, ac de furioso, & mente capto censendum est, ac proinde à pœna excusandus erit. Item si dormientes, pueri, & senes, qui propter ætatem decrepitam delirant, uel propter ætatem præmaturam, & teneram blasphemarent, ab omni pena excusantur, cùm iudicii, & rationis expertes sint. De his uidendi sunt Simanchas, *de Catholic. institut. tit. 17. n. 22. & 23.* Pegna, *p 3. ad. Direct. Inquisit. comment. 17.* & alij. Atque de blasphemia hæc dicta sufficiant.

Simanchas
Pegna.

BONA INCERTA.

SVMMARIVM.

1 *Bona incerta, quæ dicantur.*
2 *Bona inuenta quorũ Dominus ignoratur, an sint restituenda pauperibus? & qui nomine pauperum veniant.*
3 *Inuentor rei alienæ non potest quidquam à Domino rei exigere.*
4 *Quo iure bona incerta acquisita ex delicto, pauperibus sint restituenda? & quid faciendum de bonis incertis acquisitis ex contractu iusto.*
5 *Quando damnum illatum est aliquibus personis tantũ particularibus, & ignorantur, quibusnam restitutio facienda sit.*
6 *Pauper habens bona incerta, an possit sibi ea retinere titulo paupertatis.*
7 *Habens rem incertam; an teneatur illam restituere cuicumque asserenti se Dominum illius esse.*
8 *Quando res incerta applicata est pauperi, & post applicationem inuenitur Dominus rei, an applicans ad aliquid teneatur? & an pauper?* Refertur duplex sententia, *quoad pauperem.*
9 *Bona incerta, quæ per compositionem Summus Pontifex concessit retineri, possunt tuta conscientia retineri. & an hæc compositio incertorum possit etiam fieri à Principe sæculari, vel Episcopo.*

1 BOna incerta dicuntur, quæ uel nunquam habuerunt dominum; ut lapilli, gemmæ, &c. uel quæ dominum quidem habuerunt, sed quando inueniuntur amplius non habent, ut sunt thesauri, uel quæ de præsenti habent quidem Dominum, sed ignoratur, etiam post eam inquisitionem, quæ iudicio prudentis pro rei qualitate uidetur sufficiens, vt sunt bona inuenta, vel quæ debentur ex iniusta acceptione, vel ex contractu, Lessius, *l. 2. c. 14. n. 31.* Filliucius, *tr. 32. c 4. n. 98.* Syluius, *2. 2. q. 62. art. 5. quæsit. 1.* & alii.

Lessius
Filliuc.
Siluius

2 Communis ferè Doctorum sententia est, bona inuenta, quorum Dominus ignoratur, restituenda esse pauperibus, seu capsæ incertorum, iuxta consuetudinem, & decreta locorum, modò priùs adhibita fuerit sufficiens diligentia in inquirendo Domino, & Dominus non fuerit inuentus; quia hæc censetur rationabilis voluntas Dominorum etiam infidelium, qui se ea de re interrogarentur, vt hoc ipsum fieret, responderent D. Thom. *2. 2. q. 62. art. 5. ad 2.* Nauarr. *c. 17. num. 171.* Lessius, *c. n. 49.* Molina, *tom. 3 d. 746.* Nomine autem pauperum intelliguntur non solùm priuati mendici; sed etiam loca pia, vt Monasteria, Hospitalia pauperum, Ecclesiæ, item carentes necessariis ad congruam, & decentem vitæ suæ sustentationem: imò animæ defunctorum in Purgatorio existentes: Denique omne aliud pium opus. Reginald. *l. 10. n 197.* Diana, *part. 2. tr. 1. res. 8.* Filliuc. *c. n. 95.* Nauar. *c. n. 93* Syluius, *c. conc. 3.*

D. Thom.
Nauarr.
Molina

Reginald.
Diana.
Filliucius
Nauarus
Sylu.

Probabilis tamen est sententia quorumdam recentiorum docentium inuentorem rei incertæ posse post adhibitam sufficientem diligentiam rem inuentam sibi retinere cum onere restituendi, quando Dominus comparuerit, si res adhuc extet: si verò consumpta sit non tenetur; quia huiusmodi bona perinde se habent post adhibitã sufficientem diligentiam, ac si nullum haberent Dominũ, & fiunt primi occupantis. P. Nauarra, *lib. 4. c. 2. n. 75.* Diana, *tr. 3. miscell. res. 5. p. 2.* Arragon. *2. 2. q. 62. art. 5* Sotus, *lib. 5. q. 3. art. 3.* Lessius, *c. n. 48.* & alii.

P. Nauarra
Diana.

Arragon.
Scotus.
lessius

3 Inuentor rei alienæ non potest quidquam à Domino rei exigere, nisi fortè ratione laboris, vel impensarum, vel consuetudinis, vel pacti, aut legis, aut donationis, quia his seclusis Dominus non tenetur pro re sua recuperãda quidquã soluere. Regin. *l. 10. n 179.* Medin. *c. de rest. q. 25.*

Ex iure positiuo bona incerta acquisita ex delicto, vt ex furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus, pauperibus sunt restituenda, ne hominibus iniquis integrum sit ex iniquitate, & iniuriis ditescere, *c. cum tu, de vsuris.* Reginaldus, *lib. 10. n. 196.* Filliucius, *c. n. 99* Azorius, *3. p. lib. 4. c. 26.* Syluius, *c. quæsit. 2.* an autem hæc bona iure naturæ pauperibus piisue operibus sint eroganda, omnes ferè Doctores affirmare videntur: verùm probabilissima est sententia contraria, quia alicubi hæc bona assignãtur à Principibus, certis quibusdam personis; quod fieri non posset, si prædicta bona iure naturæ pauperibus deberentur. De debitis autem, & bonis incertis acquisitis ex contractu iusto, puta ex deposito, commodato, mutuo, venditione, &c. quamuis vbique piorum consuetudo sit, cùm de his non extet Canon, vt hæc in pias causas expendantur, quando Dominus inueniri nequit; non est tamen improbabile ea posse tanquam adespota retineri. P. Nauarra, *l. 4. c. 2. n. 47.* Lessius, *c. n. 38.*

Regin.
medina

Reginald.
Filliuc.
Azorius.
Siluius

p. nauarra
lessius.

5 Quando damnum illatum est aliquibus personis tãtùm particularibus, restitutio fieri potest pauperibus alterius loci, quando videlicet tam pauci sunt defraudati, vt quamuis fiat distributio in eodem loco, verosimilius credatur fore, vt res nõ perueniat ad proprios Dominos, aut quando sciri non potest quibus restitutio debeatur; Obseruandum tamen est, eum qui aliquos in vini mensura, aut alio simili modo defraudauit, quorũ aliquos cognoscit, & alios ignorat, teneri portionem debitam iis reseruare, quos nouit; portionem verò debitam ignotis, teneri insumere in pauperes, vel in alia pia opera, iuxta consuetudines, & decreta locorum. Ita Doctores citati, P. Nauar. *c. n. 40.* Filliucius, *c. n. 97.* Lessius, *c. n. 32.* Reginaldus, *cit. n. 204.* Molina *c. d. 745. n. 4.* Diana, *p. 4. tr. 4. res. 46. & 113.*

p. nauarr.
lessius.
Reginald.
molina,
Diana.

6 Probabile est pauperem habentem bona incerta acquisita ex delicto, aut contractu, aut inuenta, posse ea sibi retinere titulo paupertatis; quia ipse non est deterioris cõditionis aliis pauperibus; nec ad id desideratur licentia Episcopi, vel Confessarii; propterea qui sibi illa bona incerta titulo paupertatis applicauit, non tenetur si ad pinguiorem fortunam redeat, quidquam restituere aliis pauperibus; nam comparauit dominium rerum incertarum per applicationem sibi factam titulo paupertatis. Nauar. *c. 17. n. 92.* Sanchez, *lib. 6. mor. c. 11. n 54.* Lessius, *c. n. 41.* Medina *c. de rest. q. 3.*

nauarr.
Sanchez.
lessius
medina

7 Rem incertam habens non tenetur illam restituere cuicumque asserenti se dominum illius esse; quia non est temere cuique credendum; tamen si facta diligentia debita dubitetur æqualiter, vtrum res incerta vni vel pluribus debeatur, distributio facienda est inter illos, quorum res esse dubitatur, interueniente ipsorum consensu; ipsis verò non consentientibus, deponenda est authoritate Iudicis, vel in pauperes distribuẽda. Molin. *to. 3. d. 745.* Regin. *c. n. 203.* Henriq. *l. 7. c. 35. n. 1.* P Nauar. *l. 4. c. 2. dub 8.*

molina
Regin.
Henriq.
p. nauarra

8 Si post adhibitam diligentiam sufficientem ad inueniendum Dominum res incerta applicata est pauperi, & post applicationem inuenitur Dominus rei, applicans ad nihil tenetur, neq; ratione rei acceptæ, cum nihil apud ipsum extet, & rem pauperibus applicuerit post adhibitam sufficientem diligentiam; neq; tenetur ratione iniustæ acceptationis quia purgauit culpam per diligentem inquisitionem adhibitam ad inueniendum Dominum. Azorius, *3. p. lib. 4. c. 26. q. 1.* Henriquez, *lib. 7. c. 34. n. 6.* Molina, *c. d. 747. n. 4.* Vasquez, *de rest. c. 5. §. 4. dub. 1.* Filliucius, *tr. 32. c. 4. n. 99.* Syluius, *c. art. 5 quæsit. 5. concl. 2.* si verò pauperi applicauit ante diligentiam adhibitam, teneretur Domino comparenti adhuc restituere propter culpam admissam, negligendo debitam diligentiam, quam tenebatur præmittere, iuxta rei qualitatem. Pauper autem cui res incerta applicata fuit post sufficientẽ diligentiã, nõ tenetur domino comparenti restituere; cùm acquisierit dominiũ rei sibi traditæ, Ita Henriquez, Azorius, Vasquez, quamuis

azorius.
henriquez
molina
Vasquez
Filliucius
Siluius

Molina, Filliucius dicant rem restituendam domino esse si adhuc extet apud pauperem, secùs si consumpta sit, vel alienata. Huius sententiæ est etiam Syluius.

9 Retineri possunt tuta conscientia bona incerta, quæ per compositionem Sum. Pontifex retineri concedit: quia nulli damnum infertur in huiusmodi compositione, cùm bona sint incerta; & non constet quis sit eorum dominus credibile tamen est, si facta compositione reperiatur dominus, faciendam illi esse restitutionem, exceptis iis, quæ bona fide consumpsit, & quæ dedit pro compositione. Sà, *V. restitut n 62.* Nauarrus, *c 17. num 93.* Reginaldus, *libr. 10. n. 201.* Filliucius, *c. n. 85.* Hæc autem compositio incertorum præcisa prohibitione, aut consuetudine in contrarium fieri potest etiam à Principe sæculari in locis sibi subiectis: imò etiam ab Episcopo, nisi à Summo Pontifice prohibeatur: quia regulariter loquendo, Episcopus facere potest in sua diœcesi, quod fieri potest à Papa in toto orbe Bonacina, *de restit. d. 1. quæst. 3. part. 4. n. 22.* Henriquez, *lib. 7. c. 33. n. 3. & 4.* Syluius, *2. 2. q. 62 art. 5. q. 5. c. 3.* Diana, *p. 4 tr. 4 ref. 112.*

Nauar. Regnald. Filliucius.

Bonacina. Henriq. Syluius. Diana.

Vide *Restitutio*, 4. §. 2.

BONA PARAPHERNALIA.

SVMMARIVM.

1 *Bona Paraphernalia, quæ dicantur.*
2 *Bona, quæ mulier nubens non sibi reseruauit, an sint dotalia, vel paraphernalia.*
3 *Differentia inter dotem, & paraphernalia.*
4 *Vir administrans bona paraphernalia suæ vxoris, an possit sibi retinere fructus industriales, vel etiam naturales.*

1 PAraphernum dictum est quasi iuxta dotem, à *para*, quod est, iuxta, & *phernados*, vnde paraphernalia bona ea dicuntur, quæ habet vxor præter dotem vndecumque; siue illa, quæ vxor in contractu matrimonii sibi reseruauit; siue illa quæ contracto matrimonio acquisiuit, donatione, legato, aut alia ratione; siue illa quæ vxor suo labore, & industria acquisiuit, præcisis tamen operis, & obsequiis debitis familiæ In quibusdam tamen locis nō habent locum, vbi ex consuetudine vir omnia bona immobilia mulieris recipit in dotem, & omnia mobilia sunt communia. Glossa, *in rubr. C. de pact. conuent.* Bonacina, *de contr. d. st. 3. q. 11. p. 10. num. 1.* Syluest. *v. paraphernum,* Layman, *lib. 3. tr. 4. c. 13. n. 9.*

Glossa. Bonacina. Syluest. Layman.

2 Bona, quæ mulier nubens sibi non reseruauit expressè, uel tacitè, cēsentur dotalia, nō uerò paraphernalia, quia mulier dum nubit, censetur omnia sua bona viro in dotē assignare; nisi aliter ex verbis, vel coniecturis appareat, contra Couarr. Rodriquez, & alios. Sanchez *de matr. l. 1. disp. 60. n. 2. & lib. 9. d. 5. n. 9.*

Couarr. Rodriq. Sanchez.

3 Differentia inter dotem, & paraphernalia hæc est, quòd dos inæstimata, residet penes vxorem quoad dominium, & proprietatem; quoad vsumfructum verò, & administrationem pertinet ad virum. Dos æstimata æstimatione venditionem faciente spectat ad virum quoad dominium, & vsumfructum, administrationemque: paraphernalia verò pertinent ad vxorem quoad dominium, vsumfructum, & administrationem Præterea dos habet priuilegiū, vt propter ipsā hypothecata remaneant omnia mariti bona, & gaudeat iure prælationis cōtra alios antiquiores creditores: Paraphernalia verò nō habēt ius prælationis cōtra alios creditores, licet pro ipsis paraphernalib. hypothecata remaneāt bona mariti, dū ei permissa fuit paraphernaliū administratio, *L. hac lege, c. de pactis conuētis, L. si. c. de pactis, L. vbi adhuc, s. de iure dot.* Rebell. *2. p. lib. 6. n. 3.* Barbosa, *1. p. lib 1. ff. solut. matr. n. 31.* Layman, *c. n. 8.*

Rebellus. Barbosa. Layman.

4 Quando vir administrat bona paraphernalia suæ vxoris potest sibi retinere fructus industriales, quos ex paraphernalibus accepit, & de voluntate vxoris consumpsit Potest etiam sibi retinere fructus naturales consumptos, dum per eos non est factus ditior, & locupletior, vel dum modicæ æstimationis sunt: fructus verò extantes & ipsamet bona paraphernalia post solutum matrimonium restituenda sunt vxori eiusve hæredibus, non secus ac dos. Porrò vir cui commissa fuit paraphernalium administratio tenetur in iis seruandis, & curandis de lata, & leui culpa: quia commodum ex contractu percipit, tenetur tantam adhibere diligentiam, quantam adhibet in rebus propriis. Hæc omnia de iure communi, quamuis circa prædicta plerisque in locis vigeant contrariæ consuetudines. Couarr. *2. p. epitom. c. 7. §. 1. n. 2.* Syluester, *c. n. 3.* Rebellus, *c. n. 2. & 3.* Barbosa, *c. n. 3.*

Couarruu. Syluest. Rebellus Barbosa

Vide *Donatio*, n. 4. *Dos*, n. 11.

C

CALIX,

SVMMARIVM.

1 *Calix Missæ deseruiens, à quo debeat consecrari.*
2 *Calix debet esse ad minus stanneus, vel argenteus, non plumbeus, nec ex aurichalco.*
3 *Quando calix formam consecrationis amittat.*
4 *Calix patena, palla, & corporalia non possunt tangi à laicis, & clericis, qui sacris ordinibus non sunt initiati.*

1 CALIX Missæ sacrificio deseruiens debet ab Episcopo consecrari, *c. Vasa de consec. dist. 1.* simplex verò Sacerdos nec ex mādato Episcopi calicem, seu patenam consecrare potest; quia hoc pertinet ad Ordinē Episcopi, & proinde consuetudine, vel præscriptione in Sacerdotibus non potest conuenire; Quamuis Papa posset Presbyteris id committere. Vnde quibusdam Abbatibus insignibus Pontificiis vtentibus hæc potestas calicem consecrandi ex priuilegio Pontificio, vel consuetudine etiam competit. Vt docent Syluest. Tabien Armill. *v. Calix. Benedictio Abbas.* Azor. *tom. 1. lib 10. c. 28.* Diana *p. 3. tr. 2. ref 15.* Naldus, *v. Abbas, n. 4.* Filliuc. *tr. 5. c. 4. q. 11.*

Syluest. Tabiena Armilla. Azorius. Diana Filliuc.

2 Calix, secundū Canones, cū patena, si nō ex auro, tamen ex argento debet esse. Si autē tā pauper est Sacerdos, saltē stanneū calicē habeat. De ære autem vel aurichalco calix nō fiat, ne ob vini virtutē æruginem faciat, & vomitū prouocet. Nullus autē in ligneo, aut vitreo calice præsumat missā cātare, *C. vt calix, de consec. dist. 1.* Ex his verbis colligere licet usum calicis plūbei nō esse ferendū. Imò, contra eū, qui utitur calice ligneo, aut calice non consecrato, constituta est pena depositionis ab officio, & beneficio, *c. vlt. de celebr. Missar.* Vide Suarez, *3. p. tom. 3. d. 81. sect. 7.* Syluium, *3. p. q. 83. ar. 3. quæsit. 6.*

Syluius.

3 Calix, & patena amittunt consecrationē si notabiliter frangantur, ita ut nō possint inseruire ad usū præfixū, & constitutū; Itē quando hæc uasa sunt deaurata, & usu aurū amittunt, & iterum postea deaurantur, quoad illam superficiē, quæ tangit Corpus, & Sanguinem Christi; quia tunc polita noua deauratione, contactus Corporis, & Sāguinis Christi non potest fieri in parte consecrata, cū aurum additū non sit consecratū; Idem dicendū si calix argenteus deauretur; tunc .n. indiget recōsecratione; Secus si deauratio cadat propter usū; quia non reconsecrabitur non solū .n. erat consecratū aurū secundū se, uerū etiam totus calix per modū unius. Ita Suar. *3 p. to. 3. d. 81. sect. 7.* Vasq. *3. p. d. 233. c. 4. n. 33* Regin *29. n. 199.* Filliuc *tr. 5. nu. 132.* Henriq. *lib. 9. c. 28. n. 2.* Sylu. *c. quæsit. 6.* & alii supra citati, contra Laym. *lib. 5. tr 5. c 6. n. 7.* Coninck, *q. 83. ar. 3. n. 246.* Sà, *v calix, n. 2.* quorū sententia uideri, seu posset probabilis ex eo quòd Corporale lotum, & iterū amydo dealbatū non egeat noua consecratione, ut docet Syluest. *v. corporalia. q. 3.* sicut nec Ecclesia consecrationem amittat dealbationē parietū. Ratio uerò est, quia quando pars minor additur maiori, trahitur ad conditionem maioris, ut pars uestis non benedictæ assuta vesti benedictæ non eget noua benedictione, quia trahitur ad conditionem partis maioris, iuxta illud; *Non sacrum accessione ad Sacrum efficitur sacrum.* Sed tutior est prima sententia.

Reginald. Filliuc. Siluius Layman.

Inquiri hic posset, an calix amittat consecrationem suam per separationem cupæ à pede calicis? Paludanus,

nus,4.*dist.*13.*q.*1.*art.*5.*concl.*2. & alii affirmant; quia nec pes sine scypho, nec scyphus sine pede consecrari potest; quia non est calix; quorum sententia vera est ex vnanimi omnium consensu, si cupæ separatio fiat cum fractione; quia calix in tali euentu amittit suam figuram, & non est aptus ad vsum ad quem fuerat factus; secus dicendum si separatio fiat absque fractione, vt accidit in calice tornatili, qui ita est à principio arte elaboratus, vt scyphus à pede amoueri, & adaptari iterum, & coniungi pro arbitrio nostro facilè queat; tum quia sic vsu receptum est; tum quia sola cupa est per se necessaria, vt recipiat Sanguinem Christi, & ideò potest consecratio in solam cupam cadere, & in eadem conseruari; cùm autem cupa non est affixa pedi, videtur hac intentione consecrari, quia alioquin non fierent Calices tornatiles ob incommodum petendi nouam consecrationem, facta cupæ separatione à pede. Ita Suarez, *citat.sect.*7. Armill. *v. Calix, num.*2. Bonacina, *tom.*1. *dist.*4. *quæst. vltim. part.*9. *num.* 20. Azorius, *c. quæst.*7. Rodriquez, *in Sum. cap.*8. *num.*21. Reginald. *c. n.* 100 Syluius, *c. q.*6. *in* 3. *edit.* & alii hìc citati. An autem calix amittat consecrationem per aliquos ictus à fabro inflictos; dicendum est quòd non: quia calix percussus neque frangitur, neque superficiem mutat, & propterea non desinit esse consecratus. Ita post Barbosam, *alleg.*27. *n.*39. Bonacinam, *c. n.*19. Syluium, *c. q.*6. *fol.*390. quidquid in contrarium gratis aliqui asserant, & sine fundamento.

Suarez. armilla. Bonacina, azorius. Rodriq. Reginald. Syluius

Barbosa. Bonacina. Syluius

4 Calix, patena, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus Christi, vt est palla, & corporalia, non possunt tangi à laicis, & clericis, qui sacris ordinibus non sunt initiati, absque peccato, saltem veniali, secluso scandalo, & contemptu, *cap. Sacratum, dist* 23. tamen quando vasa continent actu Corpus, vel Sanguinem Christi non possunt tangi nisi à Sacerdote, vel ad summum à Diacono; & cõtrarium sine causa esset peccatum mortale; quia materia grauis; vt docent Suarez, *c. sect.*8. Filluc. *c. n.*135

Suarez Filliucius

Ex priuilegio autẽ Calixti III. & Sixti IV. omnes Fratres Minores clerici, & laici possunt tangere sine scrupulo cõscientiæ calices, & corporalia, & alia paramenta, cum reuerentia tamen; Vt habetur in compendio. Compend *priuil. mendic. v. corporalia.* Sed hoc est viuæ vocis oraculum & ideo reuocatum ab Vrbano VIII.

Compend.

Vide *Benedictio*, n.5. & 6. & v. *Missa*, 5. n.2 v. *Abbas*, n.7. v. *Altare*.

CAMBIVM.

SVMMARIVM.

1 *Cambium quid sit? quid Campsor, Campsarius diuiditur in reale, & siccum.*
2 *Quid cambium reale, & de eius diuisione in minutum, & locale.*
3 *Quid cambium locale.*
4 *Primus titulus cur campsor in cambio minuto, plus accipere possit, quam dedit, est locatio operæ, & obsequii in congregando omnis generis pecunias.*
5 *Secundus titulus est lucri, vel commodi cessantis.*
6 *Tertius est labor numerãdi pecuniam; item ratione puritatis materiæ, potest exigi aliquid supra valorem nummi lege definitum.*
7 *Quartus est commoditas conseruandi, transferendi, numerandi, & vbique negotiandi.*
8 *Ad iustitiam cambii per minutum tria desiderantur.*
9 *Famulus, Oeconomus, vel Procurator potest aliquid lucrari cambiendo ex pecuniis, quas à Domino accepit ad emendum, vel debitum soluendum.*
10 *Campsor in cambio locali potest aliquid lucrari, titulo translationis pecuniæ.*
11 *In cambio locali præstatio periculi, seu assecuratio, est titulus sufficiens ad aliquid lucrandum.*
12 *Quando campsor dat prior pecunias, vt alibi recipiat, potest lucrari.*
13 *Campsori licet lucrari ratione maioris æstimationis pecuniæ in loco vbi datur, quam vbi redditur.*
14 *Ratione carentiæ pecuniæ, cum qua est coniunctum periculum ne restituatur, licet campsori aliquid lucrari.*
15 *Cambium ad nundinas sit licitum, concurrentibus quibusdam conditionibus.*
16 *Monopolium in cambiis, vnde pretium directè augeatur, est contra iustitiam, cum obligatione restitutionis.*
17 *Quando cambium pro secundis nundinis censeatur vsurarium.*
18 *Certum interesse, an possit à principio deduci in pactum.*
19 *Pignus, vel fideiussor potest exigi pro crediti securitate.*
20 21 *Pactum campsoris cum campsario, vt si elapso termino non soluerit, teneatur eamdem summam accipere ad recambium, an liceat. Et quid si fiat recambium ad locum primi campsoris.*
22 *Campsor an teneatur partem debiti traditam à campsario, post multa cambia, & recambia, computare pro extinctione capitalis.*
23 *Conditiones quas requirit Pius Quintus in sua Bulla de cambiis.*
24 *An hæc Bulla Pii V. de cambiis sit vbique recepta.*

1 CAmbium *est permutatio negotiatoria diuersarum pecuniarum, seu pecunia pro pecunia.* Diuersitas autem pecuniarum accidit, aut ex parte figuræ, vt in pecuniis diuersarum Prouinciarum, aut ex parte materiæ, vt cùm sunt diuersi metalli, aut ex parte qualitatis metalli eiusdem generis, cùm vnum est præstantius altero, aut ex parte quãtitatis, cùm sunt diuersi ponderis, aut numeri. *Differunt autem* cambium & mutuum inter se. *Primò*, quia de ratione cambii est aliqua diuersitas pecuniæ: de ratione autem mutui est, vt res mutuata in eadẽ specie reddatur, nisi mutuans velit esse contentus re diuersa. *Secundò*, de ratione mutui est vt aliquãdiu solutio expectetur, de ratione autẽ cãbii non itẽ: constat .n. simplex eius natura, licet pecunia diuersa, pro diuersa præsenti commutetur. *Nota campsorem* hic appellari illum à quo petitur, vt pecuniam permutet: Campsarium verò ad cuius petitionem pecunia commutatur.

Diuiditur autem cambium à Doctoribus in reale, & siccum: vocatur verò cambium siccum, quod non est verum cambium, sed fingitur esse propter imaginem quãdã cambii quam præ se fert: vt quando habetur sola ratio tẽporis; aut quando fingitur alibi solutio facienda, & fit eodem loco cum vsura: siccum etiam dicitur quia caret humore seu iusto titulo ad patiendum lucrum; hoc cambiũ est vsurarium; quia accipitur lucrum ob solam dilationẽ solutionis, quæ est virtuale mutuum Consulantur Doctores hic citati. Toletus, *lib.*5. *c.*30. *n.*1. Syluius, *a* 2. *q.*78. *art.* 4. *quæsit.*3. Lessius, *lib.*2. *c* 23. *dub.*1. Nauarr. *in man. c.*17. *n.*286. Valentia, 2.2. *disp.*5. *q.*23. *punct.*1. Layman, *lib.*3. *tr.* 4. *c.*19. *n* 10. Filliucius, *tr.*35. *p.*2. *n.*343. *& seq.* Bonacina, *de contract. disp.*3. *qu* 5. *punct. vnic. nu.*1. Malderus, 2.2. *tr de cambiis*, *c.*4. *dub.*1. Tannerus, *tom.*3. *disp.*4. *q.*7. *dub.*5.

Toletus. Syluius. Lessius Nauarr. Valentia Layman. Filliuc. Bonacin Malder. Tanner.

2 Cambium reale est legitima permutatio pecuniarũ, ex qua iustè aliquid lucri capi potest, & hoc subdiuiditur in minutum; & locale Minutum est, cum quis dat pecunias maiores pro minoribus, vel è contrà; item cùm permutatur vetus cum noua pecunia, patria cum externa, aurea cum argentea, argentea cum cuprea; dicitur etiam hoc cambium manuale, quia de manu ad manum eodem loco ac tempore perfici solet. Hoc cambium est licitum, quæcumque interueniat pecuniarum diuersitas, modò summa pecuniæ diuersæ, quæ recipitur, tanti à viris peritis, & probis æstimetur, quanti æstimatur summa data, & quidem in locis vbi pecunia recipitur, & datur, siue in eodem, siue diuerso loco, fiat receptio, & datio: vt patebit ex dicendis infra Reginaldus, *lib.*25. *n.*438. 439. Syluius, *cit. quæsit.*3. Bonacina, *c. n.*2. Lessius, *c d.*1.

Regin. Sylu. Bonacina

3 Cambium locale est, in quo pecunia præsens commutatur cum pecunia distante in alio loco; & dici etiam solet cambium per literas: quia campsor dat suas litteras, vt per eas campsarius accipiat in illo loco pecunias ab eo qui campsoris est socius. Et hoc cãbium est licitum; quia si campsor reipsa pecunias campsario de loco in locum transferret, posset petere aliquam compensationem, ergo etiam potest cùm accepta, v.g. pecunia Antuerpiæ, dat illi literas, vt quarũ Hispali tantumdem accipiat; quia hoc

modo transfert, saltem virtualiter, pecunias campsarii Hispali Antuerpiã, vel Antuerpia Hispalim, quæ translatio virtualis non minorem adfert vtilitatem campsario, quam adfert realis translatio pecuniarum ipsius de loco in locum. Ita Nauar. *in Man. c.* 17 *n.* 289. Tolet. *lib.* 5. *c.* 53. *n.* 6. Regin. *c. nu.* 456. Malderus *c. dub.* 1. Layman *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 19. *n.* 2. Valentia *to.* 3. *d.* 5. *q.* 23. *punct.* 4. Filiuc. *c. n.* 49. 398. Syluius 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. *q.* 3. *conc.* 3. & alii communiter.

Nauar. Toletus. Reginald. Malderus. Layman. Valentia. Syluius.

4 Varii à Doctoribus assignantur tituli, cur campsor in cambio minuto plus accipere possit quam dedit. *Primus* est locatio operæ, & obsequii quod campsor præstat, congregando omnis generis pecunias, quę permutari debeant, & paratum se prebendo ad easdem commutandas secundum campsariorũ volũtatẽ, quæ omnia sunt pretio æstimabilia, ideo pro hac obligatione, & obsequiis quæ in commodum aliorum præstat, à singulis potest aliquid exigere, præsertim si ad tale officium exercendum, publica magistratus authoritate constitutus sit. Imo priuatus potest recipere lucrum, cambiendo, iuxta taxam, vel cõsuetudinem vel iudicium prudentum virorum Syluester *v. vsura* 4. *q.* 7. Valentia *c. part.* 4 Sà *v. Cambium n.* 5. Nauarus *c. n.* 283. Malderus *c. dub.* 2. Lessius *lib.* 2. *c.* 23. *dub.* 2. Syluius *c. conc.* 2. lucrum tamen debet esse moderatum, ne via fraudibus aperiatur, vnde priuatus non potest tantum accipere, quantum accipit campsor publicus, quia hic plures habet titulos accipiendi aliquid, quam ille: vt docent Salas *in tr. de Cãbiis dub.* 3. Filiuc. *tr.* 35. *p.* 2. *n.* 363 hic citati.

Syluest. Valentia. Nauar. Malderus. Lessius.

Salas. Filiucius.

5 *Secundus titulus*, est interesse lucri vel commodi cessantis, & sic licet exigere supra valorem legitimum nummi, quanti æstimabitur arbitrio prudentis illa spes lucri, qua per cambium quis priuatur: vnde si aliò nummos campsor erat translaturus vbi pluris valent, vel aliter ei plus erant valituri extra cambium, poterit indemnitatẽ suam in eiusmodi lucri spe æstimare, v. g. licet coronatos aureos valentes pretio legitimo sexaginta stupheris, commutare, cum sexaginta duobus stupheris argenteis, vt si constitueras illos coronatos aliò deferre, vbi pluris valent, vel alibi merces emere, vbi sine damno alia mométa emere nequis, deducenda tamen est hic æstimatio periculi, & impendii, si quod interuenturum putetur. Ita Medin. *de vsur. q.* 7. Nauar. *in Man. c.* 17. *n.* 288. Sylu. *c. qu.* 3. *concl.* 2. Bonacina *de contract. d.* 3. *q.* 5. *p. vnic. n.* 3. Lessius *lib.* 2. *c.* 23. *dub.* 2. & alii communiter.

Medina. Nauar. Bonacina. Lessius.

6 *Tertius*, est labor numerandi pecuniam, cum enim eiusmodi laborem campsor in gratiam campsarii subeat, merito ei compensatur virtute intercedente contractu locationis operarum. Vnde quo maior pecuniæ quantitas cambienda est, eò, cæteris paribus, maior merces campsori debetur. Ita Sotus *de iust. lib.* 6. *quæst.* 11. *art.* 1. Graffiis 1. *p. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 4 Salas *de cambiis dub.* 34. & alii contra Caiet. *to.* 2. *opusc. de cambiis tract.* 7. qui hunc titulum non recipit, dicens actum numerandi gratia præstari solere, sicut vsus libri gratis conceditur; sed immerito; licet enim gratis soleat subiri istiusmodi labor, nõ hoc arguit, vendi non, aut locari non posse, sicuti & in simili, quod adducit Caiet. liber locari potest. Vt docet etiam Malderus *c. dub.* 2. potest. Molinam *disp.* 399.

Sotus. Graffiis. Salas. Caietan.

Item ratione puritatis materiæ potest exigi aliquid supra valorem nummi lege definitum, ut antiqui ducati duplices pluris æstimantur quam noui, etiamsi lege idẽ pretium habeant. Item ratione antiquitatis vel raritatis, quia tales nummi pluris æstimantur quam alioquin valerent; Pecunia enim si consideretur, quatenus est mensura rerum uenalium, non potest pluris expendi, quam sit determinatio, & taxa Principis si tamẽ consideretur, ut est res quędam purior cæteris, plurisque habens commoditates sic potest pluris expendi. Ita Nauarus *in Man. c.* 17 *n.* 288 Toletus *li.* 5. *c.* 51. Syluius *c. concl.* 2. Azor. 3. *p. l.* 10. *c.* 4. *q.* 4 Bonac. *de contract. d.* 3. *q.* 5. *p. vnic. n.* 3. Lessius *c. art.* 4. & alii

Malderus. Molina.

Nauarr. Toletus. Azorius. Bonacina. Lessius.

7 *Quartus* est, commoditas conseruandi, trasferendi, numerandi, & ubique negotiandi; unde pluris ęstimantur 1000. coronati in auro, quam in pecunia minuta argentea; & in his permutandis potest hęc commoditas, qua se quis priuat, ęstimari, nihil tamen amplius peti potest ratione commodi, quod alteri inde prouenit; Hunc titulum negat Medina, & quidem alii, sed contrarium, & merito tenent Doctores hic citati Filiucius *tom.* 35. *p.* 2. *num.* 361. Caiet. Bannez, Sotus, Syluest. Lessius, Bonac. *cit.* Salas, *cit. dub.* 3. *n.* 4. & 6. Sylu *cit. concl.* 2.

Caietan. Bannez. Sotus. Syluest. Lessius. Bonacina. Salas. Syluius.

Item ratione vsus, seu expendibilitatis, v. g. si in aliquo loco commutatio nummorum fiat, qui possunt ibi expẽdi cum iis, qui non possunt; cum enim non habeant ibidẽ pretium, ut nummi, sed solùm vt aurum, vel argentum; possunt notabiliter minoris emi, quã valeãt in sua patria.

8 Ad iustitiam cambii per minutum tria desiderantur *Primum* est, vt in campsore nulla sit falsitas, dando quasdam pecunias pro aliis, aut aurichalcum pro auro, aut minorem pro maiori. *Secundum*, ne sit fraus decipiendo tractantes in valore monetæ, si. n. campsori constet monetam plus valere, debet veritatem aperire Toletus, *lib.* 5. *c.* 51. *n.* 8. Filliucius, *c. n.* 362. Nauarrus, *c. n.* 295. Syluius, 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *q.* 3. *concl.* 4. An autem qui scienter vel ex inaduertentia, & ignorantia pecuniam adulterinam recipit possit illam expendere; dicendum est quòd non; quia pecunia vitiosa est; res autem uitiosa saltem notabiliter, nõ potest alteri tradi, vitio non detecto; neque enim ex eo quòd quis deceptus, potest alios decipere, cùm actio, qua deceptus sum, non conferat mihi ius decipiendi alterum. Ita Sanchez, *lib.* 2. *Moral. c.* 23. *n.* 23. Lessius, *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 5. *n.* 26. Azorius, 3 *lib.* 10 *c.* 4. *q.* 10. Aragon. 2-2 *q.* 62. *art.* 6 *dub.* 2. *col.* 3. & alii ab ipsis citati. *Tertium*, vt sit iustum pretium nempe lege statutum; citra autem legem, id erit iustum pretium cambiorum, quod communiter prudentes, & probi, ponderatis omnibus circumstantiis ad rem facientibus iudicabunt; nec in hoc multum respiciendum est ad labores corporales campsorum, sed communis æstimatio est maximè spectanda, ut fit in operis medicorũ, & Iurisconsultorum; Item iustum erit pretium, quod cõmuni ipsius loci consuetudine, aut saltem proportione loci ad eum in quo lex est, uel consuetudo, habita consideratione copiæ, aut inopiæ talium pecuniarum, Toletus, *li.* 5. *c.* 51 *n.* 8. Filliuc. *c. n.* 362. Nauarr. *in man. c* 17. *n.* 288. & 295. Molina, *disp.* 399. *n.* 7. & *disp.* 405. *n.* 6.

Toletus. Filliuc. Nauarr. Syluius.

Sanchez. moral. Azorius. Aragon.

Toletus. Filliuc. Nauarr. Molina.

9 Si famulus, œconomus, uel procurator à Domino acceperit pecunias ad aliquid emendum uel ad debitum soluendum, & eas per cambium minutum permutet, lucrũ quod cãbiendo facit, potest sibi reseruare; quia tale lucrum est ex ipsius industria, labore, & opera, unde fructus industriæ dicitur, concurrente pecunia tanquam instrumento, quod ex se infœcundum est. Dominus tamen pecuniæ debet seruari indemnis; nam sicut damnum patitur ob negotiationem suæ pecuniæ præstitam à famulo, œconomo, uel procuratore, certum est famulum teneri de damno: sicut & tenetur ad restitutionem, si eas pecunias expendendo, emisset domino res minori pretio, uel si dominus uolebat eas pecunias pretiosiores tradi creditoribus, quia priuando creditores emolumento pretiosioris pecuniæ, censetur illis damnum iniustè intulisse. Ita Azorius, 3. *p. lib.* 10. *c.* 4 *quæsit.* 11. Lessius, *lib.* 2. *c.* 23. *dist.* 2. *num.* 18. Molina, *de iust. tom.* 2. *tr.* 2. *dist* 402. Diana, *p.* 1. *tr.* 8 *res.* 32. Layman, *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 19. *n.* 5. Reginald. *lib.* 25. *n.* 450. Filliuc. *c. n* 371 & alii.

Azorius. Lessius. Molina. Diana. Layman. Reginald. Filliuc.

10 In cambio locali reali, quando campsor prior accipit pecunias ut alibi restituat, potest aliquid lucrari uariis titulis. *Primo*, titulo translationis pecuniæ, traiicit enim pecuniam quæ hic est in locum, ubi eam quis desiderat; quæ opera in gratiam alterius præstita, est pretio æstimabilis; nec refert, quod campsor reipsa pecuniam non trãsferat, quia eam quasi transfert, faciendo id, quod æquiualet reali traslationi, ita ut campsario tantum commodi præstet, quantum si reipsa transferret; unde meritò potest pro illo obsequio pretium exigere. Sed quia hęc uirtualis translatio non est tot periculis, & difficultatibus inuoluta sicut est translatio realis, campsor non potest tantum exigere, quantum exigeret, si pecuniam realiter transferret; unde in conscientia exigat quantum inter campsores bona fide pro tali obsequio est constitutum. Ita Graffiis, 1. *p. lib.* 2. *c.* 110. *n.* 4. Syluius, 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *q.* 3. *concl.* 3 Molina, *c. d.* 403. Bonacina, *c. disp.* 2. *qu.* 5. *p. vnic n* 7. Reginald. *c. n.* 454. & 461. Filliuc, *c. n.* 380. Layman, *c. n.* 7. Malderus, 2. 2. *tr.* 5. *c.* 5 *de cambiis dub.* 3. *n.* 1.

Graffiis. Syluius. Molina. Bonacina. Reginald. Filliucius. Layman. Malderus.

11 Titulus secundus, quo lucrari potest campsor in cambio locali, est præstatio periculi, seu assecuratio. Quia accipiens hic pecunias aliò traiiciendã, suscipit in se onus transfe-

transferendi, & periculum, vt si pereat, non danti, sed ipsi pereat, quod est pretio æstimabile: Nec refert quod campsori in pecunia transferenda nullum sit periculum, cum ipsi alibi eam paratam habeat, id enim ipsius industriæ, vel fortunæ est assignandum. Vnde quò longius est iter, & quo maiora sunt pericula, eò amplius ratione assecurationis, & translationis potest exigere à campsario; quia eò traiectio pecuniæ, si reipsa fieri deberet, esset difficilior, & periculosior: Ita DD. numero præcedenti citati.

12 Quando campsor dat prior pecunias, vt alibi recipiat, potest etiam lucrari. *Primo*, titulo uirtualis translationis seu maioris æstimationis pecuniæ præsentis, quàm absentis; vnde campsor lucrari potest etiamsi vtrobique sit idem pretium monætæ, & eadem copia, & inopia; Item etiamsi det ad locum; intra idem Regnum, vel Prouinciã. Ratio est, quia sicut pecunia absens ab vno Regno minoris, valet illi Regno, quàm præsens in eodem Regno; ita pecunia absens ab vna Ciuitate eiusdem Regni puta Parisijs, & præsens Lugduni, minoris ualet Parisijs, quàm præsens Parisijs; Imò quò plus distabunt Regna, vel Ciuitates, eò minoris æstimabitur pecunia absens, ac proinde plus poterit campsor lucrari, ratione huius absentiæ pecuniæ, secundùm locum distantiorem. Ita Nauarrus, *in Man.c.*17.*n.*289.290. Azorius, *c.c.*6.*q.*4. Filliucius. *c.n.* 395.398.& 400. Bonacina, *c.n.*6. Reginaldus, *c.n.*456. Toletus, *lib.*5.*c.*53. Valentia. 2.2.*d.*5.*q.*23.*p.*4. & alii.

Nauarr. Azorius. Filliuc. Bonacina. Reginald. Toletus. Valentia.

13 In hoc cambio locali, alius titulus quo lucrari licet campsori, est maior æstimatio pecuniæ in loco vbi datur, quàm vbi redditur; siue ea æstimatio sit intrinseca; hoc est siue à lege, vel communi consuetudine valor pecuniæ proueniat, ex conditione materiæ, & ponderis, siue procedat ex causis extrinsecis, & fortuitis; & ideò ratione vtriusq; æstimationis potest campsor aliquid lucrari; modò lucrũ non excedat iustum cambii pretium Syluest *v. Vsura*, 4.*q.* 8.§. 1. Fillucius, *c.n.*380. Lessius, *c.dub.*4.*n.*34.& *sequ.* Reginaldus, *c.n.*461. Malderus, *c. de Cambiis, dub.*3.*n.*3. Layman, *c.c.*19.*n.*8. u.g. coronatus pluris ualet in Belgio, quã in Hispania, unde campsor qui mille coronatos daret Antuerpię, recipiendos Hispali, deberet amplius Hispali, quã mille coronatos recipere ut fiat æqualitas. Item etsi aurei nummi, & argentei eandem habeant æstimationem legalem hic Duaci, & Parisijs, uidelicet 60. assium, tamen fieri potest, ut hic maiorem habeant æstimationem accidẽtalem, siue fortuitam, uel ratione maioris raritatis talis pecuniæ inter campsores; uel ratione maioris securitatis pecuniæ in uno loco, quàm in alio; ubi enim sunt pericula, cæteris paribus pecunię minoris æstimantur, ut docet Caietanus, *de Cambiis, cap* 7. uel ratione maioris numeri petentium ad cambium inde etiam augescit ęstimatio, & ualor pecuniarum; sicut pretia mercium augentur quãdo sunt plures emptores; inducunt enim raritatem.

Syluest. Filliuc. Lessius. Reginald. Malderus Layman.

Caietan.

14 Alter titulus quo licet campsori in hoc cambio aliquid lucrari, est carentia pecuniæ, cum qua est coniunctũ periculum ne restituatur, & priuatio commoditatis negotiandi ea pecunia, quæ apud mercatores magni æstimatur, ideoque quò longius est tempus in quod eam pecuniam concedunt, eò plus lucri exigunt, & quò breuius, eò minus. Ordinariè enim campsores pluris æstimant carere pecunia sua quinque mensibus, quam quatuor, & carere quatuor, quàm tribus; idque partim quia interim carent facultate lucrandi illa pecunia; partim quia diutiùs uersatur sors in periculo. Filliucius *cit. num.* 404. Lessius *cit. dub.*6.*n.*55.56. Caietanus *cit.* Malderus *cit. dub.*4.

Filliucius Lessius. Caietan Malder.

15 Cambium nundinas non differt nisi accidentaliter a cambio locali ex natura sua, quia eædem personæ in vtraque conueniunt, regitur eodem nummo, & variatio pretii fit iuxta longius, aut breuius tempus; vnde fit licitum concurrentibus quibusdam conditionibus Filliucius *tract.*35.*p.*2.*c.*7. Syluester. *v Vsura* 4.*d.*4. Nauar. *in Man c.*17.*n.*297 *Prima* est, vt fiat realis permutatio ex uno loco in alium habita ratione diuersitatis pecuniæ & valoris monetarum. *Secunda*, vt seruetur iustum pretium secundùm communem fori æstimationem; in qua æstimatione habenda ratio est abundantiæ pecuniæ, vel penuriæ, distãtiæ; aut vicinitatis locorum. *Tertia*, vt æstimatione pretii non habeatur per se ratio temporis, hoc enim esset usurarium ut colligitur ex Bulla Pii V. & ex communi docent

Filliuc. Syluius. Nauarr.

Medina *de Cambiis q.*8. Malderus 2.2. *de iust. tract.* 5. *c.*4. *dub.*4. distantia enim temporis lucrum iustum non parit sicut distantia loci, quæ regulariter onera æstimabilia in translatione coniuncta habet.

Medina. Malder.

16 Monopolium in cambiis uitandum est, unde pretiũ directè augeatur, hinc monopolium facientes directè & per se, siue ex pacto expresso, siue tacito peccant contra iustitiam, si augeant pretium supra iustum; contra quam etiam faciunt cooporatores monopolii positiuè; facicores enim sunt causa efficax incrementi illius pretii modo indebito, quia pretium iustum cambii non pendet ex eorũ arbitrio, sed ex aliis causis, & consequenter sunt causa damni accipientium ad cambium iniusta, & ideò tenentur ad restitutionem totius damni: Cooperatores uerò positiuè tenentur in solidum ad restitutionem, posito quod principales non satisfacerent; quia recondendo tãtam pecuniæ summam, quæ posito monopolio principali, posset augere notabiliter pretium, fiunt participes totius damni contra iustitiam. Ita Toletus, *lib.*5.*c.*53.*n.*3. Filliucius, *c.c.*7.*n.*415.& *seq.* Sotus, *de iust. lib.*6.*q.*12. *art.*3. Nauar. *de vsur. n.*59. Bonac. *c.n.*16. Salon. *de Cambiis, q.*4. *art.* 2. *contr.*13. contra Molin. *c.d.*345 *in fine*, Lessius, *lib.*2.*c.*21 *dub.*20.*n.*151. Salas, *de Cambiis dub* 38.*n.*4. existimantes non peccare contra iustitiam commutatiuam, neque teneri ex rigore iustitiæ ad restitutionem; sed tantùm esse peccatum contra charitatem proximorum, & contra iustitiam legalem, seu publicam utilitatem; quorum sentẽtia non est improbabilis. Porrò pretio per monopolium inducto non possunt ut ii, qui non fuerunt eius causa, in principio saltem; secus postquam communiter receptum fuerit; quia antequã usu confirmetur, & ab omnibus recipiatur, censetur iniustum, utpote inductum ab iis, qui non habent ad id authoritatem, & per monopolium.

Toletus. Filliuc. Sotus. Nauarre. Bonacina Salon Molina Lessius. Salas.

17 Cambium pro secundis nundinis, vel tertiis; vsurariũ censetur, si cãpsor ob id plus exigat, quã exigeret, si pecuniã duret ad proximas tantũ nundinas nã alioquin aliquid exigeret ob solã dilationem, quod est vsurariũ: cum pari tamen lucro liceret ad secũdas, vel tertias nundinas pecuniã dare, quia hoc cedit in fauorẽ cãpsarii. Limitat etiã Nauarrus, nisi gratis id cãpsor cõcederet; tunc .n. nulla esset vsura nec intelligeretur esse prohibitũ in Bulla Pii V. Ita Lessius, *lib* 2.*c.*21.*dub.*11.*n.*91. Tolet. *lib.*5.*c.*53.*n.*7. & *c.*55.*n.*2. Nauarrus, *c.*17.*n.*301. Reginald, *lib.*25.*n.*456. Bonacina, *c.n.*9. Filliucius, *c.n.*411.424.& 482.

Lessius. Toletus. Nauarr. Reginald. Bonacina. Filliucius

18 Certũ, & determinatũ interesse nõ potest à principio in pactũ deduci pro periculo, cui se exponit cõcedendo dilationẽ vltra terminũ ordinariũ; vbi Bulla Pii V. de cambiis seruatur. Aduertendũ tamen est nõ prohiberi, vt alterius causa patitur reale interesse nõ possit indẽnis seruari in foro conscientiæ, id .n. in aliis contractib. de iure naturæ licitũ est, v.g. si cãpsor ob hanc morã debuerit accipere pecuniã sub vsura, aut lucris per eã speratis exciderit. Vnde pactũ de lucro incerto inire potest, quod cessabit cãpsori, si in loco constituto campsarius non soluat tẽpore determinato: nã hoc pactũ non videtur prohiberi à Sum. Pontificẽ: vsus tamen dandi ad cãbiũ initio cũ maiori lucro, quã in medio, aut fine iustificari potest, si per se tẽporis solius ratio nõ habeatur, Nauarr. *c.n.*301. Regin. *c.n.*467, Filliuc. *c.n.* 482. Less. *c.n.*90. Valent. *to.*3. *disp.*5.*q.* 23.*p.*4. Salas, *de Cambiis, dub.*13.& *dub.*22.

Nauarr. Reginald. Filliuc. Lessius. Valentia Salas.

19 Qui tradit pecuniã ad cãbiũ alicui, cui nõ fidit, potest exigere pignus, vel fideiussorẽ pro crediti securitate; nã in omni cõtractu licitũ est cuiq; se indemnem seruare, sibiq; consulere, quãtũ postulat natura cõtractus: fructus tamen pignoris in sortem cõputãdi sunt, si fortè illud frugiferũ sit, alioquin acciperetur aliquid supra æqualitatẽ. Vide Azor. 3.*p. lib.*10.*c.*11. *quæst.* 11. Lessius, *c.dub.*8.*n.*77. Toletus, *c.c.*52.*n.*3. Salas, *c.dub.*21.

Azorius. Lessius. Toletus. Salas

20 21 Campsor non potest pacisci cũ cãpsario, vt si elapso termino, vel in loco prefixo non soluat, teneatur eãdem sũmã accipere ad recãbiũ, nisi certò cõstet tantũ lucri cãpsorem moraliter percepturũ ab aliis, si solutio sibi fieret statuto loco, vel tempore; hoc .n. licitũ est ratione lucri cessantis non .n. potest plus exigere ratione moræ quã æstimationẽ huius lucri, & periculi sortis. Vnde toleratur pactũ, quo cãpsor obligat cãpsariũ, vt si termino cõstituto non soluerit, fiat recãbiũ ad locũ primi campsoris,

Graffiis. Lessius. Filliucius. Salas.

quia hoc nihil aliud est, quam illum obligare ad intereſſe lucri ceſſantis. Vt tradunt Graffiis 1. *part lib.4.cap.*11.0. *n.*15 Leſſius *c.n.*83. Filliuc. *c.n.*471. Salas *c.dub.*22 *contl.*2.

22 Non tenetur campſor, cui campſarius poſt multa cambia, & recambia tradidit partem debiti, eam partem computare pro extentione capitalis, ſed poteſt eam compenſare pro extinctione lucrorum, & intereſſe capitalis, Ratio eſt, quia quãdo ex debito aliquo principali, tanquã ex radice naſcuntur alia debita tanquam fructus, tunc ſi fiat ſolutio primo cenſetur fieri pro fructibus illis dependentibus, deinde ſi quid ſuperſit computatur in ſortem, vt patet ex praxi, in ſolutione cenſuum, & in ſolutione debitorum ſocietatis, vel mutu. Ita Filliucius *c.n* 472. Bonacina *de contract.diſp.*3.*q.*5.*part.vnic.n.*23 Leſſius *c.dub.*10. Salas *de Cambiis, dub.*25.*n.*2.

Filiucius. Bonacina. Lessius.

23 Conditiones quas requirit Pius V. in ſua Bulla de Cambiis hę ſunt.

Primo, damnat Pontifex tanquam vſuraria omnia Cãbia ſicca, in quibus falſo fingitur alio loco futura ſolutio, cum intendatur futura eodem vbi fit contractus.

Secundo, Iubet ſeruari quaſdã conditiones in Cambio reali. Prima eſt, ne campſor ratione dilationis vltra terminum præſtitutum conceſſę, paciſcatur de aliquo lucro.

Secunda ne ab initio, vel poſtea paciſcatur de certo intereſſe etiam in euentu, quo non fieret ſolutio tempore debito. Non prohibet tamen pactum de intereſſe incerto, quod poſtea ex mora campſarii deprehenſum fuerit, & ne pœna moderata adiiciatur, ſi ex negligentia tempore conuento non fuerit facta ſolutio.

Nauarrus putat hanc prohibitionem fundari in præſumptione fraudis vſurariæ, & in foro conſcientiæ, vbi ceſſant præſumptiones, valere pactum de certo intereſſe, ſi moraliter conſtet; illud iuſtum eſſe.

Leſſius tamen arbitratur mentem Pontificis eſſe abſolute tale pactum vetare. Vnde erit illicitum ubi Bulla eſt recepta, quamuis non irritum; quia Pontifex non irritat tale pactum.

Tertia, ne ultra primas nundinas aut conſuetos terminos ubi nundinæ non expectantur realia cambia exerceãtur, iuxta receptum locorum uſum, uidelicet cum extenſione proportionali lucri.

Quarta, ut in terminis ſolutionum conſtituendis, habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum in quibus ſolutio deſtinatur; ne dum longiores præfiguntur, quam loca deſtinata ſolutioni deſiderant, fœnerandi detur occaſio.

De his conditionib uidendus eſt Nauarrus *in Man.c.*17.*n.*300. *& ſeq.* Malderus *de iuſtit.tract.*5.*c.*4.*dub.*11. Leſſius *lib.*2.*c.*23.*dub.*11. Bonacina *de contract.diſp.*3.*q.*5.*punct.vnic.n.*9. *& ſeq.* Reginaldus *lib.*25.*n.*467.

Nauarr. Malderus. Bonacina. Reginald.

24 Hæc Bulla Pij V. de cambiis paucis locis, & fortè nuſquam, ſaltem quoad omnes eius conditiones, eſt uſu recepta. Vt docet Leſſius *cit.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Cambium non eſt emptio, & venditio, neque depoſitum neque commodatum, neque locatio, neque mutuum ſed refertur ad contractum permutationis.*

2 *Verius eſt artem campſoriam ſecundum ſe eſſe de genere earum rerum, quæ habent ſpeciem mali, vel de genere male ſonantium: tamen iuſtis de cauſis poteſt honeſtari.*

3 *Cambiorum negotiatio circa pecunias verſatur, ſicut mercatura circa merces.*

4 *Pecunia ſecundum vſum eius minus principalem, & ſecundarium, poteſt commutari, aut vendi pluris, quam eius æſtimatio legalis valeat.*

Pecunia ratione materiæ ſecundum metalli naturam, & quoad vſum per accidens, poteſt pluris vendi, & commutari quam valeat iuxta legis præſcriptum.

5 *Quando pecunia tanquam res quædam venditur, locatur, & commodatur, variis ex cauſis pluris minoriſve æſtimatur.*

6 *Conſtitutio pretii in cambiis, & pecuniarum quæ commutantur æſtimatio, iuſte, & licitè fieri poteſt à mercatoribus artem campſoriam exercentibus.*

7 *Vt iuſte pretia cambiis conſtituantur, æſtimatio pecuniarum in locis, inter quæ cambia celebrantur, facienda eſt iuxta eundem temporis articulum, quo fiunt cambia.*

8 *Non poteſt campſor à principio contractus cambii paciſci de lucro ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis, ſi ſuſpicetur campſarium nullam habere pecuniam vel creditum in loco ſolutioni deſignato.*

Item non licet campſori conuenire cum campſario de aliquo lucro certo perſoluendo literis non ſolutis, vbi facienda eſt pecuniarum ſolutio.

9 *Cambium ſiccum fit multis modis.*

1 CAmbium non eſt emptio, & venditio: quia in emptione, & uenditione, propriè loquendo, oportet alterum extremum eſſe pecuniam, alterum uero mercem aliam à pecunia diſerentem. In cambio autem utrũque extremum eſt pecunia; quia non eſt maior ratio cur vna ſit pretium alterius, quam altera, niſi quando ualor unius pecuniæ eſt maior uel minor, quam ualor legalis ratione ſuæ bonitatis, aut defectus, vt quia una pecunia eſt defectiua.

Cambiũ nõ eſt depoſitum; quia in depoſito eadem res numero, quæ deponitur, reſtituitur, in Cambio vero alia diuerſa. Item Cambium non eſt acommodatum: quia in Cambio dominium transfertur, quod non contingit in accommodato.

Item Cambium non eſt locatio, quia in locatione redditur pretium pro vſu rei locatæ vel conductę; in Cambio autem nihil recipitur, neque poteſt recipi pro vſu alicuius rei, ſed vna res cum alia commutatur; deinde in contractu locationis res locata non tranſit in dominum eius, cuius operæ locantur; At in Cambio pecuniæ quæ traduntur campſori, tranſeunt in dominium ipſius, cum obligatione tamen ad reſtituendas ſimiles, & æquiualentes in alio loco.

Deniq; Cambium nõ eſt mutuum, quia in mutuo transfertur dominium ſimpliciter, hoc eſt ſine lucro aliquo ex vi mutui principaliter; At in Cambio nõ transfertur dominium ſic ſimpliciter, hoc eſt vt ſors ſimpliciter reſtituatur, ſed cum aliquo incremento. Plures differentias vide *in* 10.*t.v.Cambium, n.*1.

Dicendum eſt ergo Cambium referri ad contractum permutationis ſecundum communem ſententiam, quia Cambium eſt vnius pecunię cum alia permutatio, & proinde quædam permutationis, ſpecies. Ita Azorius *part.*3 *lib.*10.*de Cambiis, cap.* 1. ex communi: quamuis Nauarus *in Man.c.*17.*n.*294. reducat ad contractum innominatum *Do vt Des.*

Azorius. Nauar.

2 Artem campſoriam quidam damnant abſolute vt illicitam, & vſurariam; quia ars quæ contra naturam rerum eſt excogitata, turpis eſt & iniqua; ſed hæc nũmularia eſt huiuſmodi, ergo, &c. Maior eſt certa; nam ars non deſtruit naturam, nec pugnat cum ea, quin potius illam imitatur, & perficit. Minor vero probatur, quia pecunia ſterilis eſt, nec parit pecuniam; at per artem campſoriam parit pecuniam, ergo ars campſoria eſt excogitata contra rerum naturam, ergo eſt iniqua, & turpis. Ita Ariſtot. 5. *Polit.c.*6.*&* 7. Hoſtienſ. *in Summ.tit.de vſur.* & multi alii.

Ariſtot. Hoſtien.

Sed verius eſt artem campſoriam ſecundum ſe eſſe de genere earum rerum quæ habent ſpeciem mali vel de genere male ſonantium: quia negotiatio ſecundum ſe habet ſpeciem mali, importat enim quoddam ſomentum cupiditatis, cui nullus eſt terminus ſiquidem exercetur lucri gratia, vt docet D. Thom. 2.2.*q.*77.*a.*4.*in corpore*, ſed ars campſoria eſt quædam ſpecies negotiationis, ergo ſecundum ſe habet quandam ſpeciem mali. Tamen iuſtis de cauſis poteſt honeſtari; nam ars Reip. neceſſaria quæ nõ eſt eſſentialiter mala, ſi debitus finis ac circumſtantiæ non deſint poteſt ex illis honeſtari, atqui ars campſoria eſt res Reipubl. neceſſaria, vt conſtat nec eſſentialiter mala poteſtque fieri propter honeſtum finem ad habendum, ſcilicet ex Cambio lucrum, quo familia honeſte alatur: ergo poteſt ex fine, & circumſtantiis honeſtari. Sic Caietanus *to.*2.*opuſc.de Camb.tr.*7.*c.*5. Sot. *de iuſt.l.*6.*q.*8.*a.*1. Azor. *c.c.*3 *q.*1. Et eſt cõcluſio definitã à Pio Papa V. in ſua conſtitut.

D. Thom. Caietanus. Sotus. Azorius.

quæ

quæ incipit. *In eam pro nostro*, edita anno 1571. kalend. Februar apud Nauarrum *in Man.cap.17.num.*83.

Ad rationes autem contrariæ opinionis posset responderi, artem campsoriam non destruere naturam; & pecuniam quidem nō parere pecuniam ratione sui & præcisè secundùm se, sed bene, ratione laborum, industriarũ & expensarum campsoris, tanquam stipendium illius.

3 Cambiorum negotiatio circa pecunias versatur, sicut mercaturæ circa merces. Pecunia autem primò est introducta tanquam pretium rerum venalium, qui fuit primus vsus pecuniæ. Sed deinde homines vti pecunia cœperunt, non tanquam pretio mercium, sed tanquam re quadam æstimabili, quoniam omnis pecunia constat materia, figura, & signo publico impresso, vnde dicta est pecunia signata, ac propterea ratione materiæ, & signi, est res quædam quæ conducit plurimum ad humanos vsus. Pecunia item aliquādo absens est, tum loco, tũ tempore, & quia longè abest, si cum alia pecunia præsente cōmutetur, minoris æstimatur, quemadmodum cæteræ res quæ procul absunt. Nam vt ex remoto loco in præsenté, vbi nos sumus, importentur, periculis, laboribus, & impensis expositæ sunt. Et quia aliquando necesse est, vt pecuniæ, quas hic habemus aliò transferantur, quia illis alibi, non hic indigemus, vel vt aliunde huc inuehantur, quia eas alibi, non hic habemus, Ex his causis introduci cœpit secundus pecuniæ vsus, quo vna pecunia cum alia commutatur, & inuenta est cambiorum ars. Pecunia .n. arte commutatur, non natura, quamuis aliæ quæli. bet res natura potiùs, quàm arte permutentur, imò pecuniæ ipsæ tanquam res quædam venduntur, locantur, commodantur ratione materiæ vel signi siue figuræ, vel, quia loco absunt, vel periculo obiectæ sunt. Vide Salon. *tom.2.tract.de Cambus, quæst.1.art.2.*

Salon.

4 Quamnis pecunia secundùm suum vsum primariũ & principalem, vt pretium rerum venalium est, non possit commutari, aut vendi pluris, quàm eius æstimatio legalis valeat, quia valor eius, vt sic, consistit in indiuisibili & non potest augeri vel minui nisi Principis, vel Reipub. auctoritate, bene tamen potest secundùm eius vsum minùs principalem, & secundarium, & sic poterit numisma commutari maiori pretio, quàm sit legale; quia determinatio valoris monetarum per legem respicit numisma quoad vsum formalem, primarium, & per se, vt scilicet est pretium rerum omnium venalium, non autem æstimatio ejus est taxata quoad vsum eius secundariũ, quatenus scilicet deseruit ad commutationem vnius pecuniæ pro alia. Ita Caietanus *in opuscul. tract, 7. de Cambus, cap.6.vers. Nec obstat.* Sotus *lib.6.quæst 9. art. vnic.* Nauarrus *cap.17.num.294.* Bannez 2.2. *quæst.78. art.4.* Contra Ioan. Medinam *Cod.de reb.per vsur acquisit. q.7,* Valentiam *tom.3.disp.5. quæst 23 punct.2.*

Caietan. Sotus. Nauar. Bannez. Ioan.Med. Valentia.

Similiter pecunia ratione materiæ secundùm metalli naturam & quoad vsum per accidens, potest pluris vendi & commutari, quam valeat iuxta legis præscriptum: vt si quis auro indigeat, vel ad ornamentum, vel ad alios vsus, potest alter ei ducatum aureum vltra valorem, quo numisma æstimatur, vendere, quia sicut potest rude aurum non impressum vendi egenti, sic & illud quod est signatum publico sigillo commutari & vendi maiori pretio, quàm sit legale; quia pretium monetæ auctoritate publica non taxatur, nisi vt moneta est formaliter, & vt pretium rerum venalium est quoad effectum suum primarium, non autem ratione materiæ, & secundum metalli naturam & quoad vsum per accidens. Ita Syluester *verb. Vsura 4.num.3.*

Syluest.

5 Quando pecunia tanquam res quædam venditur, locatur & commodatur, variis ex causis pluris minorisue æstimatur. *Primò*, ratione materiæ, quia est pecunia aurea vel argētea, vel ærea: & ad plures vsus prodest aurea, quàm argētea, item ratione materiæ melioris vel pretiosioris. *Secundò*, ratione formæ, siue signi vel figuræ, in vno enim loco pecunia sic vel aliter signata nihil æstimatur, cùm tamé alibi pluris valeat, *Tertio*, Ex Principis vel Reip. statuto valorem pecuniæ augentis vel minuentis, nam penes Principem & Remp. est ius pecuniæ æstimationé taxandi. *Quarto*, Ratione loci, quia pecunia loco remota minoris æstimator, quàm præsens, & in vno loco pecunia eiusdem materiæ pluris valet, quam in alio. *Quinto*, ratione temporis, quia pecuniæ valor temporis decursu crescit, aut minuitur. *Sexto*, Pecunia pluris minorisve æstimatur, prout maior vel minor ipsius copia vel penuria est. *Septimo*. Ratione eorum, qui pecunias permuttant quando enim plures, uel pauciores, sunt qui pecunias petunt a campsoribus, tunc ipsi negotiatores cambiorum pretia augent vel diminuunt. Ita Nauarrus *in Man.cap.17.nu.294.*

Nauarrus.

Quibus causis has addo. *Octauo* Ex multitudine vel paucitate dantium ad cambium, assignatur maior vel minor pecuniæ æstimatio, quo enim sunt pauciores; qui velint dare ad cambium eò pecunia cāpsoris pluris æstimatur, & quo plures sunt campsores, eò pecunia minoris æstimatur, quia sicut quò pauciores sunt mercium venditores eò mercimonia pluris æstimantur, & quò plures eò minoris. Ita Lopez *lib. 2. de contract. c. 9. vers. Principaliter. Nono*, desumitur ex pecuniarum necessitate, ut si dantibus ad cambium mercium ingens copia offeratur venalis, vnde sperant illas emendo habere maximum lucrum, tunc pecunia maioris æstimaretur quoad extrinsecam æstimationem, & minoris ex hoc capite, si nulla sit talis necessitas. Ita Lessius *lib.2.c.23.n.35.in fine. Decimo*, Ratione minoris periculi amissionis, cui in aliquo loco existens est coniuncta, hic pecunia magis, valet. quam in loco, vbi summo in periculo est constituta, & è contra hic minus valet, vbi maximum amissionis periculum subit; & sic tempore belli pecunia existens in Flandria minoris æstimationis habetur in Ordine ad cambia, ratione scilicet magni periculi amissionis illius: etiamsi aliæ causæ extenuantes æstimationem pecuniæ ibi deficerent; periculum enim cui res subiaceat, facit rem illam vilescere. Ita Caiet. *to.2.opusc.tr.7.c.7.de Cāb.* Lessius *supr.*

Lopez. Lessius. Caietan. Lessius.

6 Pretii constitutio in cambiis, & pecuniarum, quæ commutātur, æstimatio, iustè & licitè fieri potest a mercatoribus artem campsoriam exercentibus, quia iustum & licitum pretium in quacumque negotiatione illud cēsetur, quod periti illius negotiationis bona fide omnibus consideratis, imponunt, dempta omni fraude, si pretium a lege non sit taxatum. Neque obstat, quod campsores videantur rem suam agere pretia cambii constituendo, quoniam non omnes, qui ad huiusmodi pretiorum constitutionem conueniunt, sunt cāpsores creditores, quorũ refert pretia esse cariora, sed etiam conueniunt debitores quorũ interest pretia esse minora, & hac mutua cōcertatione, qua singuli suis commodis prospiciũt, sumitur medium pretium ad singula loca, in quibus, & ad quæ fiunt cambia, omnibus accommodatum. Ita Salon. 2.2.q.4. *de Cambus, contr.15.art.2.*

Salon.

Pretium verò cambiorum in nundinis proximè futuris taxandum, illud dicitur, quod campsores in futuris illis nundinis existentes constituunt, tam in primo cambiorum contracto, quando recipiuntur pecuniæ restituendæ in nundinis, adueniente solutionis termino, quā in remissione solutionis ad priorem locum: quia cāpsores tunc in vnum congregati in loco nundinarum prospecta diligenter vera & reali copia, vel inopia pecuniarum, tam in loco, vbi cambium primò recipitur & exercetur, quam in loco, vbi facienda est illius solutio, sicque omnibus pensatis ritè ac rectè pretia cambii constituunt, & hæc prætia sic constituta censentur inter eos esse communis vsus fori.

7 Vt rectè ac iustè pretia cambiis constituantur, æstimatio pecuniarum in locis, inter quæ cambia celebrantur, facienda est iuxta eundem temporis articulum, quo fiunt cambia, proindè ac si in eodem instanti pecuniæ illæ inter se commutarētur in illis locis. Nam vsus campsorum ita habet, vt ipso tempore contractus conueniant campsor & campsarius de pretio cambii quod exercent. Probatur, quia quoad pretii constitutionem, cambiũ assimilari debet contractui venditionis, sed in venditione pretium sumédum est in eo tempore, in quo res actu traditur, & fit cōtractus, esto solutio illius differatur in aliud tempus. Ergo similiter in cambio, esto solutio & restitutio pecuniæ, quæ cambitur, differatur in nundinas vel ad aliũ terminum pretium tamen constituendum est, & definiēdum eo tempore, quo traditur pecunia, & celebratur

con-

contractus, & consequenter sumenda est æstimatio, quã habent tunc pecuniæ in vtroque loco, simul & codem tempore, nec curandum quam æstimationem sint deinde habituræ vel habebunt tempore solutionis. Ita Salon 2.2.tom.2.q.4.art.2.de Cambiis,controu.16.concl.vlt.

Salon.

8 Non potest campsor pacisci cum campsario à principio contractus cambii de lucro capiendo ratione lucri cessanti vel damni emergentis, si certò cognoscit, aut saltẽ suspicatur campsarium nullam habere pecuniam, vel creditum in loco solutioni designato, & ex consequenti litteras eò missas non esse ab aliquo recipiendas nec persoluendas, sed remittendas inde inanes & vacuas. Ratio est, quia vbi campsor intelligit, vel saltem probabiliter suspicatur literas campsarii futuras inutiles, eo ipso celebrat cambium siccum damnatum tanquam iniustum & vsurarium à Pio V. in sua constit. quæ incipit, *in ea pro nostro.* Vt docet Salon *cit.contrôu.*14. Potest tamen campsor, qui bona fide tradidit pecuniam suam campsario certò vel probabiliter credens illum habere pecuniam, vel creditum in loco solutionis, conuenire cum illo de lucro, quod uerè illi cessauerit, & de damno, quod illi verè fuerit subsequutum ex non solutis literis in termino & loco solutioni designato. Probatur, quia iure naturæ licet vnicuique in contractibus quos exercet, maximè in his, qui cedunt in aliorum vtilitatem, seipsum seruare indemnem & pacisci talem idemnitatem. Ita Caietanus *tom.2.opusc.tract.7. de Cambiis,c.1.§.Iniusta*, Lopez *l.2. de contract.c.13.vers.Quarto decimus.*

Pius V. Salon.

Caietan. lopez.

Illicitum autem esset in principio contractus Cambij conuenire cum campsario de aliquo certo lucro persoluendo literis non solutis, vbi facienda est pecuniarum solutio, ratione futuri damni emergentis, vel lucri cessantis. Ratio est, tum quia damnum emergens, & lucrũ cessans futurum arbitrio prudentum omnibus pensatis sunt taxanda: ergo ipse campsor non potest à principio contractus cum campsario conuenire de certo aliquo lucro capiendo, ratione damni emergentis vel lucri cessantis. Tum quia nemo in sua causa debet esse iudex, ne campsor dans pecuniam lucri studio, & cupiditate decipiat campsarium accipientem pecunias. Hæc assertio habetur expresse in Const. adducta Pii V. Non tamen prohibet Pontifex, ne in principio pactum fiat de lucro cessante soluendo, taxando arbitrio alterius viri prudentis, ratione eius quod interest nummularii, quia hoc licitè campsor potest pacisci cum campsario, vt seipsum seruet indemnem, vt diximus. Ita Nauarrus *in Man. c.17. nu. 301. vers. Nota quarto*, Azorius *part.3. lib.10.cap.11.qu. 2. in solut. ad 3.*

Nauarr. Azorius.

9 Cum Cambium siccum reuera sit mutuum, tametsi cambij nomen habeat, ideò speciatim dicenda sunt esse hæc cambia sicca. *Primo*, Quando nullæ literæ ex loco ad locum mittuntur, sed nummularius fingit se literas misisse.

Secundo, Quando literę remipsa mittuntur ad locum, vbi pecuniæ soluendæ sunt, sed reuera inanes remittuntur & redeunt. Atque hæc duo Cambia tanquam vsuraria Pij V. constitutione damnantur.

Tertio, Quando nummularius dat pecunias alteri, quem scit nullam pecuniam actu, vel potestate habere in loco, vel in nundinis, ubi soluturus esset, quia tunc pecunia præsens commutatur cum ea, quæ nusquam est, aut esse potest.

Quarto, Cum pecunia datur alicui, & qui dat scit, vel credit ibidem, non alibi esse sibi soluendam.

Quinto, Cùm Titius dat Caio mille aureos, ut ad finem Mensis restituat, eo tamen pretio, quod certò uel probabiliter creditur esse maius futurum; quia dat, vt tantundem cum lucro recipiat.

Sexto, Cum pecuniæ dantur in nundinis, vt soluantur ad alias proximas nundinas, & pactum fit de certo & determinato lucro soluendo, nisi pecuniæ fuerint solutæ.

Septimo, Cum nummularius dat pecunias vt sibi soluantur, non in proximis, sed in remotioribus nundinis, & ideò plus lucri exigit, quia in longioris temporis moram differt solutionem.

Octauo, Cum est cambium simul & recambium, v. g. dat nummularius pecunias Caio, ut eas sibi habeat, donec reuertatur in patriam, ubi nummos habet, interim nummularius fingit se illas pecunias dare in nundinis, ut sibi in aliis nundinis soluantur, unde toto eo tempore crescit lucrum pecuniarum. Hæc cambia & recambia in Pij V. constitut. damnantur.

Item suspecta sunt cambia, cùm nummularius dat pecunias Caio, & quærit ab eo, ubi eas soluturus sit. Respondet Caius, soluam ubi ubi uolueris, tunc enim solùm uidetur Caius, pecunias mutuas petere, ut suis cõmodis prospiciat. Item cùm nummularius certò & probabiliter scit, eum qui pecunias petit & accipit, id facere necessitate, compulsum, esseque ibi soluturum ubi nummos accipit. De his uide Nauarrum *in man. cap.17. nu. 301.* Toletum *lib.5.cap.52.* Plura de Cambiis possent adduci, quæ passim in Orbe practicantur, sed hæc pauca addita pro confessariis sufficiant.

Nauarr. Toletus

CANONICVS.

SVMMARIVM.

1 *Qui canonicatus priuilegium obtinuit cum futura successione, an teneatur ad horas Canonicas.*
2 *Canonicus tenetur ad recitandum diuinum officium etiamsi primo anno fructus beneficii non recipiat.*
3 *Qui domi priuatim officium recitant, vt postea in Ecclesia in ministrandis Sacramentis vacent, an teneãtur ad restitutionem distributionum.*
4 *Integras distributiones an percipere possit Canonicus, recitans horas submissa voce, aliis canentibus.*
5 *Sola prabenda an Canonicum faciat, seu potius collatio iuris spiritualis ab eo qui potestatem habet.*
6 *Receptus in Canonicum cum promissione prabenda, an eamdem possit exigere cum occasio se obtulerit.*

1 QVi priuilegium canonicatus obtinuit cum futura successione, non tenetur ad horas canonicas. Tùm quia coadiutor canonici, non est uerè Canonicus, nec pro tali habendus est uiuente coadiuto; licet enim uulgò ita nominetur propter ius ad succedendum, uerè non habet canoniam, ueque præbendam, neque habet titulum uel possessionem canonicatus, sed coadiutoriæ tantùm, & quoad illam habet ius in re, quoad canonicatum autẽ tantùm ad rem. Tùm quia obligatio recitandi horas semper manet apud proprietarium, ergo non obligat coadiutorem, nam ex uno beneficio non obligãtur duo ad recitandum. Tùm quia ita declaratum est S.D.N. Paulo V. ad petitionem Ecclesię Cathedralis Conimbricensis, vt referunt Suarez *de relig tom.2.lib.4.cap.22. num.19.* Medina *de orat. cap.7.* Nauarrus *de orat. cap.2. numero 18.*

Suarez Medina nauarr.

2 Canonicus tenetur ad recitandum diuinum officiũ etiamsi primo anno fructus beneficiĩ non recipiat, dum fructus beneficii ex consuetudine cedunt hęredibus Canonici mortui, aut distribuuntur inter Canonicos antiquiores. Ratio est, quia uoluntariè se subiecit oneri, & habet titulum possessionẽmque beneficii, cui est annexa obligatio recitandi diuinum officium, & quamuis ipse de præsenti non percipiat fructus, nihilominus hæredes ipsius percipient post mortem Canonici. Ita Azosius *1.p. lib.10 cap.4.q 4.* Layman *lib.4. tract.2.c.5.nu.4.* Lessius *l.2 cap.34 num.170.* Garzias *3.part.cap.1.num.62.*

Azorius. Layman Lessius Garzias.

3 Non peccant Canonici, nec consequenter tenentur ad restitutione distributionum, qui domi priuatim officium recitant, vt postea in Ecclesia aliis seruitiis Ecclesiæ & chori, vel ministrandis Sacramentis, seu in audiẽdis confessionibus detineantur, & hoc maximè verum de illis, quibus ex officio incumbit ea munia obire, attentis constitutionibus & vsu Ecclesiæ, Concilium enim Tridentinum sanxit, vt Pœnitentiarius dùm confessiones in Ecclesia audit, præsens in choro censeatur, & consequenter distributiones, quæ choro interessentibus tribuuntur, percipere possit. Secùs autem si diuinorum officiorum tempore confessiones domi aut alibi excipiat. Vide Bonacinam *de horis canonicis dispu.2.q. 5. punct.3.§.5.* Garziam *part.5. de benefi.cap.4.num.124.* Conc.Trid.*sess.24.c8.*

Bonacina Garzias. Con. Trid.

4 Canonicus recitans horas ſubmiſſa voce aliis canẽtibus, non poteſt integras diſtributiones percipere, ſed tãtùm mediam partem illarum. Ratio eſt, quia ille qui ita ſe gerit in choro, non in totum deeſt ſuo muneri, nam illa præſentia aliquid eſt, & in Dei cultum & chori honorẽ, & auctoritatem redundat, partem etiam cantus implere videtur, audiendo cum attentione, ac deuotione, ergo ratione alterius defectus in canendo pro parte ſua ſatis videtur ex natura rei, vt dimidiã partem diſtributionũ ſuã non faciat. Ita Suarez *de relig. to. 2. l. 4. c. 12 n. 10. & 11.* Filliuc. *tra. 23. cap. 6. n. 196.* Diana *pa. 2. tra. 13. reſ. 33.*

Suarez. Filliuc. Diana

Si tamen iuxta ſtatuta, conſuetudinem aut fundationem, ſola præſentia ſufficiat ad lucrandas diſtributiones integras, poſſet percipere, quia tunc diſtributiones non dantur propter cantum, ſed præcisè propter præſentiam talis enim eſſe videtur à principio conuentio inter fundatorem ſeu Eccleſiam, & præbendatos. Vide plura apud Bonacinam *de horis canonicis, diſp 2.*

5 Cùm in beneficio Eccleſiaſtico duo iura cõſiderari poſſint, primum per ſe ſpirituale, videlicet ius officii, ſeu poteſtas exercendi muneris ſpiritualis. Alterum, ſecundùm ſe temporale, nempe ius ad percipiendum reditus Eccleſiaſticos, & hæc duo iura à ſe mutuo ſeparari poſſint, hinc prębenda Canonicum non facit, ſed potiùs collatio iuris ſpiritualis, facta ab eo, qui poteſtatem habet. Quare fieri poteſt vt propter ſolum ius Canoniæ aliquis ſuffragium in Capitulo habeat, quamuis talis nõ propriè cenſeatur habere beneficium, ſi nullos reditus accipiat. Suarez *de relig. to. 1. l. 4 de Sim c. 54. n. 1. & 2.* Abbas *in c. cum ſuper, n. 2. de conceſſ. præbend. c. relatum n. 2. de præb.*

Suarez. Abbas.

6 Receptus in Canonicũ cum promiſſione præbẽdæ eamdẽ exigere poteſt, cùm occaſio ſe obtulerit, quia Canonico de iure præbenda debetur, non ex *vi* prouiſionis præciſè, ſed ratione obtentæ canoniæ, congruum .n. non eſt, vt Canonicus ſine præbenda ſit. Si tamen poſt eius receptionẽ alius ex mandato Papæ cum gratia exſpectatiua receptus fuerit, hic illi præferẽdus eſt. Ratio eſt, quia licet alter ſit prior tempore, nõ tamen habet ius per ſe ac directè ad beneficium primò vacaturum, ſicuti poſterior *C. relatum de præbend. ſunct.* Gloſſa *ver. in promiſ.* Abbas *in c. cum ſuper n. 5. de conc. præb.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 10. n. 2.*

Gloſſa. Abbas. Layman

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Canonicus eſt clericus, qui canoniam in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata poſſidet.*

2 *Canonici tenẽtur officium diuinũ canẽdo & alta voce recitando perſoluere. Nec poteſt Canonicus aliũ in ſui locum ſubſtituere præciſa conſuetudine vel priuilegio.*

3 *Quando numerus Canonicorum determinatus non eſt, an poſſit ille augeri vel minui.*

4 *Canonicorum collegium non poteſt conſuetudine, quæ in negotiis arduis verſantur, inducere, ſine Epiſcopi conſenſu.*

1 CAnonicus eſt clericus, qui Canoniam in Eccleſia Collegiata, vel Cathedrali actu poſſidet. Dicitur, *clericus*; non enim Canonicus eſſe poteſt, qui clericali tonſura inſignitus non ſit. Dicitur, *qui Canoniam*, id eſt beneficium regulatum iuxta præſcriptionem Canonum poſſidet. Canon enim regula eſt, & Canonici dicti ſunt eo, quod clericis Eccleſiæ in Diuinis Officis ſeruientibus ſiue mancipatis certum vectigal ab Epiſcopo penderetur quod *Canon* dicebatur, quia certum & definitum erat. Sic in iure Canon dicitur omnis pręſtatio, quæ perpetuo & eodẽ modo exigitur. Ex eo itaque quòd certa portio ex bonis Eccleſiaſticis Clericis Eccleſiæ diſtribuebatur, portio illa Canonia ſiue Canonica dicta eſt, & qui illam accipiebant, Canonici ſunt dicti, quia huiuſmodi Canonem ſiue Canoniam & canonicam præſtationem ab Epiſcopo accipiebant. Dicitur, *in Eccleſia Collegiata vel Cathedrali*, quia Clerici Canoniam ſiue præſtationem accipientes, ob multa incommoda ſingulas præſtationes non poterant accipere, ideò quarta pars bonorũ Eccleſię generaliter illis in communi ceſſit, & deinceps ſub vno ſuperiore, & certis regulis in communi cœperũt viuere & collegialiter habitare in locis circa Eccleſias per modũ Clauſtri ſiue Monaſterii ædificatis, ex quarta illa bonorũ Eccleſiaſticorum parte communiter viuentes. Vnde & à quadã regulari ſecũdùm Canones vita, dicti ſunt Canonici, & ſi quidem apud Eccleſias Cathedrales habitabãt, vocabãtur Canonici Cathedrales, ſin minùs, Collegiales Quod bene exprimitur *in c. in omnibus de conſec. diſt. 5.*

2 Canonici tenentur diuinum officium canendo, & alta voce recitãdo perſoluere, iuxta Eccleſiæ vſum. Ratio eſt, tum quia *c. vltim 92. diſtinct.* habetur, Clericos choro deputatos debere in Eccleſia conuenire ad quotidianum pſallendi officium is autem pſallere non dicitur, qui diuinum officium ſubmiſſa voce recitat, tum quia quilibet tenetur munus ſuum obire, munus autem Canonici eſt canere, & alta voce recitare. Ita Graffiis *part. 1. lib. 2. cap. 52. num. 22.* Imò Canonicus non poteſt alium in ſui locũ ſubſtituere, ſaltem præciſa conſuetudine, vel priuilegio. Ratio eſt, quia recitatio diuini officii in choro perſoluẽdi eſt perſonalis; obligatio autem perſonalis non poteſt ab alio adimpleri, in ieiunio, vel oratione debita ex pręcepto Confeſſarii. Tum quia *in cap. vnic. de Cleric. non reſident.* reprobatur conſuetudo conferendi diſtributiones abſentibus, quod confirmatur & innouatur in Trident. *ſeſſ. 24 c. 12 de reform.* & præſcribitur, vt omnes compellantur diuina per ſe, & non per ſubſtitutos obire officia. Dixi *præciſà conſuetudine*, quia legitima conſuetudo, præſertim immemorabilis inducere poteſt, vt quis per alium choro aſſiſtat, ſicut .n. conſuetudine inductũ eſt, vt quis priuatim cum ſocio diuinũ officium recitãdo ſatisfaciat, ita etiam induci poteſt vt per alium aſſiſtat, quia data hac conſuetudine damnũ diuino cultui nõ infertur, nec Eccleſiæ, tum quia ex cõſuetudine immemorabili præſumitur titulus & priuilegium, vt omnes fatẽtur, idemq; paſſim admittitur à Rota in ſuis decisionib. & ſic vſu receptum eſt in nonnullis Almę vrbis Eccleſiis. Ita Petrus Nauarra *l. 2. de reſtit. c. 2. n. 217.* Leſſius *l. 2. c. 34. n. 185.* Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 7. quæſt. 6. num. 6.*

Con. Trid.

P. Nauar. Layman Leſſius

3 Si numerus Canonicorum alicubi determinatus nõ eſt tot in Eccleſia inſtitui debent, quot ex reditibus commodè ſuſtentari poſſunt, habito reſpectu ad alia etiam Eccleſiæ onera, & impendia in fabricam, eleemoſynas, hoſpitalitatis officium. Si autem numerus Canonicorum ſtatuto determinatus eſt, non debet is ob modicum redituum augmentum augeri, ſed reditus accreſcunt menſæ Capitulari, ſi bona communiter poſſidentur, in fine anni inter Canonicos diuidendi: vel accreſcunt propriis beneficiatis, ſi præbendæ, ſiue reditus beneficiorum diſtincti ſunt. Sin verò Eccleſiæ reditus multum augeantur, tunc etiam numerus augeri debet tametſi à Papa cõfirmatus ſit, quia talis confirmatio facta cenſetur in fauorem Capituli ſeu Canonicorum, cui ipſi renunciare poſſunt, & in tali caſu, antiquis præbendis in ſua integritate remanentibus, ex nouis reditibus nouæ præbendis conſtituendæ ſunt. E contra, ſi reditus Eccleſiæ nimis decreſcant, vt nõ ſufficiant tanto Canonicorum numero ſuſtentando, imminui poterit, non obſtante confirmatione Papæ, quę intelligi debet, ſi res in eodẽ ſtatu permaneãt. Ita habetur *in c. Cum M. de conſtit. & c. 1. de inſt.* Gloſſa *ibi.* & Abbas.

Gloſſa Abbas

4 Canonicorum Collegium non poteſt conſuetudines nouas inducere, nec veteres mutare ſine Epiſcopi cõſenſu, ut decernitur *in c. Cum conſuetudinis. de conſuet.* quod locum habet in conſuetudinibus, quæ in negotiis magnis & arduis verſantur, qualia ſunt in iis rebus, quæ pertinent ad communem Eccleſiæ, cuius ſunt Canonici, ſtatum, vel ad ipſius Epiſcopi iura. In negotiis tamen exiguis, qualia ſunt, quæ ad ipſum Collegium ſpectant, poteſt, quia in his etiam ſine Epiſcopo ſolet quippiam ſtatuto decernere, nimirum quando, quo loco, & quomodo debeant Canonici congregari, quo pacto quiſque ſuffragium ferat, quo loco & ordine ſedere debeat, quemadmodum diſtributiones quotidianæ ſint diſtribuendæ, & diuidendæ. Ita Abbas *in dictum cap Cum conſuetudinis, num. 4.* Gloſſa *cap. 2. de verbor. Signification. in 6.*

Abbas. Gloſſa.

Vide Beneficium 1. *num* 14. Charitatiuum Subſidium *numero* 2. Cereus *num.* 1. Delegatus *num.* 16. Fides *n.* 10. Reſidentia *num.* 14. 15.

CAPITVLVM.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum an aliquid statuere possit vel nouare absque consensu Episcopi.*
2 *In iis quæ maioris sint momenti, an Episcopus aliquid statuere possit sine consilio Capituli.*
3 *In causis quæ ad Capitulū attinent, an consensus capitularium requiratur.*
4 *Si Episcopus vel Prælatus male administret, an Capitulum seu conuentus contra illum agere possit.*
5 *Capitulum, an sede vacante, possit beneficia conferre quæ patronata non sunt.*
6 *An in iurisdictione delegata, & ordinaria Episcopi, Capitulum succedat.*
7 *Bona immobilia Cathedralis Ecclesiæ, & mobilia pretiosa, alienare non potest Capitulum sede vacante.*
8 *Capitulum, an literas dimissorias dare possit sede vacante.*
9 *An indulgentias concedere possit sede vacante Capitulum Cathedralis Ecclesiæ.*
10 *An possit sede vacante assistere matrimonio, vel ad id licentiam dare. Et an voluntarias gratias conferre, aut fructus Episcopatus distrahere posset.*

1 Capitulum nihil statuere potest, uel nouare, Episcopo viuente iurisdictionem tenente, absque eius uoluntate, & approbatione, iuxta *cap. cum consuetudinis. de consuetudine*. In causis tamen exiguis, Capitulum vel Conuentus sine Prælati consensu statuere potest, si ad ipsum causæ propriæ spectent, puta; qua ratione Capitulū congregandum sit, distributiones uel reditus diuidendi, ut ex communi tradit Abbas *in cap. cum omnes num. 3. de constit.* Innocentius *in c. cum consuetudinis* Bonacina *de leg. disp. 1. q. 1 p. 3. n 30.*

Bonacina.

2 Sine Consilio Capituli Episcopus nihil statuere debet iure communi, & seclusa contraria consuetudine, in iis quæ maioris momenti sunt, efficiunt enim Episcopus & Canonici unum corpus cuius ille caput est, hi membra. Si tamen Capitulum sine iusta causa consensū neget, firmum nihilominus, erit, quod Episcopus statuerit, cum iura non tam cōsensum, quam consilium Capituli requirant *c. nouit. cap. quanto, de his quæ fiunt à Prælatis* Abbas *in c. edoceri n. 6. & seq de. rescriptis.*

Abbas.

3 In causis tamen quę ad Capitulum quoque attinent, vel in eius damnum cedere possunt, consensus etiam Capituli tamquam collegarum, seu consortium in tali causa exigeretur. Et hæc est communis sententia apud Suarez *de leg. lib. 4. c. 5. n. 2.* Felinum *in cap. cum omnes de constit. n. 11.* Bonacinam *c. n. 24.*

Suarez. Felinum Bonacina

4 Si Episcopus aliisue Ecclesiæ Pręlatus male administret, Capitulum seu conuentus contra illum agere potest, & res male alienatus reuocare, Abbas *in cap edoceri de rescript* Layman *l. 1 tr. 4. c 7. §. 4.*

Abbas. Layman

5 Capitulum, sede vacante, beneficia conferre non potest quæ patronata non sunt *c. Illa deuotionis, Ne sede vacante*. Potest tamen Capitulum beneficia concedere in commendam ad sex menses, etsi interim Episcopus non eligatur, & confirmetur, tempus protogare, vt ait Rebuffus *in praxi benefic. p. 1. tit. de deuolut. n. 77.*

Rebuffus

Præterea, si libera collatio beneficiorum ad Episcopū, & Capitulum communiter pertinet, possunt ea, sede uacante, à Capitulo conferri. Vt habetur in *c. si. ad Episcopum, ne sede vacante, in 6.*

6 Capitulum non succedit in iurisdictione delegata Episcopo; quia censetur electa industria personę, Item si delegatio à iure seu canone fiat Episcopo tanquam delegato Sedis Apostolicę, ratione dignitatis suę quæ non trāsit ad Capitulum Succedit autem Capitulum, sede vacante iurisdictione, quæ competit Episcopo iure communi, & ordinario; non item in ea, que speciali iure, Propterea quoties potestas Prelato competit ratione Prælaturæ, eo mortuo transit ad Capitulum, iis exceptis, quæ Sede uacante expediri non possunt, Abbas *in cap. cum olim dub. 5. de maior. & obedientia.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 2. num. 10.* Rebuffus *c. num. 58.* Azorius *part. 2. l. 3. cap. 37. quæst. 6.* Ioan. Andr. *in cap. cum olim, de maiorit.*

Abbas Sanchez

Sed petes, an iurisdictio, quam Capitulum habet sede vacante, sit ordinaria? Resp. ordinariam esse in spiritualibus & temporalibus, quoniam iure communi eam habet, & ad vniuersitatem causarum. Vnde potest interponere decretum in alienationibus rerum minorum, & emancipationibus liberorū, & manumissionibus seruorum. Potest dare curatorem, & tutorem, & sequestrare beneficia post primam sententiam in curia datam, & suas sententias exequi Glossa *cap. 2. Ne Prælati vices.* Ioann. Andr. *in cap. vlt. de suppl. neglig. Prælat. in 6.*

Rebuff. Azorius. Ioan. And. Glossa. Ioan. Andr.

Imò Capitulum sede vacante potest committere alicui Episcopo, ea quæ sunt ordinis Episcopalis, quamuis enim exercere nequeat, quæ sunt ordinis Episcopalis, potest tamen cōmittere Episcopo, vt ea exerceat: quia committere est iurisdictionis, non ordinis exercere verò ordinis est. Hoc colligitur ex iuribus hic citatis *ca. Suffraganeis de elect cap. Pontifices 7. quæst. 1.*

7 Capitulum bona immobilia Cathedralis Ecclesiæ & mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt, vacante Sede alienare non potest, sine Sedis Apostolicæ auctoritate; Nam Ecclesia tunc defensore suo carere censetur sed nec causa iudicialis agitari debet, nec præscriptio contra Ecclesiam interim procedere potest *cap. hac huius 12. quæst. 2. c. 1. & vltim. Ne sede vacante.* Molina *tract. 2. disp. 78. & tract. 5. disp. 11.*

Molina

Tamen in alienatione ab inferioribus Ecclesiis facta ex causis permissis, potest consensum præstare & confirmare. Ratio est, quia hic actus est iurisdictionis, & quāuis Capitulum res Episcopatus alienare prohibeatur, non tamen prohibetur confirmare alienationem, si Ecclesiæ inferiores iusta ex causa alienauerint, & in casibus quibus posset Episcopus. Abbas *cap. cum olim, dub. 3. de maior.* Rebuffus *in praxi tit. de deuol. n. 104.*

Abbas. Rebu.

8 Capitulum infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut dimissorias litteras dare non potest, pręterquam ei, qui Ecclesiastici benneficii recepti aut recipiendi occasione arctatus est, & si contraueniat Capitulum, Ecclesiastico subiacet interdicto, & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio clericali præsertim in criminalibus gaudent. In maioribus verò ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso iure suspensi. Ita Conc. Trident. *sess. 7. cap. 10.*

Con. Trid.

Iure autem antiquo Capitulum sede vacante concedere poterat ordinandi licentiam *cap. cum nullus, de temporibus ordinationum in 6.* Sic enim habetur: *Episcopo in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis, vel sede vacante Capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.*

9 Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, secundum probabiliorem Doctorum sententiam, non potest Sede vacantę indulgentias concedere. Tùm quia nullo iure ei conceditur. Tùm quia non succedit Episcopo in potestate iurisdictionis extraordinariæ, saltem in iis quæ sunt reseruata dignitati Episcopali. Tùm quia hæc carentia non est rei necessariæ, sed supererogatiunis, potêstque sufficienter iurisdictio Episcopalis a Capitulo administrari sine hac potestate. Ita Suarez *tom. 4. disp. 55. sect 4. num. 5.* Sotus *4. dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Henriquez *lib. 7. cap. 31.* Bonacina *tom. 1. disp 6. quæst. 1. part. 3. n. 23.* & alii. Quamuis non sit improbabilis contraria sententia Azorii *part. 2. lib. 3. cap. 37 quæst. 9.* Syluest. *v. capitulum, quæst. 10.* Nauarri *de Indulgent. not. 31. num. 6. & 7.* & aliorum, quia cūm indulgentias concedere sit actus iurisdictionis, & ius dicat simpliciter Capitulum succedere in iurisdictione Episcopi, non est, quod nos restringamus ad iurisdictionem necessariam, non voluntarium.

Suarez. Sotus. Henriq. Bonacina Azorius. Syluest. Nauarrus

10 Capitulum sede vacante potest assistere matrimonio, vel alii Sacerdoti licentiam dare. Quia succedit in omni iurisdictione ordinaria Episcopi, vt colligitur ex *cap. cum olim fin de maior. & obedient.* & ex communi docet Sanchez *de matr. lib. 3. disp 28 n. 5.*

Sanchez.

Denique ad Capitulum non pertinet, vacante Sede mere voluntarias gratias, siue donationes sine debito necessi-

necessitatis conferre, aut commoda Episcopatus distrahere. Sicut notat Glossa recepta in c. 1. *de instit. in 6.*

11 Quamuis Capitulum sede vacante possit, de iure communi, reuocare licentias & approbationes concessas religiosis, audiendi confessiones sæcularium, nec nõ prędicandi, siue sint absolutè concessæ, siue ad tempus certum Spectatis tamen priuilegiis, Regularium, aliter dicendum est. Capitulom igitur, Sede vacante, non potest hanc approbationem à præcedente Episcopo Mendicantibus datam reuocare, nec licentiam ad prædicandum aut ad aliqua vota in pia opera commutanda, propter speciale priuilegium concessum Dominicanis à *Clemente IV.* in bulla *Exigentibus vestra deuotionis meritis* apud Rodriquez *in Bullario, bull.* 4. Clem. IV. *& tom. 1. qq. reg. 4. 59. art. 6.* Rodriq.

12 Capituli authoritas & potestas consistit in maiori parte, & saniori, ita quòd totum Capitulum facere dicitur, quod facit maior pars, & sanior *cap. cum in cunctis, de his qua fiunt, à maior. part. Panormus. in cap. 1 de his qua fiunt.* Verùm tamen est quòd quando maior pars Capituli delinquit, & propterea est sua potestate priuata tunc tota Capituli potestas residet in minori parte, quæ non deliquit, prout notat *Panormitanus*. Sed plura notanda de Capitulo, habes apud Quarantam *in Summa Bullarii* verb. *Capitulum sede vacante.*

Vide *Beneficium* 5. num. 5. *Irregularitas* 11. n. 6 *Lex* 2. n. 6. *Ordo* 3. n. 3. *Confessarius* 3. n. 6. *Censura* nu. 9.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Capituli potestas quoad iurisdictionem procedit in aliis casibus præter mortem Episcopi.*

2 *Capitulum sede vacante potest dispensare cum illegitimis, quoad Ordines Minores, & beneficium simplex.*

3 *Verius est posse Capitulum sede vacante dispensare super omnibus irregularitatibus, suspensionibus, &c. quibus potest Episcopus per Tridentinum.*

4 *Potest Capitulum sede vacante dispensare in legibus Pontificii, quando non est facilis recursus ad Papam.*

5 *Capitulum sede vacante potest ferre censuras & ab illis absoluere, visitare diæcesim, non tamen Monasteria Monialium exemptarum, licet possit eisdem exemptis dare licentiam egrediendi è Monasterio in casibus permissis.*

6 *Potest capitulum in beneficiis vacantibus præfigere œconomum vt in eis administret, donec fuerit per Superiorem prouisum, &c.*

7 *Probabilius est non posse Capitulum sede vacante conferre beneficia, si iure deuolutionis alias spectarent ad Episcopum.*

8 *Iuxta probabiliorem sententiam Capitulum sede vacante potest admittere beneficiorum resignationes, etiã causa permutationis, non tamen conferre beneficia permutata, nisi ius conferendi ad ipsum pertineat.*

9 *Non potest Capitulum sede vacante concedere literas dimissoriales intra annum pro prima tonsura.*

10 *Potest Capitulum sede vacante dispensare in votis, & iuramentis, absoluere à casibus reseruatis, dispensare in petitione debiti, sicut potest Episcopus, &c.*

11 *Capitulum regularium quid sit, & quotuplex.*
An Capitulis regularium competat tota illa potestas iurisdictionis, quæ respectiuè competit Prælatis ipsis regularibus.

12 *An Capituli auctoritas consistat in maiori parte eorũ, qui conuocati sunt.*

13 *Gesta in Capitulo, an sint valida, si quis Capitularium vocandus contemnatur.*

14 *An religiosi Capitulares possint a Capitulo locali abesse absque iusta causa, renunciando voci actiuæ alias ipsis competenti,* Refertur duplex sententia.

1 CApituli potestas quoad iurisdictionem procedit, siue vacet Sedes morte naturali Episcopi, siue dispositione, vel translatione ad aliam Ecclesiam, vel si Episcopus captus esset à Paganis, vel Schismaticis, vel Hæreticis, quousque captiuitas perseuerat. Ita Glossa *in c. si Episcopus, de supplend. negligent. Prælat.* Si autem Episcopo existente in remotis, moriatur Vicarius, succedit in tali casu Capitulum in eius iurisdictione, & ratio est, quia longa absentia æquiparatur morti, vt docet Cardinal. *in Clement. vnic. quæst. 18. in fin. de offic. Vicar.* Et ille dicitur esse in remotis, cuius præsentia in breui haberi non potest, *cap. vnic. §. fin. ne Sede vacante in 6.* Ita sentit Stephanus Quaranta *in Summa Bullarii, verb. Archiepiscopi Auctoritas, num.* 22. qui in facti contingentia refert hoc Neapoli fuisse seruatum. Glossa. Cardin. Quaranta.

2 Quidam putant Capitulum sede vacante non posse dispensare, cum illegitimis quoad Ordines Minores; & quoad beneficium simplex, quia dispensare tantum potest quando dispensatio est debita, secus autem, quãdo est mera gratia, verum contrariam sententiam tenent cõmuniter Doctores, iuxta *cap. 1. de filiis Presbyter. in 6.* & maximè si Vicarius capitularis habeat ad hoc speciale mandatum, vt docet Rodriguez *in Summa tom. 1. c. 71. num* 5. quem sequitur Diana *p. 8. tract. 4 resol. 6.* Rodrig. Diana.

3 Dubium est inter Doctores, an Capitulum sede vacante possit dispensare super omnibus irregularitatibus, suspensionibus, &c. quibus potest Episcopus vigore Cõcilii Tridentini *sess. 24. c. 6. de reform.* Quidam enim negant hoc priuilegium competere Capitulo sede vacante; quia Sacra Congregatio, vt refert Garzias *de benefic. paroch. 7. c. 11. n. 13.* declarauit prædictam facultatem cõcedi solis Episcopis priuatiuè quoad omnes alios, ergo in dicto cap. Concilii excluditur Capit. sede vacante. Tum quia Capitulum succedit tantum in his, quæ sunt iurisdictionis Ordinariæ iure cõmuni generali Episcopũ spectantis, non verò in iis, quæ cõpetunt Episcopo iure speciali. Sed huiusmodi facultas conuenit Episcopo, non iure generali & ordinario, sed speciali, & extraordinario ipsis Episcopis concesso, ergo. Hanc sententiam sustinẽt Suarez, Filliucius, Bonac. & alii probabiliter, vt diximus *ta. verb. Irregularitas XI. nu. 6.* Nihilominus contrariæ sententiæ adhæsi & iterum adhæreo. Ratio est quia Capitulũ sede vacante, non solùm succedit in his quæ competũt Episcopo iure communi generali, *cap. cum olim. de maiorit. & obedient.* sed etiam in his, quæ iure speciali cõpetunt Episcopo tãquam ordinario & Episcopo & ex iurisdictione ordinaria, at prædicta facultas licet cõpetat Episcopo iure speciali dicti Tridentini tamen competit ei iure communi, & ex iurisdictione ordinaria ei tributa per dictum decretum, cum sit potestas competens non personæ, sed dignitati, vel officio in perpetuum, & consequẽter ordinaria, ergo Capitulum sede vacante, succedit in prædicta iurisdictione dispẽsandi, & absoluendi Præterea Concilium non limitat hanc potestatem, vt intelligatur concessa Episcopis tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, quod aliis locis facere solet, sed simpliciter eam facultatem Episcopis concedit vt ex vi illius decreti videatur hæc facultas iam annexa muneri Episcopali, quasi iure ordinario. Huius sententiæ sunt Gauantus *in Man. Episc. v. Capitulum, n. 48* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 2. num. 10.* Caspensis *tom. 2. tract. 25. disp. 5. sect. 17. num. 118.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2 Allegat. 39. num. 16* & alii quos refert, & sequitur Diana *p. 7. tract. 4. resol. 7.* De declaratione autem Cardinalium allegata pro contraria sententia, dicendum est non constante Authentica, neque promulgatam esse tanquam iuridicam, & habentem vim legis. Con. Trid. Garzias. Suarez. Filliucius Bonacina. Gauantus. Sanche. Caspensis. Barbosa. Diana.

4 Capitulum sede vacante succedit in iurisdictione, quam habet Episcopus ex præsumpta voluntate Pontificis, vt dispensandi in legibus Pontificiis, in casu necessitatis, quando non facile potest adiri Pontifex; vel Nuntius Apostolicus, si ad eam dispensationem concedendam potestatem habeat Ratio est, quia Capitulum succedit in totam iurisdictionem ordinariam Episcopi: at vero iurisdictio quam habet Episcopus ad dispensationem in legibus Pontificis in casu necessitatis, est ordinaria: ergo in ea succedit Capitulum. Ita Merolla *to. 3. disp. 7. c. 7. dub. 1. n. 12.* & post illum Diana *p. 8. tr. 4. resol. 9.* Merolla. Diana.

5 Cùm Capitulum sede vacãte succedat in iurisdictionem ordinariam Episcopi, vt dictum est, ideò potest ferre

ferre censuras, & à diuinis cessationem. Item absoluere ab excommunicatione lata tam à iure, quam ab homine, etiam propter percussionem Clerici, quando ab illa protest Episcopus absolnere, imò potest Capitulum deputare pœnitentiarios cum potestate absoluendi ab huiusmodi excommunicationibus, & aliis casibus Episcopo reseruatis, & censuris, Ita habetur expresse *c. vnic de maior. & obedient in 6.*

Item potest Capitulum sede vacante visitare generaliter Diœcesim, sicut eam uisitare potest ac tenetur Episcopus, cum enim id ad iurisdictionem Episcopi spectat, competit, etiam Capitulo, sede uacante, non solum quoad crimina particularia, de quibus sit infamia, sed etiam generaliter, quia id est executio iurisdictionis Episcopalis.

Molina

Ita Molina *tract. 5. disp. 11. n. 7.* An autem possit visitare Monasteria Monialium exemptarum, Affirmat Molina *loco proximè c. num. 8.* Sed negatiua sententia est tenenda, quia hæc uisitat Episcopus, non ex potestate ordinaria, sed tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, vt dicitur in Conc. Trid *sess. 25. c. 9. de regular.* Idem dicendum est de aliis casibus, in quibus per Concilium Tridentinum datur Episcopo facultas, quod procedat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, in his enim non succedit Capitulum nisi adderetur à Concilio illa particula, *Etiam.* Hanc opinionem tenuit Rota 10. Martii 1597. vbi fuit resolutum Capitulum sede vacante, posse visitare etiam Monasteria Monialium non exempta, Garzias *de benefic. tom. 1. p. 5.*

Garzias
Barbosa

c. 7. n. 45 Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 73. n. 25.* & alii. Potest tamen Capitulum sede vacante concedere licentiã Monialibus immediare subiectis Sedi Apostolicæ egrediendi à Monasterio in casibus permissis in Bulla Pii V. quæ incipit, *Decori*, quamuis id pertineat ad Episcopum tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum; quia Monasteria hæc non debent esse absque Prælato, ad quem in casu necessitatis confugiant, vt docet Sanchez *lib. 6. moral. c. 15*

Sanchez

numer. 30.

6 Quamuis capitulum sede vacante non succedat Episcopo in collatione beneficiorũ libera, & gratiosa, sed tãtùm necessaria, & debita, potest tamen in illis præfigere œconomum, vt in eis administret, donec fuerit per Su-

Panorm.

periorem prouisum, *c. cum vos, de offic. ordinar.* vbi Panormitanus. Item quando collatio beneficii pertineret simul ad Episcopum, & capitulum, tunc sede vacante capitulũ potest illud conferre, sic habetur *in c. 1. ne sede vacante, in 6.* Imò quando electio ad aliquam dignitatem vel beneficium spectaret ad capitulum, & confirmatio ad Episcopum, capitulum sede vacante duplici iure fungetur, argum. text. *in l. si consul. de adoption*, nam eliget iure capitulari, & confirmabit iure Episcopali.

7 Probabile est posse capitulũ sede vacante conferre beneficia, si iure deuolutionis alias spectarent ad Episcopum, quia hæc deuolutio pertinet ad Episcopum ratione iurisdictionis Episcopalis, in qua succedit capitulũ, sede vacante exceptis casibus in iure expressis. At vero hic casus nullibi reperitur in iure exceptus. Tum quia id ius pertinet ad iurisdictionem Episcopalem ratione vtilis administrationis suæ Diœcesis in bonum, & fauorem non Episcopi, sed beneficiorum ac animarum, in eiusmodi autem iurisdictione succedit Capitulum, Sede vacante. Ita Ioan.

Ioan. andr.
Molina

Andreas, *in c. quamquam, de elect. in 6.* Molina *tr. 5. disp. 11. n. 12.* & alii. Nihilominus negatiua sententia est probabilior, quia cum hæc deuolutio ad Prælatum Superiorem inducta ob negligentiam Prælati inferioris non deducatur immediatè ex natura rei nec ex aliqua ratione concludente, sed immediata procedat ex dispositione iuris Canonici, sequitur, eam non esse inducendam extra casus ab eodem iure expressos. At nullibi in iure Canonico expressum est, vt deuolutio, quæ de Prælatis Episcopo inferioribus, ex eorum negligentia, facienda est, fiat ad Capitulum. Ita Rebuffus *in praxi benefic. tit. de deuolut. n. 93.*

Rebuf.
Garzias
Diana
Azorius.

Garzias *de benefic. p. 5 c. 7. n. 53.* Azorius *p. 2. lib. 3. c. 38. q. 6* & alii quos refert, & sequitur Diana *p. 8 tr. 4. resol. 27.*

8 Probabilius est capitulum sede vacante posse admittere beneficiorum resignationes, cum fungatur vice Episcopi, & succedat in eius iurisdictione ordinaria, exceptis casibus in iure expressis, sed recipere resignationes huiusmodi beneficiorum, pertinet ad iurisdictionem ordinariam Episcopi, vt ex se constat, & nullibi reperitur hoc denegatum Capitulo, ergo, &c. Ita Garzias *tom. 2. de be-*

Garzias

nefic. p. 11. c. 3. n. 255. & alii ab ipso citati. Imo potest Capitulum sede vacante admittere resignationes beneficiorũ causa permutationis factas, sed non conferre beneficia permutata, nisi ius conferendi ad ipsum pertineat, vel communiter ad Episcopũ, & ad ipsum Capitulum Sicut in simili potest Episcopus admittere resignationẽ beneficii, quod est Romano Põtifici reseruatum, sed nequit illud conferre, vt docent Rebuffus *in praxi benefic. tit. de*

Rebuffus
Azorius

deuolut. nu 94. Azorius *p. 2. lib. 3. ca. 38 q. 8.* Quamuis hoc quibusdam nõ placeat, nam si Capitulum haberet facultatem recipiendi resignationes ex causa permutationis, posset etiam dicta beneficia resignata cõferre ipsis compermutantibus; nam hæc collatio non est amplius libera, sed necessaria, quia beneficia ita resignata, sunt debita cõpermutantibus, & Capitulum succedit Episcopo in collatione beneficiorum necessaria, vnde existimant non posse Capitulum resignationes dictas recipere sede vacãte. Ita

Merolla

Merolla *to. 3. d. 7. c. 7. sub. 11. n. 135.* & alii.

9 Capitulum sede vacãte nõ potest literas dimissoriales concedere intra annum pro prima tõsura, nam Concilium Tridentinum *sess. 7. c. 10. de reform.* generaliter dicit, quod non liceat Capitulo intra annum ordinandi licẽtiam, aut dimissorias concedere: ergo, quamuis prima tõsura non sit propriè ordo, tamen literæ, quę ad eam suscipiendam conferuntur dicuntur propriè literę dimissorię & per consequens in verbis Concilii videtur comprehẽsa prima tonsura. Accedit, quod consuetudo sic interpretata est hoc decretum Concilii, & ita communiter intelligitur & practicatur eo quod Canonistę negent primam tonsuram non esse Ordinem, nam *in cap. cum contingat de ætate, & qualit. ordinand.* prima tonsura vocatur ordo clericalis, & eodem nomine vocat Glossa *in c. Nullus, de temp.*

Diana
Glossa

ordin in 6. in verb. tonsura. Ita Diana *part. 8. tract. quarto, resol.* 43

10 Capitulum sede vacãte potest dispẽsare in omnibus votis, & iuramentis, quibus potest Episcopus iure ordinario. Item approbare Confessarios. Item dispensare in petitione debiti, & concedere facultatem absoluendi à casibus reseruatis. Item dare facultatem ingrediendi Monasteria Monialium quia sub nomine Episcopi in Conc. Trid. *sess.*

Con. Trid

25. c. 5. de reg. venit etiam capitulum sede vacante, & consequenter Vicarius capitularis, cum succedat in ordinaria iurisdictione Episcopali. Item potest dare licentiam Nouitiis, ut intra duos menses ante professionem de suis bonis temporalibus disponãt, iuxta Tridentinum *sess. 25. capite decimo sexto, de regul.* quia hoc potest Episcopus iure ordinario.

11 Capitulum regularium est adunatio regularium pro negotiis spectantibus ad statum Religionis ipsorum vnde talis adunatio interdum vocatur Congregatio, in quibusdam Religionibus. Hoc autem Capitulum est triplex, nimirum generale, in quo agitur de negotiis totius Religionis. Prouinciale, in quo tractantur negotia vnius tantùm Prouinciæ, & locale, in quo geruntur solùm negotia proprii Monasterii.

Capitulis regularium competit tota illa potestas iurisdictionis, quæ respectiuè competit Prælatis ipsis regularibus, vnde Capitulum generale potest exercere omnes illos actus iurisdictionis, quos potest exercere Generalis Ordinis, siue iure Ordinario, siue ex priuilegio, Capitulũ Prouinciale, quos Prouincialis, & Capitulum locale, quos Superior localis, iuxta tamen statuta, ac iura cuiusque Religionis. Ratio est, quia in istis Capitulis comprehenduntur dicti Prælati, aut alii eorum vices gerentes, tum quia si illi non assisterent, de iis sentiendum, ac de Capitulis Ecclesiarum sæcularium sede vacante, quę succedũt Episcopis in concernentibus iurisdictionem, exceptis ta-

Laiman
Lezana

men aliquibus casibus in iure expressis, quos affert Layman *lib. 1. tract. 4. cap 7. §. 4. num. 13. & seqq.* Ita Lezana *tom. 3. v. Capitulum n. 5.*

12 Capituli auctoritas & potestas consistit in maiori ac saniori parte eorum, qui conuocati sunt, vnde dicitur fieri à toto Capitulo, quod fit à maiori & saniori parte illius ex *cap. cum in cunctis, de his quæ fiunt a maior. part.* Ita Syluester *v. capitulum, numero 1.* qui aduertit id

non

non habere locum & verum in casu, quo maior pars Capituli delinquat, ideoque priuetur potestate ipsi competente, vt *in cap. Bona memoria el. 1. & cap cum nobis, de elect.* Si quidem tunc tota potestas Capituli residet in minori parte, quæ non delinquit, vt notat etiam Abbas *in c. 1. de his, quæ fiunt à maior. part. num.* 11. Abbas

13 Gesta in Capitulo sunt valida & legitima, etiamsi quis capitularium vocandus contemnatur, possunt tamen, & debent irritari ad petitionem capitularis cõtempti, hoc est, non sunt irrita ipso iure, sed possunt irritari, quamuis contemptus si velit, ea possit rata habere, ex *ca. Quod sicut, de elect.* & tradunt communiter Doctores. Imò contemptus habet ius petendi, vt cassentur acta in Capitulo, etiamsi non malitiosè, sed per inaduertentiam, quæ etiam in foro exteriori probari possit, fuerit contẽptus, id est non vocatus. Ratio est, quia tale ius propriè nõ est inductum in pœnam, ita vt necessariò debeat præsupponi culpa, sed potius vt alteri resarciatur ius suum ablatum, nempe ius accedendi ad Capitulũ, quod in præsenti casu fuit ablatum capitulari contempto, esto in tali ablatione non interuenerit iniuria formalis, & consequenter nec vlla culpa saltem Theologica.

14 Religiosi capitulares licitè possunt abesse à Capitulo locali absque iusta ac rationabili causa, renunciando iuri vocalitatis, id est, voci actiuè alias ipsis competenti. Ratio est, quia, cum ius vocalitatis ipsis competat proprio ac priuato iure, potest vnusquisq; illi renunciare, ex *cap. Cum accessissent, de Constitut.* Non item quoad Capitula Generalia ac Prouincialia, quia tunc ius vocalitatis ipsis competit, siue ex electione, siue ex officio & regula, & non potest renunciari statutis pro bono communi inductis. Hæc sententia est probabilis, dummodo talia renunciatio non redundet in præiudicium Religionis, vt sustinent Panormitanus, Miranda & noster Sigismundus à Bononia, cum aliis à nobis citatis *tom. 1. v. Electio, num. 8. vers. Dico tertio.* Nihilominus contrarium non est improbabile, quia licet onus assistendi Capitulo, incumbat vocalibus capitularis, non vt singulis, sed vt vniuersis, id est, vt pertinent ad vniuersitatem Capituli, & sunt pars illius, tamen vt parti Capituli manet vnicuique prædicta obligatio. Alias si quilibet in particulari non teneretur assistere Capitulis, sed posset ad libitum abesse, alii possent id facere, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de altero, & sic posset deficere bonum regimen Monasterii, & Religionis. Et hæc opinio placet Dianæ *part. 3. tract. 2. resol. 6.* Quia ius cui cederent vocales interueniendi Capitulis, vergeret in detrimentum Religionis, pro cuius seruitio vocales effecti sunt, ergo non possunt dicto iuri eorum cedere, quia continet ius alterius. Panorm. Miranda à Bononia Diana

Vide v. Beneficium 3. *num.* 5. Beneficium 5. *num.* 13. Beneficium 6. *num.* 3 Visitatio *num.* 2.

CARDINALIS.

SVMMARIVM.

1 *Cardinalis vnde dicatur? Et vt nulla dignitas post Pontificatum maior est in Ecclesia, quàm Cardinalatus.*
2 *Cardinales in Ecclesia sui tituli ordinariam quasi Episcopalem habent iurisdictionem.*
3 *Cardinalis non Episcopus potest de causa criminali suorum Clericorum cognoscere, censuras ferre, solemniter benedicere, vltimas voluntas commutare, in votis dispensare, &c.*
4 *Cardinales in suis Ecclesiis possunt dispensare & absoluere subditos in casibus Episcopis concessis a Tridentino* sess. 24. cap 6. de reform.
5 *Cardinales existentes Romæ habent ius conferendi beneficia in suis Ecclesiis titularibus, & resignationes beneficiorum recipere.*
6 *Cardinales ad Episcopatum assumpti, conferre possunt beneficia etiam ante captam Episcopatus possessionem.*
7 *Cardinales Episcopi existentes in Curia possunt conferre Ecclesiam Parochialem suæ Diœcesis sine concursu.*

8 *Vt declarationes Cardinalium obligent in conscientia quatuor conditiones desiderantur.*
9 *Probabile est religiosum creatum Cardinalem, eximi à voto paupertatis, quamuis contrarium sit probabilius.*
10 *Cardinales religiosi non tenentur ad vota, quæ præter tria substantialia emittuntur in religionibus, iuxta eorum statuta.*
11 *Cardinale religiosi dimittentes habitum suæ Religionis non incidunt in excommunicationem iuris.*
12 *Cardinales habens priuilegium testandi iure militari, & semper durat hæc facultas, nec expirat morte Pontificis, qui eam concessit.*

1 CArdinalis dicitur à cardine, super quo quiescit ostium aperiendum, & claudendum. Et dicuntur Cardinales, qui Papæ, sicut Apostoli Christo, assistunt, in quorum Collegio manet potestas Papę eo mortuo dupliciter. *Primo*, quidem quantum ad radicem proximam, inquantum scilicet, eligunt & constituunt Papam, & *Secundo* quantum ad materiale in Papatu, in quantum per electionem personam determinant, non autem manet quantùm ad actualem administrationem Hinc Cardinalitia dignitate nulla maior est in Ecclesia Dei post Pontificatum maximum. Nam si gradum Cardinalatus spectes nõ datur propinquior ipsi Papę, cùm sint Cardinales mẽbra & pars corporis illius, dicitur enim Cardinalis specialis filius Ecclesię Catholicę, *c. Felicis, §. vlt de pœn. in 6.*

Et cum ipso Summo Pontifice vnum corpus mysticũ Cardinales conficiunt, quamuis enim Papa quatenus repræsentat Christum, cuius vices gerit, sit caput vniuersalis Ecclesiæ & singuli fideles membra in genere, est tamen speciale caput Cardinalium, & ipsi eius membra specialia respectu aliorum, quod corpus sic adeò est cõpactum, vt Papa, qui est caput, nullatenus ab his exigat iuramentum obedientiæ & fidelitatis, cùm sint sibi inuiscerati, iurant enim dumtaxat se honorem & auctoritatẽ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ipsiusque Papę conseruaturos auctoros & promoturos. Ita Hostiensis *in c. antiqua, sub n. 5.* quem sequitur Præpositus *in cap. quamquam 2. q. 7.* Hostiensis Præpositus

2 Cardinales Romanæ Ecclesiæ ordinariam & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in Ecclesia sui tituli sicuti constat ex *cap. querelam, de elect. cap. his quæ de maior. & obedient.* Et si Presbyteri sint, possunt conferre primam tonsuram & Minores Ordines suis familiaribus. Et hoc ex consuetudine, quæ cùm non possit in hoc dare iurisdictionem, signum est eam habuisse à Papa. Ita Barbosa *de potest. Episc. p. 2. allegat. 5. n. 19.* vbi testatur ita sensisse Rotam *in vna Cremon. 3. Decemb.* 1582. Lotichius *in Thesau. verb. Cardinalis, §. 7.* Fornarius *de Sacram. Ordin. cap. 5. num. 2.* Barbosa. Rota Lotichius. Fornarius

3 Cardinales in suis titulis cùm habeant iurisdictionẽ Ecclesiasticam, quam habent Episcopi; Cardinalis non Episcopus potest de causa criminali suorum Clericorum cognoscere, & si Clericus erit depositione dignus, sententiam ferre, actum tamen degradationis Episcopo committere debet, cùm hoc sit Ordinis. Hinc etiam Cardinales possunt in suis titulis excommunicare, suspẽdere & interdicere, & vti Pontificiis insignibus, & benedicẽdi solemnem ritum more Episcoporum exercere, etiamsi Episcopi non sunt. Imò Vicarii Cardinalium possunt etiã fulminare censuras, & reliqua facere, quæ sunt iurisdictionis Episcopalis. Ex qua ratione possunt Cardinales in suis titulis commutare vltimas voluntates in his, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis. Item dispensare in votis, quia hoc pertinet ad iurisdictionem spiritualem Episcopalem. De his vide Layman *lib. 1 tract. 2 cap. 7. §. 7. num. 24.* Dianam *part. 5. tract. 2. resol. 7. 12. 57 58.* Layman. Diana.

4 Cùm Prælati Episcopo inferiores habentes quasi Diœcesim etiam intra fines Diœcesis Episcopi, atque adeò iurisdictionem quasi Episcopalem, possint dispensare & absoluere suos subditos in casibus à Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformatione*, Episcopis concessis, non est deneganda hæc potestas Cardinalibus, qui eandem potestatem habent in suis Ecclesiis. At cum in hanc sententiam inclinat Diana *part. 5. tract. 2. resol. 59.* citans *Monetam.* Con. Trid. Diana.

5 Cardinales, quando sunt in vrbe, habent ius conferendi beneficia in suis Ecclesiis titularibus, in eorum autem absentia solus Papa confert licet enim tituli in urbe sint, & eorum beneficia iure ordinario ad Pontificis maximi, ueluti ad proprii Episcopi collationem & prouisionem spectent; tamen Pontifices ipsi, vt ostenderent Cardinales sibi vere filios, & fratres esse, & vt eos suorum titulorum studiosos per residentiam magis allicerent, pleniorem eisdem detulerunt conferendi facultatem *cap. bis quæ, de maior. & obedient.* Ita Gonzalez, Chokier Barbosa apud Dianam *p. 5. tr. 2. resol.* 13.

Gonzales. Chockier. Diana

Item possunt in suis titulis resignationem beneficiorum recipere, quia possunt illa conferre, imo, & destituere beneficiatos, quod ius competit iis ratione titulorum. Ita Parisius *de resignat. benefic. lib. 7. q.* 12.

Parisius.

6 Cardinales ad Episcopatum assumpti, conferre possunt beneficia, etiam ante adeptam Episcopatus possessionem, quia Episcopus electus, & confirmatus potest exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, ut est beneficiorum collatio, etiam extra Diœcesim, etsi nondum in eam, se cōtulerit, & naturaliter, & corporaliter possessionē nondum cœperit, sic Ecclesia dicitur vacare vsque ad cōfirmationem, quia possessionis apprehensio est vtique necessaria quoad solemnitatem, vt possit prouisus ostendere se esse in possessione, sicque illatam molestiam repellere, inferendāve præcauere non tamen sequitur, quin ante adeptam possessionē possit administrare; & exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, dummodo tertio non præiudicet, ergo non opus erit possessione vt Episcopus Cardinalis virtute indulti beneficia conferat. Et quamuis iure communi, vbi quis est Canonica institutione confirmatus, habeat ea quę sūt iurisdictionis, dignitatis, &c. Nihilominus per *Extrauag. iniunctæ de elect.* inter communes, si velit prædicta exercere, debet obtinere literas, alias possessionem consequi non potest. Dicta tamen Extrauagans non habet locū in Cardinalibus Episcopis, qui ante possessionem adeptā, & ostensionem literarum iurisdictionem exercere possūt Ita Barbosa *de potestate Episcopatu parte tertia alegat.* 111. *num.* 35. Gonzalez *in regula octaua Cancellar. gloss.* 24 *n* 7. Innocentius Hostiensis Abbas *in cap. transmissi, de electione.*

Barbosa. Gonzales. Innocent. Hostiensis. Abbas.

7 Cardinales Episcopi existētes in Curia, possunt conferre Ecclesiam Parochialem suę Diœcesis sine concursu, dummodo ille, cui confertur, sit examinatus ab Examinatoribus deputatis à Papa, vel eius Vicario. Et huic indulto non derogat Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de reform. ibi, etiamsi ipsa Parochialis reseruata, &c.* quia loquitur tantum de indultis extraordinariis, vel de aliis quo ad ea beneficia, quorum collationes spectant ad Cardinales, ratione alicuius Abbatiæ, vel dignitatis, quas possident in aliena Diœcesi, non autem circa indulta ordinaria locum habet, ita docet Gemonius, Massobrius citati à Diana *p.* 5 *tr.* 2 *resol.* 42.

Diana

8 Multæ conditiones requiruntur vt declarationes Eminentiss. Cardinalium vim habeant obligandi in conscientia, ita vna deficiente non obligent, *Prima* sit certa, & indubitata, vt cōstet sufficienti auctoritate esse eas declarationes Sacræ Congregationis, sufficienter autē constabit, si exhibeantur in authentica forma solito sigilo, & subscriptione Eminentiss. Cardinalis Præfecti ac Secretarii eiusdem Congregationis *Secunda* conditio est, vt in ipsa declaratione referant eam fuisse pronuntiatam, consulto Pontifice, quia Sixtus V. quando huic Congregationi concessit facultatem interpretandi Concilium, dixit requirens conditionem necessariam, nobis tamen consultis *Tertia* est, vt solum Cardinales declarent, & interpretentur non vero dispēsent, restringant aliquid, aut amplient vltra vim verborum, & regulas iuris. Hanc formā Congregationi præscripserunt in suis Bullis Gregorius XIII. Sixtus V. & Vrbanus VIII. quod si aliquid vltra limites prædictos præstet Congregatio, necessariū est in ea explicari id ortum habuisse ex peculiari cōmissione, aut voluntate Pontificis *Quarta* conditio est, vt declarationes obligent in foro interiori, & exteriori, debet de illis constare notitia publica, qualis est illa, quam Episcopus potest præbere in suo Episcopatu, declarando illas forma iuridica, & quę oriri potest ex fama publica, & certa, deriuata ex principio authentico. Ita Petrus Ochogauia *de Sacram. tract.* 2. *de pœnitent quæst.* 40. *num.* 12. Torreblanca *in pract. iur. Eccles.* 14. *cap.* 3 *num* 19. Coriolanus *de casib. reseru. p.* 1 *sect* 1. *art.* 21. Sancius *in selectis disp.* 48. *num.* 1. De his uide Dianam *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 96. & dicta *tom.* 1. *huius sum, v. Lex IV. num.* 12

Ochagauia. Torreblanca. Coriolanus. Sancius. Diana.

9 Religiosus creatus Cardinalis, iuxta probabilē quorumdam sententiam, eximitur a voto paupertatis & efficitur verus Dominus redituum Ecclesiasticorum instar Cardinalium sæcularium, & ideò, superuacaneè consumpta & in vsus illicitos non tenetur restituere; atque ab ipso accipientes, neque ad restitutionem astringuntur. Ratio illorum est, quia etiam Regulares Episcopi non tenētur amplius ad votum paupertatis, ergo neque etiam effecti Cardinales, quod autem Religiosi ad Episcopatum assumpti soluātur paupertatis voto, docent Sotus, Vasquez Hurtadus de Mendoza, Alphonsus de Leone, & alii quos refert & sequitur Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 50. *& p.* 5 *tr.* 2. *res,* 64. *& tract.* 8. *resol.* 31. Probatur autem hæc sententia ex *cap. Statutum* 18. *quæst.* 1. quod sic habet. *Statutum est, & rationabiliter secundum Sanctos Patres à Synodo confirmatum, vt Monachus, quem Canonica electio a iugo Monastica professionis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat; sed quid acquisierat, vel habere visus fuerit, Monasterio relinquat. & Abbatis sui, qui fuerat secundum regulam S. Benedicti, arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, quod sanctificatur & titulatur, secundum sacros Canones quidquid acquirere poterit restituat.*

Sotus. Vasq. Hurt. Alph. de Leo. Diana.

Circa hunc textum nonnulla sunt ponderanda Et *Primo*, quod Monachus factus Episcopus absoluitur á iugo regulæ Monasticæ professionis, ergo etiam a voto paupertatis, quia iugum Monasticæ professionis non consistit in regularibus obseruantiis, quia hæ non pertinet ad substantiam professionis Monasticæ, sed tantū sunt quid accessorium substantię, & integrale: substantia vero cōsistit in votis, vnde non posset dici absolutus à iugo, si non absolueretur ab eo in quo consistit substantialiter [illegible]. *Secundo*, ponderanda sunt verba illa, *Legitimus hæres, & sibi vendicandi.* Quæ denotant proprietatem dominij esse enim *legitimum hæredem*, dicit ius proprium ad hæreditatem, *& sibi vendicari* dicit capacitatem acquirendi dominium, ius autem & capacitas domini non stant cum voto paupertatis. Confirmatur, non potest dici de Monacho quòd sit legitimus hæres, nam secundum ius non ipse est verus hæres, sed Monasterium; nec quòd sibi acquirat, cùm quidquid acquirit, Monasterio acquirat, ergo cùm hæc de Episcopo regulari dicantur, oportet, vt ab eo sit sublatum illud impedimentum, ob quod de Monacho dici non possunt. Probatur insuper hęc sententia ratione hac præcipua. Si regularis incapax hæreditatis ex eo quòd professus est in religione incapaci, assumatur ad Episcopatum, sit capax hæreditatis, & recuperat ius succedendi, quia transit ad Ecclesiam, quæ est capax, vt communiter docent Doctores, quos citant & sequuntur Sanchez *libro* 7. *moral. cap.* 32. *num* 26. & Hieronimus Rodriguez *in compend. resol.* 60. *numero* 8. ergo etiam recuperat capacitatem dominii: atque adeò absoluitur voto paupertatis. Tum quia, si acquirat hanc capacitatem, quia Ecclesia est capax, fit quòd sequatur conditionem Ecclesiæ tanquam sponsus, & caput illius, vnde tota capacitas Ecclesiæ debeat transfundi in ipsum, atque adeò etiam capacitas dominii. Hanc sententiam pluribus rationibus firmat, quia omninò veram censet Pasqualigus *in decision. moral. dec.* 267. contra Diuum Thomā & 66. Doctores, quos ibi refert, affirmantes Episcopos regulares non absolui voto paupertatis, quia nulla est necessitas dispensandi in hoc voto, sicut nec in aliis, cùm non sit incompossibile cum statu Episcopali, nec ipsum dedeceat, imò iuuet ad perfectionem. Ecclesia autem non dispensat sine causa. Et hanc sententiam tenui *tom.* 1. *loco infra citando.* An autem Cardinales religiosi absoluantur à voto obedientię, vide a nobis dicta *tom* 1. *verb. Religio* 1. *num.* 8. de regulari facto Episcopo, *§. Quoad votum,* habent enim locum in Cardinalibus.

Sanch. Hieron. Rodriquez

Pasqualig.

10 Probabile est Cardinales Religiosos non teneri

advota,

ad vota, quæ præter tria substantialia emittuntur in Religionibus, iuxta eorum statuta. Ratio est, tum quia ad ista vota non tenentur religiosi ad Episcopatum assumpti ergo neque ad Cardinalatum promoti. Vnde Fratres Minimi S. Francisci de Paula assumpti ad Episcopatum vel Cardinalatum absoluuntur à voto quadragesimalis vitæ, huiusmodi enim votum non est votum personæ, sed regulæ, quam persona profitetur, nam ordinatur per se primò ad conseruationem regulæ, quæ permittit tantùm cibos quadragesimales; vnde præscriptio huiusmodi ciborum per se primò, & directè habetur à Regula, quæ tales cibos tantùm permittit; votum autem superaditur, vt det robur obligationi regulę; & ideò qui regulam profitetur, non suscipit per se primò votum, sed illud suscipit ratione regulæ cui se obligat. Ex hoc autem fit quod materia voti immediata non sit vsus ciborum tantùm quadragesimalium, sed obseruantia regulæ quoad illam partem, quæ præscribit de cibis, & cibi sunt tantùm materia mediata, quatenus stant sub obseruantia regulæ. Hinc cùm in Cardinali, vel Episcopo assumpto ex his Minimis cesset obligatio ad regulam, quia constituitur in alio statu superiori, in quo secundùm aliam regulam dirigi debet; cessat etiam obligatio regulæ, quò ad illam partem, quæ præscribit de cibis; & ideò cessat etiam votum, quia cessat materia immediata voti. Hæc sunt fundamenta, quibus fulcitur probabilitas huius sententiæ, quàm sustinent Sãchez *l. 6. moral. cap. 6. num.* 20. Barbosa *in collect. in ius Canonicum, tom. 2. in cap. vlt. num. 4. De obseruat. Ieiunii.* Syluius *a. x. quæst.* 185. *art. 8. concl.* 2 Diana *p. 3. tract. 2. resol.* 50. *vers Hinc infertur, & p. 5. tr. 2. resol.* 65. Palaus *p. 3. tr. 16. disp. 4. punct. 24. numero* 6. & alii Contra Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 4. cap. 17. n. 8.* qui probat votum non cessare, quia est speciale & proprium & obligatio voti est personalis, quæ sequitur personam quocumque tendat Ad quod argumentum posset responderi, quòd tale votum non est simpliciter personale: sed personale regulare, hoc est non personæ quomodocumque, sed personę subiectæ tali regulæ; solùm enim emittitur à persona, vt mẽbro Religionis. Quando autem assumitur ad Cardinalatum vel Episcopatum, desinit hoc membrum Religionis, & persona subiecta tali regulæ: & ideò votum non sequitur personam, quia non est illius personæ quocumque modo, sed vt subiectæ regulæ, & vt est membrum illius Religionis.

Sanchez. Barbosa. Syluius. Diana. Paulus. Suarez.

Ex dictis colligitur, iuxta hanc sententiam, ex natura rei, absque alia dispensatione solui vota regularium, quãdo fiunt Cardinales vel Episcopi. Probatur, quia vota emittuntur à profitente pro statu religioso, sub illa certa regula, atque ex electione illius modi viuendi, quem Religio præscribit; vnde non sunt simpliciter emissa, sed pro electione status; & electio status est motiuum vouẽdi, ita ut non esset emissurus vota, si non ingrederetur illum statum. Et hoc est iuxta staturam votorum, quia ordinãtur ad statum constituendum, & ideò ille modus viuendi secundùm certas regulas, quas præscribit Religio, est ratio, cur regularis se obliget per vota. Ergo vota censentur emissa, sub virtuali conditione durationis status secũdùm modum regularem viuendi, ita ut cessante tali statu per mutationem in meliorem, cessent vota tanquam dependentia à conditione status. De his vide Pasqualigum *in decis. moral. decis.* 270. qui ad firmandam hanc sententiã plures affert rationes probabiles. Ob quas consequenter docet, votum de redemptione captiuorum, nõ permanere in Episcopo assumpto ex Ordine S. Mariæ de Mercede *decis.* 272. Item votum Patrum Societatis IESV, quo se obligant obedire Pontifici circa missiones, non permanere in Episcopis assumptis ex ipsis Patribus. *Decis.* 294. Itẽ, votum Societatis de non laxanda paupertate, sed potius restringẽda, non permanere in Episcopo assumpto ex tali Societate. *Decis.* 275. Item, votum de non procuranda & ambienda dignitate, quod emittunt Patres Societatis, nõ obligare Episcopos assumptos ex ipsis. *Decis* 276. Item, votum de non acceptanda dignitate extra Religionem, nisi ex præcepto obedientiæ, non obligare Episcopos, qui semel ex obediẽtia assumpti sunt ad Episcopatum ex Societate IESV ad non acceptandas alias dignitates, nisi accedat simile præceptum, *Decis.* 278. Item, votum de denunciandis ambientibus dignitates, quod emittũt Patres Societatis, non manere in Episcopis assumptis ex ipsis. *Decis.* 277. Item, votum quod emittunt Patres Societatis, de audiendis consiliis P. Generalis, si eligantur in Præsidem alicuius Ecclesiæ non obligare Episcopos ex ipsis assũptos *decis.* 279. Dictis cõsẽtit Lezan. *to. 1. sum. c. 17. n. 10*

Pasqualig.

Lezana

11 Cardinales religiosi tenentur portare habitum suæ Religionis, si tamen illum dimittant, verius est nõ incurrere excommunicationem latam *in c. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6.* quia religiosi Episcopi id facientes non incurrunt excommunicationem: ergo neque Cardinales. Probatur maior, quia nullo iure est excommunicatio indicta Monacho, qui prętextu Episcopalis dignitatis habitũ dimittit, & Episcopalem induit; quia textus ille clarè loquitur de religioso sub Abbatis obedientia manente, eiusque regulis astricto, atque ita eã rationem reddit, ne detur Monachis materia vagãdi dimisso habitu eò quòd à nemine cognoscẽtur, quę in Episcopo deficiũt, vtpote qui non est sub regulæ obedientia, & induens Episcopalem habitum minus aptus erit ad euagandum. Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 6. n.* 34. *iuncto n.* 23. Barbosa *de iur. Ecclef. lib. 1. cap. 3. num.* 25. Lezana *tom. 2. Summ. cap. 17. n. 9.* Diana *p. 3. tract. 2. resol.* 50.

Sanchez. Barbosa. Lezana. Diana

12 Cardinales habent priuilegium testandi iure militari, *Primò*, vt sufficiant duo testes *Secundò*, vt possint decedere pro parte testati, & pro parte intestati. *Tertiò*, vt possint instituere hæredem personam incapacem. Ita Albanus *de Cardinal. q. 42. §. Secundo principaliter*, vbi pro hac sententia citat Balduin: facultas autem testandi ipsis concessa non restringitur ad vnicum testamentũ, sed sẽper durat, nõ enim est idẽ iuris de testamento, quod de aliis rebus, nam testamentum non nisi morte testatoris confirmatur, & hominis volũtas ultima nõ est ante mortem, vt cætera primo actu perficiuntur, Azorius *tom. 2. lib. 4. c. 3. quæst.* 10. Neque expirat hæc facultas morte Põtificis, qui eam concessit: quia cùm testamentum uim nõ habeat, nisi post mortem testatoris illi, cui testandi licentia concessa est, imputari nequit concedente superstite eum testatum non fuisse, siquidem longiorem vitã adeptus est, quàm is, qui facultatem concessit, & ea facultas pro tempore mortuis, à quo debet testamentum uim habere, defecit potissimum. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp. 28. n.* 82. Guttierez *in q. q. pract. lib. 2 quæst.* 75. Molina *de iust. tract. 2. disp.* 141 & alii.

Albanus. Azorius. Suarez. Guttierez. Molina.

Vide v beneficium 4. *n. 7. &* 8. Regulares *n.* 9. Residentia *n.* 3. Regulares *n.* 9.

CASVS RESERVATVS.

SVMMARIVM.

1 *Casus reseruatio quid sit? Et quis possit casus reseruare.*

2 *An Summus Pontifex reseruet sibi culpas vel censuras.*

3 *Peccatum quod reseruari solet, debet esse mortale, opere externo consummatum, & non solum internum.*

4 *An peccata reseruari possint valide pro arbitrio Superiorum absque causa legitima*, refertur duplex sententia

5 *Episcopus reseruat sibi casus absque censura; & an sint hoc tempore aliqua peccata de iure Episcopo reseruata. Et an casus reseruati expirent per mortem reseruantis, vel per amotionem ab officio?*

6 *Quis habeat facultatem ordinariam & directam absoluendi à casibus reseruatis.*

An Archiepiscopus possit subditos suffraganeorum à reseruatis absoluere?

An Parochus possit sibi reseruare casus respectu suorum Capellanorum?

7 *Episcopus vel alius Prelatus incidens in casum Papæ reseruatum, an absolui possit à proprio confessario.*

8 *Quis habeat facultatem delegatam absoluendi à reseruatis.*

9 *Confessarius an possit absoluere iter agentes aut peregrinos à casibus reseruatis suo Episcopo, si non sint etiam seruati Episcopo loci*: refertur duplex sententia.

10 *Iter agens habens reseruata tam Episcopo proprii domicilii, quam Episcopo loci, non potest absolui ab illo qui non habet potestatem circa reseruata.*

11 *Peregrinus habens casus reseruatos Episcopo loci in quo confitetur, non potest absolui à quolibet simplici confessario, si illi casus non sint reseruati Episcopo proprii domicilii.*

12 *Habens priuilegium absoluendi ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, an possit validè absoluere à censuris in bulla Cœnæ Domini contentis, & à casibus Episcopo loci reseruatis, refertur declaratio Clementis VIII. pro Italia.*

13 *Pœnitens qui intra spatium 15. dierum Iubilæi commisit aliquod reseruatum spe absolutionis obtinendæ, an possit absolui.*

14 *Qui obtinuit iubilæum prima hebdomada an possit adhuc absolui à reseruatis in secunda hebdomada*, refertur duplex sententia.

15 *Confessarius an ordinariò debeat mittere pœnitentem, qui habet casus reseruatos, ad Superiorem, vel ab eo absoluendi potestatem petere.*

16 17 *In casu necessitatis, an possit inferior Sacerdos absoluere eum, qui habet casus reseruatos, antequam coram Superiore compareat*: refertur triplex sententia.

18 *An possit absolui pœnitens, qui bona fide confitetur, nesciens suum peccatum esse Superiori reseruatum, vel si sciuerit putabat se posse absolui ab inferiori Sacerdote. Et an absolutio à peccatis bona fide collata & non à censuris, sit valida, si pœnitens excommunicatione reseruata innodatus sit?* refertur duplex sententia.

19 *An Superior teneatur concedere facultatem pœnitenti per se, vel per alium petenti, vt possit confiteri alteri casus reseruatos, & an superiore iniustè denegante possit pœnitens validè absolui*, refertur duplex sententia.

20 *An possit Superior auditis solis peccatis reseruatis absolutionem impendere, mittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reseruatis*, refertur duplex sẽtentia.

21 *Primam gratiam an consequatur pœnitens attritus, dum recipit à Superiore absolutionem, à reseruatis, quamuis peccata non reseruata confessus non fuerit.*

22 *Qui obtinuit à Superiore absolutionem reseruatorum, an teneatur inferiori Sacerdoti peccata tam non reseruata, quàm reseruata manifestare*, refertur duplex sententia.

23 *An in dubio, siue iuris siue facti, censendum sit casum esse reseruatum.*

24 *An à quolibet confessario approbato possit absolui, qui dubitat an sufficienter compleuerit actum externum reseruatum, &c.*

5 *Qui dubitat de sua iurisdictione circa casus reseruatos non potest ab illis absoluere.*

26 *Qui opinionem habet probabilem de sua iurisdictione circa casus reseruatos, potest ab illis absoluere.*

27 *Qui fuit absolutus ab habente facultatem ordinariam vel delegatam circa casus reseruatos, remanet absolutus à peccatis reseruatis inculpabiliter oblitis.*

28 *Qui tempore Iubilæi vel extra, bona fide confitetur priuilegium habenti circa reseruata, & non petit expressè absolutionem à reseruatis, an ab illis censendus sit absolutus.*

29 *Qui extra tempus Iubilæi confessus est habenti facultatem circa casus reseruatos, an remaneat absolutus, quoad reseruationem peccatorum in confessione manifestatorum, si confessio fuerit culpabiliter inualida.*

30 *Qui virtute Iubilæi bona fide fuit absolutus à reseruatis, an reincidat in casus reseruatos, vel in censuras, si voluntariè non lucretur Iubilæum.*

31 *Absolutus in articulo mortis à simplici Sacerdote à casibus reseruatis, an teneatur si conualescat, coram Superiore comparere, & quid si peccato annexa sit censura excommunicationis Superiori reseruata.* Post hæc inuenies alia summaria de eadem materia.

1 CAsus reseruatio, nihil aliud est, quàm ablatio seu non concessio iurisdictionis, ad absoluendum ab aliquo peccato, quamuis circa alia concedatur. Et quamuis hæretici negent Ecclesiæ hanc potestatem in foro interiori, quia putant in Ecclesia non esse potestatem ad absoluendum in foro, & consequenter negant potestatem reseruandi, quia priuatio supponit habitum.

Nihilominus de fide est, in Ecclesia esse potestatem reseruandi aliqua peccata superioribus Iudicibus. Vt habetur in Conc. Trid. *sess. 14. c. 7. & can. 11.* Suar. *de pœnit. to. 4. disp. 29. s. 1. n. 1. & 2.* Tann. *to. 4 d. 6. q. 9. du. 4. n. 76* Lay. *l. 5. tr. 6. c. 12. n. 1.* Sotus *in 4. d. 18. q. 2. a. 5* Coninc. *de Sacram. dist. 8. du. 11.* Sylu. *in Suppl. 3. p.* D. Thom. *q. 20. a. 2.* Filliuc. *tr. 7. c. 10.* Fagund. *præc. 2. l. 8. c. 1. n. 1. 2. & seq.* quia iurisdictio necessaria in Sacramento pœnitentiæ manet à superioribus Ecclesiæ Prælatis ad inferiores ministros, & ideò potest iuxta illorum arbitriũ esse magis vel minùs limitata. Et quidẽ solus Papa iurisdictionẽ necessariã ad peccatorũ remissionẽ, vel absolutionem diuino iure in sui electione & ordinatione accipit, licet enim eligatur ab hominibus, tamẽ neq; ipsi, nec vniuersa Ecclesia dat illi iurisdictionẽ, sed ipsi designãt persona, & Christus immediatè munus cõfert. Reliqui verò Episcopi iurisdictionẽ hanc non diuino iure, sed humano à Papa accipiũt qui proinde ipsis & multò magis aliis Prælatis exẽptis, limitatã conferre potest, vel respectu personarum, quasdã ab eorum iurisdictione eximendo, vel respectu peccatorum; quorundam absolutionem sibi reseruando. Simili ratione Episcopi, vel alii Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possunt parochis & aliis cõfessariis sibi subditis, potestatem absoluendi limitatam dare, cùm horũ iurisdictio ab illis proueniat. Vide Suarez Tanner.

Con. Trid. Suarez. Tannerus Layman. Sotus Coninck. Syluest. D. Thom. Filliuc. Fagund.

2 Summus Pontifex ordinariè nullum peccatum suo tribunali reseruat, nisi propter annexam excommunicationem sibi itidem reseruatam, An autem per reseruationes Pontificias, etiam culpæ ipsæ in se reseruentur? Affirmant Suarez *cit. disp 29. sect. 2. num. 8.* Filliucius *tract. 7. cap. 10. num. 270.* Ratio sumitur ex intentione Pontificum, explicata in nonnullis reseruationibus, vt in casu percussionis Clericorum, *cap. Si quis suadente. Nullus Episcoporum præsumat eum absoluere.* Eum dixit, indicans etiam culpam reseruari, ideòq; etiamsi quis bona fide absoluatur à peccato reseruato, cum censura, absq; eo, quod priùs absoluatur à censura, tamen tenetur illud postea sacramentaliter confiteri, quia directè non fuit absolutus. Hæc sententia est satis probabilis, pro qua citantur D. Thom. *in 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 2. ad 4.* Paludanus *ibi. q. 5. a. 1.* Maior *ibid. quæst. 5.* Mihi tamẽ magis placet sententia docens has reseruationes sistere in censura, & solũ mediatè & quasi per accidens redundare in culpam, quia ablata censura statim manet peccatum non reseruatum, vt omnes Doctores dicunt Ergo signum est solùm fuisse ablatam iurisdictionem circa censuram, alias etiam ablata censura adhuc manere posset reseruatio culpæ, hinc si Papa vel eius Pœnitentiarius aliquem absoluit à censura excommunicationis reseruata, quilibet cõfessarius in cõscientiæ foro absoluere potest à peccato illo cui talis censura coniuncta fuerat. Ita Caietanus, *in Sum. v. Casus* Toletus *in Sum. l. 3. c. 14. n. 4.* Layman *cit. c. 12. n. 2.* Nauarrus *in Man. c. 27. n. 261.* Henriq. *l. 6. c. 14. a. 1.* Crousers *ad c. 7. reg. S. Fr. lect. 2 fol. 492* Bonacina *to. 1. d. 5. q. 7. p. 5. §. 2. n 4* Conin. *c. dub. 11. n. 82.* Tannerus *c. q. 9. du. 4. n 87.* Similiter si quis commisit peccatum, v. g. in bulla cœnæ contentũ, sed ob ignorãtiam non crassam à censura Papali excusatus fuit, quia de ea nihil audiuit, ab inferiore absolui potest, Vt notant Henriquez, & Coninc. Hoc tamen intelligendum est secundùm communem & ordinarium cursum. Nam absolutè datur exceptio in iis, qui simoniacè promouent, vel promouẽtur ad ordines. Quos Sixtus V. in bulla data anno 1589. non excõmunicat, sed tantum suspendit, & tamen ipsum peccatũ Sedi Apostolicæ absolute reseruat, Imò probabile est quando Papa relaxat censurã sibi reseruatã, ex consuetudine auferri etiã reseruationẽ inferioris, vt docent Nauarrus, Toletus *citati*, & Tannerus. Hinc collige quòd quando reseruationes sunt plures sine censura ab eodem, vel diuersis per eandem potestatem, vna ablata, omnes tollit; si à diuersis

Suarez. Filliuc.

D. Thom. paludanus

Caiet. Toletus Layman. Nauarrus Henriq. Crousers. Bonacina. Coninck. Tannerus

per diuersam potestatem, vt ab Episcopo & papa, tūc ablata reseruatione ab Episcopo, remanere Papalē, sublata autem Papali, tolli Episcopalem. Quod si sint reseruationes cum censura, siquidem plures sint reseruationes propter plures censuras, vna ablata poterunt aliæ manere, & ita non simpliciter aufertur reseruatio, si propter plures leges tantum, tota reseruatio tollitur, vna ablata.

3 Quamuis cuiusuis generis peccata reseruari possint & venialia & interna, si solùm spectetur potestas, ad omnium enim sacramentalem absolutionem necessaria est iurisdictio, quæ cùm à Superioribus descendat, potest ab eis limitari; Ecclesia tamen non reseruat vllum veniale, vel peccatum mortale internum, tùm quia hoc esset iniicere laqueum intolerabilem fidelibus, tùm quia internorum peccatorum reseruatio non ita necessaria sit ad Ecclesiæ gubernationem. Ita Suarez *c. d. 29. sect. 3.* Sotus *in 4. d. 18. quæst. 2. art. 5.* Filliucius *cit. num. 271.* Graffiis *lib. 1. cap. 7. num. 24. in append.* Reginald. *lib. 1. num. 126. 128.* Coriolanus *de casib. reser. p. 1. sect. 1 art. 5.* Crousers *c sect. 2.* Sylu. *c. art. 2. q. 1.* Nec refert quod in quibusdam religionibus reseruātur Ingressus religiosorū seu monialium in mutuas cellas absq; licentia Superioris; item scriptio literarum absq; eadē licentia, quæ natura sua ad sūmum sunt peccata venialia Resp. Et si per se & ex natura sua ista peccata sint materia leuis. Ex circūstantiis tamen & consequētiis grauibus ac scandalis fieri posse materiā grauē, & cōsequenter prohiberi per statutū vel præceptū sub peccato mortali, quo statuto vel præcepto durante, isti casu reseruari possunt, quia verē peccata mortalia sūt.

Suarez. Sotus Filliuc. Graffiis Reginald coriolanus Crousers Sylu.

Vnde peccatum quod reseruatur ab Episcopo vel alio Prælato iurisdictionem Episcopalem habente, debet esse mortale & opere consummatum; hoc est, de facto nō nisi peccatum externum, quod etiam secundum conditionē & quantitatem operis externi sit mortale, & non ex relatione ad intentionem internam, est reseruatum, quia crimen non intelligitur, nisi sit consummatum, hinc si incestus reseruetur, conatus ad illum committendum nō erit reseruatus Syluester. *v. Casus quæst. 5.* Henriquez, *lib. 6. cap. 14 num. 6.* Diana *p. 5. tract. 5. res. 46.* Tannerus *c. nu. 83.* Layman *c. num. 3.* Graffiis *c. n. 71.* Portel. *in dub. reg. v. casus reseruat. n. 15. Similiter* Sodomia non erit casus reseruatus, nec delictum dicetur consummatum, nisi seminatio fiat in vase obscœno, quantumuis membrum intra vas ponatur per multum spatium temporis, incipiendo, & prosequendo actum sodomiticum: Ratio est, quando lex prohibet aliquod delictūm, intelligit de delicto cōsummato, sed quando semē intra vas non immittitur nō dicitur sodomia consūmata. Fatendum tamen est, si ipsa quoq; criminis atrocis attentatio, expressis verbis reseruetur, validam esse reseruationem Rodriq. *in Sum. p. 1 c. 209.* Coriolanus *c. p. 2. cas. 9. n. 25.* Bonac. *de matrim q. 4. p. 11. n. 2.* Diana *part. 2. tract. 3. resol. 63.* Reginald. *lib. 22 cap. 3. num. 49.* Marchinus *de Ordine tra. 1 p 8. c. 4. n. 25.*

Syluest. Henriq. Diana. Tannerus Laiman. Graffiis Portel.

Rodriquez Coriolanus Bonacina Diana Reginald Marchinus

4 Controuertitur, an peccata reseruari possint pro arbitrio Superiorum, absq; legitima causa, Quidam arbitrari, sunt non solum illicitam, sed etiam inualidam esse nimis grauem atque insolitam plurium peccatorum reseruationem, vt à Parochis obseruari non debeat Ita Sotus *in. 4 dist. 8. quæsit. 2. art. 5.* Angelus *v. casus* Henriquez *lib. 6. cap. 14. num. 4.* & alii penes ipsos. Quorum sententia vera esset, si Parochi haberent iurisdictionem iure diuino, vt ipsi arbitrantur; *Sed est* communis & vera sententia contraria, quòd omnis iurisdictio Ecclesiastica à Summo in terris Ecclesiæ Pastore in Episcopos, & ab his in inferiores animarum curatores conueniente ordine descendat, & ideò reseruationem casuum superfluorum, quamuis illicitam, validam tamen esse dicendum est Suarez *part. 3. tom. 4. d. 25. & lib. 4. de leg. capite 4.* Bannes *2. 2. quæst. 1 art. 10. dub. 5.* Nauarrus *cap. placuit num. 21. dist. 6 de pœnit.* Syluius *in Supplem. quæst. 20. art. 2. qu. 2.* Syluester *v. casus quæst. 5.* Layman *lib. 5. tract. 6. capite. 12. num. 5* Coninck. *cit. disp. 8 dub. 11. num. 78.* Filliucius *tr. 7. capite 10. q. 3.* Bonacina *to. 5. disp. 5 q. 7. part. 5. §. 1. n. 2.* Tannerus *tom. 4. d. 6. q. 9. dub. 4. nu. 85.* Fagundez *præcept. 2. lib. 8. cap. 1. num 19. & seq.* quia Superior semper confert iurisdictionem dependentem à sua voluntate, & ideò, si auferat illam circa aliquod peccatum, factū tenet, etiamsi fortasse sine conuenienti ratione id faciat. Et quidem de Summo Pontifice nemo dubitat, validam esse reseruationem ab ipso factam, etiamsi absque legitima causa fiat & nullus Catholicus auctor hactenus ausus est dicere reseruationem aliquam in particulari factā à Summo Pōtifice esse nullam. De Episcopis verò respectu Parochorum res est magis dubia, & ideò prior sententia probabilitate non caret speculatiuè loquēdo, quia institutio & iurisdictio Parochorum nō est ab Episcopis, sed à Summo Pontifice; & ideò nec Parochias diuidere, aut mutare, neq; aliquid simile facere possunt Episcopi propria potestate, nisi à Pōtifice delegentur. Quoad praxim tamen numquam reseruatio contemnenda est, tanquam nulla, cùm apparet nimia & irrationabilis, recurrendū est ad Superiorem, vt prouideat. Vnde Sacra DD. Cardinalium congregatio apud Quaraotam *in Summa bullarii v. Casus reser. n. 14.* Lezana *t. 3 Sum. v. Casus res. n. 30.* de expresso mandato S. D N. Clementis VIII. hæc monenda censet, ne locorū ordinarij reseruent casus cōtentos in Bulla Cœnæ Domini, nec specialiter reseruatos Sedi Apostolicæ, nec promiscuò eos, quibus anneta est excommunicatio maior à iure imposita, cuius absolutio nemini est reseruata, Nisi iudicauerint aliquos nominatim reseruandos propter frequentiam, scandalū aut aliā necessariam causam. Nec eos in quibus nō datur absolutio, nisi facta restitutione, vel executione, nec eos, in quibus licet adsit peccatum mortale tamen versantur circa res parui momenti, & quæ frequenter euenire solent inter idiotas, vt damni dati & similium. Nec in carnalibus vbi adest periculum scandalorum, vel vbi cadere potest aliquid suspicionis propter frequentem reditum ad ordinarios. Nec passim, modum excedendo. Sed reseruēt paucos resecando multitudinē Quam paucissimos eosq; maximè necessarios atrociorum tantum, & grauiorum criminū, quos iudicauerint necessariò reseruandos, ad retinendā disciplinā in ædificationem, non in destructionem Hæc Sacra cōgregatio ex mente Pontificis *Romæ die 26. Nouembris 1602.* Vnde Gerson 2. p. in Epistola ad quemdā, de moderata reseruatione casuū, in foro conscientiæ, improbat casuū reseruationē, etiā in grauioribus speciebus peccati carnalis, quando peccatum occultū est: quod per eam, inquit, certissimè constet innumeros, retrahi à confessione talium peccatorum. *Denique* inquit, *quid prodest, & certò obest plurimum addere verecundiam, super verecundiam, onera grauia super onera, & difficultatē confitendi talia peccata super difficultatē, quæ tanta est, vt vix credi potest, & hoc præcipuè quando peccatū secretū est & tale quod auctor perpetuò celabit ipsum, si velit, vt nec Episcopus nec alius inde punitionē, vel notitiā inueniat. Si dicas, talis si non reueles, damnabitur, fatemur quidē, sed obuiandū esset huic damnationi omnibus modis, potius quā addenda occasio, nunquid requiretur sanguis, & damnatio ab illis qui occasionē dederunt, præcipuè à Prælatis maioribus. Sic certè, & ipsi satisfacient pro isto vsque ad vltimum quadrantē, euntes in eamdem damnationē, cùm sint Prælati ad saluandum gregem Domini positi, & ad pascendum, non occidendum, aut scandalizandum.* Hæc ille.

Suarez Bannes Nauarrus Syluius. Syluester layman Coninck. Filliuc. Bonacina. Tannerus Fernandez

Quaranta Lezana.

Gerson

Itaq; expertum est, quòd hic terror reseruationis nullos aut paucissimos cohibet sic peccare. Innumeros autem sic retrahit confiteri, præcipuè mulieres, & puellas carne lapsas, & etiam viros in alia reseruata lapsos.

5 Episcopus reseruat sibi casus non solum ratione cēsuræ, sed etiam ratione ipsorum peccatorum, nulla existente censura. Qui autem de iure casus reseruentur Episcopis, sciendum est, quod Benedictus XI. in Extrauaganti, *inter cunctas, de priuilegiis* ponit quinq; vel sex casus Episcopis iure vel consuetudine reseruatos. Primò, cū peccato est annexa publica pœnitentia Secundo, cum est adiuncta excommunicatio. Tertio, cum irregularitas. Quartò peccatum incendiariorum. Quintò, Blasphemia publica. Syluius *in Supplem. q. 20. art. 2.* Toletus *lib. 3. ca. 14. num. 4.* Suarez *tom. 4. d. 29. sect. 3. n. 6. & to. 5 d. 22. sect. 2.* Crousers *c. 7. ad reg. S. Franc. lect. 10 fol. 571.* Filliucius *tract. 7. cap. 10. quæsit. 2.* Fagundez *præcept. 2. l. 8. c. 2. n. 7.*

Bened xi.

Syluius. Tolletus Suarez. Crousers. Filliuc. Fagund.

Quæritur modò, an dicti casus sint hoc tempore iure reseruati Episcopis, pro responsione dicendum est satis probabile esse, vt tradunt cōmuniter Doctores moderni,

nullos casus de facto esse reseruatos iure communi, & seclusâ consuetudine; quia Extrauagans *inter cunctas* per Clementiam *Dudum*, *de sepulturis*, prorsus reuocata est per *Clementem V.* dicentem, *Nos enim omnino cassamus*. Nec alius reperitur Canon in toto corpore iuris reseruans aliquos casus, siue cum excommunicatione, siue sine illa: Quamois quisq; Episcopus reseruet pro sua diœcesi eos, qui suo Episcopatui conuenire videntur. Vnde de his certa regula statui non potest, iuxta omnes, vnaquæq; siquidem prouincia suo sensu abundat *c. vnnam, dist.76* In gratiam tamen confessariorum huius Belgii, ponam per extensum ad finem huius libri casus, qui modò per prouinciam Mechliniensem, & Cameracensem in statutis Diœcesanis cuiusque Episcopatu, reseruantur. Quibus adnectuntur casus reseruati Episcopo Leodiensi, & Archiepiscopo Treuiensi.

An autem mortuo Episcopo casus ipsi reseruati expirent? pro responsione animaduertendum est id quod passim asseritur, scilicet per obitum Episcopi casuum reseruatione cessare, intelligi debere de casibus, quos ipse Episcopus sibi reseruauerit, sicuti communiter solent Episcopi, quia cùm sint lati ab homine, ipso sublato, & ipsi extinguuntur Emmanuel Sa *v. Absolutio numer.*20, Sanchez *lib.8. de matrim. disp.28. num. 63.* Fagundez *p. 2.lib.8.cap.1.n.30.* Contra Præpositum *in Suppl ad 3. p. q.9. de reseruat. casuum dub.1.n.6.* qui hoc non putat solidum, eò quòd per reseruationem inferiori sublata est iurisdictio necessaria ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, vnde non potest ex iure, vel alio solido fundamento colligi, quòd ea per mortem Episcopi restituatur Verùm hæc doctrina ab aliis non admittitur in reseruatis ab homine: sed bene quoad casus reseruatos per statutum vel synodum diœcesanam, hi enim per mortem Episcopi nô expirant, quia cum statutum duret post mortem *cap. fin. de offic. legat.* reseruatio quoque durabit, nisi fuerit facta reuocatio à successore, vel à Capitulo sede vacante. Ita Nauarrus *in Man.cap.27.num.2.& sub.n.74.* Quaranta *in sum. bulla. v. Casus reseruat. in fin.* Diana *p.4. tract.4. resol.108.* Gauantus *in Enchirid. Episc v. casus reseruat. num.16.* Fagundez *præcept.2.lib.8.cap.1.n.30.*

Emmanu. Sanchez Fagundez. Præposit.

Nauarr. Quaranta Gauantus Diana Fagundez

Ad id autem quod affert *Præpositus* Respôdetur, quod reseruatio non est ablatio iurisdictionis, quia iurisdictio in ordine ad absoluendum à peccatis est indiuisibilis, ex eo quod habet idem obiectum formale indiuisibile, nempe iudicium animæ in ordine ad offensam Dei, vnde aut tota debet concedi, aut tota auferri, sed est tantùm quædam ligatio iurisdictionis concessæ, quâ ligatur, ne possit exercere aliquem actum iudicii circa aliqua peccata, vnde ablato hoc vinculo remanet iurisdictio expedita in ordine ad omnia peccata, aufertur autem vinculum per id quod cesset voluntas Episcopi, quâ iurisdictio collata confessoribus tenebatur impedita, atq; hæc voluntas extinguitur morte Episcopi, & per illam non confertur neque restituitur confessariis aliqua iurisdictio, sed quæ erat impedita, remanet expedita.

Pasqualig. Propterea est notandum ex Pasqualigo *decis. 496. in decis. moralibus* eum, qui contraxit censuram reseruatâ Episcopo, aut qui incurrit in casum reseruatum, posse absolui mortuo Episcopo à quocumque confessario. Reseruatio enim respicit iurisdictionem confessariorum, quorum auctoritatem restringit & veluti ligat, ne possit exerceri circa quæcumque peccata, Ergo si tempore absolutionis iurisdictio est libera, poterit absoluere etiam ab iis peccatis, quæ commissa sunt, quando respectu ipsorum non erat libera iurisdictio, quia potestas iurisdictionis non respicit peccata quando committuntur, sed quãdo subiiciuntur iudicio confessarũ, quia est potestas iudicialis, & omnis potestas iudicialis respicit delicta solum vt deducta ad iudicium.

Hoc etiam intelligendum est de omni reseruatione facta in mandatis visitationis Regularium, siue à visitatoribus, siue à Prouincialib., siue à Generali, cessat enim cessante quocumque modo officio mandantium, quia adhuc huiusmodi mandata sunt ab homine, ex generali regula, quòd ea, quæ sunt ab homine extinguuntur morte ipsius, aut extinctione iurisdictionis. Ita Diana *part.6. tract.6. resol.41.*

Diana.

Sed maior difficultas est, an quando extincta iurisdictione Generalis seu Præpositi, & remanet eius vicarius, tunc reseruatio maneat in suo robore? Respondet idem Pasqualigus non manere, quia sequitur iurisdictionem Generalis seu Præpositi, vt effectus ipsius, à qua dependet in cõseruari, vnde ea extincta, extinguitur etiam reseruatio Nec obstat, quòd iurisdictio Præpositi maneat in vicario, nam non manet cum eadem voluntate Præpositi, reseruatio autem est effectus voluntatis coniunctæ cum iurisdictione, ita vt immediatè dependeat a voluntate.

Ex dictis patet duobus tantum modis casus reseruari scilicet, per Constitutionem seu legem, & per literas, seu epistolam non legis more latam, id est, vel à lege, vel ab homine.

6 Cùm reseruandi casus habeant potestatem tùm Papa in vniuersa Ecclesia, tum Episcopi in suis diœcesibus, tùm cæteri Prælati, qui in vtroque foro iurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem habêt, quales sont Abbates quidam exempti, & generales, Prouincialesque religionum quoad sibi subditos Regulares, Hinc a Casibus reseruatis absoluẽdi habet potestatem ordinariam, & directam, ille, qui reseruauit, & Superior ipsius reseruâtis, quia qui potest ligare, potest etiã soluere, & res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur. Non solum ergo Episcopus à sibi reseruatis absoluere potest, sed Episcopi superior videlicet Papa idem dicendum de Generali alicuius religionis respectu casuum reseruatorum Prouinciali. Conc. Trid. *sess.14.c.7. & can.*11. Syluius *in Suppl. q.2 art.2. quæst.2. & 3* Tannerus *t.4.d.6.q.9. n.78. & 86.* Suarez *to.4.disp.30.sect.1.* Filliucius *tract.7.c.10.n.281.*

Con. Trid. Syluius. Tannerus Suarez Filliucius

An autem Archiepiscopus possit subditos suorum suffraganeorum à reseruatis absoluere. Responsio est negatiua, excepto casu visitationis Prouinciæ, aut in causa appellationis. In his enim duobus casibus est Episcopi superior, & consequẽter per seipsum absoluere potest, & aliis absoluendi facultatem delegare. Ita Suarez *c. disp. 30. se. 2.n 8.* Syluius *c. quæst. 3.* Reginaldus *lib.1.n.33.34.* Tannerus *c.num.86.* Henriquez *lib 6, capite 7.num.5. & cap. 13.* Filliucius *tract.7.numero 196 & 281.*

Suarez Syluius. Reginald. Tanner. Henriq. Filliucius

Petes, an Parochus possit sibi reseruare casus? affirmât Maior *in 4 d.17.quæst.5.* P. Soto *lect.5. de pœnit.* Suarez *c. disp.29 sect.1.* Nec improbabiliter ad mentem Syluius *c. quæst.2.* respectu suorum capellanorum, cum enim habet iurisdictionem ordinariam in foro interno, non apparet ratio, cur non possit suam iurisdictionem cum restrictione aliis cõmittere. Sed quia hæc sententia ab aliis communiter reiicitur, à communi sententia negatiua nô est discedendum, quia hæc potestas, subditis alioquin onerosa, Parochis nec à iure, nec à consuetudine conceditur. & ipsemet Suarez fatetur contrarium in vsu non esse. Fagundez *præcept.2 li.8.c 1.num.9.*

Maior. petro Soto Suar. Syluius

Fagund.

7 Episcopus vel Episcopalem authoritatem habens, incidens in casum occultum reseruatum Pontifici potest absolui ab Archiepiscopo, si ei se subiiciat? vel à confessario à se electo, deputando ipsum cum eadem authoritate, quam ipse posset in suos subditos exercere Henriquez *l. 6. cap.7.n.5. in commen lit.* A. Crousers *ad c 7. reg. S. Fran. lect.11 fol.583.* Quia sic censuit Sacra Cardinaliũ congregatio, Circa quæ verba notat Suarez *to.4. disp.30. sect.2 n.13.* Filliuc. *tract.7.n.287.* quòd Cardinales nullã limitationem ponunt. Ita vt ab hæresi occulta possint etiã absolui, quia ab illa subditos absoluunt. De Prælatis verò religiosorũm, similem potestatem habentibus in sibi subditos, idem docent Sanchez *de matr. lib.8.disp.3.* Rodriq. *tom.1.qq.reg.quæst.20.art.12.* Ioannes Fabianus *v. Absolutio 2. §.6.* Azorius *tom.1.lib.7 capite 29. quæst.6.* Ratio horum omnium est: Quia Episcopus vel alius Prælatus non est deterioris conditionis aliis, alii autem non coguntur adire Sedem Apostolicam in casibus occultis Sũmo Pontifici reseruatis, sed possunt ab Episcopo absolui, vel ab alio confessario ab Episcopo deputato, iuxta formam decreti Concilii Trident. *sess.24.c.6.*

Henriq. A Crousers

Suarez Filliuc.

Sanch. Rodriq. I. Fabianus Azorius.

8 Facultatem delegatam habet absoluendi à reseruatis ille, cui facultas data est à Superiore habente illam ordinariã, quia Ordinarius potest delegare, hæc autẽ delegatio fit vel directè, sacerdoti committendo reseruata habentes, vel indirectè, dando licentiam pœnitenti eligendi

gendi Confessarium, qui à reseruatis absoluat. Qua autem ratione, seu forma intelligatur concessa prædicta facultas, dicunt Doctores, quod si Episcopus vel Prælatus dicat facio tibi facultatem audiendi subditorum meorum confessiones, & absoluendi illos, non concedit casus reseruatos, quia in generali verbo non intelliguntur specialia cõcessa. Item ex eodem principio, si Episcopus dicat se concedere suam auctoritaté, & potestaté, nõ cẽsetur concedere casus reseruatos, secus vero esset, si prius concedat, aliquem casum reseruatum, & postea generaliter addat, & *omnem meam potestatem*; quia specificatio antecedens explicat generale verbum subsequens vel si dicat, concedo tibi meam potestatem, excepto tali casu, quia exceptio firmat generalem regulam in contrarium, tunc talibus verbis conceduntur reseruata Suarez *tom. 4. disp. 30. sect. 1. num. 23.* D. Antoninus 3 *part. tit. 17. c. 13.* Syluius *in supplem. quæst. 20. artic. 2 q. 3.* Crousers *ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 19. fol. 660.* Filliucius *tract. 7. nu. 282.* Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst 9. dub. 4. num. 86* Bonacina *tom. 1. disp. 5. q. 7 part. 5. §. 2. num. 8.* Denique inquit Nauarrus *in Man. c. 27. n. 261* si Episcopus concedat facultatem absoluendi à censuris reseruatis, non omnino concedit potestatem absoluendi ab omnibus peccatis reseruatis, quia hæc duo distincta sunt, & respectu Episcoporum, non semper sunt coniuncta, similiter concedendo casus suos reseruatos, non videtur cõcedere absolutionem à censuris sibi reseruatis, quia à diuersis non fit illatio. Porrò in his delegationibus, licet in foro contentioso præcisè standum sit ipsis uerbis concessionis, tamen in foro conscientię vbi de veritate rei agitur, quomodocumque satis constet de intentione concedentis, sufficit, vt tradunt Suarez, noster Crousers, & alij hic citati.

Suarez
Sylu.
Couarruu.
Filliuc.
Tannerus.
Bonacina.
Nauarrus

Proinde regulares absentes cum licentia vt possint cuicumque confessario confiteri, non possunt absolui à reseruatis, quia facultas generaliter concessa eligendi confessarium, non extenditur ad reseruata, indecens enim esset, ut Sacerdos sæculares peccata grauia religiosorum audirent. Nullo .n. modo credendum est, quod quispiam sanæ mentis Prælatus sic indiscriminatim suam auctoritatem concedat alicui subdito, vt absoluantur à casibus reseruatis. Nam in casu quo exstat regularis extra Monasterium, & debeat celebrare ad vitandum scandalum, bene potest celebrare, quia ex stimandus est, ac si non haberet copiam confessarii, satisque illi est, ut procuret habere cõtritionem horũ reseruatorũ. Vt docent Miranda *in Man Prælat. to. 2. q. 33. a. 6. concl 2.* Tābur. *de iur. Abbat. tom. 2 disp. 6. q 8. n. 4.* Diana *part. 3. tr. 2. resol. 119.* & alii.

Miranda
Tamburini
Diana.

9 Quidam asserunt iter facientes, licet possint in omni loco confiteri peccata sua cuicumque Sacerdoti approbato, & hoc ex præsumpta concessione proprii Pastoris: tamen hoc illis minimè licere, si habent casus reseruatos, quia ex contraria sententia sequeretur maximum inconueniens, quod multi peregrinarentur hac sola intentione, vt absoluerentur a casibus reseruatis. Ita Sotus *in 4. dist. 18. q 2. art. 4* Medina *lib. 1. c. 10. instructor* Graffiis *p. 1. lib. 1. c. 13.* Comitolus *lib. 1. q. 28. num. 2.* & alii non improbabiliter. *Verius tamen est*, quod Confessarius possit absoluere iter agentes, aut peregrinos habentes casus reseruatos suo proprio Episcopo, quamuis non habeat facultaté absoluendi à reseruatis, modo illi casus non sint reseruati etiam Episcopo loci, & illi non suscipiant perigrinationem in fraudem legis, ea solum de causa, ut possint aliis confiteri. Tum quia reus iudicari solet iuxta leges, & cõsuetudines loci in quo reperitur; Tum quia qui iter agit in alieno Episcopatu non ideo ibi confitetur, & absolui potest, quia utitur facultate eligendi confessarium, sed quia hoc ipso quod versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolui, more incolarum illius diœcesis, & ita se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci, sed quia in illa diœcesi, non sunt reseruata peccata illa, quæ in proprio Episcopatu sunt. Ergo ab illis poterit absolui à quocumq; confessario approbato, in reseruata potestatem non habente. Ita Suarez *cit. disp. 30. sect. 1. n. 4.* Nauarrus *in Man. c. 27. num 261.* Caietanus *v. Absolutio num. 2.* Henriquez *lib. 6. cap. 14. num. 8.* Reginaldus *lib. 8. n. 68.* Diana *part. 2. to. 3. Miscell. resol. 56.* Filliucius *tract. 7. cap. 7 n. 283.* Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst. 9. n. 87* Et hæc doctrina maximè fundatur in consuetudine approbata ab Eugenio IV. quam habent peregrinantes in itinere confitendi. Vide infra *Confessarius, 1. n. 16.* Vbi inuenies iter agentem posse absolui à Parocho loci vbi inuenitur, etiamsi eo animo solum confitendi illi Parocho, propter a Parochia exierit ex *Basilio Pontio*, & aliis ibi citatis.

Sotus
Medina
Graffiis
Comitol

Suarez
Nauarrus.
Caietanus
Henriq.
Reginald.
Diana
Filliuc.
Tannerus.

10 Si iter agens habeat casus reseruatos vtrique Episcopo, videlicet Episcopo proprii domicilii, & Episcopo loci, in quo repetitur, non potest absolui, vt omnes fatentur, nisi à Confessario habente facultatem absoluendi à reseruatis; tum quia iudicandus est iuxta leges loci in quo reperitur; tum quia à neutro Episcopo habet talis confessor facultatem circa reseruata. Ita Nauarrus, *c. n. 261.* Suarez, *c. n. 5.* vide infra, *v. Lex, 3. n 6.*

Nauarrus
Suarez.

11 Si peregrinus, aut iter faciens habeat casus reseruatos Episcopo loci in quo confitetur, qui non sint reseruati Episcopo proprii domicilii, non potest à quolibet simplici Confessario absolui; quia iudicandus est iuxta leges loci in quo reperitur. Bonac. *de pœnit. d. 5. q. 7. p. 5. §. 2. n. 12.*

Bonacina.

12 Quidam Doctores arbitrantur, quando Pontifex concedit in Iubilæi, vel extra Iubilæum facultatem absoluendi a censuris, & casibus reseruatis, non censeri concedere censuras, & casus, quos Episcopi sibi specialiter reseruant. Ita Nauarrus, *in c. lit. quorumdam, de Iudæis, not. 11.* Graffiis, *lib. 4. c. 15. n. 28.* Bonacina, *tom. 1. disp 5. q. 7. p. 5. §. 2. n. 14. & de censur. disp. 1. q. 3. p. 1. n. 10. & 12.* Ratio est tum quia Pontifex concedens aliquam legem, non intendit derogare statutis, & consuetudinibus particularibus locorum, nisi exprimat. Tum quia Concilium Tridentinum indistinctè statuit, vt Ecclesiæ Canones seruentur: inter quos vnus est, vt Episcopi possint suos casus reseruare. fatentur nihilominus dicti Doctores, vsu receptum esse, ut per illam clausulam generalem, hæc etiam potestas concessa intelligatur. Et hæc intelligẽtia videtur Suarez, *tom. 5 de censur. disp. 7. sect. 5. n. 14.* Vasquez, *3. p. tom. 4. q. 92. dub. 10. n. 6.* Reginaldus *lib 8. n. 57.* Diana *p 3. tr. 4. res. 149.* Henriquez, *lib. 6. c. 14. n. 9.* iuridica, & verissima; tum quia consuetudo est optima legum, & priuilegiorum interpres; vnde cùm ipsi Episcopi hunc vsum videant, & non reclament, signum est eos intelligere in prędicto sensu Pontificis concessionem; tum quia in Iubilæis, sub tali clausula omnes intelligunt esse concessa, quæ sunt reseruata Episcopis; vnde collige, quòd quandocumque sub simili clausula conceditur alicui potestas absoluẽdi, etiamsi non sit propter eundem finem, sed in fauorem alicuius religionis, vel alium similem; in eadem amplitudine sit intelligenda; quia verba semper habent eandem significationem, & præterea cùm sit fauorabilis amplianda est. Ita post Suarez noster Crousers, *ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 19. fol. 661.* & alii, quibus adde Præpositum, *3. p. in supplem. de reseruatione casuum, q. 9. dub. 1.* Pro partibus tamen Italiæ Citmontanis Sacra Cardinalium Congregatio, quæ præest negotiis Episcoporum, & Regularium de speciali mandato Clementis Octaui edidit decretum nona Ianuarii MDCI. apud Quarantam, *v. Casus reseruatus*, quo pro Italia constituit, ut regulares non possint absoluere à casibus reseruatis Episcopo; per quam restrictionem pro Italia satis indicatur posse extra Italiam; Non obstante alio decreto eiusdem Sacræ Congregationis in contrarium edito, ex mandato S.D.N. Vrbani Octaui anno 1628. 17. Nouembris, quod in Belgio nostro promulgatum non est.

nauarrus
Graffiis
Bonacina

Suarez.
Vasq.
Reginald.
Diana.
Henriq.

Suarez
Crousers.
Præposit.

Quaranta

An autem per similem facultatem generalem absoluẽdi ab omnibus casibus reseruatis Summo Pontifici, possit quis absoluere à casibus contentis in Bulla Cœnæ, quando non est facta mentio illius Bullę. Responsio communis est negatiua; tum quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus; vt habet regula iuris. Si autem peteretur facultas absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ, non concederetur. Vnde in communibus priuilegiis, semper excipiuntur casus huius Bullæ. Tum quia illæ censuræ iuxta vsum, & morem Ecclesię habent specialem rationem & grauitatem, ac reseruationem, ratione cuius non censentur comprehendi sub clausula generali; & ideò quando conceduntur, semper exprimuntur iuxta stylũ Romanæ curiæ. Ita Suarez, *tom. 5. de censur disp. 7. sect 5. num. 11.*

Suarez.

Sanch. Bonacina Nauarrus. Couarru. Graffis. Vgolinus.

5.n.11 & disp.21.sect.3 Sanchez,lib.2.mor.c.12 n.13.Bonacina,tom.1.disp.5.q.7.p.5.§.2.n.14. Nauarrus,Couarr. citati,à Iacob Graffiis,lib.2 c.18.n.2.Vgolinus,tab.1.cap. 10.§ 1.num.8.

13 Sacerdos qui habet facultatem absoluendi à reseruatis spatio quindecim dierum temporis Iubilæi; potest absoluere pœnitentem, qui intra tale tempus commisit peccatum aliquod reseruatum modò pœnitens intentionem habeat præstandi ea, quæ ad consecutionem Iubilæi sunt necessaria. Ratio est, quia toto illo tempore durat facultas absoluendi à reseruatis: ergo Sacerdos, qui potest absolutionem à peccatis antea commissis impendere,potest etiam à peccat à intra tale tempus perpetratis.

Nauarrus Reginald. Henriq. Graffiis.

Ita Nauarrus,lib.5.cons.de priuilegiis,cons.10.n.3. Regin. lib.8.n.34.Henriquez,lib.6.c.16.n.5 Graffi s,libr.4 c.15. num 44.

Et hoc verum,quamuis pœnitens peccatum commiserit spe absolutionis obtinendæ; quia ob peccatum eo animo commissum,non amittit priuilegium; nec destaudatur fructu Sacramentorum; qui spe obtinendæ remissionis peccata committit, modò retracta voluntate per dolorem,Sacramenta debitè recipiat.

Filliucius. Viualdus. Diana Sanchez. Couarruu.

Ita Filliucius, tr.8.nu. 262.Viualdus,de confess.c.42.Diana,p.2.tr.1.ref.16.Sanchez,lib.4.mor.c.54.n.18.contra Couarruuiam.lib.2.variar.c.2.n.26 & alios.

14 Maxima inter Doctores est difficultas, an quando conceditur Iubilæus obtinendus in vna ex duabus hebdomadis,qui illum obtinuit prima hebdomada,possit adhuc absolui à reseruatis in secunda; si obtento Iubilæo incidat in casus reseruatos. Probabilis est sententia affirmans talem posse absolui: tum quia absolutio reseruatorum potest sæpius obtineri ante consecutionem Iubilæi;ergo etiā potest obtineri obtento Iubilæo, si tamen non sit transactum tempus Iubilæi:Tum quia versamur in materia fauorabili,nulli perniciosa; ergo latam interpretationem admittit.

Nauarrus Henriq. Reginald Henriq. Crousers.

Et huius sententiæ sunt Nauarrus,de Indulgentiis not 32.n.46.Henriquez,lib.6.c.16.n.3.Reginaldus,libr.8. n.64.Rodriguez,in Summ.c.183.n.17,& noster Crousers ad c.7.reg.S Franc.lect.19 fol.668.

Negatiua tamen sententia est tutior, & fortè probabilior:quia facultas lucrandi Iubilæum conceditur sub forma disiunctiua in prima,vel secunda hebdomada,non verò copulatiuè,aut indefinitè: ergo qui Iubilæum obtinuit non potest iterum virtute Iubilæi à casibus reseruatis cōmissis post Iubilæum absolui.

Suarez Sanchez. Bonacina. Laiman Filliucius Diana

Ita Suarez,de relig.tum.2. lib.6.c.16.n.17.Sanchez,lib.4.mor.c.54.n.30. Bonacina, tom. 1.disp.5.q.7 p.5.§.2.n.17. Layman,lib.5.tr.7.c.8.n.9. Filliucius,tr.8.c.10.n.278.& alii quos citat Diana, p.2.tr. 3.ref.49. Verùm stante probabilitate prioris sententiæ,absolutio foret valida præd.ctorum casuum reseruatorum, post consecutionem Iubilæi commissorum: quia,vt habet communis doctrina Theologorum,probabilis opinio cōfert iurisdictionem.

15 Probabilis est confessarium, qui non habet facultatem absoluendi à reseruatis; si peccatum aliquod pœnitentis intelligat esse reseruatum,ordinariè non debere eū absoluere,sed ad Superiorem mittere, vel absoluendi potestatem ab eodem petere. Ratio est, tum quia confessio debet esse accusatio coram legitimo iudice, confessio autem reseruatorum facta inferiori non est accusatio corā legitimo Iudice, quoties pœnitens præcisa necessitate confitetur peccata sua Sacerdoti non habenti facultatem reseruatorum: tum quia confessarius inferior nequit ab vno peccato mortali absoluere,quin absoluat ab omnibus; cum autem confessarius inferior nequeat à reseruatis absoluere, sequitur etiam non posse à non reseruatis absoluere;quia vnum peccatum mortale non remittitur sine alio.

Suarez Vasq. Siluius Laiman Coninch. Filiucius

Ita Suarez,tom.4.in 3.p.disp.31,sect.2.Vasquez,3.p. q.91 art.3.dub.10.Sylvius,in supplem.q.20.art.2.q.3.Layman,lib.5.tr.6.c.12.n.9. Coninck, disp.7.dub.9.n.86. Filliucius,tr.7.n.303.& alii ab ipsis citati.

Nihilominus multorum sententia est, posse ordinariū confessorem absoluere huiusmodi,pœnitentem dummodò ille intelligat manere obligatum ad confitendum Superiori reseruata,idque facere proponat. Probatur autem hæc sententia ex eo, quod licet absolutio per se remittat culpam,& ideò necesse sit, vt vel tollat omnem culpam mortalem,vel nullam;tamen non est necesse, vt per se tollat omnia peccata, sed potest quædam per se auferre, alia per accidens,ergo. Ita post antiquos apud Suarez citatos,ex recentioribus tenent Nauarrus, de pœnit. disp.5. §. cautus,n.12.13.& seq.Sà,v Absolutio,n.24. Valentia,tom. 4.disp.7.q.11 punct.1.Sayrus,de pœnit.c.16.nn.7. & alii apud Vasquez,c.disp.9 n.1.& 2.

Nauarrus Sa. Valentia. Sayrus. Vasquez.

16 17 Controuertitur maximè inter Authores,an in aliquo casu necessitatis possit inferior Sacerdos absoluere eū,qui habet casus reseruatos,antequam coram Superiore compareat? talis necessitas est, aut implere præceptum annuæ confessionis,aut communicare, vel sacrum facere,itavt non possit omitti sine graui scandalo, aut infamia;& pro tunc non patet aditus ad Superiorem. Sunt in hac re tres opiniones, & quidem probabiles, tum ob auctoritatem Doctorum,qui eas sequuntur, tum ob rationes,quibus illæ fulciuntur. Prima opinio negat simpliciter posse hominem in eo casu absolui ab inferiore;dicunt tamen isti Doctores in eo casu posse hominem accedere ad communionem,vel ad faciendum sacrum cum sola contritione, tanquam qui non habet copiam confessarii. Fundamentum huius sententiæ est, quia inferior non est legitimus Iudex illius qui habet casus reseruatos; debet enim illi persuadere, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedat, ait Concilium Tridentinum,sess.14.c.7.sententia autem non Iudicis non est rata. Vnde ibidem dicitur, quod extra mortis articulum Sacerdotes nihil possunt in casibus reseruatis.

Con.Trid.

Richard. Durand. Adrianus. Siluius. Sancius. Diana Filliucius.

Ita post Richardum,in 4.disp.17.art.2.q.8. Durandum,disp.17.q. 13.Adrianum,q.4.de confess. Sylvium,in supplem.q 20.ar. 2.q.3. Sancium,in selectis,disp 32.n.10.Dianam,p.2.tr.14. res.65.Filliucium,tr.4.c.8.n.23. qui etiam probabile putat Sacerdotē habētem peccatum reseruatum posse omittere confessionem,etiamsi habuerit facultatem, vt possit illud confiteri inferiori,sed cum onere postea comparendi coram Superiore;quia pœnitens non tenetur idem reseruatum duobus confiteri.

Secunda opinio simpliciter affirmat posse tunc absolui pœnitentemque teneri vna cum reseruatis etiam alia peccata mortalia non reseruata,si quæ habet, vel saltem aliqua uenialia confiteri;& tunc absolutio directè cadit super non reseruata,tametsi sõlùm venialia sint; indirectè verò super reseruata,imposito onere pœnitenti præsentandi se Superiori,vt à reseruatis quoque directè absoluatur Et probatur hæc sententia in hunc modum: Quia ad valorem Sacramenti non est simpliciter necessaria iurisdictio super omnia peccata mortalia, quibus in re ipsa pœnitens ligatus est,si enim seruetur integritas formalis,sufficit ad valorem Sacramenti iurisdictio circa aliqua peccata; ergo minister absoluendo verum conficiet Sacramentum,per quod saltem indirectè tollet peccata reseruata.

Valentia. Coninch. Suarez Laiman. Bonacina. Nauarr. Sotus. Reginaldus.

Ita Valentia,tom 4.disp.7.q.11.punct.1.Coninch,disp.8.d.13.Suarez,tom 4.disp 31.sect.3.n.8.Layman,lib.5. tr.6.c.12.n 10.Bonacina,tom.1.disp.5.q.7.p.5.§ 3.n.6.& 9 Nauarrus,in c considerer,§.Cautus,n.10.dist.5.de pœnit.Pater Soto,lect.10.de confess. Reginaldus,lib.8.n.82.

Tertia opinio distinguit,quod si peccatum est reseruatum fine censura, poterit absolui pœnitens, non tamen si excommunicatio reseruata adiuncta sit, quia excommunicatione non ablata,absolutio inualida est, cum homo sit incapax absolutionis sacramentalis, admittit tamē hæc sententia posse hominem in hoc casu, etiamsi occultè excommunicatus sit,accedere ad communionem propter vitandum scandalum, vel grauem infamiam.

Syluest. Sotus Vasquez. Ledesma Toletus

Ita, Syluest. v. Excommunic. 4. n. 1. Sotus 4.disp.22.q.1.art.1. Vasquez 31.4.10.4.de excom.dub.4.Ledesma in Summ.de pœnit c.20.dub.2.Toletus lib.3.c.8.n 3.

His opinionibus potest addi Quarta, quæ etiam probabilis est, nempe non solum licere in tali euentu huiusmodi absolutionem dare,quando casus reseruati non habent excommunicationem annexam, verum etiamsi habeant, & ipsa excommunicatio per Sacerdotem auferri non possit, & pœnitens est tantummodo attritus. Ratio est,quia, excommunicatio pœnitentis per se non reddit personam inhabilem ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum, neque irritat illud, si ex parte ministri omnia necessaria concurrant, & ex parte pœnitentis intercedat

bona

bona fides ac dispositio, quia tunc concurrũt omnia substantialia, quibus stantibus, sola prohibitio Ecclesiæ non potest irritare Sacramentum, cũ illa cesset in casu nostro magnæ necessitatis. Ita Henriquez *lib.6 c.15.in fine*. Diana *p.3.tr.5.resol.68*. Nauarus *in Man.c.9.n.3*. Layman *c.n 10*. Suar. *c.disp.31.sect.3.n 6*. Bonacina *c.5.3.n.8*. & alii.

Henriq. Diana Layman Suarez Bonacina

Porrò ex his omnibus opinionibus probabilibus Doctorum pœnitens vrgente necessitate communicandi vel celebrandi, ad vitandam infamiam grauem habens casus reseruatos, potest primo vel confiteri inferiori Sacerdoti omnia peccata tam non reseruata, quam reseruata, & celebrare, vel secundo potest confiteri tantum peccata non reseruata, & reticere reseruata: vel tertio si hoc etiã non velit, eliceat actum contritionis, & celebret sine præuia confessione. Si autem peccata reseruata habeant annexam excommunicationem, primo conteratur, & celebret, vel secundo, si est tantum attritus, confiteatur cum inferiori Sacerdote, & Missam d cat vel communionem sumat. Ita Tamburinus *de iure Abbat.tom.2 disp.13.q.8.n.12.* post Dianam *p.3.tr.5.resol.68.*

Tambur. Diana

18 Quando pœnitẽs bona fide ad confessionem venit, nesciens suum peccatum esse superiori reseruatum, vel si sciuerit, putauit tamen se legitimè ab inferiori Sacerdote absolui posse, cum obligatione postea tempore opportuniore se præsentandi Prelato, in huc casu plerumq; absolui poterit, modo præter reseruatum, aliud peccatum absolutioni subiiciat. Tum quia aliquis necessitas vrget, ægro enim animo discedet pœnitens absq; absolutione cum ex sua parte bene dispositus sit. Tum quia, graues Doctores citati *n.præcedenti* docent absolutè id fieri posse. Excipe tamen nisi excommunicatio annexa sit, hæc enim iure Ecclesiastico priuat hominem iure suscipiendi Sacramenta, vnde extra necessitatem sacramentalis absolutio excommunicato danda non est, *cap. Si celebret. de Clerico excommunic.* Nauar. *c.9.n.4.* & *in c. Fratres a.40. dist.5.de pænit.*

An autem absolutio sit ualida bona fide collata à peccatis tantùm, & non à censuris, si pœnitens sit innodatus aliqua excommunicatione etiam reseruata. Quidam affirmant talem confessionem, seu absolutionem irritam esse, quia reliqua Sacramenta solum requirunt ordinis potestatem in conferente, quæ adimi non potest, at Sacramentũ Pænitentiæ vlterius requirit iursdictionem, per excommunicationem uero subtrahitur excommunicatus à iurisdictione confessarii, & propterea absolutio eidem impertita est nulla. Ita Syluester *v.Confes.1.q.3.casu 5.* Vasquez *c. de excomm. dub 4.n.8.* Sotus *4.disp.22.q.1.art.1* Ledesma, *c.c.20.dub.1.* Sancius *in.select.disp.32.n.11* & alii apud Suarez *infra*.

Syluester Vasquez Sancius

Nihilominus mihi probabilior est sententia contraria docens tale Sacramentum validum esse, & habere suum effectum, ita vt necesse non sit, confessionem iterari, quam tenent Nauarr. *in Man.c.9.n.4.* Toletus *lib.3.c.10.* Laym. *lib.5.tr.6.c.12 n.12.* Coninch *disp 8.dub.13 n.104.* Suarez *de cens.disp.10.sect.3.n.9.* Diana *p.3 tr.4.resol.78.* & alii. Sed sufficere postea absolutionem petere ab excõmunicatione. Ratio propria huius sententiæ est, quia per excommunicationem priuatur quis iurisdictione actiua in alios (modo denunciatus sit excommunicatus, & non toleratus) non tamen subiectione passiua ad alios sibi superiores, hoc est, alii non priuant iurisdictione in ipsum; alioquin non tam ipsorum excommunicatorum, quam ipsius confessoris esset talis pœna.

Toletus Coninch. Suarez. Diana

19 Dubium est, an superior teneatur concedere facultatem pœnitenti per se vel per alium petenti, qua possit alteri cõfiteri casus reseruatos, & ab eo absolui, circa hoc sunt duæ extremæ senentiæ.

Prima negat vnquam teneri, quia iudex legitimus alicuius causæ, nulli iniuriam facit, si per se velit eam iudicare neque tenetur eam alteri committere, si ipse sit idoneus iudex, sed superior in hac causa, se habet vt legitimus iudex, vt Conc. Trid. asserit, ergo, & pro hac sententia citantur Victoria *in Summa n.145.de confessione*. Nauarrus *in Man.c 7.n.8* & *in c. Placuit.de pænit.dist.6 nu.149. & 150.*

Victoria Nauar.

Secunda sententia est, per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis, teneri superiorem ad hanc facultatem concedendam. Fundamentum huius sententiæ est, quia iurisdictio non est data superiori propter auctoritatem, vel vtilitatem eius sed propter bonum ipsius pœnitentis, ergo quoties pœnitens omnino nõ vult confiteri Prælato, quamuis ad hoc nullam habeat causam, sed solam voluntatem ortam ex intrinseca difficultate confessionis, & solum ob eam rem facultatem petat, tenetur superior illam concedere vnde D. Thom. ait, peccare superiorem qui difficilem se præbet in danda hæc facultate, & subdit rationem, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tale peccatum tali Sacerdoti confiterentur. Vnde illi, inquit qui sunt nimis solliciti, vt conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibiipsis Hæc D. Thomas *opusc.19. contra impugnant.religionem*, & *in 4. dist. 17.quæst 3.art.3.* quem plures alii sequuntur, videlicet, Syluester *v.Confessor 1.n.13* Sotus *in 4. dist. 18 q.2.art.5.* Suarez *tom.4.disp.30.sect.4.n.3.& seq.* Reginaldus *lib. 8. n. 43.* Conich *disp.8.dub.14.* Filliucius *tract.7.cap.10 quæst. 7. num.291.& seq.* Diana *part.3.tract.2.resol.126.* & ex nostris Coriolanus *de casibus reseru.p.1.sect.1 a.17.* Crousers *ad c.7.reg.S Franc.lect.17.fol.642.* Caspensis *tr.24.disp.6.sect.5.n.26.& seq.*

D.Thom. Sotus. Syluest. Suarez. Reginald. Coninc. Filiucius. Diana. Coriolan. Crousers Capensis

Ex quorum doctrina tamen certum est superiorem nõ semper teneri ad hanc facultatem concedendam, quia alias fere nullius momenti esset reseruatio, hinc si difficultas, ex erubescentia procedens probabiliter putatur pœnitenti pro fræno, quo à peccato retrahatur, non tenetur concedere, similiter si talis concessio sit futura occasio scandali seu recidiui. Quãdo autem peccatum tale, est vt vergat in damnum communitatis, vel alterius tertiæ personæ, cui poterit Prælatus remedium adhibere, si illius notitiam habeat, etiam seruato confessionis sigillo, putat Suarez teneri non concedere. Verum non satis intelligit noster Crousers, qua ratione per reseruationem casuum occulorum possit impediri damnum communitatis, vel alterius tertii, cum absolute Clemens VIII. prohibeat superioribus, & confessariis vti scientia per confessionem àcquisita ad exteriorem gubernationẽ, ac propterea parum ad illum finem cõcedere posse reseruationem occultorum nec teneri in illum finem denegare Porrò quando difficultas prouenit ab extrinseco, vt si pœnitens merito timeat aliquod graue damnum extrinsecum inferendum ab ipsomet confessore, puta, quod sit confessionem reuelaturus, vel scientia illa vsurus in graue illius nocumentum, vel graues inimicitias cum illo habiturus, vel quoties ipse superior non est aliàs idoneus ad ferendum iudicium in tali causa, vel quia est ignorans, vel adeo improbus, vt loco medecinæ sit scandalum allaturus, tenetur Superior ex iustitia facultatem concedere, quia non potest iuste penitentem cogere, vt se exponat periculo grauis alicuius incommodi, seu nocumenti.

An autem quando superior iniuste denegat facultatem absoluendi à reseruatis, pœnitens possit absolui: vide *Confes.5.n.3.*

Denique in hac concessionẽ vel negatione talis facultatis, hoc remittendum est arbitrio prudentis confessarii, sicut etiam remittit Papa Clemens VIII. in Bulla de reseruatione casuum.

Hodie extitit decisio Pauli V. (quam referunt Naldus, *in Summ.v.Religiosus,n.44.* Coriolanus Crousers, *citat.* Tamburinus, *de iure Abbat.tom.2.disp.13.quæst.8.num.6.* Diana, *p.6.tr.6.res.56.*) in decretis generalibus ad regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, & institutionem spectantibus; vbi sanctitas sua deinceps declarauit, & declarat, vt si huiusmodi regulariũ confessariis casus alicuius reseruati facultatem petentib. dare noluerit Superior, possint nihilominus confessarii illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere: sed difficultas est, an illa verba, *pro illa vice*, intelligenda sint pro *vna vice* tantùm; Probabile est quòd non; quia quando Põtifex indulget vt pro illa vice regularis possit absolui à reseruatis, non ponit dictionem aliquam taxatiuam, sicuti in Bullis Iubilæi, vbi sunt verba illa, pro hac vice; vnde magis videtur restringere dictio ista hac, quam illa. Alphonsus Leone *tr.de offic. orest.confess.tom.2.recollect.6.n.178.*

Nald. Coriolan. Crousers Tambur. Diana

20 Sen-

20 Sententia valdè communis est posse licitè, & validè superiorem, auditis in confessione solis peccatis reseruatis, ab eis sacramentaliter absoluere, & reliqua non reseruata inferiori committere; etiamsi nulla subsit causa talis diuisionis. Ita Caietanus, *v. Confessio, condit.* 10. dicēs esse consuetudinem Romanam, D. Antoninus, *3 p. tit.* 14. *c.* 19 §. 6. Paludanus, *4. d.* 17. *q.* 5. Henricus, *quodlib.* 1. *q.* 29. Nauarrus, *de pœnitent. d.* 5. *in c Consideret. §. Cautus, n.* 12. *&* 18. qui tamen vult pœnitentem debere posteà confiteri Sacerdoti inferiori, tam reseruata, quam alia, vt fiat confessio integra; & omnes fundantur in consuetudine.

Caietan. D. Anton. Paludan. Henriq. Nauarr.

Certa tamen, & vera sententia est, cui in praxi adhærēdum est, posse quidem Superiorem audire solam reseruatorum confessionem, ab eisque sacramentaliter absoluere remittendo pro absolutione reliquorum ab inferiorem Sacerdotem, sed non absque magna necessitate. Ratio est, quia integritas confessionis, tam faciendæ à pœnitente, quam audiendæ ab eo, qui fungitur officio confessarii, est de iure diuino positiuo, sed in hoc non potest dispensari nisi ex huiusmodi necessitatis causa. Ergo, si illa desit, dimidiata confessione audita non potest absoluere, nec est talis consuetudo in Ecclesia Romana; & posito quòd talis sit prædicta Romæ recepta est in casibus Papalibus, qui adnexam habent excommunicationem Papæ reseruatam; constat autem excommunicationem auferri posse non auditis omnibus peccatis.

Prædicta autem necessitas ad id faciendum tunc censebitur sufficiens, quando erit æqualis, seu similis illi, propter quam pœnitenti licet aliàs diuidiare confessionem, quando scilicet deest Sacerdos, cui Superior possit pœnitentem reseruata habentem committere; & alioquin aliquid est, quod eundem pęnitentem obliget ad confitendū & etiam aliquid obstat, quòminùs teneatur integrè confiteri; siue illud obstans sit, quòd Superior grauioribus occupetur, siue quòd subditus iustas rationes habeat nō cōfitendi integre. Ita Suarez, *cit. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 3. Vasquez, *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 10. *n.* 2. Reginaldus, *lib.* 8 *n.* 77. Valentia, *to.* 4 *disp.* 7. *q* 11. *p.* 1. Syluius, *in supplem. q.* 20. *art.* 2. *quæsit.* 3. Syluester, *v. Confessio,* 1. *q.* 19. Rodriguez, *in Summ. c.* 55. *n.* 13. *concl.* 12. Coriolanus, *p.* 1. *sect.* 1. *art.* 10. Filliucius, *tr.* 7 *c.* 10. *n.* 300. *&* 301 Fagundez, *pract.* 2. *lib.* 8. *c.* 3. *num.* 2. & alij.

Suarez. Vasquez. Reginald. Valentia. Sylu. Syluest. Rodriquez Coriolanus Filliuc. Fagundez.

21 Quoties licitum est Superiori absoluere sacramentaliter de solis reseruatis, ex tali confessione, & absolutione verum perficitur Sacramentum, distinctum ab alio, quod postea ab inferiore confertur; contra Syluestrum, *v. Confessio,* 1. *n.* 19. & alios asserentes huiusmodi absolutionem non esse sacramentalem, & contra Nauarrum, *c. n.* 19. dicentem absolutionem quidē esse sacramentalē, sed gratiā conferri solum in secunda absolutione eo quod ex vtraq; absolutione perficitur vnū Sacramentū. Ratio nostræ assertionis est, tū quia illa cōfessio est integra formaliter, & in eā cadit absolutio; ergo constituitur Sacramētū; & postea sequitur alia confessio etiā integra, & alia absolutio; ergo. Tum quia cōcurrunt omnia requisita ad conferendā gratiā; nempe sufficiens materia ex parte pęnitentis, & sufficiens iurisdictio ex parte absoluentis cum intētione absoluendi; neque oportet vt pęnitens sit contritus, vt volunt quidam, sed satis erit si fuerit attritus; Sacramētum enim hoc facit de attrito contritum, etiam illum, qui alicuius peccati mortalis in confessione obliuiscitur.

Syluester Nauarr.

Imò si Superior sufficientem causam non habens, audiret dimidiam confessionem tantum, & propterea malè faceret, verum conficeret Sacramentum, dummodò pœnitens bona fide procederet, essetq; sufficienter dispositus Ita Sotus, *in 4 dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Suarez, *c disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 9. noster Crousers, *ad c.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 18. *fol.* 657. Filliucius, *tr.* 7. *c.* 10 *n.* 302. *&* alii, *num. præcedenti* citati cū Bonacina, *tom.* 1. *disp.* 5 *q.* 7. *p.* 5. *§.* 3. *n.* 2. qui bene obseruat post Henriquez, *li.* 6. *c.* 14. *n* 10. Coninch *disp.* 8. *dub.* 12. *n.* 84. Episcopum posse reseruationem peccati absque sacramentali absolutione auferre; imò non videt, quare etiam alii confessarii inferiores, id etiam non possint, si facultatem habeant ab Episcopo.

Sotus Suare. Crousers Filliucius. Bonacina. Henriq. Coninch.

22 Quamuis probabile sit illum, qui obtinuit à Superiore absolutionem reseruatorum, teneri inferiori Sacerdoti peccata tam non reseruata, quam reseruata manifestare; quia confessio peccatorum integre facienda est, & Christus præcipit omnia peccata manifestari vni Sacerdoti, vt docent Henriquez, *lib.* 5. *c.* 4. *num* 4. Reginaldus, *lib.* 8. *num.* 92.

Henriquez Regin.

Probabilius tamen est non teneri repetere reseruata apud inferiorem confessarium, cui reliqua peccata mortalia non reseruata confitetur. Ratio est, tum quia peccata legitimè confessa, & absoluta, nulla lege sunt, iterum clauibus subiicienda; sed illa reseruata sunt legitimè confessa & absoluta Ergo, &c. tum quia in omni alio casu, in quo pęnitens materialiter dimidiat confessionem, vel propter obliuionem, vel sine obliuione propter rationabilem causam, siue ex parte pęnitētis, siue ex parte ministri ortā, nō tenetur amplius confiteri illa peccata; qui illo modo confessus est, & à quib. est per se, & simpliciter absolutus; ergo idem erit in præsenti. Tum quia directè fuit absolutus coram Deo, & Ecclesia, ab habente iurisdictionem, & facultatem reseruatorum; ergo nulla est ratio imponendi illi hoc onus. Ita Suarez, *c. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 10. Vasquez, *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 10. *n.* 3. Coninch, *c n.* 80. Bonacina, *c. §.* 3 *num.* 4. De la Crux, *in direct. conscientiæ, p.* 2. *de pœnitent. q.* 3 *dub.* 5. *concl* 3. & noster Crousers, *ad c.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 18. *fol.* 657. Vide Dianam, *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 74. malè citantem Suarez pro contraria sententia.

Suarez. Vasquez. Coninch. Bonacina. De la Crux Crousers Diana Suar.

23 Certum est in dubio iuris de casus reseruatione, casum non censeri reseruatum; quia tunc præceptum, & lex non obligant, cùm non sunt sufficienter proposita; at quādo post sufficientem diligentiam manet quia dubius an sint lex, seu pręceptum, reseruans aliquem casum, inferior confessarius manent in possessione suæ iurisdictionis; ergo potest ab illo absoluere Ita Suarez, 3. *p. tom.* 5. *disput.* 40. *sect.* 5 *n* 15. Henriquez, *lib.* 8 *c* 45. *n.* 3. *litt. P.* Sà, *v. Dubium, n.* 2. Rodriguez, *tom.* 2. *Summ. c* 99. *n.* 5.

Suar. Henriq. Sa. Rodrig.

In dubio autem facti discordant Doctores, quibusdam opinantibus censeri eum reseruatum, & sic adeundum esse superiorem gratia absolutionis obtinendæ; quo hæc pars tutior sit. Ita Armilla, *v. Casus, n.* 13. Corduba, *ad c.* 7. *reg. S. Franc. q.* 4. *p.* 1. *casu* 5. & noster Crousers, *lect.* 17. *fol.* 639.

Armilla Corduba Crousers

Mihi tamen verius est contrarium, nempe, in dubio nō censeri reseruatum; tum quia reseruatio est odiosa, odia non sunt amplianda, sed restringenda; tum quia in dubiis melior est conditio possidentis. Confessarius autem approbatus, & in possessione suæ iurisdictionis. Ita Suarez *c disp.* 40. *sect.* 6. *n* 5. Henriquez, *lib* 2. *c.* 26. *n.* 7. Layman, *li.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *§.* 4. Filliucius, *tr.* 21. *n.* 159. *&* 172. Portel, *v. Casus reseru. in dub. reg. n.* 7 Diana, *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 4. & alii ab ipso citati, Sanchez, *lib.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 74. tamen hanc sententiā limitat, nisi esset præsumptio fori externi pro illius delicti admissi veritate, quia stante hac præsūptione, est pro certitudine delicti possessio, & illi præsumptioni est in vtroq; foro standum, dum contraria veritas non constat. Sed ab hac limitatione recedit Thomas Merolla *in disp. Theol tom.* 1. *disp.* 3. *c.* 3 *dub.* 2. *coroll. tr.* 23. *n.* 370. apud Dianam; existimans casum non censeri reseruatum, nisi certò cōstet de reseruatione, nec satis esse quod præsumatur reseruatus, quia cū reseruatio sit odiosa, & ideò strictè interpretanda, quando Prælatus reseruat sibi, v. g. hæresim, debet intelligi de peccato hæresis certo, & non tantùm præsumpto. Addit verò noster Coriolanus, *de casib. reseru p.* 1. *sect* 1. *art.* 5. quod casus reseruatus debet esse certus, non dubius, seu æquiuocus; & si non sit expressus in textu Decreti, habetur pro omisso, & casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis; hinc est quod si aliquis casus potest habere plures significationes, vnam propriam, & alteram impropriam, quòd debet assumi propria, & omitti impropria, vnde illi tantùm dicuntur casus reseruari, qui secundùm iuris dispositionem seruata proprietate vocabuli comprehenduntur in litera, & non per extensionē Doctorum, cùm reseruatio sit odiosa, & pęnalis ad instar statuti, & consequenter pęnæ sunt restringendæ. Vnde in hac materia non spectatur paritas rationis, nec argumentum à simili, ab ęquipollenti, à maiori, &c. Reseruatio enim pendet ex voluntate sola reseruantis. Lezana, *in Summ. tom.* 3. *v Casus reseruati, n* 13. citans Naldum,

Suar. Henriq. Layman Filliucius Portel. Diana Sanch. Merolla Coriolan Lezana

24 Ex dictis *numero præcedenti*, patet quod qui dubitat se homicidium commisisse, vel compleuisse peccatum,

quod

quod constat esse reseruatum, vel mortaliter peccasse, vel sufficienter compleuisse actum externum, potest à quolibet confessario approbato in confessione audiri, & absolui etiamsi cõfessarius reseruatorum facultatem non habeat. Imò si pœnitens bona fide confitetur nesciens suum casum esse reseruatum, vel Sacerdotem non posse ab eo absoluere, absolutio videtur valida Ecclesia tacitè hic, & nunc dante iurisdictionem in bonum animarum. Ratio est, tum quia alioquin innumeri meritò remanerent anxii de suis confessionibus. Tum quia ualde grauiter deciperentur cùm varii Sacerdotes, non ita sciant casus reseruatos, nec sit pœnitentium eos scire, vel Sacerdotum potestatem, vnde siue Sacerdos absoluendo peccet, siue non pœnitens bona fide procedens videtur validè absolui remanente onere resistendi superiori, vt bene obseruat Præpositus, *3.p.q.9.de cas.reseruat.dub.7.nu.*38.

Præposit.

Sed rogabis, si propter dubium Sacerdos inferior absoluit ab hæresi, v.g. vel alio peccato reseruato; & postea pœnitens re melius examinata deponat dubium, & recordetur certò peccati commissi, quod erat reseruatum, an censeatur iam legitimè absolutus; an verò debeat recurrere ad superiorem pro absolutione? Respondeo videri dicendum ablatam iam esse reseruationem; quia sicut voti in dubio non est reseruatum, sic nec peccatum, vel excõmunicatio: ergo sicut in dubio voti Episcopus dispensat, & dispensatio manet valida, licet postea constet de voti certitudine, vt docet Sanchez *lib.4.mor.c.44.n.*10. sic absoluens ab hæresi dubia validè absoluit, & absolutio valebit, licet postea constet de certitudine censuræ incursæ: non enim fuit data sub conditione de futuro, scilicet si postea non constaret de veritate, quia non est in vsu Ecclesiæ talis modus absoluendi ab excommunicatione; ergo si in dubio tollitur reseruatio, & datur potestas absoluendi à censura, absolutio valida est, quidquid postea consequatur; si autem semel valida fuit, non potest postea excommunicatio redire sine noua culpa, non enim data fuit absolutio ad reincidentiam, nec dari potuit, nisi in casibus expressis in iure, qualis non est iste; ergo manet pœnitens absolutus ab excõmunicatione. Plura de hoc casu apud Lugo, *de pœnit.disp.*20.*sect.*2.*n.*20.

Sanchez
Lugo.

An autem, qui ignorat reseruationem alicuius casus, incurrat in illam, Vide *verb.Ignorantia,n.*17.

25 Confessarius, qui dubitat se iurisdictionem habere circa casus reseruatos, non potest absoluere; quia possessio stat pro peccato, quod constat esse reseruatum, & dubium est de iurisdictione; vnde quamdiu ipsius intellectus manet suspensus, & anceps circa facultatem reseruatorũ, non potest absque lethali culpa extra mortis articulis directè absoluere, quia exponeret se periculo impendendi absolutionem inualidam; quamuis possit indirectè, & sub conditione aliquando absoluere, puta, interueniente necessitate, seu iusta, & rationabili causa; vt patet ex dictis suprà, & dicendis infra *v.Confessarius.* 2.*num.*25. Ita Suarez, *3.part.tom.4.disp.*26.*sect.*6. Bonacina, *tom.1.disp.5.q.7.part.5.§.*5 Filliucius, *tr.7.cap* 8.*num.*226. Coninch, *de Sacram.disp* 8.*dub.*6. Caramuel, *lib.3.Theol.mor.n.*1331.

Suarez.
Bonacina.
Filliuc.
Coninc.
Caramuel.

An autem taliter absolutus cum iurisdictione dubia in necessitate, & sub conditione, teneatur iterum eadem peccata Sacerdoti habenti iurisdictionem certam confiteri? Negat Salas, 1.2.*tract.8.disp.vnic sect.*27.*nu.*283. durum enim, intolerabile esset, inquit, cogi hominem partim necessitate eligendi confessorem dubium, partim lege Dei, seu onere quod à Sacerdote necessariò imponendum pœnitenti sit, ad confitendum bis eadem peccata; ergo sine tali onere absolutio est valida; quia etiamsi Sacerdos tale onus nõ imponeret pœnitẽti, siue quia oblitus est, siue noluit, siue quia existimauit necessariũ nõ esse, probabile est absolutionem validam fuisse. Ergo non tenetur Sacerdoti habenti certam iurisdictionem peccata eadem confiteri. Ita ille. Sed à contraria sententia non est discedendum, vt docet Diana, *p.4.tr.3.res.*38.

Salas.
Diana

26 Sacerdos qui non propriè dubitat, sed potius opinionem habet probabilem de iurisdictione circa peccata reseruata, potest absoluere, etiamsi opinio illa probabilis à parte rei non subsistat, & falsis nitatur fundamentis; nã interueniente probabili opinione, Ecclesia supplet iurisdictionem; sicut eandem supplet, quando adest communis error, & titulus coloratus, *Barbarius, ff.de offic.Prætoris,* vnde qui sequitur opinionem probabilem Doctorũ sententiam ipsum habere iurisdictionem absoluendi à reseruatis, seu priuilegium absoluendi non esse reuocatum, valide absoluit, ac si reipsa iurisdictionem haberet, & priuilegium nondum esset reuocatum. Ita Sanchez *de matrim.lib.3.disp.*22.*n.*65. & *lib.1.Moral.c.9.n.*35. Lessius *lib.2.cap.29.dub.8.n.*68. Suarez *cit.disp.26.sect.6.n.*5. Diana *part.2.tract.13.resol.2 & tract.1 Miscell.resol.29.part.*2. Reginaldus *lib.1.num.*103 Bonacina *de leg.disp.2.q.4.p.9.n.*19. noster Crousers *adc.7.reg.S.Franc.lect.*22.*fol.*701. & alii communiter pertinet enim ad prudentem Ecclesiæ gubernationem, vt non permittat, Sacramentum tam necessarium sæpius esse incertum, & irritum. Vide *v.Confess.*2.*n.*26. & *v.Conscientia n.*10.

Sanchez.
Lessius.
Suarez.
Diana.
Reginald.
Bonacina.
Crousers.

27 Sententia ualde communis est, quando pœnitens fuit absolutus ab habente facultatem ordinariam vel delegatam circa casus reseruatos, vere remanere absolutum à peccatis reseruatis; quæ per obliuionem prætermisit in confessione, modo confessarius intentionem habuerit absoluendi quantum potest, & indiget pœnitens, & obliuio fuerit inculpabilis, seu non fuerit ita culpabilis, ut Sacramentum sit inualidum, licet informe. Ratio est, quia sicut excommunicatio tollitur per generalem absolutionem, quæ communiter ante absolutionem peccatorum præmitti consueuit. Ergo etiam tollitur reseruatio peccatorum per formam consuetam, & absolutam. Ego te absoluo, &c. Ita Suarez *tom 4.disp.31.sect.4.n.*14 Syluest. *in supplem.q.20.art.2.quæsit.*3. Nauarrus *c.26 n.*13. Sà *v.Casus reser.n.*7. Henriq. *lib.6.c.16.n.*5. noster Crousers *c.lect.*18.*fol.*655.

Suarez.
Syluest.
Henriq.
Crousers.

28 Multi Doctores probabiliter sustinent pœnitentem remanere absolutum a reseruatis oblitis etiamsi non petat expresse, & explicite absolutionem a reseruatis dum tempore Iubilæi vel extra Sacerdoti priuilegium habenti circa reseruata bona fide confitetur. Licet enim talis pœnitens explicitè non petat absolutionem reseruatorum, censetur tamen interpretatiuè petere, quia uenit ad confessionem ut quantum fieri potest, a peccatis omnibus liberetur, & si occurreret se habere aliqua peccata reseruata, omnino peteret reseruationem tolli, quare confessarius censetur hic, & nunc uelle eum absoluere à peccatis quantum licitè potest, & consequenter tollere reseruationem. Vnde supra dicta peccata oblita non remanere amplius reseruata dicunt ex Neotericis Coninch *de Sacram d* 8.*dub.*12.*ad finem.* Molfesius, *tr.7.c.*21.*n.*26. *& sequent.* Diana *parte* 1.*tract.*11.*resol.*19. Ex veteribus autem Theologis Syluest *v.Confessio* 1.*q*4. Adrianus *q.4.de confess.§.*3. Gabriel *in 4.dist.17.quæstione prima art.3. dubio secundo.*

Coninch.
Molfesius
Diana.
Syluest.
Adrianus.
Gabriel.

29 Qui extra tempus Iubilæi confessus est superiori facultatem circa casus reseruatos habenti vel eius delegato remanet absolutus, quoad reseruationem peccatorum in confessione manifestatorum, licet confessio fuerit inualida culpabiliter vel ex defectu doloris, seu examinis, vel integritatis uel etiamsi ex malitia, modo confessarius protulerit formam absolutionis. Tum quia ex quo subditus comparuit coram superiore, eique peccatum integre reuelauit, ipsèque superior conuenientem medicinam, & satisfactionem imposuit, suo muneri satisfecisse videtur quantum ad reseruationem spectat. Tum quia confessarius absoluens intendit absoluere, quantum potest, cum autem possit absoluere, ad tollendam reseruationem, censetur illam auferre. Tum quia quod non ualet ut agitur, ualet saltem ut ualere potest, cum autem illa absolutio non ualeat quoad remissionem culpæ uidetur saltem ualere quoad ablationem reseruationis. Ita Suarez *tom.4.disp* 31.*sect* 4.*num.*9. Filliucius *tract* 7.*n.*311. Rodriguez *tom.1.qq.reg.quæst.2.art.*7. Caietanus *v Casus reseruatus.* Syluest. *verb.Confessio* 1.*quæst.*19. Bonacina *tom.1.disp.5.quæst.7.part.5.§.5.num.*9. & alii apud Dianam *p.1.tract* 11.*resol.*18. Tambur. *de iure Abbat.to.2.disp* 13.*q* 10.*n.*6.

Filliucius.
Rodrig.
Syluest.
Diana
Tamburr.

An autem idem dicendum sit, quando quis est confessus inualide confessario habenti facultatem reseruatorum per Bullam, seu uirtute Iubilæi; Negatiuè respondent quidam apud Dianã proxime citatum, Suar. *c.d.*31.*sect.4.n.*22. Reginald. *l.8.n* 73. Rodrig. *c.a.*7. quibus addo

Reginald.
Rodrig.

nostrum

nostrum Coriolanum *part.1.sect.2.ar.18.* Fundamentum illorum est, quia Summus Pontifex concedit facultatem absoluendi à reseruatis in ordine ad susceptionem indulgentiarum, sed qui scienter facit confessionem irritam, indulgentias minimè consequi potest. Ergo. Et confirmatur, quia sic gauderet priuilegio absolutionis à reseruatis per Iubilæum induito, absque confessione, quæ nihilominus exigitur per Bullam, inualida enim confessio non est confessio.

Mihi tamen contraria sententia uidetur satis probabilis & secura in praxi. Imò indubitata quantum ad casus ratione excommunicationis reseruatos, quam excommunicationem certum est tolli omnino quantumuis subsequēs sacramentalis à peccatis absolutio sit inualida, si absoluens eam tollere intendebat & possit etiamsi pœnitens ipse non intenderet recipere dictam absolutionem: quia valide dari potest absolutio ab excommunicatione, etiam illam recusanti. Quantum autem ad casus secundum se reseruatos, non apparet, quomodo per solā absolutionem sacramentalem inualidam tolli non possit, ab habente facultatē delegatam, reseruationis onus, vel enim per delegationem committitur circa tales casus omnis potestas à Superiore, vel non fit omnis saltem in foro conscientiæ. Ergo non obstante, quod absolutio sacramentalis, sit inualida, ualida tamē esse poterit, quantùm ad tollendum onus reseruationis. Quod si non omnis committitur, uel si limitata: oportet de huiusmodi limitatione constare. Ita Henriquez *lib. 7.c.11*, Tabiena *v Confess. 2. §. 16.*

Henriq.
Tabiena.

Dices, constare de illa, dum dicitur, quod possint absoluere à reseruatis in foro sacramentali pœnitentiæ. Respondet ad hoc noster Crousers *ad c. 7. reg. S. Franc. sect. 19. fol. 685* hic citatus, neque ex tali clausula colligi posse absolutionem reseruatorum, quæ est sacramentaliter inualida esse etiam inualidam quantū ad tollendum onus reseruationis; Quia non sunt vnum, & idem, absolutio ab onere reseruationis, & absolutio sacramentalis Vnde, si vna est inualida nō est necesse aliā esse inualidam. Deinde ut illa sit ualida satis est, si detur in foro sacramentali, sed datur in forro sacramētali, etiamsi absolutio sacramentalis sit inualida. Ergo valida est, non enim forū sacramentale tunc tantum est, quādo absolutio sacramentalis est ualida, sed quando pœnitens, & confessarius conueniunt ad conficiendum Pœnitentiæ Sacramentum, etiamsi Sacramentum ex aliquo defectu non sit ualidum Sic etiam Armilla *v. Casus reseru. n. 4.* Caietanus *eodem v. in calce.* Syluester *v. Confessio 1. n 2.* Comitolus *in resol. Moral. lib. 1. q. 30. num. 2.* & alii apud ipsum. Probabilem uocant hanc sententiam Diana, Tabiena, Henriq; *part. 1 tract. 11. resol. 18. & p. 4. tom. 4 resol* 124. Præpositus *de pœnit. q. 9. dub. 4. n. 24.*

Armilla.
Caietan.
Syluest.
Comitol.
Diana.
Tabiena.
Henriq.
Præposit.

30 Qui à censuris, & à peccatis reseruatis bona fide fuit absolutus uirtute Iubilæi ex communi doctrina, remanet directè absolutus, nec reincidit in casus reseruatos uel in censuras, etiamsi postea volūtarie prætermittat ea quæ ad lucrandum Iubilæum præscribuntur. Ratio est, tū quia absolutio à reseruatis non fuit data ea conditione, vt pœnitens Iubilæum lucretur, uerum sine vllo pacto alio & obligatione absolutus fuit; unde statim sortita est suum effectum: tum quia facultas absoluendi ab eiusmodi, non debet censeri ad reincidentiam data, nisi exprimatur à iure uel iudice, sed de hoc nihil in diplomate iubilæi agitur. Ergo vbi lex, aut priuilegium nō destinguit aut restringit nec nos distinguere aut restringere debemus. Ita Suarez *to. 4. disp. 31. sect. 4 n. 5.* Sanchez *lib. 4. Moral. c. 54. n. 44* Vasquez *3. p. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 6.* Crousers *ad cap. 7. reg. sect. 19. fol. 667.* Diana *p. 3 tr. 4. resol. 145.* Hēriquez *lib. septimo c. 11. n. 4.* Fillincius *tr. 8. n. 280. c. 10.*

Suarez.
Sanchez.
Vasquez.
Crousers
Diana
Henriq
Fillincius

An autem pœnitens absolutus à casibus, & censuris virtute Iubilæi, peccet mortaliter si postea mutet voluntatem, & non lucretur iubilæum. Affirmant Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 11.* & noster Coriolanus *de cas. reseru. p. 1. sect. 3. art. 17.* quia facit contra pactum implicitum, & alioqui iustum in re graui, ergo peccat mortaliter.

Suarez.
Coriolan

Contraria tamen sententia cui adhærendum est tanquā probabiliori, negat peccare mortaliter, quia pœnitens nihil promisit, nec obligationē vlla confessarius imposui nec etiam de tali Pontificis intentione constat; ideò non debemus præceptum imponere absque vrgenti fundamēto. Ita Sanchez, *de matr. li. 1. disp. 43. n. 9.* Henriq. *lib. 6. c. 16. n. 6* Diana, *p. 2. tr. 2. miscell. res. 11. & p. 3. tr. 4. res. 145.* Bonacina, *tom. 1. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 5. n. 18.*

Sanchez
Henriq.
Diana
Bonacina

31 Absolutus in articulo mortis à casibus reseruatis ab eo qui aliàs non posset, non tenetur si conualescat, & cessante tali periculo, coram Superiore comparere, cui iure ordinario absolutio à talibus peccatis reseruata erat; tum quia in mortis articulo omnes Sacerdotes per se ac directè ab omnibus peccatis absoluendi potestatem habēt tum quia nullo iure constat in absolutione casuum reseruatorum non habentium annexam excommunicationem imponendum esse huiusmodi onus. Ita Nauarrus, *in manua. c. 26. n. 26.* Suarez *de pœnit. disp. 30. sect. 3. nu. 6.* Sanchez, *lib. 2. mor. c. 13.* Diana, *4. p. tr. 4. res. 199.* Syluius, *in suppl. q. 8. art. 6.* & noster Crousers, *c. sect. 23. fol. 713.*

Nauar.
Suarez
Sanchez
Diana.
Syluius.
Crousers

Tamen si peccato annexa sit censura excommunicationis Superiori reseruata, tunc absolutus cessante mortis articulo sistere se debet Superiori ad quem de iure ordinario pertinet, non vt iterum absoluatur, cum iam sit absolutus, sed vt mandatum eius accipiat, & ostendat se obedientem ad recipiēdam debitam medicinam, & ad exhibendam maiorem satisfactionem si Superior ipse maiorem iudicauerit imponendam, vt decernitur in iure. *c. eos qui de sent. Excomm in 6.* Henriquez, *li. 6. c. 6. n. 6* Suarez, *de censur. d. 7 sect. 1.* *Quamuis* pœnitens possit eximi ab obligatione adeundi Superiorem, si adeat, confessariū habentem facultatem absoluendi ab illis censuris extra mortis articulum, ab eoque obtineat absolutionem nouā absque vllo onere; nam prior absolutio non obstat, quin pœnitens possit nouam absolutionem absolutam obtinere vt docent Sanchez, *c. n. 32.* & Henriquez, *lib. 6. c. 10. num. 5. in Comment. litt. G.* Layman, *lib. 5. tr. 6. c. 12. n. 15.* Vide infra *v. Excommunicatio, V. n. 7.*

Henriq.
Suarez

Sanchez
henriquez
Layman.

Huic autem obligationi se præsentandi coram Superiore potest satisfieri per procuratorem, & etiam per literas, quia quod per procuratorem facimus; per nos dicimur facere, secundum ius; quod limita in absolutione excommunicationis percussoris clerici, ex *c. Quod de his, de senten. excomm.* propter peculiarem rationem grauitatis huius delicti, quod non est extendendum ad alios casus, vt perperam nonnulli volunt. Imò etiam in percussione clerici posse fieri per procuratorem, si aliqua iusta causa sit, tenet Sanchez, *lib 2. mor c 13. n. 33.*

Notandum præterea hic est, quòd in articulo mortis quilibet absolutus sit ab excommunicatione, vel censura reseruata, si nullam possit præstare cautionem; nam nullus ad impossibile tenetur. Ita idem Sanchez, *n. 34. & 35* vbi rectè obseruat, si confessarius, quando potest dari cautio se præsentandi, hac omittat petere, vel per obliuionem, vel per negligentiam, vel per ignorantiam in tali articulo, absolutionem tamen tenere; & idem est de aliis cautionibus, & idem dicendum esse extra articulum mortis, si sit facultas absoluendi; quod etiam docet in excommunicationibus Bullæ Cœnæ; vnde licet illicita sit talis absolutio, cùm secundum formam iuris solitam requirātur illæ cautiones, non tamen erit irrita absolutio, vel inualida, nisi aliter aliquando exprimatur.

S V M M A R I V M.

32 33 *An per Bullam Cœnæ derogatum sit priuilegio Episcoporum à Concilio Tridentino, vt possint absoluere suos subditos à casibus Papæ reseruatis?* Refertur duplex sententia.

34 *An facultas competens Episcopo ex Tridentino absoluendi ab hæresi occulta possit ab ipso Episcopo delegari.*

35 *In generali concessione absoluendi à censuris Bullæ cœnæ, an comprehendatur etiam absolutio ab hæresi?* Refertur duplex sententia.

36 *An Regulares approbati iuxta formam Concilii Trid. possint iuxta priuilegia absoluere omnes fideles à casibus, sententiis, censuris, & pœnis Papæ reseruatis, & an absolui possint religiosi sine licentia suorum Superiorum, etiam à sæcularibus tempore iubilæi.*

37 *Reli-*

37 *Religiosi in terris infidelium possunt absoluere à reseruatis in Bulla Cœnæ. Et an stando in solo iure communi possint religiosi Mendicantes absoluere à casibus extra ius commune Episcopo reseruatis.*

38 *Quid possint modo religiosi iuxta sua priuilegia circa casus Episcopo reseruatos.*

39 *An confessarii Mendicantes possint absoluere ab omnibus excommunicationibus tam à iure, quàm ab homine latis.*

40 *Qui casus reseruari possint à Prælatis regularibus, iuxta Decretum Clementis Octaui.*

§. 1.

Quid sint Veneficia, incantationes, sortilegia.

§. 2.

De secundo casu, qui est Apostasia.

§. 3.

De tertio, nocturna, scilicet, & furtiua è Monasterio egressione.

§. 4.

De quarto, qui est proprietas mortalis.

§. 5.

De quinto, idest, iuramento falso in iudicio regulari seu legitimo.

§. 6.

De sexto, videlicet, procuratione; auxilio, seu consilio ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

§. 7.

De septimo, qui est falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii.

§. 8.

De octauo, qui est Furtum, mortale de rebus Monasterii.

§. 9.

De nono, idest, lapsu carnis voluntario opere consummato.

§. 10.

De decimo, scilicet, Occisione, aut vulneratione, seu graui percussione cuiuscumque personæ.

§. 11.

De vltimo, qui est malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio literarum a superioribus ad inferiores, & è contra.

41 *Casus reseruati in religione an habeant locum in nouitiis:* Refertur triplex sententia.

42 *An per Bullam Clementis tollatur reseruatio casuum Pontifici reseruatorum.*

43 *An per hanc bullam sublata sit potestas Prælatis regularibus prohibendi aliquid sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, reseruando sibi absolutionem?* Refertur duplex sententia.

32 33 MAximè controuertitur apud Doctores an facultas data Episcopis per Tridentinum absoluendi ab hæresi occulta, & aliis occultis casibus Papæ reseruatis in Bulla Cœnæ, reuocari censenda sit per bullas Cœnæ Domini? Circa hanc quæstionem duplex est celebris sententia. Prior est affirmatiua: quia à tempore Pij V. in fine eiusdem bullæ expresè habetur hæc clausula: quod ab illis casibus nulla persona etiam Episcopali dignitate prædita, absoluere possit, prætextu cuiuscumque facultatis; etiam per cuiusuis Concilii decreta in genere, vel in specie concessæ. Duo etiam sunt responsa Cõgregationis Cardinalium, quorum meminit Suarez, in quib. declaratur, facultatem Tridentini Episcopis ablatam fuisse: Hæc sententia est probabilissima, & tenenda, quam sequuntur Suarez, 3. *p. tom.* 4 *disp.* 30. *sect.* 2. Toletus, *lib.* 1. *c.* 41. Sanchez, *lib.* 2. *mor. c.* 11 *n.* 27. Syluius, 2. 2. *q* 11. *art.* 3. *quæsit.* 2. Diana, *p* 1. *tr.* 5. *res.* 2. & *p.* 4. *tract.* 4. *res* 239. & alii multi ab ipsis citati *Altera sententia* est negatiua, eaque satis probabilis: quia in bulla Cœnæ non fit expressa mentio Concilii Tridentini; Constitutioni enim seu Decreto Concilii propter eius grauitatem non intelligitur derogatum, nisi de eo fiat mentio specialis. *Capit. Nonnulli, de rescript. Capit. Ex parte, de capellis Monachorum.* Deinde rectè dici potest, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, ideò non derogare facultate Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. De responsis antè Cardinalium, dicendum est ea esse magnæ authoritatis, sed non sufficere ad tollendam contrariæ sententiæ probabilitatem, Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 8. *c.* 8. *n.* 32. & 33. Rodrig. *tom.* 1. *qq reg. q.* 20. *art.* 10 Bannez, 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. Sà *v. Episcopus, n.* 34 Portel. *in addit. ad. dub. reg. v. Episcopus, n.* 1. Henriquez, *lib.* 13. *c.* 27. *n.* 5. *lit. Q.* noster Crousers, *ad c.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 11. *fol.* 585. Quorum sententiam tutiùs in praxi amplecti possunt Episcopi in regionibus ab Vrbe remotioribus, propter difficultatem adeundi Summum Pontificem, vt annotauit Nauarrus, *lib.* 5. *consil.* 11. *de priuil edit.* 2. Imò addit Layman, *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *nu.* 2. Episcopos quosdam in partibus septentrionalibus ob casuum frequentiam, & difficultatem adeundi Romam, per se vel Vicarium suũ absoluere consueuisse subditos suos ab heresi etiam manifesta.

Suarez. Toletus. Sanchez. Syluius. Diana.

Fagundez. Rodrig. Bannez. Sà. portel. henriquez. Crousers.

nauarrus. Layman.

Et quidem in Belgio omninò videtur hanc reuocationem potestatis absoluendi à casibus Bullæ cenæ, locum non habere, cum quòd praxis inter doctissimos, & timoratos recepta aliud indicet: tum quòd ipsi Episcopi Belgii pro Inquisitoribus fidei habeantur: tum quòd non credatur dicta bulla Cenæ debitè publicata, & recepta, prout Illustrissimi, & reuerendissimi Episcopi arbitrantur. Tandem quòd per Greg. XIII. anno 1576. 25. Februar. ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis fit ipsis ratione hæresum amplissima facta facultas etiam delegandi potestatem absoluendi ab heresi, donec totum Belgium in ipsius Regis obedientiam redierit. Tum quia in his Belgii partibus ob locorum distantiam, itineris longissimi molestias, difficultates, & pericula, ex longa cruentorum bellorum duratione prouenientia, regulariter loquendo, nõ potest ad Pontificem aditus, non esse admodum difficilis, & molestus, in tantùm vt non sit putandus Pontifex velle cum tantis ouium suarum incommoditatibus, molestiis, & periculis reseruationem suam sibi saluam esse. Imò plerique Episcoporum nostri Belgii, & vicinarum Prouinciarum peccatum Hæresis inter casus suos reseruatos annumerant: nec superflua videtur hæc reseruatio; quia per annumerationem peccati hæreseos cum peccatis Episcopo reseruatis, hoc saltem consequuntur Episcopi, quoad Sacerdotibus inferioribus innotescat se nullam super illo peccato habere iurisdictionem; sed præcluso ad Pontificem aditu, ad solos Episcopos tunc pœnitentes eo casu innodatos, esse remittendos.

34 Posita probabilitate prædictæ sententiæ non reuocari in Bulla Cenæ facultatem absoluendi ab hæresi concessam in Concilio Tridentino Episcopis, dubium est, an hæc facultas possit Vicario, vel alteri idoneæ personæ delegari? Negant Suarez, *de fide, disp.* 30. *sect.* 2. *nu.* 9. & 15. Molina, *de inst. tr.* 5. *d.* 18, *n.* 2. Gutierrez, *in qq. can. lib.* 1. *c.* 13. *n.* 49. & alii probabiliter. Affirmant Sanchez, *lib.* 2. *moral. c.* 11 *n.* 23. Sà, *v. Episcopus, n.* 37. Azorius, *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 10. *q* 11. Henriquez, *l.* 6. *c.* 14. *n* 7. Diana, *p.* 3. *tr.* 6. *misc. res.* 92. & *p* 7. *tr.* 2. *res.* 13. & noster Crousers, *ad c.* 7, *reg. c. lect.* 11. *fol.* 581. Rodriguez, *in Sum. tom.* 1. *edit.* 2. *c.* 130. *n* 5, & *q. reg. tom.* 1. *q.* 20 *art.* 11. quia iurisdictio hæc, vel iure antiquo non reuocato, conuenit Episcopis, vel si ex priuilegio, cùm illa non sit annexa personæ, sed perpetuo dignitati, vel officio, non est delegata, sed ordinaria, & potestatis ordinariæ iura habet, vt docent authores citati à Sanchez, qui dicunt commissionem perpetuam facere ordinariam Et vt bene notat Corduba, *in Sum. q.* 8. in Tridentino non statuitur, quòd Episcopi non possint cõmittere specialiter alicui talem facultatem occurrente casu; sed, quod eorum Vicariis non sit permissum, virtute scilicet commissionis, qua Vicarii instituuntur, vel facultas eis datur absoluendi à reseruatis Papæ; vnde hæc sententia mihi videtur probabilior contraria. Vide Sanch. & alios hic citatos. Ex dictis infertur quòd si Episcopus incidat in aliquod delictorum, de quib. agitur in d. decreto Concilii, possit ab alio dispensari, vel absolui cum potestate ab ipso delegata. Probatur hæc opinio, quia ex vigore d. Decreti, respectu Episcopi non censentur amplius casus reseruati, sed vt comprehensi sub eligendi Confessarii facultate sibi iure communi, *Cap fin. de pœnitent. & remission.* concessa ergo poterit alteri confessario committere, ipsũ eligendo, vt se absoluat. Et sic fertur declarasse Sacram

Suarez. molina. gutierrez. sanchez. Azorius. henriquez. Diana. Crousers. Rodriq.

Corduba.

Congreationem Concil. Trid. interpretem, apud Barbosam, *in collect. Bullar. v. Absoluere.* His verbis. *Absoluere Episcopũ, & cum ipso dispensare poterit ab eodem Episcopo Confessor electus, de omni peccati vinculo, de quo potest absoluere, & dispensare Episcopus.*

Nauarrus. Suarez. Sanchez. Bonacina. Diana. Syluius. Pottel.

35 Quando generatim conceditur potestas absoluendi à censuris Bullæ Cœnæ, secundum probabiliorem sententiam Nauarri, *in Man c.27.n.275.* Suarez, *de censur. d.7 sect.5.n.11.* Sanchez, *lib.2.mor.c.12.* Bonacinæ, *de censur.d.1.q.3.p.1.n.14.* Dianæ, *p.1.tr.5.resol.1.* Syluii, 2.2.q. 11.*ar.3.quæsit.2.* & aliorum quibus adde Pottel. *in addit. ad dub reg. v. hæresis, n.26.* non censetur comprehensa absolutio ab hæresi, nisi speciatim explicetur; quia excommunicatio ob hæresim peculiarem reseruationem habere solet? vnde quando Papa illam concedere vult, eam exprimit etiam post vniuersalem concessionem casuum Bullæ Cœnæ, sicut habet praxis, & stylus Curiæ Romanæ; & ferunt ita fuisse declaratum à Gregorio XIII. Nihilominus contrarium docent Fagund. *c.l.8.t.8.n.38.* Regin. *l.8.n.53.* Lorca. 2.2.*q.11.ar.4 disp 45 n.3.* Filliuc. *tr 8. n.265.* qui vltimus testatur ita fuisse declaratum Romæ anno 1607. in sacra Pœnitētiaria, & seruari in praxi. Stylus autem Curiæ quem allegat prima sententia, fundatur in probabilitate istius opinionis, non tamen tollit probabilitatem; adde quod stylus Curiæ varius est pro varietate Pontificum.

Fagundez. Reginald. Lorca. Filliucius.

36 Regulares approbati iuxta formam Concilii Tridentini, possunt iuxta sua priuilagia absoluere quoties opus fuerit, omnes fideles à casibus, sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis Papæ extra Bullam Cœnæ reseruatis ex concessione Pauli Tertii facta presbyteris Societatis IESV; vt referunt Compendium priuilegiorum Mendicantium, *Compend. priuileg. Mendic. v. Absolutio quoad secul primo, in add. Capucinis,* & noster Crousers, *ad c.7. reg. S. Fr. lect. 28. fol. 769.* post Rodriguez, *tom.1.qq.reg.q. 61.ar.5.* & Sixti V. facta in fauorem Congregationis Oratorii, in Bulla expedita anno 1586. Non. Septembris, quàm habet. Quaranta, *v. Confessor,* cuius initum est. *Decet Romanum Pontificem.* Verùm prædicta priuilegia reuocata fuerunt respectu confessariorum tam regulariũ, quàm sæcularium existentium in Italia extra vrbem Romam in decreto Sacræ Congregationis quod incipit; Sacra Congregatio, apud Quarantam *ver. Casus reseruati.* Sub dat 9. Ianuar. 1501. quod decretum posteà ab eadem Sacr. Congregatione 26. Nouemb. 1602. speciali mādato S.D.N. Clementis Octaui, ita moderatum, ac declaratum fuit, videlicet sub eiusdem prohibitione illos tantùm in posterum cōprehendi casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Ac præterea violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis Gregorii XIV. quæ incipit; *Cum alias Nonnulli.* Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta decretum Sacri Conc. Trid. & constitutionem Greg XIII. incipientem; *Ad tollendam* Iniicientium violentas manus in Clericos, iuxta Canonē *Si quis suadente, &c. q.4.* ac iuris dispositionem Simoniæ realis scienter contractæ, atq; etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarii locorũ, sibi reseruarunt, vel in posterũ reseruabunt. Ab aliis autem casib. Papæ reseruatis, declarat eadē Congregatio, posse absoluere Sacerdotes tam sæculares, quam regulares iuxta priuilegia sua; Hæc pro Italia, Extra verò Italiam concessiones dictæ Pauli Tertij, & Sixti V. apud regulares per communicationem priuilegiorum sunt in vsu. Vide Dianam, *p.5.tr.14.res.103.*

Crousers. Rodrig.

Diana.

Et licet istæ concessiones vniuersaliter loquantur de omnibus fidelibus, non tamen intelliguntur de religiosis, quidquid aliqui improbabiliter dicant, cum illi ex vi suorum Statutorum, & priuilegiorum non possint absolui sine licentia suorum Superiorum, quia per priuilegium generale non censetur derogari consuetudini, vel statuto particulari nisi id exprimatur Layman, *l.5.tr.6.c. 10.n.20.* Rodriguez, *tom.1.qq.reg.qu 62.art.4. & 11.* Coriolanus, *de casib. reseru.p.1.sect.3.art.13.* Reginaldus, *lib. 8.num.37.* Imò in multis Ordinibus speciali Papæ concessione cautũ est ne religiosi vtantur priuilegiis ad effectũ eligendi confessorem sine licentia suorum Superiorum. De la Crux, *de statu relig. l.1.cap.6.d.12.* Suarez *de rel. to.4. tract.9.l.2.cap.16. Compend. Societatis tit. Absolutio §.11* Miranda *to.2. quæst.34.a.15.concl.2.* Crousers, *c. lect.19.fol.662.* Caspensis, *tract.24.disp.6.sect.6.* Lezana. *tom.1. Sum.ca.19.num.29.* Ita concessit Predicatoribus Iulius II, bulla 16. & Pius V. bulla 13. Secundo Leo X bulla 24. concessit Minoribus, ne fratres absoluantur à reseruatis uirtute cuiusuis priuilegii aut bullæ etiam cruciatæ, Tertio Gregor. XIII. concessit, non posse religiosos Societatis, sine expressa suorum Superiorum licentia vti facultatibus iubilæorum, Bullarium Cruciatæ, confessionalium vel aliorum Apostolicorum indultorum, quæ communitatibus personis vel piis locis quouis modo concessa sunt, aut concedentur, licet in eis exprimatur quod omnes regulares etiam Mendicantes illis vti valeant. Tandem Clemens VIII. in bulla data *die 23. Nouembris 1599.* quæ incipit *Romani Pontifices,* dicatinr concessionem sanctæ Cruciatæ; & aliorum indultorum particularium ad effectum eligendi confessorem & absoluendi à reseruatis cum fratribus, & sororibus Monialibus Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo, ac aliorum quorumcumque Ordinum congregationum, cuius instituti Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hispaniæ, quam extra illam, vbilibet locum minimè habere, neque censeri, sed suæ intentionis existere, quod eidem Fratres, & moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint. Quod constitutionem innouauit, & ampliauit S. D. N. Vrbanus VIII. die 19. Iunij 1630. per suam quæ incipit; *In specula militantis Ecclesia,* apud Dianam *in Addit. secunda resolut.9.* unde stante hac bulla Vrbani VIII. probabilius non est, nec tutta in praxi quorundam Doctorum asserentium sententia, Regulares licitè, & validè absque licentia Prælatorum, vigore bullæ Cruciatæ posse eligere confessarium, qui eos a reseruatis absoluere possit. Vide præterea Tambur. *de iure Abbat. to.2.d.53.quæsit.12.*

Layman. Rodrig. Coriolan. Reginald. De la Crux. Suarez. Miranda. Crousers. Caspensis. Lezana. Tambur.

Si tamen religiosi ex indulto particulari Sedis Apostolicæ, valeant singulos utriusque sexus, tam laicos, quam clericos sæculares, & cuiusuis Ordinis regulares, hæreticos, schismaticos, & a Sancta Catholica fide aberrantes absoluere; uidetur posse quoque illos etiam absoluere regulares a reseruatis suis Prælatis absque licentia ipsorum; quod patet ex illo communi axiomatè, quod habetur in regulis iuris in Sexto Decretalium regula 53. *Cui licet quod est plus, licet quod est minus,* sed plus est absoluere ab hæresi quæ Papæ maximè reseruatur quam a reseruatis Prælatis Religionum, ergo eo ipso quod possunt absoluere religiosos quoscumque ab hæresi, possunt quoque eosdem absoluere a casibus suis Prælatis reseruatis, quia tunc habent tales confessarii facultatem a Superiore meddiato religiosorum videlicet a Papa quod sufficit, licet non habeant ab immediato, quia eius potestas est independens a potestate immediati Prælati. Tum quia mens Pontificis est, per istam concessionem potestatis absoluendi ab hæresi, & aliis reseruatis, concedere etiam reseruatos casus Prælatis religionum, vt Pœnitens plenariè possint reconciliari Ecclesiæ, quod fieri non posset; si tales aberrantes a fide non absoluerentur in eadem confessione etiam a reseruatis suis Superioribus, si qui existant Nihilominus quia ex decreto Clem. VIII. quod innouauit S.D.N. Vrbanus VIII ut dictum est prohibetur omnibus religiosis ne utantur Bulla Cruciatæ, & indultis particularibus a Sede Apostolica concessis ad effectum obtinendi absolutionem a reseruatis suis Superioribus sine illorum licentia, mihi non videtur tutum ex ui talium indultum particularium absoluere religiosos a talibus casibus, dum in concessione nulla fit mentio prædictorum casuum, quia, vt supra probauimus si per priuilegium generale non censetur derogari consuetudini uel statuto particulari nisi id exprimatur, multo minus per indultum particulare censebitur derogatum; Confirmatur hæc nostra sententia Declaratione Eminentiss. S. Congreg. Con. Cardinal. teste Garzias *de benef. p 3.c.2.n. 286.* & relata a Barbosa *in collect. in Bull. v. Absolut* quæ sic habet. *Absoluendi a cas. Sedi Apost. reseruatis concessa facul-*

sa facultas, non comprehendit casus, quos Episcopus, & pra, latus Religiosus, cum suis subditis Regularibus reseruanit nisi de his fieret specialis mentio.

Et quia à plerisque Doctoribus refertur quodam priuilegium Leonis X. concessum Monialibus Sanctæ Claræ & ancillis Beatæ uirginis, ut quater in anno possint se à suis Superioribus, siue confessoribus, aut aliis fratribus, de Ordine Fratrũ Minor. per Superiores deputatis, facere absolui ab omnibus peccatis suis, qualitercunque cõcommissis, modo peccata in confidentiam huius priuilegii non sint commissa, cuius priuilegii participes sunt fratres Minores per cõmunicationem. Notandum: est quod hoc priuilegium fuerit viuæ uocis oraculum, ut ipse Casarubius habet *in compẽd. Priuileg. Mendicant. v. Absolutio extraordinaria quoad Fratres num.* 10. quia notat hoc litera [o] paruo, quod est signum Oraculi uiuæ uocis non Authentici. Ideo his temporibus nihil ualet, propter Bullam Vrbani VIII. de qua infra *v. Priuilegium* 1. *num.* 8.

Casarubius

Sed petes, an Regulares tempore Iubilæi plenissimi possint eligere sibi confessarium etiam extra suum Ordinẽ & absolui à reseruatis suis Superioribus. Responsio communis est affirmatiua, si specificè in bulla Iubilæi datur facultas talis, ut concesserunt Clemens VIII. Paulus V. & S. D. N. Vrbanus VIII. Et quia dubium erat an possent religiosi uirtute dictarum literarum Apostolicarum Iubilæi confiteri peccata sua Sacerdotibus sæcularibus ab Episcopo loci approbatis, & ab eis absolui cum ipsi regulares Ordinario non sint subiecti, sed exempti. Et die 15. Decemb. 1580. *Congregatio Concilii pro maiori parte senseris pro negatiua, & dixeris dubium referendum esse Sãctissimo Domino* Qui postea die 19 Decemb. 1581. in cõsistorio respondit, *tempore Iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotib. etiam sæcularib. approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones, nam in Bulla non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audierint confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium.* Ita refert Coriol noster *in suo tr. de casib. reseru. p.* 1. *sect.* 3. *a.* 15.

37 Religiosi in terris infidelium remotissimis à Sede Apostolica, possunt omnes fideles absoluere etiam à reseruatis in Bulla Cœnæ. Ita concessit religiosis Societatis Paulus III. bulla 8. apud Rodriguez in bullario suo, cuius bullæ initium est, *Licet debitum Pastoralis officii.* Quod idẽ cõcesserat antea Fratribus Minoribus de obseruancia Adrianus VI. ad istantiam Caroli V. euntibus ad Indos, bulla 1. apud eundẽ Rodrig. Et nouissimè Clemens VIII. in bulla *Dominicis gregis cura*, apud eundem Rodrig. in bullario, eosdem casus bullæ Cœnæ concedit Carmelitis Discalceatis euntibus ad conuersionem quocumque infidelium, Schismaticorum, & hæreticorum. ut scilicet ab eis in utroque foro absoluere possint.

Probabilius est, posse religiosos Mendicantes, stando in solo iure communi, & secluso priuilegio, absoluere à casibus extra ius commune Episcopo reseruatis, quia quando alicui conceditur priuilegium ad instar alterius, quamuis postea illud priuilegiũ limitetur, uel restringatur, non censetur limitatũ aut restrictũ respectu eius, qui priuilegiũ ad instar alterius obtinet, sed in *Clement. Dudum de sep.* conceditur Prædicatoribus & Minoribus, & consequenter aliis Religionibus per communicationem facultas absoluẽdi a casibus, a quibus Curati de iure possunt absoluere, & ibi datur facultas Curatis absoluẽdi ab omnibus exceptis casib. in iure Episcopo reseruatis, ergo licet, post hæc sit limitata Curatis ista potestas per Episcopum vel Papam, non ex hoc limitatur religiosis, sicut è contra si extenderetur Curatis non ex hoc extenderetur religiosis Ita D. Antoninus, 3. *p. tit.* 17. *c.* 11. Syluester, *v. Confessor.* 2. *q.* 5. *& v. Casus q.* 5. Angelus *v. Casus in fine & v. Confessio* 3. *n.* 28. Rodrig. *to.* 1. *qq. reg. q.* 61. *a.* 2. De la Crux, *de stat. relig. l.* 2. *c.* 6. *d.* 7. Panormit. *in c. super specula ne clerici, vel mon.* Bonifacius, *in Clement. Dudum §. per huiusmodi*, & alii contra Nauar. *in Man. c.* 27. *n* 262 263. vnde Gabriel Biel *in* 4 *d.* 17. *quæst.* 2. potest, inquit, potestas Minoribus per *Clementinam Dudum*, facta implicari ab ordinariis, sed non restringi. Nec obstat etiã declaratio Illustrissim. Cardinalium sub data 17. Nouẽbris *anni* 1628. infra, qua cauetur, ne regulares in vim priuilegiorum absoluant à casibus Ordinario loci reseruatis. Hæc enim cùm non deroget *Clementina Dudum* (de qua nullam facit mentionem) quoad FF. Prædicatores, & Minores, quibus non solùm vt reliquis religiosis ex priuilegio; sed etiam ex vi iuris cõmunis in Conc. Gen. Viennensi statuti, competit, absoluere ab illis casib. Dici potest quod hi Patres possint adhuc à dictis absoluere; quamuis aliorum regularium priuilegiis sit derogatum virtute prædicti Decreti.

D. Anton. Syluester. Angelus. Rodrig. De la Crux. panormit. Bonif. Nauarr. Gabriel.

38 Religiosi iuxta sua priuilegia, possunt absoluere ab omnibus casibus Episcopo etiam in iure reseruatis; patet *primò* ex priuilegio Pauli III. supra citati, vbi conceditur religiosis Societatis, posse absoluere ab omnibus casibus censuris, & pœnis, solis casibus Bullæ Cœnæ exceptis. Et hanc concessionem Patribus Societatis factam, declarauit Gregorius XIII. *Anno* 1583. 10. *Maii*, non esse derogatam, per declarationem à Congregatione Cardinalium, & à sua Sanctitate factam 1573. 10 *Septembris* circa priuilegia Mendicantium; vnde illam de nouo quatenus opus est confirmauit. Ex quo sequitur religiosos istos & alios cum isti communicantes, posse virtute suorum priuilegiorũ absoluere à casib. Episcopi. Ita refert Collector priuilegiorũ Societatis, *tit. Absolutio*, §. 1. & post illũ Rodriguez, *c. q.* 61. *art.* 3. *&* 13. De la Crux, *c. dub.* 7. Crousers, *ad c.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 28. *fol.* 769. *Collector Compẽd. priuileg. Societatis, tit. Absolutio*, §. 1. P. Ledesma, *de pœnit. cap.* 11. *in fine*, Syluius, *part.* 2. *res. var. verb. Casus reseruati.*

Rodriguez. De la Crux. Crousers. P. Ledesma Syluius.

Secundò, Vrbanus IV. anno 1261. Pontifex creatus concessit Carmelitis vt de licentia Prælatorum Ecclesiæ, idest, prout declarauit Sixtus IV. *Bulla* 37. apud Rodriguez in Bullario, modò sint confessores secundùm formã iuris præsentati, possint audire confessiones omniũ Christi fidelium causa deuotionis ad eos recurrentium; nisi talia commisissent, propter quæ esset Apostolica Sedes meritò consulenda.

Tertiò, Sixtus IV. concessit Fratribus Ordinis Minimorum, prout habetur in monumentis ordinis, facultatem confessiones audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, ac super quacumq; irregularitate, ordinario, tam à iure, quàm ab homine reseruatis, toties quoties opus fuerit, absoluendi, dispensandi, &c. sicut potest Diœcesanus; idest, inquit Rodriguez sine præsentatione; Si arguas quòd dicta priuilegia videantur reuocari in Concil. Trident. vbi declaratur, posse Episcopos reseruare casus, à quibus inferiores absoluere non possunt; ad hoc respondetur a Rodriguez, & aliis; quod in Concilio Trid. non reuocantur regularium priuilegia, & multò minùs *Clement. Dudum de sepult.* cùm non fiat expressa mentio istorum priuilegiorum, sicut fit semper quoties in aliquo decreto intenditur alicuius priuilegii reuocatio.

Ex quibus priuilegiis constat regularium Mendicantium potestatem non videri posse restringi per Episcopos seclusa peculiari Pontificia concessione, seu Episcopos nõ posse respectu illorum casus reseruare; tum quia sunt immediatè delegati Pontificis, à quo immediatè iurisdictionem accipiunt, nec subordinãtur Episcopo; igitur Episcopus non potest eorum facultatem quoad casus limitare. Tum quia non potest Episcopus eos restringere quoad personas, sed iuxta modum concessionis Pontificiæ possunt absoluere quoslibet independenter ab Episcopo, ergo similiter non potest restringere quoad casus, cùm par sit vtriusq; ratio; vt tradunt Vasquez, 3. *p. q.* 91. *art.* 3. *dub.* 1. *n.* 11 Præpositus, 3. *p. de reseruatione Casuum, q* 9. *dub.* 1. Filliucius, *tr.* 15. *c.* 10. *n.* 223. *& seq.* Portel. *v. casus reseruatus, n.* 6. & alii. Papa tamen potest etiam exemptos, & priuilegiatos subiicere quoad id Episcopis, vt nimirum non absoluant à casibus, quos Ordinarii reseruant absq; eorum licentia; vt de facto subiecit primò Clemens VIII. pro Italia, in decreto S. Congregationis edito 9. *mensi. Ianuarii Anno* 1601. super absolutione à casib. reseruatis. Item in alio decreto eiusdem Congregationis, de mandato S. D. N. Papæ Pauli V. edito 2. *Ian.* 1617. apud Tambur. *to.* 2. *disp.* 13. *quæsit.* 13. *num.* 3. *&* 4. in quo contra Regulares, qui ex eorum priuilegiis etiam à casib. Ordinario reseruatis absoluebant absq; eius licentia, innouatur, & cõfirmatur decretum, primum sub Clemente Octauo, & præcipitur

Vasquez. Præposit. Filliucius. portel.

Tambur.

obseruari ab omnibus regularibus. *Secundò* iussu S.D.N. Vrbani VIII. Sacra Congregatio *S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, censuit per confirmationes priuilegiorum, quas regulares à Sede Apostolica post sac. Conc. Trid. obtinuerunt nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concil. ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atq; extincta, si quæ habebant, absoluendi a casib. Ordinario reseruatis, quemadmodū nec indulta absoluendi a casib. contentis in bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi cōsueuit, vtpote sublata per annuam ipsius bullæ publicationē, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentib. priuilegiorū confirmationib. ac proinde Regulares cuiusuis ordinis, cōgregationis, societatis, & instituti etiā necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam, in vim priuilegiorum, aut cōfirmationum eiusmodi quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in bulla cœnæ, aut ordinario loci reseruatis, ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore, ab aliis vero casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siquidem Regulares habeant a Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse. Iisdem Sacra Congregat. Decretis hac de re editis iussu Sanct. Mem. Clementis Octaui.*

Quam Sac. congr. sententiam Sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet inuiolabiliter obseruari Romæ 17. Nouembris, 1628.

F. A. Cardin. S. Onufr.

Vnde hodie hoc decretum à Priuilegiatis seruandum est, vbi authenticè publicatum; & vsu receptum est.

Non obstantib. tamē prædictis decretis Prælati regulares, ac confessarii ab ipsis deputati possunt a casib. Episcopis reseruatis absoluere suos familiares, seu famulos laicos intra monasterii septa cohabitantes, sicut & religionem ingredi volentes; vt latè probant noster Crousers, *ad capit. 7. lect. 26. fol. 753. & 754.* Tamburinus, *citat. nu. 4. & 115.* etiam sine licentia, & approbatione Episcoporum. Vide *Confessarius, 3. n. 5.*

Crousers.
Tambur.

39 Confessarii Mendicantes absoluere possunt ab omnibus excommunicationibus, tam a iure, quam ab homine etiam specialiter, & nominatim latis, satisfacta tamen parte, aut præstita sufficiente cautione, quia his potius censentur rationabiliter Iudices authoritatem concedere Religiosis iurisdictionem delegatam habentibus, absoluendi ab excommunicatione a iure, & homine. Rodriguez, *tom. 1. quæstionum regular qu. 61 art. 6. & 7.* De la Crux, *de stat. relig. lib. 2 cap. 7. dub. 1.* Et hoc non solùm in foro fori, & extra Sacramentum: quia priuilegium, siue gratia a Principe data interpretandum est secundùm naturam rei quæ conceditur: atqui absolutio ab excommunicatione, aliaue censura non pendet à peccatis: potest enim aliquis absolui a censura in conscientiæ foro, vt interim non absoluatur a peccatis: quod patet ex frequentissimo vsu Confessariorum, etiam delegatorum, qui separant absolutionem a peccatis, vt docent, Rodriguez, *c. art. 7.* Layman, *lib. 5. tr. 6. cap. 10. num. 21.* Auila, *p. 2. de censur. cap. 7. d. 13. disp. 3.* Coninch, *d. 14. dub. 16. num. 253.* & alii. Rectè tamen notat Nauarrus, *lib. 5. consil. tit. de sentent. excomm. cons. 26.* vt idem faciat Confessarius in foro externo, de licentia pœnitentis, debet tradere absoluto schedulam coram Notario, & testibus, ab eodem Notario subsignatam.

Rodrig.
Dela Crux

Rodrig.
Layman.
Auila.
Coninch.
Nauarrus.

An autem regulares priuilegiati possint absoluere à censuris ab Episcopo reseruatis, non obstant prædictis decretis Sacræ Congregationis? Probabiliter affirmat Diana, *part. 3. tract. 2. resolut. 13.* Megala, *in 1. part. lib. 1. c. 3. num. 10.* Tamburinus, *de iure Abbatum, tom. 2. disp. 13. quæst. 13. numer. 116.* quia cum dicta decreta loquantur tantùm de casibus, non habent locum in censuris, nam a diuersis non fit illatio vt dicitur in iure. Et censura non est casus, sed pœna casus, vt docet Nauarrus, *in Manual. c. 27. num. 262.*

Diana.
Megala.
Tambur.

Nauarrus

Porro probabile est, illū qui ex priuilegio, vel Bulla potest absoluere a casibus Episcopo reseruatis, posse etiam a reseruatis Pōtifici, modo sint occulti, & hoc non semel tantùm, sed toties quoties: sic contra communem docent Sanchez, *lib. 4. mor. c. 54. n. 27.* & post illum noster Crousers, *ad c. 7. reg. S. Francisc. lect. 28. fol. 771. 772.* Marcellus, *tom. 1. disp. 1. c. 2. diff. 11. n. 540.* quorum sententiam celebrem, & notandam asserit Diana, *p. 1. tr. 11. res. 28 & p. 3. tr. 2. res. 13 §. Nota quartò.* Quia quando hi casus sunt occulti, iam non sunt casus Pontifici Summo reseruati, sed iure ordinario, & non speciali competunt Episcopis, & annexi sunt dignitati Episcopali, vt patet ex Trid. *sess. 24. c. 6.* nec dici potest in concessione hac personæ industria electa, aliàs isti casus ita essent personales, vt eos Episcopus delegare non posset. Deinde etsi casus Papales non desinant esse tales, eo quòd Pontifex illos semel aut iterum concedat Episcopo, imò etsi semper eos concedat Episcopo specialiter, at desinunt esse tales per generalem constitutionem concedentem eos in perpetuum cuicumq; Episcopo; vnde dicendum est per Tridenti decretum casus hos occultos iam non esse Papales, sed Episcopales. Quamuis in contraria sint sententia Rodriquez, *art. 9.* Henriquez, *lib. 6. c. 14. n. 7* Bannes, *2-2. q. 64. art. vlt. ad fin.* & alii apud Sanchez, & Dianam negantes hos casus occultos esse propriè reseruatos Episcopis, sed eisdem potius concessos iure communi speciali: vnde inferunt non oportere confessariis priuilegiatis; tribuere similem facultatem, eò quòd a reseruatis Episcopo possint absoluere; & hæc sententia satis probabilis est.

Sanchez
Crousers
Marcellus.
Diana.

Rodrig.
Henriq.
Bannes.
Sanchez.
Diana.

40 Casus reseruabiles Prælatis Regularibus extant in Decreto Clementis Octaui, cuius tenor est.

Sanctissimus Dominus Noster, qui iam pridem accuratè perpendit, & reipsa comperit, quod reseruatio facultatis absoluendi religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem. Quocirca, vt huic malo Sanctitas sua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitate expedire prudenter in Domino iudicauerint.

1 *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

2 *Apostasia a Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit vt extra septa Monasterii, seu Conuentus fiat egressio.*

3 *Nocturna, & furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio etiam, non animo apostatandi facta.*

4 *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

5 *Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.*

6 *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

7 *Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conuentus.*

8 *Furtum de rebus Monasterii, seu Conuentus, in ea quātitate, quæ sit peccatum mortale.*

9 *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.*

10 *Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ.*

11 *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum, a superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores.*

Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur; id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorū audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatū admiserint, aut ipsi motu spontaneo, aut proprio motu ab ipsis petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, siquidem doctos, prudentes, ac charitate præditos, qui a non reseruatis eos absoluant: & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis confessarius iudicauerit.

Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueāt diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione

fessione habuerint, ad exteriorem gubernationem vtantur. *Licebit tamen Superiorib determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiā non reseruatis à cōfessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint Atq; ita per quoscūq; Regularium superiores, quicūque illi sint, obseruari mandamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, Apostolicis, ac cuiusuis Concilij etiam Generalis decretis nec non consuetudinibus ab immemorabili etiam tempore obseruatis, aut regulis in Generalibus seu Prouincialibus Capitulis editis, statutis & constitutionibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis priuilegijs, indultis, & concessionibus quibuscumque, quorum tenores hic pro expressis haberi volumus caterisque in contrarium facientibus quibuscumque, Datum Romæ, apud sanctum Petrum, die 26. Maij 1593.*

ANDREAS SORBOLONGUS Secretarius visitationum.

Circa quod decretum plurima dubiosa resoluenda veniunt ex probatis Authoribus. Et *primo*, quinam superiores religionum possint reseruare casus specificatos in Decreto; Resp. Post decretū apud il os superiores remanet facultas reseruandi apud quos ante decretum de iure erat talis facultas vnde Prouinciales, & Generales id possunt, sed eo modo quo ponit Decretum, nempe vt pro toto ordine Generalis id faciat in Capitulo generali cum consensu uocalium ibi pro electione facienda congregatorum, & pro Prouincia prouincialis in Capitulo prouinciali cū eiusmodi consensu vocalium. Et licet ex priuilegio Alexandri V I. Guardiani, & per communicationem ceteri Superiores locales ante decretū id potuerint per responsum tamen Illustriss. Cardinalis Toleti, de mēte Pontificis, omnis potestas reseruandi casus adēpta est superioribus, infra Prouincialem post decretū Ita ex nostris. *A Sorbo in annotationib. ad Compend. v. Absolutio ordinaria quoad fratres*, Coriolanus, *de casibus reseru. p. 1. sect. 1.* Crousers, *ad capitulo octauo reg. minor. lect. 13. fol. 608.* Fagundez, *precepto secundo libro octauo capitulo quarto num. 1.* Coriolan. Crousers. Fagundez.

Circa hos omnes casus aduertere oportet, quamuis in aliquibus eorum explicetur, necessariam esse materiam peccati mortalis, & opus externū nihilominus has duas conditiones in omnibus illis esse intelligendas; quia peccata uenialia sicut non sunt materia necessaria confessionis, ita nec propriè reseruationis; peccata autem merè interna etiamsi mortalia sint, secundum communem Ecclesiæ vsum non reseruantur, etiam in rigore reseruari possint. Ita Suar. *de relig. tom. 4. l. 2. c. 18. n. 2.* Coriolanus, *cit. articulo quinto.* Suarez. Coriolan.

§. 1.

Circa primum casum, id est, *Veneficium*, sciendum est significare propriè ueneni procurationem, etiamsi non habeat magicum quid coniunctum, & esse casum reseruatum, licet ex ueneno procurato & propinato non fuerit mors secuta, suffi. it enim quod venenum reipsa procuretur, & amplicetur, vel propinetur. In hoc ergo casu cōprehenduntur ea opera magica, quæ maleficia vocantur de quibus abunde agimus *v. Maleficium* Fagund. *c. c. 4. numero septimo octauo* Portel *de du. reg. v. reg. v. veneficia n. 1.* & *2.* Homobonus *parte tertia de casibus reseruatis, cap 2 sect. 1.* Fagundez. Portel. Homo. bonus.

Per *Incantationes* hic accipiuntur ea uerba uel dæmonis arte adinuenta, uel ad eius placitum instituta ad quolibet faciendum, siue illud sit sanitas, siue morbus siue ludicrū, siue ad dæmonem inuocandum, cogendum, aut aliud quippiam faciendum, ope dæmonis tacitè uel expressè inuocata, & in hunc casum incidit, qui incantatoris opera utitur, sub casu comprehenduntur omnia opera magiæ superstitiosæ, de quibus uerb. *Magia* Caietanus *in Sum. v. incantatio* Fagundez *c. n.* 10. Portel *c. n* 10. Caietanus. Fagundez. Portel.

Per *Sortilegia*, intelligitur ille usus sortium, quarum directioni præest diabolus pacto expresso, uel tacito inter diabolum, & mittentem sortes, siue illæ sint diuisoriæ, siue consultoriæ, siue diuinatoriæ; Item omnis diuinatio, in qua interuenit tacita, vel expressa dæmonis inuocatio, siue fiat per terram, siue per aerem, aquam, uel ignem, vel alia quæque, vt videre est *v. Diuinatio*. Sortilegij etiā peccatum admittit, qui sortilegos consulit, & eorum opera vtitur. Suarez. *de relig tom. 1. tr. 2. lib. 2. c. 12.* Sanchez. *lib. 2. mor. c. 38. n. 88. 89.* Fagundez, *c. n. 12. & seq.* Portel *c. nu. 14.* Graffijs *de casibus reseru. lib. 3. c. 1.* An autem Astrologia iudiciaria comprehendatur sub hoc casu, maximè si absq; vlla diaboli opera fiat? affirmat Coriolanus, negat Crousers; mihi tamē videtur cōprehēsus, cū sine tacito cū dæmone pacto vix possit exerceri, de qua vide *v. Astrolog.* Suarez Sanchez Fagundez. Portel. Graffijs.

Porrò sub his tribus speciebus superstitionum expressè prolatis, & in decreto positis, comprehendi cæteras omnes species, quæ sunt peccata mortalia, docent Quaranta *in Sum. bul v. casus reseru.* Syluius, *in supplement. q 20. ar. 2. q. 2.* Coriolanus, *c. p. 2. in 1. casu* idque ex identitate, vel maioritate rationis, quia sunt eiusdem generis, & potius inclusio similium peccatorum quàm extensio; vnde Petrus Marchantius, *in c. 7. reg. Minor. tit. 2 q. t. a. 1.* ponit regulam generalem, quòd, omnis actus maleficij, magiæ, aut cuiusuis superstitionis, per quæuis signa, siue sacra, siue naturalia fiat, si ex aduertentia, & deliberatione sufficiente fiat, & io materia, quæ sit peccatum mortale, est casus inter regulares reseruabilis Crousers, *cit. lect. 13 fol. 609.* tamen putat non comprehendi, nisi sunt species subalternæ alicui dictarum trium. Alij docent hunc casum præcisè comprehendere tantùm species ibi enumeratas, & ad aliàs non extendi; quia reseruatio casuum stricta est interpretanda secundum propriam significationem verborum, ita vt non possit fieri extensio, aut inclusio eorum, quæ termini formaliter accepti non significant, aut non includunt in sua significatione. Quare prædictæ tres voces nō debent extendi ad alias species superstitionis, quas propriè non significant, siquidem lex non plus obligat, quam verbis exprimat Ita Bordonus, *in cons. reg. resol. 40. num. 1. & seq.* & alij non improbabiliter apud quos plura de hoc casu. Sed prima sententia vt verior, & communior est amplectenda. Quaranta. Syluius. Coriolanu P. marcha. Crousers. Bordonus.

§. 2.

Quoad *secundum casum* nota ex Suarez, *de relig. tom. 4. lib. 2. c. 18. n 4.* Fagundez, *pracept. 2. lib. 8. c. 5. n. 1.* Tāburr. *de iure Abbat. tom 2. disp. 13. q. 2. n. 15.* Graffijs, *c. c. 2. nu. 6.* non sufficere quemcumque exteriorem actum Apostasiæ licet enim quis deliberato animo apostatandi exuat habitum regularem, & sæcularem induat, & curet, ac tentet egredi septa monasterij, & tandem id non exequatur, quia mutat voluntatem, vel etiam quia non potest, non incidit in casum reseruatum; tum quia non peruenit ad statum, & effectum, quem Pontifex designat, tum quia antea non potest illa dici apostasia exterior. Talis tamen posset incidere in excommunicationem, *c. vt periculosa, ne clerici, vel monachi, in 6.* propter illam temeratiam habitus regularis dimissionem. Suarez Fagundez Tamburr. Graffijs.

Sed quæres, quot passibus debeat abesse religiosus professus extra septa Conuentus, vt afficiatur reseruatione? Resp. id relinqui communiter arbitrio prudentis confessarij, vt insinuat Coriolanus noster in fine huius casus. Nihilominus resoluunt alij religiosum egressum de facto per aliquos paucos passus statim reuertentem, non esse apostatam, eo quòd per illum breuem exitum, non peccauit mortaliter. Et id probatur in ordine ad casum reseruatum, aut censuras, seu aliam pœnam. Tum quia licet huiusmodi de facto iam egressus peccauerit mortaliter ex deliberata apostasia, vt supponitur, tamen hoc non sufficit ad incurrendam pœnam censuræ, aut casus, sed præterea necesse est, quod peccatum etiam exterius consummetur in ratione apostasiæ, quæ formaliter consistit in retrocessione, & recessu; breui autem reuersurus, seu reuersus nō dicitur recessisse. Citatur pro hac sententia Nauarrus, *consil. 1. de apost. ar. n. 8. in fine*, Graffi *s. c n. 46.* Bonacina, *de claus. q. 2. punct. 11. §. 1. n 1.* Bordonus, *c. res. 41. n. 7.* Nauarrus Graffius. Bonacina Bordonus

An autem sit Apostasia reseruata Apostatare è domo, vel loco, vbi fratres morantur dum fabricatur Mo-

Crousers, Tamburi.

nasterium, vel à domo alicuius sæcularis. Affirmat noster Crousers, *c. lect.* 13. *fol* 61, Tamburinus, *c. num* 16. quia talis fuga est desertio instituti religiosi, animo non redeūdi: & ipse deserens eò peruenit, vt sit extra septa Monasterij; *Per septa autem monasterij* intelligūt DD. quēlibet murū, aut septū intra quod noctu nō solet secularib. accessus patere. *Plura de hoc casu, v. Apostasia, num.* 4. *& sequent.*

§. 3.

Coriolanus, Fagundez.

Circa *tertium casum* tria sunt notanda, quæ concurrere debent: *Primum* vt egressio sit *nocturna*: vnde egrediēs in crepusculo diei, vel noctis, secundum Coriolanus, *c. p.* 2. *in Tertio casu* Fagundez, *c. n.* 22. non incideret in hunc casum, quia tales partes pertinent ad diem, non ad noctē non enim dicitur nox nisi sint tenebræ: quamuis noster

Crousers

Crousers, *c lect.* 13. *fol.* 612. arbitretur in hunc casum incidere egredientem vesperi, ante tenebras, de nocte verò, vel mane redeuntem ad conuentum; quia licet talis egressio, vt est in fieri, non sit nocturna, tamen verè nocturna est in facto esse. In dubio autem, an egressio facta fuerit in nocte, vel in vespere, aut in diluculo? in foru exteriori interpretandum est vt sit facta de die, vt sic pœna mitigetur *Secundum*, quòd sit *furtiua*; quæ idem significat quod sine licentia Prælati, etiamsi alij qui religiosi talis egressionis

Marchant.

sint conscij; contra Coriolanum, & Marchantium, *c. dub.* 3. qui existimant egredientem de nocte, sed nō occultè nō incidere in hunc casum; quando, scilicet, talis egressio potest probari per testes duos, vel tres religiosos non complices; Ratio autem nostra est, quia sicut ad hoc vt ablatio alicuius rei sit furtiua, satis est, quod fiat inscio, & inuito domino; etiamsi alii sint conscij furti; ita hæc egressio furtiua dicenda est, quamuis non sit omninò occulta. Ita

Suarez, Tamburin., Graffiis.

Crousers Et secundum Suarez, *c. lib.* 2. *c.* 18. *n.* 5. Tamburinus, *c. n.* 18. *&* 20. Graffiis, *de casibus reseru. lib.* 3. *c.* 3. illud peccatum non solùm est quasi furtum, sed quasi rapina in illo genere, generatim autem comprehenditur sub furtiuo egressu, quia fit inuito Prælato.

Sed quid si Prælatus noctu sic egrederetur? quid etiamsi ipse consentiat, tamen iniquè, & contra suum officium, & contra honorem Dei, & religionis? Quoad primum cēsent Suarez, & noster Crousers, egressum esse furtiuum, & in hac reseruatione comprehendi; quia licet Prælatus conuentus non habeat præsentem Prælatum, cuius volūtate regatur habet tamen regulam, & voluntatem superioris prælati, aut totius religionis, aut expressam, aut secundum rectam rationem præsumptam, respectu cuius talis egressio furtiua est, maximè si talis egressionis nemo nisi fortè complex, conscius sit. Quoad secundùm censet idem Suarez esse furtiuum, quia illa licentia iniusta est, & nulla, & ita nihil operatur. *Tertium requisitum* in decreto est; vt egressio fiat extra monasterium, seu conuentum, idest, septa monasterij, siue illa sint muri domus, siue sepes hortorum, prout in vnaquaque Religione clausura

Fagundez, Lezana.

imposita, & recepta est; vt docent Fagundez, *c. cap.* 5. *n.* 1. *&* 25. Lezana, *tom.* 3 *Summ. v clausura, n.* 4.

An autem paruitas temporis excuset à mortali. Respōdent aliqui affirmatiuè ex illa communi regula quòd paruitas materiæ excusat a mortali, & videtur hic locum habere; Cæterum in religionibus reformatis, vbi clausura rigorosè seruatur, egressio nocturna vt plurimum est peccatum mortale, quia transgressio clausuræ multùm obesse potest reformationi, vnde neque semihora, neque quadrans videtur excusare à mortali. Ita Bordonus, *in consregul. res.* 41. *n.* 7. *&* 10.

§. 4.

Crousers.

Circa quartum casum est notandum, quod per hanc reseruationem, non reseruatur omne illud, quod contra votum paupertatis est mortale, sed solum illud, quod habet annexam proprietatem, contra votum paupertatis. Crousers, *cit. lect.* 14. *fol.* 612. *Proprietas* autem in eo consistit, quod religiosus teneat aliquid occultè, & contra voluntatem expressam, vel probabiliter præsumptam Superioris, & etiam Domini ipsius rei. Ita Ioannes Andr. *in c.*

Ioan. andr. Nauarr.

Cum ad monast. de stat. monach. Nauarr. *lib.* 3. *cons. de reg.* *cons.* 75. *n.* 49. Coriolanus *p.* 2. *in* 4. *casu*, Fagund *præcept.* 2 *lib.* 8. *c.* 6. *n.* 1. vnde religiosus, qui aliquid accipit, retinet, vtitur aliqua re, vel quidvis aliud de illa facit, semper cum dependentia à voluntate superioris, nō est censendus proprietarius, nec incidisse in casum reseruatum, quamuis grauiter peccauerit accipiendo sine licentia, vt docet Doctissimus Syluius, *in supplem. q.* 20, *art* 2 *quæsit.* 2. Proprietas verò mortifera est, quando res appropriata est notabilis; Quænam verò quantitas requiratur, vt ea sine licentia Superioris vsurpata à religioso, ad peccatum mortale casus reseruati deueniatur; Communiter respondent Doctores eam quantitatem necessariam esse, & sufficere, quę necessaria est, & sufficit in sæcularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti; quæ verò quantitas sufficiat in sæcularibus ad constituendum furtum mortale quot sunt capita, tot sunt sententiæ, vt videre quis potest apud Malderum, 2. 2. *tr.* 4. *c.* 1. *dub.* 3. Clauem Reg. *lib* 9. *c.* 12 Bonacinam, *de contract. disp.* 2. *q.* 8 *p.* 1. *n.* 7. & alios, *Et in summa, v. Furtum,* 1. *n.* 4. & v. *Paupertas religiosa.* Mihi tamen maximè probatur quod docet Miranda, *tom.* 1. *q.* 8. *n.* 17. *concl.* 1. quantitatem notabilem in furtis religiosorum determinandam esse in particulari pro temporum locorum, Religionum, personarum, & aliarum circumstantiarum differentia, iudicio, & arbitrio boni viri; vnde Sanchez, *lib.* 7. *moral. c.* 20. *nu.* 3 *&* 6. Ioannes De la Crux, *de stat. relig. lib.* 1. *c.* 3. *dub.* 5. Fagundez, *præcept.* 2. *lib.* 8. *c.* 6. *n.* 7. sententia est inter omnes probabilior materiam notabilem in furtis religiosorum esse summam quatuor argenteorum, seu iuliorum, vel realiorum, quæ pro eodem accipiuntur, vide Dianam *p.* 1. *tr.* 6. *res.* 36. varias opiniones etiam referentem. Petrus autem Marchantius, *citatus dub.* 4. non condemnat vllum proprietatis moralis, nisi res appropriata tres saltem Iulios excedat, & ad florenū perueniat in re aliqua permanenti, & cuius valor à natura rei pendet, non ex opinione. In qua tamen quantitate omni determinationi præponit iudicium singulare boni, & prudentis viri; Fieri enim potest, vt ex circumstantiis loci, monasterij, abundantiæ regionis, consuetudinis, vsox inter probos, & timoratos maior etiam quantitas mortalem proprietatem non faciat.

Coriolanus, Fagundez. — Malderus, Clau. Reg., Bonacina. — Miranda. — Sanch., Ioannes De la crux, Fagund.

Dixit hic Author (in re permanenti) habenda est enim ratio rerum vsu consumptibilium, vt potus, & cibariorum in quibus occultè, & contra voluntatem Superioris consumendis, quandoq; plus displicet modus superiori, quàm voluntas contrarietur. Etsi voluntas contrarietur, quantitas, & pretium aliter attenduntur eò quòd sint obiecta frequenter liberalis donationis, & oblationis, aut quod in quotidiano victu, & potu, vix existimentur, aut appretientur. In quibus, sicut viri probi arbitrium magnifaciendum est, sic Fratri Minori specialior ratio ponderanda venit, quod altero aliquando peccato per pecuniam acquirantur contra cap. 4. Regulæ, aut quod vsum pauperem excedant. Hæc Marchantius. Sed circa hanc quæstionem, vide infra, *v. Paupertas religiosa. n.* 2. *&* 3.

§. 5.

Quoad quintum. Inquirendum est quid vocetur iudicium legitimum? Respondent Suarez esse quodlibet iudicium forense, quod secundùm leges, vel canones in suo foro, qui solet dici actus legitimus duarum personarum, sub eodem iudice. Numerantur autem hic iudicium regulare, & legitimum, ad excludenda iudicia priuata per conuentiones, vel arbitria particularia, incidit ergo religiosus in hūc casū quādo iuridicè, & legitimè interrogatur à Superiore, cui secundùm ius ad interrogata tenetur respondere, siue interrogetur vt reus, siue vt testis, si in responsione ad similia interrogata peieret: non foret autem casus reseruatus, si religiosus falsū iuret extra iudiciū, vel in iudicio quidem, sed non regulari, neq; legitimo; veluti si examinaretur à non suo Prælato, vel iudice legitimo; vel si peieret circa quęstionem de qua superior non potest illum obligare ad respondendum, vel si sit circa aliquid de quo non interrogatur; quia tunc illud iudiciū nō est legitimum licet appareat, & ideò nec illud est periurium in iudicio verè, sed tantum apparenter. Ita Quaranta, *in Sum. Bullar, verb. Casus reseruati in Casu* 5. Syluius, *cit. quæsit.* 2. Suarez,

Quaranta, Syluius.

a Suarez *de relig. tom. 4. lib. 2. cap. 18. n. 7.* Crousers *cit. lect. 15. fol. 622.* Fagundez *prac. 2. lib. 8. cap. 7. num. 1. 2.* Tamburinus *cit. disp. 13. quæst. 2. num. 23. & seq.* Graffiis *de casibus reseru. lib. 3. cap. 5.* De pœnis periurii; vide *Iuramentum* 5. Quando autem testis & reus teneantur veritatem fateri in iudicio? *Vide V. testis Reus.*

Suarez
Crousers
Fagundez.
Tamburin
Graffiis

Sed rogabis; *Primò* an regularis in iudicio legitimo ex ignorantia; seu ex conscientia erronea putans se iurare falsum, quod tamen verum est, incidat in casum reseruatum; Affirmant Fagundez & Graffius *citati.* Sed contrarium est verius, nam reseruatio cadit super actum externum periurum, sed talis actus verè talis non est, ergo nec reseruatus, cũ reseruatio sit odium, & iuxta regulam generalem odia sunt restringenda. Ita Suarez & alii citati *supra.*

Secundò, an si quis in legitimo iudicio, seruato ordine iuris, interrogetur de delicto proprio, veritatem cum iuramento neget, incurrat casum reseruatum? Resp. quòd ad vitandam infamiam, quæ ex veritate confessionis ei irrogari ob tale delictum posset: probabile est posse verbis æquiuocis veritatem negare assumpto etiam falso iuramento, nec Propter hoc incurreret in casum reseruatum, quia tunc non peccat mortaliter reus negando veritatem, & consequenter non adest materia reseruationis. Ita Fagundez *citatus hoc paragrapho num. 7.* qui refert optimam esse regulam in hac materia à Toleto traditam *lib. 4. c. 21. num. 6.* nempe posse reum tuta conscientia æquiuocè iurare, quoties per Superiorem petitur iuramentum ex ignorantia veritatis, quæ si sciretur, non peteretur.

§. 6.

Circa sextum casum pauca hic superaddenda, quia de illo egimus v. Aborsus. Notandum insuper est, quòd qui faceret abortire prægnantem percutiendo illam, non tamen intendendo aborsum, sed aborsu præter mentẽ eius ex percussione superueniente, non posset talis dici procurasse aborsum, quamuis, si fœtus animatus moriatur, sit homicida & irregularis. Crousers *cit. lect. 15. f. 624.* Similiter non incidit in casum religiosus, qui nesciens mulierem esse grauidam, dat ei potionem, propter quam postea illa facit abortum, quia secundùm Coriolanum *p. 2. in sexto casu* Tambur. *cit. num. 29. & sequent.* omnia copulatiuè debent simul concurrere, scilicet, quòd mulier verè sit grauida, quòd fœtus sit animatus anima rationali, quòd detur potio, & quòd detur tali fine & intentione.

Crousers.

Prætetea notanda sunt illa verba decreti, *Etiam effectu non secuto*, ex quibus infertur, tunc dici opus consummatum in hoc casu, quando mulier acceperit, id ob quod poterat sequi abortus, quamuis posteà ille non fuerit secutus, verum tamen est, quòd si aliquis ordinaret medicinam aborriuam, seu eam consuleret: mulier tamen stante commoditate, & consilio non sumeret, tunc qui ordinauit & consuluit abortum, non incurreret in casum reseruatum, quia sic non intelligeretur opus consummatum fuisse, nam in nostro casu pro perfectione operis requiritur applicatio. Porrò dum dicitur, *Auxilium seu Consilium*, patet, quòd non solùm ille, qui hoc procurat, verum & qui auxilium quoque modo præbet, siue circa potionem conficiendam, siue circa potationem ipsius potionis, siue persuadent mulieri, & adiuuet ipsam ad tale facinus, siue etiam ad hoc præstet consilium: nam semper peccat mortaliter, incidit in hunc casum, incurrit excommunicationem, imò & irregularitatem mortem fœtus secuta.

Coriolan.
Tamburin

Dubium primum esse potest, an si regularis meretricem per tecta introduceret in conuentum suum, & illa decidens moreretur vel abortiret; Quoad casum reseruatum negatiuè respondet Tamburin. *tom. 2. disp. 13. q. 2. nu. 37.* quia licet illa introductio sit illicita, non fit tamen intentionem abortus vel homicidii, quæ casualiter tunc euenit, ad casum autem reseruatum in abortu incurrendum, requiritur intentio abortus, vt *suprà* diximus. Multò minus incurreret regularis, si meretricem per viam planam introduceret, quia tunc nec etiam se exponit periculo abortus, quidquid dicat Coriolanus *citatus. Hac illa.* Vnde aborsus casualis non præuisus à religioso non inducit reseruationem.

Dubium secundum sit. An excusetur à reseruatione dubitans de animatione fœtus. Resp. si religiosus stante dubio procuraret aborsum, quem non tentaret, si probabiliter sciret esse fœtum animatum, non incidit, quia iste ex intentione non lædit fœtum animatum, licet postea ex accidenti inueniat animatum. Deinde casus dubius non est subiectus reseruationi. Ita Bordonus *in cons. reg. res. 45. quæst. 6.*

Similiter excusatur à reseruatione lædens fœtum inanimatum quem putabat animatum, quia ad incurrẽdum reseruationem requirit, vel læsio talis sit, non solum ex parte parantis, sed etiam ex parte læsi, cùm attendatur res prout est ex parte rei, non imaginatione. Bordonus *citatus quæst. 7.*

Dubium tertium. An Mandans comprehendatur in hoc casu; videtur enim quòd non, quia regulare est non subintelligi in pœnalibus, neque in reseruatione, nisi exprimatur, hic autem non exprimitur ergo. Dicendum tamen est Mandantem comprehendi sub illo verbo, *Procuratio*, qui enim mandat faciendum abortum, sine dubio dicitur hunc procurare, & ideo non excusatur à reseruatione. Et id est conforme Bullæ Sixti V. illis verbis. *Qui de cætero per se* ecce immediata procuratio sine mandato, *aut interpositas personas* ecce procurationem per mandatum, Ita Bordonus *c. q. 10.*

§. 7.

In septimo casu per Manum, intelligitur ipsa alicuius scriptura, vel signum scriptum, seu chirographum, vt docet Crousers *cit. lect. 25. fol. 625.* Suarez *cit. cap. 18. num. 8.* Coriolanus *cit.* Fagundez *pracep. 2. lib. 8. cap. 7. num. 21.* Tamburinus *c. num. 39. & seq.* Nomine autem officialiũ comprehenduntur & Prælatus ipse, & omnes qui sub illo habent aliquam administrationem personarum aut bonorum conuentus, vt sunt Vicarius, Subprior, vel in Societate Minister Procurator, & si quis sunt alii similes: A fortiori comprehenduntur Prouinciales & Generales iuxta mentem Pontificis, quia eò falsificatio grauior esset & magis perniciosa religioni. Falsificatio autem Scripturæ eiusmodi fit, non solùm imitatione, dum scilicet, signaturam quis imitatur malo fine; vel aliquid literis additur, sed etiam cùm aliquid, quo sensus intentus mutatur, detrahitur, vel eraditur ex eis, imò etiam applicatione veri sigilli Superioris ad falsas literas. Falsificatio autem sigilli est, quando aliquis ad imitationem sigilli religionis vel officialium eius, aliud effingit, vt eo vtatur: vel illud appendit, vel affigit literis, siue verè, siue falsò sint superioris vel officialium monasterii. Vnde iuxta Quarãtam *cit. v. casus reseruati.* Syluester *v. Falsitas num. 1.* Tabiena *v. Falsarius*, & alios ad esse falsificationis quæ sit punibilis, requiruntur hęc tria, mutatio veritatis cum dolo & iactura; hinc in scriptura quæ fidem non facit, non committitur falsificatio punibilis in foro externo; Nihilominus iuxta Coriolanum *cit. part. 2. in septimo casu.* Syluium *in supplem. quæst. 20. art. 2. quæsit. 2.* ad casum reseruatum sufficit quod sit mutatio veritatis cum dolo seu cum animo inferendi damnum, licet illud non sequatur quia per falsificationem manus vel sigilli iam est opus consummatum. Vide plura v. Falsarius.

Crousers
Suarez.
Fagundez
Coriolan.
Tamburin

Quaranta.
Syluest.
Tabiena.

Coriolan.
Syluest.

Sed quæres, an qui furatur sigillum Superioris vel cõsimile fabricare facit, animo consignandi scripturam, tamen vel quia eum pœnituit, vel alio impedimento detentus, scripturam non consignat, incidat in hunc casum? Resp. negatiuè. Ratio est, quia licet hæc furtiua ablatio, seu fabricatio sigilli ad malum finem ordinata, sit graue peccatum, tamen non est propria falsificatio, quia hæc respicit literas consignatas, ad hoc vt effectus censeatur consummatus & materia reseruationis in hoc casu. Ita Suarez *tom. 4. de relig. lib. 2. c. 18. n. 9.*

Suarez

Dubium prætereà est, an si scriptum quod falsò consignatur sigillo Monasterii, seu publico, vel officialis, non pertineat ad monasterium, sed sit Epistola familiaris v.g. falsò alteri attributa, tale peccatum sit reseruatum; Resp. si materia sit leuis, vel non consignaretur animo inferendi

di damnum, non esset casus reseruatus, quia illa non est falsificatio signi officialis vt sic, cùm tamen reseruatio intelligenda sit respectu officialis formaliter, nam respicitur, non persona eius, sed munus & officium. Si autem talis falsificatio concerneret scripturam continentem materiam sufficientem ad peccatum mortale, tunc esset reseruata. Ratio est, quia simpliciter hæc scriptura sit consignata est contra fidelitatem debitam tali personæ ratione muneris, & est iniuriosa non tantum personæ, sed etiam officio. Ita Suarez *citatus*.

Suarez

§. 8.

Circa octauum casum, notandum est, per furtum, comprehendi etiam rapinam, latrocinium, & quamlibet inuito domino vsurpationem detentionem, & vsum rei. Per *res monasterii* intelligi etiã res ad vsum fratrum particularium assignatas, vt libri concionum, & alia huiusmodi, quia quod res sit applicata ad vsum vnius fratris, non tollit, quin absolutè loquendo, sit monasterij, vel conuentus; quin potiùs, licet priuatus religiosus habeat vsum eius cum facultate donandi illam etiam extra religionem, nihilominus furati illam, erit reseruata culpa, si mortalis sit, quia quando illa res non est consumpta, vel alienata extra religionem, semper est monasterij, quoad proprietatem & dominium, vel saltẽ quoad principalem administrationem & dispensationem, vt monasteria comprehendantur quæ in communi proprietatẽ non habent, & sic dicitur ab ipso Pontifice fuisse declaratũ. Ita Suarez *de relig. to. 4. li. 2. c. 18. n. 11.* Sorbus *in addit. ad* Compend. *v. Absol. ordinar. quoad fratres.* Coriolanus *c. in Octauo casu.* Tamburinus *c. disp. 13. quæst. 2. nu. 45. & seq.* Graffiis *de casibus reseru. l. 3. c. 7. n. 26.* Homobonus *c. cap. 5. sect. 2.* Peyrinis *to. 2. q. 3. c. 2. §. 1. n. 51. 52. & 53.* Bordonus *c. resol. 47.* Vnde incurrit in hunc casum, qui furatur scripta aliorum, vt transcribat & postea restituat. Præterea si furtum sit rerum, quæ ministerio Ecclesiæ deseruiunt, vt sunt libri, patenæ, calices, corporalia, reliquiæ &c. esset sacrilegium, sicut si Prælatus ea venderet in casu illicito.

Suarez, Sorbus, Compend. Coriolan. Tambur. graffiis, Homob. Peyrin. Bordonus.

Quantùm spectat ad quatitatem sufficientem, vt illud furtum mortale sit, superiùs in casu quarto tactum est, nam hoc peccatum semper habet adiunctam malitiã proprietatis, cum furtum est rerum monasterii, non tamen furtum rerum, ad sæculares pertinentium, quia posset esse factum contra superiore, & tale furtum non comprehẽditur in decreto. Vnde religiosus fur nõ incurrit eas omnes pœnas, quibus subiicitur proprietarius, quia hæc duo delicta quandoque distinguuntur, ita ratio dictat, vt pœnæ quoque distinguantur, ideò fur, qui etiam proprietarius non iudicatur, non est puniendus pœnis proprietarii, neque è contra proprietarius pœna furti.

An autem fures rerum Monasterii incurrant pœnas occupantium bona Ecclesiarũ, de quibus Tridentinum *sess. 22. cap. 11.* scilicet excommunicationem reseruatam Pontifici, Affirmatiuè respondet noster Crousers *c. lect. 15. fol. 627.* quod & mihi satis probabile est, Vide v. *Furtum 2. num. 6. & v. Paupertas numero 3. & seq.*

Trident. Crousers

§. 9.

Quoad nonum casum, tria concurrere debent Coriolanus *part. 2 in nono casu,* Suarez *citat. num. 12.* nempè *Lapsus carnis,* qui nihil aliud est quàm seminis emissio, & quòd sit *voluntarius.* Ad hoc autem, vt aliquid sit voluntarium, non est satis quod voluntas illud velit, sed requiritur, vt valendo influat in illud.

Coriolan. suarez.

Vnde satis probabile est vt dicemus v. Luxuria *nu. 14.* non esse peccatum pollutionem desiderare simplici affectu causa alicuius boni effectus cum ea coniuncti, vt sanitatis, causa sedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animi, &c. modo ex tali desiderio seu volitione non sit nata sequi pollutio, siue nullam vim habeat talis volitio ad inducendam pollutionem, vnde hoc desiderium ad pollutionem debet esse omninò inefficax, Diana *part. 3. tract. 3. resol. 87.* Sanchez *l. 1. mor. cap. 2. n. 18.* Layman *li. 3. sect. 4. nu. 17.* Fernandez *in exam. part. 4. cap. 2. §. 4. n. 3.* Reginaldus *libr. 22. numer. quadragesimoprimo.*

Diana, Sanchez, Layman, Fernandez

Tertium quod concurrere debet, esse, vt hic lapsus sit *opere consummatus* Syluius *in suppl. q. 20. art. 2. quæsit. 2.* Quaranta *c. v. casus reseruati,* Bordon. *in consil. regul. resol. 48. num. 17.* Crousers *c. lect. 15. fol. 629.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. disp. 13. quæst. 2. num. 51.* Graffiis *de casib. reseru. lib. 3. c. 8. n. 3.* Per vocem *opere* non intelligitur tantum quælibet copula, qua intercedente semen emittitur, nec ista vox accipitur tantùm secundùm rationem causæ formalis, vt significet ipsammet seminis emissionem reipsa consummatam, sed accipitur etiam secundum rationem medii, quo quis inducitur ad seminis emissionem, quale medium est tactus inhonestus, seu libidinosus sui, vel alterius, vnde etiam in prima persona potest contingere lapsus carnis reseruatus quomodocumque procuretur per actus exteriores quia illud peccatum habet propriam speciem in qua consummatur, iuxta Doctrinam D. Thomæ, & hoc satis est vt sit reseruatum quãuis non perueniatur ad consummationem illius actus, quẽ fortassè peccans intendebat, vel in quem natura sua actus impudici ordinabantur, copulam scilicet carnalem; hinc communiter Doctores per *Lapsum carnis,* docent comprehendi omnes species peccati carnalis, de quibus D. Thomas 2. 2. q. 154.

Reginal. Syluius, Quaranta, Bordonus, Crousers, Tambur. graffiis.

Et quamuis pollutio semper sit eiusdem speciei, siue per solam cogitationem intensam rerum venerearum ex propositò procuretur, siue per externam procurationem, vt diximus v. Luxuria *n. 18.* quia hæc omnia materialiter vel per accidens se habent ad uoluntarium pollutionem absq; concubitu quocumque Bonacina *de matrim. quæst. 4. p. 10. numer. 15.* Nauarrus *c. 16. numer. 6.* Azorius *3. part. lib. 3. cap. 23 quæst. 2* Filliucius *tract. 30. num. 155.* Tamen vt sit casus reseruatus, debet procurari per aliquem externum actum mortaliter libidinosum, scienter, & voluntariè, ad quem nata est sequi seminis emissio quantumuis quis non intendat actu scilicet elicito, seminis emissionẽ, sed solam delectationem, ab actu ipso externo inseparabilem, imò quamtumuis actu elicito auersetur seminis emissionem, vt rectè docet noster Crousers *cit. lect. 15. fol. 628* Coriolanus *cit.*

Bonacina, nauar. Azorius, filliucius.

A. Crousers, Coriol.

Ex quo infertur, quod si sequatur præter intentionem pollutio ex actu non libidinoso, vt est tactus chirurgi, ex sola medendi causa, vel ex actu alias prohibitio, puta ex nimio potu & crapula, vel ex actu externo venialiter tantùm libidinoso, quando scilicet vel ob imperfectam deliberationem est talis, vel quia ex natura sua leuiter ad libidinem prouocat, non est materia casus reseruati, quamuis si intendatur deliberatè per hos actus, mortaliter peccetur. Ratio est, quia illi actus quamuis exteriores & libidinosi, non habent talem ordinem aut connexionem ad pollutionem, ut per voluntarium illorum exercitium dici possit quis eamdem velle procurare, quæ si ad illos aliquando sequatur, ualde accidentarium est rarum contingens, Syluius *2. 2. quæst. 154. art. 1. concl. 2.* Bonacina *c. part. 10. num. 9.* Diana *part. 2. tract. 1. resol. 31.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 14. n. 100.* Filliucius *tract. 30. cap. 8. num. 152.* Sanchez *de matrim. l. 9. disp. 45. n. 18. & sequent.*

Syluius, Ponsenia, Diana, Lessius, filliucius, Sanchez.

Sed petes, an aspectus libidinosus computandus sit inter actus exteriores quibus pollutio inducta sit casus reseruatus? Resp. si aspectus sit solius faciei, vel personæ decenter uestitæ, non esse uti nec mortalem, ita neque reseruatum quia huiusmodi aspectus de se leuiter tantum in libidinem prouocat; unò etiamsi ex praua aspicientis affectione & intentione prouocaret grauiter nihilominus non uidetur censendum tale opus externum libidinosũ, ut per illud dici possit lapsus carnis, tanquam externo opere consummatus. Tamen si aspectus denudati in fœminas corporis, aut potioris partis ad libidinem allicientis, in qua impudicitia locũ tenet, cũ pollutione sit iũctus, uidetur esse casus reseruatus, quia talis aspectus non solũ est opus, uel actus externus, sed etiã manifestè, & exterioriùs testatur libidinem mortiferam. Vide Dianã *p. 4. tr. 4. res. 61.* quod intelligendum est si aspectus fiat cum aliqua mora, ut dicetur *verb. Impudicitia num. 14.* Proinde Henriquez *l. 6. c. 14. num. 6.* Iacob. *lit. 1.* Granado *2. 2. contr. 1. tract. 15. disp. 13. num. 12.* docent non reseruari, neque subiici excommunicationi peccatum, nisi quod secundùm quan-

Diana, Henriquez, granado.

quantitatem operis externi, & non sola relatione ad confessum internum, certò constet esse mortale; vt etiam dicetur infrà *v. Excommunicatio VII. §. unic. n. 2. vers. Petes tertio*.

Ex dictis collige, quòd pollutiones, quæ simpliciter voluntariæ non sunt, vt quæ contingunt semidormientibus & semiebris; non possint reseruari, quia solùm potest reseruari lapsus carnis voluntarius; Nec item est reseruabilis pollutio inchoata & perfecta in somno. Nec item si inchoata, & è lumbis excisa in somnis, in vigilia compleatur, etiamsi ad vitandum morbum, aut alleuiandam naturam, eam retinere minimè curaret, vel omninò nollet, nam magis attendendum est principium, quàm finis. Et multò minùs sunt reseruabiles, quæ non aduertente, aut reluctante ratione contingunt, vt in confessario audiente confessiones talium rerum, vel ex subito aspectu formosæ mulieris, vel ex delectatione in parte merè sensitiua; quia his omnibus casibus, vel deest omninò voluntas, & nullum adest peccatum, vel, si aliqua adest aduertentia non est perfecta, & consequenter non est plus quàm venialis, quod intellige, etiamsi in actu pollutionis adsit delectatio.

Plura de hac materia cernere licebit, *v. impudicitia*, *v. Luxuria n. 12. & §. sequenti*.

§. 10.

In decimo casu notandum est grauem percussionem dici, quæ coniuncta est cum graui læsione vel iniuria, vt enim membri mutilatione vel cum magna sanguinis effusione, quæ non proueniat è naribus, sed aliundè, vel cum magno vulnere aut ictu, quamuis parum sanguinis exeat imò grauis percussio in se censetur debilitatio membri, cicatrix relicta, fractio dẽtis, depillatio in quantitate, trũcatio digiti. Leuis percussio in se fit grauis ratione personæ percussæ; qualis est quæ fit in proprium Episcopum, aut Abbatem, Generalem, & Prouincialem, Guardianũ, Priorem Rectorem, & in sua absentia; ministrum seu vicarium loci, &c. aut quando percussio est valde ignominiosa attentis qualitatibus personarum, & aliis circumstãtiis, vt si personæ graui impingeret quis alapham; vnde per grauem percussionem non intelligitur tantùm iniusta, seu iniuriosa, enormis, sed quælibet iniusta, seu iniuriosa; quæ sit peccatum mortale, quæ cum in clericum cadit, habet annexam excommunicationem Canonis, *Si quis suadente diabolo*. In hunc autem casum incidit non solum, qui per se, sed etiam qui per alium vulnerat, percutit, adiuuat, ministra fustem *Doctores in cap. peruenit, & in cap. cum illorum, de sent. excomm.* Nauar. *cap. 27. n. 91.* Toletus *lib. 1. c. 32. nu. 2.* Coriolanus *cit. part. 2. in decimo casu.* Reginaldus *lib. 1. nu. 241.* Crousers *cit lect. 16. f. 635. 636.* Suárez *de cens. disp. 22. sect. 1. num. 88* Fagundez *præcept. 2. lib. 8. c. 7. nu. 24.* Tumburinus *cit. num. 58.* Quando nam occisio sit peccatum mortale, vide *verb. Homicidium 1. & 2.* Porrò circa clausulam, *cuiuscumque personæ*, rectè obseruat noster Crousers, quod ex quo ipse Pontifex, occisionem, vulnerationem seu grauem percussionem cuiuscumque personæ, siue sit secularis, siue regularis & Ecclesiastica, facit reseruabilem à Prælato regulari, non esse deinceps reseruatum casum Papæ quia, inquit, frustra Pontifex concederet Prælato regulari potestatem reseruandi hunc casum, si maneret Papæ reseruatus, respectu Prælati regularis.

Nauar.
Toletus.
Coriolan
Reginald.
Crousers.
Suarez
Fagund
Tamburin

Non incidit in hunc casum mortuum vulnerans, aut percutiens, quamuis grauissimè peccet, quia homo mortuus est æquiuocè homo, cùm homo sit viuens constans ex anima & corpore, neque præterea dicitur persona, ex cuius percussione incurritur Casus. Ita Graffiis *de casibus reseruatis, libro tertio, super hunc casum numero decimoquinto*. Bordonus, *resolution. 49. numero septimo*:

Graffiis.
Bordonus.

Seipsum vulnerans uel percutiens incidit in hunc casum, quia hic reseruatur lesio corporalis cuiuscumque personæ, ergo etiam sui ipsius, cùm lædens seipsum dicatur lædere personam; Deinde religiosus seipsum percutiens, ex communiori sententia incidit in excommunicationem canonis ergo etiam in casum reseruatum Coriolanus *cit. part. 2 in decimo casu numer. octauo & 18.*

Ledens alterum consentientem, non excusatur ab hac reseruatione, quia ex consensu alterius non excusatur a peccato, cùm patiens non sit dominus membrorum suorum, neque à reseruatione, illius enim velle cum illicitum, & nullum sit, non potest suffragari percutienti excusando illum à reseruatione. Ita Floronus *de homicid. casu 4. §. 1. nu. 15.* in simili.

Coriolan.
Floronus

Non incurrit hunc casum religiosus lædendo proximum metu graui coactus, licet peccet mortaliter, quia perpetrat rem intrinsecè malam, à qua non excusat quiuis metus etiam mortis; non tamen dicitur voluntariè simpliciter lædere, cum metus auferat volũtarium, quod requiritur absolutè tale ad incurrendum hunc casum. Ita in simili Floronus *c. n. 16. & 27.*

Porrò dans venenum vel maleficio lædens proximum si non sequatur mors, non incurrit hunc casum, quia ex huiusmodi lætione non sequitur mors; neque vulneratio neque percussio aut verberatio, quæ actiones hic reseruantur Maleficus tamen incidet in primum casum. Ita Bordonus *resol. 49 n. 15.*

Floronus
Bordonus.

De excommunicatione lata contra percussores clericorum, vide *v. Excommunicatio 7. §. vnico*.

Notandum est circa hunc casum, quòd occisio, vulneratio, seu grauis percussio debet esse voluntaria, & facta cum dolo & malo animo, quare occisio, percussio, &c. facta à dormiente, amente, vel furioso, & simpliciter, actu indeliberato, non est materia reseruationis, nec peccatũ murtale. Imò si religiosus occidat aliquem, vt seipsum defendat cùm moderamine inculpatæ tutelæ, non incurret casum reseruatum, quia de iure naturæ licet vim vi repellere, & vita propria præferenda est vitę alterius; Imò non incidet in hunc casum religiosus, qui inuasorem, quem per se potest occidere, per alios occidi mandat, quia eo modo, quo potest, vitam propriam seruare tenetur L. Gracchus; Cod. *de adult.* In hoc tamen casu, qui ex mandato inuasi occiderent inuasorem incurrerent irregularitatem, & inciderent in casum reseruatum, nam licet vita propria sit aliis præferenda, non tamen vita vnius præferenda est vitæ alterius.

Maius dubium hic venit discutiendum, an scilicet, cum reseruatur homicidium, vel aborsus effectu secuto, casum habeat reseruatum ille, qui percussit mortiferè animo occidendi, & aborsum pro uiribus procurauit; & statim confitetur, & posteà peracta confessionẽ, sequitur homicidium, uel aborsus?

Pro responsione uidetur dicendum talem habere casum reseruatum, quia percussio ita influit in mortem, & procuratio efficax aborsus in aborsum, ut numquam satis bene explicari possit tota malitia eius, nec à confessario intelligi ante effectum secutum mortis, aut aborsus, nam ante mortis aut aborsus effectum secutum, non est casus reseruatus, post illum iam est reseruatus, Signum ergo euidens est ante mortis & aborsus effectum non posse satis bene explicari totam malitiam actus.

Nihilominus verius & probabilius est, non esse peccatum reseruatum secuto postea homicidio, aut aborsu; nec teneri percutientem, aut aborsum procurantem in conscientia, postea iterum confiteri. Ratio huius sententię est quia nemo tenetur peccata semel ritè confessa, iterũ confiteri. Sed hic percussor mortiferus, & procurator aborsus, ritè confessi sunt sua peccata & rectè explicarunt suã occidendi uoluntatem & ritè ac rectè sunt absoluti ab ipso confessario, quia non habebãt casum reseruatum, ante enim effectum subsecutum, nec homicidium, nec aborsus reseruatus erat, ergo non tenentur iterum de illo peccato confiteri, quia effectus postea subsecutus naturaliter sequitur ex causa data, non liberè, nec uoluntariè, quia uoluntas illius effectus iam satis fuit recisa per pœnitentiam, & peccatum dimissum per Sacramentum ipsius confessionis.

Tum quia quoties homicidium non est opus morale, sed naturale, nulla est obligatio confitendi illud, sed in nostro casu homicidium non est opus morale uolũtatis, sed naturale ex causa applicata, ergo confesso peccato causæ, non manet obligatio confitend peccato effectus. Ita docent expressè Azorius *tom. 1. lib. 1. cap. 7. in fine* Henriq

lib. 5.

lib.5.de pœnit.cap.5 nu.5. lit.Z. Et in simili de pollutione Graffiis 1.*part. lib.2. cap.87. num.*14. Rodriquez *tom.*1. *Sum.cap.*210. contra Sanchez *lib.9. de matrim. disp.45. num.29.* Sotus *in 4.dist.12.quæst 1.art.7.* Talis tamen sæpè incideret in pœnas iuris humani ob effectum ex culpa enatum, etiamsi quando subsequitur, voluntarius aut peccatum non fit. Pari modo nascitur obligatio restituendi damna ex eo effectu creata, quia hæc obligatio potius oritur ex ipso effectu, quo damnum est alteri illatum quàm ex voluntatis affectu.

Sotus

Sed circa similem casum ne desinas videre Dianam, *part. 3.tract.6 resol.*52. Vbi agit, an facta ebriorum reputentur ad culpam.

§. 11.

Circa vndecimum casum, ponderandum est illud verbum Malitiosum, id est, quod mala intentione est profectum, & ad malum tendit, siue superiorum, siue inferiorum, siue illud malum sit aliquid positiuum, siue priuatiuum Crousers *cu.lect.16.fol.*637. Coriolanus *cu pa.2.in vndecimo casu* & iu xta Suarez *de relig. tom4. lib.2. c.18. n.*13. Fagundez *precept.2. lib.8. cap.7. num.*25. 26. Tamburinius *c.num.59.& seq.* Lezana *tom.1.Summ c.8. n.*30. Peyrinus *tom.1.de subau.q.2.de paupertat.cap.2. §.* 13. Malitiosum, non tantùm significat fieri cum graui culpa, sed etiam fieri ex malitia, id est, ex directa intentione impediendi effectum literarum, & retardandi illas.

A.Crouser. Coriolan. Suarez Fagundez Tambur. lezana. Peyrinus.

Notandum etiam non incidere in hunc casum, illum, qui legit tales literas, absq; eo quòd aperiat, vel qui inaduertenter aperit, existimans illas ad se missas, vel qui cum tacito mittentis consensu eas aperit, perlegit, ut quia est suus familiaris, vel qui bona fide speraret in ratihabitione eius, cui mittuntur, incideret tamen, si aperiri faciat ab alio vt legat, etiamsi non legeret, vel si aperiret literas Prælati non sui ad subditum, vel subditi ad Prælatum, quia in bulla non requiritur quòd Prelatus sit etiam Prælatus aperientis, sed solùm quod sit Prælatus eius ad quem scribit, vel eius, qui ad ipsum scribit.

Similiter in hunc casum nō incidit, legens, vel aperiēs vel etiā retardans, aut comburēs literas Superioris, ex quibus probabiliter quis sibi timet iniustum aliquod malum Ita Fagundez *qui citat.* Syluestrum *v. Falsarius num.2.* Nauarrum *in Man.cap.18, num.*53. D. Antoninum 2. *p. tit.1.c.22. §.5.* Tamburinium *c.num.*62. Quod procedit etiamsi quis promiserit fideliter se illas daturum, & iuramento id firmauerit. Ratio est, quia eò ipso, quòd iniustæ sunt, & iniustitiam continent, promissio & iuramentum fuit nullum, nam iuramentum non est vinculum iniustitiæ, nec contra bonos mores factum obligat. Eiusdem sententię est L. Portel *de dub.regul.verb. Litera Prælatorum num.*10. Bordonus *resol.*50. *nu* 9 docens, quòd subditus sciens moraliter in quadam Epistola ad Prælatū contineri falsam, & iniustam querelam contra se posse absque peccato, etiam non reseruato talem Epistolam retardare, impedire, vel aperire, quia vtitur defensione naturali. Si enim hæc defensio, vel obuiatio mei damni iniustè inferendi à Prælato me excusat (inquit) à peccato mortali, etiam me liberat à reseruatione, quæ non ponitur nisi pro peccato mortali. Si verò damnum, vel punitio in literis mandata, sit iusta, & mihi debita, vel informatio subditi sit vera, erit mortale reseruatum, aliquid ex illis facere circa literas, iam enim facio animo iniusto, & malitioso, impediendo actum iustitiæ. Hæc ille. Imò addit Molina *tract.4.de iust.disp.36 n.6.* idem posse quemuis efficere aperiendo literas ex quibus scit damnum alteri proximo iniustè parari.

Syluest. Nauar. D. Anton. Tambur. Portel. Bordonus. Molina.

Quale autem peccatum sit aperire literas alterius, vide *v. Secretum num.7.*

Est insuper adnotandum, quòd, etsi in hac bulla facultas fiat Capitulis Generalibus & Prouincialib. reseruandi alios casus ab expressis in Bulla, dicta tamen facultas sit reuocata per Paulum V. qui voluit vt nulli alii casus reseruentur posthac, nisi qui expresse specificantur in decreto hoc Clementis, vt testatus est ex mente Pontificis prædicti Adm.R.P. noster Generalis Romæ in Capitulo Generali anno 1608. & tradit noster Crousers *c.lect.*17.

41 An casus reseruati in religione habeant locum in nouitiis & an confessarius sæcularis ab Episcopo approbatus, possit ipsos absoluere à peccatis reseruatis in religione, dubium est, Doctores enim in tres sentētias abierunt. Prima sine distinctione docet nouitios non posse à reseruatis absolui sine licentia Prælati per confessarium secularem. Ita Corduba *in qq.l.1.q.*30. Tambur. *de iure Abbat.tom.2.d.6.q.6.nu.*11. & ex nostris Vecchis *in praxi disp.9.du 3.n.3.* Crousers *ad c.7.re.Mid.lect.17. fol.649.* Layman *l.4.tract.5.cap.4. numer.4.* quia nouitij pro eo tempore sunt commissi iurisdictioni religionis, & censentur mutasse domicilium & territorium, præsertim quoad ea, quę spectant ad Sacramenta necessaria, & licet non sint propriè religiosi, sunt tamen propriè subditi, quia ad hoc vt subsint iurisdictioni Prælatorum, non est necesse, vt votum obedientiæ emiserint, sed satis est, quòd assumptione habitus se prælatis subiecerint. Hęc sententia est satis probabilis.

Corduba. Tambur. Crousers Layman.

Secunda opinio distinctione vtitur, & concedit nouitium quidem posse liberè confiteri cuicumque confessori priuilegiato, habenti iurisdictionem à Papa, non tamen habenti tantum iurisdictionem ab Episcopo. Ratio prioris est, quia nouitii, in priuilegiis concedentibus facultatem absoluendi quoscumque fideles, sub appellatione fidelium comprehenduntur, & exceptio, quæ fit de religiosis non habentibus facultatem prælatorum, non complectitur nouitios, quia reuera religiosi non sunt. Ratio posterioris est, quia nouitius ita mutat domicilium; vt omninò fiat extra iurisdictionem sæcularium pastorum, & ideò ex vi prioris iurisdictionis non potest illis confiteri. Suarez *de relig.tom.4. lib.2.cap.17. n.11. & seq.*

Suarez

Communis tamen sententia est & amplectenda, confessionem nouitiorum, etiam à peccatis reseruatis suorum Superiorum, factam cum quocumque confessario sæculari vel regulari habenti iurisdictionem vel ab Episcopo ipsius nouitii, vel à Papa, per priuilegia, validam, & firmam esse, quia nouitii ante professionem sunt in hoc ad instar sęcularium, & ideò si confiteantur approbato ab Ordinario, valida erit confessio, vnde casus reseruatio Superiorum Monasterii illos non comprehendit. Ita Portel *in dub.reg.v.Nouitii absolut.n.*36. Rodriq. *tom.1 qq. reg.quæst.22.art.*11. Miranda *tom.2.q.34.art 16.* Sa *v.Casus n.*8. Graffiis *in Append.l.1.c.7.n.*69. Diana *p.3.tract. 2.res.4.& p 4.tract.4.res.5.* Tamburin. *de iure Abbat.to. 2. d.13.quæst.5.* & alii multi ab ipso citati. Cæterum quamuis confessio sit valida, talis tamen nouitius extra ordinem sic confitens sine licentia, à religione esset expellendus.

Portel. Rodriq. miranda. graffiis. Diana. Tamburin.

42 Circa bullam præfactam Clementis VIII. de casibus reseruabilibus religionum Prælatis, est sciendū, quòd per illam non tollatur reseruatio aliorum quorumdam casuum Pontifici reseruatorum etiamsi in bulla Clemētis non sint expressi. Crousers *c. lect.13. fol.*605. Expressio enim, quæ fit quorumdam casuum in dicta bulla, non est ad limitandos casus Pontifici reseruatos, sed ad limitandos casus, Prælatis regularibus reseruandos, aduertant igitur confessarii, hos casus non solum esse reseruatos, sed etiam altiori, & strictiori modo, quam sint particulares casus religionum, Pontifex enim numquam simpliciter abstulit suam reseruationem ab his casibus, etiam respectu religiosorum, sed solùm eorum absolutionem religiosorum Prælatis commisit (vt patet verb. Abbas *n.8. §.2.*) quod longè diuersum est, nam si ablata fuisset simpliciter reseruatio respectu talium personarum, absolui possent ab illa censura à quocumque proprio confessore iuxta *cap Nuper, de sentent. excommunicati.* quod tamē est falsum. Vnde eo ipso quod Pontifex hanc potestatem concessit solis Prælatis & eorum vices gerentibus, voluit absolutionem hanc esse illis reseruatam. Ex quo inferri potest, hos casus non comprehendi sub generali delegatione vel facta commissione à Prælato religionis, ad absoluendum à peccatis, vel censuris reseruatis in religione quia hi casus Pontificii habent reseruationem longè alterius rationis, & ideò habent specialitatem sufficientem vt sub illa generalitate non comprehendantur. *Hæc omnia* Suarez *de relig. tom.4.l.2. cap.63. nu.16. & seq.* Nota

Crousers Suarez.

tamen

tamen circa hos casus Pontificios ab his posse absoluere non tantum Generales & Prouinciales, sed etiam Prælatos locales seu conuentuales, & eorum uices gerentes ex Concessione Pii V. & Clementia IV. in foro conscientiæ tantùm. Vide v. Abbas *num.8.§.1.& 4.* in fine.

43 Dubium est, an stante proprio motu hoc Clementis, qui aufert omnibus Prælatis regularibus facultatem alicuius peccati reseruandi, præter expressa in illo, Superiores regulares possint aliqua peccata prohibere, sub pæna excommunicationis ipso facto incurrendæ, reseruando sibi illius absolutionem? Suarez *in 3.part. tom.4. disp. 29.sect.3.n.13.* Fagundez *precep.2.l.8.c.4 n.5.* Coriolanus *de cas.reseru p.1.sect. 1.art 6.* Crousers *ad c.7. reg. Min. lect.17.fol.639.640.* Tamburin *de iure Abbat. tom.2. disp. 13 quæsit 3.* affirmant tanquam probabiliùs huiusmodi reseruationem fieri posse, Ducuntur, quia bulla Clementis VIII. & moderatio eius à Paulo V. facta, expreisè loquitur de peccati reseruatione, non autem de reseruatione censurarum, quæ longè à peccato distant, & ad diuersum forum, diuersamque iurisdictionem spectant. Nec obstat quòd per se non possit quispiam absolui à peccato; quin priùs, aut simul absoluatur à censura, id enim per accidés est; sufficit enim quòd non sit idem, vt ab vno ad aliud nõ sit probibitio extẽdenda. Sine dubio hæc sententia est probabilis. Sed mihi placet contraria, quam defendunt Sanchez *lib.6.mor.capite 1.num.16.* Diana *part.3. tract. 2.resolutione 13.& 49.* Sigismundus à Bononia *tract. de elect. part.3.cap.4.dub.123.numero 9.* Petrus Leone *tract. de officio,& potest.confess tom.2.recoll 11 numero 5.* Ioan. Lugo *de pœnit.disputatione 20.sect.4 numer.47.* & multi ab ipso aitati, noster Sigismundus à Bononia, quibus adde viros doctissimos Academiæ Conimbricensis hac de re consultos, vt ipsemet Fagundez testatur, Imò ita determinasse sacram Cardinalium Congregationem, refert Petrus Leone apud Dianam citatum hic. Ratio est, quia omnis reseruatio ipsis Prælatis est interdicta, ratione autem censuræ appositæ, illud peccatum reseruatum maneret, quia religiosus absolui non potest nisi ab ipso Superiore, quod est contra Pontificis mentem. Præterea modus ille reseruandi per excommunicationem, videtur inuentus & excogitatus in fraudem legis Pontificiæ. Quæ auté in fraudem legis excogitantur, vim in iure habere non possunt. Et ipsemet Suarez, quamuis contrariæ sententiæ adhæreat, meliùs censet id nõ facere, sine speciali Capituli Prouincialis consensu, ad omnem dubitationem tollendam, vnde prima sententia non est practicanda. Tenor autem prædictæ declarationis Sacr. Congr. est talis. *Cum a nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto fælic. record. Clementis Papa VIII. anno 1593.26. Maii, super qualitate casuum ab eorumdem Regularium Superioribus reseruandorum edito, censura etiam comprehenderentur, ita vt iisdem Superioribus absque Capituli generalis, aut prouincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto huiusmodi nõ contentis excommunicationẽ annectere, eiusdemq; absolutionem sibi reseruare liceat? Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium Prapositorum, Illustrissimo Bandino Referente, censuras in supradicto decreta comprehendi censuit Roma 7. Iulii 1617.*

Suarez. Fagund. Coriolan. Crousers. Tambu.

Sigis. à Bõ

A Mar. Episcopus Astiensis, Card. Gallus.

V. THEAT. Secret.

Vide *Absolutio num.29.30.31. Censura, num. 39. Iubilaus num 5.*

C A V S A.

S V M M A R I V M.

1 *An cessante causa finali legis in totum, cesset obligatio legis.*

2 *In dubio an cessauerit causa in totum non est præsumendum cessasse.*

3 *Causa eximendi aliquem ab obligatione legum.*

4 *Maior causa an requiratur in dispensatione eorum qua sunt de iure diuino, quam in legibus humanis,* Refertur duplex sententia.

5 *Dispensatio in iure diuino naturali etiam à Summo Pontifice concessa absque causa, est irrita.*

6 *An bona fide concessa dispensatio a Pralato iudicante causam esse iustam, valida sit, si verè causa non fuerit sufficiens.*

7 *Quando Princeps dispensat motu proprio in iure humano, diuino, aut naturali, an præsumendum sit adesse causam iustam.*

8 *Supremi Principis dispensatio in lege propria absque causa, an valida sit.*

9 *Quale peccatum sit dispensare in lege propria absque causa.*

1 Causa motiua seu finalis legis cessante in totum & respectu totius communitatis cessat obligatio legis, etiamsi non adsit aliud decretum, scilicet, declaratio Principis, nam causa est anima legis, quæ si recedat, relinquit legem mortuam & inefficacem, atque adeò non legem; & sicuti lex ab initio non subsistit, si sine ratione lata sit, ita etiam postea desinit, desinẽte ratione eius, quia tunc eius obseruatio inutilis atque superuacanea esse incipit. Vide Lex 5. *num 3.* Clauis Reg. *lib.3.cap 1. num.6.& cap.7.num.10.* Miranda *in Man.tom.2.quæst.13.art.23. c. 2.* Sanchez *l.4.mor.cap.15.num.37.* Portel. *in addit. verb. v. Lex num.4.* Diana *de leg.res.28.part.1.*

Clauis Reg. Miranda. Sanchez. Portel. Diana.

2 Quando dubitatur an causa cessauerit in totum, non est præsumendum respectu totius communitatis cessasse, quia in fauorem possidentis in dubio præsumendum est, lex autem possidet cum constet legem latam esse, & dubium sit de eius excusatione. Ita Suarez *de legib. lib.6.cap.9.num.3.* ex communi.

Suarez.

3 Causæ iustæ dispensandi & eximendi aliquem ab obligatione legum, ad tres possunt reuocari. *Prima*, vtilitas communis, vel etiam priuata. *Secunda*, est necessitas communis vel priuata *Tertia*, est pietas. Reginaldus *lib. 13.num.194.* Syluius *1.2.quæst.97.art.4.quæsit.2.*

Regin. l3. Syluius.

4 Maiorem causam postulat Nauarrus *c.12 num. 57.* in dispensatione eorum, quę sunt de iure diuino, vel in iuramento & voto quàm in legibus humanis, sed Suarez *cit.cap 18.num.15* Sanchez *de matr.lib.8 d.18. num. 14.* existimant hoc non esse vniuersaliter verum, sed attendẽdam esse grauitatem obligationis, nam obligatio legis humanæ aliquando est leuior, & aliquando grauior, iuxta qualitaté materiæ, quàm sit obligatio voti, vbi autem est maior obligatio, ibi etiam maior causa requiritur ad dispensandum,

Nauar.

Suarez Sanchez

5 Dispensatio cuiuscumque etiam Põtificis in iure diuino, naturali, vt in voto vel iuramento concessa, absque causa, est irrita, quia tunc dispensatur in alienis bonis & aliena voluntate superioris, & ideò vt validè fiat, desideratur causa; vnde hac ratione dispensatio inferioris in lege superioris foret irrita, si causa legitima desit. D. Thom 2.2 q.88 *art.12.ad 2.* Suarez *l.6.de voto c.17.* Syluius 1.2. *q.97.art.4 quæst.3.* & alij

D. Anton. Suarez. Syluius.

6 Dispensatio concessa à Prælato bona fide indicante causam iustam, valida est, licet veré non fuerit causa sufficiens; quia vt tutæ sint conscientiæ credendum non est illam esse Pontificis intentionem circa suas leges & Dei circa suas, in quibus permittitur inferiori dispensare. Quamuis contrarium doceat Salas. Ita Azor. *tom. 1 l.7.c.18.q.6,* Diana *de leg. p.1.res.* 33 Sanchez *de matr.l.8. d. 17.numer.8.*

7 Quando Princeps dispensat motu proprio, & non ad partis instantiam in iure humano, pręsumitur præsumptione iuris & de iure, contra quam non admittitur probatio adesse causam iustam, secus ad instantiam partis, vel quando dispensat in iis quæ sunt de iure diuino, aut de iure naturali diuino, tunc enim in foro externo nõ præsumitur causa; probetur secùs in foro conscientiæ vsii presumendum est pro superiori. Suarez *cens.d.41.se.3.*

8. Si supremi Principis dispensatio in lege propria absque causa (et Pontificis in lege Ecclesiastica, & Principis sæcularis in ciuili) valida est, quod tunc legislator dispenset in re propria; & in propria voluntate eã mutans, a qua sola vim lex habebat idem dicendum de dispensatione Episcopi in propriis constitutionibus. Valent. *tom. 2 d.7. q.5.p.6.* Nauarrus *c.25.n.74.* Diana *de leg.res.32.p.1.* & alii

Suarez.

Valentia Nauar. Diana

9. Pec-

9 Peccatum dispensantis in lege propria absq; ue caus communiter est veniale, licet probabile sit posse aliquando esse mortale, attenta legis grauitate & conditione, & adsit scandalum ac notabile aliorum damnum, hinc simili culpa ille inficitur qui petit dispensatioñe, cùm causã iustam deficere norit, nisi iusta ignorantia excusetur, nam si petens bona fide causas proponat, quibus ducitur, minimè peccabit, quamuis illæ minus iustæ sint, vt sentit Diana *de leg. resol. 35. p. 1.* Vide Rodriq. *in Sum. c. 236. a. 1.* Sanchez *l. 1. moral. c. 20.* Syluius *c.* Nauar. *in Man. prælud 9. num.* 13. Layman *l. 1. tract. 4. c. 22. n.* 13.

Diana. Rodrig. Sanchez. Syluius. Nauarrus.

In dubio autem an causa expressa in narratiua alicuius rescripti, sit finalis, vel impulsiua, probabile est præsumi impulsiuam, & non finalem, quia semper debet stare præsumptio in fauorem actus. Idem dicendum, quando dubium est, an dispensatio valida sit, quia dubium est, an satis probetur veritas narratorum, vel quia est dubium an causa falsa allegata sit finalis, in his enim casibus præsumendum est validam esse dispensationem. Vide Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 21. num.* 20. Castrum Palaum *to. 1. tr. 3. d. 6. punct. 16. §. 5.* Portel *in respons. moral. p. 3. cas. 8. n. 2.* Menochium *vol. 2. consil. 106. n. 91.*

Sanc ez Castrus-palaus. Menoch.

Vide *Votum* 7. num. 8. *Sponsalia* 3. num. 19. *Suspensio* 2. *Venditio* num. 5. *Beneficium* 4. num. 4. & 6. *Dispensatio* num. 9. & sequent. *Diuortium* num. 3. *Donatio* num. 18. *Festum* 3. num. 7. *Indulgentia* 1. num. 6. 7. & 8. *Iuramentum* 5. num. 10. *Lex* 5. *Matrimonium* 4. num. 5. *Matrimonium* 7 num. 2. & 3. *Matrimonium* 9. num. 5. *Paupertas religiosa* num. 12. *Secretum* num. 4. *Simonia* 5. *Religio* 2. n. 2. & 3. *Religio IV.* num. 7.

CENSVRA.

SVMMARIVM.

1 *Censura quid sit?*
2 *Est pœna medicinalis.*
3 *Quotuplex sit censura, & an Irregularitas, Depositio, & Degradatio sit censuræ.*
4 *Censura alia est à iure, alia ab homine.*
5 *Alia est latæ sententiæ, alia sententiæ ferendæ.*
6 *Quando censeatur censura esse latæ sententiæ.*
7 *Quando sententiæ ferendæ.*
8 *Quis possit ferre censuras.*
9 *Solus clericus in foro externo iurisdictionem habens, potest censuras ferre.*
10 *Qui ordinariam habet potestatem censuras ferendi, an possit eam delegare cuius clerico vel laico.*
11 *Propter quod peccatum feratur censura.*
12 *Requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub censura prohibere.*
13 *Censura non incurrit, si actus externus non habeat eam malitiam, quæ sub censura prohibetur.*
14 *Mandans, consulens non incurrit censuram nondum secuto effectu si effectus fuit principaliter prohibitus.*
15 *Pro peccato præterito commisso, non potest ferri censura.*
16 *Censura inflicta pro peccato præterito, sine monitione, & comminatione est iniusta & irrita.*
17 *Qui ligari possint censuris.*
18 *Summus Pontifex & Episcopi an censuris ligari possint.*
19 *Censura lata ab Episcopo aliòve Prælato Papa inferiore, non extendit se ad aduenas & peregrinos.*
20 *An quis ligetur excommunicatione lata per statutum Diœcesis, si contra illud agat extra Diœcesim vel in loco exempto.*
21 *Sententia Superioris censuras ferentis, an afficiat personas extra Diœcesim.* Refertur duplex sententia.
22 *Vna censura irretitus, an remaneat adhuc subiectum capax alterius censuræ eiusdem rationis.*
23 *Clericum percutiens sæpius, an vnam vel plures excommunicationes incurrat.*
24 *Plures clericos percutiens successiuè, an tot excommunicationes incurrat quot sunt clerici.*
25 *Quando actio versatur circa terminum definitum, & in eo consummatur, multiplicata actione, multiplicantur peccata, & tot censuræ incurruntur, quot sunt actiones multiplicatæ.*
26 *Occidens vel percutiens simul vno actu plures clericos, an incurrat plures excommunicationes?* Refertur duplex sententia.
27 *Percutiens Sacerdotem qui simul est Diaconus, vel Monachum Sacerdotem, an plures excommunicationes incurrat.*
28 *An tot censuræ incurrantur, quot sunt Superiores prohibentes actum sub censura.*
29 *Ignorantia iuris vel facti, an excuset ab incurrenda censura.*
30. *Censura lata contra facientes aliquid, an liget mandantes vel consulentes è contra.*
31 *Mandans vel consulens an ligetur censura, si verè non influat in effectum prohibitum sub censura.*
32 *Quando censenda sit censura iniustè lata.*
33 *Censura iniusta quibus modis inualida sit.*
34 *Triplex admonitio præmittenda est inferenda excommunicatione ab homine.*
35 *Ordinariè Canonica monitio ad reũ personaliter fieri debet: Si autem malitiosè lateet, satis est citationem fieri, ad eius domum vel Ecclesiæ valuas.*
36 *Quando aliquid à iure vel per sententiam ab homine in futurum prohibitum est sub pœna excommunicationis, an requiratur monitio.*
37 *Quando à iure decreta est censura sententiæ ferendæ, an infligi debeat reo, canonica monitione non præmissa.*
38 *Censura non tollitur alio modo quàm absolutione. Et an absolutio censuræ inuito impendi possit.*
39 *Habentes priuilegium absoluendi à quibuscumq; censuris iuris an possint etiam absoluere à censuris Episcopo reseruatis?*
40 *Facultas absoluendi ab omnibus casibus & censuris, an comprehendat dispensationem à voto, & irregularitate ex delicto?* Refertur duplex sententia.
41 *Priuilegiatus an debeat à notoriis censuris absoluere, absque Ordinarii consensu.*
42 *Quid sit absolutio à censura ad reincidentiam, & an ad illam requiratur noua contumacia, & noua Iudicis sententia.*

1 CEnsura, nominis etymologiam spectando, deducitur à *censendo*, prout est autem in vsu Ecclesiæ à Scriptoribus Ecclesiasticis, sic definitur. Censura *est pœna spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate, priuans hominem baptizatum vsu aliquorum bonorum spiritualium, donec à contumacia recedat.* Dicitur *pœna*, tùm quia priuat multis bonis, tùm quia est medicina delicti, vnde aliquid penalitatis habet. Dicitur *spiritualis*, quia ad animam pertinet spiritualem, & per eam vsus spiritualiũ prohibetur, in quo differt à pœnis corporis, vt ieiunio, seruitute exilio, carcere, &c. Dicitur *inflicta ab Ecclesiastica potestate*, vt ostendatur causa efficiens censuræ, quæ est persona Ecclesiastica habens iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris, tùm quia solùm à clauibus Ecclesiæ promanat, & solius Ecclesiæ auctoritate infligitur, vt dicetur infrà. Dicitur *priuans hominem baptizatum*, quia claues Ecclesiasticæ potestatis non extenduntur ad eos qui foris sunt, hoc est, qui nondum in Ecclesiæ gremium vnquam fuerunt recepti per Baptismum, & subditi Ecclesiæ non sunt. Dicitur *vsu aliquorum bonorum spiritualium*, quia censura non priuat omnibus bonis spiritualibus, sed aliquibus tantùm, pro quo nota, bona spiritualia quædam esse propria, quibus nemo inuitus spoliatur, vt dona gratiæ, virtutes, earumque opera bona, quædam verò sunt communia, quibus homo in pœnam priuari potest per Ecclesiam, quoad vsum actiuum vel passiuum, videlicet, sacrificii, Sacramentorum, Ecclesiæ suffragiorum, & satisfactionum. Dicitur, *donec à contumacia recedat*. Et hic est finis Ecclesiæ ferentis censuras, resipiscentia, nempe, à contumacia & abstinentia à peccatis, in quorum pœnam iniungit censuras, vt patet *in cap. 1. de except. in 6.* Ita Suarez 3 *part. tom. 5. disp. 1. se. 1.* Sayrus *de cens. l. 1. cap. 1.* Vgolinus *de censur. tab. 1. c. 15. num. 2.* Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 1.* Filliucius *tr. 11. c. 1. n. 4. & 5.* Bonacina *de censur. disp. 1. q. 1. part. 1*

Suarez. Sayrus. Nauarr. Filliucius. Vgolinus.

ConincK

Coninck *tom 2 disp.13.dub.1.num.9.* Petrus Ledesma *de censur.cap 1.conc.2.* Layman *lib.1 tract.5.p.1 cap.1.* Ioan. De la Crux *tract. de censur.art.1.* Præpositus 3. *part. de censur.quæst.1.dub.1.*

Coninck p. Ledesm. Layman Ioannes de la Crux præposit.

2 Censura pœna medicinalis esse debet, ideòque infligitur per modum vinculi facilè solubilis, cùm primum reus a contumacia recesserit, vnde ipsam spiritualem potestatem siue ius radicale non aufertur, quia alias pœna medicina non esset, si esset perpetua & absque spe remissionis, sed tantùm ligat, seu vsum & exercitium impedit, quare de ratione censuræ est, vt sit ligamen dissolubile. Irregularitas autem, depositio, vel degradatio ipsam potestatem spiritualem, quatenus id fieri potest, homini simpliciter & sine spe ordinariæ recuperationis adimunt *cap.1.de sentent.excomm.in 6. cap.ex literis, de constitut.* Suarez *c.disp.1.sect.1.n.7. & 8.* Sayrus *c l.1 c.1.n.12*

Suarez Sayrus.

3 Quidam Doctores septem species enumerant censurarum Ecclesiasticarum, nempe, *Excommunicationē, Suspensionem, Interdictum, Cessationem a diuinis, Degradationem, Depositionem, & Irregularitatem* quæ prouenit ex delicto. Quia sunt omnes istæ a se inuicem distinctæ, & omnes sunt Ecclesiasticæ, & omnes veræ quædā pœnæ spirituales, & ex consequenti censuræ, sic plerique discipuli D. Thomæ, Petrus Ledesma *tr.de cens cap.1. concl.3.* Sotus *in 4.d.22.q.3.art.1.* Ioan. De la Crux *in direct. tra. de censur.art.1.dub.2.* inter censuras numerant irregularitatem quæ habet rationem pœnæ, quorum sententiam probabilem vocat Diana *p.1.tract.11.res.27.* Sed communiter a Theologis & Iurisperitis tres tantum admittuntur censurarum species, quas Innocentius III. *in cap. querenti, de verb.significat.* nominauit, *Interdictum, Suspensionem, Excommun.* Ratio autem cur tres censuræ species sint, nec plures, nec pauciores apud Vgolinum communiter receptum, hæc est, & desumpta est ex ipsa pœnæ ratione, siquidem censura pœna spiritualis est, qua bonorum spiritualium vsu priuamur, quæ priuatio aut omniū bonorum, aut partis tantùm esse potest, idque actiuè, & passiuè aut altero modo tantùm, id est, vt nec Ecclesiæ bona quis aliis ministrare, aut ab aliis accipere possit, prout in excommunicato maiori excommunicatione cōtingit. In interdicto autem solum vsus diuinorum prohibetur actiuè & passiuè, ita vt nec diuina suscipere, nec ea aliis administrare possit. Suspensio denique actiuè tantùm vsu spiritualium Ecclesiæ priuat, prohibetur enim suspensus, ne ex officio, & ut clericus Ecclesiæ functiones obeat Vnde patet cessationem à diuinis non esse censuram, quia non est pœna priuans hominem, &c. sed est simplex quędam prohibitio. Irregularitas non est censura; quia non omnis irregularitas, ponitur in pœnam delicti sed aliqua ponitur ob defectum absq; delicto, deinde cēsura absolutione tollitur irregularitas autē dispensatione Depositio & degradatio nō sunt censuræ quia appellantur vinculū indissolubile, censura autem vinculum dissolubile nuncupatur. Vide Vgolin. *de censur. tab.1. c.26.* Suarez *c.disp 1.sect.3.n.7.* Sayrum *c.cap.1.n.16.* Nauarrum *in Man.c.27.n 1.* Henriq. *l.13.c.2.* Syluium *in suppl.qu.21.* Layman *c cap.2* Auila *de censur.p.1. dub.5.* Alterium *de cens.l.1.c.2. & 3.d.1.* Prępositum *3.p.de cens.q.1.dub.3.*

Diana

p. Ledes. Sotus De la Crux

Vgolinus Suarez. Sayrus. Nauarr. us Henriq. Syluius Layman Auila Alterius præposit.

4 Censura excommunicationis, suspensionis & interdicti, alia est à iure, alia ab homine, censura à iure dicitur quæ fertur à Legislatore cum intentione condendi legem seu statututum generale perpetuum, iniuncta transgressoribus pœna censuræ. Legis autem nomine, tùm Papæ, tùm aliorum inferiorum Prælatorum, & Conciliorum decreta & constitutiones intelliguntur, ab his enim omnibus leges, & statuta fieri posse certum est, cùm iurisdictionem, id est, merum imperium, quæ ad legem ferendam necessaria est hi omnes habeant.

Censura ab homine est, quæ per Iudicis sententiam infligitur, cum intentione ferendi præceptum temporale & transitorium, vnde hoc inter eas censuras præcipuum discrimen est, quod censura ab homine lata, cessat mortuo conditore, censura vero à iure durat adhuc eo extincto *c.fin.de offic.Legati.* Ratio est cū lex sit quædam vitæ norma & magistra, qua hominū vita dirigitur, ea perpetua esse solet, sēperq; durat, nisi reuocetur, In sententia verò ab homine lata res aliter se habet, cùm enim sententia hominis præsentem statum solùm respiciat, si tulerit sētētiā cum eius morte sententia ipsi tollitur, nisi à successore confirmetur. *Cap. vlt. de maior. & obedien & cap Pastoralis §.1.de offic.Ordin* Ita Vgolinus *de consur. tab.1.c. 9.§ 4.* Suarez *c.disp.3.sect.1.* Syluest. *verb. excommunicatio 3* Coninch *c.disp.13.dub.2.n.11.& sequent.* Sayrus *l.1. c.7.n 11.& 12.* Filliuc. *tract.11.c.3.q.1.* Syluius *c.q.21.art. 3.* & alii communiter, quibus adde Præpositū *c q.1.dub.11 n.74.* docentem, huiusmodi sentētias omnibus illis modis eum amittere, quibus contingit superiorem non posse validè exire in actum, vt si moriatur, si priuetur officio ante impletā conditionē, si ipsemet excōmunicetur suspēdatur ab officio, si excommunicetur, &c. delegans ipsius iudicis.

Vgolinus Suarez Syluest. Coninck Filliucius Syluius præpositus

5 Quælibet censura subdiuiditur in eam, quæ est *latæ sentētiæ*, & in eam quæ est *sententia ferenda*, censura *latæ sententiæ* dicitur, quæ ipso facto vel criminis admissione incurritur absque alia Iudicis sententia; censura *sententiæ ferendæ* dicitur, quæ solummodò est comminatoria, nec ipso facto incurritur ante sententiam Iudicis. Ita communiter Doctores Vgolinus *tab.1.c.9.§.6.* Layman *c.c.2.n.3* Tolet. *l.1.c.5.n.4.* Syluest. *v.Excommunicatio 1 n.21.*

Vgolinus Layman Toletus Syluest.

6 Censura censetur esse latæ sententiæ. *Primò*, quando per ius ipsum fertur, appellatur censura *ipso iure*, aliquando dicitur censura *ipso facto*, quia posito facto seu inobedientia talis legis, statim nulla alia expectata sententia incurritur, & ideò etiam dici solet *latæ sententiæ*, quia per ipsam legem lata est sententia de illa, etiam ante commissum delictum, illa ergo tria, *ipso iure facto, & latæ sententiæ*, camdem rem significant. *Secundò*, quando cū cēsura docuntur hæc aduerbia *confestim, statim, illicò, continuò, ex nunc, omninò, prorsus incontinēti, mox, potiùs. Tertiò* cum ponitur censura per verbum præsentis, vel præteriti temporis, vt si dicatur, qui hoc fecerit, *excōmunicatur, suspēditur, vel est excōmunicatus, suspensus, &c.* aut *nouerit se excōmunicatū, vel suspensū*, vel etiā si dicatur, *sit Anathema*, idem enim est anathema, quod excommunicatio major, vt habetur *c.Certum 24.quæst.3.* sed quia maiore terrore percellit, ideò hac voce sæpe vtuntur Concilia, *Anathema sit*, quod idem est, quod *excommunicatus sit. Quartò*, quando cēsura fertur per verba imperatiui modi temporis præsentis, v.g. *Subiaceat excommunicationi, vel subdatur excommunin, vel incidat, incurrat in excomm.* Auila *part.2.ca.2.disp. vnic.* Suarez *c.disp.3.sect.3* Syluius *cit.n.22.* Coninch *c disp 15.dub 2.* Layman *c.num.3* Toletus *l.1.c.5.n.5.* Vgolinus *tab. cap.9. §.6. n. 18.* Sayrus *de consur.lib.1.c.11.n.6.7.8.9. 10.11.* Henriquez *l.13.c.20.§.2*

Auila Suarez Syluius Coninck Layman. Toletus. Vgolin. Sayrus henriq.

7 Ferenda verò censura, variis itidem modis significatur, *Primò*, quidem, per simplicem eius comminationem, vt cùm dicitur, *sub pœna excommunicationis, suspensionis, aut anathematis, sub interminatione, seu interpositione excommunicationis Secundò*, sententia ferenda significatur per verbum substantiuum, vel aliud verbum significans aliquid de futuro, vt cùm dicitur, *excommunicetis aliquem, vel qui hoc fecerit, erit excommunicatus, vel excommunicabitur, excommunicetur, communione priuetur, excōmunicationis vinculo innodetur* Ita Nauarr. *in Man. c 27. nu.12.* Vgolin. *tab.1.c.9.§.6.n.7.* Sayrus *cit. nu. 12 13.* Henriq. *lib.13.c.20. §.2.* Azor. *to.3 l.5. c.26.*

Nauarr. Sayrus henriquez azorius

In dubio autem an censura sit latæ sententiæ, an ferendæ, tunc iudicandum est, censuram non esse latæ sententiæ, sed ferendæ quia odia non sunt amplianda; sed restringenda, & in mitiorem partem interpretanda. Vt habet *regula 49. iuris in 6.* vt si dicatur, *Excommunicationem noueris te incursurum*, censura censetur esse comminatoria, quia dubitatur de intentione ferentis, cùm verba sint futuri temporis. Ita Bonacina *de cens.disp.1.q.1.p.1.n. 6.* Felin. *in cap. Rodulfus, de rescript.n. 28.* Layman *de cens.c.2. n.3* probabiliter, quamuis Suarez *de censur.d.3. n. 3.* Coninck *disp.13 dub.2.num.20.* Filliucius *tr.11.n.17.* probabilius existiment, illa uerba sufficienter indicare censuram ipso facto, quia illud futurum solùm videtur respicere tempus, quo talis lex fertur.

Bonacina Felinus Layman. Suarez Coninck

8 Conditiones requisitæ in homine, si sit capax potestatis ferendi censuras, sunt, *Prima*, vt sic viator Vgolin. *tab.1.cap.2.§.2.* Reginaldus *lib.9.num.114.* Alterius *lib.3 disp.7.c.6.* Suarez *c.sect.4.num.10.* nam beatus, aut qui est extra viam; hoc est iam in termino alterius vitæ nō potest

ferre censuras, tum quia Ecclesia militans per Ministros militantes in ea gubernari debet, tum quia Ecclesiastica censura est veluti quidam gladius Ecclesiæ militantis. *Secunda* vt sit rationis compos ConincK *disp* 13. Filliucius *c.num.*36. quia vsu rationis carens, non potest iurisdictionis actum exercere, quare nec puer ante vsum rationis, nec perpetuò amens aut stultus potest recipere hanc potestatem.

Coninch. filliuc. iur

An autem si delegetur his hæc potestas, vt illam exercere ualeant acquisito, vel recuperato rationis vsu, & adepto illo acceptata fuerit, ualida sit delegatio? probabile est quod sic. Vide Alteriũ *c.col.*3. Suarez *disp.*2.*se* 3. *n.*4.

Ugolinus suarez henriq.

Tertia, ut sit baptizatus Vgolin. *tab.*1.*c.*2.§.9. Henriquez *lib.*13.*cap.*24.*num.*1. nam sine Baptismo nullus est habilis ad actum Ecclesiasticum, cum sit ianua Ecclesiasticæ iurisdictionis.

Quarta, ut non sit laicus, sed clericus, saltem primæ tonsuræ, *cap. decernimus, de Iudiciis, & cap. Ecclesia, de constitutionibus*. Ratio est, quia tonsura facit hominẽ capacẽ iurisdictionis Ecclesiasticæ. An autem fœmina ex cõmissione Summi Pontificis possit ferre censuras, dicẽdum est quòd sic, vt docuimus uerb. Abbatissa *num.* 3. & à fortiori idem dicendum est de laico, quia cum de iure tantũm humano sit, ut à Clerico hæc potestas exerceatur, & Papa possit in omne ius humanum, sequitur posse id committi laico à Papa D. Thomas 4 *dist.* 19. *q.*1. *art.*2. Suarez *cit.d.*2. *sect.*3. *num.*10.11.12. Reginaldus *lib.*9.*n.*115. Alterius *lib.*3.*disp.*7.*c.*5.*col.*2.

D. Thom. suarez. Reginald alter

Quinta, vt usus iurisdictionis non sit impeditus, v.g. non sit iudex denũtiatus excommunicatus uel suspensus *cap. audiuimus* 24. *quæst.*1. uel si is à quo habet iurisdictionem per delegationem, sit ipse denuntiatus, vel sit officialis eius, uel dum ante censuram non fuit interposita legitima appellatio. Suarez *num.* 19 *disp.*2.*sect.*4.*c.*2. Filliucius *tract.*11.*num.*40. Bonacina *disp.*1.*p.*1.*n.*4.

Suarez filliucius bonacina

Sexta, vt censura non feratur in causa propria, nullus enim potest esse actor & iudex, quia qua parte est actor, debet esse subditus, quà parte est iudex debet esse superior propriè autem nemo est subditus & superior, ergo *cap. inter querelas* 23.*quæst.*4. Suarez *disp.*2. *se.*4. *n.*5. *& seq.*

Suarez

In casu tamen defensionis, licitum est uti suis armis ad propulsandam vim & iniuriam, ferendo censuram in eũ qui sibi violentiam infert.

9 Iure ordinario omnis & solus Prælatus Ecclesiasticus, id est, Clericus in foro externo iurisdictionem habẽs censuram ferre potest in subditos si contumaces. Et cùm hæc potestas ad claues pertineat, plenitudo huius potestatis in Papa iure diuino resider, vnde ipse primum est, subiectum & præcipuus minister clauium, & Ordinarius super omnes Christianos totius mundi, unde, quoscumq; suis constitutionibus, & sententiis ligare potest, à Papa uero potestas hæc in alios Prelatos deriuatur *Arg. c. cuncta per mundum* 9. *q* 3. Vgolinus *tab.*1.*cap.*2.§.20. Henriquez *l.*3.*de pœnit.cap.*5.§.5. *& seq. & l.*13.*c.*24.§.1

vgolinus Henriq.

Secundo, Legatos à latere, seu Nuncius Apostolicus iudex est ordinarius in tota Prouincia ad quam missus est, vnde quoscumque illius Prouinciæ cẽsuris constringere potest *cap. Legatos, de offic. Legati in* 6.

Tertiò, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, Ordinarii censentur, & quoscumque suæ diœcesis cẽsuris ligare ualent, sicut & eorum Vicarii *cap. conquerente, de offic. Ordina. cap. cum Episc. de offic. Ordin. in* 6. *cap. licet, de offic. Vicar. in* 6.

Quarto, Cardinales respectiuè ad Ecclesias in quibus iurisdictionem in foro externo habent, vt in Ecclesiis sui tituli *cap. his quæ, de maior. & obed.* Sayrus *l.*1.*c.*6.*n.*11.

Sairus

Quinto, Capitulum non solum Ecclesiæ Cathedralis, sed etiam aliarum Ecclesiarum inferiorum quæ Capitulum habent, sede uacante, & mortuo Antistite eandem iurisdictionem habent, nam potestas est in Ecclesia, & dignitate, & Prælatus & Capitulum faciunt unum corpus, & meritò mortuo Prælato succedit Capitulum *cap. cum olim. de maior. & obed. cap. unic. eod. tit. in* 6. Panormit. *ibid.* Conc. Trid. *sess.*24.*cap.*16 *cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælat.*

panorm. Con. Trid.

Sexto, Superiores Religionum, ut Abbates elect: confirmati etiam ante benedictionem ordinẽ, Prouinciales, & alii inferiores Prælati, ut Prior, Guardianus, Corrector, Rector, & alii qui loco Abbatũ sunt, censuras ferre possunt, ut colligitur ex *cap. cum in Ecclesiis. de maior. & obedientia*, & constat ex usu Religionum iuxta Apostolica indulta unicuique concessa. Panorm. *in cap. cum ab Ecclesiar. de offic. Ordin.* Nauarrus *capite* 27. *num.*5. Vgolinus *tab.*1.*cap* 2. §.20. Sotus 4. *d.* 22.*quæst.*2.*art.*1. Bonacina *disp.*1. *q.*1 *punct.* 2.*num.*5. Sed circa hæc, Vide infra *v. Excomm.*11.*nu.*1.

nauar. Vgolinus.

Septimò, Concilium generale legitimè auctoritate Papæ cõgregatum, Prouinciale Archiepiscopi, aut Legati eiusdem Prouinciæ mandato conuocatum, imò, & Synodus Diœcesana auctoritate Episcopi Diœcesis collecta, leges edere & statuta concedere possunt, quibus aliquid sub censura pœna præcipiunt, aut prohibeant. *C.*1. *de iudic. Cap. graue nimis, de preb.* Vgolin. *tab.*1.*c.*6 *n.*2. Filliucius *tr.*11. *qu.*5. *cap.*2. Suarez *d.*2. *sect.*2. *num* 9.

ugolin. Filliuci Suarez

Parochus uerò non habet potestatem ferendi censuras iure communi, quia non habet iurisdictionẽ fori exterioris, sed tantùm fori pœnitentiæ, quãuis ex consuetudine, uel priuilegio in aliquo loco hãc potestatẽ habere possit, quia est iurisdictio acquisibilis. Ratio autem cur prædicti subditos censuris ligare possint, est, quia omnis potestas Ecclesiastica fori externi ordinatur ad Christianam disciplinam seruandam per leges, præcepta, sententias, hæc autem potestas infirma & inermis foret, nisi cõtumaces propositis pœnis ac cẽsuris coercere, & ad obediendum cõpellere possit, Sayrus *l.*1.*c.*6 *n.*21. Nauarrus *c.*27.*n.*5. Suar. *disp.*18.*se* 1. Bonac. *d.*1.*q.*1.*punct.*2. *n.*5.

Sayrus. Suarez Bonacina

10 Qui ordinariam potestatem habet censuras ferẽdi, eam cuius clerico clericalibus priuilegiis gaudenti commitere, seu delegare potest, quia id est annexũ potestati ordinariæ. Est autem *iurisdictio ordinaria*, in hac materia, iurisdictio Ecclesiastica fori contentiosi, quæ alicui inherens nomine proprio ab eodem exercetur. *Delegata* uerò, quam quis ab Ordinario delegandi facultatẽ tẽpore delegationis non impeditam habente accipit, ut cẽsuras uel cum causæ cognitione, uel sine causæ cognitione ferre possit, ut colligitur ex *Cap. Graue, de offic. iudic. Ordinaris*, & *cap* 1 *& Cap. præterea, & C. significasti, & de offic. delegati*. Et docent Suarez *d.*2. *sect.*3 *num.*11. *& sect.*2.*n.*5. Couar. *in cap. Alma p.*1.§.11. Bonacina *c. punct.*2.*n.*6. Præpositus *de censur. q.*1.*d* 4.*num.*19. *&* 20. Sayrus *de cens. l.*1.*c.*5.*n.*6. Vgolinus *tab.*1.*c.*2 §.15. Hẽriq. *l* 13.*c.*24. Auila 1.*p. du.*6. Alterius *l.*3.*dis.*7.*c.*6.*col.*6.

Suarez. Couar. bonacina præposit Sayrus. Vgolin. henriq. auila.

An autem laicus censuras ferre possit, dicendum est quod non, stando in iure humano, quia illas ferre ad iurisdictionem spiritualẽ pertinet, & laicus spiritualia tractare non potest, ut dictum est suprà, ex *cap. decernimus, de iudicus*. Posset tamen laicus ex cõmissione Papæ censuras ferre, nam cùm iure Canonico statutum sit, ne Ecclesiastica iurisdictio à laicis exerceatur, solus Papa, qui iuri positiuo præest, non autem Episcopi, & multò minus alii Prælati, qui iuri communi subiecti sunt, eiq; derogare nequeunt, illis facultatem hanc tribuere ualent. A laicis tamen iurisdictio huiusmodi spiritualis cõsuetudine acquiri, aut præscribi non potest, quia consuetudo laicum capacem spiritualiũ non reddit, *arg. Cap. causam, de præs.*

11 Censura non fertur nisi propter peccatum, quia pœna non imponitur, nisi ob aliquod peccatum, & quidem proprium esse debet ad incurrendam excommunicationẽ ut patet ex *c. si habes*, 24.*q.*3. quãuis enim vnus pro alio pena corporea affici possit, vt cõstat *Genesis* 19. ubi paruuli Sodomitarũ parentum, qui beneficio ætatis paterna flagitia nesciebát, cœlesti igne consũpti sunt, pena tamen spirituali, quæ animã respicit, qualis excõmunicatio maior est, unus pro altero puniri non potest, unde in *C, Romana*, 1. *in vniuersitatem, de sent. exc. in* 6. decernitur, sententiam excommunicationem ferri non posse in uniuersitatẽ seu cõmunitatẽ, quia sic innocentes ob aliorum culpam excommunicarentur, quod fieri non debet. Suspensio tamen potest ferri ob peccatum alterius unde fertur in communitatem ob delictum alicuius ex illa communitate *cap. si sentent. de excomm. in* 6. Similiter & interdictũ, & tunc non fertur propriè in penã illius qui non peccati, sed in penã delinquentis, qui in alio ...ur. Præterea peccatum ob quod fertur censura

debet

debet esse externum, hoc est, exterius verbo, aut signo aliquo, aut facto expressum; tum quia de internis non iudicat Ecclesia, nec iudicare potest, cùm ea cognoscere nõ valeat, vnde quæ sola mente perpetrantur humanæ iurisdictioni & potestati non subsunt, donec vel per actus exteriores, quorum sunt causa, manifestentur, vel per omissionem rei notæ exprimantur. Tùm quia solus Deus cordis scrutator est, & hanc sibi potestatem reseruauit, vt talia delicta puniat.

Porrò vt censura grauis incurratur, v.g. maior excõmunicatio, maior suspensio, vel graue interdictum, peccatum illud externum debet esse mortale; quia censura cũ sit pœna, debet esse commẽsurata culpæ, vt iusta sit, Si ergo censura grauis est, quia priuat magnis bonis spiritualibus, supponet etiam culpã grauem, & contra iustitiam commutatiuam esset, infligere grauem pœnam pro leui culpa, vnde actus venialis videtur esse incapax tantę pœnæ. Pro peccato verò veniali validè interdum suspensio fertur ad breue tempus, sicut & interdictum, quia hæ censentur censuræ leues, dum ad breue tempus imponuntur, quæ proportionem habẽt cum delicto. Vide Doctores hic citatos. Suarez *de censur. disp* 4 *sect.* 1. 2. 3. *&* 4. *& d.* 36. *sect.* 2. Sayrus *de censur. l.* 1. *c.* 9. *& l.* 4. *cap.* 1. *n.* 19. *&* 20 Toletus *l.* 1. *c.* 8 *n.* 1. *& cap* 44. *num.* 4. Couarruu. *c. Alma.* 1. *p. §.* 9. Nauarr. *in Man. c.* 27. *n.* 9. *&* 151. Bonacina *de cens. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 9 *disp.* 32. *n.* 29. Diana *part.* 3. *tr.* 6. *resol* 51. *& p.* 5. *tr.* 4. *re.* 48. Coninck *disp.* 13. *dub.* 8. *n.* 66. *&* 68. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 1. Vasquez 1. 2. *disp.* 158. *c.* 5. *n.* 48.

Suarez. Sayrus. Toletus. Couarruu. Nauarr. Bonacina. Sanchez. Diana. Coninch. Layman. Vasquez.

12 Vt incurratur censura requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub censura prohibere, vnde quantumuis perfecta sit actio ex parte delinquentis, si effectus impediatur etiam miraculosè, censura etiam impeditur, vt si excõmunicatio sit lata contra homicidã quãuis ad mortem sufficienter aliquis vulneret, ita vt naturaliter desperetur vulnerati vita, donec hic moriatur non manet alter excommunicatus. Ratio est, tùm quia lex nõ obligat vltra legislatoris intentionem verbis expressam; tum quia in materia odiosa verba legis propriè intelligẽda sunt, & in toto rigore & proprietate debẽt teneri, strictissimeque limitari, quantùm proprietas verborum permiserit, Si tamen sub censura comprehenderetur etiam conatus ad actionem, standum esset verbis legis, Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 9. *§.* 13. Suarez *de censur. disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 4. Filliucius *tr.* 11. *cap.* 6. *n.* 174. Couarr *in c. Alma* 1. *p. §.* 10. *n.* 15. Nauarr. *in comm. de datis & acceptis n.* 13. Reginal. *l.* 9. *n.* 216. Diana *p.* 2. *tr.* 3. *res.* 63. *p.* 5. *tract.* 9. *res.* 56.

Vgolinus. Suarez. Filliucius. Couarruu. Nauarr. Reginald. Diana.

13 Quando actus exterior non habet eam malitiam, quæ sub censura prohibetur, non incurritur censura, exemplum vulgare est de ficto hæretico exteriori, qui simpliciter non est hæreticus, cùm veram fidem retinet, sed apparet hæreticus, quia talem se fingit, vnde talis non subiacet excommunicationi latę cõtra hæreticos, nã censura fertur ob actum externum habentem malitiam hæresis, sed qui interius nõ errat, licet profetar exterius hęresim, non exercet actum habẽtem malitiam hæresis, deficiente enim voluntate & consensu, deficit etiã malitia & delictũ, ob quod censura est lata; Nec obstat, quòd exterius discerni non possit, an illa actio exterior procedat ex interna credulitate, nec ne, hoc enim pertinebit ad externum forum, in quo præsumetur & punietur tãquam verus hæreticus, quoad forum conscientiæ, in quo censura contrahitur ex vi legis, satis est, quòd verè in re peccatũ tale non fuerit, quale per legem prohibitum est Nauarru. *in Man. c.* 11. *num.* 25. *& cap.* 27. *num.* 56. Suarez *disp* 4. *sect.* 3. *num.* 15. *&* 16. Filliucius *tract.* 11. *quæst.* 6. *cap.* 6. *nu.* 176. Auila *part.* 1. *dub.* 11. Diana *part.* 1. *tract.* 5. *res.* 1. *& part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 143. Syluius 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *qu.* 1. *concl.* 2. Toletus *l.* 4 *cap.* 4. *num.* 6.

Nauarrus. Suarez. Filliucius. Auila. Diana. Syluius. Toletus.

14 Mandans vel consulens non incurrit censuram nõdum secuto effectu, quãdo scilicet effectus fuit principaliter prohibitus, mandatum verò vel consilium prohibitum fuit tantummodo accessoriè, secus dicendum est, quando mandatum vel consilium principaliter prohibetur, tunc enim effectu non secuto incurritur censura, vt si quis mandat Christianum interfici per assassinos, excommunicationem incurrit, eò ipso quòd mandat, vt habetur in *Cap. pro humani, de homicid. in.* 6. Glossa *in Cap. Si quis suadente in verb. mandauerit.* Syluester 1. *ex §.* 4. Sayrus *l.* 3. *cap.* 15.

Glossa. Syluest. Tabiena. Sayrus.

In dubio autem an mandatum vel consilium æquè principaliter prohibeatur, præsumendum est tantùm prohiberi accessoriè, eò quòd in pęnis, mitior pars accipienda Aduerte tamen, si ille, qui mandauit, reuocat mandatum suum, & reuocatio perueniat ad mandatarium, etiamsi mandatarius postea non obstante reuocatione exequatur ille qui mandauit, in censuram non incidit, quia ex quo sufficienter reuocauit factum, non præsumitur ex vi mandati, sed ex culpa mandatarij commissum delictum. Nauarrus *libro quinto consiliorum de sententia excommun. cons.* 55. Auila 2. *p. c.* 5. *disp* 3. *dub.* 6. Consilium autem præstatur suadendo rogando impellendo, instruẽdo, vel secuturam vtilitatem ostendendo, vt notatur in *ca. ad audientiam, de homicidio*, & debet esse consilium fraudulentum, non nudum, dicitur autem nudum, quod nihil adiicit ad peccandum, hoc est sine quo alter illud esse facturus. Glossa *in Cap. nuper de sentent. excomm.* Porrò censura sub conditione lata non incurritur ante conditionis euentum, non enim priùs lata censetur. adueniente autem conditione vires suas habet tantùm, non autem trahitur retrò ad diem pronunciationis, cùm in his spiritualibus, fictionibus locus non sit, sed ueritas sola attendatur vnde pendente conditione appellare licet, & appellatio huiusmodi impedit effectum sententiæ, conditione etiam postmodum adueniente. Glossa *in cap. preterea* 2. *de appel* Suarez *disp.* 3. *sect.* 4. *&* 5. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 20. § 6. *num.* 1. Couarruuias *in cap. Alma* 1. *p. §.* 10. *num.* 4. *& sexto.*

Nauar. Auila. Glossa. Suarez. Vgolinus. Couar.

15 Pro peccato præterito commisso ferri non potest censura, quia ad eam incurrendam requiritur contumacia & inobedientia contra præceptum Ecclesiæ sub censura prohibentis, vel præcipientis, inobedientia autem non respicit præterita, quæ iam non sunt in hominis facultate, quin sint facta, sed solùm futura. Et hæc ratio idem probat, & ostendit de omnibus censuris, quamuis in excõmunicatione magis res sit manifesta, quia omnes ferè Doctores docent, nec Papam posse quempiam pro peccato præterito absolutè excommunicare, nisi in futurum pendeat scandalum, restitutio, aut satisfactio. Et certè si quis pro peccato præterito excommunicaretur, sæpè eum excommunicari contingeret, qui iam esset de eo contritus & in gratia, cum tamen non nisi ob mortale peccatum excommunicari quis debeat, vt habet vsus & praxis Ecclesiæ *Cap. Romana §. caueant. de sent. excomm. in* 6 Nauarrus *in c. inter verba num.* 304. Sayrus *lib.* 1. *ca.* 9. *num.* 25. Sotus *de instit. & iure quæst.* 6. *art.* 1. *& in* 4. *d.* 22. *quæst* 1. *art.* 2. *cap.* 4. Henriquez *lib.* 13. *c.* 17. Vgol. *tab.* 1. *c.* 9. *§* 3. *num.* 5. P. Nauarr. *l.* 2. *cap.* 4. *n.* 164. Salon 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. *controu.* 7. Syluius *in supplem. q.* 21. *art.* 3. Tamen pro peccato præterito imponi potest pœna, vt priuatio officii, dignitatis, &c. Sed hæc pœna non est censura propriè dicta, quæ per se ferat incommodum animæ, sed tantum imponitur in uindictam commissi criminis, & dici potest pœna vindicatiua, cùm censura inferatur per modum medicinæ ad aduertendum hominem à peccato. Suarez *d* 4 *sect.* 5. *numer.* 28. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 6. *n.* 184. *&* 190. Bonacina *disp. prima quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 20. Quidquid in contrarium dicat Toletus *libro primo cap.* 44.

Nauarr. Sayrus. Sotus. Henriq. Vgolinus. P. Nauar. Salon. Syluius. Suarez. Filliucius. Toletus.

16 Censura numquam infligenda est nisi præcedente monitione & comminatione, *Cap Sacro, de sent. excom.* & Roman. *eod. tit. in* 6. *& c. statutum de sent. excomm. in* 6. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 11 *num.* 5. *&* 6. Nauarrus *in Man. ca.* 27. *numer.* 10. *&* 11. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 18. Sotus *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. Sanchez *de matrim. l.* 9. *disp.* 32. *nu.* 13. 17. & 21. Syluius *in supplem. quæst.* 21. *art.* 3. Suarez *disput.* 3. *sect* 8 Filliucius *tr* 11. *c.* 4. *q.* 1. *&* 2. Coninck *disp.* 13. *dub.* 9. Diana *p.* 5 *tr.* 9. *res.* 18. Quia nõ fertur nisi in eos, qui contra Ecclesiã contumaces sunt tales autẽ non sũt, nisi qui præcedente monitione & comminatione cẽsuræ, benedire recusant; vnde censura ab homine lata, sine vlla omninò præcedente monitione seu cõminatione ob peccatum præteritum, nõ solùm iniusta, sed etiã irrita est. Canonica verò monitio ex iuris præcepto. *Cap. constitut. de sent.*

Romanus. Sayrus. nauar. ugolinus. sotus. Sanchez. Suarez. Filliucius. Coninch. Diana.

sent. excommunic. in 6. debet esse trina, interposito aliquorum, saltem duorum, vel trium dierum interuallo, vnica tamen monitio fieri potest pro trina, præfixo eo tẽporis spatio, quod pro trina sufficiat, nisi criminis aut mali impendentis, periculum, factiue necessitas interdum aliud suadeat, & dilationem non patiatur, & hæc monitio debet ad reum personaliter fieri, nisi is malitiosè latitet, tunc satis est citationem cum comminatione fieri ad eius domum, Ecclesiæ valuas, aliùmve locum publicum. Quãdo ipso iure decreta est censura sententiæ latæ, alia monitio necessaria non est, vt habetur in *Cap. reprehensibilis de appellat.* quia ipsa lex aut iudicis præceptum generale vel speciale sub tali comminatione latum, continuò admonet, vt meritò inobediens ac contumax censeatur, qui obedire recusat. Ita Doctores hic citati, & de hoc infrà num. 34. 35.

17 Censuris ligari possunt omnes & soli homines baptizati, viatores, rationis & doli capaces, & qui in Ecclesia Superiorem habent. 1. *Ad Corinth. 5. gaudemus, de diuort. C. de Iudæis, d. 45.* Causa ergo materialis remota, seu subiectum censuræ, *Primo* est homo baptizatus, non paganus, Iudæus, aut Catechumenus, Ecclesia enim non habet iurisdictionem directam suprà non baptizatos. Heretici tamen, Apostatæ, atque Schismatici cẽsuris ligari possunt, quia Ecclesiæ associati fuerunt, fide Christi in Baptismo suscepta. *Secundo* debet esse viator, id est, agens vitam in hoc mortali corpore, vnde mortuus, dæmon, animalia irrationalia, non ligantur censuris, quia nõ sunt homines viatores. *Tertio*, debet esse rationis & doli capax, quia sicut nondum adulti peccare non possunt, ita nec censuris ligari, cùm huiusmodi personæ legibus ac præceptis obligari nequeant. Propterea perpetuo amentes, insani & furiosi, censuris non afficiuntur, cùm nõ habeant vsum rationis, nec doli capaces sint, quãuis si ante amentiam, furorem, vel insaniam aliquod delictũ perpetrauerint, censuris affici possint, quia tunc sufficienter censentur contumaces, & deliquisse contra legem censuram continentem. Idem dicendum est de dormientibus aut ebriis, si tempore somni vel ebrietatis aliquod peccatum commiserunt sub censura vetitum, modò præuiderint delictum secuturum. *Quarto*, debet esse subditus illius, à quo censura emanat, quia par in parem nõ habet imperium. Plura apud Doctores hic citatos. Nauarr *in Man. c. 27. n. 13.* Sayrus *l. 1. c. 8.* Suarez *disp. 5. sect. 1.* Coninck *disp. 13. dub 6.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4.* Syluius *in Suppl. q. 22. a. 4.* Præpositus *de cens. q. 1. dub. 5.* Couarruu. *cap. Alma part. 1. §. 11.* Alteri *lib. 3. disp. 10. cap. 2. 3. 4. 5. & 6.* Rodriguez *in Sum. 1. part. cap. 78. num. 1.*

Nauar. Sayrus. Suarez. Coninck. Layman Syluius. præposit. Couar. Alterius. Rodrig.

18 Summus Pontifex censura ligari non potest, neq; ab homine, cùm neminem in terris superiorem habeat, imò cunctis superior sit, nulliquè subiectus. *cap. cuncta per mundum. 9 quæst. 3 & cap. inferior. d. 21.* neque à Canone, quia licet secundum Canones viuere debeat, tamen sicut cunctis hominibus, ita etiam & iuri præest. *Extrauag. vnam Sanctorum. de maior & obed. & cap. nemo iudicabit. 9. quæst. 3.* Episcopi autem Archiepiscopi, Patriarchæ, Cardinales, excommunicatione generaliter lata ligantur, nisi illorum fiat exceptio, lex enim generalis generaliter intelligenda est, & hi omnes superiorẽ habent Papam, cuius iurisdictioni subiiciuntur. Tamen suspensione & interdicto generaliter latis non ligantur, nisi fiat illorum expressa mentio, prout determinat Summus Põtifex in *Cap. quia periculosum, de sentent. excommunic. in 6* Nauarrus *in Man. c. 27. n. 13.* Sayrus *l. 1. c. 8. n. 22. 23. & 24.* Bonacina *de cens. d. 1. q. 1. part. 4. num. 13.* Suar. *c. disp. 5. sect. 1. num. 27. & 30.* Vgolinus *tab. 1. cap. 17. §. 6. num. 12.* Syluest. *v. Episc. quæst. 11.*

Nauarr. Sayrus. Bonacina. Suarez Vgolin. Syluester.

19 Si Episcopus, aliùsue Prelatus Papa inferior, generalem censuram ferat, contra committentes aliquod speciale peccatum, v. g. homicidium, talis cẽsura non extendit se ad aduenas, & peregrinos breui tempore ibi commorantes. *cap. à nobis 1. de sent. excomm.* Ratio est, quia ad incurrendas censuras requiritur, vt delinquens sit subditus superiori loci, in quo reperitur, sed extraneus qui nõ decreuit manere maiori anni parte in aliquo loco non est subditus superiori illius loci ergo. Confirm. quia ad obligandum requiritur iurisdictio in obligãte & subiectio in eo qui obligatur (vt docemus *v. lex 3. nu. 5*) per breuem autem moram præcisè non acquiritur iurisdictio & subiectio, vnde peregrinus non sortitur forum loci per quem transit. Nec potest dici peregrinum delinquere contra præceptum continens censuram, quia priùs requiritur, vt aliquis sit subditus, quàm vt præcepto obligetur, & contra illud delinquat, quamuis enim talis homicidium committens peccet contra legem, quatenus ea communis omnium gentium, ipsiùsque naturæ est, & ratione huius peccati subditus fiat, ideòque citari possit, atque Ecclesiasticis censuris compelli ad satisfaciendum; non peccat tamen contra præceptum talis Prælati, cum non sit subditus eius, & censura non feratur nisi in subditos; Et hæc sententia apud me est probabilior, quam tenet Vgolinus *tab. 1. cap. 9. §. 2. num. 4.* Suarez *disp. 5. sect. 5. num. 7. & seq.* Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 26. §. 2.* Sayrus *lib. 1. cap. 7. num 22* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 4. num. 5.* Filliucius *tr. 11 cap. 5. num. 154.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 11. num. 20 & 21.* Couarruuias *in cap. Alma 1. p. §. 10.* Quàuis plerique ex his authoribus distinguant inter sententiã generalẽ, & statutũ, illa nẽpe nõ ligari peregrinos, hoc autẽ obligari, quod est satis probabile.

Vgolinus Suarez henriq. Layman. Filiucius Bonacina Couar.

20 Subditus non incurrit excommunicationem latam per statutum propriæ Diœcesis, si contra illud agat extra Diœcesim, vel intra Diœcesim in loco exempto, *Cap. vt animarum, §. statuto, de const in 6.* Ratio, est, tùm quia statutum ex propria natura territorium afficit & intra eius limites se continet, ergo extra illud impunè ei non paretur. Tùm quia locus exemptus censetur extra iurisdictionem Episcopi, & perinde est, ac si existeret extra illius Diœcesim, vnde materialiter tantùm dicitur esse in Diœcesi, sed formaliter non, cùm non pertineat ad illius Diœcesim quoad iurisdictionem. Ita communiter Doctores apud Sayrum *cit. cap. 7. num. 18.* Suarez *disp. 5. sect. 4. num. 4. & 5.* Vgolinum *tab. 1. cap. 9. §. 3.* Reginaldum *d. lib. 9. n. 146. & 154.* & Dianam *p. 3. tract. 5. res. 74.*

Sayrus. Suarez Vgolinus Reginald. Diana.

21 Difficultas est, an si subditus contra sententiam superioris sui, sub excommunicationis vel suspensionis pæna aliquid præcipientis agat extra Diœcesim, vel in loco exempto, censuram incurrat; videtur quòd non, quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè, sed superior aliquid sub censura prohibẽs, aut præcipiens agẽdum extra Diœcesim, ius dicit extra territorium, ergo ipsi impune non paretur, id est, delinquens ex eo pænam non patitur, Et propter hoc huic sententię negatiuæ adhærent Sayrus *de cens. lib. 1. cap. 6 num. 39. & 40.* Henriquez *lib. 13. cap. 26. §. 1.* Coninck *disput. 13. dub. 7. concl. 6.* Auila *p. 2. c. 3. disput. 2 dub. 2. conclus. 1.* Diana *part. 3. tr. 5 res. 74.* Præpositus *de censur. quæst. 1. dub. 5 num. 32.* satis probabiliter, ex *leg. vlt. ff. de iurisd. omnium iudicum.* Verùm contrariam sententiam tamquam probabiliorem, & communiorem amplector, quæ probatur ex discrimine, quod est inter statutũ & præceptum, siue sententiam. Nam statutum cùm territorium respiciat non obligat subditos, dum extra illud versantur, seu respectu alterius territorii, & ideò ibi non incurrent cẽsuram per tale statutum latam, iuxta dispositionem *cap. vt animarum, de constit. in 6.* at verò sententia fertur in personas secundùm se, & ideò illas afficit, earumque ossibus cohæret quocumque terrarum discesserint, quia semper respicit illas, vt subditas, & in ordine ad actum, seu vsum talis subiectionis. Ad rationem verò contrariæ sententiæ respondetur, *cap. vt animarum* loqui de statuto territorii, seu Prouinciæ, non de præcepto imposito personę, cui æquiparatur sententia generalis, & ideò qui sic præcipit, nõ dicit propriè ius extra territorium; sicut qui absoluit subditum in aliena Diœcesi, non dicit ius extra territorium, sed ab illo abstrahit. Ita Vgolinus *tab. 1. cap. 9. §. 3.* Sà *v. Iudex de sent. & citat. num. 8.* Layman *cit. ca. 4 num. 7.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. p. 11 num. 14.* Suarez *disp 5. sect. 5.* Filiiocius *tr. 11. c. 5. n. 152. & 153.*

Sayrus henriq. Coninck auila. Diana. præposit.

vgolino. sa layman bonacina suarez.

22 Innouatus una censura remanet adhuc subiectũ capax alterius censuræ, non tantùm diuersæ rationis, sed etiam eiusdem Glossa *in c. Engeltrudam 3. quæst. 4. & in c. ita quorundam, de Iudæis*, Nauarr *ab. not. 11. Clement. 2. in fin. de sent. excom.* Vgolinus *tab. 1. c 16. §. 3.* D. Bonau. *in 4. dist. 18. 2. p. dist. quæst. 4.* Suarez *disp. 5. sect. 2. num. 4.*

nauar.

&

S. Lucius. [illegible]terius. Præposit.

& seq. Filliucius *tract.11.ca.5.quæst.7.* Alterius *lib.3.disp.10.cap.7.* Sayrus *lib.1.cap.10.num.1. & 2.* Præpositus *de censur.quæst.1.dub.5.n.23.* Ratio est, tùm quia ligatus una censura, potest adhuc transgredi legem continentem censuram, & sicut culpa iterari potest, ita etiam rationabiliter reiterari potest & debet pœna. Imò cùm causæ multiplicari possint, potest enim quis esse incendiarius, fractor Ecclesiarum, percussor Clericorum, & sic de aliis ita etiam & excommunicationes iterari possunt, iterato enim morbo, remedium etiam iterari debet, & vno vinculo ligatus, aliis etiam ligari potest; Nec refert, quòd qui iam est excommunicatus, priuatus est omnibus communibus bonis ut suffragiis, Sacramentis, &c. Quare nõ poterit amplius priuari iisdem bonis. *Resp.* posse iisdem bonis priuari pluribus titulis, sicut per plura peccata mortalia idem homo priuatur gratia pluribus titulis, & licet secunda excommunicatio actu nõ priuet illis bonis, cum cadat in subiectum illis iam priuatum, tamen habet vim priuandi, & est priuatiua eorumdem, si iam iis priuatus non esset. Propterea tot sunt censuræ quot sunt moraliter & formaliter actus contra præceptum præcipiens, vel prohibens sub censura, quia lex ponit censuram propter transgressionem ipsius legis, & vbi est vna transgressio ibi est vna censura, & vbi multiplex transgressio, ibi etiam multiplex censura reperitur. Et quod dictum est de excommunicatione, de suspensionis etiam iteratione, vt ex *Cap. Capitulum Sanctæ Crucis, de rescript.* & ibi Glossa constat, nec non de interdicto propter rationis paritatis dicendum est

23 Clericum percutiens sæpiùs successiuè eodem impetu, vnam tantummodo excommunicationem incurrit, arg. *Cap. Cum pro causa de sentent. excomm* vbi qui Clericum in dormitorio verberauit, & postea eundem verberando per claustrum traxit, semel excommunicatum fuisse dicitur. Ratio est, quia censetur vnus tantùm actus moraliter factus, vna percussio, vnum delictum, & ideò vnam tantùm excommunicationem incurrit, quia vnam habere censetur intentionem de vno delicto prohibitio committendo, & quamdiu actio sine morali interruptione continuatur in ordine ad consummandum eũdem effectum, transgressio vnica est. Si verò percussio fiat cum interruptione morali, dicendum est percutientem contrahere plures excommunicationes propter multiplicem transgressionem, vnde tot censuras incurrit quot sunt uerbera moraliter interrupta. Quæ autem sit interruptio moralis, partim ex mora temporis, partim ex modo & circumstantiis, & ex actionibus interpositis pensandum est. Ita Doctores hic citati Vgolinus *tab.1.cap.16.§.3.num.5.* Suarez *disp.5.sect.3.* Nauarrus *in Man.c.6.num.17.* Ioan. Andr. *in c. delictũ, de reg. iur. l.6 in mercur.* Sayrus *l.3.c 10 n.9.* Bonacina *disp.1 q.1.p.5. n.5.* Alterius *lib.3.disp. 10.c. 8.* Layman *lib.1.tr.3.c.3. num.5.* Vide *peccatum 4. n 6.*

Vgolinus Suarez Nauar. Sayrus. Bonacina Alterius Layman

24 Percutiens plures Clericos successiuè, tot excommunicationes incurrit, quot sunt clerici qui percutiuntur successiuè. Quia istæ percussiones sunt plures formaliter, & numero distinctæ: vnitas enim numerica percussionũ non tantum desumitur à continuatione temporis & actionis, verum etiam ab obiecto, circa quod exercetur actio & percussio: docet enim Aristoteles in Phisicis, ad vnitatem motus non sufficere vnitatem temporis sine vnitate subiecti, ita possumus dicere, ad vnitatem transgressionis non satis esse immediatam successionẽ sine interruptione ex parte tẽporis, quia mutatio subiecti potest sufficere, vt moraliter censeatur inchoari noua actio & transgressio; vnde cum hic sint plura obiecta, id est, plures clerici qui percutiuntur, sequitur esse plures percussiones formaliter, & distinctas numero, quarũ singulę excommunicationẽ inducunt Ita Suarez *de cens. disp 5. sect. 3. num.6.* Bonacina *disp.1. quæst.2. punct.5. num.6.* Alterius *l.3. disp.10. cap.8.* Diana *part.5. tract.9 res.6.*

25 Quando actio versatur circa terminum definitum & in eo consummatur, multiplicata actione, multiplicantur peccata, consequenter tot censuræ incurrunt, quot sunt actiones multiplicatæ; vt patet in eo qui sæpius successiuè fornicatus sine tẽporis mora, cum vna & eadem persona; nã actus fornicationis habent terminũ definitum, in quo consummantur; fornicatio enim sequens non cõtinuatur cum præcedente, nec cum ea facit vnam actionem mortalem. Secus dicendum si actio versetur circa terminum, qui non est certus nec definitus, sed habet extensionem & latitudinem, vt est percussio contra vnum & eumdem clericum, hæc enim cùm non habeat certum & definitum terminum, percussio censetur continuari, si fiat successiuè & respectu eiusdem personę consequenter constituit vnum peccatum. Ita Doctores *num præcedenti* citati.

26 Occidens vel percutiens simul vno actu plures clericos, incurrit etiam plures excommunicationes, iuxta numerum clericorum qui percutiuntur vel occiduntur; sicut enim si separatim illos tres percuteret, ter excommunicaretur, ita etiam vbi eos simul percutit alias enim plura delicta simul concurrentia faceret, vt ea committẽs alicuius impunitatem consequeretur & cùm plures percusserit, nec sit ratio, cur ob vnius potius, quam cæterorum percussionem excommunicatus sit, dicendum est tot excommunicationes incurrisse, quot clericos percussit vel occidit, cùm singulis iniuriam intulerit, non minus quàm si vnum tãtum percussisset, vel occidisset. Ita Ioan. Andr. *in c. delictum, de reg. iur. l 6 in mercur.* Nauarrus *c. n 18.* Vgolinus *tab.1.cap.16. §.3. num.8.* Suarez *disp.5. sect.3 n.12.* Henriquez *lib.5.c.5.nu.4.* Vasquez *de pœnit. q.91. art 1.dub.4.num.4. & 7.* Diana *p.3. tract.4. res.164. in fine & pa.5.tr.9.res.59* Quamuis probabiliter defendi possit vnam tantùm excommunicationem incurrere, quia tot numero censuræ incurruntur, quot sunt numero peccata & transgressiones, sed in hoc casu sicut probabile est esse vnum tantùmodò peccatum ergo etiam probabile vnam tantùm esse numero cẽsuram Nihilominus prima sententia vt tutior est in praxi sequenda, quia simpliciter censentur plura homicidia. Et hoc sufficit in ordine ad censuram, siue in rigore peccata sint plura siue non, quia censura fertur ratione iniuriæ factæ tal personæ, vel ratione homicidii.

Ioan. And. Nauarrus. Vgolino Suarez. Henriq. Vasquez Diana

27 Violans legem vno actu habente plures circumstantias, quarum quælibet sub censura prohibetur, vna incurretur censura, si circumstantiæ non mutent speciem, sed tantùm aggrauent intra eamdem speciem, vt percutiens Sacerdotem qui simul est Diaconus, & Subdiaconus, non incurret plures excommunicationes, quia circumstantiæ Sacerdotis & Diaconi non mutant speciẽ actus moralis, & licet singuli ordines per se sufficiant, vt percussor sit excommunicatus, tamen non propterea in plures excommunicationes incidit, quia omnes illi ordines concurrunt per modũ vnius & solùm aggrauant delictum in eadem specie. Quando autem circumstantię tales sunt, vt mutent speciem actus moralis, tot incurruntur censuræ, quot circumstantiæ violantur, quia propter singulas per se sumptas incurretur censura, quia formaliter manent distincta peccata in specie, ergo plures transgressiones, & plures censuræ, vt si quis violenter percutiat eum, qui simul monachus est & clericus, illius percussio cẽsetur duplex transgressio, vna contra reuerentiam debitam statui clericali, altera contra reuerentiam dibitam statui religioso; nam sicut diuersarum rationum sunt cõsecrationes, quæ in clerico & monacho considerantur, ita & prohibitiones illæ, & transgressiones diuersarum rationum videntur, Vgolin. *tab.2.c.16.§.3.* Alterius *l.3. disput.10.c.8.* Bonacina *disp 1. quæst.1. punct. num.7. & 9.* Suarez *de cens. disp.5 sect.3. num 13. & sequent.*

Vgolin. Bonacina Suarez

28 Quando actus prohibetur à multi superioribus habentibus eamdem potestatem incurritur vna tantummodò censura faciendo aliquem actum ab ipsius prohibitũ, quia etsi ferentes censuras sint materialiter multi, formaliter tamen in potestate videntur vnus, Sic deferens semel arma Saracenis, vnam tantùm excommunicationẽ incurrit, quamuis diuersi S. Pontificis excommunicationis censuram contra deferentes prohibita Saracenis tulerint, licitè enim hi multi fuerint in personis, fuerunt tamen vnus in potestate, & ob eandem causam, pęnam eandem excommunicationis contra eosdem proferentes tacitè censentur vnam & eandem excommunicationẽ, nõ diuersam inducere, nec obstat quòd aliqui eã reseruent, alii non, quia qualitas hæc speciem, & substantiam excommunicationis non mutat. Quando verò actus prohibitus

est ab habentibus diuersam potestatem, tot censuræ incurruntur, quot sunt superiores prohibentes, modò quisque tulerit censuram tanquam suam, & intenderit ferre nouum ius & imponere nouam pœnam, quia committitur multiplex contumacia formaliter, quamuis materialiter sit vna. Vt si Episcopus maritimæ ciuitatis sententiam excommunicationis tanquam suam & à se latam, contra deferentes arma prohibita Saracenis ferret, hæc tanquam diuersa ab ea quæ in iure, & per bullam Cœnæ contra eosdem fertur, habenda erit, quia Authores sunt diuersi, neque eadem potestate fungentes, vt successores & prædecessores. Dicitur *tanquam suam*, quia si lata esset tanquam innouatio, & publicatio illius quæ fertur à iure, iam eadem cum illa censenda esset, & contra faciens vnam tantùm excommunicationem ex vnico facto incurreret. Sic communiter DD. hic citati, Nauarrus *in c. ita quorumdam, de Iudæis, notab.* 11. Paludan. *in 4. dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Saytus *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. Filliucius *tr.* 11. *num.* 142. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 16. §. 3. Suarez *de cens. disp.* 5. *sect.* 2. *n.* 13. Coninck *de pœnit. disp.* 7. *dub* 6. *n.* 46.

Nauar. Paludanus Saytus. Filliucius Vgolinus. Suarez Coninck

29 Qui cum ignorantia non crassa seu supina iuris vel facti, inconsideratione seu obliuione legis aut præcepti Ecclesiastici, agit contra id, quod sub comminatione censuræ præceptum vel prohibitum est, censuram non incurrit; vt habetur in *Cap. vt animarum, de constit. in* 6. quod nouum aliquod ius positiuum non condit, sed id quod ipsa natura & institutio censurarum exigit, declarat. Ratio autem est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, & virtualis quidam contemptus, in eo consistens, quòd aliquis monitioni legis aut præcepti cum cõminatione tantæ pœnæ siue censuræ, parere recusat, qui autem huiusmodi Ecclesiasticæ legis aut præcepti comminationem siue censuram ignorat, is contumax, vel clarium contemptor censeri non potest. Et hoc verum quãuis ignorantia concomitans sit; v. g. Rusticus clericum cedens, si nesciat esse clericum, excommunicationẽ non incurrit, quamuis ita animo comparatus sit, vt tametsi sciret, nihilominus cæderet; quia censura nunquam fertur propter internam prauam operantis dispositionem habitualem vel actualem, sed propter externam Ecclesiastici mandati contumacem transgressionem Imò tametsi aliquis sciat opus prohibitum esse, etiam Ecclesiastica lege, si tamen ignoret annexam illi censuram, illam non incurret, quia contumax aliquis censeri nõ potest, si Ecclesiasticam pœnam siue censuram ignoret. Plura de his v *Ignorantia*, & apud Doctores hic citatos, Suarez *de cens. disp.* 4. *sect.* 8 *n.* 6. *& sequent* Saytum *l* 1. *c.* 18. *n.* 15. *& seq.* Sanchez *de matrim. l* 9. *disp.* 32. *num.* 12. *&* 26. Nauarr. *c.* 27. *num.* 16 *& cap.* 23. *num.* 47. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 9. §. 8. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 2. *part.* 1. *n.* 6. 7. 8. *& seq.* Reginald. *li* 9. *num.* 199. *&* 200. Dianam *part.* 3. *tract.* 6. *res.* 41. *& p.* 5. *tract.* 9. *res.* 17. Filliuc. *tract.* 11. *quæst.* 9. 10. *&* 11. *cap.* 8.

Suarez Saytus. Sanchez. Nauar. Vgolinus Bonacina Reginald. Diana. filliucius.

30 Censura lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes vel consulentes, nisi in sententia censuræ exprimantur mandantes vel consulentes, sicut è contra cẽsura lata contra mandantes, nõ includit facientes nisi exprimatur. Ratio est, tum quia ad incurrendam censuram requiritur actus profectus quantùm lex requirit, sed consilium, vel mandatum non est actus perfectus, quantum lex requirit, nisi exprimatur. Tum quia censura nõ debet extendi de vno casu ad alium, eò quod pœnæ sunt restringendæ, & prędicti non sunt propriè & verè facientes, nã mandatum & consilium præcedunt factum, & nihil pręcedere potest id, quod verò ipsum est. Id cõfirmatur ex eo quod in aliquibus sententiis continetur, quòd excõmunitur etiam fauentes, mandantes, & consulentes & non solum facientes realiter, & in effectu, vt videre est in *cap. felicis, de pœnis in* 6. *& in clem. Si quis suadente, tit. eod.* ergo vbi hæc non continentur in sententia, non est intentio Ecclesiæ, quod cõsulens, aut præcipiens censuram incurrat, vt ex communi sententia tradunt DD. hic citati Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 51. Suarez *de cens. disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 5. Reginald. *lib.* 9. *num.* 214. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 9. §. *vlt.* Couarr. *c. Alma p.* 1. §. 10. *n.* 15. Alterius *li.* 3. *disp.* 2. *cap.* 2. Portel *in dub reg. v. Excommunic. num.* 7. Diana *part* 5. *tractat.* 9 *resol.* 57.

Nauar. Suarez Reginald. Vgolin. Couar. alterius Diana

31 Quando mandans vel consulens verè non influit in effectum prohibitum sub censura, illa non ligatur; quamuis aliquo modo exprimatur in sententia censuræ, vnde infertur mandantem vel consulentem percussionẽ clerici non ligari excommunicatione, quando delinquẽs commissurus erat delictum absque illius mandato vel consilio, item si mandans reuocauerit mandatum & hoc mandatario innotescat. Item si mandans antequam mandatarius percutiat, moriatur, & in morte vel antea pœnituit, mandatariusque de morte eius certificatus fuerit, quia morte mandatoris soluitur mandatum, Sayrus *de cens. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 22. Diana *p.* 5 *tr.* 9. *res.* 58. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *num* 7. Syluester *v. Excommunic.* 6. *num.* 5. Nauarrus *in Man. cap* 27. *n.* 51. Auila 2. *p. cap.* 5. *disp.* 3. *dub.* 3. Caietan. *v. Excomm. cap.* 10. *vers.* 1.

Sayrus. Diana Layman syluest. Nauar. Auila. Caietan.

Cognuscere autem potest quis an suo consilio influxerit in factum prohibitũ sub censura, vel ex dictu ipsius, cui datum est consilium, modò sit fide dignus, vt si asserat se motum non fuisse consilio ad substantiam actus, vel ex coniecturis, puta si delinquens iam minatus fuerat percussionem, vel homicidium, aut si omnia necessaria ad delictum iam parauerat, censura tamen ligabitur consulens, si per suum consilium auxit voluntatem delinquentis, ad pręstandum effectum prohibitum sub cẽsura, quãuis delinquens paratus esset ad illum effectum præstandũ nam tunc dicitur suo consilio influere in effectum prohibitum, Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 44. Henriquez *lib.* 14. *cap* 16. *num.* 3. Sayrus *lib* 7 *cap.* 3. *num.* 2. Syluest. *v. Excommunic.* 8. *num.* 12. Bonacina *disp.* 2. *quæst.* 1. *p.* 7. *num.* 4. Item ligabitur consulens, etiamsi reuocauerit consilium; reuocatio tamen non innotuit ei, cui consilium datum fuit ad patrandum delictum prohibitum sub censura, quia non censetur reuocasse influxum, saltem quando consilium erat verum, Nauarrus *in Man. c.* 27 *n.* 233. Molina *tom.* 4. *disp.* 52. *num.* 2.

Sanchez henriq. Sayrus. Syluest. Bonacina

Nauarr. Molina.

31 Censura iniustè lata dicitur quamuis validè, quæ accidentali tantùm defectu laborat, puta si forma iudicii iure pręscripti in censura ferenda à Iudice non obseruetur. Videlicet vt canonica, id est, trina admonitio interpositis interuallis antecedat, & vt sentẽtia proferatur coram testibus, in scriptis inserta causa, & exemplum scripturæ tradatur reo. Vnde si Iudex hanc formam temere & sine iusta causa in censuris ferendis prætermiserit, vno mense ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis suspensus manet, vt patet ex *Cap.* 1. *cum medicinalis, de sentent. excommunic. in* 6. hæc tamen pœna non comprehendit Episcopos, cum de ipsis non fiat mentio, quando autem in censura suspensionis, vel interdicti non fit mentio Episcoporum certum est Episcopos non ligari. *Cap. quia periculosum, de sentent. excomm.* Aduertendum est autem hanc iniustitiam non habere locum in censuris à iure latis: Ordo enim iuridicus seruandus est tantùm in censuris ab homine latis, quia omnes censuræ latæ à iure iustę sunt iustitiæ legali, quatenus omnes sunt conformes modo, quo illæ ferri debent. Ratio verò cur censura iniustè lata valida sit, est, quia nihil illi deest quod pertineat ad substantiam censuræ, *Cap. Sacro, de sent excomm. & c. Romana c. constitut. eod. tit. in* 6. Suarez *de cens. disp.* 4 *se.* 7. *n.* 3 Sayrus *l.* 1. *c.* 13. *n.* 17. Nauarrus *in Man. c.* 27. *n.* 8. Vgolinus *tab.* 1 *c.* 14. §. 6 Alterius *to.* 2. *disp* 7. *c.* 2. Conin. *disp.* 13. *sect.* 1. *dub.* 9. *num.* 85. Bonacina *cit. punct.* 8. *nu.* 1. *&* 2. Toletus *lib.* 1. *Summ. cap.* 10.

Suarez sayrus. Nauarr. vgolinus Alterius Bonacina Toletus

33 Ex triplici capite censura non tantùm iniusta, sed etiam inualida existit *cap.* 1. *preterea* 2. *de appellation. ca. Solet, de sentent. excomm. in* 6. Nauarrus *in cap. cum contingat. de rescriptis* Toletus *lib.* 1 *c.* 10. Suarez *de cens. disp.* 3. *sect.* 15. *& disp.* 4. *sect* 7. *& disp.* 2. *se.* 6. Coninck *disp.* 13. *dub.* 13. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 1. *c.* 6. Miranda *in Man.* 2 *p. q* 35. *art.* 14. Sayrus *l.* 1. *cap.* 17. Filliucius *tr.* 11. *c.* 8. *q* 3. 4. *&* 5 Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 3. *Primò* ob defectum ferentis, vel si iurisdictione careat, vel impeditam habeat per censuram excommunicationis, suspensionis, &c. Vel suspensam per legitimam appellationẽ, quæ interposita fuit ante sententiã absolutè à Iudice latam, Censura enim lata post appellationẽ legitimam, vel cum alio defectu substantiali, ipso iure irrita est; ideò neq; timenda, neq; obseruanda est per se loquẽdo, nisi scandali vitandi ratio aliud exigat; Secùs dicendũ

Nauarrus Toletus. suarez. Coninc. Layman. miranda. sayrus. Filliucius bonacina sotus.

si cen-

si censura valde in aliquem lata sit eius effectus, per sequentem appellationem non suspenditur, quia quælibet censura exectionē secum trahit, *c. a. ss cui, de sent. excom. in 6. Secundo* ob defectum causæ iustę, si videlicet ob nullam, vel ob leuem, & non commensuratam culpam feratur, puta, si reus de crimine legitime non conuincatur, uel si crimen non subsistat, licet iuridicè cōtra reum demōstretur vel si nec reipsa nec secundū allegationes, & externi fori præsūptionem causa subsit. Et quidem quando reus de crimine non conuincitur sententia lata contra illum irrita censeri debet, quia licet secundum rem causa subsistat, sed non subsistit secundum publicam notitiam iudicii, & iudex secūdum publicam notitiam iudicare debet: Quando autem crimen non subsistit, & tamē iuridicè contra reum per testes demonstratur, iurisperiti communiter affirmant talem censuram esse validam distinguentes inter censuram per se iniustam & nullam, cum enim se fundent plerumque non in rei veritate, sed in præsumptione iuris & secundum notitiam humanam in foro contentioso loquantur, volunt posse esse sententiam iniustam, quæ tamen non sit nulla Theologi verò, qui solam rei veritatem considerāt, negant validam esse, quorum sententia apud me probabilior est; tum quia nemo ligatur cēsura maiori, nisi propter peccatum mortale, sed quando cēsura fertur ob causam, quæ non subbstit, non adest peccatum mortale, cū vere non fuerit commissum, quamuis in iudicio probetur commissum, ergo. Tum quia sententia in tantum est vera, & valida, in quantum est æqua & iusta cū sit actus iustitiæ; sed quando causa ob quam fertur est materialiter iniusta, sententia non dicitur æqua, & iusta cum non habeat conformitatem rei ad rem, ergo non obligant. Tamen eiusmodi sententia secundum legitimas probationes lata non omnino irrita est aut omni effectu caret, quia necessitatem imponit existimato reo, ut in facie Ecclesiæ saltem coram iis qui censuram latam sciunt innocentiam autem nesciunt, abstineat à Sacramentorum vsu, aliisque rebus, quæ per censuram prohibentur donec vel ab ea absolutus sit, vel innocentia ipsius publicè innotuerit. *Tertio*, censura redditur inualida si substantialis ordo iudicii prætermittatur; puta si reus non citetur, & nulla monitio interueniat. Ratio est, quia sententia lata non seruato iuris ordine necessario, non est sententia nec conformis iuri. Plura de his vide apud Doctores hic citatos.

34 In censura ferenda prærequiritur admonitio, vt colligitur ex iuribus hic citatis *c. Sacro de sent excommunic. cap. reprehensibilis, de appellat. cap. statutum, de sent. excomm. in 6.* siue censura lata sit ab homine, siue à iure, siue ob eādem, siue ob diuersam causam, siue in genere, siue in specie siue pro præteritis siue futuris culpis, Ratio est, quia censura ex consuetudine Ecclesiæ ferri non debet nisi ob inobedientiam, & contumaciam, nemo autem præsumitur, contemnere exterius, nec pœnam repellere Ecclesiæ vel superioris nisi prius moneatur sub censuræ pœna; quare nisi aliud constet, præsumitur, quod ita monitus obediet timore tantæ pœnæ, unde prius admonendus est. Sed circa admonitionem aduertendum est *Primo* quod censura lata pro futuris culpis. non requirit admonitionem distinctam ab ipsa lege, vel prohibitione superioris quia in censura a iure lata, satis est monitio generalis, quæ fit a b eodem iuris conditore, vnde ius ipsum non ignoratum continuo admonet. Idem dicendum quādo Iudex aliquid præcipit sub censura latæ sententiæ, tūnc non requiritur alia monitio, sed faciens contra, statim censuram incurit, Panormit. *in c. 1. de iudiciis n* 33. Suar. *disp. 3. sect* 11. *nu. 1. Secundo*, hæc admonitio facienda est authoritate illius qui laturus est censuram quia huiusmodi admonitio vices gerit citationis, legitima autem citatio facienda est authoritate iudicis; Nauarr. *in Man. c.* 27 *n* 11. Vgolin. *tab. 1. c.* 18. *§. 2. n. 1.* Henriq; *l. 13. c. 17. §* 3. Præpofit. *de censur. q. 1. dub.* 12. Layman *lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 4.* Filiuc. *tr.* 11 *c. 4. q.* 5. Couarr. *in c. Alma mater.* 1 *p.* §. 9. *n. 5. Tertio* monitio seu citatio premittenda debet esse cōperens, c. *Sac. de sent. excom. & c. Romana eod. tit. in 6.* cōpetens autem monitio est illa, quæ fit ter, & dicitur Canonica, quia non priuatim, sed secundū iuris ordinē à Christo & sacris canonibus præscriptum fieri debet vnaquæq. autem harum triū monitionum cum aliquo dierū interuallo esse debet, *c. constitutionem, de sentent. excomm. in 6.* ita vt biduum saltem inter vnamquamque illarum intercedat, sufficit tamen aliquando vna admonitio pro trib assignatis competentibus aliquorum dierum interuallis, vt si iudex concedat sex dies absolutè, eo quòd virtualiter tria interualla videantur in hoc termino contineri, modò iudex explicet hunc esse vltimum terminum. Imò quando periculum esset in mora, tunc ex prudentia iudicis posset illa dierum pluralitas commutari in vnum diem, assignando duas, vel tres horas pro singulis monitionibus; vel etiam ad breuius tempus; quando enim de contumacia constat nihil vltra expectari debet, *arg. c. cum qui certus, de reg. iur. in 6.* Ita Suarez, *de cens. disp. 3 sect. 8. n. 2. 3. & seq. & sect. 12. n. 4.* Vasquez *tr. de excomm. dub.* 12. *n.* 4. Vgolinus, *tab.* 1. *c.* 18. Alterius, *tom. 2 disp. 7. c. 2.* Sayrus, *libr.* 1. *c.* 12. Reginaldus, *lib 9. n.* 183 Diana, *p 5. tr. 9. res.* 18.

panorm. Suarez. nauar. henriq. ugolin. Layman. præposit. filiucius. Couar.

Suarez. Vasquez. vgolinus. Alterius. Sayrus. Reginald. Diana

35 Canonica monitio, seu citatio communiter facienda est coram personis idoneis ad testificandum, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio; & fieri debet personaliter ad reum; nec sufficit fieri ad domum eius; nisi in aliquibus, *c. Sacro, de sent. excomm. Primò*, quando reus se abscondit, vel impedit, quominus personaliter citetur, tūc enim satis est vt ad domum ipsius citatio fiat; quod si reus domum non habeat, fieri debet admonitio, seu citatio ad valuas Ecclesiæ eius loci, vt ad notitiam hominis deuenire queat. *Secundò*, quando iam semel fuit citatus personaliter, tunc reliquæ citationes fieri possunt ad eius domum. *Tertio*, quando aliqua citatio facta ad domum, peruenit ad notitiam ipsius citati, tunc enim reliquæ citationes ad domum fieri possunt. *Quartò*, cùm quis iterùm in excommunicationem coniicitur, eò quòd malè absolutus erat, tunc sufficiet citatio ad domum facta. De his plura apud Vgolinum *tab. 1. c. 18. §. 1.* Couarr *in c. Alma mater. 1. p. § 9. n. 4.* Bonac. *disp. 1. q. 1. p 9. n. 9.* Suarez *disp. 3. sect. 11. n 4. & seq.* Henriq. *l 13. de excomm. c. 17. §. 3.* Layman *l. 1. tr. 5. num. 4.* Filliuc. *tr.* 11. *cap. 4. q. 7.* & alios Canonistas.

Vgolin. Couar. Bonacina Suarez Henriquez Layman Filliucius.

36 Si per latam sententiam ipso iure vel ab homine aliquid in futurum fieri prohibitum est sub pœna excommunicationis, aut suspensionis, alia insuper monitio non requiritur, sed ipso facto, seu criminis admissione censura contrahitur, vt hic diximus num. 16. & 34. Tamen si à Iudice declarandus vel denunciandus sit, necesse est eum priùs citari, data illi copia suæ defensionis, quippe quæ naturali iure debetur. Cùm enim iudicium inter Iudicem ad partes exerceatur, opus est vt pars in iudicium, vocetur, seu citetur. *Cap. inter quatuor, de maior. obedient.* citatio enim fit vt pars sciat causam quæ agitur in iudicio, & compareat ad se defendendum, Panorm. *in c. a. aduent. 1. n. 5. de appellat* Toletus *li. 1. c.* 44. Nauarrus *de sentent. excom, consil. 56. n. 5.* Suarez *disp. 3. sect.* 10. *n.* 15.

Panorm. Toletus Nauar. Suarez.

37 Si à iure decreta sit censura, non latæ, sed ferendæ sententiæ v. g. *Qui moniales alloquentur, excommunicabūtur*, dubium est, an Iudex statim contra reū absq; vlla monitione præuia illā possit ferre videtur enim posse, quia iā per legē facta erat sufficiens admonitio; ergo iam ille est cōtumax Ecclesiæ, ergo statim potest censura ligari: Alias enim nullius efficaciæ, aut momenti esset illa comminatio cēsuræ, quæ per talem legem fit, tum quia adest sufficiens contumacia ex parte delinquentis, qui nouit prohibitionem sub pæna censuræ ferendæ: Hæc sententia est satis probabilis quam tenent Sanchez *de matr. lib. 2. disp. 24. n.* 28 Bonacin. *de cens. disp. 1. quæst. 1. punct. 9. nu. 4.* & ex parte Filliuc. *tract. 11. nu. 95.* Sed contrarium benignius & probabilius est, magisque suauem reddit censurarum praxim. Ratio est, quia ob crimen merè præteritum aut emandatum neque excommunicatio, neque alia propriè dicta censura infligi potest: Si autem Iudex excommunicationem, aliamve censuram sententiæ ferendæ exequi posset contra criminosum, nulla pręcedente monitione; tunc sæpe accideret, censuram, infligi propter crimen merè præteritum, aut emendatum. Ita Couarr. *cap. 1. part. §. 9. n.* 5. Suarez *disp. 3. sect.* 10. *num.* 20. Layman *cit. nu. 6.* Caietanus *in Sum. v. Cleric. peccata, & v. Præceptum* Præpositus *de censur. quæst. 1. dub. 12 nu.* 82. Secus dicendum esset, si censura ipso facto contracta duntaxat à Iudice declaranda, aut denuncianda sit, tunc

Sanchez. Bonacina Filliucius.

Couar. Suarez Layman. præPosit.

si sacr um

virtute priuilegiorum, possunt procedere contra reos in foro exteriori, eadem ratione, ac possent, si illi in interiori non essent absoluti.

Triplex est censuræ absolutio: vna est, quæ dicitur absolutio *simplex*. Alia est, quæ vocatur absolutio *ad cautelā*. Tertia vero dicitur absolutio *ad reincidentiā*. Absolutio *simplex* est illa, quæ datur simpliciter, & sine vlla restrictione homini censura innodato, de cuius censuræ valore non est dubium quamuis dubium esset de eius iustitia. Absolutio *ad cautelam* est illa, quæ datur sub conditione impropria tributa, vbi an censura valeat, ob periculum, quod inesse potest, dubitatur. Interdum vero etsi nulla suspicio aut dubium censuræ contractæ adsit, præmitti solet absolutio a censuris ante Sacramentum pœnitentiæ ad vitandum irreuerentiam Sacramenti; vel ante collationem ordinum, ad vitandum irregularitatem ordinarij; vel ante electionem, aut collationem ecclesiastici beneficii, aut alicuius priuilegii, ad vitandam eius inualiditatem. De qua re videndus est, Sayrus *de censur. lib. 2. c. 16. n. 7.* Couar. *in c. Alma p. 1. §. 7. n. 7. & §. 12. n. 7.* Vgolin *de censur. tab. 1 c. 23. §. 1. n. 9.* Suarez *de censur. disp. 7. sect. 8. n. 12.* Fillucius *tra. 11. capit. 10. numer. 311. & 312.*

Sayrus. Vgolin. Suarez. Fillucius.

42 Absolutio *ad reincidentiam* est, cum datur sub conditione, quam nisi absolutus intra præfixum tempus, vel quam primum commode potest adimpleat in eandem, vel potius similem censuram denuo incidat, vnde requiritur ad hanc reincidentiam nouum contumaciæ peccatum, noua item Iudicis aut legislatoris sententia, lata sub conditione, nisi tale quid absolutus præstiterit, ad quod iure obligatur; quare si idipsum absque sua culpa intermiserit, aut distulerit, reipsa in censuram non reincidet. Vt colligitur *ex c. veniens, 2. de testibus, & c. Apostolica, de except.* Ita Couarruuias *c. p. 1. §. 11. n. 6.* Sayrus *c. n. 8.* Nauarrus *in Man. c. 27. n. 46 & n. 113.* Vgolinus *tab. 1. c. 14. §. 5.* Auila *p. 2 c. 7. disp 3. dub. 14.* Henrio. *lib. 13. c 20. n. 2. lit. V.* Fillluc. *tr. 11. n. 314. 315. & 316.* Suarez *de censur. disp. 7. sect. 8. n. 20. & seq.* & alii. Non est tamen improbabile non esse necessariam nouam culpam, vt absolutus ab excommunicatione ad reincidentiam, in eam reincidat. Ratio est, quia pro tunc pro reliquo tempore vltra tempus determinatum, pro quo fuit absque conditione absolutus, non absoluitur absolute, sed sub conditione operis, nullo superaddito, quo indicetur respectus ad culpā; ergo deficiente conditione, quamuis absque culpa deficiat, non perseuerat absolutus, sed reincidit in excommunicationem, & non aliunde, quā ex vi sententiæ, quæ fuit primo lata, ex vi cuius perseueraret, quamuis excommunicatus fieret impotens ad soluēdum, vel ad aliud opus sub cuius conditione fuit absolutus pro illo reliquo tempore. Ita Hurtadus *de excomm. disp. 14 diffic. 3. n. 12.* Turrianus *de censur. lib. 2 disp. 24. dub. 2.* Villalobos *in summ. to. 1. tract. 16. diffic. 23. n. 6.* Hæc autem absolutio ad reincidentiam in duobus casibus datur, quorum *primus est*, quando quis in articulo mortis vel in aliqua alia necessitate absoluitur ab eo, a quo de iure absolui alias non potuerat, tunc si conualescens, aut impedimento cessante, cum primum commode potest superiorem illum, a quo iure ordinario absoluendus erat adire contempserit, paratus ab eo recipere mandatum, & exequi in eamdem specie censuram ipso iure incidit. *Secundus est*, cum quis absoluitur à Sede Apostolica, aut eius Legato, Nuncio, aut à Pœnitentiario Papæ, cum mandato, ut præsentet se uel Ordinario suo, aut alteri, pœnitentiam ab eis suscepturus, vel ut parti satisfaciat, cui obligatus erat; si hæc cùm primum commodè poterit, adimplere contempserit, in eadē specie excommunicationē reincidit. Qui duo casus in *c. eos qui, de sent. excomm. in 6.* expresse habetur.

Couar. Sayrus. Nauarr. Vgolinus. Henrip. Auila. Suar.

Hurtadus. Turrianus. Villalob.

Sed dubium est, an si pars dilatet tempus absolutionis ad reincidentiam à iudice factæ, incurratur elapso tempore excommunicatio, vel necesse sit aliam excommunicationem ferre? Respond. probabile esse elapso termino à parte prorogato incurri excommunicationem absque nouo consensu iudicis ex vi præcepti a principio facti, & lationis excommunicationis ei annexæ. Ratio est, quia iudex, qui præfixit terminum, vt intra illum fiat aliquid, non præfixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum & lationem excommunicationis ei annexæ, sed tantum ad finiendam permissionem, aut licentiam differēdi impletionē sui præcepti; ergo etiā post terminū à iudice præfixum, & post terminum à parte prorogatū, perseuerat præceptum iudicis & annexio excommunicationis ac proinde ex vi lationis excommunicationis in principio factæ, absque nouo consensu iudicis incurritur excommunicatio. Ita in simili Sanchez *lib. 4. moral. cap. 55. n. 5. & 6.* & docet expresse Hurtado *de excomm. disp. 13. diffic. 5. n 15* citatus à Diana *p. 5. tractat. 9 resol. 22.*

Sanchez. Hurtadus. Diana.

Plura de absolutione censurarum v. *Absolutio.* n. 19. & seq. *Appellatio* n. 5. *Beneficium* 3. n. 10. *Confessio* 1. n. 14. *Dubium* n. 6. *Excommunicatio*. *Ignorantia* n. 17 18. & seq. *Suspensio*. *Interdictum*.

CENSVS.

SVMMARIVM.

1 *Census quid sit; & de eius diuisione in reseruatiuum & consignatiuum.*
2 *Diuisio census consignatiui.*
3 *Quanam conditiones requirantur ad contractum census.*
4 *An licite noui reditus emantur.*
5 *Census realis emptio est licita seruato pretio legali.*
6 *Concidit census, pereunte re, super qua locatus est.*
7 *An res census subiecta sit vera hypotheca pro censu?* Refertur duplex sententia.
8 *An licitus sit census realis cum pacto redimendi ex parte venditoris.*
9 *Emptio census personalis tam irredimibilis quam redimibilis ex parte solius venditoris an sit licita.*
10 *In censu personali licet exigere hypothecam.*
11 *Res in qua fundatur census, an debeat tot fructus ferre, qui sufficiant ad soluendam pensionem?* Refertur duplex sententia.
12 *Ad ponendum censum an necesse sit vt res censita ferat fructus naturales.*
13 *Census personalis vtrimque redemibilis, an sit licitus.*
14 *Census realis vtrimque redimibilis, an toleretur.*
15 *Emptio reditus personalis irredimibilis an sit licita.*
16 *Temporalis census vt est omnis vitalitius an possit minori pretio emi, quam sint pensiones speratæ.*
17 *An liceat minoris emere censum, qui ad certum tempus constitutus est.*
18 *Non potest census minori pretio emi, quam initio fuerit creatus.*
19 *Census empti ad rationem 16. in singula, an minore pretio vendantur in Belgio.*
20 *In emptione census, an liceat pactum adiicere, vt venditor teneatur redimere eadem moneta.*
21 22 *An pactum possit adiici in emptione census, vt non possit redimi, nisi intra certum tempus.*
23 *An iniquum sit pactum contractus censuali adiectum, vt venditor semper teneatur ad pensionem etiamsi res censui subiecta casu pereat.*
24 *Pactum de non redimendo per partes, est licitum.*
25 Bulla *Pii V. de censibus non obligat vbique.*
26 *An pensiones sint restituendæ, quando census emptus fuit minoris iusto; & pretium lege constitutum est cum clausa irritante contractum.*
27 *Quale sit iustum pretium censuum? & à quo debeat constitui.*
28 *Modus constituendi iustum pretium census, deficiente lege & consuetudine.*

1 NOmen Census variè sumitur vt notant, Couarr. 3 *var. c. 7.* Molina *tom. 2. tr. 2. disp. 380.* Toletus, *lib. 5. c. 42.* Reginaldus, *lib. 25. n. 410.* Arragon. *2. 2. qu. 78. art. 4. vers. finem.* Layman, *lib. 3. tr. 4. c. 18.* Syluius, *2. 2. q. 78. art. 4. quæsit. 2.* Bonacina, *de contract. disp. 3. q. 4. p. vnic.* Lessius, *lib. 2. c. 22. dub. 1. n. 1. & 2.* Fillucius, *tr. 35. 2. p. c. 1. n. 243.* & alii: sed hic sumitur pro iure, quod quis obtinet in re alterius: Vnde *census est ius percipiendi aliquam pensionem ex re alterius vtili vel persona*, v.g. Petrus obligat se Paulo, ad conferendam ei certam partem fructuum propriæ vineæ, singulis annis; *ius*; quod habet *Paulus* eam pen-

Couarr. Molina. Toletus. Regin. l. 5. Layman. Sylvius. Bonacina. Lessius. Fillucius.

à multis doctissimis Theologis Romæ in quadam consultatione, cui ipse interfuit, anno 1581. probabilem esse iudicatam, et si ob periculum vsurarum minimè suadendam. Ratio est, quia licet vendere censum redimibilem ad arbitrium venditoris, ex communi sententia; cur non similiter liceret emere redimibilem ad arbitrium emptoris; si enim licet tibi vendere cum pacto redimendi, si volueris, cur non similiter possem emere cum pacto retrouendendi, si voluerò? Ita Lessius, *c. dub.* 10. Malderus, 2. 2. *de iust. tr.* 5. *c.* 3. *d.* 11. Filliucius, *tr.* 35. *n.* 272 Becanus, *c. de cens. q.* 6. Arragon, 2. 2. *q.* 78. *ar.* 4 Medina, *de vsur. q.* 15.

lessius. Malderus. Filliucius. Becanus. Arragon.

15 Emptio reditus personalis irredimibilis est licita, etsi pretium sit minus quam pensiones speratæ, quia minor est species vsuræ in hac emptione, quam in emptione, census personalis redimibilis, cum nulla sit spes recuperandę sortis, Sotus *lib.* 6. *q.* 5. *art.* 1. *conclus.* 4. Becanus *c. quæst. num.* 14.

16 Temporalis census qui ad incertum tempus constitutus est, vt est omnis vitalicius, minori pretio emi potest quam sint pensiones speratæ: quia quod pensiones simul iunctæ superent sortem, id est fortuitum, sicut enim possunt superare, ita etiam superari, esseque minores sorte, Couarr. *variar. c.* 7. *n.* 3. *&* 4. Becanus *c. quæstione qinta* & alii.

17 Census qui ad certum tempus constitutus est, secundum probabilem quorumdam Doctorum sententiã potest etiam minoris emi; v. g. licet pensionem decem aureorum in decenium emere, nonaginta; idem dicendum de censu personali ad certum tempus: Nauarrus *c.* 17 *n.* 230. Couarr. *lib.* 3. *var. c.* 7. *n.* 4. Caiet *v. vsura*, Becanus *c. quæst.* 4.

Nauar. Couar. becanus.

18 Census non potest emi minori pretio quam initio fuerit creatus, quando pretium legitimum à Principe constitutum est, quia taxatur pretiũ in gratiam venditorum: posset tamen vendi maiore; vnde puniuntur in Belgio qui minore pretio quam sexdecim in singula emunt census dum primo creantur, Lessius *c. dub.* 7. Filliucius *citat. num.* 270.

lessius Filliucius.

19 Antiqui census empti ad rationem sexdecim in singula, multo minore pretio venduntur in Belgio Principe sciente, & non contradicente: imò in quibusdam locis pretium legitimum taxatum non seruatur, emunt enim ad rationem quindecim, quatordecim, vel etiam duodecim in singula, & toleratur à Principe seu Concilio. Si census non habeat pretium legitimum, vel si illud passiuum non seruatur, potest emi minori pretio quam initio fuerit constitutus, quia pretium vulgare non consistit in indiuisibili, ita Lessius *c. n.* 46. vide Dianam *de contract. resol.* 37. *part.* 1.

lessius. Diana.

20 Aliquando licet emere censum cum pacto, vt venditor, quando voluerit redimere teneatur redimere eadem moneta. *Primo*, si certum sit æstimationem monetæ non esse mutandum. *Secundo*, si vtrinque erat dubium an esset augenda, an minuenda *Tertio*, si certum erat æstimatio augendam, & emptor statuerat suam pecuniam illud tempus seruare; extra hos casus tale pactum non est licitum nec obligat in conscientia, Bonac. *to.* 2. *disp.* 3. *q.* 4. *n* 36. Salas *dub.* 24. Lessius *citato. dist.* 8. Filliucius *citato num.* 471. & alii.

bonacina. salas. Filliucius.

21 Absolute licitum est emere censum cum pacto, vt non possit redimi nisi intra certum tempus, ita vt si intra illud tempus non redimatur à venditore fiat irredimibilis; pretium tamen illius census debet esse maius quam si semper maneret redimibilis, & minus quam si absolutè esset irredimibilis, Medina *de vsura*, *q.* 15. *dub.* 1. Couarruuias *l.* 3. *var. c.* 8.

medina. Couarr.

22 Licita est emptio census cum pacto vt posit redimi post certum tempus, v. g. post decenium, ita ut ante redimi nequeat, Couarr. *l.* 3. *var.* 8. *n.* 7.

Couarr.

23 Quidam putant pactum contractui censuali adiectum esse iniquum, vt venditor semper teneatur ad pensionem, etiamsi res censui subiecta casu pereat, sed verius est non esse, si iusto pretio compensetur, considerato periculo euentus ad arbitrium prudentis, Lessius, *c. dub.* 11. *n* 65. *&* 66.

24 Licitè apponitur censui, imò consentaneum est naturæ contractus, vt non possit redimi per partes; item contractui census reseruatiui pactum addi potest, vt si per biennium, vel triennium pensio soluta non fuerit, res censui subiecta cadat in commissum, & in pœnam negligentiæ efficiatur domini census: debet autem debitor esse in mora solutionis: in contractu verò consignatiuo hoc pactum addi non potest, nisi ex æquo compenletur aucto pretio census, arbitrio prudentis, Toletus, *libr.* 5. *c.* 45. *n.* 4. Azorius, 3. *p. lib.* 10. *c.* 13 *q.* 6 Lessius, *c. n.* 68

Toletus. Azor. lessius

25 Bulla Pii V. de censibus non obligat vbi illa non est promulgata, vel recepta, quia probabile est non solùm leges Imperatorias, sed etiam Pontificias non obligare, nec vim retinendi habere, nisi sint promulgatæ in Prouincia: vnde hæ conditiones non obligant in Belgio, tùm quia nunquam hic promulgatæ, tum quia contrarius vsus semper perseuerauit, idem dicendum de Gallia, & Germania. Vbi bulla Pii V. non est recepta, seruandæ sunt leges, & consuetudines ibidem vsitatæ, quæ tamen legi diuinæ, vel naturali non repugnent; vbi autem nulla esset consuetudo habens vim legis, satis est seruare legem naturalem, quæ tantummodo requirit æqualitatem inter censum, & pretium, Layman, *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 17. Becanus *p.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 5. Molina, *tom.* 2. *tr.* 2. *disp.* 395 Lessius, *cit. dub.* 13. Syluius, 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *quæsit* 2. *concl.* 3. An verò census possit constitui ex pecunia credita? aliqui affirmãt Ita Sotus, *de iust. lib.* 6. *q.* 5. *art.* 1. alii verò negant, Ita Lopez, *de contr. lib.* 1. *c.* 59. Prima sententia erit probabilis, vbi bulla Pii V. non est vsu recepta; Vide Dianam, *de contr. resol.* 44 *p* 1.

layman. Becan. molina. lessiu. sylu. Sotus. lopez Diana

26 Quando census emptus fuit minoris iusto, & pretium lege constitutum est cum clausula irritante contractum, tunc pensiones sunt restituendæ, quatenus excedunt iustum pretium. Si verò pretium non sit lege constitutum, vel saltem cum clausula irritante, quamuis probabile sit excessum illum pensionum restituendum esse, contrarium tamen est verius, nempe nihil ex pensionibus restituendum, sed tantùm esse pretium supplendũ, & interesse, si quod venditori obuenerit, compensandum Medina, *q.* 15. *dub.* 5. Lessius, *c. d.* 15.

medina lessius

27 Iustum pretium censuum constituitur lege Principis, & ea deficiente, consuetudine communi apud diuites, & inopes, sic vendendi census Toletus, *lib* 5 *c.* 47. *n* 3. Sà, *v. census, n.* 5. Azorius, 3. *p. lib.* 10. *c.* 4. *q* 4. Filliucius, *c. n.* 265 Valentia, 2. 2. *d.* 5. *q.* 22. *p.* 5. Salas, *dub.* 22. *n* 2. Lessius, *c. dub.* 14. Bonacina, *c. n.* 41. vnde fit vt pretia cẽsuum pro varietate temporum, & locorum sint varia; nam pretiũ census irredimibilis in Hispania est, viginti octo, viginti nouem, vel triginta aureorum in singula; in Sicilia est solùm 10. in singula, iuxta approbationem Nicolai V. & Gregorii XIII. Idem approbarunt Calistus Tertius, & Martinus Quintus pro Polonia, & Germania. In Belgio census irredimibiles non habent pretium legitimum, nec possunt de nouo creari, obstante constitut. Caroli Quinti. Reseruatiui possunt vendi viginti quinque in singula, vel etiam minoris. Nota in his locis vbi floret negotiatio, census minoris æstimari, similiter vbi est pecuniæ penuria. Ratio, quia pecunię penuria facit merces minoris æstimari, & negotiatio facit ipsam pecuniam quæstuosam, ac proinde pluris valentem. Pretium autem cẽsus vitalitii, ferè hic in Belgio est octo in singula, si ad vnius vitam constituatur, nel decem, si ad duorum. Vide Couarruuiam, *lib.* 3. *variar. c.* 9. *&* 10.

Toletus Sa. azorius Filliucius. Valentia salas lessius bonacina Couarruu

28 Porrò pretium census deficiente lege, & consuetudine optimè constituitur ex proportione pretii rerum fructiferarum, ut agrorum, domorum, & similium; quo enim pretio emi potest res fructifera, quæ deductis expensis quotannis reddat centum aureos, eodem & etiam minore iustè potest comparari census realis irridimibilis tantumdem pendens; debet etiam in pretio constituendo attendi æquitas, & utriusque contrahentis grauamen, aliæque circumstantiæ, Layman, *c. n.* 14. Couarr. 3. *resol. c.* 9. *n.* 6.

layman couarruu.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Census, & Emphyteusis in tribus distinguuntur:*

Census.

2 *Census est contractus emptionis, & venditionis in quo res ab vno empta, & ab alio vendita est ius illud percipiendi annuam pensionem.*

3 *Census potest creari in diversis prædiis separatis alicuius.*

4 *Quando dicatur res censualis reddita infructifera.*

5 *Census potest collocari in alio censu, modo sit irredimibilis.*

6 *Census non potest constitui in re aliena, nisi ex consensu domini rei. Et quid agendum, si quis in re aliena, vel aliis vinculis obstricta censum constituat.*

7 *Si census vilius minoris iusto pretio emantur, quando pretium est taxatum cum clausula irritante contractum, pensiones sunt restitutioni obnoxiæ, qua parte superant iustum pretium. Si autem pretium non est taxatum, verius est excessum pensionum esse restituendum, sed tantum pretium.*

Ex Constitutione Pii V. multæ conditiones requiruntur in Constitutione census, quarum prima est vt constituatur in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur.

Probabilius est, ex natura rei, sublata humana prohibitione, censum posse constitui super sola, nudaque persona, modo sit vtilis, & fructifera.

Item verius est, stando in solo iure naturali, & diuino posse censum constitui in re mobili se mouente, & quæ primo vsu non consumitur, modo census minus vendatur quam supra immobilem.

9 *Secunda conditio est, vt res sit natura fructifera, id est, apta ferre fructus. Et quid nomine fructus intelligatur.*

10 *Tertia conditio est, vt census super re nominatim certis finibus designata, constituatur.*

11 *Quarta conditio est, vt pretium census verè soluatur in pecunia numerata. Et an hoc requiratur ex parte rei.*

12 *Quinta conditio, vt pretii solutio, & enumeratio fiat coram testibus, & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, & non aliter.*

Vbi Constitutio Pii V. non est recepta, potest census constitui in foro animæ ex debitis præcedentibus, modo seruentur duæ conditiones.

Probabilius est in pecunia credita non posse censum constitui.

13 *Sexta conditio est, vt pretium in numerata pecunia sit iustum, & in totum solutum.*

14 *Septima conditio est, vt non fiat nec in pactum deducatur anticipata solutio.*

15 *Octaua conditio est, vt conuentiones directè, vel indirectè obligantes ad casus fortuitos non valeant, ad quos ex natura contractus non tenetur.*

Censuarius tenetur soluere pensionem, quando res supposita censui, vno, duobus, tribusue annis nullum fructum reddit ob bellum, pestem aliumue similem casum.

16 *Nona conditio, ne vlla pacta, aut conuentiones adiungantur, quibus alter contrahentium obligetur ad aliqua onera, ad quæ alias ex natura contractus non tenetur.*

17 *Decima conditio, vt non fiat pactum restringens libertatem censuarii, ne alienet rem censui subiectam.*

18 *Vndecima conditio est, vt dominus rei censuariæ, si illam vendere velit, indicet domino census pretium, & conditiones, quibus res est vendenda, vt si ei libuerit tantidem rem illam emat, ita vt sit ille aliis præferendus, & per mensem expectetur illius deliberatio.*

19 *Duodecima est, vt non fiat pactum, quo venditor census cogatur emptori census soluere laudemium. Et quid sit laudemium.*

20 *Decimatertia conditio est, vt re in totum, vel in partem perempta, vel effecta infructuosa in perpetuum, pro rata pereat census.*

Si res censui subiecta in plures heredes diuidatur, vel pluribus vendatur per partes, verius est censualistam debere à singulis emptoribus exigere pensionem ad ratam, non verò à singulis in solidum modo venditio facta fuerit admonito censualista.

Si domus vel molendinum omninò destruatur, & in eodem loco ex eadem materia de nouo erigatur, census extinctus non reuiuiscit.

Censuarius tenetur ad restitutionem, si res censita pereat ipsius culpa.

Communis Doctorum sententia habet, pereunte re censui subiecta, absque culpa censuarii, venditorem omni obligatione esse solutum.

21 *Decimaquarta est, ne fiat pactum, quo censuarius existens in mora soluendi pensionem, teneatur ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquam pœnã, aut ad amittendam rem censui subiectam, aut ad expensas.*

Pactum, quo venditor census se adstringit resarcire damnum, quod ex sua mora contingit, cum Constitutione Pii V. non pugnat.

22 *Decimaquinta est, ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus debitis, & non solutis.*

23 *Decimasexta conditio est, vt semper liberum sit censuario redimere censum quoties voluerit, reddito eodem pretio quo vendiderat.*

Census perpetuus per Constitutionem Pii V. non improbatur, si multo pluris ematur, quam census redimibilis æstimatur.

Census potest extingui per compensationem, modò debitum sit liquidum. Similiter licet censum extinguere in aliis rebus à pecunia numerata.

Decimaseptima conditio est, vt emptor non possit ab inuito venditore pretium repetere.

25 *Vltima conditio est, vt pretium census semel constitutum, non possit augeri vel minui ob temporis, vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens.*

Hæ conditiones vbique sunt seruandæ, quatenus continent id quod iuris naturalis, vel diuini est. Aliàs tantum vbi constitutio Pii V. recepta est.

26 *Census vitalitius secundum ius naturale, & diuinum, ad ementis, vel vendentis vitam aut ad alium annorum numerum incertum, licitus est si iusto pretio constituatur.*

In constituendo pretio census vitalitii spectanda est locorum consuetudo.

Ex mutuo contrahentium consensu census vitalitius potest redimi à censuario, modo iustum intercedat pretium.

1 CEnsus, & Emphiteusis in tribus distinguuntur. *Primò*, quia per contractum emphyteuticum solùm transfertur in emphyteutam dominium vtile, & directum manet apud concedentem: per hunc verò censualem contractum, tam directum, quàm vtile transfertur in censuarium, solumque manet apud priorem, & antiquum dominum ius percipiendi annuam pensionẽ.

Secundò, si in emphyteusi non soluatur pensio per triennium priuatis, aut per biennium Ecclesiæ, iuxta ius commune, Emphyteuta incidit in commissum, idest, amittit vtile dominium illius rei. Hoc autem non contingit in censu, etiamsi mille annis census non soluatur, nisi de hoc expressè sit pactum inter contrahentes. Ratio diuersitatis est, quia in contractu emphyteutico res non desinit esse domini, & videtur concessa quasi sub conditione, si pensionem soluerit. Sed in contractu censuali transfertur dominium in totum, ita quòd recipiens obligatur solùm ad censum soluendum.

Tertiò, Emphyteuta non potest rem emphyteuticam vendere, aut alienare sine facultate domini directi, alioquin cadet in commissum, & præterea ex pretio tenetur soluere proprietario laudemium, Ratio, quia cùm Emphyteuta solùm habeat vtile rei dominium, absolutum verò remaneat penes dominum directum, recta ratio postulat, ne rem quæ sub alieno dominio existit, inconsulto illius domino alienare queat, censuarius verò cùm habeat plenum perfectum, & absolutum rei traditæ dominium, iure illud possit. Ita Lessius, *de iust. lib. 2. c. 22. n. 5.* Molina, *de contract. disp. 381. n. 3. & seq.* Lessius. Molina.

2 Cùm census sit ius exigendi annuam pensionem ex re vtili, & fructifera alterius, materia est diuersorum contractuum: nam ius hoc potest emi, & vendi, donari, locari, cõmodari, & cum alio iure, vel cõmutari. Propriè

tamen

tamen census est contractus emptionis, & venditionis non rei, quæ censui supponitur: non pecuniæ alicuius; nec partis fructuum illius rei, cui census imponitur. Sed est contractus emptionis, & venditionis, in quo res ab vno empta, & ab alio vendita, est ius illud percipiendi annuam pensionem, vt expresse in Constitutionibus Pontificiis Martini V. & Callisti III. quibus censualis contractus approbatur habetur, hinc deducitur censum esse contractum nominatum, non solum, quia habet nomen specificum, sed etiam formam contractus habet, non minus quā ceteri nominati cōtractus Ita Lessius, *c.n.2.& 3.*

Lessius.

3 Census potest creari in diuersis prædiis separatis alicuius, etiam ubi Constitutio Pii V. est usu recepta Probatur, quia Papa non prohibuit in sua Constitutione, dum dicit, *super re immobili*; & sic in numero singulari non intendit includere pluralitatem rerum immobilium, sed res mobiles tantùm; & quia lex loquens de uno habet locum in pluribus, ubi militat eadem ratio in illis. Tum quia una ex conditionibus assignatis à Martino V. & Calisto III. in suis Extrauagantibus est, ut uenditores censuum assignent prędia, uel possessiones, in quib. census constituunt. Ita Nauarr. *de vsur.n.113.* Molina, *de contract.disp.389.*

Nauarrus. Molina.

4 Res censualis non dicitur reddita infructifera ex eo quod uno, uel pluribus annis fructus consuetos non producat, sed ex eo, quòd in perpetuum impotens facta sit ad fructus in futurum reddendos, ut quia prædium non ad tempus propter grandinem, uel pruinam, uel siccitatem, bellum, & similia, sed simpliciter absque remedii spe à mari, uel à Turcis occupatum est, uel domus in qua census erat fundatus corruit tota, aut exusta est. Tum quia minor census passim imponitur, quā sit fructus rei, ac proinde si in uno anno res non fructificat, alio anno uberiores, & pleniores fructus facit Et in Pii V. Constitutione non dicitur, censum in totum, uel ex parte extingui, si res fructum non reddat, sed si facta sit infructifera ex toto, vel ex parte. Ita Nauarrus *in Commēt.de vsur.n.117.* Medina, *de vsur.q.vlt.* Sot. *de iust.lib.6.q.5 ar 1.* & alij cōmuniter.

Nauarr. Medina. Sotus.

5 Census potest collocari in alio censu. Ratio, quia cēsus verè est quoddam bonum vtile, & fructiferum, quippe quod parit pensionem annuam, ergo potest ex eo vendi ius, & facultas accipiendi ex illo aliquam pēsionis partem. Tum quia census inter bona immobilia numeratur, *in Clem.1.§.Cumque annuus redditus.de verb.signific.* Sed constat posse vendi censum ex bonis immobilibus; ergo etiam vendi potest ex alio censu. Ita Nauarrus, *c.supra n.87.* Molina, *c.disp.389.* Lessius, *lib.2.c.22.dub.12.n.77.* Nota tamen censum in quo alius potest collocari, debere esse irredimibilem; alioquin censu redempto periret census in eo collocatus, aut transiret in personalem, si uenditor secundi census teneretur adhuc illum soluere. Limita, nisi venditor, qui secundum in primo fundauit, paratus esset eum in alia re fructifera collocare; tunc non esset illicitum in censu redimibili alium censum fundare, vt aduertit Lessius *supra*.

Nauarrus. Molina. Lessius.

6 Certum est censum non constitui in re aliena, nisi dominus rei consentiat; quia res illa est, quæ obligata manet censui, licet is in cuius commodum census fundatur, soluere teneatur annuam pensionem.

Sed dubium est, quid agendum sit, si quis in re aliena, vel aliis vinculis obstricta censum constituat? Respondeo, quod si emptor census sciebat, vel suspicabatur à principio, rem esse alienam, vel aliis vinculis obstrictam, non potest pensionem exigere, & si exigit, tenetur eas computare in partem pretii. Ratio, quia talis census reuera non subsistit, non possunt esse fructus, ac proinde, nec percipi iustè ab illo possunt, qui conscius erat, censum non existere; quod si accipiantur, obnoxii erunt restitutioni; imo si in foro fori constet eo modo esse perceptos, pœnis vsurariorum plectetur, qui illos acceperit; quandoquidem tūc nullus alius titulus erit, quo accipiantur, quam vi mutui. Si tamen emptor ignorabat à principio, verbi gratia, domum esse incapacem illius census, licitè posset exigere pensiones à venditore per totum tempus quo iusta ignorantia laborauit; quia ignorans ignorantia probabili non tenetur de damno. Postquam autem sciuerit non potest in posterum eas exigere, quia census re non subsistit; potest tamen venditorem cogere, vt censum in alia re æquè bona constituat, vel vt pretium restituat.

Si autem venditor census sciebat fundum esse, alienum vel aliis obligatum, tunc cùm dolus in contractu intercedat, & dolus nulli debeat patrocinari, iustè emptor census exigit pensiones à venditore, qui lege, & iure compellitur iterum collocare censum in re secura, vt census ex illa soluatur, vel domini consensum obtinere, dummodo res illa sit capax vtriusque census, vel contractum rescindere. De his vide Nauarrum, *de vsur.nu.219* Molinam, *disp.394.n.4.*

Nauarrus. Molina.

7 Conuenit inter omnes, si census alius minoris iusto pretio emantur, quando pretium census est lege Principis, uel usu fori taxatum cum clausula irritante contractum, pensiones esse restitutioni obnoxias, qua parte superant iustum pretium. Ratio, quia contractus, qua parte census superat pretium, est irritus, ergo nullus subest titulus, quo recipiatur ille excessus pensionum; unde qui censum valentem centum, emit quinquaginta, debet restituere dimidiam pensionum partem.

Dubium tamen est, quando pretium nullum est lege, vel usu fori taxatum, uel cum clausula irritante contractum? Quidam censent excessum illum pensionum esse restituendum. Alii uerò negant, & merito quidem, quia qui emit agrum minoris iusto pretio, non tenetur fructus agri restituere, sed pretium supplere, & resarcire damnum, si quod ex carentia iusti pretii obuenit uenditori; atqui pensiones sunt veluti fructus census: ergo ex pensionibus nihil est restituendum, sed tantum pretium. Ita Lessius, *lib 2.c.22.dub.15.n.107.* post Ioannem Medinam, *C.de rebus per vsur.acquisitis, quæst.15. §. Sed pone.* Tum quia uenditor non est fraudatus ex eo, quòd emptor pensiones perceperit, sed quod iustum pretium non fuerit persolutum.

Lessius. Medina.

8 Pius V. in Constitutione quæ incipit *Cum onus Apostolicæ*, quam ad verbum refert Nauarrus, *in Man.cap.17. n.234.* multas conditiones requirit, & iubet seruari in cōtractu censuario, sine quibus decernit ipsum contractum irritum, & feneratitium habendum.

Pius V. Nauarrus.

Prima conditio est, ut census constituatur in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur. Eadem conditio cōtinebatur in Constitutionibus Martini V. & Callisti III. *tit. de Empt. & vendit inter Extrauag. communes.* Res immobiles censentur agri, domus, flumina, sylvæ, montes, portus, ripæ, fodinæ metallicæ, & similes; imò census irredimibilis habetur pro re immobili, ut diximus *supra n.5.*

Martin. V. Callist. III.

Hinc patet per hanc conditionem excludi omnes census personales, & etiam mixtos, siue hypothecam habeāt, siue non, quia obligatur implicitè persona, uide Nauarrū, *in Comment.de vsur.a n.85. & deinceps.*

Nauarr.

Difficultas tamen est inter Doctores, an ex natura rei sublata humana prohibitione, census rectè institui possit super sola, nudaque persona? Multi existimant id fieri nō posse, & hoc probant, quia perinde est, ac si me tibi obligassem ad reddendum quotannis septem, eo quòd mutua mihi centum dedisti. Tum quia emptio non est nisi rei alicuius, *l.nec emptio.ff.de contrah.empt.* Ita Molina, *tom.2. de contr.disp.389.* Rosella, Gutierrez, Nauarrus, *in Comment.de vsur.n.81.* ubi dicit hanc sententiā esse fere omniū.

Molina. Rosella. Gutierrez. Nauarrus.

Alii docent stando in solo iure naturæ, talem censum in sola persona posse constitui, dummodo persona super qua constituitur census, sit uirilis, & fructifera, id est, talis, ut aliquem fructum sua opera, uel industria pariat, unde annuum reditum sibi impositum soluat, alioquin ius illud nullius esse momenti, & ita non esset pretio æstimabile. Ita Conradus, *de contr.q.74 & 75.* Medina, *C.de reb. per vsur.acquisitis q.12.§.Sed quæret aliquis,* Couarruuias *libr.3. var.c.7. numer. 5.* ubi etsi oppositam sententiam fateatur communiorem hanc tamen, ut ueriorem amplectitur.

Conrad. Medina. Couarruu.

Cæterùm quamuis prima opinio probabilis sit, longè tamen probabilior, imò omninò certa uidetur secunda, hæc sententia magisque Canonicis Sanctionibus consentanea. Probatur, quia potest quis seipsum obligare gratis ad reddendum alteri annuum aliquem reditum, obligatione illa suæ personæ imposita: hanc autem obligationem, cùm temporalis sit, ac ciuilis, & pretio æstimabilis, potest ex consequenti uendere, census autem personalis

na'is nihil aliud eſt, quam emptio, & uenditio huiuſmodi obligationis, ergo ſecundùm ſe, & attenta ſola natura contractus, poteſt inſtitui cenſus ſuper nuda, ſolaque perſona.

Simile dubium eſt, an in re mobili, ſtando in ſolo iure naturali, & diuino, poſsit cenſus conſtitui? Reſpondeo certum eſſe apud omnes poſſe conſtitui in bis rebus, quæ ſtatim primo earum uſu conſumuntur, puta in uino, oleo, pane, & ſimilibus; quia barum rerum pretia ſingulis annis uariantur, ita ut certum pretium non ſit; ergo nequit certa annua penſio in hiſce rebus conſtitui. Sed controuerſia eſt de aliis rebus ſe mouen'ibus, uel mobilibus, quæ primo uſu oon conſumuntur? Multi exiſtimant non poſſe cooſtitui, contrarium tamen eſt probabilius dummodo cenſus minus uendatur, quam ſupra rem immobilem; quia cum mobile citius pereat, cenſus citiùs extinguetur, quàm ſi ſupra rem immobilem imponeretur. Tum quia huiuſmodi res, cũ primo ipſo uſu noo pereat, ſeruata earum rerum ſubſtant a ſunt utiles, & fructiferę. Ita Conrad. *de contr. q. 72. concl.* 1. Azor *p. 3. lib.* 10. *c.* 5. *q.* 4. [Conrad. Azorus.]

Ex quo fit cenſum poſſe uendi in rebus uſu conſumptibilibus, ſi ſint in ſtatu fructificandi, ut in pecuniis expoſitis negotiationi; quia ex his uerè habet quis ius percipiendi uti'itatem; ergo uerè habet quod uendat, quando uendit cenſum ex illis.

9 Secunda conditio cenſus in Conſtitut. Pii V. quæ eſt ordine octaua in Conſtit. Martini V. & Calliſti III. eſt ut res ſit natura fructifera: talis uerò dicitur eſſe, quæ apta eſt ferre fructus, *l. frugem. ff. de verb. ſignificat.* & fructus, uel frugis nomine iotelligitur, quod non ſolùm in fundo naſcitur, uel quod ex frumentis, uel leguminibus in alimoniam uertimus; ſed generaliter omnis reditus, ſiue prouentus: imò omnis utilitas, etiam amenitas, quæ ſolet, & poteſt ex re aliqua prouenire. Vnde arbores dicũtur frugiferæ, tum propter fructus, tum propter amenitatem. Syluæ quoq; cæduæ, lapicidinæ, & ſimilia loca, ex quib. arena, creta, & alia eius generis ſolẽt emi, uel effodi. [Pius V. Martin. V. Calliſt. iii.]

Hinc cenſus poteſt fundari ſuper re, quæ noo fructificat, quamuis fructificare poſſit, vt ſunt aliquæ turres, palatia, quæ locari non ſolent, quæ ſi locarentur, fructificarent. Ratio, quia apta eſt fructum reddere de ſui natura, cùm ſit pretio æſtimabilis. Secus ſi res non ſit apta nata ferre fructum, vt ſunt montes ſaxei, arenoſi, ripæ maris, fluminum, & paludum, & in quibus non patet tutus acceſſus. Ita Nauarrus, *de vſur. n.* 13. [Nauarrus.]

Item in re multum fructifera poteſt inſtitui cenſus lõgè minor quàm ſit fructus, quem illa res in ſingulos reddit annos. Ratio, quia non emitur totum ius quod eſt in re, nec emuntur omues fructus, quorum ferax eſt res, ſed emitur pars illorum tantummodo. Tum quia in Conſtitutionibus Martini V. Calliſti III. & Pii V. ſolùm habetur, rem ſuppoſitam cenſui, vt minimum debere tantum fructum reddere, quantus eſt cenſus, non verò fructum maiorem eſſe non poſſe, quàm ſit cenſus. Deinde id habet conſuetudo recepta, quam nemo condemnat. [Mart. V. Callisti iii. Pius V.]

In cooſtituendo cenſu non eſt habenda ratio æſtimationis, & pretii quod res valet, ſed potiùs fructuum, quos in ſingulos annos reddit. Ratio, quia in contractu cenſuali non emitur res cenſui ſubiecta, ſed ius percipiendi annuam penſionem ex fructibus rei. Tum quia Conſtitutiones Pontificiæ fructum rei, non pretium expendunt definientes fructum rei minorem eſſe non poſſe, quam ſit annuus cenſus, & re in totum, vel ex parte reddita inutili, cenſum extingui, vel minui pro rata portione, vbi ſẽper haberi videtur ratio fructus non pretii. Ita Azorius, *p.* 3. *lib.* 10, *c.* 6. *q.* 3. Filliucius, *tr.* 35. *p.* 2. *n.* 290. Contra Sotũ, & Couarruuiam. [Azorius. Filliucius.]

De hac conditione vide dicta *ſupra n.* 4. & 5.

10 Tertia conditio ex Conſtitutione Pii V. eſt, vt cenſus ſuper re nominatim certis finibus deſignata conſtituatur: & finium appellatiooe intelligũtur limites, quibus fundi, vel agri, vel domus terminari, & diſtingui ſolent. Vnde vbi conſtitutio hæc eſt in viridi obſeruantia non poteſt conſtitui cenſus generatim ſuper omnia bona alterius præſentia, & futura. An autem hoc iure naturali, & diuino prohibeatur? Negant Toletus, *lib.* 5. *c.* 45. *n.* 3 Couarruuias, *lib.* 3. *var. c.* 7. Conradus, *de contract. qu.* 74. & 75. & alii. Tum quia verè habet quis ius percipiendi vtilitatem ex omnibus ſuis bonis indeterminatè, ergo poteſt illud ius vendere. Tum quia hoc permittitur Siculis, & Neapolitanis ex Conſtit Nicolai V. quod non permitteretur, ſi ius naturale, vel diuinum prohiberet. [Toletus. Couarruu. Conradus. Nicol. V.]

Cæterum inibi dicendum videtur. Cùm cenſus in omnibus bonis alicuius ponitur, ſi ita ponatur, vt pereuntibus ex parte bonis, ipſe quoque cenſus ex parte pereat, non eſt contra ius naturale, vel diuinum, vt in omoibus bonis cõſtituatur; quia hoc requirit natura huius contractus, vt ſublata ex toto, vel ex parte re ſuppoſita cenſui, cenſus quoque, vel in totum, vel ex parte extinguatur. Si autem ſit cooſtitutus ſuper omnia bona, vt pereuntibus quibuſdam, cenſus integer adhuc maneat in aliis rebus, quæ ſuperſunt, tunc contra naturam cootractus videtur eſſe, vt in omnibus bonis conſtituatur; quia tũc cenſuarius multùm oneris ſuſtinere cogeretur; quia eo ipſo, quòd omnia bona ſua cenſui ſupponit, non poteſt alium in ſuis bonis conſtituere. Ita Azorius, *p.* 3. *lib.* 10. *c.* 5. *q.* 5. & alii. [Azorius.]

Quarta conditio cenſus in Coolti. Pii V. eſt, vt pretiũ cenſus verè ſoluatur in pecunia numerata; quia cenſualis contractus verè eſt emptio, & venditio cenſus, & reditus annui; tot in contractu emptionis neceſſe eſt, vt verè pretium ſoluatur numerata pecunia, *libr.* 1. *ff. de contrah. empt.* An autem ex natura rei prohibeatur cenſus aliter inſtitui, quàm in propria pecunia? Affirmant quidã ſatis probabiliter. Tamen probabilior ſententia ſuſtinet contrarium. Ratio, quia pecunia eſt, quidquid pecunia æſtimari poteſt, ergo qui reddit merces, quibus tunc venditor cẽſus eget, perinde eſt, ac ſi pecuniam numeratam illi traderet. Debeot tamen merces illæ, quæ traduntur in pretiũ cenſus, exhiberi in pretio iuſto, moderato, & honeſto; deinde citra omnem fraudem, & dolum eſſe vtiliores, aut æquè vtiles venditori cenſus, ſicut pecunia numerata, quia eas aliunde erat quæſiturus, & empturus, ſi pecuniam numeratam ab emptore cenſus accepiſſet. Ita Nauarrus, *in Comment. de vſur. n.* 88. & 121. Salon, *contro.* 8. *de cenſib.* Leſſius, *c. c.* 22. *dub.* 14. Syluius, 2. 2. *q* 78. *art.* 4. *q.* 2. *concl.* 3. & alii. [Pius V. Nauarr. Salon. Leſſiu. Syluius.]

12 Quinta conditio eſt, vt pretii ſolutio, & numeratio fiat coram teſtibus, & tabellione, ſiue notario, & in actu celebrationis inſtrumenti, & non aliter. Sed petes, an ex natura rei ta is conditio ſit neceſſaria? Affirmant Filliucius, *tr.* 35. *p.* 2. *n.* 306. Salas. *de cenſib. dub.* 8. & multi alii apud ipſos. Sed negatiua ſententia ſaltem quoad forum interius ab aliis reputatur probabilior, & meritò. Ratio, quia ſolemnes iuris formulæ ad euitandas fraudes, & dolos ſeruari iubentur; at proinde vbi nulla eſt fraus, ſeruato iure naturali, & diuino, ſatis eſt, ſi ſecundum conſcientiam contractus fiat: ſi reuera ſolutum ſit pretium cẽſus, quãuis non coram teſtib. & notario, contractus ſecundũ conſcientiam valet, quia nihil ſit in fraudem legis, cum poſita ſit lex ad euitandas fraudes. Ita Malderus, De la Crux, Leſſius, Nauarrus, & alii apud Dianam, *p.* 1. *tr.* 8. *reſolut.* 44. Itaque cùm Pontifex damnet cenſus celebratos non numerata pecunia tempore celebrationis ad obuiandum fraudibus, quæ contingere ſolent in contractibus aliter celebratis: ſi probetur fraudem nullam interueniſſe, ſed antea pretium iuſtum debitum fuiſſe, ratione pecuniæ mutuò acceptæ, vel alterius rei æquiualentis, validus, & iuſtus erit talis contractus: pecuniæ enim nomine, æquiualentia comprehenduntur, vt patet, *in l. pecunia, ff de verbor. ſignificat. Et in l. qua. ff. de iur. dot.* [Filliucius. Salas. Malderus. De la Crux. Leſſius. Nauarrus. Diana.]

Ex dictis colligitur vbi Conſtitutio Pii V. non eſt recepta, neque obſeruatur, attento ſolo iure naturali, & diuino iuſtè poſſe inſtitui cenſum in foro animæ ex debitis præcedentibus, vt ex penſionibus non ſolutis, modò ſeruentur duæ conditiooes. *Primo*, vt debita ſint realia, & iuſtè contracta. *Secundo*, vt in creatione cẽſus nulla vis, aut fraus interueniat. Ratio, quia natura contractus cenſualis, illud tantùm exigit, vt emens cenſum, verè, & realiter totum pretium ſoluat, ne venditor cogatur reddere penſionem eius, quod non accepit, quod eſſet ei nociuum; at quando creatur cenſus ex debitis realib. & iuſtè cõtractis, & in eius creatione nulla uis, uel dolus intercedit, emptor cenſus totum pretium verè, & realiter perſoluit, cùm transferat in dominium ſui debitoris omnem pecuniam,

quæ

quæ ipsi debebatur, & quam poterat in iudicio ab illo petere, nec inde aliquod damnum venditori census sequitur, ergo &c. Hanc sententiam defendunt Nauarrus *supra* Lopez *lib. 1. de contr. c. 58.* Lessius *c. n. 80.* & alii apud Dianam citatum *supra*. Contra Azorium *part. 3. lib. 10. c. 8. q. 3.* Bonacinam *de contract. disp. 3. quæst. 4. punct. unic. nu. 22.* & alios ab ipso citatos in foro tamen exteriori id non permittitur, propter suspicionem fraudis vsurariæ.

Nauarrus. Lopez. Diana. Azorius. Bonacina.

Quid autem dicendum sit de pecunia credita, an in illa possit census constitui, Certum est non posse, vbi Constitutio Pii V. est recepta. An autem iure naturali & diuino saltem id fieri possit Affirmat Sotus *de iustit. lib. 6. q. 5. ar. 1.* & probabilem vocat hanc sententiam Diana *c. supra*. Quia cum contractus census sit quædam emptio, & venditio, & in omni venditione licet venditori credere emptori totum pretium, vel partem illius, ita quoque licebit illud in censu. Probabilior tamen sententia asserit, id non licere, & merito; quia census non est quælibet venditio sed de præsenti, & non in diem, cum ab ipso momento initi contractus, venditor census maneat debitor soluendi pensionem annuam, ergo vt honesta, & iusta sit huiusmodi emptio, debet pretium illius in celebratione contractus statim reddi. Ita Nauarrus *de vsuris, num. 82.* Lopez *de contract. lib. 1. cap. 59.* & alii.

Nauarr. Lopez.

13 Sexta conditio est, vt pretium in numerata pecunia sit iustum, & in totum solutum. Quodnam autem sit iustum pretium census, diximus *to. 1. v. Cens. n. 27. & 28.* Et an si census vilius minoris iusto pretio emantur, pensiones sint restitutioni obnoxiæ, qua parte superant iustum pretium, vide superius dicta *num 7.*

14 Septima conditio ex eadem Constit. Pii V. est, vt nõ fiat nec pactum deducatur anticipata solutio, id est, vt venditor non cogatur soluere pensionem, nisi pro rata temporis elapsi. Hæc conditio necessaria est ex natura contractus. Ratio, quia cum illa obligatio anticipandæ solutionis sit pretio æstimabilis, venditor cẽsus plus aperte solueret, quam valet census, quia soluit pensionem, & obligationem illam anticipandi eam ex quo patet emptorem dum pretium numerat, non posse ex eo detrahere pensionem primi anni, per modum anticipatæ solutionis aut elapsa temporis parte exigere amplius quam pensionem illi parti respõdentẽ nam si annum censum initio cuiusque anni soluere deberet, pensionem redderet, antequã res supposita censui vllos fructus faceret. Moris est, ut census annuus partim soluatur in fine cuiusque semestris & partim ad exitum anni. Quare debitor census si in fine cuiuslibet semestris vnam partem, & in fine anni aliam partem non soluat, tunc est in mora. Ex *l. magnam, C. de contrah. stipul. & c. potuit, de locato.*

Debitor tamen census sponte sua potest anticipare soluere dummodo absit fraus, & dolus contra legem; tunc autem est fraus quando est tacitum pactum, quia emptor non emeret, nisi venditor anticipare solueret, vel quando necessitate compulsus venditor sese obligat emptori ad soluendam anticipare annuam pensionem, vt emptor ipse voluerit.

Denum si ex vi pacti aliquæ solutiones anticipatè fiant, tales solutiones sunt necessario restituendæ. Ratio quia Pius V. in sua Constitutione non solum vetat, ne venditor census ad solutiones anticipatas obligetur, verum etiam decernit contractum cum tali pacto initum, esse ipso facto irritum, & nullum, ac talem solutionem anticipatam feneratitiam, & vsurariam haberi: quare nõ solum pactum iniquum, sed etiam vsurarium censetur, ac proinde pensiones annuæ anticipatæ solutæ restituendæ sunt. Ita Azorius, *p. 3. lib. 10. c. 9.* & alii communiter.

Azorius.

15 Octaua conditio est, vt conuentiones directè, vel indirectè obligantes ad casus fortuitos, ad quos ex natura contractus, non tenetur, non valeant. Hæc conditio posita est in gratiam venditoris census, quia emptor debet periculum subire rei sibi venditæ: nam sicut emolumentũ, & commodũ rei venditione perfecta ad emptorẽ pertinet, sic etiam periculum, & damnũ. Vnde secundũ communem, & certam DD. sententiam, hæc conditio est necessaria ex natura contractus, & non solùm ex iure humano scripto: quia venditione completa, periculũ rei venditæ, ad emptorem spectat, res enim domino suo perit, non alteri. Venditor tamen census potest obligari actione hypothecaria de euictione, quia huiusmodi obligatio est emptioni, & venditioni consentanea: nam si res supposita censui euincatur in totum, vel ex parte, debet venditor venditionem defendere, *l. 2. ff. de euict.* & si res illa non fuerit libera, sed alteri obligata; venditor etiam iure compellitur eam liberam facere, ergo emptor his obligationibus tenetur ex natura contractus.

Aduerte tamen aliquando licitè fieri pactum, vt venditor census teneatur ad casus fortuitos, quando nempe cuiusmodi pactum ex æquo compensatur iusto pretio census iudicio probi, & intelligentis viri. Ratio, quia hic sunt duo pacta, quæ seorsim iustè fieri possunt, vt si primò ematur iusto pretio census absolutè; deinde iusto pretio fiat pactum, vt venditor semper teneatur ad pensionem in quouis euentu, etiamsi res censualis pereat. Ita Lessius, *lib. 2. c. 22. n. 66.*

Lessius

Sed petes, an censuarius teneatur soluere pensionem, quando res supposita censui, vno, duobus, tribusue annis nullum fructum reddit ob bellum, pestem, aeris intemperiem, aliumue similem casum? Respondeo teneri etiãsi census sit fructuarius; non pecuniarius. Ratio, quia census non imponitur super ipsismet fructibus rei, sed ponitur super ipsa re; quare venditur ius ad certam pensionẽ percipiendam ex re censita, quod ius perseuerat, etiamsi res aliquibus fructus non ferat, modò res ipsa censita non pereat in totum, vel in partem. Ita Nauarr. *de vsuris, n. 117.* Azorius *p. 3. lib. 10. c. 6. q. 6.* Bonacina, *de contract. d. 3 q. 3. pu. vnic n 28.* Contra Molinam, & Lessium *c. n. 82*

16 Nona conditio est, ne ulla pacta, aut conuentiones adiungantur, quibus alter contrahentium obligetur ad aliqua onera, ad quæ aliàs ex natura contractus, non tenetur. Quæ conditio iustissima est secundùm se, & naturam rei, & ideò ubique obseruanda etiam in omni contractu. Hinc non potest pactum apponi, ut si debitur rem vendat, tenetur decimam partem pretii dare emptori census: quia id est valde onerosum, & præter naturam, contractus censualis. Venditor autem census: seu censuarius teneatur soluere tributum Principi vel reip. quod ex re censui subiecta debetur. Ratio, quia cum tributum sit onus impositum prædio, & dominium prædii perseueret apud censuarium sequitur ad censuarium pertinere onus soluendi tributũ. Ita Nauar. *de vsur. n. 132.* Azor. *c. c. 15.*

Nauarrus. Azorius.

17 Decima conditio, vt non fiat pactum restringens libertatem censuarii, ne alienet rem censui subiectam. Ratio, quia cum emptor non habeat dominium rei directũ sed solum ius quoddam ex ea percipiendi aliquos fructus vel aliquid fructibus illis æquiualens, non postulat natura huius contractus, vt res non possit libere vendi: nam obligatio census semper illam comitatur, & cum ea transit ad alium dominium. Preterea nullo damno dominus census afficitur, quia emit rem in qua est census, sed censũ annuũ; vnde huiusmodi pactũ simpliciter. & absolute appositum sola virtute contractus censualis, & communi tantum pretio, cum natura census repugnat. Ita Nauarrus *de vsur. n. 91. &* 114. & communis.

Nauarrus.

18 Vndecima conditio est, vt dominus rei censuariæ, si illam vendere velit, indicet domino census pretium, & conditiones quibus res est vendenda, vt si ei libuerit tantidem rem illam emat: ita ut sit ille aliis præferendus, & per mensem expectetur illius deliberatio hæc conditio habet vim vbi Constitutio Pii V. est recepta. An autem sit necessaria ex natura rei; Affirmant Sotus, & Valentia. Oppositum tamen verius est atque tenendũ. Ratio, quia hæc cõditio pugnat cum natura huius contractus, quoniam per hunc contractum venditor census non amittit plenum absolutumque dominium illius rei, ad plenum autem absolutumque dominium pertinet, vt habens illud possit de re cuius dominus est, pro libito disponere, & in quẽ voluerit, rem illam libere transferre. Vnde hæc conditio poterat omitti, vt testantur Nauarrus *c n. 92* & Lessius *lib. 2. cap. 22. n. 84.* quia non pertinet ad contractum censuarium, sed ad Emphyteuticum. Nihilominus posse hoc pactum in contractu census apponi ex mutuo, & libero vtriusque contrahentis consensu etiam absque augmento pretii, præsertim cum Pius V. illud inter requisita ad constitutionem census numeret.

19 Duodecima conditio eſt, vt non fiat pactum, quo venditor cenſus cogatur emptori cenſus ſoluere laudemium. Nomine autem laudemii intelligitur id quod ſoluitur domino, quãdo conſentit in alienationem rei emphyteuticæ: ſolet autem ſolui 50. pars pretii illius rei alienatæ Apud Gallos ſoluitur quinta, quarta, tertia, media pars pro laudemio, etiam decima, duodecima, iuxta conſuetudinem locorum.

20 Decima tertia conditio eſt, vt re in totum vel in partem perempta, vel effecta infructuoſa, pro rata pereat cenſus Hæc conditio intelligenda eſt de re, quæ in perpetuum periit, vel infrugifera eſt reddita, ſiue tota, ſiue ex parte; tunc .n. tantummodo cenſus perit pro rata: ſi.n. ad tempus pars aliqua rei pereat, uel infrugifera ſit reddita nõ perit cenſus ex parte, ſed totus manet. Vnde ſi aliqua pars aliquid ferat, ex ea debetur ſolutio integra, vt docent Leſſius, *c.n.*88 Bonac. *de contract. diſp.* 3. *q.* 4. *punct. vnic. n* 28. & alii ab ipſo citati. Quia ſi res ſecundum nullã ſui partẽ ſit abſolutè in perpetuum infrugifera effecta, manet ſecundùm ſe totam, & ſecundùm omnes ſui partes obligata pro rata penſione, quamdiu tota res cenſui ſubiecta manet in dominio vnius.

Leſſius. Bonacina.

Sed difficultas eſt, an ſi res cenſui ſubiecta in plures hæredes diuidatur, vel pluribus vendatur per partes poſſit dominus cenſus à ſingulis integram penſionem exigere? Quidam putant dominum cenſus ius habere exigendi annuum reditum, tum à quolibet poſſeſſore, tum etiam à uenditore rei. Et probant quia multiplicatis hæredibus, uel emptoribus debet fieri deterior conditio uẽditoris, quare dicendũ eſt obligationem non diuidi, quãdiu res ſalua manet, ſed totam manere in tota re, & quodammodo in ſingulis partibus; ita ut ex quauis totam ſolutionem poſsit accipere. Ita Nauarrus, *de vſur. nu.* 114. Molina, *de contr. diſp.* 383. Leſsius, *lib.* 2. *c.* 22. *nu.* 89. Hæc ſententia eſt probabilis. Sed uerius eſt, quod docent alii, nempe cenſualiſtam in hoc caſu debere à ſingulis emptoribus exigere penſionem ad ratam, non uerò ſingulis in ſolidum, modò cenſuarius uendiderit poſſeſsiones cẽſui ſubiectas admonito cenſualiſta. Ratio, quia ſicut tota res tranſit cum toto onere, ita pars rei tranſit cũ parte oneris. Tum quia ſi pars rei cenſitæ pereat, cenſus ſolum perit quoad partem, ergo ſignum eſt in ea parte eſſe obligationem ſoluendi penſionem ſolùm quoad partem. Si uerò cenſuarius uendidit non admonito cenſitore, cenſitor poteſt totum cenſum exigere à cenſuario, quia æquitas non poſtulat, ut cenſitor ob culpam cenſuarii reportet incommodum exigendi cenſum à multis Tum quia ex facto malo uenditoris, non deterioratur conditio creditoris. Ita Couarr. *lib* 3. *var. c.* 7. Azor. *p* 3. *lib.* 10. *c.* 11. *q.* 3. Fauſtus, *in ſpec diſp.* 18. *q.* 4. Filliucius, *tr.* 35. *n.* 304. & alii.

Nauar. Molina. Leſſius.

Couarru. Azorius. Fauſtus, Filliucius

Difficultas ſecunda eſt, an ſit ſoluendus cenſus, qui conſtitutus fuerat ſuper aliqua domo, aut molendino, quod poſtea dirutum, uel combuſtum fuit, ſed iterum refectum, uel reædificatum eſt? Reſpondeo, ſi domus uel molendinum omninò deſtruitur, & in eodem loco ex eadem materia de nouo exigatur, cenſus extinctus non reuiuiſcit, nec eſt obligatio ſoluendi cenſum; quia cum ſint diuerſa molendina cenſetur periiſſe id, in quo fundabatur; cenſus autem extinguitur pereunte, & deſtructa re. Si autem domus, uel molendinum reædificetur tantummodo per partes, remanet obligatio ſoluendi cenſum, molendino per partes reædificato; nam remanet idem molendinum, in quo fuerat cenſus conſtitutus. Ita Nauarrus, *de vſuris, numer.* 118. Molina, *diſp.* 394 Leſsius, *c. n.* 91. Verumtamen cenſuarius tenetur ad reſtitutionem, ſi res cenſita periit ipſius culpa, quia par non eſt, ut cenſitor damnum patiatur propter malitiam cenſuarii; unde cenſitor habet actionem contra cenſuarium quoad pretium, & intereſſe lucri ceſſantis & damni emergentis; quilibet enim habet ius ad id, quod ſibi de iure debetur. Ita communiter Doctores.

Nauarr. molina. Leſſius.

Difficultas tertia. An ſemoto iure puſitiuo ex natura rei perſona debitoris remaneat obligata ad ſoluendam annuam penſionem in caſu, quo res cenſui obligata, ſeu ſuppoſita, ſine culpa illius pereat? Sotus, Couarruuias citati, *tom.* 1. *v. Cenſus, n.* 7. & plerique alii docent ex natura rei, & propria ratione huius contractus ſemper perſonam debitoris cenſus obligari, quantumuis interierit res, in qua fundatus eſt cenſus. Ratio illorum eſt, quia vbi eſt obligatio ſiue actio realis ex contractu, eſt etiam obligatio, & actio perſonalis. Tum quia in more poſitum eſt, vt venditor cenſea bona ſua pariter, & ſe obliget emptori. Communis tamen omnium Theologorum, & Iuriſperitorum ſententia habet, pereunte re cenſui ſubiecta, venditorem omni obligatione eſſe ſolutum, & liberũ Ratio, quia contra naturam, & rationem venditionis, & emptionis eſt, venditorem ſeſe ſuaq; bona perpetua obligatione aſtringere ad aſſecurationem rei venditæ, etiamſi ipſam perire contingat. Natura .n. contractus exigit vt res empta poſt traditionem non uenditori, ſed emptori pereat. Nec conſuetudo eſt in contrarium, quia quando venditor emptori ſe cum bonis ſuis obligat, nõ id facit, quaſi ſuam perſonam cenſui ſubiiciat, ſed vt cenſus, quem vendit tutus, & ſaluus perſeueret, hoc eſt, ſi res cẽſualis euicta fuerit tanquam aliena, vel aliis onerib. obſtricta, cogatur venditor aliam rem ſubrogare, vel pretiũ reſtituere; hoc autem intelligi debet, ſi abſq; culpa cẽſuarii res pereat, vt dictum eſt. Ita Molina, *de contract. diſp.* 389. & 391. Toletus, *lib.* 5. *Sum. c.* 45. & communis.

Sotus Couarr.

Molina Toletus.

21 Decimaquarta conditio eſt, ne fiat pactum quo cẽſuarius exiſtens in mora, ſeu non ſoluens cenſum conſtituto tempore, teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, aut ad aliquam pœnam, aut ad amittendam rem cenſui ſubiectam, aut ad expenſas.

Conuenit inter omnes attento iure naturali, & diuino poſſe venditorem cenſus cum emptore paciſci, vt ſi fuerit in mora ad ſoluendum, eo ipſo lucra, quæ ob moram ſolutionis ipſi ceſſante reſarcire teneatur.

An autem huiuſmodi pactum cum Pii V. Conſtitutione pugnet? Et quomodo Pontifex corrigat, aut tollat id quod eſt iuris communis? Pro reſponſione dicendum eſt, mirum non eſſe, in hac parte ius commune corrigi, vel ei derogari; vult .n. Pontifex vt debitur cenſus quoad fieri poteſt, oneribus ſit immunis, ac liber; præſertim cùm inde nulla iniuria, vel damnum emptori, ſeu Domino cẽſus ſequatur; ſufficit enim vt poſſit conuenire in iudicio debitorem ſuum in ſoluendo cenſum, & iudicis ſententia cogetur debitor non ſolum cenſum ſoluere, ſed etiam omne id quod intereſt creditoris Sed Pontifex non vult hoc deduci in pactum in contractu cenſuario, ad euitandas fraudes, & præcidendam omnem occaſionem vſuræ ne debitor cogeretur ſoluere tantùm lucri, quantùm arbitrio creditoris taxaretur, ſed tantùm, quantum iudicis arbitrio, & ſentẽtia decerneretur. Ita Nauarrus, *de vſur. n.* 83. Molina, *diſp.* 390.

Nauarrus Molina.

Pactum, quo venditor cenſus ſe adſtringit reſarcire damnum emergens, quod ex ſua mora contingit, ſecundum veriorem ſententiam Nauarri *loco proximè citato*, Emanuelis Sà, *v. Cenſus, n.* 3. Filliucii, *tr.* 35. *n.* 333. & aliorum cum Conſtitut. Pii V. non pugnat, quia huiuſmodi damnum iure naturæ reſarciendum eſt. Tum quia ſolùm Pontifex meminit lucri ceſſantis, non damni emergentis.

Eman. Sa. Filliucius.

Item venditor cenſus non poteſt obligari ad aliquam penam, ſi in ſoluendo fuerit in mora, vbi conſtitutio Pii V. eſt recepta, etſi ab emptore cenſus aliquid exactum fuerit à debitore ob non ſolutum cenſum, tenetur in cõſcientia id remittere. Huiuſmodi tamen pactum cum iure naturali, & iure ſcripto cõmuni non pugnat quia quãdo debitor ex malitia, vel ex negligentia penſionẽ ſoluere negligit, ipſam penam meretur. Ad penam autem rectè, & iuſtè imponendam exiguntur duæ conditiones. *Primò* vt culpa venditoris intercedat. *Secundò*, vt ſit pœna proportionata culpæ, non enim licitum eſt pro minima culpa grauẽ imponere pœnam, nec iuſtè exigitur poſt culpã Hinc pactũ de pœna, quã vocant cõmiſſi, luẽda, en quod debitor cenſum non ſoluerit pugnat cum natura, & ſubſtantia contractus cenſualis. Ratio, quia hæc pœna commiſſi, ideſt, vt amittat rem cenſui ſubiectam, propria eſt emphyteuſis & cenſus reſeruatiui, in quibus is qui rem dat, retinet ſibi directum dominium; at cum cenſus eſt conſignatiuus, emptor non acquirit dominium rei cenſuariæ, ſed ſolum ius annuã penſionẽ exigendi. Tũ quia hæc pœna nõ eſt rationabiliter proportionata culpæ, ſed immoderata, & exceſſiua. Quãuis huiuſmodi pactũ poſſet eſſe

set esse iustum, si ratione huius pœnæ appositæ ad seruandam æqualitatem inter pretium, & censum, pretium census augeatur. Ita Nauarrus, *de vsur.n.93.* Couarruu. *lib.3.var.c.7.* & alii.

Nauarr. Couarru.

Vbi constitutio Pii V. est, in vsu, non potest in contractu census apponi pactum, vt si per biennium non soluerit pensionem, contractus resoluatur, & censuarius cogatur restituere pretium. An autem hoc pactum iure naturali, vel iure communi scripto damnetur? Dicendũ est iuxta veriorem sententiam, quòd non: quia si mora, & culpa debitoris intercedat in soluendo annuam pensionem, repetetur ex pacto ab eo pretium, quod ab initio accepit, & ad id se spontè Domino census obligauit; quia pactum legis commissoriæ tali modo in contractibus est licitum. Ita Io. Medina, *de vsur.q.15.* Lessius, *lib.2.c.22. dub.11 n.69.*

Medina. Lessius.

22 Decimaquinta conditio est, ne census antea cõstitutus augeatur ex pensionib. debitis, & nõ solutis; quãuis augeri possit ex pensionib iam solutis, si censitor eas de nouo numeret censuario. Ratio huius conditionis est, ne censuarius censib. censuum opprimatur; & sicut vsuræ vsurarũ à debitorib. non exiguntur; sic etiam cẽsus annui omissi, hoc est, non soluti, non debent, vel augere censum antiquũ, vel nouũ inducere. Nã Dominus census potest facilè coram iudice conuenire debitorem, vt Iudicis sententia pensiones prætermissas soluere cogatur. Ita Azorius, *c.c.14.* Nauarrus, *de vsur.n.94.* & alii.

Azoriu. Nauarrus.

An autem huiusmodi pactum damnetur iure naturali, diximus supra, *n.12.§.Ex dictis.*

23 Decimasexta conditio est, vt semper liberũ sit censuario redimere censum, quoties voluerit, reddito eodẽ pretio quo vendiderat, nõ obstãte quauis præscriptione, aut pacto. Hæc conditio non est necessaria ex natura rei alias omnis census irredimibilis, & perpetuus, qui aucto pretio celebratur, negata tali facultate redimẽdi esset sua natura reprobatus, què tamen usus acceptat, & comprobat; quia sicut licitũ est emere fundũ in perpetuum, ita etiam licitum uidetur emere cẽsum in perpetuum, iusto interueniente pretio. Tũ quia alioquin damnandi essent innumeri Prælati Ecclesiastici, qui percipiunt cẽsus perpetuos, in quib. constituti, & fundati sunt tituli beneficiorum. In Belgio autem nostro census irredimibiles non possunt de nouo creari, obstante Constitutione Caroli V. Regis Catholici.

An autem census perpetuus per Constitut. Pii V. improbetur? Resp non improbari, si multo pluris ematur, quã census redimibilis æstimatur, quia huiusmodi cẽsus in Germania, Gallia, Hispania, & in magna parte Italiæ sunt vsitati, & frequentes, nec est credibile Pontificem tã generalib. uerbis, tam obiter census receptos uelle tollere præsertim cũ in illis cesset omnis præsumptio usuræ. Ita Nauarr. *de vsur.n.98.* Molina, *c.disp.391* Bonac. *de contr. disp.3.q.4.punct vnic.n 41.* & alii ab ipso citati. Contra Azorium, Rebellum, Virginiũ. Quodnam uerò sit iustũ pretium census perpetui, diximus, *tom.1.v.census, n.27.*

Nauarrus. Molina. Bonacina. Azorius. Rebellus. Virgin.

Ex hac conditione sequitur censum posse extingui per compensationem, modò debitum sit liquidum, quod est uerum etiam Domino census renuente, & extraiudicialiter admonendo eum, ut deinceps censum pro extincto habeat ratione talis debiti æqualis.

Similiter iuxta Pii V. Constitut. licet censum extinguere in aliis rebus à pecunia numerata; quia idem Põtifex solùm loquitur de emptione census; nam in extinctione non est periculum ea uia palliandi usuras, atque iniustitiam committendi, sicut in illius emptione. Ita Nauarrus, *de vsur.n.113.* Molina, *disp.394.*

Nauarrus. Molina.

24 Decimaseptima conditio est, ut emptor non possit ab inuito uenditore pretium repetere; unde census est irredimibilis ex parte cẽsitoris; semper uerò redimibilis est ex parte censuarii, quamuis cogi non possit ad redimendum. Nota tamen censuarium, qui uult redimere censũ, debere duobus mensibus antequam redimat, denunciare censitori se velle redimere, qua denunciatione facta cẽsitor potest intra annũ repetere pretiũ census à censuario, licet inuito; elapso verò anno, non potest pretiũ exigere Vide Molinam, *c.disp.391.n.12.* Filliucium, *tr.35.n.338.*

Molina. Filliucius.

25 Decimaoctaua, & ultima conditio est, ut pretium census semel constitutum, non possit augeri, vel minui ob temporis, vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens. Censuarius tamen potest redempto censu, censum alteri vendere maiori pretio, quam vendiderit primo censitori, si pretium census latitudinem habeat; hoc enim non est vetitum ipsi venditori. Census verò qui nõ est liquibus, vel qui non potest exigi absq; laborib potest minori pretio, emi etiam si lex pretium census taxauerit. Ita Molin. *disp.392.* Rebell. *de oblig.iust.lib.10.q.5.*

Molina. Rebellus.

Hæ conditiones vbique sunt seruandæ in contractu censuali, quatenus continent id quod iuris naturalis, vel diuini est; quia quod iure naturali, vel diuino iussum est, vbique & ab omnibus seruandum. At quatenus nouo iure scripto aliquid prohibent, seruari debent in foro conscientiæ in terris subiectis Papæ quoad temporalia, & in Prouinciis, vbi constitutio ista simpliciter, & omninò nõ solùm est promulgata, verum etiam omni ex parte recepta, & posita in consuetudine. Ita Nauarrus, *de vsur.num. 106.* Couarr. *lib.2.var.c 16.n.6.*

Nauarrus. Couarru.

26 Census vitalitius ex natura rei, idest, secundũ ius naturale, & diuinum, ad ementis, aut vendentis vitam, vel ad alium annorum numerum incertum, licitus est, si iusto pretio constituatur. Ratio, quia contractus cũ pari incertitudine lucri, & damni censetur in iure maximè iniustus, *l.si ea lege, C.de vsur.* Sed in hoc contractu intercedit ex parte vtriusque contrahentis par, & æqua incertitudo cùm possit ille, in cuius vita census fundatur, diutiùs viuere, & celeriùs mori, ergo iste contractus est iustus, & honestus. Nec lege generatim condemnat pacta, ex quibus potest accipi occasio captandæ, vel optande mortis alterius, quando talia pacta ex communi contrahentium consensu fiunt. Ita Ioannes Medina, *C.de acquisitis per vsur.q.14.* Couarr. *lib.3.var.c.7.* Nauarr. *de vsur.nn.71.* & alii communiter. Contra Angelum, & Syluestrum, qui tenent censum constitutum ad vitam venditoris licitum esse, sed non ad vitam emptoris.

Medina. Couarru. Nauarrus.

Quomodo autem taxandum sit pretium census vitalitii, varii variè sentiunt; quidam enim arbitrantur apud Couarr. *3.var.c.9.* taxari posse ad rationem vnius pro sex Garzias *de contract.p.2.c.29.n.9.* putat regulariter taxari posse ad vnum pro septem. Alii ad rationem vnius pro decem. Alii denique existimant pretium taxandum esse attendendo ad vltimum terminum, ad quem moraliter peruenire potest vita eius, in qua fundatur census, sumẽdo medietatem illorum annorum, ita vt pretium census adæquet pensiones totius medietatis illorum annorum. Ita Molina, *disp.388.* & alii. Sed mihi dicendum videtur spectandum esse locorum consuetudinem, quæ pro diuersitate Prouinciarum admodum varia est.

Couarru. Garzias.

Molina.

Ex mutuo contrahentiũ cõsensu census vitalitius potest redimi à censuario, modò iustũ intercedat pretium. Ratio, quia res per quas causas nascitur, per easdẽ dissoluitur, sicut ergo census vitalitius nascitur ex mutuo contrahentiũ consensu, ita etiã per mutuũ consensũ dissolui potest. Hic tamen census minus valet, quo plures pensiones solutæ sunt, & quo plus vitæ transactũ est, minus .n. temporis superest ad soluendas pensiones; & ideò huiusmodi contractus non potest dissolui tradito pretio accepto, nisi fortè ex mutuo contrahentium consensu dissoluatur, cõputata cũ aliqua proportione pensionum iã solutarum parte, sed diminuto pretio habita ratione tẽporis transacti, iudicio prudentis viri. Ita Molina, *disp.389.* Garzias, *cit numer.12.* Verum hæc collegisse de censibus sit satis.

Molina. Garzias.

Vide v. Emphyteusis, *n.2.*

CESSATIO A DIVINIS.

SVMMARIVM.

1 *Cessatio à diuinis quid sit, & quotuplex.*
2 *Differentia inter cessationem, & interdictum.*
3 *Quis possit imponere cessationem à diuinis.*
4 *Quid prohibeatur tempore cessationis.*
5. *Tempore cessationis an sit licitum diuina officia celebrare in quatuor festiuitatibus exceptis in* Cap. Alma mater.

6 *Quæ Sacramenta licitè conferantur, tempore cessationis à diuinis.*
7 *Cessatio à diuinis an priuet sacra sepultura.*
8 *Ponitur interdum cessatio à diuinis præcedente interdicto.*
9 *An grauiter peccet, & incurrat irregularitatem violans cessationem.*
10 *Ad quid teneatur, qui causam dedit iniustæ cessationis.*
11 *Cessatio à diuinis à quo tolli possit.*

1 CEssatio à diuinis *est simplex prohibitio, qua ministri Ecclesiæ prohibentur persoluere diuina officia, ministrare Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro*: & hæc duplex est, alia est generalis vt in toto regno, ciuitate, oppido: alia est particularis, qua prohibentur diuina in loco particulari, vt in vna Ecclesia. Suarez *d. 39. sect. 1. nu. 1. & 5.* Syrus *l. 5. c. 17. n. 2.* & communis.

Suarez. Sayrus.

2 Cessatio a diuinis differt ab interdicto, & ideo censura non est, quia fertur per modum simplicis prohibitionis, censura verò vt quoddam morale accidens afficit, & quasi ligat subiectum, in quod fertur; deinde violans interdictum irregularis efficitur, non item agens contra positam cessationem a diuinis: præterea tempore cessationis non licet celebrare officia sicut licet tempore interdicti generalis, iuxta moderationem cap. *Alma*, denique cessatio nunquam a iure incurritur, sed tantum comminatoriè fertur. Vide Nauar. *c. 27. n. 188* Sylu. *in sup. q. 21.* Filliuc. *tr. 18. c. 7.* Rodriq. *t. 1. c. 117.* Sayr. *l. 5. c. 17. n. 8.* Henriq. *l. 13. c. 54. n. 3.*

Nauar. Syluest. Filliucius. Rodriq. Henriq.

3 Summus Pontifex, Episcopos, Capitulum sede vacante; Concilium Prouinciale, & Diœcesanum, aliique ab his delegati iuxta facultatem sibi delegatam, vel consuetudine obtentam, imponere possunt cessationem a diuinis propter delictum graue manifestum, & notorium; quæ exprimi debet in literis, in quibus continetur sententia; peccatum autem debet esse cum contumacia aduersus commune bonum Ecclesiæ; puta contra libertatem Ecclesiasticam, vt est imposito taxæ, seu collectæ Clericis, detentio Clerici vel Canonici per iudicem sæcularem, & alia similia. Ita Filliuc. *tract. 18. cap. 7. q. 3.* Sayrus *c. c. 18. n. 3.* Reginald. *li. 32. to 3. n. 72. C. irrefragabili, de offic. ord.* Henriquez *c. n.*

Filliucius. Reginald. Henriq.

4 Tempore cessationis præcipitur abstineri a diuinis officiis, puta ab horis canonicis publicè persoluendis, celebratione Missæ, &c. unde tunc temporis non est licitum pulsare campanas ad diuina officia; tamen licet semel in hebdomada, ob necessitatem infirmorum pro renouanda Eucharistia celebrare priuatim cum uno ministro, & clerici possunt in Ecclesia priuatas orationes recitare, imo possent bini uel terni submissa uoce, ianuis clausis sine cantu ibidem horas canonicas recitare Reginald. *lib. 32. tr. 3. n. 75. 77.* Nauar. *c. num. 189.* Suarez *c. sect. 2.* Henriq. *l. 13. c. 53. n. 2. & 3.*

Reginald. Nauarr. Henriq.

5 Quamuis inspecto iuris rigore non uideatur licitũ in quatuor festiuitatibus exceptis in cap. *Alma mater*, officia diuina celebrare tempore cessationis, cum dicta exceptio solum facta sit de interdicto, tamen secundum æquitatem, & Doctorum quorumdam Salmanticensium auctoritatem probabiliter dici potest in quatuor illis præcipuis festiuitatibus, & octaua Corporis Christi, diuina officia solemniter dici, & Sacramenta ministrari posse, sicut tempore generalis interdicti Sanchez *de mat. l. 7. d. 8. n. 18.* Suar. *cit. sect. 2. n. 12.* Fernandez *p. 2. c. 13. §. 1. n. 12.*

Sanchez. Fernandez.

6 Tempore cessationis, Sacramentum ordinis aut Extremæ unctionis non confertur laicis aut clericis Sacramenta vero baptismi, & pœnitentiæ secundum benignã Doctorum interpretationem, & praxim, licite administrantur, quamuis stando in rigore iuris licite solum paruulis baptismus, & pœnitentia morientibus ministrari debeant. Sacramentum Eucharistiæ ægrotantibus solum confertur per modum viatici, matrimoniũ uero celebrare omnino prohibetur: id est, benedictiones nuptiales aut uelationes fieri non possunt: quamuis contractus præsente parocho, & testibus ualide tunc temporis peragi possit, sicut, & tempore interdicti. Sayr. *c. 19. n. 13.* Reginald. *n. 70.* Suarez *c. d. 39. sect. 2. C. non est vobis de spons.* Bonac. *de censur disp. 6. p. 3. n. 5. 6. 7.* & alii; qui omnes concedunt hoc tempore licite etiam confirmationis Sacramentum ministrari posse; quia censentur baptismi complementum & consequenter concesso baptismo, videtur etiam concessa confirmatio. Quidam etiam id extendunt ad Sacramentum ordinis, quando deessent Sacerdotes necessarii. Sayrus *c. num. 11.*

Sayrus. Reginald. Bonacina. Sayrus.

7 Cessatio à diuinis priuat etiam laicos sacra sepultura, clerici vero non priuantur sepultura ex benigna iuris interpretatione, modo sepeliantur sine diuinis officiis, & in silentio. Nomine autem Clericorum hic veniunt etiam religiosi, etiam nouitii, quia Religiosi in fauorabilibus veniunt etiam nomine Clericorum. Auila *d. 1. dub. 10. p. 6.* Suarez *c. n. 31.* Filliuc. *c. n. 181.*

Auila. Suarez. Filliucius.

8 Cessatio a diuinis interdum indicitur præcedente interdicto, vt accedat tunc noua, & arctior proibitio cessationis, cuius proinde effectus coniunguntur cum censura interdicti, interdum vero ponitur cessatio pure, & sine interdicto. Layman *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. n. 5.*

Layman.

9 Violans cessationem grauiter peccat, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, non tamen incurrit irregularitatem; nam hæc irregularitatas non est in iure expressa. Syluest. *v. cessat. q. 5.* Sayr. *c. c. 19. n. 20.* Suarez *c. sect. 2. n. 36.* Religiosi autem, quamuis exempti, incurrerent excommunicationem, non seruando cessationem generalem quæ seruant ab Ecclesia Cathedrali, vel a Parochiali. Clementina *1. de sent. excom.* Excipiuntur tamen ab hac pœna Mendicantes ex peculiari priuilegio, vt docet Henriq. *lib. 23. cap. 54. n. 3.* Violantes autem cessationem particularem non incurrunt excommunicationem; quia dicta Clement. tantum loquitur de cessatione generali. Vide Lezanam *to. 1. sum. c. 21. num. 20. & to. 3. v. Cessatio, n. 3.* vbi notat Priuilegium Leonis X. quo licitum erat Regularibus mendicantibus tempore cessationis à diuinis celebrare secreto, fuisse viuæ vocis oraculum, ac proinde hoc tempore abrogatum à S. D. N. Vrbano VIII.

10 Qui iniuste cessationis causam dedit, post monitionem tenetur ad reficienda damna omnia Clericis, qui coacti fuerunt seruare cessationem, & ob id distributiones amiserunt, vel alia damna passi sunt; quia suo delicto censetur causa efficax iniusta horum damnorum, idem dicendum de illo qui iniuste cessationem tulit Henriq. *c. c. 52. l. 13. n. 3.* Suar. *c. d. 39. sect. 3. n. 16.* Sayr. *c. c. 19. n. 19.*

Henriq. Suarez. Sayrus.

11 Sicut cessatio a diuinis iustis de causis ab homine imponitur, ab eodem homine tolli potest vel a superiore ipsius, vel ab eius successore vel a delegato ipsorum. Quoad formam autem tollendi cessationem, nulla certa est iure præscripta, sed requiritur tantum, vt eam tollens, suam explicet voluntatem aliquibus verbis eam auferendi; solo enim facto est Summi Pontificis proprium in censuris, & similibus tollendis procedere, quia ipse solus, non est ligatus iure. Vide Reginald. *l. 32. tract. 3. n. 84.* Auilam *p. 6. disp. 3. d. vlt.* Lezanam *to. 3. Sum. v. Ces. n. 8.*

Reginald. Auila. Lezana.

CESSIO BONORVM.

SVMMARIVM

1 *Cessio bonorum an magis excuset à restitutione in foro conscientiæ, quam necessitas sine cessione.*
2 *Quid beneficii consequatur debitor pro bonorum cessionem.*
3 *Debitor ex contractu vel delicto, an possit abscondere aliquid, si in bonis eius executio fiat per creditores.*
4 *Per cessionem bonorum an debitor eximatur a restitutione, postquam peruenerit ad pinguiorem fortunam.*
5 *Qui cessit bonis, actibus quibusdam ignominiosis, an teneatur soluere debita, si ad pinguiorem fortunam nactus fuerit.*
6 *Clerici non tenentur cedere bonis suis: nec possunt ob debita in carcerem coniici.*

1 CEssio bonorum in foro conscientiæ non magis excusat a restitutione quam necessitas sine cessione excusaret vnde debitor qui debitis soluendis impar bonis cedit, id est, creditoribus bona sua relinquit inter se secũdũ debitorũ qualitaté ac proportioné diuidenda, nõ ideo

reliquo

reliquo debito liberatur, quin potius tam in foro externo quàm interno compelli potest ad laborandum & acquirendum vnde soluat, quantùm conditio seu status personæ permittit, Molina *tract. 2. tom. 3. poster. disp. 738. §. superest.* Nauarrus *l. 4. c. 4. n. 62.* Becanus *de restit. q. 54 n. 4.* Nauarrus *c. 17. n. 86.* & alii.

Molina. Nauarrus Becanus. Nauarr.

2 In foro exteriori licet debiter ex contractu, vel quasi contractu post latam contra ipsum sententiam, & soluendi moram, postulante creditore in carcerem coniici, & tamdiu detineri possit, donec satisfaciat, nisi sufficientem cautionem soluendo præstare possit, tamen iure ciuili per bonorum cessionem id beneficii consequitur, vt in carcerem mitti non possit, vel missus ex eo liberari debeat & ne, si post cessionem aliquid acquirat, ei possit auferri, quando est necessarium ad suam vel suorum sustentationem *lib. 4. & 6. ff. de cessione bonorum* Becanus *c. num. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 16. num. 44.*

Becanus Lessius.

3 Grauatus ære alieno, qui absque culpa cogitur cedere bonis, si fiat executio in bonis eius per creditores, potest abscondere quantùm necessarium est, vt tenuiter viuat secundùm suum statum, & ne indecenter viuat, imò etiam secũdum quosdam debitor ex delicto de bonis quæ post cessionem acquirit potest retinere, quantùm necessarium est, vt pro sua conditione non indecore viuat, quamuis alii hoc non admittant. Vide Syluester. *v. restit. 7. q. 6.* Nauarrus. *lib. 4. cap. 4 num. 8.* Clauem Reg. *lib. 10. tract. 5 cap. 7. num 3* & alios.

Syluester Nauarrus. Clau. Reg.

4 Cessio bonorum non ita eximit à restitutionis obligatione, quin debitor teneatur ad restitutionem, postquam peruenerit ad pinguiorem fortunam, quia debita per cessionem bonorum non fuerunt extincta, sed consopita Diana *4. p. tract. 4. resol. 78.* Sylu. *2. 2. q. 62. art. 8. q. 1.* Clauis Reg. *c.* Lessius *l. 2. c. 16. dub 3.*

Diana Syluius. Clau. Reg. lessius.

5 Quidam sentiunt illum qui cessit bonis quibusdam actibus ignominiosis iuxta consuetudinem loci, non teneri soluere debita, etiamsi postea ad pinguiorem nactus fuerit fortunam, quia videtur hæc pœna esse loco solutionis, sed contrarium est verius quia hæc pœna imponitur non imponitur vt liberetur à solutione, sed in penam delicti quod præsumitur ab eo commissum contrahendo cũ esset impotens solutionis. Ita Bonac. *de rest disp 1. vltim. punct 1. n. 38.* Lessius *l. 2. c. 16. n. 49.* Filliuc. *tract. 32. nu. 153.* Couarr. *2. variar. c. 1. n. 6.* & alii.

bonacina lessius. Couarru.

6 Clerici Sacris initiati habentes beneficium Ecclesiasticum, vel qui clericalem habitum, & tonsuram deferũt & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiunt, non tenentur cedere bonis suis, nec possunt tamen ob debita in carcerem coniici, ne in opprobrium status Ecclesiastici cogantur mendicare *c. Odoardus, de solut.* Layman *l. 3. tract. 2 c. 12. n. 5.* Lessius *c.*

laiman. lessius.

Vide Restitutio 5 *num. 5. 6. 7* Plura de cessione apud Dianam *part. 7. toto tractatu octauo.*

Diana.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Cessio bonorum quid sit.*
2 *Debitor ex delicto non gaudet beneficiis cessionis.*
3 *De bonis post cessionem acquisitis debentur debitori necessaria, tam in foro exteriori, quam conscientia.*
4 *Non gaudet priuilegio cessionis, qui aliquid egit in fraudem creditorum.*
5 *Cessio bonorum solum liberat debitores, non autem fideiussores.*
6 *Theologorum sententia est cessionem ignominiosam, quæ fit in aliquibus Prouinciis non excusare à restitutione, si debitores ad pinguiorem fortunam deuenerint.*
7 *Potest Princeps ex graui causa temporales inducias moratorias concedere, sicut & habentes inter territoralia.*
8 *Non potest Princeps concedere tales inducias nisi ad quinquennium, & illis solum qui aduersa fortuna absque dolo & culpa ad inopiam deuenerunt.*
9 *Ex quibus contractibus dilatio quinquennalis à Principe concedi non debeat.*
10 *Dilatio moratoria potest concedi à creditoribus debitori, & quomodo.*
11 *Quando dilationes moratoriæ prosint etiam fideiussoribus.*

1 CEssio bonorum est actus quo debitor, qui non est ad soluendum sufficiens omnia sua bona creditoribus dimittit, vt carceris situm & squalorem, aliasque molestias euitet. Inuentum est autem potissimum cessionis beneficium, ne præter humanitatem paruo creditorũ commodo & magno suo incõmodo debitores qui ad soluendum non sufficiunt, iudicati, capiantur, & perpetuo detineantur in carcere, *l. 1. Cod. cui bonis, ff de cedere possunt* Et *L qui bonis, ff. de cessione bonorum.* Et *instit. de Actionibus §. vltimo.* Ita Malderus *de iustit. tract. 4. capite 7. dub. 3.* Lugo *de iust. to. 2.1 disp. 21. sect. 3. n. 35.* & alii Ita bonorũ cessione nullus exigitur ritus, aut solemnitas, sed sufficit sola voluntaris expressio, qua profiteatur quis bona sua omnia, si quæ sint creditoribus se relinquere, ac concedere, sine hoc fiat per nuncium, aut per Epistolam, *l. vlt. ff. de cessione bonorum,* Molina *tract. 2. disp. 572. num. 3.*

Malderus Lugo

Molina.

2 Qui debet ex delicto, non gaudebit beneficio cessionis, siue delictum sit commissum in contractu, siue extra contractum, siue debeatur tanquam pœna, siue pro reparatione damni & interesse, nam iure beneficium cessionis illis solis conceditur, qui merè ciuiliter debent, & quando agitur de publica vtilitate, excluditur bonorum cessio. Interest autem publicæ vtilitatis, ne delicta maneãt impunita. Solùm igitur cessio bonorum habebit locum in debitis ciuilibus, scilicet ex contractu, vel quasi cõtractu. Ita Malderus, Molina *citat. n.* 18. Nota, quòd secundùm aliquos, nomine debiti ex delicto intelliguntur illa etiam quæ licet ex contractu descenderint, postea verò vel propter moram culpabilem, vel propter aliud delictum admixtum facta fuerunt iam debita ex delicto, de quibus aliqui uolunt posse etiam pro illis fieri cessione bonorũ, sicut pro aliis Veriùs tamen est de iure communi non esse id concessum, nisi debitoribus, qui merè ciuiliter debẽt. His enim solum tribuunt iura communia eiusmodi priuilegia, non verò debitoribus, qui circa illa delictum miscent. Ita Molina *disp. 572. num. 18.* Lugo *cit. num. 43.* Hinc communiter Doctores censent, eos, qui partim ex suo dolo factu, vel luxuria, partim fortunæ vitio, insufficientes ad soluendum facti sunt, ad cessionis bonorum beneficium non esse admittendos. *Ex l. final. § final. ff. quæ in fraud. credit.*

Malderus. molina.

molina lugo.

3 Si is qui cessit bonis postea bona aliqua acquisierit non potest conueniri in iudicio nisi in quantum commodè possit, hoc est, non potest spoliari per iudicem omnibus bonis illis acquisitis, sed iudicis prudentis arbitrio, est illi relinquere quod satis ei sit an suam parcam sustentationem congruã. Ita habetur expressè *l. 4. 5. 6. ff de cess bonorum* pro foro exteriori. An autem hæ leges habeant locum etiam in foro conscientiæ? Negant Adrianus, Ioannes, Medina, Nauarrus, Azorius, Valentia & alii, quia sũt contra legem naturalem, & diuinam non furandi, seu nõ retinendi alienum inuito Domino saltem quando debitores sunt infimæ sortis, qui mendicare possunt, aut laborare, vt putat Nauarrus *in man. cap. 17. nu. 86.* Nihilominus contrarium est etiam probabile, quia Resp. propter commune bonum habet potestatem disponendi de bonis subditorum, & illi tenentur consentire. Tum quia hoc priuilegium sancitum est in commune bonum, ne debitores sine creditorum emolumento, imò cum ipsorum, & cum proprio damno detineantur in carcere, atque in eò pereant, nec possint lucrari. Cùm autem qui contractus celebrant, sciant debitores hoc priuilegio gaudere eoque præsupposito contrahant, iam in id consentiunt, ac proinde vim habet in foro conscientiæ tale priuilegium. Hanc sententiam sustinent Molina *tract. 2. disp. 572. numer. 9.* Malderus *de iustit. tract. 4. cap. 7 dub. 3.* Lugo *cit. sect. 3 num. 36.*

Medina: malderus. lugo.

4 Non gaudet priuilegio cessionis, qui bonis cessit, si aliquid in fraudem creditorum egerit, ideò in cessione bonorum requiritur, quòd cessurus in fraudem creditorum nihil alienauerit, *l. vltim. §. vlt. ff. qui in frand. credit.* Requiritur etiam, quod bonis cessurus, non alio modo

fu eri

fuerit fraudulentus, aut dolosus, veluti, si sciens, se nō esse ad soluendum sufficientem contraxit, is enim non potest gaudere hoc beneficio, *l. penult. ff. de cess. bonor*, Quod tamen intelligendum est, si dolo malo induxit ad contrahendum, creditorem, prætendendo se esse ad soluendum sufficientem, cū iam inopia laboraret, aut uerò hoc fraudulenter egerit, vt pecunia à creditore accepta, postea bonis cederet. Præsumitur autē debitor de industria ac dolo malo desiisse esse ad soluendum sufficientem quoad hunc scilicet effectum, vt à beneficio cessionis bonorum excludatur, quādo bona sua luxuriosè uiuendo consūpsit, & vel ludēdo, in vel meretrices ea expendendo, dilapidauit. De his vide Anton. Gomez *secund. resolut. cap. 11. num. 52.*

Gomez. Rebuff. Diana.

Rebuffum *consil. 184.* Dianam *part. 7. tract. 8. ref. 11.*

5 Ex eo quod debitor principalis bonis cessit, fideiussores ipsius non liberantur ab onere soluendi integrè loco illius debita, pro quibus fideiussores extiterunt, sed perinde cogi possunt ea integrè soluere, ac si principalis debitor bonis non cessisset, quia exceptio cessionis, solū competit personæ debitoris, non uerò fideiussoribus, qui idcirco adhibentur, vt si debitor principalis soluendo non sit, ipsi loco illius soluant. Ita habetur *§. vlt. Instit. de replicationib. l. heres à debitore, §. quod si stipulator, ff. de solut.* & docet Amicus *tom. 5. de iustit. disp. 32 sect. 4 n. 44.*

Amicus.

6 Quamuis iure communi in cessione bonorum nullus requiratur ritus, & nulla desideretur solemnitas, vt diximus supra, sed sola sufficiat voluntatis professio, ita vt nihil intersit, vbinam cessio fiat in iure, an uerò extra ius, an à presente uel absente, sed quia ea res decoctoribus nimiam fraudandi ansam præbebat, ideò in aliquib. Prouinciis quædam solemnitates introductæ sunt, & *Primo*, in Gallia sancitum fuit Ludouici XIII. Constitutione 20. ut nemo nisi præsens iudicio discinctusque ac nuda ceruice bonis cederet, quo huius ignominiæ ac dedecoris metu pauciores in perniciem creditorum ad tam fœdum miserabile subsidium confugiant. *Secundo*. In Italiæ quibusdam locis cedēs bonis, in publico & notorio loco nudus uadere, & posteriora ter ad lapidem uel columnā percutere cogitur clamando, cedo bonis *Tertio*, Romæ bonis cedere uolens, leonem marmoreum in scalis capitolii ascendit, & ibi nates percutiens dicit, cedo bonis.

Difficultas est, an ubi similis cessio ignominiosa est in usu, liberet à restitutione? Affirmant quidam Iurisperiti apud Dianam *part. 4. tr. 4. ref. 78. part. 7 tract. 8. resol. 21.* Theologi tamen communiter contrariæ sententię adhęrent, vnde qui taliter bonis suis cedunt, si postea ad pinguiorem fortunam, aduenerint, tenentur integrè satisfacere, nam idem ius, quod priuilegium cessionis induxit, id statuit. Vt apertè *l. cum & filius familias, C. qui bonis cedere possint*, quia per cessionem debitum non fuit extinctum, sed consopitum, donec ad pinguiorem fortunam peruenerint. Tum quia ignominia illa non extinguit obligationem naturalem soluendi debita, sed est pœna propter culpam præsumptam contrahentis debita supra suas uires, & ad deterrendos alios ne prodigalitate & negligētia ad similem statum deueniant. Ita tenent præter Doctores citatos *tom. 1. verb. Cessio bonorum n. 5.* Lugo *iust. tom. 2. disp. 21. sect. 3. num* 40. Amicus *tom. 5 de iust. disp. 41. dub. 6. num. 24.* Trullench. *in decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 15. dub. 5. num. 4.* & alii communiter.

Diana. Lugo. Amicus. Trullenc.

7 Potest Princeps ex graui causa per rescriptum suum alicui subdito concedere indocias moratorias, exceptionē seu dilationem temporalem ad eum effectum, ut intra tempus indultum debitores à creditoribus nequeāt molestari. At uero exceptionem peremptoriam, quæ ius alterius partis omnino tollit, & infringit, concedere nequit per textum *lib. 2. Cod. de precib. Imper. offerend.* Probatur prima pars, quia dilatione istæ absque graui aduersæ partis dispendio conceduntur, cum in mora modici temporis non soleat magnum esse damnum, & quod differtur, nō auferatur, argument. *l. si debitori ff. de iud.* Probatur. Posterior pars, quia Princeps non potest ius uel dominiū alicui priuato auferre, nisi ex iusta causa & propter utilitatem publicam, in quo casu illi iustum & solitum pretiū reprendere tenetur, *l. item si verberatum 15. §. 1. ff. de rei vindicat*, Aduerte etiam hic, quod iura territoralia habētes possunt concedere has dilationes moratorias, alii non nisi concedantur consentiente maiori parte creditorum, in quo casu talis dilatio potest per quemcumque iudicem dari & concedi, *l. final. C. qui bon. ced. possunt.*

8 Non potest Princeps concedere dilationem debitoribus ad soluendum, nisi pro modico temporis spatio id est, vltra quinquennium, Glossa *in l. quoties, C. de precib. Imper. offer.* etsi excedatur modicum tempus, dilationis concessio non valet. Item non debet Princeps concedere dilationes moratorias quibusuis debitoribus in præiudiciū creditorum, sed illis solùm qui aduersa fortuna, absque suo dolo, & culpa ad inopiam redacti sunt. Non autem decoctoribus, qui culpa sua eiusmodi calamitatem, & inopiam procurarunt Hi enim furibus comparandi, eorumdemque loco habendi sunt, vnde tales non habentes in ære, luere debent in corpore, & nulla sunt commiseratione digni. Ita Menochius *de arbitr. qq. casu. 203. n. 16. & sequent.* & alii multi citati à Diana *p. 7. tr. 8. ref. 26.*

Menoch. Diana

9 Dilatio quinquennalis a Principe concedi non debet contra debitum ex contractu depositi descendens, quia hoc natura depositi non patitur, siquidem res deposita, sine omni mora & dilatione, remotis & exclusis omnibus exceptionibus, restitui debet deponenti, *l. 1. Cod. Deposit.* Imò hoc procedit etsi pecunia numerata esse deposita. Vnde Clericus debitor ratione depositi, non gaudet beneficio *cap. Odoardus, de solut.* Idem dicandum de debito ex contractu locationis seu conductionis descendente, Menochius *de arbitrar. casu* 203. *num.* 18. Item contra debitum pupillare & alimentorum, contra debitum opificum mercenariorum, & famulorū, quo scilicet debitor ipsis pro labore obligatus est. Nec ob debitum Ecclesiasticum Princeps sæcularis debitori Ecclesiæ dilationes quinquēnales indulgere potest, quia circa res Ecclesiasticas non potest, aliquid disponere. Nec cōtra debitum fiscale valet dilatio quinquennalis. Imò nullum sortitur locum in debito quod cum extero & transeunte contractum est, & cessant dilationes nec dandę sunt in debito dotis. Creditor tamen dotis debitori suo inducias istas indulgere nō prohibetur. In his igitur casibus dilationes moratoriæ a Principibus concessę non extenduntur, nec intelliguntur de debito iurato, & aliis hic expressis, nisi aliud in rescripto sit dictum, neq; facilè in debito pupillari, uiduæ Ecclesiæ, & priuilegiatarum personarum dari solent. De his plura apud Carolum de Graffiis *exceptione trigesima secunda, n. trigesimo primo*, Menochium *dict. casu* 203. *n.* 20. *& sequent.* Dianā *p. 7. t. 8 ref. 27. 28. &* 29. & alios ab ipso cit.

menoch.

graffiis. Diana

10 An dilatio moratoria possit a creditoribus concedi debitori? pro praxi hæc ueniunt dicenda. Is qui vult cedere bonis, potest à creditore, aut à creditoribus petere ut sibi inducias quinquennii ad absoluendum tribuant, ne cedat bonis. Quod si sit vnus tantùm creditor, & is illas ei cōcedat, aut si sint multi & ii eas illi concedāt, tunc elapso eo quinquennio, non potest debitor cedere bonis, neque etiam intra quinquennium, sed si quinquennio elapso debitum aut debita, non soluat, detrudi in carcerem potest, quousque integrè soluat. Ita Glossa *vlt. l. vlt. Cod. qui bon. ced. possunt.* & communis Doctorum sententia. Quando uerò sunt multi creditores, omnes interrogandi sunt, an velint eas inducias concedere, & maior pars vocare potest minorem, vt in unum locum conueniant, eaque de re ibi tractent ac deliberent, idque parabit minori parti præiudicium ea in re, nisi conueniat, & satis est citare absentes. Si creditores, quibus maior pars summæ debetur, consentiant, ut induciæ quinquenni debitori concedantur, etiāsi illi pauciores num. sint, & alii plures, imò etiāsi is vnus tantùm sit & alii mult, & etiā si reliqui habeant hypothecas, & præponendi sint in solutione, obtinet debitor eas inducias, etiā quoad reliquorum debita. Si autem æqualis sit pars summæ, quę debetur iis, qui concedere volunt inducias, cum parte summæ, quæ debetur aliis, qui nolunt eas concedere, tūc præualet ea pars, quæ vincit num. creditorum, estò similiter reliqui habeant hypothecas præferendiq; sint in solutione. Quod si creditores vtrinq; æquales numero sint, & pars summæ, quæ vtrinque debetur, æqualis etiam sit, præualet pars, quæ inducias concedit, tanquā magis pia. Ita sancitum est *l. vlt. C. qui bon. ced. possunt*, & docet Molina *iust. tr. 2. disp. 572. num. 11.*

glossa.

11 Dilationes moratorię prosunt fideiussoribus, si in concessione expressa mentio fideiussoris est facta,

molina.

quod

quod nimirum is etiam intra tempus concessum non debeat conueniri Sed si nulla est facta mentio fideiussoris, & concessæ sint induciæ iste Imperatore vel à Principe, & fideiussor renunciauit *Authent. præsente, Cod. de fideiuss.* hæ induciæ fideiussori non prosunt, in tantum etiam vt fideiussor conuentus, non possit debitori litem denunciare ad suscipiendum iudicium, & opponendam moratoriæ dilationis exceptionem. Si autem fideiussor non renunciauit prædictæ Authenticæ, prosunt etiam fideiussori, quia fideiussor conueniri non potest, nisi debitor sit excussus & impotens ad soluendum repertus, debitor verò ob impetratas inducias exenti nequit. Si autem induciæ istæ sunt concessæ à creditoribus ipsis, indistinctè prosunt fideiussori, etiam quando fideiussor renunciauit dictæ Authenticæ, quia inter creditores & debitorem, datis induciis, actum intelligitur vt fideiussori interim pareatur, & ne contra fideiussorem interea procedatur Ita Thomas Merlinus *tractat. de cessione bonor. titul. 7. numer.* 41. & alii quos refert sequitur Diana *part. 7. tractat. 8. resolutione* 32. Aduertendum est hic eum qui dilationem à creditoribus vel à Principe obtinuit teneri creditoribus suis idoneos fideiussores dare de solutione post elapsum tempus. Ita communiter Doctores, qui etiam asserunt istam cautionem ab ipso Principe remitti non posse, quando cautio hæc à creditoribus petita est, alioquin valent induciæ a Principe concessæ. Quod si propter inopiam, nec fideiussoribus, nec pignoribus cauere potest, ad iuratoriam cautionem admitti debet. Ita Diana *citat. resolut.* 34. apud quem plura de hac materia.

Merlinus. Diana

Diana

CAESIO LIGNORVM.

SVMMARIVM.

1 *Incola aut ciuis vrbis, an mortaliter peccet, & teneatur ad restitutionem, si ex syluis communibus aliquas arbores absque facultate cadat.*

2 *Ligna cædere in syluis particularium hominum, peccatum mortale est cum obligatione restitutionis.*

3 *Grauiter vel extremè indigens lignis an peccet scindens illa in syluis Dominorum.*

4 *Quando licet ligna cædere, an liceat etiam earumdem arborum fructus colligere.*

5 *An peccet vel ad restitutionem aut pœnam teneatur, qui ligna cadit aut venatur in sylua iniustè prohibita.*

6 *An ad pœnam solummodo teneatur deprehensi qui ligna cædunt ex montibus vicorum conuicinorum, si vicini etiam cædunt in eorum locis.*

7 *An qui emunt ligna furto subrepta, teneantur ad restitutionem.*

8 *An peccet mortaliter & teneatur ad restitutionem qui pecora sua pascit in alienis pratis inuito Domino?*

9 *An possit Princeps statuere, ut collectis frugibus, & fructibus, nullus prohibeat aliis pastum in agris suis?*

10 *An Dominus alicuius loci nominium in pascuis publicis sui territorii habeat.*

1 SYluæ aut montes, in quibus arbores cædi solent, quædam sunt communes, quædam particularium hominum, aliæ sunt dominorum vel Principum, si syluæ sint communes: quamuis incola aut ciuis vrbis, vel pagi cædat in vtilitatem propriam aliquot arboris sine facultate non peccat mortaliter, nec obligatur ad restitutionem, si tamē comprehenderetur, pœnam soluere teneretur, & obligaretur ad restitutionem si magnam stragem faceret Ratio est, quia non est credibile velle communitatem suis membris maiori rigore illos vsus interdicere, quam sub reatu culpæ venialis, & pœnæ soluendæ, si capiantur, quæ non debetur, non post condemnationem, non prohibendo, quin acceptum sibi acquirant, nisi modum valde excedant, & grauem efficiant stragem. Nec obstat grauitas pœnæ, si fortè apponantur grauissimæ, quia pœnæ vt iustæ sint, debent commensurari delicto, & quia ad terrorem ferè solent imponi. Ita Toletus *l. 5. cap.* 20. Syluius 2. 2 *q. 66. art. 2. quæst. 3. concl.* 1. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art. 3. contr. q.* 2. Clauis Reg. *l.* 11. *cap.* 10. *num.* 11. Sotus *de iust. & iur. l. 4. q. 6. art* 4.

Toletus. Syluius Clau. Reg. Sotus

2 Quando syluæ sint particularium hominum absq; dubio peccatum est mortale cædere ligna obligans ad restitutionem: nisi leuitas materiæ excuset, in qua materia discernenda, standum erit arbitrio prudentum, preterea pœnam accedente iudicis condemnatione persoluere tenebitur reus. Valentia *tom. 3. d. 5. quæst. 6. part. 5. dub.* 7. Syluius *c. concl.* 4 Toletus *c.* Salon *c. contr.* 2.

3 Scindens ligna in syluis dominorum, aut syluis priuatorum hominum quas sine propria eorum industria ex solo dono aut concessione Regis & Reip. acceperunt, quibus vel extremè, vel quasi extremè, vel grauiter saltē puta ad familiæ sustentationem indiget, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia arbores, quas natura sponte producit, non sunt tam propriæ dominorum, quàm propriæ sunt pecuniæ in arca repositæ, & quia hæc furta non habent infamiam, nec sunt tam odiosa in Republica, vnde possunt pauperes cædere ligna ad vsum foci proprii necessitatia. Bannes 2. 2. *quæst. 62 art. 3 d. 4. concl.* 2. Molina *tract. 2. disp.* 58. Sotus *l. 4. q 6. art.* 4. Bannes Molina Sotus

4 Sicut ligna cædere in syluis communibus aut aliis licet, ita etiam fructus earumdem arborum colligere licebit, E contra verò in syluis in quibus non licet ligna cædere, neque fructus earum colligere licet, qui accessoriū sequitur naturam sui principalis, & fructus naturam arboris. Sayrus *l. 11. c. 10. n.* 17. Salon *cit. contron. 2. concl.* 5. Bannes *cit concl.* 4. & alii. Sayrus Salon Bannes.

5 Qui ligna cedit aut venatur in sylua iniustè prohibita non peccat, nec ad restitutionem aut pœnam soluendam ante uel post iudicis sententiam obligatur, quia cùm talis non peccet contra iustitiam, cōsequens est, quod nec ante, nec post iudicis sententiam alicui restitutioni obnoxius sit. Arrag. 2. 2. *q. 62. art. 3. concl.* 8. Rodriq. *p. 1. Summ. ca. 37. concl.* 8. Rodriquez Arragon

6 Qui cedunt ligna ex montibus vicorum conuicinorum, licet habeant alios montes in suis locis, ex quibus etiam prædicti vicini cæderint ligna, neque peccant, neq; tenentur ad restitutionem, quia in hoc casu mutuo vsu tollitur obligatio restituendi, & solùm pœna incurritur à captis in furto. Rodriq. *in Sum. tom. 1. c. 38. n.* 5. Azor. 3. *p. l. 5. c.* 17. Vasquez *de restit. c. 5. dub. 1. §.* 3. Rodriq. Azorius. Vasquez

7 Qui emunt ligna ab inuasoribus alienarum syluarū in casibus, quibus huiusmodi fures lignorum à restitutione immunes sunt, ipsi etiam à restitutione excusantur. In casu autem, quo venditores ea teneantur restituere, & ipsi quoque emptores eadem ligna vel suum valorem restituere obnoxij sunt, dummodo tamen venditores non sint soluēdo, idq; emptoribus innotescat, si .n. venditores sint soluendo, tunc hæc vsu consumptibilia, restitutioni in se & in specie non sunt obnoxia, sed valor eorum aut ab illis, aut ex illorum defectu ab emptoribus restitui debet, ut communiter docent Doctores de possessore malæ fidei De quo uerb. Restitutio 2. Rodriq. Cordub. Lopez.

Vide *Dominium 2. n.* 12. Ita Rodriq. *p. 1. Summ. c.* 38. *conc.* 6. Corduba *in Summa q.* 71. Lopez *p 1. instruct. conscient. cap.* 149.

8 Quæ de syluis dicta sunt, etiam de pascuis gregum intelligi possunt, propterea, qui pecora sua in alienis pratis inuito Domino pascit, siue sint alicuius communitatis siue personæ priuatæ, mortaliter peccat, nisi paruitas materiæ excuset, & ad restitutionem damni illati tenetur, siue vlla iudicis sententia, pœnam verò non nisi post iudicis condemnationem soluere obligatur. Qui vero pascit illa in pratis patentibus, ad restitutionem, non nisi post condemnationem iudicis tenetur. Ratio est eadem pratorum ac syluarum, maximè cum facilius crescant herbæ, quam syluæ. Ita Salon 2. 2. *q. 62. art. 3 contron. 2. concl.* 6. Bannes *ibi dub. 4. conc.* 6. Lopez *part. 1. instruct. c.* 146. & alii communiter.

9 Potest Princeps, si ita expedire iudicauerit, statuere, vt collectis frugibus & fructibus, nullus prohibeat aliis pastum in agris suis, dummodo prædia & agri non sint vineæ & oliuæ & alia similia, quæ magnum detrimentum paterentur, si quoad pastum omnibus essent communia. Ratio est quia licet herbæ, quę fixa habent radices in terris propriæ sūt dominorū, ita vt eas vendere, & locare possint, & consequenter aliis earum pastum interdicere, quia tamē bonum cōmune præferendum est priuato po-

test

est publica potestas cõtrarium statuere, si eidẽ bono communi id expedire iudicauerit. Vnde multis in locis vsu receptum est, non posse priuatos Dominos prohibere aliis agrum suum ad pastum, conuertendo illum in prata, hoc est, in loca aliis ad pastum interdicta, absque licentia Regis. Vide plura de his apud Couarruuiam *lib. qq. practic. cap.* 37.

Couarrun.

10 Quamuis Dominus alicuius loci & ciuitatis in pascuis publicis sui territorii iurisdictionem ciuilem & criminalem habeat, nullum tamen ex hoc iure dominium in illis habet. Ratio est, quia huiusmodi pascua ad vniuersitatem pertinent, & sub eiusdem vniuersitatis dominio censentur, poterit tamen talis Dominus uti pascuis publicis, ut incola illius loci, si illic habitet, absque cuiusquam eorũ præiudicio & grauamine, Si autem damnum notabile in pascuis aut syluis communibus dederit, ad restitutionem in conscientia tenebitur, nec excusabitur ex eo, quòd populus non petat ob metum, neque ex eo, quod damnum remittat, nisi remissio libera omninò sit. Ratio est, quia si pro bono communi, cuilibet particulari, & populari gregem suum ibi pascere interdictum sit, quare id licebit Domino populi cum detrimento Reipub. quæ hoc emolumento priuatur. Ita Corduba *in Sum. quæst* 118. Lopez *cit. cap.* 150. Molina *de iust. tom.* 1 *tract.* 2. *disp.* 59. *concl.* 4. *&* 5. Couarr. *cit. cap.* 37. *num.* 1.

Corduba. Lopez. molina. Couarruu.

CHARITAS.

SVMMARIVM

1 *Charitas quid sit, & vt Deus possit amari super omnia. Charitas hominis ad Deum dicitur amicitia.*
2 *Appretiatiuè tenemur amare Deum super omnia, non vero intensiuè.*
3 *Charitas est forma reliquarum virtutum.*
4 *Quænam opera hominis iusti sint vitæ æternæ meritoria* Refertur quadruplex sententia.
5 *An sint in homine tam peccatore quàm iusto, actiones, indifferentes secundum meritum ac demeritum vitæ æternæ.*
6 *Ad promerẽdum singulis actionibus bonis augmentum gratiæ ac gloriæ æternæ, an sufficiat se Deo ex charitate offerre in principio Anni, Mensis, Hebdom. Diei.*
7 *Nefas est diligere Deum principaliter & finaliter propter mercedem vitæ æternæ.*
8 *Præceptum de diligendo Deo ex toto corde, &c. an secundum perfectionem in hac vita impleri queat.* *In graui & exterma necessitate communitatis tenemur*
9 *Quando obliget præceptum de Deo super omnia diligendo.*
10 *Officium Parentum, Parochorum, Confessariorum est, admonere pueros ac rudes, vt in actionibus suis ad Deum tendant, tanquam finem vltimum.*
11 *Ex charitate nobis quatuor sunt diligenda. Nempe Deus, nos ipsi, proximus, & corpus hominis.*
12 *An proximus sit diligendus, & quis ille dicatur.*
13 *An teneamur specialia beneuolentiæ signa inimicis exhibere.*
14 *Quando peccet mortaliter qui inimicum salutantem non resalutat.*
15 *An lege charitatis teneamur proximo remittere iniuriam, veniam petenti.*
16 *Quando inimicus veniam humiliter petit, an teneatur læsus actionem coram Iudice intermittere,* Refertur duplex sententia.
17 *Quisnam prius tenetur veniam petere, quando duo iniuriam sibi inuicem intulerunt.*
18 *An sit obligatio succurrendi proximo versanti extrema necessitate spirituali, etiam cum vitæ aut facultatum periculo.*
19 *Vitam propriam postponere vitæ alienæ, an licitum sit.*
20 *Abundantioris charitatis opus est, potius tolerare mortem propriam corporalem, quam occidere iniustum aggressorem, ne in æternam damnationem ruat.*
21 *In graui & extrema necessitate communitatis tenemur subuenire etiam cum periculo vitæ, aut notabilis damno famæ vel facultatum,*
22 *Quis ordo seruandus in dilectione Parentum.*
23 *An liceat optare aliquod malum corporale proximo ad salutem animæ.*
24 *Quorumdam maior habenda sit ratio in spiritualibus auxiliis.*

1 CHaritas est *virtus Theologica, seu supernaturalis, qua Deus super omnia diligitur.* D. Thom. 2. 2. q. 23. *art.* 3. *&* q 24. *art.* 2. *&* q. 25. *a.* 1. Syluius *ibi.* Filliucius *tract.* 22. *cap.* 9. *num* 266. Malderus 2. 2. *quæst.* 23. *a.* 6. Sanchez *lib.* 2. *mor. c.* 35. *n.* 2. Dicitur uirtus, quia est habitus bonus, qui bonũ efficit habentẽ, & opus eius bonũ reddit dicitur *Theologica seu supernaturalis*, quia uersatur circa obiectũ bonorũ supernaturale, id est, circa Deũ, & ob id dicitur virtus Theologica. Dicitur, *qua Deus super omnia diligitur*, ubi notandũ quòd Deus dupliciter possit amari super omnia *Primo*, intensiue, quãdo scilicet, actus amoris Dei est intensior, uehementior & feruẽtior omni alio amore, *Secundo*, appretiatiuè, quando nempe Deus magis æstimatur, quam æstimentur cætera, seu quãdo præfertur cęteris. Rectè etiam charitas hominis ad Deum dicitur amicitia D. Thom. *cit. q.* 23. *art.* 1. Syluius *ibid.* ad quam quatuor requiruntur, *Primum*, vt sit amor non concupiscentiæ, sic enim cum pane & vino, ac bestiis esset nobis amicitia, sed beneuolentiæ, vt amico desideremus bonum ipsius gratia. *Secundum*, ut sit amor mutuus, nã sine redemptione amicitia cõsistere nequit, cùm dicat aggregatum quid ex multis amoribus. *Tertium*, ut sit aliqua conuersatio inter se mutuo amãtes, uel ut amor mutuus, nitatur aliqua communione bonorum quę uterque amicus participet, uel communione sanguinis, uel eiusdem instituti, siue officij, uel uirtutis *Quartum*, ut hic amor mutuus, non lateat ipsos amantes. Ista quatuor in charitate sunt. Aristot. *lib.* 8. Ethic. *cap.* 2. Toletus *lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 2. Becanus 2. 2. *cap.* 18. *quæst.* 3 Tannerus 2. 2. *d.* 2. *quæst.* 2. *dub.* 1. *num.* 11.

D. Thom. Syluius. Malderus. Sanchez.

D. Tho. Syluius.

Aristot. Ethic. Toletus. Becanus Tannerus

2 Tenemur amare Deum super omnia *appretiatiuè*, non verò *intensiuè*. Ratio prioris est, tum quia Deus est Summum bonum, summum autem bonum, est super omnia diligendum, ergo, tum quia præceptum de aliquo virtutis actu, est etiam de intrinseco illius actus modo, at intrinsecus dilectionis Dei modus est, vt super omnia talem appretiatiuè diligatur. Nullus enim amor alius erit Deo proportionatus, vtpote qui vltimus noster finis supremumque nostrum bonum est. Ratio posterioris est, quia alioqui homo sæpe esset perplexus. Sępe enim nescit, an maiori intensione diligat Deum, quàm proximum, & hinc sequeretur illum maximis vexari scrupulis dubitando, an actus sit sufficienter intensus, & vehemens, Suarez *de pœnit. disp.* 4 *sect.* 4. *num.* 7. Reginald. *lib.* 17. *nu.* 97 Nauarrus *in Man. c.* 1. *num.* 4. Toletus *lib.* 4. *c.* 9 *num.* 6. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 35. Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 3. Bonacina *tom.* 2. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 1. *nu.* 2. Tannerus 2. 2. *disp.* 2 *q.* 3. *nu.* 23. & alii.

Suarez. Reginald. nauarrus. Toletus. Sanchez. Azorius. Bonacina. Tannerus

Propterea magis tenemur Deum obiectiuè diligere quã proximum similiter, & appretiatiuè. Prob. prior pars, quia lõgè sublimiora bona debemus Deo desiderare quã proximo illi. n. volumus infinitã maiestatem, & omnem perfectionem possibilem, huic autẽ bona eius cõditioni, & statui accommodata. Prob. secunda pars, quia tenemur pluris æstimare maiestatem diuinam, quam vllam omninò creaturam, cum sit inter illas infinita distantia, Vnde quoties occurrit articulus necessitatis, vt aut Deus deserendus sit, aut proximus: tenemur sub peccato mortali relinquere proximum, etiam coniunctissimum, & facere Dei voluntatem. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 2. Syluius *ibid. conclus.* 1. *& secunda*, Becanus 2. 2 *de charitatate cap.* 19. *quæst.* 1.

D. Thom. Syluius, becanus.

Similiter lege charitatis, tenemur Deum magis diligere quàm nos ipsos, quod probatur ex præcepto charitatis, vbi Deus amari iubetur ex toto corde, & ex tota fortitudine, & dicitur esse primum & maximum mandatum. Deinde Deus diligendus est tanquam primum & summum bonum, homo autem non sic potest seipsum diligere, sed solũ vt boni illius particeps fiat, D. Thomas *cit. art.* 3. Syluius *ibid.*

D. Thom. Syluius.

Aduertendum tamen, quòd hæc dilectio Dei super omnia

omnia non dieit, nec requirit actualem comparationem Dei cum rebus ceteris, vt oempe quis expresse statuat, potiùs quolibet malum pati, seu quauis alia re carere, quàm aliquid contra Deum, aut, eius amorem admittere, quia tametsi comparatiuus iste affectus sit sufficiens signum amoris Dei super omnia, non tamen est necessarius, nec adeò semper præsens, quoties Deus amatur super omnia, Vasquez *1.2. disp. 194. n. 14. & 19.* Tannerus 2. 2. *disp. 2. q. 3. dub. 3.*

Vasquez Tannerus.

3 Charitas inter omnes virtutes excellentissima est, & forma reliquarum virtutum, puta fidei, spei, temperantiæ iustitiæ, &c. *Prius probatur*, tum quia est in nobiliori subieto, tum etiam quia modo excellentiori Deum possidet. Patet 1. ad Corinth. 13. *Maior horum est charitas*, & ad Colos 3. *Super omnia hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, tũ quia nobilissimo modo Deũ attingit, quo in hac vita attingi potest, diligens illum propter ipsum, sine vllo respectu ad proprium commodum. *Posterius probatur*, quia in moralibus id vocatur forma, quod dat ordinem ad finem, qui est actuum humanorum obiectum & quasi forma, sed charitas dat actibus aliarũ virtutum ordinem ad finem, imò ipsos ordinat ad finem vltimum, ergo est ipsorum forma Ex quo collige finem duplicem esse, proximum, nempe, qui continet intrinsecã honestatem virtutis, v. g. in fide reuereri authoritatẽ diuinam, &c. & vltimum, qui continet æternam fœlicitatẽ. Charitas itaque non tribuit virtutibus intrinsecam honestatem, quia habent illam ex propria ratione, sed confert illis vim merendi vitam æternam, ac propterea sine charitate possunt, esse verè virtutes, nun tamen viuæ, nec hominis, quatenus is consideratur, sicuti à Theologo considerari debet, cum ordine ad supernaturalem beatitudinis finem D. Thomas 2. 2. *quæst. 23. art. 6. 7 & 8.* Syluius *ibi.* D. Bonauent. *in 3. dist. 36. art. 1. q. 6* Tannerus 2. 2. *disp. 2. quæst. 2. dub. 1. num. 23. 26. & 27.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 1. num. 1.*

D. Thom. Syluius D. Bonau. Tannerus Layman.

4 Controuersia est inter Doctores, quænam opera hominis iusti sint uitæ æternæ meritoria? Quidam enim arbitrantur hominem in gratiam Dei constitutum & habitu charitatis præditum, quibuscumque bonis operibus ex condigno mereri gratiæ augmentum & vitam æternã Ita Vasquez *1. 2. disp. 127. cap. 4.* contra communem. Altera sententia est, quod homo iustus, quibuscumque bonis operibus, ex cõdigno mereatur gratiæ & gloriæ augmentum, modò procedant ex motiuo aliquo supernaturali, v. g. fidei, aut spei Theologicæ, quamuis nullus charitatis actus antecesserit. Ita Suarez *de gratia diuina l. 12. c. 8. & 9. & de fide disp. 6. c. 7. n. 16.* probabiliter. Tertia sententia est, quod primus & vnicus actus charitatis, quo homo se & omnia sua, etiam consequentia opera, in Deũ refert, tanquam summum bonum & vltimum supernaturalem finem suum, sufficiens sit, vt sequentibus bonis operibus in gratia Dei factis, vim merendi tribuat, tametsi ab eo nullo modo, nec elicitiuè, neque imperatiuè procedant. Ita Sotus *lib. 3. de natura & grat. c. 4.* Valent. 1. 2. *d. 8. quæst. 6. p. 3.* Medina 1. 2. *quæst. 114. art. 4.* & hæc sententia est probabilis. Verior tamen & communior opinio est nullum opus hominis iusti meritorium esse gloriæ æternæ, & augmenti iustitiæ in hac vita, nisi vel eliciatur à charitate, vel ab eadem imperetur, atque in Deum uti finem vltimum supernaturalem referatur, siue id fiat per præsentem charitatis actum, quod est actualiter referri, siue, per præteritum charitatis actum, quod est virtute referri, vnde si opus hominis iusti, sit tãtùm moraliter bonum, neq; actu, neq; virtute referatur in Deum tanquam authorem gratiæ, sed ex naturali tantùm ratione uel honestate factum, non est meritorium uitæ æternæ. Quia quamuis eiusmodi opus fiat aliquo modo propter Deum ideò enim habet moralem bonitatem, imò & propter Deũ qui supernaturaliter est cognitus, non fit tamen propter Deum ut authorem gratiæ, sed ex mera naturali uel etiã politica, seu ciuili honestate, atq; adeò per solas uires naturæ, ergo non potest esse meritorium præmij supernaturalis, quale est uita æterna, cũm solis naturę uiribus, nõ possit quis mereri eiusmodi præmium; Ita D. Thomas 1. 2. *quæst. 114. art. 4. & 2. 2. quæst. 23. art. 8. ad 3.* Scotus *in 2. dist. 41.* Bellarminus *lib. 5. de iustific. cap. 15.* Syluius 1. 2. *quæst. 114. art. 4. quæsit. 2.* Layman *lib. 2. tract 3. c. 1. nu. 2* Malderus 1. 2. *quæst. 114. art. 2. dub. 7.* Tannerus 1. 2. *disp. 6. quæst. 6. dub 4. assert. 3.* ex quorum fundamento proximas illationes recensemus.

Vasquez. Sotus Valentia Medina. D. Thom. Scotus Bellarm. Syluius Layman. Malderus Tannerus.

5 Quamuis nullus actus planè rationalis ac deliberatus in indiuiduo indifferens sit, secundùm rationem bonitatis ac malitiæ moralis, vt docent D. Thomas 1. 2. *q. 18. art. 9.* Syluius *ibid.* Durandus *in 2. dist. 40. quæst. 1. & 2.* Layman *cit. num. 4* & alii Doctores citati v. *Actus humanus 4. n. 4. sunt tamen* in homine tum peccatore tum iusto, actiones indifferentes secũdùm meritum ac demeritum vitæ æternæ, vt dictum est *supra*, quando nempe homo opera bona virtutum exercet, sine vlla seu actualiter præsente, seu præterita & virtualiter manente charitatis relatione in Deum, Attamen tum iusti, tum peccatores possunt per opera moraliter bona, de congruo mereri bona, temporalia. Attenta enim Dei bonitate & liberalitate, congruum videtur, quòd operibus moraliter bonis, bonum aliquod reddat eiusdem ordinis, vt significant D Thomas *in qq. disp. q. de miraculis, q. 6. art. 9. & 1. 2. q. 114. art. 10.* Toletus *lib. 4 cap 8. num. 7.*

D Thom. Syluius. Layman. D. Thom. Toletus.

6 Ad promerendum singulis actionibus bonis augmẽtum gratiæ ac gloriæ æternæ, non sufficit homini iusto, quòd principio anni mensis, hebdomadis, diei, totum se Deo ex charitate offerat, cum proposito omnia ad ipsius gloriam operandi, sed necesse est, vt propositum hoc efficax sit, id est, verè causa operum subsequentium existat; cum fieri soleat vt posteà multa agat, non vi eius propositi, sed ex motiuo merè humano, aut etiam moralis solũ honestatis Propterea imperium charitatis virtuale quod requirunt D. Bonauent. *in 2. dist. 41. a. 1. q. 3.* D. Thom. 1. 2. *quæst. 14 art. 4* Syluius *ibid. quæsit. 2. concl. 2.* Layman *cit. num. 5.* Bellarminus *lib. 5. de iustific cap. 15.* Medina 1. 2 *quæst. 114 a. 4.* Tannerus 1. 2. *disp. 6. quæst 6. dub. 4. n. 89.* tanquam necessarium, vt aliarum virtutum actus possint esse meritorii, non est aliud, quàm actus voluntatis, quo ipsa per charitatem informata, & à Deo per gratiam mota illos actus imperat, ipsos ordinando in finem charitatis hoc est, in honorem & gratiam Dei; Hinc omnia quarũcumq; virtutum opera, quæ ab homine iusto fiunt per auxilium gratiæ, possunt dici ex aliquo imperio charitatis fieri, cuncta enim eiusmodi opera non fiunt, nisi volũtate (per charitatem informata, & à Deo per gratiam mota) volente vt fiant, & vel explicitè vel implicitè, ordinante seu referente illa in finem charitatis.

D. Bonau. D. Thom. Syluius Layman. Bellarmi. Medina Tannerus.

7 Nefas est ita diligere Deum propter mercedem vitæ æternæ principaliter & finaliter, vt vita æterna uel constituatur finis omnino vltimus nostræ dilectionis, vel sic propter eam diligamus Deum, ut alias non essemus eum dilecturi. Ratio prioris est, quia Deus debet esse noster finis simpliciter ultimus, quamuis autem nostra vita æterna consistat in Deo sicut in obiecto beatitudinis: ipsa tamen Dei visio, fruitio, & comprehensio non est Deus, sed aliquid creatum. Ratio posterioris, quia cùm Deus sit sũmè bonus, & propter se summè amabilis, debemus eum diligere propter se, etiam dato quod nobis nihil commodi proueniret ex eius dilectione, unde talis amor mercenarius est, cuius ratio finalis ac principalis est, vt merces acquiratur, quare qui ita Deum diligit, plus se, quam Deũ diligit. Tamen fas est Deum diligere propter mercedem vitæ æternæ, tanquam finem minùs principalem & causã impellentem, quia vita æterna est a Deo constituta merces ac finis bonorum operum, juxta illud 1 Petri 1. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum*, Imò de fide est, licere Deo seruire, siue ipsum diligendo, siue alia virtutum opera exercendo, propter mercedem, seu intuitu mercedis æternæ, vt docet & definit Concilium Trident. *sess. 6. c. 11 can. 31. Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, Anathema sit.* Ita Sanchez *li 2. moral. c. 35. n. 3.* Toletus *li. 4. c. 9. n. 4.* Laym. *li. 3. tract. 3. cap. 2. num. 4* Syluius 2. 2 *quæst. 27. a. 3.* Tannerus 2. 2. *d. 2. q. 4. dub. 1. num. 8. & 9.* Nauarrus *in Man. cap 11. n. 20.* Syluester *v. Charitas, quæst. 7.*

Sanchez. Toletus Layman. Syluius. Tannerus Nauar. Syluest.

8 Negant sectarii præceptum de dilectione Dei posse in via impleri, quia quantumcumq; aliquis sit iustus, nõ viuit absq; peccatis venialibus, hæc autem dum committit, non ex toto corde Deum diligit. *Nihilominus de fide*

est,

est præceptum de dilectione Dei posse in hac vita impleri, & quidem ita perfectè, vt præstetur totum id quod a nobis Deus per illud exigit, D. August. *lib. de perfect. iust. resp. ad* 16. D. Thom. 2.2. *quæst.* 44. *art.* 6. Syluius *ibid.* D. Bonau. *in* 3. *d.* 27. *art.* 2. *quæst.* 6. Layman *lib.* 2. *tract.* 3 *cap.* 2. *num.* 5. Valentia *tom.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 19 *part.* 1. Molina *tract.* 5. *de iust. disp.* 59. Quia in Scriptura multi dicuntur impleuisse hoc mandatum, ergo potest impleri Nam de *Dauide* dicit 3. Reg. 14. *quod secutus est Dominum in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu eius.* Ipse etiam *Dauid* dicit de seipso Psalm. 118. *In toto corde meo exquisiui te.* De *Ezechia*, 4. Reg. 20. dicitur quod *ambulauerit coram Deo in veritate & corde perfecto.* Quare nobis viatoribus non præcipitur, vt semper sine intermissione simus quasi absorpti in Deum (nam hoc reseruatur patriæ) sed vt non violemus amicitiam diuinam, seruantes mandata, quæ obligant sub peccato mortali, vt ipse Dominus interpretatur *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Licet enim iustus qui venialiter peccat, non diligat Deum, illo ipso actu quo peccat, non tamen est transgressor huius præcepti, quia habitualiter diligit Deum ex toto corde, cum ipsum pro fine vltimo retineat, nihilque admittat quod habitualem eius dilectionem excludere possit.

D. August. D. Thom. Syluius. D. Bonau. Layman Valentia. molina

9 Præceptum charitatis continet affirmationem & negationem, affirmationem principaliter, quia nimirum vult elici actum amoris supernaturalem: Negationem secundariò, quia vetat quidquid hanc dilectionem euertit, vt sunt omnia peccata mortalia. Et ratio est, quia omne præceptum affirmatiuum virtualiter prohibet quidquid impedit executionem operis præcepti, nam qui præcipit finem, præcipit & media necessaria ad finem. Quatenus igitur hoc præceptum negatiuum est, de non odiendo Deo, nihilque agendo, quòd eius dilectioni & amicitiæ contrarium sit, semper obligat, & ad semper, quia nunquã licet odisse Deum, Syluius 1.2. q. 100. *art* 7. Tolet. *lib.* 4. *c.* 9. *n.* 6. Bonacina *tom. disp.* 3. *quæst.* 4 *part.* 2. D. Thom. 1.2. q. 100. *art* 1. *ad* 2. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2 *n.* 6.

Syluius Toletus. Bonacina. D. Thom. Layman

De præcepto autem affirmatiuo de Deo super omnia diligendo, quando obliget, varii variè sentiunt. Quibusdam enim videtur hoc præceptum esse implendum diebus festis Ita Scotus *in* 3. *dist.* 27. Angelus, Tabiena, *v. Feria.* Sed hoc, quia nulla firma ratione nititur, ex communi sententia reiicitur. Item dum Baptismus suscipitur, vel singulare beneficium à Deo confertur. Ita Valentia *cit. quæst.* 19. *punct.* 1. Sotus *lib.* 2. *de iustit. quæst.* 3. *art* 10. Nauarrus *in Man. cap.* 11. *num.* 7. Sed hoc velut sine sufficienti ratione dictum, ab aliis non recipitur. Sufficit enim ab Baptismũ attritio, & pro beneficio, gratiarum actio. Item quando honor Dei, aduersus blasphemantes defendendus est. Sed cùm is actus ad religionem spectet cur actum illum amoris exigat, non apparet unde in eo euentu potius virtus religionis obligat, quam virtus charitatis.

Scotus Angelus. Tabiena

Dicendum ergo est per se obligare, Suarez *tom.* 3. *disp.* 69. *sect.* 3. Syluius 2.2. *quæst.* 44. *art.* 6. *quæsit.* 3. Henriquez *lib.* 4. *de pænit. cap.* 3. *§.* 4. *& lib.* 8. *cap.* 4. Filliucius *tract.* 22. *cap.* 9. *quæst.* 8. Diana *part.* 5 *tract.* 14. *resol.* 105. *Primò*, in articulo mortis, quia tunc non amare Deum, quando & eius amor maximè necessarius est ad se muniendum pro fœlici exitu, ad contemptum pertinet. *Secundò*, quando primum post rationis vsum quis animaduertit rationes, quibus ad amandum Deum super omnia, suaque omnia ad Deum referenda meritò moueri potest, aut sanè paulò post. Ratio est, quia vtroque hoc tempore, opus est, vt affectus cum Deo vniatur, præsertim quãdo eodem tempore simul obligat præceptum perfectæ contritionis. *Tertiò*, certum est etiam hoc præceptum sæpius in vita per se obligare, quamuis incertum sit, quibusnam præcisè temporibus obliget. Propterea prudenti iudicio opus est ad iudicandum, an per nimis longum tempus fuerit quis sine Dei dilectione, vt tradit Bannez 2.2. *quæst.* 44. *art.* 1. *dub.* 1 Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 2. Sà *v. Charitas, nu.* 1.

Suarez. Syluius henriq. Filliucius. Diana.

Hoc præceptum per accidens obligat, quando actus ille dilectionis Dei super omnia, ad aliud quoddã opus, vel alterius virtutis actum exercendum necessarius est, Sãch. *lib.* 2. *moral. c.* 35. *num.* 9. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 4. *part* 2. *n.* 2. Filliucius *tract.* 22. *cap.* 9. *quæst.* 9. Puta quando est periculum mortis spiritualis, vel tempus est vsus Sacramentorum actiuè & passiuè, quæ requirunt hominem in gratia, vel quando est tempus in quo quis obligatur ad habendam contritionem, vel in quo quis obligatur ad exercendum aliquod opus ex præcepto, v.g. si martyrium subeundum esset. Aduertit tamen Syluius *c. quæsit.* 3. in his casibus hoc præceptum vel omninò non obligare vel nõ obligare per se, sed ratione alterius, ac proinde eius omissionem non esse peccatum speciale. Ita etiam tenet. Tannerus 2.2 *disp.* 2. *quæst* 4. *dub.* 4 *num.* 83.

bannez azorius Sa Sanchez. bonacina Filliucius Tannerus.

10 Quandoquidem probabile sit præceptum charitatis & dilectionis Dei obligare paulò post vsum rationis, vt dictum est, quando scilicet quis aduertit, & secum reputat rationes quas habet amandi Deum super omnia ei seruiendi, & sua omnia ad eius gloriam referendi, vt colligunt Sotus *lib.* 1. *de natura, & gratia cap.* 22. Nauarrus *cap.* 11. *num.* 8. Bannez 2.2. *quæst.* 10. *art.* 1. *dub.* 2. & alii ex D. Thoma 1.2. *quæst.* 89. *artic.* 6 *ad* 3. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap* 2. *num.* 6. Ideò Parentes, Parochi, confessarii pueros ac rudes admonere debent, vt cogitent à quo creati, & cur in hoc mundo positi sint, nimirum, vt Deo rerum omnium auctori ac Domino seruiant, ad ipsum tanquam finem suum actionibus tendant, cui in perpetuum vniti esse debent.

Sotus nauarrus bannez D. Thom. Layman

11 Secundùm D. Thom. 2.2. *quæst.* 25. *art.* 12. D. August *lib.* 1. *de doctrina Christ. cap.* 23. *&* 26. Syluius Malderus. *ibid.* Layman *lib.* 2. *tract* 3. *c.* 3. *num.* 1. Richardus *in* 3. *dist.* 28. *art.* 1. Gabriel *ibid. q. vnica* Tannerus 2.2. *disp.* 2. *quæst* 3 *dub.* 1. *num.* 5. Filliucius *tract.* 28. *num.* 8. quatuor ex charitate nobis diligenda sunt, hoc ordine, primum est supra nos Deus; Alterum sumus nos ipsi. Tertium est iuxta nos, proximus. Quartum est infra nos, corpus hominis, quia charitatis amicitia fundatur super communicatione beatitudinis, vnum consideratur vt eius principium, scilicet Deus, secundum vt directè illam participans tanquam vnum nobiscum, & hoc est nosipsi secundùm animam, tertium vt directè participans tanquam nobis consociatum in beatitudine, & hoc est proximus; quartum, vt beatitudinem participans non directè, neque per modum consociationis, sed per redundantiam, & hoc est corpus nostrum. Ordo autem diligendi ex charitate ita obseruandus est, vt quisque, *Primò* omnium ac maximè diligat Deum tanquam fundamentum & causam omnis bonæ ac ordinatæ dilectionis. *Secundò*, seipsum secundùm bona spiritualia. *Tertiò*, proximum secundum bona spiritualia. *Quartò*, seipsum secundùm bona corporis. *Quintò*, proximum secundum bona corporis, deinceps seipsum ac proximum secundùm externa bona.

D. Thom. D. August. Syluius. malderus. layman. Richard gabriel tannerus. Filliucius

An autem dilectioni corporis non repugnet castigatio eius moderata & rationabilis? Respond. negatiuè, quia corpus est instrumentum spiritus ad procurandam salutem, ac proinde ita gubernari debet, sicut expedit maximè ad consequendum finem nostrum; Sic Apostoli & omnes sancti fecerunt, non odio moti in corpus, sed potius desiderio salutis eius. Imò hec carnis castigatio subinde ad verum corporis amorem spectat, sicut ad amorem filii debita disciplina, D. Thomas *cit. artic.* 5. Syluius, Malderus *ib.* Tannerus *cit.* num. 5. & alii.

D Thom. Syluius. malderus Tannerus

12 De fide certum est, proximum, id est, homines capaces beatitudinis, siue iusti sint, siue iniusti, fideles, aut infideles, amici aut inimici diligendum esse, vt patet Deuteron. 5. *Diliges proximum tuum sicut seipsum*, & Ioannis 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, Hic tamen amor non excludit odium sanctum erga peccatores, quà tales sunt, quia in peccatoribus duo possunt considerari & quod sunt homines. & quod peccatores; quatenus homines, hoc est, secundum naturam quam à Deo habent capacem æternæ beatitudinis, debemus eos diligere, quatenus peccatores, non debemus eos diligere, sed odisse, nam culpa secundum quam dicuntur peccatores contrariatur Deo, & est impedimentum beatitudinis, & hoc ipsum, odisse peccatorem, vt peccatorem, id est odisse peccatum eius, ac nobis displicere quod peccet, est charitatis, nam ex amore proximi prouenit odium illius, quod ei malum est. D. Thomas 2.2. *quæst.* 25. *art.* 6. & 1. Syluius, Malderus, *ibid.* Reginaldus *lib.* 17. *n.* 99. Azorius 2. *part. lib.* 12. *cap.* 5. *quæst.* 5. Filliucius *tract.* 28. *cap.* 1. *n.* 15.

D. Thom. Syluius Malderus. Reginald. Azorius

num.15. Layman *lib*.2. *tract*.3.*cap*.4.*num*.1. Bonacina *tom*.2. *disp*.3. *quæst*.4. *part*.3. *num*.1. Toletus *lib*.4.*cap*. 21. *num*.1. & alii.

Layman. Bonacina. Toletus.

13 De necessitate charitatis est,ut inimici diligantur, in quantùm homines sunt,capaces, scilicet, æternæ beatitudinis, Certum est etiam in veteri lege obligasse præceptum de diligendis inimicis, licet non fuerit ita clarè explicatum,sicut in noua, nihil enim est in veteri, nisi de ope ferenda inimico in necessitate,aut de non expetenda uindicta,aut de non gaudendo super ruina eius, in noua autem absolutè & expresse dicitur diligendos esse inimicos corde,benefaciendum eis opere, iuxta illud Matth 5. *Diligite inimicos vestros,& benefacite his,qui oderunt vos.* Orandum pro eis ore.*Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, Vnde hoc præceptū diligendi inimicos est naturale,non positiuum, ac proinde in omni lege locum habuit.Ratio est,quia contra rectam rationem est, odisse naturam propter culpā,& opus Dei, propter opus hominis,vt colligitur ex illa regula Tobiæ 4. *quod ab alio oderis fieri,vide ne tu aliquando alteri facias.* Confirm. ex communi sententia Theologorum, qui docet in lege Euangelica,nullum esse præceptum positiuum, præter præcepta fidei,& Sacramentorum. Ita D. Thomas 22.*quæst*.25. *art*.8. Syluius, Malderus, *ibid*. Bonacina *c. num*. 2. Layman *cit.num* 1. D.Bonau. *in* 3.*dist*.28.*art*.1. *quæst*.3. Valentia *tom*.3.*disp*.3 *quæst*.3.*part*.2. Filliucius *c num*.15.

D. Thom. Syluius. Malderus. Bonacina. Layman. D. bonau. Valentia. Filliucius.

Quomodo autem inimici sint diligendi,dicendum est, *Primo*, peculiari beneuolentia inimicos prosequi, consilium esse non præceptum, quia non tenemur eos magis diligere,quam alios proximos,vnde sufficit, vt eos à communi affectu non excludamus. Quamquam perfectionis sit ita se superare,vt etiam singularem beneuolētiam illis impendamus, exemplo Christi Domini qui pro suis crucifixoribus orauit. *Secundo* signa & argumenta dilectionis communia, necessariò debent inimicis exhiberi, non autem specialia,nisi in præparatione animi,aut reipsa in casu necessitatis. Ratio est,quia uidelicet sufficit,vt dictū est,eos communi proximorum loco habere,nec excludere eos à communibus beneficiis. Ita D. Thom. *cit. art*.9. Syluius *ibid.concl*.1.2. & 3. Caietanus, Malderus, *ibid*. D. Bonau. *in* 3.*dist*.30,*art*.1.*quæst*.5. Nauarrus *in Man. cap*.14. *num* 25. Toletus *lib*.4.*cap*. 10. *num*.9. Tannerus 2.2.*d*.2.*quæst*.3.*dub*.1 *num*.6. & 9.

D. Thom. Syluius. Caietan. Malderus. D. Bonau. Nauar. Toletus. Tannerus.

Vnde per se loquendo non tenemur salutare inimicum cùm nobis occurrit,tamen ratione scandali vitandi, vel quando speratur ipsius reconciliatio, & depositio odii per salutationem,teneremur inimicum salutare aut alloqui familiariter. Ratio est quia quilibet tenetur scandalū & proximi ruinam euitare,quoties potest absq; suo graui detrimento, extra quem casum nulla esset obligatio salutandi, cùm salutare sit speciale signum beneuolentiæ, quod non tenemur erga alios exhibere, Bannez 2.2.*quæst*. 5 *disp*.1. Layman *lib*.2.*tract*.3.*cap*.4. *num*.2. Syluester *v. Charitas,quæst*.6. Nauarrus *cit.num*.25. Reginaldus *l*.17. *num*.124. Filliucius *tract*. 28. *cap*.1. *num*.19. & *seq*. Syluius *cit. in concl*.2. & alii.

Bannez. Layman. Syluest. Nauarr. Reginald. Filliucius. Syluius.

14 Qui inimicum salutantem non resalutat, mortaliter peccat,quoties notabilis cōtemptus existimatur spectata circumstantia temporis, loci,personarum, & consuetudine patriæ,&hoc verum,si ille qui salutatur ab inimico,non sit longè superioris conditionis, quia regulariter sequi solet magna contristatio in eo,qui sibi salutāti cognouit salutationem denegari. Si verò est longe superioris conditionis,vt si Prælatus,vel Pater, vel nobilis respectu plebei,non videtur peccare mortaliter,non resalutando,quia respectu illius, denegatio salutationis non adscribitur contemptui,nec inde scandalum oriri uidetur, Malderus 2.2.*quæst*.25.*art*.9.*ad finem*, Reginaldus *lib*.17. *num*.123. Monet tamen Syluius 2.2.*quæst*.25.*a* 9.*concl*.2. *ad fin*. Filliucius *cit.num* 21. Bonacina *tom*.2 *d*.3.*quæst*.4. *part*.3.*num*.4. Syluester *v.Charitas*,*q*.6.cauendum ne in annos,imò nec in multos menses differat Superior,Pater aut nobilis resalutationem,seu signū aliud beneuolentiæ, partim ne exasperet ac obduret eum quē uoluit, ad emēdationem inducere,partim ne affectu odii facere conuincatur, quod prætexebat se bono fine facere, vide Layman *cit. num*.4.

Malderus. Reginald. Syluius. Filliucius. Bonacina. Syluest. Layman.

An autem peccet mortaliter,qui pluribus simul occurrens,omnes salutat præter inimicum? Affirmant Syluest. *cit. quæst*.6. Filliucius *cit. num*.21. Bannez 2. 2 *quæst*. 25. *art*.9. Bonacina *cit.num*.4. quia in tali euentu negare videtur signum uniuersale charitatis & uidetur adesse notabilis contemptus aut scandalum Veruntamen etsi frequenter ita accidat,nihilominus bene poderanda est magnitudo scandali & intentio personæ, ut docent Lorca 2. 2.*quæst*.25.*art* 9.*sect*.3.*disp*.25.*memb*.3.*num*.3. & post illum Syluius *cit.concl*.2. si enim uel nullum uel parum sit scandalum,& persona non ex odio,sed in significationem grauaminis quod accepit, vt alter deinceps meliùs caueat ipsum offendere, hoc agit, non uidetur saltem mortaliter peccare, & huic sententiæ uidetur adhærere Diana *p*.3.*tract*.1.*resol*.62.

Syluest. Filliucius. Bannez. Bonacina. Lorca. Syluius. Diana.

15 Lege charitatis tenemur proximo remittere iniuriam,maximè ueniam petenti. Nota tamen in hoc negotio tria posse considerari, *maleuolentiam*, *signa maleuolentiæ*, *damnum*, *vel iniuriam illatam*. *Primum* est necessariò remittendum, hoc est, odium nunquam est admittendum in cor nostrum, vel si irrepserit, statim est eiiciendum, iuxta illud. Matth 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. *Secundum*, tunc est necessarium,quando ex huiusmodi omissione,prudenter colligeretur odium & inimicitia,vt si quis ex animo veniam petenti, nollet condonare, aut signa beneuolentiæ ostendere, quod est contra illud Lucæ 17. *Si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens, pœnitet me,dimitte ei*. *Tertium* non est necessario remittendum, quia licet vnicuique ius suum legitimè persequi & petere satisfactionem, vel restitutionem. Cauendum tamen est, ne proximus nimiū prematur, neue cùm magno suo detrimento, cogatur exiguo damno satisfacere, id enim esset contra charitatem. Dixi, *maximè veniam petenti*, quia si non petat, non teneor saltem sub mortali peculiaria beneuolentiæ signa illi ostendere, aut illum mihi reconciliare. D. Thomas 2.2.*quæst*.83.*art*.8.*in corp*. Syluius 2.2.*quæst*.25.*art*. 9. *in concl*.3. Syluester *v. Charitas*, *quæst*. 6. Bannez *cit. dub*.4. Valentia *tom*.3.*disp*.3.*quæst*.3. *part*.2. Layman *lib*. 2.*tract*.3.*cap*.4.*num*.3. Bonacina *cit. num*.5. Toletus *lib*. 4. *cap*. 10. *num*.12. Tannerus 2. 2. *disp*.2. *quæst*. 3. *dub*.1. *num*. 8. & 10. Filliucius *cit.num*. 21. Nota tamen circa hæc externa reconciliationis signa, nec eadem, nec eodem modo omnibus esse exhibenda, alia enim filius patri, seruus Domino, plebeius nobili, alia pater filio, Dominus seruo, nobilis plebeio exhibere debent, quamuis semper requiratur, vt sufficienter ostendant animum beneuolum, & compensationem iniuriæ illatæ, ac propterea prudenter consideranda est qualitas iniuriæ, & conditio personarum, vide P. Nauarr. *lib*.2. *de restit. c*. 4. *num*.102.

D. Thom. Syluius. Syluest. Bannez. Valentia. Layman. Bonacina. Toletus. Tannerus. Filliucius. P. Nauarrus.

16 Satis probabile est læsum non teneri actionem coram iudice intermittere, etiamsi inimicus veniam humiliter petat, & satisfactionem sufficientem offerat pro iniuria illata. Ratio est, tum quia pari causa nemo tenetur suum commodum commodo proximi,etiam amici,postponere, tum quia non tenetur magis hanc satisfactionē, quam aliam acceptare,vnde læsus deposito odio, & præcito graui lædentis damno petere potest à Iudice, vt sibi compensatio iuridicè fiat. Ita Valentia *cit. p*. 3. Reginald. *lib*.17.*cap*.12. *numer*.116. Tannerus *cit.dub*.1. *num*.10.

Reginald. Tannerus.

In praxi tamen contrarium est consulendum, nisi necessaria sit iudicis actio ad cōsulendum, honori vel damno illius qui læsus fuit,tum quia pauci actionem iniuriarum prosequuntur,deposito omni odio,& vindictæ affectu, tum quia hoc est conforme consilio Christi. *Si quis te percusserit in maxillam*, &c. Ita Syluester *v. Charitas* *q*.6. Malderus *cit.a*.9.*ad finem*, Filliucius *tr*.28. *num*. 25. Syluius *c.a*.9.*in concl*.3. Layman *li*.2.*tr*.3.*c*.4.*n*.3. & hæc sententia maximè est suadenda quando agitur de satisfactione per pœnam capitis, abscisionem membri vel aliā similem,ex qua nihil emolumenti prouenit læso,quia vix est quod tunc exigatur absque appetitu vindictæ: In casu tamen quòd familia offensi maneret infamis, licet pœnā iuridicam exigere, si id necessarium sit, ad tollendam infamiam, quod etiam admittit Tannerus *cit. num*. 11.

Sylueſt. Malderus. Filliucius. Syluius. Layman. Tannerus.

17 Quando duo iniuriam sibi inuicem intulerunt, per se loquendo, & cæteris paribus, ille priùs tenetur veniam petere & reconciliationem, qui priùs offendit, quia is qui prius lęsus fuit, acquisiuit ius petendæ satisfactionis, & sic æquitas, & iustitia postulare videtur. Per accidens tamen fieri potest vt non teneatur; puta si titulo compensationis iniuriam alteri illatam resarcire nolit, præuidens fore, quod petita venia, & data satisfactione alter nolit eam sibi reprehendere, vel si cætera non sint paria, puta, qui longè superioris est conditionis, vel delicta non sint paria. Azor. 2. *part. lib.* 12 *quæst.* 10. *cap.* 3. Reginald *lib.* 17. *n.* 125. Nauarrus *in Man. cap.* 14. *n.* 25. Filliucius *tract.* 28. *num.* 27 & alii.

Azorius. Reginald. Nauar. Filliucius.

18 Lege charitatis non tenemur vitam exponere pro salute proximi, nisi in extrema necessitate. Est sententia communis, quia non tenetur homo summum bonum corporale amittere, nisi proximi salus versetur in extremo discrimine, alias lex illa nimis esset dura, nec ab omnibus promiscuè obseruari posset: tunc autem censetur quis esse in extrema necessitate spirituali, quando sine nostro auxilio non potest saluari, v. g. si infans sit proximus morti, & nisi succurram, sit moriturus sine Baptismo. Nota tamen eos qui ex malitia se exponunt periculo æternæ damnationis, non censeri in extremo discrimine, ut qui vadunt ad bellum iniustum, qui ineunt duellum, &c. quia facilè possunt aduertere suam necessitatem, & ab ea se liberare. Ita Doctores hic citati. D. Thomas 22. *quæst.* 26. *art.* 5. *ad* 3. Syluius *ibid. concl.* 1. Malderus *ibid. assert.* 1. & 2. Nauarrus *in Man. cap.* 24. *nu.* 10. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 3. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 24. Bannez 2. 2. *qu.* 26. *art.* 5. Arragon. *ibid.* Tannerus 2. 2. *d.* 2. *quæst.* 3. *dub.* 4. *n.* 60. Filliucius *tract.* 24. *n.* 35. quorum sententiæ aduersatur Sancius *in selectis disp.* 10. *num.* 6. docens, nos teneri ob propriam vitam conseruandam damnum spirituale proximo non inferre, non autem illud impedire, nisi intercedat commendatio. Vnde Doctores indistinctè loquentes de obligatione diligandi vitam spiritualem proximi, post habita propria corporali, aberrant sanè, & quod ipsi nequaquã exequerentur, cæteros exequi obnoxios esse docent. Ita ille, cui adde Emmanuelem Sà *v. Charitas num* 4. Alioqui & mater grauida teneretur permittere se secari vt fœtus baptizaretur, alias sine Baptismo moriturus, quod nemo dicet. Hæc sententia est probabilis.

D. Thom. Syluius Malderus. Nauar. Valentia Diana Bannez Arragon. Tannerus. Filliucius Sancius

Eman. Sa

Episcopi, Parochi, & quibus ex officio incumbit cura animarum, tenentur ex iustitia, nõ tãtum in externa, verũ etiã in graui ouiũ suarũ necessitate exponere se mortis periculo, si aliter succurrere non possint; iuxta illud Ioannis 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis*. Ratio est, quia ipsum officium, Parochos obligat vt ouibus suis, verbum Dei, & Sacramenta administrent, pręsertim quando illis tantopere est necessarium; ideò enim stipendia ab Ecclesia accipiunt, & consequenter suscipiunt hanc obligationem. Ex vi etiam diuini præcepti Parochi, & præsertim Episcopi iubentur pascere commissum sibi gregem, etiam cum vitæ periculo. Grauis autem necessitas est, quando proximus, potest quidem absolutè, sine ope nostra saluari, ægrè tamen & difficulter, vt fieri solet tempore pestis, persecutionis, hæresis, &c. quo multi moriuntur, sine confessione, Eucharistia, Extrema vnctione, nisi tu per te vel per alium succurras, quamuis enim aliquis absolutè possit saluari, sola contritione cum uoto Sacramenti, hoc tamen plerisque è uulgo tam difficile est, vt plurimi damnentur; nisi Sacramenti remedium succurrat. Vide Bonacinam *tom.* 2. *disputat.* 3. *quæst* 4. *part.* 4. Syluium *cit. quæst.* 25. *art.* 5. *concl. secunda.* Layman *lib.* 2. *tract. tertio capite* 3. *numer.* 3. Reginald. *lib.* 4. *cap.* 25. *nu.* 136. 348. & 357. Ioann Chapeauille *c.* 1. *quæst.* 4. Malderum *cit. art.* 5. *Assert.* 2. Tabienam *v. Episc. q.* 5. Tannerum *cit. dub.* 4. *num.* 64. & 65. Filliuc. *tract.* 28. *num.* 36. Diana *part.* 5. *tr.* 13. *res.* 23. & 24. & alios.

Bonacina Syluius Layman Reginald. Chapeauil. Malderus Tabiena Tannerus Filliucius Diana

Porrò ex præcepto charitatis tenemur subire aliquod damnum temporale, vt liberemus proximum à graui necessitate spirituali. Ratio autem sumitur ex ordine charitatis, quia enim salus æterna summum locum obtinet, bona temporalia infimum, propterea charitas dictat, dispendium aliquod infimi boni subeundũ, ut summum proximo procurare possimus. Quantum autem exponendum sit, prudens vir spectatis circumstantiis iudicabit. Aduertendum tamen quòd in his omnibus, diligenter conferenda sit magnitudo periculi, cum certitudine fructus, si enim certa sit spes salutis proximi, etiam cum vitæ periculo tibi est procuranda, si spes sit dubia, & periculum certum, non teneris: similiter si non constet, an sit extrema necessitas; si spes sit dubia & periculum dubium, teneris; nam sicut in pari certitudine, ita in pari dubio salus proximi est procuranda, Malderus *cit. Assert.* 2. Tannerus *cit. n.* 66. Syluius *cit. concl.* 2.

Malderus. Tanner. Syluius.

19 In bonis temporalibus, vita, fama, fortunis, licitum est & honestum diligere magis proximum quam seipsum; hæc conclusio in fama & bonis externis satis certa videtur, ex Prouerbiis. c. 12. *Qui negligit damnum propter amicum iustus est.* Cùm enim homo sit horum Dominus, potest cedere iuri suo, & ex rationabili causa, videlicet proximi iuuandi neligere, Syluius 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. *quæsit.* 3. *concl.* 1. Tota controuersia est de vita, vtrum liceat se exponere morti ad seruandum amicum; nam D. Augustinus *lib. de Mendacio ad consentium, cap.* 6. dicit hoc excedere regulam sanæ doctrinæ, & sunt argumenta non contemnenda, quę probare videntur hoc esse illicitum, id que defendit P. Nauarra *lib. de restitut. cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 41.

D. Aug.

Nihilominus communis sententia est in contrarium, vnde dicendum videtur honestum esse & laudabile, vitam ponere pro amico, modò adhibeantur quædam conditiones. *Primo*, ne vita ponatur pro vita, fama pro fama, bona pro bonis, nihil aliud spectando, quam ut proximus indemnis seruetur, id enim inordinatum est, & contra inclinationem naturalem, nam si comparemus vitam cum vita, famam cum fama, &c. secundum rectam rationem, bonum meum mihi est præferendum, vnde dici solet quęque sibi proximum, & charitatem incipere à seipsa, quòd si comparemus vitam cum honestate uirtutis, iam apparet, me mihi magis consulere, quam amico, cùm ipsi conseruem bonum corporale, mihi autem comparem spirituale. *Secundè*, ut ego non sim aliis magis necessarius vel utilis, quàm proximus, uel aliis obstrictus, vt qui pater qui habet multos liberos; ut persona publica, uel qui potest iuuare animas, &c. *Tertio*, ne sim in statu peccati mortalis, aut probabiliter dubitem, tunc enim nullo modo possum me exponere periculo mortis. *Quartò*, sæpe meliùs erit omnibus consideratis, se non exponere pro altero, nisi in casu necessitatis, seu obligationis; Hinc pro sola honestate amicitiæ præsertim humanæ, sepe non erit prudentiæ uitam exponere, & sic conciliari possunt diuersę Authorum sententiæ, & contraria argumenta dissolui. Ita D. Thomas *in* 3. *d.* 29. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 3. & 2. 2. *quæst.* 26 *art.* 4 *ad* 3. Bannez 2. 2. *quæst.* 26. *art* 4. *dub.* 2. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 1 *art.* 6. Syluius 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. *quæsit.* 3. *concl.* 3. Clauis Reg *lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 12. 13. 14. & *seq.* Lessius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 6. *num.* 29. & *seq.* Molina *tract.* 3. *de iustit. disp* 14. & 18. Victoria *relect. de homicid. ad* 5. *num.* 27. Bonacina *tom.* 2. *d.* 3. *quæst.* 4 *part.* 4. *numer.* 6. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 3. Malderus 2. 2 *quæst.* 26. *art.* 5. Toletus *l.* 5. *cap.* 6. *num.* 10.

D. Thom. Bannez. Sotus Syluius. Cl. Regia. Lessius. Molina Victoria Bonacina. Valentia Malderus. Toletus.

20 Ad impediendam spiritualem æternam damnationem iniusti aggressoris, cùm illum occidere iure possis, potiùs permittere, ac tolerare mortem propriam corporalem, & sinere se occidi, abundantioris charitatis opus est, nec hoc est seipsum occidere, sed non conseruare vitam quando non tenetur, Caietanus 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. Syluius *ib. quæsit.* 1. Salon *ibid. art.* 5. P. Nauar. *l.* 2. *cap.* 3. *n.* 46. Victoria *cit. n.* 24. Toletus *l.* 5. *cap.* 6. *num.* 10. Syluest. *v. bellum* 2. *q.* 3. Molina 2. *disp.* 14. Ratio est, quia tunc non pro corporali vita inuasoris se morti committit, sed pro spirituali, cum cõstet illum esse in peccato, mortali quod si occidatur fore damnandum. Cùm enim in hoc casu obiectum sit præstãtius, dici non potest prodigalitas vitæ propriæ, sed magnus actus superabundantis charitatis, id quod patet exemplo Christi Domini. Aduerte tamen si inuasus esset persona publica, & Reip. vel aliis multùm vtilis & necessarius, & non esset talis ille inuasor, tunc teneretur se defendere etiam occidendo, vt adnotat Syluius cum aliis hic citatis.

Caiet. Syluius. Salon P. Nauar. Victoria Syluest. Toletus

21 Quamuis, iuxta dicta, extra necessitatem extremam spiritualem proximi non teneamur ex charitate proximo subuenire cum periculo vitæ aut cum notabili damno

famæ

famæ aut facultatem excipienda est tamen necessitas cõmunitatis, cui subueniendum est, non solum quando est extrema, sed quando grauis existit. Ratio est, qui bonum spirituale communitatis præponderat bono priuato, consequenter illi subueniendum est cum periculo vitę modo necessitas sit grauis, ita vt illa communitas, non possit sibi aliunde prouidere absque magna difficultate, vt si hæreticus peruertat plebem sua falsa doctrina, & nullus sit ad resistendum idoneus præter te, quamuis sis priuatus, teneris cum vitæ periculo resistere, partim propter bonum commune totius, partim quia talis necessitas reipublicæ non est absque necessitate extrema multorum priuatorum. Si verò necessitas communitatis non est grauis, sed leuis tantùm, non tenemur illi cum tanto periculo subuenire, quia cuilibet competit ius tuendi vitam, & propria bona, dicitur autem leuis necessitas quando communitas absque magna difficultate sibi prouidere potest, Tannerus 2.2. *disp.* 2. *q.* 3. *dub.* 4. *num.* 63. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 4. *punct.* 4. *num.* 5. Syluester 2.2. *q.* 26. *a.* 5. *in concl.* 2. Filliuc. *tr.* 28. *c.* 2. *n.* 38. Malderus 2.2. *q.* 26. *a.* 5. *assert.* 2. Nauarrus *in man. c.* 14. *n.* 10.

Tannerus. Bonacina. Syluest. Filliucius. Malderus. Nauarrus

22 In carnali coniunctione hic ordo charitatis seruãdus est in his quæ pertinent ad naturam, vt *Primo loco* diligatur Pater, Mater *Secundo*, vxor. *Tertiò*, filii, si agatur de quantitate amoris obiectiua, & appretiatiua, si de intensiua, contrarius ordo communiter seruatur. Probatur prior pars, quia nullum beneficium, cum beneficio parentum comparari potest, per quos naturam nostram consecuti sumus. Hinc proximum locum obtinet vxor, quia diligitur vt socia, & cũ principium filiorum, postremum filii, quia diliguntur vt communis effectus. Probat. posterior pars quia filius diligitur vt aliquid parentis, imò tanquam alter parens, in quo nempe post mortem sit victurus, & quamdam immortalitatem habiturus. Similiter vxor diligitur, vt vna & eadem caro cum coniuge. Ex hac autem coniunctione & familiari abiectorum cognatione nascitur intensio & ardor amoris, qui communiter non est tantus erga parentes. *Quarto loco* diligendi sunt cæteri consanguinei, ita vt coniuntiores præferãtur aliis *Quinto loco* non consanguinei, & cæteris paribus præferendus est vir iustus peccatori, quia, quò quis Deo coniunctior est, eò magis diligi debet obiectiue, nempe vt velimus ipsi plura, & maiora bona, talis enim dignior est huiusmodi bonis, maiusque ad illa ius habet, D. Thomas 2.2. *q.* 26. *art.* 8. 9. 10. & 11. Syluius, Malderus *ibid.* Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 6 Reginald. *lib.* 4 *n.* 305. & *seq.* Filliuc. *tr.* 28. *cap.* 2. *q.* 9. Bonacina *c. punct.* 5 *num.* 2. Arragon, Baonez 2.2 *q.* 26. *art.* 9. Valentia *tom.* 3. *d.* 3. *q.* 4 *part.* 4. Tannerus 2.2. *d.* 2. *q.* 3. *dub.* 5. *num.* 83. 85. & 86. Diana *p* 5. *tract.* 14. *res.* 93.

D. Thom. Syluius. Malderus. layman Reginal. Filliucius. Bonacina. Arragon Bannez. Valentia. Tanner. Diana.

Quale autem peccatum sit, peruersio ordinis quoad ubueniendum Patri, Matri, vxori, vel filiis, dicendum est videri tantùm ueniale, tum quia sunt opiniones vtrimq; probabiles, tum quia reuera excessus non est notabilis, propter exiguam inter has personas distantiam, vt docét Tannerus, Bonacina, & Filliucius hic citati. Diximus, *in his quæ pertinent ad naturam* quia cum præter coniunctionem sanguinis adhuc sint aliæ; (quidam enim coniunguntur ratione eiusdem patriæ, & dicuntur conciues alii ratione militie, & sunt commilitones, alii ratione professionis vitæ, vt religiosi) vnusquisque in suo genere est maximè diligendus, & præferendus aliis, in iis quæ ad istã coniunctionem spectant, v.g. in iis quæ pertinent ad ciuilem conuersationem, plus diligendi sunt conciues, in bellicis, commilitones, in his quæ ad religionem, religiosi *Porrò* quæ dicta sunt intelligenda sunt per se, & cæteris paribus, adeòque respectu eiusdem necessitatis & gradus licet in diuerso coniunctionis genere, potius enim extraneo in extrema necessitate quam consanguineo in leuiore, & in spirituali extrema cuiuis proximo potiùs quàm parentibus etiam in extrema corporali subueniendum est, vt adnotant præcitati Doctores, post D. Thom. *cit. a.* 10. & *quæst.* 31. *art.* 3.

D. Thom.

23 Etsi vnusquisque teneatur proximum diligere, nulli malum volendo ut malum est, eò quòd ad rationem amicitiæ pertineat, velle bonum iis ad quos est amicitia, licitum tamen est optare malum temporale alicui, vel ob spiritualem emendationem ipsius, vt si quis esset superbus & incorrigibilis liceret desiderare illi infirmitatem, vel pecuniarum amissionem per quam probabiliter sperari possit ipsius correctio. Vel ob bonum spirituale communitatis & aliorũ, vnde licet hæreticis desiderare mortem temporalem, exilium, ne alios secum perdant, vel ad conseruationem iustitiæ, ut peruersis hominibus comprehensis à Iudice licet desiderare suspensionem, vel certè vt minus peccent & leuiùs damnentur, huiusmodi .n. non sunt intrinsecè mala, & possunt esse media opportuna, tum ad maius malum vitandum, tum ad bonum aliquod consequendum, vnde non fiunt ex displicentia personæ, hoc enim esset contra proximi dilectionem, & ideò malum, Et ideò desiderium illud & gaudiũ de malo proximi, non tam est desiderium illud & gaudium de malo illius, quam de bono inde secuturo Ita Nauarrus *in man. c.* 15. *n.* 10. qui citat D Thom. Syluius 2.2. *quæst.* 25. *ar.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 84. Toletus *lib.* 4. *cap.* 11. *nu.* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. *quæst.* 2 Emanuel. Sà *verb. Charitas, num.* 8. Sancius *in selectis disputat.* 2. *num.* 6.

Nauar. D. Thom. Syluius. Toletus. azorius Eman. Sa. Sancius.

An autem liceat desiderare mortem alterius ob hæreditatem obtinendam, vel ob aliud commodum, Negat Nauarrus *in man. cap.* 15. *num.* 10. & ait hoc ipsum omnes sentire, quia vita proximi debet præferri non solùm diuitiis, sed etiam cuicumque commodo proprio temporali, & idèo optare mortem proximi ob tale commodum est peccatum contra charitatem. Opposita tamen sententia satis probabilis est, quæ desumitur ex Sà *verb. Charitas num.* 8. Azorio 1. *part. lib.* 3 *cap* 12, *quæst* 2. Sancio *in selectis disp.* 2 *num.* 9. Castr. Palao *par.* 1. *tract.* 6. *de charit. disput* 4. *punct.* 1. *num.* 11 modò desiderium sit inefficax de morte naturali, ita vt nihil fiat in ordine ad ipsam causandam. Ratio est, quia obiectum huius actus non est malum. Est enim commodum sequens ex morte: quod est bonum & conforme rectæ rationi, & ideò mors est obiectum desiderii non absolutè, sed tantùm ex suppositione quod sis disposita à Deo, quod non est desiderare malum proximo, sed, supposito quòd sit illud habiturũ, gaudere de ipso, vt de causa mei boni. Et in tali casu non anteponitur commodum proprium temporale vitæ proximi, sed est vti, quoad desiderium, morte proximi ad commodum proprium, ex suppositione quod à Deo sit causanda.

Nauarr.

Azorius Sancius. Cast. Pala.

24 Dubium est an in spiritualibus auxiliis, Pater, filius, fratres spirituales, sint præferendi Patri, filio, fratribus carnalibus, v. g an teneat optare Patri meo maiorem beatitudinem, quam ei qui me ad fidem conuertit. Satis probabile est in pari necessitate præferendos esse parentes spirituales carnalibus, quia in his quæ pertinent ad singulas coniunctiones, magis diligendi sunt illi, qui secundùm eas sunt nobis coniunctiores, parentes autem spirituales sunt nobis coniunctiores, quàm carnales, quantùm ad ea quæ concernunt coniunctionem spiritualem, ergo parẽtes spirituales sunt præferendi carnalibus. Vnde etiam sequitur magis posse diligi filium spiritualem quàm carnalem, iuxta illud D. Ambros. l. 1. de offic. *Non minus vos diligo, quos in Euangelio genui, quàm si in coniugio suscepissem.* Ita Layman *lib* 2. *tr.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. Bonacina *tom.* 2. *quæst.* 4. *part.* 5. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 4. *nu.* 317. Quamuis contrarium non sit minus probabile, tum quia charitas ordinem naturæ non mutat, sed perficit, vt docet D. Thomas *in* 3. *dist.* 29. *art.* 7. sed ordine naturæ parentes præferuntur aliis, ergo etiam ordine charitatis, ac proinde non solùm in naturalibus, sed etiam in spiritualibus; tum quia eorum nobiscum coniunctio, etiam in his fundata est, tum quia carnalis coniunctio, aliarum coniunctionum fundamentum ac basis, suapte natura prior ac stabilior est. Ita Bannez 2.2. *quæst.* 26. *art.* 8. *d.* 2. Syluius *ib. a.* 8 *quæst.* 2. Malderus *ibid.* Fatentur proinde hi omnes non peccare mortaliter si patri carnali præponatur spiritualis, quia excessus vnius supra alterum non est adeò magnus, & non conuenit inter Authores, quis cui sit de necessitate præferendus. Hęc satis.

D. Amb. Layman. Bonacina. Reginald.

Bannez Syluius malderus.

Vide v. *Discordia, Eleemosyna.*

Obiectum charitatis secundarium, possunt esse omnes creaturæ, maximè tamen quæ sunt capaces beatitudinis. Probatur prior pars, quia charitas est amicitia cum Deo, ad perfectam autem amicitiam pertinet, non solum diligere amicum primarium, sed etiam ratione illius, omnes ipsius filios, domesticos, amicos, denique omnia quæ ad ipsum pertinét, vnumquodque pro sua capacitate, & modo Vnde patet secunda pars, nam creaturæ rationales, & propinquiores Deo sunt & peculiari ratione amabiles. Ratio formalis diligendi Deum & proximum ex charitate, est diuina bonitas in se. Ratio est, quia amor amicitiæ, cum sit actus volũtatis, tendit in bonum sub ratione boni, bonitas autem Dei dupliciter, considerari potest. *Primo*, vt ipse bonus est sibi & sufficiens, habens omnem perfectionem possibilem. *Secundo*, vt est nobis bonus, communicans nobiscum suas diuitias, quantum fas est & sicut decet diuinam maiestatem. Primo modo est obiectum charitatis. Secundo est obiectum spei.

Proximus, non tantùm potest diligi propter bonitatem Dei increatam, verum etiam propter dona supernaturalia à Deo cõmunicata, siue sint actus, siue habitus. Probatur; proximus potest à nobis dupliciter amari *Primò*, vt res & possessio Dei, sicut amantur cæteræ creaturæ, quatenus pertinent ad Deum, vt auctorem gratiarum. *Secundo*, vt amicus noster secundarius, cum videlicet consideratur vt filius Dei, particeps diuinitatis, &c. Si primo modo diligatur, sola bonitas Dei increata, est ratio formalis diligendi; nam tota nostra beneuolentia terminatur in Deum, nec necesse est in proximo considerare aliquam dignitatem supernaturalem, aut similitudinem nobiscum. Si secundo modo, dona creata possunt esse ratio, cur proximum diligamus, terminando nostram beneuolentiam in proximum, ut quia iustus, quia destinatus ad gloriam, &c.

7 Angeli boni possunt, & debent à nobis diligi, tum vt res & possessio Dei, tum etiam vt fratres nostri & amici secundarii. Ratio, quia sunt proximi nostri: is enim est proximus, vel cui præbendum à nobis est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ. Tum quia sunt participes illius beatitudinis, quam nos expectamus. Matt. 18 *Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris, mei, qui in cœlis est*

Angeli mali, & homines damnati non sunt diligendi, vt amici & proximi. Probatur, quia non sunt amplius capaces beatitudinis, aut alterius boni, & neque a nobis iuuari possunt, nec volunt ipsi nos iuuare, sed potiùs omnibus modis nocere. Actu tamen imperfecto, & conditionato, nempe velleitate quadam possumus eis bene velle. De quo vide D. Basilium Homilia nona, quòd Deus non sit Auctor malorum.

Angeli & homines damnati possunt diligi vt res & possessio Dei amici nostri, quatenus in eis relucet diuina ipsius bonitas, & iustitia, bonitas quidem, quod illos ad æternam quoque salutem condiderit, & sufficientibus gratiæ præsidiis instruxerit, quamuis sciret eos fore ingratos, & inimicos Iustitia verò, quòd eos tam seuerè puniat, quæ pęna in commendationem misericordiæ diuinę, quam experiuntur electi & in ipsorum electorum gloriam redundat.

Petes, quid sentiendum de viatoribus reprobis? Respondeo, ordinariè non constare quinam sint reprobi, ac propterea omnes viatores ex charitate esse diligendos, optando eis beatitudinem, mediaque ad illam, & ad hoc cooperando, quando fraterna charitas exigit, si tamen alicui reuelaretur certi cuiusdam reprobatio, non posset illum diligere ad beatitudinem, quia esset actus vanus, sed tantùm ad alia quædam bona, quæ nõ repugnant reprobationi, vt ad auxilia quædam gratiæ, quę impediant multitudinem peccatorum; quo modo D. Thom. 1. *p. q* 113. *art. 4. ad* 3. dicit Antichristum habiturum Angelum custodem, qui etsi sciat ipsum esse reprobum, conabitur tamen retrahere à multis peccatis. Simile iudicium est de reprobis in genere, nam non possumus illis absolutè desiderare beatitudinem, sed tantum minorem damnationem — D. Thom.

8 Creatura irrationalis, secundum esse naturale, quatenus repræsentat potentiam, sapientiam & bonitatē Dei, vt auctoris perfectionum naturalium, quas habet, potest diligi amore naturali propter Deum. Probatur, quia sic maiestatem Dei, vt auctoris naturæ manifestat & ad eius amorem allicit, vt constat hymno trium puerorum, & Psalm. 148.

Creatura irrationalis, quatenus capax est suo modo gloriæ, & renouationis, quam in fine sæculi est acceptura, potest diligi charitatis. Ratio est, quia hoc modo allicit ad amandum Deum, pro vt est auctor gratiarum, & status supernaturalis. Si autem creatura irrationalis consideretur, vt res & possessio Dei amici nostri, est obiectum charitatis, quæ nõ tantùm fertur in amicũ, sed etiam in ea omnia quæ amici sunt, & aliquo modo eum attingũt, hoc autem non ita intelligendum est, quasi charitas nostra terminetur in ipsam creaturam (cùm enim amicitia sit mutua beneuolentia, non potest esse nisi inter naturas intellectuales) sed quod bene uelimus ipsis creaturis propter Deum amicum nostrum, cuius perfecto & maiestas ex ipsarum contemplatione innotescit. Excelluit verò in hoc genere charitatis Beatus Pater noster Franciscus, vt in ipsius vita docet S. Bonauentura Doctor Seraphicus *c.* 8. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 25. *art.* 3. & alii. — D. Bonau.

9 Peccatores sunt diligendi ex charitate, si secundum naturam considerentur, quia sunt nostri proximi, & possunt esse participes beatitudinis Cum ergo charitas fũdetur in cõmunicatione beatitudinis ipsi sũt ex charitate diligendi, quatenus autem peccatores, non sunt diligendi. Tum quia hoc esset culpam & peccatum diligere, vnde Propheta *Psalm.* 118. Iniquos odio habebant. Tum quia culpa, secundùm quam dicuntur peccatores, contrariatur Deo, & est impedimentum beatitudinis. Et hoc ipsum, odisse peccatorem vt peccatorem, id est, idesse peccatum eius, ac nobis displicere quod peccet, est charitas? quia eiusdem rationis est odisse malum alicuius, & diligere bonum eius, vt docet. D. Thomas 2. 2. *q.* 34. *art.* 3. *corp.* vide eundem *q.* 25. *art.* 6 — D. Thom. — D. Thom.

Petes, vtrum peccatores diligant seipsos? Resp. diligunt se affectu, non effectu, vnde secundùm prudentem æstimationem, potiùs se se oderunt. iuxta illud Prophetæ Psalm. 10 *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Ratio est, quia diligunt tantum bona corporis, quæ minima pars est nostri, & per illum amorem priuantur bonis internis, ac præcipitantur in exitium sempiternum.

10 In charitate constituendum esse aliquem ordinem secundum quem vnum plus, alterum minus diligamus manifestè docemur Matth. 22. *Hoc est primum & maximum mandatum, secundum autem simile huic* Item Canticor. 2. *Ordinauit in me charitatem*. Ratio est, quia obiecta mortis sunt inæqualis dignitatis, ac propterea amor noster secundùm illam inæqualitatem temperandus est, vt vnamquamque rem tanti faciamus, quanti secundùm rectam rationem facienda est.

Tripliciter itaque magis amicum vnum diligere possumus quam alterum. *Obiectiuè, Appretiatiuè. Intensiuè*. Obiectiuè, quando volumus alicui maius bonum, quàm alteri, v. g. Regi, quam Patri, nam huic desideramus mediocria bona, quæ statui ipsius conueniunt, illi verò maxima & præstantissima, quæ deceant regiam maiestatem. Appretiatiuè, cùm amicus vnus pluris æstimatur quã alius, v. g. pro vno parati sumus profũdere pecunias, pro secundo honorem & famam, pro tertio sanguinem & vitã. Sic Dominus Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem, nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Intensiuè, quãdo est maior amoris feruor circa vnum, quàm circa aliũ, aut plures gradus dilectionis, v. g. cum Deũ diligimus vt tria, proximum ut sex. Porrò has amoris quantitates esse distinctas, perspicuè patet experiẽtia & ratione, experiẽtia, quia subditus magis diligit seipsum appretiatiuè quam regem, non tamen obiectiuè. Pater magis intensè diligit paruulũ filium quam adultum, non tamen appretiatiuè. Ratio est, quia habent diuersas origines, nam quantitas obiectiua oritur ex præstantia obiecti, quod pluribus & maioribus bonis dignum est, quantitas appretiationis ex obligatione, quã mutuò colligati sumus, quantitas intensionis ex familiaritate & maiore cognitione obiecti, quæ quidem cognitio sit accomodata nostro modo intelligendi.

11 Non solùm inter obiectum primarium & secundarium charitatis, sed etiam inter obiecta secundaria est ordo constituendus, & patet exemplo. Nam charitas magis

ſertur in amorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quam inferioris Sancti. Ratio eſt, quia hæc obiecta ſecundaria non æquè participaot rationem diligibilis ex charitate, neque æquè ſunt coniuncta cum primario obiecto.

Charitas poſt Deum maximè inclinatur ad ipſum diligentem. Ratio eſt, quia res omnes poſt inclinationem ad Deum naturale bonum, maxime inclinantur ad proprium, ergo charitas poſt Deum maximè inclinatur ad dilectionem ſui, ergo ad dilectionem eius in quod eſt, quia nõ poteſt ipſa aliter ſe diligere, cùm totum eſſe charitatis ſit in ordine ad ſubiectum.

Inter cæteros proximos ad illum magis inclinat charitas, qui ſecundum rectam rationem magis eſt amabilis, tùm quia inclinatio charitatis eſt recta & honeſta, tum quia qui ſecundùm rectam rationem eſt diligibilior, eſt ſimpliciter diligibilior, charitas autem cum ſe accomodet obiectis, eo modo ea diligit quo diligibilia ſunt, quæ autem ſunt magis, aut minus diligibilia, diximus *tom. 1. verb. Charitas, n. 11. & ſeq.* De his uide Suarez *de charitate, diſp. 1. ſect. 4.* Suarez.

12 Effectus charitatis ſunt ſeptem, tres interni, gaudiũ pax, miſericordia, tres externi, beneficentia, eleemoſyna, correptio fraterna, ſed primarius effectus eſt dilectio, que eſt actus immediatè a charitate elicitus, tendens io Deũ propter Deum, & in proximum propter Deum. Ita D. Thom 2. 2. *queſt. 28. & ſequent.*

Vide v. Filius *num. 15.* Homicidium *num. 5.* Parentes *num. 5.*

CHARITATIVVM Subſidium.

SVMMARIVM.

1 *Charitatiuum ſubſidium dicitur, quaſi charitatis auxilium, petitur quando propria Eccleſiæ reditus non ſufficiunt.*

2 *Charitatiuum ſubſidium exigendum eſt ratione beneficiorum a Clero & ab Eccleſiis propria Diœceſis. Charitatiuum ſubſidium ſoluere tenentur Canonici, & Penſionarius, pro rata penſionis, & Rector beneſicii. Clericus, vltra victum & veſtitum nihil habet de fructibus ſui beneficii, ſoluere non tenetur, item hoc ſubſidium non debet ſolui de quotidianis diſtributionibus.*

3 *Prælati habentes Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas, poſſunt charitatiuum ſubſidium ab eis exigere, ſicut & Prælati habentes Territorium, & Diœceſim. Idem poteſt Commendatarius perpetuus ab Eccleſiis ſibi ſubiectis exigere.*

4 *Septem enumerantur cauſæ à DD. propter quas poſſit exigi hoc charitatiuum ſubſidium. Quantitas huius ſubſidii non eſt in iure determinata, quamuis decima pars annui reditus iuſta reputanda ſit.*

5 *Monaſteria exempta non tenentur præſtare Epiſcopo ſubſidium charitatiuum, ex multis priuilegiis Summorum Pontificum, niſi habeant Eccleſias ſæculares ſibi ſubiectas, quæ ante ſubiectionem illud ſoluere conſueuerunt.*

6 *Eccleſia exempta non tenentur præſtare Epiſcopo ſubſidium, ſi exemptio ſit data cum plena libertate, limitatur tamen in duobus caſibus Moniales exempta nõ tenentur illud ſoluere, ſicut & non exempta habentes reditus vltra ſummam 14. Ducatorum aureorum pro victu cuiuslibet Monialis.*

7 *Reges Hiſpaniæ habent priuilegium à Pio V. & Gregorio XIII. ſumendi quoddam ſubſidium ſoluendum de reditibus Eccleſiaſticis, pro expeditione belli contra infideles.*

1 CHaritatiuum ſubſidium dicitur, quaſi charitatis auxilium, quia à principio ex charitate peti debet non per vim extorqueri, *c. Ex parte de cenſibus.* Dicitur huiuſmodi charitatiuum ſubſidium, aliquando ſubſidiũ, quia, ſicut ſubſidium datur quando deficit proprium, ita etiam charitatiuum ſubſidium petitur, quando reditus propriæ Eccleſiæ non ſufficiunt Epiſcopis & aliis Prælatis, quibus competit ius, ſeu priuilegium, aut conſuetudo petendi charitatiuum ſubſidium. Deinde charitatiuum dicitur, non ex eo, quod Epiſcopus & alii Prælati, quibus incumbit ius poſtulandi dictum ſubſidium, non poſſint compellere, exiſtente manifeſtà & rationabili cauſa, ſuos Clericos ad tale ſubſidium ſoluendum, poſſunt equidem illos compellere, imò edictum affigere, vt vbicumq; Clericus beneficium habens, non ſoluerit charitatiuum ſubſidium intra certum tempus excommunicetur. Ita deciſũ fuiſſe à Sacra Rota Romana, affirmant Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 87.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 14. queſt. 4. & 3.* Non poſſunt tamen loco pignoris capicales, vel libri, vel alia diuinis miniſteriis deputata. Vide Layman *lib. 3. tractat. 3. part. 1. cap. 3. §. vnic. numer. 10.* Rota barboſa Azor.

2 Hoc ſubſidium exigendum eſt, ratione beneficiorũ, à Clero, & ab Eccleſiis ſuæ propriæ Diœceſis, & ſibi ſubiectis, ex *cap. competente, de offic. Ordin.* & debet eſſe de fructibus & reditibus beneficiorum, vt dicunt citati Doctores, quibus adde Nauarrum *con. 5. in nouis, tit. de cenſibus* Proinde Canonici, ſeu Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, Penſionarius etiam pro rata penſionis, niſi penſio auctoritate Papæ ſit aſſignata, Rector beneficii, ſicut etiã ſucceſſor in beneficio aliquo quando ſuus anteceſſor vel alius beneficiatus non ſoluerit, tenentur ſoluere dictum charitatiuum ſubſidium, vt docent Barboſa *de iur. Eccleſ. lib. 3. cap. 21.* Azorius *cit. queſt. 6.* Nauar. barboſa. Azor.

Clericus, qui ultra victum, & amictum, & proprium commodum nihil habet de fructibus, & reditibus ſui beneficii, nõ tenetur ad ſubſidium charitatiuum vt ſuſtinent Doctores citati. Dè quotidianis autem diſtributionibus non debet ſolui charitatiuum ſubſidium, quia quotidianæ diſtributiones non poſſunt dici fructus & reditus propriũ beneficii, vt docet Gonzalez *ad reg. 8 Cancell. gloſſ. 7. numer. 174* Rector uerò habens Eccleſiam in una Diœceſi, prædia autem in alia, tenetur ſoluere charitatiuum ſubſidium Ordinario, in cuius Diœceſi ſita eſt Eccleſia, Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. 3. allegat. 87. nu. 15.* & alij. barboſa.

3 Prælati Epiſcopo inferiores habentes Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas, tam regulares, quàm ſæculares, poſſunt ab eiſdem ſubſidium charitatiuum exigere. Item Abbates & Prælati habentes territorium & Diœceſim, data manifeſta & rationabili cauſa licite poſſunt cogere ſuos ſubditos ad huiuſmodi charitatiuum ſubſidium præſtandum, cùm in his Prælatis militent omnes rationes, & exigentiæ, & opportunitates, quæ militant io Epiſcopis: quia in his, quæ ad charitatem ſpectant, ideò ſubditi ex parte ſua obnoxii tenentur ſuis Prælatis, quia ab illis beneficia recipiunt, & pari ratione tenentur illis exhibere charitatiuum ſubſidium, ac ſi eſſent Epiſcopi, quia ſpectat huiuſmodi ſubſidium ad legem Diœceſanam, quæ lex competit etiam ſupradictis Prælatis. Debent tamen huiuſmodi Prælati, ſicut, & Epiſcopus, quando charitatiuum ſubſidium poſtulare cupiunt, hoc facere cùm conſilio ſui Capituli, & Clericorum, ex *cap. Quando, de iis, quæ fiunt a Prælatis.* Ita Barboſa *de iur. Eccleſ. lib. 3. cap 21. numer. 15. & de offic. & poteſt Epiſc. p. 3 alleg. 87. numer. 17. 18* qui *num. 20.* docet, quòd Commendatarius perpetuus poteſt ab Eccleſiis ſibi obiectis charitatiuum ſubſidium exigere, perinde ac titularis, quia licet titulo careat, habet nihilominus legitimam adminiſtrationem, ac exercere poteſt ea, quæ ſunt iuriſdictionis æquè ac ſi titulum habuiſſent. Imo commendatarii perpetui in omnibus, vt titulares cenſentur. Vide Layman *loco cit. num. 9.* barboſa. layman.

4 Cauſa ad tale ſubſidium exigendum euidens & rationabilis eſſe debet, ne vltra debitum ſubditis grauamen inferatur. Quæ autem circa hoc negotium manifeſta, & rationabilis cauſa dicatur, nihil certũ in iure habetur, propterea iudicis arbitrio relinquendum arbitrantur Gloſſa *in c. Cum Apoſtolus, de cenſibus, §. Prohibemus, v. Rationabilis,* Menochius *de arbitr. caſ. 178. n. 2.* & Barboſa *de iur Eccleſ lib. 3. cap. 21 num. 22.* Ennumerantur tamen cauſæ ſeptẽ à Doctoribus, quarum *Prima*, eſt, ſolutio debitorũ, quæ cõtraxit Prælatus pro ſuæ Eccl. iure tuendo, v. g. quãdo multa & magna ſunt debita, & aliũde ex bonis gloſſa. menoch. barboſa.

Eccleſiæ

Ecclesiæ solui commode nequeunt. *Secunda*. Si Prælatus magnas fecerit impensas in negotiis Religionis communibus pertractandis, vel si lites magnas pro bono Ecclesiæ habuerit. *Tertia*. Si Prælatus rem aliquam magni momenti emerit necessariam ad suam Ecclesiam conseruandam *Quarta*. Si Prælatus iter facturus sit ad Papam, vel Imperatorem, vel etiam totius Religionis commune bonum. *Quinta*. Si Prælatus ad generale Concilium vocatus iter susceperit, iuxta id, quod habetur *in cap. placuit, dist.* 18. *Sexta*. Si vocatus iturus sit ad Prouinciale Concilium *Septima*. Si Prælatus impsas necessarias, & alicuius momenti fecerit in aduentu Imperatoris, Regis vel Principis, præsertim si ab eo habeant Regalia. De his vide Azotium *p. 2. lib. 9. c. 14. q. 4.* Barbosam *de iur. Eccles. loco citato*, Menochium *loco citato, casu* 178. & alios apud ipsos.

Azotius. Barbosa.

In quanam autem quantitate hoc charitatiuum subsidium exigi debeat, nihil pro certo statui potest, Arbitratur tamen Barbosa *loco cit. n* 6. decimam annui reditus partem iustam esse subsidii quantitatem. Vnde in omni euentu nullus debet cogi ad maiorem solito contributionem, vt censuit S Congregatio sub die 17. Ianuarii, 1589. apud Barbosam *loco c. n. 7.*

S. Cong. Barbosa.

5 Monasteria exempta non tenentur præstare Episcopo subsidium charitatiuum, vt tenent Ioan. Andræas, Imola *in c. Dilectus de offic. Ordinar.* Rodrig. *to. 2. qq. reg. q. 67. art. 1. & 2.* qui refert Greg. XI. Pontificatus sui anno quarto, Idibus Octobris Ordinem D. Hieron. in Hispania exemptum fecisse a solutione charitatiui subsidii, ita vt neque Legatis, siue Nunciis Apostolicæ Sedis, aut locorum Metropolitanorum, siue Diœcesanorum procurationes aliquas, vel iura alia, aut subsidia, quocunque nomine nuncupata, Monasteria, aut Fratres, tenentur Itē fratres seu Milites hierosolymitani vulgo Maltenses nuncupati a solutione quarumcumque decimarum, exactionum & aliorum quorumcumque onerum, etiam charitatiui subsidii, &c. per plura priuilegia confirmata per Sixtum V. in Bulla. *Etsi ex nostris pastoralis officiis*.

Ioan. and. Imola. Rodrig.

Sixtus V.

Ratio autem quare Monasteria, & Religiones ad charitatiuum subsidium soluendum non tenentur est quia eius exactio est de lege diœcesana, non autem iurisdictionis; at Monasteria etiam non exempta a lege diœcesana immunia sunt de iure communi, vt probatur per text. *in cap. Ne pro cuiuslibet*, 16. *q. 1.* Monasteria tamen habentia Ecclesias seculares sibi subiectas, quæ, antequā Monasterio subderentur, Episcopo tale subsidium, & alia iura soluere consueuerant, tenentur adhuc soluere, quia censentur aggregatæ Monasterio cum suo onere, vt habetur *in Clem. 1. & 2. de cens.* & docet Barbosa *de iur. Eccles. lib. 3. c. 21 n. 51.* Cochier *de iurisdict. Ordin. in exemptos p. 1 q. 25. n* 8. & 9. Layman *loco c. n. 13.*

Barbosa. Cochier. Layman.

6 Ecclesiæ exemptæ non tenentur præstare Episcopo tale subsidium charitatiuum; quod maxime procedit, si exemptio sit data cum plena libertate quia hoc importat exemptionem non modo a iurisdictione: sed etiam ab omnibus, quæ sunt de lege diœcesana. Si tamen in priuilegio exemptionis apposita esset clausula, *volumus autem quod Ecclesia huiusmodi exempta cum charitate priori cū Episcopo suo remaneat*, secus dicendum esset, vel si Ecclesiæ exemptæ haberent populum non exempti deberetur charitatiuum subsidium; si autem Ecclesiæ essent vnitæ Monasteriis priuilegiatis, & exemptis, vt sunt hodie multa beneficia curata de mensa Prælatorum, quæ licet populum exemptum non habeant, cum sint vnitę Monasteriis, & Abbatiis, charitatiuum subsidium præstare non tenentur, vt bene aduertit Tamburrinus *tom. 3 de iur. Abbatum, disp. 10. quæsit. 4. n. 7.*

Tamburr.

Porrò Moniales exemptæ, quæ gaudent priuilegii suarum religionum non tenetur soluere charitatiuum subsidium, sicut non tenentur viri regulares exempti, Moniales autem non exemptæ, non habentes reditus vltra summam 14. ducatorum auri de Camera pro victu cuiuslibet Monialis, & vltra non habentes alios reditus non tenentur ad huiusmodi subsidia, pro vt decreuit Pius IV. in sua Constitut. quę incipit. *de statu Ecclesiarum*, apud Tamburinum *loco citato n. 6.*

Tamburr. Pio. V.

7 Reges Hispanię habent a Pio V. Gregorius XIII. & aliis Pontificibus pro expeditione belli contra infideles quoddam subsidium soluendum de reditibus Ecclesiasticis, ad quod tribuendum tenentur omnes Ecclesiastici, & Regulares, exceptis S Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, militibus S. Ioannis Hierosolymitani, Religiosis apud Indias consistentibus, hospitalib. actu hospitalitatem seruantibus, & Regibus Hispaniæ ratione mensarum Magistralium Ordinum Militarium, quarum ipsorum sunt perpetui administratores vt constat ex tenore Bullæ Pii V. vnde Monasteria exempta à solutione charitatiui subsidii tenentur hodie ad illud soluendum, quia dicta priuilegia sunt sufficienter reuocata per Bullas Pii, & Gregor. XIII. ad instantiam Regis Philippi Secundi. Hoc autem subsidium originem trahit ab antiquo, quo Summi Pontifices decimam partem fructuum de beneficiis Ecclesiasticis reseruare solebant ad necessitates Ecclesiæ subleuandas, & ad expeditionem belli contra infideles, quæ vocabatur Decima Papalis ad instar doni solui soliti à Leuitis Summo Sacerdoti, vt ex Numeris, *c. 10. & 2. Esdræ, c. 10* constat, & refertur. *c. 1. de decimis*. Ad huius igitur decimæ Papalis imitationem Summi Pontifices certam partem, seu quotam de beneficiis Ecclesiasticis in subsidium contra infideles concesserunt Regibus Hispaniæ. De quo subsidio plura apud Rodrig. *tom. 3. q. regul. q. 74.* & *tom. 4. sum. c. 142.* Suarez, *lib. 5 de legib. c. 14.* Layman, *lib. 3. tract. 3 p. 1. cap. 3. §. vnic.*

Rodrig. Suarez. Layman.

CHARACTER.

SVMMARIVM.

1 *Character quid sit? & an imprimatur in anima mediate vel immediate.*
2 *Quotuplex sit character.*
3 *An quilibet homo sit capax characteris.*
4 *Characteris Baptismi, Confirmationis, & Ordinis differunt specie.*
5 *An sit necessaria connexio inter characterem confirmationis, & Ordinis cum charactere Baptismi, & e contra.*
6 *An character sit indelebilis.*

1 CHaracter *est qualitas spiritualis, animæ diuinitus infusa, qua homo redditur aptus ad Sacramenta suscipienda vel administranda, & ad alia diuini cultus opera*, vel vt alii dicunt Nomine characteris intelligitur *signum aliquod indelebile, & spirituale, in anima virtute Sacramenti impressum, quo quis deputatur ad certam functionem, & distinguitur a reliquis non characterizatis* D. Thom. 3. *p. q.* 63. *a* 2. Suarez Syluius 3. *part. tom.* 3 *disp.* 11. *sect.* 2. Syluius 3. *p. quæst.* 63. Heretici nostri temporis, negant dari tale signum, quorum error ex scripturis, patribus, & duobus Conciliis generalibus, Concil. Flor. *de Sacramen.* scilicet, Concil. Trident. *sess. 6. can. 9. de Sacram.* confutatur.

Syluius. D. Thom. Suarez.

An autem character imprimatur in anima immediatè dubium est, Scotus *in 4. dist. 6. q. 11*; enim putat immediatè recipi in voluntate, quia est principium ad exercendas actiones cultus diuini, & religionis, D. Thomas *c. art. 4.* Valentia *tomo. 4. disp 3. quæst. 4 part. 4* Syluius *ibid.* putant recipi immediatè in intellectu; quia actus ad quos ordinatur, scilicet recipere vel tradere ea quæ sunt diuini cultus, sunt quædam fidei protestationes fides autem est in intellectu, Suarez *citato sect. 4.* Vasquez, 3. *p. quæst.* 63. *art.* 5. *disp.* 134. *cap.* 4. *n.* 81. Filliucius *tract. 1. cap. 7. quæst. 6* asserunt characterem esse immediatè in ipsa animæ substantia, quia Concilia absolutè dicunt imprimi in anima, ergo non immediatè in potentiis. Hæc sententia forte est probablior.

D. Thom. Valentia.

Vasquez. Filliucius.

2 De fide est, per tria Sacramenta, videlicet, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, characterem imprimi in anima, vt patet ex Concil. Tridentino sess. 7. can 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima hoc est signum quodam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, Anatema.* Proinde triplex est character. *Primus* est Baptismi, quo trāsit homo à Diabolo ad Christum

stum, & adscribitur in eius familiam, & accipit potestatẽ fruendi reliquis Sacramentis, alijsque spiritualibus bonis Ecclesiæ Dei, ideò Baptismus dicitur Ianua Sacramentorum, & disponit ad alia Sacramenta validè suscipienda. *Secundus* est character Confirmationis; quo confirmatus adscribitur in militiam Christi, vt gerat vexillum eius in fronte, & accipit robur, ac potentiam, vt ex officio pugnet contra dæmones, & Tyrannos, eliciendo actus fidei: & disponitur ad reliqua Sacramenta recipienda. *Tertius* est character Ordinis, per quem ordinatus, constituitur Dux belli, præsit cæteris militibus, & accipit potestatem distribuendi bona Domini sui, eaque fideliter dispensandi, per opera cuiusque ordinis propria, D. Thomas, *cit. art.* 6. Syluius, *ib.* Bellarminus, *de Sacram. lib.* 2. *c.* 19. Toletus, *lib.* 2. *c.* 16. *n.* 12. Bonacina, *tom.* 1. *d.* 1 *q.* 5. *p* 2. *nu.* 3. Layman, *lib.* 5. *tr.* 1. *c.* 7. *n.* 3 Filliucius, *tr.* 1. *n.* 117. & 118.

D. Thom. Syluius. Bellarm. Toletus. Bonacina. Layman Filliucius.

An autem character fuerit in Sacramentis veteris legis? responsio communis est negatiua: quia effectus supernaturalis qualis est hic character, non est pro libitu confingendus: sed vel auctoritate Doctorum, & Patrum, vel firma ratione. Hic autem nulla adest auctoritas, neque suffragatur vlla ratio. Quia Sacramenta antiqua erãt carnalia, ac proinde circumcisio imprimebat characterem eiusdem Ordinis, nempe signum indelebile, & cicatricem in carne, vnde nec poterat iterari: at noster character spiritualis est, & animæ imprimitur. Ita docet D. Thomas, *c. q.* 63. *art.* 1. *ad* 3. Syluius, *ib.* Filliucius, *c. n* 115. Suarez, *cit. disp.* 11 *sect.* 1. & cæteri Theologi; & colligitur ex D. Chrysost. Homil. 2. ad Ephes. *Obsignati sunt, & Israelitæ, sed circumcisione, quemadmodum pecudes*, vbi sentit illud signaculum fuisse tantum corporale, & non spirituale.

D. Thom. Syluius Filliucius Suarez. D. Chrys.

3 Quilibet homo de potentia Dei absoluta capax est characteris, cùm habeat animam in qua recipitur character: de facto tamen solùm est character in illis, qui recipiunt aliquod ex Sacramentis, quæ characterem imprimunt, est enim character proprius effectus Sacramentorum. Sed quia homo fit capax characteris secundum animam, quæ spiritualis est, & in hoc similis est Angelis, verisimile est eamdem capacitatem esse in Angelis, sicut etiam est capacitas ad reliqua omnia dona gratiæ. In Beata Virgine, & Apostolis fuit character. In illa quidem; quia suscepit Baptismum, & Confirmationem. In his autem, quia præter illos duos characteres, habuerunt etiam illũ Ordinis. In Christo verò non est character: tum quia ratione suæ diuinitatis excellentiori modo est veluti designatus in supremum Ducem, Principem, ac Sacerdotem: & ideò non indiget charactere, qui est veluti participatio quædam supremi sacerdotii Christi, & supponit imperfectionem in subiecto, quod afficit, scilicet, quòd sit membrum, miles, aut minister alterius Superioris capitis; tum quia Christus non indiget charactere, vt distinguatur ab aliis; & reddatur aptus ad opera diuini cultus; nam seipso distinguitur ab aliis, & per vnionem Hypostaticã potest ea præstare, quæ pertinent ad diuinum cultum. Vide D. Thomam, *c. art.* 3. Syluium, *ibid.* Suarez, 3. *p. tom.* 3. *disput* 11. *sect.* 4 Bonacinam, *c. p.* 2. *n.* 4. Filliucium, *tr.* 1. *c.* 7. *q.* 7. & alios.

D. Thom. Syluius Suarez. Bonacina Filliucius

4 Characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis differunt specie; tum quia per illos deputantur homines ad varios status in Ecclesia, signum autem specificatur à significato: tum quia character essentialiter est distinctiuus: sed duo accidentia eiusdem rationis non distinguunt, ergo, &c. tum quia diuersitas specifica cognosci potest ex diuersitate potentiarum, habituum, & actuum; sed characteres sunt potentiæ, seu habitus ordinati ad diuersos actus, vt patet ex fine cuiusque characteris. An autem characteres ordinis essentialiter differant, vt Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotii, Episcopatus? videntur inter se non differre; quia singuli ordinantur ad vnum completũ characterem sacerdotii, & ad eumdem finem. Ita ex communi Bonacina, *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 5. *p.* 3. *n.* 1. Filliuc. *tr.* 3. *num.* 51. & 52.

Bonacina. Filliucius.

5 Character baptismalis, necessariò præsupponitur à reliquis; vnde inter characterem Confirmationis, & Ordinis est necessaria connexio cum charactere Baptismi, *Cap. veniens, de presbytero non baptizato*. Quia nemo potest crescere, aut exercere opera vitæ, nisi sit natus; Baptismus autem est spiritualis natiuitas, quæ est ianua operũ vitalium: propterea qui confirmatur, aut ordinatur ante Baptismum, nihil recipit, sed totum est iterandum; vt decernitur in Iure. Character verò ordinis non habet necessariam connexionem cum charactere confirmationis; nam si Ordo conferatur alicui non confirmato, tenet; An autem suscipiens ordinem ante confirmationem peccet mortaliter? probabilis est sententia Bonacin. *nu.* 2 Tolet. *lib.* 2. *c.* 26. Fornar. *de ord. c.* 3. qui docent peccare mortaliter, cùm faciat contra Tridentini præceptum, & communem Ecclesiæ vsum, & praxim in re graui; Opposita tamen sententia nõ est improbabilis, imò apud multos probabilior, & verior meritò reputatur; eo quòd in verbis Concilii Tridentini, vbi ait; *Prima tonsura non initientur, qui confirmationem non susceperint*. Nihil præcipitur initiandis, sed præcipitur Episcopis quid facere debeant quãtùs nec hîc stricta aliqua obligatio imponitur, quia nullũ est verbum, quo strictum præceptum indicetur. Ita Nauarrus, *c* 22. *n.* 9 Suarez, 3 *p. tom* 3. *disp.* 38. *sect.* 1. Viuald. *de confirmat. n.* 41. Valentia, *tom.* 4. *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 2. Diana, *p.* 2. *tr.* 2. *misc. resol.* 4. & *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 24. Azorius, *p.* 2 *l.* 3. *c.* 48. *q.* 1. & alii penes ipsos.

Bonacina. Toletus. Fornar.

Nauarrus Suarez. Viualdus. Valentia. Diana. Azorius

Character vnius Ordinis non necessario præsupponit characterem alterius, vt patet in Apostolis, qui non Diaconi facti sunt Sacerdotes; nam ordo Superior virtualiter continet inferiorem, vnde qui reliquis ordinibus pretermissi ordinaretur Sacerdos, posset in rigore omnes inferiorum ordinum functiones obire, quamquam Ecclesia grauissimis pœnis prohibeat promotionem per saltum adiuncto præcepto, vt omissus ordo repetatur. Nota tamen excipiendum esse Episcopatum, qui essentialiter præsupponit sacerdotium; vnde si non Sacerdos consecraretur in Episcopum, nihil reciperet *cap. vnico, de clerico per saltum promoto* D. Thom. *in supplement.* 3. *part. q.* 35. *art.* 5. Syluius *ibid.* Bonacina *c. n.* 2. Henriquez *l.* 10. *c.* 14 Syluest. *v. Ordo n.* 1.

D. Thom. Syluius. Henriq. Syluester.

6 Character semel susceptus semper durat, & permanet, & nunquam amittitur per peccatum, aut per degradationem. D. Thom. 3. *p. q.* 63. *art.* 5. Malderus, Sylu. *ibid.* Et hoc est fide tenendum, ex Conciliis Conc. Flor. *c.* & Trident. *sess.* 7. *c.* 9. Viuald. *de Sacram. c.* 2. *n* 2. Suar. *de Sacram. lib* 4. *c.* 5. *q* 1. *art* 2. Bonacina *c. n.* 4. & 9. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 4. *q.* 3 *dub.* 7. *assert.* 7. Ratio est, quia subiectum eius est incorruptibile, nempe anima rationalis, neque habet vllum contrarium, nec physice, nec moraliter; *non physice*, quia nulla forma supernaturalis habet formam contrariam, a qua naturaliter pelli possit: *non moraliter*, quia consistit cum peccato mortali. Proinde si quis Baptizatus, Confirmatus, Ordinatus a mortuis resurgeret, non deberet denuo baptizari, confirmari, aut ordinari, quia prior character semper perseuerat, & permanet. Sed si matrimonium ante contraxisset, non posset sine nouo contractu, ad superstitem vxorem reuerti, quia vinculum morte fuit dissolutum.

D. Thom. malderus Syluius Conc. Fl. Tride Vi- S T- nnerus

Ex dictis sequitur characterem habere varias proprietates, & effectus, vt tradunt communiter Doctores toto hoc Titulo citati. *Primò*, consecrat hominem cultui diuino, vnde & sanctitas à Diuo Augustino, appellatur & ea quæ templo consecrato conueniunt, à Scriptura, & à Patribus tribuuntur homini Christiano. *Secundò*, distinguit seruos Christi à non seruis; vnde Diuus Basilius in exhortatione ad Baptismum; *Quomodo te vendicabit Angelus sibi, quomodo eripiet ex hostibus, si non agnouerit signaculum. Tertiò*, configurat nos Christo, nam est quædam participatio Sacerdotii Christi, ad suscipienda, vel administranda Sacramenta, aliasque functiones exercendas, quibus homo in diuinum cultum ordinatur. *Quartò*, obligat Christianos ad legem Euangelicam seruandam, ad fidem profitendam, ad Sacramenta administranda, quando vrget necessitas, &c.

Vide Baptismus, 4. *n.* 5. Confirmatio, *n.* 11. Degradatio, *n.* 3. Ordo, 4. *n.* 3.

CIRCVM.

CIRCVMCISIO

SVMMARIVM.

1 *Circumcisio fuit verum Sacramentum, & enumeratur sex causæ eius institutionis.*

2 *Circumcisio instituta fuit per solis masculis populi Iudaici, & non pro fœminis.*

3 *Quos comprehenderit lex Circumcisionis.*

4 *Quare Circumcisio præcepta fuerit in membro hominis pudendo.*

Culter lapideus non erat de necessitate præcepti nec Sacramenti, sed ferreus erat sufficiens.

Circumcisio non habebat locum designatum in quo fieri debebat. Et danda erat octauo die.

5 *Nullus minister Circumcisionis fuit in lege designatus, sed poterat esse quandoque vir, quandoque fœmina.*

Ritus imponendi nomen per se pertinebat ad patrem, vel etiam ad matrem ex consensu patris.

1 CIrcumcisio fuit verum Sacramentum, vt dicitur aperte Rom. 4. fuit signum rei sacræ atque adeo præfiguratiuum gratiæ futuræ: fuit etiam secundario demōstratiuum gratiæ præsentis, saltem in paruulis. Circumcisio autem appellatur carnalis, non quia nullum bonum spirituale in ea daretur: sed quia carnali ac visibili charactere consignabat homines inter causas autem institutæ carnalis Circumcisionis, vna fuit, vt esset figura Baptismi, & spiritualis Circumcisionis. *Secundo*, vt esset protestatio, & signum fidei, quam Abraham habebat. *Tertio*, vt esset signum rememoratiuum fœdus tria continebat, promissionem nempe seminis multiplicandi possessionis terræ Chanaam. Et messiæ de ipsius semine nasciturí. *Quarto*, vt esset signum distinguens Iudeos a gentibus, eosque quasi frænum quoddam cohibens ne cum eis commiscerunt, sed sua gente contenti essent. *Sexto*, ut esset indicium aliquod peccati originalis, resecans enim Circumcisio aliquid de illa parte corporis, quæ generationi deseruit, non obscure significauit uitium aliquod generatione transmitti, quod curatione indigeret. De quibus D. Thom. 3. *p. q.* 70. *art.* 1. Syluius *ibi* & Suarez, cum aliis communiter.

D. Thom. Syluius. Suarez.

2 Circumcisio conuenienter fuit instituta pro solis masculis populi Iudaici, & non pro fæminis. Ratio est, quia data fuit in signum fidei Abrahæ, qui futurus erat pater credentium. Tum quia peccatum originale a patre & non a matre contrahitur. Denique quia illud signum dabatur precipuè ad congregandum Dei populum, sed in unoquoque populo, seu republica, uiri sunt capita, ergo sufficiebat dari talibus uiris, ut populus esset congregatus. Ita D. Thomas *loco c. art.* 2. *in solut. ad.* 4.

D. Thom.

3 Lex Circumcisionis communiter non obligauit nisi Abraham, & eius posterosos per Isaac, & Iacob oriundos quia erat pactum, seu signum pacti quod Deus pepigit cum Abraham, & eius semine. Atqui semen Abraæ, & semen Isaac, non uocantur in scriptura qui ique ex illis descendunt secundum carnem; sed Abrahę quidem, Isaac; Isaac autem Iacob. *In Isaac vocabitur tibi semen* Gen. 21. & Rom. 9. *Et qui filii sunt promissionis æstimantur in semine.* Vnde illud, *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ*, non continent promissionem terræ Chanaam pro Ismaelitis, & Iudæmeis, sed pro solis Israelitis Nec refert, quod Ismael, & Esau fuerunt circumcisi, ergo ad idem obligabantur eorum filii: Negandum est consequēs quia ex præcepto Dei Ismael separatus est a familia Abrehæ. Gennes. 22. ideoque lex Circumcisionis deinceps, neque ad eum, neque ad eius posteros pertinuit; tametsi Abraham circuncidisset ipsum: siue ut filium de sua adhuc familia existentem, siue etiam sponte consentientem, quo modo circumcidit famulos, & mancipia domus suæ, quos si contradixissent probabile est, quod non potuisset ad Circumcisionem cogere, quia Circuncisio fuit solemnis fidei protestatio: fides autem esse debet uoluntaria, ideo nemo adultus ad eam recte cogitur nisi ratione alicuius Sacramenti seu characteris prius sit ad illam obligatus in qua re eadem certe ratio est de Circumcisione, qua propter debuit etiam in hoc figura figurato confirmari Dicendum, est ergo solum obligasse hoc præceptum ad circumcidendos adultus domesticos Abrahæ, seu alterius iudaicæ familiæ, si ipsi id peterent, uel consentirent, De Esau similiter est dicendum. quod licet Isaac eum tanquā filium paruulum sibi subiectum circumcidere debuerit, ipse tamen non fuerit obligatus circumcidere suos, quandoquidem iudicio Dei, Malach. 2. & Rom 9. fuerit separatus a familia Isaac. ita ferre difficultatem hanc explicant D. Thom. *in* 4. *dist* 1. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 2 Hugo Victorinus *lib.* 2. *de Sacram. p* 12. Suarez 3 *p. q.* 70. *art.* 2 & alii.

4 Circumcisio præcepta erat fieri in occulto, & pudēdo corporis membro Ratio est, quia Circumcisio fuit signum fidei Abrahæ, qua credidit Christum ex ipso nasciturum, & ideo posita fuit in generationis organo, quoniam Christus ex Abraham secundùm carnem producendus erat. Et hoc est, quod dicitur Gen. 17 *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me, & vos.* Fędus enim præcipuum inter Abraham, & Deum fuit, quòd Deus illi promisit Messiam ex eius semine venturum: ipse autem *credidit Deo*, *& reputatum est ei ad iustitiam.* Cur autem Deus voluerit partem humani corporis abscindi, cùm in ea nullum sit vitium cum per se sit ex institutione naturæ; & non sit excrementum? Dicendum est, vt significaretur concupiscentia, quæ illo membro maximè exoritur, esse amputanda, & refrænanda ab his, qui populo Dei adscribuntur, & cum ipso perpetuum fœdus ineunt; partim vt sic sugillarentur sacra Veneris, & Priapi, in quibus ea pars honorabatur, vt docet Diuus Thom. 1. 2. *q.* 102. *art.* 5 *ad* 1.

D. Thom.

Culter lapideus non erat de necessitate præcepti, nec Sacramenti, sed ferreus erat sufficiens. Ita tenent communiter Doctores, *in* 4. *dist* 1. Ratio est, quia Genes. 17. vbi & essentia, & præceptum traduntur, nulla fit mentio lapidei cultri; ergo non cadebat huiusmodi instrumentum sub præcepto. Et non obstat Exodi locus 4. vbi Sephora vsa est petra acutissima ad circumcidendum filium, non ob præceptum, ait Hugo, nec fortasse ob mysterium, sed ob festinationem, & timorem fecit; quia fortasse cultellū ferreum ad manum non habuit. Item non obstat locus Iosue 5. vbi Deus dixit ad Iosue. *Fac tibi cultros lapideos, & circumcides secundo filios Israel*, quia solùm in isto casu seruatum est, & postea minimè, quia præceptum illud tātùm pro illo casu obligauit.

Circumcisio non habebat locum, nec templum designatum in quo fieret, vt constat ex Gen. 17. vnde Abrahā primam Circumcisionem in domo sua celebrauit Sephora circumcidit filium suum in diuersorio Iosue circumcidit populum in Galgalis. Ioannes Baptista in domo patris Zachariæ circumcisus est. Et Christus Dominus in Ciuitate Bethleem. Denique circa hoc peculiare inuenitur scriptum.

Circumcisio danda erat octauo die, & antea data non erat Sacramentum. Ratio est, quia octauus dies non solū erat de necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti: vnde octauus dies non poterat præueniri etiam imminenti periculo mortis Quamuis probabiliter possit dici præuentionem octaui diei fuisse tantùm de præcepto, & nō fuisse de necessitate Sacramenti, ita vt si præueniretur, non esset validum etiamsi minister peccaret illud dando. Octauus tamen dies non ita fuit de necessitate Sacramenti, quin Circumcisio data post illum diem esset verum Sacramētum, quod est certum ex omnium Theologorum sententia. Vnde Abraham senex, & Ismael tredecim annorum, & omnes viri domus eius, infantes, & adulti, cuiuscumque ætatis essent, dummodo octauum diem attigissent, circumcisi sunt. Item nec ita fuit de necessitate præcepti, quin ex legitima causa posset absque peccato differri, v. g. propter ægritudinem, vel aliud periculum. Vnde populus Israel in deserto multo tempore fuit sine vsu Circumcisionis, quia propter continuum iter, non poterat communiter fieri sine multorum periculo, vt colligitur ex Iosue 5. Tamen non erat causa sufficiens ad differendam Circumcisionem, quod dies octauus in Sabbatum incideret; quia vna lex cum altera non pugnabat, nec per Sacramenti vsum poterat Sabbatum violari. Porrò diem octauum designauit Dominus ad Circumcisionem; quia

ante

ſua ſpecie cæteris paribus, grauius ſit peccatum ſacrilegii quam furti ſimplicis Ergo, &c.

4 Circumſtantiæ notabiliter minuentes, non ſunt neceſſariò ad integritatem confeſſionis exprimendæ, niſi mutent ſpeciem, quia cùm circumſtantię minnẽtes adiuuent potiùs ad excuſandum pœnitentem, quàm ad exprimenda peccata, ideò neceſſe non eſt illas exprimere, niſi mutent ſpeciem, quod fit quatuor modis. *Primo*, quia circumſtantia explicata declarat actum nullum fuiſſe peccatum, vt ſi quis occidat hominem in ſuam iuſtam defenſionem, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ. Si enim hanc circumſtantiam iuſtæ defenſionis, in confeſsione non declarauerit, poterit confeſſarius exiſtimare pęnitentem peccatum mortale commiſiſſe, cùm tamen reuera commiſſum non ſit. *Secundo*, ſi circumſtantia addita declaret eſſe veniale, quod aliàs eſſet mortale, v.g. ſi peccatũ fuit commiſſum ex motu proprio, ex ſubreptione animi, abſque plena deliberatione. *Tertio*, ſi circumſtantia tollat vnam malitiam mortalem, & aliam relinquat, v.g. ſi quis cognouit fœminam coniugatam, putans eſſe ſolutam, talis enim volens explicare circumſtantiam adulterii, tenetur explicare circumſtantiam ignorantiæ, quia huiuſmodi circumſtantiam tollit vnam malitiam, ſcilicet adulterii, & relinquit malitiam intemperantiæ. *Quarto*, ſi actus abſque circumſtantia appareat vnius ſpeciei, cum illa verò, alterius, licet leuioris, vt ſi homo volens, & intendens occidere bouem alicuius, & per ignorantiam inculpabilem, occidat ipſum hominem, tenetur explicare iſtam circumſtantiam minuentem; quia tunc non eſt homicidium formale, ſed furtum aut damnum; vnde ille verè, & coram Deo fuit fur, & non homicida. Ita ex Conc. Trid. *ſeſſ. 14. c. 5.* Nauarr. *c. 6. n. 5.* Syluius, *in ſuppl. q. 9. art. 2. quæſit. 1.* Victor. *de confeſſ. n. 175* Suarez, *c. diſp. 22. ſect. 3. n. 15. 16.* Henriq. *lib. 5. c. 7. n. 3* Fagundez, *præc. 2. lib. 4. c. 2. n. 13.* Sayrus, *de pœnit. c. 8. n. 1.* Bonacina, *tom. 1. diſp. 5 q. 5. ſect. 2. p. 2. §. 3. diffic. 3. n. 4.* Fillincius, *tr. 7. c. 4. n. 91.* Diana, *p. 5. tr. 14. reſol. 85.* & alii communiter.

Conc. Tr. Nauarrus. Syluius. Victor. Suarez. Henriq. Fagundez. Sayrus. Bonacina. Fillincius. Diana. Conc. Tr.

5 Circumſtantiæ mutantes ſpeciem actus moralis, quoad malitiam, ſunt neceſſariò aperiendæ in confeſſione tum quia ſic decernitur in Conc. Trid. *ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.* expreſsè, & communi fidelium vſu, atque conſuetudine receptum eſt, vt huiuſmodi circumſtantiæ tanquam habentes peculiarem malitiam, & deformitatem in confeſsione aperiantur. Tũ quia peccata multiplicantur non ſolũ ratione actuum, ſed etiam ratione circumſtantiarũ diuerſarum ſpecie, ſed diuerſæ ſpecie peccata neceſſariò ſunt confitenda. Illæ autem circumſtantiæ, quod ad confeſsionis neceſsſitatem attinet, dicuntur mutare ſpeciem, quæ habent ſpecialem repugnantiam cum recta ratione, diuerſam ab ea, quæ eſt in ipſo peccato ſecundùm ſe, v.g. Illicitum eſt cognoſcere non ſuam, ſed ſi cognoſcatur aliqua per conſanguinitatem, vel affinitatem intra gradus vetitos propinqua, cõſtituitur noua ſpecies, ſcilicet inceſtus quia hoc ſpeciali prohibitione prohibetur, & ideò in confeſsione eſt exprimendum. Similiter circumſtantia, quæ opus alioquin bonum, vel malum quidem, ſed veniale, facit mortale, aut vno reſpectu mortale, facit etiam alio reſpectu mortale eſt, in confeſsione explicanda. Secus dicendum de circumſtantiis, quæ quidem ſpeciem mutant, ſed vel opus alioquin bonum faciunt peccatum veniale, vel vni ſpeciei venialis addunt aliam, etiam venialem, hæ enim non ſunt neceſſariò confitendæ, quia decretum Tridentini intelligendum eſt de illis peccatorum circumſtantiis, per quas ipſa fiunt mortalia. Ita D. Thom. *4. d. 16. q. 3. art. 2.* Syluius, *in ſupplem. q. 9. artic. 2. quæſit. 1.* Nauarr. *c. 6. n. 3.* Suarez, *c. diſp. 22. ſect. 2. n. 6* Sylueſter, *v. Confeſſio, 1. q. 9. n. 10.* Toletus, *lib. 3. c. 7. n. 7.* Azorius, *tom. 1. lib. 13. c. 12. q. 6.* Valentia, *tom. 4. diſp. 7. q. 41. p. 1. aſſert. 2.* Bonacina, *c. n. 6.* Henriq. *de pœnit. lib. 5. c. 6. & 7.* Fagundez, *c. n. 1.* Reginald. *lib. 6. n. 112.* & alii.

D. Thom. Syluius. Nauarrus. Suarez. Sylueſter. Toletus. Azorius. Valentia. Bonacina. Henriq. Fagundez. Reginald. D. Thom. Ariſtotil.

6 Circumſtantiæ ex quibus augeri, vel minui poteſt peccatum, vel illi noua ſpecies addi, ſeptem communiter poſt D. Thom. *1. 2. q. 7. art. 3. & q. 8. ar. 3. 10. & 11.* Ariſtot. *lib. 3. Ethic. c. 1.* à Doctoribus enumerantur.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Circumſtantia, *Quis*, denotat conditionem, vel qualitatẽ perſonæ peccantis, quæ frequentiùs auget mutando ſpeciem, vt perſona ſi ſacra, vel habeat votum, transfert actũ intemperantiæ in vitium ſacrilegii; ſi ſit perſona ad quam pertineat gubernatio, vel regimen, ſæpè transfert actum in iniuſtitiam, quia in alia perſona eſſet tantùm contra charitatem; Item ſi ſit perſona publica, ſæpè actus eius habebit malitiam ſcandali, quam in alia non habere. At verò intra eandem ſpeciem raro aggrauat hæc circumſtantia, ita notabiliter vt neceſſariò ſit declaranda; licet interdum probabile ſit, vt ſi perſona ſit magis, vel minus ſacra, aut diuerſis modis, vt ſi ſit conſecrata per ſacerdocium, & profeſsionem. Aduertendum autem eſt, ſi pęnitens notus ſit confeſſariò, ſatis ei ir explicare peccatum, nam dum ſe accuſat ſubaudit conditionem ſuæ perſonæ, licet hoc non habeat locum in aliis circumſtantiis, tametſi confeſſario ſint notæ, quia non cenſentur ita implicitè contineri in confeſsione peccati. Supradicta ſimiliter obſeruanda ſunt in circumſtantia *circa quid*, vt ſi occiſus Clericus, Sacerdos, Epiſcopus, Parens, cõſanguineus, ſaltem vſque ad ſecundum gradum. Si peccatum carnis cõmiſſum, etiam mentaliter cum coniugata, conſanguinea, affini, moniali, per vim. De his videndi ſunt D. Thomas, *c.* Syluius, *1. 2. q. 7. ar. 3. & in ſupplem. q. 9. art. 2. q. 3* Layman, *lib. 1. tr. 2. c. 9. n. 1. & 2.* Fagundez, *præc. 2. lib. 4. c. 3.* Clauis Regia, *lib. 2. c. 3. n. 6. 7. 8.* Valentia, *1. 2. diſp. 2. qu. 2.* Suarez, *tom. 4. diſp. 22. ſect. 4.* Reginaldus, *lib. 1. 4. c. 2. n. 12.* Fillincius *tr. 21. n. 8.* Tannerus, *1. 2. diſp. 2. q. 5. dub. 4. n. 82.* Nauarrus, *in Man. c. 6. n. 13.* & alii.

D. Thom. Syluius. Laymann. Fagundez. Cl. R. g. Valentia. Suarez. Reginal. Fillincius. Tannerus. Nauarrus.

7 Circumſtantia, *quid*, ſignificat conditionem quantitatem, aut qualitatem materiæ, ſiue obiecti, circa quod actio verſatur, v.g. quantum quis furatus ſit, vel quàm graue nocumentum intulit: vnde hæc circumſtantia eſt confitenda, tum quia quando eſt aliquis notabilis grauitatis eſt maximè coniuncta cum ſubſtantia peccati, quod vix poteſt integrè explicari ſine illa; tum quia maximè neceſſaria ęſt ad arbitrium ferendum circa reſtitutionem & quando peccatum eſt reſeruatum in tanta quantitate. Ad hanc circumſtantiam reuocatur à Theologis illa, quę dicitur, *Circa quid*, & propriè indicat perſonam circa quam peccatur, vt dictum eſt numero præcedenti; & hęc ſæpè actui malo confert nouam malitiæ ſpeciem, in genere iniuſtitiæ, in genere impietatis, in genere ſacrilegii, &c. vt docent Suarez, *c. ſect. 4. nu. 2.* Fagundez, *c. c. 4. num. 2.* Layman, *c. n. 3.* Toletus, *lib. 3. c. 7. n. 7.* Bonacina, *tom. 1. d. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2. § 3. diffic. 3. n. 17.*

Suarez. Fagundez. Laymann. Toletus. Bonacina.

Sed quid tenent circumſtantias etiam notabiliter aggrauantes intra eamdem ſpeciem non eſſe neceſſariò aperiendas in confeſſione, probabile putant, ſufficere, ſi pęnitens dicat ſe commiſiſſe furtum in re notabili, vt confeſſarius poſſit cognoſcere illum peccaſſe mortaliter. Sic Nauarrus, Vaſquez, Megala, Zanardus, Zerola, & alii apud Dianam, *p. 1. tr. 7. reſ. 14.* quibus ſubſcribit Caramuel, *in Scholio D. Bernardi in reg. S. Benedicti, nu. 220.* nihilominus noſtra ſententia eſt communior. & ideò ſequenda cum limitatione ſequenti. Si quantitas furti mortalis, v.g. ſit duorum aureorum, qui furatur quatuor, hác circumſtantiam aggrauantem explicare, qui illa circumſtantia ſuperaddita in ſe ſumpta eſt mortalis, ſi tamen furetur tres aut tres & dimidium, non tenetur id explicare, cùm ea circumſtantia, quæ ſuperadditur, in ſe ſumpta non perueniat ad mortale. Idem iudicium eſt de damno famę, honoris, & perſonæ, & ex hoc exemplo alia coniice.

Nauar. Vaſquez. Megala. Zanardus. Zerola. Diana. Caramuel.

8 Circumſtantia, *vbi*, reſpicit locum, in quo delictum fuit perpetratum: & hæc neceſſariò eſt aperienda, quia mutat ſpeciem peccati, & ad ſacrilegium trahit ratione irreuerentiæ loco ſacro illatæ. Et hæc circumſtantia loci ſacri in quatuor caſibus mutat ſpeciem peccati. *Primo*, quando quis committit furtum in loco ſacro; de quo v. Sacrilegium, 1. *Secundo*, in effuſione peccaminoſa ſanguinis humani, *Tertio*, in effuſione ſeminis humani publica, & peccaminoſa, in eodem loco ſacro; de quo v. Sacrilegiũ 2. *Quarto*, in violatione immunitatis Eccleſiæ, per iniuſtã extractionem alicuius criminoſi ab Eccleſia, contra Canonum priuilegia; vt dicitur v. Immunitas. Intra eamdem ſpeciem raro hæc circumſtãtia notabiliter aggrauat peccatum, niſi fortè in materia iniuſtitiæ, ſi coram pluribus, alicuius famę detrahas, vel contumelias inferas Azorius *tom. 1. lib. 2. c. 4. q. 2* Nauarrus, *c. 6. nu. 4. & 12.* Syluius, *in ſupplem.*

Azorius. Nauarr. Syluius.

*ſupplem q.9.art.2.queſit.*3.Bonac.*c.diffic.*3.*n.*3. Suarez,*c.n.*19.Fagundez,*c.lib.*4.*c.*4.*n.*8.Fillincius,*c.n.*82.

Petes, an omne peccatum hoc ipſo quod fit in loco ſaero, habeat circumſtantiam neceſſario explicandam in cooſeſſione. Reſp. Caietanus *tom* 1. *opuſc.tract.vlt.reſp.*12.*d.*2.Quod non, ſed taotum quando ipſum peccatum directe aduerſatur ſanctitati vel immunitati loci, ut in quatuor predictis caſibus. Quibus poteſt addi alios: ſi quis, nempe, peccatum qualecumque comittat in deſpectum, vel de honeſtationem loci ſacri; per hanc enim intentionem directe repugnat ſanctitati loci; quamuis non per ipſius operis conditionem.

Porò hec circumſtantia loci ſacri eſt etiam exprimenda, quando aliquis ſola mente conſentit in eiuſmodi opera in Eccleſia perpretanda. Secus, ſi in Eccleſia exiſtens conſentiat ea patrare extra Eccleſiam; quia reſpectu actus interni, locus ſenſibilis valde accidentarius eſt, & ipſe parum violatur tali actu. Ratio autem prioris, eſt, quia hæc intentio eſt eiuſdem rationis cum actu extetno actus autem externus habet ſpecialem malitiam ſacrilegii exprimendam in confeſsione; ergo. Ita Sanchez *de matrim.l.*9.*diſp.*15.*n.*10.11. Rodrig.*in Sum.cap.*206. Viualdus *in cand.aur de confeſſ.n.*96. Nauarrus *c.n.*12. Fagundez *c.n.*26 27 Suarez *c.n.*20. Bonacina *de matrim.q.*4.*p.vlt.n.*7.& alii hoc oumero citati.

Sanch. Rodriguez Viualdus Fagundez Bonacina.

9 Circumſtantia, *quibus auxilus*, ſignificat propriè inſtrumēta ſeu concurſus peccati, quæ poſſunt eſſe uel alii homines, vel quælibet aliæ res, vt ferrum, gladius, ſclopetum, uel quid ſimile inſtrumentum, & hæc non ſunt neceſſario confitenda, parum enim refert utrum hoc uel illo inſtrumento, gladio, ſclopeto occidas: niſi in duobus caſibus, quaodo ſcilicet, uſus talis inſtrumenti per ſe prohibitus eſt; tunc enim ex eo capite continet actus ſpecialem malitiam; vel quando ad explicandam grauitatem nocumenti illati, vel quid ſimile, neceſſarium eſt declarare quo inſtrumeoto factum fuerit. Si vero homines fuerint con cauſæ peccati, v. g. ſi quis vtatur ſociis, aut mediatrice, vel mediatricibus ad peccatum, & locios induxit vel mediatricem, ut iuuarent ſeſe; non ſolum tenetur peccatum in ſe, ad quod induxit, ſed etiam circumſtantiā inductiouis neceſſario in confeſſione explicare, modo locii non eſſent parati ad id pattandum, & mediatrix ad mediandum; nam ſi tam illi quam iſta eſſent parati, tunc quidem ceſſat circumſtantia inductionis, & moraliter loquendo non cenſetur cauſa inducens, nec notabiliter variat indicium confeſſoris quando tam iſti, quam illa ſunt parati ad id peccatum perpetrandum plura de his v. Scandalum, & apud Doctores hic citatos. Nauarrus *in Man.c.*16.*n.*13. Suarez *c.diſp.*22 *ſect.*4.*n.*16.Henriq.*l.*2. *de pœnit c.*6.*n.*7.Fagundez *precept.* 2.*l.*4.*c* 5.*n.*1.Layman *c.n.*3 Coninh.*diſp.* 7. *dub.*4.*n.*23.Vaſquez *q.*91.*art.*1.*d.*4.*n.*7.Azor.*tom.*2.*l.*12.*c.*16.*q.*5.

Nauarrus Henriquez Suarez. Fagundez Vaſquez Azorius.

Pertinet etiam ad hanc circumſtantiam auxilium dæmonis, quod aliquis expreſsè, uel tacite quærit, & procurat ad aliquem turpem finem conſequendum.

10 Circumſtantia, *Cur*, ſeu Propter quid includit non ſolum intentionem finis propter quem operamur, ſed etiam electiunem medii. Adnotandum tamen eſt, quod finis non eſt circumſtantia, niſi quando eſt extrinſecus, nam quando eſt intrinſecus, eſt potius obiectum; propterea ad hanc circumſtantiam concurrunt formaliter, uel uirtute duo actus, ſcilicet intentio finis, & electio medii reſpectu cuius ille finis dicitur eſſe circumſtantia. quod tripliciter fieri poteſt. *Primo*, cum tam finis quā medium ſufficiunt ad conſtituendum peccatum mortale, vt cum quis furatur vt fornicetur tunc tenetur pœnitens hanc circumſtantiam finis explicare, quia ſunt duo peccata diuerſa ſpecie, alterum furti in materia iuſtitiæ, alterum fornicationis contra temperantiam. Si tamen veraque malitia ſit eiuſdem ſpeciei, & mortaliter loquendo illi actus componant vnum, qui ſatis explicantur, explicato vltimo, non erit aliquid amplius neceſſarium; vt ſi quis vtatur tactibus impudicis, vt ſe excitet ad conſummandum actum; tunc ſecuto effectu & illo explicato, non oportet alia dicere Suarez *c.diſp.*22.*ſect.*4.*n.*8. Toletus *lib.*3.*c.*7.*n.*3.& 4.Bonacina *tom.*1.*diſp.*5.*q.*5.*ſect.*2 *p.*2.*ſ.*3.*diffic.*3.*n.*25.Nauarrus *c.*6.*n.*3.Reginaldus *lib.* 6.*n.*127.Henriquez *lib.*3.*de pœnit.c* 6.*n* 3.Layman *c.n* 4. Sylu.1.2.*q.*18,*art.*6.Diana *p.*1.*tract.*7.*reſol.*23. *Secundò*, Poteſt eſſe electio medij bona vel indifferens in ſe, & finis malus, vt ſi quis deambulet, vt occidere poſſit, vel det eleemoſynam puellæ, vt cum ea fornicetur vnum peccatum tantum committit occiſionis, vel fornicationis, & non eſt opus explicere electionem medii. Suarez *c. nu.* 8. Fagundez *precept.*2.*lib.*4.*c n.*10.

Bonacina Nauar. Reginald.

Suarez Fagundez

Tertiò. Poteſt contingere, vt obiectum electionis ſit ſufficiens ad peccatum mortale finis autem minime: vt ſi omittit Sacrum propter ſtudium, tunc circumſtātia malæ electionis medii eſt neceſſariò in confeſſione explicanda, non autem finis, hoc eſt, peccatum omiſſionis Sacri eſt confitendum, non autem circumſtantia ſtudii, propter quod omiſſum fuit: Ratio eſt; quia ea circumſtantia nec mutat ſpeciem peccati, & maximè ſi quis operatur ex ſua libertate, & facilitate: Secus dicendum, quando quis operatur ex vehementi, & inordinato affectu ad talem finem ponens vltimum ſuum finem in ſtudio; tunc vtrumque eſſet confitendum, & omiſſionem ſacri in die feſto, & rationem finis vltimi, quem ponit in ſtudio. Licet nemo ita regulariter operetur, quod omittit ſacrum propter ſtudium Clauis Reg. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 10. Sanchez *lib.*1.*mor.c.*5. *n.*15.Vaſquez. 1. 2. *d.*93 *c.*3.Henriq.*l.*7.*c.*5.*n.*7 Azorius *to.*1.*l.*4, *c* 3. *q.* 6. Bonacina *c.n.*26.Diana *p.*1.*tr.*7.*reſ.*62. & alii.

Sanchez Vaſquez. Henriq. Azorius. Bonacina. Diana.

11 Multis modis actio ex operantis arbitratu ad finem extrinſecum, tanquam circunſtantiā mortaliter afficientem, referri poteſt. *Prima.* Circumſtantia finis boni nouam bonitas ſpeciem addit actioni ex obiecto bonæ; vnde duarum virtutum opus exercet, pœnitentiæ ac miſericordiæ, qui eleemoſynam dat, vt Deo pro peccatis ſatisfaciat; quod intelligendum eſt, modo voluntas etiam ipſam bonitatem ſeu honeſtatem proximi obiecti per ſe eligat, quod fieri ſolet, quando ea etiam ſecundum ſe, cōducens eſt ad bonitatem ſeu honeſtatem finis principaliter intenti Becan.1.2.*tr.*1.*c.*4.*q.*3.*concl.*2.Fagundez.*pracept.*2.*li.*4 *c.*1.*n.*3. *Secundò*, Circumſtantia finis mali omnino deſtruit, & efficit actum, qui ex obiecto bonus eſſet ſimpliciter malum quia malum ex ſingulis defectibus, & finis tunc non tam habet rationem circunſtantiæ, quam obiecti tribuentis actui mortali primam, & vnicam malitiæ ſpeciem, vt ſi quis det elemoſynam aut concionetur ad captandam aurem popularem. Neque dicas talem poſſe ſimul habere duas intentiones, alteram rectam, vt ſubleuet miſeriam pauperis, vt doceat rudes, alteram prauā vt captet inanem gloriam, quia tunc non erit vnus actus ſed diuerſi, quod quidem fieri poteſt, & ſæpe fit, cum ſubrepti in opere bono vna gloria, ſed illa non auſert meritū boni operis, niſi quatenus retradat voluntatem, & remiſſionem reddit in opere bono, & tali ſimul merebitur, ſed diuerſi actibus D. Thom.1.2.*q.*18.*art.*6.& *q.*19.*a.*2.Syluius *ib ad.*D.Bonau.*in* 4.*diſt.*40.*a.*1.*q.*1. Azorius *to.* 1. & 2.*c.*5.*q* 6.& alii.

D. Thom. Syluius. Azorius.

Tertiò, Circumſtantia finis boni tribuit actui ex obiecto indifferenti primam, & vnicam eſſentialem bonitatis ſpeciem, ideoque in genere moris non circumſtantiæ, ſed obiecti rationem habet Ratio eſt, quia finis tunc ſe habet tanquam obiectum formale proximum in genere moris quamuis ſit extrinſecus in genere naturæ, ergo dat primam, & eſſentialem ſpeciem bonitatis. Itaque ambulatio ad catechizandum eſt eſſentialiter actus charitatis ſeu miſericordiæ, ambulatio ad viſitandas reliquias ſanctorum, eſt actus religionis, &c. quamuis in genere naturæ maneat ſemper eiuſdem ſpeciei. Vaſquez. 1. 2. *diſp.*53.*c.* 2. *n.*9 Medina 1.2.*q.*19.*art.*3. Tannerus 1.2.*diſp.*2.*q.* 5.*dub.*4.& 5.& alii.

Vaſquez. Medina. Tannerus

Quartò, Circumſtantia finis mali confert actui ex obiecto indifferenti, primam, & vnicam eſſentialem ſpeciem maliciæ, ideòque in genere moris amittit proprietatem circumſtantiæ, & ſolius obiecti rationem acquirit, quia tunc finis malus eſt primum in genere moris quod appetitur, nam obiectum indifferens, eſt extra genus moris, vt deambulare ad fornicandum, opus intemperantiæ eſt D.Thom.1.2.*q.*28.*art* 5.*ad* 4.Syluius *ibid.*

D. Thom. Syluius.

Quinto. Circumſtantia finis boni nihil confert actu ex obiecto malo, ſed relinquit ſimpliciter, & vndequaqua

malum

malum, vt furari ad dandum eleemoſiynam. Ratio eſt; quia actus malus, non eſt capax vllius bonitatis moralis nam quod habet aliquem defectum ſeu priuationem bonitatis debitæ, ſimpliciter eſt malũ, vnde D. Auguſt libro contra mendacium docet, ob nullam cauſam licere mentiri, & Apoſtolus *ad Rom.* 3. dicit eorum damnationem eſſe iuſtam, qui dicunt, faciamus mala, vt eueniant bona. Deniq; talis actum ſub genere iniuſtitiæ malum, non itẽ ſub genere miſericordiæ bonũ exercet, cum quędam ſpecies furti ſit, ex alieno eſſe liberalem. D. Thom *c. q. 18. art. 4. ad* 3. Layman *lib. 1. tr. 2. c. 9. n. 7.* Durandus *in 2. diſt. 38. quaſt. 1. num. 1.*

D. Thom. Layman.

Sexto. Circumſtantia finis mali confert actui ex obiecto malo nouam malitiam, eamque vel ſpecie diſtinctam ſi finis ille prauus ordinem repugnantiæ cum recta ratione ſpecificè diuerſum habeat, vt in furto fornicationis cauſa, vel ſolo numero diſtinctam, ſi prauitas finis, eiuſdem rationis ſit cum prauo medio, vt contingit, in furante inſtrumenta, quibus vti poſſit ad furandas pecunias; talis enim duo peccata contra iuſtitiam ſolo numero diſtincta comittit, Beccanus *t. 3. tr. 1. c. 5. q. 2.* Valentia *to. 2. diſp. 6. q. 2. punct. 1.*

Beccanus. Valentia.

Si tamen media eiuſdem ſpeciei malitiam contineant cum malo fine, & per ſe ordinarie coniuncta eſſe ſoleant tunc vna cum fine eandem numero malitiam contrahent vt patet in actibus impudicis qui fornicationem præcedunt, & ſubſequuntur explicato enim actu pripincipali, illi actus acceſſori. ſatis ſubintelliguntur, quia moraliter principali cohærent, Nauarrus *in Man. c. 6. n. 17. & in c. conſideret. n. 48. d. 5. de pœnit.* Diana *p. 1. tr. 7. reſ. 42.*

Nauarrus. Diana.

12 Circumſtantia, *quomodo*, ſpectat ad modum, quo delictum committitur, & hæc poteſt aliquando ſpeciem malitiæ variare, vt conſtat in rapina ſiue furto violento, ſtupro violento homicidio cum ſæuitia, aut ſeruitate. Denique in omni peccato facto ex formali legis contemptu, ſi ſe directa non obediendi intentione. Interdum vero intra eandem ſpeciem operis malitiam auget, vel minuit vt ſi peccatum ſit commiſsum ex ſcientia ac mera malitia, an ex paſſione, ex culpabili ignorantia, ex metu mortis, ac grauis incommodi, & conſcientia erronea, &c, Suar. *de pœnit. diſp. 22. ſect. 4. n 12.* Caiet. *1. 2. q. 7. a 1.* Fagund *precept. 2. l. 4. c. 3. n. 13* Bonac. *c. diffic. 3. n. 3.*

Suar. Fagundez. Bonacina.

13 Circumſtantia; *quando*, ſi ſumatur pro temporis mora, quia actio durat, eius bonitatem vel malitiã accidentaliter auget, alioquin temporis circumſtantia non eddit actionẽ moraliter meliorẽ, deterioréve multo minus nouã ſpeciẽ addit, iuxta probabiliorem ſententiam, vnde qui comittit peccatum, puta, furti, fornicationis, in die feſto, non tenetur hanc circumſtantiam exprimere quia circumſtantia diei feſti, non ſuperaddit peccato diſtinctam ſpecie malitiam, cum non ſit ſpecialiter prohibitum in die feſto fornicari uel, furari modo non exerceatur opus ſeruiale, nec ſacrũ prætermittatur. Si autem circumſtantia, *Quando*, adhibeatur ad explicandam circumſtantiam temporis, fieri poteſt, ut ali quando mutetur peccati ſpecies, vt ſi quis celebret poſt prandium aut bis comedat in die ieiunii, Vaſquez 3. *part. tom. 4. quaſt. 91. art. 1. dub. 2. n. 36. & dub. 4. n. 24.* Diana *part. 1. tract. 7. reſ. 39 & 32.* Nauar. *c. 6. n. 10.* Henriq; *l. 5. c. 6. n. 6.* Filiucius *tr. 21. cap. 9. n. 347.* Ledeſma *in Sum. tom. 1. de pænit. c. 19.* Fagundez *precept. 2. l. 4. c. 5. n. 20.* Soarez *citato ſect. 4. num 81.* & alii.

Vaſquez. Diana. Filliucius. Nauarrus. Ledeſma. Fagundez.

14 Circa prædicta occurrunt quædam dubitatiunculæ breuiter reſoluendæ.

Prima. An circumſtantiæ generales ſint exprimendæ v. g. quod peccauerit contra obedientiam, charitatem, gratitudinem, honorem Dei, perſeuerantiam, charitatem ſui exponendo ſe periculo æternę damnationis, &c. Reſp. Negatiue, quia in omnibus peccatis mortalibus ſubintelliguntur, niſi quis aliquam ex his inordinationibus formaliter intendiſſet, nam tunc eſſet ſpeciale peccatum, quod vocatur formalis Ita D. Thom. formalis cõtemptus inobedientia *2. 2. q. 186. a. 9.* Sylu. *ib.* Suar. *de leg. l. 3. cap. 28. n. 25.* Valent *1. 2. d. 7. q. 5. p. 6.* Diana *p. 1. tr. 7. reſ. 44.* Bonac. *to. 1. d. 5. q. 5. ſect. 2 p. 2. §. 3. diffic. 3. n. 23* & alii.

D. Thom. Syluest. Valentia. Bonacina. Diana.

§. 1.

Secunda. An quando idem prohibetur à diuerſis legiſlatoribus, Deo, Eccleſia, Principe ſæculari. Reſp. quando idem ſcopus ab omnibus ſpectatur, non eſſe neceſsarium hoc in confeſſione explicare, nam homicidium probetur lege diuina, & ciuili, cognitio articulorum fidei præcipitur lege diuina, & Eccleſiaſtica, & tamen eſt vnũ peccatum, at quando ſubeſt ratio peculiaris ſanciendi aliquam legem, v. g. cum Imperator belli, prohibet ne ruſtici in minima re lędantur, cum Eccleſia aliquid ſtatuit ſub pœna excommunicationis, &c. peccatum contrahit nouam malitiam ſpecialis inobedientiæ, quæ eſt explicanda. Ita *Doctores*, hic citati D. Thom. *1. 2. q. 72. art. 6. ad 2.* Syluius *ibid.* Suarez 3. *part. to. 4 diſp. 22. ſect. 4.* Bonacina *to. 2. diſp. 2. q. 4. p. 3. n. 51.*

D. Thom. Siluius. Suarez. Bonacina.

§. 2.

Tertia. An varii tituli eiuſdem obligationis ſint explicandi vt cum quis vouit caſtitatem in ſæculo, poſtea in religione, & tandem ſit Sacerdos. Reſp ſecurius eſſe exprimere. Probabiliter tamen ſatisfaceret, qui fateretur ſe peccaſſe contra votum quia omnia illa vota ſunt eiuſdem ſpeciei, & circa idem obiectum, & non tenetur explicare circumſtantiam ſacrorum Ordinum vel profeſſionis in religione. ita Henriq. *l. 5. de pœnit. c. 5. n. 6.* Sanchez *de matrim. l. 7. d. 27. n 27.* Fagundez *precept. 2. l. 4. c. 3. n. 6.* Diana *p. 1. tr. 7. reſ. 4.* & alii.

Sanchez. Fagundez. Diana.

§. 3.

Quarta. An cum multa præcepta circa idem coincidunt, v. g. cum vigilia S. Matthæi incidit in quatuor tempora, cum feſtum in diem Dominicum, ſatisfaciat pœnitens dicendo in confeſſione, ſe in die feſto, miſſam non audiuiſſe, vel in die ieiunii non ieiunaſſe. Reſp. Negatiuã ſententiam probabilem eſſe, quam tenent Nauarrus *in Man. c. 11. num. 4.* Rodriq. *in Sum. to. 1. cap. 23. num. 4.* Coninch. *diſp. 2. dub. 6. num. 47.* Reginaldus *lib. 6. c. 4. nu. 129.* quia licet rectitudo virtutis ſpecie ſit vna, numero tamen multiplicatur, & quamuis unico, ieiunio uel auditione unius Miſsæ utrique ſatisfaciat, transgreſsio tamen duplex uidetur, quia ſunt diuerſi tituli obligantes. *Nihilominus* contraria ſententia apud me probabilior uidetur tum quia ex diuerſitate pręceptorum non ſumitur diuerſitas malitiæ eiuſdem actus, quamuis enim multiplicatio illa præceptorum malitiam tranſgreſſionis augeat, non ita tamen notabiliter aggrauat, ut ſit neceſsario in confeſſione detegenda. Ita Henriq. *lib. 5. de pænit. c. 5. n 6.* Sà *v. Confeſſio nu. 29.* P. Ledeſma *in Sum. de pœnit c. 17.* Diana, *p. 1. tract. 7. reſol. 22.* Vaſquez *1. 2. queſt. 72. art. 6. diſp. 98. n. 8. & 9* Fagundez. *precept. 2. l. 4 cap. 5. num. 21.* Sanchez. *de matrim. l. 9. d. 15. n. 6.* qui bene reſpondet ad rationem Nauarri dicentem, Fratrem Minorem die Veneris in quo incidit vigilia, non ieiuniantem, duplex peccatum admittere, alterum contra pręceptum Eccleſiæ, alterum uerò contra regulam, præſcribentem illi ieiunare ſextis fereiis Ratio eſt, inquit Vaſquez, quia frangit duplicis uirtutis præceptum, alterum abſtinentiæ ſeu temperantiæ, ad quo ſpectat Eccleſiaſticum ieiunium, alterum autem religionis quia ex uoto obenientiæ tenetur regulam obſeruare, quod ſi minime uouiſset, ſed regula more alterius legis, ieiunium illud præſcriberet, unica eſset culpa illius tranſgreſsio. Rationem adducit bene Rodriquez *to. 1. qq. reg. q. 26. art. 4.* Bordonus *in conſil. reſ. 18. n. 83.* cum Miranda *tom. 1. q. 25. a. 2. concl* 2. quia obligatoria regulæ Fratrum Minorum præter tria uota, nullo modo debent dici uota ſed tantum præcepta, & per conſequens diſpenſabilia ſũt ſine abolitione ſtatus Minoritici, & more aliorum præceptorum Eccleſiaſticorum obligant. Adde quod in regula ieiunia præcipiuntur ſolum ſub motiuo uirtutis temperantie, & abſtinentiæ à cibis uetitis, & non etiam ſub motiuo Religionis & uoti, licet inde dependat huiuſmodi obligatio, cũ Religioſus præciſè obligetur ex ui profeſſionis, ergo eorum traſgreſſio eſt unicũ mortale peccatum.

Henriq. Diana. Vaſquez. Fagundez. Sanchez. Rodrig. Bordonus. Miranda.

§. 4.

Henriq. Fagundez. Vaſquez. Suarez. Clauis Reg. Sanchez. Diana. Caſpenſis.

Quinta. An conſuetudo peccandi, vel circumſtantia relapſus ſit exprimenda in confeſſione? Affirmant Henriq. *lib.5.cap 8 n.2.lit. A*. Fagundez, *pracept.2.lib 4.c.4.n.* 7 & alij, quando eſt valdè frequens; nam tunc valdè aggrauat. Negant Vaſq. 3. *p.tom.4.q.91.art.1.dub*. 3. Suarez, 3. *p.tom.4.diſp.22.ſect.4.n*-15. Reginald. *lib.6 n*.138. Clauis Regia, *lib.5.c.5.num.8*. Sanchez, *lib.1.moral.c* 32. *num*. 45. Diana, *p.1.tr.7.reſ*.55. Caſpenſis, *tr. de peccat diſp.2.ſect*. 6. & alij, niſi quando conſuetudo illa peccandi fuiſſet ex occaſione proxima, quam pœnitens tenetur reſecare, vel niſi iuſta de cauſa interrogetur à confeſſario. Ratio illorum eſt, quia circumſtantia relapſus non mutat ſpeciem, & non poteſt afferri ratio, per ſe loquendo, cur pœnitens obligetur ad huiuſmodi circumſtantiam explicandam, modò cum debito dolore peccata commiſſa quoad numerum, & ſpeciem explicet, ac in poſterum vitæ emendationem firmiter proponat. Alias enim ſi conſuetudinem peccandi teneretur pœnitens aperire, idem eſſet quòd obligare illum peccata legitimè confeſſa iterum repetere, quod ſanè nullo præcepto humano induci poteſt. Quòd autem pœnitens teneatur illam circumſtantiam explicare, ſi à confeſſario interrogetur, ratio eſt, quia confeſſarius medici, & iudicis vices gerit in hoc Sacramento, & cognita peccandi conſuetudine, poterit pœnitenti diuerſa remedia exhibere, v.g. peccatum mollitiei ex conſuetudine patienti frequentes confeſſiones cum vno eodemq; confeſſario bis aut ter in hebdomada, ſi opus fuerit iniúgere.

Caramuel

Ab hac tamen doctrina recedit Eximius D. Caramuel *in Scholio D. Bernardi ad reg. Benedictinam*, *numer*. 222. docens ſi Confeſſarius roget pœnitentem, an habeat, furandi conſuetudinem; neget liberè, & ſine vlla reſtrictione, tametſi conſuetudinem habeat. Ratio ipſius eſt, quia illud tribunal inſtitutum eſt pro peccatorum examine, iudicio, correctione, ergo ſemper iudex inquirit, & examinat res grauiter peccaminoſas. Cùm autem confeſſarius interrogat, an habeas furandi conſuetudinem, cenſendus neceſſariò eſt interrogare vt confeſſarius, hoc eſt, iuxta authoritatem ſibi diuinitus conceſſam. Ergo cenſendus eſt petere, An habeas furandi conſuetudinem, quæ ſit grauiter peccaminoſa. Cumque non habeas talem ſed potiùs quæ peccata diminuat, indifferentiam arbitrii remittendo, verè interrogationi reſpondes, ſi te illam habere neges. Hæc dicta ſunto, pro Confeſſariis imprudentibus, qui vexando pœnitentes limites ſuæ commiſſionis excedunt, hoc pro pœnitentibus, qui ad huiuſmodi miſerias adiguntur, vt debeant reſpondere imprudentib interrogationibus. Hæc ille. Sed an probabiliter, remitto Doctorum iudicio, quia obſtat contra hanc ſententiam, cõmunis, vt teſtatur Lugo de *pœnitent. diſput*. 14. *ſect*. 10. *numer*. 172. dicens hoc eſſe contra omnes Theologos, contra praxim Eccleſiæ, & contra finem huius Sacramenti.

Lugo. Sancius.

Sententiam tamen Caramuelis docet etiam Sancius, *in Selectis, diſp.9.num*,7 dicens, quòd ſi pœnitens probabiliter credat confeſſarium non impenſurum illi abſolutionem, ſi fateretur conſuetudinem peccandi, poteſt æquiuocatione vtendo, negare conſuetudinem, vt fiat ſenſus, *conſuetudine careo peccandi non abſolutè, ſed ad confitendum in præſenti*. Addit autem idem Author raròpracticè ſequendum hanc doctrinam, niſi à penitente timoratæ conſcientiæ, & eius ſcientiæ, quod ſciat diſcernere, in quibus occaſionibus id locum habeat. Hæc ſententia nouiſſimè à Sacra Congregat. Indicis fuit deleta ab operibus Sancii, vt teſtatur Diana, *p.9.tr.9.reſ* 66.

Diana.

§. 5.

Sexta. An qui in confeſſione dixit peccatum, oblitus eſt tamen alicuius circumſtantiæ mutantis ſpeciem, ſatiſfaciat poſtea in alia confeſſione explicando grauitatem circumſtantiæ oblitæ. Reſp. Si circumſtantia poſſit declarari nulla facta mentione talis peccati, non erit obligatio repetendi confeſſionem illius, ſi verò aliter explicari non poſſit circumſtantiæ malitia, niſi vt coniuncta, & addita alteri peccato, tunc neceſſarium erit illam per modũ circumſtantiæ confiteri. Et ideò qui furatus eſt calicem, ſed in confeſſione ex obliuione dixit ſe furtum commiſiſſe, non expreſſa circumſtantia calicis, hic in ſecunda confeſſione ſatisfacit dicendo, ſe mortale ſacrilegium commiſiſſe, vide Nauarrum, *in Man.c.6.n*.20. Suarez, *c.diſput*.22. *ſect.2.num.8.& 9*. Fillincium, *tr.7.n*.80. Dianam, *parte prima, tractatu ſeptimo, reſolut*.45. Reginaldum, *libro ſexto*, *c.4.num*.141.

Nauarrus. Suarez. Fillincius. Diana. Reginald.

Similiter ſi votum fuit non fornicandi, aut non furandi, optima eſſet confeſſio dicendo, toties admiſi fornicationem, aut furtum, & toties fregi iuramentum, vel votũ rei grauis. Quia quando malitia peccati, & circumſtantiæ ſunt ſeparatæ poſſunt ſeorſum tanquam diuerſa peccata in confeſſione exprimi.

§. 6.

Septima. An circumſtantiam manifeſtatiuam complicis teneatur penitens in confeſſione explicare quando cõplex apud confeſſarium eſt notus; & nullum damnum ex hac manifeſtatione ſequitur complici, præter infamiam apud confeſſorem? Reſp. Doctores communiter docere, debere penitentes in ea circumſtantia priùs quærere omnia remedia poſſibilia, vt ignoto confeſſario integrè confiteantur, ne complex ſui delicti apud notum confeſſariũ modo aliquo infamiam patiatur: petendo ſcilicet facultatem à proprio confeſſario, ſi parochus eſt, vt alteri confiteantur: vel expectando tempus quo poſſint commodè alterum confeſſarium ignotum inuenire; vel diſsimulato habitu, & voce apud notum confeſſarium confitendo. Si tamen nulla remedia inueniri poſsint, ne complex à confeſſario agnoſcatur; quidam putant non ſolùm licere, ſed etiam teneri pœnitentes ob ſolam, & præciſam integritatem confeſsionis abſq; alia cauſa, ſemper circumſtantiam complicis declarare, quando alius confeſſarius ignotus commodè haberi non poteſt. Ratio illorum eſt, quia in confeſsione numquam datur vera ratio infamiæ, & confeſſarius id cognoſcit ſub ſigillo confeſsionis, quòd perinde eſt, ac ſi non nouiſſet, vel ſciret. Hæc ſententia eſt probabilis, quam tenent, & defendunt Doctores Societatis hìc citati. Suarez, *c.diſp.34.ſect*.2. Vaſquez. 3.*p.to*,4.*q*.91. *art*,2.*dub*.3. Toletus, *lib.3.c*.8. Sà, *v. Confeſſio, n*.17. Regin. *lib.6.c.4 n*.156. Henriq. *lib.2.c.9.n.3.& 5*.

Suarez. Vaſq. Toletus. Reginald. Henriq.

Sed contraria mihi probabilior videtur. Tum quia ex naturali, & diuino iure tenemur conſeruare illæſam famam proximi; hic autem non conſeruatur fama proximi, ſeu complicis, ſed potiùs infamatur apud ipſum confeſſarium, quando confeſſarius illum agnoſcit: nam licet id maneat ſub ſigillo confeſsionis, tamen negari nõ poteſt id quidẽ intrinſecè malũ, peſsimũ generare conceptum apud notum confeſſarium, de ipſo complice, qui alioqui erat apud illum confeſſarium notum in iuſta poſſeſsione ſuæ famæ, qua iniuſtè à penitente priuatur. Tum quia interdũ etiam cẽſetur notabilis infamia ad detrimentũ proximi, ſi cõplicis crimen agnoſcatur ab vno confeſſario, ſi ſit Prælatus moroſus, & ſuſpicioſus, ob ſiniſtram opinionem, quam de ſuo ſubdito poteſt imbibere; quia plus interdum dolet ſubditus, à tali Prælato crimen ſuum agnoſci, à quo pendet etiam in hoc foro conſciẽtiæ, quã à multis aliis in foro externo, à quibus non pendet. Tum quia præceptum non infamandi aliorum, fortiùs eſt, (vt pote diuinum, & naturale) præcepto integrandi confeſsionem, quod eſt diuinum poſitiuum tantũ; ergo in concurſu horum duorum præceptorum, relicto præcepto minùs forti de integritate confeſsionis, ſeruandum eſt aliud, de non infamando proximum; Et hanc ſententiam ita veram aliqui exiſtimant, vt doceant, nec etiam in articulo mortis, poſſe quemquam talem circumſtantiam confiteri. Vide Doctores hic citatos Nauarr. *in man,c.7.n.3.& 4.& m 6*, *Sacerdos, de pœnit.d.6.n*.160. Viguer. *cap.16.§.4.verſ*.17. Bannez, 2.2.*q*.33.*dub*.8.1.*p.initio*, Viualdus, *de confeſſione n*.49. Medina, *in ſumm.lib.2.c.4.§.1 de complice*, Diana, *p.1.tract 7.reſolut*.49. De la Crux, *in direct.p.2.de pœn.qu*.3. *d.5.concl* 3. P. Nauarr. *de reſtit.lib.2.c.4.dub.1.n*.270. Quibus nouiſsimè ſubſcribit Lugo, *de ſacram.pœnit.diſp*.16. *ſect.7.n*.392. docens pœnitentem in tali caſu peccare contra charitatem, & iuſtitiam, & ideò teneri ad reſtitutionẽ famæ ſui cõplicis dicẽdo cõfeſſario extra cõfeſsionẽ, ſub

Nauarr. Viguerius. Bannes. Viualdus. Medina. Diana. De la Crux. P. Nauarr.

eodem

eodem tamen ſigillo. Erraui, dum tibi vnum complicem pro alio dixi. Et in caſu, quod impoſſibilis vel inutilis eſſet talis famæ reſtitutio, ſemper tamen pænitens tenebitur impedire, vel reſarcire omnia damna extrinſeca quæ ex tali manifeſtatione iniuſta complex patietur. Ita Lugo Lugo.
Vide dicta *v. Detractio* 1.*n.*11.

Vide Actus humanus 4.*n.* 15.*& ſeq.* Contemptus *n.*6. Impudicitia *n.* at. Præceptum *n.* 10. Sacrilegium 2.*nn.*6. Scandalum. Stuprum *n.*1.*&* 5.

SVPPLEMENTVM

SVMMARIVM.

1 *Omnis circumſtantia mala volita ab operante aliquem actum bonum ex ſe, ſeu indifferentem, reddit illum actum malum.*
Omnis circumſtantia bona volita ab operante actum bonum, reddit illum meliorem, & magis meritorium.
Omnis circunſtantia mala, volita ab operante aliquem actum ex ſe malum, immutat eum quoad malitiam vno ex tribus modis.
2 *Quamuis de fide ſit circumſtantias mutantes ſpeciem peccati eſſe de neceſſitate aperiendas in Confeſſione, ex accidenti tamen poſſunt aliquando reticeri.*
3 *Circumſtantia mutantes ſpeciem peccati externa, & interna, ſunt neceſſario in Confeſſione aperienda, & hoc eſt etiam de fide, vt vult Tridentinum.*
4 *Quomodo circumſtantia peccatorum mutantes ſpeciem ſint confitenda.*
5 *Qui indigne adminiſtrauit Sacramentum aliquod, non tenetur dictum Sacramentum explicare, nec peccata cum quibus miniſtrauit.*
6 *In ignorantia aliquorum præceptorum Decalogi, explicari debet, cuius præcepti fuerit ignorantia, ſecus vero in ignorantia myſteriorum fidei.*
7 *Quando ignorantia ſit confitenda.*
8 *Circumſtantia finis mali mortaliter, habentis diuerſam malitiam ab obiecto, explicare debet in Confeſſione, ſecus ſi finis ſit tantum peccatū veniale, vel nullū.*
9 *Diuturnitas voluntaria retentionis de re aliena, non eſt neceſſario in confeſſione aperienda, modo adſit propoſitum reſtituendi.*

1 Circumſtantiæ, quædam bonæ, quædam malæ ſunt & quidem poteſt circumſtantia mala circumſtare actum bonum, & circunſtantia bona actum malum ex ſuo obiecto, & genere, & ſimiliter circunſtantia bona circunſtare actum bonum illumque reddere meliorem.

Omnis circumſtantia mala volita ab operante aliquem actum bonum ex ſe, & obiecto ſuo, ſeu indifferentem, reddit illum actum malum, quia bonum non niſi ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu. Nulla autem circumſtantia ex ſe bona, volita ab operante actū malum ex ſuo obiecto, reddit illum actum bonum ſimpliciter, quamuis enim minuat malitiam actus, aliquando parum, aliquando multum, nunquam tamen ex obiecto reddit illum actum bonum, quia alioqui eſſet, & non eſſet bonus ex obiecto, quod implicat, & ſimiliter nunquam ita reddit illum actum bonum, vt excuſet omnino a culpa mortali, vel veniali, iuxta grauitatem, aut leuitatem materiæ ipſius actus.

Omnis circumſtantia bona volita ab operante actum ex ſe, & ex obiecto bonum, reddit illum meliorem, & magis meritorium v.g. dare eleemoſynā pauperi, eſt actus bonus, & charitatis dare autē Clerico pauperi, eſt actus melior cæteris paribus, ratione circumſtantiæ perſonę.

Omnis circumſtantia mala, volita ab operante aliquē actum ex ſe malum immutat eum quoad malitiam aliquo ex his tribus modis. *Primo*, vel addendo aliquam malitiam ſpecie diſtinctam à priori malitia manente in eodem actu, vt cum quis vult occidere Clericum, vel furari rem ſacrā, vel fornicari cum coniugata, occiſio iniuſta, & furtum, ſunt peccata contra iuſtitiam, & fornicatio contra temperantiam, & tamen circumſtantia rei ſacræ in furto, & perſonæ ſacrę in omicidio, & circūſtantia matrimonii in fornicatione, manente priori malitia in actu furti, homicidii, & intemperantiæ, addit aliam malitiam ſpecie diſtinctam, nempe ſacrilegii aduerſus virtutem Religioſiis ratione rei ſacræ, & perſonę ſacrę & malitiā adulterii in fornicatione cū cōiuncta, ratione matrimonii, diſtinguitur ſpecie a malitia intēperantiæ cum ſoluta. *Secundo*, vel mutando priorem malitiam in aliam ſpeciem grauiorem, vt cum ſolutus peccat ſemel cum ſoluta, iterum cum coniugata, iterum cum habente votum caſtitatis, in ſecundo, & tertio caſu circumſtantia matrimonii, & voti mutant peccatum intemperantiæ in alias ſpecies grauiores adulterii, & ſacrilegii. *Tertio*, vel ſolū augendo priorem malitiam, aliquando parum, aliquando multum, ſemper tamen intra eandem ſpeciem vt cum quis furatur ſemel decem, iterum quindecim, iterū mille, maior enim quantitas reſpectu minoris auget peccatum, & minor reſpectu minoris minuit, ſemper tamen intra eandem ſpeciem furti. Ita communiter DD.

2 Licet de fide ſit circumſtantias mutantes ſpeciem peccati eſſe neceſſario confitendas in ſacramentali Confeſſione vt definitur in Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 7. *de Sacram. pœnit.* Sæpe tamen fit ex acidenti, non eſſe neceſſarium has omnes circumſtantias dicere. Nam quando pœnitens eſt Sacerdos, vel religioſus, vel ſacris ordinibus initiatus, licet committat ſacrilegium fornicando ratione voti quod violat, ſi Confeſſor optimè eum agnoſcit eſſe Sacerdotem, aut religioſum, vel ſacris ordinibus initiatum, non opus eſt dicere in Confeſſione, ſe ſacrilegium commiſiſſe fornicando, ſed ſatis eſt dicere, ſe fornicatum fuiſſe toties vel toties. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *concl.* 7. *in octauo argumento prope finem.* Sotus.

Similiter, ſi quis occidit Clericum, putans eſſe laicum, aut cognouit fœminam ignorans eſſe coniugatam, & bona fide putans eſſe ſolutam ſatis, eſt ſi confiteatur ſe hominem occidiſſe, & ſolutam cognouiſſe tacendo circumſtantiam Clerici, & circumſtantiam coniugii: quia bona fides, & ignorantia excuſauit ab adulterio, & à ſacrilegio, non tamen excuſauit a peccato abſolute.

3 Conc. Trid. *in dicta ſeſſione* 14. *cap.* 5. *& Canone* 7. voluit definire non ſolum circumſtantias externas, ſed etiam internas diuerſas ſpecie neceſſario eſſe in confeſſione explicandas, nam *dicto capite quinto de pœnitentia* ita ait. *Verum cum omnia mortalia etiam cogitationis confitenda ſint*, &c. & cum *in canone* 7. vbi rem de fide definiuit, loquitur abſolutè de mortalibus, & de circumſtantiis mutantibus ſpeciem peccati, & non addat illud verbum, *etiam cogitationis:* tamen doctrina Canonis tota deſumpta eſt ex hoc capite quinto, vnde ſatis colligitur mens Concilii ex ſententia omnium Theologorum, quaquatenus affirmant abſolutè omnes circumſtantias mutantes ſpeciem peccati, eſſe de neceſſitate confeſſionis, & non diſtinguunt de circumſtantiis internis, aut externis Ratio autem ob quam concilium definiuit has circumſtantias eſſe de neceſſitate confeſſionis, æque militat in circumſtantiis internis atque externis nam confeſſarius eſt iudex, qui in cauſa penitentis non poteſt æquam ferre ſententiam abſq; manifeſtatione circumſtantiæ, quę mutat ſpeciem peccati, quæ quidē ratio æque militat in omnibus circumſtantiis internis, & externis. Tum quia peccatum externum, & internum habent eandem malitiam participatam ab eodem obiecto, propterea videtur eandem ratio de vno atque de alio neceſſario eſſe confitendum, vt definitum eſt de fide.

4 Quia difficultas eſt in dignoſcendis peccati circumſtantiis diuerſæ ſpeciei, & plerumque nec docti homines illas diſtinguere poſſunt, ſufficit confiteri eas, quæ communiter notæ ſunt, vel per ſe, vel per diuerſitatem præceptorum, aut virtutum, quæ notæ ſunt, & ſæpe non opus erit quod pœnitens dicant peccata quæ commiſerunt, eſſe talis vel talis ſpeciei, ſed ſatis erit actū clare enarrare, prout factus eſt, deinde cōfeſſoris erit iudicare quale peccatum ſit, quod ſi confeſſarius diſtinctionem tunc ignorauerit, ipſi ſoli imputabitur ad culpam, ſi eius ignorantia fuerit craſſa, nam ſi id accidat ob rei perplexitatem, poterit eſſe error inculpabilis, ſed quacumque ratione id accidat, penitens ſuæ obligationi ſatisfecit. Ita Suarez *to.* 4. *de pœnitent. diſp.* 22. *ſect.* 2. *num.* 5. Denique hac regula Suarez.
dignoſcitur circumſtantia ſpeciem mutans, ſi transfert pecca-

peccatum ex materia vnius virtutis in materiam alterius, facitque vt actus non ſolùm opponatur vni, ſed & alteri virtuti, tunc mutat ſpeciem: ſi verò relinquit actum intra materiam eiuſdem virtutis, non mutat quamuis peccatũ in eadem ſpecie aggrauet.

5 Poſita probabilitate ſententiæ affirmantis circumſtantias aggrauantes, atque augentes peccatum intra eandem ſpeciem, in Confeſſione neceſſariò non eſſe explicãdas, prout tenent Doctores *tomo primo, huius ſummæ citati, verb. circumſtantia, num.* 3. ſequentes propoſitiones ponimus ibi prætermiſſas.

Qui indignè cum conſcientia peccati mortalis adminiſtrauit Sacramentum aliquod, non tenetur, dictum Sacramentum in confeſſione explicare, verbi gratia, ſi fuerit Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, &c. ſed ſufficit dicere, ſe miniſtraſſe Sacramentum in peccato mortali. Ratio eſt, quia illæ indignæ adminiſtrationes Sacramentorum diuerſorum non differunt ſpecie, ſed opponuntur eidem virtuti, nempe Religioni. Idem dicendum eſt, quando miniſter eſſet multis, & grauibus irretitus peccatis. Nõ enim in tali caſu ſpeciem, & numerum peccatorum, cum quibus Sacramentum miniſtrauit opus eſt explicare, ſed ſufficit dicere, ſe Sacramentum cum lethali peccato ſemel vel toties miniſtraſſe. Ita Diana, *part. 1. tract. 7. reſolut. 59. & p. 5. tr. 14. reſolut.* 56. contra Ioannem de la Crux, *in direct. p. 2. q. 4. dub. 3. concl.* 3.

Diana. De la Crux.

6 Ignorantia myſteriorum fidei eſt ſpeciale peccatum oppoſitum illi veritati, quæ in tali rerum cognitione cõſiſtit. Ignorantia verò eorum, quorum cognitio in ordine ad opus præcipitur, vt ſcire Decalogi præcepta, & an ſit dies ieiunii, aut Feſti; non conſtituit ſpeciale peccatum, ſed multiplex, & multiplici præcepto, & virtuti oppoſitum: nimirum, illi præcepto cuius eſt tranſgreſſio, aut tranſgreſſionis periculum ex illa ignorantia: & illi virtuti, ad quam obſeruatio illius præcepti pertinet. Vt culpabilis ignorãtia diei ieiunii, præcepto ieiunii, & virtuti abſtinentiæ.

Hinc deducitur in ordine ad Confeſſionem eſſe neceſſarium explicare cuius præcepti Decalogi fuerit ignorantia, ſecus verò in ignorantia myſteriorum fidei. Ratio eſt ea diuerſitate præceptorum Decalogi, vel Eccleſiæ, eò quòd ita vincibiliter ignorans exponit ſe periculo admittendi peccata ſpecie diuerſa ſecundùm præceptorum diuerſitatem, etiamſi peccata illa non admittat. At verò ignorans vincibiliter myſteria fidei, non ſe exponit periculo committendi peccata ſpecie diuerſa, iuxta diuerſitatem myſteriorum, ſed ſemper peccatum eſt eiuſdem ſpeciei, cuiuſcumque myſterii ſit ignorantia: quia opponitur eidem præcepto, ac virtuti: vnde infertur ignorantẽ vincibiliter plures articulos fidei, non cõmittere plura peccata ſpecie diſtincta, ſecus verò ſi ignoret plura præcepta Decalogi, vel Eccleſiæ. Ita Vaſquez, 1. 2. *diſp.* 119 *c.* 2. & 3. Azor. *to.* 1 *lib.* 1. *c.* 12. *q.* 5. Sanch. *lib.* 1. *mor. c.* 17. *n.* 11. & 12.

Vaſquez. Azor. Sanchez.

7 Non eſt neceſſarium in Confeſſione explicare, ſi quis peccauit ſcienter, an ignorantia culpabili: quia eiuſdem rationis ſunt peccata, ſiue interna, ſiue externa, cum ignorãtia culpabili cõmiſſa, cum peccatis ſcienter admiſſis, licet ſcientia illa aggrauet; explicanda eſt tamen aliquando circumſtantia ignorantię vincibilis in ordine ad cẽſuras; quia ab illis excuſat. Idem dicendũ eſt, quando ea ignorantia mortaliter vincibilis excuſaret à mortali trãſgreſſione humani præcepti; nam in tali caſu neceſſe erit ignorantiam explicare, quia quamlibet circumſtantiam ita minuentem, quæ ex mortali efficiat veniale, neceſſarium eſt explicare. Quando autem ignorantia eſt affectata, & ignorans ille exponitur periculo admittendi alia peccata, ratione illius, ſiue affectetur ad finem liberiùs peccandi, ſiue ad alios fines, & aduertit ad id periculum, tenetur eam ignorantiæ circumſtantiam fateri; quia mutat ſpeciem; tot enim peccata ille committit quot committẽdi periculo ſe exponit. Vt ſi verbi gratia, velit fœminam cognoſcere, affectet ignorare, quænam ſit illa, vel vt liberiùs peccet, vel ne eius culpa ita grauis ſit; hic enim in tali caſu exponitur periculo inceſtus, adulterii, ſacrilegii, &c. Si autem ei periculo non exponatur, quia nouit fœminam alio ſtatu præter coniugatæ carere, & an hunc habeat, affectat ignorare; vel affectat ignorare aliam rem, in qua non eſt aliud præter peccati determinati periculum; tunc ſi ignorantia non affectetur ad liberiùs peccandum non eſt neceſſe illam explicare, quia non aggrauat, ſed minuit culpam; ſi verò ſit ad finem liberiùs peccandi, notabiliter aggrauat. Et ita in ſententia eorum, qui tenent circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe neceſſariò explicandas, dicendum eſt hanc circumſtantiam fatendam eſſe; qui verò contrarium cenſent, dicunt illam fatendam non eſſe; quia intra eandem ſpeciem tantùm notabiliter aggrauat. Ita Sanchez, *lib. 1. mor. c. 17. n.* 23. Suarez, *tom 4. de pœnitent diſput. 22. ſection. 4. num.* 14. Diana, *part. 4. tractat. 4. reſolut.* 35.

Sanchez. Suarez. Diana.

8 Circumſtantia finis mali, habentis diuerſam malitiã ab obiecto actus explicari debet in Confeſſione; quòd addit actui nouam malitiam. Vnde qui furatur propter fornicandum, non ſolùm tenetur confiteri furtum, ſed etiam circumſtantiam praui finis. In Confeſſione autem ſufficit, ſi pœnitens dicat, Furatus ſum; & poſtea ſubiungat. Habui intentionem fornicandi. Ratio eſt, quia malitia, quæ in furto deſumitur, à fornicatione, ad quam ordinatur, non eſt alia ab ea, quæ reperitur in intentione fornicationis; ſimiliter malitia furti, quæ reperitur in intentione fornicationis, non eſt diuerſa a malitia ipſius furti ſecundùm ſe. Ergo qui confitetur furtum, & fornicationẽ, etiamſi non explicet ſe ordinaſſe vnum ad aliud, ſufficienter explicat ſuum ſtatum, ergo ad aliud non tenetur. Notandum eſt tamen, quòd circumſtantia finis tunc eſt explicanda, quando quis peccando, intendit finem aliquem qui continet malitiam mortalem, ſecus ſi finis ſit tantum veniale peccatum, vel nullum. Ita Nauarrus, *in Man. c.* 6. *n.* 4. Fagundez, *precept. 2. lib. 4. c. 5. n.* 10. Coninck, *de Sacrament diſp. 7. dub. 4 n.* 24. Angelus, *v. Interrogatio, §.* 6.

Nauarr. Fagundez. Coninck. Angelus.

9 Diuturnitas voluntariæ retentionis de re aliena, non eſt neceſſariò in Confeſſione aperienda, quia eſt tantùm circumſtantia aggrauans intra eandem ſpeciem. Vnde pœnitens in Confeſſione ſatisfacit tantùm ſe accuſando non reſtituiſſe rem alienam, nec interrogandus eſt de tẽpore, & diuturnitate retentionis, vel de numero peccatorum, quæ aliqui in tali diuturnitate committi putant, dũmodo rem propoſuerit reſtituere, at ſi poſtea mutato animo determinauerit amplius reſtitutionem non facere, teneretur hanc circumſtantiam explicare, quia eſt nouum peccatum. Ita Diana, *p. 1. tr. 7. reſ.* 58 ex parte. Apud quem plura de circumſtantiis toto tractatu ſeptimo.

Diana.

Vide v. Debitum coniugale, 1 *n.* 8. Furtum, *n.* 19. Iactãtia, *n.* 2. Reliquiæ Sãctorum, *n.* 14. Sacrilegium, *n.* 1. 2. & 3.

CLAVIS.

SVMMARIVM.

1 *Clauis materialis, & clauis ſpiritualis quid ſint.*

2 *Poteſtas remittendi peccata dicitur clauis regni cælorum, & non inferni.*

3 *De fide eſt Chriſtum Dominum reliquiſſe paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem ſupernaturãlem ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa.*

4 *Actus clauium in ordine ad forum conſcientiæ, ſunt aperire & claudere, ſoluere, & ligare, remittere, & retinere: & hi actus ſunt iudiciales.*

5 *Clauis, ſeu poteſtas ordinis, & iuriſdictionis ſunt reipſa diſtinctæ.*

6 *Primarius effectus clauium eſt remittere peccatum quoad culpam, & quoad pœnam æternam, & præterea quoad temporalem iuxta diſpoſitionem pœnitentis.*

7 *Clauium poteſtas ad ligandum duobus modis retinet peccata, proximè ſcilicet, & remotè, & non ſolum mortalia, ſed etiam venialia licet diuerſo modo. Et non ſolum confeſſa, ſed etiam oblita, ſine ordine ad voluntatem pœnitentis.*

1 Clauis materialis eſt inſtrumentum per quod quis poteſt oſtium clauſum reſerare, & reſeratum claudere. Spiritualiter autem, & tranſumptiuè inde dicitur clauis Eccleſiæ, quæ ſecundùm communem doctrinam Theologorum, *in 3. ſentent. diſtinct.* 18. ſic diffinitur. Clauis Eccleſiæ *eſt poteſtas ligandi, atque ſoluendi, qua Iudex Eccleſiaſticus dignos recipere, & indignos excludere debet*

a regno

à regno. Est enim hæc clauis veluti facultas quædam ad aperiendum, & claudendum, & inde translata est hæc vox ad significandam potestatem Ecclesiasticam ordinatam ad regendas, & dispensandas animas, vt regnum cęlorum consequantur, & sic dicitur ipse Christus Apocalyp. 3. habere clauem Dauid. Pro quo sciendum est, quod triplex est clauis. *Prima*, est auctoritatis, quam solus Deus habet, qui solus auctoritatiue aperit cælum relaxando peccata. *Secunda*, excelentiæ, quam habet solus Christus, in quantum homo, qui solus sua passione cælum aperuit, tollens impedimentum naturæ. *Tertia*, est ministerialis, quam habet solus Sacerdos, qui solus ministerialiter, & dispositiuè peccatum remittit, & gratiam tribuit. Hinc per claues significatur potestas remittendi peccata fidelium per Sacramentum Baptismi renatorum in foro conscientiæ. Dicitur, renatorum, ad distinctionem potestatis remittendi peccata per Baptismum per quā peccata ante regenerationem commissa remittuntur; per hanc autem illa quæ post regenerationem commissa sūt.

2 Potestas ad remittenda peccata dicitur clauis regni cœlorum, & non inferni, quia quod per se intenditur per hanc potestatem est apertio regni cœlorum, vnde hoc tantum fit directè per se, ac positiuè per illam, claudere autem regnum cœlorum, solùm fit priuatiuè non aperiendo, idque quasi præter intentionem, ad hoc cogente malitia ipsa peccatoris. Et sicut potestas Ecclesiastica multiplex est, ita etiam metaphora clauis variè accipi potest, quia vero hæc dicitur a se, non quæcunq; sed regni cęlorum, ideo ex varia significatione, vel acceptione regni cęlorum, etiam metaphora clauis, diuersam significationem habet. Seclusi vero aliis significationem, Regnum cælorum, in omni proprietate, & rigore significat Ecclesiam triumphantem, seu æternam beatitudinem quæ clauditur homini per peccatum mortale, aperitur autem per remissionem eiusdem peccati, & ideo potestas retinēdi vel remittendi hæc peccata, optimè per metaphorā clauis regni cęlorū significatur, quia clauis est potestas seu facultas quædā, cuius actus sūt aperire, & claudere.

3 De fide est Christum Dominum reliquisse pastoribus Ecclesiæ potestatem supernaturalem ad remittenda peccata post Baptismum commissa, Probatur ex Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorū, quocūque ligaueris super terram eris ligatum, & in cœlis, & quodcunque solueris super terrā, erit solutum, & in cælis*. Et Ioan. 20. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Et 2. Chorinth. 5. vbi Paulus; *Posuit*, inquit; *in nobis ministerium reconciliationis*. Ex quibus scripturę locis, nisi vim literæ inferent hæretici, euidentissimè colligere possent Ecclesiæ datam esse potestatem aliquam ministerialem, ad soluenda animæ vincula, adeoque remittenda peccata, præter illam quæ est ad baptizandum & baptismo soluenda remittendaque peccata, vel illam, quæ est ad prædicandum Euangelium, remissionemque peccatorum. Si enim potestas soluendi, & remittendi peccata his locis illa tantum intelligenda est, qua per baptismi ministrationem peccata soluuntur & remittuntur vt volunt hæretici, quomodo per eiusmodi potestatem dicit Christus. Quæcumque solui vincula, & quorumuis remitti peccata, cum certum sit, per baptismum non solui nisi peccata ante baptismum commissa, nec committi nisi ea quæ necdum renati perpetrarunt Alias si per baptismum horum etiam peccatorum daretur remissio, sequeretur quod peccata prius essent remissa, quam cōmissa, quod est absurdissimum ergo est in Ecclesia aliqua alia potestas ministerialis remittendi peccata post regenerationem baptismalem commissa, ad hoc, vt verba Christi omnino vera sint, dicentis vniuersaliter. *Quæcumque solueritis, & quorumcumque remiseritis, &c*.

Cōfirmatur hęc veritas Catholica ex 2. *Cor*. 5. vbi Apostolus manifestè docet, sibi ministerium aliquod reconciliationis cōmissum ad reconciliandos eos, qui post baptismum Deum offenderunt, quos ibidem, non autem necdum baptizatos, hortatur ad reconciliationem. Hoc autem ministerium constare aliqua potestate, pręter potestatem prædicandi remissionem peccatorum ex allegatis luce meridiana clarius est. Quia potestas prædicandi non est potestas iudiciaria, sed potestas de qua fit mentio in prælegatis scripturæ locis, est iudiciaria, ergo est alia a potestate prædicandi; quia potestas prædicandi, quatenus est speciale quoddam ius datum Ecclesiæ à Christo Domino ad propagandum Euangelium, propriis, & diseritis verbis data est ab illo Matth. vlt. & Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*.

Denique hæc assertio est de fide definita in Concilio Constantiensi. *sess*. 8. & 15. & in Lateranensi *in cap. Firmiter, de Summ. Trinitate*, & in Florent. in literis vnionis sub nomine e auium; expressiùs vero in Tridentino *sess*. 14. *cap*. 1. *can*. 3. Si quis *dixerit, verba illa Saluatoris, Accipite Spiritū Sanctū quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramēto pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio sēper intellexit, detorserit autem cōtra institutionē huius Sacramenti ad authoritatē prædicandi Euangeliū: anathema sit*.

4 Actus istarum clauium in ordine ad forum conciētiæ, sunt aperire, & claudere, soluere, & ligare, remittere, & retinere, quibus verbis non tam diuersi actus exprimantur, quam diuersæ rationes eorundem actuum, imo eiusdem actus explimantur, eodem enim actu soluitur quis, & ligatur quidem, dum culpa cum pœna æterna potestate clauium soluitur, & ligatur, dum pęna temporalis pro peccato relinquitur, quamuis dum pœna aliqua satisfactoria pro peccato in foro pœnitentiali imponitur, diuerso actu tunc soluatur, & ligetur. Clauib. etiā in ordine ad forum seu regimen externum, similes actus proportionaliter attribuuntur, & conueniunt Qui omnes actus clauium, tam in foro interno, quam externo, certum est esse iudiciales ex ipsa natura, ipsoque nomine actuum. Et quidem de clauium actibus, quoad forum Sacramentale pęnitentiæ definitur in Concil. Tridentin. *sess*. 14. *cap*. 2. *can*. 9. esse iudiciales actus. *Si quis dixerit* Conc Tri. *absolutionem Sacramentalem. Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut Sacerdos nō serio, & ioco absoluat aut dixerit nō requiri confessionē pœnitentis, vt Sacerdos eū absoluere possit anathema sit*. Et hoc cōstat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ semper intellexit Christū Dominū constituisse in Ecclesia sua quoddam tribunal & reliquisse iudices apud quos peccatorum, & conscientiarum causę tractarentur, Ita Suarez *tom*. 4 *disp*. 16. *sect*. 1 & alii Suarez.

5 Clauis seu potestas ordinis, & iurisdictionis, sunt reipsa distinctæ. Ratio est, quia potestas ordinis potest dari sine iurisdictione, & vice versa, hoc autem est signum realis distinctionis, ergo Item potestas iurisdictionis datur ab homine, quatenus est in omnibus inferioribus Summo Pontifici, nam in illo non est per iniunctionem hominis, sed immediatè a Christo, quamuis enim Summus Pontifex eligatur ab hominibus, & ante illam electionē iurisdictione nō habeat, nihilominus illā non recipit ab electorib, sed a Christo facta legitima electione. Apostoli vero illā acceperunt etiam immediate à Christo Domino, non iure ordinario, quod fuit proprium Petri, sed iure quasi delegationis, & Apostolatus De quo vide Suarez *tom*. 4. *de pœnit*. *disp*. 16. *sect*. 3. & quæ diximus *tom*. 1. *v*. *Confess*. 1. *n*. 4. & 5.

6 Proprius, primarius ac per se effectus clauium est Suarez. remittere peccatum quoad culpam, & consequenter etiam quoad pęnam æternam, & præterea quoad temporalem, iuxta dispositionem pœnitentis. Primam partem tenent communiter Theologi *in* 4 *d*. 18 Fundamentum primum, & præcipuum est Verbum Christi Domini, Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, &c*. Quæ verba intelligenda sunt de remissione peccati quoad culpam; nā remissio peccati, simpliciter, & absolutè dicta, sonat remissionem culpæ nam remissio solius pœnæ solum est remissio peccati secundumquid. Probatur insuper ex traditione Ecclesiæ, & doctrina Conciliorum, præsertim Florentini in litteris vnionis, & Constanciensis in Bulla Martini V. cōtra errores Ioan. Hus; maximè vero Trid. *sess*. 14. *c*. 1 vbi ait, ex illo tā insigni facto, & eius verbis constare Christū *dedisse Apostolis potestatē reconciliādi homines*

cum Deo. Secunda pars etiam probatur, quia pœna æterna numquam remittitur per se primò ipsa sola, sed simul cum culpa, tanquam necessariò cum illa coniuncta, & ab illa dependens, quantum ad æternitatem, quod manifestè docuit Conc. Tridentinum, *sess.6 c.*14. Tertia denique nō indiget probatione, quia circa illam nulla est dissensio inter Doctores. Conc. Tr.

7 Clauium potestas ad ligandum duobus modis retinet peccata, vno modo proximè, & iudicialiter, alio modo remotè, & per solam negationem remissionis, qualis est circa peccata etiam non confessa, & vterque modus est verus, & virtute contentus in verbis Christi, maximè propter potestatem retinendi.

Hæc autem potestas clauium non solùm mortalia, sed etiam venialia, licet diuerso modo retinere potest, mortalia quidem propriè, venialia verò consecutione tantùm. Ratio est, quia potestas per se primò data est, propter peccata mortalia, extenditur verò ad venialia veluti consecutione quadam, & vtrisq; accommodatur modo illis proportionato.

Item non solùm peccata confessa, sed etiam oblita, sine ordine ad voluntatem pœnitentis retinere potest. Contrarium enim est contra vim Verborum Christi, quia nō dixit accipite potestatem remittendi, vel retinendi peccata, quæ ipsi peccatores voluerint, sed simpliciter remittēdi, & retinendi peccata, ergo addendo illam limitationem derogatur verbis Christi, & potestati ministrorum eius, quorum iudicio, & arbitrio res commissa est, non liberæ voluntati peccantium. De his plura apud Suarez, *tom.*4. *disp.*17.*sect.*2. Suarez.

CLAVSVLA.

SVMMARIVM.

1 *Quid dicendum de clausula generali posita post casus requirentes speciale mandatum.*
2 *De clausula posita in principio, in medio seu fine dispositionis quid operetur.*
3 *Effectus clausula*, supplices omnes, & singulos defectus.
4 *Quid sentiendum de clausula*, prorsus eximimus, ac totaliter liberamus.
5 *Quid de clausula*, Nobis, & successoribus nostris canonicè intrantibus.
6 *Clausula*, sublata, &c. *claudit os Iudici, & illi tollit facultatem aliter iudicandi. Maiora expressis non comprehendit. Non obstat dicens gratiam non comprehendere casum de quo agitur.*
7 *Clausula* in foro conscientiæ, *apposita in priuilegiis, non operatur suos effectus in foro exteriori.*
8 *Clausula* motu proprio, *vim habet specialis expressionis. Vitium subreptionis tollit. Iuri tertii non præiudicat.*
9 *Clausula* ex certa scientia, *contraria omnia censentur sublata. Nihil operatur in graue præiudicium tertii, subreptionis præiudicium non tollit, nisi quando Princeps informatus processerit.*
10 *Clausula* De plenitudine potestatis, *nihil opponi potest contra priuilegium, quod gratiam annullet.*
Tollit omnes solemnitatis defectus non prouenientes à natura, &c.
11 *Clausula* non obstantibus, &c. *tollit omnia, quæ dispositioni obstare possunt. Non auget plusquam gratia conferat, &c.*
12 *Clausula* Pro expressis, &c. *vim habet expressionis indiuiduæ cum omnibus suis qualitatibus, &c.*
13 *Clausula* Decernens irritum, & inane, &c. *formam inducit. Etiamsi non extendatur, suos operatur effectus.*
14 *Clausula* Ex nunc, prout ex tunc. *Vis, & effectus.*
15 *Clausula* Contradictores, &c. *intelliguntur de eo, qui de facto, & iniustè contradicit.*
16 *Clausula* Appellatione remota, *non solum friuolas verum etiam legitimas tollit appellationes. Non impedit, quin possit iudex ex legitima causa recusari.*
Tertii respectu comparentis pro suo interesse, nihil operatur. Appellationem ab interlocutoria non tollit.
17 *Per clausulas generales in priuilegio communicationis appositas, non communicantur ea priuilegia, quorum communicatio a Papa concedente prohibita fuit; quamuis contrarium sit etiam probabile.*
18 *Non censetur derogatum decretis Concilii Generalis nisi expressa mentio fiat, his verbis.* Non obstante aliqua lege, aut constitutione in Concilio Generali edita.
19 *Quomodo intelligenda Clausula in dispensationibus posita in forma pauperis, his verbis.* Qui vt ipsi asseruot, pauperes, & miserabiles existunt, & ex suis laboribus industria tantùm viuunt.
20 *De Clausula*, in primis ab inuicem separes.
21 De pœnitentia publica, *quam Dataria præscribit debere imponi dispensandis.*
22 *De Clausula*, Qua pœnitentia publica peracta.
23 *De Clausula, vt iurent se incestum non commisisse sub spe facilius habendi dispensationem.*
24 *Quid faciendum quando dispensandus habet duplex impedimentum, vnum publicum, & alterum occultum infamatorium?*
25 *Quomodo examinatio veritatis precum dispensationis fori externi, & interni fieri debeat.*
26 *Clausula*, ad euitanda scandala, *quomodo verificetur?*

1 QVia in bullis, & rescriptis Pontificiis reperiuntur quam plures Clausulæ apponi solitæ, ex quibus genuina pendet eorum interpretatio, ideò de principaliū Clausularum vi, & effectibus aliqua dicenda sunt in gratiam Confessariorum.

Clausula generalis posita post casus requirentes speciale mandatum, continet alios similes, non autem longè maiores expressis. *c. Qui ad agendum, in procur in 6. Clem. non potest, de procurat.* Sanchez, *de mat. lib.*2. *disp.*11. *nu.*3. Sanchez.

2 Clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia. Clausula verò posita in vna parte dispositionis siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, censetur referri ad omnia contenta in illa, quando omnium præcedentium est eadem ratio. Menochius, *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 181. *n.*2. Menoch.

3 Clausula, *supplentes omnes, & singulos defectus*, quāuis suppleat omnes defectus iuris positiui: non tamē supplet defectus iuris naturalis; nec etiam tollit defectus substantiales; sicut nec supplet defectus, qui concernunt personam supplicantis, vel contrahentis; prout nec supplet defectum causæ. August. Barbosa, *de clausul. vsufrequent. clausul.* 177. Rodriquez, *tom.*1. *qq. reg. q.*8. *art.*15. Barbosa. Rodriq.

4 Clausula, *Prorsus eximimus, ac totaliter liberamus*, propter suam generalitatem, non solùm derogat priuilegiis priuatæ personæ concessis, sed etiam vniuersitati in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis, aut per viam generalis legis, & statuti perpetui: quia huiusmodi clausula sic geminata excludit omnem interpretationem in contrarium; est enim de natura illius dictionis *prorsus*, excludere omnia, & singula, quæ in contrarium, excogitari possunt, *c. statutum, § prouisurus, de rescript. in* 6. & docent Henriquez, *lib.*7. *de indulg. c.*27. *n.*4. *in comm. lit. F.* Barbosa, *de diction. vsufrequent. dict.*294. Henriq. Barbosa.

5 Clausula, *Nobis, & successoribus nostris canonicè intrantibus*; tendit ad hoc, quod licèt omnis, qui erit verus successor talis Pontificis canonicè in pontificatum introire dicatur; additur tamen illa particula, *canonicè intrantibus*, ad innuendum nos non debere obedire, nec subiici illi, qui non per ostium, sed aliunde intrudetur in ouile Domini. Ita Peyrinus, *in priuileg. Ordin. Minimor. Constitut.* a. Sixti IV. §. 9. *num.* 11. Peyrinus.

6 Clausula *sublata, &c.* claudit os Iudici, & illi tollit facultatem aliter iudicandi; itavt pars, quæ venit contra literalem bullæ, vel rescripti intellectum audiri non valeat, nisi obtenta ab ipsomet Summo Pontifice, in signatura gratiæ, oris apertione, In tantum vt si Iudex contrarium faciat, vlterius procedendo, processus exinde factus est ipso iure nullus. Intellige hanc clausulam prædictum suum effectum operari, postquam fuerit cognitum intrare, dispositionem, vt ait Rota *decis.*423. *n.*5. *p.*2. *recent* quia aliàs nihil operatur, quando, & in quibus priuilegium, ea munitum Rota.

nitum, non intrat. Est enim hæc clausula tantæ efficaciæ tamque parti præiudicialis, vt non se extendat vltra limites principalis dispositionis, nec comprehendat maiora expressis. Et ideò non obstat dicenti, gratiam non comprehendere casum de quo agitur, nam per huiusmodi clausulam minimè impediri poterit, quominus iudex possit videre de comprehensione. Ita Barbosa *de clauf. vsufrequent. clausul.* 195. Garzias *de benefic. part.6. capit.*3 *num.*84. *& sequent.*

barbosa Garzias

7 Clausula *in foro conscientiæ*, secundum aliquos Doctores grauissimos posita in concessionibus & priuilegiis concedentibus absolutionem censuratum, & dispensationem irregularitatum, operatur suos effectus in exteriori etiam foro, itavt sic absoluti virtute priuilegii à benigno iudice admittendi sint, vt benignè absoluti etiam pro foro exteriori. Ita Henriquez *lib.7.cap.*13.*§.*2. *lit.V. & lib.*14.*cap.*20. *§.*1. & alii. Verùm contraria sententia meritò sustinetur ab aliis, vnde absolutus quoad forum conscientiæ, licet de absolutione constet, indiget alia absolutione pro foro exteriori, vt scilicet ab aliis pro absoluto, seu dispensato habeatur, ac proinde priuilegium seu concessio pro foro conscientiæ, minimè prodest in foro exteriori, vnde semper remanet saluum ius apud Superiorem cognoscendi de illo delicto in foro exteriori & de eo pœnam & satisfactionem imponendi, & talis absolutio in foro conscientiæ non tollit ius tertii, potest tamen iudex ratam habere talem absolutionem in suo foro, & nouam non concedere modò probetur sufficienter fuisse datam ab eo qui poterat dare virtute priuilegii Apostolici pro foro conscientiæ. Et sic intelligendi sunt Doctores primæ sententiæ, quos citauimus *tom.*1. *v. Absolutio, num.*24.

Henriq.

8 Clausula *motu proprio* habet vim specialis expressionis, & ideò tollit vitium subreptionis, *cap. si motu proprio, de præbend. in 6. Clementin si Romanus, eod. tit.* nisi subreptio huiusmodi procedat ex reipsa, vel contingat in falsæ causæ expressione, vel sit in tacenda inhabilitate personæ, vel præiudicet iuri tertii, non solum in re, sed etiam ad rem: in supradictis enim casibus, clausula hæc motus proprii, non tollit vitium subreptionis. Quod autem in præiudicium tertii non operetur hæc clausula maximè quando non præcessit cognitio fuit côclusum in Rota, & ideò minime firmat priuilegium contra ius alterius obtentum, nec operatur, vt priuilegium lite pendente habitum cum hac clausula, nulla de lite pendente in eo facta mentione, validum sit. De his vide Sanchez *de matr. lib.*8 *disp.*21. *num.* 47 *& sequ.* Suarez *de leg. lib.*8 *cap.*12.*num.*11. *& sequent.* Barbosam *de clau. vsufrequent. claus.*79. *num* 16. *& sequentibus.*

Sanchez Suar. Barbosa

9 Clausulæ, *ex certa scientia*, vis, & effectus est, vt stante hac clausula, contra omnia censeantur sublata, absque alia derogatione, vel clausula *Non obstante*, Hæc clausula pariter operatur, vt id, quod confirmatur, si non est solemne, reddatur solemne, ita vt det robur, quoad solemnitatem, sicut quoad validitatem, tollitque omne iuris obstaculum & omnem erroris præsumptionem. In tertii graue præiudicium nihil operatur, licet in modico aliter se res habeat. Subreptionis etiam præiudicium non tollit hæc clausula, nisi quando Princeps informatus processerit. Nec etiam operatur in iis, quæ in facto consistunt & de quibus Princeps non præsumitur habuisse notitiam, & ideò nihil pariter operatur, quando opponitur super negotio, de quo Princeps non habet notitiam. Ita Barbosa *de clausul. vsufrequent. clausul.* 59. *nu.*12 *& sequent.* vide dicta *tom.* 1. *verb. Priuilegium* 4. *numer.*1.2 3. *&* 4.

barbosa

10 Clausula *de plenitudine potestatis*, multos, & singulares effectus operatur, nam vbi Princeps scribit de plenitudine potestatis, nihil opponi potest contra priuilegium, vel quod gratiam annullet. Tollit hæc clausula omnes defectus solemnitatis non prouenientes à natura, ac etiam obreptionem, & subreptionem. In tertii verò præiudicium nihil operatur, nec derogat regulæ de iure quæsito non tollendo, nec etiam operatur, quando eâ vtens de negotio, ob quando illa vtitur, informatus non est. In dubio autem, vbi Princeps aliquid facit, aut concedit de plenitudine potestatis, præsumitur actum fecisse cum causæ cognitione, & ideò si opponatur super illicito, intelligitur de potestate bona & laudabili, sicut etiã intelligitur apposita ex iusta causa, quia quæ sine causa fiunt de plenitudine potestatis, dicuntur per illusionem fieri de plenitudine tempestatis, ut tradunt Henriquez *in Summ. lib.* 14. *capit.* 17. *numer.*5. *liter. Z.* Barbosa *de clausul. vsufrequentibus clausul.*41. *numer.* 21. *& sequentibus.*

henriq. barbosa

11 Clausula *Non obstantibus, &c.* tollit omnia, quæ dispositioni, in qua est apposita, obstare possint, Non auget tamen, nec ampliat plusquam gratia conferat, quia ad limites illius apposita censetur, vnde prouenit illam nihil operari, si dispositio, super qua est apposita, nulla existeret, subreptionis vitium non tollit.

Non sufficit clausula generalis, *Non obstantibus, &c.* ad derogandum clausulis derogatoriis derogatoriarum nisi adderentur sequentia verba, *Etiamsi de illis illarumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio, ac de verbo ad verbum facta fuisset.* Similiter quotiescumque secundum priuilegium habet clausulam derogatoriam cum illis verbis, *Etiamsi talia forẽt de quibus mentio fieri oporteret de verbo ad verbum*, censeretur per illud, primum reuocatum, habens clausulam derogatoriam derogatoriarum, sicuti docent Menoch. *de præsumptionibus lib.*6. *præsump.*41.*num.*22. Gonzalez *ad reg.*8. *Cancellar gloss.*26. *num.*23. Notandum autem est, quod Clausula *Non obstantibus priuilegiis, &c.* non derogat priuilegium ad pias causas, nec illa, quæ commiserationis causa, vel publicæ vtilitatis gratia concessa sunt. De his vide Barbosam, *de clausul. vsufrequent. clausul.*43.82. *&* 83.

Menoch.

12 Clausula, *Pro expressis, &c.* habet vim specialis & indiuiduæ expressionis cum omnibus suis qualitatibus, eamdem uim habet clausula, *Quorum tenores, &c.*, & continet insertionem tenoris, ac proinde habet vim specialis derogationis, tollitque derogatorias derogatoriarum. Non operatur tamen in præiudicium tertii de quo Princeps non intellexit, nec tollit defectum intentionis, nec operatur in iis, quæ consistunt in facto ignorato; nec tollit defectus per quos gratia est subreptitia, maximè quando apposita est limitatè, Plura de his clausulis apud Barbosam, *de clausul. vsufrequent. clausul.* 102. *clausul.*127.

barbosa

13 Clausula *Decernens irritum & inane, &c.* apposita in priuilegiis, seu alibi, irritat omnia, quæ in contrarium fiunt, vnde actus contra decretum irritans factus, est ipso iure nullus, etiam parte non opponente, nisi actus ante illius decreti interpositionem plenè perfectus sit, ligat etiam hæc clausula ignorantes, non solùm si adsint ea verba, *vel ignoranter contigerit attentari.* Verum etiam si non adsint, intellige respectu nullitatis, non verò aliarum pœnarum. Operatur etiam hæc clausula effectum inficiandi titulum & possessionem, quando intrat constitutionem, cui adhæret tanquam accessorium formam inducit hæc clausula, adeo, vt illa non seruata, actus ipso iure corruat præscriptionem & consuetudinem, nedum in præteritum, sed etiam in futurum: vt docet Barbosa *de clausul. vsufrequent. clausul.*40.

barbosa

14 Clausula *ex tunc prout ex nunc* operatur in priuilegiis, & rescriptis Apostol. quod vnũ tempus videatur alteri inesse, habet enim hunc effectum, vt actus postea factus censeatur iam à principio factus, non est tamen retrotractiua ad diem datę in præiudicium iuris alteri quęsiti medio tempore. Ita Barbosa *de clausul vsufrequent, clausul.*61.

barbosa

15 Clausula *Contradictores, &c.* intelligenda est de contradictore, qui de facto solum, atque iniustè contradicit, secus autem si contradicat de iure. Per eamdem autem clausulam datur iurisdictio compescendi, non solum partes molestates, verùm, & extraneos contradicentes de facto, nam dicta clausula etiam extraneos comprehendit. Ita Glossa *in c. pro illorum, verb. Contradictores, de præbend.* Barbosa *clausul.*33. Rodriguez *tom.*1. *qq. regur q.*8.*a.*13. & alii.

Glossa. barbosa Rodriq.

16 Clausula *Appellatione remota* plures effectus operatur, & *Primò*, per eam non solum friuolæ, verum etiam legitimæ appellationes tolluntur, quia iura ita friuolas

uolas appellationes odio habent, quòd temerè & calumniosè appellantes puniant, *l. à Proconsulib. C. de appellat.* Cum igitur ex iuris dispositione friuola appellatio remoueatur, non est censendum Summos Pontifices, volentes religionibus aliquod priuilegium cõcedere, nempe quod ad suorum indultorum & exemptionum executionem, appellatione remota procedatur, friuolam, ac temerariam, seu calumniosam tantum appellationem iuribus nimis exosam repellere voluerint, cum priuilegium semper aliquid operari debeat. Ita Rodriquez *tom. 1. qq. reg. quæst. 8. art. 14.* Peirynus *in exposit. 7. constit. Iulii 11. de priuileg. Ordin. Minimor.*

Rodrigues Peirynus

Secundò, per eam clausulam non impeditur, quin possit Iudex ex legitima causa recusari. Nam non est præsumendum Principem voluisse, vt quis litiget coram iudice suspecto. Et quod per remotionem appellationis, siue de iure siue per rescriptum, non censeatur remota recusatio, docet Glossa *in c. si autem. §. si quis in quacumq. 2. q. 6.* quam probat Panormitan *in cap. nouit ille, num. 3. in fine de appellat.*

Glossa.

Tertiò, hæc clausula operatur vires suas respectu partium, non autem respectu tertii comparentis pro suo interesse. Panormitanus *in cap. super eo, de offic. delegat.*

Panormit.

Quartò, licet hæc clausula tollat appellationem a diffinitiua, non tamen tollit ab interlocutoria, imò dicta clausula nõ prohibet quid pars possit appellare, sed facit, quòd Iudex nequeat talem appellationem admittere. Adu.t ad Panormit. *ad cap. super eo, lit. B.*

17 Per clausulas generales à sede Apostolica in priuilegio communicationis appositas, non communicantur ea priuilegia, quorum communicatio à Summo Pontifice concedente prohibita fuit, sed erit necessaria clausula specialis. Vt docet Suarez *de leg. lib. 8. cap. 17. numer. 8.* quamuis non improbabiliter contrarium sentiat Rodriq. *tom. 1. qq. reg. quæst. 55. art. 17.*

Suarez. Rodriq.

18 Non censetur derogatum Concilii Generalis decretis, nisi expressa mentio fiat, his verbis. *Non obstante aliqua lege aut constitutione in Concilio Generali edita.* Ita Nauarrus *in man. cap. 27. num. 265.* Couarr. 4. *variar. cap. 16. num. 6.* dicens totum mundum hoc amplecti. Ratio est, quia cùm decreta Concilii ita matura deliberatione sancita sint, videntur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora contraria, nisi de illis specificam faciant mentionem. Imo si Concilium Generale modernum sit, quale est Tridentinum, oportet etiam illius mentionem facere, nec sufficiet generalis derogatio decretorum cuiuscumque Concilii. Ita Henriq. *lib. 7. de indulg. n. cap. 26. num. 3.* Viualdus *in Candelab. 3. p. cap. 12. num. 22.*

Nauarr. Couarr. Henriq. Viualdus

19 Vt promptius expediri possint difficultates, quæ circa dispensationes per breue obtentas à Dataria in ordine ad Matrimonium contrahendum, occurrant, sequentia notanda sunt.

Primum. Si detur dispensatio in forma pauperis, his verbis, *Qui, vt ipsi asserunt pauperes, & miserabiles existunt, & ex suis laboribus, & industria tantum viuunt.* Quamuis paupertas alioqui ex qualitate personarum æstimari debeat, vt tradunt Doctores in *l. Constante, ff. solut. matrim.* quomodo nobilis habens ducenta, vel quadringenta non dicetur diues, quæ tamen si haberet rusticus, censeretur diues, vt aiunt Mascardus *de prob. concl. 1159. num. 14.* & Menochius *de arbitrar. casu 65:* In nostro tamen casu ex æquitate ac benigna interpretatione mentis Superioris dispensantis piè credi potest dispensationem subsistere, etsi dispensandi tenuem reditum habeat, sed insufficientem ad victum, quia æquitas non scripta præfertur rigori scripto, si pro ea extet præsumptio. Glossa penult. in *cap. si suscitata, de in integr. restitut.* & æquitas est attendere potius sensus, quam verba, *l. 3. §. si quis, ff. de condit. caus. data.* Nomen autem *Miserabilis personæ*, sumitur arbitrio iudicis, hoc enim ipso quod in literis dispensationis dicitur, *& ex suis laboribus, & industria tantum viuunt*, excluduntur opulenti.

Maschard. Menochius.

20 Secundum, Clausula, *in primis ab inuicem separes*, intelligi non debet eo modo quo similis clausula quoad dispensationes obtentas à Sacra Pœnitentiaria, nã hoc ipso quòd dispensatio Datariæ spectat ad forum externum, seruari debent clausulæ in ea contentæ, & alioqui Dataria absolutè dispon t dictam separationem fieri debere. Probabile tamen est hanc Datariæ obligationem cessaturam, si separatio fieri non posset absque notabili infamia separandorum, cùm lex humana non obliget tanto cum dispendio, vt tradunt communiter Doctores.

21 Tertium. Pęnitentia publica, quam Dataria præscribit debere imponi dispensandis, & quidem talis, vt alios deterreat à similibus committendis, ea circumspectione debet iniungi, vt consulatur famæ personæ, cui ea imponitur. Talis pęnitentia esset, si dispensandi coram Vicario genibus flexis in præsentia grauium aliquot Virorũ acriter reprehendantur de excessu patrato, & corã illis certas preces recitent, aliquoties terram deosculantes & quidem etiam fune collo appenso, si iudicetur expediens. Neque hinc timeri potest infamia dispensandorum, cùm Dataria supponat illorum delictum esse satis publicum, sicque ex tali genere pœnitentiæ publicæ non immineat periculum nouæ infamiæ.

22 Clausula in breui dispensationis, cùm dicat, *Qua pænitentia publicè peracta*, & ablatiuus absolutus importet conditionem & formã, omissio namq; formæ in quacũq; minima parte vitiet actum, vt aduertit Sanchez *li. 3. de matr. disp. 5. num. 2.* consequens est, vt dicta pœnitentia impleatur ante ipsam dispensationem quæ enim sunt de essentia, cum forma det esse rei, *lib. Iulianus, §. si quis ff. ad exhibend.* quæ autem sunt de essentia, debent præcedere. Quamquam, si imponantur aliqua ieiunia obseruanda certis diebus, & adsit iusta causa anticipandi dispensationem, saltem de consensu Ordinarii, ea possint præueniri, cum designatio diei non supponatur principaliter facta in cultum temporis & ieiunium ipsum principaliter intendatur, sicque non interueniat in tali casu mutatio substantialis.

Sanchez

23 Si in literis Datariæ imponatur dispensandis, vt iurent se incestum non commisisse sub spe facilius habendi dispensationem, tenentur iurare veritatem, nec possunt adhibita æquiuocatione negare, si vterque spem illam concepit & ex ea patrauit incestum, cùm sic non adsit iusta causa æquiuocè negata ea spe dispensatio est subreptitia ac inualida. Spes tamen illa non esset exprimenda, si vnus solus dispensandorum sub ea spe incestum commisisset, & proinde illa ab vtroque negari posset cum aliqua æquiuocatione etiam ab eo, qui verè habuit dictam spem, quia tunc iustam habet causam æquiuocandi videlicet, ne sibi negotium facessat Ordinarius in ipsa expeditione dispensationis debitæ. Ita Sanchez *de matr. l. 8. disp. 25. n. 38. & d. 35. num. 8.*

Sanchez.

24 Si dispensandus ad matrimonium habeat duplex impedimentum, vnum publicum & alterum occultum hocque infamatorium; tunc Datariæ proponitur solum delictum publicum, occultum verò Sacræ Pœnitentiariæ, idque ad vitandam infamiam. Ita Sanchez *supra d. 23. num. 7.* Debet tamen explicari Sacræ Pœnitentiariæ impedimentum publicum super quo Papa dispensauit. Ratio est, quòd piè & meritò præsumitur Papa sic & non aliter velle, ne alias talis casus destituatur remedio dispensationis, aut dispensandi cogantur detegere propriam turpitudinem manifestando in foro externo suum delictum infamatorium cum periculo infamiæ, & quod tale crimen sic detectum deferatur ad iudicium, pœnisq; iure statutis puniatur.

25 Hoc distat inter examinationem veritatis precum dispensationis fori interni & dispensationis fori externi, quod in illa debet accipi sola partis informatio, quippe quæ omninò occultè fieri debet, ac sequitur leges solius fori interni. In hac autem, vt pote publica & sequente leges fori externi, quo concessa est, ex testimonio aliorũ certior fieri debet. Quamquam, si notoria sit veritas precum, aut aliunde iudici de ea constet, nulla sit opus informatione, cùm iam conscientiæ Iudicis sit satisfactum. Quòd si ignarus veritatis precum dispenset, non valet dispensatio, etsi preces in se sint veræ. Ita Sanchez *supra disp. 33. num. 16.*

Sanchez.

25 Clausula Datariæ in dispensationibus apponi solita *ad euitanda scandala*, verificetur, sufficit probabilis timor inimicitiarum inter vtriusque consanguineos, si matrimo-

matrimonium dissoluatur, quæ etiam solet allegari matrimonio nondum inito, quando mulier famæ iacturam passa est ex copula habita cum consanguineo, cui nuptura est, vel ex frequenti, ac suspecta conuersatione cum eo. Sufficit etiam probabilis timor incontinentię ex eo quod ij sint iuuenes; & cùm sæpe non constet in foro externo impedimentum occultum, quod irritat prius matrimonium, neutri conceduntur aliæ nuptiæ, & ita in periculo incontinentiæ versabitur, vel concubinatus inter se. Vide Sanchez *loco citato disp. 19. num. 9. & 10.*

Sanch.

Vide v. Compromissum *num. 4.* Confessio *num. 11. &* 12. Matrimonium 3. *num. 18. & sequentibus.*

CLAVSVRA.

SVMMARIVM.

1 *Clausura monialium quid sit, & quo iure instituta.*
2 *Vtrum Ecclesia possit imponere perpetuam clausuram monialibus?*
3 *An præceptum clausuræ comprehendat omnes moniales.*
4 *Quis possit licentiam dare monialibus, vt extra clausuram possint egredi.*
5 *Quæ sit causa legitima, ob quam monialibus possit concedi egressus è claustro.*
6 *An moniales egredientes sine legitima facultate extra clausuram, incurrant excommunicationem, & quibus pœnis afficiantur Prælati licentiam dantes extra casus permissos.*
7 *Pœna à iure statuta contra ingredientes clausuram monialium sine licentia Superiorum. Et an in ingressu vel egressu clausuræ monialium detur paruitas materiæ excusans à mortali & censuris.*
8 *Causa iusta ingrediendi monasteria monialium est necessitas monasterij, seu monialium manifesta. Et an ingredientes cum licentia teneantur statim finito negotio exire. Et qui sint illi casus in quibus liceat ingredi.*
9 *Quis Superior possit licentiam dare, ingrediendi monasteria monialium, & an ipsemet possit ingredi sine alterius licentia, in casibus necessarijs.*
10 *An iure communi sit prohibitum accedere ad Moniales, & an id prohibeatur Fratribus Minoribus ex vi regulæ.*
11 *An Prouinciales, Ministri & Guardiani ex priuilegijs antiquis Pontificum, possint licentiam dare Fratribus accedendi ad Moniales.*
12 *Ponitur decretum sacræ Congregationis Cardinalium strictius prohibens accessum ad moniales. Et an obliget ad mortale.*
13 *An hoc decretum sit vsu receptum in Germania, Gallia, & Belgio apud sæculares & regulares.*
14 *An ingressus mulierum in claustra virorum regularium, sit prohibitus sub peccato mortali, & excommunicationis censura.*
15 *Quas pœnas incurrant mulieres ingredientes monasteria virorum, & religiosi illas admittentes. Et quæ loca veniant nomine Monasterij.*
16 *An pœna priuationis officiorum & inhabilitatis ad illa, incurratur absque sententia Iudicis declaratoria criminis:* refertur duplex sententia.
17 *Quis absoluat ab excommunicatione hac dum publica est, vel est deducta ad forum contentiosum.*
18 *Quis possit dispensare in pœnis priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa.*
19 *In quibus casibus sit licitus ingressus fœminarum in virorum Monasteria.*
20 *An religiosis iure sit indicta clausura, & quale sit peccatum in religiosis violatio illius clausuræ.*

1 CLausura Monialium solum iure humano positiuo instituta fuit, vt patet ex multis decretis & Constitutionibus variorum Pontificum *cap. periculoso, de statu regul. in 6.* Bonifacii VIII. *Circa Pastoralis* Pij V. *Deo sacris Virgin.* Tamburin. *de iure Abbatissar. disp. 18. quæst. 3. num 3.* Gregorij XIII. & ex Concilio Tridentino, *sess. 25. c. 5.* contra nonnullus, qui dixerunt clausuram iuris esse diuini, imò & naturalis, quia alias nequirent Pôtifices, vel Concilium moniales adigere ad clausuram seruandam, cum eam numquam voto, & professione promiserint. Sed hęc sententia non est tenenda, cum ex sacris Literis, aut ex traditione aliqua diuina, eiusmodi clausura clarè deduci non possit, præsertim cùm à primis Monialibus per Apostolos consecratis minimè seruata fuerit.

Bonif. VIII. Pius V. Tambur. Greg. XIII. Con. Trid.

In Monialium clausura duo inhibentur, *Primum*, monialium extra Monasterium egressus, & aliorum cuiuscumque sexus intra monasterium ingressus. Nomine verò *Clausuræ*, intelligitur spatium, quod intra ianuam monasterii semper clausam continetur. Termini verò, & limites istius clausuræ complectuntur omnia monasterii loca, quæ ianua clausa continentur, & ad quæ sæculares non admittuntur. Consulaotur Nauarrus. *C. statuimus 19. quæst. 3 num. 29. comm. 4. de regul.* Rodriq. *tom. 1. qq. reg. quæst. 44. art. 1.* Miranda *de sacr. monial. qu. 1. art. 1.* Azorius *tom 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 2* Suarez *de relig. tom. 4. lib. 1. cap. 8.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 15. num. 3* Portel*ia dub. regul. v. clausura monial.* Tamburin. *de iure Abbatissarum disp 18. quæst. 1.*

Nauarrus. Rodriq. Miranda. Azorius Suar. Sanchez Tambur.

2 Extra controuersiam est Summum Pontificem prohibere posse aliarum vtriusque sexus personarum ingressum in Monialium monasteria, cùm ingressum in domum suam inhibere valeat Paterfamiliàs, sicut quilibet Prælatus regularis in sibi subditis monasteriis hunc ingressum interdicere potest; Sed quantùm ad Monialium extra Monasteria egressum, fuit difficultas non parua, an vbi numquam seruata est clausura, seruari nunc debeat: videri potest quòd eiusmodi moniales non possint cogi ad clausuram, tum quia obligatio voti ex propria voluntate & intentione causatur, vnde consequens est vota nô obligare vltra intentionem vouentis, at intentio monialium quando vouebant, non fuit se obligare ad clausurã ergo ad eam non possunt obligari, tum quia nullus est cogendus ad amplius quam promisit. Tum quia Tridentinum *sess. 25. cap. 5.* solùm iubet clausuram seruari vbi semper seruata est, & vbi est violata restitui. At non dicitur violari, nec restitui, quod numquam fuit. Ergo conseqoens est Moniales oon posse compelli ad clausuram seruandam.

Con. Trid.

Bannes.

Propter has rationes, quidam, vt docet Bannes *infrà*, non sine temeritate decretum hoc Tridentini, audent in dubium vertere, an Summus Pontifex, perpetuam clausuram præcipere possit Sanctimonialibus, quæ illam nô sunt professæ. Sed mirum est, inquit, quòd hæ rationes apud viros aliàs doctos probabiles videantur, & propter illas, miserabiles glossas & intelligentias ad prædictum decretum proferant, cùm tamen Concilium, & posteà Summi Pontifices Pius V. & Gregor. XIII. propriis motibus, nulli dubio locum relinquant. Concludendum est ergo, Ecclesiam omnibus monialibus cuiuscumque sint ordinis, eis etiam quæ non vouerunt, neque vmquam seruauerunt perpetuam clausuram, illam imponere posse ac per consequens posse moniales à Superioribus compelli ad clausuram seruandam, etiamsi hactenus eam nô seruauerint, & si nolint obedire, grauiter peccare, vtpote agentes contra legitimum mandatum Superioris in re notabili. Ratio est, quia tenentur omnes Religiosi, & Moniales obedire non solùm in iis quæ directè in regula continentur, sed etiam quæ indirectè, hoc est, quæ conducunt ad commodiorem regulæ obseruantiam, & hæc dici non debent supra regulam, ad quæ non tenentur, sed omninò secundùm eam. Quis enim non uidet (experientia testè) clausuram esse necessariam ad custodiam castitatis, quam moniales vouerunt Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 9.* Hieronymus Rodriquez, *in compend. resol. 26. nu. 2.* Syluester *v. religio 7. num 16.* Bonacina *de claus. quæst. 1. §. part. 2.* Bannez *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6 §. ex dictis sequitur* Tambur. *de iure Abbatissar. disp 18. quæsit. 4.* Si dicas prædictum decretum Concilii & Pontificias constitutiones non esse vsu receptas? Respondet Syluius *2. 2. quæst. 104 art. 5.* Sanchez *c. num. 4.* Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 1.* & alii, quibusdam in locis esse receptas, vbi autem non sunt vsu receptæ, Moniales clausuram non seruantes, à peccato quidem excusantur, quamdiu ipsis

Lessius. Hieronym. Rodriq. Syluest. Bonacina. Bannez. Tambur.

Syluius. Sanchez Azorius

à legitima

à legitima poteſtate, hoc eſt ab Epiſcopis aliiſque ſuis ſuperioribus non præcipitur. Sed quando hoc eis per ſuos Superiores mandatur, debent obedire. Quando verò expediat præcipere contradicentibus ex rerum, temporũ & perſonarum circumſtantiis iudicandum relinquimus. Ita ille. Cuius ſententiæ adhærent communiter Doctores *numero primo* citati, quibus adde Leſſium, Syluestrum, Bonacinam, Bannem, *ſupra*.

[Leſſius. Syluest. Bonacina. Bannez.]

3 Quamuis Bonifacius VIII. *cap. periculoſo, de ſtat. regul. in 6* omnibus monialibus præceptum impoſuerit clauſuræ, eius tamen Decretalis per contrariam conſuetudinem ſcitam & notam ipſis Romanis Pontificibus in Gallia, Hiſpania, Germania derogata fuit, vnde Corduba *in annotationib. ad collect. priuileg. verb. clauſura, vbi. t.* doctrina eſt quòd illud ius commune in *cap. Periculoſo, de ſtatu regul. in 6.* non comprehendat Tertiarias in communi viuentes, tria vota ſolemniter emittentes, Tũ quia illarum regula per Leonem X. edita, & confirmata poſt illud *cap.* conceſſit eis, quod non teneantur ad clauſurã niſi illæ, quæ clauſuram vouere voluerint, idem dicit de aliis multis monialibus aliorum ordinum, puta *Beati Bernardi & B. Benedicti*. Tum quia ſecundum Caietanum *in Summ, v. Monachi, & Moniales*. iura non recepta tanto tempore, infirma ſunt, nec ſufficit eſſe ſcripta, & inſerta in corpore Iuris, & eſſe rationabilia. Verum poſt Concilium Tridentin. & conſtitutiones Pii V. & Greg. XIII. *ſupra* dictas dicendum eſt, omnes & ſingulas Moniales cuiuſcumque Ordinis ſint, etiam Conuerſas, & Tertiarias, poſt profeſſionem teneri onere clauſuræ, modò in congregatione viuant. Nouitię tamen non tenentur ad clauſuram, quia in iure ſermo eſt de profeſſis non de nouitiis, vt docent Suarez *c num.* 14. Miranda *c. art.* 3. Rodriq. *c. art.* 2. Sanchez *c. num.* 13. Tamburin, *c. diſp.* 18. *quæſt.* 5. & 6. Hieronymus Rodriquez *reſol.* 26. *num.* 2. & alii citati *ſupra*, Ratio eſt, quia Concilium explicans quaſnam Moniales prædictum decretum comprehendat & qualiter clauſura prædicta obſeruanda ſit, ait. *Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire a monaſterio, etiam ad breue tempus quocumque prætextu*, &c. Animaduertendum tamen hic eſt ex Extrauaganti Pii V & Greg. XIII. quòd ſi prædictæ Moniales indigeãt quòd conuerſæ profeſſæ ad conuentus neceſſariam ſuſtentationem, colligant fidelium eleemoſynas, quæ eiuſmodi miniſterio deſtinantur, non poſſunt intra Monaſterium degere, ſed extra, in domibus contiguis debent commorari, & inde ad congregandas eleemoſynas, eiſdem exire licebit, modò ſint annorum quadraginta. Vide miranda *cit. quæſt.* 1. *art.* 5.

[Caietan.] [Suarez. Miranda. Rodriq. Hieronym Rodriq.] [Miranda.]

4 Ordinarius qui licentiam dare poteſt Monialibus, vt extra clauſuram poſſint egredi, eſt Epiſcopus, vel eius Vicarius generalis, & ſede vacante Capitulum pro ſibi vel Sedi Apoſtolicę ſubiectis, vt decernitur in Tridentino. Pro exemptis verò quæ regularibus ſubduntur, attento motu proprio Pii V qui incipit, *Decori & honeſtati* eſt, generalis, Prouincialis, vel alius Prælatus immediatus, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens, & præterea Epiſcopus vel eius vicarius generalis, vbi prædictus motus proprius vſu receptus eſt. Sed quia multis in locis vſu receptus non eſt, conſequenter dicendum eſt in Monaſteriis exemptis, & regularibus ſubiectis non eſſe neceſſariã Epiſcopi licentiam, ſed ſufficere facultatem Generalis aut Prouincialis, aut Superioris loci Monaſterii, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis. Ratio eſt, quia cõſuetudo eſt optima legum interpres, & quantum ad hoc præfata conſtitutio multis in Prouinciis non eſt recepta, nec poſita in praxi, vnde per non vſum iam omninò vim amiſiſſe obligandi videtur. Ita Miranda *tr. de ſacr. Mon. q.* 3 *art.* 6 Sanchez *l.* 3. *moral. c.* 15. *nu.* 28. Suarez *de relig. tom.* 4. *li.* 1. *c.* 9. *n.* 13. Azorius *to.* 1. *lib.* 13. *c.* 8. *q.* 1. Rodriq. *tom.* 1 *qq. reg. quæſt* 49. *art.* 6. Bonacina *de clauſ. quæſt.* 1. *p.* 8. Tamburin. *de iure Abbatiſſar diſp.* 20. *quæſt.* 5. & 6. Aduertendum hic eſt licentiam Superioris pro Monialibus, ad hoc vt in caſibus licitis exire poſſint è Monaſterio neceſſario eſſe debere in ſcriptis, vt habetur expreſſe in dicta conſtitutione Pii V. & colligitur ex Tridentino. Si enim ad ingreſſum cuiuſcumq; perſonæ in Monaſterium idipſum requiritur, quantò magis ad Monialium exitum, quæ grauior res eſt, vt adnotant Nauarrus *in c. ſtatuim. n.* 60. Portel *v. clauſ. monial. n.* 26. & alii *ſuprà* cit.

[Miranda. Sanchez Suar. Azorius Rodriq. Bonacina. Tambur.]

5 Cauſa legitima ob quam Monialibus concedi poteſt egreſſus è clauſtro, triplex in Motu proprio Pii V. *Decori & honeſtati* exprimitur. Prima eſt, *Magnum incendium*. Sub nomine autem incendij magni, intelligitur incendium ita magnum & euidens, vt certum ſit, aut ſaltem probabile multum videatur eſſe, quod niſi Moniales omnes ſtatim à monaſterio exeant, omnes ſint ſimul morituræ, atque conſumendæ, quod ſi ignis intus ardens poteſt extingui, ipſis Monialibus intra Monaſterium manentibus non poſſunt egredi etiam cum licentia Prælatorum. Secunda cauſa eſt, *Infirmitas lepræ*. id eſt, infirmitas adeò cõtagioſa, quòd ſi ipſius radix, & origo foras non eiciatur, hoc eſt Monialis eiuſmodi morbo infecta, citò omnes Monaſterii eiuſdem ſorores inficiet, proindèque cunctæ peribunt, vnde quælibet ſcabies incurabilis, lepra dici non debet. Tertia cauſa eſt, *Infirmitas Epidemia*. Nomine autem Epidemiæ, intelligitur morbus contagioſus, communitati pernicioſus, & præiudicialis, qui populariter graſſetur in populo, maioremque ægrotorum partem quos apprehenderit interimit, vt eſt peſtis, morbus Gallicus, morbus D. Lazari, ignis S. Anthonii, & ſimiles. Si tamen Moniales curari poſſint in Monaſterio, abſque aliarum infectione, non poſſunt è Monaſterio exire, quia ceſſat iuſta exeundi cauſa. Sic communiter Doctores explicant Motum Pii V. Gutierrez *in qq. Canon. c.* 14. *num.* 8. *l.* 1. Rodriq. *c. q.* 49 *a.* 2. 3. & 4 *Collect. priu. v. Clauſ. Mon. poſt.* 5. 5. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 1. Sanchez *c. nu.* 35. Tamburin. *c. diſp.* 20. *quæſt.* 1. & alii.

[Portel.] [Gutierrez Rodriq. Layman. Sanchez Tambur.]

Sed eſt difficultas, an tres illæ exceptiones Epidemiæ, lepræ & incendii contentæ in prædicta Extrauagante Pii V. extendendæ ſint ad alios caſus ſimiles, vel vrgentiores. Quidam enim hanc extenſionem negant, quia Motus proprius rigidiſſimis verbis vtitur, dicens *nulla alia occaſione & prætextu*, præterquam illius triplicis infirmitatis, licere exitum, ubi apertè quamcumque ad alios caſus extenſionem excludit, vtens dictione taxatiua, *nulla* &c. Ea enim eſt negationis natura, vt quidquid poſt ſe inuenit, deſtruat, eiuſque oppoſitum ponat. Hæc ſententia procul dubio eſt probabilis & iuri conformis, quam tenent & probant Gutierez *c cap.* 14. *num.* 7. Miranda *c. quæſt.* 3. *num.* 4. *cap.* 1. *Collect. priuil. Mend. v. Clauſur. Monial.* Corduba *ibid.* Zerola *in praxi Epiſcop.* 1. *p. v. Moniales, quæſit.* 16. *dub.* 2. dicens ſic declaraſſe ſacram Cardinalium Congregationem.

[Gutierrez Miranda. Cordub. Zerola.]

Nihilominus contrarium vſu receptum eſt in nonnullis caſibus. Tum quia licet dictio taxatiua extenſionem ad alios caſus admittere non ſoleat, nihilominus id fallit dum aliter vſu receptum eſt, vel dum aliter ex rationabili ſuperioris voluntate colligitur, dum eadem, vel vrgentior ratio militat. Huius ſententiæ ſunt Rodriquez *c. q.* 40. *a.* 5. Nauarr. *in c. Statuimus, num.* 49. Bonacina *c. punct.* 9. *num.* 6. Suarez *c. num.* 8. & *ſeq.* Sorbus *in addit. ad compend. v Ingred. monaſteria num.* 6. Sanchez *c. numer.* 27. & alii Caſus autem ſimiles præcedentibus ab his Doctoribus enumerantur. *Primò*, dum bellum contra hæreticos aut infideles geritur, periculumq; eſt, vt niſi Moniales Monaſterio egrediantur, graui damno afficiantur Nauarrus *Comm.* 4. *de regul. n.* 48 Azorius *p.* 1. *l.* 13. *cap.* 8. *q.* 1. Sanchez *c n.* 44 *Secundo*. Dum totus Monialium conuẽtus in alium locum de conſenſu Epiſcopi transfertur, Sorbus *v. Clauſura caſu* 6. *ex* Trident *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *Tertio*. Dum propter feudũ tenetur Abbatiſſa, vel Prioriſſa præſtare iuramentum fidelitatis alicui Domino ſæculari, & illud per procuratorem præſtare nequit *c. periculoſo, §. verum, de ſtatu reg. in* 6. *Quarto*. Dum aliquod eiuſdem ordinis Monaſterium eſt reformandum, vel fundandum, vel ſi Monialis ad aliud eiuſdẽ ordinis & habitus Monaſterium, in quo nulla Monialis ad Abbatiſſæ munus habilis reperitur, transferatur, vt ſit Abbatiſſa, vel nouitiarũ Magiſtra, uel ut ianuæ præficiatur Rodriq. *c. qu.* 49. *a.* 5. Miranda *c. quæſt.* 3. *a.* 3. Sorbus *c.* Sanchez *c. n.* 45. & *ſeq.*

[Nauarr. Bonacina. Suarez. Sorbus Sanchez] [Nauarr. Azorius Sanchez] [Sorbus. Conc. Trid.] [Rodriq. Miranda. Sorbus. Sanchez]

Tutius, Tamen eſt in his Sedem Apoſtolicam conſulere, quia ex Decreto Pauli V. publicato à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regulariũ ſub *die* 22. *Decemb.* 1617. ac intimato Procuratoribus Generalib. Ordinum,

Non

Non possunt Moniales quacumque occasione transferri de Monasterio ad Monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicæ,toties quoties obtinenda,neque ratione Prioratus vel alterius officii, quibuscumque in contrariū non obstantib Lucas Castellinus,*tr.de elect.c.*17.Diana,*tr.de dub reg. ref.*99.Portel *in dub.reg.v.Clauf.Monial.num.*21. Tambut.*c.disp.*20 *q.*2.

Castell.in. Diana Portel. Tambur.

Quando necessitas è claustro exeundi manifesta,& superior tunc pro licentia petenda adiri non potest absque graui periculo,ratione longæ distantiæ ipsius,licitum est monialibus eo inconsulto egredi,quia necessitas caret lege. Moniales tamen tenentur id superiori significare si possint,durante egressu. Vide Syluestrum, *v.religio*,7.*qu.* 16.Rodriq *c.ar.*2.Sanchez.*c.n.*62.Compendium *priuileg. Mendic.v.Clausura Monial.casu* 1.Tamburinum,*c.disp.* 20.*quæsit.*5.*nu.*3.*&* 4.Lezanam,*tom.*3.*Sum.*2.*Clausura, num.*10.

Syluest. Rodriq. Sanchez. Comdead. tambur. Lezana.

Sed quçres,an monialis efficiatur excommunicatione, si grauida effecta sine legitima licentia è clausura exeat,vt fœtum edat,& delictum suum abscondat? Resp. Affirmatiuè,nisi inde timeat mortis periculum, quia solùm propter illum timorem excusari potest à fractione clausuræ tam necessariæ pro bono regimine monialium. Tambur. *disp.*19.*q.*4.*in solut.ad* 12.

tambur.

Multò minùs excusari potest monialis à trangressione clausuræ, si exeat sine legitima licentia propter habendā curam nepotum,etiam omni auxilio destitutorum, vel aliorum consanguineorum infirmorum; quia isti casus nō excipiuntur à Pio V.in Constitutione supradicta,& clausuræ præceptum strictissimè obligat moniales. Barbosa, *in collect. Bullar.v.monialium claus.circa egress.*Bonacina *c.q.*1.*p.*9.*n.*4 *&* 5.

Barbosa. Bonacina.

6 Moniales egredientes sine legitima facultate à clausura extra casus permissos,per Constitutionem Pii V.quæ incipit, *Decori,& honestati* sunt ipso facto excommunicatæ maiori excommunicatione Papæ reseruata,& in eamdem incurrunt Prælati eisdem exeundi licentiam quocūque modo concedentes,nec non & ipsas concomitantes, ac personas illarum receptatrices Et insuper tam egressas quàm Præsidentes,&alios superiores,eis licentiam huiusmodi concedentes,dignitatibus,officiis,& administrationibus per eas,& eos nunc obtentis,prędictus Pontifex priuas, & illas & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles declarat.

An autem,qui causa vrbanitatis, vel amicitiæ, vel honoris,vel consanguinitatis Monialem illicitè egressam comitatur,vel recipit,incurrat prædictas penas? dicendum est quod non,modò non cooperetur egressui,vel perseuerantiæ in egressu. Ratio est, quia excommunicationem latam in hæreticorum receptatores,illi soli incurrunt,qui receptant vt hæreticos,idest,fauendo aliquo modo hæresi ergo similiter illi soli receptatores,& comitantes his pœnis subdentur,qui recipiunt monialem egressam,fauentes aliquo modo illius delicto, Sic Rodriquez,*c.q.*49.*art.vlt.* Nauarr *comm.*4.*de regul.n.*51. Azorius,*c.lib.*13.*c.*8.*qu.*1. *fin.*Graffiis,1.*p.lib.*4.*c.*23.*nu.*17. Miranda,*tr.de sacris monial.q* 3.*art* 7.&alii,

Rodriq. Nauarrus, Azorius Graffiis Miranda.

7 Omnibus personis cuiuscumque generis, conditionis,sexus,vel ætatis fuerint, postquam ad rationis vsum peruenerint,sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reseruatæ,prohibetur,ne intra septa Monasterii Monialium ingrediantur,sine licentia ob casū aliquem necessitatis in scriptis obtenta,ab Episcopo,vel à Prælato Ordinis,cui Monasterium exēptum subest. Hæc colliguntur tum ex *c.periculoso, de statu regular. in* 6. ibi, *Nulli aliquatenus inhonesta persona, vel etiam honestæ ingressus, vel accessus pateat ad easdem Moniales.* Tum ex Tridentino,*sess.*25.*c.*5. ibi, *Ingredi intra septa Monasterii, nemini liceat, cuiuscumque generis,aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit,sine Episcopi,vel Superioris licētia,in scriptis obtenta,sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantùm Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis*. Idem confirmauit Greg. XIII.in quodam motu proprio,qui incipit. *Vbi gratiæ*, augens pœnas ingredientibus, & ipsis Monialibus, quæ ingredientes admittunt. Et Pius V.in suo motu proprio,qui incipit,*Cura pastoralis*,innouauit, & confirmauit omnia contenta in *c.periculoso*. Ex quibus prohibitionibus colligere est,ingredientes absque licentia,& indebitè,incurrere excommunicationem, & priuationem officiorum, & inhabilitatem ad futura officia,quæ sunt tres pœnæ valdè diuersæ,& considerandæ pro diuersis remediis. Vt tamē incurrantur hæ pęnæ requiritur præsumptio,& dolus, si enim quis credens se habere causam iustam,& licentiam, quæ à parte rei tales non sunt ingrediens non incurrit prædictas pęnas,quia non facit præsumens,imò à mortali excusatur culpa ob bonam fidem Ita Rodriq *c.q.*47.*ar.* 2.ex Nauarr.*in man.c.*27.*n.*109.

Conc.trid.

nauarrus Rodrib.

Sed petes,an Prælatus,vel alius indebitè præsumens,& ad libitum iubeat, aut cōsulat,vt aliquis intret clausuram monialium,incurrat prædictas pœnas? Responsio est negatiua,quamuis malè iubens, vel consulens peccet mortaliter. Ratio est, quia nulla excommunicatio hìc posita, ligat mandantes,vel consulentes,sed solùm ingredientes, lex autem pęnalis est restringenda,non extendenda; & excommunicatio contra facientes lata non ligat mandantes nisi lex illud exprimat,quia censura non debet extendi de vno casu ad alium,vt dictum est *supra v censura,num.*30. Sed hæc responsio limitari debet iuxta proximè dicenda, vt scilicet non intelligatur in casu motus proprii Gregor. Decimi tertii hìc citati, qui sub his pœnis comprehendit etiam quoscumque permittentes,vel ingredi facientes dictam clausuram sub prætextu licentiarum,& facultatum Apostolicarum. Vt videre est apud Sanch *lib.*6.*mor.c.*16. *num.*83.*&* *c.*17.*num.*35.

Sanch.

An autem excommunicationem,& alias pęnas Gregorii Decimitertii,& Pauli Quinti.in constitut.quæ incipit, *Monialium statu*s. incurrant ingredientes Monasteria Monialium. non prætextu licentiarum, sed absque vlla prorsus licentia,etiam ad malum finem. Duplex est sententia Prima asseris omnes illicitè ingredientes,& admittentes comprehendi,tum quia longè grauius delictum est ingredi,absque vlla prorsus facultate,& sic ingressum admittere,quàm innitendo superioris facultatibus. Ergo à fortiori ille ingressus, illaque admissio, comprehenduntur sub his pœnis Tum quia lex quantumcumque pęnalis extenditur ex rationis identitate ad similem casum, & maximè si eadem sit ratio illa expressa. Huius sententiæ sunt Nauarrus,*in Man.c.*27.*sub n.*150. Gutierrez,*qq.canon.l.*1.*c.*10.*n.*3.Azorius,1.*p.l.*13.*c.*8 *q.vlt.* Quaranta,*in sum.bull.v. Monasteria Monial.*& alii.

nauarrus Gutierrez. Azorius Quaranta.

Mihi tamen contraria sententia probabilior est, quia cùm excommunicatio sit pœnalis,non est amplianda,sed potiùs restringenda,nec extendenda ad alium casum, etiamsi ei sit similis,aut etiam maior ratio. Non enim est nouum, minora delicta aliquibus pęnis in iure subiici,ob aliquam specialem rationem in eis concurrentem,vt hic contingit,propter maiorem ingrediendi audaciam, quæ reperitur in habentibus eas facultates,deinde non est certum legem pęnalem extendendam esse quoad pœnam in ea contentam,ad casum non expressum,etiamsi in illo eadem inueniatur ratio imò oppositum est verius: vt docet Suarez,*de censur.disp.*22.*sect.*6.*n.*11.*& seq.*Sayrus,*de censur.lib.*3.*c.*31.*n.*10.Rodriq.*tom.*1.*qq.reg.q.*47.*art.*1.Diana *p.*2.*tract.*2.*miscel.resol.*30. Sanchez,*l.*6.*mor.ca.*16.*nu.*78. Miranda,*tract de Monial.q.*2 *art.*10.*concl.*1. Barbosa, *de potest.Episc.p.*3.*alleg.*102.*n.*37.Tambur.*c.disp.*22.*qu.*1.& alii permulti ab ipsis citati. Solùm ergo incurrunt pœnas bullæ Gregorii admittentes, & ingredientes prætextu facultatum,non autem,qui admittunt,& ingrediuntur sine licentia, etiamsi ingrediantur, & admittantur ad malum finem. Pręterea est aduertendum secundùm Suarez, *de relig.tom.*4.*l.*1.*c.*7.*n.*5.Sanchez,*c.n.*3. Rodriq.*to.*1.*qq.reg. q* 48.*art.*1. Dianam,*p* 3.*tr.*2.*res* 67. Tambur.*c d.*24.*q.*20. sub prædicto motu proprio Gregorii Decimitertii, & prohibitione Concilii Tridentini, non comprehendi Reges Reginas, Imperatores, Imperatrices, & eorum filios, & filias: Constitutio enim pœnalis non comprehendit personas tantæ notæ, & tam insignes. Licet aliqui contradicant. Porrò hæc prohibitio minimè ad pueros nondum rationis vsum adeptos extenditur: quia infantes qui rationis vsūm nondum nacti sunt, non sunt capaces præcepti, neque censuræ,vt docet Sorb.noster, *v.ingressus,num.*2 An autem amentes sub hac prohibitione contineantur;

tineantur, dicendum est quod sic, si pubertatem nacti sint, quamuis enim ipsi culpæ incapaces sint, eam tamen incurrent, qui eorum ingressus causa fuerint. Ratio, est quia hi ad peccatum incitare queunt, occasionem peccandi aliis præbendo, tumultum excitare, perturbare Moniales, turpiter iocari, loqui turpia, iocosa & vana, & alia id genus plurima religionis honestati & decentiæ valde dissona. Ita Nauarrus, *in c. statuimus* 19. *q.* 3. *num.* 59. Rodriquez, *tom.* 1. *qq. regul. q.* 46. *art.* 1 Sanchez *c. num.* 8. Tamburin. *c. d.* 22. *q.* 5. & alii contra Azorium 1. *part. lib.* 13. *c.* 8. *q.* 5.

Nauarr. Rodriq Sanchez Tambur. Azorius

Sed rogabis an in ingressu vel egressu clausuræ Monialium detur paruitas materiæ excusans à peccato mortali, & censuris? Respond. transgredientes clausuram modico & ingressu, excusari à culpa lethali, & à censuris in transgressores latis, quia modicum ab his excusare solet, nempe quãdo hæc non sunt perfecta & consummata, sed semiplena, quia nimirum pars corporis est intra, pars autem extra, nec aliquid refert, an maior corporis pars sit intra aut extra, dum enim totum corpus non est intra aut extra, non sunt perfecti ingressus & egressus, vt culpæ lethali & censuris subiiciantur. Ita Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 16 *num.* 70, Tamburin. *c. d.* 19. *q.* 4. *ad* 1. *casum* contra Graffium 1. *part. decis. l.* 4. *c.* 23 *num.* 25. qui illud modicum existimat, quando ad duos solos pedes esset intra vel extra partæ clausuram, sed hoc non est admittendum, quia cùm hic iam verus intra clausuram ingressus, vel ex ea egressus, sufficiens est ad culpam lethalem, & censuras incurrendas. Nec modicum reputatur, quando perfecta transgressionis ratio in illo reperitur, vide Dianam *part.* 5. *tract.* 5. *res.* 22. Hinc Monialis, quæ virili more quasi equitans insidet muro Monasterii non frangit clausuram, quia reuera non exit perfectè extra clausuram. Tamburinus *de iur. Abbatissar. disp.* 19. *quæst.* 4. *in solut. ad* 7. Similiter dum monialis existit in aperto ostio Monasterii non violat clausuram, dummodò perfectè non sit egressa, sicut nec si impulsu brachiorum, & per iocum inuita extra septa Monasterii compellatur. Naldus *v. Clausura num* 1.

Sanchez Tambur. Graffius.

Diana.

8 Necessitas Monasterii, seu Monialium manifesta, cui aliter commodè occurri non potest, quam ingressu extraneorum in Monasterium, causa iusta est, ob quam ingressus in Monasterium monialium conceditur Sanchez *c. num.* 39. & 40. Bonacina *de clausf. quæst.* 1. *p.* 4 Rodriq. *c. q.* 46. *art.* 4 Mirand. *de monial. q* 2 *art.* 4. *conc.* 2. Portel, *de dub reg. v. Clausur. Monial. num.* 4. Tambur. *de iure Abbatissar. d.* 24. *quæst.* 1 Ratio desumitur tum ex motu Gregorii, *vbi gratia*, tum ex Tridentino *sess.* 25. *c.* 5. Nec ista necessitas sumenda est logico vel Metaphysico modo ut est, ut sit extrema, seu strictissima, sed satis est necessitas moralis, quia præcepta Ecclesiastica tantùm necessitatem moralem ad excusandam transgressionem petunt. Non tamen quæcumque causa quæ rationabilis superiori alias fortè visa fuisset, hoc tempore sufficit, sed opus est vt moralis necessitas subsit. Ita Miranda, Rodriq. Sachez, Bonacina, Portel, qui minorem causam, & necessitatem requirunt, vt intrent mulieres, quam ut intrent uiri. Necessitas verò manifesta dicitur, non solùm dum à toto populo scitur, uerùm etiam, dum soli Prælato licentiam cõcedenti nota est, unde non opus est, ut causa sit omninò euidens & certa, sed satis est, vt illam iustam & sufficientem esse probabiliter Prælatus opinetur.

Sanchez. Bonacina, Rodriq. Miranda. portel. tambur.

Hinc iustam ingressus causam habent, *Primo*, medici, chirurgi, barpitonsores, medendo infirmitati, monialium necessarii, Pharmacopolæ, Similiter & Fabri, cœmentarii & ministri necessarii alicui ædificio monasterii. Tamb. *de iure Abbatissar. d.* 20. *q.* 6. Nauar. *comment.* 4. *de reg. n.* 59. Mirand. *de Monial. q.* 2. *a.* 17. Sanch *l.* 6. *c* 16. *n.* 43. *Secundo*, Confessariũ dum alicuius monialis confessionẽ excepturus est, quam commodè ad fenestellam audire non potest, ut si moniali sit surda, uel ob infirmitatem decũbat in lecto, eamdẽ iustam habẽt causam ministraturi Sacramenta Eucharistiæ, & Extremę vnctionis infirmis Bon *de clausf. q.* 4. *pu.* 4 *n.* 4. Portel *de du. reg. v. cl. Monial. nu.* 9. Rodriq. *tom.* 1 *qq. reg. quæst.* 46. *art.* 4. Miranda *cit. ar.* 17. *in* 1. *casu* Villalob. *in Sum.* 10. 1. *tr.* 35. *diffic* 47. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 67. Tamburinius *cit. disp.* 24. *quæst.* 2. & 5

tamburin. nauarrus. Miranda. Sanchez

Bonacina. portel Rodriq. Miranda. Villalob. Diana Tamburin.

Si petas, quoties confessarius, aut ministraturus Eucharistiam, ingredi possit? Respond. hoc licitum esse, non solùm, dum Monialis ex præcepto confiteri tenetur sed etiam dum id facit ex præscripto regulæ, vel ex peculiari deuotione, vel consolatione, quia iustum est tristitiam infirmæ, tam salutari medicina leuari, & rationi consonum est, illas hoc solatio non destitui. Possunt etiam intrare cõfessarii in articulo mortis, vt assistãt Moniali morienti, & dicant officium agoniæ vel sepulturæ, & quidem quando Sacerdos est Eucharistiã aut extremã vnctionem ministraturus, potest cum socio ingredi, qui Sacramenti ministerio inseruiat, quia indecens est, & à more Ecclesiastico alienum, fęminã huic ministerio inseruire, nec in his casibus necessaria est licentia, vt socius ingrediatur, sed sufficit licentia ipsi Sacerdoti explicitè concessa, quia hæc etiam ad socium extenditur, quia in huiusmodi casu ob actionis connexionem, socius in priuilegio comprehẽditur Item ad aperiendum sepulchrum possunt intrare fæcularis necessarii. Non potest tamen confessarius clausuram ingredi sub prætextu exorcizãdi aliquam monialem energumenã, vt declarauit Sacra Congregatio apud Barbosam *in Collectan. Bullar. v. Monialium clausura circa egressum IV.* his verbis. *Monialis nulla energumena intra monasterii septa à quocumque Presbytero sæculari, vel regulari, etiam Confessario exorcizetur, sed ad Ecclesiam exteriorem eiusdem monasterii, obtenta prius à Sacra Congregatione licentia, ea de causa deducatur, vel transferatur, in translatione autem huiusmodi, sicut & in actu exorcizationis honesta persona cõsanguinea, vel alia mulieres prouectæ ætatis, ac probæ conuersationis energumenam comitentur, exorcista sit ad actum huiusmodi ab Ordinario approbatus exorcizatio minori, quo poterit, fiat strepitu Ecclesiæ ianua eousque occlusa remaneat, quousque exorcizatione completa ad Monasterium energumena reducatur Cæterum tam in reditu, quam in accessu ad Ecclesiam, & Monasterium respectiuè, rectè & sine diuerticulo tendatur.*

Tertio, Superioribus licet ingressus cum comitatu præscripto à Gregorio XIII. *in bulla vbi gratiæ*, Sanchez *cit. num.* 54. Portel *cit. num.* 16. Nauarrus *cit. num.* 59. Tamburinus *cit. disp.* 24. *quæst.* 8 causa visitãdi officinas conuentus, cellas monialium, & supellectilem, dormitorii decentiam, ædificium aliquod construendum aut minans ruinam, &c. & finita hac visitatione ad capitulum conuentuale ueniendi, & culparum correctionem. Item causa electionis Abbatissæ, si electio canonicè fieri non possit nisi ipse in monasterium ingrediatur, alias non.

greg. XIII. Sanchez portel nauarr. Tamburin

Quarto, baiuli ingredi possunt, dum aliquod onus in monasterium transferendum est, quod à monialibus cõmodè portari nequit; debet tamen illud onus portari in vtilitatem monasterii Bonacina *c. n.* 8. Sanchez *c. n.* 56.

Bonacina. Sanchez.

Quinto, Quilibet Frater minor deputatus obsequio monialium, Confessor, scilicet & Capellanus, potest intrare clausuram ad facienda omnia illa quæ moniales facere non possunt, & posset secularis, dummodò dolus absit, & illa æquè benè possit facere frater ipse Rodriquez, *cit. art.* 4. Portel *cit. num.* 13. Tamburinus *c. disp.* 24. *qu.* 6. Imò in hoc casu iuxta Cordubam apud Sorbum nostrum *in Compend. priuilegior. modic. verb Ingredi Monasteria* Potest Prouincialis, vel Guardianus de eius licentia etiam virtuali deputare vnum Fratrem aptum ad aliquod opus faciendum intra clausuram, talis enim Frater tunc censetur deputatus obsequio monialium, eò quòd sit magis aptus, & à Prælato designatus. Ex concessione Gregorii IX. apud Casarubium *loco citat.* §. 3.

Rodriq. portel Tambur.

Sexto, Fratres Minores non obstante prohibitione suæ regulæ, inuitati & rogati à Prælatis Ecclesiæ, possunt cum illis intrare monasteria suarum monialium, ad visitandas officinas & cætera, pro quibus dicti Pręlati possunt intrare. Ex concessione Leonis X. Rodriquez *citat. art.* 8. Miranda *cit. art.* 16. Sanchez *cit. num.* 19. Portel *c. num.* 18. Tamburinus *c. disp.* 24. *quæst.* 15. Sed concessio Leonis X. est viuæ vocis oraculum, vnde post bullas Gregorii XV & Vrbani VIII. nihil amplius valet, nisi per Bullam confirmetur. Illam refert Casarubius *in Compendio verb. Ingredi Monast. monialium num.* 32. & notat litera O magno quod est signum viuæ vocis oraculi licet Autentici.

Septimo,

Septimò, Licita & iusta ingressus causa reputatur, admittere in hospitium Monialem ad aliud Monasterium transeuntem, aut ex iusta causa extra clausuram existentem, dùmodò sit eiusdem ordinis, & instituti. Item quando Monialis esset in aliqua priuata domo recuperãdæ sanitatis causa, velletq; animi recreandi gratia, aut Moniales inuisendi, ingredi Monasterium eiusdem Ordinis, vel habitus, id vtiq; liceret, quia talis monialis non censetur extranea, cùm sit eiusdem instituti. Idem dicendum, quãdo iter agendo, non esset Monasterium eiusdem Ordinis, vel habitus in eo loco, vel si esset, moniales nollent eã admittere, nec reperitur domus in qua commodè noctè ducere posset. Tunc legitima est causa, vt ex Prælati Superioris illius Monasterii licentia (quòd diuersi Ordinis, aut habitus est) possit intra illud in hospitium admitti, quia religiosa charitas, quæ inter personas religiosas maximè decet, & honestas status Monialis illius, id petit. At absque prædicta licentia id non liceret, quia cùm diuersi ordinis Monialis sit, est reuera respectu illius monasterii extranea. Ita Sanchez *l.6.moral.c.16.n.*10. Hieron. Rodriq. *res.26 n.49.* Tambur. *de iure Abbatissarum disp. 24. quæsit.*15. Villalobos *2.p.Sum.tract.35.diffic.47.n.27.*

Sanchez. Rodriq. Tamburin. Villalob.

Porrò lex generalis sit, quòd data vrgente necessitate, cui solæ Moniales non possunt occurrere, & Prælatus creditur concessurus, possunt ingredi personæ necessariæ. Plures casus enumerant Doctores hic citati, quos cõsule, & per recensitos, similes facilè expedire licebit.

An ingredientes Monasteria monialium ex legitima licentia, teneantur finito negotio exire, & grauiter peccent & censuras incurrant, statim non egrediendo? Respond. teneri finito negotio exire, sicut monialis egressa cum legitima licentia, tenetur causa egressus finita redire in monasterium, tamen cùm huc præceptum sit morale, non metaphysico, sed morali modo intelligendum est, vnde qui breui temporis spatio immoraretur circumiens officinas ex aliqua curiositate, à peccato excusaretur. vt tradunt *Compend.priuileg. Mendic. v. ingredi Monast. Monialium notab.*1. Rodriq. *c.q.47.art.*11. Miranda *c. de Monialib. q.2 art.*20. Sanch. *c.c.16.n.69* Tamb. *de iure Abbatissarum d.24.q.12.* Portel *c.n.*14. Hier. Rodriq. *res 20. n.30.* & alii. Ratio est, quia sic vsu receptum est, etiam apud viros timoratę conscientiæ. Limitant quidam nisi corrupta adsit intentio, puta, animus percutiendi Monialem, furãdi aut turpe aliquid faciendi tunc existimant talem, licet ibi breuem moram trahètem, peccare & affici excommunicatione Papæ reseruata, quia hic dicitur violare clausurã ad malum finem, & est casus Pontifici reseruatus, à quo in Italia, neq; priuilegiati habentes facultatem absoluendi à censuris Papæ reseruatis, possunt absoluere iuxta decretum sacræ Congregationis iussu Clementis VIII. editum pro partibus Italiæ *an* 1602 26. *Nouembris*, apud Quarãtam *in Sum. Bullaru v. Casus reseruati n.*13. Bonacina *de clausur.q.4.p.4.num.*22. & ante illum *Collector. priuileg. Mendic.* Hæc sententia est satis probabilis, quam tamen non admittunt Sanchez *c. n. 69.* Thom. Zerola *in prax. Episc. v. Moniales ad 8.q.v.4.in 2.edit.* licet .n. manifestũ sit talem peccare mortaliter, ratione corruptæ illius intentionis, non peccat contra præceptum clausuræ, nec afficitur censuris, licet diutina esset mora, quia cum legitima licentia ingressus est, vnde non potest dici violari clausura, contra enim ingressum absque licentia censuræ solùm latę sunt. Et mihi hoc est satis probabile.

Rodriq. Miranda Sanchez. Portel Hier. Rod.

Sanchez

9 Episcopus potest authoritate ordinaria in monasteriis sibi subditis, facultatẽ ingrediendi concedere, authoritate verò delegata, in Monasteriis Sum. Pontifici subiectis, in illis autem quæ regularibus subiecta sunt, facultas ingrediendi concedẽda est à Generali, Prouinciali, aliòvè immediato conuentus, seu Monasterii Prælato. Ratio est, quia cui ligandi facultas competit, soluendi etiam potestas competere solet, sed superioris est, qui Monasterio præest, clausuram monialibus indicere, ergo, &c. Ita Nauarrus *comment.q.de reg.n.*60. Sanchez *c.n.* 13. Miranda *c.q.1.art.2.* Rodriq. *c quæst.46.* & 2. Azorius *1.p. l.13.cap.8 q.7.* Tamburinus *c.disp.23.q.1.*

Nauarr. Sanchez Miranda Rodriq. Azorius Tambur.

Abbatissa autem non potest hanc facultatem ingrediendi Monasteriũ concedere, quia ad illam non spectat clausuram indicere, cùm etiã ipsa onere clausuræ teneatur, idem dicendum de Priorissa & alia monialium præfecta. Ex delegatione tamen Episcopi, alteriusq; legitimi superioris hæc facultas potest conferri Abbatissæ, in casibus sæpè contingentibus, & facilis aditus non patet ad Superiorem. Nauar. *c n.59.* Sanch. *c.n.22.* Grassiis *1.p. decis.l.4.c.23.n.6.* Tamb *c.d.23.q.3.* Notandum tamen est, quòd ad ingressum Monasterior. *sancta Claræ & Conceptionis* non sufficit licentia Episcopi, vel superioris, sed requiritur licentia Papæ, præter casus in regula istarũ monialium exceptos, quia hæ Moniales strictiorem clausurã professæ sunt, vide *Collect. priu. Mendic. v. ingredi monast. Monialium n.2. vsque in fin.* Miranda *c.q.2.ar.3.concl 2.* Rod. *tom.1 qq 46 a.3.in fine.* Sanch. *c.n.*20. Cronters *ad c.11.reg. Minor.lect* 2. Itè pro F.M. requiritur specialis licentia Summi Pontificis, vt possint ingredi Monasteria quarumcumq; monialium, vt patet ex regula ipsorum, & cõstitutionibus Greg. IX. & Nicolai III. An autem Superiores, quibus incumbit ad hunc ingressum licentiam concedere, possint absq; alicuius licentia ingredi in casib. necessariis, in quibus iustè aliis etiam licentiã concederẽt iure ordinario, vel etiam ex delegatione? Respondendum est quòd sic, quia sicut is, qui cum aliis potest dispensare, potest etiam secum, cùm ipse deterioris conditionis esse non debeat, & id ipsum concessit Greg. XIII. *in bulla Dubus, quæ emergunt.* Nauar. *de statu Monachorum, consil.6. & 9.* Suarez *tom.4.de relig.l.2.c.10.n.23.* Rod *c. a.5.* Miranda *c.a.14.* modò id faciant in casibus necessariis, & à paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati.

Nauar. Sanch. Grassiis Tambur.

Miranda Rodr. Sanchez. Cronters

Nauarr. Suarez Rodriq. Miranda.

10 Stando in solo iure communi, omnibus in vniuersum viris, sæcularibus, Ecclesiasticis etiam regularibus prohibitus est accessus ad monialium monasteria, nisi ex iusta & rationabili causa, vt patet tum ex *Cap. Periculoso de statu regularium in 6.* tum ex *cap. Monasteria, de vita, & honestate clericorum*, vbi dicitur, *Monasteria sanctimonialium si quispiam clericus sine manifesta & notabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur, & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis, si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.*

Qui verò per frequentiam adeundi monasterium intelligatur, id iudicandum relinquitur arbitrio prudentis viri, & certè qui bis vna die, aut tribus diebus, aut quater in hebdomada ad moniales accederet, censeretur monasterium frequentare. vide Rodriq. *tom.1.qq.reg quæst.*43. *art.*2. Bonacina *de clausur.quæst.* 3 *p.*2. Mirandam *c.q.4. art.*1 Tambur. *de iure Abbatissar.disp.25.q.1. &* 3. Hieron. Rodriq. *resol.26.n.4 & 44.*

Rodriq. Bonacina. Miranda Tambur. Rodriq.

An autem nos Fratres Minores prohibeamur ex vi nostræ regulæ accedere ad moniales, certissimum est quòd non, quidquid alii dicant, quia diuersa sunt ingressus, & accessus. Accessus enim tunc dicitur, quando frater vadit tantùm ad cratem, vel ad locutorium, vel domum hospitum, vel Ecclesiam exteriorem, in capite verò vndecimo regulæ, dicitur, *Fratres non ingrediantur monasteria Monacharum*, & nulla fit mentio de accessu. Negari tamen nullatenus potest, quòd prædictus accessus ad monialium Monasteria & maximè S. Claræ, nobis F. M specialiter fuerit olim prohibitus, ex præcepto *Nicolai Tertii, Benedicti Duodecimi* & constitutione *Bonifacii VIII.* Ex concessione tamen Nicolai III. ea loca, ad quæ sæculares liberè accedunt ad loquendum cum monialib. poterant Fratres illi causa prædicationis vel eleemosynæ petendæ accede, quibus id à suis superioribus pro sua maturitate fuerat concessum Rodriq. refert Pium V. dispensasse cum minoribus, vt non tenerentur ad præceptum non accedendi ad monasteria Monialium, nisi eo modo quo obligat omnes alios cuiuscumque ordinis religiosos. Vide Tambur. *de iure Abbatissar.d.25.quæsit.* 3.

Rodriq.

Tambur.

11 Ex multis concessionibus Pontificum, & precipuè Sixti IV. Eugenii IV vt asserunt Rodriq. *c.a.5. &* 6. Miranda *q.4.art.3.* Hieron. Rodriq. *res.26.n.5.* Prouinciales ministri licentiam possunt præstare sibi subditis ad accedendum ad monasteria quarumcumq; monialium, cum iusta & rationabili causa, & quando necessitas id exegerit. Prælati verò inferiores prouincialibus, vt sunt Guardiani habent eamdem authoritatẽ pro monialibus *sanctæ Claræ & S. Dominici*, quantũ verò ad alia monasteria aliorũ

Rodriq. Miranda Hieron. Rodriq.

ordinum, non nisi prò eleemosyna petenda, aut prædicatione facienda, aut nisi aliud specialiter fuerit concessũ à Prouincialibus ministris. Hec ex concessionib. antiquis.

12 Præter constitutiones supradictas prohibentes accessum ad monasteria monialium, emanauit à sacra Cõgregatione Cardinalium ipsis Nonis Maii anni 1590. decretum specialius & districtius prohibens dictum accessuo ad moniales. Quarantu *in Sum. Bullaris v. Monast. Monial. fol.* 348. Crousers *ad c 11. reg. Minor. le.* 2. Sorbus *ad Comp. priuil. Mendic. v. Ingredi monasteria.* Tambur. *de iure Abbatissarum d.* 25. *quæst.* 4. cuius tenor est. *Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinales, sacra Regulariũ Congregationi Præfecti, ad occurrendum scandalis quæ cõtinge repossunt, alijsque iustis & rationabilib. causis animũ piè mouentib. de speciali & expresso Mandato S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papa V vinæ vocis oraculo eis facto, decreuerunt & mãdauerunt, nulli post hac religioso cuiuscũq; ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat (superiore cui monasterij, seu domus cura incumbit, visitatore, vel visitatorib. confessarioq; ordinario, & extraordinario, eõ ad tempus deputabitur, dũtaxat exceptis) licere absq; licentia expressa eiusdem S. Congr. accedere ad monast. seu domus quarumcumq; Monial. vel Sororũ, siue sui siue alterius cuiusuis Ord. ad colloquendũ, siue tractandũ cum eis. Quòd si aliquando mandato sui superioris aliquos religiosos ad prædicandũ verbum Dei vel ad celebrandas Missas in ipsarũ Monial. seu Sororũ Ecclesiis siue Oratoriis exterioribus siue extra claustra existentib. mitti cõtigerit, prohibuerunt, ne dicti religiosi vllo quæsito colore, Moniales, Sorores aut quamlibet aliã personam intra clausuram degentes, alloqui possint. Confessarius autem similiter interdixerunt, ne in ædibus monasterij, seu domus, vel monast. seu domus monial. aut Sororũ contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alias secũ retineã, neve extra tempora generalium confessionũ quibus soli tantũ cõfessario refectionẽ diurnã accipere vix permittitur, & tunc demũ, videlicet cũ sua habitatio, aut virorũ domus, vel monasterium quo degit, a Monial. seu Sororum Monasterio, vel domo, nimium distat, nisi tamen, & eo nasu contrarium specialiter constitutũ sit) ibi nullo modo comedãt, reficiantur, aut cibũ sumat. Quæ omnia & singula sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso incurrẽdis, alijsq; eiusdem Congregat. arbitrio præceperũt inuiolabiliter obseruari, iniungentes cunctis RR. Patribus, Generalib. Prouincialib.* &c.

Quaranta
Crousers.
Sorbus compend.

Circa quod decretum aduerte *Primo*, à sacra Cardinalium Congregatione 12. *Calend. Decembris* 1623. de mandato S. D. N. Vrbani VIII. concessum fuisse Episcopis, vt licentiã dare valeant religiosis alloquendi Moniales, seruatis certis regulis, & conditionibus, vt scilicet, per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicumq; regulari concedere possint, alloquendi moniales sibi in primo & secundo tantum consanguinitatis gradu coniunctas, & vt id nullo modo liceat diebus festiuis, aut in Aduentu, Quadragesima, feria sexta, Sabbato, & vigiliis, &c. Tambur. *de iure Abbatissar. disp.* 26. *quæst.* 2. & 3. *Secundò*, vbi hoc decretum est in vsu, obligare ad mortale, quia ponit pœnam priuationis officii, vocisq; actiuæ & passiuæ quæ est grauis pœna, sed quia contrarium aliqui tenebãt ex probabili sententia, quòd lex pœnalis non obliget in conscientia ad culpam mortalem, Eminentissimi Cardinales declarauerunt sub *die* 1. *Iulii* 1606. supradictum decretum obligare etiam ad mortale. Bonac. *c.* 19. 3. *pun.* 4. Salas *de leg. d.* 15. *se.* 1. *concl.* 2. *n.* 16. Diana *p.* 1. *tr.* 10. *res.* 22.

Bonacina
Salas
Diana

13 Hoc decretum de non accedendo ad moniales, sine licentia sacræ Congregationis, vel Episcopi, non est vsu receptum in Germania, Gallia, Belgio, consuetudo n. est in contrarium, nam fœminæ & viri, præsertim laici, sine vllo conscientiæ stimulo, ad monialium monasteria accedunt, imò apud multos religiosos non est etiam vsu receptum, & consequenter nec obligatorium. Crousers *cit. ad caput* 11. *lect.* 2. Dubitat enim Palaus *part.* 3 *tract.* 16. *disputatione* 4. *punct.* 11. *num* 7. an hoc decretum pro monasteriis totius orbis fuerit prolatum, sed ad summum pro monasteriis Romę existentibus, quia durissimum esset, inquit, quemlibet religiosum obligari licentiam petere à Sacra Congregatione, vt ad monialium monasteria accederet, possètque cum monialibus, vel sæcularibus ibi existentibus loqui. Denique dubitat idem Auctor, an sit satis promulgatum, & an sit satis receptum. Proinde Bordonus *in consil. resol.* 7. *n.* 78. asserit, quòd in Regnis Galliarũ vbi non seruatur clausura, non habet locũ hoc Decretum contra loquentem cum moniali extra clausuram, vt respondit Sacra Congregatio nostro R. A. P. Generali die 15. Martij 1594. apud Naldũ. *v. Monial.* Apud tamen Patres Societatis, & Capucinos est in viridi obseruantia. Nã Patres Societatis, & Capucini huius Prouinciæ Belgicę procurarunt dictum decretum relaxari quãtũ ad visitationes, & colloquia Monialium, vt eas iuxta Catholicæ fidei dogmata instruere possint, tum publicè tum priuatim; dummodò religiosi dictorum ordinum, id non faciant, nisi impetrata, & scripto expressa superiorũ suorũ facultate, vt habet Epistola Cardinalis Alexãdrini ad P. Oliueriũ Manareũ Prouincialẽ Societatis IESV in Fland. cuius Epistolę hic est tenor. *R. P. Nunquã fuit animus, aut consilium Illustrissimorũ Cardinalium, qui mecum in hac congregatione præsunt ordinibus regularium, vt quæ ipsi sanxerunt ad conseruationem diuini cultus, religiosique instituti obseruantiã, contrarium vllo modo sortiatur effectũ, propterea cũ abũdè cognouissent quẽ fructũ edant in istis partibus patres Societatis, Iesu, & Capucini, suis documentis, & exhortationib. quas interdũ habent ad Moniales, quorum cœnobia hæreticorum faucib. sunt exposita, statuendum iudicarunt vti per has litteras statuunt & declarant, decreto, quod regularib. interdicit visitationes & colloquia Monialium minimè comprehendi prædictos, Patres Societ. Iesu, & Capucinos, in istis nimirũ partib. quominus, cum ad eas venerint, aut in eisdẽ versabuntur moniales visitare ac iuxta Catholicæ fidei dogmata instruere possint, tum publico, tum priuatim nulla pœna ex iis, quæ decreto continentur ipsis imminente, dummodo id non faciant nisi impetrata, & scripto expressa Superiorum suorũ facultate atque hic ego paternitati vestræ me ex animo cõmendo. Romæ* 25. *Iunij M. D. X. C. II.*

Crousers
Palaus

P. tuæ Amantissimus in Domino
Cardinalis Alexandrinus.

Quamuis hæc Epistola de solis Belgis mentionem faciat, per communicationem tamen priuilegiorum, extenditur ad omnes illas Prouincias, in quibus eadem militat ratio dispensandi, vt sunt Gallia, & rectè annotat noster Crousers, qui eadem lectione secunda docet licentiam in scriptis, quam exigont Cardinales, posse dari à Prælato locali Epistola enim ad P. Oliuerium, loquitur de Prælatis in communi quod mihi satis probatur, si RR. PP. Generales & Prouinciales hanc licentiam à se concedendam non reseruent.

Verum posito sed non concesso, quòd accessus ad Monialium monasteria per se prohibitus nõ sit, spectata tamẽ circũstantiis extrinsecis sæpè sæpiùs grauẽ culpã constituit, tum si praua intentione accedis tum si periculum lapsus habes, vel moniali alloquẽdæ iniicias, tum si aliis scãdalum es, & occasio sinistra de monasterio opinionem habendi. Quæ omnia maximè procedunt, si accessus ad colloquendum furtiuus fit, hoc est absque licentia Abbatissæ, seu superioris: hic enim aptior est ad sinistram suspicionem generandam.

14 Ingressus mulierum in claustra virorum regularium iuxta Constitutiones Pii V. *Regularium, Personarũ* & Gregorii XIII. *Vbi gratia*, non ita absolutè prohibitus censetur sub peccato mortali, & excommunicationis cẽsura, nisi ille fiat prætextu facultatem Apostolicatũ, quas ibi reuocant prædicti Pontifices. Quidam enim Doctores valde graues, vt Suarez *de cens. disp.* 22. *sect.* 6. *nu.* 11. Rodriquez *tom.* 1. *qq. reg. quæst.* 48. *art.* 2. Laymao *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 4. Portel *in dub. reg. v. Clausura Monachorum num.* 1. Crousers *ad cap.* 7. *reg. Man. lect.* 8. *fol.* 553. ad litteram prædictorum constitutionum aspicientes, docẽt fœminas ingredientes monasteria virorum non prætextu facultatum, minimè comprehendi, vel subiici pœnis dictarum constitutionũ, nec religiosos illas admittens, quia Constitutio pœnalis non debet extendi à casu expresso ad alium non expressum, quia Constitutio pœnalis non debet extendi à casu expresso ad alium non expressum, & gratis dicitur absque vlla ratione, legem pœnalem extendi ad similem casum, propter similitudinẽ rationis,

Suarez
Rodriquez
Laymann
Crousers

Faciunt

Faciunt pro hac opinione Doctores n.7. citati docentes, Moniales admittentes sæculares absq; licentiis Papalibus reuocatis, pœnas Greg. XIII. non incurrere. Verùm post scripta prædictorum, DD. ad notitiam nostrā deuenit quæ iam declaratio Pii V edita 1570. *die Iulii* 16. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, &c. vbi sic ait. *Nos intuitu & in fauorem Congregationis Mōtis virginis, aliquas dubitationes, quæ circa dictarum literarū & mentis nostræ intelligentiā oriri possent, elucidare & submouere volentes, supplicationibus dictæ cōgregationis nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Apostolica authoritate tenore præsentium dicimus, & declaramus, fuisse & esse mentē & intentionem nostram, quod dictæ literæ nō solum cōprehenderant, & comprehendant mulieres habentes prætendentes facultatem & indulta ingrediendi Monasteria, sed etiā omnes & quascumque mulieres alias, tam in genere quam in specie*, &c. Et eisdem pœnis subiicit quascumq; fœminas, virorū monasteria ingrediētes ac religiosos illas ingredi permittētes, sine ullo prætextu facultatū ingrediantur, & admittātur. Hæc bulla habetur in Bullario Rom. impresso *Romæ anno* 1617. Collectore Laertio Cherubino *de Nursia, t.2. Bullarii, bulla* 20. Pii V. Quādo quidem de ista declaratione nobis constet, nullus iam superest dubitandi locus, pœnas prioris Constitutionis Pianæ. *Regularium Personarum*, per hanc vltimam ad omnes fœminas virorum monasteria ingrediētes, & ad religiosos illas ingredi permittentes fuisse extensas, vt ait Suarez *to. 4. de relig. l. 1.c.7 num.9.* se retractans post notitiam prædictæ Constitutionis; *Decet Romanum Pontificem*.

Suarez

15 Secundùm Constitutiones Pii V. *suprà* memoratas, fœminæ ingredientes monasteria virorum, incurrūt excommunicationem Papæ reseruatam, quamuis aliquādo excusari possint, non solùm ob bonam fidem, verùm etiam ob ignorantiam vincibilem, crassam, supinam, & affectatam, quia ut docent Bonac. *de censur.d.1.q 2.p.1.n.11 12.* Sanchez *l.2.mor.c.10.n.*38. Siluest. *v. culpa, q.11.* & alii, ad incurrendam hanc excommunicationem, requiritur audacia, scientia, vel ingens temeritas, quæ sciētiæ cōparetur. Ex constitutione Greg XIII. *Vosgratiæ*, incurrunt tantummodò excommunicationem fœminæ ingredientes prætextu licentiarū à Summo Pontif. Legato, vel aliis concessarum; quia aliud de sua mēte nō expressit.

Bonacina.
Sanchez
Syluest.

Religiosi qui faciunt aut permittunt fœminas ingredi sua monasteria prætextu facultatum à Summo Pontifice vel ab aliis concessarum, incurrunt excommunicationē Papæ reseruatam, & priuationem dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, vt patet in bulla *Vosgratiæ*.

Alij verò religiosi, qui fœminas in monasteria intromittere vel admittere præsumunt, etiā si fœminæ absque prætextu facultatū ingrediantur, incurrunt ipso facto suspensionem à diuinis, & præterea priuationē officiorū, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinēda, vt decernitur in motu proprio Pii V. *Regularium Personarum*.

Nomine autem monasterii intelliguntur ea sola loca, quæ sunt intra septa conuentus, qui clausura clauduntur vel claudi debent. Et aduerte, quod quando dicitur in cōstitut. Pii V. quòd non possint mulieres ingredi monasteria & domos; per domos, ibi non intelliguntur illæ, quas habent regulares in prædiis extra ciuitatem, vel grangiis etiam in ciuitate, sed monasteria & domus sunt planè idē. Horti autem, qui sunt annexi & contigui monasteriis, nomine monasteriorum comprehenduntur. De quibus vide Sorbū nostrum *in compend. verb. ingredi monast.* De sacristia verò, quæ solo pariete diuiditur ab Ecclesia, nec ad eam ingrediendum opus est ire per claustrum, dubitat Sorbus, an in ea possint admitti mulieres. Sanc. *l. 6. mor. c.17.n.17.* absolutè dicit nō posse, nisi sit vsus. De la Crux *l.1. de statu relig. c.5. dub.1.* docet quòd quando porta sacristiæ respondet immediatè in Ecclesia, vel in aliquo atriolo breui, seu vno, vel duobus passibus, ducēti ad Ecclesiam, quòd potius dicenda est tūc sacristia pars Ecclesiæ, quam monasterii, vnde poterunt liberè in eam ingredi mulieres. Certum est tamen quod in sacristiis nostris non admittantur mulieres, ut nostra habet consuetudo, quamuis apud aliquos religiosos talis vsus non sit.

Sanchez
De la Crux

16 An pœna hæc priuationis officiorum & inhabilitatis ad illa, incurratur absque Iudicis sententia declaratoria criminis. Affirmant Bonacina *de claus. quæst.1. part.4. n.7. & q.5. p.3. n.2.* Clauis Reg. *lib 3.c.10.n* 35. & alii probabiliter, quia in bulla imponitur dicta pœna, non solùm ipso facto, sed sine alia declaratione; Ergo. Mihi autem probabilior est sententia negatiua, quam tuentur Sanchez *lib.2.c.22.n.20. & c.39. n vlt.* Molina *to. 1 de iust. disp.96.* Diana *part.3.tr.2.res.66.* Portel *in dub. reg. v. inhabilitas, n.3.* Tamburinus *de iur. Abbatiss. d.19.q.3.nu.5.* & alii, quia non omnes sententiæ priuatiuæ nullam Iudicis executionem petentes, incurruntur absque vlla sententia, sed id peculiare est in censuris, quia ea particula, *eo ipso*, id tantùm importat ut non exigatur sententia condemnans, & illa verba absque alia declaratione, intelligenda sunt de declaratione pœnæ. *Nomine officiorum* in his decretis, intelligitur officium Prioratus, Guardianatus, Prouincialatus, Generalatus, Visitatoris, Cōmissarii Generalis, Vicarii Monachorum, seu Monialium, officiū Abbatissæ, Priorissæ, & omnia officia, quæ superiorum propria sunt, & superioritatem quamdam continent. Secùs dicendum de officio Concionatoris, Confessoris, Lectoris Theologiæ, Definitoris, Discreti, Sacristiæ præfecti & similium. Ita Sanchez *lib.6.mor.c 15. n.66.* Filliucius *tr.34.n.77.* Sorbus *v. Ingredi monast.n.8.* Diana *4.part.tr. 4.res.224. & p.7.tr 5.res.27.*

Bonacina.
Clau. Reg.
Sanchez.
Molina.
Diana.
portel
Tamburin
Sanchez.
Filliucius.
Sorbus
Diana

17 Ab excommunicatione hac absoluit solus Papa, dum excommunicatio publica est, quia illius absolutionem sibi reseruat. Quòd si excommunicatio esset occulta posset Episcopus ab ea absoluere virtute Trident. *sess.24 de reform. c.6.* Religiosi habentes priuilegium absoluendi à censuris Papæ reseruatis, possunt etiam ab hac excommunicatione absoluere. Dubium tamen est, an id possint quando censuræ ad forum contentiosum sunt deductæ. Negant enim Rodriq. *in expositione motus proprii* Pii V. & Greg. XIII. *n.34.* Sorbus *v. ingredi monast. monial. nu. 11, in suis annotationibus*, & quidam Neoterici, quia facultas illa absoluendi, cùm odiosa sit, & damnum inferat Ordinariis, in eorum fauorem videtur restringenda, per notata *C. olim, de verb. signific.* Nihilominùs dicendum est excommunicatum vel suspensum absolui posse in foro conscientiæ virtute priuilegiorum quibus communiter fruuntur religiosi, quamuis censuræ illæ deductæ sint ad forum contentiosum, & licet publicæ sint. Ratio est, quia in priuilegiis religionū conceditur absolutè facultas absoluendi à censuris sine vlla restrictione, aut limitatione, ergo absolutè intelligendū est, & non restringendum ad casum, quo crimen est publicum, vel ad iudicium delatū. Deinde quando Summus Pontifex intendit facultatē absoluendi, vel dispensandi limitare, solet id exprimere, vt patet ex priuilegio Episcopis concesso in Trident. *sess.24. cap.6.* cùm autem priuilegiis religiosorum hanc limitationem non adiecerit, non est cur nos illam adiiciamus. Præterea hoc priuilegium nō obest potestati ordinariorū Iudicum, quia integrum ius semper retinent in suo foro exteriori, perinde ac si delinquens absolutionem in foro conscientiæ non obtinuisset. Ita Sotus *4. dist 22. art. 3.* Polancus *in directorio cap.4.* Henriquez *l.7.cap.12.num. 2. & l.8 cap.60.num 4.* Sanchez *l.6.cap.17.n.43.* Anglez *2.p.q.vnic. de excom. art.4. diffic.2.* Bonacina *de claus. q. 1.part.5.n.3.* Couar. *cap. Alma mater 1 p. §.11. num.16.* & alii quibus adde Rodriquez *in addit. ad bullam cruc. n.49. §.9* sibi contrarium.

Trident.
Rodriq.
Con. Trid.
Sotus
Henriq.
Sanchez
Anglez.
Bonacina.
Couarr.
Rodriq.

18 Cùm crimen præsumptuosæ introductionis mulierum in monasteria virorum, & è contra, non sit grauissimum, neq; atrox, nec sit maius quam adulterium. Episcopus, ex concessione *c. At si cleric. de iudiciis, §. de adulteriis.* Iuris, potest in pœnis priuationis officiorū & inhabilitatis ad illa, dispensare, quia Pius V. & Greg. XIII. nec priuationem hanc ab officiis, nec inhabilitatē ad ea, sicut excommunicationem reseruauerunt. Et hoc maximè verum quando crimen est occultum in sententia eorū qui volunt has priuationes & inhabilitates incurri absq; Iudicis sententia declaratoria, vt patet ex Concilio Trident. *sess.24.c.6.* ubi Episcopis datur facultas dispensandi ab omnibus irregularitatibus, & absoluendi ab omnibus cēsuris & casibus occultis Summo Pontif. reseruatis. Hæ enim priuationes & inhabilitates sub nomine pœnarū, & suspen-

Con. Trid.

3 *In rebus spiritualibus, an clerici sint immunes iure diuino à ciuili potestate laicorum.*

4 *An eodem iure diuino & naturali clerici sint exempti a ciuilibus Principum statutis?* Refertur duplex sententia.

5 *An clerici obligentur secundum vim directiuam, communibus sacularium Principum legibus.*

6 *Ecclesia reprobat Principum secularium leges, qua de Ecclesiasticis bonis aut personis decernunt.*

7 *De bonis patrimonialibus clericorum, an lex ciuilis possit aliquid statuere.*

8 *Clerici delinquentes contra legem ciuilem, non incurrunt pœnam illa lege decretam.*

9 *Clerici an comprehendantur legibus ciuilibus, qua infirmant contractum, testamentum, &c.*

10 *Non potest clericus renunciare priuilegio exemptionis.*

11 *Priuilegia clericorum nulla lege vel consuetudine etiam immemorabili vel præscriptione possunt tolli sine Papa authoritate.*

12 *Clericus sacri ordinis vel beneficiarius an teneatur tonsuram & habitum clericalem gestare.*

13 *Qua vestes censendæ sint clericales, & coram quo Iudice hæc habitus discussio sit facienda.*

14 *Multa a sacris Canonibus prohibentur clericis.*

15 *Clericus in minoribus constitutus, priuilegiis* Canonis, & Fori *gaudet.*

16 *Clericus coniugatus an gaudeat priuilegio fori, in criminalibus & ciuilibus.*

17 *Clericus coniugatus negotiationibus vacans, an amittat priuilegium* Canonis & Fori.

18 *An nouitius criminosus, ob delictum ab eo ante religionis ingressum commissum gaudeat priuilegio fori. Et quid dicendum de clerico, qui statum clericalem assumpsit cum fraude post delictum patratum.*

An nouitius habitu religionis dimisso, possit à Iudice sæculari puniri ob delictum tempore nouitiatus commissum. refertur duplex sententia.

19 *Familia clerici an gaudeat priuilegio fori.*

1 CLericus dicitur à κλῆρος Græcè, quod Latinè, sors dicitur, vel hæreditas, quia de sorte Domini est, & appellatione clericorum largè, veniunt omnes ordines habentes, in quacumque dignitate sint, aut ordine, etiam in prima tonsura, & omnes qui non sunt laici dicũtur clerici vnde in materia fauorabili clericorũ nomine, veniũt Episcopi, & etiã religiosi, sed in materia odiosa non, nec alii in dignitate constituti, nec etiam Canonici Ecclesiarum Cathedralium, nec Monachi, seu religiosi. *Hac colliguntur ex iuribus hic citatis. Distin. 21. cleros. C. cũ contingat, de ætate, & qualit. c. quia periculosum, de sent. exc. in 6. c. In fidei fauore, de hær. in 6. C. statut. de elect. in 6.*

2 Clericus, loquendo in genere, iure Canonicus multis priuilegiis gaudet, quæ recitat *Cardinalis*.

Primò, non conuenitur coram Iudice sæculari *C. si diligenti, de foro compet. Secundò*, quòd eum verberans est excommunicatus *C. si quis suadente 17. quæst. 4. Tertiò*, non tenetur præstare munera seu onera personalia, vel realia, *C. non minus de immun. Eccles. Quartò*, potest vẽdicare rem concessam Ecclesiæ ante traditionem. *C. ex litteris de consuetud. Quintò*, eodem priuilegio gaudet familia eius, scilicet, quoad forum *C. Clericum 11. quæst. 1. Sexto*, facientes statuta contra clericos sunt excommunicati *C. eos qui, de immun. Eccles. in 6. Septimo*, soli clerici possunt obtinere beneficium Ecclesiasticum *C. ex litteris de transact. Octauo*, per litteras contra laicum impetratas cum clausula generali, conueniri non potest. *C. Sedes, de resc. in gloss. Nono*, non tenetur sportulas dare *C. cum ab omni, de vita & honestat. cler. Decimo*, de acquisitis etiam sub patris potestate, disponere potest prout vlt. *Auth. presbiteros, cap. de Episc. & cler.*

3 Clerici secundùm communem Catholicorum sententiam, iure diuino à ciuili laicorum potestate, in rebus spiritualibus, diuinis & Ecclesiasticis, sunt immunes, & liberi, talia sunt, sacramenta ministrare, sacra munera, & officia obire, sacras Litteras interpretari, pœnas Ecclesiast. sancire, quales sunt, excõmunicationes, suspensiones, interdicta, &c. idoneos Ecclesiarum ministros examinare eligere, creare, instituere, confirmare, ad ordines promouere, & alia huiusmodi. Ratio est, tum quia potestas spiritualis est supernaturalis, & à Christo collata fuit, non regibus, aliisque sæcularibus sed Apostolis, & eorum successoribus, Tũ quia in c. *Quàquã de cens. & in c. si Imperat. d. 96.* habetur *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponẽda sint pertinere, nõ ad sæculi potestates.* Vide Suar. *l. 4. de immunit. c. 2. & seq.* Azorium *to. 1. lib. 5. cap. 12. quæst. 1* Bonacinam *in bullam cœna, disp. 1. quæst. 16. sect. 1. & p. 1. q. 19. parte terza. §. 2.* Salas *de leg. disp. 14. sect. 11.* Molinam *de iust. disp. 31.* Filliucium *tract. 40. cap. 6. quæst. 1. n. 155.* & alios. Suarez. Bonacina. Molina. Filliucius. Salas.

4 Communi consensu canonici iuris interpretum, & nonnullorum Theologorum recepta sententia est, clericos esse exemptos, solutos, & liberos à ciuilibus Principũ statutis iure diuino, naturali, & humano. Hæc sententia mihi probabilissima est, & tenenda: Tum quia in Tridentino dicitur Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticorum immunitatẽ, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse. Tum quia precisa dispositione iuris canonici, verum est Ecclesiasticos esse Patres, & Pastores sæcularium, ergo dicendum est aliam prohibitionem extare, qua cautur, ne clerici potestati laicæ subiiciantur. ergo priuilegiũ exemptionis clericorũ fuit à iure diuino immediatè concessum, & à iure canonico postea stabilitum, vt patet ex Conciliis Constantiensi *sessione* 8. Calcedonẽsi *can. 9.* Tridentino *sess. 25. c. 20.* & tandem à iure ciuili acceptum, & concessum, in *Authent. vt clerici proprios iudices conueniãt. in L. placet, C. de sacrosanct. Eccles.* Hinc sententiæ adhærent Syluest. *v. immunitas 2. q. 2.* Azorius *c. quæst. 1.* Clau. Reg. *lib. 12 c. 8. n. 6.* Suarez *contra reg. Angliæ, l. 4. c. 9.* Laiman *l. 4. tract. 9. cap. 8. num. 1.* Filliucius *tract. 16. num. 316.* Bonacina *tom. 2. disp. 10. quæst. 2 punct. 1. §. 1. n. 3.* Diana *p. 1. tract. 2. res. 1.* & multi Iurisperiti ab ipso citati. Syluest. Azorius. Suarez. Layman Filliucius Bonacina. Diana.

Plurimi tamen Theologi docent hanc exemptionem esse tantum de iure humano, licet multum consonam iuri diuino. Tum quia principio nascentis Ecclesiæ clerici subditi erãt Principibus laicis ad Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Supponit ergo D. Paulus non solum laicos, verum etiam clericos subiectos esse laicæ potestati cum particula, *omnis*, neminem excipiat, Tum quia nullum sufficiens testimonium adducitur pro clericorum exemptione de iure diuino, sed licet talis ius diuinum nõ præbeat illis talem exemptionem, dictat tamen eam à Principibus esse concedendam, & à Romano Pontifice fieri posse. Et hæc sententia est satis probabilis, quã tuentur Malderus *2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 4. nu. 30.* Salon *2. 2. quæst. 67. art. 1. concl. 4.* Victoria *Relect. 1. de potest. Eccl.* Sotus *in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. concl. 3. 4. & 5.* & alii. Malderus. Lessius. Salon. Victoria. Sotus

Consequenter loquendo dicendum est Clericos, eodẽ iure diuino, canonico, & ciuili, liberos esse a tributis, censibus contributionibus, & aliis omnibus oneribus, quæ solent ciuiles Principes laicis communiter imponere. Et quod sit de iure diuino, colligitur ex *cap. quãquã, de censibus* vbi dicitur. *Cum igitur Ecclesia Ecclesiasticaque personæ, ac res ipsarum non solum iure humano, quinimo & diuino à secularium personarum exactionibus sint immunes*, &c. De iure autem canonico idem patet, ex *cap. non minus & cap. aduersus de immunit. Eccles.* De iure ciuili idem constat ex *Authent. nulla communitas, c. de Episc. & cleric.*

5 Communis Theologorum, & iurisperitorũ doctrina est, clericos, neque iure diuino, neque humano esse exemptos à legibus ciuilibus, quæ non sunt contra libertatem Ecclesiasticam, neque sacris Canonibus, vel Clericorum statui repugnant, dubium autem est, an clerici teneantur dictis legib; directè Resp. quod non, sed ex ratione naturali dictante, seruandas esse leges sæculares, propter conformitatẽ cum personis sæcularibus einsdẽ Reip tenẽtur igitur clerici seruare his leges, non vi coactiua, sed vi directiua nemo enim tenetur directè legibus eius, qui in ipsũ nõ habet iurisdictionẽ tales leges sũt quib. taxatur pretium frumenti, præscribitur modus testandi contrahendi, &c. Et ideo si Clerici vendant frumenta vltra pretium iuste à Repub. statutum, & peccant mortaliter

legis humanæ,ita ab hac.Item commoditas ad modicum tempus, sine honestatis detrimento, à gestatione habitus excusare posset.Ita Nauarrus,*comm 4.de reg. num.*27.*& in.Man.c*-25.*n.*110.Angelus,*v.clericus*,4.*n.*6 Henriq.*lib*, 13.*c.*39 *n.*3.Reginaldus,*lib.*30.*n.*19.*tr.*3. Bonacina,*tom.* 1.*disp.*8.*q.vnic.punct.vlt.* Diana,*p.*5.*tr.*5.*ref.*60. Imò Syluester,*v.Clericus*,2.*n.*2.Armilla,*eodem v..n.*11. Caietan, *v.Clericus*,Vasquez,3.*p.disp.*250.*c.*3.*n.*22. aiunt non esse peccatum mortale,nisi interueniat temeritas, contumacia,& contemptus,& fiat notabilis excessus, vltra modũ consuetum.Clerici verò minorum ordinum facilius excusari possunt à peccato,si non deferant habitum clericalem,& tonsuram;quia possunt ad statum laicalem transire;Imò de iure communi non potest ad ferendum habitum cogi,nisi quatenus vti velit priuilegio clericali,*c.fin. de clerico coniugato*.

Nauarr. Angelus. Henriq. Reginald. Bonacina. Diana. Syluester. Armilla. Caietan. Vasq.

13 Clericales vestes censentur,quæ communi clericorum vsu in ea prouincia receptæ sunt,& ex quarum aspectu à quocumque clerici iudicentur, Sanchez,*de matr.li.* 7 *disp.*46.*num.*6. verùm si sit controuersia an habitus,cũ quo inuentus est clericus, sit clericalis? hæc habitus discussio ad Iudicem Ecclesiasticum pertinet:quia ad ipsum spectat habitum à clericis deferendum præscribere; ergo ad eundem etiam pertinet cognoscere, an habitus sit clericalis.Ita ex *cap. si Iudex laicus,de sent.excomm in* 6.Couarruuias,*pract.q.c.*33.Diana,*p.*1.*tr.*2.*ref*,28. Molina,*de iust.tom.*4.*tr.*3.*disp.*49.Layman, *lib.*4.*tr.*9.*c* 7.*n.*6. Iudex tamen laicus dum hæc coram Iudice Ecclesiastico pendent,debet ab actibus iudicialibus supersedere; qu a fieri posset,vt actus exerceat in personam exemptam.

Sanchez. Couarruu. Diana. Molina. Layman.

14 Clericis multa à Sacris Canonibus prohibentur? vnde in *cap.Clerici,*2.*de vita,& honestate clericorum*, sic habetur *Clerici officia,vel commercia sæcularia non exerceant,maximè inhonesta,mimis,iocularibus, & Histrionibus non intendant, & tabernas prorsus euitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas, & taxillos non ludant,nec huiusmodi ludis intersint. Coronam,& tonsuram habeant congruentem,& se in officiis Ecclesiasticis,& aliis bonis studiis exerceant diligenter. Clausa desuper indumenta nimia breuitate, vel longitudine non notanda. Pannis rubeis,aut viridibus, nec non manicis,aut sotularibus consutitiis,frenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis,aut aliam superfluitatem gerentibus non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Ecclesiam non gerant,sed nec alibi, qui sunt in Sacerdotio,& personatibus constituti,nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omninò non ferant, neque corrigias auri,vel argenti ornatam habentes,sed neque annulos,nisi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico, & in Ecclesia superindumentis lineis omnes vtantur,nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Palliis diffibulatis non vtantur in publico,sed vel post collum,vel ante pectus hinc inde connexis.* Hæc Canon.

Item debent clerici abstinere se à negotiis sæcularibus, quæ hominem à diuinis ministeriis auocant, v.g. quæ irregularem, seu ad esequendum sacr ordinis officia ineptum faciunt;vnde tenentur abstinere ab omni arte sordida,vt macellarii,aut tabernacũ publicè, & personaliter si tertio moniti nominatim non desistant,seu si postquam destiterint,illud reassumant,perdunt priuilegium clericale omninò;si sint coniugati etiam illud, *Si quis suadente*. Vide *Clement.*1.*de vita,& honest.cleric.*Reginaldus,*l.*30. *tr.*3.*n* 18.*& seq.*

Item præcipitur illis abstinere se à vanis huius sæculi voluptatibus, v.g.tripudiis, saltationibus, choreis cum mulieribus.Item *à crapula,& ebrietate omnes clerici diligenter abstineant,vnde vinum sibi temperent, & se vino, (inquit Canon) nec ad bibendum quispiam incitetur: cum ebrietas,& mentis inducat exilium,& libidinis prouocet incentiuum.Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum,quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores; & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat,& calices fœcundiores exhaurit.Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à Superiore commonitus satisfecerit,ab officio,vel beneficio suspendatur* Ita *Cap.XIV.de vita,& honestate clericorum*.

Præterea Clericus negotiari non potest, quoad negotia sæcularia,maximè inhonesta:intendendo, scilicet,rebus emendis, & vendendis pretio maiori, vt inde lucretur;quod est propriè mercari, & negotiari, *c.multa, ne cler.vel monach* Syluester,*v.cler.*3.*n* 1. Toletus,*l.*8 *c.* 33. si tamen clericus negotietur semel, aut iterum, non peccaret mortaliter; Sed dubiũ est,an clericis licitum sit negotiationẽ exercere per alios? probabilius esse posse: quia solum prohibitum est,ne per se clerici negotientur,& negotiando per alios cessat ratio prohibitionis.Ita Malderus 2.2,*tr.*5.*c.*2 *dub.*4,Lessius,*lib.*2.*c.*21.*dub.*1.*nu.*6. Molina, *disp.*342.*n.*10.Aragon.2-2.*q.*77 *art* 4.Syluius, *ibid.in concl.*4. Denique ab omnibus tenentur abstinere clerici,ex quibus sequitur,uel sequi potest vitæ amissio,vel sanguinis effusio, vt à portandis armis,gerendo bello, ferenda sententia sanguinis.

Syluestr. Malderus. Lessius. Molina. Aragon. Syluius.

15 Clericus in minoribus constitutus secundùm Canones, *cap. cum non ab homine,de iudiciis, & c.*2.*de foro compet,C.si quis*,17.*q.*4. duplici solùm priuilegio gaudere potest, iniens matrimonium, nimirum, Canonis *Si quis suadente*, & fori, nempe vt non pertineat ad forum Iudicis sæcularis,in causis criminalibus,siue criminaliter, siue ciuiliter agatur.Tamen vt his priuilegiis gaudeat debet habere conditiones requisitas à Concilio Tridentino, *sess* 23 *c.*6.*de reform* videlicet, vt clericalem habitum, & tonsuram deferat, & alicui Ecclesiæ ex mandato sui Episcopi,deseruiat. Denique debet vnicam, & virginem duxisse,matrimonium iniens.Ideò autem his personis priuilegium Canonis concessum est,quia sacræ sunt, Deo dicatæ,ideoque Ecclesiasticæ;atqui ob hanc causam non oportet eas sæculari potestati subiectas esse,sed ad Ecclesiæ tribunal pertinere. An autem clericus coniugatus cum vna, & virgine,vestes clericales & tonsuram deponens,si posteà illas reassumat,gaudeat priuilegio fori? dicendum est quòd sic,vt ex communi docent Couarruuias, *in practic.qq.c.*31.*n.*8.Suarez,*lib.*4.*contra Reg. Ang.c,*27 Diana *p.*1.*tr.*2.*ref.*79.Sanchez,*de matr.l.*7.*d.*46.*n.*29.

Conc. trid. Couarruu. Suarez. Diana. Sanchez.

16 Probabile est clericum coniugatum seruantem omnia requisita,hoc est, si contraxit cum virgine, & tonsuram habitumque clericalem gestet, & alicui Ecclesiæ deseruiat,tam in criminalibus, quæ descendunt ex delicto, quàm in ciuilibus,quæ ex contractu, vel quasi contractu originem ducunt,gaudere priuilgio fori, & ante Iudicem Ecclesiasticum esse conueniendum.Ita Diana,*p.*1.*tr.*2.*resol.*51.Duardus,*in bulla cœna,lib.*2.*can.*15.*q.*4.*concl.*3.& alii apud Sanchez.Et probatur hæc sententia ex *c.*2.*de foro competenti, & c.vnic.de cleric.coniug.* & dato quòd hic casus esset dubius in iure,potius pro iurisdictione Ecclesiastica iudicãdum est,quàm pro iurisdictione laicali: Tamen communior,& probabilior sententia docet, talem clericum coniugatum in causis criminalibus solis gaudere priuilegio fori,...causis autem merè ciuilibus descendentibus ex contractu,vel quasi contractu,illum non eximi à iurisdictione Iudicis sæcularis. Probatur hoc ex *cap. vnico,de cler.coniug.in* 6.vbi solùm conceditur clericis coniugatis priuilegium Canonis, & fori, in cæteris autem minimè:Et licet textus loquatur etiam de causis ciuilibus intelligendus est quoad capturam personæ, non autem si merè ciuiliter contra bona siue carceratione agatur. Et huius sententiæ sunt Sanchez,*de matr.lib* 7.*d* 46.*num.*21. Couarruuias,*in pract.qq.c.*31.*n* 9.Gutierrez,*pract.qq.l.*1. *c.*5,*n*,3.Layman,*lib.*4.*tr.*9.*c* 7.*n* 5. Coriolanus, *in bulla cœna excomm.*16.Suarez,*contra Reg. Angl lib.*4.*c.*28.*nu* 9.& alii.

Diana. Duardus. Sanchez. Couarruu. Gutierr. Layman. Coriolan. Suarez.

17 Plerique Doctores sentiunt clericum coniugatum seruantem omnes conditiones requisitas, amittere priuilegium Canonis,& fori,si negotiationibus vacet Ioannes Andreas,*in c vni,de cler.coniug.in* 6.Farinacius, *in pract. tit.de inquisit.q.*8 *n.*93,quia immiscere se negotiis sæcularibus cum tonsura,quam necessario gestare debet,vt gaudeat aliquo priuilegio,tendit in opprobrium cleri: at non decens est quempiam,vti beneficio legis, si in illam delinquat, & hoc est satis probabile; Apud me tamen multò verius est,nõ ob id priuari priuilegiis clericorum;quia his clericis coniugatis licita est negotiatio honesta victus causa,licet aliis clericis sit interdicta; indecens enim non est illis tonsuram deferendo negotiationi honestæ vacare;

Ioan. And. Farinac.

cum

Syluest. Angelus. Tabiena. Couarruu. azorius.

cùm nullibi id caueatur de clericis coniugatis. Ita Syluester, *v. Clericus*, 3. *q*. 3. Angelus, *v. Clericus*, 9. *n*. 3. Tabiena, *v. Clericus*, 3. *q*. 1. *n*. 2. Couarruuias, *c*. *n*. 8. Azorius, *tom*. 1. *lib*. 13. *c. vlt q. fin.* & alii apud Sanchez, *c. n* 26.

18 Quamuis nouitius criminosus ob delictum ab eo ante religionis ingressum commissum, iuxta Sixti V. constitutionem *Cum de omnibus*, habitu religionis spoliari, puniriq; debeat à Iudice sæculari, ac si religionem ingressus non esset; quia tamen hanc constitutionem hac in parte, moderatus fuit Clemens Octauus dicẽdum est ingressum religionis validum esse, ad hoc, vt nouitius priuilegio fori gaudeat; etiamsi ingressus in religionem factus fuerit cum fraude; instar clerici, qui statum clericalem cũ fraude assiunpsit post delictum patratum intentione subtrahendi se a sæculari potestate (si enim confugiens ad Ecclesiam post delictum, animo fraudandi Curiam sæcularem gaudet immunitate, quamuis remaneat laicus, & ad tempus in ea moretur, multò magis gaudere debet, qui personam suam per ordinis susceptionem Deo consecrat, vt illi perpetuò famuletur Bartholomæus de Vecchis, *in praxi nouitior. disp*. 11. *dub*. 12. *n*. 11. Diana, *p*. 3. *tr*. 1. *resolut*. 33. quidquid in contrarium doceant Molina, *de iust. tom*. 4. *tr*. 3. *disp*. 49. *n*. 21. Gutierrez, *pract. qq. lib*. 1. *qu*. 5.) Et ideò quemadmodum hic clericus puniri nequit à Iudice sæculari corporaliter, sed solùm in pecunia, & bonis, ita vt idem iudex secularis sit iudex causæ non autem personæ. Ita eodem prorsus modo nouitius in hoc euentu ad summum puniri potest à iudice sæculari in pecunia, & bonis, non autem in corpore; quia satis probabile est, nequaquã posse puniri nouitium etiam in pecunia, & bonis; vt docet noster Bartholomæus de Vecchis, Diana hic cit.

Vecchis Diana. molina. gutierr.

Barthol. Diana.

An autem nouitius habitu religionis dimisso, possit à iudice sæculari puniri ob delictum tempore nouitiatus commissum? Probabilis est sententia affirmans, Molinæ *tom*. 4. *tr*. 3. *disp*. 49. *n*. 24. Nauarr. *tit. de reg. lib*. 3. *consil*. 58. Vecchis, *c. dub*. 11. *n*. 6. quia in eo casu non habetur pro religioso: Mihi tamen probabilior est sententia negans, Bonacinæ, *tom* 2. *d*. 10. *q*. 2. *p* 1. *§*. 2. *n*. 5. Layman, *lib*. 4. *tr*. 9. *c* 7. *n* 5. Dianæ, *p*. 3. *tr*. 1. *res*. 34. Clauis Reg. *l*. 12. *c*. 7. *n*. 9. & aliorum apud illos: quia ad cognoscẽdũ, qui foro subiiciatur, inspiciendũ est delicti tempus, & status in quo tẽpore delicti reperiebatur; sed hic tempore delicti erat nouitius, & consequẽter immunis à laicâ potestate; ergo remanet immunis etiam ob delictũ in nouitiatu cõmissum, sicut clericus, qui tẽpore clericatus delictum cõmisit, nõ potest relicto clericatu ob illud delictum à laico puniri, ergo neque Nouitius. Aduertit tamen bene noster Bartholomæus de Vecchis, non posse nouitium cogi à Prælato religionis ad luendam pœnam delicto suo cõdignam, etiamsi re integra id est, ante cœptum iudicium discedere vellet à religione; contra Suarez, *de relig. tom*. 3. *lib*. 5. *c*. 16. *n*. 8.

molina. Nauarr. Vecchis

bonacina layman. Diana. Clau. Reg.

Suare

Ex dictis infertur, quòd si nouitius in religione existẽs debita ciuilia habeat, eiusdem creditores eumdem non coram iudice laico, vel etiam Ecclesiastico sæculari sed coram suo Prælato regulari conuenire debeant. Ratio est quia eidem Nouitius quoad vtrumque forum subditur, ac proinde creditor apud Regularem competentem Nouitii iudicem debitum exigere debet, quia nouitius exemptus est, tam à sæculari, & laico iudice, quam etiam à Sæculari Ecclesiastico. Vide Rodriquez, *tom*. 2. *qq. reg. q*. 2. *ar*. 10. Sanchez, *lib*. 6. *mor. c*. 10. *n*. 10. *&* 11.

Rodriq. Sanch.

Portò Nouitius de omnibus delictis, etiam homicidii voluntarii, potest puniri à suo Prælato regulari, si ipse velit in religione permanere. Ratio est quia Nouitii, cum gaudeant priuilegiis religionis, exempti sunt à iudice sæculari. Si verò nouitius occidit, vel vulneret aliquem Monachum, siue committat aliquod magnum delictum, & deinde à religione aufugiat tunc à sæculari iudice puniri debet, quia delictum impunitum manere non debet, & è monasterio egressus, est merè sæcularis, vt docet Farinacius apud Sanchez, *c. n*. 14. Si autem nouitius pro delictis quæ mortem non merentur, è religione egredi velit, à Prælatis regularibus puniri potest, & incarcerari antequã egrediatur è religione. Ratio est, quia si sub tali prætextu non puniretur à Prælato regulari, remanerent delicta impunita. Ita affirmant Graffiis, *to* 1. *consi. lib*. 3. *de voto conf*. 8, *n*. 8. Suarez, *tom*. 3. *de relig. l*. 5. *c*. 16. *n*. 18. Et hoc non est

Farinacc. Sanchez

graffiis Suarez.

impedire libertatem Nouitii ad egrediendum è Religione, vt habetur in *c. Statuimus, de reg. & c. Non solùm, eod. tit. in* 6. Imò si contingat, seu necessarium sit Nouitium ratione delicti torqueri, poterit vtique à Prælato regulari, vt professus, torqueri, ad veritatẽ eruendam, hoc enim concernit officium iudicis, torquendus tamen est tunc nouitius, non per personam sæcularem, sed per clericum, vel Religiosum, iuxta formam præscriptam in *c. vniuersitatis, de sent. excommunicat.*

19 An autem familia clerici gaudeat priuilegio fori? Respond. *Primò*, Et quidem de vxore clerici, negant Bonacina, *de leg. disp*. 1. *q* 3. *punct*. 8. *§*. 2. *n* 9. Sanchez, *de mat. lib*. 7. *disp*. 47. *n*. 3 cum aliis putant enim hoc priuilegiũ esse personale ratione ordinum, sicut, & Religiosis ratione Religionis. Et hoc est satis probabile, vt concedit ipsemet Sanch. Contrarium tamen mihi placet, quia vxor ratione matrimonii sortitur forũ viri, vnde in dispositione quãuis stricta, & concessa viro, censetur quoque vxori concedi. Imò hoc priuilegio gaudet vxor, etiam mortuo viro, donec alteri nubat, quia cùm vidualis vita durat, censetur in priori matrimonio esse. *Secundò*, filii clericorum gaudent priuilegio fori, nec illos iudex laicus potest punire, quia Pater, & filius reputantur vna, & eadem persona, & filius dicitur pars corporis Patris, & ideò exclusa persona Patris, censetur exclusa filii. Aduerte tamen hoc esse verum in filiis legitimis, & viuente Patre, nam Patre mortuo minimè priuilegio gaudebunt. *Tertiò*, Serui perpetui, vt mãcipia, gaudent priuilegio fori, quia tales serui habentur tanquam pars patrimonii, & substantiæ Dominorum. An autem idem dicendum sit, de famulis non perpetuis, sed temporalibus, conductitiis, vel mercenariis, annua, menstrua, vel diurna mercede seruientibus, negant Couarruu. *pract qq. c* 34. *n*. 2. Gutierrez, *pr. qq. lib*. 1. *q* 4. probabiliter. Contraria tamen sententia non est improbabilis, nempe hos, Dominorum priuilegiis participes esse, cum famulis, non propter ipsos, sed propter Dominorum personas, priuilegia concessa reperiantur. De his vide Dianam, *p*. 3. *tr*. 1 *resol*. 7. 45. 47.

bonacina Sanch.

Couarruu. gutierr.

Diana

De clerico, vide Bellum, *n*. 6. Beneficium, 3. *nu*. 2. Cessio bonorum, *n*. 6. Emptio, *n*. 16. Exemptio, *n*. 2. Feudum, *n*. 4. Fideiussio, *n*. 6. Gabella, *n*. 10. 11 13. Horæ Canonicæ, 1. *n*. 3. Interdictum, 2. *n*. 25 Interdictum, 3. *n*. 2. *& seq.* Lex, 3. *n*. 4. Ludus, 1. *n*. 3. 4. Matrimonium, 7. *n*. 56. Testamentum, *n*. 6. Dominium, 1. *n*. 11. *&* 12. Ordo, 1. *n*. 2.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Clericorum nomine in odiosis religiosi non veniunt secus in fauorabilibus.*

2 *Tonsura clericalis quid sit.*

3 *Prima conditio in suscipiente tonsuram clericalem est ætas septennii.*

4 *Secunda, vt Sacramentum confirmationis susceperit Non confirmatus suscipiens primam tonsuram non peccat mortaliter iuxta veriorem sententiam.*

5 *Tertia conditio, vt fidei rudimenta norit, v. g. Orationẽ Dominicam, Articulos Fidei, Precepta Decalogi, &c.*

6 *Quarta, vt legere, & scribere sciat.*

7 *Quinta conditio, vt tonsuram non suscipiat iudicii sæcularis fugiendi causa.*

8 *Denique requiritur in tonsurãdo vita honesta, & Christiana.*

9 *Omnes clerici à prima tonsura suscepta gaudent priuilegiis Canonis, & Fori, & exemptionis à Gabellis Principum, si obseruent conditiones à sacris Canonibus, & Concilio Tridentino præscriptas.*

Tonsuratus gaudet priuilegiis fori, & aliis si notoriè beneficiatus sit, etsi tonsuram, & vestes clericales non deferant.

Tonsuratus non beneficiatus tonsuram, & vestes non deferens non gaudet priuilegiis clericalibus, & si alicui Ecclesiæ deseruiat.

Clericus habitum clericalem, & tonsuram portans, gaudet priuilegio fori, & aliis, si in aliqua vniuersitate studeat, &c.

Vt his

Vt his priuilegiis gaudeat clericus, debet perseueranter inseruire alicui Ecclesiæ.

Quid intelligatur per mandatum Episcopi in Concilio Tridentino.

10 *Clericus in minoribus constitutus iniens matrimonium duplici solo priuilegio gaudet, nimirum* Canonis, & Fori, *modo reliqua obseruet requisita à iure.*

11 *Vt clericus coniugatus amittat priuilegium fori propter bigamiam, desideratur vt tempore delicti commissi illam contraxerit.*

12 *Vt clericus coniugatus priuilegiis gaudeat, debent vestes omnes, quas defert, externas, esse clericales, & honestæ.*

13 *Clericus coniugatus non amittit priuilegia per vnam, aut alteram habitus dimissionem, dummodo alias continuò habitum deferat.*

14 *Clericus per contractum matrimonii eo ipso amittit priuilegia ante omnem iudicis declarationem, & si non obseruentur ab eo conditiones requisitæ in Tridentino, amittit etiam priuilegium* Canonis, & Fori.

15 *Verius est clericum coniugatum vestes clericales, & tonsuram deponentem, recuperare priuilegia clericalia resumptis vestibus, & tonsura.*

1 NOmine clericorum in odiosis religiosi non veniunt: quia odia restringenda sunt, fauores autem ampliandi, *cap. odia, de regul. iur. in 6.* & ideò interdictis clericis, non censentur interdicti religiosi, ut sustinēt Vgolinus, *de censur. tab 5. §. 5. n. 3* Saytus, *de censur. lib. 5. c. 4. n. 29.* & alii, qui huius rei hanc assignant rationem, dantes regulam, quod in fauoribus nomine clericorū veniunt etiam regulares, & moniales, quamuis sint Nouitii; in pœnis autem, & materia odiosa clericorum appellatione soli sæculares clerici comprehenduntur, non autem claustrales, nec conuersi, nec Nouitii. Nihilominus licet prædicta ita se habeant quantum ad alia, præsertim quātùm ad ea quæ vel concernunt clericos tantùm, vel religiosos tantùm; tamen quando agitur de materia vtrumque equaliter respiciente, nulla prorsus inter ipsos differentia cognosci potest. Vt in materia Ordinum recipiendorum, & vt non recipiantur extra tempora, ante legitimam ætatem, vel absq; dimissorialibus literis, Pius Secundus in extrauagant. *cum ex Sacrorum* vsus est clerici nomine, quod in hoc sensu vniuocum est, & nomine, ac definitione conuenit, ac comprehendit clericos tam sæculares, quàm regulares. Vt docent Portel *in dub. regul. verb. Ordines Sacri, n. 13.* Barbosa, *de offic. & potestat. Episcop. allegat. 16 n. 24. p. 2.* & alii. Vgolinus. Saytus.

2 Tonsura clericalis est leuis detonsio capitis ab Episcopo ceremoniis Ecclesiæ facta, qua masculus tyrocinio ministeriorum Dei initiatur. Dicitur, *leuis detonsio capitis* vt distinguatur prima tonsura à rasione ampliori, quam alii Sacri Ordinis Ministerii gerunt in regalis officii signum, leuiter enim depilantur, quasi hoc Symbolo vocati ad militarem, & regiam coronam Sacerdotalem, si velint ad eam per gradus ascendere. Dicitur, *ab Episcopo ceremoniis Ecclesiasticis facta*, vt distinguatur à Monachali, & alia quacunque. Dicicitur, *qua masculus*, fœmina enim tonsuram suscipere non potest, imò secundum Apostolum I. ad Corinth. II. *turpe est mulieri tonderi.* Dicitur *tyrocinio Minister. Dei initiatur*, quia clericatus primæ tonsuræ est velut ianua ad Ecclesiæ ministeria, quam qui ingressus non est, legitimè ad ordines, & Ecclesiastica beneficia, & officia assumi non potest. Et ab hoc fine potissimum distinguitur Tonsura Clericalis à monachali.

3 Quædam conditiones requiruntur in suscipiente tonsuram clericalem, quarum prima est, ætas septenii. Nam ante vsum rationis infantem tonsurari non tantū est incongruum, sed etiam Ecclesiæ iniuriosum cùm enim quis Tonsura non initietur nisi vt ad sacra Ministeria, ordines vel beneficia promoueatur quo iudicio infans ante rationis vsum tonsura initiari legitimè poterit, Vnde Concilium Moguntinum *can. 23. Nullus tondetur sine legitima ætate & spontanea voluntate.* Et textus *c. final.* de tempore Ordinat. *Nullus*, inquit, *Episcopus, vel quiuis alius infanti, &c. Clericalem præsumat conferre tonsuram, &c.* Irrogaturque conferenti suspensio à tonsuræ collatione ad annum.

4 Secunda conditio est, vt Sacramentum Confirmationis receperit quia antiquissima est Ecclesiæ traditio, vt qui clericus initiatur, Sacramento Confirmationis sit ornatus, Incongruum enim maximè, & inconueniens esset, si quis ante susceptum Confirmationis Sacramentū, tonsuram reciperet. Ratio est, quia præterquam quod antiquum Ecclesiæ ritum, & vsum nouissimè in Concilio Tridentino *sess. 23. capite 4. de reform.* renouatum transgrediatur, inconueniens est, vt quis ad statum clericalem & ordinis Tyrocinium initietur qui necdum perfectus Christianus est, & militiam Ecclesiasticam adeat, qui militiæ Christianæ Sacramentum, nondum percepit. Hinc, & non Confirmatis prohibetur Religionis ingressus, & professio, & antiquæ Virgines, & Monachæ velari prohibeantur, nisi prius Confirmationis Sacramento insignitæ essent. Conc. trid

Sed petes, an non cōfirmatus suscipiens primam tonsuram peccet mortaliter. Negant Sotus, Nauar. Victoria, Coninch, & alii citati *to. 1. huius Summ. v. Ordo III. nu. 7. vers. Secundò requiritur, edit. 3.* & meritò, ob rationes ibi enarratas affirmatiua nihilominus sententia non est improbabilis, quam tenent Nognus, Fornar. Toletus, Bonacina, & alii apud Dianam *p. 2 tract. 16 resol. 4.* quia etsi Concilium Trident. nullum verbum præcepti addat, ipsa tamen præscriptio, & decretum, præceptum est, & verba præcepto æquipollent, cùm prohibitiua sint, & absolutè dicant, quod *prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Tum quia adest hic virtualis contemptus Sacramenti Confirmationis, quod habita copia Episcopi sciens & volens, & in ætate adulta & competenti, quis prius non suscipit, cum supponatur scire debere Confirmat. prius accipere, quam tonsuram. Sotus. nauarr. Victoria. Coninch. Nognus. Fornar. Toletus. Bonacina Diana.

5 Tertia conditio est, vt fidei rudimenta norit, quæ Christianus quilibet adultus scire tenetur, vt Orationem Dominicam, Articulos fidei, Professionem Trinitatis, Præcepta Decalogi, & huiusmodi, quæ in Catechismo proponuntur. Ratio est, quia in hoc magna inuritur macula Clericali statui, ex natura rei, si à tonsuratis hæc ignorentur. Cùm enim per tonsuram primam designentur apti ad Ordinum Ministeria, & beneficia Ecclesiastica, Quomodo apti dicendi erunt, qui in ætate perfecta, & competenti rudimenta necessaria, & primaria suæ fidei discere, aut non voluerunt, aut neglexerunt. Notandum tamen si clericus adhuc ætatis minoris sit, in qua ignorantia rudimentorum fidei excusaretur, esset verò spes moralis, quòd posteà illa opportunè disceret, ex vi susceptionis Tonsuræ non peccabit, cum nullus adhuc legibus Ecclesiasticis per se obligetur, sed tantùm ratione negligentię discendi rudimenta fidei, iuxta ętatem in qua reperitur.

6 Quarta conditio est, vt legere, & scribere sciat, Ex Tridentino *sess. 23. cap. 4. de reform.* vnde hæc conditio obligat Episcopum Tonsurantem ex natura rei, & sine ad peccatum mortale, nisi aliunde excusetur. Ratio est, quia cùm per tonsuram designet eum, cui tonsuram confert, aptum ad Ministeria, ordines, & beneficia in Ecclesia Dei quomodo illis seruire potest, qui legere non nouit, Tonsura enim etsi Sacramentum non sit, Sacramentale tamē grauis momenti in Ecclesia est, & illud ad personam planè illius incapacem applicare cùm precibus sanctis, est Deum, & Ecclesiam ex natura rei irridere. Et confirmatur hæc propositio ex *c. final. de tempore Ordinat. in 6.* in quo suspenditur Episcopus per annum à conferenda tōsura, qui illiterato eam dederit, quæ pœna grauis culpæ est indicium. Posset tamen Episcopus à peccato excusari, si de puero bonæ indolis certo sibi constaret, quòd breui literaturam sufficientem nancisceretur, aut si statim à tonsura bonis magistris literis imbuendus tradatur. Conc. trid.

7 Quinta conditio in tonsurando est, vt tonsuram non suscipiat iudicii sæcularis fugiendi causa, vt habetur in Tridentino *loco citato supra.* Alias peccaret mortaliter non habens verè animum Deo cultum fidelem in clericatu exibendi. Ratio est, quia in re graui iniustitiam cōmittit, contra Principum, & Magistratuum potestatem à Deo datam, eximiens se iniuriose ab eorum gladio, & iurisdictione, Vnde est mendacium perniciosum in eo, qui Conc. trid.

taliter

taliter tonsuram suscipit, si id sciat vel scire debeat. Imò vbi id postea aduertit, vel animum formare aut renouare debet ad clericatum, vel clericatum deponere teoetur. Aduerte tamen duo requiri, vt talis peccatum mortale ncurrat. *Primò*, vt in susceptione tonsuræ animum contrarium habeat, vel totaliter auersum, ita vt voluntatem ad clericatum non habeat. *Secundò*, vt pusitiuam voluntatem habeat priuilegiis fori gaudendi, beneficium Ecclesiasticum sibi quærendi, non obstante auersione a statu clericali. Hioc paret quibus periculis se, & proles exponant parentes, qui filios suos ad tonsuram adigunt, solum vt possint beneficiis, & præbendis Ecclesiasticis frui. Vide de his Nauar. *de orat. & hor. canon. capitulo settimo num.* 15. Nauarr.

8 Denique in tonsurando requiritur vita hoocsta, & Christiana, nam infames aut illegitimos, siue quolibet inhonesto toro natos, aut eos, qui turpis & lasciuiæ conuersationis sunt, ad tonsuram clericalem promouere, omninò scandalosum, & indecens est; Vnde omne impedimeotum, quod a susceptione Ordinum quorumcumque, & possessione beneficiorum, & Ecclesiasticis ministeriis arcet, similiter arcet à tonsura clericali, quia ex natura sua tonsura clericalis dirigitur ad illa, & per tonsuram homo designatur in sortem Domini, ad Ecclesiasticos ordines assumendus. Ita verior, & communior sententia Bonacinæ, Suarez, Sayri, & aliorum, quam secuti sumus *in 1. v. Irreg. num.* 2. Bonacina. Suarez.

9 Omnes clerici a prima tonsura suscepta gaudent priuilegiis Canonis, Fori, & Exemptionis à Gabelis Principum sæcularium, si obseruent conditiones a sacris Canonibus, & à Concilio Tridentino *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* requisitas nempe *aut beneficium Ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiant, vel in seminario clericorum, aut aliqua schola vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad suscipiendos Minores Ordines versentur.* Ex quibus Concilii verbis quædam notanda veniunt. *Primò*, quod tonsuratus gaudet priuilegio fori, & aliis si notoriè beneficiatus est, etsi clericalem habitum & tonsuram non gestet, quia notoriè beneficiatus ratione tituli scitur, & noscitur Clericus, & beneficii titulo alicuius Ecclesiæ seruitio adstrictus, secus dicendum si non sit notorius, de illo enim sine culpa iudex sæcularis cognoscit, donec probet se beneficiatum, & alicui Ecclesiæ inscriptum, imò si habitum clericalem, & tonsuram non gestet, impunè contra priuilegium canonis percutitur. Vide Rodrig *in Summ. p.* 1. *c.* 155. *concl.* 2. Clarum. *§. final. q.* 36. *num.* 19. Rodrig. Clarus.

Secundum notabile est, quod tonsuratus non beneficiatus, qui non defert habitum clericalem, & tonsuram, etsi Ecclesiæ alicui inseruiat, non gaudet priuilegio fori, imò nec Canonis aut aliis. Quia Ecclesia in hoc Tridentini decreto, in pœnam eorum, qui habitum, & tonsuram non gestant, censetur priuilegiis illis renunciasse, & illos ciuili iustitiæ remisisse. Nec refert, quod Ecclesiæ deseruiat, multi enim hoc tempore Ecclesiis in variis officiis deseruiunt, qui clerici non sunt, & Concilium vtrumque requirit copulatiuè, nimirum, vt quis habitum clericalem cum tonsura deferens alicui Ecclesiæ deseruiat. Hinc infertur, quod si quis habitum clericalem, & tonsuram deferat, nulli autem ecclesiæ de episcopi mandato deseruiat priuilegio fori non gaudeat, nec exemptionibus Principum, gaudet tamen priuilegio canonis. Prior pars probatur, quia priuilegium fori, & exemptionum in fauorem Ecclesiarum, quibus deseruiunt, datum est & concilium nonnisi pro istis acceptat, & pro illis, de quibus infra. Probatur posterior pars, quia omnis clericus pro clerico agnitus, priuilegio canonis, *si quis suadente* 17. *quæstione* 4. gaudet, qui autem patentet habitum clericalem, & tonsuram defert, notorie clericus est, Vide Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *capit.* 5. *numero quarto*, & alios apud ipsum citatos. Layman

Tertium notabile est, quod omnis clericus, qui habitum, & tonsuram clericalem portat iuxta mentem concilii, modo de licentia Episcopi viuat in seminario aut aliqua schola, aut vniuersitate studeat, etiam gaudet priuilegio fori, & aliis. Rationem innuit concilium, quia etsi Ecclesiæ actualiter non seruiat in ordine tamen ad Ecclesiæ seruitium ibi studet, siue in illis locis, & studiis quasi in via ad suscipiendos Maiores Ordines versatur.

Quartum notabile est, quod inprimis requiratur seruitium aliquod perseuerans, non enim sufficit, vt aliquoties seruierit, sed debet seruitio esse addictus, quia verba illa, *Alicui Ecclesiæ inseruiat*, sont significantia actum perseueratiuum, vnde requiritur frequentia, & perseuerantia in seruitii præstatione. Non requiritur tamen, vt absque aliqua intepolatione, vel absentia inseruiat, sed sufficit vt communiter, & ordinariè censetur inseruire.

Quintum notabile est, quod per mandatum Episcopi, intelligitur ipsius ordinatio vel consensus, siue, vt de consensu, & authoritate episcopi dictum seruitium procedat. An autem expressum mandatum requiratur. Affirmat Menochius *libro quinto. 6. de presumptione q.* 76 *n.* 41, Sed verius est, consensum noo debere esse necessario explicitum, sed sufficere interpretatiuum, vbi est consuetudo, quod tales per rectorem ecclesiæ assumantur, vel admittantur. De his uidendus est Augustinus Barbosa *in remiss. super sess.* 23. *c.* 6. *Conc. Trident. de reform.* Diana *p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 35. *& part.* 4. *tract.* 1. *resolutione* 88. *&* 89. Barbosa. Diana. Conc. trid.

10 Clericus in minoribus constitutus, iniens matrimonium, duplici solo priuilegio potest gaudere, nimirum canonis, *si quis suadente* 17. *q.* 4. ut uiolentas manus in ipsum iniiciens incurrat excommunicationem & fori nempe, ut non pertineat ad forum iudicis sæcularis, in causis criminalibus, siue criminaliter, siue ciuiliter agatur. Ita *c. vnic. de cleric coniug. in* 6. prout clericis concessum est *c.* 2. *de foro competent.* Expetitur ibi duplex conditio, ut his priuilegiis gaudeat altera, ut unicam, & uirginem duxerit altera uero, ut tonsuram, & uestes clericales deferat quod si utraque conditionem non seruet, decernitur ibi eum nullo priuilegio gaudere hoc decretum confirmatum est in Trident. *sess.* 23. *c.* 6. *de refor*, quod addidit tertiam conditionem ut iis priuilegiis gaudeat clericus coniugatus, nempè, ut alicui Ecclesiæ deputatus ab Episcopo inseruiat. Conc. trid.

11 Vt clericus coniugatus amittat priuilegium fori propter bigamiam, desideratur ut tempore delicti commissi illam contraxerit, si enim antea habens omnia requisita ut fori priuilegio quoad id delictum, quamuis postea effectus sit bigamus iniens aliud matrimonium priori vxore defuncta. Ratio est, quia ad gaudēdum foro spectator semper tempus delicti admissi. Vt docent Clarus *lib.* 5. *receptarum §. final. in pract. crimin. q.* 36. *n.* 1. Sanchez *libro septimo, de matrim. disput.* 46. *num.* 4. & alii apud ipsum. Clarus. Sanchez.

12 Vt clericus coniugatus priuilegio aliquo gaudeat, non satis est illi vna aut altera veste clericali indui, sed omnes vestes extrinsecus apparentes debent clericales, & honestæ esse, quia in *c. vnic. de cleric. coniug. in* 6. non petitur vestis in singulari, sed in plurali vestes petuntur, ibi. *Veste deferant clericales.* Vnde si vestis nō clericalis lateat quod exterior ita longa sit vt illam contegat, gaudebit priuilegio clericali, Ita Couarruuias *in pract. q. c.* 31 *n.* 7. Farinacius *in pract. crimin. tit. de inquisit. q.* 8. *n.* 65. Azor. *p.* 1. *lib.* 13. *c. vltim. q. final.* Couarruu. Farinacius. Azor.

13 Non amittit clericus coniugatus priuilegia per vnam aut alteram habitus dimissionem, dummodo alias continuo habitum deferat, quia non videtur habitum deserere, qui statim est resumptus *l.* 3. *ff. de diuort.* Nec similiter amittit, si tonsuram non deferat, eo quod caput rasū sit pro morbo Gallico aut caluitie, nemo enim ad impossibile tenetur. Ita Farinacius *tit. de inquis. q.* 8 *n.* 67. *&* 68. Debet tamen clericus coniugatus tonsuram, & vestes clericales deferre tempore delicti comissi, vt quoad illud gaudeat fori priuilegio, nec satis erit postea assumere; quia, vt diximus *supra*, ad gaudendum fori priuilegio nō attenditur nisi tempus commissi delicti, nec refert tempore capturæ relictas esse vestes clericales, modo tempore delicti delatæ sint. Et ita declarasse Sacram Congregationem Cardinalium anno 1586. notauit Marius Antonius *in suis varius resolut. lib.* 3. *res.* 48. *n* 7. quem refert, & sequitur Diana *p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 33. *ex lib.* 1. *ff. de pœnis.* Imò etiamsi tempore delicti illum deseruisset, iuxta Layman, Diana

Ieyman. Suarez Bonacina.

man; Suarez, Bonacina, *de legibus; disputatio decima, quæstione secunda, puncto primo, §. quarto, numer.* 14. apud Dianam *loco cit. resol.* 34 non amittet priuilegium fori, quia ad illud amittendum, opus est tanta perseuerātia in dimissione habitus, vt publicè æstimetur vt laicus, quia non præsumitur dimisisse habitum animo illum deserendi, sed vt commodius delictum perpetraret. Vide

Diana

præterea Diana, *parte quarta, tractatu primo, resolutione decima octaua.*

14 Clericus per contractū matrimonii eo ipso amittit priuilegia ante omnem iudicis declarationem, & si nō obseruentur ab eo conditiones requisitæ in Tridentino, amittit etiam priuilegium Canonis, & fori. Probatur ex eo quod priuatio hæc non imponatur vt delicti pęna, sed ob defectum conditionis requisitæ ad gaudendum priuilegio clericali. Quod, & praxis ipsa demonstrat, & ex eo constat, quod nullius culpæ reus sit clericus in minorib. constitutus non deferens vestes clericales; duas vxores ducens, aut viduam vnicam, Deficiente ergo conditione cessabunt eo ipso priuilegia. Tum quia contrario statu assumpto amittuntur hæc priuilegia, sicut, & beneficia Sicut ergo hęc perduntur per contractum matrimonii absque alia sententia, ita, & illa. Ita Abbas *in cap ioannes n. 4. de cleric. coniugat.* Clarus *lib. 5 recept. practic. crimin §. final quæstione. 36, num.* 19. Nec desideratur ad hanc amissionem consumatio matrimonii, quia tunc vere assumptus est status contrarius clericatui non sufficeret tamen ad hoc contractus sponsalium de futuro, quia non est ille vere clericus coniugatus. Sic Ancharanus *in cap. vnic. de cleric. coniug. in 6. notab.* 1.

Abbas Clarus.

15 Quidam sentiunt clericum coniugatum cum vnica, & virgine, vestes clericales, & tonsuram deponentem, ita amittere priuilegia clericalia, vt ea nequaquam recuperet: resumptis vestibus, & tonsura; Ratio illorum est, quia cum semel vitam laici elegerit, resipiscere nequit, Tum quia cùm facto proprio priuilegium clericale amiserit, ad illud solo proprio facto se habilem reddere nequit *leg. 1. §. fuit quæsitum, ff. ad Senatusconsul. Trebellian.* Sic tenuere communiter Doctores Paduæ, vt refert Ioannes Andræas, *in c. Ioannes, q. 4. n.* 19. Verior tamen sententia ait recuperari priuilegia ab huiusmodi clerico resumente vestes clericales, & tonsuram. Probatur, quia iura non omninò huiusmodi clericum deponentem vestes clericali priuilegio denudant, sicut bigamum, sed solo priuilegiorum exercitio, vt iudicant ea verba, *capite vnico, de cler. coniug. in 6. in fine.* Vbi, *eos gaudere nolumus priuilegio clericali.*

Quæ verba solum exercitium respiciunt; ergo recuperant seruando conditiones requisitas ad gaudendum. Tū quia non est absurdum ad id quempiam proprio facto restitui, quod proprio facto amiserat, *c. quia sæpè de elect. in 6.* omnes enim res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur, *cap 1e primo, de regulis iuris.* Ita Clarus, *libro decimo quinto sententiarum, §. finali, quæstion. 36. numero decimo quinto,* Couarruuias, *in quæst. pract. capit. 31. numero octauo,* Syluester, Angelus, Tabiena, & alii quos citat, & sequitur Sanchez, *de matrimon libr. 7. disputat. 46. num.* 29. Vnde clericus coniugatus, qui vnicam vxorem, & eam Virginem, hoc est ab alio non cognitam, accepit, consequitur ea mortua omnia priuilegia, quæ clerici non coniugati primæ tonsuræ iure habent, si redeat ad propria clericorū ministeria; quia ea extincta non erant, sed tantùm suspensa.

Clarus. Couarruuias. Syluest. Angelus. Tabiena. Sanchez.

Vide verb. Accusatio, *n.* 6. Aduocatus, *n.* 1. Bellum, *n.* 21. *& seqq.* Beneficium, 2. *n.* 5. Concubinarius, *n.* 5. Debitor, *n.* 16. *&* 17. Dominium, *n.* 10 Emptio, *n.* 44. Excommunicatio, 1. *n.* 7. Excommunicatio, 6. Fideiussio, *n.* 2. Homicidiū, *n.* 15. *&* 16. Horæ canonicæ, 1. *n.* 9. Immunitas Ecclesiarū *n.* 19. Irregularitas, 1. *n.* 21. 23. *& seqq.* Ludus, *nu.* 3. 17. Testamentum, *n.* 20. Tutela, *n.* 3.

CODICILLVS.

SVMMARIVM.

1 *Codicillus quid sit.*
2 *Plures codicillos quis facere potest.*
3 *Codicillus fieri potest tam ab eo qui intestatus, quàm qui testatus decedit.*
4 *An censeatur sit codicillus, quando testator intendit condere testamentum, non tamen adhibet solemnitatem necessariā ad testamentū, sed tantū ad codicillum.*
5 *Quando clausula codicillaris testamento minus solemni adiecta non est, an dispositio valeat, vt testamentum vel vt codicillus.*
6 *Qui sint effectus clausulæ codicillaris seu expressè, seu tacitè intellectæ.*
7 *Bifariam fieri possunt codicilli ad similitudinem testamentorum.*
8 *Differentia inter hæredis institutionem, & legatum.*

1 CODicillus dicitur, quasi paruus codex, siue scriptura vltimam aliquam voluntatem cōtinens absque hæredis directa institutione, & est quasi imperfectum testamentum ob duas causas. *Prima,* quia testamēti solemnitates non requirit, quòd quinque testes non rogati etiā fœminæ in codicillo sufficiunt. *Secunda,* quia codicillo hæreditas neque dari, neque adimi potest, vnde inseruiūt pręcipuè codicilli ad fideicommissa, & legata relinquenda, item ad testamentum declarandum, immutandum, & addendum, *leg. vltim. Codic. de codicillis,* Lessius, *libro secundo, capite decimo nono, numero secundo;* Bonacina, *de contract. disputatione tertia, quæstione decima septima, numero secundo. leg. hæreditatem Cod. de codicillis.*

Lessius. Bonacina.

2 Codicillos plures quis facere potest, modò inter se contrarii non sint, alioquin prior à posteriore censebitur reuocatus, testamenta autem duo simul consistere non possunt, sed semper posterius, quod iure factum est, priori derogat, quamuis nemo ex illo hæres extiterit. *Instit. §. codicillos, de codicillis,* Bonacina, *citato numero septimo.*

Bonacina.

3 Codicillus fieri potest tam ab eo, qui intestatus, quā qui testātus decedit, & hoc non solùm post factum testamentum, sed etiam testamentum, & cum ipso testamento ita vires codicilli ex testamento pendent, tanquam accessorii ex principali, si verò testamentum nullum factum sit, tunc quasi testamenti loco est codicillus, obligans hæredem ab intestato venientem etiam posthumum, *§. Non tantum instit. de cod. leg. Conficiuntur, ff. de iur. codic.* Bonacina, *c. n.* 5.

Bonacina.

4 Quando testator intendit condere testamentum, nō adhibet tamen solemnitatem necessariam ad testamentū, sed tantùm ad codicillum, censebitur tunc esse codicillus, si expressè adiungat clausulam codicillarem, verbi gratia, si dispositio mea non valet vi testamenti, volo vt valeat vi codicilli, idem dicendum quamuis solùm tacitè, ac virtualiter hoc exprimat, verbi gratia, si hæc dispositio mea non valet vt testamentum, valeat eo modo quo valere potest, *lege prima, ff eodem, lege vltima, §. illud quoque, Codi. de eodem,* Lessius, *citato numero tertio,* Sà, *verb. Testamentum, numero decimosexto,* Syluester, *verb. Testamentum, 1. numero decimo primo,* Vasquez, *de Testamentis, capite primo, §. septimo, dubio secundo.*

Lessius. Sa. Syluest. Vasquez.

5 Quando clausula codicillaris testamento minus solemniter condito neque adiecta est, neque ob coniecturas pro adiecta haberi potest, eo casu dispositio neque vt testamentum, neque vt codicillus consistit, etiamsi omnia ad codicillum alioquin requisita adsit, *L. 1. ff. eod. & c. l. vl. Cod eodem.*

6 Effectus clausulæ codicillaris, seù expressè, seu tacitè intellectæ sunt *Primo,* ex testamento minus solemni, etsi hæredis institutio omnium irrita, hęres tamen ab intestato soluere cogitur legata propter illam clausulam. *Secundo,* si testator carens hęredibus necessariis, testamento minus solemni instituat extraneum, virtute eiusdem clausulæ, institutio directa vertitur in fideicommissariā. *Tertiò,* si testator hærede necessariò scienter præterito, vel iniustè exhæredato, in testamento minùs solemni instituat extraneum, virtute illius clausulæ censetur hæres necessarius grauatus, vt detracta portione legitima reliquam hæreditatem restituat instituto, *Leg. si iure non subsistit, cod. de testam. manumiss. leg. ex ea scriptura, §. ex his vers. ff. qui testamentum facere possunt,* Molina, *disputat.* 132.

Lay-

Layman, *libro tertio, tractatu quinto, capite octauo*, Bonacina, *c. num. 5.*

7 Codicilli ad similitudinem testamentorum bifariam fieri possunt, primum in scriptis, adhibitis quinque testibus, qui se subscribent, deinde sine scriptis per nuncupationem, declarata vltima voluntate coram quinque testibus tametsi ea postea in scripturam redigatur. Syluester *v. Testamentum, 1. q. 2. L. fin. C. de codicillis.*

8 Inter hæredis institutionem, & legatum hoc interest quod testator hæredem proprio ore saltem ad interrogationem alterius proferre debet, ar verò legatum nutu relinqui potest, si moriturus morbo impeditus articulatè loqui non possit, *leg. iubemus, C. de testam. leg. nutu, ff. de legatis. l. 32.*

Vide Falsarius, *n. 2.* Testamemntum, *n. 1*

C OE C V S.

S V M M A R I V M.

1 *Canonicus cœcus distributiones quotidianas lucrari potest, licet in choro non assistat.*
2 *Sacerdos cœcus valide consecrare potest panē sibi præsentem, sed non licitè, nisi ex Pontificia despensatione.*
3 *Visitator alicuius religionis cœcus factus, non potest visitationem continuare cum socio sano.*
4 *Cœcus potest donare causa mortis sine iuris solemnitatibus, dummodo sit præsens donatarius.*
Cœcus potest testamentum condere cum certis quibusdam conditionibus iure requisitis.
5 *Cœcus non potest esse Aduocatus, sed benè fideiussor. Est immunis a muneribus publicis, & personalibus.*

1 CAnonicus, qui lumen oculorum amisit, & propterea Missas, & diuina officia celebrare non potest, distributiones quotidianas, & cætera emolumenta lucrari, perinde ac si diuinis interesset, ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii, sub die 20. Iulii, 1629. potest vt refert, & testatur Barbosa, *de canon. c. 24. numer. 30.* Vbi antea fuerat resolutum, sub die 11. Augusti 1618. prouisum de Canonicatu, si capta possessione lumine orbetur, & non possit promoueri ad Ordinem requisitum, reputari præsentem quoad fructus, sed non teneri assistere in Choro.

2 Cœcus, qui ex relatione alterius nouit panem sibi esse præsentem, eumque potest facilè tangere, validè consecrat etiamsi non tangat, vel alio sensu actu percipiat. Grauiter tamen peccaret Sacerdos cœcus, qui sine Pontificia dispensatione consecraret. Ita Præpositus, 3 p. D. Thom. q. 74. ar. 2. du. 2. n. 12. Coninck, *ibid. dub. 1. n. 9.* Vnde refert Sotus, *in 4. dist. 9. quæst. 1. articul. 2.* dispensatum fuisse aliquando cum Sacerdote cœco vt celebraret, & testatur se vidisse Tridenti quemdam Episcopum cœcum ex dispensatione Summi Pontificis missam celebrantem.

3 Si Prælatus aliquis in Visitatorem alicuius Religionis electus sit, & postea factus sit cœcus, non potest cœcitate perseuerante visitationem continuare cum visitatore sano, & socio. Ratio est, quia cœcus non potest esse testis in testamento, quia testatorem videre debet. Sed visitatores debent de actibus, qui visu percipiuntur testimonium ferre Generali, & Capitulo Generali, ergo, &c. Ita Megala, *tom. 2. var. res. 183.* quem sequitur Diana, *p. 5. tr. 6. resol. 20.*

4 Cœcus potest donare causa mortis sine solemnitatibus dummodò sit præsens donatarius, vel alius qui pro eo stipuletur. Ratio est, quia donatio causa mortis, magis accedit contractui, quam vltimæ voluntati, & hæc videtur communis opinio. Testamentum autem potest cœcus condere, cum conditionibus tamen appositis in *leg. hac consultissima, C. de testam.* & ideò, *Primo*, requiritur septē testes. *Secundo*, requiritur tabellio. *Tertio*, Testes rogati esse debent, & ipse debet dicere testator coram ipsis, quod ad hoc sunt vocati. *Quarto*, requiritur, quod exprimatur hæredis nomen. *Quinto*, quòd vno eodemque tempore, & contextu fiat. *Sexto*, Tabellio se debet subscribere, & testes; imò signare tenentur omnes scripturam testamenti. *Septimo*, requiritur, quòd institutio hæredis præcedat legata. *Octauo*, quòd si tabellio non adsit, octauus adhibeatur testis. Demum quòd testamentum cœci semper sit nuncupatiuum, idest apertum, nunquam in scriptis, idest clausum. Ita Vasquez, *in opusc. de testam. c. 1. §. 5. n. 32.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 4.* & alii. Ratio horum est nam licet nimia subtilitas, in aliorum testamentis requiratur, & iustus numerus testium, ne quid admittatur falsitatis, in cœcorum tamen testamentis, quia magis timetur periculū fraudis, caut us agendum erit, & est expressa ratio in *d. l. hac cōsultissima, C. qui testam. facere possunt.* Nota tamen quòd in testamento cœci ad causas pias sufficiant duo testes cùm ius ciuile pietatis opera impedire nequeat. Idem valet in testamento cœci condito inter liberos: nam cessat suspicio fraudis, & falsitatis, instituendo succedentes ab intestato. Ita Clarus, *§. testamentum, qu. 17.* Molfesius, *in Summ. p. 2. tr. 13. c. 2. n. 94.* & alii.

5 Cœcus vtroque orbatus oculo, non potest munus aduocationis exercere, nisi esset in causa propria. Potest tamen cœcus esse fideiussor: nam licet ille corporis vitio laboret, tamen quoniam ratione intellectus, loquelæ, & auditionis ipsi nihil deficiat, ideò ipse fideiubere potest. Notum est enim illorum intellectum aliquando in tantum se extendere, vt in artibus Liberalibus, & Mœcanicis nec non in literis ad miraculum, & stuporem vsque excellant. Porrò cœci vtriusque oculi luce carentes excusationem merentur à muneribus publicis, & personalibus; in realibus extraordinariis, putat Syluester, *v. Gabella, 5. n. 5.* standum esse arbitrio iudicis, quia ita possent esse diuites, quòd facilè soluere possunt. De his vide Dianam *p. 5. tr. 6. res. 27. 29. & 33.* apud quem plura de cœcis.

COLVMBARIVM.

S V M M A R I V M.

1 *Columbaria an sint licita.*
2 *Si columba bis terve tempore consueto non redeant, an sint occupantis.*
3 *Peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, qui arte, vel fraude alienas columbas ad suum columbarium attrahit.*
4 *Intra terminum lege præscriptum columbas occupari prohibitum, eas sumere est mortale cum debito restituendi.*

1 COlumbaria ordinariè sunt licita nisi lege aliqua prohibeantur; quia passim est consuetudo, & ordinariè non sentitur damnum notabile; non enim columbæ minus vescuntur seminibus prauis, quæ sata suffocant & strangulant, vt lolio, melanthio, orobanche, quam bonis, vnde fecundum quosdam tantùm prosunt, quantùm nocent; cutare tamen debent qui eas fouent, vt pabulum in columbariis non desit, sic enim minùs nocere possunt. Nauarrus, *c. 17. n. 126.* Caietanus, *ver. Columbarium.* Sylnius, *2. 2. q. 66. art. 2. q. 3. concl. 4.* Clauis Regia, *lib. 11. c. 10. num. 1.* & alii.

2 Quando columbæ amittunt consuetudinem redeūdi, v. g. si bis, terve tempore consueto non redeant fiunt occupantis, quia tunc censentur se recepisse in naturalem libertatem, & non amplius esse in potestate prioris Domini. Syluester, *v. Inuentum, q. 2.* Salon, *2. 2. q. 62. art. 3. con. trou. 4.* Arragon. *ibid. concl. 7.*

3 Qui arte vel fraude alienas columbas attrahit ad suū columbarium, spargendo in ea certa semina, peccat peccato furti cum obligatione restituendi, si paruitas eum non excusat debet tamen adesse intentio principaliter alienas columbas inescandi, nā excusaretur ille cuius principalis finis esset suas pascere, & retinere, ne aliò euocentur. Medina, *in 4. l. sent. dist. 85. q. 8.* apud Nauarr. *c. nu. 127.* Syluius, *c. concl. 7.* Clauis Reg. *c. n. 6.*

4 Quando lege præscriptus est terminus, intra quem columbas aucupate prohibetur, intra illum sumere peccatum mortale est cum debito restituendi; extra illum verò terminum eas capere, absque onere restitutionis, aut reatu peccati, licet. Ratio prioris est, quia cùm lex talem terminum præscribat, iusta que sit, consequenter efficit, vt intra illum terminum columbæ sint bona propria domini illius

ni illius columbarii, atque adeò illas capere non licet; quando vnum tantum est columbarium in eo loco. Sin verò plura sint columbaria, & columbæ capiantur intra terminum præscriptum puta intra leucam ab vno columbario, extra leucam verò ab alio columbario, tunc quidem si talibus constaret euidenter columbas, quas capere contendunt, esse alterius columbarii distantis vltra terminũ à lege præscriptum, non peccarent; sed quia raro euenire potest, vt id sciatur, in dubio præsumendum est, quòd eius columbarii sint, quod est intra terminum præscriptum à lege. Ratio posterioris est, quia cùm hoc animal quasi medium sit inter domesticum, & ferum, rebusque alienis pascatur, statuere potest Princeps, vt cũ eo onere dominus columbarii dominium illarum retineat, vt si extra terminum illum capiantur maximè à dominis locorum in quibus vagantur, ea ipsa captione amittat dominium, & fiant capientium. Ita Salon, *2.2.qu.62.art.3. contron.4. concl.3.* Bannez, *ibid.dub.vlt.concl.5.* Toletus, *lib.5.cap.29.in fine,* Corduba, *in Sum.q.21.vers.3.*

Salon. Bannez. Toletus. Corduba.

Vide Venatio, *num.7.*

COMMODATVM.

SVMMARIVM.

1 *Commodatum quid sit.*
2 *Commodatum vt diuidi possit ex parte contrahentium.*
3 *Commodatarius de qua culpa teneatur, si res pereat, aut deterioretur; quando commodatum fit in gratiam tantum commodantis.*
4 *Commodatarius an teneatur de casu fortuito.*
5 *An possit commodatarius res suas pretiosiores, rebus commodatis praeferre, vt eas saluare possit in periculo incẽdii, naufragii, &c.*
6 *Quid faciendum si res commodata sit pretiosior.*
7 *Quid si res tua, & alterius sint aquales.*
8 *Damnum quis praestabit, quando res duobus commodata fuit.*
9 *Commodatarius an repetere possit à commodante impensas maiores extraordinarias, quas circa rem commodatam sine sua culpa facere debuit.*
10 *Commodatum an possit repeti ante tempus, ob par incommodum, vel damnum vitandum commodatarij.*

1 COmmodatum, *est alicuius rei ad solum vsum gratuita concessio*: dicitur *alicuius rei* ad indicandam materiam commodati, per quam ipsum distinguitur à mutuo, eo enim est, non quæuis res, sed quæ non consumitur vsu, siue sit immobilis, vt domus, siue mobilis, vt liber, siue se mouens, vt equus, mulus: mutui autem materia est res vsu consumptibilis: dicitur *ad solum vsum*, in quo commodatum differt à pignore, & deposito, quorum vsus non conceditur: *gratuita*, dicitur, quia si interueniat merces, erit locatio, aut contractus innominatus, do vt des, vel do vt facias *Institutis.lib.3.tit.15.§ item is.* Layman, *lib.3.tract.4 cap.14.* Syluius, *2.2.quæst.77.* Lessius, *lib.2.c.27.dub.1.n.4.* Syluester, *v.commodatum, q.1.*

Layman. Syluius. Lessius. Syluester.

2 Commodatum ex parte contrahentium diuiditur: nam fieri potest in bonum tantùm commodatarii, quod frequens est, vel in bonum tantùm commodatoris, vel in bonum vtriusque: porrò ex commodato commodatarius habet quinque obligationes. *Prima* est, vt re commodata vti non possit, nisi ad eum vsum ad quem accommodata est. *Secunda*, est vt commodatarius teneatur commodatum restituere tempore præstituto. *Tertia*, est vt eamdem rem numero restituere teneatur, ea enim est aliena. *Quarta*, vt teneatur rem commodatam restituere non factam deteriorem dolo, aut culpa sua. *Quinta* est, vt teneatur rem commodatam seruare eadem cura, & diligentia, qua res suas. Reginaldus, *lib.25.num.470.471.* Syluester, *v.commodatum* Filliucius, *tract.34 numer.276.* Bonacina, *de contractibus, disp.3 qu.16.punct.vnic.* & alii.

Reginald. Syluester. Filliucius. Bonacina.

3 Quando commodatum fit in gratiam tantùm commodantis, commodatarius non nisi de dolo, aut culpa lata, que dolo æquiparatur tenetur, si res pereat, aut deterioretur: sin autem commodatum fiat in gratiam ipsiusmet commodatarii, tenetur de dolo, & omni culpa etiam leuissima: si deniq; in gratiam tam commodantis quam commodatarii, vt si commodata sint vasa ad excipiendum hospitio communem amicum vtriusq; nomine, tenetur commodatarius de culpa lata, & leui, non de leuissima, *L.Si vt certo, §.Sed interdum, ff. commodati.* hæc autem vera sunt spectata contractus natura, tamen si aliter conuentum sit, standum erit pacto Nauarrus, *c.17.num.184.* Becanus, *de restit.quæst.48.n.8.9.10.*

Nauarrus. Becanus.

4 Commodatarius non tenetur de casu fortuito, *cap.vnic.de commodato.* nisi contrarium deductum sit in pacto vel vsus sit re commodata aliter quàm sibi concessa fuerit, aut denique nisi ex illius mora restituendi talis casus euenerit: tamen si res commodata eodem modo peritura erat, quamuis commodatarius non fuisset in mora, aut nõ fuisset re vsus aliter, quam sibi concessa erat, ipse non teneretur ad illius restitutionem, sed solùm ad æstimationẽ lucri cessantis, aut damni quod Domino emerserit ob talem moram. Reginaldus, *c.* ex Syluestro, *c.num.9.* Lessius, *lib.c.cap.7.dub.8.n.36.37.* Bonacina, *c.n 3.* & alii.

Reginald. Syluester. Lessius. Bonacina.

5 In periculo incendii, naufragii, hostilis irruptionis cõmodatarius potest res suas, quæ sunt pretiosiores rebus cõmodatis, depositis, conductis, & oppignoratis præferre, vt eas saluare possit, si vtrasque nequeat: quia nemo tenetur subire damnum maius, vt auertat alterius damnum minus, si tamen res aliena erat apud te in tuum solius commodum quamuis ex decentia, & quadam gratitudine tenearis alteri interitum rei suæ compensare ex rebus tuis, non est tamen improbabile te nõ teneri compensare, quia res illa absque tua culpa periit, & proinde periit Domino. Ita Angelus, *v.commendatum.* Molina, *disp.296.* Lessius, *l.2.c.27.n.23.* & alii.

Angelus. Molina. Lessius.

6 Quando res commodata est pretiosior, teneris eam præferre rebus tuis vilioribus, eamque saluare, tuis relictis quia deposito, commodato, pignori, locato ea debetur custodia, quam quisque prudens suis rebus adhiberet: tamen si res illa erat apud te tui dumtaxat commodi causa, non potes exigere compensationem pro rebus tuis: secus si causa solius alterius, vel vtriusque apud te erat; quia tunc non teneris cum tuo damno præstare incolumem, Layman, *lib.3.tract.4 c.7.n.7.* Lessius, *c.n 29.*

Layman. Lessius.

7 Quando res tua & alterius sunt æquales, potes præferre rem tuam, si res alterius est apud te in commodum solius alterius, vel in commodum commune, si verò est in commodum tui solius teneris præferre rem alienam, eamque tua relicta saluare, nec ille tibi debet compensare Azorius *tom.3.l.7.c.7 q.6.* Lessius *c.n.29.*

Azorius. Lessius.

8 Si res duobus commodata aut locata fuit, ille solus damnum præstabit, cuius dolo aut culpa periit, si neuter culpa caruit, vterque in solidum obligatur, sed postquam vnus totum dedit, ab altero dimidium repetet: si autem duo ex pacto se obligarint ad casum fortuitum rei commodatę, locatæ, vel depositæ: re pereunte, singuli tantùm pro parte tenentur, nisi expresse conuentum sit vt in solidum obligentur, *leg. si vt certo, §. si duobus, ff commodati* Molina, *tom.2.d.297.in fine.*

Molina.

9 Commodatarius à commodante repetere potest impensas maiores & extraordinarias, quas circa rem commodatam sine sua culpa facere debuit, verbi gratia, in equi curationem: modica autem impendia, sicuti, & cibariorum ad commodatarium spectant, *leg.in rebus. §.possunt.ff.commodati.* Reginaldus, *lib.25.num.582.* Bonacina, *c.n.4.*

Reginald. Bonacina.

10 Commodatum potest repeti ante tempus ob par incommodum, vel damnum vitandum commodatarii, quãuis contrarium sentiat Nauarrus; quia commodator non censetur tale euentum voluisse comprehendere, si enim de eo rogatus fuisset, expresse negasset, Lopez, *lib.2.de contractibus, c.34.* Angelus, *v.commodatum, n.4.* Molina, *disp.294.* Nauarrus, *c.17.n.282.* & alii.

Lopez. Angelus. Molina. Nauarrus.

Vide Depositum, *num.1.3.* Locatio, *1.num.1.* Mutuum, *num.1.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quæ pertineant ad substantiam commodati.*
2 *Potest quis commodare rem suam.*

3 *Res omnes, quæ vsu non consumuntur, sunt materia commodati, & possunt commodari.*

4 *Vtens re commodata in alium vsum, quàm ad quem fuit commodata, peccat peccato furti.*

5 *Commodans scienter rem vitiosam, & non patefaciens commodatario vitium, tenetur ei de damno.*

6 *Commodatarius, qui factus est impotens ad restituendã rem commodato acceptam, quia ipsius culpa periit, tenetur ad omne interesse commodanti.*

7 *Ob tres causas tenetur quis ex casu fortuito, ob commodatum acceptum.*

8 *Quando contractus est talis, vt in eo æstimatio rei venditionem non faciat, vt in commodato, & locato, tunc quamuis res æstimata detur, is qui accipit, non manet arctius obligatus, quàm substantia, & natura contractus requirat.*

Casus fortuitus est inopinata rei euentus, qui prauideri non potest.

9 *Commodatarius, qui absque sua culpa non potuit vti re sibi commodata intra tempus conuentum, non potest finito illo tempore eo vti, nisi sub ratihabitione commodantis.*

10 *Qui rem commodatam per nuncium fidelem ad Dominum remisit, si res casu, aut malitia portatoris pereat, mittens ad nullam restitutionem tenetur, &c.*

11 *Quo in loco commmodatum sit restituendum?*

12 *Commodatum retineri potest in foro conscientiæ titulo cõpensationis, dum commodatarius alia ratione nequit satisfactionem obtinere: in externo autem foro id non licet.*

13 *Ex commodato duæ actiones nascuntur, vna directa, altera contraria.*

1 AD substantiam commodati hæc pertinent. *Primò*, vt qui commodat rem alteri, etiam tradat. *Secundò*, vt sit consensus contrahentium. *Tertiò*, vt dominium rei commodatæ maneat penes eum qui dedit. *Quartò*, vt reddatur res eadem in specie, vel numero. *Quintò*, vt commodetur gratis, *Sextò*, vt detur ad aliquem vsum specialẽ, & ad aliquod tempus certum expressè, vel tacitè.

2 Vnusquisque potest commodare rem suam, siue habeat eius proprietatem siue vsumfructum, vel ius habitandi. Religiosus autem si non sit Superior, vel officialis, non potest, nisi de consensu Superioris Tum quia nullum ius habet, sed nudum vsum. Tum quia ob votum paupertatis ab eo emissum, se rebus omnibus abdicauit, & voluntatem suam transtulit in Prælati voluntatem. Denique qui non possunt contrahere, neque etiam possunt commodare, vt pupilli, impuberes, furiosi. Cuicumque verò potest
Syluester. commodari etiam pupillo, impuberi, furioso, vt colligitur *ex lib. 1. & 2. ff. commodati*, & docet ex communi Syluester, *v. Commodatum, n. 2.*

3 Res omnes tam mobiles, quàm immobiles, illæ præsertim, quæ vsu non consumuntur possunt commodari, & sunt materia commodati. Possunt etiam commodari iura, & seruitutes. Res etiam sacræ ad vsus sacros tantùm. Res autem, quæ vsu ipso statim consumuntur, commodari nequeunt, nisi fortè ad pompam, vel ostentationẽ. Res aliena à bonę fidei possessore commodati potest: si autem sit malæ fidei possessor, quamuis leges permittant posse cõmodare, & agere actionę commodati, at secundùm con-
Syluester. scientiam commodare nequit. quia eã Domino restituere
Azorius naturali iure compellitur. Ita Syluester, *loc. cit.* Azorius, *p. 3. lib. 7. c. 4. de commodato*

4 Vtens re cõmodata in alium, vsũ quàm ad quem fuit commodata, peccat peccato furti, quod est ex suo genere mortale; licet ex paruitate materię à mortali excusetur. Paruitas autem materiæ hoc in loco non est accipienda ex solo valore rei commodatæ, sed potiùs ex valore non concessi vsus, aut ex detrimento ipsius rei subsecuto Aduertendum tamen est, quod si commodatarius probabiliter credebat Dominum rei illius contentum fore, vt ipse vltra tempus rẽ illã detineret; aut alio vsu, quàm ad id ad quod commodata fuit vteretur, & reuera ita erat, non cõmittit furtum, nec ad aliquam restitutionem illi faciendã tenetur, esto id occasio fuerit, quòd res illa periret. Ratio est quia hic non est transgressus Domini voluntatem. Si tamen constaret commodatarium fuisse deceptum, eamq; moram, aut vsum rei commodatæ fuisse contra Domini voluntatem; tunc si id occasio fuit obitus illius, licet non peccauerit, excusante illum bona sua fide, in foro tamẽ cõscientiæ teneretur restituere valorem illius. Si verò dubitabat, quia non suberat probabilis causa id credendi, furtum committit, quia in dubio Dominus pręsumitur inuitus. Ita Molin. *de contr. disp. 293.* Lopez, *l. 2 de cõtr. c. 47.* Molin. Lopez

5 Commodans scienter rem vitiosam, & non patefaciens commodatario vitium, tenetur ei de damno. Ratio est, quia huius damni fuit causa iniusta; secus autem si dixit vitium, vel ignoranter fecit. Tamen in casu quo commodans tenetur de damno, quia sciens, & prudens rem vitiosam commodauit, non tenetur ad id damni in infinitũ, sicut qui vendit scienter tignum violatum, nihil dicens, tenetur de ruina domus, & de pensione, quam ex ea Dominus perciperet omisit, quod est interesse extrinsecum, non tamen in infinitum, sed pro prima vice tantùm. Ita Syluester, *v. commodatum, n. 5.* Rodrig. *p. 1. Summ. c. 111.* Lopez, Syluester. Rodrig.
lib. 2. de contract. c. 35.

6 Quando commodatarius, ob culpam præcedentem, aut subsequentem factus est impotens ad restituendum in specie rem commodatam, quia periit eius culpa; tenetur non solùm restituere rem, si pereat, sed etiam damnum, vel interesse lucri cessantis, quòd commodanti inde euenit resarcire, iuxta *c. vnic. de commodato.* Ratio est, quia talis inpotentia est culpabilis, & voluntaria in sua causa. Quando autem commodatarius in illam impotentiam incidit sine sua culpa, vt quia iusto impedimento impeditus restituere v. g. equum commodatum non potuit: si nõ fuerit pactum soluendi, non tenetur ad tale interesse, damni, aut lucri cessantis restituendum: tenebitur tamen postea ad stipendia locationis equi commodati, si, quia erat absẽs & præpeditus est eum tempore taxato reddere suo Domino, eo vsus est ad aliqua conficienda itinera. Ita Syluester, Syluester
v. Mora, q. 4. & alii.

7 Tres sunt causæ, ob quas ex casu fortuito tenetur, qui accepit commodatum. Prima est, si ita ab initio pactum sit *c. 1. de commodato, & leg. 1. eod. tit.* Secunda, quando præcessit mora casum fortuitum, hoc est, si tempore constituto commodatum non est redditum, & deinde fortuito periit, apud morosum debitorem. Tertia, si culpa fuit etiam ante casum, verbi gratia, Commodaui tibi equum, vt equitares per vrbem, tu verò duxisti in villam tuam, quò dum duceres, fortè periit, debes damnum integrum compensare

Tamen vbi mora, vel culpa casum antecessit, si res commodata esset pariter peritura apud Dominum, quemadmodum periit apud eum, qui commodatam accepit, secundum conscientiam minimè debet damnum resarciri, vt docent Nauarrus, *in man. c. 17. n. 183.* Angelus, *v. com-* Nauarrus Angelus Syluester.
modatum, n. 14. & Syluester, *eod. v. q. 9. ad finem.*

Ex his perspicitur pactum, quo cõmodatarius rem cõmodatã suo periculo suscipit, ita vt in omnem euentũ restituere cogatur tantumdẽ, quanti æstimabatur, si res casu fortuito apud ipsum perierit, non esse contra, sed præter naturam commodati. Ratio est, quia cætera, quę ad cõmodati substantiam pertinent; in eo seruantur. Nam res gratis datur ad specialem vsum, & certum tempus expressum, vel implicitum, & tacitum, eaque conditione, vt eadem in specie, si extiterit, reddatur.

8 Quidam asserunt, quãdo res cõmodata datur ęstimata, tunc qui commodatum accipit, eo ipso se obligare, vt si fortuitò perierit, debeat tantũdem reddere, quantũ valebat & ponunt hanc regulã generalẽ, quando contractus talis est, vt qui rem accipit, obligetur ex leuissima culpa, vt in commodata, qui accipit, tenetur ex casu fortuito. Quando verò talis est contractus, vt qui rem accipit, obligetur solũ ex leui culpa, vt in locato, & conducto: tunc æstimatio facit, vt conductor teneatur ex leuissima culpa, Bartolus
non ex casu fortuito. Ita Bartolus cum Glossa, *in l. si vt certo, §. nunc videndũ. ff. cõmodati,* Gomez, *tom. 2. vari res. c. 7.* Gomez.

Alii verò veriorẽ aliam in hac re regulam constituerũt, nempè, quando contractus est talis, vt in eo æstimatio rei venditionem non faciat, vt in commodato, & locato, tunc quãuis res æstimata detur, is qui accipit, nõ manet arctiùs obligatus quàm substantia, & natura contractus requirat

æstimatio uerò rei solùm prodest, vt verum prætium sciatur, & tantundem restituatur, si res ipsa perierit dolo, aut lata, vel leui culpa accipientis, nec Dominus rei cogatur probare æstimationem, & prætium suæ rei, postquam perempta sit. Quando verò talis contractus, vt in eo æstimatio rei venditionem faciat, tunc qui rem accipit, tenetur ex casu fortuito, in fundo, qui loco dotis datur æstimatus, *l. Quoties, Cod. de iur. dot. & l. Plerumque, ff. eod. tit.* Ita Molina, *disp* 295. Lopez, *lib.* 2 *de contr. c.* 33. Syluester, *v. Commodatum, q.* 7. & alii. Casus autem fortuitos secundùm Panormitanum, *in c. vnic. de commodato*, & vt colligitur, *ex l. in rebus commodatis, ff. commodati*, est inopinatæ rei euētus, qui præuideri non potest, vt mors seruorum fine culpa, hostium incursus, seu pyratarum, naufragium, incendium, & huiusmodi, vbi tamen diligentissimus præuidisset, non est casus fortuitus, sicut si perrit equus commodatus dimissus in domo, quæ ruinam minabatur vnde furtum, quo per violentiam aliquid subtrahitur, est casus fortuitus; nisi fuerit quis in culpa transeundo per loca periculosa. Si verò clandestinè, tunc si ab ea persona à qua diligentissimus præcauisset, puta à vili famulo, non est casus fortuitus, aliàs autem sic, & facit quod notat in *leg. quæ fortuitis, Codice de pignoratitia actione.*

9 Commodatarius, qui absque sua culpa non potuit, vti re sibi commodata intra tempus tacitè, vel expressè consentum, non potest finito illo tempore eo vti, nisi sub ratihabitione probabili commodantis, vt quia commodans amicus est, & absens, & creditur, quod habebit acceptum, vt alio tempore commodato vtatur. Ita Lopez, *cit at. capit.* 35. Syluester, *citato numero quarto*, & alii multi.

10 Qui rem commodatam per nuncium fidelem habitum ad Dominum remisit, si res pereat, aut casu fortuito, aut malitia portatoris absque culpa mittentis, ad nullam restitutionem tenetur; quia eam diligentiam adhibuit, ad quam tenebatur. Si verò negligens fuit in nuncio fideli inquirendo, sitavt eam culpam commiserit ad quam cauendam ratione contractus tenebatur, tunc mittens ad rem ita missam pereuntem restituendam manet obligatus: Ratio est, quia ex eadem negligentia, culpaque tenetur, quoad rem mittendam, qua tenebatur, quoad rem conseruandam. Vnde si commodatarius rem per famulum remisit, quem sæpè expertus fuerat fidelem, tunc, si perit, Domino suo perit, quando ex parte commodantis nullum interuenit pactum, vt commodatario periret; dominium enim rei ad commodantem pertinet. Si tamen nuncius erat infidelis, & communiter habebatur bonus, tunc si culpa istius latoris res commodata per ipsum missa, periit, non tenebitur mittens ad aliquam restitutionem, quia non fuit in culpa. Ita Nanarrus, *in manual. capit.* 17. *numer.* 185. Azorius, *parte tertia, libro septimo, capite octauo, quæstione prima*, Rebellus, *de obligation. instit. parte secunda, lib.* 16. *quæst. vnica.*

11 Commodatum, quòd solùm datur gratia eius, qui accipit, vt plerumque fit, est reddendum eo in loco, de quo fuit facta pactio inter dantem, & accipientem. Si verò de loco pactum expressum non fuit, restituendum est eo in loco, vbi quis accepit, quamuis accipiens commodatum ab eo loco recesserit: quia commodatum est in gratiam ipsius, ergo eius impensis debet ad creditorem referri.

Quando commodatum solùm est causa eius, qui dat, reddendum est eo in loco, vbi res est, non vbi data, & accepta est: & propterea debet restitui eius qui dedit non eius, qui accepit, impensis.

Quando commodatum est ad vtilitatem vtriusque, dantis, & accipientis, debet restitui in loco, vbi res accepta est, si nihil de loco pactum sit, & impensæ in restituendo commodato tunc debent esse communes: quia commodatum est gratia vtriusque; & qui lucrum percipit, debet, & oneris particeps esse, *leg. si vt certo, ff. commodati.*

12 In foro conscientiæ commodatum retineri potest titulo compensationis, dum commodatarius alia ratione nequit satisfactionem obtinere: nam iure naturæ, & gentium potest quis sibi consulere; in foro tamen externo id non licet: quia commodatum est priuilegium, sicut, & depositum, *leg. vltim. Codic. de commodato.* Vnde parcè, & necessitate tantùm valdè vrgente, vtendum est tali compensatione; cùm naturalis ratio dictet, vt in deposito, sic in commodato ex vi contractus, seruandam esse fidem, & conuentionem de restituenda re Domino à quo accepta est. Vide Nauarrum, *in manual. capite decimo septimo, numer.* 186. Syluestrum, *verb. commodatum, quæst* 3.

13 Ex commodato duæ actiones nascuntur, vna dicitur directa, altera contraria. Directa conuenit commodanti, & eius hæredibus in eum, qui commodatum accepit, & in eius hæredes: is enim qui commodatum dat, iure petit ab eo, qui accipit vt restituat rem commodatam eamdem in specie, vel in substantia, & numero; vnde si res commodata sit facta deterior dolo, vel culpa eius, cui est commodata, ius habet qui commodauit, repetendi ab eo, quod sua interest. Contraria actio competit ei, qui commodatum accepit, in eum, qui dedit. Nam primò iure petit, vt damnum resarciat, quo affectus est, ablata ei re ante tempus constitutum, & vsum expletum, *leg. in commodato, §. sicut, ff. commodati.* Secundò iure agit in commodantem, vt sibi soluat impensas necessarias, & maiores, quàm res ipsa iure naturali postulabat, ob eam nempè causam, quòd rem commodatam refecerit, *leg. in rebus, § possunt, ff. commodati*, vel quia sciente rem vitiosam commodauit, vel vasa vitiosa, ex quibus commodatario fuit sequutum damnum, &c. *l. In commodato, § sicut, ff. commodati*,

Vide v. Actio, *n.* 10. Dubium, *n.* 15. Paupertas, *n.* 12.

COMMENDATARII.

SVMMARIVM.

1 *Commendatarii milites gaudent priuilegiis Canonis, & fori.*
2 *Verius est commendatarios, qui possunt contrahere matrimonium, esse veros Dominos quorumcumque bonorum ante, vel post professionem acquisitorum.*
3 *Hi commendatarii possunt de suis bonis ita liberè disponere, vt sæculares.*
4 *Ludentes cum his Commendatariis non tenentur partæ in ludo retinere.*
5 *Hi Commendatarii satisfaciunt voto paupertatis si singulis annis præbeant Superiori fidele inuentarium omnium suorum bonorum.*
6 *Commendatarii milites D. Ioannis solemniter professi, quamuis matrimonium contrahere non possint, ex licentia tamen Superioris testari possunt.*
7 *Commendatarij Equites, qui matrimonium contrahere possunt, succedunt in maioratum qualemcumque: & secundum veriorem sententiam, succedunt etiam Commendatarii D. Ioannis, nisi constitutiones eorũ obstent.*

1 Commendatarii milites tanquam personæ Ecclesiasticæ gaudent priuilegio Canonis, & Fori ex Pio IV. pro ordine S. Ioannis Baptistæ, & Gregorio XIII. pro Ordine S. Iacobi. Vnde non licet iudicibus sæcularibus cognoscere de eorum causis, eo quòd sint exempti à iurisdictione sæculari. Et principes in dictos iurisdictionem exercentes contraueniunt Bullæ cœnæ, & incurrunt in excommunicationem. Ita Barbosa, *de potest. Episcop. p.* 2. *allegat.* 12. *n.* 45. & alii quos citat, & sequitur Diana, *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 86. An autem idem dicendum sit de Equitibus S. Stephani, & S. Lazari? Negant quidam: Sed affirmatiua sententia est tenenda. Ita Bonacina, *de censur. disp.* 2. *quæst.* 4 *punct.* 3. *nu.* 9. Sancius, *in selectis, disp.* 49. *n.* 13. Vbi sic ait: Verè religiosos esse Equites Christi, & Auis in Lusitania, & Montesæ in Aragonia, & S. Stephani in magno Ducatu Florentiæ, probabiliter arbitror, cum hi etiam milites professionem trium votorum in manibus Prælatorum emittant, non aliter, ac milites Sancti Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ, præter Equites Sancti Stephani, qui votum castitatis, obedientiæ, & charitatis emittunt, & non paupertatis, vt ex Bulla

ex Bulla Pii IV. ad fundationem concessa anno 1560. Cõstat. Et idem iudico de quibuslibet aliis religionibus militatibus tria vota emittentibus in manibus Prælati, & à Sede Apostolica approbatis. Ita Sancius. Hinc etiam est dicendum excommunicatione, *Can. Si quis suadente* contra Clerici, vel Religiosi percussorē, incurrere percutientē religiosum militem approbatæ Religionis, vt S. Ioannis, Alcātare, & Calatrauæ etiam n̄ ... quia hi gaudent priuilegio Canonis. Ita Diana, *p.5. tr. 3. res. 44.* Priuilegia autē horum Equitum non sunt tantùm localia, sed personalia, & absoluta, & eis gaudere debent, vt religiosi in omnibus mundi partibus, & extra loca commendarum: vt tesuluit Diana, *part.4 tract.1. resol 86.* Secus dicendum est de Equitibus aurei velleris, Sanct. Michaelis, Annunciationis B. Virginis, & de Militibus Garreriorum, De la Danda, & de omnibus aliis absque Sedis Apostolicæ auctoritate erectis. Idem Diana, *loco citato, resol. 36.* De his videndus est Rodriguez, *tom.1 qq. regul. quæst. 13. artic. 2. & tom. 2. q. 63. artic. 3.* Diana. Diana Diana Rodriq.

2 Quidam censent hos commendatarios milites non esse veros dominos siue bonorum patrimonialium quocumque tempore acquisitorum, siue etiam redditum cōmendarum: quia voto solemni paupertatis, quod emittunt se dominio vsque tunc acquisitorum priuant, redduntur q; incapaces dominii in posterum cōmparandi: vnde his Commendatariis integrum non est testari sed lusso priuilegio Apostolico; quia priuilegia, quæ olim habebant ad testandum, cassata sunt per motum proprium Pii V. qui incipit. *Romani.* Sic docent Nauarrus, *Comment. 2. de reg. num. 56.* Azorius, *par. 1. lib. 13. cap. 4. q. 8. & cap. 5. q. 2.* probabiliter. Verius tamen est Commendatarios, quibus est permissum contrahere matrimonium, quales sunt in Hispania Commendatarii D. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ, & in Lusitania Commendatarii Christi, Diui Iacobi, & de Auis, esse veros dominos quorumcumque bonorum, ante, & post professionem acquisitorum, siue ex redditibus commendarum siue aliunde. Ratio est, quia sicut nec omnium, adam, & perfectam castitatem profitentur, ita nec perfectā paupertatē, sed illā solùm, quæ hodie est consueta ab eis seruari. Vnde non plus hodie superiores eorum exigunt, quàm quod seruari est consuetum; nisi, quæ tam longæuus explicuisse videtur qualiter obliget illa paupertas. Ita Molina, *de iusti. disp. 141. vers. Est verò rigida*, Rodriguez, *tom. 3. qq. reg. q. 29. art. 7. & q. 69. art. 7.* Nauar. Azorius. Molina. Rodrig.

3 Hinc deducitur hos Commendatarios posse de suis bonis omnibus ita liberè disponere, ac possunt cæteri sæculares: quia antiquitùs na consuetudo ita paupertatem eorum interpretata est superioribus scientibus, & non cōtradicentibus, & redit us com nendarum titulo sæculari his dantur, nempè titulo militari. Tum quia præbendæ istæ militares, licet annexæ sint Religioni, non innectuntur tamen ratione officii spiritualis, sed militaris. Hinc illi quibus titulo sæculari assignantur Ecclesiastici reditus, manent liberi à stricta conuersione superflui in opera pia obligatione. Vnde hi Commendatarii qui supra, possunt liberè testari, non minus, quam alii sæculares, tam de bonis patrimonialibus, quam etiam de redditibus commendarum. Sic enim sæpissimè consuetudo apud eos obtinuit: & quamuis olim testari non potuerint; at Innocentius VIII. & Clemens VII. in hoc dispensarunt. Nec obstat Pium V. reuocasse licentias his concessas ad testandum, quia eius motus proprius receptus non est quoad alios Cōmendatarios præterquam D. Ioannis. Nec Pius V. reuocauit simpliciter facultatem testandi, sed eam dumtaxat, quæ à priuilegiis Apostolicis dimanabat, quare permanet facultas, quam ex consuetudine antiquissima testandi habēt. Et insuper ad maiorem securitatem Gregorius XIII. reuocauit motum proprium Pii V. concedens illis facultatem testandi, iuxta pristinam eorum consuetudinem. Ita docent Molina, Rodriguez, *num præcedent. allegati*, quamuis Rodriguez, *tom. 2. summ. cap. 33.* dubitet de reditibus commendarum. Vide Sanchez, *lib. 7. mor. c. 8. n. 29. & 30.* molina. Rodrig Sanche

4 Ludentes cum his Commendatariis non tenentur partam in ludo restituere; quia cùm hi sint verè domini omnium illorum bonorum, possuntque de illis disponere instar cuiuscumque sæcularis, verè transferunt illorum dominium perdendo in ludo. Ita Alcozer, *de ludo, c. 39.* Sanchez, *c. nu. 32.* vnde tales quocumque modo ludentes non aliter peccāt quàm si essent meri sæculares.

5 Hi Commendatarii satisfaciunt suo paupertatis voto si quotannis triginta diebus ante Domini natale, aut toti, dem post illud præsentent superiori inuentarii fidele omnium bonorum, quæ possident, nil occultando, vt ex illius licentia persideant illa: quia, cùm ea professio secundum earundem Religionum statuta, & consuetudinem in illis receptam emittatur, non potest in plus obligare illos, quam statuta, & consuetudo illos astringunt; hæc autem ita intelligunt hanc paupertatem. Ita Alcozer, & alii apud Sanchez, *c. n. 34.* qui docet in hoc inuentario conficiendo seruandam esse consuetudinem; in aliquibus enim horum ordinibus vsus habet, vt inuentarium statim præsentetur, in aliis verò, vt seruetur præsentandum visitatoribus, quādo ad visitandum veneriint. Quare supradicti peccarent mortaliter contra votum paupertatis, si id inuentarium tēpore præfixo non præsentarent, aut in eo conficiendo infideliter se haberent, quando scilicet, notabilis esset mora; vel si occultatio esset rei notabilis respectu bonorum Commendatarii.

6 Commendatarii milites D. Ioannis, qui solemniter profitentur, & sic incapaces sunt matrimonii ineundi, possunt stando in iure communi, & vi sui voti testari, quia non eam religiosorum claustralium rigidām paupertatem vouent, sed bona sua retinent, & de illis disponunt. At suis Constitutionibus illis interdicitur testari absque superioris licentia, atnunquam quid paupertatis voto consonum. Ita, Sanchez, *c. n. 36.*

7 Commendatarii equites, qui matrimonium contrahere possunt, succedunt in maioratum qualemcumque, quamuis adsit clausula excludens religiosos, quòd ii non censeantur religiosorum nomine in hac exclusione comprehendi, vt potè qui familiam conseruant, & successionē possunt habere. Ita Molina, *de iust. tom. 3. disput. 623. nu. 5.* Rodriguez, *tom 2. qq. reg. qu. 79. art. 12.* Sed maior est difficultas de Commendatariis D. Ioannis, qui vulgò Malthēses nuncupātur, qui matrimoniū inire non possunt. Et quidam multi negant eos succedere, quia sunt veri religiosi tria vota essentialia profitentes, & per eorum professionem dirimitur matrimonium ratum non consummatum. Ita Menochius, *cons. 54. vol. 1. & de arbitrar. lib. 2. centur. 3. casu 231.* & alii penes ipsum. Verior tamen est contraria sententia, nempe hos succedere in quocumque maioratus, nisi constitutiones obstent. Ratio est, tum quia, etsi sint propriissimè, & omnino religiosi, essant tamen in iis omnes rationes, quæ in reliquis religiosis locum habent, & paupertas, quam profitentur est amplissima, cùm multas diuitias possideant, & splendidissimè viuant. Tum quia hi conseruant decus, & honorem familiæ, & agnationem, quod non contingit in aliis religiosis, & ideò excludi solent. Ita Sanchez, *libr. 7. moral. cap. 15. num. 48. 49. & 50.* & alii ab ipso citati. molina. Rodriq. monoch. ibm.

COMMENDATIONES ECCLESIARVM.

SVMMARIVM.

1 *Commendantur Ecclesiæ, vel beneficia in perpetuum, vel tempus.*

2 *Ecclesia Parochialis iure commendari potest ad sex menses.*
Quando possit Capitulum sede vacante Ecclesiam Parochialem commendare etiam post sex menses.

3 *Quæ beneficia soleant commendari.*

4 *An Commendatarius possit coram Ordinario Ecclesia sibi commendata cedere.*
An Commendatarius titulum Ecclesiæ commendatæ habeat? Negant Itali, affirmant Galli.

5 *An qui ius habens conferendi beneficium, habeat quoq; auctoritatem commendandi.*

6 *Summus Pontifex multis de causis solet beneficia commendare.*

7 *Commendatarius habet ius nominandi, eligendi, conferendi, locandi, &c. ratione Ecclesiæ sibi commendatæ.*

1 Quidam

1 QVidam modus extat iure acquirendi beneficium quo Ecclesia commedatur alicui, vt eam non tituli, sed commendationis iure in perpetuum, vel ad tempus sua cura, & diligentia administret. Et quidem ad tempus alicui commendatur Ecclesia, cùm Pastore vel debito sibi ministro destituta, vel viduata, alterius fidei, & curæ committitur, donec idoneum Rectorem acceperit; ac proinde is, cui Ecclesia commendatur, veluti depositarius cēsetur, apud quem est deposita Ecclesia, habetur item tanquam custos, tutor, siue curator. Commendantur verò Ecclesia in perpetuum, cùm committitur alicui, vt eã administret, & regat, dum viuit, & hoc modo commendatur Ecclesia ob bonum eius cui gubernanda committitur, at verò primo modo commendatur, ob bonum ipsius Ecclesiæ commendatæ.

2 Ecclesia Parochialis iure commendari potest tantùmodo ad sex menses, *cap. Nemo, de elect. in 6.* Et non potest Episcopus sex mensibus elapsis, ad alios sex menses commendare, secundùm Glossam *in dict. c. Nemo*, nam esset in fraudem legis quæ continetur *in c. Commissa, de elect. in 6.* Non tamen hoc, habet locum, cùm Episcopus Ecclesiã; parochialem commendat, eo quod rector eius sit vel mente captus, vel absens nullo relicto Vicario in hoc enim casu Episcopus ius habet Ecclesiam commendandi, quamdiu durat Rectoris amentia, vel absentia, etiã finito semestri. Glossa.

Capitulum sede vacante potest etiam Ecclesiam Parochialem commendare etiã post sex menses elapsos, si post semestre finitum, nondum fuerit creatus Antistes, & quãdo Ecclesia Parochialis commendatur, debet ab Episcopo commendari Clerico ætatem legitimam habenti, videlicet, annum vigesimumquintum agenti, & non nisi ad Sacerdotium promoto, vt interim possit Sacerdotis munus, & officium obire. Deinde non potest Episcopus, nisi vni vnam tantùm Ecclesiam Parochialem commendare, nec nisi euidenti necessitate, & vtilitate ipsius Ecclesiæ cogente. Ita Glossa *in dict. c. Nemo.* Glossa.

3 Episcopus potest etiam alia beneficia commendare, quibus inest animarum cura. Simplicia autem beneficia commendari non solent. Abbatias verò, Prioratus, Præposituras solus Papa commendat, solus item ipse ius habet commendandi beneficia regularia quoniam exempta sunt. Vide quæ diximus. *supra verb. Abbas numer. 17. & sequentibus.* Abbas.

4 Quando Ecclesia est ad tempus ob bonum ipsius cōmendatii commendata, iuxta id quod habetur *in c. Nemo de elect. in 6.* potest hac Commendatarius coram ordinario absolutè, & simpliciter cedere, non tamen gratia, & fauore alterius quia ius, & titulum in beneficio non habet & intra sex menses potest Episcopus quandocumque voluerit, Ecclesiam commendatam repetere quando autem Ecclesia commendatur in perpetuum, hoc est, ad vitam Commendatarii, hanc potest Commendatarius coram Romano Pontifice, non autem coram Ordinario deponere ob fauorem, & gratiam alterius, quia quasi ius, & titulum habet in ea, & habet liberam potestatem statuendi, tum de temporalibus, tum de spiritualibus. Abbas *in cap. cum nobis olim, de elect.*

An autem Commendatarius titulum Ecclesiæ cōmendatæ habeat. Dicendum est, iuris Pontificii consultos Italos communi consensu docere, commendatarium non habere titulum, Gallos vero opositum docere nēpe, ratione commendationis Ecclesiam iure, & loco tituli obtineri quia genus quoddam tituli est, Ecclesiam cōmēdatam habere, vnde apud Gallos Commendatarius pro beneficiario habetur, & si fuerit Episcopus, vel Abbas, simpliciter Prælatus censetur. Apud Italos non. Deinde in Gallia, cùm Cōmendatarius è viuis excedit, Ecclesia cōmendata vacare dicitur in Italia verò non item. Ex sententia Italorum commendata Ecclesia nequit commutari cùm alia, quæ iure tituli habeatur, at secundùm Gallos, ea Ecclesia commutari potest, quia commendatio secundùm eos est verus titulus Canonicus.

5 Qui iure communi habet ius conferendi beneficium habet quoque auctoritatem commendandi ad tempus, vt est Episcopus, qui autem habet iure speciali, scilicet priuilegio, præscriptione, vel consuetudine, hic eo ipso commendare nō potest, quales sunt Ordinarii multi Episcopo inferiores. E contrario verò aliquando, qui conferre non potest, commendare potest, vt si ius conferendi sit ad Papam deuolutum, iuxta id quòd habet *c. 2. de concess. prebend.* Similiter quoque si ad Collegium Canonicorum potestas conferendi sede vacante deuoluatur, eo quòd ordinarius inferior beneficium conferre neglexerit, iuxta id quòd dicitur *c. 1. de inst. in 6.*

6 Summus Pontifex multis de causis solet beneficia commendare *Primo*, Clerico legitimam ætatem nondum habenti, vel nondum ad Sacerdotium promoto, quod ad beneficium requiritur, dat Ecclesiam, vt commendatam interim habeat, & postea legitimam ætatem consecutus, iure tituli obtinet.

Clerico itidem vnum beneficium habenti, dat aliud beneficium, quòd cùm priori simul iure haberi non potest, vt secundùm habeat commendatum ad certu in tempus; & postea dimisso primo iure tituli obtineat secundum. Præterea sæculari Clerico commendat, non confert beneficium regulare, donec ad certum tempus profiteatur eam Religionem cuius est beneficium, vel commendat in perpetuum, vt ad vitam habeat, non emissa Religionis professione. Et hac ratione Cardinales commendatas solent habere Abbatias, & Prioratus Regulares. Itē, Religioso certi Ordinis, & Instituti regulam professo commendat beneficium alterius Ordinis. Præterea Regularibus commendat, non confert beneficia sæcularia.

7 Commendatarius ratione Ecclesiæ sibi commendatæ habet ius nominandi, eligendi, conferendi, vel instituendi quia hæc omnia in fructibus computantur. Pari ratione, potest locare possessiones, & fructus, quos percipit. vel habet ratione Ecclesię commendatæ, nam habet liberam administrationem, vt constat ex *c. Relatio, & cap. Qui plures 21. quæst. 1. & cap. Cum nobis olim, de elect.* & docet Rebuffus *in prax. benefic. part. 1. n. 62.* Apud quem plura de hac materia, apud Azorium *p. 2. lib. 6. c. 31.* Rebuffus. Azorius.

Vide v. Abbas *n. 17. 18. & seqq.*

COMMVNIO SACRA

SVMMARIVM.

1 *Communio Sacra an sit necessaria ad salutem necessitate medii, vel precepti.*

2 *Sacra Eucharistia ad infirmos per plateas deferri potest.*

3 *Infirmo non ieiuno an liceat sacram communionem ministrare, si nullum sit periculum mortis aut phrenesis diuturna.*

4 *Qui sex vel octo diebus antequam in mortis periculum incidisset, communicauit, an obligetur iterum Sacram Eucharistiam sumere per modum Viatici.*

5 *Perseuerante morbo, & eodem periculo mortis, an liceat pluries sacram communionem accipere per modum Viatici.*

6 *Ex precepto Ecclesiæ tenentur fideles singulis annis Eucharistiam sumere in Paschate. Et quid nomine Paschatis intelligatur an religiosi teneantur pluries in anno communicare.*

7 *Qui in Paschate Eucharistiam non sumpsit, an possit tuta conscientia illius perceptionem ad alterum Pascha differre,* refertur duplex sententia.

8 *In propria parochia sumenda est communio Sacra, pro implemendo precepto Ecclesiæ.*

9 *Mendicantes habent priuilegium ministrandi Eucharistiam sæcularibus quouis anni tempore, excepto die Paschatis.*

10 *Quid in priuilegiis regularium sit intelligendum per diem Paschatis vel Resurrectionis,* refertur duplex sententia.

11 *Peregrini, viatores, vagi, & ii qui extra parochiam suã ad certum tempus commorantur, possunt tempore Paschatis, in parochia, in qua degunt, Eucharistiam sumere sicut, & in Ecclesiis regularium.*

12 *Serui Religiosorum, an debeant tempore Paschatis communionem accipere in propria parochia.*

13 *An satisfaciat precepto Ecclesiæ, qui in Ecclesia Cathe-*

drali communionem sumeret, sine Episcopi vel Parochi licentia.

14 *Qui tempore Paschatis Eucharistiam indignè sumit, cum peccato mortali, an præcepto Ecclesiæ satisfaciat,* refertur duplex sententia. *An incurrat pœnas, & censuras quæ solent non communicantibus imponi.*

15 *Communè anticipare sumere an teneatur, qui prævidet se impedimētū in Paschate, vt non possit cōmunicare.*

16 *An melius sit frequentius communicare, quam raro.*

17 *In qua ætatis parte pauper obligentur ad sumptionem Eucharistiæ in Paschate.*

18 *An mortaliter peccet, Pater, Mater, Tutor, Curator aut Herus, si non procuret, vt sui liberi, pupilli, minores, aut famuli, ad communionem obligati, illam sumant tempore debito.*

19 *Qui commisit peccatum mortale in articulo mortis an teneantur ex precepto diuino iterum communicare.*

20 *Reo ad mortem damnato, an teneatur Iudex concedere tempus communicandi.*

21 *Secluso priuilegio: laicus non potest sæpius in die communicare.*

22 *Qualibet diei hora, licitum est communicare.* Post hæc i nue icos alia summaria de eadem materia.

1 COmmunio Sacra, id est, sumptio Sacræ Eucharistiæ propriè loquendo non est hominibus necessaria necessitate medii ad salutem, cùm secundùm D. Thom 3 *p. q.65 art.4.* Suarez *de Euch disp.40. sect.2 concl.3.* Diana *p. 5 tract.13 res.28.* duo tantùm sint Sacramenta, quæ pertinis singularibus necessaria sint, vt sa utem æternam consequantur, videlicet, Baptismus pro omnibus, & Pœnitētia pro lapsis in peccato mortali post Baptismum. Ita communiter Doctores post D. Thom. Fidelibus tamen adultis iuxta probabiliorem sententiam Sylvii 3 *p quæst.80 art.11 q.1 concl.1 & 2.* Becani *de Sacram cap.23 q. 4 n.2.* Layman *lib.5 tract.4 c.ap.5 num.2.* Dianæ *part.3 tract.6 res 96.* Fagundez *præcept.3 l.1 cap.3 num.4.* Suarez *c. disp.69 sect.3.* necessaria est necessitate præcepti diuini, non tantum in articulo mortis per modum viatici, sed etiam ante periculum illius, nec semel duntaxat, sed sæpius in vita, vt patet ex verbis Christi. *Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ratio autem est, per modum alimenti spiritualis, quod sicut: & corporale sæpiùs in vita sumendum est, ad vires animæ reficiendas nam de vita spirituali theologandum est proportionaliter ad corporalem, ergo sicut ad vitam corporalem non sufficit, semel, aut iterum in vita cibum sumere, ita nec ad vitam spiritualem. Etenim sicut illa paulatim minuitur actione caloris naturalis, humidum radicale continuò depascentis, defectu cuius humidi radicalis vita animalis destruitur, ita hæc actione concupiscentiæ, humidum radicale amoris diuini perpetuò absumentis.

Aduerte tamen hoc præceptum diuinum non obligare nisi quando decenter, & reuerenter Sacra communio sumi potest. Tempora autem, quibus per se obligat hoc præceptum diuinum, non possunt indiuisibiliter definiri, sed prudentis arbitrio definienda sunt, ita vt ipsius executio nimium non differatur. Nam quod aliqui dicunt, esse obligationem, quoties vehemens vrget tentatio, imprimis illa posset per alia media superari. Secundò talis obligatio, est per accidens, vt rectè notauit Suarez, hic autem agitur de obligatione per se, secluso omni extrinseco obligante quòd verò dicit idem Suarez, hoc præceptum obligare saltem tertio, vel quarto anno conuincit, quia posset quis intra tale tempus probabiliter æstimare, se nullo modo obligari ad hoc sacramentum suscipiendum. In quo casu non posset is de crimine peccati mortalis damnari. Hæc accuratè Sylvius citatus.

2 Etsi consuetudo Ecclesiæ non sit, neque deceat, vt ad omnes infirmos Sacra Eucharistia per plateas deferatur s tamen eius delatio frequentior est, quam Sacr æ vnctioni vnde si quis diuturno morbo detineatur, vt ad Ecclesiam accedere non possit, non tantum semel Sacram Eucharistiam, sed etiam sæpiùs spectatis circumstantiis loci & petere iure poterit, vt docet Layman c *tract.4 cap.5 n.3*

3 Quando nullum probabile periculum mortis, vel superuenientis diuturnæ phrenesis, infirmo immineret videtur illicitum est ipsi non ieiuno Sacram communionem ministrare, quia ob solam necessitatem Sacra Eucharistia non ieiunis dari potest, vt docent communiter DD. Suarez, *de Euchar. disput.68 sect.3.* Henriq. *lib.8 ca. 49.* Fagundez *c. lib.3 c.5, num.4 19* Zambaran. *de Euchar. cap.3 d.5 n.1.* qui volunt Sacramentum hoc, nonnisi à ieiunis ieiuoio naturali extra Viaticum non debere sumi. Probatur ex Concilio Carthaginensi 3. *c.29.48.* & ex Toletano 7. *c.2.* vt dicetur infrà *n.40. & seqq.*

4 Quando infirmus sex vel octo diebus anteqoam in mortis periculum incidisset, Sacram communionem recepit ex deuotione, non obligatur iterum Sacram Eucharistiam sumere per modum Viatici, quamuis illi id consulendum esset, quia præceptum de Eucharistia ante mortē sumenda, secundùm substantiam impleuit, eò quòd vnusquisque in suis actibus censetur habere intentionem virtualem, & implicitam implendi omnem obligationem, quam potest, & debet, licet fortasse eam ignoret: Hanc ergo voluntatem virtualem in eo casu habere censetur, quę per hanc conditionalem rectè explicatur; quod si homo cognouisset futurum periculum, per modum viatici communicare voluisset, quod meritò præsumitur, quando tempus est breue: Secus dicendum esset si infirmus ante lapsum in morbum per longius tempus, puta per duos, vel tres menses non communicauerit; in tali casu probabile est illū iure diuino obligari ad communionem; quòd autem huiusmodi præceptū nunc extet, Ecclesiastica consuetudo satis declarat. Nam ex antiquissimis Conciliis, & Pontificibus constat, semper ab Ecclesia diligentissimè curatum esse, ne morientes sine viatico decedant; quæ consuetudo ita est recepta, vt sine magno scandalo violari nō possit, quod est signum grauis obligationis; vt patet ex Concilio Niceno, *can.13.* Toletano, XI *ca.18.* Agatensi *cap 11.* Ita tenent Richardus, *in 4. dist.12, art.6 q 1.* Durandus *disp.9. quæst.2. art.2.* Sotus, *4.d,12. quæst. 1 art.1.* Petrus Soto. *sect.9. de Eucharist.* Sylvius, *3. part. q.80. art.11. quæsit.1* Layman, *lib.5. tr.4. cap.5 n.4.* Suarez, *3. p. tom 3. disp.69. sect.3.* Diana *p.3. tract.4. res 40.* & alii, quibus adde Fagundez *præcept.3. lib. 1 cap.3 num.8.* Vnde tanquam minus probabilis reiicitur sententia Caietani, *v. Communio,* Armillæ, *eod. n.4.* Emmanuelis Sa, *v. Euch.1.* docens illum non peccare mortaliter, qui cùm in Paschate communicauerit, superueniēte mortis periculo Sacram Communionem intermittit per negligentiam, sine contemptu tamen: hæc enim sententia de facto negat præceptum diuinum de sumenda Eucharistia in articulo mortis; contra quam Henriquez, *libr.8. cap.4.* Suarez, Fagundez *citati.*

5 Qui in mortis articulo constitutus, Sacram Communionem per modum Viatici accepit, perseuerāte morbo, & eodem periculo, poterit iterum accipere per modū Viatici, quamuis ad hoc non obligetur, Sylvius. *3 part. qu. 80. art.8.* Henriquez, *lib.8 c.50.* Ratio prioris est, quia moriturus valdè indiget tanti Sacramenti præsidio, & id sæpius, ad vincenda occurrentes tentationes, & peccandi pericula superanda. Ratio posterioris est, quia per vnam Communionem fit satis diuino præcepto communicandi in articulo mortis, ergo. An autem in hoc casu pluries pos. sit sumi à non ieiuno, & eodē die dicitur infra *n.44. & 45.*

6 Fideles postquam ad annos discretionis peruenerunt præcepto Ecclesiastico obligantur Sacram Eucharistiam singulis annis sumere in Paschate, vt patet, *in c Omnis vtriusq; sexus, de pœnit. & remiss.* nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione sit abstinendum. Circa quod præceptum aduerte *Primò*, non statim, ac homo habet vsum rationis, quo est capax peccati mortalis, & obligationis confitendi, obligari hac lege Paschalis Cōmunionis, sed per aliquod tēpus, vel etiam per aliquot annos, posse ad confitendum, priusquam ad communicandum, obligari; quia magnum est discrimen inter vtrumque Sacramentum; confessionis enim Sacramentum magis necessarium est, & ex hac parte est anticipandum: Eucharistia verò est longè dignius, & ideò ad illius vsum maturior ætas expectanda est, vt possit suscipiens conuenienter deuotione accedere, & grauiori iudicio inter hunc, & alios communes cibos discernere. In qua verò ætate obliget hoc

præce-

Margin notes: D. Thom. Diana. — D. Thom. Sylvius. Becan. Layman. Dianæ. Fagundez. — Suarez. Henriq. Fagundez. Zambran. — Conc. Carth. Conc. Tol. — Conc. Nic. Conc. Tol. Conc. Ag. Richard. Durand. Sotus. Pet. Soto. Sylvius. Layman. Suar. Diana. Fagundes. Caietan. Armilla. Eman. Sa. — Henriq. Suarez. Fagund. — Sylvius. Henriq.

præceptum Pascalis communionis, conueniunt omnes Doctores non posse generaliter definiri hác obligationem per hominum ætates, seu annorum numerum, vnde totũ hoc negotium pendet ex iudicio prudentis confessarii, qui præmissis interrogationibus, huiusmodi pueros tentabit, & exinde iudicium illorum venabitur, ad præceptum hoc implendum. Ita Nauarrus *in Man.c.21.n.57* Syluius 3. *part.quæst.80.art.9.quæsit.1.* Toletus *lib.6.cap.18. num.2.* Azorius *tom.1.l.7.ca.30.q.10.* Suarez 3.*par.tom.3.dist.70. sect.1.* & *tom.4.disp 36.sect.2.* Fagundez *præcept.3.lib.1.c.5.num.21.* Diana *p.3.tract.6.res.70.* Tannerus 3.*p.disp.5. quæst.8.dub.5.num.11.* Contra Sancium *in selectis disp 26.* qui mordicus contendit, & probat absolutè pueris ministrandam Eucharistiam, postquam ad annos discretionis peruenerint, neq; distinguẽdũ messe inter tempora confessionis & communionis, nam vtriusque rei præceptum imponitur sine vlla distinctione in *c. Omnis vtriusque sexus*. Hanc opinionem Sancii putat Diana probabilem.

Nauarr. Syluius. Toletus Azorius. Suarez Fagundez Diana Tannerus Sancius

Verùm in hac controuersia notandum est, quòd Rituale Romanum iussu Pauli V. editum habet. *Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum huius sacramenti (Eucharistiæ scilicet) cognitionem, & gustum habent, administrari non debet.* Proinde videan septennes pueri notitiam & gustum huius sacramenti habeant, antequam illos ad communionem obligatos esse decernas.

Secundò, aduerte, nomine Paschatis, ecclesiasticam consuetudinem declarasse ex decreto Eugenii IV. vt refert Nauarrus *in man.c.21.n.45.* Syluest. *v. Euchar.3* Henriq. *lib.8.c.55.* Fagundez *præc 3.l.1.c.5.n.3.* Suarez 3. *p.to.3.d.70.se.2.* Bonac. *to.1.disp.4.quæst.7.p.2. n 6.* Filliucius *tr.4.n.55.* cõprehendi quindecim dies qui sunt à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè. Quibusdam tamen in locis consuetudine, aut Pontificio priuilegio hoc tempus extensum est, vt uel integram Quadragesimam complectatur, sicuti Mediolani, vel quatuor hebdomadas, duas ante, & duas post Resurrectionis diem seruandus est in hoc vsus legitimè præscriptus cuiusque Diœcesis, Episcopi enim iuxta mentem prædict. *c. Omnis vtriusque sexus*, ob aliquas rationabiles causas, possunt extendere tempus Paschatis ad implendum huiusmodi præceptum. Vt docet Fagundez.

Eugen. iv. Nauar. Syluest. Henriq. Fagundez Suarez. Bonacina Filliucius

Fagundez

Sed dubium est, an religiosi speciali iure teneantur pluries in anno communicare? Negant Henriquez *l.8. de Euch.c.5* & Suarez *disp. 70. sect.2.* Affirmat Nauarrus *in man.c.21.in fine* de Monachis S. Benedicti, & de Monialibus, tum propter Clementinam *Ne in agro*, *§. sane de statu monachorum*. Tum propter Concilium Tridentin. *sess.25.c.10.de regular.* vbi de monialibus statuit, *vt saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.*

Valquez

Sed mihi dicendum est, cum Valquez *disp.214. cap.3.* & aliis, solos prædictos religiosos S. Benedicti, vi præcitatæ bullæ teneri ad menstruam communionem, non autem Moniales. Prob. prior pars, tum quia Pontifex in dicta Bulla per verbum imperatiuum, *Communicent*, præcipit menstruam communionem Benedictinis, quamuis illam dependentem faciat ab arbitrio Superiorum, & Pœnitentiariorum monasterii. Tum quia idem Pontifex in eadem Bulla eodem tenore prohibet clamosam venationem, & aucupationem, sicut præcipit menstruam communionem Atqui illam prohibet sub mortali, vt constat ex pœna, quã iniungit: ergo hanc etiam præcipit sub mortali. Posterior pars constat, quia Concilium nullo verbo præceptiuo vtitur, sed tantùm monitorio & adhortatorio. Verba concilii sunt: *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores monasteriorum Sanctimonialium vt in constitutionib. earũ admoneantur Sanctimoniales, vt saltẽ semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant* Vnde nisi aliunde vi propriarũ constitutionum, ad quas Concilium videtur se remittere, sub præcepto teneantur ad menstruam communionem, vi præcitati capitis Concilii non tenentur.

7 Quorumdam Doctorum satis grauium sententia nõ improbabilis est, illum, qui in Paschate Eucharistiam non sumpsit, illius perceptionem tuta conscientia ad alterum vsque anni proximè consequentis Pascha posse differre. Fundamentum est, quia præceptum affirmatiuum obligãs ad aliquem actum præscriptio die vel tempore, transacto illo non obligat, etiamsi per impotentiam, vel malitiam in illo impletum non sit, sed huiusmodi est hoc præceptum respectu temporis Paschalis, ergo &c. Ita Valentia *tom. 4. disp.6.quæst.8 part.4.* Toletus *lib.6.c.18.* Sà *v. Euchar.n 7.* De la Crux *in director.p.2.de Sacrament. Euchar.q.5.dub. 7.concl.4.* Syluest. *v Euchar.3.quæst.15*, Victoria *in Sum. q.148.* & alii.

Valentia Toletus De la Crux Syluest. Victoria

Tamen vera & in praxi recepta sententia est, quòd qui Paschali tempore seu iusta seu iniusta de causa Sacram communionem accipere intermisit, postea, *quamprimum* commodè potest, communicare debeat, vt quantò diutiùs differat, tantò magis peccatum augeat, tum quia præceptum affirmatiuum de communicando in Paschate, tacitam negationem continet, ne vltra Pascha communio differatur, & terminus annuus non conceditur, vt tunc cesset obligatio, sed vt adimpletio non possit vlterius differri, sicut in contractibus, quando statuitur tempus vltra quod non potest differri solutio, si tunc non fiat, obligatio non extinguitur, sed perseuerat. Tum quia principalis intentio Ecclesiæ est obligandi fideles ad communionem singulis annis sumendam, secundariò determinat tempus Paschale, & siquod secundarium est negligatur, aut seruari non possit, debet tamen impleri quod principale est. Ita Suarez *cit.sect.2.* & *tom.4.d.36.sect.3. num. 3.* Syluius 3. *p. quæst.80.art.11.quæsit.4.* Fagundez *cit.c.6.num.2.* Azorius *tom.1.lib 7.c.30.q.5.* Graffiis *p 1.lib.2.c.38.num.25.* Diana *p.3.tr.4.res.41.* & *p.5.tr.13.resol.3* Layman *lib. 5. tr.4.c.5. num.8.* Nauar, *in Man. cap.21.num.45.*

Suarez Syluius Fagundez Azorius Graffiis Diana Layman Nauar

8 Cùm Sacramentorum administratio sit actus iuridicus, hinc qui administrat illa debet habere iurisdictionem vel ex iure communi, vel priuilegio, vel ex commissione concessam, in eos, quibus illa administrat, vnde oportet eum, cui Sacramentum Eucharistiæ ministratur, esse ministranti reipsa & verè subditum, subditos autem nullus habet, nisi Pastor, vel Ordinarius, vel ille cui vices Pastoris aliquatenus commissæ sunt: Propterea stando in iure com. Canonico, soli Parocho ex officio competit Eucharistiam ministrare, & idcirco ad propriam Parochiam accedere oportet, vel ad alienam, aut alibi de licentia tamen proprii parochi. Sicut enim Parochus potest dare licentiam suis parochianis, vt alia Sacramenta, verbi gratia, Matrimonii, Confessionis, Extremæ vnctionis ab aliis accipiant, Ita etiam potest dare illam ad Sacramentum Eucharistiæ cùm par sit ratio in omnibus. Vt decretum est in *Cap. omnis vtriusque sexus* Nauarrus *capite 21.num.52.* Theophilus *parochialis part.4 art. 3* Azorius *cit. quæstione 6.* Henriquez *lib.8.capite 55.numer.1.lit.B.* Crousers *ad c.7. reg. Minor. lect.6.* Fagundez *cit.lib.1.cap 5. num. 5.* De la Crux *de statu relig.libro 2.capite 5 dub.3.* Rodriquez *tom. 1.qq.reg. quæstione 56. artic.3.* Miranda *tom. primo quæstione 42.artic.1.* Clementina *Religiosi, de priuilegiis* autem excommunicantur Religiosi, Eucharistiam, Extremam Vnctionem ministrantes, vel Matrimonialia solemnizantes, sine Parochi licentia speciali vel generali; & hæc excommunicatio est Summo Pontifici reseruata.

Nauar. Theophil. Azorius Henriq. Crousers Fagundez De la Crux Rodriq. Miranda

9 Iure Clementinarum sublato priuilegia amplissima à Summis Pontificibus concessa sunt religiosis Mendicantibus, vt Eucharistiam ministrare possint Emmanuel Rodriq *tom.1.qq.reg.q.56. art. 3.* Compend. *priuileg. v. Communicare n.4* & *9.* De la Crux *l.2.c.5. d.3.* Crousers *c.lect. 6.* Miranda *tom.1.q.42.art 2.* Tambur *de iure Abbat. tom. 3.disp.5 q.3.* & *4.* plura refert, & habentur in compendio priuilegiorum mendicantium & non mendicantium, quorum etiam mentionem faciunt Miranda, Ioannes Dela Crux, & noster Crousers, ex quibus sequentes resolutiones ponimus.

Primò, omnes Sacerdotes ordinis nostri ministrare possunt sæcularibus Eucharistiam, tam in nostris quàm in alienis templis & oratoriis, extra tempus interdicti, & excepta die, qua celebratur festum Resurrectionis, licentia Parochorum non requisita, ex concessione Leonis X. apud Rodriq.

Sed petes, an non obstante Episcopi prohibitione liceat etiam nostris & aliis regularibus priuilegiatis ministrare Eucharistiam in oratoriis priuatarum ædium? Resp. Affirmatiuè, modò illa communio non sit de præcepto, v.g. in articulo mortis per modum viatici, uel tempore Paschatis

ad

ad implendum præceptum Ecclesiæ. Fundamentum huius assertionis est, priuilegium Pauli IV. anno 1557. apud Bullarium Rodriquez, concessum Minoritis, cuius tenor est, *Quod de cætero per totum orbem omnium vtriusque sexus fidelium pro tempore dicti ordinis fratres à suis superioribus deputatis confessores, confessiones etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorundem fratrum audire, eosque absoluere, ac omni tempore, præterquā in die Resurrectionis Dominicæ sacramentū Eucharistiæ, tā illis, quā quibusuis personis ministrare possint, Apostolica authoritate concedimus &c.* Deinde ista prohibitio Episcopi ne Religiosi dent S. Eucharistiā in his oratoriis, in rigore esset reuocatio dicti priuilegii cōcessi Religiosis, vt patet, sed Episcopus nō potest reuocare priuilegia Papæ, neque id illi commisit

Conc. Trid. Tridentinum *sess. 22 in decreto de obseruandis in celebratione Missarum* circa ministrationem Eucharistiæ extra conuentum faciendam à Religiosis, licet commiserit Episcopo, ut possit illis prohibere ne celebrent in oratoriis, quod est nimis distinctum à ministratione Eucharistiæ, ergo &c.

Portel. Suarez. Ita Portel *in respons. mor. p. 3. cas. 39.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 9 c. 3* Cæterum regularibus consulendum est, ne hoc faciant cum displicentia Episcoporum.

Secundò, non solùm fratres Sacerdotes, sed etiam sæculares Sacerdotes, de licentia fratris Sacristæ, possunt ministrare Eucharistiam in templis nostris, quibuslibet personis sine licentia Parochorum.

Iulius II. Ita concessit Iulius II. Fratribus Ordinis Minimorum, apud Rodriquez, cuius concessionis tenor talis; *Vt in Ecclesiis suis quoties opus fuerit possint ministrari facere Sacramentum Eucharistiæ curialibus, mercatoribus, peregrinis, & transeuntibus, ac aliis quibuscumque personis.*

Medina. Henriq. Sà. Miranda. Ita etiam Medina *in instruct. lib. 1. c. 13. §. 42.* Henriquez *lib. 8. cap. 55. numero 1.* Sà *v. Euchar. nu. 14.* Miranda *c. art. 4.*

An autem Sacerdos regularis tempore Paschali possit ministrare Eucharistiam sæcularibus, vt adimpleat præceptum Ecclesiasticum annuæ communionis? Dubiæ est quæstionis.

Suarez. Portel. Henriq. Miranda. Nicolaus V. Negatiuè enim respondent Suarez *de relig. tom. 4. tr. 10 l. 9. c. 3. nu. 8.* Portel *in dub. reg. v. Sacramentorum administrat. num. 5.* Henriquez *c. n. 1* Miranda *c. art. 2.* & alii, quia in priuilegiis memoratis & illis quæ Nicolaus V. & Sixtus IV. concesserunt Generalibus, Prouincialibus & commissariis deputatis Ordinis Minorum ad audiendas confessiones sæcularium, vt omnibus quorum confessiones audierint, sacram communionem dare possint, excipitur semper dies Resurrectionis, id est, communio Paschalis.

Rodriq. De la Crux. Diana. Sorbus. Crousers. Sed affirmatiuam sententiam docent Rodriquez *c. art 3.* De la Crux *cit. dub. 4. concl. 3.* Diana *part. 2. tract. 24. resol. 73. & p. 6. tract. 7. resol. 58.* Sorbus *in compend. priuileg. 6. v. communicare* Crousers *c. lect. 6. f. 526.* Beia *in respons. p. 4. casu 4.* Nempe Mendicantes habere priuilegium ad administrandum Sacramentum Eucharistiæ, non solùm ex deuotione, sed etiam ex obligatione præcepti, etiam repugnantibus parochis, tam in die Paschatis, quàm in toto tempore

Nicolai V. Paschali assignato ad impletionem illius; & hoc ex priuilegio Nicolai V. concesso Monasterio *Beatæ Mariæ de Guadalupe Ordinis ac familiæ D. Hieronymi anno Domini* 1458

Pius IV. 28 *Septembris* quod priuilegium confirmauit viuæ vocis oraculo Paulus III. Deinde Pius IV. facultates cōcessas particulariter huic Monasterio, fecit cōmunes omnibus Monasteriis eiusdē ordinis. Quo supposito, cū hoc priuilegiū sit iam commune omnibus monasteriis dicti ordinis, sequitur euidenter, quòd etiam possint eo frui Monasteria Ordinum

Iulius II. Pius IV. Mendicantium, & aliorum, qui Mendicantium priuilegiis communicant. Idem etiam licet ex priuilegio Iulii II. Minimis concesso *suprà*. Nec ista priuilegia sunt per non vsum reuocata Pius IV. Sixtus V. Paulus V. *in Bulla Iniuncti nobis 1. Decembris* 1609. ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmauerint, & de nouo roborauerint priuilegia Minorum & Prædicatorum, etiam per non vsum reuocata. Cæterum quamuis hæc sententia ex dictis maneat satis probabilis, in praxim tamen non est deducenda à Regularibus, cùm Parochi hoc ægrè ferant, & Episcopi maximè contradicant. Ratio est, quia priuilegia quæ sunt contra ius commune concessa, strictissimè sunt interpretanda, & saltem dum hæc opinio secunda non fuerit magis introducta, pro prima standum, & in illam inclinandum erit. Vt monent, Rodriq. Fagund. *præcept. 3. l. 1. c. 5. n. 6* Diana

Post hæc scripta ad notitiam nostram deuenit declaratio Sacræ Congregationis in Epistola eiusdem ad Eminentissimum Cardinalem Boncompagnum Archiepiscopum Neapolitanum tenoris sequentis, & quà posita corruit affirmatiua sententia, *Conquesti sunt coram Sanctissimo Domino Rectores Ecclesiarum Parochialium istius ciuitatis de Patribus Theatinis, & Societatis IESV, quòd asserere audent personas laicas assumentes in eorum Oratoriis seu Cōgregationibus Eucharistiæ Sacramentū in die Paschatis, Ecclesiæ præcepto satisfacere, cumque id minimè sit permissum, sed fideles sacram communionē tempore Paschali à proprio, vel ab alio de ipsius Sacerdotis licentia suscipere teneantur, Sanctitas sua iussit Eminentiæ suæ significandum, & sub pœna suspensionis à diuinis, & aliis sibi bene visis id prohibeat præfatis religiosis, moneatque ipsos laicos sacramentum Eucharistiæ, vt supra, de manu proprii Parochi teneri suscipere, vt Ecclesiæ præcepto satisfaciant, ita igitur pro sua pastorali pietate omninò curabit. Eminentiæ vestræ, cui me humilimè commendo. Romæ die 20. Martii 1638.*

Eminentiæ vestræ Reuerendissimæ.

Humillimus Seruus.

Cardinalis Verospius.

Tertiò, in sententia asserente, non licere Religiosis, ministrare Eucharistiam fidelibus in Paschate, eò quod talis communio est impletiua præcepti, consequenter est dicendum, Religiosis non licere in articulo mortis, cum ad mortem decumbentibus pro Viatico illa deferenda est, eò quòd tunc sumptio Eucharistiæ sit impletiua præcepti diuini. Ita Layman *lib. 5. tract. 4. c. 7. n. 3* Suarez *3. p. tom. 3. de Eucharist. disp. 72. sect. 2. dub. vlt.* Compend. *priuileg. Societ. v. Euchar. §. 1. 4.* referentes priuilegium Pauli III. concessum Societati Iesu *Anno* 1545: in Bulla, quæ incipit *Dilecti*. Vt Religiosi Societatis possint Eucharistiam fidelibus ministrare, excipiendo communionem in Paschate, & in articulo mortis. Verùm in contraria sententia permanendo, idem videtur dicendum de ministratione Eucharistiæ in articulo mortis, quia per alia priuilegia Apostolica excipitur sola communio in Paschate, vnde per eadem censeri potest concessum Regularibus, communionem ministrare aliis temporibus, & occurrentiis. *Exceptio enim firmat regulam in contrarium*. Ita ex priuilegio Sixti IV. & Leonis X. De la Crux *c. c. 5. d. 5.* & noster Crousers *c. fol. 538.* Portel *c. in additione*. Et ex concessione Pauli IV. post concilium Tridentinum Laurentius Portel, quam concessionem refert Rodriquez, in *Bullario, Bulla* 3. Layman. Suarez. Compend. Paulus III. Sixtus IV. Leo X. De la Crux. Crousers. Portel. Rodriq.

Quartò, Religiosi extra proprias Ecclesias, non possunt licitè in alienis, Christi fideles ex obligatione communicare, quia vnusquisque fidelium tenetur propriam parochiā adire, & Nicolaus V. Sixtus IV. Leo X. Paulus III. in suis priuilegiis, semper exceperunt tempus Paschatis, quo impletur huiusmodi præceptum, vnde quia Religiosis extra propria Monasteria, in alienis Ecclesiis Eucharistiam suscipiunt animo satisfaciendi præcepto, nequaquam illi satisfaciunt, & Religiosi ea intentione ministrantes, excommunicationem ipso facto *Clement. 1. de priuilegiis* incurrunt. Ita Fagundez *præcept. 3. lib. 1 cap. 5. nu. 17.* Crousers *c. lect. 6. fol. 538.* Nicolai V. Sixtus IV. Paulus III. Fagundez. Crousers.

Quintò, probabile est in casu vrgentis necessitatis, siue infirmitatis, simplicem Sacerdotem licitè infirmis Viaticum dare posse deficiente Parocho, siue sit Religiosus, siue non, idque vel ex præsumpta rationabili voluntate Parochi, vel certè Episcopi, vel Summi Pontificis, si fortassis, de Parochi iniqua voluntate constaret, quidquid in contrarium doceant Nauarrus *c. 21. num. 62.* Syluest. *v. Excomm. 7. excomm. 14 num. 32. dub. 3.* quia, inquiunt, hoc Sacramentum, non est Sacramentum, necessitatis. Probatur autem assertio nostra, quia licet necessitas huius Sacramenti non sit extrema, in opinione, quæ docet illius sumptionē in articulo mortis, non esse medium de præcepto diuino necessarium necessitate salutis, tamen est valde grauis & sufficiens, ad hunc modum absque præsumptione exercendum, tum quia est magis pia hæc opinio & consentanea pietati Ecclesiæ Catholicæ. Ita Miranda *tom. 1. quæst. 42.* Nauarrus. Syluest. Miranda.

quæst 42. *art*. 3. Crousers *c. fol.* 534. Suarez *c. sect.* 10. 2. *§. Sed quæres* Sotus 4. *dist.* 23. *qu.* 2. *art.* 1. Fagundez *præcept.* 3. *c.* 2. *num.* 20. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 55. *num.* 1. *lit.* H. Rodr. q. *tom.* 1. *qq.* q. 56. *art.* 5.

Crousers. Suarez Fagundez Henriq. Rodriq.

10 Dubium est, quidnam in superioribus priuilegiis, per diem Paschatis vel Resurrectionis sit intelligendum, an scilicet hæc verba intelligenda sint materialiter de ipso tantum die Paschatis & Resurrectionis, ita vt solum in eo die non possint licitè religiosi Eucharistiam ministrare sæcularibus in suis Ecclesiis, siue communicent ex deuotione, siue ex obligatione, An intelligenda sint formaliter pro communione circa festum Resurrectionis fieri debita ex præcepto Ecclesiæ? Nauarrus *in Manual. cap.* 21. *n.* 52. Azorius *tom* 1. *lib.* 7. *cap.* 41. *qu.* 7. *ad finem* Henriq. *l.* 8. *c.* 55. Crousers *ad c.* 7. *reg. Minor. lect.* 6. *fol.* 539. sententia est, quam sequuntur aliqui recentiores, velum tantū excipi diem ipsum, materialiter Paschatis, & exinde negāt regulares ipso die Resurrectionis Dominicæ ministrare posse parochianis communicationem iis, videlicet, qui existimantur Parochiæ satisfecisse, vel postea sunt satisfacturi quia hoc significant verba Pontif. prohibentium ne regulares sine licentia Parochi extra necessitatis casum in Ref. Dominicæ die S. Eucharist. ministrent. Et certè praxis cōmunis omnium religiosorum est, vt per quindecim dies circa Pasca passim ministrent omnibus Eucharistiam, excepto Resurrectionis die, non inquirentes, an qui accedūt id faciant, vt impleant præceptum Paschalis, communioni, quod maximum argumentum est, omnes intelligere, illum diem tantùm in illis priuilegia esse exceptum; alioquin ipsos oporteret, aut per 15. dies non ministrare, aut anxiè semper inquirere accedentes, quod tamen non fit. Propter has rationes manet hæc sententia satis probabilis, & contrarium docere est vim facere verbis Leonis X. Nihilominus Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 72. *sect.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *qq. reg. q.* 56. *art.* 3. Miranda *tom.* 1. *q.* 42. *art.* 2. Coninck 3. *p. q.* 82. *art.* 3. *n* 31. Sa *v. Euchar. n* 10. Fagundez *præcept.* 3 *l.* 3. *c.* 2. *n.* 18. Layman *l.* 5. *tract.* 4. *c.* 7. *num.* 4. Bonacina *tom.* 1. *d.* 4 *q.* 5. *p.* 1. *n.* 12 probabiliùs censet non tam verba, quā mentem Pontificum esse spectandam, ideò vbi moralis adest certitudo Parochiæ satisfactum esse, vel alias satisfactum iri, possent dicti regulares etiam prædicto die Paschę fidelibus communionem ministrare, quia verba priuilegiorū intelligenda sunt formaliter nō de ipso die Paschatis, sed quòd non possint religiosi ministrare hoc Sacramentū in suis templis, sæcularibus, quando illi communicant in eis, ad implendum præceptum communionis annualis tēpore Paschatis, neque hæc interpretatio est absurda, aut violenta, (vt asserunt Doctores contrariæ sententiæ) sed vera ac germana, supposito modo loquendi *cap. Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* vbi hoc præceptum communionis Paschalis traditur.

Nauar. Azorius Henriq. Crousers.

Leo X. Suarez Rodriq. Miranda Coninc. Fagundez. Bonacina

11. Peregrini, viatores, vagi & ii qui extra parochiam suam ad certum tempus, vel domicilium habent, vel commorantur. Item ii qui in ipso tempore Paschatis in aliena Parochia degentes ad suam accedere commodè nequeūt, possunt Sanctissimum Christi Corpus in Ecclesiis regularium accipere. Ratio est, quia exceptio diei Paschatis apposita in *Clementin.* 1 *de priuileg.* fuit introducta in fauorē Parochorum, & vt saltem eo tempore & die omnes parochiani ad suam Parochiam confluerent, sed in nostro casu nulla fit iniuria Parochis, cum huiusmodi peregrini, viatores, vagi, &c. non sint sui parochiani, & propria parochia in eo oppido careant, vnde censentur ipsi religiosi ex tacita licentia proprii parochi absentis ministrare, nam cùm parochus absens hanc licentiam non restrinxerit, quando illi in alias regiones profecti sunt, videtur illam concedere virtualiter in hoc casu, vt possint Eucharistiam sumere vbicumq; voluerint in die Paschatis, à quocumq; ministrante Nec obstat Eugen. IV. decreuisse huiusmodi vagos, viatores & peregrinos adipisci incolatum ad sacramēta confessionis & communionis tēpore Paschatis, licet ibi modico tēpore steterint, quia hoc fuit concessum in fauorē peregrinorū ad tollendos eorū scrupulos, non tamen eos obligauit, ut alienis Parochis subiicerētur, sed reliquit eos iuris communis dispositioni. Ita Sanch. *de matr. disp.* 23. *l.* 3. *n.* 17. Rodriq. *tom.* 1 *qq reg. q.* 56. *a.* 6. Portel *in du. reg. v. Sacramentorum administr n.* 6 Fagundez *præcept.* 1. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 5. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *res.* 18. Layman *c. n.* 4. Suar. 3. *p. to.* 3. *disp.* 72. *sect.* 2. Henriq. *l.* 8. *de Euch. c.* 55. *n.* 1. *lit.* G. Caiet. *v. Absolutio* Nauar. *in c. Placuit. de pœnit. dist.* 6 *n.* 27.

Eugen. IV.

Sanch. Rodriq. portel. Fagundez

12 Serui religiosorum qui non degunt in monasteriis, aliisve locis à cura Parochorum exemptis, debent tempore Paschatis communionem sumere in propria Parochia ex declaratione Cardinalium tempore Gregorii XIII. Secùs dicendum de seruis degentibus in huiusmodi locis exemptis, & qui sunt de familia religiosorum, & continui commensales, possunt enim in iis locis sumere communionem, confiteri, & Extremam vnctionem, recipere, absque licentia, & approbatione Episcoporum vel Parochorum, sicut ibi possunt sepeliri inconsultis Parochis. Idem dicendum putat Portel de famulo coniugato, qui noctè dormit extra conuentum, huic enim poterunt eadem Sacramenta intra conuentum ministrari est enim commensalis continuus, secùs si sit extra conuentum. Ex concessione Clement. IV. & Sixti IV. pro Benedictinis, & confirmatur à Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 11. respectu illorum sic seruitium, vbi etiam à iurisdictione Ordinarii eximuntur. Vide Compend. *priuil. Mend. verb. Familiares fratrum* Rodriq. *tom.* 2. *qq. reg. q.* 68. *art.* 1. & 2. & *in bullarię post bullas Gregor. XIII.* Portel *c. n.* 9. Dianam *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 12. & *p.* 5. *tr.* 3. *res.* 52. De la Crux *de stat relig l.* 2. *c.* 5. *d.* 4. *concl.* 1 & *c.* 6. *d.* 1. *concl.* 1. Sà *v. Euch. n.* 9. Sanch. *de matrim. l.* 3. *dist.* 23. *n.* 12. Crousers *ad c.* 7 *reg. Minor. lect.* 6. *fol.* 538. & *lect.* 26. *fol.* 754. Lez. *in Sum. to.* 2. *c* 16. *n.* 15. Bonac. *to.* 1. *disp* 4. *q* 7 *p.* 2. *n.* 11. qui nouissimus ait, prædicta priuilegia non esse reuocata, & hoc valde conforme esse iuri communi in Clement. *Relig.* §. *Sane. de priuilegiis*, vbi dicitur, *Sane religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum vt familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis volumus quoad hoc præiudicium generari.* Ideo hoc subdit Pontifex, quia in prædicta Clement. indirectum erat Religiosis Sacramenta fidelibus ministrare sine licentia Parochi.

Compend. Rodriq. Greg XIII. portel. Diana. De la cru. Sanchez. Crousers. Lezana. Bonacina.

13 Qui Communionē sumeret in Ecclesia Cathedrali, sine licentia proprii Parochi, vel Episcopi, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ de Eucharistia sumenda in Paschate à proprio Sacerdote, quia nullo iure probatur Ecclesiam Cathedralem esse communem totius Diœcesis, vnde Archipresbyter, & Parochus Ecclesiæ Cathedralis possunt tantum ministrare Sacramenta in sua Parochia. Ita Sanchez *de matr. l.* 3. *disp* 23. *n.* 17. & *disp.* 27. *n.* 1. Sanchez.

Tamen quando Archipresbyteratus est quædam præbenda, cui ex officio esset annexum audire confessiones omnium Diœcesis illius, tunc esset proprius Sacerdos, & ordinarius in tota illa, & proinde posset ministrare Eucharistiam in Paschate omnibus ad Cathedralem confluentibus. Sic Palud. 4. *d.* 17. *q.* 4. *art.* 2. *c.* 4. D. Anton. 3. *p tit.* 17. *c* 5. Syluest. *v. Confess* 1. *q* 4. Tabiena *v. Absolutio* 1. *n.* 39. Et in hoc sensu est vera opinio Bonacinæ *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 11. Emanuelis Sà *v. Sacramentum n.* 4. qui docent Sacramenta omnia posse omnes de Diœcesi accipere in Cathedrali.

palud. D. Anton. Syluest. Tabiena. Eman. Sa.

14 Qui tempore Pascatis Eucharistiam sumit existens in peccato mortali, quamuis sine fructu eam recipiat, & peccatum sacrilegii graue committat satisfacit tamen præcepto Ecclesiæ, quia talis adimplet substantiam præcepti Ecclesiastici, quo præcipitur actualis communio, quamuis non adimpleat modum, quo dignè sumenda est Eucharistia, atque modus non cadit sub præcepto, quoties non est de intrinseca ratione actus præcepti vnde indignè sumens non iubetur iterum Eucharistiam sumere, neque confessarii id curant; & quamuis hoc Sacramentum ex sua natura præexigat vitam gratiæ in suscipientibus, cùm sit nutrimentum illius tamen ex hoc fundamento, solùm sequitur, peccare mortaliter indignè suscipientem, & non sequitur, quòd non impleat præceptum. Et hæc est communis sententia Suarez *tom.* 3. *disp.* 70. *sect.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7 *cap.* 41. *quæst.* 12 Rodriquez *in Sum. cap.* 64. *n.* 5. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 43. Fagundez *præcept.* 3. *lib.* 1. *c* 6. *n.* 4. Regin. *l.* 29. *n.* 87. Quamuis nō sit improbabilis contraria negatiua Syluii 3. *part. quæst.* 80. *art.* 11. *quæsit.* 2. Nugnus *ibidem difficult. tertia & dubio quarto* Talem nempe non satisfacere Ecclesiæ præcepto; licet enim ex natura rei modus.

Suarez. Azorius. Diana. Fagundez. Reginald.

modus externus non cadat sub præcepto, potest tamen præcipi. Ecclesia autem præcipit modum quo sumenda est Eucharistia, vt patet ex verbis præcepti in canone, *Omnis vtriusque sexus*, expressi, vbi dicitur, *Suscipiens reuerenter ad minus*, &c. Ergo fideles ad illum obligantur. Prima tamen sententia est tenenda.

Ceterum quamuis talis præcepto Ecclesiæ satisfaciat indignè communicando, tenetur tamen condignè communicare ad satisfaciendum præcepto diuino, quia cùm præceptum Ecclesiasticum de annua cōmunione sit determinatio præcepti diuini, & huic non satisfiat per sacrilegam communionem, tenebitur ad satisfaciendum præcepto diuino condignè communicare; non quidem statim, quia hoc non obligat ad certum diem, sed poterit per communionem Ecclesiasticam sequentis anni huic præcepto satisfacere, quia inter vltimam communionem, & sequentem Paschatis intercedit annus, intra quem communicans potest diuino præcepto satisfacere.

Sed petes, an qui in peccato communicauit, incurrat cēsuras & pœnas Ecclesiasticas, quæ solent non communicantibus imponi? Resp. negatiuè, nam huiusmodi pœnæ non imponuntur, nisi ratione violationis præcepti Ecclesiastici, sed qui in peccato communicauit, satisfecit præcepto Ecclesiastico, ergo. Tum quia nullæ sunt pœnæ in iure, quæ ipso facto incurrantur per violationem huius præcepti, sed tantum comminantur, vt viuentes arceantur ab ingressu templi, & morientes Ecclesiastica careant sepultura. Si quę tamen censuræ per statuta Synodalia imponerentur ab Episcopis, conclusio haberet locum.

15 Qui præuidet se impediendum in Paschate, vt intra illos quindecim dies non possit communicare, non tenetur communionem anticipatè sumere, quia ante prædictū tempus præceptum communionis non obligat, tum quia nemo tenetur anticipare, vel tempus cui ipsum opus est necessariò connexum, vt patet de festis & ieiuniis, vel actū per quem non satisfit obligationi præcepti, sic autem communio est annexa tempori Paschali, vt per antecedentem non satisfiat præcepto Ecclesiæ vnde teneretur ille, qui anticipasset, adhuc communicare, quod est signum præcepto non satisfecisse, anticipando. Tum quia vsus Ecclesiæ id habet. Ita Suarez *cit. disp.* 70. *sect.* 2. *dub.* 3. Filliucius *tract.* 4 *cap.* 2. *n.* 59. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 7. *punct.* 2. *num.* 15. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 41. *q. vlt.* Coninck. 3. *p. q.* 80. *art.* 11. *n.* 108. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *res.* 42. Quorum sententia admittitur vt probabilis à Syluio 3. *p. q.* 8. *art.* 1. *quæsit.* 3. si eiusmodi præuideat quòd poterit communicare non post longum tempus à Paschali, si verò prouideat non nisi multo tempore post Paschate communicaturum, putat obligari ad præueniendum, quia alioquin exponeret se periculo violandi præceptum, per nimiam dilationem Layman. *lib.* 5. *tract.* 4. *c.* 5. *num.* 9. verò prædictæ sententiæ etiam adhæret, dummodo intra eum annum semel communicauerit, quia si post vltimum Paschale tempus nunquam communicasti, & initio Quadragesimæ præuides, te circa proximum Pascha impeditum iri, omninò teneris præuenire, ne vltra annum sacram communionem differas contra Ecclesiæ præceptum.

Suarez. Filliucius. Bonacina. Azorius. Coninck. Diana. Syluius.

Cæterum licet Sacramentum Eucharistiæ manu alterius accipientes, vt sunt laici, teneantur in Parochia tempore Paschatis pro adimpletione præcepti communicare, celebrantes tamen, scilicet Sacerdotes, etiam sæculares, non ita, hic enim consuetudine receptum est, vt docet Naldus in *Sum v. Eucharistia num.* 5.

Naldus.

16 Per se loquendo melius est frequentius communicare, quàm rarò, tum quia cum debita dispositione communicare, est opus per se bonum, abstinere autem est bonum solùm per accidens, quod verò est bonum per se, melius est quam bonum per accidens. Tùm quia opus quod ex amore procedit, præstantius est eo quod procedit ex timore, frequens autem communio habet ortum ex amore, & abstinentia ex timore, ergo D. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 10. Sylu. *ibid.* Suarez *c. disp.* 69. *sect.* 4. *concl.* 2. D. Bonau. 4. *dist.* 12. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 3. Henriq. *l.* 8. *c.* 53. Sancius *in sel. disp.* 22. *n.* 8. Fagundez *prac.* 3. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. Reginald. *l.* 29 *n.* 68. 69. 72. Valentia *to.* 4. *d.* 6 *q.* 8. *p.* 4. Hinc Patres hortari solent ad frequentem communionem populum. D. enim August. *in serm.* 28. *de verb. Domini to.* 10. ibi *Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit, panis enim quotidianus est, Sic tamen viue, vt quotidie merearis accipere* Idem docet D. Ambrosius *l.* 4. *de Sacramentis c.* 6. *tom.* 4. ibi. *Si quotiescūque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo sēper habere medicinam* Conc. Trid. *sess* 22. *c.* 6. & *sess.* 13. *c.* 8 non cessat ad frequentem vsum communionis exhortari fideles. Proinde recessus a communione nunquam potest disponere ad saltem spiritualiter feruentiùs communicandum alia vice, quia magis disponit actus ad actum similem, quam carentia actus ad actum. Et Conc. Trid. exhibens consilium fidelibus vt tantò quantò magis se disponere possint ad communionem, id præstent, nunquam tamen consulit quòd si adepta non sit illa magna dispositio, a communione recedant.

D. Thom. Syluius. D. Bonau. Henriq. Sancius. Fagundez. Reginald. Valentia. D. August. D. Ambr. Conc. trid.

Sed quia multis multa occurrunt impedimenta deuotionis, aliquando melius esset abstinere à communione, vt quando ita postulat decentia, & honestas. Quoties autem sumenda sit Eucharistia non potest certa regula præscribi, sed pro diuersitate statuum & personarum prudens cōfessarius præscribet, quia ad hoc nō requiret in homine fragili, & luteum vas portante, diuinam, aut Angelicam puritatem, sed satis est ea conscientiæ dispositio, quæ de præteritis peccatis habeat iustam accusationem, & dolorem, de præsentibus non habeat delectationem, de futuris propositum non reincidendi, & ampliùs Deum non offēdendi. Vnde ad tam frequentem communionem admittendi non sunt, qui vel quæ potiùs ex consuetudine, & ad aliorum imitationem, quam ex deuotione, frequenter aut quotidie communicare aduertuntur Vide D. Thomam, Bonauent. Syluium, Suarez, Henriq. Sancium, Fagundez Reginald. Valentiam, & alios *hoc n.* citatos.

D. Thom. Syluius. Suarez. Henriq. Fagundez.

17 Secundùm communem Doctorum sententiam (vt diximus *n.* 6.) non potest certa regula definiri in qua ætatis parte incipiant pueri habere discretionem sufficientem ad obligationem precepti communicandi, quia id pro varietate locorum, educationis, & ingenii variatur communiter autem hæc discretio aduenire solet ab anno decimo, ad decimum quartum, & mortaliter loquendo, neque ante illum incipit, neque vltra hunc differtur vsus plenior rationis; In dubio autem parentes, & ipse confessarius de capacitate pueri indicabunt. Consulantur Suarez *disp.* 70. *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 29. *n* 83. Syluius 3. *p. q* 80. *art.* 9 *quæsit.* 1 Vasquez 3. *p. disp.* 214. *cap.* 4 *n.* 40. Grassis 1. *part. lib.* 2. *cap.* 38. *numer.* 15. Bonacina *tomo primo disp.* 4. *q.* 7. *p.* 2 *num.* 1. 2.

Suarez. Reginald. Syluius. Vasq. Grassius.

18 Mortaliter peccat Pater, tutor, curator, aut herus, qui notabiliter negligit procurare vt sui liberi, pupilli minores, aut famuli domi suæ viuentes, & ad communionē obligati eam sumant tempore debito presertim si sciat aut scire debeat illos non communicaturos, nisi à se moneantur quia tales tenentur suos vt ad bonum promouere, sic à peccato reuocare. Ita communiter Doctores post Nauar. *in man. c* 21. *n* 57.

Nauar.

19 Qui in articulo mortis, sumpta communione commisit peccatum mortale, non tenetur ex præcepto diuino, iterum communicare quia hoc neque ex scriptura colligitur, neque ex traditione aut consuetudine Ecclesiæ, nec denique ex institutione, aut natura huius Sacramenti quia Eucharistia non est instituta per se ad delenda peccata mortalia, sicut instituta fuit pœnitentia, vnde vsus Eucharistiæ non ita obligat; sicut obligat, vsus confessionis, cum illius præceptum iam sufficienter impletum fuerit debito tempore, & mortis articulo si enim peccatum non intercessisset, obligatio præcepti sufficienter iudicaretur expleta, peccatum autem non est, vnde nouam obligationem induxerit. Ita Henriq. *l.* 8. *c.* 5. *num* 3. Reginald. *l.* 29. *n.* 65. Coninch. 3. *p. q.* 80. *art.* 11 *num.* 100. Filliucius *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 52.

Henriq. Reginald. Filliucius.

20 Iudex per se loquendo, & præciso periculo notabilis damni communis, aut alia iusta causa, tenetur reo ad mortem damnato, concedere tempus communicandi. Patet ex *c. super eo. de hæreticis in* 6, vbi præcipitur Viaticū dari hæreticis relapsis ante vltimū supplicium, si sufficientia signa fidei, & pœnitentiæ dederint, Et *c. Quæsit.* 13. *q.* 2. idem seruādum precipitur cum aliis, qui propter alia delicta morte plectuntur, & idem nuper pręcepit Pius V. motu

motu proprio edito *anno* 1569. Et ideò etiam Philippus II. Hispaniarum Rex legem hac de re sanciuit *anno* 1569. qua sanctissimè & Catholicè iubet prædictis Iudicibus, vt rei mortis non nisi communicati suspendantur aut capite plectantur, & vt eis tempus ad hanc præparationem accommodum donetur, iuxta mentem motus proprii Pii V Henriq. *l.8.c.5.n.4.lit.Z* Rodriq. *in Sum.c.68.nu.2.* Suarez *to.3.disp.69.sect.3.* P. Nauarra *l.2.de rest.c.3.n.224.* Reginald. *l.29.n.70.* Fagund. *præcep.3.lib.1.cap.4.num.2.* Ratio est, quia præceptum communicandi obligat in articulo mortis ex iure diuino, ergo tenetur Iudex reo concedere tempus, quo valeat diuinum præceptum adimplere, & hoc verum, quamuis iudices in isto tempore quo se rei debent preparare ad communionem, per confessionem suorum peccatorum, certò sciant fore eripiendos volētia, quia bona animæ præferenda sunt temporali punitioni, vt docent Toletus *l.2.cap.28.* Syluest. *v. Iudex 1.quæst.11. dicto 6.* Sà *v. Eucharist.num* 2. Bonacina *tom.1.d.4 quæst.7.part.1 n.6.* Et licet quidam Doctores, vt Nauarrus *in Man.cap.25. num.23.* Victoria *num.86.* Sotus *4.dist.12. quæst.1.art.11*, excusent à mortali iudices, damnatis ad mortem non concedentes Eucharistiam prætextu reuerentiæ tanti Sacramenti, vt olim in Gallia, Hispania, Lusitania consuetudo erat nunquā tamen illam consuetudinem laudarunt imò potiùs arguebant maximè & reprehendebant tanquā repugnantem iuri diuino & contrariam, Ecclesiastico.

Henriq. Rodriq. Suarez p Nauarra Reginald. fagundez

Toletus Syluester bonacina

Nauarrus Victoria Sotus

An autem ille, cui Princeps iubet mortem inferri eo die absque dilatione, sit communicandus etiam non ieiunus, responsio communis est affirmatiua, quia sacra communio tunc recipitur per modum viatici, modò recipiatur vna hora ad minus ante mortem. Ita Suarez *disp.68. se.5. initio* Layman *lib.5.tract.4.cap.6. num.20.* Diana *part.3. tract.6.res.59.* Reginaldus *l.29.c.6.q.vlt.sect.2.*

Suarez Layman Diana Reginald.

21 Laicus per se loquēdo non potest sæpiùs in die communicare, nisi ad hoc habeat priuilegium, sed excipiendus est casus, in quo ad impediendam iniuriam huius Sacramenti, vel irreuerentiam, id sit necessarium, verbi gratia, ne in manus hæreticorum veniat, vel ne comburatur, aut in similibus, & tunc potest sumi etiam à non ieiuno. Ratio est, quia quod propter reuerentiam Sacramenti est introductum, non debet ita obseruari vt in illius iniuriam, vel irreuerentiam vllo modo cedat. Ita Suarez *c.dist.69. sect.4. & disp.68.sect.6.* ConincK *3.p.quæst.80 art 10.num.83.* Viualdus *de Eucharist.num* 49. Quomodo autem cōputandus sit dies intra quem non licet bis communicare? Resp. à media nocte in mediam noctem esse computandum, vt habet Ecclesiæ vsus, sicut enim datur communio statim post mediam noctem, etiamsi homo ante paucas horas, aliquid comedisse, ita etiam dari potest, etiamsi cōmunicasset, Sacerdotes tamen in die Natiuitatis Domini possunt ter communicare celebrando, modò ablutionem digitorum, in prima, & secunda Missa non sumant, & hoc ex priuilegio & consuetudine Ecclesiæ. Vt habetur *in cap. Nocte Sancta, de Consecr. dist* 1. Vide Suarez, *tom.3.disp 80.sect.3.*

Suarez Coninc Viualdus

22 Licitum est qualibet diei hora communicare, quamuis Sacerdos non possit post meridiem celebrare, modò suscipientes Eucharistiam sint ieiuni, licet enim frequentius soleat communio dari vsque ad meridiem, quia illud tempus est opportunius tamen nulla est lex, quæ ad hoc obliget, nec consuetudo hactenus ita introducta est vt præceptum induxerit: Non videtur tamen permittendum extra casum necessitatis & ratione scandali vitandi, vt aliquis communicet sub vesperis vel intempesta nocte, quia est cōtra communem consuetudinem, & praxim, & adest periculum scandali, cùm aliquis indicare possit Eucharistiam dari non ieiuno. Ita Azorius *tom.1.lib.10 cap.15.quæst.8.* Sà *v. Euchar. num.19.* Angelus *v. Euchar.3.num.35.* Fagundez *lib.3.præcept 3.c.7.n.13* Syluius *3.p. quæst.80.art.10.* Suarez *c.disp.69 sect.4.* Henriquez *lib.8.c.53.n.5.*

azorius angelus fagundez Syluius Suarez Henriq.

S V M M A R I V M.

23 *Qualis dispositio requiratur ex parte animæ ad communionem sacram sumenda.*

24 *An amenti, vel phrenetico, sit danda sacra communio in articulo mortis, & quid de energumeno.*

25 *Semifatui tempore Paschatis, & in articulo mortis, an sint ad communionem admittendi? Et quid dicendum de surdis & mutis à natiuitate.*

26 *Suscipiens sacram communionem, non debet habere conscientiam peccati mortalis.*

27 *Tenetur confiteri ante communionem, qui habet probabilem conscientiam peccati mortalis, vel qui dubitat se peccasse mortaliter, &c.*

28 *An teneatur ad confessionem, ante sumptionem Eucharistiæ, qui probabiliter credit se non peccasse mortaliter, vel confessum esse, &c.*

29 *Præceptum de præmittenda confessione sacramentali sūptioni Eucharistiæ, an sit nouum, & obliget semper.*

30 *Quæ necessitas sit sufficiens ad dignè sumendam Eucharistiam absque sacramentali confessione?*

31 *In quibus casibus possit quis communicare, non præmissa confessione, cum actu contritionis.*

32 *Sacerdos morti proximus non habens copiam confessarii, an possit se communicare præmissa contritione.*

33 *Parochus potest celebrare ad communicandum infirmum, præmissa contritione, si non habeat copiam confessarii.*

34 *Quanta loci distantia requiratur, inter pœnitentem, & confessarium, vt pœnitens dicatur non habere copiam confessarii.*

35 *In quibus casibus possit contingere penuria confessarii, quæ concurrere debet cum necessitate, vt conscius peccati mortalis, possit licitè communicare cum actu contritionis.*

36 *Habens casum reseruatum, an teneatur inferiori confiteri venialia, si sit communicaturus, & putet se tantummodò attritum.*

37 *An Sacramentum Eucharistiæ possit aliquando conferre primam gratiam homini attrito.*

38 *Qui communionem recipit, non præmissa confessione peccati mortalis, vel excommunicationis, an plura peccata committat.*

39 *Sacerdos qui vrgente necessitate celebrauit, non præmissa confessione peccati mortalis, an teneatur quamprimùm confiteri. Et quid dicendum de laico, qui suscepit Eucharistiam cum solo actu contritionis.*

40 *Sacram communionem recipiens, debet esse ieiunus, ieiunio naturali.*

41 *Quando dicatur frangi ieiunium naturale.*

42 *An frangat ieiunium naturale, qui deglutit aliquid sacchari, quod vespere ore acceperat.*

43 *An necesse sit, vt suscepturus Eucharistiam digesserit cibum, aut post cœnam dormierit.*

44 *Sacra communio, an possit dari infirmo non ieiuno existenti in articulo mortis.*

45 *Qui semel communicauit in articulo mortis non ieiunus, an possit iterum communicare non ieiunus per modum viatici.*

46 *An Sacerdoti sit licitum, Missam celebrare, non ieiuno ad communicandum infirmum pro viatico?* Refertur duplex sententia.

Qua hora Ecclesia incipiat diem, & quando eius præcepto debeat incipere ieiunium pro sumenda Eucharistia?

An consuetudo diuersa alicuius prouinciæ sumendi initium diei pro ieiunio, licitè seruari possit.

An à primo pulsu horæ duodecimæ designantis mediam noctem, debeat incipere ieiunium pro sumenda Eucharistia.

Quando plura sunt horologia, an liceat sequi quòd libueris in ordinando ieiunio pro sumptione Eucharistiæ. Et an in eadem nocte sequi liceat modò vnum, modò aliud horologium.

Dubitans an aliquid post mediam noctem deglutierit, an possit Eucharistiam sumere.

47 *Homo pollutus ex peccato mortali, an eodem die possit sacra communione refici, etiamsi de illo peccato mortali facta fuerit sacramentalis confessio.*

48 *Communio sub vtraque specie, non est per se mala; nec datur præceptum diuinum, laicos & Clericos non conficientes, obligans ad Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie sumendum.*

49 *Rect*

49 *Praeceptum Ecclesiæ est, vt omnes Christiani, præter Sacerdotes sacrificātes sub sola specie panis cōmunicēt.*

50 *Summus Pontifex potest vsum calicis ex legitima causa homini vel nationi concedere.*

51 *Sacerdotes quando possint non ieiuni sumere, & consecraare Eucharistiam.*

23 Communio Sacra cum debita dispositione ex parte animæ sumenda est, si fructibus eius frui velit, debet enim suscipiens esse baptizatus infidelis enim communicans materialiter tantùm,& nō sacramentaliter dicitur Eucharistiā recipere deinde requiritur fides, & intentio actualis aut virtualis, implicita, vel etiam habitualis suscipiendi hoc Sacramentum. Denique suscipiens debet esse in gratia, hoc est, vt nō habeat conscientiam peccati mortalis. Ratio prioris dispositionis requisitæ est, quia sine charactere baptismali nullus homo, quātumuis iustus, & contritus, potest dignè suscipere hoc Sacramentum, est enim baptismus ianua ad reliqua Sacramenta, & sicut qui non est genitus, nutriri non potest, ita qui non est regeneratus in Christo per Baptismum, non est capax huius spiritualis alimoniæ, ratio secundæ dispositionis, est quia sicut in ministro Sacramētorum requiritur intentio conficiendi Sacramenta ita in suscipiente requiritur intentio suscipiendi, vnde qui Eucharistiam reciperet ad famem expellendam, aut qui recipit hostiam nesciens illam esse consecratam, non recipit fructum Sacramenti, quia non habet intentionem recipiendi Sacramentum. Porrò ratio cur homo debeat esse in gratia, est quia tenetur ex præcepto diuino positiuo explicato à D. Paulo 1. Corinth. 11. probare seipsum, non tantùm, an sit in fide, & fiducia consequendi salutem per hoc Sacramentum, vt volunt hæretici, sed etiam, an probabiliter sit in gratia constitutus, vt in sequentibus dicitur. De his consulendi sunt D. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 7. *&* *q.* 80. *art* 4 Suarez 3. *p tom.* 3. *disp.* 14. *sect.* 2. *concl.* a *& disp* 66. *sect.* 1. Filliucius *tract.* 4. *c.* 7. *n.* 184 *& c.* 8. *n* 205. Fagundez *præcept.* 3. *lib.* 3. *cap.* 8. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 6. *p* 2. *& disp.* 4. *quæst.* 6. *p.* 1. Syluius 3. *p q.* 68 *art.* 7. *& quæst.* 80. *art.* 4. *q* 1. *& seq.* Rodriq *in Sum.* 1. *p. c.* 65. Henriq. *lib.* 8. *c.* 45. *n* 1. *&* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6 *& tr* 1. *c.* 6.

D. Thom. Suarez. Filliucius Fagundez. Bonacina. Syluius Rodriq. Henriq.

24 In articulo mortis potest Sacra communio administrari amenti vel phrenetico, si amentia vel phrenesis sit continua. modò antequam incideret in amentiā vel phrenesim petierit explicitè vel etiam implicitè Sacrā Eucharistiam. & non sit periculum vomitus vel alterius irreuerentiæ. Ratio est quia hic homo amens, vel phreneticus potuit peccare mortaliter, & in amentiam incidere tantum attritus. & nōdum perfectè contritus, vnde fieri potest, vt per Eucharistiam efficiatur contritus ex opere operato, & sic gratiā obtineat, & consequenter saluetur, Nec refert quòd necessitas dementati, uel phrenetici possit aliūde suppleri, v. g. per extremam unctionem, uel per absolutionem, contingere enim potest, ut neutrum horum Sacramentorum applicari possit: possit autem Eucharistia, ut si iā consecrata sit, & Diaconus adsit, nō autē Sacerdos. Imò quāuis Sacerdos adsit, qui illum absoluat, & ungat, nihilominus non est deneganda Eucharistia propter utilitatem, & fructum, qui ex ea percipi consueuit, quia infirmus habet ius ad Sacramenta, & Pastor non potest sine iniustitia, per se loquendo, denegare. Si tamen amentia non sit perpetua seu continua, expectandum esset donec infirmus dilucida haberet interualla, ut ei possit Sacra communio administrari, nisi necessitas superueniens aliter suaderet ita colligitur ex *c. quod in te. de pœnit. & remiss.* & tradunt D. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 9. Syluius *ibid.* Suarez *c. disp.* 69. *sect.* a Syluest *v. Euchar.* 3. *q* 5. Viguerius *de Euchar. vers.* 20. Reginald. *l.* 29. *n.* 79. Filiuc. *tr* 4. *c* 7. *n.* 187. Cathecism. Rom *tr. de Euchar.* Victor. *de Euch. q* 84. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *res.* 78 *& p.* 5. *tr.* 3. *res.* 46.

D. Thom. Syluius. Suarez. Syluester. Viguerius Reginald Filiucius. Victoria. Diana.

Certum nunc à Paulo V in suo Rituali limitata est hæc obligatio communicandi Amentes & Phreneticos ad eos tantum, *qui lucida habent internalla, & deuotionem ostendunt dum in eo statu manent* alias expresse Pontifex ait eos communicare non licere, quod prohibere pótuit ob sacramenti reuerentiam. Sicut etiam ibidem prohibet, ne quando infirmus communicare non potest, Sacramentum ad eum deferatur deuotionis tantum prætextu, quod antea Concilia, & iura permitebant. Nota tamen Pontificem in sua prohibitione de non communicandis amentibus, loqui tantum de anna communione, non autem de communione in articulo mortis, in quo iura, & concilia communionem concedunt etiam non habētibus actu lucida interualla, modò antea petierint, & nullum sit periculum irreuerentiæ.

Cum energumeno qui ita obsidetur à demone, ut priuetur omninò rationis usu, eandem seruanda sunt ac cum amentibus, si autem maneat compos sui potest prudentis arbitrio absque irreuerētiæ periculo communicare, quia nullo iure probatur huiusmodi obsessum, priuandum esse Sacramento Eucharistiæ, cuius ope à dæmonio potest liberari, uel certè iuuabitur homo, ut patientar, & cum fructu laborem suum sustineant. Ita D. Thō. *art.* 9. *ad.* 2. Sylu. *ibid.* Suar. *c. dub.* 4. Reginald. *t. n.* 80.

D. Thom. Suarez. Syluius Reginald.

25 Henriquez *lib.* 8. *cap.* 42. *num.* 2. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4 *quæst.* 6. *p.* 1. *num.* 7. Posseuin. *de communione cap* 6. *num.* 32. Diana *pars.* 2. *tract.* 14. *res* 79. Tempore Paschatis & in articulo mortis, habētes imperfectum rationis usum ut semifatui sunt admittendi ad sacram communionem, si nullum irreuerentiæ periculum adsit, quia hi tenentur præcepto Ecclesiastico, & nullo iure tempore præcepti deneganda est illis Eucharistia. Frequentius autem huiusmodi homines ad sacram synaxim admittere non decet, nisi quatenus prudentia dictauerit, & reuerentia Sacramēti postulauerit. Quamuis Sancius *in selectis disp.* 26. *n.* 5. *& disp.* 38. *num.* 9. doceat illa Eucharistiam ministrandam esse tuties quoties eam sibi ministrari postulauerint, quia si in Pascate, vel quando communicant, nullam committunt irreuerentiam, nec etiam committent, plures communicādo, cum tam homo suscipiens, quam Sacramentum susceptum semper vnum, & idem sint.

Henriq. Bonacina. posseuin. Diana

Sancius.

Sed quæres, an mutis, & surdis à natiuitate, capacibus ad cognoscendam malitiam peccati mortalis porrigenda sit Eucharistia; Resp. Affirmatiuè pro articulo mortis, si aliquam iudicentur reuerentiam concipere, si enim semifatuis negāda nō est, vt dictū est, quare mutis, & surdis erit deneganda, quis nō videt magis reuerenter, & deuotè ab his accipiendam esse sacram synaxim, quam ab illis: Aliis autē tēporibus an illis impertienda, remittendum est iudicio, & arbitrio prudentis confessarii. Vide I. Marcāt. *in res. past.* *t.* 4. *c.* 3. *q.* 1 *c.* *s.* 4. Dian. *p.* 5. *t* 6 *&* 7. Ratio est, quia licet tales homines distinctè edoceri, atque intelligere omnia non possint, quæ ad substantiam sacramentorū concurunt, sufficit tamen, si ad S. Eucharistiam accedant tanquam ad cibum non profanum, sed spiritualem, in animarum suarum salutem diuinitus institutum. Vnde Layman dicit posse his etiam Pascali tempore communio sacra administrari, *libro quinto tractatu quarto c.* 4. *nu.* 5. quia non est certum quòd tales, speciali Dei auxilio adiuti mysterii veritatem per exteriora signa non agnoscant, cum tales homines adulti, & rationis compotes ut salui fieri possint, secundum communiorem sententiam explicitè cognoscere debeant SS. Trinitatem, & filium Dei incarnatum, quæ tamen difficillimè exterioribus sine voce, ac scripto exprimi possunt.

Marchant. Diane.

26 Suscipiens Sacram communionem non debet habere conscientiam peccati mortalis, id est, non debet tantū effectum peccandi deponere, sed etiam de peccato dolere debet, in quantum a se commissum est, vnde maximè errant hæretici asserentes eò quemquam meliùs esse dispositum ad hanc communionem, quo magis eius conscientia peccatorum pondere grauatur, dummodo firmiter, & minimè hæsitanter credat, ea sibi peccata non esse imputanda, propter merita Christi Domini. Ratio illorū est, qui hoc Sacramentum, non solùm est, cibus animæ, sed etiam mendicantium, vt dicitur *Matth.* 6. *Non sani egent medico, sed qui male habent.* Sed hæc ratio falsa est, Sacramentum enim hoc est à Christo Domino institutum non ad tollenda peccata per excitationem fidei, sed ad nutriendam, & agendam gratiam, post remissionem peccatorum mortalium factam, per veram pœnitentiam confessionemque, & ad preseruandum à futuris peccatis, & sic medicina est præseruatiua, per maius augumentū gratiæ quam confert Bellarm. *l.* 4. *de Euch. c.* 18. *& l.* 1. *c.* 13. *&* 14. otiēn. *c.* 15. Reginald. *l.* 29. *n.* 98. Propterea dicendum est

Bellarmi. Reginald.

Rex

ex communi Catholicorum ſententia, peccatum eſſe mortale, & grauiſſimum ſacrilegium, cum conſcientia culpæ lethalis ad hoc Sacramentum accedere, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. ca. 7 & can. 11.* D. Thom. *e quæſt.* 80. *art.* 4. Syluius *ibidem quæſt.* 1. Suarez 3. *p. to. 3. diſp. 66. ſect.* 1. & multis Patribus ab ipſis citatis. Ratio eſt, 1. ponit obicem gratiæ Sacramentali 2. quia Euchariſtia eſt Sacramentum viuorum, & realiter continet Chriſtum Dominum per modum cibi ſpiritualis 3. quia falſum efficit Sacramenti ſignificationem, ſignificat enim Euchariſtia vnionem communicantis cum Chriſto capite, & cæteris membris per viuam fidem ſeu formatam charitate, hic autem cum ſit inimicus, ſimulat ſe amicum, & inſtar Iudæ oſculo filium hominis tradit.

D. Thom. Syluius. Suarez

Communicare autem indignè habet varios, & indeterminatos gradus malitiæ in indiuiduo, nam vnus indignè accedit ex ignorantia, alius ex inaduertentia, alius ex infirmitate v. g. metu, pudore &c. alius ex malitia, alius cum infidelitate, vt hæretici, qui hæreſim ſuam ſi occulãt, & credunt ſe merũ panem manducare, qui cæteris parib. grauiſſimè omnium videntur offendere, vt inſinuat D. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 5. *ad* 2.

D. Thom.

27 Qui habet probabilem conſcientiam peccati mortalis, tenetur, quantumcumque contritus ſibi videatur, præmittere confeſſionem Sacramentalem ſumptioni Euchariſtiæ, niſi eam prætermittat ob neceſſitatem communicandi, nec habeat copiã confeſſarii. Vt conſtat ex *Trid.* ibi. *Quare communicare volenti reuocãdum eſt in memoriã eius præceptum. Probet autem ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quamuis ſibi videtur contritus, abſque præmiſſa confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedat*, &c. & clarius *Canone* 11. id de fide ſtatuit *Declarat Sancta Synodus, illos, quos cõſcientia peccati mortalis grauat, quãtumcumq. etiã ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem, Si quis autem contrarium docere, vel aſſerere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus ſit.* Vnde pluſquã temerarius exiſtimandus eſſet, qui aſſereret non eſſe præmittendam confeſſionem ante ſumptionem Euchariſtiæ. Ita Rodriq *in Sum c.* 65. *n.* 1. Suarez *c. d.* 66. *ſect.* 3. Nauarr. *in Man. c.* 22. *n.* 10. Vaſq. 3 *p. to.* 3. *d.* 207. *n.* 22. Azor. *t.* 1. *lib.* 10. *cap.* 31. *q.* 2. Henriquez *l.* 8. *c.* 45. *lit. V.* & alii.

Rodriq. Suarez Nauarr. Vaſq. Azorius. Henriq.

An autem, qui dubitat ſe peccaſſe mortaliter vel alias conceſſum fuiſſe peccata mortalia à ſe commiſſa, teneatur confiteri ante communionem Reſ. illum qui æqualiter dubitat ſe mortaliter peccaſſe vel mortaliter peccatum confeſſum fuiſſe, ad confeſſionem teneri. Tum quia in dubio tutior pars eſt eligenda. Tum quia in tali caſu poteſt homo dici habere conſcientiam peccati, nam tale peccatum eſt in conſcientiam ſaltem dubiam. Tum quia homo tenetur conteri de tali peccato, ergo tenetur illud confiteri, quia in homine baptizato illud eſt neceſſarium contritionis obiectum eſt etiam neceſſarium confeſſionis obiectũ cùm illud nequeat remitti ſine ordine ad claues. Et multò magis obligandus eſt ad confeſſionem, qui magis propendet in hanc partem, vt credat ſe mortaliter peccaſſe vel mortale peccatum confeſſum non fuiſſe, quamuis habeat aliquam ſuſpicionem, vel formidem in oppoſitum, propter rationes ſupradictas. ita Suarez *de pœnit. diſp.* 22. *ſect.* 9. *n.* 1. Syluius *in Supplem. q.* 6. *art.* 4. *ad* 3. Clau. Reg. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. Nauarr. *cap.* 10. *num.* 7. Sanchez *lib.* 1. *mor. cap.* 10. *num.* 66. Bonacina *tom.* 1. *d.* 4. *quæſt.* 6. *p.* 1. *num.* 11. Præpoſitus *in Supplem. quæſt* 5. *dub.* 3. *num.* 117. Diana 4. *p tract.* 3. *reſ.* 5. Filliucius *tract.* 4. *n.* 210 & *tract.* 7. *n.* 108. & alii.

Suarez. Syluius. Nauar. Sanchez. Bonacina. Præpoſit. Diana. Filliucius.

28 Qui probabiliter credit ſe non conſenſiſſe alicui peccato mortali, vel ſe non peccaſſe mortaliter, vel ſe confeſſũ fuiſſe, vel confeſſionẽ fuiſſe validam, vel tales circumſtantias non eſſe confitendas, non tenetur ad confeſſionem ante ſumptionem Sacræ communionis, etiamſi fortè probabilius ſit, ſe conſenſiſſe, vel peccaſſe mortaliter &c. Ratio eſt. quia homo rebus practicis poteſt ſequi opinionẽ probabilem, non obſtante contraria probabili vel etiã probabiliori, quando in rebus ipſis non iminet alioquod periculum: Ratò enim poteſt homo plenam certitudinem de rebus aſſequi, & ideò illud iudicium pro capacitate hominis cenſetur ſufficiens ad inferendam practicam certitudinem. Ita ex communi Doctorum ſententia Suar. *c. diſp* 22. *ſect.* 9. *n.* 6. Sanchez *l.* 1. *mor. c.* 9. *n.* 14. Henriq. *lib.* 5 *c.* 4. Diana *p* 2. *tract.* 13. *reſ.* 1. Malderus 1. 2. *q.* 19 *art.* 5. *diſp.* 86. & alii multi ab ipſis citati.

Suarez, Sanchez. Henriq. Diana. Malderus.

29 Præceptum de præmittenda confeſſione Sacramentali, ſumptioni Sanctiſsimæ Euchariſtiæ, poſitum in Conc. Trid. ab eo qui ſibi eſt conſcius peccati mortalis non eſt nouum, vt volunt Caiet. 3 *p. art. quæſt.* 80. *art.* 4. & *in Summ. v. Communio* Armilla *v. Communio num.* 1. & alii, ſed declarat antiquum, tum Eccleſiaſticum, tum etiã diuinum, ex Chriſti inſtitutione per Apoſtolos declarata Eccleſiæ. Quod autem hoc preceptum ſit poſitum à Chriſto, Prob. 1. ad Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*, & infra *Probet autem ſeipſum homo*, &c. quæ verba licet generalia ſint, & ſoli contritioni poſſint accommodari, tamen Eccleſiaſtica conſuetudo, vt ait Cõcilium Tridentinum *ſupra*, declarat fieri debere per præuiam confeſſionem Sacramentalem Confirmatur, quia hoc præceptum per vniuerſam Eccleſiam fuit obſeruatũ nec vllus reperitur Pontifex, aut Concilium, aut decretum, quo eius initium referri poſſit, ergo cenſendum eſt: eſſe iuris diuini. Vnde nullo modo poſt Concil. Trid. defendi poteſt ſententia Caietani, imò qui eam docet, prædicat, pertinaciter aſſerit, aut publicæ diſputando defendit ſi accedat præſumptio, excommunicationem incurrit, qui autem illam ſententiam teneret, licet malè faceret, nõ tamen incurreret excommunicationem, niſi aliquem ex actibus in Concilio prohibitis præſumpſerit exercere. Ex quibus ſequitur hoc præceptum vbique terrarum obligare omnes fideles, etiam vbi Concilium Trident. neque promulgatum eſt, neque receptum.

Caietanus Armilla.

Conc. Trid.

Petes autem, an liceat aliquando communicare non præmiſsa confeſſione peccati mortalis, cum ſolo actu contritionis. Reſpond. licere, modò adſit iuſta cauſa. Ratio prioris eſt quia eſt præceptum poſitiuũ, & quoad partem affirmatiuam nempe, *Confitere*, non obligat pro ſemper, quoad partẽ negatiuã, videlicet, *ne communices ſine confeſſione*, deſinit ſæpe obligare, cùm non ſit prohibitum, quia malum, ſed ideò malum quia prohibitum. Ratio poſteriori eſt, quia cùm ſit præceptum diuinum, non temerè debet omitti, niſi grauis cauſa excuſet, quando videlicet duo concurrunt, vt colligitur ex Conc. Trident. defectus confeſſarii, & urgens neceſſitas, nam ſi habeat copiam confeſſarii, cur non confiteatur ſi non vrget neceſſitas communicandi, aut celebrandi, cur prætermiſſo Chriſti mandato hoc faciat Vide Suarez, 3. *part tom.* 3. *diſp.* 66. *ſect.* 4. & 5. Syluium 3. *p quæſt.* 80. *art.* 4. *quæſit.* 1. Bonacinam *tom.* 1. *d.* 4. *quæſt.* 6. *part.* 1. *num.* 35. Reginaldum *lib.* 29. *num* 103 Valentiam *to.* 4. *diſp.* 6. *q.* 8 *part.* 3. Fagundez *præcept.* 3 *l.* 3 *cap.* 8. *num.* 3. Azorium *tom.* 1 *lib.* 10. *cap.* 31. Layman *lib.* 5. *tract* 4. *cap.* 6. *num.* 5. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 45. *n.* 3. *lit.* 1. qui omnes communiter docent quod ſolum hoc Sacramentum neceſſario, & ex præcepto diuino requirat hanc diſpoſitionem confeſſionis, nam ad reliqua Sacramenta ſatis eſt contritum accedere, niſi etiam ratione illorum cõmunio ſit accipienda, vt in Sacramento Ordinis.

Suarez Syluius. Bonacina Reginald. Valentia Fagundez. Azorius Layman. Henriq.

30 Neceſſitas, ob quam ſola interior pœnitentia abſq; Sacramentali confeſſione poteſt ſufficere ad dignè ſumendam Euchariſtiam, debet eſſe grauis, & talis quę reducatur ad ius diuinum, ſi ius tantum humanum eam inducat, cedet iuri diuino: quia res ſatis grauis eſt, prætermittere executionem cuiuſdam præcepti diuini, & in materia tam graui, vnde neceſſitas ſumendi Euchareſtiam in Paſchate, quam Eccleſiaſticum præceptum imponit. item neceſſitatis audiendi vel dicendi Miſſam in diebus feſtis, per ſe loquendo, ſecundũm probabiliorem ſententiam & ſequendam, Suarez *citat. diſp.* 66. *ſect.* 4. Fernandez *pa.* 3. *c.* 4 *§.* 8. *n.* 2. Syluius 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *quæſit.* 2. Filliuc. *tr.* 4. *cap.* 8. *n.* 217. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *nu.* 25. & 26. Coninch 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 4. *n.* 17. Layman *li.* 5. *tr.* 4. *cap.* 6. *num* 6. Caſpenſis *tract.* 22. *diſp.* 9. *ſect.* 2. *num.* 22. & aliorum, non eſt cauſa ſufficiens, vt conſcius peccati mortalis poſſit licitè communicare, vel Miſſam dicere, non præmiſſa confeſſione ſacramentali, niſi infamia vel ſcandalum adiungatur, vel Sacerdos aliunde obligetur Ratio

Suarez. Fernando Syluius Filliucius. Bonacina. Coninch. Layman Caſpenſis.

est, quia tunc Ecclesiasticum præceptum non potest impleri conuenienti modo, ergo excusatur homo ab obligatione seu transgressione illius, ergo cessante obligatione alterius præcepti, nulla superest sufficiens causa communicandi. Idem dicendum de præcepto audiendi Sacrum, quod per se non obligat ad Sacrum faciendum, & quamuis obligare possit eum, qui aliter audire non potest, tamen non cum tanto rigore, vt propter hanc causam sit Sacrum faciendum, etiam sine confessione præmissa.

Multò minus, excusabit commoditas, vt est consuetudo frequenter communicandi, vel si occurrat solemnissimus dies, vel si necesse sit sacrum facere pro anima purgatorii, quæ suffragiis indigere probabiliter creditur, vel spes habendi proximo quoque tempore confessarium magis notum, magísque idoneum. Ratio est, tum qui Tridentinum dicit, *necessitate vrgente*. Non ergo sola commoditas spectanda est, sed vera necessitas, tum quia non præsumitur adesse necessitas communicandi, & præceptum diuinum præmittendæ confessionis debet præualere actui, qui non est in præcepto. Vide Henriquez *lib.8. ca. 47. num.1.* Syluestrum *v. Euchar.2. num.10.* & multos alios, quos Diana citat, & sequitur, contrarium prædictis sentientes, ad mentem illorum non improbabiliter, eò quòd probabile putet ipse Diana *part.2. tract. 14. resol.63. 64.* præceptum de præmittenda confessione, esse tantùm iuris humani.

Henriq. Syluester Diana. Diana.

31 Casus necessitatis sufficientis, vt possit quia communicare non præmissa confessione, cum actu contritionis sunt. *Primus* articulus mortis, siue in eo constitutus ille sit qui conscius sibi peccati mortalis communicare vult, habens quidem copiam Eucharistiæ, non verò confessarii (puta si adsit tantùm Diaconus) & hæc est necessitas magna & maximè propria, siue etiam sit alius non ita sibi mortalis conscius, ad quem tamen communicandum oporteat facere Missam, quia necessitas alterius grauis est, & spiritualis, & vt propria reputanda est.

Secundus, casus est infamiæ, seu quando non potest quis omittere communionem sine graui infamia, quam nequit alia via vitare, hæc enim moraliter graue damnum existimatur, & non est verisimile, præceptum positiuum cum tanto rigore ac detrimento obligare.

Tertius est, scandali id est, quando sequeretur scandalū omittendo Missam vel communionem, tunc autem illud sequitur, quando aliis occasio præbetur iudicandi temerè de proximo, de eòque murmurandi, & consequenter ipsum infamandi, non item quando solummodò occasio datur admirationis, quòd consuetam cōmunionem omittat: sola enim admiratio non affert hac in parte aliquid nocumenti, neque est res magni momenti, nisi simul cum illa, vel scandalum, vel infamia coniuncta sit, quod tamen moraliter loquendo, sæpè accidere solet apud vulgus, & leues homines.

Quartus casus est, necessitas prosequendi Missam inchoatam, & si quidem sit post consecrationem, est certū apud omnes progrediendum esse ad communionem sine confessione, cum sola interiori pœnitentia, propter integritatem & perfectionem sacrificii, & ne sacrificium iam substantialiter inchoatum, interrumperetur: Si ante, tunc si missa non est inchoata, tenetur, si potest sine scandalo, confiteri, vel vocare Sacerdotem ad altare, si autem est inchoata, aduocet si commodè potest, sin minus potest prosequi & absoluere.

Quintus est, necessitas satisfaciendi suo officio, qualis reperitur in Parocho rusticano, qui tenetur celebrare diebus festis, & longiùs distat ab aliis Sacerdotibus: & hanc necessitatem maximè indicauit Concilium Tridentinum. Quidam Doctores hoc extendunt ad eos, qui celebrant ex onere Capellaniæ, vel ex indigentia stipis, vel eleemosynæ ad necessariam sui sustentationem. Ita Henriquez, *lib.8. de Euchar. cap.46. num.6.* & alii apud ipsum; verùm hæc necessitas ab aliis non probatur, quia ius stipis ad sustentationem præcisè sumptum, non est causa sufficienter excusans, & alioqui nimia licentia daretur Sacerdotibus ad celebrandum sine Confessione. Hi casus apud DD. certi sūt. De quibus consulendi sunt D. Thom. 3 *p. quæst.83. art.6. ad 2.* Syluius, 3. *p. quæst.80. art.4. quæsit.2.* Suarez, 3. *p. tom.3. disput.66. sect.4.* Valentia, *to.4. disp.6 q.8. punct.3.* Fagundez *præcept.3. lib.3. cap.9.* Filliucius *tract.4. cap.8. numer.214.* Bonacina *tom.1. disp.4. quæst.6. punct.1.* Layman *lib.5. tr. 4 cap.6. num.5.* Reginald. *lib.29. n.105.106.107.* Nauarr. *in Man. c.21. num49. & cap.25. n.76.* Toletus *in Summ. lib.6. cap.16. num.2.* Caspensis *tract.22. disp.9. sect 2. nu.20. & seq.* & alii.

D. Thom. Syluius. Suarez. Valentia fagundez

Filliucius. bonacina Layman. Reginald. Nauarr. Toletus Caspensis.

32 Sacerdos morti proximus non habens copiam confessarii, potest celebrare, vel etiam accedere ad Sacrarium sèque communicare præmissa contritione, quamuis nondum confessus sit, quia hæc est vera necessitas communicandi, vt docent Toletus, Sà, Valentia, *citati n. praced.*

Toletus Sà Valentia

33 Parochus non habens copiam confessarii, potest præmissa contritione celebrare ad communicandum infirmum, quia illa necessitas proximi in eo casu, ut propria reputanda est, iuxta illud, *diliges proximum tuum sicut teipsum*, id est non tantùm, quantùm, sed in eodem ordine ad salutem, modo tamen sit ieiunus, Ratio est, quia tunc dantur prædictæ duæ conditiones requisitæ ad celebrandum, & communicandum absque confessione, nēpe necessitas vrgens, & defectus copiæ confessarii. Ita Suarez *c. disp.66. sect.4.* Fagundez *præcept.3 lib.3. cap.9. num.4.* Reginaldus *l.29. n.105.* Valentia *c.* Bonacina *c. num.22.*

Suarez fagundez Reginald. Valentia bonacina

34 Arbitrio prudentis viri relinquitur diiudicandum, quanta loci distantia requiratur inter, pœnitentem, & confessarium, vt pœnitens dicatur non habere confessarii copiam, habita ratione circumstantiarum loci, temporis & personæ, potest enim per leucam, & magis vel minùs distare, nam vnus facile poterit conficere iter vnius leucæ, alter magna difficultate, & vnus potest ire sine nota, & scandalo, alter minimè, tandem vnus poterit ire semel, non iterum, vnde communiter illa distantia sufficit, quà ob difficultatem itineris, vel breuitatem temporis, vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum scandali, vel infamiæ, sacerdos non potest hic & nunc confessarium adire sine magno incommodo. Ita Coninck 3. *p. quæst.80. art.4 n.23.* Suarez *c. sect.4 §. Ex his igitur.* Fagundez *c. cap 9. n.44.* Reginaldus *c. num.107.*

Coninch. Suarez. fagundez Reginald.

35 Penuria confessarii quæ occurrere debet cum necessitate, vt conscius peccati mortalis possit licitè communicare cum actu contritionis, non præmissa confessione Sacramentali, contingere potest in sequentibus casibus. *Primò*, cùm verè non adest confessarius vllus. *Secundò* quando adest quidem Sacerdos, sed caret iurisdictione ordinaria vel delegata, vt Sacerdos nondum approbatus, vel etiamsi approbatus sit, tamen non habet adhuc vllam iurisdictionem, nec is qui confiteri debet, potest sibi eligere confessarium. *Tertiò*, quando etiamsi adsit confessarius habens iurisdictionem, pœnitens tamen rationabiliter timet graue damnum ex confessione, puta non seruaturū sigillum Sacramentale, solicitaturum ad malum, aut aliam grauem iniuriam sibi illaturum. Et quidem si omnium mortalium tale periculum timeatur, tunc omninò omitti potest confessio, si autem alicuius tantùm, vel aliquorum, illud vel illa omitti possunt, cæteris confessis. Reginaldus *c. n.118.* Filliucius *tr.4 n.212.* Bonacina *to.1. disp.4. quæst.6. punct.1. n.28. 29.* Suarez *c. disp.66. sect.4.*

Reginald. Filliucius. bonacina Suarez

Quarto, quando peccator habet casus reseruatus Superiori, quem adire non potest, nec obtinere facultatem, vt per alium absoluatur, potest communicare non confessus, si periculum videt scandali vel infamiæ nisi communicet. Ita Filliucius *c. n.213* Syluius 3. *p. quæst.80. art.4. quæst.2. & in supplem. quæst.20. art.2. quæsit.3.* Victoria *in Sum. n.79.* Diana *p.2. tract.14. resol.65.* probabiliter. Quibus adde Fagundez *præcept.3. lib.3. cap.9. n.17.* Quamuis iuxta aliorū sententiam, si alia peccata mortalia haberet, deberet confiteri inferiori confessario, qui ob vrgentem necessitatem ipsum absoluere potest, directè quidem à non reseruatis, indirectè autem à reseruatis, cum onere comparendi coram superiore oblata commoditate. Ita Valentia *tom.4. d. 7. quæst.11. p.1.* Suarez *tom.4. d.31. sect.3.* Nauarrus *in c. Consideret. §. Cautus num.10 dist.5. de pœnit.* Bonacina *tom.1. d.5. quæst.7. p.5. §.3. num.6.* & alii. Vide v. Casus reseruatus *n.16.17.* *Quinto*, si sine nota, vel detrimento spirituali aut temporali quis etiam præsenti non possit confiteri, puta, quia veniet confessarius in notitiam alicuius cōplicis, vel quia celebrans veniet in suspitionem alicuius peccati commissi apud videntes ipsum confiteri. Item quia

filliucius Syluius. Victoria Diana fagundez Valentia Suarez. Nauarrus bonacina

celebrans

celebrans habet inimicitias cum confessario, de quibus nō potest illi commodè confiteri &c. Alii huiusmodi casus de facto occurrere possunt, in quibus, etsi aliquis confessarius verè sit præsens aut adiri possit, censetur tamen moraliter absens, quia non expedit illi confiteri ob causas legitimè excusantes.

36 Quando communicaturus habens casum reseruatū putat se non contritum, sed tamen attritum, si non habeat aliud mortale non reseruatum, tenetur confiteri inferiori peccata venialia, vt hoc pacto saltem indirectè obtineat remissionem peccati mortalis reseruati, & sic fiat capax gratiæ sacramentalis, cùm non possit peccatum mortale reseruatum confiteri sacerdoti approbato habenti facultatē reseruatorum, licet enim non sit obligatio, per se loquendo, subiiciendi peccata venialia confessioni, per accidens tamen fieri potest, vt communicaturus ad illud teneatur, vt in nostro casu, si videlicet, velit sanctè tractare, quæ sancta sunt. Nam qui solam attritionem habet cognitam, cum conscientia peccati mortalis accedit, quia conscientia non dicit affectum, sed scientiam talis status: ille autem, qui sic est dispositus, scit se adhuc esse in peccato mortali, & ideò vt dignè accedat, & fiat de attritio contritus, tenetur venialia confiteri. Vidè Suarez *3.p.tom.3.disp.66.sect.4 & 5.* Coninck *de pœnit.disp.8.dub.1.n.*106. Bonacinam *c.n.*31. Reginaldum *c.n.*103. & alios.

Suarez
Coninck
Bonacina
Reginald.

37 Qui præmisso examine conscientiæ credit se esse in statu gratiæ, cum reipsà peccatum mortale habeat quod inuincibiliter ignorat, si actum contritionis vel saltem attritionis supernaturalis eliciat, communicando, recipiet fructum & effectum Sacramenti, & remissionem istius peccati mortalis: Ratio est, quamuis hoc Sacramentum per se primò non sit institutum à Christo Domino ad conferēdam primam gratiam, sed ad conferendum augmentū illius, tamen interdum illam confert, & peccatum mortale remittit ac delet, modò non ponatur obex ad gratiam, & accedat simul bona fides, quæ per se loquendo in hoc consistit, vt quis ignoret statum suum, & existimet se in gratia accedere, ac denique non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo non existimet sufficientem se pœnitentiam egisse. Ex quo infertur, eum, qui cum attritione cognita communicat, peccare mortaliter, quia indignè manducat & consequenter non potest recipere effectum gratiæ dandum in termino manducationis, nam posuit obicem, illum autem, qui cum contritione existimata, vel cum attritione cognita, quam putat ex ignorantia inuincibili sufficere, accedit, recipere effectum. Nam bona fides excusat à peccato & consequenter non ponit obicem in ipsa manducatione, quare recipiet effectum, quem per accidens, conferunt Sacramenta viuorum, remissionis videlicet mortalium, & primæ gratiæ Ita D. Thom. *3.p.q.79. art.3.* Syluius *ibid.* Suarez *3.part.tom.3.disp.63.sect.2.* Toletus *lib.2.cap.29.in Sum.* Victoria *in Sum.n.76.* Henriq. *lib.8.c.45.n.2.* Fagundez *præcept.3.lib.4.c.2.* Fillucius *tract.4.num.230.* Reginaldus *c.num.109.* Syluester *v.Euchar.3.num.16.* Bonacina *c.num.32.* P. Soto *lect.12. de Euchar.* & alij communiter.

D. Thom.
Syluius
Suarez
Toletus
Victoria
Henriquez
Fagundez
Fillucius.
Reginald.
Syluest.
Bonacina
Sotus.

38 Qui Sacram communionem recipit non præmissâ confessione peccati mortalis, si hæc tantùm obligabat in ordine ad communionem, vnum peccatum committit, quia vbi est vnum propter aliud, est vnum tantum, licet enim præceptum sit datum de confessione ante Eucharistiam vel ante Missæ sacrificium facienda, id ideò est, vt dignè & idoneè præparati, tantū Sacramentū sumamus, aut ad tantum sacrificium accedamus, ergo qui sumit, vel qui sacrificat in peccato mortali cùm confessus ante non sit, in eo solo peccat, quòd sacrilegium admittit, indignè accedēs ad Sacramentum, vel sacrificium. Azorius *tom.1.l.10.c.31.q.10.* Nugnus *3.p.q.80.art.4.difficul.3.* Diana *p.2.tract.14.res.24.* Bonac. *c.n.33.* Nec his obstat, quòd duo præcepta frangantur, non *n.* ob præceptorum numerum peccata multiplicantur, sed ob diuersitatem præceptorum ad diuersas virtutes pertinentium, hic autem vnum præceptum propter aliud constituitur, ergo vnius tantùm est præcepti violatio. Secùs dicendum esset si alio titulo teneatur confiteri, tunc enim duplex peccatum committit, vnum omissionis contra præceptum confessionis, alterum commissionis, per indignā Eucharistiæ sumptionē. Excōmunicatus autem duplex peccatum committere, si non præmissa confessione, Eucharistiam sumeret, sciens se teneri vinculo peccati, & censuræ, qui facit contra religionem, & contra obligationem censuræ, & hæ obligationes videtur esse distinctæ rationis, & proinde vtraque circumstantia aperienda esset in confessione. Ita Henriq. *l.5.c.7.n.2.* Suarez *3.p.tom.3.disp.66 sect.1.concl.1.*

Azorius.
Nugnus
Diana
Bonacina

Henriq.
Suarez.

39 Sacerdos qui vrgente necessitate celebrauit, non præmissa confessione peccati mortalis, tenetur quamprimum confiteri virtute præcepti in Tridentino *sess.13 cap.7.* positi Sed est difficultate quomodo intelligenda sint verba illa Concilii, *Quamprimum.* Quidam Doctores putant illico finita Missa Sacerdotem astrictum esse confiteri per dicta verba Concilii. Ita Sancius *in selectis disp.32. num.14.* Henriq. *lib.8.cap.45.n.4.* Alii verba illa *quamprimum*, id est, intra triduum exponunt quia dicitur quamprimum, & incontinenter fieri, quod intra triduum fit. ita Sanchez *de matrim disp.51.lib.1.num.14.* Coninch. *de Sacrament.disp.23. dub.2.num.6.* Hæc opinio mihi placet quia benigna. Quamuis grauissimi authores benignorum sententiam sint amplexati, asserentes, satis esse, pro adimplendo præcepto Concilii si Sacerdos, qui sic celebrauit, confiteatur suo tempore, nempe ante aliam celebrationē & sic illud *quamprimum*, exponunt, cùm primum iterum celebrauerit ita Fagundez *præcept.3.l.3.c.8.n.9.* P. Binsfeldius *in Enchir.Theol.pastor.c.6.§.9.concl.6.* Et hæc sententia admittitur tanquam probabilis à Diana *p.2.tr.14.res.60.* An autem talis sit, peritorum iudicio relinquo discutiendam.

Sancius.
Henriq.
Sanchez.
Coninch
Fagundez
P. Binsf.
Diana.

Præceptum verò Concilii quamprimum confitendi, an extendatur ad laicos, qui sine præmissa confessione Eucharistiam in necessitate sumpserunt dicendum est quod non. Quia, inquit Suarez, obligatio legis positiuè, non est amplius extendenda quam verba eius in sua proprietate intellecta requirant, Sed cùm Tridentinum non faciat mentionem laicorum, sed Sacerdotis celebrantis in necessitate sine præuia confessione, ergo hæc obligatio ad illos non est extendenda. ita Suarez *c.disp.66.sect.7.* Diana *part.2.tract.4 res.60.* Bonacina *tom.1.disp.4.quæst.6.punct.1.nu.37.* Reginaldus *c.num.110* Syluius *3 p.quæst.80.art.4.quæst.2.* Contra Nauarrum *cap.2.nu.10.* Azorium *tom.1.l.10 c.31.quæst.9.* & alios, voluntariè enim dicunt, quod si Concilium de laicis interrogatum fuisset, idem respondisset. Vnde consequenter est dicendum, quod hoc præcepto statim confitendi post celebrationem, cum præmissa confessione, non ligatur Sacerdos, qui ex sua malitia celebrauit in peccato mortali, vel cū ignorantia peccati mortalis, cuius ante celebrationem, vel in ipsa celebratione non meminit, sed post celebrationem, vel si Sacerdos vrgente necessitate, communicet more laicorum absq. præmissa confessione mortalium, & hęc præcipua ratio est, quia hi casus non exprimuntur in Tridentino, & nemo dicit de hoc esse præceptum diuinum. Vide Suarez *c.sect.7.& 8.* Layman *lib.5.tract.4.cap.6 num.7.* Fillucius *tr.4.num.223.* Coninch. *quæst.80.art.4 num.25* Dianam *p.2.tract.14.res.61.* Syluium *c.q.2.* qui prædictis consentit, præterquam in illo, qui ex malitia celebrat non confessus, per argumentum à minori, quod scilicet teneatur statim confiteri, sicut, & is qui in ipso sacrificio mortaliter peccaret ante communionem.

Suarez.
Diana
Bonacina
Reginald.
Syluius.
Nauarr.
Azorius

Suarez
Layman
Fillucius
Coninch.
Diana
Syluius

40 Ad Sacram communionem recipiendam iure Ecclesiastico *cap.liquido, de consecrat.dist.2.* requiritur aliqua dispositio ex parte corporis, nempe, vt suscepturus Eucharistiam sit ieiunus, à media nocte, ieiuno non tantum Ecclesiastico, verum etiam naturali: ieiunium autem naturale importat abstinentiam à qualibet re etiā modica cōmestibili per modū cibi, aut potius, aut medicinæ vnde peccatū mortale est, eo die communicare, post aquæ, vel alicuius alterius, etiam in minima quantitate, sumptionem, nec refert vtrum id quod sumitur nutriat, vel non nutriat sed videndū, an ab exteriori imponatur ori, & vitali actione degluriatur, seu in stomachum traiiciatur, hoc enim est quod per modum cibi, potus aut medicinæ sumitur, & soluit ieiunium naturæ, nec parum hic pro nihilo reputatur; quia illud parum seuerè prohibetur ab Ecclesia sumi ante communionem. Ita ex communi D. Thom. *3.part.q.80. art.8.* Sylu. *ibid.* Suar. *tom.3.d.68.sect.3.& 4.* Rodriq. *in Sum.*

D. Thom.
Syluius
Rodriq.

D. Anton. Toletus Layman. Diana

n Sum.cap.66.num.1. D. Antonin. *3.p.tit.13. c.6.§.8.* Toletus *lib.2.cap.28.num.6.* Layman *c num.18.* Diana *part.5. tract.5.res.122.* & alii. Et hoc est definitum, in Concil. Carthaginensi, & habetur *de consecratione dist 1. cap. Sacramenta, & cap. ex parte, de celebratione Missarum.*

Lugo

Ad maiorem tamen dictorum intelligentiam notandũ est quòd cibus & potus dupliciter consideretur, vel secundùm materiam, vel secundùm formam. Materia est id, quod assumitur ad manducandum, vel bibendum. Forma verò est illa actio comestiua, & potatiua; quæ dicitur forma, quia facit quòd materia, sit in actu exercito cibus, & potus. Requiritur autem tam materia, quàm forma, vt aliquid dicatur sumi per modum cibi, aut potus, quia si altera deficiat, non erit nec cibus, nec potus, vt inter alios annotauit Ioannes de Lugo *de Sacr. Euchar. disp.15. sect.2. nu.28.* Qui auctor ponit regulam vniuersalem, quòd quæ non alterantur in stomacho, non soluant ieiunium naturale, addit tamen hoc esse intelligendum de eo, quod ex natura sua non est alterabile à stomacho humano, nam si per accidens non possit alterari, si sumatur, violabit ieiunium naturale. Verùm Pasqualigus *in decis. moral. decis.314.* censet non debere includi intra terminos cibi quidquid quocumque modo est alterabile, aliqua enim possunt alterari, nec tamen habentur pro cibo, vt sunt aliqua venena quæ non sortiuntur suum effectum, nisi in stomacho alterentur, vnde existimat, vt id solùm frangat ieiunium naturale, quod moraliter habetur pro cibo humano, & hoc totum metiendum esse secundùm moralem existimationem, cùm enim ieiunium essentialiter sit abstinentia à cibo, fit vt quamdiu saluatur totaliter hæc abstinentia, saluetur etiam naturale ieiunium. Sed contra illum sentiunt omnes qui putant etiam per non comestibilia solui naturale ieiunium, vt videbitur *infra*.

Pasqualig.

41 Si quis per modum saliuæ aliquid traiicit, vt si os abluendo parum aquę præter intentionem trasmittat ad stomachum, per modum saliuæ, aut etiam casu traiiciat reliquias cibi, quæ hesterno die dentibus adhæserunt, aut deglutiat sanguinem ex gingiua, vel ex capite in os descendentem, aut aliquas pluuiæ guttas inaduertenter recipiat in stomachũ, aut per modum respirationis attrahat parũ terræ aut pulueris, &c. aut cùm iusculum degustando aliquid contra voluntatem deglutierit, aut respirando, bestiolam ore hauriat & casu deglutiat, non dicitur frangere ieiunium naturale, quia nihil sumit per modum cibi, aut potus, aut medicinæ D. Thom. *c. art.8.* Syluius *ibid.* Suarez *c. d.68. sect.4.* Syluester *v. Euchar. 3 num.8.* Nauarrus *in Man. cap.21. num.53.* Coninck *quest.80. art.8. n.46.* Reginaldus *lib.29. n 119.* Vasquez *3 p. tom.3. disp.211. cap.3. num.31.* Præposit. *3.p. quest.80. art.8. dub.1. nu.40.* Diana *part.5. tract.3. res.1.* Solueretur autem ieiunium per tabaci sumptionem, si os intret, & deglutiatur, aliàs nõ, quia est medicina, vt ait Diana. Item si reliquiæ cibi voluntariè & ex industria deglutiantur, quia tunc videntur traiici modum cibi, nec refert quòd non sumatur quicquam eodem die ab extrinseco, satis enim est, quod antea sic sumptum fuerit, est quodammodò pars præcedentis esectionis. Ita communiter Doctores hic citati. Aduerte tamen contrariam sententiam; docere Tabienam, *verb. Communicare §. 49.* qui concedit, id quod præterito die intra os sumptum est, etiamsi data opera deglutiatur in sequente, non soluere ieiunium naturæ, neque impedire perceptionem Eucharistiæ, quia inquit, ad hoc opus est sumptione alicuius rei exterioris, quæ fit eodem die. Hanc sententiam, probabilem vocat Diana *part. 2. tractat. 14. resol.51. & part.4. tract.4. resol.104.* qui refert Tannerum *tom.4 disp.5 quest.8. dub.4. num.79.* idem sentientem, sed ego in Tannero hoc non reperi. Cum Tabiena tamen sentiunt Henriquez *lib.8. cap.50. num.4.* Pasqualigus *decis. 322. num.4.* & alii ab ipso citati, & nouissimè Bauny in *Theolog. moral. part.1. tract.10. quest.22.*

D. Thom. Suarez. Syluester Nauarrus. Coninch. Reginald. Vasquez Diana

Tabiena

Diana Tannerus tannero Tabiena Henriq. Pasqualig.

42 Qui transacta media nocte deglutit aliquid sacchari quod vesperi ore acceperat, vel qui medicinam ore sumit, vel qui papyrum edendo traiicit in stomachum, quamuis illa postea euomat, frangit ieiunium naturale, nec potest eo die communicare, quia esset vera comestio vel bibitio, scilicet traiectio cibi vel potus in stomacum, propria, & per se actione vitali. Ita Suarez *c sect 4.* Syluius *c. art.8.* Azorius *tom.1. lib.10. cap.20. quest.2.* Henriquez *libro 8. capite 49. numero 2. capite 50.* Reginaldus *lib.29. num.118 119.* contra Summam Coronam *part 4. cap.4. numer. 65.* Dianam *part.2. tract.14 res 52. & part.3. tract.4 res. 38.* De la Crux *in direct. de Euchar. quest.5. d.4. concl.2.* cuius uerba sunt, qui comedit modicum papyri, aut aliquid simile, non habens rationem cibi aut medicinæ potest iuxta sententiam probabilem sumere Eucharistiam, quorum sentẽtiam putat Henriquez falsam, quia assumi per modum cibi vel potus, solùm distinguitur ab eo, quod est assumi per modum saliuæ, atque ideò quæcumque res exterior est ad hoc impedimentum; aliàs enim si medicina esset nociua, non esset impedimentum. Hæc sententia est tenenda. Quamuis non desint rationes pro contraria, & quidem à priori ratio est, quia ieiunio naturali opponitur tantùm cibus, & potus tanquam id per quod soluitur, vnde quidquid transglutiatur, & descendat in stomachum, quod ex natura sua non sit cibus aut potus; non contrariatur ieiunio, nec illud soluit. Sic papyrus ex natura sua non est cibus, ideò non soluit ieiunium. Tum quia etiamsi papyrus esset alterabilis & per accidens nutriret, sufficit, quod ex natura sua non ordinetur in cibum præsertim hominis, vnde non potest dici sumi per modum cibi. Ita etiam pro hac sententia, Sancius *in selectis disp.42. num.23.* Pasqualigus *c. decis.312.* quorum rationes faciunt hanc opinionem probabilem.

Suarez. Syluius Azorius Henriq. Reginald. Diana.

Sancius pasqualig.

43 Qui suscepturus est Eucharistiam, non est necesse vt digesserit cibum, aut post cœnam dormierit, quia hoc nullo iure cautum est, & aliquis potest dici ieiunus à media nocte, quamuis cibum non digesserit, deuotio tamen & reuerentia tanto Sacramento debita exigit, vt sacer ille cibus, prophano, communique cibo non facilè misceatur, propterea etiam conuenit, non statum sumere prophanam escam post sacram, vt magis conseruetur spiritualis deuotio, & erga Sacramentum reuerentia, non tamen est præscriptum aliquod interuallum, nam rigor antiquus *de cons. dist 2. cap. Tribus gradibus,* iam olim est abrogatus, vt D. Thomas *3.p. quest.80. art.8. ad 5.* Syluius *ibid.* monet. Vide Reginaldum *lib.29. num.119.* Filliucium *tract.4. nu.237.* Suarez *c. disp 68. sect.4.* Nauarrum *in Man. cap.21. n.53.*

D. Thom. Syluius. Reginald. Suarez. Nauarr.

44 Sacra communio potest dari infirmo non ieiuno existent, in articulo mortis per modum Viatici, quando non potest commodè expectari tempus, ut possit ieiuno administrari Nauarrus *in Man. cap.21 n.53.* Filliucius *tract. 4. c.8 q.11. n.238.* quia hoc priuilegium est concessum infirmo, *cap. liquido, cap. Sacramenta, de consecratione dist.2.* Deinde adest necessitas tam infirmi indigentis auxilio Eucharistiæ, quàm adimplendi præcepti diuini, quod obligat maximè in articulo mortis. Et hoc verum etiam in casu mortis violentæ, si communio commodè nequeat anticipari uel differri. Ratio est, quia valdè probabile est talem tunc teneri ex præcepto diuino communicare, quod maioris momenti est, quàm præceptum Ecclesiæ prohibentis non ieiunum communicare Ita Suarez *disp.68. sect 5.* Syluius, *c. art.8.* Coninch *q 80 art.8 n.50.* Layman *l.5. tract.4. c.6. n.20.* Diana *p.3. tract.6. res.59 & p.5. tract.3. res. 38. 33. & p.6. tr.6. res. 18.* qui in parte quatta suarum resolutionum *tr.4. res.197.* probabilissimum existimat, idem dicendum esse de illo, qui mane sumpsit Eucharistiam & post prandium incidit in periculum mortis, hic enim in tali casu, potest iterum non ieiunus Eucharistiam sumere, iuxta opinionem illorum, qui asserunt, non satisfieri præcepto diuino, per communionem factam ante articulum mortis, quamuis paulò antea factam. Ratio est, quia præceptum communicandi in articulo mortis, cui non est satisfactum communione ante periculum facta, est diuinum, & maioris ponderis, quam prohibitio Ecclesiastica non communicandi in eodem die, nisi semel, & ieiunus. Huic sententiæ subscripserunt Gaspar. Hurtado *de Euchar. disp.10 difsic. 2.* & plores grauissimi uiri Academiæ Complutensis, & Salmanticensis nouissimè Bresserus *de consc. libr.3. capite 8. numer. 100.*

Filliucius

Suarez Syluius. Layman Diana

Hurtado.

45 Infirmus qui semel communicauit per modum uiatici non ieiunus, iuxta probabiliorem sententiam Suarez *c. disp.68. sect.5.* Reginaldus *lib.29. nu.120.* Henriquez *l.8. c.50. num. 1.* Filliucius *tract.4. n. 238.* Diana *p 2. tract. 14. res.75.77. & p.3. tract.4. res.44.* Syluius *3.p q.80. art.8* & aliorum post sex, septem, octo uel decem dies potest iterum nõ

Suarez Reginald. Henriq. Filliucius Diana. Syluius.

ieiu

ieiunus communicare per modum viatici. Tum quia Concilium Constantiense concedens vt infirmus non ieiunus communicare possit, non restrinxit concessionem ad vnam vicem, cum in secunda & tertia vice adsit eadem necessitas, quæ in prima. Tum quia credibile non est, piam matrem Ecclesiam velle infirmum priuare tot commodis & fructibus, quibus indiget infirmus in statu mortis constitutus. Imò Layman *lib. 5. tract. 4. c. 5. nu. 20.* plus addit. Eucharistia, inquit, ob mortis periculum si sumpta sit à nõ ieiuno, posse iterum accipi, saltem post sex dierum interuallum, docent aliqui: quinimò existimo ob iustam causã, puta, si aliquis assuetus frequenter, communicare, aut sacrificare propter deuotionem, ac desiderium difficilè abstineat, permitti ipsi posse, vt altero statim die iterum Sacrã Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus, dũmodò mortis periculum instare videatur. Hæc ille. Quidquid in contrarium doceant Vasquez *3. p. tom. 3. disp.* 211. *cap. 4. n. 38.* De la Crux *in direct. de Euchar. q. 5. d. 4.*

Vasquez
De la Crux

Imò Gaspar Hurtado *disp. 9. diffic. 16.* nixus authoritate Concilii Constantiensis *sess. 13.* vbi dicitur: *Sacrorum Canonum authoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit & seruat, vt hoc Sacramentum non possit recipi à non ieiunis, nisi in casu infirmitatis,* (subintellige periculosæ) *aut alius necessitatis à iure, vel ab Ecclesia concesso vel admisso,* docet generatim ab infirmis non ieiunis, posse Eucharistiam toties sumi, quoties à sanis ieiunis, quòd ab hac lege in Concil. excipiantur infirmi, sine vlla limitatione. Sed hoc intelligerem, semper per modum Viatici, & perseuerante mortis periculo. Verum in hoc pro firma, & secura regula, sequenda est praxis & consuetudo fidelium ne scandalum generetur.

46 Licere Sacerdoti Missam celebrare non ieiuno ad communicãdum seipsum infirmum, vel alium qui alioqui sine Viatico discessurus est è vita, & maximè si moriens nõ possit recipere aliud Sacramentum, cessante scandalo, sententia affirmans probabilitate non caret: tùm quia à pari potest consecrare sine confessione præmissa; tum quia communio est de iure diuino, ieiunium de Ecclesiastico, ergo illa præualebit. Ita Maior *4. d. 9. q. 3.* Philiarch. *de offic. Sacer. t. 1. p. 1. l. 2. c. 2. per totum & probabilem vocant* Fill. *tr. 4. n. 242.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n.* 21. Diana *p. 3. tr. 4. ref. 33. & p. 5. tr. 3 ref. 55. 36.* Sed cõmunis opinio est negans, tum quia maior est habenda ratio reuerentiæ & dignitatis Sacramenti, quàm necessitatis proximi aliqualis, tunc enim ipse excusatur à præcepto, cùm non sit, qui possit ritè dare. Tum quia non est vsu receptum, vt Sacerdos non ieiunus celebret ad communicandum infirmum, sed potiùs in cõtrarium est consuetudo Ecclesiæ. Ita Suarez *c. d. 68 sect. 5.* Syluius *3. p. q. 80. a. 8.* Victoria *de Sacr. n. 83.* Valent. *to 4. d. 6. q. 8. pun. 3.* Nau. *c. 21. n. 53.* Regin. *l. 29. n. 121.* & alii.

Maior
philiarch
fillutius.
Layman
Diana

Suarez.
Syluius
Victoria.
Valentia
Nauarrus
Reginald.

Sed occurrunt nonnullæ dubitatiunculæ breuiter resoluendæ circa tempus ieiunii naturalis pro sumenda Eucharistia, vnde. Petes *Primo*, quando Ecclesia incipiat diẽ & quando ex eius præcepto debeat incipere ieiunium pro sumenda Eucharistia? Resp. Ecclesiã incipere diem à media nocte, & ducere in aliam mediam noctem subsequentem, ideò autem incipit à media nocte, quia tunc Sol incipit ascendere ad nostrum Orizõtem, vnde præceptum ieiunii naturalis in ordine ad sumptionẽ Eucharistiæ pro illa die, in qua est sumenda, debet consequenter incipere à media nocte antecedente, quia tunc incipit dies, in qua est sumẽda, & hoc præceptum obligat totã Ecclesiam. Ita D. Thomas *3. part. q. 80. art. 8. ad 5.* & alii communiter.

D. Toms

Sed quid dicendum de regionibus, in quibus per sex mẽses anni est perpetua nox, aut cõtinuus dies? Resp. cum Pasqualig *in d. moral. d.* 336. præceptum esse seruandũ secundũ capacitatẽ consuetudinis illius regionis, sed quia in nostris regionib in media nocte absoluuntur cõmuniter quæ spectãt ad illũ diem, & præsertim comestio, & corpus traditur quieti, & ideo Ecclesia præcipit seruandum ieiunium à media nocte; vnde in illis regionibus tam quando durat perpetuus dies, quã perpetua nox, necesse est, quòd habeant certos terminos, in quibus cessent ab operando, & tradant corpus somno, & quieti; erit ergo notandus ille terminus, in quo apud omnes regulariter loquendo solet incipere quies, & claudi vnica periodus operationum, quas solent exercere, & habẽdus pro termino mediæ noctis, in quo incipiat subsequens dies, seu noua periodus & ab ipso opus erit incipere ieiunium naturale pro sumptionem Euchar.

pasqualig.

Petes *Secundo*, an si in aliqua Prouincia esset diuersa consuetudo sumendi initium diei, posset licitè seruari in ordine ad ieiunium naturale seruandũ pro sumptione Eucharistiæ. Resp. standum esse consuetudini, si Ecclesiæ decreto sit recepta; Ecclesia potest declarare, immutare, restringere, & tollere propria præcepta. Ita Suarez. *3. p. tom. 3. disp. 68. sect. 4.* Sotus *4 dist. 12. q. 4. art. 8. ad 5.*

Suarez.
Sotus

Petes *Tertio*, an à primo pulsu horæ designantis mediã noctẽ, debeat incipere ieiunium pro Eucharistia sumenda Resp. Affirmatiuè, quia horologium est tantùm testis indicãs horam esse completam, & ideo quando auditur primus pulsus, iam est hora completa, mathematicè loquendo, & per accidens est, quòd alii subsequantur, quia nimirum non potest indicari complementum cuiuslibet horæ, vnico tantum pulsu, vnde si quis tunc bibat & continuet, etiamsi quando sonat vltimus pulsus finierit, non potest Eucharistiam sumere. Ita Sancius *in select. disp. 42. nu. 20.* Lugo *de Euchar. disp. 15. sect. 2. n. 37.* Diana *p. 3. tr. 4. ref. 36.* & alii penes ipsos. Quod tamen intelligendum est, modò pulsus horologii correspondeat motui solis.

Sancius.
lugo
Diana.

Verùm quia impossibile est, moraliter loquendo, ita mensurare hoc dimidium noctis, vt non contingat aliquis error circa aliquam exiguam partem temporis ante, vel post mediam noctem, quia est impossibile habere instrumenta ita perfecta, quæ exactè correspondeant motui solis Ergo erit impossibile obseruare præceptum ita exactè, vt statim à vera media nocte incipiat obseruãtia ipsius. Vnde puto (saluo meliori iudicio) cum Pasqualigo *dec. 338. n. 5.* in rebus moralibus mathematicè procedendum non esse, ita vt tempus mathematico modo mensurari debeat, sed sufficere, si moraliter mensuretur, ita vt in iis, quæ pertineat ad priorem vel subsequentem diem parum referat, si pro aliquo exiguo tempore anticipetur, vel postponatur vnde etiam parum referet, si ieiunium naturale incipiat paulò post à media nocte. Ratio est, quia Ecclesia non potest nos obligare, vt nos conformemus horologiis, quia hæc non sunt obuia vnicuiq; vt per ipsa possit se regulare, vt contingit in oppidis & villis, & etiam in ciuitatibus, quia non vbique per ciuitatem audiuntur pulsus horarũ. Tum quia in aliquibus regionibus, vt in Italia, medium noctis non designatur aliquo pulsu horarum, cùm, vt plurimum contingat infra spatium alicuius horæ. Vnde cùm eodem modo obseruandum sit præceptum ab omnibus, non tamẽ eodem modo mensurari potest tempus, in quo incipiat obligatio, & proindè impossibile est, sequi ductum horologii ad vnguem, & proinde nec obligabit præceptum ad sequendum ita exactè, vt nulla sit discrepantia ab ipso. Denique hic habet locum etiam paruitas materiæ, ratione cuius censeri potest non solum ieiunium naturale illius diei quia ad modicum initium ipsius protrahitur comestio præcedentis diei Vide Dianam *p. 6. tr. 6. ref. 34. & p. 7. tract. 11. ref. 15* Bressernin *de consc. l. 4. c. 11. n. 10.* Caramuel *in reg. D. Bened. d.* 101 *n.* 1328. qui nouissimus tres conclusiones ponit circa præcedentem doctrinam.

Pasqualig.

Diana
Bresserum
Caramuel

Prima, nullum horologium esse infallibile, ideò nullĩ necessariò standum esse. *Secunda*, omnia horologia habere vim opinionis probabilis, nisi ita exorbitent, vt eorum error clarè & euidenter cognoscatur. *Tertia*, horologia accurrata horæ quadrante à veritate deuiate, vnde infert quòd temerarius non erit, qui censuerit vrbis horologia, quæ à stolidis sæpius diriguntur, integro quadrante exorbitare. Ideò quadrante horæ antequam sonet duodecima incipit dies sequens probabiliter, & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrante postquam sonuerit hora. Qui in pago aut in eremo fuerit, vbi solùm vnum horologium bene regulatum, probabiliter potest credere illud plusquam horæ quadrante à veritate exorbitare.

Sed quid si Petrus haberet horologium exquisitissimũ mediæ noctis tempus præcisè indicans? Resp. adhuc in tali casu tempus non debere mathematicè, sed ciuiliter ac moraliter accipi. Dies notabiliter incepisse dicitur cùm eius octaua pars effluxit; nempe post mediam noctem hora tertia. Dies leuiter est inchoata cùm harum trium horarum effluxit quasi octaua pars, nempe hora 0. min. 22. sec. 30. Non puto præcepta politica, sine Ecclesiastica ea

sint, siue sæcularia, tam exactè posse tempus decernere, vt reus sit qui sublatis aliis inconuenientibus, opus præceptum differat vno quadrante, quia alias Ecclesia rebus faciendis mathematica tempora indiceret, non motalia, quod est contra vniuersorum opinionem. Ita Caramuel. Et hæc sententia facilè admittetur vt probabilis, ne dicam vt certa, ab his, qui in directione horologiorum sunt exercitati, ex praxi enim quotidiana animaduertunt horologia etiam exquisitissima propter variam intemperiem aëris, spatio quinque aut sex horarum, quadrante horæ à veritate deuiare. Nec mirum, si hæc horologia sint fallacia, cum pleraque solaria, quibus illa diriguntur, vt plurimum per quadrantem horæ à veritate deuient, vt ipsemet sæpè sæpius animaduerti.

Sancius
Diana
Lugo
Sanchez
Pasqualig.

Petes *Quarto*, an quando ad sunt plura horologia legia liceat sequi quod libuerit in ordinando ieiunio pro sumptione Eucharistiæ. Responsio est affirmatiua Sanc. *in select.d.42.n.*18. Dianæ *p.3.tract.4.res.*36. Lugo *de Euch.d.* 15 *sect.2.n.*45. Sanch. *de matrim.l.2.d.*41.*n.*40. & aliorum apud Pasqualig. *in decis.moral.decis* 339. quia horologia accipienda sunt tanquam testimonia testantia de tempore, & quia sicut testimonia singularia, vnū non facit factum magis probabile, quam faciat alterum, & proinde possūt sequi, si non constet de errore, quodcumq; illorū quod etiam verū est licet plura simul sonent, quia non per hoc dāt maiorem certitudinem de tempore, cùm experientia constet, quòd aliquando vnum magis accedit ad indicandum verū tempus, quàm plura simul, quia fieri potest, quòd ille, qui regulat illud, quod seorsim ab aliis sonat, habeat de tēpore cognitionem magis exactam, & proinde meliùs reguler.

Sed dubium est, an in eadem nocte possimus sequi modò vnum, modò aliud horologium? Resp. quòd sic, dummodo tamen facta prima electione, aut dies antecedens, aut subsequens non ponatur in possessione illius temporis quod mediat inter pulsationem vnius horologii, & pulsationem alterius. Et ideò qui eligit primum horologium, & manducauit carnes, quas antea non poterat manducare, iam incepit diem sequentem, qui est in possessione illius temporis, & ideò non potest incipere ad pulsationem alterius horologii ieiunium naturale pro sumenda Eucharistia, quia si tunc vellet incipere diem, tolleret possessionē illius temporis ab Ecclesia, ad quod habet ius pro exigendo ieiunio naturali, cùm iam sit receptum illud tempus pro parte sequentis diei. Plura de hoc dubio apud Lugo *disp.* 15. *de Euchar.sect.2.n.*46. *& sequent.*

Lugo

Petes *Quinto*, an dubitans an aliquid post mediam noctem deglutierit, possit Eucharistiam sumere, si dubium cadat supra comestionem? Alioqui negant, quia in dubio possessio est pro præcepto communicandi seruato ieiunio naturali. Ita Fagundez *precept.3. lib.3.cap.5. nu.*18. Sanchez citatus. Affirmatiua tamen sententia est tenenda. Ratio est, quia quamdiu manet dubius, an aliquid comederit non adest sufficiens ratio, cur debeat se priuare Eucharistia, cùm alioquin habeat ius ad illam sumendam, eatenus enim deberet se priuare, quatenus id exigeretur ex præcepto Eucharistiam esse primum cibum, hoc autem non exigitur stante dubio, an solutum fuerit ieiunium, quia exigentia certa non potest fundari in re incerta, vnde solū exigit, quando est certum, quòd ieiunium fuerit solutùm, quia tunc vrget obligatio præcepti, & antequam sit certum, non obligat, quia tantùm obligat eos abstinere, qui non sunt ieiuni. Stante tamen dubio speculatiuo de comestione, deponi debet dubium practicum, iudicans quòd hic & nunc sibi liceat suscipere Eucharistiam. Ita Sancius *in select.d.42.n.9.* Diana *p.3.tract.4.res.29.* Lugo *cit. disp.*15. *sect.2 num.*42. *&* 43. Layman *l.1.tract.1.cap.5.§.4.n.*36.

Fagundez
Sanchez

Sancius
Diana
Lugo
Layman

Sed quid iuris de illo, qui certus est quòd comederit, vel biberit, dubius verò an post mediam noctem, an ante, vtrum possit sumere Eucharistiam? Respondeo Doctores citatos pro secunda sententia in præcedenti casu, etiam in hoc affirmatiuæ sententiæ adhærere. Ratio est, quia in tali casu concurrit ius certum, quod vnusquisque habet sumendi quacumque die Eucharistiam, cum iure arcendi ab Eucharistia, quod habet Ecclesia ratione comestionis post mediam noctem, hoc autem ius Ecclesiæ seu debitum ex parte dubitantis est dubium; quia fundatur in eo, quòd comestio fuerit post mediam noctem; quod, cùm sit dubium, solùm potest fundare ius dubium, & debitum dubium. Concurrente autem iure dubio cum iure certo, aut debito dubio cum iure certo, debet certum dubio præferri etiam in foro externo iudiciali. Sic si quis debeat alicui cētum, & debitum sit certum, & solutio dubia, quia dubium sit, an soluerit, tenetur adhuc soluere.

Nec obstat, quòd in tali casu accedens ad Eucharistiam se exponat periculo accedendi non ieiunus, atque adeo peccandi. Præceptum enim prohibet solùm quod quis nō ieiunus accedat, non autem, quòd dubitans an sit ieiunus, non accedat, vnde cùm quisque habeat ius accedendi, eo ipso quòd sibi non constat soluisse ieiunium potest vti iure suo, nec vllo periculo peccandi se exponit, quia etiamsi non esset ieiunus, non peccaret, quia accedit bona fide, & cùm solutio ieiunii non sit certa, non habet à quo impediatur, cum sola certa solutio ieiunii possit impedire. Sed de his satis. Plura apud Doctores citatos & Pasqualigum *dec.*341. Caramuel *l.3.Theol.moral.n* 1350. *&* 1353.

Pasqualig.
Caramuel

47 Homo pollutus ex peccato mortali, non potest eodem die ad Sacram communionem accedere, etiamsi de illo peccato fuerit facta Sacramentalis confessio, & hoc sub peccato veniali, quia peccatum carnis non mediocriter abstrahere consueuit mentem à diuinis, nec permittere solet, vt Eucharistia sumatur cum ea deuotione, cum qua sumenda est. Sed hoc intelligendum est, nisi iusta rationabilis causa communicandi interuenerit, puta festum magnæ solemnitatis, aut ad euitandum scandalum, aut si cōmunio commodè differri nequeat in sequentem diem. Ita D. Thom. 3.*p.q.*80. *art.*7. Syluius *ibid.* Suarez 3.*p. tom.*3. *disp.*68.*sect.*2. *& disp.*66.*se.*8. Sanchez *de matr.l.9 disp.*13. Reginaldus *l.*29.*n.* 117. Diana *p.3. tract. 4. res.*30. Et hanc sententiam communiter viri perfectionem vitæ sectantes suadent. Quamuis quidam excusent à peccato, etiam veniali, talem accedentem ad communionem, eo quòd nullus adsit textus hoc prohibens, cùm peccatum carnis non magis repugnet sumptioni Eucharistiæ, quàm repugnet hæresis vel aliud peccatum, modò priùs per confessionem deletum sit. Ita Azorius *tom.1.l.10.c.31.q.vlt.* Nauarr. *in Man.cap* 21.*n.*31. Coninck 3.*p.quæst.*80.*art.7.n* 42. Sancius *in select.disp.*23.*nu.*30. Fatentur tamen omnes abstinendum esse ab Eucharistia, saltem ex decentia.

D. Thom.
Syluius
Suarez
Sanchez
Reginald.
Diana

Azorius
Nauarrus
Coninck
Sancius

Quando autem pollutio prouenit ex causa tantùm veniali, certum est solummodò impedire communionem ex congruentia; Si verò pollutio sit merè naturalis contingens absque peccato, non est quidem de se impedimentum sumendi Eucharistiam, ratione tamen effectuum, qui in homine manent post illam, posses esse impedimentum, vt est fœditas corporis ob indecentiam immunditiei vasia, in quo Cœleste hoc ferculum excipitur, & distractio mentis ob indeuotionem, nō esset tamen peccatum mortale cum his impedimentis communicare. Imò cùm pollutio deprehenditur ex Dæmonis illusione prouenire, contemnenda est. Quę dicta sunt de pollutione, intelligenda sunt etiam de actu coniugali, qui potest esse, vel peccatum mortale, cùm quis cognoscit suam tanquam alienam, vel veniale, vt cùm quis cognoscit suam præcipuè ob voluptatem carnalem, vel etiam nullum, vt cùm eandem cognoscit tantùm causa prolis, vel ad reddendum debitum. Vide præter Doctores hic citatos Valentiam *tom.4. disp 6. quæst.8. p 3.* Rodriq. *in Sum.c.65.n.2.* Filliucius *tract.4.c.8.q.8.* Bonacina *tom.1.disp.4.q.6.punct.2.n.4.* Diana *p.3 tract 6.res.*71. Henriq.*l.8.c.*51. Graffiis 1.*p.l.2.c.*30.*n.*33. Fagundez *prec.* 3.*lib* 3.*cap.*6. & alios.

Valentia
Rodriq.
Filliucius
Bonacina
Diana
Henriq.
Graffiis
Fagundez

48 Certum est de fide non esse prohibitum iure naturali & diuino laicis, nec per se malum, imò licitam communionem sub vtraque specie corporis, & sanguinis Christi. Ratio est, quia olim tempore Apostolorum fuit in quibusdam locis vsus & consuetudo in Ecclesia communicandi laicos sub vtraque specie. Ita Suarez 3.*p.tom.3.disp.71.se.*1. Bellarminus *lib 4.de Euchar à cap.20.vsque ad* 28. Toletus *li.2.c.*38. Henriq. *li.8.de Euchar.c* 44. & alii. Si enim hæc communio sub vtraque specie iure diuino, & naturali esset illicita, ac prohibita laicis, & ex se mala, numquam in Ecclesia vsus illius fuisset introductus atque approbatus.

Suarez
Bellarm.
Toletus
Henriq.

An autem præcepto diuino teneantur fideles laici sub vtraque specie communicare. Celebris est hæc controuersia inter hæreticos & Catholicos iam inde ab *an.*1412.

qui

qui fuit initium schismatis Boemici; quod postea confirmauit, & auxit Ioannes Hus, pro cuius controuersię resolutione dicimus. Nullo præcepto diuino laicos, & clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie sumendum. Et hoc est de fide ex Concilio Tridentino, *sess. 22. can. 1.* Probatur, quia tale præceptum, nec est scriptum, nec traditum, ergo, &c. Non esse traditum patet ex vsu Ecclesiæ iam inde ab initio; nam *Primò* fideles deferebant Eucharistiam domũ, & non sub specie vini; nam ne in templo quidem committebatur eis calix, sed ministrabatur à Diacono. *Secundo.* Asseruabatur Eucharistia pro viatico ægrotorum, de quo vide Eusebium, & nusquam fit mentio vini. *Tertiò.* In die Parasceues sumitur Corpus Domini sub sola specie panis, quem morem esse antiquissimum constat. Non esse scriptum, Probatur, quia vel Ioannis 6. *Nisi manducaueritis,* &c. vel Matthæi 26. *Bibite ex hoc omnes,* Vel 1. *ad Corinth.* 11. *De pane illo edat, & de calice bibat,* nam plura loca alicuius momenti, nec afferuntur, nec afferri possunt. Non Ioannis 6. quia Dominus ibi non precipit sumi speciem panis, & vini, sed Corpus suum, & Sanguinem, quæ sub alterutra specie æquè perfectè continentur, Non *Matth.* 26. nam illa verba inuitantis sunt, non præcipientis: si enim continent, cur ergo hæretici negant calicem infantibus, amentibus, excommunicatis, Turcis, & Iudæis? Quod si accommodatè intelligenda sunt, non possunt commodius restringi, quàm ad Apostolos, qui biberunt ex eo omnes: & ad Apostolorum in sacerdotio successores, dum offerũt incruentum Missæ sacrificium. Non 1. *ad Corinth.* 11. quia Paulus illis verbis, nihil præcipit, sed præscribit modum dignè communicandi: vt patet ex contextu, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane,* &c. Definitur etiam hæc veritas in Conc. Constant. *sess.* 13. & in Basiliensi, *sess.* 30. & in Ephesino, *anno* 433. Vide Suarez, *c. disp. 71. sect.* 2. Syluium, 3. *p. q.* 80. *art.* 12. *quæsit.* 1. Fagundez. *præc.* 3. *lib.* 3. *c.* 4. *num.* 3. Tannerum, *tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 8. *dub.* 6. Layman, *lib.* 5 *tr.* 4. *c.* 5. *n.* 11. Eusebium, *lib.* 6. *hist. c.* 26. Filliucium, *tr.* 4. *c.* 7 *n* 201.

Conc. Tri. — Suarez. Syluio. Fagundez. Tannerus. Layman. Eusebius. Filliucius.

49 Sapientissimè ab Ecclesia præceptum est, vt omnes Christiani præter Sacerdotes sacrificantes, sub sola specie panis communicarent. Probatur, quia Ecclesia Christi auctoritate potest immutare ac disponere ea, quæ pertinent ad vsum Sacramentorum, salua eorum substantia. Et Tridentinum, *sess.* 21. *c.* 2. dicit, Ecclesiam approbasse consuetudinem communicandi sub vna specie: Non potest autem in iis, quæ pertinent ad mores errare. Ratio autem potest sumi ab Ecclesia, à Sacramento, à communicantibus. *Ab Ecclesia,* tùm vt seruetur vbique vniformitas, quæ seruari non posset in regionibus, quæ vino carent: tum ad vitandas hæreses; Si enim populus rudis acciperet Sanguinem sub specie vini, vix crederet illum sub specie panis. *A Sacramento,* vt Sanguis Christi non effundatur, non irreuerenter tractetur, species non corrumpantur, congelentur, &c. *A communicantibus,* ne qui sunt abstemii, vel alia de causa Calicem sumere non possunt, diffidant de gratia Sacramentali, aut etiam incidant in infidelitatem, putantes totum Christum sub vna specie non contineri. De his Suarez, *c. sect.* 3. Syluius, *c. quæsit.* 3. Bellarminus, *lib. 4. de Euch. c.* 28 Filliucius, *c. n* 203. & alii *n. præcedenti citati.*

Suarez. Syluius. Bellarmin. Filliucius.

50 Vsus Calicis potest ex legitima causa homini, vel nationi concedi à Summo Pontifice: cum totum hoc negotium sit iuris Ecclesiastici: vnde legitur Clementem Sextum id concessisse Regi Galliæ: qui ex priuilegio, & consuetudine bis communicat sub vtraque specie, semel dum vngitur, & semel in articulo mortis. Imperator verò, dum tantùm coronatur vtramque accipit speciem. Paulus Tertius concessit ad tempus ipsis Bohemis, sub ea tamen conditione, vt crederent, & confiterentur sub specie panis adesse Sanguinem Christi, & sub specie Sanguinis adesse Corpus. Sed quia non crediderunt, cessauit dispensatio, & reuocata est concessio, Ita Henriquez, *lib.* 8. *c.* 44. *n* 7. Filliucius, *tr.* 4. *n.* 203. & 204. Fagundez, *præc.* 3. *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 8 9. & *seq.* Suarez, *a. d* 71. *sect.* 3. qui rectè admonet rarò in hoc esse dispensandum, tum ad vitandum scandalum, tum vt hæreticis occasio pertinaciæ auferatur, tum ad maiorem fidelium vnionem, & conformitatem.

Henriq. Filliucius. Fagundez. Suarez.

Aduerte tamen laicum posse sumere speciem vini cessante etiam dispensatione: quando nimirum non sumere cederet in irreuerentiam Sacramenti, vt si imminerent hæretici, qui Sanguinem Domini essent effusuri, si moriatur Sacerdos ante Communionem, nec alius adsit, qui possit consumere; si Sanguis effundatur in terram, & non sit Sacerdos, qui velit lambere; in his enim, & similibus casibus, quod pro reuerentia Sacramenti introductum est, non debet contra eius reuerentiam militare. Contra Sotum in 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 6 in aliis autem casibus non licet.

Soto.

Nam quamuis ex Concilio Toletano 11. & aliis, videatur calix datus ægrotis, qui speciem panis non poterant deglutire, tamen id suppleri potest, si particula hostiæ imponatur vino, & sic traiiciat; quòd si non possit, præstat decedere sine viatico, quam consuetudinem Ecclesiæ in re tam graui relinquere, cùm ad id non obliget præceptum diuinum.

51 Sacerdotes in septem præcipue casibus, possunt non ieiuni sumere, & consecrare Eucharistiam *Primò,* propter integritatem sacrificii, vt quando Sacerdos aquam pro vino in calice posuit, & illam postea post sumptionem hostię sumpsit, tunc enim vel de nouo debet consecrare hostiam, & calicem, vel saltem Sanguinem tantùm propter integritatem sacrificii. Probatur, quia integritas sacrificii est maximi momenti manans ex præcepto diuino, ac propterea præualet præcepto Ecclesiastico. Ita D. Thomas, 3. *p. q.* 83. *art. 6. ad* 4. Victoria, *in sum. n.* 101. Henriquez, *lib.* 8. *c.* 50. *n* 3 Syluius, 3. *p. q* 80. *art.* 8. *Secundò.* Quando post sumptionem Calicis, & eius ablutionem, videt reliquias hostiæ in patena, vel corporali, tunc licet Sacerdoti sumere illas reliquias. Ratio est, quia est vna actio moralis, quæ tamdiu durare videtur, quamdiù Sacerdos fungitur officio in ipso altari, etiamsi integram horam in communicando populo consumpsisset, & reliquiæ sint notabilis quantitatis; modò tamen sint ex ipsius sacrificio; nam si sint ab alio Sacerdote relictæ, vel si ipse iam recessit ab altari, quasi functus officio suo consultius est illas reseruare, modò id reuerenter fieri possit. Ratio est, quia absumptio harum reliquiarum in alia Missa præconsecratarum non est complętio conuiuii à celebrante parati *Syluest. v. Euchar* 3. *§.* 8. Nauarrus, *c.* 25. *n.* 89. Caietan. *in sum. v. Missa,* Diana, *p.* 2. *tr.* 14. *res.* 66. quamuis Marchinus, *de ordine, tr.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 19. doceat licere Sacerdoti post sumptam ablutionem consumere præconsecratas reliquias tam ab alio, quàm à seipso, si in patena vel calice reperiantur. Tum quia difficile est scire rectè, an illæ reliquiæ inuentæ, post ablutionē sint ex præconsecratis ab alio, vel à seipso: deinde in die Parasceues post sumptionem ablutionis Sacerdos consumit reliquias præconsecratas die præcedenti, si quæ in patena, vel in calice remaneant, ergo idem licebit omni tempore. Sed hæc sententia est singularis, de cuius probabilitate debent viri docti iudicare; Sicut singularis est sententia illorum, qui probabile censent licere Sacerdoti prædictas reliquias sumere etiam post recessum ab altari priusquam missæ paramenta dimittat, si illas in calice, vel in patena inueniat vide Diana, *p.* 5 *tr.* 14. *res* 43. & *p.* 6. *tr.* 6. *res.* 17 *Tertiò.* Quando celebrans post consecrationem recordatur se non esse ieiunum, vel si post consecrationem hostiæ deficiat, si adesset Sacerdos alius non ieiunus, deberet sacrificium illud perficere, & communicare, dummodo alius Sacerdos ieiunus ibi non adesset. Ita Vasquez, 3. *par. tom* 3. *disp.* 211. *cap.* 5. Syluius, *cit. art* 8 Coninck, *q.* 80 *art* 8. *n.* 63. & alii communiter. *Quartò,* non ieiunus potest sumere Sacramentum ad auertendam grauem eius iniuriã, aut irreuerentiam, v. g. ne deueniat in manus hæreticorũ, ne comburatur, &c. quia quod pro reuerentia Sacramenti institutum est, non debet contra eam militare, & obligare. Hic ergo casus est veluti extrema, seu grauis necessitas ex parte ipsius Sacramẽti, & ideò tunc cessat alterius præcepti obligatio. Ita Suarez, *tom.* 3. *in* 3. *disp.* 68. *sect.* 6. Filliucius, *tr.* 4. *n.* 241. His addi potest *quintus casus,* nempe, ad vitandum scandalum verum, & graue: quia spiritualis salus animarum, & obligatio charitatis Dei, & proximi, est maior obligatio; quia cum huiusmodi scandalo semper est coniuncta grauis aliqua infamia eius, qui scandalum præbet, ob quam vitandam cessare etiam communiter solet obligatio legis positiuæ, quæ non obligat cum tanto onere, ac discrimine. Sed hic casus rarò moraliter accidit. Et licet Nauar. *in man. c.* 21. *nu* 53. dicat licere hoc Sacramentum

D. Tho. Victoria. Henriq. Syluius. — Syluester. Nauarrus. Caietanus. Diana. Marchinus. — Diana. — Vasquez. Syluius. Coninck. — Suarez. Filliucius. — Nauarrus.

tum sumere post cibum,& potum, etiam propter vitādū scandalum;fortasse per scandalum intellexit solam populi admirationem; quia ea hoc quod homo non sit ieiunus, moraliter loquendo,non sequitur scandalum,quia multis de causis hoc potest accidere sine vlla culpa: si autem scādalum sequatur, aut erit merè passiuum,aut facilè aliis modis vitari potest. Vide Suarez,*cit.disp.68.sect.5.in fine*, Layman,*lib.5.tr.4.c.6.n.22.*

Suarez layman

Porrò licere Sacerdoti non ieiuno celebrare ad mortē, vel vulnus vitandum docent Amicus *de Euch.disp.27.nn.30.& 38.*Diana,*p.5.tr.3.res.39.* nam tueri propriam vitā, est iuris naturalis; vnde non potuit tali euentu lex positiua humana de non celebrando post cibum,obligare,quod tamen intelligendum est, quando non fit in contemptum præcepti,quia tunc potiùs subeunda est mors.Idem dicendum est, si Sacerdos sumpto veneno morti appropinquaret, & habens conscientiam mortalis copiam confessarii habere non posset,tunc enim poterit saltem putatiuè contritus celebrare,vt si fortè reipsa contritus non sit, virtute Sacramenti fiat ex attrito contritus.Nam in hoc casu Eucharistia est ad salutem necessaria, vnde videtur hic casus per Epikeiam excipi à lege vniuersali.Ochagauia,*de Sacram.tr.2.de Euchar.q.12.n.15*

Amicus Diana.

Ochagauia

Vide v.Eucharistia,2.Interdictum,2.n.7.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Qui communicauit in Paschate, eodem anno ex præcepto diuino tenetur communicare iterum in articulo mortis.*

2 *Olim fuerunt diuersa statuta tempora, quibus Christi fideles tenebantur communicare.*

3 *Ex tacita licentia Parochi,siue sub ratihabitione ipsius de futuro,licet in Paschate communicare extra Parochiam.*

4 *Præcepto Ecclesiastico satisfacit excommunicatus, aut interdictus,qui ad Sacram Communionem tempore Paschatis accedit.*

5 *Excusantur à præcepto Sacræ Communionis excommunicati, & interdicti,modo per eos non stet,quin absoluantur.*

6 *Summus Pontifex tenetur sub lethali culpa ad præceptum Communionis quoad vim directiuam, non verò quoad vim coactiuam,& pœnas.*
Tenentur etiam hac lege Sacerdotes.

7 *Quamuis illicitum sit etiam in extrema necessitate sacram Communionem recipere ab excommunicatis, Hæreticis, Schismaticis, degradatis nominatim denunciatis: positis tamen quibusdam conditionibus hoc potest esse licitum.*

8 *Hodie post Extrauag. Ad euitanda, licet recipere sacram Communionem à publico peccatore, modo de censura non sit nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor.*

9 *Nulla creatura præter hominem potest recipere Sacram Communionem.*

10 *Nullus homo ante Baptismum capax est sacræ Communionis.*

11 *Omnes homines baptizati possunt sacram Communionem recipere,vt Sacramentum est.*

12 *Præceptum diuinum Communionis per se obligat aliquoties in vita.*

13 *Præceptum Communionis nunquam obligat per accidēs ratione alterius præcepti tunc occurrentis.*

14 *Nulla actualis dispositio in rigore necessaria est ad fructum Eucharistiæ consequendum,licet sit necessaria,vt quis magnum fructum consequatur.*

15 *Qui communicaret non confessus habens conscientiam peccati mortalis,iure diuino non tenetur statim confiteri. Quamuis Sacerdos præcepto Ecclesiastico ad id teneatur,si in tali statu celebret.*

16 *Qualis dispositio requiratur corporis in communicante.*

17 *Corporalis fœditas per se ex necessitate non impedit sacram Communionem.*

18 *Corporalis macula potest impedire aliquando sacram Communionem non ex præcepto, sed ex consilio.*

19 *Non est prohibitum iure diuino sumere sacram Communionem post cibum,& potum, sed tantum Ecclesiastico.*

20 *An sumere terram, & traiicere in stomachum,ob delectationem,vel ob minuendum colorem,soluat ieiunium naturale?* Refertur duplex sententia.

21 *Non soluit ieiunium naturale, si quis respirando casu traiiciat aliquid, quod possit esse cibus,siue attrahatur per os siue per nares.*
Si aliquid traiiciatur in stomachum ex intentione per os,soluit ieiunium,secus per nares;nisi assuetus sit aliquid liquoris per nares attrahere, & in stomachum traiicere.

22 *Deglutiens casu bonam quantitatem aquæ,vel vini,soluit ieiunium naturale; nisi statim totaliter è stomacho eiiciatur.*

23 *Non soluitur ieiunium naturale,si aliquid cibi,vel potus intret in conductum respirationis,& eiiciatur.*

24 *Non impeditur sacræ Communionis sumptio,si dum prægustatur vinum,vel aliquid aliud ad percipiendum saporem,& expuitur, si remaneat aliquid saliuæ permixtum,& descendat in stomachum.*

25 *Ante Communionem licet aromata ori imponere, & dentibus conterere ad confortandum caput, vel in alium finem, quamuis aliquid præter intentionem per modum saliuæ deglutiatur.*

26 *Quando sumptio tabachi soluat ieiunium naturale quando non.*

27 *Ignorantia potest aliquando excusare à peccato non ieiunos accedentes ad sacram Communionem,etiamsi sint Sacerdotes.*

28 *Quando perturbatio mentis orta ex indigestione,vel vigilia noctis, impediat celebrationem, aut sumptionem Eucharistiæ.*

1 QVidam putant,eos,qui in anno communicauerūt in Paschate, satis impleuisse præceptum diuinum de communicando in articulo mortis, &. non teneri ex eodem præcepto diuino in eo anno amplius in morte cōmunicare:vt docent Emanuel Sà,*v.Euch.n.1.* Syluester,*v.Euch.3.n.1.*& alii.Sed hoc non est verum,quia reuera iterum tenentur accipere in articulo mortis per modum viatici,& id probat Conc.Trid.*sess.13.c.6.* & Nicæn.*can.13.* *& c.de his vero,26 q.6.& c.infirmitas,de pœnit.& remiss.* probat etiam consuetudo Ecclesiæ,quæ solet eos communicare in articulo mortis per modum viatici, qui in eodē anno in Paschate communicarunt; & fideles, nisi tunc infirmi communicent,meritò quidem scandalizantur. Probatur insuper,qui per Communionem annualem satisfaciunt præcepto Ecclesię,non diuino,& per consequens debent isti negare,vt de facto negant prçceptum diuinum de sumenda Eucharistia saltem pro articulo mortis etiā iustos obligare,sed affirmant esse solum præceptum humanum, quia Eucharistia nullum habet effectum per se necessarium ad salutem,non enim obligat iustum, quia hic iam est dignus vita æterna; ad quam omnis obligatio ordinatur,non peccatorem, quia hoc Sacramentum non est per se institutum ad cōferendam primam gratiam peccati remissiuam. Ad quæ posset responderi,quòd vt Sacramētum sit in præcepto,non est necessarium, vt contineat effectū necessarium,imò nullum ferè præceptum,præter ea quæ sunt necessaria necessitate medii, continet effectum per se necessarium,sed fit necessarium hoc ipso,quod præcipitur.Deinde ad hoc Sacramentum suscipiendum obligatur iustus,vti ad reliqua præcepta, sine quorum obseruantia non posset se in gratia conseruare,cum ipsius iustitia in conseruari pendeat à præceptorum obseruantia. Ita docent D.Thomas,*3.p q.80.art.11.*mutans sententiā, quā tenerat, *in 4.dist.9.q.vnic.art.1.ad q.2.* Suarez, *to.3.disp.69.sect.1.* & est communis hòdie ista opinio, itavt dixerit Valentia,*tom.4.disp.6.q.8.punct.4.*Nullum Catholicū hoc tempore oppositum docere.Sed de hoc vide a nobis dicta, *tom.4.v.Communio,n.4.*

Eman. Sa Syluester

Conc.Trid. Nicæn.

Suarez Valentia

Tamen si quis communicauit per modum viatici feria secunda hebdomadæ Sanctę,si iudicio medicorum sit mo-

riturus

titurus intra tempus præscriptum ad Communionem Paschalem, sed superuiuat pluribus diebus post sumptum viaticum, non tenetur iterum communicare ad implendum præceptum Communionis Paschalis. Ratio est, quia vno ac eodem actu satisfieri potest pluribus præceptis, vt communiter tradunt Doctores. Tum quia hæc videtur esse mens interpretatiua Ecclesiæ, quatenus hoc ipso, quod supponit Communionē factam per modū viatici esse vltimā: non censetur velle in isto casu obligare ad aliā Communionē, nempe ad Paschalem, dūmodò cōmunicauerit intra tēpus præscriptū ad Paschalē Cōmunionē. Secus si non cōmunicasset intra tale tēpus, tunc iterū deberet cōmunicare etiāsi viaticū sumpsisset vna die tantū ante præfatū tēpus: & in hoc non videtur admittenda paruitas materiæ: cū ab instāti indiuisibili incipiat d. tēpus, & in instāti indiuisibile terminetur. Ita Pellizar. *in Man. reg tr. 5. c. 3. n. 87.* Tambur. *opusc. de Com. c. 5. §. 3. n. 7.* & probat Dian. *p. 10. tr. 11 ref. 39.*

Pellizarius. Tambur. Diana.

2 Olim in primitiua Ecclesia singuli Christiani quotidie sacrum Christi corpus sumebant ex præcepto Apostolorum, vt refertur, *c. Episc. de consecr. dist. 1.* Postea Fabianus Papa præcepit, vt singuli saltem Sacram Communionem reciperent ter in anno, videlicet, in Natali Domini, in Paschate, in Pentecoste, vt habetur, *in c. etsi non frequentius, de consec. dist. 2.* Deinde verò Soter, *in c. in Cœna Domini, de consec. dist 2.* videtur statuisse, vt singuli Corpus Domini susciperent in Cœna Domini. Denique tandem Ecclesia statuit, vt singuli cùm ad annos discretionis peruenerint, semel in anno à proprio Sacerdote, seu Parocho in Paschate Communionem, sacramq; Synaxim accipiant, vt constat *ex c. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.*

3 Quamuis de iure quisque teneatur in propria Parochia à proprio Parocho Sacram Communionem sumere: in Paschate tamen qui hoc Sacramentum acciperent, & conferrent, quando eiusmodi essent personæ, tempus, & causæ, vt arbitrio prudentis viri credatur fore contentus Parochus, si è contra fieret, tunc videtur tacitam facultatem concedere; itavt non sit peccatum mortale in tali casu eam recipere extra Parochiam. Ratio est, quia tunc non ministratur sine iurisdictione, quando tacita licentia Parochorum fit, quæ licentia, seu ratihabitio in Sacramēto Eucharistiæ, & Extremæ VnctionisSacramēto VerōConfessionis, & matrimonii, semper opus est vt antecedat, & habeatur de præsenti. Ratio est quia in istis Sacramentis substantia, & validitas actus pendet ex tali iurisdictione, & sine illa validè non fiunt: at verò substantia, & validitas Euchariristiæ, & Extremæ Vnctionis non pendet ab huiusmodi iurisdictione; quia quāuis sine illa cum peccato fiant, validè tamen fiunt: à peccato autem excusat tacita licentia, & voluntas Parochi. Ita Rodrig. *tom. 1. qq reg. q. 56. art. 3.* Nauarrus, *in man. c. 21. n. 52* Syluester, *v. Euch. 3. §. 4.* & alii communiter.

Rodrig. Nauarrus. Syluester.

4 Qui ad sacram Communionem tempore Paschatis excommunicatus, aut interdictus accedit, præcepto Ecclesiastico satisfacit Ratio est, quia licet excommnnicatio ipsos excommunicatos à susceptione Sacramentorum arceat, ac prohibeat, at factum non semper irritum reddit; ac proinde licet huiusmodi excommunicati contra ius diuinum, & naturale peccant, quia ius diuinum præcipit, vt sāctè sancta tractentur, & ne indignè quis accedat ad Sacramētorum susceptionem, & licet etiam contra ius Ecclesiasticum faciant, cùm ius Canonicum specialiter excommunicatos, & interdictos à Sacramentorū perceptione excludat; tamen sacramentum hoc ab eis susceptum est ratum, & validum. vnde licet sacrilegium committant, tamē præceptum implent. Ita Nauarr. *in Man. c. 21. n. 48.* Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 30. q. 12* Sicut in simili docuimus de eo, qui tempore Paschalis Eucharistiam sumit in peccato mortali, *to. 1. v. communio sacra. n. 14.* ob rationes ibi dictas.

Nauarrus. Azorius.

5 Excommunicati, & interdicti à præcepto Eucharistiæ excusantur, modò per eos nō stet absolutio à prædicta excommunicatione, & interdicto. Non est tamen eadem ratio de excommunicatis interdictisque, atque de suspensis: nam excommunicati, & interdicti generatim, à susceptione Sacramentorum prohibentur; suspensi verò non prohibentur, nisi sit suspensio ab ipsa Communione specialiter, aut generaliter à perceptione omnium Sacramentorum, tunc enim eadem ratio de illa erit, atq; de excommunica-

tione, & interdicto. Ita Nauar. *in man. c. 21. n. 45* Azor. *c. li. 7. c. 30. q. 3.* Nauarrus. Azorius

6 Summus Pontifex obligat ur sub lethali culpa ad præceptum Communionis, quoad vim directiuam, non verò quoad pœnas, & vim coactiuam, & ideo peccat mortaliter si illud non seruet: non tamen incurrit excommunicationem, nec potest declarari, aut Ecclesiastica sepultura priuari, nec contra eum sententia ferri de incursione dicti. Ratio est, quia ista lex annuæ perceptionis Eucharistiæ, est lex quædam generalis, & quando Principes legem ferunt generalem totum populum comprehendentem, ad eandem legem obligantur, quamuis non obligentur ad pœnas illius: nam quando materia legis est generalis comprehendens totum populum, comprehendit etiam caput populi: quando verò materia legis non est ita generalis, sed specialis, vt non totum populum, sed partem illius comprehendat, & obliget, tunc quidem ad eam non tenetur Princeps, neque quoad vim directiuam, neq; quoad vim coercitiuam. Hinc cùm materia legis Eucharistiæ comprehendat omnem populum Christianum, ex iure quodam naturali videtur etiam comprehendere Summum Pontificem, qui est caput illius. Ita D. Thomas, *1. 2. q. 69 art. 5. ad 3* & alii, *tom. 1. v. lex, 3. n. 2.* D. Tom.

Si Pontifex hac lege tenetur, etiam tenentur Sacerdotes sed sufficiet, si in aliqua missa earum, quas dicunt pro intētione, & impletione huius præcepti formali, vel virtuali communicent, iuxta consuetudinem communem, quæ fit in Sacerdotibus obligationem huius præcepti interpretatur ad habēdam autem virtualem applicationem sufficit quòd non habeant contrariam non applicandi. Ita Fagundez, *præcept. 3. lib. 1. c. 6. n. 12.* Fagundez

7 Ex communi Doctorum sententia illicitum est, etiā in casu extremæ necessitatis, sacram Communionem suscipere à Sacerdotibus hæreticis, schismaticis, degradatis, & excommunicatis denunciatis, Ita D. Thomas, *3 part. q. 82. art. 9. in corpore.* Probatur id ex *c. superueniente, 1. quæst. 1. & c. vlt. 24. quæst. 1.* vbi laudat D. Gregor. Papa factum Sancti Hermenegildi Principis Hispaniarum, eo quòd nec in extremo mortis articulo vo'uit ab hæretico Eucharistiam suscipere, & ob eam rem Martyrio coronatus fuerit. Probatur deinde ratione, quia Sacramentum Eucharistiæ, non est Sacramentum necessitatis, & quamuis sit Sacramentum magnæ vtilitatis, numquam tamen ab huiusmodi hæreticis, & nominatim de excommunicatione denunciatis decenter, & reuerenter suscipi potest, susceptio autem, & præceptum illius non obligat, nisi cùm decenter & reuerenter suscipi potest. Hanc sententiam sustinent Durādus, Paludanus, & alii, *in 4 dist. 13.* & expressè id docet Syluester, *v. Euchar. 3. n 5.* Nihilominus contrarium docet Suarez, *tom. 3 in 3. part. disput. 72. sect. 4. §. vltimo ex dictis,* nempe posse Eucharistiam recipi in articulo mortis à quocumq; ministro, à quo posset recipi absolutio, modò non detur scandalum præsentium: modò exinde non animetur hæreticus, excommunicatus, ac schismaticus ad permanendum in peccato, errore, aut excommunicatione sua; & modò non sequatur infamia Religionis. Non opus est autem, vt omnes hæ circumstantiæ simul concurrant, sed sufficit, quod quælibet illarum intersit, vt id nullo modo liceat. Hanc sententiam cum illis limitationibus amplexi sumus, *tom. 1. verb. Eucharistia, 2. num. 3. §. Imò,* quia sæpissimè, & regulariter hoc fieri non potest, quin concurrat vna saltem ex prædictis circumstantiis. Si autem absint omnes probabilis est sententia Suarez, maximè in casu, quo non potest suscipi aliud Sacramentum, ob rationes ibi expressas, vt docet etiam Zambranus, *de Sacram. Eucharist. cap. 3. dub. 7.* de hoc casu vide Dianam, *p. 5. tr. 3. ref. 49.* D. Thom. Durandus paludanus. syluester. Diana. Zambran. Diana

8 Quidam negant licere Sacramentum Eucharistiæ accipere à Sacerdote concubinario publico, vel alio publico peccatore. Ratio est, quia illi lethaliter peccant ministrando, ergo si hoc Sacramentum ab eis petitur, aut recipiatur, necessar ò cum illorum peccato concurritur. Ita Nauarrus, *in Man cap. 25. n. 80. ex cap. Nullus, distinct. 32.* vbi etiam Missa prohibetur audiri ab huiusmodi Sacerdotibus. Si autem hoc Sacramentum ab eis non licet accipere, multò minus licebit id ab eis petere. Id ipsum tenet expressè D. Thomas, *3. p q. 82. art. 9.* Hodie tamen, si qua Nauarrus.

erat

erat io iure similis prohibitio, cessauit, imò,& reuocata fuit in Concilium Constantiense, nam regula ibi statuta, quæ in fauorem fidelium prescribit, vt non vitentur nisi qui nominatim fuerint de censura denunciati, ac declarati, vel notorii Clerici percusores, generalis est, ad omnes censuras, & suspensiones, & illa sola est seruanda; quia exceptio firmat regulam io contrarium, vnde cum solum excipiantur in prædicto Concilio, & Extrauaganti Martini V. *Adeuitanda*, excommunicati nominatim denunciati,& notorii,& Clerici percussores, cæteri non sunt vitandi. Ita Suar. *to.3. in 3.p. disp.72. sect.4.§ vl. imo.* & alii quos citauimus *to.1. v. Scandal. n.9. §.11.*

Martini V.
Suarez

9 Nulla creatura preter hominem, potest suscipere hoc Sacramentum. Probatur, quia vel esset Angelus, vel bestia: Angelus non quia est pure spiritualis, & in corpore assum pto noo potest verè manducare per actionem vitalem, vt testatur Raphael *Tobiæ 12. nu.19.* Non bestia, quia neque cognoscit Sacramentum, neque potest illi dari in ordine ad institutionem Christi, materialiter tamen verè comedit Sacramentum,& consequenter corpus Christi, si fortè degluriat species: in qua nulla est indecentia ex parte Christi, nã multò honorificentiùs est in ventre muris vel canis, quam in ventre pecatoris. Itaque corrigẽda, vel piè exponenda est, quorumdam Catholicorum opinio qui putabant species comedi sine corpore Christi, hoc enim principalis fidei non concordat.

D. Thomæ
Scotus.

Nota ex Concilio Tridentino *sess.13. cap.8.* & D. Thom. *3. part. quæst. 80. art.1.2. & 3* Scoti *in 4. distinct.8. quæst.3.* esse tres rationes accipiendi sacram Communionem. Vna est manducatio sacramentalis tantùm, per quam Sacramentum accipitur, non tamen eius effectus, quæ est gratia sanctificans,& hic sumendi modus in peccatoribus locum habet.

Altera manducatio est spiritualis tantùm, per quam Sacramentum non accipitur, sed res siue effectus eius, vt cũ homo iustus, quamuis Catechumenus, in fide viua votum seu desiderium habet manducandi hoc Sacramentum.

Tertia est sacramentalis, & spiritualis simul; per quam vna cum Sacramento, etiam effectus eius accipitur.

10 Nullus homo ante Baptismum capax est sacræ Cõmunionis. Est contra Marsilium; cui fauere videtur Innocent *cap. Veniens de Baptismo*, qui putat Catechumenũ iustum posse cum fructu recipere hoc Sacramentum, sed hoc est improbabile, quia baptismus est ianua omnium sacramentum, & qui eius characterem non habet, incapax est omnis effectus, sacramentalis, sicut enim qui nondum corporaliter genitus est nutrimentum corporale capere non potest, ita qui nondum spiritualiter genitus est ad cibum hunc spiritualem admitti non potest. Imò Catechumenus videtur peccaturus mortaliter, si ante Baptismum vellet communicare; quia nullum ius habet ad Communionem,& faceret iniuriam Sacramentis Ecclesiæ, iuxta illud Exodi 12. n.48. *Si quis circumcisus non fuerit non vescetur ex eo.*

11 Omnes homines baptizati possunt sacram Communionem percipere, vt Sacramentum est. Probatur, quia per Baptismum acceperunt ius ad omnia remedia à Christo instituta, neque requiritur character Confirmationis nisi ex quadam decentia. Dubium esse posset de peccatoribus,& infantibus. Sed de fide est, peccatores recipere corpus Domini in hoc Sacramento, vt constat 1. ad Corinth. 11. n.29. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini.* Infantes autem, & paruuli innocentes, olim, vel cõmunicabantur vel cõsumebãt reliquias Sacramẽti, ut cõstat ex Sãctis PP. Clemente. Dionysio, Cypriano, August. & fatetur Concil. Trident. *sess. 21. cap. 4.* Sed an receperint fructum Sacramenti proprium. Negant multi, quia hoc Sacramentum est cibus spiritualis, ac proinde iis tantùm conueniens, qui opera vitæ spiritualis exercere possunt. Nihilominus probabilius est infantes esse capaces totius fructus sacramentalis, nam validè, & cum effectu confirmantur, & ordinantur, cur non etiam similiter cõmunicantur. Tum quia Sancti Patres sui facti probabilem causam habuerunt, vt dicit Concilium Tridentinum vbi *supra*, ergo non sine fructu paruulos communicarunt. Neq; dicas fuisse illis datã Eucharistiã, vt eius contactu sãctificarentur, vel à Dæmonibus præseruarentur, quia ad hoc sufficeret contactus exterior, & alioquin eadem de causa potuisset dari Catechumenis, quod tamen nunquam factum est. Hoc autem tempore non datur sacra Communio infantibus ob decentiam,& reuerentiam, quæ præferenda est alicui vtilitati infantium licet olim, quia minor fideliũ erat numerus, faciliùs uitari poterãt incommoda, nunc eo aucto contraria consuetudine prouisum est. Ita Layman *l.5. tract.4. c.4. n.2.* Filliuc. *tract.4. c.7. n.184 & 185.* & alii.

Conc. Trid.

Layman
Filliuc.

12 Præceptum diuinum Communionis per se obligat aliquoties in vita, est contra Caietanum, & alios, quia si tantum semel obligaret, uel hoc esset ob generalem rationem præcepti affirmatiui, vel ob specialem huius præcepti, neutrum, ergo. Non primum, quia præceptum affirmatiuũ, tametsi per se non determinet tẽpus obligationis, tamẽ pro subiecta materia, rariùs aut frequentiùs occurrit,& non semel in vita tantùm, quis enim dixeri teũ qui semel Deum dilexit ex toto corde, liberũ esse in posterũ ab illo magno mandato. Qui semel Deo gratias egit, non ampliùs teneri, &c. Non secundum, quia hoc Sacramentum datur per modum cibi, & potus, sicut ergo non satis est semel tantum corporalem cibum sumere in vita, ita neq; spiritualem, quia calor concupiscentiæ, & fomes peccati non minus debilitant animæ vires, quam naturalis calor humidum radicale. Non est simile de baptismo,& Confessione nam hæc tantùm præcipiuntur, vt media necessaria ad tollendam culpam, quæ vnico actu perfectè tollitur, Sacramentum autem Eucharistiæ datur ad fouendam, augendam,& perficiendam charitatem. Præterea baptismus datur per modum generationis, quæ nunquam iteratur, Sacramentum Pænitentiæ per modum iudicii, & Deus non iudicat bis in idipsum, at Eucharista datur ad nutritionem, quæ multos actus requirit. Ita Doctores citati *to.1 v. Communio, n.1.*

13 Præceptum Communionis nunquam obligat per accidens ratione alterius præcepti tunc occurrentis, ad quod implendum necessaria sit sacra Communio, v.g. cum vrget grauis tentatio, vel cum quis post sumptum uiaticũ mortaliter peccat, vel cum quis assistit Missæ sacrificio, vt hæretici nostri temporis. Probatur ostendendo tres illos casus nunquam iudicare hanc obligationem. Nam *Primo* quæuis tentatio etiam grauissima potest aliis remediis cohiberi oratione, ieiunio, uitatione occasionum, &c. quãquam cõsultissimum sit adhibere etiam præsidium Eucharistiæ. *Secundo*, qui sumpsit viaticum, etiamsi postea mortaliter peccet non tenetur rursum communicare, alioquin & sæpius eodem die hoc facere deberet,& infamaret se, cum viaticum detur publicè, & peccata illa ferè secretò committantur. *Tertio*, damnãtur hæretici in Conc. Trid. *sess.22. c.6. & can.8.* qui reprehendunt Missas in quib. populus non communicat, nam, quamuis laudabilis sit consuetudo, vt communicantes sint frequentissimi (quod, & Canones Apostolorum, & decreta Pontificum præsertim Anacleti *cap. Episcopus, de consecr dist.* 1 & Sancti Patres sæpè inculcant) nullum tamen proferri potest præceptum diuinum, quo populus ad hoc sub peccato.

Conc. Trid.

14 Nulla actualis dispositio in rigore necessaria est ad fructum Eucharistiæ consequendum; est tamen necessaria vt quis magnum fructum cõsequatur. Posterior pars probatur: nam meliori dispositioni respondet maior fructus etiam ex opere operato, quod nusquam iostiùs locum habet, quam in hoc Sacramento, vbi ipse gratiarum auctor præsens adest, ac propterea actualem reuerentiam, & deuotionem exigit, vt Sancti Patres sępè inculcant. Prior pars probatur, quia hęc dispositio, vel esset priuatiua, vel positiua: priuatiua, vt in ipsa Communione non peccetur venialiter,& hanc requirit Marsilius, quia alioqui homo, inquit, per vnum,& eundem actum cresceret in gratia,& venialiter peccaret; si ponamus sumptionem ipsam vitiari per aliquam circumstantiam. Positiua, vt adsit deuotio, seu reuerentia actualis. D. Thom. *in 4.* Halensis, D Bonauentura, Durandus, Paludanus, Caietanus, *3. p. q.79 art.1.* quia cibus non nutrit nisi medio actu viuentis, ergo nec hoc Sacramentum nisi mediante actu communicantis. Sed quod peccatum veniale etiam in ipsa sumptione commissum non impediat fructum eius. Probatur, quia peccatum

D. Thom.
Halensis
D. Bonau.
Durand.
Palud.
Caietan.

veniale

veniale consistit cum gratia, neque habet formalem repugnantiam cum illa, ergo non impedit illius augmentum. Confirmatur, quia si peccatum veniale impediret effectũ sacramentalem esset peccatum mortale communicare in peccato veniali, quod est absurdum, & inauditum. Ad argumenta Marsilii dicendum est, quòd sumptio Sacramenti, quæ est peccatum veniale, dupliciter potest considerari. *Primò*, vt est actus hominis, & sic est vitiosa, nec quicquam meretur nisi pœnam. *Secundò*, vt est applicatio quædam Sacramenti, & conditio sine qua Sacramentum gratiam nõ conferret, & sic est bona manans ex institutione Christi, ac propterea dispositiuè concurrere potest ad gratiam augendam.

Quod verò non sit necessaria actualis deuotio. Probatur in infantibus, amentibus, phreneticis, naturali obliuione distractis, &c. cur enim priuabuntur fructu Sacramenti? quod si in his non est necessaria, ergo nec in distractis culpabiliter, quia peccatum veniale, quod carentiæ deuotionis superadditur, non est obex gratiæ sacramentalis. Ratio sumenda est ex institutione Christi (nam ex natura rei non potest hoc satis definiri) qui voluit dignè cõmunicãtẽ frui beneficio Sacramẽti: dignè autem communicat teste Apostolo, qui seipsum probat, quam probationem de-

Conc. Trid.

clarat Concilium Tridentinum, *sess.* 13 *c.* 7. & in eo consistit, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quamuis sibi contritus videatur absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.

Ad argumentum Caietani est dispar ratio: nam in nutritione corporali, viuens agit in alimentum, vt illud in se conuertat; in spirituali alimentum agit in viuens, ac propterea sufficit dispositio viuentis per gratiam habitualem, vt recipiat in se actionem cœlestis illius alimenti.

15 Qui cõmunicauit non confessus habens conscientiã peccati mortalis, iure diuino non tenetur statim confiteri, sed potest differre in annuam Confessionem. Probatur, quia hoc præceptum quatenus est affirmatiuum, non obligat pro semper, sed tempore opportuno, quod videlicet antecedit Communionem, ac proinde transacta Communione, desinit obligare: quatenus autem est negatiuum, tantùm habet locum cùm rursus est communicandum, vt patet ex tenore præcepti, *ne communices sine Confessione*: siue igitur quis iusta de causa distulerit Confessionem, siue non, extinguitur obligatio.

Sacerdos tamen celebrans sine præuia confessione lege Ecclesiastica tenetur quamprimùm confiteri: patet ex Tri-

Conc. Trid.

dentino, *sess* 13. *c* 7. nam lex illa de nouo lata est à Concilio vt eius confessio, qui ob vrgentem necessitatem celebrasset, non diu differretur, vt diximus, *tom.* 1. *v. Communio, n.* 39. cum Doctoribus ibi citatis.

16 Dispositio corporis in communicaturo potest esse, vel positiua, vel priuatiua: positiua, vt in vestitu, corporis compositione, gestu, & situ, &c. priuatiua, vt carentia maculæ, abstinentia cibi, & potus, &c. Quo posito dicendum est, primò quod laico necessaria est honesta corporis cõpositio, & vestitus, ac reuerentialis sumptio, prout vt præscribit ius naturale, præsupposita institutione, tam excellentis Sacramenti. Probatur, quia à Christo, & Ecclesia nihil est in hac re præscriptum, ergo recurrendum est ad ius naturale, quod dictat cum magna riuerentia per modum adorationis hoc Sacramentum esse sumendum, ita tamen, vt nullæ extraordinariæ deuotiones introducantur, sed quisque vtatur modo in Ecclesia sua recepto; secluso tamen scandalo, & contemptu, non videtur in hac re graue peccatum posse interuenire.

Secundò, Sacerdoti extra Sacrificium communicanti, necessaria est stola. Ita præscribitur, *c. Ecclesiastica, dist.* 23.

Nauarrus.

ex Conc. Bracarens quod quamuis Nauarrus, *in Man. c.* 21. *n.* 54 intelligat de Sacerdote sacrificante, tamen Concilium manifestè loquitur sub disiunctione, siue sacrificet siue communicet, & ita vsus videtur obtinuisse: non tamẽ censetur peccatum mortale, si quis vel ob infirmitatem, vel aliam causam etiam leuem id omittat; quod etiam ex vsu Ecclesiæ colligitur; nam neque Episcopi puniunt aliter facientes, & viri pii facilè id omittunt, quando commodè seruari non potest. Non temerè tamen negligendum est, &

Suarez

iuxta Conc. stola in formam crucis complicari debet. Ita

Reginald.

Suarez, *in* 3. *p. to.* 3. *disp.* 68. *sect.* 1. Regin. *li.* 29. *n.* 112. & alii.

17 Corporalis fœditas per se non impedit ex necessitate sacram Communionem. Ratio est, quia talis defectus corporis, nisi coniunctus sit cum peccato tanquam cum causa, vel cum effectu ipsum comitante, nihil refert ad honestatem morum, nec pertinet ad bonitatem, vel malitiam moralem, ideoque non debet de se censeri obex Sacramenti, tanquam repugnans illius sanctitati, aut diuinæ gratiæ, quæ est affectus illius primarius Et certè durum esset, eum qui perpetuam haberet maculam, semper, aut longo tempore priuare hoc Sacramento salutis, existentem alioquin putæ mentis, ac vitę inculpabilis. Præterea vel huiusmodi macula iam est omninò præterita, vel adhuc durat, si præterita est, nec impedire poterit sacram Communionẽ, nec indecentiam afferre, cùm iam non sit. Si enim peccatum mortale, & macula eius, quæ sunt iam omninò pręterita, & ablata, non impediunt ex necessitate, multò minùs impediet corporalis fęditas, seu macula præterita, quæ iam omninò extincta est, seu ablata. Quod si macula temporalis sit quæ breui auferenda speretur, eaq; videatur aliquam indecentiam afferre, ad reuerentiam huius Sacramenti pertinebit, priùs illam auferre, aut per breue tempus expectare, donec auferatur: & interdũ esse poterit culpa venialis hoc negligere, mortalis verò non erit secluso scandalo, & contemptu: & in hoc sensu intelligendi sunt Sancti Patres, qui docent, tam corporis, quàm mentis puritatem requiri ad huius Sacramenti susceptionem. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 7. *ad* 3. & communiter Summistæ, *v. Euch. & v. Commun.* D. Tom.

18 Corporalis macula propter effectus aliquos ex illa resultantes, potest aliquando impedire sacram Communionem, non ex necessitate, & præcepto, sed ex congruitate, & de consilio, secluso, & contemptu: ad cuius probationem facit, *c. Tua nos, de Cler. ægrot.* in quo præcipitur, vt Sacerdos leprosus abstineat ad altaris ministerio, propter scandalum, & horrorem populi. Accedit ratio, quia interdum propter corporis defectum, aut maculam homo impeditur ne possit ita se disponere, vt cum debita deuotione, & reuerentia ad Eucharistiam accedat: nimirum quia reddit illum ad res diuinas, & spirituales tractandas ineptum, vel magnam mentis distractionem generat, variasque cogitationes suggerit. Quod quando contingit, consultum est tantisper Eucharistiam differre, aliàs sæpè erit peccatum veniale non facere. Ita ex D. Thoma, & aliis Suarez, D. Thom. Suarez
c. sect. 2. Reginaldus, *c. n.* 113.

19 Iure diuino prohibitum non est sacram Communionem sumere post cibum, & potum: conuenienter tamen ab Ecclesia præceptum est, vt tantùm à ieiunis sumeretur. Prior pars patet ex eo quòd tale ius diuinum, nec scriptum, nec traditum habeatur; nec ex Christi institutione colligatur, aut ex natura rei: quia Christus illam porrexit discipulis postquam cęnatum est: nec tale quid est res de se mala. Posterior pars constat ex Ecclesiæ vsu ab Apostolis accepto, vt traditur, *in c. Liquido, de consecr. dist* 2. & plurium Patrum, & Conciliorum auctoritate. Nec obstat prædictum Christi factum; quia non fuit, vt ipsum in eo imitaremur, sicut nec cùm circumcidi aliaq; legalia seruare voluit. Tum etiam ex reuerentia huic Sacramento debita; quia inde instruuntur fideles corpus Domini diiudicare, seu discernere à communibus cibis; & sic vitatur periculum vomitus, mensque sit liberior. & expeditior ad res diuinas cum deuotione tractandas. Vide Suarez, *disp.* 68. *sect.* 3. *dicto* 1.

20 Dubium est inter Doctores, an sumere terram, & traiicere in stomacum, vel ob delectationẽ, vel ob minuendum colorem, vt faciunt fœminæ, soluat naturale ieiuniũ necessarium pro sumenda Eucharistia? Affirmant quidã, quando fit ob delectationem, vel ob minuendum colorem Ita De la Crux, *in director. p.* 2. *de Euchar. q.* 5. *dub.* 4. *concl.* 2. Diana, *p.* 2. *tr.* 14. *res.* 58 Ioannes autem de Lugo, *de Euch. dist.* 15. *sect.* 2. *n* 32. ait se de hoc dubitare. Cæterum dicendum est quod spectat ad sumptionem terræ, quando fit cũ delectatione, non frangere ieiunium naturale. Ratio est, quia cùm nullo modo sit cibus ex natura sua, nec etiam eiusdem sumptio opponi potest cum ieiunio naturali, cum quo solum quod habet rationem cibi opponitur. Nec obstat, quòd fiat cum delectatione; quia delectatio non facit, quòd sit cibus; primò, & per se dicit, quod ordinetur ad cõuersionem in substantiam viuentis, sine quo non potest aliquid De la Crux Diana. Lugo

liquid habere rationem cibi Si dicas, ex eo, quòd fumitur cum delectatione argui, quod habeat rationem cibi; quia cùm sit delectatio pertinens ad gustum, est proprietas cibi. Sed hoc non rectè procedit, quia non omnia, quæ sapida sunt, habent ratione cibi, vt patet in sulphure, gustus .n. habet vim perceptiuã saporis, vt sciat discernere, quæ noxia, & quæ nõ noxia sunt: vnde non statim quòd aliquid est sapidum, est etiam cibus, præsertim si sit sapidum ex mala affectione palati, vt contingit, quando terra ipsa est sapida. Quando autem sumitur terra ob minuendũ colorẽ, & sic videtur se habere per modum medicinę, & idcirco soluere ieiunium. Sed neque tunc soluit ieiunium, quia nec est cibus, nec propriè medicina: semper enim est elemẽtum primum, quod non est alterabile à stomacho, quamuis secundùm aliquas tenues particulas diffundatur cum sanguine per totum corpus. Medicina enim semper continet aliquas partes, quæ ex natura sua possunt habere rationem cibi, & conuerti in substantiam viuentis; & ideò soluit naturale ieiunium. Ita probabiliter Pasqualigus, *in dec. mor. dec.* 315.

Pasqualig.

21 Communis sententia est, si quis respirando traiiciat aliquid, quod possit esse cibus, vt culicem, non soluere naturale ieiunium, nec impedire sacræ Communionis sumptionem, siue attrahatur per os, siue per nares. Ratio est, quia ad soluendum ieiunium naturale requiritur comestio, aut potatio, vt autẽ interueniat comestio, aut potatio, debet interuenire nedum materia comestibilis, aut potabilis, sed etiam actio comestiua, aut potatiua. Quãdo autem attrahitur aliquid per respiratione, siue per os, siue per nares, non interuenit actio comestiua, aut potatiua, sed respiratiua, & ideò non soluit ieiunium, quia nõ adest comestio, aut potatio, Ita Nauarr. *in man. c.* 21. *n.* 53 Diana, *p.* 3 *tr.* 4. *res.* 37. & *p.* 5. *tract.* 13. *res.* 1. Lugo, *disp.* 15. *de Euch. sect.* 2. *n.* 34. & alii communiter.

Nauarrus. Diana Lugo.

Sed dubium est, si non casu, sed ex intentione aliquid attrahatur per respirationem? Tabiena enim *v. communicare, q.* 45. *n.* 51. videtur sentire, quod neque adhuc soluatur ieiunium. Sed mihi dicendum videtur diuersam esse rationem si attrahatur per os, vel per nares. Si enim attrahitur per os, violat ieiunium naturale; quia licet actio, & motus respirationis non sit actio manducatiua, aut potatiua (quia non est ordinata à natura ad transmittendum cibum, aut potum in stomachum) ordinatur tamen in hunc finem ab ipso respirante, & ideò vt stat sub intentione ipsius induit rationem talis actionis: vnde moraliter censetur actio mãducatiua, vel potatiua, & ideò cum materia interueniat, & actio debita, interuenit etiam manducatio, aut potatio. Si verò attrahatur per nares, non violatur ieiunium; quia nares non ordinantur ad transmittendum aliquid in stomachum, sicut ordinatur os, sed per accidens est, si quid per ipsas ingressum descendat ad stomachum; vnde neque intentio, quæ facit vt aliquid attrahatur per nares, potest esse intentio per se aliquid transmittendi in stomachum: quia intentio per se eligit media per se ordinata ad finem, vnde si talis intentio esset per se, eligeret os; & non nares. Dum autem intentio non est per se, nec actio est ex natura sua manducatiua, aut potatiua, nec interueniet comestio, aut potatio, atque adeò nec violatio ieiunii naturalis Hine aqua hausta per nares non soluit naturale ieiunium, vt tenent Suarez, 3. *part. tom.* 3. *disp.* 68. *sect.* 4. Fagundez, *de prae.* 3. *Eccles. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 14. Diana, *p.* 5. *tr.* 13. *res.* 1. *v. Hoc supposito*, Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 6. & alii

Suarez Fagundez Diana. Bonacina.

Hoc tamen limitandum est, nisi fortè quis assuetus sit per nares attrahere, & in stomachum traiicere liquores: quia tunc, si debita opera id faciat, soluet ieiunium: quia licet illa actio non sit ex natura sua potatiua, est tamen talis ex institutione, & consuetudine attrahentis? nã naribus vtitur loco oris, & ideò censetur moraliter potum sumere.

22 Quidam censent ieiunium deglutientem casu, & præter intentionem bonam quantitatem aquæ, non soluere ieiunium naturale, & sic posse sacram Communionem sumere, & idem dicendum esse de ceteris liquoribus, vt si quis caderet in dolium vini, aut olei; fundatur hæc sententia in eo, quod, vt aliquid sumatur per modum cibi, sumi debet ex intentione, & non casu. Ita Tabiena, *v. Communicare, q.* 45 *n.* 51. Communis tamen sententia oppositum sentit, & ideò tenenda. Ratio est, quia cùm magna quantitas deglutiatur, non potest illa actio induere rationem alterius actionis, quàm potationis; quantumuis violentæ, & præter intentionem: est enim motus quo per se primo aqua, vel alius liquor traiicitur in stomachum. Nec potest dici quòd sit respiratio, aut deglutitio saliuæ, quia in his actionibus, quod per se primò descendit ad stomachum nõ est materia potabilis, sed aut aer, aut saliua. Cùm ergo hic interueniat actio potatiua, meritò soluitur ieiunium. Ita Nauarrus, *in Man. c.* 21. *n.* 53. Toletus, *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Syluester, *v. Euch.* 3. *q.* 6. *n.* 8. Suarez, 3. *p. tom.* 3. *disp.* 68. *sect.* 4. §. *Tertiò infertur*, Vasquez, 3. *p. disp.* 211. *c.* 3. *numer.* 29 & alii communiter.

Tabiena.

Nauarrus. Toletus Syluest. Suarez. Vasquez.

Sed petes, an censendum sit seruari ieiunium naturale, si aqua, aut alius liquor sic haustus eiiciatur è stomacho? Respondet Reginaldus, *lib.* 29. *n.* 118. *in fine*, negatiuè, quia ex hoc non cessat ratio potus sumpti. Dicendum tamen videtur, si probabiliter iudicetur esse eiectum totaliter illum liquorem, posse censeri adesse naturale ieiunium: quia non violatur, nisi per cibum, & potum; tunc autem ille liquor, cùm ingrediatur in stomachum præter intentionem, & ab ipso eiiciatur, non habet rationem potus, sed potiùs cuiusdam lauationis, qua stomachus lauetur In hoc tamen cautè procedendum est, & considerãdæ circumstantiæ, vt possit iudicari, an totus liquor sit eiectus, si enim aliquo tempore permanserit in stomacho, aut sit facilè alterabilis, non poterit censeri totus eiectus, sed semper aliquam particulam alteratam fuisse; & ideò tutius est tunc à sacra Communione abstinere.

23 Non soluitur ieiunium naturale, si aliquid cibi, vel potus intret in conductum respirationis, & eiiciatur, & hoc verum, etiamsi fiat per actionem manducatiuam, & ex animo manducandi, aut potandi. Ratio est, quia dum descendit non in stomachum, sed in canalem respirationis non completur manducatio, aut potatio; quia non est in termino, nisi fiat transmissio in stomachum, vnde descensus cibi, aut potus in stomachum est pars manducationis, qua sublata, non frangitur ieiunium, cùm soluatur solùm per completam manducationem, aut potationem. Ita Paludanus, *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 3. *in fine*, Persicus, *lib.* 2. *de offic. Sacerdotis, c.* 3. *dub.* 6. *n.* 53.

Paludanus Persicus

24 Non impeditur sumptio sacræ Communionis nec soluitur ieiunium naturale, si dum prægustatur vinum, cibus aliquis, aut aliquid aliud ad percipiendum saporem, & expuitur, si remaneat aliquid saliuæ permixtum, & descẽdat in stomachum. Ratio est, quia in hoc casu non interuenit nec comestio, nec potatio; sed fit quoddam experimentum saporis, & per accidens est, quòd aliquæ reliquiæ rei prægustatæ descendant in stomachum, descendunt enim non per modum cibi, aut potus, sed per modum respirationis, aut saliuæ, nempè, per actiones, aut respiratiuam, aut transmissiuam saliuæ ad stomachum. Ita D. Thom 3. *p. qu.* 80. *art* 8. *ad* 4. quem sequuntur Nauarrus, Tabiena, Syluester, Rodriguez. Suarez, Vasquez, & communiter Doctores. Nec est necesse, quod huiusmodi reliquiæ præconuertantur in saliuam, sed etiamsi maneant in sua substantia, quia non est necessaria ista præconuersio, vt tollatur ratio manducationis, aut potationis, quæ sufficienter tollitur per id, quod non adsit actio manducatiua, aut potatiua & ideò non adest, quia fit transmissio in stomachum per actionem transmissiuam saliuæ. Ita sentiunt Gaspar Hurtado, *disp.* 9. *de Euch. diffic.* 5. *v. Obseruandum*, Syluester, *v. Euch.* 3. *q.* 6. *n.* 8. *in fine*, Suarez, 3. *p. to.* 3. *disp.* 68. *se.* 4. §. *Tertio infertur*, & alii.

D. Thom. Nauarrus. Tabiena Syluester. Rodrig. Suarez Vasquez.

G. Hurtad. Syluester. Suarez.

25 Ante sumptionem sacræ Communionis licet aromata ori imponere, & dentibus conterere ad confortandum caput, vel in alium finem Ratio est, quia etiamsi dentibus conteratur, non habetur completa comestio, sed tantùm inchoatio quædam, tunc enim solùm comestio completur, quando cibus trasmittitur in stomachum; nam comestio est actio ordinata ad communicandum substantiã nutritiuam viuenti, vt possit nutriri, & ideò debet constituere cibum in statu proximo, vt possit conuerti in substantiam viuentis, quod non fit, nisi traducatur in stomachum. Ita Bonacina, *de Sacramentis, disputatione quarta quæstione sexta, puncto secundo, numero nono*, Coninck, 3. *p. de Sacramentis, quæstione octuagesima, articulo octauo, numero quadragesimo octauo*, Mercerus, *ibidem, notabili primo*. Si autem aliquid de his aromatibus præter intentionẽ descendat cum saliua in stomachum, adhuc licet Eucharistiam

Bonacina Coninck Mercerus

ſtiam ſumere, quia quod deſcendit in ſtomachum, non deſcendit per modum cibi, ſed per modum ſaliuę, tum quia eſt ipſi immixtum, & veluti ab ipſa abſorbetur, atque adeò moraliter cenſetur ſaliua, tum quia non ſtat ſub actione manducatiua, ſed tranſmiſſiua ſaliuæ in ſtomachum Ita Faustus, *libro primo, de Sacramento Eucharistia, quaſtione* 381.

Faustus.

26 Quidam putant ſumptionem tabachi in puluere, aut in folio ſoluere ieiunium naturale. Ratio illorum eſt, quia ad ſoluendum ieiunium naturale non requiritur quòd ſumatur aliquid verè comeſtibile, aut potabile, ſed ſufficit, quod aliquid mittatur in ſtomachum, ſemper autem aliquid tabachi deſcendit in ſtomachum, ergo. Hæc ſententia non eſt vera, vt ex dictis in præcedentibus patet, quia ieiunium naturale non ſoluitur, niſi per ſui oppoſitum, non opponitur autem niſi cum comeſtione, & potatione, quæ requirunt cibum, aut potum, & actionem comeſtiuam, aut potatiuam. Et ita videtur eſſe communis ſenſus Doctorum, cùm nemo de hoc ſcrupulum ſibi faciat, neque etiam cæteri, qui tabacho non vtuntur, aliis ſcrupulum iniciant. Ratio eſt, quia ſiue ſumatur in folio, ſiue in puluere, ſemper per nares attrahitur, & ordinatur ad caput, vnde nec interuenit actio comeſtiua, quidquam ordinatur ad ſtomachum. Et ſi quid in ſtomachum deſcendit, id eſt per accidens, & non deſcendit per modum cibi, cùm deſcendat, aut ratione reſpirationis, aut ratione alterius rationis, quæ non eſt comeſtio. Si autem ſumatur in folio per os, & aliquid in ſtomachum deſcendat, certum eſt, quod ſoluat ieiunium, quia deſcendit in ſtomachum per modum cibi, aut medicinæ. Si verò ſumatur, vt tantùm dentibus conteratur, aut vt permaneat per aliquod tempus in ore, non ſoluit ieiunium. Et ſi caſu quid minimum deſcendat in ſtomachum præter intentionem, eadem eſt ratio, & idem dicendum, quod diximus *numero præcedenti* de aromatibus, dum dentibus conteruntur.

Si autem ſumatur in fumo, nec ſoluet ieiunium, nec impediet ſumptionem Sacræ Communionis, quia fumus nó eſt cibus, nec potus, vnde nec actione comeſtiua, aut potatiua aſſumi poteſt, ſed tantùm per attractionem reſpirationis, & non per modum cibi, & proinde non frangit ieiunium. Nec refert, quod fumus nutrire poſſit, ex hoc enim non licet inferre, quòd ſoluat ieiunium, quia etiam humores, qui ex capite deſcendunt in ſtomachum, nutrire poſſunt, nec tamen ſoluunt ieiunium, quia non deſcendunt in ſtomachum per actionem ordinatam ad comeſtionem. Ita multi apud Dianam. *p* 5. *tract* 13. *reſol* 1. citati, quibus adde Præpoſitum, 3. *p. q.* 80. *art.* 8 *dub.* 1. *nu.* 39. Paſqualigum, *in deciſ. moral. deciſ.* 333. *&* 334. Cardin Lugo *in reſponſ. moral. lib.* 1. *dub.* 9.

Diana. Præpoſit. Paſqualig. Lugo.

Cæterum quamuis ſumptio tabachi, vt dictum eſt, non frangat ieiunium naturale, niſi quando per os ſumitur, & in ſtomachum tranſmittitur in folio, tamen id non parum indecens eſt, & conſuetudo illa planè ableganda eſt à Sacerdotibus, & miniſtris altaris, tum ob periculum illud traiiciendi in ſtomachum, tum ob irreuerentiam, & prauam conſuetudinem, quæ etiam plebeis ſcandalum, & malum exemplum ingenerare ſolet, vnde in nonnullis diœceſibus id prohibitum eſſe audio, & tunc obſeruanda eſt Sacerdotibus Conſtitutio Epiſcoporum diœceſana Vide Dianam iterum *par.* 10 *tract.* 16. *reſol.* 24. vbi docet ſumptionem tabachi in Eccleſia Diui Petri Romæ, & eius portico; item in Ciuitate, & Diœceſi Hiſpalenſi in Hiſpania, eſſe peccatum mortale, ſtantibus prohibitionibus S.D.N. Innocentii Decimi, & Vrbani Octaui, An autem hæc prohibitio, tam rigoroſa extendi debeat etiam ad alias Eccleſias orbis? Affirmat Paſqualigus, *in quaſtionibus Canonicis centur.* 2. *q.* 175. Negat Card. Lugo *loco cit. nu.* 7. quem ſequitur ipſe Diana: qui tamen monent ſine irreuerētia aliqua loci ſacri id fieri non poſſe.

Diana. Paſqualig. Lugo. Diana.

27 Ignorantia poteſt aliquando excuſare accedentes non ieiunos ad ſacram communionem, etiamſi ſint Sacerdotes: contingere enim poteſt, quòd perſonæ ſimplices, etiamſi ſint Sacerdotes, putent, quòd ea, quæ non ſoluunt ieiunium Eccleſiaſticum, neque etiam ſoluant ieiunium neceſſarium pro ſumenda Euchariſtia: & proinde ante ſumptionem Euchariſtiæ ſumant aliquid aromaticum, vel ad confortandum ſtomachum, vel ob aliam cauſam. Et hi excuſantur à peccato. Ratio eſt, quia vbi non eſt voluntarium, ibi non eſt peccatum: & vbi eſt ignorantia, ibi non poteſt eſſe voluntarium: in iſto autem caſu ſupponitur ignorantia quod ſumptio harum rerum ſoluat ieiunium ſeruandum ante ſumptionem Euchariſtiæ; & proinde is non accedit voluntariè cum impedimento ad ſumendam Euchariſtiam. Atque ignorantia, quamuis videatur craſſa, quia poteſt facilè expelli, non eſt tamen culpabilis; quia iſte talis putat ſe ſcire omnia, quæ debet ſcire in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ: & quod ſufficiat ieiunium, quale ipſe ſeruat, nec de oppoſito habet aliquod dubium Idem dicendum eſt de inaduertentia: quia eadem eſt ratio, cùm vtraque reddat actum inuoluntarium. Ita Armilla, *verb. Communio, num.* 2. Caietanus, *in Summ. verb. Communio*, & alii.

Armilla. Caietan.

28 Dubium eſt, an perturbatio mentis orta ex indigeſtione, vel vigilia noctis, impediat celebrationem, aut ſumptionem Euchariſtiæ? videtur affirmare D. Thomas, 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *ad* 5. Alii autem volunt ex conſilio tantùm eſſe abſtinendum. Ita Nauarrus, *in Manual. cap.* 21. *numer.* 53. ita interpretans Diuum Thomam, Alii denique volunt eſſe peccatum mortale, ſi adſit periculum vomitus, aut alterius irreuerentiæ. Mihi tamen dicendum videtur, diuerſam eſſe rationem de ſumptione Euchariſtiæ, ac de celebratione: ſi enim perturbatio mentis non ſit talis, vt probabiliter timeatur irreuerentia aliqua notabilis, & quæ redundet in Sacramentum, non adeſt ratio, cur impediat Sacram Communionem: ſecus autem ſi adſit periculum. Ad celebrationem autem non ſolùm debet attendi periculum irreuerentiæ, ſed etiam debet conſiderari, an perturbatio ſit talis, vt poſſit impedire, ne Sacerdos debito modo celebret: quia ſi perturbatio ſit talis, vt probabiliter timeatur graue impedimentum, aut circa attentionem, aut circa proſecutionem, peccabit mortaliter, qui ſe exponet tali periculo. Secus ſi abſit tale periculum.

D. Thom. Nauarrus.

Vide v. Concubinarius, *n.* 7. Confeſſio, *n.* 1 2. *&* 3. Debitum coniugale, 1. *n* 9. Interdictum, *n.* 24. Iubilæus, *nu.* 7. Parochia, *n.* 7.

COMPENSATIO.

SVMMARIVM.

1 *Compenſatio quid ſit? & an facta à creditore excuſet debitorem à reſtitutione?*
2 *Quando compenſatio ſit licita.*
3 *Qui mutuum alicui ſemel, aut ſæpius dedit, an poſſit ab eo occultè mutuò pecuniam accipere, quando mutuatarius non vult remutuare.*
4 *An poſſit aliquid occultè in compenſationem accipere, qui amico, vel conſanguineo pauperi alimenta dedit, ſi ad pinguiorem fortunam venerit.*
5 *Quando poſſint famuli occultè compenſationem facere ex bonis Dominorum, pro mercede famulatus.*
6 *Seruus, an poſſit compenſationem facere, ſi preſſus neceſſitate, exiguo conuenit cum Domino.*
7 *An excommunicatio lata in ſurripientes, comprehendat illos, qui in compenſationem acceperunt.*
8 *An qui in compenſationem accepit, poſſit à Iudice rogatus iurare ſe neſcire, quis acceperit.*
9 *An in delictis, ſeu actionibus, quæ naſcuntur ex delicto, licitum ſit compenſationem facere.*
10 *An in delictis diuerſi generis licita ſit compenſatio.*
11 *Delicta coniugum, an mutuò compenſentur, ſi lata ſententia diuortii, contingat coniugem innocentem labi in adulterium.* Refertur duplex ſententia.
12 *An detur compenſatio in debitis ex iuſtitia, cum bonis, vel obſequiis gratis collatis.*

1 COmpoſitio *eſt debiti vtrimque, & crediti inter ſe contributio*, hoc eſt, collatio quantitatum, in quibus duo ſibi inuicem ſunt debitores, & creditores, vt id detrahatur de eo, quod reus debet, & minimè debitū cenſeatur, & pronuncietur, quod ei viciſſim actor debet *Leg.* 1. *ff. de compenſat.*

Vn le hæc facta à creditore,eſt cauſa ſufficienter excuſans debitorē à reſtitutione.Ratio eſt,quia per compenſationem tollitur inæqualitas,& debitor facta per creditorē compenſatione,nihil retinet inuito creditore,compenſans enim cenſetur id ſoluiſſe,quod compenſat, & compenſatio repotanda eſt ſolutio quædam.

Nauarrus. Leſſius. Layman. Filliucius. Syluester.

In foro externo non admittitur cōpenſatio, ſi res quas creditor,& debitor ſibi mutuò debebant,ſont diuerſæ ſpeciei,vt equus,& pecunia Vide Nauartum *in man.cap*,17. *n* 81.82.Leſſium *lib*.2 *c*.16.*dub*.12.Laym.*lib*.3.*tr*.2.*c*.9. *n*. 9.Filliucium,*tra*.32.*c*.5.*n*.150 Syluest.*v.compenſat*.

2 Compenſatio licita eſt concurrentibus, quibuſdam conditionibus,hoc eſt,licet occultè vendicare rem ſuam vel ſibi debitam, ſurripiendo eam alteri, modò conditiones quædam adſint.

Prima, eſt vt moraliter certum ſit debitum,& liquidū, quia liquidi ad non liquidum non datur compenſatio, & in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Secunda,debet compenſatio fieri in re ſibi debita ex iuſtitia,& non ex gratitudine tantùm.

Tertia, vt non poſſis rem tuam alia ratione redipiſci, vel certè nō abſque notabili moleſtia, vel expenſis,vel inimicitiis,vel amiſſione beneuolentiæ,& fauoris, vel quando ei deſunt probationes

Quarta,vt compenſatio fiat in re ipſius debitoris,aut in re ipſius creditoris exiſtente apud debitorem nolētem eā reſtituere,& non in re alterius apud debitorem depoſita, vel accommodata: nam huiuſmodi compenſatio videtur fieri contra fidelitatem depoſiti, vel commodati: quamuis non ſit improbabile in foro conſcientiæ poſſe dari hanc compenſationem,vt dicetur *infra*.

Quinta,vt abſit periculum ſcandali,vel infamiæ,ne tanquam fur puniaris,vel habearis.

Sexta, vt in compenſatione non plus accipiatur, quàm debeatur, nam qui plus accipit, committit furtum cum obligatione reſtituendi exceſſum.

Septima,vt admoneat debitorem, vel eius hæredes iam debitum eſſe ſolutum,ne debitum iterum ſibi, aut ſuis hæredibus ſoluant,vel aliud damnum incurrant.

Clau Reg. Nauarrus. Bonacina. Reginald. Angles. Syluius. Tannerus.

Octaua,quòd creditori veriſimile ſit,quod ad debitum recuperandum nihil ſibi proderit id petere à debitore.His concurrentibus conditionibus, licitè fieri poteſt compenſatio. Ita paſſim Doctores Clauis Reg. *lib*.9.*cap*.14. *n*.5.6. 7.8.Nauarrus,*in man c*.17.*n*.113.*& ſeq*.Bonacina,*de reſtit. diſp*.1.*q.vlt.punct*.2.*n*.12.*& ſeq*.Reginaldus.*lib*.23.*n*.7. Angles,*in* 4.*p*.2.*de reſt.art*.2.*diff*.10.*dub*.14.Sylu.2.2.*q*.62. *art*. 8.*quæſit*.1.*poſt concl*.7.Tannerus,2.2.*diſp*.4.*q*.6.*dub*.14.

Malderus. Diana

Notandum tamen eſt ex his conditionibus quaſdam non admitti, vt neceſſarias ad iuſtam compenſationem á pleriſque Doctoribus. *Primo* enim veriùs putant Malderus,2.2 *tract*.4.*cap*.1.*dub*.6. Diana,*part*.2.*tract*.2.*reſol*.46. *& part*.7 *tract*.10.*reſolut*.17.quando ex occulta compenſatione,neque ſcandalizas quemquam,neque turbas rempublicam,licere clam auferre,etſi abſque peculiari incommodo per magiſtratum poſſis, neque enim tunc inuadis munus iudicis,qui ad publicam pacem tuendam conſtitutus eſt, & in tali caſu agitur tantùm de retinendo,& nō de acquirendo de nouo.

P.Nauarr. Tannerus. Leſſius layman

Secundo, Probabiliter docent P. Nauarr. *de reſtit.libr*. 3.*capit*.1.*numer*.391.Tannerus,*cit.diſt*.14. Leſſius,*libr*.2. *capit*.27.*nnmer*.16. Layman,*libr*.3.*tractat*.2.*capit*.9.*num*. 10.Diana,*part*.3.*tractat*.5.*reſolut*.10. *& in addit.reſolut*.1. in foro conſcientiæ priuatam compenſationem fieri poſſe ex re depoſita apud tuum debitorem,quia de iure naturæ, & gentium eſt,vt poſſit quis ſibi ſatisfacere, quando alia via ſibi debitum habere non poteſt: opinio enim contraria (quæ eſt etiam probabilis ex authoritate leg *Si quis,vel pecunias, iuncta authentica ibi ſubiecta*, *Codic de depoſit*. habet locum pro foro externo, & quando aliter obtineri poteſt compenſatio,ſecùs autem in foro conſcientiæ, quia in hoc caſu nulla iniuria, nec iniuſtitia fit deponenti, ſed vis vi repellitur,nam aliter quis debitum ſuum recuperare non poteſt. Ex his conditionibus ſequentes caſus deciduntur.

3 Qui mutuum alicui ſemel, aut ſæpius dedit non poteſt ab eo occultè mutuò pecuniam accipere, in caſo quo mutuatarius non velit remutuare. Ratio eſt,quia licet ex honeſtate, & debito charitatis teneatur mutuanti mutuo dare,ad id tamen non tenetur aliqua lege iuſtitiæ, Bonacina,*de reſt.diſp*.1.*q.vlt.p*.2.*n* 14. bonacina.

4 Qui amico,vel conſanguineo pauperi alimenta dedit aut alia ob amicitiam,cognationem, aut paupertatem,non poteſt ab illo,ſi ad pinguiorem fortunam venerit, aliquid occultè in compenſationem accipere, etiamſi gratiam rependere nolit Ratio,quia alter ex honeſtate tantùm tenetur, & non ex iuſtitia, cùm nullum interceſſerit pactum, aut obligatio ex parte accipientis beneficium, Clauis Regia,*lib*.9.*cap*.14.*num*.6. Azorius,3.*p lib*.11.*c*.24.*dub*.4.Bonacina,*de contract.diſp*.3.*q*.7.*punct* 4.*n*.5 & alii

Clauis Reg Azorius bonacina

5 Famuli non poſſunt occultè compenſationem facere ex bonis Dominorum,qui ſponte Dominis inſeruiunt, cū ſpe acquirendi mercedem,ſine tamen vllo pacto, aut intentione obligandi Dominos: ſi verò fecerunt conuentionem tacitam, vel expreſſam inſeruiendi cum pretio,poſſunt compenſationem facere, ſi Dominus nolit ſtare conuentioni,quia tunc pretium illis ex iuſtitia debetur. Idem dicendum,quando Dominus famulis,& famulabus, conſiderato eorum labore,conſuetudine loci, non præbet victum ſufficientem:atque illi alia ratione, videlicet Dominum rogando,monendo quod debitum ſibi eſſet,conſequi non poſſint; tunc conceſſum eſt ipſis aliqua occulta compenſatione vti.Ita Corduba,*in ſum.q* 111.Sotus,*de iuſt.lib*. 5.*q*.3.*art*.3.Laym *lib*.3 *tr*.3.*p*.1.*c*.1 *n*.10. Molina,*tr*.2.*tom*. 2.*priore d* 506.Filliuc.*tr* 36.*c*.6.*q* 3.*n*.105.*&* 113.

Corduba Sotus layman Molina filliucius.

6 Quando paruo pretio conuentum eſt inter famulum & Dominum, ea mente vt Dominus ſeruitio diligenter præſtito eſſet ſuppleturus,& hanc mentem famuli Dominus ſatis aduertit, tunc ex iuſtitia Dominus tenetur ſupplere,quia hoc tacitè in pacto continetur: vel ſi preſſus neceſſitate,exiguo famulus conuenit,eò quòd Dominus noluerit maiori pretio conducere, ſi opera famuli multò pluris valeat,& illa Dominus egeat, tenetur ſupplere ſtipendium ad æquiualentiam; alioquin poteſt ſeruus compenſationem facere:quia non cenſetur condonare exceſſum pretii ſibi debiti: Sicut enim,qui mercem neceſſitate coactus minoris iuſto vendidit, in conſcientiæ foro pretii defectum,quem donandi animus non fuit,exigere poteſt;ita etiam famulus ſtipendii defectum, ſi ob neceſſitatem, ob errorem,vel ſimilem cauſam, operam ſuam minoris iuſto locauit.Conferi Nauarrus,*in man.c*.17.*n*.108.109. Medinam,*in Sum cod.de rebus reſtit q*.11. Leſſium, *lib*.2.*c*.12.*n*. 63.Vaſquez,*opuſc.de reſt.c*.5.*§*.1.*dub*.10.*n*.57.

Nauarrus. Medina Leſſius Vaſquez.

7 Si feratur excommunicatio in eos, qui ſurripuerunt aliquam rem,non comprehenduntur illi, qui in compenſationem acceperunt, etiamſi alia via recuperare potuerint, niſi in tribus caſibus, ſcilicet, quando debitum erat dubium, vel notabiliter vltra æqualitatem progreſſi ſunt, vel quando rem alienam acceperunt, quæ non erat debitoris: extra hos caſus, non ligantur excommunicatione, quia etſi peccauerint ſic accipiendo, non tamen peccant retinendo,& eſt ſolùm peccatum in modo accipiendi, vnde non tenentur ad reſtitutionem,Nauarrus,*in man.c*.17. *n* 114.Reginaldus.*lib* 23.*n*.8 Molina,*diſp*.6.*q*.2. *& diſput*. 691.*n*.1.Medina,*cod.de reſt.q*.3.*cauſa*12. P.Nauarr *de reſt. l*.2.*c*.4.*n*.226.& alii.

Nauarr. Reginald. Molina. Medina P. Nauarr.

Imò compenſans non ligatur excommunicatione,quamuis in ſententia excommunicationis exprimatur iuſta cōpenſatio.Ratio eſt, quia compenſans retinendo rem acceptam in compenſationem,non peccat mortaliter contra obedientiam cenſuræ, & ſic hæc ſententia continet errorem intollerabilem, Vaſquez,*de reſt.c*.5.*§*.1.*dub*.9. *nu*.51. Clauis Regia,*lib*.2.*c*.14.*n* 30.*& lib*.9.*c*.14.*n*.13.Bonacina *tom*.1 *de obl.denunt.diſp*.6.*§*.6.*n*.1.& alii.

Vaſquez Clau. Reg. Bonacina.

Addo,quoties ipſe compenſans non ligatur excommunicatione,ſimiliter non ligari non denunciantem hunc iuſtum compenſatorem, quando in edicto præcipitur manifeſtari fures,vel iniuſti detentores. Ratio eſt,quia nemo tenetur ſe, aut alterum innocentem prodere: & quando principalis non ligatur excommunicatione, neque ligatur minus principalis Ita Aragon.2.2.*q*.62.art.2.Salon,2.2.*q*. 66.*art*.5.*contr*.2. P.Nauarr.*lib*.3.*c*.1 *p*.2.*n*.407. Filliuc.*tr*. 14.*q*.9.*c*.2.*n*.40.Et apud Clauem Regiam,& alii.

Aragon. Salon P. Nauarr. filliucius. Clau Reg.

8 Qui in compenſationem accepit iuſtè, poteſt à iudice rogatus iurare ſe neſcire quis acceperit,nempe, vt

Iudex

Iudex intelligit, iniustè. Ratio est, quia in hoc casu iustam habet tergiuersandi causam. Imò si nō rectè accepisset eo quod via iuris facilè potuisset recuperare, probabile est, iuridicè interrogatum non teneri fateri, quia alia videtur mens Iudicis, nempe an acceperit iniustè, non quoad modum tantùm, sed quoad substantiam acceptionis. Ita Nauarrus *c.17.n.116.* Bonacina *e.§.6 n.5.* Valentia 2.2 *disp.5. q.13.punct* 2 Clauis Reg *l.9 c 14.n.14.* & alii ab ipsis citati

Nauarrus. Bonacina. Valentia. Clau. Reg.

9 Licitum est compēsationem facere in delictis seu actionibus, quæ nascuntur ex delicto, quamuis non liceat delicta committere ad faciēdam compēsationem, proinde qui se mutuò infamauerunt, possunt vti compēsationem, dummodo infamia non sit inæqualis, & non oriatur scandalum, compensatio tamen non potest fieri reddendo maledictum pro maledicto, & si tu me infamasti de furto, nō licet mihi teipsum infamare, ad faciendam compēsationē. Verum si tu me infamasti de furto, & ego te infamaui de furto, possū compensationem facere, tamen debet seruari æqualitas delictorum, iuxta regulam in *L. Viro atque vxore 40. ff. solut. matr. Paria delicta mutua compensatione dissoluuntur*. Ita Syluius 2.2.*q.62.art.2.quæsit.*10. Malderus 2.2.*tract.7.dub.*14. Tolet *l.5.c.70.* Diana *p.3. tract.5. res* 30. Lessius *l.2.c.11.dub* 25. & alii.

Syluius. Malderus. Toletus. Diana. Lessius.

Proinde mutua coniugū adulteria compēsantur quoad pœnas ciuiles amissionis dotis, & bonorum adulteræ: & donationis propter nuptias viri adulteri, sicut quoad diuortium: & vir adulter minimè lucratur dotem, aut alia adulteræ bona, nec vxor adultera donationem propter nuptias factam sibi à viro Sanchez, *de matrim. lib.*10. *disp.*8. *n.9.* Rodriq. *in sum.to.1.c.99.n.2.* Vega, *to.1.sum.c.94.cas.2.*

Sanchez. Rodriq. Vega.

10 Compensatio licita est non solùm in delictis eiusdē generis, sed etiam diuersi generis; propterea maritus qui occidit adulterantem, cum sua vxore potest compensationem facere cum iniuria sibi facta per adulterum. Ita quidam, quos tacito nomine refert Bonacina, *de rest.disp.1.q. vlt.punct.2 n.24.*

Bonacina.

11 Secundùm probabilem multorum Doctorum sententiam compensantur mutuò delicta, si lata sententia diuortii, contingat coniugem innocentem labi in adulteriū, ac proinde iure actionis competet coniugi dimisso repetitio alterius. Ratio est, quia coniuges iure diuino nequeunt separari, nisi ratione fornicationis: ergo si vterque fuerit fornicatus, debent iterum coniungi. Ita nonnulli Iurisperiti apud Sanchez, & ex Theologis, D Bonau.4. *d.35. art.vnic.q.5.* D. Anton.3 *p.10.1.c.21.§ 6* Angles, 1.*part de matr.q.9.de diuort.art.2.diff.6* Graffiis, 2.*p.lib.*3 *c.12.n.*85.

D. Bonau. A. Anton. Angles. Graffiis.

Verùm probabilior sententia asserit nullam actionem acquiri coniugi adultero vt repetat innocentem, qui post diuortii sententiam adulteratus est, atque ita ea delicta minimè compensari, integrum tamen esse iudici vt eos conciliet, ex officio suo illos cogens, quo fornicationis periculo consulatur. Ratio est, tum quia semel benè diffinitum, minimè retractandum est. Tum quia seruitus coniugis innocentis per sententiam diuortii semel amissa, ipso postea adulterante non renascitur: sententia enim absoluit innocentem à debito coniugalis societatis: dissoluitque contractum matrimonii quoad ius thori, & habitationis, manente vinculo, quare innocens postea fornicans, reus erit adulterii in ordine ad Deum, ob vinculum matrimonii perseuerans, non tamen peccabit aduersus coniugem dimissum, nec illi iniuriam inferret, vtpote qui iure in illius corpus destitutus erat per sententiam. Ita D. Thom.4 *dist.* 35.*q.1.art 6.* Henriq. *lib.11.de matr.c.17.n.3.* Bonacina, *de matr.q.4.punct.5.num.*19. Sanchez, *de matr.libr.10.disp.9. n.*30. Reginaldus, *lib.31.num* 330. Filliucius, *tr.10.nu.*375. & 377. Gutierrez, *de matr.c.129.n.18.*

D. Thom. Henriq. Bonacina. Sanchez. Reginald. Filliucius. Gutierrez.

12 Non datur compensatio in debitis ex iustitia cum donis, vel obsequiis gratis collatis. Ratio est, tum quia, qui gratis dat suo creditori aliquid, non intendens per illud soluere debitum, transfert rei dominium titulo donationis vnde non manet liber hoc modo ab antiqua obligatione iustitiæ cùm titulus donationis, & iustitiæ sint tituli distincti, & hoc verum, quamuis debitor ignorauerit debitum ex iustitia, quando gratis contulit donum, vel obsequium, obliuio enim debiti non facit, vt illa donatio liberè facta non habeat titulum donationis, vnde nec obligationem debiti ex iustitia tollere censetur. Ita Sanchez, *in sum.lib.1.*

Sanchez.

c.13.n.11. Rodriquez, *in sum.p.2.cap.49 concl.2.* Arragon. 2 2.*q.62.art 8 causa 4.* Salas, *de leg.disp.9.sect.2.n.15.* Vide Præceptum, *num.5.* Horæ canonicæ, 5.*n.*13. & Dianam, *p. 7.tract.*10. *resol.*19. qui pro contraria sententia refert aliquos Doctores.

Rodriq. Arragon. Salas.

De Compensatione vide v. Detractio, 2.*n.*12. Diuortiū, *n.*18. Gabella, *n.9.* Horæ canonicæ, 5.*n.6.* Repræssaliæ. Restitutio, 5.*n.*12. Vsura, 3.*n.7.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *In quibus casibus exceptio compensationis habeat locum.*
2 *In quibus non.*
3 *An in iuramento implendo liceat vti compensatione?* Refertur duplex sententia.
4 *Qui iurauit cum intentione compensandi, potest recompensare, etiamsi in verbis nihil expresserit præter promissionem.*
5 *In foro externo admittitur etiam compensatio pro solutione debiti, seu promissi iurati, vt manifestè constat non fuisse per iuramentum exclusam compensationem.*

1 Compensatio non est actio, sed acceptio, quia is, qui pro debito aliquo conuenitur ab alio, illi excipit, & opponit debere tantundem, aut plus, aut partem. Hinc exceptio compensationis habet locum in sequentibus casibus. *Primò*, quando id quod actor debet reo conuento, est debitum naturale, & non ciuile; actor enim tenetur illud compensare cum debito ciuili, & naturali, quod ipse exigit, *leg. etiam, ff. de compensat* quia licet ex debito solùm naturali non detur actio, conceditur tamen exceptio, & ideò compensatio. *Secundò*, habet vim contra executionem sententiæ, quæ transit in rem iudicatam si enim condemnatus soluere cogatur ea executione, quod iudicatum est, hoc ipso quod opponitur exceptio compensationis, habet vim liberandi eum, qui illam opponit ab obligatione soluendi creditori, æqualem quantitatem alterius debiti quam petit. *Tertiò*, quando vtrimque debetur id quod consistit in pondere, numero, & mensura, & est eiusdem rationis, & speciei, æqualis tamen bonitatis, & valoris. *Quartò*, socius debitor societati ob damnum aliquod sua culpa subsecutum, compensare potest cum debito, quod ipsi societas deberet, *leg. Ambo, ff. de compensat.* *Quintò*, fideiussor alicuius compulsus soluere pro eo compensare potest, si quid creditor ei debebat, hoc est principali, nam exceptio quæ competit debitori principali aduersus creditorem, competit etiam fideiussori. Præterea compensare potest, si quid creditor debeat ipsi fideiussori, *leg. verum, leg. si quid, ff. de compensat.* vide Molinam, *tractat.2 disputat.*560 *numer.*17. & *sequent.*

Molina.

2 In sequentibus euentibus locum non habet compensatio. *Primus*, si aliquid debeatur fisco, vel Principi, vel cōmunitati ad reparationem murorum, fontium, pontium, vel similium, vel ad victualia, & stipendia militum, vel ad aliud quodcumque tributum, *leg. in ea. iunct. Gloss. Cod. de compensat.* *Secundus*, quando aliquis condemnatur, vt aliquid reddat alicui ob vim illatam, furtum, aut aliud maleficium; quamuis enim hic illi debeat, locum non habet compensatio, idque in odium delicti commissi. Ita habetur *leg. vlt. in fine, iunct. Glossa, Cod. de compensat.* Excipitur nisi debitum esset ex simili maleficio, nam tunc locum haberet compensatio quoad ipsa huiusmodi debita tantum inter se collata. *Tertius*, in deposito, iuxta dicta *tom.1. hoc verb. num.2.* *Quartus*, quando debentur alimenta, id enim debitum non compensantur. Ita Molina, *supra n.25.* Layman, *lib.3.tr.2.c.9.n.9.*

Molina. Layman.

3 In iuramento implendo non licet vti compensatione, verbi gratia, quis iurauit realiter soluere, & ita intendit. Ratio est, quia hoc exigit veritas iuramenti, & licitè impleri potest, ergo seruandum est. Tum quia quoad forum conscientiæ, totum hoc pendet ex intentione iurantis. Tum quia *in capite ad nostram primo, de iureiurando* dicitur, vt qui pecuniam mutuò accepit dato pignore, cum iuramento non recipiendi pignus, donec pecuniam

solueret, obligatur ex vi iuramenti ad soluendam pecuniã priusquam pignus exigat, nulla facta compensatione, nec in totum, nec in parte fructuum ex pignore perceptorum à mutuatario. Cuius responsi non potest alia esse ratio, nisi quia iuramentum est implendum in forma, qua factum est absque compensatione. Et in hoc casu maximè locum habet communis Canonistarum opinio apud Gutierrez, *parte tertia, de iuramento confirmatorio, c.6* Quamuis Bartolus, *in leg. Amplius, ff. rem ratam haberi*, sustineat posse iuramentum adimpleri per æquiualentem compensationem: & hanc opinionem sequuntur frequentiùs Legistæ: quam esse in conscientia securam docet Syluester, *verb. Iuramentum*, 4. q. 27. sequitur Azorius, *tomo primo, libro vndecimo, cap. 8 quæst.* 10. Ratio illorum est, quia qui promittit alteri decem, videtur subintelligere conditionem Si tu mihi altera decem solueris, quæ debes. Hæc sententia non est improbabilis.

Syluester. Azorius.

4 Qui iurauit cum intentione compensandi, non tenetur realiter exhibere, quod promisit, sed potest recompensare, etiamsi in verbis nihil expresserit præter formalem promissionem: imò neque etiam peccauit cum tali intentione promittendo. Ratio est, quia iuramentum non obligat, nisi iuxta intentionem sub qua fit, sed in eo casu promittens non intendit iurare præcisam solutionem, vel remissionem æqualis debiti, ergo non amplius obligatur. Et licet non declarauerit id verbis, tamen ea recipiunt declarationem ex intentione, & præterea in verbis dandi, vel soluendi, est capacitas ad hanc declarationem: nullum autem peccatum est iurare cum hac intentione; quia nec continet iniustitiam, quia compensatio supponitur iusta, nec continet mendacium, quia verba sunt capacia illius significationis, & est iuri conformis; cùm compensatio secundùm ius pro solutione habeatur, vt constat ex *leg.* 4 *§. soluisse, de re iudic.* Sed qui iurat promittendo, potest sine peccato vti verbis iuxta sensum iurium: ergo. Ita Suarez, *de iurament. libro secundo, cap. 37. num.* 10. Filliuc. *tr.* 25. *c.* 8. *q.* 12. & alii.

Suarez. Filliucius.

5 In foro externo admittitur etiam compensatio pro solutione debiti, seu promissi iurati, vbi manifestè constiterit non fuisse per iuramentum exclusam compensationem, neque hanc fuisse intentionem iurantis. Probatur ex *cap. ad nostram*, 1. *de iureiur.* illis verbis: *Licet autem de possessionibus illis, & redditibus nondum sortem, deductis expensis, receperit.* Nam per hæc significatur iniustè fuisse mutuantem excommonicatum, quia nondum sortem receperat, quare à contrario sensu, si constitisset recepisse sortem, potuisset meritò excommunicari, nisi pignora redderet, sorte contentus: ergo supponitur in eo casu admittendam fuisse compensationem. Ratione item probatur, quia hoc est consonum naturali iustitiæ, & nullibi prohibetur, nec in reipsa est contra iuramentum: cur ego non admitteretur in externo foro Ecclesiastico, si veritas sufficienter probari possit. Ita Suarez, *c. n.* 17.

Suarez

Vide v. Commodatum, *n.* 12. Depositum, *n.* 5. Furtum, *n.* 19. Sponsalia, *n.* 16.

COMPROMISSVM.

SVMMARIVM.

1 *Compromissum quid sit? & qualis contractus.*
2 *Quãdo compromissum transeat in contractũ nominatũ.*
3 *In compromisso ea exprimi debent, ad quæ arbitrandum ac definiendum à compromittentibus in arbitris, aut arbitratoribus, facultas eis conceditur.*
4 *Clausulæ, quæ apponi consueuerunt in compromissis.*
5 *De obligatione compromissi celebrati solo pacto nudo.*
6 *Compromissum pactum est nudum interim dum à neutra parte quicquam est tributum, ac traditum alteri, ratione eius pacti.*
7 *Arbitri iure ciuili communi cogi non possunt vlterius progredi in causa sibi commissa, nisi pœna apposita sit partibus non stantibus arbitrio.*
8 *Vt sententia arbitri censeatur emologata, iure ciuili necesse est vt partes se eo illi subscribãt: iure autẽ Canonico satis ad id esset, si verbo, aut quouis alio modo in eam consentiant.*
9 *De obligatione compromissi firmati stipulatione.*
10 *A sententia arbitrorum iure communi non admittitur appellatio.*
11 *De compromisso stipulatione firmato, vbi simul pœna contrauenienti fuit apposita.*
12 *Quid iuris de compromisso firmato iuramento.*
13 *Licet arbitri sententia iniustè partes grauaret, si iuramento compromissum fuit confirmatum, tenetur pars iniustè grauata illi stare sub peccato mortali, nisi prius iuramentum relaxetur.*
14 *An detur actio iure ciuili, & Canonico, quando compromissum est in aliquem arbitratorem, vt aliquid definiat in complementum alicuius contractus.*
15 *Quid iuris de compromisso facto in aliquem, quantum pro iniuria accepta, aut pro damno dato esset soluendum.*
16 *An ab arbitramento possit reclamari, quando in arbitratorem est compromissum, pœna ei apposita, qui arbitramento non steterit.*

1 Compromissum *est contractus quidam, quo aliqui mutuo consensu in sententiam arbitri, aut arbitratoris reiiciunt controuersiam aliquam dirimendam, spondentes se illis parituros.* Ex qua definitione patet, quod compromissum sit contractus innominatus, quòd voluntarium, & liberum vt fiat, aut non fiat, postquam autem factum est, adstringit compromissarios ad standum arbitrio. Hic cõtractus est onerosus, quia vnusquisque compromittentium se adstringit stare definitioni arbitrorum, aut arbitratorum, vt alter vicissim similiter sibi adstringant eidem definitioni stare. Quòd sit innominatus patet, quia compromittere est simul, ac mutuò sibi promittere, quod conuenit etiam aliis contractibus, & proinde hic contractus non habet proprium, & peculiare nomen, vt habent venditio, locatio, & alii nominati contractus, sed solùm per accõmodationem, & appropriationem. Reducitur autem ad facio vt facias, hoc est adstringo me stare ei definitioni, vt tu similiter te mihi adstringas eidem stare: vel recedo à lite, meumque ius arbitrio talis, aut talium committo, vt tu idem facias. Ita Molina, *tract. 2. disp.* 556. *n.* 7. *&* 8. *& tractat. 5. disp.* 32. Filliucius, *tract.* 39. *n.* 71. *&* 72. Syluester, *v. Arbiter.*

Molina. Filliucius. Syluester.

2 Compromissum transit in contractum nominatum addita stipulatione ex vtraque parte, tamen vt in contractum nominatum adiectione stipulationis transeat, necesse est, vt vterque compromittentium præsens sit, vt dicetur infra *verb. Stipulatio.* Cùm autem contractus compromissi, ex parte arbitrorum, aut arbitratorum, itavt partes audire, & ferre arbitrium, seu arbitramentum, ac definitionem teneantur, consensu, & acceptatione eorum compleatur, quia vt habetur *libr. 3. §. 1. ff. de recept. arbitr.* Prætor neminem ad id cogit, eo quòd id liberum, & absque vlla necessitate ex parte illorum sit, attamen postquam semel consentiunt, munusque acceptant, Prætor suam interponit auctoritatem, eosque cogit, vt officium, quod in se receperunt, impleant. Cùm, inquam, ad cum effectum acceptatione, seu consensu arbitrorum, seu arbitratorum exteriùs expresso is contractus compleatur, sanè arbitrorum præsentia ex eo capite idem contractus non indiget, vt ex eo pacto nudo ad id arbitri, aut arbitratores teneantur, eo modo quo id pactum nudum potest eos ad id obligare, sed satis est, si per Epistolam, aut per internuncium in id consentiant, aut alio modo absentes, ac distantes à compromittentibus in ipsis. Si tamen stipulatione ad id se essent obligaturi, necessaria esset eorum præsentia. Ita Ioãnes Baptista *de arbitris, cap.* 11. & post illum Molina, *tract. 5. disp. 32. n. 4. &* 5.

Molina

3 In compromisso ea exprimi debent, ad quæ arbitrandum, ac definiendum à compromittentibus in arbitris, aut arbitratoribus, facultas eis conceditur: quia arbitrium, ac definitio excedere non potest facultatem à compromittentibus concessam, & in compromisso contentam: si autem excedat est nullum, quod ad id arbitrium, ac definitio. Ita habetur *l. non distinguamus, §. de officio, ff. de recept. arbitr.* Possunt tamen clausula multa comprehendere, exprimi ea multa in compromisso, vt si dicatur compromittimus in talem, aut in tales quæstiones omnes, quę inter nos

funt,

sunt, aut similis alia clausula nulla comprehendens apponatur, *l. si cum dies, §. plenum. ff. de recept. arbitr.*

4 In compromissis, *Primo*, apponi consueuit clausulæ quod arbitri procedant non seruata forma, & solemnitatibus iudicii, sed summariè, & de plano, sine figura iudicii, seruata tantum æquitate, quæ clausulæ validæ sunt, & vim habent, quia arbitri à partibus habent totam potestatem inter ipsas eo modo iudicandi, & modum, quem seruare in iudicando inter eas possint, aut debeat, præscribere possint, remittēdo illis de forma iudicandi, quod voluerint.

Secundo, quando aliqui dicerent se compromittere in aliquem, vt in arbitrium, & in arbitratorem, nihil aliud addicendo, nec exprimendo modum, quem in procedendo seruare deberet, nisi ex circumstantiis cōcurrentibus perspicuè intelligeretur partes eis verbis aliud intendisse, relicta est ei optio, vt seruata iudicii forma, vel non seruata procederet, pro vt vellet, talis enim modus loquendi ortum habuit ex frequenti opinione DD. quod id sit discrimen inter arbitrum, & arbitratorem, quòd arbiter seruare debeat formam, & solemnitates iudicii, non autem arbitrator.

Tertio, quando in aliquem vt in arbitrum compromitteretur, nihilque exprimeretur vnde intelligeretur, vt procederet non seruata iuris forma, illam omninò seruare teneretur in procedēdo, & arbitrando, iuxta *l. 1 ff. de recept. arbitr.* & communem DD. sententia, alioquin inualida esset, quæ talis arbiter ageret, ea integrè non seruata.

Quarto, quando verò partes compromittunt in aliquem cum facultate, vt procedat non seruata forma iuris, sed tantum æquitate, & sine strepitu iudicii, tunc talis arbiter debet seruare ea quæ sunt iuris naturalis, quale est, vt audiat partes quæ proponere velint, ea quæ debet expendere & examinare quantum satis est, vt veritatem humano more assequi valeat.

Quinto, quando autem partes non concederent solam facultatem arbitris, vt procederent non seruata forma iudicii, sed etiam compromisso eis præscriberent, vt eam formam non seruarent, tunc seruare non possent, paribus aut earum altera iniuris, formam, quam ex forma compromissi intelligeretur partes intendisse, vt nō seruaretur.

Sexto, neque arbitri, neque arbitratores quicquam facere, aut ex ignorantia crassa, & lata culpa in examinandis meritis, & iure vtriusque partis, tollere possunt de iure vnius partis, & tradere alteri, nisi id ei a partibus ipsis efficere concedatur. Quod si vna pars consentiret, vt ad vitandos sumptus litium, arbiter, aut arbitrator aliquod tolleret de iure suo, & traderet alteri, tunc vtique posset absque obligatione vlla ad restitutionem illi parti, à qua ius aliquod abstulit, id enim egit ipsa consentiente.

Septimo, inualidum est compromissum, quo aliquod in aliquem compromittitur, cum astringendo, vt in iudicando aliquem consulat, eiusque consilium sequatur. Arbiter enim liber relinqui debet, vt id in licet quod sibi iustum, & æquum visum fuerit, *l. item si vnus, §. item Pomponius, ff. de recept. arbitr.* Non tamen prohibeantur arbitri consulere peritores. De his Molina *tr. 5. d. 33. Filiuc. tr. 39 n. 77.*

Molina. Filliucius. 5 Quando compromissum solo pacto nudo fuit celebratum, neque pœna apposita, neque stipulatione, ex iure communi ciuili ex illo non oritur obligatio ciuilis illud seruandi, nisi ex altera parte traditione sit impletum, atq. adeo ea traditione, ac impletione transeat ex parte illius in pactum vestitum, si enim alter impleuit, habet actionē contra alterum, vt vel cogat illum implere ex parte sua, vel soluere interesse, quod ex hoc qui impleuit passus esset, vel vt repetat quod dedit, optioque est ex parte eius, qui pactum impleuit, agere aduersus alterum ad quod ex illis tribus maluerit. Tamen iure ciuili communi conceditur nihilominus retinere, quod ex tali pacto nudo solutum acceptumque est, ita quod ius ciuile actionem non concedit ad illud repetendum, cùm ex eo oriatur obligatio naturalis, & in foro conscientiæ. Præterea eodem iure communi eidem conceditur, vt si aliquid ex pacto nudo iustè teneat, quod ex debito ciuili contendatur ad ipsum non pertinere, liteque ab eo exiguatur, possit excipere ac opponere ex pacto nudo illud se iustè retinere: neque locū iam eam litem circa id habere. Vnde naturale debitum ex solo pacto nudo, quamuis non pariat actionem ciuilē, pariat tamen exceptionem de iure ciuili, & in foro sæculari. Ita Molina *tr. 2. d. 255. & 257. & t. 5. disp. 34. n. 1. & 2.* Molina.

6 Compromissum, quo aliqui in arbitros, aut in arbitratores compromittunt, atque se adstringunt stare illorū sententia: seu arbitrio, aut arbitramento, pactum est nudum iterum duin à neutra parte quidquam est tributum ac traditum alteri ratione eius pacti id quod verum habet etiam post sententiam ab ipsis prolatam, estō partes in illam consenserint modo tamen nondum à partibus aliquid sit tributum ad impletionem contractus.

Sententia autem arbitri, arbitramentumq. arbitratoris, quia non procedunt ab abente iurisdictionem, sed solùm vi pacti, & compromissis partium, nullam vim habent obligandi, quam illam, quæ ex pacto, & compromisso oritur aut quā ius temporis progressu tribuere voluit pacto, & compromisso consentientibus partibus in sententia, aut reducto in arbitrio ad æqualitatem, in euentibus, in quibus id locum habet, Molina *tr. 5. d. 34. n. 3. & 4.*

7 Arbitri, licet consentiant in compromisso facto solo pacto nudo, iure ciuili communi cogi non possunt vlterius progredi in causa sibi commissa. At si pœna apposita sit partibus non stantibus arbitrio, cogi à iudice ordinario, ad partium, aut ad partis petitionem possunt in causa progredi, arbitriumque proferre Atque idem est, si partes pignora dederint, quod arbitrio stabunt: nam tunc illa in pœnam amittent, nisi arbitrio stent. Idem est, si fideiussores dederint, quo arbitrio, & compromisso starent: quamuis enim ex pacto nudo non detur actio de iure ciuili aduersus paciscentes ipsos, datur tamen aduersus fideiussores datos quod partes id pactum implebunt. Prædicta habentur, *l. litigatores, §. arbitrium, iuncta Glossa ibi, & §§ seqq. Et l non distinguamus, §. non cogetur, ff. de recept. arbitr.*

8 Quamuis de iure ciuili, vt sententia arbitri censeatur expressè emologata, necesse sit partes sese illi subscribere. vt constat ex *l. ne in arbitris, §. vlt, Cod. de recept. arbitr.* De iure tamen Canonico satis ad id esset, si verbo, aut quouis alio modo in eam sententiam consentiant, *capit. per tuas de arbitr.* Imò esto sententia aliàs esset nulla, quia procurator sine sufficiente ad id cōmissione celebrasset compromissum, nihilominus si sententia approbaretur à parte, cuius ille erat procurator, censeretur emologata: quia eo ipso ea pars censetur ratum habere antecedens compromissum. Ex his patet compromissum ex nudo pacto obligare partes ad parendum præceptis arbitrorum rationabilibus concernentibus expeditionem causæ, nisi iusta causa superueniat impedimenti sufficientis, quæ partem, id non adimplentem excuset. Ratio huius est, quoniam, præterquam quòd in compromisso solet exprimi, quòd stabitur arbitrio, & sententiæ arbitrorum, & quòd compromittentes parebunt præceptis eorum quoad necessaria ad causæ expeditionem, idipsum sanè habet natura compromissi in arbitros, & munus, quod eo compromisso illis tribuitur, & ab ipsis acceptatur. Hæc ex se constant *ex leg. item proferre, §. si quis litigatorum. ff. de recept arbitr.*

9 Quando compromissum in arbitrum stipulatione, fuit vallatum, seu firmatum, arbiter cogitur progredi in causa, & arbitrium, seu sententiam congruo tempore ferre, lata autem sententia iure communi ciuili, parti quæ vult illi stare, conceditur actio contra alterum nolentem ei parere, vt soluat quantum sua eius, in cuius fauorem lata est, interest eam alteram partem illi paruisse. Ita habetur, *leg. idem proferre, §. vltim. ff. de recept. arbitr.* Ratio est, quia stipulatio est legitimus contractus nominatus, ex quo de iure ciuili communi resultat ciuilis obligatio, debitumve ciuile ad id omne, ad quod quis se eo obligauit, daturque ex eo actio ad illius integram impletionem, & & in defectum impletionis ad interesse, eo autem compromisso stipulatione vallato partes se astrinxerunt sententiæ arbitri stare, modò sententia non contineat manifestam, iniquitatem ac iniustitiam.

10 Iure communi à sententia arbitrorum non admittitur appellatio, siue in compromisso pœna fuerit apposita parti, quæ illorum sententiæ non steterit, siue non, vt constat *l. 1. Cod. de recep. arbit.* quia illa, quatenus sentētia vim non habet obligandi, sed solum vis obligandi, vt illi stetur prouenit ex compromisso, ac pœna in illo apposita. Quando autem post sententiam ab arbitrio latam appel-

landum eſt, appellatur ad iudicem rei, qui ab arbitri ſententia appellat, ille enim futurus eſt executor ſententiæ arbitri. Poſtquam autem à ſententia arbitri appellatum eſt ad iudicem ordinarium, pars grauata ea appellatione, & ſententia lata ab eo indice ordinario, poteſt vlterius appellare ad iudicem alium Superiorem, ad quem appellari
Molina. ſolet à tali iudice. Ita Molina, *tr.5.diſp.35.n.4.& ſequ.*

11 Quando commpromiſſum ſtipulatione fuit firmatum, & ſimul appoſita fuit pœna contrauenienti ſententiæ, tunc ſi appoſita non fuit clauſula, rata manente ſententia, de iure communi, ſi is, qui ea fuit damnatus, expreſsè illam emologauit, victor agit ad ſententiæ exequutionem, ſi victus eam implere nocetur, quia damnatus ea ſententia iam elegit potius illi parere, quam ſoluere pœnam *l. diem proferre, §. vlt. ff. de recept. arbit.*

In commpcomiſſo firmato ſtipulatione, appoſita pœna non ſtaoti commpromiſſo ac ſententiæ, ſi addita ſit clauſula, *rato nihilominus manente compromiſſo*; tunc ſecuta ſententia, & emologata expreſsè de iuce communi ciuili agitur ſolum ad ſententiæ executionem, ſi damnatus ſit in mora eam adimplendi, & non ad pœnam eo quod pena incurſa non ſit, quandoquidē ſententię ſtetur non repugnando ac cōtradicendo. Si tamen minor vel Eccleſia ſe læſam ea ſententia inueniret, peteretq; in eo euentu beneficium reſtitutionis in integrum aduerſus eam ſententiam, tunc pęnam nullam incurceret, quia nihil impediente tali compromiſſo, & clauſula illa in eo appoſita vtcretur iure ſuo ac priuilegio ciuili iure conceſſo, quod impunè ac licitè efficere poteſt.

12 Etſi compromiſſum iuramento confirmatum pare ret olim obligationem ad illud ſeruandum, etiam in foro ciuili, tamen ob frequentiam periurii vetitum eſt iure Authenticorum, in *Authent. decernit, C. de recept. arbitr.* & latiùs in *Authent. de iudicibus, §. quia verò*. Hinc ſecundum
Bartolus. Bartolum in *Authent. decernit, citata*. Non tenentur partes, quæ iuramento id confirmarunt, illud ſeruare. Me-
Panormit. ritò tamen Panocmitanus, in *cap. non ſanè, de arbitr. num. 8.* & alii eam Bartoli ſententiam reiiciunt. Quando enim, quod fieri cum iuramento promittitur, non eſt malum in ſe, ſed ex parte iurantis, ſeruari poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ, ſanè prohibitio, ne id iuramento confirmetur, non tollit à iuramento vinculum, vimque obligandi, vt ſub reatu periurii ſecuetur, ac proinde ea prohibitio in cauſa non eſt, vt qui id iurauit, non teneatur ſeruare rem licitam, ad quam ſeruandam iuramento ſe obligauit: ſed ſolùm efficit, vt peccauerit id ita iuramento confirmādo contra legis prohibitionem. Quò fit, vt talis perinde in foro cōſcientiæ ſub reatu periurii teneatur id compromiſſum ſeruare, ac ſi ea lex lata non fuiſſet. De iure autem Canonico actio datur ad ſtandum compromiſſo iuramento firmato, *vt c. non ſanè, & c. cum tempore, de arbitr.* liquet Neque de iure canonico eſt prohibitum confirmare iuramento compromiſſum, ſed potiùs id approbatur: eaque de cauſa perſonæ Eccleſiaſticæ, imò & laicæ in cauſis Eccleſiaſticis licitè id poſſunt efficere: in cauſis verò ſæcularibus laicæ peccabūt
Molina. ſaltem venialiter, vt bene probat Molina, *tr.5. diſp.35.*

13 Si compromiſſum fuit iuramento confirmatum, atque adeò etiam iuratum illi ſtare, eſtò arbitri ſententia iniuſtè partes grauaret, quæcumque ea eſſet; tenetur pars iniuſtè grauata illi ſtare ſub peccato mortali, niſi prius iuramentum relaxetur: quia ſtace illi poteſt ex ſua parte ſine vllo diſpendio ſalutis æternæ. De iure tamen ciuili non datur actio ad agendum, ſtare tali ſententiæ. De iure canonico in compcomiſſo iurato, ſiue interuenerit ſtipulatio, ſiue non, datur actio, vt ſtetur ſententiæ arbitri. Quòd ſi adiuncta fuit pœna ei compromiſſo, & arbitri ſententiæ non ſtanti, ſatis eſt partem, quę ſtace non vult ſententię arbitri, ſoluere pęnam, eaque ſolutione pœnæ electa, non tenetur ſtare ſententiæ, nihil impediente iuramento. Deniq; ſi compromiſſum iuramento confirmatum eſt, & promiſſum ſub eodem iuramento, quò ſtabitur ſententiæ arbitri, tunc eo ipſo cenſetur ſub eodem iuramento virtute renūciatum ſub periurii reatu petitioni reductionis talis ſententiæ ad æqualitatem arbitrio prudentis. De his plura a-
Molina. pud Molinam, *tr.5. diſp.36.*

14 Quando compromiſſum eſt in aliquem arbitratorē, vt aliquid definiat in complementum alicutus contractus, ex quo actio de iuce ciuili detur, vt quam portionem lucri quiſque ſocinrū ex contractu ſocietatis debeat accipere, quantum pretium ſolui debeat ex re vendita, ex re locata, &c. tunc eſtò compromiſſum celebratum ſit pacto nudo, non ſolùm de iure Canonico, ſed etiam de iure Ciuili datur actio, vt id arbitramentum executioni mandetur actio, vt id arbitramentum executioni mandetur, nihil impediente, quòd nulla pœna fuerit ſtatuta ei, qui tali arbitramento ſtare non vellet. Si tamen pars ſe iniuſtè grauatam eo arbitramento cenſeret, tunc ei concedi-tur petere vt arbitrio prudentis ad æqualitatem, ad iuſtitiæ limites reducatur Ita Bartolus *in l. ſi ſocietatem, §. arbitrorum, ff. pro ſocio, n* 14. & Doctores communiter. Se- Bartolus.
cus tamen eſſet, ſi compromiſſum factum eſſet ſimul cum contractu modo dicto, vel firmatum eſſet ſtipulatione, iure enim ciuili non daretur actio ad illius executionem. Ita Innocentius, *in c. Quintauallis, de iure iurand.* Innocent.

15 Si compromiſſum eſſet factum in aliquem, quantū pro iniuria accepta, aut pro damno dato, eſſet ſoluendum, tunc ſecuto arbitramento, quod reducendum non ſit ad li-tes iuſtitiæ arbitrio prudentis, datur actio de iure ciuili communi ad executionem talis arbitramenti? Quod ſi intra decem dies non reclametur, & expreſsè eſſet emologatum, & ceceptum à partibus, non eſt amplius locus reclamationi, ſed executioni mandari debet: reclamatio autem quando facienda eſſet, fieri debet ad iudicem ordinarium, qui de ea cauſa cognoiturus eſſet, ſi partes non compromiſiſſent in arbitratorem, quique arbitramentum mandare debet executioni, ſi non reperiatur apertè iniuſtum, aut poſtquam ad iuſtitiæ limites fuerit reductum.

16 Quando in arbitratorem eſt compromiſſum, pęna ei appoſita, qui arbitramento non ſteterit, tunc id non impedit quo minùs ab arbitramento poſſit reclamari, ac peti vt ad iuſtitiæ limites reducatur. Atque ſi comperiatur culpa caruiſſe eam reclamationem, quia arbitramentum iudicatum fuiſſe iniuſtum, tunc locum non habet pena: quia vbi non interuenit culpa, locum non habet conuentionalis pęna, quæ ob culpam imponitur. Si verò arbitramentū antea latum approbetur, & per conſequens reclamatio ab illo reprobetur, tunc pęna incurritur. Arbitratores autem iurare poſſunt ſe verum arbitramentum laturos, & partes confirmare compromiſſum in arbitcatorem; præſertim ſi arbitratores miniſtri publici ſint. Qua de re pluribus Mo- Molina.
lina, *tr. 5. diſput.38.* Hæc ſatis de compromiſſo. Vide di-cta ſupra, *verb. Arbiter, Arbitrator, Arbitrium*, Electio, *n. 24. & 25.* verb. Tcanſactio, *n.3.*

CONCILIVM.

SVMMARIVM.

1 *Concilium quid in genere, & ſpeciatim.*
2 *Tria ſunt Genera Conciliorum.*
3 *Neceſſitas, & vtilitas conciliorum oſtenditur.*
4 *Qui Conciliis generalibus intereſſe debeant?*
5 *Concilium generale à Papa confirmatum, non poteſt errare in fide, neque in moribus,*
6 *Concilia generalia ante Papa confirmationem, poſſunt errare: multo magis particularia.*
7 *Concilii generalis authoritas non præponderat authoritati Scripturæ ſacræ.*
8 *Concilium generale non eſt ſupra Papam, ſed contra, ipſe eſt ſupra illud.*
9 *Non poteſt Papa ſe ſubiicere ſententiæ coactiuæ vllius Concilii generalis, nedum particularium.*
10 *Quænam Concilia generalia ſint approbata à Sede Apoſtolica, & à tota Eccleſia Catholica recepta?*
11 *Quæ ſint reprobata, quia fauerunt hæreſibus.*
12 *Concilia generalia quæ ſint partim confirmata, partim reprobata.*
13 *Concilia nec manifeſtè probata, neque manifeſtè reprobata, quæ ſint?*
14 *Quid iuris, de obſeruatione Conciliorum.*

1 Concilium, ex nomine ſignificat Conuentum Virorum conuocatorum, vt de ſumma rerum deliberent. Et licet hæc vox olim omnib. huiuſmodi conuētib. etiam

etiam laicorum communis fuerit, vsus tamen loquentium Christianorum hactenus obtinuit, ut Concilium tantùm appelletur Conuentus Ecclesiasticorum Prælatorum, penes quos summa in Ecclesia potestas est, ut uidere est *cap. Canones generales §. Synodus autem, Dist.* 15.

Principum uerò laicorum Conuentus, ab eisdem Christianis hactenus dicuntur vna uoce Comitia; & apud Romanos olim eadem uoce appellati sunt Conuentus populi ad ferenda suffragia in electione Magistratuum, & in aliis grauibus negotiis. Calepinus *ver. Concilium*, Bellarminus *tom. 1. controuers. general. 4. lib. 1 cap.* 3. Apud Christianos Concilium est conuocatus conuentus Episcoporum, tanquam Præpositorum, Rectorumque Ecclesiæ Dei, ad definiendas causas difficiles, quæ ad Ecclesiæ eiusdem fidem aut mores pertinent. Synodus autem in sacris Canonibus usurpatur etiam pro Concilio, quia significat cœtum collectum. Nonnulli tamen inter utramq; uocem distinguunt accipientes Concilium pro generalibus, Synodum uerò pro Conciliis Prouincialibus, & sic modo est in vsu. Syluester *verb. Concilium n.* 1. Bellarminus *loco citato*.

Calepinus bellarmin.

Syluest. bellarmin.

2 Tria sunt genera Conciliorum Primum uniuersale dicitur, Alterum Prouinciale. Tertium Diœcesanũ. Vniuersale uel generale Concilium est, quod sulius Papæ authoritate conuocatur, in quo ipse aut eius Legatus ad hoc specialiter deputatus præsidet, congregatis Episcopis, & Prælatis, iuxta ipsius ordinationem. Hinc omne generale Concilium absque Summi Pontificis authoritate congregatum & celebratum caret authoritate, diciturque Conciliabulum, & Synagoga Satanæ. Iuxta sacros Canones, *tota Dist* 17.

Prouinciale Concilium est, quod celebrat Archiepiscopus, conuocatis Episcopis, & Prælatis suæ Prouinciæ. Quandoque hoc celebratur à Patriarcha uel Primate, aut Legato ad hoc specialiter deputato. In talibus Conciliis tantùm tractatur de iis, quæ ad salutem animarum pertinent, & fiunt quoque ut decreta Generalium Conciliorum in iisdem publicentur. Et Decretis illis obligantur omnes subditi illius Prouinciæ, clerici & laici, non exempti.

Episcopale Concilium, seu Synodus Diœcesana est, quam celebrat Episcopus in sua Diœcesi, conuocatis Abbatibus, Præpositis, Decanis, aliisque Ecclesiarum Curatis, quot, & quibus opus fuerit; non exemptis ab eius iurisdictione. Ad huius Synodi constitutiones obligantur omnes subditi Diœcesis, exceptis exemptis. Vide Syluestr. *verb. Concilium num.* 1. Melchiorem Canum, *locor. Theologic. lib. 5. cap.* 3. Addit Bellarminus *loco citato cap.* 4. quartum genus Conciliorum, quod vocat Nationale, & celebratur à Patriarcha vel Primate, conuocatis Archiepiscopis & Episcopis alicuius Nationis, aut Regni.

Syluest. Melc. Can. bellarmin.

3 Necessitatem & vtilitatem Conciliorum ostenderunt nobis Sancti Apostoli Christi, qui orta difficili quæstione conuenerunt, & collatis sententiis definiuerunt quid de ea re fideles credere, quidve obseruare deberent. *Act.* 15. Vnde ad immitationem horum, Rectores Ecclesiæ Dei, tanquam eorumdem Apostolorum successores, quoties nouæ ac difficiles quæstiones de fide ac Religione Catholica ab hæreticis hominibus doceri cœperunt, similes conuentus Apostolicos celebrarunt, in quibus hæreticorum falsis dogmatibus condemnatis, Catholicæ fidei integritas & inconcussa veritas firmius stabilita & illustrior reddita est: Vide *c. de quib. disp.* 20. Deinde ad Sancta Concilia pertinet vniuersale regimen Ecclesiæ, vt omnia ordinatè fiant in uniuerso populo Christiano, præsertim in vniuerso clero in his quæ ad Dei cultum & vitæ innocentiam, sanctitatemque pertinent. Vt videre est in omnibus reformationibus Sacri Concilii Tridentini. Porrò Concilia generalia conuocantur aliis de causis, quarum Prima est, vt Schisma inter Romanos Pontifices. Seconda Bellum contra communem hostem totius Ecclesiæ. Tertia suspicio hæresis & Tyrannis incorrigibilis in Romano Pontifice. Quarta Dubitatio de electione Summi Pontificis, diiudicari possint. De quibus Bellarminus *citata controuers. general. 4. l. 1. cap 9. 10. & 11.*

bellarmin.

4 Vsque modò in Ecclesia Dei obseruatum fuit, vt soli Episcopi vocarentur ad concilia generalia, in iisque pro sententiis ferendis consederent, vt patet ex actis & subscriptionibus Sacrorum Conciliorum omnium. Ratio est, tum quia Ecclesiasticis congruit de rebus Ecclesiasticis iudicare & definire. Tum quia Episcopi in Concilio Generali congregati repræsentant Ecclesiam totam, non ve legati, aut Vicarii totius populi Christiani, sed vt Rectores & Gubernatores eiusdem in his quæ sunt ad Deum. Nec refert, quòd aliquando ad Concilia vocati sint Imperatores & Reges, hoc enim factum fuit, non ut iudicarent ac definirent, sed vt defenderent congregatos in Concilio ab inimicorum insidiis, ac incursionibus. Reliquis autẽ tum clericis tum laicis licuit ad Concilia venire, ut cum Patribus conuocatis, si docti essent, colloquerentur & disputarent. Vide Bellarmin. *loco citato cap.* 15. 16. & 18.

bellarmin. bellarmin.

5 Concilium generale à Summo Pontifice confirmatum, non potest errare in fide, neque in moribus. Ratio est, tum quia regitur à Spiritu Sancto, iuxta illud *Act* 15. visum est Spiritui Sancto & nobis. Tum quia habet promissionem præsentiæ Christi, iuxta illud Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres Congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Tum quia tale Concilium repræsentat totã Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis, 1. *Ad Thimoth.* 3. Negandum tamen non est Episcopos singulos, cùm soli sunt, posse in aliquibus offendere, & errare; Collecti autem in tali Concilio errare, non possunt. Vt bene Bellarminus *loco citato lib. 2. cap. 1. 2. & 4.* Imò Concilia particularia à Summo Pontifice approbata, errare non possunt. Ratio sumitur ab authoritate ac priuilegio Summi Pontificis, qui in iudicio de rebus fidei, & moribus Ecclesiæ, errare non potest. Vide Bellarminum *eod. lib 2. cap 5. 6. & sequentibus.*

6 Concilia generalia possunt errare ante Summi Pontificis confirmationem, nisi Patres in iisdem congregati in definiendo eiusdem sequantur instructionem. Ratio est, quia sunt corpora sine capite, imò capiti repugnantia: tum quia nonnulla talia Concilia apertè errarunt, & ob id a Summis Pontificibus sunt reprobata. Vide *cap Regula vestra, dist.* 17.

Concilium generale, in quo Legati Apostolicæ Sedis consentiunt cum Patribus congregatis in definiendo, sed absque certa instructione Summi Pontificis, potest errare. Tum quia necdum habet consensum capitis, qui omninò necessarius est ad firmitatem Concilii. Tum quia Concilium Basileense, vna cum Legato Summi Pontificis, communi consensu apertè errauit, statuendo Concilium esse supra Papam, *sess.* 2. Possunt tamen hæc Concilia definire, & statuere, & anathema dicere contrarium sentientibus, sed cum hac intentione, nisi Summus Pontifex aliter voluerit, siue quatenus fuerint ab ipso confirmata. Vide Syluest. *v. Concilium num.* 3.

Syluest.

Concilium generale consentientibus Apostolicæ Sedis Legatis, habentibus & sequentibus instructionem Summi Pontificis, non potest errare, nec opus habet Pontificis confirmatione, nisi ad maiorem firmitatem ac dignitatem ratio est, quia in tali Concilio est consensus capitis & corporis, ideoque in tali Concilio fiunt omnia Decreta absolutè. Si tamen Concilium tale in aliquibus iudicaret ab instructione Summi Pontificis, discedendum, non debet formare decreta, ipso inconsulto. Bellarminus *citato lib. 2. capit.* 11.

bellarmin

Concilia autem particularia non approbata à Summo Pontifice non faciunt omninò certam fidem. Tum quia multa huiusmodi apertè errarunt, & nonnulla petiuerunt confirmationem suorum decretorum à Summo Pontifice & nonnullorum decreta non sunt habita pro ualentibus donec à Sede Apostolica probarentur. Subditis tamen est temerarium, aliisque priuatis, de talium Synodorum decretis dubitare, & impium iisdem contradicere. Quia iudiciũ in iisdem congregatorum perfectius est, quàm quorumuis priuatorum. Tum quia multa huiusmodi Concilia vsu Ecclesiæ quodammodo probata & roborata sunt, nullam habentia confirmationem à Summo Pontifice. tum quia Christus iussit obedire sedentibus in Cathedra. *Matth* 23. & Apostolus Præpositis. *Hebr.* 13. vide Bellarminus *cit. lib. 2. cap.* 10.

bellarmin

7 Authoritas Concilii generalis non præponderat authoritati Sacræ Scripturæ. Probatur *Primo* quia Scriptura sacra immediatè reuelata & dictata est à Spiritus Sancto,

cto eiusdem sanctis Scriptoribus. Vel si ea antea viderunt audiuerunt, aliovè modo cognouerunt, Spiritus Sanctus ita eos direxit, vt ne in vnica quidem voce à veritate aberrarent. Et sic tota Scriptura dicitur reuelante & dictante Deo scripta esse. Conciliorum autem decreta, non sunt immediatè à Deo reuelata, neque dictata, sed sunt Scripturæ Sacræ declarationes, & ex eadem per ratiocinationem deductæ conclusiones, inspiratione quidem Spiritus sancti, sed accedente hominum industria, studio ac diligentia.

Secundo, quia Scriptores sacri sine labore multo ingeniorum suorum, libros Sacræ Scripturæ ediderunt. At in edendis Conciliorum Decretis, sæpe multa eruditione & disquisitione opus est, priusquam conscribantur & publicentur.

Tertio, Scriptura Sacra nullum planè continet errorem in omnibus, siue ad fidem, seu ad mores, etiam speciales singularium hominum pertineant. Concilium autem generale potest errare in his quę ad mores quorundam singularium hominum pertinent, tum præcipiendo, tum iudicando, propter malè narrata.

Quarto, In Scriptura Sacra non solùm sententiæ, sed & verba omnia ac singula ad fidem pertinent, vnde credimus nullum esse Verbum in ipsa Scriptura Sacra frustra, aut non rectè positum. In Conciliorum Actis multa feguntur quæ nihil ad fidem pertinent. Sed nec omnes Canones seu Decreta eorū sunt de fide, quia definiuntur in iis quandoq; aliqua probabilia, non vt planè certa. Nec hæreticum est dicere, in Conciliorum decretis, etiam de fide, aliquando Verbum aliquod superfluè appositum, aut minus aptè collocatum. Nam in iis non inspectantur verba scripta, sed sensus. Maior ergo multis modis est authoritas Scripturæ sacræ in seipsa consideratæ, quam Generalis Concilij, tametsi hoc illam nobis manifestet, & falsò inscriptos sacros libros, à veris discernat. Propterea dixit D. Augustinus *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesia moneret authoritas*. Ita Bellarminus *cit. lib. 2. cap. 12.* bellarmin.

8 Concilium generale non est supra Papam, sed contra ipse est supra illud. Probatur, quia Papa est caput Ecclesię *Matth. 16.* At caput præsidet, regitque corpus, non contra. *Secundo*, Papa est Pastor totius Ecclesiæ: Ioann. vltim. *Pasce oues meas.* At pastor præest ouibus, non contra. *Tertio*, Probatur authoritate sacrorum Conciliorum, & Summorum Pontificum, qui hanc supremam potestatem Papæ supra Concilium liberè professi sunt. *Quarto*, Quia in dubiis Appellatio fit à Concilio generali ad Papam. Hic ergo maiorem potestatem, authoritatemque habet illo, quia in potestate Papæ solius est, Concilia generalia conuocare, approbare, reuocare, reprobare. Notandum tamen est, Papam cum Concilio extensiuè quidem habere maiorem authoritatem, quam solus ipsemet habeat. sed intensiuè non habet maiorem. Quæ enim Papa potest cū Concilio, potest etiam solus, quoad potestatem definiendi. Plura apud Bellarminum *cit. lib. 2. c. 13. & seq.* Bellarmin

9 Non potest Papa se subiicere sententiæ coactiuæ vllius Concilii generalis, nedum particularium, Probatur quia Papa non potest supra se Iudicem constituere, cùm sit eius potestas supra & in omnes homines, ac iuris diuini. Ideò non potest in ea dispensare, vt alius eam habeat: atq; in ipsum exerceat. Iudicium enim de Papa est reseruatum Deo, quia prima Sedes à nemine iudicatur. Licet enim nonnulli Summi Pontifices, suas causas de quibus fuerūt accusati, in Concilio Episcoporum discuti voluerint, iuxta *cap. Mandastis & cap. Auditum 2. quæst. 5.* Tamen Episcopi noluerunt eos iudicare, sed totum iudicium Deo reliquerunt, attestantibus ipsorum subscriptionibus. Potest autem Summ. Pontifex causam ob quam accusatur, quibusdam Episcopis, vt arbitris committere, eorumque monitis parere. Quod si nolit, non rectè facit, cogi verò non potest. Bellarminus *cit. l. 2. cap. 18 & 19.*

10 Quædam Concilia sunt approbata à Sedę Apostolica & a tota Ecclesia Catholica recepta, & inter hæc primum locum habet magnum illud & toto orbe celebratissimum Nicænum primum, celebratum in ciuitate Nicæa, Metropoli Bithyniæ, quæ est Prouincia Asiæ, Anno Christi 325. vbi interfuerunt 318. Episcopi ex toto terrarum orbe. De quo Baronius *eodem anno tom 3.* bellarmin.

Secundum generale Concilium est Constantinopolitanum primum celebratum à 150. Episcopis, anno Christi 383. vt refert Baronius *eodem anno tom. 4.* baronius baronius

Tertium Concilium generale est Ephesinum primum, celebratum Anno Christi 431. a 200. Episcopis iuxta Baronium *eodem anno tom. 5.*

Quartum fuit Calchedonense, à ciuitate huius nominis in Asia, celebratum Anno 451. à 630. Episcopis. Baronius *eodem anno tom. 6.* Et hæc quatuor prima Concilia dixit D. Gregorius, *Epist. 24. lib. 1.* se venerari sicut quatuor Euangelia. D gregor. baronius

Quintum celebratum fuit Constantinopoli anno 553. ab Episcopis 165. Baronius *eodem anno & sequent. tom. 7.* & dicitur secundum.

Sextum Concilium generale, celebratum tertiò Constantinopoli in Trullo, anno 680. ab Episcopis 289 aut paucioribus Vt notat Baronius *eodem anno tom. 8.* baronius

Septimum est celebratum Nicææ in Bithynia Vnde & Nicænum secundum dictum. Anno Christi 787. ab Episcopis 350. Baronius *eodem anno tom. 9.* baronius baronius bellarmin.

Octauum Concilium generale celebratum quartò Cōstantinopoli, Anno Domini 869. iuxta Baronium *eodem anno tom. 10* vel iuxta Bellarminum *lib. 1. cap. 3.* Anno 870. ab Episcopis 383.

Nonum Concilium generale fuit Lateranense primum, celebratum Romæ anno 1123. ab Episcopis amplius 900. vt notat Bellarminus *eodem lib. 1. cap. 5.* bellarmin. bellarmin.

Decimum fuit Lateranense secundum. Anno 1139. ab Episcopis mille celebratum. Bellarminus *lib 1. cap. 5.*

Vndecimum Concilium generale Lateranense tertium, celebratum Anno 1180. ab Episcopis ferè 300. Bellarminus *loco citato.* bellarmin.

Duodecimum Concilium generale Lateranense quartum celebratum anno 1215. à Patribus 1283. inter quos fuerunt Episcopi quadringenti septuaginta tres Bellarminus *ibidem.* bellarmin. bellarmin.

Decimumtertium fuit Lugdunense primum celebratū Lugduni in Gallia, Anno 1245. Bellarminus *ibidem.*

Decimumquartum Concilium generale est Lugdunēse secundum, celebratum Anno 1274. à Patribus ferè mille inter quos erant Episcopi quingenti. Bellarminus *ibidem.* bellarmin. bellarmin.

Decimumquintum Concilium generale, fuit Viennense celebratum Anno 1311. ab Episcopis 300. tempore Clementis Papæ V. Bellarminus *ibidem.*

Decimumsextum fuit Concilium Florentinum, celebratum Anno 1439. Florentiæ in Italia à Patribus 141. qui scripserunt, & aliis multis, qui ante subscriptionem discesserant Bellarminus *loco citato.* bellarmin.

Decimumseptimum fuit Lateranense quintum, celebratum Anno 1512. vsque ad sequent. 17. à Patribus 114. Bellarminus *cit. lib. 1. cap. 5.* bellarmin

Decimumoctauum Concilium generale est Tridentinum in ea ciuitate celebratum, cœpit Anno 1545. & finitur Anno 1563. Interfuerunt Cardinales sex, Legati Papæ quatuor, Patriarchæ tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum Ministri septem, Episcoporum procuratores plurimi. Bellarminus *loco citato.* bellarmin.

11 Concilia generalia reprobata; quia fauerunt hæresibus, sunt 1. *Antiochenum*, celebratum anno 345. opera contra D. Athanasium, & Nicænum Concil. 1. *Mediolanense* anno 354 opera Imperat. Constantii Ariani, contra Catholicam fidem. *Ariminense*, anno 363. opera eiusdem Imperatoris Constantii, contra vocem ὁμοούσιος. *Ephesinum* secundum anno 449 opera Imperat. Theodosii iunioris pro hæresi Eutychiana. *Constantinopolitanum*, anno 730. opera Leonis Isauri Imperat contra cultum Sanctarum Imaginum. *Constantinopolitanum* aliud sub Constantino Copronimo, anno 755. contra vsum earundem SS. Imaginum. *Pisanum* anno, 1511. opera Imperat. & Regis Galliæ, & aliquot Cardinalium contra Iulium Papam II. refutatum per subsequens Lateranense sub eodem Iulio II. Omnes denique congregationes, siue conciliabula hæreticorum, pro defensione, & propagatione suarum hæresum, & Catholicę Fidei extirpatione celebrata. Vide Bellarminum *eod lib. 1. c. 6.* bellarmin.

12 Concilia partim confirmata, partim reprobata, sunt

Primum

Primum Sardicense celebratum anno 371. In quo Episcopi Occidentales 300. Catholicam fidem confirmarunt. Alii 76. Orientales verò scripserunt pro Ariana perfidia ac hæresi.

Secundum est Syrmiense, in quo duæ formulæ fidei altera Catholica, quæ probata est, altera hæretica, quæ est reprobata, celebratum est Anno 356.

Tertium est Quinisextum, quasi ex duobus vnum, Constantinopoli diuersis annis celebratis & coniunctis. In hoc plerique Canones sunt reprobati, pauci recepti. Celebratum est temporibus Iustiniani Imperat. & Sergii Papæ.

Quartum est Francofurtense celebratum anno 794. In quo quædam sana sunt tradita, quæ Summus Pontifex confirmauit, quædam autem contra. Nicænum secundum sunt inserta, pro Iconomachis, quæ idem Pontifex reprobauit.

Quintum est, Constantiense Concilium, anno 1414. inchoatum & sequent. 18 finitum. Interfuerunt Patres mille inter quos Episcopi 300. Reprobantur in eo sessiones, quibus actum & definitum est, Concilium esse supra Papam. Reliqua omnia probata & recepta sunt in tota Ecclesia Catholica.

Sextum est Basileense cœptum celebrari anno 1431. continuatum Basileæ: indeque translatum Lausannam, durauit vsque ad Annum Domini 1449. Nihil huius concilii probatum atque receptum est, sed omnia reprobata, præterquam ordinationes quædam circa beneficia Ecclesiastica. Et hoc Concilium reprobatur in vltimo Lateranensi *sess.11.* vide Bellarminum *eodem lib.1. cap.7.*

Bellarmin. 13 Concilia nec manifestè probata, neque manifestè reprobata sunt Concilia particularia pleraq; à Summo Pontifice nec confirmata, nec reprobata, quia eorum confirmatio non solet fieri. Huius etiam conditionis fuit generale Concilium Pisanum congregatum Anno 1460. in quo Gregorius duodecimus, & Benedictus Tertius ob Schisma depositi sunt, & electus Alexander Papa V. vide Bellarminum *eodem lib.1. c.8.*

Bellarmin. 14 Contra eos, qui contra Sanctos Canones Patrum, Spiritus Sancti instinctu dictatos, libenter aliquid aut loqui præsumunt aut facere volentibus consentiunt, extat Decretum Imperatorum Valentiniani & Martiani *l. Nemo clericus. Cod. de Summ. Trinitat. & Fide Catholica*: Cessetigitur, aiunt, iam prophana contentio. Nam verè impius atque sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ tractandum aliquid relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio atque perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam, aliquid vlterius discutit, mendacium quærit. Nemo itaque vel clericus vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de Fide Christiana publicè turpis adunatis & audientibus tractare conetur in posterū, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio Reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita, reuoluere & publicè disputare contendit, cùm ea quæ nunc de Fide Christiana à Sacerdotibus qui Chalcedone conuenerunt statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & instituta Sanctoru̅ Patrum trecentorum decem & octo in Nicæa, & centū quinquaginta in hac regia vrbe, definita esse noscuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non solùm contra fidem verè expositam veniunt, sed etiam cū Iudæis & Paganis huiusmodi certamine profanant veneranda mysteria. Vide eorundem Imperatorum *l. Quicumque Cod. de hæretic. & Manich.* Et Iustinianum *in Authent. de Ecclesiast. Titul. & Priuil. §. Sancimus.* Vbi iecerint Conciliorum decreta seu regulas aut, Canones pro legibus habenda. Ac edit quod Apostolus Paulus, *Act.* 15. præcepit Ecclesiis custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum. Vide v. Indulgentia 1. n.8.

CONCVBINARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Concubinarius quis dicatur? Et quis publicus.*
2 *Nulli licet habere concubinam.*
3 *Concubinatus crimen est fori Ecclesiastici, non est tamen prohibitum magistratus sæculari punire laicum concubinarium.*
4 *Quibus pœnis sint plectendæ mulieres concubinæ, Concubina autem clerici licet sequatur forum eius, tamen gaudet priuilegio clericorum.*
5 *Clericus sacrorum ordinum concubinarius est transgressor voti, grauius peccat quàm laicus adulter vel homicida.*
6 *Ex publico crimine Sacerdotis concubinarii tria mala oriuntur. Et de turpi ac miserabili statu concubinariorum.*
7 *Concubinario publico Eucharistiam publicè petenti, neganda est, si concubinam domi adhuc retinet.*
8 *Iure nouo Concil. Constant. non est prohibitum audire Missam Sacerdotis publici concubinarii, nisi denunciatus sit vt vitandus.*
9 *Concubinarius cum varia pœna imponantur à iure, index quam vult imponere potest.*
Pœna quando diuersa imponuntur, in quatuor casibus vna non tollitur per aliam impositam.
10 *Clericus perseuerans in concubinatu vsque ad mortem, non est sepeliendus in loco sacro.*

1 Concubinarius dicitur, qui mulierem solutam, & corruptam, nulloque sibi spiritualis vel carnalis cognitionis vinculo coniunctam domi retinet, & cum ea consuetè carnaliter, sicut cum vxore commiscetur.

Publicus autem concubinarius dicitur, non solùm qui per Iudicis sententiam talis est declaratus, vel qui in iudicio id crimen confessus est, vel tam euidenter prodit se talem esse, vt nulla tergiuersatione celare possit, vt proles ex ea suscipiens, &c. sed & is, qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatam à suo Superiore monitus non dimittit.

2 Nulli hominum licet habere concubinam, cùm sit contra legem naturæ, quia coniunctio maris, & fœminæ non est eo ordinata, vt soli libidini indulgeatur. Similiter contra legem naturæ est, vt hoc modo prolis generatio quæratur, quia periclitatur eius educatio, quòd inter tales facilè fiat separatio. Denique est contra legem Dei, quæ vetat fornicationem tanquam peccatum mortale, quod damnationem meretur. *Genes.* 38. *Tobiæ* 4. *Galat.* 6. *Ephes.* 5. Nec vnquam licitum fuit habere concubinam. Quæ enim in Scriptura Sac. leguntur concubinæ Patriarcharum, & Dauidis, fuerunt etiam veræ vxores, sed dicebantur concubinæ, quia non admittebantur ad familiæ administrationem. Ita D. Thomas, *in supplement. quæst.* 65 *art.* 3. 4. & 5.

3 Quamuis crimen concubinatus sit merè Ecclesiastici, cum, tam in laicis, quàm in clericis, ita vt à solo Ecclesiastico Iudice puniri debeat, non tamen prohibitum est sæcularibus Magistratibus, quin pro amouendo scandalo, possint concubinarios laicos post factam admonitionem vnam atque alteram punire, præsertim si Ecclesiasticus Iudex negligens sit in corrigendo, vnde concubinæ clericorum in notorio concubinatu deprehensæ, ad vtroque Magistratu tam Ecclesiastico, quàm ciuili puniri possunt pro arbitrio. Ita Bernardus, Diaz *cum sue Schol. cap.* 79. & alii ab ipso citati. Bernardus Diaz

4 Mulieres, quæ trina monitione præmissa non abstinent à consortio eorum, qui cum adulteris seu concubinariis publicè viuunt, præter pœnitentiam pro modo culpæ, extra oppidum ab ordinario eiici possunt. Qui quidem ordinarius ex officio, etiamsi à marito, vel ab alio non fuerit accusata, potest procedere, imò etiamsi maritus sibi parcat. Adulterium enim est de casibus, in quibus procedit ur ex officio absque accusatore, quod tamen intelligendū est de adulterio notorio. Imò Ordinarius si opus fuerit potest vti brachio sæculari ad illas eiiciendas extra oppidum. Ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reformat. matrimonii cap.*8. Et è conuerso Iudex laicus quandoque iudicis Ecclesiastici implorat auxilium, v erbi gratia, vbi condemnauit aliquam adulteram detrudendam in Monasterium, secundùm *Authent. sed hodie Cod. de adult.* Nam cùm iudex laicus non habeat monasteria, debet implorare officium Episcopi, qui ea concedet. Est tamen differentia inter istos Iudices, quia Ecclesiasticus potest sæcularem Con. Trid.

etiam

etiam per censuras cogere, vt sibi præstet auxilium *cap. 2. de maled.* Sæcularis autem non potest cogere Ecclesiasticum, vt docet Innocent. *in cap. perniciosam, de offic. ordin.* & sequuntur omnes. Notandum tamen est, quòd non debet Ecclesiasticus implorare tale brachium, nisi clericus sit incorrigibilis, *cap. cum non ab homine de iudic.* quod secus esset, si imploraret non ad puniendum, sed forte, quia eius timet potentiam, vt per Abbas, *in cap. quoniam in fine de offic ordinar.*

Innocen.

Abbas.

Aduerte autem quod concubina clerici, licet sequatur forum Ecclesiæ, & sit sub foro Ecclesiæ, cùm delinquat in persona Ecclesiæ, quia ratione delicti, quis fit de foro alterius, *cap. placuit 6. q. 3.* ideo est sub foro eius, vt ab Episcopo puniatur, non tamen gaudet priuilegio clericorum. Ita Felinus *in cap. 2. num 2. de foro competent.*

5 Clericus sacrorum Ordinum concubinarius est trãsgressor voti, quia per susceptionem sacri Ordinis, solemniter vouet perpetuam castitatem eidem annexam, & grauiùs peccat, quàm laicus adulter. Quia sanctior est promissio quæ fit Deo, quàm quæ fit coniugi alteri ab altero. Vide *cap Meliore 27. quest. 1. cum Glossa & cap. Presbyter si fornicationem fecerit, distinct. 82.* vbi grauior pœna ei decernitur, quàm laico adultero.

Porrò peccatum concubinatus in clerico sacrorum Ordinum est grauius homicidio. Quia est periurium, quod est contra præceptum primæ tabulæ Decalogi, homicidiũ autem est contra præceptum secundæ tabulę. Nam illud est contra reuerentiam Maiestatis diuinæ hoc contra hominem. Neque obstat quòd homicidium grauius puniatur apud homines, quàm periurium, quia id fit propter maius damnum exterius in homicidio. Ita D. Thom. *Quodlib. 1. art. 18.*

D. Thom.

6 Ex publico crimine Sacerdotis concubinarii tria mala oriuntur. *Primum* aliorum maximè laicorum corda scandalizantur. *Secundum*, vituperatur officium Ecclesiasticum. *Tertium*, præstatur aliis licentia, & materia peccandi *c. si mala 11. quæstione 3 cap. significasti, de adult. c. sp. magna de voto.*

Deinde, omnis concubinatus turpiter corrumpit suam naturalem integritatem, corpus inquinat, vires debilitat, mentem excæcat, rationisque iudicium peruertit, ita vt suam ipsius turpitudinem difficulter agnoscere, & difficiliùs emendare possit. Quod omnibus luxuriosis accidere solet. Porrò reddit se Deo, Angelis & hominibus despicatissimum & abominabilem, fitque iumentum Diaboli, & concubinæ suæ velut mancipium. Indeque vt infamis iudicatur indignus sacro ministerio, omnique Sacramentorum participatione, dignitate, Beneficio & officio. Vnde concubinarius laicus ordinari non potest, nisi dimissa cõcubina legitimè egerit pœnitentiam, *cap. si quis, & cap. laici distinctione 33.* Insuper turpitudinem, infamiæque suæ notam diuturno despectui & maledictioni obnoxiam reddunt concubinarii cleri facti in spuriis suis dum uiuunt Ita Syluester *verb. Filius num. 4.*

Syluest.

7 Concubinario notorio tam clerico, quàm laico Eucharistiam publicè petenti, neganda est, si concubina adhuc in domo detinetur, *cap. pro dilectione, de consecrat. distinctione 2.* quia omnis talis concubinarius est infamis, *cap. infames, cap. illi, cap. omnes 6. quæst. 1.* Et docent Nauarrus *in man. cap. 21. num. 55.* D. Thomas *part. 3. quæst. 80. art. 6.* & alii communiter. Hinc Parochus potius mortem pati debet quam impœnitenti, Eucharistiam dare.

Nauarr.
D. Thom.

8 Sacerdotis Concubinarii notorii Missam audire iure antiquo vetitum fuit, *cap. Nullus, & sequent distinctione 32. cap. si qui sunt, distinctione 81.* Ex decreto tamen Concilii Constantiensis de non vitandis excommunicatis aliisque prohibitis donec specialiter denuncientur tanquam vitandi, subditi non peccant audiendo Missam sui Parochi concubinarii notorii, donec ab Episcopo denuntietur esse vitandus. Et meliùs illi facient, si interea eius Missam audiant, quam nullam. Si autem commodè possint aliam audire, consultius est vt eam audiant, relicta altera, vt exinde Parochus ipsorum concubinarius citiùs ad pœnitentiam ac emendationem moueatur. Cæterum quamuis subditi licitè possint à suo Parocho concubinario, Missas debitas & Sacamenta necessaria petere, si non sit denunciatus vt vitetur: ipse tamen ministrando, toties moraliter peccat. Nec excusat eum contritio cordis si sit notorius, non habens propositum se emendandi præsertim propter scandalum quod præbet. Si autem esset occultus, haberetque propositum se emendandi, sufficeret ei contritio interior cum proposito confitendi, ad vitandum peccatum mortale in ministrando. Decretum enim Concilii Constant. factum est pro consolatione subditorum, non in patrocinium excommunicatorum, aut suspensorum, aut interdictorum aliorumque infamium. Vide Nauarrum *in man. capite vigesimo septimo, num. 35.* & infra vide Missa 3. *n. 15.*

Nauarr.

9 Cùm in iure variæ pænę concubinariis vel adulteris impositæ sint, vt habetur per totum titulum *de cohabit. cleric. & mulier.* ideò est in arbitrio iudicis quam pęnam debeat imponere, nam quandocunque iura varias pęnas imponunt, optio datur iudici. Panormitanus in *cap. sicut, de cohabit. cleric. & mulier.* imposita tamen vna pęna, non potest ad aliam pænam transire nisi contumacia crescente *l. prætor edixit. ff. de iniur.* Et hoc procedit, cum pænæ imponuntur disiunctiue; secus si constet plures pænas simul pro eodem delicto esse impositas per diuersa iura, quia tunc neutra per alteram tollitur. Quod est verum quando vna est præparatoria, altera autem vt terminus pænæ, quia in ordinatis ad inuicem, vnum includit aliud, *Authet. cleric. Cod. de Ep. & cler.* Idem, quando vtraque pæna imponitur à iure, & altera per hominem, quia tunc concurrant *l nemo Cod. de sacros. Eccl.* Idem quando vtraque pæna imponitur copulatiuè, nam vtraque potest imponi *l placet Cod. de Sacros. Eccl.* Idem, quando imponendæ per diuersos iudices diuersi fori, vna per iudicem Ecclesiasticum, altera per sæcularem v.g. in sacrilegio aut alio delicto mixto, quia condemnatus in vna, potest accusari pro alia in alio foro *cap. 2 de malefic. c. fœlicis, §. per hoc quoque de pœnis in 6.* quia punitus criminaliter per iudicem Ecclesiasticum, potest puniri, & criminaliter per sæcularem, ex quo crimen est mixti fori.

10 Clericus notoriè concubinarius viuens, & sic perstans vsque ad mortem sine pænitentia, non est cum aliis fidelibus sepeliẽdus in loco sacro. Ratio est, quia indignus absolutione à peccatis, & communione Eucharistiæ etiam indignus est Ecclesiastica sepultura. Ita colligitur *ex c. pro obeuntibus c. non existimemus, c. quæsitum 13. quæst. 2.* In quibus omnis notorius in peccato mortali decedens prohibetur in cæmeterio sepeliri, & talis notoriè in concubinatu perstans vsque ad mortem non videtur adimpleuisse præceptum illud Ecclesiæ de saltem semel in anno confitendo, vnde pro tali concubinario notorio mortuo non sunt publicæ exequiæ celebrandæ, quia ei non prosunt. Ita Nauar. *in manual. c. 17. n. 64. & c. 25. n. 8.* Sotus *4. dist. 45. q. 2. art. 2.* & alii communiter.

Nauarr.
Sotus

Vide verb Communio *n. 8.*

CONCVBINATVS.

SVMMARIVM.

1 *Concubinatus quid sit?*
2 *Est graue peccatum, & an concubinarii sint absoluendi.*
3 *In articulo mortis, an possit concubinarius absolui.*
4 *Pæna Concil. Trid. contra concubinarios seculares.*
5 *Clerici concubinarii notorii, an sint suspensi.*
6 *Concubina an possit absolui à concubinario.*

1 Concubinatus est frequens, & consueta fornicatio cũ eadem persona, non sufficeret autem ad concubinatum vnus vel alter actus fornicationis, sed requiritur consuetudo, qua aliqui quodammodo ita cohabitãt ac si essent simul coniugati. Vnde fornicarius propriè est qui abutitur soluta, concubinarius vero, qui abutitur quocumque modo uxorio, id est, quæ ad vsum veneris illegitimè tenetur, ita quòd de mente iuris non dicitur concubina, nisi teneatur per modum vxoris. Ita Toletus *lib. 5. cap. 10. num. 12.* Syluester *v. Concubinarius num. 1.* Azorius *tomo. 3. libro tertio capit. 5.* Filliucius *tract. 30. cap. 2. num. 55.*

Toletus
Syluester,
Azorius,
Filliucius.

2 Concubinatus est graue peccatum, & periculosum quia

quia homo non solùm peccat, sed manet in statu peccati, & in continuo proposito, saltem virtuali peccandi, vnde tales concubinarij pœnitentes, regulariter non sunt absoluendi antequam dimittant concubinam, cum proposito non redeundi, etiamsi vrgeat periculum mortis quamdiu enim persistunt in proxima occasione peccandi cum illa, non censetur habere sufficientem dolorem ac propositum vitandi peccata in futurum. Tamen quando sine graui infamia vel scandalo, vel alio graui incommodo, concubina non potest dimitti, tunc difficultas hæc in occasione relinquenda, efficiet occasionē non voluntariā, & ideò in tali casu posset dari absolutio; Verum magna prudentia in confessario opus est, ne absolutio impendatur indigno Clauis Regia *lib.8 cap 2, num.9.* Nauarrus *c. 16. num.20.* Reginaldus *lib.5.num.63.* Sylnius 2.2 *quæst.154 art.2.* Bonacina *de matr.quæst.4. punct.14 num. 12.* Toletus *lib.5.c.10. num 12.* Azorius *cit. cap 6.* Diana *part.5. tract.14.res.107. & 108.* Vide v. Absolutio, *n.7.8.*

Clau.Reg. Nauarrus. Reginald. Bonacina Sylnius Toletus. Azorius Diana

3 Si verò non sit concubinarius, & à populo credatur esse, non debet absolui, donec scandalum tollatur & euulgetur ipsum non esse concubinarium, vt docet Lopez *pa 1. instruct. Consc. cap.68* cauendum enim est à scandalo. Imò in hoc casu esset eiicienda fœmina, quamuis scandalum, solùm fit vnius personæ, cum vnicuique mandauerit Deus de proximo, intellige tamen si sine incommoditate eiici possit. Sic ex Syluestro *v. Concubinarius q.2.* Sancius *in select. disp.10. n.15.*

Syluest. Sancius Con.Trid.

4 Concilium Tridentinum *sess.24. de ref matr c.8.* grauiter vitium istud concubinatus in laicis reprehendit, & acriter puniri præcipit, his verbis *Graue peccatum est homines solutos concubinas habere, Grauissimū verò vxoratos quoque in hoc damnationis statu viuere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum vxoribus alere, & retinere. Quare vt huic tanto malo sancta Synodus opportunis remedijs prouideat, statuit huiusmod concubinarios, tā solutos quam vxoratos, cuiuscumque status dignitatis & conditionis existimat postquam ab ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua non absoluantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis permanserint, contra eos ab ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres siue solutæ, quæ cum adulteris seu concubinarius publicè viuunt, si ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel diœcesim, si id eisdem ordinariis videbitur, inuocato, si opus fuerit brachio sæculari eiiciantur, aliis pœnis, contra adulteros & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus* Ita Concilium contra Laicos.

Circa hoc decretum est aduertendum *Primò*, quòd Concilium non tollat alias pœnas à iure communi vel statutis synodalibus, contra concubinarios inflictas, nec alium modum procedendi contra eosdem nisi velit ordinarius eos excommunicare, quia tunc forma dicti Cap VIII. seruanda est. Vnde Episcopus potest, (vt docet Barbosa *in coll.tom.1.lib.1 tit.35.cap.1.num.3.4.*) in prima admonitione pœna pecuniaria concubinarium punire, quia trina monitio tunc necessaria est inter concubinarios, quando contra eos vult ferri sententiam excommunicationis, non verò si pœnis pecuniariis, vel aliis puniri illos velint Episcopi, quia in tali casu, non requiritur solemnitas, de qua loquitur Concilium.

Barbosa

Secundo, quòd crimen hoc concubinatus laicorum ad solos iudices Ecclesiasticos pertinet puniendum, quia concubinatus legibus ciuilibus non punitur, vt ait Iulius Clarus *in pract crim. quæst. 37.num.4.* Diana *part.1. tract. 2. res.87. & part.5.tract.1.res.10.* Fœlinus *in C. cum sit generale num.13. de foro compet.* Azorius *2.pars.lib.3.cap.53. quæst.2.* Et hæc opinio in puncto iuris verior est, atque ita videmus seruari de consuetudine, quæ est optima legum interpres, quia iudices sæculares regulariter hoc crimen non puniunt, nisi quatenus requisiti ab Ecclesiasticis brachium suum impartiuntur. Quamuis non desinit, qui arbitrantur hoc delictum esse mixti fori. De quo. Vide Azorium, Dianam, Felinum, & alios ab ipsis citatos.

Clarus Diana Felinus Azorius

Azorius. Diana Felinus

5 Iure antiquo *C. quæsit. de cohabit cler. & mulier.* clerici concubinarij notorij erant ipso facto suspensi, sed hoc ius per Tridentinum est correctum, non abrogatum, & ita iam non sunt suspensi, sed suspendendi ab ordinariis. Textus Concil.Trid. *sess.25. de reform.c.14.* sic habet.

Conc.Tr.

Prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo vel extra detinere, aut cum iis vllam consuetudine habere audeant, alioquin pœnis à sacris canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur.

Quod si à superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum obuentionum, ac prouentium tum beneficiorum suorum quorumcumq & pensionum ipso facto sint priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur.

Sin verò in delicto eodem, cum eadem vel alia fœmina perseuerantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinari us, etiam vti sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur.

Et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuo priuentur, atque inabiles ac indigni quibuscunque honoribus dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum.

Sed, si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur, &c.

Clerici vero beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta delicti, & contumaciæ perseuerantiam, & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinēda, aliisue modis iuxta sacros Canones puniantur. Ita Concilium circa cuius constitutionem videndus Nauarrus *l. 3. Consil. De cohabitatione cleric. & mulierum consil.1* Clau.Reg. *l.8.c.c.2 n.13. & seq.* P. Ledesma *in Summa tr.27.c.18.*

Nauarrus. Clau.Reg. P.Ledesma

6 Concubina, sec'uso periculo noui consensus carnalis aut defectus doloris, in rigore loquendo potest confiteri cum confessario concubinario. Ratio est, quia aliquando poterit esse expediens concubinarium confessarium excipere confessionem suæ concubinæ, si expedierit, fœminæ apud alium confessarium non infamari, vel quia vult fœmina citius à peccato liberari, aut quia ille, qui rem habuit cum illa, scit melius conscientiam fœminæ scrutari. Textus enim *cap. non debet Episcopus, 30. quæst.1.* solùm præcipit confessarium non debere commisceri cum fœmina, cuius confessionem audierat, non verò è conuerso, vt non auscultet confessionem eius, quam carnaliter cognouerat Sancius *in select disp. 12. n.16.* Diana *part.5 tr. 14.resol.110.* Suarez *de pœnit.disp.27.sect.4 n.19.* Filliucius *tract.7.num. 246.* & alii contra Fagundez *præcept.2.lib.4. cap.3.num.35.* docentem esse mortale, si confessarius auscultet confessionem suæ concubinæ, aut alterius fœminæ cum qua aliquando commixtus est. Sed hic Auctor non benè percipit textum prædictum, qui à Bonifacio VIII. est reuocatus. Vt testatur Sancius. Vgolinus *de offic. & potest. Episc p.1.c.19.§ 8.n.11.*

Sancius Diana Suarez Filliuci

Sancius Vgolinus

Vide Absolutio *n.7* Confessio *4.n.21.*

CONFESSARIVS I.

Quoad potestatem ordinariam.

SVMMARIVM.

1 *Solus Sacerdos, est minister Sacramenti pœnitentiæ.*
2 *Duplex est potestas ordinis sacerdotalis.*
3 *Confessio facta non sacerdoti, in articulo mortis, non est sacramentalis.*
4 *Potestas clauium quid sit, & quotuplex.*
5 *Potestas iurisdictionis, non est eadem cum potestate ordinis.*
6 *Multiplex est iurisdictionis potestas.*

7 *Requiritur*

7 *Requiritur iurisdictio ordinaria, vel delegata, vt validè quis absoluat a mortalibus.*
Iurisdictio ordinaria diuino iure, in primo, & supremo ordine residet in Summo Pontifice.
8 *An hæc etiam diuino iure resideat in Episcopis*, refertur duplex sententia.
9 *Parochus & eius vicarius perpetuus, Archipresbyter, & Prælati locales religionum, habent iurisdictionem ordinariam.*
10 *Iurisdictio ordinaria quoad forum internum, terminatur personis non localibus terminis.*
11 *An ratione delicti acquiritur iurisdictio, in foro pœnitentia, sicut in contentioso.*
12 *Quis in iure dicatur proprius sacerdos? & quando quis sortiatur parochiam.*
13 *Quis proprius sacerdos Militum, scholarium, &c.*
14 *Quis illorum, qui habent duo domicilia?*
15 *Quis vagabundorum.*
16 *Quis peregrinorum seu iter agentium.*
17 *Quis Episcoporum.*
18 *Quis Parochorum.*
19 *Quis Cardinalium.*
20 *Quis proprius sacerdos familia Summi Pontificis, vel Cardinalium.*
21 *Quis familiæ Episcoporum.*
22 *Quis religiolorum vel monialium.*
23 *Quis Regum & Principum supremorum.*

1 CONfessarius vt censeatur idoneus minister sacramenti pœnitentiæ potestatem sacerdotalis ordinis habere debet, neque ex dispensatione, neque ob necessitatem pœnitentiæ, sacramentum à non sacerdote potest administrari. Ratio est, tum quia ad solos sacerdotes verba Domini extenduntur, Ioannis XX. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Tum quia hic fuit semper totius Ecclesię Catholicæ sensus vt solis sacerdotibus hæc verba dicta intelligantur, vt patet ex antiquissimis ritualibus, in quibus ea verba in sacerdotum tantùm ordinatione dicuntur. Tum quia Concilium Tridentinũ *sess.14 c.6.& can.10.* absolutè docet & simpliciter ex iure diuino & institutione Christi solos sacerdotes esse ministros huius sacramenti, quæ autem ex institutione Christi sunt. Ecclesia mutare non potest, per vllam dispensationem facere, vt alius quàm sacerdos illud validè ministret. Sic D. Thom, *in suppl.3.q.8. art.1.* Syluius *ibid.* Suarez, *de pœnit. disp. 24. sect. 1. num. 2. & 8.* Bonacina *tom.1. disp.5. q.7. p.1.* Coninck *de Sacram. disp.8. dub.1.* P. Ledesma *de Sacr. pœnit. cap.11. concl.1.* Fernandez *in exam cap.7.p.3.§ 9.num.1.* & communis Theologorum omnium Schola.

D. Thom. Syluius Suarez bonacina Coninck p. Ledesma fernandez.

2 Potestas ordinis sacerdotalis duplex communiter distinguitur, vna in corpus Christi verum, scilicet, ad consecrandum illud in sacramento Eucharistiæ altera in corpus Christi mysticum, nimirum, ad sacramenta fidelibus administranda, in peccatorum remissionem, & diuinæ gratiæ adeptionem.

Priorem, sacerdotes accipiunt in sua ordinatione, cum treditur ipsis calix cum vino aquâ mixto, superpositaque, cum pane patenâ.

Posteriorem verò, cum Episcopus ponens manus super capita eorum dicit. *Accipite Spiritum sanctum, quorum, &c.* Hoc probatur ex tridentino *sess.14.cap.6.& Can.10. & sess.23.cap.1.* vbi docet sacerdotibus duplicem in ordinatione sua conferri potestatem, scilicet, consecrandi, & ligandi, ac absoluendi. Vide Suarez *3.p. tom.4. d.16. sect.3.* Filliuc *tract.7. num.175.* Sotum *in 4. d.20. q.1. art.1.* Syluium *in suppl.q.8.art.4.quæsit.1.* Toletum *lib.1. cap.3.n.6.*

Con, Trid.

Suarez Filliuc, Sotus Toletus

3 Confessio facta Diacono vel subdiacono, etiam in mortis articulo, Sacramentalis non est, quia solus sacerdos iure diuino est minister sacramenti pœnitentiæ, multò minus subsistet confessio facta simplici clerico, aut laico, vel fœminæ, quamuis Abbatissæ, vt decernitur in *Cap. Noua, de pœnit. & remiss.* Ratio est, quia tales personæ carent clauibus à Christo in Ecclesia relictis ad aperiendum aditum in cœlum per remissionem peccatorum. Ita D. Thomas *in suppl. quæst.8. art.2.* Syluius *ibidem concl.1. 2. & 3.* Layman *lib.5.tract.6.c.10.n.1.* Bonacina *c.n.2. & 3.* Præpositus *3.p.de pœnit.q 7.dub.1.* & alii.

D. Thom. Syluius layman bonacina

Talis confessio, nc in extrema quidem necessitate, est consulenda. Tum quia homo infamat seipsum sine causa. Tum quia non expedit peccata, occulta præsertim & grauia, manifestare extra Sacramentum. Si tamen in aliquo casu confessio fieret non sacerdoti, ex motiuo v.g. humilitatis &c. talis audiens confessionem, obligaretur vinculo seruandi secreti, & maiori quidem, quam obligatione secreti, naturalis. Ratio est, quia huiusmodi confessio, licet non sit sacramentalis, tamen dicit ordinem ad sacramentum, & gerit similitudinem aliquam cum confessione sacramentali, vnde graue peccatum mortale committeret, qui eam reuelaret. Vide D. Bonauenturam, *4. d. 17.p.3. art.1. quæst.1.* Scotum *ibid.quæst.1.* Valentiam *3.p. de pœn. quæst.10. part.1.* Vasquez *quæst.93. art. 1. dub. 1.* Nauarrum *in man.cap 21. num 21.* Syluestrum *v.conf.1.num.1.* Suarez *disp.24.sect.1.num.12.* Becanum *de Sacram.capite 38.quæstione 1.* & alios.

D. Bonau. Scotus Valentia Vasquez nauarr. Syluest. Suarez becanus

4 Potestas clauium, apud Theologos, intelligitur potestas collata sacerdoti, qua tollitur impedimentũ intrandi gloriam cœlorum, sicut enim per claues aperitur ianua, & ingressus in cubicula, ita per clauium potestatem aperitur ianua cœli, quod peccatum originale aut per actuale clauditur: Et hæc potestas clauium duplex est, *Ordinis*, scilicet, & *Iurisdictionis*, Clauis ordinis consistit in charactere, qui in ordinatione sacerdotali confertur, & hæc clauis non est sufficiens ad auferendum peccatum, & ad impendendam absolutionem, sed huic addi debet clauis iurisdictionis; ita vt sit proprius sacerdos, habens vel ordinariã iurisdictionem, vel saltem delegatam. Ita D. Thomas *in suppl.quæst.17. art.3.& quæst.8. art.3. & quæst.8. art.4. in corp.* Syluius *ibid.* Suarez *disp.26. sect 4.* Reginaldus *lib.1. num.2.* Valentia *tom.4.disp.7. quæst.16. part 2.* Filliucius *tract.7.cap.7.quæst.2.* & alii communiter Theologi.

Quamuis quidam inter Catholicos dixerint (quorum sententiam probabilem putat Durandus) omnes sacerdotes ex vi suæ ordinationis & diuini iuris esse sufficientes ministros Sacramenti pœnitentiæ, si ex parte pœnitentis omnia necessaria concurrant Armac. l.11. *de quæstionibus Armenorum.* Almainus *in 4.d. 18.q.vnic.* Durand. *in 4. d. 19.q.2.* D. Anton. *3.p.tit.17.c.4.in tertio casu* Angel. *verb.* Claues Richard. *in 4 d.17.art.3.q.1.* Petrus de Aquila *in 4. d.16.18.19.* Vasq. *tom.3.in 3.p.disp.239.c.5. & tom.4 q.93. art.1.dub.2.n.25.* censent enim hi auctores iurisdictionem non differre à charactere ordinis sacerdotalis, sed reipsa esse characterem sacerdotalem per respectũ ad sacramentum pœnitentiæ & proinde in ordinatione sacerdotis conferri ei completam iurisdictionem, quæ absque vlteriori aliqua conditione possit validè exire in actum. Probatur hæc sententia ratione, quia implicat, quòd potestas sacerdoti in ordinatione collata, sit potestas absoluendi à peccatis, & non sit iurisdictionis, quia absoluere à peccatis, [illegible] est actus potestatis iurisdictionis, aut ergo dicendum, quod absoluere à peccatis, non sit actus potestatis ordinis, aut si est actus eius, fatendum est, potestatem Ordinis esse etiam iurisdictionis.

Armacan Almain. Durandus D. Anton. angelus Richard. p. de aquil. Vasquez

Præterea, si potestas iurisdictionis in hoc foro non confertur vi ordinationis, sed ab hominibus, etiam non sacerdotibus, extra ordinationem; sequitur, quòd per potestatem merè humanam remittantur peccata, sed hoc est absurdum, ergo & aliud.

Deinde Concilium Tridentinum ad hoc, vt sacerdotes possint legitimè audire confessiones, præter potestatem in ordinatione acceptam, nihil requirit, nisi iudicium de eorum idoneitate, sequitur ergo, quod hæc potestas in ordine collata, sit non solùm ordinis, sed etiam iurisdictionis alioquin præter illum, & iudicium de idoneitate, aliquid aliud requireretur.

Porrò Canones hic citati *C Placuit 32. quæst.3. d.6. C. Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss. Cap. Si Episcopus. de pœnit. & remiss. in 6.* Conc. Trid. *sess.23. cap.15.* quibus prohibetur, ne passim quilibet sacerdos quemlibet pęnitentẽ absoluat, vel ne passim quiuis pęnitens quemuis sacerdotem in confessorẽ eligat, minimè clausulam irritãtem actũ in contrarium continent, & cùm huiusmodi actuum irritationes, & annullationes sint maximè odiosæ, non debent censeri aliqua lege contineri, vel induci, nisi verbis

Con. Trid.

verbis clarissimis. Hæc sunt præcipua fundamenta quibus innititur hæc sententia, quæ etsi speculatiuè quandã probabilitatem ob rationes, quibus fulcitur, præ se ferat; His tamen non obstantibus, nullatenus ad praxim est deducenda, propter periculum sacrilegii, & irritationis sacramenti, quia obstat communis sensus Ecclesiæ, & doctrina omnium ferè Theologorum, à qua in re tanti momenti, non est recedendum. De hac quæst. videndus est, Suarez *disp.24. sect.2.* Valentia *tom.4. disp.7. quæst.16. part.2.* P. Ledesma *de pænit. c.11. concl.2.* Bonacina *tom.1. disp.5 quæst. 7. part.1. num.7.* Tannerus *tom.4. disp.6. quæst.9 dub.3. num. 43.* Præpositus *de pænit. quæst.7 dub 2. & 3.* Syluius *in suppl.3. part. q.8. art.4 quæsit.1.* Caspensis *tract.24. disp.5. sect. 2.* qui ad contraria argumenta respondent. Et nouissimè Amicus *tom.8. de pænit. disp.15. sect.1.* qui maximè probat sententiam docentem, quemlibet sacerdotem vi suæ ordinationis iure diuino accipere completam potestatem ius dicendi in quæcumq; peccata confessa, & in quemcumque Christianum, qui se sponte submiserit huic sacro iudicio, sub conditione tamen, nisi Ecclesi a prohibuerit. Vnde accedente Ecclesiæ prohibitione, absolutio impensa à Sacerdote pœnitenti, quantuncunq; voluntariè se submittenti, erit nulla, eo quòd sacerdos non accipit hanc potestatem exercendam contra prohibitionem Ecclesiæ. Quare etsi ante Ecclesiæ prohibitionem potuerit sacerdos absoluere quoscumque, qui se voluntariè submisissent in hoc sacro foro; posita tamen prohibitione, non potest quemquam validè absoluere, nisi in quem ex authoritate Ecclesiæ ordinariam, aut delegatam acceperit iurisdictionem. Nam posita prohibitione Ecclesiæ, ipsa sacerdotalis potestas absoluendi à peccatis à iure diuino redditur inualida: idque ad conseruandum debitum ordinem regiminis Ecclesiastici. Et hic modus explicandi, saluat omnia, quæ de hoc sacramento docent Theologi. Ita ille, apud quem plura de hac materia.

Suarez. Valentia. P. Ledesm. Bonacina. Tannerus. Præposit. Syluius. Caspensis. Amicus.

5 Potestas iurisdictionis, quamuis habitualiter seu aptitudinaliter eadem videatur esse cum potestate ordinis, superadditur tamen illi actualiter applicatio materiæ, circa quam exerceri debet, hoc est, iurisdictionem habenti dantur subditi in foro conscientiæ absoluendi & ligandi: vnde potestas clauium non dicit nisi meram potentiam, iurisdictionis autem potestas non est propriè potentia, sed applicatio materiæ ad agens, vt sequatur actio, nempe applicatio subditorum ad sacerdotem, vt sequatur absolutio. Cuius rei exemplum accomodum est in Episcopis sine titulo reali consecratis, quibus, licet in sua consecratione potestas Episcopalis conferatur, desunt tamen subditi in quos iurisdictionis vsum exerceant, unde potestas ordinis est principium seu radix absolutionis peccatorum, sicut calor est principium calefactionis, potestas verò iurisdictionis solum concurrit in ordine ad materiam seu subditos, siue generaliter & absolutè, siue specialiter & limitatè respectu huius confessionis particularis. Hæc colliguntur ex doctoribus hic citatis Suarez *tom.4. disput.16. sect.3.* Filliucius *tractat.7. numer.178.* Medina *Cod. de pænitent. tract. 2. q.35. cap.3.* Sotus *4. d.20. q.1. art.1.* Syluius *citat. qu.8. art.4. quæsit 1. & 2.*

Suarez. Filliucius. Medina. Sotus. Syluius.

6 Iurisdictionis potestas multiplex est, vna temporalis, seu sæcularis ad temporale bonum ordinata, qualis est ciuilis Regum & aliorum Principum. Altera spiritualis, qualis est Ecclesiastica in Papa, & in aliis Ecclesiasticis gerentibus curam animarum.

Spiritualis adhuc duplex, vna est ad regendum populum Christianum in externo foro causarum; Altera ad curandum eundem populum in interno pœnitentiæ foro, prima dicitur contentiosa, quæ scilicet habet contradictorem, & inter contendentes exercetur, redditurque in inuitos, actor enim contendit contra reum. Secunda est voluntaria, quæ in solos subditos volentes exercetur. Prior sine potestate ordinis potest esse & exerceri, posterior autem non potest. Ita Reginaldus *lib.1 c.2. n.11.* Layman *lib.1. tract.4. cap.5.* Toletus *lib.1. cap.3.* Sanchez *de matr. lib.3. disp.19 num.7.* Tannerus *de pænit. disp.6. quæst. 9 dub.3. numer.39.* & alii.

Reginald. Layman. Toletus. Sanchez. Tannerus.

7 Confessarius debet habere iurisdictionem ordinariã vel delegatam, vt validè possit absoluere à peccatis mortalibus aliàs non confessis. *Absolutio enim sacerdotis est ad instar actus iudicialis, quo à sacerdote velut à iudice sententia pronunciatur,* vt definitum est in Concilio Tridentino *sess.14. c.6. canon 9. & cap.7. Quoniam igitur natura & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quẽ ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

Con. Trid.

Ratio est, quia nemo potest alteri imperare, cumque ad pœnam subeundam obligare, nisi habeat super eum iurisdictionem: minister autem Sacramenti pœnitentiæ potest ligare ad pœnam, ergo debet habere iurisdictionem, & hæc necessitas iurisdictionis ordinariæ vel delegatæ, ab absoluendum, non est constitutionis humanæ, sed diuinæ, nam eo ipso quo Christus voluit sacerdotes absolutionem proferre tanquam Iudices, voluit etiam vt haberent iurisdictionem. Ita D. Thom. *3. part. q.68. art.6. & in supplem. q.8. art.4.* P. Ledesma *de pænit. cap.11. concl.* Bonacina *de pænit. disp.5. q.7. punct.1. n.8.* Becanus *de Sacramentis in specie c.26. q.7. num.7. & cap.38. q.2.* Suarez *disp.24. sect.2.* & communiter Theologi.

D. Thom. P. Ledesma. Bonacina. Becanus. Suarez.

Iurisdictio ordinaria in primo, & supremo ordine residet diuino iure in summo Pontifice, qui habet illam immediatè à Christo Domino *Cap. in Nomine dist.23. C. cuncta per mundum 9. q.3.* nam licet eligatur ab hominibus; tamen neque ipsi, nec vniuersa Ecclesia dat illi iurisdictionem, sed ipsi designant personam, & Christus immediatè munus confert: Deinde Summus Pontifex iurisdictionem hanc habet independentem ab alio, quin potius omnis alia pendet ab ipso, & habet illam vniuersalissimam quoad loca, personas, & culpas, & quoad modum vtendi illa, vel per se immediatè vel per alios, seu concedendo eam alijs prout voluerit, vel oportuerit. Et ad hunc ordinem, reducuntur Summus Pœnitentiarius Pontificis, Legatus à Latere, & si qui alii excellentiori modo illam participant. Ita D. Thom. *opuscul.1. cap.22.* Filliucius *tract.7. num.188* Tannerus *tom.3. disp.1. quæst.4. dub.4. numer.157.* Toletus *lib.3. cap.13. n 7.* Reginald. *l.1. c.4. n.21.22.* Layman *lib.5. tract.6. cap 10. num.3.* & Doctores communiter.

D. Thom. Filliucius. Tannerus. Toletus. Reginald. Layman.

8 Iurisdictio hæc ordinaria in secundo ordine residet in Episcopis, quos quidam Doctores dicunt simpliciter habere illam iure diuino; Ita Maior *in 4. dist.17. q.9.* Sotus *4. dist.24. q.2. art.2.* Victoria *relect.2. de potest. Eccles. c.2.* Castro *de hæresib. v. Episcopus.* Ratio est, quia Apostoli acceperunt suam iurisdictionem immediatè à Christo, & ideò iurisdictio in Apostolis fuit de iure diuino, quia illam à Christo immediatè acceperunt, sed Episcopi sunt successores Apostolorum, ergo etiam Episcopi illam à Christo immediatè accipiunt, & in Episcopis est de iure diuino. Hæc opinio est probabilis.

Sotus. Victoria. Castro.

Probabilius tamen est omnes Episcopos Ecclesiæ habentes Episcopale & pastorale munus, habere illud per Summum Pontificem seu dependenter ab illo, & proinde iurisdictionem hanc non dari Episcopis immediatè à Christo, sed per Summum Pontificem, & hoc sensu non habere illam diuino, sed humano iure. Hoc patet ex Concilio Tridentino *sess.14. cap.7.* vbi dicitur posse Summos Pontifices Maiores causas totius orbis sibi reseruare habent ergo Episcopi potestatem deriuatam à Summo Pontifice, siquidẽ illi sibi possunt causas Episcoporũ reseruare. Ita D. Thom. *in supplem. 3. p. q.40. art.4.* Suarez *disp.25. sect.1.* Caspensis *tract 4. disp.5 sect.4.* Bannez *2 2. quæst.1. art.10. dub.5.* Gratianus *cap.1. d.22. C. dudum 3. q.6. Cap. Antiqua de priuilegiis,* Tannerus *tom.4. disp.6 q.9. n.47.* Medina *C. de conf. q.39.* Bellarminus *l.4. de Pontif. cap.24.*

D. Thom. Suarez. Caspensis. Bannez. Gratian. Tannerus. Medina. Belarmin.

Ad fundamentum autem cõtrariæ opinionis dicendum est, Episcopos esse quidem Apostolorum successores in dignitate, non tamen inde sequi habere iurisdictionem ex iure diuino & à Christo immediatè, quia illa iurisdictio Apostolis fuit data tanquam Legatis, ideò cum illis expirauit Ad hunc ordinem reducuntur vicarii Episcoporum, Abbatesque exempti habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & similes: vt sunt Generales, & Prouinciales Ordinum.

9 Iurisdictionem ordinariam denique habent etiam Parochi ex sententia omnium Theologorum, & ex vsu, & sensu Ecclesiæ, *C. Omnis vtriusque, de pænit. & remis.*

Item vicarius Parochi perpetuus; nam ille habetur vt ordinarius pastor, qui potest vices suas delegare, imò vicarius temporalis, qui demortuo Pastore solet constitui, dũ de alio Pastore prouideatur, quia talis in toto officio Pastoris succedit, & ad id ad tempus deputatur. Item Archipresbyteri, Prælati locales religionum, vt Rectores, Priores, Guardiani, &c. in vniuersum omnes, quibus ex iure, vel ex priuilegio speciali commissa est cura immediata aliquarum animarum, his adiunguntur Nuntii Apostolici respectu populorum suæ legationis, Decanus Capituli respectu illius, Capitulum Sede vacante, Archiepiscopus respectu populorum suorum suffraganeorum dum visitat Hi omnes, cùm sint ordinarii possunt delegare suam iurisdictionem, D.Thom. *in suppl.* 3.*p.q*.8. *art*.4. Suarez *disp*. 25.*sect*.1.*num*.15. Sanchez *de matr. li*.3. *disp*.31. Filliucius *tract*.7.*n*.188. Layman *lib*.5.*tract*.6.*cap*.10.*num*.3. Præpositus *de pœnit*.*q*.7 *dub*.4. & alii.

D. Thom. Suarez Sanchez Filliucius Layman Præposit.

10 Iurisdictio horum ordinariorum quantùm ad forũ internum terminatur personis & non localibus terminis: *Cap. Nouit de officio leg. l.2.ff.de offic. proconf.* vnde Episcopus vel Parochus potest absoluere subditum suum, si cum illo simul versetur extra Diœcesim suam vel Parochiam, imò potest illi dare facultatem eligendi confessorem vbicumque extiterit. Ratio est, tum quia hoc Sacramentum per se requirit iurisdictionem in personam, quia illa iudicanda est, hæc autem iurisdictio nec acquiritur, nec amittitur ratione præsentiæ, vel absentiæ localis. Tum quia hoc iudicium sacramentale nullam externum strepitum, & proinde non necessariò est regulandum iuxta modum externorum iudiciorum, respectu quorum turbaretur gubernatio, si quilibet superior suum subditum posset vbilibet iudicare in foro contentioso. Propterea qui alias est ordinarius iudex respectu personæ, vel qui in hoc foro pœnitentiæ habet iurisdictionem in aliquam personam, potest vbicumq; uoluerit ius dicere, in quo differt hoc iudicium ab externo. Ita communiter Doctores, Sanchez *de matr.lib*.3.*disp*.19. *num*.8. & *disp*.34. *num*.2. Bonacina *disp*.5.*q*.7.*p*.2.*n*.10 Victoria *de Sacr.nu*.151. ConincK *disp*.8. *dub*. 3.*num*.22. Henriquez *lib*.3. *de pœn*. *c*.7. *nu* 1. Diana *p*.3. *tract*.4. *resol*.144.

Sanchez Bonacina. Victoria. Coninch. Henriq. Diana.

11 Quidam affirmant ratione delicti acquiri forum siue iurisdictionem in hoc iudicio sacramentali, sicut in contentioso, iuxta *cap.de Raptoribus*, & quæ ibi tradun tur, ita D. Anton. 3.*p. tit*.17.*cap*.4.

D Anton.

Sed oppositum tanquam certum tenendum est. Ratio est, quia in hoc foro idem debet esse iudex omnium culparum, quia omnes simul debent remitti, nec possunt diuidi, quando sunt mortalia crimina, quia propter illa primariò datur hæc iurisdictio, ergo nec debuit hæc iurisdictio, diuidi pro varietate locorum, vnde si aliquis subditus huius Episcopatus in alio peccauit mortaliter, non debet, non potest, per se loquendo, absolui in hoc furo ab illo delicto ab Episcopo, vel ordinariis ministris, eius loci, in quo peccauit, sed à suo Episcopo, uel Parocho, aut ex licentia eius Et hoc iudicium differt ab externo, quod prius ordinetur ad internam salutem, & reconciliationem cum Deo, & ideò ad finem illius nihil refert, quò peccatum in hoc, vel illo loco committatur: Posterius uerò ordinatur ad externam gubernationem, & publicam punitionem, quæ fit ad aliorum exemplum, & ideò expedit, vt ibi puniatur delictum, ubi committitur. Ita Nauarrus *in Cap. Placuit de pœnit, distinct*. 6, *numer*.83. Panormitanus *in c. vltim. de foro competent. in* 6. Syluester *v. Confes*.1. *q*.13. Præpositus *de pœnit q*.7 *dub*.4.*num*.13.

Nauarrus. panormit. præposit.

12 Confessarius qui ordinariam in Sacramento Pœnitentiæ habet iurisdictionem, dicitur in iure *proprius Sacerdos*, siue illa iurisdictio sit proxima, & immediata, qualis est in Parocho, siue sit vniuersalis & quasi remota, qualis est in Episcopo uel Summo Pontifice, hinc in vnaquaque Ecclesia Parochiali Parochus illius est proprius Sacerdos omnium, qui intra terminos Parochiæ illius, degunt, siue illi laici sint, siue Sacerdotes, per se loquendo, & seclusis priuilegiis, & iuxta ius commune, & usum Ecclesiæ, unusquisque fidelium sortitur Parochiam, ubi habet domicilium firmum. Ita Toletus *lib*.3. *cap* 13. *nu*. 7. Syluius *in supplement. quæst*.8 *art* 4. *quæsit*. 3. Suarez *disp*.25. *sect*.2. Petrus Ledesma *de pœnit*. *cap*.11. *concl*.4. Mercerus *in supplem*. 3 *pars. quæst*.8. *dub*.3. & alii.

Tolletus Syluius p ledesma Mercerus

Nihilominus ex mente Summorum Pontificum proprius Sacerdos Canonis *Omnis vtriusque sexus*, non Papa nou Episcopus, sed solus est Parochus. Ita Martinus V. in bulla per Adrianum citata, *volumus*, inquit, *vt hi qui fratribus confitebuntur, iidem suis Parochialibus sacerdotibus semel saltem in anno confiteri teneantur, prout statuit Generale Concilium*. Vides uocem *proprii Sacerdotis* à Papa per alteram *Sacerdotis Parochialis* glossatam.

Martinus v

Sixtus IV. in sua extrauag. *Vices*, idem sentit, his uerbis: *Quia de iure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti* Vbi procul omni dubio materia subiecta, per proprium Sacerdotem, Pontifex intelligit Sacerdotem Parochialem.

Sixtus iv.

Trident.

Idem sentit & Tridentinum *sess*.14. *cap*.9. ubi agens de distinctione Parochiarum, dicit, *vnicuique gregi assignatũ proprium Pastorem*. Vbi proprii Pastoris nomine, satis liquet neque Papam, neque Episcopum comprehendi, cùm Summus Pontifex non habeat distinctum gregem respectu singularum Diœceson, nec Episcopus respectu singularum Parochiarum. Plura de his eruditè Theophili Parochialis Auctor *p*.3. *art*.5.6. & 7.

12 Confessarius, qui & Sacerdos proprius illorum, qui in uno loco habent domicilium, in alio uerò quasi domicilium, scilicet habitationem diuturnam pro aliquo tempore anni, quamuis non fixam, vt sunt, scholares, milites, litigantes ac mercatores, est ordinarius parochus illorum locorum, in quibus pro tempore habitant, & hoc uirtute consuetudinis introductæ, quæ iurisdictionem conferre potest non ratione sui, sed ratione taciti consensus, & approbationis Superioris. Et fuit certè moraliter necessariũ vt huiusmodi personæ possent habere ordinarios pastores ad quos pertineat ex officio eis ministrare Sacramenta. Ratio est, quia in eo loco habitare quis dicitur, ubi maiori anni parte habitat, sed ratione assiduæ habitationis sortitur aliquis forum externum, ita ut *ibi* possit conueniri de alibi gestis, ergo similiter ratione talis habitationis, acquiret forum in rebus spiritualibus, cùm utrumque forum æquè iurisdictionem petat. Tũ quia ex sola habitatione alicubi, non per modum uiatoris, sed conducta domo uel officina, contrahitur quasi domicilium, ita ut hic possit *ibi* conueniri, ergo similiter acquiretur quasi domicilium in rebus spiritualibus, ut ratione illius, parochus habeat iurisdictionem in sic habitantem. Ita Glossa *in Clement. in* 1. *de priuil*. Nauarrus *in cap. Placuit. de pœnit. dist*. 6.*num*.85. Sanchez *de matr. lib*.3. *disp*.23. *numer*.13. Soarez *disp*.25. *sect*.2.*num*.6. Sylu. *in suppl.q*.8.*art*.5 *quæsit*.2.*concl*.5 Reginald. *l*.1.*n*.74. & 79. Vasq. *q*.93.*art*.2.*dub*.4.*n*.4. & alij.

Glossa. Nauarrus Sanchez Suarez Syluius. Reginald. Vasquez

14 Proprius Sacerdos illorum qui habent duo domicilia, in quibus æquè habitãt pro diuersa anni parte, est vterque parochus: quia hæc iurisdictio non sequitur actualem habitationem, sed domicilium: vnde vtrique parocho in quorum parochia habent domicilia, possunt confiteri, quia in utroque loco possunt sepeliri, & matrimonium contrahere. Debent tamen tales satisfacere illi Sacerdoti, in cuius parochia habitant, reddentes illum certum, quòd iam impleuerint præceptum. Confirmatur autem propositio, quia illi vtroque tempore habent duplicem parochiam, aliàs non uerificaretur habere duo domicilia: Sicut qui certo tempore habitant in una parochia, posteaque ad aliam transferuntur, non dicuntur habere duo domicilia, quia non simul utrumque sortiuntur, sed successiuè, modò vnum, & postmodùm alterum; Ita vtroque tempore vterque parochus est proprius illorum pastor, & proinde poterit illis ministrare Sacramenta. Ita Nauarrus *in cap. Placuit. n*.78. Henriquez *l*.6.*de pœnit. c*.7. *n*.2. Syluius *c. concl*.4. Bonacina *disp*.5.*q*.7.*p*.2. *n*.2. Filliucius *tract*.7. *nu*. 192. Fernandez *in exam part*.3. *c*.7. §.8. *n*.6.

Nauarr. Henriq. Syluius. Bonacina. Filliucius Fernandez

15 Vagabundi, id est, qui nullibi certam ac constantem sedem ac domicilium habent, vel qui pristinum domicilium omninò deserentes nauigant, uel iter faciunt, quærentes ubi se collocent, proprium Sacerdotem habent parochum loci, in quo pro tempore reperiuntur. Ratio est quia in huiusmodi hominibus actualis habitatio succedit loco domicilii, quandoquidem aliud non habent: vnde si vagabundi indigeant Sacramentis, parochus loci tenetur ea ministrare, imò potest illos compellere ad præceptum

ptum implendum, quod est optimum signum, quod parochus loci, in quo vagi reperiuntur, sit proprius ipsorum Sacerdos. Non est tamen negandum posse tales vagos etiã alteri Sacerdoti exposito, & approbato ad confessiones in eo loco excipiendas confiteri, quia id etiam possunt habẽtes domicilium, uel quasi domicilium. Ita Vasq. *q. 93. art. 2 dub.* 4. Suarez *disp. 25. sect. 2. n.* 7. Bonacina *c. q. 7. p. 2. n.* 4. Syluius *c. concl.* 5. Layman *l. 5. tract. 6. c. 10. n. 9.* Præposit. *p. 3 de pœn. q. 7. dub 7. n.* 55. Toletus *l. 3. c. 13. §. tertius casus*

Vasquez. Suarez. Bonacina. Siluius. Layman. Præposit. Toletus.

Probabile tamen est apud plurimos Doctores ipsos vagos posse cuicunque confessario fateri, quia non est maior ratio de uno quam de alio. Ita Victoria *de Sacram. n.* 155. Henriquez *lib. 6 c. 8 n. 5 lit. K.* Sà *v. Confess. n.* 2. Sãchez *de matrim. l. 3. disp. 25. n.* 7. cum nulli subdantur, nec curandum est, de loco hospitii ad breue tempus, non enim acquiritur parochia per talem habitationem vnde tales sine parochia sunt, priorem enim amiserunt, & nondum aliam acquisiuerunt.

Victoria. Henriq. Sanchez.

Non est autem admittenda sententia Nauarri *in c. placuit. de pœnit. d. 6 n.* 79. existimantis tales vagos posse eligere quem voluerint confessorem etiam non approbatum, quia putat in his manere integrum illud ius diuinum eligendi sibi confessarium, eo quod Ecclesiæ determinatio, quæ est per domicilia, in eis locum non habet. Contra quem Suarez, & alii citati.

Nauarr.

16 Iter agentes seu peregrinantes sicut retinent domicilium, etiamsi extra illud incedant, ita etiam eundem semper retinent Sacerdotem proprium, & confessarium unde in rigore iuris non uidentur posse confiteri alieno confessario sine licentia proprii, & olim fideles facultatem petebant à suis propriis sacerdotibus ad agendum iter, & in illa facultate censebatur dari licentia confitendi alteri in itinere, modo tamen omnium locorum spectata consuetudine, & tacito consensu Parochorum probabilis, & uera lenten ia, est, posse bas personas confiteri peccata sua, vel parocho illius loci ad quem perueniunt, aut etiam alteri Sacerdoti approbato ab confessiones in eo loco audiendas. Ratio est, quia hæc existimatur esse quædam implicita licentia proprii Sacerdotis, quia occurrit causa maximè rationabilis, & moraliter necessaria propter itineris occasiones, & pericula. Hic tamen secundùm Vasq. *q. 93. art. 2. dub. 4. n.* 4. Syluest. *v. conf. 1. q.* 11. Coninch. *disp. 8. dub. 8. n.* 61. Bonacina *c. n.* 5. Reginald. *l. 1. n. 74. & 79.* Sylu. *c. concl.* 5. Præpositus *de pœn. q. 7. num* 56. Suar. *d. 25. sect.* 2. Sotus *in 4. d. 18. q. 4. art.* 2. P. Ledesma *de pœnit. c. 11. in concl.* 4. necessaria est bona fides, nam si quis ad hoc iter ageret vt haberet occasionem confitendi alteri, & non proprio Sacerdoti, iam illa non esset necessitas sed uoluntas, & non esset iuxta intentionem Pastorum, nec iuxta consuetudinem Ecclesiæ, per quam à Summo Pontifice confertur iurisdictio ad absoluendum iter agentes, & ideo non esset valida confessio.

Vasquez. Syluest. Coninch. Bonacina. Reginald. Syluius. Præposit. Suarez. Sotus. P. Ledesm.

Nihilominus probabile putant Pont. *de matr. l. 5. c. 9. n.* 6 Filliuc. *tr. 7. n.* 195 Diana *p. 3. tr. 6. res.* 28. consuetudinem etiam introduxisse, vt non obstante eiusmodi intentione confessio ualida sit. Ratio huius opinionis est, quia in tali casu non adest fraus illicita, nec dolus malus sed quis utitur iure suo.

Pont. Filliucius. Diana.

17 Parochorum proprius Sacerdos nullus alius est nisi Episcopus, regulariter loquendo, quia cum nulla sit inter Parochos subordinatio, neque vnus sit alteri superior, nõ potest esse proprius Sacerdos alterius. Episcopus autem est illis immediatè superior, & ideò ille solus est proprius pastor eorum. Interdum tamen sunt aliqui qui participant iurisdictionem Episcopalem in plures Ecclesias parochiales, ut sunt aliqui Abbates ve Archidiaconi, & tunc eadem est de iis proportionalis ratio. Ita Suarez *disp. 25. sect.* 2. Filliucius *tr. 7. c. 7. n.* 196. Fernandez *in exam. p. 2. c. 6. §. 9. n.* 12. Mercerus *in supplem. q. 8. dub. 3. n.* 5.

Suarez. Filliucius. Fernand. Mercerus.

18 Episcopi non habent alium proprium Sacerdotem præter Pontificem, vt docet P. Ledesma *cit. cap. 11. post. concl. 4. dub.* 4. neque est verum quod Paludanus *in 4. d. 17. q. 3. art.* 2. Syluester *v. Conf. 1 q.* 2. dicunt proprium Sacerdotem Episcoporum esse Archiepiscopum, Archiepiscoporum verò Patriarchas, horum verò Pontificem, quia hoc nullo iure fundatur, cùm Archiepiscopus non habeat Ordinariam iurisdictionem in hoc foro in diœcesibus suffraganeorum, ergo multò minus circa ipsos Episcopos, vt bene docet Sotus *distinct. 4. q. 18. q. 4. artic.* 2.

Ledesma. Palud. Syluest.

19 Cardinales sicut, ratione dignitatis propinquissimi sunt Pontifici, ita illum solum habent vt proprium pastorem, & sacerdotem, est autem collegium illud veluti vnũ spirituale corpus, cuius proximum caput est Pontifex. Caietanus *v. absol. 2 in fine* Filliucius *tr. 7. n* 197.

Sotus. Caietanus. Filliucius.

Quamuis Papa in foro exteriori absolui non possit, cum Superiore careat, in foro tamen pœnitentiali ligari potest peccator vnde si mortaliter peccauit tenetur alicui Sacerdoti confiteri, & confessarius electus hoc pacto est Superior illo, quantum ad huiusmodi actum in foro conscientiæ. Alias nullus in Ecclesia habet iurisdictionem ordinariam in ipsum, quia cum ipse sit caput vniuersalis Ecclesię in ipso proinde omnis iurisdictio residet. Syluius *in suppl. 3. p. q. 8. art. 5. q.* 2. Filliuc. *tr. 7. n.* 68.

Syluius. Filliucius.

Quis autem, iurisdictionem Sacerdoti conferat in Ordine ad absolutionem Pontificis, non vna est Doctorum sententia, quidam enim volunt in illo casu confessarium habere iurisdictionem à Christo quia iurisdictio quæ Summum Pontificem vt inferiorem respicit, debet prouenire à Christo, cuius Pontifex vices gerit. Ita Paludanus *in 4. d. 17 q. 3. art.* 4. Cano *relect. de pœn. p* 5. & alii.

Paludanus. Cano.

Sed verius dicitur Sacerdotem à Pontifice electum habere iurisdictionem necessariam ad illum absoluendum ipsomet Pontifice, qui quatenus Pontifex est, est superior seipso quatenus pœnitens est, & licet non possit in seipsum potestatem illam exercere, potest tamen illam alteri committere. Et D. Thomas *in 4. d. 19. quæst. 1. art. 3. q.* 2. D. Bonauentura *ibid. art. 3. quæst.* 2. Suarez *disp. 27. sect. 2. num* 4. Filliucius *tract. 7 num.* 230 Sotus *in 4. d. 18. q. 4. art.* 2 docet. Pontificem vt peccatorem subiici, vt Vicarium autem Christi, dare iurisdictionem supra seipsum in illo foro pœnitentiæ. Idem docent D. Bonauent. Suarez, Filliucius Sotus.

D. Thom. D. Bonau. Suarez. Filliucius. Sotus.

20 Tota familia Summi Pontificis excipitur ab ordinario iure, nam illius est ipse Pontifex proprius Sacerdos, vel summus Pœnitentiarius eius, vel ille quem ipsi designant. Solum vtuntur autem hoc priuilegio illi, qui actu sunt Romæ, & actu sunt de familia. Reginaldus *l. 1. num. 31. & 32.* Caietanus *cit.* Suarez *disp. 25. sect. 2. num.* 12. Victoria *in sum n.* 154. & alii.

Reginald. Caietan. Suarez. Victoria.

Item excipiuntur familiæ Cadinalium, nam quisque Cardinalis est quasi proprius Sacerdos suæ familiæ, & potest per se vel per alium hoc munus exercere, vel si ipse non sit Sacerdos, potest delegare hanc potestatem.

21 Familiæ Episcoporum proprium Sacerdotem habẽt ordinarium Parochum iuxta ius commune, uerisimile est tamen, posse Episcopum si velit, eximere familiam suam ab ordinaria Parochorum cura, & sibi reseruare, vel alium proprium designare. Ratio est, quia est superior, & potest sibi reseruare casus Syluester *v. Conf. 1. q.* 2. Suarez *c. n.* 12. Reginàld. *cit.* Præposit. *3. p. de pœnit. q. 7. dub. 7. n.* 53. Filliuc. *tr. 7. n.* 197. & alii.

Syluest. Reginald. Præposit. Filliucius.

Excipiuntur etiam quædam personæ in speciali dignitate constitutæ, vt Decani Ecclesiarum, & interdum Archidiaconi, vel aliæ similes, quę immediatè subordinantur Episcopis, & eximuntur à Parochorum cura, consulenda est in hac re consuetudo, & specialia priuilegia. Ita Doctores hic citati.

22 Religiosi qui proprio reguntur ordine, etiam eximuntur ab ordinaria Parochorum cura, habent enim superiorem proximum, qui est veluti Sacerdos omninò proprius, & habent etiam remotos. De Monialibus autem idẽ iudicandum est, nam quæ sunt subditæ Episcopo, illum habent tanquam proprium sacerdotem, ipse tamen designare potest aliũ qui uices eius gerat, quæ verò sunt subditæ religiosis, habent proprium Superiorem, & uicarium tanquam proprium Sacerdotem. Ita Suarez *c. disp. 25. sect. 2. n.* 13. P. Ledesma *de pœn. c.* 11. Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2 disp 6. q. 1. n.* 2

Suarez. P. Ledesma. Tamburin.

Notanda est hic constitutio Conc. Trid. *sess. 25. c. 10. de regul.* ubi dicitur, *Præter ordinarium autem confessorem* (scilicet Monialium) *aliis extraordinarius ab Episcopo, & aliis superioribus, bis aut ter in anno offeratur qui omnium confessiones audire debeat.* Vt cuius constitutionis nõ exigitur ut in Monasteriis exẽptis cõfessarius offeratur simul ab

Conc. Tr.

Dd 2 Epi-

Episcopo, & Superioribus regularibus, sed vt Episcopus offerat in Monasteriis sibi subditis, alii verò in exemptis, nullo tamen modo possunt Abbatissæ, & aliæ monialium præfectæ eum extraordinarium designare, nisi superior, cui subest Monasterium, saltem tacitè consentiat, sed est ipsorum Prælatorum.

Posset tamen Episcopus offerre monialibus sibi non subiectis, si eæ nulla ratione induci possent, vt confiteantur suis regularibus confessoribus, vt respondit Sacra Cardin. congregatio, nec tenebitur dare regularem, sed poterit assignare etiam sæcularem.

Item concessio non videtur restringenda ad vnùm tantùm, cùm fauor Tridentini hoc modo esset valde diminutus, cùm tamen quieti, & conscientiis monialium velit consulere.

Per hoc decretum non impediuntur moniales confiteri ordinario confessario, si velint, quia non tenetur vti fauore sibi oblato, cauendum tamen ne confessarii ordinarii eas etiam indirectè adigant, ad sibi confitendum, v.g. austeriùs cum illis agendo, quia id Tridentini scopo aduersaretur. Hæc indicat Sacra Congregatio in *cap. prædictum* Tridentini.

23 Reges & Principes præsertim supremi solent etiam eximi à Parochorum cura.

De quibus nihil certum statui potest, quia ratione suæ dignitatis vel potestatis non sunt exempti ipso iure; in hoc ergo seruanda sunt priuilegia huiusmodi Principib. concessa & antiquæ consuetudines, quæ credendæ sunt legitimè introductæ & ex consensu Superiorum. Vt rectè docent Suarez *disp. 25. sect. 2. n. 13.* Layman *l. 5. tract. 6. c. 10. n. 3.* Tannerus *tom. 4. disp. 6. q. 9. dub. 3. n. 54.* Suarez, Layman, Tannerus.

CONFESSARIUS II.

Quoad potestatem delegatam.

SUMMARIUM.

1 *Iurisdictio in pœnitentiæ foro, an possit delegari.*
2 *Soli Sacerdoti, & quidem approbato, iuxta formam Concilii Tridentini potest iurisdictio, in foro interior delegari.*
3 *Quando committitur hæc iurisdictio, non Sacerdoti, an propriè sit delegatio iurisdictionis?*
4 *An potestas nominandi confessarios pro suis familiis, concessa fœminis vel laicis, sit commissio iurisdictionis.*
5 *Qui habent iurisdictionem ordinariam, possunt eam delegare, vt Summus Pontifex, Episcopus, Parochus.*
6 *Quæ personæ aliæ comprehendantur sub Pontifice, Episcopo & Parocho.*
7 *Delegatus ab Episcopo ad vniuersitatem causarum, an possit suam vniuersam delegationem subdelegare.*
8 *Parochus inconsulto Episcopo, an possit suam curam pastoralem subdelegare? & quid dicendum de Prælatis regularibus.*
9 *Vicarius locans suas operas, vt Parochum adiuuet, an possit delegare iurisdictionem sibi commissam.*
10 *Qua forma delegetur potestas iurisdictionis.*
11 *Quibus competat potestas delegata in foro pœnitentiæ, & quot modis hæc iurisdictio delegetur, & de primo qui est à iure.*
Qui possint sibi eligere confessarium: Et an id possint Abbatissa. An approbatum.
12 *De secundo modo delegandi, qui est ex consuetudine.*
13 *In articulo mortis potuit delegari iurisdictio ex consuetudine.*
14 *Item quando confessio fit de solis venialibus, vel de mortalibus ritè aliàs confessis.*
15 *Delegatur iurisdictio per concessionem hominis.*
16 *Quomodo delegetur iurisdictio per licentiam expressam proprii Sacerdotis.*
17 *An per licentiam tacitam, quæ habetur ex ratihabitione de præsenti, delegari possit iurisdictio.*
18 *Ex ratihabitione de futuro, num acquiratur iurisdictio sufficiens ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ.*
19 *Religiosorum mendicantium iurisdictio, quæ ex vi priuilegiorum delegatur, non solùm absolutionem validam operatur, sed etiam absoluit hominem ab onere confitendi iterum talia peccata.*
20 *Iurisdictio delegata potest reuocari.*
21 *Quamdiu duret delegatio iurisdictionis.*
22 *An iurisdictio delegata ex concessione Pontificis, possit esse perpetua.*
23 *Iurisdictio delegata audiendi confessiones, à Papa vel Episcopo facta, an cesset per mortem concedentis?* Refertur duplex sententia.
24 *Iurisdictio tam ordinaria, quàm delegata, an impediatur per superuenientem excommunicationem, vel suspensionem, aut etiam per interdictum ab officio. Et an facultas facta à Parocho excommunicato absoluendi aliquem, sit valida.*
25 *Sacramentum pœnitentiæ, an liceat ministrare cum iurisdictione dubia.*
26 *An cum iurisdictione probabili, possit quis Sacramentum pœnitentiæ administrare.*
27 *An absolutio vel dispensatio valeat, ex virtute priuilegii, quod quis ignorat.*

1 DE fide est, vt constat ex Conciliis Florentino *in decret. vnio.* & Tridentino *sess. 14. de pœnit. capite 7.* & communi vsu Ecclesiæ iurisdictionem in sacro pœnitentiæ foro delegari posse. Ratio est, quia ea quæ sunt iurisdictionis, delegabilia sunt; cùm enim iurisdictionis, non detur per aliquam internam consecrationem, vt dictum est *supra*, vel Physicam facultatem, sed per moralem concessionem, meritò potest is qui illam habet propriam, & ordinariam ratione muneris, alteri eam committere, & duobus modis potest delegari; *Primò*, directè, concedendo iurisdictionem Sacerdoti, vt quando vel Parochus assumit coadiutorem ad tempus, vel Episcopus, vel Papa alicui committunt hoc munus. *Secundò*, indirectè, ex parte pœnitentis, vt quando alicui conceditur facultas confessarium eligendi. Ita communiter Doctores Reginaldus *lib. 1. num. 45.* Suarez *tom. 4. 3. part. disp. 26. sect. 1.* D. Thomas *in suppl. 3. part. quæst. 8. art. 5.* Syluius *ibid.* Bonacina *tom. 1. disp. 5. quæst. 7. p. 5. §. 2. num. 8.* Conc. flor. Con. Trid. Reginald. Suarez. D. Thom. Syluius Bonacina.

2 Iurisdictio in foro interiori delegari non potest nisi Sacerdoti, quia ille solus potest actum huius iurisdictionis per se exercere, & sic quantum est ex vi potestatis Ordinis cuilibet Sacerdoti potest delegari: Tamen vt rectè fiat hæc delegatio necesse est vt Sacerdos idoneus sit quoad scientiam, prudentiam, & probitatem huic muneri obeundo necessariam: Vt verò ritè fiat necesse est, vt talis Sacerdos sit approbatus, iuxta formam Concilii Tridentini, de qua infra. Ita Filliucius *tract. 7. cap. 8. num. 204.* Suarez *disp. 26 sect. 1. num. 1.* Con. Trid. Filliucius Suarez.

3 Non est propriè delegatio iurisdictionis, sed potiùs quædam participatio ordinariæ iurisdictionis, quando alicui committitur hæc iurisdictio, non vt per se illa utatur sed ut eam aliis distribuat. Ratio est, quia Ordinariè delegatus debet ipse exercere iurisdictionem, & ex vi delegationis non potest eam subdelegare, nisi in casibus iure expressis. Sic enim vicarius Episcopi quamuis Sacerdos non sit, nec possit per seipsum hanc iurisdictionem exercere, eam habet ita sibi commissam, vt possit aliis eam delegare, atque hoc modo potest hæc iurisdictio delegari non Sacerdoti, vt ea utatur quando fuerit Sacerdos. Ita Filliucius *cit. num. 205.* Suarez *disp. 26. sect. 1. num. 2.* Fernandez *part. 3. cap. 6. §. 9. num. 3.* Filliucius. Suarez. Fernandez.

4 Quando laicis vel fœminis conceditur facultas prouidendi seu nominandi confessarios pro suis familiis, vel subditis, illa non est commissio iurisdictionis, quæ talibus personis fiat, sunt enim iurisdictionis spiritualis incapaces, sed solùm est potestas ad eligendam personā vel designandam, quà designata Pontifex seu Prælatus Ecclesiasticus qui talem facultatem dedit, confert illi iurisdictionem Filliucius *c. num. 205.* Suarez *c. num. 2.* Syluius *in supplem. 3. part. q. 19. art. 3.* Filliucius. Suarez. Syluius.

5 Omnes qui habent iurisdictionem ordinariam, possunt illam delegare, iuxta *cap. Inter cætera, de offic. Ordin.* Et *c. Cum Episcopus, de offic. ordin. in 6.* Ratio est, tum quia vnus ex propriis actibus iurisdictionis ordinariæ est delegatio.

delegatio. Tum quia non est cogendus pastor semper per seipsum exequi officium suum; ergo potest vices suas delegare. Vnde Summus Pontifex habet illam vniuersalissimam potestatem delegandi, & ideò potest delegare hanc facultatem cuilibet personæ pro quolibet loco, & pro quibuscunque peccatis, independenter ab Episcopis & Parochis, imò etiam ipsis contradicentibus, quod prouenit ex suprema eius potestate. Idem est de Episcopo in suo Episcopatu, cum hac limitatione vt Papa non reseruet, vel resistat Sanchez *de matr. lib. 3. disp. 31. num. 1. & seq.* Filliuc. *tract. 7. num. 199.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 10. numer. 11.* Tannerus *tom. 4 de pœn. disp. 6. q. 9. n. 46. 48.* & alii.

Sanchez
Filliucius
Layman
Tannerus.

Parochus etiam cum accommodata proportione respectu suorum subditorum, potest hanc iurisdictionem delegare, vt colligitur ex *cap. Omnis vtriusque, de pœnit. & remiss.* Notandum autem est quòd Parochus non possit repugnante Episcopo, vel Summo Pontifice, quemadmodũ nec possunt Episcopi eodem Pontifice, repugnante: Ratio quia inferiores habent potestatem delegandi cum subordinatione ad superiore, quibus in suo munere subiiciuntur Vnde est nulla & irrita delegatio inferioris facta, repugnãte superiore, & tali deputationi resistente, & per cõsequens actus ex ea exercitus est inualidus. Si tamen superior sufficienter non ostendat se irritare delegationem inferioris habentis ordinariam iurisdictionem, delegatio subsistit. Ratio est, quia eo ipso non irritantur actus inferioris operantis ex potestate sua ordinaria, quòd res superiori minùs placeat. Nauarrus *in cap. placuit. de pœnit. dist. 6. num. 140.* Reginaldus *lib. 1. num. 56.* Bonacina *tom. 1. disp. 5 q. 7. part. 4. §. 1. num. 12.*

Nauarrus
Reginald.
Bonacina

Nullus alius præter hos potest iurisdictionem concedere, quia delegatus non potest subdelegare, nisi sit legatus. Supremi Principis, qui est Summus Pontifex *cap cum causam de appellat.* Ratio est, quia actus communicandi iurisdictionem est actus iurisdictionis, distinctus ab actu audiẽdi confessionem, vel absoluendi, & ideò, cùm sint diuersæ potestates, quarum posterior non continetur in priore, & posteriore concessa non censetur eò ipso prior concedi, qui solùm habet iurisdictionem delegatam ad audiendam confessionem, ex vi illius non potest aliud efficere. Secùs verò est de iurisdictione ordinaria, quæ per se loquendo ad vtrumque actum extenditur. Quod tamen intelligendum est, quando Pastor Ordinarius in concessione nil aliud exprimit, quàm facultatem audiendi confessiones, alioquin si vellet, posset cum facultate audiendi confessiones, potestatem etiam subdelegandi concedere, vt cum multis aduertit Suarez *cit. disp. 26. sect. 2. nu. 24.* & dicitur *infra num. 8.*

Suarez.

6 Sub tribus personis numeratis comprehenduntur aliæ, quæ ad illas reducuntur, vt sub Pontifice, Pœnitentiarius eius Summus, & Generalis Vicarius, Legatus aut Nũcius Apostolicus: Sub Episcopo, Vicarius eius Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis, Vicarius Prælati regularis absentis, vt Abbatis, Præpositi, Generalis, Prouincialis, aut Guardiani, Prioris, Rectoris, Visitatoris Religionis: Sub Parocho comprehenditur Vicarius perpetuus; idem dicendum de omni Vicario posito ab Episcopo loco Curati. Hi omnes cùm in iure reputentur quasi ordinarii, suam iurisdictionem delegare possunt. Ita Syluester *verb. conf num. 4.* Graffiis *part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 11.* Suarez *disp. 26. sect. 1. num. 4.* Tannerus *cit. dub. 3. num. 48.* Layman *cit. cap. 10. num. 3.*

Syluest.
Graffiis
Suarez
Tannerus
Layman

7 Delegatus ab Episcopo ad vniuersitatem causarum, potest vnam vel alteram causam subdelegare, non tamen vniuersam suam delegationem, censetur autem delegatus ad vniuersitatem causarum ille, *Primò*, cui facta est commissio vniuersalis quoad causas certi generis, licet restricta sit quoad tempus, vel quoad locum, ita vt in illis quasi ordinario munere fungatur. Sicut notauit Glossa *in c. cum causam, v. delegatus, de appell.* Sanchez *de matr. l. 3. d. 31. n. 2.* & communiter alii apud Sanchez

Gloss.
Sanchez

Secundò, si alicui delegetur iurisdictio, vt fit in priuilegium perpetuum, ratione dignitatis, aut officii sui, tunc enim talis potestas iurisdictionis censetur quasi ordinaria, & interdum alteri poterit subdelegari v. g. Si Prouincialis Guardiano committat ratione officii in perpetuum, facultatem absoluendi subditos à casibus reseruatis, potest Guardianus eiusmodi potestatis executionem alteri delegare; non ita generatim, sicut ipsi commissa est, sed particulatim in certo casu, vel ad certam personam absoluendam, v. g. si regularis à Guardiano petat, vt plenam, quam ipse habet, absoluendi potestatem, monasterii confessario concedat; Secùs dicendum esset, si priuilegium illud absoluendi à reseruatis esset personale, ob hominis industriã datum, tunc enim delegari non posset Nauarrus *in man. cap. 27 num. 41.* Henriquez *lib. 6. cap. 7. numer. 3.* Rodriquez *tom. 1. qq. reg quæst. 21. art. 9.* Sanchez *lib. 4. cap. 54. num. 27.* Diana *part. 2. tract. 17. resol. 53.*

Nauarrus.
Henriq.
Rodriq.
Sanchez
Diana

Tertiò, Si vicarium officium alicui committatur, cui iurisdictio annexa est, puta officium Parochi absentis, vel nondum sacerdotis: Talis vnam vel alteram causam particularem alteri subdelegare potest, puta certum exercitiũ iurisdictionis aut pastoralis officii alicui etiam generatim committere: v.g. Tu audias confessiones parochianorum qui ad te accesserint. Quamuis non possit integrum vicariæ suæ officium, ideoque nec potestatem subdelegandi alteri committere: nisi consuetudo legitimè introducta alicubi id permittat. Vide Nauarrum *in cap. placuit. d. 6. de pœnit. num. 69.* Syluestrum *v. Vicar. quæst. 5.* Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 31 num. 15* & alios hic citatos.

Nauarr.
Syluest.
Sanch.

8 Parochus inconsulto Episcopo curam suam pastoralem subdelegare non potest, nisi ad breue tempus. Ratio est, quia ius præcipit vt per se & non per Vicarium suæ Ecclesiæ deseruiat, & si ei dispensatio per septennium concedatur causa studii, debet Episcopus solicitè prouidere, vt per vicarium ab ipso deputandum, animarum cura diligenter exerceatur. Sic decernitur in *c. Cum ex eo §. porrò de elect. in 6. cap. Extirpandæ §. qui verò, de præbendis.*

Similiter quicunque Prælatus ordinarius potest delegare partem suæ iurisdictionis alicui, cum facultate vt is delegatus possit subdelegare, quia tunc non videtur ipse delegatus subdelegare, sed ordinarius delegans. Et id probat Sanchez *de matrim. lib. 3 disp. 31 num. 6. & seq.* Syluester *v. Delegatus num. 10.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 7. n. 6.* Layman *l. 5. tract. 6. c. 10 n. 12.* ex multis textibus, & Doctoribus, dicens esse communẽ sententiam. Addit tamẽ duas exceptiones, *Prima est*, quod non deleget vniuersam suam iurisdictionem, id est totum officiũ quod habet, hoc enim non potest facere absque consensu superioris. *Secunda est*, quòd talis delegatus non debet sub delegare nomine suo proprio, sed nomine ipsius Ordinarii delegantis.

Sanchez
Syluest.
Henriq.
Layman

Ex hac doctrina infert Laurentius Portel *in dub. reg. v. Casus reseruat. in addit. ad addit. nu. 1.* Prouincialem (qui tanquam Ordinarius à sibi reseruatis solus ex officio absoluit) posse durante suo officio delegare aliquibus authoritatem absoluendi à reseruatis cum facultate subdelegandi quibus voluerint.

Portel.

9 Vicarius locans suas operas, quem Parochus præsens assumit vt se adiuuet, non potest delegare iurisdictionem sibi commissam, quia Parochus ipse non censetur tunc illi suas vices committere, sed tantùm ministerio illius vti, sicut cùm alium Parochum aut simplicem Sacerdotem approbatum aduocat ad se iuuandum in audiendis confessionibus tempore Paschatis. Hinc colligitur cur regulares quibus à Summo Pontifice vniuersim demandata est facultas fideles omnes absoluendi à peccatis, & censuris, talem facultatem alteri subdelegare nequeant. Quia ipsis simplex & nuda iurisdictio in ordine ad certum exercitiũ absoluendi, & non integrum officium iurisdictionis committitur. Ita Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 31. numer. 19.* Reginaldus *lib. 1. num. 54.* Coninch *de Sacr. disp. 8. dub. 4. num. 25.* & alii. Verùm aliquando ex rationabili & necessaria Epicheia posse talis simplex Sacerdos approbatus assumptus à Parocho infirmo vel absente, vt confessiones parochianorum suorum in paschate audiat, alium similiter approbatum sibi occurrentem subdelegare, si nõ inueniat se sufficientem multitudini, & non pateat facilis recursus ad Parochum: Ratio est, quia qui eum delegauit, noluit illum ad impossibile, aut tam difficile arctare, sed supponitur velle vt congruè suis muneribus satisfaceret; Qui enim vult finem ex obligatione, eadem obligatione censetur velle media congrua ad finem, vt docet Petrus Marchatius *in suo Tribunali tom. 1. tract. 2. tit. 2. quæst. 2.*

Sanchez
Rodriq.
Coninck

10 Ad delegandam potestatem iurisdictionis, nulla

alia forma ad hoc specialiter requiritur, præterquã quod delegans sufficienter explicet voluntatem suam, supposita potestate, nam quibuscunque verbis, signis, aut scripturis hoc fiat, ad hunc effectum sufficit. Tum quia nec ex natura rei, neque ex speciali iure positiuo aliud requiritur. Tum quia delegare iurisdictionem, est actus voluntatis eius hominis, qui potestatem habet, ergo sine actuali voluntate eius non confertur alteri iurisdictio. Tum quia delegatio iurisdictionis fieri debet modo humano, & sensibili, vt ab altero cognosci, & acceptari possit, ideòque sufficit quod voluntas delegantis, verbo, scriptura, aut facto sufficienter manifesteiur. Ita ex communi Suar. *disp. 26. sect. 1* Coninch *disp. 8 dub 5.* Layman *lib. 5. tract 6. c. 10 n. 15.* Filliuc. *tr. 7. n. 206.*

Suarez. Coninch. Layman. Filliucius.

Sed petes, vnde sciri potest, quod concedatur potestas circa reseruata, Respondeo, hoc colligendum esse ex verbis quibus talis facultas fit. Vnde dicunt Doctores, quod si Episcopus vel Prælatus dicat *facio tibi facultatem audiendi subditorum meorum confessiones. Vel concedo tibi autoritatem meam*, huiusmodi verbis non concedi reseruata. Sed si dicat *Concedo tibi talem casum & omnem meã potestatem vel concedo tibi potestatem meam excepto tali casu* quia exceptio firmat generalem regulam in contrarium, tunc talibus verbis concedi reseruata. Cæterum quamuis talibus verbis non vtatur Prælatus, & intentio eius circa reseruatorum concessionem aliunde satis constet, non oportet esse anxium de verbis huiusmodi.

11 Illis competit potestas delegata in foro pænitentiæ quibus data est ab Ordinariis pastoribus, per sufficientem declarationem suæ voluntatis, Tribus modis hæc iurisdictio delegatur. Primus est à iure, & hoc modo non est alicui delegata potestas iure communi ex parte ipsius net confessoris, sed tantum ex parte penitentis quatenus aliquibus data est facultas eligendi confessorem, hanc autem facultatem habet *Primò* Summus Pontifex ex iure diuino D. Thom. *in 4. d. 19. quæst. 1. art. 3.* Suarez *disp. 27. sect. 2. num. 2.* Fernandez *part. 3. cap. 6. §. 9. num. 9.* Syluius *in suppl. quæst 8. art. 5. quæsit. 2. con. 1.* Filliucius *tract. 7. n. 230.* Bonacina *tom. 1. disp. 5 quæst. 7. part. 3* Ratio est, quia etiam ipse potest, & debet confiteri, si conscientiam peccati habeat, quia hoc ius diuinum est omnibus commune, & cũ à seipso non habeat potestatem eligendi confessarium, neque habeat superiorem in terra, à quo illam accipiat, consequens est, quod inde accipiat vnde habet omnem suam aliam potestatem, id est à Christo, Et tunc iurisdictio secundum veriorem sententiam (vt dictum est *supra* v. Cõfessarius 1. *num.* 19.) transfertur in confessionem medio Pontifice.

D. Thom. Suarez. Fernandes. Syluius. Filliucius. Bonacina.

Secundo, Iure Ecclesiastico *cap vlt. de pænit & remiss.* Suarez *cit. sect. 2. num. 4. & seq.* Syluius *cit. concl. 2.* Paludanus *in 4. d. 17. q. 3.* Reginaldus *l. 1. nu. 66.* possunt eligere confessarium Episcopi electi, & confirmati, licet non sint consecrati, qui verò solum sunt electi, & nondum confirmati, cum non sint Episcopi, non gaudent isto priuilegio, Episcopi autem depositi, suspensi, excommunicati etiam hoc fruuntur priuilegio, quia licet interdicatur eis vsus ordinis, & iurisdictionis, non priuantur tamen gratiis, & priuilegiis, solus enim degradatus priuatur hoc priuilegio quia solus ipse habetur tanquam si non esset Episcopus. Deinde superiores Episcopis, vt Archiepiscopis, Primates Patriarchæ & secundum probabilem Angeli *v. Confes. 3. num. 3.* Syluestri *v. confessor. 1. num. 8.* Caietani *in Sum. v. Absolut. 2.* & aliorum sententiam, etiam Cardinales, quia quamuis non sint superiores potestate, seu iurisdictione, tamen iam iuxta communem vsum Ecclesiæ, censentur superiores dignitate.

Suarez. Syluius. Paludan. Reginald.

Syluester. Cajetan.

Tertio, Prælati inferiores exempti, qui habent aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam in foro contentioso, gaudent priuilegio eligendi confessorem *c. vlt. de pænit. & remiss.* vt sunt Abbates, & superiores religiosorum Rectores Priores Guardiani Prouinciales nonnulli Archipresbyteri, & auditor Cameræ in Romana Curia, & similes, vt sunt Referendarii sunt enim Prælati habentes iurisdictionem, & omnino exempti à Iurisdictione Ordinariorũ, & immediate subiecti Summo Pontifici, siue sint vtriusque, siue alterius, tantum signaturæ, vt statuit Sixtus V. in Constit. quæ incipit. *Quemandodum prouidus.* item familiares Papæ, qui ratione officii obtinent iurisdictionem atque adeo sunt Prælati gaudent hoc priuilegio, cum in ipsis concurrant conditiones requisitæ ad constituendas personas priuilegiatas nempe Prælatio, & Exemptio. Nota tamen, quod qui tantum ratione personæ, & non ratione officii accipiunt panem de Palatio, quamuis sint vere commensales & familiares Papæ non gaudent hoc priuilegio quia defectu officii, & iurisdictionis non sunt Prælati Suarez c. *num.* 8. Toletus *in Sum. lib 3. cap. 13. nu. 9.* Tannerus *to. 4. disp. 6. q. 9. dub. 3. n. 50.* Sotus *4. dist. 18. q. 4. art. 2*, Croulers *ad c. 7. reg. S. Fr. lect. 25. fol. 739.*

Toletus. Tannerus. Sotus. Croulers.

Parochi autem non sunt Prælati, nec exempti, si quis tamen esset exemptus, & subiectus Papæ immediatè, probabile est quod comprehenderetur. Non desunt tamen authores, qui etiam Parochos volunt comprehẽdi sub nomine Prælati, ex *C. Tua, de Cler. ægrot.* & ideò priuilegium ad ipsos quoque esse extendendum, quorum sententiam admittit vt probabilem Pasqualigus *in decis. moral. decis. 105.* attendo in terminis iuris communis. Quia cũ in prædicto *cap. Final.* priuilegium concedatur omnibus superioribus habentibus etiam alium Superiorem, qui modus exprimendi personas priuilegiatas importat priuilegium concessum cum amplitudine ideo amplè accipiendum est, & nomen Superioris cum tota sua amplitudine, quia apparet fuisse intentionem concedentis amplificare priuilegium.

Vicarii vero Episcoporum secundum Suarez, & Lugo *disp. 19. de pænitent. sect. 1. n. 3.* hoc priuilegio non gaudent, quia non sunt Prælati verè, cum non habeant iurisdictionem ex proprio titulo, sed tantum ex commissione vtantur aliena iurisdictione. Oppositum tamen est etiam probabile, quia licet non possint tanquam Prælati gaudere dicto priuilegio possunt tamen tanquam Superiores, nam cum habeant eandem iurisdictionem, habent etiam eandem superioritatem, priuilegium autem conceditur, non solum Prælatis sed etiam Superioribus. Ita Henriquez Boissius quos citat & sequitur Pasqualigus *decis. 117.*

Henriq. Boissius. Pasqualig.

An autem sub his Prælatis comprehendantur Abbatissæ dicendum est quod non. Ratio est, quia ex officio nullam habent respectu fori interni iurisdictionem quod si fortè aliquæ id faciant, scientibus iis, qui habent ordinariam potestatem illi censentur tacitæ dare iurisdictionem confessario designato.

Hinc vnaquæque considerare debet, an vel ex consuetudine, vel alia particulari concessione, posit confessarium eligere, quẽadmodum etiam debet considerare, an ex aliquo ex his capitibus posit concedere suis monialibus potestatem eligendi confessarium, quia certum est iure id non posse Ita Doctores communiter supra citati.

Porrò hæc facultas prædictis concessa à iure eligendi confessarium, non determinatur vno actu, sed per hanc facultatem potest, qui illam habet suo arbitrio eligere plures confessores, vel sæpe eundem. Ratio est, quia alias ferè nullius momenti esset hoc priuilegium, quod non extenditur propter necessitatem vel impedimentum alterius, ergo illud fieri potest ex sola voluntate, & arbitrio eligentis. Ita Nauarrus *in cap. placuit. num. 166* D. Antonin *3. p. tit. 17. cap. 9.* Suarez *disp. 27. sect. 2. num. 1.* Bonacina *to. 1 disp. 5. q. 7. p. 3. num. 4.* & alii passim.

Nauarrus. D. Anton. Suarez. Bonacina.

Sed quæstio est, an prædicti Prælati etiam religionum possint eligere confessarium extra suum ordinem, & non approbatum ab Ordinario.

Ad primam quæstionis partem respondendum est affirmatiuè cum communi Doctorum sententia ex *cap. ne pro dilatione, de pænit & remiss.* dummodo ab eorum constitutionibus, & statutis à sede Apostolica confirmatis, ex certa scientia, & non solum in forma communi hoc illis facere non prohibeatur, vel iuxta speciales constitutiones inferiores Prælati non habeant confessorem designatum à suis superioribus, sic etiamsi per propria iura eligendus sit confessor intra Religionem, non poterit eligi externus. Imò vicarii dictorum Prælatorum, in eorum absentia non solum a domo, sed etiam à ciuitate, vel si dicti Prælati essent mortui vel alia ex causa dimisissẽt officium in istis casibus vicarii haberent iurisdictionẽ fori cõsciẽtiæ, & contentiosi: subrogatus enim in locum alterius, in eius quoque iura, & priuilegia subrogatus esse censetur.

Imò

Imò non est improbabile dictos vicarios gaudere hoc priuilegio eligendi confessarium etiam in præsentia sui Superioris, quia adhuc ipso præsente sunt verè Superiores, superioritas enim ipsis conuenit ratione officii, & quamuis non possint exercere iurisdictionem præsente Superiore, illam tamen habent, licet impeditam, quia fundatur in officio, quod etiam ex eo patet, quia absentia Superioris non confert iurisdictionem, sed electio, & ipsa solũ tollit impedimentum, aliud enim est non habere iurisdictionem, & aliud habere impeditam, non enim priuilegiũ conceditur intuitu exercitii iurisdictionis, sed intuitu dignitatis, & superioritatis, & cùm vicarii sint subrogati in locum superioris localis, habent ordinariam iurisdictioně, atque adeò sunt verè superiores, etiam in præsentia proprũ superioris, & cum continuò sint vicarii, continuata quoque censetur subrogatio in eorum priuilegia. Vnde huius sententiæ est Pasqualigus, *in decis moral. decis.* 103. quem consule. Licet contrarium doceat Diana citatus, & *p.6.tr.8.res.*15.

Pasqualig. Diana

Cæterum non couenit vt Prælati regulares confiteantur extra religionem, quamuis de rigore iuris id possint. De his vide Mirand. *in Man. Prelat. tom.*2.*q.*19.*art.*7. Coriolanum, *tr. de cas. reseru. p.*1.*sect.*1.*art.*21. Filliucium, *tr.* 7.*n.*231. Suarez, *disp.*27.*sect* 2 *n.*9.10. Dianam, *p.*3.*tr.*2.*res.*1. Crousers, *ad c.*7.*reg. S. Franc. lect.*25.*fol.*739. Bonacinã, *c. disp.*5.*q.*7.*p.*3.*n.*5. qui nouissimus sub nomine Prælatorum comprehẽdi in *c ne pro dilatione*, omnes qui superiorum nomine censentur, siue exempti sint à iurisdictione Episcoporum, siue non sint, quia particula (*exemptis*) in dicto capite posita non afficit nisi vocem immediatè præcedentem, videlicet (*Minoribus Prælatis*) non autem vocem *Aliis Superioribus*.

Miranda. Coriolan. Filliucius. Suarez. Diana Crousers Bonacina

Ad secundam dicendum est, Prælatos sæculares inferiores Episcopis non posse eligere confessarium, nisi aliquem ex approbatis: Secundùm probabiliorem sententiam apud Dianam hìc citatum: quamuis contraria non sit improbabilis apud Pasqualigum, *decis.*93. Ratio est, quia censet idem Author dictum, *c fin. de pœnit.* non esse reuocatũ per decretum Trident. *sess.*23.*c.*15. *de reform.* dum dicitur: Neminem posse sæcularium confessiones audire nisi sit approbatus ab Ordinario. Licet enim in executionem huius decreti reuocentur omnia priuilegia, non tamen censeri debet reuocatum priuilegium hoc; quia est clausum in Corpore iuris: & priuilegia huiusmodi non reuocantur per reuocationem generalem, sed debet fieri de ipsis specialis mentio; quia non sunt pura priuilegia, sed Canones, & leges: vnde non comprehenduntur nomine priuilegiorum, vt docent Suarez, Salas, Castr Palaus, & alii ab ipso citati. Nec potest censeri reuocatum per supradictum decretum, tanquam per legem contrariam. Quia, vt vna lex sit contraria alteri, versari debet circa easdem res, & personas: hoc autem decretum Tridentini se extendit tantùm ad sæculares Sacerdotes, non autem ad Prælatos, & Superiores, quibus conceditur priuilegium eligendi confessarium in dicto *capit. finali*. Tum quia Tridentinum decernens quòd nemo possit reputari idoneus ad audiendas confessiones, qui non sit approbatus: loquitur de idoneitate publica, & declarata, non de idoneitate sufficientiæ, nam multi sunt sufficientes, qui non sunt approbati. *Cap. autem fin. de pœnit.* dat facultatem eligendi idoneum idoneitate sufficientiæ, quia inquit, quòd possint eligere *Prouidum, & discretum*, vnde qui prouidus, & discretus est, ex vi illius priuilegii est idoneus censendus pro illis, qui possunt eligere, ex quo patet, quòd non quilibet cuiuscumque qualitatis potest eligi, quia prædicta facultas coarctat electionem ad prouidum, & discretum, & ideò si alterius qualitatis esset, electio esset nulla, neque electus acquireret iurisdictionem, quia esset contra facultatem concessam. Et proinde in huiusmodi electione seruandum est, quod seruatur, quando pro aliis eliguntur, & approbantur confessarii. Quoad verò Prælatos regulares, certum est Concilium Tridentinum nihil innouasse, & sic posse eligere sibi in confessarium quemlibet Sacerdotem, etiam ab Episcopo non approbatum. Ratio est, quia ille, qui concessit eiusmodi priuilegium dictis Prælatis, etiam contulit iurisdictionem Confessariis, ab eisdem electis. Propterea Guardianus nostræ sacræ religionis potest confiteri simplici Sacerdoti nostræ religionis, etiam non sit ad audiendas confessiones admissus à Patre Prouinciali, quia habet potestatem ex dicto *Cap. ne pro dilatione*, eligendi pro confessario quemlibet Sacerdotem. Quamuis non approbatum fratribus sibi subditis minimè possit assignare iuxta communem praxim. Ita Nauarrus *in man. cap.*4 *num.*7. Portel *in dub. reg. v. Confess. erga sec num.*14. Crousers *cit. lect.*25. *f.*739. Fagundez *precept.*2.*lib.*7.*cap* 2.*num.*3 4 *&* 5. Diana *p.*3.*tract.*2.*resol.*3 Coninch *disp.*8.*dub.*7.*nu.*48. Bonacina *cit. punct.*4 *§.*1.*n.*10. *&* 25. & alii hic citati.

Con. Trid.

Nauarrus. Portel. Crousers. Fagundez. Diana Coninch. Bonacina.

Sed dubium est, an virtute priuilegii. *Cap. fin. de pœnit.* possit quis eligere confessarium regularem nõ expositum ad audiendas confessiones à proprio Superiore, videtur enim quòd non, quia in Trid. *sess.*23.*cap.* 15. *de reform.* decernitur, quòd non possit quis audire, aut esse idoneus ad audiendas confessiones, nisi sit approbatus à proprio Ordinario, vnde cum Ordinarius Regularium sit ipsorum Superior, debent esse approbati ab ipso.

Conc. Trid

Verum affirmatiua sententia probabilis est. Ratio est, quia dictum *C final.* dat facultatem eligendi quemcumque prouidum, & discretum. Ergo si regularis sit prouidus, & discretus, absque alia facultate potest eligi, quia facultas concessa à Summo Pontifice, non potest ab alio limitari, aut ab alio dependere, nisi expressè in ipsa concessione exprimatur, talis enim electio fit cum consensu & facultate Pontificis, qui cum sit supremus Superior omnium religionum, facultas ipsius non subiicitur facultati Superiorum Regularium, neque ab iis dependet Neque Tridentinum iussa in hoc subiicit regulares suis Superioribus, quia nec derogat priuilegio dicti *C. final.* nec loquitur de regularibus omnibus, sed tantùm de suspensis, vbi *sess.*14.*cap.*1. *de reform.* decernit, quòd subiectus contra uoluntatem Prælati non possit ad Ordines promoueri, aut suspensus, etiam extra iudicialiter illos exercere quacumque restitutione obtenta. Ita in terminis docet Zachar. Pasqualigus contra Peregrinum *in decis. mor. decis.*107.

Peregrin. Zachar. Pasqualig.

12 Secundus modus delegandi hanc iurisdictionem potest esse ex consuetudine, non quòd consuetudo det reuera iurisdictionem, sed potiùs est testis tacitæ licentiæ à proprio sacerdote sufficienter concessæ nec reuocatæ, sed continuatæ cum ipsius tacito consensu, vnde consuetudine iurisdictio obtenta, semper pendet à voluntate proprii Sacerdotis, ita ut non obstante consuetudine semper sit in eius uoluntate illam reuocare, si velit, quia alias talis consuetudo formaliter ac directè esset contrarius diuinum, quandoquidem, ex ui illius posset subditus confessorem eligere, etiam proprio Sacerdote repugnante. Ita Vasquez *q.*93.*art.*2.*dub.*2. Coninch *disput.*8 *dub.*8.*numer.* 61. Reginaldus *lib.*1.*num.*74. Suarez *disput.*27.*sect.*3. & alii.

Vasquez. Coninch. Reginald. Suarez.

Propterea consuetudine omnium ferè Ecclesiarum introductum est, vt Parochi & alii Sacerdotes sæculares cuius approbato, & exposito confiteantur, eò quòd ipsi variis in locis sæpè sacrificantes, eiusmodi facultate opus habere videantur, ideòque Prelati omnes ac Parochi in talem facultatem libenter consentiunt Nauarrus *in cap. placuit. num.*28. Tannerus *tom.*4 *disp* 6.*quæst.*9.*num.*58. Syluius *in suppl. quæst.*8.*art* 5.*quæsit.*2.*concl.* 3. Eman Sà *v. conf. num.* 1. & alii communiter.

Nauarr. Tannerus. Syluius Eman. Sà.

13 Ex consuetudine potuit delegari iurisdictio in duobus casibus. *Primus* est de articulo mortis, nam licet hic ex multis iuribus colligatur, antiquior tamen est omni iure canonico scripto, propterea dicunt aliqui, Sacerdotem tunc habere iurisdictionem à iure diuino: quia perpetua Ecclesiæ traditio, cuius initium ignoratur, est signum iuris diuini, huiusmodi autem est hæc traditio, ergo. Ita Durand. *d.*4.19.*q.*2 *art.*4. Palud. *d.*20. *q.*1 *art.*3 Armilla *v. Absolut.*

Durand. Palud. Armilla.

Vera tamen sententia est, hanc traditionem ortum esse ab ipsa Ecclesia, & ad summum esse Apostolicam. Omnia enim antiqua decreta, in quibus reseruantur peccata cum hac exceptione indicant esse Ecclesiæ concessionem. Neque est aliquod aliud principium, vnde oppositum colligatur. Et verisimile est hanc delegationem cepisse ab ipso Petro, & per tacitam concessionem Pontificum priùs cõtinuatam fuisse, postea uerò per expressum in ipso iure. Vt cap. *De cetero.* Et in cap. *Ea noscitur, de sent. excomm.* Proinde hæc delegatio à nemine potest tolli nisi à Romano

D. Thom. D. Bonau. P. Soto. Victoria. Syluius.

no Pontifice, qui nunquam eam reuocabit, quia esset intolerabilis error, quem nunquam Spiritus sanctus in sua Ecclesia permittet. Ita D. Thom. 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 3. & *d.* 20. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. D. Bonau. *d.* 19. *art.* 3. *q.* 1. P. Soto, *lect.* 5. *de confess.* Victoria, *in sum. n.* 156. Syluius, *in suppl* 3. *p. qu.* 8 *art.* 5. *quæsit.* 1. & *art.* 6.

Conc. Tri.

Proinde certa, & communis sententia est in probabili periculo mortis, si inreueniat vera necessitas ministri, quemlibet Sacerdotem habere iurisdictionem delegatam ad soluendum quoslibet pœnitentes, à quibuscumque peccatis, & censuris. Ita Conc. Trid, *sess.* 14. *c.* 7.

14 *Secundus casus*, in quo cõsuetudine delegata est iurisdictio, est de confessione quæ fit de solis venialibus, vel de peccatis mortalibus ritè aliàs confessis: vnde ex Ecclesiæ consuetudine, secundum antiquos Doctores, cuilibet Sacerdoti non specialiter prohibito, id est, non excommunicato, &c. nominatim denunciato, licitum est à venialib. & mortalibus iam confessis absoluere. Et hæc iurisdictio fuit ex concessione Ecclesiæ, vt probat consuetudo, aliquãdo enim Ecclesia priuat sacerdotem hac iurisdictione, nẽpe excommunicatum denunciatum, & degradatum. Nauarrus, *in man. c.* 4. *n.* 5. & 6. Suar. *disp.* 26. *sect.* 5. *n.* 5. Laym. *lib.* 5. *tr. c* 10. *nu.* 2. Medina, *cod. de confess quæst.* 36. Valentia, *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 10 *part.* 2. P. Ledesma, *de Pœnit. c.* 11. Diana, *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 86. Tannerus, *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 9 *n.* 59 & 60.

Nauarrus. Suarez. Layman. Medina. Valentia. P. Ledesma. Diana. Tannerus.

15 Tertius modus & omninò proprius huius delegationis est per concessionem hominis, quæ interdum est priuata, & personalis, alia verò est magis communis, & publica, & quæ per priuilegium perpetua conceditur, vt sunt ea quæ religiosis præsertim Mendicantibus concessa sunt. Ita Suarez, *disp.* 26. *sect.* 2. *n* 3. Filliucius, *tr.* 7. *num.* 209. Tannerus, *c. n.* 53. Hæc tamen facultas ab homine concessa eligendi confessarium non extenditur ad casus, & censuras reseruatas Pontifici, nisi peculiariter exprimatur, vt constat ex *c. si Episcopus, de pœnit. in* 6. quin neque extenditur ad casus, & censuras Episcopales, vt declarauit Benedictus Secundus *in Extrauag inter cunctas.* Certum est etiã illam non extendi ad irregularitates, vt idem Pontifex, *ibidem* expressit, neque ad commutationem votorum. Non finitur autem hæc facultas donec compleatur actus, ad quem conceditur, nam in ordine ad illum conceditur priuilegium, alioqui frustra esset concessum, vnde si pœnitẽs non potuit cum vno confessore electo confessionem absoluere, poterit alium, & alium eligere, donec confessionẽ perficiat, etiamsi vi concessionis non possit, nisi ad vnam confessionem vnum dumtaxat confessarium eligere.

Suarez. Filliucius. Tannerus.

16 Delegatio iurisdictionis fit per licentiam expressam, vel tacitam proprii Sacerdotis: Per expressam autem sufficienter acquiritur iurisdictio, non modò cùm fuerit specialis ad audiendas confessiones data Sacerdoti alieno, sed etiam cùm fuerit generalis, hoc est, data generaliter ad exercenda, quæ pertinent ad curam animarum, vel ad Sacramenta omnia ministranda. Expressum enim non solum dicitur tale, quando in specie exprimitur, & manifestis verbis; vt do tibi licentiam audiendi confessiones, sed etiam quando licet specificè non exprimatur, at sub generali verborum significatione comprehenditur: verbo enim generali debent omnia comprehendi. Ita Sanchez, *de matr. lib.* 3. *disp.* 35. Syluius, *in supplem. q.* 8. *art.* 5. *q.* 2. Reginaldus, *lib.* 1. *n.* 71. Bonacina, *tom* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. *§.* 1. *n.* 5. & alii.

Sanchez. Syluius. Reginald. Bonacina.

17 Delegatur præterea iurisdictio ad Sacramentum pœnitentiæ sufficiens per licentiam tacitam, quæ habetur ex ratihabitione de præsenti, quæ nihil aliud est, quàm consensus Superioris de præsenti in talem confessionem.

Eiusmodi autem ratihabitio non videtur differre à concessione actuali iurisdictionis: Debet tamen superior signo aliquo externo ratam habere absolutionem de præsenti; quod contingit cùm vidente, & sciente, ac tacente sacerdote proprio, qui potest contradicere, & non contradicit, Sacramentum ipsum pœnitentiæ administratur. Ratio est, quia scientia, & patientia in iis, quæ sunt modici præiudicii operantur consensum, consequenter ratihabitio de præsenti signo aliquo externo expressa tribuit iurisdictionem, quæ per consensum Superioris obtinetur ab eo, qui cognoscit per talem ratihabitionem consensũ præstari, & iurisdictionem conferri. Ita Nauarus *in man. cap.* 9. *num.* 6. & *c. placuit, n.* 105. Reginaldus *lib.* 1. *n.* 70. 89. & 90. Syluest *v. Confessor.* 1. *quæst* 6. Henriquez *lib.* 1 *cap.* 13 *num.* 13 Syluius *cit. art.* 5. *quæsit.* 1. Vasquez *quæst.* 93 *art.* 2. *dub.* 2 Crousers *ad cap.* 7 *reg. S. Franc. lect* 22.

Nauarr. Reginald. Henriq. Syluius. Vasquez. Crousers.

Nota tamẽ, si Superior ratam habeat absolutionem absque signo aliquo externo, validam non esse absolutionem nam concesso iurisdictionis est actus, qui humano modo ad alterum dirigitur, vt ab eo acceptetur non potest autem acceptari, nisi aliqua ratione exprimatur, homines enim non cognoscunt interiores voluntates, nisi per externa signa. Proinde taciturnitas, & patientia Superioris non sufficit, sed requiritur signum aliquod externum, ex quo sufficienter colligitur superiorem ratam habere absolutionem. Ita Suarez *disp* 26. *sect.* 1. *n.* 16. Filliucius *tract.* 7. *n.* 208. 242. Sanchez *de matr. lib.* 3. *disp.* 35. *num.* 20. & *lib.* 8. *d.* 4. *n.* 25. Sayrus *de censur. lib.* 7 *c.* 14. *num.* 16. Crousers *cit. lect.* 22. *fol.* 699. Layman *lib.* 5. *tract.* 6 *cap.* 10. *n* 16. Fagundez *prac* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 71. Toletus *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. Quod si signum tale sit vt rem dubiam relinquat siue dubio non sufficit, quia non satis manifestat voluntatem delegantis, & præterea exponitur homo periculo nihil faciendi si tentet absoluere.

Suarez. Filliucius. Sanchez. Sayrus. Crousers. Fagundez. Toletus.

Idem prorsus dicendum est quando ratihabitio est de præterito, quia tunc quoque per hanc licentiam habetur de presenti iurisdictio sufficiens ad valorem Sacramenti. Ita Doctores citati qui bene adnotant hanc scientiam proprii sacerdotis cum taciturnitate non inducere simpliciter licentiam administrandi pœnitentiæ Sacramentum, sed tantum pro ea vice.

Ex dictis sequitur, quod si confessarius approbatus transiens per aliquod monasterium Monialium, reperiat aliquam grauissimè afflictam, & sit magno periculo, eo quod ex phantasia, vel auersione vel aliqua infirmitate etiam sine culpa confessarii, non potest illi confiteri, sed facit confessiones malas, indignè communicat, &c. Nec datur ad Superiorem commodus accessus, vel non est conueniens vt confessarius, vel Superior sciat, In his, & similibus casibus liceret Approbato præsupponere præsentem facultatẽ, & delegationem Superiori, quia certũ est quod velit, & velle debeat miseræ sic afflictæ modo omni possibili succurri. Quod enim videntur Superiores aliud interdum in genere testari, id fit quia non apprehendunt totam ouis suæ necessitatem in particulari, quam si apprehenderent non tantum non concederent facultatem, sed etiam vrgerent, vt notat Petrus Marchantius *in tribunali to.* 1. *tr.* 2. *tit.* 2. *q* 3.

P. Marcant.

18 Per licentiam tacitam ex ratihabitione de futuro, id est, qua Sacerdos alienus probabiliter credit, quod Parochus ratum habebit factum, non acquiritur iurisdictio ad validitatem Sacracramenti sufficiens Ratio est, tũ quia cũ ratihabitio de futuro nõ solùm non sit actu, eo tẽpore, sed neque vnquam etiam fortè sit futura, non potest causare validitatem aliquam in actu absolutionis, quod enim non est, etiamsi futurum sit, non potest in præsenti operari efficienter. Tum quia Sacramentum non potest esse pendens ex futuro euentu, certum est enim absolutionem talem datam esse à Sacerdote illi, in quem non habebat iurisdictionem, cum illam daret, & consequenter nullius fuisse momenti, nec per consensum subsequentem potuit effici, vt tunc iurisdictionem in pœnitentem habuerit, nec consequenter quod nunc valida sit, quia sacramentum quod in principio non habuit valorem, non potest per solum consensum alterius validum fieri. Ita Syuester *v. confess.* 1. *quæst.* 6 Nauarrus *in sum. ca.* 9. *num.* 6. Sotus 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art* 3. Syluius *c. art.* 5. *quæsit* 1. Suarez *disp.* 26. *sect.* 1 *num.* 14. Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *part.* 4. *§.* 1. *num.* 13. Layman *cit. num.* 16. Filliucius *tract.* 7. *num.* 207. Victoria *in sum num.* 153. Fagundez *cit. lib* 7. *cap.* 2. *num.* 72. & communiter Doctores contra Raymundum, Paludanum, Capreolum, Hostiensem apud Suarez citatum.

Syluest. Nauar. Sotus. Bonacina. Layman. Filliucius. Fagundez. Raimund. Palud. Capreolus. Hostiensis. Suarez.

19 Iurisdictio quæ ex vi priuilegiorum Mendicantium delegatur, operatur non solum absolutionem validam quoad sacramentalem remissionem pecatorum, sed etiam omnino absoluit hominem ab onere confitendi iterum talia peccata, Ita definiunt à Ioanne XXII *in Extrauag. Vas electionis de hæreticis.* Et Benedictio II. *in Extrauag.*

Inter

Siluius. Reginald. Theophil. Rodr.q. Præposit. Filliucius.

Inter cunctas, de priuil. Syluius, *in suppl. q.8. art.5.* Reginaldus, *lib.1. num.66. & 67.* Theophilus Parochialis, *p.3. artic.* 16. Rodriquez, *tom.1. qq. reg. quæst 60. art.*8. Præpositus, *de pœnit. quæst.7. dub.6. num.46.* Filliucius, *tract.7. cap.8. num.* 210. & alii.

Ratio est, quia hæc priuilegia concedunt iurisdictionem in foro pœnitentiæ simpliciter, & sine vlla restrictione, ergo absolutio, quæ ex vi illius iurisdictionis datur, est omninò absoluta, & sine vllo onere confitendi, ergo confessio sic facta sufficit ad liberandum hominem & à culpa & ab onere iterum confitendi. Deinde verba priuilegiorum absoluta sunt, & sine vlla restrictione: illa enim conditio absolutionis sub onere iterum confitendi, adeò est onerosa, & exorbitans ab ordinario modo confessionis, vt nisi expressè proferatur, nunquam intelligatur apposita.

Hinc damnatur error quorũdam Doctorum Parisiensium, & præcipuè Ioannis de Poliaco dicentium hæc priuilegia nunc de facto non valere ad absoluendũ absolutè fideles à peccatis, ita vt liberentur ab obligatione confitẽdi eadem peccata semel in anno suo Parocho, si absque eius licentia fratribus confessi sunt.

Sed petes, an confessarii mendicantes ab Episcopis approbati, indigeant facultate Parochorum, ad excipiendas confessiones secularium, maximè si in licentiis suis habeãt ne illas excipiant extra monasteria sua absque facultate Parochorum? Resp. negatiue, tum quia Summus Pontifex iurisdictionem delegauit confessariis mendicantibus (vt patet ex eorum priuilegiis) sine illa restrictione, vt petant facultatem illam exercendi à Parochis, ergo possunt illam exercere, confessiones fidelium excipiendo, absque Parochorum licentia. Tum quia si licentia Parochi esset necessaria, impertinens esset delegatio Superioris, quia licentia Parochi sola sufficeret; & ita delegatio illa conferret iurisdictionem. Tum quia concessiones Papales non possunt restringere, aut tollere ipsi Episcopi; cũ inferiores nõ possint tollere, aut restringere potestatẽ cõcessã à Superiore. Vnde possunt confessarii mendic. vti sua iurisdictione etiã extra monasteria. Ratio est, quia priuilegia non concedũtur confessariis prædictis ratione monasteriorum, sed suarum personarum, & ideò possunt vti suis priuilegiis, extra sua monasteria, vbicumque voluerint, & sequuntur personas. Et hæc clarè constant ex concessione Iulii II. in confirmatione Ordinis Minorum, *quòd ipsi Patres Minimi quarumcumque personarum, tam Religiosorum, quam Ecclesiasticorum, & Sæcularium vbilibet audire possint confessiones*, &c. Et ex Bulla Pauli Quarti, sub data 20. Iulii 1557. data in fauorem Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ, quæ incipit, *Cum sicut*, apud Rodriquez, *in Bullario*, vbi concedit eisdem Fratribus facultatem administrandi Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vbicumque, extra suos conuentus, contra nonnullos Rectores parochialium Ecclesiarum, qui eosdem fratres desuper molestare, & impedire conabuntur, dicentes, quòd præfati aliorum, quàm istorum, qui ad domus suas huiusmodi veniunt, etiamsi infirmi existant, & pro illis mittant, nullatenus confessiones audire possint. Vnde hæc resolutio est expressa, Rodriquez, *tom.1. qq. reg. q.60. art.4. & q.61. art.4.*

Rodriq. Miranda. Henriq. Syluester.

Miranda, *in Man. tom.1. q.45, art.14. concl.2.* & 3. Henriquez, *lib.3 de pœnit. cap.6. n.4.* Syluestri, *v. confessor, 2. qu.6.* Nec refert allegatio præiudicii quod Parochi prætendunt, ex eo quod Mendicantes sine eorum licentia audiunt confessiones suorum subditorum, & sic priuantur iure suo, & nõ possunt agnoscere, nec commodè gubernare oues suas.

Sed ad hæc respondet D Thomas, *in Supplem.3. p. qu.8. art.5. ad 1.* dicens: *Præiudicium non fit alicui, nisi ei subtrahatur, quod est in fauorem eius indultum; iurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in fauorem suũ, sed in vtilitatem plebis, & in honorem Dei promouendum: & ideò si superioribus Prælatis expedire videatur ad salutẽ plebis, & honorem Dei promouendum, quod aliis quæ sunt iurisdictionis committant, in nullo fit præiudicium inferioribus Prælatis, nisi illis, qui quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi; & qui gregi præsunt, non vt eum pascant, sed vt ab eo pascantur.* Hæc D. Thom.

Imò dicendum est, quòd per huiusmodi priuilegia Parochi iuuantur, & eorum onus leuius fit, nec impediuntur quominùs possint agnoscere, & gubernare oues suas: quia exterius possunt curam adhibere, vt benè viuant. Vt insinuat etiam D. Thomas, *c. ad* 2. D. Thom.

20 Iurisdictio delegata potest reuocari à delegante, & tunc non ampliùs durat, & omninò extinguitur. Ratio est, tum quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; sicut autem facultas obtenta fuerat à concedente, ita etiam cessat per reuocationem concedentis. Tum quia iurisdictio delegata erat veluti quædam participatio iurisdictionis ipsius delegantis, existens veluti in alieno subiecto, idcò moraliter semper pendebat à delegante in conseruari saltẽ quoad hoc, vt si positiuè reuocata fuisset, reuera censeretur ablata: Tum quia delegatus non habet iurisdictionem propriam, sed commodatam, eiusq; solum vsum, ergo qui illam concessit, potest absque iniuria illam reuocare: sicut potest quis reuocare depositum, quod apud aliquẽ deposuit. Ita Sanchez, *de matr. lib 8. disp.33. n.7.* Bonac. *tom.1. disp.5. q.7. p.4. §.1. nu.*8. Filliuc. *tr.7. nu.*212. Portel. *in dub. reg. v. Prælati potestas, n* 7 Præpositus, *de pœnit q.7. dub.5. n.* 32. & alii communiter ex toto titulo de officio delegati.

Suarez. Bonacin. Filliucius. Portel. Præposit.

21 Quoties delegatio iurisdictionis fit ad præfixum tempus, pro illo durat, si non reuocetur, illo autem finito ipso facto cessat. Ratio est, quia à principio, & in ipsamet concessione facta est reuocatio pro illo puncto, vel potius non est facta concessio pro toto tempore post illud punctũ quia gratia, vel facultas non excedit voluntatem concedẽtis, si ergo concessio tantùm fit vsque ad tale tempus, illo finito, extinguitur, quia pro toto sequenti tempore facta non est.

Quando delegatio fit indefinitè absque temporis limitatione, certum est quamdiu viuit is, qui delegauit, durare hanc iurisdictionem in delegato, quamdiu non reuocatur. Ratio est, quia iurisdictio hæc non pendet ex actuali influxu, & continua voluntate ipsius delegantis physicè, sed solùm ex voluntate semel habita moraliter permanente; cẽsetur autem moraliter durare, quamdiu non retractatur. Ita Suarez, *tom.4. disp.26. sect.3.* Filliucius, *tr.7. num.*213 & 214 Bonacina, *tom.1 disp 5. q.7. p.4. §.1 n.7.* Syluius, *in supplem. q.8. art.5. quæsit.6. concl.4.* Crousers, *ad c.7. reg S. Fr. lect.*22. & alii.

Suarez. Filliucius. Bonacina. Syluius. Crousers.

22 Quamuis regulariter loquendo iurisdictio delegata amittatur per mortem concedentis, si causa nondum erat inchoata, vt constat ex *c. Licet, & c. Gratum, & c. Relatum, de officio delegati*, quia delegatus moraliter censetur habere vnam, & eandem iurisdictionem cum delegante, cuius vices gerit, & ideò si in delegante cessat; consequenter videtur cessare in delegato: Summus tamen Pontifex potest delegare hanc iurisdictionem perpetuam, ita vt duret post mortem eius, donec à successore reuocetur. Ratio est, quia in ipso residet suprema potestas communicandi hanc iurisdictionem, tam ordinariam quàm delegatam, & potest definire modum concessionis, magis vel minus permanentis: vt patet in iurisdictione Inquisitoribus delegata, in fauorem fidei, quæ non expirat per mortem concedentis, *c. ne aliqui de Hæret. in* 6. & in illa, quæ datur religiosis per priuilegia, quæ sunt perpetua. Ita Sanchez, *de mat. lib.8. disp.28. n.54.* Filliuc. *tr.7. n.*215. Crousers *c. lect.22. fol.*705. Suarez, *disp.26. sect.3.* Præpositus, *de pœnit. q.7. dub.* 5. & alii hìc citati.

Sanchez. Filliucius. Crousers. Suarez. Præposit.

23 Multi Doctores censent iurisdictionem delegatam audiendi confessiones à Papa, vel Episcopo factam, cessare per mortem concedentis. Ob fundamentum initis, re integra existente delegatum amittere iurisdictionem per mortem delegantis, in foro externo contentioso. Ita D. Anton. *3. p. tit 17. c.9* Paludanus, *in 4 dist.17. q.4. art. vlt.* Philiarcus *de offic. Sacerd. tom.1. p.2. lib.2. c.24.*

D. Anton. Paludan. Philiarch.

Nihilominus contraria sententia est tenenda. Ratio est, tum quia delegatio huius iurisdictionis non est pensanda per regulas iustitiæ, sed gratiæ, quæ non solum pœnitentibus, sed etiam ipsis sacerdotibus est maximè fauorabilis, & nemini odiosa, ergo illis non conuenit dicta iuris regula, sed regula gratiarum factarum, quę non expirãt per mortem concedentis. Vnde ita consuetudine receptum videmus, vt mortuo Episcopo, hæc iurisdictio durare censeatur donec à Capitulo, vel successore reuocetur: quare dum non reuocatur, & durat tempus concessionis, si fortè ad tempus fuerit facta, adhuc poterunt confessarii exercere munus suum, donec respectu Religiosorum expressè reuocetur

nocetur à nouo Episcopo,respectu verò Sacerdotum sæcularium saltem per mandatum generale, *c. si gratiosè, de rescript.in* 6. Henriquez,*lib.*6. *c.*6.*n.*7. Graffiis,1.*p.libr.*1.*c.* 13.*n.*49. Sanchez,*de matr.lib.*8.*disp.*28.*n.*71.& 72 Nauarrus,*in c. placuit,n.*161. Bonacina,*tom.*1.*disp.*5.*q.*7.*p.*3 *n.*2. (Henriq. Graffis. Sanchez Nauarrus. Bonacina)

Idem dicendum est quacumque ratione Episcopus priuetur Episcopatu,siue deponatur,siue ipse cedat,aut renúciet, siue aliò transferatur. De Parocho autem,qui delegauit iurisdictionem suam cuidam Vicario sine confirmatione Episcopi, consulenda est consuetudo; nam videtur hoc pendere ex voluntate tacita,vel expressa Episcoporum.

Sed dubium est,quando indirectè delegatur iurisdictio, facultate,scilicet,facta pœnitenti,eligendi confessarium, quem tantùm eligit post mortem concedentis: cùm tunc primùm accipiat Sacerdos ille eiusmodi commissionem, seu delegationem: à quonam eandem accipiat? Non videtur posse accipere ab Episcopo,qui iam obiit, ac proinde post mortem non posse eiusmodi iurisdictionem delegare: nec etiam à successore, quia vt plurimum huiusce rei ignarus est. Respondet noster Crousers,*ad c.*7.*reg.S.Frác. lect.*22.*in fine*. dari ab Episcopo defuncto, virtute facultatis factæ pœnitenti,& adhuc manentis,& virtutem habentis,quamdiù non reuocatur à successore,à quo eatenus pédet, vt possit committi ea iurisdictio alteri sacerdoti, eam enim iurisdictionem Episcopus,dum viueret,alienauit, vt sic dicam,& arbitrio pœnitentis alteri tradendam commisit,sicut per facultatem ipso iure datam eligendi confessarium, manet virtus perpetua conferendi iurisdictionem Sacerdoti electo, etiam post mortem eius, qui est author illius iuris,vel Canonis. (Crousers)

Ex quo infertur,excommunicatum vti posse hoc priuilegio,quia iurisdictionem non confert ille,qui confessariú eligit,sed qui priuilegium concedit. Non posse tamen eligi confessarium excommunicatum, imò nec quemcumque, sed ab Ordinario approbatum,quia priuilegium non præiudicat iuri communi.

24 Iurisdictio tam ordinaria, quàm delegata impeditur per superuenientem excommunicationem, vel suspensionem,aut etiam per interdictum ab officio, vel iurisdictione modò qui huiusmodi censura detinetur, vitandus sit *c. Excepcionem,de exceptionibus*. Ratio est, quia talibus censuris ligatus,non potest actus iurisdictionis tam ordinariæ quàm delegatæ exercere,& illius acta sunt inualida, vnde absolutio data ab illo,qui huiusmodi censura detinetur extra mortis articulum,est inualida,etiamsi pœnitens ignoraret ipsum esse excommunicatum. Si tamen confessio fuerit facta in eo loco,in quo Sacerdos ignorabatur esse excommunicatus,& ex communi errore, ac titulo colorato habebatur pro legitimo Sacerdote,tunc ius supplet iurisdictionem. *Ex l. Barbarius ff.de officio prætoris* Ita Sanchez, *de matr.lib.*3.*disp.*22.*n.*36. Nauarrus,*c.*9.*nu.*10. Sayrus, *de censuris,lib.*2.*c.*2.*n.*11. Vgolinus,*tab.*1.*c.*13.§.16. Reginaldus,*lib.*32.*n.*7. Bonacina,*de censur.disp.*2.*q* 2.*p.*2.§.4. Vasquez,*tr.de excomm.dub.*4. (Sanchez. Nauarrus Sayrus Vgolinus. Reginald Bonacina Vasquez)

Sed dubium est,vtrum facultas absoluẽdi aliquẽ,siue in foro externo,siue interno,facta à Parocho, vel Prælato excómunicato,vel suspẽso nominatim denunciato,sit valida.

Negat Suarez,*tom.*4.*disp.*26 *sect.*3.*disp.*44.*sect.*2,& *tom.* 5.*disp.*2.*sect.*3. *disp.*13.*sect.*1. cum quibusdam aliis. Ratio ipsius est,quia per talem facultatem datur iurisdictio , qui autem vsu iurisdictionis priuatus est , non potest iurisdictionem delegare,siue dare,quia esset vti iurisdictione,sed nominatim excommunicatus, est priuatus vsu iurisdictionis,ergo illam darę validè non potest. (Suarez)

Nihilominus D. Antoninus,3.*p.tit.*7.*c.*9. Paludanus , *in* 4.*dist.*17.*q.*4.*n.*26 & 27. Nauarr.*in c. placuit, de pœnit.dist.* 6.*n.*51. Crousers,*ad c.*7. *reg.S.Franc.lect.*21. Vega,*libr.*6. *Summ.c.*119.& alii,docent talem facultatem sufficere , & per eam validè absolui pœnitentem. Ratio est,quia committere alteri suas vices , non est exercere actum iurisdictionis:neque numeratur inter actus iurisdictionis in *cap. Accedentibus,de excess.Prælat.nec in c. Dilectus filius,de officio Ordinary*, quæ allegat Suarez. (D. Anton. Palud. Nauar. Crousers Vega. Suarez)

Quod autem non sit exercere actus iurisdictionis. Probatur,quia actus iurisdictionis non potest exerceri, nisi in subditum,committere autem potest,qui suas vices etiam non subdito. Et quamuis eiusmodi commissio possit aliquo modo dici vsus iorisdictionis,passiuus scilicet, non tamen est vsus actiuus,quo etiamsi priuaretur excommunicatus tamen non hinc fieret etiam carere passiuo. Tum quia quando Parochus concedit licentiam suo Parochiano, vt alteri Sacerdoti idoneo , & approbato confiteatur , non exercet,nec facit actum iurisdictionis,sed facit, & exercet cessionem quamdam iuris sibi competentis. Et huius sententiæ sunt etiam Henriquez *lib.*6 *de pœnit.cap.*7.*in fine*, Rodriquez,*tom.*2.*sum.c.*14.*n.*5. (Henriq. Rodriq.)

Proinde nó solùm est valida huiusmodi commissio, sed si aliqualis necessitas,vel honesta causa subsit,licita est, tá ex parte dantis,quàm recipientis. Sicut valida est, & licita licentia Parochi excommunicati non tolerati data assistẽdi matrimonio Sacerdoti,quia non est actus iurisdictionis vt probat Sanchez,*de matr.lib.*3.*disp* 21 *n.*6.7.8. Similiter nec excommunicationem incurrit religiosus,nec omninò peccat,si ex licẽtia Parochi excommunicati,ministret extremam vnctionem;quia est iusta causa tantillæ communionis cum excommunicato Paludanus, *in* 4.*dist.*23.*q.*2. Syluest.*v.Vnctio*,contra Suarez. (Sanchez Paludan. Syluester. Sanchez)

25 Sacramentum Pœnitentiæ ministrare cum iurisdictione dubia,nunquam licet , quando dubium est purè negatiuum,(quia in neutram partem potest intellectus determinari,per iudicium positiuum, & probabile, sed suspẽsus est,& anceps) nisi concurrente duplici conditione. Prima est euidens necessitas,tum ex parte ministri,nempe,vt non occurrat alius,qui certiorem habeat iurisdictionem;tum ex parte pœnitentis, vt quando is debet necessariò Eucharistiam sumere, vel si per longum tempus confiteri non possit.

Altera conditio est , vt absolutio detur sub conditione expressa;vel concepta,*si possum,vel si indiges*, & cum onere confitendi iterum illa peccata habenti iurisdictionem certam. Ratio verò est , quia concurrentibus illis duabus conditionibus,tollitur omnis inordinatio , quia necessitas facit, vt actus non temerè fiat , nec mera,& irrationabili voluntate:Conditio verò tollit periculũ;quia si in re subsistat,infallibiliter fit Sacramentũ;si verò nõ subsistat, nulla iniuria fit Sacramẽto,quia cõditionalis nihil ponit in esse.

Optimum tamen consilium est confiteri aliquod veniale peccatum,vt tollatur omne dubium de valore Sacramẽti ex defectu iurisdictionis:quia quilibet Sacerdos à venialibus directè absoluere potest. Ita Reginaldus,*lib.*1.*n* 102. Naldus,*in Sum.v.confessio,n.*32. Bonacina,*tom.*1. *disput.*5. *q.*7.*p.*5.§.4.*n.*4. Coninck,*de Sacram disp.*8.*dub.*6.*num.*43. Diana,*p* 4.*tr.*2.*resl.*38.& *p.*5.*res.*11 1.*tr.*4.*disp.*26.*sect.*6. Filliucius,*tr.*7.*n.*226 Crousers,*ad cap.*7 *reg.S.Franc lect.*22. *fol.*700 & alii communiter. (Reginald. Naldus. bonacina Coninck Diana Filliucius. Crousers.)

26 Dubium impropriè dictum de iurisdictione Sacerdotis,quòd non excludit probabile judicium , non obstat quo minus is Sacramentum Pœnitentiæ administrare possit Ratio est,quia opinione probabili vti licet in moralibus: & certè apud me non est minus potens opinio sapientum, quàm vulgi error ad conferendam iurisdictionem: quòd autem communis error,concurrente titulo putatiuo , Superioris authoritate collato,iurisdictionem cóferat in pertinentibus ad forum externum,certum est in iure;*leg. Barbarius,ff.de officio Prætoris,& Infamis*,3.*q.*7.*v.verùmtamẽ*, & licet quidam doceant citata iura non habere locum in spectantibus ad forum conscientiæ,communis tamen Doctorum sententia est contraria: Tum quia vtrumque forũ quoad potestatem iurisdictionis,est eiusdem rationis,ergo quod statuitur in foro externo quoad valorem actus, reputatur etiam statutum in interno. Tum quia eadem , & maiora inconuenientia,& scandala sequuntur , si gesta in foro interno nulla essent, ac si gesta in foro externo , Lessius,*lib.*2.*cap.*29.*dub.*8. Filliucius,*tract.*7.*num.*227 Henriquez,*lib.*2 *cp.*14.*num.*3 4. Diana,*part.*3.*tract.*2.*resol.*3 & *part.*4.*tract.*4.*resol.*4. Coninck *disp.*8 *dub.*3.*conclus.*6 *nu.* 22. Malderus,1.2.*quæst.*19.*art.*5 *disput.*86. Sanchez,*de matrim.lib.*3.*disput.*22.& *lib.*1 *moral.cap.*9.*num.*35. Suarez, *disp.*26.*sect.*6. Bonacina,*tom.*1.*disp.*5.*q.*7.*p.*5.§ 4.*nu.*4. Reginaldus,*lib.*1.*n.*102.& 103. Crousers,*ad c.*7.*reg.S. Franc. lect.*22.*fol.*701. Salas,*de legib.disp.*12.*sect.*6.*n.*24 & alii. (Lessius Filliucius. Henriq. Diana Coninck Malderus Sanchez Suarez Bonacina. Reginald. Crousers Salas.)

Quo posito tanquam probabiliore secundum communem sententiam dicendum est, quòd eo ipso quòd confessarius sequitur opinionem probabilem in absoluendo, datur

datur communis error in populo, & facta ex tali errore ſunt valida; tunc non eſt dubium, quin in ædificationem Eccleſiæ Summus Pontifex illam approbet, & Eccleſia tacitè præbeat iuriſdictionem, aliàs nimis conſcientiæ grauarentur, & mundus ſcrupulis implicaretur. Durum etiã eſſet confeſſariis ſemper inquirere, quænam opinio eſſet probabilior altera, cùm in hac re Doctores inter ſe ſæpiſſimè diſcrepent. Tum quia magnus error foret in Eccleſia Dei, ſi hoc non eſſet tutum in praxi; cùm hanc doctrinam ſciente, & approbante Summo Pontifice communiter tradant Claſſici Authores, & ſit vniuerſalis Eccleſiæ vſus.

Conſultum tamen eſt materiam aliquam certam in cõfeſſione exprimere, circa quam confeſſarius habet certam, & indubitatam iuriſdictionem, vt ſunt peccata venialia, & hoc ſatis eſt, vt confeſſio bona fide facta, ſit rata, & verum conficiatur Sacramentum: etiamſi contingeret opinionem probabilem, in qua fundatur confeſſor ad audiendam confeſſionem, in re ipſa falſam eſſe.

Miniſtri tamen, & pœnitentes monendi ſunt, vt vtantur ſemper meliori, ac tutiori via, vt confeſſarius certam, aut probabiliorem habens iuriſdictionem, præferatur dubiam, aut minùs probabilem habenti, niſi grauis rationabiliſque cauſa aliter ſuadeat. Ita communiter Doctores; vide verb. *Conſcientia, n.9 & ſeq.*

27 Abſolutio, & diſpenſatio Prælatorum, vel ab eis cõmiſſionem habẽtium, ex virtute priuilegii, quod ipſi ignorant, valet. Ratio eſt, quia validitas huiuſmodi actus non pendet à notitia poteſtatis, ſed ab ipſa poteſtate, & voluntate vtendi; ſed hic ſupponitur eſſe poteſtas, & voluntas; quia præſumendum eſt quòd Superior, vel alius velit actũ valere omni modo quo poteſt: iuxta regulam iuris: *Si non valet quod ago, vt ago, valeat vt valere poteſt. Cap. vnico, de deſponſat. impub. in 6.* Quod confirmatur exemplo Sacerdotis ſimplicis, qui in articulo mortis abſoluit agonizantẽ à caſu bullæ Cœnæ Domini, ignorans ſe poſſe à tali caſu abſoluere; certè valebit ipſius abſolutio; ergo validitas abſolutionis non dependet à notitia poteſtatis, ſed ab ipſo poſſe, vel non poſſe. Ita ex doctrina Panormitani, *in c. licet, de offic. ordinar. n.6. & in c. cum ſup. de offic. deleg. n.12.* Rodriq. *to.1. qq. reg. q.20. art.25.* Crouſers, *ad c.7. reg. S. Franc. ſect.22.* & alii. Scientia enim priuilegii tantùm habet accuſare, vel excuſare à peccato, ſed non inualidare, vel validare actum. Panormit. Rodriq. Crouſers.

CONFESSARIVS III.

Quoad approbationem eius.

SVMMARIVM.

1 *Approbatio eſt diuerſa à delegatione iuriſdictionis.*
2 *Parochus ante Concilium Trident. & poſt illud, an poſſit delegare ſuam iuriſdictionem cuicumque Sacerdoti?* Refertur duplex ſententia.
3 *Approbatio qui fit per vniuerſitates, ad gradus Licentiæ vel Magiſterii, an ſufficiat ad validè adminiſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum.*
4 *Quis cenſeatur Sacerdos idoneus, ad confeſſiones audiendas, ſecundum Decretum Concilii Tridentini. Et an regularis ab Epiſcopo approbatus poſſit ſecularium cõfeſſiones audire abſque conſenſu Prælati ſui, vel ipſo contradicente?*
5 *Prælati regulares poſſunt ſuis ſubditis, & famulis exponere confeſſorem non approbatum ab Epiſcopo.*
6 *Nomine Epiſcopi, quis intelligendus veniat, qui debet approbare confeſſorem.*
7 *Approbatio neceſſaria eſt omnibus confeſſariis, tam regularibus, quam ſecularibus.*
8 *An religioſis mendicantibus ſufficiat approbatio petita, licet non obtenta?* Refertur duplex ſententia.
9 *Cuiuſnam Epiſcopi approbatio neceſſaria?* Refertur quadruplex ſententia.
10 *Parochus cenſetur vbique approbatus, quamdiu retinet beneficium parochiale, non item alius ſacerdos ab vno Epiſcopo approbatus. Quid ſit parochiale beneficium.*
11 *Approbatio vnius Epiſcopi, data ſimpliciter, abſque reſtrictione ad loca, vel perſonas, an ex hac parte ſufficiat pro tota Eccleſia.*
12 *Approbatio confeſſarii pro certo loco, vel ad certum tempus, vel pro talibus perſonis, vel pro tali Diœceſi non ſufficit vltra terminos conceſſionis.*
13 *Epiſcopi poſſunt non delegare ſuam iuriſdictionem ſacerdotibus, à ſe non approbatis.*
14 *Qui habet facultatem virtute alicuius Bullæ eligendi ſibi confeſſarium approbatum ab Ordinario, an poſſit eligere confeſſarium approbatum ab ordinario alterius diœceſis?*
15 *Approbatus pro aliqua ſolùm familia, virtute Iubilæi, aut alterius priuilegii, an poſſit eligi in confeſſorem, tanquam approbatum ab Ordinario.*
16 *Qui habuit beneficium parochiale, ſed modo eſt illo priuatus: & qui aliàs fuit approbatus, ſed modo eſt reprobatus, an ſint eligibiles per bullam in confeſſorem.*
17 *An religioſus, tempore Iubilæi, teneatur eligere confeſſarium ab Epiſcopo approbatum, ſi intendat illud lucrari?* Refertur duplex ſententia.
18 *Approbatio ſemel facta, an ſemper duret donec reuocetur? Et an Epiſcopi poſſint reuocare ſine cauſa approbationes regularium.*
19 *Ex priuilegio* Gregorii Decimitertii, *religioſi mendicantes ſemel ab aliquo Ordinario approbati, dum iter faciunt, poſſunt vbique fidelium confeſſiones audire: Et an huic priuilegio ſit derogatum per Bullam*, S.D.N. Vrbani Octaui.

1 APprobatio diuerſa eſt à delegatione iuriſdictionis nam confeſſarii approbatio nihil eſt aliud, quàm iuſtum iudicium, ſeu publica ſententia authenticaque atteſtatio quædam de Sacerdotis eam iure ſuo petentis ſufficientia, quantùm ad ſcientiam, & alia requiſita ad audiendas confeſſiones, ſi iuriſdictio ei delegetur.

Delegatio autem iuriſdictionis, eſt conceſſio quædam, & velut gratia liberaliter facta à Superiore: & hinc patet in Religioſis Mendicantibus, qui per ſua priuilegia iuriſdictionem habent à Summo Pontifice delegatam, approbationem autem ab Epiſcopo. Proinde formaliter non eſt idem ſemper, approbare aliquem Sacerdotem pro confeſſionibus, atque ei conferre iuriſdictionem, ſed ſuppoſito ſacerdotio, ipſa approbatio eſt veluti vltima conditio, & complementum reddens proximè capacem ipſum ſacerdotem ad ipſas confeſſiones audiendas, ſi aliunde ei conferatur iuriſdictio. Ita Suarez, *tom.4. diſp.28. ſect.4.* Layman. *lib.5. tract.6. cap.11 num.7* Tannerus, *de pœnit. diſp.6. quæſt. 9. n.24.* Fagundez, *præc.2. lib.7. cap.3.* Fernandez, *in exam. p.3. cap.6. §.8. n.17.* & alii citati. Suarez. Laym. Tannerus. Fagund. Fernand.

Notandum tamen eſt, quando Epiſcopus approbat aliquem ſacerdotem ad audiendas confeſſiones in ſuo Epiſcopatu; vel in aliquo oppido, aut parochia illius, tunc quidem ipſa approbatio, reſpectu ouium ad quas illum approbat, videtur eſſe formaliter ipſa collatio iuriſdictionis in eaſdem oues; quia tunc idem eſt approbare, atq; ei actualẽ iuriſdictionem conferre; vt docet Henriquez, *libr.11. de matrim. c.3. num.5* & colligitur ex Sanchez, *diſp.35. n.7 de matr. lib.3.* Henriq. Sanch.

2 Ante Concilium Tridentinum Parochus ex vi *cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* Suarez, *diſp.28. ſect.3.* Filliucius, *tract.7. num.255.* Petrus Ledeſma, *tract. de pœnit. cap.11. in concl.5.* iuris communis poterat, & validè, & licitè ſuam iuriſdictionem committere cuicumque Sacerdoti, qui ſecundùm naturale, ſeu diuinum ius idoneus eſſet ad hoc Sacramentum miniſtrandum, etiamſi aliam iuriſdictionem, vel Epiſcopi approbationem non haberet. Ratio eſt, quia in delegante erat poteſtas, quæ conuenit illi ex vi ordinariæ iuriſdictionis; ex parte alterius extremi in Sacerdote erat capacitas, ſupponendo quòd talis Sacerdos non fuiſſet ſpecialiter aliqua cenſura irretitus. Et proinde id nunc poteſt Parochus, vbi Tridentinum non eſt receptum, & Religioſi habentes, priuilegium Pontificium excipiendi confeſſiones, iiſdem locis non indigent Epiſcopi approbatione, ſimiliter is, qui habet priuilegium eligendi confeſſarium, in iis locis poteſt eligere non approbatum Imò ſi Epiſcopus ibidem velit approbare omnes ad hoc, vt cenſeantur poſſe validè abſoluere, eo præcepto, vel ſtatuto Suarez. Filliucius. P. Ledeſma.

non

non adſtringuntur ii, qui per priuilegium Pontificis poſſunt confeſſiones excipere: quia Epiſcopi non poſſunt impedire, quominùs religioſi vtantur iuriſdictione ſibi à Pontifice conceſſa, iuxta iuris ibi recepti diſpoſitionem.

Poſt decretum Conc. Trid. requiritur vt perſona ſacerdotis, cui deleganda eſt iuriſdictio præter omnia requiſita ex diuino iure ad hoc miniſterium peragendũ, etiã habeat ſpecialẽ Eccleſię approbationem, nouo illo iure decretam.

Conc. Trid. Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 23 c 15.* ſic habet: *Quamuis preſbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta Synodus nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.*

Circa quod Concilii decretum dubium graue eſt, an Parochus poſt illud poſſit ſimplici ſacerdoti nõ approbato ad Epiſcopo dare licentiam audiendi confeſſiones ſuorum ſubditorum.

Nonnulli Patres Dominicani affirmatiuam ſententiam docuerunt ita M. Ioannes Gallo, & M. Ioannes Orellana profeſſores publici Sacræ Theologiæ in Academia Salmanticenſi, quos ſequitur Petrus Ledeſma, *tr. de pœnit. c. 11. in concl. 5.* & hanc ſententiam probabilem eſſe docet Ioannes de la Crux, *in direct. de Sacram. Pœnit. q. 5. dub. 6. concl. 2.* Parochum, ſcilicet, poſſe dare eiuſmodi licentiam etiam non approbato, & validè abſolui pœnitentem ab eo, cui Parochus vices ſuas commiſerit, licet ipſe Parochus peccet mortaliter. Ratio huius opinionis eſt, quia cùm Parochus ſit proprius Sacerdos, & paſtor ſuorum ſubditorum, habet iure diuino poteſtatem delegandi confeſſores pro ſuis ſubditis, imò & iure Eccleſiaſtico *antiquo*, quæ poteſtas non eſt ablata per Decretum Concilii, quod ſolùm intendit abrogare priuilegia Bullæ Cruciatæ, & conſuetudines audiendi confeſſiones, ſine approbatione Epiſcopi etiam immemorabiles, quòd autem Parochus poſſit delegare confeſſores pro ſuis ſubditis, non habetur ex priuilegio aliquo, ſed ex iure diuino, aut Eccleſiaſtico antiquo.

Ledeſma. De la Crux

Contra hanc ſententiam obſtat declaratio Eminentiſſ. DD. Cardinal. Concilii interpretum; cuius tenor eſt, *Abſolutio data à Sacerdote vigore facultatis generaliter à Summo Pontifice, vel ſpecialiter à Parocho conceſſa, ſi ab Epiſcopo is Sacerdos examinatus, & approbatus non fuerit valida non cenſetur, etiam quoad eos, qui tali ſacerdoti bona fide confeſſi ſunt, ratũ eſſe approbatum, vel ignorãtes approbationem requiri. Congregatio enim Concilii cenſuit, eam eſſe abſolutionem nullam, tametſi confitentes, quoad Deum excuſari cenſeantur; vbi tamen reſciuerint, reiterandam eſſe confeſſionem; reſpondit eadem Congregatio.*

Proinde dicendum eſt Parochos nec licitè, nec validè poſſe ſubditos ſuos Sacerdotibus non approbatis committere, nec illos in ſuos coadiutores adſumere, ita habet conſuetudo, quæ mentem Concilii eſt interpretata, vt patet ex verbis illius, quæ generalia ſunt: & communis hoc tempore ſententia; vnde contraria, nec tuta, nec practicè probabilis videtur. Quia hoc nouum ius Concilii Trident. antiquum, *c. Omnis vtriuſque ſexus*, reſtrinxit, & limitauit ad idoneum, & approbatum confeſſarium. Vide Suarez, *diſp. 28. ſect. 4.* Syluium, *in ſuppl. q. 8. art. 5 quæſit. 4.* Dianam, *p. 3. tr. 4. reſ. 146.* Fagundez, *præc. 1. lib. 7. c. 2. n. 43.*

Suarez. Syluius. Diana. Fagundez.

3 Approbatio, quæ fit per vniuerſitates ad gradus licẽtiæ, vel magiſterii, tam in Theologia, quàm iure Canonico non ſufficit ad validè adminiſtrandum pœnitentiæ Sacramentum: nam Concilium præter modum approbationis ex iudicio Epiſcopi prouenientem, omnem alium excludit dum aſſerit, *nec ad id idoneum reputari, niſi aut Epiſcopo per examen, ſi illi videbitur, aut aliàs idoneus iudicetur.* Voluit enim Concilium hanc approbationem aliquo modo eſſe iuridicam, hoc eſt, deſcendere à poteſtate iuriſdictionis, & ideò illam non concedit Academiis, nec publicæ opinioni exiſtimationique erga famoſos prædicatores, ſed tantùm Epiſcopis, qui ſoli ſunt veri, & competentes Iudices in hac re. Quamuis ſecundùm Motum proprium Pii V. *Etſi Mendicantium Ordines*, editum 17. *Kalendas Iulii*, 1567. Pontificatus ſui *anno* 2. Lectores ex ordinibus mendicantium, & in Theologia graduati, qui cum licentia ſuorum Superiorum ad gradum admiſſi fuerint, cùm de ipſorum doctrina ambigendum non ſit, tam confeſſiones audituri, quàm prædicationis munus ſubituri ab Epiſcopis non debeãt examinari Syluius *ſuppl. q. 8. art. 5. quæſit. 4.* Layman, *lib. 5. tract. 6. cap. 11. num. 2.* Suarez. *tom. 4. diſput. 28. ſect. 4.* Coninck, *diſp. 8. dub. 7. n. 49.* P. Ledeſma, *tr. de pœnit. cap. 11. in concl. 5* Henriquez, *lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 2.* Tannerus, *de pœnit. diſputat. 6. quæſt. 9. dub. 2. numer. 22.* & alii.

Syluius. Layman. Suarez. Coninck. P. Ledeſma. Henriq. Tannerus.

4 Duo modi deſignantur in Tridentino, vt quis cenſeatur Sacerdos idoneus ad confeſſiones ſæculariũ audiendas, ſcilicet, vel per beneficii Parochialis ſuſceptionem, vel per aliam approbationem Epiſcopi, hinc duo certa colliguntur primum eſt, quemlibet ex his modis per ſe ſufficere, alterum eſt, aliquem ex his modis eſſe neceſſarium neque aliam approbationem ſufficere. Ita ex communi Syluius *c. quæſit. 4.* Nauarrus *in Man. cap. 4. num 7.* Bonacina *diſp. 5. quæſt. 7. part. 4. §. 1. nu. 9. & 12.* Fagund. *præcept. 2. lib. 7. c. 2. n 2.*

Syluius. Nauarr. Bonacina. Fagundez.

Sed petes, an Regularis qui ab Epiſcopo obtinuit approbationem, & licentiam audiendi confeſſiones ſæcularium poſſit illa vti, abſque conſenſu Prælati, imò etiam ipſo contradicente, & an tales confeſſiones ſint validæ, Reſpond. certum eſſe hoc licitè fieri non poſſe, nec probatione indiget.

Dicendum ergo eſt regularem ab Epiſcopo admiſſum illicitè adire confeſſiones ſæcularium, 1. vel quia à Superiore non eſt præſentatus, 2. vel quia poſt legitimam præſentationem ſimplici extraiudiciali prohibitione eſt prohibitus, 3. vel quia per ſententiam iuridicè eſt interdictus id facere.

Si primo modo audiat illicitè, & ille religioſus ſit ex ordine Prædicatorum, confeſſiones factæ non ſunt validæ, idque propter decretum *Iulii III.* in quo reuocãtur omnes licentiæ, & immunitates religioſis eiuſdem ordinis conceſſæ ad confeſſores eligendos, & confeſſiones audiendas quas ipſe Magiſter reuocandas iudicauerit, & annullat omnes concedendas quæ futuræ eſſent ſine licentia Superiorum, niſi manu Papæ, aut Cardinalis Protectoris vel viceprotectoris fuerint ſignatæ. Hoc decretũ in Capitulo Generali illorum Salmanticenſi fuit acceptatum quoad irritationem licentiarum prædictarum.

Si autem religioſus ſit aliorum ordinum communicantium in priuilegiis cum ordine Pręđicatorum, & ex vi talis priuilegii Prælati irritauerint ſimiles licentias à particularibus obtentas vel obtinendas, ipſis inconſultis, tunc etiam nec potuerit licitè, nec validè abſoluere quod ſi Pręlati irritas non fecerint eiuſmodi licentias, validè abſoluet Ita Rodriquez *tom. 1. qq. reg. q. 60. art. 3.* Salas *de leg. diſp. 16. ſect. 10. n. 43.* Miranda *in Man. tom. 1. q. 45. art. 11. & 12.* De la Crux *de ſtatu relig. l. 2. c. 6. dub. 2. concl. 2.* Dian. *p. 1. tract. 11. reſ. 13. & in addit. 3. part. reſol. 7.* Angles *in 4. de confeſſ. art. 8. diffic. 8.* Layman *lib. 5. tract. 6. c. 10. n. 19.* Portel *in dub. reg. v. Confeſſor. approbat. n. 9* Tambur. *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 6. q. 15. num. 6.* Ratio eſt, quia cum ad excipiendas validè confeſſiones ſit edita iam lex per Cõcilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 15.* decernens conditiones requiſitas, quicumque eas impleuerit, capacitatem conſequentur ad validè abſoluendum. Quandoquidem ergo in concilio ſolùm petatur approbatio ab ordinario regularis ab illo approbatus habilis erit ad confeſſiones validè excipiendas. Tum quia cum Sacerdos regularis poteſtatem habeat ordinis, nec illi deficiat ad audiendas validè confeſſiones niſi poteſtas iuriſdictionis illam autem poſſit transferre Epiſcopus reſpectu ſui gregis; fit omnia requiſita habere regularem approbatum ab Epiſcopo ad excipiendas confeſſiones ſæcularium etiam contradicente proprio Prælato. Ita præter Doctores citatos etiam Villalobos *tr. 9. diffic. 50 num. 3.* Valerus *in differ. v. Confeſſor. different. 2. num. 2.* Graffiis *1. part. cap. 13. num. 88.* Sancius *in ſelect. diſp. 48. n. 27.* Amicus *tom. 8. d. 15. ſect. 3. n. 111.* qui vltimus docet poſſe Epiſcopum ſimul cum approbatione dare etiam Iuriſdictionem Sacerdoti regulari habitanti intra ſuam diœceſim abſque vlla licentia ſui proprii Superioris, quantum attinet ad validitatem Sacramenti. Ratio eſt, quia regulares ratione habitationis fiunt ſubditi quoad hoc

Rodriquez. Salas. Miranda. De la Crux. Diana. Angles. Layman. Portel. Tamburin.

Villalob. Valerus. Graffiis. Sancius. Amicus.

hoc Episcopis ergo possunt ab illis approbari, & iurisdictionem accipere. Neque ad hoc necessaria est licentia proprii Superioris, imò etiamsi proprii Superiores contradicerent, validè absoluere possent, quia habent omnia ad absoluendum requisita. Nam approbatio, & iurisdictio ab Episcopo concessa, quoad valorem non pendet à voluntate proprii Superioris: sed Episcopi concedentis. Hæc ille. Et eiusdem sententiæ est Petrus Mercantius *in tribunal. tom. 1. tract. 2. Tit 6. quæst. 4. dub. 2. resol. 2.* Contra Angelū Adrianum, & alios Neotericos docentes, Episcopos conferre talem potestatem dependenter à propriis Prælatis præsentantibus religiosos ipsis Episcopis. Ergo sine tali præsentatione nullam esse absolutionem.

P. Marcant. — Angelus Adrianus.

Hæc opinio esset vera, si Episcopi in suis admissionibus hanc limitationem ponerent, aliàs non, vt docet Diana *cit. resol.* 13.

Diana.

Si autem religiosus illicitè audiat, quia simplici extraiudiciali prohibitione à Prælato suo prohibitum ei est audire confessiones sæcularium, postquam ab eodem maiori Prælato Prouinciali, vel Generali ad hoc fuit electus, & præsentatus dicendum est, si prohibitio eiusmodi ex iusta causa facta sit, validè quidem absoluere, sed non licitè. Ratio est, quia Superior per hanc prohibitionem non est existimandus iurisdictionem auferre velle: sed efficere sua prohititione, vt illicitè exerceatur hoc ministerium audiēdi confessiones, non vt inualidè. Ita Rodriquez, *c. q. 60. art. 2.* Layman, *lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 19* Crous. *ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 27.* Mirand. *c. q. 45. a. 13.* Sanch. *de matr. li. 3. disp. 32. n. 2.*

Rodriquez. Layman. Crousers. Miranda. Sanchez.

Porrò si per sententiam iuridicè suspensus sit, Religiosus priùs electus, & præsentatus à confessionibus audiendis, absolutio ab eo data foret inualida, si sit nominatim denunciatus suspensus. Ratio est, quia in tali casu acta iurisdictionis propriæ per taliter suspensum ipso iure inualida sunt: Secùs dicendum si non esset nominatim denunciatus suspensus, ipsius enim acta valida sunt, quia ipsi non adimitur iurisdictio, cùm toleretur ab Ecclesia Suarez, *de cens. disp. 26. sect. 2. n. 2.* Rodriquez, *c. art. 2.* Bonacina, *de sup. disp. 3. p. 4. n* 7. Filliucius, *tr. 17. c. 10. q. 3.* & alii.

Suarez. Rodriq. Bonacina. Filliucius.

Tria hic notanda sunt. *Primum*, quòd religiosus per sētentiam priuatus confessionibus à Prælato, non ab Episcopo, validè absolueret; si confessiones audiret in alio oppido vbi omnes illum habent pro idoneo confessore, ignorantes priuationem ipsius, quod probatur, per ea quæ dicunt Doctores de Parocho communiter putato vero Parocho, cùm à parte rei talis non sit, sed habet titulum putatiuum, cuius absolutiones validæ sunt propter legem, *Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Habet enim hic religiosus titulum cōfessoris putatiuum, imò titulum verum datum ab Episcopo: error populi circa illius iurisdictionem ex parte Prælati ablatam, est communis: habet etiam potestatem characteris. Ergo concurrunt in illo omnia requisita vt valeat lex *Barbarius*, quamdiu priuatio eius est occulta, & confessiones audit vbi pro vero confessore habetur; vide Sanchez, *de matr. lib. 3 disp. 22. n. 13.* Nauarr. *c. placuit, nu. 177. & in Man. c. 9. n. 11.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. c. 6. n. 6.* Suarez, *disp. 26. sect. 6. n. 7.* Reginald. *lib 1. n. 100.* Diana, *p. 2. tr. 2. ref. 43.* Tambur. *de iure Abbat. tom 2 disp. 6. q. 15. n. 9.* & alios

Sanchez. Nauarrus. Henriquez. Suarez. Reginald. Diana. Tambur.

Secundum; notandum est, dictum confessarium posse solùm absoluere pœnitentes à casibus illis à quibus potestatem absoluendi dedit Episcopus, à quo est admissus, & non à casibus à quibus aliàs posset absoluere virtute priuilegiorum suæ Religionis. Ratio est, quia non est mens Pontificis priuilegia eiusmodi concedentis, quòd illis gaudeant non electi, & non præsentati à Prælato maiori, seu Prouinciali, vel ab ipsis interdicti; vt satis constat, ex *Clement. Dudum*, & ex priuilegiis per Pontifices concessis. Ita Nauarrus, *in Man. c. 9. n. 6.* De la Crux *lib. 2. c. 6. dub. 2. concl. 1.* Rodriq *c. art. 3.* Diana, *p. 1. tr. 11. ref. 13.* Henriq. *de pœnit. l. 3. c. 6. n. 6.* & alii.

Nauarrus. De la crux. Rodriq. Diana. Henriq.

Tertium, Talem confessarium, qui sine licentia sui Prælati cōfessiones excipit, peccare mortaliter, si Constitutiones eiusmodi religionis ad mortale obligent, venialiter verò, si ad veniale tantùm: & ideò in illa religione, in qua constitutiones non obligant ad culpam, Sacerdos regularis sic absoluens, non peccaret saltem mortaliter. Ita Molfesius, *in Sum. tom. 1. tr 7. c. 14. n. 87.* Peyrinus, *tom. 1. q. 1. c. 21.* Megala, *1. p. lib. 1. c. 15. n. 8.* Diana, *c. ref. 13.* Tamburr. *de iure Abbatum, tom. 2. disp. 6. quæst. 15. n. 5. & quæst. 7. num. 7.* Sancius, *disp 48. n. 27.*

Molfesius. Peyrinus. Megala. Diana. Tambur. — Sancius. L. Portel.

Hanc quæstionem eruditè tractat Laurentius Portel. *in responsionibus casuum moralium, p. 2. casu 23.* quem consule, & non pigebit; & nouissimè Ægidius Trullenck, *in bulla cruc. lib 1. §. 7. dub. 6. n. 7.* apud Dianam, *part. 5. tr. 12. ref. 50.*

Trullench. Diana.

Insuper est hic notandum, quòd licet Sacerdos regularis approbatus tantum ab Episcopo, non possit licitè audire confessiones sæcularium sine facultate sui Prouincialis; potest tamen eligi sine facultate sui Prouincialis à quolibet siue sæculari, siue regulari per bullam, vel Iubilæum. Ratio est, quia tunc iurisdictionem absoluendi non habēt Regulares mediante proprio Superiore; sed immediatè à Pontifice, ergo electi absoluere possunt quemcumque etiam contradicente proprio Superiore. Ita Amicus, *tom. 8. de pœnit. disp. 15. sect. 3. n. 112.*

Amicus.

An autem hæc doctrina locum habeat respectu Fratrū Cappucinorum inspecta bulla Gregorii XIV. *Decet Seraphicam religionem, die prima Iunij* 1591. cum illius moderatoria Clementis Octaui, *Alias Fœlicis*, edita 3. Februarii 1603. consulantur ex nostris Ludouicus Caspensis, *in suo tom. 2. Cursus Theologici, tr. 24. de pœnit. disp. 5. sect. 10.* & Cyprianus Crousers, *ad c. 7. reg. S. Franc. lect.* 31.

Caspensis. Cyprianus Crousers.

5 Concilium Tridentinum, in suo decreto, *sess. 23. c. 15.* solùm disponit de confessionibus sæcularium etiam Sacerdotum; ex quo constat ius hoc non habere locum respectu regularium: sub nomine regularium, etiam fœminæ religiosæ comprehenduntur; quia illæ etiam secundùm iura sæculares non sunt.

Conc. Trid.

Hinc Superiores regularium possunt exponere suis subditis confessorem non approbatum ab vllo Episcopo, quia hoc poterant iure antiquo, & communi, seu per propria priuilegia. Ratio autem quæ mouit Patres Concilii ad id statuendum, non militat in Religiosis, & Monialibus: sæculares enim conscientias habent communiter grauioribus peccatis oneratas, & ideò ratio postulabat vt illis darentur, & assignarentur Iudices, & Medici, qui à suis Episcopis iudicentur idonei: Religiosi autem communiter sunt cautiores, sicut & Moniales in peccando, & conscientias habent magis timoratas Syluius, *in supp. qu. 8. art. 5. quæst. 4.* Diana, *in add. ad secund. ref. 4. & p. 4. tr. 4. ref. 3.* Fagundez, *præc. 2. lib. 7 c. 2. n. 3.* Bonacina, *tom. 1. disp 5 q. 7. p. 4. §. 1. nu. 25.* Miranda, *in Man tom. 1. q. 45. art. 11. concl. 2.* Præposit. *de pœn. q. 8. d. 2. n. 6.* Tābur. *de iure Abb. to. 2. disp. 6. q. 8.* & alii.

Syluius. Diana. Fagundez. Bonacina. Miranda. Præposit. Tambur.

Nec his obstat Constitutio Gregorii XV. *Inscrutabili* 1622. *Nonis Februarii De exemptorum priuilegiis.* Qua decernit confessarios monialium non aliter posse earū confessiones excipere nisi approbati sint ab Episcopo diœcesano: à quo decreto pro parte irregularium habentium monasteria monialium sibi subiecta supplicatum est: vnde credit Sancius, *in selectis, disp. 49. n. 16.* hactenus non esse executioni mandatum: & fortè ob rationes exhibitas Sūmo Pontifici, quas refert Laurentius Portel, *par. 2. respons. moral. casu* 13. pro impedienda executione prædicti decreti.

Sancius. L. Portel.

Certum est tamen confessarium monialium, quæ Episcopo sunt subiectæ, tanquam suo ordinario, debere ab Episcopo approbari: quia omnis confessarius debet accipere iurisdictionem à Prælato earum religiosarum, quarum est confessiones auditurus: religiosæ autem hæ non habēt alium Prælatum, quàm Episcopum: ergo confessarius earum debet ab Episcopo iurisdictionem accipere, & approbari: vt docet Syluius citatus.

Syluius.

Dubium est, an hoc priuilegio fruantur equites S. Ioannis, S. Iacobi Calatrauæ, Alcantaræ, Montesæ. Responsio communis est affirmatiua apud Dianam, *p. 3. tr. 2. de dubiis regul. resolut.* 30. quia isti sunt veri religiosi per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, in manibus suorum Prælatorum emissa, ergo non secùs, ac reliqui religiosi, confiteri possunt cuiuis Sacerdoti siue sæculari, siue regulari, etiam ab Episcopo non approbato. Quæ licet de iure vera sint, de facto tamen, vt *ibidem*, consuetudo est in cōtrarium.

Diana.

Proinde religiosus habens facultatem eligendi confessarium, potest eligere quem sibi inuenerit idoneum, quāuis ab Episcopo non approbatum. Ita præter Doctores ci-

Diana. Syluius. Fagund.

tatos in prima editione huius operis, Syluius, Diana, Fagundez, & alii. Secus dicendum de sæcularibus, qui virtute Bullæ facultatem habent eligendi confessarium, hi enim tenentur eligere ab Episcopo approbatum; etiamsi non exprimatur in Bulla: quia quoties Pontificis non exprimunt, semper præsumendum est facultatem concedere in suis Bullis iuxta formam Concilii. Ratio est, quia cùm contrarium sit dispensatio à lege communi, non præsumitur Pontifex illam concedere, nisi id specialiter declaret, cùm semper Principes stare præsumuntur pro legibus, quæ suam vim iam obtinuerunt.

Sed petes, an religiosi cum sola licentia suorum Prælatorum, & sine approbatione Ordinarii possint audire confessiones suorum famulorum.

Conc. Trid. D. August. Innoc. VI. Sixtus IV. Leo X. De la Cru.

Respond. Certum esse id potuisse regulares ante Concilium Tridentinum virtute Priuilegiorum à Sede Apostolica obtentorum, vt concessit Augustinianis Innocentius VI. *Bulla* 1. & Carmelitis Sixtus IV. *Bulla* 37. & Minimis, Leo X. vt refert Ioannes de la Crux. Verum post *supra* memoratum decretum Tridentini, nonnulli Doctores negant hanc facultatem religiosis non approbatis ab ordinario, quia Concilium requirit in regularibus etiam approbationem Episcopi ad audiendas confessiones sæcularium Priuilegiis, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus:

Rodriq. Greg. XIII. De la Cru. Tannerus. Tambur. Barbosa.

Hæc sententia stando in rigore iuris illius noui vera est & amplectenda. Sed quia à plerisque Doctoribus, videlicet Rodriquez *in bullario pro regular. post bullas* Gregorii XIII. De la Crux *de statu relig. lib. 2. cap. 5. dub. 4. & cap. 6. dub.* 1. Tanner. *tom. 4 disp. 6. quæst. 7. dub. 2. num.* 21. Tamburino *de iure Abbatum. tom. 2. disp. 6. quæsit.* 16 Barbos. *de pot. Episcop. p. 2. alleg* 25. *n.* 65. & aliis adfertur quædam declaratio Eminentiss. Cardinal. tempore Gregorii XI. *l. super sess. 23. de refor. c.* 15. eiusdem Concil. cuius tenor est.

An Prælati regulares sine alii religiosorum confessores possint audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia, aut aliàs deseruiunt in eorum Monasteriis, absque licentia seu approbatione Episcoporũ, de quo in hoc capitulo

Congregatio Concilii censuit audire posse confessiones sæcularium, qui sunt de familia, & continui commensales, nõ item eorum qui deseruiunt in eorum monasteriis. Ita Sacra Congregatio, *Anno* 1568. die 14. Augusti, quam referunt etiam Tambur. *hic* citatus. & Laurent. de Peyrin *to. 1. priuil. Ord. Minimor in annot. ad §. 15. Constit. 8. Iulii 2. n.* 12.

Tambur. L. de peyr.

Quod decretum Sacræ Congregationis intelligendum est vt nequeant Sacerdotes Regulares non expositi ab Ordinariis audire confessiones illorum, qui inseruiunt Monasteriis, sed non viuunt in eis, neque dormiunt, vt tonsores, sutores, & huiusmodi, qui largo modo etiam familiares dicuntur.

Conc. trid.

Ideò standum est huic declarationi, quandoquidem de illa constet. Fauet ad hoc Conc. Trident. *sess. 25. cap. 11. de regul.* decernens, *vt in Monasteriis, seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia personæ, tam regulares, quam sæculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictã curã, & Sacramentorũ administrationẽ pertinẽt iurisdictioni, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sũt sita.*

Greg. XV. Conc. trid.

Et licet per Constitutionem Gregorii XV. quæ incipit *Inscrutabili* Nonis Februarii 1622. huic Decreto Concilii Trid. sit aliquid additum Vt scilicet, *deinceps, tam Regulares, quam sæculares quomodolibet exempti siue animarũ curam personarum sæcularium Monasteriis, seu domibus Regularib. aut quibusuis aliis Ecclesiis vel beneficiis siue Regularibus siue sæcularib. incumbentẽ exerceant siue alias Ecclesiastica sacramenta, aut vnum ex illis ministrent præuia Episcopi licentia, & approbatione siue quoque modo indictã curam exerceant, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absq. vlla auctoritate se ingerant in his quæ eiusmodi curam seu administrationẽ concernunt, omnimodæ iurisdictioni. visitationi & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subiiciantur.*

Ex qua Constitutione perspicuè est, familiaribus sæcularibus religiosorum, quamuis aliàs exemptorum, non posse vllum Sacramentum à Regularibus administrari sine præuia licentia, & approbatione diœcesani Episcopi.

Hæc tamen Constitutio nondum est executioni mandata, vt testatur Sanctius *supra*, & patet ex praxi huius belgii, vbi Authenticè non fuit publicata, & proinde nec vsu recepta.

Propterea sententia affirmans Sacramentum Pœnitẽtiæ posse administrari à religiosis suis familiaribus sine approbatione Ordinarii, sed cum sola licentia Prælatorum, probabilitate non caret, vt docet Leaana *in Sum. tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 16. & illam absolutè sustinet Bordonus *resol.* 34. *num.* 41. citans Megalam, Grassis, Homobonum, Peyrins, Fagundez & alios.

Nomine autem familiarium, tam in Tridentino, quam in supradicta declaratione, intelliguntur illi, qui actualiter seruiunt Religiosis, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt, quod non est intelligendum de obedientia ratione voti nam sic essent, & ipsi regulares, sed de obedientia ratione muneris seruiendi, vt aduertit Suarez *tom. 4. de relig. tract. 3. lib. 9. cap.* 4. Tamberinus *de iure Abbat. to. 2. disp. 6. quæsit.* 16. *n.* 6. *& seq. & disp.* 7 *q.* 3. Lezana *in sum. t.* 2. *c.* 16. *n.* 14. Suarez Tambur. Lezana.

Sed dubium est, an hæ conditiones diuisim requirantur & sufficiant, ad hoc vt quis verè dicatur familiaris, respectu priuilegiorum alicuius religionis; Suarez tenet, quod stando in rigore priuilegiorum sufficit, quod quis in obsequio religionis maneat, quod optimè intelligi potest absque hoc quod quis habitet intra septa Monasterii, vt patet ex priuilegio concesso à Clemente IV. Fratribus Minoribus apud Rodriquez *tom. 2. qq. reg quæst* 67. *art* 1. & Tamburinum, & à Gregorio XI. pro fratribus Ordinis Prædicatorum. Ex textu tamen Concilii videtur vtráque conditionem requiri nec sufficere alterutram, nempe, vt actu seruiant; & intra septa Monasteriorum cohabitent. Sic enim loquitur Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 11. *de reform. Exceptis tamen iis, qui prædictis locis aut militiis actu seruiunt, & intra eorundem septa, ac domos residents subque eorum obedientia viuunt* Proinde tutius est asserere vtrasq. conditiones simul, & coniunctim requiri. Rodriq. Tambur. Con. Trid.

6 Nomine Episcopi, qui debet approbare confessorem, non venit Episcopus consecratus (secundùm mentẽ Concilii) si titularis tantum sit, & oues non habeat, qui nec licitè, nec validè, potest hanc approbationem dare, nec illa ab eo peti potest, cùm enim illam dare sit aliquo modo actus iurisdictionis, & ille dum caret ouibus, careat actuali iurisdictione, inde est, quòd talis approbatio, nec licitè nec validè ab eo dari possit. Nec etiam illam dare potest Episcopus electus tãtùm, & non confirmatus, quia ante confirmationem non habet iurisdictionem poterit tamen Episcopus electus, & confirmatus, licet non sit consecratus, modo habeat subditos, quia vbi confirmatur à Papa, iam habet iurisdictionem; & potest illius actus exercere Suarez *de pœnit. disp.* 28 *sect.* 5 *num.* 1. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5 *quæst.* 7. *part.* 4. §. 1. *num.* 9. Filliucius *tract.* 7. *num.* 257. Fagundez *præc.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *nu.* 46. *& seq.* Imò Episcopus excommunicatus non toleratus, & suspensus, potest, secundùm quosdam, hanc approbationem dare, quia hæc approbatio non est per se actus iurisdictionis, sed tantùm testimonium approbatiuum sufficientiæ Sacerdotis, sine quo nõ potest Sacerdos esse idoneus minister huius Sacramenti. Ita Nauarrus *in cap. placuit. num.* 51. Rodriquez *to.* 2. *Sum c.* 14. *n.* 5. Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. c.* 6. *num.* 3. & alii. Suarez. Bonacina. Filliucius Fagundez Nauarrus. Rodriquez.

Eandem potestatem habent vicarius Episcopi, Capitulum sede vacante, quia succedit in omni iurisdictione Episcopo, præter casus in iure expressos. Item quidam Abbates sæculares exempti, habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in populum exemptum à iurisdictione ordinaria hi enim possunt exponere, & approbare confessores in suo territorio. Ita Filliucius *tract.* 7. *num.* 257. Suarez *d.* 28. *sect.* 6. Fagundez *cit. cap.* 2. *num.* 64. 44. Tannerus *de pœnit. d.* 6. *q.* 9. *d.* 2. *num.* 27. & alii. Filliucius Fagundez. Tannerus.

7 Approbatio hæc, pro confessoribus sæcularium etiã Sacerdotum, necessaria est confessariis omnibus tam regularibus, quam sæcularibus, quia quia Concilium dicit, *Approbationem obtineant.* Vnde non sufficit ordinariè esse petitam, & non obtentam, etiamsi fortè iniustè negetur. Ratio est, quia ex verbis Concilii, constat non censeri quẽpiam

piam

piam approbatum, nisi in re approbationem obtineat: Efficiunt enim hunc sensum. *Nisi quis sit approbatus ab Episcopo, non potest esse idoneus ad confessiones secularium audiendas*, huiusmodi autem conditionalis eam vim habet, vt si in re non ponatur requisita conditio, effectus sequi nõ possit. Non est tamen necesse vt in scriptis detur hæc approbatio, ad modum authentici testimonii, & sententiæ; quia Concilium illam in scriptis non requirit: solent enim Episcopi sæpè solo verbo illam concedere: quamuis satiùs sit in scriptis illam habere, vt faciliùs de illa constet, si opus fuerit; vide Syluium, *in supplem. 3. p. q. 8. art. 5. quæsit. 4.* Suarez, *disp. 28. sect. 5 num. 6.* Filliucius, *tract 7. num. 257.* Coninch, *disp. 8. dub. 7. n. 58.* Vasquez, *q. 93. art. 3. dub. 3.* Fernandez, *p. 3. c. 6. §. 9. n. 16.* & alios.

Siluius. Suarez. Filliucius. Coninch. Vasquez. Fernand.

8 Maximè controuersum est inter modernos authores an religiosis mendicantibus satis sit licentiam, seu approbationem petere ab Episcopis, quamuis ipsi non concedãt Nauarrus, *in Man. cap. 27. n. 264.* Rodriquez, *tom. 1. qq. reg. q. 59. art. 1.* Miranda, *tom. 1. quæst. 45. art. 5.* De la Crua, *de stat. rel. lib. 2. c. 6 dub. 1.* Fagundez, *prac. 2. lib. 7 c. 2. num. 15.* Layman, *lib. 5. tract. 6. cap. 11. n. 4.* Cælestinus, *in compend. Theol. mor. tr 1. cap. 16. & cap. 14.* Diana, *p. 3. tract. 2. resol. 25. & p. 5. tr 13. res. 45.* & alii affirmatiuè respondent Fundatur hæc sententia in priuilegiis horum religiosorum insertis in corpore iuris scilicet, *in Clementina dudum, de sepulturis*: vbi approbantur Religiones Fratrum Prædicatorum, & Minorum ad confessiones sæcularium audiendas, & si Episcopus irrationabiliter Religiosis prædictis deneget permissionem audiendi dictorum sæcularium confessiones, nihilominus, possint illas audire, concedente hoc Sede Apostolica.

Nauarrus Rodriquez Miranda De la crua Fagundez. Layman. Cælestin. Diana.

Negatiuam sententiam docent Suarez, Sylnius, Coninch, Filliucius, Vasquez, Fernandez: & alii. Propter rationes, *numero præcedenti allatas*: qui etiam putant *Clementina Dudum*; esse derogatum per Tridentinum.

Suarez Siluius. Coninch. Filliucius Vasquez. Fernandez

Cæterùm quamuis respectu aliorum regularium derogatum sit concessioni Clementinæ: non tamen respectu Fratrum Prædicatorum, & Fratrum Minorum: quibus non vt reliquis religiosis ex priuilegio, sed vi iuris communis, in Concilio Generali Viennensi statuti competit, sic posse audire confessiones sæcularium. Quapropter etiamsi Tridentinum tequirat obtentam, derogetque priuilegiis, & consuetudini immemorabili per huiusmodi tamẽ clausulam derogatoriam, non potest censeri derogatum *Clementina Dudum*, quoad hoc: quia Concilio Generali, quo approbante est Clementina relata in corpus iuris, non derogatur, nisi expressè. Propterea si approbationem iniustè neget præsentatis Ordinarius, possunt præsentati confessiones sæcularium audire, absque alia approbatione. Ita plerique Doctores citati pro sententia affirmatiua.

Et confirmatur hæc sententia ratione congruenti; quia leges moderniores, quando in communi tantùm loquuntur, & expressè antiqua decreta, legesque de casu aliquo in particulari loquentes, non reuocant, trahuntur ad sensum legum antiquarum, vt egregiè probat Nauarrus per multos, & multa iura in *cap. placuit. de pœnit. dist. 6. numer. 147* Vnde cùm lex, & decretum *Clementina dudum*, sit antiquiùs decreto Concilii Tridentini & expressè loquatur de hoc casu, & Concilium loquatur tantùm absolutè, & in generali, & non reuocet in particulari prædictum decretum, ac priuilegium *Clementina dudum*, potiùs Concilium Tridentinum in hoc particulari explicandum est, & trahendum ad sensum prædictæ Clementinæ, quàm prædicta Clementina caplicanda, trahendaque sit ad dictum, & prędictum sensum Concilii Tridentini.

9 Doctores variè sentiunt, cuiusnam Episcopi approbatio sit necessaria, vt Sacerdos non habens Parochiale beneficium, censeri possit idoneus confessionibus audiendis? quidam enim volunt approbationem cuiuslibet Episcopi indifferenter sufficere, siue ille sit Episcopus loci, siue clerici, siue pœnitentis: quia Concilium Tridentinum nihil aliud requirit, nisi vt sit ab Episcopo approbatus; ergo vbi lex non addidit determinationem, non est à nobis addenda Ita Henriquez, *lib. 7. de indulg. cap. 12. §. 4.* Corduba, *in Sum Hispana, quæst. 10.* Alphonsus de Vega, *in Summ. p. 1. c. 62. casu 16.* Petrus Ledesma, *de pœnit. c. 11.* Reginaldus, *li. 1. num. 186* Coninck, *disp. 8. dub. 7. numer 53.* & alii apud

Henriquez Cordaba. Alphons. de Vega. p. Ledesm. Reginald. Coninch.

Sancium, *in select. disp. 44. num. 1.* Tum quia mens Concilii postulantis confessarii approbationem ab Episcopis, cõtendit quòd ignorantes confessarii confessionum excipiẽdarum munus non eaequantur. Quid igitur refert sua Concilium potiùs vnius Episcopi, quàm alterius habere approbationis testimonium, & scientiæ confessarii? sane nihil. Ob id Sancius ipse *num. 10.* prædictæ disputationis censet per principia extrinseca ductus, hoc est, ob authoritatem Doctorum citatorum, confessarium approbatum ab vno ordinario, & alibi confessiones eacipientem, non peccare contra Religionem, seu reuerentiam debitam Sacramento; quia irreuerentia non committitur aduersus Sacramentum, quando minister se illud validè perficere arbitratur probabiliter: quamuis principiis intrinsecis niaus, hoc est ratione idem Author arbitretur, sacrilegium fieri quoties in administratione Sacramentorum via certa pro dubia absque causa commutatur. Et probabilem hanc sententiam vocant Sanchez, *de matrim. disp. 34. n. 16.* Fagundez, *prac. 2. lib. 7 cap. 2. num. 18. 88. & 89.* Item & Caspensis respectu regularium mendicantium, *tract. 11. disp. 3. num. 31.* vide etiam dicta à Diana, *part. 6. tract. 7. res. 59.* vbi pro hac sententia citat Ludouicum Cellotium Societatis Iesu, *lib. 5. de Hierarchia, cap. 25.* & Stephanum Baunii, *in Theolog. moral. part. 1. tract. 4. quæst. 4.* contra hanc sententiam obstat modò bulla Innocentii X. apud Dianam *p. 10. tr. 14. res. 23.*

Sancius. Sanchez. Fagundez. Caspensis. Diana Lud Cell Steph Bau Diana.

Alii contendunt necessariam esse approbationem ab Episcopo loci, in quo fit confessio: quia Episcopo loci commissa est cura animarũ in loco sui Episcopatus cõmorantiũ, non verò aliis extraneis Episcopis; ergo ad illũ solum pertinet approbatio omniũ, qui in illo loco audituri sunt cõfessiones. Ita Gutierr. *l. 1. can. qq. c. 27 n 6. & seq.* Laym. *lib. 5. tr. 6. c. 11. n. 9.*

Gutierrez. Layman.

Tertia opinio est approbationem requisitam à Concilio esse approbationem Episcopi ipsius pœnitentis; ita sentiunt multi Theologi, & Iurisperiti in legendo, & consulendo. Ratio est, quia ad ipsum pertinet prouidere ministros idoneos suis ouibus; & fieri potest, vt iudicatus idoneus pro vno Episcopatu, non habeat scientiam sufficientem pro alio; vnde in hoc consultum est muneri, & obligationi Episcoporum; ergo hæc fuit intentio Concilii. Et ita prouitum est, sicut est magis consentaneum rectæ gubernationi, & ordini hierarchico, vt vnusquisque suarum ouium curam habeat. Ita Sylu. *in suppl. 3. p. qu. 8. art. 5. quæsit. 5 concl. 1.*

Syluius.

Quarta denique sententia est, approbationem necessariã esse dandam ab Episcopo illius, qui auditurus est confessiones, & illam esse sufficientem. Tum quia hæc approbatio, est secundùm aliquos actus iurisdictionis, qui exercentur in subditum, ergo per se pertinet ad superiorem, qui iurisdictionem habet in eum, qui approbatur, ergo dari debet ab Ordinario eius: & cùm approbatio hæc non respiciat, per se loquendo, hunc, vel illum pœnitentem, sed sit absolutum iudicium de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones, ergo per se spectat ad eum; qui est ordinarius Iudex, & Episcopus eius, qui auditurus est confessiones. Tum quia hoc patet ex duplici Cardinalium declaratione apud Suarez *disp. 28. sect. 6. n 6* Filliucium, *tr. 7 nu. 260.* Reginaldum, *lib. 1. n. 184.* Coninch, *disp. 8 dub. 7. n. 50 51.* Fernandez, *p. 3. c. 6. §. 9. n. 17.* Bonacinam, *disp. 5 q. 7. p. 4 §. 1. n. 15.* Tannerum. *tom. 4. disp. 6. q. 9 n. 25.* Amicum, *tom. 8. disp. 15. n. 117.* & alios.

Suarez. filliucius. Reginald. Coninch. fernandez. Bonacina. Tannerus. Amicus.

Prior est, in qua fuit quæsitum, an ex vi priuilegii, quod habet Episcopus sibi eligendi confessarium, posset sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, à proprio ordinario non approbatum? *S. D. N. audita relatione Congregationis declarauit Episcopum vigore priuilegii, de quo in cap. final. de pœnit. & remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem, sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti admissus, seu approbatus ad audiẽdas confessiones.* In qua Pontifex apertè supponit, requiri approbationem Episcopi ipsius confessarii, alioquin si sufficeret approbatio Episcopi pęnitentis, posset Episcopus eligere sibi confessarium non subditum, eumq; approbare. Posterior est, in qua dubitatum fuit, an Sacerdotes, qui in bulla Iubilæi debẽt supponi approbati ab ordinario, debeât intelligi approbati ab ordinario Pęnitentium, an confessariorũ? *Declarauit S. D. N. tempore Iubilæi posse omnes Regu-*

lares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab ordinario, ad audiendas, confessiones. In Bulla autem non fit mentio nisi de ordinario eorum, qui audituri sunt coofessiones, noo autem de ordinario ipsorum penitenrium. Atqui Puntifex in Bulla Iubilæi semper vult seruare ius Concilii: igitur ex hac declaratione sequitur iuxta Concilium solius Episcopi Sacerdotis approbationem necessariam, esse, & sufficere.

Pro solutione huius dubii dicendum est, primam sententiam videri valdè amplam, nimiamque licentiam coocedere, & fundamenta eius oon esse firma. Similiter secunda sententia non est admittenda; quia accidentarium est huic Sacramento, quod in hoc, vel illo loco fiat, dummodo iurisdictio coofessorum in pœnitentem retineatur: quilibet enim coofessarius approbatus habens iurisdictionem, potest suum subditum vbicumque repertum, sacramentaliter absoluere; cùm in eis, quæ fiunt absque strepitu iudicii, nun violetur ius alicuius; vt diximus, *v. Absolutio. n.* 8. *& v. Confessio, 1. n.* 10. Tertia, & quarta seotentia sunt probabiles, & in praxi tutæ: mihi tamen maximopere placet quarta, propter responsa Cardinalium ex mente Pontificis facta. Huic sententiæ adhærent, Suarez, Filliucius, Reginaldus, Coninch, Fernandes, Bonacina; & alii *hoc numero* citati.

Suar. Filliucius Reginald. Coninch. Fernand. Bonacina.

10 Parochus quamdiu habet beneficium Parochiale, censetur vbique approbatus; itavt virtute priuilegii, aut delegationis factæ ab altero Parocho cuiuscumq; diœcesis Orbis terrarum, eligi possit, eique committi possint propriæ oues. Ratio est, quia huiusmodi beneficiatus, Cōcilium Tridentinum nullam aliam approbationem requirit, præterquamquod Parochiale beneficiū habeat, vt possit sæcularium cōfessiones aodire: vnde si extra diœcesim non posset eligi; nec etiam extra suam Parochiam posset, cùm ex vi beneficii solùm videatur approbatus pro sua Parochia: Nihilominns ex vi Concilii reputatur illa approbatio sufficiens pro aliis Parochiis, etiam alterius Diœcesis Suarez, *disp* 28. *sect.* 4. *num.* 18. Syluius, *in supplem. qu.* 8. *art.* 5. *quæsit.* 6. *concl* 1. Diana, *part.* 1. *tract.* 11. *res.* 8. Fagundez, *prac.* 2. *lib.* 7. *c.* 2 *n.* 35. Viualdus, *de confess. n* 27. *concl.* 1. Reginaldus, *lib* 1. *c.* 16. *q.* 3. *n.* 189. & alii

Suarez Syluius. Diana Fagundez. Viualdus. Reginald.

Nomine verò Parochialis beneficii io Concilio, intelligenda veniunt etiam superiora beoeficia habentia curam animarum, vt sunt Episcopatus, & Archiepiscopatus, & vt sunt etiam aliqui Abbates; Archipresbyteri, Archidiaconi qui babent curam animarum annexam; quia de his omnibns eadem vel fortasse maior est ratio. Filliucius, *tract.* 7. *n.* 257. Suarez, *c. n.* 21. Reginaldus, *c. nu.* 190. Non veniunt autem hoc nomine Prælaturæ regulares, v. g. Rectoratus, Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, quamuis affirmatiuæ opinionis olim fuerint Magister Mannius, Gallo, Bannez, & Medina, & alii Dominicani hac de re consulti Salmanticæ. Ratio nostræ assertionis negatiuæ est, quia Concilium Tridentioum loquens de omnibus religiosis expressè ait, illos debere esse ab Episcopo approbatos, vt reputentur idonei confessarii sæcularium Diana, *p.* 2. *tr.* 2. *res.* 49 *& p.* 5. *tr.* 12. *res.* 52. Rodriquex, *in bulla cruc. §.* 9. *dub.* 1. *n.* 4. Suarez, *c num.* 2. Tamburr. *de iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 17. Caspensis, *tr.* 24. *disp.* 5. *n.* 63. & alii.

Filliucius Suarez Reginald. Diana. Rodriq. Suarez. tamburrin. Caspensis.

Sacerdos verò, qoi non habet beneficium Parochiale, si sit approbatus ab vno Episcopo, nonpropterea est approbatus pro aliis diœcesibus, sed solùm pro tota Episcopi approbantis diœcesi, si absolutè sit approbatus; & ad hoc facit declaratio Emineotissimorum Dominorum Cardinalium ab Archiepiscopo Valeotino consultorum, cuius tenor sic ait: *Congregatio respondet, Approbatum ab alio, quā à Valentino Episcopo, In Diœcesi Valentina non approbatum ab Ordinario.* Ita Doctores citati, Gutierrez, *in qq. canon. lib.* 1. *c.* 27. Vasquez, *quæst.* 93 *art.* 3 *dub.* 4. *n.* 3. Layman, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap* 11. *n.* 8. Syluius, *c. art.* 5. *quæsit.* 6. *concl.* 2. Præpositus, 3. *p de pœn. q.* 8. *dub.* 4. *n.* 19

11 Probabile est aporobationem vnius Episcopi datam simpliciter, & absque restrictione ad loca, vel diœcesim, vel personas, declarando simpliciter personam Sacerdoois esse idoneam ad Penitentiæ Sacramentum ministrandum sufficere pro tota Ecclesia ex hac parte, idest, vt Sacerdos sit idoneus ad iurisdictionem recipiendam ab eo, qui illas possit eam delegare: hanc sententiam secuti sunt Doctores Salmaticenses, quibus, adhærent plurimi Doctores alii, vt Suarez *disp.* 18. *sect.* 7. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 188. Filliucius *tract.* 7. *n.* 261. Diana *p.* 1. *tract.* 11. *res.* 7. Henriquez *li.* 3. *de pœn. c.* 6 *n.* 7. De la Crux *in director. de pœnit. quæst.* 5. *du.* 9. Præpositus *c. quæst.* 8. *dub.* 4. *num.* 21. & alii ab his citati. Vnde talis Sacerdos simpliciter approbatus, siue regularis siue sæcularis sit, eligi poterit ab omni eo cui facta est eligendi potestas, siue à Summo Pontifice, siue ab Episcopo, siue etiam à Parocho proprio.

Suarez. Reginald. Filliucius Diana Henriq. De la Crux præposit.

12 Approbatio confessarii secundùm quid, id est, pro certo loco, vel ad tempus, vel pro talibus personis, vel pro tali diœcesi, oon sufficit vltra terminos concessionis, talis est approbatio data ab Episcopo pœnitentis, qui non est ordinarius ipsius confessoris; nam ille solùm respectiuè potest illum approbare pro suis subditis, & ideò sic approbatus ab aliis non subditis tali Episcopo, eligi in confessorem non poterit, nec alio modo iurisdictionem in illos accipere quia nullo modo est approbatus ab Ordinario respectu illorum. Ita Syluius *in suppl. quæst.* 8. *art.* 5. *quæsit.* 6. Suarez *d.* 28. *sect.* 7. Filliucius *tract.* 7. *n.* 212. & alii.

Syluius, Suarez filliucius

An autem talis sit eligibilis per bullam Cruciatæ, aut Iubilæi? Probabile est quòd sic: quia io his bullis non requiritur vt confessarius sit actu approbatus, quando eligitur, sed sufficit, vt olim habuerit approbationem: modò oon fuerit ex causa reprobatus; vide Dianam *p.* 1. *tract.* 11. *res.* 9. 10. *&.* 11. *& p.* 5. *tract.* 12. *res.* 49. & locis citatis.

Diana.

Est tamen hic adnotandum Episcopis, quòd in approbatione Regularium pro confessionibus sæcularium excipiendis, si præuio examine Regularem aliquem idoneum inuenerint, illum simpliciter absque vlla temporis, loci, seu personarum limitatione, indistinctè approbare, & admittere debent & tenentur: vt à Sacra Eminentiss. Cardinalium Congregatione, per hæc verba, declaratum fuit, die 2. Iulii 1587.

Regulares qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumue examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumue locorum, aut generis personarū, admittantur in Diœcesi propria. De cæteris verò, qui nō adeò idonei reperiētur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorū relinquit, ipsos cū limitata facultate, prout eisdē Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere.

I. Bapt. Confect.

Ita refert Ioannes Bapt. Confectius *in Summario priuilegiorum Maris magni tit.* 16. *cap.* 4.

An autem confessarii mendicantes ab Episcopis approbati, indigeant facultate Parochorum, ad excipiendas confessiones sæcularium maximè si in licentiis suis habeant, oe illas excipiant extra Monasteria absque facultate Parochorum, vide *supra* verb. *confessarius* 11. *n.* 19.

13 Quamois attento Concilii Tridentini decreto probabile sit, vt dictum est, Sacerdotem à suo Episcopo approbatum absolutè, posse vbique recipere iurisdictionem, quantumuis mutet domicilium, & desinat esse subditus Episcopi approbantis: quia in rigore verba Concilii non amplius exigunt, & Episcopus approbans verè potuit authoritatiuè declarare talem esse idoneum ad coofessiones excipiendas. Cæterum cùm approbatio nullam det iurisdictionem, possunt singuli Episcopi in suis diœcesibus, non delegare suam iurisdictionem Sacerdotibus à se non approbatis, & etiam prohibere suis parochis ne illam delegent, nisi eisdem, etiam irritando delegationem secus attentatam; quod ratiooabiliter facere possunt, vt aliquo modo cognoscant de capacitate eorum, qui in suis diœcesibus confessiones excipiunt. Ita Suarez *sect.* 7. Coninck. *d.* 8. *dub.* 7. *num.* 57. Diana *p.* 3. *tom* 4. *res.* 110. 146. *&* 160. Amicus *tom.* 8. *de pœnis. disp.* 15. *sect.* 3. *n.* 123.

Suarez Coninck Diana Amicus

14 Qui uirtute Iubilæi vel alterius priuilegii, facultatem habet eligeodi confessarium approbatum ab Ordinario, secundùm probabilem sententiam plurimorum Doctorū potest eligere confessarium approbatum ab Ordinario alterius diœcesis. Ratio est, quia bulla non requirit Sacerdotem approbatum ab ordinario illius loci, sed simpliciter, & in communi requirit Sacerdotem approbatum vbi autem lex noo distinguit, neque nos distinguere debemus, & sic respondisse refert Henriquez *lib.* 3. *de pœn. c.* 6. *n.* 7. *& li.* 7. *c.* 12. præcipuos Theologos Hispaniæ Dominicanos, Minoritas, Augustinianos,. Huic etiam sententiæ

Henriquez

subscri-

subscribunt Coninch *disp.8.dub.7.num.53.* Syluius *in sup. pl.q.8.art.5.quæsit 6.concl.3.* Corduba *in Sum.q.10.* Rodriquez *in bulla cruc.§.9. dub. 2.* Suar.*d.28.sect.7 n.6.&* 10. Diana *p.1.tr.11.res.7.& p.5.tr.12.res.53.*

Contrarium tamen est æquè probabile, ne dicam certũ, si fides adhibenda sit prædictæ Cardinalium declarationi ex qua euidenter colligitur, eligendum esse confessarium approbatum ab Episcopo loci, quo quis intendit sua peccata confiteri, Ratio est, quia Sacerdos approbatus in vna diœcesi, non censetur approbatus pro alia. Hanc opinionem reputant Suarez, Syluius, & alii securiorem pro praxi, & sequendam.

Henriquez. Sanchez. Suarez. Rodriq. Diana.

15 Approbatum pro aliqua solùm familia virtute Iubilæi aut alterius priuilegii posse eligi in confessorem, tanquam ab Ordinario approbatum, alii aiunt, nempe Henriquez *c.num.8.* Coninch *cit.num.57* Sanchez *de matrim. lib.8 d.34.num.16.* alii negant, scilicet, Suarez *c.sect.7.n.3.* Rodriquez *in Sum. to.1.c.60.n.4.* vtraque sententia probabilis est, vide Dian. *1.p tr.11. res.10.& p.5.tr.12.resol.4*

16 Sacerdos, qui aliàs habuit beneficium parochiale, sed modò est illo priuatus, aut iustè suspensus ab illius vsu non censetur sufficienter idoneus, & approbatus ad audiendas confessiones tempore Iubilæi, aut alia occasione, excepto mortis articulo. Ratio est, quia Concilium expressè requirit, vt actu illud habeat, illis verbis, *nisi vt Parochiale beneficium habeat*, & non dicit, aut habuerit, & à iure expresso, & positiuo non est recedendum. Quapropter si ille qui renunciauit beneficio Parochiali, iam non manet ipso iure eligibilis, & idoneus vt vbique eligatur; maiori cum ratione amittet rationem idonei, qui ob crimina sua, & culpa priuatus est beneficio curato, dum illo priuatus est. Ita Suarez *disp. 28. sect.4.num.20.* Henriquez *lib.7.cap.12.num.3.& 4.* Reginaldus *lib.1.n.190.* Diana *p. 1. tract. 11.res.8 & part.5.tract 12.ref.47.* Syluius *quæst 8. art.5.quæsit.6.concl.1.* & alii communiter, contra Rodriq. *in addit.ad bullam §.9.n.4.* Ioann. De la Crux *in director. de pœnit.q.5.dub 8.c.4.*

Suarez. Henriq. Reginalde. Diana. Syluius. Rodriquez.

Idem dicendum de eo qui aliàs fuit approbatus, sed modò iusta de causa est reprobatus.

17 Quidam existimant religiosum teneri tempore Iubilæi eligere confessarium ab Episcopo approbatum, si intendat lucrari Iubilæum. Ratio est, quia Summus Pontifex potuit animaduertere confessarios strictiori calculo examinari atque approbari consueuisse ab Ordinariis locorum, quam à Superiorib. Regularium, & ideò de ipsorũ sufficientia confidens, eius munus in quo Pontificæ vices subeundæ sunt, iis potissimum iure merito demandari voluit, deinde Superioribus Regularium non conueniunt verba illa in Iubilæo posita, *Ordinarius locorum*, ergo neque dispositio eiusdẽ Iubilæi cõpetere potest hæc sẽtentia est probabilis, quam tenent Suarez *disp.28.sect.6.n.* 21. Reginald. *l.1.n.175.* Fagund. *prae.2.l.7.c.2.n.12.* Henriq. *l.6.c.7.n.4.& l.7.c.22.n.5.litt.k.*

Suarez. Reginald. Fagundez.

Oppositum tamen, valide probabiliter sustineri potest. Tum quia verba bullæ non apponuntur priuatiuè, sed potius ampliatiuè in fauorem pœnitentis ita vt pœnitens non solùm possit confiteri suo Prælato aut alteri Sacerdoti ab illo approbato, verùm etiam, possit quemlibet Sacerdotem ab ordinario approbatum eligere. Tum quia quando bulla Iubilæi dicit, quod Sacerdos sit ab Ordinario approbatus, verba illa *ab Ordinario* intelligenda sunt secundùm expositionem accommodam, ita vt nomine *Ordinarij*, intelligatur Episcopus, si agatur de approbatione confessarii pro audiendis confessionibus sæcularium, respectu autem regularium intelligatur Prælatus ipsorum, & hæc opinio procedit etiam quoad Nouitios. Ita Ioannes De la Crux *de statu relig.lib.1.cap.6.* Coriolan. *de casib.reseru.p.1 sect.3.art.13.* Bonac. *disp.5.q.7.p.4.§.1.n.25.* Diana *p.2.tr.3. res.47.& p.5.tr.12.res.37.*

Coriolan. Bonacina. Diana.

Dubium fuit inter Doctores, an Moniales tempore Iubilæi possint eligere quoscunque confessarios ab Ordinario approbatos, etiamsi in particulari non sint ad earundẽ Monialium confessiones ab Ordinario deputati, negatiuã sententiam amplexi sunt quidam à Diana *part. 3. tract. 4. resol.154.& part.5.tract.12.resol.12. & part.6.tract 8. resol.28.* citati, sed post bullam Sanctissimi Domini nostri *Vrbani Octaui*, hoc punctum non habeat amplius difficultatem, cum Pontifex concedat expressè Monialib. vt tempore Iubilæi possint sibi assumere Confessarium approbatum ab Ordinario loci. Huius bullæ initium est, *Pontificia solicitudo*, & habetur *tom.4.Bullar.in eius constit.16.* Vnde Moniales tẽpore Iubilæi, possunt eligere sibi confessarium à solo Prælato Regulari approbatum, si electus sit regularis, vel ab Episcopo, si sit sæcularis, & hoc siue Moniales sint subiectæ Episcopis. siue Prælatis regularibus, nec est necesse quod Moniales regularibus subiectæ confessarium eligant ex sua religione, sed possunt eligere ex quacumque. Ita eruditè Laurentius de Peyrinis *in priuil.Minim.to.3.c.4.super constit.Leonis X.n.4.* Bordonus *in consil.reg resol.34.n.53.*

Bordonus.

18 Approbatio semel facta semper durat donec reuocetur, nec morte approbantis exstinguitur sicut, & iurisdictio, quia gratia non expirat morte concedentis, vtraque autem potest reuocari, & quamuis reuocans sine causa peccare possit, reuocatio tamen est valida, saltem in sæcularib. quia tota illorũ approbatio, & iurisdictio pẽdet ab Episcopis. Pro regularibus autem exstat priuilegium Pii V. vt semel ab Episcopo approbati, non possint ab eodẽ iterum examinari, possint tamen ab eius successore. De his Suarez *disp.28.sect.8.num.2.* Syluius *quæst.8.ar.5.quæsit.6.concl.5.* Sa *v.gratia* Reginaldus *lib.1.num.200.* Tannerus *de pœnit. disp. 6. q.9.n. 37.* Præposit. *de pœn.q.8.d.3. n.17.* Diana *p.5.tr.14.res.21.*

Suarez. Syluius. Reginald. Tannerus. Prepositus Diana.

Sed dubium est, an similiter Episcopi possint Parochos ad nouum examen vocare, videtur enim quod non tum quia animarum curatores qui perpetuum titulum habent à iure approbationem obtinent, quam locorum Ordinarii ab eis reuocare non valent. Tum quia Parochi medio examine acquisiuerunt ius quod videlicet declarentur tanquam idonei ad munus Parochiale absolutè, & non limitatè pro aliquo tempore, igitur ius habẽt iustitię, quod sẽper reputentur habiles, dum ex indiciis sufficientibus oppositum nõ constiterit. Sed his non obstantibus contrariũ tenendum est, non solum si de aliquo Parocho esset fama publica defectus scientiæ, sed etiam generaliter omnes parochos, quamuis nulla præcedat infamia. Ratio est, tum quia Episcopus potest vocare ad examen confessarios tam sæculares, quam regulares, vt omnes Doctores concedunt ut experiatur an sufficientes sint vel non, quia fundamentum sufficientiæ mutabile, & variabile est, qualis est sufficientia, & boni mores ergo etiam fas erit illi vacare ad examen Parochos vniuersos, vt ei per experientiam innotescat, an illorum scientia sit extenuata, & boni mores mutuati, cũ Parochi nullo modo possunt iuuari iure aut exemptione magis, quam cęteri confessarii. Tum quia ex Concil Trid. *sess. 21. cap. 8.* Episcopus habet ius visitandi annis singulis Parochorum uitam, & mores, quare igitur impeditus erit illorum scientiam perquirere, nisi enim perquiratur Parochorum scientia, sciri nequaquam poterit, num rectè ministrentur Sacramenta vel non, præcipuè Pœnitentiæ. Tum quia Sacra Congregatio Concilii, *in vna Placentina sub die 6.* Augusti 1628. censuit liberũ esse Episcopis, tam in visitatione, quam extra, iterum examinare super doctrina, & literatura parochos approbatos ad Antecessore tempore prouisionis parochialium, nec non superueniente rationabili causa, & suspitione ignorantię posse examinare ad effectum *cap. 6. sess. 21. de refor.* vt refert Barbosa *de potest. Parochi c. 2. n. 10.* Vnde hanc sententiam tenent Sancius *in select. disp. 50.* & post illum Diana *p. 4. tr. 4. resol. 59.* contra Homobonum, & Reginaldum.

Concil. Trid.

Barbosa. Sancius. Diana. Homobon. Reginald.

Aduertendum hic est cum Rodriquez *tom. 1 qq. reg. q. 59. art. 4.* De la Crux *de stat.rel.li.2.c.6.dub 4.cõcl.4.* Crousers, *ad c.7.reg.S.Frãc.lect 27.* & nostra per Constitutionẽ Pii V. quæ incipit, *Romani Pontifices*, editam anno 1571. 8. *Idus Augusti*, non est derogatum Clementinæ *Dudum sepulturis*, quantum attinet ad FF. Minores, & Prædicatores secundùm prædictam Clementinam approbatos: hi enim non debent iterum examinari, approbari aut reprobari à successoribus Episcopis. Quantùm verò ad reliquos Mendicantes derogatum est in hoc Clementinæ. Ratio est, quia Fratribus Dominicanis, & Minoribus per ius commune competit hæc perpetuitas approbationis, non autem per priuilegia: vnde per reductionem priuilegiorum

De la Crux. Crousers. Pius V.

giorum ad terminos iutis communis, & Concilii Tridentini, quam fecit Gregorius Derimus tertius, & Constitutionum Pii Quinti, Clementinæ non censetur derogatum quoad Fratres Minores, & Prædicatores. Aliis autem Mẽdicantibus tantùm per priuilegia competit, quibus derogatum per Piuin Quintum, & per Congregationem Concilii. In declaratione enim prædicta Pii V sicut & in Concilio Tridentino non reuocatur ius commune, nec priuilegia in iure communi inserta; quia cum ista vendicent sibi aliud nobilius nomen, & sint iam leges communes, non manent reuocata, per generalem reuocationem omnium priuilegiorum: vt docent communiter Iuristæ, in *l. Hæres absens, ff. de iudicus*, secùs tamen est de aliis priuilegiis Felinus, *c. 1. de rescript. n.* 12. Nauarrus, *libr. 3. consil. 87. titulo de regul.*

Felinus. Nauarrus.

Quæri hìc deinde posset, an Episcopi possint licitè, & validè sine rationabili causa reuocare approbationes liberas regularium audiendi confessiones? Respondendum est negatiuè. Ratio est, quia talis reuocatio sine causa facta, est quasi ablatio iuris iam acquisiti, vel quasi reuocatio sententiæ iustæ sine causa; ergo non tantùm erit iniusta, sed etiam nulla: Ita Suarez, *disp. 28. sect. 8. n. 7.* Portel. *in dub. reg. v. confessoris præsentatio, n. 1.* Diana, *p. 3. tr. 2 res. 22. & p. 4. tr. 4. res. 200.* Mercerus, *3. p. q 8. art. 4. dub. 2. nu. 8.* Tamburrin. *de iure Abbat. tom. 2. disp. 6 quæst. 12. n. 7.* Proinde Sacra Eminentiss. Cardinalium Congregatio hac de re consulta sic decreuit.

Suarez. Portel. Diana. Mercerus Tamburin.

Cùm sacræ congregationi Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum, innotuerit confessarios regulares grauiter conqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarus, ab audiendis confessionibus, quauis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sæpè contingere vt ab iisdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, omnibus simul vnius conuentus confessariis, confessiones audiendi facultas adimatur.

Illustrissimi eiusdem sacræ congregationis Patres rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re maturè perpensa, ad omnem scandali materiam submouendam, & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, ac decernunt, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ad quos confessarios approbandi ius spectat, confessarios regulares aliàs ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere post hac minimè licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum.

Statuunt insuper, eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios, confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius conuentus regularibus confessariis, eadem sacra congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum, vt iidem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obseruari. Romæ 20. Nouembris 1615.

Hoc decretum extat apud Puteanum, *p. 2. de confess. dub. vlt.* & illud afferunt Gauantus *in Man. Episcop v. confessor, n. 23. & 24.* Diana citatus, vbi ex Ioanne Baptista Lezana docet, si contra determinationes huius decreti, confessarii regulares suspendantur ab audiendis confessionibus, quòd non tenentur obedire.

Puteanus. Gauantus Diana Io. Baptista Lezana.

19 Confessarii, ac Prædicatores Religiosorum Mendicantium semel ab aliquo Ordinario approbati, & à suis Superioribus deputati, siue in mari, siue in terra iter faciãt possunt, non repugnantibus curatis, prædicare, & omnium fidelium confessiones audire, dummodò id non faciant in præsentia Ordinarii, nisi licentia ipsius desuper obtenta. Ita concessit Gregor. XIII. Societatis Iesu religiosis: vt videre est *in Compend. priuileg. Societatis, v. confessarius. §. 2.* de quo priuilegio mentionem faciunt Rodriquez, *in Bulla cruciatæ, §. 9. n. 144.* Gutierrez *libr. 1. qq. canon. c. 27. nu. 21.* Henriq. *lib. 3 de pœn. c. 6. n. 8. lit. l.* Suarez, *disp. 28. sect. 7. nu. 13.* Tambur. *de iure Abbat. tom 2 disp. 6. q. 14.*

Rodriq. Gutierrez. Henriquez Suarez tamburrin.

An autem huic priuilegio sit derogatum per constitutionem S.D.N. Vrbani Octaui *editã die 17. Septemb.* 1628. quæ incipit, *Cùm sicut accepimus*, est dubium Quia in dicta constitutione reuocantur omnia indulta audiendi sæcularium confessiones absque Ordinariorum approbatione, vel examine. Vnde vt tutiùs procedatur in futurum in re tam magni momenti, esset petenda declaratio à Summ. Pontifice.

In his tamen prouinciis Belgicis prædicta Constitutio non fuit publicata, ac proinde, nec vsu recepta: cum in his secundum Præpositum, *3. p. de pœnit. q. 8. dub. 4. n.* 23. uigeat consuetudo, vt religiosi semel ab aliquo Episcopo approbati, mutantes habitationem, & migrantes ad aliam Diœcesim, non petant nouam approbationem; quæ consuetudo ortum habuit ex sententia probabili variorum Doctorum; vnde religiosi ibidem sese secundum eam gerentes, non possunt meritò reprehendi, quamdiu Episcopus, ad cuius Diœcesim commigrant, eos ad examen non euocat. Idem docet Coninck, *de Sacram. disp 8. dub 7. num. 57.* his verbis. Quamdiu Episcopus non prohibet suis Parochis, aut Superioribus religiosorum, ne Sacerdotes alibi approbatos ad audiendas confessiones, in sua diœcesi exponant, hi validè assumuntur, & exponuntur: quia habent conditionem à Concilio Tridentino requisitam, quòd scilicet à suis Ordinariis sint approbati.

Præposit. Coninck.

Consulantur Diana, *p. 3. tr 4. ref.* 110 146. 160. Crousers *ad c. 7. reg S. Franc. lect. 27. fol. 765* Layman, *lib. 5. tr. 6. c. 11. nu. 8.* Et pro hac sententia fauet, quod docet Ioannes Sancius, *in selectis, disp. 44. n. 27. & 28.* Quando igitur, *inquit*, aliquis iudicauerit, probabilem esse opinionem censentem approbatum ab vno Episcopo posse vbique excipere confessiones, & ea vti velit, iniustè punietur ab Episcopo, à quo non est approbatus, propterea quòd in diœcesi eius audiat confessiones. Cum enim probatum sit huic conferri iurisdictionem à Summo Pontifice, Episcopi licentia nõ eget; iniquumque erit puniri actum virtuosum, iuxta opinionem probabilem elicitum. Et multò minus punire confessarium esset fas, si constaret illum de defectu opinionis monuisse pœnitentes, tunc enim nequaquam contra charitatem, nec iustitiam delinquit. Quia res, quæ culpa carent in damnum vocari non debent, *c. 2. de constitut.* Nec sine culpa quispiam puniendus est, *ex regula iuris, in 6.*

Diana. Crousers. Layman. Sancius.

Et quamuis Episcopus oppositam habeat opinionẽ iuxta quam dicat ipse commisisse crimen confessarium excipientem confessiones absque sua approbatione, adhuc mortale erit, grauiter illum punire confessarium Nam delictum non debet iudicari esse tale iuxta opinionem punientis, sed iuxta conscientiam delinquentis: at conscientia operans ex opinione probabili, nequaquam peccatrix est, & consequenter, nec pœna digna. Hæc ille passim.

Hæc intelligenda sunt de religiosis priuilegiatis, qui iurisdictionem habent à Summo Pontifice, interueniente approbatione Episcopi: non autem de aliis confessariis; quia approbatio Episcopi quoad hos tantum deseruit, nisi aliud explicetur, vt illis committi possit iurisdictionis materia a quocumq; proprio Sacerdote: non verò vt actu habeant iurisdictionis materiam per totam diœcesim.

Porrò licet hæc olim fuerint probabilia, regulares tamen in praxi hac opinione vti non debent: curentque semper habere approbationem ab Ordinario illius loci in cuius Diœcesi resident, tum ob debitam reuerentiam, tum etiam ne exinde aliquod scandalum oriatur. Nota quòd hodie corruit probabilitas huius opinionis, ob Bullam Innocentii X. datam 14. Maii 1648. quæ refertur, *in tom. 4.* Bullarii Romani inter bullas Innocentii XXX. in causa Angelopolitana iurisdictionis: vbi in responsione ad nonũ dubium, sic habetur.

Nonò, vtrum Regularis quicumque, etiam Societatis Iesu possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani, etiamsi in aliena approbatus sit respondetur, Regulares etiam Societatis Iesu in vna Diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas nequaquam posse in alia Diœcesi huiusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani. Ita ibi. Proinde docet Diana, *p. 10. tract. 16. res. 76.* stante hac Bulla hodie non posse ab illa sine temeritate discedi; & nullam speciem probabilitatis, contrariam opinionem habere posse: vnde caueant in posterum confessarii, sententiam Henriquez, Coninck, Præpositi, & aliorum ad praxim deducere.

Diana. Henriq. Coninck. præposit.

CON-

CONFESSARIVS IV.

Quoad bonitatem, scientiam, prudentiam illi necessariam.

SVMMARIVM.

1 *Ad validitatem absolutionis, non requiritur in confessario aliqua bonitas.*
2 *Bonitas gratiæ requiritur in confessario, vt licitè, & sanctè Sacramentum Pœnitentiæ administret. Et an tot peccata committat, quot personas absoluit in peccato mortali.*
3 *Sacerdos, qui in peccato mortali incipit audire confessionem, cum spe habendi contritionem priusquam absoluat, an mortaliter peccet.*
4 *An requiratur in confessario scientia.*
5 *Debet confessarius scire discernere peccatum, veniale sit, an mortale, non speculatiuè sed practicè. Item.*
6 *Quid necessarium sit, vt pœnitens sit sufficienter dispositus, ad absolutionem. Item materiam, & formam Sacramenti: Item circumstantias explicandas in confessione, casus reseruatos, irregularitates, &c. debet scire.*
7 *Confessarius debet intelligere ea, quæ frequentius eueniunt, & de aliis sufficit scire dubitare.*
8 *Relinquitur arbitrio prudentis viri diiudicandum, quænam scientia sufficiens sit, in confessario, habita ratione locorum & personarum.*
9 *Quid faciendum confessario, quando difficilis casus accidit in confessione, quem ipse nequit statim dissoluere.*
10 *Grauiter peccat, qui scienter se ingerit ministerio audiendi confessiones, absque sufficienti scientia.*
11 *An confessio sit iteranda, facta Sacerdoti ignato?* Refertur duplex sententia.
12 *In duobus casibus, est iteranda confessio ob imperitiam confessarij.*
13 *Vt grauiter peccet Episcopus, vel superior, qui ad hoc munus exponit Sacerdotem ignarum.*
14 *Qui iudicat se non esse idoneum ad confessiones audiendas, grauiter peccat, nec tenetur præcepto superioris obedire: at si dubitet de sua sufficientia, poterit sese præcepto superioris conformare.*
15 *Quando possit scientia confessarij suppleri.*
16 *An prudentia sit necessaria in confessario.*
17 *Quæ pertineant ad prudentiam confessarij.*
18 *Prudentia confessarij elucere debet in docendo pœnitente ignaro iuris diuini vel humani.*

1 NVlla bonitas requiritur in confessario alias approbato & iurisdictionem habente, vt validè ministret Sacramentum Pœnitentiæ, præter quandam fidelitatem, quà non fictè, sed ex vera intentione perficiendi Sacramentum, illud ministret: Tum quia Concil. Trident *sess.* 14. *cap.* 6. *& canone* 10. definit potestatem absoluendi, non impediri per peccatum mortale: Tum quia per malum ministrum non contaminatur Christi donum, quod per illum sicut purus fluuius transit, & venit ad fertilem terram. Ita D. Thomas 3. *part. quæst.* 64. *art.* 5. Syluius *ibid.* Filliucius *tract* 7. *num.* 250. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 3. *part.* 2. *§.* 1. receptus communiter.

Trid. D. Thom. Syluius. Filliucius Bonacina

2 Necessaria est bonitas gratiæ, saltem in conscientia confessarii, scilicet, vt non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo non existimet probabiliter se esse confessum, aut contritum, ad licitè, & sanctè administrandum Pœnitentiæ Sacramentum. Ratio est, quia sacerdos sancta sanctè tractare debet, & est minister consecratus ad hoc Sacramentum ministrandum, vnde qui peccato mortali contaminatus illud administrat, Deo iniurius est, & peccat mortaliter, cùm contraueniat diuinæ voluntati, & institutioni, impudenter Sacramenta tractando cum notabili irreuerentia. Ita D. Thomas 3. *part. quæst.* 64. *art.* 5. *&* 6. Syluius *ibid. art.* 6. *quæsit.* 1. *& in suppl. quæst.* 8. *art.* 5. *quæsit.* 7. Suarez *tom* 3 *disp.* 16. *sect.* 3. *& tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 1. Reginaldus *l.* 1. *n.* 161. & alii.

D. Thom. Syluius. Suarez Reginald.

Rogabis, an tot peccata committat confessarius, quot personas absoluit in peccato mortali, affirmant Azorius *part.* 1. *lib.* 4. *c.* 4. *quæst.* 6. Suarez *tom.* 4 *d.* 22. *sect.* 5. probabiliter. Sed contrarium est etiam probabile, dummodo successiuè illos pœnitentes absoluat, est enim vnicum peccatum in genere moris: non autem si cum notabili interruptione, nunc vnum, nunc alium absolueret. Ratio, est quia in prædicto casu est vna Sacramenti Pœnitentiæ administratio ad plures facta. Ita Rodriq. *in Sum. p.* 1. *c.* 248. *n.* 26. Henriq. *lib.* 2. *de pœnit. c.* 5. *n.* 6. Fagundez *præc.* 2. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 43. Syluius 2. *p. quæst.* 64. *art.* 6. *quæsit.* 1. *conclusione* 4.

Azorius. Suarez. Rodriq. Henriq. Fagundez. Diana. Syluius.

Non tamen requiritur vt Sacerdos confessiones auditurus, si culpæ mortalis sibi conscius sit, vt confessionem sacramentalem præmittat, sed sufficit, si veram contritionem habeat. Attritio enim etiam perfectissima, non est sufficiens ad debitè hoc Sacramentum ministrandum, quàuis sufficiat ad hoc idem Sacramentum debitè suscipiẽdum. Ratio est, quia maior perfectio requiritur ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, quam ad illud recipiendum; qui enim illud ministrat, gerit vices Dei, & tanquam ipsius instrumentum gratiam producit, & ita opus est vt sit in gratia, at verò recipiens Sacramentum, non confert gratiam, sed recipit, vnde non requirit tantam perfectionem in se. Ita Doctores citati Medina *de pœnit tract.* 1. *quæst.* 6. Victoria *in Summ. num.* 135. *&* 136. Toletus *li.* 3. *cap.* 15. Syluius 3. *p. quæst* 64. *art.* 6. *quæsit* 2.

Medina. Victoria. Toletus. Syluius.

3 Cùm Sacramentum Pœnitentiæ ac ministerium eius inchoetur in ipsa confessione pœnitentis, debet Sacerdos ad totum illud ministerium accedere bene dispositus, & in statu gratiæ, quia totum illud est Sacramenti opus, ac proinde graue peccatum est in Sacerdote, qui in peccato mortali cõfessionem alterius audit spe habendi contritionem priusquam absoluat. Posset tamen quis excusari à mortali, si aliqua necessitate compulsus inciperet in eo statu confessionem audire bona fide, & animo habendi contritionem quamprimùm possit, antequam absoluat: quia in tali casu quando Sacerdos conficit Sacramentum, iam per actum contritionis elicitum, est in gratia, vt bene docent Syluius, & alii hic citati. Vide Sayrum *de pœnit. cap* 26. *num.* 3. Nauarrum *in Man. cap.* 22. *num.* 3. Henriquez *lib.* 6 *cap.* 18. *num.* 6. *lit. V.* Dianam *part.* 1. *tract.* 7. *res.* 47. Syluium 3 *p. q.* 64. *art.* 6 *quæsit.* 1. *in concl.* 4. & alios.

Syluius. Syrum. Nauarrus Henriq. Diana. Syluius.

4 Scientia requiritur etiam in confessario, vt pœnitentem imperitum ducere, & peccata sufficienter discernere valeat, quia nullus potest licitè iudicium exercere in aliqua causa graui, neque ad hoc munus iustè deputari, nisi habeat scientiam proportionatam suo muneri, ad ferendum æquum iudicium, quia aliàs exponit se euidenti periculo errandi, ergo multò magis in hoc iudicio, hoc est necessarium, nam est grauissimum & de re valde difficili, & obscura, nempe, conscientia hominis, in qua etiam error esse potest maioris periculi, & incommodi. Ita Nauarrus *in Man cap.* 4. Reginaldus *l* 1. *n.* 139 Filliucius *tract* 7. *num.* 254. Syluius *in suppl. quæst.* 8. *art.* 5. *quæsit.* 7. Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *part.* 4. *§.* 2. *num.* 4. Becanus *de Sacramentis cap.* 38 *quæst.* 10. Petrus Ledesma *tract. de pœnit. c.* 13. *concl.* 1. Syluester *v. Confessor.* 3. *num.* 2. & alii communiter. Vnde Sacerdos exercens officium confessarii extra necessitatem sine decenti scientia grauiter peccat; quia exponit se periculo non ritè administrandi Pœnitentiæ Sacramentum. Quanta verò in particulari debeat esse hæc scientia sequentibus numeris explicabimus ex probatis Authoribus.

Nauarr. Reginald. Filliucius Syluius Bonacina. Becanus P. ledesma Sylvest.

5 Secundùm sententiam plurimorum Doctorum, requiritur in confessario *Primò*, vt sciat discernere peccatum, veniale sit an mortale; non quidem speculatiuè differentiam eorum cognoscendo, sed practicè: Non tenetur tamen in particulari audito quolibet peccato explicitè iudicare esse mortale aut veniale, sed satis est, vt audiat, & intelligat peccatum commissum, licet non possit omninò determinatũ ferre iudicium: quia non tenetur cõfessarius noscere omnes rationes & circumstantias peccatorum, alioquin nullus reperiretur aptus, & idoneus confessionibus audiendis, cùm nullus ferè cognoscat, quamuis doctissimus, omnes peccatorum rationes & omnes casus difficiliores: vnde in peccatis difficilioribus potest suspendere iudicium dato pœnitenti remedio opportuno ne recidat.

Ita

Ita Nauarrus *cap.4. num.9.* Reginaldus *lib.1. numer.146.* Vasquez *q.93.art.3.dub.1.num.1.* Syluius *cit.quæst.8.art.5. quæsit.7.* Tannerus *de pœnit. disp.6.q.9.dub.5. numer.98.* Crouters *ad c.7.reg. S.Franc. lect.31.fol.800.* Layman *l.5. tract.6.cap.13.num.1.*

Nauarrus. Reginald. Vasquez. Syluius. Tannerus Layman.

Nota tamen quòd, licet teneatur confessarius quantùm rationabiliter potest, super singula peccata mortalia quando proferuntur siue explicantur à pœnitente reflectere, interdum tamen contingat ex naturali, & inculpabili inaduertentia aut distractione, aliquod peccatum elabi absque culpa confessarii. Ratio est, quia in hoc ministerio ad extrema, & quasi moraliter impossibilia, ministros huius Sacramenti siue iudicii Deus non obligat, sed tantùm ad ordinariam diligentiam & humanam, quæ communiter iudicio prudenti rationabiliter in negotio serio à timoratis adhiberi solet, nec necesse est, vt singula peccata in memoria teneat quando pœnitentem absoluit, sed sufficit, vt statum peccatoris in genere tunc apprehendat, apprehensione generali ex particularibus reflectionibus coalescente siue emanante.

6 *Secundò*, confessarius debet scire quid necessarium sit, vt pœnitens sit sufficienter dispositus ad absolutionem tam ex parte doloris, quam ex parte propositi, quia aliàs non potest scire an iustè absoluat necne.

Tertiò, debet scire & noscere confessarius quæ necessaria sunt ad materiam, & formam Sacramenti, quot, & quales circumstantiæ in confessione sint explicandæ, quoties iteranda sit confessio, quando ex peccato oritur obligatio restituendi, vt moneat pœnitentem, & ab illo debitam satisfactionem, vel saltem propositum eius requirat.

Quartò, debet scire casus reseruatos, vt sciat quid possit absoluere, quid verò non possit: item excommunicationes vel irregularitates, quæ frequentiùs accidunt apud pœnitentes, pro quibus est expositus. Ita Suarez *tom.4. disp.28. sect.2.* Syluius *c. quæsit.7.* Filliucius *tract.7. in instruct.confessar.cap.2.* Rodriquez *Sum.c.61.num.1.* Tannerus *c.num.94.* P. Ledesma *cap.13. concl.1.* Bonacina *disp.5.q.7.p.4.§.2.num.7. & 8.*

Suarez. Syluius. Filliucius Rodriquez Tannerus Ledesma. Bonacina

7 Ex communi Theologorum doctrina, oportet vt confessarius possit hæc omnia per seipsum discernere, sed satis est ut intelligat ea quæ frequentius accidunt, & de aliis sciat dubitare: nam si dubitat potest legendo vel alios consulendo, semper in particulari scire quid oportuerit, & sic muneri suo satisfacere. Quando autem rationabile dubium alicuius excommunicationis reseruatæ occurrit, cauere debet confessarius, ne pœnitentem absoluat, antequam consilium à sapientibus capiat; vel libros reuoluat, ad rei veritatem indagandam, ne absolutionem impendat sine iurisdictione; vide Coninck *disputat.8. dub 8. num. 125.* Layman *citat. cap.13. numer.1.* Nauarrum *in Man. cap.4.num.8.* P. Ledesmam *cap.13. concl.1.* Vasquez *q.93. art.3. dub.1.*

Coninch Layman. Nauarrum p. Ledesma Vasquez.

8 Non potest certa regula determinari, quæ scientia mediocris sufficiens sit confessionibus audiendis, sine peccato mortali, sed relinquitur arbitrio prudentis viri, habita ratione locorum & personarum: nam qui confessiones excipit in ciuitate, doctior debet esse eo, qui in pagis confessiones rusticorum audit: Item ille qui ex officio expositus est audiendas omnium confessiones, maiori scientia indiget, quàm alius qui tantùm audit confessiones eorum, quos credit probabiliter non habere casus difficiles: Imò secundò secundùm Caietanum potest confessor docti pœnitentis scientia iuuari. Denique vt confessarius non peccet exponendo se excipiendis confessionibus in genere debet nosse casus, qui frequentius accidunt eo loco, vbi confessiones excipit: quia talis scientia habitualis requiritur, vt suo muneri satisfaciat. Ita ex communi Nauarrus *cap.4. num.12.* Reginaldus *lib.1. num.144.* Bonacina *com.1. disp.5. quæst.7. part.4. §. 2.* Præpositus *de pœnit. quæst 7. dub.9.* Tannerus *cit. num.97.* Syluius *in suppl.quæst.8.art.5.quæsit.7.*

Reginald. Bonacina Præposit. Tannerus Syluius.

9 Quando confessario difficilis casus accidit in confessione, quem ipse nequit statim dissoluere, sed indiget maturiori indagine, aut sapientum virorum consilio, dicere debet pœnitenti se velle rem meliùs cribrare, alioquin si tempus non patitur, potest tunc absolutionem impendere modò pœnitens promittat se facturum quod iudicatum fuerit. Ratio est, quia pœnitens in tali euentu censetur sufficienter dispositus ad beneficium absolutionis recipiendum. Imò tunc confessarius debet imponere pœnitenti vt super suum casum consultet talem vel talem peritum vel peritos in genere, & pareat eis, sicut medicus imperitus ægrum ad peritiorem remittere debet.

Quando verò casus est dubius in se, & non confessori, vt quia ipse probabiliter quidem tenet determinatè vnam partem, tamen pœnitens vel alius dubitat propter rationes vel opiniones Doctorum contrarias, non est præcipitanda sententia, nec deneganda, sed tutior via consulenda, & terror incutiendus ex periculo.

De hoc casu vide Henriquez *c.cap.26.nu 9.* Syluestrum *v.confessor.3.quæst.10.* Nauarrum *in Man.c.26.nu.3.* Coninch *de pœnit.disp.8.dub.16.num.126.* Suarez *disp.28.sect.2.* & alios.

Henriq. Syluest. Nauar. Coninc Suarez

10 Qui scienter se ingerit ministerio audiendi confessiones absque sufficienti scientia, grauiter peccat, ut qui nescit discernere in quibus casibus possit aut non possit absoluere, vel qui ignorat peccata mortalia communia, aut simplicem fornicationem, aut uoluntatem deliberatam ad peccandum mortaliter, esse peccatum mortale, vel quamcunque superbiam, iram, inuidiam, gulam existimat esse mortalem, vel denique, qui nescit cognoscere regulariter mortalem actum, etiam sub communi ratione peccati mortalis aut venialis, secundùm generalem eorum rationem ac distinctionem, ille est prorsus inhabilis, ita ut absolutio data ab eo, nullius momēti sit. Ratio est, quia talis homo non potest humano modo exercere hoc ministerium, quantalibet bona uitæ, conscientia, subtilitate & ingenio naturali præfulgeat ad alia munera obeunda. Ita Nauarrus *in Man.cap.4. num.12.* Layman *lib.5.tract.6.cap.13. n. 1.* Suarez *disp. 28.sect.2.* Tannerus *c.dub.5.n. 96.* Bonacina *punct 4.§.2.n.5.* Coriolanus *de cas.reseru.p 1.sect.2. art. 1.*

Nauar. Laiman. Suarez Tannerus Bonacina Coriolan.

11 Secundum sententiam quorumdam Doctorum, confessio esset iteranda facta sacerdoti ignorāti distinctionem peccatorum, in ratione uenialis, & mortalis, aut aliis circumstantiis, inter peccatum reseruatum & non reseruatum. Ratio illorum est, quia existimare uidentur talem ignorantiam esse contra substantiam Sacramenti, & consequenter scientiam oppositam esse conditionem substantialem, vt sacerdos reputetur idoneus seu habilis ad hoc ministerium: vnde talis iudex non potest iustam sententiā proferre, ac proinde neque ualidam circa tale peccatum; & ideò confitendum iterum erit. Hæc sententia est probabilis, quam tenent Richardus *in 4.d.17.art. 2.quæst. 8* D. Antoninus *p.3.tit.14.cap. 19.* Ledesma *in 4.quæst. 18. art. 2.* Syluester *v.Confessio 1.q.3.* Victoria *in Sum.n 168.*

Richardus D. Antonin. Ledesma Syluest. Victoria

Verùm probabilior opinio est, absolutionem datam à sacerdote sic ignorante ualidam esse: quia ex parte pœnitentis interuenit integra confessio, & bona fides, vt supponendum est, & ex parte sacerdotis aliqua cognitio & perceptio illius, quæ licet non sit exacta, tamen est sufficiens, ut cognoscat illam esse sufficientem materiam huius Sacramenti, ergo si super talem materiam cadat vera forma cum intentione perficiendi Sacramentum, validum fiet, quia nihil substantiale illi deest, imò & efficax erit ac formatum, quamuis enim confessarius iniustè absoluat, aut errer fortè in imponenda pœnitentia salutari, & in peccatis ob inscitiam discernendis, valida nihilominus erit eius absolutio. Ita Vasquez *quæst.93.art.3.dub.2.* Syluius *in suppl.quæst.8.art.5.quæsit.7.* Coninch *disput.6.dub.5. num. 18.* Reginaldus *lib.1.n.141 & 161.* Diana *part.3.tract.4. resol. 121.* Petrus Soto *lect.9.de confessione* Præpositus *de pœnit. quæst 7.dub.9 nu.65.* Hinc qui inculpabiliter confessus est peccatum vel peccata mortalia confessario potestatem habenti etiam culpabiliter ignaro, etsi postmodum id aduertat, non tenetur ea alteri scientia sufficienti prædito cōfiteri: Tenetur tamen obligationibus ex peccato natis satisfacere, etsi per ignorantiam ei obligationes impositæ non fuerint, ubi in earum cognitionem uenerit, v.g. si casibus erat adiuncta restitutio honoris, bonorum, reconciliationis, satisfactionis, etsi non teneatur, peccata repetere, illis tamen satisfacere tenetur, quia ex natura rei remissioni peccati sunt annexa. Quod & in aliis obligationibus verificatur, vt quando scandalum est tollendum;

Vasquez Syluius, Coninch Reginal. Diana p Soto

Imò si ex ignorantia confessarij, pœnitens non esset a bex-communicatione, quæ peccato erat annexa, absolutus, teneretur absolutionem ab excommunicatione petere.

12 Moraliter loquendo, tenetur pœnitens ad iterandam confessionem ob imperitiam confessarij, in duobus tantū casibus, scilicet, quando nouit illum esse ita imperitum, vt suam conscientiam diiudicare, non sufficeret, & nihilominus illi confessus est, & tunc confessio non est inualida ex defectu ministri, sed ex defectu materiæ: cùm enim in eo mortaliter peccauerit pœnitens, non est legitimè dispositus ad absolutionem recipiendam, quia mala fide processit, quærens vel potens aduertere confessarium esse ignarum.

Secundus casus est, si pœnitens in ipsa confessione intelligat, confessarium non percipere grauitatem delicti: si tamen pœnitens confessorem suum instrueret de grauitate suorum delictorum, vt suppleret eius insufficientiam, valida esset confessio. Propterea excipiens confessionem viri pii & docti, qui potest ipsummet confessarium diligere, non tenetur habere magnam doctrinam: eo tamen casu doctus tenetur confessarium instruere, si aduertat eum ignorare species peccatorum. Ita Nauarrus *in Man. c.* 9. *num.* 12. Suarez *disp.* 28. *sect.* 2. *num.* 13 *& disp* 22. *sect.* 6. Syluius *in suppl. quæst* 8. *art.* 5. *quæsit.* 7. Præpositus *cit. dub.* 9. *num* 66.

Nauarr. Suarez Syluius. præpositus.

13 Grauiter peccat Episcopus vel superior, qui alicui sacerdoti iurisdictionem in hoc foro committit, qui non habet scientiam proportionatam huic muneri, etiamsi ad alia munera obeunda, sit habilis. Ratio est, quia hoc repugnat iustitiæ & sanctitati Sacramenti: in vniuersum enim intrinsecè malum est indigno committere quodlibet munus, præsertim iustitiæ, & sacrum. Hoc autem cum eadem proportione locorum ac personarum intelligendum est, cum Concilia etiam in beneficiorum collationibus, maiorem scientiam requirant in eo, qui maiori populo præficiendus est, quàm qui minori; vide Nauarrus *in Man. cap.* 4. *num.* 12. Tannerum *tom* 4. *disp.* 6. *q.* 9. *n.* 96 Bonacina *tom.* 1. *d.* 5. *q.* 7. *p.* 4. *§.* 2. *num.* 6. P. Ledesma *tract. de pœn. cap.* 13. *concl.* 1.

Nauarrus Tannerus Bonacina p. Ledesma

14 Qui ex obedientiæ præcepto confessiones audit, iudicando se ad id non esse idoneum, peccat, neque Prelatus id ei debet præcipere, neque subditus, si non est idoneus, debet id acceptare. Ratio est, quia sic præcipiens committit manifestum errorem, quem cognoscit Sacerdos sue insufficientiæ conscius.

Si verò Sacerdos dubius sit de sua sufficientia, & dubiū istud rationabile fuerit, non potest per se, id est, suo tantùm innixus iudicio confessiones audire sub peccato mortali: poterit tamen iudicio Episcopi vel Prælati præcepto sese conformare, cui dubium suum eiusque motiua proposuerit, modò priùs conscientiam siue iudicium insufficientiæ suæ deponat, eò quòd nouerit Prælatum id muneris ei nō iniunxisse ira, odio, amore, vel cupiditate permotum: In dubio autem hæc non præsumentur de Superiore, sed tantùm bona fides. Ita Suarez *disp.* 28. *sect* 2. *nu.* 7. Toletus *lib.* 3. *cap.* 15. *num*, 5 Syluius *cit. quæsit.* 7 Nauarrus *in Man. c.* 4 *num.* 9. Vasquez *quæst.* 93. *art* 3. *dub.* 1. Tannerus *cit. num.* 96 Syluester *v. confessor.* 3. *num.* 3.

Suarez Toletus Syluius. Nauarrus Vasquez Tannerus Syluest.

15 Scientia confessarii suppleri potest, aut ferè tota, aut magna ex parte *Primo*, quando pœnitens est satis peritus & fidelis, sed hoc tantùm est verum pro tali confessione. *Secundo*, quando pœnitentes ordinarii, nullos habent casus difficiles. *Tertio*, in articulo mortis, cùm alterius confessarii docti copia deest. *Quarto*, quando in loco sunt multi docti, quos confessarius consulere possit, desideraretur tamen & in his casibus, præter articulum mortis, mediocris sufficientia, vt dictum est *suprà*: in mortis autem articulo seu periculo, sicut quælibet confessio cuiuslibet peccati sufficit, quando aliter fieri non potest; eadem ratione Sacerdos, qui alias, per se loquendo, esset ignorans pro illo articulo censetur sufficienter instructus, dummodo sciat absoluere, & materiam aliquam, quæcumque illa sit cognoscere, & dispositionem sufficientem ad absoluendum postulare, aut ex signis percipere. Item in graui anxietate morbi alicuius Epidimiæ vel pestis, quando aliquis sapientior aut non potest conuenienter exponi, aut non vult se exponere. Idem dicendum quando ann s inultis vel longo tempore cum gra ui animæ detrimento deberet quis expectare, & alius Sacerdos idoneus non occurrat imò vt frequenter non occurret qui idioma nouerit, vt contingit iis qui in exteris regionibus peregrinantur, militant, mercantur, vbi ordinarium idioma non norunt, posset quis in his casibus Sacerdoti ignaro confiteri, & ille audire posset & absoluere. Ratio est, quia necessitas legē non habet, & charitatis mandatum latum est nimis, & sicut præceptum de integritate materiali confessionis in necessitate cessat, sic in necessitatibus supradictis præceptum de scientia confessarii cessare censendum est: eum non minùs confessio pœnitentis, quam scientia Iudicis, imò magis ad perfectionem Iudicii spectet. Vide D. Antoninum 3. *part. tit.* 17. *c.* 6. Nauarrum *cap.* 4. *num.* 13. Toletum *l.* 3. *cap.* 15. *num.* 4. Tannerum *c. disp.* 6. *quæst.* 9. *num.* 97. Coriolanum *p.* 1. *sect* 2. *art.* 1.

D. Anton. nauarrus. Toletus. Tannerus Coriolan.

16 Cùm ars artium sit regimen animarum, ideò in sacerdote necessaria est prudentia, vt sit idoneus minister Sacramenti Pœnitentiæ, & quatenus iudex est, & maximè quatenus est medicus, qui conuenientem medicinam peccatis adhibere debet, in rigore verò illa prudentia sufficit, per quam debito modo applicentur principia scientiæ, & ad disponendum pœnitentem, vt pro præsentibus peccatis satisfaciat, & ad remedium adhibendum, ne in similia iterum incidat.

Proinde nemo facilè ad audiendas confessiones sese ingerere debet, nisi mediocrem tum scientiam, tum dexteritatem in animabus pœnitentium gubernandis habeat; vt norit discernere causa n & causam, lepram, & non lepram sententiam ferre inter partes, & variis morbis conuenientem adhibere medicinam, si enim his præsidiis distitutus fuerit, periculum est, ne si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadant.

Quod ne fiat, ad prudentiam ipsius confessarii maximè spectat, cauere quæ sibi cauenda sunt: ideò pro illius instructione, pauca hic monita & documenta ponemus, à doctissimis viris tradita, rationi maximè consentanea, & ad praxim à piis, & prudentibus confessariis quotidie in confessionibus audiendis reuocata. Consulendi sunt Suarez *tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 1. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *p.* 4. *§.* 2. *num.* 16. Lyman *lib.* 5. *tract.* 6 *cap* 13. Tannerus *to* 4. *disp.* 6. *q.* 9 *dub.* 5. Syluius *in supplem. quæst.* 8 *art.* 5 *quæsit* 7. P. Ledesma *tract. de pœnit. c.* 13. *concl.* 1.

Suarez Bonacina Layman. Tannerus Syluius p. Ledesma

17 Ad prudentiam confessarii pertinet. *Primo*, animi præparatio cum qua debet confessarius ad tanti momenti opus accedere, vnde Deum obnixè obsecrare debet purus à mortiferi criminis labe, vt sibi opem ferat, in grauissimo alienæ salutis procurandæ negotio, ac proinde cogitet Deū sibi medullitus intimum, videre quà m optimè, quid agat, quid cupiat, quo animo ductus Sacramenta administret, quia nulla inutilis cogitatio in animo latet, nullum verbū imprudens ex ore labitur, quod illi arcanarum cogitationum scrutatori & cognitori Deo non innotescat, cui de omnibus aliquando reddenda erit ratio. Vnde non pecuniæ, non honoris, non captandæ beneuolentiæ cupido, nō alia parum iusta cogitatio illum ad confessiones audiendas allicere debet: Dei honor, & fragrans salutis animarum zelus, stimulus in hac re sit. Deuitet temeritatis vitium, nihil sibi assumat, omnes se meliores & ad hoc munus aptiores existimet, etiamsi D. Thoma doctior, & sanctior sit, quia in hoc sacrosancto sanandarū animarū officio, vel ipsa Angelorum sanctitas, prudentia, scientia superuacanea non esset. vide Nauarrum *in Man. cap.* 10 *num.* 1. *& seq.* Polancum *in directorio c.* 2. *art.* 1. Reginaldus *in tract. de prudent. confessarii, cap.* 1.

nauarrus polancus Reginald.

Secundo, in confessario debet elucere paterna quædam & spiritualis grauitas, vt nihil in vultu, gestibus, vel motibus corporis: in voce videatur, quod non doceat virum maturum: vnde secundùm D. Thomam *in* 4. *dist.* 17. *in expositione textus, in fine* Nauarrus *c. num.* 1 Reginaldus *c. cap.* 1. *num.* 3. Polancus *in direct. cap.* 2. *art.* 1. P. Ledesma *tract de pœnit. cap.* 13 *concl.* 2. debet esse *confessor dulcis, affabilis, atque suauis, prudens discretus, mitis, pius atque benignus.* Hinc confitentes benignè & comiter excipere debet, grauissimis etiam innomerisque criminibus corruptis, diuinam offerat clementiam, dum virus euomunt, & summa arte illi enitendum est, ne pudore victi, scelera suppri-

D. Thom. nauarrus Reginald. polancus p. ledesma.

supprimentes, inde perniciem hauriant, vnde remedium, & vitam haurire debent: proinde accedere debet confessarius in se desiderium salutis animarum, & in toto confessionis decursu exercere charitatem in pœnitentem, erga illum compassionis affectum retinendo.

Tertio, Cùm confessarius vice Christi Iudex sit & medicus, proinde nosse debet, tum limites suæ iurisdictionis, tum statum eius qui vult confiteri. *Primum*, ne vsurpet iudicium alienum, & fortè censuram aliquam incurrat. *Secundum*, vt meliùs intelligat causam pœnitentis & efficaciùs possit illum iuuare.

Aduertat itaque & intelligat, vtrum pœnitens sit suus subditus; quampridem non confessus, & an confessio illa cùm præcedentibus fuerit valida & integra: An fecerit pœnitentiam iniunctam: An sit sufficienter instructus in doctrina fidei. Obseruet etiam cuius sit conditionis, vtrum coniugatus, aut religiosus, doctus an rudis, Canonicus, Iudex, Mercator, &c. nam diuersas conditiones & status, diuersæ obligationes comitantur. Ita Polancus *in direct. cap. 2. art. 1.* Graffiis *lib. 1. cap. 24. num. 2.* Reginald. *cit. cap. 1. num. 4.* (Polanc. Graffiis. Reginald.)

Quartò, Aduertere debet cōfessarius an pœnitens decenter se habeat, an caput aperiat, an vtrumque genuflectat, an se componat, vt non faceret otis faciem, sed crucifixi imaginem intueri velle videatur: An muniat se signo crucis, & confessionem generalem præmittat. Si in his pœnitens deficiat, illum docere debet.

Deinde exponat pœnitenti, hunc esse locum accusationis sui ipsius, & non excusationis, ac proinde culpam sibi soli, aut certè potiùs & principaliùs imputet, quam cœlo, vel dæmoni, vel carni, vel sodalibus, vel naturali complexioni.

Quintò, si pœnitens ignoret necessaria ad salutem, fualiter remittendus est, vt discat quando id commodè fieri potest, sin minùs instruendus est in maximè necessariis vt sciat, & firmissimè credat, vnum esse Deum, & tres personas coequales, filium Dei esse incarnatum & passum, vt nos liberaret à morte in vitam æternam: Promittat seriò reliqua ex præcepto necessaria, se quam primùm ad. discituram, vt symbolum Apostolorum, Decalogum, vulgata Ecclesiæ præcepta, baptismum cum peccato origioali rationem confitendi & communicandi. Quod si nesciat necessaria necessitate medii, vel recuset addiscere necessaria necessitate præcepti, non est capax absolutionis.

Sexto, Quando præcedens cōfessio deprehenditur fuisse inualida, curet vt omnia peccata præmisso examine repetantur, v.g. si pœnitens aliquid voluntariè reticuit, quod iudicabat esse peccatum mortale, vel si verbis obscuris inuoluit, vel aduertit confessarium non intelligere, si non doluit saltem aliquo dolore naturali, si statuebat suo tempore redire ad vomitum, &c.

Item confessus non sacerdoti, aut non habenti iurisdictionem, vel eius vsum si ebrio, dormitabundo, aut non habenti intentionem absoluendi, quamquam hoc postremum præsumendum nunquam est, nisi vel affirmatione ipsius sacerdotis, vel aliis clarissimis argumentis euidenter constet. Quod si confessio fuit valida, sed mutila, & imperfecta ex ignorantia, obliuione, negligentia examinis, v.g. si omissus numerus, species, circumstantiæ, sufficiet defectum illum supplere.

Septimo, si pœnitens satis instructus sit, audiat illum benignè vsque in finem, interiiciendo aliquando vnum aut alterum verbum, vbi opus est ad integritatem confessionis sed ita dextrè vt pœnitentem non turbet: nam qui in fine hæc omnia supplere sperat, sæpè fallitur, vel propter obliuionem, vel propter inanem repetitionem. Quòd si tunc videatur adhuc aliquid deesse, breuiter id inquirat, quod ad statum & conditionem personæ spectat, omissis iis, quæ verisimile est ipsum non commisisse. Ita Polancus *c. art. 2.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 13 num. 9.* (Polanc. Layman.)

Octauo, Si pœnitens rudis & imparatus est, doceat illū examinare conscientiam, & si commodè potest, remittat, vt rediens discussa conscientia saltem respondere possit ad interrogata. Si vrgeat, vt statim expediatur, habeat confessarius methodum discurrendi per peccata probabiliter a pœnitente commissa: Iuxta formam traditam, *verb. Interrogatiorum*, ne si incertum vagetur, vel idem repetat, vel necessarium aliquid omittat. Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 13. num. 10.* Suarez *tom. 4. disp. 32. sect. 3.* Bartholom. Medina *lib 2. instruct. cap. 6.* Et quamuis confessarii officiū sit, audire potius pœnitentem quā interrogare, vt notat Dominicus Sotus, *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4.* quia tamen scopus illius est animam illam Deo reconciliare per medium à Christo institutum, tenetur sub peccato mortali, omnia media adhibere ad illum finem necessaria, inter quæ est integritas confessionis, quam per interrogationes procurare debet. Imò expedit aliquando a nimaduersa imperitia pœnitentis, statim ab interrogatione incipere, ne cum dispendio temporis eadem repetantur. Confessarius tamen qui ex memoriæ labilitate, humana distractione, fatigatione spiritus ex nimia intensione in confessionibus audiendis & similibus causis omitteret aliqua examinare, vel totaliter à peccato excusaretur, vel non nisi venialiter peccaret: quia cum tanto sui incommodo & dispendio, & in cautelis quæ vix sunt in nostra potestate, nemo tenetur alienos defectus supplere. (Layman. Suarez. Bartolom. Medina. Sotus.)

Nono, Caueat præterea confessarius, ne alios confessarios despiciat, temerè iudicet, maledictis proscindat, aut eorum gesta imprudenter accuset: fieri enim potest, vt prudentissimè egerint, quod tamen nec pœnitens, nec ipse percipit. Si alicuius crimen ex imprudenti pœnitentis confessione cognoscat, Christiano animo excuset, imbecillitati humanæ adscribat, roget Deum, vt illi resipiscendi mentem instillet, sibique præsto sit, vt vel ex scelerum laqueis exeat, vel ne in maiores, quam illic inciderit, vitiorum voragines præceps ruat. Quis enim diuina orbatus ope præcipit cursu in scelerum ambages, non rapiatur, diris hostibus circumuentus? Propterea ad prudentiam confessarii pertinet, vt cùm aliquod graue turpève peccatum in cōfessione declarari audierit, nulla signa admirationis, abominationis, aut pauoris ostendat, siue spuendo, siue se cruce signando, sin potius ac si nihil audiret, dissimulet vsque ad finem confessionis. Dum venereas culpas, aut fœminarum confessiones audit (à quibus periculum) commendet se Deo, B. Virgini, Tutelari Angelo, castisque Angelicis cogitationibus imbecillum animum muniat. Apud viros potiùs, quàm apud mulieres operam suam collocet, magis proficiens, tutiùs aget. Viri constantiores sunt, iis autem ducibus, domestica disciplina crescet, florebit, cum feminis ne multùm temporis impendat, lubricum negotium cum fœminis longiora colloquia miscere, cum ingenti periculo, vix minimum lucri. Ne fidat, ne fidat muliebri ingenio, cunctorum enim vna malorum fęmina principium. Malderus *tract. de sigillo cap. 12.* Petrus Ledesma *tract. de pœnit. c. 13. concl. 2.* Nauarrus *in Man. cap. 10. num. 6.* (Malderus. p. Ledesma Nauarrus.)

Decimo, Auditurus confessionem generalem, aduertat imprimis, an aliquis defectus substantialis, præcedentes confessiones inualidauerit, nam tunc accuratiore diligentia & attentione opus est, quàm cùm solùm quæritur maior fructus spiritualis, instruat pœnitentem vt omittat historias, & omnia superflua, atque adeò peccata, quæ constat esse venialia, dicat autem breuiter & dilucidè species, numerum, & circumstantias necessarias grauiorum peccatorum, hac enim ratione quantumuis longi temporis, confessio, non tantùm expedite, sed etiam integrè, & perspicuè fieri potest, atque adeò magis accommodatè ad sētentiam de statu penitentis ferendam, quàm si multę eircumstantiæ non necessariæ permisceantur, quod si pęnitēs non sit capax huius instructionis, vt ferè contingit, ipse confessarius instituat breue examen, sed tamen integrum pro statu pœnitentis, vt dictum est *supra*, reuocando omnia ad præcepta Decalogi Non tamen omnes omnia interrogandi sunt, sed ea tantùm, quæ probabiliter committere potuerunt. Imò æquum erit confessariis pœnitens monere, ne sacramentaliter velut absoluendas imperfectiones quæ peccata non sunt, narrent. Quòd si pœnitentes illas peccata esse putent, à confessario doceantur scelera non esse, nec deinceps indigere eas amplius cōfessioni subiicere vt absoluendas, & ne in posterum ex conscientia erronea pecent, id agentes quod neutiquam facinus est. Et quia contingit aliquando personas religiosas, & deuotas, quæ confitentur singulis octo diebus & forte sæpius, dum accedunt ad confessionem, immorari tantum quantum

sufficeret pro facienda confessione vnius perditissimi latronis, & dant multum quòd obloquantur astantibus. Tu confessor vide, an bene hoc cedat, & tollatur ista admiratio. Postquam personam noueris, non audies nisi mortalia si quæ habet, vel venialia grauiora, reliqua omnia facias verbo generali confiteri. Vnde impertinenter & non sine peccato faciunt, qui in confessione tempus terunt instructionibus ad hoc Sacramentum non facientibus, de rebus & exercitiis spiritualibus, de moribus, & directione filiarum spiritualium, audientes omnia, quæ eis conunge redicunt, & de eis conferentes cum multa iactura temporis, & grauibus periculis deceptionum, propter familiaritates inutiles quæ ex ei nascuntur

Vndecimò, Audita integra confessione penitentis, animaduertat, an subsit aliqua obligatio, v. g. addiscendi necessaria ad salutem, vitandi occasiones peccandi proximas non celebrandi in irregularitate, aut in Ecclesia polluta, restituendi honorem, famam, pecunias, aut petendi veniā ab offenso, ædificandi proximum, quem scandalizauit, &c. eaque ipsi penitenti indicet & iniungat: videat deinde num penitens sit sufficienter præparatus ad recipiendam absolutionem: eumque iuuet, vt si non ex amore Dei, aut regni cęlestis desiderio, saltem timore gehennæ, concipiat serium dolorem, & tale propositum, quod affectum peccandi excludat, vbi expediet aliquando, cùm est frequens relapsus, differre absolutionem, & experiri constantiam penitentis, vt posteà maiore cum fructu absoluatur: proderit etiam ipsum erigere in spem veniæ per Christum obtinendæ: quod commendat Concilium Tridentinum *sess.6. cap. 6.* Nauarrus *in c. Fratres de pœn.*
Nauarrus. Coninch. *dist.5. n.68.& seq.* Coninck. *de pœn. disp.8. dub 17.*

Duodecimò, Si iudicat confessarius dispositionem pœnitentis esse debiliorem, quàm vt per Sacramentum iustificetur, nullo modo illum absoluat, sed suauiter demittat, vt melius paratus accedat.

Si probabiliter existimet esse sufficientem, quòd ferè præsumendum est, nisi contrarium constet, tunc considerata peccatorum multitudine, grauitate, varietate, & imprimis conditione & statu pœnitentis, iniungat penitentiam salutarem, quæ videlicet muniat præterita & pręseruet à futuris, modò perfici possit sine nota, & suspicionibus domesticorum, v. g. auaris eleemosynas, gulosis & ebriosis ieiunia, acedis orationes, & alia exercitia spiritualia, libidinosis cilicia & similes corporis asperitates, quia tamen ab omnibus hæc præstari non possunt, excogitanda sunt alia quædam, quæ foueant bonum propositum penitentis, vt die festo audire duo sacra, concionem, vesperas, singulis mensibus confiteri, aut etiam communicare, inuisere loca pia, hospitalia, carceres, ægrotos. Interdum etiam iniungi poterunt, quæ alio titulo debentur, v.g. diligentiam adhibere in restituendo, ieiunando, audiendo Missam, fugiendo occasiones peccati, &c.

Decimotertiò, Porrò confessarius roget penitentem, an aliquid restet. quod grauet ipsius conscientiam, & si nihil sit, ipsum absoluat: primò quidem à censuris si quas incurrit, deinde à peccatis iuxta formulam præscriptā *suprà v. Absolutio.* Post absolutionem dimittat pœnitentem in pace, bene animatum & instructū propriis remediis aduersus periculum & occasiones relabendi, ipsumq; Deo cōmendet & offerat tanquam fructum laborum suorum sine dubio gratissimum futurum: quia, vt ait D. Iacobus *c. 5.*
D. Iacob. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Decimoquartò, Qui morituri confessionem excepturus est, siue mors immineat ex morbo, siue ex vulnere, siue ex Iudicis sententia: primò transferat animam ipsius à cura rerum temporalium, ad curam animæ, & salutis æternæ. Ad quod expedit præscindere aliquando omnem spem vitę longioris. secundò. Excitet in ipso fidem necessariorum ad salutem, spem veniæ in Christum, puram charitatem in Deum, penitentiam, & detestationem peccatorum, saltem ex timore gehennæ, tertiò Si multum temporis suppetit, det illi spatium recogitandi annos suos in amaritudine animæ suæ, vt integram faciat confessionem omnium peccatorum; nam tunc maximè vrget præceptū diuinum. quartò. Hortetur illum vt disponat domui suæ, prouidendo vxori, liberis & aliis quibus est obstrictus, condat testamentum, & relinquat negotia sua, quàm potest liquidissima, ne detur hæredibus occasio litigandi. quintò. Inducat illum vt petat viaticum sanctissimę Euch. & Sacramentum Extremæ vnctionis. Statuat item de sua sepultura, exequiis, suffragiis, &c. vt corpori pariter. & animę sit prospectum. sextò. Si periculum est in mora, vt quia grauissimè vulneratus, vel breui priuandus vsu rationis aut linguæ, tunc si putetur sufficienter dispositus, statim post vnum aut alterum peccatum absoluatur; reliqua audiantur per otium, prout tempus patietur, subsequente denuò absolutione.

Pro coronide horum monitorum, sciendum est grauissima & multa inter audiendos diuino ritu pœnitentes, flagitia committi posse Caueat proinde diligentissimè confessarius, ne se aliquo sacrilegio inficiat, uel Inscitia, vel imprudentia, uel omissione necessariæ interrogationis, uel non præcepta restitutione, uel indignum aliquem certò quodam pauore, sacra absolutione donando. Ideò fortis sit & magnanimus, nec uereatur magnitudinem cuiusquā memor agere se causam Christi, non suam, ac propterea si uir nobilis, si amicus confiteantur, habeat præ oculis gloriam Dei, & salutem pœnitentis, ad quemque scopum, suauiter, & prudenter reliqua dirigat, iuxta præscriptum Con. Trid.
Concil. Trident. *sess 14 cap 8.* ne leuissima pro grauissimis delictis iniungendo; alienorum peccatorum particeps efficiatur: vnde mortem magis debet oppetere, quàm viro indigno Sacramenta præbere, *Rituale Romanum de Sacramento pœnitentiæ.*

An autem deliquerit, intuendum sibi est, sumat spatium, in auditas confessiones inquirat, videat an aliquid peccauerit in expiandis aliorum flagitiis, si peccauerit doleat, expiet scelera confessione sua, eaque in posterum corrigere toto animo conetur.

Caueat denique post confessionem tristiorem aut austeriorem vultum ostendere ipsi penitenti confessio, aut circa illum exhibere aliqua signa contemptus, vnde uel ipsi peccati exprobatio, uel aliis notitia aut suspicio eius oriri possit. Debet ergo æqualiter initio dum audire incipit, & in progressu exteriùs esse compositus, & post confessionem eundem se exhibere, sicut antea comem, affabilem, aut familiarem.

18 Cùm confessarius sit doctor, consultor, medicus, & iudex pœnitentis, ideò ad prudentiam ipsius pertinet illum docere, ei bene consulere, diligenter curare, & ad peccatorum singulorum confessionem, & detestationem inducere, vt sententiam ferat quam oportet hic si videat pœnitentem versari in iuris aut facti ignorantia lethaliter crassa, siue contra ius diuinum, siue cōtra humanū, tenetur eum monere, & instruere, quamuis admonitio non sit profutura, & quodcumque scandalum pœnitentis sequatur Ratio est, quia ea admonitio proderit, vt liberatur penitens ignorantia illa, cognoscat malum statum in quo est & fortè aliquando resipiscit, & mordebit conscientia, stimulisquè agitabitur.

Item tenetur confessarius monere, quando ignorantia inuincibilis est si spes probabilis sit fore, vt monitio prosit sine graui scandalo, & detrimento pœnitentis Ratio est, quia munus confessarii est pœnitentem instruere, cùm vel proprius pastor sit, vel in audiendis confessionibus proprii Pastoris munus obeat, ergo cùm spes proficiendi adsit, tenetur docere quamuis enim illa ignorantia nunc inuincibilis sit, potest facilè vincibilis fieri.

Quādo nulla ex monitione speratur vtilitas & ignorantia inuincibilis est, siue facti siue iuris diuini, naturalis aut humani, non tenetur confessarius docere vel monere, imò tenetur in hoc casu tacere propter inconuenientiā, quæ inde sequerentur, & hoc verum, quamuis peccatum illud per ignorantiam inuincibilem excusatum, sit in detrimentum proximi. Ratio est, quia nulli laqueum inicere, sed admonere in hoc euentu, nihil aliud esset quam laqueum & offendiculum opponere: nam constitutus in bono statu, & bona fide, confessoris monitione, in malo, & periculoso uersabitur: vnde cauere debet confessarius, ne plus respondeat, quàm a penitente interrogetur, ad summum contentus sit ipse confessarius, interrogare penitentem, nihil ne sit, quod animum eius grauet, conscientiam scrupulosam reddat, & sic intelliget,

verum

vtrum pœnitens culpata ignorantia laboret

Plura de prudentia in confessario requisita, apud Syluium *in Suppl. quæst.* 8. *art.* 5. *quæst.* 7. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 38. Coninck *de pœnit. disp.* 8. *dub.* 17. *num.* 136. Layman *l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 5. Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 80. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 27. *n.* 4. *lit. H.* Suarez *tom.* 4. *d.* 32. *sect.* 4. Bonacinam *de matrim. quæst.* 3 *punct. vlt.* Vasquez *de pœnit. quæst* 93. *art.* 3. *dub.* 9.

Syluius. Sanchez Coninch. Layman. Diana. Henriq. Suarez Bonacina. Vasquez

Vide Correptio fraterna *num.* 10. Matrimonium 8. *nu.* 15. 16. *& seq* Irregularitas.

CONFESSARIUS V.

Quoad eius obligationem.

SVMMARIVM.

1 *Quando Parochus teneatur, confessiones suorum excipere.*

2 *An liberum sit confessariis non curatis, quos velint ad confessionem admittere.*

3 *An teneatur curatus dare licentiam subdito petenti, vt alieno confiteri possit? Et an subditus alieno Sacerdoti confiteri possit, dum proprius iniustè negat ad id licentiam?* Refertur duplex sententia.

4 *Confessarius qui non admonet pœnitentem de restitutione facienda, an teneatur ipse restituere.*

5 *Ex culpa lata, seu ex ignorantia crassa, tenetur confessarius, si scienter dixit seu consuluit pœnitentem, non teneri ad restitutionem damni, quod tertius patitur.*

6 *An confessarius teneatur absoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, cuius contrariam sequitur ipse confessarius.*

7 *An peccet confessarius absoluens non attritum.*

1 Confessarius, qui habet curam animarum, & est ordinarius pastor, tenetur per se vel alium, confessiones suorum subditorum audire, quotiescunque ij iustam confitendi causam habent, & opportuno tempore ac loco petunt; puta, siue ratione festi occurrentis, aut indulgentiarum propositarum, siue quia tunc temporis solent confiteri. Ratio est. tum quia Parochus ratione pastoralis officii debet suis subditis prouidere, & nequaquam subtrahere ea, quæ ad spirituale ipsorum commodum, & profectum spectant, qualia sunt frequens confessio & cōmunio. Tum quia fideles acceperunt à Christo ius petendi ab Ecclesiæ ministris, & præcipuè à suis Parochis, non solùm remedia necessaria, sed etiam vtilia, ergo illi tenentur ea ministrare. Tamen non toties peccat mortaliter Parochus, quoties recusat audire suum subditum, nam si Pastor sit aliis iustè occupatus, & non differat petitionem subditi nimis diu, excusari potest, & maximè si ille qui petit, habeat alium, vel habere facilè possit, à quo recipiat. Ita Nauarrus *in cap. placuit dist.* 6. *num.* 152. Suarez *disp.* 32. *sect.* 1. Syluius *in Suppl. quæst.* 8. *art.* 5. *quæst.* 9. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 27. Coninck *disp.* 8. *dub.* 17 *n.* 139. Sotus 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Bonacina *disp.* 5. *quæst.* 7. *p.* 4. §. 2. *nu.* 24. Layman *l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 2.

Nauarrus. Suarez Syluius. Henriq. Coninch Sotus. Bonacina. Layman Armilla Medina. Reginald.

Non est tamen improbabilis Syluest. *v. confess.* 1. *num.* 14. Armillæ *v. Absolutio num.* 28. Medinæ *C. de confess. quæst* 37. Reginaldi *lib.* 1. *num* 81. & aliorum sententia asserens Parochum ad hoc non teneri, nisi quoties pęnitens tenetur sub mortali confiteri, quod accidit semel in anno, aut in periculo mortis, aut quando confessio est pœnitenti necessaria ad aliquod mortale peccatum præcauendum. Ratio est, quia Parochus officio suo satisfacit, si onera sibi iure, vel a Superiore imposita compleat, sed neque ius, neque Superiore imponit Parocho Sacramētum pœnitentiæ ministrare subditis, nisi cùm necessarium est hos illud recipere, ergo, &c. Vide Dianam *part.* 2. *tract.* 2. *res.* 2.

Diana

2 Confessariis non curatis liberum est, quos volunt ad confessionem admittere: admissis tamen, & confessis absolutionem tribuere tenetur, si illos dispositos inueniant. Ratio est, quia Iudex audita causa debet reo, quem absolutione dignum existimat, absolutionem conferre; & confessarius imprudenter ageret, iniustè onerando pœnitentem ad eadem peccata alteri Sacerdoti explicanda.

Hi verò confessarii, quibus non incumbit animarum cura in extrema ac etiam in graui necessitate tenentur audire confessiones quamuis in communi non facilè possit assignari, quando teneātur sub mortali. Vide Sotum *in* 4. *d.* 18 *quæst.* 2. *art.* 5. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 5. Suarez *disp.* 32. *sect.* 5. Syluium *c. quæsit.* 9. Sancium *in selectis disp.* 28. *num.* 11.

Sotus. Henriq. Suarez. Syluius. Sancius.

3 Communis sententia est, quando subditus habet iustam causam confitendi Sacerdoti alieno, debere curatum ipsi petenti licentiam dare. Sed controuertitur inter Doctores, an subditus possit confiteri alieno, dū proprius iniustè negat ad id licentiam petitam iustè, v. g. si subditus cum proprio sine periculo salutis; famæ, &c. confiteri, non possit, puta si sit concubina, quæ non potest ab Episcopo licentiam petere vel impetrare.

Affirmant satis probabiliter quidam antiquiores Theologi, Paludanus *in* 4 *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. Maior *ibid. q.* 2. Richardus *ibid. q.* 7. Syluest. *v. conf.* 1. *quæst.* 6. & ex recentioribus: Toletus *l.* 3. *c.* 13. *n.* 11. Henriq. *lib.* 6. *c.* 13. *num.* 4. Nauarr. *c. Placuit n.* 144. Rodriq. 1. *p. c.* 55. *n.* 11. & noster Crouſt. *adt.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 17 *fol.* 646. Ratio estū quia sic iure petita licentia videtur ipso iure concessa, & defectum Parochi negantis supplet ipso iure Episcopus, defectum verò Prælati regularis, supplet Generalis, Regularium; aut certè vtrumq; ipso iure aut ex præsumpta voluntate supplet Summ. Pontifex. Tum quia hic non est timendū quòd superior maior nolit postea id ratum habere, quia hęc opinio non fundatur in ratihabitione de futuro, sed in tacita concessione de præsenti, nam saltem Papa illam facultatem libenter in eo casu concedit.

Paludan. Maior. Richardus Syluester. Toletus. Henriq. nauarr. Rodriq. Crousen.

Nihilominus negatiua sententia est communior ac probabilior, & iuri conformior. Ratio est, tum quia in *c. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Sic habetur, *Si quis autē alieno Sacerdoti voluerit iusta causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat, cum aliter ipse illum non possit absoluere*, non ergo sufficit petita, & non obtenta cùm nequitia proprii Sacerdotis negantis licentiam subdito, vt alteri confiteatur, non tribuat ei ius vt possit absolui ab alio Tum quia quòd fideles omnes proprio Sacerdoti confiteantur institutum est ob commune Ecclesiæ commodum, ac cōuenientem gubernationem, & ideò non debet ob priuatum commodum, priuata Doctorum interpretatione limitari aut ampliari, presertim quod multi hac ratione confitendi impedimentum falsò prætendentes, Pastoris sui iurisdictioni se subtrahere possent. Hanc sententiam tenent D. Thom. *in suppl quæst.* 8. *art.* 4. Syluius *ibid. art.* 5. *quæst.* 2. *concl.* 7. P. Nauarra *de resol. lib.* 2. *cap.* 4. *n* 269. Suarez *de pœnit. dist.* 27 *sect.* 4. *num.* 14. Layman *l.* 5. *tract.* 6. *c.* 13. *n.* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4 *art.* 2. Medina *de confess. quæst.* 30. Fagundez *prac.* 3. *lib.* 3. *c* 9. *n.* 17. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *res.* 79. Præpositus *de pœnit. q.* 7. *dub.* 8.

D. Thom. Syluius. Suarez. p. nauarra. layman. Sotus. medina. Fagundez. Diana. præposit.

Vnde in hoc casu pœnitens debet se gerere, tanquam nō habens copiam confessarii, vt docet D. Thom. scilicet, vel differendo confessionem, vel si necessitas vrgeat, communicet non confessus cum actu contritionis, vel secundùm alios Doctores confiteantur alia peccata, de quibus non est periculum, subticendo alia, donec opportunitas alterius confessarii sese offerat. Vide Dianam citatum hic, vbi refert vtramque sententiam, & Fagundez qui primam sententiam multis rationibus firmat & tandem probabilē vocat, in casu quo Superior semel atque iterum requisitus negat licentiam, pio, docto, ac religioso confessario, ad absoluendum aliquem suum subditum ab aliquo reseruato; aut illam non vult concedere, nisi sub ea conditione, vt sibi prius pręsentetur.

D. Tom. Diana. Fagundez.

4 Confessarius, qui non admonet pœnitentem de restitutione facienda, non tenetur ipse ad restitutionem. Ratio est, tum quia nullam actionem iniustam exercet contra tertium, cui pœnitens restitutionem facere tenetur, sed tantùm confessarius peccat contra proprium officium erga pœnitentem, non adhibendo debitam solicitudinem & diligentiam in sacro ministerio exercendo. Tum quia officium quod confessario ex iustitia incumbit, solùm est ordine ad spiritualia, vnde negligens in officio contra religionem peccat potiùs, quàm contra iustitiam: ergo non tenetur confessarius restituere, nec ratione acceptionis, nec ratione rei acceptę. Hæc sententia est probabilior,

lior, quam tenet Suarez *de pœnit. diſp.32 ſect.6.n.9.* Reginaldus *lib 2. num* 43. Coninck *diſp.8.dub.17.nu.44.* Malderus 2.2.*tract.5 cap.3.dub*,24. Diana *part.2.tract 2.reſ.1.* Bonacina *de reſtitut.diſp.1.q.2.part.11.num.*15. Sanchez *l. 1 moral.cap.6.num.5.*& alii, contra quoſdam Neotericos qui docent teneri, eò quòd non admonendo, uirtualiter confeſſarius dicit pęnitentem non teneri, atq; ſic eſt cauſa moralis, vt pœnitens non reſtituat. In praxi nihilominus eſt ſequenda prior ſententia.

Suarez. Reginald. Coninck Malderus Diana Bonacina Sanchez.

5 Si confeſſarius non ſolùm admonitionem de reſtitutione facienda prætermiſit, uerùm etiam ex culpa lata, ſeu ex ignorantia craſſa, aut ſcienter dixit, ſeu conſuluit, pœnitentem non teneri, vel faciat reſtituere, cùm non teneatur, tunc reuera tenetur ipſe ad reſtitutionem damni, quod tertius patitur, nam culpabiliter exercuit actionem damnificatiuam tertio, ex iniuſta autem damnificatione oritur obligatio reſtituendi, ergo.

Poterit tamen confeſſarius iterum admonere aut conſilium reuocare, tum in ſequenti confeſſione, tum extra confeſſionem, obtenta priùs licentia alloquendi ipſum pęnitentem de auditis in confeſſione, & ſic retrahet influxum, quem exhibuerat in damnum tertii, & iam tollet cauſam nocumenti, quam poſuerat, & ideò effectus illi non imputabitur. Ita Vaſquez *de pœniten. quaeſt.93. dub. 8 art.3.* Suarez *cit.num.9.* Filliucius *tract.7. cap.12. num.* 347. Rebellus *de oblig. iuſt. p.2. lib.*17. *quaeſt. vlt. num.*12. & alii *ſuprà* citati.

Vaſq. Suarez Filliucius Rebellus

6 Confeſſarius ſiue ſit Parochus ſiue Epiſcopus, ſiue alius, tenętur abſoluere pœnitentem habentem opinionē probabilem, cuius contrariam ſequitur ipſe confeſſarius Ratio eſt quia confeſſarius non poteſt pœnitenti ritè diſpoſitio abſolutionem denegare, ſed tenetur ex officio cum debita ſolicitudine, & diligentia ipſum ad Sacramenta ſuſcipienda promouere, & qui ſequitur opinionem probabilem non dicitur minùs diſpoſitus, cùm licitè & tutè ſequi liceat opinionem probabilem. Et hoc verum etiamſi confeſſarius falſam eſſe opinionem pœnitentis exiſtimet, modò probabilis reputetur inter Doctores probatæ authoritatis. Imò etiamſi ſequatur detrimentum alterius, quia poſita probabilitate opinionis pęnitentis; detrimentum illud eſt materiale, & per accidens, & formaliter non eſt iniurioſum: è contrario enim ſequi poſſet detrimētum pęnitentis, ſi opinionem confeſſori ſequatur. Ita Sanchez *l. 1. moral. cap.9. num.*29. Clauis Regia *lib.1.cap.9.* Syluius *in Supplement. 3.part.quaeſt.9. art.2. quaeſt.4. caſu* 2. Diana *part.2.tract.de opin.prob.reſ.*11 Sancius *in ſelect. diſp.*33. *n.*54. Valentia 2.2.*diſp.5.q 7. punct. vlt.*

Sanchez Clau.Reg. Syluius. Diana Sancius Valentia

Quando autem pœnitens non eſt determinatus ex aliqua ſententia probabili, ſed inquirit à confeſſario quid agere debeat, in illo caſu, ſi quæſtio ſit de reſtitutione, vel de alia re pertinente ad iuſtitiam, Confeſſarius dicere quidem poteſt ſuam ſententiam, non tamen cogere, ſed admonere pœnitentem, quomodo in contrarium ſit ſententia probabilis, ne ſcilicet decipiat pœnitentem cogendo ad reſtitutionem, quàm fortè ille non faceret, ſi cognoſceret ſecundùm ſententiam probabilem ſe poſſe ſine pęccato à reſtitutione ceſſare.

7 Peccat mortaliter confeſſarius abſoluens illum, quē contritum vel ſaltem attritum non eſſe, certò vel probabiliter ſibi perſuadet, aut non integrè, quatenùs ipſi poſſibile eſt, confeſſum eſſe Ita communiter Doctores Suarez *tom.4 diſp. 32. ſect.* 2. Petrus Soto *lect.* 10. *de confeſſ.* Nauarrus *in c. Fratres diſtin.5. de pœnit num.*48. Coninck *diſp 8.dub.17. concl.3.*

Suarez. Sotus. Nauarrus. Coninck.

Ratio eſt, quia dolor de peccatis ex motiuo ſupernaturali conceptus, & integra confeſſio peccatorum mortalium, ſecundùm ſpeciem, ac numerum, quatenus moraliter fieri poteſt, pertinent ad ſubſtantiam Sacramenti pęnitentiæ, vt decernit Concilium Tridentinum. *ſeſſ.14.cap.4. & 5.* & ideò niſi pœnitens hæc duo habeat, abſolutionis capax non eſt, ſacrilegiique crimen confeſſarius committit, ſi illum indiſpoſitum abſoluere præſumat.

Con. Trid.

Proinde quando pœnitens narrat ſua peccata ſine requiſito dolore & propoſito emendationis, tenetur confeſſarius eum ante abſolutionem de hac ipſa re examinare, & ſi defectum reperiat, pęnitentem ſalubri exhortatione diſponere.

Porrò confeſſarius non debet abſoluere illum, qui non ſoluit debitam pecuniam, dum facilè poteſt, & abſque graui incommodo, ſæpeque in aliis confeſſionibus fuit monitus. Nam ſi abſoluatur pœnitens non præmiſſa reſtitutione, exponitur illemet periculo euidenti non reſtituendi Amor enim diuitiarum maximus eſt, & timendum meritò, quòd ſubuertet pœnitentis propoſitum. Poſſet tamen talis bis aut ter abſolui Sancius *in ſelectis diſp.*10. *num.*14. Sed de his plura v. Confeſſarius 4. *num.*17. & apud Suarez & alios.

Sancius Suarez

Vide Conſcientia *n.* 13. Fides 1. *n.*17. 18. Reſtitutio 4. *n.*15. Vſura 6.*n.*5.

CONFESSIO SACRAMENTALIS I,

Quoad illius naturam & neceſſitatem.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſi confeſſio Sacramentalis.*
2 *Confeſſio peccatorum ſpecialis, eſt præcepta iure Diuino.*
3 *Eſt neceſſaria neceſſitate medij, lapſis in mortale poſt baptiſmum.*
4 *Pueri tenentur ad confeſſionem, ex præcepto Diuino; & non confitendo, an plectantur pœnis iuris?*
5 *Infideles & catechumeni, non obligantur ad confeſſionem vllo iure.*
6 *Ex præcepto Eccleſiaſtico tenentur fideles ſemel in anno confiteri.*
7 *Ex vi iuris Diuini præceptum confeſſionis aliquando obligat.*
8 *Fideles tenentur confiteri, quoties exiſtunt in articulo mortis, ſi habeant conſcientiam peccati mortalis, & illos tenentur Medici monere priuſquam curationem corporis incipiant.*
9 *Quomodo computandus ſit annus, in quo ſemel eſt facienda confeſſio:* Refertur duplex ſententia.
10 *An qui præuidet ſe non habiturum copiam confeſſarij in articulo mortis, aut ſequenti tempore præſentis anni teneatur præuenire, oblata opportunitate confeſſarij, & quid ſi ſit periculum obliuionis.*
11 *An per confeſſionem informem, ſatisfieri poſſit præcepto Eccleſiaſtico, de annua confeſſione:* Refertur duplex ſententia.
12 *Qui dedita opera fecit confeſſionem inualidam, an ſatisfaciat præcepto Diuino & Eccleſiaſtico.*
13 *Quid ſi peccata ſua quidem confitetur, ſed culpa ſua non abſoluitur. Et quid ſi ex malitia Sacerdotis abſolutionem non acceperit.*
14 *Qui voluntariè fecit confeſſionem inualidam, an incurrat cenſuras inflictas contra eos, qui non ſunt confeſſi.* Refertur duplex ſententia.
15 *Qui hoc anno non eſt confeſſus, an teneatur in ſequenti anno quamprimum confiteri.*
16 *Qui multis annis confeſſionem non fecit, an ſatisfaciat præcepto vnica confeſſione.*
17 *Qui per obliuionem, vel aliam cauſam, aliquod peccatum mortale in confeſſione prætermiſit, an præcepto confeſſionis ſatisfecerit.*
18 *Qui hoc anno peccata ſolum venialia confeſſus eſt, ſi poſt confeſſionem committat aliquod peccatum mortale, nondum elapſo anno, an teneatur eodem anno iterum confiteri.*

1. CONfeſſio Sacramentalis, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, *eſt accuſatio peccatorum coram proprio Sacerdote, ad veniam à Deo virtute clauium obtinendam.* Ita D. Thomas *diſt.*17. *q.3. art.*2. Reginaldus *lib.6. num.*2 3.4.& 5. Valentia *tom.4. diſp.7.quaeſt.9.p.1.* Suarez *de pœnit. diſp.21.* Filliucius *tract.7.n.7.* Bonacina *to.1.diſp. 5.q 5. ſect.2 punct.1.* Syluius *in Supplem.3.p q.7.*

D. Thomas Reginald. Valentia Suarez. Filliucius. Bonacina. Syluius.

Colligitur ex Conc. Trident. *ſeſſ.14.cap.5.* dicitur *accuſatio*, quia pœnitens exhibet ſe in hoc Sacramento tanquā reum, qui per voluntariam ſui accuſationem, veniam ſit

Con. Trid.

impetraturus: quare qui per modum historiæ, sua peccata Sacerdoti referret, non tantùm non obtineret remissionē, sed ne sacramentum quidem susciperet, dicitur *peccatorum*: hæc est enim propria materia confessionis, & intelliguntur peccata à nobis non ab aliis commissa. Dicitur *coram proprio Sacerdote*, per verbum *coram*, reiicitur confessio facta absenti per literas aut internuncium: per verbum *proprio* in difinitione positum, excluditur confessio facta Sacerdoti non habenti iurisdictionem, quæ non est Sacramentalis: per verbum *Sacerdote*: excluduntur confessiones factæ laico, aut alteri non Sacerdoti, quas nō esse Sacramentales, patet ex Trident. Dicitur *ad veniam*, &c. vt appareat finis & effectus Sacramentalis confessionis, qui est peccatorum remissio. Dicitur *virtute clauium*; quia confessarii ligant quidem & soluunt; sed potestate aliunde accepta, nempe à Christo Domino, cuius passio & merita, virtute Sacramenti, pœnitentibus applicantur, & sic ianua regni cœlestis ipsis aperitur.

2 Confessio peccatorum specialis, est præcepta iure Diuino. Contra hæreticos nostri temporis, qui negant vllum esse præceptum Diuinum, Sacramentaliter, & specialiter peccata confitendi, sed solùm admittunt præceptū confessionis in genere, quâ quis agnoscit se peccatorem, dicuntque Sacramentalem confessionem esse impossibilem, ac proinde inuentum humanum; sed fides Catholica est, Sacramentalem confessionem institutam esse à Christo, & de iure Diuino ad salutem consequendam necessariam ei, qui post baptismum in peccatum mortale lapsus est, vt definit Conc. Trid. *sess. 14. cap. 5. & can. 6. 7. & 8.* Ratio est, quia Sacerdotes constituti sunt à Christo Iudices *Matthæi* 16 18. *Ioannis* 20. vt sententiam absolutionis vel proferant, vel non proferant, ergo necessarium est vt fideles peccata sua speciatim exponant & confiteantur: quia iudicium sine causæ cognitione exerceri non potest. Vnde etiam Dominus dicit, *quorum remiseritis peccata*, hoc est, quos causâ cognita, iudicaueritis absoluendos, non indefinitè quosuis peccatores. Vide Filliucium *tract. 7. c. 2.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 5. num* 1. Becanum *in Summ. de Sacram. c. 36. quæst.* 1. Bellarmin. *de pœnit. lib. 3. c. 12.* Bonacin. *c. punct. 4. n. 9.* Fagundez *præc. 2 l. 1. c. 1. n. 1. & seq.*

Conc. Trid. Filliucius. Layman. Becanus. Bellarmin. Bonacina. Fagund.

3 Confessio Sacramentalis necessaria est necessitate medii omnibus fidelibus baptizatis habentibus peccata mortalia commissa post baptismum, aut in ipsa susceptionem baptismi. Ratio est, quia non est aliud remedium ad consequendam veniam peccatorum mortalium à baptismo commissorum, quàm per confessionem Sacramentalem re vel voto factam: quod votum interdum sufficit, quamuis sit solum implicitum. Et hoc probatur tum Trident. *sess. 14. cap. 5.* tum ex *cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* tum ex communi Doctorum sententia post D. Thom. *in sup. quæst 6. art. 1.* Syluius *ibid.* Bonacina *cit. sect. 2. punct. 4.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 3. numer. 5.* Puteanus 3. *part q. 84. art. 5. dub. 2.*

Tridentin. D. Thom. Syluius. Bonacina. Layman. Puteanus.

4 Non solùm adulti, verùm etiam pueri, qui sunt compotes vsus rationis, & habent conscientiam peccati mortalis, tenetur ad confessionem ex præcepto diuino: cum hi in numero fidelium etiam recenseantur, & eis remedium hoc necessarium sit.

Quo autem tempore ad annos discretionis perueniant, non potest mathematicè definiri, sed relinquendum est iudicio prudentum Pastorum, & parentum; qui si viderint eos discernere bonum, & malum, pudefieri de mendacio, de aliqua impudicitia commissa, laudare obedientiam, concludent illos ratione vti, quemcumque annum ætatis attingerint. Proinde errant illi, qui existimant pueros non peccare mortaliter, nec teneri præcepto confessionis, ante decimum annum, cùm constet eos multò ante esse doli capaces & habere discretionem boni & mali. In dubio verò an puer habeat vsum rationis, præsumendum habere, & esse obligatum confessionis præcepto, si impleuit septennium. Maxima tamen hic prudentia opus est confessario, nam multi pueri etiam post septem, octo, & ampliùs annos, licet peccata aliqua adferant ad confessionem, fortè ex aliqua instructione parentum eos ad confessionem mittentium, tamen Sacramentum pœnitentiæ non apprehendunt; vnde aliqua dicentes per modum confessionis nugantur circa Rosarium suum, vel galerum, vel digitos, uel socios circumspiciunt, nec ita seriò se gerunt, vt uideantur intelligere Sacramenti rationem. Proinde tales non sunt Sacramentaliter absoluendi, sed cum instructione & monitione aliqua, & benedictione dimittendi. Licet enim peccata aliqua confitentes, videantur dare materiam absolutionis, non est tamen sufficiens materia nisi accedat saltem attritio supernaturalis, de qua uix est apparentia in dictis pueris, etiam post monitionem seriò rem non apprehendentibus. Si tamen probabilitatem aliquā habeat confessarius alicuius dispositionis, absoluat sub conditione saltem mente concepta, *Si tu es capax, ego te absoluo, &c.* Vide Nauarrum *in man. cap. 21. n. 33. in suppl. quæst. 6. art. 3. quæst. 3.* Dianam *p. 3. tract. 6. res. 87. & p. 4. tr. 3. resol. 53. & part. 5. tract. 3. res. 68.* Sanchez *lib. 1. moral. c. 12. n. 6.* Azorium *tom. 1 lib. 7 c. 29. quæst. 6.* Henriquez *lib. 4. de pœnit c. 5.* Suarez *tom. 4 disp. 36. sect. 2.* Puteanum 3. *p. q. 90 p. 2. dub. 3. concl 3.*

Nauarr. Syluius. Diana. Sanchez. Azorius. Henriq. Suarez. Puteanus.

Notandum tamen est, pueros qui 12. annum nacti non sunt, omittentes annuam confessionem, non plectendos esse pœnis statutis in *Cap. Omnis utriusque sexus*, nec incurrere excommunicationem ab Episcopo latam contra non obseruantes præceptum annuæ confessionis, etiamsi fortè peccent contra præceptum. Quia vt dicitur in *cap. Referente de delictis puerorum*, in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis prouectioris ætatis humanæ leges dicunt seueriùs puniendum. Ita Corduba *in Sum. quæst. 60. dict. 4.* Vgolinus *de censur. cap. 17. § 3. nu. 5.* Mercerus *de Sacram. q. 6. art. 5. num* 7. Syluius *c. quæsit. 3.* Diana *c. res. 88. & p. 4. tract. 1. res. 207.*

Cordub. Vgolinus. Mercerus. Syluius. Diana.

Non tamen in vniuersum id habet verum, si enim puer doli capax Clericum percutiat, incurret excommunicationem. Vt constat ex *Cap. pueris*, iuncta Glossa *verb. Pueris, de sent. excomm.* & tradunt Azorius *c. lib. 7. cap. 41. q. 10.* C. Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. § 2. n. 6.*

Glossa. Azorius. C. Palaus.

5 Cùm Sacramentum pœnitentiæ fuerit à Christo institutum per modum iudicii, & Ecclesia non exerceat iudicium nisi in eos qui priùs per Baptismi ianuam ingressi sunt Ecclesiam, hinc infideles aut Cathecumeni, non obligantur ad confessionem Sacramentalem iure Diuino vel Ecclesiastico, quia Tridentinum definit confessionem esse necessariam lapsis post baptismum, ergo non est necessaria infidelibus nondum baptizatis. Tum quia peccata commissa ante baptismum, non sunt materia huius Sacramenti, ergo infidelis non solùm non tenetur, sed neque post baptismum susceptum; ergo non obligantur infideles hoc præcepto. Ita Medina *C. de confess. q. 5.* Sanchez *l. 1. moral. cap. 12. num.* 15. Reginaldus *l. 6. nu. 42.* Filliucius *tr. 7. n. 59* Becanus *de Sacram. c. 36. q. 4.* Puteanus 3. *q.* 90. *p. 2 dub. 3. concl. 1.*

Medina. Sanchez. Reginald. Filliucius. Becanus. Puteanus.

6 Præcepto diuino de Sacramentale confessione faciēda, accessit præceptum Ecclesiasticum illud determinans quoad tempus, videlicet, quòd teneantur utriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenerint, confiteri semel in anno si aliquod peccatum mortale, licet internum uel dubium, in conscientia habuerint, sub pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, & priuationis ab ingressu Ecclesiæ. Vt habetur in *Cap. Omnis vtriusque sexus De pœnit. & remission.* Ex quo colligitur teneri fideles ad confessionem semel in anno faciendam per se, & ex ui proprii præcepti distincti à præcepto communionis, & non tantùm per accidens: vnde si quis ex rationabili causa excusetur à communione, nihilominis tenetur confiteri semel in anno, & ideò pueri priusquam ad communionem admittantur, censentur obligari præcepto confessionis. Proinde qui omitteret confessionem & communionem, non vnum tantùm, sed duo peccata committeret, & vtrumque confiteri teneretur, quod non esset uerum, si tantùm per accidens ad confessionem obligaretur. Ita D. Thom. *in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1.* Syluius *in Supplem. quæst. 6. art. 5. quæst. 2.* Bonacina *tom. 1. disp. 5. qu. 5. sect. 2. punct 4. num. 9.* Suarez *disp. 36. sect. 1.* Filliucius *tract. 7. cap. 5. q. 2.* Puteanus 3. *p. q. 90. p. 2. dub. vlt. concl. 2* & alii communiter.

D. Thom. Syluius. Bonacina. Suarez. Filliucius. Puteanus.

7 Præceptum confessionis, quamuis Ecclesia tempus non determinasset: ex ui iuris Diuini, non solùm obligaret in articulo mortis, verùm etiam aliquoties extra mortis periculum, iuxta prudentis uiri iudicium. Ratio est, tum quia confessio instituta est, vt curentur morbi spirituales

ani-

animæ, tam in morte, quam in vita, vt prudens iudicabit. Tum quia non eſt veriſimile fuiſſe intentionem Chriſti, Sacramentum hoc maximè neceſſarium inſtituentis, obligare peccatores tantum ſemel in vita, ſcilicet in periculo mortis. Ac proinde qui per annos plures differret confeſſionem, non eſt dubium quin peccaret mortaliter contra ius Diuinũ, etiamſi non extaret præceptũ Eccleſiaſticũ, Præcepta enim affirmatiua non ſolum obligant in extrema neceſſitate, ſed etiã quando rationabiliter iudicatur eorum actus eſſe neceſſarius. Ita Reginaldus *l.6.n.28.* poſt Victoriam *in Sum quæſt* 132. Sotum *4.d.18.quæſt.1.art.4.* Couaruuiam *in c. Alma mater.p 1 §. 1.n.6.* Bonacinam *c.d.5.q.5.ſect 2.punct.4.num* 17. Suarez *de pænit.diſp.*35 *ſect.* 3. & alios.

Reginald. Victoria Sotus. Couarr. Suarez.

8 Fideles tenentur confiteri non ſolum ſemel in anno, & quoties volunt Sacramentũ Euchariſtiæ ſumere, ſi conſcientiam habeant peccati mortalis, ſed quoties exiſtunt in articulo mortis etiamſi eodem anno confeſſi fuerint. Ratio eſt, quia præceptum diuinum confeſſionis, ſi nunquam obligat, certè obligat in probabili periculo mortis cùm quis teneatur præcauere periculũ damnationis, magnæque ſuæ neceſſitati conſulere, vnde ſuſcipiens periculoſam nauigationem, & miles quando inſtat prælium, aut mulier quæ, primò paritura eſt, vel quæ aliàs peperit magna cum difficultate, & infirmus grauiter laborans, & damnatus à Iudice ad mortem, hi omnes cùm exiſtant in probabili mortis periculo, tenẽtur ad confeſſionem iterũ faciendam, ſi poſt vltimam adhuc mortaliter peccauerint, quia confeſſio ſola medium eſt per ſe inſtitutum ad remittendum peccatum mortale ad conferendam primam gratiam. Vide Sotum *4.d.18.q.1.art.8.* Vaſq. *q.90.art.3.dub.2.* *21.* Sylu. *in Sup q.6.art 5.quæſit.1.* Henriqu. *lib.4.c.3.n.3. lit.X.* Reginald. *lib.6.n.22.* Layman *lib 5.tr.6.c.5.num.5.* Puteanum *3. part. quæſt. 90. quæſt. 1. parte ſecunda dub. vlt concl. vlt.*

Sotus. Vaſq. Sylueſt. Henriq. Reginald. Layman. Puteanus.

Proinde Præceptum eſt Medicis ab Innocentio III. *cap. infirmitas, de pænit.& remiſſion* cuius præceptum renouatum eſt à Pio V. *in bulla Super gregem*, ut cũ uocantur ad curandos ægrotos priuſquam curationem corporis incipiant bos moneant ad confeſſionem faciendam Aduertendum tamen dictas Pontificia conſtitutiones non obligare in quibuſcunq. morbis, ſed in graui, uel in periculoſo, ut contra Rodriquez, Diuum Antoninum, & Sylueſtrum, docent Suarez *tom.4 diſp.35.ſect.3.num.4.* Graffiis *part.1.lib.3.cap.14.n.7* Vega *in Sum.to 2.cap.35.caſ.3.* Sic enim cõſtitutiones illas interpretata eſt conſuetudo, ut ſupradicta monitio ſatis fit, ſi medicus id faciat per alios.

Innoc. III. Pius V. Rodriq. D. Anton. Sylueſter Suarez Graffiis. Vega.

Si autem æger in probabili mortis periculo conſtitutus, & pertinax ſit in renuenda confeſſione uel quando creditur certo monitionem nihil profuturam ob ægri obſtinationem, nec medicus tenetur eum admonere nec eũ deſerere, nã mens Pontificis fuit ſpirituali ægri ſaluti conſulere, & nil fruſtraneũ præcipit, ſed in hoc caſu fruſtraneaeſſet admonitio, nec ad eum finem conduces. Vt docẽt Sanchez *lib.2. Moral.cap. 16.num.10.11.& 16.* Diana *p.3. tract.4.reſ.93.* Suarez *c.num.8.* Filliucius *tract.6.num.34.* qui nouiſſimus ait bullam Pii V. non eſſe receptam in maloti uigore, & iuramentum à medicis præſtitum ante gradum Doctoratus exequendi decreti, ſolum intelligi, in quantum præſens conſtitutio Pii V. uſu recepta eſt.

Sanchez. Diana Suarez. Filliucius.

Inſuper Gregorius XIII. in bulla, *Alias pia memoria*, prohibuit, ne Chriſtiani morbo affecti Iudæos alioſue infideles Medicos ad ſe curandos uocent; nec ab aliis uocatos admittant. Si tamen neceſſitas adeſſet, & facultas Medici Catholici non haberetur, tunc vocare infidelem Medicum poterunt, vt ſignificauit Clemens VIII. in bulla incip. *cum ſicut*, lata Romæ, die 21 Iunii 1596.

Greg. iii. Clem. viii.

9 Secundum communiorem ſententiam, annus in quo ſemel ex præcepto Eccleſiaſtico facienda eſt confeſſio, cõfeſſio. computans eſt ab vno Paſchate ad ſequens Paſcha, ut habet communis uſus & praxis fidelium, tamen qui in Natiuitate Domini, aut alio die confitetur, ſatiſfacit præcepto annuæ confeſſionis, nec poſtea ex ui iſtius præcepti tenetur denuò in Quadrageſima confiteri, cùm iam adimpleuerit præceptum, quamuis fieri poſſit ut alio titulo teneatur confiteri, ut ſi ſit ſuſcepturus Euchariſtiam in Paſchate, uel adueniat articulus mortis, aduertens ſe-

tõſcientiam habere lethalis culpæ. Ita Suarez *to.4.diſp.36 ſect.3.* Azorius *tom. 1. lib.7.c.39.quæſt.6.& 7.* Henriquez *lib.4.c.4.n.11.* Filliucius *tr.9.cap.3* Mercerus *de Sacram. q.6.art. 5.* & alii Proinde conſuetudo vniuerſalis ferè Eccleſiæ, quæ facit ius cõmune, eſt, vt adimpleatur hoc præceptum annuæ confeſſionis, tempore Quadrageſimæ, vel circa feſtum Paſchæ, Quam conſuetudinem cùm probauerit Concilium Tridentinum *ſeſſ.14.c.5.* inde fit vt hodie vnuſquiſque dicto tempore confiteri teneatur ſi adſit conſcientia peccati mortalis, hanc ſententiam docent Suarez *c.num.9* Medina *C.de confeſ.q.14.* Megala *1 part.lib.5. cap.3.nu.3.* Bellarminus *de pænit.lib 3.c.4.& 13.* probans hanc obligationem authoritate Patrum, Polancus *in direct.* L. Carbo *de præcep. Eccleſ.c.8.* Matthæus Galenus, *in hoc præcep.* Cancellarius Duacenſis, & Theobylus Parochialis *p.3.art.8.*

Suarez Azorius Henriq. Filliucius Mercerus. Conc. trid. Suarez Medina. Megala. Bellarm. Polanc. L. Carbo Matth. Galen. Canc. Duac. Theophyl. parochialis.

Conſuetudo hæc, & ſimul probatur, & ſubinde nouis vinculis ſtatutorum Synodalium noſtri Belgii, & aliarum Prouinciarum firmatur, conſtat ex conciliis noſtris Prouincialibus, Mechlinienſi, & Cameracenſi de confeſſione. Synodo Attrebatenſi *cap.4 de pænitent.* & Synodo Audomarenſi *capite 7. de pænitent.* unde conſuetudo illa confitendi in Paſchate aut Quadrageſima, cuius meminit Cõcilium Tridentinum non eſt libera, ſed obligatoria ſtatutis Prouincialibus, ac Diœceſanis inducta, & præterea cui nulla in parte, nullo in loco, nullo in tempore eſt derogatum. Vt ſolidè docet ex more Theophylus Parochialis *part.3.art.9.* Nec conſuetudo hæc uidetur ſolum oſtendere obligationem per accidens, ſed etiam per ſe, tum quia non tantum qui communicaturi ſunt, ſed ceteri etiam homines cenſẽtur teneri hac obligatione, tum etiam, quia ipſimet, qui ſunt communicaturi, timent uiolationem huius præcepti, & non ſolum ex obligatione communicandi, ſed etiam ex ui huius præcepti putant ſe ad confeſſionem teneri.

Syn. attreb. Syn. audom.

Et licet Azorius *tom. 1. lib.7.ca.39.q 5.* putat Canonem *Omnis vtriuſque ſexus*, obligare ad confitendum ſemel in anno abſque temporis determinatione, non tamen impedit(inquit) quin conſuetudo, uel ſpeciale ius alicubi receptum, interpretetur ac declaret confeſſionem annuam tempore Paſchatis eſſe faciendam.

Azorius.

Non eſt tamen improbabilis ſententia illorum, qui arbitrantur annum pro impletione dicti præcepti computandum eſſe à Ianuario in Ianuarium quia annus abſolutè dictus communiter, & ordinariè ſic computatur. Item, & illorum qui putant vnicuique computandum eſſe ſuum annum, ab ultima confeſſione. Vide Vaſquez *q.90.art.3. dub.1.* Sylutium *in Supplem.q 6.art.9.q* 3. Dianam *p.4.tr.4 reſ.* 206.

Vaſquez. Sylueſt. Diana.

10 Communis ſententia eſt, illum, qui præuidet forè quòd non ſit habiturus copiam confeſſarii in articulo, mortis, aut ſequenti tempore præſentis anni, teneri præuenire, lethalia peccata ſua confitendo, oblata opportunitate confeſſarii, antequam adueniat articulus mortis: vel elabatur annus in quo tenetur confiteri. Quod autem his diuinum ad confeſſionem obliget, ſi intra annum occurrat mortis periculum, per ſe notum eſt.

Poſterioris verò ratio eſt, quia præceptum confeſſionis non limitatur ad Quadrageſimam, ad tollendam obligationem, ergo ſicut obligat poſt Quadrageſimam, quando in illa impletum non fuit, ſic obligauit ante illam: quando præuidemus impedimentum in quo, in illa illud implere non poſſumus, nec hoc præceptum limitatur ad finem anni, ſed obligat ad confitendum ſemel in anno peccata commiſſa & non confeſſa: ſed, ſi homo poſitus in illa opportunitate, non confiteatur ſtatim, non implebit præceptum in anno, imò reddit ſe impotentem ad implendum illud ergo tenetur tunc confiteri. Ita communiter Theologi D. Bonauentura *4.d.17.2.p.art.2.q.2.* Petrus Soto *de confeſſ.lect.5.* Nauarrus *in cap.2.num.10.* Sylueſt *v.confeſſio 1 quæſt.2* Reginaldus *lib.6.num 25.* Filliucius *tract.7. num.58.* Diana *p 3.tract.14 reſol.69.* Puteanus *3 part.quæſt. 90.part.2.qu 1 dub. vltim.concl.3.* Sylutius *in ſupp. quæſt. 6. art.9.quæſt.* 3. Bonacina *diſput. 5. quæſt. 5. ſect. 2. part. 4 numer.21.*

D. Bonau. P. Sotus. Nauarr. Sylueſter. Reginald. Filliucius Diana Puteanus Sylueſt. Bonacina

Sed dubium eſt, an ex iuris diuini, confeſſio ſit in præcepto, quando probabile eſt periculum obliuionis ali-

cuius peccati, vel peccatorum? Resp. in huiusmodi casu non esse obligationem anticipandi confessionem. Ratio est, qu a non tenetur homo iure diuino præuenire, & diligentiam facere, vt peccata conseruet in memoria, sed tantùm tenetur, quando tempus obligationis occurrit, moralem diligentiam facere, vt omnium recordetur, & integrè confiteatur, nō affectando obliuionem peccatorum, neque Concilium Florentinum, aut Tridentinum aliud requirit. Ita Syluester, *v. confessio*, 1. q. 2. Nauarrus, *in man. c.* 21. *num.* 35. Victoria, *num.* 132 Sylvius, *qu. 6. art. 5. quæsit.* 1. *conclus.* 3. & alii.

Syluester, Nauarrus, Victoria, Siluius.

11 Probabilissimum est per confessionem informem satisfieri Ecclesiastico præcepto de annua confessione, hoc est, quamuis integra confessio non fiat, aut legitimus peccatorum desit dolor, & detestatio, aut idoneum propositum cauendi peccata in futurum, aut diligens peccatorum discussio; dummodò nihil horum in confessione dedita opera, aut per negligentiam, seu ignorantiam affectatam, quamuis per crassam à pœnitente fuerit admissum valet confessio, nec illa eodem anno repeti debet; quamuis necessarius sit dolor, per verum cordis pœnitentiam, de culpa commissa, vt effectus gratiæ percipiatur. Ratio huius sententiæ est, tum quia præceptum Ecclesiæ obligat ad substantiam actus, non verò ad modum. Tū quia ex præcepto Ecclesiæ tantùm quis obligatur recipere Sacramentum pœnitentiæ, sed qui facit confessionem informem, recipit Sacramentum pœnitentiæ, cum Sacramentum informe sit validum, vt patebit *infra*, v. Confessio Sacramentalis, *n.* 8. Ita D. Thomas, *in 4. dist* 17. q. 3. *art.* 4. *ad* 1. Suarez *disp.* 36. *sect.* 7. *n.* 6. Valentia, *tom.* 4. *disp.* 7. *qu.* 11. *punct.* 2. & 3. Filliucius, *tr.* 7. *n.* 65. Victoria, *n.* 163. Nauarrus, *in man. c.* 9. *n.* 13. Syluester, *v. confessio*, 1 q 22. 23. Henriquez, *lib.* 4. *c.* 5. *n.* 1. Azorius, *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 40 q. 3.

D. Thom. Suarez Valentia Filliucius. Victoria. Nauarrus Syluester. Henriq. Azorius.

Sed quia sententia illorum, qui negant dari posse hoc Sacramentum validum, & informe, improbabilis non est; ideò probabile etiam est per talem confessionem, præceptum Ecclesiæ non impleri, ac proinde eodem anno repeti debere. Ratio autem est, quòd Ecclesia præcipiat taliter confessionem fieri, quam Christus instituit; at confessio à Christo Domino instituta, debet esse omnium peccatorum integra, & debito ac legitimo cum eorum dolore coniuncta, ergo, &c. Prima tamen sententia mihi placet, quæ benigniùs, & mitiùs hoc præceptum interpretatur, & meritò ne pœnitentes; & suorum peccatorum confessionem facientes crebris scrupulis grauiter diuexentur. Vasquez, *q.* 92. *art.* 3. *dub.* 5. *n.* 5. Medina, *de confess. q.* 16. Angles, *v. confessio*, 1. *num.* 14. D. Bonauent. *in 4. dist.* 17. 2. *part. d. artic.* 2. *quæstione tertia*.

Vasquez Medina. Angles. D. Bonau.

12 Qui confessionem fecit imperfectam dedita opera, aut per negligentiam, ignorantiam affectatam, puta, quia non confitetur omnia peccata sua, aut quamuis confiteatur omnia, quorum memoriam habet, id tamen facit sine legitima contritione cordis, aut sine debita conscientiæ discussione, nec diuino, nec humano præcepto confessionis satisfacit: quia talis, nec facit, nec facere curat, id, quod Christus instituit, & quod secundùm Christi intentionem Ecclesia quotannis fieri præcipit. Tum quia non aliam confessionem præcipit Ecclesia, quàm Deus, sed præcepto diuino quis non satisfacit, nisi per susceptionem Sacramenti, ergo nec Ecclesiastico. Contra Fagundez, Victoriam, & alios infra Medina, *de confess. q.* 16. Coninck, *disp.* 5. *dub.* 9. *numer.* 7. Layman, *libr.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 11. Reginald. *lib.* 6. *n.* 54. & 55. Sylvius, *in Suppl. q.* 6. *art.* 5 q. 4. Filliucius, *tract.* 7. *n.* 41.

Fagund. Victoria. Medina Coninch. Layman. Reginald. Siluius Filliucius

13 Qui peccata sua confitetur, & sua culpa non absoluitur, vt si sit publicus vsurarius, aut meretrix, qui non volunt relinquere occasiones proximas peccandi; non satisfacit præcepto, quandoquidem de ratione confessionis à Christo præcepte est, vt ordinetur absolutionem, tanquā Sacerdotis sententiam excipiendam Ita Azorius, *to.* 1. *libr.* 7. *c.* 29. *q.* 4. Filliucius, *tr.* 7. *n.* 64. Bonacina, *disp.* 5. *quæst.* 5. *sectio.* 2. *p.* 4. *n.* 24.

Azorius Filliucius Bonacina. Diana.

Quamuis Diana, *part.* 3. *tr.* 4. *resol* 140. Fagundez, *prac.* 2. *lib* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Victoria, *in sum n.* 163. Sà, *v. confess. n.* 1. probabile putent aliquem satisfacere præcepto Ecclesiæ cum confessione voluntariè nulla: Ratio autem illius probabilitatis est, tum quia Ecclesia tantùm potest præcipere actum externum, ille autem qui ex malitia & culpa sua tacet aliquod peccatum, vel proximam occasionem peccandi, vel non accedit ad confessionem cum dolore requisito, exteriùs facit quod Ecclesia præcipit, tantumque deest illi actus interior. Tum quia Ecclesia præcipit confessionem non absolutionem, vnde absolutio videtur finis, non materia huius præcepti, ergo licet aliquis ita confiteatur, vt ob malitiam suam, & culpa sua inualidè absoluatur, vel absolui non possit, nihilominus implet præceptum. Sed primam sententiam tene.

Certum est tamen, quòd talis inualidè absolutus, liberetur à reseruatione peccatorum, si confessarius potestatem habeat ab iis absoluendi, vt dictum est *supra* v. Casus reseruatus *num.* 29. & docent Coninck *disp.* 8. *dub.* 12. *numer.* 91. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 11. Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 9.

Coninch Layman Suar.

De illo autem qui prout potuit dignè confessus est, sed ex malitia Sacerdotis, vel ex aliquo casu repentino absolutionem Sacramentalem non accepit, an satisfaciat præcepto confessionis? Dicendum est quòd non quia talis non suscipit Sacramentum, quod sine absolutione non perficitur. Quamuis aliqui contradicant. Vide Sylvius *quæst.* 6. *art.* 5. *quæst.* 4. Suarez *disp.* 36. *sect.* 7. *num.* 4. Filliucium *tract.* 7. *num* 64. Nauarrum *in man. c.* 10 *num.* 4.

Syluius suarez Filliucius Nauarrus

14 Quorumdam Doctorum sententia non improbabilis est, pœnitentem, qui non fecit confessionem perfectam volontariè prætermittens aliquod peccatum mortale sine causa, aut debito caruit dolore, non incurrere censuras, si quæ infligerentur, contra eos, qui non sunt confessi. Ratio illorum est, quia quamuis talis non adimpleat præceptum, iste tamen defectus adeò est occultus, ut non uideatur cadere sub pœnas Ecclesiæ. Ita Henriq. *l.* 4. *c.* 5. & *l.* 2. *c.* 14. *n* 8. Nauarrus *in man. cap.* 10. *n.* 4. & alii.

Henriq. Nauarrus.

Mihi tamen probabilius uidetur, talem incurrere censuras. Ratio est, tum quia censetur contumax contra Ecclesiam, cùm non adimpleat præceptum, ob cuius transgressionem imposita est censura. Tum quia sæpè Ecclesia punit exteriorem actionem propter interiorem defectum, quatenus malitia redundat in exteriorem actum, vt constat ex materia de hæresi. Illa enim actio exterior absolutè est mala; & in præsenti materia, confessio illa, & absolutio tales sunt, vt exteriùs non impleant præceptum Sacramenti: ergo ille homo etiam exteriùs non implet hoc præceptum, quod non vtcunque præcipit illas actiones externas, sed ut pertinent ad perfectionem Sacramenti Ita Corduba *in Sum. q.* 15. Suarez *c. sect.* 8. *nu.* 4. Bonacina *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 4. *n.* 25.

Cordub. suarez Bonacina

15 Quando aliquid præcipitur ab Ecclesia absolutè, & simpliciter, non spectata propriè circumstantia temporis, sed potiùs ne diutiùs executio differatur, elapso tempore determinato non cessat obligatio, vnde cùm præceptum confessionis tale sit, dicendum est, illum qui non est confessus anno præterito, teneri hoc anno quamprimùm confiteri, ex præcepto annuæ confessionis, ita vt eò magis, ac magis peccet, quò magis ac magis confessionem voluntariè differt. Probatur autem hoc ex forma & intentione præcepti: mandatur enim, vt saltem semel in anno confiteamur: intentio verò præcepti est vt confessio nimium non differatur; ergo ita obligat, vt intra annum fiat confessio, vt si tunc non impleatur, semper ac continuò obliget, ne amplius differatur.

Secus dicendum quando aliquid præcipitur ob circumstantiam, conditionem, seu honorem alicuius temporis, elapso enim tempore determinato, cessat præcepti obligatio: ut patet de obligatione quotidie horas Canonicas recitandi; & audiendi Missam diebus festis. Hæc est communior & probabilior sententia Soti 4. *dist.* 18. *qu.* 1. *art.* 4. Reginaldi *lib.* 6. *num.* 37. Fagundez *prac.* 2. *l.* 1 *c.* 4 Vasquez *quæst.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. *num* 3. Suarez *dist.* 36. *sect.* 4. *num.* 2. Dianæ *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 130. Nauarri *in man. cap.* 21 *num.* 45. Nugni *in Supplem.* 3. *p. quæst.* 6. *art.* 5. *diffic.* 6. Bonacinæ *c. punct.* 4. *num.* 26. & aliorum. Contra D. Antoninum, Tabienam, Syluestrum apud Suarez & Dianam.

Sotus. Reginald. Fagund. Vasq. suar. Diana Nauarrus. nugnus. Bonacina. D. Anton. Tabiena Syluester Diana Bonacina.

Adnotandum tamen hic est, cum Bonacina *loco citato num.* 28. & 29. illum, qui non est confessus tempore periculi mortis, cùm haberet conscientiam peccati mortalis non teneri postea quamprimùm confiteri, qui præce-

ptum

ptum confessionis eo tempore obligat propter periculum damnationis, sed sublato periculo mortis, dictum periculum damnationis abest: secus dicendum de præcepto confessionis annuæ, quod obligat quamprimùm elapso anno ad confessionem anno præcedenti prætermissam cùm terminus ab Ecclesia non fuerit appositus ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem. Ita ille.

16 Probabilius est, illum, qui distulit confessionem anni præteriti vsque ad præsentem annum, & vtroque anno habuit peccata mortalia necessariò confessioni subiicienda, vnica confessione non satisfacere vtrique obligationi, cùm ad vnam confessionem teneatur ratione anni præteriti, & ad alteram, ratione præsentis anni. Ita videmus Pastores exigere, confessionem debitam huic Quadragesimæ vt nihilominus censeant manere hominem obligatum ad confitendum in sequenti, vel vsque ad sequentem Quadragesimam, vnde eodem modo, & per eamdem excommunicationem exigent post sequentem confessionem; Ita Suarez *disp.36.se.4.n.5.* Nugnus *in Suppl.3.p.q 6.a.5.diffi.5.* Coninck *d.5.du.8.n.65.* Filliucius *tr.7.n.56.* Syluius *3.p.q.80.a.11.quæsit.4.& in Suppl.q.6.a.5.quæst.3.* Oppositum tamen aliquibus non videtur improbabile, cùm vsu receptum videatur, vt qui multis præcedentibus annis non est confessus, vnicam in sequentibus annis faciat confessionem vt docet Diana *part.8.tract.7.res.*80

Suarez. nugnus. Coninck. filliucius. Syluius.

Diana

17 Præcepto confessionis satisfecit, qui per obliuionẽ, vel aliam causam in confessione prætermisit aliquod peccatum, cuius recordatur post sumptionem Eucharistiæ, aut post Pascha: nec tenetur ex vi præcepti annuæ confessionis illud peccatum quamprimùm confiteri, aut intra illum annum, sed potest differre confessionem illius peccati donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur Ratio est, quia Ecclesiasticum præceptum obligat tantùm ad confitenda omnia peccata illo anno commissa, quantũ memoriæ occurrunt facta diligentia, sed qui facit, vt potest, confessionem totius anni, integrè, & absolutè implet præceptum Ecclesiasticum, & ideò etiamsi ex accidenti aliquid omittat, non manet obligatus vsque ad sequentem annum. Tamen, si ante communionem recordetur, tenetur, per se loquendo, peccatum illud mortale oblitum cõfiteri ante communionem. Ita Nauarrus *in Man.c.2 n.*10. Syluius *3.p. in Suppl.q.6. art.5. q.*3. Suarez *disp.23. sect.*2. Valentia *tom.4.disp.7.q 11.p.*1 Diana *part.3. tract.4.resol.*134. Victoria *n.*137. Layman *l.5.tract.6. c.8. nu.*13. De la Crux *in direct.p.2.de Sacramen. pœnit q.3. dub.2. concl.*3.

Nauarrus Syluius. Suarez Valentia. Diana Victoria. layman. DelaCrux

18 Qui confessus est hoc anno peccata solùm venialia, cùm non haberet conscientiam peccati mortalis, si post confessionem committat aliquod peccatum mortale, nondum elapso anno, tenetur eodem anno iterum confiteri: tum quia nunquam hoc anno confessus est peccata mortalia, cùm *Cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* obligat ad mortalia semel in anno confitenda, si alicuius peccati mortalis pœnitens intra annum sibi conscius sit. Tum quia consuetudo Ecclesiæ ita videtur præceptum interpretari, nullus enim contentus est confessione priori tempore facta, si tunc habeat consciẽtiam peccati mortalis, & Pastores Ecclesiæ eo tempore cogunt ad confessionem faciendam. Ita Suarez *disp.36.sect.3 n.9.& sect.4.n.*7. Vasquez *quæst.90.art.3.dub.*1. Bonacina *disp.5.quæst.5. sect.2.part.4.num.*33. Reginaldus *lib.6.n.*38.

Suarez Vasquez Bonacina. Reginald

CONFESSIO SACRAMENTALIS II.

Quando confessio Sacramentalis non obliget.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum confessionis non obligat, cum graui detrimento.*
2 *An præceptum Diuinum, & Ecclesiasticum obligent ad confessionem, quando fieri non potest seruato sigillo.*
3 *An extra articulum mortis sit obligatio confitendi per scripturam?* Refertur duplex sententia

1 AB obligatione confessionis excusantur fideles, quoties absolutè aut sine graui detrimento fieri non potest confessio. Ratio est, quia nec Christus, nec Ecclesia cum graui incommodo obligant, vnde qui non habet copiam confessarii, nec eius copiam habere potest, nisi longum iter suscipiat, excusatur ab obligatione confessionis, si nequeat iter suscipere absq; graui incommodo; iudicio prudentis viri, quia non solùm physica, & absoluta impotentia, sed etiam extraordinaria difficultas moralis, qualis est hæc, excusat.

Similter qui sibi aut alteri probabiliter timet reuelationem peccati, aut aliud graue detrimentum, excusatur à confessione eorum pecatorum, ex quorum manifestatione probabiliter timet reuelationis periculum, aut aliud graue detrimentum: tenetur tamen hic confiteri alia peccata mortalia, si quæ habeat, de quibus non subest periculum. Vt dicetur infrà cùm de integritate confessionis *v. Confessio* 5. Ita Suarez *disp. 36.sect 6.num.*1. Syluius *in Suppl.q.9.art 2 q.*4. Nugnus *in Suppl.q.6.art.6* Filliuc. *tr.7.c.3.q.*8. Reginaldus *l.6.n.* 51. Puteanus *3.p.q.90.p 2.de conf.dub.*5. Graffiis *in append.l.1.c.10.n.7.*& alii.

Suarez Syluius. nugnus. Filliucius. Reginalds Puteanus. Graffiis

2 Non solùm præceptum Ecclesiasticum, sed etiam Diuinum, non obligat illum ad confessionem qui non potest sua peccata confiteri seruato secreto sigilli confessionis, vt quando confessarius est surdus, aut pœnitentis non potest peccata sua explicare nisi aliis audientibus, aut quãdo non potest fieri confessio nisi per interpretrem, in his casibus quamuis vrgeat tempus communionis ius Diuinum, & Ecclesiasticum non obligant ad confessionem illam publicam cum tanto incommodo. Ratio est, quia cùm hoc præceptum affirmatiuum sit, non obligat pro sẽper, sed temporibus opportunis, moraliter autem, & prudenter non censetur opportunum tempus, quando homo non potest ordinariè, & sub secreto coofiteri, & aliàs non vrget extrema necessitas. Ita Syluest. *v Confessio 1.n.*16. Henriquez *l.4.c.4.n.*4. Fagund. *præcept.2.l.1.cap* 6. Sãcius *in selectis disp.* 23. De la Crux *in direct.p 2 de pæn.q.3.dub.7.concl.*1. Syluius *in Suppl.q.9.art.3.conclus.*3.

Syluester. Henriq. Fagundez Sancius De la cru. Syluius.

In articulo verò mortis, quando peccator non potest actum contritionis elicere, aut, dubitat de sua contritione, teneretur ad confessionem illam publicam vel per interpretrem, non ex ui præcepti confessionis, sed ex obligatione penitentiæ, vt sic, seu satisfaciendi Deo, & ex obligatione charitatis, ne se periculo damnationis exponeret, non adhibendo media necessaria ad salutem propriam, secus dicendum si habeat actum contritionis, nec de illo probabiliter timeat. Ita Suarez *c.disp.36.sect.6 n.* 4. Diana *p.3 tr.4.res.*129. Vasq. *q. 91. art. 4. dub.*3. Reginald *l.6 n.* 51.

Suarez. Diana. uasquez. Reginald.

Quidam tamen DD. existimant talem pœnitentem in articulo mortis posse tacere peccata maioris infamiæ, quia in tali casu non tenetur facere confessionem materialiter integram, sed formaliter. Ita Fagundez *præcept.2 l.1.c.6,n* 8. Henriq. *lib.4.cap.4.n*4. Layman *l.5,tract.6.c.6, num.* 5. Indò in tali casu posse quem confiteri aliqua peccata venialia & generatim omnia mortalia putant Coninch *disp.5.dub.*10.*n.* 77. Molfesius *in Sum.to.1.tr.7.c.11.n.*12. quod nooest improbabile.

Fagundez. Henrique layman.

Molfesius

3 Nonnullorum Doctorum senteutia est, illum excusari à præcepto cofessionis, qui non potest confiteri nisi per scriptum, vt quia vel ipse mutus est, vel confessor surdus, & non potest se aliis nutibus explicare. Ratio huius sententiæ est, tũ quia nemo tenetur ad confessionẽ cũ suo graui incommodo, & cum periculo, vt peccata ab aliis cognoscantur. Tum quia scriptura est publicum instrumentum, & qui scribit peccata, exponit se periculo amittendi scriptum, vel vt confessor illud accipiat de manibus eius, & in publicum ferat. Ita Nauarrus *in Man cap.21.n.*30. Victoria *n.*138. Valentia *tom.4.disp.6.q.11.art.*1. Diana *p.3.tr.4 resol.*128: Filliuc *tr. 7 n.*63. De la Crux *in direct.p.2.q.3.dub.7.concl.1.*& alii probabiliter.

nauarr. Victoria ualentia. Diana filliucius. Dela cru

Sed mihi contraria sententia videtur probabilior, maximè si commode, & sine periculo confiteri possit per scripturam. Ratio est, tum quia nullum est incommodum, neque vllum damnum affert per scriptum confiteri, nam si aliquod, maximè publicam manifestationem peccati, cuius morale periculum ne sequatur facilè caueri potest. Potest enim pœnitens scribere sua peccata coram

Sacerdoti & statim perstringere chartam, vel habere librum typis impressum, in quo digitis indicet peccata confessario, descripto in alia charta numero peccatorum. Tum quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria saltem & commoda, conducentia talem finem.

Hæc sententia est tenenda in praxi, præcipuè in articulo seu periculo mortis, tanquam securior, ec quis periculum salutis incurrat. Ita Syluest. *v. confessio 1. q. 15* Syluius *in Supplem. n. 9. art. 3. conf. 3.* Coninck *disp. 5. dub 10. n. 78.* Suarez *disp 36. sect. 6. n. 7.* Nugnus *in Suppl. 3. p. q 9. art. 3.* Vasquez *q 91. art. 4. dub. 5.* Becanus *de Sacram. c. 37. q. 7.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 6. num. 4.*

Silvester, Siluius, Coninch, Suarez, nugnus, Vasquez, Becanus, Laiman

Vide Communio Sacra. *num. 27. 28.* & sequent.

CONFESSIO.

SACRAMENTALIS III.

Quoad materiam eius.

SVMMARIVM.

1 *Materia necessaria confessionis, sunt omnia peccata mortalia post baptismum commissa.*

2 *Peccata venialia sunt quidem materia sufficiens confessionis, non tamen necessaria, nisi in duobus casibus. Et an sit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus quæ in confessione dicuntur.*

3 *Peccata mortalia, alias legitimè confessa, sunt etiam materia sufficiens confessionis.*

4 *Peccata ritè clauibus subiecta, non sunt necessaria materia confessionis. Et an Prælati regulares possint sibi subditis statutum ponere, vt sibi confiteantur peccata omnia semel in anno, aliàs ritè confessa.*

5 *An detur aliquod præceptum diuinum, vel Ecclesiasticum, obligans ad confessionem venialium.*

6 *Peccatum dubium, an sit materia sufficiens, vel necessaria confessionis.*

An qui confessus est mortale dubium teneatur reconfiteri vt certum, si postea aduertat fuisse mortale certum.

1 Materia Sacramenti pœnitentiæ est duplex, proxima & remota. Proxima sunt actus pœnitentis videlicet, contritio, confessio, & satisfactio, hoc constat tum ex Tridentino *sess. 14. c. 3.* & Florentino, vbi hi tres actus recensentur, quasi materia huius Sacramenti: Non additur *quasi*, eò quòd ista veram materiæ rationem non habeant, qualis ad constitutionem Sacramenti requiritur sed quia non sunt materia extrinseca & visibilis, sicut est materia Baptismi, Eucharistiæ, &c.

Con. Trid. Conc. Flor.

Materia remota sunt peccata. Ratio est, quia illa remota materia dicitur, circa quam versatur proxima, hæc autem sunt actus pœnitentis, vt dictum est, qui versantur circa peccata destruenda & abolenda, ergo. Proinde.

Omnia peccata mortalia post baptismum commissa, sunt materia necessaria confessionis, ex præcepto, & quantùm moraliter potest fieri, vni eidemque Sacerdoti sunt aperienda, in eadem confessione, in ordine ad vnam, & eandem absolutionem. Ratio est, tùm quia peccata ante baptismum perpetrata, non subduntur tribunali Ecclesiæ, quia remittuntur per se à Baptismo, & persona pro eo statu nõ est de iurisdictione Ecclesiæ, ideò eius actus non sunt subiecti clauibus Tum quia definitum est à Concilio Tridentino *sess. 14. can. 7.* his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse iure diuino confiteri omnia & singula peccata mortalia, &c Anathema sit.* Tum quia vnum peccatum mortale remitti nequit sine alio, nec Sacerdos potest absolutionem diuidere, vnum peccatum remittendo alterum retinendo. Vide D. Thom. *3. p. q. 84. art. a.* Syluium *ibid* Suarez *to. 4. disp. 18. se. 1.* Filliucius *tr. 6. c. 3. q. 12 & 3.* Bonacina *to. 1. d. 5. q. 3. pu. 1. & 2* Puteanus *3 p. q. 84. a. 2.* Coninck *de pœn. d. 4. du. 3 & 4.* Henriq. *l. 4 c. 9.* Valent. *to. 4. disp. 7. q. 1. p. a.* Medinam *C. de conf. q. 5.* Layman *l. 5. tract. 6. c 3. n. 5. 6.*

Con. Trid. D. Thom. Siluium, Suarez, Filliucius, Bonacina, puteanus, Coninch, Henriquez, Valentia, Medinam, Laiman

2 Peccata venialia sunt quidem materia sufficiens confessionis, non tamen necessaria: Probatur prior pars ex Tridentino *sess. 14. can. 7 Si quis dixerit non licere confiteri peccata venialia, anathema sit*, & cap 5. docetur peccata venialia rectè & vtiliter, citràque omnem præsumptionẽ in confessione dici. Posterior pars probari potest ex eo, quòd pœnitentia sit secunda post naufragium tabula, peccatum autem veniale non est naufragium, cùm non frangat innocentiæ nauem, separando hominem à Deo: ergo non sunt necessariò subiicienda Sacramento pœnitentiæ. Ita Nauarrus *in Man. c. 21. nu. 34.* Coninck *disp. 4. dub. 3. n. 27.* Bonacina *tom. 1. d. 5. q. 3. p. 1. n. 5.* Reginaldus *l. 6. n 92.* Suarez *disp. 18. sect. 4. nu. 8.* Victoria *in Sum. num. 166.* & alij communiter. Proinde pœnitens habens plura venialia, potest aliqua confiteri, & alia reticere.

Nauarrus, Coninch, Bonacina, Reginald, Suar. Victoria

In duobus tamen casibus necessariò de veniali esset facienda confessio, sicut & de mortali.

Primò, quando dubitatur de veniali an sit mortale, vel de mortali an sit veniale, hoc est, quando quis quasi in æquilibrio constitutus, non magis ad vnam partem, quàm ad alteram oppositam declinat, saltem notabiliter, etiamsi aliqualiter coniecturet de earum vna, sed sine probabilitate; secùs si habeat assensum probabilem circa factum, quod iudicet vel nullum commisisse peccatum, vel saltem tale peccatum non esse mortale.

Secundo, quando quis tantopere afficitur ad aliquod peccatum veniale, vt timeat se per illud inducendum ad mortale, nisi confitendo frænet fortiter talem affectum, nam consentiret alioquin in mortale, consensu saltem interpretatiuo. Ita Sanchez *l. 1. mor. cap. 10. n. 66.* Syluius *in Sup. q. 6. a. 4. in resol. 3.* Mercerus *3. p. q 6 art. 4 n. 7.* Turrianus *de pœnit q. 9. art. 2. disp. 29. dub. 6.* Valentia *tom. 4. disp. 7 q. 8. p 3.* Suarez *disp. 22. sect 9* Diana *p. 4. tract. 3. res. 5.*

Sanch. Syluius, Mercerus, Turrianus, Valentia, Suar. Diana.

Sed dubitabis, an sit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in confessione dicuntur? Resp. videri quòd sic, quia confiteri aliquod veniale absq; dolore efficaci, est opponere pro materia sacramenti id, quod non potest esse eius materia, deinde confessio singulorum est partialis materia, ergo debet esse vera accusatio, ergo requirit attritionem de omnibus: Ob has rationes non pauci affirmant esse mortale Sed apud me probabilior videtur sententia negans id esse peccatum mortale. Ratio est, tum quia in pœnitentiæ sacramento frequenter pij homines solent se accusare de imperfectionibus & defectibus qui non sunt peccata venialia, nec aliquis dixit, eos in hoc peccare mortaliter. Tum quia materia talis culpæ leuis est quia defectus illius doloris, vel propositi per se, & natura sua non est contrarius gratiæ & iustificationi, quæ est primarius effectus huius Sacramenti, per formam significatus; neque etiam impedit remissionem aliorum peccatorum venialium, de quibus vera fit accusatio capax veræ absolutionis non obstante obice alicuius peccati venialis. Tum quia accusans se de aliquo veniali, quod non fecit, non peccat mortaliter, secundùm communiorem, & veriorem sententiam, si apponat aliam materiam veram, in quo etiam casu apponi videtur pro materia id quod non est materia valida. Ergo nec in nostro casu accusare se de peccato veniali absque dolore, & proposito efficaci illius vitandi, erit peccatum mortale. Tum quia in aliis Sacramentis admixtio alicuius partis, quæ non sit materia valida non est culpa grauis, dum tamẽ apponatur materia valida. Sic enim in baptismo, cùm aquæ effundendæ miscetur aliqua pars olei benedicti, quæ quidem non est materia valida Sacramenti. Huius sententiæ sunt Suarez *de pœnit. disp. 20. sect. 6. num. 7.* Henriquez *de Sacram. pœn. l. 1. cap. 26 §. 7.* Fagundez *lib. 2. cap. 1. num. 13.* Caspensis *tract. 24. disp. 4. sect. 10. num. 9.*

Suar. Henriquez, Fagund. Caspensis

3 Communis sententia est peccata mortalia iam aliàs ritè in confessione expressa, & legitima absolutione expurgata, esse materiam sufficientem confessionis, quamuis sola & sine admixtione aliorum peccatorum. Ratio est quia cùm ex ratione propria Sacramenti pœnitentiæ sit, vt medicinale sit, & curatiuum infirmitatis peccati actualis, & remaneant in anima post deletam culpam, & pœnã multa alia mala, verificatur forma Sacramenti pœnitentiæ, *Absoluo te*, &c. conferendo gratiam Sacramentalem, quæ quatenus talis, non solùm ad culpam, & pœnam sed adhuc ad alios per peccatum contractos animæ morbos.

bos sanandos extenditur Sicut enim eadem numero aqua quæ est materia remota baptismi, potest adhiberi in administratione plurium baptismatum, ita eadem peccata possunt inseruire pro materia plurium Sacramentorum pœnitentiæ, modò adsit distincta materia proxima, idest, distinctus dolor, & distincta confessio. Ita communiter Doctores. Probatur id ex communi praxi, & vsu piorum, qui sæpè generales confessiones de suis peccatis alias confessis facere solent, etiamsi nullum dubium habeant, quòd priores fuerint inualidæ: Ex multis regulis, & constitutionibus Sacrorum Ordinum, qui piè, & sanctè alumnos suos ad generales confessiones faciendas obligant. Ex *C. Quem pœnitet, de pœnit dist.* 1. vbi se legitur: *Vnde patet, quod quando pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis; tanto facilius consequetur misericordiam remissionis* Caietanus, *tom.* 1. *opusc. tract.* 5 *q.* 4. Reginaldus, *lib.* 6. *num.* 94. & 95. Suarez, *disp.* 18. *sect.* 1. *n.* 6. Nauarrus, *in Man. c.* 21. *num.* 42. Vasquez, 3. *p. q.* 91. *art.* 3. *dub.* 7. Filliucius, *tr.* 6. *n.* 59. Bonacina, *tom.* 1. *dist.* 5. *q.* 3. *p.* 1. *n.* 10. Henriq. *lib.* 4 *c.* 9. *n.* 4.

Caietanus. Reginald. Suarez. Nauarrus. Vasq. Filliucius. Bonacina. henriq.

4 Peccata iam ritè clauibus Ecclesiæ subiecta, sicuti, & venialia, non sunt necessaria materia confessionis. Ratio est, quia nullum extat præceptum diuinum obligans ad iterandam contritionem peccatorum, de quibus iam habita est, ac proinde nec ad iterandam confessionem peccatorum, de quibus iam facta fuit: vnde in confessione talium peccatorum sicuti, & venialium, liberum est quædam reticere: item vni Sacerdoti partem eiusmodi peccatorum confiteri, & alteri alteram Ita Nauarrus, *c.* 9. *n.* 1. Victoria, *n.* 166. Bonacina, *c. punct.* 1. *n.* 10. 11. Reginald. *lib.* 6. *n.* 97. 98.

Nauarrus, Victoria Bonacina. Reginald.

Sed dubium est, an saltem Prælati regulares possint sibi subditis statutum ponere, vt sibi confiteantur peccata omnia semel in anno, etiam aliàs ritè confessa? Respond. Licitum esse statutum, si fiat cum expresso consensu ipsorum regularium. Licet enim præcisè ob integritatem, & perfectionem Sacramenti, non possit fieri præceptum obligans pœnitentem ad huiusmodi confessionem faciendam, secùndùm D. Thomam, *quodlib.* 1. *art.* 12. Durand. *dist.* 17. *q.* 15. & alios apud Nauarrum, *in Man. c.* 9. tamen ex voluntario consensu, & quasi pacto inito, potest hæc obligatio suscipi à peccatore; nam potest quis voto se obligare ad generalē confessionem faciendam, vel totius vitæ, vel vnius anni, etiamsi sæpiùs ritè confessus sit, & deinde ratione voti obligatur, ad confitendum iterum mortalia, aliàs ritè confessa Ita religiosus pariter potest consentire, vt huiusmodi statutum in religione fiat, quod obligabit sub mortali illos, qui profitentur talem religionem. Atque ita de facto refertur esse tale statutum in Ordine Cisterciensi, Carthusiensi, nec non Fratrum Carmelitarum Discalceatorum. Secluso autem statuto, & non intercedente consensu, & voluntate pœnitentium, Prælatus non posset hanc obligationem absoluto præcepto imponere, quia hæc est propria materia consilii, & ideò non cadit sub præceptum humanum: & cùm res sit valdè difficilis, nulla potest esse necessitas, quæ suadeat tale imponi præceptum. Vide Nauarrū *in c. placuit, n.* 118 *de pœnit. dist* 6. Suarez, 3. *p. tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 7. Henriquez, *lib.* 2. *de Sacram. pœnit. ca.* 16. & 17. Reginaldum, *lib.* 6. *n.* 109. & nostrum Coriolanum, *de casib. reseru. p.* 1. *sect.* 1. *art.* 9.

D Thom. Durand. Nauarrus.

nauarrus, Suarez henriq Reginald. Coriolan.

Hodie tamen post decretum Clementis Octaui, de reseruatione casuum pro regularibus, non possunt ampliùs Prælati suos subditos compellere, vt peccata sua confessa ipsis confiteantur; nisi ipsiusmet sponte, & motu proprio id ab eis petierint; vel nisi peccata habeant reseruata, vt patet ex textu ipsius Decreti, §. 3 *supra* verb. Casus reseruatus, *n.* 40.

5 Nullum datur præceptum neque Diuinum, neq; Ecclesiasticum obligans ad confessionem venialium. Vnde secundùm communiorem sententiam, qui tantùm habet venialia, non tenetur ad annuam confessionem. Religiosi tamen ratione sui instituti, & sæculares ratione voti, aut iuramenti possunt ad id teneri: sed quod ad religiosos attinet, non videntur ad id teneri nisi sub veniali, etiam Nigri Monachi quibus, *in Clement. vnic. de stat. Monach.* menstrua confessio iniungitur: Ita Vasquez, *q.* 90. *art.* 2. *dub.* 2. Layman, *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 5. *n.* 12. Fagundez, *prac.* 2. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 5. Caiet. *tom.* 1. *opusc. tit.* 5. *q.* 1. Cano, *relect. de pœnit.* 5. Diana, *p.* 5. *tr.* 13. *res.* 35.

Vasq. Layman. Fagund. Caietanus Cano Diana.

Sed petes, an Ecclesia possit præcipere confessionem venialium. Sententia verior est affirmatiua. Ratio est, quia Ecclesia ex potestate legislatiua, quam habet in subditos suos, sicut alia opera virtutum præcipere potest, quatenus ad fidelium salutem, & bonum statum Ecclesiæ opportunum videtur, ita etiam poterit præcipere confessionem venialium Ita D. Thom. *in* 4. *dist* 5 *art.* 1. *q.* 3. D. Bonau. 4. *d.* 17. *art.* 2. *q.* 1. *p.* 3. Suarez, *tom.* 4. *d.* 22. *sect* 8 *n.* 5 Nauarrus, *de pœnit d* 6. *c. placuit, n.* 110. Filliucius, *tr* 7. *n.* 107. Syluester. *v. confess.* 1. *q.* 13. In eo enim præcepto nihil est alienum ab institutione huius Sacramenti, neque continet aliquid adeò difficile, vt excedat materiam præcepti; sed est quoddam opus religionis, quod à fidelibus frequenter, & facilè exercetur, & in aliqua occasione potest prudenter iudicari valdè conueniens, ad placandum Deum in communi, & publica necessitate.

D. Thom. D. Bona. Suarez nauarrus Filliuciu. Syluester

6 Peccatum dubium non est materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ Ratio est, quia materia huius Sacramēti est peccatum quod in re est: in re autem non dicitur esse peccatum dubium, sed in ordine ad cognitionem nostram, ex qua non variatur Sacramenti materia. Propterea eùm pœnitentiæ Sacramentum suscipitur, debet adhiberi materia certa, ne absolutio prosternatur super materia indebita Et si confessarius non possit extorquere materiam certam à pœnitente, & iudicauerit absolutionem impendendam, absoluere debet sub conditione, si materia est sufficiens. Quando autem pœnitens dubius est de grauitate peccati à se commissi, veniale sit an mortale, non tenetur aliam materiam exhibere, modo non habeat conscientiam alterius peccati mortalis, quia iam datur certa materia. siue illa sit peccatum mortale, siue veniale. Ita Suarez, *tom.* 4. *disp.* 18. *sect.* 1. *n* 12. & *disp.* 22 *sect.* 9. Sanchez, *libr.* 1. *moral. c.* 10. *n.* 70 Bonacina, *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 9. Layman, *lib.* 5. *tr* 6. *c.* 3. *n* 5.

Suarez Sanchez Filliucius. Bonacina. Layman.

Imò tale peccatum dubium, est materia necessaria confessionis; dum id dubium ex iusta causa non deponitur. Ratio est, quia in dubiis vbi possessio non fauet dubitanti, est necessariò pars tutior amplectenda: at pars tutior est ea peccata dubia confiteri: cùm ea confitens nulli se periculo exponat; at subticens exponit se periculo omittendæ materiæ necessariæ, nempe peccati quod verè erat mortale. Nec possessio fauet dubitanti, quia præceptum confessionis in hoc dubio possidet; nam eo ipso, quod dubium est, an peccatum sit mortale, est certum illius confitendi præceptum, vt testatur Ecclesiæ vsus, & colligitur ex communi sententia Doctorum, tam antiquorum, quàm Neotericorum, & ex Concilio Tridentino, *sess.* 14. *c.* 5 & *can.* 7 vbi sola venialia à confitendi necessitate excepit. Non ergo sūt excipienda peccata, de quibus dubitatur, an mortalia sint.

Con. Trid.

Sed cùm peccata in confessione sint detegenda eo modo quo sunt in conscientia, non vt certa, sed vt dubia sunt confitenda: quia confiteri dubium vt certum, est mentiri, & cùm sit circa materiam confessionis necessariam, nequit à mortali excusari, nisi pœnitens bona fide, & quadā simplicitate id faciat, existimans consultius esse se grauare quàm exonerare, vel sic fatenda esse. Ita D. Thomas, *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 3. Richardus, 4. *d.* 16 *art.* 5. *q.* 1. Maior. 4. *d.* 17. *q.* 2. Nauarrus, *in Man. c.* 9. *n.* 14. & *c.* 21. *n.* 34. Victoria, *nu.* 130. Graffiis. 1. *p. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 11. Suarez, *disp.* 22 *sect.* 9 *nu.* 1. & 2 Clauis Regia, *lib.* 1. *c.* 13 *n.* 4. Axorius, 1. *p. lib.* 11. *c.* 4. *q.* 3. Diana, *p.* 4 *tr.* 3. *res* 5. *p* 6. *tr.* 6. *res.* 32. & alii communiter ab ipsis citati.

D Thom Richard. maior. Nauarrus. victoria Graffiis. suarez. Clau. Reg. Azorius. Diana

Sed petes, an qui confessus est mortale dubium, si postea aduertat fuisse mortale certum, illud teneatur reconfiteri vt certum? Respondetur vel iste tantùm confessus est, se dubium mortale commisisse: vel integrè confessus est totam actionem peccaminosam, licet dubitauerit simul cum confessario, an illa fuerit mortalis. Si primo modo confessus sit, tenebitur illud vt certum re confiteri; qui tenemur peccata confiteri eo modo, quo post diligentem discussionem sunt in conscientia: ergo si peccatum dubium post diligens examen fuit in conscientia certum, tenebimur illud vt certum confiteri, quia vt sic non fuit clauibus subiectū. Si secundo modo, non est iterum confessio illius peccati repetenda, nisi aliunde confessio fuerit irrita, vt quia data opera quæsiuit pœnitens confessorem ignarum, ac insufficientem ad eius confessionem excipiendam. Quia in tali

casu

casu nulla esset noua circumstantia subiicienda clauibus, quæ non sit per priorem confessionem subiecta; nec ad cōfessionis valorem est necessarium, vt penitens, aut confessor sciat determinatè peccatum detectum esse mortale: quippe in omnibus id scire distinctè, & determinatè in indiuiduo, est moraliter impossibile. Ita Corduba, *in sum. q.9.* Sanchez, *lib.1.mor.c.10.n.69.* Diana, *p.4.tr.3.res.5.in fine, & p.6.tr.6.res.21.* & post illum Sanchez, Turrianus, Hurtado citati à Diana. Et hæc sententia est tutior, & probabilior, quamuis contrariam videatur admittere vt probabilem Bresserus, *de consc.lib.4.c.18.n.197.* ob rationes, quas habet Lugo, *de pœnit.d.16.sect.2.§.4.nu 77.* & quam absolutè sustinet Caramuel, *lib.3.Theolog mor.n.1539.* dicens. Confessus peccatum dubium vt dubium, si deprehēdat deinde certum, non tenetur id vt certum confiteri. Ex communi tamen sententia, & praxi tale peccatum est cōfitendum deinde vt certum, sed an praxis ex scrupulo, an ex ratione orta, non disputo. Videtur enim homo pœnitēs non velle disputare, nec librare rationes, sed sequi securissimam partem. Hæc ille, qui etiam, *num.1478. & sequentibus*, probat (à communi sententia recedens) peccata mortalia dubia non esse in Sacramentali confessione aperienda: sed an probabiliter, doctiores iudicabunt. Vide verb. Dubium, *n.7.*

Corduba. Sanchez Diana. Sanchez Turrianus. Hurtado Diana Bresser Lugo Caramuel.

CONFESSIO.

SACRAMENTALIS IV.

Quoad couditiones illius.

SVMMARIVM.

1 *Confessio sexdecim conditiones requirit,*
2 *Confessio debet esse simplex,*
3 *Humilis.*
4 *Pura.*
5 *Fidelis, & quale peccatum sit mentiri in confessione.*
6 *Frequens.*
7 *Nuda.*
8 *Discreta.*
9 *Lubens, & verecunda.*
10 *Integra, & secreta.*
11 *Lachrymabilis, & accelerata.*
12 *Fortis.*
Accusans.
Parere parata.
13 *An iure Diuino teneatur pœnitens, ante confessionem, conscientiam examinare? & qui est debilis memoria, an teneatur scribere peccata.*
14 *An homo pius à peccato mortali excusetur, si in discutienda conscientia bona fide aliqualem diligentiam adhibuerit.*
15 *An diligentia pœnitentis per se insufficiens ad absolutionem, per propositum, & voluntatem respondendi interrogationibus confessarii, possit fieri sufficiens.*
16 *Confessarius, an teneatur pœnitentem interrogare si probabiliter iudicet illum integrè confessum.*
17 *Integritas confessionis duplex est, materialis, & formalis.*
18 *An species morales, & physica, sint in confessione explicanda ad eius integritatem.*
19 *De integritate confessionis est, vt omnia peccata mortalia post baptismum commissa, explicentur in confessione quoad numerum*
20 *Quomodo explicandum sit in confessione peccatum odij sæpius repetitum.*
21 *Quid agendum cum meretrice, quæ omnibus fuit exposita; cum concubinario; cum illo, qui rem alienam diu detinuit; & cum rusticis, qui sine numero aliàs sunt confessi.*

1 CONfessio Sacramentalis, vt sit perfectissima sexdecim conditiones requirit, secundùm doctrinam omnium Doctorum, post Diuum Thomam, *in supplement. 3. part. quæst. 9. artic. 4.* quæ continentur his versibus.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata,

Omnes hæ conditiones non sunt ad confessionem omninò necessariæ, sunt tamen valde utiles & conducunt ad recipiendum Sacramentalis cōfessionis effectum. Nauarrus *in c. Fratres, de pœn. dist.5.* Nauarrus.

2 Confessio debet esse *simplex*, id est, ut uerbis superfluis careat, & vt dicantur peccata secundùm suam speciē secundùm numerum, & secundùm grauitatem malitiæ, quam siue ex obiecto, siue ex circumstantiis notabilem habuerint, vnde non sufficit narrare peccata ita artificiosè, vt à confessario non ponderentur, vel ita generaliter, & confusè, vt nequeat confessarius percipere, an veniale, uel mortale sit peccatum de quo fit confessio. Ex eo tamen quòd in confessione addantur superflua, non redditur cōfessio inualida, modò confessor possit iudicare de peccatis, an mortalia, vel venialia sint. Ita Henriquez *lib.5. cap.3. & in comment. lit. B.* D. Antonin *3.part.tit.14.c.19.§.12.* Reginaldus *lib.6 n.62* Bonac. *tom.1.disp.5.q.5.sect.2.pu.2. §.2.n.1.* Puteanus 3 *p.q 2.p.2.de conf.dub.1.*

Henriq. D. Anton. Reginald. Bonacina puteanus

3 *Humilis* debet esse confessio, in cinere & sacco, tum interiùs quoad intellectum & affectum, ut scilicet, pœnitens sibi ipsi attribuat, culpā suorum peccatorum, non Deo uel diabolo uel carni: Tum etiam exteriùs, vt flexis genibus, aperto capite, & non cum iactantia, sed tanquam reus peccatorum suorum ueniam pœnitens petat. Signum huius humilitatis est, si nihil retineat, sed omnia confiteatur, considerans se miserum, & infirmum, propterea qui peccatum suum ideò confessario celat, ne iniquitas sua alii manifesta fiat, ne talis reputetur foris, qualis est intus, superbus est. Species enim superbiæ est, se velle iustum videri, qui peccator est. Vbi autem superbia regnat humilitas locum habere non potest. Hæc conditio quoad compositionem corporis, non est de necessitate confessionis, nam aliter potest fieri cùm necessitas urget Nauarrus *in c. Fratres e.n.12.* Reginaldus *l.6.n.63.* Suarez *de pœnit. d.21 sect.1.* Syluest. *v.conf 1.q.6.* Henriquez *cit.c.3. nu.2.* Bonacina *c §.2.n.2.* Puteanus *c. dub.1.*

Nauarrus. Reginald. Suarez. Sylvester Henriquez Bonacina. Putean

4 *Pura* debet esse confessio quoad intentionem, ut scilicet, fiat principaliter ad placandum Deum & remissionē peccatorum obtinendam; minus autem principaliter secundario liceret spectare aliquid aliud honestum, vt euasionem alicuius infirmitatis, aut infortunii &c.

Si verò confessio fieret ob aliquem prauum finem, & mortaliter peccaminosum, inualida redderetur confessio, quia de essentia eius est, quòd fiat spe veniæ. Si autem ob finem vanialiter malum, subsisteret confessio nec suo fructu careret quia gratia Sacramētalis repetiri potest in homine affecto veniali culpa. Tum quia non fit grauis iniuria Sacramento confessionis propter finem secundarium venialem, id enim est habendum in consideratione, quod est principale, & non accessorium. Igitur ad confessionem puram requiritur rectitudo mentis in pœnitente, ut non fiat ob inanem gloriam, vel ex hypocrisi, vel ob metum seruilem, seu timorem pœnæ inferni. Ita Sayrus *de pænit. cap. 12.* Nauarrus *in Man.cap.21.n.40. & d.c.Fratres num.55.* Vasquez *q.92.art.3.dub.2.n.3.* Sotus *4.disp.18 q.2.art.2.ad 3.* Sanchez *l.1. Moral. c.3.n.1.* Graffiis *in appendice l.1.c.5.n. 24* Syluest. *v.conf.3.q.7* Henr. *l.5,c.3 n.3.*

Sayrus Nauarrus. Vasq. Sotus. Sanchez Graffiis. henriq. Sylvest.

5 *Fidelis* debet esse confessio, id est, uerax, & sine fallacia. Circa quam fidelitatem queritur *primò*, quale peccatum sit mentiri in confessione? Respond. Qui mentitur in confessione affirmando uel negando falsò peccatum aliquod mortale nunquam aliàs confessum, mortaliter peccat, & huius confessio est inualida: quia confessio talis nō est integra, cùm mendacium in confessione commissum sileatur: secus si peccatū aliàs fuit ritè confessum, uel grauii ex causa sileatur, quia tunc non est materia necessaria confessionis in primo casu, in secūdo uerò, grauis illa causa excusat ab integritate confessionis, vt dicetur infrà v. Confessio Sacram. V. Ita Suarez *to 4. disp. 22.se.10.* Syluest. *v. mendacium n.3.* Nauarr. *in man c.21.n.37.* Nugn. *in Sup.q.6.a.4.* Fag. *prac.2.l.3.c.2.n.12.* Conin. *d.6 n.11.*

Suarez Siluester nauarrus nugnus Fagund. Coninch.

Item

Item contra fidelitatem peccat mortaliter, qui maiorē numerum peccatorū mortalium in cōfessione exprimit, quam reuera cōmiserit. Ratio est, quia decipit iudicem circa materiam necessariam, de qua primario ferendum est iudicem, quamuis per accidens ratione bonæ fidei, posset quis a mortali excusari, & de facto excusantur aliqui simplices, & rudes homines, qui credunt se tutiorem viam eligere, explicando maiorem numerum peccatorum Suarez *c. sect.* 10. *n.* 11. Rodriq. *in Sum. o.* 1. *c.* 52. Reginald. *l.* 6 *n* 67. Sanch. *l.* 1. *moral. c.* 10. *n.* 68. Victor. *in Sum. n.* 130.

Suarez. Rodriq. Reginald. Sanch. Victoria.

Item qui peccata mortalia dubia pro certis, & certa pro dubiis exprimit, peccat mortaliter, quia in rigore, & moraliter loquendo, dicere dubium pro certo, & è contra mendacium est, confessio autem debet esse fidelis, & vera & valde diuersum iudicium ferendum est de peccato dubio, qua de certo. Ita Henriq *lib.* 2 *de pœnit. c.* 4. *n.* 5. Bonac. *c punct.* 2. *§.* 2. *n.* 10. Suarez *disp.* 22 *sect.* 9. *n.* 2. Coninch, *d.* 7. *dub. 10 octauo concl.* 4. quanquam interdum possit facilè excusari pœnitens, si bona fide, & ex quadam simplicitate aliter confiteatur.

Henriq. Bonacina. Suarez. Coninch.

Mentiri autem in confessione affirmando vel negando falsò peccatum aliquod veniale, non est plusquam veniale. Ratio est, quia tale mendacium nec est perniciosum, ne grauiter iniuriosum, cum fit in materia leui & non necessaria, siue pœnitens intendat veniale falsò affirmatum facere materiam absolutionis, siue non. Si tamen confitens nullum aliud peccatum mortale, vel veniale confessario aperiret, preter illud peccatum veniale falsum, esset tunc mortale, quia mendacium esset circa materiam necessariam ex suppositione, & committeretur sacrilegium, non subiiciendo materiam veram, & sufficientem Sacramentali absolutioni, & sic fieret Sacramentum irritum, Ita communiter DD. post Syluester *v. confes.* 1. *q.* 8. Nauarr. *cap.* 21. *n.* 37. Syluius *in supplem. q.* 6. *art.* 4. Fagundez *prac.* 2. *lib.* 3 *c.* 2. *nu.* 9. *&* 10. Toletus *l.* 3. *c* 9. *num.* 2. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 96. *& p.* 5. *tr* 8. *res* 27.

Syluester. Nauarr. Siluius. fagundez. Toletus. Diana

Mentiri vero in confessione circa peccatum alias ritè confessum aut circa aliquid nihil pertinens ad propriorū peccatorum institutam confessionem non est mortale. Ratio est, quia non tenetur illud confiteri, nec vllo modo falsificat materiam Sacramenti, cum absolutè non habeat obligationem illud confitendi, nec etiam rogatus à confessario, Ita Suarez *d.* 22. *sect.* 10. *n.* 4 P. Soto *de conf. lib.* 10. Coninch *disp.* 6. *dub.* 3. *n.* 8. Henriq. *lib.* 2. *de pœnit. c.* 4. *n.* 2. Puteanus 3. *p. p.* 2. *q.* 2. *de confes. dub* 1.

Suarez. p. Sotus. Coninch. Henriq. Puteanus.

Secundo, circa fidelitatem confessionis spectat illa quæstio an peccet mortaliter, qui apud confessarium ordinarium leuia solum peccata cōfitetur quoties vero peccatum aliquod grauius admittit, alteri confessario confitetur, ordinario relicto ne apud illum bonam opinionē amittat?

Affirmant Victoria *n.* 196. Syluester *v. confessio* 1. *nu* 8. quia committit peccatum hypocrisis, & virtuale mendacium. Vera tamen, & tenenda sententia docet, per se loquendo non esse peccatum mortale etiam sæpius duobus confessariis vti, ad conseruandam bonam existimationem apud ordinarium suum Ratio est, quia neque hoc est contra integritatem Sacramenti, cum vtraque confessio fiat integrè, neque est vera hypocrisis, quia non apparet hic grauis aliqua deformitas, nā conseruatio bonæ famæ apud ordinarium confessarium, non est de se mala, neque est etiam species mendacii, nam ille nihil falsum confitetur, & licet fortassis facto ipso permittat alium decipi, id quidem non est de se peccatum mortale. Proinde imprudenter agunt confessarii, eum reprehendunt pœnitentes suos, qui aliquando cofessionale eorum declinant, cum potius id dissimulare deberent. Si tamen talis persona ob hanc causam maneret in aliqua occasione peccandi mortiferè, aut ob id exponeretur periculo sæpius labendi in peccatū mortale, mortale esset. Ita Nauarrus *cap.* 21. *num.* 40. Suarez *disp* 22. *sect.* 1. *num.* 13. Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 16. *num* 6. Coninch *disp.* 6. *dub.* 4. *num.* 13. Bonacina *disp.* 5 *q.* 5 *sect.* 2. *p.* 2. *§.* 2. *n.* 5. Filliuc. *tr.* 7. *n.* 75.

nauarrus. Suarez. Henriq. Coninch. Bonacina. fillucius.

6 *Frequens* debet esse confessio, non quod necesse sit extra mortis articulum, aut extra tempus suscipiendæ Eucharistiæ, sæpius confiteri quam semel in anno, necessitate medii vel præcepti, est tamen de consilio, vt qui frequenter peccat, frequenter confiteatur, & qui non habet peccata, nisi ea, de quibus confessus est, iterum ea claui Ecclesiæ subiiciat ex nouo motiuo doloris, vt vberrimorum fructuum Sacramentalis absolutionis particeps fiat Ita Bonacina *cit. §.* 2. *num.* 14 Filliucius *tract* 7. *n.* 9. Graffis *in append. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 33. Nauarr. *in Man. c.* 2. *n.* 7. Suar. *disp.* 21. *sect.* 1.

bonacina. Filliucius. Graffis. nauar. Suarez.

7 *Nuda*, debet esse confessio, id est, non palliata, neque verborum obscuritate velata, quia peccata ita sunt manifestanda Sacerdoti, vt eorum grauitatem turpitudinemve cognoscere, & diiudicare valeat, an mortalia aut venialia sint ex genere, vnde non sufficit dicere peccata in generali nisi in mortis articulo, quando aliter fieri non potest: & qui de industria confitetur aliquod mortale alicui Sacerdoti, eò quod ab illo non benè intelligatur, & quando confessio non fuit aperta & clara, ob verba obscura & ex industria ad occultanda peccata inuenta, confessio est nulla, sacrilega, & iteranda. Ita Caietanus *v. Confes. n.* 6 Nauarrus *cap.* 2. *num.* 7. Bonacina *cit num* 15. Suarez *cit. sect.* 1. Henriq. *l.* 2. *de pœnit. cap.* 3. *n.* 5. Syluester *v. confes.* 1 *n.* 10.

Caietanus. nauarr. bonacina. Suarez. Henriq. syluester.

8 *Discreta* debet esse confessio, id est, vt pœnitens cautè confiteatur peccata, præsertim carnalia, pudicis verbis, & quantùm ad circumstantias, non nisi necessariæ dicantur, præter species ipsas peccatorum, debet insuper pęnitens eligere confessarium eruditum & probum, qui sciat discernere inter lepram & lepram, & debita remedia conferre, qui more periti medici sciat superinfundere vulneribus sauciati uinum & oleum, id est, misericordiam & disciplinam, vt per uinum medeantur uulnera, & per oleum, id est, misericordiam, foueantur. Et sic miscenda est leuitas cum seueritate in peccatorum correctione. Vt habetur in *Cap. Disciplina dist.* 45. Discreta etiam, in detegendo peccatum, quod cum alio commisit, non nominando personā. Vide Circumstant. *num.* 14. *§* 6. Ita Caietan. *cit. n.* 7. Henriquez *li.* 2. *de pœnit. c.* 3 *n.* 5. Bonac. *c. n.* 17. Nauarr. *in man. c.* 2. *n.* 7. *&* *c.* 5. *num.* 4. Puteanus *cap. de confess. q.* 2. *dub.* 1.

Caietan. henriq. bonacin. nauarr. puteanus.

9 *Lubens* debet esse confessio, id est, sine coactione, ita ut voluntariè fiat, non ex metu pœnæ, sed ex amore sanitatis animæ, qui tamen ex motiuo timoris inducitur ad confessionem, uel importunis precibus trahitur inuitus, sed confitetur omnia cum debita attritione, non frustatur fructu Sacramenti, habet enim uoluntatem, & intentionem sufficientem ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum, quamuis cum aliquo inuoluntario peccata sua confiteatur. Propterea pœnitens qui proposuit quædam non confiteri, quæ tamen prudens confessarius de corde extraxit, debet in fine confessionis fateri illam actionem. Vide Fagund. *precept* 2. *li.* 3. *c.* 2. *n.* 4. Henriq *cit. n* 6. Filliucium *tr.* 7. *n.* 10. Bonac. *cit n* 18. 19. Syluestrum *v conf.* 1. *quæst.* 14. Nauarrum *ad c Fratres de pœnit. num.* 54. Suarez *c. sect.* 1. *n.* 3. Reginaldum *l.* 6. *n.* 75. Puteanum *c. dub.* 1. & alios.

Fagund. henriq. filliucius. Bonacina. sylluester. nauarr. suarez. Reginald. Puteanus.

Verecunda, in qua pœnitens erubescat, tum intus apud semetipsum turpitudine & feditate propriæ animæ, tum foris apud confessarium, de opprobrio, seu quod defectuosus habeatur à confessario, hac occasione confessarius nō debet, pœnitentem deterrere verbis duris & asperis, ne illum retrahat à confessione, sed potiùs illum allicere debet, ad explicanda confidenter peccata sua, differendo increpationem ad finem confessionis, prout dictabit prudentia. Ita communiter Doctores *hic* citati.

10 *Integra* debet esse confessio, quàntum ad peccata mortalia aliàs non confessa, tam certa quàm dubia, & eorum circumstantias necessarias. Sed de hac integritate *infrà* dicetur.

Secreta etiam, per se loquendo, debet esse confessio: qui licet ex præcepto diuino non extet obligatio confitendi secretò, id tamen est illi consentaneum, imò aduersatur iuri naturæ peccata publica sine iusta causa, ne per publicationem generet quis scandalum, & prouocet quempiam ad peccandum & ne videatur gloriari in peccato suo.

Hinc infertur neminem teneri confiteri peccata sua per interpretem, uel aliis audientibus, maleque agere Sacerdotes, qui multos pueros doli capaces in unum congregatos simul audiunt. Tamen ad essentiam confessionis non est, ut sit secreta, id est, ut coram solo Sacerdote fiat; quia valida est & Sacramentalis confessio, quæ fit per interpretem, & in necessitate, ut in periculo naufragii & tempore conflictus etiam aliis audientibus, quia non constat Christum,

Henriqu. Nauarrus, Syluius, Nugnus

*disp.8.dub.17.n.*130 Henriquez,*lib* 5.*c*.3.*n*.10.Nauarrus, *in man c.*5.*n*.2.Syluius,*q*.9.*art.*2.*quæsit*.5.Nugnus,*ibid*.Alias officium confessarii per se non est interrogare,sed audire pęnitentem, & secundùm confessionem iudicare, vt docet Scotus,*in* 4.*dist*.18.*q*.2.*art*.4.

17 Integritas confessionis ex parte materiæ remotæ, seu peccatorum, quæ in confessione dicuntur consistit in hoc,vt omnia,quæ sunt in conscientia pęnitentis, in confessione aperiantur:& hæc integritas duplex à Theologis solet distingui,materialis scilicet,& formalis.

Materialis vocatur illa, quæ est de omnibus peccatis, prout in re ipsa fuere commissa, & hæc est per se necessaria: quia verò potest aliquando intercedere sufficiens excusatio confitendi aliquod peccatum à pœnitente commissum, ideò potest aliquando Sacramentum pęnitentiæ perfici,sine reali,seu materiali integritate confessionis (vt dicetur titulo sequenti) tunc verò necessaria est confessio formaliter integra,id est, de omnibus peccatis, de quibus nulla intercedit excusatio.Ita Suarez,*de pœn.disp*.22.Layman,*lib*.5.*tr*.6.*c*.8.*n*.3. D.Thom. *in suppl*.3.*p.qu*.9. *art*.2. Syluius,*ibid.quæsit*.1.Bonacina,*disp*.5.*q*.5.*sect*.2.*p*.2.§.3.4. Puteanus,*q*.3.*de conf.p*.2.*dub*.2 Fagund.*præc*.2.*l*.3.*c*.3.*n*.1.

Suar. Layman. D.Tom. Syluius Bonacina. puteanus fagundez

18 Vt integra dicatur confessio, & valida, explicanda sunt in ea peccata quoad species morales, non quoad species physicas. Ratio est, quia aliquando vnus actus physicus plures habet malitias,vt percussio Episcopi,non solùm aduersatur iustitiæ, verùm etiam reuerentiæ debitæ ordini Clericorum,& opponitur honori debito superiori. Aliquando plures actus physici vnam habent malitiam, vt qui se præparat ad occidendum inimicum, emit gladium, ascendit æquum,&c. Vnde talis satisfacit dicendo in con. fessione se hominem occidisse,modò illi actus non fuerint interrupti;nec adiunctam habuerint aliam circumstantiã moraliter diuersam:vt si properando ad occidendum, cõculcet segetes, tenetur hanc circumstantiam explicare; quia conculcatio segetum adnexam habet malitiam distinctam ab homicidio.Ita Sotus,*in* 4.*dist*.18.*qu*.2.*artic*.4. *conc*.6.Valentia *disp*.7.*q*.11.*punct*.1. Azorius,1.*p.lib*.4.*c*.4. Syluius,*in suppl.qu*.9.*art*.2.*dub*.1.Filliucius,*tr*.7.*n*.76. Vide Peccatum,4.

Sotus Valentia Azorius Siluius Filliucius

19 Ad integritatem confessionis requiritur, vt omnia peccata mortalia post baptismum commissa explicentur in confessione quoad numerum quantùm moraliter fieri potest Conc.Trid.*sess*.14.*c*.5.*&* *can*.7. Ratio est,quia vnũ peccatum mortale non remittitur sine alio,cùm impium sit à Deo dimidiam sperare veniam: remissio enim peccatorum nunquam datur sine gratia,gratia autem dari homini non potest cum obice peccatorum mortalium, quæ iustè potest pęnitens confiteri;sed hoc fieri non potest,nisi vni eidemque confessario omnia peccata integrè confiteamur,ergo.Hæc veritas definita est in Concilio Florentino in decreto Eugenii,& in Tridentino. Proindequi spontè, & sine vlla legitima causa excusante dimidiam facit confessionem,vnam partem peccatorum mortalium vni confessario;& alteram alteri confitendo,inualidam,& sacrilegam confessionem facit,& necessariò iterandam:nam hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino in animarum medelam, ac medicinam: medicina autem non curat,quæ non videt, & ideò meritò ex diuino præcepto incluso in ipsa institutione Christi tenẽtur pœnitentes omnia vulnera conscientiarum suarum confessario,tanquam medico,aperire,vt omnibus congruentem applicet medicinam. Tum quia iuxta Tridentinum, hoc Sacramentum est quoddam Sacramentale iudicium,quod cognita causa Sacerdos ferre debet;æquitas autem iudicii integram cõfessionem delicti postulat,vt pena, quam iudex imponere debet,proportionetur delicto: Tum quia præceptum confessionis ex Christi institutione subrogatum est præcepto contritionis,sed contritio non delet peccata, nisi detesteris omnia;ergo nec confessio,nisi subiciias omnia sacerdoti. Ita D.Thom,*in* 4.*dist*.17.*q* 3.*art* 4.Syluius,*in suppl*.*q*.9.*a*.2.*q*.1 Reginaldus,*lib*.6.*n* 91.Filliucius,*tr*.7.*n*.73.*&* 81.Sotus,*in* 4.*dist*.18.*q*.2.*art*.4.Nauarrus,*in man.c*.9.*nu*.14. Viuald.*in candelab.de conf.n*.37.Bellarm.*l*.3 *de pœn.c*.1.& alii communiter.Ex quorum doctrina infertur.

Conc. Triu. Conc.flor. Conc.Tri.

D.Thom. Siluius Reginald. Filliucius sotus Nauarrus Viualdus Bellarm.

20 Qui sæpius aliquem odio prosecutus est,debet numerum actuum odii repetitorum, & moraliter interruptorum explicare, modo recordetur numeri certi,si vero nõ recordetur facto examine, dicat se toties peccasse peccato odii, plus vel minus, si autem facta confessione recordetur, se bis aut ter supra numerum expressum peccasse, non tenetur iterum confiteri illum maiorem numerum, quia in prima confessione satis fuit expressus dicẽdo, *plus*, vel *minus*, Secus dicendum si postea in memoriam veniat numerus notabiliter expresso maior, vt si expressit decies se peccasse mortaliter in tali genere peccati, & postea recordetur se vigesies peccasse, tunc tenetur in alia confessione explicare numerum, cuius oblitus erat in prima confessione quia est notabiliter maior & consequenter non censetur sufficienter explicatus in prima confessione. Si autem confessus vigesies, inueniat postea se tantum decies illud peccatum commisisse non teneretur talem numerũ retractatare,nã id pęnitens fecit bona fide, & confessio fuit integra,cum in numero maiori contineatur minor, vt aduertit Diana *part*. 2 *tract*. 17. *resol*. 25. post Bonacinam. Sed de hoc vide Reginaldũ *lib*. 6.*num*.126.Coninch *disp*.7.*dub* 7.*num*.61.Suarez *disp*.22 *sect*.5.*num*.38.39.Sotus *in* 4. *dist*.18 *quæst*.2.*art*. 4. Syluius *Supp.q*.9.*art*.2.*q*.1,Nugnus *ibid.dub*.1.*diffic. vnic*. Filliuc. *tr*.7.*c*.4.*n*.82.& alios.

Diana. bonacina. Reginald. Coninch Suarez Sotus. Siluius nugnus. Filliucius.

Aduertendum tamen est, quod maior,vel minor excessus illorum verborum (*plus minusve*) sumendus sit per ordinem ad maiorem,vel minorem numerum peccatorum, & ideò quando huiusmodi excessus, vel defectus est nimis magnus, arbitrio prudentis committitur. Vnde illa verba extendenda sunt ultra binarium, vel ternariũ, secũdum maiorem, vel minorem numerum peccatorum, de quibus pœnitens se accusauit.Ita Fagund. *præcept*.2.*lib*.3. *cap*. 4. *num*. 9. Vasquez *q*.90.*art*. 1.*dub*.5.Diana *p*.3 *tr*.4. *res*.94 Nauarr.*in c. consideret. de pœn. dist*.5.*n* 42.Sancius *in select.disp*.2.*n*.13.

fagundez Vasq. Diana nauarrus Sancius

21 Quando meretrix omnibus fuit exposita,& concubinarius tenuit concubinam tanquam vxorem, si numerus certus ab his peccatorum haberi non possit à confessario,sufficiet tempus explicare quo cõcubinarius permãsit in concubinatu,vtendo concubina loco vxoris,tenetur tamen meretrix quantum potest exprimere species, & circumstantias mutantes speciem, vt toties cum coniugatis, uel clericis sacrorum ordinum, vel consanguineis, vel contra naturam, &c. alioquin confessarius non posset sufficienter ferre iudicium de statu pœnitentis, si meretrix tantum diceret, per annum omnibus fui exposita.Non opus est tamen vt dictæ meretrices confiteantur præambula ad copulã veluti amplexus, tactus,oscula, & actus similes, quia huiusmodi actus moraliter faciũt peccatum copulæ, & sunt dispositiones præuiæ ad peccatum copulę & ab eodem numero copulę obiecto habent malitiã suam quæ malitia extenditur per varias partes materiæ ipsorum actuum, deinde quia explicato principali peccato copulæ, censentur satis explicari actus antecedentes, qui communiter illam solent commitari. Vt latius docetur v.Peccatum 4.*n*.11.

Item satisfacit qui rem alienam detinuit, quam potuit, domino restituere, explicando tempus quo rem detinuit quia præceptum explicandi numerum peccatorum, nõn obligat ad impossibile,sed id quod moraliter fieri potest; unde confessarius in prædictis casibus non debet se scrupulosum gerere cogendo pœnitentem ad exprimendum certum numerum, nam sæpè accidit,vt pœnitẽs explicando certum numerum facilius erret, quam explicando solummodo tempus consuetudinis, aut iniquæ detentionis

Interni verò actus peccatorum declarari possunt, dicẽdo se fuisse paratum ad committendum, vel desiderandũ tale peccatum, quoties occasio uel memoria illius occurrebat.Sed plura de his apud Sotum *in* 4.*dist* 18.*quæst*.2.*ar*. 4.Henriquez *l*. 2. *de pœnit*. *cap*.5.*n*.9.Reginaldum *lib*.6.*n*. 121. 122. *&* 124.Victoriam *n*. 178.Nauarrum *in man*.*c*.6. *n*.15.Suar.*disp*.22.*sect*.5.*n*. 39.Bonac.*disp*.5.*q*.5.*sect*.2.*p* 2.§. 3.*diffic*.2.*n*.19.20.21.Dianam *p*.3.*tr*.4.*res*.89.Fagund.*præcept*.2.*l*.3.*c*.4.*n*.11.12.13.*&* *seq*.

Sotus henriquez Reginald. Victoria nauarrus. Suarez bonac. Diana Fagundez

Hinc insuper est aduertendum quod Rustici homines, qui agresti, & inculto modo confitentur sine numero, & diligentia,cogẽdi non sunt repetere confessiones factas cũ indoctis Parochis, cum enim bona fide confiteantur,

& vni.

tertiæ personæ damnum graue in vita, vel in fama, vel in bonis fortunæ, vel aliquod malum speciale. Ratio est, tum quia præceptum confessionis integrè faciendæ non obligat cum tanto incommodo, seu nocumento proprio vel proximi. Tum quia præceptum diuinum & naturale charitatis est fortius, antiquius & absolutius, quàm præceptum integritatis confessionis. Vnde si vnum cum alio concurrat, & ambo seruari nequeant, fortius, & antiquius est sequendum, & aliud in aliud tempus differendum. Propterea si fœmina confitendo peccatum fornicationis, timeat confessarium scandalizandum, aut se ab eo solicitandam, potest & tenetur abstinere à confessione talis peccati, si non habeat copiam alterius confessarii. D. Thom *in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. q. 4. ad 5.* Syluest. *3. p. q. 80. art. 4. q. 2. & in suppl. q. 9. art. 2. q. 4.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad 3.* Suar. *disp. 23. sect. 2. n. 1.* Nauarr. *c. 7. n. 3.* Tolet. *lib. 3. c. 8 n. 7.* Dian. *p. 3 tr. 4. resol. 131.* Putean. *p. 2. de confess. q. 2. dub. 5.*

D. Thom. Siluester Sotus. Suarez. Nauarrus Toletus Diana Puteanus.

Dubium tamen hic est, an in prædictis casibus omittendum vel differendum omninò sit sacramentum confessionis, donec confessio possit integrè fieri sine vllo incommodo, & an pœnitens ita tunc se gerere debeat, ac si, non haberet copiam confessarii? Quibusdam videtur affirmatiuè respondendum, quia de necessitate huius Sacramenti est; dicere omnia peccata, quæ homo habet in conscientia, seu quæ memoriæ occurrunt, sed in eo casu non possunt dici omnia, ergo non potest Sacramentum suscipi. Ita Viguerius *in sum. c. 26. §. 4. vers. 17.* Vasq. *q. 91. art. 3. d. 8. n. 4. & dub. 9. n. 22.* Henriq. *l. 2. de pœn c. 12. n. 5* & alii probabiliter.

Viguerius. Vasquez Henriquez

Nihilominus dicendum est & posse & aliquando debere confessionem fieri, si aliud peccatum mortale pœnitens habeat, tacendo peccatum de quo incommodum timetur, vt in articulo mortis, aut quando occurrit præceptum annuæ confessionis, aut adest necessitas suscipiendi Eucharistiam, aut faciendi sacrum, quando sine graui scandalo, aut alio incommodo prætermitti id non potest. Item si adsit necessitas vitandi aliquam infamiam propriã, vel aliud simile incommodum; item si scandalum aliorum ex dilatione, vel omissione confessionis timeatur, vel si nulla sit necessitas confessionis simpliciter, sit tamen magna vtilitas, quam per se affert Sacramentum. Quando verò nulla causa huiusmodi interuenit, sed post breue tempus spetatur commoditas integrè confitendi, tunc melius erit differre confessionem; imò si cessaret omnis causa rationabilis, esset præceptum: quia tunc commodè seruari potest integritas confessionis etiam materialis, quod per se necessarium est, quando moraliter fieri potest. Ita Bonacina *tom. 1. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. num. 14* Coninck *de pœnit. disp. 7. d. 9 n. 77.* Syluius *3. p. q. 80. art. 4. quæst. 2.* Nugnus *in suppl. quæst. 9. art. 2.* Suarez *cit. sect. 2.* Fillincius *tract. 7. n. 125.*

Bonacina Coninch. Syluius. Nugnus Suarez Fillincius.

Qui non probabiliter timet graue periculum, sed tantummodò dubitat, aut leuiter suspicatur, non potest peccatum in confessione reticere: eo quod præceptum integrè confitendi possideat, & in dubio iudicandum sit in ipsius fauorem Reginaldus *l. 6. num. 157.* Vasquez *q. 91. art. 2. dub. 3.* Henriq. *cap. 12. n. 5.*

Reginald. Vasquez Henriquez

Quandò verò ex confessione alicuius peccati non sequitur nisi sola infamia occulta tertiæ personæ, non autem mors aut publica infamia, vel aliud graue malum, quidam Doctores affirmant tale peccatum esse necessariò confitendum, alii autem negant: quamuis vtraque sententia sit probabilis, negatiua tamen est probabilior. Vt docetur V. *Circumstantia. n. 14. §. 6.*

Granadus. Henriq. Hurtad. Victoria. Nauarrus Valentia Sotus. Diana,

5 Tertius casus confessionis non integræ materialiter, & tamen validæ, prouenit ex impotentia loquendi. v. g. Mutus qui peccata sua nutibus confitetur, absoluendus est saltem tempore præcepti, quamuis confessarius ipsius peccata integrè percipere nequeat; nam impotentia loquendi excusat ab integritate materiali confessionis. Sed dubium est, an talis teneatur confiteri, per scripturam si sciat scribere, vt integram faciat confessionem; Affirmant Granadus, Henriquez, Hurtadus probabiliter; Negant Victoria, Nauarrus, Valentia, Sotus apud Dianam *part. 5. tract. 6. res. 4.* proinde vtraque opinio est probabilis.

Confessarius autem antequam muti, & surdi a natiuitate confessionem excipiat, debet priùs edoceri ab his

quibuscum mutus, & surdus continuò habitat, quomodo cum illo nutibus agere debeat, vt vim spiritualem Sacramenti aliquo modo percipiat, & quædam peccata, quatenus potest, signis declaret, ad absolutionem accipiendam.

Item extraneus loquens eo idiomate, quod à confessario non satis bene percipitur, potest absolui, modo non sit alius sacerdos, qui bene percipiat ipsius idioma: hic enim facit ex intentione sua confessionem formaliter integrã, licet confessarius satis quædam non intelligat. Vide Lopez *1. p. instr. cap. 27.* Henriq. *l. 2. de pœnit. cap. 12. num. 3.* Diana, *p. 3. tr. 4. res. 131.* Crous *ad c. 7. reg S. Franc. lect. 31. fur. 798.*

Lopez. Henriq. Diana Crous

Item quando mors propria, vel aliena imminens, non permittit confessionem fieri integram, vt si pœnitens sit iam expiraturus aut sensu destituendus, potest absolui Fagundez *precept. 2. l. 3. c. 3. n. 10. 14.* Victor. *n. 164.* Sotus *4. dist. 18. q. 2. art. 5.*

Fagund. Victoria Sotus.

Excusat etiam incertus euentus propinquitas mortis; vt quando ægrotatus patitur paroxismos, non debet confessarius expectare integram omnium peccatorum confessionem, sed audito vno tantum peccato debet absoluere propter periculum moriendi in ipso paroxismo. Ita Suar. *d. 23. sect. 1. & sect. 6. n. 2.* Henriq. *l. 2 de pœnit. c. 12. n. 3*

Item excusatur confessarius à peccato confitendo, qui aliquem defectum commisit in confessione, quem non potest explicare, nisi suo confessario manifestet peccatum complicis in confessione auditum, modo non habeat copiam alterius confessarii, cui sit ignotus complex. Ratio est, quia præceptum sigilli confessionis prius obligat, quã præceptum confitendi integrè materialiter. vnde confessarius censetur moraliter impotens ad explicandum tale peccatum, quod absque violatione sigilli confessionis explicare nequit. Ita Caietanus *v. conf. cond. 10.* Vasquez *q. 93. art. 4. dub 4.* Reginald. *l. 6. n. 162.* Bonac. *c. §. 4. n. 5* Henriq. *l. 2. de pœnit. c. 12 n. 7.*

Caietanus. Vasquez Reginald. Bonacina. Henriq.

Item infirmus laborans morbo contagioso potest absolui à confessario, auditis aliquibus peccatis, si illum etiam à longè absque periculo audire diutiùs non possit Sotus *4. dist. 18. quæst. 2. art. 5.* Coninch *d. 7. n. 75.* Syluester *v. conf. 1. n. 23.* Medina *de conf. q. 10.* Diana *p. 3 tr. 4. resol. 132. & p. 5. tr. 3. res. 74. & 71.*

Sotus Coninch. Syluester Medina Diana

Item ingruente procella, vel sæuiente prelio, aut incendio, confessarius potest audire simul multos alta voce, peccatum aliquod confitentes, dicendo, *Ego vos absoluo à peccatis vestris.* & tunc dimidiatur solum confessio materialiter ex iusta causa, non formaliter, quia intentio, & voluntas illorum erat, omnia confiteri si possent. Imò Hurtad. *de sacram. pœnit. disp. 9. diffic. 10.* in prædicta necessitate belli, pestis, incendii aut naufragii, quando periculum imminens aliud non permittit, docet, posse omnes simul signo aliquo, vt genuflexione significare, se peccasse in communi, & de eo dolore, & sic simul omnes absolui.

Hurtadus

Notandum tamen hic est magnum concursum prementium se pro confessione, non esse iustam causam dimidiandi confessionem; nec esse liberum confessario confitentes ita vrgere ad expediendum, vt non sinat eos detegere integrè suam conscientiam, vel vt omittat iuuare interrogationibus necessariis. Ratio est, quia integritas cõfessionis est de præcepto Christi, vt exprimit Tridentinũ à quo præcepto concursus pœnitentium non excusat, nisi sit coniunctus cum graui necessitate, qualis contingit in conflictu belli, aut in naufragio, aut in simili periculo. In concursu tamen multorum, sit confessarius solum solicitus de mortalibus aut grauioribus venialibus reliqua curet dici verbo generali. Ita Coninck *disp. 7. dub. 9. num. 93.* Contra Petr. Marchantium *in suo Tribunali to. 1. tract. 2. tit. 7. quæst. 2. fol 63.* docentem, quando ob angustiam temporis, multitudinem aduertantium, impetitiam pœnitentis, impotentiam recordationis reminiscentiæ (quia multo tempore non est confessus, aut inualidè multis annis confessus est) non potest confessarius, pœnitentem plenè examinare, nec conuenit illum remittere, tunc posse confessarium de grauioribus aliquot peccatis illum examinare, & ad vniuersalem contritionem, ac ad firmum propositum se examinandi & alio tẽpore sedeundi, excitare & sic illum absoluere. Hæc sententia non admittitur ab aliis vt probabilis, quia maximi quique peccatores, & qui habent intricatissimas conscien-

Coninch. P. March.

autem huiusmodi deriuatur in confessionem, tum ex parte confessarii, tum etiam ex parte pœnitentis. Et ad ista duo capita omnis obligatio iterandæ confessionis potest referri. Ita communiter Doctores, Reginald. *lib. 6. n. 144.* Tolet. *lib. 3. c. 10.* Bonac. *disp 5. q. 5. sect. 2. punct. 3.* Layman, *lib. 5. tr. 6. c. 9.* Filliuc. *tr. 7. c. 4 n. 100.*

Reginald. Toletus Bonacina Layman. Filliucius

2 Confessio redditur inualida ex parte confessarii absoluentis, quoties ipse deficit in essentialibus, (Sacramentum enim non subsistit sine sua essentia, & sine iis, quæ ad ipsius substantiam prærequiruntur) puta, si charactere sacerdotali initiatus non sit; uel si sit sacerdos, iurisdictionẽ tamen ordinariam, aut delegatam non habebat; quia sine iurisdictione non potest sententia absolutionis validè pronuntiari: tamen si communi errore, & titulo colorato credatur confessarium habere iurisdictionem, valida esset illius absolutio, Ecclesia supplente iurisdictionem in tali casu, vt dictum est suprà, & tradunt communiter Doctores, ex *leg. Barbarius ff. de officio prætoris.*

Defectus auditionis in confessario reddit confessionem inualidam, si ob somnum, aut ob aliquam occupationem non aduertit aliquis peccata mortalia, aut circunstantias de necessitate confitendas, ideò iteranda est confessio, cùm constiterit pœnitenti confessarium non intellexisse, vel non audiuisse quę confessus est Tamen in hoc casu non est improbabile pœnitentem teneri tantùm ea sola peccata confiteri iterum, quæ à confessario non benè fuerunt intellecta, non verò illa, quæ bona fide prius confessa sunt: quia nihil defuit ex parte pœnitentis, & confessor sciens, ac volens formam debitam adhibuit. Nec refert, quod statum pęnitentis absolutè non intellexerit; quia neque id accidit ex vitio pœnitentis, neque absolutè requiritur ad substantiam Sacramenti, vt patet ex eo, qui sic in mortis articulo absoluitur. Ita Mercerus, *3 p. q. 9. art. 1. in suppl.* Layman *hic citatus*, Diana, *p. 3. tr. 4. res. 109.*

Mercerus Layman Diana

Item redditur confessio inualida, & iteranda ex defectu intentionis absoluendi in confessario, quamquàm ad euitandam conscientiæ inquietudinem, præsumendum est, semper confessarium habere in administratione sui muneris, intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

Nauarrus Sanchez Syluester Angelus Valentia Siluius. Layman. Filliucius. Toletus Graffis. Henriq.

Item repetenda esset confessio, quoties sacerdos verbum aliquod formæ necessarium prætermisit. aut morte præuentus non potuit absolutionem impedire De his consulẽdi sunt DD. hic Nauarr. *in man. c. 9. n. 7.* Sanch. *in sum. lib. 1 c. 9. n. 35.* Syluest. *v. conf. 1. n. 6.* Angel. *v. conf. 1. n. 22.* Valent. *tom. 4. q. 11. p. 3. disp. 7.* Syluius, *in suppl. q. 9. art. 2 q. 6. edit. 3.* Layman, *c. c 9. n. 4. & 5.* Filliuc. *tr. 7 c. 4. q. 6* Toletus, *lib. 3. c. 10. n. 3.* Graffis, *p. 1 lib. 1. c. 17.* Henriq. *lib. 2. de pœnit. c. 14.*

3 Ex parte itẽ confessarii redditur etiam confessio inualida, cùm ipse est excõmunicatus, & nominatim denunciatus, vel publicus clerici percussor; hoc enim casu, vterque est vitandus excõmunicatus etiã in diuinis, vnde confessio facta vni eorum extra extremã necessitatem, est iteranda. Ratio est, quia peccauit pęnitens accedendo ad talẽ confessarium contra præceptũ Ecclesiæ de non participando cũ tali excommunicato. Ita Tolet. *c. n. 4.* Nauar. *c. n. 7.* Graffis *p. 1. lib. 1. c. 16. n. 25.* Suar *tom. 5. disp. 11 sect. 1.* Reginald. *lib. 1. n. 117.* Bonacina, *de matr. q. 2. punct. 8. n. 35.*

Toletus Nauarrus Graffis Suarez Reginald. Bonacina

4 Quidã volunt iterandã esse cõfessionẽ factã sacerdoti ita ignaro, & nescienti discernere inter peccatũ veniale, & mortale, & inter casus reseruatos, & nõ reseruatos. Ita illi, quos citaui, *v. Confessarius, 4. n. 11.* Sed contrariũ probabilius est, modò pęnitens bona fide confessus sit, & confessarius habuerit facultatẽ absoluẽdi ab huiusmodi reseruatis. Ratio est, tũ quia pęnitens obtinuit absolutionẽ Sacramẽtalẽ ab habente facultatẽ absoluẽdi, & plenè sua peccata in confessione explicauit, nec obicẽ posuit valori sacramenti. Tum quia si eiusmodi confessarius absolueret in articulo mortis, absolutio teneret: ergo, & extra illum, quia casus necessitatis non facit vt quod alioquin, est natura sua inualidum, fit propter eam validum. Henriq. *lib. 2. de pœnit. c. 14. n. 5.* Tolet. *lib. 3. c. 10. n. 6.* Diana, *p. 5. tr. 14. res. 22.*

Henriquez Toletus Diana

Vera tamen esset prima sententia, *primò*, quoties sacerdos, cui pęnitens sua peccata confitetur, adeò rudis, & indoctus esset, vt nulla omninò ratione cognoscere valeret peccatorum grauitatem: secus si valeat aliqua ratione cognoscere, quamuis in particulari nesciat distinguere, & discernere species, Nauarrus, *in man. c. 9. n. 12.*

Nauarrus

Secundò, si pęnitens nouerat illam confessoris ignorantiam, vel in in ipsa confessione intelligat confessarium non percipere grauitatem delicti, vt qui simplicem fornicationem, vel omissionem communionis Paschalis, non sciat esse peccata mortalia. Verùm in huiusmodi casibus, confessio iteranda esset, non tam ob ignorantiam confessarii, quàm ob indispositionem pęnitentis, qui videtur velle peccatorum suorum grauitatem tegere, dum absolutionem prudens, & sciens recipit ab eo, quem videt sic imperitum. Proinde si pœnitens suum confessorem sic instrueret de grauitate suorum delictorum, vt suppleret eius insufficiẽtiam, valeret confessio, ut dictum est *supra v. Confessarius 4. n. 11.* Vide Doctores ibi citatos pro hac sententia.

5 Ex parte pœnitentis confessio est inualida, & iteranda, quoties non confitetur integrè culpabiliter mortaliter, scilicet quia continuit voluntariè aliquod peccatum mortale sine iusta, & legitima causa: aut non præmisit debitum examen conscientiæ.

Secundo, quando non habuit debitũ dolorem, & requisitum ad substantiam Sacramẽti, puta si noluit deserere statum, & occasionem proximam peccandi mortaliter, censetur .n. tunc uoluisse permanere in statu peccati mortalis.

Tertio, quando pœnitens est excommunicatus, & uoluntariè fuit absolutus priùs à peccatis, quàm ab excommunicatione, confessio nulla est: Non enim capax est subiectum tale huius Sacramenti, cùm pęnitens faciat contra prohibitionem censuræ in re graui, consequenter inualidè, quia non integrè confitetur.

Si tamen pœnitens bona fide, & est ignorantia inuincibili iuris, uel facti, putet se non esse excommunicatum, uel ignoret excommunicatum non posse absolui priùs à peccatis, quàm ab excommunicatione, ualida erit confessio, & absolutio: quia Ecclesia non intendit priuare Sacramẽto excommunicatum in huiusmodi ignorantia positum. Ratio est, quia excommunicatus non est incapax Sacramentorum, quamuis prohibeatur illa recipere. De his casibus uidendi sunt Nauarrus, *in man. c. 9. n. 12.* Regin. *lib. 6. n. 148. 147* Valentia, *tom 4. disp. 7. q. 11. p. 3.* D. Thomas, *in 4 dist. 18 q. 2. art. 5.* Toletus, *lib. 3. c. 10. n. 2.* Layman. *lib. 5 tr. 6 c. 9. n 1.* Medina, *q. de confess iterand.* Vasquez, *q. 92. art. 3. dub. 1.* Filliuc. *tr. 7. n. 94.*

Nauarrus Reginald. Valentia D. Thom. Toletus Laiman. Medina Vasq. Filliucius

6 Qui aliquod peccatum mortale ex ignorantia uincibili mortaliter prætermisit in confessione explicare, putans non esse mortale, quamuis quando peccatum perpetratum est, non fuerit ille excusatus à peccato mortali excusatur tamen ab iteranda confessione, & satisfacit repetendo peccata in confessione prætermissa. Ratio est, quia ignorantia illa quamuis uincibilis fuerit respectu actus peccati, potest esse inuincibilis respectu omissionis in confessione: Vnde excusantur pueri, & puellæ (*vt supra* etiam demonstratum est, *v. confess*[illegible], *5. n. 2.*) ab iterandis confessionibus, qui omiserunt aliqua mortalia in confessione, ignorantes, talia esse: Idem dicendum de numero, & circunstantiis peccatorum omissis ex prædicta ignorantia; sufficit enim cognita obligatione illas confitendi, numerũ, & circumstantias omissas in confessione explicare. De hoc casu etiam infra *V. Ignorantia, nu. 6.* & plura apud Doctores hic citatos. Syluest. *v. conf. 1. q. 3.* Nauar. *in man. c. 9. nu. 15.* Vasquez, *q. 92. art. 3. dub. 1. n. 7.* Reginald. *lib. 6. nu. 153.* Diana, *p. 2. tr 4. res. 108.* Sanchez, *in select. disp. 41. n. 19.* Syluest. *in suppl. q. 9. art. 1. q. 4.* & alios.

Siluester Nauarrus Vasqz. Reginald. Diana Sanchez Siluester

7 Cũ iteranda est confessio apud distinctũ confessariũ, tenetur pœnitẽs sigillatim omnia peccata repetere iã aliàs confessa, inualidè tamen. Ratio est, quia cũ confessarius sit Iudex, ut absolutionẽ Sacramentalẽ impendere ualeat, debet totã causã pœnitẽtis cognoscere, & ideò omnia delicta aperienda sunt, ut de his possit ferri iudiciũ Si uerò eidem confessario fiat confessio, nõ est opus in particulari dicere sed in cõmuni tantùm, exprimendo peccata in prima confessione prætermissa, & alia post illam confessionem commissa si quæ sint, modò tamen confessarius aliquo modo saltem in confuso, & in genere recordetur status pœnitentis, aut pœnitentiæ à se iniunctæ; eum autem nihil horum sciuerit confessarius, pœnitens tenetur omnia repetere, cũ præcedens cõfessio perinde se habeat, ac si facta nõ fuisset Ita Suar. *tom. 4. disp. 22 sect. 6.* Henriq. *l. 5. c. 4. n. 4.* Coninch, *disp. 7. dub. 11. n. 109.* Valent. *to. 4. disp. 7. q. 11. punct. 3* Filluc. *tr. 7.*

Suarez Henriq. Coninch Filiucius Valentia.

tr.7.n.102. & alii post citatum Nauarr. *in man.c.9.nu.19.* Vasq.*q.92.art.3 dub.*3.Reginald.*lib.*8.*n.*33. Nauarrus. Vasquez. Reginald

8 Magna controuersia est apud Doctores, an posſit dari confeſsio informis, ex qua verum conficiatur ſacramentum, adueniente Sacramentali forma, & tamen post illud ſuſceptum informis maneat, quia non est ſufficiens ad effectum Sacramenti conſequendum.

Quidam probabiliter negant poſſe dari huiuſmodi cōfeſsionem informem ex parte attritionis; quia diſpoſitio ipſa ſeu attritio, quæ ſufficiens est ad conſequendum Sacramenti effectum, est pars eſſentialis eiuſdem Sacramenti, & ideò non poteſt confici tale Sacramentum, quin recipiatur in ſubiecto diſpoſito, & conſequenter in illo habeat effectum, atq; ita formatum ſit. Ita Gabriel, *in 4.dist.17.q.1, art.3.dub.*2.Maior, *ibid.* Scotus, *ibid.* Fagundez, *prac.2.libr.1.c.2.* Sylu. *in ſupp.q.9.ar.*1.Laym.*li.5. tr.6.c.9.n.*2. & alii. Gabriel maior. Scotus. Fagundez Syluius. Layman.

Nihilominus contraria ſententia eſt probabilior. Ratio eſt, quia legitima Sacramenti materia ſubminiſtrari poteſt à pœnitente, vt tamen aliunde ponat obicem gratiæ, ſicut fit in aliis Sacramentis; alioquin tam certi eſſemus de accepta gratia, quàm de accepto Sacramento; Proinde dicendum eſt confeſſionem poſſe eſſe informem ex parte doloris, & ex parte propoſiti.

Probatur prior pars, quia multi veniunt ad confeſſionem ex ſpiritu humano, vt propter infamiam, vel ex quadam honeſtate ciuili, vel quia ita conſuetum eſt fieri, &c. qui gratiam quidem non recipiunt, propter defectum diſpoſitionis; tamen verè ſe accuſant, & ſubiiciunt ſe clauibus Eccleſiæ, cum propoſito non amplius peccandi, ergo Sacramentaliter confitentur. Deinde in omnibus aliis Sacramentis datur Sacramentum validum, ſed informe ex defectu doloris, ergo & in iſto. Contraria enim opinio, quæ non admittit ex defectu doloris confeſſionem validā, & informem, eſt nimis rigoroſa; raro enim, aut nunquam poterunt pœnitentes eſſe quieti, & ſæpè, ac ſæpius aſtringentur iterare confeſſiones, cum nunquam eis poſſit conſtare certo, certitudine aliqua morali habuiſſe illum attritionis gradum; quem Deus inſtituerit ad effectum huius Sacramenti.

Si dicas, materia huius Sacramenti, ſunt actus pœnitentis, inter quos vnus eſt contritio, vel ſaltem attritio, quæ cum Sacramento ſufficiat ad gratiam? Reſp. contritio interior, & inuiſibilis, non eſt pars Sacramenti, ſed exterior. quatenus videlicet ſigno doloris externo manifeſtatur; hoc autem ſignum potiſſimum in ſui accuſatione conſiſtit: quare, vt rectè aduertit Nauarrus, *in c. Fratres, de pœnit.d.5.num.33.& in man.c.9 n.13.* minor contritio ſufficit ad veritatem Sacramenti, quàm ad eius effectum obtinendum. Nauarrus.

Poſterior pars probatur, quia fit aliquando, vt pœnitens putet ſe habere propoſitum abſtinendi in poſterum à peccatis, qui tamen non habet; nam vel in re non eſt paratus adhibere efficacia remedia, & vitare occaſiones propinquas; vel habet tantùm velleitatem quandam non peccandi, licet bona fide putet ſe ſufficienter diſpoſitum, & talis poteſt ſe verè accuſare, non tamen recipere gratiam, ac proinde ſuſcipit Sacramentum ſine effectu.

Notandum eſt tamen, quod ſi pœnitenti conſtaret de inſufficientia doloris, aut propoſiti ad gratiam obtinendam nec ipſe poſſet abſolutionem petere, nec ſacerdos impendere; ſicut nemo poteſt eum baptizare, quem ſcit manere in affectu peccati mortalis. Et quamuis qui fictè accedit ad baptiſmum, verè baptizetur, etiamſi nouerit ſuam fictionem, non tamen ſuſcipit Sacramentum pœnitentiæ, qui nouit ſuam indiſpoſitionem; Ratio eſt, quia petendo abſolui, committit ſacrilegium, vel non facit integram cōfeſſionem, vel non verè ſe accuſat. Atque in hanc ſententiam videndi ſunt D.Thomas, *in 4.dist.7.art.4.q.3* Suarez, *de pœnit.diſp.20.ſect.5.n.3.* Valentia, *tom.4.diſp.7.q.11.pun.2.* Henriq.*lib.4 c.24.n.2.& lib 5 c.11* Sayr.*de pœn.c.14.n.2.* Diana, *p.3.tr.4.reſ.65.* Bonacina, *tom.1.diſp.5.q.6.ſect 1.punct.5.n.3.& 4.* Filliuc.*tr.7.c.6.q.11.* Nugnus, *in ſuppl.q 9.art.1.* Caſpenſis, *tr.24.diſp 4.ſect.11.numer.99.* & alii ab ipſis citati. D. Thom. ſuarez. Valentia Henriq. Saytus Diana Bcnacina. Fuhuens Nugnus. Caſpenſis.

Præterea ſecundùm probabilem Thomiſtarum ſententiam, (vt diximus ſuprà *v.Confeſsio Sacramentalis,5.n.7.*) confeſſio poteſt eſſe informis ex ignorantia iuris & habet locum in iis, qui ex ignorantia mortaliter culpabili committuntur peccata mortalia, v.g. delectationes moroſas, pollutiones, tactus impudicos, &c. non tamen confitentur, nec dolent, nec proponunt abſtinere, quia neſciunt eſſe peccata mortalia: ſi tamen ſcirent eſſe peccata, parati eſſent facere officium.

Dices, illa confeſſio non eſt integra, ergo non eſt valida? Reſp. eſt integra formaliter, & ex intentione confitentis; nam licet tales peccent mortaliter operādo ex illa ignorantia, v.g. ſe polluendo, non tamen peccant non confitendo, quod bona fide putant non eſſe peccatum: vnde hæc ignorantia inuoluntaria eſt, illa voluntaria, vt rectè Nauarrus, *in c. Fratres, de pœnit. diſt.5.n.33.* Nauarrus.

Huc etiam pertinent eorum confeſſiones, qui non exprimunt numerum peccatorum, aut circumſtantias neceſſarias ex craſſa ignorantia; non enim tenentur omnes confeſſiones præcedentes repetere, ſed id ſupplere, quod omiſerunt.

Porrò confeſſio poteſt eſſe informis ex ignorantia facti, [illegible] vt habet etiam probabilis opinio in ſchola D. Thomæ, & habet locum in his, qui non ut oportet examināt conſcientiam, & ſic aliqua peccata mortalia omittunt, accuſant tamen ſe verè, de his, quæ memoriæ occurrunt, & ſic dant materiam abſolutionis, nec refert, quod confeſſio non ſit integra, quia defectus ille, non eſt ex intentione pœnitentis, nam ſupponitur eum velle omnia confiteri, quæ memoriæ occurrunt. D. Thom.

Sed circa hæc obiicies *Primò*, vel effectus examinis eſt mortalis, vel venialis; ſi mortalis, nullum erit Sacramentū, quia non eſt integra confeſſio, ſi uenialis, non impedietur gratia, ergo ex hoc capite confeſſio non poteſt eſſe informis? Reſp hoc argumentum facit contrariam ſententiam probabilem; dico tamen, ſi defectus eſt venialis, conferri gratiam; ſi mortalis, conferri Sacramentum ſine gratia. Ratio prioris eſt, quia peccatum veniale non impedit effectum Sacramenti. Ratio poſterioris eſt, quia talis poteſt ſe verè accuſare, & conſequenter dare materiam abſolutionis: nec refert, quòd confeſſio non ſit integra, quia defectus ille, non eſt ex intentione pœnitentis, nam ponimus eum velle omnia confiteri, quæ memoriæ occurrunt.

Obiicies *Secundò*, ille interpretatiuè dimidiat confeſſionem, ergo nullum eſt Sacramentum. Prob. conſequent quia in moralibus voluntas directa; & interpretatiua æquiparantur? Reſp. ſi negligentia fuerit tam craſſa, vt dolo proximi ſit inualida erit confeſſio, & iteranda; Si verò ſit mortaliter culpabilis, ita tamen vt omnis dolus abſit, & pœnitens verè ſe accuſet, erit valida confeſſio, tametſi conuinci poſſit ſua culpa mutilaſſe confeſſionem; hæc enim tria ita inter ſe ſunt comparanda, vt qui materialiter mutilat confeſſionem, recipiat Sacramentum, & effectum Sacramēti, qui formaliter, nec effectum, nec Sacramētū, qui interpretatiuè, Sacramentum quidem recipiat, non tamen eius effectum Neque verum eſt, quòd voluntas directa, & interpretatiua æquiparantur, niſi proportione quadam, & quantum ad culpam; nam in ordine ad aliquem effectum ſæpè diſcrepant, vt patet in cenſuris Eccleſiaſticis.

Vide Sotum, *in 4.diſt.18.q.3.art.3.§.ſed eſt.* P. Sotus.

Plura de confeſſione informi apud Doctores hìc citatos, in probabililatem vtriuſque ſententiæ argumenta proponuntur. Sed hæc breuitati ſtudentibus ſufficiant.

Petes: an etiam de peccatis venialibus dari poſſit confeſſio valida, & informis.

Reſp. cum diſtinctione; nam vel ille, qui confitetur, venialia tantùm habet, & mortalibus caret: vel cum venialibus habet aliquod mortale, de quo penitus obliuiſcitur, & ſolùm meminit de venialibus. Si tantùm venialia habeat, non poteſt dari de ſolis, venialibus Sacramentum ualidum & informe, ex defectu attritionis extenſiuo ad peccata uenialia oblita; nam defectus attritionis in uenialibus non impedit effectum gratiæ Sacramentalis, quia uenialia non ſunt obex illius. Si cum uenialibus habet aliquod mortale cuius obliuiſcitur omnino, & culpabiliter, & ſolùm uenialia, de quibus meminit, confitetur, tunc quidem licet de uenialibus atteratur, & confiteatur, ualidum, ſed informe efficiet Sacramentum, quia datur obex peccati mortalis obliti ad recipiendam diuinam gratiam, de quo non habetur contritio, uel ſaltem attritio. Ita Fagundez Fagundez

Filliucius. Suarez.

prec.2.lib.2.c.8.n.3. Fill.*tr.7.n.168.* Suar.*diſp.20.ſect.6.n.8.*

9. Poſito Sacramento penitentiæ valido,& informi, dicendum eſt illud conferre ſuum effectum ſublato obice, ſeu fictione. Ratio eſt, quia aliàs peccata confeſſa in confeſſione informi, nunquam remitti poſſent directè: non enim per confeſsionem ſequentem, quia cum præcedens fuerit valida, non tenetur quis ea denuò confiteri: ergo per illam informem debent remitti, tunc autem procul dubio, quando remouetur fictio,& obex. Sed quæres quomodo poſſit tolli fictio, & obex? Reſpond. cum Suarez, *tom.4.diſp.20,ſect.5.n.14.15.* Filliucius, *tr.7.c.6 q.12.* Bonacina, *diſp.5.q.6.ſect.1.p.5.n.5.6* Henriquez, *lib.5.c.11.n.4.* Paludanus, Caietanus, Canus, Ledeſma, Victoria, Petrus Soto, apud Henriquez, & aliis: quando confeſſio fuit informis ob omiſſionem peccati mortalis ex ignorantia, uel ob defectum doloris ad remouendum obicem erit neceſſaria attritio, ſi nullum mortale peccatum poſt talem confeſſionem ſit admiſſum; ſicut enim Sacramentum cum attritione produxiſſet effectum, ita illum modo producit poſita attritione; Hæc etiam attritio debet extendi ad peccata oblita,& vbi hæc extenſio data fuerit, ſtatim redibit effectus gratiæ abſque noua confeſſione; quia dolor ille, qui ſufficiebat cum Sacramento, ſufficit etiam poſt illud modo nouus obex peccati interim non committatur. In hoc enim caſu non ſufficeret attritio, ſed requireretur contritio, vel nouum pœnitentiæ Sacramentum formatum cum attritione; quia præcedens Sacramentum non habet efficaciam circa peccata mortalia poſt ipſum commiſſa, & ideo neceſſaria eſt talis diſpoſitio, quæ ſufficiens ſit ad delenda priùs confeſſa, & ſimul commiſſa poſt ſuſceptum Sacramentum informe.

Suarez. Filliucius. Bonacina. Henriquez. Paludanus. Caietanus. Canus. Ledeſma. Victoria. Sotus. Rodrig.

Vide v. *Irregularitas, 1.n.16.*

CONFESSIO SACRAMENTALIS VII.

Quoad eius Sigillum.

SVMMARIVM.

1 *Sigillum quid? & quotuplex.*
2 *Quo iure confeſſarius teneatur ad ſigillum.*
Et quibus pœnis plecti debeat illud violans.
Et quomodo probetur ſigilli violatio.
3 *Confeſſionis ſigillum ſtrictius obligat, quàm ſigillum ſecreti naturalis.*
4 *Dupliciter peccat frangens ſigillum confeſſionis, & an fractione ſigilli detur paruitas materiæ.*
5 *Ad impediendum graue damnum publicum, an liceat Sacramentale ſigillum frangere.*
6 *Quænam ſub confeſſionis ſigillum cadant.*
7 *Peccata tam mortalia, quam venialia, quamuis publica eorumque circumſtantia, quæcunque in confeſſione audita, celari debent hoc ſigillo.*
8 *Peccatum complicis cadit ſub ſigillo confeſſionis.*
Et an reuelans complicem incurrat in pœnam Canonis.
9 *Bona, & virtutes pœnitentis, an teneatur ex vi ſigilli confeſſarius occultare.*
10 *Quæ perſonæ teneantur hoc ſigillo.*
11 *An pœnitens obligetur ſigillo ſacramentali.*
12 *An poſſit Sacerdos, extra confeſſionem vti ſcientia per eam acquiſita ad externos actus dirigendos.*
Refertur duplex ſententia.
13 *Confeſſarius in confeſſione, licitè vtitur ſcientia, ab ipſo pœnitente habita in alia confeſſione.*
14 *Sacerdos non poteſt dimittere famulum, quem in confeſſione nouit eſſe furem: vel denegare pœnitenti ſuffragium, vel Euchariſtiam, &c. ob peccatum in confeſſione auditum.*
15 *Non tenetur confeſſarius confiteri ſuum peccatum mortale, cum reuelatione confeſſionis ſibi factæ.*
16 *Quando ex auditis in confeſſione confeſſarius poſſit admonere ſuperiorem, vt vigilet.*
17 *Prodere peccata in confeſſione cognita, non prodendo perſonam directè, vel indirectè, an ſit fractio ſigilli.*
18 *Quam parciſſimè loqui debeant confeſſarij de auditis in confeſſione.*
19 *Quomodo confeſſarius ſigilli infractor ſit dicendus quando non.*
20 *In vno tantùm caſu, licitum eſt audita in confeſſione reuelare, ſcilicet, ex licentia pœnitentis.*
21 *Alij caſus in quibus hoc etiam liceat.*
22 *An poſſit confeſſarius abſoluere pœnitentem, qui interrogatus negat peccatum, quod certò confeſſarius extra confeſſionem.*
23 *An liceat confeſſario interrogare de complice in confeſſione, in ordine ad ipſius correptionem, vt illam faciat ex licentia pœnitentis.*
24 *Quomodo ſe gerere debeat confeſſarius, ſi de peccatis in confeſſione auditis interrogetur.*

1 Sigillum per metaphoram nihil aliud eſt, vt à Theologis accipitur, quàm obligatio, ſeu debitum aliquid occultandi. Diuiditur in ſigillum *Secreti naturalis*, & in ſigillum *confeſſionis Sacramentalis*. Sigillum ſecreti naturalis, eſt obligatio quædam à iure naturali inducta, ad occultandum ſecretum ſibi ab altero commiſſum Confeſſionis verò ſigillum eſt obligatio à Chriſto Domino introducta, ad occultandum id quod in Sacramentali confeſſione detectum fuerit: Vnde nec verbis, nec ſignis, nec directè, vel indirectè manifeſtari poſſunt peccata audita in confeſſione, vt habetur in c. *Omnis vtriuſq; ſexus de pœnit. & remiſs. §. Caueat*. Et hæc obligatio eſt perpetua, duratque etiam poſt mortem pœnitentis, ea enim vis naſcitur ex præcepto negatiuo, vt obliget ad ſemper,& pro ſemper. Oritur autem hæc obligatio ex iniuria, quæ fieret Sacramento, ſi aliquãdo reuelaretur hoc ſecretum; iniuria verò illa conſiſtit in hoc, quòd confeſſio fieret odioſa; nam retardarentur homines, neque cum fiducia poſſent ad hoc ſacramentum accedere; vnde cùm hæc reuelatio ſit nociua ſacramento, & nunquam poſſit verè, ac moraliter vtilis, ideo nunquam eſt licita. Ita communiter Doctores, Diuus Thomas, *in 4. diſt.21 q 3.art.1.* Syluius, *in ſuppl.3.p.q.11.art.1.* D. Bonauentura, *diſt.21.2.p.art.2 quæſt.1.* Nauarrus, *in man.c.8.n.1.* Suarez, *tom.4.diſp.33.ſect.1.* Viguerius, *in ſumm.c.16.§.4* Layman, *lib.5.tr.6.c.14.n.1.* Bonacina, *tom.1.diſp.5.q.6.ſect.5.* Diana, *p.5.tr.11.reſ.1* Malderus, *de ſigil.c.1.*

D. Thom. Syluius. D. Bonau. Nauarrus. Suarez. Viguerius. Layman. Bonacina. Malderus.

2 Ad ſigillum confeſſionis tenetur confeſſarius iure naturæ, iure diuino, & Eccleſiaſtico. Prior pars patet, quia iure naturæ tenemur cauere infamiam proximi, ex reuelatione enim peccatorum in confeſſione auditorum pœnitenti infamia poſſet exoriri, ergo. Ita Vaſquez, *de pœn.q.93. ar.4.dub.1.* Saytus, *de pœn.c.26,n.11.* Nauarrus, *in c. Sacerdos, de pœn.diſt.6.n.33.& ſeq.*

Vaſq. ſayrus nauarr.

Secunda pars probatur, quia Chriſtus confeſſionem inſtituit tamquam medium facilè ad obtinendum remiſſionem peccatorum, iugum enim eius ſuaue eſt: difficilè autem ab hominibus exerceretur confeſſio, ſi confeſſarius ad ſigillum non teneretur; imò confeſſio efficeretur odioſa,& oneroſa,& ab ea fideles multùm retraherentur, & abhorrerent. Ita D Thom *in ſuppl.q.11.art.1.* Syluius, *ibid.* Henriq. *lib.6.c 19.n.3.* Coninck, *diſp.9.n 4.* Malder *c.c.2.* Poſterior pars probatur, quia in c. *Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſs.* ſtrictiſſimè præcipitur confeſſario ſub pœna depoſitionis,& perpetuæ pœnitentiæ in arcto monaſterio faciendæ, ne verbo, aut ſigno, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem. Pœna verò illa depoſitionis ſignificat, vt careat omni munere,& dignitate,& perpetuo priuetur omni altaris miniſterio. Vide Rodriguez, *tom.2. qq.reg.q.36.art.1.* Hic tamen non incurrit irregularitatem, vt benè probat Suarez, *tom.4.diſp.33.ſect.8.*

D. Thom. Syluius. Henriquez Coninch malder. Rodriq. Suarez.

Nota *Primò* hanc pœnam non incurri ipſo facto ante sẽtentiã iudicis, quia ex nullo fundamento id conſtat.

Secundo, non infligitur hæc pœna ob quamcumq; violationem ſigilli, ſed ſolùm ob reuelationem peccati, de hac.n. tantùm agitur in iure; quia illa eſt præcipua materia ſigilli; vnde qui ſolùm reuelaret aliquod ignominioſum in confeſſione cognitũ, ſed quod peccatum non ſit, non incurret.

Tertio, aliæ perſonæ diſtinctæ à confeſſario, quæ ſigillo confeſſionis tenentur, hac pœna non plectuntur, ſed mitiori, quia in fractione ſigilli, non ita grauiter peccant, ac con-

fessarius, quamuis multo grauiori, quàm si solùm frangerent secretum naturale iustitiæ. Ita Hurtado, *de sacram. disputat* 12. *de pœnitent. difficult.* 14. Præpositus, *in* 3. *part. quæst.* 11. *de sigil. dub.* 4. *num.* 39. Granado, *de Sacr. controu.* 7. *tr.* 11. *disp.* 8 *n.* 3.

Hurtado. Granado

Notandum *Quarto* hoc crimen posse probari per testes singulares propter delicti qualitatem, quod aliter vix vnquam probari posset, vt notant communiter Doctores.

Dubium autem est, cui incumbat probandi onus, quando pœnitens dicit, Sacerdotem reuelasse cōfessionem absque eius licentia; Sacerdos vero dicit, se habuisse licentiam à pœnitente. Multi dicunt, onus probandi incumbere confessario, quam esse sententiam communem testatur Nauarrus, *in c. Sacerdos, num.* 164. & pro ea Suarez affert D. Thomam, Richardum, & Syluestrum, quia licentia non præsumitur, nisi probetur.

Nauarrus Suarez D. Tom. Richardus. Siluester.

Alii hanc sententiam duram, & difficilem iudicant, cùm Sacerdos non possit probare licentiam illam, quæ regulariter secreto datur; quare totum hoc ex coniecturis circūstantiis pendere; nam si sacerdos bonæ famæ sit, & honestæ vitæ, si nihil mali pœnitenti intulit; sed potiùs reuelatio tendebat ad eius bonum; præsumitur licentia, & probandi onus refundi in pœnitentem. Ita Rodriquez, *tom.* 2. *qq. reg. q.* 36. *a.* 1. & Bernardus Diaz, de Lugo, *in practic. crimin. canon. cap.* 109.

Rodriq. B. Diaz.

Sed mihi distinguendum videtur, nam si pœnitens accuset de reuelata confessione, & Sacerdos neget, se tale peccatum dixisse, aut reuelasse pœnitens debet probare, cùm crimen non præsumatur, nisi probetur.

Si verò constet, sacerdotem dixisse illud peccatum; Ipse verò neget, se illud in confessione audiuisse, debet ab ipso ostendi, vnde illud scierit: quo non probante, debet puniri, non tamen pęna ordinaria, sed leuiori, quia non est conuictus de delicto.

Si verò constet de reuelatione; dicat tamen confessarius se habuisse licentiam pęnitentis; distinguendum videtur; vt si accuset ipse pęnitens, sacerdos debeat probare licentiam, & purgare illam probationem per probationes contrarias. Si vero accuset alius tertius, maximè si pœnitens iam sit mortuus, probatio incumbat accusatori, cùm ipse non possit, nisi ad summum ex auditu scire carentiam licentiæ. Videndus est Lapus, *allegat.* 94. quæ incipit, *Quidam Presbyter*, Couarruuias, *in* 4 *p.* 2. *c.* 8. *§.* 12. *n.* 10, Syluius, *p.* 2. *resol. verb. Sigillum confessionis*, 11.

Lapus Couarruu. Siluius

3 Sigillum confessionis sacramentalis longè strictiùs est quàm sigillum secreti naturæ, quod in multis casibus reuelari potest, puta, quoties in detrimentum proximi uergit temporale, vel spirituale, in damnum publicum, & commune, vt docetur infra, *Verb. Secretum*, *num.* 4. Sigillum verò sacramentale ne iniuria fiat sacramento ita obligat, vt in illo vitæ casu infringi possit. Vnde nec Summus Pontifex dispensare potest cum confessario, vt confessionem reuelet, etiamsi vniuersa Ecclesia, & Fides tota Christiana per impossibile perire deberet, nisi sacramentale sigillum reueletur. Ratio est, quia nulla est potestas in terris quæ dissoluere possit, quod est iure naturæ, vel diuino constitutum, licet aliquando declarare possit tale ius non habere locum in aliquo casu. Hinc superiori sub pœna excommunicationis præcipienti fractionem huius sigilli, per reuelationem peccati, quod in confessione didicit, non tenetur confessarius obedire: imò mortaliter peccaret obediendo præcepto hominis, contra præceptum diuinum. Proinde sigillum illud sacramentale, nulla vnquam de causa reuelandum est, neque pro aliquo scandalo vitando, nisi volente, & facultatem dante pœnitente. Tum quia si in aliquo casu confessio contra voluntatem pœnitentis reuelari posset, illa fieret communiter exosa, & inordine ad omnes confessarios. Tùm quia fractio huius sigilli est intrinsecè mala, nec vlla de causa cohonestari potest. Vt docent Diuus Thomas, *c. art.* 1. Syluius, *ibid.* Suarez, *c. dist.* 33. *sect.* 1. *num.* 11. Bonacina, *c. dist.* 5. *q.* 6 *sect.* 5. *num.* 20. Nauarrus, *in c. Sacerdos, de pœn. dist.* 6. *n.* 34. Medina, *codic. de conf. q.* 48. Filliucius, *tr.* 7. *c.* 11. *q.* 1. Reginaldus, *lib.* 3. *nu.* 19. Diana, *c. ref.* 1. Layman, *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 14. *n.* 2. Graffiis, 1. *part. lib.* 1. *c.* 23. *n.* 4. & 5. Malderus, *c. cap.* 2. & 3. & alii communiter.

D. Thom. Syluius Suarez bonacina. nauarrus Medina Filliucius. Reginald. Diana Layman. Graffiis. Malderus

4 Frangens confessionis sigillum, duplici peccato se contaminat, peccat enim *Primo* contra iustitiam, violando secretum contra fidem datam, quia inter confessarium, & pœnitentem intercedit virtuale quoddam pactū de seruando isto secreto in omni casu, & sine ulla exceptione eius cōsequēter violator sigilli tenetur ad restitutionē dāni, quod ex iniusta secreti manifestatione nascitur.

Peccat *Secundo* contra religionem peccato sacrilegii, cum faciat iniuriam sacramento pœnitentiæ, quod cum obligatione sigilli à Christo institutum fuit. Vtraque malitia est inseparabilis. quia in nullo casu potest reuelari secretum confessionis, quin vtraque malitia reperiatur ūde uiolator huius sigilli tenetur in confessione hanc duplicem circunstantiam confiteri, si aduertat confessarium id ignorare, quia duplicem culpam mortalem specie diuersam cōmisit. Sicut duplicem quoque comittit culpam lethalem diuersam specie qui frangit illicitè secretum naturale, quod sub iuramento seruare promisit, quia iuramentū trahit peccatū ad speciē periurii, unde ibi est peccatum periurii, & peccatum iniustitiæ. Ita D. Thom *quodlibeto* 12. *a.* 17 Nau. *in man. c.* 8. *n.* 3. Henriq. *l.* 3. *de pœn. c.* 19. Fagund *prac* 2. *l.* 6. *c.* 1. *n.* 6. Suar. *disp.* 33. *sect.* 1 *n.* 13. & 14. Diana *p.* 5. *tr.* 11. *ref.* 2. & alii.

D. Thom. Nauarrus. Henriq. Fagundez Suar Diana.

In fractione huius sigili, hoc notatu dignum est quod non detur paruitas materiæ excusans à mortali culpa, etiamsi quod reuelatum fuerit, sit tantum uenialis culpa Optimam rationem huius assertionis tradit Mald. *de sigil. loc.* 3. quia paruitas materiæ non obstat, quominus hic reperiatur integra ratio irreuerentię, & offensionis Dei, sicut etiam fit in periurio assertorio, & similibus, unde arcta illa obligatio celandi peccata confessa, non est in eo fundata, quod peccata quæ celantur, sint magna, sed in eo potiùs quòd res maximi momenti sit, & prorsus necessaria, totum negotium confessionis esse secretū. Aliam adfert Suar. *d.* 33. *sect.* 3. *n.* 1 Nau *in c. Sacer. de pœn. d.* 6 *n.* 39. Bonac. *to.* 1 *d.* 5. *q.* 6. *sect* 5. *p* 1. *n* 4. Diana *p.* 5. *tr.* 5. *ref.* 8. Quia licet respectu pœnitentis illa regulariter non sit grauis infamia, respectu tamen Sacramenti sē per est grauis iniuria & graue nocumentum, quia aliàs auerterentur homines à confesione peccatorum uenialium.

Malderus.

Suarez. Nauarrus, Bonacina, Diana

Tamen ex indeliberatione & inaduertentia posset esse tantùm peccatum veniale reuelare quod in confessione est auditum, si nulla sequatur infamia; quia tunc reuelans non dicit animo reuelandi, neque recordatur confessionis, sed ex aliunde accepta scientia loqui se existimat. Ita Suarez *c. sect.* 3. *num.* 1. & 2. P. Soto *relect. de secr. q.* 3. *c.* 3. Syluius *cit. quæst.* 11. *art.* 1. Malderus *de sigillo c.* 3. Diana *p.* 5 *t.* 11. *ref.* 2. Qui insurgunt contra improbabilem quorundam sententiam asserentem, reuelationem peccati venialis non futuram mortalem, nisi Sacerdos dicat se audiuisse ex confessione. Quia hoc non est peccatum mortale tātùm propter scandalum aliorum, quod tunc oritur, quando intelligunt illā esse reuelationē confessionis, sed per se propter fractionē sigilli, quia est cōtra graue præceptū, & in grauimateria.

Suarez P. Soto. Syluius. Malderus. Diana.

5 Perpetua Ecclesiæ traditio est, sigillum sacramentale frangi non posse etiam ad impediendum quod uis damnū graue publicum (vt dictum est *supra*.) Ratio est, quia grauia illa mala, quibus alia via Deus prouidere potest, cùm tantùm vrgeant ad tempus, minora sunt, quam data occasio perpetui impedimenti vsus sacramenti pœnitentiæ vnde impedimentum istud censendum est malum esse iniustificabile, ob defectum boni prædicto usu maioris. Tum quia inordinatum esset, per destrutionem sacramenti Pęnitentiæ uelle succurere necessitatibus nostris, unde pro nullo incommodo auertendo, pro nullo bono procurando, licet cōfessario reuelare secretum confessionis, etiamsi ea reuelatione possit totum mundum Christo lucrifacere, aut grauissimum damnum spirituale à tota Ecclesia, vel Repub. auertere. Est omniū Doctorum sententia, uel etiamsi moriendum esset sacerdoti, Salus enim Christianorum pendet à sacramento confessionis, quod cōseruari non potest, nisi seruato sigillo. D. Thom *in suppl.* 3. *p q.* 11. *art.* 1. Syluius *ibi.* Malderus *tract. de sigil. c.* 3. Suarez *c. sect.* 1. Layman *c. c.* 14. *num.* 2. Henriq. *l.* 6. *c.* 19. *n.* 5 Gutierez *l.* 1 *qq. c.* 11. *n.* 49. 50. Fagund. *prac.* 2. *l.* 6. *c.* 1. *n.* 7. 8. Diana *p.* 5. *tr.* 11 *ref.* 46.

D. Thom Syluius. malder. suarez. Layman. Henriq Gutierez. Fagundez Diana.

Sed petes, an confessarius qui per confessionem nouit, v. g. conspirationem proditorum, non possit monere eos, quibus

quibus custodia incumbit, vt vigilent: Resp. modò per omnia prospiciatur sigilli sacramentalis integritati, nec alia subsistat via per quam graue illud malum seu damnum Reip. imminens propellatur, licitum esse generaliter superiorem monere, absque expressione vllorum particularium. Ita Reginaldus *l.3.c.2.* Nauarrus *in c. Sacerdos de pænit. dist.6. num.124.*

Reginald. Nauarrus

Sed quia in tali admonitione tanta & multiplici circumspectione opus est, vt difficillimum sit, illam vsurpantem non incidere in sigilli sacramentalis violationem, ac læsionem securitatis & libertatis confidentium, ideò in praxi non est illa ordinariè vtendum, ob reuerentiam sacramento pœnitentiæ debitam: quia notitia ex foro confessionis, nullum commercium habet cum his admonitionibus externis, eò quod statim conijciet Superior vel ille cui custodia incumbit, vt vigilet, id ex confessione confessarium scire, quod redundat in detrimentum sigilli: Numquam autem potest confessarius in monendo dicere se scire periculum imminens in confessione, cum eiusmodi forma odiosa reddat confessionem. Fagundez *c. l.6.cap.3.num.8.* Malderus *c.c.14. fol.122.* Diana *part 3.tract.4. res.76. & part.5 tract.11.res.3.*

Fagund. Malderus Diana.

Multò minùs reuelanda est confessio, quantumcunque illius celatio cedat in graue detrimentum tertiæ personæ, siue pœnitentis ipsiusmet confessarii. Quia cùm pœnitentiæ sacrament. institutum sit in totius Christianæ Reip. bonum, plus expedit secretum ipsum seruari, ne fideles abhorreant ab illius vsu, timore violationis eiusdem secreti, quàm salutem cuiusquam particularis tueri. Bonacina *tom.1.disp.5.q.6.sect.5.p.4.n.19.* Reginaldus *l.3.n.18. & 19.* Saytus *de pæn.cap.32.num.2.*

Bonac. Reginald. Saytus

Sed quia in prædictis casibus persona quæ cõfitetur sub peccato mortali, in conscientia tenetur plerumq; malum imminens quouis modo auertere, nec potest alio, quàm monendo magistratum vel superiorem, confessarius potest illi imponere vt moneat. Ratio est, quia in hoc confessarius perfungitur munere suo, & tantùm declarat obligationem quam habet pœnitens in conscientia, quam si non sit paratus adimplere, non est dispositus ad Sacramentalem absolutionem: Imò, in tali statu, peccatum mortale sacrilegii confessarius committeret absolutionem sic indisposito pœnitenti dando, & pœnitens recipiendo. Si autem persona quæ confitetur, aliàs non teneatur in conscientia ad huiusmodi manifestationem, confessarius non potest illi hanc manifestationem imponere sine peccato sacrilegii: quia secretum siue sigillum tantum est, vt non solùm debeat præcauere omne grauamen pœnitentis, sed etiam grauamen cuiuscunque tertiæ personæ: hic autem confessarius imponens pœnitenti vt manifestet superiori ex occasione scientiæ in confessione acceptæ hoc facit, & consequenter notitia accepta in confessione dat causam huic manifestationi externæ, & grauamini quod ex tali manifestatione externa, tertia persona incurrit. Vnde sigillum si non primariò & directè: secundariò tamen, & indirectè soluitur, hoc ipso quòd ex sola notitia in confessione accepta, reuelatio illa deriuatur, quæ aliàs personam, manifestantem in conscientia non obligabat. Ex dictis resolue sequentem casum.

Sed rogabis, quid faciendum, si confessarius audiens confessionem Bertæ puellæ honestæ & innuptæ, in extremo vitæ periculo laborantis, agnoscat ex ipsius confessione illam esse grauidam fœtùmque quem in vtero gestat viuere, neminem tamen scire, neque audere se vlli rem istam patefacere præterquam ipsi, ne famam hactenus illæsam perdat.

Resp. ipsum debere Bertam vrgere vt fidæ alicui personæ rem declaret, sicque fœtui prospiciatur. Si metu infamiæ pergat refragari, ostendat ei periculum euidens ac certum æternæ damnationis, cui fœtum suum exponit, moneatque tantillum infamiæ negligendum esse, vt anima Christi sanguine redempta non pereat, sed opera dari possit ad eam saluandam.

Si contumaciter persistat, nolitque illi extra confessionem aperire, deneget ipsi absolutionem tanquam indignæ & prorsus indispositæ, cùm nolit hoc facere, ad quod sub reatu peccati mortalis est obligata, declaretque quod & se & puerum suum conijciat in æternam damnationem. Cõmunis enim sententiam docet ex D. Thoma vitam corporalem pro salute spirituali proximi ponere, cadere sub præcepti necessitate, in necessitatis articulo: Quantò magis tenebitur hæc famam exponere (quæ est bonum ordinis inferioris, quam vita) pro salute spirituali fœtus. Confessarius tamen non potest quidquam de fœtu vel de eius animatione loqui, etiamsi fœtus sit sine baptismo moriturus, quia sigillum confessionis est tam sanctum, vt ne indirectè quidem liceat vllo casu citra pœnitentes consensum frangere.

6 Illa omnia sub confessionis sigillum cadunt, quæ à pœnitente manifestanda sunt sacerdoti, per ordinem ad confessionem sacramẽtalem, animo se accusandi factam, quia ex horum manifestatione censetur confessarius sacrilegus sigilli violator, & confessio redditur odiosa, & hinc colligitur solutio sequentium casuum.

Quandò quis peccata sua non sacerdoti scienter manifestat, non oritur obligatio sigilli, quamuis credat ex tali confessione nasci sigilli obligationem. Ratio est, quia illa confessio non est sacramentalis, est tamen naturale secretum, quod licitum est reuelare, quando necessitas boni communis vrget. Tamen si bona fide confessio facta fuerit non sacerdoti, existimando illum verè sacerdotem, inducit obligationem sigilli. Ratio est, quia licet illa confessio de facto non terminetur ad sacerdotem, tamen vt fit à tali homine, ex intentione sacramenti procedit, & fit sacerdoti: vnde ipsum etiam sacramentum, & præceptum tegit illa peccata sub sigillo, hoc enim præceptum impositum est in fauorem pœnitentis, & sacramenti, ergo ampliandum est ad omnem confessionem bona fide factam, sub ratione & intentione sacramenti. Ita Suarez *disp.33.sect.2.* Fillincius *tr. 27. num.319. & 321. part. q.11. q.11. art.1. quæsit.1.* Præpositus *3.* Syluius *in suppl. de sigillo dub.2.num.21.* Diana *p.5.tract.11 res.13. & 15.* Vasquez *quæst.93.art.4.dub.2.n.6.* Graffiis *1.part.lib.1.c.23.num.45.*

Suarez. Fillincius. Syluius. præposit. Diana Vasq. Graffiis

Sacerdus non tenetur ad sigillum confessionis, cui extra sacramentalem confessionem aliquid sub sigillo confessionis explicatum est ab eo, qui non habebat intentionem cõfitendi, tenetetur tamen hic ad secretum naturale. Ita Paludanus *4. dist.21. q.3. art.2.* Nauarrus *cap.18. numer.55.* Sanchez *de matrimon lib.3.disp.13.num.6.* Rodriquez *p.2. sum.cap.55.num 4.* & alii.

paludanus. Nauarrus. Sanchez. Rodriq.

In dubio an aliquid confessario fuerit à pœnitente reuelatum in ordine ad confessionem, præsumi debet à confessatio quòd sic, & hoc in fauorem confessionis & pœnitẽtis ne fiat odiosa confessio: quamdiu enim non probatur pœnitens omninò fictus, præsumitur bono animo ad confessionem accedere. Ita Suarez *disput.33.sect.2.num.6.in fine* Reginaldus *lib.3.num.7.* Bonacina *c.punct.2.numer.4.* Syluius *c.quæst 11.artic.1.quæsit.1.*

Suarez Reginald. Bonacina. Syluius

Si peccator sub specie confessionis veniat animo irridẽdi decipiendi, pertrahendi confessorem in consortium sui peccati; non est eius confessio sacramentalis, ideòque nec inducens sigillum: vt declaratum fuit Romæ de quodam Cardinali, qui prætextu confessionis, accesserat ad alium, volens eum, in conceptæ contra Pontificem coniurationis crimen pertrahere. Ita Sotus *in 4 dist.18. quæst.4. art.5.* Nauarrus *cap.8 num.18.* Malderus *de sigillo cap.8. fol. 60.* Vasquez *c dub.3. & 7.*

Sotus. Suauar Malderus Vasquez

Oritur obligatio seruandi hoc sigillum, non solùm ex cõfessione valida, sed ex omni & sola illa, quæ est sacramentalis, quamuis pœnitens absolutionem non impetrauerit. Itaque sigillum habet locum, quando confessio fit animo se accusandi in hoc foro pœnitentiæ secreto, & aliquo modo se clauibus subiiciendi vt iuuetur, eo modo quo cõfessor iudicabit id fieri posse, si non absoluendo, saltem dando consilium, vnde qui cum aliquali proposito emendæ & aliquali dolore, licet imperfecto, & non sufficienti ad efficiendum verum sacramentum confitetur, tunc obligat sigillum; quia pœnitens habet animum confitendi sacramentaliter. Ita Malderus *de sigillo cap.15.* Reginaldus *lib.3. cap.5.numer.66.* Mercerus *in supplement 3. part. q.11. art.2.* Henriquez *lib.6 cap.21.num.3.lit. N.* Diana *p.5. tract.11.res.26.* & alii.

Malderus Reginald Mercerus Henriq. Diana

7 Celari debent hoc sigillo peccata tam mortalia quam venialia, peccatorum etiam circumstantiæ, & ea omnia, quæ dicta sunt in confessione ad declaranda peccata: sed diffe-

differenter, nam mortalia nec in genere nec in particulari sunt manifestanda; venialia autem in specie non possunt manifestari; non esset autem contra sigillum in illom manifestare dicendo v. g. Petrus confessus est peccata venialia; quia confessio stare non potest sine materia peccati venialis ad minunum; secùs si diceret Petrum confessum esse plura vel grauia venialia; quia occultum est Petrum plura vel grauia venialia fecisse D. Thom. *in suppl. q. 11. artic. 2.* Syluius *ibid.* Malderus *cit. c. 15.* Filliucius *tract. 7. cap. 11. num. 321.* Bonacina *c. disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 2. n. 9.* Layman *li. 5. tr. 6. c. 14. n. 4.* Diana *p. 5 tract. 11. res. 49.*

D. Thom. Syluius. Filliucius Bonacina. Layman. Diana

Item defectus, qui ad famam pœnitentis pertinent, sub sigillo cadunt, vt si pœnitens ad manifestandum aliquod peccatum, dicat se illegitimum, pauperem, aut reuelet aliquem defectum naturalem. Ratio est, quia hæc omnia saltem per reductionem, sunt materia confessionis, cùm ordinentur ad accusationem peccati, & propter confessionem faciendam dicantur Sotus 4. *dist* 18. *q. 4. art. 5. concl.* 2 Suarez *disp. 33. sect. 2. num. 5.* Præpositus 3. *part. de pœnit. q. 11. dub. 3. num. 28.*

Sotus Suarez Proposit.

Reliqua autem quę ad peccatum non faciunt, vel ad infamiam pœnitentis, & quæ incidenter tanquàm nullo modo ad confessionem narrantur, sub sigillo non cadunt, cauere tamen debet confessarius, ne quod in confessione tantùm audiuit, dicat, manifestando personam, cùm circumstantes intelligunt illum ex confessione habuisse. Ita Bonacina *cit. num.* 10. Filliucius *tract. 7. cap. 11 numer.* 321. Reginaldus *cit. num.* 38. Suarez *cit. num.* 10. Diana *part. 5. tract. 11. res. 5.*

Bonacina. Filliucius Reginald. Suarez Diana

Peccatum futurum, seu propositum committendi aliquod peccatum, sub sigillum cadit; quando pęnitens illud confessario manifestauit animo se accusandi. Ratio est, quia propositum illud, quod in confessione aperitur, habet illud peccatum pro obiecto; obiectum autem peccati etiā sub sigillum cadit, sicut & circumstantiæ. Secùs autem si pęnitens declarauit non animo se accusandi, sed potiùs peruertendi confessarium, illumque incitandi ad malum. Ita Malderus *de sigillo c. 15. fol. 132.* D. Thom *q. 11. art. 1. ad* 1. Syluius *ibid. quæsit. 1.* Diana *c. res. 25* Vasquez *q. 93. a 4. dub. 3.* D. Bonauent. *4. dist. 21. art. 2. quæst. 1.*

malderus D. Thom. syluius Diana Vasq. D. Bonau.

Peccatum publicum quatenus in confessione auditum, est materia sigilli: vnde confessarius non potest dicere, *Ista publica meretrix confessa est mihi suas turpitudines.* Ratio est, quia si talis facultas confessario concessa esset, sæpe ea abuteretur, seu minùs publica euulgando, seu minùs certa confirmando, quod confessionem exosam redderet. Si tamen confessor aliàs nosset illud peccatum per viam publicam, posset quidem ex hac notitia loqui, cautè tamen, ne suspicionem aliis ingerat vsus notitiæ per confessionem: vnde non est licitum confessario de peccato sui pęnitentis loqui cum iis personis, quas certò nouit illud cognitum habere, quia obligatio sigilli est per se; & scientia aliorum est per accidens, licet enim fortasse non fiat nocumentum pęnitenti, quia non infamatur ampliùs, fit tamen iniuria ipsi sacramento, atque etiam potest esse onerosum ipsi pęnitenti. Ita Nauarrus *in man c. 8. n 10. & in c. Sacerdos n. 62. & 66.* Sotus *cit. quæst 4. art. 5. conclus. 3.* Henriquez *lib. 6. cap. 20. n. 4.* Bonacina *cit. n. 9.* Layman *l 5. tract. 6. c. 14. n. 9* Præpositus *de pœnit. q. 11. dub. 3. num. 25.* Diana *part. 5. tract 11. res 6.*

Nauarrus. sotus Henriq. Bonacina. Layman. præposit. Diana

8 Peccatum complicis cadit sub sigillo confessionis, sicut & peccatum pęnitentis, siue hic potuerit suum peccatum confiteri sine expressione illius, siue non: Tum quia ex reuelatione peccati complicis sæpissimè cognosci posset peccatum pęnitentis, & exinde confessio redderetur onerosa & odiosa. Tum quia ex reuelato peccato complicis, adeò magna sequuntur incommoda in odium confessionis, quando reuelatio timeretur, non tenetur complicem pœnitens exprimere. Deinde complices sint Caius, & Betta, & vterque fateatur peccatum suum vni & eidem sacerdoti, nisi complex sit sigillatus poterit Caio ex confessione Bettæ, & Bettæ ex confessione Caii sacerdos obiicere peccatum suum, quod nefas est. Ita Syluius *in supp. quæst. 11. art. 2. conc. 2.* Malder. *de sigil. c. 17. fol.* 170. Suarez *disp. 34. se. 3. n. 2.* Vasq. *q. 93. a. 4. du 5.* Diana *p. 3. tr. 4 re. 111.* Reginald. *l. 3. c. 4. n. 39.* Nugnus *in suppl. q. 11. art. 2.* Laym. *lib. 5. tract. 6. c. 8. n. 13.* & communis sententia omnium.

Syluius malderus. suarez Vasqu. Diana Reginald. Nugnus Layman.

Petes, an confessarius reuelans complicem, incurrat pęnam Canonis *Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Respond. affirmatiuè cum Petro Ledesma *tract. de pœnit. cap. 21.* Maldero *tract. de sigillo, cap. 17.* nisi interueniat cōsensus pœnitentis. Ratio est ante dicta, quia manifestando personam complicis indirectè manifestaret confessarius personam ipsam pęnitentis. Aduertendum tamen est complicis peccatum non tegi ita ex vi Sacramenti, sicut peccatum ipsum pęnitentis: quod tegitur, vt significetur Deum tegere peccata per confessionem remissa; sed tegitur tanquam pars accusationis huius secretissimæ, qua seipsum plenè accusare non potuit pęnitens sine accusatione, aliqua complicis. Et ideò persona complicis pertinet ad materiam propriam confessionis; ergo ad secretum, & sigillum.

P. ledesm. malderus

Non tamen licet (secundùm veriorem sententiam occasione confessionis, pręcipue si ex tali occasione id fieri sciendum esset, procedere per obtentam veniam a pęnitente, in foro externo, vel ad exemplum aliorum, ad accusationem, aut punitionem complicis, hoc enim redderet confessionem odiosam: potuit enim pęnitens falli, aut fallere, deficiente probatione, cùm ille non possit in testem adduci, imò negare possit tale quid se in confessione dixisse, vbi in maximas difficultates se coniiciet confessor, & ipse vt diffamator conueniri poterit: vnde quid aliud accidet confessario ex eiusmodi proposterè suscepta accusatione, nisi mera confusio. Quomodo hic satisfaciet indiciali ordini, qui requirit, vt reo innotescat testis aduersarij aut saltem, vt ipsi ea aperiantur per quæ in suspicionem testis facilè veniat? Aut pęnitens detegitur, & erit sacrilegium, aut non detegitur, & erit calumnia. Suarez *disp. 34. sect. 4. n. 22.* Bannez *2. 2. q. 33 art. 8. dub. 6.*

suar. Bannez

Quis enim non poterit quemuis calumniari, & affligere hoc surdo verbere subornati confessarii, aut quis confessarius, volens sine onere probationis calumniari, id non poterit eo prætextu, quod in confessione tertii illud peccatum audierit? Absit, vt qui Dei iudicia exercent, diuini arcani violatores hucusque admittant. Ita Malderus, passim & Bannez.

malderus. Bannez.

Si verò complex correptione indigeat, curet confessarius, vt ipse pęnitens per se, vel per alium discretum eam faciat, si autem alius haberi non possit, qui graue malum commune impediat, vel tollat per correptionem vel denunciationem, obligare posset confessarius pœnitentem vt sibi extra confessionem reuelet personam complicis, modò nullum sequi possit scandalum, nulla irreuerentia Sacramenti, aut fractio sigilli. Debet tamen monitio esse secreta, manendo in primo gradu correptionis fraternæ inter confessorem & ipsum solum, & in omnem euentum non vlteriùs progrediendo. Henriquez *l. 2. de pœnit. cap. 10. num* 8. Fagundez *pracept. 2. lib. 5. cap. 2. num. 2. &* 6. Sed casus iste potiùs est metaphysicus, quàm moralis, vt bene docet Malderus suprà. *Quis enim* (inquit) *erit iste casus, vbi nemo præter confessarium reperiri poterit, qui ad corripiendum sit idoneus, & simul hoc concurrat, vt inde nemo pusillorum, nemo ignorantium scandalizetur, putans confessarium ex confessione loqui?* Proinde sustinent aliqui Doctores confessarium sacrilegii culpam incurrere, qui sibi extra confessionem curat dici siue manifestari complicem ad auertenda mala huiusmodi, & vt possit illum manifestare superioribus. Ratio est, quia huic manifestationi, notitia in confessione accepta, dedit causam, vnde reuerà sigillum indirectè & secundariò soluitur, idque in grauamē tertiæ personæ. Si tamen nec pęnitenti, nec tertiæ personæ immineat illud imaginabile grauamen, aut grauaminis periculum, licet interdum manifestationem externam & consulere & imponere prout ratio negotii postulat, quia nihil inde læditur sigillum confessionis, nec vlla ei irreuerentia vel nota inuritur. Deinde licet pœnitens teneatur etiam per tertiam personam crimen alicuius tertii foris manifestare, non facilè confessarius id debet in se assumere, quia inde suspiciones contra sigillum apud infirmos, & ignorantes gigni possunt, vnde, & confessio redditur odiosa, & calumniis ac detractionibus maleuolorum exponitur; præterquam quòd maleuola, vel maleuolus aliquis mendaciis aliquando confessarium dementet, vt alteri noceat. Honor itaque sigilli sacri

Henriqu. Fagund.

malderus.

omnibus istis secundariis emolumentis præferendus.

9 Ex vi sigilli confessionis, non tenetur confessarius ad occultanda bona & virtutes pęnitentis, sed solùm ex vi secreti naturalis, iuxta intentionem pœnitentis. Ratio est, quia huiusmodi virtutes non solent in confessione aperiri per modum accusationis, & ex ipsarum manifestatione non efficitur odiosa confessio, nisi fortè ex virtutum narratione sternatur via directè vel indirectè ad detegenda aliqua confessi vitia vel peccata, v. g. si absque licentia peccatorem etiam publicum laudet de seria sua pœnitentia, quam in sola confessione aduertit. Proinde planè expedit, vt à tali laude omninò abstineat confessarius, qui post confessionem duorum vel trium dicit, hic solùm habuit venialia; inde enim suspicio oritur, quòd alii confessi sint mortalia. Nauarrus *in c. Sacerdos de pœnitent. dist. 6. num. 51.* Sà *v. Confessio, num. 31.* Reginaldus *lib. 3. cap. 4.* Diana *part. 5. tract. 11. resol. 30.* Malderus *de sigill cap. 15. fol. 135.* Hinc Gerson monet *Alphab. 41. litt. H. & Alph. 18. litt. I. De personis confessis expedit magis tacere quam aliquid dicere, vel laudando vel vituperando in generali vel speciali: Laudantes enim pœnitentes suos dant occasionem malè suspicandi de aliis quos non laudant, & mendaciter confitendi.* Et confessor damnatur vt infractor sigilli apud Ludouicum de Beia Iuniorem *p. 3. casu 15.* laudans quod virgo sit, & sine crimine, quod enim de vna conceditur, de altera videtur negari.

Nauarrus
Sa
Reginald.
Diana
malder.
Gerson
lud. de be.

10 Multę personæ tenentur hoc sigillo, nam quicumque mediatè vel immediatè licitè, vel illicitè, non aliter quam ex confessione, aliquod peccatum cognouit sigillo tenetur.

Primo loco tenetur confessarius seruare sigillum, sub grauissimis pœnis. Gregorius enim *in c. Sacerdos, de pœn. dist. 6.* ponit ei pœnam depositionis & ignominiosam peregrinationem tota vita sua faciendam *cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnitentiis & remissionibus* non solum talem reuelatorem dicit deponendum esse ab officio sacerdotali, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasteriorum detrudendum, quę pœna, vt pote generalis Concilii, hodie obtinet, & non illa prior Gregorii.

Gregorius.

Secundò tenetur superior, cui confessarius aliquid in confessione auditum aperuit, vt facultatem à reseruatis absoluendi obtineret. Ratio est, tum quia fit ei detectio vt habenti claues, & ut in foro interno deleget potestatem absoluendi. Tum quia superior intelligitur vna persona cum confessario, in ordine ad impertiendam absolutionem pœnitenti: Cùm ergo confessarius teneatur sigillo, eodem etiam tenebitur superior Prælatus. Ita Suarez *disp. 3. sect. 4. n. 3.* Malderus *c. 13.* Syluius *quæst. 11. art. 3.* Fagundez *prac. 2. lib. 6. cap. 6. num. 2.* Diana *pa. 5. tract. 11. res. 12.* Præpositus *3. p. q. 11 dub. 2. num. 23.* Bonacina *c. pun. 3. n. 3.* Nauarrus *in c. Sacerdos n. 105.* Et confirmatur, nam cùm sit onerosum pro casibus reseruatis debere superiorem adire nisi is eadem lege obligaretur qua confessarius, confessio redderetur valde odiosa. Et quando inferior petit veniam absoluendi à casu reseruato, nullo modo potest personam aperire, vel causam ita explicare, vt ea venire possit in notitiam superioris, nec superior potest curiosè inquirere cum periculo veniendi in notitiam personæ.

Suarez
Malderus.
Syluius.
Fagundez
Diana
Præpositus
Bonacina.
Nauarrus.

Tertiò, obligantur illi, quibus imprudenter confessarius consilii gratia personam pœnitentis, & ipsius peccatum manifestauit, siue cum licentia pœnitentis id factum fuerit, siue non. Tum quia res semper transit ad alium cum suo proprio onere, tum quia non est credendum pęnitentem dedisse huiusmodi facultatem, nisi cum onere sigilli. Vnde confessarius eo modo reuelans tenetur modū suæ cognitionis explicare, vt alii seruent secretum debitum Sacramento Pœnitentiæ. Ita Henriquez *lib. 6. cap. 20. n. 3. litt. S.* Toletus *lib. 3. cap 16. n. 15.* Suarez *sect. 4. n. 6.* Diana *c. res. 11.* Nauarrus *in man. cap. 8. n. 7.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 14. num. 18.* & alii.

Henriq.
Toletus.
Suarez
Diana.
Nauarrus.
Diana
Fagundez.

Imò ipsemet Diana *part. 5. tract. 11. res. 44.* existimat post Fagundez citatum *num. 23.* quòd si pœnitens, priusquam ad confessionem accedat, consulat virum doctum de re pertinente, & in ordine ad confessionem talis consiliarius teneatur ad sacrum sigillum; quia licet talem notitiā non habeat ex confessione vel per confessionem, habet tamen in ordine ad illam, & aliquo modo participat vsum clauis scientiæ, dirigendo pœnitentem ad confitendum, & faciendo id, quod facere deberet confessarius, si doctus esset, vnde talis consultor non posset talem notitiam manifestare Prælato præcipienti sub excommunicatione.

Quartò, tenetur interpres, quo pœnitens vtitur in peccatis suis confessario aperiendis, quamuis enim nemo teneatur per interpretem confiteri, si tamen eo modo confiteri volens inducat aliquem, qui interpretis vice fungatur is indubiè celare tenebitur peccata secreto sibi cōmissa. Ratio est, quia interpres cognoscit peccatum pœnitētis ex confessione inchoatiuè Sacramentali, quia vt directa ad ipsum interpretem, est inchoatiuè Sacramentalis, quia medio ipso, & per ipsum fit, & dirigitur ad confessarium, & subiicitur clauibus, ac proinde reuelando peccatum irrogat iniuriam confessioni inchoatiuè sacramentalis, ex qua illud cognouit, & quamuis interpres non sciat peccatum vt Deus, scit tamen, vt Dei sequester, Secretum, enim suum deponit pœnitens apud interpretem, in Deum id transferendi causa, & in ordine ad Claues. Ita Syluius *in supplem. quæst. 11. art. 3.* Mercerus *ibid.* Malderus *c. 13.* Præpositus *quæst. 11. de sigil. dub. 8. num. 32.* Reginaldus *li. 3. nu. 26.* Fagundez *prac. 2. lib. 6. cap. 6. num. 17.* Diana *p. 5. tr. 11. res. 48.*

Syluius
Malderus
præposit.
Reginald.
Fagundez.
Diana

Quinto, tenetur sigillo, qui ex malitia, vel casu peccata pœnitentis audierunt, vel à confessore, vel à pœnitente altà voce loquente. Ratio est, quia res transit cum suo onere ergo cum confessio in se contineat sigillum, ad quemcūq; transeat, semper transit cum hoc sigillo. Alias enim hoc sacramentum merito redderetur graue, si contingeret non obligari eos sigillo, qui vel casu vel etiam suam culpam peccata in confessione audiunt, cum confessio homini instituenda huiusmodi casibus possit esse obnoxia. Idem dicendum de illo qui intelligit mutum per nutus, & signa vel quempiam altiùs surdastro confitentem, quia confitens non intendit publicè confiteri sed secretò, ideòq. expedit tales confiteri sine astantibus. Ita D. Thom. *in 4. dist. 21 & quodlib. 11. art. 17.* Nauarrus *cap. 8. n. 4. & 7.* Toler. *lib. 3. cap. 16. num. 15.* Suarez *disp. 33. sect 4. num. 7.* Diana *p. 5. tr. 11. res. 16.* Fagund. *prac. 2. l. 6. c. 6. n. 25.* Sylu. *q. 11. art. 3* Malderus *c. c. 13.*

D. Thom.
nauarr.
Toletus.
Suarez.
Diana.
Fagund.
Syluius
Malder. 13.

Sexto probabile est, illum qui chartam inueniret, in qua exprimerentur peccata alicuius per ordinem ad confessionem, teneri solum ad secretum naturale, Ratio est, quia charta illa est instrumentū valde remotum ad confessionem, & quia in illa nullo modo est inchoata confessio. Vnde licet peccata illa descripta fuerint, aut sint futura materia remota confessionis, quia tamen non sciuntur primò, & immediatè ex occasione Sacramentali, sed omninò ab extrinseco, vnde inuenitur, non videtur posse ligari, nisi solùm naturali secreto. Ita Suarez *disp. 33 sect. 4. num. 5.* Henriquez *l 3. de pœn. cap. 20. n 2.* Sotus *de segendo Secret. memb. 3. q. 4. dub. 3* Bannez *2. 2. q. 33. ar. 8. d. 5. concl. 2.* Nauar. *in man. c. 18. n. 43.*

Suar.
Henriq.
Sotus
bannez.
nauarr.

Tamen in fauorem sacri sigilli contraria sententia est tenenda tanquam probabilior. Tum quia chartæ istius tenor est aliquid confessionis, & quasi confessio scripta, ita vt æqui parari possit chartam eo modo inueniens, illi qui casu audit confitentem. Tum quia charta illa est quasi internuntia iuuans memoriam confitentis, itaque censetur sigillata sacro sigillo. Tum quia charta illa dici potest confessio inchoatiua, vnde in hoc dubio inclinandum est in fauorem sigilli, & sacramenti, Ita Fagundez *prac. 2. 2. lib. 6. cap. 5. num. 16.* Graffiis *part. 1. lib. 1. cap. 23. num. 43.* Rodriquez *in sum. tom. 2. cap. 55. num. 4.* Malderus *c. c. 13.* Diana *p. 3. tr. 4. res. 112. & part. 5. tract. 11. res. 27.* & alii penes ipsos. Proinde nec Iudex, nec Prælatus ex sola tali notitia ad criminis inquisitionem aut punitionem procedere potest, vel si processus institutus iam fuit, oportet illum rescindi, & pro infecto haberi, imò qui fuit acusatus & conuictus de crimine ob talem notitiam, esset absoluendus & dimittendus, quia cognitio ex confessione habita, non debet humano iudicio deseruire, cum censeatur facta sacerdoti vicem Dei gerenti, vt docent Delrius *lib. 6 disquis. mag. cap. 1. sect. 2.* Reginaldus *lib 3. num. 31.* Lay. *lib 5. tr. 6. c. 14. n. 19.* Bonacina *to. 1. disp. 5. q. 6. sect. 5. p 3. n. 8.* Præposit. *de pœn. q. 11. dub. 4. n. 34.*

Fagundez
Graffiis.
Rodriq.
Malderus.
Diana.
Delrius
Reginald.
Layman.
Bonacina.
Præposit.

Rectè

Petes, quomodo in concione scientia confessionis vti liceat. Respondeo cum Nauarro *in c. Sacerdos, de pœnit. dist. 6. n. 77.* sæpe esse scandalosum & periculosum dicere, *Tale peccatum in confessione audiui*, siue illud dicat in concione vel familiari sermone: Graffis *lib. 1. cap. 23. num. 39.* permittit concionatoribus concionari contra peccata in confessione audita, etiam dicendo, in confessione si ea audiuisse, quamuis fateatur hoc posterius esse periculosum, & scandalo obnoxium. Scandalum etiam faciliùs oritur, quando quis paucos habet pœnitentes sibi subditos, & coram eis concionatus contra defectus in confessione detectos, vt si confessarius nouitiorum, vel monialium concionetur coram ipsis de vitiis in confessione reuelatis: tunc facile contingeret rubore suffundi confessos. Diana *part. 5. tract. 11. res. 36.* Malderus *c. 14.* Quare Henriquez *lib. 6. c. 21.* dicit non conuenire, vt vbi communiter quis prædicat ibidem confessiones audiat Bannez 2. 2. *quæst. 33. artic. 8.* grauiter perstringit eos, qui ex confessione concionantur, aut concionari curant, quando confessus inde sit suspectus, aut magis suspectus de crimine quod in confessione explicuit.

Nauarrus
Diana Malderus. Henriq. Bannez

Porrò maxima inconuenientia aliena à Christi institutione, ex prima opinione sequuntur, ideò illa omninò quoad praxim reiicienda est, & non edocenda. Læditur enim honor & religio sacramenti, tùm quia non tam fidenter ac frequenter ad illud homines accedent, si sciant inde sibi malum aliquod euenire posse. Tum quia impeditur solatium miserorum, quod Dominus posuit in hoc Sacramento. Læditur fama pœnitentis, quia si in generali defectus alieni in confessione auditi, propalari possint, periculum est, vt cognoscantur pœnitentes authores criminum. Ita Doctores *suprà*.

13 Confessarius potest in confessione, vti scientia ab ipso pœnitente habita in alia confessione: vnde & potest reprehendere pœnitentem ob peccata sæpiùs repetita: non enim frangit sigillum confessionis cùm extra confessionẽ non loquatur de auditis in confessione. Hoc probatur ex praxi communi etiam Doctorum, & timoratorum Confessariorum, qui interdum negant absolutionem propter indispositionem pœnitentis & carentiam propositi, quam ex præcedentibus confessionibus aduertunt, ex quibus notant frequentem lapsum in eodem peccatum. Ita Sanchez *de matr. lib. 3. d. 16. num. 3.* Bonacina *cit. punct. 4 num. 8.* Malderus *cit. cap 22. fol. 207.* Præpositus 3. *part. quæst. 11. de sigillo dub. 5. num. 41.*

Suarez. Bonacina. Malderus. Præposit.

Tutiùs tamen aget confessarius, si cum pœnitente in secunda confessione non loquatur, nisi de illis tantùm peccatis confessis in prima, quæ ipse pœnitens tangit, ac confitetur in secunda, non autem de omnibus, nisi de licentia expressa illius, quam poterit facilè petere, si opus fuerit. Ratio est, quia aliàs erit virtualis exprobratio aliorum peccatorum, & fortè id ægrè ferent pœnitentes, & molestã reddet, exosãmque confessionem, quia prima confessio iam fuit perfecta, & consummata, & in ea expirauit auctoritas confessarii quoad peccata in illa confessa; oportet ergo habere nouam licentiam expressè concessam, non in confuso. Ita Fagundez *precept. 2. lib. 6. cap 4. num. 36.* Diana *tract. 11. part. 5. res. 20.*

Fagundez. Diana

Confessarius, qui absque licentia pœnitentis extra confessionem de auditis in confessione, cum ipsomet pœnitente loquitur, aliqua ratione violat sigillum, cùm extra Sacramentum confessionis vtatur scientia confessionis, & loquatur de auditis in confessione absq; licentia pœnitentis, fortasse cum pudore & confusione ipsius pœnitentis: Sigillum enim hoc sacrum requirit, vt sacerdos sileat de his peccatis inter cætera, ideò, quia eorum commemoratio confusionem & ruborem adducit confitenti, quòd vel maximè locum habet quando in faciem ei dicuntur. Ita Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 6.* Victoria *in summ. num. 185.* Malderus *cit. c. 21. fol. 202.* Filliucius *tract. 7. n. 324* Diana *p 5. tract. 11 res. 6.* contra Vasquez *quæst 93. art. 4. d. 10. nu. 9.* Medinam *C. de conf. q. de sig.* & alios qui putant illum non peccare contra sigillum.

Sotus Victoria Malderus Filliucius Diana. Vasquez Medina

Propterea si confessarius aliquem defectum commisit in confessione, arbitrantur quidam, posse confessarium extra confessionem pœnitenti etiam renuenti illum aperire, quia tunc non loquitur illi extra confessionem, sed in confessione, eam perficiendo, supplendo defectum illius. Ita primus Suarez *de pœnit disp 33. sect. 5 num. 3.* & post illum Turrianus *de pœnit. disp. 33. dub. 6.* Mercerus *in suppl. 3. p. quæst. 11. art. 3.* Verùm ab hac sententia tanquam improbabili, meritò recedunt Malderus *cap 21.* Fagundez *præcept. 2. lib. 6. cap. 4. num. 33.* Diana *p. 5. tract. 11. res. 18. & 19.* Præposit. 3. *part. q. 11. de sigillo dub. 5. n. 41.* Sylvius *in suppl. 3. p. quæst. 11. art. 4.* & alii, dicentes in prædicto casu debere confessarium prudenter allicere pœnitentem ad rursum sibi confitendum, vel dicere se cupere loqui de re ad confessionem pertinente, quòd si annuat, errorẽ aperiat impetrata prius licentia si possit absque scandalo; si autem noluerit acquiescere pœnitens, prout debet, rem totam esse silentio premendam, suòque tunc satis officio confessarium esse perfunctum. Ratio est, tum quia ex contraria sententia daretur casus, in quo absque licentia pœnitentis expressa, loqui posset confessarius cum ipso pœnitente de rebus sic confessis, quod negant Doctores communiter. Ius enim habent & libertatem pœnitens, ne liceat ex confessione sibi nolenti quidquam citra suum consensum extra confessionem de suis peccatis præscribi. Tum quia tribunal confessarii cessat finita confessione, cessat voluntaria eius iurisdictio, quando cessat voluntaria pœnitentis subiectio in tribunali illo diuino: Iudicium enim fori interni, & subiectio actualis ad claues, quã se subiicit confitens, iam cessat, neque confessionem perficit, (vt dicunt Authores contrarii) sed assumit alterius naturæ colloquium. Quod confirmatur ex eo quòd si finita confessione, aliud peccatum confitendũ pœnitenti occurrat, tenetur confessarius illud audire, & nouam dare absolutionem, quia est noua confessio, & nouum Sacramentum: quia per primam absolutionẽ finitum fuit prius Sacramentum, sicetiam in nostro casu expirauit auctoritas confessarii, quam solùm habebat ad loquendum de rebus confessis intra ipsam confessionem; vnde ea finita requiritur noua licentia expressa ipsius pœnitentis.

Suarez. Turrian. Mercerus. Malderus. Fagundez. Diana Præposit. Sylvius.

Sed petes, an violator sigilli, an hoc casu sit puniendus pœna ordinaria Capituli, *Omnis de pœnitent. & remissi.* Resp. verius esse quod non, sed extraordinaria: quia tunc non reuelat confessionem reuelatione absolutè & strictè sumpta, sed tantùm latè; & *Cap. Sacerdos, de pœnitentia, d. 6.* non videtur in casu suo comprehendere eum, qui extra Confessionem ipsi pœnitenti de confessione loqueretur, sed alteri. Ita Bonacina *disp. 5. quæst 6. sect. 5. part. 4. num. 8.* Petrus Ledesma *de pœnit. cap. 22.* Malderus *cap. 21. fol. 203.*

Bonacina. P. Ledesm Malderus.

14 Posita doctrina præcedentis nostræ sententiæ, consequenter dicendum est *Primò*, quòd sacerdos, qui ex cõfessione nouit famulum esse furem, non potest ex sola scientia confessionis ipsum dimittere: quia talis dimissio esset quædam correptio extra confessionem pudefaciens pœnitentem. Secùs dicendum, si prudentiùs inuigilado in actus famuli deprehendat relapsum in furtum: tunc enim poterit alio prætextu, & occultè ipsum dimittere. Ita Bonacina *c. p. 4. n. 15.* Reginaldus *lib. 3. numer. 17.* Malderus *de sigil. c. 14. fol. 126.* Diana *p. 5 tract. 11. resol. 37.* quidquid alii in contrarium sentire videantur.

Bonacina Reginald. Malderus. Diana

Sed quid dicendum, quando ille, cui confiteri soleo, confiteretur mihi, se non esse sacerdotem, & tamen audire confessiones, an possem ego postea illum relinquere; an deberem illi, vt antea confiteri, & maximè si verè redundaret aliquod pœnitenti dedecus, quòd ego præter solitum illi non confiteret? Resp. cum Ioanne de Lugo *de pœnit. disp. 23. sect. 5. num. 105.* me non posse vti tali notitia, si ex eo vsu resultaret aliqua saltem indirecta reuelatio, vel etiã aliquod dedecus, vel incommodum mei pœnitentis, deberem ergo alteri seriò confiteri, illi autem solùm exterius; vel certè cùm intentione solùm conditionata obtinendi absolutionem, si sacerdos esset, quo pacto sigilli integritati, & meæ etiam vtilitati consulerem: supponendum tamen est, meam confessionem alteri factam, nulli daturam suspicandi occasionem, sed saluo sigillo posse fieri. Sed hic casus metaphysicus est potius quàm moralis quòd ille mihi fateatur se non esse sacerdotem & velit meam confessionem serio audire.

I. de Lugo

Secundò, non potest confessarius denegare suffragium, aut electionem ad beneficium pœnitentis, qui exterius communi

communi hominum opinione probus existimatur, sed ipsum nouit ex confessione improbum & indignum. Ratio est, quia confessio, nulli debet esse molesta, & grauis, neque ex ea debet pœnitens sentire aliquod incommodum, sed si ex confessionis scientia priuaretur pœnitens aliquo suffragio, sine dubio ex confessione sentiret aliquod incómodum, eique illa esset grauis, & molesta. Nec refert quòd in particulari hic & nunc ignoretur ex qua scientia agat confessarius, retrahit tamen infirmos à confessione, si nouerint fieri posse, vt occasione confessionis non eligátur, sed puniantur inuiti. Quis enim dicet inde non reddi hoc diuinum Sacramentum hominibus formidabile? quod bene aduertere debēt vocales religionum, vel magistri nouitiorum, quando negant suffragium alicui propter peccatum confessum. Ita Bannez 2.2. *quæst.* 33. *art.* 8. Fagundez *præcept.* 2. *l.* 6. *c.* 3. Malderus *c. cap.* 14. *fol* 118. 119. Syluius *quæst.* 11. *art.* 1. *quæsit.* 3. Diana *p.* 5. *tract.* 11. *resol.* 4 & ex nostris Sigismund. à Bononia *tract. de elect. p.* 1. *c.* 5. *disp.* 37. *num.* 2. Coriolanus *de casi. res. p.* 1. *sect.* 1. *art* 16 & alii.

Bannez
Fagundez
malderus
Syluius
Diana
Sig. à bon.
Coriolan

Tertiò, Confessarius siue parochus, siue alius non potest negare Eucharistiam ob peccatum in confessione auditum, nec Episcopus potest clericum repellere ab ordinibus suscipiendis ob peccatum in confessione auditum, sicut nec Parochus potest à matrimonio repellere pœnitentem ob impedimentum in sola confessione cognitum. Ratio est, quia in his omnibus casibus sequeretur pudor pœnitenti & confusio, & proinde esset hæc virtualis reuelatio peccati per quam confessio redderetur odiosa. Vide Doctores hic citatos vt Sanchez *de matr. lib.* 3. *disp.* 16. *ad fin.* Filliucius *tract.* 7. *num.* 329 Reginaldus *lib.* 3. *nu.* 23. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 19. Sayrus *de pœnit c.* 32. *n.* 10. Onuphrius *de sigillo sect.* 4. *q.* 7. *dub.* 4.

Sanchez
Filliucius
Reginald.
Henriqu.
Sayrus
Onuphrius

15 Confessarius qui in aliquod mortale incidit, quod non potest confiteri absque confessionis sibi factæ reuelatione, tenetur illud tacere & reliqua confiteri, cum proposito illud confitendi debita opportunitate absque prædicti sigilli præiudicio. Ita communis, & vera Doctorum sententia aduersus Sotum. Ratio est, quia obligatio sigilli est maior, quàm integritatis materialis confessionis. Sigilli enim obligatio, est iuris diuini positiui, Sacramentalis & naturalis, (vt dictum est *supra*): Integrè autem confiteri occultissima peccata, est iuris diuini merè positiui, estque affirmatiui præcepti, & multis aliis modis contingit non obligare. Iubemur enim integrè confiteri, quatenus est moraliter possibile, non reuelare autem Confessionem vllo casu Integritas enim materialis, quæ in hoc sita est, vt omnia peccata commissa quis confiteatur, non est de essentia confessionis, cum pro defendenda vita, & honore, & propter alias causas possit non seruari Suarez *d.* 33. *sect.* 1. *num.* 18. Petrus Ledesma *de pœnit. c.* 22. Estius *in* 4. *d.* 17 §. 14. Syluius *in suppl.* 3. *part. quæst.* 11, *art.* 1. Nauarrus *cap.* 8. *num* 6. Diana *part.* 5. *tract.* 11. *res.* 9 Malderus *cap.* 17. Præposit. 3. *p. quæst.* 11 *de sigillo dub.* 3. *num.* 28.

Sotus

Suarez.
Ledesma
Estius
Syluius
Diana
Nauarrus.
Malderus.
præposit.

16 Quando est periculum, vt delinquens aliqua ratione cognoscatur, non potest confessarius ex auditis in confessione admonere Episcopum vel Prælatum monasterii, vel alium qui peccata impediat, quia confessio exinde redderetur faciliter odiosa, & subditi à confessione retraherentur: secus dicendum, si tale periculum non subsit; vnde consultiùs esset petere licentiam à pęnitente, quam concedere tenetur. Verum in prædicto casu circumspectè agēdum confessario monet rectè Malderus, ne bic dum sequitur probabilem speculationem, incidat in praxim periculosam, quia Sacramentalis confessio tantùm est instituta ad medendum peccatoribus in foro conscientiæ: & nisi omninò certissimus sit confessarius nihil sigillo aut confessionis fauori id obfuturum, quod rarum est, non tenetur ad monendum superiores generatim vt vigilent ex cognitione confessionis; Conuenit enim vt potiùs ipse pęnitens hoc faciat, quàm confessarius. Vide Azotium *p.* 2. *l.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 6. Graffiis 1. *p l.* 1. *cap.* 23. *n.* 7 Bonacina *c. punct.* 4. *num.* 22. Malderus *cap.* 14. Layman *lib.* 5. *tom.* 6. *c.* 14. *num.* 11. & alios citatos *supra num.* 5.

malderus

Azorius
Graffiis
Bonacina
Malderus
Layman

17 Non est fractio sigilli, peccata in confessione cognita prodere, non prodendo personam directè vel indirectè, neq; vllo subsequente scandalo. Esset tamen contra sigillum, si confessarius infamaret ciuitatem vel ordinem quemdam religiosorum, alicuius generis peccati, quod ex sola confessione nouit, quia tunc ex reuelatione illa eueniret pęnitentibus illius ciuitatis vel religionis aliqualis infamia ob quam confessio fit illis odiosa, & ab ea retrahuntur; vnde Suarez *disp.* 33. *sect.* 3. *num.* 8. & 9. Vasquez 3. *p. tom.* 4. *q.* 94. *art.* 4. *dub.* 3. Diana *p.* 5. *tract.* 11 *resol.* 35. Fagundez *l.* 6. *prec.* 2. *c* 4 *n.* 1. & 2. & *c.* 5. *nu.* 12. docet esse peccatum mortale scandali, sed nō in alia materia quàm in materia sigilli, ergo, inquit, est peccatum mortale cōtra sigillum, & Sacramentum; nec obstat, quòd sit apud simplices, nō apud prudentes, & sapientes; nam etiam apud simplices iniuria Sacramento fiet, & oportet vt etiam simplices & ignorantes homines non deterreantur à confessione, vt securi, & sine timore reuelationis confiteri possint Ita ille, quamuis Henriq. *l.* 3. *de pæn. c.* 21. *n.* 6. & Nauarr. *c.* 8. *n.* 16. existimet in rigore non esse contra sigillum, quia in particulari, non detegitur pęnitens, vnde Malderus *c.* 12. *fol.* 93. admonet talem non posse puniri pęna ordinaria Canonis, *Omnis vtriusq;* Prętereà licitum est confessario dicere in genere peccata per confessionē cognita, etiā personā quæ confessa est exprimendo, v.g. *Ioannes confessus est mihi sua pecc.* Ratio est, quia commune est omnibus fidelibus confiteri sua peccata, & est actus virtutis, & ita nulli fit iniuria. Dicere autem, *Ioannes confessus est mihi sua peccata mortalia*, esset reuelatio confessionis; vt omnes docent.

Suarez.
Vasquez
Diana
Fagundez

Henriq.
Nauarrus

malderus

An autem confessori liceat dicere peccatum in particulari & personam confitentem, si peccatum sit publicum, & omnibus notum. Respondeo negatiuè cum Doctoribus sup. citatis *n.* 7. §. *Peccatum publicum*, contra Medinā, Ratio est, tum quia graue generaretur scandalum exinde. etiam inter pios, & Doctos, quod est signum hanc esse reuelationem sigilli & grauem. Tum quia in hoc attendendum est, iis, quæ sunt per se, non verò quæ sunt per accidens; est autem per accidens alios habere notitiam illius peccati alia via, per se autem est, quòd notitia confessionis in publicum deferatur, quod simpliciter malum est, & iniuriosum Sacramento, quod non potest hac ratione non fieri onerosum. Consuli potest D Thomas *in* 4. *dist.* 31. *q.* 3. *art.* 1. D. Bonau. *ibid.* 2. *p. art.* 2. *q.* 1. Gabriel *art.* 2. *c* 3. Syluius *in suppl. q.* 11 *art.* 1. *quæsit.* 2.

D. Thom.
D. Bonau.
gabriel
syluius

18 Confessarii quàm parcissimè loqui debent de auditis in confessione, non tantùm de iis quæ cadunt sub sigillum, sed etiam de aliis quæ aliquando dicuntur in confessione, & quia vix aberit periculum, & quia res est de se satis obuia scandalo, maximè si fiat coram multis, aut paucis, sed in eodem loco, vrbe, vbi commissum fuit scelus & post breue tempus à peracta confessione; quamobrem opus est magna prudentia, & cautela, etiam in petendis consiliis super peccata audita in confessione, & in confitendis peccatis, quæ ipsimet commiserint audiendo vel absoluendo pęnitentes. Multò minùs licet iocando referre peccata in confessionibus audita, quia est contra religionem Sacramento debitam, etiamsi non sit periculum infamiæ; inhonestum enim est & irreligiosum, etiam citra periculum reuelationis, ad iocos adhibere, aut recreationem, quæ ex isto sanctuario accepta fuerint; Doctores passim eos reprehendunt, dicentes, priuandos esse facultate audiendi Confessiones. Suarez *disp* 33. *sect.* 3. *num.* 10. Syluester *verb. Confessio* 3. *quæst.* 2. Syluius *quæst.* 11. *art.* 1. *quæst.* 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 10. Medina *lib.* 2. *cap.* 4. §. 1. Sotus *de tegendo secr. membr.* 3. *quæst.* 4. & secundum Malderum *cap.* 14. *fol.* 129. tales confessarii partem videntur habituri cum illis Babyloniis qui temulenti biberunt ex sacris vasis templi, *Danielis* 5

Suarez
Syluester
Syluius
Layman
medina
Soto

19 Infractor sigilli est, qui dicit, ille est mihi confessus grauia peccata, aut habuit casum reseruatum, aut illum non absolui, aut qui duos vel tres audiuit, de vno ait, hic non habuit peccata mortalia, quia his modis loquendi significat indirectè confessarius alios habuisse mortalia, & efficit vt pęnitens magis peccator cognoscatur, quàm antea cognosceretur. Vel qui audita confessione, surgit vt consulat virum doctum præsentem, & illicò redit vt pęnitentem absoluat: Item ille qui diceret, hic bene confessus est, sed alterius confessio mihi non satisfecit. Nauarrus *in c. Sacerdos num.* 64. & *in Manual. cap.* 8. *nu.* 10. Bonacina *c. punct.* 4 *numer.* 5. & 6. Toletus *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 4. & 5. Reginaldus *lib.* 3. *num.* 53. & 54. Layman *cit. cap.* 14.

Nauarrus
Bonacina
Toletus

Coninck Diana Malderus. Syluius. Mercerus Fagundez.

citat. capit. 14. numero 6. & 7. Coninck *de Sacrament. disputatione nona dub. 1. numer. 11. 12. & sequent.* Diana *part 5. tract. 11. resolut. 47. 50.* Malderus *de sigill. capit. 12.* Syluius *in supplem. quæst. 11. artic. 1. quæsit. 2.* Mercerus *ibid. quæst. 11. artic. 2.* Fagundez *precept. 2. lib. 6 capit. 4. ad finem.*

Notandum tamen est, quòd sine peccato potest dici, *non absolui illum, quia non habebat materiam absolutionis.* Similiter posset dicere, se non absoluisse; quia pœnitens incepit confessionem generalem, quam nondum perfecit, & vult altera die perfice. Item, quia interruptus fui, & vocatus ad alium, & quando redii, non inueni illum, vel propter aliam causam similem; quæ si non reddatur, negatio absolutionis apud omnes generat opinionem, vel suspicionem vehementem de casu reseruato, vel de indispositione pœnitentis nolentis restituere, vel relinquere occasionem proximam.

Sed quid, si dicat, *non illum absolui, quia erat captiosus & amicus suæ sententiæ, cuius contrarium ego teneo?* Resp. hoc non licere; quia absolutio non negatur, nisi propter indispositionem pœnitentis, quare si negata est, quia nolebat acquiescere sententiæ confessarii, supponitur, quod debebat ei acquiescere, & per consequens non faciebat id ad quod sub peccato tenebatur. Imò nec placet, quod aliqui addunt, posse confessarium dicere, *Ipse dicit, quod ego eum non absolui:* hoc enim ipsum videtur approbare veritatem negatæ absolutionis nisi aliquo modo constet, confessarium illud non approbare.

Reuelator confessionis non esset, qui diceret, Audiui Pauli confessionem, vel Pauli peccata, vel Paulum absolui à peccatis, vel Petrum audiui, qui me minutissimis suis peccatis onerauit, vel in quo noren peri materiam peccati mortalis. Dedi ei leuem pœnitentiam. Illum dantem signum contritionis absolui. Ratio autem est, quia aliquid horum dicens, nullum peccatum mortale siue in genere siue in specie, nullùmque veniale in specie detectum sibi esse significat.

Tamen ista non essent dicenda à confessario quando quas ita secretò ei confessus est, vt nolit id sciri ab aliquo, puta, à confessario suo ordinario, qui eo cognito, suspicaretur graue peccatum subesse; tunc enim talia dicendo violaretur sigillum, si non confessionis, saltem naturalis secreti ad quod confessionem audiens se adstrinxit, aut expresè si rogatus est à pœnitente, ne mentionem de ea re faceret, aut tacitè, si ita is latenter accessisse notatus sit, vt satisfacto ipso ostenderet, se nolle sciri, quòd fuerit ei confessus. Ita Doctores passim hic citati.

Ex dictis infertur, interrogatum confessarium an absoluerit publicum vsurarium, aut concubinarium, qui sibi fuit confessus, non posse signum vllum dare, quo ostendat se non absoluisse illum, sed debere respondere, se functum esse officio suo: qui dicendi modus in similibus casibus erit vsurpandus.

Denique hoc sigillum non solùm frangitur per commissionem efficiendo opus manifestatiuum secreti, aut dicendo verbum, quo peccatum confessum detegitur; sed etiam infringitur per omissionem: vt si confessarius interrogaretur, reputet ne Mariam honestam esse, & taceat, aduertens ex taciturnitate interroganti suspicionem generandam, violat tunc sigillum per omissionem hoc est, per non responsionem, vt aduertit Sancius *in selectis disp. 34. numero 10*

Coninck Fagundez. Diana Malderus.

Tenetur confessarius, regulariter loquendo, præbere schedulam & attestationem confessionis, illi, quem ob indispositionem, vel aliam causam non absoluit. Coninck *tom. 2 de Sacram. disp. 9. de sigill. dub. 1. n. 14.* Fagund. *prac. 2. l. 6. c. 4. n. 40* Diana *p. 5. tract. 11. res. 22.* Malderus *c. c. 12.* Ratio est, quia alioquin confessarius videretur aliquo pacto prodere peccatum occultum, & periclitaretur sigillum confessionis in hoc casu; cùm ex negatione schedulæ possit huiusmodi pœnitens venire in suspicionem apud Patrem suum vel Dominum, qui factæ confessionis testimonium petere consueuit, status actualis peccati mortalis. In schedula tamen debet solùm dare testimonium confessionis sibi factæ, nulla tacta mentione absolutionis, vnde non rectè agunt confessarii, qui dant frequenter testimonia confessis, in quorundam testimonio addentes, quod eos absoluerint; in aliorum solùm, quòd sibi sint confessi. Dixi *regulariter loquendo*, quia potest dari casus in quo posset negari talis schedula confesso malè disposito, quando nimirum cessaret etiam indirecta reuelatio secreti, vt si nemo sciret præter Sacerdotem, hunc esse confessum, & ipse confessus vellet decipere Parochum in Paschate, allato testimonio confessionis. In quo grauiter peccant Sacerdotes, si schedulas hoc casu dent, quádo aduertunt ipsam confessionem fieri in ludibrium. Quales confessiones sæpè fieri constat, vbi, qui Catholici non sunt fictè confitentur, timore alicuius humanæ pœnæ. Et in hoc casu habet locum sententia Bonacinæ *tom. 1. disputat. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4 numer. 7.* negant s Confessarium teneri dare schedulam pœnitenti, quem non absoluit.

Bonacina.

20 Plerique ex antiquioribus Theologis docuerunt confessarium, de licentia pœnitentis nō posse reuelare confessionem. Ratio est, quia licet possit pœnitens cedere iuri suo, non tamé potest cedere iuri Sacramenti, cùm hoc sigillum sit introductum ex primaria Christi institutione in religionem Sacramenti, Secundariò verò in fauorem pœnitentis. Ita Alensis *in 3. p. q. 78. memb. 3.* Scotus *in 4. d. 21. q. 2. art. 1.* Maior *ibid. q. 3. art. 3.* Gabriel *ibid. q. vnic. art 3 dub. 4.* & nouissimè Petrus Marchantius *in suo Tribunal. tom 1. tract. 4. tit. 6. quæst. 6. Append. 2.* qui doctrinam contrariam æstimat falsam, nec posse probabiliter sustineri: cùm ius sigilli non pendeat à pœnitente sicut nec à confessario, sed annexum sit rei sine Sacramento, & quamuis cedat in fauorem pœnitentis, speci aliter tamen annexum est dignitati & reuerentiæ Sacramenti, adeòque illi iuri nec pœnitens, nec confessarius cedere possunt, & dato quòd cedat pœnitens iuri suo quod habet in famam propriam, sicut tamen nullum ius habet in bonum Sacramenti & mysterium sic in sigillum quo suum tribunal sigillauit Deus.

Alensis Scotus Maior gabriel

Admittit tamen hæc sententia, quòd pœnitens notitiam in confessione acceptam siue notitiam sacramentalem, sua permissione faciat extra sacramentalem siue extra Sacramentum acquisitam, ideò quòd hoc ipsum quod in Sacramento dixit, explicitè vel implicitè extra Sacramentum dicat, & velut repetat. Et in hoc sensu non est dispensare vel relaxare sigillum, confessionis, sed est mutare materiam & rem notam in Sacramento foris manifestare quod sine dubio, saluo scandalo & debitis conditionibus seruatis, à pœnitente fieri potest. Nihilominus communior sententia Doctorum est affirmatiua: nempe in vno tantùm casu licitum esse audita in confessione reuelare, cùm scilicet pœnitens sponte concurrente aliqua honesta, & graui causa, quæ in ipsius vel alterius vtilitatem vergat licentia reuelandi confessario concedit. Ita D. Thomas *in supplem. 3. p. quæst. 11 artic. 4.* Syluius *ibid.* Suarez *disp. 33. sect. 5. num. 8.* Vasquez *quæst. 93. art. 4. dub. 5. & 7.* Bonacina *citat. disputat. 5. quæst 6 sect. 5. punct. 4. numer. 8. 9. 10.* Malderus *tractat. de sigill. capit. 4* Tannerus *tom. 4. disputat. 6. quæstion. 9. num. 125.* Præpositus *3. part. quæst. 11. de sigill. dub. 6. numer. 43.* Reginaldus *lib. 3. numero 58. 59.* & alii hic citati. Ratio est, quia licet secretum sigilli fuerit imperatum in dignitatem ipsius Sacramenti principaliter tamen & primo loco fuit imperatum in fauorem personæ confitentis, vt facilis, & suauis reddatur confessio, ergo eo ipso quo quis cedit iuri suo, non fit iniuria Sacramento.

D. Thomas. Syluius. Suarez Vasquez Bonacina. Malderus. Tannerus. Præposit. Reginald.

Hæc autem licentia non sufficit vt sit tacita, & præsumpta, quam pœnitens actu concederet, vel concedere deberet, si rogaretur, nec requiritur, vt hæc expresè detur, dicendo, concedo tibi licentiam loquendi de auditis in confessione, sed requiritur vt facultas hæc verbis vel factis exprimentibus concessionem, vel saltem æquiualentibus, actu concedatur. Vnde quando pœnitens priùs confessarium alloquitur de auditis in confessione, infractor sigilli minimè est confessarius, ad interrogata respondens; nam pœnitens hoc pacto sufficienter indicat se facultatem dare, cùm animus non solùm verbis verùm etiam factis indicetur.

Nota *Primò*, quando pœnitens licentiam dat de auditis in confessione loquendi confessario, non censeri illum, concessisse facultatem reuelandi, personam confitentis,

nisi aliter constet de eius intentione, quilibet enim præsumitur velle sibi quam minimum preiudicium affererre Delrius *tom. 3. disq. magic. lib. 6. cap. 1. sect. 2.* Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 23.*

Nota *Secundo*, quod licentia hęc expressa pœnitentis debet esse libera, & spontanea, non vi, iniuria, aut dolo extorta, imò neque per preces importunas, neque per metū reuelentialem ipsius confessarii obtenta, nam in dictis casibus licentia erit nulla, & confessarii propriè frangerent sigillum. Vnde Magisterii Nouitiorum, vel alii superiores, aut quicumque alii confessarii aduertant quid faciant, quando licentiam petunt à pœnitentibus manifestandi aliqua delicta in confessione audita, nam, vt rectè obseruat Fagundez, sola pręsentia, & auctoritas Confessarii sine minis, & vultuum inuectionib. sufficiet ad inducendum metum reuelentialem, & vt non valeat licentia data cum ex metu ad reuelandam confessionem, tū propter reuerentiam, quam omnes solent habere erga Confessarios, quę sine dubio excedit reuerentiam filiorum in parentes, tum propter reuerentiam Sacramenti, ne paulatim illius religio depereat. O quam fœdè labuntur aliqui circa fractionem huius sacri sigilli, prætextu licentiæ obtentæ à pœnitente, quæ vt plurimum inualida est, Ita Nauar. *cap. Sacerd. d. 6. n. 158 & in Man. cap. 8. num. 15.* Viualdus *in candelab. de sigillo num. 13.* Fagundez *precept. 2. lib. 6. c. 1. numer. 20. 21. 22.* Henriq *c. num. 1.* Diana *p. 5. tract. 11. resol. 10.* Suarez *c. sect. 5. n. 14.* Grafiis *lib. 1. decisio. n. c. 23. n. 15.* Amicus *tract. 8. de pœnit. d. 14. n. 11. Vide infra num. 23.* (Nauarr. Viualdus Fagundez, Henriq. Diana. Suarez Amicus)

Nota tertio, quando duo confessores ambo simul, pœnitentis peccata in confessione audierunt, non posse illos de iis absque expressa licentia confitentis, simul colloqui facta sacramentali confessione, etiamsi ad finem dirigendi pœnitentem ad salutem æternam colloquium dirigatur, quia id esset loqui extra confessionem de auditis in confessione; quod est sigillum.

21 Enumerantur aliqui alii casus à Doctoribus in quibus sine licentia pœnitentis licet reuelare aliquid auditum in confessione v. g. quando pœnitens sine proposito confitendi, & absolutionem obtinendi dicit Sacerdoti, hoc tibi aperio in confessione, etiamsi dicat flexis genibus, & fronte signo crucis signata. Nauarr. *in Man. c. 18. n. 55.* Bonac. *c. p. 2. n. 3.* Filliuc. *tr. 7. n. 319.* (Nauarrus. Bonacina. Filliucius.)

Item cùm quis confitetur peccatum aliquod à se perpetrandum, nolens mutare tale malum propositum, hic autem casus locum tantummodo habere posset, cum aduertit pœnitentem non confiteri animo se accusandi. Reginald *l. 3. n. 66.* Henriq. *c. 21. n. 3. l. 6.* Sot. *4. d. 18. q. 4. art. 5.* (Reginald. Henriquez. Sotus.)

Item quando confessarius ea quæ per confessionem nouit, adhuc alia via didicit, nullo tamen modo debet confessionem sacramentalem scire, quia tunc sigillum aliquo modo violaretur, cum secretum sit, illud in cōfessione esse apertum, in his tamen casib. est obligatio secreti naturalis quod aliquando licet reuelare, vt patet *v. Secretum*. infra Malderus *de sigill. c. 10.* (Malderus.)

22 Quando confessarius certò scit peccatum pœnitentis extra confessionem, & pœnitens à confessario rogatus negat: debet illum expellere, quia pœnitens indignè petit absolutionem, quando verò confessarius non est certus de delicto pœnitentis, aut illud nouit in confessione à complice, debet pœnitentem in genere interrogare, num habeat conscientiam alterius peccati, aut etiam petere in particulari, modò complicem non nominet, nec sit periculum, vt pœnitens suspicetur complicem hoc ipsum confessum esse, si hoc facto pœnitens non fateatur delictum, confessarius debet illum absoluere, quia non potest vti scientia confessionis cum periculo, vt confessus complex detegatur Ita Graffiis *1. p. lib. 1. c. 23. n. 41.* Reginald. *l. 3. n. 29.* Layman *l. 5. tr. 6. c. 14. n. 24.* Syluius *in suppl. q. 9. art. 2. quæsit. 7. concl. 3.* Nauarr. *in Man. c. 8. n. 16.* Diana *p. 5. tract. 11. resol. 21.* (Graffis. Reginald. Layman. Syluius. Nauarrus. Diana.)

23 Non licet confessario interrogare de complice in confessione, in ordine ad ipsius correptionem, vt illam faciat ex licentia pœnitentis, quia talis correptio, non potest effici sine iniuria Sacramenti, multum enim derogat sigillo confessionis notitia illius ad effectus adeò extrinsecos, finis etenim intrinsecus Sacramenti Penitentiæ, est tantùm iustificatio pœnitentis, non autem emendatio complicis. Et Nugnus *in Addit ad 3. p. q. 11. art. 2. dub. 2.* oppositum vocat temerarium & perniciosum, tanquam ipsius Sacramenti destructiuum. Et hæc est communis sententia Thomistarum, Syluius *in suppl. q. 11. n. 2. concl. 2.* Bannez *2. 2. q. 33. art. 8. dub. 8. p. 1.* Malderus *de sigill. c. 17.* Diana *p. 5. tract. 11. resol. 39.* (Nugnus Syluius Bannez Malderus Diana)

Nihilominus contrarium cum aliquibus limitationibus docent Patres Societatis Suarez *de pœnit. to. 4. disp. 34. sect. 4. nu. 4.* Fagund. *prac. 2. l. 5. c. 2. n. 2.* Filliuc. *tr. 7. c. 11. n. 349* Henriq. *l. 2. de pœnit. c. 9. n. 10.* & alii penes ipsos: quorum sententiam concedendo ex hypothesi esse probabilem, non tamen ex hoc debet confessarius interrogare personam cōplicis in hunc finem correptionis, sed expectare vt pœnitens id sua sponte declaret, vel petitionem ipsius, hic enim fortè per seipsum, vel per alium maiori cum fructu curabit corripere. (Suarez Fagundez Filliucius Henriquez)

Vnde multum errant confessarii ex zelo indiscreto & ex ignorantia extorquentes complices à pœnitentibus propter correptionem, & dum conscientiis aliorum mederi volunt, suarum iacturam faciunt. Ratio est, tum quia fit iniuria complici, quia licet meritò corripiendus sit, non est tamen corripiendus, nisi ordine à Christo præscripto, cui ordini repugnat ipsum corripi ex confessione sacramentali, cùm ipsius secretum hactenus etiam in fauorem complicis redundet, vt non possit ipse vllo modo prodi per illud, nisi quatenus necessarium est ad explicationem peccati ipsius pœnitentis. Quare (vt optimè docet Malderus in suo verè aureo tractatu de sigillo) etiam in casu quo pœnitens tenetur corripere complicem de peccato suo, non est conueniens medium, vt confessario suo reuelet peccatum illius in eum finem, vt ipsius opera fiat correptio, si enim alio modo corripere, aut ad correptionem venire non potest, non tenetur corripere, si potest, tenetur illum alium modum adhibere, hoc relicto. Quamuis enim hic modus sit secretus, non tamen est licitus, quia in iniuriam cedit Sacramenti, & quomodo sit corripiendus proximus, alium modum Christus instituit. Aduerte ergo confessor, non tibi rectè peccatum complicis reuelari ad correptionem, quia secretum seruare debes, cum eo ipso minùs possis corripere, quò magis secreto teneris. Propterea confessio non est instituta vt corripias alium, sed vt teipsum, si non corripiendo, aut corripiendo, aut aliter peccaueris, accuses. Sit ergo certum non licere pœnitenti in confessione detegere tertiam personam delinquentem, vt fraternè vel iudicialiter à confessario corripiatur, vel ad bonum regimen externum. Alioquin hic imprudenter agens facilè turbat pacem in communitatibus, & inter coniunctos. O quàm facilè hoc maligno sæculo, si hæc fenestra pateat, continget criminatrices annuus Prælato sua venialia confiteri, vt aliorum mortalia corripienda prodant? Absit iste abusus ab Ecclesia Dei. Absit & ille, vt aliquorum religiosorum consensu, Prælatus legem ferat, qua obligentur ad correptionem delinquentium singuli, in confessione non tantùm sua, sed etiam aliorum peccata referre. Licet enim confitenti oporteat credere pro & contra se, tamen contra alium non est ei credendum in confessione, ne detur occasio fictæ confessionis & fraudulentiæ infamationis, &c.

Hæc sapientissimus Antistes. Cuius doctrina est perpetuò mente retinenda, & apud confessarios vtinam ad praxim deducenda, contra quam plurimi miserrimè sæpius cum aliorum scandalo delinquunt.

Prædictis conformia docet nouissimè Petrus Marchantius *in tribunal. Sacram. tom. 1. tract. 4. tit 6. q. 6. f. 154.* his verbis. *Infero tertiò* Sacramentum hoc & sigillum omninò profanare, & mortaliter etiam peccare eos, qui complicis aut tertiæ alicuius personæ peccata & defectus confessarii aperiunt in confessione, & prætextu permissionis, & facultatis illicitæ, inducunt confessarium vt complicem vel tertiam personam moneat, corrigat, illam examinet, &c. putantes se credulitatem perfectam nancisci ex eo, quod prætextu charitatis & pietatis ista in confessione in qua mentiri non licet, dicant, vel potiùs effutiant. Nec minus sacrilegium, imò maximum committunt confessarii, qui tali licentia freti, apud complicem vel tertiam per- (P. March.)

personam de dictis & actis in confessione agunt. Horribili porrò & nefando sacrilegio culpabiles sunt, qui licentias & facultates loquendi vel agendi de dictis in confessione, tum circa peniteotem, tum circa teroam personam, extorqueot, & barum licentiarũ prætextu sacrilegè vtuntur scientia accepta in coofessione ad corrigendos, imò & apud Superiores accusandos cooplices & personas tertias &c. Ratio est, quia est contra totum finem confessionis institutę à Christo, fiois enim vnicus propter quem Sacramentalem confessionem, vt necessariam à Christo institutam fuisse contendimus, ex hoc solo capite deducitur, quòd oecessaria sit notitia peccatorũ in Sacerdote ad hoc vt de illis iudicet, siue vt illa retineat vel remittat, atqui remittere & retinere peccata, est actus Sacrameotalis ita intra Sacramentom remanens, vt extra fieri noo possit; ergo quicumque vsus illius nootitiæ extra Sacramentum est contra totum finem confessionis, provt à Christo instituta est; ergo vsus quicumque notitiæ Sacramentalis extra Sacramẽtum, protanus est & sanctitatem Sacramenti profanat, nec vllius facultati vel potestati committi potest, vtpote contra institutionem Christi. Prætermitto, quòd profanæ illæ licentiæ sint seminaria detractiuoum, infamatioonum, iniuriarum, vel amina inuidiarum odiorum, suspicionum, quioimò & pessimorum actuum subtiles illecebræ, vt ex variis euentibos, ego ipse qui hæc scribo, expertus sum, dum apud me, vbi superior fui, à Cõfessariis etiam extra hunc ordinem ad me delatæ fuerunt quærimoniæ cootra aliquos innocuos subditos, quas filiæ quædam quæ deuotæ finguntur, in confessione effutiuerant cum liccotia & facultate facta coofessariis suis, vt per illos denuntiarentur mihi, quas postea falsas ipse io primis confessarius deprehendens, ad me venit deceptionem suã agniturus, & famam innocuorum sacrilego confessionis sacræ abusu sublatam restiturus. Fugite quæso, pestem illam non tantùm vt malorum originem, sed vt per se illicitam & Christi institutioni contrariam. Nec sibi blandiatur quispiam de opere charitatis, & quòd io bonum vel pœnitentis vel tertii vtatur. Ille enim abusus est; Et tibi quidem permittitur Pœniteotis boõu intra limites & iura Sacramenti quærere, non autem foris sacra illa notitia & sigillo abuti. Consule si quæ consulenda habes, adhibe in Sacramento si quid potes: Extra Sacramentum sicut tu oõ es iudex, sic nec sacramentalis consultor in iis, quæ in solo Sacrameuto sunt proposita, si quid foris agendum est, media non desunt tam in spiritualibus, quàm in temporalibus negotiis, & pertractaodis & dirigendis, vnicuique iuxta rei conditionem sua stat via, suom forum absque Sacramento vel notitia in Sacramento accepto. Lector si feruẽtiùs hæc prosequor, scio enim quanta mala ex profano illo abusu proueniant. Hæc Marchaotius.

24 Quandoquidem confessarius non possit vti scientia per confessionem acquisita extra illam sine fractione sigilli: ideò si de peccatis in confessione auditis interrogetur, noo potest ad mentem interrogantis respondere, vnde in tali casu, vel debet negare se quidquam scire etiam cum iuramento, quòd scilicet teneatur aperire, vel tanquam homini subiectus. Et si compellatur iurare, an audierit, idem iurare potest subintelligendo, tanquam purum hominem, quod si impius quæsitor vrgeat, vt respondeat, an audierit vt Deus, respondere potest se non audiuisse, subiotelligendo, ad modum caosæ principalis. Ratio est, quia com his restrictionibus non iurat falsum, & amphibologia ex rationabili caosa non est illicita, vt dicemus *v. Iuramentum* 111.*n*.10. Imò confessarius teneretur sic respondere, quando silendo, vel respondendo in genere, generaretur suspicio, quod pęnitens peccatum illud commiserit. Denique si hæc non sufficiant, debet coofessarius reprehendere interrogaotes, illisque significare quàm grauiter hac in re peccent. Ita Graffiis 1.*p.l.*1.*c.*23.*n* 2. Malderus *c.c.*3. Syluius *c q.*11.*a.*1.*quæsit.*2. Diana *p* 5.*tr.*1 1.*resol.* Graffiis
43. Caspensis *tract.*24.*disp.*7.*sect.*4 *n.*22.*&* 23. Malderus

Hæc satis de sacro sigillo paulò fusiùs solito. Strictioribus opinionibus adhæsi, quæ fauent Sacramento, quia latæ circa præsentem materiam opiniones, odiosum, ac onerosum efficiunt Sacramentum Pœnitentiæ, ad cuius sacrosanctum Tribunal allicendi potiùs, quàm retrahendi sunt pęnitentes. Syluius Diana Caspensis

Bassæi Flor. Theolog. Tom. I.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum confessionis præmittendæ ante sumptionem Eucharistiæ, ab eo, qui sibi peccati mortalis conscius est non est pure Ecclesiasticum, sed etiam diuinum.*
An autem opinio asserens hoc præceptum esse tantùm de iure Ecclesiastico, sit probabilis? refertur duplex sententia.

2 *Qui ante communionem fecit confessionem formaliter integram, & postea antequam celebret, aut ad communionem accedat, recordatur alicuius peccati mortalis non confessi, tenetur illud confiteri, ante Missam vel communionem: Etiamsi certo sciret ex reuelatione se esse iustificatum.*

3 *Habens conscientiam peccati mortalis & confiteri non potest ante communionem, tenetur ad habendum contritionem priùs quàm ad hoc Sacramentum accedat, in casibus in quibus potest communicare non præmissa confessione.*

4 *Qui habuit motiuum generale dolendi de decem peccatis mortalibus, si confiteatur tantùm nouem, & obliuiscatur decimi, quando confitetur illud vnum oblitum, non tenetur elicere nouum actum contritionis, sed sufficie prior non retractatus.*
Qui noua confessione repetit peccatum à quo directè absolutus est, iuxta probabiliorem sententiam, habere debet nouum eiusdem peccati dolorem.

5 *Quia accessit ad linteum sacræ Mensæ, vt communicet, si recordetur alicuius peccati mortalis non confessi, potest communicare propter scandalum non confessus. Si tamen solus sit cum Sacerdote confessore, teneretur confiteri.*

6 *An Sacerdos conscius sibi peccati mortali possit, & teneatur perficere sacrificium ab alio inchoatum non præmissa confessione, si post consecrationem vnius speciei alter deficiat.*

7 *Præceptum confitendi quãprimum positum in Trident. quando quis celebrauit in necessitate sine præuia confessione, non est diuinum, sed Ecclesiasticum.*

8 *Si Sacerdos in die Parasceues vrgente necessitate, faciat officium non præmissa confessione, tenetur quamprimum confiteri.*

9 *Non potest Ecclesia immediatè præcipere totum Sacramentum Pœnitentiæ, provt de facto à Christo institutum est.*
Potest Ecclesia directè & per se solùm præcipere confessionem de peccatis externis.

10 *Summus Pontifex non potest tollere & abrogare omninò præceptum confessionis, ita vt nunquam obliget, quamuis possit ex causa dispensare, vt præceptum non obliget pro singulis annis: vel restringere vt plures in anno obliget.*

11 *Probabile est licentiam audiendi confessiones concessam* Ad beneplacitum, *non expirare morte concedentis.*

12 *Episcopus, in approbatione regularium pro confessionib. potest adhibere clausulam limitatiuam* Ad beneplacitum, *etiamsi regularis sit vndequaque sufficiens.*

13 *Episcopi non possunt limitare regularibus iurisdictionem, nisi in ordine ad casus, quos sibi reseruant, non autem in ordine ad personas, loca, &c.*

14 *Regularis, qui non est sufficiens, & idoneus pro omnibus personis & locis, potest limitare quoad personas & loca ab Episcopo approbari.*

15 *Qui non est aptus simpliciter pro omnibus locis & personis, potest absolutè ab Episcopo reprobari.*

16 *Qui in confessione Paschali omisit aliqua peccata mortalia per obliuionem, non tenetur ea confiteri nisi in confessione sequentis anni.*

1 COostans fuit antiquorum Doctorũ sententia, exceptis Caietano 3.*p quæst.*80.*a.*4. & *in Summ. v.* Caietan.
Communio. Armilla *in Summ. v. Commun.* & Panormit. Armilla
in c. de Homine, de celebr. Missar. confessionem Scramentalem præmittendam esse ante sumptionem Eucharistiæ, Panormit.

ab eo, qui sibi peccati mortalis conscius est, nec sufficere solam contritionem, vt modo definitum est in Concilio Tridentino *sess.* 13 *c.* 7. & docet communis Theologorum sententia semper in Ecclesia Dei fuisse hoc præceptum, vnde dicendum est, non esse purè Ecclesiasticum, sed etiã Diuinum positiuum, quia iuxta regulam D. Augustini *lib.* 4. *de Baptismo c.* 14. Præceptum illud coniicitur esse diuinum, cuius non agnoscitur initium, si aliunde non coniiciatur non fuisse latum à Deo.

Suarez. Lessius. Amicus. Coninch. Nugnus.

An autem opinio asserens, hoc præceptum esse de iure Ecclesiastico, sit probabilis: Affirmant Suarez 3. *part.* to. 3 *disp.* 66. *sect.* 3. *circa finem*, Lessius 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 4. *dub.* 1. *n.* 8 Amicus *tom.* 7. *disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 8 Coninch, 3. *part. quæst.* 80. *artic* 4. *dubit.* 1. *num.* 13. & *dub.* 2 *num.* 17. Negat Nugnus *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 4. *diffic.* 2. *conclus.* 2. & meritò, quia ex ea sequeretur posse Pontificem dispensare, vt absolutè aliquis in particulari sumeret Eucharistiam cum solo actu contritionis, sine præuia confessione mortalium, quod non videtur admittendum. Tum quia hoc præceptum est à Christo Domino institutum, & Apostolis, ac per eos Ecclesiæ traditum, vt patet ex illo Pauli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, quod Tridentinum intelligit de confessionis præcepto. Præmiserat enim Apostolus. *Ego enim accepi a Domino, quod, & tradidi vobis*. Ergo sentit esse præceptum Dei, & non suũ quę enim de Eucharistia tradit, accepit a Domino, non potest autem solidè dici accepisse alia, non verò istud. Deinde nunquam Apostolus insinuat se illam legem condere, cum tamen communiter id indicet, quando legem condit. Non est ergo hoc præceptum Apostoli pauli, vt condentis legem, sed vt promulgantis Ita etiam Sotus *in* 4 *dist.* 12 *q.* 2. *art.* 4. Valentia. *to.* 4. *disp.* 6. *q.* 8. *punct.* 3. & alii apud Dian. *p.* 8. *tr.* 1 *res.* 51.

Sotus. Valentia. Diana.

2 Qui ante communionem præmiserit confessionem formaliter integram omnium mortalium peccatorum, quæ memoriæ occurrerunt, & postea, antequam Missam dicat, aut ad communionem accedat, recordatur alicuius peccati mortalis non confessi, tenetur per se loquendo, & seclusis circũstantiis, quæ excusare possunt, illud cõfiteri antequam communicet vel Missam celebret. Ratio est, quia præceptum præmittendi confessionem ante cõmunionem, non est confitendi vtcumque, sed confitendi omnia peccata ante communionem, & faciendi confessionem, non solum formaliter, sed etiam materialiter integram, nisi aliquã necessitas vrgens obstet, & desit copia confessarii. Hoc autem præceptum non impletur, nisi illud peccatum subiiciatur clauibus ante cõmunionem. Et hoc probat praxis, & consuetudo omnium fidelium, qui etiam post legitimam confessionem nullo modo audent accedere ad Eucharistiam, nisi prius confiteatur illa peccata, quorum de nouo recordantur. Nec refert quod tale peccatum oblitum iam sit remissum in confessione legitimè facta quia non obstat remissio, quin debeat suponi clauibus, nam Concilium Tridentinum vult etiam contritum obligari ad confessionem faciendam antequam ad sacram Communionem accedat, & per consequens consequutum remissionem suorum peccatorum mortalium Licet enim quis de suis peccatis fuerit confessus, ac proinde etiam de oblitus indirectè saltem absolutus, & iustificatus, adhuc tenebitur de peccatis postea in memoriam occurrentib. confiteri, & directè absolui antequã communicet, vel Missam celebret. Dicendum est ergo, illum grauari conscientia peccati mortiferi iuxta Concilium, qui scit se illud commisisse, & nondum subiecisse clauib. Ecclesiæ, vt ab illo directè absoluatur. Ita Caspensis noster *tom.* 2. *tract.* 22. *disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 25. Syluius *p.* 2. *res. Monial.* *v. Confes.* 3. Lessius 3. *p. quæst.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 8. Coninch *ibid* Suarez *disput.* 66. *sect.* 4. *tom.* 3 *in tertia parte*. Contra Reginaldum *lib.* 29 *num.* 105. qui post Henriq. *lib.* 8. *cap.* 46 §. 3. *in margine litera l.* videtur contrariæ sententiæ adhærere tanquam pobabili. Vnde hęc sentia fuit deleta in indice expurgatorio Hispano ex operib. Patris Cornejo *in* 3. *p.* D. Thom. *tr.* 4. *q.* 80. *disp. vnic. dub* 3. quia illam, vt probabilem admittebat, vt testatur Diana *p.* 9. *tr.* 3. *res* 4.

Caspensis. Silvius. Lessius. Coninch Suarez Reginald. Henriq.

Cornejo Diana.

Tenetur item ad confessionem Sacramentalem præmittendam ante sumptionem Eucharistiæ, ille, qui certa reuelatione sciret se per contritionem esse à peccato iustificatum, sicut teneretur ad Baptismum suscipiendum, qui certo nouisset se in ventre matris fuisse sanctificatum. Ratio est, quia præceptum est tantum de medio, non de fine, vnde quamdiu tale mediũ præceptum non est adhibitum, adhibendũ est, etiamsi finis propter quem medium est præceptum, supponatur acquisitus. Ita Amicus *tom.* 7. *disp.* 26. *sect.* 1.

Amicus

3 Qui habet conscientiam peccati mortalis & confiteri non potest, in casibus, in quibus licitum est sumere Eucharistiam ante confessionem, tenetur ad habendam prius contritionem, quam ad hoc Sacramentum accedat & talis nunquam dignè accedat, nisi probabiliter, & inculpabiliter existimet sibi peccatum per contritionem remissum. Et hoc tam certum est, vt contrarium nec probabile sit, nec sine temeritate defendi posse videatur, vnde qui solam attritionem habet cognitam, cum conscientia peccati mortalis accedit, quia conscientia non dicit affectũ sed scientiam talis status, ille autem, qui sic est dispositus, scit se adhuc esse in peccato mortali. Ergo indignè accedit Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 66. *sect.* 5. & alii communiter Notandum tamen est, quod si talis bona fide putet se contritum, posse hoc Sacramentum sumere, neque peccaturum si subdubitet, num fortè sufficientem habeat contritionem, nam morale iudicium, quod de nostr sactibus formare possumus, non necessario excludit omnes motus dubitationis. Vt bene aduertit Præpositus *in* 3. *p. q* 80. *art.* 5. *dub.* 3. Vide dicta *to.* 1. *v. Comm. n.* 37.

Suarez

Præposit.

4 Qui habuit motiuum generale dolẽdi de decem peccatis mortalibus, si confiteatur tantum nonem, & obliuiscatur decimi, & Sacramentum recipit, quando iterum confitetur illud vnum oblitum, non tenetur elicere nouũ actũ contritionis, sed sufficit prior non retractatus, quia vna & eadem contritio potest pertinere ad duo Sacramẽta, vt pars ipsorum, vt cum quis semel absolutus iterat mox noua confessione, explicat præteritum dolorem, & peccatum oblitum; hic enim nouum effectum gratiæ auctæ videtur recipere, dum absque nouo dolore recipit absolutionem, quia adsunt requisita omnia, scilicet, noua confessio, vt signum peccati, & doloris, nam dolor prior, vt in virtute extensus est ad peccata oblita, perinde valeat ac si esset nouus dolor de peccatis oblitis. Ita Henriquez *in Summa lib.* 4. *de pœnit. cap.* 26. §. 7. Lugo *de pœn. disp.* 10. *sect.* 2. *a. n.* 27. Qui autem noua confessione reperit peccatum de quo directè absolutus est, habere debet nouum eiusdem peccati dolorem, qui subiiciatur formæ nouæ absolutionis, sicut, & nouam confessionem peccati, vt probat piorum hominum vsus, & consuetudo. Sicut diximus *to.* 1. *v. Absolut n.* 4. Ex probabiliori sententia.

Henriq. Lugo.

5 Quidam sentiunt enim, qui accessit ad linteum Sacrę mensæ, vt communicet, si recordetur alicuius peccati mortalis, teneri surgere & confessarium adire vt de illo confessionem faciat. Ratio illorum est, quia putant in tali casu non esse scandalum, eo quòd hic recessus à Sacra mensa causa alicuius peccati obliti confitendi, non gignit vllam mali nominis leuem suspicionem, sed potiùs timoratæ conscientiæ opinionem. Nec leuis aliquorum admiratio est præferenda diuino atque expresso præcepto præmittendæ post mortale confessionis ante communionem in habente copiam confessarii, aliàs daretur occasio, seu via nimis ampla aperiretur res diuinas indignè pertractandi. His tamen non obstantibus, contrariæ sententię adhærendum est, quia difficilè moraliter videtur in tali casu scandalum vitari posse apud vulgus, & leues homines, vt diximus cum Doctoribus citatis *tom.* 1 *verb. Communio Sacra, num.* 31. Si tamen communicare volens solus esset cum Sacerdote, & Sacerdos posset eum absoluere, tunc tenebitur eidem priùs confiteri, quia & sine periculo infamiæ potest, neque est notabilis indecentia in eo quòd Sacerdos vel non nihil ab altari recedat, vel in ipso Altari confessionem eius excipiat: præsertim cùm soleat communio administrari ante sacrum, aut sacrificio iam quasi peracto Ita VVigers *in* 3. *p. q.* 80. *art.* 5. *dub.* 2. Lessius *ibidem artic.* 4. *dub* 2. Præpositus *ibid. art.* 5. *dub.* 4. & alii

VVigers. Lessius. Præposit.

6 Si post consecrationem etiam vnius speciei celebrans moriatur, vel deficiat, nec adsit alius, qui sacrificium perficiat, præter Sacerdotem peccatorem conscium sibi peccati mortalis, hic potest, & tenetur etiam non præmissa

con-

confessione, si eam facere non potest, sacrificium perficere & communicare: nam maior est obligatio sacrificii perficiendi, quàm præmittendi confessionem communioni, & absolutè censetur graue, quod sacrificium imperfectum remaneat. Tamen se posito scandalo talis Sacerdos posset excusari à sacrificio alterius perficiendo, si moraliter vix posset contritionem elicere, nam quamuis homini non desit diuinum auxilium ad huiusmodi contritionem mortalis eliciendam, interdum tamen potest ita multis implicari, & tam diuturna peccandi consuetudine, vt sit illi difficilimum & moraliter impossibile perfectam contritionem elicere: quo casu, cùm non offerat imperfectum sacrificium, sed ab alio inchoatum relinquat imperfectum, ad quod perficiendum non tenetur, si non possit cum dispositione necessariò requisita; videtur quòd non teneatur sacrificium ab alio inchoatum perficere, si moraliter loquendo, vix possit adferre congruam dispositionem, sed quod possit relinquere imperfectum, circa quam imperfectionem solùm permissiuè se habet. Ita Præpositus *in 3. part. D. Thom. q. 80. art. 5. dub* 3. qui citat Sotum & Toletum.

præposit. Sotus Toletus

Con. Trid.

7 Præceptum cõfitendi quamprimum positum in Tridentino *sess. 13. cap. 7.* quando quis in necessitate celebrauit sine præuia confessione, non est diuinum, sed humanum Ecclesiasticum. Vnde intra limites iuris naturæ vel diuini, nemo qui conscius peccati mortalis communicauit absque præuia confessione celebrando vel non celebrãdo, tenetur postmodum prima data opportunitate confiteri, siue peccauerit, siue non; quia dispositio ad aliquid requisita non est iure naturæ postmodum ponenda, si priùs non fuerit posita: neque vllo fundamento solido dici potest, quod diuino præcepto, quo tenemur confessionem communioni præmittere, ne indignè communicemus, teneamur confiteri, si fortè non præmiserimus. Restat ergo, vt obligatio sit præcepti Ecclesiastici. Ita Mercerus *de Sacrament. quæst. 80. articulo 4. dub. 3.* Præpositus *ibid. artic. 5. dub. 4. numer. 20.* Nugnus *ibidem artic 4. difficult. 4. conclus. 1.* & alii.

Mercerus præposit. Nugnus

8 Sacerdos, qui in die Parasceues officium facit, si vrgente necessitate, vel non habens copiam confessarii hoc faciat absque præuia confessione, tenetur quamprimum confiteri: Ratio est, quia etiam hæc actio ab Ecclesiasticis Authoribus dicitur celebratio, & Sacerdos, qui illam exercet, absolutè dicitur celebrare, & in Rubricis Missalis huius diei dicitur celebrans. Nec refert, quòd Sacerdos iste propriè non sacrificet; nam sufficit vt exerceat actionem, quæ dicatur celebratio, sub cuius nomine Concilium suum decretum exprimit. Ita ex communi sententia Mercerus *de Sacram quæst. 80 art 4. dub. 2.* Caspensis *tom. 2. tract. 22. disp. 9. sect. 3. num. 27.* Præpositus *in 3. p. quæst. 80. art. 5. dub 4. num. 20.* Suarez, Filliucins & alii.

Mercerus Caspensis præposit. Suarez Filliucius

9 Non potest Ecclesia immediatè præcipere totum Sacramentum Penitentiæ, provt de facto à Christo institutũ est. Ratio est, quia hoc Sacramentum, prout de facto à Christo institutum est essentialiter includit internum dolorem & confessionem omnium peccatorum mortalium, etiam internorum: sed Ecclesia non habet potestatem supra actus merè internos, igitur non potest hoc Sacramentum, provt de facto à Christo institutum est, præcipere. Maior est de fide diffinita à Concilio Tridentino *sess 14. cap. 3. 4. & 5. & canon. 4. & 7.*

Con. Trid.

Minor supponitur ex communi Doctorum sententia, nam licet Ecclesia potestatem habeat in actus internos, quatenus principia sunt externorum, non tamen potestatem habet in actus purè internos, qui nullo pacto principia sunt externorum. Ratio prioris est, quia hi actus tantùm possunt humano modo, hoc est, sensibili aliqua notitia dignosci, & ab Ecclesia regulari. Posterioris autem ratio est, quia actus purè interni, cùm per se non cadant in notitiam aliquam sensibilem, non possunt esse intra sphæram humanæ gubernationis, cum non possint homines vel ad eos eliciendos, vel ad eos elicitos externo aliquo signo manifestandos cogi, nisi ab eo, qui omnia hominum secreta nouit.

Ecclesia autem potest directè & per se solùm præcipere confessionem de peccatis externis, quo præcepto posito, obligaretur pœnitens iure diuino propter reuerentiam quam debet huic Sacramento, ne illud irritum reddat, vna cum peccatis externis confiteri aliqua peccata mortalia interna, actumque doloris ad hoc sacramentum necessarium elicere. Probatur prior pars, nam in tali præcepto nihil est, quod Ecclesiæ potestatem excedat, nam totum id quod præciperet, esset actus externus conducens ad externum regimen, & gubernationem Ecclesiasticam, propter quam Ecclesia potestatem habet ad omnes actus externos fidelium. Ita Amicus *tom 8. disp. 17. sect. 2. num. 12.* De his vide Suarez *in 3. p. tom. 4. disp. 35. sect. 1. num. 16. & sequentibus*, Vasquez *tom. 4. quæst. 90. art. 1. dub. 4.* Hurtadum *de Sacrament. disp. 17. diffic. 4.* & alios.

Amicus Suarez Vasquez hurtadus

10 Summus Pontifex non potest tollere & abrogare omninò præceptum confessionis. ita vt nunquam obliget est communis sententia Doctorum. Probatur, quia præceptum confitendi absolutè & in articulo mortis, & aliquando extra talem articulum, diuinum est, ergo Ecclesia authoritate sua humana non potest illud abrogare aut in eo dispensare, quia inferior dispensare, aut abrogare nequit legem à Superiore latam.

Potest Summus Pontifex ex vrgenti & rationabili causa quæ tunc offeratur, dispensare in præcepto confessionis, vt non pro singulis annis obliget, sed pro tribus, duobusve quibusque, quia præceptum confessionis annuæ est purè Ecclesiasticum quoad temporis determinationem ad singulos annos, quod potest Pontifex in partem, seu cum aliquo, aut in totum, seu cum omnibus auferre, & non solùm validè, sed etiam licitè, si causa rationabilis subsistat.

Potest item Summus Pontifex restringere tempus confessionis, ita vt teneantur pluries fideles, quàm semel in anno confiteri, v.g. ter, quaterve in anno, & quamuis nulla alia subesset causa, præter fidelium fructum, id quidem satis esset, modò ea frequentia in contemptum non cederet. Ita Suarez *to. 4. de pœn. disp. 36. sect. 1.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 1 art. 1* Hurtadus *de Sacram. dis. 7. de pœn. diffic. 6.* Fagundez *de prac. Eccles. præcept. 2. lib. 1. c. 3. n. 8.*

Suarez. Sotus Hurtadus. Fagund.

11 Licentia audiendi confessiones concessa ad beneplacitum expirat morte concedentis. Ratio est, quia beneplacitum finitur morte concedentis *l. 4. ff. locati, l. centesimis, §. final. de verbor. oblig. et. cap. si gratiosè, de rescript. in 6.* vbi Ancharan. *n. 6* Francus *n. 9.* Germinianus *n 3.* & diximus *tom. 1. verb. Priuilegium 3. n. 11.* Nihilominus satis probabile est huiusmodi licentias non expirare, & praxis hoc confirmat, siquidem confessarii approbati ad beneplacitum continuant vbique exercitium audiendi confessiones mortuo Episcopo. Ratio est, quia gratia iam facta, quæ est perfectè concessa ei, cui fit, independenter ab alio, cui facienda committatur, durat etiam post mortẽ concedentis, quamuis res sit integra, *c. si cui nulla, de prabend. in 6.* quia nimirum non indiget aliquo alio ad sui perfectionẽ. Licentia autem audiendi confessiones est gratia facta, & perfecta, quia sortitur totum suum effectum iurisdictionis concessæ confessario statim ac tribuitur. Si dicas hoc esse verum de gratia, quæ absolutè conceditur, non autem de illa, quæ conceditur ad beneplacitum, quia tunc licet perfecta sit, sequitur naturam beneplaciti. Sed hoc nihil obstat, quia, cum gratia perfecta sit, atq; tran sierit in possessionem illius, cui est concessa, non requirit beneplacitũ vt causam conseruantem: ita vt debeat cessare, ipso cessante, sicut requirit quando est gratia facienda, sed iam ex se subsistit, nec requirit aliquem influxum à voluntate cõcedentis. Vnde particula *Ad beneplacitum*, apposita concessioni nil aliud facit, nisi quod seruat concedenti dominium supra gratiam concessam ita vt possit ad libitum reuocari, atque adeò seruat locum, vt succedere possit actus positiuus reuocationis, quia autem mors nõ est positiua reuocatio ideò non expirat morte concedentis. Vnde in iis, quæ non pendent in conseruari à beneplacito concedentis, particula *Ad beneplacitum* apposita concessioni resolui debet in clausulam, *Donec reuocauero*: vt sit conformis iuri communi. Alias quod ius commune facit durare post mortem ipsa destrueret, & contrarietur iuri cõmuni, vt notant Glossa in *cap. si delegatus, verb.* Mortem *de offic. delegati in 6.* & alii Hanc sententiam probabilem vocat Suarez *de pœnit. disp. 26. sect 3. num. 9.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 28 n. 60.* Sancius *in select. disp. 48. n. 19.* & alii.

Archaran Francus Gemin.

Suarez Sanchez Sancius

Vidal. & alii, & docet Marcus Vidal. *tit. de iurisdictione inquisit. 1. num. 52. & sequent.*

12 In approbatione regularium pro confessionibus, potest Episcopus adhibere clausulam limitatiuam, *Ad beneplacitum*, ita vt approbatio censeatur non absolutè facta, sed iuxta beneplacitum, non obstante quòd regularis sit vndequaque sufficiens. Ratio est, quia approbatio debet respicere idoneitatem confessarii in ordine ad tale munus quæ non solùm consistit in doctrina sufficienti, sed etiam in bonis moribus, vnde qui esset vitæ scandalosæ; non deberet approbari. Cùm ergo, qui ratione morum modò est habilis, fieri potest quòd fiat inhabilis, potest Episcopus sibi reseruare locum in approbatione ad suspendendam dictam approbationem, quod fit adhibendo clausulam limitatiuam, *Ad beneplacitum*. Hinc fit, quòd approbatio concessa ad beneplacitũ, non possit reuocari, aut suspendi, nisi approbatus fiat talis, vt non deberet approbari, si de nouo esset approbandus, vnde necesse est quòd in ipso fiat talis mutatio, aut secundum mores, aut secundùm doctrinam, euadat inhabilis ad audiendas confessiones. Approbatio enim est per modum sententiæ; quia Episcopus debet vt iudex iudicare de habilitate regularis in ordine ad audiendas confessiones, vnde licet sit facta ad beneplacitũ non potest retractari, nisi ea succedant, quæ reddant sententiam iniustam, alioquin manente sententia iusta, retractatio esset actus iniustitiæ Ita Peyrinus *de priuileg. tom. 1. constit 1. Sixti IV. §. 2. num. 44.*

Peyrinus. 13 Episcopi non possunt adhibere aliquam limitationem regularibus quoad iurisdictionem, nisi in ordine ad casus quos sibi reseruant, non autem in ordine ad personas, loca, &c. & si adhibeant, faciunt contra iustitiam. Regulares enim gaudentes priuilegiis mendicantium non accipiunt iurisdictionem ab Episcopo, sed illam habent à Summo Pontifice, vt constat ex priuilegiis ipsis concessis presertim à Sixto IV. Ordini Prædicatorum in Bulla que

Sixtus iiij Paulo iij. incipit: *Sedis Apostolica. Anno* 1477. *quinto Id. Iunii*, & à Paulo III. Societati IESV, *die 3. Iulii* 1545. in bulla, *cum inter cunctas*, & à Paulo IV. in Bulla, *Ex clementi, die 1. Iulii anno* 1556 Et solùm per Concilium Trident. dependent ab Episcopo quoad approbationem. Ergo non potest Episcopus limitare iurisdictionem; alioquin iniustè ageret cum regularibus, priuando illos iurisdictione aliqua, quam iam habent, & consequenter priuaret iure suo. Si dicas, Episcopum non limitare iurisdictionem, sed approbationem, quia approbat tantùm pro viris v.g. ex eo quòd non indicet idoneum pro mulieribus ratione ætatis. Sed hoc sustineri non potest, quia regularis habet iurisdictionem in ordine ad omnia genera personarum, & consequenter ius petendi approbationem in ordine ad omnia genera personarum, modò idoneus sit, quæ consequenter negari non potest, nisi ex iusta causa, quæ scilicet sit talis, vt reddat non idonem: ętas autem non est sufficiens, nec rationabilis causa propter quam non possit approbari In ordine ad omnia genera personarum, nam eo ipso; quòd quis habet viginti quatuor annos, secundùm Concil. Tridentin est capax beneficii Parochialis, & si cætera concurrant, est idoneus pro audiendis cõfessionibus quarumcumque personarum. Vnde Episcopus, qui ratione ætatis non iudicat aliquem idoneum, facit contra Tridentin. quia non putat idoneum eum, quem approbat ius, & ex irrationabili causa non approbat regulares, qui iam secundùm ius quoad hanc partem sunt approbati. Vide à nobis dicta *tom. 1. verb. confessarius III. num.* 12. vbi adduximus super his quandam Declarationem Eminentiss. DD. Cardinalium.

14 Quando regularis non habet talem scientiam, vt sufficiens sit pro audiendis confessionibus cuiuscumque generis personarum potest Episcopus concedere licentiam limitatam ad loca & personas pro quibus solùm est sufficienter instructus. Imò non potest absolute approbare. Ratio est, quia Episcopus fert iudicium de sufficientia, & idoneitate regularis pro audiendis confessionibus; ergo cùm non possit iudicare, nisi prout res se habet & ipsi innotescit, non potest absolutè approbare eum, quem non cognoscit sufficientem pro omnibus locis, & personis, alioquin peccaret grauiter; quia faceret contra Decre-

Con. Trid. tum Concilii Trident. *sess. 23. cap. 15. De reform.* vbi approbatio committitur Episcopo, ne qui idonei non sunt audiant confessiones in perniciem animarum Vide Portel *in dub. reg. verb. confessor. regularis num.* 3 Lugo *de pænit. disp. 21. sect. 3. §. 1. num.* 60. Peyrinum *tom. 1. de relig. q. 1 cap. 21. §. 2.* Portel Lugo. Peyrinus.

15 Qui non est simpliciter aptus pro omnibus locis, & personis, potest ab Episcopo absolutè reprobari, quia non tenetur Episcopus approbare cum limitatione, nam in approbando debet respicere munus, pro quo approbat, & considerare an qui præsentatur sit aptus pro ipso exercendo, vnde si non est absolutè aptus, potest reiici, quia Tridentinum loquitur de approbatione absoluta. Vnde cẽsenda est gratia quando Episcopi concedunt approbationem limitatam ii, qui absolutè non sunt apti, quia concedunt respicientes potius ad mentem, quam ad verba Concilii Tridentini. Proinde ob insufficientiam doctrinæ potest Episcopus approbare ad tempus determinatum, quando scilicet dubitatur, quod regularis non sit permansurus in illo statu scientiæ, in quo est de præsenti, quia nimirum non bene illam possidet. Aut quia censeatur cum scientia illa quam habet, posse quidem incipere exercere munus audiendi confessiones, indigeat tamen continuatione studii ad munus prosequendum, vt post illud tempus sumatur nouum experimentum de doctrina ipsius,

16 Qui in confessione tempore Paschalis facta omisit aliqua peccata mortalia per obliuionem, potest talia peccata non confiteri, vsque ad confessionem sequentis anni, Ratio est, quia Ecclesia obligat tantum ad confitenda omnia peccata commissa illo anno, quantum memoriæ occurrunt, adhibita sufficienti diligentia, sed qui taliter confessus est, satisfecit præcepto, ergo non tenetur iterum confiteri. Ita Nauarrus *in man. c. 2. n. 10.* Syluius *in sup. 3. p. q. 6. art. 5. q. 3* Tolet. *l. 3. c. 8. num.* 1. Victoria *in Summ. n. 137.* & alii *cit. to. 1. v. conf. 1. n* 17. Nauarrus Syluius Toletus Victoria

Vide v. Baptismus 4. *num.* 10. Circunstantia *n. 2. & seq.* Iactantia *n.* 2. Iubilæus *n.* 2. 3. 10. Legatus *num. 11. & seq.* Matrim. 3. *n.* 19. Parochia *n.* 6. Vicarius *n.* 6.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Sacramentum Confirmationis.*
2 *De institutione huius Sacramenti.*
3 *Confirmatio, an sit necessaria necessitate medii, vel precepti.*
4 *Eius materia duplex, remota & propinqua, & an balsamum sit de essentia Sacramenti, & quantum balsami requiratur.*
5 *Chrisma debet ab Episcopo benedici. Et an Ecclesia possit hoc ministerium Sacerdoti committere*: refertur duplex sententia.
6 *Materia proxima Confirmationis, est vnctio.*
7 *Forma Sacramenti Confirmationis.*
8 *Minister ordinarius est Episcopus: Ex commissione autem Papæ etiam Sacerdos.*
9 *Episcopus ministrans hoc Sacramentum, debet esse in gratia, non tamen ieiunus. An autem peccet mortaliter consecrando Chrisma vel oleum infirmorum in peccato mortali*: refertur duplex sententia.
10 *Quis possit suscipere hoc Sacramentum, & qualis dispositio requiratur.*
11 *Tres sunt effectus huius Sacramenti.*
12 *Qui tonsuram vel ordines non confirmatus suscipit, an peccet mortaliter?*
13 *Ritus seruandi in conferendo hoc Sacramento.*

1 EXcommuni Theologorum, & Canonistarum sententia, prout definitum est in *Conc. Florent. in decreto Eugen.* Conc. Trid. *sess. 7. & 23 c. 4.* Conciliis Florentino, & Tridentino, Confirmatio, difinitur esse *Sacramentum verum, & proprium nouæ legis diuinitus institutum, quo homo viator baptizatus. ab Episcopo in fronte, vngitur cũ chrismate sub certa verborum forma, ad fidei robur cõse-*

que ndum

quendum. Dicitur *Sacramentum*, hoc enim est de fide, vt constat ex Tridentino, & probatur. Sacramentum enim est signum efficax gratiæ ad nostram sanctificationem diuinitus institutum; talis est Cōfirmatio, ergo, dicitur *diuinitus institutum*. Sumitur ex S. Ioan. *c.* 14. 16. *Luc.* 24. *Act.* 1. quibus locis Dominus, post suum in cœlos ascensum, virtutem ac robur sancti Spiritus se missurum promisit in die Pentecostes: vnde hoc Sacramentum institutum est, non exhibendo, sed promittendo plenitudinem Spiritus sancti dicitur, *quo homo viator baptizatus*, ad indicandum subiectum huius Sacramenti, quod est homo viuens in hoc mortali corpore, dicitur *inungitur cum Chrismate*, vt significetur materia proxima, & remota huius Sacramenti; dicitur *ab Episcopo*, ad indicandam causam efficientem ministerialem huius Sacramenti; dicitur, *Sub certa verborum forma*, vt exprimatur forma, quæ in verbis ab Episcopo prolatis continetur, dicitur, *ad robur fidei consequendum*, vt significetur præcipuus effectus. Ita communiter Doctores post D. Thom. 3. *p. q.* 71. *art.* 1. *& in* 4. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 3. *ad* 2. Syluius 3. *p. quæst.* 72. *art.* 1 Suarez *in* 3. *p. tom.* 3 *disp.* 32 *sect.* 1. P. Ledesma *tract. de confirm. c.* 1. Filliucius *tract.* 3. *num.* 7. Henriquez *l.* 3. *c.* 6, *num.* 4. &c.

D. Thom. Silluius. P. Ledesm. Filliucius Henriq.

2 Institutio huius Sacramenti facta fuit à Christo Domino ante ascensionem ipsius in cœlum, & quoad materiam eius & formam, probabile est designatas in die vltimæ cœnæ, cùm Christus credatur tunc consecrasse Chrisma; quod probatur ex Epistola 2. *Fabiani Papæ, in illa die*, inquit, *Dominus Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, (sicut à sanctis Apostolis, prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit*. Vnde, & illa consuetudo manauit in Ecclesia, vt feria V. in Cena Domini, singulis annis materia huius Sacramenti præparetur & benedicatur. Deinde completa fuit huius Sacramenti institutio *Ioannis* 20. vbi data fuit Apostolis plena potestas ordinationis sacerdotalis, & Episcop. per hæc verba, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; tunc enim contulit illis plenam potestatem ministrandi hoc Sacramentum. Ratio cur hoc Sacramentum immediatè à Christo Domino sit institutum, est, quia institutio Sacramenti pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ nemini præter Christum concessa fuit. Verum quidem est Christum Dominum suis manibus hoc Sacramentum nemini contulisse, atque adeò nemini fuisse ministratum ante Pentecostem; Sed aliud est Sacramenti institutio, aliud vsus Sacramenti D. Thom. *c. art.* 1. *ad* 1. Syluius *ibid* Suarez *c. disp.* 32. *sect.* 2. Filliucius *tract.* 3. *c.* 1. *quæst.* 3. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 3. *q. vnic. punct.* 1. *n.* 2. *&* 4. Reginald. *l.* 28. *n.* 4. Petr. Ledesma *c.* 1. *concl.* 3. Coninck *q.* 72. *artic.* 1. *dub.* 2. Sot. 4. *d.* 7. *q.* 1. *art.* 1. Laym. *l.* 5. *tract.* 3. *c.* 1.

D. Thom. Syluius Suares Filliucius. Bonacina. Reginald. Pet. Ledes. Coninck. Sotus Layman

3 Confirmationis Sacramentum non est necessarium necessitate medii ad salutem, tum quia multi saluantur sine confirmatione, ut patet in infantibus recenter baptizatis, qui moriuntur ante susceptam confirmationem. Imò non est necessarium necessitate præcepti, non diuini, quia nec sacra Scriptura, nec ullus Doctor huius præcepti meminerunt, ergo nullum præceptum diuinum extat de hoc Sacramento suscipiendo, neque etiam Ecclesiastici, quia Ecclesia non solet noua præcepta de recipiendis Sacramentis statuere, sed solùm modificat & determinat tempus in quo præcepta diuina de his recipiendis obligent, & executioni sint mandanda. Ex quo fit ut nullum sit peccatum voluntariè hoc Sacramentum omittere, secluso scandalo & contemptu. D. Thom. 3. *p.* 72. *art.* 8. *ad* 4. *& in* 4. *d.* 7. *q.* 1. *quæst.* 2. Syluius 3 *p. q.* 72. *art.* 8. Suarez *c. disp.* 39. *sect.* 1. Bonacina *c. punct* 2. *nu.* 1. *&* 2. Valentia *tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 1. *part.* 3. &c.

D. Thom. Syluius Suarez bonacina. Valentia.

Sed dubium est, an notabilis negligentia illud suscipiendi; contemptus censeatur, puta si tempore Confirmationis apto occurrente, & commoditate ublata suscipiendi, non susciperetur, maxima si probabilitas adsit non futuræ commoditatis? affirmant Richard. 4. *d.* 7 *art.* 5. *quæst.* 1. Gabriel. *q. vnic. art.* 3. *dub.* 3. Syluester *v. Conf. nu.* 3. Toletus *li.* 2. *c.* 24. *num.* 13. & alii. Sed negatiua sententia est tenenda, quia multa animæ salubria facere intermittimus, quia cogitamus absolutè ad salutem nobis necessaria non esse, quæ tamen non contemnimus, quia contemptus consistit in hoc, quòd quis hoc Sacramentum seu receptionem illius, & effectum, seu rem villem, & parui momenti æstimet seu parui pendat, & huius sententiæ sunt Fernand. *p.* 3 *c.* 3. *§.* 5. *n.* 1. P. Ledesm. *de confirm. c.* 8 *concl.* 4. Layman *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 4. Nauarr. *c.* 22. *n.* 9 Victor. *de conf. conc.* 48. Diana *p.* 3. *t.* 4. *res.* 25. Suar. *c. d.* 38. *sect.* 1. & alii apud ipsos.

Richar. Gabriel sylvester. Fernandes. p. ledesma Layman Nauarrus. Diana.

4 Materia Confirmationis, alia est remota, alia proxima remota est chrisma, quod conficitur ex oleo oliuarum, & balsamo, & ab Episcopo consecrato benedictum Probatur *Primo* ex Scripturis 2. *Cor.* 1. *Qui confirmat nos Deus & vnxit nos, & signauit, & dedit pignus Spiritus in cordib. nostris. Secundo*, ex communi consensu Pontif Concil. & Patrum, apud Sayr. Bellarm. & Suar. Prob. *Tertio* ratione quia materia Sacramenti debet significare eius effectum, qui est confirmatio in fide, confirmatio autem requirit 1. puritatem, & feruorem fidei in corde, quæ significantur oleo; nam est liquor purus, lucidus, & calibus, 2. constantem confessionem in ore, quæ significatur balsamo, propter odoris fragrantiam D. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 2. Syluius *ibid.* Sayrus *de Sacram. l.* 1. *c.* 3. *art.* 3. *n.* 5 Bellarm. *l. de confirm. capit.* 8. Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *&* 2. Toletus *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 2. & alii.

D. Thom. Sayrus. Bellarm. Toletus

Sed petes 1. an balsamum sit de essentia, & necessitate Sacramenti Resp. quibusdam non videri, vt Caietan. 3 *p. q.* 72. *art.* 2. Victoria *in Sum. n.* 40. Sotus 4 *d.* 7. *q.* 1. *art.* 2. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 8 Couarr. *lib.* 1. *var. c.* 10. *n.* 4. Estius *in* 4. *dist.* 7. *§.* 8. Valent. *tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 1. *p.* 2. quia Innocentius III. *c. Pastoralis de Sacramentis non iterandis*, consultus, an confirmationis Sacramentum deberet in eo iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus, respondit nihil esse iterandum, sed cautè suplendum, quod incautè fuerat prætermissū, vbi supponit illud, quod omissum fuerat non esse essentiale, alias Sacramentum fuisset nullum, ideòque iterandum Hæc sententia est probabilis:

Caietanus Victoria Sotus. Nauarrus Couarru. Estius. Valentia

Nihilominus contrarium est tenendum, quia Conciliū Florentinum, affirmat huius Sacramenti materiam esse chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedictum Confirmatur, quia alioqui forma esset falsa, nam dicit Episcopus *confirmo te chrismate salutis*, chrisma autem ex vsu totius Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, significat compositum ex oleo, & balsamo Episcopali benedictione consecratum. Ergo huiusmodi chrisma est de substantia huius materiæ. Ita Syluius 3. *p. q.* 7. *art.* 2. Layman *l.* 5. *tract.* 3. *c.* 2. *num.* 1 Suar. *disp.* 33 *sect.* 1. Petr. Ledesma *de confirm. cap.* 2. *concl.* 7. Coninch *de sacram. quæst.* 72. *art.* 2. *num.* 30. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 23. Bonac. *tom.* 1. *d.* 3. *q. vnic. part.* 3. *n* 2. & alii permulti ab ipsis citati. Verùm, quia prima opinio est probabilis, si hoc Sacramentum ministretur cum oleo simplici non est iterandum absolutè, sed sub conditione, adhibita materia indubitata, vt dicitur *c.* 1. *de Sacram non iterandi* quamuis talis ministrans peccet mortaliter vtens materia dubiâ

Siluius. Layman Suarez Ledesma. Coninch. Diana Bonacina.

Petes 2. quantum balsami requiratur. Respon. parum sufficere, siue illud sit orientale, siue occidentale, Ratio prioris est, quia non est de essentia materię, vt singulæ partes eius substantialiter mixtæ sint ex oleo, & balsamo, sed solum, vt ipsum vnguentum sit compositum, & mixtum requiritur tamen vt sit fragrans, & odoriferum, quia materia Sacramenti debet significare sacramentalem effectū Ratio posterioris est, quia balsamum Indicum, quamuis videatur alterius speciei, est tamen eiusdem generis, vt patet ex viribus, & effectibus, ac proinde est verum balsamum Ita Suar. hic citatus & alii.

5 Secundum probabiliorem DD. sententiam, chrisma, quod est materia Confirmationis, necessitate Sacramenti benedici debet ab Episcopo, non à simplici sacerdote. Tum quia sic habet perpetuus Ecclesiæ vsus, ex citato decreto *Concilii Florentini*, *Innoc. I. epist.* 1. *c* 3. & perpetua traditione: quæ testatur chrismatis confectionem ac consecrationem, semper Episcopo reseruatam, & numquam presbytero commissam fuisse, tum quia hæc est sententia D. Thom. *c. q.* 72. *art.* 4. Syluius *ibi.* D Dionys. *de Eccles. Hierar. cap.* 4. Suarez *disp* 33. *sect.* 2, Valent. *tom* 4. *d.* 5. *quæst.* 1. *punct.* 2. Sayrus *de Sacram. l.* 1. *cap.* 3. *art.* 3. *num.* 5. Bonac. *citat. punct.* 3. *num.* 3, & ferè Theologorum, à quorum doctrina

D. Thom. syluius D. Dionys. Suarez. Valentia Sayrus Bonacina

doctrina non est recedendum. Quamuis Caiet. 3. *p. quæst.* 72. *art* 3. sustineant hanc benedictionem Episcopi necessariam esse solùm necessitate præcepti, & validum fore Sacramentum cum chrismate à simplici sacerdote benedicto: hæc sententia quia singularis est, & contra omnes Theologos, licet speculatiuè quamdam probabilitatem præ se ferat, practicè tamen illa vti non licet, cùm hæc sit dubia & incerta materia: Et cùm Confirmatio non sit Sacramentum necessitatis, nullus casus occurrere potest: neque necessitas, in qua hac materia incerta vti liceat. Sed dubium est, an saltem possit Ecclesia hoc ministerium conficiendi chrisma concedere simplici sacerdoti? Resp. probabile esse, quod sic, quia simplex sacerdos ex commissione Summi Pontificis potest Sacramentum Confirmationis ministrare, ergo ex eiusdem commissione poterit chrisma consecrare, quod est materia necessaria Confirmationis. Ita Caietanus *c.* Paludanus *in* 4. *quæst.* 4. *n.* 34. *d.* 7. Victoria *in Summ. de conf.* §. 43. Valentia *c. punct.* 2.

Caietanus. Paludanus. victoria. Valentia.

Oppositum tamen longè probabiliùs est, quia de iure diuino solis Episcopis data est hæc potestas conficiendi chrisma, ergo sine sufficiente authoritate extendenda non est, ad alios præter Episcopos? ergo sine eadem authoritate, asserendum non est, Summum Pontificem posse quasi extendere hoc ius diuinum, seu hanc potestatem concedere simplicibus sacerdotibus. Quod colligitur ex Concilio VVormatien. Can. 2. *Chrisma*, inquit, *conficere nullus præter Episc. præsumat: nam illi soli hæc dignitas concessa est*. Idem etiam docent Concil. Romanum, Carthaginense, Hispal. Toletan. apud Syluium *art* 3. Ita D. Thom. *c. art.* 3. *ad* 1. Syluius *ibid.* Suarez *disput.* 33. *sect.* 2. Petr. Ledesm. *de confirm. c* 2. *concl.* 8. Nauar. *c.* 22. *num.* 8. Layman. *lib.* 5. *tr* 3. *cap.* 2. *n* 2. & 3. Filliuc. *tract.* 3. *c.* 1. *n.* 13. Con. *disp* 72. *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 4. & alii.

D. Thom. Syluius. Suarez. P. Ledesma. Nauarrus. Layman. Filliuc.

Vnde constat, non esse verum id, quod asseritur à Ioanne de la Crux *de stat. Relig. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 9. *concl.* 2. Vbi dicit Prælatos Regularium posse in suis terris Chrisma conficere, allegans adhoc priuilegium Vrbani II. Bulla 1. ipse quidem hallucinatus est ex mendosa impressione dicti priuilegii, quod est apud Rodriquez in Bullario, quandoquidem in originali, quod habetur in Monasterio Cauensi Congreg. Montis Cassini; non adest illa particula *Chrisma conficere*, sed dicitur, *Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & altarium consecratione, ac chrismatis confectione duntaxat, exceptis*. Ita etiam habetur in eodem priuilegio correctè impresso *in tom.* 1. *Bullarij noui Laertii Cherubini*, vt refert Tamburinus *tom.* 2. *de iur. Abbat. disp.* 111. *quæsit.* 2.

An autem chrisma debeat esse necessariò recens & præsentis anni. Resp. affirmatiuè, sed hæc necessitas est præcepti, non Sacramenti: nam vetus chrisma, est verum chrisma; modò substantialiter maneat incorruptum, & retineat fragrantiam odoris. Præceptum tamen est grauiter, vt singulis annis chrisma renouetur, & in die cœnæ Domini nouum conficiatur, & per Parochias distribuatur. *cap. si quis, de consecrat. dist.* 4. Suarez *c. disp.* 33. *sect.* 1. *sub finem.* D. Antonin. 3. *p. tit.* 14. *c.* 14. §. 2.

Suarez. D. Antoninus.

6 Materia proxima Confirmationis est vnctio: quia in Sacramentis, quæ in vsu consistunt, proxima materia est actualis vsus materiæ remotæ, circa eum, qui Sacramentum recipit: & sicut in Baptismo materia proxima est ablutio, ita in Confirmatione est vnctio chrismatis. Illa enim est materia proxima Sacramenti, in quam proximè forma cadit, sed forma huius Sacramenti proximè applicatur ipsi vnctioni, ergo vnctio est proxima materia: debet autem vnctio fieri in formam crucis in fronte, pollice dextræ manus Episcopi, non autem aliquo instrumento, vt penicillo. Sed non est ita essentiale, quòd vnctio fiat pollice manus dexteræ, quin si contingeret fieri alio digito, etiam manus sinistræ, Sacramentum factum teneret; præcipitur tamen in Pontificali vt vnctio fiat pollice dextero, In fronte autem illa fit, tanquam in sede verecundiæ, vt scilicet confirmatus sine rubore & verecundia Christi nomen confiteri possit: & sicut in Baptismo tantum aquæ requiritur & sufficit, quantum sat esse potest ad ablutionem, sic in Confirmatione tantum chrismatis requiritur & sufficit, quantum esse potest ad vnctionem in figura crucis faciendam, in fronte eius qui confirmatur. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 72. *art.* 9. Syluius *ibid.* Suarez *c. disp.* 33. *sect.* 3. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 22. Layman *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 5. Bonacina *de confir. punct.* 3. *n.* 45. Coninch. *quæst.* 72. *art.* 3. *num.* 50. Emanuel Sà *v. confirm. num.* 9. Bellarmin. *de confir. cap.* 8. *pro* 4. Petr. Ledesma *de confirm. c.* 2. *concl.* 4.

D. Thom. Syluius. Suarez. Diana. Laiman. Bonacin. Coninch. Eman. Sa. P. ledesma.

7 Forma sacramenti Confirmationis hæc est. *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti Amen.* Constat ex Apostolica traditione, & hanc habet Concilium Florentinum; & ratio est, quia conuenientissimè significat 1. causam principalem, quæ est sanctissima Trinitas 2. causam ministerialem, vt est is qui verba profert. 3. effectum Sacramenti, qui est facere Christi militem, insigniendo illum cruce, & roborando ad fidem intrepidè profitendam. Requiritur autem in hac forma expressio Sanctissimæ Trinitatis sicut in Baptismo; quia sicut in illo fit professio fidei, ita & in confirmatione datur robur permanendi in eadem professione fidei, inter cuius mysteria, illud Trinitatis præcipuum est; vnde Episcopus qui dictam inuocationem seu particulam in forma huius sacramenti omitteret, peccaret mortaliter, non solum ob violationem præcepti Ecclesiastici, sed etiam maximè ob periculum sacrilegii, cui sese exponeret, scilicet, non conficiendi sacramentum, & applicandi formam indebitam; vnde in tali casu iterandum foret sacramentum sub conditione.

Patitur hæc forma omnes variationes, quas ipsa forma Baptismi, vnde quoties verba huius formæ quoad sensum substantialem variantur, inualidum erit Sacramentum confirmationis, sicut & quoduis aliud: vt patebit in regulis tradendis de Sacramentis in genere. *v. Sacramentum* 2. *n.* 4. & 5.

Aduertendum tamen est, illud peculiare esse in hoc sacramento, actionem ipsam confirmandi, necessariò esse in forma experiendam, per verbum primæ personæ dicendo; *Signo te signo crucis* &c. & hoc quidem cadit sub præcepto, ita vt hic modus absque mortali peccato omitti non possit, nec in alium mutari dicendo *confirmetur seruus Christi*, hioc Græcis licitum non est sub tali forma confirmare, quia dubitatur inter Doctores, an contineat mutationem substantialem. Ita communiter Doctores ex Florentino in instructione Armenorum D. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 4. Syluius *ibid.* Sayrus *de Sacram. l.* 1. *cap.* 3. *art.* 3. *n.* 7. P. Ledesma *de confirm.* Suarez *disput.* 33. *sect.* 5. Filliuc. *tract.* 3. *cap.* 1. *q.* 9. 10. & 11. Præpositus 3. *p. q.* 72. *art.* 4. Bonacina *c punct.* 3. *n.* 7. 8. 9. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 4. 5. & 6. Tanocrus *t.* 4. *disp.* 4. *dub.* 1. *n.* 30. & *seq.* Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 27. Layman *lib* 5. *tract.* 2. *c.* 3.

D. Thom. Syluius. Sayrus. P. Ledesma. Suarez. Filliucius. Præposit. Bonacina. Henriquez. Tannerus. Diana. Laiman.

8 Minister sacramenti Confirmationis ordinarius, est Episcopus. Et hoc est de fide ex Conc. Trid. *sess* 7. *cap* 3. *de confirm. cap. Presbyteri de consecra. dist.* 4. D. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 11. Sylu. *ibid.* Probatur, quia soli Apostoli *Act.* 8 & 19. Baptizatis imponunt manus, ex quibus locis hanc conclusionem probant SS. PP. Ratio est, quia, Confirmatio est Sacramentum perfectionis, & Episcopi sunt perfectionis magistri, ergo conueniebat, vt ab illis solis conferretur. Dixi, *minister ordinarius*, quia ex commissione Summi Pontificis, potest etiam simplex Sacerdos confirmare tanquam minister extraordinarius. Nam S. Gregorius Presbyteris Carolitanis id concessit, *l.* 3. *epistolarum, Epistola* 26. & refertur *cap. peruenit. dist.* 95. Et tunc adhibendum est chrisma consecratum ab Episcopo, cum nullus possit chrisma consecrare præter Episcopũ, vt vult *Concilium Toletanum VIII. c.* 7 Hinc Abbas qui non est Episcopus, non potest confirmare, neque Sacerdos simplex ex licentiâ tantùm Episcopi. Itaque vt hæc concessio sit valida, tria requiruntur. 1 vt Pontifex concedat. 2. vt concedat sacerdoti. 3. vt ex rationabili & vrgente causa; quod sumitur ex Conc. Florent. quamquam hoc tertium fortè non sit necessarium necessitate Sacramenti; vide Suarez *disp.* 46. *sect.* 2. Nauarr. *in Man. c.* 22. *num.* 3. Tolet. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 5. Victor. *de confirm. conc.* 50. Vasquez 3. *p disp.* 219. *c.* 1 P. Ledesma *de confirm. c.* 9. Laym. *l.* 5. *tract.* 3. *c.* 6. *num.* 1. Tambur. *de iure Abbat. t.* 2. *disp.* 3. *q.* 1.

Conc. Trid. D. Thom. Syluius.

Suarez. Nauarrus. Toletus. Victoria. Vasquez. P. ledesma. Laiman. Tamburr.

Episcopus autem quamuis sit excommunicatus, hæreticus, vel etiam degradatus, semper retinet potestatem confirmandi, quæ fundatur in charactere sacerdotali & Epi-

Filliuc. Suarez

Episcopali, qui indelebilis est Filliuc. *tract.* 3. c. 1. *num.* 29. Suar. *c. d sp.* 36. *sect.* 3.

Debet verò Episcopus eos tantùm, qui suæ diœcesis sunt, confirmare, non alios; quia nullus debet mittere falcem in messem alienam; quamuis si confirmet factum teneat.

Henriq. P. Ledesma Viuald

An autem, confirmans in sua diœcesi etiam alienos concurrentes peccet, & incurrat suspensionem, negant Henriquez *l.* 3. *c.* 6. *n.* 6. Sà *v. Confir n.* 2. quia credendum est gratum id esse proprio Episcopo: affirmant Petrus Ledesma *c. c.* 9. *conc.* 7. Viualdus *de confirm. n.* 8. *cap.* 4. quia hoc est mittere falcem in messem alienam; verùm in illo casu videndum est, quid habeat praxis Episcoporum; & secundum illam iudicandum. Nec Archiepiscopus debet suorum suffraganeorum subditos confirmare, quamuis eos visitet. *cap. interdicimus* 16. *q.* 1. Imo ex declaratione Cardinalium, Episcopus existens in alterius diœcesi, non potest ibi confirmare suos subditos, absque licentia Episcopi illius territorii, quia in Conc. Trid. *sess.* 6. c. 5. *de ref. or. Reg. n. de* confir. n. 21. Suar. *c. disp.* 38. *sect.* 2. *sub finem*, expresse cautum, ne vllos Episcopus in alterius diœcesi Pontificalia exerceat, absque Ordinarii loci expressa licentia, & in personas alteri Ordinario subiectas, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. Nihilominùs posset Episcopus extra diœcesim conferre tonsuram, vel benedictionem solemnem, aut canere missam Pontificalem absq; prædicta licentia: cum hæc non veniant nomine Pontificalium, vt ait Henriq. citatus supra. Cui adde Tamburinum *tom.* 1. *de iur. Abbat disp.* 15. *q.* 5. nec obstat Concilium Tridentinum; quia loquitur de vsu Pontificalium, cum aliquo exercitio Episcopali, puta, chrismandi, ordinandi &c. vt ex contextu colligitur. Idem potest Episcopus in Ecclesiis Abbatialibus, ac aliis locis exemptis, absq; Abbatum, & aliorum Prælatorum licentia: quia locus exemptus, & locus extra Diœcesim iudicantur à pari. Et pro hac sententia citantur ibi à Tamburinio, Franchus, Angelus, Syluester, Erasmus Cokier, Barbosa, Rota. Quamuis Gauantus *In Enchirid. Episcop. verb functiones Episcopales*, doceat negatiuam sententiam tenendam esse, quam confirmat consuetudo, sic Tridentinum interpretata. Nihilominus sententiam Henriquez & Tamburini probabilem vocat Layman *in quæst. canonicis* c. 17 *n.* 224.

Con. Trid. Suarez.

9 Cùm Episcopus sit minister consecratus, & ex officio deputatus ad hoc Sacramentum ministrandum, ideò debet esse in gratia, cum hoc Sacramentum ministrat; iuxta generalem doctrinam de Sacramentis; Non est tamen necesse vt sit ieiunus, vel vt administret in die festo, vel in Ecclesia, quia hoc nulla lege præscriptum est; Seruanda est consuetudo Ecclesiarum, & ab illa non est recedendum absque iusta causa. Consulantur Suarez *c. disp.* 38. *sect.* 2. Syluius *v. confirm diuina q.* 4. Graffis 2. *p. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 12. .4. Viualdus *de confirm. c.* 4. *n.* 6. & c. 6. *n.* 2. Henriq. *l.* 3. c. 5. *n.* 6. & c. 6. *n.* 7.

Suarez Syluius Graffis Viuald. Henriquez

Sed petes, an Episcopus peccet mortaliter consecrando chrisma, vel oleum infirmorum in peccato mortali; affirmant Medina *Cod. de pœn. tract.* 1. *q.* 6. Nugn. 23 *p. q.* 64 *a.* 6. *diffic. conc.* 3. Sylu. 3. *p. q.* 64. *art.* 6. *q.* 1. *conc.* 6. quia consecrationes illæ per se pertinent ad potestatem ordinis Episcopalis, celebranturque in Ecclesia cum magna reuerentia, & videntur quodammodo sacramentales, quatenus per eas sacratur materia sacramenti; hæc sententia est probabilis. Sed probabilior est contraria id negans, secluso contemptu & per se loquendo. Ratio est, quia cum aliæ actiones, præter sacramenta, non sint ad sanctificationem per gratiam proximè ordinatæ, neque in eis se exhibeat Episcopus; vt minister Dei sanctificantis animam, non est tam grauis causa & ratio exigendi internam animæ sanctitatem ad eas exercendas; ergo illas in peccato mortali efficere ex parte materiæ, non videtur esse graue sacrilegium. Et huius sententiæ sunt Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 16. *sect.* 3. Coniock *de sacr. q.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *numer.* 39. De la Crux *in director p.* 2. *de Sacr. in genere, q.* 4. *dub.* 3. Diana *p* 3. *tract.* 6. *res* 67. Quorum ratio, videtur etiam habere locum in consecrante Ecclesiam, virgines, vestes, & calices, & in conferente tonsuram primam seu ordines minores in peccato mortali, quia hæc sunt sacramentalia, non sacramenta. Secundum probabilem sententiam infrà *v. C de* 1. *n.* 4.

Medina. Nugnus Syluius

Suarez Coninck De la Crux Diana

10 Suscipiens Sacramentum Confirmationis potest esse omnis homo baptizatus, siue sit infans siue adultus, siue amens, modo ante dementiam illud petierit. Prob. *Lucæ* 24 *Sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto*, quod præceptum ad omnes pertinere Ecclesiastica consuetudo declarat *cap.* 1. *dist.* 5. *de consec.* Ratio est, quia omnes hi sunt capaces effectus huius Sacramenti & perfectionis, quæ per ipsum datur, & illa indigent; & licet hi omnes non sint apti ad spiritualem pugnam, ad quam per se primò hoc Sacramentum ordinatur sunt tamen apti vt armentur ad pugnam, & consignentur per characterem in Christi milites vnde habeant suo tempore auxilium paratum D. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 8. Syluius *ibid.* Suarez *disp.* 35. *sect.* 1. Filliucc. *tract.* 3. *cap.* 2. *q.* 5. Nauarr. *in Man* c. 22. *n.* 8. Graffis a *p. l.* 1. c. 5. *n.* 10.

D. Thom. Syluius Suarez Filliucius Nauarrus Graffis

Sed inquires quænam dispositio requiratur in confirmando? Respond. In adulto requiri intentionem suscipiendi Sacramentum saltem interpretatiuam. Ita D. Th. 3. *p. q.* 78. *art.* 7. Sylu. *ibid* Suarez 3. *p. disput.* 14. *sect.* 2. *conc.* 1 & alii

D. Thom. Syluius

In infante antem vsum rationis non habente, sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ, vt in Baptismo; quamquam melius esset, conferre hoc Sacramentum pueris rationis vsum habentibus, vt recordentur suscepti Sacramenti, & ideò illis impingitur alapa ab Episcopo, ne iterùm ad illud Sacramentum audeant accedere, cùm iterabile non sit Bonac. *disp.* 3 *q. vnic. p.* 4. *n.* 5. Victoria *de confi. n.* 49. P. Ledesma *de confir. c* 7. *conc.* 5. & alii.

Suarez Bonacina Victoria P. Ledesma

Vnde ad hoc Sacramentum conuenienter suscipiendum, sufficit ætatis septennium quamuis ante dictam ætatem congruè suscipi possit: puta, si manifestum sit, puerum ante ætatis septennium, vsu rationis præditum esse; vel si modo non confirmatur, diu non habiturus sit occasionem Sacramenti accipiendi; vel si puer in periculo mortis existens, opportunè illud Sacramentum consequi possit; vel si Diœcesis consuetudo vigeat, vt pueri ante dictam ætatem confirmentur. Ita Sylu 3. *p. q.* 72. *a* 8. Suar. *disp.* 35. *sect.* 2. Filliuc. *tr* 3. *c.* 2. *n.* 36. Viuald. *in candelabro c. de suscipiente* ConincK *de Sacr. q.* 72. *art* 8. *num.* 83. qui etiam docent perpetuò amentes esse confirmandos; quia sunt capaces Sacramenti, & effectus eius, & nulla est Sacramenti irreuerentia, quod eis conferatur, cùm sint bene dispositi, quamuis non habeant meliorem, vel optimam dispositionem: imò expedit vt illis conferatur, & non differatur, tum vt habeant maiorem gloriam; tum quia non expectatur status, in quo possint meliùs disponi.

Syluius Suarez Filliucius Viualdus Coninch.

Præterea requiritur in adulto suscipiente, fides, & charitas, vt cum fructu hoc Sacramentum suscipiatur; vnde debet suscipiens existimare se esse in gratia; habens autem conscientiam peccati mortalis, tenetur ante susceptionem Sacramenti, saltem actum contritionis elicere: quod si quis non valeat; aut nolit conari ad veram contritionem habendam, tenebitur ad confessionem præmittendam; quia hoc Sacramentum institutum est per se ad conferendam secundam gratiam, licet aliquando possit conferre primam. Per accidens tamen satis est attritio: *Primò*, quidem ex ignorantia inuincibili; si quis enim nesciat maiorem dispositionem requiri, quia re vera contritio non requiritur, nec confessio; talis non indignè accedet. Et cùm Sacramentum habeat vim conferendi primam gratiam, vtique in tali casu satis erit attritio. *Secundò*, ex eo quod confessio non est necessaria, nec vera contritio, supposita ignorantia inuincibili, sequitur etiam satis esse attritionem cognitam, vt docet Filiuc. Ratio est, quia talis obicem non ponit, neque peccat sic accedendo; ergo dignè accedit. Vide Suar. *t.* 3. *disp.* 34. *sect.* 2. Filliuc *tract.* 3. *c.* 3. *q.* 6. D. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 7. *ad* 2. Nauar. *in Man. c.* 22. *n.* 9 Layman *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 4.

Suarez. Filliucius D. Thom. Nauarrus Laiman

11 Effectus Sacramenti confirmationis sunt tres: *Primus* est gratia habitualis sanctificans, conferens speciale auxilium ad veram fidem constanter tenendam & profitendam. Ratio sumitur ex fine institutionis huius Sacramenti, cui gratia Sacramentalis debet accommodari: hæc autem gratia datur radicaliter in ipsa Sacramenti susceptione, non ponentibus obicem; quia ominirum confertur tunc hominis ius ad gratiam hanc petendam, & infallibiliter impetrandam, reipsa autem datur temporibus opportunis

D. Thom. Syluius Nugnus Coninck Suarez. P. Ledesm. Valent.

tunis iuxta diuinæ sapientiæ dispositionem consentaneam fini huius Sacramenti. Ita D. Thom. *3. p. q. 72. art. 7.* Syluius *ibid.* Nugn. Coninch *ibid.* Suarez *disp. 34. sect. 2. concl. 1. & 2.* P. Ledesm. *de confir. c. 5.* Valent. *t. 4. disp. 5. q. 1. p. 4.* & alii.

Sed inquires, an plures gradus gratiæ sanctificantis, conferantur per confirmationem, quàm per Baptismum? Resp. hoc esse incertum, videri tamen valdè probabile & scripturis ac Patribus magis consentaneum. 1. quia per baptismum dicunt hominem regenerari, per cõfirmationem dari Spiritum Sanctum, quasi per hoc Sacramentum excellenter eius gratia conferatur. Item confirmationem esse Sacramentum perfectionis & consummationem baptismi 2. quia corpus accipit maiorem molem per uim augmentatiuam, quàm per generationem, ergo similiter in spiritu & gratia 3. quia Apostoli in sua confirmatione, quæ facta est in Pentecoste, acceperunt plenitudinem Spiritus Sancti. Hinc apparet quàm iustè S. Clemens Romanus *epistola* 4. scripserit, omnibus festinandum est sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo, & septiformem Spiritus Sancti gratiam recipere.

Secundus effectus est character, hoc est spirituale quoddam & indelebile signum, quod susceptione Confirmationis in anima imprimitur, quo confirmatus insignitur tanquam miles Christi, vt aduersus inimici tentationes sit constans pro Christi fide tuenda. D. Thom *c. art. 5.* Syluius *ibid.* Suar. *disp. 34. sect. 1.* Filliucius *tract. 3 c. 3. q 4.* Bonac. *disp. 3. q. vnic. p. 4. n. 2.* Layman *l. 5. tract. 3. cap. 4. nu. 3.* Præposit. *3. p. q. 72. art. 6.* & alii.

D. Thom. Syluius Suarez Filliucius Bonacina Layman præposit. Conc. Trid.

An autem hic character sit distinctus à charactere baptismali. Respondeo post Suarez & alios, characterem Cõfirmationis esse qualitatem realiter omnino distinctam à charactere baptismi. Colligitur ex Conc. Trid. *de reform. matr. sess. 24. c. 2.* & Doctoribus, qui æquè distinguunt tres characteres, Baptismi, Confirmationis & Ordinis, sicut ergo caracter Ordinis ab aliis realiter distinguitur; ita & alii inter se. Tum quia per hos characteres consignatur homo ad diuersa munera, per baptismalem, vt sit Ecclesiæ mẽbrum & capax Sacramentorum, per alium verò, vt sit consignatus miles Christi, ad fidem eius publicè profitendam. *Plura de hoc charactere v. character.*

Tertius effectus est cognatio spiritualis, quæ oritur inter confirmatum & patrinum. Circa autem patrinum in hoc sacramento hæc notanda veniunt. *Primo*, Patrinum seu susceptorem non teneri instruere & edocere infantem quem suscepit, quia id iure statutum non reperitur, sicut de patrino Baptismi. Ita Henriquez *l. 3. c. 3. num. 4* Bonacina *tom. 1. d. 3. q. vnic. p. 4. num. 11.* Lyman *l. 5. tract. 3. cap. 7* Coninck *q. 72. art. 10* Licet contrarium doceat Syluius *3. p. quæst. 72. art. 10.* *Secundo*. Probabile est, si non confirmatus, alium teneat in confirmatione, non contrahere cognationem, quamuis grauiter peccet, quia non est legitimus susceptor; vt patet ex *cap. baptismate de consecrat. dist 4.* Vbi habetur *In baptismate, uel in chrismate non potest alium suscipere in filiorum, qui non est ipse baptizatus, uel confirmatus*, ubi notanda est illa particula *non* quę posita ante verbum *potest* tollit potentiam, & efficit actum nullum. Ita Sanc. *de matrim l. 7 d. 60. n. 19.* Reginald *l. 31 c. 20. n. 157.* Fernandez *p. 3. cap. 2. §. 9.* Diana *p. 3 tract. 4. res. 26* Coninck *q. 72. art. 10. n. 94.* Non est tamen improbabilis sententia Syluest. *v. Matrim. 8. nu. 7.* Rodriquez *1. p. c. 27. nu. 10.* Syluius *c. q. 72. art. 10.* tunc contrahere cognationem. Ratio est, quia etsi non sit confirmatus, est tamen capax spiritualis cognitionis propter baptismum, qui facit illum Ecclesiæ membrum. *Tertio*, Non est consuetum vt qui tenuit in Baptismo teneat eumdem in Confirmatione, fieri tamen potest, si necessitas urgeat. Ita Richar. *in 4. dist. 7. art. 7 q. 2.* Tolet. *l. 2 c. 24. num. 11.* & alii Doctores hic citati *Quarto*. Conc. Trid. *sess. 24. c. 2. de reform. matr.* supponit debere esse vnum tantùm confirmãdi patrinum, nominans *tenentem* in singulari numero. Pontificale Romanum vult, ut masculis fœminis patrini esse nõ possint, neque fęminæ masculis, matrinę sint.

Henriquez Bonacina Layman Coninch Syluius

Sanchez Reginald. Fernandez Diana Coninch. Rodriquez Syluest.

Toletus Richard. in Conc. Tri. Coninch

An autem religiosi Mendicantes possint esse patrini in sacramento Confirmationis & Baptismi: affirmat Coninck *3. p. q. 67. art. 7. num. 56.* quia in *cap. Monachi de consecrat. dist. 4.* sub nomine Monachorum ii tantùm intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem religiosi. Mẽdicãtes. Idem sentiunt quidam apud Dianam *p. 9. tr. 6. res. 39.*

Sed contrarium est probabilius. Tum quia ratio prohibitionis in omnibus locum habet, ne scilicet, ob spiritualem cognitionem contractam nimia familiaritas cum sæcularibus, præsertim fœminis contrahatur. Tum quia Rituale Romanum iussu Pauli V. Pontificis maximi editum, ita habet, *Præterea, ad hoc etiam admitti non debent Monachi vel sanctimoniales, neque alij cuiusuis ordinis regulares a sæculo segregati.* Ita Layman *lib. 5. tr. 2. c. 9. num 3.* Rodriquez *tom. 2. qq reg. quæst. 58. art. 3.* Sanchez *de matr. lib. 7. d. 60. num. 21 & lib. 6. mor cap. 6. n. 24.* Diana *p. 3. tr. 4 res. 21.* Toletus *lib. 2. c 24. n. 11.* Qui tamen omnes annotãt Episcopum religiosum, vel Cardinalem posse fieri patrinũ Porrò, vt docet Tolet. possunt omnes esse patrini, in hoc sacramento, non tamen vir vxoris, nec è contra, nec fratres, vel sorores inter se. *De hac congregatione spirituali plura v. Matrim. 7. n. 26. & seq.*

12 Probabile est, illum, qui primam tonsuram vel ordines non confirmatus suscepit absque contemptu, non peccare mortaliter. Tum quia ommissio Confirmationis non videtur peccatum de se mortale præciso contemptu. Tum quia Concilium Tridentinum prohibens prima tõsura initiari, qui sacramentum Confirmationis non suscepit non imponit censuram, neque verbum, quod rigorosum præceptum indicet, & ideò consuetudo illa seu præceptum non videtur obligare fideles ad culpam grauem, si ante susceptionem ordinum non recipiant Confirmationem. Ita Nauarrus *in Man. cap 22. num. 9.* Suarez *3. p. tom. 3. disp. 38. sect. 1.* Sylu. *3. p. q 72. art 8.* Coninch *ibidem. num. 90.* & alii. Nauarr. Suarez. Syluius Coninch.

13 Ritus alii, & cæremoniæ quæ obseruari debent in hoc sacramento conferendo, sunt. *Primo*, vt vnctio ex chrismate fiat in fronte, & sub signaculo crucis, & hic ritus substantialis est *Secundo* recitantur orationes, cum manus impositione super caput, *Tertio*, Frons chrismate vncta vita ligatur, quam aliqui vno, alii tribus, alii septem diebus gestare consueuerunt, quod fit propter Chrismatis reuerentiam, vt non abluatur, sed exsiccetur. Postquã autem frons lota, & vita deposita est, ea comburi solent. *Quartò*, ex decentia tam confirmans quam confirmandus ieiuni accedere debent, quamuis consuetudo ferè iam obtinuerit, vt sacramentum hoc post prandium conferatur. *Quintò*, post peractum Sacramentum Pontifex confirmato intelligat se amari ad iniurias pro Christo ferendas; tum vt suscipiens recordetur sacramenti suscepti & militiæ, ad quam exercendam conscribitur. De his cæremoniis plura D. Thom. *3. p. q. 72. art. 12.* Sylu. *ibid.* Suarez *disp. 37. sect. 2.* Bellarm. *de confir. c. vlt.* P. Ledesma *de confir. c. 12.* Henriq. *c. c. 3.* Filliucius *tract. 3. c. 3. q. 7. & 8.* Laym. *l. 5. tr. 3. c 7* & alii. D. Thom. Syluius. Bellarm. Henriq. Filliucius. Layman.

Et insuper vide quę huic sacramento conueniunt v. Character *n. 4. & 5.* Interdictum *2. n 2. 3.* Matrimonium *7. n. 29. 30.* Irregularitas *8. n. 5.* Sacramentum.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Potest Summus Pontifex electus nondum in Episcopum consecratus, delegare simplici Sacerdoti potestatem ministrandi Sacramentum Confirmationis.*
2 *Solus Summus Pontifex potest hanc potestatem Sacerdotibus delegare, non autem Episcopus.*
3 *An forma Græcorum*. Signaculum doni Spiritus Sancti *sit sufficiens ad valorem Sacramenti.*
4 *Vnctio in hoc Sacramento debet fieri ab Episcopo in fronte, aliàs Sacramentum est nullum.*
5 *Vnctio debet fieri manu Episcopi imediatè, non autem medio aliquo instrumento.*

1 SVmmus Pontifex legitimè electus, nondum tamen in Episcopum consecratus, potest delegare potestatem ministrandi Sacramentum Confirmationis simplici Sacerdoti. Ratio est, quia ei competit ratione plenitudinis potestatis, quam habet in Christi Ecclesiam, quam plenitudinem habet etiam ante consecrationem tum quia præcisè per consecrationem Episcopalem non est eminentior ceteris Episcopis, sed per legitimam electionem.

Vnde

Vnde hæc facultas, ſi non ſit expreſsè limitata, vel ipſius verba iuxta communem Doctorum interpretationem non reſtringant ad vitam concedentis non expirat mortuo Pontifice, quia hæc conceſſio eſt gratia, & fauor; fauor autem abſolutè conceſſus, ex communi Doctorum ſententia, non expirat per mortem concedentis, vel cauſæ deſitionem, cum non neceſſariò ab his pendeat, vt conſeruetur. Ita Præpoſitus *in 3. p. q. 72 art. 11. dub. 2. num. 49* & alii.

Præpoſit.

2 Miniſterium conferendi hoc Sacramentum à Summo Pontifice ſolùm poteſt Sacerdotibus delegari, non autem ab Epiſcopo; quia nullum fundamentum, nullum exemplum, aut indicium adeſt, ad hanc facultatem vlteriùs extendendam. Probatur hoc ex communi Doctorum ſententia, qui affirmant id oriri ex diuina inſtitutione alioqui non poteſt Summus Pontifex diſpenſare in iis, quæ ſunt de ſubſtantia Sacramentorum. Vnde dicendum eſt, quod Chriſtus ipſe inſtituit vt ordinarius quidem miniſter Confirmationis eſſet Epiſcopus, per extraordinariam verò delegationem ſui Vicarii poſſit etiam eſſe Sacerdos. Non ſolent tamen Pontifices hanc facultatem facilè ſacerdotibus concedere, ſed ſolum pro regionibus infidelium, in quibus rari ſunt Epiſcopi. Ita Azorius *t. 2. l. 5. c. 14. q. 6.* Hurtadus *de Sacram. difficult.* 13 Præpoſitus *loco citato*.

Azor. Gaſp Hurt præpoſit.

3 Communis Theologorum ſententia eſt, verba formæ Sacramenti confirmationis, hæc eſſe. *Signo te ſigno Crucis & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen.* Et omnia dicta verba eſſe requiſita, quia omnibus illis ſemper vſa eſt Eccleſia, & omnia illa aſſignantur ab Eugenio IV. pro forma. Græcorum autem formam illam, *Signaculum doni Spiritus Sancti* non videri ſufficientem, eo quòd multa non exprimit, quæ continentur in forma Latinorum neceſſaria ad valorem Sacramenti. Nihilominus quidam Doctores huius temporis contra communem ſententiam opinantur hanc formam eſſe validam. Probatur *Primò* ex ipſius antiquitate, nam ea traditur à Sexta Synodo Generali *Canon. 95.* quæ multò antiquior eſt Concilio Florentino, vtpote quæ celebrata eſt 750. circiter annis ante ipſum Concilium Florentinum; vnde hæc forma tanquam valida, approbata & recepta fuit in prædicta Sexta Synodo. *ſecundò*, neque Innocentius IV. neque Clemens VIII. in peculiaribus Bullis unionis inter Græcos, & Latinos vllam mentionem faciunt de hac forma Græcorum, ſed illam potiùs, vt validam ſupponentes, prohibent ſolùm, ne hoc Sacramentum adminiſtretur à ſimplicibus Præsbyteris, vti mos erat apud Græcos, ſed tantùm ab Epiſcopis, ad quos tanquam ad ordinarios miniſtros huius Sacramenti adminiſtratio ſpectat. Imò Clemens ipſe VIII. ſpecialiter in prædicta Bulla huius formæ Græcorum meminit, eamque vt validam ſupponit & approbat, dum illam appellat formam huius Sacramenti: nam ſi illam ſaltem vt dubiam iudicaſſet, debuiſſet præſcribere, vt per illam confirmati, iterum eſſent ſaltem ſub conditione confirmandi: vti ibidem præſcribit eſſe ſub conditione reconfirmandos infantes Græcos, à Græcis Præsbyteris baptizatos, eò quòd hi ſoleant vna cum baptiſmo etiam Sacramentum Confirmationis conferrre. Ita Amicus *tom. 7. diſp. 13. ſect. 3.* Baſilius Pontius *de Sacrament. Confirmat. p. 2. c. 7.* apud quos plura.

Eugen. IV. Sexta Syn. Innoc. IV. Clem. VIII. Amicus. Pontius.

4 Vnctio in confirmatione debet fieri ab Epiſcopo in fronte: vnde Epiſcopus, non ſolùm peccaret mortaliter; ſed efficeret Sacramentum nullum, ſi frontem Confirmandi non vngeret. Probatur ex vſu Eccleſiæ ab antiquis Patribus comprobato præcipuè Dionyſio *de Eccleſiaſt. Hierarch. c. 5. p. 2.* Cyrill. Hieroſolimit. *Catecheſi 3. & 4. Miſtagogica*, & aliis. Conſtat etiam id ex Innocentio III. *in cap. vnico, de ſacra vnctione*, & ex Concilio Florentino decreto de Armenis; declarante huius inſtitutionis rationem.

Ideò in fronte, inquit Concilium, vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus iungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat & præcipuè Crucem eius, quæ Iudæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, ſecundum Apoſtolum: propter quod Crucis ſigno ſignatur. Præterea ex fine huius Sacramenti, qui eſt ad confitendum Chriſtum abſque vlla erubeſcentia & timore, non leue argumentum deſumitur ad probandum vnctionem in fronte neceſſariam eſſe valori huius Sacramenti Ita D. Tho. *3. part q. 72. art. 9.* Suarez *diſput. 33. ſect. 3.* Layman *l. 5 tract. 3. c. 2. numer. 4.* & alij.

D. Thom. Suarez. Layman

Aduertendum tamen eſt, quod licet ſit eſſentiale, vt ea vnctio fiat in fronte, at non eſt eſſentiale vt fiat in ſola fronte, ſed poſſunt etiam vngi Chriſmate aliæ partes & ſenſus corporis iuxta diuerſas Eccleſiarum conſuetudines; vt conſtat ex recepta conſuetudine Eccleſiæ Græcæ à primis temporibus & approbata ab Eccleſia Romana, vt videre eſt in Concillo 2. generali. quod eſt Conſtantinopolitanum 1. *Canon 7.*

5 Quidam cenſent de neceſſitate Sacramenti non eſſe, ut adhibeatur vnctio in fronte immediatè manu propria Epiſcopi, nullo medio inſtrumento. Ratio illorum eſt, quia facta vnctione medio aliquo inſtrumento, vtpotè penicillo, ſeu calamo, forma huius Sacramenti verificatur. Ergo neceſſarium non eſt, vt fiat manu Pontificis immediatè. Neque ex vſo & conſuetudine Eccleſiæ ea neceſſitas colligi poteſt. Aliàs fieri pollice manus dexteræ neceſſarium eſſet. Citantur pro hac opinione Leander, Hurtados & alii. Nihilominus dicendum eſt neceſſarium eſſe fieri Vnctionem manu Epiſcopi immediatè: quia impoſitione manus hoc Sacramentum à primis Eccleſiæ exordiis conficitur, vt conſtat ex Apoſtolorum vſu. Ita Reginaldus *l. 28. c. 2. n. 10.* & alii citati *tom. 3. verb. confirmation. 6.*

Reginald.

Vide v. Clericus *num. 4.*

CONSCIENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid conſcientia.*
2 *Diſcrimen inter conſcientiam & ſynderesim.*
3 *Officia conſcientia.*
4 *Iudicium rationis, diuiditur in ſpeculatiuum, & practicum.*
5 *Quotuplex ſit conſcientia.*
6 *Quid ſcientia, opinio, dubium & ſcrupulus.*
7 *Voluntas conformis rationi ſciens operis honeſtatem, ſemper eſt bona.*
8 *Quænam ſit opinio probabilis, & ex quibus deducenda.*
9 *An liceat ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliore aut tutiore.*
10 *Opinio probabilis, an excuſet à tranſgreſſione præcepti, & ſuppleat medium neceſſarium in adminiſtratione Sacramentorum, ſeu receptione.*
An miniſtrans Sacramentum ex opinione probabili, relicta probabiliore & tutiore, peccet contra reuerentiam ſacramenti, an contra charitatem.
Quæ opinio eligenda ſit, an quæ fauorabilis eſt ſacramento vel ſuſcipiente.
11 *In conſiliis dandis, & reſponſionibus, an poſſit quis reſpondere iuxta opinionem probabilem, relicta propria probabiliore vel tutiore.*
12 *Opinionem probabilem amplecti, relicta probabiliore, an liceat, non ſolùm eximendo petentem conſilium ab obligatione, verum etiam obligationem imponendo.*
13 *Poteſt confeſſarius abſoluere pœnitentem, ſequentem opinionem probabilem, quamuis ipſe contrarium ſuſtineat.*
14 *Quæ ſit dicenda opinio communior. Et an Theologorum opinio ſit aliis præferenda.*
An cæteris paribus probabilior ſit opinio veterum, quam recentiorum.
An ex facto aliquarum perſonarum conſurgat opinio probabilis.
15 *An vir prudens poſſit ſequi opinionem communi contrariam. Et an vnius opinio communi præferri poſſit, in iis etiam, quæ ſunt iuris diuini.*
An excuſetur à peccato ſequens opinionem vnius doctoris abſque eo quod eam expendat, & poſtea reperit eam falſam.
16 *Iudex, an poſſit licitè propter amicum iudicare, ſecundum opinionem, quæ magis amico fauet: quando ex parte iuris, ſunt duæ opiniones æquè probabiles.*

17. *In*

17 *In ciuilibus, & criminalibus, quomodo ſe gerere debeat Iudex, quando ex parte facti ſunt duæ opiniones æquè probabiles.*

18 *Aduocatus an peccet contra conſcientiam, ſi partem aliquam manifeſtè falſam defendat? & quid ſi cauſa ſit dubia, aut iure, aut facto.*

19 *In fauorem ſui clientis, an poſſit aduocatus, tam in ciuilibus, quã in criminalibus, tueri cauſam, ſi probabilis ſit: quamuis putet opinionẽ aduerſarii probabiliorẽ eſſe.*

20 *Medicus, in adhibendis, & applicandis remediis, & medicinis, an poſſit ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore.*

21 *In caſu extremæ neceſſitatis, an poſſit medicus præbere infirmo aliquod remedium, de quo dubius eſt, an ſit profuturum, an obfuturum, ſi aliud non adſit præter illud.*

Quid conſilii, quando quis iudicat vnam opinionem tam eſſe probabilem, vt putet eam eſſe veram, & contrariam falſam.

An inter opiniones probabiles detur vna ſecurior altera.

Quare hoc tempore reperiantur tot diuerſæ ſententiæ in rebus moralibus.

An opinio ab aliis reprobata poſſit vt probabilis amplecti.

An aliqua opinio poſſit eſſe ſpeculatiuè probabilis, & non practicè.

An quando inter Prælatum & ſubditum verſatur varietas opinionum, teneatur ſubditus obedire.

Quid dicendum de opinionibus reuelantibus, quæ paſſim à Doctoribus hoc tempore traduntur.

22 *Conſcientia dubia quid? & an requiratur ad bonitatem actus conſcientia practicè ſecura, ſeu tuta.*

23 *Dubium diuiditur in ſpeculatiuum & practicum.*

24 *Ex dubio ſpeculatiuo quod habet quis in praxi, an teneatur ſimile iudicium practicum formare.*

25 *Cum dubio ſpeculatiuo operari an liceat.*

26 *Quale peccatum, cum dubio practico operari.*

27 *Quid agendum ab illo, qui practicè dubitat in vtramq; partem.*

28 *Quæ requirantur, vt conſcientia practicè deponatur, & vincatur dubium ſpeculatiuum.*

29 *Voluntas conformis rationi ſuſpicanti opus eſſe honeſtum an ſit recta.*

30 *Voluntas diſcordans à ſcrupulo, an ſit bona.*

31 *Cauſa ſcrupulorum.*

32 *Remedium contra ſcrupulos.*

33 *Ex quibus principiis procedat conſcientia erronea: & an habeat vim obligandi.*

34 *Qui ex ignorantia vincibili aliquod malum facit, an excuſetur à peccato.*

35 *Conſcientia erronea ex ignorantia inculpabili, an obliges ad poſitiuam ſui obſeruationem.*

36 *Conſcientia inuincibiliter errans; an magis obliget, quam præceptum Superioris.*

37 *Quando conſcientia ſubditi vincibiliter errat, an præceptum ſuperioris magis obliget.*

38 *An quis ex errore conſcientiæ poſsit conìici in eas anguſtias, vt compellatur peccare.*

39 *Quale peccatum ſit, agere contra conſcientiam erroneam, dictantem hoc opus eſſe malum. Et ad quod peccati genus reuocetur peccatum contra conſcientiam commiſſum.*

40 *Ex quibus cauſis proueniat error conſcientiæ.*

1 CONſcientia dicitur quaſi cum alio ſcientia: ſeu ſcientia ſui; qua ea quæ vniuersè nobis ſciuntur, applicamus ad res aut actiones ſingulas, aut qua quis eſt ſibi conſcius eorum quæ fecit, aut facturus eſt. Proinde proxima & immediata uoluntatis noſtræ regulæ eſt conſcientia, quæ dupliciter accipitur.

Primò, conſcientia eſt iudicium intellectus ſiue rationis practicæ; quo actu dictat vel aduertit aliquid eſſe licitum vel illicitum, & hæc eſt conſcientia de futuro.

Secundo, eſt actus intellectus ſpeculatiui, quo per quamdam reflexionem ſuper actionem præſentem, uel præteritam ſine vlteriori ordine ad nouam actionem, homo iudicat quod fit vel factum eſt bene vel malè fieri, aut factum fuiſſe. Ita D. Thom. 1. *p. quæſt.* 79. *art.* 13. & 1.2. *quæſt.* 19. *art.* 5. Clauis Reg. *l.* 1. *c.* 2. *num.* 4. Syluius 1.2. *quæſt.* 19. *art.* 5. Becanus *de act. human. c.* 4. *q.* 6. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 2. & alii communiter. 2. Synderesis aliquando accipitur pro ipſa conſcientia, eſt tamen inter illas diſcrimen; nam ſynderesis ita ſe habet ad conſcientiã, ſicut ſe habet intellectus principiorum ad ſcientiam concluſionis. Ideo ſynderesis nihil aliud eſt, quàm habitualis cognitio generaliſſimorum principiorum practicorum ſeu moralium, v. g. bonum eſt amandum, malum fugiendum; ex quibus principiis deducta particularia iudicia, quid hic & nunc in iſto opere ſit honeſtum uel turpe, ſunt ipſa conſcientia. Vnde ſynderesis verſatur circa prima magiſque vniuerſalia & nota principia, circa reliqua lex naturalis circa concluſiones ex vtriſq; deductas conſcientia. Quo circa lex naturalis & ſynderesis dicitur vna & immutabilis, quatenus ſcilicet verſatur circa principia eadem & immutabilia, conſcientia autem multiplex ac mutabilis, quia varia eſt, pro varietate circumſtantiarum, quarum quælibet, etiam minima, totum conſcientiæ caſum ac dictamen mutat, vide D. Thom. 1. *p q.* 79. *art.* 12 Syluium 1.2. *quæſt.* 19 *art.* 5. *concl.* 2. Vviggers *ibid.* Lorichium *in theſaur. v. Auima. n.* 19. Reginald. *lib.* 3. *n.* 48. Filliuc. *tract.* 21. *n.* 114. Layman c. *c.* 1. Malder. t. 2. *tract. de conſcient. diſp.* 82 & alios.

3 Conſcientiæ officia in triplici differentia conſtituuntur, alia enim per modum teſtis tribuuntur, vt teſtificari pro nobis, & teſtificari contra nos, dictando ſcilicet nos feciſſe vel non feciſſe aliquid. Quædam verò officia tribuuntur conſcientiæ per modum Iudicis, vt accuſare, defendere, redarguere, excuſare, remordere. Alia denique officia tribuuntur conſcientiæ per modum legiſlatoris vel conſiliarii, ut obligare, retrahere, abſoluere, mitigare, & inſtigare D. Thom. 1 *part. q.* 79. *art.* 13. Syluius *ibid.* Clauis Reg. c. c. 3. Nauar. *in Man. c.* 27. *n* 280 Becan. *c. q.* 6. Gerſon *in compend. Theolog.* Breſſer. *de conſcient. l.* 1. *c.* 7. Vvigers *c. art.* 6. *dub.* 1. & alii.

Teſtificatur autem conſcientia, quatenus applicamus ſcientiam noſtram ad ea quæ fecimus, aut nõ fecimus. Incitat aut retrahit, quando principia practica applicamus ad ea, quæ facere, aut non facere debemus. Accuſat uerò vel excuſat, cum eadem principia cum iudicio applicamus ad ea quæ facta ſunt à nobis Nã ſi cum iiſdẽ cõueniãt, excuſat ac laudat; ſi autẽ repugnent, accuſat, remordet, reprehẽdit.

Pulchrè & plenè hæc officia explicat D Bernardus meditationum *cap.* 13. *Peccata mea*, inquit, *celare non poſſum, quoniam quocumque vado, conſcientia mea mecum eſt, ſecũ portans quidquid in ea poſui, ſiue bonum, ſiue malum, ſeruat viuo, reſtituet defuncto depoſitum, quod ſeruandum accepit, ſi malè facto adeſt illa, ſi autem benefacere videor, & inde extollor, adeſt illa, adeſt viuo, ſequitur mortuum, vbique mihi gloria, uel confuſio eſt pro qualitate depoſiti. Sic, ſic in domo propria, & propria familia habeo accuſatores, teſtes, iudices & tortores. Accuſat me conſcientia, teſtis eſt memoria, ratio Iudex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentũ tormẽtũ.*

4 Conſcientia ſeu iudicium rationis, diuidi poteſt in ſpeculatiuum & practicum. Speculatiuum eſt, quo proximè iudicamus de bonitate uel de malitia, aut ualore rei in ſe. Practicum eſt, quo in ordine immediato ad praxim, hic & nunc, poſitis omnibus circumſtantiis occurrentibus, iudicamus de ueritate aut probabilitate alicuius rei prudenter aut imprudenter; v. g. ſi ſpeculatiuè iudicem, circumſtantias notabiliter intra eamdem ſpeciem aggrauantes, eſſe neceſſariò confitendas, & tamen iudicẽ ſimul poſſe me illas hic & nunc in confeſſione omittere, quia ſcio alios id probabiliter docere; hoc ſecũdum Iudicium uocatur practice practicum, prius uerò ſpeculatiuè practicum; Vide Sot. 4. *d* 27 *q.* 1. *art.* 3. Sanch. *de matr. l.* 2. *diſp.* 41. *n* 8 Becanus c. 4. *q.* 8. *n.* 1. Henriq. *lib.* 12. *c* 6. *nu.* 6. & 7. Rodriq. *tom.* 1. *ſum. c.* 71. *n.* 4.

5 Multiplex eſt conſcientia ſiue iudiciũ rationis, poteſt enim eſſe certũ, dubiũ, probabile, ſuſpicioſum, aut erroneũ.

Certum erit, quod verè ac rectè practicè iudicat aliquid faciendum, aut non faciendũ, uel ſi feratur in aliquod principium naturale, ut honorandos eſſe parentes, uel ſupernaturale, ut quando nititur principiis fidei, uel rationibus diuinis, ut ſi iudicem eſſe ſeptem ſacramenta.

Vnde hæc conſcientia uera & recta oritur atque formatur, ex notitia primorum principiorum practicorum, tam his quæ agenda ſunt, quàm in illis, quæ omittẽda, cuius generis ſunt, quæ aut lex naturæ dictitat, aut quæ Deus in

Scri-

D. Thom. Clauis Reg. Becanus Layman

D. Thom. Syluius Vviggers Lorichius Reginald. Filliucius

D. Thom Syluius. Clau. Reg. nauarr. Becanus Gerſon. Breſſerus Vviggers

Sotus Sanchez Becanus Henriq. Rodriq.

sanctis præcipit: aut per Ecclesiam curat demandari. Iudicat ergo vera, ac recta conscientia: omnia quæ ab istis præcipiuntur esse facienda. Quæ autem prohibentur, nullatenus esse facienda.

Probabile erit, si vel propter authoritatem sanctorum Patrum, seu Doctorum, vel propter solidam aliquam rationem opinetur quis, propositionem quamdam esse veram; v.g. Datur confessio informis. Item, Potest absolui pœnitens in articulo mortis à simplici Sacerdote, etiam in præsentia confessarii approbati &c.

Dubium erit, si in neutram partem inclinetur, sed veluti maneat in æquilibrio, nesciens an faciendum sit, quod occurrit, an omittendum: vt si quis dubitans, an peccauerit mortaliter, hæreat vtrum possit communicare sine præuia confessione.

Suspiciosum erit, si ex leuibus coniecturis inclinetur paululum in alteram partem, ita tamen vt ab altera parte violentiùs retrahatur, vt in scrupulosis, qui omnia habent suspecta, & vmbram suam metuentes, suspicantur, vel se peccasse, vel peccatum non expressisse in confessione, vel saltem non exactè.

Erroneum erit, si aliquid dictet aliter quam sit; vt bonum esse, quod malum est; aut econtra.

Clau. regsilum
Bonacina
Rodrig.
Lorichius
Layman
Filliucius
Tanner.
Bresserus
Malderus.
Sancius
Pesantius.

Hinc colligi potest, quid sit scientia, opinio probabilis, dubium, scrupulus, & error conscientiæ. Clauis Regia *l.*1.*c.*3.*n.*6. Syluis 1.2.*q.*19.*art.*5.*conc.*2. Bonac. *tom.* 2.*disp.* 2.*q.*4 *punct.*6.*n.*2. Rodr. *in Sum. part.*1.*c.*71.*n.*1. Lorichius *v. Conscientia n.*4.*&* 5. Laym. *c.c.*3. Filliuc. *tract.* 21.*c.*4. *n.*115. Tannerus 1.2.*disp.*2. *q* 6.*n.*20. Bresser. *de consc. l.*1. *c* 9. Malder. 1.2. *tract. de consc. disp* 82. Sanc *in selectis disput.*41.*n.*2. Pesant 1.2. *q.*19.*art.*5 *disp.*1. & alii.

6 Scientia est cognitio certa saltem moraliter alicuius rei; ita vt non sit prudentis tunc formidare. Opinio est assensus vnius partis, cum timore & formidine alterius

Dubium est, quando quis neque assentitur, neque dissentit, in neutram partem inclinans.

Scrupulus, est suspicio quædam leuis orta ex leuibus fundamentis & rationibus, qua quis putat aliquid esse peccatum, quod re ipsa non est.

Error est, cùm quis falsè iudicat aliquid esse faciendum vel non faciendum; id est qui approbat falsa pro veris, & vera pro falsis; certa pro incertis & è diuerso. Vide Doctores numero præcedenti citatos.

7 Voluntas conformis rationi scienti operis honestatem, semper est bona; quamuis scientia non semper ad hoc sit necessaria. Prior pars patet: quia concurrunt tunc omnia ad operis bonitatem requisita; nempe obiectum honestum, & actus illi debitè commensuratus: & sic operantur, qui amant Deum super omnia, & proximum propter Deum. Probatur posterior pars; quia sæpè incerta est actionis honestas, vel propter opiniones Doctorum, vel propter rationes diuersas, & sæpè contrarias; maximè vbi quidam docent opus fieri non posse sine peccato mortali, alii non posse omitti sine peccato mortali; sic reuelare peccatũ alterius suo confessario in ordine ad correptionẽ fraternam, quidam dicunt esse opus meritorium, quidam sacrilegiũ, alii posse quidem fieri, sed non esse consulendum.

Conscientia recta ac vera, omninò obligat ad sui obseruationem, ita vt homo nullatenus debeat agere contra eius dictamen, quia formatur ex principiis practicis Legis naturæ & diuinæ. Et quidem si dictat aliquid faciendum vel omittendum sub necessitate salutis, mortaliter peccat, qui contra facit. Si autem conscientia proponat aut dictet aliquid non directè præceptum, aut prohibitum, qui violat hoc, non contra conscientiam, sed præter eam facit, ideoq; tantùm venialiter peccat Ita communiter DD. post Sanch. *l.*1.*mor.c* 9 18. Sylu.1.2.*q.*19.*art.*5.*quæsit.*9.*conc* 1. Tanner. 1.2 *disp.*2.*q.*6.*dub.*3.*n.*35. Vasq.1.2.*disp.*62.*c* 5.*n.*26. & alios.

Sanchez.
Syluius
Tanner.
Vasquez

8 Assensus alicuius opinionis, seu conscientiæ probabilis ob maiorem, scilicet conformitatem prædicati, & subiecti in vna parte contradictionis, quàm in altera, ex duobus prouenire potest: vel quia talis propositio est per se nota & euidens, vel quia est probabilis ob rationes probabiles, & verisimiles ostendentes maiorem conformitatem in vna parte contradictionis, quam in alia. Qui duo modi ita intra se distincti sunt, vt quis habere possit assensum vnius partis probabilem primo modo, hoc est, per principia intrinseca, & etiã assensum alterius partis oppositæ probabilẽ secundo modo, scilicet, per principia extrinseca. Principia intrinseca alicuius conclusioois sunt, vel causę illius, vel effectus, vel difinitio vel aliquid simile. Principia vero extrinseca sunt quod ea propositio sit aliquorum Doctorum quibus probabilis videtur, ex quo credere etiam potest quicumque, opinionem illam esse rationabilem, & probabilem, quæ principia extrinseca sunt ita communia, quod ad quamcumque opinonem applicari possunt nec tamen in illius intellectu sunt contrarii assensus, quia non sunt ex eiusdem principiis, nec de eadem prorsus propositione.

Imò per principia intrinseca, seu ex vi rationum potest quis simul amplecti oppositas opiniones vt probabiles, & modo vnam, modo aliam deducere ad praxim quia assensus probabilis non est assensus absolutus, cum non habeat absolutam certitudinem sed secundum quid, quatenus scilicet dependet ex tali motiuo, quod facit intellectum iudicare tali pacto, vnde intellectus non coniungitur per assensum probabilem cum obiecto vndequaque, sed tantum ex parte, nempe quatenus obiectum stat sub tali motiuo seu ratione, cum autem possit obiectum simul stare sub opposito motiuo, seu ratione, quæ potest generare, oppositam opinionem, ideo etiam intellectus potest stare cum opposito iudicio, seu cum iudicio, de opposito. His prænotatis ex doctrina Sancii *in select. disp.* 14.*n.* 8.*&* *disp.* 41.*n.*7. *&* *disp.*33.*n.*33.*&* *disp.*44.*n.*31. 32. *&* 33. Pasqualig. *in decis.* 13. Cornei 1.2.*tract.*8.*disp.*3.*dub.*3.*conc.*2. Sanchez *l.*1.*mor.c.*9.*nu.*16. & aliorum dico quod.

Sancius
Pasqualig
Corneius
Sanchez.

Vt opioio censeatur probabilis, attendendum est, *Primo* qua ratione nitatur *Secundo*, an contineat errorem. *Tertio*, an sit abolita, & antiquata, *Quarto*, vtrum habeat authores in fauorẽ, & quanta sit illorum authorum scientia, & prudentia, & an sint hi Doctores in scholis approbati, vnde opinionem probabilem non facit multitudo Doctorum eam sequentium si illam non confirment optimis argumentis, quia negare non possumus turbam Doctorum aliquando amplecti vnam opinionem absque delectu rationum aut saltem non tam exactè rationibus ponderatis: contra quas deinde alius Doctor magnæ authoritatis opinionem aliquam maturè excogitatam in scholas introducere potest. Proinde sufficit authoritas vnius Doctoris valde periti & timoratæ conscientiæ cum authoritas viri docti & probi, fundamentum non leue iudicetur. Hinc Scholares, & studiosi amplectentes opinionem Magistri sui viri docti, & periti in ea materia dicuntur sequi opinionem probabilem modò, nõ constet talem opinionem continere errorem, aut abolitam, & antiquatam fuisse. Multæ enim opiniones initio excogitatæ, & in scholas inuectæ sunt quæ communes tunc non fuerunt; v. g. non ab hinc multis sæculis, audaciæ nota inuretur, qui stuprum non esse circumstantiam mutantem speciem affirmaret; at modò plausibilis, & communis latis, ac verior sanè est opinio censens speciem non mutare, dum violentia illata non sit virgini, vt videre est v. *Stuprum* infra *n.*1. Fit ergo modò in scholis aliquas esse communes opiniones, quæ antea minimè erant ob turbam Doctorum illas oppugnantium. Plura de his apud Doctores citatos. Nauarr. *in Man c.*27 *n.*288.289. Clauis Reg. *l* 1.*c.* *&* 8. Layman *l.*1 *tract.*1.*c.*5. *§.*2.*n.*6. Sanch. *lib.*1.*mor.c.*9.*n.*7.10.*&* 11. Diana *p.*4.*tr.*4. *resol.*30 Caramuel *in re S Bened. disp.*6.*art.*1. Sancius *selectis disp.*29.*n.*7. *&* *d.*4. *n.*61.62. Vasquez 1 2.*t.*1. *disp* 62. *cap.*4. Filliuc. *tract.*21.*n.*134.135.*&* 136. Azorius 1.*p.l.*2. *c.*17.*q* 4. Pasqualig. *in decis. mor decis.*28.

Nauarrus.
Clau Reg.
Layman
Sanchez
Diana
Caramuel
Sancius
Vasquez
Filliucius
Azorius
Pasqualig.

Vt conscientia sit tuta, & ad rectum voluntatis actum, non sufficit iudicium practicum opinioni improbabili innixum esse, qualis censetur illa, quæ aut leui ratione confirmatur, aut contra sacras Literas, vel Ecclesiæ definitionem esse deprehenditur, aut scandali, alteriusquè peccati mortalis periculum in praxi habere ostenditur. Ratio est, quia nemo dici potest prudenter, sed potiùs temerè agere ex tali iudicio, nisi ignorantia inuincibilis excuset, aut offerat se perplexitas, aut necessitas vrgens: hæc enim facit quod alias non iudicaretur probabile, tale esse censeatur, propter periculũ quod ex opposito sequeretur. Sic videmus conferendum esse baptismum in digiti extremitate, quando partus periclitans illam extrahit, & ostendenti signa contritionis, absente sacerdote, potest in articulo mortis abso-

abſolutio impendi; quæ opiniones ratione periculi magni ſuſtinentur, cùm aliàs parum probabiles à multis reputentur: Vide Sotum *de ſec. membr*.3.q.2. *conç*.3. Sanchez *de matr.l.2.diſp*.36.*n*.8. Nauarrum *in cap.Inter verba cor*. 53. *n*. 135. Paſqualigum *in deciſ.mor.deciſ*.20. Breſſerum *l* 3.*de conſ.c*.7.*n*,77.& alios, qui ponunt duos caſus in quibus poteſt quis ſequi opinionem, quæ baber minimum gradum probabilitatis quorum primus eſt, quando ſcilicet caſus particularis vrget, ita vt neceſſe ſit intellectum ſtatim ad alterutram partem determinare, nec moraliter eſt poſſibile adhibere magnam diligentiam: tunc enim adhibita diligentia, quæ poteſt adhiberi, ignorantia quæ manet eſt inuoluntaria. Vnde excuſantur illi à peccato, qui quando operati ſunt habebant bonam conſcientiam, eſtimantes ſe non malè operari, quamuis poſtea cognouerint illam operationem eſſe malam; nam operatio dependet à conſcientia præſenti, non à ſubſequenti, iuxta quam attenditur bonitas, vel malitia ipſius. Alter caſus eſt, quando vrget graue damnum, quod vitari non poteſt, niſi ſequamur opinionem habentem minimum probabilitatis.

Sotus. Sanchez Nauarrus. Paſqualig. Breſſerus

9 Voluntas conformis rationi probabiliter opinanti opus eſſe honeſtum, ſemper eſt boneſta, hoc eſt abſque peccato poſſumus ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, aut tutiore. Ratio eſt tum quia ſequens conſilium hominum prudentum ſatis prudenter, & rationabiliter agit, & ideò non peccat. Tum quia ad operandum non requiritur ſcientia de operis honeſtate obiectiua ſiue materiali, ſed tantum de formali. Tum quia licet opinio tutior ſit perfectior, & ſecurior, nemo tenetur ſequi, quod perfectius eſt, & quod ſecuriùs, dummodò ſequatur perfectum, ac tutum, Tum quia cùm omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligauit, ſed ad operandum cùm morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur; eſſet enim intolerabile onus ac multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores inueſtigare teneremur.

Notandum tamen eſt, *Primò*, nunquam licere vti opinione probabili, quando ex ea ſequeretur magnum periculum, vel damnum proximi honoris diuini, ſi euitari poſſet ſequendo opinionem probabiliorem. Ita ferè communiter Doctores. Clauis Regia *lib*. 1. *c*. 6.*num*.4.& 10.Syluius 1. 2. *q*. 19.*art*.5.*queſit*.9 *conl* 3 Sanchez *lib*.1. *Moral. cap*.9.*num*.14.Caramuel *in reg.S.Bened.num*.57.58.Sancius *in ſelect.diſp*.42.*n*.12.Diana *p*. 2.*tract*.13.*reſol*.1 Malderus 1.2.*queſt* 19.*art*.5.*diſp*.68.*aſſert*.3.Filliucius *tract*.21 *n*.128.Pontius *de matrim.l*.10.*c*.15.*n*.4.

Clau. Reg. Syluius Sanchez Caramuel Sancius Diana Malderus Filliucius Pontius.

Notandum *Secundo*, quod quando quis eſt dubius de probabilitate opinionis, non poſſit illam amplecti, quia qui dubius eſt de probabilitate opinionis, non poteſt formare determinatum iudicium practicum, quod liceat operari ſecundum illam opinionem, ſicut nec poteſt iudicare, quod illa opinio ſit ſecundum rectam rationem; vnde operaretur cum cõſcientia dubia, quod non licet, quando eſt verè dubius tam ex principiis intrinſecis ſeu ratione, quam per principia extrinſeca ſeu ex vi auctoritatis. Ita Medina 1.2.*queſt*.19.*art*.6.& deſumitur ex D. Thom. *Quodlib*.8.*art*.14.& dicitur *infra n*.22.& *ſeq*.

10 In adminiſtratione Sacramentorum, quoties diuerſæ ſunt opiniones, circa validitatem alicuis Sacramenti eligi non poteſt pars probabilis, relicta tutiore, & probabiliore, quoties eſt in poteſtate miniſtri adminiſtrantis Sacramentum, opinionem magis tutam, & probabiliorem amplecti, Ratio eſt, tum quia in his quę pendent ex inſtitutione diuina quoad ſuum valorem, opinio probabilis non ſupplet medium neceſſarium. Tum quia facit talis miniſter contra communem Eccleſiæ vſum, & licitum nõ eſt, extra extremam neceſſitatem, vti forma, & materia incerta, relicta certa & conſueta, & ideò non eſt excuſandus à peccato cum exponat ſe periculo ſacrilegii, conficiẽdo Sacramentum irritum, v.g. quædam veriores à Chriſto inſtitutæ ſunt, ut ſic fiant, & nõ aliter ualeant, puta, ſi fortè inſtituit, quod typba, hordeum, vel amilium materia non ſit conſecrationis ſed tantum panis triticeus, uel quod forma Baptiſmi ſit tantum ea, quæ nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſignificatur, non quæ nomine Genitoris & Geniti & Procedentis ab utroq;: uel quod pars minima corporis ablùta, ſufficiens non ſit ad ualorem Baptiſmi, uel quod Sacramentũ Penitentię ſubſiſtere non poſſit cũ attritione cognita, vel quòd in quinq; & non in tribus vnctionibus vis Sacramenti vnctionis conſiſtat. Hæc igitur res cùm à Chriſti inſtitutione dependeant quod ſuum valorem, ſic & non aliter illum ſortietur, qualiter reuera inſtitutæ ſunt, quamuis ex opinione probabili aliter fiant. Ita Sylu 1.2. *q*.19. *art*.5. *q*.9.*concl*.5. & 3 *part*. *q*.60.*art*.8.*queſt*.3 *concl*. 4.Clauis Regia *lib*.1.*cap*.7.*num*.4.Sanchez *de matrim.lib*. 3.*diſp*.20.*n*.4 Medina 1.2 *queſt*.19.*art* 6.Henriquez *lib* 1. *cap*.9.*n*.15. Bonacina *tom*.1.*diſp*.1.*q*.2.*punct*.1.*n*.32.& alii.

Syluius Clau Re ſanchez Medina. Henriquez Bonacina

Limitat prædictam reſolutionem Diana *part*.2.*tract*.3, *reſol*.2.cùm Doctoribus ibi citatis. *Primò*, circa eſſentialia Sacramentorum, quæ non ſuut de neceſſitate ſalutis: nam in his adminiſtandis poſſumus vti quacumque opinione probabili, probabiliori relicta *Secundo*, quando non eſt in poteſtate miniſtri ſequi opinionem magis probabilem, vt quando tempore neceſſitatis non adeſt materia v.g. frumentum poteſt quis conſecrare in typha. *Tertio*, quando defectus prouenit ex parte ſuſcipientis, vt ſi pœnitens vellet confiteri cum attritione cognita. *Quarto*, quando recipiens Sacramentum non admonetur de periculo, quia ſi admoneatur, non ſit contra charitatem, & miſericordiam ei debitam, niſi in caſu quòd ipſe etiam teneatur ad procurandum certum Sacramentum, vt dicetur infrà. *Quinto*, quando quis minaretur miniſtrãri mors, aut aliud notabile damnum, niſi relicta ſententia tuta, iuxta probabilem, aut probabiliorem conficeret Sacramentum (excipe ſi in contemptum Sacramenti mors quis minaretur) nam cum tam graui diſpendio non tenetur quis ſequi opinionem ſecuriorem, ut docet Sancius *in ſelect.diſp*.44.*n*.12.

Sed petes, an miniſtrans Sacramentum ex opinione probabili relicta probabiliore, & tutiore peccet contra reuerentiam Sacramenti, an contra charitatem proximi.

Reſponſio probabilior eſt, non peccare contra reuerentiam debitam Sacramento, ſed contra charitatem. Ratio prioris eſt, quia nulla eſt irreuerentia Sacramenti, illud miniſtrare cum periculo, vt ſit irritum, ſequendo opinionem probabilem, quando non eſt in poteſtate miniſtri ſequi opinionem magis probabilem: prudenter enim putat illum eſſe conuenientem miniſtrandi modum, & nulli ſe contrauenire præcepto, nec irritari Sacramentum. Ergo ſicut credens probabiliter aliquid non eſſe contra præceptum diuinum, & ob id illud faciens, minimè iniuriam præcepto diuino irrogat, ſic non irrogat Sacramento, qui probabiliter credit, illum eſſe conuenientem miniſtrandi modum & licet ſit irritandi Sacramenti periculum, aut illud ſuo gratiæ effectu fruſtrandi, id etiam contingere poteſt, quando amplectitur quis opinionem quæ videtur probabilior; Sufficit enim, ne cenſeatur homo culpabiliter ſe periculo exponere, ſi id faciat cum prudenti aſſenſu dictanti probabiliter id eſſe licitum, ac Sacramentum non reddi irritum. Ratio poſterioris eſt, quia obligatio charitatis, qua tenemur prouidere proximo de remedio, poſtulat vt prouideamus remedia illa, quæ ſunt abſque periculo, quando id poſſumus abſque detrimento. Ergo qui minus tutam partem eligit propter opinionem probabilem, non ſatisfacit huic obligationi, & ita quamuis non peccet male tractando Sacramenta, peccat tamen malè prouidendo de remedio tuto & ſecurò, cum id ſine damno, & periculo potuiſſet. Vaſquez 1. 2. *diſput*. 63. *cap*. 2. Diana *par*. 2.*tract*.13.*reſol*.2 Clauis Regia *lib*. 1, *cap*.7.*n*. 4. Sanchez *lib*.1.*Moral.cap*.9.*n* 33.& 34 Bonacina *tract. de peccat diſp*.2.*queſt*.4.*punct*.9.*num* 5. Salas 1.2. *q*.21.*tr*. 8 *diſp.unic.ſect*.10.*n*.93. Salon 2.2.*q*.63.*art*.4 *controuerſ*.2. Sancius *in ſelect.diſp*.44.*num*.11 & 12.Granado 1.2.*tract*. 12 *diſp*.4.*ſect*.4.*n*.35. Malderus 1.2. *queſt*.19.*art*.5.*diſp*.86. Caſpenſis *tract*.10.*diſp*.3.*num*.22.& alii.

Vaſquez Diana. Clau Reg Sanchez. Bonacina Salas. Granado Sancius Malderus Caſpenſis

Aliter eſſet dicendum in rebus, quarum veritates à Sũmo Pontifice determinatæ exiſtunt, v.g. quòd talis confeſſarius habeat iuriſdictionem uel non; aut quod talis ſit parochus vel non, vel quod hic vel talis contractus ſit matrimonium, uel non, &c. Harum igitur rerum ueritas indiuiſibili non conſiſtit, ſed iuxta opinionum uarietatem multiplicatur. Cum enim à Summo Pontifice pendeat, hũc confeſſariũ habere iuriſdictionẽ uel nõ, & cõſcius Põtifex opinionẽ exiſtere probabilẽ, iuriſdictione confert tacens & nõ cõtradicẽs: Rathiabitio enim de præsẽti licẽtię expreſsæ æquiua-

Suarez. Reginald; Lessius. Sanchez. Diana. æquiualet, ex omnium fere Doctorum mente. Vide Suarez *de pœnit. disp.26. sect.6. num.7.* Reginaldum *lib. 1 num. 102.* & 103. Lessium *l. 2. c. 29. dub.8.* Sanchez *lib.1. Moral. c.9.n.35* Dian. *p.4. tract.4. resol 4.* & alios.

Imò Summo Pontifice ignaro talis opinionis (quod ferè incredibile est) illum confessarium habere iurisdictionem ex præsumpta de præsenti Pontificis voluntate nolentis omnes illas confessiones fieri nullas, & in dispendium animarum, illarúmque grauamen, est arbitrandum, ex alio principio subintellecto, scilicet, quod semper ac opinio aliqua probabilis intercesserit circa valorem vel nullitatem rerum à se dependentiū approbentur, & vallorem acquirant. Et hanc esse Pontificis voluntatem, & in ædificationem Ecclesiæ cedere, cuique erit perspicuum, aliàs nimis conscientiæ grauarentur.

Tum quia communis error ex ea probabili opinione ortus, satis est gestorum per eum sacerdotem valorem, vt supra dictum est *v. Confessarius 2.n 26*

Cæterum, quamuis verisimile sit Summum Pontificem cōferre iurisdictionem vtenti opinione probabili, id tamē certum non est, cum viri maximè sapientes oppositum censeant. Et esto ex communi errore conferatur iurisdictio ita certo, ac si expressis verbis esset collata, id euenit quia expressè lege *Barbarius, ff. de officio Prætoris*, ita sancitum est, at quod ex probabili opinione conferatur nullo iure est decretum. Et quamuis in errore, & opinione par procedat ratio, in voluntate supecti sit−itum est, erroti fauere, & non opinioni. Proinde confessarius vtens opinione probabili, inscio pœnitente, contra charitatem delinquet; nam si fidelis sciret confessarium certam omninò non habere iurisdictionem, & exinde periculum non suscipiendi verum Sacramentum lubesse, alium quæreret Pœnitentiarium, ad quem citra controuersiam iurisdictio hæreret. Tamen si certior effectus de opinione pœnitens, confessione se vellet adhuc subiicere, nequaquā delinq. confessarius contra charitatē, cū tunc pœnitens cedat iuri suo, & scienti, & volenti nulla fiat iniuria, vnde pœnitens sibi imputare debet defectum incertæ administrationis. Cōtra hanc sententiā stat Diana *p.8. tr.1. resol.93.*

Diana. Sed vt tutius in hoc procedatur, & minister non peccet contra charitatem, & iustitiam, absoluens debet pœnitens aliquod veniale simul cum mortalibus fateri. Quia cum simplex Sacerdos ad venialium absolutionem indubiè habeat iurisdictionem, absoluens gratiam causabit, & sic pœnitenti nulla irrogabitur iniuria vide Sancium *in select. disp 44* qui multa valdè notanda adducit, pro vsu probabilis opinionis, in administrandis Sacramentis.

Sed inquires, quæ opinio eligenda sit, an quę sit fauorabilis Sacramento, vel suscipienti. Resp. eligendam esse opinionem fauorabilem suscipienti. Ratio est, tum quia quotiescunque quis inter duo præcepta simul occurrentia perplexus reperitur, strictius est adimplendum, & vbi imminet violatio charitatis, & Religionis charitas adimplenda est, sed hæc violatur non administrando Sacramentum v. g. moribundo indigenti, & ex administratione solum violatur Religio, ergo. Similiter in casu quo infans extremam vita agens esset baptizandus, & non esset copia aquæ purę, baptizandus est cum lixiuio. Confirmatur: nam cum possit pœnitens saluari vel infans, si fortè à parte rei validum esset Sacramentum, licet minister probabiliter existimet committi sacrilegium ob irritationem, tenetur deponere suam sententiam, & exponere se illi periculo ob salutem animæ suscipientis. Ita Pesantus *in supplem. 3.p. quæst. 10 disp. 11.* Pontius *de matrim. lib. 4. c. 25.* & communiter recentiores, quoniam Sacramenta instituta sunt, vt medicinæ suscipientium, ac proinde non ægrè ferunt exponi periculo irritationis, vt salus proximi spiritualis magis tuta relinq. & quodāmodo iurisuo cedit.

Pesantius. Pontius.

11 Confessarius interogatus vel alius quicūq; in consiliis dandis & responsionibus, potest iuxta probabilem aliquorū Doctorum opinionē respondere, præter missa propria probabiliore vel tutiore. Ratio est, quia si prudenter operatur, dum illam sequitur, non est dicendum illum imprudenter agere secundum illam opinionem respondendo, aut consulendo. Et qui non vult contra opinionem propriam consilium præbere, interrogantes ad Doctores oppositæ sententiæ remittere potest. Tamen ne quis vatius in suis con-

filijs deprehendatur, & ob id inconstantiæ nota incurratur, præstat et semper iuxta eandem sententiam consulere. Non sequitur verò ex bis, posse quempiam operari contra suam conscientiam: quia hæc non sunt eadem: qui enim suam conscientiam ita format, vt quamuis existimet opinionem suam esse probabiliorem, iudicet tamen hic & nunc sibi licere sequi oppositam, propterea quòd ex aliorum rationibus, & authoritate habeat probabilitatem, illam oppositam sequendo, agit contra opinionem propriam, neque tamen agit contra conscientiam. Ita Sanchez *lib. 1. Moral. cap. 9. n. 19.* Clauis Regia *lib 1. cap. 6. n 11.* Pesantius *1. 2. q. 19. art. 6. disp. 2.* Sylius *1. 2. q. 19. art. 5. quæst. 9. concl 4.* Vasq. *1. 2. tom. 1. disp. 62 n 47.* & *disp. 63. n. 14.* Sancius *in select. disp. 43. n. 42.* & alii. Sanchez Clau. Reg. Pesantius. Sylius Vasquez Sancius

Aduertendum tamen est, quòd Doctor vel confessarius debet semper inter diuersas opiniones probabiles illam consulere, quæ vtilitati spirituali animæ magis deseruit: & si deprehendat interrogantem ex opinionibus laxioribus quamuis probabilibus, declinaturum in libertates carnis & pericula peccatorum, ac culpabilem suæ salutis incuriam tenetur, consulere & inculcare magis strictas, quia etsi opiniones sint verè probabiles in se, & in operatione immediata quæ ab illis procedit, quia tamen in effectu & consequenti potest aperire ianuam ad peccata, tenetur quis saltem ex charitate, quantum in se est, interroganti bene consulere: finis enim consultationis debet esse salus & bonum interrogantis. Denique quando consultus præuidet ex opinione stricta interrogantem casurum in multa peccata, aut tacere debet, aut opinionem magis opportunam, si quæ verò probabilis appareat, consulere.

12 Licitum est opinionem probabilem amplecti, relicta probabiliore, non solùm eximendo petentem ab obligatione, verùm etiam obligationem imponendo. Ratio est, quia si iuxta aliorum opinionem, quam probabilem putat, potest petentem consilium excusare, cur non poterit condemnare? cùm in vtroque consulens, rectè, & iuxta opinionem, quam probabilem iudicat, consulere teneatur, & in vtroque petens consilium de opinione eius interrogat: deinde sæpè prudentia petit ne explicetur opinio probabilior excusans à restitutione, cùm non excuset à peccato; ne in id peccatum incidendi ansa detur; sæpè etiam opinio illa Doctoris excusans, est singularis, nec vulgaribus fundamentis innixa, quæ aliis etiam doctis ea ignorantibus videbitur improbabilis; ac forsitan scandalum generabit. Ita Sanchez *lib. 1. Moral. c. 9. nu. 21.* Bonacina *tom. 2. tract. de pecc disp 2. quæst. 4 punct. 9. numer. 6.* & alii contra. Vasq. *1. 2 disp. 62. cap. 9. n. 47.* & *disp. 63. cap. 3. n. 14* Salas *1. 2 tract. 8. disp. vnic. sect 9 n. 85.* qui putant virum doctum non posse iuxta probabilem opinionem consulere relicta probabiliore, quando petentem consilium obligat, v. g. ad restitutionem vel ad quippiam aliud. Sanch. Bonacina. Vasquez Salas.

Tamen opinio Vasquez & Salas esset admittenda in casu quo petens consilium petat, an aliqua ratione possit ab obligatione excusari; tunc qui consulitur, vel debet à consilio abstinere, vel debet propriam aut alienam opinionem excusantem ab obligatione aperire iuxta mentem petentis consilium. Tum quia alias ipsum decipiet, & quidem cum ipsius damno. Tum quia ad Doctoris, seu confessarij munus attinet declarare, in quibus rebus peccet, vel non, petens consilium; sed sequendo opinionem excusantem ab obligatione, non peccabit, ergo. Ita Sancius *in selectis disp. 43 n. 42.* Diana *p. 2. tract. 13. resol. 14.* Sancius Diana.

13 Secundum veriorem & communiorem sententiam recentiorum; vt dictum est supra, confessarius potest & tenetur quemcumque pœnitentem absoluere sequentem opinionem probabilem, quamuis ipse contrariam opinionem sustineat, aut etiam putet opinionem pœnitentis esse falsam, modò à Doctoribus tanquam probabilis admittatur; & hoc verum; siue opinio, quam sequitur pœnitens, sit in damnum tertij, siue non. Ratio est, quia quoties confessarius potest licitè beneficium absolutionis impendere, ad illud exigendum habet ius iustitiæ pœnitens; & ad id obligatur confessarius sub mortali, si de mortalibus sit facta confessio; nā onus graue esset pœnitentē obligare ad sua detegenda crimina, alii cōfessario absq; necessitate. Id quod tā locū habet in confessario proprio, qui ex officio tenetur Sacramenta administrare subditis, quoties ipsi

diſcretè,& prudenter petunt,quam in extraordinario confeſſore ex delegatione:quia pœnitens qui ſequitur opinionem probabilem, non caret diſpoſitione requiſita ad beneficium abſolutionis nanciſcendum, quamuis enim hic extraordinarius ſeu delegatus non tenetur audire confeſſionem talis pœnitentis, poſito tamen quod illam exceperit, tenetur ſub mortali ipſum abſoluere, iuxta probabilem ipſius pœnitentis opinionem, niſi excuſetur ob bonam fidem, vel quia non erit valdè incommodum pœnitenti alium confeſſarium adire, & confeſſarium repetere. Ita Clauis Regia *lib.* 1. *c.* 9. *num.* 13, *&* 14 Bonacinam *de pœnit. diſp.* 5. *quaeſt.* 7. *p.* 4. *§* 2. *num* 26. Sancius *in ſelect. diſp.* 33. *num* 54. Medina 1. 2. *quaeſt.* 19. *art.* 6. Malderus 1. 2. *diſp.* 86. Diana *part.* 2. *tract.* 13. *reſol.* 11. Syluius *in ſupplem.* 3. *part. q.* 9. *art.* 2. *quaeſit.* 4. *caſ.* 2. Nauarr. *in Man. c.* 27. *nu.* 280. 288. Hurtado *de pœnit. diſp.* 9. *diffic.* 9. *&* *diſp.* 10. *diſ.* 23 quamuis nonnulli exiſtiment confeſſarium non proprium ſolum peccare venialiter, ſi non abſoluat pœnitentem habentem pro ſe opinionem probabilem. Vaſquez, 1. 2 *diſp.* 62. *c.* 7. *n.* 40 Salas 1. 2. *tract.* 8. *ſect.* 9 *art.* .. *n.* 82.

Clau. reg. Bonacina. Sancius. Medina. Diana. Syluius. Nauarrus. Vaſquez. Salas.

14 Opinio communior illa non dicitur, quę ſimpliciter plures habet auctores, qui quod à prioribus traditum eſt, ſequuntur, nulla diſcuſſione præmiſſa, inſtar auium, & ouium, quæ alias ſequi conſueuerunt, vt contingit in iis, qui ſunt eiuſdem factionis: hi enim quamuis numero plures, opinionem tamen communiorem non faciunt; ſed illa dici debet communior opinio, quæ plures habeat claſſicos auctores, qui rem ex profeſſo tractantes, eam adhibita diſcuſſione, & perpenſis vtrinque rationibus ſequuntur, imò ſi ſex aut ſeptem authores claſſici, viri docti illam ſequantur, præferenda eſt illi, quæ à quinquaginta aliis, qui ſola ferè authoritate priorum ducuntur, probata eſt. Vnde, ſi vtraque habet octo, vel decem aſſertores graues & cum iudicio eam ſequentes, vtraque communis dici poteſt, proinde non ſunt admodum laudandi quidam, qui diligentiores ſunt in computando numero Doctorũ quam in rationibus, & argumentis aliorum examinandis, & diſcutiendis. Vide Nauarr *in Man c.* 27. *num.* 289. Sanchez *l.* 1 *Moral. cap.* 9. *n.* 9. Bonacinam *tract. de pecc. diſp.* 2. *quaeſt.* 4. *p.* 9. *num.* 12. Reginaldum *lib.* 13. *num* 92. *&* 105. Azorium *to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *&* *c.* 16. *q.* 5. Sancium *in ſelect. d.* 29 *n.* 7. & *d.* 44. *n.* 67 68. Vaſq. 1. 2. *d.* 62 *c.* 4. *n.* 13 & alios.

Nauarrus. Sanchez Bonacina Reginald Sancius Vaſquez.

Catalogum autem claſſicorum Doctorum habet Azorius; tales uero habentur ii, quorum auctoritate tanquã probabili, ſcholæ frequenter vti ſolent, & quos ſæpè lectitamus, & aſſiduè euoluimus, & eorum teſtimonio frequenter vtimur auctores porrò claſſici approbati, alii sũt in re Theologica, alii in Canonica, & Pontificia, alii in ciuili, & legali. Alii in caſibus, quos vocant conſcientiæ definiendis quique Summiſtæ vulgo appellantur.

Dubium eſt, an Theologorum opinio Canonici, aut Ciuilis iuris interpretum ſententiæ ſit præponenda, quando aliter ſentiunt atque illi.

Reſp. In re Theologica opinionem Theologorum omninò eſſe Iuriſprudentium ſententiæ preferendam. Item cum agitur de foro conſcientiæ, Theologi Iuriſconſultis præferri iure debent, præſertim iuris ciuilis peritis. Nam Iuriſconſulti potius tractant res, quatenus ad forum iudiciale pertinent, in re tamen iuris Canonici, quales ſunt cenſuræ, & pœnę Eccleſiaſticæ, aliquando Pontificii iuris interpretum opinio, Theologorum ſententiæ præponitur. Solent enim illi Iuris Canonici eſſe peritiores, quã hi. Item in re legali, & ad forum exterius ſpectanti, frequentiùs etiam legum interpretes, Theologis merito anteponũtur.

Sed petes *Primo*, an cæteris parib. probabilior ſit opinio veterum, quam recentiorum. Reſpond. quod in dirimendis controuerſiis circa agenda enatis, potior habetur ratio Doctorum recentiorum, cæteris paribus, quos conſtat excelluiſſe in doctrina, ac diligentes extitiſſe in euoluẽdis, & expendendis veterum ſententiis, atque ponderandis de nouo emergentibus agendorum, quæ ex earum inſpectione definienda ſunt, circumſtantiis. Dixi, cæteris paribus, quia ſi aliqua diſparia ſint, tunc iudicandum eſt ſecundum diſparitatem. Ratio eſt, quia probabilitas non habetur niſi radicaliter à ratione, in qua fundatur opinio, & in tantum ex principio extrinſeco, ſeu ex auctoritate ſit probabilis aliqua opinio, in quantum præſumitur quod auctoritas fundetur in ratione, à qua tota dependet. Dum autem concurrit auctoritas veterum & recentiorum, debet præſumi, quod auctoritas recentiorum fundetur in meliori ratione; quia recentiores ſciunt motiua veterum, & ea expendunt, & præſentium temporum, morumque conditiones perſpectas habent. Hinc plures opiniones, quæ apud veteres erant probabiles, nunc pro improbabilibus habentur, & quæ cenſebantur improbabiles, euaſerunt probabiles; quod ſignum eſt, quod recentiores melius ratiocinantur, & procedunt cum maiori notitia rerũ; vbi autẽ eſt maior & melior notitia, ibi etiam auctoritas eſt maioris ponderis. Vide Paſq. *in deciſ. Moral. deciſ.* 364.

Rogabis *Secundo*, an ex facto aliquarum perſonarum conſurgat opinio probabilis? *Reſp.* ſi plures religioſi aliquid operentur ſine ſcrupulo frequenter & veluti ex conſuetudine apud ipſos, & alioquin ſint probatæ vitæ, tunc ſumi poteſt argumentum probabilitatis opinionis cenſentis illud ipſum eſſe licitum. Quia non eſt præſumendum tot religioſas perſonas & probatæ vitæ frequenter aliquid illicitum operari; ſed inferri debet, quod probabiliter cenſeant eſſe licitum, quod agunt. Idem dicendum de viris ſæcularibus, dummodo ſint timoratæ conſcientiæ & plures, & frequenter aliquid faciant tanquam licitum: propter eandem rationem. Imo ex facto iudicum ſumi poteſt probabile argumentum, quòd ſit ſecundùm iuſtitiam quod ipſi iudicant, quando non reſcinditur vnde apud quoſdam inualuit conſuetudo, quòd vtantur pro lege ſententiis aliàs iam latis. Ex facto tamen particularis Doctoris, quantumuis pii & timoratæ conſcientiæ, non licet colligi probabilis opinio, quia poteſt ita operari vel ex aliqua diſpenſatione, vel ex inaduertentia, vel ex aliqua paſſione: nec eſt neceſſe, quod omnis operatio viri docti ſit bona. Ita Sancius *in ſelectis diſp.* 44 *numer.* 71. Breſſerus *de conſ. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 33. Caſtr. Palaus 1. *parte tract.* 1. *diſput.* 2. *punct* 1. *n.* 6.

Sancius Breſſerus

Porrò in opinionem delectu, hæc notanda ſunt, *Primo*, eam opinionem ſequendam eſſe, quæ habet pro ſe legem, aut conſuetudinem approbatam. *Secundo*, ſi vtraque pro ſe legem habet, tunc iura iuribus concordanda ſunt, & pro diuerſo tempore intelligenda, ne contraria dicãt. *Tertio*, ſi concordari commodè non poſſint, tunc communior ſequenda eſt. *Quarto*, ſi non apparet quæ ſit communior, tunc aut ſequenda eſt ea, quę rationibus firmioribus nititur, aut quæ benigior. & humanior eſt, dicitur autem illa benegior quæ fauet iuramento, teſtamento, libertati, voto, matrimonio, religioni, pupillo, peregrino, viduę, reo, &c. Denique opinio fauorem inducens animabus, ſequenda eſt potiùs, quam quę ſtrictior eſt, eo quod odia ſint reſtringenda, fauores vero conuenit ampliare. Ita communiter Doctores.

15 Quamuis paſſim ob vnius Doctoris ſententia, recedendum non ſit, à communi, ſed quando prudenter indicatur illam firmiori fundamento inniti, ideò vir prudens, & doctus, tutus eſt in conſcientia, dum adhibita diligentia, & diligenter examinatis rationibus vtriuſque partis, fretus ſatis firmis, & validis rationibus, aut authoritate Scripturę, aut definitione Eccleſię, ſequitur opinionem communi contrariam Ratio eſt, quia prudenter, & non temere agit, probabilem ſequens opinionem. Tum quia probabilis cenſetur opinio, ſi illam aſſirment boni nominis Doctores, imo etſi vnus vt docent Angelus *verb. Opinio, nu.* 2 Syluest. *ibid. quaeſt.* 1 Nauarrus *cap.* 27 *num.* 288. Valentia 1. 2. *diſp.* 2. *quaeſt.* 14. *punct* 4. *quaeſt.* 4. Sanchez *lib.* 1. *Moral cap* 9. *c.* 7 9. & 10. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quaeſt.* 6. Lorca 2. 2. *quaeſt.* 11. *art.* 2. *diſp.* 40. *num.* 18. Sà *verb. Dub. num.* 3. Paſqualigus *in deciſ. Moral. deciſ.* 360. Caſpenſis *tract.* 11. *diſp.* 3. *num.* 1. *&* 2. & alii imo etſi nullus, dum tamen qui ſuſcitat opinionem ſit vir doctus, & probabilibus rationibus incedat. Et verè quælibet opinio dum ſuſcitatur, ab vno authore ortum habet, poſteà alius illi conſentiens, ideo aſſẽſum preſtitit, quia ſibi probabilis viſa fuit opinio recens adinuenta. Proinde ſubtiliter valdè (ut ſemper aſſolet) Sancius *in ſelectis diſp.* 44. *num.* 62. docet, quod non ſolum iudicandum erit opinionem probabilitatem habere, quando ille qui ſuſcitat opinionẽ, eã eſſe probabilẽ aſſerit, & probabili ratione fulcit, verũ eſto doctrina adducta à Doctore, nec à ſe, nec ab alio verã eſſe affirmetur

Angelus Syluest. Nauarr. Valentia. Sanchez Azorius

ſed

ſed quòd gratia argumenti fuerit adducta, vel incidenter ad alterius rei exemplum, vel explicationem, aut diſputationis gratia, tanquam opinio probabilis haberi poterit, ſi ratione probabili, & veriſimili ſit talis doctrina nixa, & ſit habilis ad diſcutiendum rationis vim ſeu probabilitatem, qui doctrinam legit. Et ſanè doctrina quæ nulli doctorũ placuit negatiuè, hoc eſt, quam nullus vſque modo probauit, nec reprobauit, alteri docto legenti placere poterit. Imò, etſi cæteri Doctores illam reprobauerint poſitiuè, ſi tamen eam non eſſe reprobatam ſufficienter, videatur alteri doctori, nec argumentum pro illa doctrina adductum, eſſe ſatis ſolutum, vt probabilis amplexari poterit. Nam in hoc caſu, qui legit doctrinam, & illam probabilem eſſe iudicat, habet ſe ſicut primus qui ſuſcitat opinionem aliquam, & illam typis imprimendam curauit. Hercle plures opiniones adinuentæ ſunt, & in ſcholis introductæ, ſumpta occaſione ex dictis ab aliis in argumentis, ſeu ex dictis perſunctorie & incidenter. Et multò meliùs poſſe doctrinam pro argumento adductam iudicari probabilem, erit arbitrandum, quando author obiectionem contra ſe adductam fateretur magnam vim ſibi inferre, vel magnopere eſſe aduertendum moneret. Nam dictis animaduerſionibus ſatis innuit, non ſatis poſſe ſolui argumentum, & conſequenter oppoſitam doctrinam non vndequaque certam reddi. Ita ille.

Ratio autem horum eſt, quia cùm homo debeat rationabiliter operari, debet moueri ad operandum à ratione: fieri autem poteſt, quod ſententia vnius in ratione cui innititur, præponderet ſententiæ multorum; & ideò habeat maiorem vim, vt moueat intellectum ad ſic ſentiendum; quilibet enim debet operari prout ſentit eſſe operandum: quod eleganter docuit Iuſtinian. lib. 1. Codic. de veteri iure. *Sed neque* inquit, *ex multitudine Authorum quod melius, & æquius eſt iudicatote: cum poſſit vnius forſan doctoris ſententia multos maiores aliqua ex parte ſuperare.* Et ratio eſt, quia authoritas humana ideo vim habet, quia cenſetur eſſe hominum, qui ratione innituntur: igitur à ratione auctoritas vim habet vt etiam aduertit Caſpenſis *tract.* 11. *diſp.* 3 *n.* 18.

Si quandoque vir doctus excuſatur, ſuam ſingularem opinionem contra communem ſequendo, idem à fortiori de indocto cenſendum eſt. Ratio eſt, quia ſi ipſe Doctor in ſuis operationibus illam ſequi poſſit, & aliis eam ſequendam proponere, etiam imperitus; qui de illo doctore bonam opinionem habet, ſatis prudenter & ſecundum rectam rationem eiuſdem Doctoris opinionem ſequi poterit. Ita Vaſq. *cit. diſp.* 62. *c.* 8 Salas 1. 2. *c.* 21. *diſp. vnic. ſect.* 7. *n* 74. Sanch. *cit. num.* 10. & alii.

Vaſquez. Salas Sanch. Caſpenſis.

Magna tamen cautela & prudentia opus eſt in hac re; nam in rebus maximi momenti, confeſſores, qui minus exercitati ſunt, non poſſunt ſemper tuta conſcientia quãcumque probabilem opinionem ſequi: forſitan enim legent in vno vel altero Doctore antiquo opinionem, quæ poterit eis probabilis videri, quia ab illo doctore aſſeritur quæ tamen in ſcholis, & apud peritos iam probabilis non ſit, ſed antiquata & falſa, puta ſi contra illam decretum aliquod nouum eſſet, quod vir non ita in moralibus verſatus ignorat. Proinde qui minus callent, tenentur in conſcientia viros peritos, ac in illa materia exercitatos, & quos timoratæ conſcientiæ eſſe norunt, conſulere, vt ab eis diſcant, quæ opinio tuta conſcientia tenenda, & ſequenda ſit, & qui aliter agunt, fidentes ſuis ingeniis, non ſunt tuti in conſcientia, nec prudenter, & rationabiliter in rebus magni momenti operari cenſentur, cum nonnunquam in rebus moralibus valeat praxis, quam ſubtilis & ingenioſa rerum examinatio; & ſæpè, aut non bene Doctoris illius opinionem callebunt, aut caſui particulari applicare neſcient. Si tamen Doctor eſſet grauis ex neotericis, & in eius ſcriptis indoctus talem opinionem communi contrariam inuenerit, excuſabitur illam ſequens: quia ſi oretenus conſultus Doctor grauis illam doceret, tutò poſſet indoctus illam amplexari; cur non excuſabitur, quando eam apud Doctorem grauem ſcriptam repererit; cùm præſumere poſſit res typis mandandas attentiori conſideratione expendi. Ita Salon 2. 2. q. 63. *art.* 4. *controuerſ.* 2. ex communi.

Salon

Sed petes *Primò*, an vnius opinio communi præferri poſſit, in iis, quæ ſunt etiam iuris diuini? Reſp. cum Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 9 *n.* 7. *&* 9. Breſſero *lib.* 3. *de conſc. cap.* 3. *n.* 39. & aliis affirmatiuè, ſi ſingularis illa opinio bene fundata ſit. Ratio eſt, quia probabilitas eſt eiuſdem rationis, tam in iis, quæ ſunt iuris humani, quia ſemper innititur ratione; vnde ea probabilitas, quæ facit, vt poſſit ſingularis opinio præferri communi in iis, quæ ſunt iuris diuini; quia ita illam fundat intra ius diuinum, vt probabilis ſit, & habeat id, quod habet alia intra ius humanum: Adrianus *quodlib* 4. *art.* 1. *lit. N.* tamen, & Corduba *l.* 2. *q.* 3. *in quæſt.* docent, licere ſolùm ſingularem opinionem amplecti in iis, quæ ſunt iuris humani. Sed prima ſententia eſt tenenda.

Sanch. Breſſerus. Adrianus Cordub.

Petes *Secundo*, an excuſetur a peccato, qui ſequitur opinionem vnius doctoris abſque eo, quòd eam expendat, & poſtea reperit falſam? Reſponſio eſt affirmatiua ex doctrina Sanchez *lib.* 1 *Moral. c.* 9. *n.* 8 Fundamentum eſt, quia dum eligit talem opinionem, eligit vt traditam a Doctore; quem ſupponit non tradere, niſi quæ probabilia ſunt, & moueri rationabiliter ad docendum, quæ docet; vnde prudenter ſe habet in electione opinionis, quatenus loco rationis vtitur authoritate, quam ſupponit fundatam in ratione, & ideò non peccat, imò excuſatur, & immunis eſt ab iis omnibus, quæ annexa ſunt opinioni falſæ, ſeu operationi ſecundum ipſam; quia quando principale non habet locum, nec etiam habent locum acceſſoria; & quæ conſequuntur ad ipſum; in hoc autem caſu non habet locum principale, quia opinio falſa non acceptatur vt falſa, ſed vt probabilis; modò talis opinio non ſit contra aliquam legem, ſiue diuinam, ſiue humanam; quia lex admonet de falſitate, aut ſaltem generat ſuſpicionem; & ideò non excuſaretur ſaltem in foro externo, ſi non adhiberet debitum examen; ſecus in foro conſcientiæ, ſi inuincibiliter legem ignoraret. Ita in terminis nouiſſimè Paſqualigus *in deciſ. Moral. dec.* 10.

Sanchez Paſqualig.

16 Quando ex parte iuris, ſunt duæ opiniones æquè probabiles, poteſt licitè Iudex propter amicum iudicare ſecundum illam, quæ amico magis fauet; imò ſecluſo ſcandalo poteſt propter amicum modò ſecundum vnam, modo ſecundùm alteram opinionem iudicare. Ratio eſt, quia in priori caſu ex vi iuſtitiæ diſtributiuæ officii ſui, non debet bonum illud fauorabile magis vni, quam alteri conferre, cùm æquale ius vtrique competat, & vterque iudicio illo dignus ſit. Sicut ergo inter duos æquè dignos beneficio datur optio, ita in ſententiis ferendis.

In poſteriori autem caſu, ſi populus ſcandalizetur, videns Iudicem nunc ſecundum vnam opinionem iudicare, nunc ſecundùm aliam non eſſet faciendum, & peccatum eſſet, cùm teneatur occurrere ſcandalo: non eſſet tamen obligandus Iudex ad reſtitutionem, cum non violet ius partium ſequendo opinionem æquè probabilem. Ita communiter Doctores. Clauis Regia *lib.* 1 *cap.* 11. *num.* 4. *&* 5. Rodriq. *in Summ. tom.* 1. *cap.* 6. *n.* 1. Bonacina *cit. num.* 13. Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. Sanch. *cit. capit.* 9. *n.* 45. Salon 2. 2. *q.* 63. *artic.* 4. *controuerſ.* 2. Reginald. *lib.* 3. *num.* 41. & alii.

Clau. Reg. Rodrig. Bonacina. Valentia. Sanch. Salon Reginald.

Sed maxima difficultas eſt, an quando opiniones non ſunt æquè probabiles, ſed vna eſt probabilior altera ex parte iuris, poſſit Iudex iudicare ſecundum probabilem opinionem communi & probabiliori relicta? Negatiuè reſpondent Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 9. *n.* 47. Malderus 1. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 5. *diſp* 86 Becanus *in Summ. tom* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 9 *num.* 13. Tannerus 2. 2. *diſp.* 4. *quæſt* 4 *num.* 128. Layman *lib* 1. *tract.* 1. *cap* 5. *ſ.* 3. *n.* 13. Ratio illorum eſt, quia Iudex pro bono communi conſtitutus, debet iudicare ſecundum quod æquius viderit, æquius autem eſt iudicare ſecundùm opinionem meliorem, ac tutiorem: nam aliter faciens iam erit acceptor perſonarum, ſicut Prælatus, qui ex duobus beneficium petentibus, omiſſo digniori, confert minùs digno. Hęc ſententia in praxi ſemper eſt ſequenda, niſi talis opinio iam ſit vſu contrario abrogata, & in praxi oppoſita expoſitio recipiatur.

Sanchez Malderus Becanus Tannerus Layman

Nihilominus probabile etiam eſt, poſſe iudicem ſecundum minùs probabilem iudicare. Ratio eſt, quia nec temerè, nec imprudenter agit, vtpote, qui ratione probabili ducitur; eo enim ipſo, quod opinio eſt probabilis, eſt conformis rectæ rationi, & conſequenter tuta conſcientia eã

quis sequi potest in iudicãdo nec obstat quod altera opinio sit probabilior, & consequenter conformior rectę rationi & ideò potiùs secundum eam iudicandum erit. Quia sicu in mediis ordinatis ad salutẽ, nemo tenetur eligere, seclu so voto, aut iuramento, quod meliùs, & securiur est: ita, sequendis Doctorũ sẽtentijs, non tenemur eligere meliorem, sed satis est eligere eam, quam citra odium, & affectũ iudicamus probabilem, bonam, & veram. Ita Medina t. 2. qu. 19. art. 6. Delrius lib. 5. disquis mag. q. 1. Arragon 2. 2. q. 63. art. 4. dub. penul. Diana part. 2. tract. 13. resol. 3. Sancius in select. disp. 44. n. 50. & alii penes ipsos.

Medina. Delrius. Diana. Sancius.

17 Quando ex parte facti, sunt duæ opiniones æquè probabiles, (quia scilicet vterque ex æquo probat factum suum) tunc in ciuilibus iudex componere debet partes, inter se rem diuidendo æqualiter, si autem res non sit diuisibilis, debent diuidi fructus aut pretium. Cum enim vterque ius æquale habeat, ratio naturalis dictat, vt vel partes inter se componatur, vel vt res illa, vel pretium ipsius inter illos diuidatur. Quod si causa sit criminalis, debet iudex iudicare in fauorem rei. Ratio est, quia vbi sunt æqualia fundamenta fisci in accusando, & rei in se defendendo, reo potius tanquam fauorabiliori fauendum est: iuxta regulam iuris in 6. Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est, potius, quam actori Bannez 2. 2. quest. 63. art. 4. dub. 1. Salon ibid. concl. 2. Valentia 2. 2. disp. 5. quest. 7. part. 4. Arragon 2. 2. q. 63. art. 3. dub. vlt. Filliuc. tr. 21. n. 144 Diana c. res. 3. & alii.

Bannez. Salon. Diana.

Si verò vna earum opinionum ex parte facti sit probabilior altera, in ciuilibus tenetur iudex in conscientia iudicare in fauorem probabilioris: quia iudex tenetur iudicare secundum merita causę, sed qui factum probat per testimonia meliora, & probabiliora, habet maiora meteria causæ, ergo dignior est sententia fauorabili.

In criminalibus tamen, ad condemnandum reum, probationes debent esse luce meridiana clariores, vnde quando iura partium non sunt ita clara, sed obscura, licet declinare in fauorem rei, quamuis probationes accusatoris, aut fisci sint paulò probabiliores, & clariores, eo ipso enim quod defensio rei maneat adhuc probabilis, probationes contra reum non sunt luce meridiana clariores; si tamen pars fisci, aut accusatoris clara, & manifesta sit, iudicãdum erit contra reum, ne delicta maneãt impunita vbi autem dubium est, aut non sit certum, an sit obnoxius, tunc absoluendus est, reus quia sanctius est nocentem absoluere, quam innocentem condemnare, vide Sancium in selectis disp. 44 num. 51. Bonacinam de pecc. disp. 2 quest. 4 punct. 9. num 14. & 15. Salon c concl. 3. Clauem Regiam lib 1. c. 11. Caspensem tract. 11. disp. 3. n. 58. & alios.

Sancius Bonacina Salon. Caspensis

Adnotandum tamen hic est, circa Iudicem, quod si sit arbiter, à collitigantibus electus sub conditione, vt iuxta suum iudicium debeat iudicare, & non iuxta aliorum, non poterit alienam opinionem sequi, si tamen æquè probabilter duas opiniones sustineat, iuxta quamliber poterit iudicare, cum verificetur, ferre iudicium proprium in sententia ferenda. Ita Sancius hic c num. 50.

18 Aduocatus, secundum omnes, peccat, & facit contra conscientiam, si partem aliquam manifestè falsam esse sciat, & pro illa patrocinetur. Ratio est, quia in hoc casu nullum est principium practicum, vnde deducere possit licitum sibi esse partem manifestè iustam, & pro tali creditam oppugnare.

Aduocato autem licitum esset aduocare quotiescumque causa est dubia, aut iure ipso, aut facto, ita vt non facilè apparet quænam pars tutior sit. Ratio est, quia quoties iustitia vtriusq; partis dubia est, ratio postulat, vt aduocatus pro sua parte exponat iudici, quęcumq; illam confirmare possunt, hoc enim est viri prudentis munus, legum sensus, & auctoritates, nec non rationes in alterutram partem bona fide applicare, vide Bannem 2. 2 q 71. art 4. dub. 6 Filliucium tract. 21. num. 142. Dianam p. 2. tract. 13. resol 6. & p. 4. tract. 3. resol. 47 Toletum lib. 5. c. 60. concl. 3. Layman lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 17. 18.

Bannez Filliucius. Diana. Toletus.

19 Aduocatus potest, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, tueri causam in fauorem sui clientis, quamuis putet causam seu opinionem aduersarii probabiliorem esse, modo tamen opinio quam ipse tuetur sit verè probabilis. Ratio est, quia si cliens non peccat, sed prudenter agit, dum nititur probabili opinione in suo iure quærendo, vel tuendo, ergo neque peccat Aduocatus, suscipiendo causam clientis, cum opinione probabili relicta probabiliore, Debet tamen in hoc casu clientem admonere, & illius minoris probabilitatis illum certiorem facere, quia fortè tunc, aut alium eliget Aduocatum, aut causam non prosequetur.

Si verò parum probabilis sit opinio quam tuetur, ita vt rarò aut nunquam iudices soleant iuxta talem opinionem iudicare, mortaliter peccat Aduocatus, si illi parti minùs iustæ, & probabili patrocinetur, siue pro reo, siue pro actore, quia talem causam defendendam suscipiens, non solùm probabili periculo se committit, causam iniustam defendendo, sed, & clientulum suum expensas facere necessitat in causa, quam moraliter malam esse nouit, vnde etiam ad restitutionem omnium damnorum tenetur, quia tenetur causa iniusta damni. Ita Salon 2. 2. quæst. 63. art. 2. contr. 2 Salas 1. 2. quest. 21. tract. 8. disp. vnic. sect 11. num. 104 Sanchez cit. lib. 1. cap. 9. num. 53 & 54. Sancius in select. disp. 44. n. 54. in fine. Gutierez qq. canon. cap 13. n. 24. P. Ledesm. in Summ. tract. 8. c. 26. Diana p. 2. tr. 13. res 4. Caspensis tr. 11. d. 3. s. 61. & alii cit. v. Aduoc. n. 6

Salon. Gutierez. P. Ledesm. Diana. Caspensis.

20 Ex communi omnium sententia, medicus non potest in adhibendis, & applicãdis remediis, & medicinis, sequi opinionem probabilem relicta tutiore. Ratio est, quia quando ex medicinæ regulis, & experientia, certum est aliquod pharmacum seu remedium profuturum, medicus tenetur, illud adhibere, omisso illo de quo dubitatur, an sit profuturum, quia alioquin medicus imprudenter agit, relinquendo medium certum pro incerto, cum periculo proximi. Sicut qui ministrare potest Sacramentum Baptismi paruulo, vel adulto, sequendo partem tutiorem, tenetur lege charitatis non exponere se periculo alicuius opinionis, siquidem postulat charitatis vt vbi quis remedium certum adibere possit, non assumat quod incertum est, & in opinione, alias reus homicidii iudicabitur, quandoquidem nulla ratio vrgeat, vt medicamentum certum eo in casu relinquat. Clauis Regia lib 1. cap. 10. Sanchez cit. num. 41. Suarez 3. p. tom. 4 disp. 26. sect. 6. & tom. 3. disp. 21. sect 4. Bonacina tom. 2. disp. 2. q. 4. punct. 9. n. 21 & 22. Dian. c. res. 7. Portel de du. reg. v. Opinio eligend. n. 10 & alii

Sanchez Suarez. Bonacina. Diana. portel.

Si vero nullum extet pharmacum certum, tenetur medicus sequi opinionem probabiliorem, & tutiorem in eligendo pharmaco, quod infirmo applicandum est, relicta minus probabili. Ratio est, quia aliter infideliter saluti ægri consulit, nec tollit periculum, quod in re ipsa est nocẽdi infirmo, si forte opinio illa non sit vera, & quamuis maneat quoque periculum secuta opinione, quam probabilem credit, si eà vera fortè non sit; at ipse excusatur, suoque muneri rectè satisfacit, eligens id quod verius, ac tutius credit. Ita Sotus de iust. li 3. q. 6. ar. 5. Salon 2. 2. q. 63 a. 4. contr. Vasq. 1. 2. disp. 64. c. 4. contra Azoriũ to. 1. li. 2. c. 17. q. 11. Arragon 2. 2. q. 63. art 4 dub. penul. Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. vnic. sect. 15. Sancius in selectis disp. 44. num. 36. afferentes medicum posse vti opinione, quam minus probabilem credit, quoad medicamentorum applicationem, cum iuxta suam conscientiam applicet id, quod salutiferum fore probabiliter arbitratur. Sed tu primam sententiam tene tanquam caritati magis fauorabilem.

Sotus. Vasques. Azorius Arragon. Sancius.

21 Quando medicus, post adhibitam diligentiam, manet in vtramque partem æquè dubius, de aliquo medicamento, sit ne profuturum, an obfuturum, nec aliud remedium adest pręter illud, potest, & debet illud remedium infirmo præbere. Ratio est, tum quia in illo casu porrigens prudenter agit benèque prospicit ægro, cui nocere non potest, vtpote de vita penè desperato, prodesse autem posse aliquid probabilitatis habet. Tum quia vbi non sũt alia certiora remedia, sed omnia in opinione posita, ad nihil aliud lex charitatis, aut iustitiæ erga infirmum obligat quam vt post prudentem, & diligentẽ examinationẽ applicetur remediũ, quod probabiliter profuturum existimat. Non enim licet eo tempore infirmum sine remedio relinquere, si prouideri ei possit de aliquo quod secundũ humanã prouidentiã iudicatur profuturum. Valentia 2. 2. disp. 3. q. 10. punct. 2. Sanchez lib. 1. Moral. c. 9. n. 39. Layman lib. 1. tract 1. cap. 5. §. 3. num. 15. Filliucius tract 21. n. 151. Diana part 5. tract 3. resol. 132. Rodriquez tom. 2. Summ. c 53. n. 6. & alii.

Valentia. Filliucius. Diana. Rodrig.

Gra-

Grauiter autem peccaret medicus contra charitatem,& iuſtitiã,medicamentũ tradens infirmo ad ſumendũ de illo experimentum, quoties non adeſt opinio probabilis de illo medicamento,& alia habet remedia probabiliter vtilia Ratio eſt,tũ quia in illo caſu exponit iniuſtè vitã infirmi periculo, prætermittendo remedia probabilia, vt adhibeat incerta. Tum quia in hoc caſu, ſicut in aliis dubiis, pars tutior eligenda eſt, ſcilicet, vt infirmum potiùs prouidentiæ diuinæ, quàm tali medicinæ relinquat. Corduba *lib*.3.*quæſt*.5. Azorius *tom*.1.*lib*.2.*cap*.17.*q*.11. Clauis Regia *lib*.1.*cap*.10.*num*.6.

Corduba
Azorius

Porrò petes *Primo*, quid conſilii opinione probabili, quando quis iudicat vnam opinionem tam eſse probabilem,vt putet eam eſse veram & contrariam falſam.

Reſpondeo ſi prudens eſt, debet ſuſpendere tale iudicium, nec putare, quòd ſit oculatior illis Doctoribus, qui contrariam ſententiam tuentur: imò tenetur aliquando hoc facere, vt ſi ex ſua opinione iudicat proximo graue periculum corporis aut animæ, quod per alteram ſententiam euitatur. Quòd ſi non poſſit deponere conſcientiam ex hypotheſi,peccabit neceſſariò,quia vel contra conſciẽtiam faciet, vel proximum exponet periculo grauioris incommodi; vt in Baptiſmo, abſolutione; diſcrimine vitæ, &c. Hæc antem doctrina valde obſeruanda eſt, in dandis conſiliis, in reſolutione caſuum, in abſolutione impendenda. Nam poſſumus aliquando vti ſententia benigniore, aliquando ſeueriore, prout conſulens aut pœnitens indiguerit.

Imò in hoc caſu, quando quis alienam opinionem putat falſam extrinſecis principiis,ſeu ex virationis,poteſt,nihilominus in operando illam amplecti, captiuando intellectum in obſequium auctoritatis Doctorum, quia illam tradunt, credendo quòd probabilis ſit, quamuis talis ipſi non appareat: vnde poterit ipſam ſequi ex vi auctoritatis, ſeu ex principiis extrinſecis, modò ab aliis cenſeatur probabilis. Ratio eſt,quia dum talis amplectitur opinionem contra proprium iudicium, quo eam falſam putat, prudenter procedit; quia obſequitur alieno iudicio, quod cenſetur prudens,& ipſum aſſumit tanquam menſuram propriæ operationis; quia putat eſſe ſecundùm rectam rationem ſecundùm alienam æxiſtimationem operari,&ideò honeſtè operatur, quia vtitur menſura honeſta ex alieno iudicio; vnde operatio procedit ex recta ratione. Nec eſt neceſſe vt formet ſibi iudicium, quo alienam opinionem probabilem putet, vt eam tuta conſcientia amplectatur; ſed poteſt amplecti, retento iudicio de falſitate ipſius, vt probabilem ex aliena auctoritate; quia cum tali iudicio de falſitate opinionis alienę poteſt ſtare aliud iudicium,quod ſit ſufficiens & debita menſura ad operandum cum conformitate ad rectam rationem. Vide Zachariam Paſqualigum *in deciſionibus Moralibus*, *deciſ*. 21. *&* 22. eruditè hanc rem reſoluentem, qui etiam *deciſ*.23. docet poſſe quem ſequi in operando illam opinionem, quam ex ſpeculatiuis principiis intrinſecis non putat probabilem, etiamſi tradatur tantum ab vno Doctore, dummodo iſte Doctor ſit talis, quòd ſufficientem auctoritatem habeat, vt poſſit aliquis eius iudicio acquieſcere.

Paſqualig.

Petes *Secundo*, an inter opiniones probabiles,detur vna ſecurior & tutior altera;hoc eſt,an maius periculum incidendi in culpam inueniri poſſit, vnam opinionem ſectando, quàm aliam?

Reſpondet ad hoc dubium negatiuè Sancius *in ſelectis diſp*.44. Sanchez *lib*.1.*moral*.*cap*.9.*num*.14 Caſtr.Palaus 1.*part*.*tract*.1.*diſp*.2 *punct*.2.*num*.3 Paſqualigus *in deciſ*. *moral*.*deciſ*.359. Caramuel *in reg*.*s*.*Bened*.*num*.58. Caſpenſis *tract*.11.*diſp*.3.*num* 7 cum aliis. Ratio eſt,nam cùm quælibet opinio probabili tutam reddat conſcientiam in operando,non minùs tutus erit operans iuxta unam, quã iuxta aliam opinionem: ſi namque nihil offenſæ diuinæ committit vnus,nec alius;æqualiter ab offenſione recedũt vtrique: ſicut duo homines nihil albedinis habentes, diſtare æqualiter ab albedine eſt cuilibet compertum, & quando Doctores dicunt vnam opinionem tutiorem eſſe alia; in eo ſenſu dicere tenentur; quòd videlicet, ſequens vnam, contingat, non ſolùm non incurrere culpam formaliter, verùm nec materiale peccati attingere. Proinde dicendum eſt, inter opiniones probabiles, vnam opinionẽ non dari tutiorem altera quoad imputabilitatẽ,cùm nulla detur ſecurior via,quàm non peccare. Nec etiam in alio ſenſu dicitur propriè, dari vnam tutiorem altera quoad materiale peccati incurrendum,quia eſſe magis vel minùs tutam, quoad imputabilitatẽ debitum debet, & non quoad materiale peccati; licet enim iuxta mentem diuinam omnes actiones morales regulẽtur quoad bonitatem vel malitiam eſſentialem, hoc eſt, materialem, quoad formalem tamen malitiam,hoc eſt,imputabilitatem, iuxta conſcientiam operantis menſurantur. Vnde decipiuntur multi, putantes ſecurius ſe gerere, dum id quod ſub opinionis verſatur, an ſit peccatum,tale eſſe deceruunt; nam cùm dubitent de veritate,non eſt maior ratio,quare pro peccato, quam contra ipſum reſpondere conſtringantur. Quapropter (vt bene animaduertit Henriquez in proœmio Summæ) quòd *errare cum Platone aut inſigni Theologo, dum latet ignota veritas ſpeculatiua, non nocet in praxi, in quo Theologus differt a corporali medico, qui ſi morbi vim quamuis ſine culpa ignoret,necis occaſio eſſe ſolet,ſed qui ſapientum ac prudentum ſententia probabili acquieſcit, nullum patitur periculum conſcientiæ. Deus enim ita nobis ignorantibus indulget,vt eam ſententiam confirmet ad ſalutem, vt per medicum ſpiritualem ſanet etiam vulnera, quæ inculpabili ignorantia ignota ſunt.*

Sancius
Sanchez.
Caſt palao.
paſqualig.
Caramuel.
Caſpenſis.

Sed dices,vna opinio eſt tutior altera ratione obiecti, de quo eſt magis certum, quod ſit ſecundùm regulas rectæ rationis in ordine ad mentem diuinam,quæ eſt prima menſura honeſtatis. Reſpondent dicti Authores neq; hoc pacto poſſe vnam opinionem eſſe tutiorem altera; quia opinio non habet ſuam ſecuritatem ex obiecto, ſed ex regula rationis; eo ipſo autem quòd ſecundùm rationis regulam eſt probabilis, adeo eſt tuta, vt nullo pacto operatio ſecundùm ipſam poſſit imputari ad peccatum. Quod etiam ex oppoſito patet;quia ſi obiectum eſſet de ſe honeſtum in ordine ad primam & æternam regulam, & operans putaret non eſſe honeſtum, tunc operatio circa ipſum imputaretur ad peccatum; quod ſanè indicat, ſecuritatem opinionis non prouenire ex obiecto, ſed ex regula rationis.

Petes *Tertio*, quare nunc reperiantur tot diuerſæ ſententiæ in rebus moralibus?

Reſp. eiuſdem Ioannis Sancii *in ſelectis diſp*.44.*nu*.70. eſt,cui ſubſcribit Doctus & Eximius Dominus Caramuel in ſuo tractatu ſuper regulam *D Bened num*.60. in eo fulgere maximè prouidentiam diuinam. Nam ex opinionũ varietate iugum Chriſti ſuauiter ſuſtinetur, poſſet namque euenire pleroſque hominum rebelles ſe prodere, ſi ad aliquid determinatè agendum, omittendum conſtringerentur,eo modo quo renituntur mandata naturalia Dei implere, quod in illis decretum iam ſit determinatè, & abſque opinionum varietate, quid agere oporteat, vel minùs, prouidenter ergo ſuperna cautum eſt, vnicam tantùm viam operationum moralium non dari, ſed rectã inueniri poſſe actionem, ſiue iuxta vnam, ſiue alteram opinionem operentur mortales, ſicut & meliùs herclè eſt, plures vias ad Meritum ducentes dari,quàm ſi vnica tantùm reperiretur, nam vel eam nimis latam eſſe opporteret aut per eam tranſeuntes impediri, & cum moleſtia peragrare eſſet opus. Tum non ſolùm moleſtiam inueniendam iri, eſt notum, conſtringendo homines vnicam tantùm opinionem in ſuis actionis, ſiue omiſſionibus amplexari,verùm pertimeſcendum valdè eſſet, ex illi plures contra opinionem nauaturos operam, & conſequenter peccaturos potiùs quàm ſibi placidam rem deſinerent, vel à ſibi exoſo abſtinere retraherentur: Huic damno bonitas diuina medẽs,diuerſa ingenia hominibus contulit, quibus diuersè inter ſe iudicia rerum ferrent, & ſe rectè operari arbitrarentur. Deo namque nullum emolumentum accreſcit,quòd quis operetur iuxta vnam vel alteram opinionem,ſolùm deſiderat mandatum ſuum non infringi. Cùm ergo iuxta opinionem probabilem operans,Dei præceptum non infringat, Dei non intereſt quidquam quòd iuxta vnam vel aliam opinionem operatio deducatur.

Sancius

Petes *Quarto*, an opinionem ab aliis reprobatam poſſit quis vt probabilem amplecti. Affirmatiuè reſpondet idem Ioannes Sancius *in ſelectis diſp*.44.*numer*.62. & Paſqualigus *in deciſ*.*moral*.*deciſ*.361. qui hanc doctrinam veram exi-

Sancius
Paſqualig.

exiſtimat. Ratio eſt, quia ſicut poteſt quis nouas opiniones adinuenire, & eas bene fundare; ita etiam poteſt inuenire probabilitatem illius opinionis, quæ ab aliis vt improbabilis refutatur, aut excogitando nouas rationes, quibus probabilis appareat; aut penetrando & explicando vim illarum, quæ ſolent in fauorem ipſius afferri, & ſoluere; ita vt ſolutiones quæ ſolent afferri non habeant locum. Verùm vt quis poſſit amplecti talem opinionem ut probabilem, non eſt neceſse quòd cenſeatur talis etiam ab aliis, quibus cum iiſdem motiuis proponitur ſed ſufficit ſi ſibi talis appareat, quia fieri poteſt, quod cæteri nō penetrent probabilitatem, & vim rationum eo modo quo penetrat ipſe, quamuis ſint melioris ingenii, quia poſſunt habere intellectum taliter diſpoſitum ratione doctrinæ, vt non poſſint illa motiua facere impreſſionem.

Deinde vt quis ſine ſcrupulo operetur, ſufficit ſi ipſe concipiat probabilitatem opinionis, quia non debet ſe regulare ſecundùm alienam, ſed ſecundùm propriam conſcientiam, quia ſi nedum poteſt, ſed etiam debet ſequi propriam conſcientiam erroneam, multò magis poterit ſequi conſcientiam probabilem, nec obſtat, quòd poſſit decipi, quia cùm ex vtraque parte adſit tantùm probabilitas, poteſt deceptio tam ex una parte, quàm ex alia habere locum nec ratione periculi deceptionis debet retrahi, ne ponat in praxi opinionem, quia ſufficit, quod de facto habeat probabilitatem; qua ſtante operatur ſecundùm rectam rationem, atque adeo cum ſecuritate.

Petes *Quintò*, an aliqua opinio poſſit eſſe tantum ſpeculatiuè probabilis, & non practicè? Reſp. plures Doctores docere aliquam opinionem eſſe veram ſpeculatiuè, non autem eſſe reducendum ad praxim, proinde quòd aliqua opinio poſſit eſſe vera aut probabilis ſpeculatiuè, non autem practicè. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 6.* Becanus t. 2. *tract. 1. cap. 4. quæſt. 9.* Suarez *de leg. lib 5. cap. 18. num.* 20. & alii. Verùm non ſatis apparet quomodo hæc doctrina ſtare poſſit, nam ſi in reductione ad praxim reperitur aliquod inconueniens, ſignum eſt quòd neque ſpeculatiuè ſit verè probabilis, talis opinio, quia illud ipſum inconueniens ob quod eſt practicè probabilis, deriuat ex eo, quod neque ſpeculatiuè ſit talis, quamuis in eſse ſpeculatiuo non agnoſcatur, Proinde tenendum eſt cum Ioanne Sancio *in ſelect. diſputat. quarante ſimo quarto. numer.* 63. & *diſp. 54. nu.* 11. nullam opinionem eſse ſpeculatiuè probabilem, quam etiam in praxi tuttò amplecti quis non poſſit, nam probabilitas practicæ eſt effectus ſpeculatiuæ, & ex eo quis operatur bene, vel malè, quod ſpeculatiuè iudicauit eſſe licitum vel illicitum. Probabilitas enim in eo conſiſtit, quod intellectus habeat aliquam rationem, ob quam moueatur ad iudicandum talem operationem eſſe licitam, vel illicitam, atque adeò obiectum eſſe conforme, vel difforme regulis rectæ rationis, quando autem intellectus ita iudicat, habet iudicium practicum dictatiuum quòd obiectum, & operatio ſit ſecundùm regulas rectæ rationis, quia eſt iudicium de re operabili, oſtendens conformitatem, vel difformitatem ad regulas rationis, ſed quia homo non poteſt operari ſecundum probabilitatem ſpeculatiuam, niſi applicet tale iudicium ad dirigendam operationē: & non poteſt applicare, niſi iudicet, quod hæc applicatio ſit ſecundùm regulas rectæ rationis, ideò conſurgit probabilitas practica, quæ conſiſtit in hoc iudicio, & eſt ordinatiua probabilitatis ſpeculatiuæ ad opus, vnde ſequitur quòd quando opinio eſt probabilis ſpeculatiuè, ſit etiam probabilis practicè. Ita cùm Sancio etiam Paſqualigus *in deciſ. Moral. deciſ.* 362.

Leſſius
Becanus
Suarez
Sancius
paſqualig.
Sancius
paſqualig.

Petes *Sextò*, an quando inter Prælatum & ſubditum verſatur varietas opinionum, ſubditus teneatur obedire: Communior ſententia eſt affirmatiua. Ratio eſt, quia licitum eſt operari contra propriā opinionem, ſequendo opinionem probabilem ergo ſimili modo licitum eſt ſubdito obedire ſi autem licitum eſt, & poteſt obedire, ſine dubio Superior poteſt talem operationem honeſtam conſtituere & illam præcipere, ergo poſt præceptum, ſubditus non ſolùm poteſt, ſed etiam debet obedire ſuperiori præcipienti ſecundum opinionem probabilem. Tum quia Superior non tantùm habet ius iubendi eas res quas ſubditus nouit eſſe licitas, ſed etiam illas, quas ſubditus non cognoſcit euidenter, eſſe illicitas. Tum quia Superior licitum præcipiens ex opinione probabili iuſtè poſſidet actionem; ſeu ius ad præcipiendum. Hæc tamen ſententia intelligenda eſt, quando opinio probabilis ſubditi non eſt de electione & poteſtate Superioris; quando enim eſt probabilis opinio, quòd aliquis non ſit Superior, ſubditus honeſtè poteſt non obedire.

Non eſt autem improbabilis ſententia Ioannis Sancii *in ſelectis, diſp. 33. num.* 32. *& ſeq.* ſuſtinentis ſubditum non conſtringi obedire, quoties opinio aliqua probabilis aſſeruerit ipſum non teneri parere, ſiue illicitum eſſe, quod præcipitur. Ratio à priori eſt, quia licet Superior conſtringere poſſit, vt ſubditus operetur illud quod abſolutè bonū eſt, & ſecundùm regulam ſi religioſus ſit, at non poterit conſtringere ad operandum illud quod ſolùm ſecundùm opinionem eſt bonum. Et ſubinde infert idem Sancius *num.* 46. non teneri ſubditum obedire non ſolùm quando ipſi opinio eſt eſſe rem illicitam, quæ præcipitur, verùm licet ipſe quoque eſſe licitam opinetur, dum tamen noſcat adeſſe Doctorum ſententiam probabilem docentem illam rem illicitam eſſe. Eo quòd licitum eſt cuilibet aliorum opinionem ſequi propriam deſerendo. Huic etiam ſententiæ fauent Sanchez *l. 1. moral. c.* 10. *n.* 33. 34. 35. & *l. 6. c.* 3. *n.* 7. Clauis Regia *l.* 1. *c.* 12. *n.* 7.

Sancius
Sancius
Sanchez
Clau. Reg.

Petes *Septimò*, quid dicendum de opinionibus reuelantibus, quæ paſſim à Doctoribus hoc tempore traduntur? Sententia Ioannis Sancii *in ſelectis, diſp. 44. num.* 54. eſt, Obſequium Deo præſtare Doctorem opiniones releuantes docentem, cùm inde peccatorum copiam minuat. Ferunt ægrè plures, (inquit) aliquam introduci opinionem, quæ à peccato liberet, nimiamque operandi licentiam, opinionem appellant, v. g. quòd in ieiunii die ſumi poſſit nocturna refectio in quantitate dimidiæ libræ, qui tamen immeritò authori opinionem introducenti inuiſi redduntur Nam vel contendunt vitare peccatum operantium iuxta illam opinionem, quod opus non eſt, cùm iuxta illam opus exequens minimè delinquat, eò quod ſequatur authoris docti doctrinam, vel authoris ſcelus impedire cupiunt talem opinionem docentis, quod nequaquam neceſſarium eſt, cùm ipſe bona fide arbitrans rem licitam docere, minimè delinquat. Fit ergo potiùs gratias authori eſſe debitas ob licentiam operandi abſque peccato conceſſam, quàm reprehenſione reddi dignum & aliis exoſum. Conſulenſque Doctorem boni nominis iuxta illius opinionem poterit operari, quamuis rogans conſilium ſuſpicetur ipſum Doctorem decipi, dum tamen id certò non cognoſcat, valdè namque diuerſum eſt certò cognoſcere doctorem falli, & aliud ſuſpicari eum deceptioni ſubiici. *Et in proœmio ad Lectorē idem author ait.* Placuit opiniones releuantes eligere, vt inde à fidelibus periculum incidendi elongaremus, cùm conſultiùs ſit liberantem opinionem conſulere, dum condemnantem difficilè eſſe amplexandam timetur. Et quia maximè attendendum eſt legem Chriſti onerosam reddere, ac fidelibus odioſa efficiatur. Hucuſque Sancius.

Sancius

Prædictis conformia habet Caramuel *in reg. S. Benedicti diſp. 60. num.* 883. vir Doctiſſimus & acutiſſimis ingenii; Experientia, inquit, docet, creſcentibus obligationibus creſcere culpas: Non ſunt præcepta in cauſa, nihilominus ſunt in occaſione ſaltem remota, vnde ego nullum præceptum ponerem, tollerem quæ poſſem, vidi doctiſſimos in hac ſententia, vtinam nulli ſequerentur contrariam! faciliùs Deo ſeruire poſſent. Hæc ille, Et certè, valdè periculoſum eſt determinare aliquid eſſe peccatū mortale, quando clarè nō apparet veritas ad talem determinationē, nam per huiuſmodi aſſertionem voluntariam, rigidam, duram & nimis ſtrictam in rebus incertis, nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, ſed in illud profundiùs, quia deſperatiùs, demerguntur. Demum quid prodeſt, imò quid nō obeſt, coarctare plus iuſto mandatum Dei, quod eſt latum nimis? Quid inſuper expedit amarius, grauiuſque reddere illud Chriſti iugum, quod ſuaue eſt & onus eius leue? Ita D. Thomas *in ſuis quodlib. quodlib. 9. art.* 15. Gerſon 3. *part. lect. 4. de vita ſpiritual. litt O.*

Caramuel.
Gerſon

Porrò multi ſe hominum ſaluti proſpexiſſe ſibi perſuadent, qui rigidis ſententiis conſcientias premunt, Putant dum tot vinculis animos illaqueant, ſe peccata arcere, nec animaduertunt ſe ea liberaliùs intromittere, dum illa paſ-

ſim

ſim aſtruunt, quæ ſi in ipſorum ſententiis rariora eſſent non adeò facilè humana pectora expugnarent. At inquies non ſunt hominibus laxandæ habenæ, vt ſiue fræno deſideriis obſequantur. Fateor; ſi deſideria illicita ſint nec ad rectum tramitem reduci poſſint, at ſi iis ita ratione præire potes, vt recta incedant, cur ad rupes compellis, vnde præcipitentur.

Ex dictis inferunt prædicti Auctores, præferendam eſſe opinionem benigniorem probabilē, ſi cōcurrat cū rigida etiam probabili. Ratio eſt, quia rigoroſa opinio eſt ſecundùm rigorem iuſtitiæ, benignior autem ſecundùm charitatem, ita tamen vt non excedat iuſtitiam, quia autem charitas eſt virtus generalior, in qua ſundatur iuſtitia quæ ſecundùm ipſam menſurari debet, ideò in amplectendis opinionibus potiùs ſecundùm charitatem procedendum eſt, quàm ſecundùm rigorem iuſtitiæ, atque preferendæ quæ ſunt benigniores; quia tunc agitur ſecundùm charitatem, quæ dictat benigniùs agendum, quantum fieri poteſt, cùm proximo. Et hoc locum habet etiam reſpectu ſui ipſius, ita ut poſſit quilibet relicta opinione rigida ſequi benigniorem. Ex his patet reſponſio ad quæſitum.

22 Conſcientia dubia illa eſt, & dicitur, quę nec aſſentitur uni parti contradictionis, nec ab ea diſſentit, ſed in dubio manet.

Vt autem actus noſtri boni ſint, requiritur conſcientia practicè ſecura, ſiue tuta, vt cùm quis prudenter, & cum fundamento moraliter ſufficiente agit.

Duplex eſt certitudo, ſiue euidentia, quæ requiritur ad ſecuram conſcientiam, alia eſt Mathematica, quę nēpe ex principiis mathematicis haberi ſolet, & huic falſum ſubeſſe non poteſt. Alia eſt moralis, quam homo haurire poteſt ex iis quę aduertit, aut adhibita humana & prudenti, id eſt à prudentibus vſitata diligentia aduertere poteſt. Hinc ut iudicium ſit prudens, non requiritur vt res prout in ſeipſa eſt, cognoſcatur, ſed ſatis eſt, ut ſit conſorme rei, provt à ratione proponitur & apprehenditur, igitur ſufficit certitudo moralis, nec ſemper requiritur, nam ſatis eſt ſi inuincibiliter ignoretur opus ſub his circunſtantiis eſſe illicitum, quia hæc ignorantia excuſat ab obligatione cuiuſuis iuris Naturalis, diuini & humani. Ita Medina 1.2.q.19.*art* 6.*dub* 4. Syluius *ibid.art.* 5. *quæſit.* 7. *&* 9. Nauarrus *in Man.c.*27. *num.* 279. & *in cap. Si quis autem de pœn.diſt.*7.*n.*10.*& ſeq.* Sanchez *lib.* 1. *moral.c.*9. *num.*18. & alii.

Medina, Syluius, Nauarrus, Sanchez.

23 Dubium de rebus agendis, communiter diſtinguitur in ſpeculatiuum & practicum. Speculatiuum eſt, quando quis in generali dubitat, an aliquid ita ſit vel non ſit, ſeu an liceat vel non liceat abſolutè.

Practicum uero dubium dicitur, cùm quis dubitat, an aliquid ſibi illicitum ſit, id eſt, an liceat ſibi hic & nunc aliquid agere uel omittere, & hoc dubium conſtituit conſcientiam dubiam. Vnde practicè diceretur dubitare ille, qui dubius, an eſſet licitum non ſeruare aliquod feſtum, vel ieiunium, aut dubius, an ſibi liceret venari, in aliquo loco, diceret, ſiue liceat, ſiue non liceat ſeruare hoc feſtum, uel ieiunium, aut in tali loco uenari, adhuc volo non ſeruare feſtum, nec ieiunium, & decerno in hoc loco uenari, etſi mihi ſit vetitum. Speculatiuum vero dubium habere dicitur ille, qui certus non eſt, an comederit, uel biberit, an habeat legitimum titulum beneficii, uel non, an rem quam emit, fuerit à legitimo domino vendita, nunquam tamen dubium hoc ſpeculatiuum eo uſque peruenit, quod dubitet operans, an peccet rem illam emendo, uel beneficium retinendo. E contra uero dubitans practicè an aliquid efficere ſibi liceat, uel non, eo vſque aſcendit, quod dubitet etiā ſpeculatiuè, an res talis ſit vel non. Quapropter omne dubium practicum includit neceſſariò dubium ſpeculatiuum, imò radix dubietatis practicæ, eſt dubitatio ſpeculatiua: è conuerſo uero dubium ſpeculatiuum non claudit dubitationem practicam, ſed ab ea optimè ſeiungi poteſt. Plura de his apud Doctores hic citatos. Nauarrus *in man.prælud.* 9. *num.*9. Clauis Regia *lib.* 1. *cap.* 13.*numer.* 1. Caietanus *opuſc.*17 *reſponſ.reſol.*15. *dub.*7. & 1.2.*quæſt.*57.*art.*5.*ad* 3. Sanchez *de matr. lib.*2. *diſput.* 41. *num.*4. Guttierez *de matrim.cap.*49. *n.*25. Syluius 1.2. *qu.* 19.*art.*5.*quæſit.*7. Bonacina *de peccat. diſp.*2. *quæſt.*4.*punct.* 7 *num.*11. Reginaldus *l.*13.*n.*79. Filliucius *tract.*11.*nu.* 154.

Nauarrus, Clauis Reg., Caietan., Sanchez, Gutierez, Syluius, Bonacina.

24 Ex dubio ſpeculatiuo quod quis habet, tenetur in praxi ſimile iudicium practicum formare, niſi aliqua ratio ſpecialis cogat variare iudicium practicum. Ratio eſt, quia abſurdum eſſet, dubitantem abſolutè, an aliquid licitum ſit, non etiam dubitare, an idem ſibi hic & nunc liceat, niſi rationabilem cauſam habeat credendi id ſibi licitum eſſe: quod fieri poteſt, quia cùm res morales ob circumſtantias uarientur, poteſt aliqua occurrere, quę licitum efficiat, quod in communi & ex ſe illicitum eſt, vt ſtatim dicetur. Ita Sanchez *de matrim.lib* 2. *diſput.*41. *numer.*5. & *l.*1 *Moral.cap.*10.*num.*7. Bonacina *cit.num.*2. Becanus *de actib.human.c.*4.*q.*8. & alii.

Reginald., Filliucius. Sanchez, Bonacina, Becanus.

25 Licitum eſt cum dubio ſpeculatiuo aliquando operari, quando adeſt oppoſita cognitio practica propter aliquam ſpecialem circumſtantiam. Ratio eſt, quia actus humani circa ſingularia verſantur, & quod in communi illicitum eſt, poteſt ex aliqua circumſtantia reſpectu huius licitum fieri; Siquidem miles poteſt habere dubium ſpeculatiuum, an bellum quod geritur à ſuo Principe, ſit iuſtum & tamen practicè formare poteſt iudicium licere ſibi obedire ſuo Principi vocanti eum ad bellum, interim dum nō conſtet ei de iniuſtitia belli, ad eum non pertinet determinare, & ſtatuere, an bellum iuſtum, vel iniuſtum ſit; ſed ad Principem.

Idem accommodari poteſt ſcientiæ & opinioni, quòd nimirum etiam liceat aliquando operari depoſita practicè ſcientia uel opinione, quæ ſpeculatiuè oſtendebat aliquid licite fieri non poſſe, v.g. ſciens in communi ſe teneri præcepto ieiunandi, vel non, aut dubitans, an ad hæc obligetur, poteſt aliquando ea ſcientia, vel dubio ſpeculatiuis depoſitis, tranſgredi ieiunium, vel votum, non dubitando practicè, id eſt, hic & nunc, id ſibi licere. Ita Syluius 1.2.*q.* 19.*art.*5.*quæſit* 7.*concl.*1. Diana *part.*4.*tra.*3.*reſol.*1. Bannez 2 2.*q.*62.*art.*6 *dub.*5. *concl.*4. Rodrig. *in Summ.c.*71. *tom.*1. Clauis Regia *lib.*1. *c.*13 *n.*2. Becanus *cit n.*3. Salon a 2.*q.*5.*de dominio art.*7.*q.*3. & alii.

Syluius, Diana, Bannez, Rodrig., Clauis Reg., Salon.

26 Qui cum dubio practico aliquid operatur, peccat ea ſpecie peccati de qua dubitatur. Ratio eſt, quia exponens ſe periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter, & qui ſe exponit periculo peccandi uenialiter, venialiter; habet enim talis affectum ad peccatum eiuſdem rationis, cuius ſe periculo exponit, & hoc uerum, quamuis ſpecculatiuè certus ſit, hoc ſibi eſſe licitum, modò practicè dubius ſit. Tum quia voluntas applicatur ad actionem, non per ſpeculatiuum, ſed per practicum iudicium, eaque applicatio reddit actionem deformem. Tum quia facultas non poteſt in actum ſuum rectè exire, niſi ſit ad vnum determinata. Ita D. Thomas *quodlib.*8.*art* 13. Nauarrus *in cap. Si quis autem, de pœnitent. diſtinct.* 7.*n.*61. Syluius *cit.concl.*1. Sanchez *lib.*1.*moral.c.*10.*num.*6. Clauis Regia *lib* 1.*cap* 13 *n.* 3.*& ſeq. Cap. iuuenis, de ſponſal,* & *cap. Ad audientiam, de homicid.* & alii communiter.

D. Thom., Nauarrus, Syluius, Clau. Reg.

27 Qui practicè dubitat in vtramque partem, quia timet videlicet ſibi peccatum, ſiue in agendo aliquid, ſiue in omittendo, peccat, niſi adhibita diligentia debita eligat minus malum, ſi alterutrum neceſſariò eligendum iudicauerit. Ratio eſt, quia facit uel omittit aliquid, practicè dubitans eſſe peccatum. Quod autem dicitur, de duobus malis minus eſſe eligendum, habet locum, quando diſcerni poteſt, quodnam malum maius ſit, & probabilius immineat; nam aliàs poterit quodcumque libuerit ſine peccato eligi, ſi altervtrum eligendum ſit. Ratio eſt, quia reipſa nunquam ſimpliciter datur perplexitas, vt homo neceſſariò peccare debeat: Vnde in tali caſu dubitans, debet ſibi formare cōſcientiam, quā iudicet ſe poſſe facere quod facit, alioquin enim in quamcumque partem deflectat, peccabit, eō quòd faceret contra conſcientiam dubiam; Lex enim quæ prohibet illud minus peccatum, deſinet hic & nunc eum obligare: vt id quod grauius eſt, poſſit deuitare, & practicè tunc eſt iudicandum non malum ſeu non imputabile operanti, quia non poteſt illud vitare. Vide Sanchez *l.*1.*moral.cap.*10. *n.*19. Reginaldum *l.*13. *nu.*86. Syluium *cit.quæſit.* 8. *concl.*3. Becanum *cit. cap.*4. *quæſt.*8. *num.*7. Nauarrum *in man. cap.*27. *num.*281. Bonacinam *c.punct.*7.*num.*8. Et infrà *num* 38.

Sanchez, Reginald., Syluius, Becanus, Nauarrus, Bonacina.

28 Vt conſcientia, ſeu iudicium ſpeculatiuum practicè

depo-

deponatur, & vincatur, duo requiruntur, ſcilicet, debita diligentia in rei veritate inquirenda, quam ratio poſtulat pro rei temporis, & loci qualitate, & conditione; deinde requiritur iuſta cauſa deponendi practicè dubium ſpeculatiuum, vt eſt conſilium bonorum & Doctorum virorũ ſufficiens ſtudium, poſſeſſio, quæ, iuxta probabilem plurimorum Doctorum ſententiam, titulus communis eſt, non ſolùm in materia iuſtitiæ, verùm etiam cæterarum virtutum, ita vt in dubio iudicandum ſit in fauorem poſſidentis quia vbi forum exterius non nititur falſa præſumptione, idem iudicandum eſt in foro conſcientiæ, quod iudicatur in foro externo; in dubio autem quis poſſideat, vel pro quo ſtet poſſeſſio, ſtandum eſt præſumptioni & iudicio fori externi, quando debita præmiſſa diligentia veritas non appareat; nam tunc idem eſt iudicium vtriuſque fori, quare ſi præſumptio fori externi ſtet pro obligatione, tenebitur voluntas, ſi autem ſtet pro voluntatis libertate, non tenebitur. Præſumptio enim iuris, eſt probabilis coniectura ex certo ſigno proueniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur, donec aduerſarius oppoſitum probet, in quem id probandi onus transfertur. Ergo dum ſtat hæc iuris præſumptio in eo dubio pro obligatione, nec dubitans poteſt contrarium aſſenſum habere, & ſic ſe exonerare, erit ſuſtinenda obligatio tanquam vera. Vide Reginaldũ *c. num.* 83. 91. & 115. Bonacinam *cit. num.* 13. Filliucium *tract.* 21. *num.* 174. Suarez *de cenſur diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 13. Dianam *p.* 2. *tract.* 3. *miſc. reſol.* 45. & *p.* 4. *tract.* 3 *reſolut.* 2. Sanchez *cit. cap.* 10. *n.* 7 & *ſeq.* & *de matr. lib.* 2. *diſp.* 41. Valentiam 1. 2. *diſp.* 2. *q.* 14. *punct.* 4. *quæſtiunc* 4. Sancium *in ſelectis diſp.* 42. *n* 4. & 8. & *d* 48 *n.* 55. & *ſeq.* Caſpenſem *tract.* 11. *diſp.* 4. *n.* 7. & alios.

Reginald. Bonacina Filliucius Suarez Diana Sanchez Valentia Saucius Caſpenſis.

Ex hac propoſitione colligi poteſt ſolutio plurimorum caſuum, in materia excommunicationis, voti, iuramenti, legum, & reſtitutionis, &c. de quibus ſuis locis agitur.

29 Voluntas conformis rationi ſuſpicanti opus eſſe honeſtum, non eſt recta. Ratio eſt quia talis non operatur ex fide ſeu credulitate, quâ prudenter exiſtimet hoc ſibi eſſe licitum, nam ſuſpicio eſt extra ſphæram probabilitatis, cùm differat ſpecie ab opinione; ac propterea licet in alteram partem aliquantulum propendeat, quod non facit dubitatio, tamen non eſt aſſenſus de operis honeſtate, ſed de poſſibilitate honeſtatis.

Præterea neque recta eſt voluntas conformis rationi ſcrupuloſæ; quia diſſentit à dictamine prudentiæ, adhærendo ſuſpicioni, contra opinionem probabilem, aut etiã contra ſcientiam. Scrupulus enim nihil aliud eſt propriè quàm *leuis quadam ſuſpicio & formido ad vnam partem contradictionis, ex leuibus motiuis, & fundamentis proueniens.* Vnde plerique ſcrupuloſi moraliter certi ſunt, quòd non peccauerint, & tamen ita indulgent ſuis ſcrupulis, vt conquieſcere non poſſint, ſed omnia & aliquando vnum, & idem decies velint confiteri. Qui magnus eſt error, adferens ſecum grauia incommoda, tum animæ, tum corpori; nam tales ſæpè caput lædunt, & ſpiritu nihil proficiunt, exponuntur grauibus tentationibus deſperationis, blaſphemiæ, hæreſis laxandi frenum omnibus vitiis, &c.

Scrupulus generaliter diuidi poteſt, in ſpeculatiuum, & practicum, ſpeculatiuus dicitur, qui in ſola cognitione conſiſtit, quando ſcilicet, contra cognitionem ſpeculatiuam, quam aliquis de re quapiam habet, leue quoddam vel argumentum, vel dubium ei oritur, cuius ſolutionem non inuenit. Practicus verò eſt, qui verſatur circa actionem & res gerendas, & hic propriè vocatur ſcrupulus conſcientiæ.

Porrò ſcrupulus, vel eſt de præterito, vt cùm qui ex coniecturis leuibus anxiatur, ne turpibus cogitationibus conſenſerit, quia non meminit ſe reſtitiſſe, vel eſt de futuro, vt cùm quis leui ratione ductus timet ne peccet, agendo quod occurrit agendum, vel omittendo quod occurrit omittendum. Vide Sanchez *lib.* 1. *Moral. c.* 9. *n.* 2. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 7. *cap.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *num.* 1. Sancium *in ſelectis, diſputatione* 41. *num.* 2. Syluium 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *quæſit.* 10. Clauem Regiam *lib.* 1. *c.* 14. Breſſerum *tract. de conſcientia l.* 2. *c.* 1. & alios.

Sanchez Vaſq. Layman Sancius Syluius Clau. Reg. Breſſerus

30 Voluntas diſcordans a ſcrupulo vt ſic, eſt bona. Ratio eſt, quia vt reiiciat ſcrupulum, quatenus ſcrupulus eſt, debet eſſe conformis ſcientiæ vel opinioni probabili, quæ ſit contraria ſcrupulo, & ſic rectè operabitur, nam ſi ſcrupuloſus non poſſit vincere ſuum ſcrupulum, ita vt contrarium iudicet ſibi licere, non operabitur prudenter & exponet ſe periculo peccandi, non quia facit contra ſcrupulum, ſed quia non habet iudicium determinatum de operis honeſtate.

Scrupuloſus autem poteſt deponere ſuum iudicium dupliciter, vno modo per principia intrinſeca, per rationes, ſcilicet, de nouo aduenientes, quibus mutetur iudiciũ in contrarium eius, cui antea inhærebat, iudicans licitum eſſe quod antea illicitum reputabat. Alio modo per principia extrinſeca per authoritatem videlicet confeſſarii, aut aliorum Doctorum docentium, nullo modo peccaturum ſcrupuloſum, licet operetur non depoſito iudicio, fundamentis ſcrupuloſis innixo, imò rectiùs acturum ſi adhuc eo non depoſito operetur.

Licitè poteſt operari ſcrupuloſus, non depoſita intrinſecè conſcientia ſcrupuloſa, dum tamen ſequatur confeſſarii dictamen, vel aliorum Doctorum docentium, nõ obſtante tali iudicio & rationibus, licitè poſſe operari, imò non ſolùm licitum eſt ſcrupuloſo contra ſcrupulum agere verùm ſalubre conſilium, & aliquando præceptum, quotieſcumque ex anxietate ſcrupulorum notabile damnum ſaluti obueniret, obſtrictus eſt enim tunc exteriùs ſe diuertere, aliis honeſtè confabulando, & læta videndo. Tenebitur etiam ſcrupuloſus conſilium confeſſarii ſequi, in operibus ſub præcepto, v.g. Euchariſtiã ſumere in articulo mortis, vel in Paſchate, & Miſſæ intereſſe in die feſto, licet aduerſus eam ſcrupulis infidelitatis vexetur. Licet enim verum ſit, pœnitentem non agere contra obedientiam, dum non paret confeſſario, peccabit tamen contra virtutem exiſtentem aliàs ſub præcepto, & quam confeſſarius iubet exerceri ſub pœnitentiæ vinculo. In operibus verò ex conſilio, licet non teneatur comitari iudicium confeſſarii, cum nec agere ſit adſtrictus, poterit licitè illud tamen amplexari contra proprium dictamen, eò quòd ſcrupuloſus ratione probabili non nitatur, ſed potiùs in ipſius defectu & ignorantia.

Tum quia ſubditus, ex plurimorum ſententia, tenetur obedire contra propriam opinionem, quantumcumque iudicet opinionem ſuperioris præcipientis eſſe falſam, & tunc operatur hoc dictamine, licet quod mihi præceptum eſt, agere non poſſim abſque peccato iuxta meum iudiciũ quod deponere non poſſum intrinſecè per rationes illud mutantes; virtute tamen obedientiæ operor, quæ quidem indemnem me conſtituit. Siue ad operandum teneor, quia ſcio me non peccaturum, opinionem probabilem ſuperioris ſectando.

Igitur ſcrupuloſus, ratione obedientiæ erga confeſſarium, ſequi poterit illius dictamen contra proprium vrgentiori ratione, cùm ſcrupuloſum iudicium ratione non fundetur, probabilis verò opinio illi nitatur. Et certè, ſi ſcrupuloſis adhuc non depoſito iudicio, contra illud agere non liceret plures ſaluationem non poſſent aſſequi, dum ſcrupulis adeò vexentur, quòd in omnibus ſe delinquere putent. Ita communiter Clauis Regia *lib.* 1. *cap.* 14. Nauarrus *in man. prælud.* 9. *num.* 9. Malderus 1 2. *diſp.* 88. Rodriguez *tom.* 2. *qq. reg. quæſt.* 47. *art.* 3. Corduba *lib.* 3. *quæſt.* 5. *propoſ.* 4. Bonacina *tom* 2. *diſp* 2. *q.* 4 *punct.* 8. *n.* 5. Sanchez *li.* 1. *Moral. c.* 10. *nu.* 80. Vaſquez 1 2. *diſp* 67. *c.* 2. Layman *l.* 1. *tract.* 1. *c.* 6. Filliucius *tract.* 21 *n.* 176. Syluius 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *quæſit.* 12. *concl.* 2.

Clau. Re Nauarrus Malderus Rodrig. Corduba Bonacina Vaſquez Layman Filliucius Syluius

31 Scrupuli ex variis cauſis oriuntur. *Primò*, ex conſtitutione melancholica & natura valde formidoloſa. *Secundò*, ex artificio Dæmonis, qui conſcientiam teneram, & ſtrictam magis conſtringere conatur, vt eam tædio affectam à ſtudio vitæ ſpiritualis deturbet. *Tertiò*, ex nimia maceratione & afflictione corporis, quæ ita cerebrum exſiccant vt mentem conturbent, ſcrupulóſque occaſionaliter pariant. *Quartò*, ex ignorantia, & defectu iudicii, vt qui diſtinguere non norunt inter dubium practicum & ſpeculatiuum, inter tentationem & conſenſum, inter grauem culpam & leuem. *Quintò*, ex frequenti conuerſatione cum ſcrupuloſis. *Sextò*, ex ſuperbia, & abundantia proprii iudicii, cum homo non vult audire ſanum conſilium, ſed nititur viſionibus capitis ſui, ac propterea facilè à diabolo intricatur, vnde videmus aliquando viros

quoſdam

quofdam valdè doctos. vehementer fcrupulis agitari. Ita Clauis Regia *l.1.c.14.* Nauarrus *in man.cap.27. num.282.* Azorius *tom.1.l.2.c.20.q.5.* Bonacina *cit punct.8.n.2.* Syluius *1.2.q.19.a.5.quæsit.11.* Malderus *1.2.disp.88.* & alii.

Clau. reg. Nauarrus. Azorius Bonacina. Syluius Malderus.

32 Remedia, quibus curari poteft fcrupulofus, multa à Doctoribus recenfentur, & præcipuè à Nauarro *in Man, cap.27.num 282.& feq.* Clauis Regia *lib.1 cap.14. num.2. & feq.* Emmanuel Sà *v. Dubium.* Filliucio *tract.21 c.4 q.5.* Sanchez *lib.2.moral.c.10.n.82.& feq.* Syluio *1.2.q.19.art.5.quæsit.12.* Syluestro *verb.Scrupulus.* Azorio *tom.1.lib 2. cap.20.quæst.6. & 7.* Bonacina *tract. de peccatis, disput.2. quæst.4 punct.8.num.34.* Becano *part.2.tract 2.cap.4.q.10.* Layman *lib.1.tract.1. cap.6. num.2.* Victoria *de Sacram. quæst.130.& feq.* Breffero *tract.de confcientia,lib.6. cap.5. & feq.* Sancio *in felectis disput 41.* Rodriguez *to.3.qq.reg. quæst.66.art.2. & 3.* Lorichio *in thefauro,verb.Confcientia num.7.* Pefantio *1.2.quæst.19.art.6.disp.10. De confcientia fcrupulofa,* & aliis hic citatis.

Nauarrus Clauis R g. Emanu. sa Filliucius Sanchez. Syluius. fuluefter Azorius Bonacina. Becanus Layman victoria Brefferus fancius Rodrig. Lorichius Pefantius,

Primò, poft remedium corporale, fi fcrupulus oriatur ex caufa naturali, fcilicet poft remotionem vel mitigationem caufæ per medicinas & moderatas recreationes, debet fcrupulofus ad Deum recurrere, petendo gratiam fuam, per proprias & alienas preces, cum humilitate, fiducia & deuotione.

Secundò, debet in omnibus fubiicere iudicium fuum directori fpirituali, qui habeatur vir bonus & doctus, & firmiter fibi perfuadeat fcrupulofus Dominum Deum, non aliud ab ipfo poftulat verum, etiamfi fortè director erraret. Prudenter enim tunc operatur fcrupulofus, atque adeò non peccat, fequendo illius vel confeffarii iudicium, quia fequitur regulam prudentiæ, quæ habet licere fe fubmittere viris probis & doctis, quando aliquid iubent vel confulunt circa eam rem in qua funt bene verfati. Ita verò conuenit fcrupulofum, vel fuperioris, vel alterius prudentis iudicio acquiefcere, vt omnia quæ contra eius refolutiones aut confilia occurrunt, negligat, & tanquam fcrupulos, vel dæmonum tentationes repellat. Si fcrupulofus fit vir doctus, cogitet quid confilii ipfe aliis contra fcrupulos fuis fimiles, & ipfemet eo confilio vtatur pro feipfo, & tum ille, tum alii fcrupulofi cogitent, quomodo aliis fcrupulis, fi quos fortè adhuc habuerint, liberati fuerint, & vtantur nunc iifdem mediis. Si ille qui vexatur fcrupulis, ftudiis vacauit, vtile ipfi eft recurrere ad libros, de illis rebus, de quibus inquietatur, fcriptos, modò in applicandis iis, quæ illic inuenerit, fuo iudicio non nimium fidat, fed fequatur probabilem aliorum opinionem. Scrupulus enim deponi poteft, non folùm confilio confeffarii, aut alterius viri docti, verùm etiam alia probabili ratione.

Tertiò, Scrupulofi dubia debent à confeffario explicari in meliorem partem, vnde confeffarius confulere debet pœnitenti, ne confiteatur peccata, quæ dubitat effe mortalia, vel quæ alias confeffus eft, fi mediocrem diligentiam nouerit fuiffe adhibitam ad integrè confitendum: Cùm enim probabile fit iudicium illud ex fcrupulo oriri, & non ex dubitatione, probabile etiam eft fundamento carere, & confequenter probabile etiam nullam interuenire obligationem fubiiciendi peccatum nouæ confeffioni. Præterea confeffarius non debet admittere pœnitentem fcrupulofum ad aperiendos fcrupulos, imò debet aliquando deterrere & reprehendere, ne fcrupulos aperiat, vel confiteatur; ei explicando, poffe interdum effe præceptum agendi contra fcrupulos, nimirum, quando quis graue ex fcrupulis, & anxietatibus detrimentum pateretur. Huic etiam expediet confulere nihil ab ipfo iudicandum mortale, nifi quod ei manifeftè, abfque dubio & formidine vlla tale appareat. Imò aliquis adeò poteft effe fcrupulofus vt ei hoc confiliũ præberi poffit, quòd nifi aliquid ita certò fibi conftat vt iurare poffit, non credat effe mortale, nec aperuiffe talia peccata in confeffionibus præteritis Et quamuis hoc remedium communiter à Doctoribus affignetur; id tamen fufficiens non effe experientia conftat, cùm talis fcrupuloforum fit conditio, quod iurare non recufabunt, id criminis commififfe, quod nequaquam fuit patratum. Vnde efficacior medicina erit, fecundùm aliquos Neotericos Doctores, nulla peccata interiora habenda fore ab fcrupulofis vt talia, cùm fauorabilis adfit pro illis præfumptio, ipfos cogitare in crimen confenfiffe, dum longè à committendo diftabant, folùm ergo exteriora peccata fuiffe ab ipfis commiffa, erit credendum; imò aliqui adeò fcrupulis capti inueniuntur, quòd fe commififfe exteriores actus fateantur, quando eos non fuiffe aggreffos eft manifeftum. Vnde pro horum remedio & cognitione, confeffarius attendat ad mores fcrupulofi,

Quartò, fcrupulofus fæpè debet facere contra fcrupulos, vt illis occafionem eripiat, fecanda eft enim via, qua fcrupulis in animam aditus patet, & hoc potiffimum remedium eft, nil de fcrupulis curare, nec argumentis, quæ ex ipfis confurgunt, refpondere, fed omninò contemnere ac vitare cogitationes infurgentes circa illos, ficut enim ad finiftræ confuetudinis vitium beftiæ tollendum, opportunum remedium eft, id in ea nullatenus permittere, fic ad finiftro fcrupulofi vitio medendum, mirum in modũ confert, fcrupulis non acquiefcere, fed contra agere. Ad vitandos tamen fcrupulos, non decet fcrupulofos motibus capitis, geftus, alteriùfve membri geftire, quafi dicãt, *non confentio, non confentio*, ipfa enim attentio ad fcrupulum vitandum, fcrupulum parit, & fæpè fit, quòd fcrupulofi occupent fuam mentem ad hoc, quòd velint effe intenti & attenti, quod potiùs eft euagatio quàm attentio, habentes potiùs attentionem ad intentionem habẽdam, taliter quòd intentio fit obiectum tunc fuæ attentionis, potiùs quàm ad verba diftinctè & reuerenter dicenda in perfolutione fuarum horarum.

Quintum remedium eft demonftrationis, quando quis per fyllogifmum demonftratiuum perfpicuè concludit, fcrupulum effe deponendum; qui modus eft certiffimus, nec facilè errori obnoxius, nam vel oritur fcrupulus, de peccato præterito verbi gratia an confenferit, an fit confeffus, an planè confeffus & cum debita præparatione, aut oritur de obligatione ad confitendum. Si de peccato præterito, vtatur hac demonftratione. Nemo fcrupulofus abhorrens à peccatis, credere debet fe Deum mortaliter offendiffe, nifi morali euidentia hoc illi conftet, fed mihi hoc non conftat, ergo. Maior eft certiffima, quia talis fcrupulofus de verà culpa non dubitabit, nec erit anxius, fed dolebit potiùs & fentiet alium affectum, quàm dum pungitur fcrupulis. Minor erit ipfi euidens. *Primo*, fi dubitet. *Secundo*, fi eft anxius. *Tertio*, quia nulla ratione auderet iftud quod putat peccatum, fubiicere abfolutioni facramẽtali, tanquam materiam fufficientem, metu noui facrilegii. Sed quoniam potiffima fcrupuloforum anxietas, verfatur circa obligationem confitendi, poterunt vti duabus demonftrationibus. *Prima*, quando probabile eft me peccaffe mortaliter, & ex altera parte verè probabile eft quòd non, ceffat obligatio confitendi, fed mihi probabile eft quòd non peccauerim mortaliter, ergo. Maior in fcrupulofis eft euidens. Minor etiam poterit euidenter colligi, eò quod dubitatio & anxietas in fcrupulofis faciant probabile argumentum. *Secunda* eft efficacior, nullus tenetur cum graui valdè damno animæ, aut corporis, aut famæ, aut fortunarum confiteri, fed fcrupulofus indulgendo fcrupulis, incurrit graue damnum & valdè nocibile, ergo. Maior eft communis fententia Doctorum. Minor patet experientia.

Prudenter igitur faciet fcrupulofus, fi his remedijs adhibitis, ferniat Domino in lætitia & dictamen rectæ rationis non autem affectum anxietatis fequatur. Cogitet prætere a, Deum, non folùm effe iudicem iuftum, fed etiam patrem mifericordiarum, benignum & placabilem, maioremque ponat fiduciam in eius mifericordia, quàm in fuis rationibus & motiuis.

Confideret infuper fe diffamare Deum & Sacramentũ Pœnitentiæ, idque reddere odiofum circumferens Sacramentum velut rigorofum exactorem fe gerere, vltra debitum à confcientiis exigens, cùm non folùm peccata, verùm & fcrupulos poftulare velit, quod tamen eft falfum.

Porrò vfum Sacramentorum intolerabilem effe alii iudicabunt, occafione data ab fcrupulofo, cùm enim alii videant fcrupulofum perditum fcrupulis, poterunt timere ad Sacramenta accedere, declinando in laxitudinem, ne in tale perditionis extremum incidant, in quale fcrupulofum incidiffe vident, putantes vitam obferuantem, &

Sacra-

Sacramentorum vſum id damni attuliſſe. Vide *v. Epicheia num.4.*

Plura de his remediis, quibus ſcrupuloſi poſſunt iuuari habes apud Doctores hoc numero citatos.

33 Conſcientia erronea, vel procedit ex ignorantia vincibili & dicitur culpabilis, ſiue inexcuſabilis, quæ ita imprudenter iudicat, vt poſſit falſum & imprudens iudicium deponere, ſi debitam adhibeat diligentiam, vel ex ignorantia inuincibili, & dicitur inculpabilis, ſeu excuſabilis, quæ ita errat, vt poſitis talibus circumſtantiis, videatur prudenter iudicare, nec teneatur ſuum iudicium deponere. Sanchez *lib.1.Moral.c.*11. *num* 1. *&* 5. Bonacina *tract. de peccat. diſp.*2.*q.*4.*punct.*6.*num.*10.

Sanchez
Bonacina

Sicut conſcientia recta obligat voluntatem ad non contraueniendum ei, ſic & erronea, non modò inculpabilis, ſed etiam culpabilis eodem iure obligat. Ratio eſt, quia non tantùm qui facit, ſed etiam qui credit ſe facere id in quo diſplicet Deo, contemnit voluntatem & legem Dei, & ideò reus eſt culpæ in Deum: vnde qui contra conſcientiam agit, eodem peccato peccat, quale eſſe conſcientia dictat; quia in tali actione agens quantum eſt in ipſo, vult quale conſcientiæ dictat peccatum committere, ſi illud ſit mortale, mortale, ſi veniale, veniale: Tota enim huius malitię ratio in eo conſiſtit, vt contra conſcientiæ errantis dictamen ſit opus, vnde talis & tanta erit malitia, qualem & quantam conſcientia dictabit. Clauis Regia *lib.*1.*ca.*4. *n.*13.15.*&* 19. Valentia 1.2. *diſp.*2.*q.*14.*punct.*4.*dub.*3. D. Thom. 1.2.*q* 19.*art.*5. *ad* 3. Nauarrus *in Man. prælud.* 9. *n.*9. Vaſquez 1.2. *diſp* 59.*c.*3. & alii.

Clau. Regi.
Valentia
D. Thom.
Nauarrus
Vaſquez
Syluius
Peſantius
Caſpenſis

Aduertendum tamen hic eſt ſecundùm Syluium 1.2. *quæſt.*19.*art.*5.*concl.*2. Peſantium 1.2.*quæſt.*19.*art.*6. *diſp.*3. Caſpenſem *tract.*11.*diſp.*2 *num.*27. & alios quòd conſcientia erronea nō obliget generaliter eo modo quo præceptum vel prohibitio, ad faciendum aut ad omittendum id quod præſcribit eſſe omittendum, quia verè & propriè loquendo, nullus obligari poteſt ad committendum aliquid illicitum, vel ad omittendum aliquid præceptum, ſed dicitur obligare, quia tali conſcientia ſtante, peccabit homo, ſi faciat contra eius dictamen, non qualecumque, ſed quo dictat quippiam eſſe faciendum tanquam præceptum, vel omittendum tanquam prohibitum. Conſcientia ergo erronea obligat, non ad faciendum ſecundùm illam, niſi fortè ſit inuincibilis, ſiue inculpabilis, & ita perſeueret, ſed ne faciamus, contra eam. Sicuti ſi conſcientia dictet alicui, quod debeat mentiri ad vitam innocentis ſeruandam, talis non obligatur ad mentiendum, ſed obligatur non facere contra iſtud dictamen ſuæ conſciētiæ Proinde licet & recta & erronea cōſcientia obliget, ſed diuerſimodè, vt docet D. Thomas: Recta enim ligat ſimpliciter & per ſe, abſolutè & in omnem euentum. Erronea autem ſecundùm quid, & per accidens: habens enim conſcientiam rectam quòd oporteat abſtinere ab adulterio ſemper, & in omni euentu tenetur ab eo abſtinere, nec poteſt eam conſcientiam aliquando deponere abſque peccato. Erronea autem non ligat niſi ſecundùm quod creditur eſſe recta; qui autem vult vnum propter aliū, iſtud aliud vult per ſe, alterum autem quod vult propter ipſum, per accidens. Ita Syluius, Peſantius, Caſpenſis & communiter recentiores.

Hinc deducitur, conſcientiam erroneam vim obligandi habere, ex lumine naturæ, quatenus dictat malum eſſe fugiendum, & iudicat voluntatem ſequi debere intellectum tanquam ducem & proximam ſuam regulam, cùm ipſa voluntas ſit cæca. Ita Sanchez *lib.*1.*Mor.c* 11 *n.*4. Syluius *cit.* Becanus *cit.c.*4.*q.*7.*n.*8. & alii communiter.

Sanchez
Syluius
Becanus

34 Qui ex conſcientia erronea culpabili, ſeu vincibili aliquod malum facit, à peccato non excuſatur, etiamſi conſcientia dictet illud eſſe faciendum. Tum quia in hominis poteſtate eſt errorem vincibilem deponere, vnde malum quod ex conſcientia erronea fit, cenſetur homini indirectè eſſe voluntarium, & ideò ipſi ad culpam imputatur. Tum quia conſcientia vincibiliter erronea non obligat, vt eam poſitiuè ſequamur, ſiue vt ſecundùm eam operemur, ſed tantùm ne contra illam agamus. Si quis enim ſequeretur conſcientiam vincibiliter erroneam, ei dictantem quòd debeat facere id, quod eſt per ſe malum, vt innocentē occidere, adulterari, furari, ſine dubio peccaret, ergo non tenetur ſequi talem conſcientiam, quia alioquin teneretur peccare, quod eſt impoſſibile. Abſurdum enim eſt, quòd aliquid peccare teneatur ex ui præcepti diuini. D. Thomas. 1.2.*q.*19 *art.*6.*ad* 3 Syluius *ibid. art.*5.*concl.* 2. Clauis Regia *lib.*1.*cap.*4.*num.*8.9.*&* 10. Sanchez *lib.*1.*ca.*11.*num.*12. Becanus *cit.num.*9. Azorius *tom.*1.*lib.*2. *c.*8. *q.*8. Filliucius *tract.*21.*n.*121. & alij.

D. Thom.
Syluius
Clau. Reg.
Sanchez
Becanus
Azorius
Filliucius

35 Conſcientia erronea ex ignorantia inculpabili, non ſolùm obligat, ne quis faciat contrarium, ſed etiam ſimpliciter obligat ad poſitiuam ſui obſeruationem. Ratio eſt quia malum quod ex huiuſmodi ignorantia commiſſum eſt, non cenſetur uoluntarium, cùm ignorantia inuincibilis tollat omnem voluntarii rationem circa malum. Tum, quia talis non poteſt ſuæ obligationi ſatisfacere alio modo, quàm agendo ſecundùm eam, ergo tenetur agere id quod ipſa dictat. Nec inde ſequitur, quod aliquis obligabitur ad malum & peccatum, quia talis non eſt obligatus ad id, quod eſt ipſi malum, neque ad peccatum; quamuis enim id quod ipſi dictat conſcientia, ſit malum ſecundùm ſe, non eſt tamen hic & nunc ei malum, quia obiectum uoluntatis non eſt opus conſideratum ſecundùm ſe, ſed vt a ratione & conſcientia proponitur tanquam bonum & præceptum. Ita Clauis Regia *cit.num.*11. Azorius *cit.cap.*8.*qu* 8. Bonacina *tract.de peccatis, diſput.*2. *quæſt.*4. *punct.*6. *num.* 14. Peſantius 1.2.*quæſt.*19.*artic.* 6.*diſp.*3. Filliucius *tract.* 21.*n.*120.123. Syluius *citat.artic.*5. *quæſit.*5.*concl.*1.

Clau. Reg.
Azorius
Bonacina
Peſantius
Filliucius
Syluius

Sed obiicies, miniſter Regis, aliter promulgans legem, quam à Rege condita eſt, ea lege ſubditus non obligat: at conſcientia erronea ſe gerit tanquam miniſter, aliter promulgans legem, quam a Deo, aut natura lata eſt; ergo nequit habere vim obligandi? Reſp. Miniſtrum Regium aliter promulgantem legem quàm a Rege condita eſt, inducere obligationem, non quidem in reipſa, ſed in exiſtimatione, quæ obligatio per veram notitiam Regiæ legis tolleretur. Similiter conſcientiam erroneam tantum imponere obligationem in apprehenſione, ſeu in exiſtimatione, cùm legem Diuinam, aut naturalem aliter ac eſt proponat, quæ obligatio tollitur per veram notitiam legis Diuinæ, aut naturalis.

36 Quando in dubiis & indefferentibus conſcientia errat inuincibiliter, circa aliquam legem naturalem, aut poſitiuam, quam Prælatus tollere nequit, quia eſt lex alicuius ſuperioris, tunc magis conſcientia obligat, quàm obliget præceptum ſuperioris contra illam legem præcipientis. Exemplum ſit in eo, qui vidit aliquam legem Summi Pontificis, quæ rem aliquam præcipit aut prohibet, quam poſtea reuocauit, cuius reuocatione ſubditus ille omninò ignorauit; Prælatus autem non ſolùm ignorat reuocationem, ſed etiam legem ipſam, quia nunquam ipſa vidit, aut de ea audiuit: in tali caſu, ſi Prælatus aliquid contra legem Pontificis præciperet, conſcientię potiùs erroneæ, quam Prælati mandato ſtandum eſt. Ratio eſt, quia conſcientia proponit iſtam legem velut eius qui Pręlato eſt Superior, nec poteſt vllo modo tolli, cùm ex parte ſubditi ſit ignorantia inuincibilis, & Prælatus neque poſſit legem tollere, neque obligationem relaxare. Secus autem dicendum eſset, ſi Prælatus Superior præceptum aliquod contra conſcientiam legis inferioris imponeret, quādoquidem ſicut tunc tollere poteſt legem illam, ita etiam conſcientiam illius tollere poteſt. Vaſquez 1.2. *diſp* 61. *cap.*1. Syluius 1.2.*quæſt.*19 *art.*5.*quæſit.*1.*concl.*3 Clauis Regia *li.*1.*cap.*4.*num.*33.34. Peſantius 1.2.*q.*19.*art.*9 *diſp.*5. Malderus 1.2.*q.*19.*diſp.*84. & alii.

Vaſq.
Syluius
Clau. Reg.
peſant.
malder.

37 Quando conſcientia ſubditi uincibiliter errat & culpabiliter, procul dubio Prælati præceptum magis obligat & præualere debet, & conſcientiam erroneam tollere; ſubditus enim à præcepto Superioris non excuſatur per conſcientiam vincibiliter erroneam, & præceptum ſuperioris videtur obligare, & ad ipſum præceptum adimplendum, & ad deponendam conſcientiam erroneam, quam inuincibiliter errans poteſt & debet ponere. Præceptum enim non ſolùm obligat ad finem, verum etiam ad media. Vide Sanchez *lib.*1.*Moral.cap.*11.*nu.*16. Clauem Regiam *c.num.*35. Syluium *cit.concl* 4. Bonacinam *cit. diſp* 2. *quæſt.*4.*punct.*6. *numer.*17. Peſantium *c.diſp.*5. Malderum *cit.* & alios.

Sanchez
Clau. Reg.
Syluius
Bonacina
peſant.
malder.

38 Ne-

38 Nemo ex errore conſcientiæ conÿci poteſt in eas anguſtias, vt compellatur peccare, v.g ſi quis putet ſe poſſe mentiri ad ſeruandam uitam proximi, quia ſi mentiatur peccabit contra legem Dei; ſi non, peccabit contra conſcientiam. In tali caſu ad euitandum ab vtroque parte peccatum, ſi error ſit culpabilis, eſt faciendum quod in ſe eſt ad depellendum errorem, vt ſi homo poſſit formare iudicium contrarium & deponere conſcientiam, quod ſi error ſit inculpabilis, uolitio illi conformis non erit peccatum niſi materialiter, & ſic nunquam homo redigitur in eum ſtatum, vt quidquid agat peccare neceſſariò debeat, quia daretur peccatum non liberum, quod abſurdum eſt.

Suppoſito autem quòd non deponat errorem, non eſt abſurdum dicere, quod erit perplexus, quia ſicut in ſyllogiſticis, vno inconuenienti dato, neceſſe eſt alia ſequi, ita in moralibus vno inconuenienti poſito, ex neceſſitate alia ſequuntur: quamuis ergo nullus abſolutè ſit perplexus, ita vt in quamcumque partem ſe vertat, peccatum euadere non poſſit, quodam tamen poſito non eſt inconueniens, quòd aliquis ſit perplexus:

Ad deponendam autem legitimè conſcientiam, moueri debet homo aut ratione, vel authoritate, propter quam nunc iudicet contrarium eius, quod antea iudicauerat. Media verò, quibus ad legitimam erroneę conſcientiæ depoſitionem perueniri poteſt, ſunt; humilis & frequens oratio, totius rei exacta diſcuſſio: bonorum librorum, qui de iſta re tractant, lectio: conſilii à viris doctis petitio, & ſui ipſius ad ea quæ legit & audit ſubmiſſio. Quæ media ita ſunt neceſſaria, vt quando per unum eorum aliquis non aſſequitur ueritatē, ipſe debeat adhibere cætera quibus adhibitis, ſi adhuc ignoret uel erret, erit error inuincibilis.

Exempli gratia, ſi alicui dictet conſcientia erronea innocentem occidendum eſſe, dimittere debet hanc cōſciētiam, & liberatus erit, quod ſi dimittere non poſſit ex ſe, & monitorem erroris non inueniat, & occidat, inuincibilis fuit error, & inculpabilis. Vide Clauem Regiam *lib.1.c.*4. Reginaldum *lib.13 num.77.* Bonacinam *c.punct.6. nu.*23.*&* 30. Nider *precept.1.c.5. num.9.* Syluium 1.2.*qu.*29. *artic.5. quæſit.5.* Sancium *in ſelectis diſp.*41.*num.*27 Filhucium *tract.*21.*num* 122 Laymanum *lib.*1 *tract.*1.*cap.*4.*n* 4. D. Bonauenturam *in* 2.*diſp.*39 *art.*1.*quæſt.*3. D. Antonin. 1 *part.tit.*3 *cap.*10.§ 4. Sanchez *lib* 1.*Moral.cap.*11.*num.*13.*&* 14 Breſſerum *tract.de conſcient lib.5.cap.23.numer.*221.*&* *ſeq.* Caſpenſem *tract.*11 *diſp.*2.*n.*11.

Clau. Reg. Reginald. Bonacina Nider Syluius Sancius Filhucius Layman D. Bonau. D. Anton. Sanchez Breſſerus Caſpenſis.

Proinde actus ille, quo conſcientia inuincibiliter erranti, ac dictanti aliquid eſſe bonum, quod uerè peccatum eſt, voluntas ſe conformat, eſt bonus, eiuſdemque uirtutis, cuius eſſet, ſi reuera obiectum illud à parte rei tale eſſet. Ratio eſt, quia homo tunc ſimpliciter obligatur ad actum illum, ergo erit bonus. Tum quia obiectum, vt eſt in ſeipſa, non tribuit actui ſpeciem, ſed vt hic, & nunc proponitur, at hic & nunc proponitur ut honeſtum, atque ignorantia eſt inuincibilis, ergo reddit actum honeſtum. Corduba *in q.lib.2.q.23.prop.1.* Azorius *tom.1.l.2.c* 8.*qu. vlt.* Salas 1.2.*q.21.tract.8.diſp.vnic ſect.3.n.21.* & alii.

Cordub. Azorius. Salas

39 Qui ex conſcientia erronea aliquid facit falsò putans ſeu apprehendens eſſe peccatum, non cognita grauitate peccati, mortale ſit an ueniale, aut ſolum in communi cogitans eſſe malum, quod facit, ſecundùm quoſdam, uenialiter tantummodo peccat, tum quia abſtrahit à peccato mortali & veniali, & non videtur magis in mortale, quàm in veniale conſentire. Tum quia uelle id quod in genere dumtaxat iudicatur illicitum, non videtur eſſe grauis malitia, cùm huiuſmodi uoluntas contineat ſe adhuc intra limites eius rationi, quæ eſt communis peccato mortali & ueniali, & ideò eſt imperfecta in genere mali, & conſtituit tantùm peccatum ueniale. Ob has rationes hæc ſententia videtur ſatis probabilis, quam tuentur Nauar. *in man.præl.quæſt.9 n.9.* Reginald *lib.13.num.70.* Valentia 1.2.*diſp* 2.*q.14.part.4.q.3.* Salas *c.ſect.3.n.33.* & alii. Ex qua ſequitur hanc circumſtantiam non eſſe in confeſſione aperiandam, vt docet Diana *part.1.tract.7. reſol.*24.*&* *part.3.tract.4.reſol.*162.*&* *part.5.tract.5.reſol.*31.

Nauarrus Reginald Valent. Salas

Diana

Probabilior tamen eſt aliorum ſententia, talem peccare mortaliter. Ratio eſt, tùm quia, qui ita operatur abſque alio examine, exponit ſe periculo peccati mortalis, & ideo uirtualiter vult illud committere, qualecumque ſit, ergo operari cum tali conſcientia, eſt peccatum mortale. Tum quia qui putat hoc eſſe malum, tenetur conſiderare, perpendere & examinare, an ſit malum mortaliter, an venialiter, alioquin exponit ſe periculo peccandi mortaliter, & uidetur ita affectus eſſe, vt ſi ſciret illud eſſe graue peccatum, adhuc illud committeret. Proinde graue peccatum eſt, ita ſe offerre & committere periculo peccandi in communi, & hoc maximè tunc, cùm non ſit aliud motiuum peccandi ſibi propoſitum, quàm illud agendi, cò quia peccatum eſt; non enim dici poteſt talis uoluntas imperfecta in ratione mali operandi. Vt ait prima ſententia Atque ita tenent Rodriquez *in ſum.part 1. capit.*71. *conc.*4. Vaſquez 1.2.*diſp* 59.*cap.*3. Clau.Reg. *lib. 1.c.4.nu.*17. Sanchez *lib.1.mor.c.1.num.9.* Sancius *in ſelect.diſp.*18 Syluius 1.2.*quæſt.19.art.5.quæſit 3.concl.*3. Peſantius *ibid. diſp.2. quæſit.*2. & alii. Caſpenſis tamen noſter *tract.*11. *diſp.2.ſect 1.num.8.citans Hurtadum*, exiſtimat non poſſe concipi à nobis malitiam in communi, abſque aliqua quātitate, ſaltem confusè concepta, ac proinde quando apparet, non concipere actum, vt malum, & non ut grauem, nec ut leuem nobis offerri expreſsè, ut malum, & confusè cum aliqua quantitate malitiæ aliquando parua; in quo caſu, quando actus concipitur expreſsè ut malus in communi & confusè, vt leuis: eſt peccatum veniale; imò etiam quando concipitur confusè vt grauis, quia quando conceptio confuſa grauitatis non eſt plena, non ſufficit ad peccatum graue. Et hæc ſententia eſt probabilis.

Rodriquez Vaſquez. Clau. Reg. Sanchez Sancius Syluius Peſantius

Sed quęres, ad quod peccati genus reuocetur peccatum contra conſcientiam commiſſum. Reſpond. quod agere contra conſcientiam rectam, non eſt ſpeciale peccatum, ſed retinet ſpeciem eius peccati, quod quiſpiam committit ea repugnante, veluti, fornicationis, furti homicidii, quia non eſt præceptum ſpeciale ſed generale vt agamus ſecundùm conſcientiam.

Quæ verò fiunt contra conſcientiam erroneam non ſunt ex hoc ipſo in aliqua certa ſpecie peccati, ſed pertinēt ad eam ſpeciem, quam conſcientia dictat, ſiue contra quam homo putat ſe peccare. Vnde qui carnaliter cognoſcit aliquam fœminam, quàm falsò putat eſſe monialem, aut conſanguineam aut coniugatam, non ſolùm peccat peccato fornicationis, verùm etiam ſacrilegii, aut inceſtus, aut adulterii, & hæc circumſtantia eſſet in confeſſione aperienda. Sed qui putat aliquod opus indifferens eſſe peccaminoſum, & malum in genere, non deſcendendo ad ſpeciem aliquam particularem, in tali caſu, peccaret ſolùm contra Syndereſim, cuius nimirum præceptum generale eſt dictans ſequendum bonum, & malum fugiendum. Ita D. Thoma 1.2.*q.19. art.5 ad* 3. Medina *ibid. dub.*4. Syluius *ibid.art.5 quæſit.*4. Valentia 1.2.*diſp.*2 *q.14.p.4. dub.*2. Clauis Reg. *lib.1.cap.4.num.*19. Layman *lib.1.tr.1. cap.4.n.*2. Sanchez *l.1.cap.11 n.4.&* 5. Bonacina *c.punct.6. n.19.20.&* 21. & alii communiter.

D. Thom. Medina Syluius Valentia Clau. Reg. Layman Bonacina

40 Error conſcientiæ ex multis cauſis prouenit. *Primò* ex ignorantia, quando, ſcilicet, mens apprehendit malum ſub ratione boni, & bonum ſub ratione mali, & huius ignorantiæ cauſa ac origo dici poteſt ipſum peccatum originale, cuius effectus eſt etiam cæcitas in intellectu, ut & in utroque appetitu rationali & ſenſitiuo languor. *Secundò*, ex cordis puſillanimitate qua quis id timet, quòd ſecundùm rectum rationis iudicium timendum non eſt. *Tertiò* ex negligentia, ut quando quis negligit addiſcere vel quærere ab aliis, id per quod liberari poſſet ab errore. *Quartò*, ex ſuperbia, ex eo, ſcilicet, quòd aliquis non humiliet intellectum ſuum ad credendum melioribus, eruditioribus & ſuperioribus; nam ſuperbiæ & arrogantiæ eſt, nolle ſuum iudicium ſubiicere Iudicio Doctiorum, uel peritiorum in ea arte, ſeu materia de qua agitur. Vide Reginald. *l.13.n.76.* Breſſerum *tract.de conſcientia*, *l.5.c.*23. *n.*217. & alios.

Reginald.

C O N S E N S V S

S V M M A R I V M.

1 *Quid ſit conſenſus, & quotuplex.*
2 *Conſenſus formalis uel directus quis ſit, & quotuplex &c virtualis.*

3 *Consensus interdum est plenus, & perfectus, interdum verò est semiplenus, & imperfectus.*

4 *Ad peccatum requiritur consensus voluntatis.*

1 CONsensus, ut à Theologis accipitur in materia morali, *est actus voluntatis liber, quod ipsa sibi complacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè iudicauerit* triplex autem distinguitur consensus, vnus formalis, alter virtualis, & tertius interpretatiuus Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 15. *art.* 1. Syluius *ibid.*

D. Thom.

2 Consensus *formalis* uel directus est, cùm quis formali, positiuoque actu uoluntatis sibi complacet in eo quòd intellectus practicus deliberatè iudicat: *Virtualis* consensus duplex est, *alter* qui ex natura sua includitur virtute in aliquo consensu formali, ut hoc ipso quòd aliquis formaliter vult ordinem Sacrum, virtute etiam vult castitatem ei coniunctam ex Ecclesiæ constitutione. *Alter* est ipsemet consensus formalis præteritus quatenus remanet virtute, & uis ipsius durat quousque per contrarium consensum seu dissensum tollatur. *Interpretatiuus* consensus est, cùm quis circa illud quod offertur dissensum elicere tenetur neque elicit, sed cohibet se, tam à dissensu quàm à consensu, vt cùm mulier neque uolens, neque nolens formaliter, sed solùm permittens opprimitur, tunc censetur interpretatiuè consentire Valentia *tom.* 2. *d.* 2. *quæst.* 10. *p.* 1. Bonacina *tom* 2. *d.* 2 *quæst.* 2 *p.* 3. *n.* 16 Lessius *l.* 4. *ca.* 3. *dub.* 15. *n.* 116. 117. Clau Reg. *l.* 8. *c.* 7 *n.* 1. Reginald. *lib.* 11. *cap.* 4. *num* 34 35. & alii.

Valentia
bonacina
lessius
Clau. Reg.
Reginald.

3 Consensus voluntatis liber interdum plenus est, & perfectus, & ad hunc requiritur plenum de eo cui consentitur rationis iudicium, quod esse non potest absque plena ad illud aduertentia, neq; hæc absque libero interiorum sensuum vsu, interdum uerò semiplenus & imperfectus est consensus, ut dum ex parte vsus rationis impeditur, ut in semidormientibus & in iis qui vehementiore aliqua perturbatione corripiuntur, etsi plenum iudicium esse non possit, semiplenum tamen esse potest. Vide Vasq *disp.* 107. c. 3. *n.* 6. & 7. Nauar. *in man. prælud.* 9. D Thom. *q.* 74. *art* 7. *ad* 1. Becanum 1. 2. *tract.* 2. *c.* 5. *q.* 5. & alios.

vasquez
Nauarrus
D. Thom
Becanus

4 Ex communi Doctorum sententia, ad peccatum requiritur consensus uoluntatis, quia nullum est peccatum nisi sit voluntarium, voluntarium autem dicitur cui voluntas consentit, unde motus primò primi uocati nullam habent rationem peccati, ne quidem venialis, cùm præueniant omnem uoluntatis consensum liberum, hic autem consensus ad rationem peccati non tantùm formalis sufficit, sed etiam uirtualis & interpretatiuus Bonacina *de matr. q.* 4. *p.* 7. Becanus c. q 5 *n.* 2. Tannerus 1. 2. *disp.* 4. q. 8. *n.* 51. 52. 53. 54.

Bonacina.
Tannerus.

Vide Actus humanus 3. *n.* 8. Contractus *n.* 11. 25. 26. Delectatio, *n.* 4. 5. & *seq.* Emptio *n* 2 & 3. Matrimonium 3. Sponsalia 3. *n.* 4. Restitutio 3. *n.* 9. Peccatum 1. *n.* 6.

CONSILIVM.

SVMMARIVM.

1 *Conuenienter proponuntur aliqua consilia in lege noua seu Euangelica.*
In quibus differat Consilium à præceptis.

2 *Consiliorum Euangelicorum duplex est vsus.*

3 *Omnis Christianus ad duo obligatur erga hæc consilia.*

4 *Ratione subiectæ materiæ quandoque verba importantia consilium, sumuntur pro præcepti verbis, & è contra, hæc pro verbis consilij.*

5 *An consilium in materia Theologica datum accepto pretio sit Simonia?*

6 *An imperiti & idiotæ homines dantes consilium bona fide, teneantur ad restitutionem damni ex eo consilio subsecuti.*

1 CAtholicorum doctrina est, esse aliqua consilia determinata, quę in lege noua seu Euangelica conuenienter proponuntur: Pro quo obseruandum est, quòd cùm igitur de his consiliis Euangelicis aut alioquin perfectionis, Consilium describi posit, esse opus bonum, à Deo non imperatum sed demonstratum, & commendatum, cui, si fiat, magna debetur remuneratio, si non fiat, nulla pœna.

Differt consilium à præceptis. *Primò*, quod præcepta inducunt quandam necessitatem, scilicet obligationis, non item consilia cum liberum si hæc amplecti, vel non. *Secundò*. quòd non seruanti præceptum debetur pœna, non debetur autem non seruanti consilia, *Tertiò*, quòd in eodem genere materia præcepti est facilior materia autem consilii difficilior, sicut difficilius est seruare virginitatem, quam solam castitatem coniugalem. *Quartò*, quod seruanti consilia (simul scilicet cùm præceptis) maius redditur præmium, quam seruanti solùm præcepta.

Tria sunt principalia consilia, quæ in lege Euangelica rectè consuluntur; ad quæ omnia alia particularia referuntur, scilicet paupertatis voluntarię, castitatis & obedientiæ. Bona enim huius mundi, quæ ad vsum uitæ humanæ pertinent, consistunt in tribus scilicet in diuitiis, in uoluptatibus, & in honoribus. Hęc autem omnia relinquere consilium est Domini Saluatoris, consulentis paupertatem, Matthæi 19. *vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, & perpetuam continentiam ibidem, *Qui potest capere capiat*, ac rursum *qui reliquerit Patrem aut matrem, aut uxorem*, &c. *centuplum accipiet*, & obedientiam etiam ibi, illis verbis, *Sequere me.*

2 Consiliorum Euangelicorum usus duplex est, alter vt his instructi & adiuti, diuina præcepta, ad quæ omnes obligantur, purius perfectiusque præstare possint: cùm alii hæc consilia non sectantes, per crebriora peccata, perque alia huius mundi impedimenta, à præceptorum etiam Dei necessaria obseruatione plurimum impediantur atque deficiant Alter vsus est, vt communi ac necessariæ obseruationi pręceptorum Dei, aliquem gradum eminentiorem addant ex multiplicatis magnarum virtutum actibus. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 136. *art.* 1. D. Thom.

3 Omnis Christianus ad duo obligatur erga hæc consilia *Alterum*, vt proponat animo ea seruare, quoties ad aliquod se ex necessitate salutis suæ obligari intelligit. Vt benefacere inimico in extrema necessitate constituto. Vt Martyrum subire pro Christi nomine, aut pro fide Catholica; si ea debeat confiteri, & non negare, &c. *Alterum* ut consilia ista numquam contemnat. Nam si secus fecerit, aut dixerit ea consilia non esse de se & absolutè meliora, quàm eorum contraria: uel non licere ea uouere: uel uota seruare, grauissimè peccat & hæresis fit reus. Cęterùm non omnis qui ea non obseruat, præsumitur cõtemnere, sed tantùm is, qui ea principaliter ob id nõ obseruat, quòd parui faciat. Vt is, qui dicit coniugalem uitam esse meliorem cœlibatu, uel æquè bonam. Aut sæcularem statum, regulari. Talia enim dicens non solùm peccat, sed & hæreticus est. Licitum tamen est dicere, coniugalem statum huic, aut illi esse commediorem cęlibatu, & uitam sæcularem, regulari, &c. D. Thom. 2. 2. q. 186. *art.* 2. Caietanus *ibidem.* Nauarrus *in Man. cap.* 20. *num.* 20. & *sequent.* Con. Trid. *sess* 24. *de Sacram. matrimonii, Can.* 10.

D. Thom.
Caietanus
nauarrus.
Conc. Trid

4 Ratione subiectæ materiæ quandoque uerba importantia consilium, sumuntur pro præcepti uerbis, & è contra hęc pro uerbis consilii, ut uerbum *Rogo*, exponitur pro *Præcipio*, *cap. rogo.* 11. *q.* 3. vt docet ibi Glossa *verb. Rogo.* Et Præcipio sumitur pro Moneo c. 2. *caus.* 12. *quæst.* 1. ut ibi notat Glossa final. & Syluester. *verb. Præceptum*, *q.* 2. quamuis possit dici tunc nõ sumi uerbum *Rogo* impropriè, quia quamuis res illa sit alio iure præcepta, potest quoque in alio iure rogari. Tunc autem contingit uerba sic sumi impropriè, quando constat materiam esse præcepti; tunc quibuscunque uerbis consilium importantibus textus utatur ea impropriè usurpantur, ut præceptum importent. Et è contra quando constat materiam esse solius consilii, quęcumque uerba apponantur præceptum significātia, usurpantur impropriè pro uerbis consilii. Quando autem utrumque constat, spectandus est uerborum rigor, isque seruandus.

glossa

siluester

5. Qui consilium in materia Theologica speculatiua; uel practica, pretio accepto præbet, non peccat peccato simonię; etiamsi huiusmodi consilium detur à Theologo, uel ad pacandam alterius conscientiam; uel etiam detur pro foro externo, siue pro foro conscientiæ, siue pro sola instrutione intellectus. Probatur prima pars; quia usus doctri-

doctrinæ Theologicæ in actibus merè naturalibus pretio æstimabilis est, nam est instructio intellectus naturali, & humano modo facta. Probatur secunda pars, quia circumstantia personæ non mutat naturam actionis, & conditio vel scientia personæ accidentaria est, consilium enim est eiusdem rationis, siue detur à Theologo, siue ab alio. Probatur tertia pars: quia intentio, seu finis pacandæ conscientiæ extrinsecus est a consilio, nec mutat naturá actionis secundùm se spectatæ. Tum quia huiusmodi consilium non est spirituale, sed potius doctrinale, nec à Theologo datur vt peculiari instrumento Dei, sed tanquam à Magistro & Doctore humano, non ad immutandum, & promouendum affectum, sed ad remouendam ignorantiam, & ad instruendum intellectum in re morali. Ex his probatur quarta pars, quia militant adhuc præfatæ rationes. Ita
D. Thom. Caietan. Nauar. D. Thom. 2. 2. *q.*100. *art.*3 *ad* 3. Caietanus *ibid.* Nauarrus *in man.c.*23 *n.* .00 Filliucius *tract.*45.*c.*4.*n.*31 Quando autem consilium esset exhortatiuum, & ordinaretur proximè ad animæ correctionem; vel esset consilium potius pendens ex dono Spiritus sancti, quàm ex sola doctrina & humano studio, vt cùm datur consilium ad iudicandum, an aliqua vocatio sit a Deo, vel quo pacto orandum, vel qua ratione tentationibus resistendum sit, &c.
Suarez Contraria sententia est probabilis, vt docet Suarez *l. 4. de simon. c.*18.*n.*20.*&* 21. quia nullus vir timoratæ conscientiæ audet quicquam pro huiusmodi consiliis capere.

6 Idiotæ & imperiti homines dantes consilium bona fide non tenentur ad restitutionem damni ex eo consilio subsecuti. Ratio est, quia capiens consilium debet sibi damnum imputare, cùm sequi voluerit consilium hominis, quem imperitum esse non ignorabat, consequenter volens & sciens patitur damnum: volenti autem & scienti non fit iniuria. *Dixi bona fide*, nam qui fraude vel se peritum fingendo consilium damnosum alteri dedit, tenetur ad restitutionem, censetur enim causa damni per fraudem
P. Nauarr. Rebellus Ita Petrus Nauarrus *de restit. lib.*3.*cap.*4. *p.* . *num.*25. Rebellus *lib.*1. *de contractibus, quæst.*14 *sect.*4. *num.*25. Si tamen prædicti consilium præbeant se ingerentes ad consulendum, quidam dicunt teneri ad restitutionem damni secuti, quia sibi imputare debent, eo quod cùm rudes, & imperiti erant, se ingesserint, & consilium nociuum præbuerint, & alienum officium vsurpauerint, nec in tali casu excusantur per bonam fidem, quę vbi culpa, vel imperitia, vel negligentia culpabilis adest, damnificantem non excusat, iuxta *cap. Si culpa tua, de iniuriis & damno dato.*
Medina Aragon. Hæc sententia est securior, quam tenent Ioan. Medina *Cod. de reb. restituend. quæst.*7. *ad* 2. Arragon 2. 2. *quæst.*62. *art.*7. *ad* 3. & alii. Quamuis contraria Petri Nauarræ, & aliorum satis probabilis sit.

Vide v. Aborsus *n.*2. 7. *&* 20. Excommunicatio 5. *n.*8 *&* 9. Matrimonium 1. *n.*25. Religio *n.*3. Restitutio *n.* 19. *&* 20. Votum 1, n. 40. Irregularitas 11. *n.*5. *& seq.*

CONSVETVDO

SVMMARIVM.

1 *Quid sit consuetudo.*
2 *Consuetudo triplex recensetur.*
3 *Tres consuetudinis proprietates.*
4 *Vt consuetudo vim legis habeat, quinque conditiones desiderantur.*
5 *An consuetudo possit legitimè introduci, contra ius diuinum, aut naturale.*
6 *Qui possint leges humanas per consuetudinem abrogare. An moniales possint consuetudinem introducere, quæ apud ipsas habeat vim legis.*
7 *An quælibet consuetudo, obliget sub peccato mortali.*
8 *An consuetudo indigeat promulgatione, & possit induci per actus occultos.*
9 *An consuetudo induci possit per non vsum.*
10 *Quot actus requirantur ad inducendam consuetudinem* Refertur duplex sententia.
11 *An per vnũ actũ contrarium, consuetudo interrũpatur.*
12 *An Principis consensus expressus requiratur, ad introducendam consuetudinem, quæ vim habeat abrogandæ legis.*
13 *Consuetudo irrationabilis an possit legem abrogare.*
14 *An possit lex consuetudinem abrogare.*
15 *An consuetudo particularis per legem particularem abrogetur.*
16 *An peccent introducentes consuetudinem contra legem* Refertur duplex sententia.
17 *An credendum sit Doctori excellenti, testanti consuetudinem.*

1 CONsuetudo *est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex. cap. Consuetudo d.*1. Vnde si spectetur consuetudo vt est quid facti, nihil aliud est, quàm frequentia actuum similium exercitorum maiori parte communitatis, à viris videlicet ratione vtentibus, per quos actus ius quoddam constituitur, si verò consuetudo spectetur vt est quid iuris, appellatur ius non scriptum, quod ex frequenti actuum similium exercitio, longo & continuo vsu nascitur Suarez *de legibus l.*7.*c.*1.*n* 5. Sylnius 1. 2. *q.*97. *art.*3. *concl* 11. Becanus 1. 2. *tract.*3. *c.*8. *quæst.*1. Suarez Sylnius Becanus

2 Consuetudo triplex est, aut *contra legem*, quæ consistit in actibus frequentatis contra legem, & vim habet abrogandi legem concurrentibus debitis conditionibus; aut *præter legem*, & hæc consistit in frequentatione actuũ qui nulla lege vetantur; tertia consuetudo dicitur *secundum legem*, & est illa quæ declarat, seu interpretatur legem Azorius *tom.*1 *lib.*5. *c* 17. *q.*2. Suarez *lib.*7. *c.*4. Filliucius *tract.*21. *c.*11. *n.*428. Salas *de leg. d.*19. *sect.*2. *num.*12. Layman *l.*1. *tract* 4. *c.*24. *n.*3. Azor. Suarez. Filliucius. Salas Layman

3 Ex D. Thom. 1. 2. *q.*97. *art.*3. *L. de quib. ff. de legib. C. cum omnes, de const.* Clau. Reg. *l.*3. *c.*11. *n.*2. & aliorum Doctorum consensu & sententia, tres consuetudinis proprietates enumerantur. *Prima*, est legem mutare, abrogare & tollere, imò etiam confirmare. *Probatur*, quia lex posterior potest tollere priorem, vel totam, vel ex parte, cùm habeat vim obligandi ab eadem authoritate, sed consuetudo habet vim legis, ergo, &c. *Secunda* est legem interpretari *C. cum dilectus de consuetud. L. si de interpretatione, ff. de leg.* Bonacina *tom.*2. *disp.*1. *q.*1. *p. vlt.* §. 3. Ratio est, quia lex in scriptura aut chartis mortua est, in animis autem Principiis ac subditorum viuit, ac propterea legis interpretatio ex praxi cõmunitatis petenda est, quæ optimè mentem & obligationem legis exprimit ac repræsentat. *Tertia* est legem facere & constituere *Can. Consuetudo dist.*1. *L. de quib. ff. de legib.* Becanus 1. 2. *tract.*3. *c.*8. *q.*1. *n.*2. Prob. quia lex pendet à ratione & voluntate legislatoris, signo externo sufficienter expressa: iam verò mens legislatoris non tantùm exprimitur, verbo aut scripto, sed etiã facto ergo quando populus permittente Principe (non ob impotentiam, ignorantiam aut negligentiam, sed per oculatam conniuentiam) facto suo aliquid firmat, illud poterit habere vim legis. D. Thom. Clau. Reg. Bonacina Becanus

4 Vt consuetudo vim legis habeat quinq; conditiones desiderantur. *Prima*, vt sit rationabilis, hoc est, vt consuetudo habeat conditiones legis bene positæ, seu legis iustæ & id relinquitur iudicandum arbitrio prudentum. *Secunda*, vt consuetudo nascatur ex pluribus actionibus, ita vt vna actio sit quidem principium consuetudinis, non tamen consuetudo, si verò actus haberet effectum diuturnum, qui vnicus continuatus per temporis diuturnitatem eam quæ requiritur ad inducendam consuetudinem, posset inducere illam. *Tertia* conditio est, vt si consuetudo legem aliquam abroget siue contra ius, illa tanto tempore duret, quantum ad præscriptionem requiritur, si verò consuetudo quæ introducitur, nulli legi derogaret, & sit tantùm præter ius, nullum tempus est iure taxatum, sed id pendet ex communi prudentium iudicio, vt censeatur uim legis habere. *Quarta*, conditio est, ut consuetudo fit à populo ex certa scientia introducta, non autem per errorem, & sciente illo qui publicam potestatem habens, potest ius condere, & in hoc necessarius est animus consuetudinem introducendi. *Vltima* denique conditio est, vt maior pars populi usa sit tali consuetudine, vel illius vsum expressè aut saltem tacitè approbarit, ex his conditionibus sequentes illationes recensemus Syluester *v. consuetudo quæst.*1. Reginald. *lib.*13. *num.*243. Azorius *c. q.* 9. Suarez *c. l.*7. *c.*9. D. Thom *c. ad* 3. Emmanuel Sà *v. consuetudo n.*3. Syluest. Azorius Suarez. D. Thom. Emm. Sà.

Syluius Layman Filliucius

L. de quibus ff. de legib. Syluius *1.2. quæst.97. art.3. concl.8.* Layman *lib.1 tract.4. cap.24. num.2.* Bonacina *c. §.3. n.7. & seq.* Filliucius *tract.21. num 431.* & alii.

Suarez Syluius Reginald. Azorius Clau. Reg.

5 Consuetudo non potest legitimè introduci contra ius diuinum aut naturale, quia materia huius consuetudinis esset mala, vtpote iure diuino vel naturali vetita, & proinde neque contra ius gentium, regulariter loquendo, induci potest consuetudo, quatenus huiusmodi ius deducitur ex principiis naturæ, nisi circumstantiæ rerum ita varientur, vt res desinant esse intrinsecè malæ Suarez *l 7. c. 6. n. 2* Syluius *c. art.3. cap.1.* Reginald. *num.251.* Azorius *c. quæst.4.* Clau. Reg. *c. c.11. n.4.* & alii.

Filliucius Salas. Azorius Reginald.

6 Amentes, furiosi, peregrini, externi, pueri, qui nondum rationis vsu potiuntur, non possunt leges humanas per consuetudinem abrogare, quia proprium consuetudinis est legem receptam per actus contrarios abrogare, actus autem non sunt contrarii legi, nisi præstentur ab iis qui legem seruare tenentur, vnde communitas fœminarum potest sua consuetudine ius inducere, quia capaces sunt legis, & ad onera legum tenentur: non possent tamen fœminæ consuetudinem inducere contra legem obligantem solos masculos, & laici non posent consuetudinem inducere contra legem obligantem solos clericos Filliucius *tract.21. cap.11. num431.* Salas *disp 19. sect.6. num.59.* Azorius *c. c.18 quæst.13.* Suarez *c.16. n.9.* Azorius *c. quæst. 12.* Reginald. *c. n 244.* & alii.

Sed petes, an moniales possint introducere consuetudinem, quæ apud ipsas babeat vim legis? Respond. nullam consuetudinem, quocumque tempore longo firmatam posse intra monasteria Monialium acquirere vim legis, ita vt obliget, qui enim non habent iurisdictionem, & potestatem condendi leges, non posunt inducere consuetudinem, quæ obliget per modum legis. Vt docet Barthol. *consi.136.* Alexand. *consi.173. n.12.* & communiter Iuristę, quia consuetudo ex se non habet vim obligandi, sed debet ab eo accipere, qui potest obligare, solùm autem qui habet iurisdictionem, & potestatem condendi leges potest obligare imponendo nouas obligationes. Moniales enim intra clausuram faciunt tãtùm communitatem imperfectam seu materialem nam deest vera forma communitatis, nempè potestas, & iurisdictio, quam ab extrinseco debent sumere, & ideò cùm hæc forma non concurrat ad actus, quibus inducitur consuetudo, nec etiam dat consuetudini vim obligandi. Ita Pasqualigus *decis.415.* citans *Abbatem*, Baldum & alios. Cuius doctrina intelligenda est seclusa approbatione tacita vel expresa superioris, vnde optimè ex Suarez, & Salas, notauit Bonacina *de leg. disp.1. p.1. punct. vlt. §.3. num. 15.* communitatem fœminarum, posse sua consuetudine ius inducere, nam fœminæ sunt capaces legis, & ad onera legum tenentur, quamobrem, ait ipse consuetudo Monialium saltem si acceptata sit à Prælato potest inducere legem Moniales obligantem. Dicendum est igitur consuetudinem esse inducendam non solùm per hos qui legem condere possunt, vel habent capacitatem actiuam condendi leges, sed etiam passiuam eas recipiendi interueniente superioris consensu vt rectè obseruat Bonacina vbi suprà *numer. 28.* superior autem censetur consentire in consuetudinem, quatenus iam statuit consuetudinem vim legis babere, si legitimè fuerit introducta.

Pasqualig.

Bonacina.

Et ideò communiter Doctores asserunt; Moniales ratione consuetudinis teneri ut cæteri Regulares, pensũ diuini officii persoluere Vt aduertit Diana *p 6. tr.8. res 12.*

Diana

7 Non quælibet consuetudo obligat sub peccato mortali, sed illa sola quæ inducta fuit per modum præcepti, vnde non est obligatio ex iustitia seruandi consuetudinem in iis, quæ ex mera liberalitate aut vrbanitate fieri consueuerunt, tamen obligatio esset seruandi consuetudinem quæ initio inchoata fuit ex deuotione, sed posteà continuata fuit vt obligatoria, in dubio autem an consuetudo inducta fuerit ex deuotione, an animo se obligandi, præsumendum est non fuisse inductam animo se obligandi, sed potiùs animo deuotionis, quia nemo præsumitur velle sibi onus imponere, seque obligare nisi aliter constet de ipsius voluntate, & adsint sufficientes coniecturæ ad iudicandum animum se velle obligandi Syluester *c. n.6.* Vasq. *1.2 disp.177. c.2.* Sotus *l.1. quæst.7. a.2.* Suarez *c. c.15. n.13.* *contra* Azorium & Reginald. *cc.* Diana *de leg. res 30. p.1.* Syluius *c. conc.8.* De his coniecturis vide Dianam *p.9. tr. 7. res.20.*

Syluester Vasq. Sotus Suarez

Azorius Reginald. Diana

8 Consuetudo non indiget promulgatione, quia requiritur vt actus per quos inducitur, publicè quodammodo fiant, ut maior pars populi tali consuetudini consentire possit, unde consuetudo sufficienter non inducitur per actus occultos, sed per externos & manifestos, quia cùm ad illam requiratur consensus maioris partis populi, nemo potest videre & tolerare usum occultum, multò minus in illum consentire Clau. Reg. *c. n.6.* Suarez *l.7 c.10.* Vasquez *c. c.7. n.56.* & alii.

Clau. Reg. Vasquez

9 Consuetudo non inducitur per non usum, aut quod idem est lex non abrogatur per non usum ipsius legis, modò non usus contineat implicitum actum contra legem, tunc enim abrogaretur lex concurrente temporis spatio sufficiente ad abrogandum legem per consuetudinem Reginald. *c. num.250.* Syluius *c. q.8.* Azorius *c. c.4. q.7.* Syluius *c. conc.11* Becanus *c. q.5.* & alii.

Reginald. Syluius Azorius. Syluius Becanus

10 Quidam Doctores putant legis obligationem cessare quando bis vel ter actum est contra legem, sciente principe & non contradicente, dum commodè potest contradicere, quia quod fit bis uel ter in iure dicitur fieri frequenter, & Princeps non contradicens censetur approbare Sanchez *de matr. l.4 d.1. num 22.* Syluius *v. consuetudo q.4.* Sà *c.* Lessius *l.2. d.14. c.6 num.45.* Alii autem censent ad inducendam consuetudinem duos actus per se loquendo non sufficere, sed plures requiri iuxta prudentis uiri arbitrium, præsertim si superior in iudicio puniat aliter facientes, aut si aliter non constet de consensu principis, aut eorum uim qui consuetudini dare posunt, quia aliàs omnes fere leges facillimè abrogarentur Salas *d 19. sect 8 nu.72.* Reginaldus *c. num.245.* Suarez *l.7. c.19. num.20.* Bonacina *c. num.32.* hæ duæ sententiæ sunt satis probabiles, sed postrema probabilior.

Sanchez Syluius Sa Lessius

Salas Reginaldus Suarez Bonacina

11 Quando consuetudo non est completa & perfecta, interrumpitur per vnum actum contrarium, ita ut necesse sit de nouo incipere, quia populus actu contrario satis indicauit nolle consuetudinem inducere, secùs autem est, si sit iam completa, quia tunc non uno actu contrario tollitur, sed pluribus, ad eum modum quo est introducta, ea enim iam habet rationem legis, & ideò tolli debet ad instar legis Panormitanus *c. vlt. de consuet.* Reginaldus *lib.13. n. 249.* Salas *disp.19. sect.11. num.93.* Armilla *v. consuet. num. 7.* Layman *c. n.14.* & alii.

Panormit. Reginald. Salas Armilla Layman

12 Ad introducendam consuetudinem, quæ uim habeat abrogandæ legis, non requiritur Principis consensus expressus seu personalis, quo Princeps expresè consentit aut dat licentiam ad introducendum consuetudinem, quia iura huiusmodi consensum non requirunt, sed sufficit tacitus, seu iuridicus, & hic datur per legem seu ius. quatenus Princeps statuens aut sciens consuetudinem tales conditiones habentem à iure approbari, dicitur consentire iuridicè seu aliqua ratione tacitè. Vide Sanchez *de matrim. disp.4. l.7. num.11. & 14.* Azorium *tom.1. l.5. c 18. quæsit.11.* Suarez *de leg. l.7. c.13. num.6.* Dianam *tract.5. misc. res.75. p.3.* Becan. *c q.2. num.5.*

Sanchez. Azorium Suarez Diana Becanus

13 Consuetudo irrationabilis, id est. ea quæ peccatum aut peccandi causam fouet, aut quæ Ecclesiis grauamen inducere cognoscitur, vel ea quæ est contra libertatem Ecclesiasticam, vel contra publicam utilitatem, aut quæ disciplinam Ecclesiasticam, vel contra publicam vtilitatem, aut quæ disciplinam Ecclesiasticam violat, aut si rationabilis est, non est tamen legitimè præscripta, nullam uim habet aduersus legem, quæ autem legitimo tempore præscripta est & rationabilis est, potest legem abrogare seu legis obligationem tollere, etiamsi in lege quæ per consuetudinem abrogatur, damnetur, vel reprobetur consuetudo futura contra ipsam legem, modo adsit consensus tacitus uel expresus legislatoris, vel ipsius succesoris Suarez *c. l.7. c.4.* Syluest. *c. quæsit.6.* Clau Reg. *c. n.10.* Salas *dis.19. sect.7. n.70* Reginald. *l. 13. n.254.* Sylu. *c art.3. conc.8.* Becan *c. q.7. n 3.*

Syluester Suarez Clau. reg. Salas Reginald. Syluius Becanus

14 Sicut consuetudo potest legem abrogare, ita etiam lex potest ui sua & absque alia clausula præcedentem consuetudinem abrogare, modò lex habeat omnimodam contrarietatem & repugnantiã cũ consuetudine; legislator tamen debet esse cõscius talis cõsuetudinis, ut censeatur lege

sua

Bonacina Clau Reg. Reginald.

sua consuetudinem abrogare. Syluest. *v. Consuetudo qu.6.* Bonacina *tom.2.disp.1.q.1.p.vlt.§.3.nu.*38. Clau.Reg.*c.l.3.c.11.n.*10.Azor.*c.c.*16.*q.*7.Reginald.*cit.n.*247.& alii.

Emm. Sa Syluius Reginald.

Tamen per legem vniuersalem non abrogantur consuetudines speciales locorum, aut statuta specialia non continentia solum ius commune aut priuilegia, nisi eorum fiat mentio in lege, aut nisi saltem in genere reuocentur expressè quælcumque contrariæ consuetudines, aut statuta, aut priuilegia, *cap 1.de const.in* 6. Emmanuel Sà *v lex n.*19 Syluius *c.concl.*9.Suarez *l* 6.*c.*27 *n.*13.Reginald.*l.*13 *n.*247 quia Princeps censetur ignorare consuetudines speciales, consequenter non censetur eas velle abrogare, nisi earum mentionem fecerit, Secus dicendum de consuetudine antecedente vniuersali, quæ per legem contrariam vniuersalem abrogatur, quamuis lex condita sit sine clausula derogatoria, quia princeps censetur nosse consuetudinem generalem, eaque cognita contrarium disponit. Ita Doctores hic citati Suarez *lib.7.cap.20. num.7.* Clauis Reg.*c.num.*10.Salas *disp.19.sect.13.num.*98.& alii.

Suarez Clau. reg.

15 Consuetudo particularis per legem particularem abrogatur, etiamsi facta non sit illius mentio. Princeps verò vniuersalis, vt Papa, ferens legem pro certo aliquo Episcopatu, non censetur abrogare consuetudinem in illo Episcopatu receptam, nisi mentionem consuetudinis faciat, nam Princeps vniuersalis præsumitur ignorare consuetudinem particularem. *cap.1. de constit. in* 6 Syluester *verb.lex.q.*6.Suarez *cit.num.*6.7.8.*&* 25.Sà,*cit.*Clauis Regia,*c.num.*10.

Syluest. Suarez. Sa Clau. Reg.

16 Secundùm Doctrinam plurimorum Doctorum introducentium consuetudinem contra legem, seu contra antiquam consuetudinem legitimè receptam in foro conscientiæ non peccant, quando consuetudo ita inualuit, vt docti & probi viri sine remorsu conscientiæ eam sequuntur, in foro tamen externo præsumetur illos delinquere & peccare contra legem, vnde infertur, quòd licet consuetudo contra legem canonem introducta sit ex causa non iusta, & primi illi legis transgressores peccauerint, successores tamen eorum excusantur à peccato ob talem consuetudinem introductam, quia præsumere possunt eos habuisse iustam causam. Caietan.*in* 1.*q.*97.*art.*3 Salas *de leg. disp.19.sect.4.§.5.n* 43.Sanchez *de matr.l.7.disp.4.num.*14 Layman *l.1.tract* 4.*c.*24. *num.*11 .Valentia *tom.2. disp.7 q* 5.*p.*8. Diana *de ieiunio resol.*21 *p.*1. Nonnulli nihilominus authores censent non improbabiliter hos primos legis transgressores semper peccare, donec elapsum sit tempus requisitum ad legitimam consuetudinem inducendam, nisi bona fides illorum excuset, & interueniat scientia Principis illam consuetudinem tolerantis Reginaldus *l.*13. *nu.*247.Bonacina *cit.num.*45. *& alis apud* Salas *c.* Prima sententia est tenenda.

Caietan. Salas Sanchez Layman Valentia

Reginald. Bonacina Salas.

17 Quidam authores non pœnitendi affirmant bonis rationibus ductis, credi debere Doctori excellenti testanti consuetudinem; id tamen valde dubium est ac meritò impugnatur ab aliis, Sanchez *c.disp* 7.*num.*8.Bartol. *l.quibus num.21.p.4.ff.de legibus* Nauarr.*C.plac.de pœnit d* 6. *à nu.* 188. quia quæ facti sunt vt consuetudo, plerumque etiam prudentissimos fallunt, at vbi communiter Doctores consuetudinem testantur, & nemo contrarium asserit, his est adhibenda fides, Vt docet Mascardus de probat.*conc.*426. *num.*17.*& sequent.* Probabile tamen est in foro conscientiæ posse quem stare assertioni vnius Doctoris testantis de consuetudine, quantumuis illa sit contra ius seu ad abrogandam legem. Ratio est, quia auctoritas vnius præcellentis Doctoris rem facit probabilem, quamdiu oppositum apertè non constat. In foro autem externo Doctori fidem facienti de consuetudine, fides non adhibetur, secundùm magis receptam sententiam de factam Rotam approbatam. Vide Granado t.2.*contr.7. tract.3.p.2.disp.*16 *sect.1.n.*12.Suarez *de leg.l.7.c.*1 t.*n.*8.

Sanchez. Bartol.

Granado Suarez

Vide Bannitus *num.*4. Contemptus *nu.*5. Decimæ *n.*3. 4 9. Festum 1.*num.*4. Ieiunium 2.*n.*3. Iuramentum 4.*nu.*1. *&* 2. Matrimonium 7. *num.*4. Simonia 5.*numer.*7. Religio 4 *num.*3.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo consuetudo sit fida legum interpres.*
2 *Prima principia iuris naturalis per consuetudinem mutari non possunt.*
3 *Nulla consuetudo potest eximere religiosos a votis essentialibus Religionis.*
4 *Facultas testandi competere potest Monachis per consuetudinem.*
5 *Vtrum in dubio consuetudo contraria legi sit præsumenda rationabilis.*
6 *Consuetudo quæ iuri diuino, aut naturali non aduersatur est rationabilis.*
7 *Quando consuetudo censeatur legitimè præscripta,* Referuntur variæ sententiæ.
8 *Ad stabiliendam consuetudinem non requiruntur actus iudiciales, sed sufficiunt vulgares*
9 *Consuetudo obligat solum subditos in territorio, in quo introducta est.*
10 *Consuetudo potest facere, quòd aliqua lex recipiatur in aliqua sui parte, & non in alia.*
11 *Quomodo consuetudo generalis abrogetur per legem.*
12 *Vna consuetudo potest abrogari per aliam consuetudinem superuenientem contrariam*
13 *An merus non vsus consuetudinem inducere possit, & legem abrogare.*

1 VT consuetudo sit fida legum interpres, requiritur *Primò*, vt sit publica, & neminem lateat, si enim aliquid à multis seruaretur, sed in occulto, ita vt ad notitiam Principis non perueniat, talis consuetudo non potest esse legum interpres, vt ergo legem consuetudo interpretari possit, debet esse publicis moribus recepta, sciente, & consentiente Principe. *Secundò*, requiritur, vt non solùm sciat Princeps, sed etiam approbet, & non puniat, etiamsi res in iudicium deducantur. Si enim sciat aliquid fieri, & vel ex negligentia, vel ex impotentia non potens delinquẽtes corripere & abusum tollere, occulta dissimulatione talem abusum permittat, talis consuetudo legem interpretari non potest. Exemplum primi est, in lege ieiunii, quæ olim hora nona & semel in die tantùm comedere permittebat, consuetudine tamen introductum est, quod aliquid noctu sumamus, quæ consuetudo optimè legem hanc ieiunii interpretata est. Inde Doctores communiter excusant fideles, qui iuxta morem & consuetudinem patriæ in die ieiunii longiores collationes faciunt, siue sumant oleta, siue electuaria, siue etiam aliquos fructus, aut etiam panem, vel solum, vel simul cum aliquo fructu arboris alicuius, vt cum pluribus diximus *tom.1.verb.Ieiunium,* 1.*num.*8. Et Exemplum secundi est, quòd consuetudo introducta à tabellionibus, aut à stabulariis & huiusmodi, exigendi vltra taxatum pretium, nec legitima legum interpres est, nec à peccato excusat, quia licet id frequentissimè fiat & ita fieri Princeps cognoscat, huiusmodi tamen transgressores in iudicio accusatos grauiter punit, quod probat, velle Principem, vt lex statuta seruetur, adeo vt occulta consuetudo & abusus multorum in contrarium, vigori legis præiudicare non potest. De his vide Medinam *in* 1.2.*q.*97.*art.*3. Et Ioannem Medinam *capit. de ieiunio, quæst.*8. Valentiam *tom.2. disput.7. q.5. punct.*8. & alios *in* 1.2.*q.*97.*art.*3. medina ioan.med. Valentia

2 Prima principia iuris naturalis nullo modo per consuetudinem mutari possunt. Ratio est, quia quantò consuetudo contra hæc fuerit inueteratior, tantò grauioris est causa peccati; tantum abest, vt consuetudo aliquid vigoris detrahat talibus principii. Notandum autem est, in lege naturali tria considerari posse, iuxta D.Thom.1.2. *q.94.art.4.& q.95.art.*2. Primum, scilicet, prima principia quæ nunquam deficiunt à rectitudine, *vt nulli faciendum malum*. Secundum, sunt conclusiones primæ rarò deficientes ex illis principiis communibus deductæ, sicut hoc *non esse occidendum*, deducitur vt conclusio quædam ab eo, quod est *nulli esse faciendum malum*. Tertium, sunt quædam determinationes quorumdam principiorum

communium à dicta lege deriuatæ, ficut lex naturæ habet, quòd *peccans puniatur*, fed quod tali, vel tali pœna puniatur, eft determinatio legis naturæ, quæ ex fola lege humana vigorem habet. Licet igitur prima illa principia mutari non poffint, per confuetudinem tamen ea, quæ vt conclufiooes inde deducuntur, v. g. *non occides, non furaberis*. Limitari & declarari poffunt. Quæ verò remotius tanquam determinationes ex illis principiis deducuntur, vt funt leges humanæ, poffunt etiam per confuetudinem tolli, declarari & limitari, prout ratio naturalis fuadet, alias non. Hinc infertur, quòd confuetudo facere non poteft, vt licitè exigantur vfuræ, vt licitum fit violare figillum facramentale Confeffionis, vt iuramentum falfum non fit peccatum, &c. quia hæc iure diuino & naturali funt prohibita.

3 Nulla confuetudo poteft eximere religiofos à præceptis effentialibus regulæ, paupertatis fcilicet, caftitatis, & obedientiæ, quia hoc effet contra votum folemne ius diuinum concernens. Bene tamen poteft, fi non omninò tollere obligationem præceptorum regulæ, ad minus interpretari regulam circa eius præcepta, etiam ad mortale obligantia. Vnde confuetudine tolerata dicta præcepta non folùm poffunt mitigari, fed etiam quantùm ad aliqua tolli cum confenfu faltem tacito, & interpretatiuo Papæ, non autem Superiorum regularium. Sed videant religiofi, ne confuetudo fit corruptela, fi enim aliquid eorum per ftatuta Ordinis fæpe fæpius exprefse prohibeatur, confuetudinem interrumpit, ac proinde præfcriptionem.

Sanchez Nauarrus Rodrig. Miranda

Vide Sanchez *lib. 6. moral. cap. 2. n. 29. & 30.* Nauarrum *in Man. cap.* 12. *num.* 50. Rodriguez *to. 1. qq reg quæst* 63. *artic.* 2. Mirandam *tom. 2. Manual. quæst* 28. *art.* 6. Hinc confuetudo facere non poteft, vt regularis profeffus aliquo modo fit Dominus eorum, quæ lucratur prædicando legendo, & eorum quæ fibi donantur, quia effet contra ius naturæ, vt Monachus qui eft mortuus mundo, & nec velle, nec nolle habet, dominium habeat, valet tamen illa confuetudo habendi, expendendi & recipiendi ex licentia fuorum Superiorum, quidquid ei donatum fuerit & acquifierit ad vfum tantùm, quia religiofis prohibita eft proprietas, non rerum vfus. Imò vbi eft confuetudo, ad hoc fufficit licentia tacita, quia voluntas Superiorum fatis explicatur per confuetudinem illam in ea Religione receptam, vt docet Sanchez *lib. 7. moral. cap. 19. n. 7.*

Sanchez

4 Negant multi Iurifperiti apud Sanchez citatum infrà confuetudinem non valere, vt Monachus teftetur, eo quòd repugnet regulæ Monafticæ. Hanc fententiam amplectitur etiam Graffis 1. *part. decif. lib. 3 cap. 5. num. 59. & part. 2. lib. 3. cap. 18 num. 86.* Nihilominus cùm hæc facultas teftandi competere poffit Monachis per Pontificis priuilegium, dicendum quoque eft poffe per confuetudinem, quia quæ per priuilegium fieri poffunt, valent quoque confuetudine legitimè præfcripta induci, vt docet Felinus *in cap. quæ in Ecclefiarum, num. 27. de Conftitutionibus*. Tum quia confuetudo hæc vim habet & iuris noui condendi, & abolendi antiqui *cap. final. de confuetud.* Tum quia prohibitio facta regularibus teftandi, iuxta veriorem fententiam, eft folo iure humano inducta, at id ius poteft confuetudine aboleri, ergo. Ita Nauarrus *Comment. 2. n. 44. de regul.* Cui fubfcribit Sanchez *l. 7. moral. c. 8. n. 63.*

Graffis

Nauarrus Sanchez

5 In dubio an confuetudo contraria legi fit rationabilis, id eft, expediens communi bono, præfumenda eft rationabilis, & communi bono expediens, quia in dubio in fauorem confuetudinis iam introductæ formandum eft. Verùm fi confuetudo non folùm fit contraria legi, fed etiam à lege prohibita, aut reprobata, tunc in dubio pro lege firmandum eft, & iudicandum confuetudinem effe irrationalem. Ratio eft, quia reprobatio confuetudinis facta à lege eft certa, ergo non poteft ab honeftate dubia vinci. Ita Sanchez *de matrim. lib. 7. difp. 4. num. 14.* Et probatur ex *cap. 3. de eo, qui mittitur in poffeffionem*, ibi: *Si laudabilem effe conftiterit*.

Sanchez

6 Omnis cõfuetudo, quæ iuri diuino, aut naturali non aduerfatur, eft rationabilis, quia non propterea confuetudo dici debet irrationabilis, quia euertit legem aliquam pofitiuam, fi alias feclufa lege quam euertit, nullam contra legem naturalem, aut rationis æquitatem, deformitatem contineat, alioqui enim omnis confuetudo legem euertẽs effet irrationabilis. Propterea in introducenda confuetudine non requiritur, vt concurrat principium rationabile, quia non attenditur principium confuetudinis, quod quàuis fit irrationabile, & actus primi confuetudinem introducentes, iniqui, confuetudo tamẽ legitimè per illos actus præfcripta, honefta effe poteft, ac vim legis nouæ ftatuendæ, & antiquæ abrogandæ habere. Ita Caiet. 1. 2 *q. 97. art.* 3, & communis Theologorum fententia. Tum quia fæpe ignorari neceffe eft in vetuftis rebus principium, quo introductæ funt, *l. fi arbiter* 28. *ff. de probat.* Quamuis fine fundamentum oppofitum dicat Suarez *l. 7. de leg. c. 6.* vt putat Pontius *de matrim. l. 6. c. 5.*

Caietan.

Sanchez Pontius

7 Varii variè fentiunt, quando cenfeatur confuetudo legitimè præfcripta. Quidam enim docent, ad inducendam obligationem, vel ad abrogandas leges ciuiles per modum præfcriptionis, fufficere, fi confuetudo contraria feruata fuerit fpatio decem annorum, quia tale fpatium in iure longæuum tempus cenfetur, vt patet *l. vltim. Cod. de præfcript. long tempor.* Ita Suarez, Molina, Azorius, & alii apud Salas *difp. 19. fect. 4. & 8.* Ad abrogandam autem legem Canonicam, tunc quadraginta anni neceffarii funt quia Doctores ferè communiter ad præfcribendam confuetudinem tantùm temporis requiri, quantum requiritur ad præfcriptionem aliarum rerum, fed ad præfcribendas res Ecclefiafticas requiritur faltem fpatium quadraginta annorum, ergo, Probatur ex *Authentic. quas actiones, Cod. de Sacrofanct. Ecclef.* & illam fententiam tenet Diana *part. 6 tract. 5. ref. 2.* ex auctoritate Sacræ Rotæ Romanæ, quæ femper illam canonizauit, & aliorum Doctorum quos ipfe citat, fcilicet, Suarez, Layman, Vvigers, Reginaldus, Cordubæ, &c.

Suarez Azorius Molina Salas

Diana

Alii putant hoc negotium relinqui debere arbitrio prudentis & docti viri, qui perfpectis omnibus circumftantiis iudicet, quando confuetudo tantùm temporis viguerit, vt meritò credatur, adeffe rationabilem, & tacitum confenfus Principis, feu legiflatoris nolentis vlterius obligare fuam legem. Idemque cenfendum de tempore ad hoc requifito vt confuetudo vim legis obtineat, atque adeo obliget, illud nimirum fufficere, quod prudentum iudicio fatis eft, vt meritò credatur legiflator confentire vt obliget. Quod mihi maximè probatur cum Syluio 1. 2. *q. 97. art. 3. conc.* 8. Soto *l. 1. de iuftit quæft. 7. art. 2.* Granado *in part. 2. contr. 7. tract. 3. difp. 16. fect. 1.* & aliis.

Syluius Sotus Granado

8 Ad ftabiliendam confuetudinem non requiruntur actiones iudiciales, ita vt decreto & fententia iudicis in aliqua caufa, vel caufis, iuxta confuetudinem pronuncietur ius, fed fufficiunt actiones vulgares & extraiudiciales, modo fint voluntariæ, & confequenter non ex errore, & ignorantia factæ. Ratio prioris eft, quia vera caufa confuetudinis eft Principis, aut populi confenfus, qui non minus animum fuum actibus extraiudicialibus, quàm iudicialibus declarare poffunt. Imò multo maioris auctoritatis videtur effe longo tẽpore, & fine dubitatione confirmatus vfus, quàm quod in contradictorio iudicio fuerit obtentum. Tum quia rerum iudicatarum auctoritas, non inducit confuetudinem, fed probat. Ita Suarez *de leg. l. 7. cap.* 11. Salas *difp. 19. fect. 11. num. 93.* & alii quos refert & fequitur Diana *part. 6. tract. 5. ref. 8.* Ratio pofterioris eft, quia obligatio confuetudinis oriri debet ex libera voluntate eorum, qui fe obligare voluerunt, vbi autem eft deceptio, feu error, non eft libera voluntas fe obligandi, error enim impedit liberum confenfum. Vide Præpofitum 1. 2. *quæft. 97. dub. 1. num. 6.* Suarez *cit. l. 7. cap.* 12.

Suarez Salas Diana

Præpofitus Suarez

9 Confuetudo æquiparatur legi, & ficut lex, obligat fubditos folùm in territorio, in quo introducta eft. Vnde fi confuetudo fit vniuerfalis totius Ecclefiæ, omnes Chriftianos indiftinctè obligabit, fi folius regni alicuius, aut Epifcopatus, omnes iftorum diftrictuum refpectiuè incolas obftringet. Hinc dicendum eft confuetudinem non extendi de loco ad locum, eò quòd confuetudo vnius communitatis, non obliget alteram diftinctam, cùm vna non habeat poteftatem imponendi alteri legem. Nec etiam extendi de perfona, ad perfonam, vnde fi confuetudo fit in materia ciuili, quæ vim fuam fortiri debeat eft confenfu Principis fecularis, non obligabit Clericos per fe loquendo. Quod fi materia fit mixta, pertinens, nempè, ad

politiam

politiam ciuilem, & Ecclesiasticam, & in utraque seruetur per utriusque status homines consuetudo communis, obligabit etiam Clericos ex ui consensus Superioris Ecclesiastici. Denique si materia sit spiritualis, ad bonum animæ tẽdat ut ieiunium, festiuitas alicuius Sancti, obligabit Clericos, & laicos, quatenus talis consuetudo uim accipit ex consensu, & potestate Superioris Ecclesiasti, qui, in utrosque, tanquam Christianos, habet suam iurisdictionem spiritualem. Ita Vuigers 1.2 q.97.art.3 n.30.& 32. Syluis ibid.concl.10.Suarez de leg.7.cap.16.num.9.& sequentibus & alii.

Vuigers Siluest. Suarez.

10 Consuetudo potest facere, quod aliqua lex recipiatur in aliqua sui parte, & non in alia, vel recipiatur secundum principalem suam dispositionem, & non quoad pœnam ei adiunctam, uel quoad unam partem pœnæ, & non quoad aliam. Ratio est, quia nihil uetat legem sic ab initio ferri: consuetudinis autem, & legis eadem est ratio. Tum quia rationabiliter tolli potest per Principem obligatio ad pœnam huius sæculi, remanente obligatione ad culpam, ergo idem fieri potest per consuetudinem & ideo per consuetudinem contrariam excusantur à censura lata per *Extrauag. 1. de Simonia*, dantes, vel accipientes aliquid ob ingressum in aliquod Monasterium, non autem à peccato mortali. Item Extrauagans *Ambitiosè, de reb. Eccles. non alienand.* quibusdam in locis in nihilo est recepta alibi quoad solam irritationem contractus, vix vspiam quoad pœnam excommunicationis, vt testantur Nauarr. *in Man. c.27.n.*149.& 150. Caietanus *in Sum. v. Excommunicatio*, Suarez *de leg. lib. 7. c.*19. Præpositus 1.2.*quest.*97. *dub.*2.& alii,

Nauarrus. Suarez præpolit.

E contra consuetudo potest abrogare legem culpam, manente obligatione quoad pœnam, vt patet ipso vsu in plurimis, Quod intelligendum est, quando pœna non supponit intrinsecè culpam, quia quando est talis pœna, non potest lex abrogari quad obligationem directionis. quin etiam derogetur quoad huiusmodi pœnam, tales sunt Ecclesiasticæ censuræ. Ita Vuigers 1.2 *q.97.art.3.n.*37.& 38. Salas *disput. 19. capit. 9. num. 77.* Suarez *citat. num.* 11.& 12.

Salas. Suarez.

11 Consuetudo generalis totius Prouinciæ, aut regni abrogatur per legem subsequentem, quamuis illius non fiat mentio, si autem sit specialis, non potest abrogari per legem subsequentem, nisi expresse fiat mentio consuetudinis per uerba abrogatiua, vt habetur *in c. 1. de Constitution.* Ratio huius differentiæ est, quia vt legislatur abroget priorem consuetudinem per legem subsequentem, opus est, vt nouerit consuetudinem & quando est consuetudo generalis præsumitur iure nota à legislatore, quando autem est specialis, potest ignorari; imo, & præsumitur si eius non fiat mentio in lege subsequenti, ergo consuetu- speciali in hoc casu non abrogatur. Si autem lex improbet consuetudinem per verba generalia, secundum Sanchez *de matrim. l. 7. disp.4. n.* 13. & alios ibi citatos, non solum de consuetudine præterita, sed etiam de futura intelligitur sed iuxta Suarez *de leg. lib.7. c* 7. uerba illa generalia, *non obstante contraria consuetudine*, solum ad præteritam cõsuetudinem se extendunt, non autem futuram respiciunt quia improbare consuetudinem est quid odiosum, ergo non est extendendum, sed limitandum. Tum qui illis uerbis solum intendit legislator tollere consuetudinem contrariam suæ legi, consuetudo autem quæ nondum est legi contraria, ergo de illa lex non loquitur. Obseruat tamen Villalobos *tom. 1. tract. 2. diffic. 39. num.* 8. quod si lex aliquam consuetudinem reprobaret tanquam iniquam, & corruptelam, tunc etiam de futura interpretanda foret, quia est eadem ratio de utraque.

12 Vna consuetudo derogari potest per aliam contrariam superuenientem, seruata tamen proportione, vt generalem, particularis abrogetur per particularem in eodem loco, vniuersalia per particularem vnius loci, pro eodem loco, & particularis per generalem. Ratio est, quia ita comparantur consuetudines inter se, sicut leges, uel & consuetudo seruata proportione. An autem in Ecclesiasticis consuetudinibus requiratur tempus 40. annorum, ut posterior reuocet priorem; Dicendum est quod si prior consuetudo non fuit contra, sed præter ius, posterior erit simpliciter cõtra ius, & ideò postulabit tẽpus Canonicæ præscriptionis; quia prior consuetudo induxit ius, cui est contraria posterior, quæ non est conformis alicui iuri. At si prior consuetudo fuit contra ius commune quod nõ fuit omnino sublatam illa consuetudine, quia non fuit uniuersalis, sed particularis quæ illi derogauit, tunc probablie est posteriorem consuetudinem decem annis præscriptam sufficere, quia nõ est simpliciter contra ius qui a ius cõmune sẽper manet ad quod per illã consuetudinẽ fit regressus. Ita Suar. *de leg. l.7. c.20.n.*21. Licet contrariã sententiam doceat Castrus Palaus *tom. 1, tract. 3. disp. 3. punct. 5. n.* 5. Diana autem *pa. 6. tr. 5. res.* 27. sententiæ Suarez esse adhærendum docet.

Suarez Diana

13 Merus non usus consuetudinem inducare non potest, quæ uim legis habeat, quia nec actus nec actuum frequentiam importat, ac per consequens nec communitatis nec Principis consensum, est enim merus non usus, quando lex non seruatur, non occurente vlla obseruationis eius ocasione. Si autem occasio legem seruandi occurrat, & prætermittatur, talis non vsus uel desuetudo poterit legẽ abrogare, si tandium duret, ut prudentibus videatur quod legislatore tollerante, uim in suam perdiderit, neque erit merus non vsus. Si autem non usus, non æquiualeat, contrario vsui atque illum inuollat, nulla temporis diuturnitate sufficiens est, ut legi deroget, quia consuetudo vsus est, & in non usu consistere non potest. Ita Syluester *verb. Consuetudo, q.*8. Lorca *in 1.2. tom. 2. disp. 29. memb.* 3. Diana *part. 6. tr. 5. res.* 18. Bonacina *de leg. disp.* 1. *q* 1. *punct. vlt. §. 3. n.* 27.

Siluester Diana Bonacina,

Vide v. Archiepiscopus *n.* 9. Canonicus *n* 4. Decime. *n.* 2. Electio *n.* 14. Festum 1 *num.* 3.& *seq.* Festum 2. *n.* 4. Gabella. *num.* 5. Horæ Canonicæ 4 *n.* 14. Immunitas Ecclesiarum *numer.* 9. Paupertas *num.* 10. Pœna *numer.* 3. Priuilegium *num.* 7.

CONTEMPTVS

SVMMARIVM.

1 *Contemptus, alius materialis, alius formalis.*
2 *Contemptus, vnus dicitur legislatoris, seu præcipientis alter dicitur rei præcepta.*
3 *Contemptus legislatoris, an sit peccatum mortale.*
4 *In re debita solum sub veniali, aut etiam ex solo consilio, an possit reperi peccatum mortale contemptus.*
5 *Peccatum contemptus, vnum an consistat in consuetudine, & frequentia peccandi.*
6 *Formalis contemptus, est in confessione explicandus.*

1 Contemptus dupliciter cõmittitur. *Primò* materialiter. *Secundò* formaliter. *Materialiter* committitur, quando res aliquas aliis postponitur, quamuis hoc directè non intendatur, sic peccantes contra præcepta appellari possunt contemptores Dei, quatenus præferunt Deo creaturas, ad quas per peccatum conuertuntur. *Formaliter* verò committitur contemptus, quando persona aliqua ex directa intentione aliis postponitur, seu quando ex directa intentione aliquid fit, ut alter contemnatur seu contemni credatur, ut contingit quando quis uiolat præceptum, ut ipsum vel, rem præceptam paruipendat Caiet. *in Summa v. contemptus* D. Thom. *in 4. dist. 9 art. 3 q. 3.* Salas *de legib. disp. 10. sect.* 8. *n.* 42.43. Syluius 2.2. *q.* 105. *art.* 1. Layman *l. 1. c. 7. tract. 3. n. 2.* & 6. Nauarrus *c. 23. n.* 42. & alii.

D. Thom. Salas Nauarr.

2 Contemptus adhuc duplex est, *vnus* dicitur contemptus legislatoris seu præcipientis, *alter* dicitur rei præceptæ contemptus rei præceptæ in materia graui est peccatum mortale, si res præcepta non sit grauis, sed leuis, erit tantummodò veniale, tamen ratione alterius circumstantiæ, peccatum ueniale contemptus in re parua possit fieri mortale, verbi gratia, si res parua contemnatur cum intentione iniuriam inferendi legislator; vel si res parua contemnatur cum aliquo errore contra fidem. Vide Suarez *de legib. l. 3. c. 28. nu.* 22. Lessium *l. 2 de iust. c. 46. num.* 49. Sanchez *l. 1. moral. c. 5 nu.* 11. Valentiam 1.2. *disp. 7. q. 5. part. 6.* Caietan. *v. Inobedientia* & alios.

3 Contemptus legislatoris semper est peccatum mortale, si legislator sit Deus, & contemptus sit formalis, & hoc uerum, quamuis res ratione cuius Deus contemnitur,

tur, sit in se parua & modica, quia magna est irreuerentia Deum directè contemnere, & indignam de Deo æstimationem habere. Si verò legislator sit homo, uel contemnitur ut prælatus seu superior, vel ut quidam homo, si contemnitur vt superior, est peccatum mortale, quia ipsius potestas quæ à Deo est tanquam nullius momenti habetur; si verò contemnitur ipsa persona, vt quidam homo habentes aliquos defectus, & imprudens, aut infirmæ sortis, &c. nō est mortale, modo materia non sit granis etiamsi contemptus cum aliqua indignatione coniunctus sit, modò indignatio non sit mortalis Sanchez *l.* 1. *mor. c.5.num.*12. & 13. Crousers *ad c.*10 *reg Min.lect.*3. Valentia 2.2.*disp.*7 *q.*3.*p.*3. Salas *c.num.*28. Suarez *c.num.*22. Lessius *c.nu.*46. Diana *tract.6.misc.res.72.p.* 3. Vnde aliud est nolle obedite ex indignatione, & aliud ex contemptu, quod ex indignatione, fit quando quis non vult in aliqua re obedire, non eò quod superiori subdi renuat, sed ne ipsum ea re solatio afficiat; at ex cōtemptu est, quando renuit, eo quod subiici non vult Caiet *v.contempt.* Armilla *ibid.n.*2. Bonacina *to.2.disp.2.quest.*3 *part.5.n.*10. Sancius *in select.disp.7. numer.* 13

Crousers. Valentia Salas Lessius Diana

Armilla, Bonacina, Sancius.

4 Non solum reperi potest peccatum mortale contemptus in re debita sub mortali, verum etiam in re debita solum sub veniali, aut etiam ex solo consilio, quia Deus, vel superior contemni potest etiam in materia leui, hic autem contemptus continet granem culpam Layman *c.n.* 4. Clau. Reg. *l.3.c.5.n.16.* Suar. *de leg. l.* 3. *c.28.n.24.* Sanch. *l.6.moral.c.4.n.*16. & alii.

Layman, Suarez Sanchez

Et quidem respectu Dei indubitata sententia est, quod scilicet transgredi legem aliquam, ex contemptu Dei, etiā in materia leuissima, sit peccatum mortale, quia contemptus Dei, sicut, & odium Dei, non potest non esse grauissimum. Nihilominus respectu hominum legislatorum, vel authoritatem præcipiendi habentium, & respectu legum humanarum, quæ circa leuem materiam uersantur, difficultatem patitur, quamuis enim Doctores hic citati dicant, quod contemptus rei præceptæ vt sic, etiamsi sit leuis, sit peccatum mortale, imo pro eodem habeant, contemptum mandantis vt sic, & contemptum rei præceptæ, vt sic, quia, inquiunt, lex ut sic, contemni non potest, nisi per respectum ad legislatorem, cuius potestas contemnitur; contemnere autem eius potestatem, est contemnere Deum, quia eatenus, seu secundum illam, Deum repræsentat, & vices eius gerit Sed hæc ratio alios merito non conuincit. Tum quia contemnere legem, ut legem est contemnere legem, vt est quoddam vinculum, sicut contemnere mandantem, ut sic, est contemnere eumdē vt inicientem aliquod vinculum, quare necesse non est committi peccatum mortale, si contemnatur tantum, quatenus est leue vinculum iniiciens. Tum quia contemnere leuem aliquem actum illius potestatis, non potest censeri contemptus mortalis illius, quia ille actus non est ipsamet potestas, nec illi ulla ratione adequatur, ex quo fit vt non nisi indirectè, & secundum quid contemnatur uel etiamsi per hoc directè contemnaretur potestas, non tamen hoc ipso censeri potest Deus directè contemni. Vnde eiusmodi contempus, non est diuersus à formali inobedientia, quæ potest esse venialis, vel defectu deliberationis, vel ex leuitate materiæ. Ita Valentia 1.2.*disp.7.quest* 5.*punct.6.* Caietanus *in Sum.v.contemptus.* Lessius *l.2.cap.46 dub.6.nu,* 45.*&* 46. Diana *p.3.tract.6.resol* 72. & alii ab ipso citati.

Valentia. Caietan. Lessius. Diana

5 Contemptus, & inobedientiæ non consistit in consuetudine, & frequentia peccandi, sed consistit in actu, quo quis uiolat præceptum, aut quia non uult subiici præcepto, uel superiori præcipienti, unde qui frequenter, & ex consuetudine aliqua peccata uenialia committit, non peccat mortaliter ex hoc capite, quia consuetudo non est contemptus illa enim connotat multiplicitatem actuum, & per se solum auget extensiuè numerum peccatorum uenialium, hic autem per se cōsistit in uno actu D Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. Suarez *c.n.*8. Vasquez 1.2.*disp.*102.*c.*5. Sanch. Salas *cc.* Syluius 2.2.*q.*186.*art.*9 & alii.

D. Thom. Suarez Vasquez, Sanchez Salas Syluius

Notandum tamen hic est, latius patere peccatum ex contemptu, quam peccatum inobedientiæ, quia contemptus uersatur circa præcepta, & circa consilia, inobedientia autem circa sola præcepta. Quamuis formalis inobedientia non possit accidere absque actuali præcepti contēptu; quia nolle obedire præcepto, eo quòd præceptum sit, in quo consistit formalis huius inobedientiæ ratio, est illud contemnere, vt docet D Thomas hic citatus *q.*104. *art.* 2. *ad* 1.

6 Formalis contemptus in confessione est explicandus, quia nouam specie malitiam actui superaddit, nempe irreuerentiæ contra superiorem, vnde qui ex contemptu superioris non interest sacro iuxta præceptum superioris, non satisfacit in confessione dicendo se Missam non audiuisse, sed contemptum aperire tenetur. Ita Suarez *c.n.*25. Sanchez *c.num.*8. *&* 11. Valentia 1.2. *disp.7. q.5. punct.6.* Layman *c.c.7.num.2.* & alii

Sanchez ualentia layman

De contemptu multa habet notanda noster Crousers ad cap 10. reg. nostræ lect.3. & nouissimè etiam noster Caspensis *tract.*12.*disp.*3.*sect.*5.

Caspensis

Vide Lex 4. *num.*9.

CONTENTIO.

SVMMARIVM.

1 *Contentio quid sit, & quale peccatum.*
2 *Contentio ex parte materia de qua contenditur, est triplex.*
3 *Contentio est filia inanis gloria.*

1 CONtentio *est disceptatio, siue altercatio verborum ad veritatem impugnandam*, dicitur *verborum*, quia sicut discordia importat contrarietatem in voluntate, ita contentio in locutione. Dicitur, *ad veritatem impugnandam*: nam veritas tripliciter impugnari potest. *Primo*, formaliter, id est, ex intentione ipsam bene cognitam impugnandi, & ipsi contradicendi. *Secundo*, virtualiter, vt cùm quis impugnat veritatem, quam licet falsitatem esse existimet, potest tamen ac debet scire esse veritatem, & hoc modo hæretici doctrinam Catholicam frequenter impugnant. *Tertio*, materialiter, vt cùm aliquis exercitii vel examinis causa veritatem oppugnat. Primis duobus modis contendere contra veritatem fidei, aut morum est peccatum mortale. Tertio modo nullum est peccatum, sicut nec impugnatio falsitatis, nisi sit excessus in modo, qui excessus si tantus est, vt cuipiam magna fiat iniuria, vel generetur graue scandalum, erit peccatum mortale, alioquin est solum veniale. Impugnatio autem veritatis speculatiuæ, quæ nec ad fidem, nec ad mores pertinet etiam ex intentione, non est peccatum mortale, si similiter absit excessus notabilis. Ita D Thom, 2.2.*q.*38.*art.*1. Syluius *ibid.* Toletus *in Summ.l.8.cap.*10. Syluester *v. Contentio*, Nauarrus *in man cap.*23. *n.*34.

D. Thom, Toletus siluester Nauarrus

2 Contentio ex parte materiæ de qua contenditur, est triplex, prima scilicet, *æmulationis*; vt quæ est efferentium diuersos Prædicatores, vel Doctores & huiusmodi. Secunda *disputationis* in scholis. Tertia *litigationis* in foro. Contentio æmulationis de se non est peccatum mortale, frequenter tamen est occasio mortalium, vt detractionum & odiorum, quæ sequuntur inter religiosos. Contentio disputationis potest esse laudabilis ad exercitium cum moderamine & reuerentia, licet hoc fiat raro, nisi inter condiscipulos. Potest tamen esse illicita quadruplici ex capite nempe ex fine, ex parte disputantis, ex parte auditorum, & ex disputandi modo, vt diximus *tom.1 verb. Fides* 2. *n.* 9. Contentio litigationis potest esse peccatum mortale tripliciter. *Primo*, ratione iustitiæ; puta, quia est contra iustitiam: & de hoc non est dubium, si fiat scienter, vel ex ignorantia non excusante. *Secundo*, si sit pro iustitia, sed nimis prolongetur ad exhauriendas facultates clientulorum. *Tertio*, Ratione scandali actiui, siue pusillorum, de qua *v. Scandalum.*

Porrò est notandum quòd Constitutiones Religionum punientes contentiones, non loquuntur de ea, quæ de se est mortalis, quia illæ non prohibent prohibita diuino, aut naturali iure, sed; de ea, quæ est solum peccatum veniale, quia intendunt tanquam finem reuerentiam, & subiectionem debitam ad Prælatos, quæ esse non posset, si etiam veritas clamosè, aut despectiuè, seu derisoriè defenderetur vt benè obseruat Syluester *v. Contentio, quæst.*5.

4 Con-

3 Contentio est filia inanis gloriæ, sicut est discordia. Sicut enim aliqui ex hoc sunt discordantes, quod stant corde in proprijs, nec volunt alter alteri acquiescere, sed vnusquisque ea quæ sua sunt præfert his, quæ sunt alterius quod cum inordinatè fit pertinet ad superbiam, vel inanem gloriam; ita ex hoc aliqui sunt contendentes, quòd vnusquisque defendit verbo id quod sibi videtur, nec vult alterius verbis acquiescere, quod etiam ad superbiam vel inanem gloriam pertinet. Potest tamen contentio oriri, aliunde, ac specialiter ex inuidia, cum qua habet affinitatem, quantum ad recessum ab ea persona à qua dissentit; Ita D. Thom. 2.2 q.38.*art.*2.

D.Thom.

CONTINENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Continentia in materia morali, dupliciter accipitur.*
2 *Continentia vt distinguatur a temperantia.*
3 *Quæ sint vtilitates continentiæ, seu castitatis.*
4 *Incitamenta ad continentiæ cultum multa sunt.*

1 CONtinentia, in materia morali, dupliciter accipitur. *Primo*, vt significat virtutem quandam qua quis se se ab omni delectatione venerea cohibet; quomodo passim accipitur in Scriptura sacra, & apud Sanctos Patres: nec differt à castitate. *Secundo*, vt significet firmitatem animi contra impetus passionum. Et hoc modo, nihil est aliud quàm firmum propositum animi, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactus, & præsertim venereas impellitur. Vnde continentia simpliciter & absolutè dicta, versatur circa concupiscentias delectationum tactus, tanquam circa suum obiectum. Ratio est, quia cùm continentia quandam refrænationem importet, ea simpliciter est continentia, per quam refrænantur illæ passiones, quæ maximè impelluntur ad aliquid prosequendum, & quæ propterea sunt superaturę difficillimæ tales autem sunt concupiscentiæ alimentorum & venereorum, quæ ad delectationes tactus pertinent. Ita D. Thom. 2.2. q.155. *artic.* 1. & 2.

D.Thom.

Circa autem concupiscentias prauas aliarum rerum, non absolutè dicitur continentia, sed cum addita expressione certæ materiæ, veluti continentia iræ, continentia auaritiæ, continentia honoris, vt docuit Aristotel. 7. *Ethic. cap.* 4.

Aristot.

2 Continentia absolutè dicta non distinguitur à temperantia, nisi vt imperfectum & inchoatum à perfecto & completo & sicut dispositio distinguitur ab habitu. Ratio est, quia temperantia consistit in firmo proposito continendi se in bono rationis, per quod passiones iam sunt domitæ & rationi subiectæ. Continentia verò est propositum simile, quod nondum eò peruenit, vt passiones edomuerit & rationi subiecerit. Hoc tamen non sic intelligendum est, quasi temperans nullos ampliùs concupiscentiæ motus patiatur, sed quod rariùs patiatur, & ordinariè non tam vehementes, tum quia habitus voluntatis est firmior, tum quia præter hunc includit habitum appetitus inferioris, per quem compressis passionibus appetitus iste rationi subiicitur. Ita D. Thomas *cit. art.* 4. Syluius & *alij ibidem*.

D.Thom. Syluius.

3 Vtilitates continentiæ, seu castitatis sunt, *Prima* est, reddere hominem similem Angelis & Deo; quia inter Angelos non sunt nuptiæ, *Matthei* 22. Nemo miretur, ait D. Ambrosius *lib.* 1. *de Virginibus* si Angelis comparentur, quæ Angelorum copulantur Domino. *Secunda*. Sanctificat corpus, vel sanctificatum à contaminatione custodit: nam mulier innupta & Virgo cogitat quę Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu 1. *Cor.* 7. Hoc prodit pudor qui omnibus hominibus innascitur, vt propter actus venereos verecundentur, etiam in coniugio honesto. *Tertia*, præbet occasionem Deum liberiùs & puriùs orandi. *Quarta*, habet excellentius, ac præstantiùs præmium in cœlis, quam coniugium. *Quinta* Conseruat atq; confortat corporis vires & integritatem, custodit illud à lepra, podagra, caluitie, oculorum habetudine, alijsque morbis, si tamen sobrietatem sibi iunctam habeat. *Sexta*, hominem aptum reddit, ad faciliùs hauriendam scientiam studiumque omnis Sapientiæ. *Septima*, reddit hominem placidum, benignum, humilem, pium, deuotum & Sanctum; nam qui grauissimas omnium carnis tentationes & luxuriæ vincit; is non patitur se facilè superari à tentationibus aliorum leuiorum vitiorum.

4 Multa sunt quæ ad continentiæ cultum possunt nos incitare; vt exempla Christi Domini, Beatissimæ Virginis, multorumque aliorum Sanctorum & Sanctarum, qui continentiæ fuerunt cultores eximii. *Secundò*. Exempla eorum quibus voluptas maximè nocuit, vt generis humani, quod diluuio periit octu animabus exceptis. Sodomitarum, qui cœlesti igne propter voluptates consumpti. Salomonis, qui per voluptates infatuatus secutus est Deos alienos: denique, quia maior pars mundi per voluptates perit. *Tertio*. Consideratio, quod voluptates breues sunt: *Momentum enim, quod delectat, æternum quod cruciat.* Quòd viles sint. Vtilitas autem earum ex eo conspicitur, quod in eis nihil sit magnificum, nihil generosum, nihil masculum, & brutis nos similes efficiant, carni duntaxat & sensibus externis lenocinantes. Quod sint permixtæ doloribus, relinquunt enim quandam amaritudinem & veluti aculeum in animo, ac tacitum quoddam conscientiæ flagellum. Quod sint inutiles & vanæ; quia desiderium non satiant, sed magis accendunt & animi inquietudinem relinquunt. *Quarto*. Consideratio malorum, quę voluptates secum trahunt, corpus enim eneruant, spiritum carni subiiciunt, salutis obliuionem inducunt, ac tandem homines mergunt in interitum. De quibus plura videri possunt apud D. Antoninum *p.* 4. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 4. D.Anton.

Vide v. Legatum *n.* 6. & 8.

CONTRACTVS

SVMMARIVM.

1 *Quid sit contractus.*
2 *Contractus distinguuntur in diuinos, diabolicos, ciuiles, & innominatos.*
3 *Contractus, alius dicitur bonæ fidei, & alius stricti iuris.*
4 *Alius est onerosus, alius lucratiuus, & gratuitus.*
5 *Quidam contractus perficiuntur reipsa, alij scriptura, alij verbis, alij solo consensu.*
6 *Alius dicitur, pactum nudum: alius vestitum.*
Ex contractu potest oriri duplex obligatio, naturalis, nempe & ciuilis.
7 *An contractus nudus, pariat obligationem naturalem, seu in foro conscientiæ.*
8 *Contractus an possit iure humano irritari, qui aliàs validus esset.*
9 *Pactum nudum, an pariat obligationem in foro ciuili.*
10 *Quos effectus pariant in foro externo contractus, & pacta nuda.*
11 *Consensus liber contrahentium, externo signo declaratus requiritur ad valorem contractus.*
12 *Quomodo error contingat in contractibus, vel circa substantiam rei, vel circa qualitatem & accidentia.*
13 *An contractus iure naturæ sit irritus, quando error contingit in altero contrahentium, circa substantiam rei.*
14 *An error circa qualitatem rei, contractum irritet, si dolus non det causam contractui.*
15 *Quis sit dolus? & quando dicatur dare causam contractui, vel incidere in contractum.*
16 *In foro conscientiæ, an contractus sit inualidus, quando dolus dedit causam contractui*; Refertur duplex sententia.
17 *An teneatur contractum adimplere, qui inuincibiliter deceptus est à tertio.*
18 *Decipiens, an teneatur stare contractui, si deceptus id velit, quando contractus inualidè celebratus fuit ob dolum.*
19 *Contractus, in quem dolus incidit, sed non dedit ei causam, an validus sit in vtroque foro.*
20 *Metus, alius est grauis, alius leuis, alius intrinsecus, alius extrinsecus.*
21 *Contractus metu graui celebratus, an iure naturæ aut positiuo sit irritus.*

22 *Ca-*

22 *Casus, in quibus contractus celebrati per metum grauem iniuste incussum ad extorquendum consensum, sunt ipso facto inualidi.*

23 *Contractus metu graui celebrati, quamuis non sint omnino irriti, an possint in foro conscientia rescindi.*

24 *Contractus celebratus per metum iuste incussum, an possit, & debeat rescindi.*

25 *Contractus, qui per metum leuem sunt celebrati, an possint in foro conscientia in irritum reuocari, quamuis in foro externo non admittatur externo non admittatur exceptio huius metus.*

26 *Quinam possit contrahere.*

27 *An contractus pupilli, vel minoris, inualidi sint.*

1 CONtractus latè sumptus, *est conuentio duorum vel plurium in alterutro saltem obligationem pariens*; & in hac definitione comprehenditur pactum donatio, & promissio, quæ aliquo modo appellantur contractus, & pariunt obligationem ex parte tantum vnius, strictè autē acceptus diffiniri potest contractus formaliter hoc modo: Contractus est *signum externum practicum*, seu secundum alios, *est actus externus inter duos vel plures ex consensu ipsorum vltro citroquè obligationem pariens Lib. 19. Labeo ff. de verb. signific at* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 1.* Layman *l. 3 tr. 4. c. 3.* Filliuc *tr. 33. c. 1. n. 1.*

Le ssius Layman. Filliucius.

2 Contractus varii sunt ac multiplices, & quantum ad personas inter quas fieri possunt, distinguuntur in *Diuinos* quibus contrahimus cum Deo vel cum sanctis in ordine ad Deum, vt sunt vota omnia: in *Diabolicos*, quibus contrahimus cum diabolo, vt sunt magia, maleficia, veneficia &c. in *Ecclesiasticos*, quibus cum Ecclesia Dei sponsa contrahimus, vt est solemnis professio Christianismi in Baptismo, solemne votum castitatis in ordinibus sacris, & professio trium votorum solemnium in religione approbata, in *Ciuiles* denique, de quibus homo contrahit cum homine, quorū cōtractuū alii nominati dicūtur, qui scilicet propria habent nomina iure gentium, vt emptio, locatio, pignus, depositum, commodatum, &c. alii dicuntur innominati, qui proprio nomine carent. & habent tantummodo nomen genericum conuentionis, & sunt quatuor, *do vt des, do vt facias Facio vt des, facio vt facias*, ad innominatos contractus reducuntur illi, de quib dubitantur, an pertineant ad nominato. Vide Reginaldum *l. 25. c. 3 n.* 20 Syluest. *v. Contractus.* Bonacinam *tom. 2. disp 3. q. 1 p. 1. n. 21.* Filliuc. *tr. 33. c. 1.*

Reginald Syluester. Bonacina. Filliucius

3 Contractus, alius dicitur *bona fidei*, & alius *stricti iuris* contractus *bona fidei* sunt in quibus iudex multa potest ex æquo, & bono atbitrari, vt sont emptio, locatio, & similes contractus *stricti iuris* sunt, in quibus index ad verba astringitur, & iudicat ex rigore legis & pactionis, vt in stipulationibus, in contractu feudali, & emphyteutico, Couarruuias *ad Reg. possessor. part. 2. § 6.* Molina *tra. 2. de iust. disp.* 259 Layman *c. n. 4.* Bonacina *de contract. disp. 3. q. 1. numer.* 21.

Couaruias Molina Layman Bonacina

4 Contractus, alius est *onerosus*, alius *lucratiuus*, & *gratuitus*, contractus *onerosus* est ille per quē onus imponitur & aliquid loco eius quod datur debet reddi vel præstari, qualis est venditio, in qua onus imponitur venditori ad rem tradendā, & emptori ad soluendū prætiū, Contractus *gratuitus* est ille, quo aliquid promittitur vel traditur absque pretio uel mercede, ut est commodatum, mutuum, precarium, depositum, & testamentum, Reginaldus *citat. num. 2.* Lessius *c. dub. 3. n. 16.* Filliuc. *c n. 13.* Bonac. *c. n. 21.* & alii.

Reginald. Lessius Filliucius Bonacina.

5 Contractus quidam perficiontur reipsa, ut commodatum, pignus, donatio, & mutuum, nec sunt perfecti ante rei traditionem, alii perficiuntur scriptura ex dispositione, uel ex conuentione partium alii perficiuntur uerbis & requirunt certam uerborum formam, qualis est stipulatio alii perficiuntur solo consensu exterius utrimque explicato, qualis est uenditio, emptio, matrimonium Rebellus *de contr. lib. 1. q. 13. sect 1. n. 3.* Azorius *to. 3. lib. 8. c. 26. q. 1.* Layman *c, n. 2.*

6 Contractus, alius dicitur *pactum nudum*, & alius *vestitum*, pactum *nudum*, dicitur quod in meris finibus conuentionis consistit omni alio firmamento carnes talis est omnis contractus innominatus antequā ex altera parte sit impletus, nisi accedat ei formula stipulationis, vel iuramentum; item omnis contractus qui re perficitur, est pactum nudum ante rei traditionem, vt donatio, mutuum, &c. Contractus *vestitus* est, qui habet aliquid ampliùs vnde iure ciuili robur obtineat; vestitur autem sex modis. *Primo* reipsa, vt si ex altera parte saltem sit impletus. *Secundo* verbis ut si accedat formula stipulationis. *Tertio* literis uel scriptura, ut si quis fateatur sibi satisfactum esse, etiamsi satisfactum non sit. *Quarto* specifico nomine contractus ut omnes contractus nominati sunt vestiti, si in suo genere sint perfecti. *Quinto* iuramento. Ita communiter Doctores Syluester *v. Pactum quæst. 2.* Bonacina *cit.* Filliucius *tract. 33. cap. 1. quæst. 9.* Layman *cit. lib. 3. tract. 4. cap. 2.* Lessius *cit num. 17. & 18.* Molina *cit. disp. 254. 255 & 256.*

Bonacina Filliucius Molina.

Notandum præterea est, duplicem ex contractu posse oriri obligationem. Altera est ciuilis, id est, ad quam implendam datur actio in foro externo. Altera autem est naturalis, id est, quæ non ex solo honestæ gratitudinis debito oritur, sed ex vinculo legis naturalis. Et quamuis ad hanc non detur actio in foro causarum, obligat tamen in foro conscientiæ; atque ea traditur regula ad cognoscendum, quando ex contractu oriatur obligatio naturalis, & quando ciuilis Si lex humana contractum reprobet, ipsumque probibeat ei resistens, neutra obligatio oritur. Si autem ex humana minimè contractui resistat, ipsum reprobans, nec ei assistat, sed potius deneget in foro externo actionem tunc contractus hic destitutus manet auxilio iuris ciuilis, & sub solo iuris naturalis fomento. Quare sola naturalis obligatio, verum in foro conscientiæ debitum producens, consurget: quòd si lex non resistat contractui, sed illi assistat, illumque approbet, vtraque orietur obligatio.

7. Quilibet contractus etiam nudus sponte liberèque factus, si contrahentes sint habiles, parit obligationem naturalem, seu in foro conscientiæ; modo iure positiuo non sit irritus, vel detur irritandi potestas: obligatio autem est vinculum quo contrahentes astringūtur ad aliquid faciendum vel non faciendum; quia ad se obligandum sufficit animus verbis expressus & acceptatus. Gomezius *tom. 2. c. 9* Couarr *in C. quamuis pact. part. 2. § 4. n. 25.*

8 Contractus potest iure humano irritari, qui aliàs validus esset, ita vt nullam pariat obligationem, quia sicut homines priuati, possunt contractibus certas formulas & conditiones apponere, sine quibus contractus eorum in posterum non censeantur validi, & illis subsistentibus validi sint; ita multò magis respublica & consequenter Princeps poterant huiusmodi conditiones apponere, ita vt illis non seruatis contractus sit inualidus, vel saltem irritari possit. Filliucius *cit. c. 5. n 85.* Bonacina *cit. n. 3.* Lessius *cit. dub. 4. n. 20* ex communi;

Bonacina Lessius

9 Contractus qui dicitur pactum nudum, non parit obligationem in foro ciuili, hoc est, quamuis ius ciuile non resistat talibus contractibus eos irritando, illis tamen etiam non assistit concedendo actionem, imò permittit illos rescindi causa pœnitentiæ, etiam altera parte inuita; verùm in foro conscientiæ hoc non esset licitum & iure canonico taliter contrahentes in foro Ecclesiastico coguntur stare contractui & implere promissum. Couar. *c. n 24.* Syluest. *cit. n* 3. Filliuc. *cit. n. 87. 88.* Layman. *cit. num. 1.* & alii.

10 Ex eo quod contractus & pacta nuda obligent in foro conscientiæ, in foro etiam externo pariunt quosdam notabiles effectus, *l. iuris gentium ff. de pactis. Primò*, exceptionem pariunt, & impediunt soluti repetitionem: *deinde* tribuunt ius compensandi in foro conscientiæ. *Tertiò*, potest eis accedere fideiussor & efficaciter obligari. *Quartò*, potest retineri pignus: Nota tamen si hi contractus nudi seu pacta iuramento confirmentur, secundum communem Doctorum sententiam pariunt actionem in vtroque foro. Vt docent Lessius *cit. n. 23.* Filliuc. *cit. n. 89. & 91.*

11 Ad validitatem contractus, requiritur consensus liber contrahentium externo signo declaratus, quia homo homini obligari non potest per solum actum internum, qui natura sua latet; hic autem consensus potest torqueri per errorem, uel dolum, vel metum, & ideo videndum est an contractus dolo, errore, vel metu celebratus validus sit Reginaldus *lib. 25. c. 4. n. 29.* Filliuc. *tract. 33. n 17.*

Reginald Filliucius

12. *Error*

12 *Error* contingit in contractibus uel circa substantiam rei, uel circa qualitatem, & accidentia; tunc contingit circa substantiam, quando contrahens credit contractum de vna re inire, sed postea comperit aliam esse, vt si credens emere aurum, reperit esse aurichalcum, circa qualitatem autem & accidentia contingit error, quando quis putat contractum inire de re aliqua affectata aliquibus accidentibus, sed posteà inuenit illam iis accidentibus destitutam, Lessius *lib.2.cap.17.dub.5.num.27.* Sanchez *de matrim.lib.7 disp.18.n.4.* Layman *lib.3.tract.4.c.5.n.1.*

Lessius
Sanchez
Layman

13 Cùm uis & obligatio contractus pendeat à consensu & uoluntate contrahentium, & nihil tam contrarium sit consensui quàm error *l. si per errorem ff. de iurisdictione*, dicendum est, secundùm communem Doctorum sententiam, quando contingit in altero contrahentium esse errorem circa substantiam rei, contractum iure naturæ esse irritum, quia deest substantialis consensus, & hoc verum tam in contractu onèroso quàm in gratuito, imò etiam in voto & matrimonio. Ita Bonacina *tom.2. disp.3. quæst.1.part.2.num.2.* D. Thomas 1.2. *quæst.6. art 8.* Reginaldus *cit.num.45.* Layman *cit.num.1.*

Bonacina
D. Thom.
Reginald.
Layman

Contractus celebratus cum errore comitante, id est, qui, sic comitatur contractum ut nullo modo ad eum inducat, sed eo sublato, adhuc contractus fieret, non est ualidus, quia error comitans non sufficit ad validitatem cõtractus. hic enim licet non faciat inuoluntarium, non facit tamen voluntarium quod requiritur ad contractum. Lessius *lib.2.cap.17.dub.5.num.28.* Sanchez *de matrim.lib.1 disp.64 & 65.* Molina *tom.2.disp.352.concl.4.*

Lessius
Sanchez
Molina

14 Quando error est circa qualitatem rei, non irritat contractum, modò dolus non det causam contractui, quia iste verè consentit in contractum sciens & uolens, absque metu & fraude, qui consensus sufficiens est ad contractus validitatem; unde contractus ille est ualidus, quamuis quis sit deceptus in pretio vltra dimidium, quia dolus non dedit causam contractui, sed solùm est causa maioris uel minoris pretii, vnde ipse contractus non potest rescindi nolente emptore, sed ad æqualitatem reduci. D Antoninus *part.2.tit.1.cap 17.§.6.* Sotus *lib.6.q.3.art.2.* Lessius *cit.num.28.* Layman *cit.num.6.*

D Antoninus
Sotus
Lessius
Layman

15 Dolus est *machinatio seu deceptio qua quis decipit alterum dicto, vel facto, uel omissione eius, quod dicere uel facere tenebatur: lib.1 ff de dolo,* aliquando hic dat causam contractui, nempe quando quis inducitur ad contrahendum non contracturus, si dolus non adesset; aliquando dolus est incidens in contractum, quando contrahentes adhuc contraxissent secluso dolo, sed non ita libenter, uel non cum tanto grauamine uel pretio, hic dolus prouenire potest vel à parte quæ tecum contrahit, uel à tertio, ita vt pars non sit vllo modo illius particeps, uel ex propria tua opinione. Molina *tom.2.disp.293.* Filliucius *tract.33.cap.7 nu.113 & 115.* Petrus Nauarrus *lib.2.c.1.n.52.* Bonacina *de contract. disp.3.q.1 p.2.§ 2.num.2.*

Molina
Filliucius
Nauarrus.
Bonacina

16 Quando dolus dedit causam contractui, & ipse prouenit ab altero contrahente. iure positiuo *l. & eleganter, ff. de dolo*, contractus est inualidus in foro conscientiæ, siue lucratiuus sit, siue onerosus, excepto matrimonio. Ita Azorius *3.part. lib.6. c.10.* Syluester *v Culpa quæst.7.* & alii. Quamuis nonnulli Doctores secundum Lessium *lib.2.c.17.n.31* Coninck *de matrim.disp.23.num 73* Filliucius *c. num.119.* non improbabiliter contrarium sentiant, quia quando metus dat causam contractui, non est omninò irritus, sed in irritum reuocandus; atqui metus & dolus in iure censentur paria. In foro verò externo contractus stricti iuris non sunt inualidi, sed irritandi, *l. dolo C de inutilibus stipul.* quamuis deceptus habeat actionem contra decipientem, ne adimpleat.

Azorius
Syluester
Lessius
Coninck
Filliucius

Bonæ autem fidei contractus celebrari per dolum dantem ipsis causam, irriti sunt in vtroque foro. Molina *d 352.* Gomez *2.variar.cap.2.n.20.* Tamen quando dolus prouenit à tertia persona uel à propria opinione, qua contrahens seipsum decipit, secundùm communiorem sententiam contractus esset ualidus, etiamsi dolus illi causam dederit. Glossa *in cap. Cum dilecti, de empt. & vendit.* Couaruuias, Sanchez, Lessius apud Bonacinam *cit.num.3* Licet deceptus habeat actionem contra tertium à quo fuit deceptus, quia decipiens tenetur ad omnia damna, cum censetur causa illorum iniusta, *l.2. ff. de proxenetis* Sanchez *de matrim.l.1.disp.64.n.5.*

Molina
Gomez
Glossa
Couaruuias
Sanchez
Lessius

17 Qui inuincibiliter deceptus est à tertio, non tenetur cognito errore à dolo contractum adimplere si contractus non sit completus traditione rei vel pretii, ideoque non sit adhuc translatum dominium, quia contrahentium tacita mens solet esse non obligandi se adimplendum contractum, si deprehenderint se deceptos esse. Filliucius *cit. n.124.* Sanchez *de matrim.l.1.disp.64 n.5.* Lessius, Reginaldus, & alii.

Filliucius
Sanchez
Lessius.
Reginald.

18 Quando contractus inualide celebratus fuit ob dolum, secundum probabilem quorumdam Doctorum sententiam, tenetur decipiẽs stare contractui, si deceptus id velit, quia decipiẽs ex parte sua fidem dedit, quam debet seruare, & iura fauent deceptis, non decipientibus. Molina *cit.num.8.* Lessius *cit.n.32.* Reginaldus *cit.n. 122. 144.* Coninck *cit.disp.28.dub.1.num.7.* & alii. Nihilominus aliis Doctoribus probabilius videtur, & mihi, decipientem non teneri ante sententiam iudicis adimplere contractum, volente decepto permanere in contractu, quia contractus onerosus non claudicat, nec obligat ex vna parte nisi etiam obliget ex alia Decipiens tamen tenetur ad restitutionem omnium damnorum quæ passus est deceptus. Medina, & alii apud Sanchez *de matrim. lib.4. disp.15 num.5* Bonacina *cit.§.2.n 5.*

Molina
Lessius
Reginald.
Coninch.

Medina
Sanchez
Bonacina.

19 Contractus in quem dolus incidit quidem, sed non dedit ei causam, validus est in vtroque foro, sicque inciderit, & ex proposito, damnum omne compensandum est ab eo, qui illum adibuit, sin autem inciderit reipsa seu neutro ex contrahentibus illum adhibente, aut consentiẽte in adhibitionem, relinquitur arbitrio, non quidem decepti, qui damnum patitur in defectu pretii, sed alterius, vt vel stet contractui supplendo eiusmodi defectum, vel contractum ipsum rescindat. Azorius *tom. 3. lib. 6 c.10. quæst.2.* Filliuc. *tr.33.n.121.* Lessius, Medina, Reginald. *cc.* Sanch. *de matr. lib.1.disp.64.n.6.* & alii.

Azorius
Filliucius
Lessius
Medina
Reginald.
Sanchez

20 Metus alius *grauis* est, alius *leuis* grauis, alius est, *absolutè*, alius *respectiuè; metus absolutè grauis* est, qui cadit in constantem virum, vt metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus. longi carceris, stupri in uiro vel in fœmina, &c. *respectiuè grauis* est, qui est alicuius mali, quod etsi viro constanti non sit formidabile, tamen fœminæ, seni, uel puero, vel homini meticuloso formidandum uidetur; At metum cadentem in constantem uirum reuocatur metus reuerentialis, si sit coniunctus cum minis aut verberibus, reducuntur item ad eundum metum preces importunæ superiorum. Sanchez *de matrim. lib.4.disp.5. & 12.* Lessius *cit. dub 6.num 35* Bonacina *tom 2.disp.3. q.1.p.2.§.3.* Syluius *1.2. quæst 6.art.6.* Layman *lib.1.tract.2 capit.6.*

Sanchez
Lessius
Bonacina
Syluius.
Layman

Metus alius est *intrinsecus*, qui fit à causa naturali, ut à morbo. tempestate, &c. alius est *extrinsecus* qui fit à causa libera nempe homine, hic autem metus, uel iustè incutitur ab homine, vel iniustè, denique uel incutitur ille metus ad extorquendum consensum, uel incutitur ad alium finem.

21 Contractus metu graui celebratus, neque iure naturæ, neque etiam iure positiuo est omnino irritus, sed est aliquomodo ualidus, *l.vlt.C.de his quæ vi* Filliucius *tract. 33.num 32.* Azorius *cit.lib.6 cap.7 quæst.2.* Nauarrus *cap. 22.n.50.* Syluius *cit.concl.1.quæsit.2.* quia metus non tollit voluntarium simpliciter, sed facit inuoluntarium mixtum, cum quo inuoluntario, sicut stat consensus sufficiens ad peccandum, ita etiam stat consensus sufficiens ad contrahendum, quamuis iure positiuo tales contractus irritos plurimi Doctores non improbabiliter opinentur, ut Molina, Clauis Regia, & Valentia *tom.2. disp. 2. quæst. 1. part4.*

Filliucius
Azorius
Nauarr.
Syluius

Molina
Clau. Reg.
Valentia

22 Excipiuntur à Doctoribus multi casus in quibus cõtractus celebrari per metum grauem iniustè incussum, ad extorquendum consensum, sunt ipso facto inualidi, *Primus*, contractus matrimonii, & sponsalium, etiamsi iuramentum accedat. *Secundus.* si dos promissa uel soluta sit per metum quia est accessoria ad matrimonium *C, Veniens 2. & c.cum locum de spons. Tertius* in rebus Ecclesiæ non tenet promissio vel traditio ex metu, quia iure requiritur certa solemnitas in rerũ Ecclesiæ alienatione. *Quartus,*

tus est votum ex metu emissum sit. *Quintus*, authoritas tutoris per metum extorta. *Sextus*, remissio debiti, legatum, & testamentum non sunt valida, si fiant per metum. *Septimus*, testimonium, cùm testes metu sunt in testamento adhibiti. *Octauus*, quilibet contractus per iniustè incarceratum initus cum eo à quo detinetur. De his plura apud Authores hic citato Lessium *cit. n.* 37. 38. Reginald. *cit. n.* 32 Syluest *verb. Metus quæst.* 6. Sylu. *cit. concl.* 3. Azorium *tom* 1. *lib.* 1 *cap.* 11. Filliucc *cit. cap* 2. *n.* 32.

Lessius
Reginald.
Siluester
Silu.
Azorius
Filliucius

23 Contractus metu graui celebrati, quamuis non sint omnino irriti, possunt tamen in foro conscientiæ rescindi & in irritum reuocari, pro arbitrio eius qui metum passus est, si metus iniustè incussus fuit ad contractum extorquendum: quia qui metum iniustè incussit iniuriam alteri intulit; vnde tenetur illum in priorem statum restituere & alterius ius habet exigendi hanc restitutionem; hinc patet omnes emptiones, venditiones, transactiones, concessiones, promissiones, donationes, contractus, & distractus, seu contractuum rescissiones, & generaliter omnes consensus per metum grauem iniustè extortos, posse in irritum reuocari; illum autem, qui ex huiusmodi contractu vel consensu aliquid est consecutus, teneri ad restitutionem, siue ipse, siue alius metum intulerit. Vide Nauarr. *cap.* 22. *nu.* 51. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 2. Filiuccium *cit. n.* 33. Sanchez *de matrim. lib* 4. *disp.* 9. Syluester *v. Metus num.* 8. Reginald. *lib.* 25 *n.* 31 & 32. Bonacin. *ci* . § 3. *n.* 4. Dianam *tract.* 5. *misc. resol.* 118. 119. *p.* 3. Syluium *cit. concl.* 2. & alios.

Nauarr.
Layman
Filliucius
Sanchez
Siluester
Reginald.
Bonacina
Diana
Siluius

24 Contractus celebratus per metum iustè incussum ad extorquendum consensum, non potest, nec debet rescindi, quia validus est, nec vlla iniuria intercessit, propter quam rescindi debeat: vnde acquisita ex tali contractu non sunt restituenda. Sanchez *cit. disp.* 8. *n.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6

Sanchez
Lessius

25 Contractus, qui per metum leuem celebrati sunt, quamuis aliquo modo sint validi, nec in foro externo admittatur exceptio huius metus nec detur actio ad rescindendum contractum, in foro tamen conscientiæ possunt in irritum reuocari, & quæ tradita sunt repeti, & qui ea obtinet tenetur restituere, si metus ille per iniuriam ad illa extorquenda sit incussus; quia quod hoc metu obtinetur, quod obnoxium est restitutioni. Secundum probabiliorem tamen sententiam, ab hac doctrina excipitur matrimonium, & votum solemne, quæ irritari non possunt, quamuis metu leui fuerint facta: licet probabilitate non careat illa iure naturæ etiam inualida esse. Nauarrus *cap.* 17. *n.* 15. & *cap.* 52. *n.* 51. Couarru. *reg. peccatum* 2 *p.* § 3. *n.* 7. Layman *cit. n.* 4. Sanchez *cit. disp.* 17. *n.* 4. & alii cc Lessius *cit. num.* 47 Filliucc. *cit n.* 34. Vide Dianam *tractat.* 5. *misc. resolut.* 117. *part.* 3. Syluius *cit. conclus.* 4. & alii.

Nauarr.
Couarr.
Layman
Sanchez
lessius
Filliucius
Diana
Siluius

Metus, verò qui dicitur reuerentialis, sufficientem causam præbet in conscientiæ foro, aut Iudicis implorato officio rescindendi acta, vel contractus, qui solubiles sunt & maximè si ille metus efficiat consensum secundum quid inuoluntarium: quod accidit, si quis consentiat in rem aliquam, à qua alioquin eius voluntas, seposito metu, abhorret. Syluester *v. Metus q. vlt.* Nauarr. *cit. n.* 30. Layman *cit n.* 4. Rebellus *p.* 2. *lib.* 1. *de contract. q.* 5. *n.* 13. Sanch. *cit. disp.* 9. & alij.

Siluester
Nauarrus
layman
Rebellus.
Sanchez

Simili modo, ac ratione preces importunæ efficientes inuoluntarium admixtum inuoluntario facultatem præbent rescindendi actum vel contractum, Molina *tom.* 1. *tract.* 2 *disp.* 135. Sanchez *cit. disp.* 10.

26 Omnes, qui habent administrationem bonorum, possunt contrahere, quatenus illa administratio se extendit; qui verò carent administratione, non possunt nisi ex consensu eorum, quibus subsunt: vnde amentes furiosi, & infantes, qui nondum rationis vsum adepti sunt, validè contrahere non possunt cum ad contractum requiratur consensus liber & rationis vsus, quo priuantur tales personæ; deinde prodigus cui à iure prohibita est suorum bonorum administratio. Filliucius *tract.* 33 *n.* 38. Azorius 2 *p. lib* 6 *cap.* 14. Molina *cit. disp.* 224. Sanchez *de matrim. lib* 6. *disput.* 38. *numer* 9. Lessius *cit. dub* 8. Layman *l.* 3 *tract.* 4. *cap* 8. & 9. Minor & pupillus pubertati proximus, possunt sine authoritate curatoris, vel tutoris validè contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum, hoc est, possunt contrahendo sibi alios obligare; quàuis non possint aliis obligari sine authoritate eorum quibus subsunt. *Institut. de auct. tutor. l. Si curatorem C. de in integrum restitut.*

Filliucius
Azorius
Molina
Sanchez
lessius
Layman

Filiifamilias de bonis castrensibus, vel quasi possunt cõtrahere, modò puberes sint, vel proximi pubertati, quia in iis habent liberam administrationem, Bonacina *de contract. disp.* 3. *q.* 1. *part.* 5. *n.* 1. Layman *cit. c.* 8.

Bonacina
layman

De bonis aduentitiis non possunt sine consensu patris, quia hic habet in illis vsumfructum, & administrationem. De profectitiis non possunt, nisi de consensu patris, habet enim pater in iis dominium directum, & vtile. Molina *cit. disp.* 220. Filliucius *cit n* 47. 48 49. Aduerte tamen, quòd si contrahant de bonis aduentitiis & profectitiis, & puberes sint, obligantur ex contractibus, quia datur aduersus illos actio iure communi. *Instit. lib.* 3. *de inutil. stipul.* § *item inutilis. Quæ autem dicantur bona castrensia, aduentitia & profectitia. Vide Dominium* 1. *n* 6. Porrò serui contrahendo obligantur quidem naturaliter & in conscientia ad seruandum contractum: Ciuiliter tamen non obligantur, vnde neque illis, neque aduersus illos datur actio in foro sæculari, etiam postquam peruenerint ad libertatem: *l. quod attinet, ff. de reg. iur. l. seruus ff. de actib. & oblig.*

Molina
Filiucius

Excipitur in iure promissio, seu pactum certæ pecuniæ pro libertate, *l. Promissa, C. an seruus pro suo propr.*

Sed petes, an contractus à Religioso initi absque superioris licentia sint prorsus irriti, ac nullius valoris. Respond. Certissimum esse apud omnes Monasterium non teneri ex his contractibus, nisi quatenus inde locupletius factum est, ad instar contractus filiifamilias, aut serui absque licentia patris, aut domini initi, ex quo illi non tenentur, nisi quatenus inde locupletiores facti sunt, vt expressè habetur *l. Si cum impubere, ff. de peculio.* At obligatur Monasterium ex contractu inito à suo Prælato, quatenus non excedit suę administrationis limites, si tamen Prælatus mutuo accepit pecunias in vsus proprios, vanos, ac turpes, aut in alios, in quos bona Monasterii expendenda non erant, non tenebitur Monasterium, quia tunc excedit suæ administrationis limites. Similiter tenebitur, Monasterium ex contractu Monachi, ratione alicuius administrationis, etiam tacitè illi commissæ, quatenus illius limites non excedit. Attamen contractus à religioso sine licentia superioris initi, non sunt omninò irriti, sed integrum est Pręlato, aut Monasterio illos irritare, vel ratos habere, prout illis magis commodum, ac vtile fuerit, ad instar contractus celebrati cum pupillo, aut minore absq; tutoris, vel curatoris licentia. Interea ex tali contractu oritur in religioso obligatio naturalis, dum superior non irritat, proinde tenetur dare operam, quantùm in se est, vt Prælatus approbet. Si autem religiosus, cum superioris legitima licentia, contraxerit, obligabitur naturaliter, & ciuiliter, nec poterit contractus ab eodem Prælato, aut à successore, vel ab alio maiori, validè irritari, quia Prælatus successor tenetur ex contractu prædecessoris. Vt patet ex *cap. Litteris, de rescriptis.* Vide Rodriguez *to.* 2. *qq. reg. q.* 49. *art.* 7. & *tom.* 3. *quæst.* 26. *art.* 1. Sanchez *lib.* 7. *Moral. cap.* 31. Lessium *lib.* 2. *c* 41. *dub.* 11. Azorium *to.* 1. *lib* 12 *cap.* 11 *quæst.* 11. Sylnestrum *v. Religio* 8. *q.* 3.

Rodriguez
Sanchez
Lessius
Azorius
Syluest.

27 Contractus pupilli vel minoris, quo alienant rem immobilem vel mobilem quæ seruando seruari potest, inualidus est in vtroque foro, nisi hæc alienatio facta sit de licentia iudicis & ex iusta causa, qualis censetur solutio debitorum, necessitas sui alendi, &c. hoc autem decretum seu licentia iudicis debet per tabellionem actis inseri. In aliis verò, probabilius est pupillum vel minorem obligari naturaliter, non tamen ciuiliter, possunt tamen hanc obligationem beneficio restitutionis in integrum elidere, & ita non obligantur validè seu efficaciter, vnde qui à minore vel pupillo habet aliquid per contractum vel donationem, ad cuius alienationem non requiritur iudicis decretum, non tenetur ad restitutionem ante sententiam iudicis, quia isti obligatione naturali tenentur stare contractui, probabile etiam est ex nullo contractu pupilli vel minoris obligationẽ nasci nisi accesserit minoris iuramentum. Vide Doctores citatos Rebellum 2. *p. de*

contractu

contract. quæst. 8. num 14 Azorium cit. Lessium cit. num. 61 Sanchez cit. Reginald. cit. n. 151. Filliucium cit. Dianam tr. 5. mis. resol. 44. p. 3 Layman cit. c. 9. Bonacina c. punct. 5. Vide *Depositum, Census, Culpa* num. 5. *Donatio, Emphyteusis, Emptio, Excommunicatio.* 3. num. 25. *Venditio, Mutuum, Promissio, Vsura.*

Azorius. Lessius. Sanchez. Reginald. Layman. Bonacina.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Contractus alii sunt gratia accipientis, alii gratia solum dantis: alii gratia vtriusque.*
2 *Contractus bonæ fidei, & stricti iuris inter se distinguuntur.*
3 *Contractus ad pias causas, cui deest solemnitas iuris ciuilis, validus est in vtroque foro, modo existat id quod est iuris naturalis, & diuini.*
4 *Contractus ad causam profanam, quibus deficit aliqua solemnitas iuris, possunt leges ciuiles in vtroque foro statim ipso facto irritare.*
5 *Contractus simulatus est in vtroque foro nullus.*
6 *Metus reuerentialis, si inuoluntarium mixtum efficiat, sufficit in foro conscientiæ ad reddendum contractum inualidum, secus in foro externo.*
7 *Contractus contra bonos mores non est validus, nec iuramento confirmatur; secus si sit de re quæ sine peccato seruari potest.*
In duobus casibus iuramentum etiam de re bona, non est validum, nec obligatorium.
8 *Quando contractus iure naturæ est inualidus, vel inualidari potest, non confirmatur iuramento: si autem contractus indicat obligationem naturalem, confirmatur iuramento, modo vis, vel fraus non intercedat.*
9 *Si contractus turpitudinem aliquam habeat ex parte eius, cui fit, non tamen ex parte eius, qui iurat, non confirmatur iuramento, quatenus attinet ad eum, cui iuratur, quamuis iuramentum sit validum, & obligatorium.*
Quando lex non solum inualidat contractum, sed etiam illum prohibet, si iuramentum adhibeatur, contractus non confirmatur.
10 *Quando contractus vetatur à iure principaliter ob commune bonum, iuramentum non valet, nec contractum confirmat. Si autem iuramentum adhibitum in contractu est contra substantiam ipsius, illum tamen non confirmat, quamuis sit obligatorium.*
11 *Quoties iuramentum est contrarium alteri iuramento prius facto, contractus non firmatur iuramento.*
12 *Plures effectus tribuit iuramentum contractui quem confirmat, quorum primus est, vt pariat duas obligationes vnam erga Deum, alteram erga hominem.*
13 *De secundo effectu.*
14 *De Tertio effectu.*
15 *De quarto effectu.*
16 *Potest minor petere ab Episcopo relaxationem iuramenti, quo contractum irritum validauit, relaxatio tamen iuramenti non irritat contractu.*
17 *Verius est statutum laicorum annullans contractum, iuramentum non annullare.*
18 *Contractus aliquando fit purè, & simpliciter aliquando diem, aliquando sub conditione, aliquando alter-natiuè, hoc est, sub disiunctione.*

1 Contractus, alii sunt gratia accipientis tantum, cuius generis sunt mutuum, commodatum precarium. Alii gratia solum dantis, veluti, depositum, & mandatum. Alii gratia vtriusque, dantis, & accipientis, vt emptio, locatio, permutatio, pignus, Societas. Aliquando vero commodatum, mandatum, depositum sunt gratia dantis, & accipientis, vt suis locis *tom. 1.* dictum est.

2 Contractus bonæ fidei, & stricti iuris inter se distinguuntur. *Primò*, quia contractus bonæ fidei, in quibus intercedit dolus dans causam contractui, sunt ipso iure irrit, & nulli, non tamen ii, qui sunt stricti iuris, quamuis per acceptationem doli rescindi possint. *Secundo* quia obligatio contractuum bonæ fidei post moram extenditur ad omnia damna secuta, ad quæ tamen non extenditur obligatio contractuum stricti iuris, nisi id sit inter partes conuentum. Hoc autem procedit quoad dandi obligationes ex liberalitate susceptas, quæ stricti iuris sunt: nam obligationes tradendi, faciendi ac restituendi, aliquando extendi possunt ad damna subsecuta, licet stricti iuris sint. *Tertiò*, quia contractus stricti iuris, regulariter non extenduntur ad ea, quæ tempore contractui præcogitata non sunt, vt si postquam rem aliquam liberaliter promisisti, superueniat aliquid, quòd si præcogitasses, non promisisses, fas est, non stare promissis, vt docet D. Thom. 2. 2 *q. 110. art. 3. ad* 5. Secus de bonæ fidei contractibus dicendum: vnde si postquam rem iusto pretio vendidisti, vel domum locasti, similesque iustos contractus fecisti, non licebit ab illis recedere propter inopinatum euentum, de quo si precogitasses, non contraxisses. Dixi, *regulariter*, quia interdum etiam in stricti iuris contractibus, non est licitum ab illis resilire, vt diximus in materia promissionis *t. 1. v. Promissio, n. 9.* Qui autem sint dicendi contractus bonæ fidei, & stricti iuris? Vide *tom. 1. v. Contractus num.* 3. D. Thom.

3 Omnes Doctores conueniunt contractum ad pias causas, cui deest solemnis formula iuris ciuilis, modo existat, id quod est iuris naturalis, validum esse in vtroque foro, tum in fauorem causæ piæ, tum etiam quia eo ipso quod contractus ille pius est, libera voluntate contrahentis, & non per aliquam fraudem iudicatur celebratus. Vt colligitur expressè ex *cap. Relatum 11. de testament.* vbi Alexander Papa III. precipit, vt Iudex causas; in quibus agitur de iis, quæ relicta sunt Ecclesiis, tractet, non secundum leges ciuiles, sed secundùm Canones. Quod etiam in foro ciuili seruandum esse, docent Iulius Clarius *§. Testamentum, q. 6.* Couarruuias *de testament. cap.* 11 Imò vt talis contractus ad pias causas valeat in foro conscientiæ, non sunt necessarii duo testes: satis enim est in hoc contractu id quod iure naturali & diuino est sufficiens, nempe contrahentes sint habiles ad celebrandos contractus, & libertas in contractu. Ratio est, quia nulla solemnitas iuris ciuilis in his contractibus ad pias causas est necessaria, vt patet ex *cap. Relatum supra*. Neque etiam necessarii sunt duo testes iure Canonico, quia vt ex dicto *cap. Colligitur*, ius Canonicum non requirit eos, vt contractus vim habeant in foro conscientiæ, sed ut probari possit in iudicio. Sed de his plura *tom. 1. verb. Testamentum num 4. & 5.* Alex. Pp 3. Clarus Couar.

4 Leges ciuiles possunt contractus ad causam profanam, quibus deficit aliqua solemnitas iuris in vtroque foro statim ipso facto irritare. Ratio est, quia in Republica est plena potestas ad occurrendum fraudibus & dolis qui in contractibus accidere possunt, tam in iudicio, quam extra iudicium, sicut de facto irritos decernit contractus pupillorum celebratos sine auctoritate tutorum & alienationes factas à Minoribus, sine consensu Curatorum vel decreto iudicis.

Controuertitur tamen inter Doctores, an de facto leges ciuiles id definiant & statuant? Syluester *verb. Alienatio, q. 13. & verb. Testamentum 1. q. 5.* Medina *Cod. de restit. quæst.* 23 negant Sotus *de iustit. lib. 4. q. 5. artic. 3.* Bannez 2. 2. *q. 62. artic* 5. & alii tenent id definire tantùm in foro exteriori. Verior tamen sententia & tenenda docet id definire tam iudicio, quam extra. Ratio est, quia leges, quæ solemnem formulam in contractibus requirunt, apertè docent, contractus aliter factus esse irritos: In *leg.* enim, *Consultissima C. de testament.* habetur, vbi testamentum non fuerit subscriptum, illud pro infecto haberi conuenit. Et Iustinianus Imperator *Instit. quibus modis testamenta infirmentur. §. in eo*, ait, Imperfectum testamentum sine dubio nullum est. Et D. Thomas docet 1. 2 *q. 46. ar. 4* leges ciuiles iustè obligare etiam in conscientia: quia huiusmodi leges sunt iustæ, vtpote latæ vt fraudes diuitentur, lites, & controuersiæ perimantur, & commune Reipub. bonum conseruetur; ergo conscientiam obligant. Ita etiam Couarruuias *in cap. Quamuis pactum, part. 2 §. 4.* Suarez *de leg. lib. 5. cap.* 24. Lessius *lib. 2 cap. 19. n. 35.* & alii. Syluester Medina Sotus Bannez D. Thom. Couarr. Suarez Lessius

Si dicas, quod vbi nulla est fraus vel dolus, contractus in conscientia valeat dummodo in eo contractu non desit id quod iuris naturalis ratio postulat. Respondeo, leges formam contractibus tribuere, ac proinde latas non esse solum ad tollendas fraudes, sed ad formandos contractus vt sic, & non aliter fiant. Et hoc Reipub. est necessarium, vt contractus, qui ex iure naturali & diuino certam, & definitam formam non habeant, ex iure scripto obtineant.

5 Contractus simulatus est in vtroque foro nullus. Ratio est, quia vbi non interuenit verus contrahendi consensus non potest esse contractus: est enim consensus non solum causa sufficiens, sed etiam veluti forma essentialis contractus. Vnde rectè contractus simulatus corpus sine spiritu appellatur. Contractus autem dici non potest simulatus propter pretii inæqualitatem; nam *in leg. imaginaria de reg. iuris* habetur. Non dari imaginariam, hoc est, simulatam venditionem, vbi reuera pretium interuenit. Quod est verum, etiamsi pretium vltra, vel infra dimidium iusti pretii detur: modo tamen non sit adeo paruum collatione rei venditæ, vt moraliter loquendo pretium dici nequeat vt si pro gemma pretiosa, vnus nummus daretur: nam tunc potius esset pretii simulatio, quam pretium simpliciter ac proinde esset simulata venditio.

6 Quamuis metus reuerentialis in foro externo non sufficiat ad inualidandum contractum, at in foro conscientiæ, si inuoluntarium mixtum efficiat, quia quis sua sponte non contrahit, sed eo motum reuerentiæ ductus, sufficit ad reddendum contractum inualidum, ad obligandum in foro conscientiæ ad restitutionem. Ratio est, quia hic metus, etsi non sit grauis, est tamen iniuriosus, & causa principalis actus, vel contractus, ita vt eo non intercedente, nullo modo actus vel contractus fieret. Hinc si filius famimilias non audens contradicere patri, aliquid promittat animo renitente, vel vxor consentiat in aliquem contractum mariti, quia non audet contradicere, timens eius indignationem, non tenetur in foro animæ: quia, quamuis in foro iudiciali minimè audientur, eo quod ille metus non concurrentibus minis leuis sit, in foro tamen conscientiæ satis est, vt non teneantur ex his contractibus.

Similiter quæ per preces importunas & longo tempore iteratas obtinentur animo dantis repugnante, obnoxia sunt restitutioni. Ratio est, quia preces importunæ æquipollent violentiæ, ac proinde iniuriam facit: qui tali modo aliquem affligit. Quod verum est in casu, quo is, qui huiusmodi precibus itaurgetur, non possit molestiam illam alia ratione minore incommodo repellere. Si enim posset, non censeretur inuitus consensisse: vt cum officia à Principibus, vel beneficia à Prælatis importunis precibus obtinentur, non enim inuiti concedunt, quia si vellent, facilè petentes coercerent. Item in casu, quo is, à quo sic consensus extorquetur, post factum vellit, vt sibi fiat restitutio: multi enim, etsi coacti concedant, vbi tamen semel concesserunt, non curant sibi fieri restitutionem, uel facillimè condonat. Ita Petrus Nauarra *lib. 3 de restitut. cap. 1. n. 332.* Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 9. &* 10. Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 17. dub. 6.* Bonacina *de contr disp. 3. q. 1. punct. 2. §. 3. n. 10.* & alii. P. Nauara Sanchez Lessius Bonacina

7 Contractus non est ualidus, nec iuramento confirmatur, quando est contra bonos mores, id est, de re quæ turpitudinem continet ex parte materiæ, & absque vllo iurantis peccato fieri nequit. Ratio est, quia nemo obligari potest ad peccatum committendum, id enim contradictionem implicat. Quare non erit opus in hoc euentu relaxationem iuramenti petere à Prælato, ut agatur contra talem contractum, nisi fortè ratione scandali, quod interdum contingit, vel nisi dubia. Quando autem cotractus est de re quæ sine peccato contrahentis seruari potest, tunc, & iuramentum, quod in tali contractu interponitur est ualidum, & contractus ex eo confirmatur. Ratio, quia honor, & reuerentia diuinæ maiestatis, quam in iureiurando in testem adduximus, postulat ut efficiamus uerum esse quod promittimus.

In duobus tamen casibus iuramentum etiam de re bona non est ualidum, nec obligatorium. *Primus* est, quando lex inualidat non solum contractum, sed etiam iuramentum annexum. Sic Pontifex in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 6. de regul.* inualidat omnem renunciationem & dispositionem Nouitii etiam iuratam, nisi facta sit de licentia Episcopi, vel eius Vicarii intra duos menses proximos ante solemnem professionem quæ, etiam nullum habet effectum, nisi facta professione. *Secundus* est, quando iuramentum factum est in fauorem tertii, sed nemo acceptauit. Ratio est, quia iuramentum sequitur naturam contractus, cui est annexum; accessorium enim sequitur naturam principalis, Vnde quando contractus aliquam tacitam conditionem includit, eandem quoque includit iuramentum contractui annexum. Ita ex communi. Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 32.* Conc. trid. Sanchez

8 Quando contractus iure naturæ est inualidus, vel inualidari potest, non confirmatur iuramento, quamuis iuramentum aliàs sit validum & obligatorium, si id quod promittitur, nullam turpitudinem continet, vt quando vi vel dolo extortus est: tunc enim ratione iniuriæ tenetur extortor ad restituendum quod accepit, & qui iurauit ratione iniuriæ potest petere iuramenti relaxationem & postea non soluere.

Quando autem contractus talis est, vt inducat obligationem naturalem, confirmatur iuramento quamuis aliàs iure ciuili sit nullus, vel annullari possit, modò vis vel fraus non intercedat; si verò contractus non inducit obligationem, vel si vis, aut fraus interuenerit, non confirmatur iuramento, est tamen hoc iuramentum seruandum, nisi relaxetur. Ratio est, quia iuramentum aufert omnia remedia iuris & facti, quibus illa obligatio poterat elidi, & sic manet omninò firma & irreuocabilis.

Hinc donatio inter Patrem & filiumfamilias iure ciuili non ualet, *l. Donationes quas parentes, Cod. de donation.* sed iurata confirmatur ac ualet. Similiter donatio inter virum, & vxorem iure ciuili est nulla; at iureiurando firmata vim habet. Item, si minor contractum absque Curatoris auctoritate celebratum iuramento confirmauit, ciuili etiam foro obligatus est. *Authentic. Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem*, vbi generatim dicitur. *Iuramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur.* Hæc constitio locum etiam habet in alienatione rerum immobilium, sicut apertè colligitur ex *leg. 1. Cod. eodem tit.* & docent Gomez *2. resolut. cap. 14. n. 18.* Couarr. *in cap. Quamuis pactum, p. 3. §. 4. num. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 38. nu. 13.* Ex quibus constat contractum minoris iuramento confirmari, & ipsum fieri instar maioris. Debet autem iurans in his casibus se semper contractum ratum habiturum promittere, nec vnquam reuocaturum. Gomez Couarruu. Sanchez

9 Quando contractus turpitudinem aliquam habet ex parte eius cui fit, non tamen ex parte eius, qui iurat, non confirmatur iuramento, quatenus attinet ad eum, cui iuratur, quamuis iuramentum sit ualidum, & obligatorium, v. g. promisisti simpliciter te vsuram soluturam vsurario, non cogeris soluere; at si iurasti te soluturum, eam soluere teneris ratione iuramenti; quod adhibuisti; vsurarius tamen debet restituere, quod accepit; quia his turpiter, & iniquè accepit. Aduerte autem quod si is qui contractu iuramentum interpositum, iurisiurandi Religione & vinculo soluatur, ipsa promissio vel contractus amplius non subsistit, vt docent Couarr. *in cap. Quamuis pactum in 6. p. 2. §. 1.* Sanchez *lib. 3. Moral. cap. 12. n. 51.* & alii ab ipso ibi citati. Couarruu. Sanchez

Quando lex non solum inualidat contractum, sed etiam illum prohibet, quia nimirum est contra bonos mores, tunc non licet iuramentum adhibere ad contractus confirmationem, etsi adhibeatur, nec iuramentum tenet, nec contractus confirmatur: quia prohibitio contractus per legem iustam facta, obligat sub peccato, vt communior Doctorum sententia tenet, ergo si contra prohibitionem iuramentum adhibitum sit, nullum erit iuramentum, cum iuramentum de actu illicito, vt puta contra obedientiam superiori debitam non obliget. Quando verò lex non prohibet contractum, sed tantum illum inualidat præcipuè in fauorem contrahentis, tunc non solum iuramentum obligat iurantem, sed facit etiam vt ipse contractus subsistat: quia iuramentum non est de re prohibita, sed licita, & in vtilitatem alterius vrgente, ergo est obligatorium.

Ita

Rebellus Ita Rebellus *de oblig. instit. p. 2. lib. 1. q. 9.* Si autem contractus principaliter vetetur vel irritus decernatur iure ciuili in fauorem contrahentis, nisi vis vel dolus intercedat, tunc si ab eo iuretur, ita confirmatur, vt ablato etiam iuramento per relaxationem, ipse contractus vim habeat.

10 Quando contractus vetatur à iure primò & principaliter ob commune bonum, non confirmatur iuramento; imò tale iuramentum est nullius valoris: quia ius publicum nequit facto priuatorum tolli; si enim per actum iuratum non potest tolli ius tertii priuati hominis à fortiori nec reipublicæ. Hinc donatio à milite facta concubinæ non valet, quia est contra publicam vtilitatem, vnde Sanchez talis donatio iureiurando non confirmatur, *l. Miles, ff. de re iudic.* Ita Sanchez *lib. 3. Moral. cap. 12. n. 43.* & alii ab ipso citati.

Quando autem iuramentum quod in contractu exhibetur est contra naturam & substantiam ipsius contractus, tunc, quamuis sit obligatorium, non confirmat tamen contractum, sed potiùs sequitur ipsius naturam & substantiam. v.g. iuraui me non reuocaturum testamentum, at nihilominus postea reuocaui, facto secundo testamento, valet secundum, non primum; quia testamentum sua natura est reuocabile vsque ad mortem. Qui iurauit tibi Couarruu. conferre beneficium, validè postea alteri confert. Ita Co- Lessius. uarruuias *in cap. Quamuis pactum, part 2. §. 2. & 4.* Lessius *de iustit. lib. 2. c. 17. dub 7. num. 57.*

11 Contractus non firmatur iuramento, quoties iuramentum est contrarium alteri iuramento priùs facto; vt si vxor vendat fundum dotalem cum iuramento non contraueniendi, sed priùs iurauerat non vendere. Ratio est, quia cum iuramentum nequeat esse vinculum iniquitatis non potest contractus iure inualidus esse validus ac confirmari periurio commisso per iuramentum posterius; quamuis enim videatur non continere periurium nec esse contrarium priori iuramento, at reuera illud continet, estque priori contrarium. Quia qui licet in priori iuramento non iurauerit expressè, se non reuocaturam, tacitè tamen id iurauit, quia cùm ille contractus præciso iuramento sit inualidus, & fiat validus ob iuramentum non contraueniendi, sequitur illam, quæ iurauit, non celebrare talem contractum tacitè etiam iurasse non habituram ratum talem contractum, iuramentum enim non reuocandi est iuramentum illius habendi rati, ac proinde est periurium contra prius iuramentum, nec potest si- Sanchez ne peccato obseruari, & ideo non obligat. Ita Sanchez Lessius *lib. 3. Moral. cap. 12. num. 38.* Lessius *lib. 2 cap. 17. dub 7.* Rebellus *n 58. & seq.* Rebellus *de obligat instit. part 2. lib. 1. q 9. n. 13* & alii.

12 Plures effectus tribuit iuramentum contractui quem confirmat. *Primus* est, vt duas pariat obligationes unam erga Deum, qua iurans curare debet, ne Deus adductus sit in testem falsi; alteram erga hominem, qui acquisiuit ius erga iurantem ob ualiditatem contractus: quando vero iuramentum non firmat contractum, vna tantum oritur obligatio erga Deum, standum enim est promissis solùm ratione iuramenti, & cum contractus sit erga Molina hominem manet immutatus in sua pristina natura, vtpote Suarez qui nullum ius homini ex iuramento tribuit. Ita Molina Azorius *tom. 1. disp. 150.* Suarez *to 2. de relig. tract. de iuram. lib. 2. cap. 25.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 7. q. 5.*

13 Secundus effectus est. Quando iuramentum non confirmat contractum, sed tantum obligat, impletur momentanea solutione, & statim potest iurans repetere rem solutam. Ratio est, quia cùm statim ac solutio facta est fit iurans uinculo iuramenti solutus, remanet illa res apud alium sine causa, cùm ratione solius iuramenti im- Couarruu. plendi sit debita: secus dicendum, quando confirmat con- Gomez tractum. Ratio est, quia cùm tunc contractus sit omnino firmus, non satisfit momentanea solutione, nec datur rei solutæ repetitio. Ita Couarruuias *de pactis 2. p. §. 3* Gomez *to. 2. variar. cap. 14. n. 24.*

14 Tertius effectus est. Quando iuramentum non confirmat contractum, nulla datur actio parti in foro externo aduersus iurantem, quia pars non acquisiuit ius contra illum; quando autem confirmat, datur actio parti; quia tunc acquiritur ius tertio. Vnde sequitur, non dari actionem vsurario ad repetēdas usuras, quas mutuatarius promisit cum iuramento, quia vsurarius non acquisiuit ius, mutuatarius tamen tenetur illas soluere ob Dei reue- Suar. rentiam ne videatur Deum in testem falsi adduxisse pos- Less. sitque iuramentum seruare sine peccato. Ita Surez *c. c. 25.* Azorius *num. 7.* Azorius *3. p. l. 11. cap. 17. q. 2* Lessius *l. 2 c 18. dub. 3. n. 17.* & alii communiter.

15 Quartus effectus est, Vt obligatio iurati transeat ad hæredes, dum contractus firmatur iuramento, secus quādo contractus non firmatur iuramento. Notandum tamen hic est. *Primò* quod iuramentum homini præstitum, est ita personale ex parte iurantis, vt eius obligatio, ex iuramenti, ac religionis uinculo minimè ad hæredes transeat ac successores ipsius iurantis, quare hi non adimplentes iuramentum defuncti, non erunt periuri. Sed solum tenētur hæredes adeuntes hæreditatem, in quantum eius uires sufficiunt, ratione contractus defuncti, sicut ad cætera eius debita reliquosque eius contractus tenentur. Ratio est, quia iuramentum est personæ uinculum, & obligatio uoluntariè assumpta ex uirtute religionis. Ergo ex ui iuramenti nequit eius obligatio ad aliam personam transferri. Vt docent D. Thomas *2. 2. quæst 98. art. 2. ad 4.* D. Thom. Caietanus *ibid.* *Secundò* Quod iuramentum non est per- Caietanus sonale ex parte eius, cui præstatur, & sic transit in eius hæredem. Vt iurans dare centum Petro, tenetur ex iuramenti religione, defunctn ante solutionem Petro, soluere ea centum hæredibus Petri. Ratio est, quia actiones defuncti transeunt ad hæredem. Cum ergo defunctus habebat actionem, ut ex ui iuramenti illa certum sibi daretur, eamet actio ad heredem transibit. Ita Couar *in c Re-* Couarru. *quisisti n. 2. de testam* Syluest *v. Iuramentum 4. q. 2* Angelus Siluester. *v. Iuramentum 5. n 40.* Angelus

Ex dictis sequitur iurantem se soluturum usuras usurario quas uiuens non soluit non teneri eius hæredes ad eas soluendas nam ille tenebatur usuras soluere solum ex ui iuramenti, cuius obligatio non transmittitur ad hæredes quia Deus non acceptat eam obligationem in fauorem usurarii, sicut eam acceptat in iuramento, aut in uoto eleemosynæ facto in fauorem pauperis. Ita Molina *disp.* molina *149. & disp. 150.* Couar. *in cap. Quamuis, pactum part. 2.* Couarus. *§. 1. n. 7.* & alii.

16 Minor non potest petere ab Episcopo relaxationem iuramenti, quo contractum alioqui de iure irritum, ualidauit at si contractus per iuramentū adhibitum ratus, & firmus permansit, talis relatio iuramenti non irritat cōtractum sed tantum reddit contrahentem immunem à periurio. Ratio est, quia per tale iuramentum ius parti acquisitum est, ergo non potest per Episcopum tolli. Secus si contractus suapte natura talis sit, ut non fiat ualidus per iuramentum, tunc ablato iuramento, nullus remanebit contractus ut si quis curet soluere pecuniam usurario, non fiet per iuramentum ualidus contractus, sed semper manebit secundum se iniustus, ac nullus, unde obtenta relaxatione à uinculo iuramenti, non amplius obligabi- Couar tur. Ita Couarruuias *in capit. Quamuis pactum §. 1. parte secunda.*

17 Controuertitur inter iuristas, an laici statuere queant, si minor, v. g. contrahat sine decreto iudicis etiam Baldus. cum iuramento, talis contractus habeatur pro contractu Bartolus facto metu vel dolo: Affirmant Baldus *in Authent. Sacramenta puberum C. Si aduersus vendit* Bartolus *in l. Omnes populi ff. de iust* Ratio illorum est, quia statutum potest præsumere dolum, vel metum in contractibus factis sine solemni formula iuris. At iuramentum dolo extortum etiam iure Canonico contractum huiusmodi confirmat, *cap. Cum contingat de iureiurando, cap. 2. de pactis in 6.* Abbas Verior tamen est sententia Abbatis *in consil. 71 quod incipit, Quinq; dubia,* ubi ait, statutū laicorum annullans contractum, iuramentum non annullat: quia non spectat ad laicos quidquam decernere de iureiurando, sicut nec de re alia spirituali. Tum quia laicus non potest cognoscere de ui, & firmitate iuramenti, uel alterius rei spiritualis, *cap. Si iudex laicus de sentent. excomm. in 6.* Tū quia statutū sumit uires ab auctoritate, & potest. eius, qui statuit, *cap. A nobis de sent excomm.* at laicus auctoritatē in iure iurando nō habet, ergo. Hinc secundū ueriorem sententiā, non potest legibus vel statutis ciuilibus prohiberi, ne contractus

vel pacta, vel conuentiones iurentur, uel ne iuramentum in illis adhibitum seruetur, vel ne contractus rati & firmi habeantur tametsi iureiurando confirmentur. Quòd si tales leges ferantur erunt irritæ, quia penes laicos non est potestas condendi leges de iureiurando prohibendo, vel non seruando. Laicus enim nequit cognoscere & iudicare, iusiurandum valeatne, an secus, *cap. Tua, de ordine cognit. & c. Lator, qui filij sint legitimi*. Item Ecclesiasticæ auctoritatis est iuramenti vinculo absoluere, ergo penes laicos, non est facultas remittendi iurisiurandi obligationem & vinculum. Porrò tales ciuiles leges feruntur in fraudem eius, quod est statutum *in cap. vltim. de foro compet* ne ratione iurisiurandi laicorum causæ ad iudices Ecclesiasticos deducantur. Ita Hostiensis *in cap. Quinto, & cap. Quemadmodum, de iureiurand.* Ioannes Andreas & Panormitanus *in cap. Tua t. de decimis*. Atque hæc opinio magis cum iure communi consentit & magis ad veritatem accedit, & ideò tenenda, quidquid in contrarium doceant nonnulli iurisperiti.

Hostiens. Io. Andr. Panorm.

18 Contractus aliquando fit purè & simpliciter: aliquando in diem: aliquando sub conditione: aliquando alternatiuè, hoc est, sub distinctione.

Si contractus purè & simpliciter fiat, statim actionem & obligationem producit, ita vt statim debitum peti possit, *l. Eum qui Calendis, §. quoties, ff de verb. signific.*

Quando contractus fit in diem certum, vt si quis promittat alteri certam pecuniam in diem Natalis Domini, statim oritur obligatio, verum creditor non potest agere ante diem constitutum, sed ei obstat exceptio: vnde in tali casu, seu contractu contrahentes obligationem non reijciunt in diem præfixum, sed tantum solutionem, & ideò statim nascitur obligatio, qua vnus alteri tenetur, uel qua incipit debere: sed debitor non cogitur ante statutam diem soluere, & creditor nequit ante diem constitutam petere, *l. Cedere diem, ff. de verb. signific.* & *l. Centesimis ff. eodem titulo.* Si autem dies incerta constituatur, puta, si quis promittat se daturum aliquid alteri, quando certum quid acciderit, vel cum aliquid factum erit; tunc nec oritur obligatio, nec actio antequam il ud contingat: quia talis dies incerta æquiparatur conditioni, & differt omnia, vsque dum exoriat, quod est in conditione appositum, *l. Stipulatio ista, §. inter certam, ff. de verb. obligat.*

Ex contractu, uel quasi contractu sub conditione, ut si promittas centum alicui, si nauis ex India venerit, dum conditio pendet, nulla actio vel obligatio oritur, *l. Cedere diem, ff de verb. signif.* & *l. Sub conditione, ff. de solut.* Sciendum tamen est, aliquando tacitam subesse conditionem non expressam, vt si promittas fructus ex tuo fundo vel partum ancillæ tuæ, vel fructus tui pecoris, intelligitur, si hæc nascantur. Item, si quis promittat dotem, interpretandum est, si nuptiæ sequantur, *l. interdum, ff. de condit. & demonstrat.* Vnde verè, & propriè debitor non dicitur ante conditionem impletam, quia debitor intelligitur, à quo inuito exigi potest debitum, *l. Debitor, ff de verb. signif.* Quare si testator leget alicui id, quod Titius sibi debet, intelligendus est legare debitum, quod est purum & simplex, non quod est sub conditione, *l. Si ita scripsisset, ff. de legat.* Item, si creditor transferret ad alterum per contractum vel quasi contractum iura sibi competentia contra alium, non veniunt debita, quæ sunt sub conditione, sed debita tantùm pura & absoluta, Bartolus in *l. si ita proximè citata.*

Ex his perspicuum est contractum sub conditione factum fieri purum & simplicem, conditione impleta: quare adueniente conditione contractus ad effectum perducitur, ac si esset purus, & simplex: & ita valet contractus vt retrotrahatur ad tempus, quo est sub conditione factus, *l. potior, vers. vlt. C. qui potiores in pignore habeant*: Porrò quandò contractus continet conditionem & diem, requiritur vt vtrumque existat, ut si quis promittat alteri centum soluenda intra annum, si nauis ex India venerit, necesse est, vt existente conditione, labatur annus, *l. Si ita hæ. tum sit, ff. de condit. & demonstrat.*

De contractu alternatiuo dicendum est, quòd quando alternatiua est in pecunia vel tempore, tunc non obligari debitorem, nisi ad minorem summam, & ad maiorem temporis moram, vt si Titius promittat se daturum Caio decem, aut quindecim, non tenetur nec cogitur soluere nisi decem: si promittat se daturum ipsi intra annum uel biennium, non debet nisi infra biennium, *l. si ita stipulatus, ff de verb. oblig.* Si vero alternatiua ponatur inter res inter quas cadit affectio, tunc electio est debitoris *l. plerumq; §. vlt. ff. de iur. dot.* Quòd si una res perierit, remanet altera obligata *l. Stychum aut Pamphilum, ff. de solut*: Et hoc legatum habet, quando melior, & pretiosior res perempta est & vilior remansit: secus enim est, si meliori & pretiosiori extante vilior extincta sit, & tunc debitor liberatur soluendo æstimationem rei peremptæ, *l. cum res legata, verf. Qua ratione, ff. de legat.* dummodo tamen aliqua ex rebus alternatiuè debitis pereat sine culpa vel mora creditoris, nam si ipsi fuerit oblata & noluerit recipere, ea postea perempta, liber est debitor, nec cogitur aliam, quæ remansit soluere, *l. Stipulatus sum, ff. de verb. obligat.*

Vide v. Alienatio *n. 17.* Excommunicatio a *n. 19.* Restitutio in integ. *n. 2.* Restrictio mentalis *num. 6.* Seruus *num. 14.*

CONTRITIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit contritio.*
2 *Quotuplex sit contritio.*
3 *In lege noua, an contritio sit necessaria ad iustificationem necessitate medii.*
4 *Quando contritio obliget, & sit necessaria necessitate præcepti?*
5 *Referuntur varia sententia circa obligationem contritionis.*
6 *An teneatur homo contritionem habere de peccatis commissis, quoties memoria occurrunt.*
7 *Obiectum materiale & formale contritionis.*
8 *Contritio, an sit sufficiens, & necessaria ad remissionem venialium.*
9 *An singulorum mortalium necessaria sit particularis contritio, & recogitatio. Et qualis contritio debeat concipi de peccatis oblitis.*
10 *Peccatorum venialium remissio, non impetratur per quemcumque actum contritionis.*
11 *Per actum contritionis, an quis iustificari possit, sine cognitione aliqua peccatorum.*
12 *An iustificetur, qui in examine conscientiæ, recordatur, vnius tantummodo peccati, & de illo actum contritionis elicit, si alia peccata commiserit, quæ in mentem non veniunt.*
13 *Actus contritionis debet esse magnus, non intensiuè, sed appretiatiuè. Et an dolor debeat respondere magnitudini peccati.*
An sufficiat pœnitenti velle dolere, siue dolere se non dolere.
An dolor virtualis vel habitualis sufficiat in Sacramento pœnitentiæ pro materia.
An dolor debeat præcedere confessionem.
An dolor qui non refertur ad confessionem, sufficiat pro materia in Sacramento pœnitentiæ.
Qua ratione contritio pœnitentis non sit exploranda à confessario.
14 *Ad essentiam contritionis, an requiratur propositum formale, vel virtuale vitandi peccata.*
15 *Propositum, non peccandi de cetero, respicit quoque occasiones propinquas peccatorum.*
16 *Non requiritur ad essentiam contritionis, vt pœnitens credat se non amplius peccaturum.*

1 Contritio variè à Doctoribus describitur, sed si spectemus definitionem Concilii Tridentini *sess. 14. cap. 4.* nihil aliud est, quam *animi dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Vbi nota, uideri hac definitione comprehendi tres illos actus, qui ad plenā peccatoris cōuersionē in eodē ferè instanti Conc. trid.

instanti exercentur, dilectionem, pœnitentiam, obedientiam; nam dolor hic, est actus quidam charitatis, causatus ex amore Dei super omnia, detestatio est actus pœnitentiæ, quo quis vult peccatum punire, & destruere, vt insinuat Concilium Tridentinum *sess 6. cap.6* cum ait *Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*. Propositum autem non peccandi de cætero, est actus obedientiæ; nam idem est non peccare, & seruare legem, cùm peccatum, essentialiter nihil aliud sit quàm præuaricatio legis. Secundùm autem doctrinam Theologorum, detestatio illa peccati debet esse super omnia detestabilia, quatenus est offensa Dei, non quia peccatum aliquod malum secum ferr: sufficit tamen in generali ita detestari, vt nihil magis detestetur, quam Dei offensam velitque non offendisse, potiùs autem subiisse quodcunque malum. Ita Syluius *in supplem quæst.1.art.1*, Tannerus *tom.4. disp. 6. de pœnit. q 1. dub 2* Henriquez *lib 4. cap.3 num.7*. Rodriguez *in Summ.p.1.c.48*. Filliucc. *tr.6. c.7 num.166. & seq.*

Syluius
Tannerus
Henriq
Rodrig.

Deinde ad veram contritionem post legem Euangelicam, & gratiæ, exigitur propositum saltem virtuale & implicitum peccata commissa confitendi, & pro his satisfaciendi; quale est in eo qui de præteritis ex animo dolens, proponit abstinere à futuris, & vult omnia mandata seruare, non habens tunc particularem memoriam præcepti confessionis; quod intelligendum est de contritione, quæ requiritur in homine post Baptismum lapso. Ita Doctores communiter hic citati post D. Thom. *in suppl.q.5.ar.2. ad 1*, Nauar. *in Man.c.1.n.10. & 11*, P. Ledesm *de pœn. cap. 6.*

D. Thom.
Nauarrus
P. Ledesm.

2 Contritio duplex est, *Prima* scilicet & *Secunda*. *Prima* contritio, non est actus elicitus ab habitu charitatis, sed à voluntate hominis cum auxilio supernaturali, supplente vicem habitus charitatis, vnde hic actus est hominis peccatoris. *Secunda* verò contritio eligitur ab habitu charitatis, qui supponit hominem iustum habentem gratiam, cum qua coniunctus est habitus charitatis: vnde prima contritio, quæ est dispositio ad gratiam & remissionem peccatorum, potest dici formis, id est, sine gratia, & charitate habituali: si contritio consideretur, vt dispositio. Ratio est, quia cùm prima contritio sit dispositio ad gratiam, præcedit ordine naturæ, ergo, vt sic, nondum intelligitur formata; quia vt sic, non est ab homine grato, & ideò vt sic, non est satisfactoria, nec meritoria de condigno: ideoque priùs natura talis actus est informis, quàm formatus gratia habituali. Ita D. Thomas 1.2. *quæst.109. art.6. ad 3 & 3.part.q.89.art.1 ad 1. & 2*. Suarez *de pœnit. disp.4.sect.7*. Vasquez *q. 86.art.2. dub.8*. Coninck *de pœn. disp.2.dub 2.n.16*. Filliucius *tract.6.cap.7. n.178*. Capreolus *in 4. d.14.quæst.2. artic.3*. D.Bonauent. *4.d.17. artic.2. quæst. 2.*

D. Thom.
Vasquez
Filliucius
Capreolus
D. Bonau.

3 Ad iustificationem & salutem, non est necessaria contritio in lege noua, necessitate medii, quia qui pœnitentiæ Sacramentum cum sola attritione suscipit, iustificatur, consequenter potest saluari: ergo contritio non est necessaria necessitate medii. Ex suppositione autem necessaria est contritio lapsis in peccatum mortale, si velint iustificari extra vsum Sacramenti, nam ad iustificationem obtinendam extra Sacramentum, requiritur contritio formalis, iuxta illud Lucæ 13 *Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis*, nam quando talis conditio non supponit suppositum gratum, sed indicat id, sine quo gratia non obtinetur, manifestè continet necessitatem medii, & non tantum præcepti. Deficiente tamen formali contritione, necessaria est virtualis cum proposito, & voto ipsius formalis, quæ consistit in dilectione Dei super omnia. Et sine altero ex his duobus actibus, nunquam remittitur mortale peccatum secluso Sacramento, vel speciali priuilegio. Ratio est, quia necesse est ad remissionem peccati, vt voluntas efficaciter auertatur à peccato, quod non potest, nisi per contritionem formalem, vel virtualem, & cum formalis necessaria sit, si illa desit in re, oportet vt saltem in voto habeatur: non continetur autem in virtute, & in voto nisi in dilectione super omnia: ergo si formalis contritio desit, necessaria est illa dilectio: ergo alter ex his actibus necessarius est. Charitatis enim actus est perfecta conuersio animæ ad Deum, & virtute continet contritionem, & auersionem à peccato, & propositum placendi Deo in omnibus, ergo infallibiliter secum affert conuersionem Dei ad hominem: ergo secum affert remissionem peccati. Vide Diuum Thomam *tertia parte, quæst. 86. articul. 2*. Syluium *ibidem quæstionem* Nauarrum *in Man. cap.1. num 5. 10*. P. Ledesma *de pœn. cap.6. in concl.13*. Ioann. Medina *de pœnit. tract.1. q 2*. Suarez *de pœnit. disp.9. sect.1*. Valent *to.4. disp.7. quæst.2. p.2.* & alios.

D. Thom
Syluius
Nauarrus
Medina
Suarez
Valentia

Dubium autem est, an qui fuit iustificatus per dilectionem Dei, teneamur dolore formaliter de peccatis mortalibus, quando in memoriam venerint iuxta illud Scripturæ, *Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis*. Probabilissima, & tutior sententia est affirmatiua, & in praxi consulenda, sicut qui per obliuionem in confessione prætermisit aliqua peccata mortalia, tenetur illa suo tẽpore confiteri. Ita Reginald. *l.5.n.55*. Coninch *disp 3.dub. 4. ad fin*. Filliuc. *tr 6 n. 196*. Suar. *disp. 15. sect.1*. Graffis *l.1. c.5.n.23* & alii.

Reginald
Coninch
Filliucius
Suarez

Nihilominus in rigore contraria sententia est satis probabilis, nempe non teneri quem iustificatum per pœnitentiam solum virtualem, ad eliciendum actum doloris, postquam peccata in mentem venerint, nisi alio titulo teneatur actum contritionis elicere. Ratio est, quia ad illam obligationem inducendam, nullum ius potest assignari: vt docent Corduba *l 1. q. 2. dub.4*. Vasquez *3 p.t 4.q. 86.art.2.dub.2.n.11* Bonacina *de pœn. disp.5. quæst.5. sect.1 p 2.n 2*. Præpositus *3. part. quæst.86. articulo secundo disp.3 num.88* & alii.

Corduba
Vasquez
Bonacina

4 Contritio necessaria est necessitate præcepti: vt habet communis Theologorum sententia: & probatur ex illo Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam*, &c. Nomine autem contritionis, intelligitur, tam propria contritio, quam attritio æquiualens illi ex coniunctione cum Sacramento. Et hoc præceptum est naturale diuinum. Naturale, quia obligatio satisfaciendi Deo pro iniuria illata per peccatum quantum homini possibile est, est de iure naturali. Diuinum verò quatenus Deus non vult peccatum remitti nisi per contritionem perfectam, aut imperfectam coniunctam cum Sacramento.

Obligat autem hoc præceptum, *Primò* in mortis periculo vero vel putato, vel etiam in periculo amentiæ perpetuæ, saltem quando non adest copia confessarii cui possit fieri confessio cum attritione. Ratio est, quia tunc tenetur homo Deum super omnia diligere, quod præceptum adimpleri nequit à peccatore, per se loquendo, nisi eliciat contritionem. Tenetur etiam ex charitate erga seipsum eo tempore conteri, quia si tunc negligatur contritio, anima in æternum peribit: vnde videtur pro eo tempore præceptum contritionis per se, & vi propria obligare. Et est communis sententia, post D. Thom. *4. dist.17. q.2. art. 1 q.2 ad 4*. Bellarmin. *de pœnit. l.2. c.8 præposit 2*. Suarez *disp 15. sect.1 & 3*. Molfesium *in Summ tract.7. c.7. n. 37*. Vasquez *de pœn. q.86 art. 2 dub. 6*. Syluium *in suppl q.4. art.2. q. 1*. Henriq. *l.4. c.6 n.5*. Dianam *p.3. tr. 4. resol 98*. Fagund. *præc.2. l 2. c.4.*

D. Thom
Suarez
Vasquez
Syluius
Henriq
Diana
Fagundez

Imò licet ex vi iustitiæ ad Deum, homo attritus cum Sacramento, non teneatur conteri in articulo mortis, quia opinio de sufficientia attritionis cum Sacramento est practicè ferè certa post Trid ex caritate tamen erga Deum, & erga seipsum tenetur habere maiorem dispositionem, vt bene docent Suar. *disp 15. sect 4. n. 19. 20*. Coninch *disp. 3. dub. 1. n.6. & 7*. Valentia *tom. 4. disp 7. q.8. punct.4.* & notauimus *v. Attritio n.4.*

Suarez
Coninch
Valentia

Secundò ex accidente obligat, quando quis aduertit se habere conscientiam peccati mortalis, & est suscepturus, vel administraturus aliquod Sacramentum quod requirit gratiam in ministrante, vel recipiente, & alioqui non adest commoditas confessionis, vel obligatio eius. Ratio est, quia dignè debet illud suscipere vel administrare: hæc tamen obligatio oritur potius ex præcepto tractandi dignè Sacramenta, quam ex præcepto contritionis vnde in susceptione Sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ sufficeret attritio, quia hæc duo sunt Sacramenta mortuorum, & instituta ad conferendam primã gratiam, nec sup-

ponunt gratiam, in subiecto. Ita ex communi sententia. Suarez *disp.15.sect.6.num.5.* Vasquez *quaest.86.art.2.dub.6.num.7.* Sylvius *cit.quaest.3.* Filliucius *tract.6 n.213.* De la Crux *in direct.de Sacram.poen.q.2.dub.5,concl.2.* Diana *p.5.tr.13 resol.33.*

Suarez
Vasquez
Sylvius
Filliucius
Diana

Tertio, si quis sit in probabili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale, nisi actum contritionis eliciat de peccatis praeteritis, uerum haec obligatio non oritur etiam ex praecepto contritionis, sed ex eo quod iubemur tentationi seu, peccato resistere, ac proinde etiam tunc contritio solum per accidens obligat, & is qui omittit contritionis motum formare, duo peccata non committit, sed vnum oppositum, nempe, illi uirtuti, contra quam insurgit tentatio. Ita Valentia *cit. quaest. 8.punct.4.* Reginald. *lib.5.n.20.* Bonac. *to.1.disp.5.q.5 sect 1 p 2.n.5.* Medina *de poen.tr.1.q.6* Sanch. *l.2.Moral.c.35.n.9.* & alii.

Valentia
Reginald.
Bonacina
Medina
Sanchez

5 Senserunt nonnulli, hominem diebus festis, singulari praecepto teneri de suis peccatis conteri, quia institutio festorum ad hoc ordinatur vt in illis diebus anima sanctificetur, & conuenienter Deo vocet, & cultui eius. Sic Viguerius *in Summ. c.16. §.4. vers.11.* Scotus *in 3.d.27. art.3* Angelus *v. Feria nu.41.* D. Ant. *2.p.tit.9.c.7.§.4.* quorum sententiam falsam, & sine fūdamento existimant Medina *c.q 6.art.1.* Suarez *disp.15.sect.6.n 11.* Vasquez *q.86.art.2.dub.6.n.4.* Filliuc. *tract. 6. n. 210.* Tum quia talis obligatio, neque ex verbis ipsius praecepti de obseruandis festis, neque ex reipsa praecepti de obseruandis festis, neque ex reipsa praecepta colligi potest. Tum quia potest seruari praeceptum, sabbata sanctificandi sine contritione, nam illud solum obligat ad exibendum debitum cultum Deo per opera Religionis, quae seruari possunt etiam à peccatore, hęc enim consistunt in quibusdam caeremoniis exibendis Deo in recognitionem supremi dominii, quod habet in creaturas. Confirmatur, alioqui tenerentur fideles de hoc peccato specialiter confiteri, de quo tamen nec confitentur paenitentes, nec confessarii interogant; nec obstat, quod finis huius praecepti sit, animam Deo sanctificare, quia nō semper finis praecepti cadit sub praecepto

Viguerius
Scotus
Angelus
D. Anton.
Medina
Suarez
Vasquez
Filliucius

Alii volunt praeceptum contritionis obligare, quando facienda est publica oratio. Ita Nauarr. *c.1.num.27.* Valentia *tom.4.disp.7.q 8.punct.4.* Contrarium tamen mihi probabilius est per se loquendo, quia ex nullo iure colligitur praeceptum contritionis in tali euentu obligare vt docent Suarez *disp.15.sect.6.num.9.* Vasquez *cit.num 6.* Bonacina *de poeni.disp 5 q.5.sect. p.2.num.6.* In casu tamen publicae necessitatis, quando, scilicet, probabiliter timetur, Deum punire populum ob peccata particularia, per se obligaret hoc praeceptum. Nam tunc vnusquisque tenetur per contritionem se disponere ad placandam diuinam iustitiam, ne propter sua peccata Deus totum populum puniat sicut propter solum peccatum *Achan*, Deus puniuit totum exercitum Israel, *Iosue 7.*

Suarez
Vasquez
Bonacina
Nauarr.
Valentia

Porrò docuerunt quidam peccatorem statim ac in mortale peccatum lapsus est teneri actum contritionis elicere; quia nec per modicum tempus licet in peccato immorari, sed quilibet tenetur statim peccatum deserere iuxta illud Eccles.5 *Non tardes conuerti ad dominum* &c Ita Syluest. *v. Contritio num.4.* D. Anton. *3.part.tit 14 c.18 §.2.* Petrus Soto *de poenit. lect. 13.* Nihilominus dicendum est hoc praeceptum non obligare ad agendam poenitentiā statim post commissum peccatum, etiamsi opportunitas occurrat, quia aliàs homo qui semel peccauit, differendo poenitentiam, continuo ac semper peccaret nouo, & speciali peccato, quod est apertè falsum, deinde non putant homines communiter se reos nouae culpae, si poenitentiam non agant statim post peccatum, vnde non solent se de huiusmodi peccato accusare. Nec vllus confessor de tali peccato poenitentem interrogat, cum tamen esset distinctè confitendum, si sub nouo praecepto teneremur ad statim comissum peccatum detestandum. Nemo ergo tenetur ex eodem praecepto, quo astringitur peccatum non committere, illud idem sub nouo peccato statim retractare; sola enim permanentia in peccato non addit supra peccatum, nisi circumstantiam temporis, ergo non tenemur sub nouo peccato commissum statim retractare, Ita Suarez *cit.sect 5.numer.2.* Sylvius *in supplem. quaest.4. art.2.quaest 2.* Vasquez *cit.quaest.86.art.2.dub.5.n.9.* Laym. *lib.5.tract.6.c 2. num. 5.* Tannerus *tom 4.disp.6.q,6.n 47.*

Syluester
D. Anton.
Sotus

Suarez
Sylvius
Vasquez

6 Cum praeceptum contritionis, & poenitentiae non sit negatiuum, sed affirmatiuum, obligans pro certo tempore more affirmatiuorū in necessitate, hinc nō tenetur homo contritionem habere de peccatis commissis quoties memoriae occurrunt, tum quia huiusmodi necessitas non oritur ex sola cognitione, vel memoria, sicut nec in praeceptis fidei, spei aut charitatis, tum quia nimis durum esset obligare peccatorem ad habendam contritionem de peccatis quoties illorum recordatur, potest enim ex variis causis accidere quod tunc non poeniteat, vel ex humana fragilitate, qua concipit poenitentiam tamquam sibi pro illo tempore onerosam, vel quia mentem alio deflectit, vnde cum nullum sit principium ex quo talis obligatio sufficenter colligatur, non est sine fundamento imponenda. Ita D. Thomas *3.p.q.84.art.8.& 9.* Sylvius *in supl.q.4.art.2.quaesit.3.* Nauarrus *cap.1.n 22.* Suarez *disp.15.sect.4 num.5.* Filliucius *tract.6.c 8.n 195.* Medina *C. de poenit.q.6. dub.2.* Tannerus *tom.4 disp.6.q.6.dub.3.n.44.* Dian *p.5.tr.13 res.33.* Contra quosdam antiquos Theologos apud Suarez existimantes praeceptum contritionis obligare, quoties peccata practicè memoriae occurrunt, etiam postquam sunt remissa,

D Thom.
Sylvius
Nauarr.
Suarez
Filliucius
medina
Tannerus
Diana

7 Contritionis obiectum materiale *est peccatum proprium post Baptismū commissum, siue illud sit mortale siue veniale, quatenus per media diuinitus instituta est destruendum.* Est sententia communis. Probatur, quia contritio est primarius actus poenitentiae, poenitentia autem versatur circa peccata quatenus expelli dicuntur, quemadmodum aegrotus in ambulando, currendo, sumendo, pharmacū, expellit noxios humores. Dicitur *peccatum proprium*, quia poenitentia ex vi nominis hoc importat, nemo enim dicitur eorum poenitere, quae alius fecit, nisi quatenus culpā participauit, vel causa peccati alterius fuit. Dicitur *post Baptismum*, quia consideratur hic contritio vt est pars Sacramenti Poenitentiae, & sic nemini competit nisi baptizato: De peccato verò originali nondum per Baptismum dimisso, haberi potest contritionis actus, nam efficit hominem Deo inimicum. Dicitur *Commissum*, quia poenitentia non potest concipi de peccatis committendis, sed tantum de praeteritis quamuis impetret propositū non amplius peccandi in futurum. D. Thom. *in supplem.3.part. quaest.2.art.1 2.3.4 & 5.* Sylvius *ibid.* Suarez *de poenit.disp.2.sect.1.* Filliucius *tract 6.c.1.q.4.5.* Bonacina *tom.1.disp.5 q.5.sect.1 punct.4* Henriq. *lib.4.c.19 n.6.* & alii.

D. Thom.
Sylvius
Filliucius
Bonacina
Henriq.

Formale autem contritionis obiectum, est peccatum quatenus est offensa Dei, vel contra amicitiam Dei. Vnde contritio specie differt ab attritione, nā aliud est obiectum formale contritionis, & aliud attritionis contritio enim detestatur peccata quatenus sunt offensa Dei, attritio vero detestatur peccata ob metum gehennae, aut aliarum poenarum v.g. amissionis gloriae, & gratiae, vel ob turpitudinem ipsius peccati Suarez *disp.5. sect 3.* Vasq. *quaest.86.art.2.dub.8.* Valentia *tom 4 disp.7 q.8.p.2.* Sylu. *in supp.q. ... art.3.q.2.* & alii.

Suarez
Vasquez
Valentia
Sylvius

8 Contritio peccatorum uenialium, & eorum quae alia contritione remissa sunt, est sufficiens ad illa tollenda, non tamen est necessaria, Prior pars patet, quia si contrario sufficit ad tollenda mortalia, multo magis venialia, si de illis habeatur, maiorem enim proportionem habet contritio ad tollenda venialia, quam mortalia respectiuè, ergo sicut vniuersalis contritio omnium mortalium, tollit omnia mortalia, ita vniuersalis contritio omnium venialium tollit omnia uenialia, ita Toletus *in Summ. libro tertio capit.5.* Reginaldus *lib.5. numer.45.* Caietanus *3. parte quaest.87. art.1.* Vasquez *ibid.dub.1* Filliucius *tract.6.c.5. n.109.& 112.* & alii. Posterior pars probatur ex eo, quod amor Dei super omnia per se potest remittere venialia etiā absq; formali poenitentia, Imo probabile est venialia peccata tolli per solam attritionem hominis iusti & per contrarium propositum, vel per actum virtutis repugnantem aliquo modo veniali peccato, & excludentem complacentiam illius, oportet tamen vt talis attritio sit de tali peccato. nam attritio vnius peccati non sufficit ad tollendum aliud disparatum, & omnino diuersum, quia respectu illius non habet rationem dispositionis D. Thom, *3, part, quaest.87.art.1.* Sylvius *ibid.concl.2.* Suarez *de poen.disp.11. sect.3.*

Toletus
Reginald.
Caietan.
Vasquez
Filliucius

sect.3.n.8.& 11. Coninck disp.2.dub.14.nu.124. Filliucius c.n.110.114. & 116. & alii.

Coninch. Filliucius.

9 Singulorum mortalium non est necessaria particularis contritio, sed satis est vna generalis, quæ saltem virtualiter se extendat ad singula mortalia, tam quæ in memoriam veniunt, quam quæ non veniunt, siue fiat cùm homo incipit singula peccata sua cogitare, siue cùm in medio est cogitationis, siue in fine. Ratio est, quia si pro singulis peccatis singulæ contritiones requirerentur, sequeretur contritionem fieri ex multis actibus, & singulos actus contritionis non esse actus contritionis iustificantis hominem, habens enim multa peccata mortalia non iustificaretur per primum actum, sed post multos actus. Ita D. Thomas in suppl.q 2.art.6. Syluius ibid. concl.3. Henriquez lib.4.c.7.num.2. & c.28 Suarez disp.4.sect.6.assert. 2. Victoria de Sacr.n.116. Nauarrus in Man.c.1 num.25. P.Ledesma tract.de pœn.c.6.concl.3. quamuis salubre consilium sit, de singulis saltem speciebus peccatorum distinctos dolores concipere.

D. Thom. Syluius Henriq. Suar. Victoria Nauarrus P. Ledesma

Sed dubium est, quanta, & qualis esse debeat hæc recogitatio peccatorum, vt motus voluntatis in illa cadens habeat rationem contritionis: Antiquorum enim Theologorum communis sententia fuit, cui etiam adhærent nunc moderni quidam, per se necessarium esse, vt homo recogitet distinctè peccata omnia, tam quoad species singulas, quam quoad numerum eorum, & de illis sic recogitatis, formet vnam contritionem. Sic D. Thomas 3 p. q.87.art.1 Alensis 4.p.q.69.membr.8.a.2. Richard.4.d 16 art.4.q.2. D.Bonau. d.16. 2 p.art 2.q.1.2. Medina de pœn. tract.1 q.3.Sotus 4.d 17.q 2.art.3.Syluius in supp. q.2.a.6. concl.1. Valentia disp.7.q 8.p.6. Nauarrus in Man cap.1. n.23. & alii. Ratio est, quia per quodcumque peccatum mortale homo auertitur à Deo: ergo ad sui remissionem, vnumquodq; requirit oppositam conuersionem ad Deum quæ fit per illius recogitationem & dolorem. Accedit quòd homo penitens, & medicus est sui ipsius, & Iudex, quia & curare & castigare delicta propria, seruata aliqua proportione ad culpas, sed hoc conuenienter fieri non potest, nisi omnia & singula peccata distinctè recogitentur, ergo. Hæc sententia, quia communis, est probabilissima.

D. Thom. Alensis Richard. D Bonau. Medina Valent. Nauarr.

Opposita tamen est etiam probabilis, nempe ad contritionem & iustificationem non esse necessariam distinctā recogitationem omnium peccatorum per se loquendo: Ratio est, quia peccator quantislibet & quantumuis grauibus & enormibus peccatis onustus, potest in momento iustificari, vt patet Ezechielis 18. atqui in tam parua temporis mora non potest homo distinctè omnia peccata sua mortalia formaliter & explicitè recogitare, ergo.

Per accidens tamen admittit hæc sententia necessariam esse illam peccatorum, quoad speciem & numerum recogitationem, puta ratione confessionis post contritioné faciendæ, vel vt se peccator ita ad contritionem excitet, vel respectu certorum peccatorum, ne quædam obligationes cum iisdem coniunctæ prætermittantur, nimirum de restitutione facienda, de vitanda occasione proxima, de occulto peccati affectu a noliendo. Ita Suarez disp.4. sect.6. assert.1.2. Caietanus to.1.opusc. tract.4 q.2. Victoria de pœnit.n.116 Henriquez lib.4.c.28. P Soto de pœnit. lect 15. P.Ledesma tract.de pœnit.c.6. concl.5. & 6. Bonacina tom.1.d.5.q 5 sect.1.p.6.n.2. Filliucius tract.6 c.9.q.2. Diana p.3.tract.4.resol.118. & alii.

Suarez Caietanus Henriq. Soto Bonacina. Filliuc Diana

Sed rogabis, qualis contritio debeat concipi de peccatis oblitis? Resp. duobus modis posse aliquem obliuisci suorum peccatorum, Primò, in specie, vt tamen in genere sciat, se commisisse aliqua grauia peccata & talis tenetur formaliter & absolutè confiteri de eiusmodi peccatis, quia sunt vera materia pœnitentiæ. Secundo, in genere, vt nesciat se oblitum, & talis licet vtiliter possit sub conditione confiteri, in rigore tamen non videtur ad hoc obligari, nisi fortè aliquis valdè obliuiosus iam pridem non esset confessus. Aduertendum tamen, si post habitam contritionem de peccatis recogitatis occurrat aliud peccatū, quod prius in memoriam non venit, tunc de eo contritio, vel attritio habenda erit; quia formalis pœnitentia de omnibus peccatis per se habenda est; contritio autem, quæ hic præcessisse supponitur non fuit nisi virtualis respectu peccati obliuioni traditi, ergo manet obligatio ad formalem eius pænitentiam, cuius in illa virtuali uotum continebatur. Vide Mercerum in supplement.3.part.qu.1.art. 3.D.Bonauenturam 4.distinct.16.part.2.art.2 q.2.

Mercerus. D. Bonau.

10 Non impetratur peccatorum uenialium remissio per quemlibet actum contritionis, sed per eum actum, qui cum peccatis uenialibus oppositionem habet. Ratio est, quia omnis expulsio fit per aliquam oppositionem, & nisi inter aliqua duo sit oppositio mediata vel immediata, ex natura sua vel institutione, non sequitur exclusio inter ipsa. Deinde actus contritionis non habet oppositionem cum omnibus venialibus, nisi sit vniuersalis, cum enim peccata non sint connexa, potest aliquis speciali ratione detestari vnum genus peccati, quamuis non detestetur aliud: potest enim quis detestari mendacium, non detestando verba otiosa; consequenter non obtinet remissionem illius peccati, de quo detestationis actum, non elicit. Vide Diuum Thomam 3.part.q 87.art.1. Coninch disp.2.dub 14.num.123.& sequent. Reginaldum lib.5.nu. 45.& 60. Henriquez lib.4.cap.15.numer.5. & 6. Suarez disp.4.sect.3. & disputat.11. sectione 3. numer 5. & 7. & alios.

D. Thom. Coninch Reginald Henriq. Suarez

11 Quamuis peccator aliquando possit iustificari, etiamsi non reuocet in memoriam ullum peccatum, ut constat in eo, qui actum amoris Dei super omnia elicit, nullo modo cogitans de peccatis, per actum tamen contritionis nemo iustificari potest, nisi cognitionem aliquā peccatorum habeat, quia cùm contritio sit voluntatis actus, & voluntas non feratur in incognitum, ideò ad contritionem requiritur, ad minimum ut suprà dictum est, confusa peccatorum consideratio, seclusa obligatione confitendi, vel si confessio ob inopiam confessarii impossibilis sit, & modò homo sibi persuadeat, se sine peccatorum specifica, aut numerica recognitione, verum actum contritionis elicere posse. Sed plura de his num. 9. Vide Suarez disp.9.sect.1.n 7.10. & 13. & disp.4.sect.6. n.9. Filliucium tract.6.c.9.n.217. Reginaldum l.5.num. 52. Coninck de pœn.disp.2 dub.6.num 51. & dub.8. num 76 Dianam part.3.tract.4.resol.118 Layman lib.5.tract.6.c. 4.n.3.& alios.

Suarez Filliucius Reginald. Coninch. Diana Layman

12 Qui post examen conscientiæ recordatur vnius tantummodò peccati, & de illo actum contritionis elicit, iustificatur, quamuis alia peccata commiserit, quæ in mentem non veniunt. Ratio est, quia ille actus contritionis, cùm sit uirtualis dilectio Dei super omnia, virtualiter etiam & interpretatiuè includit detestationem omnium aliorum peccatorum, de quibus nō est memoria, ille enim homo detestatur peccata commissa quantum moraliter potest, & debet. Ita D. Thomas 3.part.q 87.art.1. & 1.2.q. 113 art 5.ad 3. Tutius tamen ageret penitens in eo casu, si etiam de aliis peccatis oblitis actum contritionis eliceret, vt docent D.Bonauentura disp.16.2.p.art.2.q.1.2. Suarez disp.4.sect.6.assert 2. Filliucius tract.6. numer.223. & 226. Sotus 4.disp.12. q.2. artic.6 & alii. Imò necessitas præcepti erit, quando homo est dubius, an alia peccata commiserit, quæ memoria exciderunt, tunc enim ratione dubii, & consequenter ratione periculi tenebitur, iuxta ante dicta num.9.

D. Thom. D. Bonau. Suarez Filliucius Sotus

13 Actus contritionis vt ex eo possit peccator iustificari, debet esse magnus non intensiuè, id est, magno conatu & feruore elicitus, sed appretiatiuè, hoc est, debet quis magis detestari peccatum quàm aliquod aliud malum. Probatur secunda pars, quia hoc est conuerti ex toto corde, quod scriptura à peccatoribus exigit, ut constat ex materia de charitate, cuius præceptum iisdem uerbis proponitur, sicut igitur iubemur Deum ex toto corde diligere, ut nihil eius amicitiæ præferamus, ita iubentur peccatores ex toto corde ad Deum conuerti, ut nihil magis detestentur quam peccatum; Ratio est, quia cùm peccatum sit malorum omnium maximum, super omnia detestandum, ac fugiendum est, ita vt parati simus quoduis malum potiùs incurrere, quàm committere peccatum mortale. Probatur prior pars, quia intensio aut duratio actus non mutat eius speciem, ergo, cum contritio ex natura sua potens sit peccatum expellere, minimus eius gradus sufficit ad omnia peccata delenda, idque in instanti, cum tota contritionis substantia momento temporis perfici possit, unde ad iustificationem peccatoris non requiri-

quiritur intensio physica & entitatiua actus contritionis, sed intensio quędam moralis, quæ consistit in appretiatione & æstimatione Dei super omnia bona, & in detestatione peccati super omnia mala. Nota tamen contritionem eò esse meliorem, quo est intensior & ardentior, vnde à Sanctis Patribus valde commendatur, non tantum ob magna commoda quæ secum affert, sed etiam propter securitatem, nam periculum aliquando est, ne nos ipsos decipiamus, putantes nos habere dolorem summum appretiatiuè, qui fortassis longè abest ab illa perfectione Gabriel *in 4.d.14.q.1 art.4.conc* 5. Medina Code *pæn.tr.1.q.*5. Nauarr. *c.1.n* 9. Sotus *in 4.dist.17.q.2. art* 4. Rodrig *in sum.c.28.conc.*2. Petr. Ledesm. *tr. de pæn.c.6.conc.*7. Syluius *in Suppl.q.3. art.1.conc.*1 *&* 2 Suarez *disp.4.sec.4 numer.* 9. Valentia *disp.7.q 8.puncto* 5. Filliucius *tract.6.c.9.q.7.&* 9 Layman *l* 5. *tract.6.cap.4.n.1.*& alii.

Gabriel
medina
nauarrus
Sotus
Rodriq.
p. ledesm.
Syluius
Suarez
Valent.
Filliucius
Layman

Posset quis hic inquirere *Primò*, an dolor debeat respondere magnitudini peccati? Resp. neminem posse afferre dolorem, qui exæquet iram diuinam, peccatum enim lethale infinitam indignationem & infinitā pœnam meretur, debet tamen quisque conari, vt appretiationem & intensionem doloris peccatis accommodet, vt de maiori peccato magis, de minore minus doleat. Et quidem quoad intensionem attinet, non est hoc plane necessarium, sæpe enim fit, vt multi sensibiliùs doleant, v.g. de fornicatione, quam de hæresi. Quod verò attinent ad appretiationem, semper est eadem proportio, nam qui uerè dolet de peccato propter offensam Dei, magis illud detestabitur quo Deus magis fuit offensus. Vnde signum est eos non dolere ex charitate, qui dicunt se malle in hæresim incidisse, quàm in aliquod peccatum infame, v.g. in furtum &c. & per eiusmodi comparationes exponerent se periculo grauiter peccandi.

Secunda, an sufficiat pœnitenti; vel le dolere, quamuis non doleat, siue dolere se non dolere? Resp. si illud, *non dolere*, absolutè sumatur, ut excludit omnem de peccato dolorem; non sufficere *velle dolere*, si à parte rei verè non doleat; neque *dolere, se non dolere* in eodem sensu: quia ad veram pœnitentiam necessariò, & essentialiter requiritur aliquis dolor. Si autem illud, *non dolere* accipitur secundùm quid, vt excludit tantùm aliquam doloris qualitatem, sensibilitatem siue intensionem tunc sufficere *velle dolere* seu *dolere se non dolere* ad veram pœnitentiam, quia in his actibus continetur virtute perfectissimus dolor, quo non modò voluntas à peccati auertitur, sed etiam in seipsam insurgit, & si fieri posset, omnem vehementiam parata esset exercere, vt pro peccatis commissis seipsam doloribus excruciaret, & de seipsa pœnas sumeret, qui actus sunt multum meritorii, & frequenter magis, quàm illi doloris affectus, qui ex naturali complexione facilè fluunt. Vide Nauarrus *in man.c.1.n.*20. Scotum *in 4.dist.* 14. *art.*3. Paluda. 4 *dist.*17.*q:*1.

nauarrus
scotus
Paludanus

Tertiò, An dolor virtualis, vel habitualis sufficiat in Sacramento pœnitentiæ? Pro responsione supponendum est 1. quòd dolor virtualis dicitur actus amoris Dei super omnia, nam ei, qui amat Deum super omnia, displicet implicitè quidquid displicet obiecto amato super omnia. 2. Dicitur dolor virtualis, voluntas ipsa confitendi & recipiendi absolutionem, dummodò pœnitens nullum actum habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adhæreat 3. Dicitur dolor virtualis, quando quis elicit actum formalem doloris, qui post aliquod tempus dicitur perseuerare virtualiter, quamdiu penitens illum non retractat implicitè, vel explicitè; qui dolor non retractatus, potest etiam dici dolor habitualis. Quibus positis. Dicendum est, quòd amor Dei super omnia, & voluntas recipiendi absolutionem, qui omnes dolores virtualis dicuntur, non sufficiunt in sacramento penitentiæ pro materia. Dolor verò formalis uirtualiter, uel habitualiter per[illegible]ans, sufficit pro materia in Sacramento penitent[illegible].

Probatur prior pars, quia dolor, seu attritio de natura sua non est pars Sacramenti, cùm Sacramentum sit signum sensibile, & attritio, seu dolor sensibilis non est de natura seu, sed est pars Sacramenti, quatenus fit sensibilis per cōfessionem; sed confessio peccatorū nullo modo reddit sensibilē actū amoris internū, cùm amor non prorumpat ad accusandum hominem de peccatis, sed dolor ex memoria peccatorum facit peccatorem confiteri peccata. Ergo. Ita Bonacina *de pœnit. disp.*5. *q.*3. *punct.*2. *n.*7.

Prob. secunda pars quia Conc. Trid. *sess.6.c.7. &* 24. requirit ad remissionem peccati proprium dolorem pœnitentis, etiam cum sacramento, & *sess.*14. *cap* 4. concludit Ecclesiam nūnquam docuisse aut sensisse, Sacramentum hoc dare gratiam sine proprio motu pœnitentis. Ita Suarez *de pænit disp* 20. *sect.*1.

Bonacina
Con. Trid.
Suarez

Probatur tertia pars, quia Sacramentum est compositum morale, ergo coniunctio inter has partes, sufficit, si sit moralis: sic enim debent vniri partes, sicut & compositum ex coniunctione enim physica vel morali, compositum est Physicum vel morale: ergo si partes moraliter sint simul, possunt moraliter compositum componere: partes enim totius sunt partes; sed dolor modo explicato moraliter est, & in moralibus parum pro nihilo existimatur, ergo dolor explicatus sufficit pro materia in sacramento pœnitentiæ. Ita Granado *in 3.p. contr.7. tract.3. disp.3. sect.*1. Diana *p.5.tract.14.res.67.* & alii ab ipso citati. Vide infrà *verb. Sacramentum* 11. *n* 9.

granado
Diana

Quartò, An dolor debeat præcedere confessionem. Responsio communis est negatiua teste Cardinali de Lugo *de pœnit. disp.14. sect* 2. *num.*13. *&* 23. Diana *p.3. tract.4. resol.* 134. *& p.4. res.*193. Bonacina *de sacram. disp.5.q.3. punct.*2. *num.*18. Suarez *disp.*20 *sect.*4. Hurtado *de sacram. disp.6. diffic.*10. Contra Coninck *de sacr. disp.4. dub.*5. Probatur non solùm ex praxi fidelium, videmus enim, quod Confessarii prudentes, postquam pœnitens confessus est peccata sua, illum disponunt ad eliciendum actum contritionis, seu doloris, & postea nullo modo cogitant de repetenda confessione facta: Sed etiam ratione, quia etsi in esse physico confessio antecedat dolorem, tamen in esse partis materialis Sacramenti Pœnitentiæ sunt simul, & vna potest alteram significare, nam in esse materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ, non assumitur priùs confessio, & deinde contritio, seu dolor, sed assumuntur simul à sacerdote per potestatem clauium, ergo totum hoc scilicet confessio & dolor est vnum sensibile, quando assumitur, & fit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. Nota tamen si narratio peccatorum non fieret per modum accusationis, & in ordine ad absolutionem, dolor subsequens non sufficeret in sacramento pœnitentiæ, eò quòd deesset vna pars Sacramenti, quæ est accusatio, seu confessio iudicialis peccatorum, quæ debet præcedere absolutionem.

Lugo
Diana
Bonacina
Suar.
Hurtado
Coninck

Hinc collige, quod dolor, qui non refertur ad confessionem à pœnitente, sufficiat pro materia in sacramento pęnitentiæ. Tum quia ex Concilio Trident. *sess.*14. *cap.*4. in dolore requiritur tantùm exclusio voluntatis peccandi in posterum, & nullo modo fit mentio de tali relatione ad confessionem. Tum quia ideo requiritur dolor, seu detestatio peccati in confessione, ad hoc, vt homo sicut voluntariè se conuertit per peccatum ad creaturam, & auertit à Deo, ita per dolorem se auertat à creatura & voluntariè se conuertat ad Deum, sed talis conuersio habetur sine tali ordine ad confessionem, ergo talis ordo nō requiritur. Ita Cardinalis Lugo *disp.14 sect.4. per totam* Reginaldus *l.5.to.1.n.54.* contra Bonacinam *disp.5.q.3 p.2.n.17.*

lugo
Reginald.
bonacina

Quintò, an confessarius debeat explorare contritionem sui pœnitentis per comparationem, vt maluit videre cædem charissimorum filiorum, Patris mortem, aut graues cruciatus, quàm offendere Deum mortaliter. Respond. opus hic esse magna prudentia; nam vulgares homines, non sunt ista ratione tentandi, tùm quia quamuis essent forte sufficienter præparati, horrore casus propositi vacillarent, & fierent incapaces absolutionis. Tùm quia sufficit vt doleant ex animo se peccasse, & detestentur peccata super omnia detestabilia in communi, non faciendo comparationem cum his & his malis in particulari. Ita D. Thom. *quodlib.1.art.9* Petr. Ledesma *de pœnit.c.6.conc.9.* Nauarr. *c.1 num.17.* Bonacina *t.1.d.5.q.5.se.1.p.7.num.*4. Rodriq. *c.48.num.*2. Syluius *c.q.3.art.1.conc.*2. Reginald. *l.5.num.*36. & alii.

D.Thom.
ledesma
Nauarrus
bonacina
Rodriq.
Syluius
Reginald

14 Certum est ad veram contritionem post Baptismum requiri firmum propositum non peccandi de cætero, sed dubium est, an huiusmodi propositum debeat esse explicitum, & formale, an verò sufficiat implicitum vel virtuale. Duplex est celebris sententia inter Doctores. Propositum

positũ explicitum & formale uitandi peccata exigunt Suarez *de pæn. disp.4. sec.3.* Valentia *tom.4 d 7. quæst.8. punct 6.* Bellarm. *de pæn. l.2. c.6. & 7.* Toletus *l.3. c.4. num.3.* Nugnus *3. p. de pæn. quæst.1. art.1. dub.3.* Sotus *4. d.15. quæst.1. art.2.* & antiqui Theologi, probantque suam sententiam multis testimoniis, tum Sacræ Scripturæ, tum etiam Conciliorum, & præcipua hac ratione, quod contritio formaliter & expressè importet recessum a statu peccati prioris vitæ ergo, etiam formaliter & explicitè includit accessum ad statum gratiæ & per consequens requiritur formale propositum deinceps peccata vitandi. Alii verò, contra oppositum sentiunt, nempè sufficere implicitum & uirtuale quod in ipso contritionis actu continetur, quatenus contritus implicitè diligit Deum super omnia & vult ipsi placere in omnibus. Ita Nauarrus *c.1. n.18.* Layman *l.5 tract.6. c.4. num 6.* Filliucius *c.1.6. c.7. num.176.* Diana *p.3. tract.4. res.119 & p.5. tr.14. resol.71.* Syluius *in suppl. q.1 artic.1. q.1. conc.3.* Vtraque opinio probabilis est, in praxi tamen consulendum est propositum actuale, cùm hoc sit tutius remedium ad iustificationem, vnde rectè agũt confessarii, quando tale propositum à confitentibus exigunt, eòsque alia ratione absoluere nolunt. Quamuis confessio illius sit bona, qui occupatus vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita præterita, vel imploranda Dei misericordia, uel in excitando se ad amorem Dei & dolorem de ipsius offensa, non cogitat actu, dicens intra se, *volo abstinere à peccatis*, sed bona fide eat ad confessionem ibique se accusans veniam petat. Ratio est, quia verè est contritus, & in dicto examine peccatorum & petitione veniæ à Deo, includitur sufficiens propositum non peccandi à cætero. Ita Syluius citatus.

Suarez. Valentia. Bellarm. Toletus. Nugnus. Sotus. Nauarrus. Layman. Filliucius. Diana. Syluius.

15 Propositum non peccandi de cætero in contritione inclusum respicit quoque occasiones, non quascumque peccatorum, sed propinquas; adeò vt homo teneatur propositum habere vitandi omnem eam occasionem, qua sine peccato mortali, nunquam aut rarò se vsurum credit, vel credere merito debet, si iam expertus est aliquoties eam esse fragilitatem suam, vt statim succunbat, data istiusmodi occasione, siue ipsa sit in se peccatum, vt officium fœnerandi, &c. siue sit indifferens, ut conseruari cum aliqua persona, &c. aut etiam sit alioqui bona, ut audire alicuius certæ personæ confessionem. Vide v. Absolutio. *n.7.8.9.* Ita Nauarrus *in Man. c.3. numer.10 & seq.* Reginald. *l.5. c.5. numer 62.* Layman *c.c.4. numer.9.* Suarez *tom.4. disp. 32. sect.2. num.4* Prepositus *3. p. Sacr pæn. q.10. dub. vnic.* & alii.

Nauarrus. Reginald. Layman. Suarez. Præpositus.

16 Cùm actus contritionis subsistere possit etiamsi pœnitens non credat se non amplius peccatorum, ideò ad eius essentiam non requiritur vt pœnitens habeat huiusmodi credulitatem non peccandi in futurum, quia credere se non ampliùs peccaturum, sapit quandam superbiam, aliud enim est proponere non peccare in futurum, aliud sibi persuadere, & iudicare se perseueraturum: Illud prius est voluntatis pendens tantum ex præsenti proposito; & ideò illud solùm necessarium est. Hoc verò posterius est intellectus, & pendens ex futuro euentu, & ideò non solùm non est necessarium, verùm etiam consulendum est fragilioribus hominibus, ut nihil de illo curent, aut cogitent. Vide Nauarr. *in Man. c.1. num 9.* Rodriguez *in Summ. c.48. n.8.* Reginaldum *l.5. num.34.* Suarez *disp.4. sect.3. n.5.* Valent. *tom.4. d.7. q 8. p.6* Præpositum *3. p. q.86. art.1. dub. 6. n.45.* & alios.

Nauarr. Rodriguez. Reginald. Suarez. Valentia. Præposit.

Quanta autem coniunctio & simultas sit necessaria inter dolorem peccatorum & confessionem, vide infra *v. Sacramentum 11. num.9.*

De Contritione vide Attritio *n.6.* Casus reseruatus *n. 17.* Communio Sacra *n.30.31. & seq.* Extrema vnctio *2. n. 5.* Pœnitentia 4 *num.2.3.* Sacramentum *2. num.9.* Sacramentum *3. num.7.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Contritio & Attritio quid sint secundùm nomen.*
2 *Contritioni tria insunt necessario.*
3 *Contritionis dolor alius est intellectualis, qui quoad æstimationem debet esse maximus? Alius est sensibilis qui debet esse moderatus.*
4 *Dolor de peccato mortali secundùm habitum debet esse continuus, secundùm actum minimè.*
5 *Actus contritionis vt sit contritio, nulla indiget temporali duratione, sed fit in instanti.*
6 *De peccato alieno non est contritio, nisi quatenus illud peccatum efficeretur proprium.*
7 *Contritio in lege veteri necessaria fuit necessitate medij ad tollendum peccatum actuale.*
8 *Quomodo peccatum futurum non sit obiectum directum contritionis.*
9 *Mortaliter vt peccet, qui magis detestatur peccatum leuius, quàm grauius.*
10 *De effectu contritionis.*

1 Contritio à con & tero, secundùm nomen, importat confractionem, vel comminutionem alicuius frangibilis vsque ad minima: quasi simul ex toto tritio, & metaphoricè significat destructionem perfectam malæ voluntatis appetentis peccata, quæ conteri dicitur, quando ab eis perfectè totaliter resilit per displicentiam. Attritio verò, secundùm nomen importat comminutionem aliqualem alicuius frangibilis, & metaphoricè significat destructionem imperfectam malę voluntatis, vt cùm dolet de peccatis, sed imperfectè, id est, non tantùm quantùm requiritur ad gratiam diuinam acquirendam. Contritio non est quæcumque detestatio, & displicentia, sed est detestatio causatiua doloris tristitiæ, & afflictionis, qualis detestatio non potest esse in Deo, in Angelis, & in Beatis.

2 In contritione sunt tria. *Primum* illud, quod conteritur, & hoc est cor hominis, quod quasi ad literam scinditur præ nimia angustia & indignatione, quam concepit contra peccata. Vnde *de pœnit. dist.1.* Scindite, inquit, corda vestra Deo, vel etiam illud, quod continetur, sunt peccata, quæ dolore illo conterantur in corde, id est, simul & totaliter teruntur. *Secundum* est, quo conteritur. Et hoc est duplex mola, vna superius sursum eleuans, scilicet spes veniæ veniens ex consideratione materiæ, altera est deorsum deprimens, scilicet timor pęnę veniens ex consideratione diuinæ iustitiæ. *Tertium*, ad quod conteritur est, vt peccati delectatio totaliter teratur ideò dicitur contritio, non fractio quia fractio dicitur in magnas partes, & tunc remanet sapor, sed contritio est in minimas, & tunc non remanet nec sapor, nec virtus, peccata uerò ad hoc conteruntur, vt simul & totaliter destruantur. Ita D. Bonauent *in 4. dist.16. part.1. art.1* D. Bonau.

3 Dolor contritionis est duplex, vnus scilicet intellectualis, qui est displicentia voluntatis: & alius sensualis, qui causatur à primo. *Primus* est essentialiter contritio, & ipse solus tanquam existens in nostra facultate, cùm gratia Dei requiritur & sufficit ad contritionem, sicut complacentia voluntaris requiritur & sufficit ad peccatum: quia vnumquodque per quaecumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Et Deus à nobis exigit, vt sit tantus iste dolor & ista displicentia, quanta debet esse complacentia Dei, quem perdimus per peccatum, id est, vt peccatum super omnia displiceat. *Secundus* verò sensibilis nõ est essentialiter contritio, sed effectus eius consequens dolorem voluntatis, ex necessitate naturæ, eo modo, quo vires superiores redundantes in inferiores mouent illas, vel ex electione voluntatis illum dolorem excitantis. Hic dolor non requiritur necessariò, sed solùm de bene esse, quia non est in nostra facultate, vt docent communiter Theologi. Dolor qui est in intellectu, debet esse summus, id est maximus, non quoad intensionem, sed quoad æstimationem & comparationem ad aliàs creaturas, ad hunc scilicet sensum, quòd quando homo dolet, & conteritur, potiùs eligat quoduis corporis, fortunæ, siue bonoris malum, quàm Deum offendisse, ita vt odio habeat malum culpę, plusquam cætera mala odio digna. Dolor autem sensibilis debet esse moderatus & ornatus prudentia, posset autem homo se tanto dolore, & mœrore affligere, vt mortem sibi, aut morbum asciseeret, quod esset homicidii genus. Vnde ad Roman. inquit Apost. cap 12. *Rationabile sit obsequium vestrum* Vide D. Thom. *3. p. q.84. a.9. ad 3.* D. Thom.

ad 3. vnde quando assidua peccatorum meditatio atque execratio noxium dolorem gignit, cessandum est ab illa, non quod ipsa per se sit mala, sed ea ratione qua causa est detrimenti. Ita Sotus *in* 4. *dist*. 17. *q*. 2. *art*. 4. *concl*. 4. Suarez *in* 3. *p*. *tom*. 4. *disp*. 4. *sect*. 4. *in fine*.

Soto Suarez

4 Dolor de peccato mortali secundùm habitum, debet esse continuus, etiam post remissionem peccati, id est, cùm memoria peccati venerit, debet habere homo displicentiam negatiuam, quod nunquam peccata illa placeant. Ratio est, quia si aliquando placerent, nouum peccatum mortale committeret: gloriaretur enim tunc cùm malè faceret. Secundùm actum autem, non debet nec potest esse perpetuus, quia obligaretur homo ad impossibile.

5 Actus contritionis vt sit contritio, nulla indiget temporali duratione, sed simul ac fit, est vera contritio. Probatur ex Scriptura, quæ promittit homini iustitiam, & remissionem peccat: ratione suæ conuersionis, absque vlla mora vel dilatione: Quod declarat illis verbis, *in quacumque die, in quacumque hora* Ezechiel 18 & 33 nam ibi definitum tempus sumitur pro indefinito, & idem valet, ac in quocumque tempore, vel momento. Sicut ergo consensus in peccatum mortale statim ac fit, est peccatu mortale & destruit gratiam, ita è conuerso actus contritionis statim, ac fit, habet esse contritionis, seu vltimæ dispositionis ad gratiam Probatur etiam ratione, quia actus pœnitentię, qui est sufficiens dispositio ad remissionem peccati & habet gratiam infallibiliter coniunctam est vera contritio, sed actus pœnitentiæ, qui ex sua essentia & motiuo est perfecta conuersio in Deum & auersio à peccato, & illius detestatio super omnia, infallibiliter & sine vlla mora habet adiunctam gratiam, & remissionem peccati, ergo talis actus simul ac est, est uera contritio Tum quia si duratio temporis esset necessaria ad contritionem, vt sic, peruenire posset homo in hac vita ad eum statum, in quo, eliciendo verum pœnitentiæ actum non posset consequi remissionem peccati, consequens autem vt erroneum dãnatur *in lib. de Ecclesiastic. dog mat. cap*. 80. Idemque refert ex Concilio Moguntino *cap*. 2. Sequela declaratur, quia in fine vitæ potest homo elicere illum actum, quando ei non superest tanta vitæ duratio, quanta necessaria est, vt ille actus sit contritio. Sumitur hæc assertio ex doctrina, quam tradit D. Thom. 1. 2. *quæst*. 113. *art* 1. & 7. *in corpore & tertia parte, q* 89. *art*. 2 Cui subscribunt Gabriel in 4. *distinct*. 14. *q*. 1. *ar*. 2. *conc*. 5. Mendina *tract*. . *de pœnit. quæst*. 5. *ad finem*, & alii apud Henriquez *l*. 4. *c*. 27. *n*. 4.

Con. Mon D. Thom. gabriel medina Henriq

6 De peccato alieno debet quis dolere, non tamen ille dolor est contritio, nisi quatenus illud peccatum efficeretur proprium, quod fit quatuor modis, secundùm D. Thomam Psalm. 18. Primò per imitationem, Eccles. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*, vel per suasionem, vel consensum, Prouerb. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, non acquiescas eis*. quod fit, vel ad facienda mala blanditiis alliciendo, aut facta iam fauoribus, quasi laudabiliter acta extollendo: vel fit alienum proprium per dissimulationem, Roman. 1. *Non solum, qui faciunt ea, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus*: quod contingit in his, qui non reprehendunt suos subditos, cùm debeãt ex officio, vt sunt Prælati, vel Patres Vnde peccata filiorum fuerunt imputata Heli, vt patet 1. *Reg cap* 4. vel alii, de quibus Nauarrus *in Manual. c*. 17. *num* 136. Vide D. Thomam *in supplement. q*. 2. *art*. 5.

D. Thom. Nauarrus. D. Thom.

7 Contritio in veteri lege necessaria fuit necessitate medii ad tollendum peccatum actuale, Ratio est, quia cùm Sacramenta in ueteri lege non conferrent ipso facto gratiam, nec aliud esset remedium, quo se possent homines in gratia Dei constituere præter contritionem, sequitur contritionem in veteri lege fuisse necessariam ad tollendum peccatum actuale necessitate medii. Iuxta illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, vita viuet & non morietur*. Ita communiter Theologi.

8 Peccatum futurum non est obiectum directum contritionis, sed tantùm ex consequenti, quatenus in contritione includitur propositum non peccandi in futurum. Ratio est, quia obiectum contritionis est peccatum commissum; contritio enim est detestatio offensæ factæ Deo, cum proposito non amplius offendendi, peccatum autem futurum non est offensa facta, ergo. Ita D. Thom *in supplem. quæst*. 2. *art*. 4. Graffiis *lib*. 1. *c*. 3. *num*. 1.

D. Thom. graffiis

9 Peccat mortaliter qui explicitè magis detestatur peccatum leuius, quàm grauius, si inter illa duo peccata sit notabilis excessus, vt si quis malit commisisse adulterium, quàm simplicem fornicationem. Ratio est, quia qui vult potius commisisse duo peccata mortalia quàm vnum, peccat mortaliter, ergo etiam mortaliter peccat, qui potius cupit commisisse peccatum grauius quàm longè leuius; peccatum enim longè grauius videtur æquiualere duplici peccato leuiori. Ita ConincK *de pœnitent. disp*. 2. *dub*. 9. *num* 82. & alii.

Coninck

10 Cùm in peccato sint duo, videlicet, auersio ab incommutabili bono, & peruersa conuersio ad bonum commutabile. Hinc duplex debetur pœna, pœna damni, id est carentiæ visionis Dei ex parte auersionis, & hæc est æterna, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Et pęna sensus, ex parte conuersionis ad creaturam, quæ cùm non sit infinita ex genere suo, talis pœna non est æterna Ex quo fit, vt si huiusmodi conuersio nõ esset auersio à Deo, non deberetur ei pęna infinita: quare peccatis venialibus non debetur nisi temporalis. Hinc colligitur, quòd cùm per contritionem homo conuertatur ad Deum & tollatur auersio & recuperet amicitiam Dei, tollitur etiam illa æterna pœna damni, remanet tamen pęna sensus in hoc sæculo persoluenda, vel per pęnas spõte à nobis pro vindicando peccato susceptas, vel Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositas, vel etiam per temporalia flagella à Deo inflicta, & à nobis patienter tolerata Ex his concludendum est, quòd effectus contritionis est remissio peccati quoad totam culpam, imò posset esse conuersio mentis in Deum, & in detestationem peccati, tam vehemens quòd perfectè remissionem peccati homo consequeretur, non solùm quantùm ad culpam, sed etiam quantùm ad remissionem totius pęnæ. Ita D. Thom. *in* 4. *dist*. 17 *q*. 2. *art*. 3. & alii communiter.

D. Thom.

Vide verb Attritio, Confessio *n*. 3. & 4. Iubilæus *n*. 10.

CONTVMELIA

SVMMARIVM.

1 *Quid contumelia.*
2 *Quale peccatum.*
3 *Contumelia materialis, an sit peccatum.*
4 *Omnes contumeliæ sunt eiusdem speciei.*
5 *Contumelia, an sit grauius peccatum, quam, detractio.*
6 *Qui iniustè alterius honorem læsit, tenetur ad eius restitutionem, quæ variis modis fieri potest.*
An omissio honoris debiti Prælatis obliget ad restitutionẽ.
7 *In tribus casibus tenentur priuata persona contumelias repellere.*
8 *Qui iniuria afficitur potest contumeliosè dicere,* Mentiris *non tamen illum percutere.*

1 Contumelia *est iniuria quadam, quà quis alicui honorem aufert, deducendo in notitiam eius vel aliorum aliquid ex quo ille dehonoratur*: vnde hæc dehonoratio, tribus modis fieri potest, vel *Primò*, cùm quis profert verba iniuriosa in presentia; uel *Secundò* literis & libello, ita ut ad eius notitiam perueniat, uel *Tertiò*, in absentia, cùm ea tamen intentione, ut talia uerba in eius notitiam ueniãt propriè tamen loquendo, contumelia cõsistit in uerbis iniuriosis in præsentia eius prolatis cuius honori officit, impropriè & secundariò consistere potest contumelia in factis quatenus significant intentionem nostram de ledendo honorem alterius D. Thom. 2. 2. *q*. 72 *a*. 1. Azor. 3 *p*. *l*. 13. *c*. 5. Nau. *c*. 18. *n*. 10 11. & 12. Clau. Reg. *l* 12. *c*. 4. *n*. 2. Syluius 2. 2. *q*. 72. *a*. 1. Layman *l*. 3. *tr*. 3. *p*. 2. *c*. 6. *n*. 2. & alii.

D. Thom. Azorius Nauarrus Clau. Reg. Syluius Layman

2 Contumelia ex genere suo peccatum est mortale, quia ex natura sua grauiter lædit honorem proximi, qui est bonum melius diuitiis, ratione tamen paruitatis materiæ & nocumenti quod inferret, posset esse peccatum ueniale, ut cùm quis leue conuicium iacit intentione leuiter honorem ledendi, imò aliquando nullum est peccatum, ut quando quis per iocum uel per correctionem proiicit conuicium, aut quando inuincibiliter ignorat læsionem inho-

In honore secutura.n. Ita Reginald *l.24. c.5.numer.*100. Filliucius *tract.*40. *n.*71. Bonacina *de rest.d.*2.*q.*5.*p.*1.*n.*3. D Thom.*c. art.*2.Syluius *ibid.*

Reginald Filliucius Bonacina D.Thom. Syluius

3 Contumelia materialis, quæ est quando quis profert verba sine intentione dehonorandi, quamuis ex se & suo genere non sit peccatum mortale, aliquando tamen erit; mortale, aliquando veniale tantùm, aliquando nullum peccatum erit mortale erit quamuis, non intendatur honoris læsio, si ex ipsa prolatione verborum alter notabiliter in honore lædatur, siue ex ignorantia crassa, siue ex negligentia aduertendi id proueniat. Veniale erit peccatum propter defectum cautelæ ut solet communiter fieri inter mulierculas, & pueros, ac homines uiles & infimæ sortis, qui solent sese contumeliis & conuiciis aspergere ex animi irati promptitudine, dicendo quidquid in buccā venit. Ratio autem excusans eos à mortali est, quia illorum verbis non solet fides adhiberi, nec multum læditur ipsorum honor, deestque ut plurimùm intentio grauiter nocendi, si verò intendant, aut sciant læsionem fore grauem non excusarentur à mortali. Nullum peccatum erit verba contumeliosa proferre in Prælato, Patre, maiore natu, vt si cum moderatione acrius reprehendunt inferiores solo animo corripiendi Valentia 2.2.*d.*5.*q.*16.*punct.* 2.*assert.* 3.Molina *d.*18.*num.*2 Reginald.*c num.* 101. Clau. Reg.*c.n.*6.Bonacina *c.n.*4.Syluius *c.art.*2.Filliucius *c.c.*3. *qu.*4.*&* 5.&alii.

Valent. & molina Reginald. Clau.Reg. Syluius Filliucius

Notandum tamen est, vt superiores in corripiendis subditorum defectibus sine peccato aliquo etiam veniali huiusmodi verbis vti possint, hæc tria obseruare debent. *Primum* est, vt solo animo corripiendi dicantur *Secundum*, vt cautè, modestè, & cum magna necessitate, & vbi certò sperantur profutura, illa proferant. *Tertium*, vt eo sermone proferant, quo intelligat subditus, non ex ira, aut passione, sed ex animo & desiderio corripiendi ipsum dici. Quæ omnia cùm raro, ac difficulter seruari possint, tutius est, vt Prælati omninò ab huiusmodi verbis abstineant cùm exinde potiùs subditi exacerbentur, quàm emendentur, & leuius nonnumquam verbera, quàm huiusmodi verba suscipiant, vt experientia quotidiana probat. Siquidem faciliùs conicere solent subditi, talia verba ex corripientis passione, quàm ex charitate proferri: vnde Superiores blandè & paternè subditos suos exemplo Christi admonere debent, meliùs enim est amari, quàm timeri. Vide Nauarr.*in man c.*10 *n.*10. Rodriquez *tom.*2 *qq.reg. q.*41.*art* 2.

Nauarrus Rodriq.

4 Omnes contumeliæ sunt eiusdem speciei, Emman.Sà *v.contumelia.* Caiet.2.2.*q* 72.*art.*1. Azor *c.dub.*1. Sotus *de iust.l.*5.*q.*9.*art.*1.Molina *tract* 4.*disp* 21 *n.*6. Reginald. *l.*24.*n.*102. Filliuc.*c q.*6. *&* 7 quia quamuis in cæteris diuersitas cernatur, conueniunt tamen omnes in ratione formali, quæ est intentio, auferendi alteri suum honorem sine iusta causa, vnde sequitur satis esse in cōfessione dicere, toties contumeliā affeci meum proximum, nec requiritur vt dicatur, illum uocaui ebrium, stultum, adulterum &c. Aliquando tamen contumeliæ grauitas tantùm augeri poiset vt eius expressio esset de necessitate confessionis, vt si quis hæreticus aut patriæ proditor appelletur, item si contumelia inferatur parentibus, habet specialem malitiam contrariam pietati parentibus debitæ sicut eandem habet derisio, illusio, subsannatio. Vnde hæc circumstantia esset aperienda in confessione secundum Sotum & Reginaldum apud Dianam *part.*1.*tract.*7.*resol.*28. quorum tamen sententiæ non adhæret, quia docet circumstantias aggrauantes non esse in confessione apperiendas, & hanc suam doctrinam dicit esse applicandam & practicandam in detractionibus, vt sic confessarii à multis scrupulis & interrogationibus immunus sint.

5 *Contumelia*, grauius peccatum est quam detractio, ratione maioris inuoluntarii, eò quod contumelia fiat in præsentia, & læsus scienter & inuitus patiatur iniuriam quæ sibi in præsentia, infertur: *detractio* verò leuior est, cum fiat in absentia Bannez 2.2.*q.*72.*art.*2. Azorius *c.c.*6. *dub.*7.Filliucius *c.n* 64.67.*&* 87.

Bannez Azorius Filliucius

6 Ex communi Doctorum sententia, qui iniustè alterius honorem læsit contumeliis, irrisione, sannis, &c. aliisque similibus modis, tenetur ad satisfactionem, siue id fecerit publicè coram aliis, siue priuatim corā illo solo, quia fecit veram iniuriam contra iustitiam commutatiuam, varii autem sunt modi honoris restituendi, ex quibus is tantummodò est necessariò adhibendus, quo iudicio prudentis, satisfit honori violato. *Primò*, restitui potest honor, amica & honorifica salutatione aut compellatione & hic ferè sufficit Prælatis & Superioribus erga inferiores *Secundò*, adhibendo ad mensam, dando locum honorificum, propinando &c. & hic sæpe sufficit inter eos qui sūt paris conditionis. *Tertiò*, petendo veniam, hoc modo debent vti inferiores erga superiores, & sæpe etiam æquales inter se, quando verò est atrox iniuria tunc maior humiliatio exigi debet, sed qui iniuriam intulit non tenetur eam præstare ante sententiam iudicis Azorius *c.c.*10.Bonacina *de rest.d.*2.*quæst.*5.*part.*2 Lessius *lib.*2.*c.*11. *dub.*27. *num.* 140. Reginaldus *lib.*10. *cap.*23. *numer.*354. 355. Claus Reg. *c.num.*8. *&* 11. Filliucius *tract.*32.*cap.*9.*quæst.*11.Petrus Nauarrus *lib.*2.*cap* 4.*num.*63.*& seq.* & alii communiter. *Quartò*, qui aliquem vera contumelia affecit, sed occulta potest & tenetur dicere se fuisse mentitum, vt læso satisfaciat, quia reuera mentitus est, nam locutus est cū discrepantia à proprio conceptu, in quo consistit mendacium habebat enim conceptum quod non poterat obiici in contumelia aliquid occultum, & nihilominus obiecit, vnde locutus est, cum discrepantia à proprio cōceptu seu à proprio sensu. & ideò mentitus est: imò si ei fides non adhiberetur, tenetur iurare, se mentitum fuisse, cùm debeat delere omninò contumeliam & iniuriam illatam, & non potest delere, nisi fidem inueniat quòd mentitus sit, vnde cùm verè possit dicere se mentitum fuisse, debet ad fidem acquirendam adhibere etiam medium iuramenti, si sit necessarium. Ita doctè Pasqualig *in decis moral. decis.* 443. cum aliis ab ipso citatis.

Azorius Bonacina lessius Reginald. Clau.Reg. filliucius Nauarrus

Pasqualig.

Petes an omissio honoris & reuerentiæ debitæ Prælatis vel æqualibus, obliget ad restitutionem? Resp. per se non obligare, quia non est contra iustitiam commutatiuam, sed contra virtutem obseruantiæ, aliud enim est non honorare, aliud contumeliam inferre, aut despicere. Dixi *per se*, quia aliquando obligaberis ad honoris restitutionem ratione alicuius contumeliæ, vel contemptus interpretatiui cum illa omissione connexi, maximè si eum intendas, vt si aliis honorantibus Episcopum, Prælatum vel Pastorem prætereuntem, tu illum impudenter aspicias, sine vllo honoris signo.

7 Quamuis meliùs sit plurimùm & maximè in personis priuatis patienter verba contumeliosa læto, & quieto animo sustinere, imò teneatur vnusquisque paratus esse ad ferendas iniurias, quando opus fuerit iuxta legem Dei, & dictamen rectæ rationis, aliqui tamen casus assignantur à Doctoribus post D. Thom. 2.2. *quæst.*72. *a.*3. in quibus priuatæ personæ huiusmodi contumelias repellere tenentur. *Primus est*, bonum eius qui contumeliam intulit cùm enim animaduerterit quis, quòd ex eius resistentia, reprimeretur audacia & insolentia proferentis talia uerba ita ut de cætero huiusmodi iniuriis non assuescat, tunc illi respondere debet blandè & leniter eum admonendo & reprehendendo exemplo Christi percussi Ioannis 18. *Quid me cadis.*

Secundus casus est, propter bonum aliorum, tam præsentium. quàm absentium, quorum profectus per huiusmodi contumelias nobis illatas impediretur, si non responderemus.

Tertius est, quando quis uerba contumeliosa audit contra fidei, & religionis honorem: tunc audiens huiusmodi uerba, proferentem acriter reprehendere tenetur, etiamsi scandalum infidelium sequatur. Vide Alexand. de Ales *p.*2.*q.*128.*memb.*4. Sotum *de iust.lib.*5.*quæst.*9.*artic.*3. Valentiam *tom.*3.*disp.*5.*quæst.*16 *punct.*3 Sancium *in select.disp.*46.*num.*6.

Alexand. Sotus ualentia Sanc.

8 Contumeliæ non sunt repellendæ armis & percussione, quia hoc esset vindicare seipsum, neque imponendo illi falsum crimen, quia mendacium semper est intrinsecè malum. Dubium tamen est, an cui iniuria afficitur, possit dicere contumelioso *Mentiris*. Resp. Affirmatiuè cum Arragone 2.2.*quæst.*70.*art.*3.*concl.*3.Sa *v. Infam.n.*4. Clau Reg. *lib.*12.*c.*4.*n.*14. Et aliis. Ratio est, quia non potest depelli iniuria, nisi uerba contumeliosa reiiciantur vt falsa & ostendatur falsò nobis irrogari contumeliam, nam

Arragon Clau.Reg.

cùm

cùm verba illa necessariò aut sint uera, aut falsa, nisi reiiciantur vt falsa & falsò dicta, afficimur contumelia, quia remanent, vt veraciter dicta; Eo ipso autem, quòd reiiciuntur vt falsa, declaramus contumeliosum fuisse mentitum, quocumque modo id fiat, vnde necessarium est tractare illum vt mendacem, & vt talem declarare vt depellatur contumelia. Tum quia contumeliosus per verba iniuriosa inurens honori alterius maculam, mentitur, quia dicit animo iniusto esse illam maculam in honore quæ non est, præsumitur loqui aliter, ac sentit, quia loquitur contra communem sensum, cui in externo tenetur se conformare, & ideò dum non vult se conformare, vult loqui aliter ac cognoscit se debere loqui, in quo consistit mendacium.

Deinde uerbum *Mentiris*, quando adhibetur ad propulsandam iniuriam, non est de sui natura iniuriosum, sed defensiuum honoris, sicuti ictus adhibitus ad retundendum alium ictum aggressoris, non est de se ordinatus ad occisionem, sed tantùm ad defensionem, & per accidens est si occidat.

Nec refert quod possit quis dicere contumelioso quòd fallatur & falsum dicat, ostendendo non conuenire illam contumeliam: & ipsum quoque non mentiri, sed decipi. Respondet Pasqualigus *in decis. Moralibus decis.* 437. ad depellendam contumeliam hoc non sufficere, quia contumelia non solùm continet verba iniuriosa, sed etiam vt prouenientia ex animo iniuriandi. Per id autem, quòd dicatur decipi, & dicere falsum, non depellitur completè iniuria, quia non declaratur quòd verba iniuriosa proueniant ex animo iniurioso, & ideò non potest esse iniuria absque mendacio. Idem docent Diana *part. 6. tract. 6. resol.* 16.

Non liceret tamen contumelioso obiicere crimina ad depellendam iniuriam; quia obiectio criminum est aliqua infamatio, quæ non est medium per se ordinatum ad depellendam verbalem iniuriam, quando verbum *Mentiris* est sufficiens, limita tamen nisi ita crimina sint publica, vt iam eius famam apud communem conceptum denigrauerint, quia tunc si obiiciantur, non læditur in honore. Ita Sotus *de iust. lib. 5. q. 9. art.* 3. Hurtado 2. 2 *disp.* 170. *sect.* 14. §. 120 Pasqualigus *in decis. Moral. decis.* 438.

Si autem obiectio huiusmodi criminum occultorum est necessaria ad propulsandam iniuriam & vtilis, liceret obiicere, quod tunc continget, si per hoc ostendatur, non esse habendam aliquam rationem illius, quod contumeliosus dicit. Tum quia vim vi repellere licet, vt iura clamant, quod intelligendum est nedum de vi reali, sed etiam verbali; ius enim naturale non minus concedit se defendere contra verba, quàm contra facta. Tum quia obiicere crimen occultum licet sit contra iustitiam, quatenus est contra famam proximi: cessat tamen esse contra iustitiam quando fit necessarium ad propriam defensionem, vt docet idem Pasqualigus *decis.* 439.

Sed petes an liceat dicere contumelioso *Mentiris* quando in contumeliis obiicit uera crimina occulta? Respondeat affirmatiuè, Bannez, Hurtado *tom. 2. disp.* 170. *sect.* 14. §. 121. quos citat & sequitur Pasqualigus *decis.* 440. Ratio est, quia reuera talis mentitur, si non quoad rem dictam, saltem quoad modum dicendi. Mendacium enim consistit in eo, quòd aliter loquamur, ac sentimus; in casu autem nostro obiiciens vera crimina, sed occulta, aliter loquitur, ac sentit, quia sentit non esse euulganda, & tamen ea euulgat.

De Contumelia vide *Derisio* n. 1. *Detractio* 1. n. 1. *Ira* n. 3 *Susurratio. Homicidium* 1. n. 23.

pasqualig. Diana sotus Hurtados. pasqualig pasqualig.

S V P P L E M E N T V M.

S V M M A R I V M.

1 *Contumelia propriè in verbis consistit, impropriè autem etiam in factis.*

2 *Conficientes & diuulgantes libellos famosos, grauiter peccant. & tenentur ad restitutionem famæ & honoris, & seuerè puniuntur per leges, tam Ecclesiasticas, quam ciuiles.*

3 *Lædens alterius honorem, excusatur à satisfactione facienda per læsæ partis remissionem.*

1 CONtumelia, qua excellentia & honor alicuius aufertur, vel diminuitur, propriè in verbis consistit. In factis autem impropriè & secundariò etiam consistere potest contumelia, quatenus scilicet, facta significant intentionem nostram de lædendo honorem alterius, illisque tanquam signis vtimur, ad significandum aliquem honore & reuerentia indignum esse, tunc facta illa pro verbis reputantur. Vt tamen factis contumelia fiat, necessarium est, ea intentione fieri, vt alterius honor auferatur. Possunt namque huiusmodi facta duobus modis considerari. *Primò*, vt sunt actiones quædam in suis propriis speciebus constitutæ. *Secundò*, vt sunt tanquam media ad honorem alterius auferendum. Priori modo pertinent facta ista ad suas priuatas species vitiorum. Secundò autem modo pertinent ad peccatum contumeliæ, cùm ad proximum dehonorandum fiant. Exemplum sit si quis vxorem alterius sollicitaret tantùm libidinis gratia, adulter tantùm erit; si verò sollicitaret, non solùm vt rem habeat, cum ea, sed etiam vt eo facto honori mariti officiat, talis & adulter & contumeliosus erit, vnoque actu duplex committit peccatum necessariò confitendum, sicut quando quis furatur, vt fornicetur, actus ille accipiendi alienum in duplici specie est, furti scilicet & fornicationis, quorum Confessio facienda est necessariò. Quæ autem de contumelia dicta sunt, procedunt etiam de conuitio & improperio: hæc enim tria quamuis materialiter inter se differant, formaliter tamen, & specie non differunt inter se, cùm hæc omnia ad idem referantur, videlicet, ad significandum defectum alicuius in detrimentum honoris eius, vt docent D. Thom. 2. 2. q. 72. *art.* 1, *ad* 3. Caietanus, Syluius *ibid.* Atque adeo voces istæ promiscuè, & pro eodem accipi solent, vt constat apud vulgus, & notat Syluester *verb. Contumelia, num.* 1.

2 Qui libellos famosos conficiunt, diuulgantes aliorum peccata, quibus exinde fama, & honor eorum læditur, grauiter peccant, tantòq; grauius est hoc peccatum, quantò scripta hæc magis euulgantur & memoriæ hærent, quā verba. Et huiusmodi libelli aliquando pertinent ad detractionem solam, aliquando verò ad contumeliam: Quādo enim libelli auctor nomen suum occultat, ad detractionis crimen spectat: si verò seipsum nominet, ad contumeliæ, nequitiam pertinet; tenetùrque ad famæ vel honoris restitutionem, ac damna, quæ exinde secuta sunt, resarcire. Præterea auctores talium libellorum per leges ciuiles pœna capitis puniri iubentur, *L. 1. Cod. de libellis famosis*. Per leges autem Ecclesiasticas, si libelli sint contra sæculares, verberantur, *cap. qui in alterius* 5. q. 1. Si cōtra Ecclesiasticos, excommunicari iubentur, *cap. quidam maligni*, & *cap. qui inuenti*, 5. *quæst.* 1. nisi famam & honorem restituant. Quas pœnas renouant Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Romani Pontificis.* Anno 1572. & Gregor. XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ea est rerum* eodem anno. Inuenientes autem huiusmodi libellos, scientes esse infamatorios, peccant etiam grauissimè, nisi eos statim, antequam eos aliis manifestent, corruperint, aut igni tradiderint, haberique debent tanquam cooperatores, & eisdem pœnis subiiciuntur, vt in *cap. Qui in alterius*, & in *cap. si quis famosum* 5. *quæst.* 1. & prædictis Bullis Pii V. & Gregorii XIII. habetur. Conficientes autem libellos famosos contra statum Religionis in communi, meritò de hæresi suspecti sunt. Vide dicta *tom.* 1. *verb. Detractio* 1. *n.* 7.

D. Thom. Caietanus Syluius Syluester. gregor.

3 Quamuis honor alicui iniustè ablatus ex iustitia restituendus sit, quia vnusquisque habet ius, vt exibeatur ei honor ab aliis iuxta locum, statum, & officium quod tenet in Republica vbi viuit, quem honorem si quis ei non exhibeat, expoliat illum iure suo. Tamen sicut in remissione famæ cadit remissio, ita etiam in honore. Vnde facta tali remissione à parte affecta contumelia, non tenetur lædens ad aliquam aliam satisfactionem faciendam. Ratio est, quia homo non minus est dominus honoris, quam pecuniæ: at si læsus esset in pecunia, & condonaret pecuniam illam, lædens esset tutus, in conscientia. Ergo etiam in honore cùm vtriusque læsus sit Dominus, & vtrumque bonum sit temporale. Aduertendum tamen est remissionem restitutionis honoris regulariter non censeri factam per familiarem consuetudinem, seu conuersationem cum eo, qui contumeliam intulit. Ratio est, tum quia

fami

familiaris conuerfatio non fufficienter indicat remifsionem debiti pecuniarii; ergo neque fufficienter indicat remiffionem honoris qui maioris eft momenti & æstimationis; nisi fortè adfint expreffa indicia, ex quibus remiffio contumeliæ colligatur. Tum quia multi, vel quia fimul viuunt cum iniuriatore, vel quia eo indigent; vel certè vt notam vel fcandalum vitent, diffimulant. Ita P. Nauarr *l.2.c.4.1.p.dub.6.n.74.* Clau.Reg.*l.11.c.8.n.13.* Reginald.*lib.10.n.356*

p.Nauarra Clau.Reg. Reginald.

CORREPTIO FRATERNA.

SVMMARIVM.

1 *Correptio fraterna quid? & an fit in præcepto.*
2 *Qui teneantur præcepto correptionis faciendæ.*
3 *Quod peccatum, fit propria materia huius præcepti.*
4 *Peccatum non pendens in futurum, fi nondum fit pœnitentia delotum, an cenfenda fit materia fufficiens ad obligationem correptionis?* refertur duplex fententia.
5 *An teneamur fub mortali ad correptionem venialium.*
6 *Correptio fraterna, ad omnes fe extendit, etiam ad fuperiores.*
7 *In quibus cafibus, obliget præceptum correptionis.*
8 *In dubio, an correptio fit profutura vel obfutura, an illa fit adhibenda.*
9 *An ftatim facienda fit correptio.*
10 *Præceptum correptionis non obligat, vt corripiamus peccantem ex ignorantia inuincibili.*
11 *Quo ordine fit facienda correptio.*
12 *Peccat mortaliter, qui ex omiffione ordinis a Chrifto præfcripti, fratrem notabiliter lædit in fama aut aliis rebus.*
13 *Non poteft Prælatus peccatorem denunciatum denunciatione fraterna punire, pœnis a iure conftitutis.*
14 *Quando Prælatus poffit tranfire ad proceffum iudicialem, ex denunciatione fraterna.*

1 HÆc duo vocabula, *correptio & correctio,* folent fæpifsimè confundi. quæ tamen D. Auguftinus *lib 1. de ciuit.cap.9.& ferm 16.de verb. Domini* rectè, & fubtiliter diftinguit. *Debemus,* inquit, *amando corripere, non nocendi auiditate, fed ftudio corrigendi.* Vbi oftendit correctionem effe finem correptionis. Correptio ergo fraterna *eft fpiritualis eleemofyna, qua quis a proximo miferiam peccati per correptionem depellere mifericorditer conatur.* Dicitur *Fraterna,* vt diftinguatur à correptione iuridica, quæ fit per denunciationem iudicialem, aut accufationem. Fraterna enim correptio fpectat bonum delinquentis, vt à malo fpirituali liberetur, ac propterea eft actus charitatis, ac mifericordiæ; at verò correptio iuridica, fpectat bonum aliorum qui per peccatum vnius læduntur vt fcandalizantur, & fpectat bonum commune, quod etiam turbatur per vniufcuiufque peccatum quatenus peccans eft pars quædam communitatis: vnde eft actus iuftitiæ vindicatiuæ, & peruenit aliquando vfque ad punitionem delinquentis. Ita D. Thom. 2.2. *quaeft.33. art.1.* Syluius *ibidem* Clauis Reg. *lib.11 cap.4.numer.2.* Valentia 2.2 *difp 3. quaeft.10. punct.1.* Filliucius *tract.18. cap.5.num.112.* Layman *lib.2. tract.3.c.7.* Cafpenfis *tr.17 d.6 fect.1* & alii.

D. Thom. Syluius Clau Reg. Valentia Filliucius Layman Cafpenfis.

Correptio fraterna eft in præcepto obligante ad peccatum mortale, vt patet ex fcripturis, *Matthæi 18. ad Theffalonicenfes 5. Ad Galatas 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui fpirituales eftis, huiufmodi inftruite in fpiritu lenitatis,* &c. & infra, *Sic adimplebitis legem Chrifti.* Ratio eft, quia lege charitatis tenemur proximo velle & procurare bonum, nolle malum, & illud auertere vbi occurrit articulus neceffitatis: vnde patet illud præceptum effe naturale, non pofitiuum, quia de eleemofina corporali extat præceptum, pro tempore grauiter obligans, ergo multo magis de eleemofina fpirituali. Tenemur etiam ad hanc correptionem præcepto diuino, quod probatur *Lucæ 10. Si peccauerit in te,* &c. Deniq; etiam humano, quia in iure Canonico habetur *cap. prouidendum cap. confentire, dift.83 cap faciente. d.86.* &c. *cap.iam Sacerdotes 24. quæftione 3.* Diu. Thomas *c.art.2.* Syluius *ibidem* Tannerus 2.2 *difput.2. quaeft.5.dub.4.n.73.* Malderus 2.2 *quaeft.33.art.2 dub.1.* Diana *part.7.tract.3. refol.3.* Layman *c.cap.7.num.2.* Bonacina *tom.2 difput.3. q.4.part.7.num 1.* Petrus Ledefma *in Sum tom. 2.tr.4.c.4. conc.2 & 3.* Rodriquez *de ordin.iudic.c 9.n 1.*& alii.

D Thoma

Malderus Diana Layman Bonacina p. ledefma Rodriqu.

2 Præcepto correptionis faciendæ ligantur non folùm Chriftiani verùm etiam infideles, & peccant mortaliter correptionem omittendo, nifi inculpabilis ignorantia vel inaduertentia excufet; quia præcepto iuris naturæ tenentur: fpecialiter tamen obligantur Prælati, quibus aliorum cura commiffa eft: quia ipfius fpecularis obligatio ex officio incumbit proximum corripere: vnde tenentur fubditorum peccata inquirere ad corripiendum. Sicut enim Patres carnales ratione officii paterni tenentur cognitam habere vitam filiorum, vt pro fua prudentia, & authoritate id quòd minus rectum eft, corrigant, ergo multò magis Patres fpirituales. Quomodo autem inftituenda fit hæc inquifitio petendum eft ex fine, quem Prelatus, fiue vt Pater, fiue vt Iudex præ oculis habere debet; nam media huic fini funt accommodanda, & valde cautè ac prudenter eft procedendum, ne multa fufpicio (vt rectè notat Caietanus) præcipitem & exofum Prælatum reddat, vel ne incuria multiplicationem pariat delictorum; vnde nimia follicitudo, & intempeftiua inquifitio facit, vt Prælatus ipfe tamquam inquietus & fufpiciofus odio habeatur, & detractores foueat: exceffus enim follicitudinis in hac parte, non folùm inutilis, fed moleftus, & odibilis fubditis effe folet. Quare prudenter Diuus Benedictus in regula *c.64.* de Abbate, inquit, *Non fit turbulentus & anxius, non fit Zelotypus, & nimis fufpiciofus,* &c. Vide D. Thomam 2.2.*q.33 art.3.* Malder. Syluium, *ibid.* Bonac.*o. n.2* Filliuc.*tract 28.n.120 121.* Reginald.*l.4.c 25.nu.336.* Laym.*c.num 3.* Croufers *ad c.10.reg.S.Franc.lect 1.* Lorcam 2.2.*q 33.art.6 difp.45.fect.3.num.11.* Caiet.2.2.*q.33. art.2.* P.Ledefm.*c c.4.conc.15.* Caram *in reg S.Bened.nu. 1701.1702.* Dianam *p.7.tract.3 ref.9 & 15.*& alios.

D. Thom. Malderus Syluius Bonacina Filliucius Reginald. Layman Croufers Lorca Caietanus p.ledefm. Caram. Diana

Dubium autem eft an fubditis liceat inquirere & inueftigare peccata fratrum fuorum, vt illos fraternè corripiant? Refpon. communis eft negatiua. Ratio eft, tum quia admonet nos Dominus, ait D. Auguft. non negligere inuicem peccata noftra, non quærendo, quid reprehendas, fed videndo quid corrigas. Tum quia talis inquifitio vitiofa eft & reprehenfibilis, eo quòd genere fcandala & occafionem præbeat odiis & diffenfionibus, nam homines molestè ferunt acta fua fcrutari ab aliis, & natura fua inquifitio hæc iniuriam infert proximis, aduerfatus enim honori, & bonæ exiftimationi, quã de fe haberi omnes cupiunt, quare nunquam ex charitate, fed ex ambitione & follicitudine vana & inepta oritur. Non funt igitur quærenda peccata aliena, vt corrigantur, neq; intra neq; extra confeffionem, non extra ut iam probatum eft: neque intra, quia opinio affirmans hoc licitum, eft perniciofa, & Sacramenti pœnitentiæ deftructiua; vt docuimus v Confeffio 7.*n.23.* P.Ledefma *in Sum tom 2. tract.4.c.4.conc.11.* Miranda *de ordin.iudic.to.1.q 9.art.3.conc.3.* Tanner.2.2. *d.2.q.5.dub. 4 n.79.* Layman *l.2.tract.3.c.7.n.2.* Regin.*l.4.c 25.nu 336* Mald.2.2.*q.33.ar.3.affert.3.* Caram. *in reg S.Bened.n.1706* Diana *p.3.tr 2.ref.42. & part.7.tract.8.refol.10.* & alii.

P Ledefm. Miranda Tannerus Layman Reginald. Malderus Diana

3 Omne & folum peccatum, quod proximo notabile damnum in fpiritualibus adfert, eft propria materia huius præcepti. Ratio, quia ficut charitas vult proximo bonum, tum fpirituale, tum corporale, ita etiam inclinat ad auertendum à proximo vtriufque generis malum, & fi hoc malum in fuo genere fit notabile, orietur grauis obligatio fi leue, obligatio erit leuis, aut nulla. Vnde cùm per quodlibet peccatum mortale falus proximi periculo exponatur, ideò omne peccatum mortale es materia neceffaria eft correptionis, peccatum enim mortale eft grauis miferia adferens proximo notabile detrimentum; Siue illud peccatum fit occultum, fiue publicum, fiue palam toleretur à magiftratu, fiue non toleretur, fiue fit in Deum, fiue in proximum; fiue contra te commiffum, dummodo tale peccatum aliqua ratione pendeat in futurum, quia fi non fit recidendi periculum eo quòd peccator iam fit emendatus, ceffat obligatio correptionis, & non indiget eleemofyna fpirituali, cùm miferia fpiritualem non patiatur. Quamuis hoc peccatum præteritum per pœnitentiam

deletum, pertineat ad Prælati correptionem non fraternam, quia iam emendatum est, sed iudicialem, vt author peccati puniatur ad bonum publicum, aut in satisfactionem tertii: & in hoc differt correptio fraterna à iudiciali, quod iudicialis fiat, etiamsi homo sit emendatus, non autem fraterna eò, quòd finis illius sit bonum publicum; huius autem, bonum priuatum, Syluius 2.2. *q.33.art.2. q.* 2.3. & 4. Graffis 1.*part lib.2.cap.* 60. Bonacina *tom.2. d.3.q.4.p.7.num.*3. Tanner. *c.disp.2.q* 5. *n.*76. Nauarr. *in Man c.*24.*n.*13. P.Ledesma *tom.2.Summ tract.*4 *c.*4 Becanus *in Summa de charit.cap.*21. *n.*26. Filliuc. *tract.* 28. *cap.*5. *n.* 117. & alii.

Syluius, Graffis, Bonacina, Tannerus, Nauarr., P. ledesma, Becanus, Filliuccius

4 Controuertitur inter Doctores, an censenda sit materia sufficiens ad obligationem correptionis, peccatum non pendens in futurum, si nondum sit pœnitentia deletum, quidam enim affirmant, eo quòd ex præcepto charitatis teneamur proximum quamprimum à miseria eripere Ita Bannez 2.2.*q.*33.*art.*2.*dub.*1.*ad* 4. *Syluius ibid. art.*2.*q.*4. Bonacina *c.n.*4. Alii negant, qui proximo non debemus plus ex charitate, quàm ille sibi, qui non tenetur de peccato quod commisit statim pœnitentiam agere, sed potest eam differre Ita Syluester, *v. Corrept. q.*1. Reginald. *l.*4. *n* 332. Layman *l.*2.*tract.*3.*c.*7.*n* 3. Hæ duæ sententiæ probabiles sunt, sed prima probabilior & in praxi tenenda: quia cùm proximus peccauerit, & non se emēdauerit, locū habet sententia Domini, *Si peccauerit in te* &c.

Syluester, Reginald., Layman

5 Peccatum veniale, licet communiter non sit propria materia præcepti de eleemosyna spirituali, aliquando tamē potest esse; quia quædam peccata venialia sunt tam periculosa, vt quasi moraliter certum sit eum, qui his assueuerit, facilè mortaliter peccaturum, vt est consuetudo iurandi, vix aduertendo vtrùm verum, an falsum affirmetur consuetudo potitandi ferè vsque ad ebrietatem, frequentandi tabernas, &c. Et quidem si intelligat suum periculum, opus erit fraterna correptione, quia eo ipso mortaliter peccauit, iuxta illud *Eccles.* 3. *qui amat periculum peribit in illo.* Si nō intelligat, habebit locū doctrina, & instructio, vt caueat sibi ab eminenti ruina. Hinc fit ut superior religionis teneatur aliquando sub peccato mortali corripere culpas veniales, præsertim si turbent religiosam disciplinam; non enim tenetur tantùm curare, vt subditi vitent peccata mortalia, sed etiam vt tendant, ad perfectionem, quia ad hoc vi professionis obligantur. Itaque licet singula peccata venialia respectu priuatorum non sint magni momenti, respectu tamen communitatis magnum adferunt incommodum, cum per ea labetur disciplina regularis. Vide Nauar. *c.* 24 *n.* 12. & 13. Graffis 1. *p.l.*2.*c.*69 *n.*16. Siluest. *c n.* 2. Mirand. *de ordin. iudic.tom.*1.*q.*10.*art.*1.*conc.*5. Tann. 2.2. *disp.*2. *q.*5.*n.*76. Dian *p.*3.*tract.*2 *res.*38.& *p.*7.*tr.*3 *res* 7 Reginald. *c.n.*333 Bannez 2.2. *quæst.*33.*art.*2.*dub.*2. Rodriquez *de ordin. iudic.c.*9.*conc.*1. P. Ledesma *tom.*2 *Summ.tr* 4.*c.*4.*conc.*4. *dub.* 1.2.& 3 qui etiam bene aduertunt esse obligationem sub veniali corripiendi proximum de venialibus, quæ duxit in consuetudinem & propè accedunt ad peccatum mortale, vt iurare sine reuerentia, omittere partem sacri vel horarum satis notabilem, furari res minimas &c. Ratio est, quia illa peccata sunt verè miseriæ proximi, quæ nostra increpatione tolli possunt, ergo charitas & misericordia inclinat ad illud malum tollendum & obligant saltem sub veniali: De illis autem venialibus quæ humana fragilitate committuntur, nulla est obligatio, quia sunt ferè innumera, nec quisquam est qui sese ab illis immunem custodiat.

Nauarr., Graffis, Syluester, Miranda, Tannerus, Diana, Reginald., Bannez, Rodriquez, P. ledesma

6 Correptio fraterna ad omnes se extendit, sicut & misericordia. Ratio est, quia est externæ misericordiæ executio, & eleemosyna quædam spiritualis, quæ omnibus in necessitate constitutis, dispertienda est; vnde non solùm corrigendi sunt subditi, vel æquales, verùm etiam superiores & Prælati, quia & ipsis tenemur subuenire in necessitate spirituali, sicut & in corporali, & cùm debeamus illis charitatem & misericordiam, ergo & externam earum executionem, cùm præsertim & in maiori periculo versentur, & pauciores sint, qui illos audeant admonere. Ita D. Thom. 2.2.*q.*33.*art.*4. Syluius Mald. Caiet. Arrag. *ibid.* Bonac. *tom.*2 *disp.*3. *q.*4.*p.*7. *n.*5. Reginald. *l.*4. *c.*25 *n.*330. Filliuc. *tr.*28.*n.* 125. Layman *c.n.*2. P.Ledesma *c.tr.*4.*c.*4.*con.*16, & 17. & alii. Tamē in corripiendo Prælato, certus modus adhibendus est, qui maximè ad finē correptionis facere videtur. Itaque non est obiurgandus, sed humiliter admonendus, & ea reuerentia debēt procedere vt obsecratio videatur potius esse quam increpatio, dicente Apostolo 1. *ad Thimoth.*5 *Senior Ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem.* Deinde ferè debet id fieri, non nisi ab iis qui præcipuæ cuiusdam autoritatis, vel existimationis sint, & ideò putentur aliquid profecturi. Item si peccatum Prelati secretum sit constat secreto corripi debere si autem sit publicum publicè corripiendum est, si vergat in aliorum scandalum, seu sit causa aliis perpetrandi similia: si hoc aut ad ipsius bonum, aut ad multitudinis vtilitatem conducere videtur alioqui magna opus est hic cautione, Nomine autem Prælatorum hic intelliguntur non solùm Parochi, Abbates, & Episcopi, sed etiam mariti respetu coniugum parentes respectu liberorum, Iudices, & Reges respectu subditorum, proportionaliter ad ea, quæ sunt sui regiminis *c. Duo ista* 23 *q.*4.

D. Thom., Syluius, Malder., Caietanus, Arragon., Bonacina, Reginal., Filliucius, Layman, P. ledesm.

7 Cum ex communi sententia DD. præceptum correptionis sit affirmatiuum, non obligans semper, & ad semper, sed pro aliquo tempore, propterea cōcurrentibus quibusdam conditionibus obligaret. *Prima*, vt sciam peccatum proximi, deque eo mortaliter sim certus; alias enim non possum corripere; iudicia autem temeraria, & suspiciones vanæ, diligentissimè cauenda sunt, ne in hoc miseriæ spiritualis genere, bona existimatio proximo debita temere lędatur. Ita P.Ledesma *c.c.*4. *conc.*11. *dub.*2. Tanner. 2.2 *disp.*2.*quæst* 5.*dub.*4.*nu* 79. Filliuc. *n.*133. Syluius 2.2.*q.*33.*art.*2 *q* 6. Diana *p.*7.*tract* 3.*resol.*5.& 39. & alii; vnde, per se loquendo non sufficit probabilis coniectura, de peccato proximi, sed requiritur cognitio moraliter certa, ne nimis odiosos nos apud proximum reddamus quamuis in casu peccati grauis & periculosi communitati, & quando facultas adesset ita circumspectè corripiendi proximum, ut ei, si reus esset, vtilis futura putaretur correptio, si secus, nec proditura quidem suspicionem contrarium cum Adrianus *in* 4 *de corrept.frater.* asserat & Valentia 2.2.*q* 33.*art.* 2.*q.*10.*p.*2.

P. ledesma, Tanner, Filliucius, Syluius, Diana

Adrianus, Valentia

Secunda, vt sit spes fructus saltem probabilis, qua cessante non tenemur inanem subire laborem. Ratio, est, quia quod non est necessarium ex præcepto, nisi vt conducit ad aliquem finem, si finis cesset, cessabit & præcepti obligatio, sed cùm fraterna correptio sit medium ad fratris emendationem, sicut ad finem ordinatum: vbi non est spes emendationis, non est adhibenda correptio.

Quanta autem debeat esse certitudo fructus futuri: certum est non requiri certitudinem mathematicam, sed sufficere moralem, nempe probabilitatem aliquam emendationis, quòd si misceatur timor, ne correptus fiat deterior, tunc conferenda erit spes fructus, cum timore deteriorationis, & si spes præualuerit, erit corripiendus, si timor, erit desistēdum. Si verò dubium sit, an correptio sit profutura, sed certum quòd non obfutura, debet adhiberi; sicut medicus tenetur adhibere medicinam ægroto, de qua certus est quòd non nocebit, etiamsi dubitet, an proderit quando non est commodior modus eum adiuuandi. Nauarr. *in man.cap.*24.*num.*12. D. Thom. 2.2.*q.*33.*art.*2. *in corpore,* Syluius *ibid.quæst.*6 Bonacina *punct* 7.*n.*7.& 8. Bannez 2.2.*q* 33 *art.*2.*d.*4. Valentia *tom.*3.*disp.*3.*quæst.*10. *punct.*2. Granadus 2.2.*contrrou.*3. *tract.*12.*disp.*1.*n.*6.7. & 8. Diana 4.*p.tract.*4.*resol.*228. Reginaldus *lib.*4.*num.*337. 339.& *seq.* Rodriquez *c.c.*9.*n.*2. Caramuel *in reg.S.Bened.num.*1697 & alii.

Nauarrus, Syluius, Bonacina, Bannez, Valent., granado, Diana, Reginald., Rodriq., Caramuel

Tertia, vt correptio commodè fieri possit: hinc omissis variis sententiis quas refert & discutit Bannez, 2.2. *quæst.*33.*art.*3.*dub.*4. Malderus *ibid.art.*3.*sub finem*, Azorius *part.*2.*lib.*12.*cap.*15.*q.*3. Arragonius 2.2 *q.*33.*art.*2. Valentia *c.part.*3. Syluius 2.2.*quæst.*33.*art.*2. *quæst.*8. Rodriquez *c.num.*6. secundū si regulas charitatis, breuiter dicendum est, teneri vnumquemque proximo succurrere in extrema necessitate spirituali, quamuis mors immineret: eos autem qui habent curam animarum, etiam in graui; quòd si tantùm immineat periculum famæ aut fortunarum, obligabit præceptum paulò arctiùs, vt videlicet consideratu commodo quod probabiliter exspectamus, & incommodo quod timemus, iis inter se comparatis

Bannez, malderus, Azorius, Arragon., Valentia, Syluius, Rodriq.

tis, videamus quid lex charitatis permittat consulat, præcipiat.

Quarta, vt non sit alius magis idoneus ad corripiendum, vel si alius magis idoneus adsit, aut cui ex officio incumbit onus correptionis, nolit tamen hoc onus subire. Vnde hoc præceptum non tam frequenter occurrit, præsertim in hominibus vulgaribus, qui nec tantam habent authoritatem, nec tantam prouidentiam, vt conuenienter hoc remediū possint adhibere, propterea hoc præceptum amplè accipiendum est, nec facilè credendum, timoratos præsertim viros peccare lethaliter illud violando, præsertim si prælati non sint. Nauarrus *c.24. num.*12. Filliucius *tract.*28.*n.*116.& 129. Layman *l.2 tr.3.c.7.n.*2. Reginaldus *l.4 num.*343. Caramuel *in reg. S. Bened. num.*1700 & alij Imò concurrentibus prædictis conditionibus, fieri potest, vt tantùm peccetur venialiter, si nempe omittatur correptio ex quadam negligentia & tepiditate, qua quis existimat se tunc non posse fratrem iuuare. D. Thoma *c. art.2.ad* 3. Caietanus *ibid.& in Summ.* Valent. *c quæst.* 10. *punct.*2. Tannerus 2. 2 *disp* 2.*quæst* 5.*dub.*4.*n.*93 Diana *p.* 4.*tract.*4.*resol.*228.

Nauarrus. Filliucius. Layman. Reginald. Caramuel.

D. Thom. Caietanus. Valentia. Tannerus. Diana.

Ratio est, tum quia talis affectus, non prædominatur charitati fraternæ, sed materialiter repugnat præcepto, vnde inquit Caiet saluatur hic intentio emendationis fratris quam intendit charitas, & defectus contingit in aliis circumstantiis. Tum quia cùm præceptum hoc tot circumstantias requirat, facilè hac in re interuenire potest naturalis quędam ignorantia vel inaduertentia, quæ in omni materia excusat à mortali.

8 In dubio, an correptio profutura sit vel obfutura probabiliter sustineri potest correptionem tunc temporis adhibendam non esse, quia maior est obligatio in tali casu præcepti negatiui de non nocendo proximo, quàm affirmatiui de commodando, limita tamen, modò corripiendus in extrema, salutis spiritualis necessitate non existat uel peccatum delinquentis non vergat in damnum commune, vel in detrimentum innocentis, tunc enim peccator in articulo mortis esset admonendus, sicut & innocens, vel respublica, ut sibi consulat, prospiciat, quamuis ruina delinquentis timeatur: ob magnam enim imparitatem nocumenti, & fructus probabiliter sperati præponderat præceptum affirmatiuum, quod probatur exemplo medici corporalis, qui in tali necessitate, licitè dubiam medicinam adhibet, si alia spes vitæ nulla supersit. Quando verò tantùm dubium est an correptio sit profutura, nec timetur aliud damnum spirituale, teneremur tunc delinquentem corripere, quia adest tunc materia necessaria correptionis & fieri potest, vt supponimus Bannez 2.2.*quæst.* 33.*art.*2.*dub.*4. Reginaldus *c.n* 341. Bonacina *c.punct.*7. *numer.*8. Filliucius *tract.*28 *num* 134 *& seq.* Tannerus *c. num.*86.*&* 87. Diana *part.3.tract.*5.*res.*93.*& part.*4.*tr.*3. *resol.*72.*& p.7.p.7 tract.*3 *resol.*22.24.& alii.

Bannez. Reginald. Bonacina. Filliucius. Tannerus. Diana.

9 Quandoquidem finis correptionis sit emendatio proximi, propterea statim facienda non est, sed potest differri in aliud tempus magis opportunum, quo fructus ex ea speratur; imò si per præsentem correptionem non speretur, nisi inconstans & parum durabilis emendatio, differendo autem sit spes solidioris conuersionis, potest differri, hoc enim ipsi vtilius est, aliquamdiu perseuerare in peccato, & postea feruentiùs & firmiùs, resurgere, quā sine peccatis tepidè, & inconstanter conuerti, at uerò si statim putaretur firmiter, & constanter conuertendus, etiamsi minùs feruenter, statim esset corripiendus, quia quantùm fieri, potest, tenemur euitare iniuriam Dei, & peccata quæ proximus interea committeret; neque nostrum est permittere malum culpæ, vt maius bonum inde emergat, nisi quando aliter non possumus proximum in gratia Dei stabilire. Vide Nauarr. *c.24. num.* 12. Syluium 2.2 *quæst.*33, *art.*2 *q.*7 Reginaldum *c.n* 346. Bonacinam *c. num* 10. Fillinc. *c.n.*129.*&* 138 Sotus *de secr. memb.* 2.*q.* 2.*conc.*4. Rodriquez *c. cap.9.n.*2.& alios

Nauarrus. Syluius. Reginald. Bonacina. Filliucius. Sotus. Rodriquez.

Imò si præuiam admonitionem fratris emendatio non sequatur, non tamen statim crimen iudici denunciandum erit, sed bis, ter, & toties correptio repetenda est, quoties profutura creditur. Sed rogabis, si fraterna correptione sæpius repetita, delinquens minimè mouetur, num statim denunciandus erit? Respond. quòd non, sed secundum fraternæ correptionis ordo tentandus est, nimirum, vt disiunctim duo, vel tres, vnus scilicet seorsim ab altero, ex his, qui delinquentis amici, ac necessarij censentur ad illius correptionem adhibeantur ut qui vnius correptione resipiscere nolit, fraterna multorum reprehensione ruborem concipiat, & corrigatur: & hæc doctrina non tam in peccatis, quæ testibus propari possunt, quàm in occultis obseruari debet, si id profuturum credatur. Si uerò nulla omnino sit spes, quòd per testium inductionem frater delinquens emendetur: tunc nec statim Prælato iudicialiter denunciandus erit, sed prius ad ipsum tanquā Patrem est deferendus, vt nihil intentatum remaneat, quo proximi famę consulatur, id enim ordo charitatis exposcit, ex omnium ferè Doctorum sententia D. Thomæ & aliorum citatorum infrà *numero* 11.

10 Præceptum correptionis non obligat vt corripiamus peccantem ex ignorantia inuincibili si non adsit spes fructus, & emendationis. Ratio est, quia nulli debemus laqueum iniicere, sed coripere in hoc euentu, nihil aliud esset quam laqueum & offendiculum opponere, nam constitutus in bono statu, & bona fide, per suam correptionem in malo, & periculoso versabitur, talis enim ignorantia excusauit illum à mortali. Vnde salus illius non est in periculo. Si tamē ex illa ignorantia oriretur damnum alicuius tertii, puta si quis ignorans doceret alios licitū esse, quod ipse faciat, & ex mea doctrina cessaret ille ab huiusmodi persuasione, iam teneor illum docere propter charitatem tertiæ persone. Similiter quando factū, vel omissio redundat in scandalum, vel irreuerentiam Dei, & Christianæ religionis, vt si quis ignorans vel oblitus quod hodie sit feria sexta paret sibi carnes in prandium, aut in die festo seruile opus faciat, aut Missam celebraturus accedat ad altare sine casula, tunc proximus indigeret correptione, si spes sit illam profuturam Graffiis 1.*p.l.*2.*c* 68. *&* 69 Malder. 1.2.*q* 33 *art* 6 Bonac. *c n.*11 Syluius *c. art.*2. *q.*5 Sanchez *de matrim l.* 2 *disp.*38. Reginald. *l.4.c.*25.*nu.* 334 Nauar. *in Man. c.24.n.*12. Diana *p* 3. *tract.* 4. *res.* 80. *& p.7. tract.3. res.*18.*&* 19. Suarez 3.*p. tom.*4.*disp.*32.*sect* 4. Layman *l.5. tract.6. c.13.n.*5 Arragon 2.2.*q.*33 *art.*6. Filliucius *tractat.* 28.*c.n.*119. P. Led. *to.*2. *Sum. tract.*4.*c.*4 *conc.*7 8 *&* 9. Rodriq. *c.c.9.n.*4. & alii.

Graffiis. Malder. Bonacina. Syluius. Sanchez. Reginal. Nauarr. Diana. Suarez. Layman. Arragon. P. Ledesma. Rodriq.

Quando autem proximus peccat ex ignorantia uincibili contra legem diuinam uel humanam, & spes adeest emendationis, corripere tenemur, quia frater eo casu est peccaturus unde salus ipsius est in periculo, tenemur autem ipsum a peccato auertere, quantum possumus, & indiget Hinc qui ex officio tenentur proximum corripere vt Pastores, Concionatores Confessarii, qui nouerunt aliquos coniugatos matrimoniū cōtraxisse ex ignorātia vincibili & culpabili lethaliter, cuiuscumque iuris vel facti sit tenentur admonere quamuis admonitio non sit profutura, & quodcumque scandalum pœnitentis secuturum sit. Ratio est, quia tenentur exequi ea quæ sunt sui officii, ad officium autem illorum pertinet ea docere, quæ alii tenētur scire Priuati autem non sunt facilè damnandi de mortali, omittētes correptionem hanc, (vt dictum est supra) quia præceptum datum de ea, nō est adeò euidens lumine naturali, quin facilè possit ab indoctis ignorari inculpabili ignorantia. Vide *Confess.4.n.*18. *Matrim. VIII. n.* 15. 16. *& seq.* & prætcrea Doctores hic citatos.

11 Correptio fraterna eo ordine facienda est, quem Christus Dominus præscripsit *Matthæi* 18. qui in hoc cōsistit, vt frater qui in nos peccauit, quam minima famæ iactura corripiatur, neque ut id fiat *Primò* secretissimè inter nos & ipsum solum: & si priuata & secreta monitio non profuit, coram vno teste, aut si necesse fuerit, duobus corripiatur: Deinde si adhibitis his duobus modis adhuc correptio non profuit, Prælato debet denunciari si demum delinquens eos non audierit, ad Ecclesiam recurrendum est, cui si non obtemperauerit, tanquam Ethnicus & Publicanus est habendus Ita communis sententia apud D. Thom 2. 2. *q.* 33. *art.*7.*&* Bann. Syluium *ibid.* P. Ledesm. *tract.* 4 *c.* 4. *conc.* 20 *& seq.* Bonac. *c.n* 13. Nau. *in Man. c.24.n.*14. Valent. 2.2. *disp* 3.*q.*10.*punct* 5. Tanner. 2.2. *disp.* 2.*q.*5.*dub* 5 *in* Becan. *in Sum. tract. de charit. c* 21.*n.*30.*& seq.* Sotū *de secret. memb.* 2.*q.*4. Palud. *in* 4.*dist.*19 *q.*4. Fill. *tr.*28.*c.*7. Dian. *p.*5.*tr.* 13.*res.*42.*& p.7.t.3.res.*36. Becuer. *in* Di-

D. Thom. Bannez. Syluius. P. Ledesm. Bonac. Nauarrus. Valent. Tannerus. Sotus. Paludan. Filliucius. Diana

Spatarius

Director, c 14 Spatarius *in methodo corrig. reg. tract. 4. c. 4.*

Notandum est Christum Dominum non posuisse hic vllam nouam legem, sed tantùm explicuisse legem naturalem, tradendo facillimam viam, qua fratris spiritualis miseria depelli possit, nempe vt id fiat, & suauissimo modo, & qui fratri in fama & fortunis minimum adferat detrimenti. Ille tamen ordo non obligat pro semper & in omni casu, sed quando necessarius videtur ad finem correptionis, sine iniusta fratris læsione. Ratio est: quia hoc præceptum non modò est affirmatiuum, verum etiam præscribit modum corripiendi valdè determinatum, qui proinde vt benè & accommodatè ad correptiones adhibeatur requirit quoque determinatas quasdam circumstantias, quæ facilè deesse solent in particularibus facti speciebus. Itaque multi sunt casus in quibus non est necesse hunc ordinem seruare, imò aliquando necessarium non seruare, vt *Primò*, cùm peccatum proximi est publicum. *Secundò* cùm est Reipub. perniciosum, & periculum est in mora v. g. proditio hæresis, &c. *Tertiò*, quando ob concurrentem aliquam circumstantiam, prudenter iudicari potest monitionem illum, vel omninò, vel ex parte futurum inutilem; tunc enim vel secreta monitio, vel inductio testium, vel etiam denunciatio omitti poterit, atque adeò omninò à correptione desistere, si neque per se, neque per alios, neque per superiores speres proximum posse emendari. Sic Ioseph *Genesis* 37. immediatè accusauit fratres, de crimine pessimo. Dominus *Ioannis* 13 publicauit peccatum *Iudæ. Quartum casum* adducunt aliqui, quando quis renunciauit iuri suo quod habebat ad ordinem Euangelicum, vt in aliqua religione fieri solet: vbi peccatum fratris immediate sine vlla admonitione ad superiorē defertur: quam consuetudinē etsi licitam putemus, tum quia scienti, & volenti nulla fit iniuria, tum quia vnusquisque est Dominus suæ famæ, ergo licitum est religioso, pro bono suo spirituali, eam apud quem voluerit amittere, modò id fiat secluso scandalo, si enim hoc nasceretur esset illicitum. Dubium tamen est, an sit conueniens, quòd tota communitas religionis profiteatur tantum rigorem cedendi iuri suo; quia in eius executione, subditi qui nō fuerint valde perfecti facilè possent perturbari, videntes passim sua delicta occulta nota esse Prælato; quod in detrimentum communitatis cedere videtur, eo quòd sic defectus & peccata proximi publicātur & manifesta redduntur, & inde fit vt alii etiam interdum eiusmodi peccata committant: quod est inconueniens. De hoc dubio consulantur Bannez *art. 8. dub. 2.* P. Ledesma *c. conc. 25. dub. 6.* Sancius *in selectis disp. 48. n. 28.*

P. ledesma
Sancius

12 Qui ex omissione ordinis à Domino præscripti fratrem notabiliter lædit in fama aut aliis rebus, peccat mortaliter. Christus enim Dominus vt summus animarum medicus, hoc suo præcepto facillimum remedium nobis præscripsit, quo fratrem, quàm minimo ipsius detrimento sanaremus, idque in fauorem eius qui peccauit. Itaque cùm ille ordo censetur, vel valde vtilis, vel etiam necessarius ad commodam fratris emendationem & tamen peruertitur, peccatur contra charitatem plus vel minus, pro ratione detrimenti quod incurritur.

Cæterum circa correptionis ordinem, hæc regula tradi potest, vt diligenter inspiciamus mentem Domini *Matth.* 18. nam quotiescumque prudenter propter fratris, aut communitatis bonum, ordo à Domino præscriptus negligitur, nullum inde contrahitur peccatum; quia in hoc Domini præcepto sicut & in aliis plerisque, magis attendenda est Domini intentio quàm verba: Intentio autem eius hoc loco est, studiosè tentandum omnibus modis, vt vel frater peccans resipiscat, vel si id impetrari non potest, alii à contagio ipsius præseruentur: quòd si vel pro altero, vel pro vtroque horum, aliquid secus fieri conueniat, quàm à Domino præscriptum est, id ex mente Domini fieri debebit, qui duo nobis conseruanda proposuit, cōscientiam fratris, & famam, si vtrumque conseruari potest, optimè agetur: si non, semper conscientia famæ est præferenda, vt rectè docent D. Thom. 2. 2. q. 73. *art. 2. & in q. de quodlib.* 11 *art. 13. & in q. de virtut. quæst. vnic.* Syluest. *v. Correptio q. 5. 6. & 7.* Filliuc. *tract. 28. c. 7. n. 155.* Tanner. 2. 2. *disp. 2. q. 5. dub 5. n* 109. Sotus *relec. de secret. membr. 2. q. 4.* Nauarr. *in Man. c. 24. n. 14.* Valent. *c. q. 10. punct. 5. §. 1.*

D. Tom.
Siluester
Filliucius
Tannerus.
Sotus
Nauarrus
Valentia

Bannez 2. 2. *q. 33. art. 8.* & alii communiter.

13 Prælatus per notitiam ex denunciatione fraterna acceptam, non potest peccatorem denunciatum punire, pœnis à iure constitutis, sed tantùm arbitrariis, quas ipse vt Pater, & iudex ad emendationem facere iudicabit. Prob. prior pars, quia per correptionem Euangelicam, delictum indicatur Prælato non vt iudici formaliter & præcipuè, nec per viam iudicialem, sed vt Patri & per viam charitatis: non enim potest Iudex legitimè condemnare reum pœnis lege statutis, nisi delictum ad se deferatur per viam legitimam, à iure communi, vel particulari præscriptam. Prob. posterior pars, quia ad authoritatem Patris spectat, vt conuenientibus pœnis coerceat filios; Imò si opus videbitur, poterit Prælatus auocare subditum ab occasionibus peccandi, etiam sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, quod manifestè colligitur ex verbis Domini, *Si Ecclesia non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Hoc enim non ita debet intelligi, quasi iam iure diuino, talis propter contumaciam si excommunicatus (nullam enim excommunicationem iure diuino latam agnoscunt Doctores) sed quòd Prælati, si id ad finem correptionis expedire iudicauerint, debeant imperare delinquenti emendationem sub pœna excommunicationis, vt colligitur ex *cap. Nouit ille*, *De iudiciis*, & ex Doctoribus citatis Bannez 2. 2. *quæst. 33. art. 8. dub. 4. conc. 2. & 3.* Valent. *c. q. 10. punct. 5. §. 8.* P. Ledesm. 1. 2. *Sum tract. 4. c. 4. conc. 26. & 27. dub. 1.* & 2. Sotus *in relect. de tegend. secret. memb. 2. q. 4. conc. 7.* Filliucius *tract.* 28. *c. 7 q. 11. n. 161. 162.* Tanner a 2. *disp. q. 5. dub. 5 n. 110.* & aliis.

Bannez

Bannez
Valentia
P. ledesma
Sotus
Tannerus

Notandum tamen est *Primò* ex Soto *relect. de teg. secretorum. 2. q. 4. conc.* 8. & Zaccharia Pasqualigo *in decis. moral. decis.* 461. non posse Prælatum auferre subdito ministerium, aut illū mutare de loco in locū, etiāsi hæc dependeant ab ipsius uoluntate, quando non conuincitur de crimine, aut aliquid aliud huiusmodi præstare circa ipsum. Ratio est, quia licet hæc omnia, quantùm est, de se, non inferant grauamen subdito, quia tenetur subiacere voluntati & dispositioni Superioris: concurrente tamen tali circunstantia, quòd fuerit inquisitus, aut suspectus, magnum grauamen inferunt, quia uidentur intuitu delicti inferri, atque adeò sunt quædam confirmatio delicti, quæ iniusta est, dum de ipso non constat: deinde communiter Doctores docent, non esse adhibendam correptionem fraternam, quando de peccatu non constat: ergo multò minus debet adhiberi pœnitentia regularis, quia hæc maius grauamen infert; posito quòd hæc iniungantur per modum pœnitentiæ regularis.

Secundò non potest Prælatus adhibere reprehensionem ad terrorem, aut aliquid aliud medicinale, quando subditus de crimine non conuincitur, quia siue reprehensio, siue quæcumque alia medicina adhibeatur in tali casu, grauamen infert; quia adhibetur intuitu culpæ, de qua tamen non constat; hæc autem omnia sunt contra bonam existimationem, atque adeo contra iustitiam; quilibet enim habet ius ad conseruandum bonum nomen etiam apud Superiorem, & ideò non potest Superior ipsum deponere, nisi de contrario ei constet deponit autem, quando corrigit subditum, quia ratione correptionis ostendit se sentire, commissam illam culpam à subdito, atque adeo non potest hoc præstare quando subditus non est conuictus; quia iniustè priuat de eo, quòd tenetur conseruare.

Tertiò. Potest Prælatus, quando subditus non conuincitur, adhibere correptionem conditionatam, qua hortetur subditum ad resipiscendum supposito quòd errauerit; hoc enim pacto nullum infertur grauamen, quia monitio non transit absolutè in correptum, sed tantùm conditionatè; si nempè in ipso adsit, demeritum; & tunc iusta est, & si non adsit, non transit.

Quartò. Quando Prælatus habet certam scientiam de errore commisso, potest corrigere subditum, & etiam aliqua pœnitentia regulari, punire, ita tamen vt totum occultè fiat, si error secretus sit; & solùm publicè possit corrigi, quando error publicus est. Hæc passim citati authores apud quos plura.

14 Prælatus non potest transire ad processum iudicialem, nisi crimen tale sit, vt seclusa correptionis fraternæ notitia, legitimè possit inquiri aut accusari. Probatur prior

pars

pars, quia si crimen non noceat communitati, iam sistendum est intra limitas charitatis, quæ proponit sibi bonum hominis particularis; si verò noceat communitati, desint tamen sufficientia principia inquisitionis, aut accusationis non poterit institui processus indicialis, ne ordo iuris peruertatur. Probatur posterior pars, quia virtus charitatis, cuius actus est correptio fraterna, & virtus iustitiæ, cuius actus est processus ille iuridicus, non sibi præiudicant, nec sese mutuò impediunt cùm habeant diuersos ac proprios fines, quorum vnus sine altero occurrere potest, & alter alterum potest imperare. Aduertant tamen Prælati, vt diligentiam competentem adhibeant pro boni communis conseruatione, cum minori quo fieri poterit detrimento subditi, vnde cautè, & prudenter in his negotiis procedant, prouidendo vt cum spiritu filiorum Dei, & suauitate Christiana hæc omnia pertractent, ita sanè vt nolint omnia delicta publicè castigare, non enim sunt iudices omnium criminum, sed plurima Dei iudicio sunt relinquenda. Publica enim cocreptio non est proportionatum medium ad curationem spiritus, nec per se est conueniens ad bonum particulare deliquentis, nisi quando ordinatur ad bonum commune. Quòd enim delicta publicentur, natura sua est valde perniciosum communitati, cùm exinde fiat, vt alii eiusmodi peccata interdum committant vt dictum est suprà Vide Bannem *c dub.4.conc.*3. Valentiam c. Filliuc *c.n.*163 & 164. Syluium 2.2 *q.*33.*art* 8. Petr. Ledesm. *c.concl.*27.*dub.*3. Tannerum *c.dub.*15 *n.*111.& 112. qui nouissimus docet per se loquēdo meliùs esse peccata occulta non publicari, quàm publicata puniri. Idem docet Nauarr. *in rubr de iudiciis n* 56. dicens longè vtilius censet Ecclesia Christiana, seruare bonam famam Clerici, qui deliquit, quàm punire delictum, dissipando eius famam, plus enim nocet exemplum delinquendi, quod ex delicto reuelato per punitionem præbetur, quàm condonatio delicti secreti præteriti, facta pœnitenti. Quod multi Iudices parum considerantes, nihil non agunt, quo per fas vel per nefas, crimina vera vel falsa, iustè vel iniustè sciantur, & puniantur, quo sibi famam crudelis quæstoris acquirant, contra *L. perspiciendum ff. de pœnis*; ob quorum fortè peccata permittit Deus, vt in quibusdam terris, eò plura delinquantur, quò plura malè puniuntur.

Bannes. Valent. Filliucius. Syluius. P. Ledesm. Tannerus. Nauarr.

Porrò Prælati, in arguendis subditorum excessibus, spirituum lenitatis, vt plurimùm, ostendere debent, ita vt se pastores, non percussores esse meminerint, sicut illos admonet Conc. Trid. *sess.*13.*cap.*1. *de reform.* cum sæpè erga corrigendos plus agat beneuolentia, quàm austeritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm potestas. Si autem delicti grauitas aliud postulet, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est, vt sic correcti emendentur vel saltem à vitiis cęteri deterreantur. Vnde rarò aut nunquam debent superiores in correptionibus adhibere obiurgationes, & contumelias in delinquentes, nisi Spiritu sancto suggerente, solùmque obiiciendum est vitium, cuius correctio, prætenditur, non verò alia delicta iam emendata, & oblita: nam vt plurimum repræsentatur subditis, quòd non ex charitate sed ex passione oritur correptio, ac ideò fiunt deteriores, leuius enim verbera, quàm verba cōtumeliosa ferre solēt. Ita Rodriq. *to.*2.*qq reg.q.*41.*a* 1.& 2.

Rodriq.

Quibus addi potest, quod ad hoc propositum S. Augustinus *l.* 2. *de serm. Dom. in monte c.* 30. egregiè scribit. *Cogitemus*, inquit, *cum aliquem reprehendere nos cogit necessitas, vtrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, & tunc cogitemus nos homines esse & habere potuisse, vel tale quod aliquando, habuimus, & iam non habemus, & tunc tangat memoriam communis fragilitas, vt illam correptionem non odium sed misericordia præcedat. Sic autem inueniremus nos in eodem uitio esse non obiurgemus, sed congemiscamus, vt non alium solum ad pœnitentium, sed ad æqualiter commodum inuitemus.* Hæc S. Aug. Et propè finem addit. *Rarò* inquit, *& ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ, in quibus, non nobis, sed vt Domino seruiatur insistemus.*

De correptione fraterna vide verb. Denunciatio. Confessio Sacramentalis VII. *n.*23.

C R I M E N.

S V M M A R I V M.

1 *Crimen aliud est Ecclesiasticum, aliud ciuile, aliud mixtum.*
2 *Crimina in iure, quædam dicuntur enormia, quædam mediocria, quædam minora.*
3 *Rursus quædam dicuntur publica, quædam priuata.*
4 *Quando crimen dicatur capitale.*
5 *Iuxta Bullam Gregorii XIV. reus de crimine læsæ maiestatis non gaudet immunitate Ecclesiæ, quando in personam Principis aliquid machinatus fuerit.*
6 *Quando in criminibus mixti fori punitus in foro Ecclesiæ, possit iterum pro eodem crimine à iudice sæculari puniri, & quando non.*

1 CRimen, aliud est Ecclesiasticum, aliud ciuile, & aliud mixtum. Crimen Ecclesiasticum est, quod pertinet ad Ecclesiæ iurisdictionem, & solùm coram Ecclesiastico iudice habet cognosci, laicus autem de eo se intromittere non potest, vt crimen hæresis, periurii, usuræ, &c. Crimen uero merè ciuile est delictum ciuile lege prohibitum, aliàs in se non peccatum, vt ciuitatem noctu post signum peragrare. Crimen uerò mixtum est, quod spectat ad vtrumque forum, tam Ecclesiasticum, quàm ad Laicum, & in cuius cognitione datur locus præuentioni, ut est sacrilegio, de cuius pœna etiam sęcularis iudex cognoscere potest, illudque punire, sicut, & Ecclesiasticus procedere potest contra laicum inuasorem rerum Ecclesiasticarū, quando per uim illas occupat, & contra eos, qui in negotiis cum Ecclesia gestis per fraudem, uel alia uia illi præiudicant. Ita Barbosa *in suis Collectan tom.*2.*l* 5.*tit.*23. *cap.*2. *num.*54. Diana *part.*1. *tract.*2. *resolut* 82. Syluester *v. Crimen, n* 2.

Barbosa. Diana. Syluester.

2 Crimina diuiduntur iuxta Iuristas in enormia, mediocria & minora. Inter enormia computantur, homicidium uoluntarium, & casuale præcedente culpa. Simonia in ordine, & beneficio Hæresis. Et hæc etiam post pœnitentiam impediunt promouendum, & iam promotum deiiciunt, etiamsi sint occulta. Idem est de omni crimine inducente irregularitatem, alia uero enormia occulta post pœnitentiam non impediunt promouendum, nec promotum deiiciunt, *cap. Quæsitum de simon.* Mediocria dicuntur adulterium, furtum, sacrilegium, periurium, fraus cum dolo, incestus, Sodomia & similia adulterio maiore. Item fornicario notoria cum incorrigibilitate post monitionem, *cap. Sicut, de cohabitat. Cleric. & mulier.* Aduertendum tamen est, quòd si prædicta crimina sint manifesta per sententiam, uel Confessionem in iure, aut euidentiam facti, impediunt promouendum, & promotum deiiciunt, quod si sunt manifesta solùm per famam, indicitur purgatio, qua pręstita quis absoluetur, & si in ea defecerit deponetur, *cap. Significasti, de adult.* & *cap. Ex tuarum, de purgat. Canon.* Si uero huiusmodi crimina sunt occulta, possunt tales post pœnitentiam manere in susceptis, & ad Superiores Ordines promoueri, *cap. Ex tenore,* & *c. Quæsitum, de tempor. ordinand.* Minora uero crimina dicuntur respectu grauium, vt uenatio in Clerico, ludus aleæ, & ebrietas, &c. Huiusmodi autem crimina etiamsi sint manifesta non impediunt promouendum, nec deiiciunt iam promotum. Tamen si post monitionem sequitur incorrigibilitas, efficientur grauiora.

3 Crimina, quædam dicuntur publica, quædam uero priuata. Publica appellantur illa, circa quorum accusationem quiuis de populo iuris dispositione admittitur, vnde in hac acceptatione dicitur crimen publicum quasi popolicum, quia ad quemuis de populo spectat accusare de illo. Ita habetur *l.*1.*ff de public. iudic.* & *institut. eod. tit. in princip. vers. publica.* Crimina autem publica sequentia commemorantur. Crimen læsæ maiestatis, Adulterium, crimen legis Corneliæ de siccariis & per consequens homicidium, patricidium, peculatus, falsi testamenti, vis publica & priuata, ambitus, crimen repetundarum, & annonæ, crimen plagiatii & legis Iuliæ. Inter publica crimina, etiam cōputantur, quæ sunt in Dei offensam principaliter

atque in foro sæculari puniuntur, vt sunt crimen hæresis & apostasiæ à fide, crimen blasphemiæ, & alia quæ sunt contra Religionem Christianam, vt deturbatio Ecclesiarum aut imaginum. Adde sortilegia, veneficia & his similia, quæ cum Religione pugnant. Ita communi Doctorum
Gomez Clarus sententia, quam referunt ac sequuntur Anton. Gomez 3. tom. variar. resol. c. 1. n. 1. Iul. Clarus li. 5. sentent. §. Blasphemia, n. 2. Cuius rei duplex est ratio, prima est, quam reddit lex Manicheos, Cod. de hæret. cur crimen hæresis publicum sit, quia scilicet, quod in Religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Secunda verò, quia si quiuis de populo accusare non posset, eiusmodi delicta remanerent impunita, quandoquidem nulla particularis persona eis principaliter offenditur.

Crimina priuata sunt, de quibus is tantùm potest accusare, qui iniuriam eis est passus. Eiusmodi sunt furtum, iniuria & alia, de quibus non est expressum, vt sint crimina publica. Quãdo autem dicitur in crimine priuato eum solum accusare posse, qui passus est iniuriam, non excludi illos in quos iniuria redundat, vnde hi possunt etiam agere vel nomine proprio, vel nomine eorum, qui principaliter passi sunt iniuriam. Item non excluduntur hæredes eius qui iniuriam est passus, quique defunctum repræsentant, vt prosequi possint accusationem de crimine priuato à defuncto ante mortem suam eum delinquente contestatam.
Gomez Clarus Vide Anton. Gomez loco cit. cap. 1. num. 9. & Clarum cit. numer. 9.

4 Nomine criminis capitalis, hoc est, pro quo imponenda venit pœna sanguinis, non solùm intelligitur crimen pro quo imponenda veniat pœna mortis naturalis, sed etiam pro quo veniat imponenda pœna mutilationis; hæc enim sanguinis pœna propriè dicitur, & quamuis de iure antiquo mentio de ea non fiat inter pœnas capitales, id ex eo fuit, quòd non fuerit eo tempore in vsu, sed de iure
Clarus Codicis fuerit introducta. Ita communis Doctorum sententia, quam refert, & sequitur. Iul. Clarus lib. 5. sent §. vlt. quæst. 58. num. 7.

5 Licet multis modis committatur crimen læsæ maiestatis, hodie tamen per Constitutionem Gregorii XIV. Cum alias nonnulli, statutum est, reum de crimine læsæ
Gregoriꝰ maiestatis tunc non gaudere immunitate Ecclesiæ, si in personam Principis aliquid Machinatus fuerit; ergo secus si non in personam Principis, vt dicetur infra, v. Immunitas num. 6.

6 Dubium est inter Doctores an in criminibus mixti fori punitus in foro Ecclesiæ, possit iterum pro eadem culpa à iudice sæculari puniri? Sed pro resolutione dicendum est Primò, Si reus ab vno iudice absolutus fuerit alter, nihilominus causam cognoscere, & si secundum allegata nocens reperiatur, punire eum potest. Ratio est, quia iurisdictio Ecclesiastica & sæcularis sunt omnino separatæ ac distinctæ; ergo absolutio in vno iudicio non parit exceptionem rei iudicatæ in altero iudicio. Ita Couar. 2. resol. cap.
Couar. Clarus 10. Clarus in §. final quæst. 57 & alii. Secundò. Iudex sæcularis potest afficere reum pœna sui fori propria, videlicet, corporali, aut mulcta pecuniaria, quando pœna inflicta à iudice Ecclesiastico fuit spiritualis, vt excommunicationis. Ita Farinacius in practic. crimin. tit. 3. quæst. 20. nu. 19. Nauarrus lib. 2. consil. 1. de iudic. Tertiò, si iudex Ecclesiasticus reum in suo foro puniuit leuiùs, quàm merebatur, an possit in foro sæculari pro excessu pœnæ puniri? diuersimodè loquuntur Doctores, quibusdam affirmanti-
Diana bus apud Dianam part. 1. tract. 2. resol. 108. & p. 4. tract. 1. resol. 61. ex auctoritate cap. felicis, §. per hoc de pœnis, in 6. Aliis autem negantibus, verius tamen est in causa mixti fori punitum mitiori pœna ab Ecclesiastico, non posse iterum in sæculari foro puniri ad integrandam pœnam diuersam. Tunc autem potest quis ad diuersa fora trahi super eodem crimine, quando ob varios respectus crimen est vtriusque fori, & quando punitio tendit ad diuersa, di-
Diana uersis respectibus. Auctores huius sententiæ vide Dianam locis citatis. Certum est tamen reum in vno foro de etimine totaliter iudicatum & punitum, non posse deinde in altero foro iudicari aut puniri, quia æquitas non patitur vt idem de eodem crimine bis iudicetur ac puniatur.

Vide v. Concubinarius n. 3. Immunitas Ecclesiar n. 6. & 17. Iudex n. 14 Legitima n. 8. Missa 3. n. 11: Mutuum n. 34.

CVLPA.

SVMMARIVM.

1 Qualiter culpa accipiatur, apud Iurisperitos, & qualiter apud Theologos, & de eius diuisione in latam, leuem, & leuissimam.
2 An nomine doli, in iure, veniat culpa lata.
3 An ex sola culpa lata oriatur obligatio restitutionis, an verò etiam ex leui & leuissima.
4 An, vt culpa obliget ad restitutionem, debeat esse peccatum mortale.
5 Quando in contractibus teneatur accipiens ad restitutionem, de dolo, leui culpa, aut leuissima.
6 Qui aliquod officium exercet, an teneatur ad restitutionem, si sua lata culpa vel ignorantia crassa damnum aliquod sequatur.

1 Culpa aliter accipitur apud Iurisperitos, aliter apud Theologos, apud Theologos enim culpa idem est quod peccatum, siue mortale siue veniale, vnde & culpa Theologica dicitur, apud iurisperitos verò est omissio diligentiæ, quam quis adhibere tenetur, vnde sequitur aliquod incommodum, hic non agimus de culpa Theologica, quæ est peccatum, sed iuridica, quæ tripliciter diuiditur à iurisperitis in latam nempe, leuem, & leuissimam. Culpa lata est, quando quis facit, vel omittit id quod vt plurimùm homines suæ professionis ea in parte non facerent, aut non omitterent, aut quando non præuidet quod omnes communiter præuidere solent. Culpa leuis est omissio diligentiæ & cautionis, quam diligentiores eiusdem artis adhibere solent. Culpa leuissima est omissio diligentiæ quam diligentissimi, & prudentissimi adhibent. Clarius patebit hæc doctrina hoc exemplo. Si liber commodato acceptus relinquatur in platea, & furto auferatur dicitur lata culpa, sin relinquatur in cubiculo aperto & auferatur, dicitur leuis culpa, sin verò librum claudat in arca, sed non tenent manu an arca sit clausa, dicitur culpa leuissima. Nauarrus in Man. cap. 17 nu. 177. 178. Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 6. num. 22. 23. Reginaldus lib. 10. c. 3. numer. 18. Filliucius tract. 33. cap. 8. P. Nauarrus lib 2. cap. 1. dub 2. num. 52. Syluius 2. 2. quæst 62 art. 4. quæsi. 1 Layman lib. 3. tract. 4. c. 7 n. 2 & alii. Nauarr. Lessius Reginald. Filliuc. Nauarrus Syluius layman

2 In iure l. 1. ff. de dolo, nomine doli (qui propriè nihil aliud est quàm calliditas, fallacia, vel machinatio adhibita aliquem decipiendum) aliquando venit culpa lata, sed propriè loquendo dolus differt à culpa lata, cùm dolus soleat esse coniunctus com intentione decipiendi, non verò lata culpa: differt etiam lata culpa, à casu fortuito, qnòd hic sit euentus rei inopinatæ, qui præuideri aut præcaueri non potest etiam per diligentissimum. Azorius tom. 1. lib. 9. c. 4. Molina tract. 2. disp. 239 n. 15. Azorius Molina

3 Cùm nemo teneatur adhibere maiorem diligentiam, in suis operibus, ne alteri noceat, quàm eiusdem conditionis homines passim in similibus adhibere solent, hinc ex contractum non oritur in foro conscientiæ obligatio restitutionis ratione damni dati, nisi culpa lata, non autem ex leui uel leuissima, quia damnum eueniens illi imputandum non est, sed censebitur inooluntarium. Ita Angelus Syluester v. Culpa, num. 6. Syluius cit. artic. 4. quæst. 1 & 2. Sotus lib. 4. de iust. quæst 7. art. 2 Nauarrus cap. 25. num. 28. Diana tract 1 misc. resol. 56 part. 2. & alii. Licet Molina Reginaldus, Sayrus, Bannez, & alii apud Dianam citati doceant Aduocatum teneri de culpa leui. Angelus Syluester Syluius Sotus Nauarr. Diana

4 Vt quis obligetur ad restitutionem ex culpa lata debet esse peccatum mortale commissum in damno graui dato, nã obligatio in materia graui non potest esse nisi sub graui peccato, cùm pendeat obligatio ex materiæ grauitate, posito præcepto naturali vel positiuo. Emman. Sà v. Restit. n. 34. P. Nauarr. cit. n. 48. Syluius 2. 2. q. 62. art 4. q. 2. Eman. Sa Nauarr. Syluius

5 In contractu celebrato in vtilitatem vtriusque contrahentis, accipiens tenetur tantummodò de dolo, lata, & leui culpa, non verò de leuissima; si autem contractus fit in vtilitatem so'ius dantis, accipiens tenetur solùm de dolo & lata culpa, quando verò contractus est in vtilitatem solius accipientis, accipiens tenetur ad restitutionẽ damni
secuti

secuti, non solùm ex dolo, vel lata & leui, sed etiam ex leuissima culpa, excepto precario, accipiens enim aliquid in precarium non tenetur de leuissima, vel leui, sed de dolo & lata culpa. Lessius *cit. dub.* 8. Azorius 3 *part. lib.* 6. *capit.* 4. Reginaldus *cit. numer.* 20. 21. 23. Bonacina *de contract. disp* 2. *quæst.* 1. *part.* 6. *num.* 5 6 7. Nauarr. *c.* 17. *nu.* 179. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 4. *q.* 3. *concl.* 3. & alii.

Lessius, Azorius, Reginald, Nauarr. Syluius

6 Ad restitutionem tenetur in foro conscientiæ, qui exercet aliquod officium, vt medici, aduocati, confessarii, consiliarii, si sua lata culpa vel ignorantia crassa damnum aliquod sequatur, non tenerentur autem de leui aut leuissima, quia talis ex officio tenetur scire & præstare ea quæ sciunt & præstant homines eiusdem conditionis, alioquin de culpa lata tenetur & ipsi imputatur damnum sequens, cùm non adhibuerit in consilio dando eam diligentiam, quam tenebatur adhibere, & nesciet it ea quæ sciunt homines eiusdem conditionis: teneretur tamen talis de culpa leui & leuissima, si se peritiorem aut diligentiorem, aut etiam diligentissimum peritissimùmque profiteretur, & hac ratione eum qui talem quærebat ad se pertraxisset, Syluest. *v. culpa, n* 5. Azor 3 *p. l.* 4. *c.* 11 Lessius *c. dub.* 7. Sot. *de iust. l.* 4. *q.* 7. *art.* 3. Rebellus *de contr. l.* 1. *q* 10. *n.* 7. Suar. *de pœn disp.* 2. *sec.* 6. Diana *tr.* 2. *misc res.* 1. *p.* 2 & alii.

Syluest. Azorius, Lessius, Sotus, Rebellus, Suarez, Diana

De culpa vide *Bona paraphernalia* n. 4. *Commodatum* n. 3. *Depositum* n. 9. *Emphyteusis* n. 5. *Locatio* 2. n. 7 *Precarium* num. 3. *Restitutio* 1. num. 6. 7. 8. *Tutela* n. 4. *Confessarius* 5. num. 4. 5.

CVRIOSITAS.

SVMMARIVM.

1 *Curiositas quid.*
2 *Quale peccatum ex se.*
3 *An possit esse mortale.*
4 *In quibus casibus.*

1 CVriositas est *appetitus inordinatus seu rationis excedens limites cognoscendi*; non habet locum curiositas tantummodò in intellectu, sed etiam in sensum notitia, vt quando quis appetit videre, audire, uel facere, gustare, aut tangere ea, quorum notitia nihil ad ipsum attinet, atque apperit cognoscendi ac discernendi tantum causa. Toletus *in Summ. lib* 8. *cap.* 12. *num.* 5. Syluius 2 2. *q.* 167. *art.* 1. Fernandez *p.* 4. *c* 2 *§.* 2. *n.* 17.

Toletus, Siluius, Fernandez

2 Curiositas per se est solùm peccatum ueniale, quia non est magna inordinatio quòd homo appetat scire, quæ ad se non pertinet, aut superfluam in huiusmodi rebus operam ponat, modo necessaria non negligat, ratione tamen circunstantiarum potest esse mortale. *Primo*, ratione prohibitionis, vt si talequid legere, audire, spectare sit prohibitum, ut legere libros vetitos, spectare in publico duella, vel ludos spectare vetitos, audire uel cognoscere quæ dicuntur in confessione absque consensu pœnitentis; vt si religiosus extra Monasterium audiat ius ciuile, medicinam, &c. Caietanus *in Summ. v. Curiositas.* Syluius *cit. art.* 2. Nauarrus *in man. c.* 23 *à n.* 24. *ad* 30. S. Thom. 2. 2. *q.* 167. *art.* 2.

Caietanus, Siluester, Nauarrus, D. Tom.

3 Curiositas ratione materiæ potest esse etiam peccatum mortale, si illa materia per se sit illicita, vt si contineat pactum occultum cum dæmone, vt sunt omnia magica & pleraque Astrologica, Chiromantica, hydromantica &c. vel si materia est periculosa & inductiua ad peccatum mortale, vt est lectio curiosa de rebus turpibus, & illarum rerum visus & contactus curiosus, ob periculum cōsensus in delectationem. Vel materia est intellectui improportionata, vt sunt mysteria fidei, quæ si quis ingenio suo scrutari velit, & de illis ita iudicium ferre, vt nihil velit credere, nisi quod deprehendit suis phantasiis conforme. Lessius *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 1: *num.* 83. 84 Syluius *cit. art. artic.* 2. Fernandez *cit. §.* 2. *n.* 17. D. Antonin. *tit.* 3. *c* 5. Syluester *v. Curiositas q* 3.

Lessius, Syluius, Fernandez, D. Antonin. Syluester

4 Curiositas peccatum mortale est, si ita quis velit scire vt alium inducat ad mortaliter peccandum, vt qui vult scire ea, quæ alius occultare tenetur ratione iuramenti, vel ratione excommunicationis, pœnæ impositæ, vel ratione secreti, item mortalis est curiositas, si prætermittantur ea quæ scire quis obligatur, vt sciat ea quæ scire non tenetur, vel si vt sciat homo, prætermittit implere præceptum aliquod, vel si cum scandalo aliorum studium aliquod, tractare; denique quandocumque appetitus sciendi alicui est causa committendi alicuius peccati mortiferi, quacumque ratione id fiat, est peccatum mortale. Reginald. *lib.* 17. *cap.* 21. *num.* 216. Binsfeldius *in Enchir. p.* 2 *c.* 6. *§.* 4. Lessius *cit. n* 85. Syluius *c. art.* 2. Fagund. *cit. num.* 17.

Reginald. Binsfeld. Lessius, Syluius, Fagundez

De curiositate, Vide *Impudicitia* num. 8. *Tentatio Dei* num. 3.

CVSTOS.

SMMARIVM.

1 *Ad quid teneatur custos armentorum, si animalia damnum dederint.*
2 *Potest aliquando custos sine peccato, & obligatione ad restituendum dissimulare, & non accusare.*
3 *Custodes, qui inuigilant circa aliquid iniustum aut iniquum, non peccant dissimulando.*
4 *Quid iuris de custodibus, qui solum ea permitunt, ex quibus nullum damnum sequitur, nec debetur aliquod tributum, sed solum ea facientes subiacent pœna.*
5 *Custodes, qui in regnorum confiniis donationes extorquent ne transeuntes indefinitè vexent, restituere tenentur quæ ita à transeuntibus accipiunt.*

1 CVstos armentorum tenetur soluere damnum, si animalia absque domini culpa damnum dederint, de industria custodis. In defectum verò Custodis, dominus animalium solum tenetur soluere damnum, vel tradere pro illo animalia noxæ. Ad idem tenetur, si culpa leui Custodis sit datū. Si verò nulla aut sanè leuissima custodis culpa sit datum, Custos ad nihil tenetur, dominus verò ad alterum duorum, quæ dicta sunt, tenetur. Ita, Molina *tract.* 2. *disp.* 697. *num.* 11. Nota autem quando integrum damnum est soluendum, æstimari debet damnum per arbitratores ad id deputatos: nisi is, qui illud est passus & qui soluere illud debet, conueniant in illius pretio ac valore. Æstimari verò debent, sata, & similia alia quorum fructus sunt adhuc in spe, iuxta statum præsentautem, quantum emerentur, & venderentur, si quis spontaneè vellet ea vendere; nihil impediente, quod dominus nollet ea vendere, quia mallet expectare rei euentum, & apponere reliquum expensarum, industriæ & laboris.

2 Quamuis Custos peccet, & periurus sit, regulariter loquendo, qui sub iuramento astrictus officium suū exercere, non manifestat venantes, piscantes, aut ligna cędentes in locis prohibitis, nihilominus non obstante tali iuramento, & prohibitione legitima, possunt custodes cū cędentib pascentibus &c. sine peccato, & obligatione ad restituendum dissimulare his tribus concurrentibus. *Primò*, quando sciunt auferentes id fecisse ex necessitate.

Si enim ignorarent, aut dubitarent de capientium necessitate, non excusantur, in dubio enim tutiora eligenda sunt. *Secundò*, quando necessitas capientiū tanta est, quæ eos à peccato excusat, vt si sit extrema, vel quasi, ita vt vix possint aliter vitam suam, & suorum conseruare, nec illi capiendo, nec isti tacendo peccant, quia tunc dominus in ipsa rerum suarum, captura consentire debet. *Tertiò*, si nō permittant eos plura capere, quam necessitas eorum exigit, si enim vltra quam eorum indigentia postulat accipiant, non erunt à crimine furti immunes, nec custodes tuta conscientia cum eis dissimulare possunt.

3 Custodes, qui inuigilant circa aliquid iniustū aut iniquū, vt si custodirent Syluā aut vigilarent circa venationē quæ iniustè, aut aliter cum peccato, prohiberentur, vel si vigilarent circa exationem tributi iniusti, aut circa aliam rem iniustam, vel iniquam, esto iureiurando se astrinxissent ad custodiam ac uigilam, non peccarent dissimulando cum cædentibus ligna, cum venantibus, cum transeuntibus aut vendentibus aliqua, sine solutione eius tributi. Ratio est, quia iuramentum in eo euentu eos non obligat, eo quod non sit vinculum iniquitatis: imò,

imò si contrarium facerent, peccarent, tenerenturque restituere, quantum sua violentium ligna cedere, aut venari, interesset, non prohiberi ac impediri, aut quantum esset tributum, quod iniustè acceperant, & insuper restituere tenerentur alia damna, si quæ ulteriùs ex ea iniqua impeditione sequerentur, nisi ignorantia inuincibili iniustitiæ excusentur, aut parendo in dubio, quod expellere non possint, Superioribus. Quia tamen causæ sunt minùs principales comparatione eorum, qui id eis præcipiunt, solùm tenentur restituere ea damna in defectum causarum principalium, nisi fortè portio aliqua iniustè acceptorum ipsis sit deputata: tunc enim illam acceptam restituere ipsi tenerentur. Ita Clauis Regia *lib. 11. cap. 11. n. 5.*

Clau. Reg.

4 Quando custodes & alii ministri publici solùm ea permittunt, ex quibus nullum sequitur damnum, & quæ nullum habent tributum annexum, sed solum est pœna imposita iis, qui illa efficiunt, tunc, qui leges transgrediuntur illa efficiendo, ad nullam tenentur restitutionem, peccant tamen lethaliter, aut venialiter transgrediendo illo modo leges, pro materiæ qualitate ac quantitate, & pro necessitate, vt tales leges obseruentur, habita simul ratione pœnæ eas transgredientibus statutæ, maximè si seuerè ac integrè talis pœna exigatur, executionique mandetur. Exempla sint, vt si quis venetur, aut piscetur. Custode dissimulante in mensibus ad id faciendum prohibitis. Aut si contra prohibitionem transportet triticum, pecuniam, equos aut aliquid aliud ab vno regno in aliud. Aut si vestes sericas, vel aliquid aliud gestet contra præceptum legum. Prior pars huius conclusionis probatur, quoniam qui eo modo leges transgrediuntur, non tenentur ad pœnam ante latam sententiam, & nullum damnum inferunt legem transgrediendo, vt supponitur, licèt id in Reip. incommodum aliqua ex parte cedat: ergo ad nullam restitutionem tenentur ante latam sententiam. Quando autem ita legem transgrediendo, solum defraudarent Principem aut aliquem alium, tributo iusto, solùm tenerentur restituere id tributum, non verò pœnam, nisi ad eam soluendam essent condemnati, ab eisque exigeretur. Ita Ioannes Medina *de restitut. q. 12. §. penult. & vlt. & q. 15. §. penult.*

Medina

5 Custodes, qui in regnorum confiniis donationes extorquent, ne transeuntes indebitè vexent, restituere tenentur, quæ ita à transeuntibus accipiunt. Idem est dicendum de quibuscumque aliis custodibus, qui simili modo aliquid extorquent. Ratio est, quia nullus alius iustus est titulus, quo similia possint accipere, quàm donationis titulus: quod autem donatione nec dominium, nec ius acquitant ad ea, quæ ita accipiunt, ex eo satis liquet, quod dantes inuoluntariè mixtè id dant ad redimendam suam vexationem, id quod non sufficit ad transferendum dominium, aut ius titulo donationis: hocque perspicuum est satis in usurario, qui ea sola de causa nec dominium nec ius comparat eorum, quæ per vsuram acquirit. Ita Molina *tract. 2. disp. 739. n. 7.*

Molina.

D

DEBITOR. DEBITVM.

SVMMARIVM.

1 *Creditor non potest priùs procedere ad vendendum pignus, quam debitor sit in mora soluendi debitum.*
2 *Debitor non habens firmum propositum soluendi debita quamprimum poterit, non potest absolui à confessarie.*
3 *An quando creditor & debitor sunt in extrema necessitate, debitor teneatur soluere creditori quod debet?*
4 *Probabile est debitorem debere prius subuenire patri, matri, vxori, liberis & fratribus extremè laborantibus, quàm creditori.*
5 *Si debitor præfixo tempore non soluat, ob impotentiam, incurret excommunicationem, quando fiat potens, si feratur excommunicatio contra eos, qui obligati sunt in forma cameræ ad soluendum debitum.*
6 *Quando liceat debitori vim inferre, ad recuperandam rem propriam?*
7 *An possit debitor renunciare legato vel hæreditati, ne soluat debita, si alias sit impotens ad soluendum?*
8 *Qui acceptat hæreditatem vel legatum à debitore repudiatum non tenetur ad restitutionem creditoribus debitoris, modo ipse non induxerit debitorem ad non acceptandum.*
9 *Debitum statuto tempore, solui potest ante diem, inuito creditore.*
10 *Quando debitor ex delicto vel ex contractu liberetur; qui restitutionem debiti commisit confessario suo vel Parocho, si accidat confessarium restitutionem intermittere.*
11 *Qui aliquid bona fide contractu onoroso accepit à debitore, nesciens alienationem esse in fraudem creditorum, non tenetur ad restitutionem, postquam cognouit alienationem factam esse in fraudem creditorum à debitore: secus si acceperit sciens vel dubitans.*
12 *Qui aliquid accepit à debitore titulo gratuito, ignorans acceptionem esse in fraudem creditorum, tenetur restituere id in quo factus est ditior, modò repetatur à creditoribus intra annum à die scientiæ. Si vero acceptit sciens vel dubitans, tenetur ad restitutionem creditoribus etiam anno elapso.*
13 *Debitum soluendum est in valore eius monetæ, quam habebat, quando fuit expressum ac constitutum, siue postea valor eiusdem monetæ accreuerit siue decreuerit.*
14 *Quid agendum quando debitum est constitutum vt in certis monetis soluatur, si earum valor augeatur, vel minuatur.*
15 *Quando debitor ex contractu vel quasi existens in mora soluendi, possit detrudi in carcerem.*
Quid iuris de debitore fisci, de milite, de muliere, de clerico, si sint debitores ex contractu, vel delicto.
16 *Quando clericus debitor possit in carcerem detrudi.*



1 CREDITOR non potest prius procedere ad pignus vendendum, quàm debitor sit in mora soluendi debitum. Ratio est, quia facultas per pactum ei concessa ad vendendum intelligitur à die moræ. Quod si dies fuit præfixus ad debitum soluendum, non priùs debitor censetur esse in mora, quam dies ille sit elapsus, debito non satisfacto ac proinde, ante eum diem elapsum, procedere non potest creditor ad pignus vendendum, vt habetur *l. cum soluenda, de distract. pignor.* Elapso autem eo die censetur esse in mora, esto debitum non petatur. *l. magnam, Ced. de contrahend. & commit. stipulat.* quoniam dies interpellat pro creditore. Si autem dies præfixus non fuit solutioni, non priùs debitor censetur esse in mora, accedente tempore in quo ratio postulat; vt soluat, quàm sit per creditorem interpellatus, hoc est admonitus vt soluat, *leg. si ex legati causa, ff. de verb. obligat.* & affirmat communis Doctorum sententia.

2 Debitor pœnitens non habens firmum propositum soluendi debitum quamprimùm poterit data opportunitate, non potest absolui à confessario. Ratio est, tum quia pœnitens quamdiù potest soluere & non soluit debitum, existit in statu peccati mortalis. Tum quia ad effectum & fructum Sacramenti Pœnitentiæ recipiendum requiritur propositum vitandi peccata in futurum: qui autem non habet propositum soluendi sua debita, quamprimùm poterit, data opportunitate, non dicitur habere propositum vitandi peccata in futurum, ergo. Ita communiter Doctores.

3 Dubium est inter doctores quando debitor, & creditor sunt in extrema necessitate, an debitor teneatur creditori soluere quod debet? Quidam enim sentiunt teneri: quia melior est creditoris conditio; nam res illa sua est, & in his, quæ propria sunt, plus iuris habet dominus, quàm alter, penes quem res inuenitur, & necessitas æqualis est, in qua cùm omnia sint communia, ille præferendus est, qui preoccupauit, preoccupasse autē videtur qui verus est dominus, ergo, &c. Ita Scotus *in 4. dist. 15. q. 2. art. 4.* quem sequuntur Richardus, Gabriel, Medina, Sylvest.

Scotus

uest.& alii. Hæc ſententia eſt tenenda in caſu quo creditor ſubtractione illius rei coniectus eſt in anguſtias, uia ſubtrahere alicui rem, qua ille extremè indiget, eſt perinde atque occidere, tum quia ſicut debitor fuit in auferendo, ſic etiam fur eſt in retinendo, eſt enim violentus non legitimus rei poſſeſſor, vt diximus *tom.1. verb. Restitutio V num.3. in fine*, cum Doctoribus ibi citatis. Si verò creditor ſubtractione illius rei non eſt coniectus in extremum illud diſcrimen, ſed aliunde incidit, probabile eſt debitorem non teneri in pari diſcrimine, idque non ſolum quando res eſt ſub dominio debitoris, ſed etiam quando in ſpecie eſt debita creditori. Ita Toletus *lib. 8. cap. 39. numer.* 3. Sotus *de iuſtit. lib. 4 quaeſt.7.art.2.* Caietanus *in 2.2.q. 62. art.* 5 & alii apud Dianam *part 5. tract.8.reſol.* 11. Ratio eſt, quia etſi dominium rei maneat apud creditorem quaſi in habitu, tamen actus eius impeditur perinde ac ſi non eſſet, quia quiſque poteſt ſibi conſulere ex re quam occupat, & poſſidet, & in eo caſu non tenetur eam reſtituere domino. Vnde ſi ante occupaui tuam ſarcinam aut tabulam in naufragio, non teneor tibi tunc reſtituere etiamſi ſimul in extremum periculum inciderimus, quia per hanc ſubtractionem non incidiſti in periculum; neque in periculo conſtitutus, hanc rem occupaueras, vt per eam te ſaluares. Certum eſt tamen apud omnes debitorem non teneri ſoluere, quando ipſe eſt in extrema neceſſitate conſtitutus, ſi creditor eandem neceſſitatem non patiatur.

Toletus Sotus Caietan.

4 Probabile eſt debitorem debere prius ſubuenire patri, & matri extremè laboranti, quam creditori: imò idem poteſt facere, & debet cum vxore & liberis, adde etiã, & cum fratre Ratio eſt, quia debitum quod ex virtute pietatis debetur eſt maius, & antiquius eo quod debetur ex particulari iuſtitia, talibus autem perſonis debetur ex pietate. Si dicas, illis quidem ſic deberi, non tamẽ de bonis alienis ſed de propriis debitori. Reſpondeo, quod ea quæ extra neceſſitatem erant aliena, in neceſſitate eſſe communia quantum ad vſum eorum qui neceſſitatem patiuntur Ita Leſſius *lib.2.c. 16.dub.1.n.14.* Toletus *de ſeptem peccat mortalibus cap. 39. n. 5.* reuocans quod dixerat *lib. 5. instruct. cap.* 24. Hurtadus de Mendoſa *in 2. 2. q. 31. art.3* Quamuis Veſquez *opuſc. de eleemoſyna, cap.1. dub.9. n.74* neget quoad fratrem, cui creditorem putat eſſe præferendum.

Hurtadus Vaſquez

5 Si debitor præfixo tempore non ſoluat ob impotentiam, incurret nihilominus excommunicationem, quando fiet potens, ſi feratur excommunicatio contra eos, qui obligati ſunt in forma Cameræ ad ſoluendam penſionem vel aliud debitum, *Ex cap. Odoardus, de ſolutionibus* Ratio eſt, quia terminus, qui aſſignatur, non eſt ad finiendã obligationem, ſed ad differendam executionem vſque ad illum, & non ultra Ideoque ſi in illo termino non ſatiſfit obligationi, non extinguitur obligatio, ſed ſemper durat & obligat ad non differendam ſolutionem ſi fieri poſſit: Intellige, modo cenſura retineat ſuam vim, ſi enim morte iudicis, in cenſura ab homine, vel alia de cauſa, vim ſuam cenſura amiſiſſet, peccaret quidem talis non ſoluendo, at non incurreret cenſuram. Adde ſi quis malitioſè fiat impotens, non excuſaretur ab excommunicatione, poſſet tamen impedire ſuperuenturam excommunicationem in termino præſtituto conueniendo iudicem, & probando ſuam impotentiam, vt docet Suarez *de cenſur. diſp. 20. ſect.2. n.16.*

Suarez.

6 Debitori licet vim afferre ſi non poſſit aliter res propria recuperari, quando illa extat in propria ſpecie apud alterum, vt veſtis, torques, equus, &c. vnde poſset ſurripi vel occultè, vel apertè etiam, & ſi quis reſiſtat, poterit ſe armis defendere, quia habet dominus ius recuperandi rem ſuam. Si verò non extet, ſed tantum ſit debita, tunc non poteſt aliquid aliud ſurripi violenter quia verè illius debitor eſt dominus, & poſſet defendere rem ſuam armis, & ſicut in priori caſu ipſe aggreſſor eſſet, ita in hoc defenſoris uicem ageret: conſequenter in primo caſu creditor eſſet defenſor rei ſuæ, in ſecundo verò aggreſſor rei alienæ. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub.11.* qui citat D. Anton. & Syluest.

Leſſius Syluester

7 Debitor qui non eſt creditoribus ſoluendo, peccat contra iuſtitiam in foro conſcientiæ, & tenetur ad reſtitutionem damni, quod paſſi ſunt creditores, eo quod repudiauerit legatum uel hæreditatem, qua nõ repudiata ſatiſfeciſſet creditoribus. Ratio eſt tum quia ea lege, quia quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, quoties illa poteſt aſſumere abſque graui incommodo, ſed debitor tenetur ex iuſtitia ſatisfacere creditoribus, ergo tenetur etiam aſſumere media ad ſatisfaciendum, quale medium eſt acceptatio legati, uel hæreditatis. Tum quia ſi quis uideret proximum, fame perire, & extremũ iam agẽtem ſpiritum, uel grauiter indigentem, & aliquis afferet illi bona quibus poſſet illi indigentiæ ſubuenire, quis negaret hunc mortaliter delinquere contra legem charitatis non acceptando, cum tam facilè illi extremè indigenti poſſet ſuccurrere. Ergo à fortiori peccabit non acceptando, acquirendo cum facilè poſſit, ut ſoluat creditoribus quibus fortiori uinculo, ſcilicet, iuſtitiæ aſtrictus eſt Hinc fit hunc debitorem licet alias ratione impotentię excuſaretur à reſtitutione damni emergentis, & lucri ceſſantis ob dilatam ſolutionem, at caſu quo repudiat hæreditatem ne ſoluat, teneri deinceps ad lucrum ceſſans, & damnum emergens, cum iam culpa ſua minimè reſtituat; & quamuis ſemel repudiata hæreditata maneat uere impotens ad reſtituendum, nec ei deinceps imputetur culpa at prouenit ex culpa, quam repudiando contraxit. Similiter cauſidici, & alii conſulentes debitoribus ut repudiẽt & ſic efficiantur impotentes ad ſoluendum, tenebuntur reſtituere creditoribus ea debita, quia iniuſto conſilio fuerunt cauſa illius damni. Sæpè tamen tam debitores quã conſulentes excuſantur quia bona fide, & iuſta ignorantia procedunt, ducti prauo legum intellectu, iuſtè tamen ignorato: cum multi grauiſſimi Doctores Iuriſperiti Couuarruuias, Molinæus, Ant. Gomez, & alii abſolutè doceant poſſe debitorem renunciare hæreditati, ne ſoluat debita. Ita Sanchez *matrim. lib.6. diſput.4. num.9.* Petrus Nauarra *lib.3. de reſtitut. cap.1. num* 112. Filliucius *tract. 32. cap.5. num.139.* Molina *tract.2. diſp.435. ad finem.*

Sanchez Filliucius Molina

Neque dictis obſtat lex, *qui autem ff. quæ in fraudem creditorum*, & regula *nõ fraudatur; ff. de regulis iuris.* Nam ibi tantummodo decernitur, repudiationem eſſe ualidam, & in foro externo non dari actionem creditoribus ad eã reuocandam ſed non deciditur, hoc licitè fieri à debitore.

8 Qui acceptat hæreditatem, uel legatum à debitore repudiatum non tenetur ad reſtitutionem iis, quibus tenetur ille, qui legatum, uel hęreditatem repudiauit, modo ipſe non induxerit debitorem ad non acceptandum Ratio eſt, quia repudiatio ex parte debitoris non dicitur alienatio in fraudem creditorum; ſed non acquiſitio, tum quia acceptans nullam exercet actionem cum debitore, nec eſt particeps illius iniuſtitiæ. Ita Sanch. *loc. cit.*

9 Debitum ſtatuto tempore, ſolui poteſt ante diem inuito creditore. Nam *in l. ſtipulatio iſta 38. §. inter 16. ff. de verbor obligation.* & *in l. quod certa 70. ff. de ſolutionibus* traditur, in obligationibus in diem, totum medium tempus ad ſoluendum promiſſori liberum relinqui, atqui liberum non eſſet debitori tempus ad ſoluendum, ſi ei non ceret ſoluere inuito creditore. aut ſi creditor ſolutionem recuſare ante diem iure poſſet Deinde diei adiectio eſt pro reo, ſiue debitore, non pro ſtipulatore, ſeu creditore. Si ergo dies pro debitore eſt licet ei uti die ſi uelit: ſi nolit eique uideatur commodum ſtatim ſoluere, licet die non uti: ita ut nihil magis ei dies noceat, quam ſi omnino adiectus non eſſet.

Porrò cuique licitum eſt, beneficio pro ſe tantum introducto renunciare, idque contemnere. Atqui verò dies beneficio debitoris, ſeu promiſſoris tantum in dubio adiectus intelligitur, ergo, illi debitor renunciare illudque contemnere, & conſequenter etiam ante diem creditori repugnanti ſoluere poterit. Hanc ſententiam tenent Bartolus, Iaſon *in leg. ſtipulatio, §. inter ff. de verb. obligat.* Gomez *tom 2. variar. reſol. c.11. n.22.* Pechius *lib. 5. de teſtam. coniug. c.28.* & alii penes ipſos.

Bartolus Gomez Pechius

10 Si debitor ex delicto reſtitutionem debiti indeterminatè, ſeu in genere, v.g. decem florenorum ex iuſta venditione aut emptione, committat Confeſſario vel parocho, & præter opinionem accidat, eiuſmodi confeſſarium defraudare, reſtitutionemque intermittere, tunc debitor non liberatur, ſed debet aliorum decem facere.

Ratio

Ratio est, quia res quælibet, si casu pereat, domino suo perit: debitor autem rei debitæ indeterminatæ adhuc Dominus est: ergo et si sine eius culpa, adeoque casu per malitiam confessarii pereat, ipsius id damno accidit. Nec refert, quod debitor, qui alio modo restituere non poterat sine periculo famæ, fecit quod debuit, ideòque creditor contentus esse tenetur, vt per talem personam intermediam restitutio ipsi fiat. Respondeo, quòd debitor fecit quidem, quod hactenus facere debebat, remanente tamen obligatione, vt si restitutio efficaciter facta non fuerit, alius modus restitutionis efficax initetur. Ita Na-
Nauarr. D. Anton. Lessius uarrus, *cap. 17. n. 67* D. Antoninus *p. 2. tit. 2. cap. 4. §. 1.* Lessius *lib. 2 cap. 16. n. 65.*

Si res aliqua in specie debita fuit, sed iustè, puta, inuenta vel bona fide possessa, interest tamen debitoris, vt non sciatur, restitutionem ab ipso prouenire, tunc confessario non restituente, debitor omni iure liberatus est: quia in tali casu neque obligatur ratione rei acceptæ, neque ratione iniustæ acceptionis; vnde si res pereat, domino suo perire debet. Si verò res in specie debita, per iniustitiam acquisita sit, vt torques aureus furto ablatus, debitor non liberatur, si in tali casu Parochus, vel Confessarius alioquin fidelis existimatus defraudet. Ratio est, quia intercessit culpa debitoris, per quam dedit occasionem damni domino obuenientis: si enim non surripuisset, creditor rem suam non amisisset. Ita Lessius *cit. nu-* Lessius
mer. 66.

11 Qui aliquid bona fide contractu oneroso accepit à debitore, nesciens alienationem esse in fraudem creditorum, non tenetur ad restitutionem, postquam cognouit alienationem factam esse in fraudem creditorum a debitore. Ratio est, quia nullo titulo tenetur, neque ratione iniustæ acceptionis, quia bona fide accepit; neque ratione rei acceptæ; quia accepit rem ipsius debitoris, quæ non erat alteri realiter obligata, vt supponitur; neque tenetur ex contractu: quia nullum iniit contractum, quo se obligauerit ad restitutionem: Secus dicendum, si acceperit sciens, vel dubitans contractum esse in fraudem creditorum; tunc enim teneretur ad restitutionem, quatenus ex eo contractu læsi sunt creditores, nam cooperatus est
Salon Valent. Molina actioni iniustæ cum damno creditorum. Ita Salon 2. 2. *q. 78. art. 3. controuers. 2.* Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst 22. punct. 3.* Molina *de contract tract. 2. disp. 328.* Tunc autem aliquid in fraudem creditorum censetur alienatum, quando debitor aliquid alienat, videns per eam alienationem non remanere sibi sufficientia bona ad soluenda debita: talis quippe alienatio quoad quantitatem, quoad quam impotens manet ad soluenda debita, censetur facta in fraudem creditorum: & regulariter necessaria non est intentio & animus defraudandi ea via creditores, sed sufficit sola scientia; eiusmodi quippe scientiam appellant iura consilium fraudandi creditores atq; adeò fraudem, vt innuitur *l. si cuis cum haberet, ff. quæ in fraud. creditor.*

12 Qui aliquid accepit à debitore titulo gratuito, ignorans acceptionem esse in fraudem creditorum, tenetur restituere id, in quo factus est ditior, modò repetatur à creditoribus intra annum à die scientiæ. Ita ex *l. ignoti, Cod. de reuocandis iis, quæ in fraudem creditorum*. Si verò accepit sciens, vel dubitans probabiliter rem alienari in fraudem creditorum, tenetur ad restitutionem creditoribus, iuxta veriorem sententiam, non solùm intra annum sed etiam anno elapso, quantum ex eo contractu læsi sunt, creditores. Ratio est, quia accipiendo cooperatus est actioni iniustæ damnificatiuæ creditoribus; qui autem culpabiliter cooperatur actioni iniustæ cum damno alterius, tenetur ad restitutionem. Nihilominus sententia afferens eum, qui aliquid accepit titulo gratuito, vel oneroso, non teneri in foro conscientiæ ad restitutionem, etiamsi nouerit tradentem fieri impotentem ad soluendum cæteris, est satis probabilis, modò ipsum non induxerit ad donandum vel tradendum, sed ipse donauerit, aut vendiderit, &c. nam accipiens videtur vti iure suo, quamuis ex illa acceptione per accidens sequatur alteri damnum, vt sustinent Molina *tract. 2. disput. 328. num. 10.*
Molina Lessius P. Nauarra Lessius *lib. 2. c. 20. dub. 19. n. 168.* Petrus Nauarra *lib. 3. cap. 4. n. 218.* & alii.

13 Debitum, si expressum fuit moneta aliqua, soluendum est in valore eius monetæ, quem habebat quando fuit expressum, ac constitutum, siue postea valor eiusdem monetæ accreuerit, siue decreuerit. Ratio est, quoniam pecunia, quando ea expressum aliud non est in contractu, sententia vel lege pœnali attenditur ac consideratur secundum valorem: ergo tantus valor est reddendus, quantus tempore contractus legis, aut sententiæ fuit constitutum iuxta valorem, quem tunc pecunia habebat, qua fuit expressus, siue postea pecunia illa accrescat: siue decrescat in valore: vtrumque enim æquè cedere potest in detrimentum, aut commodum tam debitoris, quàm creditoris, atque adeò æqua ex natura ei est vtriusque conditio. Ita Sotus *de iustit. lib. 6 q. 1. art. 2* Couar. *de collatione numismatum, cap. 7. §. vlt. n. 3.* Sotus Couarr.

14 Debitum si constitutum sit, vt in certis monetis soluatur, aut vt neque earum augeatur, aut minuatur, solui quidem debet in eis monetis, sed detractis, aut auctis, quod fuerit necessarium, vt debitum ad æqualitatem valoris soluatur, nisi aliud fuerit expressum in contractu, nempe in quemcumque variationis euentum; numerum illum monetarum illius rationis esse soluendum, neque plus neque minus; quod interdum fieri solet timore variationis monetarum quoad valorem. Prior pars huius resolutionis ex eo probatur, quod in contractibus, ac dispositionibus, potissimum habetur ratio quantitatis valoris: appositio autem illa, vt pecunia talis qualitatis soluatur; fieri solet, ne in viliori moneta soluatur debitum, & quę multum oneret. Ita Molina *tract. 2. disp. 312.* Molina

15 Debitor ex contractu, aut quasi contractu, existens in mora soluendi debitum, non priùs ob illud detrudi potest in carcerem, quàm condemnetur, ac pronuncietur à Iudice illud debere, sententia: quæ in rem transeat iudicatam, aut quam ille in iudicio confiteatur debitum, soluereque illud præcipiatur. Neque tunc potest statim detrudi in carcerem, sed priùs fieri debet exequutio in bonis illius, vendendo illa in publica subhastatione: compertoque cum non habere sufficientia bona ad id debitum soluendum, detrudi debet ob illud in carcerem, si id à iudice creditor, aut creditores illius, petant, donec integrè illud soluat. Vide Couarr. *2. variar. resol. c. 1.* & Anton. Couarr. gomez
Gomez *tom 2. var. resol. c. 11. n. 51.*

Ab hac regula iure communi excipiuntur, *Primò*, debitor Princeps, seu fisci, hic enim potest statim, ac exequutio intentatur, detrudi in carcerem, quousque integrum debitum soluat. Ita colligitur ex *l. cum eo, ff. ad leg. Iul. pecul.* & *l. nemo, C. de coll. trib. lib. 10.* habetur, quod si debitor tributi contumax sit in illius solutione, tunc in carcerem mittatur, & exequutio fiat in bonis illius. *Secundò*, mulier, modò non inhonestè viuat, detrudi non potest in carcerem pro debito ciuili, seu ex contractu vel quasi contractu proueniente, etiamsi sit debitrix fisco Regis, sed exequutio tantùm fit in bonis illius, si quæ habeat. Ita habetur in *Authent. sed nouo iure, C. custod. reor. Tertiò*, miles, qui in militia versatur, eo priuilegio gaudet, vt conueniri non possit pro debitis vltra id, quod commode facere possit vt habetur, *l. Miles in princip.* & *l item Miles, ff. de re iud. Quartò*, clericus priuilegiũ habet, vt solum possit conueniri quantum commode facere possit, atque adeò vt propter debita, quæ commodè non potest soluere, detrudi non possit in carcerem, esto bonis non cedat. Ita apertè colligitur ex *cap. Odoardus, de solutionibus*. Ratio autem est, tum quia clericus est Christi miles, & proinde gaudere debet priuilegio militis sæculi: tum quia non decet Christi ministrum abiectè viuere, & in carcerem trudi ob ciuile debitum, sed relinqui ei debet, vnde parcè viuat & reliquum tradendum est creditori. Notandum tamen est, vt clericus gaudeat dicto priuilegio, debet prius recognoscere debitum & præbere cautionem: & post Concil. Trident. *sess. 23. c. 6. de reform.* eis solis clericis hoc priuilegium competit, qui iuxta id decretum priuilegio fori hodie gaudent: non verò reliquis, qui eodem decreto ab eo priuilegio fori meritò fuerunt exclusi, vt rectè docent Couarr. *2. variar. c. 1. n. 9.* Conc. Tr.
Gutierez *de iur. confirm. cap. 16. à n. 10.* Couarr. Gutierrez.

16 Si clericus tempore contractus se finxit non esse clericum altero contrahente id ignorante, aut abscondit de bonis, ne solueretur debitum creditori, vel si debitum ex de-

ex delicto descendat, tunc ratione criminum, quæ ita commisit, detrudi poterit in carcerem propter debitum: quia clerici delicta nihil impediente *c. Odoardus*; puniri possunt carcere meritòq; propter eiusmodi delicta amittit clericus priuilegium ibi, & alibi, ea in parte ipsi concessum. Itē si clericus debitor suspectus esset de fuga, detrudi posset in carcerem, donec integrè solueret, aut sufficientem pignoratitiam, vel fideiussoriam præberet cautionem, ab ipso tamen creditore capi non posset, nisi quando debitor actu fugam intentaret, neque adesset Minister publicus, qui illum caperet, ac tunc in continenti deducendus esset ad suum iudicem carceremque publicum. Ita Couarr. *cit. sup* Gutierrez *cit. n. 29.* & alii. Couarru. Gutierrez

Vide verb. Cessio bonorum Excommunicatio a. *n. 31.* Fillius *n. 11. & 12.* Gabella *n. 8.* Pignus *n. 7.* Solutio Restit. *n. 30. & seq.* Tutela *n. 3.*

DEBITVM.
Coniugale I.

De petitione, & redditione debiti coniugalis.

SVMMARIVM.

1 *Coniugalis actus ex se est licitus.*
2 *Tenentur coniuges sibi inuicem debitum reddere.*
An pactum non petendi nec reddendi debitum mutuo coniugum consensus initum, validum sit, positque coniux licitè id pactum remittere.
3 *Coniux negando debitum, quando non peccet mortaliter.*
4 *An periculum animæ, vitæ, & notabilis infirmitatis, excuset à reditione debiti.*
5 *An tempore furoris vel ebrietatis coniugis, teneatur alter coniux debitum reddere*
6 *Impotentia coeundi, an excuset a debito reddendo, & quale peccatum sit de industria sibi impotentiam procurare.*
7 *An excusetur coniux à debiti redditione gratia non multiplicandi prolem.*
8 *An coniugi petenti illicitè teneatur alter debitum reddere.*
9 *Mortale est debitum reddere, quoties petens peccat mortaliter, ob aliquam circumstantiam ipsius actus.*
10 *Debitum, an sit negandum petenti cum peccato veniali propter circumstantiam actus.*
11 *An liceat negare debitum, ad vitandum magnum in bonis peccaniarus, aut in fama detrimentum.*
12 *An priuetur iure petendi, vel reddendi debitum, qui communem prolem sua coniugis in necessitate baptizauit.*
13 *Et quid si scienter, aut ex malitia extra necessitatem baptizaret aut tanquam patrinus teneret.*
14 *Mortaliter peccat coniux, petendo debitum, quando cum coniuge contraxit affinitatem, adulterando cum eius consanguineo vel consanguinea.*
15 *Si per vim aut metum grauem cogatur vxor ad copulam cū consanguineo viri, an priuetur iure debitum petendi*
16 *Quid si contraxit affinitatem vel cognationem spiritualem cum suo coniuge, ex ignorantia iuris vel facti inuincibili, vel pœna.*
17 *An dubitans de valore sui matrimonii, possit debitum petere, vel reddere.*
18 *Quando dubius possit petere, & reddere.*
19 *Qui mala fide contraxit, dubitans de aliquo impedimento dirimenti an possit petere, & teneatur reddere petenti, qui bona fide contraxit.*
20 *An opinas probabiliter, matrimonium à se bona fide contractum esse nullum, possit debitum petere, vel reddere.*
21 *Qui moraliter certus est, matrimonium, suum esse nullum an possit petere, & redere, si ab altera bona fide fuit contractum.*
22 *Coniux dubitans de valore matrimonii, non tenetur reddere in priore bimestri.*

1. VEritas Catholica est, actum coniugalem esse ex se licitum, posseque absque omni culpa exerceri, quia actus coniugalis reddendi debitum, est actus virtutis iustitiæ, cùm reddatur coniugi debitum ex pacto matrimoniali contractum: vnde ipse actus coniugalis in gratia exercitus debitisque circunstantijs vestitus, est meritorius sicut in ceteris bonis actibus iusti contingit, D. Thom. 2. 2. *q.* 153. *art.* 2. Syluius *ibid.* Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 1. num* 2. & 3. Pontius *de matr. lib.* 10. *c.* 1. & alij. D. Thom. Syluius. Sanchez. Pontius.

2 Debitum coniugale reddere tenentur sibi inuicem coniuges æquali iure, vt constat ex Apost. 1 ad Corinth. 7. *vxori vir debitum reddat*, similiter autem & vxor viro. Ideòque æqualiter peccant vir & fœmina negans debitum alteri coniugi petenti, siue expressæ per verba, siue interpretatiuæ exhibitione aliquorum signorum, ex quibus colligatur petendi voluntas, negatio autem debiti ex communi omnium sententia peccatum est mortale regulariter, quia lege iustitiæ redēdū est vnicuiq; quod suum est corpusq; viri fit vxoris & è contra. Diuus Thomas 4. *distinct.* 32. *quæst.* 1. *artic.* 2. & 3 Syluester *verb. Debitum* Syluius *in supplem. q.* 64. *art.* 1. Pontius *lib.* 10. *cap.* 2. & alij. D. Thom. Syluest. Syluius. Pontius.

3. Dantur aliqui casus, quibus coniux negando debitum non peccat mortaliter; *Primò*, si petatur beneuolè & amicè non tanquam sibi debitum ex iustitia, sed tanquam amicitiæ quoddam coniugale symbolum. *Secundò* quandò alter remissè & frigidè petit, aut rogatus facilè acquiescit. *Tertiò*, si rarò coniux neget debitum vel si petitum non statim reddatur, sed differtur per aliquod breue spatium, similiter si coniux frequentiùs petat quàm par sit, hæc tamen intelligenda sunt, modò non sit incontinentiæ periculum vel grauis morbi in petente. Nauarrus *cap.* 16 *num.* 24. Henriquez. *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 7. Rodriquez *in Summ. cap.* 242. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 282. Filliucius *tract.* 10. *cap.* 9. Syluius *cit*, *q.* 64. *artic.* 1. Diana. *part.* 5. *tract* 5. *resol.* 14 & *tract* 14. *resol.* 36. & alii. Nauarr. Henriq. Rodriq. Reginald. Filliucius. Syluius. Diana.

Sed petes, an pactum non petendi nec reddendi debitum mutuo coniugum assensu initum, validum sit possitque vterque coniux licitæ id pactum remittere; Resp. Affirmatiuè. Probatur primum, quia nulli irrogatur iniuria, & sicut possunt coniuges se mutuo voto ad id ligare, ita possunt mutuo pacto. Posterius probatur, quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur: cùm ergo mutuo consensu id conuentum sit, nec Deo sit obligata ea continentia, poterit mutua voluntate id pactum dissolui. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 12. *num.* 59 Henriquez *lib.* 11. *de matr. cap.* 15. num 8. Rodriguez *in Summ tom.* 1. *cap* 243. *n.* 14. Nauarr. Henriq. Rodrig.

Sed quid dicendum si alter coniux nolit remittere pactum, sed illi stare, an teneatur reddere petenti? Resp. negatiuè, quia per pactum ius acquisiuit, vt liber sit ab ea obligatione: si tamen coniux videret alterum pœnitere pacti initi, adeòque ad venerem propensum esse, vt negato sibi debito, probabiliter fore existimet, vt in incontinentiam labatur, teneretur tunc debitum reddere; non ex iustitiæ lege, sed ex charitate, ad subueniendum periculo ruinæ coniugis.

4. Præterea à debito coniugali reddēdo excusantur coniuges, quando adest periculum animæ, v. g. si aliqua circunstantia redderet vsum matrimonij illicitum. *Secundò*, excusat periculum vitæ vel notabilis infirmitatis à redditione debiti, quamuis in coniuge petente adesset periculum incontinentiæ; quia obligatio reddendi debitum intelligitur salua sanitate & ordine naturæ, seu saluâ subiecti consistentia; vnde ob hanc causam excusatur coniux febri laborans, vel statim post prandium, vel si petens leprosus sit, aut morbo Gallico laboret, alterque sit sanus & iudicio medicorum adsit periculum grauis infectionis ex tali coitu, & hoc intellige modò ante matrimonium sanus nesciuerit alterum infectum huiusmodi morbi, quia si sciuerit teneretur reddere, cùm per cōtractum matrimonij ad hoc se obligarit: item excusatur fœmina à reddendo quę iudicio medicorum non potest prolem niuam edere, & ex hoc imminet ipsi periculum vitæ ex partus difficultate: posset tamen hæc femina reddere debitum,

bitum, imò & petere ad vitandum in se vel in coniuge incontinentiæ periculum, postposito graui mortis periculo, quod certum omninò non est. Vide Sanchez *cit. d* 6. *n*. 8. Emman. Sà *v. Debitum, n*. 15. Reginald. *cit. n*. 283. Sotum 4. *d*. 32. *q*. 1. *art*. 1. Sanchez. *cit. d*. 24. *n*. 24. *n*. 2. 4. Bonacinam *de matrim. quest*. 4. *punct*. 1. *num* 4. Graffiis *part* 1. *lib*. 2. *cap*. 83. Coninchk *disp*. 34. Rodriguez *tom*. 1. *Summ. c* 242. Sanchez *cit. lib*. 7. *disp*. 102. *n*. 11. Syluium *cit. art*. 1. locis hic citatis, & alios.

Sanchez. Reginald. Sanchez. Sotum Bonacina Graffiis Coninch Rodrigu. Sanchez. Syluius

5. Non tenetur coniux, per se loquendo, debitum reddere alteri coniugi petenti tempore furoris, vel ebrietatis, quia ebrius vel furiosus non petit humano modo, per accidens tamen fieri potest, vt coniux teneatur illi reddere, vt si ebrius alioquin expleturus sit libidinem modo illicito: aduertendum tamen hic est, quòd vir mentis compos peccet reddendo debitum vxori amenti, cum adsit periculum abortus & enecandi fœtum in vtero, si ipsa concipiat; si autem vxor sit sui compos, vir autem amens, liceret reddere viro amenti, tunc enim periculum prolis præcauerit potest. Reginaldus *cit. num*. 347. Sà *cit. n*. 16. Henriq. *lib*. 11. *c*. 15. *n*. 10. Sanchez *cit. lib*. 9. *disp* 23. Syluius *cit. art*. 1. *quæsit*. 2.

Reginald. Henriq. Sanchez. Syluius

6 A reddendo debito excusatur coniux ex impotentia coeundi: quia impossibilium non est obligatio; peccatum tamen esset mortale de industria talem impotentiam sibi procurare, quia notabilem iniuriam proximi habet coniunctam: & hoc verum, non tantum cùm quis scienter reddit se impotentem modo illicito: vt per crebras pollutiones aut accessus ad alienas sed etiam cum scienter modo licito, vt per notabilem excessum in vigiliis vel ieiunio: culpa tamen vacat coniux sa bona fide extenuans honestis studijs & seruans Ecclesie ieiunia aliáve ex deuotione moderata, quia per hæc efficitur quidem minus potens; non tamen inpotens ad reddendum, vnde maritus ex iure iustitiæ non tenetur vti calidis vt ad copulā potens efficiatur, sed sufficit vt non reddat se impotentem: aliquando enim lege charitatis ad id tenebitur, dū sine corporeæ salutis detrimēto notabili id potest efficere, & vxor graue incōtinētiæ periculum patitur; nisi frequentius sibi coniugalis copula subueniatur: similiter non licet vxori ita se abstinentijs & vigiliis dedere vt deformis ac viro exosa reddatur Vide Syluestrum *ver. Debitum, num*. 2. Sanchez *lib*. 9. *disp*. 3. *num*. 2. Reginaldum *cit. n* 285. D. Thomam 4 *d*. 32. *quæst*. 1. Rosellam *verb. Debit. num*. 2. Fillincium *tr*. 10. *n*. 305 D. Antonin. 3. *p. tit* 1. *c*. 20. §. 10. Armillam *v. Debit. n*. 2. Pontium *lib*. 10. *c*. 2 *n*. 7. *et* 8. & alios.

Syluester Sanchez Reginald D. Thom. Rosella Fillincius. D. Anton. Armilla pontius.

7. Quamuis coniuges communi consensu à copula abstinere possint secluso incontinentiæ periculo ne prolem multiplicent, quam alendo non sunt vt docent Nauar. *c*. 16. *n*. 24. Graffiis 1. *p. lib* 2. *c*. 83. *n*. 5. Sanchez *c. d*. 25 *n*. 2. Reginald *c n*. 289. Sà *v. Debit. n*. 18. Diana *p*. 3. *de Sacr. resol* 213. Sylu. *c. art. 1. quæsit*. 3. & alii: nō eximitur tamē coniux à debiti redditione alteri coniugi petenti, gratia non multiplicandi prolem, quia faceret cōtra finem matrimonii primarium; qui est procreatio prolis, verùm non esset mortale ob eam causam debitū negare, quando nō esset incōtinentiæ periculum in altero coniuge, quia aliis iustitiæ debitis persoluendis excusat magna incommoditas, & difficultas in alendis filiis videtur esse causa sufficiens ad illum excusandum. Licet Layman, putet esse mortale, *lib*. 5. *tract*. 10. *p*. 3. *c*. 1. *n*. 16. qui pro se citat Nauarrum, & Syluestrum.

Nauarr. Graf. Sanchez. Reginald. Diana Syluius

Layman. Nauarr. Syluest.

8. Debitum reddere potest & tenetur coniux alteri coniugi petenti illicitè, quando in exigente culpa lethalis est, non ob aliquam circunstantiam tenentem se ex parte actus, sed ob solam circunstantiam personæ exigentis, puta si malo fine petat vel ratione voti castitatis quo ligatus est; quia petens cū huiusmodi circunstantiam non amisit ius petendi quamuis illicitè petat, tamē quando vitium personale priuat coniugem iure debitum exigendi, tunc alter reddere non tenetur, sed iustè potest denegare vt si coniux contrahat affinitatem cum suo coniuge per copulam habitam cum eius consanguinea, vel cognationē spiritualē cum eo; quia ex quo actor perditus petēdi, reus habet ius non debendi, negandi, & excipiendi; si autem sit periculum incontinentiæ in coniuge priuato iure petendi ob affinitatem, aut cognationē spiritualem, lege charitatis tenetur alter Inocens ei succurrere siue, petendo siue redendo exigenti, aduertè tamē coniugē ipsū qui affinitatē aut cognationem contraxit, aut voto castitatis ligatus est, non posse reddere debitū alteri, quoties ex lege iustitiæ reddere non adstringuntur. Henriquez 11. *c*. 15. *n*. 8. Coninch *disp*. 34. *dub*. 4. *n*. 28 Sanchez *d*. 6 *n*. 8. 13. 14. Bonacina *cit. parte* 3. *num* 3. Couarruuia. 4. *decret* 2. *par*. *c*. 7. §. 2. *num*, 5. Sylu. *v. Matrim*. 8. *q*. 15. *dict*. 7 Syluius *cit. art*. 1. *quæsit*. 1. & alii.

Henriq. Coninch. Sanchez Bonacina

9 Debitum reddere mortale est quoties petens peccat mortaliter ob aliquam circumstantiam ipsius actus coniugalis, & non solum ob solam circumstantiam personę v. g. si petatur debitum in loco sacro, aut publico aut cum periculo abortus, quia sicut petito afficitur illa praua circumstantia, ita redditio, vtraque enim pollut locum sacrū aduersatur honestati, estque in tertii damnum. P. Soto *de matr. lect*. 16 Bonacina *c. n*. 4. Sanchez *c. n*. 16. Syluius *cit*. Ex quibus inferunt quidam peccare mortaliter mulierem reddendo debitum viro, qui saturandæ libidinis causâ coitum incipit, sed postea, ne sequatur generatio, subtrahit se & effundit semen extra vas Ratio illorum est, quia materiam alteriús noxę præbere criminosum est ac turpe; facit id mulier, cum se uiro substernit nexum postulanti corporum ad scceleratam explendam libidinem, nam si eū à sinu suo repelleret, si à complexu non peccaret; materiam ergo ei peccati suppeditat, ergo non sine scelere hoc facit. Nihilominus ab hac sententia recedit Pontius *de matrim. lib*. 10. *c*. 11. *num*. 8. docens peccare quidem grauiter virum, & fœminam, si de eius consensu id fiat, at si illa non consentiat, licitè posse redere, & petere debitum à marito, etiamsi ille perperam redditurus sit, quia quoties peto actum ab aliquo, quem ille potest bene vel male præstare, non pecco neque præbeo causam peccati alter enim sua malitia malè facit, cum rectè possit facere. Si vera esset illa prior sententia, non solum non posset vxor marito ita prauè affecto debitum reddere petenti, sed neque ab eo petere, eadem enim militat ratio.

Bonacina Sanchez Syluius

10 Debitum non est negandum petenti solū cum peccato veniali siue ob circumstantiam personæ, siue propter circumstantiam actus illicitè petatur, quia adest semper iusta causa excusans reditionem, uidelicet no displiceatur petenti, & ne oriantur lites & discordiæ inter coniuges, ne priuetur absque culpa iure reddendi Ita contra Bonacinam *de matrim q* 4. *p*. 3 *n*. 9. 10. Henriquez *lib*. 11. *c*. 16. *n*. 6. Sanchez *lib*. 9. *disp*. 16. *n*. 8. Diana *de Sacram. res*. 296 *p*. 3. & alii.

Bonacina Henriq. Sanchez Diana

11 Debitum coniugale negare licet ad vitandum magnum in bonis pecuniariis, aut in fama detrimentum, vel ad magnam in illis commoditatem acquirendam, vnde quoties ad familię gubernationem, & rei familiaris necessitatem exigitur coniugis absentia copulæ impeditiua etiam per longum tempus, non debet censeri impedimentum irrationabile, & illicitum. Nauarrus *c*. 16. *numer*. 32. Sotus 4. *distinct*. 32. *q*. 1. *art*. 3 Sanchez *citato. disp* 4. *num*. 13. & alii.

Nauarrus Sotus Sanchez

12 Qui communem prolem suæ coniugis in necessitate baptizauit, vel de Sacro fonte leuauit, quando scilicet non adesat alius qui eam baptizaret, secundum communem Doctorum sententiam potest petere, & reddere debitum non obstante cognatione spirituali contracta cum sua coniuge, quia æquum non est, vt aliquis subeat pœnam priuationis debiti absque sua culpa, & ex eo quod satisfecit suę obligationi baptizans filium ne in æternū periret, & id damnum sentiret. Valentia *tom*. 4. *disp*. 4. *quæst*. 2. *punct* 3. *c*. *Ad limina* 30. *q*. 1. Henriq. *lib*. 2 *cap*. 28 Coninch *d*. 34. *disp*. 8. *num*. 69. Syluius *in supplem quæst* . 56. *artic*. 1. & alii.

Valentia Henriq. Coninch

13 Qui scienter aut ex malitia extra necessitatem baptizat, aut tanquam patrinus in Baptismo, vel confirmatione tenet communem filium aut proprium alterius coniugis secundum probabiliorem sententiam, priuatur potestate exigendi debitum coniugale, illud tamen tenetur reddere. Ita Sanchez *cit. d*. 26. *n*. 7. Reginaldus *lib*. 31. *n*. 291 Sà *v. Matrim. Impendes. num*. 5. Syluius *cit*. & alii probabile etiam est hunc non priuari iure petendi debitum, quamuis grauissimè peccauerit, & ob id sit puniendus Ita Zambaranus *de bap. cap*. 2. *dub*. 18. *num*. 8. Diana *part*. 5. *tract* 3.

Sanchez Reginald. Syluius

Præposit. Hurtadus.

*tract.3.resolut.*25. Præpositus 5.*p.q* 67. *artic.6.dub.2.n.7* Hurtado *de matrim.disp.*10 *diffic.6.* Id enim prohibetur *c.1.& 2.* 30.*q.1.* quorum sententiæ adhæret Hurtado.

14 Coniux, qui affinitatem contraxit cum suo coniuge adulterando cum eius consanguineo, vel consanguinea, non potest ab eodem altero debitum petere, tenetur tamen petenti reddere; hæc autem priuatio debiti locum habet quantumuis copula sit occulta, ante omnis iudicis sententiam, & etiam in ipso altero coniuge, si consenserit in adulterium, quo contracta est affinitas ipsa iniqua; non incurreretur autem ipsa priuatio ob adulterium cum affine coniugis aut cum propria consanguinea, quia illam ius non imponit: consequenter secundum hanc doctrinam coniux, cui debiti petitio interdicta est ratione affinitatis, peccat mortaliter petendo non obtenta dispensatione, quia contrauenit Ecclesiæ præcepto in re graui. Henriquez *lib.11. cap.15.num.11.* *Candelab.aureum de matrim* 1 *part.num.97.* Bonacina *cit.part.2.* Diana *tract. de Sacrament. resol.* 196 *part.*3. Syluius *in supplem.quæst* 58.*art.4 concl.2 & 3.* & alii.

Henriq. Bonacina Diana Syluius.

An autem impediatur à petitione debiti qui habet rem cum muliere in tertio & quarto gradu cum sua vxore coniuncta sibique eodem gradu affine? dicendum est quod non; quia hoc iure probari non potest Ita Nauarrus apud Dianam *tract* 5. *misc.resol.*19. *p.*3. & communiter Doctores docent affinitatem incestu contractam vsque ad secundum tantùm gradum, impedire petitionem debiti quod etiam fertur sacram Congregationem declarasse, & meritò: quia affinitas non impedit, neque dirimit matrimonium, nisi ob copulam ad quam ordinatur, quia est indecens inter affines: ergo eo ipso quòd dicta affinitas restricta est per Tridentinum, vt non impediat, neque dirimat matrimonium, nisi in primo & secundo gradu, etiam censetur restricta vt non impediat petitionem copulæ, nisi in eisdem gradibus. Vnde quamuis petere debitum, sit distinctum à contractu matrimonij, eo tamen ipso quòd affinitas non obstat contractui, neque obstat petitioni debiti. Ita etiam Pontius *de matrim.lib.7.cap.*33. Sanchez *lib.9. disp.27. nu.*14. & alii multi ab ipso citati. Contra Paulum Comitolum *in resp.Mor.lib.1.q.*138. & alios.

Nauarr. Diana

Pontius Sanchez Comitol.

15 Non priuatur vxor iure debitum coniugale petendi, quando per vim absolutam, aut metum grauem cogitur ad copulam cum consanguineo viri in primo vel secundo gradu, quia æquum non est, vt qui caret culpa, subeat pœnam priuationis debiti contra nonnullos Doctores, qui putant vxorem ex metu graui incestum committentem priuari iure debitum exigendi. Ita Nau.*c.*27 *n.*63. in simili. Contra Sanch. *disp.*31.*n.*4. Reginald *n.*295.

Nauarr. Sanchez Reginald.

16. Coniux, qui post matrimonium contractum contraxit affinitatem, vel cognationem spiritualem cum suo coniuge ex ignorantia iuris vel facti inuincibili, non priuatur iure debitum petendi; quia iura prohibent debiti petitionem, quando affinitas, vel cognatio spiritualis scienter contracta est: imò valdè probabile est, quamuis quis habeat scientiam legis, & facti, nesciat tamen ex huiusmodi copula cum consanguinea vxoris in primo & secundo gradu consurgere priuationem iuris petendi debitum ab vxore, hunc non priuari iure petendi, quia ignorantia pœnæ sicut excusat ab incurrenda excommunicatione, irregularitate ex delicto, & aliis censuris, ita ab incurrenda priuatione iuris debitum petendi. Vide *v. Ignorantia n.*17. Ita Sa, *v. Debit.n.*13. Henriquez *lib.*11. *c.*15 Suarez 3.*p disp.*67. Nauarr. *c.*16.*n.*33. & *c.*23.*n.*47. Sanchez *disp.*32. Diana *tract.*5. *misc.resol* 12.*p.*3. & alii.

Sa. Henriq. Suarez. Nauarrus Sanchez. Diana

17. Dubitans de valore sui matrimonii, non potest petere debitum coniugale ante diligentiam adhibitam in assequenda cognitione veritatis; quia petendo exponeret se periculo fornicationis, cùm fieri possit vt matrimonium sit inualidum; tamen dubitans tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti, qui non dubitat de validitate matrimonii; nam alter habet ius petendi, & est in possessione; cùm melior sit conditio possidentis; & hoc verum quoad redditionem non solum post adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem, sed etiam ante illam adhibitam, quia ex duobus malis minus est eligendum, quando alioquin perplexus quis esset vinculo peccati ad vtramque partem, siue agendo, siue omittendo agere, sed minus malum est reddere, quam non reddere, cum illud non opponatur tantum virtuti castitatis, hoc autem iustitiæ. Bannez 2.2.*quæst.*62.*artic.* 6. *dub.* 5. Rodriquez *tom.1.Summ.cap.*242. *numero quartò* Reginaldus *citat. num.*299. Henriquez *lib.*12.*cap.6.num.*5 *&* 7. Syluius *in supplem.q.*45.*artic.4.q.*5. Diana 4.*part.tract* 3.*resolut.*15. & alii.

Bannez. Rodriquez Reginald. Henriq. Syluius Diana.

18 Qui post adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem, adhuc dubius manet de validitate, sui matrimonii bona fide initi, potest non solum reddere sed etiam petere debitum coniugale, quia coniux adhibita sufficienti diligentia laborat ignorantia inuincibili, quæ excusat à peccato, & non obstante dubio speculatiuo de valore matrimonii, potest practicè iudicare sibi licere illo vti, cum pro se stet possessio: quando verò vterque coniux dubitat de valore matrimonii bona fide contracti neuter potest petere vel reddere ante sufficientem adhibitam diligentiam, quia vterque exponeret se periculo fornicationis, post diligentem verò inquisitionem vterque potest petere, & reddere. Valentia *tom.4. disp.*10 *quæst.6 punct.*2. Coninck *cit. n.* 105. Reginaldus *cit.n.*89. Diana *de Sacram.resol.*295.*p.*3. Bonacina *de matrim.quæst.4.p.4 nu.*6. Filliucius *tr.*10.*p.*1. *n.* 343. Syluius *c quæsit.*5. & alii.

Valentia. Coninck. Reginald. Diana. Bonacina. Filliucius. Syluius.

19 Qui mala fide contraxit matrimonium, dubitans de aliquo impedimento dirimenti, non potest illo vti debitum petendo, quia nullum ius petendi acquisiuit per matrimonium cum tali dubio contractum, cum possessio mala fide incepta ius non tribuat tamen tenetur reddere coniugi petenti qui bona fide contraxit, nec dubitanti de matrimonii valore; hic enim cum ius ad copulam acquisierit, non potest suo iure spoliari ob malam fidem alterius, donec constet irritum esse matrimonium: quando autem vterque coniux mala fide contraxit dubius de impedimento aliquo dirimere, neuter potest petere vel reddere. Sanchez *l.2.disp.*42.*n.*2 Coninck *c n.*101. Henriq. *lib* 12.*c* 6.*n.*5. & alii.

Sanchez. Coninck. Henriquez

20 Opinnas probabiliter matrimonium à se bona fide contractum esse nullum, non potest debitum petere, sed tenetur reddere non opinanti: si tamen pro validitate, & nullitate matrimonii opinionem probabilem coniux habeat, tunc potest petere, & reddere cum possit sequi opinionem probabilem relicta probabiliore. Ita Reginald. *c.n.*301 Sanch. *l.*2 *disp.*44.*n.*4. D. Thom. *in sup.q.*55.*art.*9.

Reginald. Sanchez. D. Thom.

21 Debitum coniugale non potest petere nec reddere coniux, qui moraliter certus est matrimonium suum esse nullum, quia ex parte sua cognoscit scienter fœminam non suam, quod est intrinsecè malum; & hoc verū quamuis matrimonium contractum sit bona fide ab altera parte, & compellatur ab Ecclesia per excommunicationem, aut etiam si sequātur grauissima scandala, incōmoda, & vitæ periculum: tum quia hæc excommunicatio cum sit iniusta, & nitatur falsa præsumptione, coram Deo ligat. Tum quia si contrarium diceretur, sequeretur fornicationem aliquando esse licitam, videlicet propter famæ, vel vitæ periculum, sed hoc dicere est erroneum, cum fornicatio sit intrinsecè mala. Ita Coninch *d.34.disp.*10.*num.*96. Nauarrus *cap.* 16. *num.* 39. D. Thom. *4.disp.27.quæst.1.art.2.quæst.*4. Sanchez *lib.2.disp.*39. *n.*5.7. Syluius *in suppl.q.*45 *art.4.quæsit.*5. & alii. Quamuis Magister sententiarum, Hugo de S. Victore, Hostiens Perez, & Molses. *in Sum.to.1.tr* 4.*c.*14.*n.*90 apud Dian. *p.*4 *tr.*4. *res.*48. doceāt cōtrariam opinionem probabilitatem habere; nempe mulierem teneri reddere debitū viro ignoranti impedimentum dirimens, si per illum sit occidenda, cum enim vir sit in bona fide, vtitur iure suo petendo debitum, & illa erit fornicatio materialis, & mulier magis tenetur non facere alteri apertam iniuriam, quam vitare periculum fornicationis materialis. Sed hæc sententia non est admittenda, cum contrarium definiatur *in c. Inquisitioni de sent. excomm* & illam erroneam, & falsam vocant Sanchez *c.*

Coninch. Nauarr. D. Thom. Sanchez. Syluius. Hugo de S. Victore. Hostiens. Perez. Molsesius. Diana.

22 Coniux dubitans de valore sui matrimonii, siue post examen, siue antea, non tenetur reddere debitum in priori bimestri: quia alter nō habet ius petēdi; qui antē post bimestre necdū consūmauit matrimoniū, & dubitās

de eius valore potest reddere debitum, ne vitra tempus bimestre signatum à iure, alterum coniugem detineat: quia non tenetur cum tanto detrimento suo, vel alterius aut Religionem ingredi, aut à redditione debiti in dubio abstinere, vnde licitè illi periculo materialis fornicationis se exponit. Ita Vasquez 1. 2. *disp. 66. cap. 6. n.* 33. Salas 1. 2. *tr* 8 *disp. vnic. sect.* 22 *n.* 208.

Vasquez. Salas.

Vide *Ieiunium* 2. n. 10. *Incestus* n. 6. *Matrimonium* 7. num. 37. 81.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *In ipso actu coniugali confertur gratia ex opere operantis, non autem ex opere operato.*

2 *Debiti coniugalis petitio, propriè loquendo, nunquam est in pracepto.*

3 *Ius ad petendum, obligatioque ad reddendum debitum sunt passiones, qua necessario sequuntur ex natura ipsa matrimonii.*

4 *Coniux impeditus ad debitum petendum, quomodo possit aliquando se offere vxori ad vsum coniugalem.*

5 *Si ambo coniuges vouissent se non debitum petituros, possent tamen ambo copulari, quando quilibet agnosceret in altero periculum incontinentie.*

6 *Licet coniugi ita impedito exigere debitum ab altero, vbi in ipso periculum incontinentia sentiret.*

7 *Periculum incontinentia coniugis incestuosi non prabet causam iustam debitum petendi nondum obtenta dispensatione*

8 *Verius est diebus feriatis, rogationum, aut ieiunii, solum esse consilium à copula coniugali abstinere.*

9 *Conueniens est post copulam coniugalem, siue petendo siue reddendo, exercitam, ea die à communione abstinere, nisi aliqua iusta causa oppositum suadeat.*

10 *Debitum petere aut reddere in loco publico, culpa mortalis est, imò tactus inter coniuges facti aliis videntibus redduntur illiciti, si ad venerem excitent aspicientes.*

1 IN ipso actu coniugali confertur gratia ex opere operantis, vt in aliis actibus bonis, non autem ex opere operato cum non sit Sacramentum, nec pars eius necessaria. Gratia autem Sacramentalis confertur ex opere operato dũ Sacramentũ ipsũ matrimonij per verba de præsẽti celebratur. Olim ante Cõcilium Tridentinum, cum matrimonia clandestina erant valida, & dum sponsalia de futuro transibant per copulam in matrimoniũ dabatur gratia ex opere operato in ea priori copula, quia vicem formæ sacramentalis gerebat explicabat enim cõsensũ de præsenti, vt docet Bellarm. *lib. vnic de matr. c.* 5. Imò hodie copula ipsa potest aliquando perficere matrimonium, quod prius per verba de futuro erat initum, & tunc confert gratiam ex opere operato, tanquam forma perficiens Sacramentum, vt quando tam sponsalia de futuro, quam copula sunt coram eodem Parocho, & testibus. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 40 *nu* 7. Ratio est, quia mutuus consensus de præsenti, sufficienti signo externo manifestatus coram Parocho, & testibus, constituit matrimonium; sed illa copula post sponsalia est sufficiens signum externum consensus de præsenti, vt constat ex *c. Is qui de sponsalibus*.

Bellarmin. Sanchez.

2 Debiti coniugalis petitio, propriè loquendo de petitione, nunquam est sub præcepto. Probatur, quia nullus tenetur vti iure suo, quod pro se tantum introductum est, sed potest illi cedere, *cap. Apostolicam de regul.* Nec tenetur quisquam nondum exactus, id debitum creditori offerre, quod eius naturæ est, vt non debeatur nisi exactum, huiusmodi autem est debitum coniugale. Aliquando tamen altero coniuge minimè petente, tenetur alter ob periculũ incontinentiæ præuenire; verum id non est propriè petere, sed quodam modo reddere moraliter loquendo; sicut dum aliquis inimicum, qui habet ipsum inclusum ad eum occidendum, præuenit, ipsum interficiens, metaphysicè est aggressio, moraliter autem defensio. Ita communiter Doctores.

3. Ius ad petendum, obligatióque, ad reddendum debitum, sunt passiones, quæ necessariò sequuntur ex natura ipsa matrimonii. Ratio est, tum quia vinculũ coniugale suaptè natura eo tendit, vt proles generetur, speciésque conseruetur, quod obtineri nequit absque iure petẽdi, & obligatione reddendi. Tum quia matrimonium transfert dominiũ mutuũ corporũ coniugũ, ex dominio autẽ cõsurgit ius vtendi re sua, & obligatio ipsá reddendi Domino petenti. Tum quia id probatur ex secundario matrimonij fine; cùm enim sit in concupiscentiæ remedium, inefficax, & minùs sufficiens esset absque iure petendi, & obligatione reddẽdi, vt habet cõmunis Doctorũ sẽtẽtia.

4 Qui non potest petere debitum coniugale ob prohibitionem, si prohibitio oriatur ex voto castitatis, vel affinitatis ex incestu, potest aliquando se offerre vxori ad vsum coniugalem eo fine, vt non reddat ei onerosum matrimonium, non tamẽ in gratiã sui, nẽpe, vt suo appetitui morem gerat. Ratio est, quia hoc petendi genus est quodammodo reddere, cùm in solius vxoris gratiam sit, quę verecũdia solet ab exactione debiti id optans arceri. Ita D. Thomas *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 2 quæstiunc. 2. ad 4.* Siluester *v. Matrimonium 7. q. 5. dist. 4.* & alii. Si petas, quoties id liceat? Quidam putant id licitè fieri quater, vel aliquoties in mense. Sed melius alij docẽt id remittẽdum arbitrio prudentis, quoties scilicet marito visum fuerit honestum: quia cum quædam fœminæ aliis in venerem propensiores sint, atq; ita frequentiùs concubitũ appetat viri: ab alijs sæpius quàm quater, ab aliis verò rarius in mense exigere licebit: vnde ad hoc librandũ, attẽdẽda est conditio natiua vxoris, ac eius in venerem propensio, vt bene docet Victoria *Summ. de matr. n.* 293. Quando autem vxori petitio debiti interdicta est ob castitatis votum, affinitatem, vel cognationem cum viro, regulariter nõ est idem iudicium, quia cessat omninò ratio proposita, non enim viro indecens est, nec ipsum pudet debitum exigere, & sic nõ redditur ipsi onerosum matrimonium, si semper dum appetit, cogatur petere; quare si ipsi non petenti mulier se offerat, censebitur petitio, ac proinde ratione impedimenti sibi interdicta. Si tamen maritus talis esset, vt more feminæ non audeat petere, tunc idem dicendum est de fœmina, quod dictum est de viro. Ita Nauarrus *in Man. c.* 16 *n.* 30.

D. Thom. Siluest. Victoria. Nauarr.

5 Si ambo coniuges promisissent Deo, se minimè debitum petituros, possent tamen ambo copulari, quando quilibet agnosceret alium indigere, vt propter periculum incontinentiæ. Ratio est, quia tunc neuter verè petit, ac proinde neuter peccat aduersus votum; & ex alia parte est quodammodo reditio; cùm neuter gratia sibi satisfaciendi, sed annuendi voluntati alterius coniugis, cui reddere tenetur, accedat. Idem dicendum quando vterque coniux nouit alterum affectare copulã, & petiturum, si posset; quia est quodã modo redditio, & in gratiam alterius. Ita Angelus *verb. Matrim. 3. impedim. 5. num.* 5. Nauarrus *cit. num.* 31. Emmanuel Sà *verb. Debitum coniugale, num.* 3. & alij. Cauendum tamen est, ne intemperãtia decipiat, & in dubio potius est abstinẽdum, quia sic securè procedet: si autem coniuges non mutuo consensu castitatem vouerint, alterque signa petitionis ostendat, reus erit culpæ hic; quia ea est petitio interpretatiua, & tacita; alter verò annuens vacabit culpa verè enim reddit, ad quod tenetur.

Angelus. Nauarr. Emm. Sà.

6 Licet coniugi ita impeditò exigere debitum ab altero, vbi in ipso periculum incontinentiæ sentiret: quia hoc est quodammodo reddere; tum quia Impedimentum voti, affinitatis, vel cognationis non obligat ad non petendum cum dispendio ruinæ alterius coniugis. Imo teneri coniugem sic impeditum, petere, meritò docent. Hẽriquez *lib. 11. de matrim. cap. 15. num.* 9. Petrus de Soto *lect. 14. de matrim. ad finem.* Ratio est, quia quicumque proximus tenetur lege saltem charitatis opem ferre proximo, periculo ruinæ spiritualis exposito, si commodè potest, nedum ipsimet coniuges, qui tam arcto amoris, & amicitię vinculo astricti sunt, tenebuntur sibi mutuò in hoc casu subuenire, dum patiuntur idem periculum. Notandum tamen est, quod vir ita impeditus non posset exigere debitum, si solùm timeret lapsum vxoris in incontinentiam, eo quòd sit ipse diù absuturus; nisi volun-

Henriq. P. Soto.

voluntatem vxoris petendi coniiceret: quia tali copula non subuenitur illi incontinentiæ. Porrò in hoc casu nullum discrimen est siue vir sit cui debitum petere est interdictum, siue sit fœmina quamuis cessante incontinentiæ periculo latum sit discrimen, vt dictum est suprà *num.* 4.

7. Incontinentiæ periculum coniugis incestuosi, qui affinitatem cum vxore contraxit, causam quidem secum dispensandi iustam præbet, non tamen petendi debitum nondum obtenta dispensatione, quia id nullo solido fundamento, aut iure licere probari potest; quia hoc suauitati iugi Christi non aduersatur, vt volunt, quidam, sicut nec votum castitatis impedire matrimonium contrahendum absque dispensatione, non obstantibus carnis tentationib. illi repugnat. Si dicas matrimonium post lapsum institutum esse, vt huic incontinentię subueniatur. Resp. quod ea se medicina destituit quoad facultatem petendi, qui castitatem vonit, licet matrimonio ligatus sit, & eadem quoad eundem effectum priuatus est propter affinitatem, aut cognationem iniquè contractam post matrimonium Ita Couar. 4. *decret.* 2. *part. c.* 7. *§.* 2. *num.* 5. Gutierrez *lib.* 1 *quæstionum canonic. cap.* 23. *num.* 6. & alii.

Couarruu. Gutierrez

8. Controuersum est inter doctores, an actus coniugaliis possit esse malus ratione circunstantiæ temporis? quidam enim dicũt esse peccatum mortale diebus feriatis, rogationum, aut ieiunii debitum exigere & præcipuè ob libidinẽ satiandã. Ita Glossa; Abulẽsis, & alii. Hæc sententia est improbabilis. Alij volunt culpam esse venialem debiti exactionem his diebus Ratio est, tum quia dies festi principaliter ad vacandum Deo orationique instituti sunt, carnali autem delectatio mentem absorbet & ad spiritualia ineptam reddit. Tum quia ieiunia præcipiuntur, vt caro maceretur, & sicut illicitas voluptates admittens delinquit, ita à licitis abstineat: ergo pręceptum est in iis abstinendi à vehementi delectatione, qualis in actu coniugali inuenitur. Ita Mag. *in* 4. *dist.* 32. *cap* 3. vbi D. Thom. Albertus, Durandus, & hæc est frequentior sententia, & satis probabilis. Alij volunt in præcipuis solemnitatibus, culpam esse venialem exigere, quia actus coniugalis habet nonihil indecentiæ, & ineptitudinis ad orationem, cui illis diebus vacandum est; in cæteris autem festis, publicis supplicationibus, & ie uniis dicunt solum esse consilium abstinere. Ita Sotus *in* 4 *d.* 32. *quæst. vnic. art.* 3. *concl.* 2 Henriquez *lib* 11. *de matrim. cap.* 16. *num.* 5. Et hæc sententia est satis probabilis. Verius tamen est solum esse consilium quibusuis diebus à copula coniugali abstinere, ac proinde omni culpa vacare tunc exigere. Ratio est, tum quia præceptum de colendis Festis prohibet solas operationes externas, seruiles, qualis non est debitum petere; & finis præcepti, nempe, vt liberiùs vacetur Deo, non cadit sub præcepto: Tum quia, in diebus ieiunij nemo tenetur ad aliam carnis macerationem, quam ad eam, quę est ab Ecclesia præscripta est, quæ est abstinẽtia à pluribus comestionibus, & cibis vetitis. Tũ quia, culpa nõ est, vbi nullius pręcepti adest prohibitio, quod hic cõtingit. Deinde omnia testimonia Sãctor. Patrũ inserta in Decreto, ad probandũ non esse petẽdum debitum diebus feriatis, aut ieiuniorũ, loquuntur de cõsilio solo; vnde vim canonis minimè habent, quæ in decreto continentur, nisi ex Pontificis, aut Concilij Generalis decreto desumpta sint. Ita D Bonauent. *in* 4. *dist.* 32 *art.* 3. *quæst.* 2 Scotus *ead. dist.* 32. *quæst. vnic. in sol. ad* 3. Caietanus, Rosella, Angelus, Rodriguez cum Sanchez *de matrim. l.* 9. *disp.* 12. *n.* 5. Quoad redditionem autem multò probabilior est sententia asserens nullum esse peccatum; quia circumstantia illa temporis non est tanti momenti, vt debitum ex iustitia soluere impediat.

Mag. D. Thom. Albertus Durandus. Sotus. Henriquez

D. Bonau. Scotus Caietanus. Rosella. Angelus Rodriguez Sanchez

9. Debitum exigens die, qua Eucharistiam sumpturus est, aliqui existimant absolutè culpam esse venialem. Ratio illorum est, quia actus meritorius, & sub lethali obligans, arcet quandoque ab altaris ministerio propter indecentiã, vt si iudex homicidã suspendat. Nil ergo mirum, si actus licitus debitum exigendi, ac meritorius, obstet propter indecentiam sumptioni Eucharistiæ. Hanc sententiam tuentur plerique Theologi, Alensis Abulensis, Sotus, Caietanus, Victoria, P. de Ledesma, Sà & alij.

Nonnulli censent nullam esse culpam, quia actus ille cum licitus ex se sit, non impedit, nec si in eo interfit de ordinatio aliqua venialis, satis est ad impedimentum. Ita Couarruuias *clement. si furiosus de homicid. p* 3 *nu.* 7. Cæterum conuenientissimum est post copulam coniugalẽ, siue petendo, siue reddendo exercitã, abstinere ea die à communione, idque consulendum est, nisi iusta aliqua causa oppositũ suadeat. Imò si debitum petitũ sit recto fine, vt causa prolis, nulla est culpa ad Eucharistiam ea die accedere, sed solum est consilium abstinere, suoq; iudicio is coniux est relinquendus, vt pro ratione impementi, aut spiritualis affectus, quem in se senserit, aut cõmunicet, aut abstineat. Iuxta *cap. vir cum propria* 33. *q.* 4. Ratio est, quia licet in copula cuniugali intercedcedat voluptas, & corporalis immunditia, cum hæc accidant ob bonum prolis, quod est rectus finis & uolitus a Deo, rationi illi indecentiæ præponderat; vel certè illam adæquat, compensatq; bonum, ac honestas prolis. Ita D. Thõ. 3. *p. quæst.* 80. *a.* 7. *ad* 2 D. Bonauentura *in* 4. *dist.* 12. *art.* 2. *quæstion.* 3. *ad fin* Suarez 3. *part. disput.* 68 *sect.* 2. *ad fin.* Idem dicendũ vbi finis concubitus non esset proles, nec voluptas, sed incontinentię periculum euitare, ob eamdẽ rationẽ Debitum tamen exigens ex nimia carnis concupiscentia, & voluptatis capiendæ gratia, regulariter culpã venialem admittit accedens post eam copulam ad Eucharistiam. Quia oritur magna distractio, mentisq; hebetudo, dificienti bono præponderante, aut compensante. Sic tenent D. Thomas, Bonauentura, Antoninus, & alii quos refert, & sequitur Sanch. *de mat. lib.* 9 *disp.* 13.

D. Thom. D. Bonau. Suarez.

D. Thom Bonauent. Antonin. Sanchez.

10 Debitum petere, aut reddere in loco publico, culpa mortalis est, quia aduersatur decentiæ, & honestati humanæ, essentque sic coeuntes maxima ruinæ occasio aspicientibus. Atque adeo natura abhoret publicum hũc concũbitum, vt nulla necessitate excusari valeat. Imò tactus inter coniuges alias liciti redduntur illiciti, quando aliis aspicientibus habentur, quia ad venerem excitãt aspicientes. Qualitas autem culpæ pensanda erit ex tactuum qualitate, & astantiuum fragilitate, si enim tales essent tactus, vt valde astantes inducerent ad venerem, attenta eorum fragilitate, esset culpa lethalis, quia coram aliis efficere id quod suaptè natura ad mortale inducit, mortale peccatum est. Ita ex communi sententia Eman. Sà *v Peccat. n.* 10.

Vide Adulterium *num.* 19. Priuilegium *num.* 8. *vers. Quintum*.

D E B I T V M.

Coniugale II.

Quoad illius rectum vsum.

S V M M A R I V M.

1 *Conditiones requisitæ, vt actus matrimonialis sit licitus, ac meritorius, & quomodo ex parte modi reddatur vitiosus.*

2 *Circa modum peccant etiam coniuges, non vtendo vase naturali, & seminando extra illud.*

3 *Quotuplex sit finis vsus matrimonii.*

4 *Actus coniugalis, an possit esse mortalis ex circumstantia finis*

5 *Petitio debiti causa vitandæ fornicationis in petente, vel ob sanitatem, an sit peccatum veniale.*

6 *An vsus coniugii propter voluptatem, sit culpa lethalis vel venialis.*

7 *An cum periculo abortus.*

8 *Accedere ad vxorem, tempore menstrui naturalis, an sit peccatum*

9 *An vxor peccet mortaliter reddendo debitum viro tempore menstrui*, refertur duplex sententia.

10 *Intimatur potestas quam vterque coniux habet super corpus alterius.*

11 *Coniuges debent conari, vt simul seminent in actus coniugali, licet aliquando excusentur non seminando.*

12 *Quando a mortali possit vir excusari non seminans,*

etiamsi fœmina iam seminarit.

13 *Si coniugibus superueniat impotentia intra vas seminandi matrimonio consumato, an illis liceant amplexus, oscula, & tactus, & an peccet mortaliter fœmina statim post coitum mingens.*

14 *An coniuges teneantur cohabitare in eodem thoro, & domo: & an peccent mortaliter, qui vagantur per alienas prouincias, & an mulier teneatur sequi virũ.*

15 *Si maritus pellatur in exilium, excommuniceitur, vel aliò transferat domiciliũ, an teneatur vxor illũ sequi.*

CVm diuersis modis peccare possint coniuges, in vsu sui matrimonii, & multa à DD. aotiquis documenta circa banc materiã dentur, quę à modernis nõ recipiuntur; ideò doctrinam receotiorum authorum in fauorem ipsius matrimonii sententium, amplectemur, sequentibus cooclusionibus.

1 Vt actus matrimonialis licitus sit, ac meritorius obseruandæ sunt conditiones iudicatæ his versibus.

Sit modus, & finis sine damno solue, cohære.
Sit locus, & tempus, tactus, ne sperne votum.

Ex parte *modi* vel situs redditur congressus coniugalis vitiosus, cum aduersatur naturali coocubendi modo, qui talis esse debet, vt mulier succuba, vir autem incubus sit; vnde quadrupliciter fieri potest coniunctio naturalis modo indebito. *Primò*, quãdo masculus succũbit fœminæ & fœmina supergreditur. *Secundò*, quando copula fit præposterè retrò accedendo, sed in vase naturali *Tertiò* quando copula fit sedendo. *Quartò*, quando fit stando, in omoibus his modis cocundi rarò contiogit peccatum mortale modò seruetur vas naturale, & iotra illud semen viri recipi possit, ordinariè tamen grauissimum peccatum veniale est, nisi aliqua necessitas excuset, sicut excusat, quando vir propter pinguedinem, aut quando vxor est grauida, & carnaliter cogoosci non potest, nisi vir retrò accedat. extra hanc necessitatem increpandi sunt coniuges ita cocuntes. Ita Pontius *de matrim. lib.* 10. *c.* 11. Toletus *l.* 7. *cap* 24. *num.* 1. Henriq. *l.* 11. *c.* 16. *num.* 6. Coninck *d.* 34. *d.* 9. *num.* 80. Reginaldus *l.* 31. *num.* 335. Sanchez *l.* 9. *disp.* 16. *n.* 3. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *res.* 204. & alii, modo non iniciatur scrupulus de mortali, ne grauius ex errore conscientiæ peccetur.

Pontius.
Toletus.
Henriq.
Coninck
Reginald.
Sanchez.
Diana.

2 Circa *modum* etiam contingit coniuges mortaliter peccare, quaodo vase naturali dimisso abutuntur, aut volunt abuti non naturali, aut procurant voluntariè effusionem seminis extra legitimum vsum copulæ coniugalis, vel tali modo cocunt ex quo sequitur volũtaria seminis offusio extra vas: ratio horum omnium est, quia tũc impeditur generatio prolis in reliquis autem quę coniuges in copula efficiunt, seruato legitimo vase culpam venialem non excedit quia generatio minimè impeditur. Graffiis 1. *p.* / 2. *c.* 82. *n.* 13. Filliuc. *tr.* 10 *n.* 329. Reginald. *c. n.* 333. Sanchez *d.* 16. *n.* 4. Pontius *c. c.* 11 *n.* 7.

Graffis.
Filliucius.
Reginald.
Sanchez.
Pontius.

3 *Finis* vsus matrimonii, secundum Doctores multiplex esse potest inter coniuges, quorum primus est generatio prolis, fuga incontinentiæ, debiti redditio, significatio vnionis Christi cũ Ecclesia, sanitas corporis, delectatio carnalis: hoc posito dicendum est licitũ esse actũ cnniugalem relatum in bonum prolis, aut in bonum fidei nempe dum exercetur gratia prolis habendæ aut seruãdæ fidei alteri coniugi reddendo debitum, si hic finis in sola prole sistatur, à culpa veniali immunis oon erit, sed debet iotendi proles ad cultum Dei amplificandum, quia alias staretur in creatura nec bonum esset Sacrameoti; sufficeret autem ad meritum si in ipso actu coniugali proles actu, vel habitu referatur in Deum Bonacina *de matrim. quæst.* 4 *part.* 6. *num.* 6. Reginald. *c. num.* 336. Sanchez *c. d.* 8. *n* 2. D. Thom. 4. *d.* 31. *q.* 2 *art.* 2. *ad* 1. & alij communiter.

Bonacina.
Reginald.
Sanchez.
D. Thom.

4 Mortalis non est actus coniugalis ex circumstantia, nisi quando finis est mortalis, vbi verò finis est venialis, solũ est culpa venialis, & hoc intelligendũ de exigente malo fine, aut minùs legitimo, reddens enim omni culpa vacat, quia praua illa circumstantia ex parte solius petentis se tenens, oon inficit actum reddentis debitum ex iustitia, quando verò fines extranei in se tamen liciti fines principales non sunt ad quos primò actus coniugalis referatur, sed secũdarii, & motiui applicationis ad cõcubitum, nulla est culpa Syluest. *v debitum q.* 2. D. Antonin. 3 *p tit.* 1. *c.* 20. *§.* 7. Sanchez. *l.* 9. *disp.* 8. *n.* 11. & alij.

Syluester.
D. Anton.
Sanchez.

5. Secundùm probabiliorem sententiam, petitio debiti causa vitandæ fornicationis in ipsomet petente, tunc à culpa veniali immunis est quando adhibitis alijs mediis nequit coniux carnis stimulos sedare, secus quando potest conuenienter alio modo ab incontinentia abstinere, tunc enim erit veniale. Licet hæc limitatio alijs non placeat, cur necesse erit, inquiunt, nona remedia præferre, quando ad hoc medium coniugalis vsus booum est, & ad eum etiam fioem à Deo ordinatum, & ab Apostolo commedatum 1. *Corinth.* 7. Profectò valde anxii reddentur cooinges, præsertim qui sioe spe prolis copulaotur, si examinare debeant num aliis mediis v. g. ieuniis, alijsque carois afflictionibus incootinentiæ suæ mederi possint. Similiter est dicendum de petitione debiti ad tuendæ, aut restaurandæ sanitatis corporis finem, hæc enim culpa vacat, vbi nullum aliud aptum medium inuenitur ad eam instaurandam, vel tuendam: quia intendens sanitatem refert virtute actum illum in prolis bonum: cuius generationi morbo laborans ineptus est. Ita Henriquez l. 11. *de matrim. c.* 15 *num.* 4. Reginaldus *c. num.* 338. Rodriguez *t.* 1. *sum. c.* 24. *num.* 15. Layman *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 2 *c.* 4 & alij. Contrarium tamen est etiam probabile: quod tenent D. Thom. Palud Syluius, nempe esse peccatum veniale: Quamuis quidam absoluiè doceant, vsum matrimonij esse licitum, etiamsi pro tuenda valetudioe alia media proportionata occurrerent; nam in tali casu oulla potest ostendi inordinatio, cum coniux vtatur re in se non mala ad effectum honestum, ad quem oaturaliter est proportionata De vtroque casu vide Dianam *p.* 3 *tr.* 4. *resol.* 218. & 219

Henriquez
Reginald.
Rodriq.
Layman.

Diana.

6. Vsus coniugij culpa lethalis est propter voluptatem, quando voluptas matrimonii limites excedit, scilicet, quando coniux ita voluptate captus ad suum accedit, vt paratus sit ad accedendum quamuis suus non esset; quia talis verè habet animum fornicandi; in eo tamen accessu, vt sit mortale peccatum debet adesse actualis illa praua voluntas, & non sufficeret habitualis dispositio ad illum, quia nullus habitibus, sed actibus meretur, aut demeretur. Proinde esset culpa mortalis, si coniux in actu coniugali delectetur in alterius viri aut fœminæ cogitatione carnaliter delictorum quia est delectatio morosa in obiecto lethaliter malo; Si tamen dellectatio in nulla re turpi esset, sed in sola pulchritudine viri aut femine, ac posset io cogitatione arboris oulcbræ delectari, vt vel sic ad actum coniugalem excitetur, nulla videtur esse culpa lethalis: cùm delectatio in nullum turpe obiectum feratur, & ad honestum finem dirigatur: ab hoc nihilominus dissuadendi suot coniuges, ratione periculi. Vide Silnest *v. Debitum q.* 2. Sanchez *de mat. disp.* 17 *l.* 9 *n.* 6 venialis autem erit actus coniugalis solius voluptatis gratia exercitus, modo fines matrimonii non excedat: denique quamuis petens venialiter peccet ob prædictos fines, tenetur tamen alter reddere oec peccabit reddendo D. Thomas 4. *d.* 32. Toletus *c* 24. *l.* 7. *c.* 24. *num.* 1. Bonac *c. num.* 6. Syluius *in supplm. q.* 49. *conc.* 2. Nauarrus *c.* 16. *num.* 23 Coninchk *d.* 34. *dub.* 1. Diana *de circumst. res.* 35. *p.* 1. & alij. Tamen his non obstaotibus probabile satis est, accessum ad vxorem causa voluptatis non esse peccatum veniale: quia libido illa matrimonij limites minimè egreditur, etsi enim actu copula habeatur propter libidinem, habitu tamen refertur ad fines matrimonij, cum a priocipio coniuges matrimonium inierint propter illos fines, qua de causa coniuges à multis venialibus excusantur: quia honestum est capere delectationem in re, quam quis licitè potest operari: operans enim propter delectationem operatur simul ob honestum finem ex parte operis, licet ex parte sua, id est operantis, operetur propter fioem delectabilem. Ita Pontius *l.* 1. *c.* 21. *num.* 6. & 7. *lib* 10. *cap.* 8. Diana *p.* 3. *tr.* 4 *res.* 216. Sancius *in sel. disp.* 23. *n.* 25.

Syluester.
Sanchez.

D. Thom.
Toletus.
Bonac.
Syluius.
Nauarr.
Coninchk
Diana.

Pontius.
Diana.
Sancius.

7. Inter requisita ad rectum vsum matrimonij in versu enarrato ponitur, *sine damno*, hoc est, ut in ipso actu uitetur damnum; cuius conditionis defectu, peccatum mortale cõtingere potest in ipso usu matrimonii, quãdo inde periculum aborsus probabiliter timetur, ut accidit aliquãdo tempore coagulationis & formationis fętus, tũc enim matrix aliquando ob delectationem, aperitur, & materia non-

nondum perfectè coagulata effunditur adest etiam periculum fœtus, quando coniuges congrediuntur proximè ante partum, nam eo tempore periculum est vt fœtus suffocetur ob seminis abundantiam: tale tamen periculum rarò est ita certum hic, & nunc, vt teneantur coniuges illud sub mortali euitare. Vide Valentiam *tom. 4. disp.* 10. *quæst. 6 punct.* 2. Sanchez *l. 9. d.* 22. *num.* 1. Coninchk. *c. dub. 9. n.* 77. Syluest. *v. dub. n.* 8. Reginald. *c. numer.* 341. & alios.

Valentia, Sanchez Coninch. Syluest. Reginald.

8. Tempore menstrui naturalis, quod fœminæ pati solent singulis mensibus, ad vxorem accedere iuxta sententiam probabiliorem Doctorum, non est mortale, vt quidam volunt, vt plurimum tamen est veniale peccatum ob inhonestatem & turpitudinem naturalem, quæ reperitur in illo actu, uxor enim tunc temporis est inepta ad semen retinendum; quando autem fluxus menstruorum est innaturalis, & continuus, non est peccatum in viro accessus ad vxorem, alioquin rarò posset vti iure suo; si autem vir patiatur fluxum seminis, non peccat, neque venialiter petendo eum semen illud generationi si ineptum, & sic proles nullum inde patitur damnum Henriquez *lib.* 11. *de matrim. c.* 15. *n.* 7. Toletus *c. num.* 1. Siluius *c. conc.* 7. Rodriguez 1. *p. cap.* 242. *num.* 17. Sanchez *lib.* 9. *d.* 21. Diana *de sacr. resol.* 204. *p.* 3.

Henriq. Toletus. Siluius Rodrig. Sanchez. Diana

9. Secundum quorundam sententiam peccatum mortale est reddere debitum viro petenti tempore menstrui, quia non est obligatio reddendi, quando adest turpitudo teuens se ex parte actus, & faciens actum illicitum Syluest Henriq. *citati*. Verum probabilior sententia docet non tantum licere, sed teneri vxorem reddere, vbi vir admonitus non resipiscit, quia si exigere uacat, culpa vbi iusta causa inducit, nedum reddere ad quod lex iustitiæ coniugem obligat Sanchez *c. n.* 15. Coniuchk *disp.* 34. *dub. 9. n.* 76. Diana *de sacram. res.* 104. *part.* 3.

Sanchez Coninch Diana

Dubium est, an actus coniugalis in diebus festis sit licitus? Negant *Magister in 4. dist* 32 Durand. *q.* 1. quod docere videntur nonnulli Patres, relati. 33. *q.* 4. quia diebus festis vacandum est Deo, ergo contra rationem est vacare veneri quo mens à diuinis abstrahitur; quòd non pauci etiam extendunt ad diem communionis, & ad diem ieiunii, & ad Diem supplicationum solemnium, vt in quolibet sit illicitus. Vera tamē sententia docet nō esse illicitū in diebus festis, quātumuis solēnissimis & multò minùs in diebus ieiunij & supplicationū. Ratio est quia actus coniugalis ratione sui nullo peculiari iure prohibetur in dictis diebus, neque impedit fieri id quod in eis præcipitur, vt patet; ergo in dictis diebus non est illicitus, quamuis in eis nonnichil habeat indecentiæ quod solum insinuuant Patres, dum dicunt in eis diebus abstinendum esse ab eo actu, & non licere. Ita pontius *l.* 10. *c* 9. Sanchez *lib. 9. disput.* 12. Coninchk *disp.* 34. *dub.* 9. & alij communiter.

pontius. Sanchez Coninch

10. Quarto loco ponitur verbum, *Salue*, indicans per illud, ad rectum vsum matrimonij, requiri vt coniugale debitum coniugi petenti reddatur, & per hoc inti natur potestas, quam uterque coniux habet super corpus alterius; ita vt alter de iustitia teneatur petenti reddere sub pœna peccati mortalis, nisi causa rationabilis excuset prout in præcedentibus satis liquidè constant. Vide Reginaldum *n.* 344. Toletum. *c. n.* 2.

11. Cùm propriè potestas, quam habet coniux in sui coniugis corpus, sit in eius semen; deò in ipso actu coniugali conari debent coniuges, vt simul seminent; quia quamuis semen fœminæ nec actiuè nec passiuè concurrat ad generationem secundum probabilissimam sententiam, iuuat saltem ad formandum formosiorem fœtum vnde coniugi tardiori ad seminandum licet se tactibus præparare ad copulam, vt possit simul cum viro seminare, & si uir postquam seminauit se retrahat ante seminationē vxori, vxor potest se tactiuus excitare donec seminet, quia illi tactus ordinantur ad complementum actus coniugalis quidā tamē hoc vxori non concedunt? quia extra congressum, viri, etiam mulieri id censetur prohibitum, quod solutis: his autem etiamsi in somnis cœpta pollutione non licet propria excitatione, & cooperatione complere: ergo, &c. Magnum enim dispendium non erit nisi ipsa quoque absoluat, alias perfectura, quod hac vice non potuit. Vide Henriq. *lib.* 11. *cap.* 16. Sà. *v. debitum n.* 17. Sanchez *c. disp.* 19. Grassiis 1 *p. lib.* 2. *cap.* 82. *nu.* 15. Bonac. *de matrim. q. 4. p. 6. n.* 14 & 15. Caietan. 2. 2. *quæst.* 154. *ar.* 11. *dub.* 5. Dianam *p. 2. tr. 3. misc. res.* 38. Filliuc. *tr.* 10. *nu.* 330. Dian. *p. 9. tr. 8 res.* 31. & alios.

Henriq. Sa. Sanchez. Grassius Bonacina. Caietanus Diana. Filliucius. Diana

Aliquando tamen licet viro in copula ipsa non seminare, nempe si vxori non seminarit, nec seminandi in ipsa, nec in viro extra vas periculū suosit, nec ipsa dissentiat: Ratio est, quia copula absque seminatione, est tantum quidam tactus, qui licitus est coniugibus; cessante pollutionis periculo sicut enim possunt coniuges communi consensu non vacare copulæ ac generationi, quare eodem cō. sensu non licebit illis à copula incepta desistere, vbi neutrius seminis dispendium sit: ratione tamen periculi effusionis seminis in alterutro coniuge, quòd in eo actu communiter inuenitur, ideò frequenter est mortale, & ob id attendi sunt coniuges à similibus actibus; quamuis si experti sint id periculū non inueniri, damnādi minimè sint, Iusta autem causa non seminandi esset; ne seminatio noceat saluti, vel si coniuges sint pauperes, & prole abundent, quàm non sunt alendo, vel ad sedandam concupiscentiam. Si autem fœmina iam seminarit, vel ad id excitata sit, ita vt probabile periculum seminandi adsit, lethaliter peccat maritus data opera à copula desistens, ante proprij seminis effusionem; quia est peccatum contra naturam, cùm sit consummatus coitus ex parte fœminæ ex quo sequi nequit generatio: si è contra accidat, nempe si viro seminante fœmina ante proprij seminis effusionem à copula desistat, uel data opera nitatur non seminare, non esset mortale, sed solum veniale, cùm eius semen ad generationem non desideretur. Vide Dian. *tract. de sacr. res.* 227. & 204. *part.* 3. & *p.* 5. *tract.* 14. *res.* 37. Laym. *l.* 3. *sect.* 4. *n.* 19 Lessium, *l.* 4. *c.* 3. *n.* 55. Pontium *de matrim. l.* 10. *c.* 11. & alios.

Diana Laiman Lessius. pontius

Ex dictis oritur dubium, an mulier satisfaciat suæ obligationi, si uiro exigenti præstet quidem vsum corporis sui animum tamen ad alia conuertat, ita vt natura non excitetur. Resp. non esse improbabile satisfacere, si usum uasis naturalis tribuat, nam eo ipso congressus est aptus ad generationem, quantum ex parte actus, & modi. Sterilis enim, quæ certò nouit se non seminaturam, potest actum coniugalem exercere, tam petendo, quam reddendo, quod tamen minimè liceret, si viro seminâte requireretur. vt mulier sese ad seminationem excitaret, atque adeò in illum finem teneretur cum naturæ excitatione marito subseruire. Vnde verisimile est mulierem cōiugatam, cui non placent actus uenerei posse in reddendo debito animum ad illa conuertere, & sic remanere frigidam quod potest ex his colligi, quæ tradunt varii Doctores, scilicet: semen fœmineum non omnino requiri ad generationem: nam concitatio naturæ solum videtur requiri ad seminationem, non potest tamē mulier ita se gerere ex intentatione impediendi generationem Ita Præpositus *in 3. p. q. 6 de matrim. disp.* 4.

12 A mortali peccato excusandus est vir non seminans in acta coniugali, quamuis fœmmina iam seminarit si post fœminæ seminationem aduerteret periculum vitę sibi si seminet, & illud ante coitū non aduertit, idem dicē. dum si fera aut hostis superueniret, vel si aduersaretur naturali honestati aliquu superueniente; tunc enim potest vir se retrahere etiamsi adsit periculum pollutionis extra vas. Ratio est, quia licet natura nullam seminis administrationem homini concesserit: vt extra legitimum matrimonii congressum, illud effundere possit, at ut illud non effunderet intra congressum illum, concessit vtrique administrationem in casu vrgentissimo, puta ad vitam naturalemq ue honestatem tuendam. Ita Sanchez, *l. 9. disp.* 19 *n.* 6. & alij.

13. Quando matrimonio consummato superuenit coniugibus impotentia intra vas seminandi ob morbum aliquem, vt ob senium viri, vel arctitudinem fœminæ, nullatenus illis licita est coniugalis copula, sed amplexus, oscula, tactus, modò periculum pollutionis absit, illis tanquam veris coniugibus permittantur: si verò consideratis omnibus circumstantiis probabilis spes adfuerit seminadi intra vas, licitum esset his coniugibus adipsum per copulam attentare, etiamsi per accidens & præter eorum intentionem extrà vas semen effundatur: quando autem uxor

Bonacina Nauarr. Henriq. Sanchez Rebellus Henriq. Reginald.

semen intra vas receptum retinere non potest, licitum est, nihilominus copula vti, quia ista expulsio euenit præter intentionem, & matrix fœminea sæpe necessarium semen attrahit ad generationem superfluo expulso. Ita Bonacina *c. n* 17 Nauarr. *c.22. n.* 60. Henriquez *lib.* 11. *c.* 16. *num.*7. Sanchez *lib.9.disput* 17 *n.*20.21.22. Rebellus *l.* 3. *q.*16. Henriquez *c.n.*8. Reginald: *c n.*334. & alij. Moraliter autem peccaret fœmina statim post coitum mingens vel quidquam aliud faciens ea intentione vt receptum semen effundat, faceret enim extra finem ad quem semen est a natura institutum. Ita Sanchez *disp.*20 *n.*3. Licet Bellochius *de cas.reser.p* 2 *q.*4. *n.*365. doceat mulierem non peccare mortaliter mingentem post coitum, quia ex hoc non potest impediri generatio; posset tamē mulier peccare contra conscientiā: vt docet Diana *tr.*5.*miscell.res* 15.*p.*3.

Diana

14 In carminibus propositis sequitur verbum, *Cohero* per quod coniugum cohabitatio in eodem thoro & domo significatur: *cap.literas de restitut. spoliat.* vnde qui dimittunt vxores suas & vagantur per alienas prouincias in statu peccati mortalis sunt, nec absoluendi donec proponant redire ad vxores, quia subtrahunt ipsis commoditatem vsus matrimonii, cui ex iustitia obicem ponere non debet: ex quo patet vxorem teneri sequi virum, quando nullum extat pactum in contrarium. In aliquibus tamen casibus non tenetetur vxor viro cohabitare, & è contra, verbi gratia, per alterutrius fornicationem; cum alter coniugum trahit alterum ad peccandum, ita vt alter non posit se ab ipso liberare quin peccet: cum alter sit infidelis vel hæreticus; quando vnus coniugum timet sibi infectionem lepræ vel alterius contagiosi morbi cohabitando cum altero coniuge infecto Toletus *l.* 7. *cap.* 25. Nauarr. *cap.*16.*n.*25. Valentia *tom.*4.*disp* 10. *quæst.*4. *punct.*2 Sanchez *disp.*24.*n* 29. & alii.

Toletus Nauarrus Valentia Sanch.

15 Cùm vxor debeat sequi viri infortunium, non per modum pęnæ, sed tanquam onus adnexum matrimonio, hinc si maritus pellatur in exilium aut excommunicetur, vel ex causa necessaria aliò transferat domicilium, tenetur vxor illum sequi, quamuis antea pactum fecerit domicilium aliò non transferendum; quando verò tempore contracti matrimonii vir solebat vagari, & vxori hoc notum erat modò vir non vagetur ex turpi aliqua causa, tenetur sequi virum, quia censetur se ad hoc voluisse obligare; secus dicendum si fœmina ignorauit virum solitum esse vagari, tunc enim non tenetur sequi cum suo notabili incommodo, Reginald. *c.n.*309. Sanchez *l.* 1. *disp.*41. *n.*12. Nauarr. *c.*14.*n.*10. Rodrig.*to.*1.*sum.c.*15.*n.*2. & alii.

Reginald. Sanch. Nauarr.

De aliis conditionibus requisitis ad rectum vsum matrimonii in carmine contentis, nempę, de *loco*, vbi non est habenda copula coniugalis; de *tempore* quo congredi cum vxore licitum non est; de hoc egimus cùm de Communione sacra tractabamus, de illo autem, cùm de Sacrilegio agemus, tractabitur, restat particula *Tactis*, hic dicendum esset de tactibus & osculis inter cōiuges, an liceant, sed hęc suo loco; vltima particula est *nec spernito votū*: quando possint coniuges adstricti voto castitatis petere vel reddere debitum, in materia Voti determinabitur.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Verius est coniugem teneri reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali quoad situm.*
2 *Quando ambo coniuges sunt amentes, sunt separandi ne carnaliter coniungantur.*
3 *Cessante periculo licitus est concubitus, vbi vxor amens est, & vir mentis compos.*
4 *Ob bonum commune tenentur coniuges aliquando copula vti etiam cum vitæ discrimine.*
5 *Coniux sanus reddens debitum leproso & illi cohabitans opus meritorium exercet, si ex amore matrimonii id efficiat.*
6 *Debitum reddere tenetur coniux sublato periculo infectionis lepra vel morbi Gallici, quamuis sit periculum infectionis in prole nascitura.*
7 *An coniux sanus teneatur cum leprosa cohabitare?* Refertur triplex sententia,
8 *Quando vterque coniux cognationis vel affinitatis impedimento innodatur, vterque priuatur iure debitum petendi. Et quid dicendum de redditione.*
9 *Qui matrimonio inito ante illius consummationem, affinitatem cum suo coniuge contraxit, iuxta veriorem sententiam, non tenetur Religionem ingredi, sed potest matrimonium consummare reddendo debitum.*
10 *Quamuis coniux voti castitatis alterius conscius delinquat cum ipso contrahens matrim. adhuc potest ab eo debitum exigere, & tenetur alter sibi reddere.*
11 *Astrictus voto Religionis mortaliter peccat matrim. prima vice consummans, siue debitum petendo, siue reddendo. Semel tamen consummato matrimonio potest debitum petere & reddere, licet defuncto coniuge teneatur religionem ingredi.*
12 *Probabilius est habentem votum non ineundi matrimonii, eo inito, posse debitum petere, & reddere, nisi ita vouens voluerit se ad omnimodam castitatem obligare.*
13 *Astrictus voto castitatis, iuxta probabiliorem sententiam, non tenetur Religionem ingredi vt votum seruet, sed potest matrimonium consummare debitum reddendo, modo transactum sit bimestre post initum matrim. nec non habeat iustam causam perpetui diuortii.*

1 QVidam putant coniugem non teneri reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali quoad situm, nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo, nam petit illicitè ex circumstantia actus. Ita Armilla *verb. debitum n.*6. Bonacina *de matr.q.*4. *nu.*10. *punct.*3. Contrarium tamen meritò docent alii, quia peccatum veniale petentis sic debitum in hoc casu, nascitur ex ipso affectu petentis, & vehementi appetitu voluptatis, cui appetitui, & affectui non cooperatur alter coniux reddens, sed exercet actum licitum coniugibus, & ordinatum ad generationem; adhuc enim & ille modus posset exerceri sine eo appetitu & effectu. Tum quia semper adest iusta causa, excusans redditionem, qualis causa est, ne displiceat petenti, & ne oriantur lites & discordiæ. Ita Sanchez *de matr. lib.*9.*disp* 16. *nu.* 8. Pontius *de matr. lib.*10.*c.*11. *n.*4. & alii.

Armilla Bonacina. Sanchez Pontius

2 Quando ambo coniuges sunt amentes, sunt separandi, ne carnaliter coniungantur, & peccant mortaliter, qui eos ad copulam incitarent. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia tametsi eiusmodi amentes non peccent defectu libertatis; at qui eos copularet, concurreret ad euidens periculum malæ educationis prolis, & ad illius damnum, cùm careret parentibus, qui eam educare possent, ac instruere: ergo grauiter peccarent; Hinc colligitur peccare mortaliter eos, qui duos amentes non coniugatos ad copulam incitarent, quia grauius esset prolis damnum, quam si mentis compotes essent. Quare illi, quibus amentium custodia demandata est, tenentur niti ne congrediantur; sicut tenentur curare, vt abstineant ab aliis malis & damnis inferendis.

Secus dicendum quando vterque coniux ebrius esset, nam inter illos concubitus liceret: Ratio disparitatis est manifesta, nam in amentibus id non licet propter damnum prolis educandæ, quod damnum cessat in ebriis, hi enim breui ad se redeunt, & ideò proles non destituitur parentibus, qui de eius curent educatione. Ita Sanchez *de matrim.lib.*9.*disp.*23.*n.*5.& 12.

Sanchez

3 Quamuis regulariter illicitus sit concubitus, vbi vxor amens est, & vir mentis compos, quia periculum subest, fore vt mulier insaniæ furore correpta, fœtum in vtero necet, Cessante tamen tali periculo, siue quia ita sterilis est, vt nulla subsit spes concipiendi, siue quia mitis admodum est, nec furiosa, licitus est congressus, quoniam ex se licitus est, ratione autem solius periculi reddebatur illicitus, quod in hoc euentu cessat. Ita Sanchez *cit.n.*8.

4 Quando bonum commune totius vniuersi, siue regni, siue communitatis ad sui conseruationem copula coniugum indiget, tunc, postposito priuato notabilis damni aut vitæ iacturæ discrimine, tenentur coniuges ad eā. De bono vniuersi exemplum est, si casus accideret, quo species humana deficeret, nisi coniuges matrimonio vterentur.

rentur. De bono regni, si ad pacem regnìque tranquillitatem desideraretur proles habenda ex rege, cuius saluti notabiliter copula obesset. Ratio esse potest, quia bonum vniuersale priuato præponderat. Ita Petrus à Ledesma *de matrim. quæst. 64. art. 1. dub. 2. conclus.* 4. apud Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 24. n.* 11.

Ledesma
Sanchez

5 Quamuis coniux sanus non teneatur leproso debitū reddere cum periculo notabilis infectionis; at si non curans de propria infectione ex contagione lepræ aut morbi Gallici, vtatur matrimonio, cohabitèque cum illo, opus meritorium exercet si ex amore matrimonii id efficiat. Quia in morbis diuturnis & quasi habitualibus, nec ad mortem tendentibus, præponderat coniugalis amor: & vitatio periculi incontinentiæ in vtroque, aut saltem in altero coniuge ferè semper contingens; illi infectionis periculo Nec refert petentem cum notabili propriæ salutis dispendio, peccare mortaliter, & similiter ei reddentem. Illud enim in morbis communibus non ita diuturnis, ad mortèmque tendentibus accipiendum est. Potest enim mutuus amor vitáque coniugalis conseruari, atque periculum illud caueri, dilata copula breui tempore, donec salus pristina coniugi restituatur vel si tempus opportunum copulæ nec nocens expectetur. Ita Caietanus *secunda secunda, q. 154. artic. 1. in solut. ad* 4. Graffiis 1. *p. lib. 2. c.* 83. *num.* 6.

Caietan.
graffiis

6 Coniux, sublato periculo infectionis lepræ vel morbi Gallici, tenetur reddere debitum quamuis sit periculum infectionis in prole nascitura. Ratio est, tum quia non adest iusta causa negandi debitum. Tum quia proli tantùm abest vt irrogetur iniuria, quin potius maximo afficiatur beneficio, consequitur enim vitam ex eo concubitu, ac melius est illi leprosam existere, quàm omninò non esse. Ita D. Thomas *in 4. dist. 32. quæst. vnic. art* 1. *ad* 4. D. Bonauenturam *ibid. art. 2. q. 1. in solut. ad* 2. Scotus & alii apud Sanchez *cit disp. 24. n.* 25.

D. Thom.
D. Bonau.
scotus
sanchez

7 Quorumdam sententia est, coniugem sanum non teneri cum leproso cohabitare, quia ex assidua cohabitatione graue infectionis periculum imminet sano coniugi, & multò minùs in eodem lecto dormire. Ita Syluester *v. Lepra q.* 3. Rosella *v. Leprosus n.* 1. Tabiena *v. Matrimonium 3. quæst. 6. §. 7.* Alii verò sentiunt non teneri in eodem lecto bene tamen in eadem domo habitare. Denique si coniux leprosus cohabitet cum aliis leprosis, quidam sustinent, non teneri coniugem sanum ad cohabitationem, secus si seorsum habitet in domo propria. Cæterum probabilior sententia ait attendendum esse num ex cohabitatione immineat probabile notabilis infectionis periculum, nec ne, & illo imminenti non teneri sanum cohabitare, secus verò teneri. Ratio est, quia per contractum matrimonii obligant se coniuges ad debitum reddendum & cohabitandū, à qua obligatione eximit periculum grauis contagionis ex morbo alterius coniugis: ergo vbi id periculum nō subest, obligatio non cessat. Quare cum ex cohabitatione in eodem lecto semper sequatur id periculum, nunquam ad id tenetur coniux sanus. Ita Nauarrus *in Man. c. 16. n* 25. Sà *v. Debitum coniugale, nu.* 15. Syluester *v. Debitum, quæst.* 1.

syluest.
Rosella
Tabiena

nauarr.
syluester

8 Quando vterque coniux affinis effectus est per copulam cum alterius consanguineis mutuam, vel si vterque cognationem spiritualem contraxit, quidam censent vtrique licere debitum petere, facta hinc inde compensationem, sicut quando vterque coniux est adulter, iuxta *c. pen. & fin. de adult.* Hanc tamen compensationem iure optimo improbant alii. Ratio est, quia vbi de vtilitate delinquentium agitur, paria delicta mutua compensatione abolentur, vt in adulterio contingit, secus; vbi non de eorum fauore agitur, vt contingit in præsenti. Quare dicendum est vtrique coniugi cognationis affinitatisve impedimento innodato, interdici debiti petitionem. Ergo si vterque coniux idem impedimentum habeat, vterque priuabitur, nec delictum alterius coniugis alterum releuabit. Ita Glossa *in cap. nosse 30. quæst. 1. v. non fraudentur* Nauarrus *in man. c. 16. n. 34.* Rodrig. *tom. 1. Sum. latin ca.* 242. *n.* 10. Petr. Soto *lect. 11. de matrim. §. Secundum de hac cognatione.* & alii. Idem dicendum est si alter solus id cognationis aut affinitatis impedimentum incurrerit, aut interueniente culpa alterius, qui consensum præstitit: prior enim ratione impedimenti suo facto contracti, posterior autem ratione culpæ consensus, carebit iure petendi.

glossa
nauarr.
Rodrig.
sotus

Quoad redditionem autem in hoc euentu dicendum est *Primò* quod si non ex malitia, atque animo defraudandi coniugem vterque in id impedimentum cognationis, aut affinitatis, culpa tamen vtriusque, inciderit, neuter tenetur nec licitè potest alteri reddere quia quando vterq; coniux de valore matrimonii dubius est, neuter potest reddere alteri petenti, eo quod manente dubio neuter ius petendi habet. At in hoc euentu vterque coniux ius petendi amisit, neuter ergo poterit reddere. *Secundò*, Si vterque coniux malitiosè fecit, animo alterum debito coniugali defraudandi, quamuis vterque à iure petendi cadat, & petendo delinquat, at alteri petenti tenetur reddere. Ratio est, quia malitia, & fraus non debent eis patrocinari at valde patrocinarētur si ex ea coniuges immunitatem, ac reddendi debiti sibi inuicem libertatem acquirerent, vt constat ex *ca. si vir. de cognat. spirit.* Et quamuis textus, & Doctores citandi loquantur de impedimento cognationis, meritò extendi debent ad impedimentum affinitatis, in quo eadem est ratio Ita Hostiensis, D. Anton. Rosella, Syluest. Nauarrus, & alii quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. l. 9. disp.* 28.

Hostien.
D. Anton.
Rosella
Siluester
Nauarrus

Cæterum nonnulli Doctores putant probabile esse hoc impedimentum non incurri propter cognationem spiritualem ortam inter coniuges, eo quod alter alterius aut communem filium baptizarit, aut tenuerit in Baptismo, vel confirmatione, etiamsi supradicta fiant extra necessitatem, imò malitiosè, ac in fraudem matrimonii. Probant quia tale impedimentum est pœna, quæ non debet induci nisi expressa sit in iure, constat autem illud impedimentum in hoc casu nullibi esse expressum in iure, quoniam *cap. si vir de cognat. spirituali* cui innititur opposita sententia, potiùs fauet huic opinioni, cum dicat *siue ex ignorantia siue ex malitia id fecerint non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debet debitum subtrahere*, quæ verba non possunt explicari, quod ibi solum statuatur coniugem nocentem non debere negare debitum innocenti, aliàs priuatum iure petendi, si enim id intendisset Papa, expressisset, vt expressit in *capit. final. de eo, qui consanguineam cognouit.* agens de coniuge incestuoso cum consanguineo alterius coniugis, vnde cum non expresserit, signum est ipsum id nullatenus intendisse, ergo non est extendendum hoc impedimentum ad casum non expressum, cum pœnæ restringi debeāt. Dictum est, *imò & malitiosè*, quia dolus & fraus non possunt inducere impedimentum pendens à iure positiuo, si reuera in iure nō extet. Vide Dian. *part. 5. tract. 3. res.* 25. vbi pro hac opinione citat Zambran. Iacobum, Granado, Præpositum 3. *part. quæst. 67 art. 6. dub.* 2. *num.* 7. Quibus addo Gaspar. Hurtadum *de matrimon. disp. 10. diffic.* 6.

Diana
Iacobum
Granado
præposit
Hurtadu

9 Iuxta quosdam, coniux, qui matrimonio inito ante illius consumationem, affinitatem cum suo coniuge contraxit, peccat mortaliter dum prima vice reddit: atq; ita nisi dispensationem illius impedimenti impetret, tenetur Religionem ingredi, vt euitet debiti redditionem. Ratio illorum est quia talis accessus ad coniugem est incestus, cum sit ad affinem, atque ita si fieri potest est necessario vitandus cum ergo possit vitari hoc coniuge Religionem profitente, nisi dispensationem impetret ad id tenebitur, Ita Syluester *verb Matrim. 8. quæst. 15. dict.* 7 Viualdus *in candelab. Sacrament. 1. part. de matrim. n. 21. vbi de affinitate.* Hæc sententia non est improbabilis. Verum communiter Neoterici meritò asserunt, non teneri Religionem ingredi, sed posse matrimonium consumare reddendo, quia per talem affinitatem non priuatur coniux innocens suo iure, vt habetur in *cap. Discretionem, & cap. pen. de eo qui cognou. consanguin.* Ergo tenetur hic illi reddere nec textus obligant hunc reum ad religionis ingressum. Ita Angelus, Petrus Ledesma cum Sanchez *loco citato disp.* 29.

Syluester
Viualdus

Angelus
p. Ledesma
Sanche

10 Quamuis coniux voti castitatis alterius conscius delinquat cum ipso contrahens matrimonium, adhuc potest ab eo debitum exigere, & tenetur alter sibi reddere. Ratio est, quia verum ius, ac dominium acquisiuit in alterius corpus per sacrilegum illud matrimonium, nec ipse vouit, alteriùsve voto cōsensit. Coniux tamē voto castitatis astrictus, peccat mortaliter, quotiescumq; debitū

petit,

petit, quia votum castitatis includit obligationem præcepti negatiui, per illud enim vouens astringitur ad abstinendum ab omni actu venereo; ergo obligat semper & pro semper: ac proinde licet inito iam matrimonio teneatur vouens debitum reddere ratione vinculi fortioris, at non poterit petere, cùm id liberum sibi sit, nec ad id lex matrimonij constringat. Tum quia matrimonium non absoluit à præcedentis voti obligatione, nisi quatenus matrimonium cogit contrauenire, vt habet textus, *cap. Quarto de iureiur.* vbi dicitur iuramentum obseruandum esse, in quantum potest, ius autem matrimonij solum impedit ad reddendum. Ita D. Thom. *4. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad 4.* & ibi D. Bonauent. *art. 2 quæst. 1.* Syluest. *verb. debitum, q. 9.* Nauarrus *in man. cap 16. n. 30.* & alij communiter.

D. Thom. D. Bonau. Syluester. Nauar.

11 Mortaliter peccat astrictus voto Religionis matrimonium prima vice consummans, siue petendo, siue reddendo debitum: quia potest ad huc suum votum implere Religionem ingrediens, & consummans constituit se in eo statu, vt implere nequeat. Vnde duo peccata mortalia committit, *Primò* dum matrimonium init, animo ipsum consummandi: *Secundo* dum illud consummauit. Semel tamen consummato matrimonio potest talis coniux debitum petere, & reddere; quia, qui vouit Religionem, non tenetur ad castitatem, sicut nec ad paupertatem & obedientiam, donec profiteatur: & cùm iam consummato matrimonio nequeat votum Religionis implere, transeundo ad ipsam nihil erit quod debiti redditionem ac petitionem impediat. Ita Nauarrus *in man. c. 12. n. 80.* Sotus *in 4. dist. 38 q. 2. art. 1.* Sà *v. Debitum coniugale num 4.* Syluester *v. Religio 2 quæst. 17.* & alii. Defuncto autem altero coniuge, tenetur is, qui Religionem vouerat, illam ingredi; quia cù iam impedimentū cessatit, potest & tenetur is uotū suū implere, cum eius obligatio non cessauerit, sed tantùm fuerit suspensa, vt bene notant Doctores citati.

nauarra Sotus syluester

12 Affirmant aliqui habentem votum non ineundi matrimonii, teneri eo inito abstinere à debiti petitione quia vouens taliter censetur consequenter vouere abstinentiam ab vsu matrimonii, qui illud consequitur. Hæc sententia est probabilis, quam sustinent Nauarrus *in man. c. 16 n 30.* Caietanus *tom. 2. opusc. tract. 11 de voto.* Probabilius tamen est licere sic vouenti, petere & reddere. Ratio est, quia votum hoc tantum habet pro obiecto non inire matrimonium, & si obliget ab actus matrimonii abstinentia, non est per se & primario, sed mediante & supposita abstinentia ab ipso matrimonio ineundo, quę fuit primaria & immediata uoti materia, unde quando iam prima materia non est possibilis, quia initum est matrimonium, non obligabit ad secundariam, nempe ad abstinentiam ab illius usu limita, nisi ita uouens uoluerit se expressa intentione obligare ad omnimodam castitatem. Ita Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 34. num. 22.* cum aliis ab illo citatis, qui aduertit talem mortuo altero coniuge teneri ab aliis nuptiis abstinere; quia votum non erat extinctum, sed suspensum durante matrimonii impedimento. Idem dicendum de eo qui habet uotum suscipiendi sacros Ordines; si enim nubat, potest petere & reddere debitum, ob eandem rationem.

Nauarrus Caietanus

13 Probabile est astrictum voto castitatis peccare mortaliter, dum prima vice consummat matrimonium siue petendo, siue reddendo debitum, quia ante consummationem potest votum illud castitatis implere ingrediendo Religionem, quam potestatem sibi adimit consummando, ergo peccat Ita D. Thomas *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. q. 2. ad 3.* & ibi Scotus, Richardus, Paludanus, Nauarrus in *man cap. 12. num. 80.* Syluester *v. Matrimonium 7. quæst. 5. dict. 2. & 3.* & alii. Probabiliùs tamen est hunc non teneri Religionem ingredi, vt uotum seruet ac proinde minimè delinquere matrimonium consummando debitum reddendo. Probatur, quia quando quis obligatur ad aliquam rem, non tenetur adhibere omnia media possibilia simpliciter, sed quæ sunt moraliter talia at medium ingrediendi Religionem est difficillimum & longè excedens id, quod vouens promiserat, ergo non tenetur ad illud. Nec est per se ordinatum ad seruandam castitatem, licet enim sit optimum non est tamen necessarium. Ita Sotus, Corduba, Henriquez, Philarcus, Emanuel Sa, & alii quos refert & sequitur Sāchez *de matr. l. 9. disp. 34.* Hoc tamen limitandum est *Primò*, modò transactum sit bimestre post initum matrimonium, nam intra bimestre non potest obstrictus voto castitatis consummare, seu reddere debitum si nondum antea consummauit; nam coniuges habent ius non reddendi debitum in primo bimestri etiam præciso voto, ergo eo posito non tenebuntur reddere. *Secundo*, limitari potest modò obstrictus voto non habeat iustam causam perpetui diuortii, tunc enim non tenetur reddere, quia ob causam diuortij habet ius non reddendi, & ratione voti tenetur non reddere; consequenter non facit iniuriam alteri coniugi petenti, denegando debitum, vt seruet votum.

D Thom. Scotus. Richardus paludanus nauarra. Syluester.

Corduba Henriq. philarcus Sà Sanchez.

Vide verb. Dubium *num. 21. 22. & 23.* Matrimonium. *1. num 18.*

DECIMAE.

SVMMARIVM.

1 *Decima quid? & quo iure Ecclesiasticis debeantur.*
2 *Decima, alia sunt personales, prædiales, & mixta.*
3 *In soluendis decimis, spectanda est potius locorum consuetudo, quam ius scriptum.*
4 *An Decima personales solui debeant?*
5 *Omnes qui habent prædia alicui Ecclesia subiecta an teneantur decimas prædiales soluere.*
6 *Romano Pontifici decimas exigenti, omnes clerici tenentur illas soluere.*
7 *Fraudans in re notabili, peccat mortaliter peccato iniustitia.*
8 *Decima deduci debent ex fructibus integris, priusquam ex illis deducantur expensa, tributa, sumptus aut alia debita.*
9 *Decima mixta soluenda sunt, iuxta locorum consuetudinem.*
10 *Decima, an solis iis ex iustitia debeantur, qui habent cura animarum.*
11 *Cuinam Ecclesia debeantur decima personales, prædiales, & mixta.*
12 *Causa decimarum, an ad Iudicem Ecclesiasticum pertineat. Et an primarium ius decimarum laicis competere possit,*
13 *Quo tempore, & loco, decima sint soluenda. Et an tradenda sint non petita.*
14 *An Ecclesia habeat dominium decimarum, antequam ei tradantur?* Refertur duplex sententia.
15 *Pœna Concilii Tridentini, contra non soluentes decimas: Et in Clementina excommunicantur religiosi auertentes animos fidelium a solutione decimarum.*

DEcimę *sunt pars decima fructum, ministris* Ecclesia *ob spiritale ministerium ipsorum debita, ex omnibus bonis frugiferis*, vnde decimæ non sunt Eleemosynæ, sed subsidiū sacerdotibus debitum iure naturali & diuino, propter ministerium spiritualium, si verò decimæ considerentur secundùm suam quotam, vt sunt decima pars fructuum, est debitum iure Ecclesiastico, hāc autem quotam seu decimam partem Ecclesia iustè taxauit, tum ad imitationem Dei, qui eam in veteri lege taxauerat, tum quia Ecclesiæ ministri indigent decimis non solùm vt ipsi alantur, sed etiam ne contemptibiles aliis existant, si pauperes essent Guttierez *l 2. qq. canon. cap. 21.* Azorius *tom. 1 l. 7. c. 23. quæsit. 1.* Lessius *l. 2. c. 39. dub. 1. & 2.* Toletus *l. 6. c. 20.* Syluius 2. 2. *q. 87. art. 1, c. 2.* Fagund. *præcep. 5. l. 1. c. 1.* Suarez *tom. 1. de relig. l 1. c. 9.* & alii.

Gutierrez Azorius Lessius Toletus Siluius fagund. Suarez

2 Decimæ distinguuntur in *personales*, *prædiales* & *mixtas*, sumpta distinctione ex bonis illis ex quibus debētur & soluendæ sunt. *Personales* sunt quæ soluuntur ex fructibus, quos homo facit sua industria vt ex mercatura venatione, piscatione, bello, ludo & aliis actibus. *Prædiales* sunt quæ ex terræ fructibus proueniunt, vt est vinum, oleum, frumentum, olera, rapæ: castaneæ, legumina, poma, pira fœnum, palea, cauli, lupini & alii fructus. *Mixta* decimæ sunt, quæ partim ex hominis industria partim ex prædiis proueniunt, ut sunt fœtus animalium, & quæ ex animalibus proueniunt; ut lana, lac & caseus; ex pinguedine autem non debentur decimæ, quia pinguedo non est

fru-

Suarez. Siluest. Reginald. Filliucius. Bonacina. Syluius.

fructus, sed pars animalis Suarez *de relig. tract. 2. l. 1. cap. 34* Syluester *v. decima quæst. 6.* Reginaldus *l. 19. num. 83.* Filliucius *tract. 27. cap.* 10. Bonacina *de decimis punct. 2. num.* 1. 2 *&* 3. Syluius 2. 2. q. 87. & alii.

3. In decimis soluendis spectanda est potiùs locorum consuetudo, quam ius scriptum; nam multis in locis solæ prędiales ex prediis rusticis & quædam mixtæ sunt in usu, reliquis consuetudine & tacita condonatione Ecclesiæ abolitis. Vnde qui soluit minorem partem quam decimam, uel decimam, de unis fructious & non de aliis, modò soluat totam partem consuetam, & de omnibus fructibus decimari consuetis, satisfacit; modò parochus suam congruam sustentationem habeat. Tolet. *c. n. 5.* Lessius *c. dub. 3. n. 12.* Nauarr. *c. 21. n. 30.* Syluius *c. art. 1. conc. 5. & 6.* Fagund. *c. c. 2. n. 2.* & alii.

Toletus. Lessius. Nauarr. Syluius. Fagundez.

4. Consuetudo in toto ferè orbe Christiano legitimè præscripta inualuit, ut, decimæ personales non soluantur, quia ministris Ecclesiæ aliunde prouisum est: de iure autem soluendæ essent hæ decimæ ab iis, qui sacramenta suspiciunt, & illi qui de Ecclesię parochiali de cuius parochia pro tempore sunt, si æqualiter fiat habitatio in duabus parochijs; sin minùs soluendę essent decimæ, in illa parochia in qua domicilium principalius habetur, de omnibus bonis quæ per industriam acquiruntur; de acquisitis tamen per Eleemosynam, aut donationem, aut hereditatem, aut legatum, &c. minimè debentur decimæ personales quia hec bona non dicuntur ex industria hominis acquisita. De illicitè autem acquisitis, secundum communem Doctorum sententiam, recipi non debent decimæ personales, ne turpis actus approbari uideatur; non est tamen improbabile præciso scandalo aliàque speciali prohibitione, aut circunstantia ipsum actum vitiante, huiusmodi decimas tradi, & recipi posse quia recipiens decimas rerum illicitæ acquisitarum, non cooperatur actioni prauæ, cùm oblatio sit uerus religionis actus, & collectio decimarum sit actus iustitiæ. Vide Reginaldum *c. num.* 84. ex Nauarrum *c. n.* 31. Azor. *c. c. 24. quæst.* 7. Valent. 2. 2. *disp. 6. q. 5. punct.* 3. Suarez *tom. 1. de religione c. 31 n. 9.* Bonac. *c. punct. 3. num.* 2. Fagund. *precept 5. l. 1. c. 2. &* 3. Syluium *c. art.* 2. & alios.

Reginald. Nauarr. Azorius. Valent. Suarez. Bonacina. Fagundez. Syluius.

5 Omnes, qui titulo non spirituali habent prædia alicui Ecclesiæ subiecta, tenentur decimas prædiales soluere, idque illi Ecclesiæ cui prædia illa subiacent, nisi consuetudo habeat vt alienæ Ecclesiæ soluantur, hinc omnes laici, etiã infideles pagani, etiam clerici, si illa prædia titulo patrimoniali, vel alio modo non spirituali possideant, sub quorum nomine comprehenduntur ipse Papa, nisi seipsum eximat, pia loca, vt monasteria, &c. nisi aliquo priuilegio, vel consuetudine, vel alio titulo sint exempta, tenentur ad has decimas prædiales soluendas, quia illa prædia per se illi oneri subiecta sunt, res autem cum suo onere transit, præsertim cum per accidens sit, quod nunc à laicis, nunc à clericis hæc bona possideantur. Valentia *c. punct. 5.* Suarez *c. c.* 34. Lessius *c. dub.* 5. Filliuc. *c. cap.* 8. Vasquez *de benef. c. 1. dub. 8. n.* 37. Regin. *c. n.* 87. Fagund. *c. lib. 1. c. 4. n. 10. & lib. 2. c 1. 2. &* 3 & alii.

Valentia. Suarez. Lessius. Filliucius.

6 Clerici omnes, etiam Episcopi tenentur soluere decimas de omnibus bonis Ecclesiasticis Romano Pontifici, si eas exigat, quia potest obligare ad soluendas decimas alijs, ideò potest etiam pro seipso exigere, de facto is non solet eas ab Ecclesiasticis exigere, nisi necessitas Ecclesię id postulet sed loco decimarum quatenus soluendarũ in beneficiis maioribus solet exigere fructus vnius anni pro toto tempore vitæ, quos annatas vocant Bonacina *c. num.* 13 Lessius *cit. nu.* 28. 29 D. Thom. 2. 2. *q. 87. art. 4. ad* 3. Syluius *ibid.* Fagundez *c. l* 2. c 2.

Bonacina. Lessius. D. Thom. Syluius. Fagundez.

7 Decimæ integrè, & sine diminutione soluẽdæ sunt & qui fraudat in re notabili minores, vel deteriores manipulos vel partes fructuum assignando, pęccat mortaliter peccato iniustitiæ quia retinet alienum, vel alteri debitum, non tenetur tamen quis seligere meliora pro decimis, sed debentur mediocria Nauarr. *c. 21. n.* 31. Tolet. *l. 6. c. 10. n* 5. Fagund *c. l. 1 c. 4. n. 7.*

Nauarrus. Toletus. Fagundez.

8 Decimæ debent deduci ex fructibus integris priusquam ex illis deducantur expensæ vel tributa, uel sumptus, in colendo agro, census, aut ulla debita, quia decimæ debentur in recognitionem, & professionem dominii generalis, quod ante reliqua iura sibi satisfieri postulat; vnde si tributa, vel census, vel alia debita ante deducta, & soluta sint, Ecclesia potest agere, vel in dominũ fructuum, qui ea deduxit, vel in eũ qui illa in decimata accepit Sed dices, decimæ solùm debentur ex fructibus, expensæ autem non computantur cum fructibus, ergo illæ deducendæ sunt: in iure enim illi tantùm censentur fructus, qui remanent deductis expensis *L. Fructus, ff. soluto matri. & l. 1. C. de fructibus.* Respondetur, fructus terræ, vel posse considerari ciuiliter, vel naturaliter; si ciuiliter considerentur, verum est, expensas non esse computandas cum fructibus, secùs, si considerentur naturaliter, & ideò leges ciuiles dicunt expensas non esse computandas cum fructibus, sed esse deducendas, quia considerant ipsos fructus ciuiliter non naturaliter; Ius autem Canonicum ideò præscripsit decimas prædiales, & mixtas soluendas esse non deductis expensis: quia considerat illos fructus naturaliter, & vt naturales sunt, & prout nascuntur ex re fructifera. Quando autem soluuntur decimæ de negotiatione, tunc sunt deducendæ expensæ, quia debentur tantum decimæ de lucro, sed id solùm in lucro censetur, quod manet deductis expensis Azorius *c. c. 35. q. 4.* Valentia 2. 2. *disp. 6. q. 5. q.* 3 Suarez *c c. 33. &* 35. Reginald. *c. n.* 101. Lessius *dub. 3. n.* 16. Syluius *c. art.* 2. & alii.

Azorius. Valentia. Suarez. Reginald. Lessius. Siluius.

9 Decimæ mixtæ sunt soluendæ iuxta locorum consuetudinem; præcisa verò consuetudine, si decimæ magis accedunt ad personales, soluendæ sunt sicut personales; si magis accedunt ad prædiales soluendæ sunt sicut prædiales Azorius *c. quæst.* 15. Reginald. *c n.* 89.

10 Supposito omni Ecclesiæ præcepto, & taxatione, decimæ solis iis debentur ex iustitia, qui habent curam animarum, non enim popolus, ex iustitia alios præter hos & horum necessarios adiutores alere tenetur: posita autem Ecclesiæ taxatione, & pręcepto de decimis soluendis, decimæ secundùm quotam debentur non solùm habentibus curam animarum, sed cœtui Ecclesiasticorum in genere, quia Ecclesia hos omnes initio ex decimis ali voluit D. Thom. 2 2. *q. 87 art.* 3 Syluius *ibid.* Lessius *c. dub.* 4.

D. Thom. Syluius. Lessius.

11 *Personales* decimæ debentur parochiæ, eique Ecclesiæ soluendæ sunt, in cuius parochia sunt prædia; *mixtæ* debentur illi Ecclesiæ in qua animalia habitant, nisi consuetudo induxerit, vt soluantur in alia. *prædiales*, soluuntur parochiali, in cuius territorio prædio sunt: quamuis baptismalis non sit Filliuc. *tract. 27. p. 2. cap. 9. quæst.* 1. & alii.

Filliucius.

12 Ius decimarum est quid spirituale, & causa decimarum ad Iudicem Ecclesiasticum pertinet, vt causæ beneficiariæ, vnde primarium ios decimarum laicis competere non potest, quia est spirituale fundatum in titulo spirituali, nempe in ministerio Ecclesiastico; potest tamen illis conuenire ius quoddam secundarium decimarum, ortum ab illo primario, v. g per donationem fructuum, elocationem, venditionem; quod ius est distinctum à primario illo, & fundamentali quod remanet pęnes Ecclesiam, hoc ius cùm non sit spirituale à laico præscribi potest cum titulo quidem spatio 40. annorum: sine titulo, tẽpore quod memoriam hominum superet. Pontifice solent interdum hoc secundarium ius decimarum concedere Principibus in feudum etiam perpetuum, et ante Conciliũ Lateranense poterant etiam id facere Episcopi; sed hęc potestas illis per Concilium sublata Suarez *c. c. 26. &* 38. Valentia *disp. 5. q. 5. p. 5.* Azorius *c. 23. q. 7.* Suarez *c. c. 15. nu. 3.* Filliucius *c q. 5.* Lessius *c. dub. 4. nu.* 20. Bonacina *c. 5. & 6.* Fagund. *l. 3. c. 5. præc.* 5 & alii.

Suarez. Valentia. Azorius. Suarez. Filliucius. Lessius. Bonacina. Fagundez.

13 Decimæ soluendæ sunt eo loco, & tempore quo præscribit consuetudo; iure autem communi, & regulariter soluendæ sunt etiam non petitæ, & sine mora; & quidem personales in fine anni soluuntur, computandæ autẽ decimæ ex negotiationibus per singulos annos; prædiales dantur statim perceptis fructibus; idque in loco vbi natæ, siue ager pluries in anno fructus ferat, siue semel tantum. Mixtæ sequuntur naturam prædialium excepto fœtu, qui solui debet quando peruenit ad statum vtibilem. Vide Reginald *c. num.* 98. Filliucium *c.* 12. Lessium *c. disp. 3. num.* 16. Suarez *c. cap.* 37. & alios.

Reginald. Filliucius. Lessius. Suarez.

14 Controuertitur inter Doctores, an Ecclesia habeat

domi.

dominium decimarum antequam ei tradantur, aliis affirmãtibus, aliis negantibus probabiliter, Azorius c.cap. 34.q 9. Bonacina c.p.1.n.5 Suarez c.c.36.n.2. Filliuc.c.c.7. Lessius disp.3.n.14.& 15.] verum siue dicatur habere dominium, siue non; certum est Ecclesiam habere non solum ius ad rem, sed etiam in re, quod quodammodo æquiualet dominio partiali, quod habent illi, quorum frumentum mutuo consensu est permixtum. Vnde secundũ sententiam affirmatiuam, dicendum est Ecclesiam duplici actione posse decimas petere. *Primò* condictione ex canone, id est, ex lege canonica, quæ laicis imponit onus, & debitum decimas soluendi, & hæc actio est personalis eaque prius vti debet. *Secundò* rei vendicatione, quæ est actio in rem, & conceditur Domino; hinc quãdo fructus nondum decimati, sunt alienati, Ecclesia habet actionem in venditorem, & emptorem. D. Thom. *q.87. art.2 ad 4.* Sylu. *ibid.* Fagund. *precept.5.l.1.c.6* & alii.

D.Thom. Syluius Fagundez

15 Concilium Tridentinum *sess.25 c.12.* pœnam comminatoriam excommunicationis tulit contra non soluẽtes decimas, aut impedientes earum solutionem, & in Clement. *cupientes* de pœnis, ipso facto excommunicantur religiosi, qui in concione aliquid dicunt hac intentione, ut auertant animos fidelium à solutione decimarum, hæc tamẽ excommunicatio non est Papæ, reseruata Nauarr. *c.27.n.145.* Toletus *l 6.c.20.n.6.* & alii communiter.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Datur in Ecclesia præceptum de soluendis decimis.*
2 *Præceptum decimarum non potest auferri per consuetudinem, quoad decimam sustentationis.*
3 *Papa de potestate absoluta potest obligationem decimarum tollere quoad quotam, non autem quoad decimas sustentationis.*
4 *Exemptio à decimis facta à Papa etiam sine causa, valida est dummodo id fiat sine præiudicio sustentationis congruæ debitæ Ecclesiasticis,*
5 *Decimæ sunt soluendæ, iuxta ius, ex omnibus rebus, quæ nobis diuino munere proueniunt.*

1 DAtur præceptum in Ecclesia de decimis, cum numeretur quinto loco inter præcepta Ecclesiæ. Et pertinet ad virtutem Religionis; vt docent communiter Theologi ex Thom.2.2.q 87. Hoc autem præceptum soluendi decimas non est de puro iure naturali quia non constat iure naturali dandam esse decimam partem fructuum ad sustentationem Sacerdoteu, vnde ante legem scriptam nullum erat præceptum decimarum: quamuis Abraham decimas dederit ex gratitudine, & deuotione *Genesis* 14. & Iacob ex vuto, *Genesis*, 28. In lege autem veteri Exodi 22. & 23. & Leuit. 27. fuit datum diuinum præceptum de decimis solis prædialibus, & mixtis; non de personalibus

D. Thom.

Denique in lege Gratiæ datum est præceptum soluendi decimas, quod ratione congruæ sustentationis, clericorum quæ dici potest decima sustentationis, est de iure naturali, & diuino Euangelico, ex 1. Corinth.9 *Quis militat suis stipendiis vnquam* 1. Timoth. 5. *Qui bene præsunt.* Ratione autem determinationis tantæ partis, quæ vocatur decima quotæ, est de traditione Ecclesiæ, & iure Canonico, in multis decretis 16.q.1 & *toto titul. de decimis*, & nouissime ex Trident. *sess.25.c.13. de reform.*

2 Præceptum decimarum non potest auferri per consuetudinem quoad decimam sustentationis, quia hoc modo decimæ sunt de iure naturali, quare debitum earũ non potest solui per consuetudinem. Consuetudo autem potest præualere quoad decimam quotæ, si ad congruam sustentationem tota illa non sit necessaria, quia hæc est de iure humano, ergo potest diminui quoad omnem eã partem, quæ non repugnat congruæ sustentationi. Ita Couar. *l.1. variar.c.17.n.8.* Arragon. *2.2.q.87.art.1. circa solutionem ad 5.* & alii. consuetudinem item indici potest nulla pars fructuum, vel lucrorum soluatur clericis, si alia via sufficienter prouisũ nũquam tamen potest ita prescribi contra Ecclesiam eiusmodi ius, vt priuetur Ecclesia potestate imperandi decimas, etiam quoad quotam, quoties Papa iudicaret id expedire ad bonum illius. Atque in hoc sensu verum est, præceptum decimarum non posse tolli aut diminui per consuetudinem, nisi sit à Pontifice approbata, vel saltem tolerata, est autem tolerata, quamdiu Pontifex illi non resistit, maximè si illam non ignoret. Sed plura de his apud Suar. *tom.1. de relig. lib.1.c.12.*

Couarr. Arragon. Suarez

3 Summus Pontifex de potestate absoluta potest omninò obligationem decimarum tollere quoad quotam, non autem quoad decimas sustentationis. Ita communiter Theologi & Canonistæ. Ratio est, quia decimæ quoad quotam sunt de iure humano Ecclesiastico, supra quod Papa dispensare potest. At quoad decimas sustentationis sunt de iure naturali, ideò hoc modo eas auferre non posset. Simpliciter tamen loquendo, non potest Pontifex legem decimarum in totum abrogare, etiam quatenus Ecclesiastica est: nam talis abrogatio non posset licitè fieri, quia non esset dispensatio, sed dissipatio redituum Ecclesiasticorum, & talis vsus supremæ potestatis à Christo datæ Pontifici sine dubio cederet in grauissimum, & generale damnum totius Ecclesiæ non solum temporale, sed etiam spirituale: tum quia necessario fieret consequens, vt diuinus cultus maxima ex parte minueretur, & ferè in vniuersum indecenter, vel sine conuenienti ornatu, & honore fieret, & Ecclesiasticæ personæ vilescerent, essentque veluti mercenarij operarij laicorum. Certum verò est Summum Pontificem posse in particulari eximere aliquos a solutione decimarum, non tantùm cedendo iuri suo, sed dispensando, vel in præcepto ipso soluendi decimas, vel in vsu, & applicatione ipsorum fructuum decimarum. Hoc constat ex vsu ipso, & praxi Pontificum: nam frequenter eiusmodi priuilegia conceduntur, ex *cap. A nobis, cap. ex parte, de decimis.* Potestas autem hæc colligitur ex *cap Nuper eod.tit.* & variis priuilegiis concessis religionibus, de quibus Azor *to.1.l.7.c.37 q.6.7.& 8.* Ratio est, quia præceptum soluendi decimas Ecclesiasticum est, & ideò per potestatem Ecclesiasticam possunt aliqui eximi ab eius obligatione.

Azorius

4 Exemptio à decimis facta à Summo Pontifice, etiam sine causa, valida est, dũmodo id fiat sine præiudicio iuris naturalis sustentationis congruę Ecclesiasticorum: Vnde Papa potest applicare partem decimarum non solùm Ecclesiasticis personis, sed etiam laicis validè, & licitè iusta intercedente causa, vt patet ex vsu tum in Hispania in qua bona pars ex priuilegio applicatur Regi, tum alibi in Italia hoc tempore, hoc est anno 1620. in quo sex decimæ fructuum, & pensionum Ecclesiasticarum Italiæ applicantur in subsidium Imperatoris Ferdinandi. Ratio est, quia licet laicus sit incapax spiritualis iuris, non est tamen incapax fructuum decimarum, qui temporales sunt. Pontifex autem est supremus dispensator horum fructuum, ergo potest illos applicare cuicumque personæ capaci, si secundùm rectam, & conuenientem causam expedire iudicauerit. Ita Suarez *citat.c.15* apud quem plura.

Suarez

5 Secundum ius scriptum, decimæ sunt soluendæ ex omnibus rebus, quæ nobis diuino munere proueniunt, vt de fructibus, & quasi fructibus omnium rerum, quæ quodammodo nobis frugiferæ sunt, vt agrorum, arborum, animalium, domorum elocatarum, molendinorum, piscinarum, aucupiorum omniumque negotiorum lucrosorum. Vt patet ex *cap. Non est 22. de decimis.* Ex *cap. Ex transmissa 23. & cap. Pastoralis 28 eod.tit.* Ratio autem, cur Ecclesia in noua lege voluit dari decimas de omnibus, cum in lege veteri solùm datæ fuerint de frugibus, & pomis arborum, & animalibus, quæ transeunt sub virga Pastoris, est, quia in veteri testamento singulæ familiæ habebant suos agros vnde decimas soluere possent, & ita non erat necesse exigere personales decimas, secus tempore noui testamenti, vbi non solum familiæ multæ, sed etiam vrbes, & Respublicæ quædam agris carent: vnde oportuit decimas personales imperare; alioquin plerique nihil contribuissent, & vbi nulla sunt prædia, clerus sustentari non potuisset. Vbi tamen succreuerunt legata pia facta Ecclesiis prædiorum, vnde sustentantur Pastores & Clerici earum, decimæ personales

nales non soluuntur, sed solæ prędiales, & quædam mixtæ, vt diximus *tom. 1. verb. Decimæ, n. 3. & 4.* Multa tradunt Doctores de decimis innixi authoritate iuris Canonici, sed quia in decimis soluendis spectanda est potiùs locorum consuetudo, quàm ius scriptum, vt testantur Doctores *tom. 1. citati num.* 3. hoc titulo, ideò hæc pauca superaddita sufficiant, & quisque studeat agnoscere, quid habeat vsus loci in quo degit, in illis soluendis, vt sit tutus in conscientia.

Vide verb. Parochia *num. 1. & 4.*

D E G R A D A T I O

S V M M A R I V M.

1 *Degradatio quid, & quotuplex.*
2 *Differentia inter degradationem verbalem, & actualem.*
3 *A quo fieri possit degradatio.*
4 *A quo restitui possint degradati.*
5 *Degradatus semper retinet characterem ordinis.*
6 *Quænam crimina mereantur degradationem verbalem? & quæ realem.*

1 DEgradatio clerici duplex est, quædam enim est *verbalis* tantùm, alia est *actualis* seu realis, quæ constitutis in ordine sacro infertur: degradatio *verbalis* est quę fit verbo tantùm, & alias depositio appellatur; hac persona Ecclesiastica priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum per sententiam Ecclesiasticam, sine spe restitutionis, retento tamen priuilegio clericali. Degradatio autem *actualis* est priuatio priuilegii clericalis facta post depositionem, adiuncta reali actione, & cæremonia per canones instituta. Suarez *de censur. disp. 30. sect. 1. & 2.* Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 4.* Suarez Valentia

2 Multiplex est differentia inter degradationem verbalem, & actualem; quia actualis fieri solet cum maiori solemnitate, nempe astantibus Abbatibus infulatis, id est, habentibus ius mitræ, & baculi, aut assistentibus aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis, deinde degradandus vestitur uestibus, & ornamẽtis quibus fuit ordinatus, nec non vasa sacra pertinẽtia ad illum ordinem, a quo degradatur, defert ad conspectum Episcopi, à quo gradatim exuitur, & priuatur, ac tandem capillis tondetur, vt nullum coronæ maneat vestigium. Vide Filliucium *tract. 18. c. 8. q. 3. num. 193.* Reginaldum *lib. 32. cap. 23. n. 52. & 53. tract. 2.* Filliucius Reginald.

3 Degradatio verbalis, secundùm Concil. Trident. *sess. 13. c. 4. de refor.* clerici etiam presbyteri, fieri potest etiam per Vicarium generalem Episcopi; actualis autem degradatio non nisi per Episcopum, assistentibus Abbatibus vt suprà; præterea degradatio verbalis potest fieri contra absentem contumacem, actualis verò requirit præsentiam.

Degradatus verbaliter gaudet priuilegio fori, & canonis, consequenter non potest puniri à iudice sæculari, nisi post degradationem verbalem factus sit incorrigibilis, & per iudicem Ecclesiasticum sit lata sententia declaratoria super qualitate incorrigibilitatis. Actualiter autem degradatus perdit priuilegium clericale vtrumque canonis & fori, nempe, vt sit sub iudice sæculari, & qui eum percutit non incurrit excommunicationem; notandum tamen quòd vbicumque in iure, simpliciter fit mentio de degradatione, intelligitur de verbali & non de actuali, & pro nullo crimine quantumcumque graui imponitur clerico pœna degradationis, nisi in iure reperiatur expressum Sayrus *de censur. l. 5. c. 20. n. 12.* Toletus *l. 1. c. 50. n. 9. 10. 12 & 16.* Nauarrus *c. 27. n. 81.* Sayrus Toletus Nauarra.

4 Degradatus verbaliter potest ab Episcopo restitui, actualiter verò secundùm probabiliorem sententiam à solo Papa; quamuis si restitutio sit iure requisita, vt si post degradationem appareat falsitas testium, actualiter degradatum possit Episcopus restituere Syluest. *v. degradatio.* Panorm. *apud* Toletum Filliuc. *c. n. 190.* & alii. Syluester Panorm. Toletus. Filliuc.

5 Quamuis Ecclesia per degradationem realem & actualem usum legitimum ordinum susceptorum auferat in perpetuum; degradatus tamen retinet semper characterem ordinis semper impressum, & virtute huius characteris, si est Sacerdos consecrare validè potest, & si Episcopus validè ordinare, licet peccent grauissimè id facientes: & quia non est æquum vt degradatus efficiatur melioris conditionis propter delictum suum, ideò non eximitur ab oneribus ordinis, vt à recitatione horarum canonicarum, voto castitatis, & si matrimonium contraxerit, inualidè contrahet Sayros *c. l. 5. c. 22. n. 25.* Bonacina *de censur. disp. 4. p. 1. n. 5.* Toletus *nu. 1.* Filliucius *n. 191.* & alij. Sayrus Bonacina Toletus Filliucius

6. Degradationem verbalem merentur crimina subsequentia, adulterium, concubinatus perseuerans post monitionem, simonia notoria, incestus, stuprum, furtum, periurium, homicidium, &c. & alia crimina maxima, & atrocia quæ inferunt irregularitatem: degradationem verò realem meretur crimen hæresis; homicidium qualificatum, sodomia sæpius exercita, & similia quæ iudicis arbitrio tali pœna digna sunt. Effectus huius degradationis actualis, qui eam non semper comitatur, est traditio degradati curiæ sæculari, quando nempe Episcopus præsente iudice sæculari declarat illum esse alius curiæ; debet tamen intercedere pro eo efficaciter vt non moriatur, iudex verò sæcularis illum punire potest pœna iure ciuili imposita laicis pro eodem crimine. Molina *tom. 4. disp 49. tract. 3. num. 14.* Sà *v. Depositio num. 2.* Syluester, *c. q. 2.* Molina. Sà. Syluester.

Vide Censura *n. 3.* Horæ Canonicæ *1. n. 4.*

D E L E C T A T I O.

S V M M A R I V M.

1 *Delectatio quid?*
2 *Circa delectationes voluntas potest se habere negatiuè, & positiuè.*
3 *Actus voluntatis circa delectationes, vnus potest esse efficax, alter inefficax.*
4 *An consensus in delectationem de rei alicuius veritate, sit peccatum.*
5 *Consensus directus in delectationem de rei alicuius bonitate sensibus grata, an sit peccatum.*
6 *Quæ requirantur, ad positiuum consensum sufficientem ad peccatum mortale.*
7 *An, quando voluntas negatiuè se habet circa delectationes; censeatur interpretatiuè consentire in illas.*
8 *Quæ sint causa iusta, permittendi in se delectationem motuum sensualium, præter intentionem euenientium.*
9 *Quomodo dignosci poterit peccatum morosæ delectationis.*
10 *An multa negligentia post plenam aduertentiam rationis, excusari possint a peccato mortali.*
11 *An omnes delectationes venereæ, sint eiusdem speciei cum opere externo?* refertur duplex sententia.
12 *An peccatum mortale sit, delectari de aliquo opere mortali, sub ea conditione, si esset licitum, aut nisi esset prohibitum.*
13 *An ex se malum sit, delectationem càpere ex opere, quod ex se malum non est, sed propter solam legem positiuam.*
14 *Si vidua vel sponsa delectetur de actu coniugii, an peccet mortaliter.*
15 *Coniux, qui in absentia coniugis delectatur imaginaria copula præterita, vel futura, an peccet mortaliter. An delectatio coniugis cum fœmina aliena habeat malitiam etiam contra iustitiam?*

1 CVm imaginatione seu quauis alia apprehensione per intellectum, vel sensum, operis illiciti duo considerari possint, scilicet, ipsa imaginatio, quæ est actus vitalis, ac notitia quædam; & opus illicitum eius obiectum; vnde duobus modis ex communi consensu Theologorum, sumi potest delectatio, quæ nihil aliud est quàm *quies appetitus in bono cognito præsenti*: ex opere igitur cogitato, *Primò* oritur delectatio de eius veritate, in quantum est actus ingeniosus, subtilis, mira arte excogitatus, nam veritas est bonum intellectus ex

cuius

cuius possessione nascitur quædam delectatio. *Secundò*, de eius bonitate seu conuenientia cum sensibus; quantum est actus sensibus gratus, pariens quandam sensibilem voluptatem; vnde hæc delectatio similis est illi quæ ex rei præsentia & actuali fruitione percipitur: dupliciter enim potest à nobis aliquid fieri, vel esse præsens, reipsa scilicet, & vi phantastica per imaginationem. Ita Lessius *de iust.l.4.c.3. dub.15.* Valent.*tom.2.disp 6 qu.4 .punct.3.* Clau.Reg.*l.8 c.7.num.1.*Syluius 1.2.q 74 *art.*8.Filliucius *tract.21.n.177* Caramuel *in reg.S Bened disp.65.n.1023. & seq* Caspensis *tract.12.disp.4.sect.5.*& alii.

Lessius. Valent. Clau.Reg. Syluius. Filliucius, Caramuel. Caspensis.

2 Voluntas hominis potest se habere dupliciter circa has delectationes, *positiuè & negatiuè*; *positiuè* quando eas directè admittit vel reiicit, siue in actu signato, siue exercito; *negatiuè*, quando eas neque approbat, neque repudiat, sed patitur eas hærere in appetitu sensitiuo sine directo consensu.

3 Actus internus voluntatis duplex esse potest circa has delectationes: vnus *efficax*, alter *inefficax*: actus *efficax*, dicit ordinem ad executionem & ad actum externum, vnde necessariò fertur in illum secundùm conditiones, & circumstantias quas habet actus externus; actus verò *inefficax*, qualis est delectatio, cùm non feratur in obiectum vt executioni mandandum, sed quatenus repræsentatur intellectui, ideò actus internus habet solum illas conditiones & malitias secundùm quas repræsentatur Bonac.*de matrim.q.4.p 8.n.3.* Vasq.1.2 *c.2 disp.*112. Filliuc.*tract.21.n.276* His positis dicendum est.

Bonacina Vasques. Filiuc.

4 Secundùm communem Doctorum sententiam consensus in delectationem de rei alicuius veritate, per se nullum est peccatum: quia delectatio illa non est mala cum oriatur ex actu bono, nempe, ex cognitione veritatis: ergo non est malum in illam consentire; quia Dominus Deus omnem ueritatem semper actu intelligit, ergo bonum quæ est intelligere quamlibet veritatem, etiam illam, quæ est in actibus malis; immò aliquando necessarium, vt cùm quis debet audire confessiones, prædicare aut disputare de fornicatione, homicidio, &c. per accidens tamen fieri posset, vt talis delectatio sit peccatū vel veniale si sit otiosa, curiosa; vel mortale si cum periculo peccati mortalis, v.g. pollutionis, vel vindictæ D.Thom. 1.2.*q 74.art* 8.Caiet. Conradus, Medina *ibid.* Lessius *c. num.* 108. Syluius *c.conc.*1. Caspensis *c. sect. 5. n.* 33. & alii.

D. Thom. Caietanus Conradus Lessius Syluius Caspensis

5 Consensus directus in delectationem de rei alicuius bonitate sensibus grata est, vel peccatum mortale, vel veniale, vel nullum pro conditione rei cogitatæ: quia accessorium sequitur naturam sui principalis: vnde qui voluntariè delectatur de fornicatione cogitata, peccat mortaliter, qui de scurrilitate non libidinosa, peccat venialiter, qui de comestione temperata nihil peccat Azor. *tom.1.l.4.c.6.q.*2. Syluius *c art.8.conc.*2.

Azorius Syluius

6 Duo requiruntur ad positiuum consensum sufficientem ad peccatum mortale. *Primò*, perfecta, & actualis aduertentia ipsius obiecti cogitati secundùm rationem malitiæ; vel saltem aliqua dubitatio seu scrupulus de malitia, vel periculo eius, qui momento fieri potest. *Secundò*, requiritur positiua voluntatis approbatio, quæ sequi potest eodem momento temporis in posteriori naturæ; His positis, ponitur peccatum mortale; remotis autem, certum est remoueri, si ratio tantùm imperfectè aduerterit turpitudinem delectationis: vide Vasquez 1.2 *disp.107.n.11.* Bonacin.*tom.2.disp.2.q.2 p.* 3. Reginald. *l. 11.n.32.* Lessium *l 4.c.3.n.*116. Becan. *tract.2.c.5. quæs.5.* Azor. 1 *p.l 4c.5.q.4.*& alios

Vasquez. Bonacina. Reginald. Lessius. Becanus. Azorius.

7 Quidam Doctores docent non improbabiliter, necessariam esse positiuam complacentiam in delectationem ad peccatum mortale constituendum: vnde secundùm hanc sententiam culpa lethalis non est, quando non est delectationis complacentia, sed quia illam patiens experitur in se tam firmum non consentiendi propositum, vt ob id consensus periculo minimè exponatur, ideo eam repellere non curat, quare hæc sententia totā culpæ mortalis rationem ad probabile solùm consensus periculum coniicit Caietanus *v.delectatio* Angelus. Syluest. Nauarr.*c.11.n.12 & 13.* Grassis. *p.1.l.c.78.* Regin. *lib.11 n.49.* Syluius *c.art.8.quæsit.1.c.1.*& alii.

Caietan. Angelus. Syluest. Nauarr. Grassis Reginald. Syluius.

Alii volunt esse peccatum mortale, voluntate negatiuè se habente circa delectationem, hoc est nec consentiendo positiuè, nec etiam illam reprimendo, quòd homo dicatur tunc in illam interpretatiuè consentire; ratio horum est, quia voluntas appetitum sensitiuum, & delectationes illicitas comprimere, & repellere tenetur, & maximè quando absque magna difficultate potest: Ita Diuus Thom. 1.2.*q.74 art 6* Azor.*tom.1.l.4.c.6.q.5.*Clau Reg. *l.8.c.7.n.2 & 3.*Vasq.*tom.1.disp* 108.*c.2.*& alii. Hæc sententia practicè ferè semper est vera, quando post plenam deliberationem nullus actus contrarius est in voluntate, quo conetur voluntas resistere, alioquin voluntas ferè semper exponetur proximo consensus periculo, nisi producat actum contrarium vt docent Sanchez *l. 1. mor. c.* 2. Lessius *cap. num* 117. Diana *p. 2. tract. 3. miscell. res.* 33. Filliucius *tract. 21. n.* 284. Sancius *in select. disp.* 21. *num.* 3. & alii: at in rigore Metaphysico altera sententia speculatiuè est probabilior, quamuis ea displicentia formalis non sit in voluntate, sed merè negatiuè se habeat, quia etsi voluntas appetitum gubernare teneatur, tamen obligationi simpliciter satisfacit gubernando ne consentiat: vide Syluium *c art 8. q. 1. conc.* 4. & Sanc. *in selectis disp.* 21. *n.* 3. & 5. qui vltimus docet nequidem esse veniale non resistere: nam præceptum positum sub veniali ad resistendum, totum ordinatur ne homo consentiat in delectationem: igitur non consentiendo, adimplet præceptum non annuendi, & etiam præceptum resistendi: cùm superfluè præciperetur resistentia, quando absque illa non consentiret homo delectationi. Sicut nec peccaret venialiter qui non assentiretur tentationibus, licet nullo modo, aut saltem tepidè restitisset: nisi ex non resistendo periculum consentiendi incurreret, & tunc mortale esset, si materia esset grauis. Et sanè si obligatio positiuè resistendi admittenda est potiùs sub mortali, quā sub veniali erit. Nec exinde dicetur voluntatem virtualiter velle, & approbare sensualitatis motum, dum nō reprimit, & potest; nam ad hoc vt voluntas aliquid velle dicatur indirectè, requiruntur tria: videlicet, quòd possit opus agere, quod non agat, & teneatur agere. At voluntatem non teneri reprimere, dictum est suprà; cùm ipsa solùm gubernare sensus appetitus teneatur: sufficiēter verò gubernat, consensum neutiquam præstādo. Ita Sancius qui pro hac sententia refert viginti nouem Doctores, & nouissimè noster Caspēsis *tract de peccatis disp. 4 sect. n.* 21. & apud illum D. Thom. & Bonauent.

D. Thom. Azorius. Clau. Reg. Vasquez. Sanchez. Lessius. Diana. Filliucius Sancius.

Caspensis D. Thom. Bonauent.

8 Causæ iustæ permittendi in se delectationes motuum sensualium præter intentionem euenientium, sunt, *prudentia*, *necessitas*, *pietas*, *vtilitas*. *Prudentia*, vt si quis experiatur tales motus citiùs euanescere, si eos contemnat, & quasi dissimulet quàm si positiuè repugnet. *Necessitas*, vt si cui ex officio incumbit audire confessiones, prædicare, vel disputare de rebus venereis, *Pietas*, cùm quis studio iuuandi proximum studet casibus conscientiæ, vel alia officia suscipit, quæ adferunt secum imaginationem rerum venerearum. Denique cùm aliquis alicui operi honesto incumbit aut *vtili*, & oriuntur huiusmodi delectationes, non tenetur opus illud relinquere, modò absit periculum consensus; quando autem causa non est omninò iusta, tamen aliquid commodi, vel humanæ vtilitatis habet, ratione cuius illi actioni incumbitur, probabile est non fore peccatum mortale, modò in affectu sit aliqua detestatio huius delectationis. Vide Azor. *c. quæsit.* 5. Clau. Reg. *c. n.* 5. Lessium *c. n.* 118. Valent. 1. 2. *disp.6. q. 4. punct.* 3. Caiet *v. delect. n.* 11. Syluium *c. art.* 8. *q.* 1.*conc.* 2. Fill.*c.n.*285. Becanum *cit.cap* 5.*q.5.n.6.*& alios.

Clau Reg. Azorius. Lessius. Valentia. Caiet. Syluius. Filliucius Becanus.

9 Cùm animæ potentiæ vt intellectus, voluntas, imaginatio, appetitus, valde subtiliter moueantur, & iudicium sæpe incertum relinquant; ideò valde difficile est deprehendere peccatum morosæ delectationis; quia multa sunt consideranda, nempè obiectū, immaginatio, delectatio, cōsensus, modus consentiendi, causæ abstergētes malitiam libidinis; tamen si quis inuestigare velit, an morosæ fuerit delectatus, & an peccarit mortaliter hac ratione poteris uti quæ in praxi uidetur esse satis secura. *Primò* consideret obiectum delectationis, nam si habuerit tantùm malitiam ueniale non erit grauius peccatū in

co n-

consensu, vt si virgo delectetur imaginatione choreatum. *Secundò*, si obiectum sit graue vt homicidium, fornicatio, tactus, aut aspectus impudicus, tunc videat an delectatio fuerit de obiecto in quantum est quoddam verũ & intelligibile, at verò in quantum est quoddam bonum sensualitate conueniens. *Tertiò*, an delectatus fuerit modo potiùs quàm obiecto. *Quartò*, si delectatus sit obiecto graui quantum est sensibus gratum, videat vtrum fuerit consensus deliberatus, saltem interpretatiuè an primò primus, an secundò primus. *Quintò*, si ab fuerit subreptio an habuerit iustam causam permittendi in se delectationem. *Sextò*, an illis omnibus ne exposuerit se periculo positiui consensus aut interpretatiui, nam si quis hoc periculum aduertat, an aduertere supinè negligat, non aberit peccatum mortale, hæc colliguntur ex doctrina. Syluius *c. art.* 8. Filliuc. *c. num.* 288. & 251. Bonacina *tom.* 2. *d.* 2 *p.* 3. *n.* 19. Sanchez *l.* 1 *moral. c.* 1. *n.* 17. Clau. Reg. *l.* 8. *c.* 7. *n.* 9. Becan. 1. 2. *tr. c.* 5. *q.* 5. Caspensis *tr. de pecc. disp.* 4. *n.* 33.

Syluius
Filliucius
Bonacina
Sanchez
Clau. Reg.
Becanus
Caspensis

Porrò, ex tribus deprehendi potest an delectatio fuerit sumpta ex obiecto in quantum est verum, an in quantũ est bonum sensibile: item vtrum de re an de modo; *Primo*, ex affectu, vt si quis non sit libidinosus, sed potiùs motus illos soleat detestari, nec illos habere pro suo bono. *Secundo*, ex occasione, vt si quis inciderit in illos motus occasione operis honesti, vel impudici, *Tertio*, ex effectu vt si animaduertamus effectum fuisse spiritualem, licet aliquo modo redundauerit in partem interiorem si non impediuerit opus honestum in quantum tale, vt orationem, auditionem confessionum.

10 Secundùm Caiet. *in Sum. v. delect. n.* 14. multę negligentiæ post plenam aduertentiam rationis possunt excusari à peccato mortali, quia paruæ sunt, præsertim in iis, qui habitualiter in animo gerunt se potiùs velle mori, quam peccare mortaliter, & hæc, inquit, ita accipiantur ad excusandum, ut non foueant ad negligendum.

11 Communis Doctorum sententia est, omnes delectationes uenereas esse eiusdem speciei cum opere externo, id est habere, eandem speciei malitiam quam habet opus externum; quia delectatio sequitur complacentiam operis, èstque eiusdem moris, & in consensu delectationis est tacita approbatio operis, quod proxima delectationis est causa: vnde delectatio ex cogitatione fornicationis pertinet ad speciem fornicationis; deinde delectatio uenerea non solùm est mala ex motiuo, sicut sunt cæteræ delectationes, sed etiam est mala ex causalitate quàm ex natura sua habet in opus externum, unde in confessione explicanda est circunstantia personæ circa quam fuit delectatio, nam delectatio, de consanguinea nõ solùm habet malitiam simplicis fornicationis, sed etiã incestus; idem dicendum de aliis speciebus luxuriæ Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *disp.* 15. *num.* 122; *& seq.* Clauis Regia *li.* 8. *cap.* 7. *nu* 19. Azorius *lib.* 4. *cap.* 6. *q.* 3. Nauarrus *ca.* 16. *num.* 9. Sanchez *lib.* 1. *Moral. ca* 2. *num.* 11. Sà *v. Luxuria, nu.* 12. Syluius 1. 2 *q.* 74. *art.* 8. *quæsit.* 7. Non est tamen improbabilis opinio. Vasquez 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 112. *cap.* 2. Bonacina *de matr. q.* 4. *part.* 8. *n.* 18. 19. Filliucius *tr.* 21. *n.* 301. Caramuel *in reg. S. Bened. n.* 1039. Diana *tract.* 3. *miscell. resol.* 34 *part.* 2. & *de circumst. resol.* 48. *p.* 1. Caspensis *tr.* 12. *disp.* 3. *n.* 44. & aliorum recentiorum dicentiũ delectationes morosas efficacis voluntatis eiusdem esse specium opere exteriori; non verò delectationes simplicis complacentiæ; vnde secũdùm illos delectatio quam quis sumit de vxore aliena, vel consanguinea, vel moniali ex solo affectu libidinis habet tantummodo malitiam simplicis fornicationis, quia delectatio sumit speciem à motiuo, cùm ergo motiuum delectationis sit solus affectus venereus, qui habet oppositionem cum sola castitate, delectatio illa habet solam malitiam fornicationis contra castitatem; Hæc tamen doctrina non habet locum in cõiugatis, vel habentibus votum absolutum castitatis: hi enim in quauis delectatione morosa, non solum peccant contra castitatem, sed etiam illi contra fidem in matrimonio datam, isti contra religionem: vt notat Diana *p.* 2. *tract.* 17 *res* 34. & dicetur infra *n.* 15.

Lessius
Clau. Reg.
Azorius
Nauarr.
Sanchez
Sà
Syluius
Vasquez
Bonacina
Filliucius
Caramuel
Diana
Caspensis

Diana

12. Controuertitur inter Doctores, an peccatum mortale sit, delectari de aliquo opere mortali sub ea conditione, si esset licitum, aut si esset prohibitum; quod idem est, an consensus conditionalis excuset à peccato mortali, v. g. si essem coniugatus, experirer illam voluptatem, si non essem religiosus, & hæc & illa emerē, &c.

Pro conclusione dicendum est, secundùm Clauem Regiam *lib.* 8 *cap* 7. *num* 27. Valentiam 1. 2 *disp* 6. *q.* 4. *part.* 4. Sà *verb. Peccat. n.* 2. Vasquez 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 116. *cap.* 2 Bonacinam *cit. q.* 4. *part.* 8. *n.* 21. *& seq* Azorium *cit. q.* 10. Caietanum *in Summ. verb. Delectatio n.* 8. Syluium 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *q.* 4. Filliucium *tract.* 21. *c.* 8. *q.* 7. Layman *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 10. & 11 Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *n.* 23. *& seq.* Nauarrum *in Manual. cap.* 16. *num.* 9. Reginaldum *lib.* 11. *n.* 53. Caramuel *in reg. S. Bened. n.* 145. *& seq.* & alios si conditio illa suspendat voluptatem, nullum esse peccatum ex se. Ratio est, quia tunc nulla est experientia præsentis voluptatis sensibilis, fertur in illud tempus, quo est licita, quod non est contra rectam rationem, si absit periculum. Si verò conditio adferat præsentem delectationem, similem illi quæ capitur ex opere, tunc distinguendum est: nam si actus cogitatus, habeat annexam delectationem suaptè natura turpem & bestialem, non poterit excusari à peccato mortali, Ratio, quia illa delectatio hic & nunc est mala, cum oriatur ex opere mortaliter illicito; neque conditio illa, si essem coniugatus, potest abstergere malitiam, quia non attingit, aut suspendit delectationem veneream, sed tantùm actum ipsum realem, vnde talis consensus, licet sit conditionatus respectu operis, est tamen absolutus respectu delectationis. Si autem conditio habeat delectationem honestam & spiritualem, tunc poterit abesse omne peccatum. Ratio est, quia delectatio honesta & spiritualis à quouis est appetibilis secundum rectam rationem, quamuis per accidens opus ipsum reale, alicui sit prohibitum: vt si homo priuatus dicat, si essem Pontifex, aut Episcopus, ita visitarem meas oues, ita inuigilarem, ita excommunicarem rebelles, &c. Nam delectatio ex huiusmodi imaginationibus, vt tales sunt, proueniens, est honesta, qualis sequi solet operationem charitatis, misericordiæ, iustitiæ, &c.

Clau. Reg.
Valentia
Sà.
Vasquez.
Bonacina
Azorius.
Caietan.
Syluius.
Filliucius.
Layman.
Sanchez
Nauarr.
Reginal'd.
Caramue

Sed quid iudicandum de illo religioso, qui diceret, si religiosus non essem, vellem fornicari? Resp. Talis peccat mortaliter, si verè habeat propositum, seu voluntatem fornicationem committendi, nisi obstaret illa conditio; quia elicitur desiderium de re mortali, sub eiusmodi conditione, quæ etiamsi poneretur, nihilominus adhuc esset, mortale; siue enim adsit status religionis, siue absit fornicatio est peccatum mortale; & per consequens etiam mortale est velle illam committere, nisi talis status adesset, cum talis voluntas sit affectus committendi peccatum mortale, absque vllo motiuo honesto, quod eam possit excusare: Notandum tamen est huiusmodi actum habere solùm malitiam simplicis fornicationis, quia à voto præscindit. Ita Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *num.* 28. Layman *cit. num.* 11. Bonacina *cit. quæst.* 4. *p* 8. *num.* 27. 28. Caietanus *v. Cogitationum peccata*, & alii.

Sanchez
Layman.
Bonacina
Caietan.

Porrò quidam talem actum à mortali peccato liberant, *vellem fornicari nisi esset peccatum, & offensa Dei*. Ita caietanus, Armilla *uerb. Cogitatio*. Vasquez *tom.* 1. *in* 1. 2. *disp.* 116 *c.* 2. Bonacina *c. num.* 32. Sed melius alii distinguunt; si enim voluntas deliberatè feratur sub tali conditione in obiectum per se, & suaptè natura malum, committitur culpa mortalis; quia illud desiderium aliud non est, quàm optare, vt ordo, & lex naturæ immutetur, quod peius est quàm fornicari velle. Si autem alia dicentis intentio non sit, quàm ostẽdere voluntatis suæ vel appetitus sensitiui malam propensionem, quę in consensum circa tale obiectum traheret, nisi Dei lex arceret; tunc nihil peccatur, sed propensio in malum recordatione diuinæ legis reprimitur. Ita ex Adriano *quodlib.* 10. *art.* 2. Syluius 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. *quæsit.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *dub.* 10. Sanchez *cit. cap.* 2 *n* 23. & alii.

Caietan.
Armilla.
Vasquez
Bonacina

Adrianus
Syluius.
Azorius.
Sanch.

13 Quando, opus aliquod ex se non est malum, sed propter solam legem positiuam, probabilius est non peccari illud imaginando, & delectationem inde capiendo, nisi esset vanum, aut periculosũ, vnde potest quis in quadragesima imaginari se comedere carnes, & sic delectari sensibiliter, si habeat iustum finem; Ratio est, nam præceptum positiuum humanum per se non prohibet actus internos, sed solùm externos; quod si non habeat finem

boonum, erit actus otiosus, & peccatum veniale, si verò exponat se periculo violandi præceptum Ecclesiæ, erit peccatum mortale. Huius etiam sententiæ est Doctissimus Syluius *c. quæst.* 5. cui adde Lessium *cit. num.* 115. Vasquez 1.2.*d.*110.*cap.*1. Layman *lib* 1 *tract.*3.*cap.*6.*n.*9. Dian.*p.*3.*tr.*5.*misc.res.*5. Maldet. t. 2 *q.*74.*art.*10.& alii.

Syluius. Lessius. Vasquez. layman. Diana. Malderus.

14 Non peccat mortaliter vidua, vel sponsa, quando delectatur de actu coniugii non apprehenso sub ratione delectabili seu ex affectu venereo, sed ob finem aliquem honestum, vel ob commoditatem aut utilitatem aliquã honestam: quia cum delectatio sit actus ineffieax, sumit bonitatem, vel malitiam ex motiuo quod in hoc casu non est peccatum, & malum, si verò actus coniugii apprehendatur à uidua, vel sponsa sub ratione delectabili, est peccatum mortale, quia secundùm apprehensionem habet motium aliquo modo præsens, quod est illicitum sicut est illicita externa venerea delectatio: si verò gaudeat de actu illo tanquã præterito, vel futuro, quod nihil est aliud quam consentire in rem licitam, seu approbare rem præteritam, non est peccatum. Azorius *cit. quæst.* 6. & 7. Nauarrus *cap.*16.*num.* 10. Lessius *cit. nu.*120. Clau. Regia *cit. num.*23.24.& 25. Vasquez 1.2.*tom.*1.*disp.* 114. *cap.*2. Vide Dianam *p.*3.*tract.*5.*misc resol.*2. Syluium *cit. art.*8.*quæsit.*2. Sancium *in select. disp.*21.*n.*27.& alii.

Azorius. nauarrus. lessius. Clau. reg. Vasquez. Diana. Syluius. Sancius.

15 Non peccat mortiferè coniux, cui in absentia coniugis delectatur imaginaria copula preterita, vel futura modò absit periculum pollutionis: quia qui in eo statu est, vt ei opus externum teipsa præstitum est permissum, ei quoque permissum est opus imaginarium; sæpè tamen potest esse mortale, quia periculosum est huiusmodi cogitationibus immorari absentè coniuge; in presentia autem non est vnquam peccatum mortale, vbi periculũ illicitæ pollutionis abest. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.*45.*art.*41. Reginaldus *lib.*11.*num.* 52. Bonacina *cit. num.*12. Diana *part.*2.*tract.*3 *miscel.resol.*36 & *part.*3.*de Sacrament.resolut.*200. Layman *lib.*1.*tract.*3.*cap.*6.*n* 14. & alii. Multi tamen Neoterici docent esse mortale. Syluius, Nauarrus, Rodriquez, Azorius, Fernandez, & alii apud Dianam. Confirmatur autem prior sententia: nam licet illa delectatio de se sit ordinata ad copulam, honestatur, eo quod copula cum proprio coniuge honesta sit, & quamuis per se etiam ordinetur ad pollutionem, non tamen per se determinatè ordinatur ad illã, sed diuisiuè ad illam, vel ad copulam, quasi sit in electione coniugis ad pollutionem, vel copulam carnalem, delectationem ordinare; cumque copula in eo licita sit, ordinando delectationem ad eam, & non ad polutionem, minimè peccatum commitet.

Sanchez. Reginald. Bonacina. Diana. Layman

Similiter non est illicita inter coniuges delectatio de copula cogitata, vt præsenti, quando ipsa copula est ipsis illicita ob periculum salutis, vel abortus, aut ob aliquod impedimentum naturale post matrimonium superueniens; & vniuersaliter ex quacuque circu astantia extrinsica: nam in his hominibus casibus copula per se est licita, & illicita solum per accidens: vnde non est illicita eius delectatio. Idem etiam dicendum, si copula sit prohibita aliquo præcepto Ecclesiastico, vt si ratione concubitus cum consanguinea vxoris, vir affinitatem contraxisset cum ipsa, ex quo priuatus esset iure petendi debitum: nã hoc impedimentũ est extrinsecum, & arcens à copula in pœnam delicti, & cum res sit pœnalis, non docet extendi ad delectationem de copula. Ita probabiliter Sanchez *de matrim. lib.*9.*disp.*44. *num.* 21.*seq* quem sequuntur Granado, Villalobos, & Diana *part.* 3. *tract.*4 *resol.*224. contra Pontium, & Rodrig ibi citatos.

Sanchez. Granado. Villalob. Diana. Pontius. Rodrig.

An autem delectatio coniugis cum fœmina aliena, habeat non solum malitiam contra castitatem, sed etiam contra iustitiam, communiter responsio est affirmatiua, quia coniux per matrimonium, non solum corpus, sed etiam affectus alteri coniugi obligauit, ergo si in alteram fœminam à sua coniuge inclinat, iniuriam illi irrogat. Ita Bonacina *de matrim. quæst* 4.*punct.*8.*n.*20. Diana *part.*3.*tract.*6. *resol.*73.& *p.*5.*tract.*13 *resol.* 99. Quidam tamen negant, coniuges per coniugium se obligasse, ab his delectationibus abstinere, quia hæ delectationes sunt per se incognitæ alteri coniugi, & non potest ratione illarum iniuriã pati, neque priuari ob illas copula sibi debita, ergo non sunt contra iustitiã, sed solum contra temperantiam. Sed an probabiliter, iudicent viri docti, mihi enim hoc non placet: licet, vt probabilem admittat nouissimè Diana *p.*9.*tr.*6.*resol* 4.

Bonacina. Diana.

Vide *Stuprum n.*3. *Luxuria, Impudicitia.*

DELEGATVS.

Delegata potestas.

SVMMARIVM

1 *Delegatus quis sit, & in quo differat ab Ordinario.*

2 *Delegatus ad vniuersitatem causarum quis dicatur; & an possit eam potestatem delegare.*

3 *Verius est delegatum inferioris Principe, qui non est vniuersitatem causarum, posse subdelegare, quando Ordinarius id concessit.*

4 *Nullus delegatus etiam Principis potest subdelegare cum facultate subdelegandi.*

5 *Delegatus inferioris Princi pe ad vnam causam non potest totam illam subdelegare, nec articulum, iurisdictionem continentem, bene tamen articulum qui nudi ministerii est.*

6 *Potestas delegata ad liter asinstitia exequendas expirat morte cõcedentis re integra, secus si res non sit integra Idem dicendum finito officio delegantis re integra.*

7 *Quando delegatus subdelegat, non perit potestas subdelegati morte subdelegantis re integra, si primus ordinarius delegans superstes sit, &c.*

8 *Certum est potestatem delegatam expirare ipso iure, mortuo delegante re integra. Tripliciter tamen temperatur hac doctrina.*

9 *Potestas delegata ad dispensandum cum personis incertis, & indeterminatis non expirat morte concedentis re integra. Similiter, & illa quæ datur cum persona determinata in fauorem dispensantis.*

10 *Potestas delegata potest tripliciter alicui committi. Et an commissio personalis, & realis extinguatur morte delegati.*

11 *Potestas delegata seu commissio personalis non expirat finita delegati dignitate, secus si sit realis.*

12 *Verius est potestatem concessam Episcopis in Tridentino* sess. 24 cap. 6.de reform. *Competere etiam Capitulo Sede vacante, & aliis Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem.*

Post num. inuenies aliud Summarium.

1 DElegatus à delego dicitur, quòd est vices committo. Vnde quoad Ecclesiasticos, delegatus est is, cui a Summo Pontifice, vel ordinario causa committitur, aut etiam ab eo, qui extraordinaria iurisdictione aliquid potest: Et similiter est dicendum de Imperatore, & aliis dominis quoad sæculares. Hoc distat inter Ordinarium, & delegatum: quòd ille, cùm iure proprio, & in seipso iurisdictionem radicatam habeat, potest delegare; hic autem, cum nihil proprium babeat, sed alienæ iurisdictionis vsum, non potest delegare excepto delegato supremi Principis. Quod Ordinarius possit delegare, habetur expresè, *cap. Cum Episcopus, de offic. Ordin. in* 6. & *l. More ff. de iurisd. omn iudic.* Quod delegatus nõ possit subdelegare habetur *l. final. de offic. eius*, & *l. A Iudice, Cod de iudicits*. Nisi sit delegatus supremi Principis, habetur *cap. final de offic deleg.* & *cap. Cum causam, de appellat*

2 Delegatus ad vniuersitatem causarum, reputatur quasi ordinarius, & subinde delegare potest vnam, vel alteram causam, non tamen vniuersam suam delegationẽ; quia etiam ordinarius id non posset, inconsulto Principe, vt dicetur infra Couaruuias alios referens 3. *variar. c.* 20.*n.* 11. Syluester *v. delegatus, quæst.*8 *dict* 3.& est communissima sententia. Delegatus autem ad vniuersitatem causarum dicetur, quando ei genus causarũ committitur, sub vno nomine collectiuo quamuis non sit generalissimum, sed subalternum licet sit restrictum quoad tempus, vt si committantur causæ tali anno occurrentes, vel quoad quantitatẽ, vt causæ 20 librarũ & infra ve

Couar. Syluester

quoad

Bartolus

quoad locum, vt causæ talis loci vel territorii. Ita Bartolus in *l. legatus. num. 4. ff. de offic. procons.* Idem dicendum est, quando delegatio est vniuersalis respectu personarum, licet non quoad causas: vt si omnes causæ mutui talis territorii alicui delegentur: quia causa est genus, multas sub se continens species. Idem dicendum, quando delegatio est vniuersalis quoad causas & personas.

3 Verius est delegatum inferioris Principe, qui non est ad vniuersitatem causarum, posse subdelegare, quando Ordinarius delegans concessit illi subdelegandi potestatem. Ratio est, quia tunc non videtur ipse delegatus subdelegare, sed ordinarius delegans, iuxta *l. vnum ex familia, §. si de falcidia, ff. de legat.* vbi habetur, eligentem iussu testatoris, nullum beneficium conferre, quia non ipse, sed testator iubens conferre censetur. Ita Nauarra *cap. Placuit num. 70.* Angelus *verb. delegatus, n. 6.* Henriquez, *lib. 6. de pœnit. cap. 7. num. 6.* & alii. Sufficiet autem ad hoc, licet tacita Ordinarii, v. g. cùm delegatus Ordinario sciente & patiente delegat; vel quando ex vsu, aut coniecturis sufficientibus apparet id velle Ordinarium. Non poterit tamen Ordinarius concedere potestatem subdelegandi nomine ipsius delegati: quia potestas subdelegandi non potest fundari in persona delegati.

Nauarra, Angelus, Henriq.

4 Nullus delegatus etiam Principis potest subdelegare cum facultate subdelegandi; & in hoc differt ab Ordinario quod minimus ordinarius hoc potest, non autem supremus delegatus, qualis est Principis. Ratio est, quia delegatus non habet facultatem vltra sibi commissam, ordinarius autem habet potestatem vniuersalem; ergo cùm solùm delegato Principis, & ad vniuersitatem causarum, reperiatur in iure concessum, posse subdelegare, & nullibi concedatur posse dare facultatem subdelegandi, id non poterunt. Ita Glossa *cap. Super quæstionum, §. Porrò, verb. Transfert, de offic. delegat.* Tabiena *verb. Delegare, q. 1.* & alii.

Glossa, Tabiena.

5 Delegatus inferioris Principe ad vnam causam, non potest totam illam subdelegare, nec articulum iurisdictionem continentem; potest tamen articulum, qui nudi ministerii est, v. g. committitur alicui receptio testium, hic actus est iurisdictionalis, cùm testes non sunt approbati, seu interrogatoria non sunt facta, tunc enim iudex deputatur super receptione testium; & vbi omnia essent examinata, ita vt commissarius habeat nudam, & simplicem testium receptionem, esset actus non iurisdictionalis. Probatur ex *cap. Super quæstionum in princip. de offic. delegat.* & docent Glossa *Clement. vnic. in fine, de offic. delegat.* Nauarrus *in Man. c. 27. n. 45.*

6. Certissimum est potestatem delegatam ad litteras iustitiæ exequendas, expirare morte concedentis re integra, id est, antequam delegatus cœperit iurisdictione vti; secus si res non erat integra. Vt habetur expressè *cap. Gratum, cap. Relatum, cap. Licèt vndique de offic. delegat.* Ratio est, quod tunc non est gratia vel fauor, sed quoddam mandatum de iustitia facienda; mandatum autem expirat, morte mandantis re integra, *l. mandatum, Cod. mandati.* Tum quia per delectationis actum non transfertur efficaciter iurisdictio in delegatum, donec ea vti cœperit, vt expressè habetur *cap. Quamuis de offic. deleg. in 6.* Vndè cum iurisdictio re integra sit cum effectu penes delegantem, & per ipsius mortem extinguatur iurisdictio sua, extinguetur quoque iurisdictio delegata. At per iurisdictionis exercitium ante delegantis mortem iurisdictio radicatur in persona delegati, ita vt efficaciter in eam transierit; & ideo morte ipsius delegantis non extinguitur iurisdictio hæc delegata, quando res non erat integra, sed ipsa vti cœptum est. Porrò sicut morte delegantis re integra perit iurisdictio delegata; ita etiam finito officio delegantis re integra. Ratio est, quia cum finito officio perinde extinguatur iurisdictio, ac morte naturali, iure optimo finiri officium ac naturaliter mori æquiparantur, quoad extinctionem potestatis delegatæ re integra. Ita tenent Glossa, *cap. Licet vndique in fine, de offic. delegat.* & ibi Abbas *n. 7.* Baldus *n. 8.* & alii.

Glossa, Abbas, Baldus

7 Quando delegatus ex speciali potestate sibi à delegante tradita subdelegat, non perit potestas subdelegati morte subdelegantis re integra, si primus ordinarius delegans superstes sit, quasi ipse sit prima radix & censeatur substituens. Secus delegato subdelegante iure proprio in casu, in quo subdelegare potest: quia tunc non primus ordinarius, sed ipse delegatus censetur sustinere.

Quando autem moritur primus ordinarius delegans, & res in integra quoad delegatum, non tamen quoad subdelegatum, quia delegatus iurisdictione vti non cœperat, at subdelegatus cœperat: videtur expirare iurisdictio subdelegati. Ratio est, quia morte expirarunt iurisdictio primi delegantis & delegati subdelegantis, res enim erat integra quoad ipsum, expirabit ergo iurisdictio subdelegati, vtpote cui deficit fundamentum, cui innitebatur. Dicendum est tamen, nullo modo eam expirare; quia cùm iam subdelegatus cœpisset vti, radicata est iurisdictio in seipso, ac proinde eius duratio iam non pendet à primo delegante, aut subdelegãte, vt est textus apertus, *cap. penult. de offic. delegat. in 6.* Porrò, quando obit primus delegans re existente non integra quoad delegatum, integra verò quoad subdelegatum, similiter non expirat subdelegata iurisdictio: quia ne expiret, satis est ipsummet subdelegatum vel delegatum subdelegantem cœpisse vti iurisdictione ante primi ordinarii delegantis obitũ, vt constat *ex cap. penult. de offic. deleg. in 6.* & tenent ibi Glossa *verb. Processum.* Dominic. Francus, quos refert & sequitur Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 28. n. 36 37. & 38.*

Glossa, Francus, Sanchez

8. Quidam volunt potestatem delegatam non expirare ipso iure mortuo delegante re integra, sed ope exceptionis, ac proinde si pars aduersa non excipiat, valere gesta ab eo delegato. Sed contrarium tanquam verissimum est tenendum, & probatur ex *cap. final. vers. Officium, de offic. deleg. in 6. cap. Si cui nulla, de prebend. in 6.* & alia iura significantia expirare iurisdictionem ipso facto, nullam de partis exceptione mentionem faciunt. Vnde mortuo delegante re integra, non potest delegatus in causa procedere, etsi partes consentiant, nec valet processus; quia cum eius iurisdictio omnino extincta sit, nequit ex partium consensu prorogari; consensus enim hic nequit eum iudicem constituere, qui iudex non est. Temperatur tamen hæc conclusio. *Primò* vt intelligatur, quando datur noua potestas ad actum per illam commissionem, ita vt in exercitio actus gerat mandatarius vicem mandantis: quando enim non datur noua potestas, sed excitatur antiqua, non expirat. *Secundò* temperatur, nisi iurisdictio delegata sit accessoria gratiæ iam factæ. Sicut enim gratia facta non perit morte concedentis re integra, ita nec ea potestas accessoria, sed principalis gratiæ naturam sequitur. Ita definitur *cap. Si super gratia, de offic. delegat. in 6.* Temperatur *Tertiò*, nisi ea potestas delegata sit commissa nomine dignitatis committentis, vt si Pontifex dicat, *Sedes Apostolica tibi committit*, vel aliis verbis, quæ non à persona, sed à dignitate committentis delegationem proficisci denotent; tunc enim non expirabit delegatio morte delegantis re integra. Ratio est, quia cum dignitas nunquam pereat, nec eius iurisdictio, *cap. Si gratiosè de rescript. in 6.* sed eadem prorsus sit in successore, cessabit ratio ob quam potestas delegata perit morte delegantis re integra. Ita cum multis Sanchez *proximè citatus, num. 39. & seqq.*

Sanchez

9. Potestas delegata ad dispensandum cum personis incertis & indeterminatis non expirat morte concedentis re integra. Ratio est, quia cùm tunc in gratiam ipsius dispensatori concessa sit, est gratia facta, vt in simili de potestate conferendi beneficia personis incertis decipitur *in cap. Si cui nulla de prebend. in 6.* Tum quia cùm sit potestas ad iurisdictionem non contentiosam exercendam; minimè est inter mandata iurisdictionis computanda, sed inter gratias factas, quæ morte concedentis re integra non expirant. Similiter quando ea potestas delegata conceditur alicui ad dispensandum cum persona determinata, non in fauorem solius personæ, cum qua dispensandũ est, sed in fauorem ipsius dispensantis, aut vtriusque simul, tunc non expirat morte concedentis, aut amotione ab officio, etiam re integra, quia in hoc euentu est iam gratia facta, cum sit in ipsius dispensantis fauorem, & respectu ipsius iam totam suam perfectionem habet. Ita Nauarr. *in Man. cap. 27. n. 253.* Angelus *verb. Gratia, n. 2. & verb. Dispensatio, n. 13.* Syluest. *ibi q. 6. n. 11.* & multi iurisperiti apud Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 28. n. 80. et 81*

Nauarr. Angelus, Syluester, Sanchez

10 Potestas delegata potest alicui triplicitet committi. Primo modo, expresso solo nomine proprio delegati, vt committimus Petro. Secundo modo, expresso solo nomine dignitatis, vt committimus Archiepiscopo Cameracensi. Tertio expresso vtroque, vt committimus Petro Archiepiscopo Cameracensi. Hinc quando ex coniecturis verborum vel materiæ subiectæ certior regula deduci nequit, sed omnibus pensatis est res dubia, hæc regula accipienda est. Si solum personæ delegati nomen exprimatur, erit commissio personalis, ac morte delegati extinguetur. Quando autem nomen dignitatis, vel officii solum exprimitur, commissio erit realis, & eodelegato mortuo transibit ad successorem in ea dignitate, vel officio. Probatur hæc regula expressè ex *cap Quoniam Abb. de offic. delegat.* Et ratio est, quod in priori casu commisso fiat personæ, quę moritur, At in posteriori, dignitati, quæ nunquam moritur, sed est vna, & eadem in successore, *cap. Si gratiosè de rescriptis in 6.* Et nihil refert in hoc euentu, an à priori habenti illam dignitatem res cœpta sit, an potius re non incœpta, sed integra obierit. Quia rem esse integram, aut cœptam, ne commissio expiret, solum attenditur, quando delegans obiit, non autem quando delegatus obiit. Tum quia ratio vtriusque partis, nimirum, personam mori, non autem dignitatem, militat, siue res sit integra, siue non. Ita docent Innocentius *in dict. cap. Quoniam Abbas*, & ibi Hostiensis, Ioannes Andreas Menochius *de arbitr. q.68. num.22.*

Innocent. Hostiens. Ioan. And. Menoch.

Quando autem commissio facta est expresso nomine dignitatis, & personæ simul (omissis super hoc variis sententiis) verior asserit semper huiusmodi commissionem esse personalem, vtrumuis nomen præponatur, ac proinde non transire ad successorem. Ratio est, quia verba debent aliquid operari, quod adeò verum est, vt nec vlla syllaba in rescriptis Pontificis superflua esse debeat. At expressio nominis proprii superflua prorsus esset, nisi operaretur commissionem esse personalem. Nil enim aliud operari valet. Cùm aliàs persona sit certa per expressionem certæ dignitatis. Ita tenent Ioannes Andræas *cap. Statutum, 17. de rescript. in 6.* & ibi Archidiaconus *n* 3. Flaminius *de resign beneficior. lib. 1. q.* 11. *n.* 12.

Ioan. And. Archidiac. Flamin.

11 Si potestas delegata, seu commissio est personalis, non expirat finita delegati dignitate, sed potest adhuc de illa cognoscere; secus si sit realis, vtpotè dignitati facta; transit enim tunc ad successorem. Ratio est, quod in priori casu, cum solius personæ habita sit consideratio, sequatur commissio personam, instar priuilegii personalis; At in posteriori, cùm sola dignitas spectata sit, illam sequitur in quacumque persona inueniatur. Hanc regulam tradunt Glossa *Clement. v principalis de rescript.* & ibi Imola *n.* 11. Abbas *c. Quoniam Abbas num* 8. *fin. de offic. delegat.* & ibi Felinus *num.* 5. Quod adeò verum est, vt quamuis res non sit integra, sed delegatus cœperit vti commissione dignitati facta, cessabit eo amittente dignitatem, aut ad aliam translato, & ad successorem transibit. Ratio est, quia cùm sit præcisè dignitati concessa, pendet ab illa in conseruatione. Imò quamuis non deponatur dignitate legatus, sed ad aliam transferatur, cessat commissio realis illi facta, transitque ad successorem in priori illa dignitate: quia cùm commissio priori illi dignitati facta sit, ipsam semper sequitur, quando dignitas, ad quam delegatus ille transit, non continet primam, sed illam extinguit. Secus si per adiectam qualitatem non confundatur prior dignitas. Sic tenent Doctores citati cum Sanchez *lib* 8. *disp.* 27. *n.* 22. 23. *&* 24.

Glossa. Imola. Abbas. Felinus. Sanchez.

12 Potestas delegata, & concessa Episcopis ad absoluendum, & dispensandum circa omnes casus occultos, nec deductos ad forum contentiosum, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, in Tridentino *sess.* 24. *capit.* 6. *de reformat.* iuxta veriorem sententiam, competit etiam Capitulo Sede vacante, & aliis Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, & Prælatis Religionum. Ratio est, quia quamuis hoc iure speciali Tridentini competat Episcopis, & Capitulum non succedat in iis, quę competunt Episcopo iure speciali, vt communiter tradunt DD. id tamen est verum de iis, quæ competunt iure speciali delegato, seu ex commissione Episcopo, secus si de iure ordinario speciali. At hæc potestas competit Episcopis iure ordinario spepciali. Potestas enim competens non personæ, sed dignitati perpetuo, vel officio est ordinaria, & potestatis ordinariæ iura habet, & sequitur. Quod hic contingit, eo vel maximè, quia Tridentinum in eo decreto non dicit, vt id competat Episcopis tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, in quo euentu licet potestas competat officio in perpetuum, est delegata: quare tunc hæc potestas tanquam delegata non transit in Capitulum, nisi alias iure ordinario competat Episcopo. Tunc enim ea potestas transibit ad Capitulum, non quatenus Episcopus poterat iure delegationis, sed quatenus poterat iure ordinario. Ita Doctores citati *tom.* 1. *verb Capitulum, num.* 6. quibus addit Rodriquez *tom* 1. *quæst. regular quæst.* 61. *art.* 9. Henriquez *lib.* 14. *de irregul. cap.* 18. *num.* 2. & *cap* 20. *n.* 1. & *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 16. *n.* 1 Dianam *p.* 8. *tract.* 4. *resol.* 1. *& seq.* & alios apud ipsum & *p.* 7. *tr.* 2. *resol.* 1. *& seq.*

Trident. Rodriq. Henriq. Diana.

Vide v. Dispensatio *num.* 19. Lex 2. *n.* 8. Professio *n.* 1. Vicharius *n.* 2. *&* 7.

S V M M A R I V M

13 *Delegatus iudex tenetur literas suæ delegationis ostendere. Ordinarius vero pro tali habitus ac receptus, ad id non tenetur.*

14 *Delegatus formam sibi præscriptam excedere non debet: nec potest suam iurisdictionem extendere ad personas in rescripto suæ delegationis minime contentas.*

15 *Vt quis possit esse iudex delegatus, quam ætatem de iure habere debeat.*

16 *Delegatus Summi Pontificis, aut Legati illius debet esse in dignitate constitutus, aut Canonicus Ecclesiæ Cathedralis*

17 *Delegatus Summi Pontificis maior est in causa sibi à Pontifice delegata, omnibus aliis.*

18 *Delegatus à Summo Pontifice potest, tum per ordinarium loci, tum per seipsum executioni mandare sententiam à se latam.*

19 *Quando delegatus Papæ, vel Principis subdelegare non possit.*

20 *Delegatus Papæ qui subdelegare potest, cogere quemcumque potest, vt suscipiat munus subdelegati*

21 *Ordinarius in euentibus in quibus potest delegare, cogere potest subditum, vt delegatus ipsius sit.*

22 *Quid necesse sit vt aliquis causam aliquam alteri valide delegare possit.*

23 *Quando aliquis lege constituitur delegatus, durat iurisdictio delegata, quandiu ea lex perseuerat.*

24 *Quid iuris, si tribus causa aliqua delegata sit à Principe, & duo eorum subdelegent tertio.*

25 *Quid quando multi ad eandem causam, seu rem delegantur.*

26 *Potestas delegati expirat eo ipso, quod sententiam definitiuam à se latam per se, vel per alium executioni mandauit.*

13 DElegatus iudex tenetur ostendere se habere eam delegatam iurisdictionem, alioquin nullus tenetur ei parere, etiam in executione sententiæ à se latæ. Ita habetur *cap. Cum in iure, de offic. delegat* Vnde citare debet incerto tenore suæ delegationis, aut aliter de eadem sua delegatione certum citatum facere, vt teneatur corā ipso comparere *c. Præterea, de delegat. on.* Aliàs processus factus à iudice delegato, antequam literas suæ delegationis ostendat, at nullus, etiamsi eas literas habeat: Limita, dummodo pars opponat de rescripto non præsentato: si enim id non opponeret, & sub silentio pertransiret, validus esset processus. Iudex verò ordinarius pro tali habitus, ac receptus in suo munere, non tenetur ostendere suā iurisdictionem, literasve illius, sed citatus simpliciter ab eo, etiam solo verbo, iuxta *cap. Cum dilecti, de dolo, & contum.* tenetur coram eo comparere, semper enim præsumitur pro iurisdictione ordinarie, non verò sic pro delegata: estque delegati iurisdictio odiosa, atque idcirco restringenda, iurisdictio verò ordinaria est fauorabilis, ac proinde amplianda, vt affirmat Glossa *cap.* 1. *de rescriptis, in* 6. communiter approbata.

Glossa.

14 Dele-

14 Delegatus formam sibi præscriptam excedere non debet: alioquin irritum erit, quod contra mandatum sibi datum fecerit, fines illius transgrediendo. Id tamen non impedit, ipsum admittere debere rationabiles exceptiones sibi propositas, nisi ei contrarium præciperetur, quod rarò fit. Ita habetur *in cap. ex parte tua, de offic. delegat. cap. Cum dilecta de rescript.* Item delegatus extendere non debet, nec potest suam iurisdictionem ad personas in rescripto suæ delegationis, saltem per generalem clausulam minimè contentas, etiamsi illæ consentiant, quòd si eam ad illas extendat, irritum id erit & inane. Ita habetur *cap. Sedes Apostol c. Pastoralis, de rescript.* & docet Nauar. *cap. Cũ contingat de rescript. Septima causa nullitatis, n. 1.*

Nauarrus.

15. Vt aliquis esse possit iudex delegatus, habere debet impletum vigesimum suæ ætatis annum. Is verò qui nondum esset viginti annorum, modò tamen excederet decimumoctauum suæ ætatis annum, de partium consensu, quæ id scirent, esse potest delegatus, & non aliter. A Principe verò minor decem, & octo annis constitui potest iudex delegatus. Ita habetur *cap. Cum vigesimum, de offic. deleg.* & *l. quidam consulebat, ff. de re iudic.*

16 Delegatus Summi Pontificis, aut Legati illius, esse, non potest, nisi constitutus in dignitate, vel personatu, aut Canonicus Ecclesiæ Cathedralis. Ita habetur *cap. Statutum, §. sancimus de rescript. in 6.* & *Clement. 2. eod. titulo*, in qua exprimitur, Vicarium Generalem Episcopi & Priorem Conuentualem Religionis, etiamsi per electionem non promoueatur, sed à suo Abbate, sitque ab eo ad nutum amouibilis, constitui posse delegatos Sedis Apostolicæ & Legatorum illius. Non verò Vicarios foraneos Episcoporum, neque Priores Claustrales. Delegati autem aliorum Ordinariorum à Summo Pontifice & à Legatis Summi Pontificis, esse possunt quicumq; etiamsi Canonici non sint Ecclesiæ Cathedralis, neque constituti in dignitate, vt affirmat Glossa *§. sancimus citato.* Subdelegatus tamen à delegato Summi Pontificis, habere debet qualitates requisitas in delegatis Summi Pontificis, quia est mediatus delegatus Summi Pontificis. Ita habetur *cap. Statutum citato §. in nullo*, nisi subdelegaretur articulus aliquis causæ, vt Glossa ibi affirmat.

Glossa. Glossa.

17. Delegatus Summi Pontificis maior est in causa sibi à Summo Pontifice delegata omnibus aliis, vt habetur *cap. sanè secundo de offic. delegat.* quia subit in eo vices Summi Pontificis. Adeò autem in ea causa est omnibus aliis Superior, vt neque Legatus à latere possit eam causam ad se aduocare, neque impedire illius exequutionem, neque infirmare sententiam ab eo delegato Summi Pontificis latam, nisi Legatus Summi Pontificis specialem cũmissionẽ ad id habeat. Ita habetur *c. 2. de offic. deleg.*

18. Delegatus à Sede Apostolica potest, tum per ordinarium loci, etiam ad id illum compellendo, tum etiam per se ipsum exequutioni mandare sententiam à se latam vt constat ex *cap. Significasti, cap. In literis, cap. Quarenti, & cap. Pastoralis, §. quia vero de offic. delegat.* Imò dictus delegatus ad exequutionem suæ sententiæ inuocare potest auxilium brachii sæcularis. Sicut enim Episcopus ad suæ sententiæ exequutionem brachium sæculare inuocare potest, ita & delegatus Summi Pontificis qui vices Summi Pontificis ea in parte gerit, & qui Superior quo ad eam causam & exequutionem eius sententiæ est ordinariis omnibus, qui infra Summum Pontificem sunt. Ratio autem est, quia eo ipso, quòd causa aliqua alicui committitur, ea omnia censentur ei concessa, quæ necessaria, aut expedientia iudicabuntur, ad illam ad integrum ac plenum effectum perducendum, de quorum numero est, vt aduersus laicos resistentes ac rebelles vsq; ad brachii sæcularis inuocationẽ, si ita opus sit, procedatur.

19. Quando aliquis à Summo Pontifice delegatur, vt inquisitionem circa aliquam rem faciat, vel ab alio Principe, vt Ecclesiam de Prælato, aut de ministro prouideat, talis delegatus subdelegare non potest, nisi expresse sit ei concessum, vt per alium id exequi possit: quia tunc fidem ac industriam personæ, quam ad id delegat, eligere videtur. Ita habetur *cap. Quoniam Apostolica, §. is autem, vers. præterquam, de offic. delegat. cap. is cui eodem tit. in 6.*

20. Delegatus Summi Pontificis, qui subdelegare potest cogere quemcumque potest, vt suscipiat munus subdelegati. Superiorem tamen, & præsertim in Pontificali dignitate constitutum, subdelegare non debet nisi vrgente necessitate. Quod si cogendum illum duxerit ad eam subdelegationem suscipiendam, gradatim procedere debet in adhibendis censuris, vt primum ei interdicatur ingressus Ecclesię, aut ministerium Sacerdotale, deinde suspendatur ab officio, & postea aggrauetur censura. Ita habetur *c. Pastoralis in princip. de off. deleg. iuncto c. 2. eod. tit. in 6.* Quo in loco præcipitur, in censuris imponendis constitutis in dignitate, procedendũ esse illo modo gradatim, nisi fortè aliter fieri persuaserit nimia contumaciæ proteruitas, seu culpa.

21 Ordinarius in euentibus, in quibus potest delegare, cogere potest sibi subditum, vt delegatus ipsius sit. Secus autem eum, qui sibi non est subditus. Tametsi non sibi subditum posset etiam efficere suum delegatum, si is velit id accipere, & requisita habeat, vt esse possit delegatus: qui enim delegatus esse non potest, cogi per consequens non potest, vt delegatus sit. Ita habetur *l. cum qui* iuncta Glossa, & *l. vlt. ff. de iurisd. omn. iud.* Consentiũt *cap. Pastoralis in princ. de offic. Ordin.* & *c. Pastoralis, de offic. delegat.* affirmantque Doctores communiter. Si autem non subditus acceptet esse delegatum, potest post eã acceptationẽ cogi delegatum esse, & in causa procedere. Glossa.

22 Vt aliquis causam aliquam alteri validè delegare possit, necesse est, *Primò*, vt causa sit talis, de qua delegans ipse cognoscere possit, alioquin inualida esset talis delegatio. Ita habetur *l. vnic. Cod. qui pro sua iurisd. Secundò*, necesse est, vt eam deleget, vt audiatur & expediatur in loco, in quo delegans ipse eam audire, & expedire posset, alioquin sicut ipse illã audire, & expedire validè nõ posset extra eum locũ, ita neque delegatus; cum nullus validè delegare possit iurisdictionem, nisi præcisè quoad id, quoad quod illam habet. Ita consentaneè ad *l. vlt. §. erit autem, Cod. de re milit.* & *cap. Vt litig. de offic. ordinar. in 6.* Valida tamen esset sententia lata, vel à iudice ordinario, vel à delegato, in loco non suæ, sed alterius iurisdictionis, modò duo concurrant, vnum est, vt feratur de consensu partium, quæ quoad id iuri suo cedere possunt in ipsarum fauorem eo *cap. vltimo. litigantes latum.* Alterũ verò est, vt ius ibi dicatur, etiam de consensu eius, ad quem iurisdictio eius loci spectat. Ita Glossa *cap. Vt litigantes citato, verb. Expensis.*

23 Quando aliquis lege constituitur delegatus, durat iurisdictio delegata ea lege concessa quandiu ea lex perseuerat. Ita Panormitanus & alii *in cap. irrefragabili, §. cæterum, de offic. ordinar.* Hinc quotiescumque in Concilio Tridentino, aut alibi, Episcopis committitur, vt in aliquo procedant tanquam Sedis Apostolicæ delegati, perpetuò hæc potestas durat, cum iurisdictionem habeant eo ipso, quod Episcopi creati sunt, esto mortui sint conditores eius legis, mortuùsque sit Summus Pontifex qui erat tempore, quo ea lex lata fuit ipsique postea creentur Episcopi, neque dispositio eius legis fuerit vnquam antea executioni mandata, quia non occurit euentus in quo id locum haberet. Glossa. Panormit.

24 Si tribus causa aliqua delegata sit à Principe, & duo eorum subdelegent, & committant vices suas tertio remanenti, is solus potest validè causam finire, nomine quidem proprio tanquam delegatus, & nomine aliorum duorum tanquam subdelegatus ab illis. Atque si subdelegauerint in totum, aut in partem, ita vt re non integra morte subdelegantium, non expiret iurisdictio in subdelegato, eueniatque alterũ subdelegantium, aut vtrumq; mori re non integra, sed postquam subdelegatus vsus est iurisdictione ipsi ab illis subdelegata, tunc sanè poterit solus expedire causã, nihil impediente morte collegarũ qui simul cum ipso ad eam causam à principe delegati sunt, secus autem si alter subdelegantiũ, aut vterque moriantur re integra; quippe cum iurisdictio expiret re integra morte, aut amissione iurisdictionis subdelegantis quauis alia ratione. Hoc constat ex *c. Quamuis 1.* & ex *c. Licet, §. vlt. de offic. delegat.*

25 Quando multi ad eandem causam, seu rem delegantur simul absque alia declaratione; tunc necesse est vt simul omnes ad id delegati cõcurrãt alioquin si vel vno eorum deficiente, cæteri concurrant ac sententiã ferãt,

siue definitiuam,siue interlocutoriam, totum est irritum & inane. Ita habetur *cap.Causam matrimonij,de offic. deleg.*

Cum multi indices ad aliquam causam delegātur, v.g. tres, sed cum clausula, vt si omnes inter se nequiuerint, duo nihilominus de eo cognoscant, eāmque definiant: tunc si non constet de impedimento tertij, ant quod venire non velit, licet possit,& duo procedant in causa sine illo,totum quod fecerint,irritum est & inane. Ita habetur *cap.Prudentiam, in princ & §.adicimus*, & *cap.Cum causa,de offic.deleg.* Quod si legitimè constet tertium vel habere impedimentum, vel esto illud non habeat, venire non velle, quamuis malè faciat, sitque reprehendendus quin & puniendus à delegante, duo tamen tunc procedere possunt in ea causa, quoniam ad effectum vt soli duo progredi in ea possint, perinde reputatur tertium venire non velle, atque non posse venire. Ita habetur *cap.Prudentiam citato*.

Si multi ad aliquid delegentur cum clausula, vt omnes, aut multi, vel vnus eorum id exequatur: tunc quilibet eorum solus poterit id exequi. Cæterum vno eorum negotium inchoante, alij non possunt vlterius se in illo intromittere,nisi ille mortuo,aut malitiosè procedet er recusset,tunc enim quilibet eorum procedere potest. Item uno illorum perpetuante iurisdictionem, quia in vita delegantis negotium inchoauit, nec tes integra mansit, perpetuata iurisdictio remanet quoad omnes, ita vt omnes, per mortem delegantis progredi in causa possint. Hæc omnia habentur *c.Cum plures,de offic.deleg in 6.*

26 Potestas uel iurisdictio delegati expirat eo ipso, quòd sententiam definitiuam à se latam per se, vel per alium,cui exequutionē illius cōmiserat exequutioni mādauit. Ita habetur *c.In liter de offic.deleg.*& in *c.Quærentis, eod.tit.* solū cōceditur iudici à Sūmo Pōtifice delegato annus à die latæ definitiuæ sētētię circa causam sibi cōmissam ad eius sententiæ exequutionem. Quare si delegatus ante annum elapsum ad finem suæ sententiæ exequutionem perduxisset, tunc eo ipso omnino expiraret iurisdictio ipsius,adeo vt si postea non in continenti, sed ex interuallo,iterum is turbaretur, in cuius fauorem lata sententia esset,is delegatus non posset eum tueri, sed qui ita turbaretur, necesse haberet recurrere ad ordinarium, aut ad alium,qui ad id iurisdictionem haberet. Ita habetur *cap.In literis de offic.deleg.*

DENVNCIATIO.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio,vna est iudicialis, altera Euangelica,*
2 *Alia Canonica,alia regularis,*
3 *Differt denunciatio Euangelica & iudicialis.*
4 *Differentia inter denunciationem iudicialem, & accusationem.*
5 *Peccata Reip.perniciosa,an debeant statim Prælato denunciari, si iudicis probari possint.*
6 *An quando peccatum non est merè præteritum, sed in futurum etiam timetur,si priuata persona sit perniciosum,superiori sit anim denunciandum sit,*
7 *An peccet contra charitatis ordinem,qui peccatum occultum Reip.specialiter non perniciosum, Prælato denunciat, etiam vt singularis persona est, si per se solus corrigere & emendare possit.*
8 *An qui crimen occultum per se emendare non potest potius Prælato tanquam patri illud denunciare debeat quàm alijs ignorantibus.*
9 *An occulti peccati denunciatio illicita, accedente Superioris præcepto,licita efficiatur.*
10 *Qui crimen occultum,secundum leges punibile, denunciatione iudiciali prodit, non præmissa secreta monitione,an peccet contra iustitiam?*
11 *In quibus casibus, non teneatur subditus manifestare delictum,ſtante mandate Superioris,*

1 SEcundum doctrinam Canonistarum,*in cap.Nouit. de iudiciis*, quatuor genera denunciationum enumerantur, vna est iudicialis, quæ fit apud Superiorem tanquam iudicem, & hæc duplex est, uel criminalis, quæ publicam uindictam, seu pœnam boni communis gratia spectat: uel ciuilis,quæ priuatum interesse, seu satisfactionē intendit;& utraque de crimine merè præterito institui potest. *Altera est*,denunciatio Euāgelica seu charitatiua, quæ fit præcedente correptione fraterna, de recuperādo fratre, antequam denuncietur Ecclesiæ. Hæc denunciatio ut principalē finem spectat peccatoris emēdationem;unde de peccato merè preterito,& plenè emēdato institui nō debet.Ita Sylu.*v.Denunciatio,n.1.* Sotus *in rel.de tegendo secr.memb.2.quæst 5.*Sylu. 2. 2. q.67.*art. 3.conc.5*,Spatharius *de modo corrig.reg.tract.5.c.1*,& alii. Syluester. Sotus Syluius. Spatharius

2 *Tertia* denunciatio dicitur Canonica; quia a iure canonico inuenta est, ad impediendum,uel auertendum damnum, præsertim spirituale communitatis, aut priuatæ personæ: & hæc non multum differt a denunciatione fraterna. *Quarta* denique denunciatio dicitur regularis; quia obseruatur in religionibus,secundum cuiusque ordinis statuta; in hac non est necesse obseruare ordinem iuris sed proceditur de plano, & simpliciter ad emendam delinquentis.

Apud Theologos duarum tantùm denunciationum fit mentio, *Iudicialis*, nempe, & *Euangelicæ* sub qua Canonicam,& Regularem comprehendunt; colligitur ex D. Thoma 2. 2 q. 33. Claue regiam *reg. lib. 12. cap. 10. n. 2.* Layman *lib.3. tract. 3. p. 2. c 4.n. 1*,Spathario *cit c. 1. num 6.Praxis Crimin.reg.Berti tit. 8.c.2*,& aliis. D. Tho.n. Clau.Reg. Layman Spathar.

3 Denunciatio Euangelica, & iudicialis in multis differunt. *Primo*,ratione finis; quia finis Euangelicæ est emendatio fratris, ut peniteat; iudicialis uerò, uindicta, seu bonum denunciantis,ut delinquens satisfaciat. *Secūdo*,Denunciatio Euangelica est actus, & officium charitatis,& requirit ut præcedat semper secreta monitio, & fit sine strepitu iudicij;Iudicialis uerò est actus iustitiæ,& ex iustitia debitus,debētque fieri in scriptis,& forma iudiciali; tenetúrque denuncians probare crimen; quamuis aliquando etiam procedatur sine strepitu iudiciali. *Tertio*,in Euangelica,nunquam iudiciali processui est locus, sed regulariter mouet iudicem,ad solā paternā delinquētis correptionem, vel ad summum potest aperire viā iudici per famā, vel per aliud æquiualens, vt ipse noui instituat procedēdi modum,per viam inquisitionis ex muneie. In denunciatione verò iudiciali,semper iudicialiter procedere poterit Prælatus statim, si ei expedire videbitur. *Quarto*,in Euangel.non exigitur à denunciatore,nec a testibus iuramentum.In iudiciali, & ab eo, & ab illis, Denique in denunciatione iudiciali, omnia essentia, lia iudicij obseruanda,quæ tali modo procedendi competunt,Rodriguez *in Summ, tract. de ordine iudiciali, cap. 4.*Crousers *ad c. 10 reg. S.Franc. lect. 2.* Spatharius *cit.tract.5.cap. 3.* & alii communiter. Rodrig. Crousers. Spathar.

Sed circa dicta,& dicenda monitos vellem cum Octauiano Spathario Prælatos,vt prudenter,ac vigilanter cū omni zelo,& charitate expendant, an iuridicè procedere oppotteat,vel non;ponderantes personam denunciantis,& denunciati,cum omnibus circunstantiis, & annexis;nam si denūciator esset malignus,& inquietus,nulla tenus debet audiri; vel si denunciatus esset vir eminens, vita,& moribus per plurimos annos in sua religione probatus, nequaquam acceptanda esset contra eum denunciatio talis, à quocunque fieret, uel pati,vel etiam magis eminenti: nam sæpè Angelus tenebratum in Angelum se transformat lucis, & uiri aliàs pijssimi, aliquando passione aliqua percitì, se præcipites dant in proximi, præsertim eminentis, depressionem, vel oppressionem, Vnde contra tales uiros eminentes, solùm accusatio seu denunciatio, ad pœnam talionis est acceptanda, ne malignātes(cuiuscumq;gradus,& cōditionis existant) sub spe indemnitatis,& remanēdi impuniti,causam,& occasionē capient opprimendi præfatos eminentes viros in religionis dedecus, & detrimentum irreparabile. Caueant ergo Prælati, ne huiusmodi farinæ hominibus se immiscean credendo leuiter, & eorum improbitatis, & impietatis participes fiant in totius ordinis, detrimentum, & virorum innocentium denigrationem famæ,& irreparabile damnum. Proinde Prælati, antequam denunciationem quamlibet admittant cuiuscunque personæ,quàuis

inisi,

insignis, debeat omninò denunciantes interrogare, an fraternam correptionem adhibuerint per se, uel interpositam personam, & omne aliud remedium possibile, antequam ad ipsam denunciationem deuenerint: Et si indicauerit ponderatis ponderandis Prælati, fraternam correptionem indebitè omissam, denunciationem iudicialem nullatenus admittant; sed solùm paternam, & Euangelicam; uel iubeant denunciantibus ipsis, ut indebitè omissa, charitatiuè adhibeant, ut minùs ledantur, & confundantur subditi, & suauiori modo gratim corrigantur, priusquam Prælati faciem adire cogantur, vt indicem. Hæc passim Spatharius *cap.* 3. *tract.* 5. post Rodriguez *tom.* 2 *qq. regul. quæst.* 6. *art.* 8. Quibus subscribit Bouerius *in directorio fori iudicialis*, *cap.* 15. addês quòd vbi Prælatus denunciationem legitimã iudicauerit, tenetur ex ea cõtra denunciatũ inquirere, ac iudicialiter procedere alioquin peccabit, cùm iustitiã negligat, & publicum Religionis bonum, quod ex criminum purgatione consurgit, & quę ex officio illi coniuncta est, paruipẽdat.

Spatharius. Rodrig. Bouerius.

Non est hic premitenda quorumdam malignantium machinatio, cui denunciationis per pulchrum titulum indiderũt, quæ accusationis vim prorsus habet, & in qua denunciatoris finis, & scopus, & consilium est ea omnia faciendi, & præstandi, quę ad accusatorẽ spectant: I cet velit sub denunciationis pulcbro titulo in tuto se ponere, vt a pænas talionis euadat, & impunitus remaneat in defectu pobationis. Talis est denunciator, qui vltra productam denunciationem cum testibus, iterum, & sæpius, vel oretenus, vel per literas Prælatum Iudicem excitat, atque uehementer urget, & usque causæ finem nõ desistit. Quem ut cognouerit Prælatus, eum quamprimum denunciationi subscribere, legitimas probationes offerre, & accusatoris personam inducere cogat; & si in probatione defecerit, talionis pœnam subdire constringat: Denunciator enim quamuis non teneatur denunciata crimina probare, sed tantum testes proponere, & ideo si in probatione defecerit, de iure puniri non debeat; attamen si denunciatorem in iudicio Iudex, uel accusatoris personam inducere, vel falsa deposuisse animaduerterit, eundem punire potest, ac debet, vt uera denunciare discat. Ita Spatharius *cu. tract.* 5. *c.* 4.

Spatharius

4 Denunciacio iudicialis, in multis difert ab accusatione. *Primo* denunciator non intendit uindictam publicam, & punitionem denunciati propter bonum publicum, sed solum interesse suum, in qua per iniuriam læsus est; Accusator verò petit uindictam publicam, que infligitur propter bonum publicum. *Secundò*, denunciatio iudicialis est mera criminis manifestatio, sine aliqua actione facta Prælato, vt de crimine faciat ex officio, quod ei secundum ius videbitur; Accusatio verò est delatio criminis cum actione quò iudex petitur, & conpellitur punire reum; unde accusator alias dicitur Actor. *Tertiò*, denunciatio, fratre emẽdato, cessat omninò, adcò; vt nec Prælato, ut patri, crimen manifestari possit, præsertim quando Prælatus à uisceribus paternitatis deficere cognoscitur, & probabiliter timeri possit, ne uindictam ex passione aliqua, potiùs, quam iustitiã quærat: Accusatio uerò non cessat, quia ultra emendam exquirit uindictã, uel priuatã, uel Reip. cũ punitione deliquentis *Quartò*, accusator nunquam in iudicio potest esse testis denunncians uerò in denunciatione iudiciali, quam prosequitur Prælatus, iuridicè potest assumi in testem; quod probatur ex Euagelio, ubi à Crhisto *Domino* denuciaturus iubetur aducere secum unum, uel duos testes, ut uel cũ uno ipse concurens sint duo, & cum duobus tres existant *Quintò*, accusatio requirit ordinariam punitionem ad præscriptum legis; Denunciatio extraordinariam tantum, & mitiorem, quia procedit magis ad arbitrium iudicis quam ad instantiam partis, quæ non instant, nec se obligat ad pœnam talionis Ita Toletus *lib.* 5. *cap.* 57. *n.* 1. Nauarrus *in rubric. de iudic. n.* 19. Sotus *de secr. membr.* 2. *q* 5. & *de iustit lib* 5. *q.* 6 *art* 2 *concl.* 4. Bannez 2. 2. *q.* 34 *art.* 5. Clauis Regia *cit. n.* 5. Spatharius *cit. tr.* 5. Syluius 2. 2. *q.* 67. *art.* 3, *concl* 5. Simancas *de iustit. num.* 5. Rodriq. *tom.* 2. *qq. reg. q.* 6 *art.* 1. *Praxis crimin. reg. Berti tit.* 7. *c.* 5. Bouerius *in director c.* 10. & alii.

Toletus. Nauarrus. Sotus. Bannez. Clau. Reg. Spatharius. Syluius. Simancas. Rodrig. Bouerius.

Cæterum, omnium Doctorum sententia recceptum est. Denuncitorem debere esse bonæ famæ, qui enim infamis est, ac maleuolus, aut alioquin omniũ iudicio improbus à denunciando repelli debet, nisi danunciatio de criminibus publicis, & exceptis fiat, quo casu etiam infames admittuntur, vel nisi denuncians suam prosequatur iniuriam, tunc enim omnes denunciare queunt: in cæteris verò par est accusatoris, & denunciatoris conditio, qui enim ad accusationem non admittuntur, ab huiusmodi quoque decunciatione repelluntur.

Crimina, quorum denunciatio fieri potest, quędam sunt publica seu notoria: alia verò occulta, qualia etiam censeri debent, quæ tribus, vel quatuor tantum sunt nota: ex his autem quædam sunt crimina per se, ac d rectè noxia communitati, vt crimina læsæ maiestatis diuinæ, hęreses, blasphemiæ, euersiones templorum, & imaginum, furtum notabile rerum Ecclesiæ, sacrilegia, violatio immunitatis Ecclesiasticæ, prosanatioocs sacrorum locorum, ac similia, vt maleficia, sortilegia, &c.

Item crimina lęsæ Maiestatis humanæ, qualia sunt cõspirationes in Principem, percussio, vulneratio, homicidium eiusdem, Rebelliones, Proditiones, furtum publici ęrarii, latrocinia publica, homicidium viri eminẽtis, à quo salus Reipub. potissimum pendet, atque alia huiusmodi, Item crimina Paricidii, Matricidii, vis publicis ministris illatæ, extractionis annonæ, falsationis monetæ ponderum ac similia Inter regulares sunt conspirationes in corporale damnum Generalium, ac Prouincialiũ, ac eorum Delegatorũ, in procuratorem ordinis, in Diffinitores, Custodes, Superiores locales, eorumdemq; percussiones, vulnerationes, homicidia. Subornationes in electionibus. Quædam verò sunt particulariter noxia, vel ipsis tantum peccantibus, vt fornicatio concubinatus, Sodomia, vel sunt damnum alicuius priuatæ personæ, vt furtum, adulterium, &c.

Aduertendum est, quod hæc crimina dupliciter se habent; quædam enim iam sunt facta, & transierunt, suntque emendata, quædam sunt in fieri aut in procinctu, vt fiant, nondum tamen facta. His positis sequentes decisiones recensemus.

5 Prælato statim peccata denunciari debent, quamuis occulta, quæ reipublicæ perniciosa sunt, si indiciis probari possint. Ratio est, quia maius est bonum publicum quod tunc in periculo versatur, quam sit priuatum bonum famæ peccatoris occulti: si tamen esset spes, talia crimina impediri ac tolli posse, secreta monitione, denunciari non deberent. Ratio est, quia contra charitatis legem proximus infamaretur & si sufficere videatur generaliter talia crimina denunciare, non esset exprimenda persona, præsertim si homo sit spectatæ famæ, & honoris, quia quoties maior necessitas non vrget fama proximi non est sacranda D. Thomas 2. 2. *quæst* 33. *art.* 6. Syluius *ibid. concl.* 2. Nauar. *in Manual. cap.* 18. *num* 56. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 10. *punct.* 5 Crousets *ad c.* 10. *reg. S. Fran. lect.* 2. *Praxis crimen. reg. tom.* 7. *cap.* 4. *num.* 6. & 7. Spatarius *cit. tract.* 5. *cap* 9. & alii. Vnde modus procedendi in his casibus est, aliquem potentiorem, & grauiorem adire, qui possit, & uelit prudenter absq; vllo scandalo tale impedire ordinatum facinus, & si non seqneretur omnimoda salus in manchinante, sat erit, ut damnum reparetur reipub. uel proximi, & malignus machinam suam detectam uidens, uel saluetur, uel confundatur, & si uel ex confusione, tandem rescipiscat, quod si non, sua propria malitia, & obstinatione damnabitur.

D. Thom. Syluius. Nauarr. Valentia. Crousets. Spathar.

Si uero potentior, & ad id idoneus reperiri nequiuerit, cautè monedus est, vel reipubl. moderatur, si damnum, quod intẽtatur, est contra Rempublicam, uel Princeps, uel Prælatus, secundum facti exigentiam, & qualitatem rerum, & personarum respectiuè, Vel ipsemet proximus præponendus, si machinatio est contra priuatum, ut sibi cauere possit, & intentatum damnum euitare, quod maxima cum cautela est præstandum, ne inde maioris discordiæ, uel scandali maioris occasio inter proximos oriatur. Et denique opportunius, & salubrius remedium, est adhibendum ad prefatum euitandum damnum, vel reip. uel priuati uiri, secundum uniuscuiusq; charitatem, & prudentiam quæ hic maximè præualẽt, & sine errore dirigẽt. Hęc Spatar. *c. tr.* 3. *c.* 3

Quando

Quando peccatum est publicum, multò magis est denunciandum, nulla secreta correptione fraterna præcedente; cùm enim sit publicum, & scandalo plenum, sine publica punitione non debet relinqui; vnde ad huiusmodi denuociationem faciendam minimè debet retrahere turbatio delinquentis, sed bonum publicum debet denunciantes stimolare. Si tamen pro certo habeatur; quòd ipse publicè peccans ex correptione publica, aut secreta ad agendam penitentiam publicè vitam in meliùs mutabit, tunc minimè liceret deounciare, sine Euangelica correptione præmissa.

Publicum autem in oostro casu dicetur peccatum, qood notum est omnibus, & ideò notorium appellatur, quod nulla tergiuersatione celari potest. Vt videre est, infrà *v. Detractio* 1. *n*. 14.

6 Quando peccatum oon est merè præteritum, sed in futurum etiam timetur; quamuis occultum sit, si personæ priuatæ sit perniciosum, vt furtum, homicidium, sollicitatio ad turpia, & alio modo emendari, uel impediri non possit, plerumque statim superiori denuuciandum est. Ratio est, tum quia cuicumque competit obligatio, naturali iure, ad defendendũ innocentem, ab iniuria hominis nocentis etiam posthabitato nocentis damno modò maius non sit illo, quod ex criminis alterius cuenit manifestatione: si enim damnum illarum, aut inferendũ tertio paruum fuerit, veluti, si homo spectatæ, famæ & honoris aliquod furtum parui valoris commiserit, in hoc debet magis ponderari fama delioquentis, quam detrimentum, quod ex tali furto proximo procedit. Proinde si tertii damnum resarciri potest mitiori modo, quàm delinquentem denunciando, præsertim iudicialiter, à denunciatione prorsus abstinendum: quia à suauiori gradu est semper incipienda correptio delinquentis. Ita Rodriguez 2. *qq reg. q*. 6. *art*. 5. Spathartius *cit. tract*. 5. *c*. 9. Syluest *v. Correptio quest* 6 P. Nauarra *lib*. 2. *cap*. 4. *num* 189. Crousers *cit. lect*. 2 *Praxis crimin. reg. c*. 4 *nu*. 8. Bouerius *in Direct. cap*. 14. & alii communiter.

Rodriq. Spathartius Syluester P. Nauarr. Croulers Bouerius

Quando delictum secretum, solùm est in damnum delinquentis, ut fornicatio, gula, auaritia, &c. non licet delinquentem denunciare, sine eo quòd correptio fraterna præcedat, quia facere contrarium, esset ire contra formam Euangelii, & contra id, quod petit charitas Christiana, & amor fraternus, cùm hæc peccata solùm sint io damnum suæ personæ, quæ mediante correptione potest esse, quòd corrigatur. Quod adeò verum est, quòd etiam si nulla sit spes emendæ, non tenetur denunciare Iudici, etiam ut patri crimen commissum, si probabiliter timetur, quòd correptione fraterna iudicis, penitentiam minimè aget, imò fieri deteriorem saoè creditur. Vnde scientes crimen, nullum aliud remedium apponere debent, nisi postulare à Deo gemitibus inenarrabilibus delinquentis correctionem, sufferentes eius defectus eum patientia debita Christianis, qui omnes, præcipuè religiosi, secuodùm, id quod dicit *Galat*. 6. Paulus tenentur ferre defectus fratrum suorum, cùm nullus sioe crimine sit; quia quamuis siot liberi ab aliquibus defectibus, quos vident io alijs, inspiciant seipsos, & videbuot alios maioris, & minoris ponderis, & etiam maioris penitentiæ. Et hæc est sententia & mens omnium Theologorum. Vt docent Rodriguez, & *Praxis Criminalis regularium* citati, Proinde ac maiorem dictorum elucidationem, vide dicenda *numero sequenti*.

Galat. 6.

7 Peccat contra charitatis ordioem à Christo traditum, *Matth*. 18. qui peccatum occultum Reip. specialiter non perniciosum, vt sodomiam, concubinatum, simplicem fornicationem, seu blasphemiam Prælato denunciat etiam ut singularis persona est, si per se solus corrigere, & emendare possit. Et Prælato ordinis obediri non potest, qoippe contra præceptom Domini agenti, si præcipiat manifestari sibi crimen oceultum quod oec per infamiam, oec per alia indicia proditum est. Et hæc est sententia D. Thom. *quodl*. 11. *art*. 16 *&* 2. 2. *quest*. 33. *art*. 7. *ad* 4. *&* 5.

Math. 18. D. Thom.

Prælato, ait, *non est obediendum contra Domini præceptum, secundum illud*. Act. 5. *Obedire aportet Deo magis quã hominibus. Et ideò quando Prælatus, percipit, ut sibi dicatur, quod quis sciuerit corripiendum, intelligendũ est præceptum sanè saluo ordine correptioni fraternæ, siue præceptum fiat communiter ad omnes, siue ad aliquem specialiter. Sed si Prælatus expressè præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi, contra præceptum Domini agens, vnde non esset ei obediendum, quia Prelatus non est iudex iudiciorum occultorum, sed solus Deus. Vnde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur, puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones, in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo sicut, & iudex secularis, vel Ecclesiasticus potest exigere iuramentum de veritate dicenda*. Hæc D. Thomas ibi.

Et alio in loco idem confirmat D. Thomas *quodl*. 11. *art*. 13. *Si ego scio*, inquit, *quod Frater per me corrigetur, tunc non debeo denunciare Prælato. Si autem videtur, quod hoc melius fiet per Prælatum, & Prælatus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem seu odium aduersus illum subditum; tunc licitè potest ipsi denunciari, & tunc non dicit Ecclesiæ: quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem, & emendam proximi*

D. Thom.

Ex quibus verbis clarum est mentem D. Thomæ esse, non posse crimen fratris occultum Prælato, aut cuicumque alteri homini reuelari, si per secretam monitionem æquè corrigi, & emendari possit: multòque minùs, si iam emendatum sit, & recidendi periculum abesse videatur. Ratione potest confirmari hæc sententia. Quia lex naturalis; & charitatis vinculum dictat, vt quando sioe booi communis aut, tertij præiudicio, occurri potest, & conscientiæ, & famæ fratris simul, id fiat sine alicuius partis famæ scilicet, vel conscieotiæ læsione. Cùm ergo conseruari possunt, & fama, & conscientia proximi, vtrũque conseruandum est; sicut non rectè faceret Medicus, qui potest medelam sine incisione adhibere, lacerando, & incidendo curare vellet, Vnde hæc sententia in praxi est sequenda, tanquam iuri oaturali ac precepto diuino cooformior; quam præter D. Thomam tenent ex antiquioribus Theologis, Adrianus *in* 4. *de corrept. Frat. quæst. penult*. Paludanus 4. *dist*. 19. *quæst*. 4. Henricus Gandauens *quodlib*. 9. *quæst*. 27. Hugo *ad reg. S. August. cap*. 16. Syluester *verb. Denunciatio, quæst*. 4. &, ex recentioribus Bannez 2. 2. *q*. 33 *art*. 8. *dub*. 2. *ad* 6. Siluius 2. 2. *q*. 33. *art*. 7. *concl*. 3 Valentia *tom*. 3. *disp* 3. *q* 10. *punct*. 5. *dub*. 3. Rodriguez *de ordine iud. cap*. 9. *n*. 5. Clauis Regia *lib*. 11. *c*. 4. *n*. 13. *& seq*. Layman *lib*. 3. *tract*. 3. *p*. 2. *c*. 4. *n*. 4. De la Crux *in direct. p* 1. *prae*. 5. *art*. 2 *dub*. 5. Becanus 2. 2. *cap*. 21. *dub*. 4. Diana *p*. 3 *tract*. 3. *resolut*. 37. Tannerus 2. 2. *disp*. 2. *quæst*. 5. *dub*. 5. *num* 106. Spatharius *c. tract*. 6. *c*. 3. Caramuel *in reg S. Bened. disp*. 134. *n*. 1688. 1689. qui maximè religiosis hanc sententiam supra alios commendat, his verbis,

Adrianus. Paludan. Gandau. Hugo. Syluest. Bannez. Syluius. Valentia Rodrig. Clau. Reg. Layman De la Crux Becanus. Diana. Tannerus. Spathar. Caramue

Ad accusationem nunquam deueniendum in religionibus, quando aliis remedijs est locus, nisi prius tentatis, & expertis omnibus illis, & eorum singula nempe illo gradatim, quod opportunius, & efficacius iudicabitur ad correctionem, & conuersionem delinquentis, & restaurationem, damni passi, vel personæ priuatæ, vel Reipublicæ. Et hunc ordinem (quidquid cæteri latius, & laxius dicant) essentialissimum arbitror in religionibus, vt millies dixi, & qui nunquam sine grauissima culpa omitti possit, quando est ei locus, & qui vtinam seruaretur; nam eo seruato, non essent in Religionibus tot cõtrouersiæ, tot æmulationes, tot cõtentiones, tot persecutiones, tot mortales inimicitiæ, tot scandala, & præcinderetur aditus omnis, & omnis via, inquietis, discolis, & maleuolis Reip. perturbatoribus, & malignãtibus, qui iusta Dauidicum vaticinium à Religionibus ritè institutis penitus exterminandi sunt. Et demum religiones fruerentur summa pace, charitate summa, summa concordia, summa regulari obseruantia. Hæc ille.

Nec obstant in contrarium rationes quædam ab aduersarijs adductæ, quarum prima, & præcipua est, nullã aut leuissimã esse infamationem detegere peccatum fratris pio, & discreto Prælato, aut fideli eius amico. Respondeo id falsum esse, ut patet ex commuoi hominum sensu, dubium enim non potest esse, quin multò grauior, & acerbior sit vnicuique læsio suæ famæ apud suum superiorem

periorem, etiam vt apud Patrem quam apud vnum, vel alterum ex aliis. Sicut enim deterius est apud virum honestum, & prudentem, æstimationem seu famam perdidisse, quàm apud multos leues, ita adhuc grauior iactura est in famæ amissione apud Prælatum. Vnde fama fratris apud Prælatum magni æstimanda est, & ideò sine extrema necessitate, id est, quando aliter vel religioni, vel tertio, vel ipsius peccatoris conscientiæ subueniri non potest, non est prodigenda.

Et confirmatur; quia contingere nonnumquam potest vt Prælatus non sit vir tam pius, ac diletetus, qualis esse debet: fieri etiam potest, vt frater qui denunciat, non eo animo denunciet, quo fratris emendationem, sed punitionem potiùs cupiat: fieri etiam potest, vt aliqua falsa cũ veris misceat; vnde dissentiones, & discordiæ exinde nascuntur, considerata fragilitate hominum, & multorum imperfectione: & dum vnius bono fortassis consulitur, pax, & concordia Religiosorum ad inuicem dissoluitur, cum tamen bonum commune religionis, vnius priuati saluti præferendum sit. Pro praxi autem Regularium, notandum est, posse Prælatum Regularem, & sæpius teneri, non acceptare accusationem contra aliquos Religiosos, sed alia via satisfacere parti læsæ, seu procedere ad remedium, quando scilicet credit ex accusatione sequutura esse aliqua mala bono communi Religionis noxia, v.g. seditione, aut turbationes Monasteriorum, malam famam, seu infamiam Religiosorum, & similia. Ratio est, tum quia bonum commune semper debet præponi bono particulari, vt dixi. Tum quia esto quod lex obliget ad acceptandam accusationem accusatoris, per Epicheiam tamen credi, aut existimari potest in iis casibus non obligare. Quod maximè, & principaliter procedit in Prælatis supremmis quales sunt Generales. Imò potest in aliqua Religione lege vel ordinatione communi prohiberi, vbi id ad bonum commune necessarium iudicaretur, ne Prælati inferiores causas accusationis acceptent, vel prosequantur, nisi consulto Generali. Ita post alios Lezana tom. 3. Summ. verb. Iudex nu. 8. Lugo tom. 2. de iust. & iur. disp. 37. sect. 7. num. 74.

Lezana
Lugo

Vtinam ergo seruetur inuiolatè in perpetuum ordo descriptus hic, ob rationes proximè adductas, & eam præcipuè, quod inter ipsos regulares primo loco vrgere semper debet charitas, quæ omnium Religionum est vnicum fundamentum, & singulare vinculum strictiùs, arctiùsque seruandum, quàm inter seculares, vel clericos non regulares.

Hæc tamen non procedunt, si in aliqua religione sit, statutum, vt qui nouerit peccatum socii, immediatè denunciet Prelato, non præmissa correptione fraterna, nam in tali casu huiusmodi religiosi cedunt iuri suo, quòd se eum ordo correptionis fraternę prætermittatur. Nec hoc statutum est contra ius naturale, quia eo ipso, quòd sit huiusmodi lex in congregatione, qui vult in eam admitti, liberè iuri suo renunciat: vnde nulla fit ei iniuria. Nec peccat is renunciando suo iuri, quia est dominus famæ suæ. Et tale statutum exstat apud religiosos Societatis IESV, quod non solùm vtile, sed etiam ex genere suo esse laudabile defendunt Suarez, Valentia, Layman, Coninck, quidquid in contrarium aduersus tale statutum, asserant Lorca, Petrus Ledesma, & Cosmus Philiarcus citati a Diana p. 3. tract. 2. resol. 37.

Diana

8 Qui crimen occultum per se emendare non potest, Prælato plerumque tanquam patri, ad secretam emendationem denunciare potiùs debet, quàm aliis ignorantibus. Ratio est, quia Prælatus, vt spiritualis pater præsumitur magis idoneus ad fratrem iuuandum, quam alii: debet tamen Prælatus non euulgare crimen, sed in secreto corripere, ac emendare. D Thom. c. artic. 8. Sotus de iust. lib. 5 q. 4. concl. 3. aub. 3. Layman c. c. 4. num 6. Hinc occultum peccatum non perniciosum, Prælato tanquam publicæ personę, ac euulgationem denunciar non potest, nisi secreta monitio, imò, & testium inductio antecesserit, & speretur profutura. Ratio est, quia cùm tale peccatum fratris sit tantum in damnum peccantis, cuius ipse vel pœnituit, vel eius pœnitentia speratur contra charitatem, imò contra iustitiam esset, vt vult P Nauarra lib. 2. de restit. cap. 4. nu 231. illum apud Superiorem, & apud omnes, cùm publicari debeat, infamare, & cùm exinde frater puniendus foret, iniuria ei fieret. Clauis Regia lib 11. cap 4. num 8. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 10. p. 5. & alij. Sed supradicta doctrina intelligenda est, quando Prælatus, scientia, zelo, prudentia, & charitate tanto munere digna est præditus: alias prorsus abstinendum, nec ad ipsum, etiam vt ad patrem accedendum. Multoties enim qui aliquando subditi existentes videbantur benigni, mansueti, & pii, atque zelo, & charitate plenissimi: postea Prælati effecti, vt zelantes appareant, rigorosè nimis, vel potiùs crudeliter procedentes, barbari tyranni appelari magis possunt, quam patres, cũ paternis charitatis visceribus sint spoliati, & destituti. Prudentia igitur, & charitas corrigentis in similibus casibus ipsum docebit opportuniorem, salubriorem, & efficaciorem modum corrigendi proximum.

D. Thom.
Sotus
Layman
P. Nauarr.
Clau. Reg
Valentia

9 Cùm occulti peccati denunciatio illicita est accedente superioris præcepto licita non efficiatur. Ratio est, quia superior non censetur aliter præcipere criminis denunciationem, nisi modo licito, seruato nempe ordine, ac modo quem secundum ius naturale Christus præscripsit Matthæi 18. Sin verò expresè contra hunc ordinem iubeat crimen aperiri, peccabit tam ipse, quàm subditus si ei obediat, quia *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*. Act. 5. vt suprà dictum est D. Thoma. Quando verò quis occultum pecatum Prælato denunciare potest, ipso, & interrogante, ac præcipiente ferinè etiam denunciare debet. Ratio est quia licet anteà huiusmodi crimen denunciare, vel accusare non teneamur, possumus tamen; & cùm licita sit talis denunciatio, & edicta superiorum in honestis, & licitis omnibus obligent, consequenter existente huiusmodi edicto ad denunciandum obligamur. Intelligendum est autem hoc, quando delictum est contra bonum commune, quod tamen accusare, vel denunciare non tenemur ex præcepto, etsi possumus, si velimus; puta si damnum sit exiguum, & parum nocens: & idem quandò est in præiudicium tertii; tunc enim denunciare possumus, sed non tenemur; accedente autem pręcepto, & edicto superioris tenemur.

D Thoma

In aliquibus tamen casibus, non obligatur quis per edictum denunciare. *Primò* in delictis, quæ sunt in damnũ propriũ, & in causa propria. Ratio est quia præsumẽdũ est, Prælatũ unicuique in suis edictis liberum relinquere, vt consilia Euangelica sequi, & obseruare possit, iniurias proprias condonando.

Secundò, non tenetur hanc denunciationem, facere etiam sub censura iniũctam, si ex tali denunciatione sibi manifestum damnum timet in fama, vel bonis temporalibus. Ratio est, quia ibi præualet præceptum naturale de sibi ipsi non lædendo, contra præceptũ positiuum iudiciis de reuelando. Vnde complex delicti nunquam tenetur denunciare ex vi edicti, in quacumque materia complicem. Ratio est; quia tunc valdè sibi noceret, cùm ex tali denunciatione reuelandum sit etiam proprium peccatum. Similiter scio ego solus, Titiũ cõmisisse tale crimen, scit etiam Titius ego quòd solus hoc scio; nõ teneor denunciare, etiamsi sub censuris præcipiatur. Ratio est, quia inde scio magnam inimicitiam, & iram oriundam inter me, & illum: nemo autem cum tanto suo incommodo, & periculo, denunciare tenetur; atque adeò in hoc casu, edictum, & censura superioris, benignè interpretanda erunt, vt velit, scilicet, quemuis denunciare, quando sine graui suo damno, & incommodo potest. Excipitur tamen communiter crimen contra Rempub. & bonum commune quod tenemur denunciare, & pati tale damnum seu periculum; quia tunc præponderat bonum commune. Si item immineat graue periculum tertii, & ego non subeo periculum, teneor denunciare, si culpatus monitus non desistat. Vide D. Thomã 2-2. quæst. 33. art. 7. ad. 5. Syluium ibidem. Syluest. verb. Correptio, quæst. 7. Nauarrum in Manual. cap 17. num. 134 & cap. 25. num 50. P Nauarram lib. 2. cap. 4. num. 215. Sanchez de matr. lib. 3. disp. 13. Clauem Regiam l. 2. cap. 14. num. 24. & seq Salon 2. 2. q. 68. art. 1. contr. 2. Lessium lib 2. c 30. n 50 Couar in quæst. pract. 18. & alios communiter.

D. Thomã
Syluius
Siluester
Nauarra
Clau. Reg
Salon
Lessius
Couarruu.

10. Non peccat contra iustitiam, qui crimen occultum

tum secundùm leges punibile, denunciatione iudiciali prodit, non præmissa secreta monitione, quandocumque crimen est probabile in iudicio. Ratio est, quia tunc propter bonum publicum concessa est denunciatio iudicialis, vt crimina in exemplum aliorum puniantur; & hoc verum, licet crimen merè preteritum, & emendatum sit. Fieri tamen potest, vt aliquis contra charitatis legem peccet, si peccatum occultum, ipsi tantùm peccanti vel alteri priuatæ personæ noxium, renunciet, vel accuset iuridicè, non præmissa monitione fraterna, quando speratur emendatio. Ratio est, quia ex huiusmodi criminis occulti publicatione, nô multum commodi accipit communitas, sed interdum magis offenditur, & fama occulti criminosi grauiter læditur, si persona honesta sit, vel in clericali statu constituta ergo si sine eiusmodi incommodo peccatum emendari possit, priuata monitione, non est ad publicam iudicialem denunciationem deueniendum. Ita Lessius *lib. 2. cap.* 30 *dub. 2. num.* 10. P. Nauarr. *lib. 2. cap. 4. num.* 254. Valentia *cit. quæst.* 10. *punct.* 5. Layman *cit. cap. 4. num.* 13. Syluius *cit. arti c. 8. concl.* 2. & alii.

Lessius. P. Nauarr. Valentia. Layman. Syluius.

11 In multis casibus potest, & tenetur subditus non manifestate delictum, vel aliud quod iubetur, stante etiam mandato generali, uel speciali Superioris, & excommunicatione, vel iuramento.

Primus est, quando res est secreta, vt sæpius dictum est, etiamsi sit tribus, vel quatuor nota, si Prælatus iubens sub censura reuelari crimen, intendat procedere ad pœnam non teneor reuelare, dummodo crimen ita secretũ sit, vt neque specialis infamia sit de tali culpato, neque indicium, neque semiplena probatio. Ratio, est, quia si non sequitur damnum tertio, & delinquens non sit infamatus, Iudex iustè non procedit, & alter iustè tacet, cùm res secreta illius foro non sit subiecta: & sicut de meipso testificari non debeo in simili casu, consequenter multò minùs dicere possum contra alium, cùm famæ meæ iuri cedere possim faciliùs, quam famæ alterius. Ita colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art. 7. ad.* 5. Scotus 4. *dist.* 15. *quæst. 4. art.* 3. Rodriguez *de ord Iudic. cap. 7 num.* 8. Corduba *in Summ. quæst* 64. Clauis Regia *l. 12. cap. 14. num* 28. Portel *verb. Correctio de denunciat. num.* 13. & alii. communiter apud Lessium *lib. 2. cap. 30. dub. 6. n.* 47.

D. Thom. Scotus. Rodrig. Cordub. Clau Reg. Portel. Lessius.

Sed petes, an quis teneatur vi edicti, vel iuramenti ad reuelandum id, quod nouit sub secreto naturali, v. g. per solam consultationem præstandam, vel ad remedium adhibendum pro salute animæ, aut si quis petiit remedium à Medico, vel consilium ab Aduocato? Respond. negatiuè quia superior non potest aliquid præcipere contra ius diuinum, vel naturale; ius autem naturale; dictat, vt seruetur secretum, nisi iusta, & rationabilis causa aliter postulet, vt dicemus infra *v. Secretum num.* 4. Proinde reuelans in prædicto casu peccat mortaliter, & tenetur ad restitutioné, etiamsi reuelet id, de quo præcessit infamia, vel semiplena probatio: cùm enim ille secretum suum sub fide commiserit ad remedium animæ, vel corporis, non debet esse peioris conditionis ob id quàm si tacuisset, atque adeo postulat ius naturæ, vt illi sine iusta causa fides præstita non frangatur. Poterit tamen ille cui commisũ est secretum, de ijs loqui quatenus ea nouit alia via, quã sub secreto: sicut etiam confessor potest ea tantùm propalare, quæ nouit extra confessionem. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 18, *num.* 52. & 54. Azorius 3. *p. lib.* 13. *cap.* 28. Salon 2. 2. *q.* 71, *art. 3. concl. vlt.* & alii communiter.

Nauarr. Azorius. Salon.

Secundus est, si superior per censuram iubet denunciare ad emendam delinquentis, vel impediendum peccatum mortale ipsius delinquentis, vel vt non inferatur malum proximo, uel ut damnum illatum restituatur tunc si scio proximum esse emendatum neque amplius velle peccare, uel iam esse restitutũ damnum, vel velle statim restituere, non est licitum denunciare. Ratio est, quia cum cesset in hoc casu causa finalis præcepti, cessat etiam eius obligatio, ac proinde debet famam proximi conseruare illæsam, nec tacendo periurus, aut excommunicatus erit. D. Thomas *c. ad* 5. Nauarrus. *cap.* 25. *num* 46. P. Nauarr *lib. 2. cap. 4. part. 2. num.* 217. D. Antoninus *p. 2. tit. 9 cap. 6 §.* 4.

D. Thom. Nauarr. P. Nauarr. D. Anton.

Tertius est, quando quis ex leuib personis res scit quæ non sunt fide dignæ; tunc denunciare non tenetur, nec potest Prælato interroganti de crimine occulto. Ratio est, quia & sibi ipsi, qui leuitatis notaretur, & reo fortassis iniustè damnum inferret: vnde in hoc casu & simili, quando reuelare non teneris, iurare potes te nescire, interiùs intelligendo ad reuelandum. Imò nullus debet denunciare quæ auditu tantùm percepit, secundùm Spatharium, etiamsi audiuerit a viris magni nominis, & æstimationis: illi enim tenentur denunciare, magis quam diffamare delinquentes, aliàs non essent magni nominis & æstimationis viri, nec illos audiens tenetur eis fidem præstare, nec interrogare, an ab aliis audiuerint, qui similiter fuerint bonæ famæ, vel parui nominis; ne procedatur in infinitum. Proinde secus facere, esset contra Domini regulam & præscriptum, qui ait, *Si peccauerit in te*, id est, vt videas & scias certa scientia, & non auditu tantùm perceperis. Quamuis in aliquibus casibus, quando Prælatus rationabiliter præcipit dununciari ab omnibus, etiam quæ audierint, etsi aliter non sciuerint, subditi teneantur ad denunciandum quæ & audierint, præcipuè ab hominibus famæ bonæ & veracibus: puta si grauitas delicti vel alius dignus respectus Prælatum cogat ad tale præceptum imponendum, Nauarrus *in man. c.* 15. *num.* 43. 46. Salon 2. 2. *quæst. 69. art. 2 controuers.* 11. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 13. *part.* 2 Spatharius *tract. 5. cap.* 11. *Praxis Crimin. Bert. tit. 7. cap. 4 num* 12. Bouetius *in Director. capit.* 14. & alii.

Nauarra. Salon Valentia Spatharius Bouetius

Notandum tamen est ex vi edicti non esse obligationẽ ad denuncianda ea, quæ quis audiuit a fide digno, sed nõ meminit, à quo audiuerit, uel quæ audiuit à personis ignotis, vel à persona nil certum sciente, nec qui audiuit delictum ab eo, qui iam denunciauit, etiamsi audiuerit à viro fide digno, quia ipsius denunciatio esset inutilis, & nihil prodesset. Ita Nauarr. *in c. inter verba* 11. *quæst.* 3. *numer.* 291. 292. Rodriguez 1. *part. Summ. capit.* 79. *num.* 7.

Nauarr. Rodrig.

Quartus est, quando quis cogendus esset probare quod denunciat, cùm reuera non possit: tunc enim præceptum Iudicis est nullum, cùm contineat errorem intolerabilem, quod enim quis scit & probare nequit, non videtur scire ad effectum illud denunciandi; vt docet P. Nauarr. *n.* 228. Angelus *v. Excommunic.* 3. §. 20. Nauarrus *cit. n.* 46. Tum quia denuncians præsumitur proditor & calumniator, quoties probare non potest, vt habetur *in c. Sacerdos de pœnit. dist.* 6 & *c. Qualiter & quando* 1. *de accusatoribus.*

P. Nauarr. Angelus

Aliqui tamen sunt casus, in quibus extat obligatio denunciandi, etiamsi delictum probari non possit. *Primus* est, quando præcipitur denunciari delictum respiciens fidem, & Christianam religionem, vt est hæresis, uel blasphemia hæreticalis. *Secundus* est, quando crimen vergit in graue detrimentum communitatis, vt est crimen læsæ maiestatis, quando est in fieri. *Tertius est*, casus matrimonii, in quo qui aliquod impedimentum nouit tenetur illud denunciare, quamuis probare non possit: nam vnus testis sufficit ad impediendum matrimonium *c. 2. præterea, de sponsalibus*. In primo tamé & secundo casu debent concurrere quædam indicia probantia contra delinquentem, vt dictum est, *supra n.* 5.

Quintus est, si quis rem alienam accepit in recompensationem sui debiti; tunc nec de se, nec de aliis manifestare tenetur, etiamsi sub iuramento & excommunicatione præcipiatur, dũmodo debitum sit ex iustitia, & liquidum Ratio est, quia ferri non potest excommunicatio, nisi ob peccatum mortale, sed in hoc casu non peccat mortaliter accipiendo, quod sibi debitum est, nec illud alio modo recuperare potest Syluest. *v. Furtum q.* 15. Arragon. 2. 2. *q.* 62. *art. 2 dub.* 9. Nauarr. *c.* 17 *n.* 114. 115.

Syluester Arragon Nauarr.

Sextus, si quis ex denunciatione criminis occultis, arbitretur maius incommodum aut scandalum oriturum esse. Ratio est, quia quod propter charitatem institutum est, non debet contra charitatem exerceri. Vide Nauarrum *c. 22. n.* 83. Sanchez *de matr. l. 3. disp.* 13. *n.* 4 & alios.

Nauarr. Sanchez

Porrò pro coronide huius tractatus, quæri potest, an literæ infamatrices, & delatoriæ, incerto authore scriptę vim habeant denunciationis Respond. communissimam & receptissimam esse sententiam huiusmodi libellos, &

schedu-

schedulas, seu epistolas, & cuiuscumque generis scriptas, quorum auctor, & scriptor ignoratur, nullius prorsus esse valoris, nec vllatenus excitare debere iudicem, seu Prælatum mouere, nec viam aperire ad inquisitionem. Ratio est, quia cùm aut sine infamie, aut expressis indiciis, siue signis præcedentibus institui inquisitio non possit, & hæ delatoriæ literæ, neque infamiam queant inducere, nempe expressorum signorum vim sibi vendicare (cuicumque enim illas pro libidine scribere integrum est) patet nihil ex eis probari. Accedit etiam, quòd Pontificiis Sanctionibus aduersatur: nam in quadam decretali *cap inquisitionis, extra de accusat* expresse prohibetur fieri inquisitionem ad eorum postulationem, qui clam schedulas in alterius infamiam proferunt: idque ideò fieri non potest, vt notat Panormitanus in dicto *c. inquisitionis §. 3. num.* 4. quia talia scripta infamiam minimè afferunt; quamuis testes in scriptis talibus adducerentur.

Nec valent etiam tales literæ in Denunciatione; non in Euangelica appellata, cùm trinam antecedentem monitionē exigat, & obscurū sit, factāne sit, an secus. Nō etiā in iudiciali, quæ certæ cuiusdam personæ debet esse, cui possit iudex meritò fidem adhibere, nec eius testimonio excitatus ad inquisitionem aggredi.

Reiiciantur itaque turpes illæ, & infamatrices literæ à Prælatis, & diligentem inquisitionem sumant, ut scriptorum talium auctorem inueniāt; quo inuento, ipsum arbitrariè, ut seuerè puniant; ut præcludatur aditus malignis, & impiis sic deturpandi, & obscurandi religionē, & uiros innocentes. Qua in re nonnulli Prælati nimis frigidi, & lenti sæpissimè animaduertuntur: & quod dolendum est, aliquando his libellis, seu literis infamatoriis utuntur secretò, in detrimentum subditorum innocentium, qui inscii priuantur communibus honoribus religionis, ob tales infamatorias literas incerto authore conscriptas. Absit talis abusus a religionum Prælatis. Multò minus licebit iisdem Prælatis denunciationes admittere à confessariis factas, qui sub prætextu licētię à pœnitētibus extortæ per preces importunas, dolum, aut vim, peccatum complicis propter correptionem ad ipsos deferunt. Contra quos inuehitur, & meritò sapientissimus Antistes Milderus cum Petro Marchantio vt videre est, suprà *v. Confessio sacram. VII. num.* 20. & 23. Vide Rodrig. *tom.* 2. *qq. reg. q.* 6. *art.* 10. Bertum *in prax. cr. reg. tic.* 8. *c.* 9. *num.* 5. in praxi criminali regular. Portel. *v. Liter n.* 1 Bouerium *in direct. c.* 10. Rodriguez Bertum.

De Denunciatione; vide correptio Fraterna. Excommunicatio 2. *n.* 15. Iudicium publicum *num.* 1. & 2. Matrimonium 4. *n.* 2. & *sequent.*

DEPOSITVM.

SVMMARIVM.

1 *Depositum quid: & eius differentia à mutuo, & commodato.*
2 *Depositarius, an possit deposito vti, aut illud alienare.*
3 *Depositum quod recipit functionem, mutat naturam depositi, & fit mutuum.*
4 *Duplex recensetur depositum, quoddam Iudiciale, & quoddam priuatum.*
5 *Qui possint esse depositary.*
6 *Quæ res ordinariè deponantur.*
7 *Ad quæ obligatur depositarius ex contractu depositi.*
8 *In quibus casibus depositarius non teneatur depositum reddere.*
9 *Si depositum perit, ex qua culpa teneatur depositarius, quando deposito tantū cedit in commodū deponentis.*
10 *Qui deposito vtitur, & ex illius vsu aliquod lucrum sibi comparat, an teneatur illud deponenti restituere.*
11 *An deponenti cedat incrementum pecuniæ perseuerantis apud depositarium.*

Depositum est *contractus, quo sola rei custodia alteri committitur, vt ipsa res integra restituatur* Vlpian. *l.* 1. *ff depositi* in hoc contractu non transfertur dominium neque vsus fructus in depositariū, sed sola custodia depositario committitur; vnde ex hoc differt depositum à mutuo, quòd in hoc dominium transferatur in mutuatarium & non possit repeti mutuum, nisi post determinatum tempus; depositum verò semper repeti potest; differt etiam depositum a commodato, quòd commodatum concedatur ad certum vsum Reginald. *libr.* 25. *cap.* 45. *num.* 556. Lessius *l.* 2. *num.* 27. *dub.* 1. Syluest. *v. deposit. num.* 1. Reginald. Lessius. Siluester

2 Depositarius deposito non potest vti neque illud alienare alioquin furtum committere censetur. *L. Si facculum ff. depositi.* Layman *l.* 3. *sect* 5. *tract.* 4. *cap.* 25. *num.* 3. Rodriquez *in Sum tom.* 1. *ca* 72. *num.* 6. quia vsus, qui non est ei concessus, sed tantùm res ipsa vt eam custodiat; vnde si vsus sit pretio æstimabilis, tenetur soluere pretium, si putetur Dominus illud velle. In tribus tamen casibus liceret depositario vti. *Primo*, si id à deponente est concessum. *Secundo*, si depositarius bona fide existimet domino id non displicere. *Tertiò*, quando depositum est res vsu consumptibilis, & depositarius certus est se quando depositum repetetur, paratum habiturum tantundem einsdem mensuræ, & bonitatis. Molina *disp.* 524. Bonac *de contr d* 3. *q.* 14. *p.* 1 *n* 3. Syluest. *c n.* 10. Diana *p.* 4 *tract.* 4. *resol.* 68. & alii. Layman. Rodrig. Molina Bonacina. Syluester Diana

3 Depositum quod recipit functionem, (vt est vinum oleum, & aliæ res quarum vna tradi, & permutari potest cum alia) mutat naturam depositi, & fit mutuum *L. Quintus ff. depositi* saltem quando depositarius incepit eo vti, & quoad ea quę consumit & alienat, non verò quoad alia quorum dominium perseuerat apud deponentem, uel quoad ea, quæ non recipiunt functionem. Quando uerò depositum est ex iis rebus quæ non consumuntur usu, nec recipiunt functionem, transit in commodatum si concedatur vsus, vt si tradatur equus ad illo vtendum vel in locatum, quando pretium exigitur pro vsu rei Azorius *tom.* 3. *l.* 7. *c.* 9. 7. Nauarr. *c.* 17. *num* 181. Regin. *c. n.* 557. Sà *v. depositum num.* 8. Azorius Nauarra Regin. l. 1. Sà

4 Depositum duplex est, quoddam enim est *iudiciale* & quoddam *priuatum*: *iudiciale* est cùm res aliqua litigiosa sub hac conditione depositario traditur (quem uocant sequestrum) vt eam custodiat, & retineat, donec ex litis decisione constet, cui cum suis fructibus debeatur. *Priuatum* verò depositum est, quod simpliciter fit custodiæ gratia apud quemcumque priuatum de cuius fidelitate confidimus. *L. licet ff. depos.* Molina *disp* 526. *numer.* 6. & 522. *tom* 2. Azorius *cit. cap.* 2. Garz. *de contract.* 2. *num* 2. Molina Azorius Garz.

5 Depositum suscipere, seu depositarii esse possunt omnes, qui iudicium rationis habent, tum mars, tum femina; vnde clericus, pupillus, religiosus depositarii esse possunt, si tamen pupillus sine tutoris authoritate depositum susceperit, licet res repeti, seu vindicari possit, illa pereunte, non ampliùs obligatur pupillus, quàm inde ditior factus est: religiosus autem malè facit si sine consensu Prælati munus depositarii suscipiat, tamen Ecclesia, aut monasterium non tenebitur, si res deposita etiam dolo beneficiati, aut religiosi periit, uel absumpta fuit, nisi quoties in utilitatem Ecclesiæ, vel monasterii aliquid uersum fuerit, quando autem Ecclesia, seu monasterium depositum, suscepit, v g. prælatus cum consensu capituli, tunc obligabitur sicut alii depositarii. Vide Bonacinam *c. punct.* 2. Azorium *c. c* 3. Lessium *c. dub.* 3. *n.* 12. Layman *c. n.* 6. & 7. Filliucius *tract.* 34. *cap.* 1 *num.* 9. Syluest. *v. Deposit. num.* 3. 4. Bonac. Azorius Lessius Leyman Filliucius

6 Res quæ, ordinariè deponuntur, vel sunt mobiles, ut vestis, liber &c. vel se mouentes vt bos, equus; iam res mobiles, vel sunt vsu consumptibiles, vel non, vt libri, arma, vestes; consumptibiles porrò, vel sunt pecunia, vel aliæ res in mensura aut pondere consistentes, vt vinum, frumentum, æs, plumbum, &c. Demum pecunia vel est numerata, vel non numerata, sed obsignata, clausáque aliquo sacculo, & deponitur, vt eadem numero reddatur, vel vt alia eiusdem speciei & in æstimatione functione, vsùque æqualis. Vide Azorium *cit. cap.* 4. Lessium *c. dub.* 1 *num.* 3. Syluest. *v depositum* Molinam *c. disp.* 522. & alios. Azorius Lessius Siluester. Molinam

7 Ex contractu depositi, depositarius ad quatuor obligatur *C. Bona fides, de depos. l.* 1. *§. Est autē ff. Deposit.*

Primo

Primò tenetur rem apud se depositam custodire ea, si de & cura qua solet res suas. *Secundò* debet regulariter rem depositam restituere absque mora, quãdocunque Dominus illam repetet, *Tertiò*, tenetur rem depositam redderere in eo statu in quo illam accepit. *Quartò* non potest vti re deposita, vt dictum est, absque consensu expresso, vel tacito depositoris. Vide Reginaldum *l.25.c.45.n.561.* Reginald.

8 Depositarius non tenetur depositum reddere, *L. Bona fides ff. Depos. cap. Ne quis 22. q. 2. Primò* donec expensæ factæ in re deposita custodienda soluantur. *Secundò*, quando bona deponentis confiscata sunt postquã deposuit, tunc enim fisco reddendum. *Tertiò*, quandò redditio depositi vergeret in alicuius iniuriam, vel in cõmune reipub. damnum. *Quartò*, quando quis rem deposuit apud proprium dominum ignorantem esse rem suam, nam cognoscens esse suam, non tenetur eam reddere deponenti. *Quintò*, quando res deposita est furto ablata, & repetunt eam fur, & verus Dominus, in conscientia semper vero Domino, & non furi redenda est. Ita Lessius *c. dub.4.n.14.* Reginald. *n.569 & 570.* Syluest. *c.n.11.*

Lessius. Reginald. Syluest.

9 Quando depositio tantùm cedi in commodum deponentis, tunc si depositum periit, solum tenetur depositarius ex dolo, & lata culpa, non autem ex leui, vel leuissima, si verò cedit in commodum vtriusque, tenetur etiã ex culpa leui, vt si pretium pro custodia accipiat; si autem depositio fiat in commodum solius depositarii, tenetur de culpa leuissima. Ita Syluius *2.2.q.62.art.4 q.3 conc.3.* Bonac. *cit.p.3.num.2.* Faust. *in spec. confess. disp. 8. q.6.* Reginaldus *l.25 num.563. & seq.* & alii. Quamuis satis probabilis sit sentẽtia. Lessiis *c.n.11.* Filliucii *t. 34.n. 23.* Dianæ *p.1.tract.8. res.74.* quæ asserit neminé teneri in conscientia nisi ex culpa graui, & lata, & nõ ex culpa leui & leuissima, nisi aliter inter contrahenes sit conuentum.

Syluius. Bonacina. Faust. Reginald. Lessius. Filliucius. Diana.

10 Quamuis non liceat deposito vti si fructus rei depositæ non sint; sed industriæ, laboris, & operæ propriæ eiusdem depositarii, vt si ex pecunia negutietur emendu vel cambiendo, ipse non tenetur ad restitutionem, sed potest perinde ac de suo partum sibi retinere: si tamen lucrũ eiusmodi, sit fructus rei depositę, depositarius tenetur illud restituere deponenti, cui illa tamquam Domino fructificauit: vt si quis equum apud se depositum locãdo aliquid acquirat Azorius *l.4.c.35.q.3.* Reginald. *c.n.572.* Diana *de contr. resol. 32.p.1. & p.4.tract.4.res.68.*

Azorius. Reginald. Diana.

11 Cum depositum non exuat naturam depositi, ante vsum, vel distractionem rei depositæ hinc, dicendum est incrementum pecuniæ perseuerantis apud depositariũ, cedere ipsi deponenti; quia vt apud depositarium, cedere ipsi deponenti; quia vt apud deponentem manet rei depositæ dominium, ita etiam ad eum pertinent illius, siue damnum, siue commodum; quando vero depositum degenerat in contractum, quo dominium transfertur in tunc eo ipso, quòd rei dominium transfertur in depositarium, ad ipsum pertinet rei depositæ tam damnum, quã commodum Nauarrus *c.17.num* 181. Azor. *tom.3.l.7. c.7.q.7.* Reginald. *c.n.673.* & alii.

Nauarr. Azorius. Reginald.

De deposito vide commodatum.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Depositum distinguitur à cæteris contractibus, qui non, nisi rei traditione perficiuntur.*
2 *Ad depositum quinque requiruntur.*
3 *Depositarius ex casu fortuito tenetur quatuor de causis.*
4 *Si res deposita, mortuo depositario, transeat ad heredes depositarij, heredes tenentur in solidum, modo res non fuerit inter heredes diuisa.*
5 *In foro contentioso locum non habet compensatio in deposito, secus in foro animæ.*
6 *Quãdo deponẽs præferendus sit aliis creditoribus depositarij.*
7 *Deponentis obligationes sunt duæ.*
8 *Duæ actiones dantur in iure ciuili ratione depositi, vna dicitur directa, altera contraria.*
9 *Qui adeponit pecuniam, &c. cum facultate vt eà vitatur depositarius, & pacto facto, vt aliquid lucri inde ei redeat, committit vsuram.*

Depositum

1 Depositum distinguitur à cæteris contractibus, qui nonnisi rei traditione perficiuntur. A mutuo videlicet, quia res mutuò data, fit accipientis in deposito autem nec dominium, nec vsus rei transfertur. A commodato, quia ad certum vsum datur, nimirum, vt ex re commodata, is qui accipit, certum commodum, & vtilitatem accipiat. A precario, quia res alteri conceditur ad vtendum ea donec placuerit danti. A pignore, quia etsi pignoris vsus nun detur, tamen datur pignus creditori causa idoneæ, & legitimæ cautionis ob debitum. Depositum auté non ad cauendũ, sed ad custodiendũ datur nisi alius cõtractus admisceatur Ex quo fit, vt depositũ sit plerumque gratia eius, qui rem posuit, non eius qui depositum recipit, cum tamen commodatum, & precarium sint ad vtilitatem eius, qui accipit: licet aliquando commodatum sit gratia eius, qui dat, & depositum interdum in fauorem eius, qui rem depositam suscipit, vt colligitur ex *lege si quis*, & *lege rogasti ff. de rebus creditis.*

2 Ad depositum quinque requiruntur, *Primò*, depositum non contrahitur, nisi res tradita sit; quia est contractus, cuius obligatio ipsa re perficitur, tum quia nullus suscipit custodiam rei, quæ in sua potestate non existit. *Instit. quibus modis re contrahatur obligatio, §. Item is.* *Secundo*, Depositũ requirit consensũ, tum deponentis, tũ eius, qui depositũ suscipit; quia nullus est contractus, qui contrahentium consensus non postulet. Propterea non sufficit, vt quis deponat aliquid apud alterum, nisi alter significet se illius rei custodiã suscipere. *Tertio*, vt eadem res deposita reddatur *l.1 ff. Deposit. Quarto* vt restituatur in loco, in quo recipitur, nã par non est, vt depositarius, qui depositi curam in gratiam deponentis suscepit, expẽsas faciat in restitutione depositi, modò depositarius dolo, vel lata culpa non transtulerit depositum ad alium locum; tunc enim reducere tenetur ad locum, in quẽ recipit si deponens id exigat *Quinto*, vt si depositũ pereat pereat deponenti, qui est dominus depositi; res autem domino perit, seclusa copula depositarij. Ita Azorius *par. 3. lib.7.cap.5 & 8.q 2. de deposito* Lessius *lib.2. c.27. n.2.* Filiuccius. *tr34.n.12.* & alii. Azorius, Lessius, Filiuccius.

3 Depositarius ex casu fortuito tenetur quatuor de causis. *Primo*, quando pactum interuenit, vt de casu fortuito teneatur. *Secundo*, quando mora restituendi casum fortuitum præcessit. *Tertio*, quãdo dolum casus est subsequutus. *Qarto*, quando in casum fortuitum incidit ex culpa lata, quæ tunc contingit, quando non tantum curæ præstat depositarius, quantum rebus suis, id est quantũ alii homines solent præstare rebus suis communiter nisi certum sit, quod eodem modo apud Dominum res deposita erat peritura, si fuisset in tempore restituta, quia tũc non minus haberet de eo, quod habiturus erat. Pactum autem, vt ex dolo depositarius non teneatur non valet: quia est contra bonam fidem, & bonos mores, propter quod occasionem delinquendi subministraret, quod non licet. Ita Nauarrus *in Man. c.17.n.181.* Lopez *l.2. de contract. cap.36.* Nauarr. Lopez.

4 Si res deposita, mortuo depositario, transeat ad hæredes depositarii, hæredes tenentur in solidum, modo res non fuerit inter hæredes diuisa, tunc enim vniusquisque tenetur solùm ad ratam partis acceptæ *l. si duo, ff. Depositi.* Quando autem duo rem deposuerunt, & ambo agunt, siquidem ita deposuerunt, vt vel vnus tollat totum poterit in solidum agere; si vero pro parte, pro qua eorũ interest; tunc dicendum est, in partem condemnationẽ faciendam. Hinc etiam colligitur, si apud duos sit deposita res, aduersus vnumquemque eorum agi poterit, nec liberabitur alter, si cum altero agatur: non enim electione sed solutione liberantur. Proinde si ambo dolo fecerint, & alter quod interest, prestiterit alter non conuenietur, exemplo duorum tutorum. Quod si nihil alter, vel minus facere possit, ad alium peruenietur. Idemque etsi alter dolo non fecerit, & idcirco sit absolutus, non ad alium peruenietur. Ita Vlpianus *l.1.§. si apud, & ff. Sed si duo, § Depositi.* Vlpia.

5 Si ius commune Canonicum, & ciuile attendatur, in deposito locum non habeat compensatio hoc est, non potest quis retinere rẽ sibi in custodiam traditam, puta equum pro recõpensatione debiti. Sic enim difinitur *in l.*

Si quis

Si quis vel pecunias, Cod. depositi. Ratio huius redditur *in cap Bona fides, de deposito*, ne contractus depositi, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Ita Molina *tom. 2. de contract. disp. 524.* Cuius sententia vera est de rigore iuris scripti. Contrarium tamen de æquitate, & in foro animæ verius est, nimirum in deposito, quando debitum est liquidum, nec alia ratio suppetit rei sibi debitæ recuperandæ, locum babere compensationē indirectam: nam iure naturæ, & gentium potest quis sibi ex qualibet re alterius satisfacere quando via iuridica suum obtinere nequit: licet in foro contentioso, in quo citata iura locum babent, talis compensatio improbetur. Compensatio autem in directa est, quando res deposita aliena apud se detinetur, donec sibi debitum à deponente soluatur. Ita Petrus Nauarra, Tannerus, Lessius, Layman, Diana citati *tom. 1. verb. Compensatio, n. 2. §. Secundo probabiliter.*

Molina. Nauar. Tannar. Lessius. Laiman. Diana.

6 Quando depositum tale est, vt non transeat dominium depositi in depositarium, quod contingit in omni vero deposito, & simplici, tunc præfertur deponens cæteris creditoribus personalibus: quia tunc deponens vendicat illud vt suum, *l 1. in fine, Cod. Depositi.* Si verò trāsiuit in mutuum, ac proinde comparauit depositarius dominium illius, & depositum, factum est penes publicum depositarium, & deponens nullum interesse ob id accipiebat, præferendus est cæteris creditoribus Chirographariis depositarij, qui scilicet, nō babēt, tacitā uel expressā hypothecam in bonis eiusdē, depositarii, *l si hominem, §. quoties ff. Depositi.* Non esset autem necessario præferendus, si factuum est depositum penes priuatum depositarium. In bonis autem depositarij publici, omnes deponentes equaliter admittuotur, licet eorum quidam sint anteriores tempore, alij posteriores: si tamen eadem numero pecunia deposita apud depositarium extet, aut aliquid ex ea emptum sit tunc præferretur in ea pecunia is, qui eam deposuit, etiamsi acciperet vsuram ex deposito, *l. si veriori ff. de priuileg.* vide Azotinm *part. 3. lib. 7. c. 8. q. 6. de deposito* Molinam *cit. disp. 526. vers. Quod attinet ad vltimum.* Reginaldum *l. 25. n. 573.*

Azorius. Molina. Reg mald.

7 Deponentis obligationes sunt, *Prima*, vt rem depositam, clam, & furtiuè non tollat, ne despositario necessitas imponatur, aut rei reddendæ, ant probandæ suæ innocentiæ: quare istum ille, ab hoc grauamine liberum debet, ac immunem reddere, nisi illam hic negasset, aut via ordinaria recuperare dominus non posset. D. Thom. *2. 2. q. 66. art. 5. ad 3.*

D. Thom.

Secunda eius obligatio est, vt depositum non reuocet, si deportatus fuerrit, ex *l. bona fides. ff. depositi.*

8 Duæ actiones dantur in iure ciuili ratione depositi, & ambæ sunt personales, quia ex contractu descendunt: vna dicitur directa, altera contraria. Directa competit deponenti, & eius hæredibus aduersus eum, qui depositum suscepit, & eius hæredes, vt si dolosè versatus sit in deposito eustodiendo, aut si hæredes eius facti sunt locupletiores, & hæc actio est ad restimendum rem integram deponenti *l. 1. §. Qui depositi, ff Depositi*,

Altera dicitur contraria, quæ conuenit depositario, & hæredibus eius aduersus deponentem, & bæredes illius, qua ratione repetit impensas vtiles, & necessarias factas in re deposita. Compensationem itidem damni si quod passus est ex deposito, vt si quis sciēs deponeret seruum qui fur esset, vel equum calcitrosum, vel mordacem *l. Actionem, ff. depositi.* Porro leges duodecim tabularum actionem dederunt furti contra eum, qui vteretur re deposita aliter, quam in eum finem, ob quem data est qnod iure facere potuerunt, ob frequentiam talis delicti. Sic enim sæpe minora crimina grauius puniuntur ob frequentiam.

9 Qui deponit rem in numero, pondere, vel mensura consistentem, cum facultate, vt ea vtatur pacto facto, aut intentione principali, vt aliquid lucri inde ei redeat, committit vsuram. Ratio est, tum quia facultas data depositario, vtendi re deposita, facit illud migrare in mutuū, statim ac ea vti cœperit, sed mutuanti, quidpiā à mutuario exigere, pro vsu pecuniæ traditę mutuo, legibus charitatis, ac iustitiæ est prohibitū, ergo, & deponenti rē suam. Tum quia, custodire rē alienā onus est, cū custos eā præstare domino debeat, si culpa sua lata intereat, deponens autem nullum iustum titulum prætexere potest, quo fretus lucrum pro obligatione seruandi rem incolumem postulet, est ergo hæc eius postulatio iniqua, ac vsuraria. Ita Nauarrus *in Man c 17. n. 181.* & *tom. consil. l. 3. de deposito, consil. 1. 2. 3. & 4.* Bartolus *in l. certi conditio, §. final. ff. de rebus creditis.*

Nauarr. Bartolus

Vide v. Actio *n* 11. Dubium *n.* 15.

DERISIO.

SVMMARIVM.

1 *Derisio quid? & an differat à contumelia.*
2 *Quando sit peccatum mortale, quando veniale.*
3 *Quantò persona quæ irridetur, maior debetur reuerentia, tantò grauius peccatum mortale est derisio.*

1 DErisio est *actus quo honor alterius verbis, vel factis uiolatur cum intentione confundendi, & inducendi erubescentiam*, & differt à contumelia, eo quòd derisio fiat ioco, & habeat pro fine confusionem, & erubescentiam proximi per significationem inordinatā mali culpæ, aut penæ, vel defectus naturæ, contumelia autē fit seriò.

2 Derisio peccatum mortale est. *Primo*, quando adest intentio grauiter proximum confundendi. *Secundo*, quādo manifestatur graue vitium, vt quando obiicitur vxoris adulterium. *Tertio*, quando derisus grauiter tristatur: aliàs derisio vt plurimum est tantū peccatum veniale, vel ratione paruitatis materię, vel imperfectæ deliberationis: aliquando tamen excusari posset derisio ab omni peccato, vt v. g. si fiat ad corrigendum proximū, vel etiam causa recreationis honestę, & tunc est actus virtutis eutrapeliæ, quæ inclinat ad bonestas recreationes, adhibenda tamen est semper maxima prudentia, & moderatio, cùm facilè mortaliter peccetur, ratione grauis tristitiæ. & erubescentiæ, quàm derisus patitur. Ita D. Thom. *2. 2. q. 75.* Syluest. *v. derisio.* Nauarr. *cap. 18. n. 15. 16.* Caiet. *v. deris.* Valent. *2. 2. d. 5. q 18. p. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 13. c 9.* Clauis Regia *l. 12. c. 5. n 9.* Syluius *2. 2. q. 75. art 2.* & alii.

D. Thoma Syluester Nauarra Caietan. Valentia Azorius Clau. Reg. Syluius

3. Derisio, quæ fit per contemptum personæ, tantò futura est grauius peccatum mortale, quantò personæ, quæ sic irridetur, maior debetur reuerentia; vnde primum locum improbitatis tenet irrisio Dei, quæ specie non distinguitur à blasphemia; secundum locum tenet derisio parentum; deinde grauis est etiam irrisio sanctorū Ita Valent. *c. punct. 2.* Caiet. *c.* Syluius *c. art. 2.* Syluest. *n. 2.*

Valentia Caiet. Syluius Siluester.

DETRACTIO I.

Quid sit Detractio, & quale peccatum.

SVMMARIVM.

1 *Duo requiruntur ad detractionem: & an differat specie à contumelia.*
2 *Octo modi detractionis.*
3 *Detractio, alia est formalis, alia materialis: & an formalis sit peccatum mortale.*
4 *An detractio materialis sit peccatum mortale.*
5 *Referre peccata aliorum mortifera, an sit peccatum mortale.*
6 *Reuelare alicuius naturales defectus, an sit peccatum mortale.*
7 *Qui de statu religionis in communi detrahit, an peccet mortaliter, & sit suspectus de heresi.*
8 *Qui tacita, & non manifestata in particulari persona diceret in tali loco, vel collegio, vel oppido adsunt multi improbi homines, an peccet mortaliter.*
9 *Detegere alia crimina illius, quæ sunt valde affinia grauieri crimini, de quo est infamis, an sit peccatum mortale.*
10 *Infamare hominem, qui falsis, & fictis virtutibus per hypocrisim famam virtutum in populo adeptus est, an sit peccatum detractionis.*
11 *Riuelare crimen occultum alterius vni, aut duobus viris prudentibus, an sit peccatum mortale.*
12 *Referre iniuriam alteri, sibi ab aliquo illatam, an sit peccatum mortale.*

13 *Audita referre occulta peccata alterius, absque asseueratione, an sit peccatum mortale.*

14 *Reuelare crimen alterius publicum, eo loco vbi ignoratur, an sit mortale contra iustitiam. vel charitatem.*

15 *An sit contra iustitiam, referre alicui delicta alterius, propter quæ alias fuit infamatus, quamuis nunc famam honeste viuendo recuperarit.*

16 *Auditor detractoris, an peccet mortaliter.*

17 *Qui nec inducit, nec lætatur, tamen audit nec resistit detrahenti cum possit, quando peccet.*

18 *Seipsum infamare, an sit peccatum mortale.*

19 *In quibus casibus possit esse peccatum mortale seipsum infamare.*

20 *Falsò sibi crimen imponere, ob quod mors sequetur, ad vitanda tormenta. an sit peccatum mortale.*

21 *An liceat peccatum occultum alterius, vel aliud secretum pandere, ad vitanda grauia tormenta.*

22 *Ad impediendum damnum aliquod spirituale. vel temporale, quod sit alicuius momenti, an sit licitum aperire crimen alterius.*

23 *An peccet contra iustitiam reuelando crimen, si damnum alterius impedire potest absque reuelatione.*

24 *Non licet mortuorum occulta peccata referre.*

1. DEtractio est *aliena famæ occulta, & iniusta denigratio, seu violatio*; hinc duo requiruntur ad illam *Primo*, vt aliquid dicatur, vel eo modo dicatur, vt alicuius famam, & existimationem quam possidet in animo alterius extinguere, aut minuere valeat. *Secundò*, vt fiat occultè saltem iuxta intentionem dicentis; vnde detractio differt specie à contumelia, quod per detractionem proximus clàm lædatur; per contumeliam verò apertè, & in præsentia offenditur; præterea detractio directà lædit famam, contumelia autem honorem, minus autem peccatum est detractio ceteris paribus quàm contumelia, quia minus bonum aufert, & est minus contra alterius voluntatem; quia fit occultè, & altero nesciente, sed contumelia honorem aufert scienti, & actu renitenti. D. Thomas 2.2 *q.73.art.1.* Clauis Regia *lib. 11 c.3.n.5.* Bonacina *de rest. d.2. q 4. p.1.* Filliucius *tract.40. c.4.numer.87.*

D. Thoma
Clau. Reg.
Bonacina
Filliucius

2. Communiter à Doctoribus ponuntur octo modi detractionis, qui omnes, per se loquendo, eiusdem speciei sunt, vtpote, qui in ratione læsionis famæ distinguuntur tantummodo secundùm magis, & minùs quæ non variant speciem. Eorum autem quatuor sunt directè, & quatuor indirectè *Primo*, imponendo alteri crimen falsum scienter, qui quidem modus pessimus est omnium. *Secundo*, cum quis peccatum auget verbis, aut aliis signis externis. *Tertio*, reuelando crimen occultum quãuis verum. *Quarto*, explicandum factum honestum alteriua in sinistram partem. Indirectè verò fit detractio. *Primo*, negando rectè facta, uel dotea alter ius. *Secundo*, diminuendo rectè facta uel laudes alterius. *Tertio*, tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo tuum silentium cæteri accipiunt pro tacita uituperatione, & opprobrio. *Quarto*, simulatè, uel frigidè laudando, & hoc cedit in uituperium & opprobrium laudati. Reginaldus *lib 24.num.69.* Syluest *v. Detract.n.1.* Lessius *lib.2. c.11. dub.2.n.8.* Molina *tract.4 disp.27.* Syluius 2.2.*q.73.art.1.* & alii.

Reginald.
Siluester
Lessius
Molina
Siluius

3. Detractio alia est *formalis*, quà peccatum, uel alterius defectus naturalis clàm ipso manifestatur intentione lædendi ipsum infamia: alia verò est *materialis*, quia aliquid natura sua diffamatiuum dicitur sine intentione detrahendi.

Detractio *formalis* ex genere suo peccatum est mortale; quia ex natura sua damnum notabile infert proximo in fama: nihilominus ratione indeliberationis, uel paruitatis materiæ; potest esse peccatum ueniale, v. g si quis leuem defectum, aut veniale peccatum alterius de industria manifestet, aut graue delictum narret, sed ex inaduertentia; nunquam enim actus humanus est peccatum mortale absque plena deliberatione, & aduertentia, aut grauitate materiæ. D. Thom. *cit.art.2.* Lessius *cit.dub.3.* Syluester *cit n.2.* Reginaldus *cit.n.71.* Filliucius *cit.n.89* Syluius *cit.art.2.* Diana *p.5.tract.5.resol.69.* & alii.

D. Thoma
Lessius
Siluester
Reginald.
Filliucius
Siluius
Diana

4 Detractio *materialis* peccatum est etiam mortale, si id quod narratur grauiter proximi famam lędat, quamuis id non intendatur, sed ex quadam loquacitate, peccata vel defectus alterius narrentur; quia implicitè & si non expressè læsio proximi intenditur; si tamen quod narratur parum lædat, veniale erit; nihilominùs est aduertendum quando defectus veniales, attenta conditione personæ, censentur magni momenti; vt si quis diceret de viro graui, & religioso esse mendacem, hoc est, sæpe mentiri, esset peccatum mortale, præsertim si hoc in faciem per contumeliam obiiceretur, conuitiandi causa. Lessius *cit.dub.3.num.12.* Azorius *tom.3.lib 13.cap.4.dub.4.* Clauis Regia *lib. 11. cap. 6.num.2.* Syluius *cit. art. 2.* Diana *cit resol. 69.*

Lessius
Azorius
Clau. Reg.
Siluius
Diana

5 Quamuis materia sufficiens ad peccatum mortale detractionis sit manifestatio mortalis peccati, quoties fama proximi grauiter læditur: si tamẽ ex huiusmodi narratione, fama alterius notabiliter non lædatur, non erit materia sufficiens ad morale peccatum; quia paruitas damni excusat à peccato mortali, vt si quis dicat militem commisisse duellum, habere concubinam, decepisse puellam, vel adolescentem esse prodigum, deditum amoribus, fœminam rixari, aut sæcularem fregisse ieiunium: aut qui refert ea delicta de quibus scit aliquem se iactare solere, vel etiam si generalibus nominibus peccatorum mortalium aliquis infametur, vt si dicatur, illum esse superbum, auarum, iracundum, ordinariè hæc dicere nõ est mortale, nisi ratione dignitatis personæ, de qua dicuntur accipienda sint pro grauibus vitiis: ordinariè accipiuntur autem pro inclinatione naturali, vel veniales defectus denotant, Nauarrus *cap 19. num.24.* Bonacina *cit.part.2. n. 1.* Lessius *cit. num. 16. & 17.* Syluester *v. Detract. n. 2.* Clauis Regia *cit. n. 3.* Reginaldus *cit. n. 76.* Syluius *cit. art. 2.* Diana *cit. resol.69.* & alii.

Nauarr.
Lessius
Syluester
Clau. Reg.
Reginald.
Siluius

6 Non est de se, regulariter loquendo, peccatum mortale detractionis, reuelare alicuius naturales defectus, vt quòd sit spurius, aut ortus ex Iudæis, vel Mahometanis, aut natus patre hæretico, aut infami, aut quod sit imprudens, ignarus, indiscretus, cocles, claudus, gibbosus, &c. siue natalium, siue animæ, siue corporis defectu laboret: esset tamen mortale, si notabile damnum ex tali reuelatione intendatur, aut illius sufficiens causa iusta detur, vel in faciem obiicerentur, cum periculo magnæ contristationis alterius; quando autem bonus ac iustus aliquis finis mouet reuelantem huiusmodi defectus naturales, à peccato mortali posset excusari, quãuis alter damnum inde patiatur, vel bono aliquo priuetur P. Nauarra *lib.2 de restit.cap.4.num.307.* Clauis Regia *c.num.4.* Reginaldum *cit.num 79.* Lessius *cit n.14.* Bonacina *cit n. 8.* Diana *p.5.tract.5.resol.69.* & alii. Vt fit, quando ad informationem interrogatus ueritatem dicit. Proinde ex circunstãtiis personę dicentis, & eius cui dicitur, & modi tolerandi, id perpendendũ est. Si enim Pater filiũ stultum, aut toruũ appellaret ex ira, non esse mortale. Qui verè hominem literatum, aut prudentem in faciem fatuum ex ira appellaret, peccaret mortaliter; quia notabilem causam contristationis præberet. Vt tamen communiter dicuntur ista nomina ex leui ira sine intentione notabiliter ingiurandi, non videtur esse mortale, ista verba de alio proferre; quod arbitrio prudentis confessarii relinquitur diiudicandum attentis omnibus circunstantiis.

P. Nauarra
Clau. Reg.
Reginald.
Lessius
Bonacina
Diana

7 Qui de statu religionis in communi detrahit, vltra peccatum mortale detractionis, hæresis etiam suspicionem incurrit, quasi malæ sentiens de statu religionis: & excommunicantur qui libellos famosos. aut cantilenas faciunt, detinent, aut publicant in infamiã ordinum Prædicatorum, & Minorum: item peccatum mortale est, si quis totam aliquam religionem, Monasterium, aut domum infamet dicendo in tali religione vel Monasterio obseruationem non esse, vel quod malè viuitur, nisi id aliàs esset notorium: qui verò peccatum alicuius priuati de collegio vel monasterio seu religione detegit, personã nominando, peccat etiam mortaliter, cùm infamia non solũ in ipsum delinquentem, sed etiam in totã religionem, & monasterium redundare solet, vide Alexandrum IV. apud Syluest. *v. Excommunicatio 7.n.84.* Sotum *de iust. & iur. l.4 q.6 d.3.* Clau. Reg. *l.11.c.6.n.20.* P. Nauarr. *l 2.n.335.*

Siluester
Sotus
Clau. Reg.
P. Nauarra

8 Qui

8 Qui tacita & non manifestata in particulari persona diceret, in tali collegio, vel in tali loco, vel in tali oppido adsunt multi improbi homines & vnus ex eis commisit adulterium, vel simoniam, non peccaret mortaliter, quia nullus infamatur in particulari, & proinde nullus grauiter læditur; secus dicendum de illo qui detegeret peccatum secretum religiosi explicato monasterio, vel religione, quamuis persona taceatur; hic enim peccat mortaliter; & ratio disparitatis est, quia personæ istius collegii, vel communitatis, vel oppidi non tantam perfectionem profitentur, ac religiosi, & audientes non ita scandalizantur, aut peccandi occasionem sumunt ex cognitione delictorũ quæ à Clericis sæcularibus fiũt, ac quæ a religiosis fiunt. P. Nauarr. *c. n.* 358. Azor. *c. c.* 7. Bonac. *c. n.* 10. Mol *c. disp* 27. Clau. Reg. *c. c.* 6. *n.* 21. & alii.

Nauarr. Azorius. Bonacina. Clau. Reg.

9 Qui de vno, aut altero crimine infamis est, non est peccatum mortale detegere alia crimina, quæ sunt valde affinia, & ordinariè coniuncta grauiori crimini quod publicum est, quia non censetur noua infamia; si tamen crimina non sint ita connexa, non solùm est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam illa patefacere, præsertim si sint alterius generis; quia qui infamis est in uno genere vitii, non ideò amisit ius quod habet in aliis uirtutibus, ideò non potest de aliis occũltis infamari Reginald *c. n.* 326. Lessius *c. dub* 14. Sylu. 2. 2. *q. art.* 2. *quæsit.* 18

Reginald. Lessius. Syluius.

10 Peccatum detractionis minimè est, infamare hominem qui falsis & fictis uirtutibus per hypocrisim, & falsasi nposturas famam virtutum moralium, aut intellectualium in populo, seu republica adeptus est, quando ille est noxius, & perniciosus populo, & reip. ut si quis se fingeret medicum, aut Theologum famosum, quem scio esse ignarum aut falsum docere, si autem per talem famam iniquè acquisitam talis nemini nocet, minimè eũ infamare licebit, sicut nec ullum alium occultum peccatorem. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 17 *p.* 2. *dub.* 3. Salon 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. Lessius *c. dub.* 10. Sotus *de iust. l.* 5. *q.* 10 *art* 2. Syluius 2. 2. *q.* 62 *art* 2. *q.* 14.

Valentia Salon. Lessius. Sotus Syluius.

11 Communis, ac uera sententia est, reuelare crimen occultum alterius uni, aut duobus uiris probis, ac prudentibus, apud quos ita secretò manebit, ac si dictum non fuisset, etiam esse mortale peccatum detractionis, quia huiusmodi reuelatio uidetur grauiter lædere famã, etiamsi fiat apud vnũ, uel duos taciturnos, mallent enim multi vt peccatũ eorum notũ esset pluribus aliis hominibus plebeis, quàm vni viro graui, præsertim superiori, à quo delinquens dependeat Molina *tract.* 4. *d.* 29. *n* 7 Lessius. *c. d.* 11 *n.* 70. Clau. Reg. *c. n.* 12. Malderus 2. 2. *tract.* 7. *c.* 1. *d.* 4. Azorius 3. *p. l.* 5. *c.* 9. *q.* 2. Sylu. *c. q.* 19. & alij. Quãuis quorumdam sententia sit, non esse mortale peccatũ, sed tantùm veniale, quia, vt aiunt Caiet. 2. 2. *q.* 73. *art. d.* 1. Reginaldus *c. n.* 75. Bonacina *c. p.* 3. *n.* 2 P. Nauarr. *c. num.* 335 & eius sequaces, aut nullum damnum patitur alter ex tali reuelatione, aut valde parua est infamia; vnde secundum hanc sententiam excusari potest pœnitens à mortali, qui complicem sui delicti in confessione manifestat; quia vnius notitia infamiam non generat: vt ait Diana *p* 2. *tract.* 3 *misc. resol.* 22.

Molina. Lessius. Clau. Reg. Malder. Azorius. Syluius Caiet. Reginald. Bonacina nauar. Diana.

Sed nescio quomodo in praxi hæc sententia possit admitti tamquam probabilis; quis enim non videt ex hac occultissimum aliàs peccatum posse paulatim fieri publicum apud plurimos? Si enim liceat reuelare vni, aut duobus viris probis, ac prudẽtibus occoltum fratris peccatum, & licebit etiam huic vni, aut duobus probis viris vni alteri, aut duobus similiter probis reuelare, & sic deinceps; non enim minùs his licebit, quam illis, reuelare aliis probis etiam, & prudentibus. Vnde non est recedendum à communi sententia: quamuis enim ille cuius ita est detectum, non sit infamis iuridicè, nec sit notatus perfecta infamia, quę ad plures peruenerit, in parte tamẽ aliquam famam amisit, & minoris æstimationis est apud illum, vel illos viros prudentes, quàm antea erat, quod est ipsi graue malum: quia notabile bonum est esse bonæ existimationis apud tales, ergo notabile malum est illa bona existimatione spoliari; & illa famæ ipsius denigratio, vt est aliqua læsio, ita moraliter etiam est infamia, leuis quidẽ extensiuè, absolutè tamen grauis, quia magnũ est male audire apud vnum vel plures prudentes viros. Sicuti enim materia quæ sufficit ad mortalem rapinam, etiã sufficit ad mortale furtũ: ita inhonoratio, quæ sufficit ad mortalẽ contumeliam, etiam sufficit ad mortalem detractionem: atqui si istud peccatum per contumeliam soli fratri quis exprobraret, peccaret mortaliter; ergo etiã quando apud vnum ei detraheret. Item iudicium temerarium est peccatum mortale, licet illud iudicium, exteriùs non dicatur; quoniam læditur fama proximi in vno in particulari: sed in isto casu læditur fama proximi in vno, ergo est peccatum mortale. Et prẹter Doctores citatos pro hac sententia, videri etiam possunt Sotus, Barthol. *de iust. l.* 5. *q.* 10. *art.* 2. *conc.* 4. Medina *l.* 1. *inst. confess. c.* 14. §. 16. Arragon. 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. Salon *ibid.* Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 5. *controu.* 5. & *d.* 5. *q.* 17. *p.* 2. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *res.* 33. multos alios citans. Lugo *de Sacram. pœnit. disp.* 16. *sect.* 7. *n.* 395. qui dictam Caiet. opinionem falsam vocat: ex hac enim sequeretur aliquid oppositum communi doctrinę sanctorum, nimirum, auditorem detractionis, quando solus detractorem secreto audit, non debere detestari detractionem tamquam lethale peccatum, sed propter prudentiam suam qua celaturus est posse tolerare tamquam veniale. Et huic nostrę sententiæ nouissimè subscribit Caspens. noster *tr.* 18. *disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 20

Sotus Barthol. Medina Arragon. Salon Valentia Diana

Ad rationes autem Caietani respondetur cum D. Thoma 2. 2. *q.* 73 *art.* 1 *ad secundum*, quod in tali casu, est læsio famæ licet non in toto, in parte tamen. Deinde qui narrat crimen occultum viro graui, magis lædit famam, quam qui narrat tribus, vel quatuor de media plebe, ergo lædit grauiter, & non leuiter.

Sed quia narratio criminis occulti nõ est intrinsecè mala, ideò honestari potest iustis de causis: puta, vel propter vtilitatem reip. vt quando manifestatur crimen hæresis; uel propter vtilitatem eius cuius crimen narratur, vt quando adhibentur testes in correptione fraterna: vel propter vtilitatem tertiæ personæ, veluti quando reuelatur alicui, quòd parantur ei insidiæ.

12 Qui iniuriam sibi ab aliquo illatam alteri refert, intentione detrahendi ad propriam vindictam, peccat mortaliter, hæc est enim detractio formalis: sin autem quis eam refert, siue vt consolationem capiat ab amico, vel consilium recipiat, vel vt dolorem mitiget, non peccat, quia vtitur iure suo, & per accidens est, quod detegitur alterius peccatum; intellige tamen modò non referat pluribus quam opus sit ad capiendum consiliũ solamen, &c. P. Nauarr 2. *c.* 4. *n.* 346. Lessius *c. dub.* 12. Clau. Reg *n.* 10. Diana *tr.* 5. *misc. res.* 32. *p.* 3. Molina *c n* 5. Syluius *c. q.* 15.

P. nauarra Lessius Clau. Reg. Diana Molina Syluius.

13. Non est mortale peccatum detractionis obligans ad restitutionem, audita referre occulta peccata alterius absque asseueratione; modò referens non sit tantæ authoritatis, vt sit illi credendum, & non augeat, vel confirmet magis audita, vt non referat coram ijs qui postea rem eamdem sint alijs manifestaturi: insuper si crimina sint valde grauia vt hæresis, proditio, præpostera libido, & verisimile sit ex narratione auditoribus malam suspicionem suborituram criminis narrati esset peccatum mortale contra iustitiam, quia talis suspicio videtur esse magnum malum respectu honestæ personæ; notandum tamen illum peccare mortaliter contrà charitatem, qui refert audita coram iis quos iudicat ex sua leuitate credituros, quamuis relata non sint fide digna, quia quilibet tenetur ex charitate quantùm potest absque proprio detrimento cauere notabile proximi damnum; contra iustitiam autem non peccat talis audita referens, cũ eius narratio non sit læsiua famæ proximi, & si quę lęsio hinc proueniat, leuitati & malitiæ audientium imputanda est Clauis Reg. *c. n.* 14 Azorius *tom.* 3 *l.* 13. *c.* 6. *dub* 6. Lessius *c. dub.* 5. Nauarr. *c.* 18. *n.* 36. Regin. *c. num.* 77. Arragon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2 *dub.* 6. Bonac. *c punct.* 5 *num* 2. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *misc. res.* 28. Sylu 2. 2. *q* 62. *art.* 2 *q.* 16 & alii.

Clau. Reg. Azorius Lessius nauarra Reginald. Arragon. Bonacina Diana Syluius

14. Quando crimen alterius est publicum (quod tripliciter accipere potest, vt *Primò* si sit notorium iure per iuridicam sententiam, vel per confessionem in iudicio, vel per legitimum testium depositionem; *Secundò* si sit notorium facto, id est, si in pręsentia multorum sit perpetratũ: *Tertiò*, si sit famosũ, cuius fama ex sufficientibus indiciis

orta ad multos peruenit, ita vt maior pars ciuitatis, vel pagi, vel parochiæ, vel viciniæ, vel congregationis, seu collegij illud norit; illud reuelare eo loco vbi ignoratur, non est peccatum mortale contra iustitiam, Banez 2.2.qu. 73.art.2.d.3. Lessius c.dub.13. Sà v.infam.n.5. Nauarr.c. n.26. quia quando crimen est hoc modo publicum, delinquens amisit ius ad famam, ideò illud manifestans non facit illi iniuriam: & hoc verum quamuis per iniuriam crimen factum sit publicum, licet aliqui contrarium sentiat: vt Azor.c. Reginald c.n. 84. Fieri tamen potest, vt sit peccatum mortale contra charitatem, referre illud crimen publicū alterius eo loco, quo fama nō nisi post lōgū tēpus eò erat peruentura, & maximè si alter erat ibi bonæ famæ, quia tunc fit læsio proximi in re magni momenti, & qui deliquit graui mœrore afficitur ob sui delicti manifestationem. Bonac.c punct.6.quæst.17. Clau. Reg. lib. 11.c.6.n.25 26 Malderus 2.2 tract 7.c.1.d.6. Nauarr.l.3. c.4.n.288.& alii. Fagund. tamen p.2.c.5 n.14. & Diana p.3 tr.5 misc.res 17. probabile putant sic detrahentes neque peccare contra charitatem.

Lessius
Sa
nauarra
Azor.
Reginald.
Bonacina
Clau. Reg.
Malderus
nauarra
Fagund.
Diana.

15 Item contra iustitiam non est, referre alicui delicta alterius, propter quæ alias fuit infamatus, quamuis nunc famam honestè viuendo recuperarit, modò non detur occasio opinandi illum adhuc improbum esse, quia et si ius habeat ad famam, quam ex eo tempore bene viuendo comparauit, nihilominus ratione delicti alias perpetrati fuit infamis, & nunquā acquisiuit ius vt dicatur probus pro eo tēpore, quo fuit improbus & infamis, posset tamē esse contra charitatē, vt dictū est, & docet Less.c.n 82. Azor.c.& Bonac.c.n.4. Sylu.a.2.q.62.a.2.q.17.cōc.3.& alii.

Lessius
Azorius
Bonacina
Syluius

16 Qui detractoris auditor est, & sua audientia cōcausat detractionem alterius, iuuando, incitando, vel interrogando, laudando, uel approbando, si eius auditio causa sit auditionis aliorum, non minus peccat mortaliter, quā ipse detractor, sed potiùs magis; quia est alteri causa detrahendi: detractor enim solùm est author sui peccati, ille verò, & sui, & alterius, vnde tenetur ad restitutionem, nisi ipse detractor restituat. Idem dicendum de illo qui audiendo detractorem lætatur, non tamen inducit, nec animat ad continuandum; si autem delectatio capiatur solum ex eloquentia detractoris vel curiosa cognitione factorum proximi, absque desiderio vt alter detrahat, non esset peccatum mortale. Vide D. Thom. 2 a.q.73. art.4. Caiet. v.detr. Molin tract.4.disp.34. Dianam p.3.tract.5. misc.res.35. Syluium 2.a.q.73.art.4. conc.1. Reginald.l.24 n.95. & alios.

D. Thom.
Caiet.
Molina
Diana
Syluius
Reginald.

17. Qui nec inducit, nec lætatur, tamen audit, nec resistit detrahenti cùm possit, aliquando peccat venialiter, aliquando mortaliter, & quandoque nullum est peccatum venialiter peccat. Primò si detractio est leuis. Secundò si est quidem de re graui, tamen fit solum apud vnum vel ad summum duos qui rem omninò silebunt iuxta antedictam sententiam. Tertiò si nimia verecundia vel animi pusillanimitate non audeat resistere. Quartò si putet detractorem sponte reuocaturum quod dixit, idque efficaciter Toletus l.5.c.67.n 2.3 4.& 5. Nauarr cap.18.n.37. Filliuc. tract 40.c 4 q.14. Syluius c. art.4.conc. 2.3.4.& alii.

Toletus
Nauarr.
Filliucius
Siluius

Mortaliter peccat audiens detractorem & ei non resistens, si infamia sit grauis & facilè possit eam impedire; vndè si superior, qui ex officio tenebatur impedire infamiam proximi, in defectum inferioris obligabitur ad restitutionem. Nullum est peccatum detrahenti non resistere ob bonum finem, nempe ex necessitate vel pietate, vel ex iusto timore, aut quia non expectatur fructus ex resistentia, sed potius timetur, quod detrahens fieret ex ea deterior. Ita Lessius c.dub.4 n.21. Diana p.4. tract. 5. misc.res.15. Regio. c.n.95. Bonac.c.p 11. & alii.

Lessius
Diana
Reginald.
Bonacina

18. Seipsum infamare, hoc est defectus suos proprios tam culpæ quam naturæ propalare, ex suo genere, mortale peccatum non est, neque contra iustitiam, neq; contra sui charitatem, quia homo est dominus suę famę, sicut suarum opum, & illam dissipandu nulli facit iniuriā; imò si hoc fiat ex causa bona & honesta, non solùm malum & peccatum non est, sed aliquando opus virtutis est & meritorium, vt testantur multa facta Sanctorum, qui ad maiorem sui humilitatē, & proximi ædificationē peccata sua in scriptis suis propalarūt. Ita Mol.tr.4.d.27. n.3. Sà v. infam.n.1. Bann.2.2.q.73 art.2 dub.2. Nau. c.n.7 & alii.

Molina
Sa
Banes
Nauar.

19 Ex circumstantia poterit esse peccatum mortale seipsum infamare. Primò, quando homo exponens, & referens sua peccata mortalia de illis gloriatur, & sibi cōplacet. Secundò, quando infamat se de re turpi, graui, & atroci crimine, & hoc siue vero, siue falso, vt hæreticum, sacrilegium, aut boni communis proditorem esse diceret, quia hæc crimina redundant in scandalum, & damnum plurimorum. Tertiò, quando est persona publica, cuius fama necessaria est, & maximè vtilis, tum saluti suæ spirituali & corporali, tum etiam saluti eorum, quorum cura sibi incumbit, vt vxoris filiorum, &c. tum etiam reip. & bono communi, & muneris sui exercitio. Quartò, quando vergit talis infamatio in damnum propriæ vitæ, vt si quis detegat peccatum sine rationabili causa, & extra tormenta, ob quod sua, vel aliorum damnatio ad mortem, aut membri mutilatio sequatur. Quintò, quando quis se infamat, ex cuius infamia, alii eiusdem status in hominum opinione damnum sui honoris patiuntur, vt si Religiosus, vel Monialis crimen suum deregat, ex quo religioni, vel monasterio notabilis infamia sequitur. Sextò quando crimen falsum de se profert cum iuramento, om ne enim periurium peccatum est mortale Lessius dub. 6. Sotus de iust. lib 4.q.2.art 3 Nauarr.c.n 28. Bonac.c.p.10. n.3. Azorius tom.3.l.13.c.6 dub 3. P.Nauarr. l 2.c.4.p.2. dub.1.n.126. Reginald. c.n.89 & alii.

Lessius
Sotus
nauarr.
Bonacina.
Azorius
Nauarr.
Reginald.

20 Falsò sibi crimen imponere, ob quod morte sit plectendus, ad vitanda tormenta leuia, est peccatum mortale, vt habet cōmunis sententia Doctorum. Quia quisq; tenetur suam vitam conseruare, & tueri, etiam cum aliquo dolore, & incommodo, maximè quando non est mortem commercius: non erit tamen peccatum mortale, ob huiusmodi tormenta, occultum suum crimen pandere, quamuis ob id mors sit infligenda; nisi fortè per accidens, ratione alicuius magni damni inde secuturi, vt est infamia familiæ, scandalum publicum. Imponere autem sibi falsum crimen ad euitanda grauia tormenta, non est peccatū mortale, etiamsi mors inde sequatur secluso periurio: quia non tenetur homo cum tanto cruciatu vitam suam tueri; imò non tenetur illud postea reuocare, quamuis periuro illud confirmasset, si prudenter metuit se rursum ad tormenta raptum iri, sed potest sine peccato mortali in eo perſistere, & morięde periurio antem debet coram Deo pænitere; sed si religiosi vel familiæ ex confessione falsi criminis sequeretur grauis infamia, prudenter expendendum, vtrum tormenta ipsi infamiæ præponderent, an contra, nam in pari causa potior est conditio innocentis Vide Dianam tract.5.misc res.7.p.3.& Sotum l.5.q.10.art.2. P.Nauarr.c.n.133. Clau.Reg.l 11.c.3 n.41. Nauarr.c.n.29. Tolet.l.5.c.55. Bonac.c.n.6.7. Lessium c. dub.7. Syluest. v. detract.q.3. Clau Reg.n. 44 & alios.

Diana.
Sotus.
P.Nauarr.
Clau.Reg
nauarrus
Toletus
Bonacina
Lessius.
Clau Reg.

21 Peccatum occultum alterius, vel aliud secretum, licet pandere ad vitanda grauia tormenta, si nullum aliud incommodum alteri quàm infamiæ impendeat; quia nulla est obligatio seruandi famam alterius, cum tanto suo incommodo; ob eandem causam licet aperire quoduis secretum alterius; etiamsi inde alteri esset periculū mortis, modò illud sine vi, & fraude, & extra confessionem acceptum fuerit: excipiunt tamen quidam, nisi inde grauissima incommoda timeantur, vt si esset secretum Principis, reip. vel exercitus. Imò probabile est, tale secretum vi vel fraude extortum, licere aperire, quamuis alteri inde sit vitæ periculum, ob causam supradictam: quia in hoc casu reuelans tale secretum, nō est verè causa damni, sed si quod sequitur, ex alterius malitia sequitur, qui iniustè torquet: magis tamen laudabile est, quæuis tormenta sustinere, quam prodere secretum, quando non est obligatio illud Manifestandi. Vide Nauarr. c n.54. Sotum c. l.5. quæst 10. art.2 Reginald c.n.91. Bonac.c p 10.n. 8. Lessiū c.dub 8 P.Nauarr.c.n.131. Filliuc. tract.40.c.4.& alios.

nauarr.
Sot.
Reginald.
Bonac.
Lessius
Nauarr
Filliucius

22 Ad impediendum damnum aliquod spirituale, vel temporale, quod sit alicuius momenti, licitum est aperire crimen alterius, sicut ad consulendum bono illius cuius crimen detegitur, vel alterius: modò reuelatio criminis ad id sit necessaria: quia damnificator non habet ius retinendi famam cum damno alterius; & in his casibus sæpe

fit,

fit, vt non solũ liceat, sed etiam obligatio adsit ex charitate crimen alterius manifestare, nempe si graue damnum ex eo alijs immineat, & damnum, quod ex manifestatione sequitur, non sit tanti, vt eius ratio præ altero haberi queat; in dubio autem vtrùm præponderet, inclinandum est in fauorem innocentis Clauis Regia *lib.* 11. *c.* 6. *n.* 18. Nauarr. *c.* 18 *n.* 31. P. Nauarr. *n.* 341. Sotus *de iust. l.* 5. *q.* 7. *artic.* 1. & alij.

Clau. Reg. Nauarra Nauarr. Sotus

23 Qui damnum alterius impedire potest absque reuelatione criminis alterius, debet correptione vti ad illud impediendum; aliàs crimen reuelando, secundùm communem Doctorum sententiam, mortaliter peccat contra iustitiam, obligatúrque ad restitutionem; quamuis probabiliter etiam defendi possit, solùm peccare contra charitatem, quia delinquens, eo ipsoquo crimen ipsius alteri nocet, videtur amisisse ius, vt crimen suũ reticeatur. Less. *c. dub.* 6. *n* 60. & 61 Bon. *de res. d.* 2. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 2

Lessius Bonacina

24 Non licet mortuorum occulta referre peccata Ratio est, quia fama etiã post mortẽ possidetur. Si enim memoriam defunctorum honorari possit, non dubium quin & obstrectationi noxia sit; neque enim sufficit quod ex infamia temporale damnum ipsi non sentiant, verè enim patiuntur damnum infamiæ intrinsecum: detractor enim mortui quodammodò occidit mortuum in eo in quo adhuc viuit, viuit enim in bona sua apud homines fama, quam ei detractor tollit. Minus tamen peccatum est infamare mortuum quam viuum: quamuis infamatio mortuorum mortalis esse possit, etiamsi in viuos eis propinquos infamia non redundet, & ad restitutionem obligare, nisi constet esse danatos, qui non sunt amplius proximi nostri. Propterea non omninò excusandi sunt Historici, qui valde infamia mortuorum crimina, sed omninò occulta, scriptis euulgant, quamuis propter integritatem historiæ, communem vtilitatem, publicam eruditionem, & terrorem, plusculum illis indulgeant quidam Doctores. Vide Molina *tract.* 4. *disp.* 28. Sotum *de iust. l.* 5 *q.* 10. *q.* 2 Filliucium *tract.* 40. *n.* 109. *& seq.*

Molina Sotus Filliucius

Vide Contumelia *n.* 5. Homicidium 1 *num* 24.

DETRACTIO II.

Quoad famæ restitutionem.

SVMMARIVM.

1 *Quæ requirantur, vt restitutio famæ sit obligatoria*
2 *Qui famam abstulit, an teneatur ad restitutionem sub mortali, non solum famæ, sed etiam aliorum damnorum ex infamia secutorum.*
3 *An sit obligatio restituendi, cum periculo vitæ.*
4 *Restitutio debet fieri in bonis, in quibus iniustè alterum læsisti.*
5 *Quando infamatus suis bonis actibus famam recuperauit, an infamator teneatur ad restitutionem.*
6 *Quando infamatio præcedens, est tam antiquata, vt probabilem sit, infamiam illam traditam esse obliuioni, an teneatur infamator famam restituere.*
7 *Qui non potest famam restituere, an teneatur ex institia, illam pecuniâ compensare.*
8 *Heres infamatoris, an teneatur loco defuncti ad restitutionem famæ.*
9 *Modus conueniens famam restituendi.*
10 *Qui famam abstulit, dicendo crimen verum, sed occultum quomodo restitueret?*
11 *Causæ excusantes à restitutione famæ, & de prima, quæ est iusta condonatio.*
12 *Secunda causa excusans, est compensatio iusta.*
13 *de alijs causis excusantibus à restitutione famæ.*

1 CVm damnum proximo inferatur, in bono honorario per detractionem, illud resarciendum est restitutione, quę vt obliget, tria requiruntur. *Primum* est, vt fama verè fuerit ablata; quamuis enim verba famæ læsiua, & diffamatoria dicantur, si à parte rei infamatio nõ sequatur, vel quia non creditur detrahenti, eo quòd persona leuis sit, vel quia id quod dicitur, de se diffamatoriũ sit, & famæ læsiuum, tale tamen nõ est, respectu personæ de qua dicitur, non habet locum restitutio famæ *Secundum* requisitum, est vt fama auferatur, iniustè, nam si iustè auferatur, nulla est obligatio restituendi, cum sola ea peccata inducant hanc obligationem, quæ sunt contra iustitiam, vnde qui bona fide proximum infamauit, narrando illius peccatum, quod putabat esse verum, & publicum, ad restitutionem tenetur, statim vt cognoscit se famæ alienæ detentorem esse, non tamen cum propria infamia, vel magno fortunarũ suarũ damno, sicut tenetur qui diffamauit cum iniustæ culpa lethali. *Tertium* vt fama ablata nondũ recuperata sit aut condonata; nam si omninò recuperata sit, ad nil tenetur qui eã abstulit similiter si omninò cõdonata sit, infamator omnino liber erit; sin autem ex parte, tenebitur quod deest restituendo supplere Molina *de iust. tr.* 4. *disp.* 40. Clau. Reg. *l.* 11. *c.* 6 *n.* 16. Reginald. *l.* 10. *c.* 23. *n.* 337. Sylu. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2 *q.* 9. Arrag. 2. 3. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 5. Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 6. *punct.* 5. & alii.

Molina Clau. Reg. Reginald. Syluius Aragon Valent.

2. Qui famam abstulit, tenetur sub mortali ad restitutionem, tam illius ablatæ, quàm aliorum damnorum ex infamia secutorum, tamquam is qui causam damni & per consequens damnũm ipsum dederit, & hoc verum, siue infamauerit, falsum crimen imponendo, siue occultum peccatum aperiendo, contra Sotũ & nonnullos alios existimantes detractorem, qui alterum infamauit verum dicendo, non teneri ad integram restitutionem, sed ad partialem arbitrio prudentis viri: verum tamen est qui per suam infamiam iniustè fuit causa, ne alter consequeretur aliquod bonum, vt officium vel beneficium, non tenetur ad restitutionem quanti valebat officium, vel beneficium, sed quanti valebat spes obtinendi officium, vel beneficium: quia bonum in spe minùs valet quam in re; si verò detractor fuit causa vt alter priuatus fuerit officio, vel alio bono iam obtento, tenetur ad restitutionem, quanti reuera valet officium vel aliud bonum, quia restitutio facienda est secundum æqualitatem pro damno illato P. Nauarr. *l.* 2 *c.* 4. *n.* 373. Lessius *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 19. Nauarra *c.* 18. *c.* 43. Bonacina *c. p.* 16. *nu.* 1. 2. Clau. Reg. *c. c.* 3. *n.* 17. *& seq.* & alii.

P. nauarr. Lessius Nauarr. Bonacina Clau. Reg.

3 Cùm quatuor sint bonorum ordines, secundùm Nauar. *c. n.* 47. Caiet. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. P. Nauarra *c n* 405. Lessium *c. dub.* 15. Rebell. *de rest. lib.* 4 *q.* 13. *n.* 1. videlicet, animæ, corporis, famæ, aut honoris, & pecuniæ, & bona primi ordinis sint potiora bonis secundi, & secundi potiora tertii, & tertii potiora quarti. Hinc quando ex infamia illata non euenit alteri damnum in bonis superioris ordinis, nempe in spiritualibus, aut in vita corporali, nulla est obligatio famam restituendi cum periculo vitæ, quia non tenetur ad restitutionem bonorum inferioris ordinis, cum notabili damno bonorum superioris, vita autem est bonum altioris ordinis, quàm sit fama, ergo. A quibusdam tamen limitatur hæc doctrina, nisi fortè bona inferioris ordinis sint tanti momenti, vt iudicio prudentis viri præponderent bonis ordinis superioris: Consule Syluium, 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *quæsit.* 13

nauarra Caiet. nauarr. Lessius Rebellius

Syluius

4. Iustitia commutatiua postulat, vt fiat restitutio in bonis, in quibus iniustè alterum læsisti, nempe vt vitam exponens pro vita alterius, si eam in periculum per iniuriam coniecisti; famam pro fama, pecuniam pro pecunia: quia per illa tantum fit æqualitas; quod si hæc æqualitas per te fieri nequeat, sine iactura boni superioris, restitutio censetur impossibilis; vnde quando ex infamia quam intulisti vni, vel pluribus periculum vitę impendet, vel aliud grande malum, etiam cum periculo vitæ reparare teneris, non ratione solius infamiæ, sed ratione damni, quod ex ea sequitur Clauis Reg. *lib.* 11. *cap.* 7. *num.* 4. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *quæsit.* 6. Lessius *c. n.* 87 91.

Clau. Reg. Syluius Lessius.

5. Quando infamatus suis in bonis actibus famam recuperauit, præcisè ratione infamię, non tenetur infamator ad restitutionem, quia iam infamatus nullum patitur damnum; si autem ex infamia aliquod subsecutum sit, certum est ad illius reparationem infamatorem teneri, cùm ex iniusta illius infamatione obuenerit: pro medio verò tempore, quod intercessit inter famæ ablationem & illius recuperationem, aliqua satisfactio exhibenda est, puta significatio doloris, & veniæ petitio si eam infamatus postulet, aliàs non est consuetum hanc satisfactionem

Reginald. Sa Molina Lessius.

nem offerre Reginaldus *lib.* 10. *n.* 340. Sà *v. restit. n.* 31. Molina *tr* 4. *d.* 42. *n.* 3. Lessius *c. dub.* 17. & alij.

6. Quidam docent, quando infamatio præcedens est tam antiquata, vt probabile sit infamiam illam traditam esse obliuioni, infamatorem teneri ad restitutionem, siue falsum dixerit, siue verum crimen iniquè reuelauerit, dummodò alter famæ suæ detrimentum passus sit; quia non constat moraliter auditores esse oblitos Caietanus *art.* 2. Salon 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *contr.* 17. Nauarr. *c. n.* 47. Cæterum vera & certa sententia illorum est asserentium, nullam esse obligationem restituendæ famæ, vbi probabiliter creditur illos, qui audierunt, oblitos esse, nec vnquam recordaturos, quia cessauit iam omne damnum, & infamia apud illos; & in hoc casu seipsum retractare, esset potiùs reducere in memoriam crimen fratris oblitum, & hæc restitutio famæ esset, potiùs renouatio infamiæ. Hæc sententia est sequenda, quando crimen verum occultum fuit iniustè patefactum, si autem falsum impositum fuit, etiam post viginti annos, vel triginta, fama esset restituenda, si periculum sit, ne infamia illa reuiuiscat: damna autem à tempore illatæ iniuriç vsque ad obliuionem, sunt restituenda, siue laudando, siue beneficiis, siue etiam pecunia, si temporalis rei damnum fuit Molina *c. d.* 41. *n.* 2. P. Nauarr. c. *n.* 433. Lessius *c. d.* 18. Clauis Reg. *c. cap.* 7. *num.* 28. & 29. Bonacina *de restit. d.* 2. *q.* 3. *punct.* 13. Syluius 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *quæsit.* 9. & alij.

Salon Nauarr.

Molina nauarra Lessius. Clau. Reg. Bonacina Syluius.

7 Ille qui non potest famam restituere, vel propter periculum vitæ, vel propter alias causas iustas, non tenetur ex iustitia illam pecunia compensare, si infamia reuocatione dictorum tolli nequit, & hæc sententia propria contraria, quæ ait posse dari compensationem famæ cum pecunia. Ita Petr. Nauarra *cit. n.* 416. Azorius *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. Reginaldus, *lib* 10. *n.* 342. Sà *v. restit n.* 56. Lessius *cit. dub.* 16. & alij. Ratio autem assertionis nostræ est, quia iustitia commutatiua tantùm postulat, vt restituatur quod ablatum est, vel æquiualens, quod si neutrum fieri possit, cessat eius obligatio: Ex æquitate tamen fieri potest, vt qui non potest famam restituere, teneatur illam pecunia compensare, vt si infamatus sit pauper, & compensationem pecuniariam cupiat: imò si infamator per iudicem condemnetur, ac pecuniariam satisfactionem, vel si transigat cum eo quem infamauit, certa pecuniæ summa, teneretur ex iustitia eam numerare: quia iustæ sententiæ tenetur ex iustitia parere. Vide Dianam *tract.* 5. *resol.* 30. *p.* 3. Syluium 2.2. *quæst* 62. *art.* 2. *quæsit.* 13.

Nauarra Azorius Reginald. Sa Lessius.

Diana Syluius

8. Hæres infamatoris non tenetur loco defuncti ad restitutionem famæ, quia obligatio restituendi famam, est obligatio personalis, quæ non transit ad hæredem, sicut transit obligatio realis, quæ afficit bona defuncti; ratione tamen damnorum, si quæ fortè ex infamia sunt borta sint, hæres teneretur ad restitutionem loco defuncti, quia hæc obligatio non est purè personalis, sed afficit quodammodo bona infamatoris, vnde cum ea affectione, vsę obligatione perueniunt ad hæredem, Clauis Regia *cap.* 7. *n.* 36. Reginaldus *cit. n.* 448. Lessius *cit. dub.* 21. P. Nauarra *cit. n* 427. & alij.

Claui. Reg. Reginaldus Lessius. P. nauarra

9. Quoad modum famam restituendi, notandum est illam tripliciter lædi. *Primò*, verum crimen occultum aperiendo. *Secundo*, falsum crimen imponendo *Tertio*, infamando publicè, aut priuatim, & secundùm hoc dicendum, quòd qui alterum infamauit, falsum crimen imponendo, tenetur retractare quod dixit, & omnem industriam adhibere, vt falsa illa opinio animis hominum eximatur, imò addito iuramento; si hoc necessarium fuerit ad famam restituendam, & rei grauitas postulet; vnde tenetur dicere se deceptum fuisse, aut falsum dixisse, aut etiam mentitum esse: & si hæc non sufficiant ad famę restitutionem quidam Doctores docent infamatorem teneri prçter iuramentum adhibere testes, quod etiam probabile est, licet alij meritò contrarium sentiant. Ratio est, quia id non est in vsu; deinde si auditores ne iuranti quidem contra seipsum credere velint, id ex malitia eorum proueniet; vnde mala opinio, quam retinent de altero, non amplius proueniet ex dicto infamatoris, sed ex eorum malitia (cùm illud longè efficaciùs, vtpote cum iuramento retractauerit, quam illud ipsum ante protulerat) qui sine vlla causa volunt perperam sentire de proximo. Affirmatiuæ tamen sententiæ locus erit, cùm est suspicio infamatorem ad palinodiam inductum fuisse, non conscientia, sed precibus, aut pretio: tunc enim iustitia obligaret ad testes adhibendos, nam tunc sine illis palinodia, quantumlibet iureiurando confirmata, non esset efficax, aut talis, vt ob eam auditores possent, & deberent infamatori credere, nec haberent occasionem suspicandi rem fictè peragi, vt notat Nauarrus *in Man. c.* 18. *n* 45. de quibus plura apud Reginaldum *c. num.* 341. Valentiam *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 6. *punct.* 5. Clauem Regiam *l.* 11. *c.* 3. *n.* 27. Bonacinam *c. punct.* 15. *nu* 4. Syluium 2.2. *q.* 62. *art.* 2 *quæsit.* 22 Dianam *tract* 5. *misc. res.* 29. *p.* 3. Tannerum 2.2. *disp.* 4. *q.* 6 *disp.* 6. *n.* 141 & alios.

nauarr. Reginald. Valentia Clau. Reg. Bonacina Syluius Diana Tannerus.

10. Qui famam abstulit, dicendo crimen verum, sed occultum, secundum quorumdam recentiorum sententiam, non tenetur, neq; potest dicere se mentitum esse, aut falsum dixisse; quia hoc esset dicere mendacium, quòd intrinsecè malum est; debet ergo hunc modum seruare, vt sæpius coram iis, apud quos diffamauit, laudare infamatum, virtutes eius commemorando, cùm præbuerit se occasio, nulla facta mentione criminis detecti: & hic modus iuxta illos maximè congruus, & opportunus est famæ restitutioni; qui autem alterius crimen manifestauit vni, vel duobus, quos sciebat, vel dubitabat idem crimen aliis reuelaturos, tenetur apud omnes restitutionem facere, quia sua detractione censetur causa efficax infamiæ apud omnes, secùs dicendum si de eorum taciturnitate, & constantia non dubitabat, nō enim teneretur famam restituere apud eos, quibus ipsi reuelarunt, quia damnum secutum apud alios, censetur casuale respectu primi reuelantis. Ita Azorius *c. q.* 7. Nauarrus *cap.* 18. *nu.* 45. Lessius *c. dub.* 20. *n.* 111. P. Nauarra *lib* 2. *cap.* 4. *n.* 442. Rebellus *de restit. lib.* 4. *q.* 12. *n.* 4. Diana *p.* 3 *tract.* 5. *misc. resol* 30. 34. Syluius *cit. quæsit.* 22.

Azorius nauarra Lessius P. nauarr Rebellus Diana Syluius

Sed quia sicut infamatus habet ius ad petendum à suo infamatore; vt restituat sibi famam commodiori via qua possit, ita infamator tenetur omni modo licito famam illi restituere. Proinde cum valdè probabilis sit sententia docens huiusmodi infamatorem posse, & debere his quibus occultum fratris crimen iniquè reuelauit, affirmare se mendacium dixisse, sequitur hunc restituendi modum, & facilem & licitum esse, & debere adhiberi in fama restituenda. Tum quia infamator alio modo famam bene restituere non potest, hac autem via optimè eam restituit, ergo ad hunc restituendi modum obligatur; quod probatur exindè, quod rudes, & ignorantes his auditis facilè credent (quod infamator debet optare) ipsum esse mentitum priùs, & fratrem nil tale commisisse. Theologi autem, & docti in conscientia, ipsis auditis, suspendent iudicium, an infamatus commiserit tale crimen nec ne. Tum quia taliter retractans dictum suum non mentitur, quia verba ambigua sunt, & verum habent sensum, siquidem cùm ille detraxit de proximo, dicens verum crimen occultum, verbum illud fuit iniquum peccatum falsum practicum, habuit enim tunc hoc dictamen: reuelandum est proximi crimen occultum, quod iudicium, vt constat, fuit peccatum, & falsum practicum, ergo nunc dicendo se falsum dixisse, aut mentitum fuisse, nullum omninò committit mendacium. Plura de his apud Sayrum in sua Claui Regia *lib.* 11. *c.* 3. qui pro hac sententia citat Salon, Petrum Nauarram, Valentiam, & alios. Et licet prior modus restituendi sit bonus, non videtur tamen sufficiens apud Doctos, & sapientes: quia cum sciant teneri infamatorem ad se retractandum, nunquam opinionem illam sinistram de illo ob eius reuelationem conceptam deponent, quousque se retractauerit, etiamsi fratrem illum laudet, & commendet, non enim tollitur opinio de vitio, & peccato diuulgato, ex eo quòd aliàs ab eodem laudetur. Retrò aduertendum est, quòd quamuis vniuersum genus humanum hoc pessimo vitio linguæ sit plenissimum, paucissimos esse, qui vt debet fieri, illud æstiment; pauciores, qui debitè de illo conterantur; vix vllos, qui famam restituant. Huius etiam sententiæ est Pasqualigus *in decis. Mor. dec.* 443. qui citat Henriquez *in compend. cas. mor. c.* 9. *n.* 7.

Sayrus Clau. Reg.

Similem modum restituendi famam in hoc casu ponit Rebellus 1. *p. de obligat. iustit. lib.* 4. *q.* 10. si dicas, *quando homi-*

Rebellus.

hominem infamaui putabam me verum dicere, re tamen diligentius considerata, inueni me mendacem fuisse, idq; poteris sine peccato iuramēto cōfirmare, cū vero scriptu testetur Psalm. 115. *Omnes homo mendax*, etsi recordetis te fuisse aliquando mentitum, etiam addere, ac iurare poteris te fuisse mētitū, nihil amplius exprimendo, apud te tamen intelligendo in re alia, quamuis audiens falsò id accipiat de re prius abs te audita.

Poteris etiam dicere, *quod de N, dixi, non credatis, quod ex mea malitia id dixi*: etsi opus sit fas erit iurare, verum enim iuras, cùm ex propria tua malitia fuerit, quòd proximum scienter infamaueris. Quando tamen per huiusmodi amphibologiam nō sufficienter deterseris infamiā quod sepè continget, præsertim si cum callidis, vel his qui hunc modum restituendi per amphibologias iam audierunt, res agatur, ad sequentes causas excusantes à restitutione, deueniendum erit.

11 Causæ excusantes à restitutione famæ, a Doctoribus hæ recensentur. *Prima*, iusta condonatio, id est, quæ non sit contra iustitiam, nec vergat in alterius detrimentum, nam illa, quæ est contra iustitiam, nō est valida; vt accidit, quando infamia condonantis redundat positiuè in alium, qualis est, quæ est facta vni religioso redundans in monasterium, & alios religiosos, vel infamia vxoris redundans in maritum vel infamia filij redundans in patrem Ratio autem est, quia huiusmodi condonatio, cedit in damnum innocentis, cuius iuri non potest alter cedere, cùm ipse non sit dominus famæ alterius, cōdonatio autem quæ non est cōtra iustitiam, sed solùm contra charitatem, vt est illa personæ publicæ; quæ condonat infamiam sibi illatam, valida est, quamuis illicita: quia peccat contra propriam charitatem condonando, & factā condonatione, peccat retinendo officium publicum, quod ritè non valet administrare cum tali infamia. Lessius *c. dub.* 24. Reginald. *l.* 10 *c.* 23. *n.* 338. P. Nauarr. *c. n* 385. Sà *v. infamare n.* 3. Nauarr *c.* 18. *n* 46. Toletus *l.* 5. *c.* 68. *nu.* 2. Sylnius *c. art.* 2 *quæst.* 9. & alii.

Lessius. Reginald. nauarrus. Sà Nauar. Toletus, Syluius,

12 *Secunda*, causa excusans à restitutione famæ, est compensatio iusta; ex hoc enim non sequitur quòd alius te infamarit, tu vicissim possis illum infamare, quia esset manifesta vindicta, quam nemo priuata authoritate potest facere; sed si quis te infamat, nec tu possis infamiā alia ratione auertere, licet defectus aliquos occultos aperire, ne ipsi fides adhibeatur: tamen in casu quo alium infamaueris iniustè, qui te antea infamauerat, non teneris ei ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit, sed potes vti cōpensatione, seruata tamen equalitate, quantùm fieri potest; quia cōpensatio fieri nō potest cum maiori damno alterius, vnde qui multò grauiorem infamiam intulit, diuisibilem tamen detegēdo plura crimina, tenetur ad restitutionem, donec damnum à se illatum, sit æquale damno, quod alter intulit; si vero infamia nō possit per partes restitui, puta quia illum de grauiori crimine infamasti, quam ille te, tunc instar pignoris eam detinere potes, vt eum ad restitutionem compellas: ita Contra Nauarrum, Valentiam, & Azorium locis citatis suprà Salon 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *controu.* 23. *conc.* 2. Bonacina *c. punct.* 17 *n.* 1. Toletus *c. c.* 70. Angl, *in* 4 *derest. fama dub.* 3. Sà *v. restit. n.* 33. Syluius *c. quæst.* 10 Malder. 2.2. *tract.* 7. *cap.* 2. *dub.* 14 Diana *p.* 3. *tract.* 5. *res* 30.

Nauarrus. Valentia. Azorius: Salon. Bonacina. Toletus Sà. Syluius. Mald. Diana

Compensatio etiam iusta potest fieri in alio genere bonorum, vt per pecuniæ, vel alterius beneficii æquiualentis damno famæ, exhibitionem, aut bonorum spiritualium, orationum scilicet, ac satisfactionū propriarū, tum sacrificiorum, ac similium pro infamato, oblationē. Hoc tamen locū habet, & in obligatione, est quando nec remissio obtinetur, nec proprio in genere satisfactio famæ fieri potest, nisi fortè hunc potius modum uelle infamatus uerisimiliter credatur, quod rarò continget, si inter uiuos adhuc sit, seccus si iam defunctus sit. Vide D. Thomam 2.2 *quæst.* 62. *art.* 2. *ad.* 2.

13 *Tertia* causa est, si non possit fieri restitutio, nisi cum periculo uitæ, ut dictum est. *Quarta* est, quando restitutio alienæ famæ fieri non potest absque notabili iactura propriæ famæ, quæ sit longè maioris momenti, vnde si vir illustris infamauit plebeium, non tenetur cū iactura sui nominis reuocare quod dixit, debet tamē aliter compensare si potest, vel obtinere condonationem. *Quinta*, quādo restitutio famę facta est impossibilis. *Sexta*, quādo, crimē occultum iniustè reuelatum, postea alia ratione fit publicum, tunc enim infamatus per publicitatem criminis, amisit ius ad famam. *Septima*, quando infamia iam prudenter existimatur abiisse in obliuionem. *Octaua*, quando fama iam bonis actibus est recuperata. *Nona* quando detractio fuit inefficax, & nulla fuit inde infamia secuta, eò quod infamator esset nullius fidei, vel quia illi apud quos infamauit sciebant similia. De his plura apud Nauarrum *c. c.* 17. *num.* 89. Syluest. *v. dectratio. q.* 4. Bonacina *c. punct. vlt. à num.* 5. *ad* 14. Lessium *c. dub.* 26. Syluium *c quæst.* 10. & alios.

Nauar. Syluester Bonacina. Lessius. Syluius.

DEVOTIO.

SVMMARIVM.

1 *Deuotio vnde dicta, & quid sit.*
2 *Deuotio nascitur ex contemplatione duplici.*
3 *De excellentia, & effectibus virtutis deuotionis.*
4 *Quæ sint impedimenta veræ deuotionis.*

1 Deuotio dicta est à verbo deuouere quod est solemniter vouere. Hinc deuoti apud Gentiles, olim dicebantur; qui se idolis deuouebant in mortem pro sui exercitus salute. Et non eos propriè deuotos dicimus, qui se diuino cultui totos dederint vt regulares vtriusque sexus: ad quorū deinde imitationem etiam alii Christiani dicuntur deuoti qui frequentes sunt in oratione, & cæteris pietatis obsequiis. Vulgus deuotionē arbitratur esse gaudium, vel dulcedinem animi spiritualem, quā homo pius haurit ex rerum cœlestium contemplatione, aliisque spiritualibus pietatis exercitijs.

Apud Theologos hoc nomē dupliciter accipitur. *Primò*, vt significat specialem actum Religionis, & sic deuotio nihil est aliud, quàm interna quædam sui ad cultum diuinum oblatio, & traditio: vnde D. Thom. *secunda secunda quæst* 82 *art.* 1. *ad primum*, rectè dicit *deuotionem esse actum voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum.*

D. Thom.

Secundo, accipitur non pro actu peculiari, sed pro conditione quadam actus interni: sic deuotio nihil est aliud quam promptitudo quædam; & feruor affectus ad cultū diuinum, v.g. ad orationem, ad laudem, ad sacrificium, ad adorationem ad soluenda vota, &c. vel affectus ad hæc promptus, & feruens. Quo sensu in Exod. 35. 20. dicitur. *Multitudinem filiorum Israel obtulisse mente promptissima, atque deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonij.*

2 Deuotio ex parte nostra nascitur ex contemplatione duplici. *Primò*, ex consideratione diuinæ excellentiæ, & beneficiorum, quæ tanquam ex perenni fonte, in nos assiduè ab illa promanant: hinc enim videmus ipsū omni cultu, & obsequio esse dignissimum, ipsiusque beneficia a nobis hæc assiduè flagitare: vnde mediatio diuinæ bonitatis excitat, ac generat in animo Dei amorem, qui amor est causa deuotionis. De quo illud Dauidis Pasalm. 38. *In meditatione mea exardescet ignis.*

Secundò, ex consideratione inopiæ, & miseriæ quam ex bonis habemus, quæ aufert præsumptionē, impedientē hominem a subiectione erga Deum, & impellit eum ad solicitè, ac deuotè petendum auxilium a Deo, vt culpas, seu peccata deleat, defectus autem suppleat, Vide D. Thomam *q.* 82 *art* 3.

D. Thom.

3 Excellentia, & dignitas virtutis deuotionis inde elucet, quod sit actus virtutis Religionis, quam Theologi, & Sancti patres faciunt omnium moralium virtutum præstantissimam. Vnde primus, ac principalis effectus deuotionis est, mentis iucunditas, dulcedo, lætitia. Cum enim deuotionis proprium munus sit, dedere se Deo; contemplatio autem ac frequens memoria Dei, non possit non mentē exhilarare, ideò præcipuus effectus deuotionis est mentis lætitia.

Secundarius effectus est tristitia secundum Deum; quando hi qui Deum contemplantur eiusque memoria lætitiam capiunt mentis, dolent se ea non posse perfectè

perfrui

perfrui in cœlesti patria. E contrario, si quis in meditatione sua consideret suos multiplices defectus, habet occasione tristandi directe: per accidens vero, aut secundario, lætandi, propter spem diuini auxilii. Quod verò deuoti aliquaudo in lacrymas soluuntur, non accidit ex tristitia, sed ex teneritudine quadam affectus: cum magnæ lætitiæ quiddam triste miscetur. Vt si is qui repente eleuatur mente in contemplationem cœlestis gaudii, aut summæ dilectionis, ac misericordiæ Dei, simul concipiat indignitatem atque miseriam suam.

4 Impedimenta verę deuotionis sunt. *Primo*, procliuitas ad consolationes terrenas huius sæculi. Quæ enim societas luci ad tenebras, inquit Apostolus, iustitię cũ iniquitate, mundo cum Deo, carni cum spiritu. Hæc enim sibi inuicem aduersantur. *Secundo* est immoderata solicitudo rerum temporalium, quod indicauit Christus, cũ agens de cura rerum ad victum quotidianum necessarium, ait: *Nolite soliciti esse in crastinum*. *Tertio*, nimia curiositas. *Prima*, in inquirendis, & notandis alienis potius vitiis, quam propriis. *Secunda* in indagandis plus æquo rerũ, tã naturaliũ, quam supernaturalium arcanis. *Tertia* in peruestigandis artibus propriè curiosis. *Quarto*. est occupatio immodica in laborib. externis, quali est in agricolis, opificib mechanicis, mercatorib. *Quinto*, est immoderata affectio ad studia literarum etiam Theologiæ sacræ, quæ solet, etiam in religiosis hominib. nisi tẽperetur, omnem deuotionis succum ebibere, efficereq; vt sæpè stata orandi, sacrum Missæ, diuinaq; officia audiendi libros spirituales legendi; & alia eiusmodi tempora negligantur. Ex quo sæpissimæ apparent in simplicibus, & mulieribus clariora signa deuotionis, quam in doctis: quod fit propter ipsorum humilitatem, & neglectum fastus humani. Tamen qui scientiam, & alia dona habet, & ea cum humilitate, & cõtemptu humanarum vanitatum, Deo subiicit, ac consecrat; huius deuotio potest esse maior, ac præstantior illa.

D. Bernard. Porrò ex D. Bernardo *Serm. 1. in Ascens. Domini* videre licet alia impedimenta deuotionis, *Vnde* inquit, *spiritualis gratia inopia tanta quibusdam, cum aliis tanta exuberet, Profectò nec auarus, nec inops est gratia distributor: sed vbi vacua vasa desinẽ, stare oleũ necesse est. Vndiq; si ingerit amor mũdi, cũ consolationib. imo desolationib. suis obseruat aditus per fenestras irruit, mentẽ occupat; sed non eius qui dixit*, Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Psal. 76. 4. *Praeoccupatum nempe sacularibus desideriis animum, delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, aterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis: vt pariter sapias qua sursũ sunt, & que super terram.* Cætera impedimenta petantur ex Theologis, vel scriptoribus mysticæ Theologiæ.

Vide v. Communio n. 14.

DIES.

SVMMARIVM.

1 Dies à claritate, vel luce nomen habet; vnde lucis ortum, diem vocamus dicentes Diescit. Significat ergo duo; lucis claritatem, & temporis, aliquam mensuram.

Dies pro mensura temporis, aliquando indeterminatam moram significat. Frequentius autem certum tẽpus, A quo diuiditur Dies in naturalem, & artificialem. Naturalis continet tempus viginti quatuor horarum, quo mensuratur motus, seu reuolutio Solis ab Oriente in Occidentem circum totam terram, donec redit ad Orientem. Artificiali, qui, & vsualis Dies continet tempus, quo Sol mouetur ab Oriente in Occidentem super nostrum horizontem, seu hæmispherium, horis inæqualibus secundum diuersa anni tempora.

2 Dies qui ciuilis dici solet, à media nocte scilicet, in sequentem, ita diuiditur. Primum diei tempus dicitur medię noctis inclinatio. Deinde galliciniũ, siue galli cãtus quod tũ gallicantẽt. Inde cõticiniũ, quũ, & galli cõticescũt, & homines quiescũt. Deinde diluculũ cũ incipit dignosci dies. Inde mane, cùm dies est clarus. Inde meridies, diei medium. Inde iam supra vocatur occiduum tẽpus, quod, & serum diei vocatur, & mox suprema tempestas, hoc est diei nouissimum tempus: sicut est expressum in duodecim tabulis. In has partes distribuebant diem, qui constat ex viginti quatuor horis, & lucem tenebrasque continet, eumque diem ciuilem vocabant; que continet, eumque diem ciuilem vocabant; quod in alijs atq; alijs ciuitatib & regionib. alio, atq; alio modo obseruaretur. Athenienses enim diẽ ciuilem auspicabantur à Sole Occidente ad Solem iterum Occidentem. Babylonij ab ortu Solis ad Solem secundò exorientem: Vmbri a meridie ad meridiem subsequentem. Romani autem à media nocte ad mediam noctem; quorum; à nobis quoque consuetudo obseruatur, adeò vt si quid ante mediam noctem gestum sit, id præcedenti diei ascribatur, quod à media nocte, subsequenti diei annumeretur.

3 Ecclesia nostra in suis officiis paulo aliter hunc diẽ disposuit; nam ad celebrationem diuinorum officiorum supputat eum à Vespera in Vesperam. Vnde primæ, & secundæ Vesperæ publicorum Festorum. In pactis, & contractibus initium sumitur à Solis ortu, similiter, & in Iudiciis Sed hi dies potius ad artificiales dies referri debent.

4 Dies artificialis ab Abstronomis in horas duodecim æquales diuiditur; sed in humanis operibus tot habet horas, quot Solis lux nostrum hæmispherium illustrat Sortitur autem nomina a variis publicis negotiis, & euentis. Hinc dies Festi, aut feriati, & negotiosi. Dies salutis, lætitiæ; dies mali; dies iræ, calamitatis, &c. Habẽt quoq; Iuri cõsulti varia nomina diei in iudicijs, vt dies certus, incertus; dies legitimi, dies frati, dies sigillarij. Habent, & Medici suos dies in morborum mutationibus, vt dies Criticus, Decretorius, Iudiciarius, Prouocatorius, quos Calepinus explicat. Calepinus

5 Gentilium antiquitas hebdomadę dies appellauit secundum numerum, & ordinem regiminis, aut influentiæ septem Planetarum. Vnde primò diei nomen indiderunt à Sole, tanquam præcipuo ac lucidissimo Planetarum, & hunc appellant diem Solis. Alteri nomen dederunt Lunæ. Tertiò, Martis. Quartò, Mercurio. Quintò Iouis. Sextò, Veneris. Septimò, Saturni. Quæ nomina etiam vulgus Christianorum hactenus retinet in negotiis ciuilibus, & alijs Ecclesia autem Catholica nolens in hoc imitari Gentiles; neque etiam Iudæos, qui hebdomadę dies nominarunt à Sabbato: vt prima Sabbati, secunda, tertia, quarta, &c. Sabbati, vnico feriarum nomine omnes dies appelauit, exceptis prima, & vltima die. Primam enim, propter multiplicia, ac pręclarissima opera in ea facta à Deo (vt sunt creatio Mundi, Annunciatio, & Resurectio Christi, Missio Spiritus sancti, in die Pentecostes, &c.) Dominica diem Apostoli, & tota hactenus Ecclesia Christi appellarunt. Vltimam autem, que Iudeis erat prima, dixerũt Sabbatũ, ad significandũ factos esse nouissimos, qui erant primi: aut quod Sabbatum significet requiem: & nos omnibus diebus vitæ nostræ, qui septenario numero dierum hebdomadę designantur, laboremus, vt ad æternam tandem requiem Deo donante, perueniamus.

6 Dies feriati dicuntur, qui, vel præcipuè ad Dei cultum à Summo Pontifice, aut alicuius Ecclesiæ consuetudine, aut. Episcopi statuto inducuntur, *cap. 1. 2. & 3. & cap. fin de feriis* vel qui pręcipuè hominis gratia instituuntur, vt est dies Natalis Regis, creationis Papæ, & huius

huiusmodi, vel qui lætitiæ causa celebrantura, vt dies victoriæ ab hostibus reportatæ, & dies qui aliquibus in locis tempore messium,& vindemiarum celebrantur *lib.1. l'omnes,C de feriis* & Summistæ *in v.Feria*.

7 Dies intercalaris, seu Bissextilis,non computandus est tanquam vnus dies cum præcedenti,sed numerandus erit pro die distincto, siue statuatur terminus per numerum dierum, siue per numerum annorum,& mensium: quia dies ille est verus dies sicut quilibet alius dies anni, & mensis: vnde su spensus per annum,elapsis 365.diebus aut per mensem Februarii,elapsis 28.diebus, statim sine peccato,aut irregularitatis nota celebrare potest,etiamsi Bissextilis, seu intercalaris ille dies, adhuc supersit, cum dies ille verè dies sit 366.anni, & 29.Mensis. Tum quia suspensio est pœna, vnde restringi potius,quam ampliari debet, *cap. In pœnis,de reg iur in 6.* Ita docent Syluester, *verb. Bissextus,& verb Suspensio, quæst.3.in fine*,Henrq. *lib.13.cap.35.§.2*,Vgolinus *de censur.tab.5.cap.15.§.1.* & alii.

Syluest. Henriq. Vgolinus.

8 Dies adscribi debet instrumentis publicis, quo ipse tabellio rogatus fuerit instrumentum conficere,*lib.1.§. editiones,& ibi gloss.ff.de edend.*Mensis autem mentio necessaria est,vt dies confecti instrumenti certa sit;alioqui vbi dies certa foret absque mensis expressa mentione, omitti mensis posset:vt dies sancti Ioannis Baptistæ; dies Natiuitatis Dominicæ,& his similes.Ita Bartolus, & alii *in l.si quis,§.si initium, num.23 ff.de edend.*Couuarru.*re. 2.variar.c.20.n.2.*

Bartolus. Couarru.

9 Dierum obseruatio reducitur ad superstitionem vanæ obseruantiæ,ac si ex iis aliqui sint fausti,alii infausti, vt dies Martis infaustus est vt ad aliquod opus incipiendū, dies veneris ad præcidendos vngues,dies Sabbati ad nendum in honorem Beatæ Virginis,cum tamen alia seruilia tunc fiant. Non est autem superstitio obseruare menses,dies,& annos,quibus aptior sit cœli dispositio ad opera exercenda, sicut etiam in aliis rebus naturalibus, licitum est obseruare tempora congruent ora aliquibus rebus agendis,vt purgandis corporibus in vere,colligendis herbis in solstitio, &c. Prima obseruatio dierum interdicitur tanquam vana,& superstitiosa *in ca. Non obseruet & seq.26.q.7.*& docet D.Thom communiter recceptus *2.2.quæst.96.art.3. corpore.*Atque idesse mortale dicit Nauarrus *in Manual cap.11 num.38.* sed hoc intelligendum est,quando hoc efficaciter, & certò creditur, nec excusat ignorantia. Secus quando dies obseruantur ex solo quodam timore, tunc enim est solum veniale;& ita communiter contingit,vt rectè docet Sanchez *lib. 2. Moral cap.40. num.15.*Sed de his plura infrà dicentur suo loco.

D.Thom. Nauarrus.

Vide v. Debitor *n.* 10. Professio *n.* 14. Solutio *n.* 7.*& seq.*Contractus *n.*18.Testamentum *n.*7.

DIGNITAS.

SVMMARIVM.

1 *Dignitas quid sit & quæ ad eam requirantur.*
2 *Dignitas est Archidiaconatus.*
3 *Item Archipresbyteratus.*
4 *Item Decanatus in multis Ecclesiis.*
5 *Item Præpositura si habeat curam,& conuentum.*
6 *Item Prioratus sacularis*
7 *Item Abbatia habens curam,& conuentum.*
8 *De dignitatis essentia non requiritur necessario,vt qui in officio perpetuus esse debeat,sed satis est, quod possit esse perpetuus.*
9 *Dignitas non venit appellatione beneficii.*
10 *Dignitas prærogatiua,& priuilegia retinentur, dimisso officio cui est annexa dignitas: amittuntur vero, quando quis priuatur dignitate propter delictum.*

1 Dignitas,propriè loquendo,est præeminentia cum iurisdictione in foro externo,vt docet Abbas *ca. de multa de prebend.*vnde est beneficium duplex:imò in ter duplicia præstantius, excepto Episcopatu, & simil. hinc habere dignitatem quis dicitur,quando habet administrationem rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione dicitur etiam habere dignitatem, qui habet nomen dignitatis, & Prælationis, sicut prærogatiuam in sua Ecclesia,tam in choro, quàm in processionibus, & aliis Comitiis, & sessionibus, quamuis non habeat administrationem rerum Ecclesiasticarum, vel iurisdictionem. Denique dicitur habere dignitatem,qui ex consuetudine Ecclesiæ habetur in dignitate; quia consuetudo est,in Ecclesia,pro dignitate haberi debet *cap.Consuetudo 12. dist.* Ita Archidiac.*in cap. 1. num. 2. de consuetud.in 6.* Archidiac.

2 Prima species dignitatis est *Archidiaconatus*, & quidem Apostolorum temporibus Archidiaconus erat Princeps Diaconorum, qui constituebatur in singulis vrbibus, quibus præficiebatur Episcopus: eius autem munus erat curare, vt cæteri Diaconi suum munus ritè exequerentur. Deinde progressu temporis eius potestas euasit maior, nam etiam in Presbyteros habuit auctoritatem,vt cōstat ex *c.1.de offic. Archidiac.* An autem, ratione sui muneris,& officii iure communi habeat curam animarum? Dicendum est,curam animarum dupliciter accipi. *Primò*,pro potestate Ordinis cum iurisdictione in foro conscientiæ, vt habet Parochus: hoc modo Archidiaconus non habebat curam animarum, quia non erat Sacerdos. *Secundò*, pro iurisdictione in foro externo sententias ferendi in populum sibi subiectum, excommunicandi,capiendi,&c. Et hoc modo habebat; poterat enim Clericos corripere,eorum causas audire,delicta ad Episcopum deferre,Ecclesias visitare, &c Et tanta auctoritas Archidiacono competebat ex delegatione Episcopi, erat enim ipsius Vicarius. Ita Innocentius *in cap. Cum satis de offic. Archidiac.* vbi Glossa, Hostiensis, Ioan Andr. Abbas,& alii Vnde Archidiacono,tanquam in dignitate constituto,possunt demandari causæ à Romano Pontifice,& esse conseruator Apostolicus,ex *cap. 1.a & vltim de offic. iudic. delegat in 6.* Glossa, Hostiens. Ioan. Andr. Abbas.

3 Secunda quasi species dignitatis est *Archipresbyteratus*, qui est dignitas inferior Archididiaconatu, & cedit illi in iurisdictione, quamuis Ordinis potestate sit Archidiacono maior. Archipresbyter duplex erat, vnus Vrbanus, seu Ciuitatensis,qui præfectus erat cæteris vrbis Presbyteris in qua erat Cathedralis,*cap officium,de off. Archipresbyt* Alter dicebatur Vicarius,seu Ruralis qui iurisdictionem habebat in Presbyteros in singulis pagis, & oppidis. Archipresbyter habebat curam animarum, aliorū Presbyterorum Confessiones audiendo, & plebi Sacramenta ministrando. Et illius iurisdictio ordinaria erat,quia ratione muneris illā habebat.Ita Glossa *c. vt sing. de offic. Archipresbyt.* Hodie tamen plerisq; in locis Archipresbyteratus est tantùm personatus.

4 Tertia est *Decanatus*,cuius auctoritas potius est ex consuetudine,quàm iure communi; vnde nullus erat in iure titulus de illo. Aliquando confunditur cum officio Archipresbiteri, vt *cap. 1.& 2.dist.60.*in quibusdam Ecclesiis Franciæ,& hispaniæ,quia præ est toti Collegio Canonicorum: in consessu, & Comitiis dicitur Decanus: quare dignitas est, cùm etiam in multis Ecclesiis habeat iurisdictionem,ex *c dilectus, de appell.* quamuis iam in multis Ecclesiis nomen est tantùm solius dignitatis absque iurisdictione.

5 Quarta est *Præpositura*, de qua etiam nullus extat titulus in iure; fuit autem absque dubio dignitas,vel personatus,habuit enim vna cum honorifico loco etiam iurisdictionem,& curam animarum,& nunc etiam in Ecclesiis Germaniæ, Poloniæ, Belgii eandem iurisdictionē retinet;vbi tamē Præpositura caret cura, & Cōuētu, non vocatur dignitas sicut resolutum fuit in Rota;Præpositura in Ecclesia Gerunden.nedū nō esse dignitates, imò nec beneficia Ecclesiastica,sed esse simplices tantùm administrationes tēporales,nihil spiritualitatis habentes.

6 Quinta species dignitatis est *Prioratus sæcularis*. Dicebatur autem Prior,qui toti Collegio Canonicorum præerat cum iurisdictione, & cura animarum: & nunc etiam in quibusdam locis viget huiusmodi dignitas, vt testatur Azorius *tom.2 lib.6.cap.20.* Azorius.

7 Sexta species est *Abbatia*; quia Abbatis nomen, secum importat,& honorem, & dignitatem: quod probatur ex *cap.vt Apostolica,de priuileg.in 6.* vbi textus loquens de Abbatibus, ait, *quibus ex propria dignitate non compet-*

competit. Notandum tamen, quòd non omnes, qui appellantur Abbates, habeant dignitatem, nisi in eis concurrat aliquod ex signis requisitis ad dignitatem constituendam: de quibus diximus supra *num. 1. & verb. Abbas num.* Ratio est, quia sola nominatio non facit dignitatem, sed effectus, qui colligitur ex exercitiis In multis locis plures etiam Clerici vocantur Abbates, quos tamen certum est, nullam habere dignitatem: vnde fuit resolutum in Rota, Abbatiam, quæ caret cura, & conuentu non esse dignitatem, nec requirere ætatem 25 annorum.

8 Dignitas, si consideretur vt est beneficium Ecclesiasticum, sic ad vitam, & in perpetuum est conferenda; si autem consideretur pro vt est munus cum iurisdictione, & administratione coniunctum sufficiens ad officiũ conseruatoris, vel delegati Apostolici, tunc non est necessariò perpetua, quia iura non supponunt eam perpetuam *cap. 1. & 2 & vlt. de offic. delegat. in 6. & cap. Statutum de rescript. in 6.* Vnde de essentia dignatis, non requiritur necessariò, vt quis in officio perpetuus esse debeat, sed satis est, quòd possit esse perpetuus. Nam ex speciali iure, & priuilegio quidam Abbates, & Prælati Ordinum mendicantium qui ad tempus creantur, & eliguntur, succedunt in omnibus, quę de iure ad prelatos perpetuos spectare noscuntur, cũ in illorum locum subrogati sint, consequenter sortiuntur iura, & priuilegia eorum, in quorum locum subrogantur, & tamen secundũ cõmuniter Doctores habent dignitatẽ, & sunt in dignitate cõstituti Ita Syluest. *verb. Delegatus, n 3. & v. Dignitas n. 1.* Sanch. *l. 6. Mor. c. 13. n. 78.* & alii ab ipso relati.

Syluest. Sanchez.

9 Dignitas non venit appellatione beneficii, arg. *c. ip. final. de prabend. in 6.* vnde fit, ut dispensatus ad beneficia, vel etiam dignitates, non possit promoueri ad dignitates, quibus animarum cura annexa est. August. Barbosa *de offic. & potest. Episc. part. 2. allegat. 45. num. 13.* Item dispensatus ad dignitatem inferiorem, v. g. vt localis Prælatus esse valeat, non censetur dispensatus ad maiorem, nimirum quod ad Prouincialatum promoueri possit, nisi in dispensatione, de hoc expressa mentio facta fuerit: quia permissa minori dignitate, non censetur permissa maior, sed è contra, vt colligitur ex *c. Innotuit, de elect.* Panormit. ibi, *n. 4.* Sorbo. *in annot. ad compend. priu. verb. Dispensatio, vers. Et ideo fratres.* Manet ergo, quod si quis fuisset generaliter ad quæcumque beneficia dispensatus: absque alia expressa dispensatione non posset ad dignitates promoueri. Ita Rebuffus *in praxi, tit. de dispens. super defect. natal. num. 52.* Azorius *part. 2. lib. 6. cap 3. q. 7.*

Barbosa

Panormit. Sorbus.

Rebuffus. Azorius.

10 Regulariter dimisso officio, cui est annexa dignitas, retinet quis, quamdiu viuit, prærogatiuas, & priuilegia, quibus dignitas: quia beneficium per dignitatem quæsitum durat, etiam deficiente dignitate, *l. maior dignitas. C. de dignit. lib. 12.* Et in memoriam pristinæ dignitatis retinentur reliquiæ, & vestigia quædam, hoc est nomen, seu honor, & prælatio honoris, cùm priuilegiis immunitatis tertio non nociuis, sine aliquo exercitio precedentis dignitatis: vnde Abbati qui à suo munere sine eius culpa absolutus fuit, vel illi sponte renunciauit, competit primus locus in choro, & cõuentu post Abbatem, in memoriam pristinæ dignitatis. Ita Ioan de Lignano, & Ioannes Imola, quos refert, & sequitur Felinus *in c. Qua Ecclesiarum num. 81 de rescript.* Hoc tamen non procedit, quando quis deponitur ab officio, vel priuatur dignitate propter aliquod delictum, *l. iudices, C. de dignit. lib. 12.*

Lignano. Imola. Felinus.

De dignitate vide v. Abbas *n. 1. & 2.* Delegatus *num 16* Episcopus *n. 17.* Excommunicatio, 2. *n. 12. & 13*, Residentia *n 14.*

DISCORDIA.

SVMMARIVM.

1 *Discordia quid: & quando sit peccatum mortale, quando veniale.*
2 *Discordia an semper sit vitium oppositum charitati.*

1 Discordia est *inordinata dissensio uoluntatis à voluntate alterius, cui consentire deberet:* vnde discordes dicuntur, quasi diuersi cordis; ex suo genere, peccatum est mortale, quoties quis a uoluntate illius discordat, cum quo tenetur ex uinculo charitatis concordare, ut si proximus uult bonum aliquod obtinere sibi necessarium, aut valdè vtile, & ego sine rationabili causa desiderem illum impedire: item mortalis est discordia, cum quis ab altero discordat, ex intentione contradicendi, hoc fine, ut ab eo discors sit, & maximè in rebus, quæ ad fidẽ pertinet, aut quæ ad proximorum utilitatem pertinent; aut quæ ad proximorum utilitatem notabilem spectant, potest tamen discordia esse peccatum ueniale, ratione indeliberationis, & inaduertentiæ, aut cũ est animus quidem contradicendi, tamen res non cedit contra honorem Dei, aut in genere detrimentum proximi, aut quando oritur ex sola animi libidine, consulendo propriè utilitati, aut uoluptati. Nullum est peccatum discordia, quando deficit animus contradicendi, & ex utraq; parte ratio aliqua probabilis aliquid uolendum dictat. D. Thomas 2. 2. *quæst. 37. art. 1.* Syluius *ibidem.* Syluest. *verb. Discordia.* Caietanus *ibid. nu. 2.* Reginaldus *lib. 17. ca. 12. n. 131. 132.* Nauar. *c. 23. n. 33* Filliucius *tr. 28. c. 9 n. 192.* & alii.

D. Thom. Syluius Syluest. Caiet. Reginald. Nauarr. Filliucius.

2 Discordia, non est semper vitium oppositum charitati, sed aliis virtutibus opponi potest, iuxta obligationẽ, qua tenemur ab alterius voluntate non dissentire, & cõsequenter ad diuersa vitia pertinere potest; quia ex lege obedientiæ subditus tenetur voluntatem suam conformare cum voluntate Superioris, si discordet, peccat immediatè contra obedientiam; similiter debitor quãdo tenetur ex iustitia consentire cum creditore, discordans peccat proximè contra iustitiam; nam peccata specificantur penes perfectiones, & virtutes quibus opponuntur. Toletus *in Summ. lib. 6. cap. 11.* Bonacina *de charitate disp. 3. q. 4 p. vlt. §. 4.* Reginaldus *lib. 17. n. 131. 132.* & alii communiter.

Toletus Bonacina. Reginald.

DISPENSATIO.

SVMMARIVM

1 *Dispensatio quid? & in quantum odiosa, est strictè interpretanda: potestas vero dispensandi est latè interpretanda.*
2 *An dispensare possit legislator in sua lege.*
3 *Papa dispensat in omnibus legib. & statutis Conciliorum, etiam generalium.*
4 *Dispensat Papa in voto & iuramento.*
5 *Quilibet legislator potest secum in suis legibus dispensare*
6 *Inferior non potest dispensare in lege superioris, quando superior dispensationem sibi reseruauit.*
7 *Quoties superior, qui legem condidit, expresse non prohibuit dispensandi facultatem, an inferior possit dispensare.*
8 *Dispensatio, an sit petenda, quoties adest probabilis opinio rem non indigere dispensatione*
9 *Dispensatio, in lege superioris concessa ab inferiore, sine iusta causa, an sit inualida.*
10 *Quo peccato peccet, qui allegata falsa causa aliquem inducit ad dispensandum.*
11 *Dispensatio, an sit valida in foro conscientiæ facta ab inferiore in lege superioris non pracognita causa, si à parte rei subesset causa legitima.*
12 *Inferior dispensans in lege superioris, cum dubio sufficientis causæ an peccet.*
13 *Dispensatio inferioris in lege superioris concessa ab eo qui bona fide credebat iustam causam subesse, & tamen non erat sufficiens, an ualida sit.*
14 *Dispensatio supremi Principis in lege propria, absque legitima causa, an sit ualida.*
15 *Dispensatio inferiorum in propriis constitutionibus, & legibus facta absque causa, an ualida sit.*
16 *Causa iusta eximendi aliquem ab obligatione legum.*
17 *Posita iusta causa dispensandi, an superior teneatur dispensare.*
18 *Inferior dispensans in lege superioris, an possit imponere mulctam peccuniarum fabricæ Ecclesiæ, vel piis*

operibus

operibus ex precepto tradendam.

19 *Princeps supremus scienter admittens aliquem ad actum, qui habet impedimentum ad illum, censetur dispensare cum illo.*

1 DIspensatio in hac materia morali, *significat actū iurisdictionis, quo aliquis eximitur ab obligatione legis, aut quo legis obligatio suspenditur ad aliquod tempus*; & hæc dicitur totalis, si in totum obligatio auferetur vel partialis si in partem; vnde cum dispensatio sit quædam iuris relaxatio, ideò odiosa, & strictè interpretanda, tamen potestas dispensandi alicui commissa, tanquam fauorabile Principis beneficium, est latè interpretanda; quia odiosum non est, imò gratiosum, vt in dispensando quis Principis vice fungatur. Vide Azorium *tom. 1. lib. 5 cap. 15.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 1 & 2.* Filliucium *tract. 10. c. 10. n. 293. p 2.* Sylu. *1. 2. q. 97. a. 4.* Crousers *ad c. 10. reg. minor. lect. 6.* & alios.

Azorius
Sanchez
Syluius.
Crousers

2 Legislator, vel ipsius superior, vel sucessor in iurisdictione, ex communi omnium sententia, potest cum inferiore subdito in lege sua dispensare, illumque ab obligatione legis eximere, perseuerantes adhuc obligatione legis respectu aliorum; quia cum lex vim suam a voluntate, & intentione legislatoris habeat; sicut potest legem concedere, eiusque obligationem simpliciter abrogare, ita etiam eiusdem legis obligationem ab aliquo actu in particulari remouere potest, vt autem dispensatio hæc in humanis legib. rectè, & legitimè fiat, duo præcipuè requiruntur, *Authoritas*, & *causa*, quarum si aliqua desit: dispensatio legitima, & iusta non erit, imò deficiente authoritate, nulla, & inualida foret dispensatio. Suarez *de legib. lib. 6. cap 10. n. 2.* Clauis Regia *lib. 3. cap 10. n. 5. & 6.* Nauarrus *in Man. prælud. 9. n. 15.* Syluius *cit art. 4. quæsit. 1. concl. 1.* & alii.

Suarez
Clau. Reg.
nauarr.
Syluius

3 Auctoritas plenaria dispensandi in omnibus legib. & statutis Conciliorum etiam generalium, penes Papa manet; quia ex omnium consensu, potest Papa ius humanum tollere, & potestas Romano Pontifici data à Deo est, non à Concilio; vnde Summus Pontifex, potest in legib. latis ab Apostolis tanquam ab Episcopis, & Pastoribus Ecclesiarum dispensare, quia non est inferior Apostolis, neque Petro cui successit, obseruandum tamē est, quando Papa in iure Canonico, vel in aliquo Concilio Generali nouo, vt in Tridentino, vel antiquis generalib. Concilis, aut in aliis decretis a se, vel a Sede Apostolica factis, dispensat, specialiter exprimere debet se derogare tali decreto Concili Trident alias dispensatio aduersus Concilii decreta, & canones sufficiens non censetur, nisi in specie fiat eorum derogatio D. Thomas *quodlib. 4. art. 13.* Viualdus *in candelab. supplem. cap. 10.* Bonacina *de disp. d. 1. quæst. 2 part. 1. num. 8.* Couar. *tom. 1. de matrim. p. 2. c. 6. § 9.* Syluius *1. 2. q. 97. art. 4. q 1. concl. 1.* & alii.

D. Thom.
Viualdus
Bonacina,
Couaru.
Syluius

4 Quamuis Summus Pontifex (vt compertum est apud omnes) in præceptis primæ, vel secundæ tabulæ decalogi, proprie dispensare non possit, neque in articulis fidei neque in Sacramentorū institutione, vt celebratione quoad ea quæ ad Sacramentorū essentiā pertinent, neq; etiam in præceptis moralibus, quæ sunt de lege naturæ in aliis tamen quæ ita sunt de iure diuino, vt aliquid humanæ obligationis misceatur, sine dubio dispensare potest; ut voto, & iuramēto; quia licet sit de iure diuino seruare votum, obligatio tamen ad id faciendum, est sibi a semetipso imposita, & hanc obligationem Papa potest tollere & in ea dispensare. D. Thomas *2. 2. quæst 88. art. 10* Sotus *lib. 1. de iust. q. 7. art. 3 ad 3.* Syluester *v. Papa, q. 16.* Angelus *ibid*

D. Thom.
Sotus.
Syluester
Angelus

5 Secundum probabiliorem sententiam, quilibet legislator, siue ille sit Summus Pontifex, siue Episcopus, siue supremus Princeps sæcularis, potest secum in suis legibus dispensare, quia huiusmodi dispensatio, est actus iurisdictionis voluntariæ, & gratiosæ, qui potest in seipsū exerceri, nec requirit personā distinctam; vnde ipse Summus Pontifex, Episcopos, Princeps sæcularis, Prælati regulares, siue Generales, siue Prouinciales, siue Præpositi locales, qui toti domui præsunt, & eorum vices gerentes & quicumq; delegatam dispensandi potestatem habent in vniuersum cum aliqua Communitate, cuius ipse est pars hi omnes possunt secum dispensare in omnibus iis, in quibus possunt cum subditis, quia non debent esse in hoc peioris condicionis quam subditi, cum quibus ipse superior dispensare potest. Sanchez *de matrim. lib. 8. disp 3.* Suarez *de leg. lib. 6. capit. 15. num 8.* Bonacina *cit. num. 9.* Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 18. quæst. 6* Sà *verb. Relig. 0, nu. 47.* D. Thom. *2. 2. quæst. 185.* Syluius *cit. quæsit. 1. conclus. 4* & alii.

Bonacina
Azorius
Sà
D. Thom
Syluius

6 Cum potestas inferioris dependeat à superiori, & superior possit inferioris potestatem impedire, illique facultatem dispensandi in propria lege adimere, hinc inferior non potest dispensare in lege superioris, quando superior dispensationem sibi reseruauit aut inferiori prohibuit facultatem dispensandi: vnde Archiepiscopus, vel Episcopus, per se loquendo, dispensare non potest in lege Summi Pontificis, & in statutis in Concilio Prouinciali conditis, si dispensatio reseruata sit excepto aliquo casu particulari ratione necessitatis, dum non est congregata Synodus, uel ad Sedem Apostolicam recursus non patet, quando uerò dispensatio non est reseruata, præsumitur data facultas cuicumque Episcopo pro diœcesi sua dispensandi, nisi aliter constet ex mente Cōcilii. Clauis Regia *lib. 4. cap. 10 num. 8.* Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 17, n. 36.* Salas *de legib. disp. 8. c. 9. n. 48.* Suarez *cit n. 7.* Syluius *c, q. 1. concl. 3.* Diana *tract. 5. miscel, resol. 23. p. 3.* & alii.

Clau Reg.
Sanchez.
Salas.
Suarez
Syluius.
Diana

7 Probabile est, inferiorem posse in lege superiores dispensare quoties superior, qui legem condidit, expresse non ademit, vel non prohibuit dispensandi facultatem, quia Episcopus potest in sua diœcesi, quidquid potest Papa in tota Ecclesia, est enim Pastor ordinarius in sua diœcesi, sicut Pontifex in toto orbe. Ita Sotus, Henriq. Arragon apud Sanchez *de mat. lib. 1. disp. 60.* Quamuis probabilius sit non posse dispensare, quia inferior nō potest tollere legē superioris, illā abrogando, dispensandove; aliquando tamen censetur Episcopo concessa facultas dispensandi in legibus Pontificiis, quoties lege aliqua conceditur dispensandi facultas, non expressa persona cui conceditur, vel quando vir prudens interpretatur hāc esse Pontificis intentionē, vt Episcopus in aliquo casu dispenset, sicut consuetudine receptum est, vt Episcopi in omnibus votis simplicibus dispensent, exceptis quinque reseruatis Papæ, item in rebus leuibus, quæ propriè non præcepto, sed statuto positæ sunt, & in frequentibus, id est, quæ frequenter indigent dispensatione, vt videmus Episcopos dispensare in ieiunio, in festis, & in aliis præceptis Ecclesiæ, quę frequenter accidere cōsueuerunt, item quādo grauis aliqua necessitas, vel utilitas subito aduenit, & commodè nō patet recursus ad Papam, ex tacita ipsius concessione dispensare potest Episcopus. Vide Azorium *tom. 1. lib 5. cap. 15.* Salas *cit. disp. 20. sect 3 n. 22* Diana *tract. 6. misc. resol. 82. part. 3. & tract 5. resol. 32* Clau. Reg *cit. c. 10.* Nauar. *c. 21. n. 21.* Sà *v. Dispensatio, n. 9.* Syluestrum *verb. Dispensatio.* Syluium *cit. art. 4. q. 1. concl. 2* & alios.

Sotus.
Henriq.
Arragon.
Sanchez.

Azorius
Salas.
Diana.
Clau. reg.
Nauarrus.
Sà
Siluester
Siluius

8 Quando adest probabilis opinio; rem non indigere dispensatione nulla dispensatio petenda est à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, quia licitum est sequi opinionem probabilem, deposito practicè dubio; quando autem practicè dubitamus, an res egeat dispensatione, tunc à Sede Apostolica petenda est, dispensatio non ab Episcopo, quia alias esset se exponere periculo delinquendi contra legem superioris, vt se habet praxis communis Bonac. *de dispens. disp. 1. quæst. punct. 1. num. 18.* Sanchez *cit. lib. 8. disp. 6. n. 18.* Quamuis Emanuel Sà *verb. Dispensat. nu. 1.* quem sequuntur Salas *cit. num. 28.* Layman *lib. 1. tract. 4 cap 22. num. 4.* Diana *p. 3 tract. 6, res. 82.* absolutè doceat in hoc dubio Episcopum posse declarare rem non indigere dispensatione, vel ad cautelam dispensare. Quod docet etiam Syluius *c. conc. 2.*

Sà
Salas
Layman
Diana
Bonacina.
Sanchez

9 Irrita est dispensatio cuiuscumque, etiam Pontificis in iure diuino, naturali, vt in uoto, vel iuramento, concessa absque causa; quia tunc dispensatur in alienis bonis & aliena voluntate superioris, & ideò vt validè fiat, desideratur causa; unde generaliter concludendū est, dispēsationem in lege superioris concessam ab inferiore sine

iusta

iuſta cauſa, non ſolùm non eſſe licitam, verùm neque validam eſſe, quia diſpẽſans vſurpat ſibi iuriſdictionem, quam non habet, & ille cum quo inferior diſpenſauit in lege ſuperioris abſque iuſta cauſa non, potest vti diſpenſatione, nec eſt exemptus ab obligatione. D. Thomas 2.2.q.88.*art*.12.*ad* 2. Vaſquez 1.2. *diſp*. 78 *cap*.3. *n*. 17. Reginaldus *lib*.13.*num*.195. Syluius *cit quaſt*.3.*concluſio* 3. Crouſers ad *cap*.10.*reg*.*min*.*lect*.6.*fol* 905. & alii.

Vaſquez Reginald. Syluius Crouſers

10 Qui allegata falſa cauſa, vel inſufficienti, aliquem inducit ad diſpenſandum, peccat eo peccato, quo peccat diſpenſator, nam inducit ad peccatum; niſi excuſetur ob bonam fidem: ſi autem dubium ſit de ſufficientia cauſæ, & fideliter illam ſubditum ſuperiori exponat, & ſuperior iuſtam, ac ſufficientem iudicet, tutus erit ſubditus in conſcientiam petendo diſpenſationem, illaque vtendo, quamuis à parte rei cauſa non ſit iuſta: quia inferior poteſt acquieſcere iudicio ſuperioris diſpenſantis, ſicut licet adhærere opinioni viri prudentis. Valentia *tom*.2.*diſp*.7 *quaſt* 5.*punct*.9. Nauarrus *prælud*.9 *n*.12.& 13. Sanchez *de matr*.*lib*.8 *diſp*.18.*n*.19.

Valentia Bonacina Sanchez.

11 Quamuis probabile ſit, diſpenſationem factam ab inferiori, in lege ſuperioris, non præcognita cauſa legitima, eò quòd diſpenſans ſuæ commiſsionis limites exceſſerit. Ita Azorius *tom*.1.*lib*.5 *cap*.15 *quaſt*.9. at probabilius eſt, huiuſmodi diſpenſationem validam eſſe in foro conſcientiæ, donec in foro exteriori reuocetur; quia nullibi habetur eam diſpenſationem eſſe nullam, & factum in foro conſcientiæ tenet, quando finis iuris habetur, quamuis forma, & ſolemnitas eiuſdẽ iuris prætermittantur. Sanch. *lib* 4. *Moral*.*c*.45.*n*. 6. Suar. *tom*.1. *de relig*.*lib*.2.*c*.34.*n*.13. Diana *tract*.*de leg*.*reſol* 34.*p*. 1.

Sanchez. Suarez Diana

12 Inferior diſpenſans in lege ſuperioris cum dubio ſufficientiæ cauſæ, peccat: nam fieri poteſt, vt cauſa reipſa non ſit ſufficiens, & periculo ſe exponit diſpenſandi ſine iuſta cauſa. Ita Bonacina *cit*. *punct*.3.*num*.7. probabiliter: quidam tamen Doctores eximunt hunc à peccato, quia aliàs pateret via multis ſcrupulis, ſi cauſa certa requiretur ad diſpenſandum, & ſuperiores retraherentur à diſpenſationibus concedendis, & hæc ſententia eſt probabilior, vt docent Sanchez *lib*.4. *Moral*.*cap*. 45.*num*.10. Diana *part*.1.*tract*.10.*reſol*.31.

Sanchez Diana

13 Valida eſt diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris conceſſa, ab eo, qui bona fide credebat iuſtam, & ſufficientem cauſam ad diſpenſandum ſubeſſe, quamuis ille cum quo diſpenſatum eſt, poſtea cognoſcat cauſam non fuiſſe iuſtam, & ſufficientem; quia non eſt credendum aliam eſſe Pontificis intentionem circa ſuas leges, & Dei circa ſuas in quibus permittitur inferiori diſpenſare, id enim recta Eccleſię gubernatio poſtulat, quo ſcrupulis obuietur, ac tutæ ſint conſcientiæ. Ita Azorius *tom*.1.*l*.7.*c*.18.*quaſt*.6 Diana *cit*.*reſ*.33 Sà *verb*. *Diſpenſ*. *num*.4. Sotus *in* 4.*diſt*.21.*quaſt*.2.*art*.2. Sancius *diſp*.54. *num*.39. & alij. Quidam tamen Doctores non improbabiliter opinatur, illum cum quo diſpenſatum eſt, non eſſe tutum in conſcientia, cognita inſufficientia cauſæ finalis, & motiuæ. Ita Salas *citat*.*ſect*.6.*n*.66. Bonac.*n*.8.

Diana Sà. Sotus. Salas Bonacina

14 Diſpenſatio ſupremi Principis, v. g. Pontificis, in lege Eccleſiaſtica, & Principis ſæcularis in ciuili, in lege propria, conceſſa abſque legitima cauſa, iuxta communiorem ſententiam, valida eſt, quia tunc legiſlator diſpenſat in re propria, & in propria voluntate eam tans à qua totam vim ſuam lex habeba, ſicut Dominus prodigus, bona verum dominium transfert, quamuis deliquat prodigendo. Rodriguez *tom*.2. *quaſt*.47.*art*. 5. Arragon 2 2.*quaſt*.89.*art*.9. Sanchez *de matrim*. *lib*.8. *diſp*.17. *num*.24. Diana *tract*.*de legib*.*reſol*.32.*part*.1.

Rodriguez Aragon Sanchez Diana.

15 Diſpenſatio inferiorum, in proprijs conſtitutionibus, & legibus, facta, abſque cauſa, valida eſt, quia etſi peccet legiſlator, v.g. Epiſcopus contra ius commune, imò, & diuinum naturale, dictans neminem à lege generali eſſe abſque cauſa eximendum at diſpenſatio illa tenet, quia tunc non diſpenſat inferior in eo iure naturali aut Pontificio, ſed ſolùm illud violat: idem dicendum, quando ſuperior, vel æqualis ſucceſſor, diſpenſat abſque cauſa in lege inferioris, vel æqualis prædeceſſoris, quia voluntas inferioris quaſi eminenter eſt in voluntate ſuperioris, & ſucceſſor æqualis poteſtate reputatur. Nauarrus *c*.15.*n*.74. Clauis Regia *lib*.6.*cap*.11.*n* 11. Suarez *de legib*.*lib*.6.*ca*.28. Syluius 1.2.*quaſt*.17.*artic*.4. *quaſit*.3. Diana *tract de legib*. *reſolutione trigeſima ſecunda* Crouſers *c*.*lect*.6.& alii.

Suarez. Syluius Diana Crouſers

16 Cauſæ iuſtæ diſpenſandi, & eximendi aliquem ab obligatione legum, ad tres poſſunt reuocari, *Prima*, cauſa eſt, vtilitas communis, vel etiam priuata *Secunda*, eſt neceſſitas communis, vel priuata. *Tertia*, eſt pietas. Diſpenſatio concedi poteſt ob aliquos ſuperuenientes caſus, vel rationes quæ ſufficientes, & legitimæ arbitrio prudẽtis, & pro qualitate loci, temporis, & perſonæ fuerint adiudicatæ, verbi gratia, quoties obſeruantia legis vergit in malum, aut maius bonum impendit, cauſa iuſta diſpenſandi eſt. Syluester *verb*.*Diſpenſ*.*n*.3. Azorius *tom*.1. *lib*.5.*c*. 15. *quaſit* 8 Crouſers *c*.*lect*. 6. *fol*. 905.907. & alii.

Syluester. Azorius Crouſers

17 Poſita iuſta cauſa diſpenſandi, Superior aliquando non tenetur, & aliquando tenetur diſpenſare, vt patet ex communi diuiſione diſpenſationis, in prohibitam debitam, & permiſſam; & aliquando in iure diſpenſatio appellatur indulgentia, aliquando gratia, aliquando miſericordia, quæ ſunt bona gratuita, & liberalia: debita autem eſt diſpenſatio, quando extant graues cauſæ, & illa neceſſaria eſt, ad vitandum publicum, vel priuatum danum, vel quando valdè vtilis eſt bono communi, vel etiam priuato, vnde ſine labe iniuſtitiæ poteſt Prælatus, poſita in duobus ęquali cauſa, aliquando cum vno diſpenſare, denegata alteri diſpenſatione. Coninch *de matrim*. *diſp*.27 *diſp*.6.*n*.59. Sanchez *de mat*.*lib*.3.*diſp*.10.*numer*. *tertio* Salas *diſput*.20.*ſectione ſeptimo* Crouſers *citat lect*. 6 *fol*. 907.

Coninch. Sanchez Crouſers

Verum aduerſus hos Doctores exurgit probabiliter Sancius *in ſelect*.*diſp*143.*num*.8.§. *pratera*, docens ſuperiorem conſtrictum eſſe diſpenſare interueniente cauſa iuſta Cuius ratio eſt, quia iure commutatiuæ iuſtitiæ tenetur iudices ordinarii ſuam exercere iuriſdictionem in ſubditos poſtulantes ex pacto interueniente inter Rempublicam, & illos diſpenſare autem iuriſdictionis actus eſt: vnde poſita cauſa legitima ad diſpenſandum, diſpenſare tenetur ſuperior ex vi ſui officii, & exercere in ſubditos iuriſdictionem, & conſequenter ſemper quod intercedit obligatio præſtandi diſpenſationem, vinculo iuſtitiæ ligatur ſuperior, & non ſolum charitatis, vt vult Suarez *de leg*.*l*.6.*c*.18.*n*.22.

Suarez

18 Inferior diſpenſans in lege ſuperioris, non poteſt imponere mulctam peccuniariam fabricæ Eccleſię, vel piis operibus ex precepto tradendam, niſi forte imponatur in pœnam delicti, quia diſpenſatio debet fieri gratis conceſſa facultate in lege diſpenſandi, non cenſetur conceſſa facultas cõmutandi obligationem legis, præterquã in uoto, in quo quando quis diſpenſare poteſt, illud etiã commutare poteſt in aliquod aliud opus pium. Sot *in* 4 *d*. 28 *quaſt*.1.*art*.2. Sanchez *de matrim*.*lib*.1 *diſp* 10.*num*.9 & 10. & alii. Proinde quando ex parte petentis diſpenſationem datur morbus, vel impotentia naturalis implendi præceptum, vel res in qua diſpenſatur, non eſt pœna aliqua contracta ex aliquo delicto, non tenetur diſpenſans imponere aliquam pœnitentiam diſpenſato, quia neceſſitas non habet legem, & afflicto non eſt danda afflictio quod adeò verum eſt, ſecundum Sanchez hic citatum, quod quando adeſt legitima cauſa diſpenſandi, non poteſt Ordinarius imponere pœnam aliquam pecuniariam diſpenſato. Secus dicendum quando Prælatus diſpenſat in aliqua pœna, ſeu aliquo impedimento orto ex aliquo delicto, vt in irregularitate homicidii, vel indebitæ celebrationis, et ſimilibus, vel tollit inabilitatẽ contractam ex delicto, tunc debet imponere aliquam pœnitentiam diſpenſato. Sic Conc. Trident *ſeſſ*. 24. *cap*.6. *de refor*. concedens Epiſcopis, vt diſpenſent in irregularitatibus, pœnis, &c. addit: *Impoſita pœnitentia ſalutari*.

Sotus Sanchez Conc. Trid.

19 Princeps ſupremus, ſcienter admittens aliquem ad actum, qui habet impedimentum ad illum, cenſetur diſpenſare cum illo, quia ad valorem diſpenſationis in lege humana; non requiritur cauſæ cognitio, ſed ſatis eſt voluntas eius ad diſpenſandũ, ſed quia ſcientia Principis minimè pręſumitur, cum ſit quid facti, ad inhabilem pertinet eam probare: idem dicendum de inferiore admittente ad actum contra legem propriam, vel contra

ius in

Nauarr. Azorius Reginald. ius in quo potest dispensare. Nauarrus *prælud.9.num.14.* Azorius *t.1.lib.5.c.15.quæst.10.* Reginaldus *lib.13.numero 195.*

Hæc dicta sint de dispensationibus in communi: de voti autem, iuramenti, irregularitatis, & impedimentorum matrimonij dispensatione, suis locis, & titulis agetur.

De dispensatione vide *Causa* num.4. & seq. *Censura* 3 num.40. *Festum* 3.n.7. *Hora Canonica* 6.n.6. *Irregularitas* 3.n.7 *Irregularitas* 4 num.6. *Irregularitas* 5. numer. 17. *Irregularitas* 6 n.11.12.13. *Irregularitas* 8. n.5. *Irregularitas* 9. num. 6. *Irregularitas* 10.n.4. *Irregularitas* 11.n.4. & seq. *Iuramentum* 5.n.7.8.9. *Matrimonium* 2. num.3. *Matrimonium* 4.n.4 *Matrimonium* 9. *Suspensio* 3. n. 3. *Votum* 7. *Priuilegium* num 15.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio est strictè interpretanda.*
2 *Dispensatio proprio motu Principis concessa, amplè intelligenda venit.*
3 *Dispensatio in corpore iuris clausa, recipit omnem legis extensionem.*
4 *Dispensatio in priuato statuto, aut consuetudine, quæ erant iuri contraria, amplè interpretanda est.*
5 *Priuilegia Religionum extendenda sunt tanquam fauorabilia.*
6 *Dispensatio ad necessariò, & inseparabiliter annexa extenditur.*
7 *An in dispensatione valeat argumentum ab identitate rationis, vel à maiori ad minus.*
8 *Dispensandi potestas alicui concessa est latè interpretanda tanquam fauorabilis.*
9 *Quando ex facto Principis supremi præsumatur dispensatio in iure humano.*
10 *Non censetur Princeps dispensare inhabilem admittendo ignoranter.*
11 *An inferiores Principe censeantur dispensare, quando admittunt scienter impeditum ad actum, ad quem possunt dispensare?* Refertur duplex sententia.
12 *An sola patientia, & taciturnitas superioris, censeatur tacita dispensatio, si non contradicat cum possit.*
13 *Quoties Canon aliquis permittit in eo dispensari, nec explicat à quo dispensatio dari queat, censetur potestas concessa Episcopo in eo dispensandi.*
14 *An Prælati inferiores possint in propriis constitutionibus dispensare, si fuerint confirmatæ a Superiore.*
15 *Probabilius est dispensationem non cessare, cessante eius causa finali.*
16 *Legislator dispensans in lege propria sine iusta causa, quando peccet venialiter, quando mortaliter.*
17 *Dispensatio Episcopi, vel Archiepiscopi in Constitutionibus Synodi diœcesana facta sine iusta causa valida est.*
18 *Dispensatio Archiepiscopi in decretis Concilii Prouincialis facta sine causa legitima, irrita est & inualida.*
19 *Quando delegatus habens potestatem dispensandi, teneatur dispensare, quando non.*
20 *Quale peccatum sit in vtentibus dispensatione à Superiore facta sine causa? Et an peccet Superior secum dispensando sine causa, & vtens tali dispensatione.*
21 *In multis casibus potest Episcopus dispensare in legibus Pontificiis.*
22 *An forenses, & Peregrini possint dispensari à Diœcesano in legibus, votis, vel iuramentis?* Refertur triplex sententia.
23 *An possit Episcopus dispensare in voto sibi concesso, quando prior aditus est Pontifex, ac concessit dispensationem.*
24 *Quid, quando Pontifex in eo casu denegauit dispensationem.*
25 *Dispensatio vitiatur tacita veritate, quæ est causa finalis concessionis secus si tantùm sit impulsiua.*
26 *Dispensatio irregularitatis subreptitia non est, si taceatur occisum fuisse Presbyterum.*
27 *An valida sit impetratio facultatis dispensandi in quodam casu, eo non explicato, si credatur fore, vt eo declarato Prælatus denegaret.*
28 *Taciturnitas dispensationis priùs petita, & non obtenta, non vitiat sequentem dispensationem*
29 *An habens votum castitatis, & Religionis, possit dispensari in voto castitatis, etiamsi taceatur votum Religionis.*
30 *An committens plura homicidia, contrahat diuersas irregularitates in dispensatione explicandas.*
31 *An dispensatio vitietur solius causa finalis falsa expressione, vel etiam causa impulsiua falsa.*
32 *In dubio, an censeatur causa finalis tacita vel falsò expressa, an impulsiua tantum.*
33 *An dispensatio sit subreptiua, quando erratur in nomine personæ.*
34 *Quid, si erretur in nomine Diœcesis.*
35 *Quid, si allegata sola copula pro causa, & ea non sit habita.*
36 *An subreptio contingens in vna rescripti parte, vitiet totum rescriptum, vel tantum partem.*
37 *Quid, si subreptio contingat ex malitia Curialis vel sollicitatoris, inscio illo, in cuius fauorem impetratum est rescriptum.*
38 *An dispensatio per metum, dolum vel mendacia obtenta, sit valida.*
39 *Quando debeat verificari causa finalis in dispensationibus.*
40 *An dispensatio valida sit, ante expeditionem literarũ.*
41 *An ignoranti possit impetrari dispensatio, vel aliud priuilegium.*

1 Dispensatio adeò strictè interpretanda, vt si aliquid operetur, extendenda amplius non sit. Ita habetur *c.1.§.ille vero, de filiis Presbyt. in 6.* Ratio est, quia exorbitat à iure communi. Tum quia lex, quæ omnibus est æqua, si ius commune lædat, ipsum corrigens, est odiosa, & valdè restringenda. Nedum dispensatio particulari ius ipsum violans, erit odiosa, & strictissimè intelligenda. Sic communiter Doctores. Hæc tamen conclusio aliquibus modis à Doctoribus temperatur.

2 Dispensatio, quæ proprio Principis motu conceditur ob publicam vtilitatem amplè intelligenda venit: eò quòd dicatur verè Principis Beneficium, ac omni ambitione vacans, *cap. Si motu proprio de præbend. in 6.* Tunc autem dicitur gratia proprio motu concessa, quando Pontifex explicat se proprio motu in literis dispensationis concedere, quamuis constet eam ab impetrante petitam: quia hæc non repugnat, sed significat Pontifex illis verbis, se non illa petitione, sed proprio motu ductum. Ita bene Menochius *de arbitr. lib. 2. centur. 3 casu 201. n.79.* vnde Menoch. infertur tunc non admitti volentem probare, ad partis petitionem concessam esse gratiam; quia esset Pontificem mendacii redarguere velle, ut docet Rebuffus *in clausulis mandatorum, n.23.* Rebuffus

3 Dispensatio in iuris corpore clausa, non strictè interpretanda est, cùm censeatur lex, sed recipit omnem similis legis extensionem, nempe ad omnes casus, in quibus eadem, vel maior ratio inuenitur. Ita Rodriguez *tom. 2. quæstionum regular. q.47. artic.11.* Imò quoties dispen- Rodrig. satio versatur circa iuris communis materiam, iuxta illud intelligenda est. Ex quo fit quod dispensatio in tertio consanguinitatis gradu facta extendatur ad secundum cum tertio, quia computari debet iuxta iuris communis dispensationem, quod gradus computat iuxta eum, qui à Syluest. stipite remotior, est, *cap. final. de consanguinit.* Ita Syluester Angelus. *v. Matrim. 8. q 6. in fine.* Angelus *verb. Matrim. 3. imped. 6. ad fin.*

4 Dispensatio in priuato statuto, aut consuetudine populi quæ erant iuri communi contraria, amplè interpretanda est. Ratio est, quia reducit ad ius commune, quod fauorabile est: omnis. n. intellectus, & lex correctoria, per quæ reducimur ad ius commune, fauorem continent, & extendi debent, res autem facilè ad suam naturam redit.

Henriquez

Ita Henriquez *lib.7.de indulgent.c.30 n.3.* & alii.

5 Quamuis dispensatio quæ priuatis conceditur sit strictè interpretanda: at priuilegia toti Religioni concessa extendenda sunt tanquam fauorabilia; quia cùm non vni vel alteri personæ concedantur, sed toti Religioni, aut communitati in perpetuum, æquantur legi, ac proinde habentur, ac si in iuris corpore inserta essent: sunt enim constitutiones perpetuæ. Ita Henriquez alios referens *lib. 7 de indulg.cap.22 num.3.* & *cap.24.num.4.fin.* Amicus *tom.5.disp.6.sect.2 .n 16.*

Henriquez, Amicus

6 Dispensatio non ita strictè intelligi debet, quin ad necessariò, & inseparabiliter connexa extendatur, ne suo effectu frustretur; hinc dispensatio ad plura beneficia, extenditur ad licentiam non residendi in vtroque, sed in solo altero, vt bene docet Glossa *cap. Non potest verb Retinere, de præbend.in 6.* At quando accessoria sunt à principali separabilia, ita vt dispensatio super principali imprimat suum effectum absque ea extensione, non extenditur ad ea accessoria, eo quod dispensatio strictè sit intelligenda. Vnde dispensatio ad non residendum, minimè extenditur ad fructuum consequutionem, qui ab absentibus perduntur, quia hæc possunt separari: dispensatio autem prædicta deseruiet, ne is priuetur beneficio, ob residentiæ defectum. Ita multi Iurisperiti quos refert & sequitur Sanchez *de matr.lib.8.disp.1.n 19.* & *20.* apud quem plura de hac materia. Vide Dianam *p.8.tract.3.resol.32.*

Sanchez, Diana

7 Quamuis probabile sit in dispensationibus locum habere argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus, ita vt in iis extensio fiat à casu, in quo est par, aut minor ratio ad casum, in quo est eadem, aut maior concessionis ratio, quia in re pœnali, & sic odiosa id argumentum locum habeat.

Communis tamen, & receptissima sententia negat id argumentum procedere in dispensationibus: atque adeò in iis fallere regulam iuris 53.*in 6.* sic dicentem: *Cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus*. Probatur hæc sententia per aliam *reg.iur.in 6.* vbi dicitur: *Quæ à iure communi exorbitant, minimè ad consequentiam trahenda*. Cùm ergo dispensatio sit huiusmodi, non valet in ea argumentum à minori. Secundo probatur ex *cap.fin.de translat.Episcop.* vbi dispensatio, vt quis ad Archiepiscopatum premoueatur, non extenditur ad Episcopatum. Ita Couarruuias *4 decret.2 p.c 8.§.8. num.11.* Guttierez *q Canon.lib.2 cap.15 num.124.* & *126.* Molina *tom.3.de iustit.disp.591.* & aliis. Hæc tamen regula. *Primò* procedit in dispensationibus odiosis, vt ad plura beneficia. Secus in fauorabilibus & quæ non sunt odiosæ, vt in dispensatione illegitimi ad ordines. *Secundò*, valet argumentum a maiori ad minus, quando casus in quo dispensatur, rationem expressam concessionis continet. Tunc enim extenditur ad casum non expressum, vbi reperitur eadem ratio: quia hoc non est extensio, sed declaratio, qua declaratur includi eum casum ex tacita dispensantis mente. Ita Rodriguez *tom.2.qq.regul.q.47.art.11.* *Tertio*, quando minus est annexum, vel inclusum in maiori tanquam pars eius, vel ab eo inseparabile: tunc dispensatio in casu maiori extenditur ad minorem; quia concesso toto partes concessæ videntur. Vt dispensatio ad sacerdotium extenditur ad omnes ordines inferiores. Ita Sayrus *de censur. lib.7.cap.14. nu.17.* Porrò licet non valeat argumentum a maiori in dispensationibus ab homine concessis, secus tamen dicendum in iis, quæ a Canone, vel lege inducuntur: quia illæ strictè, hæ verò largè interpretādæ sunt, Couarr *4.decret.2 p.c.8.§.8.n.11.* Item quando maius, & minus sunt in eodem genere, tunc dispensatio in maiori uerba prægnantia habens extendetur, ad minus, Felinus *in cap Postulasti, n.13.limit.8.de rescrip.* vnde Monachus habens facultatem testandi, potest quoque codicillum facere, aut causa mortis donare. Ex *l. Marcellus, ff.de donat.causa mort.* & docet Sanchez *loco citato à nu.31 ad finem*, vide Sayrum *de censur.lib.7. cap.14.num.17.* Dianam *p.8.tract.3.resol.41.*

Couar., Guttierez, Molina

Couarr., Felinus

Sanchez, Sayrus, Diana

8 Potestas dispensandi concessa alicui est latè interpretanda tanquam fauorabilis. Probatur, quia cùm dispēsandi potestas conceditur, nulli fit præiudicium, nisi soli concedenti, qui potestatem suam totā, vel eius partē cōmunicat, nec ex parte eius, cui conceditur, reperitur aliquod odium, & proinde tanquam Principis beneficium est latè interpretandum: quia odiosum non est, imò gratiosum, vt dispensando, quis Principis vice fungatur. Ita Couarruuias *4.decret.2.part.cap.8.§.8 num.6.* Guttierez *q.Canon.lib.2.c.15.n.125.* Syluester *verb.Dispensatio q.5* & alij communiter. Temperatur tamen hæc conclusio multipliciter. *Primò*, vt extendatur hæc potestas non ad quoscunque casus, sed ad casus quoquo modo adaptabiles casibus in potestate expressis. *Secundò*, quando solum agitur de præiudicio ipsius concedentis potestatem, secus quando ea concessio in tertij præiudicium vergit: tunc enim est restringenda potestas: quia Princeps censetur, velle quam minimum possit damnum tertio inferre. *Tertio*, nisi consuetudine inducta esset certa interpretatio in ea materia: tunc enim restringenda est potestas dispensandi ratione eius consuetudinis, vt caueatur scandalum. *Quartò*, vt latè interpretetur quando ea conceditur ad dispensandum cum personis non expressis: at strictè intelligitur, vbi exprimuntur personæ cum quibus est dispensandum; eo quod in priori casu sit beneficium, ac priuilegium actiuum illius, qui dispēsaturus est, & in eius gratiam confertur; at in posteriori est priuilegium passiuum ipsius, cum quo dispensandum est, vtpote in eius fauorem concessum. Ita Felinus *in cap.Postulasti num.11. casu 1.de rescript.* Couarruuias, Syluester, & alii quos citat, & sequitur Sanchez *de matr.lib.8. disp.2.* Amicus *to.5. disp 6.sect.2.n.21.* & *seq.*

Nauarrus, Guttierez, Syluester

Felinus, Couarr., Syluester, Sanchez, Amicus

9 Cùm nulla sint verba iure præscripta ad dispensationem faciendam, sed sat sint quæcumque, siue verba, siue facta ex quibus animus dispensandi in dispensante petente deducatur; hinc supremus Princeps scienter admittens ad actum, iure impeditum, censetur dispensare, quando impedimentum est iuris humani, quamuis Princeps causæ cognitionem non præmiserit. Ratio est, quia vt valida sit supremi Principis in lege humana dispensatio, non desideratur causæ cognitio, sed eius voluntas dispensandi satis est; limita, nisi Princeps vrgente necessitate inhabilem promoueat: tunc enim non censetur perpetuò dispensare, sed id tempus illius necessitatis, vt docet Menochius *de præsumpt. lib 2. præsumpt.20. n.36.* Similiter vt censeatur tacita dispensatio ea promotio quoad eum solum actum, ad quem Princeps scienter admittit, v. g. si irregularem admittat ad Ordines Minores, non videtur dispensare ad maiores; quia dispensatio expressa non extenderetur vltra actum expressum, multò minùs tacita, *cap.1.de filiis Presbyt.in 6.*

Menochius

10 Quidam asserunt, quando Princeps impedimenti ignarus admittit inhabilem, censeri quoque eum dispensare, si verisimile sit fore, vt impedimenti conscius admitteret. Probat id textus *in l.Barbarius, ff.de offic.prætor.* vbi textus reddens rationem cur gesta a Barbario seruo creato ignoranter Prætore, cuius dignitatis erat incapax, valeant, sic ait; *Sed si sciisset seruum esse, liberum eum fecisset*. Sed tenendum est nullo modo censeri Principem per eam promotionem dispensare, dum impedimentum ignorat. Ratio est, quia ignorantia tollit consensum; at dispensatio vim sortiri non potest, nisi ex Principis volentis dispensare consensu. Nec sufficit fore vt vellet si sciret; quia hic & nunc deficit voluntas dispensandi. Nec *lex Barbarius* illi doctrinæ fauet. Quia sensus eius est, si populus Romanus sciret eum esse seruum, permittens eum fungi officio prætoris, eum liberum effecisset, ne gesta irrita forent. Vnde quamdiu ignorat, voluit gesta valere propter communem utilitatem. Ex quo si error esset communis, & non solius Principis, talis promotio haberetur tunc pro dispensatione quoad gestorum ualorem per illum promotum, dum error ille communis durat, iuxta *dictam legem Barbarius*.

11 Controuertitur inter Doctores, quando inferiores Principe admittunt impeditum iure communi scienter ad actum, ad quem dispensare possunt, an censeantur dispensare? Quidam censent non esse dispensationē nisi inferiores actum cū exerceant præmissa causæ cognitione, an expediat dispēsare, necne. Ratio est, quia Princeps legislator potest saltē ualide in sua lege dispensare, nō p[...] sa causę cognitione; inferiores autem prætecti minimè; nō ergo actus ille censebitur tacita dispensatio ab inferioribus

ribus exercitus: qualis censebitur factus à Principe. Ita Menoch. *de præsupt. lib 2 præsupt 20. n. 24. & 25.* Azor. *tom. 1. lib 5, cap. 15. quæst. vlt.* Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæst. 47 art. 1.* & alii. Quorum sententia est valdè probabilis. Nonnulli docent inferiores non censeri dispensare, quamuis causæ cognitionem præmittant, nisi se dispensare exprimant, quia non censentur absoluere excommunicatum, nisi verbis absolutionis vtantur, quamuis sciente illum ad diuina admittant. Ita Nau. *in Man. prælud. 9. n. 15. & cap. 25. n. 74* Rodr. *to. 2. qq. reg. q. 13. art. 36.* vbi hoc limitant quoad forum externum. Tertia deniq; sententia sustinet, & meritò, tunc inferiorem dispensare, quamuis causę cognitionem non præmittat, quia cum dispensatio non exigat certam formam, nec verborum expressionem, vt diximus, & concurrant potestas in conferente, & voluntas, ergo censetur dispensare. Ex eo enim actu voluntas præsumitur, quia præsumendum non est prælatum uelle promotum ad ordines illaqueati manente irregularitate, qua erat affectus. Tum quia tantum valeat voluntas tacita, quantum expressa, in iis, quæ nec formã certam nec uerba requirunt *l. Quiad certum ff. loc ati, & l. De quib. 31. ad fin. ff. de legib. ibi; Nã quid interest suffragio populus voluntatẽ suam declaret, an rebus & factis*, Hæc sententia est tenenda pro vtroque foro: si tamen pro foro externo probetur adfuisse legitimam causam; & pro furo conscientiæ, qualitercunque de illa constet. Ita Suarez *de censur. disp 41 sect. 3 ad fin.* Henriquez *lib. 14. de irreg. cap. 17. num. 4.* Sà *verb. Dispensatio num. 8* Maiolus *lib. 3. de irregul. cap. 24. num. 14.* & *lib. 5. cap. 31. num. 8.* Saytus *de censur. lib. 7. cap. 14. n. 11. 12. 13.* limitans pro foru conscientiæ.

12 Secundum iurisperitos sola patientia, & taciturnitas superioris videntis aliquem iure, in quo potest dispensare, impeditum exercere ea sibi interdicta, non censetur dispensatio, quando superior impedimentum, & non esse in eo dispensatũ nouit, vt si Pontifex vel Episcopus videat irregularem celebrare. Ratio illorum est, quia id est potius pati, quam agere. Ita Menochius *de præsump 20. num. 32.* Maiolus *lib 2. de irregul. cap. 51. num. 8.* Saytus *de censur. lib. 6. c. 14. num. 16.* & alii probabiliter. Verum probabilius existimant alii censeri tunc tacitam dispensationem, si Prælatus ille cum posset facilè contradicere non contradicit, sed tacet. Ratio est, tum quia illa taciturnitas est ratihabitio de præsenti. Tum quia cũ Prælato ex officio incũbat delictis subditorum obuiare cum ea videt, ac facile contradicere potest, præsumeretur grauissimum Prelati delictum nõ contradicentis, nisi ipsum censeri dispensare dicamus. Et confirmatur, quia ratione solius præsumptionis delicti vitandæ in quocumque homine præsumebat ius præsumptionem initis, & de iure, copulam secutam post sponsalia de futuro affectu coniugali, & ideò perficere matrimonium, *cap. Is, qui fidem, de sponsal.* Nedum ea dispensandi voluntas præsumenda erit in Prælato, ad vitandam copulæ præsumptionem. Ita tenent loquentes de voto Sylvester *v. Votum 4. quæst. 8.* Clauis Regia *lib. 6 c. 11 n. 114.* D. Ant. *2. part. tit. 11. cap. 2. §. 9. notab. 2.* Azor *us lib. 5. tom. 1. c. 15 quæst. vlt.* Emman. Sà *verb. Votum num. 23.* Sanchez *lib. 4 moral. cap. 47. num. 46* Amicus *tom. 5. disp. 6 sect. 6. n. 70* Dianã *p. 8. tr. 3. resol. 17.*

13 Quamuis in Canone superioris nequeat Episcopus ordinariè dispensare, sed in solo necessitatis casu; at quoties Canon aliquis permittit in eo dispensari, vel impersonaliter de dispensatione loquitur, dicens, nisi in eo dispensetur, nec explicat à quo dispensatio dari queat censetur facultas dispensandi circa illum Episcopo concessa. Ratio est, quia si dispensatio, quæ ex se odiosa est, ac restringenda, interpretatur latè, quando in corpore iuris clausa est, vt dictũ est *supra n. 3.* Nedum id dicendum erit de hac dispensandi potestate in iuris corpore clausa: cum dispensandi potestas sit ex se fauorabilis, ac latè interpretanda. Ita docet Glossa *cap. In quibusdam fine, de pœnis*, Couarruuias *in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. n. 8.* Angelus *v. Dispens. n. 5.* vbi Syluest *q. 9.* Salas *de leg. disp. 20. sect. 3. n. 22.* & alii apud Dianam *p 8. tr. 3. res. 18.*

14 Dispensatio inferiorum in propriis constitutionibus facta absque causa, licet sit valida: quia tunc non dispensant in voluntate aliena, sed in propria, à qua sola vim habent leges illæ: tamen si constitutiones fuerint à superiore confirmatæ, & confirmatio fuit substantialis, & essentialis, nequaquam poterit inferior dispensare independenter à Superiore; quia tunc lex censentur lata à Superiore: censentur autem confirmatio esse essentialis, quando quis condidit legem, ad quam ferendam non habet potestatem sine confirmatiune superioris; vel quando superior intendit robur addere legi, illámque propriam facere. Tunc ea lex non potest ab inferiore abrogari, vel in ea dispensari independenter à consensu superioris. Secus si confirmatio fuit tanntummodo accidentalis, quando, scilicet, conditor legis habet quidam potestatem ad illam ferendam, sed ad maiorem legis auctoritatem, petit confirmationem à Superiore, vt nemo audeat reprobare; vt quando declarat superior legem inferioris laudabilem esse, illámque à subditis obseruandam esse. Et hæc lex, seu constitutio absque confirmantis consensu auferri potest ab eo qui eam tulit. Quia hæc confirmatio est solum veluti quædam solemnitas adiecta legi inferioris, quæ illam non immutat; sed supponit constitutam, illámque relinquere videtur in sua dependentia à proximo legislatore Ita Suarez *de leg. l. 6. cap. 26. n. 16. & 22.* Salas *disp. 20. sect. 3 n. 28.* Hinc dum Sanchez *de matr. l. 8 disp. 17. n. 30.* Azorius, Saytus, & alii asserunt, Episcopũ non posse in suis constitutionibus à Papa confirmatis, dispensare, intelligendi sunt de confirmatione essentiali. Valentia verò, & alii apud Salas *disp. 20. sect. 4. num. 29* dum asserant Episcopum posse in lege Papæ ad illam solũ diœcesim pertinente dispensare, intelliguntur de confirmatione Papæ accidentali. Ita Diana *part. 8. tract. 3. resol 73.*

15 Probabilius est dispensationem non cessare cessante eius causa finali. Ratio est, quia per dispensationem verè relaxata est illa lex, ac eius obligatio extincta, ergo nõ potest reuiuiscere, eo quod causa cessatit. Tum quia cessante causa non cessat effectus consũmatus, & perfectus: at effectus totalis dispensationis est ipsa legis relaxatio, quæ fit per illam. Cùm ergo hæc consummata sit per dispensationem semel iam facta, nil oberit in posterum cessatio causę. Vnde infertur, quòd irregularis dispẽsandus ad ordinẽ propter paupertate propria, vel propter indigentiam ministrorum Ecclesiæ, licet postea cesset illa causa ante susceptos ordines nihilominus potest licitè, ordinari ex vi illius dispensationis. Si dicas, actus non operantur vltra agentium intentionem, *c. Quemadmodum, de iureiur.* At in omni dispensatione sub intelligitur conditio, dummodo causa permaneat. Aliàs iniquus esset dispensans, si vellet suam dispensationem ad eum casum extendi, quo causa prorsus cessaret. Respondeo, talem dispensationem esse absolutam, nec iniquum esse dispensatorem, quia probabiliter putauit causam fore perpetuam, & ideò dispensauit, vel limitauit, seu restrinxit, sed sciens postea causam cessasse, debet dispensationem reuocare: vsus tamen talis dispensationis contingens post cessationem causæ non est ex genere suo peccatum mortale, & probabile nec esse veniale. Ita Pontius *de matrim. lib 8. cap. 20. num. 4.* Suarez *de legib. lib. 6. cap. 20. num. 15.* Salas *de leg. disp. 20. sect. 5. n. 64.* & alij apud Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 30. num. 13.* qui *num. 14.* contrarium probabiliter sustinet, nempe, cessare dispensationem, cessante eius causa finali. Vide Dianam *p 8. tract. 3 resol 24.*

16 Legislator dispensans in lege propria sine iusta causa, per se loquendo, peccecat saltem venialiter. Ratio est, quia dispensans sine causa imprudenter vtitur sua potestate, & temerè eximit partem à toto corpore, cui pars se debet accommodare. Ita Nauarrus *in Man. prælud. n. 14.* Sanchez *lib 8. disp. 18. n. 3* Rodriguez *in Summ. cap. 24. concl. 2* & alii, contra Bartolum, & alios arbitrantes liberum esse Principi in suis legibus dispensare, & solam ipsius voluntatem esse sufficientem dispensandi rationem. Imò dispensans sine causa, peccat mortaliter si adsit scandalum, aut graue aliorum detrimentum, non enim potest sua potestate vti cũ aliorũ scandalo, & detrimẽto, sine iusta, & legitima causa. Scandalum erit, si subditi exinde occasionem caperent liberè violandi leges. Damnum fidelium continget, si dispensaret cum aliquo, vt sine causa retineret plura beneficia curata. Nota tamen excusari posse

poſſe conſuetudinem aliquorum, qui videntur diſpenſationes concedere ſine iuſta cauſa intrinſeca, vt ſi eas concedant alicui de Eccleſia bene merito, vel ſpe conciliandæ ſibi beneuolentiæ alicuius Principis Eccleſiæ vtilis, aut facta compoſitione pecuniaria, quæ ditigatur ad ſũptus publicos, vt conceduntur quotidie diſpenſationes in impedimentis matrimonij Romæ; hæ enim cauſæ extrinſecæ ſufficientes ſunt, quibus moueatur Pontifex ad eas concedendas. Ita Suarez *lib.6.de leg.c.18. num.16.* Sanchez *lib.8.diſp.18.num.8.* Salas *diſp.20 ſect.8.n.76.* & alii.

Suarez. Sanchez Salas

17 Diſpenſatio Epiſcopi, aut Archiepiſcopi in conſtitutionibus Synodi Diœceſanæ, facta abſque cauſa, valida eſt. Ratio eſt, quia ſolus Epiſcopus ſuffragium deciſiuum habet in Synodo Diœceſana, cæteri autem aſſident illi ut conſilium præbeat. Quod ex ipſo Synodi tenore conſtat, in qua ſolus Epiſcopus decernit, & ſubſcribit, nulla aſſeſſorum mentione facta; cùm ergo ipſe ſolùs legislator ſit, poterit validè diſpenſare abſq; cauſa, vtpote qui in ſua ſola voluntate diſpenſat. Hinc colligitur Epiſcopum non teneri legibus Synodi Diœceſanæ quoad vim coactiuam, ſed tantùm quoad directiuam, ſicut tradunt Doctores legislatorem ſuis legibus aſtringi. Ita Suarez *de leg.lib.6. cap.15.num.8.* Nauarrus *in Man.c.25.num.74.* Azorius *tom.1.lib.5.c.15.q.3.* contra Medinam *1.2.q.96. artic.5. dub.2.concluſ.1.* & alios, qui tuentur Epiſcopum legibus Synodi Diœceſanæ obligari quoad vim coactiuam inſtar aliorum ſubditorum.

Suarez Nauarrus Azorius Medina.

18 Diſpenſatio Archiepiſcopi in decretis Concilii Prouincialis facta ſine cauſa legitima irrita eſt, & inualida. Ratio eſt, quia Archiepiſcopus eſt inferior Synodo Prouinciali leges eas ferenti: non enim ſe habet Archiepiſcopus ad Synodum Prouincialem, ſicut ſe habet Pontifex ad Concilium Generale, vel Epiſcopus ad ſuum Capitulum; ſed vt ſe habet Decanus Capituli Eccleſiæ Cathedralis ad ipſum Capitulum: qui eſt caput ipſius ad eum effectum, vt eius ſit Capituli conuocatio, & ibi tanquam præſidens habeat primam ſedem, non tamen eſt maior, ſed inferior toto Capitulo. Sic Archiepiſcopus eſt caput Synodi Prouincialis, in quantum eſt eius illam cogere, ac illi præeſſe habendo primam ſedem, non tamen quod ſit maior ea congregata, ſed eſt tantùm ſimul iudex, & collega aliorum Epiſcoporum, qui in ea congregantur. Ergo non valet diſpenſatio Archiepiſcopi facta abſque legitima cauſa in illius legibus: quia inferior non poteſt in lege Superioris diſpenſare, niſi ſicut in lege Pontificia, in vno, vel altero caſu ratione neceſſitatis, quòd non ſit recurſus ad Pontificem, nec tunc ſit coacta Synodus Prouincialis, vt ad illam confugiatur. Ita Nauarrus *lib 1 conſil. in priori edit.tit.de offic.Ordin.conſil.7.* & *in poſteriori, tit.de maioris.& obedient toto conſil. 6* cui adde Caſtrum Palaum *tom.1.tract.3,diſput.6.punct.4.nu.3. & ſeq.* Dianam *p.8.tract.3 reſol.26.* & alios.

Nauarrus

Palaus Diana

19 Delegatus habens priuilegium diſpenſandi in ſui fauorem, non tenetur diſpenſationem concedere poſtulanti, antequam illum eligat, & ante acceptationem; quia nemo tenetur ſuo priuilegio uti, & ſic excuſantur regulares priuilegiati nolentes diſpenſationem votorum concedere. At ſi priuilegium conceſſum ſit in fauorem pœnitentis, ut eſt priuilegium Bullæ, & Iubilæi, facta electione, & ab ipſo delegato acceptata, tenetur diſpenſare, ſi cauſa iuſta ſubſit, alioquin infidelis eſt, & iniuſtus, quia iam quaſi ex iuſtitia ratione acceptatæ electionis obligatus eſt diſpenſationem concedere. Et hoc verum ſiue concedenda ſit diſpenſatio ex priuilegio in fauorem poſtulantis, vel in fauorem diſpenſantis: quia iam ipſe priuilegiatus ſeipſum obligauit vti priuilegio ſuo, eo quòd electionem acceptauerit. Vide Sanchez *lib.4. Moral.cap.54. num.12.* An autem Prælatus teneatur poſita cauſa diſpenſare, dictum eſt *tom.1.v Diſpenſatio,num.17.*

Sanchez

20 Vtentes diſpenſatione à Superiore facta ſine cauſa, peccant ſaltem uenialiter. Ratio eſt, quia licet talis non peccet contra legem humanam, quæ per diſpenſationem etiam iniuſtam tollitur, peccat tamen contra legem naturalem, quæ dictat, non debere partem abſq; legitima cauſa à toto diſcordare. Ita Syluius *1.2. q.97. art.4.* Amicus *tom.5.diſp.6.ſect.7 n.109.* Sanchez *de matr.lib.8.diſp.18. num.12.* qui tamen limitat, modò ſcandalum, & damnum aliorum notabile eſſent. Nihilominus probabile etiã eſt, eos non peccare, quia cùm ea Diſpenſatio à legislatore conceſſa ſit valida nulla legis obligatio ſupereſt, cuius tranſgreſſio vtentem eadem diſpenſatione reũ culpæ cõſtituat. Nec lex naturalis dictans partem ſuo toti congruere debere, eum obliget, vtpote qui iuſtam exceptionẽ habet non ſe conformandi cæteris: quod à lege illa cæteros obliganti ſit verè exemptus. Ita Pontius *de matrim.li.8.c.14.n.5.* Suarez *de leg.lib.6.cap.19.num.14.* & alii, quibus addo Dianam *p 8.tract.3.reſol 9.*

Syluius Amicus Sanchez

Pontius Suarez Diana

An autem idem dicendum ſit de Superiore ſine cauſa ſecum diſpenſante, ac de ſubdito? Negant Suarez, Vaſquez, Salas, & alii, quia putant hanc legislatoris diſpenſationem eſſe inutilem & nullam, eo quod teneatur iure naturali quoties cauſa non excuſat, ſeruare ſuam legem. Sed contrarium probabilius eſt, nam alioquin deterioris conditionis foret Princeps, quàm ipſi ſubditi. Vnde ſi Põtifex ſine cauſa ſecum diſpenſaret in matrimonio, & in gradu iure humano prohibito, tale matrimonium à Pontifice contractum eſſet ratum & validum, etiamſi contra legem naturalem peccaret, non conformando ſe ut caput reliquo corpori. Tum quia eodem modo ab obligatione legis ſit immunis Princeps ſine cauſa diſpenſatus, ac ipſe ſubditus: ergo ſi valida eſt diſpẽſatio ſubditi ſine cauſa data, valida etiam erit diſpenſatio Principis ſine cauſa ſecum facta. Ita Amicus *tom.5.diſp.6.ſect.7.n.105.* Gordonus *in Summ:lib.2.q.13.ca.5.* Diana *p.2.tract.3.reſ.10.*

Suarez Vaſquez Salas

Amicus Gordonus Diana

21 Epiſcopi in multis caſibus poſſunt diſpenſare in legibus Pontificiis, etiamſi non habeant expreſſam facultatem: *Primò*, in rebus, quæ frequenter occurrunt, vt ſunt ieiunia, recitatio horarum, auditio Miſſæ & ſimiles. Nam & graue eſſet Principi & nimis difficilis redderetur gubernatio, ſi in huiuſmodi præceptis diſpenſandis ſẽper recurrendum eſſet ad Pontificem. *Secundò*, quãdo materia eſt leuis ſeu exigui momenti, appellat autẽ Sotus rem leuis momenti eam, quæ non obligat ſub mortali: quia non eſt rationi conſonum, nec iuxta Pontificis voluntatẽ aut rectam, & ſuauem gubernationem, vt ſemper pro leuibus ad Superiorem recurratur, etiamſi ad eum facilis ſit recurſus. *Tertiò* quando materia legis non eſt communis, ſed propria ſolùm ſubditorum talis Epiſcopi, vel Prælati v.g. ſi Pontifex aliquid præcepiſſet ſolis ſubditis Archiepiſcopi Cameracenſis, poſſet iſte cum illis diſpenſare, quia quæ ſunt propria vnius communitatis, ſunt magis nota & perſpecta immediato gubernatori, quã ſupremo Principi aut Prælato: ac proinde melius ipſe, quàm Superior de iis iudicare poterit. *Quartò*, quando recurſus ad Superiorem eſſet valdè difficilis, ſeu quãdo occurreret magna valdè neceſſitas, & eſſet periculũ in mora. Tũc expræſũpta voluntate Pontificis poſſet Epiſcopus diſpenſare in lege illius, vt in impedimento matrimonii iam contracti, in voto caſtitatis, &c. *Quintò*, diſpenſare poſſunt circa ea, quorum diſpenſationem, uel ius, vel recepta conſuetudo illis concedit: Nam conſuetudo legitimè præſcripta iuriſdictionem concedit, vt traditur *c. Cum contingat de foro compet.* An hũc caſũ reduci poteſt poteſtas, quã ſinguli Epiſcopi habent pro ſua diœceſi diſpenſandi in legibus Concilii Prouincialis; erat enim maximè expediens hanc illis Concilium facultatem concedere, ne ſubditi obligari eſſent pro diſpenſatione obtinenda, ad Pontificẽ recurrere, vel aliud Concilium Prouinciale expectare. Hos caſus enumerant Caiet. *1.2.q.97.art.4.* Sotus *lib.1.de iuſt.q.7.ar.3.* Caſtr. Palaus *to.1.tr.3.diſp.9.pũct.5.* Salas *de leg.diſp.20 ſect.3.n.22:* Rodrig. *to 1.qq.reg.q.22.art.9.* Amicus *to.5. diſp.6.ſect.4.n.57.* & poſt alios Diana *p.8.tr.3.reſol. 12.*

Caietanus, Sotus Palaus Salas Rodrig. Amicus Diana

22 Iuxta quorumdam ſententiam, forenſes & peregrini poſſunt diſpenſari à Diœceſano in legibus, votis & iuramentis, etiamſi breui tempore in eius Diœceſi commorentur: quia hi ratione habitationis ſubduntur legibus illius oppidi, quia tranſeunt, ergo non deficit illis ſubiectio neceſſariam ad diſpenſationem obtinendam. Ita Pontius *de matr.li.8.c.7.n.7.* Alij requirunt ut is, cum quo diſpenſatur habeat domicilium in Diœceſi Epiſcopi diſpenſantis quia, quouſque quis non acquirit domicilium in illa Diœceſi, non cenſetur verè ſubditus illius Epiſcopi, ergo non poteſt ab eo diſpenſari in lege Pontificis, uotis, iuramentis, &c. Ita Suar. *de relig.to.2.li.6.de voto cap.15 n.11.*

Pontius

Suarez

Garzias

Garzias, Panormit. Rosella, Angelus, Syluester, Tabiena

Garzias, Panormitanus, Rosella, Angelus, Syluester, Tabiena, & alij. Verum quidam mediam tenuere sententiam, & docent, vt forenses, seu aduenæ possint dispēsari ab ordinario loci, in quo reperiuntur, requiri, & satis esse, vt illuc confluant, animo ibi habitandi aliquo tempore diuturno, vt pro maiori parte anni, vel ad expediendum aliquod negotium, quod breui tempore expediri non solet: quia ratione huius habitationis diuturnæ, contrahit quis quasi domicilium, & sortitur forum externum, vt possit ibi de alibi gestis conueniri: ergo etiam in rebus spiritualibus, quales sunt dispensationes, acquiret quasi domicilium, & sortietur forum ex hac diuturna habitatione, cùm vterque forus æquè iurisdictionem petat. Ita Lessius *lib.2.c.40.dub.*18.*n.*121. Henriquez *lib.6.c.*14.*n.*8. Sanchez *de matrim.lib.3.disp.*23.*n.*12. & alij apud ipsum. Hæ tres sententiæ sunt probabiles, sed si fides adhibenda sit declarationibus Eminent. Cardinalium relatis à Garcia, & Farinacio, quæ de hoc casu expressè loquuntur, non videtur recedendum ab illis.

Lessius, Henriquez, Sanchez

S. Congreg.

Ait enim Sacra Congregatio. *Absoluere Ordinarius potest ex decreto Trident. in Sacramento Pœnitentiæ forensem, qui gerit officium Prætoris, medici, vel officialis, qui habet domum, & commoratur in ciuitate, vel Diœcesi, & in eis Ecclesiastica Sacramenta percipit, non tamen poterit eum eisdem dispensare.* Item est alia declaratio *Qui non est subditus Episcopi, puta Medicus, Prætor, & similes, qui tantum habitant in ciuitate, hoc decreto comprehenduntur, etiamsi commiserint crimina alijs ciuitatibus: habita tamen hac distinctione, quod scilicet possint absolui in Sacramento Pœnitentiæ à suis criminibus, non tamen dispensari.* Et ita Gregorius XIII. audita relatione Congregationis declarauit.

Greg. XIII

23 Quando Episcopus potest iure ordinario in aliqua re dispensare, vt in voto pœnali castitatis, vel non nubendi, quamuis obtenta sit à Pontifice commissio facta ordinario, vel Confessori, vt dispenset, potest vouens ei renunciare, & adire Episcopum, vt potestate sua ordinaria dispenset. Ratio est, quia cum ea commissio sit ob vouentis gratiam, ac fauorem concessa, non debet in eius damnum retorqueri. *Regul. quod ob gratiam, de reg. iur. in 6.* Nec ob id interdicitur impetranti posse fauorem sibi concesso credere. Tum quia adire Principem ad petendam rem aliquam, nullum præuentionis effectum operatur, ne liceat postea id ab inferiori petere. Imò idem dicendum quamuis iam virtute eius commissionis ordinarius, vel confessarius in eo voto dispensasset, partim commutando, iuxta Pontificis præscriptum. Posset enim hic, vel ab ordinario petere, vt auctoritate sua ordinaria in ea commutatione dispenset, vel potest etiam eligere redire ad priorem voti obligationem, & petere ab ordinario, vt dispenset in illo authoritate sua ordinaria: quia tunc est omnino nouum votum. Ita Sanch. *de matr. l.8. disp.* 14. *n.* 3. & 4.

Reg. Iuris

Sanchez

24 Quidam sentiunt Episcopum non posse dispensare, quando petens priùs adiuit Pontificem, qui dispensationem, negauit, iudicans causam propositam non esse iustam. Ratio illorum est, quia eo ipso quòd Pontifex denegauit, videtur facultatem auferre inferioribus cum illo singulari dispensandi, nisi ex noua causa emergēti. Ita Sanchez *de matr. lib.*8. *disp* 14. *n.* 5. Guttierez *de matrimon. c.*123.*n.* 18. Mihi tamen dicendum videtur Episcopum posse: quia in tali dispensatione nullus apparet defectus dispensationem irritans: falsa est enim assignata præsumptio, quod Superior negando dispensationem subdito petenti, eo ipso auferat inferiori Prelato facultatem cum illo dispensandi, cùm nullus præsumatur suo iure priuatus, nisi illi expressè constet: Tum quia non tenetur inferior Prelatus dispensationem concedere, vel negare ex iudicio Superioris, sed ex suo proprio, cùm aliæ causæ possint ad dispensationem concedendam mouere. Ergo potest in illo casu Episcopus dispensare, & consequenter, si id faciat nō ignorans priorem denegationem, & iudicans causam esse legitimam, dispensatio erit valida, quia neque habet defectum potestatis, nec voluntatis, nec iustitiæ. Ita Suar. *de leg. lib.6.cap.*22. Salas *de leg. disp.*20.*sect.*3.*n.*106. Amicus *tom.*5 *disp.*6.*sect.*8.*num.* 120.

Sanchez, Guttierez

Suarez, Salas, Amicus

25 Iuxta communiorem, & tenendam sententiam, tūc vitiatur gratia, & dispensatio tacita veritate, quæ est causa finalis concessionis, secus verò quando ex causa impulsiua. Causa finalis illa est, qua cognita, Princeps gratiam non concessisset: impulsiua verò, qua cognita, concessisset quidem, sed cum maiori difficultate. Probatur prior pars assertionis, nam tunc vitiatur substantialiter dispensatio, quando non procedit ex efficacia, & absoluta voluntate dispensatoris: quotiescumque autem tacetur veritas, qua cognita, concessa non fuisset dispensatio; non procedit ex efficaci, & absoluta voluntate dispensatoris: ergo substantialiter vitiatur; nam valor dispensationis pēdet ex voluntate concedentis. Posterior pars probatur: quia non præsumitur dispensatur suam dispensationem concedere sub tacita conditione cuiusque suppressæ veritatis, quæ expressa ipsum retraxisset à dispensatione concedenda, sed eius dumtaxat, quæ ad dispensationem pertinent. Itaq; in dispensatione nō solùm exprimenda sunt ea, quæ iura iubent exprimi: sed etiam idem dicendum videtur de qualitate, quæ ex stylo Curiæ Romanæ, in rescriptis exprimenda est; nec spectandum est, an Princeps ea expressa rescriptum similiter concederet: quia cùm Stylus Curiæ faciat ius *cap. Quam graui de crimine falsi*, nec ab eo sit recedendum, idem de hac qualitate sentiendum est, quod de illa, quam iura exprimi iubent. Idem dicendum quando ex consuetudine Principis qualitas aliqua narranda est: quia consuetudo pro lege obseruatur. Quare nec ignorantia excusabit harum qualitatum taciturnitatem. Ita Sanchez *de matrim. lib.*8 *disp.* 21 *num.* 13. & 16. Suarez *tom.2. de relig. tract. de voto lib* 6. *cap vlt.* Gutierr. *qq. canon. lib.*2.*c.*15.*n.*51 Menochius *de arbitr. lib* 2. *centur.*3.*casu* 201 *n.*28. & alii apud ipsos. Ex dictis resoluuntur casus sequentes.

Sanchez, Suarez, Gutierrez, Menoch.

26 Dispensatio irregularitatis ex homicidio præsbyteri contractæ subreptitia non est si taceatur occisum fuisse Præsbyterum; quia hæc qualitas est omnino extrinseca, & nil ad irregularitatem faciens. Ita Portel. *tom.* 2. *resp. moral. cas.* 49. Pontius, Molina, Sanchez *cit. n.*22.

Portel, Pontius, Molina, Sanchez

27 Si quis petat à Superiore facultatem vt dispenset in quodam casu, quem data opera non explicat, quia credit negandam facultatem si exprimeret: etsi Superior concedat in genere, inualida erit dispensatio, si nimirum Superior aliquando habuit voluntatem non dispensandi in tali casu, quæ adhuc habitualiter duret, quia non est reuocata. At si Superior nunquam habuit animum non dispensandi in tali casu, & alias poterat dispensare, valida est dispensatio: quia facta est ab eo, qui facultatem, & voluntatem dispensandi habebat. Ita Sanchez *cit. disp.* 21. *n.*24. Bonacina *de legib. disp.* 1. *q.* 2 *punct.*5.*n.*22. Salas *de leg. disp.*20.*sect.*15.*n.*122. & alij.

Sanchez, Bonacina, Salas

28 Taciturnitas dispensationis priùs petitæ, & non obtentæ non vitiat sequentem dispensationem postea ab eodem Superiore obtentam: nec obstat quod verisimile sit, si Superior recordaretur antea se eandem dispensationem negasse, denuò requisitus illam non esset concessurus: hæc præsumptio non solido nititur fundamento, cùm potius præsumi debeat Superiorem iterum rogatum negatam antea dispensationem concessurum, ob nouam subditi supplicationem, quæ dispensationis necessitatem magis ostendit. Ita Sanchez *de matrim. lib.*8. *disput.* 22 *n.*14. Suarez *de legib. lib.*6.*cap.*22. Amicus *tom.*5. *disp* 6. *sect.*8.*n* 120.

Sanchez, Suarez, Amicus

29 Probabile est habentem votum castitatis, & Religionis impetrare posse dispensationem in voto castitatis, etiamsi taceat votum Religionis: quia votum Religionis non obligat ad perseuerandum: ergo dispensatio pro voto castitatis vtilis esse potest toto tempore, casu quo in Religione non perseueret: & ex hac vtilitate dari potest sufficiens causa dispensationis. Ita Pontius *de matrim. lib.*18.*c.*17 *n.*24. Castrus Palaus *to.* 1.*tr.*3.*disp.*6.*punct.*16. § 4.*n.*13. Contra Suarez docentem in eo casu validam fore dispensationē voti Religionis, si ab eo inchoetur, nulla enim facta mentione voti castitatis. Secus verò si priùs petatur dispensatio voti castitatis; tunc enim dispensatio illius erit subreptitia: si non explicetur etiam votum Religionis.

Pontius, Palaus, Suarez

30 Qui plura homicidia committit, non videtur plures irregularitates incurrere in dispensatione necessario manifestandas; quia vbi aliquem effectum concurrit vna causa totalis, non potest simul concurrere alia item tota-

lis in eodẽ genere. Tum quia cùm irregularitas sit inhabilitas per modum habitus, non poist quis ampliùs ex eadem causa inhabilitari; neque vna causa super aliam operari: Et sic copula inter cõsanguineos sępius repetita, non inducit nouum impedimentum, neque est necessario facienda mentio omnium illorum delictorum in dispensatione, sed sufficit si vnius tantum mentio fiat. Et qui tres, ut quatuor duxit vxores, non tenetur omnes manifestare, cum petit dispensationem bigamiæ, Ita Sanchez *de matrim. lib. 8 disp. 24. n. 7.* Toletus *lib. 7. cap. 19. ad finem* Diana *p. 4. tract. 4. resol. 86.* & *p. 8 tract. 3. resol. 58* & alii. Verum ex vsu, & stylo curiæ quidam arbitrantur exprimenda esse omnia homicidia.

Sanchez. Toletus Diana

31 Secundum probabiliorem sententiam, dispensatio vitiatur solius causæ finalis falsæ expressione, nimirum, quando Princeps ea falsitate non expressa gratiam, seu dispensationem minimè concessisset, non autem expressione causæ impulsiuæ falsæ. Ratio prioris est, quia error in causa finali impedit voluntarium ad concessionem gratiæ substantialiter requisitum, ergo reddit illã inualidam; nam omnis gratiæ concessio requirit liberam Principis voluntatem, ergo vbi illa deest, deest substantiale principium, à quo illa pendet. Ratio posterioris est, nam expressio falsi faciliùs tantum impellentis non tollit, voluntarium ad concessionem gratiæ substantialiter requisitum; unde sine expressione falsi tantùm impellentis concessa fuisset gratia simpliciter, licet non cũ ea facilitate. Ergo. Ita multis citatis Sanchez *de mat. lib. 8. disp. 21. n. 32.* Couarruuias *lib. 1. uariar. cap. 20. num. 5.* Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 3. num. 7.* Contra quosdam affirmantes dispensationem esse irritã, etiãsi causa falsò expressa sit impulsiua: quia literæ cõcessionis habẽt tacitam conditionem, si præces veritate nitantur, iuxta *cap. 1. de rescriptis*. Sed hoc fundamentum intelligendũ est, quod preces niti debeant veritate eorum duntaxat, ex quibus concessio gratię substantialiter pendet, cuiusmodi non est causa merè impulsiua, sine qua adhuc concessa fuisset dispensatio.

Sanchez. Couar. Henriq.

32 Controuertitur inter Doctores, quando attentis omnibus circunstantiis dubium est, an causa in dispensatione tacita, vel falsò expressa sit finalis, uel impulsiua? Quidam enim pręsumi finalem affirmant Ratio illorum est, quia Pontifex concedit ordinario, vel confessario, vt dispenset, si preces veritate nitantur: at quando est dubium, non nituntur ueritate. Tũ quia cũ de impedimẽto constet, & dispensatio dubia sit, stat possessio pro impedimento. Ita Molina *tract. 2. disp. 173.* Gutierrez *pract. quæst. lib 3. q. 17. n. 115.* Menocbius, & alij apud Sanchez infra. At verius est in dubio non pręsumi causam finalẽ, sed impulsiuã, ac proinde pręsumi fore vt illa causa verè expressa Princeps concederet dispensationem, vt vel sic illa valida sit: quia in dubio, semper actus præsumendus est validus; vnde valori actus iura maximè fauent. Ideò hanc sententiam sustinent Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 21. num. 20.* Salas *de leg. disp. 22. sect. 15. n. 122.* Bonacina *disp. 1. quæst. 2. punct. 6. in fine.* Ad iudicandũ autẽ, an causa sit impulsiua vel finalis, recurrendũ est ad iudicium viri prudentis, qui in iudicio ferendo inspicere debet stylum curię, consuetudinem dispensantis, & alias similes circumstantias. Ad rationes autem in contrariũ dic, quod cum in eo dubio præsumatur pro valore dispẽsationis, præualet ea pars, vt preces verę sint. Ad secundã dic, quod possessioni illi, stanti pro impedimento, præpõderat præsomptio valoris actus, qui in dubio, & quantũ fieri potest, præsumendus est. Nam præsumptio faciens actum valere, reputatur reliquis firmior, & potentior, vt probat Menochius *de presumpt. l. 6. presumptione. 4.*

Molina. Gutierrez. Menoch. Sanchez. Salas. Bonacina. Menoch.

33 Certum est apud omnes dispensationem non fore subreptitiam, quando erratur in nomine personæ: quia error nominis proprij, quando constat de corpore, non vitiat rescriptum, vt colligitur apertè ex *instit. de legatis, §. siquis in nomine.* Et hoc verum, etiamsi dispensans nosset personã, cui dispensatio petitur, errato nomine veri petentis. Ratio est, quia in gratijs concedendis præsumitur Princeps, si aliunde contrarium non constet, attendere ad merita causæ, propter quæ gratia petitur, cuiuscumque tandem personę sint. Ita Sanchez *citat. disp. 21. num. 37. & 38.* Gutierrez *de matrim. cap. 89 num. 8.* Salas *disp. 20. sect. 20. n. 123.* & alij.

Sanchez. Gutierrez Salas

34 Dubium est, an dispensatio sit subreptitia, quando erratur in nomine Dięcesis, vt si Titius, cum quo dispensatur, dicatur esse Diœcesis Leodiensis, cùm sit Attrebatensis? Affirmant Sanchez, Villalobos, Merolla: quia neuter Episcopus potest cum eo dispensare, non enim potest Attrebatensis, cum mandato dispensandi dirigi videatur ad Episcopum Leodiensem, & Attrebatensis non acceperit mandatum dispensandi. Neque potest Leodiensis, quia Pontifex intendit mandatum dispensandi committere Superiori impetrantis Episcopus autem Leodiensis nõ est eius Superior. Nihilominus contrarium est probabilius. Ratio est, quia quando à Põtifice petitur dispensatio, ipsius intentio fertur ad Dięcesanũ ipsius dispẽsandi propriũ. Quare sicut error in persona dispensandi non tollit intẽtionẽ sufficientẽ ad valorem dispensationis, eo quod dispensantis intentio fertur in merita causæ, quæ proponuntur, cuiuscunque tandem personę illa sint: ita nec error in Diœcesi tollit intentionem sufficientem ad valorem dispensationis, eo quòd Pontificis intentio fertur ad Diœcesanum ipsius dispensandi proprium, quicumque tandem ille sit, qui Pontificis dispensationem cum ipso dispensando exequutus sit. Tum quia supponitur, quodsi expressum fuisset nomen propriæ Diœcesis, adhuc gratia dispensationis concessa fuisset per propriam Diœcesanum exequenda: sed quando expressio falsi est talis, qua sublata adhuc maneret voluntas dispensantis, non vitiat dispensationem, ergo. Ex dictis igitur concludendum est, Episcopum Attrebatensem, qui est legitimus dispẽsandi ordinarius, posse dispensationem exequi. Ita Salas *de legib. disp. 20. sect. 16. n. 125.* Diana *p. 1. tract. 10. res. 36.* & *p. 8. trac 3. res. 64.* Amicus *tom. 5. disp. 6. sec. 8 n. 145.* Bonac. *de leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. n. 6.* & alii penes ipsos.

Salas, Diana. Amicus

35 Dispensatio foret subreptitia, si Pontifex dispensaret cum consanguineis allegata sola copula pro causa, & ea non esset habita. Ratio est aperta, quia Pontifex commisit facultatem ordinario dispensandi sub conditione si preces veritate nitãtur, at tunc non nituntur: cum vnica, & ea falsa allegetur causa. Sed quando allegatur copula, atque ob id mulierem facturã famæ passam esse, & inde scandala subsequenda, dispensatio valida esset, si scãdala illa, & infamia uera sint. Ratio est tũ quia quotiès in rescripto quocũq; plures narrãtur causę copulatiuę, quarũ aliquę verę falsæ, spectãda est causa, quà nititur rescriptum, atque ea exigente ucra, non obstat cęterarum falsitas. Tum quia copula cum consanguinea, nequit recta iustitia Pontificem mouere ad dispensandum, imò difficiliorem redit dispensationem: at infamia, & scandala inde secuta, & quod mulier sit mansura inupta præbent iustam dispensandi causam. Cùm ergo hæ causæ ueræ sint, ualebit dispensatio: quia Pontifex seclusa copula ob solam iacturam famæ fœminæ, ac timorem ut ob id inupta maneat: solet dispensare. Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 27. n. 9.* Diana *p. 8. tract. 3. resol. 65.* Amicus *tom. 5. disp 6. sect. 8. num. 150.* Bonacina *citato punct. 4. num 8.*

Suar. Diana Amicus Bonacina

36 Quando subreptio tacendo verum, vel exprimendo falsum contingit in vna rescripti parte, vitiat, & irritum reddit rescriptum, quod eam partem in qua est subreptio, non verò quoad reliquas: Probatur prior pars, nam quæ ratiò est totius ad totum, eadem est partis ad partem. Probatur secunda pars, tum quia vtile per inutile non vitiatur, *de reg. iuris in 6.* Tum quia sic decernitur *in cap. Super literis, de rescriptis.* Duobus tamen modis hoc limitandum est. *Primo*, modò partes in quibus non contingit subreptio separabiles sint quoad valorem, à parte, in qua fuit subreptio. Nam si separabiles non sint, sed tanquam accessoriæ, rescriptum corruit quoad omnes partes; accessorium enim corruit destructo principali. *Secundo*, modò subreptio in vna rescripti parte non contingit per dolum: nam quoties per dolum, vel malitiam impetrantis, seu per ignorantiam cum ingenti temeritate, quę comparatur malitiæ contingit subreptio, licet rescriptum quoad eam partem, in qua non fuit subreptio, non sit irritum ipso iure in foro conscientię, irritandum tamẽ est, seu declarandum irritum in totum per iudicis sententiã, vt patet ex *cap. sup. literis* citato, in quo licet sermo sit

de

de solis iustitiæ literis tamen ex consuetudine extenditur ad alia quælibet gratiarum rescripta, vt testatur Sanchez *de matrim. l. 8. c. 21. n. 54.*

37 Validum est rescriptum, quod illam partem in qua non contingit subreptio, etiamsi curialis, vel solicitator scienter subreptionē in ea parte commiserit, inscio illo, in cuius fauorem rescriptum obtinetur, qui verum Curiali proposuerat. Probatur, quia subreptio contingit solum in vna rescripti parte separabili ab alia. Tum quia impetrans non dicitur obtinere rescriptum per dolum, vel malitiam. Tum quia *cap. super literis* decernitur dum subreptio contingit, inualidum esse rescriptum in pœnam peruersitatis ipsius impetrantis. Hic autem non adest culpa, seu peruersitas ipsius impetrantis sed in solicitatore, qui iuxta motum Pij V. pena falsarij plecti debet. Ita Portel *to. 2. respons. moral. cas. 49. numer. 6.* Bonacina *de leg. disput. 1. quæst. 2. punct. 4. numer. 17.* Sanchez *citato disp. 21. num. 58* — Pius V. Portel. Bonacina. Sanch.

38 Dispensatio obtenta per metum, licet incussum ad ipsam obtineodam, valida est; quia gesta per metum valida sunt, exceptis casib. in iure expressis. Ita Sanchez *de matrim disp. 39. n. 13.* Secus dicendum si dispensatio eatorta fit per dolum, & mendacia, quæ versabitur circa causam finalem. Ratio est, quia dispensatio vim habet a voluntate dispensantis: dispensans autem non habet voluntatem dispensandi, quoties dolus, & mendacia versantur circa causam finalem, præsumitur. n. habere intentionē dispensandi solū subsistente causa mutiua & finali Si autem dolus, & mendacia versentur solū circa causam impulsiuā, valida esset dispensatio, vt patet ea dictis supra.

39 Ad valorem dispensationis non sufficit, neque requiritur, vt causa finalis verificetur tempore, petitionis dispēsationis, sed requiritur eā uerificari eo tēpore quo Pōtifex, vel alius Superior dispensationē concedit, vel cō mittit alteri eā concedendam *si preces veritate nitantur* Quare subreptitia erit dispensatio, si tunc veræ non sint, quamuis tempore præcedenti fuerint, vel tempore subsequenti veræ existant; Vnde Ordinarii, vel Confessarii quibus hæ dispensationes committuntur, magna vti debent diligentia in indaganda rei virtute, vt videlicet respiciant, an preces verificentur, non solum dum ipsi dispensationem vi facultatis sibi concessæ exequi volunt; verum etiam tempore cooccssionis Romæ obtentæ: nam sæpe contingit earum veritas post concessionem Romæ factam, v. g. allegatur fœminam iacturam famæ passam esse ex frequenti conuersatiooe cum viro cui nuptura est, & sepæ ea infamia post tempus datæ dispensationis suborta est. Ita Sanchez *de matrim. l. 8. disp 30. n. 4. & 5.* Bonac. *c punct. 10. §. 1. n. 4.* — Sanch. Bonac.

40 Dispensatio non prodest, neque vim habeat in foro externo, si literæ non expediantur postquam tamen expeditæ sunt, retrotrahuntur, & prosunt à puncto concessionis, & vim habet etiamsi super cum literæ expediantur mortuo iam Summo Pontifice, qui eas concessit. Probatur prior pars, ea Regula Cancellariæ 56. ubi pronunciatur dispensationem non suffragari nisi literis eapeditis, uerbum enim suffragari significat aliquid pertinens ad forum contentiosum. Probatur posterior pars, quia Regulę Cancellariæ, quæ petuut literarum expeditionē, non petunt literas esse capeditas à tempore quo iudiciū incipit: ergo credendū est, cū hæc res sit fauorabilis, sufficere etiam ad forum externum eapeditionem quocumque tempore factam. In foru autem conscientiæ ualeat dispēsatio, etiāsi nondū scripta sit, statim scilicet, ac simplici uerbo concessa est, quia gratiæ ad suū ualorē, seu substantiā non indigent literarū eapeditione Hinc si Summus Pontifea moriatur, antequā expediantur literæ dispensationis, is, cum quo dispensatum est, potest in foro conscientiæ illa vt. Ita Molina *de iust. disp. 599.* Henriquez *lib. 12. de matrim. c. 3. num. 7* Præpositus *in 3. p. q. 8. de matr. dub. 7. n. 46 & seq.* Sanchez *de matr li. 8. disp. 29.* Aduerte tamen ex eodem Sanch. quæ literæ iurisdictionē concedētes iudicibus qui per eas deputantur requirāt necessario ante iudicii initium eas expeditas esse: itaut si iudicium inchoetur concessa supplicatione, nondum tamen literis expeditis, & intimatis, est omninò nullum, nec ualorem obtinebit, eo quod in iudiciū progressu literæ eapediantur, & præsententur. Vt cōstat ex *Reg. Cancellar. de non iudic. iuxta form. suplicat.* — Molina. Henriq. Præposit. Sanch.

41 Ad dispensationem &, quæuis alia priuilegia impetranda, nec speciale, nec generale mandatum desideratur, sed possunt validè impetrari eo, cui impetrantur, ignorante Probatur primo ex *l. vniuersi 6. Cod. de precib. Imperat. offer.* quæ decidit non referre, à quo impetratū sit priuilegium, dummodo a Principe concessum sit. Huius sententiæ videtur Glossa *c. nonnulli §. sunt*, & alii, *v. sine speciali, ad fin. de rescriptis:* vbi redens rationem cur rescriptum beneficii absq; mandato valeat, ait quia super nulla lite impetrantur, sed de gratia tantum conceditur Ita Emanuel Sa *verb. gratia nu 23.* Vasquez *1. 2. disp. 156. numer. 33.* Diana *par. 8. tractat. 3. resolut 87.* & aliquos refert, & sequitur Sanchez *loco citat. disp. 26. n. 4.* Non prodest tamen dispensatio ignoranti docet ab ipso acceptetur, vel ab alio habente speciale eius mandatum, quia dispensatio conceditur in fauorem priuatæ personæ, vt licitè possit contra legem communem operari: & ita nondum censetur ei prodesse, quousq; habeat notitiam illius. — Sa. Vasq. Diana

Vide verb. Capitulum *n. 10* Irregularitas 3. *n. 5. & 6.* Matrimonium 3. *n. 1. & seq* Priuileg. *n. 8. vers. Quintum*, Simonia *n. 18.*

DIVINATIO

SVMMARIVM.

1 *Diuinatio quid.*
2 *Diuinatio fit per expressam & tacitam dæmonis inuocationem. Et an diuinatio per sortes sit licita.*
3 *Diuinatio ex genere suo est peccatum mortale. Et an diuinatio per sortes licita sit.*
4 *Quando excusari possit à mortali.*
5 *Diuinatio cum tacita, vel expressa dæmonis inuocatione, habet malitiam eiusdem speciei.*
6 *Quilibet diuinatio est eiusdem speciei, siue fiat per astra, per aerem, &c.*
7 *Qui diuinationes excercent, vel diuinos consulunt an aliquam excommunicationem incurrant.*
8 *An teneatur diuinus restituere, quod à consulentibus accipit.*

1 Diuinatio, vt est idolatria, seu superstitio implicita falsi cultus, in hoc consistit, quod quis adnitatur peruenire ad aliquam cognitionem, quæ ad solum Deū pertinet, idque indebitis modis, minimeque a diuina prouidentia constitutis, cognitio vero ad solum Deum pertinens, est cognitio certa futurorū contigentiū quæ videlicet a causa libera, & indreterminata dependent, itē cognitio certa præsentium occultorum, vt cogitationum & affectionum cordis. Probatur, quia qui huiusmodi rerum cognitionem, variis modiis aliūde quærit, quam ea ipso Deo conuincitur esse superstitiosus, cum omnis vana occultorum inquisitio, nitatur auxilio dæmonis a quo quis erudiri vult, aut expresse, aut tacitè saltem illum inuocando.

Quamuis enim dæmones certo non possint cognoscere futura, dicuntur tamen illa aliquo modo scire, vel per experientiam, scit enim dæmon quando passim hoc, aut illud euenire solet, vel Dei permissu aliquid aliquando ab Angelo bono, quæ prædicere gestit prædicare etiā potest demō quæ ipsemet facturus est. Nouit etiā multos effectus naturales necessarios, qui tamen nobis apparent contingentes. Scripturas etiam melius intelligunt quam homines: Lessius *l. 2. c. 43. dub. 5* Layman *l. 4 tract. 10. c. 3 num. 2. a.* Filliucius *tract. 24. ca. 3. num. 54. & 61.* Valentia *2. 2. d. 6. q 12. part. 3.* Bonac. *tom. 2. d. 3. quæst 5. p. 3.* Sanch. *lib. 2. mor. c. 38. num. 7.* Reginald. *l. 17. n 163.* Delrius *lib. 4. magic. c. 2. q. 2.* & alii — Lessius. Layman. Filiuc ius Valentia Bonacina. Sanch. Reginald. Delrius

2 Diuinatio dupliciter fieri solet. *Primo* per exprexam dæmonis inuocationem, quando scilicet diuinator intendit inuocare dæmonem; & cum eo pactum inire, & hæc multis modis contingere potest, prout dæmon variis modis consulitur, aut consultus variis modis respōdet. *Primo*, per apparitionē factam in figuris, vel asūptis corporibus. *Secundo*, per signa apparentia in corporibus

terrestribus

terestribus, vt in ligno, ferre, lapide, &c. *Tertio*. per negromantiam, quæ fit excitando aliquem mortuum qui respondeat; denique multis aliis modis per varias adiurationes, vnctione figuras, specula, aliàque signa, quæ ipse instituit, innocari solet dæmon à diuinis, vt occulta pate faciant, & ipse variis modis respondet, v. g. per aera, per ignem, per aquam, per somnia *Alterum*, genus diuinationionis est, in quo dæmon expresſè non inuocatur, sed tacitè, scilicet, cum quis vtitur medijs ad cognoscendum res occultas, quæ media nulla habent virtutem indicandi eas res, vt contingit quando quis vult diuinare per taxillos aut chartas, aut per id quod primo loco occurrerit aperienti librum, vel quando quis vult diuinare ex inspectione dispositionis quarumdam rerum, aut numeri, aut ex obseruatione vocis, vel cantus, aut ex manuum lineis, ex fronte, coloribus, figuris, garritu auium, ex voce animalium, ex sternutatione, ex occursu funeris, ex fractione corrigiæ calcei, &c. Ita D. Thomas 2. 2. *q* 95. *art*. 3. Syluius *ibid* Toletus *lib*. 4. *c*. 15. Clauis Regia *lib*. 4. *c*. 5. *n*. 5. & 6. Azorius *tom*. 1. *lib*. 9 *cap*. 12. & *seq*. Bonacina *tom*. 2. *disp*. 9. *q*. 5. *p*. 3 *n*. 5. Valentia 2. 2. *disp*. 6. *q*. 12. *part*. 2. Layman *cit num*. 2. Suarez *tract*. 3. *de superst*. *cap*. 8. Nauarrus *in Man*. *c*. 11. *n*. 25. Filliucius *cit*. *cap* 3. *quæst*. 3. 4 & 8. Portel *de dub. reg. v. Venefic. num*. 24. & 25. & alij.

D. Thom. Syluius. Toletus Clau. Reg Azorius Bonacina valentia Layman. Suarez. Nauarr. Filliucius portel.

3 Ex communi Doctorum sententia, diuinatio peccatum ex mortale, ex suo genere, siue fiat cum expressa, siue cum tacita dæmonis inuocatione; quia per diuinationem consortium inittur, & societas cum diabolo perpetuo Dei hoste, homo enim per illam subijcit se disciplinæ diaboli, vt ab ipso occulta doceatur; vnde si diuinatio seriò fiat non datur paruitas materiæ à mortali excusans; ob inuincibilem autem ignorantiam, vel ob aliam causam, posset esse non mortalis, Reginaldus *cit*. *n*. 170 Sanchez *cit*. *n* 18. Syluius 2. 2. *q*. 95. *art*. 1. post D. Thom. Nauarr. *cit*. *n*. 38. Suarez *cit*. *c*. 10. *n*. 6 Lessius *cit*. *num*. 53.

Reginald. Sanchez Syluius. D. Thom. Nauarr. Suarez. Lessius.

An autem diuinatio per sortes sit licita: sciendum est primò sortes propriè esse secundùm D. Thom. 2. 2. *q*. 95. *art*. 8. Syluium *ibid*. Sanchez *lib*. 2. *Moral c*. 38. *n*. 56 Suarez *de relig*. *tom*. 1. *lib*. 2. *de superst*. *cap*. 12. Reginaldum *lib*. 17. *n*. 174. Portel *de dub. reg. v. Venefic. num*. 14. & 15. cum aliquid fit, vt eius euentu considerato, aliquid fiat, aut innotescat. Tres sunt earum species, diuisoriæ, consultoriæ, diuinatoriæ, Sors diuisoria est, quando, quæritur, quid cui sit exhibendum. Consultoria, quando inquiritur quid in arduo aliquo negotio sit agendum. Diuinatoria, quando quæritur quid sit futurum, quibus positis; ad quæst. respondeamus. Sortem diuisoriam multis in rebus licitam esse, modò euentus non expectetur à demone, vel a fortuna tanquam aliquo nomine, sed simpliciter a Deo, & caueatur ne vlli fiat iniustitia, néve quippiam agatur contra bonum publicum, nec adhibeatur in electionibus Ecclesiasticis imò nec in sæcularibus absque necessitate; & modò diuina oracula non conuertantur ad terrena negotia, veluti vtendo libro Euangeliorum ad sortiendum.

D. Thom. Syluius Sanchez Suarez Reginald. portel.

Sortes consultoriæ rarò sunt licitæ; quia Deus non vult suam voluntatem indagari sortibus, sed Ecclesiæ, & Sanctorum Doctrina, ac petito à viris prudentibus consilio. Et ideò sub anathemate, in iure interdicuntur, *cap*. *Sortes* 26. *q*. 5.

At possunt esse licitæ in casu magnæ necessitatis quando super re necessariò agenda, humanum iudicium non sufficit, concurrentibus his conditionibus. *Prima*, vt debita reuerentia ad Deum mittantur sortes. *Secunda*, vt seruetur modus proportionatus, ne scilicet, Sanctorum reliquiæ, aut Euangelica conuertantur ad lucra temporalia. *Tertia*, vt non fiat sortitio pro beneficijs, aut officijs Ecclesiasticis, quæ per electionem conferri, debent. Ita Azorius *c*. *c*. 21. Filliucius *c* 4. *q* 11. *n*. 104. Bonacina *cit*. *n*. 15. Sanchez *c*. *n*. 85. Syluius *c*. *art*. 8. *concl*. 3. Sigismund. à Bononia *tract*. *de elect*. *dub*. 26. & alij. Porrò sortes diuinatoriæ sunt illicitæ, & superstitiosæ, *c*. *Si quis Episcopus*, & *seqq*. 26 *q*. 5. quia tales sortes neque ex natura, rei neq; ex Dei, vel Ecclesiæ instituto, seruiunt rei cognoscendæ; ergo sunt medium improportionatum, & admiscetur tacita dæmonis inuocatio. Ita D. Thom. *cit*. *art*. 8. Syluius *cit*. *concl*. 4. Portel *cit*. *n*. 21. & alij.

Azorius Filliucius Bonacina Sanch. Syluius Sigismun. portel.

4 Qui loci causa ostendit se velle futura diuinare, excusari potest à mortali, cùm non adsit animus superstitiosus indagandi latentia, sed est potiùs vanitas quam superstitio: Item mortalis non est diuinatio per somnia, quando quis ex simplicitate fidem facilè illis præstat, putans illa esse à Deo, vel tenuiter credit: aut quando quis credens somnium fortè esse à Deo, propter metum, vel spem aliquid facit, vel omittit, seu cautiùs se gerit, dummodò aliud peccatum non intercedat: hæc enim non est perfecta superstitio Suarez *de superstitione c*. 9. & 10. Lessius *c*. *d*. 8. *n* 53. Valentia *c*. *q*. 12. *punct*. 3. Nauarr. *c*. 11. *n*. 37. Syluius *c*. *art* 1. Layman. *c*. *n*. 6. & alij.

5 Cum taciti, & expressi eadem sit, ratio, & differant tantùm inter se, sicut completum, & incompletum, perfectum, & imperfectum intra eandem speciem, hinc diuinatio cum tacita dæmonis inuocatione, malitiam habet eiusdem speciei, quam habet diuinatio facta cum expressa inuocatione: in confessione tamen explicandum est, an superstitio fuerit cum tacita, vel cum expressa dæmonis inuocatione; quia hæc aliquando coniunctam habet hæresim, aut adorationem dæmonis, aut alia peccata explicanda in confessione. Reginaldus *cit*, Sanchez *cit*. *num*. 14 26. Suarez *cit*. *c*. 10 *num*. 2. Filliucius *cit*. *num* 72. Lessius *cit*. *num*. 28 Layman *cit*. *num*. 4 & alij

Reginald. Sanch. Filliucius Lessius Layman.

6 Diuinatio siue fiat per aerem, siue per aquam, siue per ignem, siue per astra, siue per somnia, est eiusdem speciei in genere moris, quamuis in genere naturæ sit diuersæ; quia quouis modo fiat continet, priuationem eiusdem perfectionis, eandémque habet cum recta ratione depositionem; vnde nõ est opus exprimere in cõfessione rẽ per quam facta est diuinatio, diuersitas enim rei non mutat iudicium confessarij, nec diuersam constituit speciem. Azorius *tom*. 1 *lib*. 9. *c*. 12 *quæsit*. 3. Rodriguez *in Summ*. *cap*. 53. *n*. 5. Syluius *cit art*. 3. Sanchez *cit*. *cap*. 38.

Lessius Sanch. Nauarrus

7 Quia damnationes exercent, vel diuinos consulunt, non sunt ex hoc capite excommunicati, nisi eorum diuinationes manifestè contineant, aut sapiant hæresim; quia iure Canonico nulla talis excommunicatio ipso facto incurritur, quamuis eodem iure talis anathemate feriendos præcipiatur, *c*. *Non oportet*, 26. *q*. 5. & docet Lessius *cit*. *d*. 5. *n*. 29 Sanchez *cit*. *cap*. 38 *num*. 91. Nauarr *c*. 27 *num*. 12.

8 Diuinitas non tenetur restituere pecunias, quas accepit à consulentibus, pro responsis petitis, & acceptis a dæmone. Ratio sumitur a communi restitutionis regula, iuxta quam non tenetur quis restituere pretium, quod accepit ob rem turpem faciendam, diuinits uerò operam suam turpem adhibuit, & ideò pretium non tenetur redderre. Ita, Rodriq *in Sum*. *v*. *diuinare c*. 7. *n*. 4. Fernand. *p*. 4. *c*. 6. §. 3. *num*. 4. P. Nauarra *l* 2. *de restit*. *c* 2. *n*. 117.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Vana occultorum inquisitio per diuinationem, innititur semper auxilio demonis*,
2 *Quid exigatur vt dicatur pactum tacitam cum Demone?*
3 *Diuinatio superstitiosa ex tribus dignoscitur*.
4 *Sunt nouem species diuinationis, in qua est expressum pactum cum Damone*.
5 *Quomodo per præstigiam Damon varijs apparitionibus oculos superstitiosorum perstringat*.
6 *Quando diuinatio per somnia sit superstitiosa? Quibus indicijs diuina somnia à Diabolicis secernantur*.
7 *Necromantia quid sit, & quibus modis exerceri possit*.
8 *Diuinatio in qua est sola tacita Damonis inuocatio, quotuplex sit?*
9 *Astrologia iudicaria quando sit superstitiosa, & quando licita?*
10 *Diuinatio per Augurium vel Auspicium, in quibus sit licita vel illicita?*
11 *Quid de diuinatione per omnia?*

12 *Quid*

12 *Quid de diuinatione Physonomica.*
13 *Sortes diuisoria stando in solo iure naturali sunt licita in casib. in quib. ius humanum eas non interdicit.*
14 *Sortes diuisoria in quibus casibus locum habeant.*
15 *Ex quibus circumstantiis sortes diuisoria possint esse illicita.*
16 *Sortes prohibentur fieri in electionibus Ecclesiasticis ad dignitates, & officia Ecclesiastica.*

1 VAna occultorum inquisitio per diuinationem, innititur semper auxilio Dæmonis, eiusque pacto, siue expressè, siue tacitè implorati. Probatur, quia intendens vanis mediis scire superantia humanam cognitionem, id non curat via inuentionis, eo quòd inepta ei inuentioni media sint, quærit ergo via disciplinæ. At Magister illius nō est Deus per se, vel per bonos Angelos, nec etiam est alius homo, cum humanam cognitionem superet ijs medijs improportionatis eam scientiam habere, Ergo magister est Dæmon. Etsi hęc doctrina per modum artis inueniatur tradita in aliquibus libris, est tradita à Dæmone per aliquem eius ministrum, & subinde à Dæmone proficiscitur. Ita Suarez *tom. 1 de relig. lib. 2. de superstit. cap 9. à num. 9.* — Suarez.

2 Vt dicatur pactum tacitum cum Dæmone, seu tacita eius inuocatio, non exigitur Dæmonem cum aliquo pactum iniisse sese immiscendi cum iis vanis a quocumque adhibitis, verbisq; a quouis dictis; ae concorrendi ad effectum internum, sed satis est quempiam vanis vti ad effectum adipiscendum, quia eo ipso Dæmon vanitatib. illis se immiscet. Imò quamuis vtens his vanis, dicat explicitè se nolle pactum cum Dæmone, vult tamen illud implicitè: & quamuis nolit expressum pactum, vult de facto tacitum: quia interdum per crassam ignorantiam, vel inaduertentiam vult homo contraria vouum in se, & formaliter, aliud in alio, & virtute, & sic contingit in hoc casu. Ita Caiet. 2 2 *q. 95. art. 2.* Victoria *de magia q. 6. n. 28* Suarez *c. c. 9. n. 17.* — Caietan. Victoria. Suarez.

3 Diuinatio superstitiosa, & illicita, in qua est tacitū cum Dæmone pactum, dignoscitur ex tribus *Primum*, est, proportio rei cognoscendæ ad medium per quod eius cognitio procuratur. Proportio autem inter rem cognoscendam, & mediū in eo consistit ne mala diuinatio, sed coniectatio licita sit; vt vnum ex alio sufficienter cognosci possit: quod cōtingit tripliciter. *Primo*, vt ex sua causa, sicut eclipsis ex motu cœli. *Secundò*, vt ex suo effectu, ut ex fumo ignis. *Tertio*, ut ex effectu suæ causæ, a qua uterq. effectus procedit; sicut ex arcu cœlesti serenitas cognoscitur, eo quod eadē arcus illius, & serenitatis causa est. Vnde quoties sapientium iudicio apparet aliquo ex trib. his modis vnum ex alio cognosci posse, est licita coniectatio, aliàs erit vana, & superstiosa diuinatio in qua inest tacita Dæmonis inuocatio.

Secundum est, natura, siue modus ipsius cognitionis, qui in eo consistit, quando procuratur cognitio omninò certa, aut saltem certior, quam haberi possit, considerata libertate arbitrii, & defectu causarum concurrentium posibili, tunc est superstitiosa, & mala. Secus si nō cognitio certa quæratur, sed coniecturalis sola, qualis deduci potest ex medio ad eam assumpto. *Tertium* est, intentio eam cognitionem quærensis. Si enim seriò per media illa vana cognitionem occultorum indaget, est mala, & in ea est pactum tacitum cum dæmone: secus autem, quando ioci solius, & vanitatis causa sciens ea media vana esse, & inutilia: quia vbi seria cognitio non quæritur ex re uana, non affectatur propria Dei cognitio. Tum quia indulgere uanis, ut uanæ sunt, tantum spectat ad uanitatis crimen; ergo talis inquisitor uanus, & utens inquisitionibus uanis, ut uanæ sunt, idest, non expectans ex ipsius notitiam futurorum euentuū, nisi a casu tantum peccat uenialiter peccato uanitatis. Ita D. Thom 2. 2. *quæst. 95. art. 1.* Caietanus *ibidem* Delrius *lib. 3 disquisit. magicar. cap. 2. q. 3.* De la Torre *in 2. 2. q 95. art. 2. disp. 1.* Valentia, *2. 2. disp. 6. q. 12. punct. 3.* — D. Thom. Caietanus. Delrius. De la tore Valentia.

4 Diuinationis in qua est pactum expressum cū Dæmone, quæ generali nomine appelatur Negromātia, sūt nouē species. *Prima* est, præstigiū, cū nēpe Dæmon variis apparitionibus superstitiosorum occulos perstringit, se illorum aspectib. obiiciens, & occulta docēs *Secunda*, dicitur diuinatio per somnia. Cùm instructio Dæmonis Per somnia speratur. *Tertia*, dicitur Necromantia Cum adhibitis sanguine, & certis carminibus videntur mortui resurgere, loqui, & docere. *Quarta*, dicitur diuinatio per Pythones, cùm Dæmon per homines arreptitios docet. *Quinta*, Geomātia. Cum docet per signa in corporibus terrestribus apparentia, vt in ligno, metallo, lapide, *Sexta*, Hydromantia. Cum per signa in acqua apparentia: *Septima*, Aeromantia. Cum per signa in aere apparentia. *Octaua*, Pyromantia. Cum per signa apparentia in igne. *Vltima*, Aruspicium. Cum per signa apparentia in extis animalium sacrificatorum Dæmoni, docet. Ita Clauis Regia *lib. 4. c. 5.* Sanchez *l. 2. moral c. 38. n. 12.* — Clau. Reg. Sanch.

5 Circa præstigium est notandum, quod huiusmodi apparitiones variis modis fiant: aliquando enim obiicit Dæmon sensibus vera corpora, vel occultè, & celeriter aliunde importata, vel à se facta, & conflata applicando naturalia actiua, & passiua, quomodo verè facti sunt serpentes per magos Pharaonis. Exodi 7. Aliquando autem obiicit sensibus non verum aliquod corpus, sed similitudinem aliquam corporis, ex naturalium tamen operatione consurgentem: quomodo S. August. *lib. 18. de ciuitat. c. 18.* intelligendum putat, quod de socijs Vlyssis in bestias conuersis perhibetur. Non enim putandum est, illos in vera corpora fuisse transformatos, sed opera Dæmonum sub huiusmodi corporeis similitudinibus apparuisse. Item solent Dæmones sæpe apparere in phialis aquæ, vel aliquo corpore polito, scilicet per quasdam corporis similitudines à Dæmone procuratas, cū inuocantur. Vnde cùm Dęmones in assumptis corporibus humanis apparent vigilantibus, & conuersantur cum eis, familiariter colloquentes, & concumbentes, nō habent veras carnes, ossa vera, nec membra, sed carnis, & membrorum similitudinem, non solum visibilem, sed etiam palpabilem, & solidam, ita vt sentiantur tanquam humanæ personæ. Id quod duobus modis probatur esse certum. *Primò*, ex tēperamēto carnis. Nam cum caro eius quasi glacialis molesta esset tactui humanæ carnis, confessus est ipse Dæmon, se non posse melius facere. Non enim potest sic cōmiscere naturalia absque vera generatione homini, vt carnem humanam efficiat. *Secundo*, ex delectatione tactus, & cōcubitus. Est enim tanto personarum humanarum commixtio naturalis delectabilior, quanto verū super excedit verisimili. Denique Dęmon facit exterius aliqua apparere, quæ nec in veritate corpora sunt, nec corporum habent similitudinem, sed solùm illudendo sensibus externis, quod facit cōmouendo spiritus, & humores: vel causando apparitiones, secundùm sensus interiores, ad eum modum, quo affici solent, quando sensus exteriores ligantur, vt solet, contingere per aliquam alteratione corpoream, vt per varias unctiones, & accidit ijs, qui ire se credunt ad ludos Dianę, & ad similia. Diabolica. Cuius rei varia exempla ponit Caietan. *2. 2. q. 95. art. 5* quibus consentiunt ea quæ S. August. *in lib. de spiritu, & anima c. 28.* & *lib. 18. de ciuit. Dei c. 18.* adducit. — Caietan. D August.

6 Diuinatio per somnia tunc est superstitiosa quando extendit se ad ea, quæ per ipsa cognosci nequeunt; vt sunt velle per ea cognoscere futura contingentia, vel quę ex arbitrij libertate pendent certiùs quam ex somnijs cognosci valent: quod interdicitur *Leuit. 19 Deuter. 18.* & in iure canonico *cap. non obseruetis 26. q. 7.* Ratio est, quia ex somnijs nequit haberi de futuris contingentibus, nisi leuissima coniectura suspicionis limites non prætergrediens: cum enim somnium per se ipsum non producat effectus illos contingentes, nequit ex ipso aliquid coniici, nisi causà eius cognita, quæ tamen est cognitu difficillima, eo quod nullum somnium ita ab vna causa proficiscatur, quin ab alijs multis proficisci quoque possit. Ex quinque enim causis somnia possunt prouenire. *Primò* ex singulari Dei prouidentia, quod si id constet, vel probabile sit, fas est homini ex eo capere futurorum prænotionē: fit autem hoc somnium duobus modis, vel apprehensione verborum, quando Deus per Angelum facit, vt sensus communis cōcipiat per modum auditus certa verba, quibus, quid fieri debeat significetur; uel apprehensione aliquarum rerum, quæ uel similes sint rebus euenturis, uel saltem aliquam analogiam cum illis habeant. Si autem nō

fit pro-

sit probabile somnium esse à Deo, non est licitum ex eo capere prænotionem de euentis liberis, & ex genere suo est peccatum mortale; posset esse veniale ratione simplicitatis hominis, vel quia solum tenuiter ipsi credit. *Secundo*, proueniunt somnia ex constitutione cœli, vel aeris, & sic si putentur esse ex causa naturali, licet ex illis coniecturam de euentis, quæ ab illa causa prouenire solent, facere, vt de mutationib. auræ, &c. *Tertio*, ex affectione corporis humani, & sic certius ex somniis capitur coniecturę de effectionibus corporis, quã de mutationib. cœli: hoc modo somniãs, quæ ad libidinẽ pertinet, signum est redundantiæ spermatis *Quarto*, ex præuiis cogitationib. vel curis, & sic nihil de futuris significant, sed solũ insinuant suam causam. *Quinto*, ex procuratione Dæmonis. Vnde quinque genera somniorum distingui possunt, *Oraculũ*, *visio*, *somnium*, *insomnium*, & *phãtasma*, De his vide D.Thom. 2.2. *q* 95. *art*. 6. Lessium *de iustit lib*. 2. *c*. 43 *du*. 8. Clauem Regiam *l*. 4 *c*. 5. *n* 7 8. & 9. Valentiam 2. 2. *disp*. 6. *q* 12. *punct*. 3. Delrium *lib*. 4. *c*. 3. *q*. 6 & alios penes ipsos citatos.

D.Thom. Lessius. Valentia. Delrius

Sed petes, quibus indiciis diuina somnia à Diabolicis secernantur? Resp. ex duobus id coniectari posse *Primũ*, est, considerare ad quid somnium impellat; si enim ad aliquid malum, vel indiscretum, est à Dæmone, si ad autẽ bonum, posset aliquis non temere suspicari esse a Deo, quamuis hoc humiliter, & cum timore sit faciendum; quia Dæmon solet se in Angelum lucis transfigurare, vt postmodum vana, & falsa ex somniis suadeat. *Secundum* est, si post somnium animus maneat confusus, & ad opera bona tardior, est indicium esse à Dæmone, at si promptior, & alacrior maneat, est indicium esse à Deo, In dubio autẽ, an sit à Deo, vel à Dæmone tutios est, vt à Diabolo immissum id contemni. Ita Delrius *l*. 4. *disquis. magic. c*. 3. *q*. 6 *post. conc*. 5 Valentia 2. 2. *disp*. 6. *q*. 12. *punct*. 3. *in fine*. Clau. Reg. *l*. 4. *c* 5. *n*. 8.

Delrius. Valentia. Clau. Reg

7 Necromantiam vocat vulgus omnem artem inuocandi Dæmones, nos vero strictius cum D. Thom. 2. 2. *q*. 95. *art*. 3. pro specie diuinationis, qua per mortuos, aut aliquid ad eos pertinens occulta conantur scire, ac prædicere. Consonat Etymologia vocis, nam Necros, Grecè mortuus, Mantia vero diuinatio nuncupatur. Necromãtia trib. præcipuè modis potest exerceri. *Primo*, cum quis certa verborum forma, aut certis carminib describtis circulis, & figuris, literarum, characterumque notis, que à Dæmone immediatè, aut mediate accepit, ferè semper adhibito sanguine, mortuos suscitare conatur, & ab eis accipere responsa, quib. fortuitos euentus futuros prædicat, aut omninò occulta patefaciat *Secundo*, cum quis animas iam defunctorum conatur præfatis carminib. aut cæremoniis euocare, ut occulta denunciant, & istiusmodi diuinatio etiam solet appellari Psycomantia *Tertio*, ex descriptis in mortuorum corporibus certis lineis figuris, & signis, fortuita, futura, vel latentia nititur intelligere.

Omnes istæ suscitationes mortuorum, quas Necromantici dicuntur efficere, vt ab eis occulta cognoscant, nugatoriæ, & deceptoriæ sunt, ac impossibiles; quia suscitationem mortuorum fieri uirtute alicuius creaturæ est impossibile: quo fit vt omnes mortuorum suscitationes, quæ in libris profanis narrantur factæ a quibusdã, apparentes, duntaxat fuere, & Dæmonis malis artibus, aut Magorum credite sunt vere. Dæmon enim furatur corpora mortuorum, & substituit alia aerea, quæ monet, ac si uiuentia essent. Sic furatus est Romuli corpus, ut habetur ex Liuio lib. 1. Imò quandoque Dæmon ingreditur uera cadauera recens examinata, & ea instar viuentium corporum mouet, & rationes, ac gestus imitatur.

Circa secundum modum Necromantiæ, quæstio est, an defunctorum animæ vi magicorum carminum, ac rituum cogi queant apparere viuis, & eis responsa dare de quæsitis. Quæ quæstio aliam inuoluit, v.g. an animæ defunctorum apparere valeant viuis? Pro responsione dico *Primo*, Animæ separatæ naturali sua virtute nequeũt viuis appare. Prob. ex D. August. in libro de cura pro mortuis agenda c. 13. & D. Thõ. 1. *p*. *q*. 117 *a*. 4. Dico, *Secundo*, Animæ defunctorum aliquando viuis apparuerunt, & cũ eis colloquia miscuerunt, Deo ita disponete, & cõcedẽte, vt constat de anima Moysis, quæ apparuit in monte Thabor, Matth. 17. Dico *Tertio*, de fide est, aut prope fidem accedit, aliquot fuisse apparitiones à nimarum, quæ à corporibus recesserant: Et prima se offert apparitio Christi Dom. facta D. Paulo, actor 9. quã reuera fuisse Christi Domini, & non Angeli repræsentantis Christum, egregiè probat D. Thom. 3. *p q*. 57. *art*. 6. *ad* 3. Dico *Quarto*. Ex innumeris, quæ referuntur defunctorum apparitionibus, pauciores fuerunt animarum, plures verò ministerio Angelorum, aut Dæmonum erga damnatas animas, in corporibus assumptis, repræsentantium iam vita functos. Dico *Quinto*. Omnes animarum apparitiones quæ per artem Necromanticam dicuntur fieri, vanæ sunt, & fallaces, vel quia ipsi Necromantici, eas fingunt, vt alios decipiant, vel si reuera putantur accidere, non sunt animæ mortuorum, quæ realiter appareant, sed ipsi Dæmones assumendo corpora, tales se exhibent Necromanticis, aut eos consulentibus, in voce, statura, facie, gestibus, & similibus; quales olim fuerunt mortui, quos simulant cũ in inter viuos versarentur. Ratio fundamentalis est, nam educere animas defunctorum à locis sibi deputatis, vt appareant viuis, pertinet ad potestatem miracula faciendi, sed non est credibile Deum hanc potestatem tribuere Necromanticis: ergo neque quod suis incantationibus faciant veras animas defunctorum apparere viuis. Ita D. Thom. 1. *p q*. 117. *ar*. 4. *ad* 2. Victor *de ma. gia n*. 17. Clau. Reg. *l*. 4. *c*. 5. *n*. 10. Delr. *l*. 4. *c*. 2. *q*. 6. *sect*. 2.

D. Thom. victor Clau Reg. Delrius

8 Diuinatio, in qua est sola tacita Dæmonis inuocatio est duplex *Prima* est, quando ad cognitionem occultorum vtitur quis vana, & superstitiosa dispositio ne existente in rebus ipsis, quæ tamen dispositio nullam habet sufficientem virtutem ad res illas iudicandas. Posterior est, cum quæritur ex dispositione eorum, quæ homines consulto faciunt; causa eius cognitionis adipiscendæ. Prior diuinandi modus diuiditur à D. Thom. 2. 2. *q*. 95, *art*. 3. in nouem species Prima est, *Genethlia*, cum ex syderum motu, aut situ cogoitio quæritur. Secunda, *Augurium*. Cũm ex animalium vocibus, aut ex hominum sternutatione. Tertia. *Auspicium*. Cũm ex auium volatu, aut quorumuis animaliũ motu. Quarta, *Omen*. Cũ ex hominum vocibus præter intentionem dictis. Quinta. *Onirecritica*: Cũm ex somnijs. Sexta, *Physiognomia*, Cũm ex totius corporis humani signis. Septima, *Spatulemantia*. Cũ ex spatulæ signis Octaua, *Metoposcopia*, Cũm ex fronte. Nona, *Chiromantia*. Cũm ex manuum lineis Posterioris modi diuinandi narrantur ab eodem D Thoma duæ species. Prima est, *Geomantia*. Cũm ex pũctorũ protractione cognitio quæritur. Secunda est sortilegium, siue diuinatio per sortes quæ fit cum vel taxillorum emissione, vel aliquarum chartularum descriptione, vel plumbi liquefa, ctione, siue ceræ, vel alio simili modo, cognitio quæritur.

9 Circa Genethliam: seu astrologiam iudiciariam est dicendum, quòd illius sint tres partes: *Prima* versatur circa reuolutiones, & prædicit totius anni, bello, paceque vicissitudines, aeris salubritatem, annonas, morbos animalium, & *Secunda*, continet Magisterium Natiuitatũ, docens quid sigillatim homini tota vita continget: puta illum certo morbo, certo tempore, mense, aut die, aut certo loco periturũ: vxorem diuitem, aut pauperem, pulchrã, aut deformem ducturum, &c. *Tertia* vocatur electionũ, quæ docet quid in singulis rebus consultò, & vtiliter faciendum, quid omittendum, quando ædificandum, quando mari nauigandum, equitandumve, quando egrediendum domo, quandove manendum: denique quando, & quibus in locis singula facienda, vt fœliciter cedant. Quibus positis.

Dico *Primò*. Astronomus non recedens à suis vniuersalibus, commensuratis, immediatisque principijs, potest iuxta canones artis suæ certo prædicere, etiam multis antequam eueniant annis, vniuersales illos artis suæ euentus: nisi tamen, vel supputatio, vel instrumenta eum fallant. Ratio est, quia sicut se habet res ad esse, sic ad cognoscit euentus isti necessarii sunt, & certi; poterunt igitur certo cognosci. Hinc ortæ Ephemerides, quæ vulgo circonferuntur.

Dico *Secundo*, Astrologiæ species illa prima non est superstitiosa, si tantum profitetur opinionem cum formidine oppo-

ne oppositi, v.g. minantur astra annonæ caritatem, fortè futura durior annona metuo ne sit, &c. Secūda verò nō est superstitiosa si tantū profitetur suspiciunē, v.g. suspicio est hunc puerum fore talem; inclinabitur ad hoc; horoscopus illi talia portendit, &c. Tertia pars denique nō est superstitiola, si dicat se æstimare, quod res bene sit cessura: & reuera animo suo non plus tribuat, quā verbis præsefert, quod in omnibus his tribus notandum est Ratio est, quia propter consideratos euentus similes, ad similem astrorum positura in sępè subsequutos, licet nobis ęstimare suspicari, & metuere similia, neque vllum peccatum in hac obseruationis cautione versatur: quæ est portio quędam prudentię, et ideo secundum se est bona. Cæterum etsi hæ Astrologiæ species non sint superstitiosæ, sunt tamen interdictę in motu proprio Sixti V.

Dico *Tertiò*, Astrologia vllo istorum trium modorū vlterius tendens, & prædicens aliquid, vt certò euenturum, illicita est, & superstitiosa, incerta, & vana, nec artis aut scientiæ digna nomine. Ita Delrius *l.4 c 3. q.1.* Sed his plura *tom. 1 v Astrolog.* & apud Sanch. *lib. 1 moral. c.38. n.27. & seq.* De la Tntte 2.2 *q 95. art.5. disp.1.* & alios commentatores D. Thomæ.

Delrius. Sanchez. De la torre

10 Circa Augurium, & Auspicium est dicendum *Primò*, quod quando ex auium, & aliorum frequentibus cantibus, volatibus, & motibus prænunciantur aliqua futura euenientia, quorum illa signa sunt, vt pluuia, tempestas, serenitas, nulla est superstitio: quia reuera horum signa sunt. Imo ex his possunt etiam nonnulla ad homines pertinentia, probabiliter coniici. Quia vna, eademq; causa cœlestis, & constellactio mouet animalia, & inclinat homines ad effectum aliquem, vt illa quę inclinat hominem ad rixam, & iram, imprimit similem effectum animalibus, quem vocibus, mugitibus & garritibus ostentant. Ita D. Thom. 2.2. *q.95. ar.7* Lessius *lib.2. c.43 n.45.* Superstitiosa tamen erit diuinatio, quæ extenditur ad prædicendum ex his plus quam illa indicent; item si aliquid circa actus humanos per illa coniectet certius, quam illa significant, secus si cum dubio, & formidine.

D. Thom. Lessius.

Secundò, Superstitiosum est, & vanum, ex quibusdam fortuitò homini contingentibus, coniectare aliquid fæliciter, aut infœliciter illi euenturum. Vt ex certorum animalium, aut funeris occursu, ex sternutatione, & aliis huiusmodi contingentibus, hæc enim omnia fortuito accidunt, vnde nil boni, vel mali ex illis coniici valet. Ex hominum autem vocibus, quatenus significant, nulla sumi potest coniectura effectuum contingentium, quia significant ad placitum, & ex ratione proueniunt; quare diuinatio per illas est semper superstitiosa, nisi cognitio tunc expectetur a Deo. Ita Azorius *tom 1. lib. 9. c.22 & 18.* Valentia 2.2. *disp.6 q 12. punct.3.* & alii.

Azorius Valentia.

Tertiò, Omnis diuinatio per auguria, & auspicia, quæ versatur circa euentus liberos, aut exemptos à causalitate rerum corporalium, citra Dei reuelationem expressam, aut probabilem, peccatum mortale est pertinēs ad superstitionem, & tacitam Dæmonis inuocationem. Tales erant fere omnes diuinationes augurum Gentilium, & modo quorundam superstitiosorum fidelium. Similiter peccat mortaliter, qui obseruatis auguriis, & auspiciis, ita se gerit in suis actionibus exercendis, ac si plenam fidem illis tribueret.

11 Diuinatio per omnia omnium diuinationum uanissima est, quia uerba humana, quæ accipiuntur pro nomine, neque possunt esse causa futurorum euentuum (maximè cū fortuito, & inopinato, ac præter intentionē futuri euentus proferuntur) neque possunt habere causam communem cum futuris euentibus, puta side talem influxum, unde neque signa naturalia esse possunt futurorum euentuum, sed ineptè rapiuntur à diuinantibus ut talia signa, cum non magis hoc quā illud designēt. Hinc significatio omnium non potest esse naturalis à causa naturali, sed necessario esse debet diuina à Deo, uel eius Angelis, aut Diabolica à Dæmonib. Quando autē certū, aut probabile est ex circumstantiis omem esse diuinū, licitum est diuinare per illud, & ex ominatione ad opus moueri; maximè quia una ex circūstātiis, quę comitatur diuinum omen, est suasio ad bonum, dissuasio mali. Exempla diuinorū omniū nobis suppeditāt sacrę Literæ Elizer seruus Abraham omine diuino præsagiuit de vxore ducenda pro filio Domini sui *Genes.24.* Et Gedeon ex verbis cuiusdam Madianitæ. Deo disponente, accepit omen de victoria contra Madian. *Iud. 7.*

Quando neque certum neque probabile est omina esse diuina, eis fidem adbibere, & ex eis diuinare, putantes esse diuina, omina, quæ non sunt, peccatum temerarij iudicij ac leuitatis in credendo committitur: peccatum tamē erit tantum veniale: nisi ignorantia diuinantium adeò crassa sit, vt reducat actum in naturam suæ formæ. Propterea non licet citra præceptum, & seclusa reuelatione, aut afflatu diuino, à Deo absolutè petere omnia ad aliquid agendum vel sciendum etiamsi res quæ sciri desideratur sit vtilis, imò, & necessaria ad salutē. Ratio est, quia illa petitio quodam modo ad tentationem Dei pertinet, dum cognitionem, quæ multis viis præter omina à Deo edoceri potest, ad omnia alligare volumus.

Porrò nulla est adhibenda fides ominibus citra Dei præceptum, illuminationem, aut impulsum: quia talia omina, quæ habentur sine Dei reuelatione aut præcepto, nō sunt diuina, aut naturalia signa: ergo casualiter aut ex tacito fœdere cū Dæmonibus, verū aliquod ex eis captari potest, ac proinde, nulla eis adhibenda fides. De hac diuinatione vide Azor. *t.1. l.9. c.18* De la Tor. 2.2. *q.95 a.7. disp.3.* & alios apud Delr. *disquisit mag. p.2. q.4. sect.4. l.3.*

Azorius. De la Torre Delrius.

12 Diuinatio Physionomica, præcipuè ea quæ metocnspia dicitur, quia ex vultu hominum prædicit corporis, seu animæ sensitiuæ affectiones, & propensiones, si intra limites naturales contineatur, & fundamentis dumtaxat naturalibus nitatur probabilitatem aliquam habet, non tamen perfectam certitudinem, & ideò illa vti cum formidine aliqua veritatis, non est illicitum. Physiognomia autem Astrologica est superstitiosa, & omni iure dānata; non enim potest haberi prænotio, neque diuinatio Physionomica circa ea, quæ pendent ex libero arbitrio, aut casualia, vel fortuita sunt. Talia sunt actus omnes humani liberi. Talia sunt dona Dei gratuita. Talia sunt externa hominis bona, vel mala, vt opes, honores, nuptiæ, officia, vitę, status, mors violenta, & huiusmodi. Ratio est, quia omnia ista subtrahuntur, causalitati tēperiei, & cōstitutionis corporis humani, à quibus dimanāt huiuscemodi dispositiones vultus, & aliorū mēbrorū: ergo nequeūt significari per hęc signa. Hinc infertur peccatū esse mortale ex genere suo pertinens ad inuocationem tacitā Demoniorum, diuinationem harum rerum sumptā à vultu hominum, vel à dispositionibus aliorum membrorum; quia ea signa ad talem diuinationem nō se valent extendere: & ideò Deo permittente, Dæmō se ingerit huiusmodi diuinationibus, vt veros euentus enunciet. Ita Azorius *tom.1. l.9. c.16.* Delrius *lib.4. c.3 q.4.* Lessius *l.2. c.43. du 7.* Quare per manuum lineas bonam, uel malam fortunam indicare, & reliqua quę non possunt per Physiognomiam cognosci est superstitiosum, atque omni iure damnatū, vt docent Nauar. *in man. c.11. n.31.* Lopez *p 1. instructory. c. 41.* & alij. Hinc interrogare Ægyptianā de bona, uel mala fortuna, in duplici casu esset mortale. *Primo*, quando interrogaretur animo firmiter credendi dictis eius; secus quando ob curiositatem, & animo ridendi, ut communiter fit; tunc enim esset uenialis uanitas. *Secundo* quando interrogans ob curiositatem, & animo, ridendi, talis esset, ut uidentibus graue scandalū generaret. *Ex Nauarro, & Lopez,* locis citatis. Chiromantia tamen, seu diuinatio sumpta ex manuum humanarū dispositionibus, puta lineis, & similibus, quæ de propensionibus, & effectibus diuinat, licita est, ut potè pars Physiomiæ naturalis, Et eatenus uera ars est quatenus lineæ manus, siue aliæ dispositiones eiusdem nascuntur ab eadem temperie corporali, à qua ipsæ propensiones naturales dimanant.

Azorius Delrius Lessius.

Nauarr. Lopez.

13 Sortes diuisoriæ stando in solo iure naturali sunt licitæ in casibus, in quibus ius humanum eas non interdicit. Prob. quia nil aliud includunt, quam quemdam humanum contractum, quo ex communi consensu paciscentium ius ad aliquam rem habentium, ea inter ipsos sorte diuiditur, vt illius sit, cui sors cōtingerit. Et ideò hic contractus nil superstitionis, aut mali ex se habet, in quo æqualis est utriusque contrahentis conditio. Approbātur *c.1. 26. q.2.* & multis in casibus etiā iure ciuili, ut ad diri-

mendas

controuersias inter hæredes, & legatarios, vt *l. si cū ambo ff. de iudiciis l. si duobus Cod communia, de legatis*. Imò plurimi Doctores statim citandi negant in solis vetitis iure Ecclesiastico sortes has licere, & ideò eas admittunt in electionibus ad munia ciuilia, eo quod in illis non interdicuntur: quamuis enim textus *cap. final. in fine de sortil.* videatur indistinctè eas in electionibus veteræ, ibi, *Sortis vsum in electionib. perpetua prohibitione damnātes*. At ea verba intelligenda sunt iuxta subiectam materiam de qua ille textus tractabat, nempe, in electionib. Ecclesiasticis. Ita D. Thom. 2. 2. *q. 95. art. 8.* Caiet. *ibid. dub. 1. & in Summ. verb. sors* Syluest *verb. Superst. q. 9* Clau. Reg. *l. 4. c. 5. n. 20. & 21.* Lessius *lib 2. c. 43. dub. 9. n. 58.* Qui limitant hac sententia, modo non peccetur contra iustitiā distributiuā; nam si in electionibus ad officia sęcularia mittantur sortes inter dignos, & indignos poterit sors cadere indigno, contra bonum comuune, & rectā reip. administrationem: & ideò, vt liceant hæ sortes, debent mitti inter personas eo munere dignas, quia esset mortale, si inter dignos, indignos sortes mitterentur: quare debent mitti inter æque, aut ferè æquè idoneos; vt liceant.

D. Thom. Caietanus. Syluester Clau Reg. Lessius.

14 In sequentibus casibus sortes diuisoriæ locum habent. *Primo*, in functionibus, vbi de honore, vel periculo agitur; vt quando oppidum inuadendum, sorte inter milites diuersarum nationum decidi solet, quę natio prior inuadere debeat. *Secundo*, tēpore pestis, aut persecutionis Ecclesię, quādo disceptacio fuerit, qui Parochi, aut clerici, aut religiosi manere debeāt in loco persecutionis, aut peste infecto, vt reliquis subueniant, nec aliter iis hęc cō. modè componi valet, licet sortibus diuisoriis eligere. *Tertio*, in dirimendis litibus maxime de rebus sæcularibus, vt dictum est suprà. *Quartò* in pœnis, vt cum duo vel plures sunt rei mortis, & Princeps, vt clementiam in sancienda disciplina adhibeat, vult aliquos punire, aliis ignoscere: quod intelligendum est, quando par est sortiendum culpa, quia alias iniqua esset sortitio quoad minus nocentes *Quinto*, licet tempore tempestatis, quando gratia alleuiandæ nauis, nè omnes pereant, est necesse aliquos homines in mare proiicere sortiri ex omnium cosensu, imò illis inuitis, quis proiiciendus sit. Denique licent hæ sortes quotiescumque non apparet ratio cur alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo debeat præferri. De his casibus vide Nauarr. *in man. c. 11. n 38* Lessium *cit. c. 43. n 58.* Delrium *lib. 4. disq. magic. c. 4. q. 1.* Suarez *to. 1. de relig lib. 2. de superst. c. 12. n. 17.* Syluest. *v. superst. q. 9.* Cla. Reg. *l. 4. c. 5. n. 20.*

Nauarrus Lessius. Delrius. Suarez. Syluest. Clau Reg.

15 Ex quib. circumstantiis extrinsecis adiunctis sortes diuisoriæ quamuis ex se licitæ, possunt esse illicitæ, *Primo*, ratione falsæ existimationis, aut malæ intentionis. Vt si quis ab astrorū influxu expectaret sortē sibi fęliciter casuram; esset enim tunc superstitio, & quidē mortalis, si certò id expectaretur. Ita D. Thom. 2. 2. *q. 95 ar 8* Suarez *loc cit. c. 12 n 16.* *Secundo*, possunt vitiari eò quod expectetur euentus à fortuna, & tunc nullum est peccatum, nisi fortè vanitatis, quando scilicet sine aliquali necessitate, aut bono fine sortes diuisoriæ celebrātur. Si tamen ex errore intellectus sortiētes putarent fortunā cui se committunt, esse Deam, vt Gentiles arbitrati sunt, aut non subdi diuinæ prouidentiæ, tunc esset mortalis superstitio, imò vtrumq. est error contra fidem Vt bene tradunt Suarez *citat* Delrius *l. 4. c 4. q. 1.* De la Torre 2. 2. *q. 95. art. 8. disp. 2* *Tertio*, possunt esse illicitæ, si exinde violetur iustitia commutatiua. Vt si res in sortem exposita non sit sortientium, sed aliena, nec adsit Domini consensus, vel eum res, quæ in sortem mittitur, vnius est, nec ad eam par ius habent alii, inter quos mittitur sors, tunc enim iniustitia fieret Domino. Imò iniustitia esset inter habentes æquales ius sortiri, inuitis habentibus inequale non satisfaciendo illorum iuri. Ita Toletus *lib. 4 Summ. c. 15. n. 9.* *Quarto*, si fiant contra publicum bonum reip. vt cum dignitates sortiuntur inter homines etiam ineptos ad tales dignitates; vt dictum est suprà *Quinto*, si fiant cum irreuerentia rerum Sacrarum, ideo non liceta dhibere librum Euangeliorum in mittendis sortibus, quia fieret irreuerētia rei sacrę, quætamē nō est peccamiosa mortaliter, nisi fuerit magna, Ita Suar. *c. 12. n. 16.* & alii.

Suarez. Delrius. De la Tor.

Suarez.

16 In electionibus Ecclesiasticis ad dignitates officia, administrationes, & beneficia Ecclesiastica, sortes iurę canonico prohibentur, *cap. Ecclesia de sortileg*. Ratio prohibitionis est, tum ne ineptus, & minus idoneus cœca sorte eligatur: tum ne sors quæ cœca est, in Ecclesijs locum habere videatur; tum quia electio ad dignitates Ecclesiasticas fieri debet inspiratione Spiritus Sancti, & cōcordia electorum, non verò per sortes. Ita communiter doctores quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 2. moral. c. 38. n. 58.* Licet tamen vti sortibus ad terminandas lites beneficiales inter clericos, non propria authoritate bene tamen authoritate Ecclesiastici: nec hoc contra decisionem textus *cap. Eccl. de sortileg*, quia componentes sortibus litem non eligunt, cùm is, cui sors cedit, non recipiat beneficium ex vi sortis, sed ex vi iuris, quod prætendebat, & per illas sortes tantùm aufertur impedimentū. Ita Suarez *cit. c. 12. n. 12.* Bonac. *de leg. disp. 3. q 5. punct. 3. n. 13.* Sanchez *loco cit. n. 78. & 79.* Iudex autem Ecclesiasticus, cuius authoritate sortes mittuntur, erit ille, cuius est conferre titulum eius beneficij litigiosi: quia si alius esset, nō caueretur periculū vitiosi ingressus, & simoniæ, Vide verb. Magia, Superstitio, Sortes.

Sanchez

Suarez Bonacina Sanchez

DIVORTIVM.

SVMMARIVM.

1 *Diuortium quid.*
2 *An diuortium siue repudium olim apud Hebræos, & gentiles fuerit licitum.*
3 *Quæ sint causæ diuortij.*
4 *Per quas species luxuriæ matrimonium dissoluatur, quoad thorum, & habitationem.*
5 *An per molitiem, oscula, amplexus, & tactus cum aliena.*
6 *In quibus casibus non liceat facere diuortium, ob adulterium coniugis.*
7 *Qualis notitia adulterij sui coniugis requiratur, vt alter possit facere diuortium in foro conscientiæ*
8 *Coniux innocens, conscius adulterij sui coniugis, an possit secluso scandalo propria authoritate facere diuortium ab adultero.*
9 *In quibus casibus, teneatur maritus sub peccato mortali, facere diuortium cum vxore adultera.*
10 *Quando vterque coniux commisit adulterium, sed alter iam emendatus est, an possit emendatus petere diuortium ab altero non emendato.*
11 *Coniux innocens, antequam status alterutrius mutetur, an possit facto diuortio cogere adulterum vt ad se redeat.*
12 *Adulter an possit repetere innocentem lapsum in adulterium, post latam sententiam diuortij*
13 *Quando coniux innocens mutauit statum, vel quia professus, est vel ordine sacro initiatus, & postea fornicatur, an possit reddi adulterio relicto.*
14 *Quando adulterium est notorium, vel post sententiam diuortij, an coniux innocens possit facere votum simplex castitatis, vel ad religionem transire, &c. inuito adultero.*
15 *Coniux innocens copulam spontè habens cum adultero coniuge, siue petendo, siue reddendo, modò adulterij sit conscius, an censeatur adulterij iniuriam condonare.*
16 *Secunda causa diuortij est, ipsa heresis, uel apostasia à fide, in qua alter coniux labitur.*
17 *Coniux Catholicus, an possit, & debeat propria authoritate recedere à coniuge heretico non resipiscente.*
18 *Ante sententiam de heresi, an possit adulter compensare suum delictum cum heresi: Et an hoc possit fieri post sententiam.*
19 *Ob aliud crimen à fornicatione carnali, uel spirituali, si illo implicitus non pertrahat alterum ad peccandum, non licet coniugibus diuortium.*
20 *Sæuitia coniugis, an sit causa sufficiens ad faciendum diuortium non perpetuum.*
21 *Quando diuortium est absolutum, & perpetuum, ratione sæuitiæ, aut furoris alterius coniugis, an liceat transitus ad*

situs ad religionem, vel ordinem sacrum ei qui sanus est, & innocens.

22 *Apud quem parentem sit educanda proles, quando culpa alterius coniugum, diuortium factum est.*

1 Diuortium est *legitima viri ab vxore, vel è contra separatio*, & secundum iurisconsultum *L. 2. ff de diuortiis.* diuortium dicitur, vel à diuersitate mentium, vel quia in diuersas partes eunt, qui matrimonium distrahūt: tripliciter autē diuortiū accipi potest. *Primo*, pro dissolutione matrimonii quoad thorū, idest, quoad carnalem copulam *Secundo* pro dissolutione matrimonii quoad thorum, & habitationem *Tertio* pro repudio, & pro dissolutione matrimonii quoad vinculum differunt, vero diuortium, & repudium, quod diuortium de sola vxore, atque adeò matrimonio consummato dicitur, repudium autem de vxore, & de sponsa de præsenti nondum cognita Sanchez *de matrim. l.* 10 *d. 1. n. 1.* Bonac. *de matrim. q. 4. p. 5. n. 1.* Syluius *in supp q. 62.*

Sanchez. Bonacina. Syluius.

2 Diuortium quoad vinculum, siue repudium apud Hebræos ante Euangelium, vel licuit ex dispensatione Dei, vel certè permissum fuit, tanquam minus malum ad vitanda maiora. Apud Gentiles autem, permissum fuit quidem ipsorum legibus, non tamen fuit licitū, quia pro iis Deus non legitur vnquam dispensasse, post legem autem Euangelicam, nec ipsis Iudæis, nec aliis infidelibus permissum est repudium, nec per illud dirimitur matrimonium, quia Christus *Matthæi* 19 illud reprobauit, & Matthæi 5. *Ego autem dico vobis* &c. ideoque Iudæi, & gentiles repudiantes vxores peccant mortaliter, & cum ad Christianismum conuertuntur, si tempore infidelitati legitimas vxores repudiauerit cogendi sunt ad illas redire, nisi casus accidat in quo per conuersionem alterius dirimatur matrimonium, infidelitatis tempore contractum Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 8. n. 13.* Sotus 4 *disp.* 33 *q. 2. ar. 2.* Sanchez *c. n. 9.* 10. *&* 11. Filliuc. *tract.* 10. *c.* 10 *n.* 363. & alii.

Henriq. Sotus. Sanchez. Filliucius

3 Cum quatuor sint causæ diuortii, juxta Syluium *c. art. 1.* nempe adulterium, hæresis, & appostasia, inductio ad peccatum, & sæuitia: de adulterio has sequentes assertiones ponimus.

Certa fide tenendum est, per adulterium matrimonii vinculum non dissolui, sed quoad thorum, & habitationem, adulterium alterius coniugis est causa sufficiens, vt innocens possit à nolente diuertere, vt constat ex verbis Domini *Matth. quinto* & 17. idque oritur ex natura matrimonii, frangenti enim, fidē fides seruanda nō est Côc. Trid. *sess. 24. can. 7. c. significasti c. gaudemus, de diuort.*

Conc. trid.

4 Matrimonium dissoluitur quoad thorum, & habitationem, per omnes eas species luxuriæ, in quibus coniux diuidit carnem suam cum alio, & hæc carnis diuisio reperitur *Primo*, in omni concubitu naturali cū alia talis enim concubitus est adulterium, siue simplex, si illa sit soluta; siue duplex, si sit etiam ipsa coniugata: *Fit* etiā carnis diuisio, secundum communiorem, & probabiliorē sententiam, in copula contra naturam siue sodomitica cum mare, vel cum fœmina, siue actiuè siue passiuè modo completa sit: Item fit carnis diuisio per copulam feminæ cū femina, modo semē vnius immittatur in vas alterius medio instrumento, vel absque illo: deinde copula bestialis satis est ad diuortium, quia caro coniugis diuiditur cum carne bestiæ, Bonac. *c. n.* 2, Sanchez *c. l.* 10. *disp.* 4. 3. *&* 14. Filliuc. *c. n.* 367. Syluest. *v. diuort. q.* 7. Sancius *in select. disp.* 11. *n.* 12. & alii.

Bonacina. Sanchez Filiucius Syluest. Sancius

5 Dissolui non potest matrimonium, per eas luxuriæ species, in quibus caro non diuiditur cum alio; quia tunc non violatur perfectè fides matrimonii vnde per mollitiem non dissoluitur, siue fiat adminiculo proprio, siue alieno extra vas naturale, vel præposterum. item nec per oscula, amplexus, & tactus libidinosos; quamuis adfuerit animus perueniendi ad adulterum, vel alium concubitū nec per immissionum instrumenti virilis in vas absque seminatione; nec per receptionem seminis in vase absque adminiculo uiri, vt si in balneo matrix attraheret semē effusū à viro, neq; per concubitum cū fœmina, aut bestia mortuis, uel cum statua mulieris: quia hæc non est proprie diuisio carnis cum alio, copula autē sodomitica cum propria vxore inuita, non est satis ad dissolutionem; quia per eam non diuidit vir carnem suam cum alio; si tamen vir admonitus ab uxore desistere nollet, tunc haberet uxor iustam causam diuertendi ob inductionem ad peccatum Henriquez *l.* 11. *de matrim. c.* 8. *n.* 13 Sanchez *c. n.* 12. Nauarr. *consi. 1. de diuort* Bonac. *c. n.* 5. Syluest. Tabiena, Rosella, Caiet. apud Sanchez *n.* 8. & alii.

Henriq. Sanchez Nauarrus Bonacina Syluester Tabiena Rosella Caiet. Sanchez

6 Quamuis adulterium per se sit causa sufficiens ad diuortium, in aliquibus tamen casibus verè non licet illud facere ob adulterium coniugis. *Primo* quando uterque commisit adulterium, uel crimē æquiualens; eò quòd paria delicta mutua compensatione abolentur *cap. significasti, de diuort. Secundo*, quando vir expressè uel tacitè uxorem prostituit, siue uolentem, aut conscius adulterii uxoris non uult prohibere, cùm possit absque suo graui detrimento; non sic de uxore conscia adulterii uiri, quia si positiuè consentiat, tunc compensabitur, si uerò tantùm conscia sit, & non prohibeat, non est satis: Quando autem uir fuit tantummodò causa remota, & occasio adulterii uxoris, uerbi gratia, si illam iniustè domo expulit, aut necessaria alimenta degauit, potest ab ea facere diuortium. *Tertiò*, quando, vxor fuit uiolenter cognita, etiamsi uiolentiæ per accidens causam dedisset: si autē non per uim, præcisā, sed per metum grauem cognita fuerit, posse uirum ab ea diuertere, alii affirmant, alii negant, & probabiliter. *Quarto*, si coniugi copuletur alter sub uiri specie latenter, & bona fide ex parte coniugis; sicut enim ignorantia inuincibilis excusat à culpa, ita, & à pœna idem dicendum quādo uxor probabiliter credens uirum mortuum, alii nubit. *Quinto* quando coniux innocens condonauit alteri adulterium expressè per uerba, aut tacitè per signa; quòd si post reconciliationem relabatur, non releuatur cōdonatione facta, præcedens enim uenia non trahitur ad futura delicta. De his plura apud Sanchez *c.* 10. *tota disp* 5. Coninch. *disp.* 35. *n.* 7 Reginald. *lib.* 31 *n.* 321. 323. Filliuc. *tr* 10. *c.* 10 *n.* 371. 372. Henriq. *l* 11. *c.* 17. Bonac. *c. n.* 14. Binsfeldium. *in enchirid.* 1. *p c.* 19. §. 5. D. Thom. *in Supplem. q.* 62. *art.* 1. Sylu *ibid* Dianam *p.* 3. *tract.* 4. *res* & alios.

Sanchez Coninck Reginald. Filiucius Henriq. Bonacina Binsfeld D. Thoma Syluius Diana

7 Vt coniux, ratione adulterii sui coniugis, possit facere diuortium in foro conscientiæ, requiritur, & sufficit notitia certa moraliter, uel suspicio violenta talis, qualis in foro externo sufficeret, ad conuincendā uxorem de adulterio, ut accidit, quando ipsa adultera confitetur proprium adulterium, uel quando inuenta est nuda cum nudo, uel sola cum solo in lecto, in locis secretis, latebris commodis, & horis electis: Ex solis autem osculis, amplexibus; &c. si alia adminicula non concurrant, non fit suspicio uiolenta; multò minùs sufficiunt xenia aut uerba amatoria. Ita Sanchez *c. disp.* 12. *num.* 39 *& seq.* Sà *v. diuortium num.* 3. Filliuc. *c. n* 388. Bonacina *c. n.* 7. & alij. Aduerte tamen, pro faciendo diuortio in foro externo, requiri ut adulterium probetur, & sit notorium; quamuis probatio hæc non desideretur pro conscientiæ foro. Ratio est, quia in hoc foro sibi uir ius dicere potest, sublato scandalo, cùm defectus probationis non sit ex culpa sua, ut docet Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 257. post alios contra Basilium, Pontium *lib.* 9. *c.* 18. *n.* 6.

Sanchez Sà. Filiucius Bonacina

Diana.

8 Coniux innocens, conscius adulterii sui coniugis, potest secluso scandalo, propria authoritate facere diuortium, ab adultero, siue delictum sit publicum, siue occultum: quia iure naturæ frangenti fidem fides seruanda nō est: in foro tamen externo cogendus est, redire, donec adulterium probetur: ipse tamen innocens coniux, quamuis per excommunicationem, uel preceptum, à iudice cogatur cohabitare uxori, ex natura rei, & secluso scandalo, non tenetur obedire, quia preceptum superioris non obligat in conscientia, quando procedit ex falsā præsumptione Nauarr. *c.* 22. 23. Coninch. *disp.* 35. *dub.* 1. *n* 2. Reginald. *c. num.* 287. Diana *de Sacram. p.* 3. *resol.* 257. Syluius *in Supplem. q.* 62. *art.* 3. & alii.

Nauarrus Coninck Reginald. Diana Syluius

9 In duobus casibus, tenetur maritus sub peccato mortali facere diuortium cum uxore adultera. *Primo*, quando per diuortium sperat emendatione, & fructum, uir enim cohibere debet à peccato uxorem suam; si uerò non sperat emendationem, sed potiùs timet maiora incommoda secutura occasione diuortii, puta, rixas, & cædes

inter ipsum,& parentes vxoris,non tenetur facere diuortium, quia non tenetur cum tanto suo incommodo corrigere delinquentem non existentem in extrema necessitate salutis; *Secundo* tenetur facere diuortium maritus, quando imminet scandalum, vt si ipse existimetur conscius,& fautor delicti,nec alia ratione possit occurrere scandalo quàm per diuortium. Vxor antè regulariter non tenetur dimittere virum in adulterio persistentem, quia est subdita viro,& ex hoc non solet oriri vllum scandalũ, quia communiter creditur vxori displicere adulterium mariti.D. Thom. *in Supplem.quæst.62.art.*2.Syluius *ibid.* Sanchez *c.l.*10.*disp.*13 *num.*5.6.&.10. Toletus *lib.* 12.*c.* 20 Nauarr.*c.*16.*num.*18.Coninck.*disp.*35.*dub.* 3. Filliucius *c num.* 390.& alij.

D. Thom. Syluius Sanchez Toletus Nauarr. Coninck. Filliucius

10 Quando vterque coniux commisit adulterium,sed alter iam emendatus est, potest emendatus,petere diuortium ab altero non emendato,quãdo admonuit adulterũ, vt se corrigeret, & nihilominus noluit se corrigere, sed denuò lapsus est in adulterium. Ratio est, quia quando coniux emendatus admonet adulterum,offert illi reconciliationẽ, ergo si post admonitionem non vult emendari, potest emendatus ab eo diuertere. Nauarrus *l. 4. cons. de diuort.consil.* 1.Reginaldus *l.*31.*num.*321.Henriquez *l.* 11.*cap.*17.Sanchez *disp.*7.*num.*4.& alij.

Nauarr. Reginald. Henriquez Sanchez

11 Coniux innocens, antequam status alterutrius mutetur, potest facto diuortio cogere adulterum,vt se redeat; quia sententia diuortij est facta in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis, vnde potest illum reuocare in amicitiam.Ita Pontius *lib.*9.*cap* 19.*num.* 3. & 4. Diana *p.* 3.*tract.*4.*resol.*257. Azorius *tom.*1.*lib.*13.*cap.*14.Coninck *disp.*35.*dub.*2.& alii.

Pontius Diana Azorius Coninck.

12 Secundum probabiliorem sententiam, nulla actio acquiritur coniugi adultero, vt repetat innocentem lapsum in adulterium post latam sententiam diuortii; quia non est retractandum quod semel bene fuit definitum,& sententia diuortii non fertur sub conditione in fauorem rei, sed absolutè fertur in ipsius odium: integrum tamen est iudici,vt eos conciliet,ex officio suo illos cogens,quãdo adest scandalum, vel manifestum incontinentiæ periculum: hinc fornicans post diuortii sententiam, non tenetur admittere adulterum à se dimissum, donec per Ecclesiam compellatur: imò non tenetur fateri crimen coram iudice ex officio procedente, nisi iuridicè interrogatus.Reginaldus *citat.num.*330. Henriquez *l.* 11 *c.* 17.*n.* 5.Sanchez *lib.*10.*disp.*9.*n.*30.Filliucius *c.num.*378.& alii.

Reginald. Henriquez Sanchez Filliucius

13 Quando coniux innocens mutauit statum,vel quia professus est, vel ordine sacro initiatus est, & postea fornicatur, non potest reddi adultero relicto, neque officio iudicis; quia iam monasterio,vel Ecclesiæ acquisitum est ius,quod non debet amitti ob delictum:idem dicendum, si innocens sit fornicatus post sententiam,sed ante mutationem status,nam si postea mutet statum non potest cõpelli ad reditum cum vxore, quia vxor priuata est omni iure,& iudex ex officio non debet impedire statum perfectiorem.Sanchez *disp.*9.*n.*35.Filliucius *c.n.*379.

Sanchez Filliucius

14 Quando adulterium est notorium,vel post sententiam diuortii,coniux innocens potest facere votum simplex castitatis, inuito adultero,vel ad religionem trãsire, vel sacris ordinibus initiari. *Capite Constitutus, de conuers.coniug.* quia coniux adulter priuatus est omni iure coniugali;nec propterea necesse est adulterum etiã profiteri,sed potest manere in sæculo etiam absque voto castitatis,secundùm communem sententiam Doctorum, Sãchez *d.*1 t. *n.*16 Coninck.*disp* 35 *dub.*5. Reginald. *c. n.* 326.Bonac.*q.*4.*p.*5 *n.*23.& aliorum.

Sanchez Coninch. Reginald. Bonacina.

Caueat tamen innocens, ne ordines sacros suscipiat, aut religionem ingrediatur, quando delictum alterius est occultum; quia fieri potest, vt non probato delicto restituatur vxori adulteræ,aut sequatur scandalum, Vt notat Bonacina citatus.

15 Innocens coniux, copulam sponte habens cum adultero coniuge etiam occulto,siue petendo,siue reddendo,modò adulterii sit conscius,censetur condonare adulterij iniuriam,ac proinde deinceps non erit sibi integrum diuortium facere; quia copula illa amicitiæ actus est, & caro antea per adulteriũ diuisa, ad vnionem restituitur & fit vna caro cum innocente,& hoc verum,siue copula fiat ante,uel post diuortium celebratum:Retentio autem adulteri apud innocentem, censetur etiam condonatio, modò innocens sit certus de adulterio, & ipsum sit ita publicum, vt nulla possit tergiuersatione celari;idem dicendum si innocens sponte, & scienter familiarem se exhibeat adultero, colludendo, ridendo, & comedendo cum eo, & à fortiori si oscula, & amplexus intercedunt: verum secundùm probabiliorem sententiam, hæc tacita condonatio nititur tantum præsumptione, non veritate, quare si sit animus non condonandi,non erit in foro cõscientiæ;in foro tamen externo præsumitur,quia nullum est ius quod decidat esse condonationem. Ita Graffiis 2. *p.l.*1.*cap.*12.*num.*84.Henriq. *l.*11 *cap.* 17. Syluest. *v. diuort.q.*9.Filliuc. *cit.num.*293 Sotus *disp.*36.*q vnic. art.*1. Anglez *flor.*1.*p de matrim.q.*9.*de diuort.art.*1.Lopez *p.* 1. *instruct.c.*295.& alii

Graffiis Henriqu. Syluester Filliucius Sotus Anglez Lopez

16 *Altera causa* diuortii à fornicatione carnali, iure diuino, naturali, & humano Ecclesiastico, est ipsa hæresis,vel apostasia à fide, in quã alter coniux labitur: & est de fide in Conc. Trident.*sess.*24 *can.*8.definitum, contra quosdã hereticos admittentes solam causam fornicationis; est tamen inter has causas discrimen; quia ob fornicationem conceditur diuortium perpetuum, ob alias autem causas solùm ad tempus quo durant; quia causa in fornicatione,est ex ipsa coniugij natura,eò quòd fides promissa est violata,cùm hæc sit perpetua,ita,& dimissio, cæteræ autem causæ, cum non sint ex natura coniugij, non sunt perpetuæ,ac proinde, tantum dum ipsę permanent,permittitur diuortium.Bellarminus *l* 1.*de matrim.* *c.*14. Nauarr.*c.*22.*n.*11.Sanchez *disp* 15.*n.*2.

Conc. Tr.

Bellarmin. Nauarr. Sanchez

17 Coniux Catholicus potest propria authoritate recedere à coniuge hæretico non resipiscente,imò tenetur; quia ius naturæ obligat cauere proprium animæ periculum: verum postquam accessit sententia Ecclesiæ damnans hęreticum,in pęnam admissi criminis hęreseos,Ecclesia facit ius coniugi Catholico, in perpetuum diuertendi ab hæretico etiam resipiscente: ante sententiam autem,& condemnationem hęretici, tenetur Catholicus resipiscentem admittere ad consortium coniugale:hinc coniuge hæretico iam Ecclesiæ sententia damnato, integrum est Catholico ad ordines transire,sicut ad religionem,votouè castitatis se adstringere in sæculo: ipse verò hæreticus iam damnatus posset etiam ad religionem transire,obtenta priùs Catholici licentia, vel sine illa, si iam ipse Catholicus sit professus,vel ordines sacros susceperit.Ita Filliucius *c n.*396.Astensis *Sum.* 2 *part.l.*18.*tit.* 21 *art.*2 *q* 14.Sanchez *c.n.*9.Graffiijs 2. *p. l.* 1. *c.* 12.*n.*85. Rodrig.*tom.*1.*sum.c.*230 *n* 2.*conc.*2.Pontius *de matrim.* *l* 9.*c.*22.*num* 3.Diana *part.*6.*tract.*7.*res.*25. & alij. Contra quosdam apud Dianam.

Filliucius Astensis Sanchez Graffius Rodriguez Pontius Diana.

18 Ante sententiam de hæresi, non potest compensare adulter suum delictum cum hæresi; quia ante sententiam,non est sufficiens causa diuortij, nisi ad tempus, dum videlicet non resipiscit: postquam autem est emendatus, tenetur adulter illum recipere; vnde hæreticus ante sententiam condemnatoriam, potest diuertere ab adultero,non hic ab illo, nisi ad tempus: post Sententiam autem,quamuis probabile sit,vtramque fornicationem, carnalem scilicet, & spiritualem, posse compensari, veriùs tamen est, non posse hæreticum vti adulterio pro compensatione;quia ipsi diuortium est in pœnam hæresis,& adulterium alterius non tollit pęnam hæretici: imò compensatio minimè datur,si vterque coniux in hęresim sit lapsus,atque qui hæresis non est damnatus, potest diuertere à damnato,& reconciliato,hic autem minimè ab illo,nisi ad tempus,dùm non resipiscit; & tenetur ad resipiscentem redire donec condemnetur; quia in condemnato inuenitur causa sufficiens perpetui diuortij, in non condemnato autem solùm ad tempus. Vide Sanchez *disp.* 16.*n.*3.& 4. Syluest *v.diuortium q.*11.§.12.Henriq. *l.*11 *c.*17.*n.*6.& 7.Filliucium *c.n.* 399. Valentiam *tom.* 4. *disp.*10.*q.*4.*punct.*2. & alios.

Sanchez Syluest. Henriq. Filliucius Valentia

19 Diuortium coniugibus non licet ob aliud crimen à fornicatione carnali,vel spirituali, si ille implicitus non pertrahat alterum ad peccandum; vnde quantumuis coniux alijs grauissimis peccatis,& sceleribus deditus sit,& incorrigibilis, dũmodo coniugem alterũ non inducat ad

peccan-

peccandum, minimè diuortium licet: propterea altera causa diuortij ponenda est, quando ab altero inducitur ad peccandum, & est timor ruinæ animæ; quia iure naturali, & diuino cuique licet cauere periculum tam corporis, quàm animæ: hinc iusta causa diuortii erit, si vir sit leno suæ vxoris, vel si admittat domi viros parùm pudicos, qui marito absente ipsam sollicitent, & admonitus vir non adhibeat remedium; item si alter habitare nolit, nisi alter latrocinium exerceat: denique si alimenta vir administret ex rebus furto ablatis: Insuper hoc diuortium ob inductionem ad peccatum, non conceditur perpetuum, sed ad tempus, quo inductio illa ad peccatum durat, & proinde resipiscente coniuge ad peccatum inducenti, & seriò conuerso, tenetur alter coniux ad eum admittendũ; vnde ratione periculi lapsus in peccatum, ad hoc diuortium celebrandum, non est necessaria iudicis sententia, quia non est perpetuum D. Thom. 4. *dist. 39. quæst. 1 art 6.* Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 17. n. 7.* Nauarr. *c. 22. nu. 22.* Filliucc. *c. n. 400.* Bonac. *c. n. 25.* Syluest. *v. matr. 9. q. vlt.* Sanchez *disp. 17.* & alii.

D. Tohma Henriq. Nauarrus Filliucius Bonacina Syluester Sanchez

20 *Vltima causa* sufficiens ad faciendum diuortium non perpetuum, est sæuitia coniugis, quando est tanta, vt absque grauis damni periculo, non possit alter cum illo habitare, donec coniux sæuiens sufficientem securitatis cautionem præstet. *C. litteras de rest. spoliat.* non solùm autem sæuitia præterita præbet iustam causam diuertendi, sed etiã timor futuræ sæuitiæ, & malæ tractationis; & hæc sæuitia potest præsumi, quamdiu vir retinet concubinam domi, vel etiam extra domum; propterea vxor potest à viro recedere, donec vir dederit sufficientem cautionem pignoratitiam, & fideiussoriam, vel saltẽ iuratoriã expellendi concubinã, illamq; non recipiendi in futurum. Item furor alterius coniugis, quando ita vehemens est, vt alter coniux periculum habeat cohabitando, vel quando vnus coniugũ tentauit alterum occidere; vel quando delictum vnius coniugis potest esse alteri causa grauis damni, vt quando vxor est venefica, liberorũ interfectrix, aut quando timetur, vt enecet virũ est causa sufficiens. Ex Nauarro *c. 22. n. 22.* Filliucc. *c. n. 402.* Sanchez *d. 18.* Couar. *4. decret. p. 2. c. 7. §. 5.* Siluiu *c. q. 62. art. 1.* & aliis

Nauarrus Filliucius Sanchez Couarr. Syluius

21 Quando diuortium est absolutum, & perpetuum ratione sæuitiæ, aut furoris alterius coniugis, tunc licet transitus ad religionem, vel ordinem sacrum ei, qui sanus est, & innocens: quia est eadem ratio, quæ in diuortio ob adulterium, vel hæresim: si verò non sit perpetuum, sed temporale, quale communiter esse solet, non licet; quia cum diuortiũ non sit perpetuũ, ius coniugale nõ est amissum, sed eius executio est temporaliter suspensa; vnde si sanus possit habitare cum altero, non poterit transire ad religionem: idem si spes probabilis sit coniux furens redeat ad sanitatem, vel sæuus ad pristinum statum Sanch. *c. n. 47. 48.* Nauarr. *cons. 5. de diuort.* Henriq. *l. 12. c. 5. n. 10.*

Sanchez Nauarra Henriquez

22 Attento iure nouiori autenticorum, *Auth. vt liceat matrim. § illud collat.* 8. apud innocentem est educanda proles, quando culpa alterius coniugum; diuortium factum est; ab hac tamen regula excipiuntur aliqui casus; *Primò* si parens innocens esset infidelis, tunc apud fidelem, quamuis in culpa fuerit, educanda est: *Item* si mulier transit ad secundas nuptias, tunc apud patrem, etiamsi in culpa fuerit, est educanda. *Tertiò* si mater causam diuortii dedit, & ipsa est locuples, vir autem pauper, apud matrem soboles alenda est: *Denique* debet proles educari apud parentem innocentem, rei expensis Emmanuel Sà *v. diuort. n. vlt.* Sanchez *disp. 20.*

De diuortio vide compensatio *n. 11.*

D O M I N I V M I.

De subiecto, & obiecto Dominij.

S V M M A R I V M.

1 *Definitio Dominij.*
2 *Dominiũ, vnum est iurisdictionis, alterũ proprietatis.*
3 *Dominiũ proprietatis diuiditur in perfectũ, et imperfectũ.*
4 *Soli naturæ rationali conuenire potest dominium.*
5 *Paruuli ante vsum rationis an habeant verũ dominiũ,*

6 *Quadruplex genus peculij potest competere filijs familias.* Castrense, quasi castrense, aduentitium, profectitium.
7 *An serui habeant dominium perfectum.*
8 *An religiosi.*
9 *An religiosi beneficiarii.*
10 *An alicui religioso possint superiores concedere aliqua bona stabilia, ad vsum dumtaxat, vel administrationem.*
11 *Clerici non religiosi, an habeant verum dominium bonorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium. Et an beneficiarii, eam partem fructuum, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, teneantur erogare ad opera pietatis.*
12 *Clerici beneficiarii, an sint Domini de ea parte fructuum, quæ non est vlli gradus conuenientis sustentationis necessaria, sed superflua.*
13 *In rebus, quæ vsu consumuntur, an vsus distinguatur à dominio?* refertur duplex sententia.
14 *Res externæ, vt montes, agri, flumina, plantæ, bestiæ, &c. an cadant sub dominium hominis.*
15 *An homo possit cadere sub dominium alterius.*
16 *An homo sit dominus vitæ suæ, & membrorum.*
17 *An suæ famæ.*
18 *Quæ requirantur ad acquisitionem dominii.*

1 DOminium *est ius perfectè disponendi de re aliqua corporali nisi lege prohibeatur:* hanc definitionem iurisperiti communiter ponunt Dicitur autem *Ius*, loco generis: ius enim sub se complectitur tam dominium, quàm alia pleraque iura: vnde est legitima facultas aliquid faciendi, uel obtinendi, uel alio modo se habendi, cuius uiolatio iniuriam constituit, dicitur *perfectè disponendi*, id est, omni modo, & propria authoritate, siue in proprium, siue in alienum commodum ea utendo, siue abutendo, siue eam distrahendo, aut consumendo, siue reseruando; hinc excluduntur omnia ea iura, quæ dicuntur dominia imperfecta, in quibus proprietas non coniungitur cum vsufructu, uel cum pleno usu, quale est illud, quod uocatur directum, quod est dominium nudæ proprietatis. Item dominium vtile, quod est solius vsusfructus, vel vsus. Item pignus, seu ius quod habet creditor in rem oppignoratam: licet enim per hæc obtineatur aliquod ius in re, ad aliquem determinatum effectum, & vsum, non tamen ad omnẽ usum; quia res in quibus hæc iura habetur, non possunt uendi, donari, destrui. Dicitur *de re corporali*, nam rerum, aliæ corporales sunt, aliæ incorporales: *Corporales* sunt quæ suaptè natura tangi possunt, veluti, fundus, homo, vestis, aurum. *Incorporales* sunt quæ tangi non possunt, sed intellectu tantum apprehendi, ut sunt ea, quæ in iure consistunt, ut ius hæreditaris, vsus fructus, ius præsentãdi. Dicitur præterea, *Nisi lege prohibeatur* quia etsi iura aliquando iusta de causa alligent, & impediant ius aliquod, ne in actum prodeat, & si proderit ne factum teneat, non tamen efficiunt eiusmodi ius non esse dominium, vnde etsi pupillus nequeat alienare bona sua, vsque ad tempus à Patre, vel à iure præfinitum, nihilominus tamẽ est legitimus eorum dominus, Vide Bartol. *l Si quis vi. §. differentia ff. de apquirend. possessione* Molina *tract. 2. disp. 3.* Syluu. *2. 2 q. 66. art. 1. quæsit. 1.* Lessium *l. 2 c. 3. dub. 2.* Filliuc. *tr. 31. c. 3. q. 1.* Laym. *l. 3. tr. 1. c. 5. n. 2* Clau. Reg *l. 9. c. 2 n. 3.* Valent. *to. 3. disp. 5. q. 10. punct. 1.* & alios.

Bartolus Molina Syluius Lessius Filliucius Layman Clau. reg. Valentia.

2 Dominium duplex est, vnum *iurisdictionis* alterum *proprietatis*, dominium *iurisdictionis*, est potestas gubernandi suos subditos, iudicandi, protegendi, nec non accipiendi à subditis emolumenta, quæ ea de causa debentur diuiditur autem hoc dominium eo modo quo iurisdictio ordinaria nempe in *Ecclesiasticũ, & seculare. Ecclesiasticum* dominium est potestas Papalis, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, & aliæ inferiores. Dominium *seculare* est potestas Imperatoria, Regia, Ducalis, Comitalis, & similes respectu prouinciarum, oppidorum & pagorũ, quæ ipsis proprio iure subsunt in negotiis sæcularibus: dominium *proprietatis* est ius disponendi de re aliqua tamquam sua in suum commodũ; ab hoc dominio quisque dicitur rei suæ Dominus, & competere potest,

cum communitati, tum priuatæ personæ, vel publicæ. Clau. Reg. *lib.9. cap.2.num.*8. Lessius *lib.2.c.3. dub.1. n.2.* Filliucius *c.n.55.* Becanus *tract. de iustit.c.2.q.2.* Mald. *de instit. & iure tract.1.c.3.dub.3.* & alii.

(Clau. Reg. Lessius Filliucius Becanus Malder.)

3 Diuidi potest dominium proprietatis in *perfectum*, & *imperfectum*; *L. si ita à te stipulat. §. Titius ff. de verb. signific. perfectum* dicitur, quod continet proprietatem rei, & commodorum eius; *imperfectum*, quod tantùm habet, vel proprietatem rei absque emolumentis, vel emolumenta absque proprietate; vnde hoc dominium aliud dicitur *directum*, aliud *vtile*: *directum* continet solã rei proprietatem; & tale dominium filius familias in peculio, quod dicitur aduentitium, & qui dedit in emphiteusim, vel feudum: dominium *vtile* continet solam rei commoditatẽ, & vtilitatem, quale habet vsufructuarius, feudatarius emphyteuta Bartolus *in L. si quis vi, §. directi ua n.5 ff de acquir. poss.* ClauisRegia *cit. n.10 & 11.*

(Bartolus. Clau. Reg.)

4 Cùm fundamentum omnis dominii, sit intellectus, & libera voluntas, hinc soli naturæ rationali conuenire potest, scilicet Deo, Angelis, & hominibus: Deus quidem summum quoddam absolutissimum, & prorsus independens, in omnes creaturas habet dominium, ratione creationis, & conseruationis: Angeli propriè non videntur habere dominium nisi suarum actionum; tamen propter magnam authoritatem, quam habent administrandi res corporales, possunt dici habere illarum dominium, licet tale non sit, quale est humanum. Hominibus autem propriè cõuenit hoc dominium in res Externas, cùm illis solis res istæ concessæ sunt, vt de illis liberè disponant ad sua commoda. Vt docent Sotus *de iust. lib.4. quæst. 1. artic.2.* Siluius *cit. quæst 66. art.1. quæst.3.* Layman *cit. n.3.* Faustus *in spec. disp.1. quæst.7.9.10. & 11.* Molina *cit. disp.18* Clau. Regia *cit.c.4.* Filliucius *cit. num.91.92.*

(Sotus Siluius Layman Faustus. Molina Clau. Reg)

5 Paruuli, ante vsum rationis, habent verum dominium, quia satis est quòd habeant potẽtiam ad usum liberi arbitrii, quamuis non habeant vsum; alioqui dormientes amitterent dominium suarum rerum, quod esset ridiculum: idem dicendum de amentibus; probari autem potest ex epistola Diui Pauli ad Galatas 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium.* Victoria *relect. de Indis n.21. & 22.* Lessius *l.2.c.4. dub.2.* Becanus *de iust. c.3. q.2.* Faust. *in spec. disp.1. quæst.12.*

(Victoria Lessius Becanus Faustus)

6 Secundum communem Doctorum sententiam, filiisfamilias quadruplex genus peculii potest competere, *Castrense, quasi castrẽse, Aduentitium, profectitium, Auth. Præsbyteros, C. de Episcopis, & clericis, l.4. ff. de Iudic. Castrense, ff. de castr. pecul.* Castrense peculium dicitur, quod in militia, uel occasione militiæ partum est. *Quasi castrense* dicitur omne id quod ex beneficio Ecclesiastico acquiritur; imò quidquid acquiritur post clericatum, etiamsi aliàs esset aduentitium, præterea quidquid acquiritur officio publico non mechanico, ut iudicis, aduocati, Tabellionis, medici, lectoris, &c, uel per donationem principis. In peculio castrensi, & quasi castrensi filiusfamilias habet plenum dominium, ita ut tota proprietas, & usus fructus, & administratio, horum bonorũ sit penes filium, & de illis potest disponere per donationes, vel contractus, imò etiam per testamentum, & ultimas uoluntates, & parens ex his bonis non potest sibi quidquam usurpare, nisi quantum necessarium est, pro alimentis filii, si illum ex suis alat, alioquin uolente filio teneretur ad restitutionem. Nauarrus *in Manual cap.17. à num.141. ad 144.* Lessius *cit. dub.3.* Syluester *verb. Peculium.* Filliucius *n.95.* Becanus *c.q.3.* Syluius *2 2 q.32. art.8. & q.66. art 2. concl. 5.* Faustus *in spec. disp. 1. quæst.15* & alii.

(Nauarr. Lessius Filliucius. Becanus Syluius Faustus)

Aduentitium peculium dicitur, summa illorum bonorum, quę castrensia, uel quasi castrensia nõ sunt, sed aliunde, quam à patre, & ex bonis eius, & ob gratiam illius principaliter habetur; qualia sunt bona illi hæreditario iure à matre, aut à suis cognatis, aut amicis, & suo labore, industria, aut fauente fortuna, parta. In his bonis, aut peculiis, dominium seu proprietas, iure communi est filii, & usus fructus patris, in quibusdam tamen casibus potest filius etiam habere usum fructum, ut si pater illũ concedat filio; si aliquid donetur filio ea conditione, ut parens usufructum non habeat, uel aliquid donetur contradicente patre, deniq; si usus fructus alicuius rei in filio relictus sit.

Profectitium peculium est, quod prouenit à parente viuo, vel principaliter, & proximè eius causa datur, nec ad bella, nec ad officia publica pertinens: huius peculii dominium tam directum, quàm utile, est apud parentes. Secundùm autem Bartolus alios apud Nauarrum *c.n.144.* est etiam quoddam *peculium mixtum* ex profectitio, & aduentitio, scilicet, quod filius suo labore, & industria ex bonis paternis, aut in eisdem acquirit: horum dimidia pars (vt ait Nauarr.) est filii, quoad proprietatem, altera dimidia confertur in communi, sed secundum Syluestrum totum est patris.

7 Serui non habent dominium perfectum, & independens à dominorum potestate; *Instit. per personas nobis acq. §. item vobis*, quia quidquid serui acquirunt, quauis causa, vel occasione Dominis acquirunt; possunt tamen serui habere aliquarum rerum dominium imperfectum, hoc est, tale, vt eas non teneantur Dominis suis tradere, quamuis Domini absque iniustitia possint illos priuare: ratio autem est, quia iura non fecerunt seruos incapaces omnis iuris & dominii, instar religiosorũ, nec erat legitima causa id faciendi; vnde in aliquibus casibus, potest seruus aliquod dominium comparare, v.g. quando consensus expressus uel tacitus domini intercedit; item si donetur illis absolutè, uel ea conditione, vt ad dominos non pertineat: si detur in compensationem, si lucretur sua pecunia, si sibi aliquid subtrahat sine Domini incommodo: & concesso vero, & perfecto dominio seruis, in prædictis casibus, dicendum est dominos teneri ad restitutionem, si res ipsis concessas auferant. Molina *c. disp. 38.* Lessius *c. dub.4.* Filliucius *c. nu.99.* Becanus *c q.4.* Syluius *c.q.66. art.1. quæst.3. concl.7.* Faustus *in spec. disp.1. q.19.* & alii.

(Molina. Lessius Filliucius Becanus. Syluius. Faustus. Bartolus. Conc. trid.)

8 Communis sententia est, prout iure antiquo, *cap. Non dicatis 12. quæst.1. cap. Cum ad Monasteriorum de stat. reg* Conc. Trid. *sess.25 ca.2 de reg.* & nouissimo Tridentini, definitum est religiosos professos solemniter esse in peculiari incapaces cuiusque domini, vsusfructus, possessionis, & similis iuris rerum temporaliũ tam mobiliũ, quã immobiliũ, quia per votũ paupertatis emissum in solemni professione, religiosus ex ordinatione Ecclesiastica priuat se omni dominio, & fit incapax omnis iuris temporalis: per uotum autem simplex paupertatis religiosus non fit incapax dominii, sed tantum priuatur potestate utendi, & disponendi absque consensu superioris, vt patet in religiosis non professis Societatis IESV ex constitutione Gregorii XIII. *in Bulla ascendente Domino* Nota tamen ex D. Thom. *2.2 quæst.186. art 7. ad 4.* Lessio *cit. dub.5.* Filliucio *cit. n. 102. 103.* Nauarro *comment. 2 de regul. nu.34.* Syluio *cit. concl.8.* Fausto *in spec. disp.1. quæst. 14.* & aliis quod iurium, & bonorum spiritualium religiosi possunt habere dominium, vel quasi, vt iuris eligendi, alimentorum, manendi in hoc, vel illo monasterio, iuris etiam beneficij Ecclesiastici, si id illis conferatur: in communi autem possunt religiosi professi habere dominium bonorum temporalium contra Nauarrum, licet illa non possint alienare, nisi in commodum religionis, & de Summi Pont. licentia.

(Greg. XIII D. Thom. Filliuc. Nauarr. Syl. Faust.)

9 Religiosi beneficiarii, vt Abbates, Priores, Præpositi, Commendatores, & similes habentes beneficia regularia, vel sæcularia, etsi nullum habeant dominium, habent tamen ius administrandi, & dispensandi fructus suorum beneficiorum, in pias tamen causas, ultra suam congruam sustentationem; id enim iure, & consuetudine est eis consensum: in res autem uanas expendere nõ possunt fructus beneficii, nec ditare suos amicos ex eis quia istorum omnium bonorum non sunt domini, sed solum administratores, & dispensatores: idem dicendũ de religiosis factis Episcopis; unde aliter faciẽtes tenẽtur ad restitutionem, sicut illi qui bona illa acceperunt. Lessius *c n.29.* Filliucius *cit. num.104* Nauarrus *q 3. de red. monit.17. & 33.* Faust *in spec. disp.34. q.10. n.18.* cum aliis Vide infra *v. Relig. 1. n 18.*

(Lessius. Filliucius. Nauarr. Faust.)

Quamuis Molina *tr.2. disp.141.* putet contra Nauarr. commendatores coniugatos habere dominium non tãtum patrimonii sui sed etiam fructuum suarũ commendarũ & in eo deficere à statu religioso quoad uotum paupertatis; ad & motum proprium Pij V. qui in contra-

rium

rium facit, respondet, non esse receptum, vel non esse intelligendum de eiusmodi commendatariis.

10 Iure nouo Concil. Trident. *sess. 25. c. 2. de regular.* Superioribus religionum inhibetur, ut non possint alicui religioso concedere vlla bona stabilia (vt sunt, fundi redditus, ædium locationes) etiam ad vsum dũtaxat, vel administrationem: non esset tamen contra ius commune nec votum paupertatis, habere cum facultate superioris administrationem bonorum, & vsum ad quasuis pias causas, modo semper sit cum dependentia ad nutum superiorum: hinc quãuis cẽsus vitales possint permitti pro vsibus necessariis eorum, qui Monasteria ingrediuntur, præsertim Monialib. & Monachis, qui ex communi penu non habent satis, eorum tamen administratio, non potest ipsis concedi, sed solis officialibus, vt ait Concil. vbi tamẽ non esset receptum quoad hoc, non propterea dici deberent habere proprium, si habent cum dependentia à voluntate superiorum. Mobilia autem possunt concedi singulis religiosis, accommodata paupertati religiosæ, iuxta cuiusque religionis vsum, non tamen superflua; imò etiam pecunia aliqua ad determinatos, vel etiam indeterminatos vsus, modo pij sunt, quia hoc neque est contra professionem paupertatis, neque vllo iure vetatur. Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 9.* Rodriquez *tom 3. qq. quæst. 29. art 12.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. n. 13.* Lessius *cit. n. 33.* Miranda *to. 1 q. 28. art. 9.* Becanus *c. q. 5.* & alii vide infra *v. Paupertas n. 10.*

Azorius.
Rodriq.
Layman
Lessius
Bonacina

Fratribus tamen Minoribus de obseruantia, & Capucinis pecuniæ vsus non potest concedi: quia iuxta suam regulam non possunt tractare, nec retinere pecuniam.

11 Certum est apud omnes, clericos non religiosos habere verum dominium bonorum patrimonialium, & de illis, vt laicos posse disponere: *patrimonialia bona* sũt quæ, vel hæreditate, vel donatione, vel industria, vel alio modo, quo laici solent, acquirunt sibi: quia per clericatũ vel ordinem neq. fiunt incapaces dominii, neque etiam se abdicant dominio. Idem dicendum de bonis quasi patrimonialibus, vt sunt ea, quæ tanquam clerici acquirunt ministeriis clericorum absque beneficio, vt celebratione, concionibus, vicaria temporali distributionibus quotidianis, quæ dantur in choro pro singulis horis, quibus clerici assistunt, stipendij pro commitando funere defunctorum, eleemosynis pro processione peragenda, visitando Episcopatu, ferendis sententiis, & caussis audiendis, pro agendo aliquo negotio Ecclesiæ, vel aliorũ denique quidquid datur pro industria personali, pro labore, aut donatione, hæreditate, contractu, pro organis pulsandis, insufflandis tibiis, audiendis confessionib. & similib. quia hæc dantur, vt stipendium quoddam sustentationis, vt de iis disponant pro arbitrio: Constat etiam apud omnes ferè Theologos, beneficiarios quoscumque, quoad eam partem fructuum attinet quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, ita fieri dominos, vt nõ magis teneãtur ex ea errogare ad opera pietatis, quã ex bonis patrimonialibus quia hæc pars est iusta merces eorum qui Ecclesię seruiunt, vnde si quid velint ex hac parte sibi detrahere, possunt de eo disponere sicut de bonis sæcularibus. Nauarrus *de redit. Ecclesiasticis quæst. 1. monito 9.* Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 3 num 1.* Faustus *in spec. disp. 1. q. 16.* Fillinc. *c. n. 10 1* Lessius *cit dub. 6. n. 36. 37* S. Thom. *2. 2. q. 185. art. 7. ad 2. & 3.* Becanus *q. 6.* Molina *to. 1. tract. 2. disp. 145.* & communis.

Nauarrus
Layman
Faust.
Filliucius
S. Thom.
Becanus
Molina

12 Communis ferè doctrina Canonistarum, & multorum Theologorum est, clericos beneficiarios de ea parte fructuum, quæ non est vlli gradui conuenientis sustentationis necessaria, sed superflua, non esse dominos, sed solũ dispensatores, ita vt ex iustitia teneatur expendere in pias causas, & si secus fecerint, obligari ad restitutionem in opera pia ex aliis bonis, quæ pleno iure retinẽt. Hęc sentẽtia est valdè probabilis, sacris canonib. & rationi valdè consentanea. Tum quia multi Canones dicunt eam partem, quæ sumptibus necessariis superest, esse pauperum. Tum quia fideles non contulerunt tantas opes in Ecclesiam, vt Ecclesiastici soli illis fruerentur sed vt ex illis caperent, quod decenti sustentationi est necessarium, & reliqua in pauperes aliàque pia opera conferrẽt. Ita Nau. *q. 2. de redit. Ecclesiæ monito. 7.* Halens. *3. p. quæst. 36. membr. 5. art. 2.* Richardus *in 4. disp. 4. disp. 45. quæst. 1.* Maior. *in 4. disp. 24.* D. Antonius *3. part tit. 15. c. 1. §. 19.* Petr. Soto *de instruct. Sacerd. part. 2. lect. 3.* Azorius *2 part. lib. 7. cap. 8.*

Richardus
Maior.
D. Anton.
P. Soto
Azorius

Altera sententia huic ex diametro contraria, ait, illos esse absolutè dominos omnium prouentuum, quos ex beneficijs percipiunt, etiam partis illius redundantis; peccare autem mortaliter, nisi expendant in opera pia illam partem; quòd probabilius videtur, post erectionem beneficiorum, & diuisionem bonorum communium. Ratio prioris est, quia conducens bona beneficij, dominium habet fructuum, qui ex huiusmodi bonis percipiuntur. Ergo etiam dominium illorum habet beneficiarius, qui huiusmodi bona locat; alioquin plus iuris in alium transferret, quàm ipse habeat, contra text. *in cap. Nemo potest, de reg. iuris in 6.* Ratio autẽ posterioris est, quia est cõtra districtum Ecclesiæ præceptum, in Trident *sess. 24. cap. 1. de reform.* D. Thomas *2. 2. quæst 185. artic. 7.* Syluius *ibid.* *concl. 2. 4. & 5.* Layman *l. 4. tract. 2. c. 3. n. 3.* Valentia *tom. 3. disput. 10 quæst. 3. punct. 7.* Bonacina *tom. 1. tract. de obl. benef. punct. 1. & 2.* Reginaldus *tr. 3 l. 30. n 78.* Filliucius *tract. 41. cap. 6. quæst. 8.* Bannez *2. 2 quæst. 32. art. 6.* Graffijs *1. part. lib. 2. cap. 100.* Sotus *de instit. & iure lib. 10. q. 4. art. 3.* Diana *p. 5. tr. 8 resol. 31.* Faustus *in spec. disp. q. 18.* & alij.

D. Thom.
Syluius
Layman
Valentia
Bonacina
Reginald.
Filliucius
Bannez
Graffiis
Sotus
Diana
Faustus

Et certè nisi Ecclesiastici obligarentur superflua in pios vsus impendere, valdè improuidè faceret Ecclesia, tantam affluentiam fructuum illis permittendo: id enim esset illis dare ansam, & instrumentum luxus, libidinum, superbiæ, & frustrari pia fidelium vota. Ita passim Doctores huius temporis. Verùm etsi prima sententia, in praxi sit consulenda, tanquam tutior, & præcipuę ante factum, dãnandi tamen non sunt, nec obligandi ad restitutionem, qui secus facerent, cùm posterior sentetia sit valdè probabilis, & tuta conscientia in praxi possit teneri, quia nemo est cogendus ad restitutionem eorum, quæ possidet, nisi constet esse aliena: sed nulla est ratio, vel authoritas, quæ sufficienter conuincat, clericos non habere dominium horum bonorum, aut hæc bona esse aliis ex iustitia debita, ergo verè sunt censendi domini: Si domini, ergo cùm male expenderint, non tenentur ad restitutionem.

Sed petes, quanta pars fructuum constituenda sit, prò congrua beneficiarij sustentatione?

Respond. Sicut iustum cuiusque rei pretium, regulariter non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem quandam infimi, medij, & supremi, seu rigorosi, ita quod necessarium est ex reditoribus beneficij, ad congruam cuiusque beneficiarij in particulari sustentationem, non consistit in indiuisibili, sed habet etiam latitudinem infimi, medij, & supremi. Ita Maior *in 4. disp. 24. q. 18* Nauar. *tract. de orat. misc. 62. n. 7.* Molfesius *tract. 6. c. 9. n. 42.* Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 145.* Layman *cit. n. 2.* Azorius *2. p. l. 6. cap. 10. quæst 9.* Lessius *lib. 2. cap 34. n. 149* Filliucius *tract. 41. cap. 7. n. 19.* & alii. Ratio est, quia virtutes morales medium indiuisibile non requirunt, sed latitudinem in eo, absque ipsarum vitio, patiuntur; ergo eodem modo res habet in re beneficiaria. Habenda est etiam ratio scientiæ, litteraturæ, nobilitatis, aut dignitatis, quam beneficiarius obtinet; aut loci, in quo beneficium habet; maior enim quantitas necessaria est in ciuitate, quam in villa, in loco vbi est inopia, quàm vbi est annonę copia, in Prælato, quam in simplici Sacerdote: Prætereà decens beneficiarii sustentatio, includit etiam moderata conuiuia, pro beneficiarii qualitate consanguineis, & amicis exhibenda; item includit, non solum id, vnde remuneratorias, sed id etiam vnde moderatas, merè liberales donnationes, pro loco, & tempore, iuxta suã conditionem, & statum efficiat. Porrò consuetudo beneficariorũ piæ, timorateque conscientiæ in quouis loco, meritò habenda est pro regula, ad quã similes beneficiarii, tutò admetiri possunt familiã, & sumptus ad suã cõpetentẽ sustẽtanonẽ, quando nulla interuenit circũstãtia aliud exigens.

Maior.
Nauarrus
Molfesius
Molina
Layman.
Azorius
Lessius
Filliucius

Sed ex dictis oritur aliud dubium, quænam quantitas eleemosynæ necessariò ab Episcopis, & Ecclesiasticis sit expendenda in pauperum necessitatibus? Sanè commune est inter Doctores pronũciatum, totum, quod superest beneficiario post suam congruam sustentationem, expendi debere in pauperes, & vsus pios: Nihilominus quidam

recentiores, ut probabile admittunt, hos teneri, vt minimum erogare quartam partem fructuum, siue redituum in opera pia, vel medietatem residui congruæ sustentationis, nec teneri ad plus erogandum per se, & in necessitate communi, non in graui. Rationes huius sententiæ, & Authores vide apud Dianam *p 5. tract. 8. resol. 27.*

Diana

13 Quorumdam satis celebris sententia est in rebus, quæ vsu consumuntur, vt pomo, carne, pane, vel alienantur, vt pecunia, vsum non distingui à dominio, ac proinde Fratres Minores habere verum dominium in hisce rebus, vt ait Ioannes 22 *Extrau. ad conditorem.* Caramuel *in reg. S. Bened. num. 871.* Syluester *v. Dominium q. 2.* sed probabilior, & verior sententia est, ius vtendi posse esse separatum à dominio etiam in iis rebus quæ vnico actu vtendi consumuntur, vel alienantur, & consequenter ordinem Minorum non solùm in rebus aliis, sed etiam in iis, quæ vnico actu vtendi consumuntur, habere nudum vsum, seu ius vtendi separatum ab omni dominio, vt patet ex decretis Pontificum Nicolai III. & Clemens V. quibus tres alii Pontifices, nempe Innocentius IV Alexander IV. & Gregorius IX. consentiunt. Communiter probatur hæc sententia, vsum & ius vtendi verbi gratia, pane, uel pecunia, dupliciter alicui posse concedi. *Primò* irreuocabiliter & talis vsus vocatur, vsus iuris, qui non videtur multum differre à dominio. *Secundò* reuocabiliter, & dependenter à voluntate concedentis, & hunc vsum vocat Nicolaus III. *Extrau. exiit qui seminat. in 6.* Clemens V. *in Clement. Exiui de Paradiso* Soto *de iust. li. 4. q. 1. art. 1.* Faustus *in spec. disp. 34. q. 20.* Becanus *de iust. c. 2. q. 9.* Nauarrus *Comment 2. de reg. n. 3* Lessius *lib. 2. c. 3. dub. 8.* Filliucius *tract 31. n. 62. 63.* Clauis Regia *lib. 9. c. 7. q. 12. & seq.* Syluius *2. 2. q. 66 art. 1. q 2.* vsum facti, non quod in eo nihil sit iuris, sed quia non est ius absolutum, & solidum, vtpotè ab alieno nutu dependens, donec res ipso facto consumatur: & hoc ius sine dubio distinguitur à dominio, quia dominium est ius in re absolutum, & firmum, non dependens ex alterius nutu & arbitrio. Proinde quidam Doctores aiunt in hoc non dissentire præfatos Pontifices quia Nicolaus Papa solùm docet vsum facti, & etiam vsũ iuris cum dependentia ab alterius voluntate, qualem vsum habere solent homines, qui precario rem alienam habent, distingui à dominio; at vero Ioannes 22. rectè probat vsum iuris perfectum & absolutum cum independentia ab alio, quem vsum ius ciuile vocat vsumfructum, vel vsum, id est; ius vtendi, vel fruendi re independenter ab alio, non distingui a dominio. Quando autem idem Papa Ioannes 22. ait in re vsu consumptibili eo ipso quod habetur vsus facti licitus, & iustus (ad differẽtiã scilicet vsus facti illiciti quẽ habẽt fures in re furto sublata) habetur usus iuris. Respondetur id verùm esse, si vsus facti sit irreuocabilis, & independens à voluntate alterius; si tamen quamdiu durat, dependens sit à voluntate domini, talis vsus facti licitus & iustus est, non tamen dicitur vsus iuris perfectus, sed imperfectus, atque adeò quãuis usus iuris perfectus, & independens non distinguatur à dominio, vsus tamen imperfectus, & qui dependet ab alterius volũtate verè à dominio distinguitur. Licet enim Ioannes 22. in sua estrauagante abdicauerit à se, & ab Ecclesia Romana dominium rerum, quæ vsu consumuntur à fratribus minoribus, hæc tamen renunciatio, seu abdicatio suum non habuit effectum, quia fundata erat in falsa præsumptione, neque vnquam à successoribus suis approbata fuit: Imò sequentes Pontifices dominium illud denuò ad se receperunt, vt Paulus IV. anno 1555. in Bulla, ex Clementi, cum expressa derogatione constitutionis Ioannis 22. Et Pius IV. in Bulla Sedis Apostolicæ anno 1565. data etiam approbauit, & confirmauit ordinationes pro reformatione Ordinis Minorum, factas, quarum cap. 4. vbi agitur de receptione pecuniæ, dicitur quod *fratres minores semper sint professi omnia iura, dominium & proprietatem bonorum omnium suo vsui deputatorum, penes Ecclesiam Romanam extitisse, vsu facti simplicis contenti.* Vide *Compend. privileg. Mendic.* vbi inuenies Alexandrum VI idem dominium retinuisse, qui sequutus est in hoc Nicolaum III. non autem Ioannem XXII. Proinde quantumuis dantes eleemosynas, velint quantùm in ipsis est, transferre dominium in fratres minores, non possunt tamen, ex eo, quod fratres illi incapaces sint dominij. Et si accideret ea quæ fratribus illis donantur, non transferri quoad proprietatem in Romanam Ecclesiam, non propterea tamen, vel fierent occupantis, vel possent à quolibet auferri; quia legitimus eorum vsus competit ipsis fratribus, ac proinde non possunt isto vsu spoliari per quemlibet sine iniustitia. Igitur fratres minores assequuntur filiorum conditionem, qua vt habetur tit. De acquirenda rerum possessione L. Quidquid: *Quidquid filiusfamilias habet ex peculio, siue cibaria sint, siue vestes, siue pecunia, vel alia, quæ vsu consumuntur, solum habet vsum facti, & proprietas residet apud Patrem.* Vnde paupertas Fratrum Minorum non repugnat iuri ciuili. Imò testatur Rodriguez *tom. 3. qq. reg. quæst. 30. art. 1.* in Capitulo generali Micleniensi declaratum esse, quod Papa Ioan. XXII reuocauit ante mortem suam, quidquid dixerat, vel fecerat contrarium Ecclesiæ, & determinationi Romanorum Pontificum, circa prædicta. Quare constitutiones, quas fecerat contra declarationes Nicolai III. Clementis V. nullius sunt roboris, vt in Monumentis Ordinum refertur. Plura de hac quæstione vide apud Malderum *de iust. & iur. tract. 1. c. 3. dub. 4.*

Caramuel
Syluester
Nicol III.
Clemens
Soto
Faustus
Becanus
Nauarrus
Lessius.
Filliucius.
Clau. Reg.
Syluius
Ioan. XXII.
Rodriguez
Malderus

14 Res externæ, vt montes, agri, flumina, plantæ, bestiæ, & similia viribus humanis subiecta, cadunt sub dominium hominis; non quod singuli habeant earum rerum dominium, quæ ab aliis iam occupatæ sunt, sed quia quisque ius habet concessum sibi à natura, vt possit occupare remquamlibet, & sibi attribuere, modò ab alio ante occupata non fuerit: Cœlorum autem & astrorum aliquo modo dominium homo habet, quatenus in illius vsum, & obsequium facta sunt. D. Thomas *1. p. q. 96. artic. 2.* Molina *tom. 1 tractat. 2. disp. 18.* Faustus *in spec. disp. 1. q 10. & 11*

D. Thom
Molina
Faustus

15 Quamuis iure naturæ omnes homines sint conditione pares, habentes nempe easdem causas, materialem, formalem, efficientem, & finalem, iure tamen gentium, & ciuili, supposito peccato, & post Adæ lapsum, homo potest cadere sub dominium alterius, & ita effici seruus illius, vt patet in multis scripturæ locis. Exod. 21. Leuit. 25 Deuter. 20. Ita D. Gregor. *lib. 11. Moral. c. 31.* Becanus *c. 6. 4 q. 4* Clauis Regia *cit. c. 6. n. 6.*

D. Gregor.
Becanus
Clau Reg.

16 Secundùm D. Thomam *2. 2. q. 64. art 5. & quæst. 65. art. 1.* Valentiam *lib. 3. disp. 5. q. 10. p 1.* Clauem Regiam *cit. c. 5. n. 4.* Becanum *cit. cap. 4. q 1.* Syluium *c. quæst. 7. concl. 5.* communiter receptum, homo non est dominus vitæ suæ, nec membrorum, sed solum custos, & quasi vsufructuarius, dominium autem horum est apud solum Deũ: quia dominium non est, nisi in eas res quas nostra industria nobis possumus adsciscere: vnde nec Princeps nec Respub. est dominus vitæ suorum subditorum, vel seruorum; neque potest pro arbitratu suo aliquem occidere, aut mutilare, & si aliquando occidant malefactores, id faciunt tanquam custodes boni publici.

D. Thom.
Valentia
Clau Reg.
Becanus
Syluius

17 Secundùm communiorem sententiam recentiorum Doctorum, Nauarr. *cap. 18. n. 27.* Lessij *cap. 4 dub. 11* Syluii *cit. concl. 7.* homo est dominus suæ famæ, sicut rerum externarum; quia fama, & honor ponuntur inter bona externa, quæ possunt à nobis acquiri, & deperdi, eorum autem quæ nobis acquirimus sumus domini, provt dictum est. Vide *v. Detractio 1. n. 18.*

Nauarra
Lessius
Syluius

18 Ex dispositione legum ciuilium, juxta Couarruu. *lib 2 var. cap. 19. n. 3.* Clauem Regiam *lib 9. cap. 10. n. 9. & 10.* Lessium *cit. cap. 3. dub. 3.* Malderum *tract. 1 cap. 3. dub. 5.* & alios, duo requiruntur ordinariè ad acquisitionem dominij, quando illud transferendum est ab vno in alium; *Titulus* nempe & *traditio*: Est autem *titulus* id, in quo totum ius primitùs fundatur, vt emptio, donatio, successio hæreditaria, per hæc tamen nondum habetur dominium, aut ius in re, sed solùm ad rem, nisi accedat certa quædam traditio, quæ est veluti conditio necessaria, ut ex ui prioris donationis, uel emptionis resultet dominiũ; in quibusdam autem casibus, iure cõmuni Cæsareo, ad dominiũ acquirendum non esset necessaria traditio *Primo* ad ius hypothecæ, uel pignoris, nuda conuẽtio, uel legis dispositio sufficit, *l. 1. ff de pignorib.* *Secundo* in beneficiis, ius in re acquiritur per collationem, & acceptationem, *cap si tibi absenti, de præbendis in 6.* *Tertio* in he-

Couarr.
Clau Reg.
Lessius
Malderus

in hereditate; dominus enim fit quis hereditatis, siue per testamentum, siue ab intestato, sola adita hæreditate, verbo, vel facto, *instit. de heredum qualitate §. vlt. Quarto* in legato, si enim res certa tibi legata sit, statim per acceptationem efficeris illius dominus, *l. A Titio ff. de furtis. Quinto* quãdo aliquid donatur, venditur, aut relinquitur ciuitatibus Ecclesiis, aut aliis piis locis aut in redemptionem captiuorum, *l. vlt. Cod. de sacrosanct. Ecclesiis. Sexto*, si Princeps contrahat cum aliquo, vel donet, & intendat transfere dominium, erit translatum absque alia traditione. Porrò quando dominium non trasfertur ab vno ad alterum, ad acquisitionem eius sufficit apprehensio, sic enim acquiruntur dominia earum rerum, quæ nullius sunt, vt in sequentibus dicetur.

Vide *Elemosyna* n. 13. *Emphyteusis* n. 3.

D O M I N I V M. II.

De modo acqiurendi Dominium.

S V M M A R I V M.

1 *De Diuisione dominiorum post Ada lapsum.*
2 *Quot modis dominium in homines acquiratur.*
3 *Rerum irrationalium dominium, quommodo acquiratur.*
4 *Quæ res iure gentium fiant primo occupantis.*
5 *Animalia natura sua mansueta, & domestica, an fiant occupantis, si euaserint potestatem dominorum*
6 *Penes quem sit dominium feræ lethaliter percussa vel à laqueo alterius extracta.*
7 *Lapilli, & gemmæ, an fiant inuentoris, si inueniantur in litore maris.*
8 *De relicta fiunt primò occupantis.*
9 *Insula, quæ in mari, vel in flumine nascuntur, an fiant capientium.*
10 *Dominium bonorum vacantium, iure ciuili quando deuoluatur ad fiscum.*
11 *Thesaurus, an transeat in dominium inuentoris occupantis.*
12 *Quommodo Syluarum caduarum dominium sibi acquirat quilibet ex populo vel republica.* Remissiuè.

1 GEnus humanum quasi iure naturali habet aliquo modo dominium rerum inferiorum quæ ad hanc vitam degendam necessariæ sunt, patet Genesis 1. *Dominamini piscibus maris*, & ex celebri illo dicto Iurisperitorum, *res omnes iure naturae esse communes, cap. ius gentium, d. 1. lex hoc iure ff de iust. & iur.* Dominiũ tamẽ, ante diuisionem factam, non fuit in aliquo priuato homine, sed in toto genere humano, idque non tam actu quam potestate, & iure; quia author naturæ non creauit res istas ad vsum vnius hominis, sed omnium simul, vnde nullius erant positiue, tamen singuli, vel omnes simul habebant ius ad illa occupanda, & acquirendum dominium, per anticipatam occupationem. quare hoc ius nõ tribuebat actu dominium sed tantum potentia, vt possent ea bona sibi propria facere per occupationem, à qua sine iniuria prohiberi non poterant, Ex quo patet rerum diuisionẽ, & priuata earũ dominia, non repugnare legi naturali, imo lex naturalis concedit potestatem diuidendi bona, eaque propria efficiendi, huic dominiorum diuisio post Adæ lapsum in peccatum, non solum fuit licita, vt constat ex multis scripturæ locis, sed etiam commoda generi humano, quia magis solicitus est quisque ad sua seruanda, quam ea, quæ cæteris communia sunt, & sic pacificus hominum status meliùs conseruatur. Hæc autem diuisio non est introducta iure naturali, nec diuino positino, nec ciuili, sed iure gentium, seu communi consensu populorum.

Prior pars patet, quia alioqui contra naturam esset rerum communio, quod patet esse falsum ex praxi primitiuæ Ecclesiç, & vsu religionum, nec etiam iure diuino positiuo, quia nusquã exstat tale ius. Item nec iure ciuili nam ante omne ius scriptũ erat hæc dominiorũ diuisio, quare facta est iure gentium, vnde omnes gentes, non extremè barbaræ consentiunt in hanc diuisionem pacis causa, & vt res ipsæ melius administretur. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 66 art. 2. ad. 1.* Isidorus *in C. ius naturale dist. 1.* Becanus *de iust. cap. 5. quæst* 3. Clauis Regia *lib. 9. cap. 8.* Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 10. part. 2.* Layman *l. 3. tract. 1. c. 5. n. 5.* Filliucius *tract. 31. cap. 5. quæst* 1. *&* 2. Molina *p. 1. tract. 2. disp. 20. concl. 2.* Syluius 2. 2. *q. 66. art. 2. quæs. 1.* & alij communiter; quibus adde P. Nau. *lib. 3. c. 1. n. 6. & seq.*

D. Thom. Isidorus Becanus Clau. Reg. Valentia Layman Filliucius Molina Syluius.

2 Quatuor modis, dominium in homines acquiritur. *Primus* est iure belli, quando scilicet in iusto bello quis capitur, iure gentium consueto seruari in bello, mancipium fit capientium, inter Christianos autem hoc ius non seruatur, ob consuetudinem contrariam iam prescriptam. *Secundus* modus, seu titulus est natiuitatis, qui enim nascitur ex matre ancilla, siue pater liber sit, siue non, fit seruus; quia partus sequitur ventrem; de quibus plura suo loco. *v. Seruitus*. *Tertius* titulus est, iusta condemnatio, qua quis fit seruus, si ad hoc propter delictum à legitimo iudice condemnetur. *Quartus* titulus est, emptione, & vẽditione, si quis enim se vendat, vel vẽdatur a patre, fit seruus emptoris, cùm homo iure naturali sit Dominus suæ libertatis, & consequenter possit eã alienare, sèque in seruitutem redigere. De quibus Sylnest *v. Seruit. quæst. 3.* Clau. Reg. *l. 9. c 6 n. 10. & seq* Cou *reg. peccatum 2. p §. 11. n. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 4.* Filliuc. *tract. 31. cap. 5. n. 116. & seq.* & alij.

Syluester Clau. Couar Lessius Filiucius

3 Dominium rerum irrationalium, multis modis iure acquiritur, *ex Instit. & Digest. Titulis de acquir. rerum dominio. Primus* per occupationem, *Secundus* per natiuitatem. *Tertius* per alluuionem. *Quartus* per effectionem alicuius rei ex aliena materia. *Quintus* per accessionem. *Sextus* per confusionẽ materiarum, & commixtionem specierum. *Septimus* per ędificationem, & plantationem. *Octauus* per traditionem rei cũ animo transferendi dominium. *Nonus* per possessionem bonæ fidei rei alienę. *Decimus* per contractũ, vel quasi contractum, de quibus modis particulatim agetur infra *in supplemento à n. 15.*

4 Res illæ iure gentium fiunt primò occupantis, quæ antea nullius erant, neque vnquam fuerunt, nisi de aliquibus in particulari aliud, aut iure regni alicuius, aut iure ciuili constitutum sit, ad hoc autem genus rerum reducuntur, *Primò* bruta, seu animalia natura sua fera, vel mansueta. *Secundò* lapilli in littore maris, & gẽmæ, *Tertiò* ea quæ habentur pro derelictis. *Quartò* sũt ea loca, quę aut nunquam habitata fuerunt, vel saltem longo tempore sũt deserta ab incolis, & habitatoribus. *Quintò* sunt res naufragio amissæ, vel iactatę in fundum maris per longum tempus. *Sextò* sunt ea, quæ dicuntur bona vacantia per mortem alicuius nullo relicto hęrede. *Septimò* sunt thesauri. *Octauò* sunt syluæ cæduæ. *Nono* pascua: de singulis suo ordine dicendum. Ita Clauis Regia *lib. 9. c. 9. n. 4.* Siluester *v. Inuentum quæst.* 1. Ioan. Medina *cod. de rebus restit. q. 12. d. 2.* Filliucius *cit. c 6. n. 128.*

Clau. Reg Siluester Medina Filiucius.

5 Animalia natura sua mansueta. & domestica, vt sũt oues boues, equi, sues, gallinæ domesticæ, & similes, non fiunt occupantis, etiamsi euaserint potestatẽ dominorũ, nec licet ea capere, *§ gallinarum inst. de rerum diuisione, l. Pomponius, ff. de acquir. rer. domin.* quia hæc licet fugerint, non tamẽ ideò recuperant libertatẽ, & adhuc manẽt in dominio prioris domini; vnde vbicunque sint oberrantia, dominis sunt restituenda; imò si à lupo, vel à vulpe capta fuerint, qui ea exemerit, restituere debet quidquid de illis superfuerit, potest tamen qui extraxit, vel detulit, pretium suæ industriæ exigere. Animalia verò quæ mansuefieri solent, & vsu mansuefacta sunt, tandiu manent sub potestate dominorum; quamdiu, consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi, idcòque nõ fiunt primò occupantis: vt sunt cuniculi, cerui, pauones, columbæ domesticæ: quod si cõsuetudinẽ arbitrio prudentis amiserint redeundi, cùm à nullo impediantur, licet ea occupare, & fiunt occupantis; quia tunc censentur se recipisse in naturalem libertatem. Tãdem animantia, quę propriè fera sunt, & syluestria, & domino carent, fiunt primò occupantis, siue capiantur in proprio agro siue in alieno, siue in communi: si autem hæc dominum habeant, tãdiu retinetur illorum dominium, quandiu sub custodia domini sunt quod si potestatem domini euaserint, & difficilis sit illorum captura, fiunt primò occupantis Nauar. *cap. 17.*

Nau

Molina Lessius Silnius Filliucius Becanus

cap.17.num 128:129.Molina *d.sp.*41.Lessius *lib.2.cap. 6. dub.6.n.*28.Sylnius 2.2.*q.*66.*art.2.quæsit.*2.] Filliucius *c.n.* 130.,Becanus *de iust.c.*5.*q.*4.

6 Dominium feræ percussæ lethaliter, est penes percutientem, si eam ita insequebatur ut moraliter esset capturus: quod si percutiens est tantùm causa, ut alius capiat, diuidenda est præda, quamuis dominium sit solùm penes capientem; Fera autem è laqueo alterius extracta, in foro conscientiæ, est illius, qui laqueum tetendit, si moraliter erat peruentura ad manum illius; quòd si euadere probabiliter poterat laqueum, secundùm multorum sententiam, fit extrahentis: Insuper si fera, quàm vnus per. sequitur, incidat in laqueum alterius, uterque habet ius occupandi, & erit primò occupantis: Aduerte tamen in his omnibus habendam esse rationem consuetudinis locorum, & Prouinciarum. Clauis Regia *lib.9.ca.9.num.*5. Molina *tom.1.tract.2.disp* 42. Rodriguez *in summ.part. 1.capit.37.num.*7 Filliucius *cit.num.*136.Lessius *cit.num.* 32.& alii.

Clau. Reg. Molina Rodrig. Filliucius Lessius

7 Lapilli & gemmæ fiunt inuentoris, si inueniantur in littore maris, *instit.de rerum diuisione,§ lapillorum*, sed ad hoc dominium comparandum, non satis est aspectus solus, & inuentio, sed requiritur etiam apprehensio, vel alia exterior actio, qua quis ostendat se velle acquirere eius dominium. Venæ autem metallicæ, quamuis secundum probabilem sententiam, in nullius sint dominio, tamen ius eas effodiendi attribuunt sibi Principes, si sint loca publica; si priuata, potestas est penes dominum loci nisi particularis consuetudo loci alia sit Syluius 2.2 *q.66. art.5.c.1* Sotus *li.5.q.3 art.*3.Becanus *c.c.5.q.*10. Lessius *li.2.c.5.dub.*12.Fagund. *de iust.li.2.c.2.n* 2.& alii. Ex quo sequitur potuisse Indos Occidentis ratione huius iuris prohibere Hispanos ab occupatione talium uenarum metellorum in suis regionibus, antequam illæ Prouinciæ Hispanico imperio subiectæ essent. Ratio est, quia quæcumque Respublica potest prohibere extraneos à uenatione in suo fundo, & à piscatione in sua parte, seu diuerticulo fluminis. Ergo multo maiori ratione ab eruendis metallis in suis agris.

Syluius Sotus Becanus Lessius Fagundez

Fiunt etiam primò occupantis ea quæ habentur pro derelictis, *inst.de rerum diuis §.pen. & vlt.* qualia dicuntur, quæ vel expresso actu domini, vel præsumpto talia facta sunt: in dubio autem an talia sint coniecturis est iudicandum, quæ uerò naufragio iactantur in aquam, non hoc ipso sunt derelicta, multò minùs quæ eripiuntur de incendiis, & ruinis: Ligna autem quæ ex inundatione fluminum asportantur, pro lignorum qualitate, pro distantia domini, pro industria apposita ad illa eripienda, arbitrio prudentis iudicandum est, an pro derelictis habenda sint. Nauarrus *in Man* c.17.*n*.98.& 170. Becanus *c.c* 5. *q*.13.Syluius *c.concl.*2.& alii.

Nauarr. Becanus Syluius

9 Iure communi fiunt etiam capientium insulæ, quæ in mari nascuntur; *instit.de rerum diuis.§ insula*, illæ verò quæ in flumine natæ, in medio fluminis sunt, communes sunt, cum iis, qui ab vtraque fluminis parte prædia habent: si autem alteri parti propinquiores sint, dominium illorum penes eos erit, qui propè ripam prædia possident: consuetudo tamen habet, vt subditi cuiusque reip. addicant suæ reip. insulam, vel alium locum desertum receptum, præmio ab ipsa accepto. Molina *c.disp.*55. & 57.

Molina

10 Bonorum vacantium dominium, iure ciuili communi deuoluitur ad fiscum, si defunctus laicus sit, nullo hærede relicto, qui ab intestato succedat l 1.*§.vlt.ff.de iure fisci Authent. omnes peregrini*. Peregrinorum autem bona mobilia morientium in hospitalibus distribuenda sunt eodem iure in pias causas per Episcopum loci; multis tamen in locis, bona morientium in hospitalibus adiudicantur ipsi hospitali: alibi verò in redemptionem captiuorum erogantur.

11 Thesaurus, hoc est, vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria; ut iam dominum non habeat, iure naturali & gentium transit in dominium inuentoris occupantis; quia quæ nullius sunt, illo iure fiunt primò occupantis: communi tamen iure statutum est, *l.Nunquam ff.de acquir.rer dominio.Instit de rerum diuis § thesauros*, vt si in proprio fundo thesaurus inuentus fuerit, totus sit inuentoris; in alieno autem & fortuitò repertus, dimidium erit inuentoris, & dimidium domini fundi; si autem de industria quæsitus sine consensu domini, totus erit domini, post sententiam iudicis intellige; si uerò ex consensu domini quæsitus fuerit, pacto standum est, si quod initum est: alioquin totus thesaurus erit inuentoris: quod si fundus duos dominos habuerit, nimirum directum & vtilem, dimidium erit inuentoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo est diuidendum: Qui autem emit locum sciens in eo latere thesaurum, efficitur dominus totius thasauri; quia dominus loci non censetur dominus thesauri in eo latentis, cùm non sit pars loci, nec fructus: ideò tanquam carens dominio erit primò occupantis. Si thesaurus in loco publico inueniatur, v.g. in flumine, in platea effossa in via publica, totus est inuentoris, licet probabile sit dimidium esse Principis; quãdo autem in loco sacro thesaurus inuenitur, dimidium sibi acquirit inuentor, & dimidium est Prælati vel Ecclesiæ, cuius fuerit talis locus sacer; licet quidam uelint totum esse inuentoris: Quod si per magiam in alieno fundo thesaurus repertus sit, post sententiam iudicis pertinet ad fiscum pars inuentoris, Dominus autem loci ob maleficium alterius non debet suo iure priuari. Hæc secundùm ius commune: si autem in aliqua Prouincia sint leges, & cõsuetudines iustæ, illę sunt seruandæ. Ita D. Thomas 2.2.*q.66.a.5.ad 2.*Syluius *ibid.* Clauis Reg.*li.9 c.9.n.* 8.Lessius *li.2.c.5.dub.*15. & 16. Nauarrus *cap.17. à num.* 171. *ad* 176. Couar. *reg.peccatum, part.3 paragraph.2. num.3* Filliucius *tract* 31.*c.6 nu.*158.Molina *cit.disp.*56. Sà *v.Thesaurus*.

D. Thom. Syluius Clau. Reg. Lessius Nauarr. Couar. Filliucius Molina

Annotandum tamen est, quod non est propriè thesaurus, si quis aurum in terræ superficie, uel in angulo aliquo domus reperiat, quamuis dudum ibi positum videatur; ideoque ad inuentorem spectabit, si dominus, uel hæredes eius ignorentur Item si incolæ metu belli nuper defodientes pecuniam, vel similia ea deserant: ea non censeri debent thesaurus, de quo loquimur, quare vel propriis dominis restitui, vel si iustum contra illos bellum geratur, militi inuentori prædę instat cedere debent. Insuper, si quis alteri vestem vendat, in qua aurum repositum latuit, emptor postea reperiens aurum non efficietur eius dominus, sed ei, qui posuit, vel hæredibus restituere debet: cum in venditionis contractum non venerit aurum propter ignorationem, vti habetur *in l.à tutore ff de rei vendic.*

Sed esto emptor triennio cum bona fide possederit, nesciens aurum absconditum esse; dici nequit, cum præscriptione dominium acquisiuisse. Is enim, qui nescit, non possidet aurum, quamuis possideat vestem, in qua est aurum; Sine enim possessione nulla est vsucapio.

An autem talis inuentor possit sibi retinere aurum, si ignoretur dominus, vide dicta suprà. *verb.Bona incerta numer.*2.

12 Quando, & quomodo syluarum cæduarum dominium sibi acquirat quilibet ex populo, vel rep. cui sunt illæ communes, dictum est antea *verbo Cæsio lignorum*, idem iuris est de pascuis communibus, sicut de syluis, de quibus Molina *c.disp.*58.& 59. Molina

Hæc dicta sint de modo acquirendi dominium per occupationem, de aliis autem modis memoratis, quibus Iure gentium, & ciuili dominium acquiritur, quia in vsum non ita frequenter ueniunt, in particulari mentionem non faciemus breuitatis ergo; dicta de dominio sufficiant Theologo morali, plura iurisperitis disputanda relinquimus.

Vide *Decima* num.14. *Emptio* num.2. *Feudum* num. 1.*Fideiussio* num.5.*Præscriptio.Venditio* num.21.*Hæresis* numer.19.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Dominium formaliter non est idem quod ius.*
2 *Dominii titulus ab ipso dominio distinguitur.*
3 *Creaturæ irrationales, & insensibiles nullum habent dominium.*

4 *Solus*

4 *Solus Deus habet verum dominium vitæ, & mortis hominis.*

5 *Verius est, quod Christus quatenus homo non fuerit propriè dominus, nec Rex totius mundi, nec habuerit rerum dominium, nisi quatenus opus erat ad regnum spirituale, quod instituebat.*

6 *Princeps, vel Respublica non habet dominium vitæ & membrorum subditorum.*

7 *An Papa sit iure diuino Dominus, vel Rex totius mundi, vel aliquarum Prouinciarum?*

8 *Dominium bonorum Ecclesiasticorum immobilium, est non penes Ecclesiasticos singulos, sed penes Ecclesiam particularem cuius sunt.*

9 *Ecclesiastici acquirunt dominium stipendiorum suorum pro missa, concione, &c.*

10 *Nullus clericorum olim habuit in particulari dominium vllorum redituum in sustentationem ministrorum Ecclesiæ deputatorum.*

11 *Licet beneficiario portionem sui beneficij redundantem reseruare in suas futuras necessitates.*

12 *Opera pia, an debeant fieri à beneficiario in eo loco vbi beneficium est situm?*

13 *Beneficiarij quando possint ex reditibus suorum beneficiorum donare consanguineis.*

14 *Beneficiarius nobilis, habens sola bona Ecclesiastica, an possit plus in alimentis filiæ spuriæ largiri, quàm si esset spuria Sacerdotis pauperis.*

15 *Dominium rerum acquiritur cum quis ex aliena materia speciem aliquam fecerit.*

16 *Dominium rei acquiritur per accessionem.*

17 *Item per materiarum confusionem.*

18 *Item per commixtionem specierum.*

19 *Item per ædificationem.*

20 *Item per plantationem.*

21 *Item per traditionem rei, animo transferendi in accipientem dominium.*

22 *Dominium rei ex pluribus causis esse non potest.*

23 *Dominium rei non potest quis acquirere solo animo, & voluntate, nisi possessionem rei ante acquirat & apprehendat.*

24 *In publicis fluminibus non licet ædificare molendinum absque Principis consensu, secus in priuatis, modo absit damnum alterius.*

25 *Potestas domini in seruum non se extendit in eius vitam, nec ad interiora animæ.*

26 *An seruus sibi acquirat ea, quæ parcè viuendo sibi subtrahit?*

27 *Serui à seruitute liberantur nouem modis.*

1 DOminium formaliter, & essentialiter non est idē quod ius. Ratio est, quia vxor habet ius quoddam in virum, vt tradit Apostolus 1. *Cor.* 7. Filius habet ius, vt à patre alatur, subditus vt à Prælato dirigatur, & doceatur, & seruus in dominum, vt ab eo necessaria accipiat, & tamen nullus istorum, quantumuis nomen dominij extendatur dominus est, nec appellari potest vxor domina uiri, nec filius dominus patris, &c. ergo non omne ius est dominium, atque ex consequenti, dominium non est idem essentialiter, quod ius. Ita habet communis tam Theologorum, quàm Canonistarum sententia. Vnde Arist. 5. *Ethic. c.* 6 distinguit ius dominatiuum à iure paterno, & coniugali: quia pater possidet filium, non sicut dominus seruum, sed tanquam aliquid sui. Et ideò ius illud non est dominicum: dominus autem possidet seruum tanquam instrumentum, quo vtitur. Et 1 *Polit. c.* 3. distinguens inter ius politicum, seu Regium, & despoticum, quod est dominicum, dicit animam habere in corpus dominicum Principatum, mentem verò in appetitum non nisi ciuile, & Regium, quod non est dominicum. Deniq; vir est superior vxoris, non tamen dominus, nec ipsa ancilla viri, sed socia, vt patet *Genes.* 1. Vnde ius viri in vxorem est innominatum, quia non est vt domini ad seruum; neque vt Patris, ad Filium, neque vt Principis ad ciuem, sed præstantiùs cum sit vna caro, sed etiam vt dignioris in eodem regimine domus. & in hoc sensu dicitur Genes. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, quia in regimine domus, uel quantum ad usum coniugalem uxor

Aristot.

debet petere ulro, ut dicit Sotus *de iustit. lib.* 4. *quæst.* 1. *artic.* 1. Sotus

2 Titulus dominij ab ipso dominio distinguitur tanquam causa ab effectu. Ratio est, quia dominium est facultas libera vsurpandi rem aliquam in suum commodo. At titulus est principium, basis, radix, & velnti causa moralis, & fundamentum, quo nascitur hoc dominium, seu facultas tanquam effectus illius. Vnde dicenti alicui, se esse dominum alicuius rei, solemus dicere, ostende titulum, idest, fundamentum, & basim huius dominij. Potest autem hic titulus esse duplex, scilicet verus, & præsumptus: verus est, quando est vera radix & causa, vnde pullulat dominium, vt quando emitur res à vero domino: hic habet verum titulum. Præsumptus verò est, quando præsumitur vera radix, & causa, & tamen reipsa non est: vt si quis bona fide non emit rem ab eo, cuius illa non est, hic non habet titulum verum, sed præsumptum. Ita Molina *de iustit tom.* 1. *disp.* 4. Bannez, Arragon 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. & 2. & alij apud Layman *lib.* 3 *sect.* 5. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 7.

Molina. Bannez. Arragon. Layman

3 Creaturæ irrationales, & insensibiles nullum habent dominium. Ratio est, quia dominium est ius, seu facultas libera vtendi rebus in suum commodum, sed creaturæ irrationales, propriè nulla re vti possunt, ergo non habent dominium. Tum quia illi soli competit habere dominium qui operatur liberè, & ex electione, atqui creaturæ irrationales, necessario agunt, scilicet ex mero instinctu naturæ, ergo nullum possunt habere dominium. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. Ex quo colligitur, quod sicut creaturæ intellectu, & libero arbitrio præditæ agunt propter finem propriè, quia eæ solæ cognoscunt rationem finis, & mediorum, sic etiam solæ illæ verè, & simpliciter vtuntur rebus in suum commodum, ac proinde solæ habent propriè dominium. Ita concors est omnium Theologorum sententia. Bruta enim dominium non habent super terræ gramina, quibus pascuntur: neque qui ea prohibet iniuriam ipsis infert, sed eorum domino: vnde dominium, quoad brutis, & rebus insensibilibus attribuitur à quibusdam, improprium, & æquiuocum dicitur, propter vmbram quandam dominij, quam habent. Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 1. Caiet. *ibid.* Syluium *ibid quæsit* 3 *concl.* 1. Clauem Regiam *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 3.

D Thom. Syluius. Clau. Reg.

4 Ex communi omnium sententia, solus Deus optimus maximus vitæ, & mortis hominis habet verum, & absolutum dominium, ita vt non solùm tanquam iudex puniendo, vel tanquam iustus defendendo, sed etiam absolutè tanquam humanæ vitæ author potest omnes homines interficere. Hinc Abrahæ, tanquam vitæ dominus, potuit Deus præcipere, vt filium suum Isaac in sacrificiū immolaret, & Sauli vt interficeret omnes Amalechitas etiam innocentes; Sic etiam Sodomitarum omnes innocentes, & paruulos occidit, & quando præcepit per Moysem vt vnusquisque occideret fratrem suum, non solum id iussit, tanquam vindex conflati vituli, sed etiam tanquam vitæ, ac mortis Dominus. Vide Syluium 2. 2. *q.* 66. *art.* 1 *q.* 3. Clauem Regiam *lib.* 9. *c.* 5. *n* 6.

Siluius. Clau. Reg.

5 Quidam putant Christum Dominum, quatenus homo, etiam adhuc mortalem vitam agentem, plenum, atque perfectum habuisse imperium totius orbis, ita vt absque cuiusquam iniuria usurpare sibi potuerit omnes mundi reges deponere, & de rebus omnibus temporalibus, ad libitum disponere ex iure, & potestate quam super omnia habet. Probant suam sententiam ex multis S. Scripturæ locis, in quibus uidetur affirmari, Christum saluatorem nostrum esse Regem temporalem uniuersi. Ita Arrag. 2. 2. *q.* 66. *art.* 1. Durand. *de orig. iurisd. q.* 3. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *c.* 6. *n.* 4. §. *Porrò*, & alii. Verior tamen & tenenda sententia est, quod Christus quatenus homo non fuit uerè, ac propriè Dominus, nec res totius vniuersi, & sic non habuit iurisdictionem temporalem, nec rerum dominium, nisi quatenus opus erat ad regnum spiritale, & sempiternum quod instituebat. Probatur quia omne regnum aliquo horum modorum acquiritur; uel hæreditate, vel populi electione, vel iure belli, uel dono Superioris: Atqui Christus nullum terrenum regnum possedit, iure hæreditario, imò nec Iudaicum; quia sceptrum iam erat ablatum à tribu, & familia Dauid, quando Christus fuit natus. Quod non populi electione, vel

Arragon. Durand. Layman

iure

iure belli, satis manifestum est, quia fugit quando volebant eum facere regem. *Ioan.6.* Tum quia nullum gessit temporale bellum cum hominibus, sed solum spirituale cum Diabolo, & Angelis eius. Quod nec Dei dono tale regnum habuerit patet ex illo Ioan.18. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Et iterum, *Regnum meum non est hinc*. Quasi diceret, Regnum meum quod tanquam Messiæ ad me spectat, & de quo Iudæi me accusant, non est de hoc mundo, non est qualia sunt caduca, & peritura terrarum regna, sed spirituale, & æternum, atque ad finem longè diuersum à fine proprio terrenorum principatuum. Dicitur *nisi quatenus opus erat ad Regnum spirituale*, &c quia qui verè & propriè est Dominus in regno spirituali, necesse est, vt etiam sit dominus temporalium, in quantum opus est ad gubernationem regni spiritualis: & quia sæpè molestari poterat Ecclesiastica gubernatio per temporalem potestatem, necesse erat, vt Christus haberet consequenter dominium temporalium, ita videlicet, vt mutare potuerit Reges vniuersos cætaraque omnia in temporalibus disponere, quæ ad suum finem susupernaturalem Ecclesiæ videret expedire. Ita sentiunt Sotus *lib.4. de iust. q.4. art.1.* Victoria *Relect. 1. de potestat Eccles. sect.5.* Bellarm. *lib.5. de Roman. Pontifice cap.4.* Sylnius 2.2. *q.66. art 1. quæsit 4.* & alii.

Sotus
Victoria
Bellarm.
Atragon.
Salon
Ciau. Reg.

6 Princeps vel Resp. non habet dominium vitæ & membrorum subditorum. Ratio est, tum quia Princeps, vel Resp. non habet potestatem nisi à singulis; ergo cùm nemo habeat vitæ, mortisque suę potestatem, neque Respublica habere potest: tum quia, qui est verus dominus alicuius rei, potest re illa vti vsque ad eius interitum; sed Princeps, vel Resp. nō potest pro suo libito de vita suorum ciuium disponere, neque innocentes interficere, aut mutilare, ergo non est dominus vitæ suorum ciuium. Tum quia ex communi omnium sententia in duobus tantùm casibus Princeps, uel Resp. potest suum subditum occidere, vel uitam eius manifesto discrimini obiicere. *Primò*, si ciuis ille aliquod delictum, quod in iure punitur pœna capitis, perpetrauit. *Secundò*, quando sic exigit ratio boni communis. Vnde quando Princeps interficit malefactores, & exponit subditorum vitam in bello, id facit, non vt illorum Dominus, sed vt custus tranquillitatis & boni publici; sicut homo vt custos vitę suę resecat membrum putridum & exponit partem pro salute totius. Ita Sotus *lib. 4. de iust. q.2. art.3.* Valentia *tom.3. disp 5. q.10. punct 1.* Bannez Attragon & Salon 2.2. *q.61. art.1. & 2.* Clauis Regia *lib.9. c.5. num 8.*

Sotus
Valentia
Bannez
Atragon.
Salon
Ciau. Reg.

7 Summus Pontifex nullam directè habet iurisdictionem merè temporalem iure diuino, qua nimirum, vel sit Rex, vel Princeps, vel Dominus, siue totius mundi, siue orbis Christiani, aut alicuius loci, quantum ad regimen temporale. Ratio est, tum quia potestates Pontificalis & regia secundùm diuinam institutionem sunt distinctæ, & subiecto, & functione, ergo Pontifex Romanus non habet ex iurisdictione Christi potestatem regiam; cùm ab eo acceperit Pontificalem. Tum quia Christus vt homo non habuit temporale dominium alicuis loci, vt dictum est supra: ergo neque Summus Pontifex illud habet ex traditione Christi, seu iure diuino. Non pugnat tamen cum Verbo Dei eundem esse Principem Ecclesiasticum & sæcularem. Hinc Constantino, Ludouico Caroli Magni filio, & alijs Imperatoribus dominia sæcularia donantibus B. Petri successoribus, S. Syluester aliique post eum Pontifices illa acceptauerunt. Vide apud Gratian. *disp.63. ca. Ego Ludou.* Romanus autem Pontifex indirectè & in ordine ad finem spiritualem habet summam potestatem, disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum. Ratio est, quia potestas ciuilis comparatur ad spiritualem sicut caro ad spiritum: Atqui spiritus debet gubernare carnem, eique, si quippiam moliatur contra spiritū resistere: ergo similiter potestas spiritualis debet gubernare ciuilem, eàmque coercere quando molitur aliquid saluti contrariū: vnde Principem à fide apostatantē, aut alioquin valdè noxiū Ecclesiæ potest Romanus Pontifex spoliare dominio, & iurisdictione quam habebat, eiùsque regnum vel principatum transferre in aliū. Hinc Leo III. Imperium à Græcis trāstulit in Germanos: quodque ius, & potestas eligendi Imperatorē, ad Principes electores peruenerit à Sede Apostolica, *cap. Venerabilem, de elect.* De hoc vide plura apud Sylu. 2.2. *q.66. art.1. quæsit. 5.* & quæ diximus *tom.1 v. Hæresis n.19. §. sed petes*.

Gratian.

Siluius

8 Dominium bonorum Ecclesiasticorū immobilium est non penes Ecclesiasticos singulos, sed penes Ecclesiā particularem, cuius sunt. Nomine *Ecclesia* intelligitur communitas ipsa cum suo capite: quatenus autem vnaquæque Ecclesiarum particularium est pars vniuersalis Ecclesiæ, dominium omnium bonorum Ecclesiarum est penes Ecclesiam vniuersalem, cuius caput vniuersale est Summus Pōtifex. Probatur quia hęc bona à fidelibus donata fuere Ecclesiæ in dotem. Patet ex *c. Expedit. 12. q. 1.* Vnde quando sine iusta causa bona vnius Ecclesiæ Pōtifex tribueret alteri Ecclesiæ, altera Ecclesiā, aut Summus Pontifex in eius defectum teneretur illa restituere Ecclesiæ, à qua ablata fuissent, non minùs, quàm si alicui sæculari eadem collata fuissent. Ratio est, quia contra iustitiam, est dispensatorem sine iusta causa, communitatē aliquam, dominio rei quam possidet, priuare. *Dixi sine iusta causa*, quia si sit necessarium, uel ualdè expediens ad bonum commune Ecclesiæ, potest Papa bona unius Ecclesiæ ad alios vsus, & etiam ad alias Diœceses transferre, imo sæcularibus concedere. Dices, hæc bona sunt patrimonium Christi, ergo sunt Christi, non Ecclesiæ. Resp negando consequentiam; quia quæ à fidelibus collata sunt Ecclesiis, eatenus dicuntur esse patrimonium Christi quatenus illis collata fuere Christi intuitu, in illiùsque obsequium, vt videlicet, diuinum obsequium in eis resplendeceret, Sacramenta administrarentur, verbum vitæ doceretur, fideles in vitam æternam gubernarentur, ministri ad hæc omnia necessarii decenter sustentarentur, premiisque dignis efficerentur, & si quid superesset, pauperibus erogaretur, vel in alijs pijs operibus in Dei obsequium, bonùmque Ecclesiæ consumeretur.

9 Ecclesiastici acquirunt dominium stipendiorum, quæ pro suis peculiaribus ministeriis eis dantur, vt pro missa, concione, Sacramentorum administratione, &c. Ratio, quia illa conferuntur eis ex temporalibus, vel spiritualibus bonis, tanquam merces laborum, & operum personalium eorū, idque sine vllo onere expresso, uel tacito distribuendi superflua pauperibus, quod tamen onus bona, seu reditus beneficiorum habet annexum: vnde hęc bona æquantur bonis patrimonialibus clericorum, ac proinde de illis possunt clerici liberè disponere. Ita ex communi DD Sententia Nauarrus *qu.2. de redditibus Ecclesiastic. monito 19.* Diana *p.4. tract.4. resol.171.*

Nauarrus
Diana

10 Nullus clericorum olim habuit in particulari dominium vllorum redituum in sustentationem ministrorum Ecclesiæ deputatorum. Ratio est, quia ante tempora Simplicii Papæ qui anno Christi 471. Ecclesiæ præfuit omnia bona Ecclesiastica erant clericis communia, solàque administratio, ac dispensatio pertinebat ad Episcopum, & ministros deputatos, & postea reditus Ecclesiarum in quatuor partes distribui cœperunt; vna erat Episcopi, altera inter clericos pro meritorum qualitate distribuebatur, tertia inter pauperes; quarta Eclesiarū fabricis deputabatur. Hæc tamen diuisio uaria fuit olim pro temporum, & locorum varietate, imò sensim temporum lapsu uariis statutis, consuetudinibùsque diuersis subintroductis eo tandem modo bona Ecclesię distributa, titulìque beneficiorum, & sacerdotiorum sunt applicata, quo hodie conspiciuntur. Ita Molina *tract. 2 disp. 142. nu. 13. & seq.*

Molina

11 Licet beneficiario portionem sui beneficii redundantem, reseruare in suas, quasi futurum timens, necessitates, vel vt collegium fundet, aut hospitale, aut aliud opus pium, quod non nisi magna pecuniarum longo tēpore collectarum, summa construi potest; modò interim non occurrant graues præsentes proximorum necessitates: modò etiam id prudenter fiat; quia videlicet ita verisimiliter uicinas tales necessitates timet sibi, vt non speret posse eis aliter commodè occurri; aut quia opus illud pium vtile est, & verisimile est, morte non præueniente, exitum habiturum. Vide Nauarr. *de reditib. Eccl. monito 76.*

Nauarrus

12 Opera pia, ad quæ beneficiarius de superfluo redituum

tuum sui beneficii tenetur, non est opus vt fiant in eo loco, vbi beneficiũ est situ: quando tamen aliud non postulat commune Diœcesis, regni, aut totius Ecclesię bonum, sanè eiusmodi opera pia potius fieri deberent in populi vtilitatem, qui reditus contribuit, quam alterius, quia, & recta ratio, & beneficiarii apud eos à quibus pascitur, ędificatio id postulat; Opera autem pia, de quibus hic, multa, & varia sunt, vt exigere aliud beneficium, Ecclesiæ fabricam, & ornatum promouere, pauperes iuuare, instituere magistros iuuentutis: vsus enim Ecclesiæ habet, vt hæc omnia eiusdem rationis censeantur.

13 Beneficiarii possunt conferre cõsanguineis aliquid ex redditibus suorum beneficiorum, alioquin expendendum in opera pia, si tales consanguinei pro sui status ratione habeãt: nec habere possint competentem sustentationem, aut si nubiles fœminæ sint, quæ pro qualitate sui status non habeant, nec habere possint moderatam competentem dotem, poterit illis à beneficiario conferi, quãtum indiguerint ad competentem moderatam sustentationem, aut dotem. Ratio est, quia pauperes sunt, non solum qui egent cibo, potu, aut veste, quæ sunt naturæ necessaria, sed etiam qui egent opportunis ad conueniẽtiã sui status, ac proinde beneficiarii possũt illis tribuere eleemosiynam, sicut aliis pauperib. hæc tamen intellige, modò non occurant graues aliæ proximorũ necessitates: licet enim beneficiarius de reditibus beneficii in opera pia insumendis, subuenire potiùs debeat consanguineis, quàm extraneis ęquũ tamen nõ est, vt omittat subuenire extremis, aut penè extremis naturæ necessitatibus proximorũ extraneorũ, vt subueniat consanguineis, in iis quib. solum indigẽt ad conuenientiã status. *Dixi si nec habeãt, nec habere possint.* quia si illi, vel illæ consanguineæ adhibita pro conditione sui status industria, & labore possint sibi ad sustentationem, vel dotem competentem necessaria acquirere, vel si habeant parẽtes, qui illis possint, debeant, & velint sufficienter subuenire, non censebuntur egere, sed potius esse diuites: similiter si benficiarius habeat alia bona sua, unde subuenire posset proprio filio spurio, non posset illi largiri congruam sustentationem de superfluo sui beneficii. Ratio est, quia pręterquã quod cum peccato, & contra id, quod status beneficii postulat eum genuerit, filius esset simpliciter diues. Ita D. Thom.

D. Thoma, Ambrof. Caietan. Nauarr. 2.2.q.185.*art.7.ad* 2.cum D. Ambrof. 1 *officior.c.* 30. & Caietan. 2.2.q.43.*art*.8. Nauarr. q. 1. *monito* 77.*n*.4.

14 Beneficiarius nobilis, aut in magna aliqua dignitate constitutus, qui sola habet bona Ecclesiastica ex beneficio manãtia, & in opera pia expendẽda, potest plus in alimentis, & moderatam dotem filiæ spuriæ largiri, quã si esset spuria Sacerdotis pauperis. Ratio, quia ex statu & qualitate parentis, accrescit status, & cõditio filiæ spuriæ: imò iure canonico talis beneficiarius tenetur eiusmodi filiæ præstare alimenta, qualitati parentis competentia, atque adeò dotem, quæ ad eiusmodi alimenta, in

Nauarrus. totam vitam ei sufficiat Ita Nauarrus *de spoliis cleric. §. vlt.n.9.* Beneficiarius tamẽ talis non potest de dictis suis bonis conferre tantam dotem suæ filiæ spuriæ, quantam homo coniugatus æqualis conditionis conferret in competentem, & moderatam dotem filiæ suę legitimę. Ratio quia nec talis coniugatus solet æqualem dotem, sed longè inferiorem, simili suæ filię spuriæ conferre, nec æquũ esset cõfere; atquinõ est melioris, sed inferioris cõditionis filia spuria clerici, quam suscepta ex adulterio coniugati. Sed petes, an si quis humili loco natus, euehatur ad magnã aliquã dignitatem, vt ad Episcopatũ, &c. statim etiã eo ipso consanguineorum eius, vt fratrum, aut consobrinorum ex fratribus, uel sororibus, accrescat conditio, & status, ita ut plus egeant ad suam cõgruam, & mediocrem sustentationem, & ad dotem competentem, possitque proinde beneficiarius de reditibus sui beneficii, id quod ad id eis defuerit, eis licitè conferre. & maximè patri aut matri, quibus tenetur so gratum exhibere debitumquo honoré deferre? Resp. accrescere aliquãtulum eorum statum, ac proinde posse beneficiarium licitè illis cõferre, non quantum exigere solent. & quantum benficiariorum inordinata ad nordinata ad filios affectio, facile putat sibi licere conferre, sed moderatè ad arbitrium viri prudentis, & boni, spectatis omnibus circumstantiis, & saltem quantum par est, vt dedecus, & pudor meritò non sit beneficiario, propinquos tam arctè sibi coniunctos à se deferri, & abiici. Ita Nauarrus *monito* 77.*n*.5. Nauarr.

15 Dominium rerum acquiritur, cum quis ex aliena materia speciem aliquam fecerit, & hic modus dicitur *per specificationem, seu formationem, l. Adeò, §. cum quis ff. de acquirend. rer. domin.* Et tunc videndum est, vtrum species ad materiam reuerti possit, an non possit? *Primò* casu pertinebit ad dominum materiæ, v. g. ex tuo argento à me fabricatus scyphus, tuus erit. Altero caso, ad eum spectabit, qui rem formauit, v. g. qui ex lana vestem, ex vuis, uinum, ex oliuis oleum confecit. Requiritur tamen; vt bona fide alienam rem adhibuerit, existimans suam esse: si enim mala fide egit, res à pristino dominio vendicari poterit; *l. de ea, §. si quis, ff. ad exhibendum,* & Gloss. *in §. cum ex aliena, verb. ab aliquo, Institut. de rerũ diuisione.*

16 *Per accessionem* acquiritur dominium rei: quæ fit, quando res aliena rebus nostris accedit per humanum laborem, & industriam. *Instit. de rer. diuis. §. si tamen aliena,* v.g. si purpura vesti meæ intexatur, aut Margaritæ auro inserantur. Ratio est, quia accessorium sequi congruit naturam principalis. Succurritur tamen domino gemmæ, v.g. concessa illi actione ad exhibendum anulum, vt excludatur gemma. Alia verò ratio est de ligno alienis ædibus iuncto, quod eximi non debet, ne publicus ædificiorum deformetur aspectus. *Instit. §. cum in suo, de rer. diuis.* & *l. Gemma ff ad exhibendum.*

17 *Per materiarum confusionem* iure gentium siue naturali rerum dominium acquiritur: quoniam si duorum dominorum materiæ sint confusæ, siuæ casu fortuito, siue voluntate ipsorum; corpus, quod ex confusione fit, commune ex vtriusq; voluntate quidem ipsorum, si ita mutuo consensu facta est confusio: si casu fortuito, tunc nemini casus imputatur. *Instit. de rer. diuis. §. si duorum,* veluti, si qui vina sua confunderint, aut massas argenti, vel auri conflauerint. Verùm si quæ casu confusa sunt, facilè separari possunt, v.g. plumbum ab argento, in rem actio dabitur, *l. Idem Pomponius, §. si plumbum, ff. de rei vendicatione.*

18 *Per commixtionem* specierum dominium etiam acquiritur, vt si duorum dominorum fromenta commiscenantur; tunc si amborum voluntate fiat, communicata censebuntur: si autem casu, aut sine voluntate eorum, tunc singulis competet in rem actio, quatenus apparet, aut iudex recognita arbitrari poterit in illo aceruo cuiusque esse. Eadem est ratio, si greges ouium permiscenantur. *Instit. de rer. diuis. §. Quod si frumentum.*

Commixtio autem differt a confusione; nam ea dicuntur confundi, quæ postquam confusa sunt; nouam pariunt speciem, vt vinum, & mel propriè confunduntur; quia aliam liquoris speciem gignunt, videlicet mulsum. Ea verò commiscere dicimur, quæ ita confunduntur, vt non transferantur in nouam speciem, sed retineant prioré. Et oritur secunda differentia, vt quæ confusa sunt, siue casu, siue voluntate dominorum, communia fiunt: at quę cõmiscentur casu, cõmunia non fiunt.

19 Per ædificationem, iure gentium acquiritur dominium. Ita habetur *in l. Adeo quidem, §. cum in suo, ff. de acquirend. rer. domin.* & *Instit. de rerum diuis. §. cum in suo,* Vnde si quis in suo solo ex aliena materia ædificauerit, dominus fit ædificii, quia omne quod solo inædificatur solo cedit. Verũtamẽ diruto ædificio, materiæ dominus, eã vindicare poterit, nisi antea ipsi pro materia satisfactũ fuerit. Contra verò, si quis in alieno solo sua materia ędificarit, illius erit ædificium, cuius, & solum est: & si scit alienum solum esse, nihil repetere in externo foro potest, etsi domus diruatur; quia aut donasse, aut temerè ædificasse censetur: excepto, si ea re negotium absentis vtiliter gessit, Si autẽ ex sua materia ędificauit bona fide, nesciens solum esse alienum, constitutus in possessione ædificii, habet exceptionem doli mali aduersus dominium soli postulantem ædificium, si materiæ æstimationem, & fabrorum mercedes soluere recuset, quia nemo locupletari debet cum detrimento possessoris bonæ fidei: quamobrem pretium materiæ, & mercedes fabrorum soluere cogetur. Ita *l. Adeoc. §. Ex diuerso.*

20 *Per Plantationem* dominium rei etiam comparatur:

tur: quia ficut ędificia folo cedunt, ita multò magis plantæ & arbores, cum à terra fuftententtur, alimentum, vitam & incrementum trahant. Vnde qui alienam plantam in fuo folo pofuerit, eaque radices egerit, ipfius fit planta, cuius, & folũ eft. E contrario fi quis fuã plantã in alterius folũ transtulerit, pofteaquã ea radices egerit, ad alterius dominium fpectabit, *l. Adeo, ff. §. vlt. de acquir. rerum domin.* & *Instit. §. fi Titius, de rerum diuif.* Æftimationem tamen plantæ, atque impenfi laboris mercedem repetere poteft, qui in alieno agro, verbi gratia, frumenta confeuit, præfertim fi bona fide id factum fit, *l. qua ratione, ff. de acquir. rerum domin.* Hinc infertur, quòd fi arbor propè confinium pofita in duorum dominorum fundos radices egerit, cummunis erit. Si autem arbor in vnius fundo pofita, in alterius vicinum fundum radices aliquas miferit, eius erit arbor, in cuius fundo origo, & plantatio eft, *l. fi plures, § vlt. ff. arborum furtim cæfarum.* Sed alter, fi cognouerit impedentes ramos arboris alienæ fuis ædibus, aut horto officere, denunuiare poterit, vt fuccidantur fi dominus arboris neglexerit, ipfemet, qui damnum ex arbore patitur, totam fuccidere, & ligna tollere non prohibetur.

21 Iure quoque gentium acquiritur dominium per traditionem rei non quidem nudam, fed talem, vt per eã, is, qui tradit, in animo habeat transferre dominium in accipientem, *l. Adeò quidem, §. Hac quoque res, ff. de acquir. rerum domin.* Aliquando tamen fine traditione voluntas nuda domini fufficit ad dominium rei transferendum: veluti, fi rem quam commodaui, aut tibi locaui, aut apud te depofui, vendidero tibi; licet enim ex ea caufa tibi eam non tradiderim, eo tamen, quòd patior eam ex caufa emptionis apud te effe, tuam efficio. Item fi quis merces in horreo repofitas vendiderit, fimul atque claues horrei emptori tradiderit, transfert proprietatem mercium ad emptorem, *Instit. de rer. diuif. §. interdum etiam*, & *§. Item fi quis.*

22 Dominium rei ex pluribus caufis effe non poteft, quia fi ex vna caufa res cępit effe noftra, deinde ex alia caufa non poteft fieri noftra, quia non incipit effe noftrum, quod antea noftrum fuerat, Ita *l. Poffideri, §. ex pluribus caufis, ff. de acquirend. rerum domin.* Nec refert quòd fæpè contingat, vt poffeffor bonæ fidei rem exemptione, vel permutatione, uel donatione, vel teftamento uel legato habeat & deinde curfu temporis legitimè vfucapiat: nam tunc proximè ex pluribus caufis res non fit noftra, fed remotè in vfucapione: tamen ipfo vfucapio poteft ex multis caufis exiftere. Poffum enim bona fide rem alienam emere, ab eo qui dominus eius non, eft uel bona fide donatam accipere: fed tunc ex his caufis non eft mihi acquifitum dominium, fed tantùm ius vfucapiendi, & deinde lapfu temporis rem vfucapio legitimè, & tunc dominium acquiro.

23 Dominium rei non poteft quis acquirere folo animo, & voluntate, nifi poffeffionem rei ante acquirat, & apprehendat. Ratio eft, quia nequit quis res alioqui communes, ut funt aues in aere, pifces in mari, beftiæ in terra, lapilli, & gemmæ in littore, fuas facere, nifi occupatione, vel intentione. Occupatio verò apprehenfionem rei dicit, & inuentio rem non facit noftram, nifi apprehendamus, apprehenfio autem poffeffionem continet. Deinde cùm quis definit effe dominus rei, eo quòd eam pro derelicta habeat, dominium non amittit, nifi definat etiam eam poffidere Poffeffio igitur, fiue ad acquirendum dominiũ fiue ad amittendum neceffario debet interuenire. Hinc etiam eft: vt nemo poffit vfucapere, quin poffit ciuiliter Layman
Clau. reg. poffidere: alioquin enim fures rem furtiuam poffent vfucapere. Vide Layman *li. 3. fect. 5 tract. 1 ca. 5. n. 8.* Clauem Regiam *lib. 8. cap. 9. n. 3.* & alios

24 Non eft licitum ædificare molendinum, aut aliud ædificium in publicis fluminibus, ne videlicet impediatur vfus publicus nauigationis, ficuti neque in via, aut alio loco publico ædificare fas eft abfque Principis confenfu, vt conftat *l. 1. 2. § fi quis a Principe, ff. ne quis in loco publico.* In priuatis verò, aut propriis fluminibus, quilibet poteft molendinum conftituere: cum quilibet in proprio fundo, etiam cum alterius damno, ædificare poffit; modò id faciat principaliter, vt fibi profit, non vt alteri noceat *l. fluminum, §. vlt. iunct. l. fequent. ff. de damno infecto.* Limitatur tamen hæc poteftas. *Primò*, nifi per nouum molendinum auferatur priori & antiquiori commodum naturale ac neceffarium molendi, quod eft aqua; quia in aquæ ductu antiqua confuetudo feruanda eft, vt docet Bartolus *in l. fi manifeftè, Cod. de feruit. & aqua.* Incommodum autem illud, quod ex noui molendini conftructione fequetur, vt ad antiquiora molendina pauciores homines frumenta deferant, in æftimatione effe non debet; cùm quilibet liber fit, feclufa confuetudine contraria, frumentum fuum deferre ad quodcumque voluerit: & expedit plerumque communi bono plura effe molendina ad vitandas fraudes, & vexationes hominum malorum *Secundò* limitatur, nifi confuetudo regionis prohibeat, ne nouum molendinum cum præiudicio, feu damno aliorum ædificetur: tunc priftini molitores prohibere poterunt ædificationem, fi oftendant exinde fibi damnum euenturum. Verùm ftante etiam confuetudine non ædificandi nouum molendinum, poteft tamen quilibet in fuo folo extruere molendinum pro proprio tantùm frumento molendo; deriuata etiam aqua ex proprio flumine. Imò ftante confuetudine non ædificandi nouum molendinũ cum præiudicio alterius, poteft tamen priftinum in locũ commodiorem fluminis transferri, modò nouis riuis deriuatis, cum variis aquarum dilapfibus molendinum non extruatur cum magno aliorum præiudicio, nam in hoc cafu veluti noua forma molendini cenferetur.

25 Quamuis ius dominij in feruos extendat fe ad omnes eorum operas, fructus, & reliqua emolumenta, vt quæcumque feruus acquirit, domino fuo acquirat, ficut conftat ex *Instit. § 1. de his, qui fui vel alieni iuris funt.* E licet iure antiquo Gentilium, domini in feruos fuos vitæ necifque poteftatem habuerint, id tamen meritò correctum eft *in Instit. fupra*, vt qui fine iufta caufa proprium feruũ occiderit, perinde puniatur, ac fi alienũ occidiffet. Multò minus poteftas domini in feruum extendit fe ad interiora animæ, vel fpiritualem eius falutem: quare feruo licitum effet à domino fuo aufugere, fi per eius malitiam in periculo mortaliter peccandi conftitueretur: neq; obligaretur ad reuertendum dum periculum tale perduraret. Ita Diana *p. 7. tract. 7. refol. 4 & 13.* Molina *tract. 2.* Diana
Molina *difp. 38.* & alii communiter.

26 Seruus fibi acquirit ea, quæ parcè viuendo fibi fubtrahit, vel fi præter opera præfcripta aliquid faciat, modo hoc fiat ex præfumpta domini uoluntate, & quando diftincta eft illi certa portio ciborum, tunc enim præfumitur dominum velle, vt quod feruus fibi fubtrahit, non deficiendo debito feruito, nec notabiliter uires minuendo, fibi acquirat. At quando non deftinatur illi certa portio, non poteft feruus fibi retinere, quod ob defectum appetitus relinqueret. Si verò ex eo quod ipfe appetebat, & re vera erat manducaturus, aliquid fibi detraheret, non minuendo notabiliter vires, poffet fibi retinere; idem dicendum fi non deficiendo debito feruitio domini, nec notabiliter vires diminuendo, feruus uigilaret tempore, quo fomno uacaturus erat, & aliquid fibi acquireret. Ita Lef- Leffius
fius *lib. 2. c. 4. dub. 4. n. 16.* Sanchez *in opufc. tom. 1. lib. 1. c.* Sanch.
1. dub. 1. nu. 13. Lugo *de iuftit. tom. 1. difp. 3. fect. 3. num. 66.* Lugo
Fagundez *in decalog. tom. 2. lib. 7 cap. 12. num. 7.* & alii. Fagund.
Vnde ex his acquifitis poffunt ferui facere eleemofynam & quidquid uoluerint etiam donationes faciendo. Ita Diana *part. 7. tract 7. refol. 34.* Diana

27 Serui à feruitute liberantur. *Primò*, per manumiffionem, fiue ea merè gratis fiat, fiue aliquo interueniente pretio, aliòque impofito grauamine, aut alia fimili ratione. *Secundò*, fi dominus, aut alius, eo fciente nec contradicente infantem exponat, aut expofitionem, fe infcio factum, poftea approbet: eo ipfo talis infans manet liber. Item, fi feruum ægrotum exponat, aut illi deneget alimenta neceffaria, habetur pro derelicto, confequitùrque eo ipfo libertatem, nam qui illum fufcipit, curàmque illius habet, ius in talem feruum acquirit. Ita habetur *in c. vnico, de infant. & languidis expofitis, l. 2. & 3. eodem tit l. vlt. ff pro derelicto*, & *l. vnica, Cod de Latina libert. tollenda, §. fed dicimus.*

Tertiò, fi dominus neceffitatem fornicandi ancillæ imponat, ea, implorato Epifcopi auxilio, per eum ab omni mife-

ni miseriatum necessitate absoluitur *l. si lenones C. de Episcopali audientia.*

Quarto, si iudeus, vel Paganus, vel hæreticus seruum iam Christianum quocūq; titulo possideat eo enim ipso seruus ille libertatem consequitur, nullo persoluto pretio: quod si possideat seruum nondum Christianum, & seruus ille Baptismum suscipere voluerit, eo ipso, quod Christianus fuerit effectus, consequitur similiter libertatem. Ita habetur *l. Deo nobis §. his ita. C. de Episcop. & Cleric.* Sanctio tamen hæc, & similes, quæ subiicientur: intelliguntur de infidelibus, qui Ecclesię membrisque illius, quoad iurisdictionem temporalem sunt subiecti, quia videlicet degunt in terris iurisdictionis Ecclesiæ.

Quinto, si seruus à domino Iudeo, vel infideli circumcidatur: eo enim ipso in delicti pœnam manet liber, ex *c. Multa 54. dist. & cap. Plerique, de consecr. dist. 4. & l. vnica, Cod. ne Christianum mancipium.*

Sexto, si vir solutus, & nullo alio impedimento ligatus ancillam etiam solutam, quam posset in vxorem accipere, habuit vt concubinam vsque ad mortem. tunc enim morte domini, tam ancilla, quàm filii, si quos ex illa susceperit, manent ipso iure liberi, si nihil de ancilla, & filiis ex ipsa habitis, dixit. Intellige, modo non dimiserit ancillę turpem vsum ante mortem, & quod filii nati non sint ex concubitu damnato, sed ex soluto, & soluta. Ita *l. vlt. Cod. Communia, de manumissionibus.*

Septimo, si persona libera contrahat cum serua ignorans seruitutem, & dominus, vel illam ei tradat in matrimonium, non detegendo illi seruitutem, vel sciens illos ita contrahere, seruitutem non detegat, eo ipso persona illa serua, siue masculus sit siue fœmina, consequitur libertatem. Ita habetur *in Authent. de nuptiis, §. si vero ab initio.* Item, si quis in matrimonium tradat suam ancillam libero homini, qui illius seruitutem non ignorat, attamē dotis instrumētū ancillæ cōficiat, eo ipso illa libertatē cōsequitur, vt cō stat ex *l. vnica, §. sed, & si quis hominis, iuncta Auth. ad hoc, C. de latina libertate tollēda.*

Octauo, si quis suum seruum hæredem instituat, vel tutorem filio suo relinquat, non ignorans eum esse suum mancipium; eo ipso in vtroque euentu censetur libertatem illi concedere, *l. pen. in princ. C. de necessariis seruis de hæredibus instituendis, §. idem quoque iuris.*

Nono, si quis suum proprium mancipium adoptet in filium, eo enim ipso liber efficitur, vt habetur *Instit. lib. 1. tit. de adoptionibus, §. vltimo.* Hos & alios modos quibus serui libertatem acquirant, inuenies apud Fagundez *de iustis lib. 2. c. 6.* Hurtadum *disp. 1. difficult. 22.* & Dianam *part. 7. tract. 7. resol. 14. 15. 26.* & alios. Fagundez Gasp. Hurtad. Diana

Vide v. Commendatarii *n.* 2. Mons pietatis *n. 2. & 3.* Paupertas *n. 11.* Præscriptio *n. 1. & seq.* Religio *n.* 28.

DOMICILIVM.

SVMMARIVM.

1 *Ad domicilium acquirendum, an animus requiratur, & factum*

2 *Domicilium habens in duabus Parochiis, an possit in alterutra, quæ malit, pœnitentia, & alia Sacramenta suscipere.*

3 *Ad domicilium ordinis cōparādum, quid acquiratur.*

4 *In acquirenda iurisdictionis subiectione, an habeatur ratio originis, vel potius habitationis.*

1 AD domicilium, vel quasi domicicilium, eiusque ratione diœcesim, vel Parochiam acquirendam, animus requiritur, & factum, *l. Domicilium iunct. gloss. ff. ad municipalem, & de incolis, animus* consistit in proposito voluntatis permanendi perpetuò, vel ad tēpus anni nō modicū: *factū* cōsistit in actuali habitatione: vnde sicut domiciliū animo, & facto cōstituitur, ita vt deperdatur, vel trāsferatur, opus est animo, & facto, nēpe desertione habitationis in eo domicilio; quare sola mutatione animi perpetuò manēdi, dum non mutatur prius illud domiciliū habitationis acquisitū, nō deperditur; quia omnis res per quascūque causas nascitur, per easdē dissoluitur. Sanch. *de mat. l. 3. disp. 23.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 10. n. 6.* Marchinus *de ord. tract. 1. p. 5. c. 7. n. 5.* & alii. Marchin.

2 Qui in duabus Parochiis domicilium habet, dummodo in vtroque loco magnam anni partem habitare soleat, secundùm communem Doctorum sententiam, ipsi liberum est in alterutra qua malit pœnitentiæ, & alia Sacramēta suscipere: si autem recreationis tantum causa, ad breue tempus in alterum locum secedat, unum Parochum habere censebitur, in cuius Parochia principalius habitat. Henriq. *lib. 6. Summ. cap. 7. n. 2.* Coninch. *disp. 8. dub. 3. concl. 4.* Marchinus *cit. num. 13.* & alij. Henriquez Coninck Marchin.

3 Ad domicilium originis comparandum, non satis est natum esse aliquem in oppido, in quo parentes domicilium non habebant, sed aderant ad tempus, quamuis per decennium ibi steterint, & ultra, tunc enim non erit originarius loci, in quo casu natus est, sed fingitur natus in ciuitate, in qua parentes habitationis domicilium sortebantur: *l. Filios, Cod. de municip. lib. 10.* quia manet habebat animo reuertendi, & fingitur semper fuisse in loco domicilii, & ita ibi peperisse. Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de præbend. cons. 41.* Syluest. 4. *Ciuitas q. 4.* Nauarr. Syluester

4 Quamuis originis domicilium ad quosdam effectus particulares inseruiat inter quos est ordinis suscipiendi, in acquirenda tamen iurisdictionis subiectione, non habetur ratio originis, sed potius domicilii habitationis, quod etiam principalius censetur, in clericis autem habentibus beneficium residentiam postulantibus idem esse solet domicilium habitationis, quod beneficii Nauarrus *de constitut. cons. 4. edit. 2.* Layman *cit. tract. 9. cap. 9. num. 12.* Nauarra Layman

Vide *Confessarius* 1 n. 12. & seq. *Ordo* 3 n. 2.

DONATIO.

SVMMARIVM

1 *Donatio quid sit.*

2 *Donatio, vna est perfecta, altera imperfecta.*

3 *Donare, qui possint.*

4 *Donare qui non possint.*

5 *Clerici beneficiarii, an possint donare ad suum libitum fructus beneficii in vsus prophanos, & quid de regularibus beneficiariis.*

6 *An superiores regularium possint donare.*

7 *An inferiores officiales Monasterii possint donare. Fratres Minores possunt etiam facere eleemosynas modo concurrant quatuor conditiones.*

8 *An fur & raptor possint donare res furto ablata. Et an donatio inter coniuges sit valida.*

9 *Casus in quibus donatio inter coniuges est valida.*

10 *An donatio patris in filium legitimum, nondum emancipatum, iure communi sit inualida, & in quibus iure consistat.*

11 *In qua ætate filius emancipatus possit donare patri.*

12 *Donatio omnium bonorum suorum, tam futurorum quam præsentium, an iure ciuili sit inualida. Et in quibus casibus iure canonico talis donatio subsistat.*

13 *An donatio excedens quingentos solidos inualida sit, quoad excessum nisi fiat cum insinuatione.*

14 *In quibus casibus valida sit donatio absque insinuatione, etiamsi 500. solidos excedat.*

15 *An donatio inter viuos possit rescindi ad arbitrium donantis, ob ingratitudinem donatarii.*

16 *An rescindatur donatio inter viuos ipso iure, ratione suspicionis prolis legitimæ, non precogitatæ.*

17 *An possit reuocari donatio inter viuos, quando illa est inofficiosa.*

28 *Quid sit donatio causa mortis Et ob quas causas possit reuocari.*

1 DOnatio, *est contractus quo gratis & liberaliter aliquid in alterum confertur nullo ad id cogente iure l. Senatus ff. de mort. causa.* Contractus hic accipitur pro pacto ex quo saltē ex vna parte oritur obligatio, per donationem liberalem, intelligitur actio donantis, natura sua apta ad transferendum dominium rei donatæ, quæ non fit ex obligatione, & debito iustitiæ, sed ex mera liberalitate, aut ex gratitudine præterea ex hac definitione excludūtur ij contractus, in quib. aliquid datur in pretiū

pro re locata, empta, cogente ex iustitia aliquo iure siue naurali siue ciuili. Leis. *l. 2. c. 18. dubit.* 2. Azor. 3. *part. lib.* 11. *cap.* 1. *quæsit.* 1. Syluius 2. 2. *quæst.* 66 *art.* 2 *quæsit.* 5

Lessius. Azorius. Syluius.

2 Duplex est donatio. *Vna* est *perfecta*, quando silicet res ipsa simul traditur, & tunc transfertur dominium; *Altera* dicitur *imperfecta*, quandò nempe est verbalis tantùm, & in hac non transfertur dominium, *l. Traditionibus, C. de pactis*, quia ius positiuum ad transferendum dominium ordinariè requirit traditionem, quare per verbalem donationem tantum transfertur ius ad rē Bonac. *de contr disp.* 3. *q.* 11 *p.* 1. *n.* 1.

Bonacina.

3 Illi soli donare possunt liberè, qui habent dominiū, & administrationem cum facultate alienandi, *l. Cuius ff. de reg. iuris*, quare non sufficit dominium tantùm, quia donatio pertinet ad dispensationem bonorum, & regimen: nec tantū administratio, quia præiudicaret domino: denique debet adesse facultas alienandi, alioquin non possunt nisi pro vt superior, vel ius permittit Filliucius *tract.* 34. *c.* 2. *n.* 38.

Filliucius.

4 Donare non potest *Primo*, ille qui rationis vsu caret ad id sufficiente, qualis requiritur in contractibus, & votis: hic enim non potest actum humanum exercere. Ita communiter Doctores. *Secundo*, Impubis, donare non potest sine tutoris facultate, præterquam ad causas pias, quamuis sine tutore possit sibi acquirere, *l. Pupillus ff. de acquir. rer. domin.*

Tertio, Prodigus, qui à magistratu positus est sub curatore, & illi est interdicta bonorum administratio: vnde qui à tali aliquid acceperit, tenetur restituere. *l. 2. ff. de curatoribus furios.*

Quarto, Minor 25. annis, si curatori subsit, donare nequit de bonis suis, quæ castrensia, vel quasi castrensia nō sunt, absque consensu expresso, vel tacito, vel debito sui curatoris, nisi donationem approbauerit factus maior, vel iuramento confirmarit. *l. 1. C. si maior factus.* Consensus autem curatoris tacitus, vel certè debitus censetur, vt possit donare ea, quæ alij suæ conditionis donant: qua in re spectandus est natalium splendor, magnitudo patrimonii causa donandi, & mos receptus. Ideò tunc accepta ab eo non sunt restituenda; antequam repetantur à curatore, vel minore vtente beneficio restitutionis in integrum. Vide Gomez 2. *variar. c.* 14. Sanchez *de matr lib.* 6 *disp.* 38. *n.* 21. Molinam *disp.* 277.

Gomez. Sanchez. Molina.

Quinto, Filiusfamilias, quamuis pubes sit, non potest absque consensu patris donare, nisi habeat castrensia, vel quasi; & si de his bonis profusè donauerit cum notabili damno, posset petere restitutionem in integrum *l. Filiusfamilias, ff. de donationibus*. Sed si habeat aliquod bonum aduentitium, cuius vsusfructus non sit acquisitus patri, sed ipsi filio, potest filius huiusmodi aduentitium alteri donare; vt docent Couar. *de testam. p.* 3. *n.* 8. Clarus *lib.* 4 *sentent.* 3. *donatio, q.* 6.

Couar. Clarus.

Sexto, vxor donare non potest de bonis communibus, quorum administratio ad virum pertinet, & maximè quando esset rationabiliter inuitus: quia si irrationabiliter inuitus esset, posset donare, vt in his casibus. *Primo*, quando faceret donationes, & eleemosynas secundum consuetudinem aliarum suæ conditionis, quòd si vir etiam his vetaret, censetur tantùm vetare excessum; si tamen exinde timerentur rixæ, & contentiones, secundum Nauarrum, vxori consulendum esset, vt ab huiusmodi donationibus abstineret. *Secundo*, quando daret in extrema, vel graui necessitate proximi *Tertio*, si maritus est amens, vel fatuus, tunc administratio ad illam deuoluitur. *Quarto*; potest ad impediendum damnum mariti siue temporale siue spirituale. *Quinto*, quando maritus est absens, tunc ad eam pertinet administratio, nisi aliud à marito sit præscriptum *Sexto*, si rebus familiæ, vel sibi necessarijs accipiat, vt pro uestibus pro victu, pro medicamentis. *Septimo* si pater, uel mater uxoris essent pauperes, ita ut secundum suum statum miserabiliter uiuant, aut si habeat uxor prolem ex alio matrimonio egentem, uel frater aut soror eiusdem modo egerent. *Octauo*, bonorum paraphernalium, & eorum quæ suo labore, & industria acquisita sunt, potest uxor facere donationes; denique si maritus sit bonorum suorum dissipator, potest vxor vti occulta compensatione, accipiendo ex bonis mariti vt sibi, vel liberis consulat, contra Nauarrum, Vide Filliucium *tractat.* 28. *num.* 101. 102. & 103. Syluius 2. 2. *quæst.* 32. *articol.* 8. Nauarra *cap.* 17. *num.* 155. Graffium 1. *part. lib.* 2. *cap.* 60. *num* 8 & 9. Lessium *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 14. P. Nauarra *lib.* 3. *cap.* 1 *num.* 83. 161. & 114. Clauem Regiam *lib.* 9 *c.* 16 *num* 8. & alios.

Nauarr. Filliucius. Graffius. Lessius. P. Nauarr. Clau. Reg.

Quæ autem quantitas particularis possit dari ab vxore nesciente viro? respondent Diana *tractat.* 1. *misc. resolut.* 33. & *tractat* 2. *misc. resolut.* 25. *part* 2. & *part.* 5. *tractat.* 8. *resolut.* 34. Bannez 2. 2. *quæst.* 32. *artic.* 8 Malderus vigesimam partem lucri annualis, seu annui, prouentus: nam talis dispensatio debet esse interpretatiuè uolita à bono viro.

Diana. Bannez. Malderus.

5 *Septimo*, donare non possunt clerici benficiarij, iuxta communem sententiam, ad suum libitum, fructus beneficii, qui supersunt congruæ suæ sustentationi in vsus profanos, sed tantùm in pias causas, alioquin peccant mortaliter quando summa est notabilis, quamuis valida sit donatio, nec teneatur ad restitutionem, sicut neque ij ea ratione accepissent, iuxta ante dicta *v. Dominium.* 1. *n.* 12 Regulares autē beneficiarii etsi donationes remuneratorias, & ad pias causas etiam facere possint, si verò in vsus profanos, vel ad dicandos consanguineos, vltra peccatum mortale, tenētur etiam ad restitutionem, quia non sunt domini ob votum paupertatis, sed tantùm administratores, qui debent iuxta præscriptum canonum illos fructus expendere. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *disp.* 11. *n.* 82. Bonacina *citat. punct.* 2. *num.* 8. Filliucius *tract.* 34. *num.* 47. 48. Diana *part.* 5. *tract.* 8. *resol.* 31. Azor. *tom.* 1. 12. *cap.* 11. *q.* 13. & alii.

Lessius. Bonacina. Filliucius. Diana. Azorius.

6 Superiores regularium non possunt donare ad usus profanos, ut locupletandos consanguineos, ambiendas dignitates, colludendum meretrici, aut concubinæ, & qui ab eis acceperint, tenentur ad restitutionem; quia sunt tantùm administratores, ideō tenentur obseruare leges boni œconomi, redditus illos iuxta præceptum, & intentionem Ecclesiæ impendendo: moderatè tamen possunt donare pro ratione administrationis, tùm subditis religiosis, tum etiam, externis, ad conseruandam beneuolentiam, ob gratitudinem receptorum beneficiorum, ut eos amicos habeat in negotijs religionis; in morte tamen nihil legare possunt, absque expressa licentia sūmi Pontificis; ipsi tamen superiores possunt ac debent facere eleemosynas de superfluis conuentus, & de non superfluis, licet competentibus ad statum conuentus arbitrio prudentis Molina *citat. disputat.* 276. Lessius *cit. num*, 83. Bonacina *citat. numer.* 7. Filliucius *c. num.* 50. & alij.

Molina. Lessius. Filliucius.

7 Inferiores officiales monasterij, ut procurator, cellarius, & similes, possunt etiam facere eleemosynas competentes iuxta regulam, & consuetudinem, aut iuxta uoluntatem superiorum rationabiliter præsumptam; quia circa tēporalia quæ administrāt, sunt ferè independentes ab immediatis superioribus monasteriorum, quorum curam gerunt; religiosi uerò subditi uiuentes in monasterio, non possunt donare, ne quidem ad causas pias nisi ex consensu prælatorum expresso, uel tacito; qui autem causa studiorum, uel negotiorum degunt extra monasterium, possunt facere eleemosynas, aliàsque impensas minutas, quas usus receptus habet, nullo tamen modo ad res illicitas ut ad turpes uoluptates, &c. Ita Nauarrus *comment.* 2. *de regular. num.* 9. & *seq* Molina c. Sylucster *v. religio* 6. *quæst.* 7. *dicto.* 2. Lessius *c. num* 85. Diana *part* 5 *tractat.* 8. *res.* 32. & alij. De his plura apud Sanchez *lib.* 7. *moral capit.* 19. *num.* 89. & sequent.

Nauarr. Molina. Syluester. Lessius. Diana. Sanchez.

Sed petes, an prædictæ donnationes, & eleemosynæ possint fieri à nobis fratribus Minoribus? Resp. cum Rodrig. *t.* 2. *q. reg. q.* 48. *art.* 4 affirmatiuè, modò quatuor conditiones concurrant.

Prima quòd res sit uilis, & parui ualoris, secundum quod in Capitulis generalibus, uel prouincialibus, uel extra à Generali, Prouincialibus, & Custodibus, eorumque commissarijs determinatum fuerit.

Secunda quòd de prædictorum superiorum licentia fiat, Guardiani enim ex vi sui officij non possunt eam licentiam

centiam concedere, nisi cõsuetudo aliud obtinuerit, sicut hodie obtinet; nam eo ipso quòd Guardiani instituuntur, censetur ipsis concessa facultas huius licentiæ dandæ.

Tertia conditio sit, vt res donanda sit res mobilis, inmobilia enim nullo pacto possumus donare vt partem domus, aut horti.

Quarta, quòd res donanda non sit pecunia, cùm illius vsus nobis sit interdictus, illam enim non possumus donare, nisi auctoritate donantis, neque remittere partem pecuniæ nobis legatæ; nec Syndicus Pontificis id facere potest, nisi quando in vtilitatem fratrum cederet, vt ad vitanda litigitia, vel diuturnas solutiones.

Contra personas regularium largitiones, edita est noua constitutio Clementis VIII. quæ tamen multis in locis vsu ab ipsis religiosis ordinibus non recipitur; vide Hieronymum à Sorbo in compendio priuilegiorum Mendicantium verbo Dare, & Filliucium, *tract.* 34. *a n.* 59. hi enim circa hanc constitutionem multas dubitationes congerunt, & rerũ magis difficilium e ucidationem iusta probabiles rationes apponunt. Bonacinam *in tract. de largit. num.* Dianam *de paupert. relig. p* 1.

8 *Octauo*, fur, & raptor non possunt donare res furto ablatas, quia harum rerum dominium non habent: similiter qui non est soluendo creditoribus non potest donare: item ille cuius bona fisco sunt addicta, & applicata, post sententiam condemnatoriam, etiam nis, donationes facere non potest. *L.* 1. 2. *&* 3 *ff. de donat. cap. donat.* Sanch. *de matr. lib.* 6. *d.* 1. *num.* 2. Lessius *c. dub.* 22. Couarruuias *rubric. de testam. p.* 3. *num.* 3. Rodriguez 1. *p. Summ c* 92. *n.* 2. Sanchez Lessius Couarr. Rodrig.

Donatio inter coniuges regulariter loquendo iure cõmuni est nulla *L. A marito C. de donat. inter vir.* duobus tamen modis confirmatur, & fit valida. *Primo* morte donantis; sed vt hęc donatio valear necesse est vt res donata sit tradita, saltem ficta traditione ante mortem donantis, & ita confirmatur morte hæc donatio, vt retrotrahatur ad tempus quo facta fuerat, ac si tunc valida fuisset, & ideò omnes fructus post traditionem percepti, pertinebunt ad eum coniugẽ, cui donatio facta fuerat, *Secundo* confirmatur iuramento, vt si coniuges iurent se eam nõ reuocaturos; quia contractus qui nõ est cõtra bonos mores naturales, quãuis sit contra ciuiles, id est, contra leges non prohibentes sub peccato, confirmatur iuramento, modò iuramentum sit de futuro Molina. *de contr. disp.* 329 *num.* 6. & alii. Molina

9 In multis casibus *donatio inter coniuges* valida est, etiam ante mortem donatoris. *Primo*, si Imperator, vel Princeps non recognoscẽs superiorem donet Augustæ, vel vxori *L. penult. C de donat inter virum Secundo*, si coniux coniugi det ad instaurationem ædium dotalio incẽdio absũptarũ *L. quod si vir. ff. eodem. Tertio*, si fiat gratia compensationis, vt si maritus senex donet vxori iuueni, vel ignobilis nobili *L. si voluntate C. de donat. promiss. Quarto*, quando donans nõ fit pauperior, esto donatarius fiat ditior *C vlt. de donat. inter vir. Quintò* quando vnus donat alteri vt assequatur aliquam dignitatem, vel honorem *L quod ad ipiscenda ff. eodem. Sextò*, donàtio remuneratoria inter uirum, & uxorem iure non prohibetur, sicut nec donatio ob causam; *L. quod autem §. si vir ff. de donation. inter vir.* plu res alii casus enumerantur a Sanchez *lib.* 6. *disp.* 3 & de eis infrà *in Supplemento v. Donatio inter coniuges.* De *donatione* autem propter nuptias, quando, & in qua quantitate fieri possit, potiùs consulenda sunt statuta, & consuetudines locorum, quàm quod iure communi exaratum est, ideò de illa subticemus.

10 *Donatio* patris in filium legitimum, nondum emancipatum, regulariter iure communi est inualida, ita ut pro arbitrio patris reuocari possit, *L. vlt. C. de imp.* tamen si res antea fuerit tradita, confirmatur: tùm morte donantis, tũ iuramento, sicut donatio inter coniuges; quia filius dũ est sub patris potestate reputatur pro una persona in iure; sicut autem nullus potest sibi donare, ita nec pater filio: in aliquibus autem casibus ualeret iure hęc donatio. *Primo*, si aliquid detur in dotem, uel ad matrimoniũ. *Secundo*, si titulo remunerationis ob accepta obsequia *Tertiò*, quando pater remittit filio vsusfructum quem habet in bonis illius aduentitiis. *Quartò*, quãdo donat bona mobilia filio eunti ad castra. *Quintò*, quando valet donatio inter coniuges, valet etiam parentis in filium. Filliuc. *c. c.* 5. *n.* 107. 108. Azorius 3 *p. t.* 11. *de donation. c* 9. *q.* 1. Nauarr *c.* 17. *n.* 145. Lessius *c. n.* 90. 91. Emman. Sà. *v. donation. n.* 13. Bonacina *c. punct.* 3. *n* 2. & alii. Filliucius Azorius Nauarra Lessius Emman. Sa Bonacina

11 Filius emancipatus potest donare patri, si viginti annos excedat *cap. Constitutus de integ. restit.* est enim tunc sui iuris, & potest alienare; & præcipuè in his casibus, v. gratia, si habeat peculium castrense, vel quasi, vel si habeat donatũ à principe, vel quãdo habet peculiũ aduětitium, in quo vsusfructus patri nõ est iure prohibitus & filius in his bonis habet liberã administrationẽ, vt docẽt Reg. *c.* 25. *n.* 157 Molin. *c. d.* 242 Azor. *c. c.* 10. *quæst.* 3. Filliuc. *tr.* 34. *n.* 110 Caram. *l.* 2. *Theol. mor. n.* 645. & alii. Reginald. Molina Azorius Filliucius Caramuel

12 *Donatio*, qua quis donat alicui, donatione inter viuos, omnia bona sua tam futura quàm præsentia iure cõmuni est inualida L. *Stipulatio hoc modo ff. de verb. oblig.* Couarr. *rub. de testam. p* 2. *n.* 8. 13. Azor. *c. c.* 7. *q.* 8. Reginald. *c.* Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 12. *nu.* 16. Molina *c. d.* 280. quia per huiusmodi donationem, aufertur potestas testandi, quod leges, improbant, tanquam contra bonos mores: si tamen hæc donatio fieret causa mortis, vel bonorum tantùm præsentium, valida esset; quia per hanc donationem, non adimit quis sibi potestatem de futuris bonis testandi: in duobus autem casibus, iure canonico donatio inter viuos omnium bonorum præsentium, & futurorum valida est. *Primus*, quando fit Ecclesiæ, vel in aliquam causam piam; quia ius ciuile non potest impedire officia pietatis, & consilia Euangelica, vt est talis donatio. *Secundus* casus est, si donatio confirmetur iuramento, *C quamuis pactum, de pactis in* 6. nam iuramẽtum accedens contractui aliàs inualido, robur addit, illumque confirmat, modò non sit contra bonos mores naturales. Nota tamen si hæc donatio omnium bonorũ præsentium, & futurorum fieret inter fratres, vel ex causa onerosa à patre pro matrimonio contrahendo à filio, uel filia, foret, secundùm Bonac. *de contract. disp.* 3. *q* 13. *p.* 5. sententiam, valida. Vide Caramuel *l.* 2. *Theolog. mor. num.* 615. & sequentibus Bonacina Caramuel

13 Vt non se exhaurirent homines donationibus, metu, vel fraude, vel incommuni temeritate impulsi, iure statutum est, *L. penultim. C. de donationibus sub finem* quòd donatio excedens quingentos solidos, inualida sit quoad excessum nisi fiat cum insinuatione: nomine autem *solidi* iure communi intelligitur nummus aureus, æquiualens decem, & septem Iuliis, seu regalibus Italicis ita vt 500. solidi valeant scutis Hispanicis. 700. vel vt alii volunt 750. Nomine autem *insinuationis*, intelligitur simplex suæ mentis declaratio, qua donans declarat iudici in scriptis, se liberè tantam summam alteri donare, non requiritur causæ cognitio, neque decretum iudicis, sed sufficit ipsius præsentia, vnde remissio debiti liquidi prædictam summam excedentis, nisi fiat cum insinuatione, inualida est, quia debiti remissio est quædam donatio: item si quis pluribus donet, & excedat summam prædictam, donatio quoad excessum est inualida, modò illa simul, & quasi vno animi impetu fiat; detrahendum autem tunc singulis, secundùm proportionem, si tamen diuersis temporibus, animique motibus fiat valida erit. Vie Clarum 3. *donatio. quæst.* 15 *&* 16 Azor. *tom.* 3. *l* 11. *c.* 6. *de donatione.* Lessium *c. dubio* 13. *numer.* 97. Bonacinam *cuat. punct.* 6. *numer.* 4. Caramuel *libr.* 2. *Theolog. moral. num.* 675. *&* 663. & alios Clarus Azorius Lessius Bonacina Caramuel

14 Secundum doctrinam, tam legistarum quã canonistarum in aliquot casib. ualida est donatio absq; insinuatione, etiamsi 500. solidos excedat. *Primo* si iuramento confirmetur *L. Si quis C. de donationibus. Secundo* si donatio fiat ad redemptionem captiuorum. *Tertio*, si ad reparationem ædium incendio, uel ruina destructarũ. *Quarto* cum magister militum dat militi mobilia quantumuis pretiosa. *Quinto* quando donatio est remuneratoria obsequiorũ, uel beneficiorũ. *Sexto*, cum quis renunciat bonis, uel iurib. speratis nondum obtentis, *Septimo*, cũ donatio sit causæ piæ, quia princeps sæcularis non potest legem condere in detrimentũ bonorũ operũ

31 *An donatio vel promissio facta mulieri sub conditione nunquam nubendi valida sit.*

32 *An donatio ob certum finem valida sit; si finis non sequatur.*

33 *An donatio ob causam sit valida, quam subesse credit, donator, cum verè falsa sit.*

34 *Conditio possibilis diuiditur* in necessariam, & in contingentem.

Conditio contingens diuiditur in Potestatiuam, Casualem, & Mixtam.

35 *Conditio quoad donationes, seu promissiones, legata, & alias dispositiones, duobus modis sumitur.*

36 *Quomodo donatio modalis exprimatur.*

37 *An donatio modalis, modo non existente, sit valida.*

38 *An quando aliquid sub modo donatur, & legatur, teneatur donatarius, vel legatarius cauere de modo implendo, & de fructibus restituendis, nisi modum impleat,*

39 *An quando modus dispositioni est appositus in vtilitatem tertij, valida sit dispositio sine impletione talis modi.*

40 *An modus impossibilis habeatur pro non adiecto in vltima voluntate.*

41 *An donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum possit esse valida, si Principis authoritate firmetur.*

42 *Quando donatio inter viuos omnium bonorum præsentium, & futurorū in foro conscientiæ possit esse valida.*

43 *An donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum sit valida, reseruato vsu fructu.*

44 *An donatio absoluta vltra Summam 500. solidorum in conscientia sit valida.*

45 *An donatio Episcopi regularis ad vsus prophanos sit inualida?* Refertur duplex sententia.

46 *An accipiens in casibus illicitis aliquid à religioso beneficiario, vel Episcopo, peccet etiam mortaliter?* Refertur duplex sententia.

27 *An donatio facta à patre filio emancipato, vel non emancipato æstimanda sit, cum patre mortuo, diuidenda erit hæreditas.*

48 *An donatio sit valida illius, qui ante commissum crimen dedit, propter quod bona illius confiscanda veniunt.*

1 DOnatio inter viuos quadruplex est, scilicet, *Absoluta, conditionalis, modalis, & causalis.* Donatio absoluta est, quando absolutè aliquid datur, vt statim fiat accipientis, vt si dicas, ego dono tibi hanc rem. Conditionalis, quando particula (si) apponitur, vt dono tibi centū si filius meus ex india saluus redierit. Modalis, quando dictio (vt) adhibetur Vt do tibi mille, vt exinde domum emas. Donatio autem causalis est, in qua dictio (quia) præponitur, vt do tibi centum florenos, quia adiuuisti mè in necessitate positum,

2 Donatio remuneratoria non est propriè donatio ex *l. Aquilius. ff. de donat.* Ratio est, quia qui donat, gratis omninò, & liberaliter donat, sed remunerat ua donatia. sit ob causam præcedentem, scilicet ob merita, & vt gratum erga illum animum ostendamus. Hinc prohibit donare donatione mera, vel conditionali, vel modali non prohibetur donare donatione remuneratoria, nisi prohibeatur donare, vel quia non habet liberam administrationem in rebus donandis, vel quia donando inde efficitur impotens ad soluenda debita ex iustitia.

Hinc etiam, licet donatio à patre facta filio non emancipato sit ipso iure nulla, quia pro vna eademque persona reputantur, tamen, donatio hæc remuneratoria facta filio pro meritis, & seruitijs tenet, dummodo donatio hæc non excedat merita. Similiter talis donatio nō prohibetur fieri à religiosis, quāuis omnis donatio per Constitut. Clementis VIII. *de largit. munerum* regularibus interdicatur. Ita communiter Doctores, Azotius *part. 3. lib. 11. c. 3. quæst. 3.* Molina *de iustit. tract. 2 disp. 292.* Menochius *consil. 207 n. 4. lib. 4.* Diana *p. 8. tract. 6. resol.* 115. Sanch. *de matr. l. 6. disp. 6.* qui nouissimus docet, vt donatio remunatoria sit, hęc requiri. *Primo,* in donatione debet exprimi hác ob bene merita fieri. *Secūdo,* vt obsequia,

Clementis, Azotius, Molina, Menochius, Diana, Sanchez

& merita non sint aliàs debita, si enim debita essent, non essent remuneratione digna. *Tertiò,* vt obsequia, & bene merita sint insignia. *Quartò,* vt donatio meritis æquipolleat. Cui subscribit Fagundez *de contract. l. 4. c. 3.* In dubio autem, an donatio sit remuneratoria, an merè gratuita, & liberalis, censendum est esse remuneratoriam; quia vt inquit Vlpianus *in l. nec adiecto. ff. pro socio,* longè frequentius est homines non donare, nisi ob merita.

3 Donatio remuneratoria duplex est, *Prima* est, qua beneficium compensatur ad æqualitatem ex gratitudine non ex debito; vt si famulo ob præstita seruitia detur aliquid quasi loco stipendij: non ex conuentione tacita, uel expressa, sed potiùs ex liberalitate, & hanc donationem facere potest quilibet habens liberam bonorum administrationem. Imò etiam Prælatus Monasterii ex bonis Monasterii, tutor de bonis pupilli, si obsequia præstita fuerint pupillo. *Altera* verò donatio remuneratoria est, qua debitum seu obsequium compensatur vltra æqualitatem, ita tamen, vt non adsit nimius excessus, sed moderatè fiat, quantum animi grati ratio postulat; & in hac donatione exercenda, maior circumspectio adhibenda est ab iis, qui ex alienis bonis, quorum administrationem habent, largitiones faciūt; nam qua parte adest immoderatus excessus, nō dicitur remuneratio, sed donatio secus si moderatè fiat, cōsideratis considerandis Ita Filliucius *tr. 34 c. 4. nu. 97.* Turrianus *de iust. disp. 76. dub. 6.* Filliucius, Turrianus

4 Vt dicatur donatio remuneratoria, iuxta quorumdam sententiam oportet, vt omninò merita æqualia sint rei, ob merita donatæ; sed hæc sententia communiter reiicitur, quia gratitudinis lex postulat, semper plus reddi quàm sit acceptum. Ratio est, nam recompensatio gratiæ, seu beneficii respicit beneficium secundum voluntatem benefacientis. In quo quidem præcipuè hoc commendabile videtur, quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur; & ideò qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, vt similiter aliquid gratis impendat. At non videtur gratis aliquid impedire, nisi excedat quantitatē accepti beneficii, quia quādiu recompensat minus, vel æquale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit, & ideò gratiæ recōpensatio semper tēdit, vt pro suo posse aliquid maius retribuat. Ita D Thom. *2. 2. q. 106. a. 6.* ex Aristot. *5. Ethic. c. 5* Alii sustinent merita, seu obsequia dici æquiualentia D. Thom. quando in modico excedit donatio meritorū valorem, nempe, in quarta parte, vt si merita valeant duodecim, vt donentur sexdecim, tunc enim tota donatio censetur remuneratoria, secus vero si excessus sit nimius, quia tunc in illo erit liberalis donatio. Ita Nauar *de redit. Eccles. q. 1. n. 91.* Cęterū, quamuis hęc sententia sit probabilis, probabilius tamen est, hoc arbitrio prudētis relinquendum Nauarrus. esse, attenta donantis qualitate, cum soleant diuites, ac nobiles multò maiorē referre gratiā *c. 1. de donat.* Vnde tota donatio dicitur remuneratoria quamuis merita excedat in quod diuites ac nobiles in eo euentu remunerare solent Ita Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 6. n. 9* Clarus Sanchez. *lib. 4. sent. recept. §. Donatio, quæst. 8. §. sed pono.* Garzias Clarus. *de donation. remunerat n. 53.* Menoc *de arbitr. l. 2. centur. 2. casu 132. n. 7. & 9.* Garzias Menoc.

5 Donatio remuneratoria potest fieri à Nouitio etiā si non sit seruata forma præscripta à Conc. Tridentino *c. 16. sess. 25 de reformat.* quia sub verbis Concilii veniunt tantum donationes liberales; sed donatio remuneratoria dici non potest verè, & propriè donatio liberalis, ergo. Ita Fagūdez *de contract. lib. 4. c. 3. n. 1. & cap. 6. n. 5.* Ex quo infertur donationes remuneratorias inter patres, & filios, atque inter coniuges ualere. Item in filium spuriū facta donata remuneratoria ualet: sicut, & illa Clerici ualet facta in concubinam. Denique Procurator Generalis cum libera administratione cōstitutus, de bonis administrationi suę commissis donationem remuneratoriā m facere potest ei, qui in dominum beneficus fuisse probatur *l. fil. famil. 8. in princip. ff. de procur. Ita* Diana *p. 8.* Diana. *tr. 6. res. 121.* Fagund. *de contract. l. 4. cap. 3 n. 13 & seq.* Fagund.

6 Donatio facta à Principe ex causa remunerationis, tanquam contractus onerosus, liberè reuocari non potest, nisi expressa iusta causa, & quæ publicam respiciat utilitatē, per textum *in l. Titius puerū. ff. de obseq. a lib. l.*

Lucius, C. de euiction. Vnde reges possunt facere donationes iuxta seruitij meritum, moderatè tamen, ita vt non possint reuocari à successoribus, si doneni sub nomine dignitatis: quia id, quod fit sub nomioe dignitatis, obligat successores, teste Decio *in cap. 1 de prabenais*, per textum *in cap. quoniam Abbas, de offic delegati.* Verùm si donatio excedit merita, & seruitium, v. immensa, non valeret, iuxta quod notatur etiam Priocipi non licere maguas donationes facere, *cap. intellecto de iureiur.* vbi communiter Doctores. Vnde ex causa potest Princeps adhibere, modum donationibus à se factis, imò, & reuocare eas, sicut etiam priuilegia a se concessa, vel a prædecessoribus, etiamsi iuramento firmata fuissent, præsertim quando bona donata, seu priuilegia concessa nocent Regi, aut bono publico. Probatur quia princeps debei incumbere administrationi Regni, vt ex facto suo Regno non præiudicet, quod si aliquid ordinet in eius præiudicium, talis ordinatio ruit: durum est enim donatarios exigere donationes immensas à Rege sibi factas, & ex eodem tempore Regna grauati immoderatis tributis & exactionibus. Ita multi quos refert, & sequitur Diana *p. 8. resol* 122. *&* 123. — Diana

7 Quando Princeps aliquid filiis defuncti beoe meriti donat, crediturcs patris nullum ius super huiusmodi rebus donatis habere possunt. Ratio est, quia filij non obtinent has largitiones, tanquam hæredes patris, quoniam nulla in hæreditate paterna remansit actio ad petendum à Principe hanc remunerationem, cum non teneatur Princeps ex obligatione iustitiæ illam facere, sed ex obligatione, antidotali, quæ actionem noo parit, vt benè ait Bartol. *in l. ex hoc iure ff. de iust. & iur.* & docent Molina *tract. 2. disp. 8* Tum quia textus *in leg. cum multa, C. de bonis quæ liberis* indistinctè dicit, donata à Principe filio familias esse ad modum Castrensium. Hinc infertur, io huiusmodi bonis donatis filio familias a Principe cootemplatione patris noo habere patrem vsum fructum. — Bartolus, Molina

8 Debiti remissio est propriè donatio, ut colligitur ex *l. Modestinus ff. de donationib.* vnde sicut donatio, vt sit valida exigit, ut sit gratuita, & liberalis, sic etiam debiti remissio debet fieri gratis, & liberaliter, alioquin nulla erit remissio. Similiter renunciatio iuris propriè est donatio, vt sit colligitur expresse *l. magis puto, §. fundum de rebus eorum, qui sub tutela sunt.* Et ex *l. vero in princ. ff. de solut.* Ratio est, quia qui renunciat iuri, eo ipso se abdicat eo, quod habet vel habere potest. Vnde pupillus, qui iure prohibetur donare, eo ipso prohibitus est ius ad rem repudiare. Quando autem quis soluit quod promiserat, non est propriè donatio; nam hæc solutio fit ob causam, id est, ob promissionem præcedentem, & non intuitu solius liberalitatis. Donatio verò est illá, quæ fit, nullo cogente iure, siue naturali, siue ciuili, siue prætorio. Sed de his vide Azorium *p. 3. lib. 11.* — Azorius

9 Communior tamen Theologorum, quàm Iurisperitorum sententia habet, donationem internam homini factā, nullam in conscientia in ducere obligationem; vnde qui actum internum, & deliberationem uoluntatis, habet, dicendo apud se tacitus *do tibi centum*, nullo iure ciuili, vel Ecclesiastico cogi potest ad talis actus interioris adimplicionem, quoad vsque signis vel uerbis exprimatur. Ratio est, vbi non est qui recipit, nec est qui donat, siquidem donare respectiuè se habet ad accipere, sed ea quę voluntate sola datur, nullus recipit; ergo nec donat, ac tribuit. Tum quia donatio est signum quoddam practicum efficiens id ipsum, quòd significat: quare cùm actus interni non sint idonea signa ad alteri significādū, nō sunt etiā idonea instrumenta ad se alteri obligandum nam hęc aptitudo fundatur in significatione ad alterum Tum quia in hoc casu non transfertur dominium in alterum, sed semper manet in eo, qui talem actum habuit vsq; ad realem traditionē. Hinc nemo tenetur huiusmodi suum actum internum alteri patefacere, sed pro suo arbitratu, potest illū celare, aut reuocare absq; vlla iusta causa, & alter nullum ius sibi aquirit, ergo nullā illi facit ingiuriam, aut tacendo, aut reuocādo sententiam; quia vbi non est ius, ibi non est iniustitia. Ita Les. *l. 2. de iust., c. 18. dub. 5.* Baunius *de contract. lib. 2. tr. 4. quæst. 4.* Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 2. littera E.* Tannerus a. 2. *disp 4. quæst. 1. dub. 5. num. 59* Pontius *de matrim. lib. 2. c. 6 num. 9.* Non est tamen improbabilis sententia Soti, Molinæ, Dianæ *part. 3. tr. 5. resol.* 116. asserens talem donatorem obligari: quia à voluntate vt à causa certa, & efficaci manat obligatio, si quis ergo quidpiam dare alter ioterna voluntate constitutum habet, obligatur. — Baunius, Scotus, Tannerus, Pontius, Sotus, Molina, Diana

10 Donatio antequam ritè acceptetur, nullam parit obligationem naturalem, aut ciuilem, sed tuta conscientia pro libito potest eam reuocare sine iniuria donatarij, imò etiam sine mendacio. Ratio est; quia obligatio non nascitur nisi mutuo duorum consensu, vt habetur ex *l. 1. ff. de pactis*, quare priusquam alterius consensus accedat, prior potest pœnitere, & suam externam donationem reuocare. Tum quia sola donatio, aut promissio non habet vim transferendi dominium rei donatæ, aut promissæ in donatarium, aut promissarium, nisi accedente consensu donatarij, aut promissarii: sicut nec sola rei apprehensio habet vim faciendi rem apprehensam capientis, nisi accedat animus, & voluntas habendi illam vt suam, ex *l absenti, ff de donat.* Ex his infertur quòd mortuo donante, aut donatario ante acceptationem inualida erit donatio: quia ampliùs acceptari non potest, & eo ipso censetur mandatum reuocatum, vt expressè habetur *Institut. §. rectè, tit. mandati*, & *l. 26. inter causas, ff. mandati*, quod intellige quando ante mortem promittentis, vel promissarii res manet integra: aliàs promissio, aut donatio nō extinguitur morte promissoris, vt habetur *l. 1. ff. de pollicitat.*

Si dicas, quòd ab hæredibus donatarii defuncti acceptari poterit donatio? Respondeo ex rigore iuris non posse, quia ad illos directa non fuit. Ex quadam tamen æquitate videtur posse, quia hæredes personam defuncti repræsentant, & præsumendum est eam mentem donantis, vt si donatarius beneficio eius frui non possit, eius hæredes fruerentur, præsertim, si illi hæredes sint liberi, nisi de contrario constet. Ita Lessius *lib. 2. cap. 18 dub. 6.* Diana *part. 8. tract. 6. resol.* 108. & alii communiter. — Lessius, Diana

Quo autem iure donatio externa ante acceptationem non obliget? Quidam affirmant esse iuris positiui: nam consistendo intra limites iuris naturalis sufficit consensus ad obligationem. Ita Couarruuias, Molina, Rebellus, Syluest. apud Dianam *loco citato* Hęc sententia est probabilis. Verius tamen videtur, non tantum ex iure ciuili, sed etiam ex iure naturali, vel iure gentium id prouenire. Ratio est, quia in contractibus onerosis antequam acceptentur, licet reuocare suam obligationem, ergo etiam idem erit licitum in donationibus gratuitis, nisi lex positiua adimat hanc potestatem. Ita Lessius, Diana *supra*.

11 Donatio nondum acceptata, iuramento tamen confirmata est valida, & obligatoria, non quidem ratione donationis, sed ratione vinculi Religionis superadditi, ne videlicet in testem infidelis donationis Deus adducatur. Verum ipse homo in cuius gratiam facta fuit donatio, nullum inde ius acquirit in rem donatam, quia ei nō fuit facta fides, aut ab eo acceptata, ideoque talis donatio inuito donatario potest in alia opera pia commutari à Prælato. Ita Molina *tract 2. disp. 263.* & alii.

12 Controuertitur inter Doctores, an donatio facta Ecclesiæ, vel ad pias causas ante acceptationem sit valida. Quidam putant esse inualidam, nec vllam io consciētia inducere obligationem, & dicunt hanc opinionem esse communem Lop. *l. 2. de contr. c. 43.* Clar. *l. 4 sent. § Donat q. 12 n. 6.* Baunius *de contr. l. 2. tr. 4. q. 16. d. 5.* Fernād. *in exam. Theolog. moral. p. 1. c. 16. §. 1.* Contendunt esse validam Felin. *in cap. 1. de pactis, n. 7.* citatque pro se Bartol. Baldum, Panorm. & alios, Syluest. & Angel. *v. Pollicitatio* Molina *disp 263. §. Dubium*, Diana *p 8 tract 6. res.* 106. Et probant ex *lib 1. ff. de pollicit.* quæ decernit validam esse donationem factam ciuitati absq; vllius acceptatione, qui fauor ad alias pias causas extendendus videtur. Hæ sententiæ sunt probabiles. Verius tamen est, talem donationem ad pias causas ante acceptationem reuocari posse idque ex defectu potius consensus, quam acceptationis, cùm regulariter nemo etiam per donationem vel promissionem ad pias causas, se ante alterius partis acceptationem irreuocabiliter obligare intendat nisi per votum, vel iuramentum — Lopez, Clar., Baunius, Fernand., Bartol, Baldum, Panorm., Syluest., Angel., Molina, Diana

tum

tum ad id voluerit se obligare, vt definitur *in l. qui absenti, ff. de acquir. possess.* & docet Rebellus *p. 2. de obligat. instit. l. 18. q. 3.*

Hinc resoluitur donationem, vel promissionẽ ex terius quidem factam, sed tamen absenti, & ignoranti, esse inualidam, & reuocabilem, quia sicut ad præsentes homo non ordinatur ad alterũ, nisi per signa externa quib. conceptus innotescunt, ita, & ad absentes non refertur, nisi per Scripturã, vel per internunciũ specialiter ad id à se deputatũ. Proinde vt donatio absenti facta valida sit requiritur, vt consensus donantis, vel promittentis per aliquem ab ipso donante, uel promittente destitutũ insinuetur donatario, vel promissario alioquin si per alium à donante, vel promittente non destinatum ipsius consensus donatario insinuetur, nõ erit valida donatio. Sicut nec erit valida donatio, si donatarius suũ consensũ significet alteri, quam nuncio ab ipso donatore constituto, vt enim duorum consensus in pactum coalescant, debent mutuo sibi correspondere. Ex *l. 3. ff. de pollicitation.* Ita Molina *tract. 2. disp. 264.* Clarus *§. Donatio, q. 12.* Valent. *to 3. disp. 5. q. 10. punct. 3.* Lopez *l. 3. de contract. c. 43.* Diana *p. 8. tr. 6. resol. 93.* & alii,

Molina. Valentia Lopez. Diana

13 Donatio facta donatario præsenti, & tacẽti valida est, & donator eam deinceps reuocare non potest. Ratio, quia qui tacet consentire videtur, vt habet regula iuris. Quæ regula secundum interpretationem Doctorum maximè locũ habet in fauorabilibus, inter quę cõputatur donatio. Tum quia licet in onerosis, qui tacet, nec fateatur, nec vtiq; negare censeatur, tamen in gratuitis, & quæ fauorẽ tacentis concernunt, consentire censetur Ergo si donatio est expressa, & acceptatio lege præsumpta censetur, & donatio perfecta, adeo vt donans eã amplius reuocare non possit. Ita Couarr. *in rub. de testament. post n. 13. vers. Si donat.* Sanc. *de matr. lib. 1. disp. 6 sub. n. 11* Eman. Sà *v. Donatio, n. 16.* Menoc. *de præsumpt. lib. 3. præsump. 42.* Diana *p. 8. tract. 6. resol 166 vers. Est tamen,* & alii apud ipsos citati.

Couarr. Sanchez Menochius Diana

14 Vt promissio simplex sit vàlida, & in conscientia, obliget, sex cõditiones requiruntur. *Prima est*, vt sit vera quia promissio ficta, & simulata, verè promissio nõ est, nec obligatoria: nã omnis obligàtio in promissione procedit ex fide data ei, cui facta est promissio: sed i promissione ficta reuerà nulla datur fides, sed vox dumtaxat, quæ ex se nullam vim habet obigandi; sed tantum est signum externum fidei, quæ datur promissario. Aduerte tamen quòd promissio ficta in re magni momenti sit peccatũ mortale, nempe, quando per illam grauis infertur iniuria proximo. Ratio est, quia illud est peccatũ mortale per quod inter prudẽtes dissoluitur amicitia, sed quis prudens iustè repellit à sua amicitia eũ, qui in re graui ipsum decipit, ergo peccat mortaliter. Regulariter autẽ promissio ficta per se, & ex obiecto solùm est peccatũ veniale.

Secunda conditio est, vt sit deliberata, id est, vt is qui promittit, sit sciens, & volens: vnde ad promissionem requiritur ea deliberatio, quæ sufficit ad peccandum mortaliter Vt ex communi docet Nauarr. *in cap. non dicatis, n. 17. & in Man. c. 18. n. 7.*

Tertia est, vt sit voluntaria, nam promissio dolo, vel metu exorta, nullam obligationem inducit, iuxta probabilorem sententiam Doctorum: quod procedit etiam de metu leui, vel reuerentiali, qui in virum constantem non cadit, dummodò sit causa sine qua non fieret promissio. Idem dicendum si per minas, & importunas preces sit extorta, cum genus quoddam inuoluntariæ coactionis censeantur. Secus si per blanditias, cum hæ neminem inuoluntarium faciant.

Quarta est, vt sit de re licita, nam qui illicitum promitit peccat, & ad præstandum promissum nullo iure cõpellitur, vnde *in cap. in malis 22. q. 4.* habetur *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, impia est promissio, quæ scelere adimpletur.*

Quinta est, vt sit possibilis, nam impossibilium nulla est obligatio, *l. Impossibilium ff. de reg. iuris.* Si autem promissum partim possibile sit, partim impossibile, aut partim licitum, & partim illicitum, tunc is qui promisit, tenetur implere partem possibilem, ac licitam, vtile namque per inutile non vitiatur.

Sexta conditio est, vt personæ, & res sint tempore præstandi promissum in eodem statu, in quo, quando fuit facta promissio erant. Quæ mutatio contingit in casibus expressis *t. 1. verb. Promissio, n. 10* Ita Nauarr. *in Man. c. 18. num. 7.* D. Thom. *2. 2. q. 110. art. 3. ad 5* Lopez *part. 2. instructor. c. 30.* Diana *p 8. tract. 6. resol. 129.* vide a nobis dicta *tom. 1. verb. Sponsalia 1. & verb. votum 1.* & Auctores ibi citatos.

Nauarr. D. Thom. Lopez Diana

15 Promissio differt à donatione, eo quòd promissio non transferat dominium rei promissæ in eum, cui res promittitur. Donatio verò facta cum reali traditione transfert dominium: si autem traditio non fiat, sed solis verbis fiat, donatio, non transfert dominium. Differt, à pollicitatione; quòd pollicitatio est solius offerentis promissum *l. 3. ff. de pollicit.* seu est nuda promissio, nondùm secuta acceptatione expressa, vel tacita Promissio verò est datio fidei cum acceptatione

Differt etiam à pacto, quòd pactio, seu pactum est quid generalius promissione: pactum enim est duorum, vel plurium consensus, & conuentio in idem, ex qua oritur obligatio, siue vtrimque, siue ex vna parte, *l. 1. ff. de Pactis.* Promissio verò gratuita obligationem tantummodo parit in promittente.

Differt à stipulatione, quod stipulatio est contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ celebratur præcedente interrogatione creditoris, & secuta responsione debitoris, vt si quis dicat, promittis mihi dare centũ, & alter respondeat, promitto, censetur stipulatio: huiusmodi autem formula non semper contingit in promissione, *l. 5. verbis, ff. de actionib. & obligation.* vide Lessium *lib. 2. cap. 18. dub. 2.* Gomez *tom. 2. c. 9. num 1. 2. 3.* Sylvestrum *verb. Pollicitatio,* Reginaldum *lib. 25. n. 68.* Rebellum *de promissione quæst. 1.*

Lessius Gomez Syluester Regnald. Rebellum

16 Qui promittit factum alienum iure ciuili per talem promissionem non obligatur, *l. Stipulatio, ff. de verb. obligat.* nisi quis expressè promittat se curaturum, & acturum, vt alter faciat, *l. Quoties, ff. de verb. obligat.* Iure autem Canonico, & naturali talis promissio obligationẽ parit, & tenetur promittens debitam adhibere diligentiam, vt adimpleatur, quod promisit. Ratio est quia promittens opus alienum, quod non est in promittentis voluntate, videtur saltem se voluisse obligare ad curandum, quantum potest, vt opus promissum impleatur. Et hoc idẽ procedit, si promissioni additum fuerit iuramentũ. Quare promittens satisfacit suę obligationi, adhibendo prædictam diligentiam, nec tenetur ad pœnam, soluendam, quam suæ promissioni adiecit, modò non se obligauerit in omnem euentum, seu in defectum Alterius. Vnde qui sua negligentia est in causa, cur ille, cui fuit facta promissio, non obtineat rem promissam, vel damnum patiatur ob culpam ipsius promittentis, qui nõ curauit promissionem adimpleri, tenetur ipse ad restitutionem. Vide Sãch. *de matrim. l. 1, disp 24. & 25.* Reginaldum *l. 25. n. 92.* Molinam *disp. 268. §. quoad secundum.*

Sanchez Reginald. Molina.

17 Res, quæ successiuè promissa fuit pluribus tradenda est illi, cui primò fuit promissa. Ratio, quia secunda promissio est inualida vtpotè de re, quæ non potest mandari executioni absq; peccato: promissor enim non potest rem promissam tradere secundo absque violatione primæ promissionis, per quam primus acquisiuit ius: quod verum est etiam si promissio facta sit cum iuramento; iuramentum enim non est vinculum iniquitatis Tamen si res promissa pluribus tradatur secundo, traditio est valida, & firma, Tum quia per traditionem rei factus est dominus: tum quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Ita Lop. *p. 2. instruct c. 30. §. In super.* Azorius *p 3. lib. 11. c 17. q. 17.* & alij communiter

Lopez Azorius

18 Qui aliquid sub disiunctione promisit, vt si dicat promitto tibi hanc, vel illam rem, liberum est promittenti tradere quam voluerit, electio enim semper est promissoris, quod generale est etiam in omni promissione alternatiua, *regul. In alternatiuis, de reg. iur. in 6.* & *l. Stipulatus sum, ff. de verbor. obligat.* nisi facultatem faciendæ electionis in alterum transtulerit, tunc electio esset promissarij *l. Stichum ff. de solution.* Si autem vna res de illis ante impletam promissionem perierit, debetur altera illarum,

quæ

gratitudinis, non sit improbabilis, quàm sustinent Vvadingus & Malfesius apud Dianam.

28 Cùm donationis reuocatio sit pœna statuta à iure, donatarius ingratus non priùs tenetur donata restituere quàm in iudicio ingratitudinis causa fuerit probata, etiamsi apertè constet de ingratitudine: quia pena non est subeunda ante sententiam iudicis. Ita Molina *disp.* 282 Lugo, Ioan. VVigers, Fagundez apud Dianam *p.8 tr.6. resol* 58. Si petas ad quem pertineant fructus ex re donata ante reuocationem percepti? Respondeo fructus perceptos ante litem intentatam, pertinere ad donatarium: quia ipsa donatio valida fuit, & perfecta ab initio, & proinde donatarius bona fide percipit fructus vsque ad litis contestationem tanquam dominus, res autem Domino fructificat. At post litem contestatam perceptos fructus restituere tenetur donatarius ingratus *l. certum C. de rei vendicat.* Bonacina *de donat. disput.* 3. *quæst.* 23 *punct. vlt. num.* 24. Dicastillus *lib.2. tract.5. disp.1. dub* 7. *num.* 159.

Molina
Lugo
VVigers
fagundez
Diana

Bonacina
Dicastil.

29 Conditio præsentis vel præteriti, addita donationi, vel alteri dispositioni, non suspendit eam, sed si conditio existit, valet dispositio, si non existit non valet, etiamsi ignoretur; vt do tibi hanc rem, si es meus cognatus. Ita habetur *l. Conditio in præteritum. ff. de verb. obligat.* & *l. Cum ad præsens. ff. si certum petatur.* Idem dicendum, si conditio est de eo, quòd necessariò, vel omninò certò futurum est: quia quod hoc futurum sit, iam in præsenti est verum, ac proinde conditio censetur præsens, futuritio enim iam inest ei; vt promitto tibi si es moriturus, *l. si pupillus. ff. de nouat.*

Conditio futuri incerti suspendit donationem, & alias dispositiones vsque ad euentum conditionis. v.g. vt promitto tibi centum, si fias Sacerdos: qui ante euentum conditionis non potest certò constare an extabit: vnde qui ita donat, non intendit, vt illud fiat donatarij nisi conditio euenerit. Hinc ex huiusmodi promissione, uel donatione acceptata, statim nascitur obligatio in donatore, & ius in donatatio, pendens tamen à futuro. quoad sui impletionem. Quod si conditio, sub qua donatio facta est, suo tempore impleta non fuerit, donatio non obligat, sed in irritum recidit, quia donans non intendit se obligare conditione non impleta. Ita communis Doctorum sententia.

30 Donationes vel promissiones in testamento factæ causa mortis sub conditione impossibili, vel quę sine peccato adimpleri non potest, vel matrimonii impeditiua, vel maioris boni ablatiua, statim, & ante cōditionis adimpletionem, stando in solo iure ciuili, firmitatem habent, conditionesque illæ in iure pro non appositis habentur. Ratio, quia ius ciuile in fauorem vltimæ voluntatis præsumit, quòd testator sic in testamento donans ex errore fecit, nihil volens contra ius tentare, sed potiùs se iuri voluisse conformare, si illud sciuisset, proinde in foro exteriori valida est per testamentum facta donatio sub aliqua ex prædictis conditionibus, vt definitur *in l.1 4.6.8. 9. ff. de conditionibus institutionum,* & *§. impossibilis, inst. de hæredibus instituendis.*

In foro tamen conscientiæ donationes vel promissiones factæ sub aliqua condione ex prædictis quatuor, cōditione non impleta, nullius sunt valoris, quando colligitur uoluntatem donantis, vel promittentis fuisse, vt cōditio adimpleretur. Ratio, quia in hoc casu deficiente cōditione, deficit donantis, vel promittētis consensus. Quādo verò eius uoluntas ignoratur, neque satis ex verbis eius colligitur, tunc donatio, uel promissio secundùm regulas iuris interpretanda est, quia sic voluisse iuri se cōformare in dubio præsumendum est. Aliàs voluntas donantis uel promittentis, dum de ea constat, pro lege seruanda est. Ita Molina *disp* 285. Lopez *de contract. ca.* 45. Lessius *li.2. c.*18 *dub.* 15. vide quæ suprà diximus *v. Contractus, num* 18.

Molina
Lopez
Lessius

31 Donatio, vel promissio facta mulieri sub conditione nunquam nubendi valida est in foro exteriori, etiā si conditio non impleatur, idque in fauorem matrimonii, vt respublica augetur, vt habetur *in l. Titia, ff de condit. & demonstrat.* valida tamen est conditio non contrahendi cum aliqua certa, vel certis personis, uel non nisi ad certum tempus, & aliæ similes, quæ matrimonium omninò non impediunt. Hinc si testatur dicat puellæ, quòd relinquit ei in testamento centum si nupseris, nihil addendo de ingressu Religionis, consequitur legatum, etiamsi Religionem ingrediatur. Ratio, quia non censetur de Religione cogitasse, cùm id non expresserit, ac proinde noluisse eam excludere. Ita habetur apertè *Authent. de Sanctissimis Episcop §. Sed & hæc,* & *Authent. nisi rogati, Cod. ad S.C. Trebellian.* Si autem dicatur lego 200. si nupseris, 100. si Religionem ingrediaris, multi tenent te habiturum 200. etiam Religionē ingrediaris. Ratio, quia in fauorem Ecclesiæ præsumitur donator non ita tenaciter uoluisse adhærere conditioni, vt alioquin nulla redderetur dispositio, quando aliud non constat. Tum quia illa conditio, si nupseris, quatenus retrahere potest à Religione, habenda est pro non adiecta. Ita Rosella *v. Legatū, n.*27 Angelus *v. Hæres, n.* 51 Syluester *v. Legatum* 1. *q.*9 & *Hæreditas* 4 *fin.* vbi Armilla *num.*22. Tabiena *v. Hæres, q.*16. *num.*17. & alii probabiliter. Non est tamen improbabilis opinio Sanchez *lib.1. de matrim. disp.*34. *num.*13 Couarunię *lib.1. variar cap.*19. *num.*8.9. & 10. Molinæ *tract.*2. *disp.*207. & aliorum, sustinens ingredientem Religionem solùm 100. consecuturum; quia conditio à Religione retrahens non est inualida, nec contra expressam testatoris voluntatem reiicienda est, ergo vbi expressè testator disposuit, quid ingrediens Religionem consecuturus sit, quid autem vxorem ducens, id obseruandum est.

Rosella
Angelus
Syluest.
Armilla
Tabiena
Sanchez
Couar.
Molina

32 Quando aliquis donat ob certum finem, si non intendat ad illum finem obligare, sed solum allicere animum, vel præbere media ad illum consequendum si placuerit, quoad vtrumque forum valida erit talis donatio, etiamsi finis non sequatur, v.g Titius legauit centum, vt nubat, nec aliud expressit, illa vero ante nuptias obiit, vel existens in vita statuit colere cœlibatum, vel ingredi Religionem, propter hoc non priuabitur legato, quia non censetur testator maius bonum voluisse impedire, nisi aliunde de contrario constet. Ita Sanchez *de matrim. lib.1. disp* 33 *num.*29. Couarruuias 1. *variar. c.*19. *num* 10. & alii.

Sanchez
Couar.

Hinc valida est donatio, qua quis donat Episcopo ad alliciendum ipsius animum, vt beneficium conferat, vel puellæ ad eam turpiter prouocandam, vel mercatori, vt ad mutuandum inclinetur, quamuis finis non sequatur. Ratio, quia ista donatio non est conditionata, sed absoluta, facta non animo obligandi, sed tantùm alliciendi, ad liberum consensum, vnde poterit donum acceptari etiāsi non intendat præstare, quod donator exoptat. Ita colligitur apertè ex *l. repetendi Cod. de condiction. ob causam* teste Molina *disp.*186 & aliis. Si tamen is qui donat ad certum vsum vel finem intendat donatarium ad illum finem, uel usum obligare, si ille vsus, vel finis non præstetur, irrita erit donatio, si ille sit principalis finis donationis, si verò sit secundarius non erit irrita, poterit tamen in irritum reuocari, si donatarius nolit præstare. Ita Ioannes Medina *Cod. de restitut. q* 24. Lessius *lib.2. c.* 18. *dub.*16. *num* 126 Diana *part.8. tract* 6. *resol.*89. *§. Sed si aliquis.*

Medina
Lessius
Diana

33 Si quis donet aliquid ob causam, quam subesse credit, cùm verè hæc causa falsa sit, talis donatio in vtroque foro inualida erit, nisi donator actu, vel habitu ita sit affectus, vt illam censeatur velle valere, quamuis causa non subsit. Ratio, quia talis donatio est inuoluntaria, procedit enim ex errore, qui si non esset, donatio nō fieret; vt autē donatio valida sit, debet esse plenè voluntaria, cū ex liberalitate pēdeat. Sed quia sæpe, fit quēpiā ita esse affectum, vt si sciret causam esse falsam, nollet donare, tamen quia dedit, non vult donationem esse irritam, idcò in tali casu foret donatio valida, vt regulariter dicendum videtur de minutis eleemosynis, quas ob fictam paupertatem vel sanctitatem Sycophantæ extorquent. Quando autem causa, ob quam quis ad dandum mouetur vera est licet alia te lateant, quæ si pro comperto haberes nullatenus dares, ualida erit donatio, vt v.g. dono 100. Berthæ quia consanguinea est, vel verè pauper, cuius tamen peccata occulta si scirem, nullo modo darem. Ratio huius est, qui falsa credulitas de eius sanctitate

Rebellus
Medina
Emma. Sà

que suo modo. Ita Rebellus *lib.*18.*q.*13.*nu.*6. Medina *C. de restit q.*24. Eman. Sà *v. Legatum,n.*37.

40 Modus impossibilis tam de facto, quàm de iure, hoc est turpis, habetur pro non apposito in ultima uoluntate. Imò cùm modus dispositionem non suspendat, sed eam præsupponat perfectam, & ualidam, si modus impossibilis, aut turpis donationi, aut alteri contractui apponatur, illum non uitiat, sed habetur pro non adiecto.

Hi sunt modi, quibus aliquid donari, legari, aut alio pacto relinqui potest sub modo, ut diiudicari possit, quãdo modo nõ subsecuto, nõ consurgat obligatio, aut consurgat rem restituendi, & quousque. Et quoniam hi modi à disponentis uoluntate pendent, sanè quando disponens sufficienter uerbis, aut scripto expressit, quænam in hac parte fuerit uoluntas, illi ita expressè est standum Quando autem eam non ita expressit, coniecturis arbitrio prudentis, spectata rei natura & spectatis cęteris circumstantiis concurrentibus est iudicanda, neque potest melior, certiorve alia regula statuti. De hoc contractu modali vide Bonacinam *de contract. disput.*3.*qu.*1 *punct.* 4.*num* 4.*& sequentibus* Sanchez *de matrim. lib.* 5. *disp.* 19. Molinam *de iusti. tract.* 2. *disp.*208. Azorium *p* 3 *lib.* 15. *capit.* 8. Rebellum *de obligat. iustit. lib.* 18. *quest.*13.

Bonacina
Sanchez
Molina
Azorius
Rebellus

41 Donatio omnium bonorum præsentium & futurorũ potest esse valida, si Principis auctoritate firmetur. Ratio est, quia Princeps sunt supra ius, quod condunt, & quia non est hoc contra ius naturale, atque adeo seclusio iure humano, hoc illicitum non est, nec contra aliquẽ iniustum, & licet per eam donationẽ reddantur homines intestabiles, & sit contra ius gentium auferre libertatem testandi, tamen ius gentium habet suam latitudinem & quoddã magis accedit ad ius naturale, quoddã minus, & præterea per cõfirmationẽ principis ex causa iusta in hoc, aut illo casu nõ impeditur absolutè libertas testandi sed in hoc, aut illo euentu ex iusta causa: causa autem tam iusta esse potest, vt inducat etiam ius gentium magis rigorosum, & magis proximum iuri naturali. Ita Couarruuias *de testament. secunda parte.* Molin. *de iust. disp.* 151. *ad fin. vers. postrem. aubium.*

Couarruui
Molina

42 Quamuis iure communi donatio inter viuos omnium bonorum præsentiũ, & futurorum sit inualida, ex *l. Stipulatio hoc modo ff. de verb. oblig.* In foro tamen conscientiæ talis donatio valet, & tenet, si nulla concurrat vis, nec fraus nec iniuria creditorum, nec aliquid aliud, per quod aliquod præiudicium fiat alicui, nec etiam donator remaneat in penuria, & paupertate ad se alendum his cessantibus non peccat mortaliter donator faciendo talem donationem, vel eam iurando nec similiter donatarius eam acceptando, & consequenter non tenetur in conscientia ad restituendum dicta bona quamdiu donator in eadem volnotate perstiterit, quia volenti ac consentienti non fit iniuria. Si tamẽ accepta etigantur à donatore, vel hæredib. illius, tenebitur donatarius restituere Ita Dicastilius *de iustit. lib.* 2. *tract.* 5. *disp.* 1. *dub.* 3. *n.* 61 Rebellus *de obligat. iustit.* 2 *part. lib.* 18. *quest.* 8. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 19 *disp* 2. *sect.* 2. *num.* 19 Valerus *in different vtriusque fori different.* 9. *ex parte* nã arbitratur hic auctor & donatorem & donatarium peccare mortaliter contraueniendo legi præfactæ, quæ iustissima est, & in re graui disponens.

Rebellus
Caspensis
Valerus

Aduertendum autem est donationem omnium bonorum presentium: & futurorum factam causa mortis esse validam. Ratio, quia cum donatio causa mortis pro solo donantis libitu possit reuocari per eam sibi nõ adimit facultatem testandi, etiamsi sit omnium bonorum ac proinde cessat in ea ratio, ob quam similis donatio inter viuos est inualida. Tum quia causa mortis cuique fas est absque vllo termino donare, vt habet communis sententia Doctorum.

43 Valida est donatio omnium bonorum præsentiũ & futurorum reseruato vsufructu *l. Stipulatio hoc modo accepta, ff. de verb obligation.* Ratio, quia in vsufructus reseruatione fructus ratione eius iuris percipiendi, intelliguntur excepti quo fit, vt donati non censeantur, sed potius ab ea donatione excepti, de eisque atque de eorum pretio libere donans possit disponere, tum inter viuos, tum etiam per vltimam voluntatem. Imò si donans intestatus moriatur, eiusmodi fructus ad hæredes ab intestato spectant, & non ad donatarium, nisi ipse hæres sit ab intestato. Nota tamen quãdo vsusfructus reseruatus tam modicus esset, vt vel ad solam competẽtem donantis sustentationem non sufficeret, vel expectaretur tam modicum ex fructibus, detracta competente sustentatione, remansurum, vt id, habita ratione bonorum donantis, pro nihilo esset ducendũ tunc, quia testandi facultas non censeretur ei ratione, habita bonorum illius, inualida esset donatio. Vnde licet donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum valida censeatur quando donans aliquid sibi reseruat, de quo, vltra alimenta, integrum illi sit testari, si vellit meritò id intelligunt Doctores, modo sit competens ac sufficiens quantitas, habita ratione bonorum donantis, parum enim pro nihilo debet reputari, vt relicta sit ei censenda testandi facultas. Ita Clarus *lib.* 4. *sentent. quest* 19. *num. vlt.* Couarruuias 3. *variar. c.* 12. Hurtadus *de donat. disp.* 11. *difficult.* 4 Vvadingus *tract. de contract. disp.* 3. *dub.* 12 §. 1. Diana *p.* 8. *tr.* 6. *resol.* 40. & alii apud ipsum.

Clarus
Couarruui
Hurtadus
VVadin
Diana

44 Donatio absoluta vltra summam quingentorum solidorum à lege concessam donari, in conscientia est valida. Ratio, quia nihil est tam naturale, quam vt dominia in alios ex voluntate domini transferantur, presertim qnando huiusmodi translatio dominii per legem in foro conscientiæ non vtebatur, & leges solum prohibent donationem excedentem summã prædictam in foro exteriori, & non in foro conscientię, vt patet ex consuetudine, quæ est optima legum interpres; ergo ille, cui vltra hanc summam donatum est, potest illud retinere, nisi a donatore, vel eius hæredibus repetatur, quia leges non redduntur donatarium inhabilem ad retinendum, sed tribuunt donatori potestatem repetendi, quamdiũ ergo nõ repetit; potest donatarius retinere, scienti enim & volenti nõ fit iniuria Nec referet, quod donator ignoret se posse repetere, quia donatarius non tenetur id illi dicere cum suo incommodo, sed potest rem retinere, donec aliunde rescifcat, & repetat. Ita Molina *disp.* 278. Fagundez *de contract.* 4. *cap.* 9. *num.* 28 Caspensis *tom.* 2. *tr.* 19. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 14. Caramuel *lib.* 2. *Theolog. moral n.* 672. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18 *dub.* 13. *n.* 99. & alii,

Molina
Fagundez
Caspensis

45 Donatio Episcopi regularis ad vsus prophanos, iuxta communiorem, & probabiliorem Doctorũ sententiam, non solum est illicita, sed etiam inualida: quia non est dominus rerum quas possidet ratione voti paupertatis, vnde accipientes ab ea tenentur ad restitutionẽ Ecclesię, quia Episcopus abenando peccauit contra iustitiã. Nihilominus à multis contraria sententia reputatur etiam probabilis, & practicè secuta, nempe Episcopum regularem liberari à voto paupertatis, ita vt de illo dicẽdum sit quoad donationes, sicut de aliis Episcopis sæcularibus, qui habent dominium rerum Ecclesiasticarum, ita ut illas expendendo, & donando ad vsus prophanos peccent mortaliter, sed non contra iustitiam, ita ut accipientes non teneantur ad restitutionem.

Hanc sustinent, Sotus, Angelus, Michael, Medina, Palacios, Vasquez, Pontius; Pasqualigus. Cęlestinus, Zambellus, Escobar, Vvadingus, Diana *par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 50. & *part.* 5. *tract.* 8. *resol.* 132 & alii ab ipso citati. Fundamentum huius opinionis præcipuum est, *cap Statutum,* 18. *quest.* 1. vbi dicitur Episcopum ex Monacho factum, velut legitimum hæredem habere potestatem sibi vendicandi paternam hereditatem. Desumptus est Canon ex Concilio apud Althem celebrato præsidente Legato Sedis Apostolicę, & ab Ecclesia longo vsu recepto Si ergo talis Episcopus regularis dominium non haberet, sibi non vendicaret, sed Monasterio, aut Ecclesiæ, cum fatẽtibus Doctoribus prioris sententię; Religiosi carentes dominio non sibi vendicent, sed Monasterio. Deinde inhabilitas ad acquirendũ, vel transferendũ dominium est ex iure positiuo, nec fuit semper annexa statui religiso, vt probant Pontius *lib.* 7. *de matrim, capit.* 13. & Suar. *to.* 1. *de relig. lib.* 8. *c.* 7. Potuit ergo ius, relicta in tali Episcopo obligatione voti paupertatis, reddere illi dominium, nec ex hoc definit esse verus Monachus. Nec obstat *c. Cum ad Monasterium, de statu Monachor.* quia

Sotus
Angelus
Medina
palacios
Vasquez
pontius
pasqualig
Cęlestinus
zambellus
Escobar
VVadi
Diana

Schola-

Scholastici Societatis IESV habent dominium bonorum tamen habent veram abdicationem proprietatis, quæ in isto capite requiritur ad constituendum Monachum. Abdicatio enim proprietatis, non est abdicatio dominii, sed vsus independentia à voluntate Superioris. Vide quæ diximus *tom. 1. v. Religio* 1. *n.* 8. *vers Attamen*.

46 Dubium est, an in casibus illicitis accipiens donationem à beneficiario religioso, vel Episcopo, uel à beneficiario, & Episcopo sæculari, peccet etiam ipse mortaliter. Ratio dubitandi est, quia videtur cooperari peccato supradictorum dantium, & expendentium fructus Ecclesiasticos contra præceptum Ecclesiæ, & ideò putat Sanchez *in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 38. *n.* 14. talem peccare mortaliter. A cuius tamen sententia discedit Lugo *to* 1. *de iust. disp.* 4. *sect.* 3 *n.* 48. asserens, quòd quando tales non petunt, nec inducunt ad donandum, sed oblata tantum acceptant, non peccare mortaliter. Probatur; nam in eo casu accipiens, non dicitur propriè cooperari peccato malè donantis, quia peccatum ex parte donantis consummatur per ipsam oblationem, quæ oblatio iam posita est; acceptatio autem, quæ consequitur ex parte accipientis, non dat causam illi oblationi sed perficit donationem, ut cum effectu transferatur dominium. Tum quia qui, accipit à fure, vel debitore non quidem res furtiuas in specie & quarum dominium non habet, sed alia, quorum dominium habet, non peccat contra iustitiam, vel charitatem, etiamsi aliter reddatur exinde impotens ad soluendum quod ex iustitia debet, quia non est causa, cur ille peccet, cùm accipiens illum non inducat ad hoc, sed supposito quòd, velit sponte donare acceptat, vtens iure suo neque enim iustitia, vel charitas postulat, vt negligatur proprium commodum, etiamsi inde per accidens sequatur alteri tantùdem damni, ut docent Lessius *li.* 2. *c.* 20. *dub.* 19. *n.* 168. Molina *de iust. tract.* 2. *disp.* 328. *n.* 10. & P. Nauarra *li.* 3. *de rest. c.* 4. *n.* 218. Proinde vtraque sententia probabilis est, ad mentem Dianæ *par.* 8. *tract.* 6. *resol.* 134.

Sanchez
Lugo

Lessius
Molina
p. Nauarr.
Diana

47 Donatio simplex facta à patre filio emancipato, cū diuidenda erit hæreditas, æstimanda erit, eiúsque pretiū deducendum, vt inter hæredes ac bona illis debita ac dāda, constituatur æqualitas, *l. vt liberis, Cod. de collationibus*. Quæ autem non emancipato, præbentur à Patre, hęc eo mortuo, non sunt ad hæreditatis diuisionem cōferenda; quia hæc à patre, prærogatiua quadam amoris in illum præcipui, censentur data, ut habetur *in l. penult. Cod. de donationibus*. Excipiuntur duo casus, primus, cum Pater, cui reuocandæ donationis ius erat, significauit, uolūtatis suæ esse, eam computari debere filio in partem hæreditatis sibi debitæ. Alter est, cùm id eius Fratres, ac sorores exigunt, eo quòd, & ipsi donationes sibi factas, tam simplices, quàm ob causam, vt propter nuptias, vel dotem, conferre coguntur. Quæ autem a Patre filiosamilias dantur literis operam danti, quæ iuro ad bellum, aut ad obsequium Principis in palatio, quæ peregrinaturo, quæ in sumptus vitæ, aut Doctoratus, quæ ad comparandum beneficium, aut dignitatem, non sunt hæc ab eo in bonorum partitione conferenda Ratio est, quia hęc omnia aliquo modo pertinent ad decentem sustentationem, & alimenta, quæ pater filio debet: & uni quidem filiorum copiosiùs subministrare potest, spectata facultate aliisque circunstantiis, quàm reliquis liberis: adeò, vt nō solùm illi condonare, ac remittere permissum sit, sed neque in eam partem numerare cogatur, de quā liberè ante mortem disponere potest. Vide Molinam *tract.* 2. *disp.* 243. Syluest. *v. Peculium.* 2. Emman. Sà *v. Hæreditas, nu.* 43. Vasquez *de testam. c.* 7. *num.* 147. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *c.* 12. *nu.* 13. & alios.

Molina
Syluester
Eman. Sa
Vasquez
Layman

48 Donatio, qua quis donat alteri bona sua de quibus potest ad libitum disponere, ante commissum crimen, in cuius admissi pęnam, fisco debentur, est rata, & valida. Ratio est, tum quia rata est eorum donatio, penes quos est dominium rei donatæ, eiusque administratio cum facultate alienandi non impedita. At quilibet, ante patratum crimen, quod proscriptione bonorum puniri solet, eorum dominus, nec est ante sententiam iure ea ab alienandi priuatus, ergo qui ea donat, validè donat. Tum quia talis donans nō prohibetur donare neque lege charitatis, neque iustitię. Probatur prima pars, quia rem fisci agere, eius commoda quærere, bonum promouere suo magnu damno non tenetur, id illi permittente *l. non puto, ff. de iure fisci*. Probatur, posterior pars, quia ante crimen contractum, bonàque eius fisco adiudicata per sententiam, nullum ius ad illa fiscus, habet. Vt dicitur expressè *in l. post contractum, ff. de donationib.* vbi sic ait: *Post contractum capitale crimen donationes factæ valent a Constitutione diuorum Seueri, & Antonini, nisi condemnatio secuta sit*. Nec obstat dictum Bartoli in hac lege, quod ea donatio damno sit, ac fraudi fisco. Id enim non est verum, quia facturus capitale crimen, ob quod eius bona proscribentur auctoritate Iudicis, ante illud commissum bona sua donando, fiscum non lædit, cùm hic ad ea nullum ius habeat. Ita docent Nauarrus *lib.* 4. *consilior consil.* 1. *de diuortus*. Alphonsus à Castro *de potest. leg. pœnal c.* 2. Comitolus *li.* 3. *de respons. moral. q.* 40 Baunius *de contract. lib.* 2. *tract.* 4. *q.* 16. *diffic* 14. Diana *p.* 8. *tract.* 6. *ref.* 111. Et hæc de donatione, & promissione Theologo sufficiunt.

Nauarr.
Castro
Comitolus
Babuius
Diana

Vide v. Actio *n.* 16. Cęcus *n.* 4. Dominium *n.* 13. & 14. Dubium *n.* 20. Emphyteusis *n.* 19 Hæres *n.* 12. Iuramentum *n.* 26. & 30. Ludus *n.* 12. Matrim. 2. *n.* 26. Nouitius *n.* 25. Paupertas *n.* 13. Restitutio in integ. *n.* 1. Reus *n.* 13. Votum 1. *n.* 11. & 22.

D O N A T I O

inter coniuges.

S V M M A R I V M.

1 *Donatio inter coniuges quotuplex sit? Et quid sit sponsalitia largitas, donatio propter nuptias, & arra.*

2 *Donatio hæc dicitur nulla, quia ad libitum potest reuocari.*

3 *An donatio ante matrimonium facta sit inualida, si eius effectus differatur in matrimonii tempus? uel si fiat per interpositas personas. Et an cæteri contractus inter coniuges ualeant.*

4 *An donatio inter coniuges putatiuos, qui ueri non sunt sit ualida.*

5 *An donatio inter coniuges confirmetur morte ciuili donantis. Et quotuplex mors ciuilis? Et quid dicendum de professione Religionis.*

6 *An donatio causa mortis inter coniuges ualeat? Et an requiratur in illa traditio rei.*

7 *Quæ sit dicenda mors naturalis, per quam donatio inter coniuges confirmatur.*

8 *Vt donatio inter coniuges morte confirmetur, debent adesse quatuor conditiones Et de prima quæ est traditio rei donatæ uera uel ficta.*

9 *De secunda conditione, ut coniux donans priùs moriatur? Et quid iuris quando non constat uter priùs obierit.*

10 *De tertia, ut donatio non excedat 500. aureos absque insinuatione. Et an donatio excedens dictam summam in nihilo confirmetur morte.*

11 *De quarta conditione, ut donans in eadem uoluntate persistat vsque ad mortem, nec tacitè nec expressè reuocans. Et quando tacitè censeatur reuocata donatio.*

12 *An donatio inter coniuges trahatur retro ad tempus donationis factæ quoad dominium rei donatæ, uel tantùm quoad fructus ex ea perceptos, dum morte confirmatur.*

1 DOnatio inter coniuges, vel sponsos, quædam est simplex, quædam uerò ob causam. Illa est, quæ ex mera donantis liberalitate proficiscitur; hæc verò, quæ non merę liberaliter, sed ob aliquam causam fit. Et est triplex. Quædam dicitur *sponsalitia largitas*. Alia, *donatio propter nuptias, uel ante nuptias*. Et alia, *Arra*.

Sponsalitia largitas est, quæ fit inter sponsos de futuro ob matrimonii ineundi spem, eiusque causam.

Donatio propter nuptias, seu ante nuptias, est id, quod confertur à viro, uel ab alio ipsius loco pro matrimonii

oneribus

oneribus,ad similitudinem dotis,quæ confertur viro per vxorem, & sic appellatur Dos.*Institut.§.Est,& aliud, de donation.* Et dissoluto matrimonio etiam post consummationem redit ad virum, vt dos data per vxorem viro redit ad ipsum soluto matrimonio,*cap.final.de donat.inter vir.& vxorem*. Hæc donatio modo abiit in desuetudinem.

Molina Sanchez Gutierez — Arræ sunt donatio facta sponsæ per sponsum in remunerationem pudicitiæ, vel nobilitatis, vel dotis sponsæ;quas soluto matrimonio sponsa lucratur, Ita Molina *de inst.tract.2. disp.290. ad finem* Sanchez *de matrim.li.6.disp.1.num.*1.Guttierex 3.*practic.q.*43.

a Donatio inter coniuges dicitur nulla, & inualida, non quod omninò nulla sit, sed quia potest ad libitum à coniuge donante reuocari. Sicut donatio causa mortis appellatur imperfecta, & inualida, eo quòd vsque ad mortem reuocari potest, licet à principio valida fuerit, dominiùmque transtulerit. Vnde coniux cui alter aliquid tradit causa donationis, non tenetur illud restituere,sed potest tuta conscientia retinere, & expectare donec morte confirmetur, si donator præmoriatur. Probatur, quia iura concedunt, vt ea donatio inualida, morte confirmetur traditione rei donatæ secuta,viuo ipso donante, & non aliter. Quod si donatarius præmoriatur,donatio illa tanquam nulla redit ad ipsum donantem, & ei est restituenda.Ita Sanchex *loco citato*. — Sanchez

3 Donatio coniugis ante matrimonium facta,si eius effectus differatur in matrimonii contracti tempus etiā est inualida, ut habetur ex *l.Quod sponsa 4.Cod.de donat. ante nupt.* Ratio est, quia idem est rem fieri tempore inhabili, vel prohibito, & conferri ad tempus inhabile, vel prohibitum, *l.in tempus,ff.de hered instit.* & Glossa *in dict.l.Quod sponsa,&c.u.sine effectu*, reddens rationem; quare donatio facta ante matrimonium à sponso collata in matrimonii tempus non valeat; ait, *quia ante matrimonium non transit dominium, quia noluit; nec post, quia non potuit.* Præterea non ualet donatio inter coniuges facta etiam per interpositas personas, vt si vir det aliquid cuidam,vt donet uxori, ut expresè dicitur *in l.si sponsus*, & *l 3.ff.de donat.inter uir. & vxor.* quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur. Porrò cæteri contractus inter coniuges initi valent, vt venditio permutatio,&c.vt habetur *in l.si sponsus,uers.Circa uenditionem ff.de donat.inter uir.& uxor.* dummodo pretium æquiualeat rei venditæ; si enim pretium minus iusto sit remissio illa pretii, erit donatio inualida. Vt in illa lege expresè deciditur,

4 Donatio inter coniuges qui veri non sunt, sed putatiui, quando vtrique coniugi nota fuit, matrimonii nullitas, est valida in foro conscientiæ, donec petenti fisco,sibi per iudicem applicetur: & donatarius tuta conscientia potest rem donatam sibi retinere, quia tradens ex falsa causa falsitatis conscius censetur donare, abdicatque à se dominium,transferens illud in donatarium, qui est capax illius accipiendi,licet in delicti pœnam,detur actio fisco ad vendicandum, & auferendum ab eo. Ita *lex.Cum hic status 33.§.final.ff.de donat.inter uir & uxor.* & docent Angelus *v Donatio 3.n.5.* Syluester *v. Donatio a q.1.* Tabiena *Donatio 3.q.a.* — Angelus Sylaest. Tabiena

Quando autē solus coniux fuit cōscius nullitatis matrimonij,valet legatum.Id enim expresse habetur.*l.fin.ff. de legat.*Si autem coniux donatarius impedimētum nouit,at donator erat in bona fide constitutus,tunc legatū, &donatio sūt nullius momenti.Quia tàm legatum,quā donatio ex errore procedunt, quia legans,vel donās existimat legitimum esse matrimonium, nihil autem magis contrarium consensui est,quàm error. Vnde ita legatum hæredibus legantis, donatio verò ipsi donanti, & ipso mortuo, hæredibus eius restitui debet. Ita Molina. *tract.2.disput.*200. — Molina

Controuersia tamen est inter Doctores, an donatio sit valida, quando vterque coniux inscius impedimenti putabat matrimonium valere? Affirmant Angelus,Rosella,Syluester, Tabiena,esse validā,posse tamen donantem reuocare.Negant Couarruuias,Sanchez *loco citato disp.2.n.9.*&alij. — Angelus Rosella Syluest. Caietanus Couar. Sanch

Sed dicendum est,*Primò* omnia,quæ remuneratoriè talis dedit uxori putatitiæ,& omnia quæ fūdātur in aliquo debito iustitiæ,& vrbanitatis,esse absolutè vxoris, tametsi non veræ. *Secundo*, si puræ, & gratuitæ donationes aliās fuissent factæ,puta si uir illam feminam, ita amauerit vt credendus sit etiam illa eadem daturus fuisse concubinæ quæ uxori, ualidæ censendæ sunt,quia nō possunt argui de errore, datæ enim sunt personæ, v.g. propter qualitatem pulchritudinis, non propter matrimonii circumstantiam. Si autem ille donationes fuissent factæ,si vir sciuisset illam non esse uxorem suam,dicendæ sunt processisse ex errore, ac proinde nec fuisse liberas,nec validas. Igitur sicut ille error non debet esse in causa quod vir patiatur damnum, sic etiam nē mulier patiatur.Talis ergo donata ex errore recuperet, recepta ex errore restituat, dètque pudoris pretium. Ita Caramoel *lib 2.Theol.moral.n.655.* Cui fauere videtur Molina *disp.*200. dicens ex coniecturis deprehendendum esse,an valeat legatum. Vide Fagundez *de contract lib. 4.cap.11.nu.35.& seq.* — Caramuel Molina Lopez

5 Sicut donatio inualida inter coniuges confirmatur morte naturali donantis, ita confirmatur morte ciuili, puta,vel si coniux exulet, ita ut ciuitatē perdat:vel quia efficitur seruus pœnæ,vt si damnetur ad metallum:uel si Religionem profiteatur, quæ non sit capax possidendi bona in communi, secus verò quando religio potest illa possidere.

Circa quæ est notandum. *Primò*, quod quidam asserunt professione Religionis non confirmari donationem quando matrimonium est consummatum, quia per illam professionem non dissoluitur matrimonium;secus si non fuerit consummatum.Ita Lopez *lib.2.de contr.c.47.* Syluester *v.Donatio 2.q.4.* & alii Dicendum tamen est,parum referre siue matrimonium consummatum sit,siue non, vt confirmetur donatio per professionem donantis, modò professio fiat legitimè ex licentia alterius coniugis post consummatum matrimonium. Ratio est, quia licet matrimonium consummatum non dissoluatur quoad uinculum per professionem,at quoad effectum dissoluitur;cùm nō liceat iā matrimonio vti,*ca. Accedens,& cap.Significauit,de conuers.coniugat.*

Notandum *Secundo*, si religio in qua donans professus est,capax sit possidendi bona in communi, quod donatio minimè confirmetur,sed expectanda est naturalis donantis mors, & vt priùs moriatur, quàm donatarius, si autem Religio incapax fuerit sic possidenti, est Religio Fratrum Minorum de Obseruantia, & Capucinorum,confirmatur donatio ea professione, sicut confirmaretur morte naturali donantis. Ratio, est quia mors ciuilis,& naturalis æquiparātur,quādo vtraque eundem habet effectum quoad bona, at quādo Religio non habet bona in communi,eundem effectum sortitur mors naturalis,& ciuilis per professionem, cùm iā ea bona;nō possint possideri ab ipso Religioso,nec à Religione ipsum repræsentāte,sicut nec à naturaliter mortuo. Quod non contingit,quando Religio possidet bona in cōmuni, quamuis enim religiosus ipse possidere nequeat,potest tamen ipsa Religio,quæ religiosum repræsentat,eiúsque loco habetur.Ita Molina *tr.2. de instit.disput.*288.Rosella *verb.Donatio 1.num.*35. Rodriguez *to. 1.Summ.cap.*93. Lopez *de contract.lib.2.c.43.§. Tertio confirmatur*. Et ex parte Azorius *tom.3 lib.11.cap.10. quæst.8.* cui adhæret Diana *p 8.tract.6.resol.*24. — Molina Rosella Rodrig. Lopez Azorius Diana

6 Donatio causa mortis valet inter coniuges, ut habetur expresè, *l si cum vxori 9.§.ult.ff. de donat.inter vir. & vxor.* Et in subsequenti *l.quia* 10.eius rationem Caius hanc assignat,quia in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo vir, & vxor esse desinunt. Coniux tamen donans dum superstes est, potest eā donationem reuocare, vnde per eam non transferatur statim dominium in coniugem,donec mors donantis sequatur, etiāsi antea alteri rem donatam tradiderit.Et hoc est speciale in donatione inter coniuges, vt non transferatur dominium per donationem causa mortis factam, etiā tradita re donata, ut habetur expresè *l.Sed interim 12.ins. ff.de don.inter vir.& vx* Aduerte tamē si donatio causa mortis inter coniuges fieret ea cōditione,ut it reuocabilis esset,nō valeret, quia transit in donationē inter viuos

Vt habetur *l. vbi ita donatur*, *ff. de donat. causa mortis*. Si tamen initeatur pactum, ut non reuocari possit, nisi donatarius præmoriatur, ualebit, quia est donatio causa mortis. Similiter si coniuges mutuo sibi donent ea lege, vt alterius obitu superstes ipsius bona habeat dum uiua fruetur, ualebit donatio, quia est causa mortis. Imò hæc reciproca donatio præiudicabit legitimæ ascendentium. De his vide Molinam *de iust. tract. 2. disp. 288 §. Dubium est votum donatio*. Couaruuiam *rubric de test. in. 3. p. num. 4* Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 16*. Dianam *p. 8. tract. 6. resol. 30.* qui nouissimus docet quod in dubio, quando expresse non constat qualem donationem coniuges, uel alii facere uoluere, præsumatur causa mortis non inter uiuos, per text. *l. apud Celsum 4. §. Iulianus*, *ff. de dolo malo & met. except.* Ratio est, quia quilibet actus bebet potius sustineri, quàm vt corruat, & si non potest eo modo valere quo debet, tamen valeat alio modo, quò potest, *l. quoties 12. ff. de rebus dubiis.*

Molina
Couarr.
Sanchez
Diana

An autem ad ualorem donationis causa mortis inter coniuges requiratur traditio rei; Affirmant aliqui, licet in legato nulla traditio requiratur. Ita Syluester, Rodriguez, Couaruuias *supra*. Verius tamen est minimè desiderari, quia hæc donatio habetur instar legati, & ita ex ea, sicut ex legatio detrahitur falcidia, quod valet inter coniuges absque traditione. Vt docent Molina, Sanchez, & alii.

Molina
Sanchez.

7 Cum donatio inter coniuges confirmetur morte naturali donantis. Vt habetur *cap. finali de donat. inter uirum, & vxorem*, quæritur, quid nomine mortis naturalis intelligatur? Resp. quod comprehendatur etiam mors accidentalis gladii, vel alterius rei violentæ mortem inferentis, ex *l. si tibi, Cod. de donat. ante nupt.* vbi Baldus. Secus dicendum si donator mortem sibi ob sceleris conscientiam consciuerit, vel etiam post mortē memoria eius damnata sit: tunc enim reuocatur donatio. Ita *l. cum hic status, 33 §. si donatus, vers. si maritus, ff. de donat. inter uir & vxor.*

8 Vt donatio inter uiuos inter coniuges morte confirmetur, quatuor conditiones adesse debet. *Prima* est: ut præcesserit in uia donantis, traditio rei donatæ, ut habetur *l. Papinianus, ff. de donat. inter vir. & uxorem*, non est tamen necesse ut traditio hæc fiat tempore donationis sed satis est, quocunque tempore vitæ donantis. An autem requiratur uera traditio, aut sat sit ficta? Tenendum est sufficere fictam, ex *l. cum hic status 33. §. Si maritus, ff. de donat. inter uir. & vxorem*. Hinc confessio dotis receptæ facta constante matrimonio à uiro quando censetur animo donandi facta, habetur loco traditionis, & ita hæc præsumpta donatio absque alia traditione morte confirmatur Ita Syluester *v. Donatio 2. q. 4.* Molina *tract. 2. disput. 289. §. idcircò.*

Syluester
molina

Item si donans retineat vsumfructum, quia talis reseruatio habet uim traditionis, *l. quisquis*, & *l. si quis argentum, Cod. de donat.*

Item, si uxor erat debitrix mariti, & hic animo donandi remittat, confirmatur hæc donatio morte, quia ea liberatio uim habet traditionis, *l. cum hic status 33. §. ratio vers. sine autem, ff. de donat. inter uir. & vxor*

Item, confirmatur morte, si donans tradat donatio rei donatæ instrumenta, per quæ eam habuit; quia hæc tradendo, uidetur rem ipsam tradere, *l. 1. C. de donation.* Imò etiam quando coniux donans, alteri instrumentum donationis conficit: ex hoc enim videtur possessio tradita

Item si vir rem sibi debitam faciat transferri per se, uel per alium, in vxorem, & illi describi in libro rationum vbi debita describuntur, quia per descriptionem videtur donare, & tradere vxori. In his ergo casibus habet locum ficta traditio, ut donatio morte censeatur confirmari.

9 Secunda conditio est, vt coniux donans prius moriatur, si enim donatarius prius obeat, euanescit donatio. Vt habetur *c. final. de donat. inter uir. & vxor.* Quando autem non constat, vter prius obierit, vt si ambo simul moriuntur, naufragio, incendio, &c. confirmatur donatio, quia præsumitur donatorem in eadem uoluntate præmortuum esse. Habetur expresse, *l. cum hic status 33. §. si ambo, ff. de donat. inter vir. & vxor.* Quando autem coniuges non simul eodem casu perierūt, sed diuersis in locis, nec uter priùs obierit, constat: varii sunt Doctores, verior tamen sententia est, præsumptionem esse pro ipso rei donatę possessore, & ita incumbere onus probandi donatorem superuixisse ei, qui non possidet. Ita Molina *de iust. tract. 2. disp. 289* Menochius *de præsumpt. lib. 6. præsumpt 50. num. 16* Couarruuias *2. variar. cap. 7. num. 5.*

molina
menoch.
Couarr.

10 Tertia conditio, ut donatio, non excedat 500. aureos, absque insinuatione. Si enim hanc summam excedat, nec adhibeatur insinuatio requisita, *l. Sancimus*, *C. de donat.* non confirmabitur morte ut habetur expresse *l. Donationes quas parentes 25 Cod. de donat. inter uir. & uxor.* ubi subditur si tempore mortis donator confirmauerit dictam donationem excedentem 500. aureos, absque insinuatione factam, valere tunc vt legatum, quod non indiget insinuatione.

Sed dubiū, est an donatio hæc excedēs sūmam dictā, in nihilo confirmetur morte, sed penitus euanescat; an uerò solus excessus corruat? Quidam uolunt penitus euanescere, quia est defectus in re, cùm non fuerit insinuata, & in persona, cùm inter coniuges donatio non ualeat. At verius est, solùm excessum annullari, reliquam autem summam morte confirmati. Quia vtile per inutile non vitiatur, quando vtile ab inutili separari potest. Ergo cùm in hac donatione possit debita Summa, quæ est pars vtilis, separari ab excessu qui inutilis est, non debet vitiari. Ita Clarus *lib. 4. sent. v. Donatio, b. 17. vers. Sed hic incidenter*, Molina *tract. 2. disp. 289. §. Quando non præcessit*, & alii communiter.

Clarus
molina

11 Vltima conditio requisita vt donatio inualida inter coniuges morte confirmetur, est vt donans in eadem uoluntate persistat vsque ad mortem, nec tacitè, nec expressè reuocans. Habetur *capit. fin. de donat. inter vir. & vxor.*

Hinc tacitè censeretur reuocata donatio, si coniux donans rem donatam postea alienauerit: vel pignori dederit, vel speciali hypothecæ subiecerit, vt habetur expresse, *l. si maritus, C. de donat. int. vir & vxor.* Item per pignorationem generalem omnium bonorum, quando tanto prætio pignorantur, ac valent vna cum re donata. Item diuortio postea secuto ex displicentia, nisi donans voluerit expressè tunc valere. Secus si bona gratia diuortium fiat, vt causa Religionis. Item quando coniux donatarius mores mutat in præiudicium donantis: vt si vxor donataria committat adulterium, si pudicitiam luxurioso osculo violauerit, vel palpari mammas permiserit: vel probaretur fuisse in balneo cum alio viro: si pernoctarit extra domum absque causa, Porrò videtur tacitè reuocata donatio hæc, si donatarius ingratus fuisset donanti: Imò ipso iure reuocatur donatio per graues inimicitias superuenientes, secus per leues; nisi post ortas inimicitias se reconciliauerint donans, & donatarius; tunc. n. censetur remissa inimicitia, & instauratur donatio. Ita *l. cum hic status, §. Si diuortio, ff de don. inter vir & vxor.* De his vide Sanch. *de mat. lib. 6. disp. 15.* Mol *de iust. tr. 2. disp. 289.* Menochium *de præsumpt. lib. 3. præsumpt 37.*

Sanch.
molina
menoch.

12 Donatio inter coniuges inualida, dum morte confirmatur, non trahitur retrò ad tempus donationis factę quoad dominium rei donatæ, sed tantùm quoad fructus ex ea perceptor. Quod trahatur retro habetur expresse *l. Donationes quas parentes, C. de donat. inter vir & uxor.* Sed non quoad dominium. Probatur, quia expressa coniugis voluntas nequit rei donatę dominiū in coniugem transferre, dum ambo superstites erant; ergo multò minùs id poterit tacita, & præsumpta voluntas, ex qua ea donatio morte confirmatur. Quod autem retrotrahatur quoad fructus. Probatur, quia constat retrotrahi, & non quoad dominium; ergo quoad fructus. Ratio est, quia coniux donatarius possidet rem donatam alio coniuge superstite, fructus autem possessionem sequuntur. *l. si quis à non domino, Instit. de rerum diuis.* & *l. Bonæ fidei ff. de acquirend. rerum domin.* & docent Couar. *rubric. de testament. 3 part. numer 5.* Clarus *§ Donatio, quæst 9.* & alii, quos refert, & sequitur Sanchez *citat. disputat. 16.* apud quem plura de donationibus iter coniuges, de

Couar.
Clarus
Sanch

spon-

sponsalitia largitatè, & Arris. Sed hæc pauca additat sufficiant.

Vide v. Donatio *n. 5.*

D O S

S V M M A R I V M.

1 DOs dicitur, *quod ab vxore, vel alio eius nomine, marito datur ad oner a matrimony sustinenda.* puta *alendam vxorem, liberos, familiam, Canonista in c. Raynutius de testament* vnde sine matrimonio esse, aut intelligi nō potest, solutq; matrimonio à marito est restituenda; tamē quādiu matrimoniū cōsistit, fructus dotis sibi traditę lucratur maritus; imò ad ipsum dominium illius plenè transit, cum obligatione tamen tantumdem soluto matrimonio restituendi; v. g. si dos consistat in pecunia, vel alii rebus vsu consumptibilib. aut si res dotales vsu non consumptibiles, marito æstimatę traduntur non eo solo animo, vt sciatur earum valor, si fortè perditæ, vel diminutę fuerint culpa mariti, sed, ut æstimatio efficiat vēditionem; quare in his duobus casibus periculum rerum dotalium ad maritum spectat. Sylnester *v. Dos.* Molina *disp. 426. §. quando res* Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 13. n. 1. & 2.* & alii. Sylnester Molina.

2 Duæ sunt species dotis, alia est *profectitia*, & alia *aduentitia. l. Profectit. ff. de iure dotium, l. vn. §. accedit. C. de rei vxoria actione*, dos *profectitia* est, quæ à patre, vel tanquam à patre, siue auo, uel pro auo, alioue per uirilem sexum ascendente, filiamque in potestate sua habēte, profecta est, uel quæ aliàs de madato, uel nomine eorum est cōstituta: *Aduentitia* dos est, quam, uel uxor ex propriis bonis adfert, uel extraneus aliquis eidem confert, citra parentem, uel quemlibet, per uirilem sexum ascendentem, habentèmque in potestate personam dotandam.

3 Cum dos succedat loco alimentorum, tenetur pater sub mortali dotē constituere filiabus, quas matrimonio collocat; *l. qui lib. 19. ff. de ritu nupt.* etiāsi filiæ diuites sint, aut Monast. ingredi uelint, aut nubant inuito patre; aut etiam indigno: si tamen filiæ nubentes indigno, diuites sint, aut alimentis patris non indigeant, & sint minores uigintiqùinque annis, tunc parentes non possunt compelli ad dotem eis cōstituendam, quæ cum tanto familiæ dèdecore contraxerunt, *Indignus* autem coniux dicitur, cum quo alter non potest contrahere sine dedecore, iuxta usū illius religionis, v. g. si sit infamis, aut de-

prauatis moribus, aut maximè dispar diuitijs, &c. Sanch. *de matrim. li. 4. disp. 26.* & Rod. *sum 1. p. cap. 97.* Sanchez Rodrig.

4 Tenetur pater filię nubenti assignare dotem parem legitimæ; imò si legitima non sufficiat, dicunt Molina *tom. 2. tract. 2. disp. 424.* Sylnester *cit. qu. 3.* apud Sanchez *cit. lib. 4. disp. 26. numer. 8.* posse cogi vltra legitimam dotare: Sed verius est ad taxandam dotem, considerandam esse dignitatem filiæ, & mariti, quantitatem facultatum patris, numerum filiorum; vnde potest aliquando vni filiæ maiorem dotem, & alteri minorem pater tradere, habita ratione dignitatis mariti, aliarumcùmque conditionum, præcisa in contrarium legitima prohibitione. Bonacina *tom. secundo disputatione sexta quæstion. vnic. part 6. §. secundo.* Layman *cit. numer. 4.* Molina Sylnester Sanchez Bonacina Layman

5 Filia, quæ de patris consensu nupsit, cum dote minimè competente, potest augmentum petere, & tenetur pater tradere, donec ad eam perueniat quantitatem, quæ ad dotem competentem sufficiat, *leg. qui liber, 19. ff. de ritu nupt.* quia pater tenetur filias non solum in matrimonium coniungere, verùm etiam dotem competentem tradere, Sanchez *citat. numer. 4.* & alii ab ipso citati. Sanchez

6 Mater, per se loquendo, non tenetur pro filia dotem date, quia hoc est munus proprium patris, & onus à iure impositum; aliquando tamen teneretur mater dotem constituere, si filia, & pater sint inopes, mater autem diues, tunc mater sicut alere tenetur filiam, ita, & dotare: quia dos succedit loco alimentorum, immò frater in defectum ascendentium, si diues sit, sorori inopi dotem dare cogitur, saltem quæ sit instar necessariorum alimētorum, & si frater clericus sit, etiam de reditibus Ecclesiasticis, sicut potest alere, ita, & dotare, cùm causa dotis non minùs fauorabilis sit, quàm alimentorum. Molina *tract. 2. disp. 424.* Emmanuel Sa *v. Dos, num. 1.* Angelus *v. Dos, §. 5.* & alii. Molina Emm. Sa Angelus

7 Filiæ spuriæ mater non tenetur dotem constituere, pater verò tenetur, quia alimenta, & dos in iure æquiparantur, sed pater iure naturæ tenetur ad alimenta, quamuis sit clericus, ergo tenetur etiam ad dotem. Reginald. *li. 20. n. 34 & 40.* Sà *v. Parentes, num. 5.* Reginald. Sa

8 Dos constituenda est ex facultatibus patris, deducto ære alieno; restituenda tamen est post mortem illius, quatenus in præiudicium creditorum, vel aliorum liberorum data fuerat. Nauarr. *cap. 17. num 271.* Molina *cit. disp. 423.* Nauarrus Molina

9 Dos profectitia patri reddenda est, quando filia mortua fitit in potestate patris constituta, *Authent. de heredibus ab intestato, §. 1.* Rebellus *part. 2. de obligat iustit. lib. 5. quæst. 3.* Layman *cit. nu. 6.* quia licet liberi, siue descendentes, excluso ascendente auo suo succedant in reliquis defuncti parentis filiifamilias bonis, puta castrensibus, & aduentitiis, non tamen in profectitiis, hæc enim ad eum reuerti debent, à quo profecta sunt; vbi autem filia emancipata fuerit, non reuertitur dos ad patrem dotantem; cùm desinat esse profectitia, & filiæ pleno iure reqni sita sit, & ideò de illa testari, vel liberis suis, decedens ab intestato relinquere potest. *Nota* tamen si consuetudine, aut loci statuto receptum sit, vt liberi in matrimonium elocati, patria potestate egrediantur, dos ad patrem non reuertitur, sicut nec donatio propter nuptias, censetur enim aduentitia, *l. vltim. Cod. de iure dotium.* Rebellus Layman

10 Soluto matrimonio per mortem vxoris, maritus dotem aduentitiam lucratur, quando pactum intercessit de dote lucranda, quia contractus ex conuentione legem accipiunt, solent enim specialia pacta adiici contractui dotali, idem dicendum si vxor intestata decedat deficientibus liberis, & propinquis. Angelus *v. Dos, §. 13.* Syluest. *cit. q. 17.* Angelus Syluester.

11 Dotem aduentitiam lucratur maritus, ob adulterium uxoris post iudicis sententiam, *l. consensu, C. de repudiis*, similiter vxor amittit bona paraphernalia, per solos autem amplexus, & oscula non amittitur; uxor uerò lucratur donationem propter nuptias, ob adulterium mariti: in conscientiæ foro posset maritus, certus de uxoris adulterio, retinere dotem, vtendo exceptione

Tt 2 contra

contra vxorem repetentem, quia cui competit actio eidem multò magis exceptio competere debet: si autem adultera liberos habeat, post mortem matris ad ipsos proprietas dotis pertinebit. Sanchez *de matrim. lib.* 10. *disp* 8 *num.* 12. *&* 13. Rodriguez *tom.* 1. *Summ. c.* 98. *n.* 1.

Sanchez Rodrig.

12 Dotis priuilegia multa à Doctoribus recensētur. *Primò*, per dotem omnia bona mariti sunt tacitè hypothecata; immò etiam pro bonis paraphernalibus, quando ipse habet illorum bonorum administrationem. *Cod. de pact. conu. leg. vlt. c. Ex liter. de pign. Secundo*, vxor pro dote recuperanda, præponitur omnibus creditoribus, etiam prioribus, qui habent personales actiones, vel etiam tacitas hypothecas, nisi sint in simili iure, *l. assiduis, c. qui pot in pign. habe. Tertiò*, dos non perditur propter maleficium viri, etiamsi sit crimen læsæ maiestatis, *l. quisquis, Cod. ad l Iul maiest. Quartò*, quando maritus ad inopiam vergit, ex præcepto iudicis, pecunia dotalis potest dari extraneo, puta mercatori, cum pacto, vt capitale sit saluum, & de lucro percipiant vir, & vxor honestam partem, *Cod. per vest os de donat. inter vir & vxor* Alias proprietates dotis recensere superuacaneum hoc esset, quæ apud legistas, & summistas videri poterunt, de dote hæc sufficiant Theologo pro conscientia.

13 Consuetudine totius ferè mundi hodie introductum est, vt Moniales in Monasteriis non recipiantur, nisi prius sufficienter sint dotatæ. Ideò leges decreuerunt, quod Pater non solùm filiæ nubenti, verum etiam Monasterium ingredienti, congruam dotem constituat. Ita Baldus *l. final C de dotis promiss.* Et in constitutione dotis semper attenditur mos, & consuetudo regionis, & æquitas rationis naturalis, cum aliàs Moniales non possent à Monasterio sustentari; non autem quantitas patrimonii, seu legitimæ: quia dos, licet sit minor legitima, potest etiam dici congrua, si moribus recepta sit.

14 Dotem Monialium taxare quoad quantitatem ipsius, pertinet ad superiores ipsarum, sicut ad potestatem secularem, vel parentes fœminarum miserabilium spectat ordinare de dote pro ipsarum matrimonio: vnde abusus, qui in hoc esse possunt, & forsitan alicubi videntur, tolli omninò debeot à Monialium Prælatis, ad quos taxare hanc dotem, spectat. Nam cùm dos pro sustentationem Monialium assignetur, aliàs somnia committetur, si pro professione religionis offeratur, maximè necessarium est, vt fiat lex, & statutom, quo ipsa dos taxetur, ne ignaræ Monialiales inpetendis excessiuis dotibus simoniæ labe inuoluantur, & scandalum inferāt sæcularibus: ut hæc tamen taxa sit iusta, & prudentialis, secundùm loca, & tempora & personas debet præsignari, ne ipsis Monialibus in tēporalibus aliqua fraus interatur, & ne quod magis oportet, io spiritualibus aberernt, peccatum simoniæ committentes. Ita Rodrig. *tom.* 2. *qq. reg. quæst.* 48. *art.* 3. & 4 Miranda *de Sacr. Monial quæst* 8. *a.* 8. qui nouissimus aduertit posse Superiores Monialium in aliquibus casibus taxam dotium limitare, iustis concurrentibus causis, etiam insciis, & contradicentibus Monialibus, dummodò sufficiens semper remaneat quantitas pro sustentanda Moniali.

Rodriguez Miranda

15 Ex communi Ecclesiæ vsu, & consuetudine, nec non ex declarationibus multorum Summorum Pontificum in pactionibus, & conuentionibus super dote Monialium recipiendartum factis, nulla committitur simonia, dummodò fian pro sufficienti, & conguenti earum sustentatione, & non tamquam prætium. Ita D. Thomas 2. 2 *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 4. Tamburinus *de iur. Abbatiss. disp.* 5. *quæst.* 3. & alii communiter apud Tamburinum an autem hoc etiam intelligatur, quando Monasterium est locuples? Sotus *lib* 9. *de iust & iur. quæst* 6. *art.* 2. nego affirmant Suar. *de relig. tom.* 1 *lib* 4. *de Simon. cap.* 17. Tamburinus *cit num.* 3. & alij ab ipso citati, ad minus tamen sæpius erit peccatum auaritiæ, vt docet Lezana *tom.* 1. *Summ. c.* 25. *n.* 5.

D. Thom. Tambur. Sotus Suarez Lezana

16 Circa dotales Eleemosynas Monialium, extant sequentes declarationes Sacræ Congregationis.

Dos Nouitiæ intra tempus prohibitionis decedentis Monasterio iam soluta hæredibus nouitiæ est restituenda vna cum fructibus, si quos Monasterium percepisset deducto tamen victu, & vestitu.

Dos, siue dotales eleemosynæ Monialium solui debent in ære, nec assignatio bonorum stabilium, aut censum permittitur. Sacr. Congreg Episcop & Regul. *in Caraminen.* 28. *Aprilis* 1588.

Dotes, siue dotales eleemosynæ in iis locis, in quibus non adsunt mercatores, aut banchárii, deponi debent in manibus probi viri, & facultosi, qui ad omne mandatum Monialium, & absque alia exceptione eam soluturum se obliget Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. *in Caramınen* 15. *Martij* 1594.

Dotales eleemosynæ apud Monialium consanguineos vel affines nullatenus relinquātur, sed antequam puellæ habitum suscipiant, depouantur actualiter apud mercatorem, vel penes aliam personam fide, & facultatibus idoneam, vt statim professione emissa in emptionem bonorum stabilium, & annuorum redituum illico implicentur. Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in Lusitan. 6. Iunii 1615.

Ita Barbosa *in collect. Bullar. verb. Dos* Gauantus *in manuali Episcop. verb. Monialium Nouitiarum alimenta per totum*.

De dote Vide *bona paraphepnalia. Stuprum* n. 2. & sequent.

SVPPLEMMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An ante matrimonium, vel eo constante possit vxor dotem constituere viro? Et è contra.*

2 *Quando valeat constitutio dotis facta à viro vxori cōstante matrimonio.*

3 *An pater teneatur dotare filiam minorem, quæ absque consensu eius nupsit digno, vel indigno?*

4 *An parentes teneātur filias dotare, quoties illas exhæredare possunt ob causas iure permissas.*

5 *An dos constituta per virum vxori, extrahenda sit de toto hereditatis corpore, vel potius de ea parte, de qua potest maritus libere disponere?*

6 *An si viduns constituat dotem fæmina, credens eam esse Virginem, teneatur eam, si Virgo non sit restituere.*

7 *An dotis fructus pertineat ad maritum, sicut, & administratio bonorum dotalium?*

1 VXor, non tantum ante matrimonium, sed etiam eo constante potest dotem constituere viro. Probatur, quia mulier dotata à principio potest constante matrimonio augere dotem, *Institut. de donat. §. Est & aliud v. Et primis quidē*, ergo a fortiori dotē constituere poterit, quando donata nō est. Remunerat enim beneficium à viro acceptum, qui indotatam eam recepit, si post matrimonium initum, bona aliqua comparauit. Si autem vir constante matrimonio dotet vxorem, non valet ex *l Si quis vxor ff de don. inter vir. & vxor*. Ratio est quia dotem cōstituere, est donare, *l. fin. §. si à socero ff. quæ in fraud. cred.* Ita Syluester *verb. Dos, quæst.* 6. vbi Angelus *num.* 6. Armilla *num.* 8. Idem dicendum si fiat hæc dotis constitutio ante contractum matrimonium quādo datur hæc lege, ut inito matrimonio, & nō aliàs acquiratur: quia donatio inter sponsa relata in tempus matrimonii, nulla est. Si tamen vir ante initum matrimonium absolutè dotet vxorem non referendo se ad tempus contracti matrimonii, sed ita vt statim acquireret illius dominium, valet vt expresè habetur *l.* 1. *Cod. de donat. ante nuptias*.

Syluester Angelus Armilla

2 In aliquibus casibus valeat constitutio dotis vxori à viro constante matrimonio. *Primò*, quando vir exceditur ab vxore, nobilitate, vel ætatē, vel diuitiis. Vt si ignobilis, aut senex, aut ditissimus, ducat nobilē, aut iuuenculā, aut nobilem pauperimā. Ratio est, quia est donatio remuneratoria beneficii in virum collati per vxoré, quæ cum nobilis, vel iuuencula esset, non dedignata est ignobili, aut seni nubere. Ita Molina *de instit. tr.* 2. *disp.* 289. *&* 439. Couar. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3 §. 3. Amicus *tom.* 5. *disp.* 18. *sect.* 8. *n.* 127. VVadingus *de contract. disp.* 3. *dub.* 11. § 2. & alii

Molina Couarru. Amicus Vvading.

§. 2. & alii quos refert, & sequitur Diana *part. 8 tract. 6. resol.* 29. Nota tamen quòd hæc donatio per virum facta vxori causa huius excessus, licet communiter dos appellari soleat, non est verè, & propriè dos, nec priuilegiis dotis gaudet. Vt docet Lopez *2. part. de matrimonio cap.* 41. *Secundo*, si quis Virginem violarit, & ob hoc ducat eam, & docet, valebit dotis constitutio: quia non est donatio, cum ad hoc teneatur, iuxta *cap. 1. de adulter. Tertio*, quando Papa dispensaret cum duobus cõsanguineis, ea lege, vt uir vxorem pauperem dotaret, valebit dotis constitutio: quia non est donatio, sed ex causa onerosa datur, vt Põtifex dispenset. *Quarto*, quãdo uir constitueret dotem vxori, vt animi discordes concilientur cõsanguineorum vtriusque coniugis *Quinto*, si esset consuetudo, vt vir dotaret vxorem, quia cõsuetudo, vincit legem, & est altera lex. Ita Ioannes Lupus *rubric. de donat. §. 30. n.* 3. & 4. & §. 32. *numer.* 9. quem sequitur Sanchez *de matrim. lib. 6. disp.* 7.

Lopez. Lopus Sanch.

3 Si minor filia 25. annis nupsit sine consensu patris digno, & promisit doté, tenetur pater dotare. Ratio est, quia pater tenebatur eam maritare, & dotare: & sic cum ipsa se maritauerit dignorem ad quam tenebatur pater, vtiliter gessit: quia re patris gessit. Ita cõmuniter Doctores. Si auté absque patris cõsensu, & dotis promissione nupsit digno, tenetur etiam pater dotare: quia rem ad quã tenebatur pater, vtiliter gessit, licet in modo nubendi deliquerit: limita tamen, nisi filia diues sit, possitque dotem promissam, aut non promissam soluere; tunc enim licet dignissimo nubat, non tenetur pater dotare; quia ratio ipsa naturalis postulat ut filiam diuitem sprerõque patre nubenté nõ teneatur pater dotare. Quãdo auté vir, vel fœmina indignũ matrimoniũ inierunt, si ita diuites essent, vt alimenta haberent, nõ tenetur pater dotare; quia nõ uidetur æquum compellere parentes ad dotandam filiam diuitem, quæ turpi matrimonio totum familiæ decus denigrauit. Si autem alimentis carerent, tenetur pater dotare in modica quantitate conuenienti ad alimenta uitæ necessaria. Et hoc propter æquitatem naturalem, ne fame pereant. Ita Couarruuias *4. decret. 2. part. cap. 3. §. 8. n. 7. & 8.* Gutirrez *2. practic. quæst.* 1. Menochius *de præsumt. lib. 4 præsumpt. 189. num.* 60. Rodriguez *tom. 1. Summ. c.* 14. & alii.

Couarr. Gutierr. Menoch. Rodrig.

4 Quoties parentibus licet filias exhæredare ob causas iure permissas, non tenentur illas dotare. Quia alimenta, & dos in iure æquiparantur, valètque argumentum ab alimentis ad dotem, sed dum parentes possunt exheredare, nõ tenentur ad alimẽta, ergo nec ad doté. Et sicut est probabile posse parentes in hoc casu negare alimẽta etiã necessaria ad vitã, vt docét multi, ita etiam est probabile, posse omninò negare. Quia tamen verius est teneri præstare alimenta præcisè ad vitam necessaria; ita verius est teneri dotare in quantitate necessaria ad talia alimenta quando aliunde alimenta filiæ non superessent. Ita Couarruuias *loco citato, §. 6. cap. 8. num.* 17. Molina *tract. 2. disp.* 176. & alii. quos refert, & sequitur Sanchez *de mat. l. 4. disp. 26. n.* 1.

Couar. Molina. Sanch.

5 Dos quam constituit vir ignobilis, nobili, vel senex iuuenculæ, ante cõtractum matrimonium, vt effectum habeat, deducenda est ex toto hæreditatis cumulo, tanquam æs alienum, & ita minuet legitimam ascendentium, vel descendentium. Si verò constante matrimonio constituatur, nõ minuit legitimam, sed extrahitur de ea parte, de qua vir potest liberè disponere, in preiudicium ascendentium, vel descendentium. Ratio prioris est, quia ante contractum, matrimonium datur ex causa onerosa, & necessaria, & ita non est donatio, sed contractus onerosus, Do ut facias, ut sic compenset disparitatem. Ratio posterioris est, quia est donatio remuneratoria ex causa lucratiua, & uoluntaria. At donatio remuneratoria quando non est debita ex iustitiæ lege non minuit legitimam, ergo. Quando uir dotat uxorem consanguineam, eo quod Pontifex ea lege in consanguinitate, uel alio impedimento dispensauit extrahitur ea dos ex toto hereditatis cumulo. Si ratione consuetudinis id permittentis uir dotet uxorem non tamen cogentis dotare, dos extrahitur de ea parte, de qua potest uir disponere in preiudicium ascendentium, & descendentium. Si propter bonum pacis inter vtriusque consanguineos, nullo inito concordiæ pacto extrahitur dos de ea parte cuius libera dispositio conceditur viro seruata illæsa legitima. Si uero pactum iustum initur, ut gratia cedendi lite iusta, tunc esset transatio, extraheretur que de toto hæreditatis corpore. Porro si dos sit constituta per uirum uxori, eò quòd illam deflorarit casu quo tenetur eam dotare, deducitur etiam ex toto hereditatis corpore, quia tunc est debiti solutio. Ita Sanc. *de matr. l. 6. disp* 8. Sanch

6 Quidã asserunt, si uiduus fœminæ, quã ducit doté constituat, credens esse Virginem, aliter nullatenus constitutus, nec cum ad ipsam accessit, nouit Virginitatis defectum, teneri eam fœminam, quæ uere uirgo non est dotem restituere & similiter si cognito defectu dotasset non tamen ita ample teneri excessum illum restituere; si tamen tunc nouit, uitam maritalem agat censetur uir iniuriam remittere, & denuo dotare, Ita Corduba *in Summ. q.* 135. Lopez. *1 part. instruct. cap. 79. §. præterea consequenter*, Rodriquez *tom. 1. Summ. cap. 307. nu.* 12. A quorum tamen sententia recedit merito Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 27. num.* 5. Ratio est, quia uir non potest dotare uxorem ut dictum est supra, nisi ob disparitatem inter ipsos at quod uir si uiduus, & fœmina Virgo nullam disparitatem constituit, & ita hæc non est causa sufficiens dandi dotem, & perinde error huius causæ cum non sit legitima, nec substantialis, non vitiabit donationem: dicendum est ergo hanc constitutionem dotis, esse donationem probibitam inter coniuges.

Corduba. Lopez. Rodrig. Sanchez

7 Dotis fructus sibi traditæ lucratur maritus quamdiu matrimonium consistit, iuxta *l. 7. ff. de donat. inter vir. & vxorem* vbi sic habetur. *Dotis fructum ad maritũ pertinere debere æquitas suggerit cum ipse onera matrimonii subeat, æquum est, eũ etiam fructus percipere*. Vnde administrationem dotalium bonorum adeò plenam maritus habet, ut ea à quouis possessore reali etiam actione vendicare, & de ijs in iudicio contendere iure possit, iuxta *l. doce ancillam Cod. de rei vendicat.* Tamen maritus res dotales absque necessitatis casu alienare non potest, cum earum dominus propriè non existat, *l. in rebus, Cod. de iure dotium*. Imò neq; cum uxoris consensu bonorum immobile, siue dotalem fundum alienare; uel hypothecæ subiicere est marito concessum, & contractus irritus censetur *l. vnic. §. & cum lex Codic. de rei vxoria actione*. Vide Syluest. *v. Dos* apud quem plura. Syluest.

Vide v. Dominicum *num.* 14. Fiscus *num.* 12. Mutuum *nu.* 24. Religio *num.* 29. Restitutio integr. *nu* 4. Stuprum num 3.

DVBIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit dubium.*

2 *Quando dubium est, an latum sit præceptum, vel lex, num sit obligatio ad præstandum id, de quo est dubiũ.*

3 *Quando constat de lege, uel præcepto, dubium autem est an in aliquo casu eximatur ab obligatione, an teneatur lege.*

4 *Qui certus est se uouisse, dubius autem est, an animo se obligandi, uotum sit emissum, an teneatur uoto?* Referuntur duplex sententia.

5 *An in dubio iuri uel facti de homicidio, censendus sit quis irregularis.*

6 *In dubio de censuris, an teneatur aliquis se habere pro excommunicato, uel suspenso, &c.*

7 *In dubio de peccato mortali, an teneatur quilibet illud fateri in confessione pro dubio. Et an in dubio censendus sit casus reseruatus.*

8 *Qui dubitat, an sit legitimus, an possit cum aliis fratribus paternam hæreditatem diuidere.*

9 *In dubio, an aliquis expleuerit 21. annum teneatur ieiunare.*

10 *Qui dubitat num proles suscepta sit ex adulterio suo vel ex marito, an teneatur ad restitutionem*

Qui certus est de debito, dubius autem an soluerit an teneatur ad solutionem.

D. Thom. Soto Sanchez Lud. Casp. Henriquez Diana

1 DVbium, secundum mentem D. Thomæ *in 3. sen. dist.* 17. Sotis *de iust. lib. 7. quæst. 3. art.* 2. Sanchez *lib. 1. moral. c. 10. n.* 11. Lud. Caspēsis *in cursu Theolog. to. 1. t. 9. disp. 4. sect. 1. & 2.* Henriq *lib. 14 cap 4 n. 4.* Dianæ *4. p. tract. 3. resol. 1. & 2* & Philosophum, *est contrarium rationum æqualitas*, vnde propriè homo dubitat de aliquo, vel circa aliquid quando habet rationes ad vtramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter mouentes, ita quod non inclinatur ad hoc magis, quam ad illud notabiliter. Supra dictum est *verb. Conscientia*, quod, vt boni nostri actus sint, requiritatur conscientia practicè secura, & non dubia insuper admonimus, ex communi doctrina, dubiū aliud esse *speculatiuum*, aliud *practicum*: illumque, qui dubiū habet *speculatiuum*, debere in praxi formare iudicium simile speculatiuo, nisi ratione sufficienti moueatur ad variandum dubium, & ad aliter in praxi iudicandum iustam vero rationem, & causam faciendi contra dubiū speculatiuum esse possessionē, quā diximus esse titulum communem non solum in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum, posita sufficienti diligentia ad veritatem assequendam, iuxta regulam iuris, quod *in dubio melior sit conditio possidentis*. Ex qua doctrina ponimus solutionem sequentium casuum.

2 Qui post adhibitam debitam diligentiam dubitat an tale ius extet, vel an aliquid includatur sub tali præcepto; In foro externo iudicandum est in fauorem subditi possidentis suam libertatem, vnde nulla est obligatio ad præstandum id, de quo est dubium an latum sit præceptum, siue illud sit diuinum, siue humanum siue consuetudo, quæ vim legis habeat, ratio autem in promptu, est possessio stat pro subdito, qui suam possidet libertatem, & in hoc casu, lex non potest dici sufficienter proposita ad obligandum, & ideo licet practicè deponere dubium speculatiuum, & tenere se non obligari. Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 41. num.* 36 Filliucius *tract. 21. cap. 4. nu* 163. Bonacina *de restit disp. 1. q. 2. p. 2 § uncid.* Henriq. *lib. 8. c. 48. n.* 3. & alii.

Sanchez Filliucius Bonacina Henriq.

3 Quando constat de lege, vel præcepto, dubium autem est, an in aliquo casu, ratione necessitatis aut alterius circumstantiæ occurrentis, eximatur aliquis ab obligatione, tenetur lege, vel præcepto, quia possessio stat pro lege, idem dicendum quando dubitatur, an præcepto sit derogatum, alio præcepto, vel consuetudine, vel sit dispensatum in eo, vel an lex quam constat latam fuisse, fuerit acceptata, lex enim, & præceptum in his casibus seruanda sunt, cum pro ipsis stet possessio, Medina 1. 2. *quæst 96. art* 6. Caspensis *c. disp. 4 sect. 3. n.* 21. Sanchez *in Summ. lib. 1. c. 10 n.* 33 Dinana *4. p. tr. 4. resol.* 22. & alii communiter licet contraria sententia sit probabilis si post adhibitam diligentiam sufficiētem, adhuc remaneat dubium. Ita expressè Azorius *tom. 1, lib. 2. c 19 quæstione.* 12. Diana *part. 1. tr. 10. resol.* 3 Ratio est, quia in hoc casu lex seu præceptum impropriissimè dicitur possidere. Voluntas suam libertatem antea possidebat, qua in dubio explorari non debet si ea indigeat ad damnum aliquod graue vitandum.

Caspensis Sanchez Diana Hau 194.

4 Secundum probabilem quorumdam sentētiā qui certus est se vouisse dubius autem est qualitatis seu modi vouendi, seu voluntatis se obligandi, tenetur eligere quod tutius est Nau. *in consil. de voto cons. 26. n.* 2. Rodr. *1. 10. Summ. c. 94. n.* 6. quia voti interpretatio debet fieri in sensu maximè pleno, & maxime obligatorio. Probabilius tamen est, & verius fauendum esse libertati, & in hoc dubio vouentem teneri solum ad id quod minus est Suarez *cap 5. disp. 40. sect. 5. n.* 15. Diana *4 p. tract.* 13 *resol.* 10. Sanchez *de matr cit. n.* 33 Reginaldus *lib. 10. tract. 1. n.* 71. Filliucius *cit. num;* 165. quia vbi tractatur de inducenda obligatione, est facienda interpretatio stricta quod si pro uoto, uel iuramento esset opinio, & assensus cum formidine oppositi, tunc iudicandum esset pro uoto, & eius obligatione si quis autem certus est de voti valore, dubitat tamen an votum obliget ratione debitæ materię aut finis, vel alicuius circumstantiæ tunc occurrentis, tenetur voto, quia voluntas non possidet, cum certum sit sua se libertate priuasse vouendo, sed votum possidet & in simili dubio leges obligant. alii Diana *cit. resol.* 13.

Nauarra Rodriquez Suarez Diana Sanchez Reginald. Filliucius

5 In dubio de irregularitate prouenienre ex homicidio, siquidem sit dubium iuris, post adhibitam diligentiam, non est censendus quis irregularis, *cap. Is qui, de sententia excommunicationis in 6. cap. Ad Audientiam, & cap. Significasti, de homicidio*, quia non est ius apparens, & possessio est pro libertate voluntatis: si autem sit facti dubium, censendus esset irregularis, non modò in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, quia sic expressè in iure deciditur; licet contrarium doceat Henriquez *lib. 14. cap. 3. & 4 & cap. 14. num.* 3. & hoc probabile esse putat Suarez *disp. 40. sect. 2. num.* 13. vnde secundum primam sententiam qui causam dedit abortui, sed dubiū erat an fœtus esset animatus, censendus est irregularis, quia est dubiū facti in aliis autem irregularitatibus, siue sit dubium iuris, siue facti, post adhibitam sufficientem diligentiam, non debet quis se censere irregularem; quia iura omnia excepta ea quæ oritur ex homicidio, fauent aliis irregularitatibus, in dubio enim docent reum esse absoluendum Nauarrus *cap. 27. num.* 223. Suarez *disp. 40. sect. 6. n.* 8 Diana *tract. 5. misc. resol. 72. p.* 3. Caspensis *cit. disp. 4. sect. 3. n.* 16. & alii. De hoc casu vide supradicta, *v. Abortus n. 2. § An dicendus.*

Henriquez Suarez Nauarra Suarez Diana Caspensis

6 Probabile est, in dubio de censuris, scilicet, excommunicatione, suspensione, & interdicto, siue dubium sit iuris, siue facti, post adhibitam diligentiam, non teneri quempiam ad habendum se pro excommunicato, vel suspenso, &c quia, & in hoc dubio melior est conditio possidentis, at quicumque fidelis possidet ius participandi cum aliis fidelibus, in dubio ergo non debet eo priuari. Azorius tamen Suarez, Clauis Regia, & multi alii docent in dubio facti, censendum esse excommunicatū, suspensum, &c. sed primam sententiam quæ est Sanchez *in Summ. lib. 1. c. 10 n.* 55. Bonacinæ *de censur. disp. 2. q 2. p. 6. § 2. n.* 49. Filliucii *tract. 13. c. 6. q. 11 n.* 130. & aliorum tanquam probabilem recensemus. Huic etiam sententię adhærent Diana *4. p. tract. 3. resol.* 55. & alii cum Caramuel *n* 1375. *Theol. moral.*

Sanchez Bonacina Filliucius Diana Caramuel

7 Communis sententia est, in dubio de peccato mortali, siue dubium sit, an talis actio à se facta, sit culpa mortalis, siue an deliberatè consenserit actioni mortali, quemlibet teneri illud fateri in confessione pro dubio; quia in dubio, vbi dubitanti non fauet possessio, tutior pars est amplectenda; & in hoc casu possessio est pro precepto confessionis, quod in hoc dubio obligat; hinc dicendum est quòd in dubio de confessione alicuius peccati mortalis, obligationem esse iterum confiteri, nisi dubium deponatur; quia talis certus est de obligatione præcepti, & dubius an illi satisfecerit, & ideò tutior pars amplectenda. Sachez *cit. num.* 66 Nauarrus *cap. 9. num.* 14 Caspensis *cit. sect. 3. num.* 27 Suarez *tom. 4. disp. 22. sect. 9. num.* 2. Bonacina *de pœnitent. disp. 5. quæst. 7. p. 5. §.* 4. Henriquez *lib. 5. c. 4. n.* 5. Vide Dianam *4. p. tract. 3. res.* 5. & alii. Vide *Confessio* 111. *n.* 6.

Sanchez Nauarra Caspensis Suarez Bonacina Diana Henriquez

Contra hanc sententiam communem nonnulli recentiores exurgunt docentes, eum, qui dubitat an peccatum sit à se commissum, vel an peccatum commissum sit mortale, vel veniale, non teneri tale peccatum sub dubio confiteri. Si verò post tale dubium aliud Sacramentum non sumpsit, tunc teneri in articulo, vel periculo mortis aliud Sacramentum sumere, vel actum contritionis elicere, vel confiteri alia peccata certa, saltem venialia. Probant hanc sententiam ex verbis clarissimis Concilii Tridentini *sessione 14 cap. 5 Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi quam vt postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sua sinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti occurrunt, in vniuersum eadē confessione inclusa intelliguntur*. Si ergo in Ecclesia exigitur tantùm à penitentibus, vt ipsi cōfiteantur illa peccata, quibus post factā diligentiā meminerint. Igitur illa, quibus, post factā diligentiā nō meminerunt mortaliter offendisse, nō sunt necessariò cōfitenda. Insuper, si reliqua peccata, scilicet mortalia, quæ diligenter cogitanti nō occurrunt, non sunt cōfitenda, sunt inclusa in confessione, facta, in qua ipsa non fuerunt expressa; etiā peccata dubia, an sint mortalia, vel an sint cōmissa,

Conc. Trid

missa,

missa, non tenetur quis confiteri; sed sunt inclusa in confessione, in qua illa non fuerunt expressa; nam hæc post factam diligentiam adhuc dubia remanent, & consequenter occulta, & sic non occurrunt ut mortalia diligenter cogitāti. Ergo Cōcilio cōtradicit, qui aliquid aliud requiri existimat: hæ enim assertiones, *Nihil aliud a pœnitentibus exigitur, & aliquid aliud exigitur*, contradictoriæ sunt, cùm autem prior sit expressa Concilii altera sine errore clarissimo teneri non potest.

Quod verò in articulo, vel periculo mortis teneatur elicere actum contritionis, si antea non fecit, uel aliud Sacramentum, vel aliud medium iustificans sumere. Probatur, quia moribundus, tametsi non teneatur confiteri peccata dubia, non debet egredi ex hac vita sub dubio: vnusquisque enim tenetur ex lege charitatis se reddere tutum de sua salute, & sic tunc contra charitatem ageret exponēdo se periculo probabili damnationis. Pro hac sententia citatur Henriquez *li.8. de Euch c.45. n.3 in gloss. li. 1. P.* Coninch. *tract. 2. disp. 7. a. 10. 8. n. 68.* Layman *lib. 1. tract 1 c. 4. §. 4. num.* 37. Bauny *in Theolog. Moral tract. 5 de pœnit. q. 3.* Præpositus *de confess. q 3. dub. 3. nu. n.* 117. Amicus *de pœnit. disp. 13. sect. 3. nu. 55.* Caramuel *li. 3. Theol. Moral. disp. 4. nu. 148. & seq.* Iosephus de Ianuario *in resol. variis resol.* 20 His tamen non obstantibus a communi sententia non est recedendum, quæ fūdatur in vsu, & praxi totius Ecclesię, cuius initium non agnoscitur quare credendum est ab ipsis Apostolis promanasse, ut docet Lugo *de pœnit. disp* 16. *sect. 2. §. 3. n* 63.

Henriq. Coninch Layman Bauny Præpositus Amicus Caramuel Ioseph de Ianuario

Lugo

In dubio autem, an casus sit reseruatus, siue dubium illud sit iuris, siue facti, secundùm Suarez, Sanchez, Bonacinam, Filliucium, & alios citatos *v. Casus reseruatus, n* 23. censeri potest non esse reseruatum; quia delictū dubium non est delictum simpliciter, sed secundùm quid at reseruatio cùm sit odiosa, tantùm continet delicta simpliciter, & absolutè talia: excipe tamen, nisi aliter in iure decernatur in aliquo casu, aut nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium de reseruatione facti. Vide Caram. *li. 3. Theol. moral. n.* 1330. & infra *v. Ignorans n.* 7.

Caramuel

8 Qui dubitat, adhibita priùs debita diligentia ad assequendam ueritatem, an sit legitimus, potest cum aliis fratribus paternam hæreditatem diuidere, quia possessio illi fauet, & in foro externo non priuabitur hæreditate, cùm idem iudicium sit fori externi, & interni quando forum externum non nititur falsa præsumptione. Clauis Regia *lib. 16. c 13. num.* 19. Vasquez 1. 2 *disp. 66. c.* 8. Diana 4 *p. tract. 3. resol. 6.*

Clauis Reg. Vasquez Diana

9 In dubio an aliquis expleuerit uigesimum primum annum, post adhibitam sufficientem diligentiam, non tenetur ieiunare ex præcepto Ecclesiæ, nam possidet suam libertatem, & præceptum ieiunii nondum dicitur esse in possessione respectu ipsius: è contrario quando, quis dubitat, an peruenerit ad annos requisitos ad recipiendos ordines, uel beneficia, non est admittendus ad beneficia, uel ordines, quia possessio suffragatur præcepto Ecclesię requirentis legitimam ætatem iure præscriptam. Sanchez *de matrim. li. 2. disp. 41. num.* 38. Bonacina *de restit. disp. 1. q. 2. p 2 § incid num.* 11. Sancius *in select. disp. 54. n* 5. Caramuel *lib. 3. Theol. mor. n.* 1354. Diana 4. *p tract. 3 resol.* 21. Caspensis *cit. sect.* 3 *n.* 4

Sanchez Bonacina Sancius Caramuel Diana Caspensis

10 Qui post commissum adulterium, dubitat an proles suscepta, sua sit, uel mariti adulteræ, non tenetur ad restitutionem, sed potest credere prolem esse mariti adulteræ Azorius 3 *p. lib. 5. c. 6. q.* 8 Henriquez *l* 11. *c.* 21 *n* 2. Lessius *li. 2. c. 10. disp. 6. num* 40. Molina *disp.* 101. *num.* 3. quia possessio stat pro matrimonio, cuius fauor præualet, & ideò præsumendum est prolem susceptam esse ex vero matrimonio; præterea adulter dubitans an proles sit sua possidet suam libertatem, & pecuniam: & hoc uerum quamuis mater iuramento confirmet filium esse adulteri. Vt dictum est supra *v. Adulterium n.* 3.

Azorius Henriquez Lessius Molina

Sed petes, an qui certus est de debito, uel de mutuo, dubiis autem an soluerit, teneatur ad solutionem? Respond. affirmatiuè; quia alias ius dubium vinceret ius certum, cum enim certus sit de debito, uel de mutui acceptione, ac proinde creditor, ius certum habeat, & solum debitor, uel mutuatarius dubitet de solutione, & exinde tantùm habeat ius dubium ad non satisfaciendum, procul dubio si non satisfaceret, ius incertum uinceret ius certum, quod admitti non debet. Vide Vasquez 1. 2. *disp* 66 *art. 7. n.* 43. Caramuel *lib* 3. *Theolog. moral. n.* 1370. Sancium *in select. disp.* 43 *num.* 9. Debitor però dubius de debito, nihil debet soluere; quia ante debitum dubium, erat certa libertas ergo standum pro possessione libertatis.

Vasquez Caramuel Sancius

Si autem debitor, & creditor certi sint de contractione debiti, & dubii de solutione, non tenetur debitor ad integram solutionem, sed ad partem secundùm dubii proportionem: quia æquitas non patitur ut debitor sine culpa sua magno periculo subiiciatur bis soluendi integrum debitum, creditor autem, qui, & ipse tale dubium non diffitetur nullo periculo expositus sit. Ita Layman *l. 1. tract. 2. c. 5 § 4. n.* 42. probabiliter, quem sequitur Diana *p. 4. tr. 3. resol.* 32. Nihilominus probabile etiam est in hoc casu debitorem teneri ad integram solutionem Ratio est, quando debitum fuit certum, solutione in opinione debitoris dubia non eliditur, sed manet in sua possessione, at qui nec elidetur si, & creditor de solutione dubitet: quia semper manebit debitum certum, & dubia solutio. Tum quia in dubio factum non præsumitur. Ita Merolla *to. 1. disp. 3 c. 3. dub. 2. n.* 65. cui subscribit Caramuel *cit num.* 1371.

Layman Diana

Merolla Caramuel

De Dubio uide *v. Sponsalia* 3. numer. 19 *Casus reseruatus* num. 23. 24. 25. *Causa* num 2. *Communio Sacra* num. 27 & 46. *§. petes quinto. Confessarius* 2. num. 25 26. *Conscientia* num. 23 & seq. *Correptio* numer. 8 *Debitum coniugale* 1. numer. 17 18. 19. *Dispensatio* num. 12. *Excommunicatio* 3. num 27. *Gabella* num. 9. *Hæresis* num. 3 *Ieiunium* 2. num. 11. *Irregularitas* 1. nu. 9. 10. *Iudicium temerarium* numer. 7. 8. *Iuramentum* 4. numer 6. *Lex* 2. numer. 10 *Lex* 5. num. 4. *Matrimonium* 7. num. 80. *Præscriptio* num. 5 *Reus* num. 2. *Restitutio* 2. num 4. 5. 6. 7. *Votum* 2. num 7. *Votum* 3. num. 6. *Votum* 7. num. 21. *Ordo* 111. num. 7

SVPPLEMENTVM

SVMMARIVM.

1 *An illa dua regula*. In dubiis melior est conditio possidentis. *Et in dubiis tutior pars est eligenda, sint inter se contraria.*

2 *An quando ex utraque parte concurrunt opiniones probabiles, teneamur sequi opinionem quæ possessioni fauet?*

3 *Dubium quando superuenit bona fide possidenti an res aliena, ad quid teneatur?*

4 *An conditio possidentis in materia aliarum uirtutum extra iustitiam sit melior?* Refertur duplex sententia.

5 *Possessor dubius ad quid teneatur?*

6 *In æquali dubio iuris partis utriusque ad quid teneatur Iudex.*

7 *In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet: & quando factum in dubio præsumatur, si illud de iure faciendum erat.*

8 *Ex quibus dignosci ualeat in dubio, quis possideat?*

9 *Dubium aliud est iuris, aliud facti.*

10 *In dubio de iustitia belli, an milites possint licitè bellare?* Refertur duplex sententia.

11 *Dubium quando est de legitima Prælati potestate, an liceat ei non obedire?*

12 *Dubius, an uotum emiserit habens usum rationis teneatur uoto?* Refertur duplex sententia.

13 *Dubium quando est, num præceptum sit derogatum alio præcepto, uel consuetudines, an liceat contra præceptum facere?* Refertur duplex sententia.

14 *An in dubiis sit locus Epicheiæ, vel sint seruanda verba legis, ut sonant?* Refertur duplex sententia.

15 *Dubius depositarius, uel commodatarius, num res sit culpa sua amissa, an teneatur restituere.*

16 *Dubius, num promiserit solum ingredi Religionem aut profiteri, an teneatur perseuerare in Religione.*

17 *Dubius an uouerit castitatem independenter a Religione, an teneatur illam seruare.*

18 *In dubio de ualore uoti, an censeatur reseruatum?*

19 *Dubium quando est, an quis propositum solum aliquid faciendi habuerit, an potius uotum ediderit, quatuor regulæ traduntur.*

20 *Ad quid teneatur uouens, quando res singularis uouetur, sed nescitur utra ex duabus, aut perit altera?*

21 *An in dubio de ualore matrimonii liceat coniugibus deponere dubium speculatiuum, nec practicè dubitare, & ita debitum petere, & reddere?* Refertur duplex sententia,

22 *Cum utrque coniux dubitat de valore matrimonii bona fide contracti, an liceat utrique petere, & reddere?*

23 *An quando vterque coniux matrimon. contraxit dubius de morte prioris coniugis, possit matrimonio uti siue petendo, siue reddendo.*

1 QVidam putant illas duas regulas: *In dubiis melior est conditio possidentis*, & *In dubiis tutior pars est eligenda*, esse diuersas, & contrarias taliter, quod dum una intrat alia expellatur, seu extinguatur. Sed dicendum est non esse contrarias, sed potius quòd una est explicatiua alterius, & mutuò sese iuuant, tali ratione, quòd quoties adest regula *Melior est conditio possidentis*, adsit, & alia. *Tutior pars est eligenda*. Nam quotiescumque quis possidenti fauet partē sequitur tutiorē, & si tūc quis partem tutiorē sequitur quando ex sequela illius nullū generetur peccatum, & ex contrario oriretur, certè fauendo possessioni possidentis, nullus peccabit: imò peccaret si fauere desisteret. Ex quo fit, quòd si aliquando præceptum sit in possessione obligandi, cùm tunc melior sit conditio præcepti, & sit illi fauendum: tutior etiā pars erit sequi præceptum, quàm è contra. Ex hoc fuerunt decepti Doctores dum putarent sequi quēpiam partem tutiorem, quando adimpletur præceptū, & possessio libertatis postponitur. At non considerarunt quod si præceptum est in possessione obligandi libertas non erit in possessione. Et ita consequenter semper coincidunt: & mutuò se iuuant illæ regulæ, taliter quod si quis uelit cognoscere, quando sit seruanda Regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*, respicere etiam debeat ad aliam: *in dubiis melior est conditio possidentis*. Et hoc modo quem inuenerit aliquis possidentem, tueri debet; quo facto, tutiorem sequetur partem.
Sanchez
Sancius,
Est enim regula illa, *Melior est conditio possidentis*, mensura seu regula alterius, *in dubiis tutior pars est eligenda*, Vide Sanchez *de matri. lib. 2. disp. 41. n 9. & 32.* Sancium *in select. disp. 42. num. 13.*

2 Quando ex utraque parte concurrunt opiniones probabiles, nulla adest obligatio sequendi opinionem, quæ fauet possessioni. Ratio est, quia cùm vtraq; opinio sit probabilis, vtraque etiam est eligibilis, vt recta regula operandi; neque possessio facit, vt teneamur eligere, quæ ipsi fauet quia non obligamur ad eam manutenendam, nisi in uirtute opinionum, quod sit regula operandi, & proinde possessio dependet ab opinione, non autem eligibilitas opinionis à possessione. Quādo autē dicitur, quod melior est conditio possidentis, intelligitur in dubiis, ut habet regula iuris, quando autem hinc inde concurrunt opiniones probabiles, non sumus in dubiis, sed in probabilibus; vnde qui eligit unam, aut alteram opinionem, nō est dubius, sed probabiliter iudicat. Deinde melior est
Sanchez
Villalobos
conditio possidentis in dubiis dubietate facti, non dubietate iuris, quia possessio est sufficiens titulus continuandi possessionem, quando sumus in dubiis, ad quemnam spectet res possessa. Ita Sanchez *de matr. li. 2. disp. 41. n.* 30 Villalobos *to. Summ. tract. 1. diffic. 9.*

3 Incipiens bona fide possidere, si dubium superueniat an res sit aliena, tenetur diligentiam adhibere, vt ueritatem assequatur, eàque præmissa, nec ueritate detecta, potest ratione possessionis retinere, & practicè nō dubitare, non obstāti dubio speculatiuo, an res sit sua. Ratio est, tum quia in pari causa porior est possidentis conditio. *Reg. in pari 65. de reg. iur. in 6.* Tum quia in foro externo ueritate cognita, protegetur hic in sua possessione, nec aliquid restituere compelletur; ergo, & in foro interno; quia iudicia hęc, diuersa non sunt, nisi quando externum præsumptione ducitur, internum autem ueritatem nouit in hoc autem casu in vtroque foro res est dubia. Ita tenent Victoria *de iure belli dub. 3. propos. 4. num. 3.* Couar. *reg. Possessor. 2 part. §. 7. numer 4.* Bannez *secunda secundæ, quæst. 62 artic. sextò dub. 5. conclusion. 4.* & alii communiter.
Victoria
Couar.
Bannez

4 Quidam negant in materia aliarum virtutum extra iustitiam, meliorem esse in dubio conditionem possidentis, atque ita ratione possessionis licitum esse practicè deponere dubium speculatiuum, & contra illud operari. Ratio illorum est, quia nihil prodest libertatis possessio dubitanti, an ratione temperantiæ, Religionis, uel aliarum virtutum, teneatur, ad hoc, vel ad illud, quia aliàs in dubio nullum præceptum obligaret, cum semper conditio, possidentis libertatem potior esset. Et exinde inferunt, quod si quis dubitet, an emiserit uotum, teneri eum adimplere: quia cum conditio possidentis non sit melior in materia Religionis, & ex alia parte stet Regula, *Quod in dubiis tutior pars sit eligenda* tenebitur adimplere uotū
Vasques
Gasp. Hur
Filliucius.
ne se exponat periculo fractionis. Ita Vasquez 1. 2. *disp.* 65 & 66. Hurtadò *de matrim. disp. 10. diffic. 9. n. 43.* & reputat probabile Filliucius *tr. 21. c. 4. n. 164.* Verius tamen est in quacumque materia potiorem esse in dubio possidentis conditionem; quia possessio est titulus vniuersalis omnibus uirtutibus, eo modo quo aliqua pars potentialis iustitiæ ut obedientia Dei transcendit omnes virtutes. Ita Suarez *to. 2. de relig li. 4. c. 5 n. 7.* Garzias *to. 2. de benefic. p. 7. c. 2. n. 14* Filliucius *tr. 21. c. 4. n. 165*; Sanchez *de matr. li. 1. disp. 9 num. 11* Malderus 1. 2. *disp. 87.* Imò Ioannes Sancius *in select. disp. 42. n. 8.* docet illum qui habet possessionem in materia aliarum virtutum, habere possessionem ex iustitia. Vnde coincidunt in unum, & idem possessio in aliis uirtutibus, & possessio in iustitia, solum autem differunt, quod possessio in aliis virtutibus habet se ut materia, & res possessa respectu iustitiæ, de hac quęst. Vide Dianam *p. 4. tract. 3. resol. 2.*
Suarez
Garzias
filliucius
sanchez
malderus
Sancius

5 Possessor omittens facere quod in se est, ut ueritatē assequatur, si omissio causa sit ne veritas possit in posterum deprehendi, aut saltem non tam bene, tenetur restituere prudentis arbitrio alteri, de quo dubitat, uel eo ignoto, pauperibus, quantum alterius intereat ueritatem detegi, plus uel minus, iuxta qualitatem spei, quæ erat ueritatem assequendi. Et si postquam culpa omisit debitam diligentiam appareat rem esse alienam, tenetur ex tunc fructus restituere: quia ex tunc ob diligentiæ omissionem, fuit possessor malæ fidei, Tum quia ea omissio fuit iniusta, & est uerisimile damnum intulisse, cùm probabile sit diligentia adhibita fore, ut dominus compareret. Ita Molina *de iustit. tract. 4. disput. 36.* & alii.
Molina.

6 In æquali dubio iuris utriusque partis, tenetur iudex possidenti fauere, nec ipsum potest cogere ut partem restituat; quia in hoc dubio possidens habet ius retinendi, si neuter possideat restituenda est res inter eos, de quibus dubitatur cuiusnam sit. Si autem dubium æquale nō sit inter eos: diuidenda est res iuxta dubii proportione. Si uerò res indiuidua sit, ut seruus, forte est alteri applicanda uel uni res, alteri uerò æstimatio & hoc utriusque consensu definiendum est. Quia cum ius utriusque æquale sit, non est cur potius huic seruus, illi uerò æstimatio detur. Ita Salon 2. 2. q 61 *tract. de dominio ad finem*, Petrus Nauarra *lib. 4. de rest. c. 2. in 2. edit. dub. 8. nu. 50.* Arragon 2-2 *q 62. art. 5. in solut ad 3.* Caietanus *ibidem.* Vide quæ diximus in hac quæstione *tom. 1. v Restitutio, 2 num. 4. & seq.*
Salon
P. Nauar.
Arragon.
Caietan.

7 Dubium, aut quæstio facti dicitur, quæ est circa facti, aut cuiuscumque operis naturam, conditionem, aut modum. Factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet, ut colligitur ex *l. in bello, §. facta, ff. de captiuis* Cui affine est quod dicitur *in l 2. ff. de probation.* Et incumbit probatio qui dicit, seu affirmat aliquid factum non qui negat. Nisi præsumptio potius sit pro affirmante, factum aliquid fuisse. Iuxta alteram regulā, *Factum in dubio præsumitur si illud de iure faciendum erat* Quia magis est, ut existimemus aliquem munus suum rectè obiisse, atque in eo quod egit nihil necessarium omisisse: Delictum, & defectus non præsumitur, sed demonstrari debet. Exinde resoluuntur sequentes casus.

In dubio, num uotum Deo feceris, uel homini aliquid promise.

promiſeris, non debes cenſeri obligatus; nam factum in dubio non præſumitur, ſed demonſtrari debet; & ſpeciatim in hoc caſu uinculum, ſiue obligatio uoti, & promiſſionis aſtruenda non eſt, niſi liquido cognoſcatur. Vnde regula fori externi, quod *Nemo ſoluere cogitur, antequã monſtretur eſſe debitor*, etiam in hoc animæ iudicio locum habere debet. Neque eſt omnino improbabile, non obligari voto neque promiſſione, etiam magis quis inclinaret in eam partem, quòd vouiſſet vel promiſiſſet, dum tamen incertus manet. Ita Sanchez *li. 1 cap. 20 n.* 36. Emman Sà *v. Dubium num.* 2. Sotus *de iuſt. lib. 7. q. 3. art. 2. document.* 2. Tum quia in his caſibus nulla ſit poſſeſſio pro voto uel promiſſione, ſed tota pro voluntatis libertate.

Sanch. Eman. Sa Sotus

Si dubium ſit, num pubes fuerit adoleſcens, cum Religionem vouit, à patre, vel tutore votum irritari poteſt; nam hæc ætatis mutatio eſt, quid facti: quod non præſumitur, niſi probetur.

8 Regula, ex qua dignoſci ualeat quis poſſideat, vt inde ſciri poſſit, cuius ſit potior conditio ad obligationem inducendam, ea ve liberandum, hæc eſt.

Attendendum eſt in hoc dubio, pro quo ſtet in foro externo præſumptio, & dum non cõſtat de veritate, ea pars, pro qua eſt præſumptio, cenſebitur poſſidere, & præualebit in utroque foro. Quare ſi præſumptio fori externi ſtet pro obligatione, tenebitur voluntas; ſi autem ſtet pro voluntatis libertate, non tenebitur. Probatur, quia iura nihil abſque iuſta cauſa præſumunt, ne præſumptio iniqua, ac temeraria ſit. At ſi in eo dubio obligatio, pro qua ſtat præſumptio, non præponderaret, temerariè, & abſque iuſta cauſa præſumeretur. Tum quia præſumptio iuris eſt veriſimilitudo quædam ſufficiens ad rẽ dubiam credendam; vel eſt probabilis coniectura ex certo ſigno proueniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur, donec aduerſarius oppoſitum probet, in quẽ id probandi onus transfertur. Ergo dum ſtat hæc iuris præſumptio in eo dubio pro obligatione, nec dubitans poteſt contrarium aſſenſum habere, & ſic ſe onerare erit ſuſtinenda obligatio tanquam uera. Exempla ſunt. Quando olim ſponſalia in matrimonium tranſibant copula habita animo coniugali iuxta *cap. Is qui fidem ſponſal.* ſi dubius erat ſponſus, an animo coniugali an potius fornicario acceſſerit, ſtandum eſt in vtroque foro præſumptioni fori externi animum coniugalem præſumentis, & ita uerum eſſe matrimonium.

Item, nemo dubitabit filium habitum ex coniugata habitanti cum viro, quantumuis adultera, & alterius concubina ſit, cenſeri in dubio habitum ex uero, ac proinde legitimum in vtroque foro illius hæredem, eo quòd ius in eo euentu ita præſumit, niſi contrarium probetur.

Item quando dubia eſt teſtatoris voluntas, ſeruanda eſt in utroque foro præſumptio fori externi; atque ita dum in eo valor legati præſumitur, nec id compenſari cum alio debito teſtatoris erga legatarium, poteſt tuta conſcientia legatarius capere id legatum, ac ſuum debitum recuperare. Hanc regulam tradunt Sotus *de iuſt. lib. 7. q. 3. art. 2.* Arragon 2. 2. *q. 88. ar. 9. notab. 2.* Menochius *de præſumpt. l. 4. præſumpt. 83. n* 62 Molina *de iuſt. diſp.* 196. Sanchez *in uariis locis, lib. 1. de matrim. diſp.* 18 *nu.* 6. & *lib. 5. diſp 3. n.* 15. & *lib. 1. Moral. cap.* 10 *n.* 13. & alii.

Sotus Arragon. Menoch. Molina

9 Dubium aliud eſt iuris, & aliud facti. Dubium iuris dicitur, quod eſt de obligatione, aut facultate legitima agendi, vel de legitimo actus valore. Diuiditur in merè ſpeculatiuum, ac practicum. Dubium iuris merè ſpeculatiuum cenſetur, in quo directè non quæritur de praxi, id eſt, humana actione, vtrum ea licita ſit nec ne, ſed de quodam alio legitimo, v. g. vtrum teſtamentum ſit legitimũ? vtrum bellum ſit iuſtum, &c. Dubium iuris practicum, eſt, in quo directè quæritur de praxi, ſeu actione morali, num ea licita ſit: & hoc dubium quoddam eſt generale, & abſtractum, vt cùm dubitatur, an liceat die Feſto bellare, piſcari, &c. Alterum eſt dubium practicè practicum cùm in particulari dubitatur, an hic, & nunc mihi liceat die Feſto bellare, piſcari, &c.

Dubium facti dicitur, in quo dubitatur, vtrum aliquid factum ſit, necne, v. g. vtrum votum editum? vtrũ baptiſmus homini collatus, &c. Ex dubio facti plerumque oritur dubium iuris; verbi gratia dubitans an votum emiſerit, mox dubitare incipit, an eo obligetur. Similiter ex dubio iuris merè ſpeculatiuo ſæpè oritur dubium practicum, verbi gratia, dubitans vtrum matrimonium à ſe cõtractũ fuerit validũ mox dubitare incipit, num eius vſus licitus ſit, nec nè. Huius diſtinctionis auctor primus Caietanus *opuſc. 17. reſponſionum reſpõſ. 13. dub. 7* & 1. 2. *quæſt. 57. a. 5. ad 3.* & poſtmodum multi Doctores eam amplexati ſunt, vt Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 41 nu. 4. & l. 1. moral. c. 9. n. 3.* Nauar. *in manual præl. c. 9. n. 9.* Couar. *reg. poſſeſſor part. 2. ſ. 7. n. 5 & alij.*

Caietanus Sanch. Nauar.

10 Quidam ſentiunt in dubio de iuſtitia belli poſſe militem bellare, ſiue ſit ſubditus Principis bellum indicentis, ſiue non. Ratio eſt, quia dum de iuſtitia, ſemper præſumendum eſt pro Principe bellum indicente. Tum quia aduocatus etiam in cauſa dubia vtriuis parti patrocinari poteſt, & famulus ſeruire poteſt domino exercenti contractus ſpeculatiue dubios. Tum quia quamdiu miles etiam extraneus ſeu voluntarius certus non eſt de iuſtitia belli, non peccat, imò tenetur cogitare Regem illum iuſtitiam habere, aliàs peccato temerarij iudicij eſſet obnoxius, cùm condemnet eum, quem ſine certis indiciis iniuſtè bellare exiſtimat, in dubio enim peccato proximi, etiam mihi non Superioris, non licet certam ferre ſententiam de malo, atque peccato. Vnde quamdiu dubitatio probabilis manet, de neutra exercitus parte poſſum iuſtè iudicare, ſed cogitare, teneor, vtrum que iuſtè bellare in ſua mente, laborareque ignorantia probabili, quia ſcilicet vterque videtur ius habere, & iuſtitiã. Ita probabiliter Petrus Nauarrus *de reſt. lib. 2. cap. 2. p. 2. dub 12. num.* 260. Salas 1. 2. *qu. 21. tract. 8. diſp. 2. ſect. 26. numer.* 273. Suarez *tract. de charitate, diſput. 13. ſect. 6. num* 11. & 12. Vbi pro firmanda hac opinione, ſex validiſſimas rationes adducit. Communior tamen ſententia diſtinguit, nam ſi milites ſint ſubditi Principis indicentis bellum procedere: ſecus autem ſi non ſint ſubditi. Ratio eſt, quia in dubio, & vbi contrarium apertè non conſtat, ſubditi licitè acquieſcunt ſui Superioris iudicio: cæteri verò, qui non ſunt ſubditi, communi lege tenentur ad examinandam honeſtatem actionum quas aggrediuntur. Ita Syluius 2. 2 *q. 40. art. 1. quæſit. 4. conc. 5. & 6.* Malderus *ibidem dub* 3. Sanchez *lib. 6. moral. cap. 3. numer.* 15. Diana *part 4. tract 3. reſol. 7.* & alii multi penes ipſos.

P. Nauar. Salas

Suarez

Syluius Malderus Sanchez Diana

11 Quando dubium eſt de legitima Prælati poteſtate v. g. ſi dubitetur, an legitimè electus vel confirmatus ſit, & nondum eſt talis in poſſeſſione ſuperioritatis, tunc licet ei non obedire, donec certò id conſtet, quia cùm talis non poſſideat, ſtandum eſt pro libertatis poſſeſſione, imò denegari poſſet poſſeſſio donec de legitima actione, aut confirmatione conſtaret.

Quando autem eſſet in poſſeſſione Superioritatis, nõ poteſt ob ſolum dubiũ ſpoliari legitima poſſeſſione, denegando ei obedientiam, donec certus ſit defectus. Sicut coniux dubitans de ualore ſui matrimonii, dubitat etiam an alter habeat poteſtatem in ſuum corpus, & tamen quia alter habet legitimam poſſeſſionem, nequit ipſum ea ſpoliare denegando illi debitum ob id dubium donec id ſibi certum ſit. Ita Sanchez probabiliter *lib. 6. moral c. 3. n.* 29. Non eſt tamen improbabilis contraria ſententia aſſeres quãdo dubitatur de legitimi Superioris poteſtate, non teneri ſubditum obedire, idem dicendũ quando adſunt diuerſæ opiniones probabiles; quia ſubditus tunc habet obligationem obediendi Prælato, quando Prælatus habet ius; & poteſtatem præcipiendi, ſed in caſu eſt dubium de eius poteſtate legitima. Ita Vaſquez 1. 2 *q. 16. art. 6. diſp. 62. c. 6.* Salas 1. 2. *q. 21. tract. 8. diſput. vnic. ſect. 8 num* 58

12 Qui dubius eſt, an votum emiſerit habens vſum rationis, tenetur ad votum, quando dubium oritur ex deliberationis defectu ob aliquam animi perturbationẽ, vel ob metum mortis ex morbo, aut ob iracundiæ calorem: Ratio eſt, quia in his caſibus raro cõtingit defectus deliberationis requiſitæ, & ideò communiter accidentibus præſumitur deliberationem debitam adfuiſſe, & in dubijs tutior pars eſt eligenda. Ita Suarez *de relig. tom. 2 l. 4. c 6. num.* 10. & alij. Quando autem defectus deliberationis oritur ex reuera vouẽtis ætate, & vouens ſeptenniũ expleuerat tempore voti emiſſi, iuxta quoſdã præſumendus eſt

dus est in eo dubio vsus rationis, ac proinde obligabit votum, seu iuramentum: si autem non expleuerat, præsumitur defectus vsus rationis, nisi de illo constet, ac proinde non obligabit. Quod si dubium sit an expleuerat, vel ne, in voti fauorem præsumendum: est quia de illo constat, excusatio autem dubia est. Ita Sanchez *l. 4. moral. c. 1. n.* 14. Quamuis contraria sententia Soti *de iustit. lib. 7. q. 3. artic. 2. document. 1.* Dianæ *part. 4. tract. 3. resol.* 11. & aliorum sit etiam probabilis, nempe dubitantem puerum de rationis vsu dum venit, minimè voto teneri. Cæterum quamuis ex vi circumstantiæ ætatis votum factum post septennium præsumatur validum, quia præsumit ius tunc vsum rationis; Nihilominus tot esse possunt in contrarium coniecturæ, vt præualeant contra præsumptionem ætatis, & tunc votum non obligabit.

Sanchez
Soto
Diana

13 Quando dubitatur an præceptum sit derogatũ alio præcepto, vel consuetudine vel sit dispensatum, non licet cõtra præceptũ facere, quia lex possidet. Et idem dicendũ quando constat de lege, vel præcepto, dubium autẽ est, an in aliquo casu ratione necessitatis, aut alterius circunstãtiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione illius: tenetur lege, vel præcepto, cùm lex possideat. Ita Sanchez *de matr. li. 2. disp* 41. *n.* 37. Suar. *de leg. lib. 6. c. 8. n. 7.* Medina 1. 2. *q. 96. art. 6. proposit.* 3. & alii communiter. Hanc sententiam reiicit Salas. *in tom. 2. tract. 8. disp. vnic. sect.* 25 *n.* 259. dicens in hoc casu præceptum, vel legem improprissimè censeri possidere. Voluntas enim suam libertatem antea possidebat, quam dubio expoliari non debet, si ea indigeat ad damnum aliquod graue vitandum, & sic limitari debent Doctores, dicentes in dubio præcepti circa qualitatem materiæ ipsius esse seruandum esse præceptum, vel intelligendi sunt in dubio complere practico, & strictè sumpto. Hæc ille. Sed ne recede à communi sententia.

Sanchez
Suarez
Medina
Salas

14 Quorundam satis probabilis opinio est, dubiis non esse locum Epicheiæ, sed seruanda esse verba legis, vt sonant: quia ipsa lex possidet, & propter dubium non debet sua possessione priuari. Epicheia namque cùm virtus sit non debet iniustè possessorem sua possessione spoliare. Iniustum enim esset Epicheiam dictare ius dubium præferendum esse iuri certo. Et consequenter dictare non potest, legem aliquam certò positam existente dubietate, num se extendat ad aliquem casum, debere cessare, spoliando illam sua possessione, & introducendo hominem in possessionem libertatis Ita Sancius *in select. disp. 43. n. 9.* Suarez *de legib. lib. 6. cap. 8. n.* 10. Sanchez *de matrim. lib. 2 disp. 41 n. 37.* Sotus *de iust lib. 1. quæst. 6. art* 8. & alii. Vnde in hoc casu, iuxta hanc sententiam recurrendum est à superiorem, vt declaret si voluerit ad illum casum legem suam extendere. Nonnulli tamen arbitrantur non improbabiliter prædictos Doctores esse exponendos, quando nulla est necessitas operandi cum illo dubio, vel quando dubium est completè practicum, & strictè sumptum: contra tale enim dubium non licet agere, secùs in dubio speculatiuo, & in completè practico. Ratio est, & quia quando dubito rationabiliter, an Superior velit me obligare, possum sequi partem minus tutam ad vitandum notabilem incommoditatem. Æquitas enim, & Epicheia suadet temperandum legis rigorẽ dubio, iuxta præsumptam intentionem legislatoris: quia in dubio melior est conditio possidentis innocentiam suam. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 3 num. 3. in gloss. litt.* X. & post illum Salas *in 1-2. tom. 2. tract. 8. disp vnic. sect.* 25. *n.* 260. Pro hac sententia citatur etiam Syluester. *v. Papa qu.* 16 *dict.* 2 vbi ait. Interpretari præcepta in manifestis pertinet ad omnes: in dubiis verò ad superiores quod limita, si commodè possunt haberi: aliàs secus, ut cùm in repentinis periculum est in mora Et *verb. Dispensatio, q.* 3. ait. Dico, quod in legibus dispensare, uel eas interpretari pertinet ad quemlibet in necessitate subditò occurrente: præcipuè cum ad superiorem recursus haberi non potest, *capit. si ergo* 1. *q.* 1. quia in obseruatione legis aut præcepti maximè seruanda est intentio ferentis de qua si constet & sit contraria uerbis, obediendum omissa littera, *cap. humanæ* 22. *quæst* 5. Proinde manet hæc sententia etiam probabilis, quamuis Doctores primæ sententiæ dicant intelligendos hos posteriores afferentes in dubiis esse locum Epicheiæ, non de dubio æquilibri, sed de formidine, quando scilicet est probabile iudicium, licet cum formidine opposita.

Sancius
Suarez
Sanchez
Sotus

Henriquez
Sotus
Syluester

15 Quando depositarius, vel commodatarius dubius est an res sit sua culpa amissa, nõ tenetur restituere: quia cum delictum non præsumatur, ipse est in possessione suę incontinentiæ, in foro tamen externo, si res depositarii appareant incolumes, præsumeretur in dolo, & sic depositario incũbit onus probandi casu periisse, vel non potuisse simul seruare res suas, & dispositas, ob imminẽs incendium, vel ex alia ratione, maluisseque res suas seruare, quam alienas, tunc enim cessaret dicta præsumptio de dolo, etiamsi res suæ viliores essent. Ita Sanch. *de matr. lib. 2. disp. 41. n.* 18. Lessius *l. 2. c. 27. dub. 3. in fine* Henriq. *l. 14 c. 25. in fine*, & alii.

Sanchez
Lessius
Henriq.

16 Dubius an promiserit solum ingredi Religionem, aut profiteri, non tenetur ex vi voti perseuerare in Religione. Ratio est, quia quando possessio non stat pro verbis voti, tenetur vouens in dubio ad id quod minus est vt v. g. si quis certus est se promisisse castitatem, aut temporalem, aut perpetuam, & est omninò verbum immemor, sed tantum certus est se alteram promisisse ad solam temporalẽ, quæ minus est, tenetur. Similiter quis dubitat, an promiserit omnimodam castitatẽ, an coniugalem solam, tenetur ad hanc, quæ minor est. Item quãdo quis est certus se vouisse castitatem, aut Religionem vel inter duas Religiones, an strictiorem, aut minus strictam, dubitat autem vtram harum partium vouerit, tenetur ad minorẽ. Probatur quia quod iuris de toto quoad totũ idem iuris est, & debet esse de parte quoad partẽ *l. Quæ de tota in princip. ff. de rei vendic.* Sed quando est dubiũ an totũ votum emissũ sit, nec est possessio aliqua pro voto, iudicandus est à toto quis liber. Ergo quando dubitat de parte grauiori, cẽsendus ab ea liber. Præterea quia in hoc dubio reputatur votũ quasi rei indeterminatę, in quo euentu sola minor pars obligat. Tum quia voti interpretatio strictè facienda est, vt in quantum fieri potest; minus obliget. Ita Sanchez *lib. 4. Moral. cap.* 13. *num.* 17. & *cap* 16. *num.* 86. Diana *part. 4. tract. 3. res.* 36. Quamuis Nauarrus Rodriquez, & Azorius apud eundem Sanch. afferant absolute in dubio voti amplectendam esse partem tutiorem, ne se quis infrigendi voti periculo exponat.

Sanchez
Diana
Nauarrus
Rodriq.
Azorius

17 In dubio, si quis castitatem, & religionem vouerat iuxta Nauarrum, tenetur eligere partem tutiorem, & reputare se obligatum ad castitatem independenter à Religione. Ita docet *l. 3. cons. tit. de vot. cons.* 13. Sed melius est distinguendũ Si hic recordetur verborũ, siue interius siue exterius prælatorum, iudicandum est in dubio, iuxta communem illorum intellectu, quare si in eis expressa sint castitas, & Religio absolutè, censebitur castitas promissa principaliter, & per se, ac independenter à Religione. Ratio est, quia cum in dubio intentionis sint vota diiudicanda iuxta communem verborum sensum, hæc pars possidebit in hoc dubio. Si vero sola religio expressa sit, & dubitat vouens, an se quoque voluerit ad castitatẽ obligare, tunc tenetur ad id quod minus est, & censendus non obligatus vllo modo ad castitatem. Ratio est, quia nulla est possessio pro illa, sed tota pro voluntatis libertate. Si vero, quamuis sola Religio expressa sit, meminit suæ intentionis fuisse se obligare quoque ad castitatẽ, dubitat tamen an depẽdenter à Religione, an independenter iudicãda est obligatio dependenter à religione; Quia non tenetur vouens sequi semper quod tutius est, & in hoc dubio non videtur possessio pro uoto castitatis independẽter à Religione, imo cũ hac depẽdentia cũ sola Religio expressa sit, & quando quis intercedit se ad vtrumq; velle obligare principaliter solet vtrumq; exprimere. Si vero conscius huius intentionis, non meminit prorsus verborũ, aut ea dubia essent, teneretur ad castitatem independenter a Religione, quia cum intentio sit certa, est quoque certa obligatio ad castitatem. At limitatio, vt sit dependenter, est dubia, & nulla est verborum possessio pro illa. Et ideo possidet obligatio absque limitatione. Ita Sanchez *lib. 4. moral. c. 16. n.* 114. & post illum Diana *part. 4. tract. 3. resol.* 42.

Sanchez
Diana

18 In dubio de valore voti, non censetur reserua

tum

tum, quomodocumque dubium illud oriatur, siue quia non sunt coniecturæ sufficientes, siue quia sunt probabiles rationes ad dubitandum Ratio est, quia cum reseruatio sit odiosa, restringenda est ad casus certos. Vnde potest Episcopus dispensare, quando votum est emissit ex metu cadente in virum constantem. Idem dicendum quoties dubitatur an votum sit reseruatum. Item qui certus est se vouisse castitatem, sed dubitat an habuerit animum se obligandi, etsi teneatur seruare uotum, tamẽ illud non est reseruatum. Item cum dubium sit an uota pœnalia, & conditionalia sint reseruata, sequitur ratione eius dubii posse in eis Episcopum dispensare, etiam purifica conditione, & com misso delicto. Ita Pontius *de matrim. lib. 8. c. 9. n.* 14 15. *&* 16. Suar. *lib 6. de voto c.* 26. Sanch. *l. 4. moral. c.* 40. *n.* 26.

Pontius
Suarez
Sanch

19 Quando dubitatur, an quis propositum solum aliquid faciendi babuerit; an potius uotum ediderit, quatuor regulæ traduntur, *Prima*, est, si paulo, uel ali quãto postquã quis statuit aliquid facere, dubitat, an uoluerit se obligare, an tãtũ proponere, potest probabiliter exist mare se non promisisse: quia nõ solent homines tã citò obligari huiusmodi uoluntatis *Secunda*. Si hic habuit animũ nõ exequendæ rei promissæ, potest probabiliter æstimare se nõ habuisse verũ promittendi aut se obligandi animũ: quia raro contingit propositũ se obligandi simul cũ proposito non exequendi. Et ideò ubi de boc constat, illud autem est dubium, potest in hoc dubio ex communiter contingentib. coniici defuisse animum quoque obligãdi *Tertia*, si uerba, quę quis mente aut ore protulit, non indicant sui ptè natura promissionem, sed propositũ, ut faciam hoc, iudicandum est in dubio intentionis solũ propositum, quia cum uerba non indicent uotum, nulla in hoc dubio est possessio pro uoto, limi ... nisi uerba illa enunciarentur, aut mente, aut ore per modum cuiusdam pacti ut faciam hoc, si feceris illud, cum pactum contineant, idem important, quod promitto me facturum, si feceris *l. 1. de pactis l. naturalis, ff. de prescript. v. Quarta*, Quando quis certus est de promissionis verbis, & omnibus circumstantiis perpensis est æquè dubium, an is animũ se obligandi habuerit, vel an sciret inde obligationẽ consurgere, tenetur hic voto. Si autem rationes utrimq; sint reddentes vtramq; partẽ probabilem, etiamsi probabilior sit, quę suadet fuisse votum, integrum est parti minus probabili adærere, reputãdo se uoto nõ obligatũ Si autem non assensus, sed sola suspicio sit non ad fuisse animum se obligandi, præponderat præsumptio pro verbis promissionis existens, vt sic obliget. De his vid Valentiam 2. 2 *disp. 6. q. 6. puncl. 2. vers. sequit. tertio*, Nauarrum *li. 3. consil. tit. de voto, consil. 5. n* 3. Sanchez *lib. 4. moral. cap.* 1 *n. 32. & seq.*

Valentia.
Nauarrus.
Sanchez.

20 Quando res determinata in singulari promittitur at dubium oritur ex eo, quod plures eiusmodi res sint, nec determinatur quę danda sint, datur electio vouenti quia non est potior ratio de vna, quam de alia. Atque in simili de promissione facta homini decernitur, *l. Qui ex plurib. ff, de v. oblig* Quod si uouens ante voti executionem obeat, hæredis erit electio. Vnde altera ex illis reb. pereũte, diuidenda est remanens inter eum, cui promissio est facta, & promissoris hæredes, quia obligatio promissionis non cadit in vtramque rem sed cadit super vnam earum solam, ignoratur verò quæ illarum sit. Et ideò quæ superest venit diuidenda; Idem dicẽdum est de uoto, si vouens in simili esset dubio re enim altera ex illis perempta, tenetur illam diuidere. Ita Molina *tract. 2 de iust. disp. 270; vers, Quando res vna* Sanchez *lib. 4. moral cap.* 13. *n.* 19.

Molina
Sanchez

21 Controuertitur inter Doctor. an in dubio de valore matrimonii, liceat coniugibus deponere dubium speculatiuum, nec practicè dubitare, ratione possessionis, quę est pro matrimonio, & ita reddere, & petere debitum. Quorundam sententia est, nec reddere, nec petere posse: quia agere contra conscientiam dubiam est illicitum. Tum quia hic exponit se manifesto fornicationis periculo si non sit sua vxor. Ita Adrianus, Medina, Pet. Soto & alii. Secunda sententia docet, dubitantẽ de matrimonii ualore bona fide cõtracti, nõ posse petere, teneri tamẽ reddere. Ratio est, quia cum nullus possit esse perplexus vinculo peccati ad vtramq; partem, si necessariũ est alterum eligere, potest licitè id facere, ratio autem rectè dictat vt minus eligatur: Hinc dubitans tenetur reddere: quia periculum maioris mali est in non reddendo, quàm in reddendo: maius enim peccatum est contra matrimonij fidem, debitum negare, quod est iniustitia, si talis sit verus coniux, quàm fornicatio quæ castitati aduersatur, si non sit verus coniux; ergo in hoc dubio eligendum est minus malum reddendo debitum. Eadem ratione probatur non posse petere eo quia ex petitione debiti imminet fornicationis periculum, si non sit verus coniux, ex non petitione autem nullum, cùm liberum sit petere ergo tenetur eligere non petere. Hęc sententia est probabilis, quã sustinent D. Thomas *in 4. dist.* 38. *in fine*, D. Bonauentura *ibidem*. D. Antoninus 3 *part. titul.* 1. *cap* 9. & alij quamplurimi. Tertia sententia, quæ est probabilior, ait ante diligentiam adhibitam ad assequendam veritatem, teneri coniugem dubitantem reddere, non posse petere: ea tamen sufficienter adhibita, posse reddere, & petere. Prior pars probatur rationibus præcedentis sententiæ: & insuper, quia generaliter dubitans, an res sit sua, quamuis eã retinere possit, non tamen potest ea vti, donec inquirat veritatem; ergo in hoc casu non poterit coniux dubitans vti matrimonio, hoc est debitum petere, donec diligentiã adhibeat. Posterior pars probatur, quia possessor bonæ fidei si dubitat rem esse alienam, & facto sufficienti examine, nequit dubium vincere, potest non tantùm rem detinere, sed etiam illa vti: Ergo coniux dubitans, si præmiserit sufficiens examẽ, & adhue dubius maneat, poterit, vti matrimonio, petendo, & reddendo. Authores huius opinionis vide *tom. 1. verb. Debitum coniugale* 1. *n* 17. *&* 18.

D. Thom.
D. Bonau.
D. Anton.

22 Cum vterque coniux dubitat de valore matrimonij bona fide à se contracti, illicitè petit, nec tenetur, nec potest alter reddere, quando nouit petentem esse dubium de valore matrimonij, & nondum adhibitam esse diligentiam ad illud vincendum. Ratio est, quia diligentia non præmissa, possessio in dubio non confert ius vtendi re; ergo coniux tunc petens, petit id ad quod nullum ius habet, & ad quod possessio non suffragatur; ergo alter nequit reddere: tota enim ratio ob quam tenetur reddere est, quia alter petit sibi debitum ratione possessionis, ne periculo iustitiæ debitum negando exponatur; cùm ergo in hoc casu non petat sibi debitum, nec faueat possessio, & negando nulla sit iniustitia, & ex altera parte reddendo sit periculum incontinentiæ, tenetur non reddere ante adhibitam diligentiam. Diligentia autem adhibita potest vterque petere, & reddere: quia iã possessio infert ius ad omnem vsum. Ita Sanchez *de matrim. l. 2. c.* 41. *num.* 55. Quamuis quidam affirment teneri alterum reddere illicitè petenti; quia in dubio melior est conditio possidentis, vterque autem in hoc dubio possidet. Ita Corduba, Henriquez, vterque Ledesma, & alij citati à Sanchez *n.* 54. qui *num.* 57. ad rationem in contrarium dicit, esse quidem meliorem conditionem possidentis in eo dubio, ne vxore spolietur, non tamen vt habeat ius vsus matrimonij, donec impendatur debita diligentia ad veritatem assequendam.

Sanchez
Corduba
Henriq.
P. Ledes.
Sanchez
Lop. z

23 Quando vterque coniux contraxit matrimonium dubius de morte prioris coniugis, neuter potest vti matrimonio, nec petendo, nec reddendo Ratio est, quia sicut cum aperta prioris coniugis iniuria illi matrimonium contraxerunt, spoliando eum in dubio sua possessione, quę pro eo stabat (tam diù enim semel habita possessio pro eo stat, quamdiu non constat ipsum ea iure spoliatum) ita etiam cum eiusdem iniuria vtuntur. Tum quia neutri suffragatur possessio mala fide incepta Ita Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 11. num. 5. fine & c. 15. num.* 13. Coninck. *de Sacram disput* 34. *dub.* 10 *num.* 103. Sanchez *de matrim. l. 2. disp* 42. *n* 8.

Henriq.
Coninch.
Sanc.

Vide verb. Abusus *num.* 2. Eleemosyna *num.* 1. Excom. 6. *num.* 17. 28 Horæ Canonicę 1. *num.* 10. Immunitas Ecclesiar *n.* 19 Irregularitas 1 *n.* 27. Iudex *n.* 5. Lex. 2. *n.* 19. Matrim. 2. *n.* 38. Mutuum *n.* 34. Peccatum *n.* 8. Priuilegium *n.* 16. Professio *n.* 12. *Religion.* 15. Reliquiæ Sanctorum *n.* 12. Restitutio *num.* 19. Reus *n.* 4. Sacramentum *num.* 11. Testis *n.* 7.

DVEL-

DVELLVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit duellum.*
2 *Ad duellum requiritur assignatio temporis cum determinatione loci.*
3 *An duellum liceat. ob manifestationem veritatis.*
4 *An ob virium ostentationem.*
5 *An ob determinandam litem ciuilem, vel criminalem.*
6 *An ob euitationem ignominiæ, vel defensionem honoris.*
7 *Duellum in duobus tantum casibus est licitum.*
8 *An duellum prohibitum sit iure naturali, diuino, ciuili, & Ecclesiastico.*
9 *In quibus casibus pœna contra duellum non habeant locum.*

1 DVellum est, *bellum, seu pugna singularis deliberata ab vtraque parte, sponte, & ex condicto suscepta, statuto loco, & tempore cum periculo occisionis, mutilationis aut vulneris*, unde in iure *monomachia* uocatur, id est pugna unius cootra alterum, ex hac definitione duelli bene perpensa, duellũ non est ludicra, quæ dicitur scrima, ludus troiaous hastiludium, item concertatio, quæ vel inter mulieres fieret euulsione capillorum, uel ioter uiros pugnis solummodò, aut alio instrumento non periculoso item rixa, quæ concitatur ex subdita ira, uel saltē noo ex mutua côueotione, interposito aliquo tēpore inter conuentiooem, & pugnam: item duellum non est pugna, quæ fieret ob necessariam sui defensionem, quia regulariter in ea non adest deliberatio saltem ex parte aggressi: unde nec proditor, qui consulto ex insidiis aliquem inuadit, nec aggressor, qui ex proposito capessit pugnam cum altero, dicitur comittere duellum quia nõ adest mutua conuentio Clauis Regia *lib 7. cap. 13. n. 11* Valent. *to. 3. disp 3. q. 17 p. 1.* Ban. *2. 2. q. 40. art. 1.* Filliucius *tr. 15 n. 107.* Bonacina *de censur disp. 2. q. 6. punct* 2. Salon *22. q. 64 art 3 cons. 3.* Syluius *2. 2 q 41. art. 2.* & alii.

Clau. Reg. Valentia. Bannez. Filliucius Bonacina. Salon. Syluius

2 Cum in duello requiratur assignatio temporis, cũ determinatione loci, secundũ bullas *Gregorij* 13. & *Clementis* 8. hinc milites, uel alii, qui ob priuatas inimicitias: seipsos inuitãt ad pugandum, & districtis ensibus alter alterũ interimit, nõ dicuntur propriè committere duellum, nec incidunt in pœnas pugnantibus in duello propositas, secus dicendum de illis qui sese obuiam habẽtes, diffidant se in tali loco, quo statim tendunt, & ibi pugnant, adest enim assignatio loci, & temporis præsentis. idcircò qui diceret alteri, veni ad talem locum, te ibi expecto, uidetur incidere in pœnas duelli, sicut incidit qui uidet alterum ense carere, illique dicit, eas ad capiendũ ensem, hic te expecto, uel in tali loco, pugna enim initur ex præuia conuentione, statuto loco, & tempore ut dictum est. Ita Floronus *de duell. c. 1. & 2* Peregr. *de duell. q. 18* Sanchez *in summ. l. 2. c. 39. nu. 28.* Filliucius *c. n. 112.* & alii. Non incurretur autem in pœnas latas contra Duellantes, si conuentio de pugando facta sit in rixa, & inter conuentionem, & pugnam intercedat tempus, dummodo intra illud spatium temporis pugnantes non se uertant ad actus extraneos, & alienos ab ipsa pugna, & arbitrio prudentis duret calor iracundiæ. Ratio est, quia côuentio, & pugna, est una actio moralis continata, & in ipso calore iracundiæ. facta sed principiũ dictæ actionis fuit rixa & conuentio pugnæ facta fuit in rixa, & in ipso colore iracundię, & durante ipso colore arbitrio prudentis sequuta est pugna, Ergo pugna illa dicenda est rixa, & non duellum ex condiīio factum, quia in actionibus moralibus principium semper attenditur Ita Diana *p. 6. tr. 6. res. 21.*

Floronus. Peregrinus Sanchez. Filliucius.

3 Causæ, ob quas suscipi duellum solet, hæ à Doctoribus communiter recensentur. *Prima*, est manifestatio ueritatis dũ scilicet aliqui confidunt ex uictoria manifestarĩ iri ueritatẽ, quod sint innocentes ob hanc causam duellum non licet secundum D. Thomam *2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. cap significantibus, de purg. vulgar.* Clau. Reg. *c. n. 13,* Sanchez *c. n. 4.* Toletum *lib. 5. c. 6. n. 32.* Sylu. *c. q. 41. a. 2.* communiter receptum, & est grauissimum peccatum mortale, ob superstitionem adiunctam: quia contra rectam rationem eligitur percussio proximi, periculũ vitæ, & vsurpatio iudicii, cum tentatione Dei; sæpe enim contingit habentem iustam causam succumbere in duello: Innocens tamen acceptare posset duellum ab iniquo iudice damnatus, vt vel pugnet in duello, ad purgandum crimen, vel mortem subeat; ad declinandum enim mortem certam, acceptare periculosum duellum, intentione se defendendi, intrinsicè malum non est.

D. Thom. Clau. Reg. Sanchez Toletus Syluius

4 *Secunda* causa, est virium ostentatio: quæ tamen causa sufficiens est ad duellum indicendum, & qui hoc fine prouocat ad duellum, peccat mortaliter, quia contra rationem eligitur atrox medium, & periculum vitæ ob vanum finem: excusatur tameo *Dauid* eò fine acceptans duellum contra *Goliad*, quia hoc fecit ex motione Spiritus sancti Nauarr. Valentia *apud* Sanchez *c. n. 52.* Syluium *c. art. a.* & alii.

Nauarrus Valentia Sanchez Syluius

5 Secundum Caietanum *in sum. v. duell.* P. Nauarr. Valent. Arra apud Clauem *reg. cit. c. 13. num. 14.* & alios *Tertia* causa duelli esse potest, ob determinandã litem ciuilem, vel criminalem: ob hunc finem duellum non licet, sed peccatum quoque mortale est; quia non est proportionatum medium ad terminandum litem armata pugna percussiua cum periculo vitæ: An autem liceat innocenti opprimendo per fraudem iniustè ab actore, acceptare, vel offerre duellum, controuersia est inter Doctores, quidam enim docent relati a Salon. *quæst. 64. a. 3. contract. 3.* id non licere, quia is solus dicitur defensor, qui inuitus ab agressore cogitur ad pugnam. Alii affirmant ex Caietano *2. 2. quæst. 95. art. 8. ad 3.* licere, quando certum est aliàs innocentem damnandum ad mortẽ, nõ in aliis casibus cõdemnationis in bonis fortunę; quia id nõ est propriè duellum, sed defensio contra inuadentem. *Tertia* denique seotentia quorundam apud Sanchez *c. nu. 7.* Bannez *q. 64 art. 7. dub. 4.* P Nauarr. *l. 2. c. 3. num. 289.* est etiam licere pro tuendis bonis fortunæ, in notabili quantitate, quando non est aliud remedium: sed quidquid sit de probabilitate harum sententiarum, speculatiuè loquendo, practicè tamen sequenda est secunda sententia Ratio est, quia defensio armis non licet, nisi contra inuadeotem armis: tùm quia id est subire minus malum, nempe dubiæ mortis, aut mutilationis periculum, ad euertendum ea damna certò ob aduersarii iniuriam subeunda. Iã cũm Caietaoo, Nauarr. *in manual. c. 11 num. 39. & c. 15. n. 9.*

Caietanus Nauarra Valentia Arra Clauem

Salon

Caietanus

Sanchez Bannez P. Nauarr.

Caietanus Nauarrus

6 *Quarta* causa duelli, est euitatio ignominiæ, vel defensio honoris proprii: quamuis hæc causa apud vulgus plurimũ valere soleat, vtpotè, qui vilis, & degeneris animi haberetur, si in eo casu non acceptaret quis duellum; apud sapientes tamen, & bonos viros, nõ valet hæc ratio; quia apud illos non amittitur honor, sed potius acquiritur dùm temerè non vult vitã suam, & proximi, periculo exponere, & contra legem diuinam peccare: Clauis Reg. *c. n. 13.* Filliuc *tract. 29. c 8. q. 6. n. 145.* & alii. Nihilominus aliquid probabile putant, vt refert Bannez *c. dub. 3.* Marcus Vid. *in arca vitali de Duello Inquisit. 2.* Hurtad. *de mẽdoza in 2. 2. disp. 170. sect. 13 §. 106. & seq.* ob defensionem honoris licere acceptare duellum, quia prouocãs ad duellum, est inuasor honoris prouocati, at quando nõ potest aliter consuli honori, nisi inuasorem occidendo, licet occidere: ergo &c. Verior tamen, & fere communis est contraria sententia, nempè, non licere duellum acceptare ob honoris defensionem: quia apud mundanos potest satis cõsulere honori suo prouocatus, si dicat se paratum esse ad defensionem quandocumque inuasus fuerit, acceptare tamen illud ex cõdicto se nolle, cùm id sit contra legem diuinam, & humanam: deinde qui duellum offert, vel acceptat, est iofamis iure canonico, & apud concillia sapientum Vide Doctores citatos Caiet. Sot. Nauarr. Valentiam, Azor. Less. apud Sanchez *n. 9.* Syluium *2. 2. quæst. 41. art. 2.* Dian. *p. 5. tract 14. res. 89.*

Clau. Reg. Filliucius Bannez Marc. Vid. Hurtadus

Caietanus Sotus Nauarra Valentia Azorius Lessius Sanchez Syluius

7 Duellum ergo, in duobus tantum casibus est licitum. *Primus* est, ad sedandos duos exercitus contrarios, licitum est pugnam periculo duorum dirimere per duellum: immò licet duellum acceptare ad conseruandum

exer-

das est, quando aliquis compellitur sub vitæ periculo duellum acceptare, quilibet enim potest consulere uitæ propriæ, etiam cum morte inuasoris: neque propriè, hoc duellū est, sed nomine tantùm, propriè namq; desēsio est & repulsio iniuriæ: iu enim naturæ dictat vim ui repellere. Ita Syluius *c. art. 2.* Azorius 3 *p. l. 2. c. 5 quæst.* 3. Nauarrus *c. 15 num. 9.* Sà *v. duellum* Toletus *lib. 5. cap.* 6. Clauis Reg. *c. num.* 15. 16. Sanchez *c. num.* 14. & aliì. Vide *homicidium 1. n. 25.*

Syluius. Azorius. Nauarr. Sa. Toletus. Clau. Reg. Sanchez.

8. Duellum, non solum prohibitum est, iure naturali & diuino, sed etiam ciuili & canonico sub excommunicatione aliisque grauissimis pœnis, vt colligere est ex Conc. Trid. *sess* 25 *c. 19.* Sayrus *de censuris l. 3. c. 21. n.* 21. Bullarium apud Quarant *fol* 218. Filliuc. *tract. 15. c. quæst. 5. n. 103 & seq.* Suarez *de censur. disp. 31. sect. 4. n.* 48. Laymano *l. 3 tract. 3 p. 3 c 5.* & ex uariis summorum Pōtificum cōstitutionibus *Pii 4 Greg. 13* & *Clementis* 8 qui vltimus cōfirmauit prædecessorum suorū pœnas, & excōmunicationē. Hinc vi cōcilii Tridentini, excōmunicatio nō erat reseruata, nouissimè tamē reseruata est summo Pont. per *Clement. VIII.* & hanc excommunicationē extēdit ad Reges, Imperatores, & alios quoscūq; qui publicè, vel etiam priuatim, etiam sine chartulis, literis prouocatoriis, vel patrinis, duellū commiserint: has pœnas extendit etiam ad Dominos locorum, Magistratus, Locumtenentes, duces militum, qui absq; iustà causà nō prohibēt, quò minus hæc fiant, aut qui potest cōmissum crimen veniam, & impunitionem concedunt: iisdem pœnis subiiciuntur suadentes, cōsulentes, comitātes, socii, patrini, *spectatores* ex industria &c. decertātes verò, si in ipso conflictu obierint, priuandi sunt Ecclesiasticà sepulturà. Ciuitates verò, terras, oppida, & castra dominorum, tacitè aut expresè permittentium, aut tolerantium, Ecclesiastico decernit subiici interdicto: pœnarum verò harum relationem: sicut & absolutionē excommunicationis, reseruat summo Pōtifici pro tēpore existenti. Clericus pugnans in duello, per Tridētinū excommunicatur ipsofacto: præterea per *Pium IV.* priuatur beneficiis, dignitatibus & officiis, Ecclesiasticis, & redditur inhabilis ad illa in posterū obtinēda. Aduertit tamen Layman hic citatus, quòd Germani, aliique septentrionales, seu ob ignorātiam, seu quia constitutiones prædictorum Pontificum secundùm hanc sensum promulgatæ, & in vsum deductæ non sunt, à censura excusari videntur,

Con. Trid. Sayrus. Bullarium Quarant. Filiucius. Suarez. Layman.

Porrò ad quatuor capita reuocari possunt actiones in præfatis bullis Pontificiis prohibitæ, ob quas censuræ, & aliæ pœnę à præfatis personis inquiruntur. *Primum* est pugnantium in duello, prouocantium, vel acceptantiū. *Secundum* concedentiū locum, aut non impedientiū si sint Domini qui valeant impedire, nè duellum in suis locis committatur. *Tertium* aliquo pacto cooperātium ad duellum, vt mandato, consilio, auxilio, fauore, chartellis, intimatione, publicatione, etiamsi postea prouocatio, aut duellum secutum non fuerit, nisi fortè per ipsosmet cooperantes steterit, nè sequeretur. *Quartum* est spectantium ex industriā, qui ex condicto se offerunt certaminis spectatores. & testes.

Denique Confessarii Ordinum mendicantium extra Italiam per priuilegia sua absoluere possunt duello certantes, socios item & fautores, eorum, sicuti ab aliis casibus & cēsuris Sedi Apostolicæ reseruatis. Confessariis tamen regularibus, quam sæcularibus in Italia extra vrbē degentibus; denegata est hæc potestas, per Decretum Congregationis Cardinalium ex mandato Clementis VIII. editum apud Quarantam in Summa Bullarii *verb. casus reseruati n.* 13. de quo suprà verb. *Casus reseruatus n.* 36 Vide Dianā *par. 5 tract. 14. resol.* 100. 101. 102. 103

Diana

9. Probabile est, prædictas pœnas non habere locum in sequentibus casibus. *Primò*, si quis prouocet alterum non animo pugnandi, sed causà honoris proprii defendēdi, & aliquos ictus inferendi cum morali securitate, quòd nullū damnum secuturum sit, sed pax potiùs inde cōcilianda, in foro conscientiæ posset excusari ab excōmunicatione, secundùm Filliuc. *tract. 15. cap. 5. num.* 113 Bonacinà *to 3 disp. 2. quæst. 3 p. 8. n* 14. Dianā *p. 3. tra. 6. res. 1.* Floronus de duello *c. 6. §. 2.* Naldus *in Sum. v. duellum n. 2.* hæc enim non est pugna cum periculo læsionis etiamsi ad locum conuentum accesserint. In foro tamen externo præsumetur duellum, ille enim iudicium fert ex actione externa. *Secundò*, qui alium prouocat ad pugnandum, nullo statuto loco, & tempore, non afficitur excommunicatione, etiam in terminis bullæ *Clem. VIII.* quia hæc actio non habet requisita constituentia duellum, de quo Pontifices loquuntur. Ita Doctores citati ex communi sententia. *Tertiò*, non incurrit excommunicationem, qui accessit ad locum duelli, causa inspiciendi dummodo duellum, vel actus ad pugnam proximus, secutus non sit, imò ex occulto duellum aspiciens, uel obiter transeundo, non incidit in cēsuram, cum non sit spectator ex industria, & ex proposito. Ita Lessius *lib. 4. cap 4. d. 11. n. 83.* Riccius *in praxi t. 2. res. 43 n. 21.* Filliuc. *num.* 114. Sanchez *c. n. 31.* Reginald. *lib. 22 n. 77.* & alii. *Quartò*, non afficitur pœnis contra duellantes impositis qui cum altero contendens, cum armis destitutus sit, domum adit, ad capienda arma, nulla facta ad duellum prouocatione, & postmodum rediens ad inimicum, inter se pugnant, hæc enim pugna, rixa potius dicetur quā duellum, quia non fit ex condicto, statuto loco, & tempore. Ita Bonacina *c. n. 13.* Filliucius *c. n.* 112. *Quinto*, non incidit in pœnas, qui ratam habet prouocationem, uel pugnam, vel aliam actionem in Bullis Pontificiis expressam suo nomine factam quia dum Superior uult pœnam ad ratihabitationem extendere, solet hoc exprimere, & ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi exprimatur. Ita Floronus *de duello c. 14. §. 3. num. 2.* Bonac. *c. n. 37.* Diana *c. resol. 1.*

Filliucius. Bonacina. Diana. Floronus. Naldus.

Lessius. Riccius. Filliucius. Sanchez. Reginald.

Floron. Bonacina. Diana

Præterea est aduertendum quod quando duellum non fuit euidenter notum, non potest Parochus priuare publicè sepultura defunctum in illo quia publica pœna non est infligenda nisi publicę culpæ, quando autē Parocho esset notum duellū posse probari per sufficientes testes tenetur remittere causam Ordinario antequam defunctum sepeliat, ut præmissa summaria informatione sententiam ferat, quia Parochus ut minister legis contra in duello decedentes debet illius obseruationē procurare, sicut in foro sæculari attinet ad inferiores ministros, qui ex officio sunt deuincti denunciare superiori frangentes leges, quando id posse probari norunt; Ita Peregrinus *de duello q. 7. n. 3.* in fine. Plura de his infra *v. sepultura n. 5.* De duello videndus est Marchus Vidal. in arca uitali de duello *Inquisit. 2.* Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. disp. 170. sect. 13.*

E

ECCLESIA.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia noui testamenti qua sit?*
2 *Ecclesiæ proprietates fide credendæ sunt quatuor.*
3 *Ecclesia vt differat a Synagoga Iudæorum.*
4 *Ecclesiæ nomen in scriptura sacra, vt diuersis conuocationibus tribuatur.*
5 *An Romana Ecclesia sit Ecclesia vniuersalis?*
6 *In Ecclesia Dei tria Christianorum genera assignantur. Et Christianorum status diuiditur in clericalem, Religiosum, & laicalem*
7 *An Ecclesia authoritatem supremā, habeat in terris?*
8 *An Ecclesia possit errare circa fidem, & doctrinam morum.*
9 *An Ecclesia visibilis possit deficere.*
10 *Quænam sit potestas Ecclesiæ spiritualis, & externa.*
11 *An Ecclesia iudices de scriptura libris, qui veri sunt, aut non veri.*
12 *Vt Ecclesia ædificetur, an requiratur licentia Episcopi.*
13 *An præter licentiam Episcopi requiratur etiam licentia Summi Pontif. in erigendis Monasteriis, & Ecclesiis regularium.*
14 *Varia priuilegia Summorum Pont. concessa regularib.*

circa constitutionem nouorum Monasteriorum referuntur.

15 *Omnia priuilegia, & concessiones erigendi nouos conuentus, & Monasteria reuocauit Sacra Congregatio Eminent. Cardin. & Vrbanus VIII. non seruata forma Bullæ Clementis VIII.*

An licentia ordinariorum sit necessaria quando volunt regulares ampliare sua Monasteria.

An Ecclesia seu Monasterium possit mutari de vno loco in alium, sine licentia Papæ, & Diœcesani.

An Bulla Clem. VIII. de non danda licentia mendicantib. ædificandi noua monasteria comprehendat hospitia

An Ordinarius concedere possit licentiam construendi noua monasteria absque cognitione causæ.

16 *Ecclesias consecrare, an solus Episcopus de iure possit An simplex Sacerdos ex commissione Sum. Pontif.*

17 *Quis Episcopus consecrare possit Ecclesias regularium exemptorum? Quando Ecclesia censeatur polluta. & quis possit eam reconciliare, Remissiue.*

18 *Ecclesia, an possit agere contra suum Prælatum, male administrantem?*

1 ECCLESIA est Cœtus vniuersalis hominum baptizatorum, vna fidei professione & Sacramẽtis sensibilibus Christo capiti adærentium, & sub Vicarii Christi & legitimorum Pastorum ordinato regimine militantium. Dicitur *Cœtus vniuersalis* exinde enim vocatur Ecclesia Catholica. Dicitur, *Hominum baptizatorum*, quia Baptismus est ianua Ecclesiæ, & per baptismum incipit homo Christo incorporari, vt in eo viuat; Hinc per hanc particulam excluduntur ab Ecclesia noui testamenti omnes qui non sunt baptizati, vt iudæi, Gentiles, Pagani, Turcæ, & alii infideles, imò, & Catechumeni, quamdiu baptizati non sunt. Dicitur *vna fidei professione, & Sacramentis sensibilibus*, ad excludendos omnes hæreticos, qui errore aliquo pertinaci ab vnitate veræ, & vniuersalis fidei se separarunt. Etsi enim ratione Baptismi ad Ecclesiam aliquo modo pertineant, ita, vt ab erroribus resilire, ab Ecclesia cogi possint, illi tamen sua malitia se separauerunt, & tanquam mortua membra rescissi sunt. Dicitur; *& sacramentis sensibilib.* istis enim tanquam symbolis distinctiuis, & signis visibilibus gratiæ, visibilis Ecclesia noui testamenti insignita est. Dicitur, *Christo capiti aderentium*, etsi quoad perfectionem intelligatur de perfecta cũ Christo vnione, tamen Christiani, qui fidem retinent integram, quantumuis peccatores quamdiu iusta sententia Ecclesiæ per excommunicationem, non rescinduntur, intra Ecclesiam permanere, & Ecclesiæ corpori adhuc adunati censentur. Dicitur, *sub Vicarii Christi, & legitimorum Pastorum ordito regimine militantium*. Per hanc particulam excluduntur schismatici, qui etsi in fidei vnitate videantur Ecclesiæ adhærere, quia tamen Christi vicarium non agnoscunt, consequenter se à corpore Christi, quod est Ecclesia separant, & tunicam inconsutilem scindunt.

2 Ecclesiæ proprietates fide credendæ sunt quatuor nimirum, quod sit *Vna Sancta Catolica, & Apostolica*. Vnitas Ecclesiæ in tribus potissimũ consistit. *Primo*, In vnitate capitis perpetuò, & indefectibiliter in corpus totum, & membra influentis. *Secundo*, In membrorum singulari conexione, & harmonia cõsonante, tam respectu capitis, quàm ad inuicem. *Tertiò*, In eo quòd in vnũ & eundem finem omnia mem membra conspirent.

Ecclesia vocatur *Sancta* diuersis titulis *Primo*, quia per baptismum Deo consecrata *Secundò*, quia velut corpus & sponsa Christo coniuncta, *Tertiò* quia in illa sola datur remissio peccatorum, siue per baptismum, per quẽ peccatores ad sanctitatem reuertuntur *Quarto*, dicitur Sancta doctrina fidei, & morum, quia in doctrina fidei & morum errare non potest cum sit *columna, & firmamentum veritatis* iuxta Apostol. 1. ad Timoth. 3. Porrò sancta uocatur, quia supremum sanctitatis apicem, qui est in abnegatione creaturarum, & sui ipsius per sequelam Christi docet.

Ecclesia noui testamẽti dicitur *Catholica*, quia ex omni sua cõditione uniuersalis est, & uniuersalitatẽ habet; quæ à uariis sumitur *Primò*, A loco quia per uniursum orbem successiuè diffusa est, *Secundò* ab omni hominum conditione, quia nullus ab illa excluditur. *Tertiò*, ab uniuersalitate temporum. Illa enim prout cœpit ad Adã siue Abel iusto, omnes mundi ætates percurit quæ autẽ est noui testamenti usque ad consumationem sæculi in terris conseruanda est *Quarto*, ab vniuersalitate doctrinę fidei, & necessariorum ad salutem Denique Ecclesia dicitur uniuersalis, quia uniuersæ naturæ humanæ sanandæ congrua continet in se remedia Sacramentorum, & aliorum auxiliorum & opitulationum.

Ecclesia dicitur *Apostolica*, uariis de causis *Primò*, quia super Petro, & Apostolis fundata est *Secundò* quia per illos initiata est prædicatio Euangelii, & ipsi uelut primitiæ Euangelii sunt facti uel primos Christianos, ut primitias Ecclesiæ acquisiuerunt *Tertio*, Quia tota dispositio & dispensatio administratio; &c. Ecclesiæ Apostolis commendata fuit. Hæ omnes proprietates seu notæ Ecclesiæ exprimuntur expresse in symbolo Nicæno. Et *vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* De quibus vide Bellarminum de Ecclesia militante, & de notis Ecclesiæ, & alios apud Lorichium *in Thesauro verbo Ecclesia*. Bellarmin. Lorichius.

3. Ecclesia est nomen Græcum & latinè sonat conuocatio: sicut synagoga est Hebraicum, & latinè sonat congregatio: unde ecclesiare est cõuocare; Et ideò Apostoli Christianum populum semper ecclesiam, & numquam synagogã appellari uoluerunt: ut ipsis uocabulis Christianorũ fidelitas & discretio, Iudæorumq; infidelitas & bestialitas notaretur. Iudęi enim, quia duræ ceruicis populus erat, contineri debuerunt nimis grauiũ pœnarum, & exempli punitorum à Deo (instar pecudũ quę uirgis ac fustibus sunt cõgregandæ cum opus est) ad cultũ Dei adduci, in eòq; conseruari. Et hanc uelut coactionem sonat vox synagoga. Ecclesia autem significat conuocationem populi, ex amore Dei ac libertate spiritus conuenientis & uniti Vide D. August. *in Psal.* 81. D. August.

4 Ecclesiæ nomen in scriptura sacra diuersis conuocationibus, seu congregationibus tribuitur. Quarum prima est cuiuslibet ciuitatis, in qua Episcopus, & populus fidelis est; vel clerus, & populus. Sic Paul. Apost. scripsit Ecclesiæ, quæ erat Corinth. 1. *Corinth.* 1. & Ecclesijs Galatiæ. *Galat.* 1.

Secunda est, cuiuslibet Christianæ familiæ in vna domo. Sic D. Paulus salutat domesticam Ecclesiam Aquilæ, & Priscæ *Ad Romanos*. 16

Tertia est, omniũ credentium Deo, qui fuerunt ab origine mundi, & qui erunt inde vsque ad mundi finem; quia omnium vna fide *Ad Hebreos*. 11.

Quarta est omnium fidelium à tempore Christi, vsque ad finem mundi, de qua Christus ad Petrum. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Matthei* 16.

Quinta est Congregatio Rectorum, & Prælatorum populi fidelis de qua Christus *Matthei* 18. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, id est Præpositis Ecclesiæ.

Sexta est solorum beatorum in cœlis, quã Apostolus ad Hebr. 12. vocat *Ecclesiã primatiuorum*, qui conscripti sunt in cœlis, & Dauid Ps. 149. *Ecclesiã Sanctorum*.

Septima, est locus vbi fideles conueniunt, qui aliàs templum appellatur. De eo non solùm D. Paulus 1. Corinth 11. *Conuenientibus vobis in Ecclesiam*. Sed, & Moyses templum Domini vocauit Ecclesiam Domini. *Non intrabit Eunuchus attritis & amputatis testiculis, & abscisso veretro in Ecclesiam Domini* Deuteron. 23.

5. Cùm Ecclesia vna & Catholica sit, necesse est eam & diffusam esse per vniuersum orbem & quodam vinculo unitatis contineri. Hoc vinculum est obedientia erga Deum, ac Christum, & hunc, quem ipse suo loco in terris, tanquã vicarium, Rectorèmq; constituit: qui est Summus Põtifex Romanus: Vnde Romana Ecclesia accipitur pro Ecclesia vniuersali & Catholica. Dicitur Romana ex eo, quòd S. Petrus, vt Ecclesiæ caput & Christi vicarius super vniuersum gregem Christi sibi commissum, Cathedram vniuersalem Romæ fixerit, suisque ibidem successoribus reliquerit: hinc Romana Ecclesia nõ à ciuitate Romana, sed à Petro, qui Romæ Cathedram vniuersalem fixit, & reliquit, magis denominari debet

iuxta

iuxta *cap. Quamuis vniuersæ, distinct.* 21. Igitur Romana Ecclesia non est nomen sectæ aut ciuitatis singularis, sed est nomẽ vniuersale, à capite & Primatu vniuersali Romæ velut deposito, denominationem accipiens. Nulla est ergo in terris visibilis Ecclesia vniuersalis præter Rumanam: quia sine regimine vnius Summi Pontificis Romani impossibile est vnitatem Ecclesiæ conseruari. Cuius asserti euidens demõstratio est, quòd omnes qui ab huius Pontificis regimine se subduxerunt, in varias sectas diuisi sint & ab vnitate Ecclesiæ exclusi. Plurimum facit ad prædicta probãda, quod Apostolus Paulus de Romanis scripsit, *Ad Roman.* 1. *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Et c. 16. *Vestra etiam obedientia in omnem locum diuulgata est.* Et hæc sufficiant; plura apud Autbores cernere licebit qui de Ecclesia Catholica ex professo tractarunt.

6. In Ecclesia Dei tria Christianorum genera assignari possunt. Quidam enim sunt veri Christiani non solo charactere Christiano per Baptismum gaudentes, sed vnitatem fidei & Ecclesiæ sub eadem Sacramentorum & doctrinæ communione seruantes, in obedientia Ecclesiæ sub capite vno & Pastorum legitimo regimine perseuerant; quamuis inter illos multi sint infirmi & peccatores. Alii Christiani quidem sunt, quia Baptismo insigniti, tamen ab vnitate fidei, vt hæretici, vel vnitate capitis, vt schismatici, recesserunt, vel gladio excommunicationis ab Ecclesia rescissi sunt.

Alii tandem Christiani participatiuè dici possunt, quia, etsi non verum Baptismum nec characterem susceperint, fide tamen Christo adhæserunt, vt Catechumeni, vel qui per Baptismum sanguinis, aut fluminis Christo coniuncti fuerunt.

Præterea status generalis Christianorum vniuersalis Ecclesiæ diuiditur in *Clericalẽ*: qui enim in Ecclesia Dei ministeriis & officiis spiritualibus Ecclesiæ sunt deputati & in sortem Domini electi pertinent ad statum Clericorũ. In *Religiosum*. Et est eorũ, qui mundo valedicẽtes se iuxta Euangelica cõsilia tribus votis solemnibus. Obedientiæ, Paupertatis & castitatis astrinxerunt, & hi vocãtur religiosi. In *laicalẽ*. Et est eorũ, qui tẽporalibus deputãtur & tẽporalia curãt; & hi pertinent ad statũ laicorũ. Ita S Dionysius *de Ecclesiastica Hierarchia c 6 & 7.*
D Dionys.

7. Ecclesia authoritatem supremam habet in terris. Probat. quia Christus Dominus noster ei vltimum iudicium tribuit contra quoscumque delinquẽtes: ita vt qui nõ audierit eam habendus sit tanquam Ethnicus & publicanus *Matth.* 18. Tũ quia cùm Christus Petro Apostolo Ecclesiã suam commendaret, supremã quoque & vniuersalem authoritatem, potestatemq; ei contulit, tradens ei claues regni cęlorum, vt quodcumq; solueret super terram, solutum sit in cœlis, & quodcumque ligaret super terram, etiam ligatum sit in cœlis *Matth* 16 Iuxta *cap Manet* 24. *quæst.* 1. vbi dicitur, *Manet ergo Petri priuilegium vbicumque ex ipsius aquitate fertur iudicium nec nimia seueritas vel remissio est, vbi nihil erit ligatum vel solutũ nisi quod Beatus Petrus aut ligauerit aut soluerit.* Quod caput desũptũ est ex D. Augustino *tract.* 50. *ad c.* 12. *super Ioannẽ* Hanc antẽ authoritatẽ & potestatem Petri, hæreditauit eius in Romana Cathedra successor, & qui eũ in hunc vsq; diem legitimè secuti sunt: cùm ea nõ minus necessaria sit Ecclesiæ Dei quæ nunc est, atq; ei quæ erat temporibus Apostoli Petri. Vide *cap Cuncta per mundum* 9 *quæst.* 3. *cap. Quodcumque* 24. q. 1. Bellarminum *tom.* 1. *controuers. gener.* 3 *lib.* 2 *c.* 12. *& seq.*
Bellarm.

8. Quandoquidẽ Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, vt habetur 1. *Timoth.* 3. & omnis veritas nitatur auctoritate Ecclesiæ, vt solum verum sit, quod ipsa probet falsũ quod ipsa reprobet Hinc Ecclesia, cùm sit sancta, non potest errare neq. docere aliquid falsũ in fide, neque in moribus aliquid iniustum Probatur: quia Christus, vt caput Ecclesiæ continuè ei adest, eamq. gubernat. *Matth.* 28 eique dedit Spiritum sanctũ, cõtinuũ Doctorem omnis veritatis. *Ioannis.* 16. Proinde Apostoli in primo suo Cõcilio decernentes de proposito dubio pei, concluserunt in hæc verba. *Visum est Spiritui sancto & nobis* Act. 15. Quam conclusionem etiam sequentia Concilia decretis suis meritò addiderunt.

Sed petes, quænam sit ista Ecclesia, quę errare non potest, & cuius doctrinæ infalibiliter hærendum est? Respondeo, *Primò*, quod est ista quæ dicitur formaliter, & verè Ecclesia, & est omnis populus fidelis per totum orbem maximè Deo vnitus per charitatis amorem, *Secundò*, quæ dicitur formaliter, & repræsentatiuè: & est Concilium generale legitimè congregatũ. *Tertio*, quæ, dicitur virtualiter, & formaliter simul, & est Ecclesia Romana, quæ est caput omnium Ecclesiarũ, virtualiter continens auctoritatem totius Ecclesię. *Quarto*, quæ est virtualiter, & repræsentatiuè simul, & est Collegiũ Cardinalium cum suo capite, id est, Summo Pontifice, siue Papa, vt est caput Ecclesiæ, vtens auxilio siue consilio membrorum suorum, quantum potest ad indagandum veritatem. Non autem est Papa, vt singularis persona, & Doctor qui in hæresim etiam notoriam incidere potest, ob quam dignus sit, vt ab Ecclesia deponatur, uel potiùs, vt præcisus declaretur. Et hoc dictum sit iuxta probabiliorem sententiam Caietatani *opuscul. de auctor Pap. c.* 08. *& seq.* Bannez 2. 2. *q.* 1. *a.* 10 *dub* 2. Azorii *tom.* 2. *l.* 5. c. 5 & aliorum quos refert. & sequitur Laym. *l.* 3. *tract.* 1. 71 *n.* 1. De his vide Bellarm. de Romano Pontif. *lib.* 2. *c.* 8c.. & *lib.* 4. *c.* 2 4. & 6. Et de Ecclesia militante *lib. c.* 14.
Caiet. Banhez Azor. Layman Bellarmini

9 Ecclesia visibilis non potest deficere: & nõmine Ecclesiæ non intelligimus vnum, aut alterum sed multitudinem congregatam, in qua sint Prælati, & subditi. Probatur *Primo* ex dicto Christi ad Petrum. *Matth.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Et ex illo Pauli 1. Timoh. 3. *Vt scias, quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* In vtroque loco agitur de Ecclesia visibili. Et Psal 47. *Deus fundauit eam in æternum*, id est, Ecclesiã suam, quæ est ciuitas eius, vt Augustin. exponit; nam totus Psalm est de fundatione Ecclesiæ Christianæ tanquã nouæ & visibilis ciuitatis. Probatur hoc idem naturali ratione. Nam si Ecclesia aliquando deficeret: Deus non satis prouidisset hominem saluti: quia tempore defectionis nullus esset vsus Sacramentorum, per quę peccatores possunt reconciliari Deo, & infideles, aut hæretici pœnitentes recipi in Ecclesiam. Non enim possunt saluari, nisi in Ecclesiam ingrediantur, quemadmodũ tempore Noè peribant necessario, qui non habebant aditum ad arcam: at non possent ingredi in Ecclesiã, quam ignorant, igitur non haberent remedium. Propterea, de ratione vnius veræ Ecclesiæ est, vt sit visibilis, ergo si Ecclesia visibilis periit, nulla vera Ecclesia remanet. Vide Bellarm. *de Ecclesia militante l.* 3. *cap.* 13.
D. August.

10 Christus Dominus Ecclesiæ suæ non solum dedit potestatem iudicãdi de dubiis in fide, ac Relgione: sed & de omnium hominum vita, ac moribus: & eos quidẽ qui pœnitentes veniam merentur, absoluendi à delictis suis alios autem qui pœnitentiam agere, emendarique nolunt, ligandi & grauis corrigendi, vt dictum est supra *verb. Clauis.* Hanc potestatem exercuit S. Petrus contra Ananiam, & Sapphiram *Act.* 5. & Apostolus Paulus cõtra incestuosum 1. *Corrinth.* 5. Contraque Hymęneum, & Alexãdrũ hęreticos, aut Pseudo Doctores 1 *Timoth.* 1. Propterea hi Apostoli appertè tradiderunt, non solùm spiritualem correptionem in Republica Christiana fore, sed & externam corporalem, per eos qui gladiũ portant. *Roman.* 13. 1. *Petri* 2. Hi enim diuina ordinatione constituti sunt velut executores mãdatorum Dei, & Ecclesiæ, vt iidem Apostoli testificãtur. Ex quibus sequitur omnem potestatẽ, tam spiritualẽ, quã externã esse apud Ecclesiã. Quemadmodũ piè & verè D. Bernard. Epist. 256 ad Eugeniũ scripsit his verbis: *Vterq; gladius est Petri, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, educendus.* Atque vtriusque huius correptionis presagiũ præcessit, cùm Christus Dominus, iam proximus Passioni suæ, iuberet discipulis, vt emerent gladios: ipsisq; respondẽtibus, Domine, ecce duo gladii hic. Subiũgeret satis est. *Luc.* 22
Bellarmi. D. Bernard

11 Ecclesia, id est, Concilium generale à Sede Apostolica, siue Summo Pontifice legitimè congregatum, & approbatũ: vel ipse Sũmo Pontifex cum Collegio Episcoporũ, iudicat de Scripturę sacrę libris, qui veri sint, aut

non veri. Iudicat quoque de versionibus eiusdē in alias linguas, quæ probæ sint, quæve adulterinæ. Iudicat denique de interpretatione eiusdem, quæ vera sit, quæ falsa, absurda, hæretica. Ratio horum omnium est, quia Scriptura sacra, vt libris inscripta, sibi ipsi testimoniū dare nō potest, quòd in his, & non in aliis libris cōtineatur: nec ex seipsa potest dicere, hanc aut illam versionem, vel interpretationem librorum Scripturæ sacræ esse verā, alterā falsam. Tum quia & apud Politicos in rebus dubiis, leges ipsæ non iudicant: sed iudex cum suis assessoribus secundùm legum præscripta. Cùm ergo in dubiis de fide, ac Religione, plus quàm in dubiis negotiorum Politicorum necessaria sit iudicis alicuius auctoritas, atque iudicium: non possunt in orbe terrarum meliores inueniri Iudices tales, quàm qui singulariter ad hoc munus, velut diuinitus vocati sunt & errare non possunt. Cumque Deus potestates in terris distinxerit: alienū est ab ordinatione eius, vt laici iudicent de rebus fidei ac Religionis. Vide *cap. Bene quidem, cap. cum ad verum, cap. Si imperator distinct. 96.* Prædicta confirmantur à sacro Concilio Trid. *sess. 4. Decret.* ad his verbis: *Preterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo, sua prudentia innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquēs contra eum sensum, quem tenuit & tenet S. Mat. Ecclesia cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarū sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrū ipsam Scripturam sacram interpretari audeat etiā si huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint per Ordinarios declarentur & pœnis à iure statutis puniantur* Vide Bellarm. *to. 1. contr. gener. 1. l. 3. c. 3 & seq.* Bellarmin.

12 Antequam Ecclesia aliqua construatur fundamenti locus, & atrium Prælati iudicio designari debet & pridie lignea Crux in loco, vbi Altare erigendum est, figi debet sequenti die primarius lapis, cui impressa sit Crux, in fundamento ponendus est *cap. Nemo Ecclesiam ædificet antequam Episcopus ciuitatis veniat, & ibid. crucem figat publicè atriu designet, & ante præfiniat qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam & ad stipendia custodum sufficiunt & ostensis donatione sic domum ædificet: & postquam consecrata fuerit atrium eiusdem Ecclesiæ Sācta aqua conspergat.* Ita Conc. Brac. 2. c. 6.

Conc. Brac. II.

Præterea nulli licet Monasterium, siue Ecclesiam, vel orationis domum ædificare, antequam ab Episcopo suo licentiam obtineat. Ita sancitum fuit in Concil. Agatensi *cap. 58.* sub his verbis De *Monachis Monasteriū nouum (nisi Episcopis permittente, aut probante) nullus incipere aut fundare præsumat.* Refert. hic Canon in secunda parte Decretorum *caus. 18 q 2.* Cui accedit Concil. Trident. *sess 25. c. 3. de regul.* sub his verbis *Nec de cetero similia loca erigantur sine Episcopi in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.*

Conc. agat.

Conc. trid.

13 Præter licentiam Episcopi requiritur etiam auctoritas Summi Pontificis in erigendis Monasteriis, & Ecclesiis regularium, vt habetur *in cap. 1. de excessibus Prælat. & in c. vnic. de relig. Domibus in 6.* vbi prohibetur ne Prelati Religionū recipere possint Conuentū aliquem seu locum, absq; speciali licentia Sedis Apostolicę non obstantibus quibuscumque priuilegiis, si de huiusmodi prohibitione mentionem specialem non fecerit Nec Conc. Trid. *loco cit.* abrogauit dispositionem iuris communis, sed præterea statuit, vt adhibeatur altera loci ordinarii licentia, quod declarauit Sacra Congregatio, vt refert Campanil *in diuers. iur Canon. rubric. 12. cap. 13. num. 80.* Quamuis contrarium teneat Sorbus noster *in compend. mendic verb Ædificare in annot circa, §. 20.* dicens, quod nunc sufficit licentia Diœcesanorum, absque alia Summ. Pontificis auctoritate prius requisita *in cap. 1. de excessib. prelat. in 6* Sed prædictam sententiam tenet etiā Hieronym. Rodrig. *in compend. q. regul. res. 55.* Miranda *to. 1. manual. prælat q 33. art. 1. concl. 3.*

Sorbus

14 Circa ædificationem nouorum Monasteriorum, seu Ecclesiarum regularium multæ Religiones obtinuerunt à Sede Apostolica uaria priuilegia, prout uidere est *in compend. priuileg. mendicant verb. Ædificare,* Inter quæ unū notabile & nuiquā alias concessum recensetur & Iulii II. datū Fratribus Ordinis Minorū sub Bulla Authentica: vt, silicet, domos, seu Ecclesias, loca, & Oratoria quæcunque, pro eorum perpetuo vsu, & habitatione possint construere, & ædificare, seu construi, & ædificari facere, absque alia desuper facienda noua concessione Apostolica; & quod prædicti Ordinis conseruatores, quoties opus fuerit, eisdem Fratribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant: ac ne Prælati Ecclesiastici quicunqe, cuiuscunque dignitatis existant, illos in aliquo damnificare, molestare, perturbare, ac inquietare vllatenus audeant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhibere possint. Habetur hoc priuilegium *in supplem. conces. 27.* & refertur *in conpend. priuileg. Mend. verb. Ædificare. §. 20.*

Ex concessione Pauli V. Constit. 10. quæ incipit *Ad Ecclesia,* anno 1605. possunt Fratres Ordinis Carmelitarū Discalceati de sola licentia Ordinarii vbique noua Monasteria ædificare. Idem obtinuerunt ab eodem Pontifice Monachi Beatæ Mariæ Fuliens. 1608. ex Constitut. 51. quæ incipit, Monasterio, &c. Paulus V

15 Omnia priuilegia, & concessiones erigendi nouos Conuentus, & Monasteria, reuocauit sacra Cōgregatio Eminentis. Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præpositorum Gregorio XV approbante sub die 17. Augusti 1621. & nouissimè Vrbanus VIII. in sua Constitut. 25. quæ incipit, *Romanus Pontifex,* sub die 28. Augusti 1624 reuocauit, & annullauit omnes licentias à prædecessoribus suis concessas, fundandi, erigendi & instituendi vbique locorum Monasteria. Domos, Cōuentus, Collegia, & alia loca regularia, seruata sacrorū Canonum, & Concilii Tridentini forma, de sola Ordinarii licentia, seu etiam non seruata forma, & absque licentia huiusmodi. Proinde modus hodie obseruādus ab Episcopis in concedenda licentia pro Monasteriis nouis ædificandis, desumendus est, ex Const. Clemētis VIII, Greg. XV. & Vrbani VIII. quarum tenores hic ponuntur.

Greg. XV. Vrb. VIII.

BVLLA CLEMENTIS VIII.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam ad institutam regularium locorum, & personarum reformationem promouendam, & conseruandam maxime pertinet, vt in quibuscunque Domibus, & Monasteriis, is tantum numerus Religiosorum, qui commodè ibidem ali possit, contineatur, ac eo spectat, vt in quibuscunque ciuitatibus, & locis noua domus, & Monasteria, præsertim mendicantium non erigantur, nisi in eisdem ciuitatibus, & locis aliorum domorum, & Monasteriorum in eis existentium habita ratione, commodè sustentari posse dignoscatur.

Hac igitur nos consideratione ducti, & in præmissis pro nostro Pastorali munere opportunè prouidere volētes, motuproprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione deque Apostolica potestatis plenitudine, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super consultationibus & negociis Episcoporum & Regularium præpositorum, harum serie declaramus locorū ordinarios non posse licentiā ad nouos conuentus cuiusuis etiam mendicantium Ordinis in ciuitatib. & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis, erigendos impartiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem ciuitatib. & locis existentiū Conuentuum prioribus, seu procuratorib. & aliis interesse habentib. & causa seruatis seruandis cognita constiterit in eisdē ciuitatib. & locis, nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse Si uero ab eorum in huiusmodi causis & sententiis ad nos & Apostolicam Sedem prouocari, et appellari contingerit ipsos ordinarios tandiu erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere quousque à nobis & Apostolica Sede in eadē causa pronūciatum extiterit; irritū nichilominus, & inanne decernentes, quidquid secus super his à quoquā quauis auctoritate scienter uel ignoranter contingerit attentari Quocirca uniuersis venerabilibus Fratrib. nostris, Patriarchis Primatib. Archiepiscopis.

copis.

copis. Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per præsentes in virtute Sanctæ Obedientiæ, districtè præcipiendo mandamus, vt præsentes nostras literas obseruent, & obseruari curent, & faciant. Non obstantibus quibusuis Apostolicis ac Vniuersalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, ac quibuscumque statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, & Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & singulis earũ tenores præsentium pro expressis habentes hac vice duntaxat, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ ipsis præsentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Dat. Romæ apud S. Marcũ. sub annullo Piscatoris, die 23. Iulij, anno 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Confirmatio, & ampliatio Constitutionis Clementis VIII. circa nouorum Conuentuum Regularium erectiones.

CVm alias fel. rec. Clemens Papa Octauus decreuerit Ordinarius locorum licentiam ad nouos Conuentus cuiuscumque, præsertim Mendicantium Ordinis, in ciuitatibus, & in locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impertiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdẽ ciuitatib. & locis existentiũ Conuentuũ Priorib. seu Procuratorib. & aliis interesse habentibus, & causa seruatis seruandis cognita, in eisdem ciuitatibus & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse constiterit. Si vero ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam prouocari, & appellari contingeret ipsos Ordinarios tamdiu erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere, quãdiu à dicta Sede in ea causa pronunciatum extiterit, ac alias, prout in decreto huiusmodi plenius continetur. Verũ per piæ memoriæ Paulum Papam V. accepta plerosque ex Ordinariis prædictis fauore, vel nimia exposentium importunitate ad nouos Conuentus, seu domus præter & contra tenorem prædicti decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, vt non habita debita eleemosynarum, seu redditnum cuiuscumq. monasterii conuentus, seu domus ratione monachi, seu Fratres aut religiosi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur vt cultus diuinus in eorum Ecclesiis destituatur ibique regularis disciplina vt conuenit, conseruari non valeat.

Sacra Congregatio D D. Cardinalium negotiis Regularium proposita, ad quam idem Paulus Papa V. negotiũ huiusmodi reiecerat, tot incommodis obuiam ire, eisq. aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti huiusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro plenè, & sufficienter expressis habens, viuæ vocis oraculo a S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, decretum prædictum quatenus opus sit, innouat, & in vsum reducit. Volens, quod de cætero monasteria, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cuiuscumque, etiam mendicantium Ordinis, Societatis, & Instituti quocumque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset in quacumque ciuitate vel oppido, seu quacumque alio loco non erigantur nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut monachi, seu Religiosi inhabitare ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant ac Priores, seu Procuratores aliorum monasteriorum, Cõuentuum, seu Domorũ aliarum Religionũ vel Congregationum, seu Societatũ aut Institutionum huiusmodi, non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuũ circumuicinis locis ad id vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alias Ordinariis locorum constiterit, Religiosos monasterii cõuẽtus seu Domus regular. sic erigendi, seu erigẽda absq. detrimẽto Religiosorum in monasteriis seu Domibus antea in ciuitatibus seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commode, & congrue manuteneri, & ali posse. Si vero noui cõuentus Domus Congregatio, Societas huiusmodi instituendæ erunt nullique alii regulares inibi reperiantur Ordinarii locorum nihilominus diligenter incole & habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibeãt, huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, vt præmittitur, instituendos, commode alere & manutenere valeant. Si vero à decreto seu Decretis per ordinarios prædictos in causis huiusmodi ferendis legitimè appellari contingerit, ex nunc, prout, ex ea die, qua appellatio interponetur ea ad eandem sacram Congregationem vna cum toto negotio principali deuoluta censeatur appellatione que huiusmodi pendente nihil innouandum esse, irritumque, & inane, quidquid secus his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari, decernentes, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Romæ 17. Augusti, 1622.

BVLLA VRBANI VIII

VRBANVS PAPA VIII

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, cui Saluator, & Dominus noster qui charitas est, & Deus pacis vniuersalis Ecclesiæ credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & maioribus ex causis quibus præsertim personarum sub suam Religionis iugo Altissimo famulantium, paci, & quieti consulitur litibusque, ac controuersiis inter eos obuiam itur, reuocat & immutat, in hisque Pastoralis solicitudinis, & prouidentiæ suæ studium interponit, prout rerum, & temporũ qualitatibus debita pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Cũ itaq. sicut nobis innotuit cõplures licẽtias, siue facultates a nonnullis Romanis Pontificibus prædecessorib. nostris, per diuersos Ordinũ etiam Mendicãtiũ Congregationum, Societatum, & aliorum Regulariũ Institutorum, Superiores, seu alios eorum nomine, vbique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conuentus, & alia loca regularia, quouis nomine nuncupata, seruata dumtaxat sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini decretorum forma, de sola Ordinarii licentia seu etiam forsã, & absq. licẽtia huiusmodi & cõtra decreta à Sede Apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel alias obtento, & extorte fuerint. Idcirco nos omnes, & quascumq. licentias ac facultates huiusmodi literasque desuper, tam sub plumbo quam in huiusmodi forma Breuis desuper expeditas earumque tenores etiam veriores, & dat. præsentib. ac si specificè & sigilatim exprimerẽtur, & in forerentur pro plene & sufficienter expressis, & ad uerbum insertis habentes, iustis de causis animum nostrum mouentibus, motu proprio, non ad nobis super hac oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, dèque Apostolica potestatis plenitudine, omnes & quascunque licentias, & facultates huiusmodi literasque desuper, tam sub plumbo, quam in eadem forma Breuis expeditas, omniaque, & singula in eis quomodolibet cõtenta, & expressa, etiã quoad, erectiones, fundationes, Institutiones Monasteriorũ Collegiorum, Domorũ, Conuentuũ, & aliorũ Regularium locorum huiusmodi, quæ suũ nondũ sunt effectum, tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, uiribusque, & effectu prorsus priuamus. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus quocunque nomine nuncupatis, cæterisque personis ad quas spectat, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum quorũcunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurũ obtinẽda, nec non etiam excommunicationis ipso facto incurrẽdis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licẽtiarũ, seu facultatũ per nos, vt præfertur, reuocatarũ, & ãnullatarũ, siue alio quouis prætextu, vel causa,

etiam quantumuis priuilegiata, noua Monasteria, Collegia, Domos, Conuentus, & alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia sacrorum Canonũ, & Conc. Trid. nec non constitutionib. fel. rec. Clement. VIII. quæ incipit Quoniam ad instantiam, sub dat. Romæ apud Sanctum Petrũ sub annulo Piscatoris, die 23. Iulij, ac Decretorum, de mandato eiusdem Clementis nec non immort. mem. Gregorij XV. Roman. Pontif. prædecessorum super editorum forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incœpta finire, & absoluere audeant, seu præsumant.

Decernentes, præsentes literas, etiam ex eo, quod causæ propter quas illæ emanarint, expressæ, & verificatæ, & iustificatæ, aut q̃ cumq. in præmissis interesse habentes, seu habere prætẽdentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint neque illis consenserint, vel alias ex quibuscumque capite, præ extu, colore, ingenio, vel causa subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio q̃uouis defectu notari, impugnari, redargui, refringi, retractari, in ius, vel controuersiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quoduis gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse, sed eas, ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosq. plenarios ac integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tẽpore quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari, sicq; & nõ aliter per quoscũq. iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardin. de latere Legatos, & Nuncios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inanè, si secus super his à quoquam quauis auctoritate sciẽter vel ignoranter cõtingit attentari. Quocirca venerabilib. Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel aliũ, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumq; solemniter publicari illasq. ab omnibus, & singulis ad quas spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari faciãt, rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantib. præmissis ac regula nostra de iure quæsito non tollen. & fel. memmoria Bonifacij Papæ VIII similiter prædecessoris nostri de vna, & in Concil. gener. edita de duab. dietis dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentiũ ad iudicium non trahatur aliisque constitutionib. & ordinationib. Apostolicis, ac quorumcumque ordinum, congregationum, Societatũ & Institutorum Regulariũ, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus priuilegiis quoq; indultis, etiã mare magnũ, vel alias quomodolibet nuncupatis, & literis Apostolicis illis eorumque Superiorib. & personis, sub quibuscumq; tenorib. & formis ac cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis aliisq; efficacioribus & insolitis causalis ac irritantib. & aliis decretis in genere vel in specie etiã motu proprio & consistorialiter, ac alias quomodolibet in cõtrarium præmissorũ quomodolibet cõcessis, cõfirmatis, & sæpius innouatis Quib. omnibus. & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis specifica expresse, & indiuidua, ac de verbo ad uerbũ, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habẽda, aut aliqua alia requisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omniũ tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbũ insertis habẽtes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisq. contrariis quibuscumq. Volumus autem, quod præsentis in valuis Basilicarum S. Ioan. Lateran. & Principis Apostolorũ de Vrbe ac in acie Campi Floræ, vt moris est, affixa, omnes quos illa concernunt, ita arctent, & efficiant perinde ac si vnicuique personaliter intimata fuissent. Quodque earumdẽ præsentiũ transumptis etiã impressis, manu alicuius Notarii publicis, subscriptis, & sigillo personæ dignitate Ecclesiasticæ constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 28. Augusti, 1624. Pontificatus nostri anno secundo.

Circa prædictas Constitutiones occurrit *dubium primum*, an licentia Ordinariorum sit necessaria, quando regulares ampliare volunt Monasteria, quę habent? Respondeo negatiuè. Ratio est, quia additamentum iudicatur, sicut Monasterium vetus, & antiquum, & cui additur, siue addi potest noua fabricę constructio absque noua licentia. Quod colligitur ex *c. final. de concess. præbend. in 6*. Et docent Rodrig. *tom. 2. qq regul. q. 50. ar. 9.* & eius compendiator Hieronymus Rodriguez *in compend. resol. 55. n. 10.* Pellizzarius *in Manuali. 8. c. 7. n. 91.*

Em. Rodr. Hier. Rod. Pellizar.

Dubium secundum. An Ecclesia, seu Monasterium, possit mutari de vno loco in alium, sine licentia Papæ, & Diœcesani; Respondeo, quòd *in c. ex eo de excess. Prælat.* in 6. id prohibetur fieri sine licẽtia Sedis Apostolicę, quia in textu habetur, *vel recepta mutare*. Concilium autem Tridentinum *sess. 25. ca. 3. de regular.* quoad hoc, prædictum ius antiquum non reuocat, solùm enim ait, quòd nec de cętero similia loca erigantur, siue Episcopi, in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta, & nullam mentionem faciens de locorum mutatione voluit, vt illud remaneret in dispositione iuris communis. Ad minus licentia Episcopi necessaria est ex iure communi vt Monasterium ad alium locum transferri possit, ex *c. si quis vult. 16. q. vltim.* vbi habetur *Si quis vult Monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi, & Fratrum suorum, & dimittat Presbyterum in priori loco ad ministeria Ecclesiæ*. Vnde bene notat Rodrig. *cit. q. 50. a. 9.* quod excommunicatio lata prædicto *c. ex eo*, &c. & *in Clement. cupientes, de pœnis*, nõ comprehendit eos qui mutant in eodem loco eadem Monasteria verbi gratia, existentia in valle, mutant ad colles propter sanitatem: quia illud verbum de nouo positum in dicta Clementina, & in aliis iuribus, non intelligitur nouum quod fuit & postea defuit esse, & iterũ renouatur: solum ergo intelligitur in hoc loco nouũ quod denuò acquiritur, vel nouo quæritur titulo, non autem quod renouatur. Ita Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 12. num. 78.* Refertur à dicto Eman. Rodriguez *loco citato artic. 4.* magnum priuilegium, & multum notandum concessum a *Sixto V. Papa* anno 1587. Septimo Kalendas Decembris Pontificatus sui anno tertio, quòd *Abbas generalis Congregationis S. Benedicti Regnorum Portugaliæ, cum consilio, & assensu Capituli generalis, Monasteria dictæ Congregationis, quæ in locis incommodis, & minus populosis reperiantur, ad commodiora loca possit transferre, & mutare propria auctoritate Ordinariorũ locorũ, vel cuiusuis alterius licẽtia minimè requisita*. Quo priuilegio gaudent aliæ Religiones communicationẽ priuilegiorũ habentes, Pellizar. *loco cit. n. 140.*

Con. Trid.

Rodrig.

Barbosa. Rodrig.

Sixtus V.

Pellizar.

Dubium tertium An Bulla *Clementis VIII.* de non danda licentia Mendicantibus ædificandi noua Monasteria, comprehendat hospitia? Videtur respondendum negatiuè: quia appellatione Monasteriorum, non venit hospitium. Nihilominus, si in huiusmodi hospitiis congregator talis numerus Religiosorum, qui indigeant ad victũ quotidianũ mẽdicare, & eleemosynas in locis, & oppidis vicinis prædicti hospitii quærere non tam forsitan pro suis, quã pro aliorum suorũ confratrum alibi degentiũ, necessitatibus subleuandis dicendũ forma esset huiusmodi hospitia etiam esse prohibita ædificari non seruata Bullæ Clem. Ratio est, quia hoc videtur fieri in fraudem aliorũ regularium, interesse in hoc habentiũ licet enim huiusmodi domus, hospitii nomine, nuncupetur, in re tamẽ est Conuentus, & Congreg. personarum Regulariũ Mendicantium, & sic contra mentem Pontificis similia loca ędificarentur, vel ædificata acceptarentur non seruatis seruandis in prædicto motu proprio. Pleràque similia hospitia in nonnullis huius Belgii partibus cernere licet quorum inhabitantes religiosi, non sine magno incommodo aliorum Regularium Mendicantium inibi Conuentus habentium, per vicos, & plateas circumquaque ab ipsis rusticis plerumq; inuitis magnã eleemosy-

narum

narum copiam sæpius cum magna improbitate extorquent.

Hinc Doctores dicentes appellatione Monasterii non uenire hospitium, intelligendi sunt de hospitio Religiosorum, qui ex propriis bonis, & censibus viuunt non autem mendicantium.

Dubium quartum. An Ordinarius concedere possit licentiam construendi noua Monasteria absque cognitione causæ. Respondeo dispositionem Bullæ Clementis VIII. adeò inducere formam, & esse de substantia, vt eius omissio vitiet concessionem. Ratio est, quia in prædicta Bulla habetur clausula decreti irritantis, quæ nullitatem operatur, & in oppositum omnia destruit; ita vt per clausulam illam inficiatur omnis titulus, & possessio, quæ prætenditur capta. Vide Tamburinum *to. 3. de iur. Abbat. disp. 5. quæst. 1. n. 11.* Nihilominus ex eo quod Vrbanus VIII. Idibus Maii 1625. priuilegia Dominicanorum restituit, Pater Bruno Castaing. *de priuileg. regul. c. 6. propos. 12.* ponit hanc conclusionem. Regulares Prælati possunt erigere Monasteria, seu Conuentus, absque Episcopi Diœcesani licentia, & de illius consensu idem possunt, nullius alterius siue regularis siue sæcularis cōsēsu requisito. Proinde infert idē Auctor posse regulares circa ædificationē Conuētuū, quod ante Clement. VIII. poterant: quod vsus in Gallia contrarius prædictis Constitutionibus Clementis, Gregorii, & Vrbani ostendit, cùm huiusmodi Monasteria aliqua, solius Episcopi licentia, aliquando etiam ipso contradicente ædificentur. An autem hæc probabiliter dicta sint, tu Lector iudica.

16 Ecclesias consecrare solus Episcopus de iure potest, vt habetur *in capit. Nemo, de consecr. dist. 1.* Et Episcopus debet esse proprius, non autem, extraneus, nisi de licentia proprii, *c. Tua fraternitas, de consecrat. Eccles. vel altar.* qui non potest Ecclesiæ consecrationem aliis, quàm Episcopis committere, ut habetur *cap. Aqua* eodem titulo, his verbis, *Aqua per Episcopum Benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes. Non obstante consuetudine Prouincia Bracharensi. (quæ dicenda est potius corruptela) quia licet Episcopus cōmittere valeat quæ iurisdictionis existunt, quæ Ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Ita Gregorius Papa Nonus Astoricen. Episcopo. Ex quo colligitur nullam fore consecrationem Ecclesiæ factam à simplici Præsbytero ex mandato, & commissione Episcopi. Tamen ex delegatione Sedis Apostolicæ bene posset simplex sacerdos Ecclesias consecrare, vt docēt Glossa, Innocent. & Doctores *in d. c. Aqua*, Azorius *tom. 2. l. 10. c. 26. q. 10.* Multò magis hæc facultas, ex priuilegio speciali Romanorum Pontificum posset Abbatibus competere, quamuis hactenus alicui id concessum non legatur.

17 Licet extraneus Episcopus non possit Ecclesias consecrare quamuis exemptas, absque Diœcesani licentia, qua incideret in pœnam constitutam à Concil. Trid. *sess. 6. c. vlt. de reform.* quæ est suspensio ab exercitio Pontificalium. Tamen si Episcopus Diœcesanus à regularibus requisitus, eorum Ecclesias consecrare noluerit, quilibet alius Episcopus idipsum facere poterit, per speciale priuilegium concessum ab Honorio Papa IV. Fratribus Minoribus, vt refertur *in compend. priuil. Mendicant. v. Altare, §. 2.* & per aliud concessum Fratribus Carmelitanis à Ioanne Papa XXI. prout refertur *in eodem compēd. v. Benedicere Ecclesiastica §. 3.* Nec uidentur huiusmodi priuilegia abrogata per Conc. Tridentinum *sess. 6. c. vlt. de reformat.* vbi præcipitur, quòd nullus Episcopus in alterius Diœcesi, sine ipsius licentia Pontificalia possit exercere, cuiuscumque priuilegii prætextu, &c quia quoad hoc supradicta priuilegia non censentur esse priuilegia, sed continere ius commune, dummodo fit petita licentia iuxta *cap. 1. de supplend. neglig. Prælat.* & *c. nihil est, §. vlt. de elect.* uide Mirandam *in Man. Prælat. tom. 2. q. 39. art. 1. concl. 3.* Barbosam *de offic. & potest. Episcop. p. 2. allegat. 27. numer. 11.*

Quibus modis Ecclesia censeatur polluta, diximus *to. 1. v. Sacrilegium 1, nu. 6. 7. & 8.* Et quis possit eam reconciliare *ibidem*.

18 Ecclesia potest agere contra suum Prælatum, qui passus est, & res, & iura eiusdem Ecclesiæ præscribi. Ita Glossa *in capit. final. 2. quæst. 4.* Felinus *in cap. Accepimus, de fid. instrum.* Imò iuxta Glossam *cuat.* Si Prælatus neglexit acquirere Ecclesiæ, vbi potuit, tenetur ad interesse lucri cessantis. Nec refert Prælatos regulares nihil proprii habere, ex quo possunt huic lucri cessantis damno satisfacere, & sic excusantur à solutione æris alieni. Respondeo, excusari quidem in foro exteriori, non tamen in conscientia, quia arctissimum commissæ negligentiæ rationem coram Deo sunt reddituri. Hinc Prælatis malè administrantibus, & consersationem bonorum, & iurium suæ Ecclesiæ, seu Monasterii negligentibus, subditi resistere debent, vt docet Abbas, *in cap. Per inquisitionem, de elect.* Notandum tamen est, Prælatos Ecclesiasticos non teneri rapientibus bona, & iura suarum Ecclesiarum per uim, aut imperium resistere uim ui repellendo, vt docet D. Ambrosius, & refertur *in cap. Si tributum 11. q. 1.* sub his verbis: *Si tributum petit imperator, non eo negamus; agri Ecclesiæ soluunt tributum. Si agros desiderat imperator, potestatem habet vendicandorum, tollat eos, si libitum est Imperatori non dono, sed non nego.* Et ideò non debent hac ratione puniri neque contra eos debet agere Monasterium, cùm sacri Canones in casu dicto, & similibus Prælatos excusent. Loquitur tamen dictum, *c. Semper de imperatore*, vt ostendatur, quod præter maiestatem Imperialem, vel similem, liceat vim ui repellere, defendendo iura, bona & priuilegia propriarum Ecclesiarum, sicuti fecerunt multi Prælati, qui usque ad sanguinis effusionem ad iura Ecclesiastica tuenda desudarunt.

Vide verb. Benedictio *numer. 13. & 14.* Confessio *numer. 9. & 10.* Emphyteusis *numer. 4. & 6.* Exemptio *num. 7.* Matrimonium *1. num. 8.* Restitutio integr. *num. 11. & seq.*

ELECTIO

SVMMARIVM.

1 *Electio quid sit. Et de triplici eius forma.*
2 *An substantiæ electionis per scrutinium faciendæ, exigat numerum trium scrutatorum qui sint de collegio.*
An iuramentum ante electionem sit ab Electoribus præstandum.
An de substantia electionis sit, ut absentes vocentur, qui habeat ius suffragii.
3 *An in electionibus per scrutinium, suffragia sint danda pura, & certa.*
4 *De forma eligendi per compromissum.*
An potestas data compromissariis possit reuocari.
De pœna compromissariorum, si indignum eligant.
5 *De tertio modo eligendi, qui est quasi per inspirationem diuinam.*
6 *An in electionibus ex Concil. Tridentino, vota debeant ferri secretò, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.*
Et an elector absens ualeat exprimere uotum suum per litteras, vel procuratorem.
An sit contra secretum electionis si elector ante uel post electionem suum uotum publicet.
7 *Iure communi electio ad collegium pertinet.*
An possit sequi canonica electio, quando duo tantum sunt electores, & vnus de collegio eligendus est.
8 *Qui iure priuantur potestate, & facultate eligendi.*
An peccet qui uoci actiuæ renunciat?
An qui renunciauit uoci actiuæ possit eam reassumere?
9 *Qui à superiores, & Prælatos eligi non possint, & iure prohibeantur.*
10 *Ad animarum curam eligendi sunt digniores, sub pœna peccati mortalis.*
Et quis dignior sit censendus, etiam quoad Prælaturas regulares.
An electores semper peccent mortaliter etiam in parua citra materia, qui in electionibus iuraant se magis idoneum electuros.

11 Ante.

11 *An teneatur ad restitutionem & peccet mortaliter qui ad officia sacularia, omissis aptioribus, eligit & assumit minus idoneos.*

12 *Quando electus non possit consentire in sui electionem: Et in quibus casibus teneatur.*

13 *An regularis ex ordinibus Mendicantiũ, canonicè electus, ad aliquam Pralaturam extra suum ordinem, ius aliquod sibi acquirat, sine consensu Superioris.*

14 *Pœna subornantium in electionibus Ordinum regularium. Quid propriè sit subornatio. Et an dicta pœna contra certas quasdam religiones lata, per communicationem extendatur ad alias.*

An electores committant simoniam paciscendo, Elige tu illum, & ego eligam istum quem tu proponis.

An in electione liceat vti subornatione contra subornationem.

15 *Fratres Minores de Obseruantia & Pradicatores recurrentes ad personas saculares, mendicantes fauores ad obtinenda intra ordinem officia, excommunicantur, & priuantur voce actiuâ & passiua & omnibus officiis ordinis.*

1. ELectio, propriè, & strictè sumpta, *est alicuius persona, ad Pralaturam, seu dignitatem, vel fraternã Societatem, canonicè facta vocatio, confirmatione Superioris legitimè approbata*; quod additur, quia electio necessariò requirit factum alterius, hoc est Superioris cõfirmantis. Dicitur autẽ *Canonicè facta vocatio*, quia in eà obseruare oportet formam à sacris Canonibus præscriptam; cùm electio ministrorum Ecclesiæ pertineat ad Summum Pontificem, vt vel ipse eligat, vel præscribat eligendi modum. Panormit. *in rubric. de postul. pralat. num.* 1 Syluester *verb. Electio* 1. Sigismundus à Bononia *tract. de elect. dub.* 1. Filiucius *tract.* 41. *cap.* 3. *num.* 1. Rodriguez *tom.* 2. *qq. regul quast.* 51. *art* 1. Layman. *lib.* 4. *tract* 2. *cap.* 12. *n.* 1 Vnde in Concil. Generali Lateranensi triplex nobis forma electionis assignatur, *ca. Quia propter, de electione, cap. In Genesi, cap. Ecclesia vestra* 1. & 2. *de elect.* Miranda *tom.* 2. *quæst.* 23. *art* 27. *Scrutinii*, scilicet, *Compromissi, & quasi inspirationis*. In electione per modum scrutinii, seu per collectionem suffragiorum, necesse est, vt maior ac sanior pars eorum, quibus competit ius eligendi in vnum consentiat: & si in scrutinio maior eligentium pars in vnum non consenserit, *cap. Auditis. de elect.* iure communi irrita erit electio: propterea conualescere non poterit accessione consensus aliorum, sed nouo scrutinio opus erit: vt habetur in iure. Tamen electio Summi Pontificis conualescere potest per accessum aliorum, si efficiat duas partes eligentium, *cap Licet, de vitanda, de elect.*

Syluest. Sigism. à Bononia. Filliucius. Rodrig. Layman. Miranda

2. Ex definitione Innocentii Papæ *in ca. Quia propter*, duo nobis substantialia innuuntur seruanda, in electione per scrutinium: Primum est, vt scrutatores sint tres, & non plures, nec pauciores aliàs electio facta nõ valet, secundum communem sententiã Hostiensis *in Summ. tit de elect. §. qualiter num.* 11 Syluester *verb. Electio* 2. *nu* 12. *quæst.* 10. Lorichius *in Thesaur. v. Electio, vers.* 2. Azorius *part* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *quæst.* 11. & nostri Sigism à Bononia *cit. part.* 1. *dub.* 19. Crousers *ad cap* 8. *reg S. Franc. lect.* 1 Ratio huius sententiæ est, quia is numerus magis perfectus creditur, & fraudem excludit. faciliùsque tres concordes fiunt, cùm facilè duo discordes esse possint: Si verò collegium nõ sit ita numerosum, vt tres scrutatores constituere possit, non erit hæc forma seruanda, sed quomodocumque electio fiat, tenebit; pro vt docent Abbas, Ioannes *in cap. Quib. propter*, & alii quos citat, & sequitur Rodriguez *cit. art* 2.

Hostiens. Syluest. Lorichius Azorius. Sigism. à Bononia Crousers. Abbas. Ioan. Andr. Rodrig.

Secundum substantiale est, quòd dicti tres scrutatores debeant esse de collegio eligentium, aliàs electio est nulla: vt habet etiam communis opinio, & ratio est, quia præsumitur eos qui sunt de collegio fideliùs tractaturos electionem, nec est honestum, vt qui sunt extra collegium, sciant conscientiam illorum de collegio.

Præterea antequam scrutatores scrutari incipiant, iuxta Rodriguez. *cit. art.* 3. Biaxius *de elect. part.* 3. *cap.* 24. Cucchus *inst. maior. lib.* 4 *tit de elect. nu.* 204. & 205. & alios duplici iuriurando se astringere debent in manibus Præsulis collegii. *Primò* promittere debent bonam in scrutando sinceritàmque fidem, & secretã. Quod autem Rodriguez, & quidam alii dicunt, ab electoribus præstandum esse iuramentum in manibus scrutatorum, de probitate, & integritate seruanda in eligendo, & in religionibus obedientiæ votum esse proponendum electoribus a scrutatoribus Panorm *in c. Quia propter, n.* 11. Mirãd. *to.* 2. *q.* 23. *art.* 29. §. 7. Sigismund. a Bononia *c. p.* 1 *dub.* 25. *n* 3. aduertunt id non posse elici ex dicto, *cap. Quia propter*, nec in alio iure communi, in corpore iuris inserto id reperiri. Restat modo videre, an extra corpus iuris, extet aliquod decretum, ad iuramentum obligans electores, priusquam suffragium ferant.

Rodrig. Biaxius. Cucchus. Panormit. Miranda Sigismund.

In decretis generalibus pro reformatione regularium tam Monachorum, quàm Mendicantium cuiuscumque ordinis, & instituti, editis a *Clement. VIII. anno* 1599 *die* 25. *Mensis Iuly*, extant hæc verba §. 36.

In Superiorum, & officialium omnium electionibus, forma prascripta à sacro Concilio Tridentino, & Ordinis, Constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentque electores, secundum veritatem cuiusque conscientia, probiores ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem conueniatur, in primis, & ante omnia pralegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Pralaturas illi precipuè eligantur qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare prasertim, qua pertinent ad seruitium chori, ac vestitum, & victum commnnem.

Extant hæc decreta in praxi nouitiorum nostri Bartholomæi de Vecchis *disp.* 10. Quæ decreta quãuis ab omnibus regularibus non sint usu recepta, apud nos tamen multis ab hinc annis, tum in Capituli generalis, tum Prouincialis electionibus, prædictum iuramentum practicatur.

Vecchis

Sed petes, *Primò*, an de substantia electionis sit uocare omnes absentes, qui ius electionis habent? Responsio cõmunis est negatiua, vnde electio non idcircò irrita est, & nulla, quòd eam aliquis non fuerit uocatus, qui uocari debuisset, vtpote habens ius suffragii, quamuis irritari posset, eo qui contemptus fuit iniuriam sibi factam prosequente. Ita Syluester *v. Electio q* 5. Miranda *tom.* 2. *q.* 23. *art.* 6. *concl* 5 Portel *uerb. Electio num.* 14. Quorum sententia potest ex iure Canonico confirmari, nam *in c. Quod sicut, de elect.* Innocent III. loquens de uno Episcopo & de vno Abbate, qui electioni debuerant interesse: ita resoluit: *Quod si eos uocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit electio penitus taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curauerint consentire*. Vide *c. in Genesi*, & *c. Coram, de elect.* iuncta Glossa.

Syluester Miranda Portel.

Electio tamen est ipso iure nulla, quando non fuerunt congregatæ saltem duæ partes eorum qui debent, uolunt, & possunt commodè interesse, nec post scrutinium reperitur electum habuisse maiorem partem ipsarum duarum partium habito respectu ad dictos, qui debebant uocari, & non fuerunt uocati; unde in huiusmodi casu nemo eorum electorum, qui sic contempti sunt, potest ratificare, & ualidare talem electionem ipso iure nullã. Ita Panormitanus *in c. Quia propter, de elect. nu.* 5. & 12. Sigismuudus à Bonon *p.* 1. *c.* 2 *dub.* 9. *n* 11. De illis autẽ, qui non sunt uocandi, vel si sint uocandi, vocati tamẽ noluerunt accedere, aut expressè renunciarunt, aut non finita electione recesserunt, non est habenda ratio, nec sũt computandi in numero absentium, seu in numero eorum, qui capitulum, seu uniuersitatem constituunt.

Panormit. Sigismund.

Petes *Secundò*, an electiones canonicæ fieri possint de noctè? Respond. negatiuè, communiter, & regulariter loquendo, in casu tamen magnę necessitatis, bene potest electio fieri nocte, si necessitas multum vrgeat, vt quãdo Electores per diem nõ potuerunt se concordare, & electio debet per eos finiri, tũc ne protrahatur, & differetur, deturq; occasio fraudibus, & subornationibus, bene poterit fieri noctu, modò adsint tria luminaria, ne in dandis seu conscribendis suffragiis aliquod uitium contingat. Ratio prioris est, quia in *c. Quia propter de elect.* electiones clandestinæ reprobantur. Posterioris autem est, quia electio facta non seruata forma iure humano introducta, ualet, si cõcurrunt omnia iura naturali, & diuino requisita

nes alii actus iudiciales, noctu facti valent, si de consensu partium fiant. Hanc conclusionem sustinent Nauarrus *lib. 1. consil. de elect. consil* 8. Rodriguez *tom. 2. qq. reg. q.* 52. *art.* 6. Miranda *in Man. tom. 2. qu.* 23. *art.* 12. referentes communem Canonistarum *in dicto cap. Quia propter* quibus subscribit Sigismundus noster *p. 1. c. 2 dub.* 17. qui ex dictis infert posse in nocte celebrari electionem Prouincialis Minorum, si in die finiri non potuit, quia post terminum illi statutum à *Clemente V.* deuoluitur electio libera ad Generalem. *Clement. exiui, §. demum. de verb. Signific.* Idem dicendum putat de electione Diffinitorum ad euitandam nimis longam celebrationem Comitiorū, Et item sufficiens causa celebrandi electionem Discreti de nocte, est imminens celebratio Capituli Prouincialis, quæ non patitur in alterum diem differri.

Nauarr. Rodrig. Miranda

An autem electiones possint celebrari diebus festis? Responsio est affirmatiua, cùm id nullibi prohibitum inueniatur.

Sed circa antedictam resolutionem est notandum, quòd electiones, quæ non sunt faciendæ per vota secreta, nec per schedulas, sed solùm per vocalia suffragia, in quibus executioni non demandatur dictum *c. Quia propter*; nihil prohibet fieri de nocte, etiamsi nulla intercedat necessitas: quia in hoc casu, non currit eadem prohibitionis ratio, cùm cesset omnis metus, & suspicionis occasio. Vide Doctores citatos.

3 In electionibus per scrutinium, forma suffragij hæc est, vt suffragatores voce exprimant, si proceditur viua uoce, uel scribant, si proceditur per schedulam, *Eligo talem, seu nomino talem, seu consentio talem.* Panormitanus *Quia propter.* Quidam Doctores addunt sufficere nominationem per aliquod dictorum verborum licet non dicatur in *Prouincialem Generalem*, &c. quia subanditur nomen dignitatis, ad quam dirigitur electio. Imò idem iuris est, si nominetur tantùm aliquis absque vllo prædictorum verborum, *nomino, consentio, eligo.* Quibuslibet enim verbis electio facta ualet, si per eam uoluntatis intentio declaratur. Vnde vota, & suffragia in electionibus esse debent absoluta, certa, determinata, pura, sincera, & gratuita. Ita Habetur *dist* 23. *C. in nomine Domini*, & docent Syluester *v Electio* 2. *q.* 3. Ioannes Andreas *in ca. Quia propter.* Rodriguez *c. q.* 51 *art.* 4. Miranda *in Man. to.* 2. *q.* 23. *art.* 17 Sigismundus à Bononia *p.* 1. *dub* 27. Ratio est, quia *vota non debent esse alternatiua*, v. g. consentio in Petrum, vel in Paulum, votum enim est, animi deliberatio cum beneplacito determinans se ad hoc aliquid sed qui consentit in unum, uel in alium, non se determinat ad hoc aliquid, ergo. Non debent etiam esse *incerta*, v. g. eligo quem Prælatus meus elegerit, &c. quia huiusmodi uoluntas est deceptoria, *&* non est voluntas. Non debent etiam vota esse *conditionalia*, v. g. consentio in talem, si est talis conditionis, ut puta, si est Theologus vel noscit iura, quia actus legitimi non recipiunt conditionem.

Panormit.

Syluest. Ioan. Andr. Rodrig. miranda Sigismun. à bononia.

Aduerte tamen conditiones de præterito, vel de præsenti, quæ insunt actui, non vitiare electionem: quia adiectiones istæ non suspendunt actum, nec faciunt illum conditionalem, verbi gratia eligo talem ad Episcopatum si uacat. Conditiones verò de præterito vel de præsenti, quæ actui non insunt, vt eligo Franciscum, si sit Philosophus, vitiare electionem, quia reuera videntur suspendere actum. Conditiones autem de futuro, quamuis tacitè insint actui, vitiare tamen electionem, quia videntur exprimi suspensiuè, & faciunt actum conditionalem, & sic non exprimuntur eo modo quo insunt. Porrò vota non debent esse indeterminata, vt v. g. volo eligere, per verba infiniti modi, & non præsentis, Eligo, quia infinitum nullam determinationem habet, differunt enim facere, & facere velle.

4 Secundus modus, seu forma eligendi est *per compromissum, c. Quia propter, de elect. §. vel saltem*. Syluester *v. Electio* 2. *q.* 1. Layman *lib.* 4. *tract.* 2 *c.* 12. *num* 6 Miranda *c. q.* 23. *art.* 34 v. g. si omnes è capitulo præsente, potestatem eligendi idoneum pastorem committant uni, vel pluribus viris bonis, ac Deum timentibus, tonsura clericali insignitis, qui compromissarii dicuntur: & hi congruentiùs erunt in numero impari, quàm pari, id est, congruentiùs erunt tres, quàm duo, vt si forsan discordet alter, duo ipsorum electionem faciant, nec oportet illos necessariò esse de collegio, oportet tamen quòd sint uiri religiosi, ut dicit Glossa *in c. Quia propter*. An autem possit compromitti electio, aliquo de Capitulo dissentiente? negatiuè respondent nulla distinctione habita Panormitanus *in cap. Scrips. num.* 5 & *in cap Quia propter*, *num.* 6. *de elect.* Syluester *cit. quæst.* 15. *in fine* Miranda *c. art.* 34. quia tollitur uox ab electoribus, & præiudicatur cuilibet eorum singulariter vt translatione potestatis eligendi ab eis, in compromissarios, unde in re communi potior est conditio prohibentis. At Geminian. *in cap.* 3. *Cum expediat de elect. in* 6. Rosella, Angelus *v. Electio n.* 27. Sigismundus à Bononia *p.* 1. *c.* 3. *dub.* 20. *num.* 4. Superiorem sententiam concedunt in compromisso simpliciter facto sed negant in limitato. Ex quo collige compromissum duobus modis fieri posse primò *limitate*, siue *determinate*, vt scilicet compromissarii, uotis omnium secretò inquisitis, eum eligere adstringantur, in quem maior pars capituli consenserit, quæ forma eligendi; quasi composita ex scrutinio, & compromisso, cæteris melior, & expeditior est, teste Syluestro *v. Elect.* 2. *num.* 17. Angelo *citat.* Menoch. *cons.* 6. *nu.* 27. Layman *c. c.* 12. *n.* 7. post Glossam *in c. Cum expediat, de elect. in* 6. *v. inbuisitis*, Miranda *cit. art.* 36. *&* 37. Filliucio *c n.* 6

Syluest. Layman Miranda

Panorm. Syluest. Miranda

geminian. Rosella. Angelus Sigismund Bononia

Syluest Angelus Menoch Layman Glossa mirada Filliucius

Secundò, compromissum fit simpliciter, & absolutè, commissa potestate compromissariis, vt eligant, quem uoluerint, dummodò idoneum, nam alioquin compromittentes recipere non coguntur. Ratio tamen proceditur per hoc compromissum illimitatum, quia pauci sunt, qui uelint sua voce priuari, & aliis committere. Ratio autem cur in compromisso limitato compromitti possit electio & non in simpliciter, facto, est, quia nemini fit præiudicium, nam quilibet retinet uocem suam & quem uult nominat.

An autem potestas data compromissariis possit reuocari? Glossa *in c. causis, de elect.* negat, etiam re existente integra; quia huiusmodi potestas non est purum mandatum, sed potius quædam donatio, seu gratiosa concessio istis compromissariis facta. Hostiensis *in ca. in causis*, tamen, Syluester *v Elect.* 2. *q* 11 Miranda *c. q.* 23. *art.* 34. *concl.* 3 Panormitanus *in c in causis, num.* 11. Sigismundus à Bononia *cit. dub.* 20. *nu.* 7. asserunt, re non integra, non posse reuocari præfatam potestatem, sed solum re integra; res non dicitur integra, quando ceperunt compromissari habere tractatum de persona eligenda. Secus est autem, si tantummodò sunt expleta aliqua pertinentia ad actus solemnitatem. Ratio huius sententiæ est, quia ipsi compromissarii sunt nudi ministri, & executores deputati.

Hostiens. Syluest miranda Panormit. Sigismund. Bononia

Porrò si compromissarii indignum eligant, ipso iure in penam delicti suspenduntur a beneficiis, quæ obtinent in Ecclesia quam offenderunt, & compromittentes, indignam electionem scienter ratam habentes, priuantur ea vice iure eligendi, ac compromittendi, *cap. Si compromissarius, de elect. in* 6. Secus si compromissarius solus indignum elegerit, & compromittentes talem electionem ratam non habuerint, tunc liberè ad eosdem reuertitur electio. Syluester *v. Electio* 2. *q.* 16. *nu.* 26. Sigismundus *cit. dub.* 58. *num.* 13. Layman *cit. num.* 7 Miranda *c. q.* 23. *art.* 41 & alii.

Syluest. Sigismund layman. miranda

5 Tertius modus eligendi est per *quasi inspirationem*, longè distant inter se electio *per inspirationem, & per quasi inspirationem.* Inspiratio enim, nō est forma electionis, sed est uia Spiritus sancti, unde non subiacet legi, neque regulæ, aut formæ, quæ requiritur in electione dicti *cap. Quia propter*, Proptereà electio *per inspirationem* est illa, quæ fit nullo ordine seruato inter eligentes, ut quando quasi inebriati omnes eligunt. Hæc uia Spiritus sancti rarò, aut nunquam euenit hodie nostris demeritis id exigentibus: ut accidit DD. Ambrosio, Martino, Nicolao, *Quasi* uerò *per inspirationem*, est forma nobis tradita *in c. Quia propter*, & est, quando subitò, & repente, aliqua tamen ordine seruato inter eligentes, vnus post alium, sine interuallo eligunt omnes. Panormitanus *in c. Quia propter, in* 6. *Nisi in fin.* Hostiens. *ibidem, num.* 50. Innocentius *ibidem numer.* 5. Syluester *verb. Elect. secunda num.*

numer.27. Layman *citat.num.7.* Filliucius *tract.4.capit.3.num.6.*& alii.

Quatuor requiruntur ad hoc ut electio dicatur quasi per inspirationem celebrata. *Primo*, vt nulla præcedat nominatio. *Secundo* nullus tractatus specialis, quamuis generalis possit præcedere, v.g. Præses Capituli potest præuia exhortatione commonere electores, ad eligendum Prælatum idoneum. *Tertio*, nemine discrepante consentiant omnes, vnde si elector contemptus, id est, vocandus & non uocatus, posteà consensum præbeat electioni, illa electio non censetur quasi per inspirationem celebrata. *Quarto*, committendum est, uni, qui uice omnium eligat ne tot dicantur electiones, quot sunt electores, & tunc censebuntur omnes vnanimiter elegisse. Ioannes Andreas *in c. Quia propter, num 39.* Sigismundus *cit. p. 1 c. 1. dub 2. num. 6.* Miranda *cit. quæst. 23. art 42. conclus. 2* & alii.

Ioan. And. Sigismund Mirand. Panormit. Conc. Trid.

6 Decreto Innocentii *in c. Quia propter*, quædam superaddit Concil Trident. *sess. 25. c. 6. de regular.* ad vitandas fraudes, & subornationes quæ possunt esse in electionibus quorumcumque Prælatorum v.g. Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, nec non Abbatissarum, Priorissarum, imprimis districtè precipit omnes supradictos eligi debere per uoto secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, additque non fore licitum in posterum constituere Prouinciales, Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ, aut uoces, & suffragia absentium supplere. Si verò contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita fit, & is, qui ad hunc effectum se in Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia, in religione obtinenda, inhabilis existat, &c *Hac Concilium.*

Circa quod decretum est dubium, an Elector absens valeat exprimere votum suum per literas, vel procuratorem instituere, qui eius nomine suffragium in electione ferat. Ad priorem partem dubii dicendum est, absenti non licere vllo modo per literas exprimere votum suum, *c. si quis iusto, § fin de elect. in 6* Sigismundus à Bononia *p 1. c. 2. dub* 13. Emman. Sà *verb. Elect. num* 11. quia uotum non est exprimendum ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secretè, & sigillatim tantummodò, vnde actus contrarius, est ipso iure nullus, nec consuetudo contraria aliquid iuuat, propter decretum irritans appositum *in c. Quia propter, de elect.* Quoad posteriorem partem dubitationis, respondendum est, cum Syluest. *v. Elect. 1. q. 3. n. 4* Miranda *to 2. Man. q. 23. art 7. Sà c. nu. 10.* & aliis Electorem absentem posse, si vult, committere vocem suam vni, vel pluribus in solidum de ipso collegio, dummodo tamen iusto impedimento ipse detentus sit, super quo, si opus fuerit fidem faciat proprio iuramento. Ita declaratum fuerunt per Eminentissimos Cardinales Cōgregationis Regularium, qui prædictum decretum Tridentini explicantes, & declarantes, dixerunt, mentem Concilii non fuisse tollere, quin ex institutis, alicuius religionis licitum sit Superioribus absentibus, atque legitimè impeditis, constituere aliquem procuratorem ad Generale Capitulum, qui eorum loco, & nomine, vocem suam deferat, & præbeat votum in quacumque electione. Notandum tamen est si de collegio nemo velit assumere vices eiusdem absentis; ipsi, nolente Capitulo, non licere extraneum deputare, vt dicitur in iure *cap. Si quis iusto, § absens quoque, de elect. in 6.* vbi Ioannes Andreas, docent Syluester Rodriguez, & alii.

Sigismund Emm. Sa Syluester

Syluest. Miranda Rodrig. Sa

Ioan. Andr. Syluester Rodrig.

Præterea dubitari etiam posset, an sit contra secretum suffragiorum electionis, si quis ante electionem dicat cui sit suffragaturus, aut post electionem, cui sit suffragatus? Resp. non licere electori suum uotum publicare ante vel post electionem, asserendo se huic fuisse suffragatum vel ante se suffragaturum; tamen talis electio nō per hoc inualidatur, quia potest elector in tali publicatione simulare, & suffragium diuersum esse ab eo, quod dicit, Concilium autem Tridentinum tantum præcipit, quòd uota in ipso actu scrutinii sint secreta, quia agit de uotis, quibus actus electionis exercetur dum autem in actu scrutinii sunt secreta, fit electio per secreta vota, & obseruatur forma Concilii. Ita Garzias *de benef. p. 5. c. 4. num. 197.* Sigismundus à Bononia *tract. de elect. dub. 21 n. 6.* Et ipse Garzias affert declarationem Congreg. Concil. circa *c. 6. de regul. sess. 25.* Quæ interrogata, an electio facta cum tali publicatione teneret, respondit, quod nec ante, nec post electionem vllo modo licet electionibus publicare cui suum uotum dederint. His tamen non obstantibus, Pasqualigus *in decis moral decis.* 262. non videtur illicita hęc publicatio, quia non est contra præceptum Tridentini, cùm loquatur tantùm de publicatione votorum in actu scrutinii, nec contra aliquā aliam prohibitionem, nam etiam alia iura semper loquuntur de uotis actu suffragantibus, atque adeò in ipso actu electionis. Ita ille apud quem plura de hac materia valdè subtiliter.

Garzias Sigismund Bonon.

Pasqualig

Ex dictis exurgit aliud dubium. Vbi sunt tres uocales, quorum vnus potest eligi in discretum, & per consequēs necesse, vt alter aliorum duorum, qui remanent, det alteri uocem suam; & ita electio non possit esse secreta, dubitatum fuit, an possit fieri electio discreti, quæ non sit contra Conc. Trid. formam? Sacra Congregatio supra Conc. Trid de hoc consulta, respondit posse ita status religionis permittit.

7 Iure cōmuni electio quælibet ad collegiū pertinet, *c. 1. de elect. c. Congregat. 16. q. 7* Syluest. *v. Elect. q 1.* Rodrig *in Summ. to 1. c. 104. num. 1.* Miranda *c. q. 23. art. 5. concl. 1 & 2.* Nauarrus *consil. de elect. consil. 5. num. 1.* Layman *lib. 4. tract. 2. c. 12. num. 3.* Emman. Sà *cit. nu. 16.* ita quòd quælibet Congregatio de iure, habet sibi eligere Prælatum, nisi vel consuetudo, aut priuilegium sibi obstet: & hoc uerum, etiam si in aliquo collegio seu Congregatione non sint nisi duo, aut tres collegæ, electio etiam pertinet ad eosdem, quòd si nemo adsit præter unum, aliis mortuis, priuatis, suspensis, vel excommunicatis, licet collegium Ecclesiasticum non possit constitui in uno, quia eius ciuile requirit saltem tres. Canonicum autem duos Constitutum tamen semel in multis, potest totum ius collegii venire ad unum, & conseruari in illo.

Syluester Rodriguez Miranda Nauarrus Layman Emm. Sa

Sed petes, an possit sequi electio Canonica, quando duo tantùm sunt electores, & unus de collegio eligendus est? Negant Nauarrus *conf 6. de elect. nu 4.* Miranda *tom 2 q 23. art. 5. concl 2.* quia in tali casu neuter posset habere maiorem partem. Contraria tamen sententia tenenda est. Ratio est, quia inter duos potest saluari vera ratio electionis canonicæ, quæ definitur communiter à Doctoribus, *Alicuius personæ canonicè facta vocatio.* Potest namque unus alterum canonicè uocare ad id, ad quod eligitur, præmisso prudenti, & discreto iudicio de eligibilitate personæ. Hoc autē potest cōtingere, si unus utatur eligēdi potestate, & alter cedat iuri suo eligēdi, tūc enim ille hūc eliget, & hic erit electus à toto collegio, quia licet ad collegium cōstituendum requirantur plures, potest tamen ad unum deuenire, vt dictum est. Nec talis cēsendus est ambitiosus: quia non incipit ipse suam electionem, sed ab alio inceptam complet. Ita Syluest. *v. Elect. 1. q 1.* Rodriguez *tom. 2 qq. reg. q. 53. art. 11.* Sigismundus à Bononia *p. 1. c. 3 dub. 23. n 5.* Ancharanus *in c. Nullus, de elect.* & alii apud Pasqualigum *decis.* 253.

Siluester Rodriguez Sigismund. Ancharan Pasqualig Nauarr. Miranda

In casu tamen, quo collegium redactum esset solummodo ad unum, ille talis solus non posset eligere seipsum quia ambitionis notaretur; & secundùm Glossam *in c. Per nostra de iur. patron.* tanquam talis deberet repelli. Aduertendum tamen ex consuetudine, uel priuilegio, etiam alios, qui non sunt è collegio, ius eligendi, Prælatū consequi posse, *c. Cumana.* iunct. Gloss. *v Consuetudine, de elect.* Similiter qui est in quasi possessione iuris eligendi conferendi, vel præsentandi, eius electio, collatio, præsententatio rata est; licet posteà in iudicio ab illo euincatur, *cap. Querelam, de elect. cap. consultationibus, de iure patron.*

Glossa

Glossa

8 Multi iure priuantur potestate, & facultate eligendi imprimis Excommunicatus excommunicatione minori *c. Si celebrat, de cler. excomm. minist, Secundo*. Suspensus ab officio nisi illi uox competeret ratione beneficii, *cap. cum dilectus, de consuet.* cum enim suspensio ab officio nullo modo suspendat à beneficio, ut tenet communior & probabilior sententia apud Sanchez *de matrim. lib. 3.*

disp.

disp.51 num.2. Henriquez *de excomm.cap.32.§.3.* Sigismund. à Bononia *tract. de elect.dub.64.nu.2.* Sayrus *de cens.lib.4.cap.5.nu.6.* & alios requirur necessario, si uox alicui competeret ratione beneficii, vocem habere in electionibus, vnde si quis Prior, Præpositus, vel Guardianus ab officio suspenderetur, suffragium præstare prohibetur in electione discreti localis. Secus in electione in Capitulo Prouinciali, vbi ex beneficio Prioratus, Præpositurę, vel Guardianatus suffragator existit.

Sigismund
Sayrus

Tertiò, Interdictus, *c. Cum inter de elect.* *Quartò*, quibus interdictum est eligere sine licentia Superioris, *cap. fin de elect.* *Quintò*, qui scienter celebrauerunt in loco interdicto supposito, nisi super hoc priuilegiatus existat, a ut a iure sit eidem concessum, *c. Is qui de sent. excomm. in 6.* *Sextò*, qui in qua uacatione eligerunt scienter indignum, *c. cum in cunctis, de elect. c. Scriptum, de elect. cap. Perpetuo eod. tit. in 6.* Et idem est dicendum si peccauerit postulando, quia pro ea vice sunt priuati potestate eligendi, si facta nominatione secuta est postulatio, vel electio, secus antem si non sit secuta.

Septimo, Pupilli, & impuberes, id est, qui sunt intra 24. annum in viris, & 12. in fœminis, *c. Ex eo, de elect. in 6.* Sylvester, *v. Elect. 1. num. 3.* Miranda *c.q. 23 art. 5. conclus 4.* *Octauò*, Conuersi siue laici non habent vocem, & votū in electionibus canonicis, sicut, & qui sacro ordine non sunt insigniti, & ita obseruatur in communi praxi, in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, collegiatis sæcularibus, & regularibus, propter decretum *Clement. ut u, qui de atate & qualit.* quod de nouo innouauit Concil. Trident. *sess 22. de reform. c. 4.* Rodriguez *tom. 2. qq. reg. q. 51. art. 5.* Sigismundus à Bononia *c. dub. 88 n. 2.*

Conc. Trid
Rodrig.
Sigismund

Apud tamen quosdam regulares Clerici professi licet nondum Subdiaconi, Laici seu conuersi ex priuilegio, statuto, fundatione vel cōsuetudine, gaudent voce actiua in electionibus, non obstante prædicto decreto Trident.

Nonò, Laici arcentur ab electionibus religiosorum; aliàs electio est nulla; sicuti Clerici sæculares, & regulares non professi, carent vtroque iure eligendi in electionibus regularium, *c. Messana, de elect. cap. Quisquis, c. cum terra, c. cum ad nostram, de elect.* Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 4. num. 3.* Concil. Trident. *sess. 14 c. 10 de reform.* & *sess. 25 c. 21. de regular.* Ad hoc tamen, vt quis possit eligere, sufficit tacita professio, vt verò possit eligi, necessariò requiritur expressa professio: immò ad dendum est, vt sint professi eiusdem ordinis, vel Congregationis, aliàs collatio, seu electio, vel prouisio de ipsis facta, eo ipso est inanis & irrita; quæ omnia probantur ex iuribus hic citatis.

Conc. Trid

Decimo, Omnes irregulares, *c. Is qui, de sent. excomm. in 6.* unde collatio, electio, seu prouisio de religioso irregulari habita ad Prælaturam regularem, est ipso iure nulla, & inanis Suarez *c. c. 3. n. 26. 27.* Lessius *lib. 2. ca. 34. num. 120.* Couar. *in reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 6.* & 7. Sayrus *de cens. lib. 6. c. 2. num. 15.* quia dicta Prælatura annexum habet pastorale munus, in quo est principale spiritualium functionum ministerium, quod sine vsu ordinum non completur: & hoc secundum communem sententiam, quæ ait irregularitatem licet occultam, facere hominem incapacem beneficii, vt docemus *v. irregularitas 1. n. 13.*

Suarez
Lessius
Couar.
Sayrus

Quoad verò electionem actiuam Ancharanus *in cap. is qui, num. 9. de sentent. excomm. in 4.* Syluest. *v. Elect. 1. q. 4.* Azorius *2. p. lib. 6. c. 14. q. 9.* asserunt irregularem inhabilem esse, ad ferendum suffragium in electiones, sed mihi placet sententia nostri Sigismundi *c. dub. 67. nu 8.* qui post Nauarrum *c. 27. nu. 244.* Suarez *c. num. 27.* Bonacinam *de censur. disp. 7 q. 1. p. 4. nu. 18.* contrarium docet; nisi aliud specialiter caueatur in aliqua speciali irregularitate, vt est illa homicidii notorii, nam tales homicidæ non possunt eligere, quia infamia perpetuò notati sunt, & ab omni actu legitimo suspensi a Pio II per suā constitutionem, *Ad retinendas*, editam anno 1461. 28. Ianuar. quā cōfirmarūt Pius V. & Sixtus V. ille 3. Iulii per constit. *Ex superna*, anno 1566. Hic autem 1. Iulii per cōstit. *Hoc nostri*, annno 1585. Ratio nostræ sententiæ est, tū quia irregularis, non est ipso iure priuatus beneficiis ante irregularitatem contractam adeptis, si potestas eligendi illi competat ratione beneficii; tum quia ius eligendi non est actus ordinis, vnde ex eo quòd irregulari sit prohibitus vsus ordinum, non est censendum illi quoque prohiberi ius eligendi, id enim non est annexum illi, nec ab eo dependens.

Ancharan
Syluester
Azorius
Sigismund
Nauarrus
Suarez
Bonacina

Hi omnes inhabiles ab electione repelli debent, si autē de eorum habilitate dubitetur, admitti possunt, cum protestatione, quòd eorum suffragia non plus valeant, quàm de iure debeant: vt docent Abbas *in cap. Cumana n. 2. de elect.* Layman *lib. 4. tract 2. cap. 12. num. 3.* & noster Sigismundus *cit. dub. 63. num. 7.*

Abbas.
Layman.
Sigism. à Bononia

Occurrit hic dubium, an peccatum committat, qui voci actiuæ renunciat? *Resp. Primò*, quòd qui in electionibus religiosorum voce actiua gaudent iure regulari, vt sunt apud Minores Prouinciales, & Custodes in electione Ministri generalis, qui ex vi Regulæ eundem Generalem eligere tenentur, non possunt voci suæ renunciare, & si renunciant mortale peccatum committunt. Tum quia statutis pro bono publico principaliter factis, renunciari non potest. Tum quia Ministri Prouinciales, & Custodes tenentur eligere Ministrum Generalem ex vi Regulæ *cap. 8.*

Dico *Secundò*, qui ex officio publico actiuè conueniunt ad electionem celebrandam, vt sunt Guardiani, Priores, Abbates, & Discreti in electionibus Capituli Prouincialis, nequeunt voci actiuæ renunciare, cùm talis ius eis suffragetur, non in fauorem proprium, sed in fauorem officii.

Dico *Tertio*, qui specialis fraternitatis iure habent suffragium ferre in electionibus, vt sunt Fratres in electione Discreti localis, possunt huiusmodi iuri renunciare, quia qui libet potest renunciare fauori proprio, *l. si quis in conscribendo, Cod. de pactis, cap. Cum accessissent, de constit.* quòd tamen intelligendum est, modò extali renunciatione fama renunciantis detrimentum non patiatur, uel illa renunciatio non cedat in damnum Religionis uel Prouinciæ siue Monasterii, de cuius electione agitur. Ita Panormitanus *in cap. In genesim, num. 10.* & *in cap. Quia propter, de elect.* Tabiena *cit. Elect. 1 num. 12.* Miranda *in manual. Prælat. tom. 2. q. 23. art. 6 concl. 5.* Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæst. 53. art. 10.* Sigismundus à Bononia *tract. de elect. part. 1. cap. 2. dub 13.* & alii ab ipso citati.

Panormit.
Tabiena.
Miranda
Rodrig.
Sigism. à Bononia.

Sed rogabis, an qui renunciauit uoci suæ, possit eam reassumere? *Resp.* affirmatiuè Baldus *in cap Licet num. 8 de elect.* Sanchez *de matrim lib. 8. disp. 32. num. 2.* quia licet teneat renunciatio, tamen res redit de facili ad naturam sui, *Cod. ab exordio, dist 35.* at hoc intelligendum putat Sanchez in simili, quamdiu Superior eam renunciationem non acceptauerit, cui fauet Sigismundus *supra*

Baldus
Sanchez.

9. In Superiores, & Prælatos eligi non possunt, & iure prohibentur *cap. fin. de cler. excomm. minist.* propter impedimenta sequentia: *Primò*, notoriè mali, & hæc electio, quamuis non sit ipso iure nulla, sed cassanda, & annullanda secundum probabilem sententiam. Electores tamen ipsa uice sunt priuati electione, & suspensi per triennium ab Ecclesiasticis beneficiis, *cap. Cum in cunctis de elect.*

Secundò, Excommunicati, siue sint tolerati, siue non, ipsorum enim electio est ipso iure nulla, *cap. Constitutus, de appellat.* quamuis excommunicatio inuincibiliter ignoretur ab ipso excommunicato, & ab electoribus: licet enim ignorantia inuincibilis excuset à culpâ, & aliquando à pœnâ, non tamen ualidum facit actum, quem irritauit Ecclesia; nec reddit capacem, quem Ecclesia reddidit incapacem. Ita ex communi Auila *de censur. part. 2. cap. 6. disp. 5. dub 2* referens Couar. *in c. Alma mater, part. 1. § 7. num. 1.* Nauar. *cap. 27. num. 21.* Excommunicati tamen minori excommunicatione eligi possunt indiscretos, & definitores, & ad alia huius generis officia, quibus regimen animarum non competit; vt aduertit noster Sigismund. à Bononia *cit. dub. 62. n. 1.* *Tertio*, Suspensi, vel interdicti, aut qui non seruauerunt interdictum, *cap. 1. de postul. Prælator. cap. Cum dilectus, de consuet.* *Quartò*, illegitimè nati, quamuis hæc natalium macula sit occulta.

Auila
Couar.
Nauarr.

Sigism. à Bononia

Quid

Qnid autem sub nomine honorum, graduum, dignitatum, à quibus illegitimi penitus exc'uduntur. sit intelligendum, declarat *Sixtus in Bulla ad Romanum*, intelligi debere, Præpositatus, Abbatiatus Prioratus, Guardianatus, Custodiatus, Prouincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his similia cum bonore, & Superioritate coniuncta: non autem officia nneris, veluti Lectoris, Confessarii, Studiorum, & sacræ Theologiæ Magistri, Regentis, Prædicatoris Verbi Dei, & cætera huiusmodi, puta Definitoriatus, Discretatus: quamuis Rodriguez *tom 1.qq.reg q.13.art.18.* putet illegitimos non posse esse definitores sine dispensatione, quia definitoratus personatus dignitatem importat, cuius sententia vera est stando in iure communi *cap.fin de fil.Præsbyt.* Sed cum dicta Constitutio Sixti sit correctoria iuris communis, & relaxauerit idem ius commune, quoad personatum, nec fuerit reuocata per *Gregorii XIV. & Clementis VIII.* constitutiones, sed in suo robore maneat in hac parte cōtrarium esse tenendum meritò docet noster Sigismundus a Bononia *c.dub.69.n.3.*

Rodriguez

An autem Prælati possint dispensare cum sibi subditis ad honores, & dignitates ordinis, virtute Priuilegiorum Apostolicorum, respondendum est quòd sic: vide *Irregularitas 3.n.7.*

Quintò, Infantes quocumque modo, siue infamia iuris siue facti, non possunt eligi ad dignitates, & honores, patet ex iure *cap Illi, qui, & c. Infames 6.q.1* Infamis tamen infamia meri facti, bene poterit promoueri, si reuera fuerit emendatus, quia huiusmodi infamis, non est propriè, strictè, & absolutè irregularis, sed secūdū quid, quatenus, scilicet, prohibetur promoueri, stante tali infamia, vnde ista prohibitio cessat sublata infamia per emendationem, *c.Omnipotens*, & ibi gloss *de accus & c Cum in cunctis, §. inferiora de elect.* Suarez *tom.5 disp.48.sect 1. num.11.* Hinc infertur accusatum, denunciatum, vel inquisitum de aliquo crimine interim pendente accusatione, denunciatione, vel inquisitione non posse promoueri, quando per talem accusationem, denunciationem, vel inquisitionem persona est infamata apud graues, & bonos uiros; secùs, si à vilibus infamibùsque personis, siue à maleuolis, uel inimicis ortum ducat, huiusmodi infamia, vel aliquis rumor sit sparsus, & etiam creditus apud aliquos *c.fin.de testibus, & c. Tantis, dist.81.* Felinus *in d.c. Omnipotens*, Azorius *p.2 li.6.c.7.qu.4.§ cæterum.* Nauarrus *li.5 consil, 3.num.7.de accusat.* Barbosa *de off. Episcop.p.2 allegat.43 num.14.*

Suarez

Felinus
Azorius
Nauarrus
Barbosa

Præterea est aduertendum infamen infamia iuris, vel facti legalis, id est, quod fouetur à lege, non posse eligere *l.actus ff de reg.iur.Cod solet, in fin de senten.excomm in 6.* quia infamibus sunt interdicti actus legitimi, sed eligere est actus legitimus, ergo. Infamis tamen infamia meri facti potest eligere, vt docent Suarez *tom.5.disp.48.sect.3.num.2.* & noster Sigismundus à Bononia *p 2 c.4. dub. 83.num.7.8.* quia cùm illa pendeat ex humana, & sæpè ex mundana prudentia, ideò nulla talis opinio hominum existimatur vera infamia, in ordine ad aliquos actus, & ministeria Reipublicæ, nisi aliqua lege comprobata sit.

Suarez
Sigismund

Sextò, In religione non potest eligi, qui non est professus in ea, nisi id auctoritate Apostolica concedatur; ac Suarez addit, d procedere etiamsi dignus non reperiretur in illa religione, qui possit eligi, *c.cum singula, de prabend.in 6* Concilii Tridentini *sessione 25 c.21.* Suarez *de relig.to.4. tract.8.li.2.c.3.nu.11.* Porrò non possunt eligi qui non habent ætatem à iure requisitam, nec sufficientiam: vt dicitur *v. Abbas, numer.1.& 11.v. Beneficium 3. num 6 & 7.* Imò electio facta in huiusmodi homines est ipso iure nulla.

Conc. Tri.
Suarez

10 Secundùm cōmunem sententiam DD. ad animarum curam eligendi sunt, qui magis, considerata ætate moribus scientia, prudentia idonei reperientur, & ex genere suo, iuxta D. Thomam *2.2.q.63.art.2.* Syluium *ibidem quæst.4.concl.1.& 3.* Malderum *2.2.tr.9.c 2. dub.7.* Dianam *p.2.tract.1.miscell.resol.40.* Sigismundum à Bononia *tract.de elect.dub 31.* communiter receptum, peccatum mortale est, dignum eligere, omissio digniori. *Quantum enim* (inquit) *ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum communi.* Et in Concilio Tridentino *sess.24.c.1.de reform.* dicitur; *Decernit sancta Synodus eos mortaliter peccare, qui non eligunt, quos digniores iudicauerint.* Ratio est, quia is, qui promouet dignum, prætermisso digniore, committit peccatum acceptionis personarum, ut declarat D. Thomas, ideòque peccat contra iustitiam distributiuam, cuius violatio est peccatum ex genere suo mortale. *In promouendo* tamen dignos, prætermissis dignioribus, ad beneficia etiam curam animarum habentia, contingere potest, vel nullum, vel veniale duntaxat esse peccatum: vbi, scilicet excessus dignitatis, & meriti huius dignioris, est seruus, licet officium, vel munus magni momēti extet. Sicut enim in aliis peccatis, leuitas materiæ excusat à mortali, ita etiam in hoc; *Item* quando magis dignus est de al a domo, vel Ecclesia: *Item* cùm maior pars vult eligere minus dignum, tunc minor pars potest non eligere digniorem, sed date suffragiū minus digno, etiamsi electores iurassent eligere digniorem. *Item* quando dignior præesset alteri Ecclesiæ; & esset postulandus: *Item* si non est liberum collatori, vel institutori conferre alteri, vel alium instituere, quam sibi præsentatum à patrono *Item* quando quis beneficium resignat digno, prætermittēs digniorē. *Item* patronus laicus potest eligere, & præsentare minus dignum, relicto digniori. *Item* si beneficium ex sua institutione per Ecclesiam confirmata, vel acceptata, dandum sit alicui ex certa familia, uel oppido. De quibus casibus consulantur Tānerus *2.2.disp.4.q 8.dub.2 num.17* Lessius *li.2.c.34.dub.13 nu.58.* De la Crux *in direct.p.1 precep.7 q.7.art.2.disp.9.* Malderus *2.2.tract.9.c.2.dub.7.* Diana *p.3.tract.5.miscell.resol.110.& p.5.tract.5.resol.13.* Syluius *2.2.qu.63.art.2.quæst.4.concl.3.* Nauarrus *in miscel.n.38.* Reginaldus *tom.2.lib.30.tract.3.num.200.* & alii, & vide *Beneficium 6.num.2.*

D. Thoma
Syluius
Malderus
Diana
Sigismund

Conc. Tri.

Tannerus
Lessius
De la Crux
Malderus
Diana
Syluius
Nauarrus
Reginald.

Quis autem dignior cæteris sit censendus, & præferendus in electionibus? Dicendum est, in proposito digniorem dici, qui ad prælaturam, vel munus, de quo agitur, gubernandum, & sustinendum, aptior, & conuenientior est, omnibus considoratis, & perpēsis, non verò sanctior, vel doctior, qui tamen in cęteris nō est ita aptus illi ministerio, sicut primus non tā a sanctitate, & doctrina excellens: quia ad maiores qualitates morum, & literarum, absolutè non est attendendum in hac materia, sed ad illas solummodò, quæ muneri, de quo agitur, magis proficuæ, & vtiliores erunt, dummodò præficiendus, siue eligendus, sit alias bonus, ac idoneus, vita, moribus, ac doctrina. Ita D. Thomas *quodlib.8. art.6.* Couarruuias *in reg.peccatum p.2.§.7. num 4. vers.dignior.* Azorius *part.2 li.6. c.15.quæst.1.* Lessius *cit. dub.14.num.64.* Syluester *v. Electio 1.q.16.* Gutierrez *qq.can.lib.2.c.11.n.66.* Arragon *2.2.q.63.art.2.* & alii.

D. Thoma
Couarruu.
Azorius
Lessius
Syluester
Gutierrez
Arragon
Sigismund
à Bononia

Hinc in decisionibus Rotæ Romanæ à nostro perdoctissimo Sigismund. à Bononia *tract.de elect.dub.30.* recensitis habetur, digniorem simpliciter non dici, qui Ecclesiam, uel munus, de quo agitur, alias rexit, & sustinuit quia hoc respicit ipsius sufficientiam, sed non concludit dignioritatem, ita ut in concursu, seu electione sit præferendus: Item antiquioritatem receptionis ad habitum, siue Sacerdotii, vel authoritatem ætatis, nihil conferre ad idoneioritatem, & per consequens eam non esse attendēdam; quia nouum non est iuniores plerumque senioribus doctrina, & morum honestate præcellere: Canities enim hominum est prudentia, non ætas. Sicut habetur *cap.fin.dist.84.* Porrò nullo pacto est attendēda nobilitatis qualitas, ad effectum eligendi digniorem, nisi in casu, quo electio alicuius nobilis futura esset in vtilitatem religionis, vel Ecclesiæ; posset tunc præferri alteri absq; acceptione personarum, *cap. Venerabilis, de prabend.* Denique dignior in electionibus arbitrandus est, ex circumstantiis prudenter attentis, iuxta Reginaldum *tomo secundo, libro 30.tractatu 3.num.199.* docentem, aliquando doctum præferendum esse sanctiori idiotæ: expertum meliori inexperto: prudentem, doctiori imprudenti: nobilem, meliori ignobili: prouectum, sanctiori iuueni, & sic cæteris.

An ad Prælaturas regulares eligendi sunt digniores à communis

communis est responsio affirmatiua Turciani *secunda secunda disputatione* 2.2.*dub*.3.*numero primo*. Dianæ. *parte secunda, tractatu primo, miscel resolut*. 61. Portel *in dub. regul. verb. Electio num*. 6. qui sic ait: *Regulares etiā tenentur ad officia eligere digniores, sunt enim Prælaturæ regulares, & ea era officia, beneficia Ecclesiastica & proinde etiam in illis militat ratio naturalis, & dispositio iuris ut eligatur dignior*. Et noster Sigis. à Bonon. p. 3 c. 3. d. 110, n. 13 specialiter aduertit inspiciendū esse, in promouendis ad Prælaturas cōuentuales, nedū etatē & doctrinā, sed mores, & prudētia, ita vt merito ille sæpe præferendus sit, qui alter eum a virtutis integritate vitæ, prudentia, aliisque virtutibus ad regendam Ecclesiam opportunis, licet hic alter esset antiquior ætate, seu insignitus gradu Cōcionatoris, vel Doctoratus, & in audiendis confessionibus exercitatus. Et ratio est, quia non ex eo quòd hic alter sit Doctor, siue Cōcionator, vel antiquior, oritur vlla præsumptio, quòd illum superet, virtute morum splendore, & prudentia: vbi verò datur paritas morum, vitæ integritatis, ac prudētiæ, tūc sanè præferendus esset, qui Doctor esset, vel Cocionator. Hæc ille post Salon 2. 2. *quæst*. 63 *art*. 2. *controuer* ſ. 3 *concl*. 2. vide præterea Dian. *part*. 5. t. 14 *ref*. 11. An verò electores semper peccent mortaliter, etiam in paucitate materiæ, qui in electionibus iurāt, secūdum veritatē cuiuslibet conscientiæ se probiores, ac magis idoneos electuros: hæc quæstio pendet ex illa, an violans iuramentum in re parui momenti, peccet mortaliter? varias super hac retulimus sententias, & quidem probabiles *v. Iuram*. 4. & licet tutiorem, & probabiliorem dixerimus esse affirmatiuā: quia quòd principaliter requiritur in iuramēto, est veritas, quæ est eiusdem rationis in re parua, & magna, sicut ergo violans iuramentum in re magna, peccat mortaliter defectu veritatis, ita videtur mortaliter peccare violans iuramentum in re parua vt docet Reginal. *ib*. 18. *num*. 79. Filliucius *tract*. 25 *cap*. 10. *quæst*. 7. Lessius *ib*. 2. *cap*. 42. *dub* 3. *num*. 23. Bonacina *tom*. 2. *disput*. 4. *quæst*. 1. *part*. 14 *n*. 2. & alii Nihilominus reuera mitior uidetur opinio Nauarri *cap* 12. *num*. 10. Suarez *de iuramento lib*. 3. *cap*. 16 Sanchez *lib*. 3. *moral. cap* 4 *numero* 23. Syluii 2. 2. *quæst*. 98. *artic* 3. *conclus*. 3. non esse peccatum mortale, quando iuramento promissorio sola veritas de futuro deficit, id est quando adfuit quidem animus adimplendi, tēpore iuramēti emissi, at postea res promissa nō impletur, secus dicendum si ueritas de præsenti deficeret id est, si tempore quo iuramentum emittitur non adsit animus seruandi rem promissam cum iuramento, siue ea parua siue magna sit, nunc nunquā iurās à mortifero crimine immunis erit secundum omnes, vt adnotat etiā noster Sigis. à Bonon. *p*. 1. *c*. 5. *d*. 31. *n*. 15.

11 Communis sentētia Theologorum, & iuristarum est, eos, qui assumunt ad officia sæcularia, v. g. Gubernatoris oppidi, vel arcis, Prætoris, Iudicis, Capitanei, Secretarii, Commissarii, Quæstoris, & similia ineptos, aut qui malè putantur administraturi, peccare mortaliter, & teneri ad resarcieda damna ex tali electione secuta, quia siue hæc officia conferant ex debito sui officii, ut Principes, & Gubernatores, siue ex horum commissione, semper tenētur lege iustitiæ procurare Reip. ministros idoneos, & quantum commodò possunt eius damna imdire atqui hoc facere non possunt nisi idoneis ministris & officialib vtantur, ergo ineptos adhibendo, sunt causa damni. Malderus 2. 2. *tract* 1. *cap*. 1. *dub*. 5. Fernand. *p*. 4. *cap*. 7 *num*. 10. Miranda *tom*. 2. *quæstione* 23. *artic*. 13. *conclus*. 2. Lessius *lib*. 2 *cap*. 32 *dub*. 3. *n*. 13. Diana *part*. 2. *tract* 1. *miscell resol*. 67. & alii.

Verum dubiæ est quæstionis, an Principes ad hæc officia sæcularia teneantur eligere digniores? aliqui enim afferunt esse opinionem probabilem illam, quæ docet in officiis sæcularibus sufficere eligere dignum, relicto digniori. Ita Vasquez *opusc. de ben. c*. 2. §. 5 *dub*. 13 *nu*. 97. Molfesius *in Summ. tom*. 1. *tract* 6 *c*. 6. *n*. 83. post Caiet. *in Summ. v. Elect*. quia, inquit, non video hic acceptionē personarum; nec video hic habere locum iustitiam distributiuā, cùm officium hoc non detur ciui, vt parti cōmunitatis: nihilominus hæc sententia est contra communem, vnde qui omissis aptioribus assumit minus idoneos, peccat quidem, & sæpè moraliter, licet non tenatur ad restitutionem, si isti vere idonei erant, quia iniuriam quamdam fecit digniori, preferendo ei minus dignum; magis enim ius habeat, qui est aptior hæc tamen iniuria non est contra iustitiam commutatiuam, ac proinde nec peccatum mortale, nec obligans ad restitutionem, peccat tamen ob iniuriam, vel infidelitatem in rempublicam, & contra iustitiam distributinam, cuius ius consistit solum in maiori aptitudine, & proportione ad bonum distribuendum. De la Crux *in direct*. p. 1 *præcept*. 7. *quæst*. 7. *art*. 2. *dub*. 11. *conclus*. 2. Reginald *li*. 43 *n*. 35. Valentiam *to*. 3. *disp*. 5. *q*. 6. *p*. 2 §. 5. Gaugeric. Hispanus *in Summ*. Caietanus *v. Electio lit. B*. Diana *part*. 4 *tract* 4. *resol*. 172. Syluius 2. 2. *quæst*. 63. *artic*. 2. *quæsit*. 6. & alii

12 Electus, non potest consentire electioni de se factæ, nisi postquam sit celebrata electio communis, resultans ex singularibus consensibus præstitis in scrutinio, alias electio est irritanda, *cap. Cum post petitam de electio* Syluest. *verb Electio* 1. *quæst*. 10. c. *In Scripturis* 8. *quæst*. 1. *cap. Per nostras de iur. patron*. quia si electus consentiat electioni antequam uota redigantur in scriptis, & publicentur tamquam ambitiosus est repellendus Si *vero*, electus consentiat electioni suę, postquam uota redacta sunt in scriptis, & iam publicata, sed antequam sequatur communis electio, tunc electus non potest quidem notari ambitione, cum sit prius uocatus à Deo, & à Fratribus at electio est ipso iure nulla, quia electus erraut in forma *cap. Quia propter de elect* substantiale enim est electionis, ut omnia suo ordine, quo præscribuntur à dicto *cap. Quia propter*, seruiunt. Ita Panormitanus *in c. Quia propter num*. 16. *versf*. 18. M. randa *tom*. 2. *q*. 23. *a*. 29. §. 18 Syluester *v Elect*. 1. *quæst*. 10 Sub qua autem culpa teneatur electus consentire electioni Responsio est Richardus *in*. 3 *quodlibet* 21. Angelus *verb. Electio num*. 30. Syuester *verb. Electio* 1. *quæst*. 19 M. randa *cit. art*. 31. Rodriquez *tom*. 2. *qq. regul. quæst* 56. *art*. 1 Sigismundus à Bononia *p*. 1 *c*. 6. *dub*. 39. *n*. 17. & communiter omnes in triplici casu electū teneri consentire sub culpa moctali *Primus est*, si Superiore cogatur districto sanctæ Obedientiæ præcepto, & tamen ipse consentire recuset, nec suffragetur ei iusta causa cadendi: ut puta, quod sit certus de notabili defectu scientię, uel alio huiusmodi defectu, propter quem exercere non ualet munus sibi iniunctum sine peccato. Quod si electus dubius sit de dicta causa, & eam superiori exposuisset, qui nihilominus ab iniungendo non desisteret, tunc subditus conuincitur obedientiam abiicere, si ipse non consentiat. Vt notant Gerson *Alphab*. 55. *litt. R*. Corduba *super reg. Francisc. cap*. 10. *quæst*. 7. *punct*. 2. Non posset autem Prælatus regularis cogere suos religiosos ad acceptanda beneficia sæcularia uel etiam regularia alterius ordinis quamuis vtrumque ex Pontificia dispensatione liceret. Ratio est, quia id non est secundum regulam, sed prætec illā, nec ordinantur ad commune bonū suæ religionis aut Monasterii. Posset tamen cogere ad suscipiendum beneficium consuetum regi per regulares sui Monasterii, quia talis gubernatio pertinet ad suum Monasterium, ut docet Rodrig *to*. 1 *qq. reg. q*. 34. *art*. 8. *Secundus est*, quando secundum iudicium suæ conscientiæ uidetur sibi uerisimiliter quod non est, qui uelit, & possit, melius salutem animarū procurare, quā ipse, & ex hoc videt probabiliter Ecclesiæ notabile imminere dispendium, atque periculū nisi assentiatur. *Tertius est*, vbi electus per viam illicitā consentire refugit vt puta, abscondendo se, nisi ex speciali instinctu Spiritus sancti hoc faciat *c In script. & cap. Ol. m* 8. *q*. 1 Rodriq. *c. ar*, 31. Mirād. *c. a*. 31. *concl*. 1. Crousadc. 8 *reg. S. Franc. lect*. 2 *fol*. 819. Extra vero hos numeratos casus necessitatis si per viam illicitam quis consentire renuat propter ignauiam, seu pigritiam non excedit venialem culpam, si autem propter humilitatem, indignū se existimans: mereretur Vnde iuxta D. Thom. *quod libet*. 5. *art*. 23 dicendum est, tutius Prælationis officium declinaci, non tamen pertinaciter, cum ad illud suscipiendum suprema voluntas agnoscitur.

13 Regulares canonicè electus ex ordinib. mendicantium

tium ad aliquam Prælaturam extra suum ordinem, nullum ius sibi acquirit ex electione, postulatione, prouisione, seu vocatione in discordia facta: siue illa sit de iure, siue de facto, *sine quorũdã, de elect. in 6 Clement quod circa, de elect* vt docent Syluester *verb. Electio quæst.* 17. Rodriguez *cit. quæst. 56. art.* 2. Miranda *cit. tom. 2. quæst. 23. artic.* 14. Aliis verò religiosis ordinum non Mendicantiũ, non etiã acquiritur ius in electionibus, nec consentire eis possunt, si fuerint electi à minori parte, numero. Propterea est notandũ, quòd si religiosus electioni de se factæ ad Prælaturam, extra suum Monasterium vel Ecclesiam, non petitâ, & obtentâ licentiâ consenserit, consensus non valet: & electio ipsa viribus euacuatur; huiusmodi tamen licentiam dare possunt religiosorum Prælati, conuentibus irrequisitis, pro vt habetur in iure, *cap. Si religiosus, extra eod. tit lib. 6.*

Syluest. Rodrig. Miranda.

14. Contra subornantes in electionibus regularium, emanarunt à Sede Apostolica variæ Bullæ, pro singulis ferè religionibus, quas noster Sigismũdus a Bononia *in suo tractatu de Electionibus dubio* 53. summatim refert. In primis est aduertendũ, quòd subornatio *sit suasio, qua suadetur verum vel falsum in bonum, vel malum finem:* & distinguitur in bonam, quã suadetur verum in bonũ finem: & malã, quã suadetur verum vel falsum; in malum finem: de qua quidem nullum est dubium, esse prohibitam, non solùm iure positiuo, sed etiam naturali, cũ sit ex se mala, vt cùm pecuniis, donis, & aliis indebitis modis, officia ambiuntur; & contra hanc Clemens VIII constitutionem edidit, cuius rubrica est de *Largitione munerum, Cardinalis in Clement. 2. de sest. notabil.* 2. Rodriguez *tom 2. qq reg. q. 57. art. 1.* Portel *de dub reg. v Subornatio. n.* 1. & 2.

Rodrig portel.

Sed quæstio est, num subornatio bona, sit saltem iure humano positiuo posita? Rodriguez citatus negat, nixus authoritate Nauar. *c. 23. n.* 110. explicantis Bulla Pij V. contra confidentiam, ait enim, quòd dicta extrauagans nõ de cõfidentiâ bona, sed de confidentiâ mala debet interpretari. Sic omnes Bullæ editæ cõtra subornantes intelligi debent de subornatione mala, nõ de bona. Finis enim harum cõstitutionum non est alius, quã prouidere ne eligãtur indigni & ãbitiosi, aut minus digni dignioribus præferantur. Vnde cum lex nõ obliget vltra finem intentum, qui est mensura obligationis (quia vltra ipsum nõ se extẽdit intentio legislatoris, atq; adeo nec vltra ipsum aliquid operatur, *cap. final de præbend.*) sequitur; præfatas Constitutiones prohibere tantùm illos tractatus, qui aduersantur fini intẽto, quales nõ sunt qui ordinantur ad electionem personæ dignæ: & sententiæ Rodriguez subscribunt Naldus *in Summ. v. Relig. n.* 42. & Pasqualigus *in decis. moralib. decis.* 255. & *decis.* 225 *num.* 10 Imò idem Auctor *decis.* 252. docet electionem, in qua non præcedit debitus tractatus, esse nullam ex *cap. In Genesi, de elect.* quia sine ipso nõ potest electoribus innotescere, quinam sit cæteris præferendus. Et cùm debeat collegialiter præferri, debet etiam collegialiter innotescere quòd sit præferendus.

Nauarr.

naldus. pasqualig.

Contraria tamen sententia nostro Crousers *ad ca* 8. *reg. S. Franc lect. 2 fol.* 820. videtur tutior, & omninò sequenda; nempe, bonã etiã subornationem esse prohibitã nec obstare quòd bona sit, quominus prohiberi possit: nam bonus est vsus calicis in Eucharistia, & tamẽ multis prohibetur, propter incommoda: sic non minùs incommoda nascuntur ex subornatione, quam qui exercet iudicat bonam, siue verè bona sit, siue apparenter tantùm, quàm ex ea, quæ manifestè mala est: ergo vtraque est prohibita: Deinde lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi. Et Con. Trident. præcipit electionem fieri per vota secreta; sed qui alium subornat, pro aliquo, votum suum ipsi satis euidenter insinuat, ergo vtrumque prohibitum est.

Crousers.

Cæterum quidquid sit de probabilitate harum opinionum. Diana *part. 1. tract. 2. resol.* 35. Molfesius *in Summ. tom. 1. tract. 6. cap. 16. n. 147. cap. Si transitus distinct. 79.* Lezana *in Summ. to. 2 c. 15. n.* 24. & alij putant posse regulatè huiusmodi religionũ (vbi adest prohibitio, vt ante electionem nullus tractatus de illa habeatur) cũ electoribus, vel aliis per modum consultationis, tractatũ habere de aliquo eligendo, vt sciat; an talis sit dignus, vt si sciat, vel alios informet, & persuadeat vt illum eligant dũmodo hoc non efficiatur ex cõsensu, seu opera ipsius eligendi, sed sponte ab electoribus propter illius merita; nam si talis tractatus efficeretur per se ipsum, vel per alios, esset tractatus ambitiosus, in iure prohibitus, vt pactionalis, conuentionalis, conditionalis. Sic etiã Molfesius. Imò Portel *cit. num.* 3. addit, quòd si aliquis solum petierit ab alio, vt det suffragiũ pro tali indigno, vel minus dignu, & hoc simpliciter, non suadendu, neq; minis, neque donis, neque precibus importunis, neque persuadendo falsas illius qualitates, sed solum leuiter petendo: talis licet peccet mortaliter, quia agit pro indigno, vel minus digno, non tamen videtur incurrere pœnas impositas subornantibus, quia non suasit: & subornare est suadere, aliud verò est suadere, aliud simpliciter petere: & plus dicit suadere quam petere.

Diana. molfesius, Lezana.

Sed maius dubium occurrit, *Primò*, an electores cõmittant simoniam paciscendo: *Elige tu illum, & ego eligam istum*, quẽ tu proponis. Casus iste frequens esse potest apud regulares. Negant Sotus *lib. 9 de iust. quæst.* 5. *artic.* 2. Victoria *de Simonia, num.* 17 & alij recentiores. Affirmant Hieronymus Rodriguez *in cõpend. resol.* 129 Portel *in dub. reg. v. Simon. num* 1. Diana *part. 3 tract.* 2. *resol.* 125. & *part. 4. tract. 4. resol.* 150. Sed mihi distinguendũ videtur. In electione enim duo debent considerari; substantia nempe electionis, quæ dicit ipsam vocationẽ personæ dignæ ad aliquod munus: & cõmodũ electionis, quod percipiunt electores, si electio fiat in tali, vel tali persona; Si pactũ sit de electione secundũ substantiã interuenit simonia: quia simonia nedum dicit quòd spirituale commutetur cum temporali, sed quod spirituale subiiciatur contractui humano. Sicuti enim spiritualia sunt in ordine superiori, & eleuãt hominem ad participãdum aliquo modo in esse diuino; ita si humano contractui subiiciantur, inuertitur iste ordo, & homo vtens ipsis indebitè, auertitur ab vltimo fine, quia non tendit in ipsum iuxta exigentiam rerum spiritualium. Vnde *in cap. Pactiones, de pactis*, damnatur vt illicitum omne pactum, & omnis conuentio circa spiritualia.

Sotus. Victoria, Portel, Rodrig. Portel. Diana

Si pactum sit de commodo electionis, uidetur posse dici, non interuenire simoniam *per se loquẽdo*, si de ipso Electores paciscantur; quia tale commodũ est quid temporale, & tunc esset solùm commutatio temporalis pro temporali: nihilominus quia tale cõmodum coniungitur cum electione, ut effectus cum sua causa, qui nõ potest haberi, nisi per positionem causæ, nempe electionis, proinde tale pactum est etiam illicitum; quia uenit in contractum ipsa electio. Ita Pasqualigus *in decis.* 224. Lezana *tom. 4. Summ v. Simon nu.* 20.

pasqualig. Lezana

Secundò, an in electione liceat vti subornatione cõtra subornationem? Affirmat Villalobos *to. 2. Summ. tract.* 37. quia licet vim vi repellere, & monopolium alio monopolio dissoluere. Sed hæc sententia nullo modo est probabilis, quia vis, quã altera vis repellitur, non ordinatur ad malum; sed ad id, quod licitũ, & honestũ est; nẽpe ad defensionẽ, uel personæ, uel rerũ, quæ est de iure naturali; & ideo licita, & honesta est cõtra aliã: at subornatio per se primò ordinatur ad malum licet possit inde sequi aliquod bonũ; Nõ sunt tamen faciẽda mala ut eueniant bona: unde tenendum est nullo pacto esse licitũ adhibere subornationem contra subornationẽ. Ratio est, quia elector subornatus non potest bene eligere, cùm eligat secundùm mẽsuram subornationis; unde qui subornat, quantùm est de se, semper ponit causam malæ electionis, & intendit, quòd electio sequatur secundũ mensurã illius subornationis, & ideò intendit, quòd de se est malum: nunquam autem licet intendere malum siue in ordine ad bonum, siue in ordine ad aliud malum propulsandum. Solùm in hoc casu licebit adhibere uim contra subornantem, ut desistat à subornatione, quòd poterit fieri, uel per preces, uel per munera, uel etiam per minas, aut de malo licitè inferendo, in pœnam subornationis; uel de malo in genere. De monopolio autem est diuersa ratio; quia monopolium est iniuriosum communitati, & particularibus personis, quæ sunt de communitate, & infert moralem

lem vim, & ideo est licita defensio contra ipsũ per aliud monopolium quia uis moralis altera vi morali depellitur. Ita Bonacina *tom. 1. disp. 1. de simon q. 6. p. 5. n. 15.* Pasqualigus *decis. 251.* Suarez *to. 1. de relig. tr. 3. lib. 4. de Simon c. 50. n. 26.*

Plura de simonia in electionibus regularium vide *v. Simonia V. n. 6.*

Contra Fratres Minores de Obseruantia, extat Bulla Pij V. quæ incipit, *Pastoralis officij* in qua inter alia ordinauit, vt qui in electionibus, vel ante eas per sex menses pro se, vel pro alio, subornauerit, excommunicationis sententiã ipso facto incurrat, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existenti, prætetquam in mortis articulo absolui non possit, ac voce actiua, & passiua perpetun careat subornatus verò, vel alius etiam pro quo subornatio fit qui subornantem non detulerit, lerit, eandẽ pœnam incurrere censeatur. Hanc Bullam in duob. moderatus est Gregorio XIII. per suam constitutionem quæ incipit. *Consueuit Romanus Pontifex, Primò*, quod etiam Minister generalis, & Comissarius generalis possint ab hac excommunicatione absoluere, quando de ipsis non est subornatum *Secundò*, quod qui subornatus, vel alius pro quo subornatio fit qui subornantem non detnlerit, in dictam excommunicationem non incidat. vide Rodriguea *tom. 2. qq. reg q. 57. art. 1.* Portel *cit n. 4.*

Rodrig. portel.

Circa quas Bullas vertitur in dubium, an extendatur ad alios regulares Respondet noster Sigismund. à Bononia *cit prat. 2. cap. 1. dub. 53. num. 9.* Tamburinum *de iure Abbatum tom. 1. disp. 17. quæsit. 6.* illas Bullas contra subornatores aliarum religionum, in specie, & nominatim emanatas, non extendi ad alios, contra quos non fuerunt specialiter, & nominatim latæ, quia specialiter illæ Bullæ loquuntur de specialibus religiosis, vnde tanquam pœnales non comprehendunt alios hinc tenor dictarum constitutionum est diligentissimè inspectandus ab illis contra quos latæ fuerunt, & ut bene aduertit Rodriquez *tom. 1, qq. reg. quæst. 55. art. 16.* religiosis fit solum communicatio eorum quæ sunt ipsis fauorabilia non autem eorum, que sunt illis odiosa, vnde non fit cõmunicatio censurarum, inhibitionum, &c; Quæ eum ita sint, in decretis generalibus editis anno 1599. die 25. Iulij pro reformatione regularium, tam Monachorum, quam mendicantium cuiuscumque Ordinis, & instituti à Clemente VIII. hæc habetur §. 35.

Sigismund. à Bononia Tambur.

Rodriq.

Vt omnis officiorũ ambitus occasio præcludatur caueãt omnes à directa vel indirecta vocũ, seu suffragiorũ procuratione, tã pro ipsis, quã pro aliis, tũ in cap. loc. in cæteris præsertim geralib. cap. aut congregationib seu alibi Quicumq, secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quacumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi a nobis vel a successoribus nostris & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, & simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus. Hæc decreta fuerunt innouata anno 1627. die 21. Septembris à S. Congreg. de expressa mente S.D.N. Vrbani VIII.

15 Excommunicatione etiam afficiuntur, & priuantur voce actiua, & passiua, & insuper omnibus officiis ordinis, recurentes ad sæculares personas mendicaturi fautores ad obtinenda intra ordinem officia, etiamsi iurent in contrarium, & fratres, & sæculares dummodo de malitia sæcularium non constiterit Rodriq. *to. 2. qq. reg. quæst. 57. art. 2* Prędictis tamen pœnis non afficerentur illi, qui literas quidem impetrarunt sed ad electorum manus non peruenerunt, quia verba legis cum effectu sunt intelligẽda, vnde verba Extrauagantium Pii V. pro fratrib. minoribus de Obseruantia, & Gregorii XIII. pro Fratribus Prædicatoribus, intelligenda sunt de procurante fauorem cum effectu.

Rodrig.

Insuper extat Motus proprius S.D.N. Pauli V. contra Superiores Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruãtia, qui fauores extra suum Ordinem attẽdentes, officia, dignitates, ac gratias concedunt, & cõtra eosdẽ fratres dictos fauores cõquirentes: ait. n. Pontifex, *Dilectis filijs Ministro Generali ac Prouincialibus & reliquis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorũ Prælatis nunc, & pro tempore existentib. in virtute S. Obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus Ne ad instantiã, & requisitionem quarũcũq; personarũ tam laicorũ quã Ecclesiasticorum extra dictum ordinem constitutarũ etiã Cardinalatus honore, & quacumq. sæculari dignitate, & excellentia etiam ducali regali, & imperiali fulgentium cuius prædicti Ordinis religioso, vllam gratiam concedere vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates officia & administrationes functiones, & Prælaturas eiusdem ordinis concedere audeant. Quinimò dicti ordinis fratres, religiosos qui cõtra Decret a hac via, & his mediis cõquisitos fauores, & suffragia aliquid sibi procurauerint ad talia, & similia, ac etiam maiora in eodem ordine consequẽda perpetuo inhabiles declaramus Insuper dictis religiosis fratribus eiusdem ordinis quibuscumq. sub eisdem pœnis præcipimus, & expresse interdicimus, vt non solum in præmissis omnibus, fauores huiusmodi minimè procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minime procuratos recipere, & similiter ne adhuc c effectum munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant Nec obstantibus constitutionibus &c.*

Prohibuerãt hoc ipsum Minoritis Pius, & Gregorius XIII. specialibus Bullis, quas citant Rodriquez *citatus supra.* Illarum summa erat, quod procurantes officiã, & dignitates viã sæcularium, incurrunt excommunicationem Papæ reseruata. n. *Secundò* incurrunt inhabilitatem ad officia, & c cum priuatione vocis actiuæ, & passiuæ. *Tertiò* iubetur vno mense carceri mancipari.

Addidit præterea Gregorius XIII. quòd ipso facto quòd aliquid sæcularis rogaret pro aliquo fratre, talis frater maneret inhabilis ad officia Ordinis: nisi constaret prædictum sæcularem id malitiosè fecisse, vt hac via talis frater maneret inhabilis Sed quia aliqui dubitabant prædictos motus proprios per contrarium vsum esse reuocatos. ideò S.D.N. Paulus V. hoc speciali motu proprio illos reuocauit, & ferè instaurauit. Licet hic motus proprius mitior sit illis duobus, quia non ponit excomunicationem reseruatam, nec pœnam carceris, neque alia contenta in duobus illis.

Nota quòd res, quas Papa prohibet nè concedãtur religioso ad instantiam sæcularis, vel cuiscunque personæ extra ordinem; sunt sequentes. Vlla gratia: Remissio alicuius pœnæ: Gradus, Dignitas; Officia; Administrationes: Functiones; Prælaturæ: vnde nihil ferè est alicuius ministerij honorifici in religione, quòd supradictis verbis non cõprehendatur. De hoc motu proprio potest videri Portel. *in d. reg. v. Offic. Ordinis.* Et ibi dicta deseruire poterunt pro allijs etiã religionib. habẽntib. simile mandatũ.

Plura de electione possent adduci, sed quia ad conscientiam parum conferũt, ideò prætermittimus. De quibus videri possunt *Syluester*, Miranda, Rodrig. citati in hoc tractatu, & noster *Sigismund.* à Bononia in suo aureo, de electione, & potestate Prælatorum, & aliorum officialiũ regularium libro.

De electione, vide *Actus humanus 3. n. 9. Benefic 2. n. 4. Benefic. 6. n. 3 Suffrag. n. 1. Simonia 5. n. 6.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM

1 *Ponitur textus* cap. Quia propter, de elect, *quod est fundamentum electionis*,

Certus locus non est de substantia electionis, sed sufficit, si fiat in communi Congregatione.

2 *An missa celebratio cum inuocatione Spiritus sancti sit de substantialibus ipsius electionis.*

3 *An ad formam Canonica electionis, vota electorum sint secreto exquirenda.*

4 *An ad hoc vt electio sit valida, hodie requiratur, vt non solum maior sed sanior pars consentiat.*

5 *Intra quod tempus debeant electores procedere ad nouam electionem, post mortem Prelati*

6 *An electio fieri possit antequã Prelati. defuncti, corpus*

sepulturæ traditum sit.
7 *An promotus ad Subdiaconatum ante legitimam ætatem, admitti debeat ad suffragia ferenda.*
8 *An eligendus in Prelatum regularem debeat esse professus expressè in eadem Religione?*
An in postulato sufficiat tacita professio.
9 *Qui ad Prælaturas eligi non possint.*
10
11
12 *An illa electio cassanda sit, qui ante electionem consensit electioni de se facienda.*
13 *A electiones debeant esse liberæ, & non contractæ ad certas personas.*
14 *An consuetudo restringens libertatẽ eligẽdi sit valida.*
13 *An electio, in qua vnus electorum publicè suffragium suum manifestat, sit irrita.*
16 *An electio per modum scrutinii facta, sit irrita quando post votorum numerationem schedulæ coram Capitulo non cremantur.*
17 *An electio valeat in qua quis per errorem vel malitiam misit in vrnam schedulam albam.*
18 *An electio ad officia, & dignitates Ecclesiasticas facta per sortes sit nulla* Refertur duplex sententia.
An in receptione nouitii liceat vti sortibus.
19 *An quo superiore confirmanda sit electio.*
An electus postulatus præsentatus, nominatus possit se ingerere administrationi ante confirmationem.
20 *An confirmatio sit necessaria, tam ex parte confirmatoris quam ex parte electi.*
An Generales ordinum indigerent confirmatione Pontificis Romani.
21 *An electus idoneus repertus debeat statim confirmari*
22 *An superior electo inuito possit eius electionẽ cõfirmare*
23 *An vt compromissum valeat, debeant omnes expressè consentire.*
24 *Quæ requirantur ad essentiam, & substantiam electionis factæ per compromissum.*
25 *An quando compromissarius est vnus solus, possit seipsum eligere? Et quid iuris, quando sunt plures compromissarii.*
26 *An regulares in electionibus teneantur seruare apices electionis.*
27 *An prælati regulares eligi possint, per viam postulationis.*
28 *An per nominationem Prælati regulares eligi possint si id statuto vel consuetudine non sit prohibitum.*
29 *An per fabas electio Prelatorum regulariũ fieri possit.*
30 *An regulares possint reprobare illum quem iam concorditer in Prælatum elegerunt.*
31 *An regulares possint eligere in Prælatum illum, qui alias fuit reprobatus ob vitium aliquod personale, si illud alias fuit probatum, vel solum præsumptum.*

1 TOtale fundamentum electionis Prælatorum, & substantialis illius forma continetur *in ca. Quia propter, de elect.* Et vt præ manibus habeatur uisum est eius uerba ad propositum facientia hic apponere.

Quia propter diuersas electionis formas quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis Statuimus, vt cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse assumãtur tres de Collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cũctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent, in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt is collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior; & sanior pars Capituli consentit, vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur qui vice omniũ Ecclesiæ viduatæ prouideant de Pastore, alias electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnib. quasi per ispirationẽ absq; vitio celebrata.

Ex quibus colligere licet, quod ad hoc, vt electio per modum scrutinii facienda, legitima sit, debet fieri à maiori parte legitimorum electorum, qui uocati debent esse simul collegialiter cõgregati in aliquo honesto, & cõuenienti monasterii loco electiones enim in cubiculis & clãdestinis locis per occulta cõuenticula factę reprobãtur à iure per dictũ *cap. §. electiones*, ibi, *Electiones quoque clandestinas reprobamus.* Certus tamen locus non est de substantia electionis, nã quilibet locus. vbi Capitulũ est congregatũ, dicitur Capitularis, *cap. Cùm terra de elect.* vbi Glossa *in v. In quo, ait, in Capitulo secũdũ consuetudinẽ loci, alias vbi melius se obtulerit facultas.* Est ergo de substãtia ipsius Canonicæ electionis, vt fiat in cõmuni Cõgregatione, vbi præsentes sint omnes electores, quia non valet, nisi sit cõmuniter celebrata, vt habetur *in ca. In Genesi de elect.* tunc autẽ dicitur cõmuniter celebrari, cùm in vno loco omnes electores ad suffragia ferẽda congregãtur, singulariter autẽ fieri intelligerẽtur, quãdo singuli in suis Monasteriis manentes suffragia mitterent. Ratio est, nã ea quæ fiunt ab aliqua vniuersitate, nomine vniuersitatis, debẽt fieri per cõgregatos in vnũ; ad hoc enim vt actus dicatur gestus ab vniuersitate, oportet quod more solito congregetur Collegiũ, & ibi fiat conclusio de actus explicatione, vt ait Panormitanus *in cap. Cum omnes, n. 7. de Constit.* & *in c. In Genesi, de elect.* Glossa *in leg. Sicut, ff. quod cuiusque vniuers.* Panormit. Glossa.

2. Quidã volunt esse de substantialibus ipsius electionis, vt antequã electores ad eligendum conueniant, præcedat Missæ celebratio cum inuocatione Spiritus sancti, cui omnes electores intersint, Ita Rodriguez *to. 2. quest. regul quæst 58. artic. 1.* Petrus de Biax *in director de elect. part. 5. cap. 13.* Contrarium tamen est verius, nempe nõ esse de substantialibus ipsius electionis, vt præcedat auditio Missæ de Spiritu sancto, sed tantùm de solemnitate: vnde illam omittendo non vitiaretur electio. Ita noster Sigismundus à Bononia *de elect. & potest. Prælat. regu. dub. 19. num. 5.* Tamburinius *de iur. Abbat. tom. 1. disp. 5. quæst. 6. n. 34* & alii penes ipsos. Rodrig. Biax. Sigism. à Bononia. Tamburin.

3. Ad formã Canonicæ electionis requiritur, vt singulorum electorũ vota secretè exquirantur. Quod dupliciter fieri potest *Primò*, vt singuli electores viua voce preferant corã scrutatoribus, quem eligunt, & aliquis ipsorum scrutatorum scribat. *Secundò*, vt quisq; eligentium in schedula votũ suum scriptum deferat, adeò, vt neque ipsis scrutatoribus notum fiat. Vterque modus obseruari potest, & electio censetur Canonica iuxta *ca. Quia Propter*, & secreta iuxta præceptum Concilij Tridentini, tam si suffragia ferantur in scriptis per schedulas, quã si dentur uiua uoce; dũmodò singulorũ eligẽtiũ nomina seruentur sub secreto, sub quo recepta sunt Ita Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 5. num. 10. & seq.* Sigismundus à Bononia *cit. dub. 27. à n. 10* Vnde generalis hodie videtur esse totius orbis consuetudo, vt non solũ apud regulares & capitula Ecclesiarum, sed etiam apud Senatus, siue collegia nõ nisi secretis suffragiis, id quod proponitur definiatur. Hinc Sixtus V. in Bulla, *Cum omnis cura*, data Romæ apud D. Marcũ die 29 Iulij, anno 1587. Pontificatus sui anno tertio, ordinauit circa Fratres Minores de Obseruantia, *vt electiones Superiorũ aut Officialiũ per ipsos faciẽdæ, sẽper fiant per schedulas obsignatas, ita vt suffragia, seu vota, ac ipsorum eligentiũ nomina omninò sint secreta & occulta, & nunquã publicentur, ac peracto scrutinio schedulæ, & omnia huiusmodi scripta coram omnibus vocalibus illicò cõburãtur.* Et hoc idem statuit Clemens VIII. in Bula 33. quæ incipit, *Decet Romanum Pontif. §. 5.* in Bullario Cherubini. Conc. Trid. Suarez. A Bononia. Sixtus V. Clem. VIII.

4. Olim ad hoc vt electio valida esset opus erat, non maiorem tantummodò, sed etiam saniorem suffragiorum partem habere, vt constat ex pluribus locis tituli *de elect.* & præcipuè ex *c. Quia propter*, ibi, *vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars consenserit.* Verũ quia inuestigando, quænã esset maior & sanior pars, plura inconuenientia oriebatur oportebat enim, vt omnia vota publicè coram scrutatoribus scriberentur, & corã omnibus etiã publicarentur nõ solũ quoad numerum, sed quoad personas ipsas suffragia ferentes, vnde deinceps constare poterat, & in quẽ maior pars quoad numerũ consenserat, necnon quæ fuisset censenda sanior pars quãtũ ad meritum & zelũ Postmodum Concilium Tridentinum *sess. 25. de regul. cap 6* decreuit, electiones in posterũ per uota secreta esse faciendas, ita ut singulorũ eligentiũ nomina nusquã publicentur; ex quo factum est, vt ampliùs nõ inquiratur, Conc. Trid.

quæ-

quænam suffragiorum pars sit sanior, sed tantummodò maior, seu minor ipsorum numerus respiciatur. Quapropter valida reputabitur electio à maiori votorũ, seu suffragiorũ numero facta, dummodò ipsa vota sint legitima, nec vllam patiãtur exceptionẽ, & persona digna eligatur; semper enim maior pars sanior præsumitur, si persona electa indigna nõ sit: at vbi vota sunt paria, electio est nulla, quia debet fieri a maiori parte suffragiorũ est textus *in cap. in Genesi, & cap. Ecclesia vestra el. 2 de elect.* non dicitur enim maior pars, nisi excedat medietatem. Hæc autem maior pars non est censenda ea tãtũ, quæ maior dicitur respectu minoris, sed respectu, & in ordine ad totum Capitulũ; in quo numero illo solũ sunt cõputandi, qui in eadem electione votum habuerunt. Si autem non appareat, maiorem partem vocaliũ in Capitulo Congregatorũ in vnum cõsensisse, de iure cõmuni iterandum est scrutiniũ, quousque maior pars suffragiorum in vnum consensisse reperiatur, arg. *cap. Cum terra, cum ibi notat. de elect.* Ita Suarez *de Relig. tom. 4. li. 2. c. 5. num.* 21 & 22 Sigismundus à Bononia *dub.* 38. & 2 iij plures apud ipsum

Suarez. Sigismund. Bonon.

5. Postquam Prælatura vacauerit, electores tenẽtur, cessante legitimo impedimẽto intra tres menses immediatè sequẽtes, successorẽ eligere; aliàs electio deuoluetur ad proximũ superiorẽ, qui si intra alios tres menses non elegerit, potestas eligendi ad alium superiorẽ, & sic vsque ad Papam transfertur, per text. expressum *in cap. Ne pro defectu, de elect.* & ibi communiter Doctores. Post electionem factam tenentur electores electionem præsentare electo, & petere consensum eius intra octo dies, postquam commodè potuerint, alioquin negligentes excluduntur a prosequutione processus, & per tres annos sunt suspensi ab omnibus beneficiis ipsius Ecclesiæ, vt habetur *in cap. Cupientes, § cæterum, de elect. in 6.* Electus verò tenetur consentire intra mẽsem a præsentatione, aliàs priuatus est iure electionis: nisi fortè ea sit electi conditio, quòd non possit cõsentire absque licẽtia Superioris: quo casu tenetur ipse, vel electores licẽtiam petere cum ea celeritate, quàm Superioris absentia patitur: quòd si dicta licentia non obtineatur, tenentur ex tunc ad aliam electionẽ electores procedere. Ita Syluester *verb. Electio* 1. *quæst.* 6. Miranda *tom. 2. q. 23. art.* 10.

Syluest. Mirand.

Pro Fratribus tamẽ Minoribus adest priuilegiũ Clementis IV. quo *concessit, vt in electionibus Generalis & Prouincialium Ministrorũ, tẽpus super hoc à iure statutũ non currat, nec ipsi in hac parte iuris huiusmodi Regulis coarctentur*, & refertur in Compen. priuileg. Mẽdicant. *verb. Electio*, § 4 Quod priuilegium etiam aliis Religionibus communicationem concessionum Fratrum Minorum habentibus suffragatur.

Clem. IV. Comp. pr il. Mendic

6 Electio fieri nõ debet antequàm Prælati defuncti corpus sepulturæ traditum sit, vt habetur *in cap bonæ memoriæ el. 2. de elect.* Si tamẽ electores, cadauere adhũc super terram existente, successorem eligerent, valeret electio, vt docet ibi Glossa, quam sequuntur communiter Doctores Imò tales possunt esse circumstãtiæ quòd electio, etiam ipsa eadem die sit facienda, & omnis cunctatio abiicienda, & repellenda, non expectata corporis sepultura, vt si timeatur aliqua magna vis & violentia alicuius magni Principis, aut aliquæ ipsius literæ, quæ valeant, aut possint iustam atque legitimam impedire electionem. Ita Miranda *cit. concl.* 1.

Miranda

7. Promotus ad Subdiaconatum ante legitimã ætatem ex priuilegio vel dispensatione, ad suffragia ferenda admitti debet: quia ad id habet omnia à iure requisita: tũ etiam, quia non solùm ordinem, verũ etiam ordinis executionem recepit. Si antẽ ante legitimam ætatẽ illicitè, ac subreptitiè ad sacros Ordines promotus fuit, tũc à suffragio ferendo prohibitus est; quia per Extrau. Pii II. quæ incipit, *Cum ex Sacrorum*, est ipso facto ab Ordinib. suspẽsus, ac propterea ad votũ ferẽdũ inhabilis; suspensione tamẽ sublatà, posset suffragiũ ferre; quia cum effectu habet conditionem Ordinis sacri requisitam, *in Clement. vt ii. de ætate, & qualitat.* nec vllũ impedimentũ Canonicum habet; quamuis enim defectus ætatis Ordinis executionẽ impediat, non tamen est impedimẽtũ ad electionem; cũ nihil quoad hoc circa ætatem in dicta Clementina sit dispositum. Ita Rodriquez *tom. 2. quæstione. regul. q. 52. art. 5 vers. 2.* Suarez *de relig. to. 4. lib 2. c. 4 n. 7.*

Pius II.

Rodriq Suarez

8 Eligendus in Prælatum regularem, debet esse professus alias electio irrita est, non obstante qualibet contraria consuetudine quia non debet in magistrum assumi, qui nondum fuit discipulus nec præesse debet, qui nondum subesse nouit *cap. cũ causã c. cũ in magistrũ ext. de elect.* Et quidẽ in eligẽdo nõ sufficit tacita, sed requiritur expressa professio, alias electio irrita esset ita habetur *in c. Nullus de elect. in 6.* his verbis *Nullus religiosus ad Prelaturam sue vel alterius Religionis de cetero eligatur, nisi antea fuerit Ordinem regularem expresse professus, quod si secus actũ fuerit eo ipso irritũ habeatur* Notandum tamen est, quod in prouissione quæ fit per viam collationis, vel postulationis sufficit professio tacita, nec requiritur expressa. Ratio est, quia dictum *c. Nullus*, loquens de electione cum sit ius pœnale non debet extẽdi ad prouisionem, vel postulationem, vt docet post Ioannem Andræam, Panormitanus *in cap. quia ingredientibus de testament. n.* 4. Imò, vt quis in regularẽ Prælatum assumi possit non sufficit quod sit expresse professus tria vota Religionis sed requiritur, quod in eadẽ religione, in qua assumitur, professionẽ emisserit, vt cautũ est *in Clem. 1. de elect.* vbi prohibetur *ne relig. aliquis in Abbatem, vel prelatum alterius Religionis vel habitus de cetero eligatur, quodsi secus actum extiterit, sit eo ipso irritum, & innane.* Ratio est, quia non congruit, ut homines disparis professionis, uel habitus simul in eisdem Monasteriis socientur, ut ait ibi Summus Pontifex. Ita etiam Rodriguez *tom. 2. q. reg. quæst. 53 art. 9.* Sigismund. à Bononia *tract. de elect. dub.* 60. Idem decreuit sacrum Concil. Trident. *sess. 25. de regular.* His verbis; *Primum quidem confidit, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, vt iis quæ nunc commendatæ reperiantur, & quæ suos Conuentus habent, regulares personæ eiusdem Ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire, & preesse possint præficiantur*

Ioan. And. Panorm.

Rodriq. A Bononia Conc. Trid.

9 Ad Prælaturas eligi non possunt. *Primò*, qui literas Apostolicas falsificauit, vel in eis etiam in modico manus apposuit, nisi sit officialis Hostien. *in Summ. de crimine falsi §. qualiter.*

Hostiensis

Secundò transiens de mendicantibus ad non mendicantes, in Prælatum assumi non potest *Clement. vt professi de regul.*

Tertiò Religiosus qui exercuit Chirurgiam. ex qua secuta est mors *cap. tua de homicidio.*

Quartò Simoniacus religiosus Paulus II. in Constit. *Cum detest abile scelus.*

paulus II.

Quintò Homicidia *c. ad eres de ætat & qualit.*

Sextò Periurus declaratus, *c. querelam de iurerur.*

Septimò qui alias per secularis potestatis abusum electus fuit, *cap. quisquis de elect.*

Octauò Regulares pœnitentiati semel à Sancto Officio, etiamsi pœnitentias compleuerint. Ex declaratione Vrbani Papæ VIII. apud Peirynum *tom 2 priuil. in anot. ad 9 Constient. Pauli V.*

Nono, Leprosi *c. tua nos de Cler. ægrotant.* Laborans tamen scabie etiam Herculea, quæ oritur ex atra bile si alias sit idoneus, & periculosum sit ne eo neglecto minus dignus eligatur posset elig. Ita Sayrus *de censur. lib. 6. cap. 9. n. 9.*

10 Laborantes morbo Gallico notoriè, & illi, quibus ex nimia Venere ceciderunt capilli, & barba Sayrus *loco c. n. 5. & 6.*

11 Rabidi, siue phtisi infecti, Paralysi laborantes: Podagrosi continui, vel quasi continui, Morbo Comitiali, siue caduco laborantes, etiamsi eodem morbo semel sint vexati, Furiosi, & lunatici, Cæci, Dæmoniaci, muti surdi Hermafroditi, gibbosi, qui omninò curui sunt & occulos in cœlũ eleuare nõ possunt sine magna difficultate Stulti, stolidi, fatui, seu simplices Valetudinarii, qui malo corporis affectu sæpè sepius male valent, frequẽterque ægrotant Publicus aleator vino deditus, & inebrietare se cõsueti. Hæretici, & eorũ receptatores fautores, & defensores Neophyti abiurantes in S Inquisitionis

tionis officio, tam si abiurauerint de leui, quàm de graui, Bigami. Hi omnes sunt ineligibiles ad Prælaturas. De quibus sigillatim tractant Tamburinius de iure Abbatum *tom. 1. disp 5. quæsit. 21.* Sayrus *de censur. lib. 6. c. 8. & 9.* & alii.

Tamburin. Sayrus.

12. Electio illius cassanda est, qui requisitus, antequã esset electus, electioni de se faciendæ consentit: quia vitio ambitionis notatur, *c. cum post petitam, de elect.* Fugientes enim & inuiti, nõ autẽ ambientes, & se offerẽtes eligendi sunt: & sicut locus regiminis desiderãtibus negandus est, ita fugientibus offerendus est, *ca. In Scripturis 8. q. 1.* Quapropter requisitus, vt in vitium ambitionis non incidat, assentiri non debet, si eius consensus ante electionem petatur, se respõdere debet, *Nolo quod me eligatis, & ita rogo,* vel potest dicere, *Non intendo Dei vocationi resistere.* Quòd si consensus, post electionẽ factã requiritur, respõdere potest electus. *Nolens volo, & volẽs nolo.* Ita Innoc. *in c. cum iure de elect.* Imò secũdum illum, honestũ est, vt non statim assensum præbeat, sed aliquantulũ resistat, ne ambitionis vitio notetur. Ita etiã Sigism. à Bonon. *tract. de elect. dub. 41* & alii apud ipsũ.

Innocent. Sigismund à Bonon.

13. Electiones necessariò debẽt esse liberæ, & omnis electio metu cadẽte in constantem virum, facta, est ipso iure nulla, *c. vbi periculum, §. cæterum, de elect. in 6.* vbi habetur, loquẽdo de electione Papæ, quòd necessariò requirit eligendi volũtatem liberã, ita quòd aliàs nullatenus erit valida. Ratio est, nam generaliter loquendo omnis metus non iustus, reddit actũ nullum, atq; inualidũ, etiam quoad forũ conscientiæ, si principaliter aliquid fiat ob metum Tum quia est cõtra propriũ significatum & substantiale ipsius vocabuli, cùm eligere, sit, vnum ex pluribus voluntariè capere, vnde non est electio, vbi uoluntas libera non est; metus enim libertatem consensus tollit, per textum *in cap. cũ locũ, de sponsal.* It Nauar. *lib. 1. con. tit. de elect. consil. 5 & in Manual. c. 22 num. 51.* Castellinus *in tract. de elect. cap. 4. num. 56.* Maranda *to. 2. quæst. 23. art 21. con. 2.* & alii cõmuniter. Quapropter si facultas eligendi ita coarctetur, vt certum genus personarum, imò vna persona eligi non possit, non dicitur electio libera, Gonzalez *super regul. 8. Cancellar. glossa 53. num. 25:* Limita tamen vt infra.

Nauarr. Castellin. Mirand. Gonzalez

Multis tamen modis potest restringi libertas electionis, dummodo maneat tanta, quanta est necessaria ad hoc, vt electio valeat, & nullatenus censeatur coacta: sicut, & in matrimonio carnali debita est libertas & tamen potest iure optimo aliquo modo restringi, remanente libertate ad id necessaria, & de facto restringitur ad certũ genus Personarum. id est, ad fideles tantùm, & vt non fiat intra tàlem, vel talem gradũ. Hinc valida est Constitutio cuiusdam Ordinis multarum nationũ, qua cautũ fuit, ne in Superiores Monasteriorũ eligerentur plures, quã tres de vna natione. Ratio est, ne detur aliis causa, seu occasio superbiendi, aliis verò murmurandi, alliis autem tribuendi nimium suæ genti, siue nationi, Ita Nauarrus *lib. 1. consil. tit. de constitut. consil 7.*

Nauarr.

14. Consuetudo auferens libertatem eligendi, non valet: secus si restringit electores ad certum Collegium vel certum genus personarũ. Vnde consuetudine induci potest, vt mortuo Prælato Capitulum non priùs ad electionẽ procedat, quã Principi mors Prelati nuntietur & petatur ab eo potestas eligẽdi: quod quidẽ consuetudine induci potuit propter interesse Principis, vt proponat aliquem sibi fidelem, nam Princeps posset opponere contra electum exceptiones aliàs legitimas, maximè si dubitet de proditione patriæ, vel reuelatione secretorum, aut Conciliorum: hæc consuetudo viget hic in Belgio, in electionibus Abbatum. Ita Syluester *verb. Electio 1. q. 23.*

Siuester

An autem consuetudo valeat aliquarum Religionũ quibus cautum est, vt tantũ prudentiores, senes, & ætate prouectiores, vocem habeant in Capitulis, & admittantur in electionibus Superiorum? Responden: quod dicta cõsuetudo, quàuis boni aliquem habeat apparẽtiã non tamen est talis, quin verò esse uidetur contra ius aut saltem est præter ipsum, neque illi conformis, multisq; inconuenientibus plena Quod sit contra ius Canonicũ probatur, nam iure cõmuni Canonico, omnis religiosus tria substantialia vota in Religione aliqua per Sedem Apostolicam approbata, simul ac professus est, & in sacris Ordinibus constitutus, vocem habet in Capitulo, & in omnibus electionibus Prælatorum Ex *cap. ex eo §. 1. de elect. in 6.* & Clementin. *vt hi qui, de ætat. & qual.* Inconuenientia talis cõsuetudinis sunt, quòd electiones videntur coarctari, saltem quantùm ad suffragia; & aliquã continere videtur rationẽ malitiæ, ac fieri in eum finem, vt cùm electores, & suffragatores sint pauciores, faciliùs subornari possint. Nec negare quis potest; vtile esse in rebus omnibus, quòd multa sint consilia, plures cõsultores, & plures vocẽ habẽtes in Capitulis. Hac enim ratione leges, & plebiscita Romanorum, in quibus condendis, maiores simul cum Minoribus concurrebãt, firmiora dijudicabantur olim, pro vt sacri Canones nobis scriptũ reliquerunt *in cap. Plebiscita, & cap. lex, distinct. 2.* & experiẽtia semper docuit electiones factas a pluribus, meliores semper fuisse, quàm factas à paucioribus. Ita Nauarrus *li. 1. consil de consuetud. consil. 2.* Rodriquez *t. 2. qq. reg. q. 52. art. 12.* & alij

Nauarr. Rodriq.

15 Electio, in qua vnus electorum publicè, Capitulo permitente, suffragium suum manifestat, nulla est: cùm non possit dici celebrata per vota secreta, iuxta præscriptum Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 6. de regular.* Secus autem si secretò alicui suam schedulam ostenderet: quia per huiùsmodi simplicẽ ostensionẽ non inficitur electio: quia defectus clandestinus vnius de Capitulo non debet nocere Capitulo ignoranti, neque actui ab eo aliàs legitimè facto Alioquin esset in potestate cuiuslibet electoris, quam mallet, electionem vitiare, ac irritã, & nullam reddere, quod esset graue incõueniens. Igitur ostensio vnius schedulæ, siue per malitiã, siue per errorem, dũmodo non esset, vel præsumeretur causa, ob quam talis electio sequta fuisset non infirmat electionem. Ita Nauarrus *lib. 1. consil. tit. de elect. consil. 4.* Rodriguez *tom. 2 qq. reg. quæst. 52. art. 9.* Miranda *in Man. tom. 2. quæst. 23. art. 19* contra Pasqualigum *in decis moral. decis 264.*

Nauarr. Rodriq.

16 Electio per viam scrutinii celebrata, irrita est, in qua omnes schedulæ post votorum numerationem coram Capitulo non cremantur per declarationẽ à Pio V. viuæ vocis oraculo Cardinali Cribello factam, quã refert Rodriquez in Bullario post Bullas eiusdem Pontificis, sub *n. 42* his verbis: *Declarauit ad mentem Concilii c. 6. sess. 25. de reg. & ad suplicationem multorum Religiosorum, vt omnes electiones fiant per vota secreta mediis schedulis, & nunquam publicentur eligentiũ nomina, & peracto scrutinio eorum qui plura habent suffragia vltra medietatem habeantur electi, quo facto coram Capitulo crementur schedula, & irritat electiones quæ non seruauerint prædictum modum.* Ita Castel. *t. de elect. c. 4. n. 62.*

17 Electio valet, in qua quis per errorem aut forsitã per malitiam, mittit in unam schedulam albam tamẽ uotum illius qui hoc fecit nõ est enmputandum inter alias nec de ea maior mentio facienda, quam si nunquam in urnam fuisset missum. Ratio est, quia per illud factũ qui misit ipsum, uoci suæ renunciasse uidetur, quod cuilibet licitum est facere, quando id non vergit in damnũ, atque præiudicium communitatis sed qui renunciat uoto suo, non est magis de electorum numero, quã sit absens non uocandus uel uocandus, sed nolens uenire uocatus. Ita Nauarrus *lib. 1. consil. 7* Rodriguez *loco cit. q. 52 art. 13.*

18 Electio ad officia, & dignitates Ecclesiasticas ipso iure est nulla; quando in ea sors interuenit, quia est facta contra iuris dispositionem, & contra formam *c. quia propter de elect.* Ita habetur expresse *in c. Ecclesia, vestra de sortilegiis,* ubi sortium usus ab Honorio III. in electionibus perpetua probibitione damnatur. Ratio est, nam nihil ex se, atque ex sua ratione incertius sorte, nihil sine ratione minus, cætius nihil ac prorsus rationis oculis carnes. Nec refert quod D. Matthias & alii electi fuerit per sortem, non tamẽ ipsorum exemplo per sortẽ est aliquis eligendus quia priuilegia singulorum, cõmunẽ legem facere nõ possunt. Habetur enim *in c. Hinc est 16. q. 1. Non enim quod vni sigilatim conceditur statim omnib. conuenit* Et in c. Priuilegia distinctione 3. *Priuilegia sunt leges priuatorũ, quasi priuatæ leges* nec per hoc reproban-

probantur omnes in uniuersum sortes. Nam sors in se, & natura sua considerata, non est aliquid mali, vt habetur *in c. Sors, 26 q. 2.* sed nihilominus prohibetur ex causa vt dicitur, quia propter assiduitatem, interdum labitur in idolatriam, & in aliqua, quæ nonnumquam existimantur mala, quorum est vnũ, sortes mittere in electionibus. Possunt tamen sortes aliquando permitti propter dissentiones, & ad dirimendas lites in iudiciis, at in electionibus id facere non licet quamuis aliàs fit, aut timeatur discordia, ut tradit Glossa *in c. Ecclesia vestra de sortilegus.* Et ideò hanc sententiam sustinent D. Thomas 2. 2. *quæst. 95. art. 8.* Garzias *de benef. p. 5. c. 4. nu. 205. in add.* Angelus *v. Sors, q. 2.* Sigismundus à Bononia *de elect. dub 27. nu. 8.* Quamuis aliqui putent electionem ad officia Ecclesiastica per sortes diuisorias, non esse ipso iure irritas, ex ut *c. Ecclesia* citati, quia ersi interdicat huiusmodi electionem, nullum tamen uerbum irritans addit. Ita Bonacina *de leg. disp. 3. q. 5. punct. 3. n. 13.* qui pro se citat Suarez, & Sanchez. Ad quorum tamen rationem posset responderi, quod licet in prædicto *c. Ecclesia*, nullum adsit uerbum irritans electionem. Innocentius tamen III. *in capit. Quia propter, de elect.* tradens formam eligendi per viam scrutinii, subdit, *alias enim electio facta non ualeat*, quæ verba inducunt nullitatem ipso facto.

Glossa
D. Thoma
Garzias
Angelus
Sigismund à Bononia
Bonacina
Suarez
Sanchez
Innocentii

Addo, neque circa receptionem nouitii licere suffragium dare per sortes, est enim hæc electio cæca, & non discernit inter merita, uel demerita, sed quasi fortunæ committitur. Vnde Laurentius Portel *in dub. regul. v. Elect. n. 4.* dicit, se vidisse iudicatum suffragium nullum cuiusdam Religiosi, qui pro suffragio nouitii, clausis oculis, præscrupulo misit manum ad urnam plenam fabis nigris, & albis, & clausis oculis, primam obuiam sumens iniecit pro suffragio, hoc enim ferè fuit suffragari per sortes, absque discretione, & proinde inualidè, ut enim postea constitit, iniecit fabam nigram reprobatiuam, quam iniecisse illum mox pœnituit, idque constitit collatione facta ad alios suffragatores. Et sic electio repetita fuit.

Portel

19 Electiones de iure communi necessariò confirmandæ sunt à superiore illius, qui est electus, *c. Qualiter extra de elect.* vnde confirmatio plenum ius tribuit confirmato circa dignitatem ad quam electus fuerat: ita ut possit omnia, quæ sunt iurisdictionis, exercere, *c. Transmissã, & cap. Nosti, de elect.* Propterea electus ante cõfirmationem, directè, nec indirectè debet se administrationi io iure quod per electionem in ipsa dignitate acquisierat, *c. Auaritia, de elect. in 6.* Cuius textus dispositio habet etiam locum in postulato, præsentato, nominato, & in eo quĩ post confirmationem, siue institutionem nullam, & inualidam ex defectu iurisdictionis administrat, secus si sit nulla ex defectu citationis. Excusatur tamen à pœna electus, vel præsentatus administrans ante confirmationem, vel institutionem, si errauit in facto, secus si errauit in iure, nisi fuerit ius dubium. Item si de rebus prælaturę nihil attigit, nec immiscuit se administrationi: quia ad incurrendam dictam pœnam non sufficit sola possessio, vel constitutio in œconomum, vel Procuratorem, sed requiritur realis administratio in spiritualibus, vel temporalibus, & perceptio fructuum. Ita Glossa *in dict. c. Auaritia, v. Eo ipso.*

Glossa

20 Confirmatio est necessaria, tàm ex parte confirmatoris, respectu cuius cõfirmatio est necessitatis, & debita, per *cap. final. de elect. in 6.* quàm ex parte electi, quatenus electus per electionem acquirit habitum administrationis, per confirmationem verò exercitium, Glossa *in cap. Quanto, dist. 63.* Et electus ante confirmationem habet solum ius ad rem, vel ipsam electionem prosequẽdam, *cap. Si eo tempore. de elect.* vnde si electus ante confirmationem moriatur in curia Romana, Beneficiũ per eius obitum nõ dicitur vacare in curia, nec extra curiã, sed obitum primi Ita Garz. *de Benefic. part. 4. cap. 3. n. 9.* Prædicta tamen non procedunt in electione, quæ fit ab habente simul potestatem confirmandi, non expectata alia Superioris confirmatione, quia tunc eligendo censetur confirmare, & confirmãdo eligere, adeò quòd electo per solam electionẽ ius in re acquiritur. Ita Glossa *in c. unic. verb collationem, de rerum permut. in sexto.* Ex dictis colligitur confirmationem dare ius in re, & electum post confirmationẽ dicendum esse verè Prælatum, quando electio est valida, nàm vbi electio non tenet, confirmatio superioris non prodest, Glossa, *in ca. 1. verb. irrit. de postulat. Prælator. in 6.*

Glossa
Garzias
Glossa
glossa

A quibus verò electiones Prælatorum confirmandæ sint diximus *to 1 Abbas, n. 4.* Et dictis addo, quòd hodie speciali Sedis Apostolicæ concessione, vt plurimum, Generalis Ordinum statim, ac sunt Canonicè electi, intelliguntur per Summum Pontificem confirmati: vt patet ex concessione Clementis IV. pro nobis, Fratribus Minoribus, & refertur *in compd priuil Mend. v. Electio. § 3.* Item priuilegium concessũ est Fratribus Minimis à Iulio II. per Bullam, quę incipit, *virtute conspicuos*, apud Peyrynum *to 1 priuileg, Constit. 2 eiusdem Pontificis* Similiter Prælati locales, qui per electionem Conuentuum nõ creantur, sed à Generali, vel Prouinciali vna cum diffinitorio prouidentur, non indigent confirmatione, quia eo ipso quod eligunt, confirmare videntur. Ita Glossa *in c. vt circa, verb. Electiones, & in cap. 1. verb. Prouisionem, de elect. in 6.*

glossa

21 Quando electus est idoneus, debet sine dilatione confirmari, si non extiterit aliquod legitimum impedimentum. Quod si is, ad quem spectat confirmatio, recusat electionem confirmare, nulla legitima causa in contrarium existente, recurrendum est ad Superiorem, qui poterit eidem confirmatori præfigere certum terminũ ad confirmandum, intra quem terminum si non confirmauerit, potestas confirmandi ad Superiorem deuoluitur, argũ, *c. Nullus, de iur. patr.* & docet Castellinus *tr. de elect. c. 14. n. 18:* Nullum est tamen tempus à iure præfixum, intra quod confirmator teneatur electionem confirmare, ut docet Panormitanus *in cap. postquam in fin. de elect. in 6.*

Castellinus
Panormit.

22 Superior, electo inuito, non potest eius electionẽ confirmare. Ratio est, quia cùm inter eligentes, qui repræsentant ipsam Ecclesiam, seu Congregationem, & electum contrahatur matrimonium spirituale, requiritur consensus, non solùm ipsorum eligentium, sed etiam electi, qui est futurus sponsus, Panormitanus *in c. innotuit, de elect. n. 13* Verum religiosus electus, & confirmatus potest compelli ad acceptandum officium, ad quod est confirmatus, dummodò non assignet causam rationabilem, iuxta dicta *to. 1. v. Electio, nu 12.*

Panormit.

23 Compromissum non ualet factum ab uno nomine, & vice omnium, aliis præsentibus tacentibus, & non contradicentibus, quin verò omnes expresse debent cõsentire. Ratio, est, quia cùm res ista non sit leuis, sed grauis, omnes ad quos pertinet, sigillatim debent inquiri, & expresse consentire. Ita Innocentius, & communiter Doctores *in c. In causis, de elect.* Quod etiam obseruandum est in omni re ardua explicanda per uniuersitatem quia in re onerosa, & graui, taciturnitas non habetur pro consensu, ut tenet Glossa *in reg. qui tacet, in 6.* Secus in re leui, maximè concupiscibili. Ita Syluester *verb. Electio, 1 t. quæst. 12.* & post illum Miranda *tom. 2. quæst. 23. artic. 35.*

innocent.
glossa
Syluester
Miranda

24 De essentia, & substantia electionis compromissariæ, siue factæ per compromissum, requiritur *Primò*, quòd seruentur generaliter omnia quę de electione in communi dicta sunt; quia quidquid conuenit electioni in genere, & in communi, necessariò conuenire debet eidem in specie, atque in particulari. *Secundò*, quod tenuerit compromissum, factumque fuerit in forma licita, iuxta dicta *tom. 1. v. Electio, num. 4.* *Tertiò*, quòd non excedatur forma compromissi, per *c. cum dilectus, de elect.* *Quartò*, quod electio fiat per uerba singularis numeri, etiamsi compromissarii sint plures, & aliter facta non ualet, per *c. Sicut cùm de elect. in 6.*

Quando compromissum fuit factum limitatè, requiritur *Primò*, quod compromittentes sint simul omnes congregati, qui uolunt, & debent interesse. *Secundò*, quod omnes compromittant in unum, uel duos, tres, aut quos uolunt, siue sint de Collegio, siue non, dummodò sint Clerici, & non laici. *Tertiò*, quod compromissarius, siue compromissarii scrutentur vota singulorum secretè, & sigillatim, siue uiua uoce, siue per schedulas si timeatur

meatur

meatur aliqua fraude, in qua scribatur nomen eius in quem quisque elector consentit. *Quartò*. quòd eligant illum; in quem maior pars totius Capituli consenserit, dicendo, *Ego N. compromissarius de consensu, & voluntate compromissariorũ meorum*, si licet sibi habeat alios, *virtute compromissi in me, vel in nos facti, eligo in Episcopũ, siue Prælatum talis Ecclesiæ N in quem maior pars Capituli consensit*. Et si in primo scrutinio non consensit aliquem maior pars scrutinij, debet reiterari, & si opus fuerit, triplicari, quousque in aliquem maior pars Capituli consentiat, per *c. cum terra de elect.*

Si verò compromissum fiat non limitatè, sed simpliciter, & absolutè, requiruntur solùm duo prima, quibus stantibus, eligat dicendo. Ego N. compromissarius, &c. Sylvester eligo in Episcopum, &c. excepto, quod non dicet, in quem maior pars Capituli consentit. Ita Syluester *verb. Elect. 2. q. 15*

25 Certum est, quando compromissarius est unus solus, non posse semetipsum eligere. Ratio est, quia nemo debet oriri à seipso, per *capit. in Scripturis 8. quæstion. 1.*

Quando autem compromissarii sunt plures, & in forma compromissi habetur, ut compromissarij possint eligere unum ex seipsis, certum est etiam secundùm omnes, id fieri posse, per *c. cum in iure, de elect.* vbi confirmatur electio facta ex tribus de septem compromissariis, de vno ipsorum, si ille electioni consentiat, quia scilicet, vt dicit Glossa *ibid.* tunc sua persona computatur inter eligentes, &c. quatuor intelliguntur, & ita maior pars Capituli. Potest autem in se consentire, postquam in alium consenserat, si eius consensu in alium non fecerit maiorem partem, quia talis consensus illi non prodest.

Sed petes, quare in hac electione compromissaria, in dicto casu possit quis suffragari pro se, ut electionem de se factam compleat, & perficiat, cùm tamẽ in electione Syluester quæ est per scrutinium, nullus possit sibi suffragari? Respondeo, cum Syluestro *v. Elect. 11. q. 18.* quod vbi procedit per uiam compromissi, uox electi numerum augeт, & suam electionem consentiendo perficit. Sed vbi procedit per uiam scrutinij, non computatur in numero, vt *in c. Cumana, de elect.* Ratio diuersitatis ista est, quia compromissum non debet compromissariis esse officium onerosum, esset autem onerosum, si propterea excluderentur ab electione passiua. Tum quia electio non incipit, siue inchoatur primò à prædicto compromissario, sed ab aliis, à se verò ipso tantùm perficitur, & consummatur, quod non contingit in electione quæ fit per scrutinium. Ita etiam Ioannes Andræas *in cap. per* Ioan Andr. *nostras de iur. patronat.*

An autem quando sunt plures compromissarii, possint unum de seipsis eligere, si id non habeatur expressè in forma compromissi? Duæ sunt opiniones extremæ apud Syluestrum *q. 17.* aliis affirmantibus, aliis negatibus. Sed placet affirmatiua, quam sustinent Panormitanus, Syluester Archidiaconus, Innocentius, Hostiensis, & Ioannes An- Panormit. dræas *in c. Qui Episcopatum, 8. q. 1.* Portel *v. Electio, n. 9.* Arch diac. *in addit.* Diana *p. 10. tract. 13 resol. 33.* Marc. Vidal. in ar- Innocentio Hostiensis ca vitali *tit. de elect. inquisit. vnic. numer. 25. & sequent.* portel & alii.

Diana 26 Quamuis electio semper sit ipso iure nulla, quan- Marc. Vid do sine necessitate omittitur aliquid de substantialibus ac pertinentibus ad formam essentialem Canonicæ electionis, quia gesta contra formam sunt ipso iure nulla *c. cum dilect. de rescript.* & ex communi docent Panormitan. *in c. cum, post. de elect.* & alii. Tamen in electioni- Panormit. bus non tenentur regulares seruare apices electionis, sed sufficit, quòd seruetur formæ substantia, quando æquè bene fieri potest, Clement. *Exiui de parad. de uerb. signific.* Portel *in dub. reg. v. Elect. num. 14.* Vnde in ele- portel ctionibus regularium hic, & nunc seruanda est forma suarum Constitutionum, etiamsi in omnibus non conformetur electio formæ præscriptæ *in cap. quia propter*.

27 Prælati regulares eligi possunt per uiam postulationis. Probatur, quia cùm talis modus eligendi, sit iure communi permissus, ut constat ex *capit. unic de postulat. Prælat. in 6.* & consequenter sit licitus, illum seruare poterunt regulares in eligendis propriis Prælatis dummodo non obstent Constitutiones approbatæ à Sede Apostolica, quæ talem modum instituendi Præla- Lezana tos reprobent. Ita Lezana *tom. 2 c. 12 n. 52.* Nota tamen quod ad electionem per postulationem requiratur, ut illa fiat ab iis, qui possint postulare, vt sunt illi soli, qui possunt eligere. Vt postulatio præsentetur ei qui potest illam admittere, ut postulatio sit concors, id est, facta ab omnibus electoribus, aut saltem à duabus partibus.

28 Eligi possunt Prælati regulares per nominationẽ, nisi ex peculiari aliquo statuto, aut ex legitima consuetudine id sit prohibitum, cùm enim id iure communi sit panormit. permissum, ut colligitur ex *c sicut de elect.* & notat ibi Panormitan. *in 1. notab.* non est, cur debeat denegari regularibus. Tunc autem propriè fit electio per nominationem, quando duo, vel tres, qui sunt celebriores, ac digniores de Capitulo nominantur Superiori, & petitur, vt de aliquo illorum prouideat, & per talem nominationem, vel acquiritur ius nominatis, vel certè ad minus non possunt nominantes variare, postquam nominatio legitimè fuit præsentata Superiori. Ita Lezana *lo-* Lezana *co citato num. 53.* Syluester *v. Nominatio*, & alii penes ip- Syluester sos citati.

29 Electio Prælatorum regularium non potest fieri per fabas. Probatur, quia *in c. Ecclesia 2. de elect.* dicitur, in Prælato eligendo saniorem partem suffragiorum attendendam esse, quod tamen non seruaretur, si electio fieret per fabas, cùm taliter eligens non scribat nomen suum, nec uerbum proferat, ex quo cognoscatur, num Syluester ipse conueniat cum parte saniori necne. Ita Syluester portel *verb. Electio 2. q. 6.* Portel *in dub. reg. verb. Electio, in addit. num. 7.*

30 Regulares non possunt reprobare illum, quem iã concorditer elegerunt in Prælatum. Ratio est tum, quia nemo potest mutare consilium in alterius præiudicium, *l. Nemo, ff. de reg. iur.* tum quia iam res non est integra posita regulatione suffragiorum, ac publicatione scrutinii, quæ præcedunt publicationem electionis, esto sic electio nondum sit acquisitum ius plenum Ita Miranda *to 2. q. 23. art. 24.* Peyrinus *in formular. lit. E c. 2. §. 8. vers dico tamen*, Rodriguez *to. 2. qb reg. q. 52 art. 7.* & alii Addit Miranda, quod licet possint electores repetere suum suffragium, quam diu res est integra, præsertim si per imperitiam, seu errorem illud dederint alicui inhabili, non possunt tamen illud repetere, postquam scrutatores recepta electorum suffragia simul permiscuerunt, idque etsi præfati scrutatores ea nondum cœperint eccitare, quod etiam notauit Rodriguez ex Glossa, Ioanne Andræa, & aliis.

31 Non possunt regulares eligere in Prælatum, illũ, qui aliàs fuit reprobatus ob uitium aliquod personale, si illud aliàs fuit probatum quia tunc procedit regula 8. in 6. *Semel malus præsumitur semper malus, nisi probetur emendatus*, ut notat *in c. Cum inter Canonicos de elect. n. 7.* Secus dicẽdũ est, si illius uitiũ solũ fuit præsumptũ, quia cõtra crimẽ præsũptũ admittitur purgatio, ut *in c. offic. de elect.* Ita Peyrinus *suprà §. 8.* Addẽs, quod si prior electio fuit cassata ratione infirmitatis, non impeditur posterior electio, si electus possit se purgare quod ab eo morbo conualuerit, nam infirmus non semper præsumitur infirmus, nisi morbus sit incurabilis.

Vide v. Abbatissa *nu. 5, & sequent.* Diuinatio *num. 16,* Papa *num. 7. & 8.*

ELEEMOSYNA

SVMMARIVM

nam, refertur duplex sententia.

6 *An diuites, & Episcopi teneantur pauperes inquirere ad eorum necessitates subleuandas.*

7 *Qui dat aliquid existenti in extremis titulo contractus vel mutui, an satisfaciat præcepto de eleemosyna facienda.*

8 *An debitor extremam patiens necessitatem teneatur soluere debitum creditori, simili necessitate laboranti.*

9 *Qui in extrema necessitate constitutus aliquid accepit, & tunc consumpsit, an teneatur transacta ne. essitate ad illius restitutionem*, refertur duplex sententia.

An teneatur ad restitutionem recipiens eleemosynas paupertatem? Remissiuè.

10 *An obligetur ad restitutionem, qui non dat eleemosynam, cum teneatur ex officio.*

11 *Qui possint facere eleemosynas.*

12 *An famuli possint de rebus dominorum eleemosynas facere. Et quid de vxoribus, & religiosis sit dicendum.* Remissiuè.

13 *An eleemosyna facienda sit de proprijs bonis, vel alienis.*

14 *De bonis quæ in communi possidentur, an eleemosyna fieri possit.*

15 *An possit quis aliena capere, ad subleuandam extremam pauperis necessitatem.*

16 *An de bonis turpiter acquisitis, fieri possit eleemosyna.*

17 *An, cuius bona sunt ipso facto ob aliquod crimen fisco addicta possit extra necessitatem proximi extremam, illa dare in eleemosynam*, refertur duplex sententia;

18 *Quis ordo seruandus in eleemosyna facienda.*

1 Eleemosyna formalis *est opus quo aliquid ex compassione propter Deum indigenti datur*, vnde est actus misericordiæ corporalis, imperatus à charitate, si amorem Dei fiat, meritoriaque vitæ æternæ.

D.Thoma Nauarrus Filliucius Secundum D.Thomã 2 2 q.32.*art.1.* & 2. Nauarrus *in Man.c.24.num.*4 Filliuc.*tract.*28.*n.*57. Toletum *l.*8 *c.*27.opera misericordiæ sunt quatuordecim, septem corporalia, & septem spiritualia, *Corporalia sunt*, visitare infirmum, potare sitientem, pascere esurientem, redimere captiuum, vestire nudum, colligere hospitem, sepelire mortuos. *Spiritualia sunt*, docere ignorantem, corrigere peccantem, consolari tristem, remittere offendenti, portare onerosus, & orare pro omnibus.

2 Ex doctrina communi Doctorum Catholicorum eleemosyna est in præcepto, tenemurque sub mortali aliquando per eleemosynam succurrere proximo, immò ad hanc obligamur non solùm præcepto diuino, verùm etiam naturali, quia ratio naturalis dictat, ut quod nobis volumus, alteri faciamus, *Matthæi* 25. multi dicuntur damnandi ob omissionem eleemosynæ, at non damnatur quis ob consilia omissa D. Thomas *c. art.*5. Syluius *ibid.* Reginaldus *l.*4.*n.*244 Valentia *tom.*3 *disp.*3.*q.*9.*p.*4 & alii.

Toletus S lonus Reginald. Valentia

3 Ad maiorem intelligentiam dicendorum, præmittendum est, ex D. Thom. *art.*6. Syluio *ibid.* Azorio *tom.*2.*l.*12 *c.*9.*quæst.*5. & 7. Malderos 2.2.*q.*32.*art.*6. Diana *p.*5.*tr.*8 *res.*1.& aliis necessitatem proximi, cui subueniere debemus, uel esse extremam, quando scilicet, aliquis est in probabili periculo mortis, siue corporalis siue spiritualis, vel esse grauem, ut est illa quam incurrunt, qui non habent necessaria ad suum, & suorum statum, & conditionem: vel esse communem, & est illa quæ passim occurrit in pauperibus ostiatim mendicantibus, & qui in hospitali causa pietatis aluntur; *Præterea* notandum est, bona ex quibus facienda est eleemosyna, aut esse *superflua* vitæ, & naturæ propriæ, sed non statui, aut esse *superuacanea* non solùm vitæ, sed etiam statui; *Necessaria vitæ* dicuntur illa, quæ requiruntur ad conseruandam uitam, & naturam, consequenter *superflua* dicentur ea, sine quibus vita transigi potest. *Necessaria* statui sunt illa, sine quibus conditio propria personæ, conseruari decenter non potest, consequenter *superuacanea* statui erunt illa, sine quibus decens conditio conseruari potest: sub necessaria autem uitæ, uel statui, veniunt etiam necessitates parentum, filiorum, vxoris, ancillæ, serui, & huiusmodi Nauarrus *c.num.*6. Bonacina *de charit.disp.*3.*q.*4.*p.*6.*num.*4. & 5. Filliucius *c.num.*6. Reginald.*c.c.*20 *num.*249.& alii.

D. Thoma Syluius Azorius Malderus Diana

4 Conueniunt omnes Doctores, tempore necessitatis extremæ vel quasi, proximi, dandam esse eleemosynam de superuacaneis uitæ, etiamsi statui necessariis, quia ordine charitatis, uita proximi præferenda est decenti nostro statui. *Secundo*, obligatio est ad faciendam eleemosynam ex necessarijs ad uitam, & decentiam in necessitate extrema proximi, ex cuius uita, pendet notabiliter salus Reip. quæ salus totius, ordine charitatis præferenda est saluti partis unde pro principe, & patria, uita propria est exponenda. *Tertiò*, ex necessariis secundùm quid ad decentiam status, seu ad uitæ conseruationem, non tenetur homo pati incommodum rerum suarum, & restringere ea quæ ad vitæ, & status, conseruationem necessaria sunt, ut succurrat communibus necessitatibus, & hæc est communis sententia. Azorius *c.c.*7.*q.*5. Toletus *c.c.*34 Soto *l.*5 *q.*1.*art.*7. Valentia *c punct.*4. Filliucius *c.n.*64. Syluius *c.q.*32.*art.*6.*quæsit.*1.*conc.*1. 2.3. Diana *p.*5.*tract.*8.*res.*7.

Nauarrus Bonon. Filliucius Reginald

Azorius Valentia

5 Grauis controuersia est, inter Doctores, an ex superfluis, teneatur homo sub mortali, non solum in necessitate extrema, sed etiam in graui, facere eleemosinam: *quidam* enim censent, vt videre est apud Azorium 2.*p.l.*12. *quæsit.*4. *c.*7. Valentiam *tom.*3.*q.*9.*punct.*4. esse tantum de consilio in casu posito dare eleemosinã: quia qui non procurat ea, quæ non sunt sibi necessariam ad sustentandam vitam, non peccat mortaliter: ergo neque peccat mortaliter, qui alteri non suppeditat ea quæ non sunt necessaria, ad illius vitæ sustentationẽ. Hæc sententia ob Doctorum authoritatem probabilis est. *Alij* docent etiam in graui pauperum necessitate, non verò in communi faciendam esse eleemosynam, ex præcepto obligãte sub mortali, vt aiunt Couarr. 3.*variar.c.*14.*n.*5 P. Nauarr.*l.*3.*c.*1.*n.*358. Malderus *c.disp.*4.*pr.*1. *Tertia* denique sententia affirmat de superfluis faciendam esse eleemosynam, etiam in ordinariis pauperum necessitatibus, prout recta ratio pro loco, & tempore iudicanerit expedire, Ita D. Thom.*c.art.*5. Nauarr.*cap.*24.*n.*5 & alij apud Filliucium *c.n.*69. & *sequen.* Syluium *c.art.*6.*quæsit.*2. Bonacinam *c.num* 6.7.8. quia *Lucæ* 11 dicitur: *Quod superest date in eleemosynam, & ecce omnia munda sunt, vobis*, & hæc sententia probabilis est, & valde pia: quod praxim verò est dicendum, quando quidem authores secundæ sententiæ excusent à mortali, & id quidem probabiliter, non est facilè damnandus de peccato mortali retinens superfluum, etiam ratione status; quia alioqui non licetet mutare statum in melius: qui tamen superflua habet, debet multum timere, & confessarius debet illis maximè consulere, vt distribuantur nec apud se retineant, quia probabilis valde est sanctorum Doctorum sententia, illos obligari sub præcepto. Vide Dianam *p.*2.*tract.*1 *misc resol.*32. & *tract.*2. *res.*26. & *p.*4 *tract.*4.*res.*215. & *p.*5.*tract.*8.*res.*14. & 15.

Couarruuias P. Nauarr. Malderus

D.Thom. Nauarrus Filliucius Syluius Bonacina

Diana

6 Diuites qui habent superflua statui, non tenentur pauperes inquirere, sed sufficit vt animo parati sint ad eorum necessitates subleuendas, dum occurrerint; Episcopi verò, quia patres pauperum nuncupantur, tenentur ex officio necessitatibus occurrere, & consequẽter pauperes inquirere, vt ipsorum subleuent indigentiam. Azorius *c c.*8.*q.*3. Malderus *c.q.*32.*art.*6.*disp.*2. Filliucius *c.n.*77. Diana *tract.*2. *misc.res.*28. *punct.*2. & *p.art.*5.*tract.*8.*res.*3. & alii.

Azorius Malderus, Filliucius Diana

7 Qui extrema necessitate laboranti dat aliquid non in eleemosynam & gratis, sed titulo contractus vel mutui, uel alterius contractus, non satisfacit iuxta probabiliorem sententiam Reginaldi *l.*4.*c.*20.*num.*260. Valentiæ *c.* Bonac.*c.n* 15. Azorii *c.cap.*9.*q.*1. Soti *lib.*4.*q* 7.*art.*1.*ad* 4. Syluii *c art.*6.*quæsit.* 5. & aliorum nisi gratis, & in eleemosynam tradat; quia præceptum obligat ad actum virtutis eleemosynæ, non verò ad alium actum; si tamen non sit extrema simpliciter necessitas, quia scilicet, quamuis egens actu non habeat, habet tamen

Reginald Valentia Bonacina Azorius Sotus Syluius

men uirtute,ut si egeat pane, sed habeat nummos, uel pauper sit hic, at diues io patria, uel habeat uires,& artem ad facilè lucrandum plusquam ipsi necesse sit, tunc satis esse dare mutuo; & in hoc sensu sententia Nauarri *c.17.numer.61.* Lessii *lib.2.cap.16.dub.1.num.8* & aliorum teneri posset contrarium asserentium. Vide Dianam *p.5.tract.8.res.5.*

Nauarrus Lessius Diana Toletus Regin. Sotus Aragonn. Nauarrus Vasquez

8 Debitor extremam patiens necessitatem,per se loquendo iuxta Tolet.*c.c.59.* Regin.*l.4.n.316* Sotum *c.ar.4.* Arragon.*2.2 q.32 art.* Contra Nauarr.*c.17.nu.60.* & Vasquez *opusc.de eleemosyna dub.9.*& alios non tenetur restituere rem acceptam, seu soluere debitum creditori simili necessitate laboräti,siue rem acceperit medio cōtractu,siue noo,immò in tali casu,vxor,auus,parentes, filii,& secundùm quosdam,etiam fratres,possunt creditori præferri,nam maius est debitum naturale,quod debetur illis, quam debitum morale, quo tenemur erga creditorem; temperanda tamen hæc sententia est, modò debita non acceperit iniustè,dum verus dominus eadem necessitate laborabat, tunc enim adhuc exstantem rem tenetur restituere domino,eamdem necessitatē patienti;secùs dicendum esset de illo qui accepit ante necessitatem, & termino constituto non soluit. Vide Dianam *p.5.tract.8.resol.11.& 12.*

Diana

9 Qui in extrema necessitate constitutus aliquid accepit, illùdque in eadem necessitate totum consumpsit, non tenetur transacta necessitate ad illius restitutionem quia necessitas extrema facit omnia communia,qui verò ante necessitatem extremam iniustè, aut etiam licitè medio aliquo contractu accepit,tenetur restituere,quia talis contraxit obligationem restituendi; quæ ob superuenientem necessitatem non fuit extincta, sed tantummodò suspensa, quare transacta illa necess.reuiuiscit. Ita Azorius *2 p l.12.c.7.* Sylnester *v.furtum q.5.* Bonac. *c.n.16.* Lorca *2.2.disp.38.n.14.*& alii. Contraria tamen setentia non est improbabilis. Ratio est, quia furtū v.g. non ademit mihi ius iustitiæ,quod habeo ad alienā rem in necessitate extrema,neque mihi ademit ius communitatis rerum,quātū ad vsum rē necessitate extrema,in qua sunt omnia communia quantùm ad vsum. Ergo idem ius habeo post furtum, quod sine illo haberem. Ita P.Nauarr.*lib.4.capit.4 num.24.* Coninch *disput.27.dub.10 num.166.* Diana *part.5.tract 8 resolut.8.* & alii ipso citati.

Azorius Syluester Bonacina Lorca

Nauarrus Coninch Diana

An autem teneatur ad restitutionem simulans paupertatem recipiens eleemosynas; vide *verb. Restitutio 2.numer.8.*

10 Qui non dat eleemosynam, cùm teneatur ex officio, puta,quia est pastor,princeps,vel dominus existētis in necessitate, uel ille cui à Rep. cura pauperum demandata est, obligatur ad restitutionem: quia tales tenentur etiam ex iustitia ratione officii, qui autem non dat eleemosynam, cùm tenetur tantùm ex charitate,& misericordia, non obligatur ad restitutionem, quia charitas non obligat ad restitutionem, si contra eam fiat, sed tantùm ad culpam, eleemosyna debetur tantum ex charitate Nauarr.*c 24 num 7.* Diana *part.5. tract.8 resol 2.* Valentia *c.q.9 p.4.* Reginald.*c.n.264.* Sotus *l.5.q.3.art.4* Sylnius *c art.6.quæst.3.*

Nauarrus Diana Valentia Reginald. Sotus Syluius

11 Omnes illi,qui rerum suarum habent dominium, & plenam administrationem, possunt facere eleemosynas,vnde filii familiàs de rebus quarum habent dominium, vel vsum fructum, ut de peculio castrensi, vel quasi,possunt facere eleemosynas,non autem de profectitio,cuius proprietas, & vsusfructus est penes patrē, nec de aduentitio, cuius vsusfructus est apud patrem ipso viuente; de bonis autem patris posset facere eleemosynam, si habeat consensum ipsius,vel probabiliter præsumat,& maximè quando eleemosynæ sunt tenues, vel quando ipsi filii peregrinantur, vel resident in scholis, remoti à patre,item quando accipiunt aliquam certam pecuniæ summam pro sua sustentatione, si restringant expēsas, possunt quod superest erogare in eleemosynas. Ita Toletus *l.8.c.30.* Sà *v.Eleemosyna numer.13.* Nauarr.*c.17.num.141.* Syluius *2.2.q.32.art.8.*& alii. Potest,& tutor, & curator,qui pupilli bona administrant Reginald *c.n.270.*

Toletus Sa Nauarrus Syluius Reginald.

12 Communis sententia est D.Thom.*c.art.8.ad 4.* Syluester *v.eleemosyn.q.5.§.3.* Filliucius *tract.28 num.95.* Toletus,*cit.cap.30.num.3.* Sà *cit.n.11.*& aliorum, famulos non posse de rebus dominorum eleemosynas facere,extra casus communes,vt si sit extrema necessitas, si detur quid modicum, & raro, si adsit consensus domini saltem interpretatiuus, uel probabiliter speretur ratihabitio, denique si de certa sibi portione assignata ad victum,detraheret aliquid per abstinentiam, & hoc non cedat in præiudicium domini: An autem vxores, & religiosi possint eleemosynas facere,dictum est supra *v Donatio.*

D.Thom. Syluester Toletus Sa

13 Eleemosyna danda est ex bonis propriis, vt patet Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum.* Ratio est, quia per eleemosynam transfertur dominium:hoc autem fieri non potest,nisi à Domino rei,vel eius authoritate;nec dicat quis eleemosynam se facere ex rebus alienis, quia Dominus illarum eam facere negligit,cum tenetur,non enim debemus alterum adigere ad id,ad quod obligatur hoc tamen intelligendum est, quando quis de alieno facit eleemosynam sine vllo consensu Domini, nam ex eius consensu,vel expresso, vel rationabiliter præsumpto, potest moderata eleemosyna fieri,maximè ab illo, qui habet aliquam bonorum administrationem, sic filii de bonis paternis,vxor de bonis viri,seruus de bonis heri,& religiosus de bonis monasterii, per consensum rationabiliter præsumptum, aliquam possunt facere eleemosynam vt dictum est, *v.Donatio*, Vide D.Thom *c. art.7 ad.* Valentiam,Syluium,Maldetum,*ibid.* Filliuciū *tract.18.c.4.num. 86. & seq.* Medin.*q.5. de eleemosyna* Reginald *l.4.cap.22.num.286.* Azorium *2.part.l.12.ca.12.*& alios.

D.Thom. Valentia Maldetus Medina Reginald. Azorius

14 Ex bonis communibus quæ possidentur particulariter,id est,quorum certæ portiones distribuendæ sunt singulis, non potest fieri eleemosyna, nisi de consensu expresso, uel rationabiliter præsumpto singulorum de communitate, quorum interest *c.cum omnes, de constitutionibus*,quia fieret alioquin singulis iniuria,cùm quilibet habeat certum determinatum ius ad portionem aliquam cuiuscumque partis bonorum. quæ in commune conferri debent. Ita Medina *Cod.de eleemosyna qu.4* Bonacina *c.n.21.*

Medina Bonacina

Ex bonis autem communibus, quæ collegialiter possidentur,id est,quæ in singulos non sunt distribuenda, nisi ad nutum communitatis, vel eius, qui illius curam gerit,possunt fieri eleemosynæ, sine consensu singulorum,*c.Cum in cunctis, de his,quæ fiunt*, quia sufficit cōsensus superioris,vel maioris partis Capituli,quia ad bonam administrationem huiusmodi bonorum, pertinet etiam,ut aliquid in eleemosynas,pro loco,& eo tempore distribuatur, ergo poterit hoc facere, uel communitas,id est, maior eius pars,vel is qui communitatis vices gerit Reginald.*l 4 cap.22.num.285.* Filliuc.*tract.28.cap.4.num.88.*

Reginald. Filliucius

15 Qui nō habet vnde possit ex propriis bonis necessitatem pauperis subleuare, potest aliena capere, ad subleuandam extremam pauperis necessitatem, quoties pauper tantam patitur necessitatem, ut possit alienum capere,quia tunc dominus non censetur rationabiliter inuitus, vnde qui sic accepit non tenetur ad restitutionem,postquàm uenerit ad pinguiorem fortunam,sicut enim pauper accipiendo non teneretur, ita neque tenetur qui accepit,ut pauperi traderet, modò non acceperit medio aliquo contractu,Emman.Sà *c.numer.8.* Vasquez *eleemosyn.capit.1.dub.7.num.61.* Toletus *cit.cap 32.*& alii.

Emman. Sà Toletus Vasquez

16 De bonis turpiter acquisitis, fieri potest eleemosyna,quoties turpitudo est ob circumstantiam accidentalem actionis, vt ex meretricio,uel homicidio patrato, vel sententia iniusta prolata,quia talium rerum acquiritur dominium iustè,etiamsi actio per quam acquiritur, mala sit, licet cauendum sit scandalum, ne Deo oblationes fiant de acquisitis per meretricium.

De turpiter autem acquisitis, cum onere restituendi, ut in rapina,furto, usura,inuentione,&c. non potest fieri eleemosyna,nisi Domini diligenter quæsiti non compareant;quia eleemosyna non debet fieri cum alterius

detri-

detrimento. Quod si Domini ignorentur, vel singuli tam leuiter damnificati, vt licet summa vniuersa sit notabilis, respectu tamen singulorum nullius sit momenti, posset, atq; adeò deberet restitutio fieri pauperibus quibus huiusmodi bona debentur, si non iure naturali saltem positiuo, & cõsuetu linari. Ex bonis autem acquisitis cum onere restituendi, sed non ei qui amisit, quia is per legem priuatur dominio rei suæ, potest ac debet fieri eleemosyna Ecclesiæ, vel pauperibus, patet in acquisitis per simoniam, per ludum vetitum, per subuersionẽ iudicii, &c. Vide D. Thomam 2.2 *q.32.art.7* Azorium *c.l 12 c.12.q* 6. Toletum *c.c.*32 Filliuc. *c.91.92.* Bonacinam *cit.num.*22. Syluium *c art.7.conc.*3. Layman *l* 2. *tract* 3.*cap.6.num.7.* Medinam *de eleemosyn. quæst.*5. Malderum, Caietan. Aragon. 2.2.*q.*32.*art.*7 Reginald. *l* 4 *c.*22 *n.*287 & alios.

D. Thom. Azorius Toletus Sanctius Syluius Layman Medina Malder. Caietan Aragon Reginald.

17 Ille cuius bona sunt ipso facto ob aliquod crimen fisco addicta, potest extra necessitatem proximi extremã illa dare in eleemosynam, modò hoc non faciat in fraudem fisci, sed quantum fert necessitas pauperis subleuãdi, quia non est priuatus absolutè dominio bonorũ suorum, nec tenetur illa fisco restituere ante iudicis sententiam. Ita Sanchez *in Summa lib.*2.*c.*22.*num.*3 Vasquez 1.2.*disp* :70.*c.*3. Molina *tom.*1.*disp.*75 & alii quamuis contrarium sentiat Azorius cum quibusdam aliis ab ipso citatis.

Sanchez Vasquez Molina

18 Ordo seruandus in eleemosyna facienda hic est, *in genere* succurrendum est maiori, & grauiori necessitati, potiùs quàm minus graui, cæteris paribus, *in specie* autem, coniunctiores cæteris paribus præferendi sunt minùs coniunctis, *meliores* minùs bonis, *vtiliores* Reip. minùs vtilibus, ut dictum est, *v Charitas*, *Porrò* eleemosyna facienda est indigentibus, siue iusti sint, siue iniusti, siue infideles, siue fideles, siue sint amici, siue inimici, coniunctiores tamen ex his præferendi sunt sanctioribus, quia in bono eleemosynæ magis diligendus est coniunctior, quàm sanctior D Thom *c.artic.*9. Syluius *ibidem*. Valentia *tom.*3.*disp.*3 *q* 9.*part* 4 Reginaldus *c.n* 301.304. Azorius *c.ca.*13. Toletus *cit.cap.*39, & alii.

D. Thomas, Syluius, Valentia, Reginald., Azorius

De Eleemosyna, vide Charitas *num.*18, 21. Donatio, Dominium 1.*num.*11. & 12. Satisfactio *numer* 5. Societas *numer.*9.

SVPPLEMENTVM

SVMMARIVM

1 *Dubitans an proximus extremè indigeat, num teneatur ei subuenire.*

2 *An eleemosyna debeat dari abundanter.*

3 *An peccatum sit eleemosynam dare ad superfluitatem recipientis.*

4 *An in communibus necessitatibus laudabilius sit, pluribus subuenire parum dando, quàm multum paucis.*

5 *An peccet mortaliter leuem eleemosynam denegans pluribus, quibus singulis tenebatur solum sub veniali, modicam eleemosynam dare.*

6 *An possimus, & teneamur cibum illi præbere, qui damnatus est, ut fame pereat.*

7 *An omnibus pauperibus facienda sit eleemosyna.*

8 *An ex excusentur Magistratus, qui solos pauperes indignas mendicare permittunt, & extraneos expellunt a suis vrbibus.*

9 *An eleemosyna facienda sit illis, quis necessitatem patiuntur, inuoluntariam ex humano defectu, vel voluntariam ex ignauia vel ex mera malitia.*

10 *An eleemosynarum distributor, cui commissa est electio pauperum, debeat eligere pauperiores? Et qui nomine pauperum intelligantur.*

11 *An detur præceptum diuitibus faciendi eleemosynam in communibus necessitatibus.*

1 QVi dubitat, an proximus extremè indigeat, ex charitate tenetur veritatem indigentiæ indagare, siue in dubium inciderit, quia pauper suam inopiam piam proposuit, siue alia via, ne si id omittat, periculo peccandi se subiiciat, eo modo quo dubitans, an aliquis dies sit ieiunii, vel festiuus, perquirere ueritatem erit coactus, ne de se verificetur illud Psalm.35. *Noluit intelligere, vt bene ageret*. Et consequenter veritatem non indagans exponeret se voluntariè periculo frangendi illa præcepta. Quod si sibi constet necessitatem extremam esse, elargiri eleemosynam tenebitur, at manente dubietate, facta sufficienti diligentia non erit compellendus eleemosynam erogare, quia tunc libertatem non erogandæ eleemosynæ possidet, & non præceptũ erogãdi illam. Ita Sancius *in selectis disp.*43.*n*20. & post illum. Diana *p.*5.*tract.*8.*resol.*39.

2 Modus eleemosynæ est ut detur ex recta intentione, promptè, hilaritèr, humilitèr, abundantèr. Quatuor priores conditiones, vide apud Bellarminum *l.*3. *de bonis operibus*, *c.*13. Circa abundantiam nota, illam esse æstimandam, tum ex facultate dantis, tum ex indigentia recipientis, iuxta illud Tobiæ 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multũ tibi fuerit, abũdãter tribue, si exiguũ tibi fuerit, etiã exiguũ libẽter impertiri stude.* Itaq; abundans erit eleemosyna, quæ sufficit ad subleuandam proximi necessitatem, neque enim laudabile est, ita effundere suas opes, ut qui indigebant, incipiant habere superfluum, & fortè abutantur diuitum liberalitate. Ita D. Thom. 2.2.*q.*31.*art.*10.

Sancius Diana

D. Thomas

3 Eleemosynam dare ad superfluitatem recipientis, peccatum est, si superfluitas intendatur, quia finis eleemosynæ est subuentio proximi. Si autem ideò detur, ut abũdans det aliis eleemosynam, est minus ad bonum, & minus laudabile, nam melius esset, vt quis per seipsum bona sua pauperibus distribuat, nec aliorum dispensationi committat, tales sunt eorum eleemosynæ, qui Ecclesiis abundantissimè legarunt, vt ipsæ pauperibus benefacerent, quorum factum non vsque adeò probant Doctores, quia nimirum fundatorum intentioni sæpe non obtemperatur. Ita Caietan. 2.2, *q.*32.*art* 10.

4 In cõmunibus necessitatibus videtur longè laudabilius, pluribus subuenire, etiamsi parum accipiant, quã multum paucis dare, idque Scriptura multis locis insinuat. Psalm.111. Dispersit dedit pauperibus. Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum* Sic Tobias cap. 1. *Quotidie pergebat per omnem cognationem suam, diuidebatque singulis, prout poterat ex facultatibus suis.* Ratio est, quia pluribus hac ratione subuenitur, plures orant pro eo, qui eleemosynam facit, & ipse faciliùs inanem gloriam euadet. Ita D. Thomas, Caietanus, Bellarminus, vbi supra. In graui tamen, aut extrema necessitate, aut si miseria indiget magna pecuniæ summa, verbi gratia, si uirgo dotanda sit, excitandum Xenodochium, redimendi captiui, ægroti pretioso pharmaco iuuandi, &c. aliter euenire potest, quod in casibus particularibus pia charitas, cum vera prudentia facilè iudicabit, unde in hoc non potest una generalis regula dari, quandoque enim vnum est melius, quandoque alterum vt docet Syluius 2.2.*q.*32.*art.*10.

Caietanus

5 Qui leuem eleemosynam denegat pluribus pauperibus, quibus singulis tenebatur solum sub ueniali modicam illam eleemosynam tradere, peccat mortaliter. Ratio est, quia leues illæ eleemosynæ videntur unam materiam notabilem constituere sufficientem ad mortale peccatum, ut patet à simili de eo, qui modicam à pluribus pecuniæ quantitatem accipit, quæ simul sumpta grauem, & notabilem materiam constituit. Ita Turrianus 2.2.*disp.*82.*dub.*2. Quamuis multos à mortali excusandos arbitretur ob inaduertentiam Bonacina *de charit. disp.*3.*q.*6.*punct.*6.*n.*13.

Turrianus

6 Possumus, sed non tenemur, cibum illi præbere qui damnatus est, vt fame pereat. Ratio prioris est, quia damnatus, ut fame pereat, potest oblatũ sibi cibũ capere, et etiam alter potest illi cibum dare, modo hoc non sit à iudice specialiter interdictum, aut modo non sit minister iustitiæ, hic enim faceret contra proprium officiũ, & impediret executionẽ iustitiæ, & sic peccaret mortaliter cibum ministrando. Ita Toletus *in Summ. lib* 8.*c.*31. Reginald. *lib.*4.*c.*25.*num* 296. & alii. Ratio posterioris est, quia damnatus potest non comedere, ergo neque alter tenetur illi dare, cùm non magis obligetur ad dandum

Bonacina

illi

illi cibum, quàm reus ipse teneatur ad sumendum Ita D.Thomas 2 2.*quæst* 31.*artic*.2. & in terminis ibidem Sylnius.

7 Eleemosyna facienda est pauperibus, siue iusti sint, siue iniusti, siue infideles, siue fideles, siue sint amici, siue inimici. Ratio est, quæ ex charitatis præcepto tenemur eos diligere, probatio autem dilectionis exhibitio est operis. Confirmatur ex Tobiæ 4. *Noli auertere faciẽ tuam ab ullo paupere*. Lucæ 6. *Omni petenti te tribue*. Matth. 5. *Benefacite his qui oderunt vos*., Roman 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*. Ex quibus sequitur quod etiam inimicis debeamus facere eleemosynam, nisi sint inimici Reip. contra quos geritur iustum bellum. Priuatos enim inimicos debemus ex charitate sic diligere, ut etiam temporalia bona eis velimus, ac tribuamus, si opus fuerit, neque nobis licet eorum mortem procurare. Inimicos autem Reipublicæ debemus diligere in ordine ad salutem animæ, sed non in ordine ad uitam corporalem, quando licet eos interficere. Si uerò non sit periculum, ut inimicus noceat Reipub. ut contingere potest tempore induciarum, teneremur in extrema necessitate subuenire, quia charitas postulat, ut inimici diligantur. Ita Bonacina *loco cit. at. punct. 6. num.* 20. Reginaldus *lib.4 cap.23.num.*295. Petrus de Lorca *disp.27.num.*20 & alii.

Bonacina. Reginald. Lorca.

8 Magistratus, qui solos pauperes indigenas mendicare permittunt, & extraneos omnes à suis vrbibus expellunt, non bene faciunt. Probatur, quia charitas charitatisque actus extendunt se, non solum ad ciues, & indigenas, sed etiam ad peregrinos, & aduenas. Tum quia quædam vrbes, & pagi sunt, uel inuersione, hostiũ, uel incẽdio, vel alijs ex causis ita extenuati, ut uix ibi reperiãtur, qui abundent, unde ergo uiuent pauperes talium locorũ. Tum quia sunt multi pauperes, qui non possunt in locis suis habitare, siue quia sunt exules, siue quia bonis suis ibi exciderunt, uel dedecus tale passi sunt, ut melius eis sit natale solum deserere, quàm in eo manere, uel ob alias causas Ita Sylu. 2.2.q.32.*art.9 quæsit* 3. Cui subscribit Bonac. *loc cit.n.*19. dicens, quòd præcisa iusta causa certum est pauperes peregrinos à ciuitatibus excludi non posse absque peccato, non solum contra charitatem, uerùm etiam contra iustitiam, nam fit iniuria pauperibus habentibus ius cõparandi sibi necessaria per eleemosynã. Proinde excusari possunt Magistratus qui à suis urbibus pauperes aduenas excludunt, ne otio torpeant, ne morbos, vel corruptelas, aut proditiones afferant, uel ut pauperes domesticos præferant cæteris, nã ordo charitatis seruari potest, nec Princeps tenetur exteros pauperes admittere cum periculo boni communis. Ita Medina *C.de eleemosyn.q.*7 Reginald. *l.4.c* 23.*n.* 296. & 197. Diana *part.5.tract.8.resolu*:.36. & alii ab ipso citati. Quibus adde Tannerum *tom.3.disp.2.qu.5. dub.2.*

Syluius Bonacina.

Medina Reginald. Diana Tanner.

9 Eleemosyna facienda est illis qui patiuntur paupertatem inuoluntariam ex naturali, vel humano defectu prouenientem: quia in illis inuenitur obiectum misericordiæ: nec possunt sibi subuenire. Voluntariis autem pauperibus non uoluntate uirtutis, sed ignauiæ, & otiositatis, cuiusmodi sunt ualidi mendicantes, qui cùm possent honestis artibus, uel labore victum comparare, hoc nolunt, sed otio uacant, non est necesse facere eleemosynam quia talibus eleemosynã dare, est ipsorum ignauiã fouere, tũ quia non licet eis uiuere de eleemosynis, cũ sibi ipsis sufficientes sint, si velint, quin potiùs meritò deberet à Christianis Magistratibus cotta illos agi, vel ut laborẽt, uel de urbibus exeãt. Cæterũ cauere oportet ne nimis curiosè uelit quis scrutari pauperes, pauperũq. cõditiones; quia minus est incõmodi dare cuilibet propter Deum petenti, quàm negare, nam qui dat mercede nõ carebit, siue is qui petit sit uerus pauper, siue simulatus Qui autem negat, mercedem eleemosynæ non habebit potestq. fieri quod neget illi, cui dare debuerat. Hinc Augustinus lib. de quinque hæresibus, capit.4. *Discite Christiani sine discrimine hospites suscipere, nè fortè cui domum clauseritis, cui humanitatem negaueritis ipse sit Christus*. Denique non est facienda eleemosyna illis, qui necessitatem actu patiuntur ex mera malitia vt sunt auari, qui nolunt propriam pecuniam in suis necessitatibus insumere; quia habent vnde sibi subueniant ideoque non reuera indigent, nisi quantum simulante auaritia cupiunt indigere. Si tamen illorum tanta esset necessitas, & tam depravatus animus, teneremur illis subuenire, sed ex eorum bonis, non ex nostris Ita Diana *parte quinta, tract.8.resolut.*29. Syluius *secunda secunda quæst.32.art.9.* Medina *de elemosyna, quæst.8.dub.5.* Turrianus 2.2. *disp.* 85. Petrus de Lorca 2. 2. *disp.* 37. *num.* 11. & alij.

Diana. Syluius. Medina. Turrianus Lorca.

10. Eleemosynarum distributor ex testamento, cui commissa est electio pauperum, non habet, necesse eligere pauperiores, sed potest omnium pauperum generi distribuere, nec peccat, qui vnum pauperem alteri præfert; nam locus est gratificationi. Sub nomine pauperum intelliguntur omnia loca pia, vt Hospitalia, Ecclesiæ indigentes luminaribus, ornamentis, ædificiis, & Monasteria Religiosorum, præsertim Mendicantium. *Item* illi qui victum quærunt ex labore suo. *Item* illi, qui non solùm habent vnde viuant, sed etiam, qui non possunt commodè, & honestè viuere secundùm suam conditionem, ut sunt multi artifices. & personæ etiam alterius conditionis, quæ ægrè admodum vitam sustentãt. *Item* nobiles, quibus incumbit onus dotandi filias, & eas nuptui tradere non possunt sine dote, licet habeant tantùm quantùm sufficit ad alimenta. *Item* qui egent opportuuis ad conuenientiam sui status. Vide Molinam *de iust. tract.* 2.*disp.*747. Reginaldum *l.* 10 *n* 197. Filliucium *tract.*32 *num* 95 Nauarrum *cap* 17.*num.*93. Imò distributor, si est pauper, potest sibi, sicut aliis pauperibus eleemosynã applicare, vt docent D. Thom. 2.2.*q.*32.*art.9.ad* 3. & ibi Caietanus, Arragon. circa illam solutionem. Non solũ si in paupertatem incidisset post testamentum, vel cùm antea pauper fuerit, eius paupertas testatori non patuit, vt docet Sanchez *lib.6.moral.c.* 11.*n* 55 Sed etiam, si testator sciens illum esse pauperem, nullam ipsius mẽtionem fecisset. Nam potuit id omittere per obliuionem, aut pudorem; & alioqui satis inter pauperes censendus est includi, dum non excluditur. Ita Sancius *in selectis disp.*14.*n.*18 & post illum Diana *p.5.tract.8 ref.*38 Hęc dicta sint, quãdo aliter non constaret claré, vel ex coniecturis de mente & intentione testatoris, aliàs distribuenda esset eleemosyna inter pauperes quos ipse in particulari declarauerit.

Molina. Reginald. Filliucius. Nauarr.

D. Thom. Caiet. Arragon.

Sanc. Diana

11. In communibus necessitatibus nullum datur preceptũ diuitibus faciendi eleemosynã, etiamsi haberint superflua. Probatur, quia necessitas est communis quia leuis, vel quia ab aliis subleuatur Si primum, certè non tenemur hominem ab omni labore redimere, locupletare, & ad magnam fælicitatem deducere, ut nec caput leuiter doleat Si secundum, cùm alius succurrat; nec periculum sit in mora, non est cur teneamur nostra bona erogare, etiam in graui, vel extrema necessitate. Ita Malderus 2-2 *q.27.art.6 dub.*4. Toletus *in Summ l.8.c.* 55.*conc.*2. & communis. Timeant tamen diuites, qui superflua habent, & ea non expendunt in pauperes, quia etsi Doctorum Scholasticorum communis sententia eos excuset, tamen Doctores Sancti illos damnant, ita vt sit profectò sententia probabilis, illos obligari sub præcepto. Hieronymus ait, *Aliena rapere conuincitur, qui vltra sibi necessaria retinere probatur*. Refertur in Decret. *distinct* 42. *cap* 1 Item Ambrosius. *Neque enim minus est crimen is habenti tollere, quàm cum possis, & abundans sis, indigentibus denegare Esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est quod tu recludis, & miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia quam tu in terram defodis. Tantorum te ergo inuadere scias bona, quantis ipse possis præstare si velis* Refertur *in cap Sicut, dist.* 47. Augustinus super Psalm. 147. ait. *Superflua diuitis, necessaria sunt pauperi, aliena rapit, qui ista detinet.* Ecce testimonia Sanctorum, qui damnant superflui retentionem sub mortali.

Mald Toletus

Cæterum etiamsi esset uera opinio horum Sanctorũ diuites teneri sub mortali præbere eleemosynam etiam in communibus necessitatibus pauperum, tamen non tenerentur inquirere pauperes (si Episcopi non sint) sed solum misereri occurrentibus, & non impedire nimia

quis-

austerirate, vel aliomodo, è occurrant. Neque etiam te-nerentur omnibus communiter indigentibus subuenire, sed aliquibus, nec in totũ alicuius indigentiã subleuare, sed satis est aliquid ei dare. Ita Lorca *in.2.2.sect.3.disp. 39 memb.2.num.*30.Bonac.*de l disp.3.quest.4.punct.6. num.*10.& alij.

Lorca. Bonacina.

Aduertendum tamen est, superfluum magis inueniri in Ecclesiasticis personis, quã in secularib. hi enim cùm nõ habeant filios, & filias, non ita indigent, ac seculares, & cùm ipsorum etiam victus, & vestitus, maiorem requirat modum, & modestiam, minùs expendere debent, quàm seculares. Proinde bona quæ à sæcularib. cõseruantur ad acquirendũ maiorẽ statũ pro se & suis cosanguineis, nõ dicũtur superflui status; ascensus enim ad Superiorẽ statum, ad necessitatem, & conuenientiam status reuocandus est, ita vt ea non censeantur superflua, quæ licet excedant mensuram status præsentis, conducere tamẽ possunt, & reseruantur, vt homo altiorem statum acquirat, & acquisitum conseruet, & ideò in secularibus, etiam in Regibus vix inueniũtur superflua status, vt docẽt Nau. *in man.c.24 n.6.in fine* Mald *in 2.2.q.27 art.6.dub.4.& dub 6.*Vasquez *opusc.de rest.c.1.d.13.n.27.& 32.& c.4 n.*14. Cùm igitur sæculares de necessarijs ad statũ non teneantur erogare pauperibus, nisi extremam necessitatem patiantur; & necessitates illæ rarò eueniant, aut saltẽ manifestentur diuitibus, & status decentia magnam habeat latitudinẽ, difficilèque inueniatur, qui superfluitatis conuinci possit, difficile est damnare ab mortale cùm tot viri docti vsque ad hodiernum diem nullum ius diuinum, aut humanum, oppositum conuincens, afferre potuerit, signum est ergo rem hãc esse saltem dubiam, ac proinde præceptum non obligare, quia præcepta dubia non obligant, saltem sub mortali. Ita Diana *p.4.tract 4 resol.*215. *& part.5.tract.8.resol.*15.

Nauarrus, Maldonatus Vasq.

Diana

Vide verb-Mutuum *num.*3 *c.*26.Nouit.*num.*28 Paupert.*num.*8.

EMPHYTEVSIS.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Emphyteusis? & eius differentia à contractu locationis.*
2 *Qui possint dare in Emphyteusim.*
3 *Quæ conditiones requirantur iure communi ad emphyteusim. Et de duobus primis.*
4 *An singulis annis emphyteuta teneatur soluere certam pensionem consistent in pecunia, vel in fructibus.*
5 *An re pereunte sine culpa Emphyteutæ, hic liberetur à solutione pensionis.*
6 *An Emphyteuta priuari possit re accepta in emphyteusim quoties res efficitur deterior ex culpa, vel Emphyteuta.*
7 *An Emphyteuta possit rem Emphyteuticam, & eius melioramenta per venditionem alteri tradere, secundum ius vtile, quod ipse habeat.*
8 *An quoties res venditur, vel alienatur, is qui eam accepit, debeat soluere laudemium Domino directo pro inuestitura. Et in quibus casibus non debeatur.*

1 EMphyteusis *est contractus quo res immobilis alteri traditur quoad dominium vtile retento dominio directo, cum obligatione soluẽdi pensionẽ proprietario, idque vel in perpetuum, vel ad vnius, aut plurium vitam, vel ad certum tempus, quod decennio non sit minus; lib.1. Cod de iur.emphyt.* ex qua definitione patet differentia huius contractus a cõtractu locationis. *Primò*, quod emphyteusis solum constitui possit in re immobili, quæ cultura meliorari potest. *Secundò*, quod per eã transferatur dominium vtile manente solo dominio directo apud priorem dominum. *Tertiò*, quod non fiat ad breuius tempus quam decennij, quorum nullum cernitur in locatione; differt etiam à feudo, emptione, & censu, ut suis locis patebit Molina *de contr. disp.* 445. *tract.2.n* 7.Filliucius *tract.36.c.7.n.*120.121.Bonacina *de contract.disp.3.q.8. punct.*1.Syluester *v Emphyteusis n.*1, Sylnius 2.2.*quæst.* 77. & alii.

Molina, Bonacina. Sylnius

2 Generatim omnes, qui iure alienare possunt, etiam in emphyteusim dare queunt, quia emphyteusis species est quædam alienationis, cùm per eam transferatur dominium vtile; vnde pupillus, aut minor, absque tutore, aut curatore, & iudicis decreto, item emphyteuta, quia dominiũ directum nõ habet; item Prælatus Ecclesiæ nisi adsit iusta causa, & debita solemnitas, dare in emphyteusim non possunt. Filiciuc. *c.n.*123.124. Clarus *l.4.recept. sent.§.emphyteusis q.*33. Azor.*3.p.l* 10.*c.*2.

Filliucius Clarus. Azorius,

3 Quamuis de hoc cõtractu varijs in Prouincijs sint leges, & consuetudines; imò pacta contrahentium dant huic contractui legem magis quamvili alteri; iure tamẽ Cæsareo communi, *lib* 1.*& 3.C.de iur. emphyteutico*, ad emphyteusim requirũtur conditiones sequentes. *Primò* vt cõstituatur in se immobili, & frugifera, & solo adhærente, vt in agris, domibus, pascuis, syluis, stagnis, & similibus, quæ cultu, & industria meliorari possũt. *Secũdò*, vt dominium directum, & possessio ciuilis huius rei, maneat apud priorem dominum, vtile transferatur in emphyteutam; vnde emphyteuta præscribere non potest dominium directum, quia possessio quæ requiritur ad præscriptionem, semper manet in proprietario, vt dicetur *v. Præscriptio*: tamẽ laicus habẽs agros Ecclesiæ in emphyteusim, tenetur ex illis soluere tributa, quæ laicis imponuntur, quia dominium vtile, ratione cuius tributũ debetur, non est Ecclesiæ, sed laici; & ideo emphyteuta potest rem illam alteri donare, locare, vendere, & dare in emphyteusim quandã secundariam, modò id faciat absque domini directi incommodo. Ita Lessius *lib.2.cap.14. d.8.n* 43.44.Fil.*c.n.*131.Bon.*p.2.*Sylu.*cit.nu.*2

Lessius filiucius bonacina. Syluius

4 *Tertia* conditio est, vt singulis annis emphyteuta teneatur soluere certam pensionem consistentem in pecunia, vel in fructibus, quæ ordinariè minor est, quã fructus valeant destractis expensis, quamuis possit esse fructibus adæquata *l.2.C.de iure emphyteut. o.c. Potuit. de locato, & conducto* ex quo fit, ut emphyteuta cessans à solutione pensionis per duos annos, si res sit Ecclesiastica, vel per tres, si sit sæcularis, amittit rem emphyteuticam cum omnibus meliorationibus, & operibus quæ in ea fecit, eaque redit ad dominium directum, & quidem, quãdo res est Ecclesiastica, vel loci pii, potest emphyteuta sibi consulere celeri satisfactione post transactum biennium, quando uero est res communis, non potest consulere transacto triennio, quod Ecclesia habeat rem sæcularis in emphyteusim; & rector non soluet pensionẽ; cadit in rem commissam, sicut quiuis alius licet concedatur ei restitutio in integrum, sicut in nor Bonacinæ *c.p.2 n.*7.Syluester *c n.9.&* 10 Reginald.*lib.* 25.*n.* 547. Lessius *c.n.*45.46 & alii.

bonacina Syluester. Reginald.

5 *Quarta*, conditio est, ut si res pereat sine culpa emphyteutæ, aut occupetur ab hoste, vel mari, sine spe illam recuperand, emphyteuta liberetur à solutione pensionis, nisi obligauerit se ad casus fortuitos *l.1.C.de iure emphyteut* quia res emphyteutica perit proprietario; si tamen aliqua pars rei supersit, tenetur ad integram pensionem, nisi esset magna, tunc ex æquitate esset remissio facienda pro rata. Filliucius *cit.n.*131. Clarus *q.*8.*num.*9.

Clarus

6 *Quinta*, conditio est, ut quoties res efficitur notabiliter deterior ex culpa lata, vel leui emphyteutæ, puta si arbores inciderit, si vineam non putauerit, emphyteuta priuari possit, re accepta in emphyteusim, siue emphyteusis Ecclesiastica fuerit siue non. *Authent. Qui rem. C. de sacrosanct. Ecclesiis*, quia cum emphyteuta rem acceperit ad meliorandum, si illam notabiliter deteriorem reddiderit, merito ea priuari potest, ad diiudicandum autem an deterioratio sit notabilis, iudicis arbitrio standum est Reginald.*c.n.*548.Molina *disp.*463.

Reginald. Molina

7 *Sexta* conditio est, vt emphyteuta non possit rem emphyteuticã, & eius melioramenta per venditionẽ alteri tradere secũdũ ius utile, quod ipse habet, aut locare ad decennium, seu tradere alteri in emphyteusim, absq; consensu domini directi, saltem implicito, & præsumpto vel non admonito directo Domino, vt ipse possit emere si velit; quod si cõtra fecerit, cadit in cõmisũ, & redit ad dominium directum, modò post venditionem secuta fuerit traditio, *l.3. C. de iure emphyt.* Nota tamen in iure dari duos menses domino, ad deliberãdũ, si velit eme-

re, si nolit, tunc potest emphyteuta libere vendere eodem vel maiori pretio, modò non sint personæ iure prohibitæ. Syluester c, *quæst.* 5. Molina, *disp* 461. Lessius c. n. 52 Filliucius c. n. 132. & al i.

Syluester, Molina, Lessius,

Septima côditio est, vt quoties res venditur vel donatione, aut permutatione alienatur, is qui eam accepit, soluat laudemium domino directo, idque pro inuestitura, seu possessione quam ab ipso accipit *l.* 3. *c.* dicitur autem *laudemium*, certa pars pretii, seu æstimationis rei venditæ, quę iure cômuni est quinquagesima, côsuetud ne verò trigesima; in quatuor tamê casibus non debetur. *Primò*, quando hæres necessarius, cui suus in iure nuncupatur, succedit in rem emphyteuticam titulo hæreditatis, aut quando coheres, qui partialiter succedit in emphyteusi, ante diuisionem vendit alteri cohæredi partem sibi respondentem. *Secundò*, quando res emphyteutica redit ad priorê emphyteutã, dissoluto contractu celebrato cû pacto retrouendendi, quia tunc nô censetur noua venditio, sed prioris contractus recissio. *Tertiò*, quando pater tradit rem emphyteuticam filiæ in dotem, non habens aliud quod ei tradat *Quartò*, quando plures habentes rem emphyteuticam communem, eam inter se diuidunt. Syluester *cit.* n. 28 Bonacina *cit. n.* 26. 27. Molina *disp* 460. Filiuc. *cit.* Lessius c. n. 57. Azorius 3. *p. l.* 10. *c.* 7. *quæst.* 6. & alii.

Syluester, Bonacina, Molina Lessius Azorius

Multa alia de emphyteusis iurisperitis disputanda relinquimus ex iure cômuni, sed in particulari inspicienda est locorũ consuetudo, quæ admodũ varia est proinde consulendi sunt Doctores à nobis citati, qui variè pro diuersitate prouinciarum loquuntur. Vide Feudum.

SVPPLEMENTVM

SVMMARIVM

1 *Emphyteusis vnde dicta? & quando contractus emphyteuticus fieri incœpit.*
2 *An emphyteusis differat à locatione, à censu, & ab emptione.*
3 *Emphyteusis, alia est perpetua, alia temporalis, alia est Ecclesiastica, alia profana, & secularis: alia est hæreditaria, alia non hæreditaria.*
4 *Qui in emphyteusim accipere possint, & qui non.*
5 *An res solum immobiles possint in emphyteusim dar*
6 *An Ecclesia res suas in emphyteusim possit dare, sine iuris solemnitate ad alienationem requisita.*
7 *Quæ dicatur pœna commissi.*
8 *An emphyteusis, feudum, & liuellum inter se differant.*
9 *An emphyteuta incidat in commissum, si res emphyteutica sit magna, & pensio soluenda parua, & illa termino præfixo non soluatur.*
10 *An emphyteuta censeatur cecidisse ab emphyteusi ab eo tempore, quo fuit in mora soluendi canonem.*
11 *An emphyteuta non soluens integram pensionem, quæ pro tota re emphyteutica constituta erat, cadat in commissum.*
12 *Quando sunt multi emphyteutæ, & omnes soluunt suas portiones præter vnum, an omnes incidant in commissum.*
13 *An emphyteuta persona particularis, vel Ecclesia pensionem non soluens, possit moram soluendo purgare*
14 *An cadat in commissum emphyteuta, qui obtulit pensionem opportuno loco, & tempore, quam dominus directus noluit acceptare.*
15 *An in caducitatem cadat emphyteuta, qui non soluit pensionem ob impedimentum, vel ignorantiam emphyteusis.*
16 *Quando dominus directus sibi præiudicet, pensione recipiendo.*
17 *An emphyteuta teneatur soluere pensionem, quando res emphyteutica ex toto perit absque spe recuperationis sine culpa emphyteutæ.*
18 *An pensio debeatur, quando res emphyteutica, quæ casu ex toto periit, denuò cum lapidibus eiusdem met, & domus reparatur.*
19 *An liceat emphyteutæ vtile dominium, meliorationesq. illius alteri donare, domino directo non admonito.*
20 *An emphyteuta in commissum cadens amittat ea omnia quibus rem emphyteuticam meliorem fecit.*
21 *Quænam actio oriatur ex emphyteusis.*
22 *Quænam sit differentia inter bona emphyteutica, & allodialia.*
23 *Quando emphyteusis possit transmitti ad hæredes.*
24 *An qui emphyteusim accepit sibi, & hæredibus suis possit illam ad quem maluerit filium transferre.*
25. *Si emphyteuta religionem profiteatur ad quem pertineat eius emphyteusis.*
26 *Quando emphyteusis datur vsque in tertiam, vel quartam generationem, an comprehendatur persona quæ accipit in emphyteusim.*
27 *Quid si detur, vt eam habeat sibi, & filiis suis simpliciter nulla facta mentione hæredum.*
28 *An filius naturalis succedat in emphyteusi Ecclesiastica, & sæculari? Et an legitimi facti priuilegio Principis.*
29 *Quot modis emphyteusis extinguitur, & finiatur.*

1 EMphyteusis dicta est ab ἐμφυτεύειν verbo Græco, quod latinè significat insero, vel planto, quasi emphyteusis idem sit, quod plantatio, insitio; duæ enim eæque præcipuè sunt agriculturæ partes, aratio, & plantatio, quibus fundus melior, & cultior reddi potest, vnde qui rem in emphyteusim datam suscipit; ideo accipit, vt reddat eam meliorem, videlicet ex sterili fertilem, & ex infructuosa, fructuosam efficiat, ac proinde interat, & plantet arbores & ita collat, ut ex ea fructus percipiat. Hinc emphyteuticus contractus videtur cœpisse in publicis fundis, & agris, nã res cômunes negligentius gerũtur, & propterea citius ac facilius steriles fiũt postea verò priuati etiam homines sua prædia in emphyteusim dare cœperunt, vt arandi; seminãdi, & colligendi fructus, curam, & solicitudinem deponerent. Et verisimile est emphyteusim cœpisse primò in agris sterilibus, nam eos qui fertiles sunt, domini nô nisi ad paucos annos locare voluerint; Tandem fertiles etiam agri in emphyteusim dari cœperunt, quod eorum domini minorem quidem, sed certiorem ex eis reditum annuum habere maluerint. Molina *de contract. disp.* 444.

Molina

2 Emphyteusis differt à locatione, quod pensio emphyteutica; id est, solita dari vi huius contractus, minor sit quam fructus rei emphyteuticæ, cum in locatione eam æquari oporteat pretio quod eius causa datur, alias differentias adduximus *to.* 1 *v. Emphyteusis. n* 1.

Differt à censu, quod venditor directum dominum, & vtile, partiale aut totale rei, super qua est ille constitutus, in ementem transferat; habeat enim hic ius colligendæ pensionis annuæ, ex re cêsuali. In emphyteusi nequaquã Deinde res in censu non cadit in commissum, si pensio biennio aut triennio nô soluatur, cuius oppositũ in emphyteusis accidit. Ratio huius est: quod per empyteusim ius absolutè non transferatur, sed sub conditione, si tale quid præstitum fuerit. Vt docet Syluest. *v. Emphyt. n.* 3. Salon *to.* 2. *de contr. disp. de cens. art.* 2.

Syluester Salon.

Differt ab emptione, quod hæc, res omnes etiam mobiles pro obiecto habeat, emphyteusis immobiles tantum. Per hanc, dominium tantum vtile, remanente directo apud dominum, per emptionem autem vtrumque, id est, tam vtile, quam directum à venditore in ementem transeat. Vt dicetur infra Faustus *de contr disp.* 11. q. 2.

Faustus

3 Emphyteusis alia est *perpetua*, vt est illa, quæ conceditur absque temporis præfinitione. Alia *temporalis*, vt est illa, quæ conceditur ad vnam uel duas, vel tres, vel plures generationes, id est, vitas emphyteutarum. Alia est *Ecclesiastica*, alia *profana & sæcularis*. Ecclesiastica est, constituta, in re, cuius dominiũ directũ, & proprietatê habet aliqua Ecclesia, Monasteriũ: Collegiũ Canonicarum, hospitalis domus, quæ sit locus Religiosus, vtile vero dominiũ, laicus vel Clericus Profana, & sæcularis est in re, cuius dominiũ directũ est penes laicos, uel uero pene alium laicum uel etiam clericum; unde dicitur Ecclesiastica, uel sæcularis, habita ratione personæ, ad quem spectat directum dominium rei emphyteuticæ.

Rursus, alia est noua, quæ scilicet primo instituitur Alia est vetus, & antiquia, quæ non prima vice instituitur

tuitur, sed iam antea fuit constituta, quamuis nunc forte inouetur inuestitura pro successoribus;

Denique alia est hæreditaria, quæ transfertur ad hæredes, siue necessarios, & naturales, siue voluntarios, & extraneos. Alia non hæreditaria, quæ habetur, uel donatione, uel uenditione, uel nominatione, aut aliis modis.

4 In emphyteusim accipere possunt omnes illi, qui legitimè in iudicio conueniri possunt, ut pensionem soluant, uel ut meliorem efficiant rem sibi in emphyteusim datam. Hinc clerici, mulieres, & qui egestate premuntur & qui potentia nimia ualent, non possunt emphyteusim accipere; quia non possunt facilè in iudiciū uocari. Hinc etiam curiales, & milites non possunt res in emphyteusim accipere, quia non possunt res conductas colere, & meliores efficere, nec ita facile possunt in iudicium uocari, & propterea deterior fieret domini conditio, *l. Curialis Cod. locati, & l. Milites, Cod. cod. titul.* Ecclesia autem, collegiū, uel ciuitas non potest in emphyteusim accipere. Ratio est, quia Ecclesia, & alia quælibet communitas non moritur, & sic nunquam res ad dominum rediret obitu emphyteutæ. Vsus tamen, & consuetudo contrarium induxit vt possit dari ad duas, uel tres generationes alicuius ex communitate nominandi à domino, uel communitate, & sic in re etiam communitatis poterit accipere in emphyteusim.

5 Res solū immobiles possunt in emphyteusim dari quę meliores, & fructuosiores reddi possūt, vnde pecunia vel etiā annui reditus non possunt in emphyteusim dare Idem dicendum est de arboribus à solo separatis: secus si solo adæreant, vt de olueto, sylua cædua, vinea, & his similibus, quia fructuosiores reddi possunt, & res quodammodo immobiles existimantur. Res aliena non potest in emphyteusim dari à possessore malæ fidei, si tamē detur, tenetur dans emphyteusi, sicut, qui sciens vendit rem alienam, tenetur ex empto, ideòq; tenebitur ad euictionem.

At bonæ fidei possessor, etsi non peccet neque transferat vtile dominium, cum reuera non habeat, tamen transfert ius, & facultatem vsucapiendi, vel præscribendi dominium illud Ita Azorius *part. 3. lib. 10. cap. 3. de emphyteusis* qui etiam docet Res Ecclesiæ pertinentes ad mensam Episcopi, non posse dari in emphyteusim absque consensu Papæ. Dicuntur autem ea bona pertinere ad mensam Episcopi, uel Abbatis, uel Monasterii quæ sunt destinata ad sustentandum Episcopum, uel Abbatem uel alumnos eius Monasterii; ea verò bona, quæ dantur in feudum, uel emphyteusim, non pertinent regulariter ad mensam, quia vtilitas ad alium pertinet. [margin: Azorius.]

6 Ecclesia res suas in emphyteusim dari solitas, potest sine alia iuris solemnitate, ad alienationem rei Ecclesiasticæ requisita, easdem emphyteuticare, cum ad se reuertentur. Extrauagans *Ambitiosæ Pauli II.* Ratio est quia quæ semel validè, & licitè sunt facta, hæc cū futuro perpetuari posse tempore est certum, at ex hypotesi: Ecclesia bona sua olim fructuosè, & licitè, quoad usum vtilem, sæcularibus contractu emphyteutico præbuit, ergo eadē concedente, ius vtile hi in ea retinere poterūt. Tum quia id non censetur noua alienatio, quę iure prohibetur, sed continuatio alienationis antefactæ, modò tamen id fiat ad Ecclesiæ euidentem vtilitatem, & antequā illius rei fructus Ecclesiæ incorporentur, id est, eius vsibus à prælato applicentur. Est communis sententia Doctorum, vt refert Clarus *de emphyt. q. 6.* & Couarru. *lib. 2. variar. c. 17. n. 4.* [margin: Clarus. Couarru.]

Si tamen res Ecclesiæ antea non fuerint in emphyteusim datę, uel si post traditionem expirante cōtractu fuerint rursus quoad fructus, Ecclesiæ incorporatæ, non possunt de nouo dari in feudum, uel emphytesim, uel alia ratione alienari, nisi ex iuxta causa, & seruatis solemnitatibus iure præscriptis Probatur Ex *cap. Nulli, de reb. Eccles. non alienand.* vbi habetur *Nulli liceat alienare rem Ecclesiæ suæ immobilem, siue agrum, siue rusticum mancipium, neque specialis hypotheca titulo obligare; alienationis autem verbū continet conditionē donationē, venditionē, permutationē, & emphyteuticum perpetuū contractū. Secundò,* Probatur Extrau. *Ambitiosæ, tit. de empt. & vend.* quem Pius V. confirmauit in cōstitutione quę in-

Etsi in singulis. Anno 1569 Kalen Ianuarii. Et iterum alia, cui initium *Exegit.* anno 1573. die 11. Septemb. vbi irritas facit alienationes omnes, quæ auctoritate Rom. Pontificis non sunt munitæ, aut iuris solemnitatibus carent, aut perspicuam non habent Ecclesiæ vtilitatem.

Circa prędicta est notandum *Primò*, quod ad effectū vt bona censeantur solita emphyteuticari, requiritur, quod vel præcedat vna cōcessio solemnis, & valida, vel ea deficiente, duæ concessiones cum spatio 40. annorū, vt docent Clarus *§ feudum. q. 13. n. 4.* Quarāta *v. Alienatio rer. Eccles. num. 40.* Filliucius *tract. 36. num. 124.* & fuit resolutum in Rota *in Vlisbonensi pradii* 24 Ianuarii 1603. Coram Ortembergo, qui postea factus est Episcopus Attrebatensis. [margin: Clarus. Quaranta Filliucius Rota.]

Secundò, vt possint bona Monasterii de nouo in emphyteusim absque solemnitate concedi, intelligendū est dūmodo prima causa concessionis duraret: secus verò è cōtra, vtpotè si res inculta fuit data in emphyteusim, ad hoc vt reducatur ad culturā; aliàs Ecclesia nō cōcederet: per lapsum temporis, illa res optimè culta reuersa est, puta quia finitum est tempus, non poterit iterum absq; solemnitatibus desideratis cōcedi, & hoc causa, cū cesset causa primæ concessionis, tenent Abbas *in cap. Vt super. de reb. Eccles. non alien.* & Filliucius *loco citato.* [margin: Abbas, Filliucius.]

7 Pęna cōmissi dicitur illa, quà quis res suas amittit ob certum crimen admissum: in emphyteusi autem tunc dicitur, quando emphyteuta non soluit pensionem aut Canonem per tres annos, si quolibet anno res emphyteutica fructus ferat; vel per sex, si tantū secundo quoq; anno fructificet, vel per nouem, si tertio quoque anno tantùm fructifera sit, idque si emphyteusis sit sæcularis si verò Ecclesiastica, incurritur pœna commissi, quando per duos annos tantùm non soluitur pensio, si quolibet anno fructus ferat, vel per quatuor, vel per sex, si secundo, vel tertio anno tantùm fructificet, *l. 2. Cod. de iur. emphyteut.*

8 Inter feudum, emphyteusim, & libellum est differentia: quia quamuis feudū emphyteusis cōmuniter appelletur libellū, siue liuellū; nihilominus propriè loquēdo, libellum est cōtractus subfeudalis, vel subemphyteuticus, quo scilicet aliquis rem acceptam in emphyteusim, vel feudum tradit alteri pro pensione sibi quoque soluenda: potest etenim res emphyteutica, uel feudalis alteri tradi in emphyteusim, aut locari, aut etiam uendi modo hoc fiat sine detrimento domini directi. Tū quia qui rem tradit in emphyteusim, dominus illius est: qui autē rem tradit in libellum, emphyteuta, & dominus est tantum utilitatis, non proprietatis. Tum quia emphyteusis renouari non solet, nisi possessore mutato: at libellum renouatur 29 quoque anno ut plurimum possessore non mutato, datà pecunià certa arbitrio boni uiri. Tum quia libellaria locatio fieri solet in perpetuum, at emphyteusis ut plurimum fit ad tempus. Sed de his plura apud Azorium *part. 3 lib. 10 cap. 1. quæst. 5.* Molinam *tract. 2. disp. 10.* Clarum *lib. 4. sentent. §. emphyteusis quæst. 1.* [margin: Azorius Molina. Clarus.]

Nota libellarium contractum dictum esse à libella, quæ inter alia significabat minuti numeri Romani genus. Libellum igitur, id est minutum numerum Longobardi scriptores dixerunt libellum, & hinc dicta est libellaria, siue libellarius cōtractus, quādo res in perpetuū locatur modica pensione in singulos annos soluenda.

9 Emphyteuta incidit in commissum si res emphyteutica sit magna, & pensio soluenda parua, ut unius solidi uel nūmi, & illa termino præfixo nō soluatur. Ratio est, quia pēsio præcipuè soluitur in recognitionem dominii directi, æquale autem damnū, quod attinet ad eā recognitionem, est non solui paruam, ac non solui magnam pensionem ad id lege præscriptam. Tum quia huiusmodi pęna non est priuationis aliorum bonorum, quæ sunt propria emphyteutæ, sed dominij vtilis, quod erat proprietarii, & illud concessit emphyteutæ solum in tempus, quousque cessaret à soluenda pensione. Quare cum sub illa conditione fuerit concessum, mirum non est, si deficiente conditione culpa emphyteutæ, dominium illud vtile ad proprietarium redeat Ita Molina *disp. 453.* Rebellus *de oblig. instit. lib. 13. quæst. 8.* [margin: Molina. Rebellus]

10. Emphyteuta, censetur cecidisse ab emphyteusi ab ea die, qua dominus directus ostendit, se ita velle, non verò ab eo tempore, quo fuit in mora soluendi canonē: quia ius expellendi spectat ad proprietarium, & in illius fauorem introductum est, ergo emphyteuta nō videtur cadere ab emphyteusi, nisi quatenus dominus directus vult illum expellere, & indicat emphyteutam cecidisse. Tamē emphyteuta non tenetur rem emphyteuticā à se abdicare, antequam fuerit expulsus authoritate iudicis. Tum quia nemo tenetur pœnam subire ante iudicis sententiam, quando pœna mandari non potest executioni absq; actione Tum quia sic vsu receptum videtur: imò aliquibus in locis vsu receptum est, vt nō expellatur ob non solutum canonem Ita Clarus *§. Emphyteusis, quæst.* 11. Rebelius *cit. lib. 13. quæst.* 12 *& quæst.* 17. & alii contra *Molinā, & Lessium*, quod tamē intelligendū est, modò emphyteusis non sit finita ex iustitia, vt quia finitum fuit tēpus, in quo fuerat concessa, tunc enim emphyteuta tenetur cedere ante sententiam iudicis, cùm teneatur stare contractui; nisi fortè renneat in cōpensationē melioramētorum, vel ob aliam iustam causā. Hinc fructus percepti ante litem intentatā, pertinent ad emphyteutā, quando emphyteusis finitur in pœnam; nam ipse habet vtile dominium. Post sententiam verò pertinent ad proprietarium, qui est dominus directus, deductis expensis ab emphyteuta factis, Vt bene docet Molina *disp.* 455.

Clarus. Rebellus. Molina.

11. Emphyteuta non soluens integram pensionem, quæ pro tota re emphyteutica constituta erat, cadit in commissum; puta, si partē notabilē pēsionis, dimidiā scilicet aut tertiam, sine iusta causa non soluit; secus autem si minimā partem nō soluit, vt si vnius argentei solutionem omitteret ex integra pensione decem argenteorum; quia tunc solùm incideret in commissum partis proportionabilis rei emphyteuticæ Si autē præstabatur pensio pro rata partium rei emphyteuticæ, vt pro quinquaginta dietis terræ, quinquaginta argētei, ad rationē vnius argentei pro singula dieta, emphyteuta non amittit nisi illas dietas, pro quibus non persoluit pensionem; quoniam reliquarum partium pensionem soluit. Vide Bonacinam *de contract. disp. 3. quæst. 8. punct. 2. num.* 19 Azorium. *part. 3. lib. 10. cap. 7 quæst.* 5.

Bonacina. Azorius.

12 Quado sunt multi emphyteutæ, & omnes soluunt suas portiones, seu pensiones præter vnum, concors est omnium Doctorū sententia, omnes incidere in cōmissum. Ratio est, quia res traditur in emphyteusim ab ipso proprietario sub conditione, si pensio soluatur; ergo, vt pœnā euadant, debent singuli totam pensionem soluere, & deinde agere contrà eum, qui suam partem nō soluit. Ita Molina *disp.* 453. Syluester *v. Emphyteusis, q.* 4. Clarus *lib. 4. sent. §. Emphyteusis, quæst.* 8. qui ait hanc sententiā esse consuetudine receptam. Hinc colligitur quādo plures sunt hæredes, ad quos res emphyteutica peruenit, & vnus eorum non soluit partem pensionis rei illius, quæ ad ipsum spectat, cæteris suas pensiones soluentibus, omnes in pœnam commissi incurrere Ratio, quia emphyteusis ex sui natura est indiuidui, qua & emphyteuta in solidum tenebatur, ac proinde cum eo onere transtulit ius emphyteuticum in suos hęredes. Ita Lopez *lib. 2. de contract. cap.* 20. & alii.

Molina. Syluest. Clarus. Lopez.

13 Emphyteuta alicuius personæ particularis qui intra triennium pensionem non soluit, non potest moram soluendo purgare, ne incidat in cōmissum, sed statim a suo iure cadit, vt habetur ex *l. 2. Cod. de iur. emphyt.* Emphyteuta verò Ecclesiæ qui biennio nō soluit, potest suā moram purgare, si elapso biennio citò satisfaciat Ecclesiæ, vt expressè habetur *in cap. Potuit, de locato*. Ratio huius est, quia mitiùs agit Ecclesia, quàm priuatus cum suo emphyteuta: tum quia emphyteutæ priuatis satis temporis videtur indultum ad purgādam moram, cùm longius tempus, id est triennium, sit sibi per ius ciuile indultum, quod non contingit in emphyteuta Ecclesiæ cui breuius conceditur spatium, id est, biennium.

Duo tamē sunt hic notanda. *Primum*, quòd emphyteuta in mora esse intelligitur, etiasi proprietarius pēsionē nō exigat, quia vt habet cōmune Iuristarū proloquiū, dies statuta pro domino interpellat. *Secūdū* quòd purgetur mora, si breuiter satisfiat ante iudicialem citationem, vel statim post citationem absque dilatione; quamuis alii magis communiter sentiant, in hac re stādum esse arbitrio Iudicis in iudicando, an emphyteuta purgauerit moram celeritate solutionis. Vide Stephan. Bauny *tr. 10. q. 4. de contract.*

14 In commissum non cadit emphyteuta, qui obtulit pensionem, quam dominus directus noluit acceptare, modo obtulerit opportuno loco, & tempore. Ratio, quia par est, ut pœnam caducitatis patiatur qui non fuit in mora soluendi. Dominus tamen directus non tenetur recipere pensionem respondentem annis futuris: quia si ad id teneretur, pateretur damnum quia singulis annis non recognosceretur ab emphyteuta. Pensionem autem decursi temporis opportunè oblatam tenetur dominus directus recipere, nisi eam uelit remittere, & condonare potest enim cedere iuri suo Ita Clarus *c. q.* 8. Syluest. *cuar. n.* 14 *q.* 8.

Syluester.

15 Emphyteuta qui non soluit pensionem ob impedimentum, vel ignorantiam emphyteusis, in caducitatē non cadit quia legitimè impedito non currit tempus. Si verò omisit propter ignorantiam, eo quod nesciret rem esse emphyteuticam restitui debet in integrum, etiamsi maior sit quia par non est vt pœnam subeat qui culpam non admisit Ita communiter Doctores;

16 Dominus directus non sibi præiudicat pensionē recipiendo, postquam emphyteuta fuit expulsus propter caducitatem imo non uidetur sibi præiudicare, si ante expulsionem emphyteutæ recipiat pensionē correspondentem tempori antecedenti caducitatem, quā dominus denunciauit emphyteutæ, nam in dubio nō præsumitur quis uelle renunciare iuri suo, nisi aliter colligatur ex circumstantiis, & praxi. Secus dicendum est, si dominus recipiat pensionem respondentem tempori subsequenti caducitatem, tunc enim præsumitur sibi præiudicare, etiamsi contrarium protestetur, quia fieri non potest, vt quis recipiat pensionem ab aliquo tanquā ab emphyteuta, & nolit ipsum esse emphyteutam, cum protestatio uideatur contraria facto. Ita Syluester *v. Emphyteusis q.* 9. Iulius Clarus *lib. 4. sentent. §. Emphyteusis q.* 10.

Syluester. Clarus.

17 Si res emphyteutica per incendium, aut terræmotum, aut bellum, aut fluminis illuionem, aut aliter sine culpa emphyteutæ ex toto quoad substantiam pereat absque spe recuperationis non tenetur emphyteuta soluere ab eo puncto pensionē. Ratio, quia tota obligatio soluendi pensionē cum reipsa perit *l. 1. Cod. de iure emphyteut.* Imò in hoc casu finitur contractus emphyteuticus adeo vt si postea casu recuperetur res, quę perierat, neuter contrahentium, hoc est proprietarius, & antiquus emphyteuta teneatur stare contractui. Sed hoc intelligendum est, modo emphyteuta non se obligauerit ad casus fortuitos Ita Molina *disputat.* 454. Syluest. *cit. q* 7.

Molina. Syluester.

Si autem non tota res emphyteutica pereat, sed solum quoad partem, ita ut maneat salua altera ipsius rei pars etiam minima, emphyteuta qui exiguam præstabat pensionem magis ob recognitionem dominii directi, quam ut soluat fructus ab ea soluenda non liberatur; quod intelligitur quando pars salua etsi ratione aliarum partiū sit minima est tamen in se notabilis ac ad pensionis solutionem sufficiens Si tamen pensio est tā magna, quod aliquo modo æquatur fructibus, qui colliguntur ex dicta re: tunc pro rata debet fieri remissio, & quando quarta pars fructus qui solebat colligi, perit, quarta pars pensionis debet demi, ut docet Nauarrus ex communi *cap.* 17 *num.* 190.

Nauarrus.

Si domus emphyteutica ita pereat, vt area solum maneat, non tenetur emphyteuta domum rædificare, nec antiquam pensionem soluere. Idem intelligendum est de uinea, uel oliueto, uel alia re simili, cuius forma, & substantia in sola area salua non cōsistit. sed est talis ut mutata forma, tota rei substantia perire censeatur. Ratio est quia in huc uidetur contractus emphyteuticus cessare, cum tota rei emphyteuticæ substantia perit, esto enim maneat area, non tamē manet actu pars rei emphyteuticæ, ea enim area non magis actu est pars domus, quam uinea uel oliuetum, quod ibi plantari potest. In casu autē quo pars emphyteutica per bellū, uel casu fortuito cū spe eā recuperādi periit, tunc à pensione exigua soluēda

quam

quam emphyteuta in recognitionem dominii præstabat non liberatur: quia stante hac recuperationis spe, dominus directus non videtur dilectum amisisse dominium. Fillucius *tr* 36. *num.* 134.

Fillucius

18. Quando res emphyteutica, quæ casu fortuito ex toto perüt, denuò cũ lapidibus eisdemmet domus reparatur, pesio nõ debetur, niũ denuò in emphyteusim detur. Ratio, quia omnis obligatio cũ reipsa perit, ne reuiuiscit, nisi res quoq; pariter extincta eadẽ numero reparetur: at domus denuò reparata, nõ est eadẽ numero quæ fuit antea. Si verò res periit non quidem simul, & semel in totum, sed paulatim & successiuè reparetur, nõ tollitur pẽsionis soluendæ obligatio; quia nõ amittitur eius forma antiqua. At si cõstituta esset emphyteusis in ipsa area domus, aut solo fundi vel vineę, tunc etiamsi domus corrueret vel fundus aut vinea destructa esset, deberetur pensio. Ita Lopez *lib.* 2. *de contract. ca.* 36. Rodriguez *part.* 1. *Summ. cap.* 113. Azorius *part* 3. *lib.* 10. *cap.* 6. *q.* 1. & alii communiter.

Lopez. Rodrig. Azorius.

19. Licet emphyteutæ ius suum, id est, vtile dominiũ meliorationẽsque illius alteri donare causa mortis, vel legare, domino nõ admonito, quia ea traditio nõ cẽsetur propriè donatio, cũ ẽphyteuta à se superstite nõ alienet, sicut nec alia bona, quæ per testamẽtũ, siue ab intestato hæredibus relinquit Idem licet emphyteutę donare donatione inter viuos quando emphyteusis est sæcularis; quia cum ibi nõ agatur de pretio; ob quod præferri debeat proprietarius, si illud dare velit, nõ est, cur tunc necesse sit illũ admonere, sicut admonẽdus est, quando res venditur. Debet tamen donatio fieri saluo iure domini, ei, in quem transire res emphyteutica possit, & donatarius possessionem rei apprehendere non potest citra volũtatem domini; ac proinde ante traditionẽ est dominus requirendus, vt in possessionem mittat nouum emphyteutam, ac bimestri responsum eius expectandũ alioquin iure suo donatarius excidet. Quando autem emphyteusis est Ecclesiastica, iuxta veriorem Doctorũ sententiam, idem licet emphyteutæ, modò non donet vt rem propriam, sed exprimat se donare saluo iure Ecclesiæ. Ita Syluester *v. Emphyteusis, quæst.* 16. Molina *disp.* 459. & 461. Baunius *de contract. tract.* 10. *quæst.* 5 *dub* 8. & alii communiter contra Bartolum.

Syluest. Molina. Baunius

20. Si emphyteuta in commissum incidat, amittit ea omnia, quibus rem emphyteuticam meliorem fecit, vt colligitur ex *l.* 2. *Cod. de iure emphyt.* Ratio, quia emphyteuta ex ipso cõtractu cogitur rẽ meliorẽ facere: hęc est communis opinio, & vera in melioramẽtis, & sũptibus communibus & ordinariis, ad quos vi contractus tacitè aut expressè tenetur, nõ autem de insolitis, & magnæ æstimationis, & pretii, vt si domũ in prædio emphyteutico construxisset, aut molendinũ vel aliud simile extraordinarium: hæc enim non amitteret emphyteuta in cõmissum cadens. Hinc colligitur emphyteutã nõ posse repetere expẽsas modicas, quales sunt, quæ ad ordinariã rei culturam pertinent pro percipiendis fructibus: aut quæ fiunt pro reparandis pontibus vel aggeribus propè rẽ emphyteuticã, nã istæ expensæ cẽsentur factæ in vtilitatem ipsiusmet emphyteutæ. Idem dicẽdũ de expensis factis pro soluendis oneribus, & tributis publicis: quia emphyteuta tenetur soluere onera non solùm personalia, verum etiam realia: nam hæc onera soluuntur pro dominio vtili.

Si vero expẽsæ sint magnę, & notabilis valoris, & permaneãt post finitã emphyteusim, soluendæ sunt, finito tempore emphyteusis, modo emphyteuta nõ cadat propter suã culpam, aut aliter cõuentũ non sit in principio: par enim nõ est, vt cũ iactura aliena locupletetur dominus. Vide Molinã *disp* 455. & 456. Rebellũ *p.* 2. *de oblig. li.* 13. *q.* 2. Clarũ *q.* 45. Facũdez *in decal. li.* 4. *c.* 23. Bauniũ *de cõtract. tr.* 10. *q* 5. *dub. septimo*, & alios ab ipsis citatos.

Molina. Rebellus Clarus, F. gund. Baunium

21. Ex emphyteusi oritur actio, quæ dicitur cõdictio ex lege, nimirũ Zenonis Imperatoris, *l.* 1. *C. de iure emphyt.* Vnde ante illam legem emphyteuticus contractus obligationẽ quidem naturalem producebat, sed actionẽ minimè pariebat, quia omnis actio iuris ciuilis est; quãuis obligatio non solũ iuris ciuilis, sed etiam naturalis sit. Ante legem Zenoniam ex locatione ad longũ tẽpus obligatio, & actio nascebatur, quæ dicitur ex locato, & conducto. At ex emphyteutico contractu, obligatio, quidem naturalis, sed non actio oriebatur. Ita Filliuc. *tr.* 36. *n.* 155. Azor. *p.* 3. *lib* 10. *c.* 14. *q.* 4.

Filliucius Azorius.

22 Differentia est inter bona emphyteutica, & allodialia: quia allodialia bona proprie dicũtur iura, siue bona propria à nemine nisi a solo Deo data, & recognita. Vnde bona emphyteuticæ, vel feudalia nõ sunt allodialia quia ea à solo domino rei emphyteuticæ, vel feudalis tanquã sua recognoscuntur Allaudiũ verò dicitur fundus ager, siue prædium ad possessorem pleno iure pertinẽs cuius nomine nullum laudanium, quod vulgo laudemium vocatur, pręstatur, & debetur alteri Ita, vt allaudium sit nomen compositũ à particula priuatiua, & laudium hoc est sine landatione, Bona igitur emphyteutica nõ sunt allodialia, tũ quia eorum bonorum dator est dominus, qui proprietatẽ habet, & dominiũ directum, qui tanquam sua ea bona recognoscit, tum etiam quia ex re emphyteutica pensio domino soluitur sine cuius consensu res ipsa alienari non potest. ita Clarus §. *emphyteusis* q 49. Bonacina *de contract. disp.* 3. *q.* 8. *punct.* 1. *n.* 6.

Clarus. Bonacina.

23 Emphyteusis transmitti & trasferri potest ad hæredes extraneos, quando in emphyteusi simpliciter exprimuntur hæredes, aut quando emphyteusis conceditur alicui simpliciter, uel usque ad certum annorum numerum, puta viginti, uel triginta, quod etiam alicubi receptum est in Emphyteusi Ecclesiastica.

Si verò emphyteusis concedatur alicui, & eius filiis, seu filiis hæredibus, vsque ad tertiam, vel quartam generationem, illa non transfertur ad extraneos, quia extranei non sunt filii, imò in hoc casu possunt etiam fœminæ succedere, quia nomen filiorum etiam filias comprebendit *l. quisquis, ff de verb. signif.* Cùm igitur fœminæ capaces sint emphyteuseos, perinde ac masculi, iuxta *Authent. de non alienat.* §. *Emphyteusis*, ideo nomine filiorum expresso in emphyteutico instrumento, etiam fęminę comprehendi debent. Licet consuetudine iam receptum sit, ut non admittuntur fœminæ, nisi deficientibus masculis, vt docet Iulius Clarus *q.* 32. De his uide Molinam *disp.* 469. & 474. Azorium *p.* 3. *lib.* 10. *c.* 10. *q.* 8.

Iul. Clarus Molina. azorius.

24 Qui emphyteusim accepit sibi, & hæredibus suis, potest illam, ad quem maluerit filium transferre, quando Emphyteusis, est hæreditaria, hoc est, quando talis est, vt transferri possit ad extraneos, seu hæredes non necessarios, modò reliquis legitimam portionem relinquat; Filius tamen, qui rem illam emphyteuticam accepit, debet illam in portionem legitimam computare, quia speciali iure ipsi non debetur. Ita cõmuniter Doctores, & Glossa *in l. si patroni. verb. Apud hæredem ff. ad Senatusconsultũ Trebellianum.* Si verò ẽphyteusis nõ sit hæreditaria, pater non potest filium, quem maluerit, ad emphyteusim diligere: nam tunc videtur acquisitũ ius filijs, nec pater nocere potest iuri filiis acquisito. Couarruu. *lib.* 2. *variar. cap.* 18. Azorius *citat. cap* 14. *quæst* 7. Et si emphyteusis hęreditaria sit, seu concessa pro quibuscũque hęredibus, aut successoribus, non potest transferri in personam potentiorem, magisque priuilegiatam, cuiusmodi est v. g. Ecclesia, vel Ciuitas. Ratio est, quia proprietarii conditio deterior redderetur tali alienatione, quandoquidem rarius laudemium consequetur, & difficiliùs ad ipsum emphyteusis reuersura est. Ità colligitur ex *l. vlt. C. de iur. emphyteut.* & docent Clar. *q.* 22. Mol. *tract.* 2. *disp.* 469.

Glossa. Trebell. Clarus. Molina.

25 *Si* emphyteuta Religionẽ profiteatur, quæ capax non est stabilium bonorum, ac redituũ, vti est ordo Minorum de Obseruantia, & Capucinorum emphyteusis pertinet ad legitimos hæredes, aut successores, videlicet, si hæreditaria est, ad proximum consanguineum, quãdo religiosus ante professionem nihil disposuit; sin verò sit emphyteusis ex pacto, & prouidentia (quæ scilicet data est pro filiis, seu descẽdentibus, vel absolutè, vel in certas generationes) pertinet ad eos, qui secundùm inuestituram vocantur: si nullus talis adsit, reuertitur ad proprietariũ; quia professio talis religiosi morti naturali æquiparatur. Ita Mol. *disp.* 482. Sanch. *lib.* 7. *Moral cap* 15. *n.* 52. Si emphyteuta profiteatur Religionẽ capacẽ bonorũ immobiliũ, & ẽphyteusis hæreditaria sit, quæ scilicet in extraneos transferri potest, transit in Monasterium, in

molina. Sanch.

quo religiosus professionem fecit; quam quam Monasterium dũ succedit, nominare debet aliquem, cuius obitu emphyteusis finiatur, & dominũ vtile redat; quia alioquin omnem spem proprietatis amitteret laudemium accipiendi, cùm Monsterium sit perpetum.

Si autem emphyteusis non sit hæreditaria, non transit Io Monasteriũ, sed viuen te religioso emphyteuta, commoditas illius emphyteusis pertinet ad Monasteriũ; post vitam autem illius, succedit, qui ex inuestitura vocatur, alioquin ad dominũ reuertitur emphyteusis, non extantibus vocatis.

Panormit. Azorius. Sanchez.

Ita Panorm. *in cap. In præs. de prob.* Azorius *part. 3. lib. 10 cap 11. q. 5.* Sanch. *lib. 7. Meral cap. 15. n. 59.*

Si tamen emphyteusis alicui concessa esset pro suis, & pro suis hæredibus, emphyteusis transirer perpetuè, & irreuocabiliter in Monasterium, siue Ecclesiastica sit, siue sæcularis; quia Monasterium potest esse hæres, posito quòd sit succedendi capax, intellige vbi ius cõmune Cæsarem seruatur.

Bartolus. Sanch.

Ita Bartolus *in Authent. ingres. n. 37 de Sacros. Eccles* Sanch *loco citato, num. 62.*

26 Quando emphyteusis datur vsque in tertiam, vel quartam generationem, multi Doctores putant computandam esse personam, quæ accipit in emphyteusim, ita vt ipsa constituat primam generationem, filius secũdam, nepos tertiam, vt si in emphyteusi, dicatur *Concedo emphyteusim tibi vsque in tertiam generationem*. Secus si dicatur, Concedo Titio emphyteusim vsque ad tertiam ipsius generationẽ; prima enim ipsius generatio est filius secunda nepos; tertia pronepos.

Azorius. Filliucius.

Ita Azorius *loco cit. c. 11 q. 1.* Filliucius *tract. 36. n. 141.* Verius tamen est, per se loquendo, ipsam met personam non comprehendi in numero generationũ: quia ipsa potiùs vocanda est principium generationum, quàm generatio, sicut in computatione graduum affinitatis vel consanguinitatis excluditur prima persona, quia ipsa non facit gradum, sed est stipes, & principium graduum.

Clarus. Tamburin.

Ita communiter Doctores teste Iulio Claro *de emphyteusi, quæst. 34.* Tamburinio *de iur. Abbat. tom. 3. dis. 14. quæsit. 8.* & aliis ab ipso citatis.

27. Quando emphyteusi datur alicui, vt eam habeat sibi, & filiis suis simpliciter, nulla facta mẽtione hæredũ, illa transmittitur ad ipsos filios, etsi patris hæredes non sint.

Clarus. Couar.

Ita Clarus *cit. quæst 37.* Couar. *lib 2. var. cap. 18.* Si autẽ dicatur. Do tibi emphyteusim, vt eam habeas tibi, & filiis tuis hæredibus, tunc non transit ad ipsos filios, nisi simul etiam sint hæredes; quia talis qualitas filiorũ est expressa in traditione emphyteusis. Est cõmunis sẽtẽtia. Vnde fit, vt in prędicto casu nõ possint in emphyteusim succedere filii, si repudiauerint hæreditatem patris, aut si fuerint à patre iusta de causa exhæredati.

Bonacina.

Quãuis Bonaciuę oppositum videatur probabilius inspecta verborũ proprietate: quia illa dictio, & non apponitur superfluè, neque potest apponi coniunctiuè sed disiunctiuè. Ita ille *de contract. disp. 3. quæst. 8. punct. 2. num. 34.*

28 In emphyteusi quam quis accipit pro se, & filiis, si illa sit Ecclesiastica, filius naturalis nõ succedit, nec cõprehenditur nomine filiorum Ratio est, quia Ecclesia detestatur filios extra matrimoniũ legitimum susceptos vnde filios naturales excludit à suis bonis emphyteuticis.

Iaius.

Ita Doctores communiter, vt ait Clarus, *§. Emphyteusis q. 30.* Quamuis probabile sit, naturales etiam succedere, si fuerint nati, dum emphyteusis facta fuit: quia verisimile est tradẽtem in emphyteusim de illis cogitasse, & voluisse illos comprehendere, cũ illos positiuè non exclusserit. Si emphyteusis sit sæcularis, filij naturales comprehenduntur; quia illi in vltimis uoluntatibus nomine filiorum comprehenduntur, ergo etiam in contractibus aliis.

Decius.

Ita etiam ex communi Decius *in cap. In præsentia de probat. num. 136.*

Similiter in hoc casu, appellatione filiorum ueniant etiam facti legitimi priuilegio Principis: quia per legitimationẽ facti sunt habiles ad ea iura. Si verò empyteusis sit Ecclesiastica, tunc non satis est legitimatio. Principis sæcularis, quia non habet ad id potestatẽ, sed requiritur potestas Principis Ecclesiastici nempe Papæ habilitantis illos ad succedẽdũ in huiusmodi bonis. Filij autem facti legitimi per subsequens matrimonium admittuntur ad emphyteusim tam sæcularem, quam Ecclesiasticam, vt communis opinio habet *in cap. Tanta qui filii sint legitimi*. A fortiori natus ex matrimonio valido in foro Ecclesiæ, sed nullus ob occultum impedimentum, censendus est comprehendi inter filios legitimos. Vt diximus *to. 1. v. Irregul. III. n. 2.* Vide Azor. *p. 3. lib. 10. c. 10.*

25 Emphyteusis extinguitur, & finitur tribus modis *Primò*, ob culpam emphyteutæ, quia videlicet male versatur in re emphyteutica, vel quia eam alienauit inscio vel inconsulto domino, vel quia non soluit annuam pẽsionem ad tempus præsentium. *Secundò*, finitur lapsu temporis, videlicet quando res in emphyteusim data est ad certum tempus, vtpote ad 30. 50. vel 100. annos. *Tertio*, finitur, & extinguitur finita generatione emphyteutæ, veluti si data est emphyteusis ad tertiam vel quartam generationem eius. Vt ex dictis patet Plura de emphyteusi habetur apud DD. toto hoc titulo citatos.

Vide v. Census n. 1.

E M P T I O.

S V M M A R I V M

1 *Quid sit emptio, & venditio.*
2 *An emptio, & venditio constituant vnum contractum reciprocum.*
3 *An consensus conditionalis suspendat contractũ, emptionis, & venditionis vsque ad euentũ conditionis.*
4 *An omnia quæ pecunia æstimantur, vendi possint.*
5 *An spiritualia per se vendi possint.*
6 *An iure communi prohibitum sit, vendi à priuata persona res publicas.*
7 *An res defuncti emi possint ab executore testamenti. Et an res pupilli, vel minoris emi possint a tutore, vel à curatore.*
8 *An officia publica ex natura rei possint vendi.*
9 *An venditor rei aliena possit transferre dominium rei vendita in emptorem.*
10 *An venditio hominis liberi iure communi sit irrita. Et in quibus casibus sit valida.*
11 *A quo debeat imponi pretium rerum venalium. Et triplex constituitur, infimum nempe, medium, & supremum.*
12 *An possit venditor eandem rem vendere, eodem tempore, carius vni, quam alteri vel carius credito, quã pecunia numerata. Et vnde iustitia pretii desumenda sit.*
13 *Quando extant duo pratia, vnum taxatum à Principe, alterum a communi hominum æstimatione, quodnam ex eis seruandũ sit?* refertur duplex sententia.
14 *An quando constat pretium à principe taxatum esse iniustum, & iniquum sit, seruandum. Et quid dicendum in dubio de pretii iustitia.*
15 *An qui vendit rem notabiliter excedentem in bonitate alias res, quæ communiter vendi solent, possit aliquid vltra taxam exigere.*
16 *An clerici, & exteri, teneantur seruare taxam pretii a Principe positam.*
17 *An liceat emere rem vilius anticipata pecunia.*
18 *An debitum coniunctum cum periculo illud non habendi, possit anticipate minus emi, quam sit id quod debetur?* refertur duplex sententia.
19 *An quando solutio est difficilis, & incerta, vt prudenter æstimetur dimidio minus, vel propè, possint debita, vel chirographa emi dimidio minus vel propè.*
20 *Quæ sint obligationes emptoris*

EMptio est *contractus qui consensu perficitur pretij pro merce; venditio verò est cõtractus obligans võditorem ad tradendam mercem pro pretio l. 1 ff. de contrahenda emptione*. Tria requiruntur ad substantiam emptionis *merx pretium, mutuus consensus* dicitur autẽ *merx* quælibet res vendibilis, mobilis, & im mobilis, ut sunt actiones, iura quæ pecunia ęstimari solent, *Pretiũ*, verò est numus seu pecunia, quæ inuenta est, ut mensura omnium rerũ venialiũ, & merx esse non potest, aut instar mercis uendi, nisi ratione materiæ, uel alterius circũstantiæ extrinsecæ, ut quia uetus pulchra, commoda ad transferen-

trasferendũ quia absens, quia difficili recuperatu &c. Vide Les. *li*.2.21.*c.d*.1.*n*.1. Valent. *to* 3.*d*.5.*q*.20 *punct*. 1 Syluium 2.2.*q*.77. Filliucius *tra* 35.*n*.4. & alios.

Lessius. Valentia. Syluius. Bonacina. Reginald.

2 Emptio, & venditio iuxta Filliucium *tract*.35.*c*.1. *n*.6.& 7. Bonacinam *de contract.disp*.3.*q*.2.*p*.1. *nu*.3.4. Reginaldum *li*.25.*num*.248. & alios unum constituunt contractum reciprocum, qui requirit repromissionem, seu mutuum consensum, & ex hac parte distinguitur hic contractus tum à donatione, & promissione liberali, tum ab aliis contractibus, in quibus fit commutatio inter alia quam inter mercem, & pretium, vt est permutatio, mutuum, & omnes contractus innominati, item locatio, conductio, & cùm hic contractus emptionis sit in bonum vtriusque contrahentis, ideò requirit in vtroque æqualitatem dati, & accepti, & potest fieri inter absentes per procuratorem, nuntium, epistolam, solo enim consensu perficitur, non requiritur tamen ad perfectionem eius, actualis, traditio re, uel solutio pretii, quidquid sentiat Vasquez *de rest.c*.6 §.2.*dub* 6 *n* 27 Molina *tract*.2.*disp* 338. sed satis est, quòd contrahentes consentiant circa rem, & pretium, vnde si gabella soluenda sit propter contractum emptionis, & venditionis, secundùm probabiliorem sententiam, statim post consensum incipit deberi, ut transferatur tamẽ dominium per hunc contractum, requiritur traditio, sicut dictum, est *v. Dominium*, unde secuta traditione censetur adhuc incompletus, hoc est, non habet suum vltimum complementum, ad quod contrahentes peruenire intendunt quamuis sit perfectus secundùm substantiam.

Vasquez. Molina.

3 *Consensus* conditionalis suspendit contractum emptionis, & venditionis, vsque ad euentum conditionis, qua posita contractus perficitur, sed eo modo ut qui effectus, qui est obligatio absoluta iuris fictione retrotrahatur ad tempus initi contractus, perinde ac si ab initio consensus absolutus fuisset, *l. Qui balneum*, & *l. Potior*, *ff. de potiores*, & *pignore*: Præterea contractus requirens ratihabitionem alterius, non censetur perfectus, nisi accesserit ratihabitio, quia ex dispositione iuris continet tacitam condictionem, quæ illi uim dare debet, & fictione iuris eius perfectio, & obligatio eam sequens retrotrahuntur, perinde ac si hæc omnia ab initio fuissent. Azorius 3.*p.lib*.8.*c* 26. Vasquez *c dub*.4.*n*.32.

Azorius. Vasquez.

4 Vendi possunt omnia quæ pecunia æstimantur, nisi adsit aliqua specialis prohibitio, seu circunstantia, quæ uenditionem reddat inualidam, aut illicitam, quia sub venditionẽ cadit, quidquid tradi potest pro pretio; hinc uendi possunt omnia bona etiam futura, modò non comprehendatur inter ea pretium, quod recipitur ex emptione alterius; idque ne uenditor maneat intestabilis, item hæreditas tota, uel pars certa illius, ut tertia; quarta, quinta uendi potest: item creditum, actioque quam quis habet aduersus alium, vel in rem debitam, aut in pignus, hypothecam, fideiussorem, & eo ipso sine cessione transit actio utilis in emptorem, accedente autem cessione, etiam actio directa, si tamen actio venderetur, aut cederetur potentiori, esset inualida, & venditor in pœnam amitteret ius, quod habebat ad tale debitum: *Item* uendi potest res in spe, antequam existat, sic partus ancillæ, pecorum, fructus arborum, iactus retis, missilia, & huiusmodi vendi possunt, cum hac tamen differẽtia, quòd partus, & fructus venduntur conditionaliter, si videlicet nascantur, iactus autem retis, uenatio absoluté, & licet nihil capiatur, debetur tamen pretium constitutum, nisi aliter conuentũ sit. Vide Bonacinam *c. punct*.2 Gomez *tom*.2.*c*.2.*num*.4. Molinam *c.disp* 340 Filiucium *c n*.30.31. & alios

5 Vendi non possunt per se *spiritualia*, *l sancim*. *C de sacrosanct. Ecclesiis*, ut sunt calices consecrati, res sacræ, altaria, &c. quia pecunia non æstimantur, immò harum rerum vẽditio esset sacrilega, & simoniaca, per accidens tamen ratione materiæ, vel laboris adhibiti in iis fabricandis, vendi possunt absque simonia, dũmodò, nõ augeatur pretiũ ratione sacri, quod est in illis; *Item* prędiũ, castrum, quibus adiũctum est aliquod ius spirituale Ecclesiasticum, ut ius patronatus, uendi possunt, licet pretium augeri non possit absque labe simoniæ ratione iurispatronatus. Molina *cit.num*.25. Syluester *v. Benedict.q*.7. Rebellus 1.*p.lib*.9.*q*.18.*sect*.4 *nu*.33. Quamuis non sit improbabile licitam esse talem uenditionem, etiamsi castrum pluris vendatur, quàm aliàs venderetur sine tali iure. Ratio est, quia hoc non tollit, quòd castrũ illud seu prædium propter illam adnexionem, pluris valeat, & maiori pretio æstimetur, quàm sine illa æstimaretur, & adhuc non venditur illud ius patronatus, per se, sed deuoluté cum suo principali, cui est accessorium, & annexum, & quod venditur per se, est venditio rei temporalis, quæ per accidens, habet illam adnexionem iuris patronatus, coniunctam. Nec est simile de uasis sacris, quia si venderentur pluris, quàm materia æstimaretur, illud plus responderet consecrationi, quæ est quid distinctum ab ipsa materia. At in iure patronatus, non datur aliqua consecratio distincta ab ipso iure patronatus, cui possit illud plus respondere, & sic fœlicitas est castri, & rei temporalis, habere illam adnexationem iuris patronatus, quæ quidem felicitas in se temporalis est, non spiritualis, licet illi resultet ex re spirituali. Ita Garzias *de benefic.part*.5. *cap*.5. *num*.35. Fagundez *de instit lib*.5.*c*.19.

Garzias. Fagundez.

6 Præterea iure cõmuni prohibitum est vendi à priuata persona res publicas, *l Sed Celsus*, *ff. de contrahenda emptione*, ut forum publicum, viam publicam, &c. etiamsi vẽditio referatur in tempus, quo hæc bona erũt priuatæ personæ; *Item* iure vendi non possunt ea quæ tantummodò inseruiunt ad malum usum, *l. quod sæpè*, § *ven*, *ff. eod. tit*. vt sunt venena, & alia quæ nullo modo per adiectionem, vel mixtionem alterius materiæ, humanis vsibus prodesse queunt: quæ verò admixta aliis rebus possunt humanis vsibus inseruire, & vim nocendi deponunt unde fiunt antidota, & pharmaca, vendi possunt. Sanchez *in Summ.lib* 1.*c*.7.*n*.17. & alii.

Sanchez.

7 Res defuncti non possunt emi ab executore testamenti, quando executor debet illas vendere in executionem testamenti, *l. Non licet*, *ff. tit. cit*. *Item* res pupilli, uel minoris, emi non possunt à tutore, vel à curatore, ob præsumptionem fraudis, nisi fortè tutor, vel curator emat palàm, id est, sub hasta, & bona fide, & cum iusto pretio, nec adsit alius, qui emere velit, *l. Cum ipse*, *C. de contrah. empt*. Sà *v. Emptio n*.6.

8 *Officia publica*, ex natura rei, & per se loquendo, possunt vendi, quia sunt Regum, & rerum publicarum, & secundum se sunt pretio æstimabilia, tũ ratione eminentiæ, quam obtinentes officia obtinent in Rep. tum ratione occasionis lucri, vnde non tenentur Principes ea gratis concedere, tamen non expedit ea officia uendi, alioquin minus idoneis sæpè venderentur, cum subditorum detrimento, ad quod præcauendum superior obligatur: Ex motibus autem propriis, Pii V. qui incipit, *Etsi Romani*, & Sixti V. qui incipit, *Cum pro suprema* prohibetur procuratio, assecutio, obtentio aliquarum dignitatum, & officiorum habentium iurisdictionem mediante pecunia, uel solutione, uel promissione aliarum rerum, sub pœna confiscationis omnium bonorum, & amissionis quorumcumque officiorum, tam sæcularium quàm Ecclesiasticorum obtentorum. Vide Filliucium *c.n*.42. Reginald. *cit*.257. Nauarrum *c*.25.*num*.7. Azorium *c c*.7.*q*.3. Bonacinam *cit.c*.2.*nu*.10. Dianam d3.*tract*.5.*misc resol* 108 Syluium 2.2.*q*.63.*art*.2. Malderum 2 2.*tract*.9.*c*.1.*dub*.5.

Filliucius. Reginald. Nauarrus. Bonacina. Diana. Malderus.

Inquires hic, an ille, qui habet licentiam à Rege trãsferendi suum officium in aliam personam idoneam, & sufficientem, possit illud licitè, virtute talis licentiæ vendere? Resp quosdam docere hanc licentiam non sufficere, sed requiri expressam ad uendendum, uel saltem tacitam, ueluti si Rex sciat, & intelligat, eos per eam licentiam petere ad vendendum, & nouerit, eos, qui ita licentiam postulant, officia uendere solere. Ita Malderus, Salon, Villalobos citati à Diana infra. Alii asserunt talem peccare venialiter tantùm, & venditionem esse validam. Ita Pena, Petrus Sotus, & alii quos refert ipse

Nihilominus dicendum est, sufficere simplicem licentiam transferendi officia in alias personas idoneas, ut ii, qui illam à Rege obtentam habent, licitè, & validè & vllo peccato, etiam veniali ea vendere possint. Ratio est quia ea licentia est tacita licentia est tacita licentia, ad illa uen-

la vendenda, & alienanda. Ita Corduba q.117. De la Crux ut i d;rector p.1. prec.7.q.7.art.2.dub.10.conclus.3. Diana p.3.tract.5.resol.109.

Corduba
De la Crux
Diana

9 Venditio *rei aliena* est inualida, quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem, quia venditor non potest plus iuris in emptorem transferre, quàm ipse habet, unde Domious rei venditæ potest rem suam vẽdicare vbicumque sit, nisi legitimo tẽporis cursu præscripta fuerit ab emptore bonæ fidei, si autem solus emptor sciat esse alienam, emptio noo ualet respectu illius, unde non habet ius, neque actionem petendi quod sua interest, si verò vterque sciuerit esse alienam, neuter obligationem contrahit, emptor tamen in conscientia potest rescissa emptione à vẽditione pretium recuperare, quòd si emptor pactus fuerit de euictione cum venditore, tunc potest contra venditorem io iudicio contendere. Ita Valentia *tom.3.disp.5 quæst.20.punct.4.* Lessius *lib.2. cap.50.num.16a* Azorius *cit.cap.5 q.1.*Molina *disp.327. num.9* & alii.

Valentia
Lessius
Azorius
Molina

Ex dictis concludendum est venditionem rei, alienæ validam esse quoad transferendum dominium pretii in venditorem, licet ipse teneatur ad restituendum, qoantum interest emptoris non esse factã, suã *l.Rem alienam. ff de contrahend.emptione*, vnde fur qui rem alienam vẽdidit ignoranti alienam esse, acquit it dominium peconię sibi traditæ loco pretii, & vsurarius acquirit dominium pretii, veodendo res alienas loco vsurarium acceptas, quamuis emptor non acquirat dominium rei alienæ.

10 Venditio *hominis liberi* irrita est iure Cæsareo, *l. si in emptione, ff de contrahend empt.* etiamsi referatur in tempus quo seruus erit, in *tribus* tamen casibus ualida esset, *Primò*, si vendatur filius à patre ob nimiam egestatem, *l.2.Cod.de patrib.qui filios*, &c, *Secundò*, si pro soluendis debitis fiat, sicut consuetum erat io *Leuitici* 25. ueteri testamento. *Tertiò*, pro uita propria tuenda, vel etiam pro alio redimendo, ut fecit S.Paulinus. Ita Garzias *de contract.c.40.num.18.*

11 Iuxta communem sententiam Doctorum, pretium rerum uenalium dupliciter potest imponi. *Primò*, per Principem, vel Magistratum, qui consideratis circunstãtiis, ex quibus æstimatio rerum pendet, statuunt quaoti vendi debeant, hoc pretiũ dicitur *legitimum*, id est, quasi lege definitum, & consistit io indiuisibili, ita ut si quis notabiliter excedat io pretio à lege definito, mortaliter peccet, & teneatur ad restitutionem. *Secundo*, pretium impooi solet comnnoni homioum intelligentium æstimatione, unde dicitur *vulgare*, seu *naturale*, tanquam à naturali prudentia constitutum, & hoc non consistit in indiuisibili, unde *triplex* communiter statuitur, *infimum*, scilicet seu pium, *medium* seu moderatum, & *supremum*, quod, & rigorosum dicitur, quodlibet horum pretiorum habet suam latitudinem, immò huius pretii naturalis *latitudo* varia est, aliquando enim maior est, & aliquando minor, maior erit, si res pretiosior sit, ut si res medio pretio valeat 100. supremum erit 105. iosimum 95. quare latitudo erit 10 Si autem res sit minus pretiosa, latitudo minor erit, verbi gratia si pretium medium sit 10. supremum erit 11 infimum 9. quare latitudo erit 3. Ita Toletus *lib. 8. citat.capit.47.* Nauarrus *capit.23. num.78.79.* Lessius *lib.2.cap.21. disp.2* Couarruuias *lib.2 variar.cap.3* Filliucius *cit.n.57.* Bonacina *cit.punct 4.nu.1.* Diana *tract.5. miscell.resol. 112. p.3.* Molina *to.2.tract.2.disp.347.nu.4.* Syluius 2.2. q 77 *art.1.quæsit.2.* & alii.

Tolet.
Nauarrus
Lessius
Couarruuia
Bonacina
Diana
Molina
Syluius

12 Venditor potest vendere eandem rem, eodem tempore cariùs vni, quàm alteri, vel cariùs credito, quam pecunia numerata absque uitio iniustitiæ, vel vsuræ, modò seruetur latitudo iusti pretii naturalis. Iustitia autẽ huius pretii ex *tribus*, delumi potest. *Primò*, ex hominum æstimatione, io unaquaque regione, ita ut tanti res uendi possit, & debeat, quanti æstimatur communiter in foro publico, seclusa fraude monopolii, &c. *Secundò*, ex variis circumstãtiis, ut ex penuria uel copia mercium ex paucitate, vel copia emptorum, & uenditorum; similiter iodigentia maior aliquarum rerum uno tempore, plus quàm alio, auget earum pretia, item copia, aut penuria pecuniæ auget, uel minuit ualorem rei. *Tertiò*, ex modo res vendendi vilius enim emuntur res quæ simul io magna quãtitate emuntur, quam quæ per partes emi cousueuerunt, item quæ sub hasta voce præconis, uel per proxenetas vendũtur vilios possunt emi quam apud mercatores item plus venditur res in domo propria, & officina, quàm cum sponte queruntur emptores, & ex translatione etiam mercis de loco vbi est maior illius abundantia ad locũ vbi est penuria crescit illius pretium Caietanus 2.2.*quæst.77.art.1. & in Summa, verb. Emptio* Sotus *de iust.lib.6.q 2.ar.3.l.pretia rerũ, ff.ad l.falc.* Medina *de rest.q.31.* Molina *cit.disp.348.* Toletus *cit.* Syluius *cit quæsit 2.* Diana *4.part.tr.4.res.12. & de contract. res. 53. p. 1.* & alii Semper tamen requiritur determinatiu pretij, ad valorem venditionis, & eius perfectiooẽ: vnde hæc venditio ioualida est. Vendo tibi hanc rem taoti quanti, voles, seu pro eo pretio, quo volueris. Idem si dicatur, quanti potaueris, quanti æstimaueris valere. Erit tamen valida, si dicas; vendo tibi hanc rem tanti, quaoti æstimauerit Petrus illam valere; sed tunc erit ea venditio conditionata, pendens à futuro arbitramento Petri, qui si illam noluerit arbitrari, irrita manebit uenditio, cùm non sortiatur effectum. Item inualida erit hæc venditio: Vendo tibi, vel emo à te hanc rem iusto pretio, quo æstimatum fuerit eam valere, non determinando certum, vel certos æstimatores. Si autem determinetur, dicendo, quod determinatum fuerit per unum vel duos viros probos valebit, sed erit conditionalis. Vt patet ex *§.1. Instit. de empt. & vendit.* & ex *l. vlt C. de contrah.empt.*

Caietan.
Sotus.
Medina.
molina.
Toletus
Syluius.
Diana.

13. Quando extant duo pretia, quorum *vnum* taxatum fuit a principe, *alterũ* à comnnoi homioũ æstimatione, secundùm qoosdã, seruandũ esset pretium taxatũ à principe, quia sicut decreta iusta priocipium seruanda sunt, ita leges ipsorum sancientes pretia rerum sunt seqnendæ. Ita Valẽtia *to.3.disp 5.quæst 20.punct.2* Nauarrus *lib.3.cap.2.n.1.& seq* verũ Lessio *lib.2.c.21 dub. 2. num.13.& 14.* Ioanni Medina *quæst. 36.* Reginaldo *lib. 25.nu.270.* Salon *de contract. quæst.77.art.1.contron 12.* & quibusdam aliis videtur distinguendum; si pretiũ legitimum maius sit quàm uulgare, ordinariè non est licitum exigere pretium legitimum, quia ordinariè pretium taxatur in gratiam emptorum ut non excedatur, non autem ut infra non descendatur: interdum tamen taxatur in gratiam uenditorũ, ut in uẽditione censuum, & similium iurium, tunc licebit, immò obligatio est totum pretium legitimum exigendi: Si autem legitimum pretiũ sit minus, uulgare maius, non licebit exigere vulgare, sed solum legitimum, quia hoc censendum est pretium iustum; tamen si mutatis circunstantis, copiæ, inopiæ, &c. res notabiliter variata est quoad valorem, venditor posset vendere pretio vulgari; quia posita notabili mutatione, censetur Prioceps oon uelle legem suam in suo vigore perseuerare.

Valẽtia
Nauarr.
Lessius
medina
Reginald.
Salon.

14. Quãdo, omnibus consideratis, moraliter constat pretium à principe taxatum, esse iniustum, & iniquũ, nõ est seruandum; propterea veoditor potest, vt se indemnẽ seruet, tantum de pondere vel mensura detrahere; *in dubio* autem, an pretium sit iostum; vel iniustom; vel præsumendum est iustum, in fauorem principis habentis auctoritatem præcipiendi, & taxandi pretia; *quando* autẽ omnes, uel maior pars populi taxam principis impunè uiolat, sciente, principe, uel dissimulãte, uidetur illius taxa noo obligare, quia tunc censetur consentire in uiolationem suę legis; secùs dicẽdum, *quando* traosgressores puniuntur ob uiolationem taxæ Molina *cit. disp. 353.n.24.* Reginaldus *cit.num.* 283. 284. & 285. Salon *cit.contron.16.* Filliucius *cit.n.80.* & alij.

molina.
Regin.
Salon.
filliuc.

15. Qui uendit rẽ notabiliter excedentem in bonitate alias res, quæ communiter uendi solent, potest aliquid ultra taxam exigere; qoia hoc uidetur æquitati consentaneũ; si autẽ excessus in bonitate modicus sit, & leuis, nõ licet ascendere in pretio, quia ille excessus reputatur pro nihilo; si uerò defectus in bonitate sit notabilis, & pretiũ eius oaturale attingat pretium lege taxatum, non videtur teneri venditor descendere in pretio; si autem noo attingat, tunc tenetur venditor descendere, quantũ proportione minus ualet; quia taxa supponit rem

esse

effet bonam. Molina *c.disp.*364. Nauarrus *c.*23. *num.*88. Reginaldus *c n.*284. Salon 2.2. *q.*71. *art.*4. *contron.*1. Bonacina *c.num* 12. Diana *tract. de contract. resol.*52. *part.*1. & alii.

Molina, Nauarrus, Reginald., Salon, Bonacina, Diana

16 Quamuis *clerici* non sint subiecti legibus principum laicorum, quatenus ab ipsis sunt, tenentur tamen illas quatenus coniunguntur cum lege naturali, & diuina, unde idem pretium ab illis seruandũ est, quod seruatur à laicis ob taxam principis, *Externi* autem, cùm teneantur leges loci seruare ad contractus pertinentes, eodem modo quo incolæ tenentur taxatum pretium seruare Emman. Sà *v. vendit. num.*10. Molina *c.n.*4. Reginaldus *c.n.*286. Diana *p* 1. *tract.*2. *resol.*72. & alii.

Emman. Sa, molina, Reginald., Diana

17 Certum est ferè apud omnes, post D Thomam *q.*78. *art.*2. *ad* 7. Lessium *cit. dub.*7 Sotum *li.*6. *q.*2 *art.*3. Filliucium *c n.*96.97. Sà *v. Emptio n.*4. Reginaldum *c num.*314. Bonacinam *c.p.*4. *n.*10, Valentiam *c.punct.*2. Molinã *cit. disp.*388. Vide Dianam *de contract. resol.*21.22.23. *p.*1. licitum esse emere rem uiliùs anticipata pecunia intra latitudinem iusti pretii usque ad infimum, eodèmque modò licitum esse uendere rem cariùs credita pecunia, modò non excedatur iustum pretium rigorosum, nec sit pretium lege taxatum, *præterea* certum est vsurarium esse, & iniustum, si ex eo tantùm quod anticipetur pretium, ematur minus iusto pretio infimu, uel ex eo quòd differatur solutio, uendatur plus iusto pretio rigoroso, est enim usura palliata, cum pro mutuo uirtuali aliquid accipitur, per *accidens* tamen liceret interdum minoris emere ratione anticipatæ solutionis, ut si exinde emptor patiatur damnum, uel lucri iacturam, uel si esset periculum fraudis in uenditore, quòd vel merces non traderet, vel non sinceras, uel non stato tempore hæc enim omnia sunt precio æstimabilia; *Item* liceret minoris emere anticipata solutione ratione uendendi, quia talis modus inducit raritatem emptorum, & multitudinem uenditorum, quæ pretia decrescere, & res minùs ualere facit, ob has causas plurimi Doctores non condemnant anticipatas emptiones lanarum, quæ in Hispania, & alibi fieri solent, cùm emuntur minoris anticipata solutione, quàm ualeant tempore traditionis, de que plura Molina *disp.*360. contra Nauarrum, Azorium, Reginaldum, Valentiam, & Banem, apud Bonacinam *citat.*

D. Thoma, Lessius, Sotus, Sa, Reginald., bonacina, Valentia, molina, Diana

molina, Nauarrus, Azorius, Reginald., Valentia, Bannez, bonacina

18 Debitum coniunctum cum periculo illud non habendi, ut quia debitor non erit soluendo, uel cum multis molestiis, & laboribus, uel ratione lucri cessantis, & damni emergentis, potest anticipatè minus emi, quàm sit id quod debetur, v.g. ius ad 100. aureos soluendos intra annum potest modo emi 95. vel 96. Ita Salas *de vsur. dub.*27. Molina *c.disp.*361. Quando autem nihil horum subest, quidam ex recentioribus cum Caietano *v. Vsura*, Diana *p.*1. *tract.*8 *resol.*49. Nauarro *c.*17. *n.*331. probabile putant posse talia iure secundũ se minoris emi, quia talia iura dùm proponuntur venalia, instar mercis, communi hominum iudicio minoris æstimantur, quàm pecunia præsens quæ multarum rerũ facultatem, præbet, quàm iura illa nõ tribuunt. Tamen cõmunior, & probabilior sententia est talia iura non posse minoris emi nec à debitore, nec à tertio, quia esset vsura palliata, est enim ibi implicitum mutuum, quia autem emit 100. mutuat 95. ut hinc ad annum recipiat 100. tunc extinguitur debitum, & sic lucratur 5. supra sortem ratione mutui. Filliucius *c.n.*103.104. Lessius *c. dub.*8. *n.*71. Sotus *lib.*6. *qu.*4 *art.*1. *ad* 3. Syluester *v. Vsura* 2. *q.*14. Azorius *p.*3. *c.*10 *quæst.*5. & alii.

Salas, molina, Caietanus, Diana, Nauarrus

Filliucius, Lessius, Sotus, Syluester, Azorius

19 Quando solutio est difficilis, & incerta, ut prudenter æstimetur dimidio minùs vel propè, possunt debita, vel chirographa emi dimidio minùs vel propè, quamuis emptori ob fauorem principis, vel officialium non sit solutio difficilis nec incerta, quia horum debitorum pretium non pendet ex commodo vnius, vel paucorum, sed ex publica æstimatione, qua æstimarentur, si publicè sub voce præconis, proponerentur. Nota tamen huiusmodi debita, non posse emi minùs à debitore, vel eius ministris, aut officialibus, quia ipsi, vt sic emanant, solent esse causa malignæ solutionis, qua in re interdum peccatur grauiter à receptoribus, & quæstoribus Principum, vide Nauarrum *cap.*17. *num.*231. Molinam *cit. disp.*361. Salas *de empt. dub.*40. Lessium *cit. dub.*9 Dianam *p.*1. *tract.*8. *resol.*50. & alios.

20 Emptoris obligationes iuxta Filliucium *cit. num.*223. sunt. *Primò*, vt integrum pretium præfinito tempore soluat, qui autem emit predium in quo scit latere thesaurum, iustum pretium soluit, si tantum det quanti æstimatur à nescientibus. *Secundò*, ut suppleat pretium si dedit minus infimo iusto. *Tertiò*, vt uenditorem admoneat de iusto pretio, si furtè ob ignorantiam minoris uẽdat *Quartò*, ut damna uenditoris resarciat ob moram, vel culpam in facienda solutione pretii.

Proinde peccat emptor contra iustitiam, & in re notabili tenetur ad restitutionem qui computando cum mercatore, aliqua taricet, quæ certò scit se ex officina habuisse, sed non esse scripta à mercatore. Nec potest se excusare dicendo illa idcò reticere, quia caro nimis vendiderit ei alias merces Nam si non vendiderit ultra pretium rigorosum iustum, tenetur in conscientia stare conuento pretio.

Plura de emptione cernere licebit *v. Venditio Bellum* nu.19. *Census. Gabella* num.8.

SVPPLEMENTVM.

Emptio, & venditio.

SVMMARIVM.

1 *An contractus emptionis ac venditionis à rerum permutationibus caperit? & Quotuplex sit permutatio.*

2 *Emptio, & permutatio, in quibus conueniant, & differant.*

3 *An nomine emptionis, vel venditionis comprehendatur etiam permutatio? An quando pro re datur res, & simul aliqua pecunia, sit permutatio, an verò venditio.*

4 *Emptio, aut venditio quotuplici ter fieri possit? Et an negotiatio ratione paupertatis, sit clericis interdicta.*

5 *An liceat vendere aut emere rem vltra, uel citra dimidium iusti pretii.*

6 *Quando emptor dans pretium excessiuum censeatur donare excessum, vel venditor vilius vendens condonare defectum pretij.*

7 *Quæ sint obseruanda circa pretium vulgare secundum vsum fori.*

8 *Quæ sint conditiones requisitæ vt liceat in contractu venditionis, pretium maius recipere, ratione damni emergentis.*

9 *An ratione lucri cessantis possit res carius vendi ob dilatam solutionem?* Refertur duplex sententia.

10 *Quæ requirantur vt verè lucrum cesset venditori ob contractum venditionis credito pretio cum emptore transactum.*

11 *An liceat carius vendere, aut uilius emere rem, quàm per se ualeat, ratione ignorantia.*

12 *An licitum sit uendere rem pluris creditè quam iam valeat ex eo præcisè quòd sit talis, vt communiter nequeat nisi ad terminum uendi?* Refertur duplex sententia.

13 *An emere infra pretium infimum liceat præcisè ratione anticipatæ solutionis.*

14 *An ratione affectionis imaginariæ licitum sit rem carius vendere, quàm secundùm se ualeat.*

15 *Quod sit iustum rerum pretium, quæ in actionibus venduntur.*

16 *An peccet contra iustitiam mercator, qui nunquam res suas uenales exponit, nisi quando sunt cariores.*

17 *An peccet contra iustitiam qui res suas ad forum detulit, & venales exposuit, & deinde eas suppressit, ex qua suppressione charitas secuta est.*

18 *An sit iniquum impetrare à Principe priuilegium, ut sibi soli liceat certum genus mercium uendere.*

19 *An uenditor possit res suas pretio currenti uendere, si sciat pretii futuram decretionem, & emptor ignoret.*

20 *Qui*

20 *Qui per mendacium, fraudem, ac dolum alicui emptorei ad emendum, dicendo pretium breui augendum, an peccet contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem damni.*

21 *Resoluuntur hic multi casus, in quibus res iustè potest uendi pretio currenti iuxta usum fori, non admonito tempore de pretii futura decretione.*

22 *Venditor interrogatus an superuentura sit copia mercis, & respondens non esse futuram, an peccet contra iustitiam vendendo pretio consueto.*

23 *An similiter emptor possit tempore abundantia tacere inopiam mercium futuram, & emere pretio currente.*

24 *Qui est seruaturus suas merces in tempus futurum, in quo solent illa magis ualere, an possit eas maiori pretio vendere, quàm de præsenti ualent.*

25 *An uenditor qui est seruaturus triticum vsque ad aliquod tempus possit nunc taxare pretium soluendum in futurum.*

26 *An sit illicitum merces non seruandas in futurum carius vendi, quam sit pretium, quo æstimatur tempore venditionis.*

27 *An contractus uenditionis, & emptionis celebratus bona fide propter ignorantiam utriusque partis circa ualorem rei, validus sit, etiamsi postea res comperiatur longe plus, siue longè minus ualere.*

28 *An emens merces citra dimidium iusti pretii faciat fructus suos, si in emptione interuenit dolus & fraus.*

29 *Qui absolutè aliquid aduendendum accipit, an pro suo labore possit aliquid sibi retinere, uel illam rem sibi emere, ut carius uendat.*

30 *An teneatur emptor etiam non rogatus ualorem rei venditori reuelare, quando res suum pretium habet in communi usu fori? Quid si uterque ualorem ignoret? vel etiam ignoretur à peritissimis eius valor.*

31 *An uenditori liceat minuere mensuram mercium, puta uini, & olei, in casu quo emptores nolent emere merces quantum reuera ualent? Et quando possit uenditor uinum aqua miscere.*

32 *An licitum sit uenditori rebus suis præstantibus ita miscere viliores, ut non sint minus bona quàm quæ ab aliis uenduntur, & sic illas uendere pretio currente* Refertur duplex sententia.

33 *Quantum possit iustè diminui de pretio ex contemplatione pacti redemptionis additi contractui uenditionis?* Refertur duplex sententia.

An emptor possit rem præscribere si intra tempus iure præscriptum uenditor non redemerit.

34 *Quando pactum, ut uenditor maiori pretio redimat, possit esse licitum.*

35 *An in hoc contractu possit apponi pactum ut si uenditor intra certum tempus non redemerit, res uendita remaneat irredimibilis.*

36 *Quando uenditio perfecta censeatur.*

37 *An res empta aliena pecunia transeat in dominium emptoris.*

38 *Ob quas causas rescindenda sit venditio munere, & officio iudicis.*

39 *An teneantur ad restitutionem, qui impediunt ne merces ad ciuitatem confluant, ut suas carius uendant.*

40 *Retractus gentilitius quid sit? Et quæ requirantur ut valeat.*

41 *An negotiatio generatim sumpta sit res bona, uel mala, uel indifferens.*

42 *An negotiatio possit esse illicita ex parte rei, quæ uenditur.*

43 *An negotiatio, qua res indifferentes venduntur, quibus homines sæpè utuntur ad malum finem, sit illicita, & peccatum mortale.*

44 *Quando negotiatio reddatur illicita ex parte personæ negotiantis.*

45 *Quando ex parte emptoris seu personæ cui res uēditur*

46 *Quando ex parte loci.*

47 *Quando ex parte temporis.*

48 *Quando ex parte modi.*

49 *An mercator uel alius, qui non exercuit monopolium, possit iustè uendere suas merces pretio illo, quod per monopolium creuit?* Refertur duplex sententia.

50 *An negotiatio reddatur illicita ex parte finis.*

51 *Quid iuris de alienatione bonorum facta in fraudem creditorum*

52 *Quænam censeantur simul uendi cum venditione rei.*

53 *Quando uenditio ad corpus dicatur, & quando ad mensuram.*

1 Contractus emptionis, ac venditionis à rerum permutationibus cœpit, nam olim, cùm non erat nummus, neque merx, & aliud pretiū uocabatur, unusquisque secundùm necessitatem temporum ac rerum, cum utilibus inutilia permutabat, quoniam plerumque euenit, vt quod vni superest, alteri desit, unde emptio est iuris gentium, quia omnes gentes, & permutatione, & venditione, ut cœperunt esse, usæ sunt, antequam ius vllum ciuile apud homines conderetur, *l. 1. ff. de contrahend. empt.* Sed quia non semper concurrebat, ut cùm haberes, quod desiderarem, inuicem haberem quod tu accipere uelles, & rerum permutandarum non æqualis esset ualor, ideò electa est materia, cuius publica, ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationem æqualitate quantitatis subueniret.

Pro quo nota triplicem esse permutationem. Prima est rei cum re: Secunda pretij cum pretio. Tertia rei cum pretio. Prima dicitur permutatio specialis, quæ est uicaria præstatio unius rei cum alia. Secunda dicitur Cambium. Tertio emptio & uenditio.

Permutatio specialis consistit in iis rebus, quæ uendi possunt, & tunc perfecta est, quando ex utraque parte facta est traditio, tunc enim neutra pars potest à contractu resilire, nisi ex dissensu utriusque. Hinc ex ea duæ actiones oriuntur, una quæ dicitur *præscriptis verbis*, ex permutato, *l. rebus, Cod. de rerum permutat.* & est contra eum, qui accepit rem ex permutatione, & cessat dare rem suam. Altera, quæ dicitur *condictio ob causam*, qua is qui dedit rem suam, ut erat conuentum, *leg. 1. §. fin. ff. rerum permutat.*

2 Emptio, & permutatio in moltis conueniunt. *Primò*, quia utraque est contractus bonæ fidei. *Secundò*, ex utraque oritur conditio usucapiendi, *l. sequitur, §. de illo, ff. de vsucapionibus. Tertiò*, ex utraque datur actio redhibitoria, id est, emptionis dissolutio, *l. sciendum, Cod. de ædilitio edicto. Quartò*, ex vtraque præstatur euictio, *l. 1. Cod. de rerum permut. Quintò*, permutatio sicut, & emptio continens deceptionem ultra dimidium iusti pretii, rescinditur; vnde permutans scienter rem vitiosam, verbi gratia, equum calcitrosum, tenetur actione redhibitoria, sicut, & uenditor.

Differt uerò permutatio, & emptio in multis. *Primò* quia emptio est contractus, qui solo consensu fieri potest, ut dixi *tom. 1. verb. Emptio num. 1. &* 2. at permutatio non fit, nisi interuectu rei traditæ. *Secundò* in emptione res datur pro pretio, in permutatione res datur pro re unde in emptione alius est emptor, alius uēditor. *Tertiò*, in permutatione datur actio quæ dicitur *condictio ob causam*, uel actio quæ dicitur in iure *præscriptis uerbis*, ut dictum est, non autem in emptio. Baunius *de contract. lib. 1. tract. 2. cap 3.* Baunius

3 Canonistæ communiter docent nomine emptionis, uel uenditionis comprehendi etiam permutationem si leges sunt iuris communis. Si tamen sint statuta municipalia, qualia sunt statuta ciuitatum, locorum uel Principū, tunc nomine venditionis non intelligi permutationem in materia odiosa, & pœnali, bene tamen in materia fauorabili, v. g. legatus est tibi fundus ea lege, ne venderes, licebit tibi eum permutare, quia est materia odiosa, ideò sub venditione non comprehenditur permutatio. Item est statutum alicuius ciuitatis, vt qui uendiderit rem aliquam, soluat gabellam, si permutauerit, non debeat eam soluere. Legistæ tamen cōmuniter aiunt, nomine emptionis, uel alienationis intelligi permutationē.

Sed dubium est, an quando pro redatur res, & simul aliqua pecunia, sit permutatio, an uerò uenditio? verbi gratia, si pro gladio, partim pretium numeretur partim, alia res. Respond. Abbas *in cap. Ad quæstiones, de rerum perm.*

permutat Si data pecunia ualore superet, emptio censeri debet, sin altera res superet, potiùs permutatio erit. Quòd si quasi æqualis ualoris sint, attendenda est mens contrahentium. Vide Gomez *secundo variarum capit.2.num.*10

Gomez

4 Emptio, aut contrahitur purè, & simpliciter, aut sub conditione. *Purè*, quando neque dies, neque conditio, aut pactum ullum apponitur. *Sub conditione*, quando contrahitur pacto adiecto, vel conditione. Conditio est, cùm dubius, vel incertus euentus adiicitur, vt vendo tibi tanti fundum meum, si nauiaex Asia venerit.

Emptio sub conditione, uel pacto multiplex est; aut enim contrahitur cum adiectione in diem, ut vendo tibi fundum meum, nisi intra talem diem proximum, alius mihi meliorem conditionem obtulerit, *l.in diem ff. de in diē adiectione* Aut contrahitur cū pacto legis commissoriæ. Vt vēdo tibi hāc domū meam, quod si pretium intra quatuor menses mihi non solueris, pro non uendita habeatur, *l.cum venditor, C.de lege commissoria*. Aut fit cum pacto retrouendendi, v.g. quòd si intra quatuor annos pretium tibi reddidero, eam mihi restituas.

Emptio diuiditur etiam ex modo quo fit, aut enim palam, aut non palam contrahitur, cum fit sub hasta in foro, uel alio loco publico posita, Vel fit uoce præconis in loco publico, non palam fit, cùm priuatim aliquid emitur.

Emptio itidem, aut fit mercibus minuatim, id est, per partes minimas uenditis, aut cumulo rerum venalium vendito. Denique emptio fit gratia quæstus, & lucri, aut causa necessitatis. Et ea, quæ est causa lucri, duplex est, vna cùm res aliqua emitur, ut eadem prorsus absque ulla sui mutatione iterum uendatur, & hæc dicitur negotiatio, quæ est clericis iure canonico interdicta, *c.multa, ne cler.vel Monach.*

Altera, cùm res aliqua emitur, ut iterum vendatur, melior effecta ingenio, industria, cura, & opera emptoris, & hæc propriè non est negotiatio, nec ab ea clerici prohibentur, estque communis artificum, & agricolarū, vnde ad hanc speciem emptionis, & venditionis pertinet colere proprios agros, exercere opera rustica, ut fructus vendantur, alere greges, ut ex fœtu, lana, & lacte pecuniæ acquirantur, uel ut ipsa animalia adulta pluris saginata vendantur.

Notandum hic est, quod etsi regulariter prohibita sit clericis negotiatio, tamen ex aliqua circunstantia, ut paupertatis, vel necessitatis, cui aliter nequeat commodè subueniri, non est prohibita, quia illa necessitas excusat, vnde Concilium Elibertinum *cap.*19. concedit eis posse negotiari in necessitate per se intra prouinciam, per alios extra. Sic posset clericus ob paupertatem conducere alienum agrum, & de eius fructibus partim uescendo, partim vendendo sustentari, *cap. Dilecti, de decim.iuncta Gloss.ibid.* Nauarrus *lib.3 consil.3. de vita, & honest.clericorum edit.2.* Molina *tract.2.disp.*342. Layman *lib.3. tract.4.cap.17.§.7.nu.*39.

Conc.Elib. Nauarrus Molina Layman

5 Non licet vendere aut emere rem ultra dimidium iusti pretij, nec in foro conscientiæ, nec in foro exteroo. Est communis Doctorum sententia. Vendere autem rē ultra dimidium iusti pretij, nō est vendere rem ultra duplum, ut quidam uolunt, sed ultra sesquí alteram, id est, ultra medietatem iusti pretij, ut si res ualens 10. uendatur 16. aut ematur 4 nam quinque sunt medium iusti pretij. In foro tamen exteriori non conceditur repetitio uendenti aut ementi citra dimidium iusti pretij, ut si rem ualentem 10. emeris 12 patet ex *l.rem Cod. de rescind. vendit.* Ratio est, quia alioqui innumeræ lites, & tumultus in rep suborirentur. Vide Layman *lib.3.tract.4. cap.17 §.1.num.7.*

Layman

In foro conscientiæ non licet absque peccato obligante ad restitutionem uēdere cariùs aut emere ciuiliùs citra dimidium iusti pretij. Est communis. Ratio est, quia ius naturæ dictat in commutationibus seruandam esse æqualitatem, quæ sanè non seruatur, quando res emuntur citra dimidium iusti pretij. Tum quia qui sic uendit aut emit accipit rem alienam inuito domino, ergo peccat contra iustitiam, ac proinde tenetur ad restitutionem. Leges autem ciuiles permittunt quidem oppositum in odium litis, non tamen approbant, sed diuino iudicio referuant. Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 4.* & alij. Lessius.

Si dicas, volenti, & scienti non fit iniuria, ergo saltem secluso dolo non fit iniuria emptori danti plus quàm res valeat citra dimidium Resp. emptorem nō velle uere transferre dominium eius in quo defraudatur, sed tantùm vult id exteriùs dare venditori, vt ita subueniat suæ necessitati: sicut qui compulsus à latrone vult ei dare decem, vitæ conseruandæ causa, solùm exteriùs dat, nec vult cedere in suo quod habet ad illa decem recuperanda; ita hic emptor à venditore defraudatus in pretio citra iusti dimidium, vult solùm illud quod præcisè est necessarium ad subueniendum propriæ necessitati, non autem etiam dominium transferre. Nec est hic facilè recurrendum ad donationem: quia emptores nihil minùs solent velle, quàm donare, cùm passim solùm intendant satisfacere propriè necessitati, nec valdè curent commodum venditoris vltra id quod postulat rigor æqualitatis iustitiæ.

Aliquando tamen titulo donationis possunt vēdi res pretiosæ pluris quàm valeant, si non habeant pretium legitimum vel vulgare, & quæ magis pertinent ad vitæ splendorem, quàm ad necessitatem; quia si emptor sit amicus venditoris, & cupidus aliàs ei benefaciendi, censebitur in rerum huiusmodi superfluarum emptione, excessum pretii, quem sciens, & prudens dat, liberè donare venditori. Vt rectè docet Ioannes Medina *Cod. de reb.restituend quæst.32.in fine.* Si etiam emptor sit Princeps, vel vir clarus aut valde locuples, & putet ad suam dignitatem pertinere, res huiusmodi magni coemisse, præsumi poterit illum uoluisse sponte donare pretium abundans, ut uel eo nomine decus sibi quoddam compararet, & ita intelligendi sunt Sotus, Molina, & alii *cit. tom.1 v.Venditio num 8.* Medina. Sotus. Molina.

6 Emptor dans pretium excessiuum, censetur intendere donare excessum, uel uenditor uilius uendens cōdonare defectum pretii, bis quinque concurrentibus. *Primò*, quando uterque contrahentium est persona sagax, sciénsque ualorem rei. *Secundò*, quòd non ex necessitate emendi, aut uendendi det illud. *Tertiò*, quod inter contrahentes coniunctio aliqua sanguinis, uel amicitia intercedat: nam inter extraneos non præsumitur donatio, nisi huius euidētia signa appareant. *Quartò*, quòd non interueniat uis, metus, fraus aut aliud simile. *Quintò*, quòd prædicta quatuor constent utrique contrahentium, nam tunc præsumi potest donatio, si aliqu's defectus aut excessus a latitudine iusti pretii interueniat. Ita Medina *Cod de restit. quæst.* 32. Conradus *de contract quæst.57.& 58.* Lessius *lib.2.cap.21.dub.4.n.* 37. Nauarrus *in c.nouit.de iudiciis, notab.6. n.61.* & alii apud Layman *loco cit.n.6.* Medina Conradus Lessius Nauarru Layman.

7 Cùm pretium uulgare secundùm usum fori trea habeat gradus, infimum seu pium, medium seu moderatum, & supremum siue rigidum, & rigorosum, & omnia huiusmodi pretia sint iusta, sunt nonnulla circa hæc obseruanda.

Primò, vsum fori non constitui à duobus, uel paucioribus, sed ab omnibus, uel plerisque contrahentibus citra omnem fraudem, uel dolum, debetque iudicari à peritis, & prudentibus in ea arte, tali loco, & tempore aliisque circunstantiis inspectis, iustum. Vnde ad usum fori, & communem omnium æstimationem in pretiis exiguntur hæc tria. *Primò*, ut pretio illo utantur, non unus aut alter, uel pauci, sed omnes, aut saltem plerique tali loco, & tempore *Secundò*, ut usus fori augeatur, uel minuatur citra ullam fraudem, & dolum. *Tertiò*, ut usus fori non ita augeatur, uel minuatur propter frequentiam, uel paucitatem contrahentium, uel abundantiam, aut inopiam mercium, aliasque circunstantias ut iudicio prudentum pretium illud sit reuera, & omninò iniquum secundùm excessum, uel defectum. Ratio huius est, quia quod euidenter iniustum est in aliquo genere, nullo usu, uel consuetudine potest reddi iustum.

Secundò, usum fori, & communem omnium æstimationem ex ipsa hora omninò currenti, in qua celebratur contractus sumenda esse: sunt enim quædam tempora, in quibus tam merces, quam earum emptores, & uen-

uenditores ita deficiunt uel abundant, ut non solùm, vsus fori vno die receptus, proximè sequenti mutetur, verùm etiam quandoque accidat, vt qui mane existebat, post meridiem sit mutatus propter mercium illarum, & emptorum aut venditorum facilem mutatam abundantiam vel penuriam, vt contingit tempore nundinarum. Vnde si continuo post venditionem mercis, illa carior efficiatur, non potest venditor augere pretium, nec emptor illud minuere, si statim post emptionem illam, viliùs incipiat vendi.

Tertiò, vsum fori, iustumque illius pretium, non esse sumenda ex loco, in quo contrahentes inter se conueniunt de rei alicuius venditione, neq; ex loco, in quo fit illius solutio; sed ex loco, in quo res ipsa venalis actu, & reipsa traditur ementi illam. Ratio est, quia vsus fori, & pretium iustum illius ex loco sumenda sunt, in quo verè, & actu exercetur, & perficitur contractus emptionis, & venditionis; contractus autem huiusmodi, tunc actu exercetur, & perficitur, quando res traditur emptori, & transit in illius dominium. De his
Couar. Contadus. Faustus laymann vide Couarruuiam *tom.2.variar.lib.* 2. *cap.* 3. Contradum *de contract.3.part.quæst.56. consil.* 5. Faustum *de contract.disputat.6 quæstione* 5. Layman *lib.3.tractat.4 cap.17.§.1.num.9.&* 10.

8 Conditiones requisitæ vt liceat in contractu uenditionis ratione damni emergentis, pretium maius recipere, sunt. *Primò*, ut damnum sit in re tua, uel tibi debita, eaque habita, uel quam certò eras habiturus, aliàs non dicitur damnum emergens, sed lucrum cessans. *Secundò*, ut hoc damnum emergat ex hac uenditione ad terminum seu ex mutuo hic implicitè, & tacitè interueniente, ut quia sic uendendo, seu tacitè mutuando, redderis impotens tui damni auertendi. *Tertiò*, ut emptorem seu mutuatarium implicitum illius damni admoneas, alioquin eum deciperes, nam fortè nollet cũ tanto onere à te sic emere, aut mutuum illud implicitũ acceptare. *Quartò*, ut nõ cogas illum pacisci de periculo damni, sed de damno tantum si euenerit; licet enim illud periculum damni probabiliter euenturi, sit pecuniâ æstimabile (minori tamen, quàm ipsum damnum) non tamen potes alterum cogere, ut pro periculo damni aliquid pasciscatur, nam si emptor seu mutuarius paratus est sarcire damnum quod euentus attulerit, non potest cogi ad alium cõtractum, nam ita tu seruaris indemnis; si tamen ipse non cupiat pro damno, sed pro periculo damni pacisci, potest acceptare pactum, & licet postea damnum non euenerit, poteris tamen conuentum exigere, nam periculum quod subiisti, iusto pretio erat
Salon. Fillincius. lessius æstimabile. Ita Salon, Fillincius, Lessius *cit. tom.1.v. Vsura III. num.* 2.

9 Quidam negant ratione lucri cessantis posse rem cariùs vendi ob dilatam solutioné: quia nemo potest vẽdere, quod suum nõdum est, & potest multipliciter im-
D. Thom. Scotus Sotus. pediri. Ita Diuus Thomas 2.2.q.78.*art.2.ad* 4. Scotus *in 4 distinct* 15 *q.2*. Sotus *de iustit.lib.6.quæst.1.art.*3. Cõmunis tamen aliorum est opinio, eum qui vendit credito posse pacisci de lucro cessante ex dilata solutione pretij, atque adeò vendere creditò rem pluris quam per se ualeat. Vt uiuit quis ex negotiatione, id est, pecunia comparata ex uenditione vnius rei, alteram rem mercando, ut eam postea cum lucro vendat, & sperat emi ab alio pecunia numerata, quâ ille ad suum prædictum lucrum indigebat; vnde in causa tunc es, ut cesset illi lucrum futurum, quare merito propterea accipiet à te plus pretij pro re quã ab eo sic emis. Ratio huius sententiæ est, quia pecunia, quã fueras lucraturus pluris tibi ualet, quã ipsa per se considerata: erat enim veluti semẽ lucri, in quo uirtute quodãmodo cõtinebatur: etsi enim pecunia sit infœcunda, & sterilis, tamẽ quatenus subest humanæ industriæ, fit ueluti semen fœcundum lucri, unde plus æstimatur, ac proinde plus pro ea exigi potest sicut plus exigi potest pro tritico destinato sationi, quo si careas, carebis fructu, quàm pro eo quod cõsumendũ est; quia in eo virtute continetur fructus: Vnde si illud des, simul das fructũ in eo latẽtẽ, quò fit ut tãti æstimetur, quãti fructus in illo latens, seu illa spes fructus si careas alio. Sicut potest artifex mutuans instrumẽtũ suæ artis deducere in pactum lucrum ei cessans, ergo similiter mercator mutans explicitè, vel implicitè instrumentum negotiationis, id est, pecuniam. Nec refert quod rustico, vel artifici lucrum erat certum, quia in nostro casu est etiam aliquo modo certum, & quantò minus fuerit certum, tantò minus pro cessatione lucri petetur pro- Nauarrus Contadus Caietan. Salon Couar. Syluester
portionaliter, & fiet iustè. Ita Nauarrus *in Man.c.*17 *n.*211. Contadus *de contract.*59. Caietanus, Salon 2.2.*q.*78 *art.*2. Couarruuias *lib.1.variar.cap.*3. Syluester *v. Vsura l.§.*19. & communis.

10 Vt verè lucrum cesset mercatori ob contractum venditionis credito pretio cum emptore transactum requiritur. *Primò*, ut pecunia à te iam (nisi uenderes creditò) recipienda, uel actu fuerit exposita negotiationi, uel certè negotiationi destinata, & illa quidem eadem, quæ alteri creditur aut mutuatur non enim satis est, ut potuerit exponi, quia pecunia cum potentia lucrandi remota, non plus ualet, quàm pecunia absolutè secundum se spectata, quæ proinde per æqualem pecuniam compensatur sine aliquo alio actuario: nam alioqui si potentia remota lucri pecuniæ semper annexa, posset licitè computari titulo lucri cessantis, infinita penè summa posset exigi pro lucro cessante, quatenus videlicet aliqua summa pecuniæ potest emi res, quæ fructificet aliquid, & illa res cum lucro rursus uendi, & sic deinceps in immensum.

Secundò requiritur, ut emptoris uoluntas, & consensus in eiusmodi pacto, sit uerè causa talis cessationis lucri saltem partialis, unde necesse est vt emptor intelligat, detrimentum lucri cessantis, quod in illius gratiam est incursurus venditor, aliàs non consentiet in pactum de cõpensatione talis detrimenti. Qui autem mutuat alteri pecuniam cum detrimento lucri cessantis, non tenetur ipsi declarare: se ampliùs exigere ratione lucri cessantis ex ipsa mutuatione, satis enim est, ut absolutè amplius petat, & de eo paciscatur in ipso contractu mutui. Ratio discriminis est, quia cùm uendo rem aliquam credito pluris ratione lucri mihi cessantis ex dilatione solutionis, teneor declarare me amplius petere quàm res per se ualeat, ratione mei incommodi, ne ipse putet rem pluris ualere, quàm per se ualeat, & ita decipiatur, secus autem est in mutuo quia etsi amplius petatur quàm sors, non ideò circa æstimationem sortis mutuatarius decipitur.

Tertiò requiritur, ut credens alteri pecuniam non recipiat statim lucri cessantis interesse, de quo paciscitur, sed expectet illud cum capitali soluẽdum. Ratio est, quia hoc ipso quòd creditor aliquid mox reciperet ab altero, falsum esset quod cessaret illi lucrum illud pecuniæ creditæ pro qua aliquid exigit, & ita talis contractus esset iniquus, u.g. Petrus credit Paulo 15. & pro lucro cessante ex 15. exigit 5. iam si illa 7. ex ui talis pacti recipit, non erit uerum cessare illi lucrum ex 15. pro quo quinque petierat, sed tãtùm cessabit illi ex decem quandoquidem tantùm abdicat à se decem. Confirm. quia si Petrus exigat statim quinque, iam in te non mutuat quindecim, sed tantùm decem. Paulus enim tantùm retinet decem, atqui ratio mutui exigit, ut concedatur aliquod temporis spatium.

Quartò, requiritur ut uẽditor nõ exigat totum lucrum speratum, sed minus, deducendi enim sunt labores, expensæ, & quantò maioris ualet id quod certum est & præsens, quàm quod futurum & incertũ. Vnde tantundem solùm deducere debet in pactum, quanti ualet illa spes lucri deductis laboribus, & expensis, v.g. si paratus esses spem illam lucri uendere decem, & labores, expensasque ad illud lucrum subeundas, redimere tribus, non posses exigere nisi septem.

Porrò duobus modis potest lucrum cessans deduci in pactum, primò indeterminatè, uidelicet, ut mutuatarius uel emptor teneatur mutuantem, uel creditorem seruare indemnem, iuxta ea quæ postea euenerint, ut si postea deprehendatur lucrum futurum fuisse magnum, teneatur hoc totũ compensare, deductis laboribus, & expensis: si paruum, similiter ex æquo; si nullum nihil. *Secundò*, paciscendo aliquid determinatè à principio, quidquid tandem acciderit, & hoc poterit creditor aut mutuans exigere etsi postea deprehendatur nullum lucrum

fuisse

fuisse obtenturum, quia spem suam vendidit.

De hoc lucro cessante vide Auctores citatos *tom. 1. v. usura III. num. 5. 6. & 7.* apud quos plura.

11 Licet carius uendere, aut uilius emere rem quàm per se valeat, ratione ignorantiæ, quando videlicet vendens bona fide existimat pretium quod recipit, vel emès pretium quod confert iustum esse, nec culpa sua in eo decipiuntur, sed laborant ignorantia inuincibili iusti pretii. Verum est tamen quòd cognoscens postea pretium verum, tenetur restituere excessum, nisi tanto tempore excessum illum venditor cum bona fide retineat, ut sufficiat ad præscribendum. Nam tunc, etiamsi completo tali tempore agnoscat se emptorem defraudasse, siue in multo, siue in pauco facta fuerit defraudatio, nihil tenebitur restituere iuxta doctrinam traditam in materia de præscriptione *tom. 1 v. Prescriptio n. 11.* Ex quo infertur, quòd si testator præcipiat, vt restituantur bona ab eo malè percepta, si inueniatur interea aliquid alienum

Medina Arragon.

præscriptum titulo bonæ fidei, non debet hoc restitui. Ita Arragon. 2. 2. *q. 77. art. 1.* Medina *C. de rest. q. 32* & alii.

12 Nullo modo licet vendere rem creditò pluris, quā iam valeat ex eo præcisè quòd sit talis, ut communiter nequeat nisi ad terminum vendi, v. g. non licet merces in magna copia aduectas vendere pluris quam iam ualeant si nequeant nisi credita pecunia vendi colligenda uidelicet à multis mercatoribus ex iterata uenditione eiusmodi mercium. Ratio est, quia quòd res non possint nisi creditò vendi, non est signum donationis factæ ab emptore, vt patet, nec id per se continet aliquod peculiare damnum, aut grauamen venditoris, cùm pecunia postea soluenda tātùm valeat, quàm præsens. ergo cessante alio peculiari venditoris interesse, aut grauamine aliunde prouenienti, non rectè possunt eiusmodi res idcirco cariùs æstimari, & uendi, quàm si statim solueretur pretiū. Confirm. quia venditio ad terminum, nihil addit uenale uenditioni, quæ fit præsenti pretio, nihil enim addit nisi dilationem solutionis, quæ est quædam tacita mutatio, pro hanc autem nullo modo licet pretium augere. Ita Nauarrus *in man. c. 23. nu. 82.* & alii. Nihilominus apud quosdam censetur contraria sententia etiam probabilis. Ratio illorum est, quia cum istæ merces non possint ea copia, qua expedit reip. & emptores desiderant, præsenti pecunia uendi, necessariū fuit instituere modum eas vēdēdi credito seu ad terminū, qui modus facit, ut mox plurimi emptores sese offerāt, quorū copia pretiū intēdit facitque crescere; & sic non vendūtur præcisè pluris ob dilationem solutioni; sed quia iste modus vendendi, per accidens facit pretiū crescere, alliciendo copiā emptorū.

Accedit, quòd cum pretium non consistat in indiuisibili, sæpe fit vt pretium, quo veduntur credito, nō excedat pretium rigorosum, quo numerato vendi possent. Denique ferè semper mercatoribus est incommoda illa dilatio solutionis; nam sæpe videmus postquam credito vendiderunt, eos agere cum emptoribus de anticipando termino, remittendo 8 vel 9. in 100. per annum, uel plùs minusve, secundùm numerum mensium. Vnde in taxando illo pretio potuit haberi etiam ratio illius incōmodi. Ex quibus patet, non esse illa pretia, quibus merces credito pluris vendi consueuerunt facilè condemnan-

Emm. Sà Couart. Salicetus Decius Lessius Diana

da, nisi aliunde constet esse iniusta. Ita Emmanuel Sà *v. venditio num. 7.* Couartuuias *lib. 2. variar. c. 3 n. 6* citans Salicetum. Lessius *lib. 2. c. 21. num. 56* & 57. Diana *p. 1. tract. 8. resol. 21.* & alii apud ipsum

13 Similiter non licet infra pretium infimum emere præcisè ratione anticipatæ solutionis v. g. non licet emere minoris lanam à Pastoribus anticipata solutione, eo quòd res huiusmodi nequeat aliter uendi. Ratio est, tùm quia quòd res nequeat emi, nisi anticipata solutione, nō minuit ualorem rei alio tēpore tradendæ, nec anticipata solutio ob id solùm quod sit anticipata, continet aliquod grauamen emptoris. Vnde cessante alio interesse, non potest quis ideò vilius emere, quàm ualebunt res tempore traditionis. Tum quia hoc esset lucrari aliquid supra sortem ex ui impliciti mutui; qui enim solutionē anticipat, implicitè mutuat, & postea dum ei res empta pluris ualens traditur, implicitè fit ei restitutio cū usura; nā illud incrementum, quo res pluris ualet, quam pretium, datur ex ui pacti præcedentis. Propter anticipatam solutionem, id est, propter vsum pecuniæ tanti temporis. Est communis sententia Doctorum.

Per accidens tamen interdum licet minoris emere ratione anticipatæ solutionis, ut si per illam anticipationē emptor patiatur damnum, vel lucri iacturam, vel subesset periculum fraudis in uenditore, quod uel merces non traderet, vel non sinceras, uel non statotempore, uel nō sine lite expensis, hæc enim omnia æstimabilia sunt. Denique quia hic modus vendendi inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum, & proinde facit pretium decrescere. Hinc sequitur posse excusari multis de causis emptores lanarum, qui eas minori pretio emūt anticipata pecunia. *Primo* ratione periculi, cui se exponūt recipiēdi lanas. *Secundò* ratione lucri cessantis, si eo tēpore quo carent pecunia, potuissent ea uti ad cambia, aut alia ratione lucrari. *Tertiò*, quia magnam lanarum quantitatem simul emunt, quando autem magna mercium quantitas simul emitur, vilescit earum pretium. *Quartò*, quia modus uendendi numerata pecunia inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum, raritas autem emptorum, & multitudo venditorum minuit pretium. Ita Molina *tract. 2. disp. 360.* Sotus *de iust. l. 6. q. 4. art. 1 ad 4.* Lessius *lib. 2. c. 21. dub 7.* Bonacina *de contract. disp. 3. q 2 punct 4. n. 20.* Diana *p. 1 tract. 8. resol. 22.* Contra Nauar. Valentiam, & alios.

Molina Sotus Lessius Bonacina Nauarrus Valentia

14 Quamuis ratione peculiaris affectus, aut oblectationis, qua quis se priuat, possit rem illam cariùs uendere, quàm simpliciter, & secundùm se ualeat, iuxta æstimationem ipsius oblectationis, uel affectus, quia hic non tantùm vendit rem illam nudam, sed etiam suum commodum, & oblectationem, vel affectum, ut diximus *to. 1. v. venditio, n. 5.* Dubium tamen est, si affectio illa sit solùm imaginaria, uel nullo nixa fundamento consentaneo rationi, vel ex nimia cupiditate, ex qua putat pluris ualere rem suam: An possit tunc rem illam carius uendere, quàm secundùm se valeat: Quidam affirmant, cōtrarium tamen puto dicendum, quia affectus animi inordinatus non est pretio soluendos, sed corrigentus, secus autem esset, si verè, & non fictè affectus esset u. g ad suum equum, quia mansuetissimum sibi eum expertus, est eiusq; nouit placidas conditiones, sedatum gressum, & incessum in itineribus, quia tunc hac ratione, si rogatus neque putat facilè aliū similē inuenire, admonito emptore, poterit pluris, quàm in se ualeat, diuendere. Ita Lessius *l. 2 c. 21. dub. 4. n 27.* Rebell. *2. p. l. 9 q. 1 sect. 1.* & alii.

Lessius Rebellus

15 Datur etiam aliquod iustum pretium rerum, quæ in auctionibus uenduntur, ultra quod ascendere uenditori non licet. Ratio, quia forum auctionarium habet etiā suas leges a legibus fori cōmunis diuersas. Vnde licet in auctionibus res uiliùs emi possint, quā in cōmuni foro; tamen iniquum esset egredi latitudinē iusti pretij mercium huius fori auctionarij. Ita Medina *Cod. de reb. restit. ord. q. 31.* P. Nauar. *lib. 3. de restit c. 2 n. 36.* Confir. quia ut notat Anglez *de contr. emptionis dub. 7.* in Hispania, si in auctione cōtingat deceptio ultra mediū, lege regiā datur actio ad pretium repetendum, aut uēditionē rescindēdam. Notat tamen P. Nauarr. quòd cùm exceditur iustum pretium in auctionibus ex contentione licitantium, tunc probabile esse non teneri venditorem ad restitutionē. Ratio: quia res nō uidētur ibi subesse certo, sed fortuito pretio, ita ut, sicut plerumq; uenduntur minoris, ita aliquando etiam uenduntur pluris communi pretio, idque ex ementium contentione; quare hoc ad bonam ipsius fortunam pertinere censebitur. Tum quia cēsetur adesse iustum pretiū, iustū enim pretiū in huiusmodi euentu censetur illud, quod eo modo vendendi extorqueri potest absque fraude, ut usus, & praxis indicat etiam apud probos, & doctos homines. Ita Lessius *loco cit. n. 35.* Regio. *l. 25. n. 319.* Valent. *to. 3 disp. 5. q. 20. punct. 2* & alii. Vide quæ diximus *tom. 1 v. vēdit. num. 5 §. sexta causa*, & præterea Dianam *part 4. tract. 4. resol. 12. & part. 9. tract. 8. resol. 57.*

Medina P. Nauar.

Lessius Regionald. Valentia Diana

16 Quando mercator numquam merces suas exposuit, sed adduxit animo uēdēdi quādo erunt cariores, nō peccat contra iustitiam, licet aliquātulum augeatur pretium aliaqui non augendum, si ille rem suam exposuisset. Ratio

ſet. Ratio eſt, quia caritas illa mercatori non imputatur, cùm non fuerit proxima illius cauſa, ſed tantùm prudēter conſeruauit res ſuas. Confirm. quia iure gētium cōceſſum videtur mercatoribus, maximè merces aliunde importantibus, vt non ſtatim debeant eas exponere, quādo adhuc eſt ſufficiens copia, & moderato pretio poſſūt haberi. Secus ſi enormitèr v.g in duplum excreſcere inciperet pretium, niſi exponerentur, tunc enim quia merces illæ ſunt in republica, ipſa ius habet ad illas emendas iuſto pretio, quare reipublicè iniurius eſſet, qui diutius eas condita teneret. Ex his collige, eum, qui propè meſſem accumulat, & undique congerit ingentem copiam frumenti, ut ipſe poſtea, caritate inuecta, pro libito illud vendat, peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem damni reipublicę illati, iniuriā enim facit reip. dum tantam copiam emit, & reponit, vt notabilem inducat caritatem, quia quamdiu illa copia ibi manet reſpublica habet ius ut pretium non augeatur. Deinde reipublicæ facit iniuriam, poſtea tam care vendendo.

17 Si quis res ſuas ad forum detulerit, aut alıter venales expoſuerit, & deinde eas ſuppreſſerit, donec pretium augeatur, non peccat contra iuſtitiam, ſi ex ea ſuppreſſione non ſequatur maior caritas, ſecus verò ſi ex ea ſequatur notabiliter maior caritas. Prior pars patet, quia huiuſmodi mercator, non eſt cauſa ullius damni, ut ſi paucas merces habeat, aut ingens ſit copia in ciuitate. Altera pars probatur, quia quando merces illas expoſuit venales reip. acquiritur ius ad eas coemendas pretio iuſto, ergo ei fit iniuria à mercatore, ſi ille condēdo ſuas merces, fecerit illas pluris ęſtimari, hinc ſequitur talem mercatorem teneri ad reſtitutionem, non ſolum eius pretij, quod ipſe ſupra iuſtum accepit, ſed etiam eius damni, quod ciues paſſi ſunt, dum coacti ſunt ab alijs mercatoribus ſupra iuſtum emere. Venditores tamen alij non tenentur ad reſtitutionem illius augmenti, quod fuit ſupra iuſtum, quia iuſto pretio uendiderunt ſpectata copia quæ extabat uenalis, & ſuppoſita alterius iniqua ſuppreſſione, quæ non erat illorum poteſtate. P. Nauar. *li. 3. de reſt. c. 2. dub* 8. *n.* 82. Non uidetur tamen improbabile, eos, qui merces ſuas ſuppreſſere ante expoſitas, aut magnam uim cōgeſſere tritici, totam eſſe undique cotraſa, & coempta tantum peccaſſe contra charitatem, & proximorum, & iuſtitiam legalem; ſeu publicam utilitatem, atque adeò non teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia probabile eſt, quod ex iuſtitia non tenebantur tunc uendere, ſed poterant tunc eas in aliud tempus ſeruare, nec Reſp habebat ius iuſtitiæ ad eas emendas, niſi ipſis vendere uolentibus; & licet potuerint cogi à magiſtratu tūc vendere, & poſtea poſſint grauiter ob talem ſuppreſſionem puniri, non ideò tamen ex iuſtitia particulari tenebantur, nam multa crimina poſſunt puniri, quæ non ſunt contra iuſtitiam, ſufficit enim ut ſunt contra bonum publicum. Hæc ſententia poſſet in aliquo caſu teneri poſt factum, quando difficilis eſſet reſtitutio, numquam tamen ante factum, quia etſi non ſit contra iuſtitiam, tamen eſt grauiſſimum peccatum contra charitatem proximorum, & iuſtitiam legalem.

18 Dubium eſt, an ſit iniquus mos uendendi aliquorum, qui à Principe impetrant priuilegium, ut ipſis ſolis liceat tale genus mercium importare aut vendere. Reſpondeo, non eſſe iniquum ſi ſubſit aliqua legitima cauſa illius priuilegij concedendi, & impetrandi, & Princeps deſignet certum, & æquum pretium illarum mercium; hoc addo, quia alioqui daretur illis occaſio vendendi pro arbitrio cum magno reip. damno. Ita Nauarr. *in man. ca.* 23. *n.* 92. Bonacina *de contr. diſt.* 3. *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 9. & alij. Nauarr. Bonacina

Simile exemplum eſt de his, qui expenſis ſuis libros imprimi faciunt, quibus priuilegium concedi ſolet, vt nemo eoſdem libros infra certum tempus ualeat imprimere, contra uoluntatem eorum, qui primò eos impreſſerunt. Hoc enim in publicam utilitatem redundare cōſtat, vt per hoc viri docti animentur impreſſioni operam dare, quatenus eorū doctrina multis valeat cōmunicari.

In mercibus autem quibus, vt plurimum homines indigere ſolent, tale priuilegium mercatoribus concedere, & conceſſo vti, non ita videtur excuſabile, etiamſi pretium moderatum præfatis mercibus deſignetur. Quia quamuis per huiuſmodi pretij taxationem, caritas alioqui inducenda impediatur, aliud tamen inconueniens non tollitur, quia ſcilicet impediuntur multi à beneficio multiplici, quod indigentibus facerent. Merces etiam pro minori pretio venderentur, ſi multi eſſent mercatores, qui liberè vendere poſſent, ut bene aduertit Ioannes Medina *Cod. de rebus reſtituend. quæſt.* 30. Medina

19 Licet emptor ignoret, & venditor ſciat pretij futuram decretionem, nihilominus poteſt venditor res ſuas vendere pretio iam currenti. Probatur, qui pretium iuſtum metiendum eſt æſtimatione communi hominū, attenta rei ipſius natura, & iis omnibus circumſtantijs, quæ moraliter omnibus conſtare poſſunt, & facilè circa rem occurrere, ſed in propoſito caſu, res tanti æſtimatur communiter, etiamſi perpenſis circumſtantiis moraliter occurrentibus, quanti ſi in rei veritate abundantia rei non eſſet mox futura; ergo tanti iuſtè poterit vendi, quanti ſi non eſſet futura abundantia illius, nec mea priuata ſcientia hanc æſtimationem, ſeu taxationem mutabit. Confirmatur, quia ſi res minus valeret ob rei futuram copiam, ſequeretur, quòd ſi uenditor ignorans etiam futuram rei copiam, uendidiſſet rem tanto pretio quanti æſtimabatur, deberet poſtea ſuperueniente rei copia ſibi nota pretij exceſſum emptoribus reſtituere, quod eſt abſurdum, & communi vſui cōtrarium. Ita D. Thom. 2. 2. q 77. *art.* 3. *ad* 4. Caietanus, Syluius *ibidem*, Sotus *lib.* 6. *q.* 3. *art* 2. Couarruuias *ad reg. peccatum. p.* 2. *§.* 4. *nu.* 5. & 6. Leſſius *lib* 2. *c* 21. *dub.* 5. Diana *p.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 40. Contra Ioannem Medinam *Cod. de reb. reſtituend* q. 35. Conrad. *de contract. q.* 62. & 63. & alios aſſerentes debere venditorem rem manifeſtam facere emptori, uel minuere de pretio, non quidem tanti quantus futurus eſſet defectus pretii, ſi copia illa iam eſſet præſens, ſed quanti minoris æſtimaretur, ſi omnes prædictam mercium abundantiam cognoſcerent. Sed prior ſententia eſt tenenda ut probabilior, & communior. D. Thomas Caiet. a. Syluius Sotus Couarr. Leſſius Diana

20 Certum eſt eum, qui per mendacium, fraudem, ac dolum allicit emptores ad emendum, dicendo, pretium breui augendum, peccare contra iuſtitiam cum obligatione reſtituendi damnum, inde illis ſubſequutum. Ratio eſt, quia habet vnuſquiſque ius commutatiuum, ut ſibi ab alio damnum iniquo non inferatur.

Quod ſi vterque contrahentium ignoret tēpore emptionis illam mercium copiam ſuperuēturam, licita erit venditio pro pretio currente in foro, nec taliter uendens tenebitur ad aliquid reſtituendum, quamuis deinde illam ſciat. Ratio, quia cum neuter tunc alterum decipiat, æqua debet eſſe utriuſque conditio. Quod ſi uterq; contrahentium ſciat illam copiam mercium futuram, non tenetur venditor ad illam manifeſtandā, nec ad minuendum de pretio currente, ſed iuſtè poteſt illud accipere ſi ab emptore illi tradatur, quia uendidit iuſto pretio tunc currente, & ſine ulla deceptione, cùm utique ſit nota futura mercium copia. Certum eſt etiam quòd ſi is qui breui frumenti æſtimationem minuendam nouit, non plus frumentum uenderet, quàm ſecluſa ea ſciētia erat uenditurus, non peccaret, nec ad aliquam reſtitutionem teneretur, quia per eam ſcientiam non manet deterioris conditionis, quam alij, & quam ipſe erat facturus, ſi eam ſcientiam non haberet, nec malitioſè quidquam in hoc caſu facit. Ita Molina *contract. diſput.* 354 Leſſius *loco cit. num.* 43. Molina Leſſius

21 Ex dictis reſoluuntur ſequentes caſus. *Primus*, qui nouit ciuitatem fore ab inimicis obſidendam, propter quam obſidionem ualor mercium minuetur, poteſt ante obſidionem merces, quas habet in illa ciuitate uendere pretio currente, non monitis emptoribus de periculo impendente.

Secundus, qui nouit lege Principis, uel reipub. frumēti menſuram, uel aliam ſimilem minoris ualituram, poteſt uendere triticum ſuum pretio currēte, etiamſi paucis deinde diebus ſit res illa multò minus ualitura.

Tertius, qui nouit curiam breui ab urbe diſceſſuram ob cuius diſceſſum domus ualor minuetur, poteſt diſceſſum illum celare domumque ſuam pretio tunc currente locare. Quorum omnium ea ratio, qua res iuſtè uendi poteſt iuxta cōmunem uſum fori pro tempore uigētem,

nam

nam iuſtum rei pretium eſt quod, vel Principis lege, vel communi æſtimatione conſtat.

Quartus, qui uendit rem bonam, & ſanam eo tempore, quo vendit, eſto ſciat per aſtrologiam, uel reuelationem ſtatim poſt venditionem futuram inutilem, uel perituram, poteſt illam nihilominus vendere pretio currente eo tempore quo uendit, tacito illo ſecreto.

Quintus, qui nouit mox auctoritate publica Principis vel Reipubl. pecuniæ valorem fore minuendum, poteſt interim ſuam monetam diſtrahere pretio currente, etiāſi ut ſeipſum ditaret occaſione huius legis plus pecuniarum diſtraheret, quàm alioquin erat diſtracturus; quia res ualent, quanti in præſenti communiter æſtimantur, etiamſi in ignorantia futuræ legis ea æſtimatio fundetur, ergo abſque peccato, & onere reſtituendi communi pretio currente eam expendere poterit, quidquid de futura lege ſciat. Magiſtratus tamen, & aſſeſſores iniuſtè agent, ſi eiuſmodi decretū, quod ciuibus omnibus æqualiter promulgatum eſſe conuenit, alicui ante prodant, vel ipſimet eius ſcientia vtantur, cum reliquorū damno. Diuerſa autem ratio eſt de aliis, qui non ſunt ex Magiſtratu, aut Concilio; nam quibus nulla officij obligatione incumbit impedire, ne ciues occaſione publicorum decretorum damnum aliquod patiſtur, ij nulla lege iuſtitiæ, aut charitatis prohiberi videntur, quo minus priuata notitia eiuſmodi decreti mox promulgandi in ſuam utilitatem vtantur. De his caſibus vide Salas *de contract. emption. dub.* 32. Leſſium *cit. cap.* 21. *dub.* 5. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. *§.* 1. *num.* 9. Dianam *part.* 1. *tract.* 8. *reſolut* 42. & 45. Fauſtum *in ſpecul. diſp.* 6. *quæſt.* 18. & 19. Regnald *lib.* 25. *n.* 345.

Salas
Leſſius
Layman
Diana
Regnald.

22 Venditor interrogatus an ſuperuentura ſit copia mercis, & reſpondens non eſſe futuram, non peccat cōtra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem tenetur, ſi uēdat pretio conſueto. Ratio eſt, quia iuſtum rerum pretium non ſumitur ex ignorantia, uel ſcientia copiæ, uel egeſtatis futuræ, ſed uel ex Principis lege, vel communi hominū æſtimatione tali loco, & tempore, ergo ſiue uenditor ſciat futuram copiam, ſiue ignoret illam, ſiue interrogatus aperiat ſiue occultet, uel neget, uel mentiatur, modò vendat rem abſque aliquo uitio pro pretio currente; vēdit pretio iuſto, & per conſequens contractus eſt iuſtus.

Secus ſi alius, cuius nihil intereſt, ſic mentiretur, cēſeretur enim cauſa nocendi eſſe mentitus. Ita Arragon, Bannez 2. 2. *q.* 77. *artic.* 3 Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. *num.* 43. Si tamen emptor exprimeret ſe propterea emere tali pretio, quia credit venditorem verum dicere circa futuram copiam in tali caſo teneretur uenditor emptori aperire ueritatem quam nouit, alioqui venditio eſt nulla, quia conditio iſta ſic ab emptore appoſita eſt honeſta ergo ea deficiente contractus eſt nullus. Ita Salon 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 3.

Arragon
Bannez
Leſſius

Salon

23 Similiter poteſt etiam emptor tempore abundantiæ tacere inopiam mercium, quam ſcit futuram, & emere illas pretio currente tempore abūdantiæ, & ſi mētiatur, non erit eius mēdacium pernicioſum, ſed officioſum tantùm, atque ex conſequenti non obligans ad reſtitionem. Ratio eſt, quia in his par eſt, & æqua utriuſque partis conditio, & ita ſicut licet uenditori ſilere futuram vbertatem, & uendere pretio currente, ſimiliter licebit emptori ſilere caritatē futuram, & emere pretio currēte.

Cæterum quamuis emptor, aut venditor regulariter non teneatur ex iuſtitia in caſibus ſupradictis aperire copiam, uel penuriam futuram mercium, ut apertè docet D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *ad* 4 dicens, *abundantioris forè virtutis, ſi pretium minuat, vel futuram copiam exponat* quia poteſt quis rebus ſuis conſolere, etiāſi inde per damnum proximo obueniat. Interdum tamen poteſt cōtingere, ut tam emptor, quàm uenditor peccent contra charitatem, quā tenemur bono proximi conſulere, quando ſine magno detrimento proprio fieri poteſt, ut ſi uni ingentem copiam talium mercium uendas, qui inde graue damnum incurret, ſtatu, & fortunis euertendus, contra charitatē peccaret uenditor, ſi non notificaret emptori futuram copiā, præſertim ſi uenditor ſuas merces aliis ſine ſuo damno diuiſim uendere poſſet. Ita Leſſius *li.* 2. *c.* 21. *dub.* 5. *num.* 43. Rebellus *p.* 2. *de oblig. iuſtit. l.* 9. *q.* 6. Imò

D. Thomas

Leſſius
Rebell.

in hoc caſu arbitratur Syluius 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *in quæſito conc.* 2. quòd talis uenditor mendacium committens nō ſit excuſandus à reſtitutione facienda emptori, ſi inde patiatur notabilem iacturam, quia illud mendacium non eſt officioſum, quod eſt alteri cauſa magni damni, uel licet damnum proprium uitare per dolos, & fraudes, ſed benè utendo eo ad quod habemus ius. Ita ille.

Si tamen uenditor ex eo, quòd non uendat ſuas merces Caio emptori, in par damnum incideret, tunc non tenebitur, ex charitate illud notificare Caio, ſed poteſt tuta conſcientia uendere illi quantum mercium poſtulauerit pretio currente, quia charitas bene ordinata incipit à ſeipſa, & nullus tenetur, neque ex charitate, neque ex iuſtitia alteri conſulere cum proprio damno in eodē genere bonorum, ut docent Leſſius, Rebellus ſupra.

Rebell.
Leſſius

24 Qui eſt ſeruaturus ſuas merces in tempus futurum, in quo ſolent illæ magis ualere, poteſt eas maiori pretio uendere, quàm de præſenti tempore contractu ualent. Ratio, quia res debent æſtimari ſecundum quod uſui humano accommodantur, ſed merces non erant diſtrahendæ, & vſui humano applicandæ, niſi pro tali tempore ergo ſecundùm illud tempus, quo erant diſtrahendæ, & vſui applicandæ, debent æſtimari, aliàs venditor pateretur damnum emergens, à quo ſe poteſt ſeruare indemnem. Ad iuſtificationem tamen huius contractus, quædam conditiones exigūtur, iuxta Doctores infra citandos. *Primò*, vt venditor verè habeat animū ſeruandi merces in tempus illud ſolutioni deſtinatum. *Secundo*, ut merces ſint talis naturæ, quòd poſſint ſeruari in tale tempus, ſine ſui corruptione. *Tertio*, ut de pretio deducatur tantùm quantum ſi ſeruarentur ob ariditatem, aut quacūque alia de cauſa diminutæ fuiſſent, iuxta expertorum iudicium. *Quarto*, vt deducantur ex pretio quo res illæ credūtur valituræ tēpore illo, in quod ſeruātur, omnes labores, pericula, & expēſæ neceſſariæ. *Quintò*, vt rogatus vendat, nec ſeipſum ingerat, vt offerat, id eſt, vt non niſi de conſenſu alterius contrahentis hoc faciat *Sextò*, ut ne ſummum, quo illo tempore augendum eſt, pretium exigat, ſed medium, ita quod ſi in vna parte talis menſis valuit decem, & in alia quindecim, & in alia viginti, non accipiat niſi quindecim. *Septimò*, vt à principio cōtractus, & tēpore uenditionis emptor de augmēto pretii tunc currentis, ratione damni quod patitur uēdēdo eo tempore merces, quas in aliud ſibi magis vtile ſeruabat, admoneatur. *Octauo*, ut taxatio pretij perinde fiat ac ſi res illæ non eſſent antea uenditæ, ſed ſeruatę uſque ad illud tempus. Ita Molina *tract.* 2. *diſp.* 355. De la Cruz *in Direct. p.* 1. *præc.* 7. *q.* 5 *dub.* 7. *concl.* 1. Nauarr. *in man. c.* 17. *n.* 239. Arrag. 2. 2. *q.* 77. Diana *p.* 3 *tr.* 6 *reſ.* 2. & alii.

Molina
De la Cruz
Nauarr.
Diana
Arragon.

25 Venditor qui eſt ſeruaturus triticum vſque ad aliquod tempus, poteſt taxare pretium de præſenti ſoluendum in futurum, ſi pro illo tempore, pro quo triticum uendendum deſtinabatur, creduntur futura plura pretia, dummodo uterque contrahentium ſe exponat æquali periculo damni, uel commodi, id eſt maioris, uel minoris pretij, & ſic poterit illud uendere eo pretio, quo plus minuſuè illo tempore putatur ualiturum, id eſt, pretio, medio inter ſummum, & pium illius temporis. Securius tamen eſſet, ſi non taxatur pretium, quando fit uenditio, & triticum actu traditur, ſed relicto eo incerto uſq; ad tempus, in quo uenditor res illas inſtituebat uendere, & tunc ſeruatis conditionibus ſupra poſitis, poterit exigere pretium mediocre, quia ſic nemini facit iniuriā, nec ſe ponit in tuto, ſed tantum ſeruat indemnem. Ita Bannez 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. Molina *tract.* 2. *diſp.* 355. & alii.

Bannez
Molina

26 Ex communi Doctorum ſententia illicitum eſt merces non ſeruandas in futurum cariùs uendi, quam ſit pretium, quo æſtimantur tempore uenditionis Ratio eſt, quia ualor rei non eſt diuerſus per hoc, quod uenditor uel de præſenti, uel ad terminum uendat, non enim res ad terminum uendita plus ualet, quā ſi in promptu uenderetur, ergo propter hoc quod ad terminum uēditur, non eſt licitum augere pretium magis ſi in præſenti uenderetur. Tū quia uendens pecunia credita nullo alio titulo poteſt maius pretium accipere, quàm ualet res de præſenti, ut ſeruet ſeipſum indemnem ab aliquo damno emergēte, uel lucro ſibi ceſsāte, atqui merces ſuas nō in-

stituerat fornare in futurum.recepto pretio quod currit tempore actualis traditionis, nullum patitur damnum, nullum illi cessat lucrum ex tali uenditione,ergo hic nullo modo potest cariùs vendere ultra pretium,quo valet, quando actu traditur. Ita Molina *de contract.disp.*355. Couarruuias *lib.*2 *variar.c.*3.*n.*6. Sotus *lib* 6.*q.*4 *art.*2. & alii Contra Caietanum 2.2.*q.*78.*art.*1. *& in summ.v. Vsura* arbitrantem mercatorem, qui non erat merces seruaturus vsque ad tempus.in quo plus erant valituræ, posse illas cariùs uendere, quam sit pretium fori eo tempore,quo vendit, quia tempore solutionis dicitur perfecta venditio, sed hæc sententia non est sustinenda, quia uenditio perficitur quando res traditur emptori,tãquam domino illius,etiamsi differatur solutio in futurum, implicat enim contradictionem dicere, quod venditio non est perfecta,& quod emptor maneat dominus rei, ita ut sibi stet, aut pereat; ergo fictitium est dicere, quòd illa uenditio fit ex tùnc: nam reuera perficitur nùnc cùm res traditur,siue expectata,siue numerata pecunia,

Molina
Couarr.
Sotus
Caietan.

27 Quando contractus uenditionis, & emptionis celebratur bona fide propter ignorantiam purè negationis vtriusque partis;scilicet,quia neutra pars scit valoré rei, sed merè negatiuè se habet circa æstimationem ualoris, tùnc talis contractus est validus, nec ad aliquam restitutionem tenetur etiamsi postea res competiatur longè plùs,siue longè minus valere. Et quidem quòd contractus sit validum,Probatur, quia liberè partes in contractum consentiunt. Quod autem inde nulla oriatur obligatio restitutionis,patet,quia ambo pari periculo damni, ac lucri se exponunt, liberèque in contractum consentiunt sub certo pretio,quasi committentes se æquali fortunæ,siue plus,siue minus res valeat.

Si uerò contractus celebretur bona fide cùm ignorantia prauæ dispositionis, quia vterque existimat iustum pretium esse tantùm,uel tantùm, & tamen re uera est maius, vel minus, tùnc talis contractus est nullus in foro conscientiç, quia ille qui decipitur,non alia ratione vult contrahere, nisi quia putat pretium esse iustũ ergò non est uoluntarius ille contractus,sed nullus,& per cõsequens qui plus accepit,tenetur in conscientia illud lęso restituere,uel rescindere contractum. Quandoauté cõtractus mala fide celebratur, & pars læsa ignorat ualorem rei, tunc inualidus est contractus in foro conscientiæ, quia talis ignorantia tollit rationé uoluntarij, quòd necessatiò requiritur ad verum, validùmque contractum.Ita Bannez 2.2.*q.*77.*art.*1,Molina *tr.*2 *disp* 353.

Bannes
Molina

28 Emens merces citra dimidium iusti pretij non facit fructus suos, si in emptione interuenit dolus, & deceptio, quia nimirum emens vi, dolo; vel fraude inducit venditoré,qui aliàs non erat uenditurus Ratio, quia cùm talis contractus non sit liber,non est ualidus, atque ex consequenti non potest facere fructus suos, sed vnà cum residuo pretij tenetur illos restituere, non tamen omnes,sed ad summum pro rata, iuxtà quantitatem defectus pretij usque ad latitudinem iusti. Ita Sotus *lib.* 6 *q.*3.*art.*1 communis.

Sotus

Si autem liberè, & bona fide sine vi,dolo, uel fraude contraxerunt, veriùs est fructus non esse restituendos, quia tunc emptor dominium comparauit rei ita emptæ, & si ante cõtractus rescissioné perijsset,vtiq;ipsi perijsset ergò interim dum contractus non est rescissus facit fructus suos. Ita Molina *tract.*2 *disp.*349. Contra Couar. *lib* 2.*variar.c.*3.*n* 9.asserentem fructus etiam esse restituendos, ea potissimum ratione, quòd cùm uenditio ex causa de præterito, quæ iam inerat à tempore uenditionis,reuocatur,fructuum ab ipsa re vendita perceptorum restitutio fit. Sed vẽditio iniusta ratione pretii rescindisur ex causa, quæ tempore contractus inerat; igitur, & cùm ipsis fructibus restituenda est ipsa de cuius restitutione agitur. Et licet hic Auctor putet hanc sententiam ueriorem esse, fatetur tamen contrariam sententẽtiam esse vsu receptam,quia nùnc iniquum apparet lege naturali,diuina,& humana ex pecunia usuram recipi

29 Qui absolutè aliquid ad uendendum accipit, nihil sibi assignato pro sua mercede,potest sibi aliquid retinere,domino sciẽte pro suo labore dixi, *Domino sciẽte*,quia dominus fortassè existimauit gratis, & tanquam beneficium id fieri,neque vallet opera illius vel pro mercede, qui uel alium inueniret, qui gratis id faceret, vel per seipsum potiùs rem venderet. Qui autem gratis,& ex sola liberalitate, vel charitate hoc officium præstandum suscepit, nihil potest ex pretio rei venditæ pro insto sui laboris stipendio sibi appropriare Ita Lopez *de contract.c.* 53. Nauarrus *in Man.c.*23. *n.*97. Is autem cui aliquid traditum est vendendum,si conuenit de suo labore,nihil potest de pretio sibi vsurpare:quia non habet ullum legitimum titulum, quo possit sibi aliquid de pretio retinere nun ratione rei venditæ,cùm hæc non sit ipsius, nec ratione laboris, quia pro eo mercedem accepit.Ita Rodriguez *tom,*2.*Summ.c.*78.Lessius *lib,*2.*c.*21.*dub.*18.

Lopez
Nauarrus
Rodrig.
lessius

Qui pro certo pretio iam sibi assignato aliquid vendendum accepit,puta decem,& ille uendit pro duodecim si ista duo quæ supra decem accepit, sint vltra rei pretiũ rigorosum,aut lege taxatum, tenetur illa restituere emptori,quem in pretio decepit. Si verò intra latitudinem iusti pretii contineantur, tenetur in conscientia illa restituere domino rei,cuius negotium gerit, & sibi retinere salarium. Ratio est,quia sunt pretium rei, ac proinde ad dominium rei spectaot, cuius volnntas præsumpta erat, vt si plura,quàm decem inueniret,plura acciperet,ac sibi traderet. Nec obstat, quòd dominus rei vendendæ pretium prescripserit:quia id solùm videtur fecisse,non quidem nè vltra ascenderet vendendo,sed nè ab eo descenderet, unde eo ipso quo pluris fuit vendita, totum illud cessit domino

Tamen qui sua industria, & arte illud quod suscepit vendendum reddidit pretiosius, cùm ad id nulla esset obligatione astrictus, propter quod illud plus uendidit, potest illud plus sibi retinere, tunc enim fructus non rei secundùm se, sed suæ industriæ indebitæ censetur illud lucrum carioris venditionis. Ita Rebellus *de obligat.iustit lib.*9.*q.*18.*sect.*5.Naaarrus *c.*23.*num* 97. Lopez *lib.*1. *de contract.cap.*53 vt in simili annotauimus *tom.*1.*verb. Cambium,num.*9

Rebellus
Nauarrus
lopez

Aduerte autem quòd si proxeneta rem illam pretio à domino assignato sibi emeret, & postea suo nomine pluris venderet,non peccaret, nec ad aliquam restitutionem teneretur,qui eam iusto pretio à domino comparauit,& postea iusto pretio suo nomine vendidit. Nisi fortè dominus ei mandasset ut uenderet quanti intra latitudinem iusti pretii vendi posset quo casu tenetur illam diligentiam præstare, quo facto, posset eam sibi vendicare eo pretio, quod alii obtulerunt. Ita Lessius *supra dub.*18.Sylnius 2.2.*q.*77.*art.*4 *quæst.*4.*conclus.*3.

Lessius
Sylnius

30 Quando venditor ignorat ualorem mercis quam vendit,& est illa communiter cognita ab hominibus illius artis, habètque res illa suum pretium in communi vsu fori, tunc emptor etiam non rogatus,non solùm lege charitatis, sed etiam lege iustitiæ tenetur valorem illius rei venditori reuelare. Ratio, quia licet alii, qui non parant rem emere, teneantur lege sola charitatis; & sub mortali venditorem inscium valoris rei admonere, quando ex ignorantia valoris vendens passurus est graue damnum, tamen qui emere rem constituit, quia aliàs venditur rei nesciens,minoris rem suam vendat inuoluntarius illo pretio distrahit, & ideò tenebitur ui iustitiæ,& sub culpæ restitutionisque reatu ualorem illius rei patefacere. Ita D.Thomas 2.2.*q.*77.*art.*2. Nauarrus *in Man.c.*23.*n.*89.Conradus *de contract.q* 54.& alii.

D.Thom.
Nauarr.
Conrad.

Quòd si tam venditor, quam emptor rei virtutem ignorent, quia fortè putant esse aurichalcum, quod est aurum, aut uitrum, quod est gemma,tunc ignorantia excusabit quidem à peccato emptorem, non tamen à restitutione,qua debet supplere pretii defectum quamprimum sciu erit rei valorem, uel saltem tenebitur contractum rescindere, si pretii defectum supplere nolit. Ita Arragon.2.2.*q.*77.*art.*2.*&* 3.

Arragon.

Quando venditor ignorat virtutem rei quam uendit, nec communiter cognoscitur ab hominibus etiam peritis in illa arte, nõ tenetur emptor peritissimus cognoscẽs illã virtuté indicare venditori, quam ipse solus sua singulari peritia agnouit,sed iustè potest illam emere exhibito pretio, quod communiter taxatur à peritis in illa arte.Ratio,quia iniustũ rei pretium,quando à lege nõ est

ptæ scri-

præscriptum, illud est, quod communiter æstimatur secundùm communem vsum fori, sed virtus illa occultissima in publico foro non æstimatur, siquidem non agnoscitur ergo emptor non tenetur dare pretium pro illa uirtute, quam ipse specialiter cognouit. Proinde fascis herbarum, qui venditur ad pabulum animalium, potest emi pretio, quo talia uulgo uendi solent, etiamsi emptor sciat ibi pretiosas quasdam herbas contineri. Ratio est, quia tota illa res ad eum vsum quo vẽdi solet non pluris æstimatur. Ita Molina *disp.353.num.13.* Lopez *de contract. l.1.c.49.* Lessius *l.2.c.21,n.85.* Victorellus *ad c.49.lib.8. Summ.Toleti.*

Molina
Lopez
Lessius.
Victorell.

31 Licet aliquando uenditori minuere mensuram mercium, puta vini, vel olei, in casu quo emptores nolent emere merces, quantùm reuera valent, aut quia factum est monopolium, aut quia Princeps noluit merces iusto, & æquiualenti pretio taxare; tunc licitè poterit minoris vendere curtando mensuram: ita vt quantitas, quã iste tradit, iustissimè valeat illud pretium, quod recipitur Iniustitia tamen pretij, debet esse manifesta, & patens, & de illa debent iudicare homines prudentes bonæ vitæ, & famæ: quia nemo præsumitur bonus iudex in propria causa. Ita Valentia 2.2.*disp.5.q.20.punct.4.* Arragon 2.2. q.77 *art.3.*

Valentia
Arragon.

Ob eandem rationem poterit venditor aqua uinum miscere, si nimia nempè esset uini charitas, & nemo esset qui vellet conuenienti pretio emere, tunc licitè poterit venditor aqua illud diluere vendendo mensuram minus quæ reuera cum aqua tantùm ualet, quod verũ est quãdo venditor probabiliter crederet emptorem vinũ emisse, vt statim consummeret, essetque ei vinum secundùm rationem pretij vtile, secus dicendum si illud emisset, ut seruet, quia vinum aqua mixtum notabiliter, non ita seruari potest, ut purum, & sic emptor notabile damnum pateretur, illud seruando. Idem est dicendum de illo qui haberet uinum bonum alicuius generis virtutem aliquã medicinalem habens, quæ in alio vino licet ita bono non inueniretur, iniustè tunc aget uẽditor, si tale vinum pro alio venderet, quia ratione medicinæ quæreretur. Ita Arragon, Bannez 2.2.*quæst.77.art.*3. Lopez *de contract. lib.1.c.15.* Toletus *in Summ.lib.8.c.49.num.5.* Filliucius *tract.35 cap.6.num.133.*

Arragon
Lopez
Toletus
Filliucius

32 Dubium tamen est inter Doctores de illis, qui rebus suis præstantibus ita miscent viliores, vt non sint minus bonæ quam quæ ab alijs venduntur, atque ita vendunt illas communi pretio currente, uel etiam taxato per Rempublic. Fit hoc non rarò circa purum triticum, cui admiscent secale, circa vinum præstans, cui miscent, vel aquam, vel aliud vinum tenue. Quidam prorsus negant hanc mixtionem fieri posse, quia lex taxat triticum, quale ex area adduci solet, non quale facit industria fraudulenta, unde si tale triticum ex industria cum aliqua mixtione vendatur, minori pretio vendi debet, quàm sit à taxa legis præscriptum. Tum quia, qui vinũ aqua perfusum vẽdit, eo ipso vendit plus quàm habeat, nam si habeat tres amphoras; uendit, plus quam tres amphoras: ergo, &c. Hæc sententia est ualde probabilis, quam sustinent Petrus Ledesma, Rebellus, Salas, *qui tract. de empt. & vendit. dub.12.* citat Medinam, Molinam, Nauarrum, & Rodriguez. Quibus addo Syluium 2.2.*q.77.art.2.conclus.3.* ubi sic ait, Similiter peccant, qui vinum aqua miscent illudque tanti uendunt, ac si esset purum. Quòd si sic dilutum, æquè, vel meliùs sapiat emptori, etiam tunc diminuendum est de pretio, per accidens enim est, quod æquè sit gratum, cũ alioqui non sit reuera tanti æstimabile. Sicut ergo caro porcina æquè sapiens rustico atque ceruina, non idcirco potest, & tanti vendi, ita in proposito. *Hæc ille.* Nihilominus contraria sententia non est improbabilis, ac proinde eiusmodi mercatores non videntur obnoxij restitutioni, modò hæc duo seruentur, quod illæ merces verè non fiant deteriores, quàm quæ eiusdẽ generis passim venduntur, & quòd non excedatur uulgare earum pretiũ. Ratio est, quia talis venditor nullum damnum, vel iniuriã infert emptori, nõ enim tenetur illi traderre res maioris perfectionis integritaus, quàm ab alijs vendantur. Tum quia æstimatio rei sumitur per ordinem ad usus humanos, cùm autem uinum per admi-

P. Ledesm.
Salas
Molina.
Nauarrus
Rodriguez
Syluius

stionem illam aquæ, sit adhuc æquè vtiles ad vsus humanos, ad quos emitur, ut supponitur, ergo aliquis sic uendens nõ peccat contra iustitiam, neq; tenetur ad restitutionem, cùm nullius damni causa censeatur. Ita Lopez, Ioannes, de la Cruz, Lessius, Bonacina, quos refert, & sequitur Diana *p.1.tract.8.res.51.*

Lopez
De la Cruz
Lessius
Bonacina
Diana

Contra iustitiam tamen peccant, qui triticum siue casu, siue arte madefactum vendunt pro sicco, fallunt enim emptorẽ partim in eo quod triticũ istud est corruptioni magis obnoxium partim in eo quod per madefactionem turgescit atque ita cõtingit emptorem decipi in mẽsura.

Item qui merces ita permixtas uendunt uelut puras, pretio nimirùm maiore, quàm vendantur aliæ, similes quidem, sed quæ meritò præsumuntur esse mixte, & pro mixtis emuntur, manifesta est iniustitia. Ita peccant, qui frumentum uendituri, aliquam eius partem benè mundant, uel etiam abluunt, & cum fuerit siccum ac mundũ eiusmodi frumento ponunt in superiori duntaxat parte sacci, & uendunt quasi totum foret simile. Item, qui sic artificiosè miscent, ipsiusque sacci orificio probatius frumẽtũ adhibent, ut credatur totũ esse simile, atque ita vẽdunt, nõ quanti secundùm se valet, sed quãti si foret totum tale, quale apparet Ita Syluius *supra citat. consil.3.*

33 Cùm res quæ venditur adiecto pacto, redemptionis minùs æstimetur, quàm si per se nuda venderetur, quia venditor imponit emptori onus quoddã pretio æstimabile, nempe, ut ipsi uolenti cogatur rem reuendere intra aliquod tempus. Dubium tamen est, quantum possit minui iustè de pretio, ex cõtemplatione huius pacti. Quidam Iurisperiti asseruerunt id arbitrio boni viri esse definiendum, vt etiam diximus *tom.1.verb.venditio, num.3.* Alij autem putant posse iustè minui usque ad tertiã partẽ. Cõmunis tamen sententia affirmat pretiũ iustè diminui usq; ad quartam partem, non citra, v.g. fundus qui simpliciter ualet quadraginta, si cum pacto vẽdatur ualet triginta, ac propterea, si minoris uẽderetur, esset peccatum iniustitiæ, vnde emens teneretur ad iustum reducere pretium, vt sic contractu iustificaretur. Ita Nauarrus *Man.ca.23.n.86.* Lopez *lib.1 de contract.c.23.* & alij.

Syluius

Nauarrus
Lopez

Sed petes, an emptor possit rem sibi retinere iure præscriptionis, si intra tempus, quod lex præscriptionis requirit, uenditor; non redemerit? Respondeo, certum esse, hanc legem præscriptionis non habere locum in emptione annuorum cẽsuum, in quibus hoc pactum de redimẽdo nunquam præscribitur, sed difficultas est de cõtractu uenditionis aliarum rerum cum pacto redimẽdi. In qua re duplex est sententia. Prima est, asserentium triginta annorum spatio hoc pactum præscribi, ne emptor maneat in infinitum obligatus ad iterum uendẽdũ rem venditori. Hæc sententia est probabilis Secunda sentẽtia probabilior ait posse uenditorẽ quãdocùmque uoluerit redimere, etiam post triginta, vel quadraginta annorum spatium, non obstante iure præscriptionis. Ratio est, quia ex partium conuentione actio, & obligatio extendi possunt in infinitum: in casu autem nostro, cùm in pacto expresè apponatur, ut quandocumque uenditor uoluerit, possit rem venditam redimere: censetur inter contrahẽtes conuentum esse, ut quocumque tempore in perpetuũ uendens per suos se, vel per suos hæredes voluerit, possit rem redimere. Ita definitur *in l. quod si nolit, §. si. quid ita, ff. de edil edict.* ubi habetur, si inter emptorem, & uenditorem pactum fiat, ut quandocumque res emptori displiceret, redimeretur, posse redimi in perpetuum.

34 Quamuis de ratione huius contractus, sit, ut tantumdem pretij reddatur, quantum acceptum est, etiamsi tempore redemptionis res uendita semel minus æstimetur, quã eo tempore quo est uendita, nihilominus pactũ vt uenditor maiori pretio redimat, potest aliquando esse licitum, puta, ut si res uerè sit meliorata apud emptorem industria, & expensis ipsius, uel casu fortuito, ita tamen, ut apud uenditorẽ melior minimè redderetur, uenditor debeat pluris redimere. Ratio, quia ualde est rationi consonum, ut uenditor, cum eam redimit emolumenta, & cõmoda quę facta sunt in reipsa soluat, si apud ipsũ facta non fuissent. Hinc non est iniquum si uenditor uẽdat cũ pacto, ut minori pretio possit redimere, si res deterior euaserit apud emptorem, quod non accideret apud uen-

ditorem; quia etiam est rationi congruum, ut uendiator minori pretio redimat, si culpa emptoris res sit effecta deterior, aut etiam casu fortuito, quod tamen minimè euenisset, si venditor rem suam penes se habuisset. De his vide Medinam *Cod.de restit.q.15.* Couarruuiam *lib. 3.variar.c.9.num.4.* Conradum *de contract.q.74.* Lessium *li. 2.cap.21.dub 14.*

35 In hoc contractu potest apponi pactum, vt si uenditor intra certum tempus non redemerit, res uendita remaneat irredimibilis, dummodo hoc fiat bona fide, ut cogitet, & stimulum habeat venditor de redimendo, secus si ponatur tale pactum in fraudem venditoris, quia emptor cogitat venditoris talem impotentiam, ut non ualeat infra tale tempus redimere quia tunc esset fraus, & ideo illicitum iuxta Sotum *de iustit.lib.6.q.5. articul. 3.* & alios. Sotus.

36 Venditio perfecta censetur, *Primò*, quando res vendita emptori propriè vel fictè tradita est, *Secundò*, quando pretium est solutum, uel habita fides emptori de pretio soluendo, & tunc fructus rei ad emptorem spectant, & quod per alluuionem fluminis accrescit, ad ipsum etiam spectat, sicut fructus arborum, & animalium partus, *l.penult.Cod.de action. empti, & venditi.*

37 Res empta aliena pecunia transit in dominium emptoris, si nomine suo emat *l.si ex ea, C.de ac rei vend.* Excipiuntur tamen aliqui casus. *Primò*, cùm est quid emptum pecunia Ecclesiæ, fit Ecclesiæ, *cap.1 & 2.21.q.3. & c.fixum 12.q 5.* *Secundò*, emptum pecunia pupilli, vel minoris à matre, uel curatore, fit ipsius pupilli, vel minoris, Hostiensis *in Summ.de empt. & uendit § vlt.* Hostiens. *Tertiò*, emptum pecunia militis, fit eius, *l.si ut proponis, C.de rei vendic.* *Quartò*, emptum pecunia donata ab altero coniuge, fit eius, cuius est pecunia, *l uxor marito ff.de donat. inter uir & vxor.*

38 Ob multas causas rescidenda est uenditio munere, & officio Iudicis. *Prima est*, si fuerit contracta uenditio per errorem in pretio, ut si deceptus sit emptor, uel uenditor ultra dimidium iusti pretii, *l. Rem maioris, Cod de rescindend.vendit.* uel in contractu, uel in corpore rei uenditæ, uel in substantia, & materia, vel in quantitate, aut qualitate rei. *Secunda* quando per uim contracta est uenditio tunc autem non est rescindenda, sed ipso iure est etiam rescissa, & irrita, quia vis tollit consensum, & sine consensu venditio non subsistit. *Tertia*, quando venditio per metum illatum & cadentem in uirum constantem facta est, tunc aduersus eum qui metum incussit, datur actio, quam leues, & iura, *Quod metus causa*, vocant. *Quarta*, rescindenda est uenditio ratione ætatis, ut pupillis, minoribus, Ecclesiis, & ciuitatibus solent bona alienata restitui. *Quinta*, ratione pacti violati. *Sexta*, ratione conditionis non impletæ. *Vltima*, ratione solemnis formulæ, quæ in venditionibus defuit, cùm tamen iure requireretur.

39 Qui ui, aut fraude impediunt, ne merces ad ciuitatem conflant, ut suas carius vendant, tenentur ad restitutionem, tum emptoribus, quibus iniusta causa sunt, vt cariùs emant, tum mercatoribus aliis, quos iniustè impediunt à lucro. Ita Syluester *v. Emptio, q.13.* Rodriguez *to.2 Summ.c.84.num.3.* Syluester. Rodriq. Qui autem absque vi, aut fraude impediunt alios nè merces emant ab iis, qui eas portant, sed eas ipsi anticipatè emunt, ita ut alii postea cogantur eas carius emere de manibus ipsorum; probabile est, ad nullam teneri restitutionem, etiamsi charitatem inducāt. Ratio est, quia tales non peccatunt contra iustitiam, quando emerunt, posito quod emerint pretio iusto currenti, sed tantùm contra charitatem proximorum, & contra iustitiam legalem, seu publicam utilitatē, ex cuius uiolatione non consurgit obligatio restituendi. Nec refert quod hac ratione inducatur charitas, quia etiā multitudo emptorum inducit charitatem, non tamen ideo illi emendo peccant contra iustitiam, quia actio illa ex qua prouenit charitas non est contra iustitiam commutatiuam. Ita Lessius *lib.2.c.21.dub.20.num.151.* Molina *disput.245.in fine*, Filliucius *tract.35.n.214.* Lessius. Molina. Filliucius. Iuxta tamen communiorem sententiam tales obligandi sunt ad restitutionem, vt docent Bonacina *de contr.disp.3.q.2.p.5. n 5.* Rebellus *lib.9.q.18.num.38.* Bonacina. Rebellus.

40 Per retractum gentilitium, id est, per ius alicuius gentis, aut ciuitatis, statuto vel consuetudine datum, cōceditur ius proximo venditoris cōsanguineo, intra certum tempus rescindendi, & ad se reuocandi venditionē rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo vel remotiore consanguineo empta fuerat. Huius iuris mentio fit *in l. Dudum, C de contrah.empt.* & *ex constitut. de in integr.restitut.* Ratio est, ne possessiones paternæ atque auitæ ad alienas manus deueniant.

Circa hoc ius notandum est *Primò*, quòd nomen venditionis extendi non debeat ad alias alienationes, puta donationem, legatum, permutationem, multòque minus ad locationem, emphyteusim, aliumve contractum, quo vtile tantùm dominium transfertur, directo penes alienantem permanente, sicut testatur Couarruuias *li. 3.variar.cap.11.n 3. & 4.* Couar.

Secundò, si consanguinei, post legitimam eis factam denunciationem, & requisitionem, iusto pretio emere nolint, post duorum mensium spatium alteri vendi potest. Sin autem irrequisito proximo consanguineo venditio facta fuerit, ius habet ille retrahendi intra annum, & diem communi iure, sicut docent, & colligunt Doctores ex lib.2.Feudorum, *Si de feudo defuncti fuerit controuersia inter dominum, & agnatos Vasalli, §.Titius filios.* Currit autem annus ille, post venditionem perfectam, etiam contra ignorantem, quamuis iusta, & probabilis ignorantia causam restituendi in integrum præbere possit. Itaque cùm nullum natura progeneret, qui patri sit, quam liberi, propinquior, sunt hi in hac parte præferēdi cæteris sicut, & uendentis hæres, modò ex eadem sit stirpe natus quare retractui isti nullus est locus, cùm emptor, & retrahens, æqualiter à uendente distant. Annus deinde non currit nisi à die contractus initi, seu post conditionem, pactum ad iudicium finitum, rèmque uerè vēditam non fictè, eiùsque possessionem traditam.

Tertiò, necesse est, vt retrahens pretium offerat illud ipsum quod extraneus, vel remotior dedit, aut dare paratus est, modò nihil in fraudem committatur, insuper omnes expensas, quas prior emptor ratione contractus, facere coactus fuit. Hinc optima cautela est, quod retrahere volens, quàmprimùm denunciet emptori, ne vllos in re uendita sumptus faciat, eo quod retractui subiecta sit.

Quartò, necesse est vt proximus agnatus sibi retrahat nō in vtilitatem alterius, & in fraudem emptoris, vel aliorū consanguineorū, quibus potest ipsum ius retrahendi cōdere. Nam ius retractus alteri extraneo vendi, vel cedi non potest. Iure autem præsumitur fictè vendita, quādo relinquitur possidenda vendenti, fictè irē retrahi, quādo retrahens pecuniam mutuam accipit ab alio, cui, & reuendit, maiori prætio quā emit: cùm isto modo retrahens, non tàm sibi, quàm alteri vi retractus, possessionem comparet, vt ex subita eius in illum translatione pateat, à quo pecuniam, ad hunc effectum mutuam accepit. Cùm. n. auctoritas reuocandi possessiones, quæ discesserunt à familia, in eius fauorem, gratiàmque sit concessa, non decuit eius esse participes alios, quàm qui ex eadem nati sunt gente, quibus possessio vendita, reuocanda autem ad stirpem, eius redemptione per consanguineum propinquiorem est affecta.

Si tamen alius nemo supersit ex consangineis qui retrahere possit, & velit, extraneo uendere, aut cedere permissum est, dummodo id regionis consuetudo, uel lex municipalis permittat, nam ius illud retractus non tam iure communi, quàm particularibus regionum consuetudinibus, aut constitutionibus regitur. Plura de hoc retractu vide apud Molinam *de contract disp 370.* Mynsyngerum *centur.3.obseru 51.* Tiraquellum *de vtroque retractu, in præfat.* Rebuffum *in proœmio Constitutionum regiar.glossa 5.num.61* & alios citatos. Molina. Mynsinger. Tiraquel. Rebuffus.

41 Negotiatio generatim sumpta, & secundùm suam intrinsecam rationem non est bona, ut charitas, nec mala, ut mendacium, sed indifferens, vt comedere, ambulare, &c quæ ad bonum, malum, uel indifferētem finem referri possunt, verū licet negotiatio ex proximo suo fine, uidelicet lucro sit quoddam indifferens secundū speciem suā, quia uelle abundare rebus temporalibus, quod est nimis

ηis negotiationis proximus, non est cõsentaneũ immediatè dictamini alicuius virtutis, nec etiã immediate aduersatur obligationi alicuius virtutis. Per accidẽs tamen, ob hominum cupiditatem, ac malitiam, sæpè salutis periculum affert: partim, quia animũ temporalibus curis implicitũ à rebus cœlestibus auocat, partim quia mendacijs, ac fraudibus occasionem ministrat; vitia tamen illa, vt dicit Augustinus, sunt negotiantis, non negotij. D. Thomas 22. *quæst.77.art.4.* Syl. *ibid.concl.3.*

D. Thom. Syluest.

Ex quo seqitur negotiationem posse ex circumstantijs reddi licitam, & laudabilẽ. vt si quis referat lucrum ad sustentationem familiæ, vel pauperum, vel ad vtilitatem, & commoda Reipublicæ.

Item ex multis circũstãtijs reddi posse illicitã, *Primò* ratione rei. *Secundò*, ex parte venditoris, *Tertiò*, ex parte emptoris. *Quartò*, ex parte loci. *Quinto*, ex parte tẽporis. *Sextò*, ex parte modi. *Septimo*, ex parte finis. Ioan. Medina *Cod. de red. restituendis, quæst. 30.*

medina.

42 Negotiatio vitiatur ex parte rei, quę vẽditur, quãdo nimirum venditur res, quæ non est vẽdibilis, vt sacramẽta, beneficia Ecclesiastica, vel licet sit vẽdibilis, prohibetur tamẽ vendi, huiusmodi est veneuum, quod ad nullum bonum vsum deseruire potest, ut patet ex *l. quod sæpè. ff. de contrah. empt.* Reginald. *lib. 25. n. 324.*

Item homo liber vendi ab alio non potest *l. liber homo ff. de contrah. empt.* quamuis pater possit vendere filium necessitate famis vrgente, *l. 1. & 2. Cod. de patribus qui filios distraxerunt*, quod licet patri concedatur, non tamen matri: sicut nec marito permittitur vxorem vendere, etiamsi famis necessitate permatur; quia non ita est vxor in potestate viri, & filius in potestate matris, sicut est filius in potestate patris, vt habetur *l. si filius, C. de patria potestat.*

Tamen fas est imagines, calices, cæterasque res sacras per infideles, vel hæreticos ab Ecclesiis proprijs sublatas de manu eorum emere, animo reddendi ea alteri Ecclesiæ cuicumque pro eodem pretio, quando propria, uel ignoratur, vel ei reddi non possunt, vt rectè docet Caietan. *in opusc. tr. 31. vltim. resp.*

Caietanus.

43 Quidam existimant negotiationem, qua res indifferentes venduntur, quibus homines sæpe vtuntur ad malum finem non licere, sed esse peccatum mortale vẽdere has res ijs, de quibus verisimiliter, & prudenter creditur, quod abutentur illis. Adduntque tales venditores, qui parati sunt quibusuis emptoribus indeferenter, & promiscuè illas vendere esse in malo statu, nec absoluendos, nisi vel officia deponant, vel statuant firmiter illis solũ eas vendere, quos probabiliter, & prudẽter iudicaret int reb. illis nec per se, nec per alios fore abusuros. Ita Nauarrus *in Manual. c. 23. n. 90.* Ioan. Medina *C. de restitut. q. 30* Rebel. *de oblig. iustit. lib. 9. q. 18.* & alij. Hæc sententia est probabilis, sed contraria meritò ab alijs reputatur probabilior, & cõmunior, pro qua est dicendũ quod qui vendit, vel conficit rem, ex se tendẽtem in malum vsum, siue natura sua tendat in illũ, siue ex suo modo, & forma, vel circũstantia illud habeat, ut tendat, in malũ, peccat mortaliter. Ita D. Thom. 2-2. *q. 169. art. 2 ad 4* & alii Thomistæ apud Dianam *p. 5. tr. 7. res. 6.*

Nauarrus. molina. Rebellus

D. Thom. Diana.

Item qui vendit rem indifferentem eo animo, vt homines ementes illa abutantur, peccat mortaliter, quia qui tali animo vendit, consentit, & cooperatur peccato eorum, qui rem illam emunt. Ita Salon 2. 2. *quæst. 77. art. 3.* & alij.

Similiter qui vendit rem indifferentem cuius abusus non toleratur à Repub. & vergit in damnum tertij peccat mortaliter; quia qui sic vendit committit idem peccatum, quod emptor, & incurrit easdem pœnas; hinc qui uendit puellæ innuptæ, & fœcundæ illa, quæ probabiliter suspicatur petere, ut faciant aborsum, peccat mortaliter, sicut, & qui uendit arma, uel uenenum ei, de quo prudenter creditur, quod uelit seipsum, ue l aliũ occidere. Ratio est, quia abusus emptoris circa huiusmodi res non toleratur à republica quia cedit in damnum tertij, quod quiuis lege charitatis tenetur impedire.

Qui uendit res indifferentes, quarum abusus toleratur à Republ. nec cedit in damnum alterius, etiãsi uenditor intelligat emptorẽ re illa abusurũ ad peccatũ mortale non peccat; quia uenditor iste solum intendit uẽdere rẽ suam, peccato uerò illi emptoris, nec directè, nec indirectè consentit, ergo non peccat uendendo, modo adsit causa rationabilis, & proportionata; causa autem rationabilis est necessitas, uel utilitas aliqua proportionata qualitati peccati: uel euitatio grauis damni. Hinc concedunt Doctores posse uendi fucos, monilia, & uestes fœminis abusuris illis ad adulteria: item posse vendi taxilos aleas, & chartas lusorias iniuste lusuris, posseq; deponi pecunias apud vsurarium, qui illis exercebit usuras. Ratio est, quia talis abusus culpa tantum emptorum accidit. Ex hoc fundamento, resoluuntur multi alii casus, de quibus egimus *to. 1. v. Scandal. n. 8.*

Quæ præterea res uendi non possint, uide quę diximus *to. 1 v. Emptio, n. 5. & seq.*

44 *Secundò*, redditur illicita negotiatio ex parte personæ negotiantis, ut si sit Clericus in sacris constitutus, uel beneficiatus, uel Monachus, quibus negotiari prohibitum est, *cap. Secundum, ne Clerici vel Monachi*, ut diximus *supra n. 4. & tom. 1. v. Cleribus. n. 4.* Quibus nũc addo probabilius esse Clericos exercentes mercaturam extra casum necessitatis propriè) per seipsos etiam secluso contemptu, propter solum exercitium mercaturæ, ex ui præcepti Ecclesiastici illud prohibentis peccare mortaliter. Ratio quia Ecclesia nunquã consueuit grauissimas pœnas, quales sunt excommunicatio, & suspensio imponere pro culpa ueniali sed pro mortali tantum.

At Clerici exercentes per seipsos mercaturam sunt puniendi huiusmodi pœnis, ut habetur *c. Consequens dist. 88. cap. Secundum, ne Clerici vel Monachi* Ergo peccant mortaliter. Ita Nauarrus *in Man. cap. 25. n. 110* Fernandez *p. 4. c. 5. § 8 n. 4.* Armilla *v. Emptio. n. 27.* & communis, contra Caietanum *in Summ. v. Clericorum peccata*, tenentem non peccare mortaliter, nisi ex temeritate, contumacia, uel contemptu, & cum scandalo per seipsos mercaturam exerceant. Vide Dianam *p. 1. tr. 8. resol. 72.* & *p. 9. tr. 7. res. 69.* Reginald. *lib. 25. n. 325.*

Nauarrus. Fernandez. Armilla. Caietanus.

Diana. Reginald.

Clericus negotiator non solum peccat mortaliter, sed amittit etiam exemptionem gabellarum, quantum ad ipsas res, quas uendit occasione negotiationis, pro quibus exigitur gabella, & pedagium. Ita Malderus *in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub. 9.* Portel *in dub. regul. v. Tributum, n. 5* quamuis quidam requirant, ut prius ter admoneatur ab Episcopo, ut desistat à negotiatione, ut hanc exemptionem amittat. Ita Molfesius, Lessius, Ioannes de la Cruz Reginaldus apud Dianam *p. 1. tr. 2. res. 47.*

malderus. Portel. Molfesius Lessius De la cruz Reginald. Diana.

45 *Tertiò*, potest esse illicita negotiatio ex parte emptoris seu personę cui res vẽditur: vt cũ quis vẽdit merces his, quos probabiliter credit eis abusuros id quod præcipuè locum habet in rebus, quæ deseruiunt ad delicias, & homicidia per insidias; cuiusmodi sunt cibi lasciui, arma offensiua, & c. Tunc enim cooperatur quis ad malũ præbens potestatem peccandi, Molina *Cod. de restit. quæst. 30.* Et hæc dicta sint iuxta probabilem aliquorum sententiam relatam *supra n. 43.* Sed standa in probabiliori, dicendũ est ex parte temporis non fieri illicitam negotiationem in venditore modò adsit causa rationabilis uẽdendi, puta necessitas, uel utilitas aliqua proportionata qualitati peccati, uel euitatio grauis damni, ut diximus *Supra.*

medina.

46 *Quartò*, redditur uitiosa negotiatio ex parte loci; ut si in loco sacro, puta, in Ecclesia, aut cœmeterio huiusmodi negotiationes prophanæ fiant, ut patet *in capit. Decet domũ Dei, de immunitat. Ecclesiæ in 6.* Negotiatio autem in Ecclesia, seu loco sacro duobus modis fieri potest, uel adductis rebus ipsis, quæ uenduntur, & emũtur, in locum sacrum, vel illis non adductis, sed solùm uerbis, aut scriptis contrahendo, seu conueniendo, res tamẽ quę uendutur, alibi tenendo Concors est Theologorum sententia, uttãque negotiationẽ ab Ecclesia prohiberi. Ratio est quia negotiatio propriè non rei detentionem, sed rei conuentionem, & contractum significat. Tum quia Ecclesia non per res uenales illic positas, sed per negotiationes, quibus mendacia, & peccata admiscentur, profanatur Negotiari tamen in Ecclesia, rebus ipsis absentibus, solis uerbis dũtaxat, nisi ratione scandali, uel quia, in Ecclesia impeditur diuinum Officium, est solum peccatum ueniale, ut docent Arragon *secunda secundæ quæst. 77.*

quæst. 77. artic. 4. Molina *de contract. disp.* 344. & alij.

Idem esset quando aliquis in Ecclesia emeret rem casu ibi repertam, quam alius ad vendendum per ciuitatem deferret; quia non est grauis Ecclesiæ irreuerentia.

Vendi autẽ in Ecclesiis candelas, & modica alia ad diuinum cultum pertinentia sine strepitu, & ferè cum nulla negotiatione, etiam veniali culpa posset vacare, si diuini cultus intuitu id fieret, melius tamen est vt hæc extra
Syluester Ecclesiam habeantur. Ita Syluester *verb. Negotiatio.*

Peccatum autem mortale esset negotiari in Ecclesia, asportatis in eam, tanquã in forum publicum, rebus ipsis venialibus, præsertim illis, quæ ad vsus sæcularium deseruiunt. Ratio, quia est ingẽs Ecclesiæ irreuerentia, & graue scãdalũ, quæ duo semper peccatũ mortale cõstituunt etiamsi negotia fiant extra tempus, quo diuina celebrãtur: nam causa per Christum *Matth.* 21. assignata, quare ementes, & vendentes de templo eiiceret, solum erat irreuerentia loci; quia locus orationi dicatus, non debet negotijs deseruire, quæ causa locum habet, quocumque tempore negotiatio in Ecclesia fiat, siue diuina officia impediantur, siue non Porrò hoc peccatum negotiationis in Ecclesia, sacrilegium est, contra virtutem Religionis, cuius est cultum, & honorem Dei præstare Ita communis Doctorum sententia.

47 *Quintò*, redditur negotiatio vitiosa ex parte tẽporis, vt si fiat in diebus festiuis, ut patet *c. 1. extra de ferijs.*

Habet tamen in his maximam vim consuetudo, Prælatis videntibus, & consentientibus introducta. Et quòd consuetudo sufficiat huiusmodi festiuitatibus derogare, cõstat, quia nõ sunt nisi iure humano introductæ, & ius humanum per consuetudinem oppositam abrogari po-
Reginald, test. Vide dicta *tom. 1. verb Festum* 11. *num* 15. & Reginaldum *lib.* 25. *num.* 326.

48 *Sexto*, redditur illicita negotiatio ex modo, idque multipliciter: vt si mendacia, periuria, aliaue peccata cõmisceantur, sicut à negotiatoribus solẽt cõmisceri; quę quidem potius sunt vitia negotiantis, quàm negotij. Et periuria, quæ cõmiscentur, vt plurimũ sunt mortalia, si sciẽter, & deliberatè fiant. Mendacia verò simplicia, aliquãdo sunt mortalia, vt si ad damnum ementium interponantur, scilicet ad rẽ plus iusto vendẽdã. Aliquãdo verò sunt venialia, vt si officiosa sint, & à vẽdẽte interposita, vt suam procuret indemnitatẽ; quia alioqui fortè nõ iustum pretium, sed diminutũ pro sua merce illi traderent.

Item negotiatio illicita redditur, si extraneis pluris vendatur res, quã naturalibus, si venditores excedant latitudinẽ iusti pretij; alioquin intra latitudinem huiusmodi, nil incõuenit cariùs uendere extraneis, quã naturalibus.

Deinde ex monopolio fit negotiatio illicita, vt si quis contendat sibi soli licere certas merces uendere; aut si certi mercatores inter se cõueniant de nõ vẽdẽdo merces certas infra tale pretium: aut quod non emant merces vltra tale pretium, &c. Hæc & alia huiusmodi monopolia constat esse iniqua, & reipublicæ perniciosa, ut annotauimus *tom. 5. verb. Venditio, num.* 24. *& seqq.*

49 Dubium est, an mercator siue quiuis alius horũ monopoliorum expers, qui non exercuit monopolium, possit iustè suas merces vẽdere pretio illo, quod per monopoliũ creuit? videtur quòd sic, quia mercator in tali casu uendit eo pretio, quod est cõmune, sed pretium commune iustum est, etiamsi sit auctum per fraudes aliorũ,
Reginald. ergo, &c. Ita sentit Reginaldus *lib* 25. *num.* 330. Turria-
Turrianus nus *in* 2. 2. *disput.* 57. *dub.* 8. *num.* 7. & alij probabiliter. Nihilominus longè probabilius est, quod nõ possit. Probatur, tum quia unum, & idem pretiũ eiusdẽ rei, non potest simul esse secũdùm se iustũ, & iniustum, uel igitur omnes in hoc casu iustè eodem pretio uendunt, uel nulli; cùm ergo monopolij auctores iniustè vendere certum sit, ut omnes fatentur, reliqui quoq; uenditores siue conscij sint monopolij, siue inscij, postquam resciuerint fraudem, similiter de iustitia ad restitutionem tenebuntur: quia pretium factum commone currens per fraudem, non est censendum iustum, sed illud, quo merces uenderentur, si talis fraus uendentium abesset; ergo si illud non fuit iustum pretium, tenetur uenditor iste pro suis mercibus in parte, quæ excessit, acceptum restituere, uel si bona fide illud consumpsit, tenetur restituere id in quo factus est ditior. Ita Syluester *verb. vsura* 2. *quæst.* 1. *dict.* 2. De la Cruz, Rebellus, Salas, Lopez, quos refert, & sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 24.

50 *Septimò*, redditur illicita negotiatio ex parte finis, ut si non ad debitum finem ordinetur, qui est necessitas, vel utilitas, ob id enim mercationes fieri debent, quia scilicet, vel necessarium est ad publicas, seu priuatas indigẽtias releuandũ, vel saltem vtile. Qui enim ita affectat lucrum, vt in eo constituat vltimum finẽ, negligendo eius causa Dei & Ecclesiæ præcepta, peccat mortaliter, ac de huiusmodi iniqua negotiatione intelligi debent Sãcti Patres, cũ seuerè negotiationem damnant quamuis enim licitũ sit diuitias plurimas à Deo datas, aut iustè acquisitas, possidere, non tamen ita sunt appetendæ, ac si per se, & secundum se expetibiles essent. cùm non nisi ob aliud expetendæ sint, vt docet Psalmista. *Diuitiæ si affluant: nolite cor apponere* Psal. 61 Ita Molina *tract.* 2. *disp.* 336. Va- Molina
lentia *tom.* 3 *disp* 5. *quæst.* 10 *pun.* 5. Syluius 2. 2. *q.* 77. *art.* Valentia
4. *concl.* 4. & alij communiter. Syluius

51 Quando fit alienatio bonorum in fraudem creditorum, ita vt debitori remaneat sufficientia bona ad soluenda debita; siquidem oneroso titulo, v. g. per uenditionem facta sit, si qui accepit eius rei conscius erat, datur creditoribus. Actio rescissoria intra annũ à die quo sciuerint alienationem factam, ad cogendum nimirũ reddere quod accepit nullo restituto pretio, nisi quatenus fuerit repertum in bonis debitoris. Ita *l. penul. Cod. quæ in fraud. credit.* Quod si is aduersus quem datur prædicta actio, alienauit iam rem illam, dabitur aduersus eundẽ actio, ut restituat valorem, idem si rem consumpsisset, vel alia ratione effecisset, ut non existeret. *l. quæ à debitore ff quæ in fraud.*

Si uerò debitor alienauit titulo lucratiuo, tunc siue qui accepit conscius fuerit fraudis, siue non, datur creditoribus actio aduersus illum, vt id reddat, & si quidem conscius fuerit fraudis tenetur illud reddere, aut valorẽ si alienauit, uel consumpsit Si uerò non fuit conscius fraudis, solum tenetur reddere illud si apud se extet, ad nihil tenetur nisi in quo factus esset ditior ex eo *l. qui autem §. simili modo, ff. quæ in fraud.*

Hinc colligitur si facta alienatio sit cum debitor non erat impotens ad soluenda debita, valida est, & ad nihil tenetur accipiens, etiamsi postea qui dedit, impotens fiat. Si item qui accepit, fraudis conscius non fuit, tunc quocumque titulo rem acceperit, non modò acquisiuit eius rei dominium, sed nec tenetur ad restitutionem illius creditorib. in foro conscientiæ, nec exteriori. Vtroque autem sciente factam esse in fraudem si quod alienatum est petatur intra annum à die scientię, tenetur, ac restitutionem accipiens, si non petatur vel non intra annum, sed eo elapso, ad nihil tenebitur neque in foro externo, nec in conscientia. Vide Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *trac.* 4. Layman.
cap. 17. *n.* 20. Molinam *de contract. disput.* 328. Lessium Molina.
lib. 2. *cap.* 21. *num.* 142. Petrum Nauarra *l.* 3 *cap.* 4. *n.* 218. Lessius. P. Nauarra.

52 Quænam intelligantur simul vendi cum venditione rei, sequentia sunt notanda. Primum vendito castro, vel uilla, venditum etiam censetur ius patronatus, quod est in illis. Secundum uendita hæreditate in qua inest ius patronatus, transit ad emptorem etiam. Ius Patronatus. Ita Doctores *in cap. ex literis de iure patronatus.* Tertiò vendito fundo in quo ædificatum est oratorium, censetur etiam uenditum Oratorium, si ad illud non est aliud iter quam per fundum; secus si ad illud sit transitus per uiam publicã. Quartũ uenditio castro, uel uilla, censetur etiam vendita iurisdictio, si Castrũ uẽditũ sit, ut est ius generale: sicut etiam molendina cẽsentur uendita, uendito Castro modo sint uenditoris non autẽ communitatis, uel aliorum priuatorum. Quintum uendito fundo, uenditi etiã censentur fructus pendentes, sũt enim pars fundi non autem fructus separati à solo, uel arboribus *l. Iulianus, ff. de action. empt.* Sextum venditis iumentis, aut nauibus, si quid ex uectura quæsitum sit emptori pręstabitur. Septimum vendita sylua cædua, nõ intelligitur uendita glans, quæ ante deciderat, nisi aliud fuerit expressum, sed tantum ea quæ pendet ex arbore, *l. vlt. §. penult. ff. quæ in fraudem.* Octauum uendita vacca, & Equa etiam venditus censetur pullus, si absque

periculo

periculo interius separari non possit à matre; at si pullus per se pascit, & alit seipsum, non transit ad emptorem matris. *l. Sed addes, 8. si quis mulierem ff. locati.* Nonum. Vendita domo, vel arca, non censetur vendita pecunia in ea deposita: secus si thesaurus esset reconditus, *l. A tutore, ff. de rei vendicat.* Plura de his apud Azorium *part. 3. lib. 8. c. 19.* Antonium Gomez *tom. 2. variar. cap. 2. num. 1. & sequent.* Azorius. Gomez.

53 Venditio ad corpus dicitur quando fit simul mentio rei, & quantitatis illius tanquam signi, & demonstrationis; vt si quis dicat, vendo tale prædium, quod est decem iugerum, est venditio ad corpus. Venditio ad mensuram est, quando exprimitur quantitas rei, non tanquã demonstratio, sed tanquam restrictio uenditionis; ut si dicatur uendo tibi ex tali prædio decem ingera: unde quando in uenditione incipitur à corpore, & postea additur mensura, uenditio est ad corpus: quando autem incipitur à mensura, & postea additur res, uenditio est ad mensuram.

Quando uenditio est ad corpus, res tota censet ur uẽdita, etiamsi reperiatur mensuram esse marẽ; quãdo autem est ad mensurã, solũm censetur uendita quoad illam quantitatem: si tamen reperiretur maioris quantitatis, augendum esset pretium iuxta constitutum à principio, ut si prædium fuisset repertum plusquam decem iugerum esset quidem totum emptoris, sed augendum esset pretium iuxta quod cõstitutum est pro singulis iugeris.

Hæc regula deseruiet ad cognoscendum an censeatur res tota uendita, necne.

Quando uenditio est ad corpus, & postea compertitus res maioris quantitatis, aut minoris, spectabit ad emptorẽ soluto incremẽto pretij pro ratione maioris quãtitatis vel diminuto eodẽ modo. Quando verò est ad mensurã, & deinde reperitur maioris quãtitatis, tenebitur emptos vel augere pretium, uel relinquere incrementum venditori: si minoris detrahendum erit proportionaliter.

Et hæc regula fit ad cognoscendum, an res tota uendita censeatur pretio constituto à principio.

Couar. Gomez, Molina. Vide plura de his apud Couarruuiam *tom. 2. practic. cap. 3* Gomez *tom. 2. variar. cap.* Molinam *de contract. disp. 367.* & alios ab ipsis citatos.

Vide v. Actio *num* 15. Alienatio *num.* 13. Emphyteusis *n.* 2. Locatio *n.* 11 Mutum *num* 25. 26. Pignus *num.* 8. Scandalum *n.* 5. Seruitus *n.* 9. 10. 16. Simonia *num.* 5.

EPICHEIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Epicheia.*
2 *In quibus casibus non secundum verba legis, sed secundum Epicheiam iudicandum sit.*
3 *Homo excusatur ab obligatione legis, & quandò certò scitur, & quando probabiliter creditur aliquem casum non comprehendi sub lege.*
4 *Quomodo sit vtendum Epicheiâ.*

1. EPicheia est *quando aliquid agitur contra verba legis, eo quod bonum commune, vel ratio virtutis id postulat;* cum enim leges vniuersaliter proponãtur, & regulæ vniuersales multas patiantur exceptiones, sæpè casus incidunt in quibus malum esset verba legis sequi: & hac ratione hæc uirtus est directiua, & correctiua legũ, quando ob suã uniuersalẽ expressionẽ deficiunt à recto quia inclinat ut contra uerba legis agatur, idque ob altiorem quamdam considerationem. D Thom. 2. 2. *q.* 120 Caiet. *ibid. art.* 1. Lessius *lib. 2. cap. 47. dub. 9 num. 63. 64.* D. Thom. Caiet. Lessius

2 Varij casus afferri solent a Doctoribus in quibus nullo modo secundũ uerba legis, sed secundũ epicheiam iudicandum est. Clauis Reg *lib. 12. c. 9. n. 5.* Reginald. *lib. 13. n. 120. & sequens.* Caspensis *tract. de leg. disp. 6. sect. 1. num. 3 seq. Primò*, quando lex aut simpliciter, aut ex aliquà loci, temporis, vel personæ circumstantiã redditur iniqua. *Secundò*, quando in aliquo particulari casu uerborũ legis obseruatio, cedit in boni cõmunis detrimẽtũ. *Tertiò*, quando iudicari potest preter legislatorẽ, si adesset, nõ secundũ uerba legis iudicaturum. *Quartò*, quãdo corrumpitur animus, & mens legislatoris, quia vt ait *L. Contra ff. de leg.* Iurisconsultus *in legem peccat, quicumq; verba legis amplexus, contra legislatoris nititur voluntatem.* Clauis Reg. Reginald. Caspensis.

3 Excusatur quis ab obligatione legis, non solũ quãdo certo scitur, uerum etiam quando probabiliter creditur, casum aliquem non comprehendi sub lege, quia non peccat, qui sequitur opinionem probabilem; in dubio verò, an casus comprehenditur sub lege, consulendus est superior: si ad ipsum pateat aditus; si uero superior consuli nequeat, & periculum sit in mora, iudicandum est casum sub lege nõ cõprehendi, modò talis casus alias comprehensus non fuerit sub lege. Vide Salas, Suarez Clauem Reg. Sanchez, Layman, apud Bonacinam *tom. 1 disp. 1. quæst. 1. part. vltim. §. 2. num. 10.* & apud Dianam, *p. 4. tr. 3. res. 23.* Salas. Suarez. Sanchez. Layman. Bonacina. Diana.

4 Pro tranquillitate conscientiæ illorum: qui aliquãdo literales tantum existentes, maximè scrupulis sucumbunt, ponam hic per extensum notanda quædam, quæ communiter à Doctoribus traduntur, quomodo sit utendum Epicheia.

Primum est, quod in dubiis, cæteris paribus, inter duram, & benignam sententiam, seu declarationem præcepti diuini, & humani, benigna interpretatio est semper facienda, & acceptanda. Ratio est quia præcepta Dei, & Ecclesiæ non fiunt, neque intendunt tollere omnem spiritualem dulcedinem, qualis certè tollitur, quando nimis scrupulosè, & timidè præcepta interpretantur.

Secundum est, quod neque Deus, neque Ecclsia intendit suis præceptis nos obligare ad vix possibile, & nimis difficile in se: Ratio est, quia piè credendum est, neque Deum in lege gratiæ velle, neque Ecclesiam imponere nobis iugum vix possibile, & difficillimũ, saltem sub pęna peccati mortalis, neque enim Deus, ut homo, quærit occasionem ad calumniandum, cum Sapientiæ *primo capite* legatur, *Sentite de Deo in bonitate.* Ne tamen quia facile iudicet esse maximam difficultatem vbi non est, & ut in hoc non decipiatur, in dubijs stet iudicio sapiẽtium.

Tertium, quod in duobus, vita, sensusque communis virorum bonorum sumi debet in exemplum, & regulã viuendi; quia præsumuntur habere rectum iudicium, sicut habent rectum affectum.

Quartum, quòd in his, quę sunt mala, quia prohibita iure tantùm humano, excusat consuetudo præscripta, aut legitima, quia tollit legem, & etiam est legum, interpres.

Quintum, quòd in quolibet casu pretermittens facere quòd lex imponit, excusari potest à peccato, saltem mortali, quamuis non semper à ueniali, si hoc faciat homo animo virtutis Epicheiæ, sine contemptu, ratione alicuius periculi, aut necessitatis, seu circumstantiæ consideratę, putans se non peccare mortaliter, paratus nullo modo facere, si putaret esse mortale.

De Epicheia vide *Iudicium publicum* n. 16. *Lex* 5. n. 1. *Conscientia* n. 30. 31. & 32.

EPISCOPVS.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi officium.*
2 *In quibus peccare possit Episcopus circa suum Episcopatum.*
3 *An peccet mortaliter qui Episcopatum desiderat?*
4 *Quando quis obligetur ad acceptandum Episcopatũ?*
5 *An mortaliter peccet qui per vim, fraudem, subreptionem vel simoniam Episcopatum recepit?*
6 *An Episcopus electus, & confirmatus intra tres menses proximos consecrationem suscipere debeat?*
7 *An religiosus in Episcopum electus eximatur à iurisdictione Prælatorum & a votis Religionis?*
An Episcopi regulares gaudeant adhuc priuilegiis suæ religionis & Prælatorum religionis.
8 *Quæ sunt obligationes Episcopi?*

1 EPiscopus nomen est Græcum, idem Latinæ significans quod *speculator, & superintendens* eo quod subdito-

subditorum mores, & vitam speculatur, & superintendit laicis, & Clericis sibi commissis; cuius *officium* consistit confectione chrismatis, chrismatione frontis, collatione ordinis, consecratione Ecclesiarum, & altarium, & solus Episcopus dispensat illa Sacramenta quæ ponunt suscipiente in aliquo gradu perfectionis super alios D. Thom. *in 4. dist. 24.* Syluest. *v.* Episcopus. Toletus, *c. 5. lib. 3. nu. 1.*

D. Thom. Syluester. Toletus

2 Episcopus in multis peccare potest circa suum Episcopatum; & quidem ante collationem Episcopatus, *dupliciter* peccare potest homo, *appetendo* scilicet & *procurando* Episcopatum; in quo est *notandum* tria posse considerari, *officium*, videlicet quod est attendere, & prodesse vniuerso gregi; ipsa *prælatura gradus*, qui est perfectior monachatu, & *reditus temporalis*, honorq; qui Episcopo exhibetur, vt docet D. August. *l. 19. de ciuit. c. 19.*

D. August.

3 Qui appetitur *deliberato* Episcopatum habere appetit illo indignus existens, nec cogitat se dignum exhibere, iuxta Layman *tract. 2. lib. 4. c. 15. n. 10.* Valentia *to. 3. disp. 10. q. 3. part. 2.* Nauar *de orat. Miscel. 42.* Diana *par. 4. tract. 4. resp. 100.* & alios, mortaliter peccat, quia appetit id quod habere mortale est: qui autem appetit Episcopatum quamuis dignus, propter *reditus temporales*, aut propter honores tanquam finem, mortaliter peccat, quia est cupiditas periculosa, & ambitio nimis bono communi repugnans, qui verò propter *gradum* præcipue Episcopatū desiderat peccat quidem peccato præsumptionis, licet non mortiferè, sed venialiter tantum, quia non inest tanta peruersio, sicut in appetitu propter honores, & reditus. Denique qui propter *officium* Episcopatum appetit vt aliis prosit, ex se quidē non peccat, quia aliquādo potest bene fieri; peccatum tamen est, nisi fiat cum necessitate: quia illud prodesse aliis est coniunctum cum præesse, quod est difficile D. Thomas *2. 2. quæst. 185 art. 1.* Syluius *ibid.* Sotus *l. 10. quæst. 2. art. 1.* Sà *v. Episcop. num. 3.* Fernandes *punct. 4. cap. 7. §. 1. num. 1.*

Layman, Valent. Nauar, Diana

D. Thom. Syluius Sotus Sà. Fernandes

4 Iure *naturali*, & *Diuino* obligatur quis ad acceptandum Episcopatū, vel aliam prælaturam, in casu necessitatis vel magnæ vtilitatis: verbi gratia, si persona habilis, & præ aliis Ecclesiæ regendæ idonea sit; vnde ad id præcepto Superioris cōpelli potest: (vt vult D Thomas) *c. art. 2.* Sanchez *l. 4. moral. cap. 8. nu. 28.* qui ad Episcopatum acceptandum cogere valet, est solus Papa cuius nēpe proprium est Episcopos confirmare: Prælatus autem religionis etiam Generalis non potest compellere subditum ad acceptandum Episcapatum: quia potestas, quam habent superiores religionis, ordinatur per se ad commune bonum religionis, aut bonum particulare subditi, nec ex vi officij habent communi Ecclesiæ prouidere. Sed Episcopatus non ordinatur ex se ad bonum religionis, aut subditi, sed ad commune bonum Ecclesiæ: quare Dū D. Thomas hic citatus, & alij eius Discipuli tradunt teneri obedire religiosum Prælato obliganti ad acceptandum Episcopatum; nomine huius Prælati intelligunt Pōtificem, vt docent Lopez, Suarez, Sanchez, Faustus, & alij apud Dianam *part. 6. tractat. 8 resp. 33.*

D. Thom. Sanchez

Lopez Suarez Sanchez Faustus Diana Reginald.

5 Si quis per vim, fraudem, subreptionem, vel simoniā Episcopatum recipiat, secundùm Reginaldum *l. 30. tra. 1. num 46.* mortaliter peccat; item si sciat se eo indignum, utpote carens qualitatibus, quæ iure requiruntur, nēpe ætatis maturitate, literarum scientià, & morum probitate. Vt docet Concil. Tridentinum *sess. 22. cap. 2.*

Trident.

6 Episcopus electus, & confirmatus, ad *vnum* obligatur ex præcepto Concil. Tridentini, ut intra tres menses proximos suscipiat consecrationem, alioquin tenetur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum, pro ratà illius temporis; & defferens consecrationem ultra sex menses, iure ipso priuatur Episcopatu.

Concil. Trident

7 Communi sententia receptum est, ut ait Azorius *to. 1. l. 12. cap. 7. q. 4. religiosum.* in Episcopū electum, liberari, & eximi a iurisdictione, & potestate Prelatorū suorū, & à pœnis, quæ irrogantur in regulis, & constitutionibus monasticis, non tamen à tribus religionis uotis in professione factis, & secundū D. Thom. *2. 2. q. 185. ar. 8.* Valentia *c. 8.* Syluius *2. 2 quæst. 185. artic. 8. conclus. 1. 2. 3.* & alios talis debet seruare ea, quæ spectant ad suam religionem, exceptis ijs, quæ non consistunt cum statu Episcopali, ut claustrum silentium, & similia

Azorius

D. Thom. Valentia Syluius.

Sed de hoc vide plura infra verbi *Religio. 1. num. 8.*

Dubium primum est, an Episcopi regulares gaudeant adhuc priuilegijs suæ religionis? Respondeo distinguendum esse de priuilegijs. Aliqua enim sunt concessa communitati Religionis, vt cōmunitas est; ita vt nō possint habere suum effectum, nisi in ipsa communitate, quia non sunt prò singularibus personis, sed tantùm prò corpore Religionis: vt est priuilegium, quòd incurrāt excommunicationem reseruatam summo Pontifici impedientes ingressum in Religionem, quòd aliquibus Regularibus concessum est. Alia verò sunt priuilegia singulis personis communitatis concessa, quæ in omnibus, & singulis possunt habere suum effectum. Episcopi regulares non possunt gaudere priuilegijs prioris generis, quia nō sunt capaces talium priuilegiorum, nec possunt in ipsis habere suum effectum. At priuilegia posterioris generis, quia sunt omnib, & singulis concessa, conferunt ius propriū personale omnibus, & singulis; ita vt ius vnius nō sit dependens à iure alterius, & quilibet faciat sibi proprium priuilegiū, & ius ad ipsum. Et quia ius personale sequitur personam, ideo Regulares, qui iam fecerunt priuilegium, sibi proprium, & acquisiuerunt ius ad ipsum, cùm ad Episcopatum promouentur, retinent hoc ipsum ius ad priuilegia: tanquam ius personale acquisitum Ita Suar. *tom. 4. de rel. lib. 3. cap. 18.* Villal. *to. 2. sum. tract. 35. diffic. 40. num. 3.*

Suarez, Villalob.

Dubium secundum sit, An Episcopi regulares gaudēt priuilegijs Prælatorum suæ religionis Respon. est negatiua. Quia quamuis talia priuilegia sint concessa certo generi personarum, ut sunt Prælati Religionum; quia tamen nō respiciunt personam, sed dignitatem solam, ideò sunt purè realia, & non subsistūt, nisi subsistēte, dignitate, quia sunt priuilegia dignitatis, & ideò non possunt Episcopi Regulares ipsis gaudere, etiamsi quando Regulares assumuntur ad Episcopatum, Prælaturam habeant in Religione, nam cum sint priuilegia dignitatis, ea non faciunt sua: & proinde non sequuntur personam, sed tantum dignitatem, quæ cum extinguatur in ipsis, extinguntur etiam priuilegia.

Ex dictis infertur, quòd Episcopi regulares absoluere possunt ab iis omnibus reseruatis à quibus antea poterant, & dispensare, & commutare sicut priùs: ita vt non amittant quicquā de facultate, quā antea obtinebant in foro penitentiali. Ratio est, quia licet desinant esse membra Religionis, adhuc tamen perseuerat in ipsis causa principalis, propter quam priuilegia concessa sunt. Nam principale motiuum fuit Ecclesiæ vtilitas, & animarum cum ad hanc, tanquam ad finem ordinētur. Si tamen regularis nondum expositus audiendis confessionibus, fiat Episcopus, nō gaudebit priuilegijs fori conscientiæ: quia quando fit Episcopus nondum acquisiuit ius ad illa priuilegia, nec illa fecit sua: cùm concedantur tantum Regularibus in ordine ad confessionem sacramentalem.

8 Iure communi, siue diuino, siue humano *multiplex* obligatio competitit Episcopo. *Prima* est in Ecclesia propria personaliter residendi, mortale enim peccatum est non residere absque causa, & toto tempore quo non residit Episcopus, omnes integros reditus pro rata perdit ipso facto absq; vlla alia declaratione, suntq; fabricæ Ecclesiæ, pauperibus reddēdi, Concil Trid. *sess. 23. cap. 4.* Toletus *n. 1.* Fernand. *c. n. 8. & 9. Secunda*, vt ipse irreprehensibilis sit, & nullo modo sit scandalo, sed potius bono exemplo subditis omnibus. Ad Timoth. 1. *cap. 3. Tertia*, Episcopus per se concionari debet, non per aliū, nisi sit legitimè impeditus *Quarta*, singulis annis debet conuocare Synodum Diœcesanā, in qua tractet de rebus ad statum Ecclesiæ, suæ pertinentib. *Quinta*, quotānis debet visitare suum Episcopatum, vel maiorem eius partem, si autem iustè impeditus fuerit, id facere debet per Vicarium. *Sexta*. debet administrare Sacramenta Confirmationis, & Ordinis. Trid. *sess 5. cap. 4. & sess. 24. c. 2. & 3. de reform.* Bonac. *t. 2. disp. 6. q. vnic. p. 8. n. 5.* Reginald. *l. 30. n. 69.* Caiet. *in sum. v. Episc. Septima*, tenetur bonos ministros constituere, tam in foro interiori quam exteriori, & in hoc deficere ex negligentia crassa, aut malitia, graue mortale est. *Cap. decenter. dist. 89.*

Toletus. Fernandez

Bonacina. Reginald. Gaetanus.

Porrò Episcopatum suum deserere non potest, absque

Summi

Summi Pontificis licentia. Si autem Episcopus videt se non posse implere munus, sed peccare non implendo, vel præbere graue scandalum, tenetur Episcopatum relinquere, petita tamen licentia *Cap. nisi cum pridem, de renuntias.*

Plura de Episcopo vide verbo *Absolutio* num. 28. 29. 30. *Alienatio* numero 10. *Benedictio* num. 5. *Beneficium* 4. num. 5. *Beneficium* 5. num. 4. *Beneficium* 7. num. 3 *Bigamia* numero 12. *Bona incerta* numero 9. *Capitulum.* *Casus reseruatus* n. 4. 5: 32. & sequent. *Confessarius* 1. n. 8. *Eleemosyna* num. 6. *Excommunicatio* 5. num 5. *Excommunicatio* 7. num. 7. & 8. *Festum* 1. num. 3. *Festum* 3. n. 7. & 8 *Hora Canonica* 4. n. 3. *Indulgentia* 1. num 5. *Interdictum* 4. num. 1. *Interdictum* 5. num. 4. *Irregularitas* 6. n: 12 *Irregularitas* 11. num. 5. 7. 8. *Lex* 1 n. 6. *Matrimonium* 4 n. 4. *Matrimonium* 9. num 3. & 4. *Ordo* 3 *Religio* 2. n. 1. *Residentia. Votum* 6. n. 5. *Votum* 7. n. 4. *Censura* n. 18. *Fornicatio* n. 5. *Hæresis* n 17. & 18.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Vnde dicti sint Episcopi apud Ethnicos. & apud Iureconsultum? & quis modo sit Episcopus.*
2 *An status Episcoporum sit perfectior statu Religiosorum.*
3 *An eligendus in Episcopum debeat esse* irreprehensibilis *iuxta Apostolum.*
4 *An* vnius vxoris vir.
5 *An Episcopus debeat esse* castus pudicus, sobrius, & non vinolentus.
6 *An* prudens, Doctor, & potens exortari in doctrina sana.
7 *An Episcopus teneatur per se prædicare.*
8 *An Episcopus non debeat esse* iracundus, non superbus, non percussor, non litigiosus, *&c.*
9 *An* non cupidus, *siue* turpis lucri cupidus.
10 *An debeat esse* Ornatus.
11 *An* Iustus.
12 *An non Neophytus.*
13 *Ad quem pertineat electio Episcoporum.*
14 *Quid agendum iuxta Concil. Trid & Lateranense, cum primum Ecclesia vacauerit.*
15 *An confirmatio electi in Episcopum sit Summo Pontifici reseruata.*
16 *An Episcopus sit excellentior Presbyterio.*
17 *Dignitas Episcoporum in Ecclesia Dei est quadripartita.*
18 *An Episcopus teneatur sub mortali prouidere, vt plebe sua instruatur in necessarijs ad salutem.*
19 *Episcopus ad multa tenetur ex Tridentino circa curam animarum.*
20 *Episcopi quos pastores instituere debeant, vt habeant curam animarum.*
21 *Ad Episcopum pertinent diiudicandæ lites de beneficiis, causæ criminales Clericorum: causa matrimoniales, &c.*
22 *An Episcopus sit manutenendus in quasi possessione cognoscendi causas matrimoniales ex iure assistentia.*
23 *An Episcopus possit visitare hospitale, si fundator in fundatione ipsum exclusit à visitatione.*
24 *Episcopis subduntur regulares etiam exempti, quoad editionem librorum, quoad lectionem sacræ Scripturæ, & quoad prædicationem verbi Dei.*
25 *An regulares extra Monasterium degens, & delictum committens, ab Episcopo puniri possit.*
Quando exempti conuenniri possint coram Episcopis.
Quando censetur regulares extra Monasterium degere.
Quæ personæ censeantur miserabiles.
26 *Episcopis subduntur exempti quoad ordines suscipiendos; quoad Sacramentum Pœnitentiæ sæcularibus ministrandum: quoad Monasteriorum ædificationem quoad colenda festa; & quoad interdicta seruanda.*
27 *Ab Ordinariis locorum cogi possunt exempti accedere ad processiones publicas.*
Nouitij omnes subiacent Episcopo quoad bonorum renunciationes faciendas.
Regularis pretendes suam professionem esse inualidam debet rationes suas coram Episcopo, & suo Superiore proponere.
28 *Religiosi exempti executores vltimarum voluntatum constituti, debent coram Ordinarijs locorum rationem reddere.*
Episcopo subsunt regulares exempti in causa hæresis.
Coram Episcopis regulares reconueniri possunt, quoties illi coram illis alios conueniunt.
29 *Episcopi procedunt contra regulares prædicantes B. Virginem esse conceptam in peccato originali.*
Episcopis subduntur exempti in causis matrimonialibus.
Exemptos excommunicatos potest Episcopus nunciare vt euitentur.
Episcopo subduntur exempti in ijs quæ ad Ordinem Episcopalem pertinet.
30 *Episcopus cognoscit crimina exemptorum quæ actualem degradationem merentur. Et habet auctoritatem in populum Ecclesiæ exempta.*
31 *An Episcopus transiens ad aliam Ecclesiam possit secum deferre acquisita ex redditibus prioris Ecclesiæ?* Refertur duplex sententia.
32 *Episcopi regularis Titularis bona, ad quem pertineant quoad proprietatem?* Refertur triplex sententia.
33 *A quo tempore religiosus factus Episcopus desinat acquirere Monasterio?* Refertur triplex sententia.
34 *An vota specialia Religionis cessent in Episcopo regulari?* Refertur duplex sententia.
An Episcopi regulares teneantur voto paupertatis, obedientia, & castitatis? Remissiuè.
35 *An Religiosi Beatæ Mariæ de mercede facti Episcopi teneantur adhuc voto de redimendis captiuis.*
An Fratres Minimi ad Episcopatum assumpti teneantur adhuc voto vitæ quadragesimalis.
36 *An vota specialia Patrum Societatis IESV. v. g. de obediendo Pontifici circa missiones: de non laxanda paupertate: de non procuranda dignitate; de denunciandis ambientibus; de non acceptanda dignitate extra Religionem, &c. permaneant in Episcopis assumptis ex eadem Societate.*
37 *An Episcopus regularis deposito Episcopatu sit adhuc exemptus à regula, & votis?* Refertur duplex sententia.
38 *An Episcopus regularis degradatus remaneat exemptus à votis.*
39 *Quando eximatur Episcopus regularis à Prælatorum suorum obedientia.*
40 *An habens votum Religionis possit acceptare Episcopatum antequam votum adimpleat?* Refertur duplex sententia.
41 *An possint Episcopi vouere Religionem ingredi, inconsulto Romano Pontifice.*
42 *An Episcopus vouens longam peregrinationem, validum sit eius votum.*
43 *An Episcopi validè, & obligatoriè possunt emittere votum modicæ peregrinationis; precum: abstinentiarum, &c.*

1. APud Ethnicos dicti sunt Episcopi, Magistratus, ad quos delectus, prouinciarumque referebantur negotia, tanquam ad constitutos arbitros rerum in singulis Prouinciis, ut colligitur ex Ciceron. *Epist. ad Atticum lib. 7*

Apud Iureconsult. dicti sunt Episcopi qui præerant panibus, aliisque rebus uenalibus ad quotidianum uictum pertinentibus, *l. vltim. de muner. & honor* unde uox hæc translata est ad Antistites Ecclesiæ: quia ipsi ueri sunt speculatores, qui subditorum sibi populorum mores, & uitam prospiciunt, eorumque curam gerunt, *cap. Cleros, § Episcopus distinct. 21.* Et in hac significatione usus est hoc nomine Apostolus Paulus Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus* po-

posuit Episcopus, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Episcopus ergo Ecclesiæ Dei sic definiri potest, *Homo Clericus, ad munus dignitatémque Episcopalem legitimè electus, confirmatus, & consecratus.* Licet enim Episcopus electus, & à Sede Apostolica confirmatus, possit ea exercere munera, quæ iurisdictionis sunt, tamen non meretur nomen, titulumque veri Episcopi, donec fuerit consecratus; nam tunc demum potest exercere officia, quæ Episcopis sunt propria.

2 Status Episcoporum perfectior est statu Religiosorum quia teste Dionysio *in cælesti hierarchia, c.* 5. Angeli alij alijs sunt perfectiores, quia nimirum alij alios illuminant, purgant, & perficiunt: sic in Ecclesiastica hierarchia, Episcopi sunt cæteris perfectiores: quoniam eorum est illuminare reliquos, purgare, atque perficere. Deinde Religiosi id vitæ genus suscipiunt, quod perfectioni comparandæ, sedulò, & diligenter studet: at verò Episcoporum munus est Christianæ vitæ perfectionem docere. Vnde Episcopi sunt pefectæ vitæ Magistri, Doctores, & duces. At plus est perfectionem docere, quàm studere perfectioni acquirendæ, quod est Religiosi instituti proprium. Episcoporum igitur munus est quoddam vitæ perfectæ magisterium Religiosorum Ordines sunt discendæ perfectionis scholæ. Status tamen Episcopalis non de necessitate requirit, quòd Episcopi sint omnino perfecti in charitate, sed importat, quòd opera perfectionis exerceant, debeántque per illa ad vlteriorem perfectionem tendere conati, vt statui suo, qui est Magistrorum, & in militia spirituali principium, conuenienter viuant. Ita D Thom. 2. 2. q. 184. *art.* 6. Syluius *ibi* & communis.

D. Thom. Syluius.

3 De vita, & moribus eligendi in Episcopum multa præscripsit Apostolus Paulus 1. *ad Timoth.* 3. tum ad *Titum.* 1. Quæ latè explicantur per sacros Canones *dist.* 26. vsq; *ad* 50 Oportet ergo vt eligendus in Episcopum primò sit *irreprehensibilis*, id est, non habeat vitium, vel crimen foris notum, quod sit obiectum iustæ reprensionis; pro crimine autem omninò occulto nemo reprehẽsibilis vere est in ordine ad conuersationem humanam. Et hæc irreprehensibilitas requiritur in Episcopo; non tantũ ex iure diuino naturali, siue ex natura ipsius status sed etiam quouis iure positiuo. Probatur, quia crimina cognita quandam secum infamiam trahunt, & Ordinẽ tam excellentem Deo institutum contẽptibilem reddũt, & consequenter criminosum. Ordine, & statu tali indignum, omni etiam lege positiua circumscripta Confirmatur; Quomodo enim potest Præses Ecclesię auferre malũ de medio eius, qui in delictum simile corruit? Aut qua libertate corripere peccantem, cùm tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse quæ corripit? Proinde mortaliter peccant qui publicè criminosos ad Episcopatũ eligunt, vel promouent, nisi eminens pœnitentia, & victus maculam abstergat. Similiter, qui publicæ maculæ cõscij Episcopatũ acceptant. Ratio est, quia eainde Christo, & Ecclesiæ fit iniuria, ministerium sacrum vilipenditur, & animæ infinitis periculis exponuntur; vnde *in cap.* Tantis, *dist.* 81. Ordinans deponendus, & ordinatus priuandus honore Episcopali iudicatur.

4 *Secundò*, eligendus in Episcopatum oportet, ut sit tantum *vnius vxoris vir*, non bigamus, qui plures vxores habuerit, aut viduam, uel corruptam ab alio duxerit. Cum enim Episcopus Christum representet, & matrimoniũ mysticè significet coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est vnica, & virgo indiuisibiliter adhærens sponso, Bigamus videtur huic significationi contraijsse, quia nimirum, vel plures duxit, vel viduam, & corruptam in vxorem accepit. Vide dicta à nobis *tom.* 1. *v. Bigamia.*

Sed petes, si ille qui contrahit matrimonium cum multis sit irregularis, nec potest ordinari Episcopus, vel Sacerdos; quare similiter non repellitur ab ordinibus, qui diuisit carnem suam cum multis meretricibus, quia adeò diuidit carnem suam ibi, & quandoque magis quã cum propria vxore? Respondeo, quod non ordinatur Bigamus in Sacerdotem, uel Episcopum, quia ibi est defectus Sacramenti. Vnde ad inuendum quod non sit nisi vnicus sponsus Ecclesiæ, oportet quod Episcopus non sit vel fuerit vir nisi vnius vxoris.

5 *Tertiò*, debet esse Episcopus *castus, pudicus, sobrius, & nõ vinolentus.* Castitas enim, & pudicitia summam, & Angelicam puritatem, tam animi quàm corporis, contra carnis concupiscentias, voluptates venereas, & quaslibet immunditias in Episcopis requirit. Et nota quod Sacerdos tempore vicis suæ non cohabitabat cum vxore sua, sicut tangitur in principio Lucæ. Et dicitur quod Oza à Domino percussus fuit cùm tetigit arcam 2. Reg. 6. quia nocte illa dormierat cum vxore sua. Quid ergo de nostris Sacerdotibus qui dormiunt cum fornicariis suis, & in crastino celebrant.

Sobrium esse, & non vinolentum, omnem cibi potúsq; intemperantiam, & excessum prohibet, quæ sub ebrietatis, & commessationum ac luxus terminis aliàs prohibentur. Quia venter æstuans merò citò despumat in libidinem.

6 *Quartò*, Episcopus debet esse *prudens, Doctor, & potens exhortari in doctrina sana:* vnde tria ad regimen populi in Episcopo, ex vi status requirũtur, nimirũ, Doctrina Prudẽtia, & Doctrinæ exercitiũ, tã in exhortãdo, quã in cõuincendo, & redarguendo Quod probant Apostoli Pauli verba, qui in Epistolis ad Tim. & Titum totus in eo est, vt necessitatem doctrinæ, prudentiæ, & exhortationis in Episcopis inculcet, Hinc Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2 *de reform.* mandat ut promouendus ad Episcopatum sit Magister, uel licentiatus in Theologia vel in iure Canonico Si autem Regularis fuerit, vt à Superioribus suæ Religionis testimonium habeat huiusmodi scientiæ, & doctrinæ. Vnde Episcopus perfectam vtriusque Testamenti debet habere cognitionem, & perfectam mysteriorum fidei intelligentiam, vt sciat etiam alijs ueritatem exponere, & aliorum contra ueritatem fallacias expellere, hæresesque expugnare. Verè enim est Doctor in Ecclesiæ Cathedra sedens, cui ex officio sacras exponere populo Scripturas competit. Ipsi enim dictum est 1. Petr. 3. *Parati reddere rationem omni poscenti nos, de ea, quæ in nobis fide.* Non tenetur tamen Episcopus totam Scripturam quoad in ea contenta scire, aut memoria tenere; quia multa sunt in Scriptura, quæ neque ad fidelium instructionem, neque ad officij Episcopalis exercitium, & executionem pertinent, sed sub mortali tenetur antequam consecretur moraliter scire omnia, quę in Scriptura, & legibus ac Canonibus Ecclesiæ continentur, ad sui officij executionem necessaria, vt sunt mandata Dei, & Ecclesiæ primaria decreta, & præcepta, articuli omnes ad fidem pertinentes, eorùmque principia, & fundamenta, materiæ, & formæ Sacramentorum ac ritus ea administrandi, & alia huiusmodi, sine quibus munia Episcopi verè exerceri nequeunt. Præterea requiritur in eo diligentia, & sedulitas, promptàque uoluntas se in illis formandi, & perficiendi studio, inquisitione, consultationibus, &c, Et qui aliter suscipit Episcopatum, peccat mortaliter, & si non conetur se in dictis scienter perficere, in periculo continuo peccati mortalis uersatur. Ratio est, quia aliàs se, & sibi commissos exponit periculo grauium peccatorum, & abusuum. Con. Trid.

7 Quia prædicatio pro ut dictionem eloquentem, & methodicam ex Cathedra dicit, & coram auditorum cœtu fieri solet, paucorum est, & naturale tantùm donum, ideò ad eam Episcopus non tenetur, sed sufficit si doctrinaliter, & resolutoriè credenda, agenda, cauenda intimare possit, & ignorantes docere, ac rebelles conuincere. Tenetur tamen Prædicatores, & Catechistas adhibere ad edocẽdam plebem, & inuigilare ut dicti ueritatem Euangelicam teneant, quæ fidei sunt, & morum competenter annuntient, & si quid difficultatis, dubii uel doctrinæ nouæ ac periculosæ occurrat, resoluere, dissoluere, & malum sua doctrinà, & peritia impedire.

8 *Quintò*, iuxta Apostolum supra, Episcopus non debet esse *iracundus, non percussor, non superbus, non litigiosus, sed modestus, Benignus, Sanctus*, &c. Omnia hæc dicunt irascibilis mortificationem, & sedatam passionum illius compositionem. Ex superbia enim ut plurimum ira, litigium, clamor, percussio excitatur in irascibili. Quibus aduersatur sanctitas, benignitas, modestia, quæ

quæ irascibilem in suis inordinatis motibus refrænant. Nota tamen quòd peccata illa superbiæ, iræ, litigii, percussionis, vel quæ ex ijs oriuntur, debeant æstimari in Episcopo non tantùm iuxta naturam istorum peccatorum; sed maximè iuxta circumstantias personarum, causæ, modi, consequentiæ, &c. nam quæ tantùm venialia sunt in alijs inferioris gradus; in Episcopis plerumque mortalia sunt, ob scandalum pusillorum: ob grauem iniuriam subditorum & curæ Episcopalis: hinc subditorum pusillanimitates, minor ad Episcopos reuerentia, populorum odia & detractiones contra illos, &c. quæ bene examinari debent.

9. *Sextò*, Episcopus non debet esse *cupidus*, siuè *turpis lucri*. *Cupidus*, id est, amator pecuniarum: morbo enim cupiditatis omnes pene laborant: ideò præcipit Apost. Episcopum non esse cupidum, quia facilè à iusto deuiaret: manus enim Sacerdotum modò inunctæ sunt pice cupiditatis ad retinendum, quæ deberent esse inunctę vnctione charitatis ad largiendum. Vnde nomine cupidi, omnis auaritia & concupiscentia oculorum, omnisque nimius temporalium bonorum amor, vel sollicitudo ab Episcopo propulsatur.

10. *Septimò* debet esse *Ornatus*, siue honestus, secundùm Chrysost. Ornatu duplici interiori quantum ad virtutes, & exteriori quantum ad bonos mores. Ratio ipsa suadet, vt qui virtutibus emicare debent honestatem etiã, quæ hominem in exterioribus commendat, non contemnant. Vnde ornatus Episcopi consistit in decoro & honesto motu, incessu, habitu, sermone, &c. itaut in exteriori homine, vanitatem, leuitatem, secularitatem, superfluitatem fugiat. Insuper supellex & domus Episcopalis ornatum aliquem habere debet non qui prętiositatem, aut superfluitatem, sed qui dignitatem Episcopalem, & reuerentiam aliquo signo commendet.

11. *Octauò*, Episcopus debet esse *Iustus*. Proinde Episcopus speciali ratione ad iustitiam quæ in alterum tendit, obligatur. Ad distributiuã quidem, vt beneficia, gradus, dignitates in personas benemeritas distribuat. Ad commutatiuam autem vt in temporalibus bonis, siue acquirendis, siue possidendis, siue administrandis, & in cõtractibus iustè se habeat. Denique ad iudicialem, vt in iudicijs & causis, quæ coram se, vel officiali suo deduci debent, æquitatem & discretionem seruet.

12. *Nono*, Episcopus non debet esse *Neophytus*, id est nouiter renatus, nouiter conuersus nuper Catechumenus; qui si nunquã fuit discipulus, si Magister factus fuerit, citò in elationem eleuabitur, sed si antequam discat subijci principetur, inflatur. Neophytus modò intelligitur, qui necdum in sacris exercitatus est, qui repentè in Religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros, irrepserit. Ordinatè ergo ad Ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia post-
D.Greg. positis gradibus, per abrupta quærit ascensum. D. Greg. *lib. 7. Epist. 212. ad Siagrium*.

Cæteras qualitates quas requirit Apostolus Paulus in Episcopo vide Expositores in Epist. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. apud quos plura.

13. In electione Episcopi obseruanda sunt ea quæ cõmunia sunt in electionibus Prælatorum; de quibus dictũ est supra *verb. Electio*. Etsi enim in principio nascentis Ecclesiæ Summi Pontifices constituerint Episcopos in sedes vacantes: tamen posterioribus temporibus, quando Ecclesiæ suos cœperunt habere Canonicos; concessum est eis ius eligendi suos Prælatos: vt patet *cap. Nulla ratio*, & *cap. Nullus, dist. 62*. In Gallia tamen ius commune non seruatur quoad electionem Episcoporum, & Abbatum; quia in concordia inita Bononiæ anno 1516.
Leo X. Inter Leonem X. Summum Pontificem, & Franciscum I. Galliæ Regem conuentum fuit, vt Reges Galliæ haberent ius nominandi Prælatos, ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, ad Abbatias & Prioratus Conuentuales electiuos. Quod etiam obseruatum est hucusque in hoc Belgio, ex concessione Sedis Apostolicæ facta Regi Hispaniæ.

Cõc. Tr. 14. Iuxta Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reform.* cùm primùm Ecclesia vacauerit, supplicationes, ac preces publicæ, priuatimque habendæ sunt, atque à Capitulo per ciuitatem & Diœcesim indicendæ sunt; quibus Clerus, populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare. Electio autem debet fieri intra tres menses à die vacantis Ecclesiæ: nam postmodum facta ab electoribus, est inualida, nisi legitimè impediti fuerint, *cap. Ne pro defectu, de elect.* vbi habetur, *Ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax inuadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata graue dispendium patiatur: volentes in hoc etiam occurrere periculis animarũ & Ecclesiarum indemnitatibus prouidere, statuimus, vt vltra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel regularis Prælato non vacet. Intra quos (iusto impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice. Ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proximo præesse dignoscitur, deuoluatur. Is verò, ad quem fuerit deuoluta potestas, Deum præ oculis habens non differat vltra tres menses cum consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, Canonicè ordinare: si Canonicam voluerit effugere vltionem*. Ita Innocentius III. In Concilio Innoc. 3.
generali Lateranensi. Concil.

15. De sufficientia electi in Episcopum haberi debet Later.
examen, vel inquisitio, iuxta formam Constitutionum Prouincialium a Summo Pontifice approbatarum: debetque examen, seu inquisitio de persona electi in publicum instrumentum redigi, & cum toto testimonio, ac professione fidei ab eo facta quamprimùm ad Romanum Pontificem mitti: qui auditis saltem quatuor Cardinalium suffragijs, de Confirmatione electi decernet. Ita
Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reform.* Quam- Concil.
quam olim Confirmatio & ordinatio Episcoporum fie- Trid.
bat à Metropolitanis, vt colligitur ex *cap. Nulla ratio, dist. 62. & cap. Omnes, dist. 38.* Sed nouissimo iure reseruata est Summo Pontifici, iuxta *cap. Quamquam, de elect. in 6.* & Conc. Trid. *sup.*

16. Episcopatus excellentior est Presbyterio. Probatur, tum ex verbis Apost. ad Tim. 1. *cap. 5.* cùm iubet illi, ne accipiat accusationem contra Presbyterum, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Et ad Titum *cap. 1.* cui præcipit, vt constituat per ciuitates Presbyteros. Fuerunt ergo ambo Timothæus & Titus maiores Presbyteris dignitate, ac potestate. Tum quia Christus Dominus noster distinctionem seruauit inter Apostolos, & alios discipulos suos. Apostolorum autem successores tota hactenus Ecclesia censuit Episcopos: discipulorum autem reliquorum Presbyteros, iuxta *cap. in nono, dist. 21. cap. Quorum*
vicis, dist. 68. Conc. Trid. *sess. 23. cap. 4.* Tum quia Episco- Concil.
pi prę Sacerdotibus multis priuilegijs & facultatibus gau- Trid.
dent: eliguntur enim, electi confirmantur, confirmati consecrantur, etiamsi antea iam ordinati sint Sacerdotes: & proinde accipiunt nouam potestatem faciendi aliqua in & pro Ecclesia, quæ Sacerdos solus nunquam ausit attentare; vt Clericos Ordinare, Episcopos consecrare, Chrisma conficere, Confirmationis Sacramentum conferre, Ecclesias altaria dedicare, &c. Et licet olim nomen fuerit commune, vt Episcopi etiam dicerentur Presbyteri: re tamen ipsa, id est, officijs semper fuerũt di-
stincti, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 184. *art. 6. ad* 1. Proinde D. Tho.
contraria sententia est hæreseos damnata à Conc. Trid. Concil.
sess. 23. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit, Episcopos non esse* Trid.
Presbyteris Superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. Anathema sit. Quam hæresim dudum sepultam tempore Epiphanij *hæresi 75.* D. Augustini *lib. de hæres. p. 53.* suscitauit Ioannes Vvicleff hæreticus, quem secuti sunt Lutherus, Caluinus, & cæteri horum temporum hæresiarchæ.

17. Dignitas Episcoporum in Ecclesia Dei est quadripartita. Quidam enim præest toti Ecclesiæ, vt est solus Romanus Pontifex. Alij varijs præsunt Prouincijs & Regnis, dicti Patriarchæ, seu Primates, quorum sunt quatuor præcipuè, *Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Ierosolymitanus*. Et *cap. Antiqua, de priuil.* Ratio huius esse potest, quòd fides Christiana primò in illis partibus prædicata, ac multiplicata fuerit, & distributio Patriarchatuum facta, priusquam Regna Occidentis,

Hispania, Gallia, Germania, Anglia, & alia fidem susciperent. Alij Metropolitanis ciuitatibus præsunt, qui vocantur Archiepiscopi, eo quòd vniuersitati Episcoporum in aliqua regione præsident, siue regio illa plures Prouincias, & diuersa etiam Regna contineat, siue vnam tantùm Prouinciam. Alij denique vni ciuitati principal ori, & oppidis circumuicinis præsunt, & dicuntur Episcopi. Inter hos autem quatuor Episcoporum gradus non est alia differentia, quàm iurisdictionis latioris: Ordinis enim sanctitate dignitateque sunt pares: quia nullam nouam Ordinationem accipiunt post Episcopalem: sed dantur eis tantùm quædam insignia externa, per quæ significatur eminentior dignitas, ac potestas iurisdictionis. Ita communis Theologorum sententia.

18. Episcopus ex vi & natura Episcopatus tenetur sub peccato mortali prouidere vt per se, vel per idoneos ministros plebs sua instruatur in necessarijs ad salutem, & vnusquisque eorum iuxta vocationem suam. Probatur, quia cùm primum fundamentum nostræ salutis sit debita instructio in necessarijs ad salutem: si necessariorum scientia ex negligentia Pastoris deficiat in aliquo etiam indiuiduo, perditio eius in Pastorem redit, & ab illo anima exigetur: vnde Concilium Tridentinum *sess. 5. de reform. cap. 2.* grauissima animaduersione vtitur in eos, qui in instructione populi deficiunt, & totum onus in Episcopos reuoluit, vt prouideant hac instructiones fieri per *Pastores curam animarum habentes, vel Ministros idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus, qui plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum breuitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare & virtutes, quas sectari oporteat; vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam consequi valeat.* Ex quibus manifestum Episcopos teneri in conscientia, & sub pœna damnationis æternæ prouidere efficaciter, non perfunctoriè vt non tantùm Catechismi & conciones fiant, sed etiam vt tali modo fiant, vt populus, de facto instituatur & necessaria ad salutem sciat. Alioquin væ illis, si ex defectu doctrinæ & instructionis subditi aliqui pareant. Cõc. Tr.

Cõc. Tr. 19. Ad multa tenetur Episcopus ex Tridentino circa curam animarum. *Primò*, sollicitè inuigilare debet ne cura animarum in sua tota Diœcesi, vllo prætextu negligatur, *sess. 6. de reformat. cap. 1. Secundò*, instituere debet vicarios in curatis beneficijs, vnitis Cathedralibus, Collegiatis, aut alijs Ecclesijs, vel Monasterijs. Nominatio quidem horum vicariorum pertinet ad Episcopum, *sess. 7. de reform. cap. 7. & sess 24. cap. 18. de reform. Tertio*, Parochis infirmis, seu illiteratis, qui officio suo nequeunt satisfacere, constituere de coadiutores, *sess. 21. cap. 6. de reform. Quartò*, in Parochia vacante vicarium instituet, donec legitimus Parochus canonicè instituatur, *sess. 24. de reform. cap. 18. Quintò*, approbabit confessarios omnes sæcularium, siue sint regulares, seu sæculares Presbyteri, *sess. 23. cap. 15 de reform. Sexto*, debet eligere & approbare Summum Pœnitentiarium pro sua Diœcesi, *sess. 24. de reform. cap. 8. Septimo*, debet Parochias diuidere, vbi necessarium est: & beneficia ex dirutis Ecclesijs ad alias transferre, atque Parochijs pauperibus vnire. De quibus *sess. 24. de reform. cap. 13. sess. 21. de reform. cap. 4. 5. & 7. sess. 25. de reform. cap. 13.*

20. Episcopi tenentur sub peccato mortali, & restitutione damnorum spiritualium, si quæ sequantur, instituere Pastores & ministros curam animarum habentes, quos syncera & morali æstimatione, iuxta circumstantias locorum, temporum, & personarum sciunt capaces, & idoneos ad erudiendum plebem in fide & doctrina sana, ad Sacramenta ritè & iuxta necessitatem administranda. Vt colligitur ex Triden. supra; proinde tollendus est abusus, quo iam non instituuntur, plerisque in locis, capaces & magis idonei, sed qui fauoribus, amore priuato & vinculis quibusdam amicitiæ, vel obligationis, imò & adulationibus præualent. Non requiritur tamen omnimoda & Theologica certitudo de capacitate Pastorum, sed sufficit cum sinceritate iudicij moralis æstimatio ex circumstantijs dependens: sæpe enim eloquentior & doctior in subtilitatibus Theologicis minus ad regimen animarum idoneus est: & ideò non minùs cauendum à subtili supercilio alicuius elati Theologi, quàm ab idiota & indocto, vterque enim ineptus est. Deinde Episcopo incumbit videre qualibus personis perficiendi sunt Pastores: Alius enim requiritur pro ciuitate vbi sunt emporia & mercaturæ vigent, quàm pro pagis: Alius vbi hæretici, alius vbi mali Christiani præualent. Vide à nobis dicta supra *verb. Electio num.* 10. cum Auctoribus ibi citatis.

21. Ad Episcopum pertinent dijudicandæ, ac determinandæ omnes controuersiæ de beneficijs, omnesque defectus in ijsdem. Concilium Trid *sess. 24. cap. 20. de reform.* Item causæ clericorum criminales ad ipsum pertinent, *sess. 24. cap. 4. & 5. de reformat.* Item omnes causæ matrimoniales, *sess. 24. can. 12. & ibidem de reformat. cap. 20.* Item executio vltimarum voluntatum & visitatio quorumuis hospitalium, aliorumque locorum piorum, etiamsi cura eorum ad laicos pertineat, *sess. 22. cap. 8. de reform.* Item compositio controuersiarum omnium de præcedentia, quæ persæpe cum scãdalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares, quàm regulares: tum in processionibus publicis, tum in his quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & alijs similibus, *sess. 25. cap 13. de regular.* Item Episcopus debet suscipere causas mercedum & miserabilium personarum, etiam ciuiles contra clericos quoscumque exemptos, tam sæculares, quàm regulares, *sess. 7. cap. 14. de reform.* Item Episcopus cum duobus de capitulo, causas capitularium, extra visitationem iudicabit, *sess. 25. cap. 6. de reform.* Cõc. Tr.

22. Episcopus est manutenendus in quasi possessione cognoscendi prædictas causas matrimoniales & criminales, ex sola iuris assistentia contra inferiores immemorabili se iuuantes, donec per tres sententias conformes de hac recognoscatur, etiamsi inferiores possessionem & priuilegium ostendant, vt dictum fuit à Rota *in vna Theatina iurisdictionis de Atessa 3. Decemb. 1614. coram D. Coccino Decano*, refertur à Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 3. decis. 60. Rota Romana.* Rota. Tamb.

23. Episcopus non potest visitare hospitale, si fundator in fundatione ipsum exclusit à visitatione. Ratio est, quia licet Episcopus non possit consentire in præiudiciũ & derogationem iuris acquisiti Episcopatui, potest tamẽ iuri quærendo præiudicare. Et ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, in hæc verba: *Si in fundatione hospitalis sit dictum, quod ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, non poterit illud visitare.* Et stante dicta declaratione in vna Abulensi ita fuit decisum per Sacram Rotam Romanam, vt patet apud Farinacium *tom. 1. part 2. decis. 33.* Similiter Episcopus non potest visitare Hospitalia & Confraternitates, quæ existunt sub protectione Regum. Ita docent ex Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 8. de reform.* communiter Doctores, quos citat & sequitur Barbosa *de potest. Episc. part. 3. alleg. 75.* Vide Dianam *par. 1. tract. 2. resol. 83. & 100.* & dicenda *tom. 2. verb. Visitatio, num. 7.* S. Cong. Rota. Cõc. Tr. Barbosa. Diana.

24. In multis casibus regulares etiam exempti subduntur Episcopis, partim de iure communi, partim ex Concilio Tridentino.

Primo, Episcopis subduntur quoad editionem librorum sacrorum, ex Concil. Trid. *sess. 4. in decreto de vsu, & editione sacrorum librorum*, vbi sic habetur: *Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere, quosuis libros de rebus sacris, nisi primum examinati, probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis. Etsi regulares fuerint, vltra examinationem & probationem huiusmodi, licentiam quoque à suis Superioribus impetrare teneantur.* Cõc. Tr.

Secundo, quoad lectionem Sacræ Scripturæ habendam in monasterijs Monachorum & aliorum regularium conuentibus. Conc. Trid. *sess. 5. cap. 1.* per hæc verba: *In monasterijs quoque Monachorum, vbi cõmodè fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur, qua in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc vt sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant, &c.*

Tertio, quoad Prędicationẽ verbi Dei, & quoad Plebanos & Parochos, vel alios curam animarum habentes, vt

per

perse, vel per alios, plebes sibi commissas pascant, salutaribus verbis, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus. etsi ipsæ Ecclesiæ essent nullius diœcesis Archiepiscopi: in quorum Prouincijs Diœceses ipsæ sitæ sunt tanquã quoad hoc, Sedis Apostolicæ delegati, si Abbates & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint, compelli debent, Conc. Trid. *sess. 5. cap. 2.* vbi mandat Episcopis, quod si Prædicator errores, aut scandala, aut hæreses in populum disseminauerit, vt contra eum secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem, etiamsi se exemptum prætenderet, tanquam Sedis Apost. delegati procedant.

Cõc. Tr.

25. *Quarto*, Regularis extra Monasterium degens, etiã sui Ordinis priuilegij prætextu tutus non est, quominus, si delictum commiserit, à loci Ordinario tanquam à Sede Apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitati, puniri, & corrigi possit, iuxta Concil. Trident. *sess. 6. cap. 3. de reform.*

Cõc. Tr.

Extat præterea Constitutio Clementis VIII. publicata Romæ die 18. Martij anno 1596. quæ incipit, *Suscepti muneris*, super executione Cõc. Trid. *sess. 25. cap. 14. de regul.* contra regulares non subditos Episcopo, intra claustra degentes & extra ea ita notoriè delinquentes, vt populo scãdalo sint, ac contra eorum Superiores illos punire negligentes, aut impunitos ad alia suorum Ordinum loca transmittentes, vel transmissos ad locum in quo deliquerunt, non reuocantes. Extat hæc bulla apud Rodriquez *tom. 2. qq. regul. quæst. 2. art. 6.*

Clemen. VIII.

Rodriq.

Quintò, clerici sæculares, vel Regulares extra monasterium degentes quomodolibet exempti, certum iudicem, à Sede Apostolica deputatum in partibus habeant; in alijs verò si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinarijs, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conueniri possunt in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, & iure medio ad soluendum debitum cogi. Ita Concil. Tridentinum *sess. 7. cap. 14. de reform.*

Cõc. Tr.

Circa quod decretum & superius hoc numero adductũ est aduertendum, quod detur facultas Ordinarijs locorũ, vt possint contra exemptos procedere ratione delicti, vel contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa. Et quod regulares degentes extra claustra possunt conueniri coram Ordinarijs in ciuilibus causis mercedum & miserabilium personarum tantùm & non in alijs.

Censentur autem regulares extra monasteriũ degere, dum non viuunt sub Superiore conuentualiter: & qui habent domiciliũ extra Monasteriũ speciali licentia, vel priuilegio. Nõ tamen si maneant de Superiorum licentia, sub regulari obseruantia in aliquo membro, vel grangia sui Monasterij pro Religionis termino, vel inseruiant alicui beneficio, aut adiaciantur alicui Monasterio Monialium; hi enim non comprehenduntur sub hoc decreto: quia non degunt extra illud ex speciali licentia, seu priuilegio, sed ex instituto & officio: & ideò si delinquant non ab Ordinario, sed à suo Superiore puniri debent secundùm formã Concilij Tridentini *sess. 25. de regular. cap. 14.* vt obseruant Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 105. *num.* 17. Peyrinus *tom. 1. priuileg. Ordin. Minim. in annot. ad constit. secundam Sixti IV. num.* 29. & alij.

Cõc. Tr. Barbosa. Peyrin.

Denique miserabiles personæ, de quibus fit mentio in dicto Concilij decreto, intelliguntur, viduæ, pauperes, orfani, nisi diuites sint. Item senes decrepiti, diuturno morbo fatigati & omnes, quibus natura monemur ad miserandum propter fortunæ iniuriam. Itẽ peregrini, publicè pęnitentes, infantes expositi, cæci & mutilati membris, atq. leprosi, incarcerati, & qui recenter ad Christianam fidem conuersi sunt. Item puellæ nobiles, quæ sibi nobilitate paribus nubere nõ possunt. Hi omnes cẽsendæ sunt miserabiles personæ, si diuitijs non affluant: secus si sint diuites. Vide Rodriq. *tom. 1. qq. reg. q. 65. art. 3.* Peyrinum *loc. cit. n.* 31.

Rodriq. Peyrin.

26. *Sextò*, vnusquisque regularis, vel aliter exemptus ordines suscipere debet à proprio Episcopo. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 8. de reform.* & dictum est *tom. 2. verb. Ordo 3. num. 2.*

Cõc. Tr.

Septimò, Regulares pœnitentiæ Sacramentum sæcularibus administrare non possunt, nisi ab Episcopo præuio examine, per approbationem idonei iudicati fuerint. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15. de reform.* vt diximus suprà *verb. Confessarius 3. num. 4.*

Cõc. Tr.

Octauò, nulli licet Monasterium, siue Ecclesiam, vel orationis domum ædificare, antequam ab Ordinario suo licentiam obtineat, priuilegijs & exemptionibus non obstantibus. Ita sancitum fuit in Concil. Agaten. Chalcedonen. & denique in Conc. Trid. *sess. 25. cap. 3. de regul.* vt dictum est suprà *verba Ecclesia n.* 12. Concil. Agat. Calced. Trid.

Nonò, Regulares omnes etiam exempti subiacent Episcopis in colendis festis: nã dies festi, quos in Diœcesi sua obseruando esse, Episcopus mandauerit, ab illis seruari debere, decreuit Conc. Trid. *sess. 25. cap. 12. de regular.* & annotauimus *tom. 2. verb. Missa 4. num.* 9. vbi adducitur declaratio Eminentissimorum Cardinalium. Concil. Trid. S. Cõgr.

Decimò, interdicta & censuras ab Episcopo promulgatas ipsi regulares in eorum Ecclesijs publicare, si Episcopus præcipiat & seruare tenentur. Conc. Trid. *sess. 23. cap. 12. de reg.* Intellige de interdicto locali generali, vt diximus *tom. 2. verb. Interdictum* 1. *n.* 8. Cõc. Tr.

27. *Vndecimò*, exempti omnes, tam clerici sæculares, quàm regulares quicumque, etiã Monachi ad processiones publicas accedere, cogi possunt a locorum Ordinarijs: exceptis illis tãtùm, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt. Itẽ differentiæ & lites, quæ ratione præcedentiæ inter Ecclesiasticas personas, in ipsdem processionibus oriũtur, ab Episcopis breui manu, omni appellatione remota componantur, iuxta Conc. Trid. *sess. 25. cap. 13. de reg.* De qua re plura dicemus *tom. 2. verb. Processiones, n.* 6. Concil. Trid.

Duodecimò, Nouitij omnes subiacent Episcopo quoad renunciationes faciendas. Nam nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam iureiurando ad cuiuscumque fauorem etiam piæ causæ, valida est, nisi obtenta Episcopi licentia, siue eius vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionẽ, ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione. Ita Conc. Trid. *sess. 25. cap. 16. de regul.* de quo *tom. 2. verb. Nouitius, n. 23. & seq.* Concil. Trid.

Decimotertiò, quicumque regularis prætendens per vim & metum ingressum esse Religionem, aut dicens ante ætatem debitatam professionẽ emisisse, aut quid simile, volensque habitum dimittere quacumque ex causa, aut cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non erit audiẽdus nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliàs, nisi rationes suas, quas prætenderit, proposuerit coram Superiore suo & Ordinario. Sic Conc. Trid. *sess. 25. c. 19. de reg.* Circa hoc decretũ, vide annotata à nobis *to. 2. verb. Religio 4. n.* 7. & infra *verb. Professio n.* 14.

28. Religiosi omnes etiam exempti vltimarum voluntatum executores ex licentia Superiorum constituti; suscepti muneris rationem reddere cogi possunt à locorum Ordinarijs, à quibus debita eis pœna venit imponenda, si in munere ipso deliquisse comprehendantur, *Clementin. vnic. de testamentis*, vt etiam diximus *verb. Testamentum tom. 2. num. 13. vers. Porro.*

Decimoquinto, Regulares omnes etiã exempti in causis hæresis Episcopo subsunt, *cap. Vt officiu, §. denique de hæretic. in 6.* qui textus cùm loquatur de Inquisitoribus absq. dubio comprehendit Episcopos: ipsi enim dicuntur Ordinarii Inquisitores, vt docent Rodriquez *tom. 1. qq. reg. q. 20. art. 10.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 105. n. 56.* & alij. Non enim subduntur in prædictis causis Prælatis suis, sed Inquisitoribus. Prout decreuit Paulus V. constitut. sua 26. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, quamuis pro vltramontanis idem Pontifex aliud decreuerit, vt diximus supra *verb. Abbas, num. 8. §. 2. vers. Porrò.* Rodriq. Barbosa. Paul. V.

Decimosexto, Regulares omnes coram Episcopis recõueniri possunt, quoties illi, aut ipsorum Monasteria corã illis conueniunt alios: nam si persona Ecclesiastica prorsus exempta à foro laicali, sæculares cõueniat coram illo, potest coram eodem reconueniri. Actor enim sequi debet forum rei. Vt docent communiter Canonistæ.

29. *Decimoseptimò*, Episcopi & Inquisitores procedere possunt contra Regulares audentes in publicis cõcionibus & alijs actibus publicis asserere quod B. Virgo cum originali peccato concepta fuerit. Vt censuit S. Congreg. vniuersalis Inquisitionis habita coram Paulo V. 31. Augusti 1617. & coram Gregorio XV. die 24. Maij 1622. S. Cong.

Decimooctauo, Episcopis subduntur exempti in causis matrimonialibus. Conc. Trid. *sess. 24 de ref. c. 20. §. ad hæc*, nisi habeant iurisdictionem priuatiuè ad Episcopos, vel imme- Concil. Trid.

immemorabilem pro se consuetudinem, vt censuit Sacra Congreg. Item Episcopo subduntur exempti ad hoc vt per eum possint denunciari & mandari, vt euitentur quando essent notoriè excommunicati à iure, vel ab homine.

Decimonono exempti in omnibus illis subijciuntur Episcopo, quæ ad ordinem Episcopalem pertinent, v. g. in consecratione Ecclesiarum, petitione Chrismatis & similium, *cap. Veniens*, vbi Abbas *notab.2. de præscript.* Abbas.

Episcopus cognoscit contra exemptos in omnibus criminibus actualem, seu solemnem degradationem requirentibus, Episcopi enim est degradare, non alterius inferioris, *cap. Degradatio, de pœnis in 6.*

Porrò Ordinarius habet authoritatem in populum Ecclesiæ exemptæ; quamuis enim Ecclesia exempta sit, tamen populus, nisi sit exemptus, subditur Episcopali iurisdictioni, *cap. Per exemptionem, de priuil. in 6.*

31. Episcopus regularis transiens ad aliam Ecclesiam nõ potest secum deferre acquisita ex redditibus prioris Ecclesiæ. Ratio est, quia cũ talia bona acquisita sint ex fructibus Ecclesiæ, sunt eiusdem Ecclesiæ ex intrinseco titulo; & Episcopo conceditur tantùm vsus & administratio: vnde debent relinqui eidẽ Ecclesiæ eo ipso quòd dimittitur Episcopatus, tanquam propria illius. Præterea si esset quantitas magna pecuniæ, vel aliarum rerũ, quæ vsu consumuntur, posset ea secum deferre & in suum vsum conuertere: quod esset in magnum præiudicium Ecclesiæ: quod nõ debet operari translatio ad aliam Ecclesiam: quia Principis concessio non continet præiudicium tertij in dubio. Ita Suar. Barbosa. Suarez *de relig. tom.4 lib.3. c.16. n. 24.* Barbosa *de offic. & pot. Episc. p.3. alleg.114. n.16.* & alij. Hæc sententia nimis rigorosa ab alijs meritò existimatur, vnde cẽsent posse secũ asportare omnia illa bona, quæ acquisiuit ex fructibus suæ Ecclesiæ, & talis est praxis Prælatorum timoratæ cõscientiæ. Probatur hoc ex eo quòd fructus Ecclesiæ non ordinantur ad augenda bona ipsius, sed ad sustentationem Episcopi; & quæ superfunt liberæ ipsius administrationi; ergo quæ acquirit ex his fructibus, nõ pertinent ad Ecclesiam: quia ab Ecclesia transeunt ad Episcopũ, & cùm Episcopus non subijciatur illi Ecclesiæ, sed Pontifici: non possunt reuerti ad Ecclesiam, sed pertinent ad Pontificẽ. Præterea Episcopus regularis ratione seruitij, quod præstat Ecclesiæ, facit fructus suos, quantũm possibile est; & si nõ potest facere quoad dominium, facit saltem quoad plenam & liberam administrationẽ; & idcircò potest de ipsis disponere, & applicare ijs vsibus, quos cẽnet honestos, ergo eos & sibi in vsum proprium vsque ad mortem, non secus ac posset applicare alteri, cùm sit capax talis vsus perpetui. Aliàs possent alij magis participare de fructibus suæ Ecclesiæ, quàm ipse posset. Ita sentiunt Calderinus *de rebus Eccles. cons.12.* & alij quos citat, & sequitur Pasqualigus *in decis. moral. decis.129.* Calder. Pasqual.

32. Quidam sentiunt bona Episcopi regularis Titularis spectare ad Monasterium etiamsi talis Episcopus sit confirmatus; quia nec sedem habet, nec iurisdictionem acquisiuit. Ita Portel *in dub. Regul. verb. Episcopus, n.6.* Rodriquez *tom. 3. qq. regul. q. 69. art.4.* quem sequitur Hieron. Rodriq. *in compend. res. 60. n.7.* Verùm cùm talis Episcopus sit omninò exemptus à Religione, non secus ac cæteri, non apparet quod bona, quæ ad ipsum pertinent possint pertinere ad Monasterium, quia non communicat amplius cum communitate Religionis, atq; adeò non est amplius membrum illius. Suarez verò *tom. 4. de relig. lib. 3. cap.17. num.5.* putat acquirere fisc Ecclesiæ titulari iuris commune: quia tamen nõ possunt cum effectu ipsi applicari talia bona, in pia opera dispensanda sunt; & hæc dispensatio eidem Episcopo est commissa. Sed non soluit difficultatem. Si enim sunt commissa Episcopo secundùm dispensationem, debent esse alicuius secundùm ius: & cùm non possint Ecclesiæ titulari cum effectu applicari: iam talis Ecclesia non acquirit ius; præsertim, quia reuera non adest talis Ecclesia secundùm substantiam, sed solùm secundùm titulum. Proinde verior & tenenda est illorum sententia, qui docent bona regularium Episcoporum Titularium pertinere ad Pontificem; & idem dicendum esse de bonis Episcoporum regularium, qui dimiserunt Episcopatum, & ad nullum alium translati sunt. Ratio prioris est, quia ratione dignitatis Episcopalis remanent omninò à quocumque exempti, & solùm Pontifici subijciuntur: & quia bona sequuntur conditionem personarũ, sequitur quod bona ipsorum subijciantur Pontifici; quia ius quoque ipsorum Pontifici eidem subijcitur. Ratio posterioris est, quia dimisso Episcopato retinent tantùm dignitatem & titulum. Ita Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.114. num.30.* Azotius *tom.1. lib.12. cap.10. q.7. in fin.* Sanchez *lib.7. moral. cap.32. num.68.* & alij.

Portel. Eman. Rodr. Hieron. Rodr. (margin, §32)

Barbosa. Azor. Sanch. (margin)

33. Varij verè sentiunt, à quonam tempore religiosus factus Episcopus desinat acquirere monasterio, incipiatq; Ecclesiæ acquirere? Quidam enim censent à tempore cõsecrationis incipere acquirere Ecclesiæ & vsque tunc acquirere monasterio: quia per consecrationem fit verus Episcopus. Ita Glossa *cap.1. v. Dedicanda, de religiosis domibus.* Portel *in dub. reg. v. Episcopus n.12. in addit.* & alij. Glossa. Portel.

Secunda sententia docet à die acceptationis corporalis possessionis Ecclesiæ; quia licet ante hanc acceptationem iurisdictionem Episcopali potiatur, si est confirmatus; at nõ dicitur plenè in Ecclesiam translatus, donec corporalem eius possessionem nactus sit. Ita Ancharanus, Imola, & alij iurisperiti apud Sanchez infra. Probabilior tamen sẽtentia & sequenda sustinet, tunc desinere acquirere monasterio, quando à Pontifice confirmatur Episcopus. Ratio est, quia eo ipso, quòd eximitur à iure monasterij, desinit ipsi acquirere: cùm tunc ius ipsius non sit amplius ius monasterij; eximitur autem statim ac post nominationem ad Episcopatum confirmatur à Pontifice: quia eximitur per id, quod transfertur ad statum Episcopalem; transfertur autem per confirmationem, cùm per ipsam verè constituatur Episcopus. Ita Sanchez *lib.7. moral. cap.32. n.67.* Rodriquez *tom.2. Sum. cap.72. & tom.3. qq. regul. q.69. art. 4 in fin.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 114. n. 29.* Faustus *in theſ. Religiof. lib.8. quæſt.46.* & alij. Anchar. Imola. Sanchez Rodriq. Barbosa. Faust.

34. Dubium est, an vota specialia Religionis cessent in Episcopo regulari, si sint compossibilia cum statu Episcopali? Negant Caietanus *2.2. quæſt.185. art.8. dub. 2.* Sotus *lib.vlt. de iuſtit. & iur. quæſt. vlt. art. vlt. verſ. Sed contra.* Suarez *de relig. tom. 4. lib.3. cap.17. num.7.* Ratio illorum est, quia status religiosus, quoad substantiam est immutabilis: vnde semper manere debent, quæ pertinent ad substantiam; qualia sunt omnia vota. Quando autem regularis fit Episcopus, fit tantùm maxima mutatio accidentalis. Deinde obligatio voti est personalis, vnde sequitur personam quocumque tendat. Hæc sententia est valdè probabilis, quam sequuntur plures recentiores. Nihilominus sententia affirmans huiusmodi vota cessare in regulari creato Episcopo non minus est probabilis & fortè probabilior. Probatur, tum quia intentio vouentis est mensura obligationis ex voto, nec votum plus obligat, quàm intendat se obligare vouens, vt docent communiter Theologi ex D. Thom. *2.2. q.189. art. 4. in corp.* Cùm autem quis profitetur in illa Religione, & emittit specialia vota illius Religionis, intendit se obligare per illa, quatenus se obliget ad regulam Religionis, & in tantùm subsistat obligatio votorum, inquantùm subsistet obligatio ad regulam. Sed cùm regularis per assumptionem ad Episcopatum liberetur à iugo regulæ iuxta *cap. Statutum 18.q.1.* liberatur etiã ab his omnibus, quæ habent fundamentum in regula & ad quæ regularis ratione regulæ se obligauit: ergo ablato fundamento tolluntur etiam quæ in ipso fundantur. Sic Sanchez *lib. 6. Moral. cap.6. num. 15.* Lezana *part. 1. qq. regul. cap.17. n.10.* Palaus *part. 3. tr. 16. disp.4. punct.24. n.5.* Et hanc sententiam tenent etiam doctissimi recentiores. Caiet. Sotus Suarez. D. Tho. Sanch. Lezana. Palaus.

An autem Episcopi regulares teneantur voto paupertatis, obedientiæ, & castitatis. Vide *to. 2. V. Religio 1. n.8.*

35. Ex dictis probabile est, religiosos Sanctæ Mariæ de Mercede assumptos ad Episcopatum non amplius obligari voto de redimendis captiuis. Probatur, quia hoc votum est ordinatum ad confirmandam obligationem illius regulæ, quæ habet pro obiecto, incumbere redemptioni captiuorum. In Episcopo autem cessat obligatio regulæ, quia eximitur ab ipsa, ergo etiam votum, quo confirmatur huiusmodi obligatio. Ita Palaus *loco citato punct. 24. num.6.* & alij. Palaus.

Item Fratres Minimi S. Francisci de Paula assumpti ad Episcopatum absoluuntur à voto quadragesimali vitæ, quod est ipsis solemne. Ratio est, quia huiusmodi votum non

non est simpliciter personale, sed personale regulare; hoc est, non est personæ quomodocumque, sed personæ subiectæ tali regulæ; solum enim emittitur à persona vt membro Religionis. Quando autem assumitur ad Episcopatum, desinit hoc membrum Religionis & persona subiecta tali regulæ; & ideò votum non sequitur personam, quia non est illius personæ quocunque modo, sed vt subiectæ regulæ, & vt est membrum illius Religionis. Ita Sanchez *lib.6.moral.cap.6.num.*20. Diana *part.3.tract.2.resol.*50. Palaus *cit.num.*6. Barbosa, Cenedo, & alii. Contra Suarez, & Sotum. Similiter religiosus Episcopus, si edat carnes Feria sexta in quam Natalis Domini incidit, contra id quod præcipitur in sua regula nō peccabit, propter rationes suprà, vt Sanchez, & Diana animaduertunt cum Authoribus à se citatis.

Sanch. Dian. Palaus. Barbosa. Cenedo.

Sanchez Diana.

36. An votum solemne Patrum Societatis Iesu, quo se obligant obedire Pontifici circa Missiones, permaneat in Episcopis assumptis ex eadem Societate? affirmat Suarez *tom.4 de relig.tract.8.lib.3.cap.18.num.8.* quia votum est immutabile, cùm sit solemne: & talis Episcopus est capax, vt possit à Pontifice obligari, vt transeat ad alium Episcopum, etiam apud infideles. Sed probabile est cessare huiusmodi votum: quia Patres illi non intendunt se obligare voto, nisi in quantum se obligant instituto Religionis: cessante ergo obligatione instituti, cessat etiam obligatio voti, vtpote quia cessat eius fundamentum.

Suarez.

Ad rationem Suarez posset responderi; solemnitatem reddere votum immutabile secundùm capacitatem suæ naturæ: vnde quando votum est tantùm pro aliquo statu, reddi tantum immutabile pro illo statu; non autem succedente alio statu: quia variatio status est essentialis, & ideò excludit ea, quæ sunt facta in ordine ad obligationem prioris status; & cessant obligationes assumptæ in ordine ad ipsum. In casu autem nostro votum est factum pro statu Religionis. Ita Doctores *cit. num.*34. pro affirmatiua, quibus adde Pasqualigum *in decis. moral. decis.* 274. qui idem dicendum putat de voto simplici solito emitti in eadem Societate, de non laxanda paupertate, sed potius restringenda: item de non procuranda & ambienda dignitate: item de denunciandis ambientibus dignitates: item de non acceptanda dignitate extra Religionem, nisi ex præcepto obedientiæ: item de audiendis consilijs Patris Generalis, si eligantur in præsidem alicuius Ecclesiæ. Hæc enim vota non amplius obligant Episcopos ex Patribus Societatis assumptos, quia sunt vota regulæ, seu Constitutionum eiusdem Societatis, ad quarum obseruantiam non tenentur Episcopi. Ita ille *decis.* 275. 276. 277. 278. & 279. vide dicta suprà *Verb. Cardinalis num.* 9. & 10.

Pasqual.

37. Quorundam sententia est Episcopum regularem deposito Episcopatu non esse amplius exemptum à regula & votis, sed teneri redire ad Monasterium. Ita Abulensis, Arragon, Azorius. Quia Monachus, si præficiatur alieno Monasterio redire tenetur, si præfecturam dimittat. Dicendum tamen est, manere Episcopum exemptum eodem prorsus modo, ac erat antea, quando dimittit Episcopatum, non solum respectu regulæ, sed etiam respectu votorum. Ratio est, quòd ratione dignitatis Episcopalis cum eo legitimè dispensatum sit, exemptusque sit ab obligatione obediendi Prælatis Religionis & obseruantiarum regularium. At hæc non cessat deposito Episcopatu, ergo non extinguitur dispensatio, quia ad eius extinctionem oportet vt omninò eius causa cessarit. At totalis huius dispensationis causa est dignitas Episcopalis cum animarum cura. Quamuis ergo cessarit cura animarum, non cessat dignitas & perfectior status ratione Episcopatus adeptus; & sic causa partim manet, quod ad conseruandum dispensationis valorem satis est. Tum quia tota exemptio in Episcopis consequitur ad statum, vnde permanente statu Episcopali, permanet etiam exemptio: quia alioquin qui sunt in statu sublimiori subijcerentur ijs, qui sunt in statu inferiori, quod esset quid inordinatum. Ita Nauarrus *lib.* 3. *consil. cons.* 15. *de regular. num.* 11. & *seq.* Henriquez *lib.* 10. *de Sacram. Ordin. cap.*32. *num.*4. Emanuel Sà *verb. Episcopus num.* 11. Layman *lib.4.tract.5.cap.*1.*num.*9. Sanchez *lib.*6. *moral. cap.* 6. *num.* 29. Et hoc habet locum etiam in Episcopo qui ob demeritum deponitur, nam depositio priuat tantùm administratione, non autem dignitate & gradu, & ideò remanent in ipso quæ sunt dignitatis & gradus, qualis est huiusmodi exemptio.

Abulen. Arragon Azor.

Nauarr. Henriq. Sà. Laym. Sanchez

38. Episcopus regularis degradatus non remanet exēptus à votis: quia per degradationem exuitur priuilegijs, ratione dignitatis concessis, vnde aufertur etiam huiusmodi exemptio. Ita Sanchez, Henriquez, Layman *num. praced. cit.* Sed quia degradatio non tollit consecrationē nec statum Episcopalem, atque adeò nec dignitatē status, sed tantùm est quædam canonica inhabilitatio prohibens vsum Episcopalium, atq. adeò auferens vsum priuilegiorum, quæ concernunt statum Episcopalem & pertinent ad dignitatem externam, non est improbabile, quod maneant ea, quæ sunt intrinseca statui: vnde cùm exēptio à regula sit intrinseca statui, quia status ipse liberat Monachum à regula *cap. Statuimus* 18. *q.*1. Ideò manente statu manet etiam exemptio. Episcopus autem degradatus retinet statū Episcopalem. Tum quia semel liberatus à iugo regulæ non potest ampliùs ligari, nisi ipse se liget nouo obedientiæ voto. Quomodo ergo Episcopus degradatus non erit exemptus à regula, cùm iam non habeat votum, quoad illam obligetur? quia Episcopus non retinet votum obedientiæ, saltem respectu Prælatorum regularium, sed extinguitur; ergo &c.

Sanch. Henriq. Layman

39. Quidam volūt Episcopum regularem solùm eximi ab obedientia Prælatorum regularium, & ab obligatione votorum, quando accipit corporalem possessionē Ecclesiæ: aut ad summum quando consecratur, vt docent alij. Sed tenendum est, tunc eximi, quando primo à Pontifice confirmatur. Ratio est, quia quando confirmatur, incipit esse verè Episcopus acquirens dignitatem, atq. adeò statū Episcopalem: tunc enim completur contractus quo constituitur sponsus Ecclesiæ & Pastor animarum, qui in tribus actibus consistit: nempe electione, cōsensu ipsius electi & confirmatione: completo autem contractu, habetur completa mutatio vnius status in alium: atque adeò extinctio prioris status. Ita Sanchez *lib.6.moral.cap.6.num.* 32. Palaus *part.3.tract.17.disp.4.punct.24.num.*22. Lessius *lib.2.cap.40.dub.*14 *num.*113.

Sanch. Palaus. Lessius.

40. Iuxta communem Doctorum sententiam, qui emisit votum Religionis, non potest acceptare Episcopatum antequam adimpleat votum. Fundamentum huius sentētiæ habetur ex *cap. Per tuas, de voto.* Vbi Innoc. III. cuidam electo Episcopo, qui antea erat ligatus voto Religionis, & infra duos menses promiserat adimpleturum respondet, *Consulimus, vt si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes Ecclesia, & reddas Altissimo vota tua. Quod si postmodum Capitulum Ecclesiae te duxerit eligendum, electionem de te factam recipere poteris.* Vnde cū agatur de sanatione conscientiæ, non tantùm Pontifex dat consilium sed declarat etiam obligationem illius, quē etiam antea vocauerat voti transgressorem. Nihilominus opposita sententia est probabilis, & à sustinentibus illam reputata probabilior. Ratio est, quia non frangitur votū, quando in melius commutatur, seu meliùs adimpletur; vnde licet ipsum propria auctoritate commutare in melius, vt desumitur ex *cap. Scriptura, de Voto* & ex *cap. Peruenit, de iureiuran.* & traditur communiter tam à Theologis, quàm a Canonistis. Sed status Episcopalis est magis perfectus, quam regularis, tum quia requirit maiorē charitatem, cùm non tam sibi Episcopus, quàm ouibus incūbere debeat: tum quia assumit maiorem obligationem & magis se Deo dedicat, cùm debeat tanquam bonus Pastor animam suam ponere pro ouibus suis: tum quia est magis vtilis Ecclesiæ, atq. adeo cedit etiam in maiorem Dei gloriam. Ergo qui habet votum Religionis poterit satisfacere obligationi, compensando cum statu meliori, qualis est Episcopalis. Ita tenent Abbas *in c. Per tuas, n.6. de Voto.* Antonin. *ibid.n.*7. Henriq. *lib.*10. *de Sacram. Ord. c.*32. *in fin.* Rodriq. *to.*2. *sum.cap.*6.*n.*6. Pasqualigus *in decision. moral. decis.*434. qui soluit omnes rationes in contrarium facientes, allegatas à Suarez *tom.4. de relig. tract.7. lib.*1. *cap.* 19. Sanchez & alijs.

Innoc. III.

Abbas. Antonin Henriq. Pasq. Rodriq.

Ad textum autem *cap. Per tuas, de Voto.* Respondetur, quòd Pontifex non dicit quòd votum Religionis non possit commutari in statum Episcopalem, sed solùm

nolens confirmare electionem in Episcopum illius electi respondet, quòd cùm iam sit factus voti transgressor (quia infra promissum tempus illud non impleuerat) cōsulit, vt implendo votum suam conscientiam sanet, quam iam vulneraverat. Non enim fieri potest commutatio talis voti in statum Episcopalem nisi habeatur talis status; qui non habetur, nisi accedat confirmatio Pontificis; vnde si Pontifex nolit confirmare debet votum Religionis impleri; quia commutatio non habet effectum.

41. Episcopi nequeunt vouere renunciare Episcopatui, aut Religionem ingredi, inconsulto Romano Pontifice, ex cap. *Nisi cum pridem, in fine, de renunciat.* & cap. *Licet, de regular.* Quare cùm id votum sit de re ipsis interdicta, quæ cessante interdicto est materia consilij, id votum non est omnino irritum, sed includit conditionem affirmatiuam, si Pontifex concesserit: quare tenebuntur consensum Pontificium petere, eoque denegatio liberi erunt. Ita Syluester *verb. Votum* 3. *quæst.* 1. Clauis regia *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 24. *in fine.* Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de Voto, lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 8. & alij. Non tamen tenebuntur votum explicare, nisi ad id se obligarint, vel vt id votum à Pōtifice irritetur. At tenebuntur voto non explicato, petere iteratò licentiam, quando prudentia id dictauerit, vt etiam diximus tom. 2. *verb. Religio* 2. *num.* 1.

Syluest. Cla. reg. Suarez. Sanch.

42. Episcopus vouens longam peregrinationem, validum est eius votum. Probatur, quia vota subditorum de rebus sibi prohibitis, sunt licita & valida, ratione conditionis affirmatiuæ in ipsis imbibitæ, si Superior consenserit. Ergo idem est de Episcopis dicendum, cùm nulla alia subsit ratio, ob quam deberent esse irrita, nisi ratione prohibitionis materiæ. Quando tamen attentis circumstantijs iudicaretur maius Dei obsequium residere, nec petere eius absentiæ facultatem, tunc irritum esset id votum: quia tanquam obstans maiori bono non obligaret. Vt iudicat Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 25. *num.* 39 & 40. cui subscribunt Tabiena *verb. Votum* 5. *par.* 2. *num.* 1. Suarez *tract. de Voto, lib.* 3. *cap.* 4. *à num.* 4. *vsque ad* 7. Et in eo casu nulla soluendi expensas itineris remanet obligatio: eo quòd illæ non sint per se promissæ, sed tanquam accessoriæ voto personali, & ideo cessante obligatione principali cessat accessoria.

Sanch. Tabiena Suarez.

43. Quando votum Episcoporum est modicæ peregrinationis vel precum, vel abstinentiarum, quæ munus exequi non impediunt, est absolutum & obligatorium, nulla Pontificis expectata licentia. Probatur, quia nulla alia ratione est ea necessaria, nisi ne impediatur munus, ad quod ex iustitia tenetur Episcopus: ac proinde executio votorum non impedientium, nulla indiget licentia, nec pendet à dominatiua alicuius potestate, sed in his est sui iuris Episcopus ad vouendum. Ex quo deducit Suarez *tom.* 2. *de relig. tract. de Voto, lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 10. si peregrinatio non excedat tempus iure concessum Episcopo ad absentiam, esse votum absolutum & independens à Pontificia licentia: quia in illa non læditur Ecclesia. Vide Clauem regiam *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 24. Azorium *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 16. *quæst.* 2. Graffijs 2. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 23. Syluestrum *verb. Votum* 3. *quæst.* 1.

Suarez. Cla. reg. Azor. Graffijs. Syluest.

Vide verb. Absolutio *num.* 13. 20. Beneficium 3. *num.* 3. & 17. 14. Beneficium 5. *num.* 13. Commendationes Eccles. *num.* 2. & 3. Dispensatio *num.* 13. 17. & 21. *cum seq.* Donatio *num.* 45. 46. Excommunicatio 1. *num.* 7. Excommunicatio 2. *num.* 27. Excommunicatio 3. *num.* 2. Excommunicatio 6. *num.* 29. Exemptio *num.* 8. & tom. 2. verb. Legatum *num.* 24. Lex 2. *num.* 7. Matrimonium 2. *num.* 6. Matrimonium 3. *num.* 3. Oratorium, Pontificalium vsus. Prædicatio *num.* 1. & 7. Processiones *num.* 5. & 6. Residentia. Testamentum *num.* 18. & 20. Vicarius *num.* 15. Visitatio *num.* 2. & *seq.* Votum 1. *num.* 18. Votum 2. *num.* 15.

EVCHARISTIA I.

Secundùm se, & quoad illius materiam, & formam.

SVMMARIVM.

1 EVcharistiæ nomen significat *Primò*, gratiarum actionem, quia in illa quatenus est sacrificium, Deum recognoscimus, ipsique gratiarum actionem pro beneficijs acceptis impendimus. *Secundò*, significat bonā gratiam, quia confert gratiam vberiorem præ cæteris Sacramentis, & confert Christum fontem gratiarum. *Tertiò*, dicitur etiam viaticum, quatenus per Eucharistiam præparamur ad gloriam. *Quartò*, dicitur etiam communio, siue synaxis, quia Christi fideles per Eucharistiam vniuntur. D. Thomas 3. *part. quæst.* 73. *art.* 4. Toletus *lib.* 2. *cap.* 30. Filliucius *tract.* 4. *cap.* 1. Reginaldus *lib.* 29. *n.* 1. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 1. & alij.

D. Tho. Tolet. Filliuc. Reginal. Henriq.

2. De fide eſt, Euchariſtiam eſſe verum ac proprium nouæ legis Sacramentum; quia illi conuenit definitio Sacramenti, & hoc definitum eſt in Concilijs Florentino *inſtr. Armen.* Concil. Trident. *ſeſſ. 7. cap. 1.* & alijs. Quia eſt ſenſibile ſignum ad noſtram ſanctificationem inſtitutum: nam gratiæ promiſſio habetur *Ioannis* 6. Exhibitio promiſſionis *Matth.* 26. vbi etiam additur præceptum, vt ſit cæremonia ſtatuta & ſolemnis, *hoc facite in meam commemorationem*, vt dicitur *Luca* 22. Fuit autem conueniens legi Euangelicæ, quæ eſt perfectiſſima, vt tale aliquod Sacramentum contineret: nam Chriſtus Dominus eſt verus animarum cibus, ac propterea maximè decuit, vt quemadmodum cibus reficit corpus media quadam reali vnione cum ipſo viuente: Ita Chriſtus modo quodam ineffabili præſens adeſſet, vt per modum cibi & potus nobis realiter coniunctus, nos ſpiritualiter reficeret, & quodammodo transformaret.

Conc. Fl. Cõc. Tr.

3. Euchariſtia *eſt Sacramentum quod ſub ſpeciebus panis & vini continet corpus & ſanguinem Chriſti ob conſeruationem ſpiritualis vitæ per Baptiſmum acceptæ*; in hoc Sacramento ſunt illa *tria* communia omnibus Sacramentis, nempe *Sacramentum* tantùm, *res* tantùm, *res & Sacramentum*. *Sacramentum* tantùm, ſunt ſpecies conſecratæ, quia tantùm ſignificant & ſunt ſenſibiles. *Res* tantùm, eſt gratia quæ eſt effectus. *Res & Sacramentum*, eſt Chriſtus, qui ex modo quo continetur ſub ſpeciebus, & ſignificatur, & ſignificat gratiam vt reficientem animam. Suarez *diſp. 39. ſect. 1.* Valentia *tom. 4. diſp. 6 quæſt. 1. punct. 1.* Filliucius *cap. n. 21. 22.* Syluius *3. p. quæſt. 73. art. 1. concl. 2.* & alij.

Suarez. Valentia Filliuc. Syluius.

4. Euchariſtiæ Sacramentum in multis differt à reliquis. *Primo* enim, reliqua Sacramenta conſiſtunt in vſu, & applicatione materiæ ipſorum ad ſuſcipientem, ita vt tali applicatione abſoluta, deſinant eſſe Sacramenta; hoc verò Sacramentum non dependet ab vſu & applicatione, ſed ante vſum, habet per conſecrationem eſſe permanens, quamdiu conſeruantur ſpecies ſacramentales. *Secundò*, in alijs Sacramentis materia & forma ſunt res ſucceſſiuæ; & ideò moraliter ſunt ſimul & pereunt; in hoc autem forma tantùm ſucceſſiua eſt & tranſit, materia permanet ſeu eſſe Euchariſtiæ eſt permanens, duratque poſt applicationem formæ ad materiam. *Tertiè*, in cæteris Sacramentis, gratia & Sacramentum non ſunt aliter, quàm in ſuſcipiente; in Euchariſtia verò, Sacramentum eſt extra ſuſcipientem, & antequam producat in illo gratiam quam ſignificat. *Quartè*, nihil eſt aliud in alijs Sacramentis præter materiam & formam, in hoc præterea eſt corpus; vnde eſt cæteris excellentius, quia ſacratiſſimum, continens rem maximè ſacram, ratione cuius, ſcilicet rei contentæ, omnia Sacramenta ad hoc referuntur, & idcircò dicitur conſummatio cæterorum. D. Thomas *cit. artic. 1. ad 3.* Reginaldus *cit. num. 4.* Valentia *cit. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 1.* Coninck *3 part. quæſt. 73. art. 1. n. 20.* Concil. Trident. *ſeſſ. 13. c. 3.* Suarez *cit. ſect. 2.* & alij.

D. Th. Regin. Valentia Coninch Cõc. Tr. Suarez.

5. Euchariſtiæ Sacramentum, eſt vnum formaliter & numero; ratio prioris eſt, quia habet vnam definitionem & eſſentiam, & licet ad eam concurrant variæ res materialiter diſtinctæ, tamen omnes conficiunt vnum Sacramentum formaliter; *ratio* poſterioris eſt, quia omnes ſpecies vbicumque ſint, vnum numero Sacramentum ſunt, ratione vnius Chriſti numero, qui ſub omnibus continetur. D. Thomas *cit. art. 2.* Suarez *cit. ſect. 3. & 4.* Reginaldus *cit. n. 6.* Filliucius *cit. num. 25. 26.* Bonacina *tom. 1. diſp. 4. q. 1. p. 4.* & alij.

D. Th. Suarez. Regin. Filliuc. Bonac.

6. Euchariſtiæ Sacramentum *Luca* 22. *Marc.* 14. à Chriſto inſtitutum fuit prima die azymorum, in vltima cœna, quo tempore panis fermentatus non reperiebatur in omnibus finibus Iſrael, iuxta præceptum Domini. *Exodi* 12. & 13. vnde conuenientiſſimè tali tempore fuit inſtitutum hoc Sacramentum ante Paſſionem Chriſti, tùm vt exhiberet tunc maximum amoris ſignum, tum etiam vt ipſa oblatio ſacrificij incruenti meritoria eſſet, & ſatisfactoria, quod non poſt reſurrectionem ſucceſſiſſet. D. Thomas *cit. art. 5.* Syluius *ibidem*, Suarez *diſp. 39. ſect. 1.*

D. Th. Syluius. Suarez.

7. De fide eſt, vt conſtat ex Concilijs Florentino *in decret. vnion.* Concil. Trident. *ſeſſ. 13. c. 3.* materiam huius Sacramenti eſſe panem & vinum; quia in his Chriſtum conſecraſſe corpus & ſanguinem ſuum, patet ex Euangelica hiſtoria: ad perficiendum autem hoc Sacramentum non eſt neceſſarium vtramque materiam concurrere, ſed vna ex illis, priùs tempore validè conſecratur, quàm altera, vt conſtat ex facto Chriſti: illicita tamen eſt vnius materiæ conſecratio, ſine conſecratione alterius; quia licet vnius materiæ conſecratio, non ſit de neceſſitate alterius, vtraque tamen eſt de integritate ſacrificij, quod peragitur, dum hoc Sacramentum perficitur; diuiſio enim vnius eiuſdemque myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire; ſic habet communis Eccleſiæ vſus omnium Theologorum doctrina, D. Thomas *3. p. q. 74. art. 1.* Suarez *diſp. 43. ſect. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 19. q. 5.* Reginaldus *cit. n. 12. 13.* Syluius *3. p. q. 74. art. 1. concl. 1.* & aliorum.

D. Th. Suarez. Azorius. Regin. Syluius. Conc. Fl. Cõc. Tr.

Sed inquires, an ordo ſpecierum ſit de eſſentia ſacrificij, vt videlicet primò conſecretur panis, deinde vinum? Reſp. eſſe ſtrictiſſimum præceptum, non videri tamen impediri ſacrificium, ſi contra fiat, ac proinde ſi quis naturali obliuione, aut ſubita turbatione, vel alia de cauſa conſecraret calicem ante corpus Domini, poſſet ſtatim alteram conſecrationem adijcere ad ſacrificij complementum.

8. Quandoquidem neceſſarium ſit, neceſſitate præcepti, ad integritatem ſacrificij, ſub vtraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, conſecrare, *c. Comperimus, de conſecr. diſt.* 2. controuertitur tamen inter Doctores, quo præcepto Sacerdos ad id teneatur; quidam, vt Nauar. *cap. 25 num.* 91. Tabien. *v. Euchar. 1. num. 2.* & alij apud Suarez contendunt ſolum teneri ex præcepto Eccleſiaſtico: quia Chriſtus *Luca* 24. confecit hoc Sacramentum ſub vna tantum ſpecie, quando eum diſcipuli cognouerunt in fractione panis, ideo coniunctio vtriuſque non eſt de præcepto diuino. Probabilior tamen ſententia ait, quæ eſt Suarez *diſp. 43. ſect. 3.* Syluius *c. concl. 2.* Reginaldus *c. n.* 13. Filliucius *cit. num. 64.* Bonacina *to. 1. diſp. 4. q. 2. punct. 3. num. 5.* in quam inclinare videtur D. Thomas *c. q. 80. art. 12. ad 3.* ex præcepto diuino conficiendum eſſe ſub vtraque ſpecie; quia ex diuina inſtitutione vtraque ſpecies eſt de integritate ſacrificij ſubſtantiali, vt patet vſu, traditione, & Conciliorum decretis; & Sacramentum hoc non conficitur niſi in ſacrificio, idcirco eodem iure ſub vtraque ſpecie conficiendum erit; hinc ſi moriatur Sacerdos finita conſecratione, ab altero Sacerdote perficiendum erit ſacrificium, ne maneat imperfectum, ſub vtraque nempe ſpecie communicando. Quamuis enim conſecratio vnius ſpeciei ſufficiat ad Sacramentum, non tamen ad ſacrificium Euchariſtiæ: nam debet ad viuum repræſentare paſſionem Chriſti, iuxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, & illud Apoſtoli, 1. ad Cor. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*. Non repræſentat autem vna ſpecies, ſed duæ ſimul iunctæ: quando ex vi conſecrationis ſeparatim ponuntur, hinc ſanguis, inde corpus, ſic veluti ob oculos ponitur, id quod geſtum in cruce eſt.

Nauar. Tabiena

Suarez. Syluius. Regin. Filliuc. Bonacin. D. Th.

9. Præceptum diuinum de conſecrando ſub vtraque ſpecie, non eſt negatiuum, ſed potius affirmatiuum: quia dantur aliqui caſus in quibus non eſt obligatio conficiendi ſub vtraque ſpecie, v. g. *ſi conſecrata hoſtia*, Sacerdos reperiat vinum eſſe veneno infectum, nec habeat copiam alterius vini, aut inueniat non eſſe vinum in calice, nec poſſit aliud inuenire, ſaltem ſine magno ſcandalo, aut ſine vitæ periculo, aut ſi Sacerdoti poſt conſecrationem hoſtiæ immineat periculum vitæ proſequendo conſecrationem calicis, poteſt non conſecrare calicem, ſtatimque conſumpta hoſtia fugere ad præcauendum vitæ periculum, quia præceptum ſub vtraque ſpecie conſecrandi, non obligat cum tanto detrimento. Ita Suarez *diſp. 43. ſect. 4.* Henriquez *lib. 8. cap. 13.* Bonacina *cit. numer. 8. 9. & 10.*

Suarez. Henriq. Bonacin.

Ad communicandum autem infirmum morti proximum, non liceret ſub ſpeciebus panis tantum conſecrare, quamuis ad id metu mortis cogatur, alioquin peccaret contra præceptum diuinum, cum illicitum ſit de ſe, formaliter directeque, intendere ſacrificij mutilationem,

facere.

Regin. Viuald. Angles. Syluius.

facereque facrificium imperfectum. Vt docent Reginaldus *cit.num.*14.*&* 15. Viualdus *de Euchar.cap.7.num.*21. Angles *de Euchar.q.*1.*art.*3.*diff.*4 Syluius *c concl.*3.& alij contra Adrianum, Alenfem, Maiorem, apud Suarez citatum hic.

Henriq. Angelus

10. Magna controuerfia eft, an publica Ecclefiæ fummique Pontificis authoritate, Sacerdos licitè poffit confecrare vnam Euchariftiæ partem, fine alia, affirmant quidam probabiliter apud Henriquez *cit.num.*1. *litt. A.* Angel. *v. Euchar.* 1.*num.*20. quia Summus Pontifex in multis confueuit difpenfare, quæ funt de iure diuino, vt in voto, iuramento & matrimonio rato. Communior tamen & probabilior eft oppofita fententia negans. Suarez *cit conclus.*3. Filliucius *cit.num.*66 Reginaldus *cit.num.*15. Bonacina *cit. num.*13. Syluius *cit. concl.*3. & aliorum Summum Pontificem poffe in hac re difpenfare, quia in tota Ecclefia nullus eft talis difpenfationis vfus, nec vnquam in hac re Summus Pontifex difpenfauit.

Suarez. Filliuc. Regin. Bonac. Syluius.

Ratio eft, quia hoc Sacramentum eft effentialiter inftitutum in facrificium realiter expreffiuum cruenti facrificij crucis: ergo ficut illud importat realem, ita hoc facramentalem feparationem corporis à fanguine: quia repræfentans debet exprimere repræfentatum; fed ratio perfecti facrificij præualere debet cuicumque vtilitati animarum: nec fufficit, vt fanguis implicitè tantùm repræfentetur fub fpeciebus panis, vel contra: nam vt fit expreffiuum cruenti facrificij, debet vtrumque exprimi fub forma vifibili. Minor probatur, ratio facrificij refpicit immediatè cultum Dei; vtilitas verò animarum, quam refpicit vt Sacramentum, non eft fimpliciter neceffaria: fed cultus Dei præualere debet cuicumque bono non neceffario animarum: ergo.

11. Materia remota Sacramenti corporis Chrifti, eft panis triticeus, vt probari poteft ex Chrifti inftitutione, qui in azymo confecrauit, & confequenter tritico, vt Ecclefiæ declaratione, & traditione perpetua confirmatum eft: fub nomine tritici, Doctores non comprehendunt milium, auenam, feu fpeltam, panicum, lolium, far, & hordeum, quia fpecie differunt à tritico, vnde in pane ex illis granis confecto minimè fieri poteft confecratio: pro materia dubia apud Doctores habentur, fpelta, far, & filigo, quia dubium eft an fint triticum, quibufdam affirmantibus, alijs negantibus: ideò grauiter peccaret confecrans in illis: multò minùs panis ex leguminibus, aptus erit confecrationi, vt ex fabis, caftaneis, ciceris, amygdala, & reliquis. Vide D. Thomas 3.*p. q.*74. *art.*3. Syluius *ibidem* Vafquez 2.*p.difp.*170.*c.*1.*&* 2. Valentia *tom.*4.*difp.*6. *q.*2. *p.*1. Graffijs 2.*p.l.*1.*c.*6.*n.*4. Toletus *l.*2.*c.*25.*n.*2. Filliucius *cit.n.*76.77.& alio.

D. Th. Syluius. Vafquez Valentia Graffijs. Toletus. Filliuc.

Cæterum notandum eft, *Primò* apud varias nationes effe varia genera frumentorum, quæ non eodem nomine ab authoribus defignantur. Vnde videntur aliquando diffentire cùm tamen in re conueniant, ac proinde diligenter aduertendum eft quid quifque fcriptor illis nominibus fignificet, vel potius medici confulendi funt, & agricolæ, qui in hoc negotio Theologis longè funt peritiores. *Secundò*, nota fieri aliquando mixtionem ex granis partim aptis, partim ineptis, vel etiam ex alia materia v. g. cùm triticum non eft bene purgatum, & tunc diftinguendum eft, nam fi mixtio fit imperfecta, per folam iuxta pofitionem, tunc partes triticeæ confecrabuntur, etiamfi fint minimæ, aliæ non: fi mixtio fit perfecta, per generationem vnius compofiti naturalis; tunc fi maior pars cum notabili exceffu fit triticea, trahet reliquam partem in fuam fpeciem; per contufionem vel concoctionem, & tota materia erit confecrabilis; fi fit minor vel æqualis, non poterit confecrari, quia vel trahetur ad fpeciem partis maioris, vel ex vtraque fiet vnum tertium, ab vtraque diftinctum. Sed de his vide Suarez *difp.* 44.*fect.*1.

Suarez.

12. Ex communi Theologorum fententia, vt panis triticeus cenfeatur accommodata materia ad Euchariftiam, quatuor requiruntur. *Primò*, vt fit purus feu immixtus, id eft, ex frumento folo & aqua fola, abfque mixtione notabili alicuius liquoris, & alterius humidi, feu alterius fpeciei à frumento. Vnde neceffitate Sacramenti, requiritur aqua naturalis, quæ cum farina triticea coagmentetur, eft fententia communis contra Caietanum 3.*p. q.*74. *art.*7. qui exiftimat fufficere aquam rofaceam, vel fimilem, quia, inquit, eft materia tranfiens, & panis inde confectus fortè non differret, nifi odore. Sed probatur quia talis panis non eft humanus, qui in communi vfu verfetur, qualem folum Dominus voluit effe materiã huius Sacramenti: nam & ob eam caufam panis confectus ex farina triticea & oleo, lacte, ouis, butyro, melle, &c. non eft idonea materia, quia non eft panis vfualis: fi tamen hæc mifcerentur in parua quantitate, confecratio teneret, nifi qualitas mixti obftaret, vt fortè fieret in pane piperato. Ad rationem verò Caietani poffet refponderi, quod, etfi aqua rofacea fpecie phyfica effentiali non differat à naturali; faltem diftinguitur forma artificiali, & vfuali, quod in Sacramentis fufficit.

Caietan.

Secundò, debet effe coagmentatus ex farina triticea, eaque non corrupta, fed feruante fuam naturam, ficut panis ex tali farina confectus, debet perfeuerare in fua fubftantia, fi enim corruptus fit, vt fpeciem fuam mutauerit, iam non eft panis, neque fufficiens materia Euchariftiæ. *Tertiò*, vt fit coctus igne per modum affationis, vt in furno, aut fub cinere, aut ferro calido, vnde maffa cruda non poteft effe materia; neque fi oleo aut butyro frixa, aut aqua elixa fit, quia non eft panis vfualis, & communis. *Quartò*, debet effe azymus, id eft abfque fermento in Ecclefia Latina, in Græca verò cum fermento; adeo quod peccaret mortaliter Sacerdos Latinus in fermentato confecrans, & Græcus confecrans in azymo, quia quifque confuetudinem fuæ Ecclefiæ tenetur obferuare, quamuis confecratio valida effet. Ita D. Thomas *cit. art.* 7.*ad* 3. Sotus *in* 4.*d.*9.*q.*1.*art.*3. Bonacina *cit.q.*2.*p.*1.*num.*3. Reginaldus *cit.num.*21. Toletus *cit. num.*2. Filliucius *num.*78.79.*& feq.* Suarez *difp.*44.*fect.*2. Syluius 3.*p. q.*74. *art.*4. Diana *p.*3 *tract.*6.*ref.*99. & alij. Imo neque pro viatico miniftrando infirmo, licet Latino Sacerdoti in Ecclefia Latina, confecrare in fermentato, neque Græco in azymo; quia licet præceptum communicandi in fine vitæ fit diuinum, & confecrandi in azymo, vel fermentato fit humanum, tamen illud eft affirmatiuum, quod non obligat, nifi quando commodè fieri poteft, & cum debitis circunftantijs; hoc autem eft negatiuum, quod femper obligat refpectu propriarum Ecclefiarum. Ita Henriquez *cit.cap.*13. Suarez *c.difp.*44.*fect.*3. Bonacina *cit.n.*9. *&* 11.

D. Th. Sotus. Bonacin. Regin. Toletus. Filliuc. Suarez. Syluius. Diana.

Henriq. Suarez. Bonac.

Sed controuerfia eft inter Latinos, àn interdum licitum fit, vel Latino in fermentato, vel Græco in azymo confecrare? Refp. in duobus cafibus licere, quorum *Primus eft*, ad fupplendum facrificium; quia maius præceptum eft integritas facrificij, cùm fit diuinum, quàm determinatio materiæ, quæ eft humanum. *Secundus eft*, quando Latinus iter facit per Ecclefiam Græcam, vel Græcus per Latinam, vterque poterit fe conformare confuetudini illius Ecclefiæ, per quam tranfit, & adhuc licitè poterit feruare leges fuæ Ecclefiæ, fi nullum fit fcandalum. Secus fi fiat incola loci, quia tunc tenetur feruare confuetudinem illius Ecclefiæ, vt cæteri ciues. Nec refert quod Caput fit fchifmaticum: Quia in illis, quæ funt licita, tenemur obedire. Ita Coninck *difp.*74. *art.*4. *dub.*3.*num.*117. Amicus *de Euchar. d.*16. *fect.*1. *num.*24. Probabilis tamen eft fententia Vafquez *difp.*174. *cap.*2. Suarez *difp.*44.*fect.*4. afferens Sacerdotem peregrinum extra propriam Ecclefiam teneri ad confecrandum iuxta morem fuæ Ecclefiæ, Latinum videlicet in Azymo, & Græcum, in fermentato: quia quamuis admittatur peregrinos teneri alijs legibus, & confuetudinibus loci in quo exiftunt, non tamen lege confecrandi in fermentato aut in azymo, quia hæc lex fic eft peculiariter recepta à fubditis, vt vnufquifque morem fuæ Ecclefiæ, in qua habet domicilium, feruet.

Coninch Amicus. Vafquez Suarez.

13. Materia neceffaria, & fufficiens fanguinis Chrifti, iuxta D. Thomas *quaft.*74.*art.* 5. Azorius *tom.* 1. *l.*10. *cap.* 19, Toletus *l.*2.*c.*25 *num.*3. Reginaldus *c.num.*23. Graffijs 2.*p.l.*2.*c.*6.*num.*14. Henriquez *l.*8. *c.*12. *num.*1. Syluefter *v.Euchar.num.*4. Sà *v. Miffa num.*2. Valentia *d.*6.*q.*2.*p.*1. & alios eft *vinum vitis*, fiue fit album, fiue rubrum, & cuiufcumque conditionis fit: imo in vino miraculosè facto, confici poteft fanguinis Sacramentum: nullum autem

D. Th. Azorius. Toletus. Regin. Graffijs. Henriq. Syluest. Sa. Valentia

tem aliud, scilicet, ex pomis, moris, malo granatis, aut ex alijs fructibus, vel herbis, aut radicibus, sufficeret ad hoc Sacramentum, quia non est simpliciter vinum; ob eandem rationem neque agresta; neque acetum, apta materia huius Sacramenti, est; *mustum* autem posset esse materia, quia verè est vinum; cauendum tamen est, ne sit fæculentum, aut impurum, alioquin committeretur peccatum ex genere suo mortale, contra reuerentiam tanto Sacramento debitam; vinum vero satis decoctum, non videtur apta materia, quia speciem mutauit, nec est propriè vinum: similiter vua non potest consecrari, nam potius comedi consueuit quàm potari, & materia huius Sacramenti instituta fuit res potabilis seu vinum.

De *vino* autem *congelato* dicendum est esse sufficientem materiam, quia est substantialiter vinum, & consequenter esse probabile; non est tamen conueniens extra necessitatem in illo consecrare propter dubium, & actualem impotabilitatem; quòd si tanta esset congelatio: vt putaretur omninò recessisse naturam vini, non esset
Syluius. Diana. Filliuc.
omninò consecrandum, Syluius *cit. art.* 5. Diana *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 100. Filliucius *tract.* 4. *num.* 87. & alij. Non est materia apta calicis vinum in pane imbibitum, est tamen materia apta corporis. Primum constat, quia tale vinum imbibitum in ossa panis non habet rationem potus, qualis debet esse materia calicis. Secundum prob. talis panis, etiam vino perfusus, est simpliciter panis & comestibilis per modum cibi; igitur est apta materia corporis: Card.
Lugo. Diana.
Lugo *de Eucharist. dist.* 4. *sect.* 5. *n.* 12. Diana *p.* 9. *tr.* 8. *resol.* 65. Lora autem seu acinacium vinum, quod fit ex aqua infusa racemis priùs expressis, aut acinis relictis in fundo dolij post vinum iam defæcatum, seu decoctum, Secundùm omnes, non est materia sufficiens consecrationi; quia licet appareat vinum, non est verè & simpliciter vinum: si tamen parum aquæ, illis racemis aut acinis magna copia vini perfusis infundatur, in eo vino licitè & validè fiet consecratio.

14. Ex necessitate præcepti Ecclesiastici, modica quantitas *aqua naturalis* miscenda est vino consecrando,
Cōc. Tr. Diana. Suarez. Vasquez Conc. Trib. Coninch Regin. Bonac.
vt constat ex definitione, Concil. Trid. Florentini *sess.* 22. *can.* 7. & 9. & *cap.* 7. Diana *par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 56. Suarez *disp.* 45. *sect.* 2. & 3. Vasquez *cit. d.* 176. *cap.* 2. Concil. Tributiens. *cap.* 19. Coninck *q.* 74. *art.* 8. *num.* 140. Reginald. *cit. num.* 27. Bonacin *a cit. par.* 4. *num.* 56. & aliorum, antiquissimoque Ecclesiæ vsu, & perpetua traditione: quia sic creditur Christus fecisse, & repræsentatio fit aquæ & sanguinis è latere Christi effluxi, significaturque effectus Sacramenti, vnio videlicet Ecclesiæ cum Christo. Ex quibus sequitur Pontificem posse dispensare vt vinum sine aqua consecretur, quod notat Henriquez *lib.* 8. *cap.* 13. v. g. si in regione polari aqua statim vinum constringeret. Non posset tamen id fieri ab homine priuato, etiam ob grauem necessitatem, quia est præceptum Apostolicum graue: imò nec omnino improbabile est esse præceptum diuinum. *Aduertendum* tamen est Sacerdoti, ne tantam aquæ copiam adhibeat quantum est vinum; imò curare debet, ne quantitas aquæ tertiam vini partem excedat, propterea sufficit quælibet guttula sensibilis, quæ simul est materia siue conuersa sit in vinum, siue non: circa *tempus* autem quo facienda est aquæ mixtio, standum est consuetudini cuiuslibet Ecclesiæ; aliqui enim in principio Missæ talem mixtionem faciunt, & alij post Euangelium: *Si verò* ex obliuione Sacerdos aquam non infudit & illud aduertit ante consecrationem, debet illam statim apponere; *si autem* perfecta consecratione aduertat, non potest eam apponere, quia nullum extat præceptum ad infundendum aquam peracta consecratione, sed ante illam. Hæc autem aqua debet esse naturalis vt dictum est, seu elementaris: nam significat aquam, quæ de latere Christi exiuit, quæ fuit aqua naturalis, vt definitur in cap. *In quadam de celebrat. missar.* Quare grauiter peccaret, qui misceret aquam rosaceam, vel similem: qui vero aquam turbidam aut alias vitiatam peccaret venialiter contra reuerentiam Sacramenti.

Sed petes à quo mixtio facienda sit? Resp. à Sacerdote qui sacrificaturus est; nam hic perfectè Christum repræsentat, qui suo sanguine populum redemit. Non constat tamen hoc esse præceptum; nam in missis solemnibus Subdiaconus aquam à Sacerdote benedictam infundit in calicem iuxta missale Romanum: & vnusquisque tutus erit, si sequatur approbatam Ecclesiæ suæ consuetudinem.

Sed dubium est, an sit peccatum mortale miscere in missa aquam calidam vino, etiamsi sit naturalis? Affirmat Fagundez *in prac.* 3. *Ecclesia lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 14. Fagund:
quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, & noui ritus introductio, licet Sacramentum teneat. Sed hoc est nimis durum, ait Diana *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 18. quia non Diana.
est mutatio grauis ritus: vnde si in aliqua frigidissima regione esset consuetudo miscere aquam calidam ne forte vinum congeletur, posset sine vllo peccato id fieri.

Porrò aqua quæ vino admiscetur, non conuertitur immediatè in sanguinem Christi iuxta probabiliorem sententiam D. Thomæ *quæst.* 74. *art* 8. Azorij *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 28. Vasq. *cit. dist.* 178. *c.* 2. Filliuc. *cit. n.* 91. Syluius *c. q.* 74. *art.* 8. & eius sequacium, sed mediatè, id est, mediante vino, in quod aqua priùs conuertitur, quia totum illud conuertitur in sanguinem Christi, quod est materia apta sanguinis, & demonstratur per particulam *Hic*, sed aqua conuersa in vinum, est materia apta sanguinis, ergo &c. plura de hac materia Theologis scholasticis disputanda relinquimus.
D. Th. Azorius. Vasquez Filliuc. Syluius.

15. Materia consecranda in corpus & sanguinem Christi, debet Sacerdoti esse præsens localiter, seu sensibiliter, quia sic est Christi institutio cum Ecclesiæ traditione fundata in verbis formæ, *Hoc* vel *Hic* quæ designant rem sensibus præsentem: vnde materia debet esse aliquo modo coram homine, ita vt digito vel alio simili signo indicari possit, non autem à tergo, quamuis vt etiam sine peccato fiat consecratio, debet designatio fieri ex vi solius vocis & esse conformis vsui Ecclesiæ; non debet item materia esse nimis distans, etiamsi oculis videri possit: non est tamen necesse, vt in manibus habeatur, aut à ministro tangi possit, vel vt sonus perueniat ad materiam, vel vt tota distantia pateat oculis, nam validè consecratur vinum in calice cooperto contentum, sicut & formulæ in custodia clausa, aut occultatæ sub alijs formulis, aut coopertæ velo: secùs dicendum, si paries intercederet aut clausæ essent intrà tabernaculum. Suarez *cit. disput.* 43. *sect.* 5. Valentia *cit. dist.* 6. *q.* 2. *p.* 3. Toletus *l.* 2. *c.* 25. *n* 5. Henriquez *l* 8. *cap.* 14. Bonacina *cit. p.* 6. Reginaldus *cit. num.* 16. Filliucius *cit. num.* 67. 68. 69. & alij. Periculosum tamen est Sacerdoti non discoopertis vasis, vbi sunt hostiæ, eas offerre aut consecrare, & si ex negligentia culpabili saltem sub consecratione non discooperiat, videtur non posse excusari à peccato mortali: non ob Rubricæ transgressionem; sed quia non curat habere certitudinem omnimodam moralis præsentiæ hostiarum, & intentionis certo terminatæ ad illas, quæ negligentia in tali actione videtur grauis: Quamuis enim moraliter credat Sacerdos hostias esse præsentes, quia illas forsan ibi posuit; potuerunt tamen euanuisse aut ablatæ esse. Vnde in Rubricis Missalis *cap.* 7. *de Offertorio*, & alijs vsque ad Canonem, *numer.* 3. iterum in oblatione Ordinatur: *Si fuerint aliqua hostia, &c. in alio calice seu vase pro communione populi consecranda, Calicem illum seu vas Sacerdos discooperit & intentionem suam ad illas offerendas, & consecrandas dirigens dicit. &c.* In quibus verbis prouidet Ecclesia, vt visibiles vel tactiles reddantur. Vide Dianam *p.* 7. *tract.* 10. *res.* 7. vbi quærit, an hostia existens in sacrario seu tabernaculo clauso possit validè consecrari? Ad dubium respondet negatiuè; quamuis aliqui contrarium sentiant: & pro praxi, quando casus acciderit, putat dictas particulas assumendas esse à Sacerdote post sumptum sanguinem.
Suarez. Valentia Toletus. Henriq. Bonacin. Regin. Filliuc.
Diana.

16. De necessitate Sacramenti Eucharistiæ non est certa determinataque *materia quantitas*, neque quoad magnitudinem, neque quoad paruitatem, vnde quælibet parua quantitas sensibilis, potest esse materia huius Sacramenti, modo in ea conseruari possit substantia panis vel vini, & illa quantitas quæ requiritur ad conseruandam substantiam panis, requiritur etiam ad conseruandũ

corpus

corpus Christi; quod si fortè detur parua quantitas panis, quæ non sit sensibilis, nec videri aut designari possit, non erit apta materia consecrationis; qua nuis probabile sit eam paruam quantitatem insensibilem naturaliter posse validè consecrari ab eo, cuius oculus per Dei potentiam eleuaretur ad eam videndam. Vnde non potest consecrari gutta vini cum magna aquæ quantitate mixta, quia illa non potest determinatè signari aut ostendi pronomine demonstratiuo *Hic, vel Hoc*. Similiter quælibet magna quantitas præsens constituta potest validè consecrari, sed absque ratione & fine conuenienti, immodicam quantitatem consecrare, graue esset sacrilegium; ratio prioris est, quia si quælibet magna quantitas non possit consecrari, vel hoc prouenit ex parte materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte ministri; sed ex parte nullius prouenit, quin possit consecrari, ergo. *Ratio* posterioris est, quia si quis consecret in tanta quantitate, quæ non possit opportuno tempore sumi, facit iniuriam tanto Sacramento & præter finem secundarium huius Sacramenti. D. Thomas *quæst. 73. art. 1. & quæst. 74. art. 2. ad 3.* Suarez *disp. 43. sect. 7. & 8.* Coninck *quæst. 74. art. 2. dub. 2.* Valentia *tom. 4. d. 6. quæst. 2.* Toletus *cit. numer. 5.* Viualdus *de Eucharist. 3. num. 14.* Victoria *de Eucharist. conc. 57.* Reginaldus *cit. n. 17.* Vasquez *d. 171. c. 2. & 3.* Sylnius *3 p. q. 74. art. 2.* & alij.

D. Th. Suarez. Coninch. Valentia. Toletus. Viuald. Victoria. Vasquez. Sylnius.

17. Materia vtraque consecranda, debet definiri in particulari, & determinari ex intentione Sacerdotis consecrantis. Ita Syluester *v. Eucharist. 2. quæst. 6.* Henriquez *lib. 8. cap. 14. num. 4.* Nauarr. *c. 25. num. 91.* Rodriquez *in Summ. cap. 248. num. 10.* Suarez *cit. at. sect. 6.* Bonacina *c. p. 5. num. 3. & seq.* Toletus *cit. num. 6.* Coninch *cit. numer. 37.* Filliucius *cit. num. 70.* Diana *p. 5. tract. 14. resol. 19.* & alij, quia actiones sunt particularium, vnde nisi definiatur materia particulari, nihil fiet; non requiritur tamen intentio actualis consecrandi has vel illas hostias, sed sufficit virtualis; vnde habens coram se hostias, quas consecrandas detulit, si tempore consecrationis earum non meminit, erunt tamen per virtualem intentionem consecratæ: sic etiam si duas vel tres hostias propter coniunctionem reputat vnam, omnes consecrat ex virtuali intentione consecrandi quidquid coram se habet, nisi contrarium explicè intenderet. *Intentio* tamen in confuso nihil efficit, vndè qui ex quatuor hostijs præsentibus duas tantùm intenderet consecrare non determinando illas, nullam ex ijs consecrat, quia non est materia determinata, & non est maior ratio vnius, quàm alterius: *Idem* dicendum de eo qui intenderet dimidiam partem hostiæ consecrare, sed in confuso non determinando illam, *secus* si intendat hanc partem hostiæ, non illam consecrare, tunc enim illa esset consecrata non alia, quia determinat, licet grauiter peccet propter irreuerentiam: *Item* non esset valida consecratio, si Sacerdos intenderet eas hostias aut illam hostiæ partem consecrare, quam Deus intendit; quia Sacerdos non dicitur habere intentionem & materiam humano modo determinatam. Item guttæ vini quæ sunt extra calicem, non manent consecratæ: quia Sacerdos non habet determinatam intentionem circa illas: guttæ verò, quæ sunt in calice separatæ à vino, quod est in fundo calicis, secundùm veriorem sententiam, non remanent etiam consecratæ, quia communis intentio Ecclesiæ esse videtur consecrandi omnem liquorem consecrabilem, qui per modum vnius continui in calice continetur. Ita Diana *part. 2. tract. 17. resol. 16. & part. 3. tract. 4. resol. 32.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 14.*

Syluest. Henriq. Nauarr. Rodriq. Bonac. Toletus. Coninch. Filliuc. Diana.

Diana. Layman.

An autem particulæ, vel hostiæ remaneant consecratæ, si Sacerdos habuit in sacristia intentionem consecrandi particulas, illas tamen tempore consecrationis non videt quia sacrista posuit illas in cornu Epistolæ & non super aram? Negatiuè respondent Suarez & Mercerus, quia nec Sacerdotis, nec Ecclesiæ intentio est consecrare particulas in loco indecenti, & extra corporale, quod aduertenter sine peccato non fieret. Huic sententiæ adhærent Diana *part. 3. tract. 6. res. 103. & p. 5. tract. 14. res. 19.* Marchant. *in resol. pastor. tract. 1. cap. 5.* contrarium docent Tannerus, & Gamachæus apud Dianam, citati, quia Sacerdos verè habuit intentionem consecrandi particulas, neque hanc intentionem reuocauit. Cùm igitur materia sit apta & sufficienter præsens, & ex alia parte verba sine restrictione prolata sint, nec intentio desit, ad illarum consecrationem nihil deest; & quamuis Sacerdos aduertens, particulas esse extra aram, noluisset illas consecrare; tamen reuera non habuit hanc intentionem; immò habuit contrariam, nimirum consecrandi particulas ferendas. Cæterùm quia hæc res non caret difficultate, tutius est, tales particolas reuerenter habendas esse, nec sumendas, aut distribuendas seorsim, sed simul cum alijs certis.

Diana. March.

18. Forma Sacramenti corporis Christi, sunt hæc verba: *Hoc est corpus meum*, quia vt ait Concilium Florentin. Christus instituit hæc verba pro forma, & ipse his verbis consecrauit: Hæ quatuor voces: *Hoc est corpus meum*, necessariæ sunt & sufficiunt ad consecrationem corporis, si à Sacerdote proferantur supra debitam materiam: *reliqua* autem verba canonis, quæ hæc præcedunt, vt *Qui pridie quam pateretur, &c.* non sunt necessaria necessitate Sacramenti ad consecrationem, tamen sunt necessaria necessitate præcepti, cùm spectent ad solemnem ritum ab Ecclesia præscriptum Dictio, *enim*, non est necessaria ad consecrationem, vnde illam omittens non grauiter peccaret præciso contemptu. D. Thomas *cit. quæst. 78. art. 2.* Suarez *disp. 58. sect. 1.* Henriquez *cap. 16. num. 4.* Victoria *cit. concl. 74.* Toletus *lib. 2. cap. 26. num. 1.* Reginaldus *cit. num. 30.* & alij.

D. Th. Suarez. Henriq. Victoria. Regin.

Sed dubium est, quomodo verba consecrationis sint proferenda à Sacerdote? Quidam enim putant proferri recitatiuè, seu materialiter; nam alioquin Sacerdos mentiretur dicendo, *Hoc est corpus meum*, nisi recitaret id quod Christus fecit. Alij volunt proferri significatiuè tantùm, & formaliter; nam si Sacerdos recitaret factum Christi, pronomine *hoc*, designaret illas species panis, quæ fuerunt in manibus Christi. Alij, vt Bonauentura *in 4. d. 8. 2. part. art. 1.* Sotus *dist. 11. quæst. 1. art. 5.* & inclinat D. Thomas *3. p. q. 78. art. 5.* Hurtadus *de Sacram. Euchar. disp. 3. diffic. 9.* existimant proferri recitatiuè & significatiuè simul: quia non repugnat vt aliquis simul in propria loquatur persona, & aliena v. g. si legatus verba regis sui referat simul efficaciter reum aliquem condemnando, vel absoluendo. Et hæc sententia videtur verissima. Nam quòd Sacerdos historicè & recitatiuè proferat verba, patet ex ipso Canone, *Qui pridie quàm pateretur, accepit, &c.* Quod etiam significatiuè, Prob. quia alioquin verba non applicarentur ad materiam præsentem, nec perficeretur Sacramentum. Immò nec ex vi verborum esset ibi Christus præsens, vt patet cum Sacerdos canit passionem in hebdomada sancta. Neque verò mentitur Sacerdos, cum significatiuè dicit hoc esse corpus suum, perfectissimè induit personam Christi. Neque designat species manibus Christi contentas, sed præsentes, quia pronomen (hoc) proportionaliter significat vtrasque species, sed illas historicè & recitatiuè, has formaliter & significatiuè.

Bonau. Sotus. D. Th. Hurtad.

Est & aliud dubium, quid, scilicet, demonstret pronomen *Hoc* vel *Hic* in forma consecrationis? Resp. omissis varijs sententijs, secundùm probabiliorem, & amplectendam, pronomen *Hoc* demonstrare corpus Christi, non in principio, sed in fine prolationis formæ ponendum sub speciebus: sicut in eadem propositione verbum *Est* non significat connexionem prædicati cum subiecto, quando profertur, sed in instanti prolationis verborum quando corpus Christi producitur sub speciebus. Prob. quia in huiusmodi locutionibus practicis, in quibus res, quæ significatur, non supponitur, sed fit, pronomina demonstratiua non demonstrant rem ad sensum in principio, sed in fine locutionis: quia cùm talis res debeat fieri vi ipsius locutionis vt significatiuæ talis rei, non potest ad sensum demonstrari ante prolationem completæ locutionis, antequam res significata non est producta. Ita Vasquez *disp. 201. c. 4.* Sylnius *3. p. q. 78. art. 1. q. 1.* Caspensis *tract. 22. disp. 7. sect. 7. n. 63.*

Vasquez. Sylnius. Caspens.

19. Quoties in hac forma contingit talis *variatio*, vt sensus substantialis formæ varietur non conficitur Sacramentum; si vero per mutationem verborum, non varietur sensus formæ, nisi accidentaliter, valide quidem confi-

conficitur Sacramentum, quamuis grauiter peccet, per se loquendo; qui mutationem adhibet, nisi fortè excusetur ob paruitatem materiæ præcisè contemptam: vnde si quis diceret: *hic cibus est corpus meum*, vel *hæc res est corpus meum*; vel *istud est corpus meum*; vel *hic est corpus meum*, vel *hic est corpus meum*, modò particula, *hic*, non accipiatur aduerbialiter, sed loco pronominis, validè consecraret, quia adhuc subsistit eadem significatio, quamuis erretur contra Grammaticæ præcepta. Similiter validum esset Sacramentum, si dicatur, *Hoc est caro mea*, quia perseuerat eadem significatio. Vide Graffijs, 2. *p. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Coninck *cit. numer.* 38. Suarez *disp.* 60. *sect.* 2. Bonacina *d.* 4. *quæst.* 3. *punct.* 1. Henriquez *cit. numero* 2. Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resolut.* 76. 77. 78. & alios.

Graffijs. Coninch. Suarez. Bonac. Henriq. Diana.

Substantialis esset variatio, si diceretur: *Hoc est corpus Christi*, vel qui diceret, *hoc quod est panis*; vel, *hic panis est corpus meum*, vel *hoc fit corpus Christi*, vel *fit corpus meum*, vel *conficio corpus meum*, vel *hoc fit corpus meum*, vel *illud est corpus meum*: ratio autem est, quia in his omnibus modis mutatur sensus formæ, vt aiunt omnes Doctores hic citati, ex D. Thomas *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *artic.* 1.

D. Th.

20. *Forma* consecrationis vini in sanguinem Christi, continetur illis verbis: *Hic est sanguis meus*, vel, *Hic est calix sanguinis mei.* Concil. Flor. Est controuersia inter Theologos, an sequentia verba: *noui & æterni testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum*, sint de essentia formæ, & sunt duæ sententiæ. *Prima* est D. Thomas *cit. art.* 3. Syluester *v. Eucharist.* 1. *q.* 6. Toletus *l.* 2. *c.* 26. *numer.* 1. & quorundam Summistarum, qui dicunt esse de essentia, quia omnia conficiunt vnam integram propositionem, & sunt determinationes quædam prædicati, & Sacramentalis significationis. *Secunda* est, aliorum omnium communis cum *Magistro d.* 8. negantium esse de essentia consecrationis; quia in aliquibus Ecclesijs, quædam ex illis omittuntur, cùm Græci omittant illa verba *Aeterni* & *Mysterium fidei*; ergo signum est consecrationem sanguinis subsistere sine illis verbis, alioquin sequeretur totam Ecclesiam Græcorum errare & errasse, quod esset temerarium asserere; hæc ergo sententia est tenenda; in praxi tamen, consecrans non debet habere intentionem conficiendi vel cum primis verbis, quæ dicimus sola esse de essentia, vel cum omnibus, nam vtrumque dubium est; sed debet se, ad euitandos scrupulos, remittere intentioni Ecclesiæ & Christi, & sic validè conficiet. *Præterea* qui vteretur in consecratione calicis, primis solis verbis, omissis alijs, grauiter peccaret, quia faceret contra præceptum, & ritum consecrationis in re graui, & exponeret se periculo non consecrandi, & in materia Sacramentorum eligenda est via certior, ne nos periculo exponamus inualidè conficiendi Sacramenta. *Denique* inualida fit consecratio calicis, quando contingit variatio in verbis formæ, talis; vt sensus verborum substantialiter varietur; *secus* si accidentaliter tantum varietur, vt dictum est numero præcedenti. Sed de his consulantur Doctores hic citati. Suarez *d.* 60. *sect.* 1. Reginaldus *cit. num.* 31. Filliucius *cit. num.* 111. *& seq.* Sà *v. Missa num.* 5. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 17. *nu* 2. Victoria *de Sacram. n.* 74. Scotus *in* 4. *d.* 8. *q.* 5. *art.* 7. Syluius 3. *p. q.* 78. *art.* 3. & alij.

Conc. Fl. D. Th. Syluest. Toletus. Suarez. Regin. Filliuc. Sà. Henriq. Victoria Scotus. Syluius.

21. Certum est de fide, Concil. Trident. *sess.* 13. *can.* 1. *&* 2. *& c.* 4. virtute verborum formæ huius Sacramenti prolatorum à Sacerdote loquente in persona Christi, fieri *conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi*; ita vt tota substantia panis, quoad materiam simul & formam, conuertatur in verum corpus Christi, & tota substantia vini conuertatur in verum Christi sanguinem; quæ conuersio dicitur *transubstantiatio*, id est, transitus substantiæ panis & vini, in substantiam corporis & sanguinis Christi; ita vt post consecrationem nihil omninò substantiæ panis & vini maneat: *accidentia* tamen ipsorum perseuerant eadem: nempe quantitas, figura, color, sapor, & reliqua, idque absque subiecto à quo sustententur ita vt per nullam substantiæ inhærentiam miraculosè diuina virtute existant. Ita D. Thomas *quæst.* 75. *art.* 2. Valentia *d.* 6. *q.* 3. *p.* 1. Bonacina *c. q.* 3. *p.* 5. Toletus *l.* 2. *cap.* 27. Suarez *disp.* 49. *sect.* 2. Filliucius *c. num.* 120. *& seq.* Reginaldus *c. num.* 35. 36. & alij. *Aduertendum* insuper est talia accidentia posse agere ac producere quidquid producerent cum substantia panis & vini, nempe vt extinguant famem vel sitim, corrumpantur &c. quia sicut quantitas habet a Deo vt existat, admodum substantiæ, ita enim habet vt manentes in ea qualitates panis & vini nihil minus agant vel patiantur, quam si ipsa panis & vini substantia adhuc perseueraret. Ita communiter Doctores, ex D. Thomas *c. q.* 77. Syluius *ibid.*

Côc. Tr. D. Th. Valentia Bonac. Toletus. Suarez. Filliuc. Regin. D. Th. Syluius.

22. Sub speciebus panis ex vi verborum formæ, certum est etiam de fide ex Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. & *can.* 1. & 3. contineri *corpus Christi*, & sub specie vini contineri *sanguinem* eiusdem: quia illud ponitur ex vi verborum sub speciebus, quod primario per verba significatur, & in quod substantia præexistens conuertitur, sed per verba consecrationis corporis, primariò significatur corpus Christi, & sanguis ipsius primario significatur per consecrationem vini, ergo, &c. Ipsum vero *corpus* sub specie vini, & *sanguis* sub specie panis, perinde ac anima, sub vtraque continetur, vi nimirum naturalis coniunctionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur: similiter & *diuinitas* continetur per côcomitantiam, propter ipsius admirabilem cum eodem corpore & anima vnionem hypostaticam: vnde tantundem sub alterutra specie ac sub vtraque continetur, & Christus quoad substantiam & accidentia, scilicet in corpore, sanguine, anima & diuinitate sub panis specie, & sub quauis eiusdem speciei parte existit, & continetur *totus* item *Christus* cum corpore, sanguine, & diuinitate sub specie vini, & sub qualibet eius parte. *Ratio* autem est, quia corpus Christi existit sub qualibet parte speciei, sub qua antea erat panis, cùm succedat in ipsius locum, sed sub tota hostia & sub qualibet parte hostiæ erat panis, ergo: & hoc idem dicendum est de sanguine sub specie vini. D. Thomas *quæst.* 76. *art.* 1. 2. *&* 3. Suarez *cit. d.* 51. *sect.* 3. Valentia *cit. quæst.* 4. *punct.* 2. Filliucius *cit. numer.* 133. 134. Toletus *cit. cap.* 27. Bonacina *cit. num.* 10. *&* 13. Henriquez *lib.* 8. *c.* 26. Syluius 3. *p. quæst.* 76. *art.* 1. *qu.* 3. & alij.

Côc. Tr. D. Th. Suarez. Valentia Filliuc. Toletus. Bonacin. Henriq. Syluius.

Ex dictis oritur graue dubium, an humanitas Christi sit vbique? videtur enim quòd sic, quia diuinitas, cui humanitas realiter coniungitur, est vbique: ergo similiter humanitas. *Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, vbicumque est vnum realiter, oportet & aliud esse, vt docet* D. Thomas 3. *p. q.* 76. *art.* 1. Nihilominus de fide est humanitatem Christi non esse vbique: quia aliàs everteret redemptionis nostræ mysterium: si enim Christi humanitas vbique est, ergo Christus secundùm eam non est motus localiter, ac proinde neque natus est ex vtero Virginis: neque in templum, neque in Ierusalem iuit: nec ad inferos descendit, neque in cœlum ascendit, &c. Ad rationem vero in contrarium dicendum est, diuinitatem, quia est illimitata, & independens, posse esse vbi non est humanitas Christi: humanitatem vero cum limitata sit & à diuinitate pendeat, à qua habet subsistentiam: non posse esse sine diuinitate. Regula autem D. Thomæ vt sit vniuersalis, intelligenda est de absolutis, & quidem ijs quæ vniuntur adæquatè, id est, sic vt vnum non excedat alterum, sed habeant mutuam ab inuicem dependentiam: Alioquin, si vnitorum dependentia non sit mutua, solum est necesse vt vbi est minus, ibi sit maius. Ad propositum ergo sic accipienda est, *Si duo* quorum vnum substantialiter pendet ab altero, *sint realiter coniuncta, vbicumque est illud quod ab alio pendet, oportet & aliud esse, à quo ipsum pendet*, sicut vbicumque est caput hominis viuentis, ibi est anima: vbi est humanitas Christi, ibi diuinitas: sed non contra. Ita Syluius 3. *p. quæst.* 76. *art.* 1. *quæsit.* 1. ex communi: apud quem plura, cui subscribit Caspensis noster *tr.* 22. *disp.* 5. *sect.* 1. *n.* 3.

23. Christus sub speciebus panis & vini Sacramentaliter existit, non quidem modo *passibili* (nam quamuis istæ species calefiant, aut frigescant, vel scindantur, non ob id Christus ista talia patitur) sed *admirabili et ineffabili* per modum substantiæ spiritualis, secundùm totam suam substantiam, quantitatem et membra, eo modo quo in cœlis existit ad dexteram patris: tamen non existit

modo

modo quantitatiuo, seu per extênsionem partium in ordine ad locum, ita vt vna pars corporis non sit in eo loco, in quo est alia, sed vnaquæque sit in diuersis locis, vnde fit vt Christus in Eucharistia, nec agat, nec patiatur physicè, nec humano sensu percipi possit, quia ratione antedicti modi quo existit in Eucharistia, liber est ab huiusmodi passione, quæ cùm sit ab agente corporeo, requirit extentionem externam in patiente, sine qua ab agente ipso corporeo, attingi nequit: Ita D. Thomas *quæst.76. art.5.& 6.* Suarez *disp.53.* Toletus *cit.num.4.* Valentia *cit.quæst.4.part.1.* Victoria *de Eucharist. num.64.* Filliucius *cit.num.138.139.* Henriquez *lib.8. cap.25. num.2.* & alij, quamquam tamen dici potest tangi, frangi, oculis videri, &c. ex eo quòd species, quibus continetur velatus, tangantur, frangantur, Syluius 3.*part.quæst.76. artic.6.*

D. Th. Suarez. Toletus. Valentia. Victoria. Filliuc. Henriq. Syluius.

24. *Præsentia* corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, dependet à sacramentalibus speciebus, quibus continetur, tùm quoad conseruationem, tùm quoad locum & loci mutationem, quia vt docent D.Thomas *quæst.79. art.3.* Suarez *disp.54 57.* Filliucius *num.150.* Reginaldus *cit.num.36.* Valentia *cit. q.5. punct.3.* Coninck *quæst.77. art.8.num.72.* Henriquez *cit.cap.28.num.2.* Syluius *cit. q. 76. art.1.quæst.2.* & alij, tandiu sub talibus speciebus conseruatur præsentia corporis & sanguinis Christi, quamdiu illæ conseruantur, illisque corruptis desinit eadem præsentia: censetur autem *corruptio* tunc contingere, cùm si panis substantia ibidem fuisset, ea nequiuisset taliter affecta conseruari: vel cùm vermes ex speciebus generantur: sicut etiam sanguis Christi desinit esse sub speciebus vini, quando per admixtionem alterius liquoris, specie distincti, corrumpuntur, vel quando species vini permiscentur cum alio humore, vt posita tali mixtione, substantia vini non remaneret, si vinum sub illis speciebus existeret; hinc si gutta specierum vini consecratarum misceatur cum alio vino eiusdem speciei non consecrato, sanguis Christi non desineret esse sub illa gutta, quia per illam mixtionem non corrumperetur vinum, sed potiùs conseruaretur: desineret autem sanguis, quoties sub speciebus vini noua substantia generatur.

D. Th. Suarez. Filliuc. Regin. Valentia Coninck Henriq. Syluius.

25. Corpus Christi in Eucharistia pendet ex speciebus quoad locum, quia ipsum ratione earum censetur determinatè esse in eodem loco, in quo sunt eæ ipsæ species; vnde dicitur esse sursum, aut deorsum, dextrorsum, aut sinistrorsum, prout species ipsæ fuerint: præterea pendet etiam quoad motum localem ex speciebus, quia corpus Christi per accidens mouetur ad motum specierum, cum quibus eam connexionem habet, vt cum præsentibus præsens sit. D. Thomas *q.76.art.7.* Suarez *disp. 63.sect.1.* Filliucius *num.139.* Syluius *cit.art.6* & alij.

D. Th. Suarez. Filliuc. Syluius.

De Eucharistia vide Adoratio, *num.5.* Attritio *num.5.* Communio Sacra, & tom.2. verb. Interdictum 2.*num.5. 6.* Simonia 2.*num.1.* Sacramentum 2. *num.1.* & seq.

EVCHARISTIA II.

Quoad eius ministrum & effectum.

SVMMARIVM.

1 *An solus Sacerdos sit minister consecrationis huius Sacramenti?*
2 *An plures Sacerdotes simul possint eandem hostiam consecrare.*
3 *An ordinarius minister collationis huius Sacramenti sit solus Sacerdos & quidem proprius. Et an in articulo mortis, liceat infirmo recipere Eucharistiam ab excommunicato nominatim.*
4 *An Diaconus, Subdiaconus, vel laicus possint in necessitate Eucharistiam ministrare?*
5 *An Sacerdos extra Missa sacrificium possit sibi Eucharistiam ministrare?*
6 *An Sacerdos non habens aliam hostiam consecratam præter suam, possit partem sua hostia præbere infirmo, vel etiam sano?*
7 *Quando teneatur suis ouibus Parochus Eucharistiam administrare?*
8 *An Sacerdos administrans vel conficiens Sacramentum Eucharistia debeat esse in gratia?*
9 *An conficiens Sacramentum in peccato mortali, vel pluribus ministrans, vnum vel plura peccata committat?* Refertur duplex sententia.
10 *An minister huius Sacramenti teneatur non dare Eucharistiam existenti in peccato mortali?*
Qua pœnitentia vel satisfactio requiratur vt publici peccatores admittantur ad communionem?
11 *An occulto peccatori publicè petenti administranda sit Eucharistia?*
12 *An Eucharistia possit alicui denegari propter solam criminis suspicionem violentam?*
13 *De effectibus Sacramenti Eucharistia?*
Vtrum in Eucharistia sit quid præstantius, ratio sacrificij, an ratio Sacramenti?
An peccatum veniale in ipsa sumptione Eucharistia commissum, impediat fructum eius?
14 *Quando hoc Sacramentum conferat suos effectus? An hoc Sacramentum semper continuò gratiam augeat, quamdiu in nobis manet.*

1 DE fide est, sensu Ecclesiæ, traditione, definitione in Concilijs Nicæno 1.*cap.14.* Concil. Later. *C. Firmiter* Tridentin. *sess.22.cap.1.* solùm Sacerdotem ritè consecratum esse *ministrum* consecrationis Sanctissimæ Eucharistiæ, quia solis Sacerdotibus Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: ex quo fit, vt quilibet Sacerdos eo ipso quòd characterem habet Sacerdotalem, validè, etiamsi non semper licitè; potest Eucharistiam consecrare, siue peccator sit, siue iustus, hæreticus, vel schismaticus, siue excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus, siue irregularis, aut degradatus, dummodò integrè proferat verba formæ Sacramentalis super debitam materiam, cum intentione faciendi quod Christus instituit; quia tunc ex parte materiæ & formæ nihil deest nec item ex parte ministri. D.Thomas *q.88. art.5.7. & 8.* Syluius *ibid.* Bellarmin. *lib.4. de Eucharist.* Suarez *disp.61.sect.3.* Coninck *q.83.art.1.num.3.* & alij.

Nicæn. Conc. Later. Trid.

D. Th. Syluius. Bellarm. Suarez. Coninck

2. Plures Sacerdotes simul possunt eandem hostiam consecrare, si totaliter concurrant, & integrè eodemque tempore absoluant formam; quia non est maior ratio de vno, quàm de alio; ergo vel nullus, vel omnes; non nullus quia omnia necessaria concurrunt, ergo omnes. Ita D. Thom. *cit.art.2.* Reginaldus *lib.29. num.43.* Bonacina *tom.1.disput.4.quæst.5. part.1. num.3.* Coninck *quæst.81. art.2.* Syluius *cit.quæst.82.art.2.* & alij. Si autem ex pluribus vnus absoluat formam priùs quàm alij, ille solus conficiet, quia integra forma cadens super debitam materiam, cùm primùm perficitur, conficit Sacramentum, ergo nihil alij efficiunt: *quando* autem plures Sacerdotes concurrunt, & quisque ex ijs habet intentionem conditionatam concurrendi scilicet partialiter, si alius etiam concurrit, nullus consecrabit, *si verò* quisque habeat intentionem conditionatam concurrendi integrè, si alij absoluerint & non alias, tunc vltimus tantum conficiet, vt docet Suarez *disp.61.sect.4.*

D.Th. Regin. Bonac. Coninck Syluius.

Sed contrarium docet Pasqualigus infrà, qui petit an si Sacerdos in missa ordinationis audiat verba consecrationis esse ab alio completa, antequam ipse compleat, debeat ipse non vlterius progredi, an verò debeat complere? Resp. Ecclesiam præcipere quod omnes proferant verba consecrationis, non recitatiuè, sed significatiuè: atque adeo quòd habeant intentionem consecrandi; vnde monet quòd curent proferre simul cum Episcopo. Stante autem hac intentione Ecclesiæ, & præcepto, non potest Ecclesia habere intentionem quòd qui non complet simul cum alijs non debeat vlterius prosequi; nam dum monet quòd simul proferantur, moneret etiam quòd quando ab alijs audiuntur completa, sisteretur, nec compleretur forma vnde intentio Ecclesię est quod semper à quolibet forma consecrationis compleatur, & quod omnia cum eadem intentione compleantur; quia si vellet

mutari

mutari intentionem, quando iam ab alijs sunt completa, cùm hoc sit magni momenti, admoneret, sicut monet in reliquis. Ex quo fit, quòd quando quis audit verba consecrationis ab alio compleri, priusquam ipse compleat, non possit speculatiuè teneri non progredi vlterius; quia non potest speculatiuè obligari ad id, quod est contrarium intentioni Ecclesiæ, quæ est secundùm rectam rationem & fit etiam intentio Christi: Imò peccaret mortaliter, si non prosequeretur omnia verba; quia faceret iniuriam Christo, proferens illa verba nomine illius & vt minister repræsentans ipsum Christum, & non cum ea intentione cum qua vult omnia Christus proferri, quando nomine suo proferuntur. Deinde actio consecratiua nedum requirit suam integritatem vt ponat effectum, nempe corpus & sanguinem Christi sub speciebus; sed etiam, vt talis actio, qualis est instituta à Christo. Proinde dicendum quòd siue verba paulò ante compleantur, quam compleantur à principali consecrante, siue paulò post, censentur esse moraliter simul, & constituere vnicam causam illius effectus, determinatam morali modo in ipso principali consecrante; & consequenter quilibet moraliter concurrit ad effectum consecrationis; quia significatio verborum cuiuslibet est vnita moraliter, & simul significationi verborum principalis consecrantis, siue in esse completo paulò ante præcedat, siuè paulò post subsequatur; quia hoc paruum discrimen non tollit simultatem moralem. Corpus autem, & sanguis Christi ponitur sub speciebus, quando primò completur significatio verborum principalis consecrantis, tanquam ea, cui omnes aliæ subduntur. Ita doctè & subtiliter resoluit hoc dubium

Pasqual. Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 422. & 423. apud quem plura. Vnde non sequitur, inquit, inconueniens, quod infert Suarez. Quia etiam si aliquis ordinatus paulo ante compleat verba consecrationis, quam finiantur ab Episcopo, non tamen consecrat ante Episcopum, sed simul cum ipso, quia verba ipsius & materialiter sunt moraliter simul cum verbis Episcopi, & etiam formaliter, nempe ex intentione, qua determinantur, vt eorumdem significatio sit simul cum significatione verborum Episcopi, & ipsi subordinetur. Hanc sententiam aliquando secutus est Sotus *in 4. d. 13. q. 1. art. 2.* vt ipse fatetur in 4. quam postea reprobauit. Vide Amicum *tom. 7. disp. 24. sect. 7.* Dianam *p. 3. tract. 4. resol. 50. & p. 5. tract. 14. resol. 82.* circa hoc dubium varias sententias referentem.

Sotus. Amicus. Diana.

3. *Minister* ordinarius collationis Sacramenti Eucharistiæ iuxta D. Thom. *c. art. 3.* Rodriquez *in Sum. c. 67. n. 1.* Toletus *lib. 2. cap 28 n. 2.* Suarez *disp. 72. sect. 1.* & alios, est solus Sacerdos, non quicumque, sed cui ex officio incumbit, vel ex commissione, vel aliquo priuilegio; ita vt Sacerdos, qui sine licentia Eucharistiam administrat, per se loquendo mortaliter peccat, nisi hoc faciat ex præsumpta voluntate proprij Sacerdotis; & si ille *Sacerdos* sit *religiosus* non habens speciale priuilegium, ipso facto *Clement. religiosi de priuilegijs.* Sà *v. Eucharist. n. 4.* excommunicatur excommunicatione Summo Pontifici reseruata; hæc tamen excommunicatio non habet locum in religiosis ministrantibus bona fide, & in articulo mortis: secundùm Suarez, Taonerum, Fagundez & alios citatos à Diana *p. 5. tract. 3. res. 51.* Quia requiritur præsumptio, & præceptum Ecclesiæ non videtur obligare in articulo mortis cum tãto proximi detrimento & periculo.

D. Th. Rodriq. Toletus. Suarez.

Imo in articulo mortis, secluso scandalo, aut infamia Religionis, infirmus periclitans posset recipere Eucharistiam etiam ab excommunicato nominatim, & ab alio quocumque, à quo posset recipere in tali articulo absolutionem Sacramentalem, hoc autem non fit in fauorem excommunicati & huiusmodi mali ministri, sed solùm ipsius fidelis in necessitate existentis; sic enim censuræ latæ sunt in odium iniquorum, vt non cedant in grauissimum detrimentum bonorum fidelium. Ita Suarez *3. p. tom. 3. d. 72. sect. 4. in fin.* Ledesma *de Extrema vnct. cap. 5. dub. vlt.* Chapeanilla *de Sacram. Euch. q. 4.* quorum sententia maximè probabilis est in casu, quo non potest recipi aliud Sacramentum, tunc enim est summa necessitas cùm non ita facilè haberi queat vera contritio sine Sacramento, ab ijs maximè, qui spiritualibus exercitijs non sunt dediti.

Suarez. Ledesma Chapeauill.

4. Extraordinarius *minister* Eucharistiæ, potest aliquando esse diaconus, vt in articulo mortis, & secundùm aliquos Doctores etiam subdiaconus, vel etiam laicus potest Sacramentum Eucharistiæ in articulo mortis deficiente Sacerdote sibi administrare vel alijs: ratio illorum est, quia iure humano solùm prohibitum est laico Eucharistiam attingere, ius autem humanum non videtur in tali euentu obligare, sed potius videtur cedere præcepto diuino, de communicando in articulo mortis: Tamen probabilius est contrarium, quia non est tanta necessitas Eucharistiæ sumendæ, vt laicus, aut alius qui non est Sacerdos vel saltem diaconus, possit in articulo mortis propria authoritate sibi Sacramentum Eucharistiæ ministrare, non seruata solemnitate & ritu Ecclesiæ consueto. Valentia *to. 4. disp. 6. q. 10. punct. 1.* Coninch *q. 82. art. 3. nu. 23.* Layman *lib. 5. tr. 4 c. 7. n. 2.* Suarez *disp. 72. sect. 1.* Diana *de Sacram. p. 3. res. 47. & p. 5. tr. 3. res. 47.* & alij. Imo hoc tempore ob Sacerdotum copiam & multitudinem, non videtur in vsu vt diaconus Eucharistiam administret. Henriquez *lib. 8. cap. 54.* Filliucius *citat. numero* 258. Bonacina *d. 4. quæst. 5. p. 1. num. 6.* Victoria *citat. num.* 89. & alij.

Valentia Coninch Layman Suarez. Diana. Henriq. Filliuc. Bonacin. Victoria.

5. Sacerdos extra Missæ sacrificium volens communicare ex deuotione, potest sibi Eucharistiam ministrare, modo non adsit alius Sacerdos, qui sibi administret, nec adsit periculum scandali, quia Sacerdos est minister ordinarius huius Sacramenti, nec vllum ius extat in contrarium. Ita Viualdus *de Euchar. cap. 10. n. 56.* Posseuinus *de commun. c. 8. n. 23.* Rodriquez *c. n. 2.* Diana *p. 2. tract. de celebr. missar. res. 53.* & alij. Imo Sacerdos in tali casu, potest se communicare qualibet hora diei post meridiem modo ieiunus sit, & absit scandalum, quia nullo iure prohibetur qualibet hora communicare. Ita Syluius *3. p. q. 80. art. 10.* Sa *c. n. 19.*

Viuald. Posseuin. Rodriq. Diana.

6. Cùm adest rationabilis *causa*, Sacerdos non habens aliam hostiam consecratam præter suam, potest partem suæ hostiæ præbere infirmo vel etiam sano communicare volenti; quia non apparet sufficiens ratio in contrarium, cum sacrificio non desinat esse perfectum per administrationem huiusmodi particulæ. Ita Henriquez *lib. 8. c. 46. n. 2.* Sà *v. Eucharist. n. 15.* Posseuinus *c. n. 13.* Diana *de cel Miss. res. 37. p. 2. & p. 5. tr. 3. res. 54.* Sancius *disp. 22. n. 21.* & alij.

Henriq. Sà. Posseuin. Diana. Sancius.

7. Parochus tenetur suis ouibus Eucharistiam ministrare, nõ solum quando subditi tenentur communicare, sed etiam quoties subditi eam rationabiliter petunt, vt si eam petant non nimis frequenter, sed quatenus postulat ipsorum conditio & Sacramenti reuerentia; per *accidens* tamen posset excusari ab administratione Eucharistiæ, si eam subditi irrationabiliter petant; vel habeat rationabilem causam eam negandi, qualis est infirmitas, lassitudo grauis collationem Sacramenti impediens Suarez *disp. 72. sect. 3.* Reginaldus *lib. 29. num. 96.* Nauarrus *cap. 25. numer. 231.* Posseuinus *de administr. Sacram. cap. 5. n. 8.* & alii.

Suarez. Regin. Nauarr. Posseuin.

8. Sacerdos administrans vel conficiens Sacramentum Eucharistiæ, debet esse in gratia; quia est minister deputatus ex officio ad hoc munus, & consecratus cum speciali gratia; quia autem ex officio deputatus est ad ministranda Sacramenta, debet esse in gratia, alioquin grauiter peccat indignè tractando Sacramenta in peccato mortali; vnde Sacerdos, habens conscientiam peccati mortalis, tenetur antequam Eucharistiam administret præparare se ad gratiam per confessionem, vel saltem per contritionem, cum non sit necessaria confessio volenti Eucharistiam ministrare, sed tantum illam recipere cupienti: qui autem Eucharistiam attingit ob rationabilem causam, in statu peccati mortalis, quamuis laicus sit, non grauiter peccat, quia laicus non est minister consecratus ad hoc officium, & prædictus tactus non videtur administratio Sacramenti. Ita D. Thomas *quæstione* 64. *art. 9.* Filliucius *tractat. 4. c. 9. num. 271.* Rodriquez *citat. cap. 68. numero* 3. Reginaldus *c. numero* 56. Suarez *disput. 72. sect. 4.* & alii. Opinio tamen asserens Sacerdotem in peccato mortali ministrantem non peccare mortaliter est satis probabilis: quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei ad iustificationem

D. Th. Filliuc. Rodriq. Henriq. Regin. Suarez.

proxime sicut in alijs Sacramentis, sed tantùm est veluti applicans actiua passiuis Syluius cit.q.74.art.6.q.1. Diana tract.de cel Missar.resol.23.

Syluius. Diana.

9. Sacerdos conficiens Sacramentum in peccato mortali, vnum tantùm numero peccatum sacrilegij committit; qui autem pluribus successiuè administrat Eucharistiæ Sacramentum extra Missam in stant peccati mortali, secundùm Henriquez de pœn.l.2.c.5.n.6. Rodriquez in Sum.c.248.n.26. Diana p.2.tract.3.misc.res.13. & tr.de celeb.Miss.res 24. & de circumst.res.43.p.1. vnum tantùm numero peccatum committit, sicut etiam vnum peccatum committitur ab eo, qui multorum pœnitentium confessionem successiuè audit, nulla vel saltem modica interposita mora; quia quamuis hi actus sint physicè & quoad suam entitatem plures, tamen moraliter reputantur vna actio. Alij autem docent, esse plura peccata, quia prædictæ actiones habent singulæ suum definitum terminum in quo conficiuntur & complentur Bonacina c.q.5.p.2.n.5. Suarez c.d.72.sect.4. quorum sententia satis est probabilis & præcipuè in ministrante Sacramentum penitentiæ in peccato mortali: quia quot personæ accedunt, toties variatur iudicium, nouumque conficitum Sacramentum, & toties forma Sacramentalis repetitur, animam sanctificans: Quod si plures in necessitate v.g. in naofragio, aut in domo contagiosa iacentes simul absolueret, dicens Ego vos absoluo; iam solum vnum peccatum censeretur committere. Prima tamen seotentia est tenenda & in praxi tuta ob authoritatem dictorum Authorum. Sed hoc iterum verb. Sacramentum III. num.8.

Henriq. Rodriq. Diana. Bonac. Suarez.

Sed rogabis, an Sacerdos in peccato mortali transferens Eucharistiam de altari in alium locum, peccet mortaliter, aut fortè de pixide extrahens, vt exponat in die solemni? Resp. non videri hoc adeo graue, vt peccatum mortale inuoluat, quia non est actio ad animæ sanctificationem ordinata, nec administratio Sacramenti, vt dictum est.

10. Minister huius Sacramenti tenetur non dare Eucharistiam existenti in peccato mortali; quia ad fidelem dispensationem pertinet, non dare sanctum canibus, nec communicare peccato alterius; vnde publico peccatori semper est deneganda Eucharistia, quia talis non habet ius petendi, cum illius status manifestus sit, & ius diuinum exigat, vt ipsi non detur: dicitur autem publicus peccator, qui vel per iudicis sententiam condemnatus est de crimine, vel in iudicio confessus est illud, vel factum ipsius criminosum ita manifestum est, vt nulla tergiuersatione celari possit; hinc iure censentur publici peccatores qui exercent publicam actionem, quæ vel ex obiecto, vel ex modo quo fit, non potest fieri sine peccato mortali, vt sunt meretrices, publici vsurarij, concubinarij, hæretici, histriones & similes D. Thomas q.80.art.6. Nauarr.c.21. n.55. Suarez disp.67.sect.2.in fin. De cohabitat. Clericor. & mulier. Reginaldus l.29.n.50. Syluius 3.p.q.80.art.6.quæs. 1. Diana 4.p.tract.4.res.103. & alij.

D. Th. Nauarr. Suarez. Regin. Syluius. Diana.

Sed petes, quæ penitentia vel satisfactio requiratur, vt publici peccatores admittantur ad communionem? Resp. satisfieri debere Deo & Ecclesiæ; Deo vt penitentia sit vera: Ecclesiæ, vt sit tam publica, quam est ipsa communio. Itaque si publicè communicat, debet sufficientia signa penitentiæ populo manifestasse: si occultè, non tam euidentia, sed ea quæ sufficiant ad tollendum scandalum, si communio ista publicetur. In mortis articulo non est exigenda manifestior penitentia, quàm pro ratione circumstantiarum fieri possit.

11. Occulto peccatori publicè petenti administranda est Eucharistia; si occultè autem petat, deneganda est C. si tantum 6.q.2. Suarez c.sect.3. Filliucius tract.4. cap.9 nu. 278. quia non habet ius, & nulla sequitur infamia, vel scandalum: si tamen Sacerdos solum per confessionem peccatorem nouit, secundum probabiliorem sententiam, regulariter loquendo, nec tenetur denegare tali peccatori Eucharistiam, nec verè debet; tum quia redderetur confessio odiosa, moraliter enim penitens intelligeret causam illius negationis; tum quia sacerdos peccatum illius scit vt Deus, non ergo debet palam facere, se illud scire aliqua ratione in foro exteriore, in quo gerere se debet vt homo Nauarr.c.21.n.55. Sylu.c. quæsit.2. Diana p.3.tract.4.resol.46. Sancius in select. disp.8. n.10. & alij. Tum quia illa negatio quæ fit occultè per accidens est, quòd sit occulta, cum de se sit publica, fit enim in occulto foro penitentiæ ad dirigendum actum humanum externæ administrationis ipsius sacramenti, notitia autem confessionis vti non potest homo ad dirigendos actus externos aliorum. Vide Suarez tom.3. in 3.p. disp.67 sect.3. contrariæ sententiæ adhærens, fatetur difficulter posse illam in praxim redigi sine scandalo, aut infamia, aut suspicione reuelatæ confessionis.

Suarez. Filliuc. Nauarr. Syluius. Diana. Sancius. Suarez.

12. Ex communi Theologorum doctrina, sacramentum Eucharistiæ potest alicui denegari propter solam criminis suspicionem violentam, non autem probabilem, aut temerariam; quia violenta suspicio nititur talibus signis & indicijs, quæ licet non faciant euidentiam rei in se, sufficiunt tamen ad probabile iudicium ferendum, quando in contrarium nihil est quod excuset, suspicionemque eleuet; vnde si suspicio publica sit, publicè Sacramentum negari potest, si autem occulta sit, publicè non esset negandum, vt dictum est. Vide Suarez c. sect.3. Reginaldum c.num.55. Syluium c.quæsit.1 & alios. Ratio posterioris est, quia talis suspicio non potest gignere iudicium certum, sed tantum dubium probabile, in casu autem dubij melior est conditio possidentis, ergo cum suspectus habeat ius petendi, non potest illo iure spoliari. Neque dicas Sacramentum esse in possessione sui iuris, vt non indignè tractetur: nam qui dat Sacramentum, nihil peccat contra hoc ius, cum constet illi de iure petentis, & non de peccato ipsius.

Suarez. Regin. Syluius.

Colligitur ex dictis, non licere ijs, qui sunt de crimine suspecti, Eucharistiam eo fine ministrare, ne metu sacrilegæ communionis occultam veritatem manifestent: sicut iuramento compelli solent ad occultam veritatem patefaciendam: nam licet hic modus de se illicitus non sit quo vsus est Gregorius VII. cum Henrico IV. ad probationem ipsius innocentiæ, nunc tamen ob reuerentiam Sacramenti abrogatus est ne quod in nostram vtilitatem institutum est, fiat occasio ruinæ. Quare peccant viri, qui suas coniuges ad communicandum cogunt, vt hoc medio se purgent de adulterij suspicione.

13. Primarius effectus Sacramenti Eucharistiæ spiritualiter & sacramentaliter sumptæ, est augmentum gratiæ, quia Eucharistia per se & ex propria institutione instituta fuit ad augmentum gratiæ, conferendum, vt patet ex definitione Concil. Florent. & Conc. Trid. sess.22. c.2. & cum instituta sit per modum cibi & potus, & hæc conferant ad vitam corporis augendo, ita hoc Sacramentum confert ad vitam animæ, quæ gratiæ est. Secundus effectus huius Sacramenti est collatio gratiæ actualis & specialis auxilij ad peccata vitanda, & hic effectus est infallibilis in ijs qui debitè disponuntur. Tertius est remissio venialium, quia datur per modum cibi, qui restaurat deperdita: & id præstat duobus modis, scilicet ex opere operato, conferendo remissionem absque actuali dispositione, quæ per se sufficeret ad illa tollenda; secundo, mediatè excitando feruorem charitatis, vnde omnia venialia remittit, quorum non adest complacentia. Quartus est remissio temporalis pœnæ, mediatè videlicet, ex eo quod excitat actum charitatis, per quem remittitur pena, non semper tota, sed iuxta quantitatem feruoris. Quintus, quamuis Eucharistia per se primò fuerit instituta ad augendam gratiam, per accidens tamen confert etiam primam gratiam, quia iuxta probabilissimã & communiorem sententiam Theologorum, Sacramenta omnia hoc habent, vt conferant primam gratiam non ponentibus obicem, sed qui existens in peccato mortali, cuius non habent memoriam inculpabiliter, accedit bona fide, putando se esse contritum, non ponit obicem, ergo. Sextus est, quia multum carnis concupiscentiam ac fomitem extinguit, D.Th.q.79.art.1.2. Valentia to.4.d.6.q.7.p.1. Suar. disp.63.sect.1. Regin.c.n.137.138.139. Filliuc. c.n.153. & seq Bonac.c.q.4.p.1. Henriq.l.8 c.34. Coninch q.79. n.52 Viualdus de Euchar.n.67. Tolet.l.2.c.29.n.4. & alij.

Conc. Trid. D. Th. Valentia Suarez Regin. Filliuc. Bonacin. Henriq Coninch Viuald. Toletus.

Sed rogabis Primò, vtrum in Eucharistia sit quid præstantius, ratio sacrificij, an ratio Sacramenti? Resp. rationem sacrificij esse præstantiorem respectu ministri, rationem Sacramenti esse efficaciorem respectu suscipien-

pien-

pientis. Prob. prior pars, quia meliùs est consecrare corpus Christi in Dei cultum & honorem, quàm in vsum fidelium: Sacrificatio enim per se & immediatè ordinatur in Dei gloriam, animique grati & subiecti significationem; quæ ratio honestatis maxima est inter omnes morales: nostra autem sanctificatio etiam in istum finem referri debet. Prob. posterior pars, quia Sacramentum habet maiorem effectum ex opere operato, quàm sacrificium: remittit enim peccata, confert gratiam, facit ex attrito contritum, &c. at effectus sacrificij longè inferior est, vt infra ostenditur *verb. Missa* 11. Ratio est, quia efficacia sacramenti & sacrificij, non pendet ex honestate & præstantia operis, sed ex Christi institutione, qui per actum minùs nobilem potuit & voluit dare maiorem effectum.

Petes *Secundo*, an peccatum veniale etiam in ipsa sumptione Eucharistiæ commissum, impediat fructum eius: Resp. negatiuè, quia peccatum veniale consistit cum gratia, neque habet formalem repugnantiam cum illa, ergo non impedit illius augmentum. Confirm. quia si peccatum veniale impediret effectum sacramentalem, esset peccatum mortale communicare in peccato veniali, quod est absurdum & inauditum.

Colligitur ex dictis hoc numero, nullum effectum huius Sacramenti, quatenus Sacramentum est, esse alteri communicabilem; provt tamen sacrificiũ est, habere vim satisfactoriam ex propria institutione, vt infra latiùs. Deinde patet, cur & quomodo aliqui viri pij, & eruditi communicent pro alijs, etiam ijs qui sunt in purgatorio: non enim suam communionem alijs applicant, vt illis prosit ex opere operato, sed cùm ille actus sit meritorius, satisfactorius & impetratorius, intendunt pro alijs satisfacere ex opere operantis, & illis aliquid impetrare à Christo realiter ibi præsente: nam propter illam præsentiam solent feruentiùs & efficaciùs Christum pro alijs deprecari.

14. Hoc Sacramentum Eucharistiæ, nisi ponatur obex, spiritualem effectum gratię ex opere operato confert, in ipsius vera & reali manducatione, seu cùm ipsum missum in os, ad stomachum transmittitur; quia in omnibus Sacramentis gratia confertur per ipsorum applicationem ad subiectum, nempe ad hominem eiusdem gratiæ capacem: sufficienter autem *subiecto applicatum* hoc Sacramantum dicitur, quando manducatum est, seu transmissum ad stomachum: vnde qui diu retinet hostiam in ore, ita vt species corrumpantur, antequam deglutiantur non recipit fructum Eucharistiæ, quia non dicitur verè Christum manducasse: Tamen qui deglutita parte hostiæ euomit reliquas partes, aut moritur, ante plenam aliarum partium deglutionem, recipit gratiam & totum effectum Sacramenti, quamuis non receperit totam hostiam vel sanguinem, quia in ea prima parte deglutita, est totus Christus, cùm in exigua ac in magna particula reperiatur Suarez *c. sect.* 4. Valentia *c. q. 7. p. 1.* Sotus *in 4. d. 11. q. 2. art. 1.* Filliucius *c. n. 171. & seq.* Bonacina *c. punct.* 2. Henriquez *c. cap.* 43. Reginaldus *c. num.* 139. Syluius 3. *p. q. 79. art.* 1. Diana *tract. 6. misc. res. 96. p.* 3. & alij.

Suarez. Valentia Sotus. Filliuc. Bonacin. Henriq. Regin. Syluius. Diana.

Dubium est, an hoc Sacramentum semper continuò gratiam augeat, quamdiu in nobis manet? Negant Vasquez *disp. 203. cap.* 2. Sotus 4. *distinct.* 11. *quæst. 2. art.* 1. & alij, quia aliàs sequeretur maiorem gratiam recepturum illum, qui plures, aut maiorem accipit hostiam, imò qui debiliorem habet stomachum, quia diutius in eo manent species Sacramentales. Vnde hinc aperiretur via superstitionibus, plures, grandioresque procurandi hostias communicantibus: quod teste Vasquez est ab Inquisitoribus damnatum. Affirmant Caietanus 3. *par. quæst. 79. art.* 1. Suarez 3. *p. tom. 3. disp. 63. sect.* 7. & alij ab ipso citati, quia sicut cibus materialis non tantùm operatur dum sumitur, sed quamdiu durat in stomacho, nutrit & confortat, ergo idem censendum est de hoc Sacramento.

Dicendum tamen est, gratiam non augeri, nisi aucta dispositione subiecti. Prior pars probatur, quia nulla facta variatione in ipsa dispositione subiecti, nulla est ratio, ob quam debeat Sacramentalis gratia augeri. Nam vel illa augeretur vltra gradum, quem Sacramentum ipsum, posita tali dispositione, esset aptum causare, eo

tantùm nomine quod talis dispositio perseuaret cum Sacramento. Atqui hoc dici non potest, quia Sacramentum semel à Christo institutum gratiam causat ad instar causæ naturalis: causa autem naturalis non producit nouum effectum in subiecto, nisi facta aliqua variatione melioris dispositionis, aut applicationis agentis ad passum vel passi ad agens, ergo neque hoc Sacramentum nouum producit effectum, nisi ad nouam dispositionem subiecti.

Posterior pars probatur, nam sicut causæ naturales ad meliorem applicationem passi, melioremque dispositionem subiecti, intensiorem perfectioremque producunt effectum: ita Sacramenta ad meliorem dispositionem subiecti intensiorem producunt gratiam: igitur aucta dispositione subiecti, augetur gratia Sacramentalis, cùm hęc producatur ad instar effectus naturalis.

Vide Sacramentum 3. & 4.

SVPPLEMENTUM.

SVMMARIVM.

1 HAeretici nostri temporis malè vocant hoc Sacramentum Eucharistiæ cęnam Dominicam, quasi D. Paulus 1. ad Corinth. 11. *n.* 20. hoc nomine appellarit: nam tres fuerunt refectiones Christi Domini & Apostolorum in Feria quinta. *Prima*, ceremonialis, qua comedabatur Agnus Paschalis. *Secunda* communis, qua quisq; ad famem sedandam comedebat. *Tertia* Eucharistica, qua Christus corpus suum & sanguinem discipulis dedit. Hanc secundam refectionem Scriptura cœnam vocat. Matth. 26. *n.* 26. *Cœnantibus autem eis*, Lucæ 22. *n.* 20. *Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens*, Ioannis 13. *n.* 2. *Et cœna facta, &c.* Tertiam nusquam; quinimò disertè dicit hoc mysterium factum esse post cęnam.

Apostolus autem Paulus supra cęnam Dominicam vocat, non administrationē Sacramenti Eucharistię, sed

conuiuium quoddam quod in signum charitatis ante vel post susceptam Eucharistiam diuites pauperibus exhibebant. Quod patet. *Primò*, quia dicit Apostolus Christum instituisse hoc Sacramentum postquam cęnauit. *Secundò* quia in cęna de qua loquitur, aliqui inebriabantur: at potus Eucharisticus parcissimè sumi solet. *Tertiò*, quia permittit, vt domi quisque suæ priuatim cęnam istam sumat quod tamen in Sacramento nec Caluinistæ permitterent *Quartò*, quia pauperes cęnam, de qua loquitur, parare sibi non poterant, *Confunditis*, inquit, *eos qui non habent*. At Eucharistia datur gratis à Ministris Ecclesiæ, & omnibus indifferenter.

2. Dubium est in quo consistat essentia huius Sacramenti Eucharistiæ; & quinque sunt de quibus quæri potest, panis & vinum: verba consecrationis; species panis & vini; corpus Christi; sumptio seu manducatio.

Dico *Primò*, Panis & vinum neque sunt Sacramentum Eucharistiæ, neque de essentia Sacramenti. Prior pars est manifesta; Posterior pars Probatur, quia substantia vtriusque desinit, quando incipit Sacramentum, ergo non possunt illud intrinsecè constituere.

Dico *Secundò*, Verba consecrationis physicè sunt forma efficiens hoc Sacramentum, & moraliter sunt de intrinseca ratione ipsius. Probatur prior pars, quia concurrunt efficienter ad transubstantiationem: nam Concil. Florent. dicit esse formam, qua conficitur hoc Sacramentum, & Sancti Patres sic sæpè loquuntur. Præterea transeunt verba manente Sacramento, ergo non possunt illud intrinsecè constituere, nisi moraliter, quatenus nimirum verborum vis censetur manere in speciebus, vt perfectè significent corpus Christi, per modum cibi spiritualis: sicut enim aliquid dicitur formaliter cognitum à cognitione quæ præterijt, sic etiam species manent determinatæ ad hanc significationem, quamdiu moraliter substant formę consecrationis, & sic patet posterior pars.

Dico *Tertiò*, sumptio Eucharistiæ non est Sacramentum: est contra quosdam hæreticos, qui concedunt Christum esse præsentem in vsu huius Sacramenti, alias non primus auctor huius sententiæ fuit Martinus Bucerus, quem secuti sunt tum Lutherani, tum Zuuingliani, Probatur propositio nostra, quia nec habet formam, nec certum Ministrum, nec confert gratiam, Sumptio enim est tantum conditio sine qua Christus nobis Sacramentaliter non coniungeretur, ac proinde sicut applicatio ignis non adurit, sed ignis applicatus; ita manducatio carnis Christi non sanctificat, sed caro Christi manducata, iuxta illud Joannis in 6. *num.* 58. *qui manducat me, & ipse viuet propter me*.

Dico *Quartò*, Species panis & vini per se non sunt Sacramentum, sicut nec corpus Christi per se. Probatur prior pars, quia Sacramento Eucharistiæ debetur adoratio, atque adeò cultus latriæ, qui vero Deo debetur, vt docet Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 5. at species sunt res creatæ, quibus per se nulla veneratio debetur. Probatur posterior pars, quia Sacramentum est signum sensibile, corpus autem Christi secundùm se, non est sensibile in hoc Sacramento, vt experientia docet. — Cōc. Tr.

Dico *Quintò*, Sacramentum Eucharistiæ intrinsecè & essentialiter constituitur ex speciebus panis & vini & corpore ac sanguine Domini. Est communior sententia Patrum & Doctorum. Ratio est, quia hoc Sacramentum proponitur tanquam cibus animarum ex vi primæ institutionis: talis autem cibus est corpus Christi velatum speciebus panis, ergo, &c. Ita D. Thomas *tertia parte qu.* 78. *art.* 1. *ad* 2. & *in* 4. *distinct.* 8. *quæst.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Victoria *de Sacrament. num.* 52. Bellarminus *lib.* 4. *de Eucharist. cap.* 1. & 6. Filliucius *tract.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 5. & alij apud Bonacinam *de Eucharist. disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 5. & 6. — D. Th. Victoria Bellarm. Filliuc. Bonac.

3. Sumptio Eucharistiæ, neque est necessaria, neque per se instituta ad primam gratiam. Probatur, quia sic expelleret peccatum originale vel mortale ex propria institutione, sed hoc est falsum; nam ad hoc sunt instituta duo Sacramenta mortuorum, Baptismus & Pęnitentia; ergo, &c. Confirmatur, quia Concilium Tridentinum *sess.* 13. *can.* 5. damnat eos anathemate, qui dicunt præcipuum huius Sacramenti fructum, esse remissionem peccatorum. — Conc. Trid.

Dices, hoc Sacramentum habet quandam generalem causalitatem in effectus omnium aliorum Sacramentorum, vnde & à S. Dionysio *cap.* 3. *de Ecclesiastica Hierarchia* vocatur omnium Sacramentorum consummatio, & perfectio, ergo Baptismus & Pęnitentia non delent peccatum originale & mortale, nisi virtute Eucharistiæ postea si commoditas ferat suscipiendæ. Respondeo, distinguendo antecedens; nam si intelligatur quasi reliqua Sacramenta pendeant à Sacramento Eucharistiæ in suis effectibus producendis, falsum est; quia vnumquodq; Sacramentum habet propriam suam vim dependentem quidem à passione Christi, independentem tamen à Sacramentis alijs, si verò intelligatur tantùm eminentia quædam huius Sacramenti super alia, conceditur antecedens, sed negatur consequentia. Hæc enim eminentia nihil præiudicat proprijs effectibus aliorum Sacramentorum, quia tantùm significat Eucharistiam in proprio & specifico effectu, qui est vnio cum Christo, & perficere quodammodo effectus omnium aliorum Sacramentorum, verbi gratia, Baptismus nos in Christo regenerat & facit similes Christo: hoc verò Sacramentum nutrit & consummat illam vnionem & speciali modo nos Christo, vt optimo amico, Fratri & Patri coniungit. Pęnitentia delet peccata mortalia post Baptismum commissa, & sanat vulnera animæ: hoc verò Sacramentum, & interdum id facit (vt diximus sup. *verb. Eucharistia* 1. *n.* 13.) & illum effectum perficit eodem modo, quo effectum Baptismi, & amplius purificat animam tollendo peccata venialia, minuendo concupiscentiam, & præseruando à relapsu. — D. Dion.

4. Eucharistia non est paruulis necessaria, neque in re, neque in voto, nisi impropriè dicto. Prima pars est de fide ex Concil. Trident. *sess.* 21. *canone* 4. *Si quis dixerit paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit*, & probatur, quia Ecclesia haberet præceptum ministrandi illis Eucharistiam, sicut tenetur illis prouidere de Baptismo: at nusquam extat tale præceptum & praxis Ecclesiæ contrarium ostendit, ergo. Secunda pars patet, quia votum est actus quidam humanus, quo desideramus frui beneficio Christi & remedijs ab ipso institutis: hic autem actus non conuenit paruulis, ergo. Tertia pars admittenda est propter Innocentium I. *Epistol.* 26. D. Cyprianum *lib.* 3. *ad Quirinum capite vigesimo quinto*, D. Augustinum *Epist.* 16. & alibi sæpe. D. Thomam *tertia parte quæst.* 73. *art.* 3. & *quæst* 79. *art.* 1. *ad* 1. Qui docent hoc Sacramentum esse necessarium, vel in re, vel in voto, sed hoc votum esse in adulto formaliter, in paruulo autem interpretatiuè: quia Ecclesia in Baptismo ordinat illum ad Eucharistiam postea sumendam. — Innoc. I. D. Cypr. D. Aug. D. Th

5. Eucharistiæ realis susceptio non est adultis necessaria ad perseuerandum in gratia, seu ad gloriam obtinendam, immò ne in voto quidem. Prior pars est contra Armenos, Iacobitas, & Nestorianos, ex quorum errore videtur profectus abusus eorum, qui mortuis dabant Eucharistiam, qui condemnantur in Sexta Synodo & Concil. Antissiodorensi & Carthaginensi III. Probatur, quia alioquin multi viatores essent extra statum salutis, qui nullo modo hoc Sacramentum percipere possunt. Tum quia sufficiunt alia remedia; nam Baptismus confert veram iustitiam in qua qui perseuerat, obtinet sine dubio vitam æternam: qui autem labitur habet remedium pœnitentiæ. Posterior pars probatur, quia Concilia, & Patres passim docent necessitatem Baptismi, & Pęnitentiæ, quæ tamen suppletur per votum. De necessitate Eucharistiæ non ita loquuntur, exceptis ijs quos supra citauimus, ergo signum est nullum votum ipsius esse necessarium. Ratio est, quia quod Sacramentum in voto sit necessarium, inde fit, quòd habeat proprium effectum necessarium ad iustitiam & salutem; nullus autem talis est effectus Eucharistiæ, sed solius Baptismi & Pęnitentiæ, ergo, &c. Ita communis sententia ex D. Thoma 3. *p.* *q.* 73. *art.* 3. Coninch *ibid. n.* 38. & 44. Filliucio *tract.* 4. *n.* 37. Bonacina *de Sacrament. disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 3. *numer.* 1. & alijs. — Sexta Synod. Concil. Antiss. Carthag. III. D. Th. Coninch Bonac

Illud

Illud tamen omninò admittendum est, hoc Sacramentum esse medium valde efficax & quasi moraliter necessarium ad perseuerantiam finalem, quod Sancti Patres sæpe inculcant; quia institutum est, vt conferat homini singulare auxilium ad cauenda peccata, & perseuerandum in gratia: Vnde si homo illud contemnat, vel negligat, facilè cadet, & vt ait S. Cyprianus *separatus à corpore Domini procul remanebit à salute.*

D. Cypr.

6. Christus realiter est præsens in Eucharistia: & est veritas fidei certissima, & clarissima ex Scripturis, Concilijs, Patribus, praxi Ecclesiæ, miraculis, ac denique euidenti demonstratione: Nam Christus potuit ac voluit dare se nobis in cibum Sacramentalem, per realem suam præsentiam, ergo est præsens in hoc Sacramento: consequentia est manifesta: antecedentis prior pars constat ex Symbolo, Credo in Deum patrem omnipotentem; quæ quamuis disertis verbis non negetur ab hæreticis, reuera tamen negatur: nam quotiescumque premuntur argumentis Catholicorum, recurrunt statim ad illud Capharnaiticum, *Quomodo potest his nobis carnem suam dare ad manducandum?* Ioan. 6. numero 53. Posterior antecedentis pars est euidens ex Scripturis: nam Ioannis 6. perspicuis verbis Christus hoc promittit, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et Matth. 26. promissum exsoluit. *Accipite, & comedite hoc est corpus meum:* ne verò hæsitaremus de quo corpore loqueretur adijcit Lucæ 22. *quod pro nobis datur,* seu vt habet Apostolus 1. ad Corinth. 11. *quod pro vobis frangitur, seu traditur:* quæ verba tam perspicua sunt, vt meritò dixerit S. Hilarius lib. 8. de Trinitate, *De veritate corporis & sanguinis Domini non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.* Neque locus hic est vllis tropis aut figuris: nam testamenta proprijssimis, & minimè ambiguis verbis condi solent, ne hæredes aut legatarij habeant occasionem litigandi. Et sic Ecclesia semper in proprio sensu, hoc Christi testamentum intellexit, & contrarias hæreses statim refutauit. Vnde sumitur aliud argumentum in re morali plusquam demonstratiuum. Si Christus non est præsens in hoc Sacramento, ergo vniuersa Ecclesia per totos mille sexcentos quinquaginta annos, in horrendo crimine artolatriæ versata est. Hoc autem est contra promissum Christi Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi,* ergo, &c. Proinde hæc veritas confirmata est nouissimè à Concil. Trident. *sess. 13.*

Côc. Tr. *canon. 1. Si quis negauerit in Sanctissima Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem vna cum anima & Diuinitate Domini nostri IESV Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit.*

Vide Bellarminum *lib. 1. de Eucharist. c. 2. & sequentibus* Victoriam *de Sacrament. n.* 65. D. Thomam 3. p. q. 75. *art.* 1. Syluium, Lessium, & alios, *ibidem.*

Bellarm. Victoria D. Th. Syluius. Lessius.

7. An remaneat aliquid de substantia panis & vini post consecrationem in hoc Sacramento? varij sunt errores hæreticorum nostrorum: *Primus est* Lutheranorum, qui dicunt corpus Christi esse in pane, sub pane, cum pane, & sic asserunt panis nihil perijsse. Quod olim etiam tenuit Berengarius post primam suam palinodiam teste Guitmundo *lib. 1. de Eucharistia in principio,* Ioannes Hus à quibus nostri hæretici hauserunt.

Secundus error. Manere quidem substantiam panis, sed sine supposito; nam assumi hypostaticè à Christo Domino, sicut verbum diuinum assumpsit naturam humanam: ita vt propriè & verè panis sit Deus, & Deus sit panis: item panis sit corpus Dei; non quidem ex Virgine, sed iam recens assumptum: & Deus habeat duo corpora sibi hypostaticè vnita; alterum carneum, quod est in cœlo, & alterum panaceum, quod est in altari: posse tamen hæc duo corpora dici vnum; quia sunt vnius suppositi. Hic error tribuitur Ruperto Abbati: quamuis non omnino sit certum, an Rupertus ita sentiat, nam in c. 6. Ioannis habet alia verba, quibus videtur rectè sentire.

Tertius error. Durandi *in 4. distinctione 11. quæst. 3.*

Durand. Manere materiam panis, sine forma substantiali. *Quartus,* quorumdam quos refert D. Thomas 3. *part. quæst.* 75.

D. Th. *art. 6.* manere formam panis sine materia. Præter hos errores sunt tres opiniones falsæ & improbabiles. *Primò,* manere subsistentiam panis. *Secundò,* manere eius existentiam. *Tertiò,* manere eandem entitatem, quæ fuit panis.

Dicendum autem est neque substantiam panis manere, neque vllam eius partem, aut modum substantialem: nam Concil. Tridentin. *sess. 13. canon. 2.* docet manere dumtaxat species panis & vini. Vnde manifestè sequitur, neque formam, neque materiam panis manere. Sequitur etiam non manere panis subsistentiam, nec existentiam, nec vllam entitatem metaphysicam: nam hæc omnia pertinent ad substantiam rei. De his vide Bellarminum *de Eucharist. lib. 3. c. 11. & seq.* vbi prædictos errores refert & refutat. Côc. Tr. Bellarm.

8. De fide est in hoc Sacramento interuenire transubstantiationem, hoc est, quòd tota substantia panis conuertatur in corpus Christi & tota substantia vini in sanguinem; ita vt nihil eius remaneat. Probatur primo ex Scriptura, *Hoc est corpus meum,* vbi Dominus id, quod exhibet sub specie panis, dicit esse suum corpus. Ob quæ verba semper persuasum fuit in Ecclesia Dei, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius. Pro quo nota triplicem esse conuersionem vnius in aliud, formalem, materialem, substantialem: nam aut mutatur forma rei manente materia, vt fit in rebus naturalibus, v. g. cùm ex aqua generatur aer, vel contra: aut mutatur materia rei remanente forma, vt fit in homine, qui tota vita nutritus, aut mutatur tota rei substantia, manentibus accidentibus, quæ naturaliter prorsus impossibilis est, fit tamen à Deo in hoc mysterio, vt definit Concil. Trident. *sess. 13. cap. 4.* Côc. Tr.

Ex quo patet falsum esse dogma transubstantiationis esse inuentum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. circa annum Domini 1215. vt hæretici calumniantur. Etsi enim in hoc Concilio nomen transubstantiationis primo receptum fuerit à tota Ecclesia, tanquam commodissimum ad hanc conuersionem singularem explicandam, tamen dogma ipsum semper in Ecclesia fuit. Patres enim antiqui expressè docent substantiam panis cõuerti, & mutari in corpus, in carnem Christi. Proinde decepti sunt quidam Catholici, dum existimant ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. dogma transubstantiationis, seu conuersionis panis in corpus Christi, non fuisse de fide. Nam hoc definitum fuit in Concil. Romano sub Gregorio VII. Et consensus omnium Patrum satis indicat hoc semper fuisse de fide. Quod etiam apertè insinuat Concil. Tridentinum *sess. 13. cap. 4.* his verbis. *Quoniam autem Christus redemptor noster, corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hac Synodus declarat, &c.* Conc. Rom. Côc. T.

9. Fide etiam tenendum est substantiam panis non vniri in Eucharistia hypostaticè verbo diuino, aut corpori Christi. Probatur. *Primò,* quia fide tenendum est panem non manere, ergo non potest hypostaticè vniri: vnio enim supponit existentiam in propria substantia. *Secundò,* etiamsi substantia panis maneret & verbo vniretur, non tamen idcirco caro Christi esset præsens in Eucharistia. Nam verbum diuinum potest assumere aliã naturam in terris quamuis corpus, quod ex Virgine assumpsit non sit in terris. Ergo hæc fictio est prorsus inutilis ad explicandum hoc mysterium. *Tertiò,* Ex hac sententia sequeretur, Deum tam propriè esse impanatum, quam incarnatum; & panem triticeum, quàm hominem. Item quotidie nouam fieri vnionem hypostaticam, quæ ab initio non fuit; scilicet cum alio, & alio pane, & eandẽ quotidie desinere. *Quartò,* ex ea sententia sequeretur, corpus Christi paneum esse in Eucharistia, nõ carneũ quod ex Virgine sumpsit: quod etsi Rupertus videatur concedere *l. 2. de officijs, c. 2.* est tamen apertè contra Scripturas *Panis quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita.* Et 1. ad Corinth. 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* Item contra omnes Patres, qui semper loquuntur de corpore carneo, quod ex Virgine assumpsit, & in mortem Rupert.

Bellarm.
Lessius.

pro nobis est traditum. Vide Bellarminum *de Eucharist. lib. 3. cap. 15.* Lessium *in 3. part. quæst. 75. art. 2.* & alios *ibidem*.

Conc. Fl.
Cōc. Tr.

10. De fide est totum Christum esse sub qualibet particula specierum panis & vini; saltem post fractionem, seu diuisionem ipsarum. Probatur ex Concilio Florentino. *Sub qualibet quoque parte hostia consecrata & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.* Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. *Quapropter*, inquit, *verissimum est, tantumdem sub altera specie, atque sub vtraque contineri. Totus enim & integer Christus sub panis specie & sub quauis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Et Canon. 3. *Si quis negauerit, sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta totum Christum contineri, anathema sit.* Idem docent Sancti Patres. Ratio est, quia Christus est in hoc Sacramento per modum substantiæ spiritualis & inextensæ sicut anima in corpore: ac proinde necessario totus manet sub singulis portiunculis, præsertim cùm non desinat ibi esse, quamdiu species saluæ consistunt, seu quamdiu substantia panis non desisteret. Ita docent D. Thomas *3. p. quæst. 76. art. 2. & 3.* Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 4. punct. 2.* Victoria *de Sacram. num. 64.* Vasquez *3. part. disp. 88. cap. 3.* & alij communiter.

D. Th.
Valentia
Victoria
Vasquez

Quamuis certum sit totum Christum esse sub quauis particula specierum quantumuis exigua ante diuisionem non est tamen de fide, quia non est expressè definitum. Licet contrarium contendunt sit temerarium & errori proximum, & tenent omnes Doctores præter Albertum *distinct. 13. art. 11.* Ratio est, tum quia si non est totus sub singulis partibus ante diuisionem, ergo neque post. Nam diuisio sola non potest eum constituere, vbi non erat; cùm sit actio, quæ etiam à bestia fieri potest. Tum quia ex vi conuersionis, corpus Christi est vbicumque fuit aliquid substantiæ panis: nam tota substantia panis conuertitur in corpus Christi: quare necesse est, vt corpus Christi succedat sub omnibus particulis specierum, sub quibus ante erat substantia panis. Atqui substantia panis erat sub minutissimis quibusque: ergo ibi iam est corpus Christi. Si dicas, ergo Christus est infinities in hoc Sacramento, & habet infinitas præsentias: nulla enim est pars panis tam parua coniuncta toti, quin sub minore existat forma panis? Concedo. Id enim quodammodò commune est omnibus rebus indiuisibiliter in aliquo loco diuisibili existentibus. Sed præsentiæ Christi, quibus præsens est singulis particulis speciei panis & vini, sunt diuisibiles in præsentias totales & adæquatas: nam facta diuisione hostiæ, totum corpus Christi habet adæquatam, & perfectam præsentiam in vtrauis parte. Hæc tamen diuisio non potest naturaliter fieri in infinitas præsentias totales: quia deueniretur tandem ad partes tam exiles specierum, vt sub eis non possit substantia panis seorsim conseruari.

Albertus

11. Sententia communior Doctorum est, in Eucharistia esse totam quantitatem seu molem corporis Christi sed modo indiuisibili, sic vt Sacramentalibus speciebus non coextendatur, sed tota sit sub singulis partibus earum; siue hæc moles sit quid distinctum à re quanta, siue non. Probatur, quia Concil. Trident. *sess. 13. cap. 3. & canon. 2.* docet sub speciebus panis non solum esse corpus Christi, sed etiam sanguinem. Animam & Diuinitatem, idque, propter naturalem concomitantiam seu vnionem cum corpore: ergo cùm similiter quantitas molis naturalem habeat vnionem cum corpore Christi (nam vel est ipsum corpus, vel accidens eius inseparabile) necessario debebit ibi esse. Tum quia corpus Christi in hoc Sacramento nunc est viuens & animatum; ergo suis organis & necessarijs dispositionibus distinctum; quæ distinctio & dispositio sine quantitate esse nequit. Sed vt hoc melius mente concipiatur, dicendum est, molem corporis Christi existere in puncto, non per condensationem, neque proprie per penetrationem partium mutuam, sed per hoc, quod omnes partes, diuina virtute, quasi confluant in punctum, sine penetratione, aut condensatione; sed altiori modo. Sicut enim anima rationalis, etsi indiuisibiliter existat; tamen configurat se corpori humano per totum diffusa, & etiam in extremitatibus existens; tamen separata confluit in punctum, retinens eandem configurationem veluti in radice. Ita diuina virtute corpus humanum potest veluti confluere & se retrahere in punctum, manente tota mole seu quantitate, & partium distinctione. Potest igitur virtute diuina tota quantitas corporis Christi in punctum colligi, ita vt pedes, & caput in eodem puncto sint. Rectè tamen dicuntur pedes esse extra caput; quia etsi simul sint in puncto non tamen propriè se inuicem penetrant: nec sunt sibi immediata; nam medium corpus interuenit. Ita D. Thomas *3. p. q. 76. art. 4.* Syluius Nugnus *ibidem*, Conioch *ibidem n. 66.* Henriquez *lib. 8. c. 25. n. 2. & c. 27.* Reginaldus *lib. 29 n. 38.* Victoria *de Sacrament. n. 64.* Pesantius. *3. p. q. 76. art. 4. disp. 1. conclus. 1. & 2.* & alij.

Cōc. Tr.

D. Th.
Syluius.
Nugnus
Coninch
Henriq.
Regin.
Victoria
Pesant.

Si dicas, non possunt esse simul duæ quantitates in eodem loco: ergo non potest sub speciebus retinentibus quantitatem panis aut vini esse quantitas Christi. Respondeo, duas quantitates naturaliter simul esse non posse supernaturaliter verò posse, sicut de facto constat, Christum exijsse de sepulchro sine fractione lapidis: & de ventre matris sine fractione signaculi Virginei, & consequenter duas quantitates fuisse simul supernaturaliter. Ita Suarez *3. p. tom. 3. disp. 51. sect. 5.* Angles *de Euchar. q. 4. art. 8. conc. 1.* & alij communiter contra Durandum, in *4. dist. 10. q. 2.*

Suarez.
Angles.
Durand.

12. Quamuis Christus secundum suam substantiam, & accidentia sit in tota & qualibet parte specierum, in qua erat substantia panis; non tamen possunt de ipso verificari ea, quæ dicuntur de substantia panis. Proinde ne committatur error in loquendo de hoc augustissimo Sacramento, aduertendum est. *Primò*, ea prædicata, quæ concernunt purum motum specierum, & existentiam in loco, verificari de corpore Christi. Propterea corpus Christi dicitur esse in Sacratio, esse sursum, vel deorsum, deferri ad infirmum, eleuari, ore sumi, aut traici in stomachum. Ratio est, quia corpus Christi est realiter connexum speciebus; ergo dum species transferuntur de loco ad locum, simul transit corpus Christi de loco in locum, & sic mouetur secundùm esse, quod habet in Sacramento: quamuis secundum modum essendi, quem habet in cœlo; maneat immobilis. Ita D. Thomas *3. p. q. 76. art. 6.* Syluius *ibid.* Coninch *ibid. n. 80. & 3. 85.* Victoria *n. 69.* & alij communiter.

D. Th.
Syluius.
Coninch
Victoria

Secundo, prædicata, quæ sunt propria & absoluta specierum non prædicantur de corpore Christi. Proinde cum species dicantur albæ, rotundæ, molles, liquidæ, vel calidæ, &c. non possunt hæc prædicata dici de corpore Christi: quia huiusmodi prædicata supponunt pro ipsamet quantitate panis relicta, quæ tanquam subiectū accidentium denominatur alba, rotunda, &c. non verò supponunt pro contento sub speciebus, seu pro Christi corpore. Vt bene Henriquez *lib. 8. de Euchar. c. 20. n. 5.*

Henriq.

Tertio, Prædicata, quæ ostendunt actionem & passionem specierum, non possunt verificari de Christi corpore secundùm proprium loquendi modum. Probatur, quia vt huiusmodi prædicata dicantur de aliquo, requiritur extensio, nam vt agens corporeum agat, requirit extensionem in patiente: Christus autem non existit sub speciebus modo quantitatiuo, & per extensionem. Possunt tamen huiusmodi prædicata verificari de corpore Christi secundum denominationem extrinsecam ipsarum specierum: vnde dici potest corpus Christi tangi, frangi, oculis videri, frigefieri, &c. hoc nomine, quod species quibus continetur velatum, tangantur, frangantur, &c. Ita D. Thomas *3. p. q. 77. art. 7.* Suarez *3. p. tom. 3. disp. 53. sect. 1.* Reginaldus *lib. 29. n. 38.* Lessius *3. par. q. 76. art. 7. & q. 77. art. 7.* & alij communiter. Et sic intelligendi sunt Patres dicentes corpus ipsum Christi videri, tangi, dentibus atteri.

D. Th.
Suarez.
Regin.
Lessius.

13. Ex communi Doctorum sententia, & Concilio Tridentino *sess. 13. cap 3.* dupliciter aliquid esse in hoc Sacramento dicitur. Primò, *ex vi verborum*, seu *ex vi Sacramenti*: nempe id, cuius præsentia necessaria est ad verborum veritatem. Sic sub specie panis est solum corpus, non autem sanguis, quidquid dicat Scotus, corpus enim humanum præcisè consideratum, vt præscindit à viuo & mortuo, non includit sanguinem, & si viuum

Conc.
Trid.

inclu-

includat. Nomine autem corporis non intelligitur materia nuda, sed illud quod cōmuniter dicitur corpus, quod scilicet constat partibus heterogeneis, id est, diuersæ rationis, vt carne, ossibus, neruis, brachijs, pedibus, &c. siue illud sit viuum, siue mortuum, cùm non solùm corpus viuum, verum etiam mortuum dicatur corpus. Sub specie autem vini est tantùm sanguis. Secundò *concomitanter*, scilicet id, quod necessariam connexionem habet cum corpore, vel sanguine. Sic sub specie panis est sanguis Anima, & Diuinitas hypostaticè vnita: sub specie vini est corpus, Anima, Diuinitas: & vtrobique corporis & animi accidentia inseparabilia. Vnde sequitur, si Apostoli in triduo mortis Christ. consecrassent sub specie panis non fore nisi corpus mortuum & Diuinitatem: sicut etiam si consecrassent sub specie vini, postquam Christus totum sanguinem effuderat, adfuisset sub speciebus vini totus sanguis Christi vnitus Verbo: corpus verò Christi non adfuisset: non enim adfuisset ex vi verborum, quia verba non significassent illud primariò, neque adfuisset concomitanter, quia corpus fuisset separatum à sanguine. Si verò quis consecrasset, antequam aperiretur Christi latus, ex quo sanguis effluxit, sub speciebus adfuisset, non solùm sanguis, verum etiam corpus Christi concomitanter, quia alia pars sanguinis fuisset adhuc vnita corpori, consequenter corpus concomitanter adfuisset. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 76. *art.* 1. & 2. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 2. & alii communiter, teste Henriquez *lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 1. *litera C.*

D. Th. Valentia Henriq.

Sed petes, quomodo dicuntur sanguis & anima esse sub specie panis per concomitantiā, cùm ex natura actionis qua ibi ponitur corpus non necessario comitentur? Resp. ex ordinatione diuina quia statuit Deus, vt nullo vnquam in loco post resurrectionē corpus à sanguine, vel anima, vel diuinitate separetur; sed hęc semper & vbique sit coniuncta: id enim dignitati corporis Christi erat cōsentaneum, quod postulat, vt vbique sit viuum per animam; viuificum, per diuinitatem vnitam: Perfectum omnibus suis partibus & ornamentis. Vnde vbicumque ponitur Christi corpus, ibi etiam ponitur simul per admirabilem illā actionem anima, sanguis & vnio hypostatica; imò etiam spiritus vitales & animales, & alia intra Christi corpus in cœlo contenta, non solùm quæ ad eius perfectionem & operationes sunt necessaria, sed etiam quæ ad ornatum, vt sunt vngues, capilli, &c. Ita Coninch 3. *p. q.* 76. *art.* 2. Lessius 3. *p. q.* 76. *art.* 1. & 2. & alij.

Coninch Lessius.

14. Diuinitas, seu Verbum diuinum est in Eucharistia per concomitantiam, non ex vi verborum. Colligitur ex Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. vbi insinuatur solum corpus esse sub specie panis; & solum sanguinem esse sub specie vini ex vi verborum, cætera vi connexionis cum his. Aduerte tamen Diuinitatem in hoc Sacramento specialiori modo esse propter vnionem hypostaticam cum corpore, quam sit in reliquis rebus. Vnde si per impossibile Diuinitas non esset vbique, tamen necessario esset sub hoc Sacramento; sicut etiam necessariò esset, vbicumque esset humanitas Christi.

Hinc colligitur etiam Patrem & Spiritum Sanctum esse in hoc Sacramento concomitanter, sed concomitantia mediata; quia ex vi connexionis cum diuinitate verbi, & ipso verbo. Sicut enim verbum diuinum est ibi peculiari modo ex vi connexionis cum corpore Christi, quę est concomitantia immediata; ita Pater & Spiritus Sanctus sunt ibi peculiari modo ex connexione cum verbo in diuinitate, quæ est concomitantia mediata.

Item sequitur sub speciebus panis esse sanguinem Christi non ex vi verborum, sed concomitanter. Et sub speciebus vini adesse corpus Christi & animam concomitanter non verò ex vi verborum. Ita communiter Doctores post D. Thomam *supra.*

D. Tho.

15. Accidentia manent sine subiecto in hoc Sacramento. Et sic est fide tenendum. Probatur *Primo* ex Concilio Constantiensi *sess.* 8. vbi damnatur iste articulus Vvicleff. *Accidentia panis non manent sine subiecto.* Item ex Concil. Lateranensi sub Innocentio III. *cap.* 1. Florentino, cui etiam Græci subscripserunt, & Tridentino *sess.* 13. *can.* 1. Et sic est etiam determinatum in *cap. Firmiter, de Summ. Trinit. & fide Cathol.* Ratio est, quia accidentia non sunt in pane, cùm ille iam desierit esse. Nec sunt in corpore Christi, quia accidens migrare non potest de subiecto in subiectum. Tum etiam quia Christus habet iam alia accidentia, nec ista conueniunt illi. Quantitas autem est sine subiecto miraculosè à Deo substentata. Aliæ verò qualitates, vt albedo, caliditas, frigiditas, & aliæ similes sunt in quantitate sine miraculo, & sine speciali Dei concursu. Sicut enim in actibus naturalibus principale agens est substantia, tamen non mediante se, sed mediante accidenti: sic in causalitate causæ materialis, principale subiectum accidentium, est substantia corporea, sed non immediatè, sed quantitate mediante. Et tales qualitates sine miraculo nouo, habent suas operationes, nam species vini consecrati frigefaciunt naturaliter si vinum erat frigidum. nam frigefacere non conuenit substantiæ nisi frigiditatis ratione: cùm ergo ibi sit frigiditas, naturaliter frigefacit. Sic igitur species consecratæ faciunt & producunt, quidquid agere & producere posśent, si manerent cum substantia panis, & vini. Ita docet D. Thomas 3. *p. quæst.* 77. *art.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 2. *art.* 1. Syluester *verb. Eucharist.* 4. *num.* 1. & alij.

Concil. Constan. Concil. Later. Florent. Trid.

D. Tho. Sotus. Syluest.

Quidam tamen existimant omnia accidentia in Eucharistia sine subiecto existere, neque quantitatem esse subiectum reliquorum. Ratio est, quia quantitas non est res aliqua distincta à substantia, & qualitatibus; sed est dumtaxat modus quidam illorum, per quem intrinsecè extenduntur: dicunt enim materiam & formam substantialem & qualitates corporales per se esse extēsas intrinseco & proprio modo extensionis; in qua extensione possint diuinitus conseruari, reliquis omnibus, quæ realiter ab ipsis distinguuntur abolitis: vnde nihil opus esse alia quantitate distincta. Ita Occam *in* 4. *quæst.* 7. Gabriel *lect.* 44. *in canon. Missæ*, & aliqui alij. Quæ sententia facilè defendi posset, & placet Lessio *in* 3. *p. quæst.* 77. *art.* 2.

Occam. Gabr. Less.

16. Quando fiunt apparitiones miraculosæ in hostia, & in speciebus manent accidentia necessaria ad conseruationem substantiæ panis, aut vini, manet sub ijs corpus Christi; statim autem atque hæc corrupta sunt, desinit ibi esse corpus Christi. Ita communis omnium Doctorum sententia. Notandum tamen *Primo*, nec ex eo quòd appareat eadem quantitas specierum, sufficienter colligitur manere alia accidentia necessaria ad conseruationem panis, aut vini, vt patet quando species vini omninò accrescunt: Nec ex eo quòd hæc appareat notabiliter mutata, satis colligitur corruptio illorum accidentium. Notandum *Secundo*, vtrum talis corruptio facta sit, non tam ex mutatione coloris, aut figuræ, quàm mutatione saporis, ac odoris iudicandum est; nam idem specie panis potest absolutè loquendo naturaliter conseruari sub diuersis coloribus, ac figuris. Proinde quamdiu sapor & odor manent incorrupti, omninò credibile est manere ibi corpus Christi. Ita communiter Doctores.

Sed difficultas est, quando hostia videtur versa in carnem, vel species vini in sanguinem, quod dupliciter fieri potest. *Primo*, sine vlla intrinseca mutatione specierum, per solam immutationem oculorum, vel aeris, & tunc sine dubio manet Christi corpus sub speciebus quomodo credendum est fieri, quando hæc species paruum durat. *Secundo*, si Deus mutet ipsas species sacramentales, inductis quibusdam qualitatibus sensibilibus carnis, vel sanguinis verbi gratia, colore vel spissitudine, conseruata quantitate, & alijs accidentibus occultioribus, quæ sufficerent ad conseruandam panis, & vini substantiam; & tūc etiam sub tali specie carnis & sanguinis, manet Christus sacramentaliter. Si tamen esset specierum mutatio vt substantia panis, aut vini nequiret conseruari, vt si per miraculum mutentur in figuram carnis, sanguinis, aut similem, *Gabriel*, & *Alexander Alensis* existimant verè poni ibi carnem Christi naturalem in specie naturali. Verùm, etsi hic modus Deo sit possibilis, credibile tamen non videtur quòd eò vtatur, saltem ordinariè: quia interdum ista species carnis & sanguinis diu perseuerat, & sensim nigrescit, & corrumpitur, vt patet in multis locis: corpus autem Domini & sanguis est incorruptibilis. Tum quia non est credibile quod sanguis miraculosè manens ex hostia, sit sanguis Domini in propria specie. Nam sanguis Domini non potest esse extra venas, & manere

extra

extra corpus. Quare est solùm aliquis humor sanguini similis à Deo subitò, vel creatus, vel ex materia adiacente productus, ad significandum ibi latere corpus viuum habens sanguinem.

Sed petes *Primò*, quando similis mutatio accidit, an debeat sumi Sacramentum ita mutatum, an potiùs asseruari? Respondeo, quando est perpetua illa mutatio, non conuenit illud sumi, sed meliùs existimatur, vt ad fidelium consolationem, Christique laudem conseruetur, & patet ex vsu Ecclesiæ, & communiter Doctores testantur. Ratio est, quia est valde dubium, an sit ibi verum corpus Christi. Aliqui tamen putant, si Sacerdos non abhorreret, posse illam speciem, quæ in carnem versa videtur sumere in sacrificio; quia nullum est præceptum quod prohibeat, & pertinet illa sumptio ad sacrificij complementum.

Petes *Secundò*, an in hoc casu teneatur Sacerdos nouam materiam consecrare? Respondeo, si temporaria tantùm sit mutatio, expectandum esse dum Sacramentum recipiat propriam speciem, & tunc sumendum. Quod si sit perpetua, dubitant Auctores. Nam aliqui negant, quia illa sumptio non est de essentia sacrificij secundùm illos. Et cùm Christus tunc constituat Sacramentum in eo statu vt sumi nequeat; videtur in lege qua præcipitur sumptio dispensare. Ita Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 4. ad 3.* Syluester *verb. Eucharistia 3. in fin.* & Caietanus *3. par. quæst. 82. art. 4.* & alij. Reliqui asserunt nouam materiam necessario consecrandam, quia ex præcepto diuino Sacerdos tenetur consumere Sacramentum. Vnde D. Thomas *3. p. quæst. 82. art. 4. ad 3.* docet consulendum tali Sacerdoti, vt denuò consecret. Cui subscribunt etiam alij. De his plura vide apud Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 55. sect. 3.* Fagundez *de precept. Eccles. precept. 3. lib. 5. cap. 7.*

Sotus. Syluest. Cait. D. Th. Suar. Fagund.

17. Grauis est difficultas, an vino consecrato possit misceri aliquis liquor non consecratus, & si talis mixtio fiat, an sit totum consecratum, vel pars, aut nihil, vel pars sic, & pars non? pro quibus.

Dico *Primò*, posse alios liquores speciebus Sacramentalibus misceri, vt experientia constat. Isti tamen liquores non miscentur propriè ipsi sanguini; quia ad mixtionem requiritur interpositio, contactus & vnio. Sanguis autem Christi non potest per se tangi, aut diuidi ab alio liquore externo, cùm sit intra sua vasa in corpore Domini. Ita D. Thomas *3. p. q. 77. art. 8. ad 2.* & alij.

D. Tho.

Dico *Secundò*, quando per admistionem alterius liquoris specie distincti corrumpuntur species vini, itaut posita tali mistione substantia vini non remaneret, si vinum sub illis speciebus existeret, desinet ibi esse sanguis Christi.

Dico *Tertiò*, quando posita tali mixtione substantia vini sub speciebus adhuc remaneret, non desinet ibi esse sanguis sub speciebus: ex quo fit vt si vino consecrato infundatur vinum non consecratum einsdem speciei, non desinet ibi esse sanguis Christi etiamsi fiat mixtio per totum; quia si duo vina consecrata miscerentur, sub illis remaneret sanguis Christi; ergo sanguis Christi etiam remanet, quando vinum consecratum miscetur cum non consecrato eiusdem speciei. Est communior sententia Doctorum Valentiæ, Nugni, Coninch, Victoriæ, Soti, & aliorum apud Suarez *disp. 57. sect. 4. concl. 3.* contra nonnullos alios.

Valentia Nugn. Coninch Victoria Sotus. Suarez.

Dico *Quartò*, quando species vini miscentur ita cum vino alterius speciei, vt noua substantia producatur, siue vinum album specie differat à nigro, siue non, sanguis Christi ibi desinet esse. Ita Bonacina *disp. 4. quæst. 3. punct. 6. §. 3. num. 7.*

Bonac.

Dico *Quintò*, si liquor infusus in calicem Sanctum vincatur à speciebus Sacramentalibus, non vertetur in sanguinem Domini: nam hæc conuersio non fit, nisi per verba consecrationis: sed vertetur in substantiam vini, quia species vini ita agunt, ac si vini substantia adesset: atqui si vini substantia adfuisset, conuertisent liquorem effusum in vinum, ergo similiter modò, Lessius *in 3. p. quæst. 77. art. 8.*

Lessius.

Dico *Sextò*, si gutta specierum vini consecratarum immissa sit in dolium vini eiusdem speciei, huiusmodi vinum seruandum est ad pios vsus, in reuerentiam speciebus consecratis debitam: nam totum quodammodo est benedictum, ratione contractus, quamuis non sit consecratum. Ita Suarez *disp. 57. sect. 4.* Coninch *quæst. 77. art. 8. num. 73.* & ibidem Nugnus cum alijs. Contra Sotum, Viualdum, Emanuel Sà, Henriquez, qui volunt tale vinum habendum vt vinum commune, nec opus esse, vt seruetur pro missis celebrandis. Sed hoc probandum non est, nisi aliter cogat necessitas, vel incommoditas.

Suarez. Coninch Nugnus. Sotus. Viuald. Sà. Henriq.

Vide verb. Cæcus n. 2. Concubinarius n. 7. & tom. 2. verb. Missa 2. num. 7.

EXCOMMVNICATIO I.

Quoad eius essentiam, & diuisionem.

SVMMARIVM.

1 *Multis nominibus excommunicatio in iure solet nuncupari.*
2 *Quid sit excommunicatio? & quotuplex?*
3 *Diuisio excommunicationis in maiorem, & minorem.*
4 *Excommunicatio alia est à iure, alia ab homine; & vtraque vel est latæ sententiæ, vel ferenda.*
5 *Quæ sit differentia inter excommunicationem ab homine, & illam quæ est à iure?*

1 EXcommunicatio multis nominibus in iure solet nuncupari. *Primò*, dicitur *Anathema*, id est, execratio, maledictio, & separatio ab alijs. *Secundo*, dicitur *anathema manaratha*, hoc est, excommunicatio maior latæ sententiæ, vsque ad aduentum Domini. *Tertiò*, dicitur *mucro Episcopi*, est enim spiritualis gladius. *Quartò*, vocatur *virga ferrea*, quia per illam comprimitur hominis peccatoris audacia. *Quintò*, appellatur *mors*, nam per eam priuatur excommunicatus fructibus vitæ spiritualis; vocatur etiam *neruus Ecclesiasticæ disciplinæ*. Suarez *to. 5. disp. 8. sect. 1.* Sayrus *de cens. lib. 1. cap. 3.* Vgolinus *tab. 2. cap. 33. §. 1.* Coninch *disp. 14. dub. 1.* & alij.

Suar. Sayrus. Vgolin. Coninch

2. Excommunicatio est *censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur aliquibus bonis communibus*, nempe *consortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragijs*: vnde excommunicatio significat quasi extra communionem; quæ *triplex* esse potest. *Prima*, est spiritualis merè interna, vt communicatio in gratia & charitate, per quam sibi inuicem cõmunicant fideles. *Secunda*, est communio merè ciuilis, vt confabulatio, mutua salutatio, communis mensa. *Tertia*, est partim externa, vt participatio Sacramentorum, vsus sacrificij & communio in alijs officijs & rebus sacris, partim interna & mixta, vt participatio suffragiorum Ecclesiæ, applicatio orationum communium ad impetrandum à Deo aliquod beneficium. Excommunicatio, per se loquendo, non priuat hominem prima communione, quia excommunicatus potest esse in gratia, sed per accidens, quatenus supponit per peccatum mortale, esse sublatam eiusmodi communionem; priuat autem secunda & tertia. Toletus *lib. 2. cap. 4.* Nauarrus *cap. 27. num. 1.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 17. punct. 1.* Filliucius *tract. 12. cap. 1. num. 3. & 4.* Bonacina *de censur. disp. 2. quæst. 1. num. 2.* Sylnius *in suppl. quæst. 21. art. 1.* & alij citati.

Tolet. Nauarr. Valentia Filliuc. Bonac. Sylu.

3. Excommunicatio rectè diuiditur, in *maiorem & minorem*. *Maior* est, quæ tribus supradictis bonis, consortio fidelium, nempe, Sacramentorum participatione, & suffragijs Ecclesiæ priuat. *Minor* verò, vno tantum bono priuat, videlicet participatione Sacramentorum: *præterea* maior excommunicatio non incurritur, nisi ob mortale peccatum, *minor* autem aliquando ob veniale: in iure verò, excommunicationis nomine, simpliciter intelligitur maior, quæ absolutè dicitur excommunicatio, nam verba absolutè prolata accipiuntur in sua significatione simpliciter. Toletus *cit. cap. 5. nu. 1.* Coninch *cit. num. 5.* Couarruuias *capit. Alma mater 1. part. num. 5.* Syl-

Tolet. Coninch Couar.

Sylu. Sylnius *cit. art. 1. & 3.*

4. Diuidit iterum excommunicatio in illam, quæ est à *iure*, & alteram quæ est *ab homine*. *A iure* est, quæ per aliquem canonem vel statutum, vel constitutionem fulminatur: *Ab homine* verò est, quæ per aliquem iudicem fertur, & vtraque tam à iure, quàm ab homine, vel est latæ sententiæ, vel ferendæ, hoc est, aut ipso iure, seu facto incurritur absque vllius sententiæ expectatione; aut est tantùm comminatoria, quæ scilicet non statim ligat, sed desideratur sententia, per quam est fulminanda. Excommunicatio tunc est *lata sententia*, quando ponitur verbũ præteriti, vt si dicatur, sic excõmunicatus, habeatur pro excommunicato, ipso iure, ipso facto. *Comminatoria* erit excommunicatio, si ponatur aliquod verbum futuri, si dicatur, excommunicetur, vel sub pœna excommunicationis. Toletus *cit. num. 3. 4.* Filliucius *cit. num. 9.* Nauarrus *cit. n. 2.* Sayrus *de censur. lib. 1. cap. 4. num. 22.*

Toletus. Filiuc. Nauarr. Sayr.

5. Multiplex à Doctoribus ponitur *differentia*, inter excommunicationem ab homine, & illam quæ est à iure *cap. vt animarum §. statuto de const. lib. 6.* nam *iuris* excommunicatio semper est generalis & determinatè fertur contra facientes, vel non facientes hoc vel illud; illa autem quæ est *ab homine*, aliquando est generalis, aliquando particularis, contra determinatam personam; *deinde* excommunicatio lata ab homine, cessat, cessante vita iudicis, vel quando ab officio remouetur, itaut de nouo contrauenientes non liget; at excommunicatio *iuris* durat etiam mortuo conditore, quamdiu ius ipsum durat; *præterea* quando fertur excommunicatio à canone vel statuto pro futuris culpis, ligat contra facientes intra territorium legislatoris, quamuis tempore legis latæ, seu delicti non essent subditi respectu originis, vel domicilij: at sententia *hominis* comprehendit illos tantùm, qui tempore sententiæ sub iudicis eam pronunciantis iurisdictione continebantur, & illi subditi erant; quia sententia sumit vires incontinenti in eum contra quem fertur; *lex* autem cùm semper loquatur, obligat etiam eos qui futuris temporibus futuri sunt subditi. Nauarrus *cit.* Toletus *cit. num. 6.* Syluester *verb. Excommunicatio 2. num. 10.* Bonacina *cit. num. 4.* Sayrus *cit. cap. 4. num. 22.* & alij communiter.

Nauarr. Toler. Syluest. Bonac. Sayr.

EXCOMMVNICATIO II.

Quoad eius causas; Videlicet, efficientem, materialem, formalem, & finalem.

SVMMARIVM.

1 *De causa efficiente excommunicationis.*

2 *De causa materiali excommunicationis proxima, nempe & remota.*

3 *An sufficiat ad contrahendam excommunicationem, quodcumque peccatum præteritum sine contumacia? & an requiratur effectus completus quem legislator intendit sub excommunicatione prohibere?*

4 *An mandantes, vel consulentes incurrant excommunicationem nondum effectu secuto.*

5 *Ad cognoscendum an excommunicatio contracta sit, vel alia censura per aliquam actionem, perpendenda sunt verba legis.*

6 *De causa materiali remota excommunicationis.*

7 *De formali causa excommunicationis.*

8 *Quæ sint circumstantiæ obseruandæ quando excommunicatio fertur in peccatum præteritum cum contumacia.*

9 *An ad validitatem excommunicationis requiratur causa rationabilis, & manifesta? & quando censeatur iniusta.*

10 *An de ratione formali excommunicationis sit, seruata circumstantiam loci, seu proprij territorij.*

11 *An excommunicatio lata per statutum contra subditos delinquentes in alieno territorio liget.*

12 *An excommunicatio lata per modum sententiæ afficiat personam subditam vbicumque sit?* refertur duplex sententia.

13 *An superior possit ligare excommunicatione extraneum delinquentem in suo territorio.*

14 *An excommunicatio lata die feriato sit valida.*

15 *Ad solemnitatem excommunicationis requiritur vt denuncietur à legitimo superiore.*

16 *De causa finali excommunicationis.*

1 CAusa *efficiens* maioris excommunicationis, iuxta D. Thomas *in suppl. quæst. 22. art. 1.* Sylnius *ibid.* Nauarrus *cap. 27. num. 5. 6.* Sayrus *de censur. lib. 1. cap. 5.* Suarez *disp. 2. sect. 2. num. 1. 2.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 2.* Fillincius *tract. 11 num. 10.* Toletus *lib. 2. cap. 6.* Reginaldus *lib. 9. num. 115. & seq.* & alios est homo Ecclesiasticus, non quilibet, sed tantùm ille, qui habet potestatem iurisdictionis fori exterioris, ordinariam, vel delegatam, non impeditam, siue ferat illam medio iure & lege, quæ dicitur excommunicatio à iure, siue media sententia, quæ dicitur ab homine: vnde excommunicare potest Papa, Concilium generale, Prouinciale, Episcopi, Capitulum sede vacante: Abbates, Generales Ordinum, Prouinciales, Guardiani, & quicumque superiores habentes iurisdictionem Ecclesiasticam in exteriori foro: hinc *deducitur* fœminam non posse excommunicare, sicut nec laicum, nec simplicem Sacerdotem, quamuis curatus, sit nisi ex dispensatione Summi Pontificis, vel ex consuetudine legitimè præscripta, quia hi omnes non habent iurisdictionem exteriorem: *Aduertendum* tamen quòd Papa & Concilium generale possint, in quacumque diœcesi existant, per sententiam vel statutum, excõmunicare, at Episcopus in aliena diœcesi existens, non potest nec suos subditos excommunicare, nisi petita licentia proprij diœcesani. *Propterea* potest Papa & Concilium generale quoscumque cuiuscumque diœcesis excommunicare, at reliqui Prælati non nisi suos subditos; quamuis aliquando possint non subditos excommunicare, puta, quando ratione delicti commissi in eius territorio, vel ratione contractus ibidem initi, vel ratione rei ibi sitæ, ad eius iurisdictionem aliquo modo pertinent. D. Bonau. *4. dist. 18. in vlt. p. d. q. 3.* Henriquez *lib. 13. cap. 14.* Sayrus *cit. lib. 1. cap. 6. num. 20.* & alij.

D. Th. Sylu. Nauarr. Sayrus. Suar. Bonac. Filliuc. Tolet. Regin.

D. Bona. Henriq. Sayrus.

Insuper est hic adnotandum ex nostro Sigismundo à Bononia *tract. de elect. p. 3. cap. 4. dub. 116.* quòd quando dicimus Guardianos, & alios Prælatos conuentuales, posse excommunicare, intelligendum est, respectu tantùm fori pœnitentialis, non autem respectu fori contentiosi, siue fori externi: Ratio prioris est, quia respectu eiusdem fori pœnitentialis & Curatus potest excommunicare, ergo pari ratione & Prælati Regulares inferiores idem poterunt. Posterius autem probatur, quia excommunicare est actus iurisdictionis contentiosæ fori exterioris, qui propterea fit à Iudicibus; sed nullam habent à iure iurisdictionem fori contentiosi Prælati inferiores, nec item possunt procedere in forma & figura iudicij, sed tantùm per viam pœnitentiæ, corrigendo; ergo nec valent excommunicare. Et sic conciliantur contrariæ sententiæ Doctorum affirmantium, & aliorum negantium. Huic solutioni subscribit Alterius *de censur. tom. 1. lib. 3. disp. 7. cap. 3. & Sacra Rota Romana.*

Sigism à Bonon.

Alterius.

2. Causa *materialis* excommunicationis *duplex* est, *proxima* nempe & *remota*: *proxima* est peccatum mortale proprium, externum, & non sufficit peccatum merè internum, quod ita in mente lateat, vt aliter cognosci non possit, nisi per reuelationem; quia Ecclesia non iudicat de merè internis nisi indirectè, solus Deus est iudex internorum & occultorum: *Ecclesia* autem potest quidem præcipere, vel prohibere actum internum, non secundùm se & directè, sed per ordinem ad actum externum, quem informat, vel qui non potest subsistere, sine actu interno: *hinc* faciens actum externum sine actu interno, excommunicationem incurrit, quando deficit actus internus; qui est de substantia actus externi præcepti, qualis est attentio respectu diuini officij recitandi; quando autem substantia actus externi potest subsistere, absque actu interno, non incurritur excommunicatio, quamuis cùm actus externus adimpleatur, aliàs possit committit peccatum

rum contra ius naturæ & diuinum, verbi gratia, indignè communicans in Paschate, non incurrit excommunicationem latam contra non communicantes eo tempore, quia indignè communicans adimplet substantiam præcepti Ecclesiastici, quod præcepit externam communionem: peccat tamen contra ius diuinum indignè communicando. Vide Toletus *cit. cap.* 8. Sayrus *cit. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 19. & 24. Coninch *disput.* 13. *dub.* 8. Filliucius *cit. tract.* 11. *num.* 158. 162. & *seq.* Rodriquez *in Sum.* 2. *par. cap.* 67. Suarez *cit. disp.* 4. *sect.* 2. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 9. Couarruuias *in cap. Alma p.* 1. §. 9. & alios.

Tolet. Sayrus. Coninch Filliuc. Rodr. Suarez. Nauarr. Couar.

3. Ad contrahendam excommunicationem, non sufficit peccatum præteritum, nisi adsit contumacia, nempe quando admonitus vt à peccato desistat, id renuit facere: vnde si homo paratus est corrigi propter quodcumque enorme peccatum præteritum, excommunicari non debet: quando autem fulminatur excommunicatio in futurum, vel quia præcipitur aliquid faciendum, vel prohibetur ne fiat, tunc dummodò iustum sit, quod præcipitur, resque sit grauis, in transgressores potest ferri excommunicatio. Est tamen hic *aduertendum*, quòd ad incurrendam excommunicationem aliamve censuram, requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub excommunicatione vel alia censura prohibere, quia lex non ligat, nec operatur vltra legislatoris intentionem verbis expressam: hoc tamen est intelligendum, nisi sub censura principaliter prohibeatur ipsa actio, vel conatus, nam ea actione posita statim censura incurreretur, quia actus censetur sufficienter completus, quantùm lex requirit, ex qua doctrina casus sequentes deciduntur. Sayrus *citat. num.* 25. *cap.* 9. Filliucius *tract.* 11. *num.* 185. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 17. Toletus *cap.* 8. *num.* 2. 3. Couarruuias *in cap. Alma* 1. *p.* §. 10. *num.* 4. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *num.* 19. Nauarrus *de pæn. dist.* 1. *ex c. cum autem num.* 11. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 9. & alij.

Sayr. Filliuc. Henriq. Toletus. Couarr. Bonac. Nauarr. Vgolin.

4. *Mandantes*, vel *consulentes* non incurrunt excommunicationem nondum effectu secuto, quando scilicet effectus fuit principaliter prohibitus, mandatum verò, vel consilium prohibitum fuit tantummodò accessoriè: item non incurritur excommunicatio, quando actus exterior non habet eam malitiam, quæ sub censura prohibetur; vt qui exteriùs profert hæresim, sed interiùs bene sentit: item non incurrit excommunicationem canonis qui projicit sagittam contra clericum, sed illum non attingit: similiter qui actionem aliquam exercet de se insufficientem ad effectum prohibitum sub censura, illam non incurrit vt qui alium vulnerauit non lethali vulnere, & vulneratus moritur ob aliam causam, non incideret in excommunicationem, si quæ lata esset contra homicidas. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 17. *punct.* 9. Nauarrus *cap.* 27. *n.* 11. Auila *disp.* 1. *dub.* 11. Reginaldus *lib.* 9. *n.* 216. Coninch *disp.* 13. *dub.* 8. *num.* 75. Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 6. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *res.* 240. & alij.

Valentia Nauarr. Auila. Regin. Coninch Suarez. Diana.

5. Ad *cognoscendum*, an excommunicatio contracta sit, vel alia censura per aliquam actionem, perpendenda sunt verba legis; si enim absolutè prohibent aliquod delictum sub censura; illud voluntarium requiritur, quod sufficit ad mortale peccatum, & ad contumaciam contra censuram: quando autem verba legis non absolutè prohibent aliquod delictum sub censura, sed postulant perfectum & directum voluntarium, censura non incurritur per quodlibet voluntarium sufficiens ad peccatum mortale; sed ad eam incurrendam requiritur voluntarium directum, & ex certa scientia censuræ, vnde peccans contra præceptum ex negligentia, inaduertentia; vel ignorantiam etiam culpabili & crassa, non incurrit excommunicationem, quamuis peccet mortaliter contra præceptum. Sanchez *de matr. lib.* 9. *disp.* 32. *à num.* 33. *ad* 45. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 6. *num.* 166. & *seq.* Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 9.

Sanch. Filliuc. Suarez.

6. Causa materialis *remota*, seu subiectiua excommunicationis, est homo viator, determinatus, baptizatus, inferior, subditus: hoc est, solus homo tam masculus, quàm femina excommunicari potest; vnde defunctus, dæmon, & animalia irrationalia excommunicatione ligari non possunt, quia non sunt capaces effectus illius: dicitur *determinatus*, quia tota aliqua vniuersitas, vel collegium, nō potest excommunicari per sententiam, nisi in particulari distinguantur excommunicandi; alioquin huiusmodi censura contineret errorem intolerabilem, cùm contingeret sæpè innocentes puniri grauissima pœna excommunicationis. Dicitur *Baptizatus*, quia infideles sicut & cathecumeni, non possunt excōmunicari, cùm Ecclesiæ membra non sint, & illius legibus non subdantur. Dicitur *Inferior*, quia nullus seipsum excommunicare potest, sicut nec superiorem, vnde Papa à nullo excommunicari potest, quia non habet superiorem. Dicitur *Subditus*, id est, eius subiectus iurisdictioni, quia exempli priuilegio Apostolico non possunt ab Ordinario ipso excommunicari, sicut nec alij non subditi, nisi in tribus casibus expressis. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 14. Sayrus *cit. lib.* 1. *cap.* 8. Reginaldus *lib.* 9. *num.* 133. Toletus *cit. cap.* 7. Vasquez *de excomm. dub.* 17. *n.* 8. Suarez *disp.* 5. *sect.* 1. Syluius *in Suppl. quæst.* 22. *art.* 4. *cum D. Thom.* & alijs. Ex *cap. ne aliquis de priuileg. in* 6.

Nauarr. Saytus. Regin. Toletus. Vasquez Sylu. D. Th.

7. *Formalis causa* excommunicationis siue à iure, siue ab homine, non sunt determinata verba, sed sufficiunt quæcumque verba, aut etiam scriptura, qua intentio iudicis sufficienter exprimatur; quia nullo iure cautum est, excommunicationem per certa verba ferendam esse: tamen verba, quibus excommunicatio exprimitur, debent esse determinata ad aliquam personam, eam nominando, si cognoscitur, vel describendo aliquo modo, vel illam designando per ordinem ad delictum; quia verba faciunt in censuris quod significant, ergo quando nullam personam significant, nullam afficiunt: *præterea* verba quibus excommunicatio fertur, debent significare de præsenti, & practicè effectum, quia si significent de futuro, vt excommunicabo &c. non infertur censura; & insuper debent continere executionem, non autem solā præceptionem. Vide Sayrum *lib.* 1. *cap.* 11. Nauarrum *cap.* 27. *n.* 12. & 37. Filliucium *tr.* 11. *n.* 53. 56. & 57. Toletum *lib.* 1. *cap.* 9. Coninch *disp.* 13. *dub.* 2. *n.* 23. Reginaldum *lib.* 9. *n.* 194. Suarez *disp.* 18. & alios.

Sayr. Nauar. Filliuc. Tolet. Coninch Regin. Suar.

8. Quamuis in excommunicatione ferenda, nulla forma verborum iure præscripta sit, *aliqua* tamen *circumstantiæ*, quæ ad formam quodammodo reduci possunt, obseruandæ sunt in excōmunicatione, quæ fertur in peccatum præteritum cum contumacia: *Primò* enim requiritur, vt præcedat trina admonitio, qua excōmunicandus priùs ter admoneatur, an velit parere; vrgente tamen necessitate, fieri potest vt vna admonitio absolutè sufficiat; quantum autem temporis spatium sit constituendum, pro singulis monitionibus: colligi potest ex iure, constituendos esse duos saltem dies, pro singulis monitionibus, quāuis Iudex possit pro sua prudentia interuallum ampliare, vel restringere etiā ad vnum diē, vel ad breuius tempus, si opus fuerit: quando autem vna admonitio fit, debent dari sex dies exprimendo, vt primi duo, sint pro prima, secundi pro secunda, tertij pro tertia admonitione, *c. constitutionem de sent. excom. in* 6. Suarez *disp.* 3 *sect.* 12. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *res.* 18 19. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 12. Nauarrus *c.* 27. *n.* 11. Vgolinus *tab.* 2. *cap.* 18. §. 2. *n.* 4. Reginaldus *lib.* 9. *n.* 181. Syluius *in suppl. q.* 21. *art.* 4. *Secundò*, requiritur vt excommunicatio feratur non solo verbo iudicis, sed in scriptis, in quibus etiam exprimi debet causa excommunicationis, & ferens excommunicationem solo verbo, sine scriptura, & sine expressione causæ, aut qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem, si petatur, mortaliter peccat, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem; ab ipsa tamen suspensionis pœna recensita eximuntur Episcopi, secundùm aliquos etiam Prælati religiosorum, ferentes excommunicationem solo verbo, quia non fit expressa mentio eorum, vt fieri debet ad contrahendam ab eis ipso facto iuris suspensionem *cap. cum medicinalis, de sent. excom. in* 6. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 34. Coninch *dub.* 9. *n.* 85. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 13. & *c.* 9. Filliucius *tract.* 11. *num.* 507. 108. & 109. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. Toletus *cit. cap.* 9. Suarez *de censur. disp.* 3. *sect.* 13. Portel *in dub. reg. verb. Excommunicare n.* 1. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *res.* 73.

Suarez. Diana. Sayr. Nauarr. Vgolin. Regin. Sylu.

Henriq. Coninch Sayrus. Filliuc. Bonac. Tolet. Suarez. Portel. Dian.

Extat priuilegium Leonis X. concedentis, quòd *Prælati ordinis Minorum regularis Obseruantiæ, cum aliquem fratrem propter apostasiam, vel aliam causam excommunicant*

nicant in capitulo fratrum, vel in communitate, non teneantur proferre sententiam in scriptis, prout in iure sub pœna suspensionis præcipitur proferentibus. Ita habetur in *compend. priuileg. Minor. verb. Excommunicatio* §. 7. & tradent Rodriquez *tom. 2. qq. regul. quæst. 60. art.* 3. Portel *verb. Excommunicatio num.* 1. qui benè aduertunt, quod *Leo X.* non concesserit vniuersaliter hic, vt nullam sentētiam excōmunicationis non teneantur Prælati in scriptis proferre, sed tantùm illam, quæ per modum præcepti fulminatur contra aliquem fratrem particularem: Excommunicationem autem per modum statui tenentur, iuxta terminos iuris, in scriptis proferre. Illa autem erit per modum statuti vel ordinationis, quæ ponitur omnibus fratribus Prouinciæ & permanenter.

Notandum tamen hoc priuilegium *Leonis X.* esse tantùm viuæ vocis oraculo concessum, imò & non authenticum; propterea notatur *à Cassarubio* litera (o) parua, per quam viuæ vocis oracula non authentica denotare solet; ideò talis concessio inutilis est his temporibus, nisi alio modo sit confirmata. Aliunde tamen videtur id concessum Prælatis Regularibus propter multa priuilegia, quæ ipsorum plurimi habent, quòd in correctionibus suorum subditorum non teneantur obseruare rimulas & apices Iuris, inter quas ista de scriptura videtur numerāda. Pro priuilegijs autem de non obseruandis rimulis & apicibus iuris consulatur Lugo *tom. 2. de iust. & iur. disp. 37. sect. 14. num.* 162. citatus à Lezana *tom. 3. sum. verb. Censura num.* 6.

Eximuntur *præterea* denunciantes aliquem excommunicatum; item ferentes censuram sine scriptura ob vrgentem & iustam aliquam causam: eximi etiam possunt qui hoc faciunt bona fide, & ex quadam inaduertentia censuræ: *notandum* tamen est excommunicationem, vel aliam censuram latam sine scriptura, vel sine expressione causæ, non esse irritam & inualidam, quia omissio scripturæ, seu causæ, non censetur omissio formæ substantialis, sed tantummodo accidentalis. Ita Doctores citati.

9. Ad formalitatem, seu validitatem sententiæ communicationis requiritur causa *rationabilis* & *manifesta*; vnde *tripliciter* potest esse iniusta, *cap. Episcopus, §. si ergo, 11. quæst.* 3. D. Thomas *in Suppl. quæst.* 21. *art.* 4. Syluius *ibid. quando* scilicet non prouenit ex amore iustitiæ, vel desiderio correptionis, sed potiùs ex odio, vel inuidia; & hæc excommunicatio taliter lata, licet sit iniusta, valida tamen est; quia nihil essentiale deficit, ratione cuius irrita debeat esse. *Secundò*, excommunicatio iniusta dicitur, quando nō seruatur ordo iuris, qui duplex est, vnus vocatur *substantialis*, & necessarius ad validitatem, qualis videtur esse admonitio; alter dicitur *accidentalis*, vt scilicet fiat in scriptis, & cum expressione causæ: ex hac parte redditur excommunicatio iniusta & inualida, quādo prætermissus fuit ordo iuris necessarius, *cap. Sacro, de senten. excom. Tertiò*, iniusta materialiter appellatur excommunicatio, quando causa propter quam fertur, non est vera, vel non est æqua, licet in iudicio per testes probetur vera, *cap. nemo*, 2. *q.* 1. & hanc quamuis iniustam excommunicationem, iurisperiti communiter affirmant esse validam, sed Theologi negant probabilius; quia excommunicatio maior non incurritur, nisi propter peccatum mortale, quod verè in hoc casu non fuit commissum quamuis in iudicio commissum probetur: vnde taliter iniustè excommunicatus, non priuatur suffragijs Ecclesiæ, nec iurisdictione in foro conscientiæ, & omnia gesta per ipsum valida sunt in eodem foro: licet in foro externo, & dum scandali periculum imminet, taliter excommunicatus teneatur se gerere tanquam excommunicatum, præsertim quando dubitatur de iustitia causæ propter quam censura lata est.

D. Th.
Syluius.

10. De ratione etiam formali excommunicationis est, vt seruetur circumstantia loci, seu proprij territorij, quando ad illam ferendam opus est iurisdictione contentiosa, quæ nequit extra proprium territorium exerceri, absque licentia Ordinarij loci sicut nec in loco plenè exempto, non ratione tantùm personarum, vt sunt Ecclesiæ & monasteria religiosorum, sed ratione etiam ipsius loci, *cap. nouit, de offic. leg.* Auila 2. *part. cap. 3. disp. 2. dub.*

Auila.

1. Reginaldus *lib. 9. num.* 155. Nauarrus *cap. 27. num.* 6. Sayrus *lib. 1. cap. 14. num.* 4. Conioch *disp. 13. dub. 5. num.* 64. quando autem non est opus huiusmodi iurisdictione, potest excommunicatio, aliave censura ferri etiam in alieno territorio, quia ad illam ferendam non requiritur causæ cognitio, seu processus, vel strepitus iudicialis: & plures casus adfert Sayrus citatus, in quibus validè in alieno territorio excommunicatio ferri potest: Tamen Prælati religiosorum, vt Abbates, Prouinciales, Priores, & alij Superiores habentes iurisdictionem sine territorio, possunt vbicumque existant ferre censuras, & ligare suos subditos, etiamsi delinquant extra monasteria. Vt docet Rodriquez *tom. 2. qq. regul. quæst. 59. art.* 1. contra Mirandam *tom. 2. quæst. 35. art. 8. conclus.* 3. Ratio est, quia Prælati religiosorum non habent territoria diuisa sicut Episcopi, sed eorum iurisdictio est in ordine ad personas subditas secundùm se, & vbicumque sint, cùm ratione voti obedientiæ se illis absolutè subiecerint, ergo vbicumque fuerint possunt contra illos censuras ferre, & illis præcepta imponere. Ita etiam Syluester *verb. Excommunicatio* 2. *num.* 15. Lezana *tom. 3. verb. Censura n.* 9. vbi refert quosdam dicentes, totum mundum esse territorium Prælatorum Regularium: & huic sententiæ subscribit etiam Lezana.

Regin.
Nauarr.
Sayr.
Conioch
Rodr.
Mirand.
Syluest.
Lezana.

11. Excommunicatio, vel alia censura, lata à superiore per statutum, contra subditos delinquentes & existentes in alieno territorio, non ligat: quia *extra territorium ius dicenti, non paretur impune*, id est, nulla pœna imponitur non obedienti proprio superiori, extra ipsius iurisdictionem; nam statutum respicit directè territorium, *cap. 2. de constit. in* 6. Hinc transgrediens statutum proprij Episcopi, in locis, & Parochijs exemptis, existentibus tamen in Diœcesi proprij Episcopi, non incurrit censuram latam contra violantes statutum Episcopi; quia huiusmodi locus censetur extra iurisdictionem Episcopi; & delinquens dicitur in Diœcesi esse tantummodò materialiter, non formaliter. Suarez *disput. 5. sect. 4. num.* 4. Filliucius *tom. 11. num.* 148. 149. Bonacina *punct. 11. num.* 6. Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 25. quæst.* 4. Diana *tract. 5. misc. res. 74. & tract. 6 misc. res. 78. par.* 3.

Suar.
Filliuc.
Bonac.
Azor.
Diana.

12. Secundùm probabiliorem sententiam Vgolini *tab. 1. cap. 9. §.* 3. Sayr. *cit. cap. 7. num.* 18. Layman *lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 4. n.* 7. & aliorum, excommunicatio lata per modum sententiæ, afficit personam subditam, vbicumque sit etiamsi extra territorium ferentis censuram existat, siue lata sit per sententiam generalem, siue per sententiam particularem, nam respicit personas secundum se. Non est tamen improbabilis aliorum opinio, asserentium Episcopum non posse excommunicare sibi subditum existentem, extra propriam Diœcesim: non solùm per statutum, vt habet communis sententia, sed neque per sententiam generalem, vel particularem, ob delictum commissum extra propriam Diœcesim; ob delictum verò commissum in propria Diœcesi, posse, quamuis in alieno territorio existat. Ita Salas *de leg. disp. 14. sect.* 8. Couarr. *cit. Alma 1. p. §. 10. num.* 3. Coninch *cit. num.* 61. Diana *cit.* & alij.

Vgolin.
Sayrus.
Laym.
Salas.
Couarr.
Coninch
Diana.

13. Superior alicuius loci, non potest ligare excommunicatione extraneum delinquentem in suo territorio, & ibi breui tempore commorantem. Ita Clauis regia *lib. 3. cap. 4. num.* 15. Sanchez *in Summ. lib. 1. cap.* 12. Bonacina *de censur. disp. 1. quæst. 1. punct. 11. num.* 20. & alij: quia ad ferendas censuras requiritur, vt delinquens sit subditus superiori in quo reperitur; extraneus autem, qui non decreuit manere maiore anni parte in aliquo loco, non est subditus superiori illius loci. Suarez *disp. 5. sect. 5. n.* 10. Sayrus *lib. 1. cap. 7. num.* 22. Filliucius *tract. 11. num.* 154. tamen cum Filliucio & quibusdam alijs, opinantur extraneum ligari censuris latis per modum statuti, in loco, in quo reperitur, non verò ligari censuris latis, per modum sentētiæ, quia sententia directè fertur in personas subditas re, aut spe, id est, in eos qui tunc sūt subditi, vel qui nascētur: vel eò transferent domicilium; sed verius est, vt dicetur suo loco, extraneum non teneri legibus, & sententijs loci, in quo per modum transitus reperitur.

Cla. reg.
Sanchez.
Bonac.
Suarez.
Sayrus.
Filliuc.

14. In ferenda excommunicatione, solet etiam seruari *circumstantia temporis*, vt scilicet non feratur die feriato,

Vgolin; Sayr. riato, *cap. final. de ferijs*. Vgolinus *tab. 1. cap. vlt. §. 2. num. 3.* Sayrus *lib. 1. cap. 14. num. 8. & cap. 7. num. 17.* qui, ex institutione, vel consuetudine Ecclesiæ, dicatus est honori & cultui diuino; nihilominus sit lata fuerit tunc tēporis, non foret inualida; quia etsi excommunicatio postulet causæ cognitionem, non tamen semper & necessario eam postulat, *argum. cap. Veniens, de sentent. excommunic.*

15. Ad *solemnitatem* etiam excommunicationis pertinet, vt postquam lata fuerit contra determinatam aliquam personam, etiam denuncietur à legitimo superiore, seu de auctoritate legitimi superioris, *cap. cura 11. quæst. 3* qui in hac re non solùm censetur is, qui censuram excommunicationis tulit, aliusve ab eo requisitus, verùm etiam Episcopus, in cuius Diœcesi patratum est delictum vetitum sub tali censura: ad talem autem denunciationem non semper tenetur iudex, nisi aliud ratio boni priuati, vel communis suadeat: quando verò fit hæc denunciatio, illa facienda est publicè in Ecclesijs, & postea in scriptis affigi debet ad portas Ecclesiarum, cum expressione causæ iuxta consuetudinem loci: *Notandum* tamen est hic, quòd qui contraxit excommunicationem, vel aliam censuram, à iure vel ab homine latam, non est post delictum statim denunciandus, quamuis illud notorium sit & publicum, sed præmittenda est ante denunciationem, sententia criminis declaratoria, quia fieri potest, vt reus innocentiam probet, afferatque probabilem sui facti excusationem. Ita Filliucius *tract. 11. num. 110. & seq.* Sayrus *lib. 1. cap. 13. num. 20. & seq.* Suarez *disp. 3. sect. 14. num. 7.* Couarruuias *cit. Alma mater 1. p. §. 2. num. 9.* Toletus *lib. 1. cap. 12. num. 6.* Filliuc. Sayr. Suarez. Couarr. Tolet.

16. Causa *finalis* excommunicationis, est bonum & vtilitas hominis, vt resipiscat, & ad bonum se conuertat, vel vt à malo perpetrando retrahatur, iuxta illud 1. Corinth. 1. *Vt resurgat a peccato, & saluus fiat in die Domini, cap. Cum medicinalis, de sentent. excomm. in 6.* Bonacina *cit. punct. vlt.* Bonac.

Vide Apostasia *num.* 8. 9. Compensatio *num.* 7. Censura. Hæresis *num.* 5. 6. 7. *& seq.* & tom. 2. verb. Ignorantia *num.* 17. Iudex *num.* 4.

EXCOMMVNICATIO IIII.

Quoad illius effectus.

SVMMARIVM.

1 *De primo effectu excommunicationis, qui est priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum.*

2 *An excommunicatus contritus ante absolutionem gaudeat communibus suffragijs?* refertur duplex sententia.

3 *Licet peccet Sacerdos offerens Missam in persona Christi pro excommunicato existenti in gratia, an tamen prosit illi quoad fructum?*

4 *De secundo effectu excommunicationis qui est priuare Sacramentorum participatione passiua: & an Sacramentum pœnitentiæ subsistere possit susceptum ab excommunicato?*

5 *An Sacerdos peccet administrando Sacramenta excommunicato tolerato, & non tolerato.*

6 *De tertio effectu excommunicationis, qui est priuare participatione actiua Sacramentorum.*

7 *An grauiter peccet petens, aut recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando.*

8 *An excommunicatus administrans Sacramenta incurrat irregularitatem?*

9 *De quarto effectu excommunicationis, qui est priuatio diuinorum officiorum, & sacrarum rerum.*

10 *An Missa officium excommunicato multis modis sit prohibitum.*

11 *An peccet audiens, vel celebrans Missam in præsentia excommunicati tolerati, vel vitandi.*

12 *An communicatio prohibita excommunicato, in officio diuino horarum canonicarum, intelligatur de officio solemni & publico, an verò de priuato?*

13 *An Clericus excommunicatus solemniter ministrans in aliquo ordine, incurrat irregularitatem.*

14 *An excommunicatus vitandus & non absolutus in vita, aut post mortem, etiamsi signa contritionis dederit, priuetur sepultura Ecclesiastica.*

15 *De quinto effectu excommunicationis, qui est inhabilitas ad beneficia, eorumque fructus.*

16 *An collatio pensionis facta excommunicato sit valida?* refertur duplex sententia.

17 *An inualide promisus de beneficio, vel pensione ob excommunicatione, retinere possit beneficium, vel pensionem? & an reualidari possit collatio beneficij.*

18 *An beneficiarius sit priuatus fructibus suorum beneficiorum, qui post illorum consecutionem, in excommunicationem lapsus est?* refertur duplex sententia.

19 *An possit percipere fructus & distributiones, qui ob iniustam excommunicationem cogitur à choro abesse.*

20 *An excommunicatus per quem non stat ne absoluatur, & ne choro intersit, possit percipere distributiones?* refertur duplex sententia.

21 *De sexto effectu excommunicationis, qui est priuatio iurisdictionis Ecclesiasticæ.*

22 *An gesta per excommunicatum vitandum, seu non toleratum, sit inualida.*

23 *An acta ab excommunicato tolerato sint valida.*

24 *An qui obtinuit facultatem ab Episcopo audiendi confessiones, possit ea facultate vti postquam Episcopus fuit denunciatus excommunicatus.*

25 *De septimo effectu excommunicationis qui est ciuilis cōmunicationis priuatio, videlicet in contractibus, testamentis, & quotidiano conuictu.*

26 *Excommunicatus vitandus est in quinque casibus.*

27 *In quinque casibus, excusantur fideles à peccato, communicando cum excommunicato.*

28 *An in necessitate, cùm spirituali, tum corporali liceat communicare cum excommunicato.*

29 *De octauo effectu excommunicationis, qui est priuatio communicationis in actionibus iuris ciuilis.*

30 *Quilibet excommunicatus etiam toleratus per se loquēdo non potest communicare cum alijs fidelibus.*

31 *Communicans cum excommunicato denunciato in crimine criminoso peccat mortaliter, & maiorem incurrit excommunicationem.*

1 PRimus *effectus* excommunicationis maioris est, priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum, *cap. à nobis, de sentent. excommunic.* communia autem & generalia suffragia sunt, quædam auxilia spiritualia, quæ à clericis, quatenus ministris Ecclesiæ, offeruntur pro fidelibus; qualia sunt, sacrificium Missæ, orationes canonicæ, publicæ supplicationes, seu processiones &c. in quibus clericus orat in nomine, & in persona Ecclesiæ: hinc applicans excommunicato communia suffragia, peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; & secundùm Nauarrum, talis incidit in minorem excommunicationem, quia communicanti cum excommunicato vitando imposita est minor excōmunicatio; tamen in feria sexta Parasceues, ex concessione Ecclesiæ potest publicè orari pro excommunicatis, & offerri pro illis sacrificium Missæ, eo modo quò fit in ea die, quia à generali prohibitione, potuit Ecclesia excipere illum diem. Filliucius *tract. 12. num. 33.* Nauarrus *cap. 27. num. 36.* Suarez *disp. 9. sect. 1. num. 4.* Sayrus *lib. 2. cap. 4. num. 7.* Reginaldus *lib. 32. num. 9.* Syluius *in suppl. q. 21. art. 4.* & alij. Filliuc. Nauarr. Suarez. Sayrus. Regin.

Contendunt autem Doctores, an occultè excommunicatus & toleratus, hoc est, qui non est publicè per sententiam denunciatus, vel non est notorius clerici percussor, priuetur communibus suffragijs, & an peccent fideles pro illo suffragia ferentes. Henriquez *lib. 13. cap. 11.* Coninch *disp. 14. dub. 6. num. 40.* Vgolinus *tab. 2. §. 2. n. 3.* cum multis alijs asserūt non esse peccatum quamuis preces publicæ sint, quia Concil. Constant. permittit fidelibus participationem cum excommunicatis toleratis; verùm Henr. Coninch. Vgolin.

Suarez. Filliuc. Sotus.

rùm Suarez *d.9.sect.2.num.6.* Filliucius *tract.12.num.42.* Sotus *d.22.q.1.art.4.* cum quibusdam alijs, probabiliùs & meritò existimat, nõ licere fidelibus suffragia offerre, pro toleratis excommunicatis; quia Concilium non concedit internam suffragiorum communicationem, sed externam, vt in audienda Missa, recitando diuino officio, &c. Et hæc sententia est tenenda.

Nauarr. Valent. Sayrus.

2. Affirmant quidam Doctores, vt Nauarr. *cap.27.nu.18.* Valentia *tom.4.d.7.quæst.17.punct.8.* Sayrus *lib.2.cap.4.num.5.* excommunicatum contritum, ante absolutionem, gaudere communibus suffragijs, liceteque pro eo illa offerre, quia non videtur probabile, Ecclesiam priuare suis suffragijs membrum sibi fide & charitate coniunctum, & qui iam à contumacia recessit: hæc sententia ob auctoritatem Doctorum eam tenentium, & fauorem fidelium, aliquam speciem probabilitatis habet. Sed alij probabilius esse docent talem priuari communibus Ecclesiæ suffragijs; quia excommunicatus contritus, adhuc remanet excommunicatus, donec absoluatur & cõsequenter priuatur communibus suffragijs. Ita Vasquez *de excomm.dub.2.tom.4.* Suarez *d.9.sect.3.n.2.* ConincK *d.14.dub.6.num.49.* Diana *part.5.tract.9.resol.75.* & alij.

Vasquez. Suarez. Coninc. Diana.

Denique iniustè excommunicatus, ex defectu legitimæ causæ, vel iuridici ordinis substantialis, non videtur priuatus communibus suffragijs; tamen non posset orari pro illo publicè, nec offerri Missæ sacrificiom, donec publicè constet, de iniusta excommunicatione: si verò iniustè sit excommunicatus ex defectu ordinis iuridici accidentalis, vel ex parte amici irati, & odio affecti, tunc videtur esse priuatus suffragijs; ratio autem prioris est, quia excommunicatio est iniusta inualida, in posteriori autem casu est valida quamuis iniusta, & ideò habebit suos effectus. Filliuc. *tract.12.num.41.dub.2.*

Filliuc.

3 Sacerdos offerens Missam in persona Christi pro excommunicato aliàs existente in gratia, etiamsi peccet, tamen prodest illi quoad fructum, qui per Missam applicatur, scilicet, tùm quoad impetrationem, tùm quoad satisfactionem; qoia qoando qnis operatur vt minister alterius, propria malitia non impedit effectum operationis: si verò in persona Ecclesiæ offerat, nihil proderit, quia Ecclesia priuat excommunicatum suffragijs communibus; vnde Sacerdos applicando sacrificium excommunicato peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in regni graui, sicut dictum est; tamen licet Sacerdoti, vt est priuata persona, orare pro excommunicato, vel in *Memento*, vel io alijs partibus Missæ, occultè & secretò, etiamsi talis excommunicatus denunciatus sit; immò potest Sacerdos, totum pium opus dicendi Missam, vel officium diuinum, quatenus est proprium, per quod habet suum meritum, & satisfactionem, vel impetrationem, ex opere operantis, offerre pro excommunicato priuata intentione, quia hoc modo, illud opus aliàs publicum, fit priuatum. Ita Reginaldus *lib.32.num.13.* Suarez *d.9. sect.4.nu.3.* Nauarrus *cap.27.num.36.* Filliuc. *citat.num.48.& seq.* ConincK *cit.nu.37.* Henriq. *lib.13.cap.12.* Vasquez *cit.num.3.* Diana *p.5.tr.9.res.77.* & alij.

Reginal. Suarez. Nauarr. Filliuc. Coninc. Henriq. Vasquez Diana.

4. *Secundus effectus* maioris excommunicationis, est priuare Sacramentorum participatione passiua, *Cap. Si celebrat. de cleric. excommun. Cap. Engeltrudam 3.qu.4.* ita vt excommunicatus percipiendo Sacramenta, quantumuis occultus sit, vel excommunicatio iniusta, modò sit valida, sacrilegium committat, & peccet mortaliter; quia de natura excommunicationis est, priuare passiua Sacramentorum participatione: validè tamen excommunicatus Sacramenta recipit quoad substantiam, licet non semper quoad effectum, id est, quoad gratiam; nam quoties aliquis recipit Sacramentum, & in eius susceptione committit peccatum mortale, ponit obicem ad gratiam, qui autem ponit obicem ad gratiam, non recipit gratiam. Reginald. *lib.32.nu.primo.* Filliucius *tract.12.nu.57.* Syluius *cit.art.4.* Diana *part.5. tract.9. resol.85.* & alij.

Reginal. Filliuc. Syluius. Diana.

Sed grauissima *difficultas* est inter Doctores, de pœnitentiæ Sacramento, an subsistere possit non solùm quoad fructum, verùm etiam quoad substantiam, susceptum ab excommunicato, qui petit absolutionem à peccatis, antequam absoluatur ab excommunicatione, siue inuincibiliter ignoret se esse excommunicatum, siue vincibiliter & culpabiliter: pro qua *dicendum* est communiorem Valentiæ *tom.4.d.7.quæst.11.punct.3.* Vasquez *cit. dub.4.* Suarez *d.10.sect.3.numer.9* Sayrus *lib.2.cap.2. numer.5.* ConincK *d.14.d.5.numero 26.* Syluij *in supplem. quæst.21. artic.4.* & aliorum sententiam esse, quòd, quoties quis inculpabiliter ignorat, se esse excommunicatum, vel si scit quidem se esse excommunicatum, ignorat tamen inuincibiliter esse peccatum mortale, accedere ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum cum excommunicatione, talis validè recipit Sacramentum pœnitentiæ; non solùm quoad substantiam, verùm etiam quoad effectum; quia adsunt omnia de substantia Sacramenti pœnitentiæ, verbi gratia, materia, forma, intentio & iurisdictio, & quando ponitur Sacramentum quoad substantiam, & non ponitur obex ad gratiam per peccatum, recipitur effectus Sacramenti pœnitentiæ, qui est gratia & remissio peccatorum.

Valent. Vasquez Suarez Sayrus. Coninc. Syluius.

Quando autem colpabiliter mortaliter ignorat quis se esse excommunicatum, pœnitentiæ Sacramentum non recipit, quia sic accedendo cum excommunicatione, nouum peccatum committit. Vgolinus *tab.2.c.7.§ 2.* Henriquez *lib.13.cap.12.numer.2.* Nauarrus *cap.9.numer.4.* Auila *2.part.cap.6. dist.3.dub.4.* tamen & quidam alij existimant in hoc casu, ignorantiam debere esse affectatam, alioquin si tantùm sit culpabilis mortaliter, putant talem excommunicatum recipere Sacramentum pœnitentiæ informe.

Vgolin. Henriq. Nauarr. Aulla.

Notandum tamen hic est, quòd licet excommunicatus etiam toleratus, regulariter loquendo, peccet mortaliter suscipiendo aliquod Sacramentum, aliquando tamen potest excusari ob ignorantiam, vt dictum est, vel necessitatem, vt ob vitandam infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, quod alia ratione, vel probabili excusatione, vitare non potest; quia Ecclesia non obligat cum tanto incommodo, & præceptum naturale præponderat præcepto Ecclesiæ. Ita Filliucius, *cit.num.56.* Bonacina *dist.2.quæst.2.part 2.num.4.* Diana *part.5. tract.9.resol.82.* *Præterea* est notandum, non incurri pœnam aliquam generaliter, ex Sacramentorum receptione ab excommunicato, quia nulla extat in iure expressa: suscipiens tamen sacros ordines in excommunicatione, incurrit suspensionem. Vt colligitur ex *cap.cum illorum, de sent.excommun.* & docent Suarez *cit.sect.3.num.6.* Filliucius *cit.num.54.*

Filliuc. Bonac. Diana. Suarez. Filliuc.

5. Quamuis ex vi censuræ excommunicationis, Sacerdos non peccet, administrando Sacramenta excommunicato tolerato, seu non vitando: peccat tamen contra ius naturale ac diuinum, cùm eodem iure non sint administranda Sacramenta indignè petenti, nisi fortè petens sit peccator occultus, & publicè petat; vel quando petens non peccat petẽdo, vt si petat ob necessitatem vitandæ infamiæ vel scandali. Vasquez *cit.dub.2.num.12.* Suarez *d.10.sect.a.num.12.* Filliuc. *cit.n.64.* & alij. Quando autem excommunicatus est ex ijs qui vitãdi sunt, iuxta Extrauag. *Ad euitanda*, ex suo genere, & vi censuræ, peccat mortaliter, qui illi Sacramentum aliquod administrat, *C. Episcoporum de priuilegijs in 6.* nisi excusetur ob necessitatem, vel aliam iustam causam; quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui de non participando cum excommunicato. Ita Vgolinus *cit.cap.7.§.1.* *Pœna* autem *Cap. significauit, de sententia excom.* iure statutæ, contra ministrantem Sacramenta excommunicato vitando, sunt, excommunicatio minor, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ; quidem si excommunicatio lata, sit Papæ reseruata, & denunciata, participantes clerici in diuinis cum talibus excommunicatis, incurrunt eamdem excommunicationem. Nauarr. *cit.27.num 93.* Caietan. *v.excom.cap.58.*

Vasquez Suar. Filliuc. Vgolin. Nauar Caieta

6. *Tertius effectus*, excommunicationis maioris est priuare illa innodatum, participatione actiua Sacramentorum, *C. Si celebr. de cler. excomm. minist.* ita vt prohibitum sit illi ministrare Sacramenta cuicumque, sub peccato mortali, quod intelligendum est de excommunicato vitando & non tolerato, & nisi ignorantia probabilis vel naturalis obliuio, & inaduertentia tam facti quàm iuris, vel grauis necessitatis, tàm propria quàm aliorum, vel

Toletus. Sayrus. Filliuc. Syluius. Diana.

euitatio scandali excuset. Toletus, *cap.11. libr.1. num.2.* Sayrus *lib.2.cap.1.num.2.* Filliucius *cit.nu.67.& seq.* Syluius *cit.art.4.* Diana *part.6.tract.9.ref.83.* & alij. *Sacramenta* tamen administrata ab excommunicato vitando, valida sunt, excepto pœnitentiæ Sacramento, quia ad illud validè ministrandum, præter potestatem ordinis, requiritur iurisdictio, qua caret excommunicatus vitandus, extra mortis articulum: vnde confessio facta taliter excommunicato, inualida est & iteranda, exprimendumque est in confessione, peccatum commissum per communicationem in sacris, cum excommunicato vitando. Vgolinus *tab.2.cap.13.§.16.* ConincK *distinct.14. dub.5.num.34.* Henriquez *lib.13.cap.10.nu.2.* Reginald. *lib.32.num.7.* & alij. *Quando* autem Sacerdos est toleratus excommunicatus Sacramentum pœnitentiæ etiam validum est, tùm ex parte iurisdictionis, cuius vsu non priuatur Sacerdos toleratus; tùm ex parte penitentis petentis, qui non peccat mortaliter petendo, non solùm, quando ignorat illum esse excommunicatum, sed etiam quando scit; siue excommunicatus sit proprius Parochus, siue alius Sacerdos, siue adsit necessitas petendi, siue non, siue Sacerdos excommunicatus paratus sit & expositus, siue non; quia ad euitanda scandala scrupulos, & animarum pericula facultatem fecit fidelibus Concil. Constant. communicandi in Sacramentis, & quibuscũque diuinis cum excommunicatis, suspensis interdictis vel irregularibus toleratis. *Extrauag. Ad euitanda.* Nauartus *cap.9.num.10.* Suarez *disp.11.sect.4.* Valentia *tom.4.d.7.quæst.11.punct.3.* Sanchez *de matrim.lib.7.disp.9.num.8.* & alij.

Vgolin. Coninc. Henriq. Reginal. Nauarr. Suarez. Valent. Sanchez.

7. Extra necessitatem, grauiter peccat petens aut recipiens Sacramenta, ab excommunicato vitando iuxta D.Thom. *4.d.3.quæst.2.artic.2.quæst.4.* Suarez *d.11.sect.1.num.18.* Filliucius *citat.numer.75.76.* Nauarr. *in man. cap.22.num.4.* & alios, quia facit contra prohibitionem & obligationem censuræ in materia graui: quando autem necessitas vrget, non peccat, quia Ecclesia non obligat cum graui incommodo; vnde licet accipere Baptismum, Eucharistiam, Sacramentum Penitentiæ in articulo mortis, & secundùm quosdam Doctores etiam Extremam vnctionem quãdo infirmus est incapax alterius Sacramenti, nam fieri quis potest, ex receptione huius Sacramenti, ex attrito contritus. Non tamen poterit excommunicatus vitandus conferre Eucharistiam ei, qui fuit legitimè absolutus; quia tunc non vrget præceptum naturale subueniendi proximo, cùm iam sit legitimè absolutus, nec præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, quia istud non obligat, quando aliàs est legitimum impedimentum conferendi Eucharistiam, qualis est excommunicatio maior, vt bene aduertit Hurtado *tract. de censuris disputat.4. difficult.2.nu.7.* quidquid in contrarium doceat Suarez.

D.Tho. Suarez. Filliuc. Nauarr. Hurtad.

8. Quotiescumque excommunicatus non licitè administrat Sacramenta, incurrit irregularitatem. *Cap.15, eod. de sentent. excomm.in 6.* quia cum hæc irregularitas sit ex delicto, debet semper supponere peccatum mortale, ideòque ipsam ministrationem peccaminosam, vnde si excusetur à peccato mortali, ob ignorantiam probabilem vel inaduertentiam suæ excommunicationis, vel ob aliam iustam causam, non incurretur etiam irregularitas, sicut si in necessitate Sacerdos priuatim absque cæremonij Baptismum ministret, ad illum enim non requiritur ordo. Ita Vgolinus *tab. prima, cap. decimoquarto, §. primo.* Nauarrus *cap.27. numer.163. 244.* Bonacina *cit. pars.2.§.4.num.6.* Filliucius *cit. num.79.80.* Syluius *citat. art.4.* & alij.

Vgolin. Nauarr. Bonac. Filliuc. Syluius.

9. *Quartus effectus* excommunicationis est priuatio diuinorum officiorum & sacrarum rerum. *Capit. si quis Episcopis 11. quæstione 3.* nomine autem *diuinorum officiorum* veniunt. *Primò* officium Missæ. *Secundò*, officium canonicum septem horarum. *Tertiò*, publica processio. *Quartò*, omnis publica oratio, aut benedictio, quæ ex Ecclesiæ vel Christi institutione fit solemniter, & est adiuncta alicui ordini, siue sacro, siue ex minoribus, *Quintò*, solemnis benedictio aquæ, palmarum, candelarum, consecratio chrismatis: sacra autem concio, vel lectio Theologiæ, seu scripturæ, non comprehenditur sub nomine officij diuini: vnde excommunicatus ex vi excommunicationis, siue sit toleratus, siue non peccat mortaliter assistendo officio Missæ, quamuis excusari possit à peccato, si occultus sit, in necessitate inseruiendo Missæ Sacerdotis non excõmunicati, quando nullus alius adest qui inseruiat: ex quo patet excommunicatum, non peccare mortaliter, non audiendo Missam in die festo, quãuis per ipsum stet ne absoluatur, quia preceptum Ecclesię de Missa audienda, cadit solùm super eos, qui non sunt impediti. Vt docet Nauarrus *cap.21.num.3.* Vide Suarez *d.12.sect.2.* Toletum *lib.1.cap.11.num.8.* Nauarr. *cap.27. nu.36.* Henriq. *lib.13. c.7.n.2.* ConincK *d.14.dub.7.n.56.* Syluium *cit.art.4.* & alios.

Nauarr. Suarez. Toletus. Nauarr. Henriq. Coninc. Syluius.

10. Missæ officium, excommunicato multis modis est prohibitum. *Primò*, non potest Missa pro illo offerri, vt dictum est. *Secundò*, ipsa celebratio tanquam ministratio & confectio Sacramenti ipsi prohibita est. *Tertiò*, communicatio & participatio eius per externam assistẽtiam etiam est prohibita. *Quartò*, cooperatio ad illud largiendo eleemosynam Sacerdoti ad hunc finem, vel per mandatum, etiam prohibita est, quia est communicatio quædam. *Quintò*, celebratio eius coram excommunicato vitando, est eoiam vetita; esset enim communicare cum illo in diuinis. *Sextò*, assistentia cum excommunicato vitando, in eodem officio, prohibita est etiam fidelibus non excommunicatis. Filliucius *cit.num. 89.* Suarez *disput.12.* Bonacina *cit.punct.2.§.1.*

Filliuc. Suarez. Bonac.

11. *Audiens* vel *celebrans* Missam in præsentia excõmunicati tolerati, non peccat, quia secundùm Concil. Constant. nullus tenetur excommunicatum toleratũ euitare, etiam in diuinis, ex vi excommunicationis. Sayrus *lib.2.cap.3.nu.20.* Henriq. *cit.num.2.* *Si verò* excommunicatus vitandus interesse velit officio Missæ, iuxta Reginald. *lib.32.num.71.* Suarez *cit.sect.1.nu.11.* Filliuc. *cit.nu. 90.* Bonacina *cit.num.13.* Diana *part.5.tract.9.resolut. 92.* Layman *lib.1.tract.5.part.2.cap.2.num.6.* & alios admonendus est vt exeat: quod si nolit exire, vi expelli potest, quamuis clericus sit, alioquin Missa non est inchoanda: si autem inchoata sit, non est absoluenda, sed prætermittenda, si nondum inchoata sit consecratio: si iam cœpta vel perfecta sit consecratio, & adueniat, vel aduertatur aduenisse excommunicatus, qui non potest expelli sine periculo, Missa est perficienda vsque ad communionem inclusiuè, quia præceptum de perficiendo sacrificio inchoato, est diuinum, quod præualet humano, de vitando excommunicato; in hoc euentu, omnes præter Sacerdotem & ministrum, debent exire, & relinquere excommunicatum in Ecclesia, si nolit exire: Sacerdos autem completa communione, debet recedere ab altari, & se in sacristiam, vel alium locum transferre, vt post communionem & reliquas oratione persoluat. *Notandum* tamen est ex Suarez *cit.sect.2.* Vgolin. *tab.2. cap.8.§. secundo.* & alijs, si eodem tempore plures Missæ in Ecclesia dicantur, possunt alij audire alias, præsente excommunicato vni earum, quia sic non communicant.

Sayrus. Henriq. Reginal. Suarez. Filliuc. Bonac. Diana. Layman. Suarez. Vgolin.

12. *Communicatio* prohibita excommunicato, in officio diuino horarum canonicarum, intelligitur de officio solemni publico, non autem de priuato; quia secundùm communem doctrinam, excommunicatus siue sit religiosus professus, siue clericus habens beneficium, vel ordines sacros, potest & tenetur persoluere horas canonicas, sicut tenebatur ante excommunicationem, quia par non est, vt delinquens commodum reportet ex suo delicto. Nauarrus *cap.25.num.19.* Sayrus *lib.2.cap.3.num.3.* Reginald. *lib.32.n.20.* & alij. Recitando tamen horas priuatim excommunicatus, non potest dicere *Dominus vobiscum*, quia iuxta vsum Ecclesiæ dici solet à solis Sacerdotibus, vel Diaconis, & significat officiũ publicum; imò Suarez, Nauarrus & alij citati putant, excommunicatum incurrere irregularitatem, dicendo etiam priuatim, *Dominus vobiscum*, quamuis probabile sit in recitatione priuata non incurrere; quia sicut paruitas materiæ excusat à mortali, ita videtur excusare ab irregularitate. *Vtrum* autem excommunicatus possit sibi in recitatione priuata, socium adhibere? dicendum est quòd non; quia est communicatio quædam, si non in diuinis, saltem in huma-

Nauarr. Sayrus. Reginal.

humanis, tamen non videtur esse culpa mortalis, quia huiusmodi participatio videtur esse leuis, respectu præcepti, cùm fiat priuatim, vnde qui ratione muneris vel seruitij solitus erat recitare cum alio, potest & eodem modo. Ita ConincK *d.14.dub.7.* Diana *part.4.tract.9.resol.* 93. Nauarrus *de orat.cap.7.num.16.* Suarez *d.12.sect.2.num.13.18.* Henriquez *lib.13.cap.7.num.2.* Filliucius *cit.num.92.93.* Auila *2.par.cap.6.dist.8.dub.4.* Vgolin. *tab.1.cap.13.§.14.*

Coninc. Diana. Nauarr. suarez. Henriq. Filliuc. Auila. Vgolin.

13. Pœna, quæ imponitur à iure, excommunicato, propter communicationem in diuinis officijs, est, *C.is cui,de sent. excommunicat.* in 6. si clericus sit excommunicatus, & ministret solemniter in aliquo ordine incurrit irregularitatem; si autem communicet in officijs diuinis more laicorum, incurret tantùm excommunicationem minorem: ob Missæ verò auditionem, non incurritur irregularitas ab excommunicato, quia non est actio quæ pendeat ab ordine: tamen si sit auctor, vt coram se celebretur, & sit Sacerdos, incurreret secundùm communiorem sententiam, quia qui auctor est, æquiparatur illi, qui se ingerit celebrationi Missæ. Nauarr. *cap.27.nu.* 163. Couarr. *cit. Alma mater 1.part.§.6.num.9.* Suarez *cit.sect.1.n.5.* & alij.

Nauarr. Couarr. suar.

14. Excommunicatus *vitandus*, qui nondum absolutionem obtinuit in vita, aut post mortem, quamuis signa contritionis dederit, priuatur sepultura Ecclesiastica, *Cap.sacris de sepult.* Toletus *lib.1.cap.13.num.6.* Nauar. *c.27.n.23.* Henriquez *lib.13.cap.44. Clement.1.de sepult* Diana *part.5.tract.9.resol.97.* quia hæc est quædam communicatio in diuinis, quæ fieri potest post mortem excommunicati cum suo corpore; & sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro, id est, in Ecclesia, vel cœmeterio, vel in alio quocumque loco ad sepulturam, vel diuina officia peragenda destinato authoritate Episcopi vel ex consuetudine; peccant mortaliter, & incurrunt maiorem excommunicationem, à qua nequeunt absolui, donec satisfactionem dederint, ad arbitrium Episcopi. Per eos autem, qui sepeliunt, in rigore intelligendi videntur tantùm illi, qui proprijs manibus tradunt sepulturæ; tamen ex consueto vsu, secundùm Suarez *d.12.sect.4.* Filliuc. *cit.num.111.* Bonac. *cit.p.3.§.3.* & alios quosdam, comprehenduntur etiam mandantes, non autem comitantes, & alij qui deferunt crucem, & lumina, vel etiam cantant; nec etiam cooperantes remotè, aut negatiuè. Diana *p.5.tr.9.res.98.*

Toletus. Nauarr. Henriq. Diana. Suarez. Filliuc. Bonac. Diana.

15. *Effectus quintus* excommunicationis, est inhabilitas ad beneficia, eorùmque fructus; *Cap. Postulastis de cler.excomm. minist.* Suarez *dist.13.sect.1.n.2.* Sayrus *lib.2.cap.5.num.1.* Nauarr. *cap.27.num.21.* Lessius *lib 2.cap.34.dist.22.* Diana *tract.9.res.99.* vnde excommunicatus siue sit vitandus siue toleratus; durante excommunicatione, est incapax & inhabilis ad omnia beneficia Ecclesiastica, item ad dignitates & officia Ecclesiastica, quæ conceduntur ad tempus, & collatio beneficij facta excõmunicato, per electionem, præsentationem, confirmationem, institutionem, resignationem, commendam, ipso iure est inualida, quamuis inuincibiliter ignoret excommunicatus suam excommunicationem, quia etsi ignorãtia excuset à noua culpa, à noua pena, à noua censura, non tamen facit actum validum, qui aliàs erat inualidus. Secundùm tamen communem sententiam, Bonac. *part.4.§.1.nu.9.* Azor. *tom.2.lib.6.cap.7.q.2.* ConincK *d.14.dist.9.num.74.* & aliorum *acceptatio* beneficij collati ante excõmunicationem, valida esset, quia iura solùm irritant collationem & electionem beneficij, non verò acceptationem: secus *dicendum*, quando collatio, electio, vel præsentatio facta fuit tempore excommunicationis, & post absolutionem ab excommunicatione, ipse collationem, præsentationem, aut electionem acceptauit; in hoc enim casu, beneficium retineri non potest, quia titulus electionis & præsentationis fuit inualidus: vtpote collatus excommunicato, ad illum per excommunicationem facto inhabili: *Præterea* impetratio litterarum ad beneficia excommunicato obtenta est nulla, & collatio ipsi facta, vigore earumdem litterarum irrita est, *C.ipso iure de rescript.in 6.* vnde quoties in Romana curia confertur aliquod beneficium, datur similiter ei, cui confertur absolutio à quacumque excommunicatione ad effectum consequendi illud exceptis quibusdam casibus, ad quos non videtur sese extendere huiusmodi absolutio, vt in casu hæreseos & alijs contentis in Bulla cœnæ, & quando quis insorduit per annum in excommunicatione; quia in generali concessione, non veniunt ea, quæ superior non esset in specie verisimiliter concessurus, si specialiter peterentur. Toletus *lib.1.cap.13.num.2.* Couarr. *cap.Alma mater 1.p.§.11.n.15.* Suarez *cit.* & alij.

Suarez. Sayrus. Nauarr. Lessius. Diana. Bonac. Azorius. Coninc. Toletus. Couarr. suarez.

16. Secundùm probabiliorem & communiorem Doctorum sententiam, inualida etiam est *collatio* pensionis, facta excommunicato, modò sit pensio tituli clericalis, non sæcularis; Reginald. *lib.32.numer.45.* Filliucius *libr. duodecimo, num.123.* Sayrus *cit.num.15.* Suarez *dist.13.sect.1.num.9.* Henriquez *libr.13.cap.13. numer.3.* Diana *par.5.tract.9.resol.103.* quia eiusmodi pensio est ex fructibus Ecclesiastici beneficij, ac propterea quid Ecclesiasticum, & sicut excommunicatus est incapax aliorum priuilegiorum, ita videtur esse incapax pensionum: tales pensiones sunt, quæ dantur clericis ob munus aliquod spirituale, verbi gratia, ob recitationem officij Beatæ Virginis, vel ob coadiutoriam Episcopatus, vel Parochiatus; imò quæ dantur propter seruitium parentum in militia, vel alia promerita, vel quæ medio modo se habent, partim scilicet adiunctum munus aliquod spirituale habent, & partim sunt ob causam aliquam temporalem; *Nonnulli* tamen Doctores existimant non improbabiliter validam esse collationem pensionis factam excommunicato, quia iura irritant collationem beneficij, pensio autem non est beneficium; & odia sunt restringenda, non amplianda ConincK *dist.14.dub.9.* Auila *2.part.cap.6.distinct.quinta, dub.quinto.*

Reginal. Filliuc. Sayrus. Suarez. Henriq. Diana. Coninc. Auila.

17. Inualidè prouisus de beneficio, vel pensione ob excommunicationem, si beneficium vel pensionem retinere velit, debet excommunicationis absolutionem petere, eaque obtenta, curare vt beneficium vel pensio sibi de nouo conferatur ab eo, ad quem pertinebat beneficij vel pensionis collatio; tum quia prior institutio fuit inualida, & ideò repetenda; Tum quia iura absolutè irritant talem collationem, actus autem irritus est, ac si non fuisset. Nauarrus *cap.27.num.21.* Suarez *dist.13.sect.1.* Filliucius *cit.num.128.*

Nauarr. suarez. Filliuc.

Sed petes in aliquo modo reualidari possit hæc collatio beneficij nulliter facta? Resp. ex Sanchez, *de matrimon.lib 8.disp.7.num.12.* & alijs, dispensationem superuenientem; secundùm plures Doctores, confirmare aliquando posse actus præcedentes irritos, verbi gratia inquit, præsentatio alicuius ad beneficium, electio, confirmatio, vel collatio irrita fuerunt, ex defectu aliquo obtinentis beneficium; vt quia erat irregularis, vel inhabilis; si hic postea irregularitatis illius, vel inhabilitatis occultæ dispensationem obtineat, eo ipso absque noua præsentatione, collatione, vel electione, potest licitè retinere beneficium illud: quod verum est, siue dispensans habeat potestatem conferendi beneficium, siue illa careat: & citat pro hac sententia *Speculatorem tit.de dispensat.§. nunc de* Innocent. *cap.innotuit num.2.de elect.* Hostiensis *ibidem num.2.* Ioannes Andræas *num. quinto.* Ancharan. *numer.2. notab.2.* Et hanc sententiam probabilem & tutam esse docent Lessius *libr.2.cap.34. dub.22.numer.119.* ConincK *disput.14.dub.9.num.73.* Diana *part.5. tract.9. res.101.* cum his tamen limitationibus. *Tertiò*, vt impedimentum sit occultum, alioquin actus nullum haberet colorem; sed esset planè irritus in foro externo. *Secundò*, vt id nullius cedat præiudicium; si enim duo electi essent, præferendus esset, qui caret impedimento, quia hic solus habet ius absolutè. *Tertiò*, dummodò beneficiarius ille non acceptauerit scienter, cum vitio illo, beneficij collationem, iure enim esset intrusus, ac proinde oporteret non tantùm prioris vitij dispensationem obtinere, sed illius quoque intrusionis; cùm nunc, respectu illius beneficij sit duplex impedimentum canonicum: alterum prioris vitij, alterum autem intrusionis; impetrata autem dispensatione vtriusque vitij occulti, rata fiat collatio. Nam electio illa fuit valida, & efficax ex parte eligẽtium, sicut & præsentatio & collatio, vt supponitur, sed solùm requiritur capacitas in electo; ergo simul atque

sanchez. Innocẽt. Hostiens. Io. Andr. Anchar. Lessius. Coninc. Diana.

fuerit capax factus, sublato impedimento ex vi prioris actus, acquiret, sicut cùm quis acceptat in excommunicatione collationem sibi factam ante excommunicationem, sublato illo impedimento ius acquirit absolutum, ex vi illius acceptationis.

Sanchez. P. Nau. Vasquez

18. Quorumdam probabilis sententia est, vt Sanchez *de matrimon. lib. 3. disp. 51.* P. Nauarra *lib. 2. c. 2. num. 228.* Vasquez *de benef. c. 4. §. 3. dub. 4.* beneficiarium non esse priuatum fructibus suorum beneficiorum, qui post illorum consecutionem, in excommunicationem lapsus est, modò onera & officia beneficiorum exequatur: quia nullo iure probari potest beneficiarium incidentem in excommunicationem, ipso facto priuatum esse fructibus beneficij, quia *in capit. Pastoralis, §. verum de appellat.* verbum *Subtrahuntur*, non significat priuationem fructuum ipso facto, sed potius faciendam à iudice; Suarez *disp. 13. sect. 2.* Vgolinus *tab. 2. c. 12.* Sà *verb. Beneficium, num. 50.* Henriquez *lib. 13. cap. 13. num. quarto.* tamen Henriquez, Sayrus apud Vgolinum probabilius esse putant, in prædicto capite contineri dispositionem Ecclesiæ & priuationem fructuum ipso iure. Vide Dianam *part. 5. tract. 9. resol. 104.*

Suarez. Vgolin. Sà. Henriq.

Diana.

19. Qui ob iniustam excommunicationem in se latam, cogitur à choro abesse, nec potest suum officium præstare potest percipere fructus & distributiones; quia nullus debet incommodum & damnum pati absque sua culpa, & ob iniustam alterius actionem; vnde qui fuit iniustè excommunicatus, potest repetere distributiones, quæ tempore censuræ fuerant collatæ alijs canonicis assistentibus choro; quamuis Filliucius *cit. nu. 113.* Vgolinus *tab. 2. cap. 12. nu. 4.* asserant iniustè excommunicatum debere repetere distributiones ab eo, qui ipsum iniustè excommunicauit; quæ omnia intelligenda sunt postquam constiterit de iniusta excommunicatione.

Filliuc. Vgolin.

20. Quando per excommunicatum non stat, ne absoluatur, & ne choro intersit, quidam Doctores apud Sayrum *lib. 2. cap. 5. num. 27.* Sà *cit. num. 50.* putant posse percipere distributiones, quia talis videtur esse legitimè impeditus; sed probabilius dicendum est cum Suarez *disput. 13. sect. 2.* & alijs non posse, nisi fortè iniustè & per iniuriam absolutio illi denegetur; quia sequeretur excommunicatum commodum reportare ex sua excommunicatione.

Sayrus. Sà.

21. *Sextus effectus* excommunicationis, est priuatio iurisdictionis Ecclesiasticæ, *cap. Audiuimus 24. quæst. 1.* ita vt excommunicatus, quamuis toleratus, licitè iurisdictione sua vti non possit, in fauorem suum, & quoad se; in fauorem tamen aliorum, si ab ijs requisitus sit, & non sit vitandus, non est priuatus; hinc grauiter peccat excommunicatus, exercendo aliquem actum iurisdictionis, quia hoc primariò & directè prohibetur, & est materia grauis. Toletus *lib. 1. cap. 13. nu. 5.* Nauarr. *cap. 27. à num. 17.* Suarez *disp. 13. sect. 1.* Syluius *cit. art. 4.*

Toletus. Nauarr. Suarez. Syluius.

22. Excommunicatus *vitandus*, seu non toleratus, ipso iure est priuatus valore iurisdictionis; ita vt gesta per ipsum sint inualida, quoties fiunt ex officio, tanquam iurisdictionis propriæ, *c. Ad probandum, de re iud. cap. 1. de supplenda neglig. Prælat. in 6.* quia Ecclesia eo ipso quo non tolerat huiusmodi excommunicatum, priuat vsu iurisdictionia propriæ; tamen ille excommunicatus validè gereret ea, quæ facit absque vsu propriæ iurisdictionis; vnde Parochus, quamuis excommunicatus vitandus sit, validè assistit matrimonio, & alteri Sacerdoti similiter vitando validè concedit licentiam assistendi, quia actus contrahendi matrimonium non est actus iurisdictionis; ex quo patet, excommunicatum posse validè inire contractum venditionis, aut emptionis etiam in sui commodum, aut testamentum, vel professionem facere, quamuis peccet sine necessitate illa faciendo: E contra superiorem sic excommunicatum, non posse præcipere, aut leges ferre, vel dispensare in votis, vel dare licentiam ad quodlibet munus Ecclesiasticum exercendum, vel ferre iudicium, vel delegare suam iurisdictionem, vel indulgentias concedere, vel beneficia conferre, vel ad illa eligere, præsentare, &c. quia hi actus ad iurisdictioné pertinent: imò extinguitur iurisdictio vicarij, principali excõmunicato vitando, quia censetur vna persona & vna iurisdictio, quæ si sublata sit in principali, etiam tolletur in eius ministro. De his plura apud Nauarrum *c. 27. n. 36.* Filliuc. *cit. num. 145. 146.* Bonacinam *disp. 2. qu. 2. part. 5.* Sayrum *cit. c. 9.* Auilam *2. part. disp. 6. c. 6. dub. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 3. dub. 30.* Suarez *disp. 14. sect. 1. nu. 4.* Reginald. *lib. 1. nu. 47. 48.* & alios.

Nauarr. Filliuc. Bonac. Sayrus. Auila. Sanchez. Suarez. Reginal. Coninc. Filliuc. Toletus. Bonac. Nauarr.

23. Acta ab excommunicato tolerato, ratione publici officij valida sunt, *c. Infamis, §. verumtamen 3. q. 7. l. Barbarius, ff. de offic. præt.* Coninck *disp. 14. dub. 10. num. 89.* Filliuc. *cit. nu. 144.* Toletus *cit. nu. 7.* Bonac. *cit. nu. 3. & seq.* Nauarr. *c. 27. nu. 21.* quia Ecclesia permittens communicationem cum eiusmodi excommunicato, in rebus sacris, & in alijs pertinentibus ad iurisdictionem; non censetur illam auferre; alioquin non bene cõsultum esset saluti animarum, & plura scandala sequerentur, si gesta per excommunicatum toleratum non essent valida, quamuis ipse excommunicatus grauiter peccet, se sponte ingerens in actibus iurisdictionis, cùm nihil commodi in eius fauorem in Concil. Constant. sancitum sit: & hoc ius concessum sit, non in fauorem excommunicati, sed propter publicum Reip. vel Ecclesiæ, & insuper admittatur exceptio contra excommunicatum, ad elidendum iurisdictionis actum ab ipso tempore excommunicationis factum. Ex hac doctrina concludendum est, secundùm communiorem sententiam, Episcopum excommunicatum toleratum, validè posse concedere alteri licentiam administrandi Sacramentum Pœnitentiæ; item collationem, electionem, vel præsentationem beneficij, ab ipso validam esse; multò magis valida esset resignatio beneficij facta ab excommunicato tam vitando quàm tolerato, in fauorem tertij, quia resignatio ex parte excommunicati, non est actus iurisdictionis; licet contrarium asserant Suarez *disp. 14. sect. 2. nu. 35.* Couarr. *c. Alma 1. part. §. 7.*

Suarez. Couar.

24. Iuxta communiorem sententiam Doctorum, qui obtinuit facultatem ab Episcopo audiendi confessiones, & administrandi Sacramenta, potest ea facultate vti postquam Episcopus fuit denunciatus excommunicatus, quia sicut facultas, vel eius vsus non expirat per mortem concedentis, ita neque cessat per lapsum concedentia in excommunicationem. Sayrus *cit. cap. 6. numer. 18.* Sotus *disp. 18. q. 4. art. 3.*

Sayrus. Sotus.

25. *Septimus effectus* excommunicationis, est ciuilia communicationis priuatio, quæ communicatio in *tribus* maximè posita est; *in contractibus* nempe, in *testamentis*, & *quotidiano conuictu*; *c. Nuper de sentent. excom.* D. Tho. *disp. 18. quæst. 4. art. 1.* Nauarr. *cap. 27. num. 17.* Diana *part. 5. tract. 9. resol. 2.* Reginald. *lib. 31. nu. 92.* vnde excommunicatus communicans cum alijs fidelibus, per se loquendo, & communicantes cum ipso, si sit vitandus solùmmodo ciuiliter, peccant venialiter, non mortaliter, quia materia humanæ communicationis in his rebus ciuilibus, censetur communiter leuis; quidam tamen Doctores vt Suarez *disp. 15 num. 11. sect. 2.* Filliucius *tract. 13. num. 44.* ConincK *disp. 14. dub. 14.* & alij etiam secluso scandalo & contemptu, probabilius esse existimant (licet contrariũ sit etiam probabile) esse mortale frequenter communicare cum excommunicato vitando; quia licet singuli actus communicationis in ciuilibus, sint materia leuis, multitudo tamen actuum, si sumantur per modum vnius, potest constituere materiam grauem sufficientem ad peccatum mortale.

D. Tho. Nauarr. Diana. Reginal.

Suarez. Filliuc. Coninc.

26. Ex communi Doctorum sententia, excommunicatus vitandus est in quinque casibus, contentis eo versu.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Nomine *oris*, prohibentur confabulatio, allocutio, siue ea fiat per literas, per nutus, per nuncios, siue per alia signa amicitiæ, vt per oscula, amplexus, per acceptationẽ munerum, &c. Per verbum *orare*, intelligitur participatio in oratione, & suffragijs, Sacramentis & officiis diuinis. Per verbũ *vale*, prohibetur omnis honorifica salutatio facta verbo, vel scripto, vel signo externo, vt assurgendo excommunicato, dando ei locum, caput aperiendo; salutatio verò facta, secundùm Suarez, verbis deprecatorijs vel ordinatis ad emendationem excommunicati, & non in ipsius honorem, licita esset & permissa, eò quòd fiat ex iusta causa; quidam tamen dicunt licitum esse re-

salu-

ſalutare excommunicatum abſque verbis, quia nomine ſalutationis intelliguntur verba, vel literæ; hæc ſententia probabilis eſt, licet contraria ſit probabilior. Per *Communionem*, prohibetur ſocietas, quæ fit communicando cũ excommunicatis in habitatione, vel exercitio, vel contractu: ex quo fit, licitum non eſſe, cum excommunicato in eodem lecto dormire, in eadem domo vel parte illius habitare: propterea prohibitum eſt cooperari excommunicato vitando, ſeu facere aliquod opus ſimul cum eo: & inſuper prohibetur omnis humanus & ciuilis contractus cum excommunicato, quamuis ſi fiat, validus ſit, tam in ipſius fauorem quàm cum ipſo contrahentis: porrò prohibitum eſt cum excommunicato mortuo communicare, etiam in humanis, ipſum lauando, aut veſtiendo Per *Menſam*, prohibita eſt participatio in cibo & potu; vnde non licet in eadem menſa cum illo comedere, nec in diuerſis menſis, ſi hæ ſpectent ad idem conuiuium. Vide D.Thom. *in ſupplem.3.part.quaſ.21.art.1.* D.Bonauent.4. *diſtinct.18.in vlt.part.qu.1.* Saytum *lib.2.c.*14. Reginald. *lib.32.cap.12.* Syluium *in ſupplem.qu.21.art.4.* Toletum *lib.1.cap.12.* Nauarr.*cap.27.n.20.* Bonacinam *cit.part.6.* §.2. Suarez *diſp.15.ſect.1.* Filliucium *tract.13.n.82.& ſeq.* Vgolinum *tab.2.cap.23.§.1.*& alios.

D.Tho. D.Bona. sayrus. Reginal. sylnius. Toletus. Nauarr. Bonac. Suarez. Filliuc. Vgolini

27. In *quinque caſibus* iuxta D.Thomam *in 4.diſp.18.quaſt.2.art.1.qu.1.* Suarez *diſp.15.ſect.3.num.9.* ConincK *diſp.14.dub.12.* Syluius *cit.q.23.art.1.* Filliucius *tract.13.num.98.& ſeq.* Reginaldus *lib.32.num.98.& ſeq.* & alios excuſantur fideles à peccato, communicando cum excommunicato: deducuntur autem hi caſus ex iure naturali, & iure poſitiuo explicantur; ſolentq; à Doctoribus huius verſiculi dictionibus ſignificari.

D.Tho. Suarez. Coninc. Syluius. Filliuc. Reginal.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Prima cauſa excuſans indicatur per particulam, *vtile*, & intelligitur, vtilitas vera non ficta, tam ſpiritualis quàm temporalis, propria, vel ipſius excommunicati, ita vt ob hanc vtilitatem poſſit excommunicatus agere cum alijs, & alij cum ipſo ſine peccato: vnde ſicut licet cũ excommunicato communicare pro ſua ſalute, licet quoque pro noſtra aut aliena, nempe pro nobis conſilium ſpiritiale petendo, imò & pro cõmodo temporali valdè neceſſario.

Per *legem*, quæ eſt ſecunda cauſa excuſans, intelligitur lex matrimonij, hinc licet vxori cohabitare cum viro excommunicato petendo & reddendo debitum, & alias actiones, & obſequia ei exhibendo, quæ ſunt adnexa vitæ coniugali: & è contra vxore excommunicata, licet viro cum ea communicare, quia lex matrimonij æquè obligat vtrumque: hoc tamen *priuilegium* non habet locum, ſi excommunicatio ſit lata propter matrimonium ipſum malè celebratum, in hoc enim caſu neuter poteſt cum altero communicare, ſicut nec poteſt in quocumque alio crimine, nam diceretur communicare in crimine crimi noſo, & ſic incideret in maiorem excommunicationem: nec debet extendi hoc priuilegium ad diuina, nec quando vxor petijt diuortium à marito quoad habitationem, in his enim caſibus non cenſetur ſubiecta viro. Ita Sanchez *de matrim.lib.9.diſp.14.num.9.* Bonacina *cit.num.7.& ſeq.* Diana *part.5.tract.9.reſolut.122.* Vaſquez *de excommunic.dub.9.* & alij.

Sanchez. Bonac. Diana. Vaſquez

Per *humile*, intelliguntur omnes ſubiecti alteri, ſiue tanquam filij, ſiue tanquam ſerui & ancillę, ſiue tanquam famuli vrbani aut ruſtici, ſiue tanquam ſubiecti temporaliter ſuo Domino, ſiue tanquam ſubiecti ſpiritualiter ſuo Prælato, *c.Quoniam multos 11.qu.3.* hi omnes poſſunt obedire ſuis ſuperioribus, cum eis communicare, vſuali & ordinaria communicatione; quia ſuperior, ſiue ſit pater, ſiue Dominus, ſiue Prælatus, non amitit poteſtatem per excommunicationem, quam habet in ſubditos, nec ſubditus eximitur à ſubiectione ſui ſuperioris per excommunicationem. Vgolinus *tab.2.cap.23.§.7.* Toletus *cap.11.num.7.* Imò prædictæ perſonæ poſſunt in diuinis cum dominis, patribus, vel ſuperioribus communicare, præſtando ea quæ concernunt ſubiectionem & miniſterium ſeu famulatum: vnde famulus poteſt recitare officium cum domino excommunicato, aut cum eo Miſſam audire, & illi ſacrum facienti inſeruire; hæc enim videntur miniſteria & officia famulatus non liceret tamen filio, quamuis ſit Parochus, Sacramenta miniſtrare patri excommunicato vitando, nec etiam eo diuina facere, quia non competit illi hæc communio ratione coniunctionis naturalis, vel ſubiectionis aut ſuperioritatis. Suarez *cit.ſect.5.num.22.* Sayrus *cit.cap.14.num.19.* Henriq. *cit.cap.22.num.3.* Diana *part.5.tract.9.reſol.118.119.120.124.& 125.*& alij. Eſt inſuper *aduertendum* priuilegium à iure conceſſum inferioribus communicandi cum ſuperioribus excommunicatis, per relationem ſe extendere etiam ad ſuperiores, quamuis ipſi ſint etiam excommunicati, reſpectu inferiorum excommunicatorum, nã in correlatiuis diſpoſitum in vno locum etiam habet in altero. Bonacina *cit.nu.38.* Filliuc. *cit.num.121.* Nauarr. *cap.27.num.20.* Ab hoc *priuilegio* nihilominus excluduntur vaſalli, *cap. Nos Sanctorum 15.quaſt.6.* hi etiam non poſſunt communicare cum ſuis Principibus temporalibus excommunicatis vitandis, quia à iure poſt ſententiam criminis declaratoriam, eximuntur hi à iuriſdictione ſubiectionis, cum dominus tunc temporis ſit ſuſpenſus ab vſu iuriſdictionis; quamdiu tamen Princeps non priuatur dominio temporali, non eximuntur vaſalli à ſolutione tributorum, quæ tanquam debita illi debentur. Reginaldus *lib.32.nu.115.* Vgolinus *cit.§.9.*

Suarez. sayrus. Henriq. Diana Vgolin. Toletus.

Bonac. Filliuc. Nauarr.

Reginal. Vgolin.

Per *rem ignoratam*, intelligitur, *quarta cauſa* excuſans: nempe, ignorantia probabilis, ſeu minimè coniuncta cum negligentia craſſa vel affectata, tam iuris quàm facti, à communicando cum excommunicatis: dubitans autem de alterius excommunicatione & denunciatione non debet illum vitare, quia faceret illi iniuriam, cùm in dubio melior ſit conditio poſſidentis: qui dubitat autem de denunciatione, & eſt certus de excommunicatione, non tenetur illum vitare, poteſt tamen ſi velit. Ita Suarez *diſput.15.ſect.3.num.5.* Sanchez *de matrim.lib.9.diſp.32.& in Summ.lib.1.cap.10.numer.69.* Filliucius *cit.num.129.* Quid autem dicendum ſit de illo, qui dubitat de ſua excommunicatione, an debeat abſtinere à participatione & conſortio aliorum, ſecundùm communiorem ſententiam, concludendum eſt, in dubio iuris, neminem teneri ſe tanquam excommunicatum gerere; in dubio autem facti cenſent Suarez *cit.ſect.3.* Clauis Regia *lib.1.cap.13.num.23.* Azorius *1.part.lib.2.cap.19.quaſt.10.* talem reputandum eſſe excommunicatum, ſicuti & ſuſpenſum, interdictum, irregularem: tamen probabilis etiam eſt ſententia Sanchez *in Summ.num.54.* Filliucius *cit.num.130.* & aliorum non ſolùm in dubio iuris, ſed etiam in dubio facti neminem cenſendum eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel interdictum; nam in criminibus dubijs potiùs fauendum eſt reo, & in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. Diana *4.part.tract.3.reſol.35.*

Suarez. Sanchez. Filliuc.

Suarez. Cl Reg. Azorius.

Diana.

28. *Vltima cauſa* excuſans à participatione cum excõmunicato, indicatur, per dictionem, *Neceſſe*: *cap. Quoniam multos 11.qu.3.* per quam intelligitur neceſſitas, tam ex parte ipſius excommunicati, quàm ex parte aliorum participantium cum eo, & hæc neceſſitas poteſt eſſe tum ſpiritualis tum corporalis, licet non ſit extrema; vnde ſuſtentationis cauſa, vel eleemoſynæ licet aliquid dare excommunicato, illùmque recipere hoſpitio, ſimpliciter participantes tempore neceſſitatis ſuæ ſpiritualis, poſſunt adire Doctores, Confeſſarium, Theologum, Epiſcopum; in temporalibus autem artifices licitè adeunt medicum, mercatorem & cum ijs communicant, in rebus neceſſarijs ad vitam, & communes neceſſitates; ſic etiam licitũ eſt in itinere equum ab excommonicato conducere, hoſpitium petere, & ſimilia: item qui per metũ grauem, vel vim cogitur communicare cum excommunicato, excuſatur à peccato; cenſetur enim exiſtere in graui neceſſitate, nec Eccleſia obligat cum tanto incommodo. Reginaldus *lib.32.nu.124.* Henriquez *lib.13.cap.23.* Vgolinus *tab.2.c.23.§.11.* Filliuc. *cit.num.122.* Toletus *cit.cap.11.num.7.* Bonacina *cit.num.62.* & alij.

Reginal. Henriq. Vgolin. Filliuc. Toletus. Bonac. Sanchez. Filliuc.

19. *Octauus effectus & vltimus excommunicationis*, eſt priuatio communicationis in actionibus fori ciuilis, *cap. Decernimus, de ſentent. excommun. in 6.* vnde omnis actio pertinens ad forum iudiciale, interdicta eſt excommunicato vitando, ſicut & interdicitur alijs cũ ipſo communicare in iiſdem actionibus: ex quo ſequitur illicitum eſſe iudici excommunicato, agere in ſæculari

foro, & si sit vitandus, sententiæ ab eo latæ sunt irritæ, ob priuationem iurisdictionis: An autem excommunicatus validè eligi possit in iudicem vel assumi ad aliam dignitatem temporalem habentem annexam iurisdictionem, Suarez *disput.16.sect.1.* & 2. Filliucius *tract.12.nu.171.* Diana *part.5. tract.9.resol.* 109. cum quibusdam ex recentioribus affirmat probabiliter validè, sed illicitè, eligi & assumi; quia nullus textus irritat ipso facto collationem dignitatis, cui est annexa iurisdictio sæcularis; probabilius tamen videtur Sayro *libr.2. cap.6. numer.15.* Vgolinus *tab.2.cap.13.§.3.* & alijs talem electionem fore irritam, quia electio eius, qui non potest exercere actiones pertinentes ad Ecclesiasticum munus, ad quod eligitur, est irrita, ergo etiam hæc, à pari ratione.

Suarez. Filliuc. Diana.

Sayrus. Vgolin.

Præterea excommunicatus, quamuis toleratus, extra causam suæ excommunicationis, non potest esse actor, siue per se, siue per alium, in iudicio siue temporali, siue Ecclesiastico: Ideò exceptio hæc excommunicationis, semper in quacumque parte litis admittenda est: si tamen actor agat in iudicio, & non repellatur per excommunicationem, acta sunt valida: Item excommunicatus vitandus licitè non potest ferre testimonium, nisi in causa fidei, in qua potest testari & accusare: item secundùm aliquos in causa matrimonij, quæ est valdè fauorabilis: tamen testimonium excommunicati vitandi validum esset in iudicio, & in alijs contractibus; quia nullo iure probatur inualidum esse præsertim accedente consensu iudicis. Porrò excommunicatus vitandus illicitè exercet & suscipit officium aduocati vel procuratoris; quia participat cum alijs contra obligationem censuræ; acta tamen illius sunt valida, cum non constet illa iure irritari, donec contra eum fiat exceptio. De his plura apud Nauarrum *cap.27. num.23.* Henriquez *lib.13. cap.7. num.4.* ConincK *disp.14.dub.11.num.*110. Bonacina *cit.punct.7. cap.final.de sentent.& re iud.* Filliucius *cit.num.*187. Suarez *cit. sect.7.&* 8. Diana *part. 5.tract.9. resolut.*100. 111. *& seq.* & alios.

Nauarr. Henriq. Coninc. Bonac. Filliuc. Suarez. Diana.

30. Quilibet excommunicatus etiam toleratus, vel occultus per se loquendo, non potest participare seu communicare cum alijs fidelibus: & quidem si sermo sit de non tolerato, certum est eum teneri ad alios vitandos, tum in diuinis, tum in humanis: Ratio est, quia communicatio einsmodi est correlatiua, & quod de vno correlatiuorum statuitur, censetur esse statutum etiam de alio. Imò multò maior est illius obligatio, quia propter ipsum alij prohibentur. Toleratus autem vel occultus tenetur etiam ex se vitare alios: in gratiam tamen aliorum, si ij cum ipso agant, potest & ipse vicissim agere quantum postulat aliorum causa. Prior pars probatur ex *Extrauag. Ad euitanda*, quæ declarat in fine non esse suæ intentionis in aliquo suffragari ipsis excommunicatis; consequẽter remanent in prohibitione iuris antiqui *cap. Cum non ab homine, de sentent.excommunicat.* quæ neminem excipiebat, & æquè se extendebat ad denuntiatos & ad occultos. Posterior autem pars patet ex eadem & necessaria ratione: nam cum illa Extrauagans concedat alijs facultatem communicandi cum toleratis vel occultis, ne hæc sit frustratoria, debet necessaria consequentia inferri, & ipsos requisitos à non excommunicatis, posse vicissim agere in fauorem ipsorum. Ita communiter Doctores.

31. Communicans cum excommunicato denunciatio in crimine criminoso, id est, quando cooperatur crimini, vel contumaciæ, propter quam lata est excommunicatio, peccat mortaliter & maiorem incurrit excommunicationem, *cap. Nuper de sentent.excommun.cap. Si concubinæ, eodem, cap.Statuimus, de sentent.excommun. in 6.* tum quia agentes & consentientes pari pœna puniri debent: Tum quia qui participat cum excommunicato in crimine damnato, offendit ipsum qui damnauit tale crimen: quare nil mirum si eadem pœna puniatur. Ad contrahendam tamen huiusmodi excommunicationem requiruntur *Primò*, vt participatio fiat in crimine, postquam criminosus excommunicationem contraxit, idque sciatur ab eo, qui communicat; si enim ignoret, non erit contumax, ideò neque incurret censuram. *Secundò*, vt communicatio sit in crimine ob quod est excommunicatus: vt si est ob furtum, debet communicare in furto: si ob concubinatum, debet communicare in concubinatu, &c. *Tertiò*, debet esse talis communicatio, vt moraliter per se influat & cooperetur ad crimen alterius, dando auxilium, fauorem aut consilium excõmunicato. *Quartò*, vt ille cum quo participat sit excommunicatus non solum vitandus, sed debet esse denunciatus: vnde participans cum notorio clerici percussore non incurrit hanc excommunicationem, nisi fortè denunciatus fuerit excommunicatus. Plura de his apud Alterium *disp.12.lib.1. cap.9.* Nauarrum *in Manual.cap.27.num.112.*

Alterius. Nauar.

EXCOMMVNICATIO IV.

De Minori Excommunicatione.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit excommunicatio minor? & eius differentia a maiori: & ob quod peccatum ferri possit; a quo tolli queat?*

1. EXcommunicatio minor *est Ecclesiastica censura priuans participatione passiua Sacramentorum, & Ecclesiastici beneficij, cap. Si celebrat.de cler. excommun. minist.* Est imposita a iure propter communicationem in rebus prohibitis cum excommunicato vitando maiori excommunicatione; differt autem excommunicatio minor à maiori, quia non priuat participatione actiua Sacramentorum, neque suffragijs communibus, neque communicatione fidelium in humanis & diuinis officijs vt maior; vnde minori excommunicatione ligatus peccat mortaliter Sacramenta recipiendo, sicut ei illa administrans; si tamen ipse alijs Sacramenta ministraret, non peccaret, cùm hæc excommunicatio non priuet actiua participatione Sacramentorum: nec incurrit irregularitatem celebrando vel administrando Sacramenta, cùm hæc non sit in iure expressa. Insuper excommunicatio minor priuat electione passiua ad beneficium, ita vt excommunicatus minor excommunicatione, non possit eligi vel præsentari ad beneficia, quamuis electio non sit irrita, sed solùm per sententiam irritanda: non priuat tamen excommunicatio minor electione, aut præsentatione actiua, sicut neque priuat actiua Sacramentorum participatione. Toletus *lib. 1.cap.17.* Henriquez *lib.13.cap.3.* Reginaldus *lib.32.tract.2. sect.1.2.&* 3. Bonacina *cit.q.3.* Filliucius *tract.13.cap.1.&* 2. Couar. *cap. Alma mater 1.part.§.8. num.1.* & alij.

Toletus. Henriq. Reginal. Bonac. Filliuc. Couar.

Excommunicatio minor ferri potest & debet ob peccatum externum mortale vel veniale: & quidem per communicationem in diuinis cum excommunicato vitando incurritur hæc excommunicatio, & tunc illa peccatum mortale est; per communicationem autem in humanis cum eodem etiam illa incurritur, quamuis peccatum sit tantùm veniale: vnde hoc tempore in hoc vno solùm casu hæc excommunicatio minor iure contrahitur: vt habetur *in cap.Nuper de sentent. excommunicationis*. Et *c.Statuimus, eodem in 6.*

Denique tollitur minor excommunicatio per absolutionem Sacerdotis *cap. Nuper, de sentent.excommun.* non tantummodò proprij, scilicet Episcopi vel Parochi, sed etiam cuiuslibet approbati ad audiendas confessiones: imò probabile est secundùm Nauarrum, & Toletum suprà, quemlibet Sacerdotem posse à minori excommunicatione absoluere pœnitentem non habentem peccatum mortale; quia habens tantùm peccata venialia, potest se simplici Sacerdoti subijcere & absolutionem ab eo obtinere, ergo etiam potest obtinere absolutionem minoris excommunicationis, quæ præmittenda est absolutioni venialium Nauarrus *cap.27.num.25.* Vgolinus *tab.3. cap.4.§.5.num.2.* Suarez *tom.5.disp.7. sect.4.nu.17.* Diuus Thomas *in supplem.quest.24.artic.1.* Syluius *ibidem*, & alij.

Nauarr. Vgolin. Suarez. D.Tho.

Imò

Imò excommunicationem minorem incursam ob peccatum veniale, etiam posse absolui à simplici Sacerdote, quamuis si excommunicatus habeat peccatum mortale, tenet Diana *part.5.tract.9.resol.3.* cum alijs ab ipso citatis, cùm ille possit absoluere à peccato, ob quod fuit incursa. [Hurtad. Diana.] Addit insuper non esse omninò alienum à ratione hanc excommunicationem posse tolli à quolibet simplici Sacerdote, quamuis sit incursa ob peccatum mortale; quia cùm excommunicatio minor non exigat ad sui incursionem peccatum mortale, non videtur exigere absoluentem potentem absoluere ab eo peccato mortali. Ita ille, qui citat Hurtadum *de excomm. disp.16. difficult. 2.num.10.*

De hac excommunicatione plura apud Sayrum *de cēsur.lib.2.cap.*23. & alios hic citatos.

EXCOMMVNICATIO V.

De illius absolutione.

SVMMARIVM.

1 *An per solam absolutionem iure ordinario tollatur excommunicatio maior.*

2 *Quis possit iure communi absoluere ab excommunicatione.*

3 *Quis possit absoluere ab excommunicatione reseruata a iure.*

4 *An habens priuilegium à Summo Pontifice absoluendi ab omnibus censuris & casibus reseruatis, possit etiam absoluere à censuris & casibus Episcopo reseruatis?* Refertur duplex sententia.

Et an in hac concessione veniant excommunicationes Bullæ Cœnæ? & an concessis casibus Bullæ Cœnæ veniat etiam hæresis.

5 *An ab excommunicationibus Papæ reseruatis possit Episcopus virtute Concil. Trident. absoluere?*

6 *An Archiepiscopus possit absoluere ab excommunicatione vel alijs censuris subditos Episcoporum suæ Prouinciæ?*

7 *An quilibet Sacerdos possit in articulo mortis absoluere ab omnibus excommunicationibus etiam reseruatis: An autem possit alius clericus, vel laicus?* Refertur duplex sententia.

1. COmmunis Theologorum & Canonistarum doctrina est, excommunicationem maiorem, iure ordinario tolli per solam absolutionem, & non per solam resipiscentiam à contumacia, iure autem extraordinario & de absoluta Papæ potestate, posse etiam illam auferri alijs modis, *puta* si quem excommunicaret Papa donec talem conditionem impleat, quà impleta ipso facto sit liber ab ea; *vel* si reuocaret legem, ex cuius vi excommunicatio incurritur, si enim ita reuocet, vt velit haberi pro non facta, etiam quoad effectus secutos, ex ea etiam tolleretur excommunicatio, quam aliquis incurrisset. [Suarez. Syluest. Filliuc.] Suarez *disp.19.sect.1. num.7.* Syluester *verb. Absolutio* 3. Filliucius *tract.12.num.*230. & alij.

2. Cùm absolutio ab excommunicatione sit actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ in fœminis, & laicis, & simplicibus Sacerdotibus non est, nisi ex priuilegio aliquo, ideò dicendum est, hos non posse ab excommunicatione absoluere, *c.Per tuas*, & *cap. sacro. de sententia excommun.* & *insuper* addendum ab excommunicatione reseruata lata ab homine per sententiam generalem vel particularem, iure communi posse absoluere, vel eum qui illam tulit, vel superiorem eius, vel successorem in officio, vel iudicem appellationis, vel ab ipsis delegatum. [Bonac. Toletus.] Bonacina *disp.1.quæst.3.punct.1.num.1.* Toletus *lib.1.cap.16.* Quando autem excommunicatio lata est per sententiam generalem & nemini est reseruata; absoluere potest ab illa, quicumque habet potestatem absoluēdi à peccatis mortalibus; quia sententia generalis in multis æquiualet statuto & canoni: sed excommunicatio aliave censura canonis & statuti, iure communi potest auferri ab habente potestatem absoluendi à peccatis mortalibus, vt iam dicetur Sayrus *lib.5.cap.15. num.22.* Nauarrus *cap.27.num.44.* Reginaldus *lib.9.num.12.* Diana *part.5.tract.9.resol.4.* & alij. Suar. *disp.7. sect.2. n.23.* Filliuc. *tract.11. num.202.* Vgolinus *tab.1. capu.4.* docent probabilius & verius esse, in rigore iuris, eum tantum posse absoluere ab hac excommunicatione, qui potest ab homine specialiter lata, quia facultas concessa in iure absoluendi à censuris non reseruatis, loquitur tantùm de censuris à iure; ergo non debet extendi ad censuras ab homine. Sed prima sententia est tenenda. [Sayrus. Nauarr. Reginal. Diana. Suarez. Filliuc. Vgolin.]

3. Ab excommunicatione reseruata à iure iuxta Suarez *disp.7.sect.3.& 4.* Reginaldus *lib.9.num.12.* Filliucius *tract.11. num.281.& seq.* Toletus *cit.num.4.5.& 6.* Nauarrus *cap.27.num.39.* Sayrus *lib.5.cap.45.nu 22.* Diana *part.5.tract.9.resol.5.& 6.* & alios ille potest absoluere, qui eam tulit, vel eius superior, vel successor in dignitate, vel ab his delegatus; ab excommunicationibus verò iuris nemini reseruatis, absoluere possunt iure communi quicumque habent potestatem absoluendi à mortalibus, vt patet ex *cap.Nuper, de sententia excommunicat.* Quia eò ipso, quòd superior non reseruat absolutionem, censetur cuicumque confessario concedere facultatem absoluendi, vt testatur communis consuetudo; tamen in aliquibus diœcesibus iure particulari sancitum est, ne Parochi vel alij Sacerdotes à censuris absoluant, nisi specialem habeant facultatem, & propterea multis in locis reseruatur excommunicatio maior, siue illa sit ab homine, siue à iure, vt in Diœcesi Atrebatensi & in quibusdam alijs. [Suarez. Reginal. Filliuc. Toletus. Nauarr. Sayrus. Diana.]

4. An habens priuilegium à Summo Pontifice absoluendi ab omnibus censuris & casibus reseruatis, possit etiam absoluere à censuris & casibus Episcopo reseruatis; alij affirmant, alij negant apud Suarez *disp.7. sect.5. num.13.14.* Nauarrum *cap.27.num.261.* & videre est suprà *verb.Censura num.36* [Suarez. Nauarr.] Similiter an concessa facultate ad absoluendum ab excommunicationibus Papæ reseruatis, comprehēdantur etiam excommunicationes Bullæ Cœnæ? Dicendum est quòd non; quia illæ censuræ, iuxta vsum & morem Ecclesiæ, habent specialem rationem & grauitatem ac reseruationem, ratione cuius non censentur comprehendi sub concessione generali. Vgolinus *tab.1.cap.10.§.4.* Bonacina *disp.1.quæst.3.p.1.nu.12.* & alij: imò ex hac ratione inferunt quidam Doctores moderni, vt Nauarrus *cit. numer.275.* Couarruuias *cap. Alma part.1.§.11 num.15.* Graffijs *lib.4. cap.15. num.25.* Sanchez *lib.2. Moral.cap.12.num.13.* in concessione generali omnium excommunicationum Bullæ Cœnæ, non intelligi comprehensam excommunicationem propter peccatum hæresis; quamuis ijdem authores dicant apud Suarez praxim esse in contrarium, & fundatur hæc sententia vulgari illa regula, quòd beneficium Principis latissimè est interpretandum, vt dictum est suprà *verb.Casus reseruatus num.35.* [Vgolin. Bonac. Nauarr. Couar. Graffijs. Sanchez.]

Porrò, qui obtinuit facultatem absoluendi à casibus Papæ reseruatis, potest absoluere à censuris illi reseruatis, quia hi casus reseruati Summo Pontifice censentur ratione censuræ, vnde sublata censura, quilibet Sacerdos potest à peccatis illis absoluere; secus dicendum de illo, qui ab Episcopo obtinuit facultatem absoluendi à casibus reseruatis, talis enim non potest absoluere à censuris, cùm apud Episcopum casus & censuræ sint distinctæ & diuersæ, & à diuersis non fit illatio. Clauis Regia *lib.1. cap.1. num.5.* Suarez *disp.7.sect.4. num.12.* Sanchez *cit. cap.11. num.7.* Nauarrus *cap.27.num.261.* & alij. [Cl. Reg. Suarez. Sanchez. Nauarr.]

5. Ab excommunicationibus Papæ reseruatis virtute Concilij Tridentini *sess.24.cap.6.* potest Episcopus absoluere in foro conscientiæ, per se aut per vicarium ad hoc specialiter deputatum; modò delictum, propter quod excommunicatio fuit contracta, sit occultum, id est, non publicum, nec notorium, nec famosum in ratione delicti, quamuis testibus probari possit; nec deductum sit ad forum contentiosum: Immò ab excommunicatione publica & alia quacumque reseruata Papæ, licitè & validè absoluit Episcopus, quando excommunicatus laborat [Cōc Tr.]

longa

longa infirmitate, etiam non periculosa aut senectute, aut alio simili impedimento, quod iuxta prudentis viri arbitrium existimetur legitimum, vel quando delinquẽs est fœmina, vel impubes, in his casibus non præsumitur Summum Pontificem absolutionem reseruare cum tanto incommodo. Vide Henriquez *lib.6.c.14. num.1.* Sanchez *de matrim.lib.8.disp.34.nu.55. & in Sum. lib.2.cap.11.num.19.* Nauarr.*cap.27.num.90.* Reginald. *lib.1.num.135.* Dianam *part.5.tract.9.res.6.* Caspensem *tom. 2 tract.25.disp.2. sect.12.* & alios. Addunt quidam ab hac excõmunicatione publica, Papæ reseruata posse Episcopum absoluere in prædictis euentibus, etiamsi possit adiri legatus, vel alius habens priuilegium absoluendi. Ita Auila *2.part.cap.7. d.1.dub.6.*

Imò ipse Tannerus *tom.4.disp.6. quæst.10. dub.6.num.122.* docet: si excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata, propter legitimum impedimentum Papam aut alium ab eo facultatem habentem adire non possit, potest absoluere Episcopus; quòd si nec Episcopum possit adire, Parochus; eòque deficiente, quiuis approbatus confessarius. Idem dicendum putant de casibus Episcopalibus, quando ad ipsum non patet recursus, Cęlestinus *in compend.Theol. Moral.tract.1. cap.23.num.5.* Diana *p.5.tract.14.resol.58.* Granado *3.p.de Sacram. controu.7.tract.10.disp.7.num.12.* quia par interdum videtur ratio quoad casus Episcopales, fieri enim potest vt non minus sit difficilis aditus ad Episcopum, quam ad Pontificem, & adsit nihilominus necessitas communicandi, vel celebrandi.

6. Archiepiscopus non potest absoluere ab excommunicatione, vel alijs censuris subditos Episcoporum suæ Prouinciæ, sed tantùm suæ diœcesis, quia non habet in ipsos iurisdictionem, *cap.Venerabilib. §. 1.de sentent.excommun. in 6.* tamen excipiuntur *aliqui casus*, in quibus id potest; *quando* scilicet facta fuit appellatio ad illum, & cognitum fuit de appellatione; *vel* quando Episcopus suffraganeus malitiosè aut negligenter differt absolutionem; *vel* quando visitat diœcesim, in his tribus casibus à iure, ratione officij, ordinariam habet facultatem ad absoluendum. Ita Suarez *tom.1.disp.7. sect.2.* Henriquez *lib.13. c.22.* Sanchez *in Summ.lib.2.cap.11.n.6.* & alij.

7. Ab excommunicationibus quantumcumque reseruatis & alijs censuris in articulo mortis potest absoluere quilibet Sacerdos, etiam degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel hæreticus, & secundùm quorumdam Doctorum sententiam, etiam in præsentia superioris, vel alterius confessarij approbati, cùm Tridentinum Concilium *sessione 14.cap.7.* asserat omnes Sacerdotes posse in articulo mortis absoluere: & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Vide Dianam *4.part.tract.4.resolut.161.235.* & *part.1.tract.5.resol.5.* & *part.5.tract.3.resolut. 57.* Emmanuel Sà *verb. Absolutio. num.3.* Rodriguez *in 1.part.cap.59. concl.3.* Crousers *ad cap.7.libr. 23.* Nauarrus *libr.5. consil.de pænit. & remiss. consil.22.numer.2.& 3.* & alios. Laicus autem vel clericus qui non est Sacerdos, secundùm Suarez *disp.7. sect.6.nu.3.* Reginald. *lib.9. num.9.* non potest à censuris in articulo mortis absoluere, quia illis non est à iure concessum, licet quidam vt Angelus *verb. Absolutio 3.nu.17.* Syluester *verb. Absolutio 1.num.8. ad finem* Diana *part.5.tract.9.resol.7.* & alij apud Dianam existiment posse: quia probabile est, vt etiam docent Auila *de censur.2.part.cap.7. disp.1.dub.3.* Sancius *in Select.disp.44.num.7.* concedi tûc potestatem laico ad absoluendum à Summo Pontifice; cum sciens talem versari opinionem non contradicat, & aliàs sit maximè vtile illa vti, vt defunctus in loco sacro possit sepeliri & pro eo sacrificia offeri: vnde hanc sententiam probabilem reputat etiam Layman *lib.1.tract.5. part. 2.cap. 6.num. 2.* licet contrariam putet probabiliorem.

Aduerte tamen *Primò* absolutum in articulo mortis, ab excommunicatione reseruata, ab eo, qui aliàs non poterat, remanere obligatum ad se præsentandum legitimo superiori, si conualuerit, vt recipiat ipsius mandatum; & confessarius ante absolutionem extorquere debet, si fieri potest, iuramentum scie, sublato impedimento non perpetuo, præsentandi coram superiore; immò in grauioribus delictis, vt in delictis Bullæ Cęnæ, præter iuramentum extorquenda est cautio pignoratitia, vel fideiussoria, quando pęnitens tenebatur satisfactionem pecuniariam præstare; quòd si pęnitens non se præsentarit, quàm commodè potuerit, reincidet in eandem excommunicationem. Ita Sanchez *in Summ. lib.2.cap.13. num.17. & seq.* Bonacina *disp.1. quæst.3.part.3.num.11. & seq.* ConincK *disp.14.dub.16 num. 241.* & alij. Et decernitur *in cap.eos,qui, de sentent.excommun.in 6.*

Aduertit tamen Petrus Marchantius *in tribun. tom.1. tract.2.tit.4.quæst.7. concl.3.* in suo Tribunali debere pęnitenti, si conualescat, solùm imponi onus comparendi in censuris ad externum siue contentiosum forum deductis, cùm obedientia aliqua ob contumaciam in externo foro præstanda est superiori, aut etiam satisfactio partis læsæ, si læsa sit: sed hæc comparitio non pertinet ad reseruationem quæ tunc fuisset, sed ad obligationem innatam casui ob quem censura incursa fuit: sicut quis postea teneretur ad restitutionem famæ, vel rei ex casu consurgente. Et ita intelligendum prædictum *cap. Eos qui,de sentent. excommun. in 6.* Notandum præterea est, quod absoluto in articulo mortis à censuris reseruatis virtute Bullæ vel Iubilæi, non esse imponendum hoc onus se præsentandi, quia priuilegium hoc dat, aliàs nihil daret. Denique sententiæ Marchantij adhæret Claudius Millardus apud Dianam *part.5.tract.14.resol.59.* & hanc doctrinam putat Cęlestinus posse tuta conscientia approbari, quando excommunicatio non est notoria, vel deducta ad forum externum, sed omninò occulta, vel scitur tantùm à duobus, vel à tribus. Sed de hac noua sententia Doctores. Obstat enim communis Doctorum huc vsque opinio, quam tamen improbabilem censet Marchantius suprà, eò quòd consequenter non loquatur ad textum Concilii Tridentini *sess.14.cap.7.* & Ecclesiæ traditionem ibi expressam: Quòd scilicet *in Ecclesia Dei semper custoditum fuerit, vt nulla esset reseruatio in articulo mortis*. Si enim onus illud comparendi pro censuris remaneret, virtus reseruationis illud operaretur, & tunc reseruatio censeretur remansisse, virtute cuius effectus ille sequeretur. Ita Marchantius.

Aduerte secundò censuras, à quibus quilibet Sacerdos in articulo mortis potest absoluere solas eas esse, quæ Sacramentis ab ægro recipiendis, & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant, quales sunt excommunicatio, interdictum personale, suspensio à Sacramentorum receptione, & Ecclesiastica sepultura; non autem irregularitas, suspensio ab ordine, officio vel beneficio. Zambrano *de casibus, art.mortis, cap.4.dub.4.num.17.* Layman *lib.5.tract.6.cap.12.num.13.* Quia licet non sic restringat Tridentinum, at ratio ab ipso reddita ibi, *Ne hac occasione aliquis pereat*, apertè designat sic limitandum. Contra Vgolinum *de censur.3.part.c. secundo*, docentem, tunc quemlibet Sacerdotem posse ab omnibus censuris absoluere, tam ijs quæ impediunt receptionem Sacramentorum, quam ijs quæ illam non impediunt. Ratio est, quia Concilium dicit (à quibusuis censuris) quæ particula cum sit generalis & vniuersalis, nec vllam excipiat, inde est vt omnes comprehendat; vbi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Et hanc sententiam nouissimè tuetur Caspensis *tom.2.tract.25.disput.2.sect.13.num.129.*

Qui moritur excommunicatus potest absolui post mortem, si ante illam dederit signa contritionis ad minus vel intelligatur moraliter decessisse in gratia: & per illam absolutionem declaratur posse à viuis pro tali mortuo orari nomine totius Ecclesiæ; licet enim in mortuum non feratur censura, potest tamen in eo manere effectus censuræ ab eo contractæ dum viueret. In hoc autem casu tantùm est absoluendus ab eo, qui poterat absoluere extra articulum mortis à censura, tunc enim iam non est necessitas articuli mortis. Hæres verò defuncti, vel habens curam animæ illius, tenetur hanc absolutionem post mortem procurare. Si verò defunctus mortuus est in censura occulta, absoluatur occultè si fieri possit; quod si non possit occultè absolui, omittatur ne infametur, nam probabile est si decessit in gratia & bona fide, non esse intentionem Ecclesiæ, vtpote piæ matris, hunc priuare

uare suffragijs factis nominè ipsius. Ita alterius *de censur. lib.4.disp.1.cap.1.* post Glossam *in c. A nobis, de sent.excommun.vers.Non petuerit.*

De absolutione ab excommunicatione plura *v. Absolutio, v.Censura.*

EXCOMMVNICATIO VI.

De Excommunicationibus in particulari; & primò de reseruatis Papæ in Bulla Cœnæ Domini.

SVMMARIVM.

CONTRA.

1 *Hæreticos, Apostatas à fide, credentes, receptores, fautores, defensores hæreticorum, legentes eorum libros de religione tractantes, retinentes, imprimentes, defendentes. Item contra schismaticos.*

2 *Appellantes ad futurum Concilium ab ordinationibus, sententijs Summi Pontificis, & ad hoc dantes consilium.*

3 *Pyratas, cursarios, & latrunculos maritimos discurrentes mare Ecclesiæ.*

4 *Surripientes Christianorum naufragantium bona.*

5 *Imponentes vel augentes in terris suis noua pedagia seu gabellas.*

6 *Falsarios litterarum Apostolicarum.*

7 *Deferentes seu transmittentes ad Saracenos, Turcas vel hæreticos, arma, equos, ferrum, filum ferri, &c.*

8 *Impedientes deferri victualia ad vsum Romanæ curiæ necessaria.*

9 *Vexantes in Curia morantes, aut venientes ad eam, vel ab ea recedentes: Item contra sibi falsò vendicantes iurisdictionem ordinariam vel delegatam à Papa, vel ipsius iudicibus.*

10 *Vexantes Romipetas, seu peregrinos, in Vrbe morantes, vel ab ea recedentes.*

11 *Offendentes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales & alios Prælatos.*

12 *Offendentes recurrentes ad Curiam Romanam pro suis negotijs.*

13 *Appellantes à grauamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad potestatem Laicam.*

14 *Officiales & alios, qui causas Ecclesiasticas auocant à Iudicibus Apostolicis.*

15 *Iudices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt.*

16 *Impedientes Prælatos, ne iurisdictione sua Ecclesiastica vtantur.*

17 *Vsurpantes iurisdictiones Sedis Apostolicæ & aliarum Ecclesiarum, fructusque sequestrantes.*

18 *Imponentes decimas, collectas, & alia onera personis Ecclesiasticis.*

19 *Iudices sæculares & alios ministros, qui se in causis capitalibus Clericorum interponunt.*

20 *Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & supremam iurisdictionem in illis vsurpantes.*

21 *Durat hæc Bulla donec alia publicetur.*

22 *Excommunicationes huius Bullæ sunt reseruatæ Summo Pontifici, præterquam in mortis articulo.*

23 *Reuocantur priuilegia concedentia illarum absolutionem.*

24 *Excommunicantur, qui absoluunt ab his excommunicationibus Bullæ.*

25 *Quotannis hæc Bulla semel in Parochialibus Ecclesijs publicari debet.*

Confessarij omnes debent penes se habere transumptum litterarum huius Bullæ.

26 *An per hanc Bullam reuocentur priuilegia regularium?* Refertur duplex sententia.

1. EXcommunicantur per Bullam Cœnæ Domini, *Primò*. Filliucius *tract.16.* Toletus *libr 1.à cap.19.ad 30.* Lorichius *in suo Thesaur. v. Excommun. num.22.* Savrus *de censur.lib.3. cap.1.& seq* Nauarrus *in Man.cap.27.à num.56.ad 74.* Syluester *v.Excommun.6. 7.8. & 9.* Emmanuel Sà *v.de excommunicationibus Bull.* Suarez *de censuris disp.21.* Reginaldus *lib.9.c.13.& seq.* Hæretici cuiuscumque sectæ, & Apostatæ à fide, credentes hæreticorum, receptatores, fautores, defensores quilibet eorum, legentes libros eorum sine licentia Papæ, continentes hæreses, vel de religione tractantes, immò retinentes, imprimentes, defendentes, quomodolibet, ex quauis causa, publicè vel occultè quouis ingenio vel colore. Item quicumque schismatici, & subtrahentes se, vel recedentes ad obedientia Romani Pontificis pro tempore existentis.

Filliuc. Toletus. Lorich. Savrus. Nauar. Syluest. Em Sa. Suarez. Reginal.

2. *Secundò*, excommunicantur appellantes ad futurum Concilium ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis Summi Pontificis, dantes ad hoc consilium, vel auxilium, fauorem; vniuersitates verò, Collegia & Capitula appellantia, &c. Ecclesiastico subijciuntur interdicto.

3. *Tertiò*, excommunicatio lata est, contra omnes Pyratas, cursarios & latrunculos maritimos discurrentes mare Ecclesiæ, præcipuè à monte Argentario, vsque ad Tarracinam, & contra eorumdem fautores, receptatores, & defensores.

4. *Quartò*, fertur excommunicatio contra eos, qui surripiunt Christianorum naufragantium bona, siue in nauibus existentia, siue ex eisdem eiecta, siue in littore inuenta, cuiuscumque generis bona sint, & in quocumque mari; contra hanc excommunicationem nec priuilegiũ, nec consuetudo, aliave etiam longissimi & immemorabilis temporis possessio, aliúsve prætextus aliquid operatur, quò minùs talia bona surripientes eam contrahant.

5. *Quintò*, excommunicantur qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

6. *Sextò*, excommunicantur omnes falsarij litterarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis ac supplicationũ, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, aut per Vicecancellarium aut per eorum locum gerentes, aut de mandato Romani Pontificis signatarum. Nec non falsò fabricantes litteras Apostolicas etiam in forma Breuis, etiamque falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

7. *Septimò*, excommunicantur omnes illi, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel hæreticos per Apostolicam Sedem expressè & nominatim declaratos, deferũt seu transmittũt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaq; alia metallorum genera atque bellica instrumenta, ligamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quã alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnant: necnon illi, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum ipsos Turcas & Christianę religionis inimicos; nec non hæreticos certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant; non obstantibus quibuscumq; priuilegijs, quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis, per Sedem Apostolicam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

8. *Octauò*, excommunicantur omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt; vt etiam illi, qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios. cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis & status, etiamsi Pontificali seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

9. *Nonò*, excommunicantur omnes illi, qui ad Sedem Apo-

Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; nec non illi omnes qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam à Papa, vel ipsius iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

10. *Decimò*, excommunicantur omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis accedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

11. *Vndecimò*, excommunicantur omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes, S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios; aut eos à suis diœcesibus, territorijs seu dominijs eijcientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12. *Duodecimò*, excommunicantur omnes illi, qui per se per alios personas Ecclesiasticas quascumque vel sæculares ad Romanā curiam super eorum causis & negotijs recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes negotiorumque gestores, Aduocatos, procuratores & agentes, seu etiam Auditores vel iudices super dictis causis, vel negotijs deputatos occasione causarum vel negotiorum huiusmodi, occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se vel per alios directè vel indirectè, delicta huiusmodi comittere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consiliū, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque præeminentiæ & dignitatis fuerint.

13. *Decimotertiò*, excommunicantur omnes, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine vel futura executione literarum Apostolorum etiam in forma breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernentium; nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum decretorum à Sede Apostolica, seu Legatis, Nuncijs, Præsidentibus Palatij Apostol. & Camer. Apostol. Auditoribus, Commissarijs, alijsque iudicibus, & delegatis Apostol. emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint: aut alias ad curias sæculares & laicam potestatem recurrunt, & ea instante etiam Fisci Procuratore vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt; quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito & consensu, vel examine executioni mandari, aut ne tabelliones & Notarij super huiusmodi litterarum & processuum executione, instrumenta vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest, tradere debeant, impediunt vel prohibent; ac etiam partes seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent; ex ciuitatibus, locis & regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt & comminantur per se vel alium, seu alios publicè vel occultè, quive alias quibuscumque personis in genere vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel litteris impetrandis, ad Romanam curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras à dicta sede impetrent, seu impetratis vtantur directè vel indirectè prohibere, statuere seu mandare, vel eas apud se aut notarios seu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumant.

14. *Decimoquartò*, excommunicantur omnes & singuli, qui per se, vel alios auctoritate propria ac de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum & litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales & spiritualibus annexas, ab Auditoribus & Commissarijs Apostol. Sedis, alijsque iudicibus Ecclesiasticis auocant, illorumve cursum & audientiam, ac personas, capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam iudices interponunt; quive partes actrices quæ illas committi fecerint & faciunt ad reuocandum & reuocari faciendum citationes vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris & pœnis in illis contentis, absolui per statutum vel aliàs compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium processuum ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu & donec ipsi ad Summum Pontificem informandum, vt dicunt, supplicauerint aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint præsidentes cancellariarum, consiliorum, parlamentorum Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij ordinarij vel extraordinarij quorumcumque Principum sæcularium, etiam Imperiali, Regali, Ducali vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Abbates, Commentarij, seu Vicarij fuerint.

15. *Decimoquintò*, excommunicantur qui vel ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorū quorumcumque, personas Ecclesiasticas, capitula, Conuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal, audientiam, Cancellariam, Consilium vel parlamentum, præter iuris canonici dispositionem trahunt: vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore: nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere vel in specie, ex quauis causa & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis aut priuilegijs, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint & publicauerint, vel factis & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu Papæ & Sedis Apostolicæ, ac quorumcumque Ecclesiarum iuribus, quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expresè præiudicatur.

16. *Decimosextò*, nec non qui Archiepiscopus, Episcopos, aliosque superiores & inferiores Prælatos & omnes alios quoscumque iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè vel indirectè carcerando, vel molestando, eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos & affines, aut aliàs impediunt, quò minùs sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vtantur, secundùm quod Canones & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium & præsertim Tridentini statuunt; ac etiam illi qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab ipsis delegatorum quorumcumque sententias & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias & alias curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pęnalia, Ordinariis aut delegatis prædictis decerni & contra illos exequi procurant, illi quoq; qui hæc decernunt & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium & fauorem in eisdem.

17. *Decimoseptimò*, excommunicantur qui iurisdictiones seu fructus, redditus & prouentus ad Papam, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpāt, vel etiam quauis occasione vel causa, sine Romani Pōtificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

18. *Decimooctauò*, excommunicantur, qui collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, redditibus & prouentibus huiusmodi absque simili Rom. Pont. speciali & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se vel alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præeminentiæ, digni-

dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiamsi Imperiali aut Regali prefulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentates quicumque, etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus & Terris quoquo modo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insignitie. Et innouantur decreta super his per Sacros canones tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm aliis cõciliis generalibus edita, etiam cum censuris & pœnis in eis contentis.

19. *Decimonono*, excommunicantur omnes & quicumque Magistratus & Iudices, Notarii, Scribæ, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo vel exequendo, sine speciali, specifica & expressa Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quinque eiusmodi licentiam ad personas & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quouis alio nomine nuncupati.

20 Porrò excommunicantur & anathematizantur omnes illi, qui per se seu alios directè, vel indirectè sub quocumque titulo vel colore inuadere, destruere, occupare, detinere præsumpserint in totum vel in partem Almam Vrbem Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ & Corsicæ, Terras citra Pharum Patrimonium beati Petri Thusciа, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayssinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romãdiolæ Campaniæ, & Maritimas Prouincias, illarùmque terras & loca, ae terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auenionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum & alias ciuitates, terras & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiecta; nec non supremam iurisdictionem in illis Papæ & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere & vexare varijs modis præsumunt, nec nõ adhærentes, fautores & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel fauorem quomodolibet præstantes.

21. In fine verborum siue excommunicationum huius Bullæ *Primò* addit Summ. Pont. eam durare debere donec alia publicetur à Romano Pontifice, vndè vacante Sede non expirat.

22. *Secundò* reseruat sibi soli absolutionem harum excommunicationũ; præterquam in mortis articulo, quam nec tunc dari præcipit, nisi peccator reus se offerat ad satis factionem sufficientem partis lęsæ, aut præstita cautione de stando mandatis Romani Pontificis.

23. *Tertiò* reuocat omnia priuilegia, per quæ absolutio extra mortis articulum, poterat ab alio quàm à Romano Pontifice exhiberi; reuocat etiam tales facultates etiam data à Concilijs generalibus.

24. *Quartò* decernit excommunicatos esse, qui aliquẽ absoluerint ab aliqua excommunicatione hic reseruata, aliasque graues pœnas eisdem minatur; sed ad incurrendum hanc excommunicationem, requiritur præsumptio, vnde excusetur qui ex obliuione, incogitãtia, ignorantiaque non crassa talem absoluerer: hæc autem excommunicatio non est reseruata Summ. Pont. sed Ordinarius potest ab ea absoluere.

25. *Quartò* mandat Summus Pontifex vt omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, aliique Prælati Ecclesiastici curent hanc Bullam quotannis minimum semel in omnibus Ecclesiis Parochialibus publicè prælegi populo. Deinde vtcidem & omnes Parochi; omnesque confessarij, hanc Bullam apud se singuli descriptam habeant, frequenter legant, & diligenter examinent. Ita se habent literæ processus S.D.N. Vrbani Papæ VIII. lectæ die Cœnæ Domini. Anno 1626. quarum explicationes videri possunt apud prænotatos Doctores, quas breuitatis gratia omittimus.

26. An autem per hanc Bullam priuilegia Mendicantium reuocentur, alii affirmant, alii negant apud Dianam *de dub. reg. resolut.* 10. Vide etiam Suarez *de relig. tom. 4. tract. 1. lib. 2. cap. 21.* Portel *verb. Abbas num.* 10. & meipsum *v. Abbas num.* 8. §. 5.

Vide præterea de his excommunicationibus *v. Scisma* 0.5. *Heresis, Casus reseruatus* n. 12. 32. 33. 34. & seqq.

EXCOMMVNICATIO VII.

Excommunicationes Papæ reseruatæ extra Bullam Cœnæ Domini.

Contra omnes.

1. PErcussores Clericorum, *cap. Si quis suadente 17. qu. 4.*

2. Perseuerantes per annum in excommunicatione lata à delegato Papæ, *capit. Quærenti, de officio, deleg.*

3. Falsarios litterarum Pontificalium, *c. Ad falsariorum, de crimine fal.*

4. Habentes litteras Apostolicas falsas & eas non destruentes intra viginti dies, *capit. Dura, de crimine falsi.*

5. Incendiarios, ab homine excommunicatos & denunciatos, *cap. Tua nos, de sententia excommunicat.*

6. Sacrilegos effringentes Ecclesias, *cap. Conquesti eod. 6.*

7. Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa, *c. Nuper eodem.*

8. Eligentes potentia insignem in senatorem Romanum, *cap. Fundamenta, de electione in 6.*

9. Vexantes eos qui censuram in aliquos tulerunt, *c. Quicumque, de sentent. excomm. in 6.*

10. Absolutos ab excommunicatione Papali sub conditione & non implentes, *cap. Eos qui, de sentent. excommun. in 6.*

11. Offendentes Cardinales, *capit. Fœlicis. de pœnis in 6.*

12. Exigentes tributa à personis Ecclesiasticis, *c. Clericis, de immunitate Ecclesiarum in 6.*

13. Violantes interdictum modis prohibitis in Clem. *grauis, de sentent. excommunic. Clem. grauis, de sentent. excommun.*

14. Falsificantes monetam Regis Franciæ. *Extrau. prodiens, de crimine.*

15. Excenterantes corpora defunctorum, *Extrau. 1. de sepultur.*

16. Violantes interdictum Sedis Apostolicæ, *Extrau. etsi, de pœn & remiss.*

17. Conspirantes in personam Romani Pontificis. *Extrau. ead.*

18. Dantes & recipientes ob ingressum religionis. *Extrau. 1. de simonia.*

19. Simoniacos in ordine & beneficio. *Extrau. 2. de simonia.*

20. Taxantes opiniones de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. *Extrauag. graue nimis de venerat. sanctor.*

21. Dantes & recipientes pro gratia, aut iustitia apud Sedem Apostolicam. *Gregor. Decimotertio. Ab ipso Pontific. 24.*

22. Offendentes Magistratus Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ. *Extrau. dierum de pœnis.*

23. Dantes nunciantibus prouisiones beneficiorum vacantium in curia. *Gregorio Decimotertio, solicitè quartò.*

24. Occupantes bona Cardinalium in Conclaui existentium. *Concil. Constant. sessione quarta decretal. omnis ætas.*

25. Fingentes se nepotes Cardinalium, vt expediant litteras Apostolicas. *Leo X. Inhærendo 27.*

26. Impedientes executionem litterarum S. Pœnitentiariæ. *Iulius Tertius. Rationi congruit 1.*

27. Supponentes se in examine vt beneficia impetrent

trent pro alio. *Paulus Quartus, inter cæter. 2.*

28. Ambientes Papatum, eiusque causa simoniam committentes. *Paulus Quartus. Cum secundum Apost. 16.*

29. Committentes duellum, consulentes, concedentes locum, astantes, &c. *Pius IV. Ea quæ 21.*

30. Deferentes arma ex partibus infidelium, ad fideles. *Pius IV. Ex Apostolica 43.*

31. Mittentes literas aut nuncium in Conclaue, & qui receperint. *Idem. In Eligendis 63.*

32. Occupantes bona Montium pietatis & locorum piorum. *Concil. Trident. sess. 22. cap. 11.*

33. Feminas ingredientes Monasteria regularium prætextu Apostolicæ facultatis: imò sine prætextu. Idem Pius V. *Decet Romanum. Pius V. Regular. 20.*

34. Suadentes Papæ vt infeudet loca Ecclesiæ Romanæ. *Idem. Admonet nos 35.*

35. Capientes Christianos habitantes inter Turcas, in seruos. *Idem. Licet omnibus 149.*

36. Committentes simoniam confidentialem in beneficijs. *Idem. Intolerabilis 85.*

37. Non reuelantes Papæ vel Ordinario conspiratores contra Cardinales. *Idem. Infælicis 93.*

38. Contra proponentes populo indicem casuum, & gratiarum cum Indulgentijs. *Idem. Quam plenum 99.*

39. Accipientes fructus primi vel secundi anni beneficij vacantis. *Idem Durum nimis. 104.*

40. Impugnantes institutum Societatis IESV, eiusque constitutiones. *Gregor. Decimotertio. Ascendente Domin. 89.*

41. Facientes iurare illicita & contraria libertati Ecclesiasticæ, aut decretis Trident. *Idem. Inter Apostol. 93.*

42. Diripientes animalia & alia bona in Ecclesiastico statu, & illa ementes, & permutantes, & recipientes. *Idem. Non sine graui 98.*

43. Violantes Ecclesiæ immunitatem. *Gregor. XIV. Cum aliàs 7.*

44. Docentes licere per litteras, seu internuncium confessario absente peccata sacramentaliter fateri. *Clemens Octauo, 20. Iunij anni 1602.*

45. Extrahentes frumentum, bladium, legumina, animalia, &c. ex statu Ecclesiastico, & locis immediatis. *Paulus V. inter grauissimas 12.*

Contra Clericos.

46. PArticipantes cum excommunicato à Papa, admittentes eum scilicet, ad diuina, *cap. Significauit, de sent. excomm.*

47. Inducentes ad iurandum de eligenda apud eos sepultura, vel electa non mutanda. *Clement. Cupientes, §. sanè, de pœnis.*

48. Procurantes fraudulenter alienationes Ecclesiarum in earum detrimentum. *Paulus Secundus. Cum in omnibus 2.*

49. Procurantes post mortem vnius Pontificis eligi in successorem eius. *Leo Decimus Concil. Lateranen. sess. quinta.*

50. Prædicatores qui non seruarint decreta pro eis In Concil. Lateranens. sub Leone X. *Leo Decimo, ibidem sess. 11.*

51. Parochos, qui non adimplent iuramenta de residendo certo tempore in suis Parochijs. *Pius Quartus, inter multiplices.*

52. Accipientes vel retinentes apertè vel occultè beneficia quæcumque in confidentiam. *Pius IV. Romanum Pontificem 85.*

53. Absoluentes à casibus Bullæ Cœnæ, vel Papalibus, vel à reseruatis Ordinariorum prætextu priuilegiorum. *Extrau. Etsi Dominici 2. de pœnit. & remiss. & Clemens Octauo, 9. Ianuarij 1602.*

Contra Regulares.

54. ADministrantes Sacramentum Extremæ vnctionis, Eucharistiæ aut matrimonia solemnizantes absque licentia Parochorum. *Clement. 1. de priuil.*

55. Euntes vltra mare sine licentia superiorum. *Extrau. Ad nostrum de reg.*

56. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes excepto ordine Carthusiensium sine licentia Papæ. *Extrau. viam ambitios. de reg.*

57. Detinentes Apostatas Dominicanos. *Bonif. apud D. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 70.*

58. Moniales exeuntes de clausura absque licentia concedenda tantum ex certis causis. *Pius Quintus. Decori 8.*

59. Superiores regularium non denuntiantes suos, qui sollicitant mulieres in confessione. *Paulus Quintus, anno 1606.*

60. Minores recipientes fratres ordinis Prædicatorum sine licentia Papæ. *Diuus Antonin. 3 part. tit. 24. cap. 70.*

61. Minores de Obseruantia subornantes in electionibus, vel procurantes fauorem extra ad officium obtinendum in religione. *Pius V. Pastoralis 128.*

62. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. *Iulius II. Virtute conspicuos.*

63. Tertiarios Eremitas, &c. portantes habitum Minimorum. *Leo X. Licet alias.*

64. Minimos subtrahentes se ab Obseruantia Correctorum. *Paulus Tertius. Cum sicut.*

65. Minores tempore interdicti admittentes fratres tertij ordinis ad diuina. *Clement. Cum ex eo, de sentent. excommun.*

66. Recipientes aliquem è Societate IESV exceptis Carthusianis sine licentia sui superioris, & contra ipsos de societate ingredientes religionem aliam à Carthusia: & contra dantes auxilium. *Pius V. Aequum reputauimus.*

Contra personas publicas.

67. EPiscopos, aliosque ordinarios qui vexant per censuras eos, qui pro suis negotijs, vel pro seruitio Papæ & curiæ Romæ commorantur. *Extrau. 3. de priuil.*

68. Cardinales non seruantes statuta à Iulio II. vt scilicet, sine simonia eligatur Papa. *Iulius Secundus. Cum tam diuino 3.*

69. Cardinales reuelantes gesta in secreto consistorio præcepta sub silentio seruari. *Leo X. Supernæ 7. §. pro reuerentia.*

70. Episcopos, qui in suspensione conferunt beneficia. *Pius V. Quanta 58.*

71. Cardinales ambientes Papatum, eiusque causa simoniam committentes. *Paulus Quartus. Cum secundum 16.*

72. Cardinales simoniacos in ordine & beneficio. *Pius V. Intolerab. 85.*

73. Prælatos, qui personam Ecclesiasticam, Collegium vel Conuentum, traxerint ad forum laicale, pro causis quæ spectant ad forum Ecclesiasticum. *Martin. V. Ad reprimendas 10.*

74. Dominos temporales cogentes aliquem tempore interdicti. *Clement. Grauis, de sent. excomm.*

75. Prohibentes subditis ne quidpiam vendant Ecclesiasticis, neque ab eis emant. *cap. fin. de immunit. Eccl. in 6.*

76. Bannientes regulares aut proscribentes personas Ecclesiasticas. *Vrbanus 6. Quasi sicut 3.*

77. Concedentes vel permittentes duellum in terris suis. *Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. Clemens 8. Illius vices 11.*

78. Inquisitores inferiores Episcopis, malè procedentes contra hæreticos. *Clement. Multorum, §. verum, de hæret.*

79. Offi-

79. Officiales non reddentes integrè computa Cameræ Apostolicæ. *Pa lus 3. Cum sicut* 40.

80. Officiales sacræ Pœnitentiariæ expedientes, aut concedentes sibi interdicta. *Pius 5. In omnibus rebus*, 83. *§. omnes verò*.

81. Officiales quoscumque Papæ (præter Cardinales) accipientes munera præter comestibilia biduo consumptibilia, dantes & recipientes. *Paulus 3 A munera* 3.

82. Legatos & gubernatores facientes, vel defendentes bannitos & homicidas. Item contra Dominos Ecclesiæ subiectos, qui eos reciperent in terris suis. *Pius 5. Ex superna* 10.

Excommunicationes omissæ in prioribus editionibus.

83 CArdinales non seruantes formam, in eligendo Pontifice præscriptam, aut præsumentes aliquid facere, vel attendere contra ipsam Bullam. *Greg. 15. in Balla Aeterni patris* 13.

84. Fratres Minores de Obseruantia appellantes ad sæcularia tribunalia, contemptis Superioribus suis. *Greg. 13. Quoniam* 27.

85. Ecclesiasticas personas receptantes bannitos in Regno Neapolitano, vel eis fauorem præstantes. *Sixtus 5. Hoc nostri* 6.

86. Officiales Cameræ in contractibus Cameræ quomodolibet participantes. *Paulus 3. Alsas felicis* 18.

87. Facientes sponsiones super vita, morte, & futura electione Summi Pontificis, aut super promotionibus Cardinalium. *Greg. 14. Cogit nos* 4.

88. Eos, qui armata manu inuadunt domum alicuius Cardinalis, & aliquid violenter, ac hostiliter rapiunt, aut aliquem ibi existentem vulnerant, aut ad huiusmodi delictum, mandato, consilio cooperantur, aut ratum habent. *Leo 10. Temerarium*.

90. Extrahentes reliquias ex cœmeterijs, cryptis, vel catacumbis, intra, vel extra vrbem existentibus. *Ex mandato Pauli 5. anno* 1613.

91. Conficientes libellos famosos, vel aliam scripturam contra statum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum. *Alex. 4. Ex alto*.

92. Commissarios & Iudices delegatos Sedis Apostolicæ, concedentes alienationes bonorum Ecclesiasticorum fieri in detrimentum Ecclesiarum. Item contra alios dolosè, vel scienter procurantes huiusmodi alienationem, aut alienationis decretum. *Paulus 2. Cum in omnibus iudicijs* 2.

93. Superiores Ordinum religiosorum non denunciantes suos religiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos. *Paulus 5. Romanus Pontifex* 26.

94. Extrahentes per se, vel per alios in Bibliothecis Fratrum Minorum de Obseruantia, libros, quinterna, folia, & res aliquas in dictis Bibliothecis existentes, de dictis amouentes, asportantes, tollentes, seu amoueri, asportari, aut tolli facientes, vel consulentes; item verbo, vel facto in aliqoo ex prædictis alicui auxilium, aut opem præstantes. *Sixtus 5. Cum sicut*, 67.

95. Præsumentes amouere, vel subtrahere ex Bibliothecis Ordinis Fratrum B. Mariç de Monte Carmelo, aut earum aliqua libros & monumenta, siue impressa, siue manuscripta ibi existentia. *Clem. 8. Quæ ad tuenda*. 24.

§. VNICVS.

SVMMARIVM.

1 *Ponitur hic textus de percussione clericorum*, si quis suadente Diabolo, &c.

2 *Quid intelligatur* per manus violentas.
An qui dolo, aut fraude propinat venenum clerico, non faciens ei violentiam, incurrat excommunicationem huius canonis? refertur duplex sententia.
An procurans abortum Monialis illa consentiente, incurrat excommunicationem.
An percussio clerici facta prauo animo mortaliter peccaminoso inducat excommunicationem, si ex parte operis percussio fuerit leuis.
Num ante sententiam Iudicis, sit vitandus percutiens clericum publicè & notoriè.

3 *Quis nomine* Clerici *intelligatur*.

4 *Quis nomine* Monachi.

5 *De particula*, Si quis.

6 *De particula* Suadente Diabolo.

7 *An hæc excommunicatio sit regulariter reseruata Summo Pontifici. Et quæ sit dicenda percussio leuis mediocris, & enormis.*

8 *In quibus casibus possit Episcopus ab hac excommunicatione absoluere. Et an id possint, etiam confessarij ordinum Mendicantium.*

1 QVia excommunicatio lata à iure, *cap. Si quis suadente 17. quæst. 4.* contra percussores clericorum frequentiùs accidit, ideo de illa in particulari agendum est & primò ponendus textus: *si quis suadente Diabolo manus violentas in clericum, vel Monachum iniecerit, Anathematis vinculo subiaceat & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgeate periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandata recipiat.*

2. Per *manus violentas* iuxta Toletus *lib. 1. cap. 31. num. 4.* Reginaldus *lib. 1. num. 205. & seq.* Filliucius *tract. 15. num. 15. 16. & seq.* Suarez *disp. 22. sect. 1.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 51.* Nauarrus *cap. 27. num. 78.* Croosers *ad cap 7. reg. Minor. lect. 16. fol. 633.* Lezana *tom. 3. verb. Cleric. num. 7.* & alios intelligitur actio iniuriosa contra Ecclesiasticam personam, immediatè consistens in facto, & in opere, siue actio fiat manibus, siue pedibus; vnde *actio* ob quam incurritur excommunicatio, alia est *principalis*, alia est *accessoria*: *Principalis* est ipsa iniectio manus violentæ in personam, aut in res personæ adhærentes; in personam, illam prosequendo furiosè, itaut cogatur aliquod malum pati: vel detinendo in custodiam, vel in alio loco, à quo non possit exire sine dedecore & pudore, vel in illam conspuendo, aut virga percutiendo. *In res*, eripiendo violenter è manibus, aut violentiam faciendo rebus adhærentibus clerico, verbi gratia, violenter detinendo per vestes, easdem lacerando, cohibendo equum fræno, aut frangendo frænum equi, dum clericus eo vtitur. Vnde non incurrit excommunicationem qui laceraret vestes, vel alias res, quæ clerico non adhærent, quia tunc non videtur violentiam clerico inferre.

Toletus.
Regin.
Filliuc.
Suarez.
Molina.
Nauarr.
Crousers
Lezana.

Accessoria actio ob quam incurritur hæc excommunicatio, est mandare percussionem secuto effectu, eam nomine suo ratam, ratam habere, consentire, consulendo, auxilium & fauorem præbendo, non impediendo cum teneatur ex iustitia, vel charitate, absque proprio periculo, *cap. mulieres §. illi vero, de sent. excomm.* Sayrus *lib. 3. cap. 26. num. 18.* Coninch *disp. 14. dub. 15. num. 168. & 170.* Lezana *cit. num. 8.* imo clericum quamuis volentem & consentientem percutiendo, quoties percussio est iniuriosa, & quod maius est, si clericus seipsum percutiat, incurret etiam excommunicationem, quia huiusmodi percussio est statui clericali iniuriosa, cui persona priuata non potest cedere. Et Canon non tam in fauorem personæ, quàm in fauorem ordinis clericalis effectus est, vt habet communissima Doctorum sententia apud Dianam *tract. 5. miscel. res. 81. p. 3.* Crousers *cit. fol. 637.* qui refert Barbos. *in collect. tom. 5. part. 2. decreti, causa 17. quæst. 4. n. 38. 39.* Turrian. *de cens. lib. 3. disp. 29. dub. 2.* docentes, clericum voluntariè percutientem seipsum non incurrere excommunicationem Canonis huius, qui manifestè loquitur de persona distincta à percutiente clericum, & de actione alterius personæ. Hæc sententia ab his reputatur probabilis, sed tu ne recede à communi.

Sayr.
Coninch
Lezana.
Diana.
Crouser
Barbosa
Turrian

Petes *Primò*, an qui dolo, aut fraude, in occulto propinat venenum clerico in cibo, vel potu, non faciens illi violentiam vt sumat, ex quo sumpto clericus mortuus est, incurrat excommunicationem huius Canonis? Negatiuè respondet Rodriquez *in summ. 1. part. cap. 80. num. 13.* Ratio ipsius est, quia non fecit violentiam di-

Rodriq.

cto clerico, sed solùm illius naturæ: & ait idem responsum esse à Doctoribus Salmaticensibus hac de re consultis. O. positum tamen est tenendum; per manus enim violentas, intelligunt Doctores, omnem actionem, quæ non solùm naturæ, sed etiam iustitiæ repugnat, & tangit ipsam personam: quid autem magis naturæ repugnat, ac personam tangit, quàm venenum auferens vitam: hac enim vi maior vis dari non potest, cùm auferat animam a corpore. Ita Suarez *de censuris disput. 5. sect. 1. num. 15. & disput. 22. sect. 1. num. 23. & 28.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 26. num. 11. & 17.* Beia *in respons. moral. prima part. casu 46.* Portel *de dub. regul. verb. Manus violenta num. 1.*

Suar. Sayrus. Beia. Portel.

Petes *Secundò*, an procurans abortum Monialis, eique potum propinans illa consentiente, incurrat excommunicationem? Responsio est negatiua, quia talis non dat venenum, nec facit violentiam personæ sacræ, quia Monialem non occidit, imò illa consentit. Si verò occidit fœtum animatum, persona fœtus non est sacra, nec saltem incurrit hanc positam ob percussionem personæ sacræ: Quidquid sit de excommunicatione Sixti V. propter abortum. Ita Sayrus *de cens. lib. 3. cap. 26. num. 17.* Angles *4. in quæst. de excom. art. 5. diffic. 3. concl. 7.* Rodriquez *in Sum. 1. p. cap. 80. num. 13.* Diana *p. 7. tract. 5. res. 40.*

Sayrus. Angles. Rodriq. Diana.

Petes *Tertiò*, an percussio clerici facta prauo animo mortaliter peccaminoso, inducat excommunicationem, si ex parte operis percussio fuerit leuis? Resp. negatiuè. Ratio est, quia actus exterior percussionis, debet esse mortalis & grauis, non solùm per relationem ad actum internum, sed etiam secundùm operis externi quantitatem: Excommunicatio enim non imponitur, nisi ob peccatum mortale externum; illud enim solùm Ecclesiæ iurisdictioni in foro externo subest. Ita Portel *in dub. reg. verb. Excomm. num. 11.* Sanchez *lib. 2. mor. cap. 8. num. 7.* Diana *p. 5. tr. 5. res. 65.* Rodriquez *cit. cap. 80. n. 8.*

Portel. Sanchez. Diana. Rodr.

Petes *Quartò*, an ante sententiam Iudicis, sit vitandus percutiens clericum publicè & notoriè? Resp. negatiuè cum Cœlestino *in compend. Theolog. moral. tract. 3. cap. 9. diffic. 3.* Diana *p. 5. tract. 9. res. 61. & part. 3. tract. 5. res. 14.* Fagundez *præcept. 1. lib. 2. cap. 6. num. 12. & seq.* Sayro *de censur. lib. 2. cap. 12. n. 18.* & nostro Crousers *ad cap. 7. reg. S. Francisc. lect. 9. fol. 565. 566.* Ratio est, quia vt vitetur publicus percussor clerici, tanquam excommunicatus, necesse est vt talis percussio nulla possit tergiuersatione celari, & nullo iuris remedio, vel suffragio excusari; vt habetur in Extrauag. Martini V. in Concilio Constantiensi edita, quæ incipit, *Ad euitanda*. Sed cùm in nostro casu percussor clerici notorius, possit dicere se fuisse ebrium, aut in suam defensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem percussioni clerici esse annexam, & alia tergiuersatione celare crimen, ideò quamdiu per Iudicis sententiam non constat, illum iuris remedio non posse excusari, non est notorius clerici percussor, nec vitandus. Et vt optimè addunt Sayrus, & post illum Cœlestinus raro continget percussionem clerici ita esse notoriam facto, vt non possit aliquo iuris remedio probabilitate aliqua excusari; quamuis in sententia Sacræ Congregationis apud Crousers correctum, si talis notorietas facti talis sit, vt non sit locus tergiuersationi, sufficiens sit, vt vitetur excommunicatus, secus si non est tanta; & licet sit verè notorietas facti, adhuc tamen maneat locus tergiuersationi, & ista notorietas non sufficit.

Cœlest. Diana. Fagund. Sayrus. Crousers

3. *Nomine Clerici* secundùm Syluestrum *verb. Excom. 6. n. 3.* Conc. Trid. *sess. 6. cap. 6.* Vgolin. *tab. 1. cap. 13. §. 15.* Sayr. *cit. cap. 27. n. 31.* Bonac. *disp. 2. q. 4. punct. 1.* Nauarr. *cap. 27. n. 79.* Molin. *cit. disp. 50. n. 3. & 4.* Dian. *cit. res. 87.* Crousers *cit. fol. 634.* & alios intelligitur initiatus prima tonsura, quamuis coniugatus sit, modò deferat habitum clericalem, & seruiat alicui Ecclesiæ, & nō sit bigamus; item etiamsi coniugatus dimiserit habitum, modo illum postea resumat & contraxerit cum virgine, & sit excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, vel degradatus tantùm verbaliter; imo qui percuteret clericum, qui post susceptos ordines sacros cōtraxit matrim. hanc excommunicationem incurreret, quia clericus sacro ordine initiatus, non amittit priuilegium huius canonis, per contractum matrimonii, quia non fit bigamus bigamia vera, sed tantùm similitudinaria & ficta, de qua iura non loquuntur: non incideret autem percutiens ordinatum ante Baptismum, vel per vim absolutam, quia talis non fruitur priuilegio huius canonis cùm inualidè sit ordinatus.

Syluest. Côc. Tr. Vgolin. Sayrus. Bonac. Nauarr. Molina. Diana. Crousers

Sed dubium est, an Canonicæ sæculares gaudeant priuilegio huius Canonis? videtur quòd non, quia istæ possunt contrahere matrimonium & moniales nō sunt, nec clericæ. Nihilominus probabile est, quamdiu præbendam, aut beneficium sibi competens obtinent, & in suo Ecclesiastico habitu notoriè & patenter à cæteris sæcularibus fœminis distincto, siuè in Ecclesia, siuè alibi incedunt, censendas esse personas Ecclesiasticas, ideoque gaudere priuilegio clericali & huius Canonis, & cùm sit hæc materia fauorabilis, potiùs amplianda, quàm restringenda videtur. Si autem dimisso suo Ecclesiastico habitu, sæculariter incedunt, & ita incedentes verberentur, in hoc casu sic est iudicandum, vt de clerico, qui sine tonsura & habitu repertus percutitur. Ita fertur decisum in Rota *de regularibus decis. 1. in antiquis.* Rota.

4. *Nomine Monachi*, comprehenduntur quinque genera personarum, *cap. cum illorum, de sent. excom. Primò* omnes religiosi, siue professi sint, siue nouitii, siue conuersi etiam bigami. *Secundò* omnes moniales, tam professæ, quàm conuersæ, & nouitiæ. *Tertiò* fratres tertiarij S. Francisci, vel Sancti Dominici, habitum religionis gestantes, & gregatim viuentes: mulieres vero, si virginalem, vel cælibem, vel castam vidualem, expresso voto, & subdicto habitu vitam traduxerint, etiam hoc priuilegio gaudent, etiamsi domi viuant, vt docet Diana *par. 1. tract. 2. res. 84. & par. 6. tract. 8. res. 30.* Diana. *Quartò* Eremitæ subiecti alicui regulæ, aut Ecclesiastico superiori; si autem vagi sint, & specialem Ecclesiasticam obligationem non habeant, non videntur gaudere. *Quintò* Milites Hierosolymitani, siue Equites Melitenses, Equites Sancti Iacobi Calatrauæ, Alcantaræ in Hispania, Ordinis Christi in Lusitania. Item Equites Sancti Stephani Florentiæ, & Sancti Lazari in Sabaudia: quia hi omnes sunt Ecclesiasticæ personæ seruantes tria vota: ex quibus patet homines, qui assumpto habitu religioso adhibentur ad seruitia, & obsequia Monialium, & ad petendum pro ipsis eleemosynam, hoc priuilegio etiam gaudere. Vide Suarez *disp. 22. sect. 1.* Filliucium *tract. 15. num. 14.* Reginaldum *lib. 1. num. 214.* Bonacinam *cit. num. 6.* Nauarrum *de reg. lib. 3. cons. 13.* Sanchez *in sum. lib. 4. cap. 17. num. 11.* Portel *de dub. reg. verb. Manus violenta*, & alios citatos.

Suarez. Filliuc. Regin. Bonac. Nauarr. Sanchez. Portel.

5. Per particulam, *Si quis*, comprehenduntur omnes personæ capaces censuræ, quare omnes baptizati, vsu rationis præditi (excepto Papa) si apposuerint causam, propter quam hæc excommunicatio fertur, incurrent in illam, siue sint viri, aut fœminæ, siue puberes, aut impuberes, siue inferiores, aut superiores, siue laici, aut clerici, aut religiosi. Toletus *lib. 1. cap. 31. num. 2.* Filliucius *cit. num. 4.* Tolet. Filliuc.

6. Vt incurratur hæc excommunicatio, debet fieri iniectio manuum in clericum, *suadente Diabolo*, itaut sit peccatum mortale; pro solo enim peccato mortali excommunicatio maior fulminatur, *cap. nemo Episc. 11. quæst. 3.* Vnde ab hac excommunicatione incurrenda excusantur, quamuis manus violentas in clericum iniiciant, & percutiant eum, non suadente Diabolo. *Primò*, ex imperfectione actus, puta si percussio sit indeliberata & subita, iocosa & casualis, si non fiat in clericum formaliter, si non animo iniuriandi, sed ipsum defendendo. Graffiis *lib. 2. cap. 49. num. 6.* Auila *2 p. cap. 5. disp. 3. dub. 13.* Filliucius *cit. num. 26.*

Graffiis. Auila. Filliuc.

Secundò, si percussio fiat ex ignorantia probabili, verbi gratia, si non videatur persona, vel si de nocte percutiatur, vel non agnoscatur ex habitu, quia non gestat; vel si ferat habitum, tamen rationabiliter talis reputatur esse laicus, *cap. si verò, de sent. excomm.* Nauarrus *cap. 27. num. 80.* Nauarr.

Tertiò, non incurritur excommunicatio, quando quis percutit clericum causa correctionis & disciplinæ, habens legitimam facultatem, & potestatē ad percutiendū, modo

modò non excedat modum in percutiendo, vt excessus pertingat ad culpam mortalem. Vnde possunt Prælati torquere clericos, Magistri corrigere discipulos, etiam per laicum officiales in Ecclesia clericos turbantes diuina officia. Item seniores in Ecclesia licet non habeant officium, Domini seruos & familiam, parentes filios, imò & propinqui consanguineos, si ad illos spectet cora corrigendi. Reginaldus *lib. 1. cap. 18. num. 226. & seq.* Filliucius *cit. num. 25.* Suarez *disp. 22. sect. 1 num. 48.* Sà *verb. Excomm. Papa reseru. num. 2.* Nauarrus *cap. 27. num 82.* & alij.

Regin. Filliuc. Suarez. Sà. Nauarr.

Quartò, excusatur iudex sæcularis, qui clericum inuentum in crimine, capit, & detinet in carcere, in casibus & modo sibi permissu à iure, vt si iussu prælati id faciat, vel ex voluntate interpretatiua illius, animo remittendi quàm primùm ad suum superiorem, *cap. si clericus, de sent. excomm. in 6.* Molina *cit. disp. 56. num. 1.* Bonacina *disp. 2. q. 4. punct. 4. num. 13.*

Molina. Bonac.

Quintò, si clericus percutiatur, vel occidatur, inuentus in flagranti peccato cum matre, filia vel vxore, vel sorore, quamuis percutiens vel occidens grauiter peccet, percutiendo priuata authoritate, nihilominus eximitur ab excommunicatione, eo quòd Ecclesia non reputet huiusmodi percussionem factam esse suadente Diabolo, sed vehementi passione; non requiritur autem vt clericus, qui percutitur, inueniatur in actu carnalis copulæ, sed sufficit vt inueniatur in quolibet alio turpi actu, vt in osculis, vel amplexibus, vel in loco suspecto solus cum sola, & de illo adsit rationabilis suspicio, *cap. si verò 1. de sent. excomm. §. nec ille.* Lorichius *in thes. verb. Excomm. num. 23.* Filliucius *cit. num. 22.* Molina *cit. disp. 55. num. 6.* Nauarrus *cit. num. 84.* Reginaldus *lib. 1. num. 225.* Coninch *disp. 14. dub 15. num. 196.*

Lorich. Filliuc. Molina. Nauarr. Reginal. Coninch

Sextò, non incidit in excommunicationem, qui clericum percutit, ob iustam sui defensionem, siue in persona, siue in honore, siue in rebus suis; debet autem esse defensio incontinenti, hoc est, in ipso actu aggressionis; vnde mulier tentata à clerico non tantùm verbis, sed etiam facto, potest illum percutere; sicut qui aggreditur à clerico, & non potest nisi cum ignominia fugere, potest se defendere illum percutiendo: similiter iniequens clericum asportantem bona sua, potest illum detinere, & percutere si opus sit, modò illa bona quæ asportantur, sint alicuius valoris, *cap. si verò, & cap. ex tenore, de sentens. excom.* Reginaldus *cit. num. 224.* Suarez *cit. num. 39.* Nauarrus *cap. 28. num 82.* Sayrus *lib. 3. cap. 27. n. 20.*

Regin. Suar. Nauarr. Sayrus.

Septimò, excusatur ab excommunicatione incurrenda clericum percutiens, ter admonitũ ab Episcopo, vel eius Vicario in generali, vel in particulari, vt tonsuram & habitum clericalem deferret, & ipse non vult deferre, quia quamdiu talis clericus non gestat habitum, caret priuilegio clericali, *cap. contingit 2. de sent. excom.* Graffijs *lib. 2. cap. 49. num. 29.* Auila *2. p. cap. 3. disp. 3. dub. 13.* Molina *disp. 54. num. 1.*

Graff. Auila. Molina.

Octauò, si clericus percussus iam amiserat priuilegiũ, nempe si erat degradatus realiter, bigamus in minoribus, scurra per annum, vel breuiori tempore, ter admonitus non desistens; exercens publicè macellarium vel tabernarium, & ter admonitus non desistit; item incedens publicè habitu laicali, ferens arma militaria, vel se immiscens enormitatibus. Reginaldus *lib. 1. num. 234. & 235.* Bonacina *cit. num. 8. & seq.* Nauarrus *cit. num. 80.* Sayrus *cit. num. 8.* & alii.

Regin. Bonac. Nauar. Sayr.

7. Absolutio huius excommunicationis, regulariter est Summo Pontifici reseruata, *cap. si quis suad. 17. quæst. 4.* vel illi cui competit Pontificia authoritas, vt Legato à latere, aut misso in sua prouincia, *cap. ad eminentiam, de sent. excom.* interdum tamen Episcopus potest per se, vel per alium absoluere, quando scilicet percussio est leuis, *cap. peruenit, de senten. excomm.* pro qua est aduertẽdum *triplicem* esse percussionẽ, *Enormem, mediocrem, & leuem, Cap. cum illorum §. quasi, de sentem. excomm.* *Grauis* percussio dicitur, quæ coniuncta est, cum graui læsione vel iniuria, vel cum membri mutilatione, vel cum magna sanguinis effusione, quæ non prouenit è naribus, sed aliunde, vel cum magno vulnere aut ictu, quamuis parum sanguinis exeat, qualis est quæ fit in suum superiorem, vt Episcopum, Abbatem, Priorem, &c. aut quando percussio est valde ignominiosa, attentis qualitatibus personarum, & alijs circumstantijs, vt si personæ graui impingeret quis alapam. Percussio *leuis* dicitur, non quia, sit peccatum veniale, sed ita nuncupatur respectu mediocris & enormis: quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, quæ nullam maculam, vel suggillationem carnium relinquit, vel quæ fit absque abscissione membri, sine effractione dentis, sine euulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. *Mediocris* percussio dicitur illa, quæ media est inter leuem & enormem, qualis est illa, qua dens extrahitur, vel capillorum copia euellitur, aut suggillatio carnis relinquitur &c. Ad Episcopum, vel ad alium bonum virum spectat dijudicare, quando percussio sit leuis, mediocris vel enormis, & in dubio iudicanda est enormis. Vide Toletum *lib. 2. cap. 32.* Sayrum *lib. 3. cap. 28. num. 4.* Reginaldum *lib. 1. num. 241.* Molinam *disp. 57. num. 1.* Suarez *disput. 22. num. 88. & seq.* Nauarrum *cap. 27. num. 91. & 92.* Syluestrum *verb. Absolutio 4. §. 5. Extr. per lectis apud* Nauarrum *citat.* Crouers *cit. fol. 635. & 636.* & alios.

Tolet. Sayrus. Regin. Molina. Suarez. Nauarr. Syluest. Nauarr. Crouers

8. Quamuis regulariter, vt dictum est, absolutio huius excommunicationis pertineat ad Summum Pontificem, quando percussio fuit enormis, vel mediocris, *cap. Si quis suad 17. q. 4.* dantur tamen aliqui casus, in quibus illam potest dare Episcopus.

Primus est, quando imminet proximum periculum mortis, non solùm ex infirmitate, sed etiam si timeat hostes, prædonem, vel crudelitatem potentis, vel si sit nauigaturus periculosè, aut per loca periculosa transiturus, vel sit conclusus, vel obsessus in loco, vbi machinæ iaciuntur, vel ballistæ, *cap. Non dubium, cap. ea noscitur, de sentent. excommunic.* imò in hoc casu, quilibet sacerdos potest absoluere, ex Tridentino, vt dictum est supra.

Secundus est, si regularis verberet regularem eiusdem Monasterii, absolui potest à suo Prælato, *cap. Monachi, de sent. excom.* si verò percusserit clericum sæcularem, absoluetur ab Episcopo, *cap. Relig. de senten. excom. in 6.* Quòd si percusserit regularem alterius claustri, absoluetur per Prælatum proprium, & Prælatum eius, qui passus est iniuriam, *cap. Cum illorum, de sent. excom.*

Sed difficultas est, quando in monasterio adsunt tantùm Prælatus, & alius sacerdos, & se inuicem percutiũt, non habentes alium in eodem conuentu qui eos absoluat, à quo absolui debeant, Prælatus enim tunc nequit subditum absoluere, cùm sit ipsodatus vinculo excommunicationis; nec etiam potest subditum in confessorem eligere, quia subditus etiam excommunicatus est, ideò eligi non potest? *Resp.* Si percussio non est publica, sed occulta, potest tunc Prælatus absoluere subditum, quia nondum est priuatus iurisdictione. Si verò percussio publica fuerit, cùm, ob excommunicationem Prælatus iurisdictione priuatus sit, non poterit subditum absoluere, aut è conuerso; sed debet tunc alium Sacerdotem habilem extra Religionem eligere, qui eum absoluat, & deinde ipse absolutus subditum excommunicatum poterit absoluere; quia subditus non habet facultatem sibi confessarium eligendi, neque Prælatus ob vinculum excommunicationis potest illam concedere; quia id esset actum iurisdictionis exercere, quod non licet nominatim excommunicato vel publico clerici percussori. Ita Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 23. num. 10. & seq.* quamuis aliqui censeant in hoc casu eos posse se inuicem absoluere, quia necessitas non habet legem; & sicut excommunicatos in casu necessitatis absoluere potest à peccatis, ita etiam ab excommunicatione. Ita Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quæst. 20. art. 12.* Miranda *tom. 2. quæst. 35. art. 24.* Coriolanus *part. 2. cas. 10. de ind. reg. §. 10. num. 17.* Sed prima sententia est tenenda, cum limitatione tamen, in casu quo tali Prælato competat reseruare casus in Clementina positos, & de facto hunc casum reseruauerit, tunc enim poterit subditum absoluere: Si autem Prælato non competat ius reseruandi casus, absoluere non poterit, cùm talis casus sit reseruatus, vt diximus *verb. Casus reseruatus num. 40. §. 10.*

Suarez. Rodr. Miranda Coriol.

Tertius est, de clericis collegialiter, seu communiter viuentibus, qui se mediocri & enorioi percussione affecerunt, *cap. quoniam, de vita & honest. cleric.*

Quartus est, de mulieribus cuiuscumque siot ætatis, & conditiooïs; siue siut fortes, siue debiles, viduæ, aut maritatæ, diuites, aut pauperes, *cap. mulieres, de senten. excomm.* Imò & Moniales percutientes se-iouicem, vel cōuerias suas, aut clericos, ab Episcopo absolui possunt, *cap. de Monialibus, de sent. excomm.*

Quintus, Pueri impuberes qui doli capaces sunt, absolui possunt ab Episcopo, & hoc siuè ante, siuè post pubertatem absolui postulent: si tamen non sint doli capaces non incidunt io hunc canooem, *cap. final. de sent. excomm.*

Sextus, Senes, quamuis fortes sint ad ambulandum, absolui possunt ab Episcopo: Seoex autem dicitur in proposito, qui ratione ætatis, iudicio boni viri, maximè Episcopi, periculosè tale iter aggrederetur, *cap. ea noscitur, & cap. quamuis, & sent. excom.*

Septimus, Pauper, *cap. quamuis, & cap. ea noscitur, de sent. excom.* si arte sua iter agendo vti nequit, ab Episcopo suo absolui potest. Si autem sit mèdicus robustus corpore; & mendicando soleat sibi & vxori prouidere, volunt Doctores talem mendicando ad curiam ire oportere. Sed in hac re vir bonus, & prudens arbitrabitur.

Octauus est, de alijs quibuscumque impotentibus ad iter conficiendum: & de habentibus legitimum impedimentum, propter quod non possint Summum Pontificē adire; vt sunt debiles, cæci, claudi officiales Priocipum, & qui habent capitales inimicitias; hi enim possunt ab Episcopo absolui: Sicut & illi qui non sunt sui iuris, vt furis, vt serui, filijfamilias, & similes, *cap. de cætero, cap. de relatum, de sent. excomm.*

Circa hos casus est notandum, *Primò* quòd, qui absoluti sunt ab Episcopo, propter impedimentum perpetuū, non sit illis iniungendum præceptum præsentandi se Apostolicæ sedi, *cap. ea noscitur, de senten. excomm.* quia inutiliter & frustra iniungeretur. Secus de illis qui habēt tantùm impedimentum temporale; hi enim tenentur sublato impedimento præsentare se Summo Pontifici, vt habet *cap. eos qui, de senten. excomm.* & dictum est suprà *verb. Excommunicatio 5. num. 7.*

Secundò. Coofessores ordinum mendicantium possunt absoluere manifestum clerici percussorem, in casibus saltem ad Episcopū pertinentibus, satisfactione partis manifesta præmissa, vel à reo parato congruè satisfacere oblata: quod si pars offensa id renuat, fortè vt ipsum reum vexet, non est præstanda alia satisfactio: quando enim ista non est possibilis, quacumque ex causa sit, sufficit idonea cautio, vel iuratoria. Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quæst. 61. art. 8.* Crousers *ad cap. 7. reg. S. Franc. lect. 12. fol. 598.* Lezana *tom. 3. verb. Cleric. num.* 18. Plura de his casibus apud Syluestrum *verb. Absolutio 4. n.* 3. Bonacinam *de cens. disp. 2. q. 4. punct. 5. tom. 1.* Sayrum *lib. 3. cap. 28. num. 9. & seq.* Filliucium *tract. 15. num. 36. & seq.* Nauarrum *in man. cap. 27. num. 88. & seq.* Dianam *part. 5. tract. 9. res. 6.* & meipsum *verb. Censura n. 23. 24. & seq.* Lezanam *tom. 3. Sum. verb. Clericus.*

Rodriq. Croufets. Lezana. Syluest. Bonac. Sayr. Filliuc. Nauarr. Diana. Lezana.

EXCOMMVNICATIO VIII.

Excommunicationes nemini reseruatæ. In Decreto & Decretalibus.

Contra.

1 GVbernatores, & Iudices oon reddentes ius Ecclesiasticis ob negligentiam, vel iniquum animum, *cap. Administratores 23. q. 5.*

2. Illum, qui non electus saltem à duabus partibus Cardinalium in Papam, consentit suæ electioni & etiam recipientes in Papam. *Hæc hodie est Papæ reseruata: quia est schisma, cap. Licet de vitanda, de elect.*

3. Rectores, Consules, & alios officiales laicos, qui taleas, vel alias exactiones indebitas Ecclesijs, aut personis Ecclesiasticis imponunt, & eorum fautores. *Item hæc est reseruata, cap. Non minus, & cap. Aduersus, de immunit. Eccles.*

4. Religiosos professos, qui diutiùs duobus mensibus absunt à suis monasterijs ad audiendas leges, vel medicinam, *cap. Non magnopere, ne cler. vel monach.*

5. Sacerdotem, vel alium clericum, habentem officium Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis, qui admonitus non vult se emendare, *cap. Clericis, ne cler. vel monach.*

6. Illos, qui violant libertatem Ecclesiasticam, per modum statuti, vel consuetudinis. *Hæc etiam reseruatur Papæ in Bulla Cœnæ, cap. Nouerit, de sentent. excomm.*

7. Illos, qui emunt, vel quouis alio modo acquirunt rem Ecclesiasticam à schismatico, vel qui recipiunt beneficium ab illo, vel consentiunt ordinationi ipsius schismatici, *cap. 1. de Schismaticis.*

In Sexto libro Decretalium.

Contra.

1 MIttentem scripturam, vel nuncium alicui Cardinali in conclaui existenti, ad Romani Pontificis electionem, vel eum eo secretè loquentem, *cap. Vbi periculum, de elect. in 6.*

2. Dominos, Rectores, aliosque officiales, qui diligenter non obseruant, aut fraudem aliquam committunt in eis, quæ hic præcipiuntur obseruanda, in morte Summi Pontificis morientis in terra ipsorum, *cap. eodem.*

3. Omnes qui per se, vel alios præsumpserint vexare personam Ecclesiasticam, vel alia loca pia, eo quòd rogata, noluerit, aut noo vult eligere eum, pro quo ipsi rogarunt, aut induxerunt, *cap. Sciant, de elect. in 6.*

4. Illos, qui vsurpare conantes nouæ ius custodiendæ, & seruandæ alicuius Ecclesiæ vacantis præsumunt capere aliqua bona illius, *cap. Generali, de electione in 6.*

5. Accersitum in directorem electionis monialium non temperantem à rebus, ex quibus nasci, vel ali potest discordia, *cap. indemnitatibus, de elect. in 6. §. postremò.*

6. Procurantes, quod iudices conseruatores sibi dati iotromittant se ad alia, quàm ad manifestas iniurias & violentias, extendant potestatem ad ea, quæ iudicialem exigunt discussionem, *cap. hac constitutione, de offic. iudic. deleg. in 6.*

7. Illos, qui vi, aut metu consequuntur absolutionem, vel reuocationem sententiæ excommunicationis; interdicti, vel suspensionis, *cap. Vnico de his quæ vi in 6.*

8. Illum, qui fingit casum, vel fraudem aliquam facit, quo iudex ipse vadat ad accipiendum testimonium alicuius fœminę, *cap. Mulieres, de iudic. in 6.*

9. Illos qui compellunt Ecclesiasticos vt submittant Ecclesias, vel earum bona immobilia, aut iura laicis in casibus iure prohibitis, *cap. Hoc, consultissimo, de rebus Eccles. non alienan. in 6.*

10. Illos, qui instituunt nouum ordinem religionis, aut accipiunt nouum habitum illius, & mendicantes exceptis quatuor ordinibus, qui recipiunt aliquem ad suum locum. *Sed iam hodie non habet locum, cap. Vnic. de religiosis domibus, in 6.*

11. Illos, qui per se, vel alios suo nomine, vel alieno exigunt ab Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis pedagium, pro personis, aut rebus quas deferunt, vel deferri faciunt non causa negotiationis, *cap. Quamquam, de censibus in 6.*

12. Compellentes litigare in foro sæculari super causis Ecclesiasticis. *Hodie est reseruata in bulla Cœnæ, cap. Quoniam de immunit. Eccles. in 6.*

13. Dominos temporales prohibentes suis subditis vende-

vender e ſua clericis, aut præſtare officia, *cap. Finali, de immunit. Eccleſ. in 6.*

14. Religioſos temerè habitum relinquentes & dimitentes, & contra Doctores, ſeu Magiſtros, qui religioſos habitu dimiſſo, leges vel Phyſicam audientes, ſcienter docere, aut in ſcholis retinere præſumunt, *cap. Vt periculoſa, ne Cler. vel Monach. in 6.*

15. Præſumentes tradere Eccleſiaſticæ ſepulturæ hæreticos, credentes eorum, receptatores, defenſores, vel fautores; nec abſoluendi ſunt donec proprijs manibus publicè extumulent, *cap. Quicumque, de hæret. in 6.*

16. Poteſtates, Dominos temporales, Rectores, vel eorum Officiales, ſeu Baliuos, ſi de crimine hæreſis cognoſcant, vel iudicent; vel ſi captos pro eodem crimine abſque Diœceſanorum, vel Inquiſitorum licentia, à carcere liberent, vel ſi executionem pro huiuſmodi crimine iniunctam à Diœceſano, vel Inquiſitore non impleant, vel ſi directè, aut indirectè præſumant illorum ſententiam, aut proceſſum impedire. Denique omnes in his ſcienter dantes conſilium, auxilium, vel fauorem, *cap. Vt inquiſitionis, de hæret. in 6.*

17. Clericos, qui non ſunt Epiſcopi, qui permittunt in ſuis terris verſari fœneratores publicos, alienigenas, vel qui non expellunt eos ex illis, vel qui locant illis, vel alio prætextu concedunt domos ad vſuras exercendum, *cap. Vſurarum, de vſuris in 6.*

In Clementinis.

Contra.

18 ILlos, qui capientes fructus beneficij impediunt, vel infringunt ſequeſtrum inductum ſuper beneficia ab Ordinario, ob latam in Curia Romana vnam ſententiam definitiuam ſuper poſſeſſione, vel proprietate eiuſdem. *Clementin. vnic. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fructu.*

19. Sepelientes aliquem in loco Sacrato interdicto in caſibus à iure non permiſſis, aut interdictos nominatim, vel excommunicatos publicos, aut vſurarios manifeſtos. *Clement. 2. de ſepult.*

20. Religioſos, qui non habentes beneficium, nec adminiſtrationem, ſibi appropriant decimas, &c. *Clement. religioſi de decimis.*

21. Religioſos ſimplices, qui petunt aulas Principum animo nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſterijs. *Clement. ne in agro, §. quia vero, de ſtatu Monach.*

22. Monachos, qui ſine facultate Abbatis habent arma intra clauſtra Monaſteriorum. *Ibid.*

23. Illos, qui præſumunt impedire viſitatores Monialium, in eo quod ſtatuitur à Concilio, ſi à viſitatoribus admoniti non ceſſant. *Clement. attendentes, §. ſi, de ſtatu Monach.*

24. Eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis iure Canonico interdictis, aut cum Monialibus matrimonia contrahunt: nec non contra Religioſos, Moniales, ac Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes. *Clement. 1. de conſang. & affinit.*

25. Inquiſitores, & Commiſſarios illorum, aut Epiſcopi, vel Capituli Sede vacante, qui prætextu ſui officij illicitè ſumunt pecuniam aliquam, & qui ſcienter confiſcant bona Eccleſiaſtica. *Clement. nolentes, de hæreticis.*

26. Omnes officiales Ciuitatum vtcumque appellentur, qui faciunt, ſcribunt, vel dictant ſtatuta, vt ſoluantur vſuræ, vel quod ſolutæ non poſſint repeti, & eos qui iudicant vſuras eſſe ſoluendas, aut non eſſe repetendas ſolutas, & qui ad id poteſtatem habentes non eradunt è libris talia ſtatuta. *Clement. 1. de vſuris.*

27. Religioſos, qui concionantur, vel aliàs dicunt aliquid ad euertendos audientes à ſoluendis decimis debitis Eccleſiæ; & illos, qui de induſtria nullum conſcientiæ ſcrupulum incutiunt, in confeſsione pœnitentibus, de ſolutione decimarum. *Clement. cupientes, de pœnis.*

28. Religioſos, qui non ſeruant interdictum, vel ceſ-

ſationem à diuinis, quàm ſeruat Eccleſia Cathedralis, vel matrix, vel Parochialis oppidi, *Clement. 1. de ſenten. excommunic.*

Hæ excommunicationes in corpore iuris continentur, ſuperſunt nonnulla alia quæ in Extrauagantibus multis habentur; ſed quia huiuſmodi excommunicationes pleriſque in locis non videntur vſu receptæ, ideò illas prætermittimus.

Excommunicationes quæ in Concilio Tridentino habentur.

Contra.

1 IMprimentes, & imprimi mandantes, vendentes, apud ſe retinentes libros, de rebus ſacris, ſine nomine Auctoris, & ſine approbatione. *Concil. Triden. ſeſſ. 4.*

2. Prædicantes, vel docentes, vel pertinaciter aſſerentes, non eſſe neceſſariam Sacramentalem confeſsionem, habita copia confeſſarij ante communionem, his, quos conſcientia peccati mortalis grauat, etiamſi contriti accedant, *ſeſſ. 13. can. 11.*

3. Raptores mulierum, ac illis conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.*

4. Illos, qui quouis modo ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios, cogunt minus liberè matrimonia contrahere, *ſeſſ. 24. cap. 9.*

5. Magiſtratus ſæculares, qui non præbent auxilium inuocatum ab Epiſcopis ad reſtituendam, vel conſeruandam clauſuram Monialium, *ſeſſ. 25. cap. 5. de regul.*

6. Ingredientes ſepta Monaſterij Monialium cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerint, ſine licentia Epiſcopi, vel Superioris in ſcriptis obtenta. *Ibidem.*

7. Illos, qui cogunt aliquam fœminam præterquam in caſibus in iure expreſsis, ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum religionis, vel ad emittendam profeſsionem; quique conſilium, auxilium, vel fauorem in id dederint, vel præſentes ei actui ſcienter fuerint, *ſeſſ. 25. cap. 18. de regul.*

8. Illos qui ſanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel profitendi quoquomodo ſine iuſta cauſa impedierint: hæ omnes excommunicationes in Concilio Tridentino poſitæ, non ſunt reſeruatæ. *Ibidem.* In hac ſeſſ. 25. cap. 19. excommunicantur Domini temporales concedentes locum in terris ſuis ad duellum, item committentes pugnam, vel duellum, item patrini conſilium dantes, ſpectatores: ſed hodie hæc excommunicatio eſt per Clementem VIII. Papæ reſeruata.

9. Negantes matrimonia clandeſtina ante Tridentinum celebrata valida fuiſſe: aut poſt illud, matrimonium à filijsfamilias, inconſulto patre, celebratum, validum eſſe. *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 5. de reformat. matrimon.*

---

§. VNICVS.

SVMMARIVM.

1 *Materia excommunicationis primæ in Tridentino latæ, contra imprimentes libros.*

2 *In imprimendis libris requiritur approbatio Superiorum.*

3 *Approbatio librorum in ſcriptis dari debet.*

4 *In libris imprimendis de rebus ſacris debet adeſſe nomen auctoris.*

5 *Regulares præter Epiſcopi licentiam, tenentur facultatem à Prælato ſuo obtinere.*

6 *An regularis, qui neglecta licentia Superiorum, curat*

imprimi librum, incurrat pœnas Tridentini.

7 *An qui manuscriptos libellos euulgant, non approbatos, hanc excommunicationem incurrant.*

8 *An censura Concilij Lateranensis contra imprimentes, aut imprimi facientes librum sine approbatione, sit in vsu recepta.*

9 *Materia excommunicationis secunda in Tridentino posita est error & temeritas in re pertinente ad venerantiam Eucharistia.*

10 *Materia excommunicationis tertia, est rapere fœminam dissentientem ad libidinem explendam, &c.*

11 *Materia excommunicationis quarta est cogere ne minus liberè matrimonia contrahantur.*

12 *Materia excommunicationis quinta est omissio in præbendo auxilio Episcopis, circa conseruandam clausuram monialium.*

13 *Materia excommunicationis sexta est ingressus clausuræ monialium sine licentia Superiorum.*

14 *Materia septima excommunicationis est quodammodo sacrilegium contra libertatem professionis in religione.*

15 *Materia octaua excommunicationis est impedire fœminam ne velum accipiat, aut votum emittat.*

16 *Materia excommunicationis nona prima est negare matrimonia sine Parocho, vel testibus celebrata, fuisse valida ante Tridentinum.*

Materia secunda excommunicationis est, asserere matrimonia sine consensu parentum celebratum irritū esse, aut ab illis ratum fieri, vel irritari posse.

1 Circa primam excommunicationem Concilij Tridentini *sess.* 4. est sciendum, quòd materia illius sunt actiones ibi expressæ & prohibitæ. *Prima* est, imprimere libros, seu aliam scripturam sine debita licentia & approbatione. *Secunda*, esse auctorem, vt imprimantur. *Tertia*, vendere huiusmodi libros. *Quarta*, est retinere apud se tales libros. Istæ tamen duæ vltimæ actiones, vendendi, scilicet & retinendi, non sunt materia excommunicationis, nisi libri sint de rebus sacris, & tales sunt, qui ex professo tractant de scriptura, de articulis fidei, de rebus ad cultum Dei, val Sanctorum spectantibus, vel de Theologia Scholastica; secus si de historia, vel philosophia, vel inferioribus artibus. Vnde qui præfatos libros legit apud alios existentes, non ligatur excommunicationi hac, quia nullam ex prædictis actionibus exercet: quamuis si liber sit hæretici, & tractet de hæresi, vel de religione, vel aliqua contineat contra bonos mores, excommunicationem Indicis, vel bullæ Cœnæ posset incurrere.

2. Præterea in imprimendis libris requiritur *Primò* approbatio Superiorum, vt Vicesgerentis & Magistri sacri Palatij in Vrbe, Ordinarij, vel alterius deputati, in alijs Diœcesibus, & Inquisitoris: ex indice librorum prohibitorum. In aliquibus tamen locis, vsus obtinuit, vt libri examinentur per consilium regium & approbentur, Superioribus Ecclesiastici fortè annuentibus. Alicubi primo loco per Ecclesiasticos approbantur, deinde per temporales Dominos quoad id, quod concernit gubernationem politicam.

Notandum autem est, quòd non solùm libri debent examinari & approbari prædicto modo antequam imprimantur, sed etiam aliæ quæcumque scripturæ, vt theses ab aliquo publicè defendendæ, carmina, vel poemata, aut orationes. Quia in Cōcilio Lateranensi dicitur, quòd quicumque liber, aut quæcumque scriptura, antequam imprimatur, examinari debet. Secus dicendum est de thesibus manuscriptis, quæ publicè defendendæ proponuntur in Ecclesijs, vel collegijs Regularium, hæ enim non solent approbari, cùm ad omnium notitiam non perueniant, vt habet vsus communis & testatur Peyrinus *tom 2 quæst.3.cap.9. num.4.* Peyrin.

3. *Secundò* ista librorū approbatio in scriptis dari gratis debet, & in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè apparere: vnde qui curat imprimi librum legitimè approbatum; sed approbationem & licentiam non apposuit, peccat, & talis liber est prohibitus, quia reuera est impressus sine approbatione: quia verba Concilij non solum requirunt, vt liber imprimendus approbetur, sed vt non imprimatur sine approbatione, de qua possit omnibus legentibus constare, hoc est, non sine approbatione libro apposita. Certum enim est, hoc esse quod Concilium requirit & præcipit. Neque ex eo quòd sit impressus in loco vbi Concilium obseruatur, præsumi potest esse approbatus, cùm præla quandoque sint ementia, nisi ibi permittatur vendi à visitatore pio, ac docto; tunc enim præsumi potest esse approbatus, ac sine scrupulo legi. Sed quid, si typographus obtenta legitima approbatione non exprimat nominatim in libris impressis nomen superiorum approbantium, sed hac forma vtatur, *De licentia Superiorum*, an excusetur à censura. Resp. quòd sic, quia nec in Concilio Lateranensi, nec in Indice librorum prohibitorum, nec in Concilio Tridentino extat præceptum exprimendi nomen ipsorum approbantium, sed solùm, vt approbatio in scriptis detur, atque adeo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè appareat.

4. *Tertiò* requiritur in libris imprimendis de rebus sacris, vt adsit nomen auctoris, id est, compositoris, hic enim propriè est actor libri. Non est tamen necesse apponere nomen determinatæ personæ, sed sufficit nomen Academiæ, Collegij, Ciuitatis, Vniuersitatis; quia Collegium, seu Vniuersitas in iure venit nomine personæ, licet fictæ. In Indice etiam librorum prohibitorum reg. 10. de impressione librorum §. 1. habetur, vt nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat auctoris. Quòd si de auctore non constet, aut iustam aliquam ob causam, tacito eius nomine, Episcopo, & Inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librum examinauerit, atque approbauerit. In his verò generibus librorum, qui ex variorum scriptorum, dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is qui laborem colligendi, & compilandi susceperit, pro auctore habetur. Hæc ibi. Vnde Suarez de censuris ait, quòd dicta excommunicatio Tridentini, solùm afficit eos, qui imprimunt libros sine nomine auctoris & approbatione Ordinarij, & dummodo libri da rebus sacris tractent. Quare censet, quod si quis imprimeret aliquem librum de rebus sacris non tractantem, sine dicta nominis appositione & licentia, non incurreret dictam censuram.

5. Regulares autem, præter Episcopi & Inquisitoris licentiam, ex decreto sacri Concilij Trid. tenentur operis in lucem edendi facultatem à Prælato, cui subiacent, obtinere, & vtramque concessionem, quæ appareat, ad principium operis imprimi facere.

6. Sed rogabis, an regularis, qui curat imprimi librū cum sola approbatione & licentia Ordinarij, suorum Superiorum licentia neglecta, incurrat pœnas in Tridentino positas? Respondet eximius D. Syluius de hoc casu consultus, quòd non. Vt ex textu Concilij clarum est; sed eas restringi ad eos, qui absque approbatione & licentia Ordinarij id faciunt; nam quod sequitur de Regularibus, quòd ad licentiam Superiorum suorum habendam, non præcipitur sub ijsdem pœnis. Quamuis in aliquibus religionibus religiosi contrauenientes decreto, per constitutiones particulares incidant in priuationem ipso facto, cuiuscumque actus legitimi, & per actus legitimos intelliguntur ad hoc propositum in ordine minorum regere, prædicare, confessiones sæcularium audire, legere, visitare, diffinire, eligere, eligi, accusare, testificari, & ad ordines promoueri, vt docet *Summa Angelica verb. Actus* §. 3. quæ etiam in const. *Farinerij*, dicuntur officia ordinis.

Sed melius Octauianus Spatharius *de modo correg. regul. tract.* 20. *p.*3. *cap.* 12. docet per priuationem actuum legitimorum, intelligi inhabilitationem ad omnia ordinis officia, quæ cum dignitate, ac superioritate coniuncta sunt veluti Ministeriatus, Commissariatus, Diffinitoriatus, Guardianatus, & Discretatus. Spatharius.

Vnde sic priuatus potest habere votum actiuum in electione Discreti ad Prouinciale capitulum mittendi, & similiter potest ad sacros ordines promoueri, & sacras eorum functiones exercere, & similiter quæcumque officia prædicationis, & lectionis, & confessionis, & potest

esse

esse confessarius Monialium,& Magister Nouitiorum,& ferre vota in receptione nouitiorum ad professionem. Et hęc sententia est iuri conformior,cùm solos legitimos ad hæc officia habiles decernat. Vide suprà *v. Clausura num.* 16.

7. Notandum præterea est ex eodem Tridentino & indice in reg. 10. hanc excommunicationem incurrere eos,qui manu scriptos libros euulgant, nisi antea examinati fuerint,& approbati,modo tractent de rebus sacris: per librum autem intelligendum est opus consummatum & integrum,quale est illud, quod typis mandari & in lucem edi solet. Ex quo sequitur eum,qui alteri communicat conciones, scripta Theologica,priuatas orationes de rebus sacris,non examinatas & approbatas,iuxta prædictam solemnitatem, non incidere in excommunicationem:tum quia Concilium loquitur de libris,qui scribuntur,vel eduntur, vt alijs communicentur & diuulgentur; hæc autem manuscripta fuerunt scripta ad priuatum vsum & commodum,non verò vt diuulgentur:tum quia facta congregatio Cardinalium ex relatione *Illust. Card. Alciati* declarauit, supradicta esse intelligenda tantùm, quando darentur,vt typis mandarentur;prout sic reperitur Authentica Romæ in nostro Archiuio: vt refert noster Sorbus citatus infrà.

8. Porro aduertendum est ex Nauarro, Caietano, & Suarez censuras prædicti Concilij Lateranensis sub Leone X. *sess.* 10.contra imprimentes, aut imprimi facientes librum sine approbatione, non esse vsu receptas. Hodie tamen Romæ seruatur vt docet Toletus. Et in Indice loco citato iubetur, vt quod in Concil. Lateran. sub Leone X. statutum est,seruetur sub pœnis & censuris contentis in eo decreto.Concilij vero Trid.constitutio quia restrictior,seruanda est,vbi non est recepta constitutio Concilij Lateranensis. De hac excommunicatione videndi sunt Suarez *tom.*5.*disput.*23.*sect.*7.Toletus, *lib.* 1. *cap.* 41. Nauarrus *in man.cap.*27.*num.*148. Bonacina *tom.* 3. *d.* 2. *q.*2.*punct.* 16. Filliucius *tract.* 14. *cap.*6. *qu.*2. Caietanus v. Excommunicatio in fine. Azorius *par.* 1. *lib.*18. *cap.* 17. Sorbus in compend. priuil. mendic. v. Imprimere libros.

9. Circa secundam excommunicationem in Tridentino positam est notandum, materiam illius esse errorem & temeritatem in re pertinente ad reuerentiam Eucharistiæ. Et actiones esse quatuor. *Prima est*, docere non esse necessariam confessionem accedenti ad communionem, post commissum peccatum mortale. *Secunda est*, prædicare. *Tertia*, pertinaciter asserere illud publicè vel priuatim sciens sub excommunicatione esse prohibitum. *Quarta*, publicè defendere.

Ex quibus colligitur. *Primò* illum,qui opinionem Caietani & aliorum putaret probabilem, præceptum nempe de præmittenda confessione ante communionem esse positiuum latum à Tridentino & non diuinum, minime incurrere hanc excommunicationem. *Secundo*, nec illum, qui post commissum peccatum mortale cum sola contritione accederet ad Eucharistiam, etiam habita copia confessarij: quia talis non dicitur docere, prædicare, pertinaciter asserere vel publicè disputando defendere; ob quas tantùm actiones incurritur excommunicatio. *Tertio*, nec illum qui assereret non præmittendam esse confessionem in loco vbi Conc. Trident. non est vsu receptum,etiamsi ibi firmum domicilium non habeat: quia quamdiu in eo loco existit, non ligatur præceptis nec pœnis Concilij: quamuis grauiter peccet doctrinam falsam docendo. De quibus vide Suarez 3.*par. tom.*3. *d.*66.*sect.*3. Filliucius *tract.*14. *n.*84.85. Bonacina *tract.*3. *disp.*2. *q.*2. *punct.*14. Toletus *l.*1.*c.*41.*n.*3.

Suarez. Filliuc. Bonacin. Toletus.

10. Materia huius excommunicationis tertiæ in Tridentino latæ, alia est principalis nempe rapere fœminam dissentientem, vel resistentibus parentibus, aut illis, sub quorum cura est, ad libidinem explendam. Alia est accessoria, nempe ad id consilium, auxilium & fauorem præbere. Vt autem hæc excommunicatio incurratur ob præfatas actiones accessorias, debent in effectum influere, & requiritur vt effectus iam secutus sit. Plura de hac materia in *verb. Raptus*.

11. Quartam excommunicationem imponit Concil. Trid. his verbis, *Præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuscunque gradus, dignitatis & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè uel indirectè subditos suos, uel quoscumque alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahant*; materia huius censuræ est cogere, id est, per vim aut iniuriam inducere, ne minus liberè matrimonia contrahantur: non autem retrahere à matrimonio contrahendo.

Sed dubium est, an ista excommunicatio afficiat solùm habentes iurisdictionem, an etiam alios omnes cogentes aliquem ad matrimonium? Responsio probabilior est, hanc excommunicationem eos solùm afficere, qui temporale dominium & iurisdictionem in foro exteriori sæculari habent, vt patet ex præfatione textus illius, iuxta quam intelligendum est ipsum decretum. Proinde parentes, qui coactione sufficiente ad mortale compellunt filios ad matrimonium, non incurrunt in hanc excommunicationem: neque Parochus, neque Episcopus; quia non habent iurisdictionem in foro externo sæculari. Imò neque Reges & Imperatores, quamuis habeant dictam iurisdictionem; quia dum Summus Pontifex intendit hos ligare, solet eos exprimere: De hac excommunicatione, Vide Hurtad. *tr. de matrim. disp.*6. *diffic.*8. *n.*29. Sanchez *de matr. l.*4. *disp.*22. Coninch *de Sacram. disp.*28. *dub.*5. Bonacina *tom.*3. *disp.*2. *q.*2. *punct.*6.

Hurtad. Sanchez. Coninch Bonac.

12. Quinta excommunicatio lata in Tridentino est & consistit in omissione præbendi auxilium mortaliter culpabili, dum Episcopus illud sibi præberi petit à Magistratu sæculari circa clausuram monialium.

13. Sexta est contra ingredientes monasteria monialium sine licentia superioris; de qua dictum est suprà *uerb. Clausura n.*7.

14. Septimæ excommunicationis materia sunt triplices actiones expressæ, nempe, cogere, hoc est per vim aut metum grauem inducere fęminas ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum religionis, vel ad emittendam professionem. Secundò, dare auxilium, consilium, fauorem ad illa. Tertiò, interponere quoquomodo præsentiam, vel consensum, vel authoritatem ad illa.

Sed circa hanc censuram nota. *Primò*, quod qui cogeret per metum leuem seu non cadentem in constantem virum, illam non incurreret: neque quando metus iustè incutitur: neque quando fœmina inducitur precibus etiam importunis, sed sine minis: neque qui fęminæ religionem ingredi suadet, iniecto metu priuationis alicuius boni, ad quod fęmina alias non habet ius: neque qui cogeret viros ad ingrediendam religionem.

Secundò, hac censura non ligatur, qui cogit fęminam ad emittendum votum ingrediendi religionem: neque qui cogit in casibus iure permissis; puta in pęnam alicuius peccati fęminæ, vel ad cautionem pudicitiæ, vel alia iusta de causa à iure permissa.

Tertiò, ad hanc censuram incurrendam requiritur vt effectus sit sequutus, id est, vt fęmina ingressa fuerit religionem per modum nouitiæ, vel habitum susceperit, vel professionem fecerit.

Quartò, censura, huius decreti obstringuntur etiam Episcopus, Vicarius, Superiores, consanguinei puellæ, qui scientes fęminam inuito monasterium ingredi auctoritatem illi actui præbent, vel præsentiam: non subijciuntur tamen huic censuræ Reges & Imperatores. Plura de hac excommunicatione apud Sanchez *lib.*4. *mor. c.* 4. Suarez *censur. disp.*24. *sect.*4. & 7. Rodriquez *to.*2. *Sum. c.*8. Dianam *p.*2. *tract.*15. *res.*56.

Sanchez. Suarez. Rodriq. Diana.

15. Porro in eodem capite Concilij Trident. simili anathemati subijciuntur ij, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo sine iusta causa impediunt. Nomine autem veli aut emissionis voti intelligitur professio solemnis trium votorum; sed quia prius habitus suscipi debet, ideo, qui susceptionem habitus impediret, etiam censuram incurreret. Nota tamen hanc excommunicationem non ligare, eum, qui fœminam solis precibus à religione retrahit, quia preces voluntarium non auferunt; secus si dolo retraheretur; quia dolus voluntarium aufert & est quoddam genus impedimenti. Ita Sanchez *l.*4. *mor. cap.*4.

Suarez. Filliuc. Bonacin.

c.4.n.15. Suarez *disp.23. sect.7.* Filliucius *tract.14. n.90.* Bonacina *tom.3. disp.2. q.2. punct.3.*

16. Excommunicatio hæc nona habetur in Tridentino *sess.24.cap.1. initio de reform. Matrimonij*: his verbis *Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia irrita non fecit, & proinde iure damnandi sunt illi, vt eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera esse negant, quique falsò affirmant matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse: nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.*

Huius censuræ primæ materia est negare matrimonia sine Parocho & testibus celebrata non fuisse valida ante Concil. Trident. Præcisa enim Concilij Trident. prohibitione & irritatione, matrimonium occultè celebratum validum est, quia materia sacramenti matrimonij consistit in contractu, qui mutuo contrahentium consensu celebratur: Hinc etiam excommunicatione hac Concilij afficitur, qui asserit matrimonium clandestinum liberè celebratum in ijs locis, in quibus Concil. Trident. acceptatum non fuit, inualidum esse: quia talia matrimonia irritata non fuerunt à Concilio, donec acceptatum fuerit.

Materia huius secundæ excommunicationis est, asserere matrimonia sine consensu parentum celebrata irrita esse, aut à parentibus rata fieri, vel irritari posse. Validitas enim matrimonij à voluntate parentum non potest pendere, cùm filij, in ijs, quæ ad proprium vitæ statum pertinent, non teneantur, regulariter loquendo, patri obedire.

EXCOMMUNICATIO IX.

Excommunicationes non reseruatæ prætermissæ in prioribus editionibus huius operis.

Contra.

1 ABorsum procurantes fetus animati effectu secuto. *Hæc excom. est modo Episcopo reseruata. Greg. XIV. Sedes Apostolica* 8.

2. Astrologiæ iudiciariæ libros, scripta, opera, &c. legentes & retinentes, vel Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, aliarumque huiusmodi diuinationum, vel artis magicæ, aut similis materiæ. *Index librorum prohibitorum.*

3. Quoscumque præsumentes gestare habitum per Capucinos deferri solitum, vel consimilem. *Paul. III. Exponi nobis 11. Greg. XIII. regularium.*

4. Tertiarios nuncupatos Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci nuncupatorum in regno Siciliæ degentes habitum eiusdem panni & coloris, quo ipsi Fratres Capucini vtuntur gestantes. *Greg. XIV. Beati Francisci 11. Greg. XV. Ex iniuncto* 15.

Capucinos transeuntes ad Fratres Minores Conuentuales reformatos, ipsosque recipientes.

5. Capucinorum superiores admittentes Fratres Minores de obseruantia sine licentia Papæ speciali per litteras expressa, aut eorumdem Generalis vel Prouincialium ministrorum Fratrum de obseruantia licentia in scriptis obtenta. *Sixtus V. Pro ea* 20.

Item contra Fratres Minores de obseruantia, qui in præmissis quoquo modo contrauenerint.

6. Capucinos ad laxiorem ordinem sine Sedis Apostolicæ, ad Carthusiensem verò sine Ministri Generalis licentia transeuntes. *Vrbanus VIII. iniuncti nobis* 91.

7. Præsumentes edere glossas, commentarios & annotationes in Decreta Concilij Tridentini. *Pius IV. Benedictus Deus* 73.

8. Commentantes Clementinam *Exiui, de verborum significationibus.* Ibidem.

9. Eos, qui ob quæstum publicant, vel concedunt indulgentias & facultates absoluendi à casibus reseruatis. *Pius V. quam plenum.*

10. Omnes, qui recipiunt, seu nutriunt apostatas religiosos, aut auxilium, consilium vel fauorem præstant, ne redeant ad suum monasterium. *Paulus IV. postquam diuina* 14.

11. Nuntios Apostolicos, & alios ex quauis causa transmissos ad Imperatorem, Reges, Duces, aliosque Principes, impetrantes ab ipsis literas aut fauores vocales ad dignitates obtinendas. *Sixtus IV. Etsi Romanum.*

12. Vexantes Inquisitores, aliosque Sancti officij ministros. *Pius V. si de protegendis* 82.

13. Impugnantes in Concionibus aut disputationibus Montem pietatis. *Leo X. Inter multiplices 11.*

14. Absoluentes à casibus in bulla cœnæ contentis. *Bulla cœnæ in fine.*

15. Eos, qui in ciuitate diuersarum linguarum & rituum, munus administrandi suscipiunt, sine consensu Episcopi. *C. Quoniam de offic. Iud. Ordin.*

16. Sacerdotes, aliosque clericos, dignitatem aut personatum habentes, qui legibus aut physicæ operam nauant, nisi ab his infra spatium duorum mensium destiterint. *Cap. super specula ne cler. vel monach.*

17. Clericos interessentes agitationi taurorum & ferarum. *Pius V. De Salute gregis* 48.

18. Fictè resignantes vel permutantes beneficia. *Innoc. VIII. Sicut bonus.*

19. Alienantes bona Ecclesiastica, aut illa retinentes sine iusta causa & solemnitate ac consensu Summi Pontificis. *Extrauag. Ambitiosa de reb. Eccl. non alien.*

20. Mendicantes recipientes nouas domos, vel alienantes iam receptas sine licentia Papæ. *Clement. Cupientes, de pœnis.*

21. Fratres S. Francisci de Paula, qui Minimi vocantur, recipientes vel retinentes sine licentia Papæ, Fratres Ordinis Minorum de obseruantia. *Iulius II. Exponi.*

22. Violantes exemptionem Ordinum mendicantium pro eorum personis, bonis, colonis, mercibus & animalibus à solutione gabellarum, & quarumcumque contributionum, onereque hospitandi milites. *Pius V. Dum ad vberes 11.*

23. Facientes seruari statuta & consuetudines libertati Ecclesiasticæ contrarias, vel non facientes deleri dicta statuta de Capitularibus suis infra duos menses post scientiam eius, &c. *C. nouerit, de sent. Excom.*

24. Magistratus & officiales non obedientes Cardinalibus Congregationis Sanctissimæ inquisitionis. *Pius V. Sanctissimus 1.*

25. Procuratores officij Correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & literarum minoris iustitiæ, seu contradictarum intromittentes se in causis ipsis interdictis à Pio IV. *Pio IV. Vniuersis* 54.

26. Legatos, Vice legatos, Gubernatores, Iudices, Officiales & Commissarios, qui præsumunt se in officijs notariatuum per Cameram venditis, aut vendendis, aut in scripturis in præiudicium Notariorum per se vel per alios intromittere, aut notarios illa officia ementes vexare. *Pius IV. Superna* 83.

27. Rectores, Gubernatores, aliosque officiales & ministros, qui pœnas & mulctas pecuniarias & confiscationes alteri applicant, quàm Cameræ Apostolicæ. *Pius IV. Decet Romanum* 43.

28. Doctores vniuersitatum, Gymnasiorum & alios facultatem doctorandi habentes, si patiantur aliquem ad Cathedras vel ad gradum aliquem promoueri, non facta fidei professione. *Pius IV. in Sacrosancta.*

29. Deferentes vel deferri concedentes in statu Ecclesiastico arma breuioris mensuræ trium palmorum. *Pius V. cùm vices* 145.

30. Mandantes Christianum aliquem interfici per assassinos, siue sequatur mors, siue non: & extenditur ad eos, qui receptauerint tales assassinos, defenderint, occultauerint. *Cap. pro humano de homic. in 6.*

31. Con-

31. Concedentes repræsalias aduersus personas Ecclesiasticas, vel extendentes concessas, *Cap. vnic. de immu. in 6.*

32. Eos, qui ausi fuerint impugnare literas Apostolicas concessas à Papa non coronato. *Extrauag. vlt. de sent. excomm.*

33. Fratres Minores strictioris obseruantiæ S. Francisci in Italia Calopodia nõ reassumentes, Soleasque portantes. *Vrban. VIII. in supremo 12. Hac tamẽ constitutio ab eodem Pontifice postea moderata fuit, & indulsit Superioribus Fratrum prædictorum, vt concedere possint licentiam deferendi soleas cum calcaneo vsque ad talos cum fascia vsque ad digitos circiter coopertas senibus, infirmis, & itinerantibus, qui calopodia deferre non valent. Vrban. VIII. Nuper cum causa ibid.*

34. Extrahentes, seu extrahi permittentes libros, & folia manuscripta bibliothecarum Ordinis Prædicatorum. *Vrbanus VIII. Cum sicut dilectus.*

SVPPLEMENTVM.

Quoad Potestatem ferendi excommunicationem, pro contumacia: & quando illa non incurratur.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationis vmbra an fuerit in statu legis naturæ inter Iudæos & Gentiles.*

2 *An excommunicandi potestatem Apostoli exercuerint.*

3 *An potestas excommunicandi & forma sint de iure diuino.*

4 *An in Summo Pontifice potestas excommunicandi sit de iure diuino.*

5 *An institutio excommunicationis sit de iure humano: sicut & impositio pro hoc vel illo delicto.*

6 *Diuisio excommunicationis in iustam & iniustam.*

7 *An potestas excommunicandi pertineat ad potestatem Ordinis vel iurisdictionis.*

An Clericus non Sacerdos; Episcopus electus & confirmatus; Clericus coniugatus, possint excommunicationem ferre.

8 *An excommunicatus occultus toleratus, & vitandus possint validè excommunicare.*

9 *Potestas excommunicandi multis modis potest acquiri.*

10 *An Vniuersitas, Collegium, Capitulum, Conuentus, possit licitè & validè excommunicari.*

11 *An quis excommunicari possit ob peccatum mortale alienum.*

12 *Quale peccatum mortale requiratur ob quod possit & debeat excommunicatio ferri? Et quis dicitur contumax.*

13 *An quæcumque contumacia satis sit ad ferendam rationabiliter excommunicationem.*

14 *In quibus casibus excommunicatio lata, sit nulla.*

15 *An sententia excommunicationis nulla, sit timenda, quoad Deum & quoad Ecclesiam.*

16 *Ab excommunicationis pœna, an excuset ignorantia crassa vel affectata.*

An ignorantia inuincibilis facti vel iuris.

An ignorantia inuincibilis circumstantiæ, quæ speciem peccati constituit, aut grauius illud reddit.

17 *An ignorantia inuincibilis Canonis, aut statuti excommunicationem inferentis, pro actu solo iure humano prohibito, excuset ab hac pœna.*

An ignorans inuincibiliter statuta Ordinariorum excommunicationem ponentia contra aliquid damnatum iure diuino & humano, excusetur.

18 *An impotentia moralis faciendi quod præcipitur sub excomm. excuset.*

19 *Quando periculum mortis, metus grauis infamiæ, aut rei familiaris excuset ab incurrenda excommunicatione.*

1 EXcommunicationis vmbra quędam & vestigium fuit in statu legis naturæ: nam Adam ad modum excommunicationis prohibitus est ab esu ligni scientiæ, dum Dominus dixit, Genes. 3. *Videte, ne fortè sumatis de ligno vitæ, & de Paradiso eiectus est.* Vnde & excommunicatus vocatur *in cap. Ad mensam 11. qu. 3.* Sed & apud Gentiles vestigium huius fuit, maximè apud Romanos, cùm videlicet aliquis ob perpetratum nefandum aliquod facinus Diris deuouebatur; & hæ Diræ erant furiæ infernales: & talis poterat à quodlibet impunè occidi. Apud Iudæos, in antiqua lege excommunicationis figura quædam fuit in leprosis, qui extra castra excludebantur. *Leuitic. 14. & n. 5.*

Cæterum apud Gentiles, aut Iudæos propria excommunicationis ratio & vis non fuit, vt docent D. Thomas D. Th.
in addit. 3 p. q. 19. art. 1. Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 1.* cùm Sotus.
excommunicandi, à clauibus descendat potestas, quæ legi naturæ, aut veteris Sacerdotibus non inerat. Sed potestatem hanc Christus Ecclesiæ iure tradidit Matth. 18. dicens: *Si autem Ecclesiam, non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, quasi diceret, si contumax & rebellis quis fuerit, si Ecclesiam non audierit, si Ecclesiæ Prælatis inobediens sit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus; id est auctoritate Ecclesiæ, seu Prælati illum ex consortio hominum eiectum, fuge. Hinc Doctores excommunicationis fundamentum trahunt ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit*, &c. Ita D. Thomas *in supplem. q. 21. art. 2.* D. D. Th.
Bonauentura *in 4. dist. 18. in vlt. p. dist. q. 1.* Adrianus *in 4.* D. Bon.
tract. de clauib. art. 3. & alij. Adrian.

2. Iuxta potestatem Ecclesiæ traditam à Christo, Prælati Ecclesiarum ab ipsis Apostolorum temporibus, pro occasione oblata, excommunicatione vsi sunt: nam D. Paulus dum illum fornicarium Sathanæ tradidit *1. Corinth. 5.* illum excommunicauit, hoc enim est, tollere eum de medio, seu tradere Sathanæ. Cùm enim homo per excommunicationem abijciatur à cętu fidelium, quidquid est extra hunc cętum Sathanæ est, & ad Sathanam pertinet, vt habetur *in cap. Omnis Christianus 11. quæst. 3.* Idem docent Patres. Vnde apparet vsum excommunicandi nec nouum esse, nec inane inuentum esse Ecclesiæ, sed habere solidum & firmum fundamentum in doctrina Christi & Apostolorum vt pluribus contra hæreticos docent Ioan. Roff. contra Lutherum *art. 23.* Alphons. à Ca- Roffens.
stro *l. 7. de hæres. in verb. Excommunicatio*, Couarruuia Castro.
in cap. Alma mater, de sentent. excom. in 6. c. 1. Couar.

3. Cùm in excommunicatione duo considerari possint nimirum potestas excommunicandi, & modus, seu forma excommunicandi: illud primum est de iure diuino, quia potestas excommunicandi à Christo Ecclesiæ data est. *Matth. 18. supra*, vbi subijcitur, *Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solueritis, &c.* quo loco apparet posse Ecclesiam ita se gerere erga eum, qui contumaciter peccat, sicut se gerit erga Ethnicum aliquem, seu publicanum; id est, erga infidelem non baptizatum: atqui Ecclesia erga huiusmodi Ethnicum ita se solet gerere, vt non illi communicet bona quædam spiritualia communium suffragiorum, ergo potest Ecclesia ex concessione Christi membrum aliquod suum, quod contumaciter peccauerit, eodem illo genere bonorum communium similiter priuare. Confirmatur, quia Ioannis 21. datur Petro plena potestas pascendi omnes oues Christi, cùm dicitur, *pasce oues meas*, sed ad rectè pascendum opus est, vt oues morbidæ à grege separentur, ergo hæc potestas separandi iure diuino est in Ecclesia.

Secundum, id est, modus, seu forma excommunicandi est de iure humano. Probatur, quia licet Christus eam potestatem Ecclesiæ tribuerit, modum tamen & formam excommunicandi, & effectus hos & illos, scilicet priuandi quem Communione Sacramentorum & fidelium, bonis & suffragijs communibus Ecclesiæ non præscripsit,

sed

ſed Eccleſia ipſa hos puniendi modos à Spiritu ſancto edocta & poteſtate ſibi diuinitus collata, iure humano à ſe conſtituto præſcripſit. Excommunicatio igitur & de iure diuino & etiam de iure poſitiuo eſſe diuerſa ratione dicitur.

Quod dictum eſt de excommunicatione, idem dicendum de alijs cenſuris. Hinc in Extrauag. *Vnam Sanctam, de maioris. & obedient.* hæc poteſtas diuina dicitur, quia ore diuino Petro fuit data ſibi ſuiſque ſucceſſoribus in ipſo. De his plura apud Suarez *de cenſur. diſp. 1. ſect. 3.*

Suarez.

4. Poteſtas ferendi cenſuram excommunicationis, vt reſidet in Summo Pontifice diuina eſt, vt eſt in alijs Prelatis Eccleſiæ, eſt etiam ſuo modo diuina, ſed mediante homine & dependenter ab illo accepta. Primum patet ex eo quod poteſtas ſpiritualis reſidens in Summo Pontifice immediatè eſt à Chriſto, non mediante aliquo homine. Homines enim tantùm habent poteſtatem illum eligendi, ſed non dant electo poteſtatem: ſed Chriſtus legitimè electo illam immediatè confert. Secundum verò de alijs Prælatis conſtat ex eo quod ipſi eam poteſtatem recipiunt verè ab homine, nempe à Papa medio iure, vel etiam aliquando per ſeipſum; ſed quia originem traxit à Chriſto, & diuino iure ſancitum eſt, vt eſſet in Eccleſia huiuſmodi poteſtas, ideò dicitur ſuo modo diuina. Vide quæ diximus *ſuprà verb. Confeſſarius 1. num. 7. & 8.* vbi inuenies quoſdam Doctores probabiliter arbitrantes hanc poteſtatem abſolutè etiam eſſe Epiſcopis iure diuino.

5. Inſtitutio excommunicationis & aliarum cenſurarum eſt de humano iure. Patet. quia Chriſtus non dedit modum in particulari eas ferendi, ſed Eccleſia præſcripſit modum, qui ſeruari debet per excommunicationem, priuando bonis omnibus ferè ſpiritualibus actiuè & paſſiuè; per ſuſpenſionem, Sacramentorum participatione actiuè tantùm; Per interdictum aliquibus tantùm Sacramentis actiuè & paſſiuè. At qui præſcribit modum & rationem cenſuræ dicitur inſtitutor eius.

Item impoſitio excommunicationis huic vel illi delicto, & inflictio eius in hanc vel illam perſonam delinquentem, eſt etiam de iure humano. Ratio eſt, quia huiuſmodi impoſitio pendet ex inſtitutione: niſi enim fuiſſet ſic inſtituta, non poſſet imponi. At inſtitutio eſt de humano iure, ergo etiam impoſitio. Similiter obligatio reſultans ex excommunicatione vel alia cenſura non operandi contra ipſam, eſt ſimpliciter de humano iure, quamuis remotè trahat originem à diuino & naturali. Ratio eſt, quia obligatio conſurgit ex Eccleſiæ prohibitione, hæc autem humano iure obligat: ergo. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 4. quæſt. 2. ad 3.* Sotus *dict. 22. q. 1. art. 1.* Nauarr. *in cap. inter verba, prælud. 3. num. 4.* Suarez *diſp. 2. ſect. 1.*

D. Th. Sotus. Nauarr. Suarez.

6. Excommunicatio maior diuiditur in iuſtam & iniuſtam. Ad iuſtitiam excommunicationis requiruntur tria. Primum eſt, vt ſit cauſa iuſta & rationabilis, propter quam feratur argument. *cap. Sacro, §. caueat etiam, de ſentent. excomm.* Secundum eſt, vt debito modo feratur, *dict. cap. Sacro, & cap. 1. eodem tit. in 6.* Tertium eſt, vt animo recto ab habente poteſtatem, id eſt, à proprio iudice feratur. Et quia malum eſt ex defectu cuiuſcumque circunſtantiæ, hinc fit vt quolibet horum deficiente, excommunicatio ſit iniuſta. Et ita iniuſta erit, aut ex cauſa, quia ſine iuſta cauſa lata eſt. Aut quia ordinem iudex non adhibuerit in iure traditum. Aut quia malo animo, ex odio, ira, amore, metu cenſuram tulit. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 2. & 3.* D. Thomas *in ſupplement. quæſt. 21. artic. 4.* Vgolinus *de cenſur. tab. 1. cap. 3. §. 1.* & alij paſſim. Rurſus excommunicatio alia eſt valida, & efficax. Alia inualida & nulla. Item excommunicatio diuiditur in reſeruatam, & non reſeruatam. De quibus egimus *tom. 1.*

Nauarr. D. Th. Vgolin.

7. Cùm duplex poteſtas Apoſtolis tradita ſit à Chriſto vna ligandi & ſoluendi in foro penitentiali, in quo agitur cauſa inter Deum & hominem. Altera ligandi & ſoluendi in foro iudiciali, in quo agitur cauſa hominis ad hominem; hinc excommunicandi poteſtas non ad primam poteſtatem, ſed ad ſecundam ſpectat, id eſt, excommunicatio non ad poteſtatem Ordinis, ſed ad poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis & Eccleſiaſticæ fori iudicialis exterioris pertinet. Propterea vt quis ſit capax excommunicationis ferendæ & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, requiritur & ſufficit vt ſit Clericus, id eſt Clericali tonſura inſignitus, etiamſi Ordinem ſacrum non habeat, & inſuper ſit conſtitutus iudex Eccleſiaſticus poteſtatem habens dicendi ius in foro contentioſo Eccleſiaſtico, & quòd vſus iuriſdictionis non ſit impeditus, quia ad excommunicandum requiritur poteſtas libera & non ligata. Hæc communis regula ab omnibus Doctoribus aſſignatur.

Ex qua infertur *Primò* Clericum non Sacerdotem habentem iuriſdictionem Eccleſiaſticam fori contentioſi poſſe excommunicationem ferre & ab ea abſoluere, modò ſine ſolemnitate fiat abſolutio, aut excommunicatio, puta cum precibus & alijs cæremonijs adhibitis, de quibus *in cap. à nobis 2. de ſentent. excommunic. & in cap. cum aliquis 11. quæſt. 3.* tunc enim Sacerdos eſſe debet, immò aliquando Epiſcopus. Ita Panormitanus *in cap. tranſmiſſam, num. 2. & cap. cum in cunctis, nu. 4. de elect.* Felinus *in cap. dilecta filia, num. 3. de maiorit. & obedient.* Syluester *verb. Abſolutio 1. n. 3.* & communis.

Panorm. Felinus. Syluest.

Infertur *Secundò*, quod Epiſcopus electus & confirmatus licet non ſit Sacerdos, poteſt excommunicare, vt habetur *in cap. tranſmiſſam de elect.* Item electus in Abbatem & confirmatus, etiamſi non ſit Sacerdos, Monachos ſuos excommunicare poteſt. Item Vicarij Generales Epiſcoporum, quamuis Sacerdotes non ſint, excommunicare poſſunt & abſoluere à cenſuris, dummodò Clerici ſint. Ratio horum eſt, quia poteſtas excommunicandi iure competit eis, qui habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam ordinariam in foro exteriori, etiamſi ſint Epiſcopis inferiores. Arg. *cap. cum ab Eccleſiarum, de offic. Ordinar. & cap. Sicut tuis, de Simon.*

Tertiò infertur, Clericos coniugatos excommunicationem ferre non poſſe, vt colligitur ex *cap. 1. de Cleric. coniug. in 6. in fin.* niſi ex priuilegio Papæ. Item, nec laicus ſtando in iure communi nec fœmina: nec qui non eſt baptizatus excommunicare poſſunt, niſi ex commiſſione Papæ. Licet enim facultas ferendi cenſuras iure Canonico ad Clericos pertineat: quia tamen ab ordine non pendet, ſed ſatis eſt, vt quis iuriſdictionem habeat, conſequenter Papa, qui huic iuriſdictioni & iuri præeſt, non autem inferiores Eccleſiæ Prælati, facultatem hanc prædictis concedere poteſt. Ita Vgolinus *de cenſur. tab. 1. c. 2. §. 7. 9. & 10.* Sayrus *de cenſur. l. 1. c. 5. n. 12. & ſeq.* vide dicta *ſup. verb. Cenſura, n. 8*

Vgolin. Sayrus.

8. Difficultas eſt inter Doctores, an excommunicatus occultus & toleratus validam & ratam excommunicationem ferre poſſit? Videtur quòd non; quia cùm ſit extra Eccleſiam, alium extra Eccleſiam ponere non poteſt, *cap. Audiuimus, 24. qu. 1.* vt docent ibi Gloſſa & Archidiac. Idem tenent Imola, Hoſtienſis, Ioannes Andreas & Couarruuias *in cap. Alma mater, §. 11. num. 4. de ſentent. excommun. in 6.* ait hanc ſententiam eſſe magis communem. Nihilominus dicendum eſt excommunicationem latam ab occulto excommunicato & tolerato validam eſſe, ſi aliàs illi hoc ex officio publico incumbat: ſicut etiam & alij actus iuriſdictionis ab eodem facti ratione publici officij valebunt, dummodo non ſit denunciatus excommunicatus, nec notorius Clerici percuſſor. Ratio eſt, tum quia excommunicatio ad iuriſdictionem & officium publicum ſpectat, vnde non cenſetur Eccleſia iudices vſu iuriſdictionis priuare, quouſque excommunicatos eſſe conſtet. Tum quia hoc videtur valde conforme Extrauagant. *Ad euitanda ſcandala*, Martini V. cùm præſertim valor huius ſententiæ non tam faueat excommunicatori, quam bono publico. Ex dicta enim Conſtitutione habetur, quod in his quæ procedunt à publico officio, excommunicatus interim toleratus vitandus non eſt ante denunciationem, etiam ab his, qui ſciunt eum excommunicatum eſſe. Tum quia ex alia opinione ſequeretur in repub. Chriſtiana magna perturbatio, maximè ſi quis Prælatus detegeretur tandem per multos annos vixiſſe in excommunicatione, tunc reuocanda eſſent & declaranda omnia eius acta irrita, vnde multum læderetur bonum publicum. Ita Doctores citati ſuprà

Gloſſa. Archid. Imola. Hoſtienſ. Io. Andr. Couarr.

Mart. V.

verb.

Paludan. Sotus. Couarr. Vgolin. Sayrus. Diana.

*verb. Excommunicatio III. n.*23. Quibus adde *Paludanum, Sotum, Couarruuiam, Vgolinum,* & alios, quos refert & sequitur Sayrus *de censur. lib.*1.*c.*5.*n.*33. Diana *p.*5. *tr.* 9.*resol.*135.

Secus dicendum de excommunicato non tolerato sed vitando, seu denunciato, aut notorio Clerici percussore, hic enim cum priuatus sit valore iurisdictionis, validè etiam excommunicare non potest, vt pluribus probaui *tom.*1.*loc. cit. num.*21. Ex quo colligitur Vicarium Episcopi excommunicati denunciati validè excommunicare non posse: quia cùm Vicarij iurisdictio ab Episcopi sui iurisdictione dependeat, cessante iurisdictione Episcopi, etiam & Vicarij iurisdictio cessat, vt Innoc. III. *in cap.*1. *de offic. Vicar. in* 6. statuit.

Innoc. III.

9. Cùm potestas excommunicandi sit actus iurisdictionis, dicendum est hanc iurisdictionem multis modis acquiri. *Primò*, ipsa electione ad aliquam Prælaturam, cui annexa est iurisdictio spiritualis in foro exteriori, seu contentioso, & tunc communiter simul cum ipsa Prælatura acquiritur iurisdictio ordinaria supra subditos; & dicitur Ordinaria, quia nomine proprio à Prælato exercetur vnde iudices Ordinarij dicuntur, qui hanc iurisdictionem habent. *Secundò*, per superioris delegationem potestas excommunicandi, aliasque censuras ferendi acquiritur: hæc autem iurisdictio nec Ordinaria est, nec ita latè patet sicut illa, sed in ordine ad illos solum est, quos respicit ipsa delegatio. Est autem potestas delegata quantum ad præsens institutum spectat, iurisdictio Ecclesiastica fori contentiosi, quam quis ab Ordinario delegandi facultatem tempore delegationis non impeditam habente accipit, vt excommunicationem, aliasque censuras vel cum cognitione causæ, vel sine ea ferre possit. Colligitur ex *cap.*1 & *cap. præterea*, & *cap. Significasti*, *Iunctis Glossis, de offic. delegat.* Et est communis omnium opinio. *Tertiò*, iurisdictio hæc acquiri potest, præscriptione, vt colligitur ex *cap. duo simul, de offic. Iudic. Ordin.* & *cap. cum contingat, de præscript.* & Panormitanus *ibid. n.* 5. *&* 6.

Glossa. Panorm.

Quartò, acquiri potest hæc iurisdictio consuetudine ex *cap. dudum*, §. *sed cum in iure*, *de elect.* quia censuras ferre ad iurisdictionem pertinet, iurisdictio autem consuetudine acquiritur, *cap. cum contingat, de for. competent.* Glossa & Panormitanus *ibid.* vnde ex consuetudine præscripta, per Pontificem, aut Episcopum approbata, quidam super subditos quibus præsunt, iurisdictionem hanc in vtroque foro habent, quæ de iure illis non competebat. *Quintò*, facultas excommunicandi acquiritur etiam priuilegio, vt habetur *cap. cum contingat,* & ibi Panormitanus *num.*5. *de foro competent. Sextò*, ratione etiam delicti in suo territorio commissi facultas excommunicandi delinquentem comparatur, *cap. Postulasti, & ibi Glossa in verb. deliquit, & cap. vlt. & gloss. in verb. ratione delicti,* & ibi Panormitanus *num.*78. *& seq. de foro competent.* dummodò reus ibi sit, aut antequam exierit, legitimè citatus fuerit.

Glossa. Panorm.

Hoc tamen verum non est, si ille qui delictum commisit, sit excommunicantis superior, tunc enim ab eo excommunicari nequit: vel si sit exemptus simpliciter à iurisdictione excommunicantis: vel priuilegium habeat ne ab Ordinario excommunicari, suspendi, aut interdici possit. Quale priuilegium Regibus, Reginis eorumque filijs, necnon religiosis exemptis concedi solet. *Septimò*, hæc potestas excommunicandi acquiri potest subiectione quamuis enim quis sibi parem, aut ipso Superiorem excommunicare de iure communi nequeat, si quis tamen se alicui iurisdictionem huiusmodi Ecclesiasticam habenti, de licentia sui Superioris subijciat, vtique ratione spontaneæ huius subiectionis, ab eo excommunicari valet. Argum. *cap. nos, si incompetenter* 2.*q.*7. *& in l. est receptum. ff. de iurisdict. omn. iudic.* Dixi, *de licentia sui Superioris*; quia perturbatio iurisdictionis & scandala non parua quotidie nascerentur, si priuatis hominibus ac laicis, se quoad has pœnas Ecclesiasticas iudicibus non suis sine proprij Prælati licentia, submittere liceret. De his plura apud Sayrum *lib.*1.*cap.*6. *de censur.* & alios.

Sayrus

10. Quamuis Vniuersitas, Collegium, Capitulum, Conuentus collectiuè simul, id est, vt Vniuersitas, seu Collegium, seu Capitulum excommunicari non possit, vt colligitur ex *cap. Romana*, §. *in vniuersitatem, de sentent. excommun. in* 6. vbi Innocentius IV. ait: *In vniuersitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus.* Ratio est, quia excommunicatio non nisi ob peccatum mortale fertur, peccatum autem in actu personali consistit, actus enim & passiones, vt consistunt in facto, & ad factum referuntur, non sunt vniuersitatis, aut multitudinis; sed singularum personarum; & ideò singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas: quia non est probabile, quod aliqua communitas tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes: Propterea Pontifex volens animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cùm nonnumquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri, statuit vt in illos dumtaxat de Collegio, vel Vniuersitate, quos culpabiles esse constiterit, sententia excommunicationis promulgetur.

Innoc. IV.

Difficultas tamen est, an si feratur sententia excommunicationis in Vniuersitatem vel Collegium, valida sit & teneat? Ratio dubitandi est, quia Pontifex *in dict. cap. Romana* prohibet quidem vniuersitatem excommunicari, non tamen declarat excommunicationem esse nullam & multa contra prohibitiones fiunt, quæ facta tenent. Proinde quidam Doctores arbitrantur talem sententiam valere ipso iure. Ita Syluester *uerb. Excommunicatio I. n.* 10. Henriquez *lib.*13. *de excomm. c.*25. §.4. Couarruuias *lib.*2. *uariar. cap.*8.*n.*5. licet contra prohibitionem faciens grauiter peccet.

Syluest. Henriq. Couarr.

Alij docent sententiam esse nullam, etiamsi omnes in vniuersitate contumaces & rebelles essent & culpabiles. Ratio est, quia sententia hæc intolerabilem contineret errorem, nam per eam contingeret aliquando innoxios aliquos excommunicari. Ita D. Antoninus, Sotus, Nauar. Vgolinus, & alij. Verùm in hac re dubia mihi dicendum videtur, quod si Communitas à Papa excommunicetur, sine dubio sententia erit valida, non tamen cadere super vniuersos, nisi omnes culpabiles essent, sed solùm super singulos qui sunt culpabiles. Si autem excommunicatio hæc feratur ab inferioribus Prælatis, tunc si facta informatione notum sit omnes illius vniuersitatis personas deliquisse, valida erit. Si verò hoc non constet, & tamen feratur, probabile valde est etiam in hoc casu validam esse sententiam & cadere super singulos, qui deliquerunt. Sed quia in rigore hæc sententia dubia est, præstaret seruare hunc modum. *Excommunico hos, aut illos de uniuersitate, qui in culpa sunt,* vel *Excommunico omnes & singulos uniuersitatis, qui mandatis meis parere noluerunt, seu tale crimen commiserunt.* Et hac ratione non continget innocentes excommunicari. Vide Vgolinum *de censur. tab.*2.*cap.*26.§.1.2.3.*&* 4. Syluestrum, Henriquez *supra,* Sayrum *lib.*1.*cap.*8.*n.*17.*&* 18.

D. Antoninus. Sotus. Nauarr. Vgolin.

Vgolin. Syluest. Henriq. Sayrus.

11. Excommunicari non valet quis ob peccatum mortale alienum: quamuis enim vnus pro alio pœna corporea affici possit, vt constat Genes. 19. vbi paruuli Sodomitarum parentum, qui beneficio ætatis paterna flagitia nesciebant, cœlesti igne consumpti sunt: pœna tamen spirituali, quæ animam respicit, qualis est excommunicatio maior, vnus pro altero puniri non potest, vt habetur expressè; *cap. Si habes* 24.*q.*3. Ratio est, quia potestas excommunicandi tantùm se extendit ad mortale peccatum tanquam ad obiectum pro quo fertur. Sed nullus propter crimen alterius incidit in mortale, cum omne peccatum propria voluntate non aliena committatur. Hinc vxor pro crimine mariti excommunicari non potest, nisi esset particeps criminis: & tunc non excommunicatur pro mariti peccato, sed pro suo. Item filius pro crimine patris, & seruus pro peccato domini excommunicandus non est; nec hæres ob delictum defuncti: nec familia pro domini contumacia; nec dominus pro peccatis suorum subditorum hac censura coerceri potest, nisi committendo vel omittendo sit particeps peccati populi, *cap. Si habes*, 24. *quæst.*3. Ex D. Augustino. Item si quis dignitatis nomine excommunicetur, successor in dignitate in excommunicationem eius cui succedit, non cadit, vt colligitur ex *c.*1. & glossa *ibi uerb. ipsius, de offic. Vicar. in* 6. vbi dicitur, quòd excommunicato Vicario, qui ei succe-

D. Aug.

Glossa.

Panorm. Vgolin. Richard. Sotus.

succedit, excommunicatione sui antecessoris non ligatur. Ita Panormitanus *in cap. aduersus n. 10. de immunit. Eccles.* Vgolinus *de Ecclesi. censur. tab. 1. c. 17. §* 8 Richardus, Sotus & alij.

12. Ex communi Doctorum sententia, causa, ob quam excommunicatio ferri potest & debet, est peccatum mortale proprium graue contumaciæ & inobedientiæ, quo quis Ecclesiæ obedire recusat. Ita D. Thomas *in supplement. quæst. 21. art. 3.* D. Bonauentura *in 4. distinct. 18. in vlt. part. dist. quæst. 2.* & alij. Contumax autem duobus modis quis esse potest, nimirum manifestus, & præsumptus. De manifesta verò contumacia quis conuinci potest. *Primò*, vbi in iudicio monitus & citatus, vt ad talem diem compareat, aut creditori suo satisfaciat, ipse coram iudice respondet se id nolle facere, aut nolle comparere, nulla ratione probabili, aut legitima reddita. *Secundo*, si citatus & monitus ad aliquid faciendum, vel ad comparendum, vel ad desistendum à re prohibita sibi à iudice, extra iudicium, se nolle venire, facere, aut desistere dixerit, dummodò de hoc plena fides fieri possit. *Tertio*, si constiterit ipsum fuisse & esse personaliter citatum, vt quia citatio ipsa apprehendit eum principaliter, & ille sic citatus noluerit venire, dummodò aliàs non appareat de legitimo impedimento. *Quarto*, si contra prohibitionem facit aliquid quod negare non potest: vt si prohibitum ei sit, ne concubinam intra domum teneat, eam tamen tenet, omnibus vel maiori parte viciniæ id scientibus. Hic omnibus modis verus contumax esse dicitur & excommunicari potest, vt ex *cap. Solet, & cap. venerabilibus, §. porro, & ibi Glossa de sentent. excommunic. in 6.* & *cap. per tuas eod. tit. in antiq. & cap. ex p. 1. de verb. significat.* colligitur.

Glossa.

Contumax præsumptus dicitur. *Primò*, si citatus extra iudicium & absente aduersario se comparere nolle dixit, talis etiam si postea voluntate mutata venire voluerit, sed tamen aliquo impedimento detentus est, vt venire non possit, contumax esse præsumitur, Glossa *in dict. §. porro, in verb. impedimento.* *Secundò*, vbi nihil dixit, sed vel latitauit, vel alio modo curauit, ne ad eum citato perueniret, vt habetur *in cap. quoniam frequenter, §. porro, vt lite non contestata.* *Tertio*, vbi quis parere noluit, aut non potuit, sed tamen nullo ex prædictis modis id manifestè constat; quia enim non venit, aut quod præceptum ei fuit, non fecit, Ecclesia eum contumacem esse præsumit. De qua re plura apud Legistas *in l. Diuus, ff. de in integ. restit.* & Canonistæ *in dict. §. porro.*

13. Vt quis excommunicetur rationabiliter non satis est contumacia quæcumque, etiam mortalis, neque quodcumque mortale, sed contumacia ob peccatum graue & enorme, quod alio modo curari nequeat. Vnde Doctores passim docent, quod licet pro damno temporali Ecclesia iuste aliquem excommunicare possit, rarò tamen & non nisi pro spoliatione bonorum Ecclesiæ, & pro decimis, vt habetur *cap. Omnes decimæ 16. quæst. 7.* excommunicatio ferri debet: sed neque pro his, aut alijs causis statim ferenda est, sed alijs omnibus priùs tentatis remedijs, vt admonitionibus, & comminationibus, quæ si ad reuocandum hominem à malo non sufficiant, sed contumax & rebellis existat, excommunicari debet à iudice iam non habente, quod contra ipsum amplius faciat. Ita D. Thomas *in supplement. q. 21. art. 3.* D. Bonauentura *in 4. dist. 18. in vlt. part. distinct. quæst. 2.* & alij. Et colligitur ex *dict. cap. Omnes Decimæ 16. quæst. 7. & cap. corripiantur 24. quæst. 3.* Proinde Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 3. de reformat.* statuit, omnibus Ecclesiasticis iudicibus mandans, vt *in causis iudicialibus quoties executio realis vel personalis in qualibet parte iudicij, propria auctoritate ab ipsis fieri poterit abstineant se tam in procedendo, quam definiendo à censuris Ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis ciuilibus, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque etiam laicos, per mulctas pecuniarias, per captiones pignorum, personarumque districtionem, aut per priuationem beneficiorum procedere & causas definire. In causis quoque criminalibus, vbi executio realis vel personalis fieri poterit, erit à censuris abstinendum: sed si dictæ executioni facile locus esse non possit, liceebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet.*

D. Th. D. Bon. Conc. Trid.

Pari modo de excommunicationibus, quæ pro rebus perditis, aut subtractis ferri solent, idem Concilium in prædicto capite duo statuit. *Primum*, vt solus Episcopus (sub quo intelligitur eius Vicarius Generalis; & Capitulum sede vacante, vt declarauit sacra Congregatio) vel Prælatus Superior possit pro his rebus excommunicare, non autem Archipresbyter, nec Visitator Episcopi: vt docet Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 17. §. 4.* Henriq.

Secundum, & tunc *non alias, quàm ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moueat, nec ad eas concedendas cuiusuis sæcularis, etiam Magistratus, auctoritate adducatur: sed totum hoc in eius arbitrio & conscientia sit positum; quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore excommunicationes eas decernendas esse iudicauerit.* Ita Concilium.

Circa excommunicationem factam ad finem reuelationis, vide quæ diximus suprà *verb. Denunciatio, num. 11.*

14. In certis casibus excommunicatio lata nulla est. *Primò*, quando patiens non est capax huius sententiæ, v. g. si feratur in non baptizatum, scilicet Iudæum, Turcam, aut alium infidelem, qui nunquam per Baptismum Ecclesiam sit ingressus. Ratio est, quia cùm isti Baptismi susceptione fidem Christi non sint professi, sicut spiritualium Ecclesiæ particeps non sunt, ita nec vsu spiritualium Ecclesiæ per excommunicationem priuari possunt. Iuxta Apostolum 1. Corinth. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Dixi in non baptizatum, quia si baptizatus sit, licet à fide totaliter apostatauerit excommunicari potest.

Secundò, si excommunicetur infans, furiosus, aut mente captus: quia cùm excommunicatio ferri non possit, nisi contra eos qui peccare possunt, & isti non possint peccare mortaliter, sententia contra eos lata, nulla & irrita erit.

Tertio, quando fertur à carente iudicio: vnde excommunicatio à furioso lata, nulla erit, etiamsi eam ritè & legitimè tulerit, & hoc ob defectum iudicij, vsus rationis, & voluntarij. Secus autem si eam ante furorem tulit, vel postquam furere desijt, tunc enim firma erit; furor enim interueniens rectè gestum non tollit. Argum. *l. furiosum, Cod. qui testam. facere poss.* Idem sentiendum est de alijs vsu rationis carentibus, vt stultis, vino obrutis, somno oppressis & similibus. Item excommunicatio lata per vim & metum in virum constantem cadentem nulla est, argum. *cap. Vnico de ijs, quæ vi metusue causa fiunt in 6.* vbi habetur, quod absolutio excommunicationis per vim extorta, non tenet, ergo nec obligatio, par enim ius ligandi, ac soluendi est, *cap. Verbum, de pœnit. distinct. 1.*

Quartò, quando is, qui excommunicat, non est iudex, nec iurisdictionem habet, *cap. ad nostram, de consuetud.* vbi dicitur, *Sententiam à non iudice latam nullam firmitatem habere*, quod intelligitur, vel quia nullo modo sit suus Iudex, vel si sit, non tamen super articulo, cuius occasione lata est sententia excommunicationis. Pari ratione excommunicatio nulla erit, si iudex vsu iurisdictionis priuetur, puta si sit excommunicatus vitandus, vel notorius Clerici percussor, vel intrusus, id est, si à maiori parte eligentium electus non fuerit; vel si is, in quem iudex excommunicationem fert, ipsum recusauit: vel quando delegatus excommunicationem fert contra intentionem delegantis *c. final. de præbend.* & ibi Glossa: vel quando iudex excommunicat exemptum, aut habentem priuilegium in contrarium, *cap. 1. §. ex parte, de concess. præbend. in sexto.*

Quintò, quando quis excommunicatur post legitimam appellationem, *cap. cum contingat, de offic. deleg. & cap. per tuas, de sentent. excommunic.* non solùm expressam, sed etiamsi intendens appellare se supposuit protectioni superioris ante latam excommunicationem, quo casu perinde est, ac si antea appellasset, ex quo de monte constat, vt habetur *in c. ad audientiam de appellat.*

Sextò, quando in sententia excommunicationis expressus

presius est error intolerabilis, tunc excommunicatio est nulla, vt habetur *in cap. Venerabilibus, §. penult.* & ibi Glossa *in uerb. intolerabilem, de senten. excommun. in 6* v. g. quando sententia excommunicationis in se peccatum mortale manifestum continet, aut est contra ius diuinum, aut contra ius Constitutionis Papæ; aut quando exprimitur in sententia causa impossibilis, vel notoriè iniusta.

Toletus. Sayrus. Nauarr.

Alij casus qui ab auctoribus referuntur, ad aliquem istorum sex reuocari possunt. De his vide Toletum *in summ. lib. 1 cap.* 10. Sayrum *de censur lib. 1. c. 16.* Nauarrum *in Man. c. 27. n. 4.* & alios.

15. Quotiescumque excommunicationis sententia est nulla, non est timenda, nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam; non quoad Deum, quia nulla culpa; nec quoad Ecclesiam, quia secundum veritatem, nullam pęnam iuris incurrit, qui sententiam non custodit, quæ nulla est: cum enim ipso iure nulla sit, idem est, ac si non esset lata: vnde talis nec se pro excommunicato gerere tenetur, vitando Communionem Sacramentorum & hominum, nec vsu spiritualium priuatur: quoniam quod non est, timere non oportet, nec præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum: nec celebrando peccat, aut vllam pęnam incurrit irregularitatis vel alterius censuræ.

Couarr. Nauarr. Vgolin.

Ita Couarr. *in cap. Alma mater, 1. part. §. 7 uers. c. decimotertio, de sent. excomm. in* 6. Nauarr. *in Man. c. 27. n. 3. in fine*, Vgolinus *de censur. tab. 1. cap* 14. §. 18. & alij. Hæc autem vera sunt quando notoriè constat de nullitate sententiæ, & quando cessat scandalum. Si enim scandalum esset, eo quod alij non sciunt sententiam esse nullam, talis abstinere debet a communione Sacramentorum & aliorum fidelium, si publicè fuit excommunicatus & denunciatus, nulliter tamen; quousque scandalum rationabiliter sedatum fuerit: & ex aduerso publicet sufficienter excommunicatus nulliter causam propter quam sententia sit ipso iure nulla: quo facto non pareat sententiæ: si enim tunc quis scandalizatur, non est scandalum pusillorum, sed Pharisæorum. Nota tamen quod non teneatur talis antequam sedatum fuerit scandalum, sententiam nulliter latam in occulto obseruare, neque etiam in publico coram eis, quibus nota est nullitas sententiæ. Et quamuis peccaret mortaliter, qui coram ignorantibus nullitatem sententiæ celebraret, aut diuinis se immisceret; non tamen in hoc casu celebrando irregularis esset, cum irregularitas non ratione scandali, sed excomunicationis inflicta sit.

Couarr. Henriq. Diana.

Ita Couarr. *in cap. Alma, 1. part. §. 7. n. 7. uers. cæterum, ubi sententia.* Henriq. *lib. 13. de excomm. c.* 15. §. 4. Plura apud Dianam *p. 5. tract. 9. resol. 26. 27. 28. 29. & 72. & p. 9. tract. 9. res. 45.*

16. Ab excommunicationis pœna pro culpa à iure vel homine imposita, non excusat ignorantia crassa vel affectata, vt colligitur ex *c. de constit. & c. ut animarum eodem titul. in 6.* & habet communis sententia Doctorum Hinc qui Petrum Clericum percutit, quem ex ignorantia affectata vel crassa ignorat esse Sacerdotem, non solùm peccatum sacrilegij, sed etiam excommunicationem incurrit, secundùm communem *in cap. si uero 2.* & ibi Glossa *de sentent. excomm.*

Ignorantia inuincibilis, seu probabilis facti, aut iuris, sicut à peccato, ita etiam ab excommunicatione incurrenda excusat. Ratio est, quia ignorantia inuincibilis excusat à peccato mortali, & consequenter ab excommunicatione maiori, quæ non nisi ob peccatum mortale incurritur. In hac re nulla apud Auctores est difficultas.

Ignorantia inuincibilis, seu probabilis circumstantiæ vel qualitatis eius, quæ speciem peccati constituit, aut grauiorem reddit, sicut excusat à culpa, sic etiam excusat ab excommunicationis pęna lata contra tale peccatum ratione talis circumstantię. Ratio est, quia talis ignorantia actum ex parte illius circumstantiæ inuoluntarium facit: quia igitur ex parte malitia actus ex causa ignorantiæ, & ratione inuoluntarij cessat, ea quidem & excusabit ignorantia à culpa, & a pęna excommunicationis ob culpam imposita.

Vgolin. Couarr.

Ita Vgolin. *de censur. tab. 1. c. 9. §. 8. n. 7.* Couarr. *in c. Alma, 1. p. §.* 10. *n.* 13. *vers. 3.* & alij communiter. Hinc qui percutit Clericum inuincibiliter ignorans esse Clericum, tametsi sciat esse hominem, in excommunicationem latam contra percussores Clericorum non incidit: quia hæc pęna infligitur solum percussoribus temerarijs Clericorum, non autem percussoribus hominum: hic autem verè & formaliter non Clericum, sed hominem tantùm percussit, cùm solùm hominem percutere voluerit. Secus autem, si volens percutere Petrum Clericum, cui soli inimicus erat, percusserit Ioānem Clericum existimans Petrum esse, tunc enim verè Clerici percussor est, & excommunicationem incurrit: quia licet errauerit in hoc particulari indiuiduo & ratione huius actus videatur inuoluntarius; quia tamen voluntarius erat in obiecto & percussione Clerici, ignorantia hæc non excusat ab excommunicatione, sicut nec verè constituit percussorem Clerici inuoluntarium.

17. Ignorantia inuincibilis Canonis, aut statuti pęnam excommunicationis inferentis pro actu alioqui iure diuino minimè damnato, sed solum iure positiuo, à peccato & à pęna excommunicationis excusat; & hoc siue sint Canones & statuta Episcopi, siue Papæ. Ratio est, quia cùm talis ignorantia excuset à peccato, etiam ab excommunicatione, quæ non nisi ob peccatum mortale incurritur, *cap. Nemo 11. q. 3.* excusabit.

Ignorans inuincibiliter statuta & Canones Ordinariorum, seu inferiorum Romano Pontifice, quibus sub pęna excommunicationis latæ sententiæ aliquid iure diuino, naturali, aut humano communi damnatum prohibetur, si contra fecerit, excommunicationis vinculo non innodatur. Hæc est communis Doctorum sententia. Secus autem si ignorantia super huiusmodi statutis fuerit crassa & supina. Nam talis ignorantia facientem opus lege diuina, aut naturali, aut iure humano communi alioquin damnatum, ab excommunicatione, etiam per solum statutum Ordinarij inflicta, non excusat. Quæ doctrina colligitur ex *cap. Vt animarum, de constitut.* vbi sic habetur: *Vt animarum periculis obuietur, sententijs per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.*

Bonif. VIII. Sayrus. Victoria. Vgolin. Nauarr.

Ita Bonifacius Papa VIII. Ita communis sententia Doctorum, vt docent Sayrus *de censur. lib. 1. c. 18. n. 24. & 25.* Victoria *de excommunicat. n. 8.* Vgolinus *de censur. tab. 1. c. 9. §. 8. n. 9.* Nauar. *in man. c. 27. n. 16. & 274.*

Sed tota difficultas est, de sententijs iuris latis à Papa, quibus est annexa excommunicatio, an cadens in tactum & ignorans inuincibiliter ius, incurrat excommunicationem? Duæ sunt de hac diuersæ sententiæ inter Doctores: alijs affirmantibus, alijs negantibus. Sed negatiuæ adhæsi *tom. 2. uerb. Ignorantia, n. 17.* cum Doctoribus ibi citatis.

18. Impotentia moralis excusat etiam ab excommunicatione incurrenda, vt si excommunicatio feratur contra aliquem, nisi debitum intra tale tempus soluat, qui tempore excommunicationis non habet vnde soluat, vel qui tempore assignato restituere, aut soluere non potest sine graui detrimento bonorum superioris ordinis, vt famæ, aut vitæ, ab excommunicatione excusatur.

Sotus. Henriq. Nauarr.

Ita Sotus *in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 2. uers. Secundo si feratur*, Henriquez *lib. 13. cap. 18. §. 4. & cap. 21. §. 2.* Nauarrus *in Man. c. 17. num. 56.* & alij. Nota tamen, quòd excusatus ad tempus, si postea habeat, vnde restituat, aut soluat, totum, aut partem debiti, soluere tenetur, alias incidit in excommunicationem, si modò iudex qui mandatum dedit, adhuc in officio durat: & debitor dum pecuniam habet, maneat sub eius iurisdictione, aliàs mandatum expirauit, cessante hominis iurisdictione in istum. Qui verò tempore, quo excommunicatio lata est, habuit vnde solueret, & non soluit & proinde excommunicatus est, hic per superuenientem impotentiam excommunicatione incursa non liberatur, vt Sotus & Henriquez *supra* affirmant: quos sequitur Reginaldus *lib. 9. n. 209.*

Henriq. Regin.

19. Cum lex humana, etiam Ecclesiastica de rebus quæ de se non sunt intrinsecè malæ, sed solum ideò malæ sunt, quia prohibitæ, non obliget, quando necessitas violentiæ, seu imminens periculum mortis, metus grauis infamiæ, aut rei familiaris occurit; ideò in his casibus quis excusatur à peccato & excommunicatione, si contra legem fecerit: quod verum est, nisi metus incuriatur ab extrinseco in contemptum fidei Christianę, aut le-

gum Ecclesiasticarum & Ecclesiasticæ censuræ. Secus, si incutiatur metus mortis alia de causa, verbi gratia, ex nequitia hominis scelerati, tunc legem Ecclesiasticam cum tanto discrimine seruare non tenetur, vt colligitur ex his, quæ tradunt D. Thomas *in supploment. q.23. art.3. & quodlib.11. art.9.* Sotus *in 4. distinct. 22. q.1. art.4. post conclus. 5 versic. Ad quæstionem ergo*, Nauarrus *in Manual. cap.27. num.96.* & alij. Negandum tamen non est posse aliquando leges humanas obligare cum periculo vitæ, vt diximus *sup. verb. Lex IV. n.10. vers. An autem.* (D Th. Sotus. Nauarr.)

Vide v. Cardinalis *n.11.* Furtum *n.10.* & tom.2. verb. Ignorantia *n.6.* Regulares *n.4.5.6. & seq.*

SVPPLEMENTVM.

Quoad illius quosdam effectus.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationis nomen quid propriè denotet. Et vt communio triplex inter fideles reperiatur.*
2 *An excommunicatus hac triplici Communione priuetur, si contritus sit, non tamen absolutus.*
3 *Excommunicatus conferens vel recipiens Sacramentum, an verè & validè illud conferat, aut sumat.*
4 *Quando absolutio data excommunicato prius à peccato, quàm ab excommunicatione, sit inualida.*
5 *Quando sit valida.*
6 *An in necessitate petenda sit administratio Sacramenti Baptismi à Sacerdote excommunicato, si adsint alij.*
7 *An excommunicatus maiori excommunicatione concionem publicam in Ecclesia audire possit? mensam benedicere. Signo crucis se munire? lectionem publicam, etiam sacram audire, aut eam legere discipulis.*
8 *An excommunicatus occultus vel denunciatus excusetur ab audienda Missa in die Festo.*
9 *Quando excommunicatus occultus vel irregularis possit Missa & officijs interesse, & celebrare sine culpa mortali & sine incursione irregularitatis.*
10 *An resignatio beneficij in fauorem tertij facta ab excommunicato tolerato vel vitando, sit valida.*
11 *Excommunicatus conferens scienter beneficium, an sit suspensus a collatione omnium beneficiorum.*
12 *An excommunicatus sit incapax beneficiorum & cuiuscumque alterius dignitatis Ecclesiasticæ.*
13 *Excommunicatus an sit inhabilis etiam dignitatis laicalis.*
14 *Excommunicatus, an possit esse tutor, curator, &c. Et an contractus ab eo facti sint validi?* Refertur duplex sententia.
15 *An exceptio excommunicationis in quacumque parte iudicij contra actorem obijci possit.*
16 *An filij emancipati, naturales, & adoptiui possint cum patre excommunicato communicare.*
17 *An parentes esse possint cum filijs excommunicatis.*
18 *Participans cum excommunicato, an excusetur, si verisimile est ipsum esse absolutum.*
19 *Contractus cum excommunicatis, quando sint validi, & quando inualidi.*
20 *Excommunicatus, an validè possit testari? Et an quis excommunicatum hæredem instituere queat.*
21 *Excommunicatus vitandus an possit petere à suo debitore suum creditum, & is teneatur soluere?* Refertur duplex sententia.
22 *Excommunicatus pro crimine hæresis, vel alio ipso iure priuante, perseuerans per annum in excommunicatione, an sit ipso iure beneficijs priuatus.*
23 *Excommunicatus quacumque de causa, & in excommunicatione per annum perseuerans, nec absolutionem procurans, an præsumatur suspectus de hæresi? Et an idem dicendum sit de alijs censuris.*
24 *Suspectus de hæresi citatus, & vocatus ut ad iudicium accedat super crimine hæresis responsurus, venire contemnens, an de hæresi conuictus censeatur.*
24 *An nominatim denunciatus excommunicatus vel publicus Clerici percussor in uno loco sit uitandus in alio loco, ubi delictum est occultum?* Refertur triplex sententia.
26 *Summus Pontifex ex certa scientia cum excommunicato denunciato participans in diuinis, aut humanis, an pœnas iuris incurrat.*
27 *An Episcopus communicans sine causa cum excommunicatis à seipso, ante formalem absolutionem, in excommunicationem minorem incidat.*
28 *Quis excommunicatus & quando iure antiquo erat uitandus? Et quis nouo iure Concilij Constantiensis.*
29 *An suspensum vel interdictum denunciatum uitare teneamur in ijs, quæ per censuram eis prohibita sunt.*
30 *Quæ sint pœnæ iure statutæ contra uiolantes excommunicationis censuram.*
31 *Excommunicatio maior in tribus casibus incurritur per participationem cum excommunicato.*

1 CVm excommunicatio, vt nomen ipsum significat, nihil aliud denotet, quàm separationem, seu priuationem Communionis Christi fidelium: sciendum est hanc Communionem fidelium esse triplicem.

Prima est omninò interna, quæ fit per charitatem vnientem Christi membra secundum fidem formatam Christo capiti & reliquis Christi membris. Et hæc communio describi potest, affectio animi, qua diligitur Deus propter se & proximus propter Deum. De qua Communione dicitur in Symbolo Apostolorum, *Credo Sanctam Ecclesiam, Sanctorum Communionem.* De qua vnione loquens Apostolus Roman.12. ait: *Multi vnum corpus sumus in Christo*, & secundùm hanc dicit Dauid Psalm.118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Cùm ergo omnes fideles vnum corpus constituant in Christo, & vnusquisque fidelis membrum sit corporis Christi mystici, consequenter est particeps omnium bonorum, quæ fiunt in Ecclesia sine alia aliqua applicatione.

Secunda communio est exterior, quæ consistit in eo quo fideles in bonis spiritualibus Ecclesiæ participant, quæ sunt Sacrificium, Orationes publicæ, Sacramenta, quæ omnia in persona Ecclesiæ à ministris suis conficiuntur.

Tertia est etiam exterior, quæ consistit in Communione, qua fideles in actionibus ciuilibus participant, dum conuersantur simul, loquela, salutatione, cibo & alijs huiusmodi. Hæc igitur triplici Communione priuat Ecclesiam fidelem per excommunicationem maiorem. Et huius triplicis Communionis meminerunt D. Thom. *in supploment. q.21. art.1.* D. Bonau. *in 4. distinct. 28. in ultim. part. distinct. q.1.* Syluester *verb. Excommunicatio I.* Nauarrus *in Man. cap.27. n.17.* & alij. (D. Th. D. Bon. Syluest. Nauarr.)

2. Notandum tamen est, quod sicut Communionem illam internam quis habere potest, si in charitate sit antequam in Ecclesiam per Baptismum recipiatur: ita etiam extra Ecclesiam per excommunicationem maiorem eiectus, si contritus sit, etiamsi ab excommunicatione non absoluatur, Communione hac non priuatur. Ratio est, quia antequam quis excommunicetur, si peccet mortaliter, charitate priuatur, & proinde excommunicatio charitatem non tollit, sed iam per peccatum mortale sublatam, præsupponit. Igitur excommunicatio maior

Com-

Communione illa interna, quæ in charitate fundatur, non priuat, sed tantùm secunda & tertia; quæ in spiritualium ac corporalium actionum vsu externo consistit. Proinde etiamsi excommunicatus contumaciæ pęnituerit, & pęnitentia culpam deleuerit, excommunicationis tamen vinculum ab Ecclesia iniectum non tollit. Argum. *cap. cùm desideras, & cap. à nobis 2. & cap. Sacris, de sent. excommunicat.* Quantumcumque igitur quis contritus sit & paratus satisfacere, aut de facto satisfecerit & iurauerit parere mandatis Ecclesiæ, donec absolutus fuerit, Communionis exterioris bonorum Ecclesiæ particeps esse non poterit, vt tradit Glossa *in Clement. 1. in verbo, donec de decimis*, Vgolinus *de censur. Ecclesi. tab. 2. cap. 6. n. 5.* Sayrus *de censur. lib. 2. in prælud. n. 5.* & Nauarrus *loco cit. n. 17.*

Glossa. Vgolin. Sayrus. Nauarr.

3. Excommunicatus conferens vel recipiens Sacramentum, verè & validè illud confert, aut sumit (excepto Sacramento Pęnitentiæ, vt diximus suprà *verb. Excommunicatio III. num. 6.* Baptismus enim verus est, si detur ab excommunicato etiam hæretico, obseruata forma & alijs ac Baptismum necessarijs, Argum. *cap. siue hæreticus & cap. si quis apud hæreticos cum sequent. de consecr. distinct. 4.*

Excommunicatus dans vel recipiens Confirmationem, verè confirmat, & confirmatus est, nec iterare debet, modo confirmandus baptizatus sit. Quamuis enim vsum actus Ordinis Episcopalis Ecclesia prohibere possit, non potest tamen facere, quin actus solius Ordinis, qualis est confirmatio, ab huiusmodi ministro factus validus sit, & verum Sacramentum constituat, dummodo cætera necessaria adhibeantur.

Excommunicatus verè consecrat Eucharistiam & sumit, Argument. *cap. de homine, de celebrat. Missarum, & cap. intra Catholicam 1. quæst. 1.* quia consecrandi potestas fundatur in charactere Sacerdotali, qui deleri nequit ita D Thomas 3. *part. quæst. 81. art. 7.* & est communis

D. Th.

Theologorum sententia. Manifestum est quoque hoc Sacramentum ab eodem sumi; quamdiu enim manent species, corpus Christi sub illis speciebus manet, vt tradit D.

D. Th.

Thomas *q. 80. art. 3.*

Similiter Extrema Vnctio sumi & ministrari potest ab excommunicato, cùm illius capax sit quilibet Christianus, ad eamque ministrandam Sacerdos etiam excommunicatus sufficiens minister est: quamuis excommunicatus scienter eam sumens peccet, nec fructum aliquem exinde reportet.

Certum est etiam Sacramentum Ordinis ab excommunicato conferri & suscipi validè posse quoad characterem: quia etiam in excommunicato Episcopo remanet potestas per consecrationem tributa, seu character indelebilis, vt habetur *cap. 1. de Ordin. ab Episcop. qui renunciauit Episcopatui*, quæ potestas ad Ordines conferendos sufficit, ex communi omnium sententia, Nauarr.

Nauarr. Vgolin.

in Man. c. 25. n. 69. Vgolinus *de cens. tab. 1. c. 13. §. 16. n. 5. & tab. 2. c. 7. § . 2. n. 2. & c. 10. n. 5.* Cæterum licet ordo collatus validus sit, sic tamen ordinatus suscepti ordinis executionem non suscipit, donec cum eo dispensetur: quę dispensatio à Papa petenda erit, quoties quis scienter ordines à talibus excommunicatis susceperit, vt suo loco dicetur.

Matrimonium denique ab excommunicato contractum, verum est matrimonium & Sacramentum: quia est quidam contractus: at verò contractus ab excommunicato iniri valent, vt docent communiter Doctores. Item matrimonium contractum coram Parocho excommunicato, est validum vt diximus *sup. verb. Matrimon. 5. n. 5.*

4. Excommunicatione maiori vel minori ligatus, & sciens, aut scire debens se non posse priùs à peccatis, quàm ab excommunicatione absolui absolutionem tamen à peccatis petens præmissa Confessione, si absoluatur, inualida est absolutio & Confessio iteranda, præsertim si confessarium induxit, vt ita ageret. Ratio est, quia huiusmodi pęnitentis Confessio non est integra, aut si integra sit, indignum se reddit absolutione ob sacrilegium & peccatum quod committit, nam vel non confitetur hoc peccatum quod committit nolens absolui ab excommunicatione, & esse particeps illius Sacramenti, à quo est exclusus interdicto Ecclesiæ, & proinde Confessio non est integra, & iteranda est, ex quo sacrilegium illud tacet: vel confitetur illud peccatum, & vult absolui, & ita caret debito dolore & proposito abstinendi à futuris peccatis, & id palam facit confessario, & indignum se reddit absolutione. Tum quia dum confessarium scienter inducit ad absoluendum, in ipsomet Confessionis actu peccat & ita etiam non integrè confitetur & obicem ponit absolutioni, & ideò si absoluatur, absolutio non valet. Ita Nauarr. *in cap. Fratres, de pœnitent. dist. 5. n. 48. & in man. cap. 9. n. 5. vers. Secundò.* Ioannes Medina *Cod. de Confess. q. 18.* Couarr. *in c. Alma mater, 1. p. § 6. n. 7. vers. 4. concl.* & alij.

Nauarr. Medina. Couarr.

5. Excommunicatus maiori excommunicatione, eius tamen iustè ignarus, aut oblitus, si à peccatis absoluatur, verè absoluitur & verum Sacramentum suscipit, ita vt non teneatur eam Confessionem iterare. Ratio est, quia illic est debita materia, debita forma, cum debita intentione & non ponitur obex, taliter enim excommunicatus non peccat, ex quo, aut ignorat probabiliter se excommunicatum esse, aut inculpabiliter eius oblitus est, & proinde vera est absolutio Sacramentalis, cùm per excommunicationem non redditur homo incapax Sacramenti. Nec impedit etiam interdictum Ecclesiæ, quo prohibetur quis in excommunicatione existens Sacramentum accipere. Iniusta enim videretur sententia Ecclesiæ, si vellet, aut innocentem punire, aut ignorantiam inuincibilem condemnare. Ita Nauarr. *in Man. c. 9. n. 4. & in c. Fratres, n. 46. de pœnit. dist. 5.* Vgolinus *de censur. Ecclesi. tab. 2. c. 7. § 2. n. 5. & 6.* Suar. *de censur. disp. 10. sect. 3. num. 9.*

Nauarr. Vgolin. Suarez.

Item excommunicatus maiori excommunicatione, qui scit se excommunicatum esse, & id confitetur, sed iusto quodam iuris, vel facti errore, attenta eius qualitate, existimat se à peccatis absolui priùs posse, quàm ab excommunicatione absoluatur, valet absolutio, si absoluatur tantùm à peccatis, nec Confessionem iterare tenetur. Et hoc verum quando, tam pęnitens, quàm confessarius probabiliter putant impendi posse absolutionem à peccatis, non præmissa absolutione ab excommunicatione; imò etiamsi pęnitens solus hoc ignoret probabiliter, Sacerdos autem vincibiliter, aut non ignoret, sed aduertat excommunicationem etiam reseruatam in eo pęnitente ignorante, & tamen ex sua malitia illum absoluat. Ratio horum est, quia cum adsint omnia requisita & necessaria, scilicet, materia integra Confessionis, forma & intentio ministri & pęnitens per ignorantiam excusatus, non fit inhabilis, vt absolutionem recipiat, nihil est quod impedire possit validitatem Sacramenti. Tum quia peccatum confessarij non debet obesse peccatori pœnitenti & ignoranti. Secus autem dicendum esset, si ambo, id est, tam pęnitens, quàm confessarius scirent, quod excommunicatus non possit absolui à peccatis prius quam ab excommunicatione, tunc enim absolutio impensa irrita esset. Ita Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. prope finem, vers. 2.* ait Nauarr. *in c. Fratres, n. 47. de pœnit. dist. 5.* Couar. *in c. Alma mater, 1. p. § 6. n. 7. vers. 3. concl.* Diana *p. 5. tr. 9. res. 82.* qui pro hac sententia citat *Præpositum, Filliucium, & Mercerum*, Sayrus *de censur. lib. 2. c. 2.* & alij apud ipsum vide dicta nobis *sup. uerb. Excom. III. n. 4. & 5.* de hac materia.

Sotus. Nauarr. Couarr. Diana. Sayrus.

6. Dubium est, an in necessitate petenda sit administratio Sacramenti Baptismi à Sacerdote excommunicato, si adsint alij? Videtur quod non, quia duo debent concurrere ad extremam necessitatem, quæ habilitant excommunicatum ad licitum ministerium Sacramenti Baptismi, alterum quod se tenet ex parte ipsius baptizandi; nempe, quod sit in articulo mortis: alterum ex parte ipsius ministri, videlicet, quod non sit alius, qui possit & velit illud Sacramentum conferre: nam si alius adsit, iam baptizandus non est in necessitate suscipiendi baptismum ab excommunicato, cum habeat alium, à quo possit baptizari. Contrarium tamen tenendum est: quia quando pluribus conceditur priuilegium, seruandum est inter ipsos ius commune, sed iure communi ratione suæ consecrationis munus baptizandi competit solis Sacerdotibus, *cap. Diaconus, distinctione 93. cap. constat, de consecrat. distinctione quarta*, ergo cum in articulo mortis

concedatur vniuersis facultas licitè baptizandi, siue excommunicati sint, siue non, seruandum est ius commune & eligendus Sacerdos. Ad rationem autem in contrarium posset responderi, negando illa duo debere concurrere ad extremam necessitatem, nam sufficit alterum ex parte ipsius baptizandi videlicet quod ratione mortis imminentis sit in necessitate recipiendi Baptismum, quamuis non sit in necessitate recipiendi illum præcisè ab isto excommunicato potius, quàm à quocumque alio

Cornejo. Diana.

Ita Corneio *in tertia parte, tract. 5. de excomm. §. 1. dub. 2. q. 4.* Diana *p. 5. tract. 9. resol. 87.*

7. Excommunicatus maiori excommunicatione, cum alijs concionem publicam in Ecclesia audire potest, vt habetur *in cap. responso, de sentent. excommunicat.* quia prædicare non est de numero officiorum diuinorum, quæ interdicuntur excommunicato: & quia id permittitur *in dict. cap. responso*, vt facilius inducatur ad contritionem & ad petendam absolutionem.

Item excommunicato licet priuatim orare: Oratio autem priuata dicitur, recitatio rosarij, & Salutationis Angelicæ, quæ communiter recitatur ter ad pulsum campanæ: Mos autem pulsandi ter ad precem Angelicam sumitur ex Psal. 54. versu 18. *Vespere, mane, & meridie narrabo*. Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis instituit, vt mane recitetur. Gaguinus in vita Ludouici XI. Regis Galliæ refert, quod hic Rex instituit recitari in meridie: quod confirmauit Callistus Papa III. vt refert Platina in vita eius. Et Ioannes Papa XXII. instituit dici vespere, in memoriam incarnationis Dominicæ vt refert Sandoual *de officio Ecclesiast. 2. part. cap. 4.* Huic verò recitationi vespertinæ concessit Adrianus Papa VI. Indulgentiam plenariam, vt dicetur *infra verb. Indulgentia 1. num. 14.*

Callist. III. Io. XXII. Adr. VI.

Potest etiam excommunicatus laicorum more mensam benedicere. Item potest se signo crucis munire. Corpus item Christi venerari potest & debet, si ei obuiam fieri contingat, imò comitari Eucharistiam delatam ad infirmos potest, si non recitentur Psalmi.

Potest etiam lectionem publicam, etiam sacram audire, aut eam legere discipulis suis, imo & discipulo excommunicato interroganti circa lectionem respondere, quod non solùm procedit in occultis & generaliter excommunicatis, sed etiam in denunciatis: quia nec concio, nec lectio sunt officium Ecclesiasticum, quod excommunicato prohibetur: & licet essent officia Ecclesiastica, nullo iure prohibentur & referuntur in publicam vtilitatem, vt docent Henriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 12. §. 4.* Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 3. numer. 12. 13. & 14.* & alij ab ipso citati.

Henriq. Sayrus.

8. Excommunicatus excusatur ab audienda Missa in die Festo: quia præceptum audiendi Missam in festis cedit alteri præcepto Ecclesiæ, quo sic excommunicatus interesse sacris, ad maiorem confusionem suam quousq; absolutus sit, arctius prohibetur. Et hoc verum quamuis negligens sit in obtinenda absolutione. Ratio est quia obseruatio præcepti audiendi Missam, non est tanti momenti, vt obliget ad tam remotam dispositionem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Missam: sicut etiam incarceratus ob debita excusatur ab audienda Missa, quamuis possit soluere & non soluendo peccet contra iustitiam: non tamen excusatur excommunicatus à præcepto Confessionis & Communionis annuæ, quia obseruatio horum præceptorum est magni momenti. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 21. n. 3.* Gaspar Hurtado *tract. de excommunicat. disp. 5. diffic. 2. num. 4.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 88. sect. 6.* & communis. Et quæ dicta sunt, tam de excommunicato occulto, quàm denuntiato accipi debent.

Nauarr. Gaspar Hurtad. Suarez.

9. Excommunicatus occultus, vel irregularis secretus causa vitandi graue scandalum, aut infamiam, dummodò absit fraus & dolus, nec sit in mora petendæ absolutionis vel dispensationis, potest præuia contritione & confessione peccatorum, quamuis non absoluatur à censura excommunicationis reseruata superiori absenti, Missæ & Officijs interesse, & aliquando celebrare, tum sine culpa mortali, tum etiam sine incursione alicuius irregularitatis. Ratio est; quia quotiescumque concurrunt duo præcepta incompatibilia, seruandum est quod arctius & maius est: cùm igitur in casu concurrant simul præceptum de abstinentia à Communione fidelium, & præceptum negatiuum non scandalizandi, aut non infamandi se, quod est maius, hoc potius, quàm illud seruandum est. Quia sicut iugum Christi suaue est, ita & mandata Ecclesiæ piè interpretanda sunt, vt non nimis grauia sint. Nec verisimile est intentionem Ecclesiæ esse eum tam graui iactura & detrimento quempiam obligare velle. Ita Nauarras *in Manual. cap. 27. numero 239.* Suarez *de Sacrament. disput. 66. sect. 4.* Præpositus *in 3. part. quæst. 2. de excomm. dub. 8. numer. 44.* Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 7. §. 2. in comm. lit. K.* & alij.

Nauarr. Suarez. Præpos. Henriq.

10. Probabile est resignationem beneficij ab excommunicato tolerato factam in fauorem tertiæ personæ esse validam. Ratio est, quia neque est præsentatio, neque electio, neque institutio beneficij, ergo. Non est electio, vt patet. Non præsentatio, quia ille non habet ius patronatus ad præsentandum, sed solùm vult relinquere beneficium sub conditione, vt detur alteri, vnde non apparet ius, ob quod nulla fit resignatio: quia fit in fauorem resignatarij ab excommunicato qui vitandus non est; neque etiam est illicita, quando requiritur ab alijs vt enim non est vitandus in alijs actionibus, ita neque in hac: & propterea seruatur id quod dicitur *in Extrauag. Ad euitanda*, vt non releuetur in aliquo ipsemet excommunicatus, sed alij tantùm. Excommunicatus tamen vitandus, si resignet simpliciter, valida est resignatio, quia est merum factum, & res pendens à voluntate. Si in fauorem est inualida, quia pertinet ad iurisdictionem. Ita Turrianus *de censur. lib. 2. disp. 15. dub. 3.* Diana *p. 5. tract. 9. resol. 106.*

Turrian. Diana.

11. Beneficium excommunicato conferens scienter, non solùm mortaliter peccat, sed etiam ipso iure suspensus est à collatione eius beneficij quod tunc contulit, argum. *cap. cùm in cunctis, §. Clerici, de elect.* vt puniatur in eo, in quo peccauit. A collatione aliorum beneficiorum non est ipso iure suspensus, sed solùm post binam monitionem suspendi debet, donec veniam consequi mereatur, vt habetur *in cap. Postulastis, de Cleric. excomm. minist.* Glossa *ibi in verb. mereantur*, ait suspendi debere per superiorem: vnde si collator beneficij Episcopo inferior fuerit, a suo Episcopo debet suspendi, si vero Episcopus fuerit à suo Archiepiscopo. Si Archiepiscopus à Legato Papæ, vel ab ipsomet Summo Pontifice, arg. *cap. graue, de præbend.* Secus autem dicendum esset, si probabiliter eum excommunicatum fuisse ignorauit. Præsumetur tamen quod talis conferens scienter prouiderit, vt docet Rebuffus *in c. Postulastis, num. 156. de Cler. excomm. minist.* cùm ex debito officij teneatur inquirere de moribus & vita beneficiarij: quamuis possit ignorantia probabilis publica voce, fama, & alijs probationibus comprobari, vt bene Rebuffus *cit. num. 158.*

Gloss. Rebuf. Rebuf.

12. Excommunicatus non solùm incapax est beneficiorum, sed etiam cuiuscumque alterius dignitatis Ecclesiasticæ, quales sunt Episcopatus. Archiepiscopatus, Patriarchatus: quia hæ dignitates perpetuæ sunt, & iurisdictionem in vtroq; foro, tam contentioso, quàm pœnitentię in suos subditos habent. His adnumerari possunt Legati à latere, qui dantur ad tempus: & etiam Visitatores & Administratores Ecclesiarum Cathedralium. Item Cardinales, habent enim & isti iurisdictionem in vtroque foro in Clericos Ecclesiæ titularis. Item Abbates regulares, Generales, Prouinciales & alii ordinum Superiores. Vicarii Episcoporum: & vicarius à Capitulo sede vacante constitutus. Item Inquisitores hæreticæ prauitatis: Delegati, Parochi & eorum Vicarii perpetui, vel ad tempus; Præpositi, Archidiaconi & similes, qui honore solùm alios antecellunt: vel solùm ius in beneficii fructibus obtinent vt pensionarii, & simplicia beneficia habentes, &c. Hi omnes, si excommunicati sint, ad huiusmodi dignitates Ecclesiasticas eligi non possunt, cùm extra Ecclesiam sint & Communione fidelium priuati, vt proinde nec dignitatum Ecclesiasticarum capaces, sint, nec earum iurisdictione vti possint. Ex c. *Postulastis, de Cler. excom. minist.* & docent Auctores *sup. verb. Excom. III. n. 15. citati.*

13. Ex-

13. Excommunicatus non solùm inhabilis est dignitatis Ecclesiasticę regularis & sęcularis, sed etiam dignitatis laicalis: siue perpetuæ sint dignitates, siue ad tempus tributæ. Vnde nec Imperator. Rex, Dux &c. qui excommunicatus est, eligi potest, & electio facta est nulla, vt habetur *in cap. Venerabilem & ibi* Glossa *in verb. electus*, & Panormitanus *num. 7. & 11 & de elect.* Ratio est, quia excommunicatus iurisdictionem talem exercere non potest, cùm hominum Communione priuatus sit: qui enim functiones exercere non valet, huic illæ conferri non debent, cum prohibito vno & omne id prohibitum esse censeatur, per quod ad illud perueniretur, *l. oratio, ff. de spons.* & Panormitanus *in c. final. n. 3. de Cleric. excomm. ministr.* Nota tamen prædicta solùm procedere in collatione & electione. Nam si quis ex testamento, aut ab intestato regnum consequatur, aut dominium aliquod temporale sibi comparet, cum quibus iurisdictio & dignitas laica connexa est, non obstante censura excommunicationis, iurisdictionem & dignitatem illam consequitur iure successionis hæreditariæ, aut emptionis. Vnde filius Regis, Ducis, Marchionis, aut Comitis iure hæreditario & ratione successionis patri succedere potest, licet excommunicatus sit, cum hoc tamen vsu iurisdictionis carebit, quamdiu in excommunicatione manet Baldus *in cap. Intelleximus, in fine, de iud.*

Glossa. Panorm. Panorm. Baldus.

14. Excommunicatus non potest esse tutor, nec curator, nec orphanotrophus, nec hospitalarius, nec similia officia exercere; & hoc non solùm, quia priuatus est hominum Communione, quæ necessaria est ad officia huiusmodi exercenda, sed etiam, quia hæc officia auctoritate sunt publica. Ita Panormitanus *in cap. Prudentiam, n. 14. de offic. iudic. delegat.* Ioannes Andræas *in cap. Pia, de except. in sexto.* An autem validi sint contractus ab eo facti? Canonistæ negant, quos sequuntur Syluester *verb. Excommunicatio III. num. 2. & 3.* Sayrus *de censuris lib. 2. cap. 7. num 2.* Præsertim si sit vitandus & ita si quid alienaret nomine tutelæ, alienatio non valeret, sicut nec alienatio à Prælato excommunicato facta valet. Sed probabilis est sententia affirmatiua: quia nullum datur ius eos irritans: quam sententiam tenent Suarez, Cornejo, Turrianus, & alij quos refert & sequitur Diana *p. 5. tr. 9. resol. 115.*

Panorm. Io. Andr. Syluest. Sayrus. Suarez. Cornejo. Turrian. Diana.

15. Exceptio excommunicationis in quacumque parte iudicij contra actorem obijci potest, vt habetur *in cap. exceptionem, de except.* Panormit. & Felinus *ibid.* & ita opponi potest vel ante sententiam, vel in ipsa sententia & etiam post sententiam, ita vt tunc impediat sententiæ executionem, ex *cap. Pia, de except. in 6.* Hæc tamen exceptio solum habet locum, quando opponeretur in vim dilatoriæ, non autem in vim peremptoriæ, ex Glossa *in c. Pia, in verbo opponi, de except. in 6.* quia peremptoria exceptio litem, non differt, sed tollit, *§. appellantur autem exceptiones, institut. de except.* Dilatoriè verò dicitur exceptio opponi ad effectum differendæ intentionis agentis, vel propter ipsius agentis excommunicationem, vel iudicis, aut procuratoris. Peremptoriè verò opponi dicitur, quando opponitur ad perimendam electionem vel alium similem actum, propter excommunicationem eligentium, vel electi, vel alterius excommunicati, qui talem actum celebrasset, vt tradit Glossa 2. *in Clem. 1. de except.* Porrò hæc exceptio excommunicationis contra actorem, non solum à reo, sed etiam à quouis alio, siue masculo, siue fœmina opponi potest. Arg. *cap. Pia,* & glos. ibi *in verb. si quis.*

Panorm. Felinus. Glossa. Glossa.

16. Communis sententia est, filios etiam emancipatos, naturales, & adoptiuos non posse cum patre excommunicato communicare: quia talis filius iam non est sub potestate parentis, estque quasi extraneus, neque in illo habet locum ratio subiectionis actualis, quæ est in filio sub potestate patris constituto. Ita D. Thom. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.* & communiter Theologi & Iurisperiti. Non est tamen improbabile filium emancipatum posse cum patre excommunicato communicare, quia *in cap. quoniam multos, 11. quæst. 3.* priuilegiantur liberi absque vlla restrictione. Ita Mercerus *in supplem. 3. part. q. 21. dub. 11.* Præpositus *ibid. de excomm. dub. 17. num. 6.* Paludanus *in 4. dist. 18. quæst. 6. art. 2.* & alij. Imò secundùm Hurtadum nomine filiorum, comprehenduntur etiam illegitimi & adoptiui, qui quamdiu non sunt emancipati, verè dicuntur filij. Ita ille, *disp. 9. de excomm. diffic. 4. num. 21.* cui subscribit Diana *part. 5. tract. 9 resol. 118.* Quare nomine *patris* intelliguntur etiam mater, auus, abauus, & auia, & deinceps: sicut etiam nomine filiorum veniunt nepotes, pronepotes, &c. vt dicitur *in l. filij appellatione*, & *in l. liberorum. §. & Papirius. ff. de verb. significat.* Imò etiam comprehenduntur, qui affinitatis ratione filiorum loco sunt, vt nurus, priuignus, priuigna, vt dicitur *in §. affinitatis, institut. de nupt.* modò extra conuictum suorum correlatiuorum non sint, tunc licita est inter eos communicatio; secus verò si iam quasi emancipati sint? quia non manet in illis naturalis illa obligatio, quæ in filijs naturalibus, sed manet sola affinitas, quæ non est radix tam strictæ obligationis, vt causa sit communicandi cum excommunicato. Idem dicendum est, de pupillo respectu tutoris, si sit sub eius cura in eadem domo, quia respectu eius parentis vicem gerit: aliàs vero solum poterit communicare cum eo in his, quæ ad munus tutoris pertinent Ita Corneio, Hurtadus, Turrianus, Mercerus citati à Diana *p. 5. tract. 9. ref. 119.*

D. Th. Mercer. Præpos. Paludan. Gasp. Hurtad. Corneio. Hurtad. Turrian. Mercer. Diana.

17. Sicut filij cum parentibus excommunicatis propter obsequia eis debita communicare possunt: ita etiam è conuerso, cum filijs excommunicatis parentes esse possunt, cum & ipsi etiam ad obsequia quædam filijs præstanda obligati sint, scilicet vt eis necessaria prouideant & bonis moribus imbuant. Ita D. Thomas *in supplem. qu. 23. art. 1.* Nauarras *in man. cap. 27. num. 27.* Vgolinus *tab. 2. c. 23. § 7. num. 12.* & communis. Peccabit tamen pater, nisi faciat quod in se est, vt filius absolutionem procuret. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus hæc communicatio non licet. *Primò*, si filius cum patre excommunicato participet in crimine criminoso, & è contra, si pater cum filio. *Secundò*, si excommunicatio ob hæresim incursa sit, tunc ob infectionis periculum, nec pater cum filio excommunicato, nec filius cum patre excommunicato, communicare potest. *Tertiò*, non permittitur vt simul sint, quoties vnus consilio & auctoritate alterius fultus in contumacia perseuerare censetur. *Quartò*, in diuinis non licet inuicem communicare: vnde si filius patris Parochus sit, non licebit ei Sacramenta ministrare, nec coram eo diuina facere, cum communio hæc ei non competat, quatenus pater, aut filius sit. Ita Durandus *in 4. dist. 18. q. 5. num. 8.* Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 22. §. 3.* Vgolinus *supra*, Diana *p. 5. tract. 9. resol. 120.* & alij apud ipsum.

D. Th. Nauarr. Vgolin. Durand. Henriq. Vgolin. Diana.

18. Participans cum excommunicato, quem verisimile est absolutum esse, vtpote quando multum temporis abijt ex quo excommunicatus fuit & denunciatus, si hic aliàs homo sit bonæ famæ & boni nominis, præsertim si initio seruabat excommunicationem & post annum illam non seruat, potest, & debet quis credere illum esse absolutum, quia in alienis factis nimis curiosus quis esse non debet, argument. *cap. præsumitur, de reg. iur. in 6.* Sin autem è contra homo sit malę famæ & maximè si ab initio sententiam non seruabat, tunc potest & debet quis credere illum esse adhuc excommunicatum, quovsque aliquo modo constet de eius absolutione, & consequenter eum vitare tenetur, ex Couarruuia *in c. Alma mater. 1. p. §. 2. numer. 6. vers. verum si constiterit, de sent. excommun. in 6.* Syluester *verb. Excommunicatio 5. dub. 17.* Vgolino *de censur. Eccles. tab. 2. cap. 23. §. 10. numer. 1.* & alii.

Couarr. Syluest. Vgolin.

19. Quamuis contractus cum excommunicatis sint illiciti, regulariter tamen sunt validi, ex *cap. Fœlicis, §. verum, de pœnis in 6.* Probatur exemplis contractuum, qui non obstante excommunicatione validi esse admittuntur, vt matrimonij, *cap. Significasti, de eo qui duxit in matrim. &c.* Professionis in Religione, iuxta Abbatem, *c. cum illorum, de sentent. excomm.* Donationis factæ ab excommunicato, *cap. Inter dilectos, de donationibus.* Ratio est, quia omnes ferè contractus sunt de iure gentium inuenti, & non de iure Ecclesiæ; sed ista, quæ sunt de iure gentium non prohibentur etiam deportatis, *l. quidam, ff. de pœnitent.* ergo multo minus debent prohiberi excõmunicatis, cum longè deterioris conditionis sit deportatus, quã

Abbat.

excommunicatus, iuxta notata *in cap. Pastoralis, de appellat.*

Ex tribus tamen causis fieri potest, vt contractus ab excommunicato initi, nulli sint. *Primò*, si sint initi virtute rescripti supplentis conditionem aliquam ad valorem eius requisitam, nam iuxta *cap. 1. de rescript. in 6.* rescriptum impetratum ab excommunicato super alio, quàm articulo excommunicationis, vel appellationis, nullum est. *Secundò*, si sint initi ab eo vt à persona publica, & vt à ministro per potestatem, quam habet ex vi sui muneris, vel beneficij. Ratio est ex defectu iurisdictionis ad contrahendum, quæ per excommunicationem suspensa est. *Tertiò*, si in contractu fiat promissio de alio contractu excommunicatione durante faciendo: nam talis promissio, vtpote de re illicita, nulla est. Ita docet Filliucius *tract. 12. num. 203.* Mercerus *in supplem. 3. p. q. 21. dub. 13.* Diana *part. 5. tract. 9. res. 128.* Quartam causam addit Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 9. num. 14.* si excommunicatus esset ob crimen hæresis, in eaque per annum perseuerauerit, tunc inhabilis ad contrahendum esse videtur, cùm bonis iure ipso priuatus sit, *cap. cum secundum leges de haret. in 6.* & contrahere prohibitus, argum. *cap. excommunicatus 1. §. credentes, iuncta glossa in verbo, sit etiam intestabilis, de haret.*

Filliuc. Mercer. Diana, Saye.

Glossa.

20. Cùm excommunicatus validè contrahere possit, secundùm communem & veram opinionem, a fortiori validè testari poterit, cùm testamentum sit contractus longè magis priuilegiatus, quàm aliquis alius actus contrahendi, reg. *in testamentis, ff. de regul. iur. & l. 1. de Sacrosanct. Eccl. Codic.* Pro hoc facit, quia licet testamentum cum solemnitatibus de iure positiuo sit, testandi tamen voluntas de iure naturali est, quod quidem ius naturale non est prohibitum ipsi excommunicato. Regulariter ergo excommunicatus validè testari potest, & consequenter codicillos facere, & hæredes instituere, & fideicommissa & legata relinquere potest, & facta valebunt, vt tradunt communiter Doctores.

An verò si quis instituat aliquem excommunicatum hæredem, validum sit testamentum, non est ita certum. Quidam enim negant, eo quòd excommunicatus sit incapax hæreditatis, testamentum autem tunc est nullum, cùm hæres tempore testamenti est inhabilis, & incapax hæreditatis, *l. sed si conditioni, §. solemus, ff. de haredibus instituendis.* Ita Syluester *verb. Hareditas 3. num. 2.* Armilla *verb. Hareditas, num. 26.* Sed hæc opinio supponit fundamentum falsum, quòd, scilicet excommunicatus propter excommunicationem sit incapax hæreditatis: nam excommunicatio per se, sicut non priuat excommunicatum dominio rerum suarum, ita non priuat potestate acquirendi dominium rerum aliorum; vnde si aliquando excommunicatus priuatur bonis suis, vt contingit in hæretico, hoc non prouenit ratione excommunicationis, ita quod hic sit effectus eius proprius, sed ex accidenti in odium, & punitionem peccati hæresis. Ita rectè Suarez *de censur. disp. 15. sect. 9.* Mercerus *in 3. part. de Sacram. quæst. 11. dub. 13.* Filliucius *tract. 12. cap. 8. num. 207.* qui notant, quod si excõmunicatus non sit vitandus, etiamsi ipsi non liceat condere testamentum, tamen si velit, licitum est aliis adesse, vt notario & testibus; quia ipsis non est prohibita excommunicatio. Ille etiam qui sperat se hæredem instituendum, potest testatorem inducere ad testamentum: quia id est in fauorem non excommunicati. Quod si vitandus sit, tunc neque alijs licebit communicare, nisi soli hæredi instituendo, excusatur enim propter vtilitatem, ob quam etiam fortè possunt excusari tabellio & testes vocati ab hærede instituendo. Notant etiam quod hæres excommunicatus non vitandus non potest adire hæreditatem ob communicationem prohibitam, eæ tamen actiones, quæ sine communicatione fieri possunt, vt tacita hæreditatis acceptatio, possessio realis per vsurpationem, &c. poterunt licitè fieri. De quibus apud Suarez *loco cit.*

Syluest. Armilla.

Suar. Mercer. Filliuc.

21. Dubium est inter Auctores, an excommunicatus vitandus possit petere à suo debitore suum creditum, & is ad id teneatur? Quidam enim putant non posse, nec ad id debitorem teneri, donec Ecclesiæ reconcilietur. Et id probant *ex cap. Nos Sanctorum 15. quæst. 6.* vbi Gregorius VII. sic ait: *Eos, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omni ratione prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionē veniant.* Et cap. sequenti. *Iuratos milites* (Inquit Vrbanus II. Episcopo Vapicensi) *Hugoni comiti ne ipsi quamdiu excommunicatus, seruiant prohibete.* Qui Canones & si tantùm videantur intelligi de debito fidelitatis, quod subditus debet Principi, aut miles Duci, aut famulus domino; tamen videtur esse eadem ratio de debito pecuniario. Proinde excommunicato non tenetur quis soluere, quod ante excommunicationem etiam cum iuramento promisit; quia communicare cum excommunicato non licet. Hæc sententia est probabilis, quam sustinent Adrianus *de clauibus quæst. 3. §. si petas.* Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 9. n. 20. & 21.* Felinus *in cap. inter alia, de sent. excom.* & Panormitanus *ibid.* Verior tamen est affirmatiua sententia. Ratio est, quia neque iure diuino debitor liberatur à debito soluendo, cùm nullum tale ius reperiatur, & Ethnicis, & publicanis debita soluenda sint, nisi fortè spes esset per dilationem excommunicatum conuersum iri, & reconciliandum Ecclesiæ. Neque iure humano; quia citata iura non loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis & obsequij. Ita Couarruuias *ad reg. Peccatum, 1. part. num. 8.* Syluester *verb. Excommunicatio, 5. quæst. 12.* Auila *de censur. p. 2. cap 6. disp. 11. dub. 4.* Alterius *lib. 2. disp. 4. cap. 1.* & alij.

Greg. 7.

Vrb. 2.

Adrian. Sayrus. Felin. Panorm.

Couarr. Syluest. Auila. Alterius.

22. Excommunicatus pro contumacia super crimine hæresis, vel alio ipso iure priuante, perseuerans per annum in excommunicatione, est ipso iure beneficijs priuatus, *ex cap. cum contumacia, de hæret. in 6.* Ratio est, quia post annum habetur pro conuicto de crimine, & ita ex eo, quod ob crimen, si probatum fuisset, beneficio foret priuatus ipso iure, tanquam de crimine conuictus, ita post annum in excommunicatione permanens beneficio absque vlla sententia priuatus est. Ita Couarruuias in *cap. Alma mater, 1. par. §. 7. num. 10. versic. primum hinc*, Rebuffus *in cap. Postulastis, num. 247. de Cler. excomm. ministr.* Vgolinus *de censur. tab. 1. cap. 14. §. 3. num. 5.* & alij.

Couarr. Rebuff. Vgol.

Aduerte tamen *Primò* requiri, vt annus completus sit. *Secundò*, vt in ea per annum continuauerit: si enim in excommunicatione steterit per sex menses semel, & postea fuerit absolutus, si postea iterum excommunicetur, & resideat per octo menses, non continuabitur tempus sex mensium elapsum ante, ad hoc vt censeatur remansisse per annum. *Tertiò*, vt steterit in ea per annum animo pertinaci: & ita qui intra annum instaret pro habenda absolutione, & si non obtineret vel malitia excommunicantis, vel partis tergiuersantis, pœna hæc priuationis non haberet locum. *Quartò*, requiritur post annum sententia declaratoria. Ante tamen declarationem poterit beneficium impetrari, & ita seruatur ex consuetudine & Romana Curia seruat, vt testatur Rebuffus *sup. num. 259.*

Rebuff.

23. Excommunicatus quacumque de causa criminali, vel ciuili, & in ea contumaciter per annum persenerans, nec absolutionem procurans, præsumitur suspectus de hæresi, non solùm secundùm iura antiqua, sed etiam secundùm Conc. Trid. *sess. 25. cap. 3. de reform.* & contra eum, tanquam de hæresi suspectum procedi potest. Quæ suspicio probabilis est, & licet non sit sufficiens, vt de hæresi condemnetur, sufficit tamen, vt ei purgatio indicatur, in qua si defecerit, poterit vt conuictus de illo crimine, pro quo citatus fuit puniri, iuxta *cap. inter, de purgat. Canon. & cap. excomm. §. qui autem, de hæret.* Quod dictum est de excommunicatione, idem de aliis censuris intelligendum est, vt docet Conc. Trid. *sup.* his verbis: *Sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit.* Ratio est, quia manens per annum in censuris & non procurans absolutionem, Ecclesiæ claues contemnere, & malè de Sacramentis & censuria Ecclesiæ sentire præsumitur. Ita Couarruuias in *cap. Alma mater 1. p. §. 7. n. 20. vers. quartò est considerandum*, Vgolinus *de censur. Eccl. tab. 1. cap. 14. §. 3. num. 3. & tab. 2. cap. 24. §. 3.* Rebuffus *in cap. Postulastis, num. 243. de Cler. excomm. ministr.*

Conc. Tr.

Couarr. Vgolin.

Rebuff.

24. Suf-

24. *Suspectus* de hæresi citatus & vocatus vt ad iudicium accedat super rebus fidei, vel super crimine hæresis, de quo accusatus, aut suspectus est, responsurus, venire contemnens, & propterea iterum ob contumaciam excommunicatus, in qua per annum perseuerat, tamquam de hæresi conuictus & velut hæreticus elapso anno condemnari potest, vt colligitur ex *cap. Cum contumacia, de hæretic. in 6.* & *cap. excommunicamus, 1. §. qui autem,* & ibi gloss. *in verb. condemnentur de hæreticis.* Panormitanus *in cap. Postulasti, num. 4. de homicid.* Ratio est, quia sufficiens est præsumptio & probatio eum esse hæreticum, tum ex ipsa suspicione hæresis, cuius causa expressim ad iudicium vocatus est; tum ex fuga & declinatione iudicij, tum ex animo rebelli persistendi in excommunicatione per annum: in quo casu sufficit, quod in genere hæresis crimen in hoc edicto exponatur, nec requiritur in specie hæresim significari, vt docet Couarruuias *supra 1. part. §. 7. num. 11. versic. 5.* Quod dictum est, locum solùm habet in excommunicato, qui fuit nominatim excommunicatus & denunciatus, non autem in eo, qui solùm incurrit excommunicationem à iure, vel ab homine latam, sine declaratione. Ratio est, quia licet ipsa excommunicatio à iure imposita, affligat, & inhabilitet quoad omnes suas potentias illum, qui in eam incidit absque aliqua declaratione, tamen quoad alios denunciatio illa videtur necessaria, maximè ad dictam hæresis suspicionem causandam, vt pluribus docet Sayrus *de censur. lib. 2. c. 10. n. 12.* cum alijs.

Glossa. Panorm. Couarr. Sayrus.

25. Excommunicatur denunciatus vbique censetur excommunicatus: quia excommunicatio animam afficit, & sequitur excommunicatum, vt lepra leprosum, & in hoc conueniunt Doctores. An autem nominatim denunciatus vel publicus Clerici percussor in vno loco sit vitandus in alio, vt delictum est occultum. Dubium est inter Auctores. Quidam enim docent absolutè esse vitandum vbique, etiamsi hoc ibi ignoretur. Ratio est, quia experientia constat delicta vnius publica in vno loco præscribi ad alia loca: tum quia delinquens amisit ius ad suam famam per publicitatem seu notitiam publicam delicti. Tum quia tenemur obedire præceptu Ecclesiæ præcipientis vitandum esse excommunicatum non toleratum. Ita Bonacina *de censur. disp. 2. q. 2. punct. 6. §. 2. n. 48.* Vgolinus *de censur. tab. 1. cap. 13. §. 10.* Nauarras *in c. inter verba 11. quæst. 3. coroll. 67.* & alij, qui docent esse communem sententiam. Alij sustinent talem in publico vitandum non esse, sed in occulto. Ratio est, quia à iure antiquo recedendum non est, nisi quatenus in nouo exprimitur; sed in Extrau. Constantiensi nihil decretum est circa modum excommunicatum vitandi publicè, an occultè, sed solùm circa qualitatem excommunicatorum, vtrum denunciati sint, necne, ideò standum est iuri antiquo *cap. Cum non ab homine, de sentent. excomm.* vt excommunicati, nunc denunciati publicè vitentur, si eorum excommunicatio publicè nota sit; occultè verò si publicè ignota sit. Ita Syluester *verb. Excommunicatio 5. dub. 17.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 5. n. 3.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 11. num. 20.* Vasquez *de excommun. dub. 8. num. 2.* Verùm Præpositurus in 3. *part. quæst. 2. de excommunic. dub. 16. num. 114.* putat probabile, quod si talis nominatim excommunicatus alio se transferat, vbi censura passim ignoretur, is, qui nouit censuram, non teneatur illum vitare, non solùm in publico, sed neque in occulto, & consentit Diana *p. 5. tract. 9. resol. 134.*

Bonac. Vgolin. Nauarr. Syluest. Layman. Sanchez. Vasquez. Præpos. Diana.

26. *Summus* Pontifex ex certa scientia cum excommunicato denunciato participans in diuinis, aut humanis, nullam iuris pœnam incurrit: quia est supra ius positiuum, & ita cùm excommunicatio omnis iuris positiui sit, eam Papa ob participationem cum excommunicato denunciato non incurrit. Vix tamen Papa scienter cum excomm. participat, quia de stylo curiæ tales, si negotij vel tractatus quidpiam habeant cum Papa, per ipsum vel per alios absoluuntur durante tractatu ad cautelam, & eo finito reducuntur in eandem sententiam instar testium excommunicatorum: argum. *cap. veniens, de testibus,* Couar. *in cap. Alma, §. 1. numer. 3.* Vgolinus *tab. 2. cap. 23. num. 5.* qui Auctores docent Papam non propterea absoluere sic excommunicatum, nisi expresè dixerit & voluerit per talem communicationem illum prò absoluto haberi: tanta est enim potestas Papæ circa ius positiuum, vt pro sola voluntate sua libertatem concedat, nec alia opus sit absolutione, vt habet communis sententia Doctorum.

Couarr. Vgolin.

27. Episcopus non potest communicare sine causa cum excommunicatis à se ipso ante formalem absolutionem ab excommunicatione, & si communicet incidit in excommunicationem minorem, sicut & alij ipso iure in communicantes latam arg. *cap. Cum desideres, & ibi* Panormit. *num. 2.* & Doctores communiter, *de sentent. excomm.* immò etiam & maiorem excommunicationem incurrit, si in crimine criminoso participet. Ratio est, quia pœna illa non ab excommunicatore per suam sententiam, sed à iure profertur, vt habetur in *cap. Nuper* & ibi Doctores, *de sentent. excomm.* Cum ergo ius communiter & indifferenter excommunicet participantes excommunicatis, cui omnes subijciuntur, etiam Episcopus, aut alius excommunicator cum excommunicatis à se vel ab alio, ante absolutionem communicando, excommunicationem minorem non secus ac alij, incurrit. Nec dici potest quòd Episcopus communicans cum excommunicato à se censetur illum absoluere: quia hoc non est verum, neque potest, si velit: quia cùm forma iuris & consuetudo vniuersalis Ecclesiæ sit, non absoluere, nec ligare, nisi verbis idipsum significantibus, Episcopus illam iuris formam obseruare tenetur. Si tamen Episcopus illum excommunicatum alijs verbis absoluat, peccat quidem, validè tamen absoluit, & deinceps tam excommunicatus, quàm alij cum eo liberè, vt prius communicare possunt.

Panorm.

28. Iure antiquo vnusquisque non excommunicatus vitare tenebatur omnem & quemcumque excommunicatum, non solùm publicum, se etiam occultum, licet non eodem modo; nam publicum tam in occulto, quàm in publico; occultum verò solùm in occulto vitare tenebatur, dummodo de excommunicatione ei constaret, vt habetur in *cap. cùm non ab homine, de sent. excomm.* quod intelligi debet de scientia quæ habetur extra Confessionem: si enim quis, aut olim sciret in Confessione Sacramentali aliquem fuisse excommunicatum, aut etiam modo aliquem esse denunciatum, neque tunc neque modo tenetur, debet, aut potest talem vitare, & hoc propter maximam sigilli Sacramentalis obseruationem: quod etiam cum ipsomet pœnitente obligat, vt tradunt communiter Doctores.

Qui excommunicatus est eodem modo nunc & de iure antiquo tenetur alios vitare, & quidem si occultus excommunicatus est, tenetur alios tam excommunicatos, quàm non excommunicatos, in occulto vitare, si publicus, tam in occulto, quam in publico. Exceptis certis casibus de quibus hic egimus *supra num. 9.* nempe ad euitandum scandalum, infamiam, &c. Ius antiquum correctum fuit & nouum constitutum auctoritate Concilij Constantiensis & Martini V. in quo condita fuit Extrauagans quædam concedens participationem cum excommunicatis, quæ confirmata fuit postea per Concilium Basileense antequam fieret scissura & per Eugenium IV. Cuius Constitutionis exemplum & tenor est iste, iuxta Nauarrum infra.

Conc. Const. Mart. V. Côc. Basil. Eug. V.

Ad euitanda scandala & multa pericula, quæ conscientijs timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius, Sacramentorum administratione & vel receptione, aut alijs quibuscumque diuinis intus & extra prætextu cuiuscumque sententia, aut censura Ecclesiastica à iure, vel ab homine generaliter promulgata, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit promulgata, aut denunciata specialiter & expressè à Iudice contra certam aliquam personam, collegium, vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam, neque manifestò constet incurrisse in sententiam excommunicationis, quod nullo modo possit occultari, aut per aliquod remedium iuris excusari, quia à communione huius nolumus, quod se separent iuxta canonicas constitutiones. Per hoc tamen non intendimus releuare, neque iuuare sic

vt sic excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos.

Circa quam Constitutionem est magna dissensio inter Doctores de secundo casu partis secundæ, in quo cum excommunicatis participare vetamur. Quidam enim volunt in ea prohiberi communicationem cum omni ita notoriè excommunicato, vt nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari. Alij sustinent, quod non omnis notoriè excommunicatus ante denunciationem vitandus sit, sed is solùm, qui ex causa iniectionis manuum in clericum omninò notoriè excommunicatus est.

Hæc controuersia Doctorum orta est ex diuersa lectione Concilij Constantiensis, & Concilii Basileensis, quod fuit posterius. Concilium enim Constantiense, vt referunt quidam Doctores, statuit quod secunda sententia sustinet: Basillense autem quod prima: hinc diuersimodè hæc constitutio ab Auctoribus refertur: nempe à

Nauarr. Felin. D. Ant. Sayr.

Nauarro *in man. cap.27. num. 35.* & à Felino *in cap. Rodulphus, de rescrips.* D. Antonino *3.p. tit.25. cap.2.* Sayro *de censur. lib.2.cap.12.num.16.* Nam D. Antoninus, Felinus, Sayrus legunt, *aut certam a iudice publicata, vel denunciata, specialiter & expressè constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Saluo si quem non sacrilega manuum iniectione in clericum in sententiam latam à Canone adeò notoriè constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio, excusari, nam à communione illius licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, iuxta canonicas functiones.*

Sed quidquid sit, certum est vniuersalis Ecclesiæ vsu, non omnes notoriè excommunicatos vitandos esse, sed tantùm denunciatos & notorios clericorum percussores, quamuis denunciati non sint. Quia aliàs, vel difficilè omninò, vel non ita facilè erit excusare à multis peccatis omnes Catholicos in Germania, Gallia, Anglia, Polonia, & aliquot alijs regnis, qui quotidie & singulis ferè horis & momentis communicant cum hæreticis, quos constat notoriè hæreticos esse, & consequenter excommunicatos, ex *cap. excommunicamus 1. de hæretic.* & per Bullam Cœnæ Domini.

Et licet Nauarrus referat hanc constitutionem prout hic iacet, fatetur tamen probabiliter dici posse, esse vsu receptam cum sola illa limitatione de excommunicatione manifesta percussionis clerici, iuxta tenorem antiquæ: vel quod multitudo hæreticorum & necessitas communicandi & negotiandi facit licitum quod aliàs non esset.

29. Sicut tenemur vitare excommunicatum postquam denunciatus est, ita etiam & suspensum & interdictum vitare tenemur, in eis quæ per censuram eis prohibita sunt, & talem non vitans in officijs diuinis, aut in actibus deputatis suis ordinibus, aut in Sacramentis, peccat mortaliter, si talis suspensus fuerit ab officiis diuinis, aut Sacramentorum administratione, vel perceptione, & sic suspensus denunciatus. Ita Nauarrus *in manual. cap. 27. num.163. in fine. & in cap. 1. §. luberet, num. 18. de pœnitent. dist. 6.* vbi probat grauius peccatum esse non vitare interdictum, vel suspensum, in quibus rebus suspensus est, aut interdictus, quam non vitare excommunicatum. Quia non vitare excommunicatum, regulariter est solùm veniale peccatum, vt Theologi *in 4. dist. 18.* Canonistæ *in cap. sacris, quod metus causa* communiter docent: non euitare autem interdictum, vel suspensum denunciatum, in quibus est interdictus, vel suspensus, nemo dixit non esse mortale. Fundamentum est, quia extrauagans *Ad euitanda scandala*, illud eodem modo de excommunicatis, suspensis, & interdictis vitandis post denunciationem disposuisse videtur, vt verba ipsa satis manifestè ostendunt.

30. Pœnæ contra violantes excommunicationis censuram à sacris canonibus inflictæ, sunt. *Primò*, Irregularitas, quæ statim & ipso facto incurritur, ex eo quòd excommunicatus maiori excommunicatione actum aliquem ordini sacro deputatum exercet: cùm enim, sic excommunicatus & ordine sacro insignitus, ab eius ordinis exceptione quoad se, & quoad alios suspēsus sit, ideo, si eius Ordinis sacri ratione, actum eidem competentem celebrauerit, irregularis efficitur. Ita communiter Doctores, qui id probant ex *cap. Si quis Episcopus in Concilio 11. quæst. 3. & cap. Apostolicæ, de cleric. excomm. ministr.* Quod verum est, etiamsi talis excommunicatus non fuerit denunciatus. Quia Extrauag. *Ad euitanda scandala*, nihil vtilitas affert ipsis excommunicatis, nec quidquam in eorum fauorem statuit. In certis tamen casibus excusatur ab hac pœna, vt diximus *sup. num. 9.*

Item irregularis est Episcopus excommunicatus non solùm celebrans, sed faciens alium celebrare auctoritatiuè coram se. Ex *cap. illud, de cleric. excomm. ministr.* Panormitanus *ibid. num. 8.* communiter recepto. Qui Panorm.
autem celebrat coram excommunicato denunciato, licet mortaliter peccet celebrando, aut alia diuina officia coram illo faciendo, irregularis tamen non est iuxta veriorem & communiorem Doctorem sententiam, sed tantùm est ei interdictus ingressus Ecclesiæ propter talem celebrationem coram excommunicato, vt habetur in *cap. Episcoporum, de priuileg. in 6.* Si tamen taliter interdictus iterum absque aliqua dispensatione intra Ecclesiã celebret, irregularis erit, vt habetur in *cap. is qui, §. is verò, & ibi gloss. de sent. excomm. in 6. & cap. is cui est, eodem tit. in 6.* Ita Nauarrus *in man. cap.25. num. 93.* Sayrus *de censur. lib.2. cap. 15. num. 6.* Couarruuias *in cap. Almu mater p.1. §.6. num.9. vers. qui verò.* Nauarr. Sayr. Couar.

Septimò, depositio perpetua ab officio & beneficio, vt habetur in *cap. clerici, cap. latores, & cap. fraternitati, de cleric. excomm. ministr.* Ad hanc tamen pœnam incurrendam ex necessitate requiritur sententia iudicis. Ex benignitate autem Ecclesiæ requiritur, vt non feratur hęc sententia nisi post contumaciam.

Tertiò, est ineligibilitas, seu priuatio vocis actiuæ & passiuæ: vnde excommunicatus denunciatus, aut notorius clerici percussor, nec eligere potest validè, nec eligi: sin autem occultè excommunicatus fuerit, tunc quidem eligere potest, & electio ab ipso facta valebit: At verò eligi non potest ad beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam, vt habetur in *cap. constitutus 1. de appellat.*

Quartò, violans communicationem per participationem cum excommunicato maiori excommunic. eo ipso incurrit excommunicationem minorem, vt colligitur ex *cap. à nobis, de except. & cap. nuper de sent. excommunic.* quod procedit, etiamsi excommunicans communicet cũ excommunicatis a se, ante formalem absolutionem ab excommunicatione, vt communiter tradunt Doctores. Cæterùm hæc excommunicatio minor in tertiam personam non transit, vt colligitur ex *cap. Quoniam 11. q.3.*

31. In tribus casibus per participationem cum excommunicato, excommunicatio maior incurritur.

Primus est, si quis communicet alicui excommunicato scienter in crimine criminoso, hoc est, in crimine, ob quod alter denunciatus sit excommunicatus, *cap. nuper, cap. si concubinæ, de sent. excom.* vt etiam diximus supra *verb. Excommunicatio 3. num.31.*

Secundus casus est, si quis clericus, scienter, sponte nullo ad id cogente metu, participet in diuinis, seu Ecclesiasticis officijs in Ecclesia, vel extra Ecclesiam, cum excommunicato nominatim à Papa & denunciato, maiorem excommunicationem à solo Papa adimendam incurrit, vt habetur in *cap. significauit, de sentens. excom.* & communiter tradunt Doctores.

Tertius est, si quis participet cum excommunicato post sententiam latam in participantes, tunc enim tales participantes incurrunt excommunicationem maiorem, vt habetur in *cap. statuimus, & cap. constitutionem, de sent. excomm. in 6.* Sed hodie hæc sententia à solo Papa ferri potest, *Excommunicato te cum omnibus participantibus tibi*, vt habetur in dicto *cap. statuimus*, sed opus est, vt participantes priùs canonicè admoneantur, quàm excõmunicentur, alioquin excommunicatio ipso iure nulla erit. De bis vide Nauarr. *in man. cap.27. num.93.* Couar. Nauarr.
in cap. Almu mater, p.1. §.3. num.4. & 6. Vgolin. *de cens.* Couar.
Eccles. tab.2. cap. 23. §. 13. Vgol.

Vide verb. Aduocatus *n. 12. & 13.* Beneficium 2. *n. 3.* Debitor *n. 6.* & tom. 2. v. Immunitas Ecclesiarum *n. 21.* Indulgentia 1. *n. 15.* Mandatum *n. 3.* Missa 1. *n. 12. & 13.* Missa 3. *n. 11. 12. & 16.* Professio *n. 3. & 4.* Sepultura *n. 19.*

SVPPLEMENTVM.

EXCOMMVNICATIO III.

Quoad cæremonias in solemni excommunicatione & absolutione eius adhiberi solitas.

SVMMARIVM.

1 *Cæremoniæ solemnes in excommunicatione maiori ferenda, quando adhibendæ sint.*
Papa excommunicaturus aliquem, quibus vtatur cæremonijs.
2 *Episcopus solemniter aliquem excommunicans, quas adhibere soleat cæremonias.*
3 *Cæremoniæ istæ solemnes quidnam significent.*
4 *Episcopus solemniter excommunicatum absoluens, quibus vti soleat, & debeat cæremonijs.*
5 *Quæ sint cæremoniæ obseruandæ in foro exteriori quando quis publicè excommunicatus publicè absoluitur.*
6 *An hæ cæremoniæ semper & cum omnibus sint adhibendæ? & etiam cum mortuis excommunicatis.*
7 *Casus, in quibus omittuntur hæ cæremoniæ solemnes in absolutione excommunicationis maioris.*

1 QVamuis excommunicatio maior verbis simplicibus ferri possit; imò & in illa ferenda non sint determinata verba, sed sufficiant ea, quibus intentio iudicis sufficienter exprimatur, vt diximus supra *verb. Excommunicatio 2. num. 7.* sunt tamen in forma excommunicationis maioris ferendæ, quædam cæremoniæ solemnes adhibendæ, maximè quando aliqua magna persona, ob graue aliquod crimen ab ea commissum, v. g. quia Cardinalem, aut Episcopum insecutus sit, excommunicatur. Ex Glossa *cap. Cum aliquis 11. q. 3.* & communis Doctorum sententia testatur & praxis declarat. Gloss.

Hinc Summus Pontifex laturus excommunicationum ornatu Pontificio decoratus, duodecim Episcopis vestibus Pontificijs indutis assistentibus, facesque ardentes in manibus tenentibus hæc aut similia verba dicere solet. Auctoritate omnipotentis Dei, atque Apostolorum Petri & Pauli excommunicamus Ludouicum, &c. qua sententia prolata, Episcopi faces illas in terram proijciunt, & eas pedibus conculcant, nec postea ad aliquem vsum assumuntur, sed foras tanquam sal infatuatum proijciuntur *cap. Non omnes 2. q. 7.* vt ait Glossa *in cap. Debent in verb. Conculcare 11. q. 3.* Quæ excommunicandi forma
Innoc.4. Glossa. & cæremoniæ seruatæ sunt ab Innocentio IV. vbi Fredericum Imperatorem excommunicauit. Vt testatur Glossa *in c. Ad Apostolicæ dignitatis, de sent. & re iudic. in 6.*

2. Episcopus autem etiam aliquem solemniter excommunicat, easdem cæremonias obseruat, nisi quod duodecim Sacerdotes vestibus Sacerdotalibus induti, eadem faciunt, quæ Episcopi in excommunicatione lata à Papa facere solent. Et hæc forma solemnis habetur *in cap. Debent 11. q. 3.* his verbis: *Debent duodecim Sacerdotes, Episcopum circumstare & lucernas ardentes in manibus tenere: quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis proijcere debent in terram & conculcare pedibus: deinde Epistola per Parochias mittatur continens excommunicatorum nomina, & causa excommunicationis.* Alicubi
Panorm. etiam paulatim campana pulsatur, vt testatur Panormitanus *in cap. 1. num. 2. de offic. custod.*

3. Hæc cæremoniæ suas habent significationes, nam ex his effectus excommunicationis ante hominum oculos ponitur. Etenim Papa duodecim Episcopis, & Episcopus duodecim Sacerdotibus circumdati aliquem sic excommunicantes, illum etiam a Christo circumdato cœlestibus spiritibus excommunicari significant, argum. *cap. Omnis Christianus, & cap. Nihil sic debet, 11. q. 3.* his verbis: *Omnis Christianus dilectissimi quid Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur quomodo? quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur.* Ita D. August. de verbis Apost. D. Aug.
serm. 68. & tract. 27. ad cap. 6. Ioan. *Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari a corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius, si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius.*

Proiectio verò facierum in terram, earumque extinctio excommunicatum quasi mortuum significat, vtpote à Christi corpore, tanquam palmitem à vite præcisum. Quod verò pedibus faces illæ conculcantur, significat excommunicatum sic ex Ecclesia eiectum tradi Dæmonibus torquendum, & ab eisdem in inferno, nisi resipiscat, conculcandum iri, argum. *cap. Absit, & cap. Audi denique 11. q. 3.*

Sonus autem campanæ significat vocem illam terribilem Christi in iudicio extremo, *Ite maledicti in ignem æternum*, quam excommunicatus, nisi à contumacia discesserit, cum maximo dolore & damno suo audiet.

Huiusmodi cæremonijs solemnibus alij Episcopo inferiores vti non solent, vt docet Nauarrus *in comment. de* Nauar.
datis & promiss. notab. 4. num. 10. Vnde excommunicatio hæc solemnis Episcopi mucro appellatur, *cap. Visis litteris, in fin. 16. q. 2.*

4. Quando Episcopus solemniter aliquem ab excommunicatione maiori absoluit, cæremonias illas adhibet quæ ponuntur in *cap. Cum aliquis 11. q. 3.* sub his verbis, *Cum aliquis vel excommunicatus, vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulat, & emendationem promittit: Episcopus qui eum excommunicauit, ante ianuas Ecclesiæ venire debet & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc & inde circumstare debent: & si ille terra prostratus veniam postulat, & de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensa manu eius dextra in Ecclesiam illum introducat & communioni Christianæ reddat.* Hic modus reconciliationis excommunicatorum & solemnitas desumitur ex Concilio Arausicano. Qua forma qui non sunt Episcopi, vti non possunt, talemque formam nec Episcopus, ipse adhibere debet, nisi quando solemniter absoluit.

5. Quando quis publicè excommunicatus publicè absoluitur, cæremoniæ quædam in foro exteriori adhibendæ sunt. *Primò*, vt iuret excommunicatus se velle obedire super eo mandatis Ecclesiæ. *Secundò*, quod parti satisfaciat, si offensa, aut debitum est notorium, aut impensas, si contumacia est notoria, & hoc si potest, sin minus præstet sufficientem cautionem, id est dando pignora, vel fideiussores: & si neque hanc potest, det iuratoriam. Quibus præmissis. *Tertiò*, absoluendus flexis genibus prostratus ad pedes absoluentis stantis. Absoluens indutus superpelliceo & stola vnum ex septem Psalmis Pœnitentialibus recitare debet. *Quartò*, dum absoluitur excommunicatus, scapulæ excommunicati nudatæ, virga, fune, aut flagello, semel in quolibet versu percutiuntur, vel magis, vel minus, leuius, vel acrius, secundùm quod causa contumaciæ maior, vel minor requirit. Post Psalmum autem dicitur *Gloria Patri*, &c. *Sicut erat*, &c. *Kyrie eleison; Christe eleison; Kyrie eleison*, & *Pater noster*, &c. & cũ his quatuor Versiculis & suis Responsorijs, scilicet. Vers. *Saluum fac seruum tuum, vel ancillam tuam, vel seruos, vel ancillas*, si plures sint. Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo, vel in ea, vel in eis.* Vers. *Esto ei, vel eis Domine turris fortitudinis.* Vers. *Domine exaudi orationem meam.* Deinde dicitur, *Dominus vobiscum*. Postea subiungitur hæc oratio: *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem, vel hos famulos tuos, quos excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tuæ pietatis absoluat, per Christum Dominum nostrum. Amen.* Et post absoluat in hæc verba.

Auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorũ Petri & Pauli, & Ecclesiæ sanctæ suæ, & nostra, vel mihi commissa, ego te absoluo a vinculo maioris excommunicationis, quam ob hanc, vel illam causam incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium,

in

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

6. Hæ cæremoniæ non tam iure, quàm consuetudine receptæ sunt, & ideo non sine causa omittendæ, cùm hac ratione homines magis porterrefiant & magis erubescant. Verberatio tamen & scapularum nudatio debent omitti pro ratione personarum, semper quidem in mulieribus, & etiam aliquando etsi in viris fiat verberatio, non tamen denudatio, vt benè monet Nauarrus *in* Nauar. *Man. cap. 26. num. 9. & cap. 1. in princ. num. 54. de pœnit. dist. 6.* Præterea non solùm hæ cæremoniæ in absolutione excommunicatorum, qui viuunt, adhiberi debent, sed etiam eorum, qui mortui sunt, ex *cap. a nobis 2. de sent. excomm.* verberabitur enim tunc cadauer mortuum, si non sit sepultum, nam eo iam humato verberabitur sepultura, vt docent Syluester *verb. Absolutio 3. n. 15. dub.* Syluest. Nauarr. *11.* Nauarrus *loco cit. num. 55. de pœnit. dist. 6.*

7. In aliquibus casibus omittuntur hæ cæremoniæ solemnes in absolutione excommunicationis maioris. *Primò*, quando absolutio datur ab eo, qui licet iurisdictionem in foro exteriori contentioso habeat, non tamen est Sacerdos. *Secundò*, quando temporis angustia non patitur, quia scilicet breui moriturus est excommunicatus, tunc enim satis erit dicere, Absoluo te à vinculo excommunicationis. *Tertiò*, quando iniustè lata fuit excommunicatio, talis enim statim absoluendus est. *Quartò*, quando absolutio petitur ad cautelam. *Quintò*, quando quis absoluitur ad tempus, vt testimonium ferat. *Sextò*, quando excommunicatio lata est non seruata iuris forma. Denique quoties sine causa omittuntur, valet tamen absolutio, cùm hæ cæremoniæ de rei essentia non sint. Vide quæ diximus supra *verb. Absolutio num* 33.

Hostien. De his cæremonijs latiùs agunt Hostiensis *in Summ. lib. 5. tit. de sent. excomm. num.* 14. § *& qualiter, versic.* D. Ant. Nauarr. *Tertium*, S. Antoninus 3. *par. tit.* 24. *cap.* 77. Nauarrus *in Man. cap. 26. num. 9. & in cap. 1. in princ. num. 54. de pœ-* Vgolin. *nit. distinct. 6* Vgolinus *de censur. Eccles. tab. 2. cap.* 31. Baunius. & alij, quibus adde nouissimè Sthephanum Baunium *de cens. disp. 3. quæst. 29.*

SVPPLEMENTVM.

EXCOMMVNICATIO IV.

De minori excommunicatione.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio minor qualiter à peccato mortali distinguatur.*

2 *Excommunicatus minori excommunicatione communicare potest cum alijs sicut antea, tam in diuinis, quàm in humanis.*

3 *An Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicate minori susceptum sit validum?* Refertur duplex sententia.

4 *An excommunicatus minoris excommunicationibus peccet mortaliter, ministrando alijs Sacramenta.*

5 *Communicant cum excommunicato minori, an incidat in minorem excommunicationem.*

6 *Quis minorem excommunicationem ferre possit? Et quot sint excommunicationes minores latæ à iure.*

7 *An ligatus minori excommunicatione peccet absoluendo à maiori, vel minori, vel à peccatis.*

1 QVidam Doctores peccatum mortale adæquant excommunicationi minori, adeout velint omnem mortaliter peccantem in minorem excommunicationē incidere ex eo, quòd peccatum mortale priuet digna perceptione Sacramentorum, sicut excommunicatio minor, ob quam causam, peccator latè dicitur, excommu- Panorm. nicatus, *cap. ad mensam, §. euidenter,* 11. *q.* 3. Ita Panor- Syluest. mitanus *in cap. Si celebrat, n. 6. de cleric. excomm. ministr.* Syluester *verb. Excommunicatio 4. num. 2.* & alij. Sed dicendum est in multis à peccato mortali differre. Tum quia excommunicatio minor est pœna, peccatum verò est culpa. Tum quia peccatum mortale per contritionem ante absolutionem remittitur, excommunicatio minor non nisi absolutione, quantumuis attritus, aut contritus sit, remittitur. Tum quia peccans mortaliter post contritionem, excepta Eucharistia, Sacramentum aliud quodcumque dignè ante absolutionem recipit, non sic minori excommunicatione ligatus. Tum quia in peccato mortali existens conferendo Sacramenta peccat mortaliter, nō sic minori excommunicatione ligatus. Vt latiùs probat Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 2. §. 1. in comment. lit-* Henriq. *tera D. & cap. 3. §. 1.* Filliucius *tract. 13. cap. 1. n. 6.* Conue- Filluc. nit autem excommunicatio minor cum peccato mortali, quia vtrumque priuat digna perceptione Sacramentorum, etsi peccatum mortale priuet ratione ipsius culpæ, excommunicatio autem in pœna.

2. Excommunicatus minori excommunicatione cōmunicare potest tam in diuinis, quàm in humanis cum alijs, sicut antea poterat: vnde Missam audire potest, licitè etiam osculum pacis in Missa recipit, quamuis successerit communioni: item officia diuina cum alijs in choro recitare. In humanis etiam licitè aliorum vtitur communione: vnde actor esse potest in iudicio, procurator pro alio, testis; multoque magis extra iudicium alios actus exercere valet, vt contractus inire, testamentum facere. Ratio horum omnium est, quia excommunicatio minor sola participatione passiua Sacramentorū priuat, è quorum numero non sunt hæc dicta. Ita communis Doctorum sententia.

3. Difficultas est inter Doctores, an Sacramentum Pœnitentiæ susceptum ab excōmunicato hac minori excommunicatione validum sit, & verè maneat absolutus à peccatis? Quidam enim semper valere putant vt Caietanus, & Sotus. Alij dicunt non posse absolui in foro cōscientiæ, & absolutionem sacramētalem non valere, quia priuatus est perceptione Sacramentorum. Ita Paludanus Palu. *in 4. dist. 18. q. 6. art. 3. concl. 2.* Syluester *v. Excomm. 4. §. 1.* Sylueſt. & alii. Sed vt vera sit hæc sententia, debet excommunicatus nosse se non posse absolui à peccatis, nisi præmissa absolutione ab excommunicatione: quia tunc verè Sacramentum nō recipit nec à peccatis absoluitur, eo quod ponat obicem peccati mortalis, scienter petens absolui à peccatis antequam absoluatur ab excommunicatione, contra præceptum Ecclesiæ. Vnde si confitetur hoc peccatum & tamen vult absolui, non habet propositū à peccatis futuris abstinendi si non confiteatur illud peccatum volens tamen absolui, cùm sit exclusus ab omnium Sacramentorum participatione, & tunc confessio eius non est formaliter integra & ita reiteranda. Quando autem talis excommunicatus mortaliter non peccat absolutionem consequens, quia vel iustè ignorat se excommunicatum esse, vel oblitus est excommunicationis, vel scit se excommunicatum esse, & id confitetur, sed tamen siue iustè, siue iuris, vel facti errore ductus, putat se posse à Confessario absolui, tunc si ab eo priùs à peccatis absoluatur, quàm ab excommunicatione, verè absolutus est, nec ad confessionem iterandam obligatur, sed solùm habita notitia excommunicationis vt ab ea absoluatur procurare tenetur. Ratio est, quia in his casibus adest materia debita, cum debita forma, debitaque intentione & non ponitur obex ex parte pœnitentis: igitur est valida absolutio; cùm per excommunicationem non reddatur homo incapax Sacramenti, sed solum ei interdicatur, ne Sacramentum recipiat. Et sic vera est sententia Caietani Caieta & Soti. Ita Vgolinus *de cens. Eccl. tab. 2. cap. 7. §. 2. num. 6.* Sotus Nauarrus *in manual. cap. 9. num. 3. & in cap. Consideret, §.* Vgoli. *cautus, num. 30. de pœnit. dist. 5.* Viualdus *in candelab.* Nauar. *part. 2. tract. de excommun. num. 31. & tract. de excomm.* Vital. *minor num. 6.* & alii.

4. Communior & verior opinio Doctorum est, excōmunicatum minori excommunic. non peccare mortaliter ministrando alijs Sacramenta, ratione solius excommunicationis minoris. Ratio est, quia ex vi censuræ non est illi prohibita collatio Sacramentorum, sed participatio sola, vt habetur *in cap. Si celebrat, de cleric. excommun. ministr.* Tamen si talis celebret Missam, mortaliter peccaret,

caret, eo quòd celebrando etiam Sacramentum sumere debet, & sic faceret contra speciale præceptum Ecclesiæ, quo prohibentur excommunicati minori excommunicatione Sacramenta percipere. Dans autem Sacramentum infirmo sine Missæ celebratione non peccat, & pari ratione absoluendo à peccatis, & alia Sacramenta conferendo, quia illa non sumit. Ita Nauarrus *in Man. cap.26.num.24.* Henriquez *lib.13. de excomm. cap.3. §.1.* Vgolinus *de cens. tab 3.cap.6. §.9.*

Nauarr. Henriq. Vgol.

5. Quamuis peccet venialiter communicans cum excommunicato minori excommunicatione administrando ei Sacramentu, vbi excommunicatus hic denunciatus est, locus enim habet in minore excommunic. *Extrauag. Ad euitanda scandala,* tamen in minorem excommunicationem non incidit: vnde commune dictum est, excommunicationem non transire tertiam personam. Hoc est, si quis excommunicatus sit minori excommunicatione pro eo, quod participauit excommunicato maiori, ego qui sum tertia persona respectu excommunicati, nō prohibeor ei, qui minori ligatus est, participare. Ita D. Thomas *in supplem.q.23.art.2.ad* 2. Toletus *lib.1.cap.17. num.5.* Glossa *in cap. Excellentissimus in verb. Qui communicant 11.q.3.* Victoria *tract. de excomm. num. 16. in fin.* & communis.

D. Tho. Toletus. Gloss. Victoria

6. Quisquis excommunicationem maiorem ferre potest, etiam minorem infligere poterit. Ratio esse potest, quia hæc etiam pœna pertinet ad bonam Ecclesiæ gubernationem, & debet ab eisdem infligi, cùm sit censura quædam vt maior: imò est pars quædam maioris, priuat enim parte communicationis integræ, qua priuat maior, quare pertinebit ad eundē, ad quem pertinet maior. Vnde ad eam ferendam requiritur etiam iurisdictio fori contentiosi, cùm sit censura: Hinc excommunicatio minor non solum à iure, sed etiam ab homine, vt colligitur ex Glossa *in c. Si inimicus 11.q.1.* & tradunt communiter Doctores *in cap. Si celebrat, de cleric. excomm. ministr.* Hodie tamen in vsu non est, vt excommunicatio minor ab homine feratur. Et quàuis Doctores referant octo casus & plures, in quibus excommunicatio, minor à iure antiquo lata fuit, quos enumerant Nauarrus *in Man. cap.27.n.25.* Syluester *verb. Excommunicatio 4.n.2.* Hostiensis & alij, quia nunc cōsuetudine abrogati sunt: ideo de illis non agimus. Vnica tantùm modò est in vsu excommunicatio minor, nempe quando quis participat cū excommunicato maiori excommunicatione denunciato, aut cum notorio clerici percussore, in aliquo illorum quinque, de quibus eximus supra *verb. Excommunicatio 3.n 6.* & continentur illo versu:

Glossa.

Nauarr. Syluest. Hostien.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Ab hac excōmunicatione minori excusatur participans, quando occurrit aliquid ex contentis in eo versu:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

7. Ligatus excommunicatione minori non peccat absoluendo ab excommunicatione maiori, siue minori: quia in hoc nullum Sacramentum pertractat; secus autem iuxta aliquos Doctores, si à peccatis absoluat, hæc enim absolutio sacramentalis est: peccatum tamen absoluentis in hoc casu vt plurimum est veniale, facit enim aliquam irreuerentiā Sacramento, qui sic ad Sacramentum conficiendum & tractandum accedit, vt docent Sotus *in 4. dist. 22.q. 2.art.3.* Henriquez *lib. 13. de excomm. cap.3. §.1.* unde prius absolutionem ab excommunicatione petere debet, quàm Sacramentum ministret.

Sotus. Henriq.

Absolutio tamen tam à peccatis, quam ab excommunicatione valida est, quia excommunicatio minor non aufert ea, quæ sunt iurisdictionis, *cap. Si celebrat, de cler. excomm. ministr.* absoluere autem ab excommunicatione ad iurisdictionem spectat. In absoluendo autem ab hac excommunicatione non requiritur, vt satisfaciat alicui, aut cautionem præstet, sed satis est, vt proponat obedire Ecclesiæ abstinendo à peccato, quod huiusmodi excommunicationem minorem annexam habet. Vt docet Syluester *verb. Absolutio 3. num. 5. vers. Secundum est quarto.*

Syluest.

SVPPLEMENTVM.

EXCOMMVNICATIO V.

De excommunicatione ob clerici percussionem.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sit materia canonis si quis suadente.*
2 *An clericus in minoribus constitutus, si non incedat in habitu & tonsura, gaudeat priuilegio huius canonis?* refertur duplex sententia.
3 *Qui priuilegio gaudeant, vel non gaudeant priuilegio huius canonis.*
4 *Quæ requirantur vt clericus coniugatus gaudeat huius canonis priuilegio.*
5 *An non impedientes percussionem clerici afficiantur excommunicatione, quando ad id tenentur.*
6 *An pater causa correctionis possit percutere filium in sacris constitutum?* refertur duplex sententia.
7 *An ratam habens percussionem clerici suo nomine factam excommunicationem incurrat.*
8 *An mandans vel consulens percussionem clerici, incidat in hunc canonem, si ante percussionem pœnitent?* refertur duplex sententia.
9 *An qui notorie consuluit vel mandauit, &c. percussionem clerici, sit vitandus, sicut notorius percussor.*
10 *An in hanc censuram incidat, qui in defensionem sui, vel alienı corporis, honoris, famæ, & bonorum fortunæ, clericum aggressorem percussit.*
11 *An qui existimat se percutere Ioannem clericum, & percutit Iacobum clericum, censuram hanc incurrat.*
12 *An clericum capiens per capillos, vel barbam, et dicit nisi esses clericus, te percuterem, excommunicatus sit.*
13 *Si duo clerici, vel religiosi iocando se inuicem percutiant, an incurrant censuram huius canonis.*
14 *An Monialis procurans sibi abortum potione, vel purgais, excommunicationem incurrat? Et quid dicendum de extraneo id procurante.*
15 *An mandans afficiatur hac censura, quando mandatum non est expressum, & sed tacitum.*
16 *Quando percussio dicenda sit leuis, grauis, vel enormis.*
17 *In dubio an percussio sit leuis, vel mediocris, iudicandum sit esse grauem.*
18 *Regularis alium eiusdem Monasterij percutiens, an à suo Prælato absolui possit.*
19 *Prælatus suum subditum percutiens, à quo absoluendus sit.*
20 *Si religiosus vnius Monasterij religiosum alterius, vel clericum secularem percutiat, a quo absolui possit.*
21 *An nouitius absolutus ab hac censura propter percussionem clerici ante ingressum Religionis, reincidat in eandem, si nondum facta professione à Religione egrediatur.*
22 *An in articulo mortis, quilibet possit excommunicatum absoluere.*
Mulieres ob percussionem clerici excommunicatæ absolui possunt ab Episcopo.
Si quis inimicitias capitales habeat, an ab alio, quam à Papa absolui possit.
23 *An impuberes possint ab Episcopo absolui.*
Officialis, quando à Papa, aut ab Episcopo absoluendus.
24 *Nobiles ob clerici percussionem, quomodo ab Episcopo sint absoluendi.*
25 *Pauperes & mendicantes ob clerici percussionem excommunicati, quando ab Episcopo absoluendi sint.*
26 *Infirmi, seu valetudinarij an absolui possunt ab Episcopo.*
Absentes.

27 *An*

27 *An clerici simul cohabitantes ab Episcopo possint absolui.*

An ostiarius, famuli, & alij, qui aliorum potestati subditi sunt.

28 *Dubius, an ob clerici percussionem excommunicationem incurrerit, an ab Episcopo suo ad cautelam absolui possit.*

Causam iustam habens non adeundi Papam, qua ratione ab Episcopo absolui possit.

Leuiter clericum percutientes absolui possunt ab Episcopo.

29 *An Episcopi ex Tridentino possint absoluere quoscumque percussores clericorum occultos.*

An regulares priuilegiati possint absoluere ab excommunicatione ob enormem percussionem clericorum quando est occulta? Refertur duplex sententia.

1 MAteria canonis *si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4.* est sacrilegium, quo manus violenta in clericum inijcitur. Et quoad personas est vniuersalis; quoad actiones verò, non est principalis, nimirum, manus violentas in clericum inijcere suadente Diabolo. Accessoriæ sunt mandare, dare consilium, auxilium, vel fauorem, vt ex alijs canonibus habetur, *cap. Sicut dignum. de homicid. cap. Mulieres, cap. Quanta, de sentent. excommunic.*

Côc. Tr.

2. Dubium est, an clericus prima tonsura initiatus aut in minoribus constitutus, si non incedat in habitu & tonsura & non obseruet requisita Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 6. de reform.* priuilegio huius canonis gaudeat? Quidam probabiliter negant, quia priuilegium fori difficilius amittitur, quam priuilegium Canonis; ergo si Concil. Trident. aufert illis clericis fori priuilegium, dicendum est etiam auferre priuilegium canonis, tanto magis, quia priuilegium canonis ex humano iure indultum est, priuilegium verò fori ex diuino. Ita Suarez *de censur. disp. 22. sect. 1. num. 11.* Bannez *in 2. 2. quæst. 12. art. 1. prope finem.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 5. num. 4.* Nihilominus affirmatiua sententia est tenenda, cùm fulciatur declaratione Sacræ Congregationis apud Comitolum *in resp. Moral. lib. 6. quæst. 20.* Probatur, quia iure communi clerico in minoribus constituto concessum erat priuilegium Canonis, tametsi alicui Ecclesiæ seruitio addictus non fuerit, neque in aliqua schola ex licentia Episcopi versaretur. At Tridentinum solùm restrinxit priuilegium fori; ergo priuilegium Canonis sub dispositione iuris communis relictum est, cùm sint hæc priuilegia omninò distincta; sed ius antiquum determinat clericum non deferentem habitum, & tonsuram non amittere priuilegium Canonis, nisi trina monitione præmissa, vt *in cap. Contingit il 2. de sent. excommun.* vel ex alio capite priuilegio clericali priuatus sit. Ergo Concilium Tridentinū tantùm clericis aufert priuilegium fori: Et casus non expressus habetur pro omisso, quando lex de aliquo disponit. Hanc sententiam sustinent Molina *de iustit. tract. 3. disp. 54.* Nauarrus *lib. 5. consil. 25. de priuil.* Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 23. num. 3.* Auila *de censur. part. 2. cap. 1. disp. 2. dub. 9. conclus. 3.* & alii quos citat & sequitur Diana *part. 3. tract. 5. res. 82.* Vnde secundum hanc opinionem percutiens clericum qui non habet beneficium, neque requisita Concilii Tridentini incidit in censuram huius canonis.

Suar. Bannez. Layman

S. Côgr Comitolus.

Molina. Nauarr. Palaus. Auila. Diana.

3. Clerici, qui deserto habitu clericali grauibus criminibus, vtpote tyrannidi & seditioni, alijsque facinoribus se inuerecundè immiscent, excluduntur ab hoc priuilegio Canonis, ex *cap. Perpendimus, cap. Cum non ab homine, de sent. excomm.* Idem dicendum a fortiori, si in crimen assassinii inciderint, iuxta *cap. 1. de homicid. in 6.* quia sunt spoliati tales omni priuilegio clericali, & sine alia degradatione occidi possunt, aut verberari sine excommunicatione, vel alia pœna, & tradit Syluester *verb. Assassini q. 3.* Clarus *§. fin. q. 36. n. 30.* Clerici verò excommunicati, suspensi, interdicti, vel depositi verbabiliter tantùm, aut irregulares gaudent priuilegio huius Canonis, vt patet ex *cap. intelleximus, de iudicijs.* Non autem clerici hæretici, aut schismatici, nam cum hi delinquant in legem Ecclesiæ, non debent lege Ecclesiæ iuuari. Vt docent communiter Doctores *in cap. contingit 1. de sent. excom.* Gaudeat etiam hoc priuilegio clerici ordinati per saltum, vel ab alieno Episcopo absque dimissorijs, vel cū dimissorijs falsis, nam tales verè recipiunt ordinem, quamuis maneant suspensi ab illius exequutione. Vt docet Marchinus *de ordin. tract. 2. part. 1. cap. 15. diffic. 11.* Contra Bonacinam negantem hoc priuilegium ordinato ab alieno Episcopo.

Syluest. Clarus.

Marchin. Bonac.

4. Vt clericus coniugatus gaudeat priuilegio fori & Canonis; Secundùm plurimorum sententiam tria copulatiuè requiruntur, scilicet habitus clericalis, tonsura & seruitium Ecclesiæ ex mandato Episcopi, quorum alterū si deficiat, absque alia monitione gaudere non potest prædictis priuilegijs, supposito etiam, quod contraxerit cum vnica & virgine, vnde hæc tria copulatiuè requiruntur. Ita Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 46. num. 1.* Coninch *disp. 14. n. 158.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 3.* Nihilominus alii existimant dictam conditionem seruitii Ecclesiæ esse additam à Tridentino ratione priuilegii fori, de quo ibi est sermo, & proinde quod illius dispositio minimè extendenda sit ad hoc priuilegium Canonis. Ita Auila *de cens. p. 2. cap. 5. dub. 11. concl. 2.* Megala *in 3. p. instruct. Confess. lib. 4. q. 5. num. 37.* etiam probabiliter.

Sanchez. Coninch Laym.

Auila. Megala.

5. Certum est apud omnes, quod non solùm cooperans auxilio, vel consilio ad percussionem clerici, in hunc Canonem incidit, sed etiam prohibere debens & valens, si non obuiat & protegit ne verberetur, si ad id teneatur ex officio & iustitia, ex *cap. Quanta, de sent. excomm.* vt sunt officiales, Superiores, eorum ministri, patres, tutores, curatores, heri; Pædagogi, Parochi, & similes, & è contra eorum filij, pupilli, famuli, mancipia & Parochiani. Ratio est, quia ille consensus in percussionem clerici cēsendus est hac excommunicatione puniri, qui secundùm moralem æstimationem consilium, aut auxilium esse reputatur, vt constat ex illis verbis: *Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare.* Notandum tamen vt hæc censura incurratur non impediendo percussionem clerici, quatuor copulatiuè debent concurrere. *Primò*, vt teneatur quis ex officio. *Secundo*, vt possit impedire sine iactura & periculo vitæ, honoris, aut bonorum. *Tertio*, vt possit commodè impedire, nam non dicitur posse aliquid fieri, nisi commodè fieri potest. *Quarto*, vt offensio clerici sit manifestè iniusta, alias non teneretur. Sed quia textus supra absolutè & sine restrictione loquitur de ijs omnibus, qui manifesto facinori desinunt obuiare, cùm possint, ideo quidam Doctores putant, omnes ad hoc teneri sub pœna huius censuræ, etiamsi teneantur tantùm impedire ex charitate, & maximè si non prohibent dolosè, hoc est, quādo ex intentione nolunt obuiare, secus si hoc non faciunt dolosè, sed quia nolunt se immiscere rumoribus, vel ex timore, vel ex negligentia. Ita Sayrus *lib. 3. cap. 26. n. 24.* Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 56.* & alij penes ipsos.

Suar. Sayrus.

6. Percutientes clericum causa correctionis, excommunicationem non incurrit, *cap. cum voluntate, de sent. excomm.* modò percutiens ad id legitimam habeat facultatem & iurisdictionem. Dubitant tamen Doctores, an Pater correctionis causa posit percutere filium clericum in sacris constitutum? Et quidem pro parte negatiua potest dici, quod indecens esse videtur clericum in sacris cōstitutum a Patre laico verberari & præsumendum non est iura huic rei patrocinari velle: Et cùm ius commune prohibens clerici percussionem fauorabile sit Ecclesiastico Ordini, restringi non debet, nisi expressam in iure exceptionem reperiamus; nullibi autem expressum est, quòd Pater filios clericos in sacris constitutos, absq. metu censuræ castigare posit; sed solùm minoribus gradibus constitutus adolescentes conceditur in prædicto *cap. Cum voluntate* Patrifamilias posse punire correctionis gratia, ergo tacitè denegatur potestas puniendi cùm sunt maioribus ordinibus insigniti. Propter has rationes negatiuæ sententiæ adhærent Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 8.* Molina *tract. 2. disp. 228. & tract. 3. disp. 56.* & alij probabiliter. Communior tamen sententia sustinet posse. Ratio est, quia Pater maiorem in filium potestatem habet, quam magister in discipulum: atqui *in cap. 1. & cap. ex tenore, de sentent. excommun.* absolutè & sine restri-

Laym. Molina.

restrictione significatur, magistrum ab excommunicatione immunem esse, si discipulum correctionis causa percutiat, ergo idem de Patre sentiendum est erga filium. Tum quia Patri quoad correctionem sui subsunt liberi: Sacerdos filius est nec à charactere ius sibi prætexere vllum potest vi cuius à patria potestate sit liber. Ita Suarez *disp.22.sect.1.num.49.* D. Antoninus, Syluester, Nauarr. Filliucius ConincK & alij quos refert & sequitur Diana *part.9.tract.4.resol.1.*

Suarez. D. Antõ. Syluest. Nauarr. Filliuc. Coninc. Diana.

7 Ratam habens percussionem clerici etiam post factum, censuram huius canonis incurrit, vt habetur *in c. Cum quis, de sent. excommunic. in 6.* his verbis. *Cum quis absque tuo mandato manus inijcit in clericum tuo nomine violentas: si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris, cùm ratihabitio retro trahatur & mandato debeat comparari. Si verò iniectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc licet pecces ratam habendo, non tamen propter hoc excommunicationis vllius vinculo innodaris; cum quis ratum habere nequeat, quod eius nomine non est gestum.* Tamen vt ratum habens hac censura ligetur tria requiruntur. *Primum* vt delictum sit commissum nomine suo, alioquin illud ratificare non potest. *Secundum*, vt verè ratum habeat, id est, vt approbet factũ nomine suo; nã si tantùm non doleret, vel gauderet quod sit factum, non diceretur ratum habere. *Tertium*, vt tempore quo fuit commissum delictum, fuerit ipse habilis ad committendum illud; nam cùm ratihabitio retrotrahatur ad tempus priusquam fuerat commissum delictum, necessario requiritur, vt tunc temporis ratum habens fuerit habilis ad mandandum; vnde si erat tunc infans vel amens ratum habere non potest. Vide Auilam *de censur. part.2. cap.5. disp.3. dub.9.* Megalam *in 3. part. inst. Confess. lib.4. cap.1. quæst.1.*

Auila. Megalã.

8. Difficultas est, an mandans vel consulens percussionem clerici, incidat in hunc canonem, si ante percussionem pęniteat & conteratur, posito quod non possit reuocari mandatum nec consilium? Affirmant quidam, Ratio illorum est, quia iste in eo casu est absolutè volũtarius percussor clerici; quia adhuc non reuocato mandato, reuera influit moraliter in talem percussionẽ, nec talis influxus tollitur ex sola interna contritione peccati: ergo quòd peccatum propter quod censura fertur remissum ei sit, non sequitur quominus in hoc casu excommunicatio incurratur. Ita Sanchez *lib.1. Summ. c.16. in fin.* Cornejo *in 3. par.* D. Thom. *tract.5. de excommunic. disp.3. dub. vlt.* & alij. Secunda sententia asserit censuram non incurri ab hoc in foro conscientiæ. Ratio est, quia excommunicatio non potest contrahi absque peccato vel contumacia, sed stante hac pęnitentia, tempore quo percussio sequitur, non adest nouum peccatum neque noua contumacia, ergo censura hæc non incurritur. Hæ duæ sententiæ sunt probabiles, vt de posteriori testatur Bonacina *disp.1. de censur. in genere quæst.1. punct.6. num.6.* Auila *de cens. part.2. cap.3. disp.3. dub.7 conclus.2.* Duardus *lib.2. in Bulla cœna canon.9. quæst.5.* & *can.21. q.13.* Cæterum quoad forum externum sufficit causa libera data & effectus, vt vult prima sententia; sed pro foro interno non sufficit, sed requiritur peccatum, vel perseuerantia in peccato, siue contumacia; cùm omnis censura, vt censura, sit pœna medicinalis, vel peccati, vel contumaciæ. Vide quæ diximus in simili *tom.1. vers. Casus reseruatus num.40. §.10. vers. maius dubium.*

Sanchez. Cornejo. Bonac. Auila. Duardus

9. Qui notoriè consuluit, vel mandauit, aut ratam habuit, vel non impediuit percussionem clerici, non est vitandus, sicut notorius percussor, sed priùs debet nominatim denunciari vt excommunicatus. Ratio est, quia sicut consulens, mandans, &c. nõ incurrissent hanc censuram ex dispositione Canonis *si quis suadente*, nisi Sũmi Pontifices per iura specialia id expressissent; ita etiam dum Concilium Constantiense iubet nos debere euitare duntaxat notorios percussores, in eius dispositione non includuntur consulens, mandans, ratum habens, &c. tum quia in odiosis verba sunt strictè ad litteram intelligenda tum quia istæ causæ tunc incurrunt, quando efficaciter influunt in effectum; & ideò licet possit esse notorium consilium, mandatum, ratihabitio, &c. non potest tamen esse notorius ipse influxus efficax, qui est causa immediata incursus in ipsam excommunicationem, nisi præcedenti legitima probatione. Et hanc sententiam sustinet Leone *de censur. recollect.5. num.335.* cui adhæret Diana *p.9. tract.4. resol.18.*

Leone. Diana.

10. Cùm defensio non solùm propria, sed cuiusuis innocentis licita sit, hinc in censuram non incidunt qui in defensionem sui vel alieni corporis, honoris, famæ & bonorum fortunæ clericum aggressorem detinent, vel percutiunt: quia hæc non est vis & violentia, sed defensio. Vt deciditur in *cap. si verò cap. ex tenore de sentent. excomm.* quod tamen intelligendum est, dummodò moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur. Dicitur autem moderamen inculpatæ tutelæ, quãdo quis agit illud, sine quo aliter se, vel alios, vel res suas, vel alienas defendere non potest. Prudentis autem viri arbitrio relinquitur iudicãdum in quo consistat dictum moderamen, seu quando in eo censeatur factus excessus grauis ad finem incurrendi hanc excommunicationem, si cõsideratis circumstantijs loci, temporis, personarum, &c. quis contra aggressorem clericum modo faciliori vel benigniori defendere se non posse, rationabiliter existimauerit.

11. Ignorantia aliquando excusat ab incursu huius censuræ, vt patet in eo qui clericum percutiens arbitratus est esse laicum, qui habitum & tonsuram non gestabat. Cæterùm, si quis existimet esse Ioannem Clericum, quem percutit, cùm sit clericus Iacobus, censuram excommunicationis non effugiet. Contra verò dicendum, si quis volens percutere hunc clericum, ab eo aberret, & casu, siue pręter intentionem percutiat alterum clericum proximè adstantem, talis enim excommunicationem non incurrit. Ratio discriminis est, quia in priori casu voluntariè percutit hominem quem scit esse clericum, in quo tota ratio consistit ob quam Canonis excommunicatio lata est, in posteriori autem casu voluntariè non percutit hominem, quem scit esse clericum, siquidem à clerici volita percussione aberrauit: alium autem hominem, qui fortè adstabat & clericus erat præter intentionem ac inuoluntariè percussit. Ita Suarez *disp.22. sect.1. nu.54.* ConincK *disput.14. dub.15. num.197.* Non est tamen improbabile in priori casu, quo quis existimat se percutere Ioannem clericum, & percutit Iacobum clericum, censuram hanc non incurri. Ratio est, quia sufficienti adhibita diligentia, ne percuteretur alia persona, nisi Ioãnes, actio illa exterior respectu Iacobi non fuit voluntaria, sed merè casualis & inculpabilis, & proinde non inducit censuram, cùm non fuerit causa illius.

Suarez. Coninc.

12. Clericum capiens per capillos seu Barbam, vel Monachum per Capucium, eique dicens, nisi esses Clericus vel Monachus te percuterem vel occiderem, censuram huius Canonis incurrit; quia ad hunc effectum non requiritur actio physicè tam releuans vt sit peccatum mortale; sed sufficit eam esse contra immunitatem corporis proprij, seu contra ius quod vnusquisque habet in corpus suum, vel vt sit grauis contra honorẽ, dummodò corpus attingatur. Ex quo fit, quamuis contactus physicè consideratus leuissimus sit, si tamen, secundùm moralem æstimationem, sufficiat ad grauem iniuriam contra honorem & reuerentiam clerico debitam, fit satis ad hanc censuram incurrendam. Ita Graffijs *lib.2. 1.p. cap.49. nu.17.* & *tom.2. consil.1. de sent. excomm. n.8. & 13.* Molina *tom.4. de instit. disp.57.* Leone *de censur. recollect.5. num.145. & seq.* Contra Bordonum *in cons. regul. resol.28.* qui talem excusat à censura.

Graffijs. Molina. Leone. Bordon.

13. Si duo clerici vel religiosi per iocum, siue iocando se inuicem percutiant, non incurrunt censuram huius Canonis, *cap.1. de sentent. excomm.* etiamsi in ioco sit excessus & pariter in percussione, modò excessus ille ad peccatum mortale non perueniat. Potest enim cum aliquo motu irę non plenè considerato percussio incępta à ioco, deuenire ad solum peccatũ veniale, ex defectu plenæ aduertentiæ: Imò potest contingere aliquando actum eundem numero materialiter in initio esse primò primum, ita vt nec sit peccatum veniale; deinde lucescente aliquantulum magis ratione, potest idem actus esse peccatum veniale adhuc deficiente plena consideratione: Deinde affulgẽte magis rationis radio potest idem actus esse mortale peccatũ propter iam plenam aduertentiã. Et

hæc omnia possunt contingere in percussione incipiente per iocum maximè si fiat excessus in percussione non consueta in ioco: & talis poterit inde oriri stimulus conscientiæ, vt pro foro conscientiæ ad cautelam petenda sit absolutio, Ita Portel *in dub. regular. verb. manus violenta in addit. nu.* 4. Portel.

14. Monialis procurans sibi abortum potione vel pugnis, hanc excommunicationem non incurrit: quia manus hæc, licet sit violenta naturæ, non tamen est violenta personæ consentienti, nec iniuriosa statui Ecclesiastico: quia non sibi, sed fœtui iniuriam irrogat. Ita Caiet. *verb. excommunicat. cap. 20. notab.* 3. Iacob Gordonus *in Sum. tom. 2. lib. 7. quæst.* 13. §. 3. *num.* 33. & alij communiter. An autem idem dicendum sit de extraneo dante potionem moniali ad abortum faciendum, sequuto effectu? Resp. Probabilem esse affirmatiuam sententiam, iuxta dicta *tom. 1. verb. Excommunic. VII. §. vnic. num. 2. vers. Petes secundo.* Caiet. Gordon. Contrarium tamen non est improbabile nempe, extraneum dantem potionem moniali ad abortum, incidere in excommunicationem huius canonis, secuto effectu: quia fœtus est pars ventris & viscerum matris, quia fœtus mortuus cum matre sepelitur, ergo læditur tum fœtus, tum ipsa monialis. Quod confirmat. ex eo quod tangens solùm vestimentum quo clericus actu induitur, sed etiam equum vel inhærentia equo cui insidet, incidit in excommunicationem; ergo multò magis abortire faciens monialem; cùm non adhærentia moniali, sed partem naturalem ipsius lædat; & sic non naturæ sed personæ religiosæ fit violentia, & corporalis læsio. Ita Bordonus *in consil. regular. tom. 1. resolut.* 28. *num.* 10. Bordon.

15. Mandans, censuram huius canonis incurrit, etiãsi mandatum non sit expressum, sed tacitum, vt si quis offensus ab aliquo clerico, diceret coram amicis, vel familiaribus, se desiderare vindictam de tali iniuria, præuidẽs aut præuidere debens inde eos fore excitandos ad eum percutiendum. Ratio est, quia ille est causa moralis talis percussionis, & excitat, & mouet, & virtualiter mandat, Ita Suarez *disp. 22. sect. 1. num.* 55. Carolus de Grassis, *de effect. cleric. effect.* 9. *num.* 35. Suarez. Grassis. vt autem hic esset liber ab excommunicatione, deberet affirmare se non dicere eo animo vt percutiant, & quod nõ desiderat, quod ipsi percutiant. Probatur argumento *cap. penul. de homicidio in 6.*

16. Quandonam percussio dicenda sit leuis, grauis, & enormis, sequentia notanda sunt. *Primò*, Percussio erit leuis, quæ fit pugno, id est, palma, baculo, vel lapide & vbi nullum membrum secatur, aut dens euellitur, nec multum sanguinis effunditur, Ita Nauar. *in man. cap. 27. nu.* 91. Nauar. Nihilominus hoc non est semper verum, nec circa hoc dari potest certa regula; proinde iudicio boni viri; seu prudentis iudicis, iudicanda est leuis percussio ex circumstantijs personarum, locorum, temporum & ex modo percutiendi ac lædendi. Si enim clerico solemniter ministranti in altari quis leuiter manus iniecerit, non erit leuis sed atrox percussio facta clerico etiam leuiter, vel in Ecclesia, vel in platea, ex quo fuit notoria. Notandum tamen in hac materia non intelligi per leuem percussionem, illam, quæ non peruenit ad peccatum mortale, cùm ob eam, quæ non est mortifera non incurratur hæc excommunicatio, Sed ea leuis in hac materia censetur, quæ licet mortifera sit respectu tamen aliarum percussionum mortiferarum, nec enormis est, nec mediocris. Vnde communiter percussio quæ fit à Magistro, Prælato, Patre Domino in discipulum, clericum, filium, aut seruum, leuis censetur.

Mediocris seu grauis est illa, quæ media est inter leuem & enormen, & quæ ex varijs etiam circumstantijs pensanda est, de qua cognoscit is, qui de enormi iudicare debet, vnde non est necesse recurrere ad Papam ad hoc iudicium habendum, sed Episcopus, vel Prælatus arbitrari debet & potest; quia ex quo eis conceditur certis casibus absolutio, cognoscere possunt, an eorum sit iurisdictio, arg. *c. super litteris, de rescript. & in l. si quis ex aliena, ff. de iudic.* cauere tamen debent sibi in hac re, ne leuem dicant, vbi est enormis.

Enormis autem percussio illa dicitur, quæ peruenit ad occisionem, aut mutilationem membri, aut ad effusionem oculi, aut alicuius læsionis excessum, quo quis inutilis reddatur ad munus suum obeundum, aut si multum sanguinis effundatur, ita vt vulnus notabile illatum, sit quod desiderat remedium Chirurgiæ, aut aliorum Medicinalium, non tamen, vbi sanguis è naribus solum efflueret. Item si laicus officialis auctoritatiuè percutiat clericum. Aut si quis iniiciat manum in Episcopum, vel Abbatem, vel etiam Priorem, qui est caput Monasterij, vel est eius vices gerens. Item si in Sacerdotem sacris vestibus indutum manus inferantur. Item si Monachus percutiat clericum sæcularem, modo inde scandalum sequatur. Item enormis erit ex irreuerentia, nempe si in conspectu Prælati, aut Iudicis percutiatur clericus. *Instit. de iniurijs, §. atrox.* Item ex loco, vt si in Ecclesia, cæmeterio, vel dormitorio, vel platea *argument. cap. pro causa, de sentent. excommunic. & c. quisquis,* 17. *quæst.* 4. Item ex loco vulneris, puta si sit vulneratus in oculo, aut facie. Item ex facti notorietate, præsertim si percutiatur clericus in magno aliquo concursu, puta in foro, in magna festiuitate, aut in nundinis, vel mercatu celebri. Nauarrus Nauarr. tamen existimat *in man. c. 27. n.* 92. non esse dicendam semper percussionem enormem, quæ fit in locis publicis, aut in Ecclesia aut cæmeterio, vel dormitorio, aut in præsentia Iudicis, aut quæ fit in oculo, vel facie, nisi quando percussio est grauis, vel in se notabilis, vel quando ex ea magnum oritur scandalum. Cuius opinio quamuis satis Molina. Syluest. Sayrus. Palaus. probabilis sit, contraria tamen est communior, & in conscientia tutior. Vide Molin. *tr. 3. disp.* 57. Syluest. *verb. Absolutio quarto, in princ.* Sayr. *libr. 3. cap. 28. numer quarto, & seq.* Paulum *tom. 6. disput. 3. punct.* 23. § 4 & alios penes ipsos.

17. Difficultas est, quando dubium occurrit, an percussio sit leuis vel mediocris, vel enormis, iudicandum sit Sanch. Bordon. esse grauem? Videtur posse Prælatum iudicare illam leuem, ne se priuet sua iurisdictione, qua in dubio nemo tenetur se spoliare: sicut dubitans an aliquis casus sit reseruatus, potest resoluere non esse reseruatum. Ita Sanchez *lib. 1. moral. c. 10. n.* 74. quem sequitur Bordonus *in consil. regular. resol. 28. n.* 45. Verùm quia contra illos stant communiter Doctores ab affirmatiua sententia non est discedendum, nempe Prælatum potiùs debere inclinare percussionem fuisse grauem & enormen, quam leuem, ne præbeatur occasio lædendi statum Ecclesiasticum, & ne iniuriantes, de vicina absolutione confisi de facili in atroces prorumpant percussiones. Ita Sayrus *lib. 3. c. 28. n.* 6. Sayrus. Suarez. Molina. Diana. Suarez *de censur. disp. 22. sect.* 1. Molina *tr. 3. disp.* 57. Diana *p. 9. tr. 4. res.* 46. & alij communiter.

18. Ab excommunicatione contracta ob grauem & à fortiori ob enormem clerici percussionem, iure communi nullus alius præter Pontificem, eiusve Legatum absoluere potest, vt *in cap. si qui suadente* 17. *quæst.* 4. habetur. Exceptis aliquibus casibus in iure expressis qui casus & personæ in his versibus continentur:

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Deliciosus, inops, ager senesque, sodalis,
Ianuor, astrictus, dubius, causa, leuis ictus,
Debilis, absolui sine Summa sede merentur.

Primus casus continetur in verbo *Regula*, hoc est, si regularis verberet regularem eiusdem Monasterij, absolui potest a suo Prælato, modò percussio fuerit leuis & mediocris, nam enormis reseruatur Papæ, *cap. Monachi, de sent. excommunic.* Et licet ibi non distinguatur de leui & enormi; tamen *cap. cum illorum* 32. *& cap. canonica* 50. *eodem tit.* etiam de intellectu dicti capitis venit solum leuis ac mediocris. Quia si esset enormis, nec Abbas suos Monachos, nec Episcopus suos clericos absoluere posset, nisi in casibus, in quibus Papam adire nequeunt, sed tantùm à Papa absolui possunt. Verum hodie religiosi ferè omnes priuilegia habent, vt etiam ab enormi absolui possint à Prælatis suis, ne alioquin, si ad Papam mittendi essent, occasio vagandi illis tribueretur; & hoc siue in claustro, siue extra, siue re- Cle. IV. Rodriq. Miranda ligiosos proprij Monasteris siue alieni percutiant. Vt patet ex concessione Clementi IV. apud Rodriquez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 20. art.* 12. Miranda *tom. 2. quæst. 35. articul.* 24.

19 De

19. De iure communi Prælatus suum subditum percutiens nisi percussio ex alio capite enormis sit, à Superiore suo intra Religionem absolui potest, quia percussio subditi de se non est ita grauis, vt propter eam semper Apostolica Sedes adiri debeat. Quod si proprium Superiorem non habeat, ab Episcopo absolui poterit. Vt habet textus *cap. Monachi, de sent. excomm.* Si verò Abbas percutiat religiosum non sibi subditum, absoluendus esset à Prælato religiosi percussi, vt constat *cap. cùm illorum, de sent. excom.* Virtute tamen priuilegiorum ipsi Prælati pro quantumuis enormi percussione religiosorum, vel etiam clericorum sæcularium à Prælatis suæ Religionis absolui possunt: non enim sunt peioris conditionis, quàm subditi, cùm sint principale membrum Religionis. Imò non solùm à Superioribus Prælatis absolui poterunt; verùm etiam licebit eis, etiamsi conuentuales Prælati sint eligere sibi confessarium, qui eos absoluat ab omnibus censuris & casibus, à quibus ipsi proprios subditos absoluere possunt. Ita Suar. *de relig. tom. 4. tr. 8. libr. 2. cap. 23.* Diana
Suarez. *p. 9. tr. 4. resol. 49.* Rodriguez *loco cit.* Mirand. *in pr. concl. t.*
Diana. Rodriq. *versicul. aduertendum est*, quia hi Prælati ex priuilegio
Miranda *cap. vltim. de pœnitent. & remiss.* possunt sibi confessarium eligere præter suorum Superiorum licentiam, vt diximus alibi.

20. Si religiosus vnius Monasterij religiosum alterius percutiat, iure communi non potest à proprio Prælato absolui, sed à Prælato illius religiosi, in quem manus violentas iniecit, *c. cum illorum, de sent. excomm.* Et hoc procedere videtur, siue illa Monasteria sint diuersorum Ordinum, siue eiusdem, & satis est, vt percutiens & percussus diuersos habeant Superiores: si tamen essent eiusdem Ordinis, possent à Prouinciali, vel Generali, aut alio cō-
Layman muni Prælato absolui. Ita Layman *lib. 1. tr. 5. par. 2. cap. 5.*
Sayrus. Sayr. *lib. 3. cap. 28. num. 11.*

Sed quid si religiosus percutiat sæcularem clericum? Resp. quòd ex vi *c. Monachi*, non potest à proprio Prælato absolui, sed ad Sedem Apostolicam recurrere debet, vt declaratur *in c. cum illorum*. Ex dispositione autem *c. Religioso, de sent. excom. in 6.* potest religiosus ab Episcopo absolui, in eo casu tantùm in quo clerici sæculares, si aliquem clericum sæcularem percussissent, absolutionem obtinere possent, nempe quando percussio est leuis. Secus dicendum est, de iure priuilegiorum, quia vt diximus supra, Prælati regulares possunt absoluere suos regulares subditos ab excommunicatione propter iniectionem manuum violentarum in clericum, etiamsi sit Sedi Apostolicæ reseruata, vt tradunt Bordon. *in consil.*
Bordon. *regular. tom. 1. resol. 28. nu. 50.* Castrus Palaus *tom. 6. disp.*
Palaus. *3. punct. 23. §. 4. num. 10.* & alij.

21. Certum est apud omnes, Superiores Regulares posse absoluere nouitium ab excommunicatione incursa propter percussionem clerici ante ingressum Religionis. Difficultas est, si contingat nouitium, qui in hunc Canonem incidit, egredi à Religione nondum facta professione, an reincidat in eandem excommunicationem? Resp. ex communiori sententia reincidere; nisi se præsentet ei, à quo fuisset absoluendus. Nam propter fauorem Religionis, & sic ob temporale impedimentum, ne scilicet vagaretur, quod in nouitio tanto periculosius est, quanto est infirmior & minùs expertus, absolutus fuit: vnde remanet onus se præsentandi. Ita Sayr. *lib. 3. c. 28. n. 15.* Castr.
Sayrus. Pal. *loc. cit.* Molin *tract. 3. disp. 60.* Diana *p. 9. tract. 4. res. 51.*
Palaus. Molina. & alij. Quamuis Bordon. *in cons. regul. tom. 1. resol. 28. nu.*
Diana. *56.* sustineat non reincidere, quamuis non se præsentet
Bordon. Ordinario, cui erat subiectus: siue absolutus fuerit virtute iuris *c. cùm illorum, de sent. excom.* siue iure priuilegiorum. Probat primum, quia ibidem simpliciter datur hæc facultas nullo respectu habito ad perseuerantiam, aut recessionem. Alterum probat, quia nouitij priuilegijs vtuntur more professorū, quibus sunt concessa simpliciter, & non sub conditione si remanserint. Tum quia priuilegia, in quibus fit mentio de ipsis nouitijs, non ponūt clausulam reincidentiæ, nisi priuilegium Clem. IV. apud Rodrig. *supr.* vbi ponit reincidentiam solùm quando absolutus fuit ante ingressum & receptionem habitus, & non
Cle. VII. intrauit mox Ordinem, proinde non reincidet si absolua-
Paul. III. tur virtute priuilegij Clementis VII. concessi Prædicato-

ribus, vel Pauli III. Societati IESV. Ita Bordon. Sed tu Lector Iudica.

22. Secundus casus continetur in Verbo *Mors*, quando scilicet, qui percussit, est in periculo mortis, quòd accidit non solùm propter infirmitatem, sed etiam si quis sit in quocumque periculo vicino morti, quo casu à quocumque Sacerdote absolui potest. Vt pluribus in locis diximus tomo primo.

Tertius casus continetur in Verbo, *Sexus*, Mulieres enim cuiuscumque conditionis sint percutientes clericos, ex quauis percussione, absolui possunt ab Episcopo, ex *cap. Quamuis, cap. Mulieres, & cap. ea noscitur, de sentent. excomm.* quia in ipsis semper periculosum est vagari. Quod multò magis procedit in monialibus, non solùm vt mulieres sunt sed etiam quia communiter profitentur perpetuam clausuram.

Quartus casus continetur in verb. *Hostis*, quando, scilicet, quis inimicitias habet capitales, vel alias iustas excusationes, propter quas non potest se Sedi Apostolicæ sine periculo vitæ repræsentare; de quo periculo stabitur boni & prudentis viri arbitrio, *cap. de cætero, c. quod de his, de sent. excomm.*

23. Quintus casus continetur in Verb. *Puer.* Impuberes enim pueri & sic minores quatuordecim annis & puellæ puberes incidentes in hunc canonem, possunt absolui ab Episcopo Diœcesano, dummodo sint doli capaces: & hoc siue ante, siue post pubertatem absolui postulent, nec tenentur se Sedi Apostolicæ postea præsentare: quia beneficium semel indultum minori, ex quo cœpit habere locum, non extinguitur per ætatem maiorem superuenientem, istos enim excusat ætas à labore itineris, vt habetur *in cap. 1. cap. quamuis & cap. fin. de sentent. excommunic.*

Sextus casus continetur in Verb. *Officialis.* Hinc Ianitor, seu Ostiarius, qui prætextu sui Officij, percutit clericum etiam animo iniuriandi, absolui potest ad Episcopo, quamuis percussio grauis sit, modò enormitatem non attingat, colligitur ex *c. si verò 1. de sent. excomm.* Idem dicendum de Heluetijs arcentibus turbam dum Pontifex, vel alius Princeps egreditur, si animo maligno, & ex proposito, non fortuito casu, percutiant clericum.

Tamen, si officialis laicus arrogando sibi iurisdictionem, & quasi id licitè præstare posset, & non ad defensionem Ostij sibi commissi Ecclesiasticum percuteret, nequaquam absolui posset ad Episcopo; estò percussio quoad læsionem corporis leuis sit. Ratio est, quia percussio clerici titulo iurisdictionis & auctoritatiuè facta ab officiali laico, semper est grauis & atrox ex circumstantia personæ lædentis, nempe quod, cùm sit laicus officialis, auctoritatiuè percussit clericum, vnde talis semper est remittendus ad Papam pro absolutione, exceptis casibus legitimi impedimenti, vt colligitur *ex cap. si verò, §. Officialis de sentent. excommunicat.* Ita Caietanus *in* Caietan.
Summ. verbor. Excommunicatio cap. 10. vers. Decimum circa. Notant tamen Doctores, quod quando isti Ianitores & officiales absoluuntur ab Episcopo ob percussionem non enormem, vigore seu beneficio iuris in hoc textu contenti, non esse illis iniungendum onus se præsentandi postea Sedi Apostolicæ, quia talis fauor in prædictis iuribus conceditur prædictis personis, non ratione impedimenti temporalis, sed ob rationem specialem personæ tali modo viuentis, vel tale munus exercentis. Vt docent Suarez *disputatione vigesima secunda, sectione prima, de censur.* Molina *tractat. 3. disp. 62.* Gordonus Suarez. Molina.
in Summ. tom. 2. libr. 7. quæst. 13. §. 5. numer. 46. & alij Gordon.
penes ipsos.

24. Septimus casus continetur in Verbo *Deliciosus*. Deliciosi autem dicuntur nobiles & magnæ potentiæ viri & ita delicati, vt laborem eundi ad Romanam curiam sustinere nequeant, vt decernitur *in cap. Mulieres, de sentent. excommunicat.* Hi tamen antequam ab Episcopo seu ab alio inferiori absoluātur à reseruatis Papæ, est informandus Summ. Pontifex explicando ei statum personæ & veritatem negotij, & secundùm eiusdem consilium erunt de commisso crimine corrigendi. Ad arbitrium autem Episcopi pertinet discernere, quis ita sit delicatus, vt non possit ad curiam ire, vbi id non

constat per euidentiam facti, vel etiam iudicium cuiusuis prudentis viri. Si periculum mortis sit in mora, cautio sufficiens ab eo est recipienda, quod Papæ consilio, vel responso patebit. Ita Suarez *de censur. disp.* 22. *sect.* 1. *nu.* 80. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 22. & alii.

Suarez. Sayrus.

25. Octauus casus continetur in Verbo *Inops*. Dicuntur autem pauperes quoad hoc priuilegium absolutionis obtinendæ ab Episcopo, etiam non mendicantes, carentes patrimonio ex quo se alere possint, videntes tantùm ex suo artificio, qui non tenentur ostiatim & cum verecundia sibi victum quærere in itinere: nam pauperes non solùm dicuntur mendicantes, sed etiam habentes congruam sustentationem, qui tamen attento statu & dignitate, videntur indigere: Item qui tenentur alere vxorem & familiam aut parentes suo labore, vel exercitio, non potentes id agere itinerando, neque ex proprijs bonis, quibus carent, neque alio modo; vel qui habet multas filias nubiles, quibus dotem dare debet. Vbi autem quis solitus est mendicare, si aliàs est sanus & robustus quamuis pauper, volunt Doctores etiam mendicando ad curiam ire oportere, vt absoluatur, nisi mendicando soleret sibi & vxori prouidere, & iter agendo id præstare nequeat. Cæterum quis dicendus pauper, quæve paupertas censenda sit sufficiens impedimentum eundi ad sedem Apostolicam, relinquitur iudicio Episcopi, vel alterius viri prudentis, qui attenta personarum & circumstantiarum qualitate arbitrabitur, *Cap. quod quamuis, & cap. ea noscitur, de sentent. excomm.* Vide Farinacium *in praxi criminali qu.* 57. *nu.* 93. *& seq.* Syluestrum *verb. Absolutio* 4. *num.* 3. 6. 8.

Farinac. Syluest.

26. Nonus casus habetur in verbo *Aeger*, Infirmi namque seu valetudinarij aut præpediti quacumque alia impotentia corporis, incidentes in hunc Canonem, possunt absolui ab Episcopo, siue infirmitas incurabilis sit vel perniciosa, siue temporalis sit, nempe febris tertiana vel quartana, vel podagra. Infirmis accedunt membris destituti, vt sunt cæci, claudi, & alij multifariam membris impediti: & hi comprehenduntur in decimo septimo casu sub verbo *Debilis*. Secundùm notas in *cap. ea noscitur, de sentent. excommunicat.*

Decimus casus continetur in verbo *Senex*. Senes enim excusantur ab itinere in vrbem, & ideò per Episcopum possunt absolui: quia senes dicuntur infirmi & senectus ipsa est morbus: Dubium tamen est inter Auctores, quisnam dicatur senex? Quidam enim tenent senem eum, qui annum quinquagesimum attigit, vsque ad septuagesimum, & pro hac opinione faciunt quædam leges, quibus probatur excedentes quinquagesimum quintum annum, vt senes & maiores, à muneribus personalibus excusari. Alij existimant senem dici septuagenarium: Sed communis sententia habet, id iudicio iudicis, seu boni viri relinquendum esse, qui arbitrari debet iuxta qualitatem personarum: nam alij alijs citiùs senescunt iuxta variam temperamenti qualitatem. Probabile tamen est senes sexagenarios posse absolui ab Episcopo pro graui vel enormi clericorum percussione: nam licet in huiusmodi ætate nonnullis robur, & optima membrorum expeditio contingat, hæc tamen adeò lassitudini & infirmitati existit obnoxia, vt vix sine labore & periculo nedum viam perficere, verum neque proficisci valeant. Vide Dianam *part.* 9. *tract.* 4. *resol.* 60.

27. Vndecimus casus habetur in verbo *Sodalis*, clerici namque in eadem domo commorantes, simul viuentes & sub eodem tecto dormientes, ad Papam mittendi non sunt pro absolutione, sed ab Episcopo absolui possunt, modo percussio nō sit enormis, vt communiter tradunt Doct. ex *cap. Quoniam, de vita & honest. clericor.*

Diana.

Duodecimus casus continetur in verbo, *Ianitor*, de quo egimus supra in sexto casu, de officiali.

Decimus tertius casus habetur in verbo *Astrictus*. Astricti enim alterius potestati, ita vt sui iuris nō sint, quales sunt serui & filij familias & huiusmodi, absolui possunt ab Episcopo in duobus casibus. *Primò*, si delinquant in fraudem Domini, vel Patris-familias, vt eant Romam & se subtrahant obsequio debito Domino, vel Patri, recurrendo ad sedem Apostolicam pro beneficio absolutionis. *Secundò*, si Dominus vel Pater graue damnum patiatur propter absentiam; nisi excessus sit tam grauis & enormis, vel propter scandalum vitandum & tollendum aut exemplum aliorum, ad Sedem Apostolicam destinari debeant. Quando autem hi absoluuntur ab Episcopo, iniungenda est illis satisfactio aliqua pro recompensatione laboris in itinere, puta oratio, ieiunium, disciplina pro aliquo tempore. Idem dicendum de viro, qui in fraudem vxoris clericum percuteret & de liberto, qui in fraudem patroni sui in hunc Canonem incideret, vt Romam irent, quia non sunt sui iuris, & ex eorum absentia vxor & Dominus graue damnum incurrerent. *Ex cap. Relatum, de sent. excommun.* Hostiensi *ibidem* & Astensi *in Summ part.* 2. *lib.* 7. *tit.* 23. *argum.* 3. §. 1 t. Angelo *uerb. excomm.* 5. *nu.* 55. & alij. Hostiens. Astensis.

29. Decimus quartus casus continetur in Verbo *Dubius*, Is enim de quo fama publica est, quod clericū percusserit; etiam vitandus est, nisi ad arbitrium Episcopi se purgauerit, vel nisi ad cautelam absoluatur ab Episcopo suo, à quo in tali dubio absolui potest.

Decimus quintus casus habetur in Verbo, *Causa*, qui enim habet iustam aliquam causam, non eundi ad sedem Apostolicam, vel eius Legatum à latere, absolui potest ab Episcopo: modò satisfaciat clericis iniuriam passis; & iuret, quòd cessante temporali impedimento, præsentabit se Apostolicæ Sedi illius mandato pariturus. De huiusmodi autem legitimo impedimento arbitrabitur vir bonus, & prudens, *Argum. cap. de causis, de offic. deleg.*

Decimus sextus casus cōtinetur in Verbo, *Leuis ictus*, Percutiens enim leuiter clericum, potest absolui ad Episcopo iure communi, vt colligitur ex *cap. Peruenit, de sent. excommunic.* Et hi sunt casus in quibus Doctores tradunt excommunicatos ob clerici percussionem, posse ab Episcopo absolui.

29. Episcopi virtute Concilij Trident. *sess.* 24. *cap. de reform.* absoluere possunt percussores clericorum quoscumq; etiamsi possint recurrere ad Summū Pontificem, & ab omni alia excommunicatione, modò delictum occultum sit, neque ad forum contentiosum deductum. Cōc. Tr.

Eadem potestas competit etiam omnibus iurisdictionem Episcopalem habentibus.

An autem Regulares priuilegiati possint absoluere à percussione enormi clericorum, quando est occulta? affirmat Fagundez *de precept. Eccles. pracep.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 29. quem sequitur Pellizzarius *in man. regular. to.* 1. *a. tract.* 8. *cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 78. A quorum tamen doctrina recedit Diana *par.* 9. *tract.* 4. *resolut.* 65. cuius opinio habet locum pro Italia, non vero pro Vltramontanis: quia in his partibus regulares priuilegiati absoluunt ab omnibus cēsuris etiam Papæ reseruatis extra Bullam cœnæ, in vim concessionis factæ à Paulo III. Patribus Societatis IESV. Pro Italis autem facta est restrictio à Clemente VIII. in suo decreto, quod incipit *Sacra Congregatio*, sub dat. 26. Nouemb. 1602. in quo prohibentur Confessarij Regulares absoluere sæculares à quinque casibus contentis in ipso decreto, inter quos est, inijcientium violentas manus in Clericos iuxta Canonem *si quis suadente* 17. *quæst.* 4. ac iuris dispositionem. Vt diximus *suprà verb. casu reseruatus num.* 36. Fagund. Pellizza. Diana.

Vide *to.* 2. verb. Legatus *num.* 3. & 4.

EXEMPTIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit exemptio? & quotuplex?*
2 *An iure communi omnes regulares & alij clerici Episcopis subsint? & an exemptio Clericorum & Regularium à potestate seculari sit iuris diuini?* Refertur duplex sententia.
3 *An quando eximitur locus, exempta sint omnes personæ ad eum pertinentes, cum domibus & hortis?*
4 *Quæ sit forma, qua vtitur Pontifex ordinariè in exemptione concedenda.*

5 *An*

5 *An regulares Mendicantes ab Ordinario citati vt in iudicio compareant, teneantur coram ipso comparere? & quid dicendum quando exemptio non est ita notoria vt illa Mendicantium?*
6 *An regulares possint priuilegio exemptionis renunciare sine licentia Papæ?*
7 *In quibus casibus exempti subsint Episcopis?*

1. EXemptio importat libertatem, seu eductionem ab aliqua subiectione; aut seruitute, & in proposito nostro, *est quadam liberatio à potestate ordinarij inferioris à Papa stante subiectione immediata ad Romanum Pontificem. Cap. cùm persona, de priuileg. in sexto*, exemptus autem est, qui potitur exemptione, & qui non subest iurisdictioni Ordinarij, cùm solus Papa, vel Legatus à latere, possit cognoscere de causis contra exemptũ. Hæc exemptio alia est *personalis*, qua eximitur persona à quocumque iudice sęculari vel Ecclesiastico, ita vt à nullo delegato iudicari, excommunicari, interdici vel suspẽdi possit. Alia est *localis*, cùm idem priuilegium datur alicui loco, in eoque habitantibus, vt Ecclesiæ, aut monasterio. Alia est *vniuersalis*, qua Ecclesia vel persona cum vniuersalitate iuris sui spectat ad Papam. Alia est, *particularis*, qua locus aut persona eximitur tantùm in parte Syluest. Rodrig. Lorich. & in certis casibus. Ita Syluester *v. Exemptio nu. 1.* Rodriquez *tom. 2. q. reg. q. 63. art. 1.* Laurichius *in thesauro v. Exempti nu. 2.* & alij.

2. Iure communi, omnes tam regulares, quàm alij clerici Episcopis subsunt, vnde à priuilegio Summi Pontificis est exemptio Rodriq. *c. art. 2.* quam ille potest fa- Rodrig. cere & de facto fecit, Exemptio autem Clericorum & regularium à potestate sæculari, secundùm quorumdam probabilissimam sententiam, est iuris diuini, & nunquam licuit Principibus sæcularibus in eos, & in eorum bona temporalem iurisdictionem exercere, iuxta illud Psalmi, *Nolite tangere Christos meos*, & illud Matth. *Filij ergo liberi sunt*. Non est tamen improbabile Clericos & monachos eximi à potestate sæculari legibus humanis, D.Tho. D.Paul. vt ait D. Thom. *in* D. Paul. *ad Rom.* 13. quòd nulla sit hodie lex diuina obligans, nisi naturalis, & supernaturalis, Euangelica.

3. Quando eximitur locus, exemptæ sunt omnes personæ ad eum pertinentes, cum domibus & hortis, quæ iuxta eum sunt, ad eiusque ius spectant; exemptis autem personis tantùm, non eximitur locus, neque personæ aliæ, quàm in literis priuilegij nominantur pręterea exẽptio data certo loco, non extenditur ad alium, & certæ rei non extenditur ad alias res; vnde personæ exemptæ propter locum, si quid delinquant extra illum locum, puniuntur ob Ordinarijs locorum; possuntque coram ipsis conueniri propter res ipsorum alibi sitas Panormitanus Syluest. Lorich. *in cap. suarum, de priuil.* Syluester *cit. num.* 3. Lorichius *cit. num.* 3. & alij.

4. Forma, qua vtitur Summus Pontifex ordinariè in exemptione concedenda, est: *cap. Si Papa, de priuil in 6.* si per indultum aliquod, quosdam recipiat in proprios subiectos, aut nominatim eos excipiat ab Episcopi potestate, vel donet eos libertate Ecclesiæ Romanæ; vel in priuilegio exemptionis Papa dicat, Ecclesiam iuris Beati Petri existere, siue ad ius & proprietatem Roman. Ecclesiæ pertinere, vel si dicat quòd Ecclesia sit libera. Si autem Papa aliquos sumat in defensionem, vel in proprios filios Syluest. Lorich. tantum, non essent exempti à iurisdictione Ordinariorum, Ita Syluester *c. quæst. 4.* Lorichius *c. num. 3.*

5. Regulares notoriè exempti, vt sunt Mendicantes, ab Ordinario citati, vt in iudicio compareant, iuxta Ro- Rodriq. driquez *tom. 2. qq. quæst. 64. art. 7.* non tenentur coram ipso comparere: quia citatio est ipso iure irrita, quamuis fiat absque ope exceptionis, & cum sit à iudice non competente, debent tamẽ regulares exempti citati comparere, & allegare priuilegium; proponendo declaratoriam fori, imò si in citatione exprimatur causa, quæ fundat iurisdictionem Ordinarij, tenerentur comparere. Quando verò exemptio non est ita notoria, tenentur citati cõparere, & allegare priuilegium, & in loco congruo & securo, infra terminum competentem, Ordinario ostendere, & pendente lite super validitate priuilegij, non sunt turbandi in possessione sua, etiamsi possideant contra ius commune; *cap. Cum persona de priuileg. in 6.* Syluester *c. num. 5. & 6.* dummodò ex aliqua probatione, licet non Syluest. sufficienti, ad finale intentum ipsi iustificent possessionem; & si ad exemptionem allegetur sola præscriptio, de hac debent exempti fidem facere: præscribitur autem exemptio per quasi possessionem quadraginta annis, secundùm Nauarr. *lib. 1. consil. 8. de rescript. num. 3.* Nauarr. *Notandum* tamen hic est, interpretationem priuilegij Pontificij, non spectare ad Episcopum, sed ad solum Põtificem, prout concesserunt Clemens IV. Prædicatoribus ac Minoribus, & Paulus III. Societati Iesu. *Collect. compendij Societ. Iesu tit. priuil. §. 1. & 4.*

6. Cùm per exemptionem Summus Pontifex immediatè sibi subijciat regulares, non licet regularibus sine licentia Papæ huic priuilegio, in honorem status dato renunciare, iuxta quandam *cap. Cum tempore §. fin. de arbit.* Rodriq. Panorm. Rodr. *c. a. 10. ex* Panorm. *in c. ad Audientiam de præscrip.* decretalem; imò renunciatio absque consensu Pontificis, irrita erit, in quantum præiudicat iuri ipsi competenti; vnde si ex negligentia patiantur exempti, se Ordinarijs subijci, possunt se tueri ex iure quod competit Papæ, contra quem non præscribitur nisi centum annis.

7. Exempti secundùm pleraque iura, subsunt Episcopis, in certis casibus. *Primo* quando exemptus esset notoriè excommunicatus vel à iure vel ab homine, tunc potest per Ordinarium denunciari, & mandari vt euitetur. *Secundò*, Episcopus potest præfigere terminum exempto delinquenti, infra quem debeat se præsentare suo iudici. Rodriq. *c. art. 11.* Lorichius *c. num. 6.* *Tertiò*, virtute Concilij Tridentini *sess. 14. cap. 6.* possunt Episcopi exem- Rodriq. Lorich. Cõc. Tr. ptis præcipere, cogendo illos per censuras, vt honestè secundùm suum statum vestiantur. *Quartò*, non possunt Cõc. Tr. regulares exempti prædicare in Ecclesijs, quæ suorum ordinum non sunt, sine licentia Episcopi. *Sess. 5. de reformat. cap. secundo. Quintò*, religiosi delinquentes extra claustra, possunt ab Ordinario corrigi. *Sess. 25 de regul. cap. 14. Sextò*, visitatio beneficiorum curatorum, quæ sunt monasterijs exemptis annexa, pertinet ad Ordinarium, *sess. 7. de reform. cap. 7. Septimò*, in causis ciuilibus mercedem & miserabilium personarum regulares extra monasteria degentes, possunt coram Ordinarijs locorum conueniri, ab ijsque, ad soluendum debitum medio iure compelli. *sess 25. cap. 14. de regul. Octauò* Episcopi possunt quoslibet exemptos compellere ad publicas processiones. *Nonò*, exempti debent obseruare interdicta Episcoporum, nisi quatenus per priuilegia sua expressè eximuntur ab eis *cap. nimis praua de excessibus præ.* Multa alia possunt Episcopi facere contra exemptos, tanquam delegati sedis Apostolicæ.

De exemptione. Vide *v. Clericus*, nu. 3. 4. 10. *Censura* n. 20. 21. *Confessarius* 1. nu. 22. *Lex* 111. nu. 4.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus in tota sua Diœcesi super omnimoda iurisdictione contra omnes Ecclesiasticos fundatam habet intentionem de iure communi: vnde regulares olim Episcoporum iurisdictioni subiecti erant.*
2 *Exemptio regularium an iure communi vel priuilegiorum facta sit.*
3 *Asserenti se exemptum, incumbit onus talem exemptionem probandi.*
4 *An exemptus à iurisdictione Ordinarij, censeatur exẽptus à iurisdictione Legati Papæ.*
5 *Prælatus exemptus vt possit ab Ordinariorum molestis iura sua tueri.*
6 *An religiosi à legibus Episcopi sint exempti.*
7 *An Ecclesia regularis ad sæcularem statum redacta amittat exemptionem & priuilegia sua.*
8 *An possit Episcopus Ecclesias intra suam Diœcesim sitas, à sua potestate eximere.*

1. LIcet Episcopi in tota sua Diœcesi super omnimoda iurisdictione, tam contra Regulares, quàm contra sæculares, de iure fundatam habeant intentionem, *cap. cum persona de priuileg. in 6. cap. cum contingat*, & *ibi* Doctores *de foro competent.* quia omnes olim regulares Episcoporum iurisdictioni subiecti erant, vt Cõc Cal. patet in multis Concilijs, & primo in Concilio Calcedonensi *Action. 6. Can. 1. & Act. 15. Can. placuit*, vbi dicitur, *Placuit nullum quidem vsque ædificare, aut constituere Monasterium vel Oratorij domum præter conscientiam Episcopi ciuitatis, Monachos verò per vnamquamque ciuitatem, aut regionem subiectos esse Episcopo*, Refertur à Gratiano *in cap. quidam Monachorum* 18. *quæst.* 2. Item Cõc. Au. in Concilio Aurelianensi 1. cap. 21. dicitur, *Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant; & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semel in anno in loco vbi Episcopus elegerit, accepta vocatione conueniant*, refertur *in cap. Abbates* 18. *q.* 2. Cõc. Ar. Item ex Concilio Arelatensi ibidem dicitur, *Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cuius sunt territorio constituta.* Idem habetur *causa* 18. *quæst.* 2. *per totam.*

Verùm successu temporis, cùm ipsi Episcopi varijs suorum munerum occupationibus distracti, atque impediti, regularium mores parum curarent, ac illos multoties defatigarent, effecerunt, vt Monasteria pleraque ipsorum excuterent iugum, ac Apostolicæ Sedis iurisdictioni sese immediatè subijcerent. Hinc prima exemptio Regularibus concessa fuit anno 509. die 21. Augusti Abbatæ D. Germani Parisiensis, vt refert Renat. Choppin. Renat. Chopp. *lib. 1. tit. 2. num. 19.* in margine, vbi refert aliud etiam priuilegium concessum Monasterio D. Medardi Suessionum Ios. III. à Ioanne III. quam exemptionem postea D. Gregorius D. Greg. Magnus pro Monasterio à Ioanne III. concessam confirmauit, & de nouo concessit: quorum diplomata refert Tambu. Tamburinius *tom. 1. de iur. Abbat. disp. 15. quæst. 4.*

2. Iure communi omnes religiosi Episcopis subsunt vt dictum est, quia cùm eodem iure tota potestas ordinaria in propria Diœcesi sit penes Episcopum *cap. Venerabilis, de Relig. domibus*, & *cap. Omnes Basilicæ*, & *cap. domus* 16. *q.* 7. non est ab illo auferenda & inferioribus contra ius tradenda; nisi hoc per aliquam legem expressum habeatur. Nulla autem extat lex Canonica, per quam tota iurisdictio in Monachos Abbatibus tribuatur, & Episcopis eximatur. Tota ergo exemptio regularium ex priuilegijs prouenit, quam dare solus Papa potest vniuersaliter. Neque in hoc fit iniuria Episcopis, vt quidam falsò putant; Pontifex enim secundùm suæ potestatis plenitudinem, vt casus sibi grauiores reseruat, aut speciali priuilegio concedit, ita personas quasdam sibi mediatè subijcit, & illarum causas priuatiuè reseruat iudicio suo, & sic sibi subijcere & reseruare potest quosdam regulares, eo quòd sint sibi arctiùs subiecti, & illorum est generalis pater. Vnde hodie attentis Summorum Pontificum indultis, Religiosi ferè omnes ab Episcoporum & Ordinariorum iurisdictione exempti sunt, siue per priuilegia directè eis concessa, siue indirectè per communicationem. Causa verò finalis huius exemptionis est, tum fauor Sedis Apostolicæ, cuius interest multos sibi proximè subiectos habere, tum etiam, vt exempti cum maiori quiete sub vmbra eiusdem Sedis positi Religionis officijs & contemplationi operam dare valeant, *cap. quàm sit necessa-* Rodrig. *rium*, 18. *qu.* 2. Ita Rodriguez *tom.* 2. *quæst. reg. qu.* 64. *a.* 1. & 2. & alij.

3. Asserenti se exemptionis priuilegio gaudere, incumbit onus talem exemptionem probandi, Glossa *in cap. de* Gloss. Anchar. *Xenodochijs, verb. in quorum*, & ibi Ancharan. *num.* 1. *de religios. domib.* Ad eius autem probationem scriptura necessaria est, ita vt probatio exemptionum pendeat ex priuilegiorum inspectione, iuxta quorum tenorem semper est iudicandum, *cap. Porrò, & cap. Recepimus de priuileg.* & *cap. Accepimus, de fide instrument.* Forma verò probandi exemptionem ab Episcoporum iurisdictione, præscripta est à Bonifacio VIII. & habetur *in cap. Cum per-* Bonifac. VIII. *sonæ, de priuileg. in* 6. Sed quia modi verborum, quibus probari potest exemptionem fuisse concessam, non sunt in iure determinati, tamen extant aliqui, qui sunt in eodem iure communi magis in vsu, de quibus videri potest Augustinus Barbosa *de offic. & pot. Episcop. allegat.* 123. Barbosa.

4. De iure communi exemptus à iurisdictione cuiuslibet Ordinarij, non censetur exemptus à iurisdictione Legati ipsius Summi Pontificis, vt habetur *in cap. Si Abbatem, de elect. in* 6. Iure tamen priuilegii Clementis IV. prædictum ius limitatur, vt tantùm locum habeat in Legato de latere Sedis Apostolicæ misso. Prohibuit enim Clemens IV ne Fratres Minores ab aliquo Legato, Cle. IV. nisi de latere Sedis Apostolicæ misso, vel delegato, aut subdelegato auctoritate litterarum Apostolicarum, excommunicari, suspendi, aut interdici possint, nisi litteræ ipsæ plenam & expressam de prædicto Ordine & indulto huiusmodi facerent mentionem. Ita habetur *in supplemento*, vt docet Rodrig. *tom.* 2. *q.* 64. *a.* 4. Rodrig.

5. Dupliciter Prælatus exemptus ab Ordinariorum molestijs potest iura sua tueri. *Primò*, per declinatoriam fori præsentando in iudicio exemptionis priuilegium; exempti enim ab Episcopo citati, si ad probandam suam exemptionem priuilegium tantùm allegant, tenentur illud in loco congruo & securo ipsis Ordinarijs, vel aliquibus Iurisprudentibus, omni suspicione carentibus, ad id per eosdem Ordinarios deputatis, infra terminum competentem pro facti qualitate, arbitrio ipsorum Ordinariorum, vel suorum delegatorum moderandum, iusto impedimento cessante, ostendere, & ad legendum integrum exhibere, ac transumptum articulorum super quibus erit controuersia, tradere, *cap. Cum personæ, de priuileg. in* 6. Si priuilegium exhibitum non sufficit, ad huiusmodi exemptionem plenè probandam, tenetur, qui se tueri vult, quadraginta annorum præscriptionem probare, & lite pendente, licet Ordinariorū intentio de iure communi contra eum fundetur, tamen in libertatis vel exemptionis possessione, de qua fidem coram Ordinario fecerit, turbari nequit. Si verò non exhibet priuilegium, quod saltem causas præscriptionis tradat: licebit Diœcesano Episcopo in eundem liberè iurisdictione sua vti, donec de Canonica præscriptione plenam fidem faciat. Ita habetur *in cap. Cum personæ, supra.*

Secundò, potest se tueri Prælatus, vt si exhibito priuilegio, Ordinarius de eius validitate vel inualiditate agit, & illo reiecto, sententiam contra eum ferat, ea sententia nullius est momenti: quia cùm de validitate priuilegiorum Regularium dubitatur, ad Summum Pontificem recurrendum est, qui sibi eorum interpretationem reseruauit, vt diximus *tom.* 2. *verb. Priuilegium Sexto*, quamuis enim regulariter ad iudicem pertineat inspicere, ac decernere, an ad ipsum iurisdictio competat, in materia tamen exemptionum Ordinarius de sua iurisdictione cognoscere non valet, vt expressè tenent communiter Doctores *in cap. super litteris, de rescriptis*, quia tunc Episcopus esset iudex in propria causa, quod non licet per textum *l. qui iurisdictio, ff. de iurisd. omn. iudic.* De his vide Rodrig. *tom.* 2. *qu. regul. q.* 64 *art.* 7. Rodrig.

6. Prælati & Religiosi de iure communi à lege Episcopali Diœcesana sunt exempti, iuxta *cap. placuit.* 17. *qu.* 1. & *cap. Quam sit*, 12. *qu.* 2. A lege autem iurisdictionis, non sunt exempti, vt tenent Doctores, *in cap. Dilectus, de offic. ordinar.* De iure autem priuilegiorum per speciales Summorum Pontificum concessiones, ab vtraque lege immunes existunt: quamuis in aliquibus casibus subdantur etiam Episcopis, partim de iure communi, partim ex Concilio Tridentino, vt diximus *supra verb. Episcopus, nu.* 21. & *seqq.* Nota legem Diœcesanam eam esse, per quam Episcopus Synodum cogit, ad exequias soluendas, & honorandos Clericos conuocat, ex ijs, quæ pro funere offeruntur, quartam exigit, &c. Lex autem iurisdictionis est, per quam Episcopus curam animarum committit, delicta punit, Ecclesias moderatur & consecrat, Altaria quoque & alia vasa, vestes & Virgines consecrat, & Chrisma conficit, cæteraque ad Sacramenta spectantia præstat, & alia quæ numerantur *in cap. Conquerente, de offic. ordinar.*

7. Ecclesia regularis ad sæcularem statum redacta nõ amittit exemptiones & priuilegia sibi antea concessa nisi expressè sint sublata. Probatur, quia vbi duæ causæ concurrunt,

currunt, vna tantùm cessante, non cessat dispositio, *l. si ventri, l. in bonis, ff. de priuileg. creditor.* Sed Summus Pōtifex non videtur ad huiusmodi exemptiones concedendas impulsus ea tantum causa, quòd personæ erant regulares, sed etiam propter Ecclesiæ & Religionis vtilitatem ac fauorem, quæ causa vtilitatis Ecclesiæ potentior & principalis fuisse præsumitur. Et ideò licèt priùs in Ecclesia fuerint regulares, quia Ecclesiæ vtilitas permanet in sæcularibus, permanebit & priuilegium. Tum quia licet exemptio ab initio concessa fuerit religiosis; tamen quando Canonici sæculares subrogantur in locum regularium, in eorum quoque iura & priuilegia, subrogati esse censentur, facit textus *in Clemen. 1. de supplend. neglig. Prælator.* & docent Innocentius *in cap. dilectus, sub num. 4. verb. Monialium*, & ibi Ioannes Andræas, Panormitanus & alij, *de appell. Monachorum*, Tamburinus *tom. 1. de iur. Abbat. disp. 15. qu. 11.*

Innoc. Io. And. Panor. Tambu.

8. Quamuis regulariter Episcopus possit Ecclesias intra eius Diœcesim sitas à suâ potestate eximere; non potest tamen in totum eximere, sed tantùm concedere immunitatem & libertatem ab omnibus iuribus, quæ ipse in Ecclesia possidet, ijs exceptis, quæ à se alienare, seu abdicare nequit, vt *cap. Pastores, de donationibus*. Vnde Episcopus potest Ecclesiam initio fundationis eximere: quia tunc nondum Episcopatui ius superioritatis quæsitū est. Item potest eximere saltem patiendo iura Episcopalia ab inferiori contra ipsum præscribi: vel omnia iura sua inferiori Prælato per modum vicariæ perpetuæ concedendo, exceptis tamen cathedratico, reuerentia & charitatiuo subsidio. Nota tamen quòd exemptio ab Ordinario concessa absque consensu Capituli non potest Ecclesiæ suæ iura donare, *cap. Cum nos, & cap. vna de his quæ fiunt à Prælatis*, & huiusmodi consensus præstari debet Collegialiter & à Capitulo ad id legitimè congregato. De his vide Erasmum Cokier *de iurisd. Ordinar. in exempt. part. 1. quæst. 3.*

Cokier.

Quandonam Prælati & Religiosi ab Ordinariorum iurisdictione exempti sint à Summo Pontifice videri potest Tamburinius *to. 1. disp. 15. quæsit. 4. de iur. Abbatum.* Et hæc pauca addita sufficiant, de hac materia.

Tambu.

Vide hoc to. v. Episc. *n. 24. & seq.* & to. 2. v. Legatus *n. 3.*

EXHÆREDATIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit exhæredatio? & in quibus casibus filius aut filia priuari possit hæreditate.*
2 *An filia indigno nubens parentibus inuitis iure possit exhæredari?* Refertur duplex sententia.
3 *An Monachus exhæredari possit à patre, causa ingratitudinis commissa ante professionem?*

1. EXhæredatio *est alicuius à sua substantia vel hæreditate exclusio, & alterius seu alieni institutio. Instiut. de hæredat.* In multis verò casibus filius aut filia priuari potest hæreditate. *Prima*, quando percutiuntur parentes in ustè cum lethali culpa, siue parens attingatur lapide, siue fuste, siue alia ratione, *Authentica vt cum de appellationibus. Secunda* causa exhæredationis est, si filius grauem parenti fecerit iniuriam & contumeliam, arbitrio iudicis talem diiudicatam. *Tertia* causa, si Patrem accusauit in criminalibus causis, excepto crimine hæresis & læsæ maiestatis, in quo filius Patrem accusare potest; aut contra ipsum ferre testimonium. *Quarta*, procuratio seu attentio mortis patris, etiam effectu non secuto. *Quinta*, si cum incantatoribus vel maleficis hominibus vt maleficus versetur. *Sexta*, si habet copulam cū nouerca, seu patris vxore, modò non excusetur ignorantia facti. *Septima*, si pro persona vel debitis parentum fideiubere noluerit, cùm ad id esset idoneus; quod de masculis tantùm intelligitur quia fœminæ impediuntur fideiubere, *l. 1. ff. ad senatus consultum Velleianum*. *Octaua*, si filius sit hæreticus existente patre Catholico. *Nona*, si filius impedierit ne pater conficiat testamentum. Istæ causæ cum proportione accommodantur parentibus, ita vt parentes aliquid prædictorum committentes hæreditate filiorum priuari possint. *Decima*, si filius dilapidauerit bona parentum, cum graui ipsorum dispendio. *Vndecima*, si absque voluntate patris, officiū mimi pretio exercet, modò pater non sit eiusdem professionis. *Duodecima*, si filia minor viginti quinque annis luxuriosam degere vitam elegit. *Aduertendum* tamen est, prædictos casus locum habere solùm dum filius aliunde habet quò se sustētare queat; nam in necessitate positum filium alere tenetur iure naturæ, quod leges ciuiles non tollunt. Sylvester *verb. hæreditas 2. quæst. 2.* Couarr. *de testam. in cap. Raynutius*, Clauis Regia *lib. 7. cap. 5. num. 5.* Molina *tom. 1. tract. 2. disput. 168.* Reginaldus *lib. 20. cap. 3. nu. 37.* Sanchez *lib. 4. de matr. disp. 26. num. 1.* Azorius *2. part. lib. 2. cap. 3. quæst. 6.* & alij.

Syluest. Couar. Cl. Reg. Molina. Reginal. Sanchez Azorius.

2. Nonnulli Iurisperiti apud Sanchez *citat. disput. 24.* Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 6. num. 5.* Bonacina *tom. 2. disp. 6. qu. vnic. p. 6. §. 3.* affirmant filiam indigno nubentem parentibus inuitis, iure Cæsareo posse exhæredari; at tenendum est cum alijs non posse ob hoc exhæredari, ni simul vitam luxuriosam eligat, non satis autem esset, si semel aut bis copiam sui corporis furtim filia fecerit; satis autem erit si meretrix fiat, aut in lupanari publico, aut etiam extra locum publicum.

Sanchez Henriq. Bonac.

3 Exhæredari non potest Monachus à patre, causa ingratitudinis commissæ ante professionem, *cap. Non liceat 19. qu. 3.* potest tamen pater exhæredare filium matrimonium contrahentem absque eius consensu, etiamsi ante consummationem, religionem profiteatur; quod quidem locum habet quando ingratitudo, ob quam exhæredari debuit filius, concernebat personam patris, velut si ad patrem ceciderit, non autem si directè respiciat solum filium, Rodrig. *tom. 2. qq. reg. qu. 78. art. 2.*

De exhæredatione vide to. 2. v. *Testamentum* n. 11.

EXPOSITITIVS.

SVMMARIVM.

1 *Expositius quis dicatur? & an licet exponere infantem ex necessitate?*
2 *An expositus censeatur legitimus?* Refertur duplex sententia.
An tales expositity sint sub conditione baptizandi?

1. EXpositius dicitur, infans, seruus, languidus, si dimittatur sine cura, vel ei negentur alimenta à parentibus, à dominis, vel patronis: vnde solet exponi ante fores templi, aut alio loco vt à prætereuntibus colligatur, & ad eos, qui alere possint, portetur, *cap. Vnico de Infant. & languid. exposit.*, illicita est hæc expositio & peccatum graue ob periculum mortis cui exponitur, nisi ita prouidè fiat, vt nullum periculum timendum fuerit. Exponentes ex necessitate, puta, quia illum alere non possunt, excusantur à peccato: hinc in multis ciuitatibus habentur pia loca & prouentus pro eiuscemodi expositis; Tamen præfecti piorum illorum locorum, expensas repetere possunt ab his, qui exposuerunt, si habent vnde dare possint. Sylvester *v. Expositus quæst. 1. & 3.* Nauarr. *cap. 16. num. 48.* Lorichius *in thesauro v. Expositity num. 1.* Layman *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 14. num. 4.* Filliuc. *tract. 28. par. 2. num. 21.* & alij.

Syluest. Nauarr. Lorich. Layman Filliuc.

2. Secundum probabilem opinionem doctissimorum, expositus censetur legitimus, si facta diligentia nihil reperitur in contrarium: vnde non videtur indigere legitimatione & dispensatione, vt ad sacros ordines promoueatur; nec etiam factus regularis videtur indigere dispensatione, vt ad Prælaturam regularem admittatur: Et Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 71. dub. 1.* asserit de iure nouo hanc sententiam tenendam esse: nam Grego-

rius

rius XIV. bulla quadam edita anno 1591. in gratiam confraternitatis pro expositis decernit, vt habeantur pro legitimis, quod etiam Petrus Cornejo *in 3.part. tract. 5.*
Cornejo *de irregul.disp.15. dub.1. num.4.* quamuis consultius sit, ob veritatem opinionum circa hoc, vt minimè ad prælationes regulares admittatur, nisi cum eo prius, secundùm terminos priuilegiorum regularium, dispensetur. Ita Suarez *de censur. d. 50. sect. 4.* Rodriguez *tom.1. qq.regul. qu.*
Suarez. Rodrig. Sà. Diana. Couarr. Vioald. *13.art.1.* Emmanuel Sà *v. Filius num.8.* Diana *part.2. tract.1. misc. res.22. & 4.part. tract.2. resol. 58.* & alij. In dubio autem an legitimus sit, secundùm doctrinam Couarr. *in Clement. si furiosus 1.part.num.9.* Vioaldus *de irregul.num.120.* quantum ad Ecclesiasticam potest Episcopus dispensare.

Sed dubium est, an tales expositi infantes, qui reperiuntur apud portas Ecclesiæ, vel Hospitalis, sint sub cõditione baptizandi? Resp. affirmatiuè etiamsi scriptum habeant collo appensum quo indicentur esse baptizati, licet multi contrarium sentiant. Ratio est, quia tale testimonium non est ita certum, vt fidem indubiam faciat. Ergo cùm in casu dubij semper inclinandum sit in fauorem baptizandi, ne periculo exponatur eius salus ob carentiam Baptismi; & ex altera parte examine diligenti præmisso & conditione apposita, non videtur periculum reiterationis Baptismi, nec vlla videtur fieri tunc iniuria Sacramento. Et certè non desunt rationes dubitandi de Baptismo talium exposititiorum, cùm ignoretur, à quo & quomodo, siue an debita forma Baptismus fuerit collatus: vnde non mirum si dicatur hic aliquid ambiguitatis remanere, quæ sufficiat ad reiterationem sub conditione. Propterea Synodus Cameracensis statuit tales sub conditione posse baptizari, si res aliter non possit con-
March. stare. Vt annotauit Marchantius *in res. Pastorarib. tract. 2.cap.2. qu.4.*

Diana. Vide *Adulterium* num. 9. & Dianam *part.9. tract. 6. resol.35.*

EXTREMÆ-VNCTIONIS Sacramentum. I.

Quod eius institutionem, materiam & formam.

SVMMARIVM.

1 *An sit de fide, dari Sacramentum Extremæ-vnctionis.*
2 *Qui sit Sacramentum Extremæ-Vnctionis.*
3 *De materia remota huius Sacramenti, quæ est oleum oliuarum ab Episcopo benedictum, & an simplex Sacerdos possit ex concessione Pontificis consecrare oleum & Chrisma? & de materia proxima, quæ est Vnctio ex oleo facta.*
4 *An ad validitatem huius Sacramenti, necesse sit vt oleum fuerit eo anno benedictum? & an ex Ecclesiæ vsu oleum non consecratum possit misceri oleo consecrato?*
5 *An Vnctio debeat fieri in modum crucis? & an ex præcepto debeat esse quintuplex.*
6 *An necessarium sit ordinem seruare in vngendis sensibus?*
7 *Quæ sit forma Sacramenti Extremæ-Vnctionis.*
8 *An forma huius Sacramenti proferenda sit modo deprecatiuo? & an sufficere illam proferre per modum indicatiuum?* Refertur duplex sententia.
9 *An in casu necessitatis puta quando est periculum contagij, vel infirmus ante moriatur, possit minister vnica actione attingere quinque sensus?*

Cõc. Tr. D. Iaco. D.Tho. 1. CErtum est ex fide, tùm ex Concil. Tridentin. *sess. 14. cap.1. & sess.7.can.1.de Sacram.* Tum ex D.Iacobi *cap.5.* D.Thom. *3.part.q.29.art.1.in supplem.* Epistola, dari Sacramentum Extremæ-vnctionis, quod institutum fuit à Christo; sicut cæterorum Sacramentorum auctor fuit: quandoquidem fuerit institutum non constat, sed perpetua Ecclesiæ traditione & vsu apud Græcos & Latinos certum est, Extremam-Vnctionem esse Sacramentum à Christo institutum, & secundùm Concil. Trident. hoc Sacramentũ insinuatum fuit Marci 6. vbi Apostoli à Christo missi vngebant oleo multos ægros & sanabant; commendatumque fuit & promulgatum à D.Iacobo illis verbis: *Infirmatur quis in vobis* &c. Vide Suarez *tom.4 disp.39.sect. 1.* Syluium *in suppl. q. 29. art.1.& 3.* Suarez. Syluius.

2 Extremæ-Vnctionis Sacramentum, *est signum rei sacræ, quo aliqua partes corporis infirmi vnguntur oleo benedicto, sub præscripta verborum forma, iuxta Christi institutionem ad salutem animæ & corporis.* Comprehendit hæc definitio tùm genus, quia dicitur signum rei sacræ, in quo conuenit Extrema-Vnctio cum reliquis Sacramentis, tùm differentiam cùm dicitur *quo aliquæ partes corporis*, &c. quia per has particulas Extrema-Vnctio differt ab alijs Sacramentis, Nauar. *cap.22.num.12.* Reginald. *l.28.numer.44.* Filliucius *tract.3.num.68.* Syluius *cit.art.1.* & alij communiter. Nauarr. Reginal. Filliuc. Syluius.

3. *Materia remota* Extremæ-Vnctionis, est oleum oliuarum, non aliud, ab Episcopo benedictum, Concil. Trident. *sess. 14. cap.1.* S.Thom. *in 4.disp.23. qu.1. art.3.* ConincK *disp.19.dub.2.* Henriquez.*lib.3.cap.8.* Bonacina *de Sacrament.disp.7.punct.2.* Lorichius *verb. Sacramentum Extrem.Vnct.numer. 3.* Syluius *cit.art.4.* quamquam probabile sit sacerdotem simplicem posse de consensu Summi Pontificis consecrare oleum & crisma. Vt diximus *verb. Confirmatio num.5.* Ratio assertionis est, quia oleum optimè significat effectum huius Sacramenti: nam 1. lenit dolorem: vnde aptè significat alleuiationem infirmi 2. curat vulnera, & ad intima penetrat: vnde significat remissionem peccatorum, & perfectam curationẽ vulnerum animæ 3. significat misericordiam qua maximè tunc indiget infirmus, & gratiam Spiritus Sancti qua anima ægrotantis inuisibiliter inungitur, vt ait Concil. Tridentinum. Cõc. Tr. Coninc. Henriq. Bonac. Lorich. Syluius.

Sed petes, an per Sacrum Chrisma possit hoc Sacramentum conferri? Responsio est negatiua, quia talem vsum Ecclesia modo non habet; tamen si Sacerdos per errorem vngeret infirmum, non oleo, sed sacro chrismate, videtur probabiliter dici posse nihil esse repetendum, sed rem Domino commendandam, tum quia ibi est verum oleum oliuarum: tum quia plerumque non posset fieri iterata vnctio sine scandalo: tum quia valde probabile est Sacramentum hoc validè conferri in materia sacri chrismatis. Vt docet Layman *lib.5. tractat. 8. cap.2. num.3.* Layman

Hoc autem oleum infirmorum quotannis renouandum est, & vetus comburendum in Ecclesia, vel in piscinam iniiciendum: si verò non sit aliud oleum, nisi vetus, potest instante morte fieri cum illo Extrema-vnctio, & ad hunc finem seruari debet vetus, quo vsque nouum habeatur.

Materia verò *proxima* est vnctio ex oleo facta: *Ratio* prioris est, Christi institutio explicata in Concilijs Florentino, in decreto Eugenij; & loco citato, & confirmata vsu & traditione Ecclesiæ. *Ratio* posterioris est, quia hoc Sacramentum non consistit in ipsa materia permanente, sed in vsu, sola enim Eucharistia id habet, & confirmatur à simili in alijs Sacramentis, nam proxima materia semper est vsus remotæ, sic in baptismo est ablutio, in confirmatione vnctio.

An autem vna gutta olei sit sufficiens in vnaquaque vnctione ad conferendum hoc Sacramentum, Suarez *tom.4. disp.40.sect.1.* Filliucius *tract.3.cap 4.num.78.* asserunt satis non esse vnicam guttam olei stillare, quia id vel non est vngere, vel certè est res aliquo modo dubia, sed oportere partem saltem perfundere. Sed hoc improbant alij & meritò; quia si diffusio necessaria esset, tunc ampulla olei facilè breui vacuaretur: dicendum est ergo, quamuis etiam guttam olei, ad veram vnctionem aliquantæ partis corporis sufficere: quia quod de quantitate aquæ circa Sacramentum baptismi asseritur, hoc etiam de quantitate olei circa hoc Sacramentum asserendum Suarez. Filliuc.

est;

Tanner. Diana.

est; sed probabile est vnam guttam aquæ sufficere ad validitatem baptismi; ergo etiam vna gutta olei dicitur vngere. Ita Tannerus *tom.4.disp.7 q.1. dub.1.nu.*16. Diana *p.3.tract.4.res.*177.& ego.

Diana. Posseu. Nauarr.

4. Ad validitatem huius Sacramenti, non est necesse, vt oleum fuerit eo anno benedictum; ex consuetudine tamen,& ex *cap.litteris,de consecratione dist.*3.præcepto, debet esse benedictum eo anno; & extra necessitatem oleum alterius anni adhibere, peccatum est;& debet oleũ esse simplex, modica tamen admixtio alterius liquoris, non facit vt oleum exuat propriam naturam, imò ex Ecclesiæ vsu,in necessitate oleum non consecratum,misceri potest oleo consecrato, vtrumque enim per admixtionem censetur consecratum, modò quantitatis olei adiuncta,sit minor consecrata;nam extrema olei nõ consecrati ita iunguntur & permiscentur cum extremis olei consecrati, vt simul vtrumque censeatur consecratum. Ita Diana *p.3.tract.4.res.*176.*& par.5.tr.3.res.*90. Posseuinus *cap.9.nu.*1.Nauarrus *c.num.*13. Reginaldus *cit.num.*50. Victorellus *de extrem.vnct.* & alij.

Henriq. Diana. Syluest. D. Tho. Suarez. Reginal.

5. *Vnctio*,ex consuetudine, debet fieri in modum crucis, non est tamen de necessitate Sacramenti, cùm in cõcilijs & scriptura fundamentũ non habeat. Syluest. *v.vnct.* §.2.Diana *par.3.tract.4.resol.*178.Henriq.*lib.7.cap 8.nu.*2.& alij. Ex præcepto debet esse saltem *quintuplex* vnctio in quinque sensibus,vt testatur vniuersalis Ecclesiæ consuetudo & communis Theologorum doctrina.Ita Valẽtia *t.4.d.8.q.2.* D Thom.3.*p.q.32.art.*5. Suarez *to.4.d.*40.*sect.*2.*Emman.Sa v.Extr.vnct.* Reginald.*lib.28.num.*52. & alij.*Ratio* est, quia hoc Sacramentum est institutum ad tollendas sordes,& reliquias peccatorum; & ibi congruè adhibetur, vbi est radix peccati, in quinque autem sensibus sunt radices & origines peccatorum; v.g. in occulis, auribus,naribus,manibus & ore,repetita ad singulos forma: hinc si aliquis ex quinque sensibus non inungatur, inualidum erit Sacramentum: & quando aliquis caret vno membro corporis, verbi gratia, aure, & vel est cœcus, vngenda est pars magis propinqua sensui, quia licet exteriùs non peccauerit infirmus in ea parte,fieri tamen potest, vt peccauerit per potentias illi membro respondentes vt per voluntatem. *Duæ* aliæ vnctiones in renibus & pedibus, quibusdam in locis adhibentur, licet vnctio in renibus, vel vmbilico, in fœminis sit præmittenda, propter decentiam & honestatem Filliucius *cit.num.*77. Posseuinus *cit.num.*15. *Sacerdotes* autem non vnguntur in palma, sed in superiori versa parte, quia semel in palma fuerunt inuncti, in susceptione ordinis sacerdotalis. Suarez *cit.sect.*2.*&* 3. Bonacina *cit.p.5.n.*19.

Posseu. Filliuc. Suarez. Bonac. Filliuc.

6. In vngendis verò quinque sensibus,non est necessarium necessitate Sacramenti, ordinem seruare,quia mutato ordine, adhuc completa manet significatio. *Sà,c.nu.*12.Filliucius *c.n.*79. Item saluatur significatio huius Sacramenti, per vnctionem vnius organi, vnde necessariò non est vngendum vtrumq; orgaoum vnius sensus, v.g. vtraque auris vel manus; ex præcepto tamen est seruanda locorum consuetudo, quæ multis in locis inoleuit, vt in organis duplex crux adhibeatur sub vnica forma. Vt docent Suarez *c.disp.40.sect.2.num* 4. Naldus *v.Extrem.vnct.n.*2. Conc. Florent.

Suar. Naldus. Cõc. Flo.

7. *Forma Sacramenti Extremæ vnctionis*, tradita in Concilijs Florentino in instructione Armenorum, & Conc. Trident. *sess.14.c.1.*est: *Per istam Sanctam vnctionem, & suam pijssimã misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, &c.* Si quæ autem aliæ diuersæ referantur,omnes reducendæ sunt ad hanc, quoad sensum substantialem.

Cõc. Fl. Cõc. Tr.

8. Ex communi Theologorum sententia, forma hæc proferenda est modo deprecatiuo, quia datur infirmis, qui egent oratione; & transeant ex foro Ecclesiæ ad forum superius diuinæ maiestatis,& ideò diuinæ clementię commendantur. An autem de necessitate huius Sacramenti sit, vt forma illius proferatur per modum deprecatiuum, nec sufficiat proferre per modum indicatiuum, dicendo, *Vngo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris, &c.* controuersia est inter Doctores: pro praxi autem *est notandum*, de fide certissimum esse, formam deprecatiuam esse sufficientem ad valorem Sacramenti;indicatiuam autem meritò esse dubiam, cum vnius Sacramenti non sint duæ formæ totales non æquiualentes. *De essentia* formæ huius Sacramenti est, vt explicetur materia proxima illius, quæ continetur ijs verbis. *Per istam vnctionem*: reliqua autem verba, *Per pijssimam misericordiam*: itẽ *per visum auditum*,&c. non sunt de essentia formæ, cum sensus verborum sit completus,subsistatque illis omissis, sunt tamen de præcepto. ita vt sine peccato mortali omitti non possint. Vide D.Thomam *in 4.dist.*23.*quæst.1.art.*4.Philiarcus *tom.1.lib.12.cap.*12. Filliucius *tract.3.num.*80.Suarez *tom.4.disp.40.sect.*1. Syluius *citat. art.8.& 9.*Layman *lib.5.tract.8.c.*3.Bonacina *cit.punct.*3. Reginald. *l.28.num.*55.Diana *de Sacramentis resol.*175. *part.*3. & alios.

Filliuc. suarez. syluius. Layman Bonac Reginal. Diana.

9. Quamuis ad singulas vnctiones quinque sensuum, præceptum sit repetendi formam; in casu tamen necessitatis, quando nimirùm esset, vel periculum contagij; vel vt infirmus ante moriatur, sub conditione mente concepta, posset minister vnica actione attingere quinque sensus, vngendo vnum oculum, vnam aurem,& vnam manum, &c. & super hanc totam vnctionem proferre formam, quæ omnes quinque comprehendat, dicendo, *Per hac sacras vnctiones indulgeat tibi Deus,quidquid per visum auditum, odoratum, gustum & tactum peccasti*, sic enim faciendo non fit iniuria Sacramento, & proximo potest esse valde vtile, cùm de attrito possit fieri contritus,si à parte rei Sacramentum subsistat. *Aduerte* tamen, in praxi non esse facilè recedendum à communi vsu & consuetudine, nisi aliter postulet & cogat euidens necessitas: quia quamuis hæc opinio non sit improbabilis, non caret etiam magna dubietate,an hæc forma sit sufficiens, ad valorem Sacramenti; & propterea vti forma dubia relicta certa in Sacramentorum collatione,peccatum est mortale, nisi necessitas excuset. Victorellus *de extrem. vnct.* Suarez *d* 40.*sect.*3. Bonacina *cap.* Tamburinius *de iur. Abbat.tom.2. disput.7. quæst.*1. Posseuinus *cap. num.* 19.Diana *tract.de Sacramentis resolut.168.& part.5.tractat.3.resol.*80.89. & alij. Imò tempore pestis. Syluius 3. *part.quæst.32.art.6.quæst.2.in suppl.* Layman *lib.5.tract* 8. *cap.*3. ConincK *d.19. dub.* 3. probabile putant, posse sacerdotem, iungere vnam tantùm partem, dicendo consuetam formam, quorum sententiam approbarũt Theologi Louanienses, anno 1589. & 1573. vt testatur Octauius Tricaricensis nuncius Apostolicus in Germania in suo Directorio impresso Coloniæ anno 1597. *tract. de Extrem.vnct.num.*10. Vnde in Pastorali Mechliniensi & Ruremundensi anni 1589. ita Decretum est, *In morbis contagiosis & peste grassante, vt periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum ad vnctionem magis expositum aut detectum;dicendo. Per istam sanctam vnctionem & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & gressum. Et tunc preces quæ prætermittenda & subiungenda forent, poterunt in Ecclesia coram venerabili Sacramento deuote legi.*

Victor. suarez. Bonac. Tambu. Posseu. Diana. syluius. Layman Conin.c.

Verùm, vt rectè animaduertit Mercerus *in supplem.* 3.*par.quæst.32.art.5.6.& 7.* in Pastorali Mechliniensi impresso anno 1607.censetur corrigi (quia omittitur) quod anno 1589. decretum fuit cap.9. de Extrema-Vnctione, *In morbis contagiosis, &c.* & in suum Directorium transtulit Octauius Tricaricensis. Hinc verisimiliter neque valida neque licita est vnctio,etiam in necessitate, in qua vel non nominantur sigillatim omnes sensus,vel non reperitur quinquies, *Per istam sanctam vnctionem, &c.* vel iungitur solùm caput, vel solum alter oculorum.

Hunc enim ritum vngendi cùm Ecclesia Romana nõ receperit,& pauci admodũ, aut fortè nulli vsurpauerint, non obstantibus argumentis in contrarium, & authoritatibus synodorum particularium, signum est nec valere, nec licere, & esse contra Christi institutionem, aut saltẽ esse dubium; ordinarium verò ritum cum Ecclesiæ vniuersalis consuetudo receperit, neque inueniatur eius initium, tanquam ab aliquo Pontifice vel Concilio instituti, ex Apostolica traditione & Christi institutione descendere existimandum est, iuxta regulam traditam à D. August. *lib.3.contra Donatist.cap.*24. Hæc ille: cui subscribit Capeauilla *de Sacram.cap.5.qu.*30.

D.Aug.

Porrò

Porrò ſacerdos tempore peſtis ad contagionem vitandam poteſt infirmum vngere virgula argentea, aurea, vel lignea, &c. verè tamen oleo tincta, ſic vt perficiatur vnctio. Peracta autem vnctione, virgam eiuſmodi aut purgabit, ac in ſimilem vſum ſeruabit, ſi aurea vel argentea ſit propter reuerentiam Sacramenti, vel igne comburatur, ſi ſit lignea. Ita Syluius *in ſupplem. 3. part. quaſt.32. art.3.*

Syluius.

EXTREMÆ-VNCTIONIS Sacramentum. II.

Quod eius miniſtrum & ſuſcipientem.

SVMMARIVM.

1 *An miniſter neceſſarius huius Sacramenti ſit ſolus ſacerdos? & quidem proprius. Et an religioſus adminiſtrans hoc Sacramentum ſine licentia parochi, incidat in excommunicationem.*

2 *An vrgente neceſſitate validè conferatur hoc Sacramentum à pluribus ſacerdotibus partialiter?*

3 *An parochus teneatur ex iuſtitia fidelibus ſibi ſubditis hoc Sacramentum miniſtrare? & an alij deficiente parocho teneantur ex charitate.*

4 *An ſolus homo, viator, baptizatus, & ratione vtens, de vita periclitans, corporeque infirmus, ſit ſuſcipiens hoc Sacramentum? & qualis intentio requiratur ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum? An hoc Sacramentum fuerit collatum B. Virginis?* Refertur duplex ſententia.

5 *Quando debeat hoc Sacramentum adminiſtrari? & qualis diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente?*

6 *An ſecluſo ſcandalo & contemptu peccatum mortale ſit, hoc Sacramentum non ſuſcipere?*

7 *An ſit peccatum mortale conferre hoc Sacramentum ante Pœnitentiam & Euchariſtiam?*

8 *An religioſi poſſint conferre hoc Sacramentum familiaribus, & ſeruitoribus ſuis.*

1. M*iniſter neceſſarius* Sacramenti Extremæ-Vnctionis, & ad eius valorem, eſt ſolus Sacerdos, Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. quamuis excommunicatus, vel degradatus: & eſt de fide, vt conſtat Iacobi 5. *Inducat Præsbyteros Eccleſiæ.* Et in nullo caſu, etiam extremę neceſſitatis ſecundùm communem Theologorum ſententiam, inferior Sacerdote habet poteſtatem adminiſtrandi hoc Sacramentum, quia in rebus ſpiritualibus fundatis in inſtitutione Chriſti, non licet addere exceptionem, ſine auctoritate, aut ratione euidenti: *Non poteſt* tamen licitè quilibet Sacerdos Sacramentum hoc adminiſtrare, niſi habeat iuriſdictionem, & ab Eccleſia non impeditam, vnde qui non eſt proprius Sacerdos, & adminiſtrat hoc Sacramentum grauiter peccat, ſi ſine licẽtia parochi id fiat. D. Thom. *in ſuppl. qu.* 31. *art.* 2. Suarez *d.* 43. *ſect.* 1. *nu.* 5. Reginald. *lib.* 28. *num.* 62. ConincK *d.* 19. *dub.* 9. Syluius *in ſuppl. qu.* 31. *art.* 1. & 2.

Cõc. Tr. D. Tho. ſuarez. Reginal. Coninc. ſyluius.

Imò religioſus exemptus Sacramentum Extremę-Vnctionis adminiſtrans, ſine licentia, parochi vel ſine priuilegio Sedis Apoſtolicę incidit in excommunicationem Clementinæ I. *de priuil.* in neceſſitate tamen, vt quando infirmus eſt morti proximus, cum ratihabitatione parochi poſſet religioſus hoc Sacramentum conferre, abſque periculo excommunicationis, quia tunc pręſumitur conſenſus & licentia Epiſcopi vel Summi Pontificis. Henriquez *libr.* 3. *cap* 13. *num.* 4. Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 101. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 82. Valent. *tom.* 4. *d.* 8. *quaſt.* 1. *part.* 2. & alij.

Henriq. Nauarr. Diana. Valent. Sotus. ſuarez.

Verùm ſecundùm Sotus *in* 4. *diſt.* 23. *quaſt.* 2. *art.* 1. Suarez *c. diſp.* 44. *ſect.* 2. non requiritur talis præſumpta ratihabitatio ad excuſandum religioſos, ſi hoc Sacramentum laicis, imminente iam morte, conferrent; quia non eſt veriſimile Eccleſiam velle priuare infirmum hoc Sacramento, & conſequenter, nec in extrema neceſſitate cuiquam prohibere, quin illud poſſit adminiſtrare; vnde fit vt hoc idem procedat, ſi Parochus nollet expreſsè, nec per ſe, nec per alium tale Sacramentum miniſtrare: dummodo ſcandalum vitetur, & conſtet Parochum id inique agere. Ratio eſt, quia eo caſu non cenſetur vſurpatum ius alterius, ſed defendi innocentiam. Facit ad hoc priuilegium à *Sixto IV.* conceſſum fratribus Minoribus, relatum à Tamburinio *de iur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 7. *quaſit.* 2. & habetur in Monum. Ord. *vt ſcilicet poſſint adminiſtrare Sacramentum Euchariſtia, & Extrema-Vnctionis illis, quorum confeſſiones audierint, quando Rectores, ſeu Curati eorum malitioſè aut ſine rationabili cauſa denegauerint, ſeu diſtulerint illa ipſis adminiſtrare, & voluit quod ſuper hoc ſtetur aſſertionis eorumdem confeſſorum, vel pœnitentium.*

Tambu.

2. Vrgente neceſſitate, validè confertur hoc Sacramentum *Extrema-Vnctionis*, à pluribus Sacerdotibus, partialiter ſic concurrentibus, vt vnus vngat vnam partem & alius aliam independẽter ab alio, prolata in ſingulis vnctionibus debita forma; talis autem *neceſſitas* eſt, ſi Sacerdos poſt peractas aliquas vnctiones moriatur aut propter aliquod impedimentũ, omnes proſequi nequeat. *Ratio eſt*, quia cùm hoc Sacramentum habeat plures pertiales materias & formas, quarum ſingulæ habent ſuam particularem ſignificationem, per ordinem ad ſuum effectum, quamuis à pluribus conferatur, ideò non requirit neceſſariò vnitatem miniſtri, *Extra* verò neceſſitatem, non poteſt abſq; peccato mortali, à pluribus Sacerdotibus hoc Sacramentum adminiſtrari, quia eſſet contra vſum & praxim Eccleſiæ in re graui. Imò, quia eſt tantùm probabile & non certum, validum eſſe hoc Sacramentum, à duobus collatum, tutius eſſet ab altero vnctiones repeti, perinde atque ſi prior ille nihil earum inchoaeſſet; & maximè, ſi mora inter ſingulas vnctiones ſactas à duobus interpoſita, tanta eſſet, vt obſtare poſſet validitati Sacramenti. Ratio eſt, quia id infirmo multo eſt vtilius, cùm ſic Sacramentũ certiſſimè recipiat. Ita communiter Doctores. D. Thom. *c. apud* Suarez *c. ſect.* 2. *num.* 5. *diſp.* 43. Filliuc. *tract.* 3. *num.* 91. & *ſeq.* Sà *verb. Extrau. vnct. num.* 11. Bonacina *cap. punct.* 4. *num.* 7. Reginald. *cap. numer.* 62. Tolet. *l.* 7. *c.* 2. Præpoſitus 3. *p. qu. vnic. de ſacr. Extr. vnct. dub.* 5. *nu.* 37. & alij.

D. Tho. ſuarez. Filliuc. Bonac. Regin. Toletus. Præpoſi.

3. Miniſter ex officio huius Sacramenti parochus, tenetur ex iuſtitia fidelibus ſibi ſubditis, Sacramentum hoc miniſtrare. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 131. Suarez *diſt.* 43. *ſect.* 2. Filliuc. *tract.* 3. *num.* 96. 97. & *ſeq.* Syluius *cit. qu.* 32. *art.* 3. *concl.* 2. & alij, quia tenetur oues ſuas paſcere, ordinaria remedia ſalutis præbendo, quando opportuno tempore requiruntur; vnde ſi in hoc notabiliter ſit negligens, cùm periculo infirmi, peccat mortaliter, & deficiẽte parocho, tenetur Epiſcopus id præſtare per ſeipſum, vel prouidere ouibus de alio. *Alij* autem ratione neceſſitatis infirmi, & deficiente parocho, tenetur ex charitate etiam ſub mortali; vnde tempore peſtis magis obligatur paſtor, quàm alius non habens tale munus, & non poteſt fugere, ſed adeſſe tenetur per ſe, vel per ſuum Vicarium, vt Sacramentum confeſſionis, & viaticum etiam cum periculo vitæ adminiſtret; Extremam-vnctionem tenetur etiam adminiſtrare, ſi id poteſt ſine mortali periculo vitæ: aliàs non tenetur, quia non eſt Sacramentum neceſſitatis, & ſufficienter prouidetur neceſſitati infirmi, per confeſſionem & Euchariſtiam. Suarez *diſt.* 44. *ſect.* 3. Diana *p.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 83. & *p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 174.

Nauarr. ſuar. Filliuc. Syluius. Suarez. Diana. ſyluius. ſancius.

Aduerte tamen ex Syluio *c. qu.* 32. *concl.* 2. & 4. Sancio *in ſelect. diſp.* 27. *nu.* 16. quando contingit infirmum non potuiſſet recipere, neque Sacramentum pœnitentiæ, neque Euchariſtiæ, tunc Parochus debet, etiam cum certo vitæ periculo, Extremam-vnctionem adminiſtrare: fieri enim poteſt vt infirmus percepto hoc ſacramento ſaluetur, qui alioquin eſſet damnandus; puta ſi antea non fuiſſet perfectè contritus, & certum eſſet infirmum, peccatum mortale habere alias non confeſſum.

4. *Suſcipiens hoc ſacramentum*, iuxta D. Thom. *in* 4. *diſt.* 23. *quaſt.* 2. *art.* 2. ConincK *d.* 19. *dub.* 7. Poſſeuinum *c.* 9. Reginald. *lib.* 28. *c.* 11. Loricbium *v. ſacr. Extrem. nu.* 8. Filliu-

D. Tho. Coninc. Poſſeu. Reginal.

Loiich. Filliuc. Henriq. Suarez. Nauarr. Bonac. Sylulus.

Filliucium c. num. 101. & seq. Henriq. *lib. 3. cap. 11.* Suarez *d. 42. sect. 2.* Nauar. *cap. 22. num. 13.* Bonacinam *c. punct. 5.* Syluium *cit. quæst. 32. art. 1. 2. 3. & 4.* & alios, solus est homo viator, baptizatus & ratione vtens; de vita periclitans, corporeque infirmus; vnde parientes cum periculo mortis, capaces sunt huius sacramenti, sicut & lethaliter vulnerati, aut qui potarunt venenū, peste percussi, morsu viperarum læsi, rabidi homines, decumbentes periculosè ob senectutem, item phrenetici, possunt recipere hoc sacramentum, si ante phrenesim illud optauerint & præmiserint saltem actum attritionis. *Denique* omnibus illis conferri potest hoc sacramentum, qui habuerunt intentionem saltem interpretatiuam illud suscipiendi, qualem habent qui Christianè vixerunt; non est autem necessarium, vt actualiter aliquando peccauerint, sed tantùm vt potuerint peccare; quia peccatum actuale, non est materia proxima vel remota huius sacramenti, sicut est pœnitentiæ, & ideò quamuis non præcesserit, poterunt omnia essentialia sacramenti adhiberi, & conferet suum effectum. *Infantes*, perpetuò amentes à natiuitate mortui, infideles, sani, imò & infirmi qui nondum existunt in periculo mortis, secundùm probabilem sententiam, gerentes bellum, aut existentes in mari cum periculo mortis, damnati ad mortem per supplicium à iudice, mulieres in partu existentes, sine tamen periculo: hi omnes non possunt recipere hoc sacramentum & sunt illius incapaces. Licet quidam Doctores apud Diana *p. 3. tr. 4. res. 181. & tr. 6. resol. 89 & part. 5. tract. 3. resol. 85. 86.* quos ipse citat & sequitur, doceant, omnibus pueris capacibus sacramenti pœnitentiæ, atque adeò omnibus post septennium, nisi constaret carere vsu rationis, dandam esse Extremam-vnctionem, licet non recipiant, nec sint idonei ad recipiendam Eucharistiam. Layman. *lib 5. tr. 8. cap. 4. num. 2.* Præpositus *3. p. q. vnic. de Extr. vnct. dub. 7. n. 57* & alij apud Sancium *in selectis disp. 27. n. 6.* qui docet peccare Parochum, per se loquendo, qui non administrat vnctionem sacram puero habenti vsum rationis ad peccandum, quamuis ob defectum ætatis nunquam susceperit Eucharistiam; quamuis per accidens ratione ignorantiæ aut consuetudinis, si alicubi sit, possit excusari: & infert idem Auctor *num. 11. & 12.* quod hoc sacramentum potiùs ministrandum est puero, qui nunquam communicauit, quàm adulto in eadem necessitate existenti, qui suscepit Eucharistiam: imò si puer sacramentum pœnitentiæ non suscepisset, idem non auderet absque vnctione relinquere illum, licet nunquam suscepisset Eucharistiam. *Ibidem num. 15.*

Diana.

Layman. Præposi. Sancius.

Præterea etiam adulti, in periculo mortis statim post baptismum susceptum, sunt capaces huius sacramenti: & ratio est, quia hoc sacramentum habet duplicem propriū & infallibilem effectum; vnus est, auxilia, quibus homo potest in illa extrema lucta corroborari; alter est, remissio peccati, ita vt hi effectus sint disparati, & vnus ab altero non dependeat, possitque vnus conferri ei, qui non sit alterum recepturus; quisquis autem est capax alterutrius, est capax sacramenti: cùm ergo is, qui nunquam peccauit, potest tamen peccare, per intrinsecam dispositionem, possit recipere auxilia, quibus possit corroborari, potest hoc sacramentum recipere, ergo, &c. Mercerus *tract. de Extr. vnct. in suppl. 3. p. qu. 32. art. 4.* Diana *p. 3. tract. 4. resol. 172.*

Diana. Suarez. Filliuc.

Sed dubium est, inter Doctores, an hoc sacramentum ministratum fuerit B. Virgini? Affirmant Suarez *tom. 4. disp. 42. sect. 2.* Estius Filliucius *in 4. dist. 23. §. 13. tr. 3. cap. 6. num. 108.* & alij: quia corroborari potuit gratia Dei aduersus tentationes Dæmonis, non minus ac si passura illas fuisset. Quod etiam decuit propter ipsum sacramentum, ne scilicet despici videretur, tum propter fructum, tum propter exemplum. Nec hoc est magis indecens, aiunt; quàm quod B. Virgo fuerit baptizata, quandoquidem etiam baptismus datur in remissionem peccati. At quia non significat remissionem, vt necessariò actualiter fiendam, sed solùm collationem gratiæ de se sufficientis, & ordinatæ ad peccatum expellendum, ideò in virgine locum habere potuit.

Contrarium tamen alijs placet, & meritò: quia non decebat, quòd respectu B. Virginis audiretur illa vox, *Indulgeat tibi Deus quicquid peccasti, &c.* Nec extabat præceptum de vnctione suscipienda saltem in publico, sicut de baptismo. Vnde absque legis vnctione non indigens, poterat non suscipere. Deinde cùm proprius & primarius effectus sacramenti vnctionis nō solùm sit remittere venialia quæ acta insint, sed etiam reliquias peccatorū quæ ex præcedentibus peccatis remansere, fit, subiectū quod nunquam peccauit, inhabile esse ad hoc sacramentum, sicut amens à natiuitate. Tum quia propter effectum secundarium, scilicet, augmenti gratiæ, non est ministrandum sacramentum subiecto inhabili respectu primarij. Tum quia forma baptismi non adeò explicitè exprimit suscipientem baptismum peccasse, ac forma vnctionis. Tum quia baptismus est ianua sacramentorum; quapropter licet peccato careat originali illum recipiens, eo nihilominus indigebit ad prædictum finem. Et huius sententiæ sunt Vasquez *3. part. tom. 2. disp. 119. c. 8.* Victor. *n. 222.* Nugnus *in suppl. 3. part. q. 32 art. 2. diffic. 2.* Sancius *in select. disp. 27. nu. 19. & 20.* & alij.

Vasquez. Sancius.

5. *Sacramentum* Extremæ-Vnctionis administrari debet, si fieri potest, quando infirmus adhuc rationis vsu gaudet, vt se magis ad fructum sacramenti disponat, & ideò non expectandum extremum vitæ periculum, quo omninò eius sit desperata salus; & si moriatur infirmus dū vngitur, debet sacerdos ab vnctionibus desistere, quia sacramentum datur viatori & non mortuo; si autem sit dubium, an sit mortuus, sub conditione, si adhuc viuit, est administrandum sacramentum, ne subiecto incapaci illud conferatur. *Catechism. Roman. cap. 8.* Syluester *verb. Extr. vnct. nu. 15.* Sa *v. Extrem. vnct. nu. 15.* Posseuinus *c. num. 19.* Diana *part. 5. tract. 3. resol. 95.* & alij.

Syluest. Posseu. Diana. Henriq. Syluius.

Dispositio ad recipiendum hoc sacramentum cum fructu, non eadem sufficit, quando recipitur ab eo qui est compos rationis, ac quando recipitur ab eo, qui nō vtitur ratione: *quia* infirmus cōpos mentis, & habens conscientiam peccati mortalis, tenetur elicere actum contritionis, qui aliàs poneret obicem ad gratiam; in priuato autem rationis vsu sufficit attritio. Henriq. *lib. 3. cap. 10. n. 2.* Nugnus *q. 32. art. 3.* Syluius *cit. art. 4. quæsit. 2.*

Suarez. Syluius. Diana. Coninc.

6. *Secluso scandalo* & contemptu, sacramentum Extremæ-Vnctionis non recipere ante mortem naturalem, non est peccatum mortale, per se loquendo, *quia* nullum extat præceptum obligans sub mortali, ad hoc Sacramētum suscipiendum; vnde qui ex negligentia illud omittit, non peccat mortaliter. Vt docent Suarez *c. d. 44. sect. 1.* Sà *c. nu 5.* Syluius *c. a. 4. quæsit. 1.* Diana *part. 5. tract. 3. res. 97.* Coninck *d. 19. dub. 10.* & alij.

Diana. Bonac. Filliuc. Henriq. Barbosa. Reginal.

7. *Quamuis* vsu receptum sit, vt ante administrationē Extremæ-Vnctionis, conferantur infirmis Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, non videtur tamen peccatum mortale, talem ordinem immutare, si id minimè fiat ex contemptu. Suarez *c. n. 8.* Diana *part. 5. tr. 3. res 92.* Bonac. *c. p. 5. n. 15.* Filliuc. *tr. 3. num. 114.* Henriquez *c. cap. 10.* Barbosa *de offic. paroch. cap. 22. n. 36.* Sà *c. nu. 3.* Reginald. *cap. nu. 74. 75.* & alij; *quia* aliquando fieri potest; vt quis extremam-vnctionem recipere possit, non verò pœnitentiam vel Eucharistiam, & ideò in praxi retinenda est consuetudo, qua prius infirmo administrantur pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, quàm Extremæ-Vnctionis, nisi quem infirmitas sic opprimat, vt nulla dans signa, non possit confiteri, & multò minùs Eucharistiam sumere: *vnde* quando timetur non futurum tempus, pro omnibus tribus Sacramentis suscipiendis, primò omnium facienda est confessio integra de omnibus mortalibus, postea præmittenda est Eucharistiæ sumptio Extremæ-Vnctionis sumptioni, quia præceptum suscipiendæ pœnitentiæ & Eucharistiæ obligat in articulo mortis.

8. Ex multis priuilegiis Summorum Pontificum, licet religiosis ministrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis familiaribus, seruitoribus & alijs degentibus intra septa suorum monasteriorum. Ita concessit *Eugenius IV.* fratribus Minoribus obseruantibus Prouinciarum Regni Castellæ. Idem concessit *Clemens IV.* eidem fratribus Minoribus: vt his, qui in eorum obsequijs commorantur, cūcta liberè ministrare possint Ecclesiastica sacramēta, & ipsos cùm decesserint in eorū monasterijs sepelire.

Quinam autem veniant nomine familiarium; dicendū est,

est, frequentiori vsu, dici familiares alicuius, illos, qui ei aliquo modo inseruiunt, & commensales sunt, & cum eo regulariter cohabitant: vt pluribus demonstratum est, *v. Confessarius* 3.*nu.*5.in fine. Et docent Rodrig. *tom.2.qq. reg.q.67.a.1.Compend.priuil.mendicant. v.Familiares* §. 10.Tamburin.*de iure Abbat.tom.2.disput.7.quæst.*3.Qui etiam refert quandam concessionem factam Benedictinis Hispaniæ, *vt possint ijs*, scilicet, *qui intra septa Monasteriorum, seu domorum Religionis infirmati fuerint, Extremam-Vnctionem Apostolica auctoritate liberè, & licitè, Parochialis, Presbyteri, uel alterius cuiuscumque Episcopi licentia, uel assensu nullatenus requisita ministrare.* Habetur etiam hoc priuilegium *in Comp.priuil. Mendic. v.Vnctio Extrema* §.1.*& in compend. Societ. eod. verb.* in quo solùm requiritur, vt intra septa Monasterij aliquis ægrotet: nec fit aliqua mentio familiaritatis, obsequij, vel seruitutis. Verùm hac concessione non licet vti post bullā S.D.N.Vrbani VIII. quamuis Pius V. viuæ vocis oraculo absolutè & sine limitatione declarauerit, vt huiusmodi gratiæ pro foro conscientiæ non censeantur derogatæ, nec restrictæ per Concil.Trid. reuocantur enim in prædicta Bulla *Alias fœlicis* 20.*Decemb.*1631.omnia viuæ vocis oracula gratias continentia, vt infra dicetur *v. Priuil.*1.*num.*8.

Rodriq.
Tambu.

Vide tom.2.v.*Interdictum* 2.n.8. *Sacramentum.*

EXTREMÆ-VNCTIONIS Sacramentum. III.

Quoad illius effectus & ritus.

SVMMARIVM.

1 *Triplex recensetur effectus huius Sacramenti.*
2 *An effectus partialis gratiæ detur in singulis vnctionibus?* Refertur duplex sententia.
3 *An hoc Sacramentum sit iterabile.*
4 *Qui sint ritus & cæremoniæ, quibus administrandum est hoc Sacramentum.*

1. TRiplex est effectus Sacramenti Extremæ-Vnctionis. *Primus* est, tollere reliquias peccatorū, id est, peccata mortalia vel venialia, quæ interdum relinquuntur post alia Sacramenta, vel quia sunt post illa & nō aduertuntur, vel quia non sunt expiata, per præcedentia Sacramēta male suscepta, & hoc ignoratur. *Secundus* est, subleuare infirmum à corporali ægritudine, sanitatemq; conferre, si animę saluti expedierit. *Tertius* est gratia habitualis, non solùm sanctificans, verum etiam habens adiuncta specialia auxilia, ad expellendas habitudines & procliuitates ad malū, ortas ex peccato originali, *denique* proprius effectus est, corroboratio infirmi contra omnia mala, quæ mortis tempore occurrere solent. D.Thomas *in 4.d.23.qu.1.art.2.& 3.p.q.30. art.2.* Suarez *d.41.sect.1.* Valent.*tom.4.d.8.q.1.p.3.* Reginald.*l.28.nu.57.58.* Filliuc. *tr.3.nu.124.* Lorichius *v.sacramentum Extrem.unct.nu.5.* Syluius *in suppl.q.20.art.1.concl.2.* & alij.

D.Tho.
suar.
Valent.
Reginal.
Filliuc.
Lorich.
syluius.
Medin.
Ledesm.
suarez.

2. Etsi probabile sit, iuxta Adrianum Medin. Ledesm. apud Suarez *c.sect.2.n.5.* & alios dari effectum partialem gratiæ in singulis vnctionibus, quia idem fit in Eucharistia, sumendo Corpus & Sanguinem, & in ordine, in singulis ordinibus. Probabilius tamen est, dari effectus huius Sacramenti, quādo perficitur vltima vnctio cum sua forma essentiali; qui peccatum vnius sensus, non remittitur sine peccam alterius, & omnes vnctiones institutæ sunt ad eumdem effectum completum, & ordinantur ad vnam integram, totius hominis vnctionem. D.Thom. Sot.Palud.apud Filliuc.*c.num.*126 Diana *p.3.tr.4.res.179.* & alij.

3. Hoc sacramentum est iterabile, cùm non imprimat characterem; & patet ex vsu seu praxi fidelium. Ratio est, quia hoc sacramentum est medicina, non solùm contra infirmitatem animæ, sed etiam corporis, si illa expediat; quocirca recurrente periculo mortis repetenda est medicina: non tantùm in diuersis morbis sed etiam in eodem diuturniore, si morbi status mutetur: vt si postquam inunctus, qui mortis periculum euaserat, in idem rursus incidat, potest secundò inungi: quia potest de nouo roborari cōtra diabolicos insultus & præparari ad egressum ex hac vita, & ad ingressum cęlestem. Non est autem necessarium, quòd infirmus recuperet sanitatem, & postea incidat in similem, vel alium morbum, & simile periculum, sed satis est, si manente infirmitate, euadat periculum mortis, & post aliquod tempus, iterum incidat in periculum mortis; quod relinquitur iudicio prudentis viri. Tunc enim toties quoties hoc accidit, potest iterari hoc Sacramentum, vt infirmus habeat leuamen in articulo mortis. Quando autem infirmitas non est diuturna; & vnum tantùm est periculum mortis, non debet hoc Sacramentum iterari. D.Thom. *in suppl.q.33.a.1.& 2.* Syluius *ibid.* Conc.Trid.*sess.14.cap.3.de extr.unct.* Suar. *3.p. tom. 4. disp.40.sect.4.n.4.& seq.* P.Ledesma *tr. de Sacrament.Extrem.unct.c.8.* Tannerus *tom.4.disp.7.q.1.nu.54.* Victor.*in Sum.n.224.* Henriq.*lib.3.cap.9.num.4.*

D.The
Sotus.
Palud.
Filliuc
Diana.

D.Tho.
Syluius.
Cōc. Tr.
suarez.
P.Ledes.
Tanner.
Victoria
Henriq.

4. *Ritus* & cæremoniæ, quibus administrandum est hoc Sacramentum, peti debent ex rituali cuiusq; Episcopatus; tria tamen hic notanda sunt. *Primum* est, non opus esse adhibere alium ministrum qui respondeat nisi aliter constitutum sit per statuta Episcoporum. *Secundum*, extra periculum peccare Sacerdotem, qui administrat hoc Sacramentum prætermissis orationibus, nam orationes necessariæ sunt ex præcepto Ecclesiæ; licet septem psalmi pęnitentiales non sint de præcepto, nisi aliter alicubi decernatur. *Tertium*, dum periculum est in mora, posse Sacramentum hoc conferri, nondum recitatis psalmis & orationibus supplendæ tamen erunt postea orationes prætermissæ, si administrato Sacramento infirmus adhuc superstes maneat. Posseuinus *cit.n.11.* Bonacina *cit.punct.6.n.7.* Suarez *d.44.sect.2.* Henriq.*cit.c.8.& 12.* Lorichius *cit.n.10.* Tanner.*tom.4.disp.7.quæst.1.num.85.*

Posseu.
Bonac.
Suarez.
Henriq.
Lorich.
Tanner.

F.

FALSARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Quis sit dicendus falsarius.*
2 *Ennumerantur varij casus quibus crimen falsi committitur.*
3 *Quæ pœna olim fuerit decreta pro crimine falsi?*
4 *An licitum sit omissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, &c. similem confingere.*

1. FAlsarius est, qui crimen falsi committit, quod consistit in peruersione veritatis cum dolo & alterius iactura; vnde *tria* ad hoc crimen requiruntur, & si vnum defecerit, non est punibile. *Primò*, est veritatis immutatio. *Secundò*, dolus operantis. *Tertiò*, vt alteri inde damnum proueniat. *cap. Ad falsariorum, de crim. fals.* Syluest.*verbo Falsarius nu.1.*

Syluest.

2. *Falsi* crimen committit *primò*, qui sine legitima authoritate monetam cudit, *L.2.& 3. C.de falsa moneta*, nam tale hominis factum, falsationem continet, dolum & iacturam Principis. *Secundò*, qui falsam monetam cudit, videlicet, pondere monetæ detrahit abscindendo, radēdo, *l. Quicumque, ff. ad legem*, Cornel*iam, de falsis*, Angel. *v.Falsarius.*§.8. Layman *l.3.tr.2.p.1.cap.5.nu.5.* Couar.*de collat.veterum numismatum c.8.n.3.4.& 5.* Molina *tom.3.poster.tract.2.disp.700.701.& 702.* P.Nauar.*lib.3. cap.1.num.* 312.Nauarr. *cap.17.num.168.& 169.* Rosella *v.Falsitas n.5.* Diana *tract.6.misc.res.55.p.3. tamen* si aliquid detrahatur monetis, quæ iustum pondus excedunt,

Cornel.
Angel.
Layman
Couarr.
Molina.
P.Nau.
Nauarr.
Rosella.
Diana.

dunt, & id fiat publica authoritate à monetarijs, culpa vacat, si verò fiat à priuato, verisimile est talem, vt fraudatorem, ac falsarium puniri posse, quia monetæ publicæ priuata auctoritate detrahit, cum damno communitatis. *Quarto*, falsi crimen committit, qui adulterinæ materiæ nummos, puta stanneos, plumbeos tingit, seu colorat, vt appareant aurei, vel argentei. *Quinto*, qui falsas monetas, puta stanneas, aut plumbeas, pro argenteis scienter expendit, nihil obstante quòd ante, etiam ab aliis deceptus fuerit; sed etsi bona fide, seu ignoranter aliquis expenderit, tenetur ad restitutionem ei qui læsus fuit: imò peccat & puniri potest ille, qui nummum adulterinum alteri donat scienti ac consentienti, quem probabiliter scit eo animo accipere; vt alium decipiat, quia cooperatur ad multas falsationes inde secuturas. *Sexto*, qui testamentum, codicillum, aliudve instrumentum vel scripturam immutat, supprimit, *l. Quid sit, ff. eod. Septimò*, qui alienas literas dolosè aperit ac legit, cum alterius iniuria, vel damno iniusto; secus si interueniat iusta illas aperiendi causa, puta si id fiat iure belli, aut iustæ defensionis causa cōtra inimicum insidias molientem, vel si aperiens illos sit prælatus, aut pater illius ad quem mittuntur. Item, qui aperit literas alienas, vt eas ostendat aduersario mittentis: ex quo sequitur, quod procuratores & aduocati, qui iura partis ostendunt aduersario, possunt puniri pœna falsi; sicut & secretarij, vel scriptores, vel collegæ Prælatorum, qui in visitationibus generalibus, & prouincialibus ostendunt depositiones fratrum illis, contra quos sūt factæ, & deponentium nomina notificant, quod est valde notandum, v. docet Peyrinus *tom. 1. q. 2. cap. 2. §. 13.*

Peyrin. Item, qui non restituit literas ei, cui reddere mandatum accepit, sed alteri pandit, licet non aduersario mittentis, & mortaliter peccat contra fidem promissam. Item, qui literas alteri destinatas lacerat, & comburit, quasi crimine falsi potest puniri. Vide v. *Casus reseruatus n. 40. §. 11.* & verb. *Secretum n. 7. Octauo*, venditor, qui falsis ponderibus, vel mensuris vtitur, vel materiam adulterinam minus vtilem mercibus admiscet, *l. penult. ff. ad legem Cornel. de falsis. Nono*, qui alienum partum alieni supponit, *l. 30. ff. de eod. Decimò*, qui falsum profert testimonium, falsum testem in iudicium producit, aut qui iudicem corrumpit, aut qui existens aduocatus parti aduersariæ cautam prodit, *l. 15. ff. eod. Vndecimo*, qui signum adulterinum fecerit, vel sculpserit; qui alienum chirographum imitatus fuerit; & qui rationes, tabulas, vel instrumentum aliquod rasura falsarit, aut signum amouerit, *l. 1. ff. eod. tit.*

An autem qui bona fide expendit monetam falsam teneatur ad restitutionem, Sylucster *v. Falsary qu. 6.* An-

Syluest. Angel. gelus *ibid §. 4.* asserunt, quòd ignoranter accipiens falsam monetam & scienter expendens; tenetur damnificato ad restitutionem. Igitur ex eorum sententia, si eamdem bona fide in alium transtulit, non tenetur. Contrarium

P. Nau. Nauarr. docent P. Nauarra *lib. 3. cap. 1. n. 312.* Nauarrus *in man. cap. 17. num. 167.* quia error nulli nocere debet, sed suos tenere debet Auctores. Vtrumque probabile esse ait

Diana. Diana *tract. 6. miscell. resol. 3. part. 3.* Cæterùm dicendum est teneri hunc restituere & rescindere contractum cum suo emptore: quia bona fide emens rem maiori iusto pretio, atque eodem vendens, tenetur suo emptori illum pretii excessum restituere. Quia me deceptum esse, nullum mihi ius tribuit decipiendi alterum. Quod si bona fide decipiam, excusabor quidem a culpa, at non à damno resarciendo, cùm fraudis conscius fuero. Ita

Sotus. Lessius. etiam Sotus *de iustit. lib. 4. quæst. 7. art. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 14. num. 26.* & alii communiter. Et dictum est supra *verb. Cambium num. 8.*

Monetas aureas & argenteas tondentibus pœnam vltimi supplicii imponit Pius V. *constit. 111. incip. Cum nil magis. Octauo Kal. Nouemb. 1570.* Approbat, confirmat, & innouat Vrbanus VIII. *constitut. 75. incip. In Suprema. Iaib. Nouemb. 1627.* & ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas cuiusuis Ordinis, Societatis, Instituti, nec non Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani Regulares in omnibus, & singulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Castris, & locis in Italia dumtaxat existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint, extendit & ampliat, ac vult vt culpabiles in præmissis reperti, præuia degradatione Curiæ sæculari puniendi tradantur.

3. *Pœna* pro crimine falsi, olim *l. 1. §. vlt. ff. eodem* homini libero decreta erat deportatio in perpetuum, cum confiscatione bonorum; hodie autem est arbitraria: *deinde* tam in conscientiæ foro, quàm in externo, resarcienda sunt omnia damna, quæ occasione commissi falsi alteri acciderunt: *præterea* falsans Pontificias litteras excommunicationem incurrit Bullæ Cœnæ. Vide Layman *citat. cap. 4. num. 2.* Clarus *4. sent. §. falsum num. 31.* Laym. Clarus.

4. Licitum non est, amissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, &c. similem confingere; vel conuento de pecunia mutuo accepta, quam legitimè soluerat, factæ solutionis falsum instrumentum producere; quia licet per huiusmodi falsationem non violetur particularis iustitia, neque contrahatur obligatio restituendi, peccatur tamen contra veritatis virtutem, & quidem cum reipub. pernicie, vnde hæc falsatio legibus seuerè prohibetur, & cùm prohibitio sit iusta, in conscientia obligat. Ita Couarruuias *lib. 1. variar. resol. cap. 2. num. 3.* Couarr.
Emanuel Sà *v. Falsarius num. 2.* Diana *tract. 6. misc. res.* Em Sà.
56. part. 3. Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 4. num. 4.* Diana. Laym.
& alii. Vide præterea Dianam *par. 5. tract. 14. resol. 40.* & Dian.
Beneficium 7. num. 3.

FAMVLVS.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit famulus, & quomodo differat à seruo & operario?*
2 *An famulo laboranti soluendum sit stipendium iustum?*
3 *Quod stipendium famuli censeatur iustum?*
4 *An excusentur a peccato, qui tradunt solummodo victum pueris pro illorum opera?*
5 *An merces iusta soluenda sit famulo, qui alicui seruit, nulla certa mercede constituta?*
6 *An teneatur dominus ad integram mercedis solutionem, famulum expellens domo, nondum elapso termino constituto?*
7 *An famulo existenti in infirmitate præcisa conuentione vel consuetudine, soluenda sit merces pro tempore infirmitatis?*
8 *An peccet dominus & teneatur ad restitutionem, non soluendo famulo stipendium in ea re, in qua conuenit, sed in alia?*
9 *An grauiter peccet famulus, dum non obedit domino, in rebus magni momenti?*

1 FAmulus dicitur ille, qui stipendio & mercede locat seipsum ad tempus, in obsequium domini, *differt* autem à seruo & operario, eò quòd seruus non sit sui iuris, & soleat emi à domino; *Operarius* autem locat tantùm suas operas ad certum genus operis; *famulus* verò, vt dictum est, locat seipsum ad seruiendum & obsequium præstandum prout opus fuerit. Azorius *tom. 2. lib. 2. cap. 39. q. 1.* Reginaldus *lib. 20. num. 57.* Azor. Reginal.

2. *Famulo* fideliter laboranti, soluendum est stipendium iustum, quia dignus est mercenarius mercede sua; si autem fideliter non laborauerit, saltem intra latitudinem infimi laboris debiti, non debetur stipendium, quatenus non præstitit debitam operā; imò talis famulus tenetur ad restitutionem, non solùm ad ratā laboris omissi, quatenùs non peruenit ad latitudinem infimi laboris iusti, sed etiam ad interesse, si fortè aliquod detrimentum, vel lucrum cessans domino conductori subsecutum est; quia illius censetur causa iniusta: In casu tamen quo famulus expressè, vel tacitè contentus sit minimo pretio,

aut aliquo obsequio, ad id solùm tenebitur conductor, quia famulus potuit cedere iuri suo, consentiendo liberè in minus stipendium, quàm alioquin mereatur. Nauarr. *cap.* 17.*n.*197. Reginaldus *lib.*25.*num.*513. Angelus *verb. Locatio*, §. 15. Bonacina *de contract. disp.* 3.*q.*7.*punct.*4. *num.*2. Syluester *v. Locatio q.* 12. & alij.

Nauar. Regin. Angelus Bonac. Syluest.

3. Iustum *stipendium* famuli censetur, quod passim eo loco huiusmodi operarijs & officialibus tali ministerio occupatis, dari solet, itaut non sit minus infimo, nec maius summo, quod dari consueuit: vnde si locator suæ operæ mercedem exigat maiorem quàm sit summa, vel si cõductor det minorem quàm sit infima dari consueta, facit iniuriam & tenetur ad restitutionem, reducendo mercedem ad proximos limites pretij iusti: *In dubio* autem, an stipendium sit intra infimum, non potest famulus vti cõpensatione, subtrahendo de rebus Domini: *In duobus* tamen casibus stipendum potest esse intra infimum. *Primò*, si conductor non egeat opera alterius, sed solùm ex misericordia ad preces ipsius ipsum conducit. *Secundo*, si famulus spontè non petat iustum stipendium, vt Dominus procuret illi beneficium, vel officium, siue vt amicitiam illius sibi conciliet. Vasquez *in opusc. de rest. cap.* 5. *dub.*10.*n.*56. §.1. Reginaldus *lib.*25. *num.*552. Molina *tr.* 2.*disp.*506. Lessius *lib.*2. *cap.*24. *dub.*4. Bonacina *cit. n.*9. Layman *lib.*3.*tract.*3.*p.*1. *cap.*1.*num.*10. & alij.

Vasq. Regin. Molina. Lessius. Bonac. Layman

4. Qui tradunt solummodò victum pueris, pro illorũ opera, excusantur, quia communi æstimatione hoc reputatur iustum stipendium, & eorum obsequium nõ plus videtur mereri: Dominus tamen peccat, & tenetur ad restitutionem damni, quando puerum vel famulum conduxit paruo stipendio, hac conditione, vt permitteret ipsum litteris vel arti operam dare, sed postea non potest, quia non censetur famulo iustum dare stipendium, & facit contra conuentionem. Azorius *tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 13. *q.*2.*&* 3. Rebellus *lib.*14.*quæst.*13. *num.*1.

Azor. Rebell.

5. Famulo, qui alicui seruit nulla certa mercede constituta, si obsequia præstet, quæ communiter solent certa mercede constituta præstari, soluenda est merces iusta in ea regione consueta pro iisdem ministerijs, quantumuis mercedem arbitrio Domini reliquerit; satisfaciet tamen Dominus tradendo pretium infimum, nam infimum cõtinetur intra latitudinem iusti stipendii. Lessius *cit. n.* 25. Vasquez *cit.n.*57. Reginaldus *cit.n.*554.

Lessius. Vasq. Regin.

6. *Dominus* famulum expellens domo nondum elapso termino constituto, tenetur ad integram mercedis solutionem, nisi fortè ex grauissima causa adducatur ad ipsum expellendum, *l. Qui operas ff. locat.* quia conductor tenetur soluere pensionem, quando non est vsus re conducta ob culpam & impedimentum ipsius conductoris: *Si verò* famulus decedat ante finitum tempus, secundùm Azorium *cit.cap.*14.*q.*1. Bonacinam *cit. num.* 12. Rebell. *cit num.* 10. & alios, amittit totam mercedem; sed in foro conscientiæ, potiùs est dicendum, secluso pacto, denegandam esse mercedem ad ratam temporis futuri, non verò ad ratam temporis præteriti, in quo suam præstitit operam pretio æstimabilem, tenetur tamen famulus ad resarciendum damnum Domino, vnde potest illi denegari stipendium ad ratam damni. Vide Dianam *tract.* 6. *misc. res.* 15. *&* 16. *p.*3.

Azor. Bonac. Rebell. Dian.

7. Præuisa conuentione, vel consuetudine, famulo existenti in infirmitate, non est soluenda merces pro tempore quo detinetur in infirmitate, quia conductor, seu Dominus non tenetur soluere pensionem, quando non vtitur re conducta ob defectum locatoris; imò secundùm probabiliorem sententiam, non tenetur Dominus ex iustitia suis expensis & sumptibus curare famulum in domo sua ægrotantem; si tamen in graui, vel extrema necessitate esset, ex obligatione charitatis teneretur Dominus subuenire. Recuperata verò valetudine & elapso termino ad inseruiendum, non tenetur famulus in famulatu perseuerare quousque resarciat illud tempus quo ægrotauit; nec tenetur Dominus admittere in hoc casu famulatum famuli volentis resarcire tempus elapsum, quamdiu extitit in infirmitate: quia famulandi onus præcisè fuit temporis in contractu præscripti, quo proinde transacto non manet onus in tempus sequens. Azorius *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 49. P. Nauarra *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 213. Molina *cit. disput.* 505. *num.* 1. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 517. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 28. Emanuel Sà *verb. Conductor num.* 5. Diana *de contract. res.* 86. *p.* 1. & alii.

Azor. P. Nau. Molina. Regin. Layman Sà. Diana.

8. Peccat Dominus non soluendo famulo, stipendium in ea re, in qua conuenit, sed in alia, & tenetur ad restitutionem damni, quod patitur famulus; vt qui loco pecuniæ tradidit famulo renitenti pannos, vel alia merces certo pretio, quas famulus viliori pretio vendidit: quia Dominus tenetur tradere famulo, quantum conuenit, minus autem censetur in hoc casu tradere, cùm famulus cogatur viliori pretio vendere quod accepit. Vasquez *citat. num.* 63. Bonacina *citat. num.* 15. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 111.

Vasq. Bonac. Nauarr.

9. Famulus grauiter peccat, dum non obedit Domino in rebus magni momenti, aut si debitum illi honorem non deferat, contemnendo ipsum, negligendoque vel irridendo, aut si faciat ipsi fraudem, non impendendo quantùm potest, ne Dominus ipse in rebus, aut in persona damnum patiatur; non tenetur tamen famulus vitam Domini cum periculo propriæ vitæ defendere, nisi ad defendendam vitam Domini specialiter conducatur, tũc enim id negligendo, contra iustitiam peccabit. Clauis regia *lib.*7.*cap.*7.*num.*12. Reginaldus *lib.*20. *num.*63. Layman *lib.*3.*tract.*3.*par.*3.*cap.*3. *num.*5. Diana *tract.*6.*misc. resol.*58.*p.*3. & alii.

Cla. reg. Regin. Laym. Diana.

De Famulo vide verb. Cambium *num.* 9. Compensatio *num.*5.6 Eleemosyna *num.*12. Festum 3. *num.* 1. Furtum 2. *num.* 8. & tom. 2. verb. Ludus 2. *num.* 3. Missa 9. *num.* 3. Parentes *num.* 5. Scandalum *num.* 10. Vsura 6. *num.* 5.

FESTVM I.

De die Dominicæ, & aliorum festorum institutione.

SVMMARIVM.

1 *An præceptum celebrationis festorum, partim sit naturale, partim cæremoniale, & partim humanum.*
2 *An obseruatio Dominicæ diei sit de iure diuino.*
3 *Quis possit dies festos instituere, & institutos abrogare; & an Episcopus possit instituere festum alicuius beati nondum relati in Sanctorum numerum.*
4 *An consuetudo possit dies festos abrogare, vel nouos instituere.*
5 *An Princeps sæcularis, vel Respub. possit dies festos tanquam sacros instituere.*
6 *An peccet populus non adimplens vota festorum, aut aliarum rerum populi superioris ætatis.*
7 *Modus incipiendi, & terminandi festa, sumendus est à consuetudine præscripta.*

1 IVxta D.Thom. 2.2.*quæst.*122.*art.*4 *ad* 1. Graffiis 1.*p. lib.*2.*cap.*34.*num.*1. Clauis regia *lib.*7.*cap.*1.*num.*1. Reginaldus *lib.* 19. *num.* 2. & alios præceptum celebrationis festorum partim est *naturale*, partim *cæremoniale*, & partim *humanum*; *quatenus* autem hoc præceptum est naturale, obligat omnes; quia lumine naturæ cognoscimus aliquos dies cultui diuino deputandos esse; vnde ab aliquibus vocatur *morale*, id est, pertinens ad mores; *quatenus* verò diuinum & cæremoniale est, non obligat in ipsamet die sabbathi, quia cæremonialia veteris legis delata sunt per mortem Christi: *Denique* quatenùs hoc præceptum est humanum, habet certos dies determinatos ab Ecclesia, vt diem Dominicum loco Sabbathi, & quosdam etiam festiuos Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum.

D. Tho. Graffiis. Cla. reg. Regin.

2. *Apostoli* authoritate sua, non autem lege diuina, cæperunt diem Dominicum obseruare, ac idem faciendum fidelibus præceperunt. Nauarrus *cap.* 13. *num.* 1. Suarez *de relig.lib.*2.*cap.*4. Azorius 2.*p.lib.*1.*cap.*2.*quæst.* 3. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 5. *quæst. vnic. punct.* 1. Filliucius *tract.*

Nauar. Suar. Azorius. Bonac. Filliuc.

Syluius. *tract.27.cap.2.* Syluius 2.2.q.122.*art.4.* & alii. *Ratio verò* cur Ecclesia Sabbathum in diem Dominicum commutauerit, secundùm communem Sanctorum Patrum, & Theologorum scorentiam: *Prima* est, quia Dominicus dies est signum illius diei qua Christus resurrexit. *Secunda*, ne viderentur consentire cum Iudæis, & eorum cæremonias obseruare. *Tertia*, propter multas & varias prærogatiuas, quibus hæc dies gaudet, & ob multa opera insignia, quæ in eo die facta sunt; puta Angelorum creatio, & bonorum glorificatio, malorum verò in infernum deiectio: Item eo die creauit Deus cœlum & terram: Mare rubrum recessit, vt liberè filij Israel transire possent: Manna filijs Israel è cœlo descendit: Lex data est filijs Israel in monte Oreb: Illa die Christus incarnatus est: & tres Magi natum adorauerunt: Christus ea die baptizatus fuit; & in Caña Galileæ aquas mutauit in vinum: Datus est ea die Spiritus sanctus Apostolis, & hac die erit resurrectio generalis quando Christus reddet vnicuique secundum opera sua. Merito ergo ob hæc Apostoli ex illis septem diebus eum qui primus est ad diuinum cultum consecrare voluerunt, quem & diem Dominicum dixerunt. Clauis regia *lib.7.cap.1.num.6.* *Hinc* colligitur obseruationem Dominicæ diei, non esse de iure diuino, sed canonico, & consequenter posse consuetudine, vel humana potestate abrogari, & in aliam diem commutari; nam legitima consuetudo vel potestas potest iuri humano derogare; idem dicendum de festis sanctorum. Doctores citati hoc numero. Cla. reg.

3. *Potestas* instituendi dies festos, & illos institutos abrogandi pro tota Ecclesia, est penes Summum Pontificẽ & Concilium generale; *quia* Papa & Concilium sunt supra totam Ecclesiam, nec requirunt consensum populi in talium festorũ institutione: *Episcopi* verò, dies festos nouos instituere non possunt, nisi in suis particularibus Ecclesijs, neque communiter id facere debent sine causa vrgentissima, idque ex cleri populique consensu; vnde si populus ex causa rationabili contradicat festo indicto ab Episcopo, ad illud seruandum non obligabitur; licet consuetudine iam receptum sit, vt festi dies instituantur, adhibito solùm Clericorum consilio. Suarez *cit. cap.11. num.* 4. Emanuel Sà *verb. Festum*. Sanchez *lib. 2. mor. cap.43. num.11.* Azorius 2 *p.lib.1.cap.26.q.4.* Diana 4.*p. tract.4. resol.* 178 & alij. Est *notandum* tamen, Episcopum non posse instituere festum in honorem alicuius beati, nondum relati in Sanctorum numerum, *cap. final. de ferijs, cap. Cum inferior de maior. & obedient.* similiter nec posse abrogare festos dies, qui sunt instituti à Romano Pontifice, vel Concilio generali, aut totius Ecclesiæ vniuersali consuetudine; posse tamen abrogare diem festum institutum, vel à suo prædecessore, vel à consuetudine particulari suæ Diœcesis. Reginaldus *cit. num.* 6. Diana *tract. 5. misc. res. 9. p. 3.*

Suar. Em. Sà. Sanch. Azor. Diana. Reginal. Diana.

4 *Consuetudo* scita & tolerata, circa dies festos; idem potest quod circa alia præcepta humana, scilicet, dies festos abrogare, vel nouos instituere, quia licet sanctificatio alicuius temporis, etiam in lege Euangelica de iure diuino sit, & sit præceptum naturale & morale, determinatio tamen diei, est de iure humano, consuetudo autem plurimùm potest & valet in omne ius humanum. Nauarrus *cit. num.* 5. Philiarchus *de offic. Sacerd. part. 2. lib. 3. cap.23.* Reginaldus *cit. num.* 7. & alij.

Nauarr. Philiar. Regin.

5. *Princeps* sæcularis, ciuitas, aut Respublica, dies festos tanquam sacros instituere non potest, *cap. Decernimus, de iudicijs*, quia diei festi cultus, vnus est ex religionis actibus quo colitur Deus, de cultu autem Dei curam solùm habent Prælati Ecclesiastici: posset tamen Princeps sæcularis prætextu ciuilis honoris, vel alio titulo præcipere subditis, vt tali die à seruilibus operibus, à forensibus negotijs, & ab alijs ciuilibus negotijs abstineant, & populus die illo ab operibus seruilibus abstinere tenetur, Missam tamen audire non obligatur, nisi talem diem festum cum Papæ, vel Episcopi loci consensu institueret, accedente enim tunc Ecclesiæ consensu, verè dies festus esset. Suarez *cit. cap.12. num.2.* Emanuel Sà *verb. Festum*. Azorius *cit. q.5.* Clauis regia *cit. num.17.* & alij.

Suar. Em. Sà. Azor. Cla. reg.

6. Peccat populus, qui non adimplet vota festorum, aut aliarum rerum populi superioris ætatis, quia licet vota personalia sint, & iuramenta, & communiter ad alios non transeat; tenetur saltem ex vi contractus & promissionis, quæ in vniuersalem successorem pertransit. Rodriquez *Sum. p. 2. cap. 101. concl. 13.* Nauarrus *cap. 12. num. 79.* Rodr. Nauarr.

7. *Modus* incipiendi & terminandi festa, an scilicet à vespera in vesperam, à media nocte ad mediam noctem, à consuetudine præscripta loci sumendus est; communiter tamen *cap. Quoniam de ferijs*, more Romano festum incipit à media nocte ad mediam noctem licet quoad officium incipiat à vesperis. Imo institui potest dies festus colendus solùm vsque ad meridiem, quia qui potest totum, potest etiam partem præcipere, & tunc Missæ sacrum audiendum esset. Suarez *cit. cap. 31. num. 4.* Azorius *cit. cap. 26. q. 8.* Suarez. Azor.

FESTVM II.

De operibus prohibitis & permissis in die festo.

SVMMARIVM.

1 *An præceptum de obseruandis festis partim sit negatiuum, partim affirmatiuum? & quod opus dicatur seruile?*
2 *Quotuplex sit opus seruile?*
3 *An opera peccaminosa sint specialiter prohibita in die festo?*
4 *An triplex sit species operis seruilis indifferentis?*
5 *An opera necessaria etsi seruilia, in curando proximo, permittantur in die festo?*
6 *Quæ opera seruilia excusentur, si in honorem & cultum Dei fiant?*
7 *An opera liberalia sint licita quæ continent cultum Dei?*
8 *An scribere sit opus seruile, si fiat ob lucrum? & an transcriptio sit licita?* refertur duplex sententia. *Et quid de impressione librorum.*
9 *An pingere in die festo sit prohibitum?*
10 *An itineratio sit prohibita in die festo?*
11 *An actiones saltandi, ducendi, choreas, canendi, sint seruiles, & prohibita in die festo?*
12 *An venatio, vel piscatio sit opus seruile, & prohibita in die festo?*
13 *An militia actualis sit prohibita in die feste?*
14 *An opera animæ permittantur in die festo?*
15 *Quæ opera non seruilia iure prohibeantur in die festo? & quæ possint intelligi, nomine mercatus.*
16 *Quid sit placitum? & an prohibeatur in die feste? & quando permittatur?*
17 *An quælibet sententia vetita sit in die festo?*
18 *An appellatio sit licita in die festo?*
19 *Quando citatio in die festo nulla sit?*
20 *An testes examinari possint in die festo.*
21 *An iudicium ad mortem, vel ad pœnam, sit in die festo prohibitum?*
22 *An iuramentum iudiciale, vel extraiudiciale licitè fiat in die festo.*
23 *An liceat in die festo rationes subducere etiam ex mercede, & officio.*

1 PRæceptum Ecclesiæ de obseruandis festis, partim est *negatiuum*, partim *affirmatiuum*: *negatiuum* prohibet opus seruile, *affirmatiuum* verò præcipit auditionẽ Missæ, de qua *tom. 2. verb. Missa* dicemus. *Opus* autem *seruile* dicitur. quod ex se habet quendam famulatum, & ab illis solùm communiter exercetur, qui alijs inseruiunt, vt fodere, arare, suere, nere, & alia huiusmodi, quæ seruis propriè conueniunt, etiamsi per liberos nonnunquam exerceantur, & hæc dicuntur mechanica, eo quod artes mechanicæ in illis dirigere debeant operantem. D. Thomas 2. 2 *quæst. 122. art. 4.* Clauis regia *lib.* D. Tho. Cla. reg.

Tolet. Filliuc. Reginal. Nauarr. Syluius.

lib.7.cap.2.num.2. Toletus *lib.4. cap. 24.* Filliucius *tract. 27.cap.9.* Reginaldus *lib. 19. num.* 36. Nauarrus *cap. 13. num.3.* Syluius 2.2.*quæst.*122.*art.*4. & alij. Est tamen hic *notandum*, opus non censeri seruile, si ex suo genere tale non sit, eo quod fiat ex intentione & spe lucri. Quãuis quidam contrarium doceant non improbabiliter, vt refert Diana *p.* 2.*tract.* 15.*res.*35. fundamentum prioris sententiæ est, quòd in die festo operari ob lucrum, non inuenitur aliter prohibitum in Ecclesia, quàm per prohibitionem operis seruilis.

Diana.

2. Opus seruile *triplex* est, *religiosum*, *peccaminosum*, & *indifferens*, siue *humanum*: *Religiosum* & seruile opus dicetur, si per illud colatur Deus; *peccaminosum* verò erit, si per illud seruiatur dæmoni & peccatum sit: dicatur denique *indifferens*, si homini seruiatur in ijs quæ ad corpus pertinent: *hinc* dicendum est opera seruilia religiosa non esse prohibita in die festo, quin potiùs commẽdata, quia in ijs positus est externus cultus Dei, & honor sanctorum, ob quæ dies festi instituti sunt. D. Thomas *cit.art.*4. Caietanus 2.2.*q.*122.*art.*4.

D. Tho. Caietan.

3. Iuxta communiorem sententiam Doctorum apud Suarez *de relig.lib.*2.*cap.*18. Nauarrum *cap.6.n.*10. Azorium *cit.cap.* 28.*q.*10. Bonacinam *cit.punct.*2. *num.*3. Couarruuiam *cit. Alma* 1.*p.* §.5.*num.*3. & alios, opera peccaminosa non sunt specialiter prohibita in die festo, quasi per illa festus dies violetur, quia præceptum diuinum & Ecclesiasticum de colendis festis, non obligant specialiter ad non peccandum in die festo, opus enim peccati formaliter non est seruile, quamuis ex parte actus materialis possit esse seruile, vt si quis furando scindat aliena ligna; & licet peccatum in die festo commissum contrahat aliquam maiorem grauitatem & malitiam intra eandem speciem, & secundùm aliquorum sententiam etiam speciè distinctam malitiam contra religionem, quia tamen non est grauis deformitas, ideò in confessione non est necessariò ista circumstantia explicanda.

Suarez. Nauarr. Azorius. Bonac. Couarr.

4. Operis seruilis indifferentis & humani *triplex* est species, quarum *Prima* est, necessarij operis seruilis ad hominis sustentationem. *Secunda*, ad curandum proximum. *Tertia*, ad cultum & seruitium Dei. Ex consuetudine non est prohibitum, in die festo, opus corporale necessarium ad sustentationẽ omnis, quamuis seruile sit: vt parare cibos, coquere, colligere fructus, vt exinde saniores sint, occidere animalia, excoriare; imò coquere panem licet, quando vel ob multitudinem populi, vel quia multi dies festi sunt, & præueniri non potuit, alioquin nõ licet quando præueniri potest: nisi id permittat consuetudo; qualis est Romæ & in plurimis locis, quæ saltem tacitè approbata est à superioribus, quę stante tacito consensu superiorum, videtur interpretari legem quòd non prohibeat huiusmodi opus seruile ratione necessitatis; sed ipsum permittat, sicut & alia seruilia permittit intuitu necessitatis. Excusantur etiam molitores pistrinorum, qui vtuntur molendinis fluuialibus, aut venti, in quibus exiguus labor seruilis impenditur. Vide Nauarrum *cap.*13. *num.*3. Clauem regiam *lib 7.cap.*2. Bonacinam *cit.punct.* 3.*num.*9. Syluestrum *verb. Dominica q.* 5. Rodriquez *in Sum.cap.*122.*num.*4. Syluium *cit. art.*4. & alios. Et infra *verb. Festum* 3.*num.*4.

Nauar. Cla. reg. Bonac. syluest. Rodri. sylu.

5. Opera necessaria in curando proximo etiamsi seruilia sint, vel non sunt prohibita, vel ob necessitatem excusantur; vnde ratione huius necessitatis excusantur medici, chirurgi, & pharmacopolæ, modò conficiant solùm medicinas ob necessitatem illius diei. Toletus *cit. num.*4. Filliucius *cit.num.*152.*&* 153.

Tolet. Filiuc.

6. Opera seruilia, quæ in honorem & cultum Dei fiũt, sunt in triplici genere. Vt docent Clauis regia *lib.7. cap.* 2.*n.*3. Azorius 2.*p.lib.*1.*cap.*28.*q.*5. *Alia* immediatè pertinent ad Dei cultum, & hæc licitè fiunt in die festo, cuiusmodi sunt organa pulsare, vti musicis instrumentis, deferre crucem, &c. *Alia* sunt præparatoria ad cultum diuinum, & hæc etiam licitè fiunt, si paulò antè facienda sint, & coniuncta sint cum ipso cultu diuino, vt est sonus campanarum, ornatus altarium, extractio sacrarum vestium, & similium. *Alia* denique sunt, quæ remotè & accidentaliter ad Dei cultum spectant, & hæc non licitè fiunt in die festo, cùm fieri possint antecedentibus diebus, vt mundare scopis templum, vestire parietes tapetibus, & huiusmodi, quamquam non esset mortale peccatum secluso contemptu, vt aiunt Caietanus *verb. Festorum violatio*. Suarez *cit.cap.*21.*num.*11. Filliucius *cit. n.* 156. præsertim vbi necessitas, aut pietas intercurreret. Multo minùs potest excusari à mortali, qui colit agros Ecclesiæ in die festo; vel conficit calices, vel ædificat Ecclesias, vel portat lapides, vel net ad fabricandam Ecclesiam, quia cùm hæc sint per se opera seruilia, nec propriè ad Dei cultum, nisi remotissimè spectent, non excusantur à culpa, nisi fiant vrgente necessitate, vel facultate Episcopi, aut Parochi, vbi consuetudo. Nauarrus *cap.*13. *num.*10.11. Reginaldus *lib.* 19.*num.*48. Diana *p.*4.*tract.* 4. *res.*177. & alij.

Cla. reg. Azorius. Caiet. Suarez. Filliuc. Nauar. Regin. Diana.

7. *Opera liberalia*, quæ continent cultum Dei, vel ad illum proximè cooperunt, vt est oratio, lectio sacra, concio, & similia licita sunt, imo commendantur in die festo, imo studium Theologiæ, Philosophiæ, Iuris Canonici & Ciuilis, Medicinæ, & quod est amplius, scientiarum artium mechanicarum, quatenus dicunt instructionem mentis & conceptionem, non autem quatenus dicunt praxim & vsum ipsius artis licitum est dummodo non omittatur Missa. D. Thomas, Caietanus, Sotus, Nauarrus, Syluester, apud Suarez *cit.cap.*22. *num.*3. & alij.

D. Tho. Caiet. Sotus. Nauarr. syluest. Suar.

8. Cùm scribere sit opus mentis, & locutio quædam permanens ordinata ad instructionem mentis propriæ, vel alienæ, ideo liberale opus est: nec fit seruile ex eo quod fiat ob lucrum, secundùm communiorem sententiam; quia Ecclesia non prohibuit operari in die festo propter mercedem, nisi in quantum prohibuit ipsum opus. Si ergo ratione festi non prohibetur opus, nec etiam prohibet fieri ob mercedem: vnde opus liberale ex se, non censetur prohibitum in die festo, si fiat ob lucrum; contrà, opus aliàs seruile, etiamsi gratis fiat, est prohibitum in die festo. Quapropter merces & lucrum per accidens se habent ab opus seruile, & non seruile. Ita Caietan. 2.2. *q.*122.*art.* 4. Nauarrus *cap.* 13. *num.*13. Medina *lib.* 1. *instruct. cap.* 14. § 8. Lopez *p.* 1. *cap.*52. Layman *lib.*4. *tract.*7.*cap.*2.*n.* 3. Bonacina *tom.*2.*d.*5.*q.*5.*vnic.punct.*2.*num.*25.26. Suarez *de relig.tom.*1.*lib.*2.*cap.*24.

Caietan. Nauar. Medina. Lopez. Layman Bonac. suarez.

Transcribere autem, etsi probabile sit esse opus seruile, & præcipuè si fiat ex officio & mercede pacta, vt notarij, commissarij, & alij officiales curiæ faciunt, quia labor est purè corporalis & mechanicus, nec est opus mentis, neque artis liberalis, quia solum est ita pingere characteres, sicut in originali leguntur. Ita Syluius 2. 2. *q.* 122.*art.*4. Toletus *lib.*4.*cap.*24. Fernandez *p.*1. *cap.*7.§.1. *num.*10. Reginaldus *lib.*19.*cap.*3.*num.*40. & alij. Tamen probabilius est, non esse opus seruile. Tum quia transcribere non est aliud quàm scribere, ergo si hoc sit de se licitum in die festo, erit & illud. Tum quia talis actio trãscribendi de se mentalis & spiritualis est, & per accidens ad illam est, quod hæc vel illa intentione fiat ab operante; ergo inde non efficitur seruilis, ex officio, vel lucro, seu mercede: omnis transcriptio, quædam etiam scriptio est, & opus artis grammaticæ. Suarez *cit. cap.* 25 Clauis regia *lib.*7.*cap.*2.*num.*15. Medina *cit.cap.*14. §. 8. Bonacina *cit. num.*25. Diana *p.*2.*tract.*1.*misc.res.*35. Rodriquez *tom.*2. *Sum cap.*122.*num.*2.

syluius. Toletus. Fernand. Regenal. suarez. Cla. reg. Medina. Bonac. Diana. Rodr.

Imprimere autem librum, non licet; quia tam formatio litterarum, quàm compositio & impressio mechanicum est opus, cùm tantùm dirigatur ad imprimendum chartæ talem figuram, quod corporale quiddam est: nec fit per modum locutionis cuiusdam & expressionis mentis, sicut fit transcriptio. Ita communis sententia. Contra Layman *cit.n.*3. Diana *p.*4.*tr.*4.*res.*62. dicentes licere Typographis in die festo characteres ordinare: quia ordinatio characterum in ordine ad impressionem non est opus seruile, eo quod sit quædam manifestatio conceptuum, & ordinatur ad illustrandum intellectum, ita vt sit veluti quædam transcriptio. Nec obstat quod illi characteres possint ita componi vt nullum manifestarent cõceptum; nam hoc quoque in scriptura contingere potest; cùm possint litteræ sic calamo disponi vt nihil significent, & tamen hoc non facit quod scribere sit opus seruile. His tamen obstantibus prima sententia est tenenda tanquam probabilior, vt docent Gordonus *in Theolog. mor.*

Laym. Diana. Gordon.

Suar. mor. lib. 6. quæst. 7. cap. 6. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 25. num. 8. quia illa ordinatio characterem de se non est expressio conceptuum, aut transcriptio expressionis conceptuum; sed est fabricatio quædam instrumenti mechanici, quod inseruire debet ad opus mechanicum: dum enim componunt characteres, fabricant illas, quas vocant formas, quibus deinde vtuntur ad cudendas litteras: vnde impressio mechanico modo transfert litteras de exemplari in impressum, idque per instrumenta mechanica. Si autem id quod ex impressione resultat, ordinetur ad illustrandum intellectum: hoc non habet ratione impressionis, sed ratione scriptionis, & illius, à quo scriptio dictata fuit.

9. Secundùm communem sententiam Doctorum, ars pingendi mechanica est, & eam excercens, præsertim lucri gratia; pingendo facit opus seruile, & ideò prohibitum in die festo: pingens verò tantùm gratia reficiendi animum, aut addiscendi, non censetur opus seruile exercere, quia in eo spectat spiritualem animi perfectionem, nempe recreationem honestam, aut instructionem, quæ de se est quid liberale. Filliucius cit. num. 166. & seq. Suarez cit. cap. 26. Emmanuel Sa verb. Festum num. 5. probabilis tamen est quorumdam Summistarum sententia, vt Angel. Syluest. Amill. apud Azor. cit. cap. 27. q. 7. negantium actionem pingendi esse opus seruile, tum quia est similis actioni transcribendi. Tum quia pingere de se est actio indifferens respectu seruorum & ingenuorum; vnde tractari solet pictura etiam à nobilibus viris; & pictores insignes solent honorari ijs insignibus, quibus decorantur nobiles viri, quod non fieret, si pictura esset opus seruile. Et proinde pingere addiscendi gratia, est quoddam exercitium disciplinæ perficiens animam, atque adeo licitum die festo. Huic sententiæ subscribunt etiam Layman lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 3. Lopez par. 1. instruct. cap. 52. & alij apud Pasqualigum decis. 142.

Filliuc. Suarez. Em. Sa. Angel. Syluest. Armilla. Azor. Laym. Lopez. Pasqual.

10. Itineratio non est opus seruile, nec per se prohibita in die festo, quia potiùs videtur opus naturale ordinatum ad corporis conseruationem, & ad negotia vbique exercenda; tamen si itinerationi addantur circumstantiæ adnexæ operibus seruilibus; vt si magno cum labore imponenda sint iumentis vel curribus onera, quæ ducantur, vel si animalia onusta, vel currus onusti de vno loco ad alium deferantur, hoc esset opus seruile, per se loquendo; quamuis non videatur seruile transferre animalia de vno loco ad alium sine oneribus, vel iter agere, comitantibus mulis supellectili onustis vbi est consuetudo & postulat necessitas. Ob publicam autem vtilitatem, vel ob vitandum graue nocumentum potest continuari iter ante diem festum inchoatum, bona fide cum oneribus. Suarez cit. cap. 28. num. 2. Reginaldus cit. num. 38. Azorius cit. q. 2. Emanuel Sa verb. Festum num. 5. Bonatina cit. punct. 2. num. 25. Diana p. 2. tract. 1. misc. resol. 36. & 4 p. tract. 4.

Suarez. Reginal. Azor. Em. Sa. Bonac. Diana.

Et his infertur, non esse prohibitum cursores, siue pedestres, siue equestres die festo iter suum continuare, aut etiam incipere: quia quòd fiat currendo, non variat rationem actionis; sicut nec variat, quòd fiat ex mercede. Vt notauit Sanchez tom. 2. opusc. lib. 5. cap. 2. dub. 7. num. 5. citans Caietan. in Sum. verb. Festum §. de violatione.

Sanchez. Caiet.

11. Actiones saltandi, ducendi choreas, canendi & pulsandi musica instrumenta, non sunt seruiles, quia musica computatur inter artes liberales; hinc non sunt prohibitæ ex vi prohibitionis operum seruilium, sed aliunde si fiant cum excessu, vel scandalo. Filliucius cit. n. 171. Bonacina cit. punct. 1. num. 25. Diana cit. res. 222. & alij.

Filliuc. Bonac.

12. Venatio & piscatio ob voluptatem & recreationē, & quæ in industria posita est, volucrum & similium, maximè accedit ad opus liberum, & communiter tali modo exercita non reputatur opus seruile; piscatio autem quæ fit in mari retibus, propiùs ad opus seruile accedit, illa vero quæ fit in fluminibus, recreationis gratia & cum arundine vel simili ratione, non videtur prohibita. Porro venatio & piscatio ex officio, & quæ tota posita est in corporis defatigatione, videtur esse opus seruile & prohibita in die festo, quia hæ actiones cum magna corporis defatigatione sunt propriæ seruorum. Nauarrus cap. 13. num. 11. Medina, Lopez, apud Suarez cit. cap. 28. Clauis regia lib. 7. cap. 2. num. 5. Toletus lib. 4. cap. 24. num. 10. Syluius cit. art. 4. Diana 4. par. 4. res. 222. & alij. Quamuis non desint qui existiment hanc piscationem etiam cum magno labore non esse vetitam in die festo. Tum quia labor corporalis non est actio seruilis, sed communis, & solùm determinatur ad esse seruile ratione operis, cum quo coniungitur; vnde de se non est prohibitus, nec etiam coniunctus cum aliquo opere, quod sit seruile; vt labor in scribendo, equitando, saltando, & in alijs huiusmodi actionibus, quæ cum labore corporali exercentur. Tum quia labor etiamsi sit magnus non mutat naturam operationis, quia semper operatio remanet eiusdem speciei; nec labor de se est seruilis, alioquin omnis labor corporalis de se esset prohibitus in die festo: nec euadit seruilis ex eo quod sit magnus, quia incrementum rei non mutat eiusdem conditionem: esse autem seruile, vel non seruile sequitur rei conditionem & naturam. Ob has rationes hæc sententia non est improbabilis.

Nauarr. Medina. Lopez. Suar. Cla. reg. Toletus. Syluius. Diana.

13. Militia actualis, id est, opus ipsum bellandi, quoad executionem, iuxta Suarez cit. cap. 28. num. 8. Filliucius cit. num. 175. proximè accedit ad opus seruile, quia ars militaris computatur inter mechanicas. hinc per se militia prohibita est in die festo, per accidens tamen & ex causa toleratur: cùm semper sit aliqua vtilitas, aut necessitas in non differendo bello ad aliud tempus, si statim commodè geri possit: vnde excusantur, qui aggeribus, fossis & vallo, arces, vrbes, oppida ve muniunt, & alia similia faciunt: hinc consuetudine receptum est, iuuenes diebus Dominicis, & festis artem digladiatoriam discere: quia esto discatur vsu, & exercitio operis seruilis, ob necessitatem Reipublicæ, cui maximè conuenit iuuenes exercitatos in prælio habere, permittitur videntibus, & consentientibus Prælatis, adde quòd probabile sit dictam artem non esse mechanicam, sicut nec bellum ex se esse opus seruile, vt docent Caietanus 2. 2. quæst. 40. art. 4. Valentia tom. 3. disput. 3. quæst. 16. punct. 5. Rodriquez par. 1. Summ. cap. 122. num. 3. Diana par. 4. tract. 4. resol. 229. & 230. Granad. 2. 2. contr. 3. tract. 12. disp. 4. sect. 7. num. 67.

Suar. Filliuc. Caietan. Valentia. Rodr. Diana. Granad.

14. Opera animæ, id est, quæ ab anima procedunt, permittuntur in die festo; exceptis quibusdam casibus in iure expressis: quia opera animæ non sunt opera seruilia: hinc Aduocatus potest in die festo dare operam studijs, causa litium scribere quibus studuit, informare iudices scripto, agere priuatim de lite cum procuratore, referre causam apud iudicem, vt ea cognita, commodius ferat sententiam: item licitum est Doctori conficere consilia diebus festis; & ciuibus ad consilia conuenire, & eligere ad officia, quia electio est opus animæ: quamuis terminetur ad negotia temporalia, quæ se habent tantum materialiter ad electionem. D. Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. Graffijs 2. p. lib. 2. cap. 34. num. 16. Azorius cit. cap. 27. q. 11. Suarez cit. cap 30. num. 9. Caietanus q. 122. art. 4. & alij.

D. Tho. Graffijs. Azor. Suarez. Caietan.

Item licitum est tabellionibus, seu notarijs facere scripturas publicas die festo, quæ cōtinent illos actus, qui die festo non sunt prohibiti, nam si actus essent prohibiti, vt solemnis examinatio testium, etiam scriptura continens tales actus, esset prohibita, quia est pars illius actus, qui prohibetur: atque continetur sub eadem prohibitione. Ita Nauarrus in man. cap. 13. n. 14. Lopez lib. 1. instruct. cap. 52. Sanchez tom. 2. opusc. lib. 5. cap. 2. dub 10. num. 2. Ratio huius sententiæ est, quia scriptura publica duo continet, & ipsum scribere, quod non est seruile, cùm sit manifestatio conceptuum in ordine ad instruendum alium: & reductionem illius actus quem continet scriptura, in acta publica: hæc autem neque est prohibita, quia non adest ius ipsam prohibens, neque est opus seruile; quia ordinatur ad publicè instruendum quotquot opus fuerit de illo actu.

Nauarr. Lopez. Sanch.

Ex quo colligitur, etiam extra necessitatem licere die festo conficere testamenta, scripturas donationis, renunciationis, debiti soluti: item instituere procuratorem ad exigendum & soluendum, & contrahendum matrimonium, &c. Item facere instrumenta emptionis & vēditionis in ijs locis, in quibus vel ex consuetudine, vel ex permissione exercentur mercatus: quia tunc, cùm emptio & venditio licitæ sint, erit etiam licita scriptura.

15. *Quatuor* opera non seruilia, iure prohibentur in die festo, *cap. 1. de ferijs*, quæ sunt, *mercatus, placitum, iudicium ad mortem, vel aliam pœnam ciuilē, & iuramentum in iudicio interpositum*, nisi causa pacis, aut necessitatis interponatur. Nomine *mercatus* tria possunt intelligi: *Primò* nundinæ, quæ semel aut bis in quolibet anno fiunt, iuxta diuersorum locorum mores; hæ nundinæ iure communi prohibitæ sunt: sed consuetudine legitimè præscripta, ius hoc abrogatum est; quia consuetudo derogare potest legi humanæ, ex qua hæc prohibitio est, modò noua Prælati prohibitio non accedat. *Secundo*, nomine mercatus possunt intelligi quasi nundinæ, quæ semel, bis, aut ter in hebdomada alicubi fieri consueuerit, dum vulgares homines ad forum deferunt oua, pullos, fructus: hic mercatus non licet in diebus festis, nisi in aliquo loco consuetudo contrarium obtinuerit; quæ faciliter de nouo non debet induci, nec introducta extendi. *Tertiò*, possunt intelligi quicumque actus, siue emptionis & venditionis, siue locationis & conductionis, siue cuiuscumque alterius eiusmodi; cæterùm huic præcepto etiam derogatum est cōsuetudine, quia vniuersaliter permittitur vt panis; vinum, herbæ, fructus, carnes, & similia ad victum quotidianum necessaria diebus festis vendantur & emantur; imò in paruis oppidis, etiam aliæ vēditiones fieri solent, quia aliàs pauci essent emptores & res vilissimè venderentur; vnde sutores, sartores, alijque similes opifices excusantur vendendo rusticis calceos, vestes, & id genus alia, quia ipsi rustici diebus profestis venire nequeunt ad emendum sine rerum suarum detrimento. Vide Toletum *lib. 4. cap. 24. num. 12.* Suarez *cit. cap. 29 num. 2.* Nauarrum *cap. 13. num. 8.* Reginaldum *lib. 19. num. 45. 43* Filliucium *tract. 27. num. 179. & seq.* Bonacinam *cit. punct. 2. num. 10.* Syluium *2. 2. quæst. 122. art. 4.* & alios.

Tolet. Suarez. Nauarr. Regin. Filliuc. Bonac. Syluius.

16. *Placitum*, est sententia ciuilis & strepitus iudicialis, iudicum scilicet & notariorum, actorum, reorum, testium, procuratorum & aduocatorum concurrentium ad tale iudicium: hinc quælibet lis & causa fori, quæ agitur in iudicio, & quæcumque pertinent ad acta iudicij & formationem processus, vel ad prolationem sententiæ, prohibentur fieri in die festo: imo irritantur, si eo die fiant. Azorius *2. p. lib. 1. cap. 27. quæst. 12.* Reginaldus *cit. num. 44.* Nauarrus *cit. cap. 13. num. 13.* Suarez *cap. 29. num. 8. & 9.* & alij. Tamen *duo* possent excusare eiusmodi actiones exercitas in die festo. *Primò*, necessitas, quia scilicet alio tempore testes haberi commodè non possunt. *Secundo* pietas, nam ex concessione Pontificis, excusantur iudices rurales dicentes ius rusticis in die festo, ne perdant diurnum laborem necessarium ad vitam, licet etiam in die festo iudicare causas miserabilium personarum. Diana *part. 2. tract. 1. miscellan. resol. 34.* & alij ab ipsa citati.

Azorius. Reginal. Nauarr. Suarez.

Diana.

17. *Qualibet sententia* requirens strepitum iudicialem, aut cum strepitu iudiciali coniuncta, vetita est in die festo, *cap. vlt. de ferijs, l. Vt in die, C. de ferijs*, *alia* verò *sententia* non requirentes strepitum iudicialem, non videntur prohibitæ in die festo, vt patet in absolutione excommunicationis, in dispensationibus alijsque actibus voluntariæ iurisdictionis; multo magis *actus extraiudiciales* non sunt vetiti in die festo. & ob id excusari posse videntur notarij & officiales curiæ, qui domi priuatim transcribunt; *item* excusantur creditores qui priuatim & extra iudicium debitum exigunt à suo debitore, Caietanus *verb. Festorum violatio*. Azorius *cit. q. 11.*

Caiet. Azorius.

18. Iuxta communiorem sententiam, licita est *appellatio* in die festo; quia etsi ad actus iudiciales pertineat, ex consuetudine tamen non videtur sub vniuersali actuū iudicialium prohibitione contineri, cùm fiat sine magno strepitu, & res fauorabilis sit: prosecutio autem appellationis, non est licita in die festo secundùm omnes, quia fieri solet cum maiori strepitu, & non est adeo necessaria, vt est appellatio. Panormitanus *cap. vltim. de ferijs*. Glossa *ibid.* Bonacina *cit. num. 13.* Filliucius *cit. num. 198. & 199.*

Panorm. Glossa. Bonac. Filiuc.

19. *Citatio*, seu inchoatio causæ facta pro die festo, iniqua & inualida esse potest, quia sensus illius est partem citari, vt respondeat in die festo, quod iniquum, & inualidum est; quod si solùm facta esset pro tali die mensis, in quem incideret festum, tum probabile est valere citationem pro die habili proximè sequenti; citatio autem facta in die festo, etiamsi instituatur in die profesto, prohibita est & nulla, quia citatio vt dicit actionem iudicis continentem præceptum, si fiat in die festo, nulla est, quia pertinet ad strepitum iudicialem, qui prohibitus & irritus est in die festo. Suarez *cit. cap. 30. num. 4.* Azorius *cit. cap. 27. quæst. 15.* Reginaldus *lib. 29. num. 45.* & alij.

Suarez. Azorius. Regin.

20. *Testes* examinati non possunt in die festo, quia actus iudiciales pertinentes ad forum cōtentiosum, vetiti sunt in die festo; *præterea* testes non examinantur nisi præuio iuramento; iuramentum autem iuridicum non potest in die festo exigi, vt dicetur: probabile autem est continuari posse examen testium in die festo, si in die profesto præmissum fuit iuramentum, ita multi Canonistæ apud Panormitanum; eo quod testimonium retrahatur ad diem iuramenti. Vbi tamen adesset legitima consuetudo in contrarium, vel causa pacis; aut alia necessitas, licitum esset iuramentum exigere & testes recipere, quia consuetudo potest legem legitimo tempore abrogare & Ecclesia non obligat cum tam graui incommodo. Suarez *de relig. tract. 2. lib. 2. cap. 30. num. 13.* Filliucius *cit. num. 193.* Panormitanus *in cap. 1. de ferijs*. Azorius *cit. quæst. 14.* Bonacina *cit. punct. 2. num. 51. ex cap. 1. de ferijs*, & alij.

Suar. Filliuc. Panorm. Azorius. Bonac.

21. *Tertium opus non seruile* prohibitum in die festo, est *iudicium ad mortem*, vel ad pœnam; per quod intelligitur sententia mortis, aut alia quæuis corporalis pœna; ex causa tamen posset aliquando in die festo ferri sententia ad mortem, vt cùm tempus id exigit, v. g. tempore belli, vel quando timetur ne iustitia impediatur, vel malum augeatur, nisi statim puniatur. Caietanus *verb. Festos dies*, Reginaldus *cit. num. 46.* Filliucius *tract. 27. num. 186.* & alij.

Caiet. Reginal. Filliuc.

22. *Porrò* in citato capite primo de ferijs iuxta Toletus *lib. 4. cap. 24. num. 18.* Suarez *cit. num. 16. & 17.* Bonacina *cit. punct. 2. num. 10.* Filliucius *cit. num. 202.* & alios prohibetur *iuramentum iudiciale* fieri in die festo, seclusa causa pacis, aut magnæ necessitatis, aut causæ piæ; *iuramentum* verò *extraiudiciale* etiam licitè non fit in die festo, si per illud firmentur pacta & conuenta inter homines, & præsertim contractus. Si autem per illud non firmentur pacta, nec fiat in iudicio; non videtur prohibitum in die festo, quia aliàs omne iuramentum, alioqui licitum ex obiecto, fine & circumstantijs, extra tempus, ex eo solùm quòd in festo fiat, esset speciale peccatum, quod est absurdum & contra vsum Ecclesiæ, vt docent Caietanus *2. 2. quæst. 122. art. 4.* Diana *tract. 1. misc. resol. 34. par. 2.*

Tolet. Suarez. Bonac. Filliuc.

Caietan. Diana.

23. Probabile est, licere die festo rationes subducere etiamsi ex officio fiat & ex mercede: duo enim in hac operatione considerari possunt, nempe supputatio & descriptio dati & accepti, seu translatio de vno in alium librum, neutrum autem est opus seruile & prohibitum. Ratio est, quia supputatio rationum non est aliud quam exercitium artis arithmeticæ, quę liberalis est, & est opus intellectuale, quia consistit in diuidendis, componendis, & subtrahendis numeris, & in reducendis ipsis ad certum ordinem, cui respondeat pecunia, aut aliquid aliud: Descriptio autem dati & accepti, aut translatio de vno in alium librum neque continet aliquid seruile, quia consistit solùm in scriptione, aut transcriptione; neutra verò est opus seruile secundùm probabiliorem sententiam vt diximus supra num. 8. Ideo nunc sententiam tenet Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 150. contra Syluestrum, Tabienam, Medinam.

Pasqual.

F E-

FESTVM III.

De causis excusantibus laborantes in die festo.

SVMMARIVM.

1 *Quale peccatum sit seruiliter laborare in die festo? & an necessitas imminens propriæ conseruationis vel sustentationis propriæ vitæ aut familiæ excuset laborantes?*

2 *De secunda causa excusante, quæ est necessitas Reipublicæ.*

3 *De tertia causa, quæ est necessitas proximi?*

4 *De quarta causa excusante, quæ est paruitas operis, seu leuitas materiæ.*

An liceat in die festo molere triticum.

Quando plures in eodem opere continuè toto die festo laborant sed singuli pro modico tempore, an peccent mortaliter.

An faciens exercere seruilia à pluribus pro eo tantùm tempore, pro quo non peccant singuli mortaliter, peccet ipse mortaliter.

5 *De quinta causa, quæ est occursus lucri transitoria.*

6 *De sexta causa, quæ est absentia à loco, in quo celebratur dies festus.*

7 *De vltima causa quæ est dispensatio; & quis possit dispensare? & quid faciendum quando necessitas est dubia.*

8 *An Episcopus possit dare facultatem seruiliter laborandi, adiecto onere vt aliquid conferat in vsus pios.*

9 *An peccet mortaliter qui exercet opus seruile in die festo putans se habere legitimam causam, licet reuera non habeat.*

10 *An liceat imponere amentibus & seruis infidelibus opera seruilia diebus festis exercenda.*

11 *An ratione pietatis sint licita opera seruilia in die festo.*

D. Th. Caietan. Nauarr. Suarez. Cl. Reg. Bonacin. Regin. Diana. Pasqual.

1 PEccatum non sanctificantis festos dies, & seruiliter laborantis in die festo, ex suo genere est mortale, contra diuinum præceptum, contra religionem, & cultum Deo debitum, dantur tamen nonnullæ causæ, quas habent D. Thomas 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. Caietanus *ibid.* Nauarrus *cap.* 13. *num.* 6. Suarez *cit. lib.* 2. *cap.* 32. Clauis Regia *lib.* 7. *cap.* 2. Bonacina *cit. p.* 3. *num.* 13. Reginaldus *cit. num.* 50. 51. Diana *part.* 2. *tract.* 15. *ref.* 34. Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 289. 290. *& seq.* & ipsius sequaces, quæ excusant laborantes seruiliter à peccato mortali, quarum *prima* assignari potest, necessitas imminens propriæ conseruationis vel sustentationis propriæ vitæ, aut familiæ; quia ius diuinum & Ecclesiasticum non intendunt obligare fideles cum tanto grauamine: vnde ob hanc causam *Primò*, excusantur pauperes, qui nisi laborent in die festo, nequeunt se sustentare, dummodò id faciant secretè; & in casu dubiæ necessitatis consulant viros doctos, vel petant dispensationem. *Secundò*, agricolæ tempore messis laborantes, ne segetes amittant ob pluuiam. *Tertiò*, coquentes lateres aut calcem in die festo, aut vitrum; quia hoc genus operis inchoatum, non potest intermitti absque notabili damno. *Quartò*, excusantur famuli, & vxores, qui præcepto Domini vel mariti coguntur laborare in die festo, alioquin domo excluderentur, vel alimento priuarentur; modò in contemptum festi hoc præceptum non procedat. *Quintò*, sutores autumni tempore timentes periculum ex dilatione, & vindemiatores tempore vindemiæ. *Sextò*, milites tempore belli aggeres extruentes, muros ædificantes: vt dictum est supra. *Septimò*, si adsit vera consuetudo, & non abusus, excusari possunt barbitonsores tondentes barbam vel capillos in die festo: & talis consuetudo potest reperiri apud rusticos, quæ sufficiat ad excusandum à peccato, quia cùm tota die versentur in agris, potest ex tali occupatione aliquo pacto honestari, vt tolerari possit; tum etiam excusari possunt ratione damni quod subirent, tum ratione cessantis lucri. *Octauò*, sartores excusantur in multis casibus perficientes vestes in die festo: puta si illæ inseruire debeant pro illa die, & essent necessariæ pro statu congruenti, vt essent vestes sponsi & sponsæ, item vestes lugubres & illorum omnium, qui iis indigent ad seruandam decentiam status. Item si sartores timeant aliquod notabile incommodum, vel acerbas reprehensiones & iniurias, ex eo quod non perfecerint vestes ante festum. Vide Doctores hic citatos.

2. *Secunda causa* est necessitas Resp. quia multò magis subueniendum est publicæ necessitati, quàm priuatæ, vnde excusantur reficientes pontes & vias, & alia vsui publico inseruientia, quæ sine magno incommodo differri non possunt? *item* prouidentes de rebus necessarijs ad victum diei festi, quoad ea, quæ præueniri decenter non possunt; *item* artifices, construentes tabulata, theatra ornantes pro causa publica, vt pro aduentu Principis vel ad communem lætitiam; *item* cursores excusantur, quorum opera Reip. vtilis est, sicut & ferratores equorum, laminas ferreas pedibus equorum accommodantes, ex equorum necessitate. Azorius 2. *p. c.* 28. *q.* 5. *lib.* 1. Filliucius *cit. n.* 212. Tabiena *v. feria n.* 5.

Azorius. Bonacin. Tabiena.

3. *Tertia causa*, est necessitas proximi; ob hanc licet in die festo laborare, ad extinguendum ignem accensum in domo proximi, sicut & tonsori, pharmacopolæ, chirurgo licet operari ad subleuandum infirmum; & à nullo seruili opere abstinendum est pro tuenda salute aut vita proximi; *item* opera misericordiæ corporalia semper licent, modò necessitas adiungatur, vt sepelire mortuos, & ideo foueam facere, visitare infirmos, vestire nudos, & ideo vestes consuere. Reginaldus *cit.* Filliuc. *c.* n. 215. Bonac. *cit. p.* 3. *n.* 10. & alij.

Regin. Filliuc. Bonacin.

Porro ex his regula vniuersalis constitui potest, quod illa necessitas sufficiat, vt opus seruile reddat licitum, quæ est ob congruentem statum personæ propriæ, vel alienæ, siue quoad animam, siue quoad corpus, siue rei familiaris & bonorum cæterorum tam propriorum, quàm alienorum & cæterarum rerum, quæ ad personam quocumque modo pertineant; imo etiam ob congruentem statum communitatis quoad ea omnia, quæ ad ipsam spectant; ita vt absque exercitio operis seruilis non possit stare congruens status personæ, vel Reip. seu communitatis, etiam quoad extrinseca, quæ ad ipsas pertinent. Ratio huius regulæ est, quia per exercitium operum seruilium subtrahitur Deo tantùm quædam integritas & externa apparentia sanctificationis, dummodo audiatur Missa: & ideo concurrente damno quoad congruum statum, quod sequatur ex cessatione ab opere seruili cessat præceptum obligare quoad huiusmodi integritatem; quia præcepta positiua quoad substantiam non obligant cum detrimento notabili, & posita substantia adimpletionis præcepti quoad aliquam integritatem, non obligant cum detrimento nimis notabili, quod licet non sit de aliquo substantiali, sit tamen de aliquo pertinente ad congruitatem status. Vnde necessitas fundata in aliqua re de congruitate status, licet non sit de substantia, erit sufficiens, vt reddat licitum opus seruile.

4. *Quarta causa* excusans, iuxta Suarez *cit. tr.* 2. *lib.* 2. *c.* 32. *num.* 2. Azorius *c.* 28. *quæst.* 5. Reginaldus *cit. numer.* 53. & alios est paruitas operis seu leuitas materiæ, & ita ex tali causa excusantur parum laborantes, vel suendo, vel tondendo, vel reparando aliquid: iudicium autem de huiusmodi paruitate, vt in alijs materijs relinquitur arbitrio prudentis, à multis autem reputatur pars temporis notabilis, qua vacans seruilibus à peccato mortali non potest excusari, spatium vnius horæ: sed Suarez putat hanc esse nimiam & rigorosam restrictionem; quia respectu totius diei pars vigesima quarta non apparet nimia nec multum impedit finem præcepti. Vnde Diana *tr.* 2. *misc. p.* 2. *ref.* 36. & 5. *misc. resol.* 8. *p.* 3. Filliucius *tr.* 27. *num.* 205. Granad. 1. 2. *contr.* 6. *tract.* 2. *disp.* 2. *sect.* 6. *num.* 54. excusant à mortali, ratione paruitatis materiæ, laborantem

Suarez. Azorius. Regin.

Diana. Filliuc. Granad.

rantem per spatium duarum horarum: quia paruitas materiæ excusans à mortali, non absolutè & secundum se, sed respectiuè ad totam materiam præceptam, spectanda est, vt ait Sanchez hic cit. infrà. Adhuc autem amplius extenditur à Marchantio *in quæst. Pastoral. c.3. q.2.* vult enim tres horas esse paruam materiam excusantem à mortali. Quia similiter octaua pars respectu totius diei censetur exigua pars.

Notandum tamen est, illum non peccare mortaliter, qui pluribus diebus festis, aliqua parua opera seruilia præstat, quæ simul sumpta, magnam materiam constituunt, & notabilem temporis partem occupare videntur. Sanchez *1. moral. c.4. num.12.* Nauarr. *cap.13. num.9.* quia illa modica opera seruilia non continuantur, nec integrant vnam materiam, & obligatio cultus diei festi transit cum ipso die, & consequenter opus seruile vno die factum, non continuatur cum opere seruili alterius diei; secus dicendum si tale opus seruile quamuis de se paruum & exiguum eodem die repetatur, tunc ex illius repetitione, magnum censebitur. Nonnulli tamen excusant puellam laborantem in diebus festiuis, ob euitandum otium. Ita Sà, De la Crux, Villalobos apud Dianam *tract.5. misc. res.8.p.3.*

Sanchez. Nauarr. Diana.

An autem liceat in die festo molere triticum quando molendinum agitatur aqua, vel vento? Affirmatiuè respondent Rodriquez *in sum. c.121. n.4.* Bonacina *punct.3. num.9.* Fernand. *p.1. c.7. §.1. num.7* & alij, quia tunc aut nullus, aut exiguus labor interuenit: secus autem in molendinis, quæ molunt opera bestiarum, quia in his requiritur magnus labor; vnde opus seruile, quod interuenit, est notabilis considerationis, atque adeò prohibitum: si tamen bestiæ ita assuetæ sint, vt ex se absque alicuius continua assistentia ducant molendinum, vt frequenter contingit, & modicum tempus continuatur, non esset illicitum molere: quia tunc sufficit imponere triticum, & extrahere farinam: in quo non multum temporis solet insumi. Deinde necessitas seu incommoditas communitatis sæpe excusat, quæ tunc contingere facilè potest quando rara sunt molendina, vel vento caruerint alijs diebus: vnde sicut in alijs operibus seruilibus incommoditas excusat, ita in hoc quoque debet excusare, vt rectè docet Pasqual. *decis.294. in decis. moral.*

Rodriq. Bonacin. Fernand. Pasqual.

Sed petes *primo*, quando plures in eodem opere continuo toto die festo laborant, sed singuli pro modico tempore, an peccent mortaliter? Resp. negatiuè, tum quia nullus illorum magis violat sanctificationem festorum, quam violaret, si cæteri non laborarent in eodem opere. Tum quia præceptum præcipit sanctificationem in ordine ad tempus; & ideo parum refert quod opus secundùm se sit magnum vel exiguum, dummodo tempus non sit notabile ita vt faciat transgressionem grauem. Tum quia illæ paruæ materiæ non continuantur in ordine ad violationem præcepti, cùm sint contra distinctas obligationes quæ sicuti non continuantur, ita nec faciunt, quod plures leues transgressiones sint vna transgressio grauis. Vide Sanchez *lib.1. mor. c.4. n.12.*

Sanchez.

Petes *Secundò*, an faciens exercere seruilia à pluribus pro eo tantùm tempore, pro quo non peccant singuli mortaliter, peccet ipse mortaliter? Resp. negatiuè, tum quia ex eo præcisè, quod quis inducat ad peccandum, non plus peccat, quam peccent illi, qui inducuntur; illi autem qui laborant modico tempore in die festo, non peccant mortaliter, ergo. Tum quia præceptum sanctificandi festum est personale, & sicut impletur propria cessatione ab opere seruili, ita etiam solùm proprio opere seruili violatur. Tum quia opus seruile non est contra præceptum sanctificandi festa, vt est intentum; sed vt est exercitum; hoc autem exercitum non continuatur, quia est opus diuersorum, & contra diuersas obligationes personales. Ita Sanchez *cit.* Bonac. *de peccat. disp.2. q.3. punct. 3. num.26.*

Sanchez. Bonacin.

5. *Quinta causa*, est occursus lucri transitorij; nam cùm Ecclesia indulgeat in die festo piscationem halecum quæ vno tantùm tempore anni transire solent, pari ratione dicendum est, & de piscatione aliorum piscium, qui similiter certo tantùm tempore anni occurrunt, & de quouis alio lucro transitorio, quomodolibet repentè occurrente; quia hoc lucrum transitorium cessans reputatur pro damno. Ita Clauis Regia *cit. n.10.* Caietan. *v. Festos dies*, Nauarr. *cit.* Bonac. *cit. n.1.15.* Diana *tr.1. misc. resol.34. p.2.* & alij.

Cl. Reg. Caietan. Nauarr. Bonacin. Diana.

6. *Sexta causa* excusans, est absentia à loco, in quo celebratur dies festus: quia nullus tenetur legibus sui domicili, quæ non obligant in loco, vbi pro tempore reperitur: vnde ciuis Antuerpiensis existens Tornaci, potest seruiliter laborare in die festo, qui Antuerpiæ colitur. Suarez *cit. c.14. num.11.* Nauarrus *cit. num.5.* *Secundum* tamen multorum sententiam, ille qui discedit à loco vbi dies festus colitur, tenetur præuenire; Missam audiendo, si eo mane & ante meridiem peruenturus est ad locum vbi dies festus non celebratur, quia præceptum audiendæ Missæ afficit ipsum vbi ipsum deprehendit, & obligat vt quàm primum adimpleatur, si postea adimplendum non est Clauis Regia *lib.7. cap.3. num.12.* Sà *v. Festum num.8.* Grassijs *1. p. lib.2. cap.34. num.35.* & alij. *Oppositum* autem valde probabile est apud Sanchez *de matrim. lib.3. disp. 18. num.21.* Suarez *de relig. lib.2. c.14. num.31.* Henriquez *c.25. l.9. num.2.* Diana *p.1. tract.10. resol.14.* & alios, in prædicto nempe casu, non esse obligationem ad audiendam Missam; quia præceptum audiendæ Missæ obligat pro tempore matutino vsque ad meridiem, non vero simpliciter pro illa breui hora matutina, aut pro tempore quo quis futurus est extra terminos territorij, in quo dies festus celebratur.

Suarez. Nauarr. Cl. Reg. Sà. Grassis. Sanchez. Suarez. Henriq. Diana.

7. *Vltima causa* excusans laborantem in die festo, Secundùm Suarez *lib.2. de relig. tract.2. cap.33. num.3.* Filliucius *c. num.225.* Reginaldus *c. num.54.* Azorius *cit. c. 28. quæst.6.* Clauis Regia *cit. c.3. n.18.* & alios est dispensatio, quam dare potest Summus Pontifex validè etiam sine causa; Episcopus autem dispensare potest in festo proprio sui Episcopatus, etiam absque causa; si vero dispenset in festo de iure communi absque causa, dispensatio nulla erit, quia esset in lege superioris: quando autem causa esset euidenter iusta, non est opus dispensatione, nisi ad vitandum scandalum & pro foro externo; in dubio vero causæ iustæ, & sufficientis, ad seruiliter laborandum, adeundus est Episcopus, si commodè adiri potest; si non, Parochus ob iustam causam, ex consuetudine in aliquibus casibus particularibus dispensare potest; tum quia consuetudine potest acquiri iurisdictio; tum quia ad regimen animarum ob crebros & quotidianos casus hæc potestas Parochis moraliter est necessaria. Neque solùm dixeris tunc Parochum legem interpretari: nam omnis doctus potest interpretari cessare legem quibusdam in casibus, siue quempiam eximi à lege certis de causis. Plus vero Parochis concessum est, quàm doctis quibuslibet, ergo non solùm interpretatio est, sed & vera dispensatio auctoritatem requirens. Et licet requiratur causa rationabilis vt ipsi dispenset, non tamen requiritur euidenter iusta: sed auctoritas eorum causæ in sufficientiam aut euidentiam supplet, ideoque non interpretatio solùm legis est, sed & dispensatio potestatiua. Vt bene docet Iacobus Marchantius *in resol. pastor. c.3. q.5.*

Suarez. Filliuc. Regin. Azorius. Cl. Reg. Iacobus Marchãt.

Hanc autem licentiam minimè possunt dare iudices sæculares; nec punire illos, qui præuia Episcopi licentia operibus seruilibus vacauerunt diebus festis, vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trident. interpretum apud Dianam *p.4. tr.1. res.94.*

Diana.

Sed inquiret aliquis, quid faciendum, quando necessitas est dubia: & insuper is, ad quem spectat concedere licentiam, rudis est, aut nimis scrupulosus, ita vt probabiliter censeatur, quod non sit concessurus? Resp. quod in tali casu potest consulere viros prudentes super ipsa necessitate, an sit sufficiens ad laborandum, & stare iudicio ipsorum, præsertim si sint timoratæ conscientiæ, tunc enim prudenter operabitur, quia operabitur secundùm iudicium prudentum, atque adeo tuta conscientia. Quod si neque adsint prudentes, quos possit consulere, potest ipse rem bene examinare, & iuxta id, quod sibi magis probabile videtur, operari. Ita *dec.297.* Pasqualigus *in decis. moral.*

Pasqual.

8. Episcopus potest dare alicui facultatem seruiliter laborandi, ha e de causa seu onere adiecto, vt aliquid conferat in vsus pios, quamuis necessitas non vrgeat, vt ad

emen-

emenda luminaria pro aliquo templo, aut sacello, dummodò absit occasio scandali; quia onus noo imponitur simoniacè tamquam pretium datæ facultatis, sed cultus ille religiosus cellarionis ab operibus seruil bus in die festo; mutatur in aliud opus pium erogandi aliquid in sacrarum ædium vsus, si non uecessarios, saltem commodos, quod licitè fieri potest, vt patet ex *cap. Licet de ferys* & docent Reginald. *c.n.*54 Bonacina *c.p.*3.*num.*21. Azor. *c.*6.28.*q.*11.

Regin. Bonacin. Azorius.

9. Qui exercet opus seruile in die festo putans se habere legitimam causam, licet reuera non habeat, non peccat mortaliter: quod generaliter in omnibus præceptis docet. Nauarras *in man. cap.*23. *numer.*43. Saochez *lib.*1.*moral.cap.*17.*num.*21. Ratio est, qnia adest bona fides & opus apprehenditur vt licitum ratione talis causæ; vnde non adest aliqua intentio siue directa, siue indirecta contra præceptum: quod ex eo patet, quia si putaret illam causam oon excusare, abstineret à tali opere.

Nauarr. Sanchez.

10. Probabile est licere imponere amentibus & seruis infidelibus opera seruilia diebus festis exercenda: quia hi noo tenentur legibus Ecclesiasticis, ergo qui eos laborare faceret non peccabit quia hi non peccant: non enim qui facit amentes exercere opera prohibita in die festo, facit contra legem; quia non facit exerceri aliquid contra legem, quia opera seruilia exercita ab amentibus non sunt prohibita; cùm sint prohibita hominibus sanæ mentis.

Neque Dominus serui infidelis etiam peccat, quia virtute præcepti sanctificandi festa non est ipsi prohibitum imponere infideli opera seruilia: solùm enim prohibentur opera seruilia, quatenus impediunt sanctificationem festorum; vnde solum prohibentur ijs, qui debent sanctificare: & ideò cum non sint prohibita infideli, & Dominus ea seruo infideli imponendo non exerceat opus seruile, quod impediat sanctificationem festi ab ipso persoluendam, nec faciat, quod opera seruilia io alio impediant, non facit aliquid prohibitum à præcepto. Ita Layman *lib.*1.*tract.*4.*cap.*10. *numer.*3. Diana *part.*1. *tract.*9. *resol.*42. *& part.*5. *tract.*14. *res.*7. & post illum Diana. Vbi docet cum Sancio, Sanchez & alijs fas esse ministrare infidelibus & perpetuo amentibus carnes diebus ieiunij: Vt annotaui *tom.*2. verb. *Ieiunium II.* pro pueris.

Laym. Diana. Sancio. Sanchez.

11. Quidam arbitrantur ratione pietatis esse licita opera seruilia in die festo, vt si exerceantur in fauorem Ecclesiæ, vel ob paupetes alendos: quia in *c. Conquestus ferijs* habetur, quod iudicialia prohibita in Festis, licita sunt, necessitatis aut pietatis causa, ergo etiam seruilia. Ita Syluester *ver. Dominica q.* De la Crux *in director. prac.*3.*art.*1.*num.*4. Angelus *v. Feria num.*9.28. *&* 32. & alij. Sed contraria sententia est vera. Ratio est, tum quia finis pietatis non est finis operis, cum pietas non exerceatur in ipsomet opere, sed est finis operantis, atque adeo extrinsecus, qui non potest honestare opus alias illicitum: tum quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, & non licet furari, vt des eleemosynam; vnde nec licet exercere opus prohibitum, vt facias opus pietatis: quia sicut in illis finis operantis non honestat opus (vt diximus v. Circumstantia n.12.) ita neque in hoc.

De la Crux. Angelus.

Ad rationem autem contrariæ sententiæ Resp. quod *c. Conquestus* loquitur tantum de iudicialibus, vnde non debet extendi ad seruilia, quia illa non sunt seruilia, sed de se licita in festis, & solum specialiter à Canone prohibentur, nisi forte exerceantur pietatis causa, quia tunc non intendit prohibere & ideo non licet extendere exceptionem ad seruilia, quia non est eadem ratio. Ita Nauarras *in man. cap.*13.*num.* 4.10.*&* 11. Rodriquez *in sum.c.*12.*n.* 1.*&* 2. Bonacina *disp.*5. *qu. vnic. punct.*3.*n.*6. Palaus *tom.*2.*de obseru.Festor.disp. vnic. punct.*10.*n.*1. Diana *part.*4. *tract.*4.*resol.*177. & alij communiter.

Nauarr. Rodriq. Bonacin. Palaus. Diana.

SVPPLEMENTVM.

Quoad potestatem Festum instituendi.

SVMMARIVM.

1 *An obseruatio diei Dominici & aliorum dierum festiuorum, sit de iure diuino, an Ecclesiastico.*
2 *An Episcopi possint sacrare dies Festos illorum, qui à Summo Pontifice sunt Beatificati.*
3 *An consuetudo laicorum ab Episcopis non approbata, possit dies Festos introducere, aut abrogare.*
4 *An consuetudo totius populi & Clerici habeat vim introducendi, aut abrogandi diem Festum, sine consensu Episcopi.*
5 *An decem annorum consuetudo per Episcopum approbata sufficiat ad introductionem, aut abrogationem dierum Festorum.*
6 *An excusetur certum genus Mechanicorum, si consuetudo sit illos solùm operari, cætero populo Festum obseruante.*
7 *Quisque debet illos Festos dies obseruare, quos lex, aut Constitutio Synodalis, aut consuetudo præscripta præcipit obseruari.*
8 *Quis sit finis ob quem Deus & Ecclesia Festos dies instituerint.*
9 *An, quando contigit Festum transferri, transferatur tantum quoad officium.*

1 NOnnulli Doctores existimarunt obseruationem diei Dominici esse de iure diuino, sicut & festiuitates sequentes, Natalitium Domini, Pascha, Pentecosten, Ascensionem, Epiphaniam, Assumptionem Beatæ Virginis & alias. Ita Syluester *verb. Dominica, quæst.*1.§. 7. Angelus *verb. Feria, num.*3. dicit esse quasi iuris diuini.

Syluest. Angelus

Supponunt enim hi Doctores dedicationem septimi cuiusque diei ad diuinum cultum esse de iure diuino & naturali, & putant mutationem ac traoslationem diei Sabbati in Diem Dominicam esse in lege gratiæ ex diuina institutione: quia aliàs posset Festum hoc mutari & abrogari per legem humanam, aut consuetudinem, quod tamen de die Dominica non est concedendum, quia hactenus mutata non fuit, quod indicium est, esse iuris diuini. Nihilominus dicendum est obseruationem diei Dominici & quoad dedicationem temporis 24. horarum, & quoad electionem diei Dominici potius quam alterius cuiuscumque diei esse de iure humano & Canonico, non diuino & naturali. Ratio est, quia in lege gratiæ nulla sunt data specialia præcepta diuina de his accidentalibus obseruantijs ac cæremonijs, quibus Deum colamus, sed tantum de substantialibus, quæ sunt fides, Sacramenta, & sacrificium: reliqua enim dispositioni Pastorum relicta sunt, ac proinde ex solo præcepto & iure Canonico Ecclesiæ est determinatio diei Dominicæ ad diuinum cultum, & eodem iure mutata est obseruatio Sabbati in Dominicam. Ita Diuns Thomas 2. 2. *quæst.*122. *art.*4. *ad* 4. Bonauentura *in* 3.*dist* 37.*circa literam.* Nauarr. *in Man. cap.*13.*num.*1. & alij communiter. Ex *c.*1.*& c. Sabbato, de consecrat.dist.*3.

D Th. D. Bon. Nauarr.

Ad rationem autem Syluestri respondendum est præceptum de die Domioico colendo habere aliquid iuris diuini & naturalis. Ratio enim naturalis dictat, vt aliquod in hebdomade tempus diuino cultui Deoque colendo impendamus, licet non dictet quale tempus esse debeat, & determinatio illius ad Ecclesiam spectet.

2. Cùm ad solum Summum Pontificem ex speciali modo pertineat dies Festos iostituere, qui colantur in vniuerso orbe sub mortali, & id possint etiam Concilium generale & vniuersalis consuetudo totius Ecclesiæ, ipso Summo Pontifice vel expressè vel tacitè approbante. Ad Episcopos autem spectet in suis tantum Diœcesibus celebritates dierum Festorum dedicare in honorem illorum

San-

Sanctorum qui iam publica auctoritate Summi Pontificis canonizationem adepti sunt, vt diximus *tom.1. verb. Festum 1.num.*3. Dubium tamen est, an possint Episcopi sacrare dies Festos in honorem ac venerationem illorum, qui sunt auctoritate Romani Pontificis tantùm Beatificati? Ratio dubitandi est, quia iura quæ hanc potestatem Episcopis concedunt, solùm loquuntur de illis, qui iam canonizati sunt, & in horum cultum ac honorem dicunt posse Episcopos dies Festos consecrare, vt videre est *in cap. Audiuimus, & cap. cùm ex eo, de reliquijs & venerat. Sanctor. & cap. Venerabili, de testibus & attestation.* Beatificatio autem non est canonizatio. Deinde omnes Doctores semper vtuntur hoc nomine canonizationis & non beatificationis, vt videre est apud Syluestrum *verb. Dominica*, Tabienam *verb. Canonizare*, & alios apud Sanchez *lib.2. Moralium, cap.43.num.3. & sequentibus.*

Syluest. Tabiena Sanchez. Suarez.

Nihilominus Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. de diebus festis, cap.11. num.4. & 5.* hoc etiam extendit ad illos, qui auctoritate Summi Pontificis sunt beatificati. Fundamentum ipsius est, quia Beatificatio nihil aliud est, quàm quædam canonizatio minori apparatu celebrata: vnde si Episcopi possunt instituere dies Festos in honorem illorum Sanctorum qui iam sunt canonizati, poterunt etiam id efficere in honorem illorum qui iam sunt beatificati: per beatificationem enim consequuntur Sancti, vt auctoritate Summi Pontificis Sancti habeantur, si non in toto orbe, saltem in aliqua Prouincia, Regno regione, aut Religione: ergo in his locis poterunt Episcopi in gloriam & honorem illorum dies Festos instituere: quia postquam viri sancti auctoritate Sedis Apostolicæ beati declarantur, publicum ac solemnem cultum consequuntur; hinc cùm publicum cultum ab Ecclesia consequantur & dies Festi ad publicum cultum Sanctorum spectent, & nomine totius Ecclesiæ instituti sint in honorem Sanctorum, poterunt etiam Episcopi illis hunc cultum exhibendum dedicare ac statuere. Nec refert quod iura & Doctores frequentius vtantur nomine canonizationis, quàm beatificationis; quia vocabulum canonizationis honorificentius est, quàm beatificationis, & ideò illo frequentius vtuntur, quàm isto. Sed his nonobstantibus sententia negatiua tenenda est, quia quando Pontifex concedit Sacerdotibus certæ Religionis, vt tali die possint dicere Missam de aliquo Beatificato, alij non possunt Missam de eodem dicere. Tum quia tempore Pauli V. humiliter petijt Respublica Veneta, vt Festum Beati Salonij in eadem ciuitate coleretur. Ita Azorius, Barbosa, Villalobos apud Dianam *part 3. tract.5. resol.9. & p.2. tr. 15. resol.55. Et in addit.3. p. res.2.*

Azorius. Barbosa. Villalob. Diana.

3. Consuetudo laicorum separata a consuetudine Ecclesiasticorum, & ab Episcopis non approbata, non potest dies Festos introducere, aut abrogare. Ratio est, quia sola consuetudo laicorum absque approbatione Episcopi non potest introducere dies Festos; ergo neque abrogare illos, si iam sint introducti, cùm par sit potestas ad vtrumque, & eiusdem sit potestatis introductio & abrogatio. Tum quia consuetudo ideò obligat, quia habet vim legis vt tradunt omnes de consuetudine scribentes & patet ex *l. Minimè. ff. de legibus, & cap. Consuetudo, distinctione* 4. Vnde fit, vt sicut irrationabilis esset lex, quam populus solum, aut potestas laica ferret de obseruatione diei Festi; & non valeret, sic irrationabilis etiam erit consuetudo laicorum, quæ vellet Clericos obligare absque approbatione Episcopi. Ita Syluius 1.2. *quæst.97. art.5. conclus.*10. Diana *part.6. tract.5. resol.16.* citans alios.

Syluius. Diana.

4. Consuetudo totius populi & Clerici non habet vim introducendi, aut abrogandi diem aliquem Festum, nisi expressus vel tacitus consensus Episcopi accedat. Ratio est, quia consuetudo non habet vim introducendi aliquem diem Festum, nisi quatenus habet vim legis; vnde non potest introducere obligationem legis, nisi includat consensum & voluntatem eius, qui potest talem legem ferre, atqui sine consensu & voluntate Episcopi vel Papæ non potest lex ferri, aut præceptum de die Festo aliquo obseruando; ergo nec consuetudine potest ea lex introduci, nisi accedat expressus vel tacitus consensus illius, qui eam legem potest ferre. Solùm ergo consuetudo totius populi & Clerici scita & tolerata ab Episcopis potest introducere, aut abrogare dies festos, quia solum ea habet vim legis. Vide Sotum *lib.1. de iustit. q.7. art.*2. Suarez *to. 1. de relig. l.2. c.15. n.5.*

Sotus. Suarez.

5. Consuetudo decem annorum approbata per Episcopum sufficit ad introductionem dierum Festorum. Ratio est, quia ad introductionem alicuius consuetudinis constringentis populum requirunt iura longum tempus decem autem annorum tempus iuxta leges est longum tempus, Bartolus *in l. de quibus, ff. de legibus*, Syluester *verb. Consuetudo, num.6.* & idem est de iure Canonico, vt docet Glossa *in cap. finali, de consuetud. in 6.* Ad abrogationem dierum Festorum opus est consuetudine quadraginta annorum, vt docent Sanchez *lib.4. Moral. cap.38. num.22.* Molina *tom.1. de iustit disp.77. versic. Consuetudo qua iuri* ex communi. Vnde si ad derogandum præcepto & legi Summi Pontificis de obseruatione alicuius Festi, sufficit consuetudo quadraginta annorum, à fortiori eadem sufficiet ad derogandum præcepto & legi Episcopi de eadem obseruatione.

Bartolus Syluest. Glossa. Sanchez. Molina.

6. Consuetudo certorum Mechanicorum, verbi gratia, sutorum, aut sartorum operandi die Festo, cætero populo illum feriante & obseruante, excusat, modo tacitè vel expressè approbata sit à locorum Ordinarijs. Ratio est, quia cùm designatio diei Festi sit de iure humano, potest consuetudine abrogari, minui & mutari, & quia in vno eodemque loco & vrbe possunt esse variæ leges iustæ & rationabiles pro varijs diuersisque Mechanicorum, aut mercatorum communitatibus, quibus illi gubernantur, quæ leges obseruandæ sunt: vnumquodque enim genus Mechanicorum constituit suam veluti rem publicam, quæ suis particularibus legibus gubernatur, & quod possunt leges, efficere potest consuetudo. Ita Sayrus *in Claue Regia, lib.7. cap.3. num.*13. Azorius *tom.2. lib.1. cap.26. quæst.*10. Syluest. *verb. Dominica, n.3. versic. Quintum*, & alij.

Sayrus. Azorius. Syluest.

7. Cùm consuetudo hoc tempore multos dies Festos ex eis, qui *in cap. pronunciandum, de consecrat. distinct.3. & cap. Conquestus, de ferijs*; recensentur, abstulerit, & alios induxerit, ideò vnusquisque illos dies Festos obseruare debet, quos lex, aut Constitutio Synodalis recepta, & non abrogata, vel consuetudo præscripta ibi præcipit obseruari: Dies tamen Festi, qui sunt ex consuetudine, non seruantur eodem modo omnes, sed inæqualiter prout habet consuetudo. Quandoque enim consuetudo habet, vt totus dies seruetur; aliquando autem solùm quoad horas antemeridianas, quamdiu celebrari possunt Missę. Aliquando consuetudo habet vt seruetur, tam in ciuitate quam extra: aliquando vt solum in ciuitate, non extra. Itaque seruandi sunt dies Festi eo modo, quo loci consuetudo seruat. De his vide Nauarrum *in Manual. cap.* 13. *n.5.* Toletum *lib.4. Summ. c.*54. Caietanum *in Summ. verb. Festum, in fin.* & alios.

Nauarr. Toletus. Caietan.

8. Finis ob quem Deus & Ecclesia Catholica Festos dies instituerunt, est, vt his diebus saltem Christi fideles orationi & operibus pietatis vacent, quod maximè necessarium est ad vitam spiritualem ac gratiam conseruandam & acquirendam: nam cùm alijs hebdomadæ diebus perpetuò quasi negotijs externis distrahantur homines, ita vt vix modicum quid internis deuotionis & pietatis actibus impendant: voluit diuina Maiestas & Ecclesia, vt per huiusmodi quasi interualla, vires spirituales, ne negotiorum pondere succumbant, reficiantur, & aliorum dierum defectus & negligentiæ suppleantur. Et ideò Ecclesia sanctissimè dies Festos dicauit Martyribus & Confessoribus ac etiam alijs viris Sanctis, vt eorum exemplo nos prouocaret ad eandem gloriam comparandam, quam illi egregijs factis ac virtutum gestis gloriosissimè compararunt. Ad euitandum tamen peccatum mortale, sufficit cum abstinentia ab operibus seruilibus attentè Missam audire, absque eo quòd interioribus alijs actibus orationis, deuotionis, dilectionis & contritionis quis vacet, vt pluribus tradunt Sancti Patres & Catechistæ.

9. Ex praxi totius ferè Ecclesiæ, quando contingit aliquod Festum transferri, puta si occurrant in Dominicis Aduentus vel quadragesimæ, solum transfertur quoad

officia,

officia, non verò quoad cessationem operum seruilium. Ratio est, quia Ecclesia illos dies festiuos obseruandos solùm statuit, diebus quibus occurrunt, non autem alijs diebus, prout consuetudo obseruat, quamuis secus censendum sit quoad celebrationem officij. Ita D. Antoninus *part. 2. titulo 9. cap. 7.* Tabiena *verb. Feria, num. 15.* Syluester *verb. Dominica, quæst. 2.* quos refert & sequitur Sayrus *in Claue Regia, lib. 7 cap. 3. num. 10.* Consuetudo tamen in hoc Belgio contrarium obseruat in Festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, quando occurrit à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in albis inclusiuè, tunc enim transfertur Festum in Feriam secundam post eandem Dominicam in Albis, & quoad officium & quoad cessationem operum seruilium in Prouincia Cameracensi: at in Mechliniensi celebratur Feria tertia: & idem ibi obseruatur de Festo S. Marci.

D. Ant. Tabiena Syluest. Cl. Reg.

FESTVM II.

Quoad opera seruilia quæ licita sunt in die Festo.

SVMMARIVM.

1 *Quodnam sit obiectum præcepti sanctificandi Festa.*
2 *Opera exteriora sunt triplicis generis.*
3 *An barbitonsores excusentur tondentes in die Festo ratione paruitatis materiæ: & quæ materia parua censenda sit.*
4 *An ratione consuetudinis barbitonsores excusentur.*
5 *An muliones possint cum bestijs onustis & rhedis iter facere in die Festo.*
6 *Exercentes seruilia in die Festo vt excusentur ob necessitatem sustentandi seipsos & familiam? Et qualis debeat esse necessitas, vt hoc liceat.*
7 *Quando censendum sit adesse necessitatem, vt agricolæ possint laborare in die Festo.*
8 *Quomodo liceat puellis laborare in die Festo ad vitandum otium.*
9 *An liceat seruilia exercere in die Festo, vt ex lucro fiat pauperibus eleemosyna.*

1 PRæceptum sanctificandi Festa non habet pro obiecto cessationem ab opere seruili, sed dedicationem diei cultui diuino: cessatio autem ab opere seruili consequitur ex sanctificatione. Illa enim sanctificari dicuntur, quæ cultui diuino applicantur; & ideò præceptum de sanctificando die est de ipso die applicando diuino cultui: secundario autem sequitur, quòd sit de cessatione ab opere seruili; quia hæc sunt prohibita, quatenus impediunt applicationem hominis ad diuina, vt notant D. Thomas *2. 2. quæst. 122. artic. 4. ad 3.* Quia autem vsus obtinuit, vt quilibet censeatur satisfacere præcepto sanctificandi Festa, si Missam audiat; quia audiendo Missam exerceret principalem actum cultus externi; ideo cessatio ab opere seruili pro reliquo tempore diei non est necessaria simpliciter ad sanctificandum diem, quia iam censetur sanctificatus per cultum exhibitum Deo, sed solùm ad ostendendam integritatem sanctificationis diei. Hinc fit quod minus requiratur vt opus seruile licitum sit in die Festo audita Missa, quàm vt quis excusetur ab audienda Missa; quia in hoc tollitur substantia sanctificationis diei: in illo autem solùm quædam integritas. Et proinde non multum requiritur vt quis excusetur, si audita Missa, exerceat opera seruilia.

D. Th.

2. Opera exteriora sunt triplicis generis: quædam enim sunt ex suo genere libera, vt artium liberalium exercitia, & quæ potissimum ad animum ordinantur, vt docere, disserere, scribere litteras, pulsare instrumenta musica, &c. Quædam verò sunt communia liberis & seruis, vt militare, equitare, iter agere, venari, &c. Quædam autem sunt propria seruis & ordinata ad corpus, vt opera mechanica, arare, fodere, suere, &c. Hæc postrema tantùm nomine operum seruilium sunt in Festis prohibita, reliqua autem sunt licita. Imo ipsa opera seruilia quando transeunt in communia, fiunt licita: transeunt autem in communia dupliciter, vel ratione necessitatis meæ, vel proximi, vt sunt opera Pharmacopolarum, Chirurgorum ægris seruientium, &c. vel ratione damni vitandi, vt opera agricolarum dum segetes periclitantur, aut hostes timentur, &c. quilibet enim siue seruus, siue liber potest suæ & proximi saluti consulere & damnum euitare.

3. Certum est apud omnes, Barbitonsores tondentes in die Festo accedentes ad Barbam vel capillos tondendos, non peccare mortaliter stante paruitate materiæ. Quæ autem dicenda sit paruitas materiæ, diximus *tom. 1. verb. Festum III. num. 4.* vbi retulimus varias Doctorum sententias, nam aliqui putant laborem vnius horæ esse partem notabilem non excusantem à mortali. Quidam autem excusant laborantem per duas horas. Alij denique volunt tres horas esse paruam materiam: quia octaua pars respectu totius diei censetur exigua pars.

Nihilominus cuidam ex recentioribus videtur in hac difficultate posse responderi, saluo meliori iudicio, illam quantitatem censendam esse paruam, quæ insumpta in opere seruili, non tollit, quin dies censeatur moraliter sanctificatus quoad cessationem ab opere seruili. Ratio est, quia præceptum sanctificandi Festa per cessationem ab opere seruili, non respicit aliquit indiuisibile, quod non admittat secum aliquod exercitium operis seruilis, sed aliquid diuisibile, quod potest stare cum tali exercitio. Ex quo fit, quòd præceptum respiciat talem sanctificationem quoad substantiam, non quoad omnimodam integritatem; & ideò si dies adhuc censetur moraliter sanctificatus, non violatur grauiter præceptum: quia manet secundùm substantiam quod præcipitur. Si autem tertia pars diei insumitur in opere seruili, adhuc dies censebitur moraliter sanctificatus, quia si per medietatem cessaretur & per alteram medietatem non cessaretur, non esset magis sanctificatus, quàm non sanctificatus; si ergo fiat cessatio per duas partes censebitur moraliter sanctificatus: quia vnumquodque æstimari debet & determinari secundùm id quod præponderat. Sic etiam quis censetur audire Missam & satisfacere præcepto secundùm probabilem opinionem multorum, si solùm ab Euangelio incipiat audire, & tamen tunc omittitur ferè tertia pars. Aduertit autem iste Auctor, quòd tertia pars, quæ censetur parua quantitas, non est accipienda respectu totius integri diei, vt nonnulli voluerunt, quorum sententia communiter reijcitur; sed respectu illius temporis, quod commodè & regulariter solet insumi in opere seruili. Vnde ex viginti quatuor horis detrahêdum est totũ illud tempus, quod in dormiendo, comedendo, seu alio modo insumi solet, & reliquum diuidendum in tres partes. Ratio est, quia si sumeretur tertia pars respectu totius diei, plus temporis insumeretur in opere seruili, quàm in cessatione positiua ordinata ad sãctificationem diei & propria Festi diei; nam cessatio, quando quis dormit, aut comedit, non est propria diei Festi. Verùm hæc relinquit alieno iudicio perpendenda, nec aliquid decernit, nec ego.

4. An autem ratione consuetudinis isti barbitonsores excusentur. Negant Nauarrus *in Manual. cap. 13. nu. 9.* Caietanus *2. 2. quæst. 122. art. 4.* & alij quia talis consuetudo non est tolerata & recepta, cùm semper id agentes reprehendantur à Prælatis: quod quidem verum est, si cõsuetudo non toleretur, quia tunc non est consuetudo, sed abusus. Si tamen adsit vera consuetudo, & non abusus, vt bene potest adesse, tunc excusari posse à consuetudine docent Diana *part. 2. tract. 15. resol. 33. vers. Quoad secundum.* Reginaldus *lib. 19. num. 51.* Clauis Regia *libr. 7. nu. 11.* qui etiam alios referunt. Ratio est, tum quia cùm prohibita in die Festo, sint humano iure introducta, nihil obstat ea tolli per contrariam consuetudinem toleratam à Prælatis. Tùm quia excusari possunt ratione damni, quod subirent, si videlicet ex eo, quod nollent tondere, fieret vt ab accedentibus desererentur, atque adeò notabile damnum paterentur in lucro: quia præceptum cessandi ab opere seruili in die Festo non obligat cum

Nauarr. Caietan.

Diana. Regin. Cl. Reg.

tanto

tanto damno, vt constat ex alijs casibus, in quibus certum est non obligare, Et eo ipso quòd quis exercet talem artem, præsupponi debet quòd indigeat lucro ad sui sustentationem, atque adeò, quod non possit ipsum amittere, Ita Sanchez *tom. 2. opusc. lib. 5. cap. 2. dub. 21. numer. 2.* Tum quia, cùm non soleant homines regulariter accedere in die Festo ad tondendam barbam & capillos, sed pauci & rarò, rationabiliter præsumi potest quòd cæteris diebus ita occupati sint, vt non possint sine notabili incommodo accedere: vnde stante hac necessitate præsumpta possunt tonsores suam operam exhibere.

Sanchez.

5. Muliones possunt cum bestijs onustis & rhedis iter facere in die Festo. Ratio est, quia si deberent in diebus Festis interrumpere iter, esset huiusmodi exercitium nimis dispendiosum, quod redundaret in maximum damnum communitatis, nam longe maiores essent expensæ in deuehendis rebus; vnde etiam merces multo pluris venderentur. Ita Syluester *verb. Dominica, q. 5. conc. 4.* Nauarr. *in Man. cap. 13. n. 7.* Suarez *de Religione, to. 1. lib. 2. c. 27.* Sà *verb. Festum, n. 5.*

Syluest. Nauarr. Suarez. Sà.

Difficultas est, an prædictis liceat iter incipere? Negant multi etiam ratione consuetudinis, quia non est consuetudo, sed abusus, Diana autem *p. 2. tr. 15. resol. 36.* existimat rarò contingere, quod Muliones peccent mortaliter incipiendo iter, si audiant Missam: quia nihil aliud faciunt, quàm itinerari: & opus seruile, quod est adiunctum, nempe leuare onera & imponere, est parua materia; quia non sumitur in hoc notabile tempus. Cæterum mihi dicendum videtur hoc opus esse omnino seruile de se: nam non est tantùm iter habere, sed in itinere ducere bestias, aut currus non in commodum proprium, sed in seruitutem alterius, quod sanè est opus seruile & exercitium vile; vnde vt licitè exerceatur debet honestari, vel quia res, quæ deferuntur sunt necessariæ, aut pro illa die, aut pro sequenti. Vnde deferri possunt res omnes, quæ pertinent ad victum, & quæ diu conseruari non possunt, vt pisces, olera, fructus qui diu non durant, vt ficus, pepones, vuæ & alia huiusmodi. Item honestari potest tale exercitium, quia Muliones habent bestias & currus deuehendis sarcinis & oneribus destinatos & nisi possent incipere iter in die Festo, nec etiam possent continuare, cùm sit eadem ratio & idem sit opus; vnde ars esset nimis dispendiosa, qui esset absque lucro, ratione expensarum. Ita Pasqualigus *in decis. Moral. decis. 292.*

Diana.

Pasqual.

6. Communis sententia est excusari à peccato exercentes seruilia in die festo ob necessitatem sustentandi seipsos & familiam, dummodo audiant Missam & vitent scandalum, & eorum exercitium eo vsque protrahant, quovsque sufficiat ad subleuandam necessitatem. Ratio est, quia cùm lex respiciat bonum, non obligat contra necessitatem, sed subditur exigentiæ necessitatis, & proinde vrgente necessitate cessat obligatio legis, eo quod necessitas non habet legem *cap. Remissionem, §. final. 1. quæst. 1.*

Sed petes pro praxi, quanta & quænam necessitas debeat esse et sufficiat ad excusandum ab obseruatione huius legis? Respondeo, quod debet in hoc considerari status personæ pauperis, seu familiæ, quatenus conseruatur per exercitium operis seruilis: quia si notabiliter læditur ex eo, quod abstineatur ab opere seruili in die Festo, tunc lex abstinendi non obligat, quia non obligat cum detrimento notabili proprij status: vnde quotiescumque in victu, vestitu et congruenti suppellectili domus notabile detrimentum quis pateretur, siue quoad se, siue quoad familiam, non tenetur cessare ab opere seruili. Hinc fit, quod Pater possit laborare in die Festo pro seponenda dote pro suis filiabus, quando aliter seponere non potest, nisi subtrahat familiæ necessaria intra statum proprium: quia dos pro filiabus est necessaria. Similiter filia familias, quæ diebus profestis laborare debet ad victum quærendum, ita vt de lucro nihil, aut parum superest detractis impensis pro victu congruenti, potest in diebus Festis laborare circa suppellectilem quæ solet pro dote dari: quia in tali casu excusatur ratione necessitatis, cum huiusmodi suppellex sit necessaria et aliunde haberi non possit. Item famulæ, à quibus dominæ in diebus profestis exigunt totale seruitium, ita vt nihil temporis liberi ipsis relinquant, laborare possunt diebus Festis, in proprijs vestibus resarciendis; quia necessitas excusat, cùm sit eorum, quæ pertinent ad proprium statum congruentem, & necessarium sit eas resarcire. Si tamen famulæ diebus profestis consueuerint longas orationes recitare, debent potius eas omittere, vt proprias vestes reficiant, quàm reducere tale opus in diem Festum, alias non excusantur ratione necessitatis.

7. Certum est ex communi sententia Doctorum licere agricolis laborare & exercere seruilia diebus Festis quando adest necessitas: Dubitare tamen potest, quando censendum sit adesse necessitatem laborandi in die Festo? Respondeo tempore messis, siue vindemiæ considerandam esse non solum regionem, sed etiam qualitatem temporis, quæ tunc currit; rursus etiam commoditatem, vel incommoditatem recondendi fructus: quantitatem quoque messis & vindemiæ & alias circumstantias, quæ possunt vel præseruare à damno vel ipsum augere; & habita ratione omnium, considerare, an probabiliter contineat aliquod damnum; quia si non immineat, non aderit necessitas laborandi in die Festo. Tempore vero sementis possunt eædem circumstantiæ considerari, maximè quando necessarij sunt plurimi dies pro serendis agris, eo quod multi sunt.

8. Sententia asserens licere puellis laborare in die Festo, vt vitent otium, vel alias occasiones vagandi & peccandi, quam sustinent Syluester *verb. Dominica, quæst. 5. conc. 4.* Marchantius *in resolut. pastoral. c. 3. q. 2.* & alij citati *infra verb. Festum III. num. 4. versic. Notandum*, vt habeat locum, debet opus seruile esse medium necessarium ad vitandum peccatum; ita vt non adsint alia media: quia tunc desinit esse prohibitum: cum enim medium sequatur naturam finis; & finis nempe vitare peccatum, sit necessarius, medium quoque nempe opus seruile euadet necessarium, atque adeo non prohibitum. Raro tamen potest esse medium necessarium ad vitandum peccatum: cum adsint plura alia media non prohibita ad vitandam otiositatem: puta honestæ recreationes non prohibitæ, quibus otium vitari potest. Proinde à plerisque Doctoribus merito prædicta sententia non admittitur. Ratio illorum est, quia media, quæ sunt ex se mala & prohibita, non euadunt bona & licita ex eo, quod ordinentur ad finem bonum. Vnde cum exercere opus seruile in die Festo sit malum & prohibitum, non euadet licitum ex eo, quod ordinetur ad fugiendam occasionem proximam peccati, prout docent Bonacina *in decalog. disp. 5. quæst. vnic. punct. 3. num. 7. in fine*, iunctis ijs, quæ tradit *punct. 2. num. 25. in fine*, Sanchez *lib. 5. consil. moral. cap. 2. dub. 18. num. 12.* Castrus Palaus *part. 2. tract. de Festor. obseruat. disp. vnic. punct. 10. num. 3. in fine*, Pasqualigus *in decis. moral. decis. 299.* Potest tamen contingere quod quis excusetur ex bona fide; quia videlicet existimat licita esse opera seruilia in die Festo ad vitandam occasionem peccati, seu etiam otiositatem: quia tunc eligit medium, quod putat non esse amplius malam ratione finis ad quem ordinatur.

Syluest. Iac. Marchant.

Bonacin. Sanchez. Palaus. Pasqual.

9. Qui exercet opus seruile in die Festo, vt ex lucro faciat eleemosynam pauperibus, rem illicitam facit nec votum ea de re factum valet. Ratio est, quia vt necessitas excuset ab exercitio operum seruilium, debet esse necessitas actu existens in aliquo paupere particulari, quæ moraliter nota sit & patens ita, vt si in eo die Festo ei per opus seruile non succurramus, quando aliter non possumus, absque remedio & subsidio relinqueretur, quia non inuenitur alius, qui gratis eo die succurrat. Vnde non sufficit necessitas illorum pauperum, in communi qui sese obtulerint, nec votum valebit, nec à peccato transgressionis præcepti de obseruandis Festis excusabuntur illi, qui propter hanc necessitatem in communi laborare voluerint: excusabuntur tamen in alio casu necessitatis certæ & indubitatæ & actu existentis, ita vt aliter succurri non possit, & votum valebit Ita Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus Festis, cap. 21. numer. 15.* Toletus *lib. 4. Summ. cap. 25. num. 4. §. Tertius casus est*, Nauarras *in Manual. cap. 13. numer. 10.* Notandum tamen quando necessitas non instat pro die Festo, moraliter loquendo, & miseriæ pauperis subueniri potest sequenti die non Festo, tunc neces-

Suarez. Toletus. Nauarr.

saria

faria erit dispensatio atque licentia Pastoris, vt licitè fiat, cùm ipsa necessitas non sit tam clara & patens, vt possit excusare à transgressione præcepti.

Vide suprà v. Emptio *n.*47. & to.2. Missa 3. *n.*10. Procurator *num.*5.

FEVDVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit feudum? & eius differentia ab emphyteusi.*
2 *Quæ sint conditiones requisita ad contractum feudalem?*
3 *Qui in feudum dare possint?*
4 *Quæ res in feudum dari possint? & quomodo feudum acquiratur?*

1 FEudum *est concessio rei immobilis vel æquipollentis cum translatione vtilis dominij, proprietate retenta, sub onere fidelitatis & obsequij personalis exhibendi lib.*2. *Feud.tit.*23. ex hac definitione patet *differentia* inter feudum & emphyteusim, quòd quamuis in vtroque transferatur dominium vtile in recipientem, remanente dominio directo apud traditorem, differunt tamen ratione pensionis; nam *quatenus* pensio est personalis, id est, consistens in obsequio personali, dicitur feudum: *quatenus* verò pensio est realis, consistens, nempe, in pecunia, vel frumento vel alia re simili, dicitur emphyteusis: vnde *duo* ad substantiam feudi pertinent: *Primo*, vt res in feudum data, immobilis sit, vel vt talis habeatur, vt regnum, prouincia, vrbs, pagus, ager, prædium, &c. *Secundò*, vt is qui accipit, fidelitatem & obsequium Domino promittat. Ita Doctores communiter Lessius *lib.*2. *cap.*24. *dub.*1. *num.*5. Filliucius *tract.*36. *cap.*9. *n.*159. & 164. Syluest. *v. feud.* Bonacina *de contr. q.*8. *punct.*1. *n.*3. Layman *lib.*3. *tract.*4. *c.*24. *n.*1. & 2.

Lessius. Filliuc. Syluest. Bonac. Layman.

2 *Conditiones* requisitæ ad contractum feudalem, communiter à Doctoribus hæ recensentur. *Prima*, debet constitui feudum in re immobili, vt dictum est. *Secunda*, Dominium directum & possessio ciuilis rei feudalis, remanet apud Principem vel Dominum, eam dantem in feudum, & in vasallum transfertur dominium vtile. *Tertia*, non tenetur feudatarius ad pensionem, si est feudum purum, sed tantùm ad obsequium personale, quando ad illud interpellabitur. *Quarta*, si obsequium debitum vasallis non præstiterit, amittit feudum & incidit in caducitatem, sicut emphyteuta amittit emphyteusim, cum non soluit pensionem. *Quinta*, debet feudatarius à directo domino inuestiri, mittive in possessionem, ac tunc eidem iurare fidelitatem. *Sexta*, non potest sine domini voluntate feudum donare, vel oppignorare, vel alteri concedere in feudum. *Septima*, si absque eadem voluntate illud alienarit, ipsum amittit. Plura apud Azorius 3. *p. lib.*10. *de feud.* Reginaldus *lib.*25. *n.*550. Iulium Clarum *lib.*4. §. *feud.* Syluestrum Angel. Tabien. *v. feud.* Lorichium *v. feud. n.*2. & alios.

Azorius. Regin. Clarus. Syluest. Angeles. Tabiena. Lorich.

3. Omissis multis, quæ de hoc contractu feudali dici possent, & maximè vsum habent pro foro externo, spectantque ad causidicos, pauca hæc summatim attingemus: *In feudum* dare possunt, qui liberam habent administrationem suorum bonorum, & non sunt aliquo iure prohibiti, *l.*1. *feud. tit.*1. *l.*1. *feud. tit.*6. Azor. *cit. c.*5. *quæst.*2. Filliuc. *cit. n.*166. Lorichius *cit. n.*5. de iure tamen feudorum requiritur aliqua dignitas. *In particulari* possunt dare in feudum, Papa Episcopi verò, & Abbates, præpositi & alii *inferiores* clerici in feudum tantùm dare possunt res, quæ ab antiquo tempore in feudum dari solitæ sunt: *Præterea* Domini temporales, vt Imperator, Rex, Princeps, Dux, Marchio, Comes, Baro, & alii nobiles viri iis inferiores. Accipere autem omnes possunt à dominis principalibus, secùs si vasalli & domini minores in feudum dent. Vt patet ex iuribus hic citatis.

Azorius. Filliuc. Lorich.

4. Generatim dari possunt in feudum *res immobiles*, vel quæ pro immobilibus computantur, *L. seruitutes quæ ff. de seruit. vrban.* vt sunt iura exigendi redditus annuos, seruitutes rerum, vel personarum; debent prætereа esse res liberæ propriæ, & non alteri obligatæ: *Res* autem quæ probibitæ sunt alienari, in feudum nouum dari non possunt, secùs in antiquum: *Res* verò Ecclesiæ, prælati non possunt dare in feudum nouum, nisi ex certis causis & solemni iuris formula seruata *cap.*1. *per quos fiat inuest. lib.*2. *feud. Authent. de non alien. rer. Eccles. Porrò*, feudum tribus modis acquiritur.

Primò, inuestitura, quæ est apprehensio possessionis feudi, & fit cum hasta vel aliud instrumentum, vt gladius, vel vexillum traditur à Domino Azorius *citato capite* 6. & 7. *Secundò*, acquiritur præscriptione, quæ debet esse in sæculari feudo, annorum 30. in Ecclesiastico 40. contra Romanam Ecclesiam 100. *Tertiò*, acquiritur feudum successione: *vnde* capti aliquo membro, iure feudorum, non sunt habiles ad successionem in feudo paterno vel antiquo, vsu tamen & consuetudine possunt succedere, quia licet personaliter non possint obsequium Domino præstare, possunt tamen per alium: *fœminæ* regulariter non admittuntur in feudo, nisi exprimantur, & feudum fœmineum sit, vel omninò francum & liberum. Filliucius *cit. cap.*10. Azorius *cit. cap.*8. *quæst.*1. *Filij* ex duobus matrimonijs, præferendi in feudo sunt ij, qui sunt ex priore, nisi qualitas feudi aliud suadeat. *Masculi* succedunt feudo, cæteris exclusis, etiamsi descendant in infinitum. *Illegitimi* non succedunt, sed benè naturales, facti legitimi per subsequens matrimonium. *Clericus* iam ordinatus in sacris, vel beneficiarius retinere potest feudum paternum; si non erat ordinatus eo ipso repudiare videtur, quòd transit ad statum in quo personaliter inseruire non potest. Syluester *v. feudum Clar. c. q.*87. Lorichius *v. feudum n.*7. *Religiosus* post professionem amittit & dimittit feudum agnatis propinquioribus, nisi seruitium quod requirit feudum, præstari posset à Monacho, vel à Monasterio decenter Azorius *c. cap.*10. *q.*4. Plura de successionibus in feudo & alijs ad ipsum pertinentibus cernere licet apud Filliucium *tr.*36. *toto cap.*10. & Lorichium *in suo thesauro loco citato*, & alios.

Azorius. Filliuc. Azorius. Syluest. Lorich. Azorius.

SVPPLEMENTUM:

SVMMARIVM.

1 *Feudum vnde dictum.*
2 *Variæ diuisiones feudi.*
3 *An omnes sint capaces accipiendi feudum ab omnibus Dominis.*
4 *Qui possint in feudis succedere & qui non.*
5 *Quæ sint obligationes feudatarij.*
6 *Ex quibus causis possit Vasallus feudum amittere.*
7 *An Vasallus ex consensu Domini tantùm possit de feudo nouo disponere.*
8 *Quid iuris de feudo antiquo vel hæreditario.*
9 *Ad quem reuertatur feudum quando amittitur.*
10 *Quando feudum deuoluatur ad fiscum.*
11 *Ad quem pertineant melioramenta quæ fecit Vasallus in re feudali, dum feudum reuertitur ad Dominum.*
12 *Fructus rei feudalis, an ad Vasallum pertineant? Et quando releuia debeant solui.*
13 *An hodie Episcopi vel alij Prælati Ecclesiastici bona suarum Ecclesiarum infeudare possint.*

1 FEudum est vocabulum Gothicum vel Longobardicum, deductum fortassè à faida Germanica voce, quæ significat bellum, siue militiam. Cœperunt autem feuda ex eo tempore, quo Longobardi in Italia regnum tenuerunt. Et quia prædia quæ bello victores occupabant, ea lege suis militibus tradebāt, vt eos perpetuò Dominos

agnoscerent, seque tanquam Clientes & Vasallos, hoc est eius iurisdictioni subiectos, qui in feudum dabat, profiterentur, ideò dicta sunt feuda. Iuris ciuilis interpretes passim dicunt feudum deductum esse à fide, quia is qui accipit in feudum obligatur Domino. Feudum igitur est genus quoddam clientelæ, quo vel dignitas, vel vectigal, vel prædium aliquod ea lege datur alicui, vt & ipse, & ipsius posteri atque hæredes beneficij auctorem perpetuò agnoscant, & quasi pro patrono colant & habeant, eiusq; caput, existimationem & fortunas tueantur.

2. Variæ diuisiones feudi afferuntur à Doctoribus, sed infra dicendis contenti primus, doctrinæ causa.

Prima, feudum aliud est proprium, aliud improprium. Proprium est, quod simpliciter, purè & directè conceditur, nulla temporis, aut certi obsequij, officij, siue seruitij determinatione. Improprium dicitur illud, quod ex pacto naturam feudi mutat; ob id vocatur feudum ex pacto, seu prouidentia, quia acquiritur vigore pacti, & conceditur ex pacto quoad certum officium vel obsequium.

Secunda, feudum aliud est regale, aliud non regale. Regale est, quod à Principe conceditur Superiorem non agnoscente, qualis est Papa, Imperator, Rex, &c. & præter simplicem iurisdictionem, habet etiam titulum & nomen dignitatis, vt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, &c. non regale est, quod nihil dignitatis vel eminentiæ affert, siue à Principe ipso, siue ab inferioribus, vt plerumque fit, conferatur.

Tertia, feudum aliud est antiquum, aliud paternum, aliud nouum. Antiquum est, quod maiores habuerunt supra quartum gradum communis agnationis. Paternum est, quod parentes siue progenitores vsque ad quartum gradum tenuerunt, veluti auus, proauus, abauus, atauus. Si enim Tritauus & reliqui Superiores, iam est antiquum. Nouum verò vocatur, quod cœpit in persona inuestiti, nec peruenit ad ipsum ex successione. Datur etiam feudum maternum, quod è fœmina descendit tanquam à capite cognationis.

Quarta, feudum aliud est nobile, aliud ignobile. Nobile est, quod suum possessorem, siue accipientis personam vel nobilem facit, vel si priùs fuerat, nobiliorem ostendit, vt cùm ab Imperatore, vel à Rege conceditur. Ignobile est, quod à plebe vel priuatis hominibus concedi solet, & non confert nobilitatem.

Quinta, feudum, aut est Ecclesiasticum, aut sæculare. Ecclesiasticum est, quod vel Ecclesia dat alteri vel ipsa accipit ab alio, vel quod in Clericum confertur, vel quod Clericus vt Clericus concedit. Sæculare feudum est, quod à ciuili Principe, vel à quolibet alio laico accipitur.

Sexta, aliud est hæreditarium, aliud non hæreditarium: illud est quod conceditur accipienti pro se & hæredibus, licet extraneis. Hoc verò quod pro se & liberis, & dicitur proueniens ex facto & prouidentia concedentis. Illud habere non potest, nisi sit hæres, vel ab eodem descendat. Hoc vero possunt etiam habere agnati, etiamsi non sint hæredes.

Septima, feudum aliud est reale, aliud personale. Reale est, quod ad hæredes iure transit, tum Domini, tum beneficij. Personale, quod non excedit personam accipientis.

Octaua, feudum, quod diuidi non potest, dicitur indiuiduum, vt sunt Regnum, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, & cætera, quæ dignitatem habent. Aliud est diuiduum, quod diuidi potest, vt sunt illa, quæ dignitatem non habent.

Nona, feudum, aut dicitur ligium, aut non ligium. Ligium est, cùm quis in feudo iurat se Domino futurum fidelem contra quemlibet nullo excepto. Non ligium est, quando in iuramento præstando excipitur supremus Dominus, vt si quis iuret Duci, se ei fidelem futurum, exceptis ijs, quæ pertinent ad Imperatorem, vel Regem, seu supremum Principem.

Decima, aliud est francum, aliud non francum. Francum dicitur illud, quod est liberum à pœnalibus feudorum legibus & exemptum ab omnibus seruitijs & obsequijs, exceptis ijs, quæ continentur in forma fidelitatis. Feudum verò non francum dicitur illud, quod non est liberum & exemptum à seruitijs.

Porrò feudum, aut est masculinum, quod tantùm ad mares pertinet, aut fœmininum, quod ex pacto etiam fœminis conceditur. Hæ sunt communiores diuisiones feudorum. Notandum est autem varias esse consuetudines in feudis; nam aliæ sunt in Germania, aliæ in Gallia, aliæ in Italia, Hispania, Belgio. Et hinc prouenit quod Auctores, qui de feudis agunt, in diuersas abierint sententias.

3. Omnes sunt capaces accipiendi feudum, sed non ab omnibus Dominus, si enim sint Domini principales, & maiores, tunc ij possunt dare cuilibet personæ cui voluerint, siue sit liber, siue seruus, siue Clericus, siue laicus, siue Ecclesiasticus, siue Prælatus, siue ciuitas, siue Castrum, siue diues, siue pauper, siue masculus, siue fœmina.

Si autem Vasallus det in feudum, tunc aliqui prohibentur, accipere. *Primò*, qui non possunt seruitium facere. *Secundò*, fœmina. *Tertio*, Ecclesia, Clericus, Monachus, sunt enim inhabiles ad pugnandum. *Quartò*, non seruus alienus. *Quintò*, non hæreticus, aut Iudæus, aut excommunicatus. *Sextò*, non is, qui est in banno sui Domini. *Septimo*, non deportatus, quia nec hæres is institui potest. *Octauò*, non is, qui eo sit potentior, vt Comes, Marchio, &c. *Nonò*, non is, qui est de alio foro quàm Dominus principalis. *Decimo*, non is, qui propter talem concessionem sit vexaturus Dominum.

4. Illi in feudo succedunt, quos inuestitura comprehendit & quos ius vel consuetudo non excludit: ius enim succedendi pendet ab intentione inuestientis, de iure vel consuetudine valentis & volentis inuestire. Vnde filij illegitimi non succedunt in feudo, etiam non extantibus legitimis, nisi legitimi efficiantur per subsequens matrimonium; qui verò legitimantur à Principe, non succedunt etiam in feudo, sed tantùm in allodialibus. Si tamen exprimatur in inuestitura, vt in feudum succedant, poterunt succedere, feudum enim accipit vires à concedente. Filij verò adoptiui excluduntur à feudo, non tamen ab allodialibus. Masculi autem succedunt in feudo, cæteris exclusis etiamsi in infinitum descendant: quod habet locum etiam in filijs emancipatis, in mutis, cæcis, & alijs destitutis aliquo membro, si tamen muti sint & vsu rationis careant declarandi sunt inhabiles ad feudum paternum vel antiquum, *lib. 1. feud. tit. 6.*

Filius exhæredatus à patre amittit feudum. Imò filio repudianti hæreditatem non permittitur retinere feudum. Propinqui laterales, dum liberi deficiunt, succedunt in feudo paterno, vel antiquo, modò aliud in inuestitura non habeatur; & modò descendentes sint agnati, nam si cognati tantum sint, non verò agnati, non succedunt in feudo; sicut enim fœminæ excluduntur à feudo, ita etiam descendentes ex eis: quia descendentes ex fœminis non sunt agnati, sed alterius familiæ distinctæ à familia illius, cui inuestitura concessa fuerat: ob id etiam fratres vterini non succedunt in feudo; quia collaterales non succedunt nisi per agnationem; vterini autem vtpote diuerso patre nati non sunt eiusdem agnationis. Germanus Frater non excludit alium Fratrem, aut consanguineum. Quod si filij Fratrum simul concurrant cum patruo, admittuntur vna cum ipso in stirpes; vel si pater moriatur relicto filio, & duobus nepotibus ex altero filio, nepotes iure communi Cæsareo succedunt in locum sui patris immediatè per stirpes, & non per capita; consequenter filio debetur vna pars & altera nepotibus. Vsu tamen & moribus receptum est, vt primogeniti succedant, & reliquis præferantur, præsertim in feudis habentibus adnexam dignitatem.

Pater vel mater feudum habens, si relinquat filios ex duobus matrimonijs, præferendus est primogenitus prioris matrimonij, nisi fortè feudum sit liberum & hæreditarium; tunc enim cedere potest feudum, cui velit, relicta filiis prioris matrimonii legitima.

Hæc omnia colliguntur ex *lib. 1. & 2. Feudorum*, de quibus legendi sunt Filliucius *tract. 36. c. 10.* Bonacina *de contract. disputatione tertia, quæstione octaua, punct. 3. §. 3.* Azorius *parte tertia. lib. 10. c. 8. & 9. de feudo*, & alii Iurisperiti apud Layman *l. 3. tract. 4. c. 24.* Filliuc. Bonac. Azorius. Laym.

5. Feu-

5. Feudatarij obligationes sont. *Prima*, vt præstet iuramentum fidelitatis, vel etiam obsequij, si Dominus obsequium imponat; iuramenti autem formula talis est, ex *l.2.feud.tit.5.*

Ego N. iuro ad hæc sancta Dei Euangelia, quod à modo in antea ero fidelis Domino N. sicut debet esse Vassallus Domino; nec id quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit Dominus, pandam alijs ad eius detrimentum, nec pandi permittam me sciente.

Familiares verò eius iurant custodire vitam, membrum, mentem & Domini rectum honorem.

Iuramentum tamen hoc non est de substantia feudi, sed promissio fidelitatis; vnde ab initio non præstabatur iuramentum. Quando sunt plures feudatarij hæredes, omnes iurare debent. Si feudum committatur communitati, seu Collegio, tunc vnus qui feudum accipit, nomine illius debet iurare, quia communitas censetur vna persona. Quando sunt plures hæredes Domini, potest iuramentum præstare illi cui maluerit, quia non cogitur habere plures Dominos. Si Dominus feudi sit Respublica, vel ciuitas, seu communitas, seu Ecclesia, sufficit præstare iuramentum administratoribus Reip. seu Magistratus: quia communitates non sunt Domini feudi, vnde singulis non est præstandum iuramentum.

Secunda, obligatio est, vt Vasallus præstet obsequium Domino promissum.

Tertia, vt Vasallus non alienet feudum absque Domini directi consensu in casibus à iure non permissis. Ita *c. Quæ in Ecclesiarum, de constitut.* vbi habetur: *Volentes igitur Ecclesiarum indemnitati consulere, constitutionem huiusmodi & venditiones feudorum Ecclesiasticorum factas sine legitimo Ecclesiasticarum personarum ad sensu, vires decernimus non habere.* Aliquibus tamen in locis aliter vsu receptum est.

Casus autem in iure permissi nominatiores sunt. *Primus*, cùm Domini consensus interuenit. *Secundus*, cùm femina cui feudum liberalitate Principis, aut successione obuenit, illud viro in dotem tribuit, eùm oubit, quod ei permissum esse docet Clarus *quæst.32.* & Boerius *in decis. Burdegalensibus decis.202.* Non tamen potest in præiudicium filiorum alienari citra eorum consensum, quia ad illud ius habent maximè si feudum est hæreditarium, si patri est eiusque nepotibus datum: quamuis legibus Galliæ sufficiat seruari legitimam filio. De quibus agit Stephanus Bauny *de contract. tract.8.q.4.*

Clarus. Boerius.

Bauny.

Quarta, cùm res, locus ac tempus feudi alienandi necessitatem inferunt, incumbit feudatario, Dominum feudi admonere maturè, deque eo vendendo, eiusdem facultatem & consensum petere, quem negare non posse existimat Rebuffus *in tract. de feudis*; imò & ad id eum cogi posse arbitrantur multi. Liberum tamen ei est, feudum pretio de quo inter venditorem & emptorem est conuentum, emere.

Rebuff.

6. Triplici de causa Vasallus potest feudum amittere. *Prima est*, ingratitudo, modò talis sit, quæ ob sui grauitatem feudi priuationem mereatur, *lib.2. feud. tit 24. & tit.* 28. vnde propter decem crimina Vasallus priuandus est feudo. *Primo*, si intra annum & diem à morte Domini, ab eius successore renouationem inuestituræ non petierit, nec debitum fidelitatis iuramentum exhibuerit. Annus autem computandus est à die, qua Vasallus adeptus est feudum, sciens, aut scire potens rem esse feudalem, & obitum Domini, nisi iusta subsit causa ob quam excusetur. *Secundo*, si Vasallus periclitantem in acie Dominum deseruerit, etiamsi Dominus à Vasallo desertus, incolumis postea euaserit, vel bellum gereret contra Patrem, adhuc enim Vasallus Domino seruire debet. Si tamen Vasallus Dominum deseruerit, dum aliter vitam suam seruare non poterat, graue ingratitudinis crimen non censeretur committere, præferendo vitam suam vitæ Domini. Idem die quando constat bellum esse iniustum. *Tertio*, si sciens insidias parari Domino, non faciat eum certiorem; & multò magis si cum Domini sui hostibus fœdus faciat, si eos domi suæ eacipiat, si transitum per loca suæ obnoxia potestati præbeat cùm posset obsistere. *Quartò*, si vxori Domini, filiæ, sorori, nepti ex filio, vel nurui carnaliter se miscuerit, vel alicuius ex eis pudicitiam tentauerit. Et hoc verum etiamsi vxor Domini tunc temporis vidua esset; si tamen ad alias nuptias transierit, pœna hæc non haberet locum. *Quintò*, si detulerit Dominum apud Iudicem, vel accusauerit etiamsi ex iusta causa, excepto crimine læsæ maiestatis diuinæ & humanæ. *Sextò*, si feudum alienauerit absque consensu Domini & tradiderit; intellige si Dominus velit. *Septimò*, si filius Vasalli vel eius domesticus, aut Vasallus Dominum offendit, & admonitus feudatarius non adducat reum ad veniam petendam. *Octauò*, si contumax sit in eum, hoc est, vocatus ad Curiam Domini, venire detrectet & contemnat. *Nonò*, si iure feudi abutatur. *Decimò*, si Domino exigenti obsequia, negat se Vasallum ipsius esse.

Secunda causa propter quam feudatarius priuandus est feudo, est duplex culpa commissa in personam diuersam à Domino directo. Prima est, fratricidium præsertim ob spem hæreditatis. Secunda est, homicidium proditorium. Requiritur autem in his criminibus sententia condemnatoria criminis & priuatoria feudi, nisi quod cùm alienaret absque consensu ipso iure cadit à feudo, & tantùm est opus sententia condemnatoria criminis, non autem priuatoria, vt docent Clarus §. *Feudum, q.62.* Layman *lib.3.tr.4.c.24. n.12.* & alij.

Clarus. Layman.

Tertia causa contingit absque culpa Vasalli, quinque modis. *Primò*: morte eius. non relictis filijs legitimis, vel agnatis. *Secundò*: Renunciatione. *Tertiò*: Professione in Religione incapaci, aut etiam clericatu, dum in inuestitura cauebatur ne feudum ad Clericum transiret. *Quartò*: Lapsu temporis ad quod esset concessum. *Quintò*: Præscriptione triginta annorum: sicut enim feudum spatio triginta annorum acquiri potest, ita etiam amitti. De his vide Azorius *p.3 lib 10. c.13.14. & 15. de feudo.* Filliucius *tract.36.c.10.qu.9.* Stephanum Bauny *de contract. tract.8. q.7.*

Azorius. Filliuc. Bauny.

7. Vasallus ea consensu Domini, tam donatione inter viuos, quam mortis causa, aut per vltimam voluntatem, irrequisito filij primogeniti assensu, aut agnatorum, qui eum gradum proximè consequuntur, de feudo nouo disponere potest. Ratio est, quia in hoc feudo descendentibus vel agnatis nondum ius acquisitum fuit, & ideò primus acquirens de eo, tanquam de re sua, cum Domini consensu, pro arbitratu disponere potest: Tum quia, quæ in patris sunt ære & manu, hæc non sunt filij primogeniti, aut agnatorum nisi eo mortuo, non habent ergo hi in quo se læsos esse conquerantur, cùm de bonis suis, inter quæ est feudum nouum, pater absque eorum consensu statuit, dummodo sua stet primogenito legitima integra, à qua necessaria accipiat vitæ subsidia. Secus dicendum si feudum nouum concessum sit speciali fauore alicuius filij, vel fratris, in inuestitura nominati: tunc enim non potest ius successionis ipsis adimi. Idem dicendum si feudum nouum alicui concessum fuerit, vt esset instar antiqui, auiti, proauiti, &c. tunc alienari non potest cum præiudicio filiorum, aut collateralium, qui à communi stipite descendunt. Ita Iulius Clarus *lib.4 §. feudum, qu.40. &* 41. Mynsingerus *centur.4.obseruat.84.* Andræas Gaill. *l.2. obseruat.49. & 50.*

Clarus. Mynsing. Gaillard.

8. Feudum antiquum, quod est cum pacto ac prouidentia concessum, vt ad hæredes, ac descendentes liberos perueniret, non potest patris munere ac liberalitate ad extraneos transire, sine liberorum ac proximi agnati assensu, vt constat ex *l.2.feudor. tit.39. de alienat. paterni feudi.* Ratio est, quia ex concessione Domini liberali ac gratuita, liberi ac agnati ad feudum eo modo datum ius habent, & à Patre cum ea conditione fuit acceptatum, ergo ne sit facta à patre, extraneo feudi antiqui confessio irrita & nulla, liberi ac agnati iuri illis iam acquisito renunciare debent. Ita ex communi sententia docent Mynsingerus *centur.4.obseruat.85.* Clarus *loc.cit.q.41.* & alij.

Mynsing. Clarus.

Feudum tamen quod per se & simpliciter est hæreditarium, tam nouum, quàm antiquum, Vasallus arbitratu suo alienare potest perinde ac de bonis proprijs disponere, irrequisito Domini, aut proximorum agnatorum consensu. Ratio est, quia eiusmodi feudum ratione primæ suæ inuestituræ, ad quoscumque etiam extraneos deuolui potest, reseruata Domino directo fidelitate, à feudi successo repræstanda. Ita ex communi Clarus *loc. cit. suprà.*

Clarus.

9. Quando feudum amittitur culpa Vasalli in Dominum perpetrata, reuertitur ad ipsum Dominum non solùm si feudum sit nouum, vt omnes tenent, sed etiam quamuis feudum sit paternum, siue antiquum, in quo alias agnati succedunt iure inuestituræ, licet aliquid velint, si sit paternum, deferri ad agnatos exclusis filijs & descendentibus Vasalli delinquentis: quam opinionem sequitur Iulius Clarus q.66. & alicubi est vsu receptum.

Clarus. Quando verò feudum amittitur culpa Vasalli in alium transfertur feudum, si paternum sit vel antiquum ad agnatos remotos quarto gradu exclusis filijs, descendentibus & agnatis vsque ad quartum. At si feudum sit nouum, redit ad Dominum.

Si feudum amittatur ob alienationem absque consensu Domini, redit ad Dominum, etiamsi paternum sit, quamuis non sit improbabile deferri ad agnatos exclusis filijs, vt volunt aliqui. Denique si morte Vasalli amittatur absque filijs & agnatis, redit ad Dominum, & vtile dominium cum proprietate consolidatur. Porrò si ob renunciationem, redit ad Dominum, si nouum sit, si paternum, defertur ad agnatos. Ita Iulius Clarus §. *feudum*, q. 34. Azorius *loc. citato c.16. q.1.*

Clarus. Azorius.

10. Feudum non deuoluitur ad fiscum, nisi quando culpa Vasalli in alium à Domino bona eius ipso iure confiscata essent, vt ob crimen hæresis vel læsæ maiestatis, & feudum tale est, vt de eo statuere liberum sit Vasallo absque voluntate Domini & consensu agnatorum, quale est quod datur eo pacto, vt possit transferre ad quos voluerit etiam ad extraneos. Quando autem esset culpa contra Dominum, etiamsi feudum esset liberum redit ad Dominum, non transit ad fiscum. Quod si feudum esset antiquum, de quo Vasallus non potest disponere absque voluntate Domini & consensu agnatorum, vel nouum; de quo etiam non posset disponere absque eadem Domini voluntate, quamuis bene absque consensu agnatorum, tunc ob delictum Vasalli tale feudum non transit fiscum. Ita Syluest. *verb. Feudum q.24. & 25.* Clarus *loco cit. q.84.* Azorius *supra c.16. q.2.* & alij.

Syluest. Clarus. Azorius.

11. Melioramenta, quæ Vasallus fecit in re feudali dum feudum reuertitur ad Dominum, pertinent ad Vasallum, quoties ipsius industria facta sunt, vt si Vasallus ædificium construxit, aut iurisdictionem, vel seruitutem emit. Ratio est, quia non tenetur Vasallus suis sumptibus Dominum locupletem facere. Est tamen liberum Domino soluere Vasallo æstimationem melioramentorum vel permittere vt ædificium tollatur, si absque detrimento rei fieri queat. Aestimatio autem tanti facienda est, quanti valet ædificium, seu res alia, dum redit feudum ad Dominum, non autem ex sumptibus factis in ædificio construendo, seu in re alia emendata. Ita ex *lib.2. feudor. tit.28.* Clarus q.88.

Clarus. 12. Fructus rei feudalis ad Vasallum pertinent. In quibusdam casibus tenetur dare Domino dimidiam partem, si Dominus eat in aliquam expeditionem. Sic Vasalli Imperatoris in Italia & Germania. Cum venditur feudum, aut in censuum datur, Domino debita est quinta pars pretij in Gallia, qui census vtriusque, id est dantis & accipientis voluntate potest redimi. Debent etiam releuia solui in mutatione feudi qualibet, nisi cum à patre ad liberos, aut ab his ad ascendentes in directa linea immediatè transmittitur: vnde si transferatur feudum ad hæredem per lineam transuersam, soluuntur Domino fructus vnius anni vel quinta pars. Annus autem, à quo releuia, annique feudi reditus Patrono, seu Domino debentur, incipit à die, quo Vasallus capite nudo, flexo è poplitibus altero, sine calcaribus, ac ense ei se fidelem fore iureiurando adhibito claté ac disertè pronunciat. De his fusiùs Baldus *lib.2. feudor. tit.55.* Azorius *loc. cit. c.16. q.6.* Stephanus Bauny *de contract. 8. q.6.* & alij penes ipsos.

Baldus. Azorius. Bauny.

Plura hic possent adduci de feudo, sed quia ad forum externum pleraque pertinent, ideò à nobis omittenda, quæ videri possunt apud Iurisperitos, qui ex professo de feudo libros ediderunt. Sequentia tamen addam in gratiam Ecclesiasticorum.

13. Quamuis Episcopi, Abbates & alij Prælati Ecclesiastici potuerint iure antiquo absque solemnitatibus infeudare ea bona suæ Ecclesiæ, quæ in feudum concedi solita erant, si ad eandem Ecclesiam, ob lineam finitam, Canonem non solutum, delictum perpetratum, aut alias quomodolibet liberè reuersa fuissent, vt habetur *in c. vlt. de feudis, & in Extrauag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienand.* Hodie tamen per Constitutionem Vrbani Papę VIII. editam anno Domini 1625. kalend. Nouembris, Pontificatus sui anno 3. quæ incipit *Humanæ salutis auctor.* nequeunt Ecclesiastici Prælati vel superiores, quicumque illi sint, ciuitates, terras, castra, oppida, villas, arces, aut quæuis alia loca, vel bona iurisdictionalia, seu quouis modo habentia iurisdictionem temporalem, seu iurisdictionis partem etiam minimam, ad eorum Ecclesias vel Monasteria, aut loca spectantia, tam quæ ad præsens pleno iure per easdem Ecclesias, Monasteria vel loca possidentur, quam quę ad ea de iure vel de facto reuersa & deuoluta sunt, vel in futurum quomodolibet deuoluentur, concedere in feudum, vel emphyteusim, aut vltra triennium locare; etiamsi ex immemorabili consuetudine, aut etiam priuilegio Apostolico, ob quamcumque causam concesso, & iteratis vicibus approbato, in feudum vel emphyteusim concedi, vel vltra triennium locari, aut finita concessione vel locatione renouari consueuerint; irritas & inanes decernens omnes & singulas concessiones & inuestituras, vel locationes, aut illarum prorogationes & reuocationes, contra dictæ Constitutionis tenorem quocumque modo, & quouis tempore factas, vel in futurum faciendas. Cùm derogatione omnium & singulorum priuilegiorum & indultorum, ad quorumcumque fauorem concessorum, etiamsi necessariò & in indiuiduo exprimenda essent. Vrban. VIII.

Vide hoc tom. verb. Emphyteusi *n.8.*

FIDEIVSSIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit fideiussio & fideiussor, & quotuplex sit fideiussio?*
2 *Quæ conditiones præcipuè requirantur ad fideiussionem? & quando fideiussor possit conueniri ante discussionem principalis?*
3 *Qui possint & qui non possint fideiubere?*
4 *An mulier fideiubere possit pro marito? & an pro alio?*
5 *An in necessitate aut pietate licitum sit mulieri fideiubere, & vti possit beneficio Velleiani?*
6 *An Clerici possint fideiubere in præiudicium Ecclesiæ?*
7 *An religiosus id possit sine consensu prælati?*
8 *An fideiussor possit licitè pecuniam accipere pro fideiussione?*
9 *An debitor teneatur de damno, quod fideiussori accidit ratione debiti soluti?*
10 *Quando creditor possit à fideiussore debitum exigere?*
11 *An quando plures fideiussores pro eodem debito sunt, teneantur singuli in solidum?*
11 *An qui fideiussit pro reo cui periculum capitis vel mutilationis impendebat, reo fugiente, teneatur ad eamdem pœnam?*
13 *An remaneat liber ab obligatione fideiussionis fideiussor, qui se obligauit ad tempus, elapso termino.*

Fideiussio est *alienæ obligationis in se susceptio, qua se quis obligat ad eam implendam, si debitor principalis non soluerit Instit. de fideiuss.* vnde fideiussio, est obligatio quædam accessoria, supponens aliam alterius obligationem principalem; *fideiussor* autem est ille, qui pro alio fidem suam obligat, & fide sua, hoc est, periculo suo iubet, esse, quod alius debet creditori. *Duplex* est fideiussio, *vna* iudicialis, *altera* extraiudicialis seu priuata. *Iudicialis* est, qua quis se adstrinxit in iudicio se sistere reum aut debitorem, quando opus fuerit, vel requisitus fuerit sub pęna pecuniaria. *Extraiudicialis* est, cùm quis fidem suam obligat extra iudicium creditori, quòd ipse soluet, si principalis debitor non soluerit: *iure Ciuili* perficitur fideiussio verbis, quia sine formula stipulationis non parit actionem in foro externo, tamquam pactū nu-

nudum; *iure* autem *Canonico* & in foro conscientiæ, non requiritur formula stipullationis, sed sufficit consensus verbis expressus. Azorius 3.p. *lib.* 11. *cap.* 22. *dub.* 10. Rebellus *lib.* 16. *quæst. vnic. de fideiussione num.* 5. Bonacina *de contr. disp.* 3. *q.* 9. *punct.* 1. Molina *de contr. disp.* 539. Lessius *lib.* 2. *c.* 28. *dub.* 1.

Azorius. Rebell. Bonacin. Molina. Lessius.

2. Ad fideiussionem, *quatuor* præcipuę *conditiones* requiruntur. *Prima*, vt sit contractus accessorius, supponens aliam obligationem principalem præsentem vel futuram; non refert autem quod obligatio principalis orta sit ex contractu, vel ex delicto, vel ex sententia iudicis. *Instit. de fideiussoribus*, §. 1. & 3. *Secunda*, vt non plus obligetur fideiussor, quam principalis, vnde nec alio tempore aut loco obligabit. *Instit. supra* §. 6. Gomesius *tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. & 2. *Secunda*, potest tamen fideiussor arctius obligari, vt cum iuramento, vel cum hypotheca, vel cum instrumento publico, quod Guarantigium vocant, quod habeat paratam executionem, etiamsi principalis debitor ita non sit obligatus. *Tertia*, conditio est, vt inualida sit fideiussio, quando contractus quo debitor principalis se obligauit, est inualidus, secluso dolo & fraude: *l. cum lex, ff. de fideiuss.* Filliucius *tract.* 38. *num.* 154. Bonacina *c. n.* 2. hinc fideiussor tenetur, quoties ex contractu principalis debitoris oritur obligatio naturalis, quamuis non oriatur ciuilis, quia nihil deest tunc quominus lex etiam cogere possit fideiussorem ad soluendum. *Quarta*, vt fideiussor non debeat, nec possit conueniri, regulariter loquendo, antequam solutio petatur, à principali debitore, nam ipse tenetur in defectum principalis, vt patet ex *Authent. Præsente C. de fideiuss.* Lessius *c. n.* 9. Filliuc. *c. n.* 155.

Gomes. Filliuc. Bonacin. Lessius. Filliuc.

Tamen *aduertendum* est, in tribus casibus, fideiussorem communem, posse conueniri ante executionem principalis *primo*, si fideiussor renunciauerit beneficio *Authent. Præsente Secundo*, si constet principalem non esse soluendo, aut procul abesse & non habere bona in eodem territorio, è quibus desumi pretium solutionis queat *Tertio*, si fideiussor conuentus, negauit se fideiussorem, amittit enim per hoc beneficium, vt priùs conueniri debeat principalis. *l. si dubitetur*, §. 1. *ff. de fideiuss.*

3. Omnes illi possunt fideiubere iuxta Reginaldus *l.* 25. *n.* 220. Bonacinas *c. punct.* 2. *n.* 1. Filliucius *c. n.* 156. Lessius *c. dub.* 2. *n.* 11. & 18. qui liberam habent suorum bonorum administrationem, & possunt principaliter obligari, nec repelluntur à iure, vnde necesse est vt habeant propria bona, & ea sufficientia sint ad soluendum debitum, & damna, quæ passus esset creditor culpa principalis debitoris, *hinc* repellendi sunt pauperes à fideiussione; *item* filius familias nisi habeat peculium castrense, vel quasi; *item* minores absque auctoritate curatoris, & pupilli absque tutore, *si tamen* minor vigintiquinque annis pro aliquo fideiubeat, obligatur naturaliter, licet beneficio restitutionis in integrum possit obligationem elidere quia semper præsumitur læsus; *pro parte tamen* incarcerato, si fideiubeat, efficax est obligatio, quia ad id tenetur. *Authent. si captiui, C. de Episcop. & Cler.*

Regin. Bonac. Filliuc. Lessius.

4. *Mulier* regulariter fideiubere non potest pro marito, & si fideiubeat pro illo, est irrita fideiussio *Authent. si qua mulier c. ad* S. C. Velleianum *l. Antiqua*, §. *fin. Cod.* Filliucius *c. n.* 157. pro alio autem fideiubere potest, cum instrumento publico adhibitis tribus testibus cum subscriptione, & tenetur mulier ex hac fideiussione ciuiliter & naturaliter, licet competat ei exceptio S. C. Velleiani per quam potest elidere hanc exceptionem, & hoc intellige, ante executionem sententiæ; *nota* tamen consuetudine iam receptum est esse, vt sufficiat notarium publicum subscribere præsentibus tribus testibus.

Velleian

5. Mulieri licitum est fideiubere, postulante tamen necessitate aut pietate, nec vti potest beneficio Velleiani in certis casibus. *Primò*, si accepto pretio fideiubeat, vel addito iuramento, ad confirmandam fideiussionem tenetur stare promissioni, si conscia erat priuilegij; si verò non erat conscia, negant probabiliter aliqui Doctores illam teneri, sed cõmunis sententia affirmat teneri, ideò enim iurauit, vt sibi omnes vias præcluderet, non implendi promissionem, Lorichius *in thesauro v. fideiuss. n.* 2. Sanch. *de matrim. l.* 4 *disp.* 9 *n.* 14. *Secundo*, si renunciauit beneficio Velleiani, sciens & eius admonita, coram magistratu vel cum iuramento, & non sufficeret implicita renunciatio Reginald. *c.* Lessius *n.* 16. *Tertiò*, si fideiubeat pro dote alterius. *Quartò*, si pignus vel fideiussorem pro alio dedit, & post biennium à dicta cautione numerandum, iterum se ad idem obligauit, vel pignus & fideiussorem dedit: si autem ea obligatio fiat ante biennium completum, non valet, Syluest. *v. fideiuss. q.* 2. Molin. *c. disp.* 540. *Quintò*, si se obliget ad aliquid soluendum pro libertate alicuius serui, Bonac *c. p.* 2. *n.* 2. *Sextò*, quando in fraudem fideiussit, vt deciperet, Lessius *c. dub.* 2. *n.* 12. & 15. Gomezius *c. n.* 16. Qui extra hos casus aliquid à muliere fideiubente accepit, non potest acceptum sibi retinere, quia ex fideiussione inualida, non est translatum dominium in accipientem, & ideò tenetur ad restitutionem, etiam quando fideiussio fuit valida, mulier tamen vtitur beneficio Velleiani.

Lorich. Sanchez. Regin. Lessius. Syluest. Molina. Bonac. Lessius. Gomez.

6. *Clerici* non possunt fideiubere in præiudicium Ecclesiæ, *c. te quidem*, 11. *q.* 1. Filliuc. *c. n.* 158. ex consuetudine autem pro Clericis & suis Ecclesijs possunt, ex bonis patrimonialibus & fructibus beneficiorum, quos faciunt suos, sic tamen vt non remaneant in egestate, vt habet *c. Odoard. de solut.*

Filliuc.

7. *Religiosus* non potest fideiubere, sine consensu Prælati & maioris partis Capituli; si aliter factum sit, *conuentus* non tenetur, nisi quatenus versum est in eius vtilitatem; imò in re magni momenti repellitur ipse superior à fideiussione, nisi adsit consensus maioris partis Capituli, *c. quod quibusdam, de fideiuss.* Bonac. *c. n.* 2 Lorich. *c. n.* 2.

Bonac. Lorich.

8. *Fideiussor* potest licitè pecuniam accipere Pro fideiussione; quia eiusmodi onus & obligatio quam in se suscipit fideiussor; est pretio æstimabilis, nec fideiussor tenetur eam gratis suscipere; & hoc verum, etiamsi fideiussor nullum patiatur periculum, molestias, vel laborem fideiubendo; quia pecunia aut pretium recipitur ob obligationem soluendi pro debitore, quæ obligatio cùm ciuilis sit & subiecta foro externo, pretio æstimabilis est Nauar. *c.* 17. *n.* 185. Azor. 3. *p. l.* 21. *c.* 22. *d.* 5. Sà *v. fideiussio n.* 1. Reginald. *c. n.* 218. & alij. *Hinc* creditor potest aliquid accipere à fideiussore volente se eximere ab obligatione fideiussionis; fideiussio enim est pretio æstimabilis, non solùm ratione obligationis, verùm etiam ratione periculi, cui se exponit creditor amittendi creditum, Couaruuias 3. *var. c.* 2. *n.* 6. Azorius *c. dub.* 6.

Nauarr. Azor. Sà. Couarr. Azor.

9. *Debitor* non solùm tenetur restituere debitum quod fideiussor pro ipso soluit, sed etiam expensas, & damna quæ passus est, modò culpa debitoris intercesserit: *si verò* nulla debitoris culpa intercessit, sed non soluit ob impotentiam, videtur solùm obligandus ad restitutionem debiti principalis, non verò ad expensas & damna fideiussoris, quia non adest radix restitutionis, ob quam videatur obligandus ad restitutionem, *Eman. Sà v. fideiuss. n.* 3. Azorius *c. dub.* 10. Syluester *c. n.* 10. Bonacina *c. p.* 1. *num.* 13. & alij.

Eman. Sà. Syluest. Bonac.

10. Creditor potest à fideiussore exigere debitum, & tenetur ille soluere. *Primò*, quando debitor non est soluendo. *Secundo*, quando debitor esset absens & non posset commodè conueniri. *Tertio*, quando renunciasset suo iuri & constituisset se tanquam principalem debitorem: *vnde* non potest fideiussor ante tempus solutionis debiti agere contra debitorem vt liberet eum ab obligatione, nisi in quatuor casibus. *Primò*, si fideiussor diu stetit in obligatione. *Secundò*, si post fideiussionem debitor dissipet bona sua vel ad inopiam vergat. *Tertiò*, si fideiussor fuerit condemnatus super fideiussione. *Quartò*, si ab initio ita sit conuentum inter eos Syluester *c. quæst.* 10. Azorius *c. dub.* 8. 9. & 13. Reginaldus *c. n.* 221. Molina *c. disp.* 545. & alij.

Syluest. Azorius. Regin. Molina.

11. *Quando* plures fideiussores pro eodem debito sunt, singuli tenentur in solidum, qui tamen in solidum conuenitur, excipere potest, vt quilibet conueniatur pro sua parte, hæc autem exceptio debet opponi ante sententiam definitiuam, qua iubeantur soluere: item non competit ei, qui vel sponte vel compulsus per sententiam definitiuam soluit, vel renunciauit tali priuilegio fideiubendo Porro si vnus fideiussor totum soluerit, potest compellere creditorem, vt sibi cedat actionem, quam habebat in reliquos fideiussores, exigendo ab illis partes,

Lessius. Filliuc. Regin. Bonacin. Molina. quas à singulis creditor petere poterat, Lessius *l. 2. c. 28. dub.* 3. Filliucius *c. n.* 163. Reginaldus *c. n.* 231. Bonacina *c. p. n.* 6. Molina *t. d.* 644. & alij.

12. *Communis* sententia est, illum, qui fideiussit pro reo, cui periculum capitis vel mutilationis imminebat, reo fugiente absque culpa illius, non esse capite plectendum, nec pœna mutilationis vel flagellorum, *quia* hæc sunt supplicia criminum, non solutionis debitorum; & fideiussor non potuit se ad hanc pœnam obligare, cùm non sit dominus suæ vitæ & membrorum; vnde ex hac fideiussione obligatur tantùm ad pœnam pecuniariam, post iudicis sententiam soluendam, Sylvester *q. 6. num. 6.* Lessius *c. dub. 7. n. 41.* Claus *l. 5. sententiar. §. fin. q. 36. num. 18.* & alij. Sylvest. Lessius. Claus.

13. *Fideiussor* qui se tantùm obligauit ad aliquod tempus, verbi gratia, ad annum, remanet liber ab obligatione fideiussionis, postquam creditor prorogauit terminum debitori pro quo fideiussit, *l. Celsus. ff. de arbit. quia* obligatio non se extendit vltra consentionem partium; *si tamen* fideiussor obligauerit se simpliciter, non remanet liber ab obligatione fideiussionis, quia obligatio inde finita non tollitur lapsu temporis, Azorius 3. *p. l. 11. c. 22. dub.* 12. Sà *c. num.* 5. P. Nauarra *lib. 3. c. 4. n. 160.* Azorius. Sà. Nauarr.

Vide *Cambium* n. 19. *Ex hærede* 10 n. 1. 10. 2. verb. *Vsura* num. 10.

te patris, tutoris, vel curatoris, & pro eo fideiusit Caius, an teneatur Caius soluere.

Aduertunt tamen prædicti Auctores, quod si ex contractu vel facto aliquo debitoris principalis nascebatur saltem obligatio naturalis, & accesserit fideiussor, tenebitur hic non solùm naturaliter, sicut principalis debitor, sed etiam ciuiliter: poteritque conueniri hoc ipso, quo principalis non potest, vel non vult soluere. Ita etiam Filliucius *tract. 38. n. 154.* Filliuc.

Secus si minor vendat rem immobilem vel mobilem pretiosam absque decreto iudicis & adhibeat fideiussorem; tunc fideiussor non tenetur: quia ex hoc contractu nulla obligatio oritur nec ciuilis, nec naturalis, *l. 2. Cod. de fideiussor. minor.*

2. Iuxta communem Doctorum sententiam Clericus fideiubere non potest pro laico, est enim ei prohibitum *in cap. te quidem, 11. quæst. 1.* & *in cap. 1. de fideiussor.* Intellige nisi pietas, aut necessitas secus exigant. Ratio est, quia non expedit eum, qui abiudicatis mundi curis Deo se totum tradidit, ad eas relabi, quod his implicatus animus, habenis se in Dei amorem, cultumque liberis, effundere nequeat. Fideiussio tamen tenet vt habetur *in cap. peruenit, de fideiussor.* ex eaque conueniri poterit, vt colligunt ferè omnes Canonistæ in dictum *cap.* Ex ea tamen fideiussionis non teneretur, nisi quatenus commodè soluere potest, ne egeat vt docent Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 29. n. numero septimo*, Petrus Nauarra *lib. 4. cap. 3. numer. 175.* Vtrum tamen in ciuili foro id seruari solent ac debeat, dubitant aliqui, licet probabile sit, Clericum de patrimonij aut beneficij sui fructibus iudicis auctoritate coactum iri tantum, præcipuum debitore non soluente, creditori soluere, quantum isti ab illo erat debitum. Layman. P. Nauar.

An autem beneficium *cap. Odoardus, de solut.* proficiat laico fideiussori pro Clerico? Dicendum est quod non, quia priuilegium tale est personale, & propterea personam Clerici non excedit, vt notant Doctores. Quod si Clericus esset fideiussor laici, gauderet tali beneficio ex generali *dicto cap. Odoardus*, vnde si tals Clericus in totum vel pro parte non possit soluere, sufficit ab eo recipere idoneam cautionem vt si ad pinguiorem fortunam deuenerit, debita persoluat, vt habetur *in dict. cap. Odoardus*, vt docet Di[ana] *p. 7. tract. 8. resol.* 18. cum alijs. Diana.

3. Fideiussor potest propria sponte satisfacere creditore etiamsi à creditore extra iudicium interpelletur, modo id non faciat in fraudem debitoris principalis. Ratio est quia vtiliter gerit negotium debitoris principalis, illum releuando ab obligatione, qua erga creditorem tenebatur. Sic colligitur ex *l. idemque. §. fideiussores. ff. mandati*, & *instit. de fideiussor. §. si quis autem.*

4. Pro qualibet re quæ obligationem annexam habet, dari, aut peti potest fideiussor, quare cùm hæc mutuo, emptione, locato, conducto nasci soleat, his & similibus alijs contractibus adhiberi potest fideiussio, siue hi re siue verbis, siue consensu sint perfecti Claré habetur in Institut. lib. 3. tit. 15. de fideiussor. *In omnibus obligationibus fideiussores assumi possunt, id est, siue re, siue verbis, siue literis, siue consensu contracta fuerint* Potest & quilibet eius actionis quam est habiturus, capere fideiussorem, modò hæc non sit mala, quia rei malæ nulla est fideiussio, vt enim eam facere peccatum est, ita & probare, ita & illam operam suam spondere, *l. potest accipi. ff. de fideiussor.* Pro pœna item delicti pecuniaria, fideiuberi potest cùm id permittatur singulis *in l. Grace. §. sed si ex delicto.* Pro pœna autem corporali reo debita dari non potest fideiussor; quia plecti debent nocentes, non alij, vt diximus *tom. 1. verb. Fideiussio num.* 12. cum Doctoribus ibi citatis.

5. Creditor non potest sine labe vsuræ cum debitore conuenire ea lege, vt pretium, quod ipse debitor fuisset alioqui soluturus, v. g. Titio fideiussori, sibi reddat ex eo quod liberet cum ab onere constituendi fideiussorem Titium. Ratio est, quia lucrum ex mutuo reportaret; nam creditor non potest esse fideiussor vel assecurator pro debito suo, nisi vsuram committat. Ita ex *cap. Nauiganti, de vsuris*, docet Azorius *part. 3. lib. 5. c. 22. dub. 7.* Azorius.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An obligatio fideiussoris sit inualida, quando obligatio principalis debitoris est nulla.*
2 *An Clericus possit fideiubere pro laico, & gaudeat priuilegio, c. Odoardus, de solut.*
3 *An fideiussor possit propria sponte satisfacere creditori, etiamsi à creditore extra iudicium interpelletur.*
4 *An pro qualibet re, quæ obligationem annexam habet, dari, aut peti possit fideiussor.*
5 *An creditor possit sine labe vsuræ cum debitore conuenire, vt pretium, quod fuisset alioqui soluturus fideiussori, sibi reddat.*
6 *An obligatio fideiussoris transeat ad hæredes.*
7 *An fideiussoria obligatio expiret, si inter debitorem & creditorem nouatio fiat principalis obligationis.*
8 *An successione fideiussoris debitori principali, aut è contra, expiret fideiussoria obligatio.*
9 *An fideiussor remaneat liber ab obligatione fideiussoria, si creditor terminum solutioni præfixum prorogét.*

1 QVandocumque obligatio principalis debitoris est nulla, etiam fideiussoris obligatio ipso iure est inualida, quando fideiussor rogatus fidem suam obstrinxit: nam si creditorem ipse deceperit, afferendo debitorem posse cum eo contrahere facere & esse soluendo, tunc obligatur fideiussor ad resarciendum damnum quod passus est creditor. Secus si creditor nouerit debitorem esse sub alterius potestate constitutum, & nihilominus suas ei pecunias crediderit, aut maturauerit, tunc fideiussor non manet obligatus: nam sibi imputare debet creditor, si tunc damni aliquid patiatur. Tamen si res credita, vel mutata debitori sub alterius potestate constituto, qualis est filiusfamilias, seruus, vxor, religiosus, pupillus, minor, conuersa fuerit in bonum eius sub quo est, tunc indemnis debet seruari creditor, vt colligitur ex *cap. Quod quibusdam de fideiussoribus*, & creditor, licet non possit in iudicio agere actione ex contractu fideiussionis, aget tamen actione de in rem verso, *l. si pro parte. ff. de in rem verso*. Ita sentiunt Molina *de contract. disp.* 541. Rebellus *de oblig. iustit. lib. 16. qu. vnic. de fideiussione, n.* 15. Lessius *lib. 2. c. 28. dub. 1. n.* 5. Casus principalis huius resurrectionis est. Emit à Titio mercatore credita pecunia merces filiusfamilias, vel pupillus, vel minor sine faculta- Molina. Rebell. Lessius.

6. Obligatio fideiussoris transit ad hæredes, *l. potest accipi, ff. de fideiussor.* Ratio est, quia obligatio ex contractu transmittitur ad hæredes. Hinc si contingat fideiussorem è vita discedere, non finitur fideiussoria obligatio, sed transit ad ipsius hæredes, cum omnibus iuribus & defensionibus, quæ fideiussori competebant. Soluto verè debito, siue à debitore principali, aut hæredibus illius, siue à fideiussoribus, siue à quocumque alio, aut remisso debito per creditorem, expirat omninò fideiussoria obligatio: quoniam eo ipso omninò expirat debitum comparatione creditoris, cui debito fideiussoria obligatio nititur, *Institut. quibus modis tollat. obligat.* §. 1.

7. Fideiussoria obligatio item expirat, si inter debitorem principalem & creditorem nouatio fiat principalis obligationis, nec fideiussor in illam consentiat, aut de nouo pro illa fideiussor existat. Ita habetur *l. nouatione, Cod. de fideiuss.* Nouatio autem a verbo *Noue* est dicta à noua obligatione, quæ loco prioris succedit. Et ab Vlpia-
Vlpian. no *l. 1. ff. de nouationibus*, sic definitur: *Est prioris debiti, seu obligationis in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem, transfusio, atque translatio, ita ut prior perimatur.* Neque interest, qualis obligatio præcesserit, num naturalis tantùm, an ciuilis, & num verbis, re aut consensu contracta; quia quæcumque nouari potest verbis, nempe stipulatione, modò sequens obligatio, in quam transfertur ac commutatur, valida sit saltem naturaliter. Quod si sequens obligatio ciuiliter, atque adeò omninò esset inualida, tunc non fieret nouatio, sed obligatio prior integra ac illæsa remaneret, *Instit. §. præterea, quibus mod. tollitur oblig. iunct. glossa ibi*

8. Item expirat fideiussoria obligatio, successione fideiussoris debitori principali, aut è côtra, debitoris principalis fideiussori: quia tunc coniunctione in eadem persona vtriusque obligationis, præualet principalis, nempe debitoris, expirat minus principalis, & accessoria fideiussoris. Ita habetur *in l. generaliter, & l. cum reus, ff. de fideiuss.* Quia semper est habenda ratio principalis, ac validioris obligationis, quando alia nihil virium addit, neque vllam extensionem ad aliquid aliud.

Quando autem quis fideiussor extitisset alteri, qui solùm obligatione naturali, & non ciuili tenebatur, tunc, quia fideiussor tenetur ciuiliter, vtique talis successor tenetur vtraque obligatione, siue fideiussor, succedat debitori principali, siue debitor principalis fideiussori: quia vtraque creditori inseruit, & habet vires particulares, & effectum aliquem, vltra aliam, vt habetur expressè *in l. hæres a debitore, §. quod si hoc, ff. de fideiuss.* vide Anton.
Gomez. Gomez *tom. 2. variar. cap. 13.*

9. Si creditor terminum solutioni præfixum proroget in fauorem debitoris, fideiussor iuxta Molinam *de contract. disp. 546.* non remanet liber ab obligatione fideiussoria: quia prorogato termino solutioni præfixo, non censetur facta nouatio obligationis, nisi contrahentes exprimant se recedere a priori obligatione, & secundam loco illius subrogare ac amplecti. Sed mihi dicendum videtur quod, quando fideiussor fidem suam deuinxit vsque ad certum tempus solutionis, eoque adueniente creditor negligens fuit in petendo suum debitum, sed longiorem terminum debitori prorogauit sine consensu, nouaque obligatione fideiussoris, & eo tempore debitor efficitur impotens ad soluendum, tunc fideiussor liber manet à debito soluendo, quia culpa creditoris, debitor effectus est non soluendo. Quando autem obligatio fuit pura & absoluta, licet solutio sit prorogata, non tamen liberatur fideiussor: quia nulla facta prorogatione termini, tenetur fideiussor etiam post terminum, sicut & debitor principalis, argum. *cap. cum dilectis, de dolo,* & Cœlsus *ff. de arbit.* & do-
Celsus. cent Syluester *verb. Fideiussor, quæst.*
Syluest. 14 Armilla *ibidem*
Armilla. *num.* 14.

Vide sup. verb. Cessio bonorum *num.* 5. & 11. Cæcus *num.* 5. & tom. 2. verb. Regulares *num.* 23. Restitutio in integrum *num.* 10.

FIDEICOMMISSVM.

SVMMARIVM.

1 Fideicommissum *est illud legatum vel relictum, quod fidei hæredis commissum est, alicui ab eo dandum,* cum testator dicit: Hæres, fidei tuæ committo, vt des legata & commissa, *l. 3 ff. de leg.* Syluester *verb. Fideicommiss.* Syluest. Filliucius *tract. 34. cap. 7. n. 45.* Bonacina *de contract.* Filliuc. *disp. 3. q. vlt. punct. 4. n. 6. & seq.* & sumitur fideicommissum, Bonac. *tum* pro vniuersali, quando tota hæreditas relinquitur vni, vt det illam alteri; *tum* pro particulari, quando res particularis vni relinquitur vt illam det alteri; *hinc* fideicommissum dicitur legatum, vel hæreditas ita alicui commissa, vt alienari non possit, aut relinqui aliter quàm testator ordinauerit, & aliter vocatur substitutio fideicommissaria, de qua plura apud Bonacinam & alios.

Vide tom. 2. verb. Substitutio *num* 5.

FIDES I.

De eius necessitate & præcepto.

SVMMARIVM.

1 Fides est *virtus Theologica à Deo infusa per quã firmiter assentimur ob Dei auctoritatem ijs, quæ a Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita vt a nobis credantur.* Dicitur *virtus*, quia est habitus infallibiliter inclinans intellectum in verum, cùm impossibile sit fidei subesse falsum,

ſum, verum autem, eſt bonum intellectus. Dicitur *Theologica*, quia immediatè attingit Deum, tanquam materiã principalem, ſub ratione diuina & increata: nam aſſentitur rebus reuelatis, propter veracitatem diuinam, ſeu quia aſſertor eſt prima veritas per eſſentiam. Dicitur *infuſa*, quia non acquiritur humanis operibus, & vt diſtinguatur à fide hæreticorum, dæmonum; damnatorum, quam retinent circa aliquas veritates fidei. Dicitur, *per quam firmiter aſſentimur* quia fides non eſt notitia, ſed aſſenſus, qui immediatè oritur, ex iudicio de rei veritate. Dicitur *Firmiter*, nempe ſupra omne credibile, ne videlicet Deo faciamus iniuriam, dubitando de eo quod ipſe credibiliter affirmat. Dicitur *ijs quæ à Deo reuelata ſunt*, hìc oſtenditur, fidem eſſe earum veritatum, quæ Dei reuelatione manifeſtatæ ſunt non earum, quæ ex humana diſciplina, aut propria experientia habentur. Dicitur *& ab Eccleſia propoſita*, &c. hic indicatur Eccleſiam ſolam habere rationem rerum fidei, quæ Deus toti Eccleſiæ manifeſtat, quales ſunt, quæ per ſacras ſcripturas habentur & per Apoſtolicas traditiones, ac per generalium Conciliorum, Summorumque Pontificum determinationes, *vnde* ſi quid alicui Deus reuelaret id non haberet rationem rei de fide, niſi approbaretur, & pro tali admitteretur ab Eccleſia, cuius eſt de huiuſmodi rebus ſtatuere. D.Th. 2.2.*quæſt*.4. *art*.1. Syluius 2.2. *quæſt*.1. Azorius *tom*.1. *lib*. 8. *cap*. 1. q. 3. Reginaldus *lib*. 17. *cap*. 1. *num*. 10. *& ſeq*. Toletus *lib*. 4. *cap*. 1. Filliucius *tract*. 22. *cap*. 1. q. 1. Layman *lib*. 2. *tract*. 1. *cap*. 1. Bonacina *tom*. 2. *diſp*. 3. *quæſt*. 2. *punct*. 1. Valentia *tom*. 3. *diſp*. 1. *quæſt*. 5. *punct*. 1. Becanus *de fide cap*. 8. *quæſt*. 8. *num*. 4. *concl*. 2. Malderus 2.2. *quæſt*. 1. *ſect*. 3. & alii.

D. Tho. Syluius. Azor. Reginal. Toletus. Filliuc. Laym. Bonac. Valentia Becan. Malder.

2. Fidei obiectum duplex eſt iuxta D. Thom. *cit. quæſt*. 2. *art*. 1. formale & materiale; formale eſt Deus, non præciſè qua Deus, ſed qua verax eſt; ſicut enim ſolemus credere homini narranti, nõ ideò præciſè, quia homo, aut diues, aut nobilis, aut doctus, ſed quia verax eſt; ſic etiã credimus Deo dicenti, ſeu reuelanti, non ideò præciſè, quia Deus, aut æternus, aut omnipotens, ſed quia verax eſt. Materia, ſeu obiectum circa quod fides verſatur, ſunt omnia, quæ proponuntur credenda ab Eccleſia, tamquã à Deo reuelata; & conſtituuntur ſeptem gradus huiuſmodi propoſitionum, quæ pertinent ad Catholicam veritatem. *Primus*, eſt earum, quæ apertè & in propriis terminis habentur in ſcripturis canonicis. *Secundus*, quæ apertè deducuntur ex ſcripturis canonicis. *Tertius*, earum, quæ habentur apoſtolica traditione. *Quartus*, earum, quæ à Conciliis legitimè congregatis, à Summo Pontifice confirmatis, definitæ ſunt. *Quintus*, earum, quæ tãquam de fide proponuntur à Sede Apoſtolica. *Sextus*, earum, quæ vnanimi conſenſu Patrum tamquam de fide proponuntur, & contra hæreticos aſſeruntur. *Septimus*, earum, quæ euidenter deducuntur ex tribus poſtremis gradibus. Ita Valentia *tom*. 3. *diſp*. 1. *q*. 1. Syluius 2.2. *q*. 1. *art*. 1. *concl*. 3. Toletus *cit. num*. 7. Reginaldus *cit. n*. 22. Caſtro *lib*. 1. *de iuſt. hæret. puni. art*. 3. Becanus *cit. de fide cap*. 2. Cano *lib*. 12. *de loc. Theol. à cap*. 7. *ad* 12. & alii.

Valentia Syluius. Toletus. Regin. Becan.

Sed petes *Primò*, quæ ſit differentia, inter credere Deũ, credere Deo, & credere in Deum? Reſp. non eſſe tres actus, ſed vnum in diuerſa tendentem: nam primus tendit in obiectum formale. Secundus, in obiectum materiale, ſi ſine voluntate fertur in Deum. Tertius in vltimũ finem. Quamquam ſecundùm phraſim Scripturæ, hæc tria non diſtinguãtur, vt patet ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo*, & ſtatim *Credenti autem in eum, qui iuſtificat impium*. Hæc tamen diſtinctio accepta eſt ex D. Auguſt. *tract*. 29. *in Io*. & aliis locis, ac recepta communiter à Doctoribus. Sed debet ſanè intelligi, cùm peccatores fideles dicunt Credo in Deum, nempe Spe, vel remotè: alioquin ſymbolum illud non eſſet fidei, ſed charitatis, & peccator Catholicus mentiretur illud pronunciando, cum tamen Io. cap. 12. n. 42. dixerit, *ex Principibus multi crediderunt in illum, ſed propter Phariſæos, non confitebantur*. Vide D. Thomam 2.2. *q*. 2. *art*. 2.

Petes *Secundo*, an fides quamuis obſcura, ſit tamen certior quauis ſcientia naturali? Reſp. affirmatiuè, quia certitudo ſcientiarum eſt abſolutè fallibilis, certitudo fidei abſolutè infallibilis; veracitas enim diuina, omnibus à ſe reuelatis, tribuit immobilitatem & firmitatem ſimpliciter infinitam, adeout per nullam potentiam poſſint eſſe falſa, quæ fide Catholica credimus: naturales rerum proprietates, ſimiliter & effectus cauſarum, impediri à Deo poſſunt, vt Ioſue 10. n. 13. Iſaiæ 38. n. 8. Hinc Dominus Matth. 24. n. 35. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Ex quibus locis apparet, quanta Dei gratia opus ſit, vt benè credamus, & tam firmiter, quàm dignitas diuinæ maieſtatis requirit: debemus enim parati eſſe negare potius omnem euidentiã naturalem, omnem experientiam ſenſuum, omnem ratiocinationem, quàm vllo modo dubitare de illis, quæ Deus affirmauit, & per Eccleſiam ſuam nobis credenda propoſuit, vt patet in potiſſimis myſteriis fidei, Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, Reſurrectionis, &c. Ita D. Thomas 2.2. *q*. 4. *art*. 8.

Petes *Tertio*, an actus fidei & ſcientiæ ſimul conſiſtere poſſint? Reſp. negatiuè, quia actus hi habent conditiones repugnantes: nam vnus eſt euidens, alter obſcurus, vnus neceſſarius, alter liber, vnus naturalis, alter ſupernaturalis; vnus aſſentitur ob rationem intrinſecam, alter ob extrinſecam, ergo non poſſunt ſimul elici ab intellectu, quia hoc ſuperat naturæ vires: per abſolutam tamen Dei potentiam poſſet hoc fieri, ſi ſupernaturaliter intellectus noſter à Deo corroboraretur; quia non implicat contradictionem. Porrò actus ſcientiæ poteſt conſiſtere cum habitu fidei, & actus fidei cum habitu ſcientiæ, ac proinde poteſt aliquis ſucceſſiuè, modò ſcire, modò credere eſſe Deum; modò ſcire, per euidentem demonſtrationem: ſed actus fidei longè præſtantior eſt, & certior actu ſcientiæ.

Petes *Quartò*, quinam habeant hanc fidem? Reſp. ſolos viatores, qui captiuant intellectum ſuum in obſequiũ Chriſti, credentes firmiſſimè ea omnia, quæ Deus reuelauit & per Eccleſiam credenda propoſuit, qui dicuntur Catholici. Vnde Angeli initio creationis & Adamus in paradiſo habuerunt fidem, quia erant viatores nondum admiſſi in patriam: Item illi qui ſunt in purgatorio retinent fidem, quia partim ſunt in via, partim in termino: ex via habent fidem, quia nondum admiſſi ſunt ad ſpeciem; ex termino habent certam ſpem ſalutis, quia ſententia iam lata eſt. Peccatores etiam grauiſſimi retinent fidem diuinitus infuſam, quamdiu peccatum infidelitatis non commiſerint, vt definit Conc. Trid. *ſeſſ*. 6. *can*. 28. Hæretici non habent fidem, quia ſicut cõmiſſione vnius peccati mortalis, tota charitas amittitur, ita etiam vnica infidelitate, tota fides aboletur. Beati autem non habent fidem, quia lumen gloriæ non poteſt conſiſtere cum fide. Item nec damnati habent fidem, quia ſunt in termino & nihil poſſunt ſperare. Nec refert illud Iacob. 2. quod Dæmones credunt, nam hoc intelligendum eſt de aſſenſu naturali, non de fide diuinitus infuſa. Vide D. Thomam 2.2. *q*. 5. *art*. 1. *&* 2.

3. *Fides* alia eſt *explicita*, alia *implicita*; *fidei explicita* contingit, quando aliquid creditur in particulari & in ſeipſo, vnde qui credit Chriſtum reſurrexiſſe, dicitur habere fidem explicitam myſterii Reſurrectionis Chriſti: *implicita* verò eſt, quando aliquid creditur, non in particulari, & in ſeipſo, ſed in aliquo alio, ideo qui credit quidquid credit Sancta Mater Eccleſia, dicitur habere fidem implicitam myſterii Trinitatis, Incarnationis, &c. quia inter ea, quæ credit Sancta Mater Eccleſia, ſunt myſterium Trinitatis, Incarnationis, &c. *Præterea* fides aliquando accipitur pro ipſa virtute, ſeu habitu fidei, aliquando pro ipſo actu credendi. Azorius *tom*. 1. *lib*. 8. *cap*. 6. Valentia 2.2. *diſp*. 1. *q*. 2. *punct*. 3. Toletus *cit. cap*. 2. *num*. 9. Layman *lib*. 2. *tract*. 1. *cap*. 8. *num*. 1. Sanchez *lib*. 2. *mor. cap*. 2. *num*. 2. & alii.

Azor. Valentia Toletus. Laym. Sanchez.

4. Fides accepta pro ipſo actu credendi explicitè aliquod ſupernaturale obiectum, omnibus rationis vſum habentibus, quocumque tempore, ad gratiam & gloriã conſequendam fuit neceſſaria neceſſitate medij, ſeu finis, ideſt, qua prætermiſſa ſalus obtineri non potuit, in nullo euentu, etiamſi inculpabiliter prætermittatur: quia ad Hebræos 11. dicitur, *Accedentem ad Deum oportet credere*, & in Concilio Trid. dicitur: Sine fide nulli vmquam contigiſſe iuſtificationem. Bannez 2. 2. q. 2. *art*. 8. *dub*.

Bannez.

Valentia Laym. Becan. Cõc Tr.

dub. 1. concl. 1. Valentia *cit. punct.* 2. Layman *cit. num.* 9. Becanus *cap.* 12. *q.* 1. *num.* 5. Concil. Trident. *sess.* 6. *c.* 8. & alij.

5. Cùm principium omnis meriti sit actus fidei supernaturalis, hinc baptizati in infantia, nequeunt adulti facti absque supernaturalis fidei actu gloriam adipisci, quia adulti nequeunt ob sola Christi merita gloriam consequi, sed proprijs quoque meritis indigent; vnde si puer statim ac ad annos discretionis peruenerit moriatur, ad diuinam prouidentiam pertinet, vel vt interiùs illustretur, vel ab aliquo ita illi mysteria fidei proponantur, vt credere possit, D. Thomas 3. *dist.* 25. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. Valentia *cit. q.* 2. *punct.* 3. *concl.* 1. & alij.

D. Tho. Valentia

6. Post Adami lapsum, semper fuit necessaria necessitate medij ad gratiam & gloriam consequendam, fides saltem implicita Christi tamquam mediatoris & redemptoris, cuius meritis hæc assequenda erant: *ad Roma.* 7. 3. 4. & 5 *ad Cor.* 10. Syluius *cit. q.* 3. *art.* 10. *cap.* 3. quia in multis scripturæ locis, fides in Christum omnibus tamquam ad salutem necessaria commendatur. Vide etiam Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 1.

Syluius.

7. Post Christi aduentum, & post sufficientem Euangelij promulgationem, ad primam & vltimam salutem, ad gratiam, scilicet, & gloriam, necessitate medij necesse est explicitè credere. *Primò* Deum esse, & remuneratorem esse. Ratio est, quia qui tendit in finem, debet illum præcognoscere, sed finis est visio Dei remuneratoria, ergo debemus credere Deum esse, & remuneratorē esse. *Secundò*, mysterium Trinitatis. Ratio est, quia mysterium Trinitatis, est fundamentum nostræ salutis, & sine cognitione huius mysterij, nequit Christus satis cognosci, vtpote, qui est Filius Patris, & conceptus virtute Spiritus Sancti. *Tertiò*, mysterium Christi, nempe, Christum esse verum Deum, & verum hominem, mortuū esse, ac resurrexisse, pro totius humani generis salute. Ratio est, voluntas & dispositio Dei, qui posuit Christum tanquam fundamentum nostræ salutis, cùm per ipsum saluati & liberati sumus: Si enim explicita fides horum mysteriorum, non esset adultis necessarium medium ad salutem, sequeretur posse tunc temporis aliquem saluari in lege Mosaica, vt si Iudæus inuincibiliter ignoret fidem Euangelicam, seruet legem Mosaicam, quæ implicitè continet fidem Christi. Hæc est sententia D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 5. 7. & 8. D. Bonauenturæ 3. *dist.* 25. *art.* 1. *q.* 2. Syluij 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 7. *conclus.* 6 Malderi 2. 2 *quæst.* 2. *art.* 5. 7. & 8. Lorcæ 2. 2 *quæst.* 2. *art.* 8. *d.* 2. *membr.* 2. *num.* 4 Becani 2. 2. *cap.* 12. *quæst.* 3. *num.* 2. Filliucij *tract.* 22. *num.* 23. & *seq.* Reginaldi *lib.* 17. *num* 18. & communis. An autem rudes ab hac explicita fide excusentur, dicetur infra num. 11.

D. Th. D. Bona. Syluius. Mald. Lorca. Becan. Filliuc. Regin.

8 *Fides actualis* non solùm necessaria est necessitate medij, verum etiam necessitate præcepti, quilibet enim tenetur assumere medium necessarium sibi ad salutem, vnde Marci vltimo, dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui non crediderit, condemnabitur:* *Præcepta* autem fidei in vniuersum sunt quinque. *Primum*, est affirmatiuum, sciendi res fidei. *Secundum*, credendi certos quosdam articulos fidei. *Tertium*, est negatiuum, quo præcipitur vt non dissentiamus à rebus fidei. *Quartum*, pertinens ad actum externum est affirmatiuū, quo iubemur in aliquo casu confiteri res fidei. *Quintum*, negatiuum, quo prohibemur nunquam eam denegare. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 7. Filliucius *cit. cap.* 2. *num.* 31.

Bonac. Filliuc.

9. Secundùm communem Doctorum sententiam, ex præcepto Ecclesiastico omnes fideles tenentur scire & credere mysteria cōtenta in symbolo Apostolorum; quia omnes eiusmodi articuli dicuntur prima rudimēta fidei, quæ publicè circumferuntur in Ecclesia & credenda omnibus proponuntur, quasi explicitè scienda & credenda. *Nota* tamen articulos fidei posse sciri tripliciter. *Primo*, secundùm substantiam, id est secundùm significationem generalem, & simplicem vocum, quæ continentur in eo articulo, vt substantia articuli Trinitatis est, Deum esse, patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, & hos non esse tres Deos, sed vnum. *Secundo*, possunt sciri secundùm modum, id est, secundùm eam declarationem, quæ communiter habetur in Catechismis, præsertim Romano. *Tertiò*, possunt sciri secundùm difficultates, quæ communiter ferri solent circa illos, vt possit sufficiens ratio reddi eorum quæ creduntur, præsertim contra hæreticos.

Omnes *fideles* tenentur ad scienda contenta in symbolo secundùm substantiam. *Pastores* autem, confessarij & concionatores tenentur scire etiam secundo modo. *Denique* Episcopi & Prælati tenentur etiam scire tertio modo, quia debent esse parati ad reddendam rationem eius fidei, quæ est in suis omnibus. Vide D. Thomam 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. Layman *cit. num.* 2. *cap.* 9. Azorium *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 2. Sanchez *cit. cap.* 3. *num.* 4. 5. & 6. Syluium *cit. quæst.* 2. *art.* 8 *cap.* 8. Nauarrum *cap.* 11. *num.* 12. Bonacinam *cit. num.* 13. Clauem regiam *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 15. Reginaldum *lib.* 17. *num.* 18. & 19. Filliucium *cit. n.* 34. & *seq.* & alios. Quæ autem sit substantia rerum credendarum, vide Sanchez *cit. cap.* 3. *num.* 17.

D. Th. Layman Azor. Sanchez. Syluius. Nauarr. Bonac. Cla. reg. Reginal. Filliuc.

10. *Necessitate* etiam *præcepti* tenentur fideles postquam ad rationis vsum peruenerunt, scire substantiam aliorum Sacramentorum, quæ recipere tenentur, vt baptismi & pœnitentiæ, & Eucharistiæ; insuper matrimonium inire volens, vel ad ordines ascendere, tenetur nosse Sacramentum, quod recipere vult, & secundùm probabiliorem Bannez 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. Azorius *cit. quæst.* 3. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *res.* 48. & quorundam sententiam, idem dicendum de Confirmatione & Extrema Vnctione. *Præterea* tenentur omnes fideles præcepta Decalogi & Ecclesiæ scire, quia tenentur illa exequi, quod ea ignorantes præstare nequeunt; tenentur etiam scire orationem Dominicam, quia vniuersa à Deo petenda in ea continentur. *Notandum* tamen hic est, secundùm doctrinam Theologorum fideles non teneri præcisò peculiari aliquo præcepto, sub mortali scire memoriter prædictos articulos, vel præcepta eo ordine, vel ijsdem verbis, quibus proponuntur, sed sufficere vt illa sciant quoad substantiam & significationem, itaut si de illis interrogentur, rectè respondeant & illa debito tempore seruent; esset autem veniale graue, non mandare memoriæ symbolum Apostolicum & orationem Dominicam; ideòque addiscendum est symbolum in ea lingua, quam quisque intelligit, alioquin scire ea memoriter & non intelligere, nescire est. Sanchez *cit. num.* 16. Rodriquez *tom.* 1. *Sum. cap.* 88. *num.* 1. Filliucius *cit. cap.* 37. Bonacina *cit. num.* 14. Diana *tract.* 2. *misc. re* *sol.* 12. *par.* 2.

Bannez. Valentia Azor. Diana.

Sanchez. Rodr. Filliuc. Bonac. Diana.

11. *Rudes* necessariò debent aliquos articulos explicitè cognoscere saltem secundùm substantiam, vt Deum esse remuneratorem supernaturaliter, Dei filium esse incarnatum, & mortuum, esse Deum trinum eo modo quo in signo crucis exprimitur, quia eorum fides est necessaria necessitate medij, vt dictum est; si quis autem tam hebes sit & obtusus ingenio, vt non possit articulos omnes capere secundùm substantiam, excusabitur, ratione impotentiæ, si tantùm implicitè credat; vnde sufficit, vt isti rudes semel assensum explicitè præbuerint articulis ad salutem necessarijs, dum sibi proponebantur à confessario, vel ab alio, nam dicuntur nosse articulos fidei quantum fert ipsorum capacitas; *aliud* enim est explicitè credere, & *aliud* explicitè scire; ita vt quis interrogatus sciat rationem reddere: *primum* enim est necessariū necessitate finis: at *secundum*, hoc est explicitè scire, ita vt interrogatus rationem reddere sciat, est necessarium sola præcepti necessitate. Azorius *cit. q. vlt. cap.* 6. Reginaldus *cit. n.* 18. Sanchez *cit. num* 17. & 18. Valentia *cit. punct.* 4. Malderus 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. Becanus *cit. cap.* 2. *q.* 14. Medina *in instruct. lib.* 1. *cap.* 14. §. 2. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *res.* 46.

Azor. Regin. Sanchez. Valentia Mald. Becanus Medina. Diana.

12 Præceptum credendi res fidei, *partim* est naturale, quatenus refertur ad ea obiecta, quorum fides est necessaria necessitate medij, *partim* est diuinum politiuum, respectu obiectorum, quorum fides est tantùm necessaria ex præcepto; quia habet vim obligandi ex præcepto Dei & mera ipsius voluntate, *partim* etiam est Ecclesiasticum respectu obligationis, qua fideles tenentur memoriter addiscere symbolū & præcepta Ecclesiæ. Ita Sanchez *cit. n.* 13. Filliucius *cit. n.* 48. 49. 50. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *q.* 1. Bannez 2. 2. *q.* 2. *art.* 8. *disp.* 2. & alij. *Hinc* dedu-

Sanchez. Filliuc. Azor. Bannez

deducitur obligationem hanc esse sub culpa mortali, quia est in re grauissima, & valde ad salutem necessaria: vnde prædicta ignorans est in peccato mortali, nisi ignotantia, aut impotentia excusetur. Ita Toletus *lib. 4. cap. 2. n. 10.* Nauarr. *c. 11. n. 22.* Angelus *v. Scient. num. 1.* & alii.

Toletus. Nauarr. Angel.

Vasquez Nauar.

13. Potest dari secundùm Vasquez 1. 2. *q. 76. art. 2. & disp. 121. cap. 2. num. 3.* Nauarrum *cap. 11. n. 22.* & *ignorantia inuincibilis* rerum fidei, tam earum quæ sunt necessariæ ex medio, quàm & multò magis earum, quæ sunt necessariæ ex præcepto, cum hac differentia, quòd priorũ ignorantia auferat medium oecessarium ad salutem, posteriorum verò non auferat, sed tantùm ex præcepto, in quo admitti potest excusatio: verùm inter Christianos & fideles secundùm D. Thomam *1. ad Corinth. 11. lect. 4.* D. Bonauenturam 3. *dist. 25. num. 1. quæst. 3.* non datur ignorantia inuincibilis à peccato excusans horum mysteriorum fidei, quæ explicitè credere tenentur, quia concionatoribus abundant, & passim in Ecclesia, mysteria bæc circumferuntur, ac solemni ritu celebrantur. Non repugnat tamen posse dari apud aliquem rusticum in particulari, qui contingere potest oihil eos de huius præcepti vi & auctoritate audisse, vel si audierint, nihil instar brutorum percepisse, aut si perceperint, alijs negotijs distentos esse prorsus huius obligationis oblitos, vel tempore quo addiscere potuerant, caruisse Doctore à quo instruantur. Ita Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 4. quæst. 2.* Sancius *in select. disp. 19. num. 4. & 5.* Clauis regia *lib. 2. cap. 9 num. 19.* Filliucius *cit. num. 46.* vide Dianam *p. 3. tract. 5. res. 46.* & alij.

D. Tho. D. Bona.

Azor. Sancius. Cla. reg. Filliuc. Dian.

14. *Varia sunt tempora*, in quibus tenetur homo ex præcepto, elicere actus fidei. *Primum* est, quando fides alicui primum sufficienter proponitur, vt infideli, tunc enim præceptum hoc per se ad credendi actum obligat. Infantes autem baptizati, ac inter fideles nutriti, cùm perueniunt ad rationis vsum, ac fidei mysteria audiunt, necessitatem fidei cognoscunt, tenentur ex vi præcepti directè ad eliciendos actus fidei, & si eos non eliciant, grauiter peccant, nisi per inaduertentiam, seu inuincibilem ignorantiam excusentur; quia quilibet tenetur assumere medium necessarium ad salutem sufficienter autem dicitur fides infideli proposita, vt peccato infidelitatis obnoxius sit non credendo, quando rationibus aut miraculis, aut signis, vel coniecturis ita proponuntur articuli fidei, vt ratio dictet fidem nostram esse veram, & ipsius sectam esse falsam. Valentia *2. 2. disp. 1. q. 2. punct. 5.* Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 10. num. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 7. q. 6. & cap. 27. q. 8.* Malderus 2. 2. *quæst. 2. art. 7.* Sanchez *cit. lib 2. cap. 1. num. 3.* Toletus *lib. 4. cap. 2. num. 2.* Vasquez *1. 2. q. 76. art. 2. & disp. 120. cap. 5.* & alij.

Valentia Laym. Azor. Malder. Sanchez. Toletus. Vasq.

15. *Secundum tempus* actum fidei eliciendi est, quando homo tenetur se ad Deum conuertere, & gratiam antea amissam recuperare: præceptum tamen fidei in hoc casu non obligat per se & directè, sed per accidens, quatenus scilicet homo tenetur se ad Deum cõuertere, quod facere non potest sine spe & fide; qui autem in hoc casu actum fidei prætermisit, satisfacit in confessione dicendo se non fuisse conuersum ad Deum, dum tenebatur conuerti. Azorius *cit. cap. 7. quæst. 6.* Sanchez *tom. 1. num. 3.* Layman *cit. num. 3.* & alii. *Tertium tempus* est, quando periculum est incidendi in aliquod peccatum nisi actus fidei eliciatur; quia quilibet tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum. Valentia *cit. punct. 5.* Bonacina *cit. punct. 2. num 11.*

Azor. Sanch. Laym.

Valentia Bonac.

16. *Quartum*, quando fidem exteriùs tenetur homo confiteri, quam non potest confiteri absque actu interno fidei, tunc obligatur ad actum fidei eliciendum, quia qui tenetur ad fidem tenetur ad media, sine quibus finis subsistere non potest. *Quintum* est, in articulo mortis, quatenus homo tenetur se tunc ad Deum conuertere per actum contritionis, qui habet adiunctum actum fidei & spei implicitum. Malderus *cit. quæst. 2. art. 7.* Valentia *cit.* Sanchez *cit. num. 3.* Diana *p. 5. tract. 13. res. 19.*

Mald. Valentia Sanchez Diana.

17. *Confessarius* tenetur ioterrogare pœnitentes doctrinam Christianam, quoties probabiliter iudicat illos eam ignorare, quia tenetur interrogare peccata, quæ verisimile est pœnitentem commisisse, iuxta suum statum; at huiusmodi hæc est ignorantia; quoad praxim tamen, personæ nobiles, aut quæ in pueritia benè & honestè sunt educatæ, io ciuitatibus & oppidis ciuilibus, non videntur interrogandæ, quia meritò præsumuntur, quod hæc non ignorent. Rustici autem & rudiores audiri possunt. *Quãdo* autem confessarius reperit pœnitentem ea ignorare, quæ scire tenetur, instruere debet antequam illum absoluat, vel reijcere donec didicerit quæ scire tenetur: *verum* si coofessarius tunc nolit instruere pœnitentem, nec expediat illum reijcere, poterit & debebit docere saltem ea quæ sunt explicitè credenda necessitate medij, & postea poterit absolutionem cooferre, modò pœnitens priùs eliciat dolorem præteritæ culpabilis ignorantiæ, cum proposito discendi quamprimùm, quæ discere tenetur. Vide Azorium *tom. 1. lib. 8. cap. 8. q. fin.* Bannez 2. 2. *quæst. 2. art 8. dub. 2.* Sanchez *cit. cap. 3. num. 21.* Filliucium *tract. 22. num. 56.* Reginaldum *lib. 17. cap. 2. num. 18.* & alios; quia secundùm Sanchez hic citatum & Sancium *in select. disp. 9. num. 18.* non tenetur confessarius denegare absolutionem ignotanti Doctrinam Christiaoam, etsi sæpè admonitus non didicisset, dummodo pœniteat præteritæ negligentiæ & emendationem proponat: quia de hoc peccato non est aliud censendum, quàm de alijs, in ordine ad negandam absolutionem ob relapsum: quia cuiuscumque præcepti violat emendationem proponere & dolorem habere, sufficiens dispositio est ad absolutionem, quando pœnitens aliud efficere non potest, tempore confessionis quàm dolere: & ob id non est absoluendus qui non restituit, aut concubinam non eijcit, quia tempore confessionis, præter dolorem & propositum, potest restituere & concubinam expellere: non autem incontinenti valebit doctrinam addiscere: vode minùs benefaciunt qui pœnitentes rudes & ignaros variis interrogationibus torquent, instructionibus longioribus in confessionali insudant, vt memoriter dictos articulos, aut recitent, aut repetant: Hi enim in vaoum se inutili labore consumunt & conficiunt. Non est vtique ibi locus Catechismorum vbi breuiter & fructuosè res ex[pediri] non potest.

Azor. Bannez. Sanch. Reginal.

18. Illa quæ confessarius rusticos docere debet semel & iterum interrogando, sunt, in Trinitate esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nec esse tres Deos, sed vnũ Deum, adhibito exemplo signi sanctæ Crucis: item Iesum Christum Dominum nostrum esse verè Dei filium, verum Deum & hominem, & esse eum qui passus est propter nostram salutem, ac esse in Sanctissimo Sacramento. Cætera verò, vt Deum remittere peccata, dare gloriam, omnia creare, Christum ad inferos descendisse & ad Cœlos ascendisse, Iudicium futurum, &c. faciliùs scire solent & iotelligunt crasso modo: In articulo autem mortis, sufficit proponere rustico tantùm credenda necessitate medii, vt mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & Deum esse remuneratorem supernaturalem, Vt vel sic actum illa explicitè credendi eliciat: quia in eo statu non est ferè capax commodè aliorum, potiùs enim defatigaretur paruo cum fructu. Vt docent Graffijs *1. p. lib. 2. cap. 8.* Reginaldus *lib. 2. cap. 13. num. 153.* Sanchez *cit. cap. 3. n. 22. 23.* Filliucius *cit. num. 57. & 58.*

Graffijs. Regin. Sanchez Filliuc.

De Fide vide supra verb. Baptismus 3. *num. 9.* & tom. 2. verb. Ignorantia *num. 6.* Martyrium *num. 6.* Sacramentum 3. *num. 6. 7.* Sacramentum 4. *num. 5.*

FIDES II.

De externa confessione fidei, professione, & disputatione rerum fidei.

SVMMARIVM.

1 *An detur præceptum exteriùs fidem confitendi? quod in duobus casibus obligat.*

2 *An interrogatus de sua fide à iudice, vel à persona priuata teneatur fidem confiteri?*

3 *An faciat contra professionem fidei, negans se clericum,* vel

vel sacerdotem, vel an Missam audierit, vel fecerit?

4 *An teneatur ad confessionem fidei catholicus, qui videt imagines conculcari, aut Christum contemni?*

5 *Qui teneantur ad faciendam professionem fidei, ex decreto Concilij Tridentini. Et an debeat hæc professio fidei fieri personaliter?* refertur duplex sententia.

6 *A quibus teneamur abstinere ex præcepto negatiuo, nunquam fidem abnegandi? vbi multi casus deciduntur.*

7 *An faciat contra præceptum fidei negatiuum qui concionibus, vel ceremonijs hæreticorum interest.*

8 *An contra præceptum negatiuum faciat negans se sacerdotem, aut clericum, aut Papistam? & an contra præceptum faciat, qui metu mortis vel carceris inter hæreticos vescitur carnibus feria sexta, vel die Sabbatho? & an liceat fugere in persecutione.*

9 *Quando sit illicita disputatio de fide.*

1 EXterna fidei confessio pro aliquo tempore est in præcepto; & hoc est de fide, vt constat Matth. 10. *Qui me confessus fuerit, &c.* contra quosdam hæreticos dicentes, satis esse fidem animo retineri, & cùm hoc præceptum sit affirmatiuum, non obligat omni tempore, negatiuum autem in eo inclusum nunquam exterius negandi fidem, obligat pro semper, vt dicetur. *Præceptum* autem hoc externæ confessionis fidei affirmatiuum in duplici casu obligat. *Primo*, quando magnus honor Deo debitus subtraheretur, non confitendo exteriùs fidem, aut Deus magna iniuria afficeretur; quia iure naturæ dictante, non est Deo subtrahendus honos, nec Deus iniuria afficiendus est. *Secundò*, quando alioquin impediretur magna vtilitas proximi, aut illi graue scandalum præberetur circa fidem: quia cuiuslibet virtutis actus censetur esse in præcepto, quando necessarius est ad finem charitatis erga Deum vel proximum; in duobus autem prædictis casibus, confessio fidei externa, necessaria est, ergo tunc obligabit; hinc colligere licet solutionem multorum casuum. D. Thomas 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. Malderus *ibi memb.* 2. Syluius *art.* 2. *concl.* 1. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 20. Toletus *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. Sà *verb. Fides num.* 4. Filliucius *tract.* 22. *cap.* 3. *quæst.* 1. *num* 62. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 4. *num.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 7. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. & alij.

D. Th. Mald. Syluius. Regin. Tolet. Sà. Filliuc. Sanchez. Azor. Valentia.

2. *Interrogatus* de sua fide ab eo, qui publica authoritate fungitur, aut à iudice, tenetur ex præcepto affirmatiuo fidem confiteri, etiamsi ex fidei confessione mors impendeat ipsi confitenti; quia tunc redundat ingens honor Deo & fidei nostræ: *Rogatus* autem de fide à priuata persona, non facit contra confessionem fidei, vt habet communior Doctorum sententia, si taceat, vel interrogantem aliqua ratione eludat, quia non subtrahitur magnus honor Deo, nec proximi vtilitas impeditur, nec graue scandalum sequitur, & interrogatus potest permittere huiusmodi deceptionem, cùm iniquè & sine causa interrogatur à priuato: non licet tamen, siue rogato, siue non rogato, negare se esse Christianum, quia id esset cōtra præceptum negatiuum inclusum in præcepto confessionis fidei, nisi fortè interrogaretur apud aliquas nationes, vbi nomen Christiani significat potiùs nationem aliquam quam religionem; tunc enim negans se Christianum, non peccat mortaliter in fidei confessionem, sed ad summum esse mendacium veniale. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 1. Syluius *cit. concl.* 2. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 9. 2. *punct.* 3. *num.* 4. & 7. Valentia *cit. dub.* 3. Diana *tract.* 5. *misc. res.* 49. *p.* 3. Toletus *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. Filliucius *tr.* 22. *cap.* 3. *n.* 65. Bannez 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 3. & 4. Rodriquez *tom.* 1. *Sum. cap.* 119. *num.* 3. & alij.

Azor. Syluius. Bonac. Valentia. Diana. Toletus. Filliuc. Bannez. Rodr.

3. Non facit contra confessionem fidei, negans se Clericum, vel Sacerdotem, cùm tamen sit; & transiens per loca hæreticorum, licitè potest vestes clericales, aut religiosas deponere, vt incolumis euadat; quia ad summum illud est negare statum Clerici vel Religiosi, non autem religionem & fidem; *rogatus* verò ab hæreticis, an Missam audiuerit, aut fecerit, in rigore non peccat contra confessionem fidei si neget, quia illa negare, est tantùm negare opus Catholici vel statum: imò & iudici hæretico ea interroganti sub iureiurando liceret respondere negando, modò debitam restrictionem in mente addat, quam tenetur illi aperire. Filliucius *tract.* 22. *cap.* 3. *num.* 68. 69. Sanchez *cit. cap.* 4. 10. 11. Azorius *cit. cap.* 27. *quæst.* 2. Bonacina *cit. num.* 10. & alij.

Filliuc. Sanchez. Azor. Bonac.

4. *Tenetur* ad confessionem fidei Catholicus, qui videt imagines conculcari, vel fidem, aut Christum contemni, si per fidei confessionem credat impediendo hæc peccata: *item* est obligatio confitendi fidem, quoties infidelis ob alterius confessionem inducetur ad fidem, nec extat aliud medium quo ad eam inducatur: *idem* dicendū quando proximus est in periculo negandæ fidei, & huic periculo prospici potest per confessionem fidei, ob rationes ante dictas. Valentia *cit. punct.* 2. *dub.* 1. Sanchez *cit. n.* 4. & 5. Rodriquez *cit. num.* 2. Filliucius *cit. n.* 47. & alij.

Valentia. Sanchez. Rodr. Filliuc. Côc. Tr.

5. Ex decreto Concilij Tridentini *sess.* 24. *cap.* 12. & *sess.* 25. *cap.* 2. *de reform.* tenentur ad faciendam professionem fidei. *Primò*, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ in prima Synodo prouinciali. *Secundò*, prouisi de beneficijs habentibus curam animarum, intra bimestre à die adeptæ possessionis. *Tertiò*, prouisi de canonicatibus & dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus; hi tenentur professionem fidei facere non solùm coram Episcopo, vel eius Vicario, sed etiam coram Capitulo. *Hæc* obligatio faciendi professionem fidei à Pio IV. *Iniunctum nobis.* extensa est ad Prælatos omnes religionum etiam militarium intra bimestre à die possessionis suæ præfecturæ: eamdem obligationem ad pastores, magistros, regentes Pius V. *in sacrosancta apud* Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 72. *art.* 2. extendit & ad alios cuiuslibet artis & facultatis professores, siue clericos, siue laicos, siue regulares: etiamsi priuatim in domibus doceant, seu extraordinariam cathedram assecuti fuerint; & hoc præceptum obligat sub mortali, nisi aliter per consuetudinem receptum sit. *Porrò* hæc professio fidei, iuxta probabiliorem sententiam, debet fieri personaliter, sine per scriptum tactis scripturis: probabile tamen est posse fieri per procuratorem, cùm nullum verbum sit in Tridentini decreto, significans per propriam personam hanc fidei professionem necessariò faciendam. Forma professionis fidei habetur in bulla *Pij IV.* quæ incipit, *Iniunctum nobis*, iuncta Conc. Tridentio, & Compendio priuilegiorum Ordinum Mendicantium. Vide Filliucium *cit. n.* 96. Sanchez *cit. cap.* 5. *n.* 7. Dianam *p.* 5. *tract.* 14. *res.* 23.

Pius IV. Pius V. Filliuc. Sanchez. Diana.

6. *Ex præcepto* negatiuo nunquam fidem abnegandi iuxta Reginaldum *lib.* 17. *cap.* 23. Malderum 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *memb.* 2. Valentiam 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *dub.* 4. Syluium 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *conclus.* 3. & alios tenetur abstinere à dictis vel factis, quibus fides negatur; *vnde* cōtra præceptum fidei negatiuum peccat, qui se dicit Turcam, vel Hæreticum esse: *item* qui vtitur signis, vel factis ex sua natura protestatiuis falsæ sectæ, seu religionis etiamsi hoc non faciat animo negandæ fidei, aut protestandi falsam sectam, sed animo celandi propriam, quia hoc est intrinsecè malum: *item* peccat, qui sacrificat Idolis, aut imagines falsorum Deorum ad collum appensas gestat, aut alias actiones religiosas facit, falsæ religionis ex sua causa protestatiuas: *secus* dicendum, quando actiones & signa sunt ex sua natura indifferentia, tunc enim secundum probabiliorem sententiam Sanchez *cit. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 18. 19. & 20. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 4. & 6. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 20. Diana *tract.* 5. *misc. res.* 49. *p.* 3. Tannerus 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 7. *dub.* 5. *num.* 110. Suarez *de fide disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 7. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. & aliorum (quamuis contraria sit etiam probabilis) non esset mortale contra præceptum fidei, illis vti citra scandalum, & citra animum significandæ & protestandæ falsæ religionis; & proinde qui iusta de causa, vt metu mortis, gestat galerum, vel aliud genus vestium, quo Hæbrei absque peccato vtuntur, non peccat mortaliter; imo à multis Doctoribus admittitur licitum esse, vti huiusmodi signis, non solùm quando indifferentia sunt, verùm etiam quando instituta sunt ad discernendos sectatores falsæ sectæ; quia institutio illa paganorum, ad suam sectam profitendam, non potest naturam signorū alterare & efficere ne adhuc ambigua & indifferentia maneant, ad aliquid aliud significandum: Hac de causa multos catholici excusantur attamen-

Reginal. Mald. Valentia. Syluius. Sanch. Azor. Bonac. Diana. Tanner. Suarez. Layman.

sumentes insignia infidelium, vel hæreticorum, vt ipsos in bello occidant, vel ne ab ipsis capiantur, modò illa signa non sint ex se protestatiua sectæ falsæ, cuiusmodi sunt, imago Mahumetis in vexillis Maurorũ depicta, vel Martis, Mercurij, vel aliorum, quos vt Deos gentes colunt.

Regina'. Sanch. Becan.

Ita Reginaldus *cit. n.* 30. Sanchez *cit. n.* 21. *&* 23. Becanus *de fide cap.* 9. *q.* 5. *n.* 34. Quamuis Hurtado 2. 2. *disp.* 48 *sect.* 4. §. 57. doceat non esse contra exteriorem confessionem fidei deferre vestes infidelium habentes depictas figuras idolorum vel auctorum falsæ sectæ, quando non vrget præceptum confessionis fidei. Ratio ipsius est, quia cùm solùm ratione externæ apparentiæ possit interuenire peccatum contra exteriorem confessionem fidei; quia supponitur quòd tales vestes adhibeantur cum recta intentione; videtur neque ex hoc capite vsum reddi illicitum, eò quòd non adsit talis externa apparentia: quia ratione vestium induit alienam personam, sub qua se occultat; vnde quidquid potest esse apparentiæ contra veram fidem, non stat in persona propria illius, sed in aliena, quæ præsupponitur sequi falsam sectam; & ideò assumens tales vestes, non ostendit extrinsecus se deserere veram fidem: sed tantùm vtitur apparentia personæ non habentis veram fidem, ad se occultandum. Et eodem ferè pacto Christus assumpsit externam apparentiam peccatoris iuxta illud ad Rom. 8. *In similitudinem carnis peccati*, non tamen per hoc peccauit.

Sed petes, an vsus vestium, quæ actualiter important professionem actualem falsæ fidei, & quibus sacerdotes vtuntur solùm dũ actualiter sacrificant, sit licitus? Resp. negatiuè, quia neque possunt deseruire ad occultandum, cùm sint in vsu solùm & in actuali exercitio falsę religionis, vnde non possunt deseruire, nisi ad falsam religionem profitendam, si seriò adhibeantur.

Dubium tamen est, an vestes, quæ etiam extra exercitium actuale falsæ religionis adhiberi solent, sunt tamen institutæ ad illam profitendam, vt sunt illæ, quas Princeps præscriberet tali sectæ, sint licitæ? Negatiuè etiam respondent *Suarez, Becanus, Gordon. & Castr. Palaus*; quia vsus talium vestium est quidam cultus & honoratio falsæ sectæ, cui honos maior accrescit, quo plures ijs vtuntur. Nihilominus contrariam sententiam sequuntur meritò Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *q.* 4. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 4. *num.* 20. Vvigers 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *num.* 56.

Azor. Sanchez Vvigers.

Quia in vsu harum vestium præter externam apparentiam, nihil aliud illiciti esse potest: hæc autem externa apparentia non de nouo fit ab vtente his vestibus, sed iam supponitur esse in ijs, qui falsam religionem profitentur: neque vtens eam assumit in propria persona, sed relinquit in persona, in qua verè præsupponitur esse: vnde huiusmodi apparentia externa in Catholico accipitur vt occultatiua personæ, non vt protestatiua religionis. Hæc tamen intelligenda sunt secluso scandalo; & posito periculo, quod aliter vitari non potest.

Animaduertendum est illum, qui vi & metu, vel dolo & fraudulenter, se inter infideles exteriùs infidelem fingit, Maurum. Iudæum, Idololatram, aut hæreticum, & exteriùs fidem negauit, corde tamen illam retinens, peccare quidem grauissimè contra externam fidei professionem, non tamen esse hæreticum comprehensum in bulla Cœnæ; nec incurrere excommunicationem ipsius, & posse absolui à quocumque confessario ab ordinario approbato. Ratio est, quia talis non est verè infidelis, vel hæreticus, cùm non habeat errorem in intellectu: Deinde hæresis ratione solius excommunicationis reseruatur, at hæresis externa absque errore interno non subiacet excommunicationi: quamuis huiusmodi homines puniri possint in foro externo, tamquam hæretici: imò & pro excommunicatis geri debent apud eos, qui nouerunt peccatum externum, & nesciunt animum semper mansisse Catholicum.

Syluius. Toletus. Suar. Sanchez. Filliuc. Fagund. Diana. Crousers

Ita Syluius 2. 2. *quæst.* 11. *num.* 3. *concl.* 2. Toletus *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 6. Suarez *de cens. disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 22. *& disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 8. Filliucius *tract.* 22. *cap.* 6. *num.* 164. Fagundez *pracept.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 39. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 143. & noster Crousers *ad cap.* 7. *reg. Minor. lect.* 4. *fol.* 506.

7. *Non facit* contra præceptum fidei negatiuum, qui concionibus, vel cæremonijs hæreticorum interest, animo confutandi ipsorum cæremonias; licet fieri possit, vt aliundè peccet, videlicet, ratione periculi ruinæ spiritualis propriæ vel aliorum, aut ratione alterius prohibitionis Ecclesiasticæ: *Quando* autem Princeps hoc præcipit sub pœna mortis, aut proscriptione bonorum, in contemptũ vel odium nostræ religionis, aut ad profitendam hæreticorum sectam non licet ingredi templa hæreticorum, aut ipsorum conciones audire, etiamsi ingrediens protestetur se illa facere animo non profitendi falsam sectam, sed intentione vitandi proprium damnum: quia tunc notabilis honor Deo debitus subtrahitur, vt proprio motu definiuit *Paulus V.* occasione cuiusdam edicti Regis Angliæ; quod edictum præcipiebat aditum templorum in symbolum Religionis & ad dignoscendos Catholicos ab Hæreticis. Quapropter virtualiter censebantur à Iudice interrogari tunc de fide, & tamquam signum abnegationis fidei erat, adire congregationes & templa Anglicana, eratque Catholicorum scandalum graue cùm quispiam Catholicus ea adiret. Censebatur ergo tunc vigere obligatio confitendæ fidei, nec obediendi præcepto, quod in contemptum religionis Catholicæ vergebat, simulque occasio scandali erat tollenda. Ita Azorius *cit. lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 4. *&* 5. Sanchez *cap.* 4. *num.* 26. *&* 27. Syluius *cit. concl.* 3. Bonacina *cit. num.* 21. *&* 22. Filliucius *tract.* 22 *num.* 85. *&* 86. & alij.

Azor. Sanchez Syluius. Bonac. Filliuc.

8. *Porro* contra præceptum negatiuum fidei non facit, qui se negat esse Sacerdotem, aut Clericum cùm laici fideles esse possunt: *secus* dicendum si neget se esse Papistam; nomen enim Papistæ accipitur pro religione Christiana, Becanus *cap.* 9. *quæst.* 3. *num.* 4. *Item* non peccat, qui in comœdijs alijsque consimilibus actionibus, non seriò fingit se infidelem; non enim hic fidem negat, cùm non seriò repræsentet, nec ita ex animo sentiat. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 23. Sanchez *cit. num.* 15. *Denique* qui metu mortis, vel amissionis bonorum, vel carceris, inter hæreticos vescitur carnibus feria sexta, vel die Sabbati, non peccat contra hoc præceptum, quia comestio carnium non est signum ex sua natura protestatiuum hæreseos, vel falsæ sectæ, alioquin Catholici numquam possent iusta interueniente causa, vt tempore infirmitatis, carnibus ijs diebus vesci. Azorius *cit. lib.* 8. *cap.* 27. *q.* 3. Sanchez *num.* 25. Filliucius *tract.* 22. *num.* 83. Diana *p.* 5. *tract.* 7. *res.* 35. & alij.

Becan. Regin. Sanch. Azor. Sanch. Filliuc. Dian.

Sed rogabis, an liceat fugere in persecutione? Resp. & dico *Primò* fugere in persecutione non est negare fidem. Ratio est, quia qui fugit implicitè profitetur fidem; cur enim fugeret, si velit negare, vnde qui propter fidem captus est & interrogatus à Tyranno, licitè fugere potest, iuxta illud Matth. 10. n. 23. *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.*

Dico *secundò* fugere in persecutione, aliquando est prohibitum, aliquando præceptum, aliquando consultum. Probatur prima pars 1. Ioan. 3. num. 16. *Ille animã suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quando nimirum nostra præsentia illis necessaria est, siue ex iustitia, siue ex charitate: Ex iustitia quidem vt in Episcopis, Parochis, &c. secundùm illud Ioan. 10. num. 11. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis, &c.* Vnde etiam cum periculo vitæ tenentur tempore hæresis, pestis, &c. adesse suis gregibus, nisi per alios commodè succurrere possent. Ex charitate verò, vt cùm ex officio quidem non obligamur, sed tamen necessitas proximorum extrema est aut penè extrema, & nos soli possumus illis probabiliter succurrere, ne in fide vacillent, vt diximus supra *verb. Charitas num* 18. Probatur secunda pars, quia fieri potest, vt præsentia mea, vel mihi, vel gregi sit noxia, fuga autem non contineat vllum incommodum, vt cùm solus Pastor quæritur, & oues propter eius præsentiam patiuntur, aut ipsemet timet inconstantiam in tormentis &c. Tunc enim charitas præcipit, vt præscindantur omnes occasiones malorum, vt S. Paulus Act. 9. n. 25. & S. Athanasius fugerunt. Prob. tertia pars, quia nonnunquam vita quorumdam superiorum vel clarorum Ciuium valdè vtilis est Reip. & ipsorũ absentia ad tempus non multùm adferet detrimenti: tunc ergo quamuis possent sine peccato apertè fidem profiteri,

ri, consultius tamen est, seruare se in multorum vtilitatem spiritualem.

9 *Disputatio* de fide quadruplici ex capite reddi potest illicita. *Primò* ex fine, quando scilicet habet quis animũ dissentiendi, si contrariæ rationes vrgentiores sint & intellectum eius magis vrgeant, In eo enim, cui iam fides sufficienter proposita est, est peccatum infidelitatis: item quando nullus bonus finis ex disputatione speraretur ob perfidiam hæreticorum, esset otiosa, & ideò culpabilis. D. Thom. 2.2.q.10.*art.*7. Sylvius *ibid.* Valēt. 2.2.*disp.*1.*q.*10. *punct.*4.*conclus.* & alij. *Secundò*, ex parte disputantis, nēpe si disputans laicus sit, quamuis doctus: quippe id illi sub excommunicationis pœna interdicitur; hæc tamen excommunicatio non est lata, sed ferenda. *C. Quicumque, de hæreticis in* 6. Nomine autem *laici*, intelligitur ille, qui verè laicus est, idest, non insignitus prima tonsura, nec religiosus. Non habet locum hæc prohibitio in casu magnæ necessitatis, vel vtilitatis, si laicus sit doctus; imò in locis, in quibus hæretici grassantur, prohibitio hæc laicorum, est per consuetudinem abolita & vbi hæc prohibitio esset in viridi obseruantia, non quæcumque de fide disputatio laicis interdicitur, sed sola disputatio formalis, id est, quæ ad fidei veritatem persuadendam assumitur: secus si materialis tantùm sit, v.g. exercitij gratia, vel ingenij acuminis ostentandi, vt fit in scholis. Nauar. *c.* 11.*nu.*27. Bonacina *e.punct.*4. Sanchez *l.*2.*mor.c.*6. Azorius *l.*8.*c.*26.*q.*1. Diana *p.*5.*art.*13.*res.*22. & alij. *Tertiò*, ex parte auditorum, vt coram simplicibus, etiam exercitij gratia disputetur, ob periculum dubitationis ipsorum; si tamen doctor esset excellens, & accommodaret se captui simpliciorum, eisq; persubsibiliter argumenta solueret, vel simpliciores ab hæreticis sollicitarentur, tunc etiam posset vel teneretur. Filliuc. *tr.* 22. *c.*3.*nu.*105. Becanus *c.*15.*q* 7. *Quartò*, ex disputandi modo redditur quoque disputatio de fide illicita, quando magis verborum contentione, quam argumentorum vi & sententiarum pondere transigitur. D. Thomas, *cap.a.*7.*ad* 1. Valentia, *conclus.*4.

D.Tho. Sylvius, Valentia

Nauarr. Bonac. Sanchez. Azor. Diana.

Filliuc. Becanus D.Tho. Valentia

Cæterum, quamuis in regionibus heresi infectis liceat interdum, imò teneantur Catholici ad reprimēdam proteruiam hæreticorum quod de sua fide sciunt & sentiunt aperto pectore edicere, omnis tamen altercatio per modum disputationis & contentionis periculosa est Laicis & idiotis: & nisi doctrina specialis personæ & exercitatio in dogmatibus fidei excuset, vitandæ sunt disputationes illæ quantumuis priuatæ: ideòque qui se illis ingerit, iuxta periculum quod sibi vel alijs ex illis imminet, aut moraliter, aut venialiter peccabit. Aduertit autem Diana *part.* 5. *t.*14.*resol.*96. ex Hurtado de Mendoza contra prædicta, laicum doctum posse sine peccato disputare cum hæretico & infideli, non obstante hoc prohibente c. *Quicumque, §. inhibemus, de haret. in* 6. quia quando laicus est doctus, cessat finis prohibitionis illius legis, nempe periculum deceptionis, & derisus mysteriorum. Loquitur hic author consequenter ad suam sententiam quam defendit vt probabilem, nempe, cessante totali fine legis in particulari, cessare eius obligationem: vt videre est infra *verb. Lex V. num.* 3. & hanc sententiam denuò confirmat *part.*5.*tract.*13.*res.*22.

FIDES I.

De fide humana & Diuina.

SVMMARIVM.

1 *Fides quomodo vsurpetur pro habitu & pro actu.*
2 *Quid sit fides in genere.*
3 *Fides alia est humana, alia diuina.*
4 *Quomodo omnis fides sit obscura in obiecto, euidens in credibilitate, in attestante aliquando euidens, aliquando obscura.*
5 *An fides sit necessaria ad vsum vitæ humanæ.*
6 *Fides variè vsurpatur in Scripturis.*
7 *An ratio credendi sit sola testificatio diuina.*
8 *An ad eliciendum actum fidei, necessaria sit motio voluntatis.*
9 *An fides diuidatur in formatam & informem.*
10 *An primarius fidei actus internus sit credere, quia Deus dixit.*
11 *An fideles peccatores verè credant in Deum.*
12 *An fides sit fundamentum iustitiæ & iustitia inchoata.*
13 *Verbum Dei quomodo tripliciter diuidatur.*
14 *Actus fidei an sit meritorius.*
15 *An ratio minuat meritum fidei.*

1. FIdes vsurpatur pro habitu, & pro actu: habitus est promptitudo quædam credendi personis aliquid rationabiliter asserentibus: Actus est assensus intellectus in aliquam veritatem propter alicuius assertionem. Quatuor sunt assensus intellectus, *Primus* est in principia certa & euidentia, & vocatur intellectio, verbi gratia homo est animal rationale. *Secundus*, in conclusiones inde deductas, per euidentem consequentiam, vt homo est capax disciplinæ, beatitudinis, &c. & dicitur scientia. *Tertius*, in principia probabilia & conclusiones inde deductas, vt omnis mater diligit filium; homo tenetur confiteri circumstantias notabiliter aggrauantes intra eamdem speciem, &c. & vocatur opinio. *Quartus*, in principia, & conclusiones assertas à personis, quibus credi potest ac debet, & vocatur fides, verbi gratia Ciceronem fuisse Consulem, repertum esse nouum orbem, &c.

2. Fides est assensus intellectus in aliquam veritatem, propter authoritatem dicentis. Prob. nam impossibile est intellectui, vt alicui propositioni assentiatur, nisi sub ratione veri. Vera autem esse sibi persuadet vel quia clarè videt, vel quia probabiliter, vel quia alius qui nec fallere, nec falli videtur, hoc affirmat. Duo priora sunt intellectus scientiæ & opinionis, hoc postremum est fidei, vt patet ex communi vsu loquendi: nam dicimus habere alicui fidem, hoc meretur fidem.

3. Fides alia est humana, alia diuina. Prob. quia duo sunt, qui aliquid credibiliter affirmare possunt Deus & homo: nam Angelus bonus nihil affirmat nisi authoritate diuina, ac propterea meretur fidem diuinam: malus autem Angelus mendax est & pater eius *Ioannis* 8. ac propterea nullam meretur fidem, quod obseruandum est ab ijs, qui intersunt exorcizationi energumenorum, ne aliquid à diabolo inquirant ex curiositate, sed ea tantùm, quæ faciant necessariò aut vtiliter ad eius expulsionem, vt monuimus *tom.* 1. *verb. adiuratio num.*6. cum doctoribus ibi citatis.

4. Omnis fides est obscura in obiecto, euidens in credibilitate, in attestante aliquando euidens, aliquando obscura. Prob. prima pars, quia fides est credere quod non vides: nam fertur in obiectum prout asseritur ab alio, non prout videtur, ac proinde implicat contradictionem, aliquid clarè videri per fidem: dico per fidem, quia non repugnat vt alia via cognoscam euidenter, id quod etiam credo verbi gratia si viderim Ioannem interfici, & hoc idem attestetur alius fide dignus, potero illam eamdem & scire & credere, sed diuersa ratione. Prob. secunda pars, quia vt prudenter aliquid credam, debet mihi rationabiliter constare, ipsum esse credibile, atque adeò credendum firmius, aut formidolosius, prout author videtur verax: alioquin si hoc iudicium non sit euidens erit incertum, si incertum non potero prudenter illi assentiri, sed hærebo in medio & dubitabo, vt fit, quando homines leues temerè aliquid affirmant. Prob. tertia pars quia aliquando videmus & audiuimus eum, qui aliquid adfirmat: aliquando verò hoc ipsum credimus alijs affirmantibus, v. g. si ponamus viuere nunc D. Augustinum notæ sanctitatis & veracitatis Episcopum, qui pro concione affirmat se vidisse euidens miraculum, tunc si intersim eius concioni, habebo istius miraculi euidentiam in attestante, qui euidens mihi est D. Augustinum hoc affirmare, sed si absim à concione, & alius qui interfuit, mihi narret, tunc habebo duplicem fidem, vnam miraculi obscurā in attestante, quia non est mibi euidens D. Augustinum hoc asseruisse, alterā dicti D. Augustini euidentem

in attestante, quia video & audio illum, qui affirmat, ex D. August'no se hoc audiuisse. Quod si quis in tenebris constitutus, mihi diceret se esse Angelum & reuelaret aliquam veritatem mihi ignotam, data euidentia credibilitatis, tunc fides mea esset omninò obscura, tum in obiecto, quia non video istam veritatem, tum in attestante, quia seipsum obscurè reuelat.

5. Fides est necessaria ad vsum vitæ humanæ. Ratio est quia homo est animal politicum & sociale, & propter varias indigentias, alterius opera opus habet, sed societas illa & mutua bonorum & officiorum communicatio, sine fide consistere non potest, ergo &c. Prob. minor, quia nec amicus intuetur cor & effectum amici, neque adeò filij certò norunt parentes, quæ tamen societas & sanctissima est, & maximè naturalis; nam matri credimus nos esse genitos tali patre: hanc autem esse matrem credimus obstetricibus, nutricibus, famulis, cognatis & vicinis. Quod si fides hæc tollatur, nec fœdera amicitiæ, nec officium liberorum erga parentes, nec familiæ, neq; adeò respublica vlla consistere poterit. Credimus igitur & sine vlla dubitatione credimus quod scire non posse confitemur. Vt ait D. August. *lib. de vtilitate credendi capu.* 12. August. vbi hanc materiam fusè persequitur.

6. Fides variè vsurpatur in scripturis, vt *primò* pro fide Catholica, siue sit actus, siue habitus 1. ad Corint. 13. *Nunc autem manent fides, spes charitas.* Secundò pro eius obiecto, Ad Galat. 3. *Prius autem quam veniret fides,* id est, priusquam prædicaretur Euangelium. *Tertiò* pro conscientia ad Roman. 14. *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Quartò pro fidelitate, seu constantia in promissis, ad Roman. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit*, & hinc dicitur fidelis seruus *Luca* 12. qui diligenter præstat officium: nam dum accipit officium, quasi tacitè promittit se facturum.

7. Cùm obiectum fidei Catholicę sit verbum Dei tum scriptum, tum traditum, materiale quidem propositio obiectiua, quæ significatur verbo Dei, v.g. Christus est Deus, septem sunt sacramenta; formale verò sit ipsa testificatio Dei, quam vbiq; scripturæ requirunt. Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Ioan. 3. *quod scimus loquimur & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.* Dices, multi fideles credunt, non ob authoritatem Diuinam, sed quia Ecclesia ita docet, v.g. rusticus, quia ita edoctus est à suo pastore, puer, quia ita audiuit in catechismo, ergo ratio credendi, non est testificatio diuina. Resp. 1. in fidelibus multos esse actus circa mysteria fidei, qui proficiscuntur à fide humana, & non à diuina, pe[r]sertim in rudioribus, qui raro tractant res spirituales. Resp. 2. nõ esse necessarium ad supernaturaliter credendum vt expressè cogitemus de authoritate Dei, sed satis est, vt hoc confusè apprehendamus & tam firmiter assentiamur, quã postulat veracitas diuina. Resp. 3. quando fideles credunt, quia Ecclesia ita docet, fieri potest, vt sit fides Christiana & supernaturalis: nam in Ecclesia, sicut & in scriptura, est duplex authoritas, humana & diuina: humana, quatenus ostendit suas notas, & notas fidei, ex quibus accipitur euidentia credibilitatis. Diuina, quatenus est os & organũ Spiritus sancti, habetque Christum assistentem vsque ad consummationem sæculi. Si primo modo credant, est fides humana, si secundo, diuina. Et hi duo assensus sæpe permiscentur, imò euidentia credibilitatis, semper debet præcedere actum fidei diuinæ, alioquin imprudenter crederetur. Cùm enim contineat mysteria longè excedentia captum nostrum, & velit ea firmissimè teneri, debet nobis euidenter constare, hæc esse credibilia, atque adeò credenda, & credenda non quocumque modò, sed propter auctoritatem diuinam. Porrò fidem nostram sufficientissimè esse propositam, vt tam firmiter teneamur credere, docet Bellarm. *lib. de notis Ecclesiæ*, & alij apud Bellarm. Syluium 2.2. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæsit.* 2. Syluius.

Euidentiæ autem credibilitatis notæ sunt Prophetiæ, miracula, puritas & efficacia doctrinæ, modus, quo Euãgelium est propagatum, successio Episcoporum & Doctorum, testimonia Martyrum, oracula Sybillina, &c. Ex quibus euidens fit, hanc fidem esse recipiendam sub auctoritate diuina, & omnia contraria esse damnanda & anathematizanda, neque sine hac euidentia, quisquam prudenter credere potest, nam vt ait Sapiens Ecclesiast. 19. *Qui credit citò, leuis est corde.*

8. Ad eliciendum actum fidei, necessaria est motio voluntatis. Ratio est, tum quia obiecta fidei, cùm sint inéuidentia, non conuincunt intellectum: ergo vt intellectus eis assentiatur, moueri debet ab aliquo supplente id quod deest euidentiæ. Tùm quia Canon quintus Concilij Arausic. habet, initium fidei, ipsum scilicet credulitatis af- cõc. Ara. fectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, fieri inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostrã ab infidelitate ad fidem: consequens igitur est voluntatis motionem esse necessariam, vt aliquis credat. Conc. etiã. Trident. *sess. 6. cap. 6.* docet homines disponi ad iustitiam, *dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu con-* cõc. Tri. *cipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.* Signum est ergo quod voluntariè credant. Sed quia voluntas non potest eleuari ad ea quæ naturam superant, nisi diuinitus præparetur; ideò numquam mouet intellectum ad credendum, nisi sit per auxilium gratiæ præuenientis excitata & mota, & consequenter ad credendum opus est p[r]o aliquo voluntatis affectu, non quidem qui sit vera Dei sicut oportet dilectio, sed quo voluntas diuinæ auctoritati se submittat, syluius. ac intellectui imperet assensum vt rectè docet Sylu. 2.2. *qu. 1. art 4. quæsit. 4.*

9. Fides essentialiter est simplex, accidentaliter diuiditur informatam & informem. Probatur prior pars, quia habet vnicum obiectum formale, eodem modo applicatum nempe auctoritatem diuinam obscurè reuelantem: vnde sequitur non tantùm Adamum, sed etiam Angelos in via habuisse fidem eiusdem speciei nobiscũ: nam quamuis habuerint, euidentiam in attestante, hæc tamen erat naturalis, nec poterat fundare fidem supernaturalem, sed opus erat assensu supernaturali in reuelationem obscurã. Hæc assertio est contra hæreticos, qui statuunt triplicem fidem, vnam historicam, alteram miraculorum, tertiam Bellarm. promissionum Dei. Sed optimè refelluntur à Catholicis, Hosius. vt à Bellar. *lib. 1. de iustificat. c. 4* Hosio. *in Confessione Polonica, c. 62.* Probatur secunda pars, quia charitas est forma fidei, sicut & cæterarum virtutum, sed forma accidẽtalis, ac propterea fides vna & eadem potest esse informis & formata successiuè, vt patet in Catholico, qui aliquando labitur in peccatum mortale, aliquando resurgit & labitur. Docet hoc D. Iacobus *c. 2. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*; nam spiritus siue anima licet sit hominis forma essentialis; est tamen veluti accidens corporis, ac proinde abesse & adesse potest, salua corporis veritate. Item Concil. Trid. sess. 6. cõc. Tri. Canon. 18. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem licet non sit viua; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.* Ita D. Tho. D. Thomas 2.2. *quæst. 4. art. 3.*

10. Primarius fidei actus internus est credere; quia Deus dixit, vt patet ex Scripturis, vbi toties Prophetæ, hæc dicit Dominus Deus. Ideò D. August. *lib. de prædestination. Sanctor. cap. 2.* dixit, credere, esse cum assensione cogitare: seu quod clarius est assentiri cum cogitatione; quia videlicet auditis rebus fidei, vlterius cogitamus, non quidem de ipsarum veritate, quæ nobis est compertissima, sed de visione ipsarum vt in illis conquiescamus. Vide D. Thomam 2.2. *quæst. 2. art. 1.* Syluium *ibidem*. D. Tho. syluius.

11. Fideles peccatores, quamuis imperfectè, verè tamẽ credunt in Deum. Ratio est, quia cùm habeant veram fidem, vt ex Concilij Trident. *sess. 6. Canon.* 28. patet, habent volũtatem ex nonnulla obedientia propensam in id quod credunt, atque adeò actus fidei ipsorum sic à voluntate imperatur, vt credendo tendant in Deum sicut in vltimum finem. Dictum est, *quamuis imperfectè*. Solus enim is perfectè credit in Deum, cuius credendi actus imperatur à voluntate tendente in Deum super omnia dilectum, siue qui sic credit, vt credendo ipsum amet, omnemque spem suam in Deum dirigat, vt etiam annotatũ est supra *verb. Fides 1. num. 2. vers. Sed petis primo*.

12. Fides est fundamentum iustitiæ, atq; adeò iustitia inchoata. Probatur prior pars ex Concil. Trident. sess. 6. cõc. Tri.

cap.

cap.8. *Fides*, inquit, *est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pertinere.* Quæ verba reperiuntur apud D.Augustinus in serm. 38. de tempore, qui est in appendice trigesimus. (D.Aug.) Ipse autem August. Epistola 105. manifestè dixit, quòd *à fide omnis iustitia sumit initium*, & epistola 157. quod *omnes iusti, siue ante incarnationem Christi, siue post, nec vixerint, nec viuant nisi ex fide incarnationis Christi.* Atque hæc semper fuit Sanctorum Patrum concors sententia. Secunda pars diligenter tuenda est & bene intelligẽda contra hæreticos, qui docent sola fide hominem iustificari, fidem tamen non esse iustitiam, sed apprehendere iustitiam, quæ gratis offertur à Deo, perinde ac si pauper manu apprehendat eleemosynam à diuite gratis oblatam. Sed quod fides sit fundamentum iustitiæ probatur 1.Corinth.3 ergo pars iustitiæ, ergo iustitia inchoata: quod ostendit Apostolus ad Roman. 4. *Credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Ratio est, quia iustitia, nihil est aliud, quàm rectitudo quædam portionis rationalis & conformitas eius cum sua regula, quæ est lex diuina: vnde iusti sæpissimè in Scripturis vocantur recti corde, vt *Psalm.31.in fine, & Psal.96.11.* Fides autem formaliter conformat nostrum intellectum præcepto diuino, de credendo firmissimè ipsius reuelationi, ergo, &c. Libenter tamen admittimus fide nos iustificari, sed non sola, quia rectitudo intellectus non sufficit vt perfectè coniungamur Deo, sed requiritur etiam rectitudo voluntatis, quæ formaliter fit per spem & charitatem. (Bellar.) Vide Bellarm. *lib.1.de iustificatione, cap.12. & 17.*

13. Cùm materiale obiectum fidei diuinæ sit Verbum Dei, seu quidquid diuinitus viatoribus obscurè reuelatum est, dicendum illud Verbum Dei tripliciter diuidi. *Primò*, Verbum Dei aliud est, quod Deus per seipsum, nullo alio tanquam nuntio, aut Legato interueniente reuelat. Tale erat Verbum, quod factum est à Domino ad Prophetas. Talis erat vox de cœlo lapsa; hic est filius meus dilectus Matthæi 17.& 2.Petri 1. Aliud est verbum Dei, quod Deus per alium tamquam legatum suum loquitur, ac reuelat, sicuti indicat S.Petrus Epistol. cap.1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.* Postea verò locutus est nobis Deus per Apostolos & Euangelistas, iuxta illud Apost. 1. ad Thessalonicenses cap. secundò. *Cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicuti est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.*

Secundò, verbum Dei aliud est scriptum, & aliud non scriptum sed traditum. Nam verbum, quod Deus ad Adamum & Patriarchas locutus erat, non statim litteris mandatum fuit; sed per traditionem profectum vsque ad Moysen qui Pentateuchum scripsit. Sic nouum testamentum, quod Christus condidit statim scriptum non fuit, sed annis aliquod post eius ascensum, nec omnia scripta sunt, quæ Christus docuit & Apostoli Ecclesijs tradiderunt.

Tertiò, verbum Dei aliud est, quod publicam authoritatem habet, vt ab omnibus fidelibus recipi debeat, vt est testamentum vetus ac nouum: Item Traditiones tum diuinæ tum Apostolicæ; ac denique Ecclesiæ definitiones seu Canones, & quæcumque Ecclesia tamquam ad fidem vel mores generatim spectãtia, Christiano populo, decernit ac proponit. Alterum est, quod publicam authoritatem non habet: sed priuatim alicui à Deo reuelatum, ac nondum Ecclesiæ satis contestatum est.

Ecclesia de nouis fidei mysterijs reuelationes iam non accipit, vt olim Prophetæ & Apostoli, sed assistente & dirigente Spiritu Sancto docet, quodnam sit verum, ac legitimum Dei verbum scriptum, vel traditum, & quod suppostititium. Deinde quis verus & legitimus verbi Dei sensus ac interpretatio, quæ autem illegitima, atque hæretica: denique quænam ex verbo Dei scripto, aut non scripto per bonam consequentiam deducantur. De (Lirinẽsis) his videri potest Vincentius Litinensis *lib.contra hæreses, 32.*

14. Actus fidei est meritorius dupliciter, primò secundùm se: nam habet excellentem quandam honestatem ex obiecto, nempe revereri authoritatem diuinam, eique firmissimè assensum præbere, vnde Apostolus ad Roman.4. *Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iustitiam.* Secundò ex relatione in finem supernaturalem, vt si quis credat mysterio fidei ad eliciendam contritionem, dilectionem, &c. Rursus actus fidei non tantùm est meritorius ratione exercitii, sed etiam ratione specificationis: nam cùm aliquis credit, sicut oportet, non tantùm habet peculiarem libertatem, honestatem ac laudem, quia exercet istum actum, sed etiam quia se determinat ad istam speciem actus, cùm posset ad contrariam: at qui exercet actum scientiæ, verbi gratia contemplando materias mathematicas, non habet meritum, nisi referat illam contemplationem in finem bonum & supernaturalem. Secundò, ratione specificationis nihil meretur, quia non est illi liberum in alteram partem se determinare. Aliud est in opinionibus, quæ cùm non cogant intellectum, patiuntur liberam determinationem ad assensum, vel dissensum: vnde si quis ob bonum finem opinetur B.Virginem conceptam esse sine peccato originali, poterit mereri, non tantùm ratione exercitij, sed etiam ratione specificationis.

15. An ratio minuat meritum fidei? Resp. rationes antecedentes tollere, vel impedire fidem, sequentes augere. Ratio prioris est, quia rationes antecedentes vocantur, quibus homo principaliter innititur, vt credat, vt si quis teneat mysteria fidei ob magnitudinem miraculorum, excellentiam Sacræ scripturæ, non autem ob diuinam reuelationem.

Nota tamen rationes antecedentes esse duplicis generis, nam quædam sunt necessariæ ad euidentiam credibilitatis, & de his non loquimur, quia non tollunt, sed statuunt fidem, modò quis vlteriùs progrediatur, vt credat propter authoritatem diuinam. Aliæ sunt abundantes, & has requirere post sufficientem fidei propositionem, est peccatum infidelitatis, & sic intellige illud Diui Gregorij. *Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* (D. Greg.) Quando nempe aliquis credit ob experimentum, aut alia argumenta euidentia, tanquam ob principalem rationem credendi. Posterioris ratio est, quia rationes sequentes hic dicuntur, quas fideles amore veritatis excogitant, vel ad fidem defendendam, vel melius apprehendendam, vel clarius explicandam, vel promptiùs exercendam: tales enim rationes sunt signa magnæ fidei, & efficiunt vt conditiones meriti fiant illustriores. Ita Diuus Thomas 2.2. *quæst.2. art.10.* Syluius *ibidem.* (D. Tho. Syluius.)

FIDES II.

Quoad exteriorem actum fidei.

SVMMARIVM.

1 *An actus externus fidei sit professio fidei?*

2 *An contra externam fidei confessionem sit vti vestibus, quibus vtuntur infideles vel hæretici ex consuetudine?*

3 *An reliquere signum institutum ad manifestandam professionem fidei, sit contra exteriorem confessionem fidei?*

4 *An peccet contra externam confessionem fidei, qui latens sub vestitu Turcarum, dicit se esse Turcam?*

5 *An liceat exploratoribus Christianis simulare se esse Turcas, ac vestibus eorum vti &c.*

6 *An transiens per loca infidelium aut hæreticorum possit vesci carnibus sibi oblatis, diebus vetitis, ad vitandum graue damnum?*

7 *An liceat Catholicis occultis sumere cœnam hæreticorum, ob metum pœnarum?*

8 *An Prælati regulares, Lectores Philosophiæ ac sacræ*

Theologiæ regulares teneantur emittere professionem fidei, in religionibus, vbi Constitutio Py IV. non est recepta?

9 *An Abbates commendatarij perpetui teneantur ad hanc fides professionem emittendam?*

10 *An prouisi de capellanijs, portionibus in Ecclesiis Cathedralibus, teneantur fidei professionem emittere?*

11 *Pœna, quam infligit Tridentinum contra non emittentes professionem fidei intra duos menses, à die captæ possessionis beneficy, canonicatus vel dignitatis, est, vt fructus non faciat suos, nec illi suffragetur beneficy possessio.*

1. ACtus fidei externus est professio fidei. Ratio est, quia actus virtutis exterior est ille, qui ad virtutis finem intrinsecum refertur, vt eleemosyna & correctio fraterna, sunt actus misericordiæ externi, quia referuntur ad subleuandam proximi miseriam tum corporalem, tum spiritualem &c. professio autem fidei suapte natura refertur ad inhærendum primæ veritati, quæ est finis fidei intrinsecus. Ita D. Thomas 2. 2. *qu.* 3. *art.* 1. & alij communiter.

D.Tho

Dices professio fidei videtur esse actus religionis: nam audiendo sacrum, percipiendo sacramentum, canendo symbolum fidei &c. profitemur fidem, qui tamen sunt actus religionis? Resp. actum externum, cùm in genere mortis pendeat ab interno, posse aliquãdo referri ad veras virtutes: nam verbi gratia perpessio martyrij est professio fidei, quatenus testatur doctrinam Catholicam esse à Deo reuelatam: est actus spei, quatenus tendit ad obtinendum regnum cælorum: Est actus charitatis, quatenus pluris æstimat amicitiam diuinam quam vitam propriã; est actus religionis, quatenus sua morte honorat Deum &c. Cæterum ab ea virtute censetur actus externus elici moraliter, ad cuius finem ex sua natura est accommodatior, ac propterea cùm fidei professio sit oratio significatiua veritatis à Deo reuelatæ, aptissimè dicitur esse actus fidei externus, quamuis & ad alias virtutes pertinere possit.

2. Contra externam confessionem fidei non est, iuxta communem Doctorum sententiam, vestibus vti, quibus vtuntur infideles aut hæretici ex consuetudini vestiendi, quæ solent esse diuersæ, sicut sunt inter Catholicos: & illa diuersitas non ordinatur ad indicandam diuersitatem religionis. Ratio est, quia cùm huiusmodi vestes non sint vllo pacto signa religionis, induens illas non significat aliquid contra suam veram religionem; vnde talis vsus est etiam apud viros timoratæ conscientiæ. Neque hic vsus continet aliquod mendacium: quia vestes non se habent per modum signi. Debet tamen hoc limitari ad casum, in quo non vrget præceptum fidem confitendi: quia si vrgeret, esse peccatum mortale: non vsus illarum vestium præcisè, sed quia occultaretur non solùm fides, cessando à confessione, sed etiam habitus, vnde fides dignosci posset. Ita Syluester *verb. Apostas. quæst.* 1. *nu.* 4. & *verb. fides quæst.* 5. *nu.* 8. Toletus *lib.* 4. *cap.* 2. Sanchez *libr.* 2. *moral. cap.* 4. *n.* 17. & alij.

Syluest.
Tolet.
Sanch.

3. Relinquere signum institutum ad manifestandam professionem fidei est contra exteriorem confessionem fidei, secundùm Caietanum, quando lex est in vigore, & signum nõ est institutum ob finem politicum, sed ad manifestandam professionẽ fidei. Ratio ipsius est, quia tunc Catholicus per legem, atque adeò publica authoritate interrogatur de fide, imò plusquam interrogatur: quia à lege, exigitur confessio fidei, vnde tenetur respõdere; alias subtrahit debitum honorem Deo. Ita ille 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 1. Contraria tamen sententia est tenenda, modò non vrgeat præceptum confessionis fidei. Ratio est, quia licet occultare fidem quando non vrget præceptum confessionis: quia tunc non subtrahitur debitus cultus Deo, cùm tunc non sit obligatio exhibendi, & solùm occultatio est illicita, quando subtrahitur debitus cultus; omissio autem signi præscripti est tantùm occultatio fidei, nõ autem negatio, etiam quoad apparentiam: quia negatio fidei debet esse determinata; omissio autem signi, cum de se sit occultatiua, non est determinata vt sit negatio fidei: & solùm potest determinari ex eo quòd vrgeat præceptum confessionis. Ita Bannes. Pesantius, Arragon 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. Sanchez *loco citato num.* 29. Suarez *de fide disp.* 14. *sect.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *sum. cap.* 119. & alij.

Caiet.

Bannez.
Pesant.
Arago.
sanchez
suarez.
Rodrig.

4. Contra exteriorem confessionem fidei non peccat, qui latens sub vestitu Turcarum, dicit se esse Turcam, intelligendo quoad externam apparentiam, quando nõ vrget obligatio confessionis fidei. Ratio est, quia in tali casu non interuenit vera negatio fidei, cùm dicat se esse Turcam quoad externam solum apparentiam nõ autem quoad professionem fidei, qua nullo modo intendit negare; vnde solùm potest peccare ratione externæ apparentiæ, quatenus appareret fidem negare, sed neque hoc pacto peccat, nec interuenit apparentia negationis fidei. Quia apparentia externa negationis fidei non habet locũ nisi adsit etiam externa apparentia fidei, quæ negatur, & obligationis illam confitendi: nam sicut negatio fidei est discessio à fide, ita apparentia negationis est apparens discessio à fide; non potest autem esse apparens, nisi appareat etiam fides cum obligatione retinendi illam, à qua fiat discessus. Denique licet infideli dicere se esse infidelem; neque in hoc peccat: ergo indutus habitu Turcarum, potest dicere se esse Turcam intelligendo quoad externam apparentiam: quia cùm hoc dicat existens in apparentia alienæ personæ, sensus est quod persona quæ apparet, sit Turca, quod omninò verum est. Nec Catholicus sibi adscribit confessionem sectæ Mahumetanæ, sed personæ, quæ reuera illam profitetur, & cuius apparentiam habet. Ita in terminis Pasqualigus *in decis. moral decis.* 157.

pasqual.

5. Dubium est, an liceat exploratoribus Christianis missis ad infideles in commodum & vtilitatem Reipublicæ Christianæ, quamdiu apud ipsos infideles commorantur, simulare se esse Turcas, ac vestibus eorum vti, adire eorum templa, &c. Et quidem pro parte affirmatiua facit, quod simulatio falsæ religionis extra illos casus in quibus obligat præceptum affirmatiuum confitendi fidem, nec est contra id præceptum affirmatiuum, nec cõtra negatiuum, quia vt supponitur, tales non intendunt per verba aut cæremonias, falsæ religionis fidem suam negare, tunc enim mentirentur, quod numquam licet, neque profiteri alienam, sed tantùm in ea re spectant vtilitatem Reipublicæ Christianæ & suam ne ab infidelibus occidantur. Neque etiam huiusmodi simulatio est contra charitatem Dei, aut proximi; quia abest scandalum infirmorum, & adest iusta causa, propter quam meritò sit negligenda deceptio infidelium, qui putent hos esse infideles. Propter has rationes, quidam Doctores admittunt hanc sententiam vt probabilem, inter quos, sunt Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *versus hac sententia, & vers. nihilominus* Adrianus *in* 4. *qu.* 1. *de bapt. in resp. ad* 5. *arg.* Ioannes Machadus *de perfect. confess. tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *document.* 5. *num.* 8. Imò pro hac sententia citatur D. Hieronymus *comment. super cap.* 2. *epist. ad Galatas*. Nihilominus communior & probabilior sententia asserit non licere prædictis exploratoribus Synagogas & Moscheas adire, quo tempore Turcę ad eas confluunt causa orandi, vel adorandi Mahometum, vel aliud idolum: secus autem si adeant Moscheas ad negotium aliquod ciuile peragendum, ad inseruiendum alicui Principi vel animo inspiciendi, aut inquirendi quid ibi agatur, absque intentione non solùm interiùs, sed etiam exteriùs colendi Mahometum, vel idolum. Ita citans multos Bonacina *de fide punct.* 3. *num.* 27. qui tamen concedit posse exploratores Principum Christianorum vti signis & vestibus, quę iuxta regionis consuetudinem adhiberi consueuerint, modò Mahometus, vel aliquis falsus Deus, in ipsis non exprimatur. Nam vsus signorum ex sua natura indifferentium non videtur illicitus, modò iusta subsit causa, circa scandalum, aut animum significandæ falsæ fidei, hoc enim pacto fides non negatur; cùm huiusmodi signa non adhibeantur animo negandæ fidei, neque contraria in fidei nostræ sectam ex se significent. Non liceret tamen vti illis signis, quæ sunt falsæ fidei ex se protestatiua, vt idolum adorare, orare ad idolum, &c. etiamsi hæc signa non adhibeantur animo negandi fidẽ, sed intentione propriam fidem celandi ad vitandam mortem vel ad consulendum

Valentia
adrianus
machad.
D. Hier.

Bonac.

lendum bono publico Religionis. Ratio est, quia vsus horum signorum est intrinsecè malus; sunt enim signa ex se ordinata ad negandam fidem; metus autem non excusat ab opere intrinsecè malo. Pro hac sententia adducit Nauarrum, Sanchez, Bannem, Syluestrum & alios. Vide quæ diximus *tom.1.verb.Fides 11.num.6.*

Nauarr. Sanchez. Bannes. Syluest.

6. Non peccat contra fidei confessionem fidelis & Catholicus transiens per loca infidelium aut hæreticorum, si celandæ Religionis causa, ad euitandum graue damnū, carnibus sibi oblatis, in diebus vetitis, vescatur, dummodò absit scandalum, & non tentetur illius Religio auctoritate publica, vel inde Religionis Catholicæ despectus non oriatur. Probatur, quia hic non delinquit contra legem Ecclesiasticam ieiunij, quæ in casu non obligat: neque contra legem diuinam non abnegandi veram fidem & non profitendi alienam. Quia carnium esus die interdicto secundùm se nō est nota aut professio hæresis, cùm inter Catbolicos etiam reperiantur, qui diebus interdictis carnes comedunt, vel iusta causa excusati, vel interdum intemperantia superati.

Neque obstat, quod hæretici ex hoc signo colligere soleant aliquem suæ fidei sectatorem, aut à Romana Religione deficere: quia hanc ipsorum deceptionem ob grauem causam interdum permittere licet dummodo absit scandalum & Religionis orthodoxæ contemptus, vt dictum est: Ita Sanchez *lib.2.moral.cap.4.num.25.* Azorius *tom.1.libr.7.cap.29.quæst.7.ad fin.* & *lib.8. cap.27.quæst.3.* Coninck *de fide disp.15. dub.3. num.* 50. Castrus Palaus *tom.1.tract.4.disp.1.punct.17.num.9.* & alij. Monet autem rectè Becanus in 2.2.*cap.9.quæst.5.dub.5.* Si Catholicus sit apud Lutheranos, à quibus plerumque non graue periculum, sed solum irrisio aliqua timeri potest, si quis inter eos à carnibus abstineat, tali casu abstinendum esse, & legem Ecclesiasticam obseruandam.

Sanchez. Azor. Coninch Palaus. Becanus

7. Ex communi Doctorum sententia non licet occultis Catholicis inter hæreticos ipsorum cęnam ob metum pœnarum sumere. Ratio est, quia talis cœna, si absolutè & præcisè spectetur, licet res indifferens sit, & famis sitisve sedandæ etiam naturalem vsum habeat: tamen per circumstantias personarum, loci, temporis, adiunctorum verborum, &c. determinatur ad significandum cultum, ac professionem Religionis hæreticæ: ac proinde fideles eam sumere non possunt absque simulatione falsæ fidei. Et licet Catholicus cęnam hæreticorum sumere non prohibeatur cum protestatione publica, facta non coram solo Ministro, seu Prædicante, sed toto populo, se tantùm sumere vt prophanum & communem panem, &c. talis tamen protestatio plerumque nihil proderit ad pacem cum incolis retinendam, vel omne scandalum tollendū.

8. Quamuis Prælati regulares, iuxta constitutionem Pij IV. quæ incipit, *Iniunctum nobis*, editam idibus Nouembris 1564. ad fidei professionem emittēdam adstringantur, vt docent Rodriguez *tom.2.quæst.regular.quæst.73.art.1.* & eius compendiator Hieronymus Rodriguez *resol.67* cum alijs. Tamen in illis Religionibus in quibus prædicta constitutio Pij IV. non est vsu recepta, vel est contrario vsu abolita, Prælati regulares non tenentur ad fidei professionem emittēdam. Ita Sorbus noster *in compenden. priuileg. mendicant. verb. Professio fidei*, vbi dicit Sacram Congregationem Eminent. Cardinalium, dictā constitutionem non esse in vsu quoad Prælatos regulares, respondisse; atque ita pariter consuluisse doctissimos viros alias, & ita obseruari in praxi. Quam sententiam sequitur Sanchez *lib.2.moral.cap.5.num.3.* Diana *part.3. tract.2 resolut.78.* & de eadem praxi testatur noster Sigismundus à Bononia *tract.de elect.Prælat.dub.50.in fine.* quidquid dicant alij, quia reuera hodie in quibusdam religionibus prædicta constitutio non obseruatur. Idem dicendum putat Diana de regularibus Lectoribus Philosophiæ ac sacræ Theologiæ professionem fidei non facientibus, in religionibus vbi dicta constitutio non est vsu recepta, vel per contrarium vsum abolita.

Pius IV. Em. Ro. Hie. Ro. Sorbus. sac. Cōg. Sanchez. Diana. A. Bono. Diana.

9. Abbates Commendatarij perpetui, cùm facultate disponendi de fructibus, sicut veri beneficiati tenentur Fidei professionem emittere, quia cum huiusmodi commendæ censeantur habere vim & effectum tituli canonici, *cap.dudum el 2.de elect.cap.qui plures 21.quæst.1.* meritò tenentur ad fidei professionem emittendam, vt docet Barbosa *de potest. Episcop. part.3. allegat.61.num.12.* Idem dicendum est, de Abbatibus sæcularibus, qui sunt dignitates in Ecclesijs Cathedralibus, ex dispositione Concilij Trident. *sess.24. cap.12. de reform.* vbi voluit, quod prouisi de canonicatibus in Ecclesijs Cathedralibus idem facere teneantur.

Barbosa. Cōc. Tr.

10. Ad hanc fidei professionem non tenentur prouisi de canonicatibus aut dignitatibus in Ecclesia Collegiali, nec prouisi de portionibus aut alijs capellanijs in Ecclesiis Cathedralibus. Nec illi, qui de beneficiis Parochialibus non prouidentur? sed Episcopus eos Parochos constituit. Vt contingit in Diœcesibus, in quibus nulla sunt Parochialia beneficia. Probatur ex textu Tridentini certas personas ad hanc fidei professionem obligantis, sub quibus prædictæ non comprehenduntur.

11. Pœna illorum, qui secundùm Tridentinum tenentur fidem profiteri, & non profitentur intra duos menses ad minus à die captæ possessionis beneficij, canonicatus vel dignitatis, est, vt fructus beneficii non faciant suos, nec eis suffragetur beneficii possessio; Hic notandum *Primò*, quòd per hoc decretum non amittatur titulus, quia id ibi non exprimitur, solùm enim vult Concilium, ne possessio suffragetur, quoad fructus beneficii acquirendos, dum ea fidei professio emissa non fuerit. An autem differens professionem fidei, ita fructus beneficij perdat, vt nulla iudicis expectata sententia teneatur eos restituere? Quidam affirmant, quia Tridentinum statui possessionem huic non suffragari. At si non possideret, nullatenus acquireret fructus, ergo tenetur eos tanquam rem alienam restituere. Ita Azorius *tom.2.lib.7. cap.2.quæst.1.* & alii. Hæc sententia est probabilis. Contraria tamen meritò probabilior videtur, nempe non teneri restituere, donec condemnetur. Ratio est, quia hoc decretum est pœnale, ac proinde, etiamsi pœnam ipso iure irroget, non obligat in foro conscientiæ. Tum quia quando Tridentinum vult obligare in foro conscientiæ ad restituendum non expectata iudicis sententia, non solis iis verbis, *Fructus non faciat suos* id explicat; sed vlteriùs progreditur vt constat ex *sess.23. capit.1. de reform.* volens non residentem obligare ad fructus statim restituendos, nulla etiam alia declaratione secuta. Ita Sanchez *lib.2.moral.cap.5. num.10.* citans Nauarrum & Rodriguez.

Azor. Sanchez. Nauarr. Rodriq.

Nota *secundò*, quòd si intra bimestre fidei professio non emittatur duobus mensibus elapsis beneficiarius, vel prouisus, non remanet solutus obligatione illam in posterum emittendi, sed semper ad illam faciendam tenetur: quia terminis duorum mensium à Concilio assignatus, non est præfixus ad remittendam ac terminandam obligationem, sed ad differendam pęnam, vt colligitur à simili ex text. *cap.cum Dilecti, § præterea de dolo & contumac.* & docent Azorius *p.2. lib.7.c.2.qu.5.* Rodriguez *tom.1.Summ.cap.119. num.7.* & alij.

Azorius. Rodriq.

Nota *Tertiò*, omittentem fidei professionem non iuuari regula de triennali possessore, ne teneatur fructus restituere, vel statim, vel secuta iudicis sententia, quantumuis triennio possederit: quia ea regula Cancellariæ solum agit de legitimando beneficij titulo, non de comparando fructuum dominio legitimo titulo perceptorum, quando deperduntur ob aliquam rationem. Ita Nauarrus Rodriguez, Petrus Ledesma, Azorius quos refert & sequitur Sanchez *loco citato num.11.*

Nauarr. Rodriq. P. Ledes. Azorius. Sanchez.

Imò nec iuuabitur hic omittens præscriptione ratione possessionis triennio bona fide illorum fructuum, quia Tridentinum statuit, nec huic suffragetur possessio ad fructus acquirendos; quamuis aliàs fructus beneficij tanquā res mobiles præscribantur triennio. Excusabitur tamen hic à fructuum restitutione, si ignarus dicti decreti hanc professionem omiserit: quia sicut ignorantia illa liberabit culpa omissionis, sic quoque liberabit pęna; licet in foro externo hæc ignorantia, vtpote iuris clari, non admittatur. Ita Doctores proximè citati apud Sanchez *nu.13.* quibus adde Sorbum nostrum *verb. Professio Fides, notab.2.in compend. priuileg. mendicant.*

Sanchez. Sorbus.

Vide hoc tom. v. Clericus *num.* 5. Hæresis *numer.6.* & to.2.v. Papa *nu.11.*

FILIVS.

SVMMARIVM.

1 *Vnde deducta sit vox filius? & apud Iuristas enumerantur quinque species filiorum.*

2 *De cura filiorum erga parentes; & quando filij teneantur amare parentes?*

3 *In necessitate spirituali parentum tenentur filij illis subuenire.*

4 *Filij tenentur reuerentiam non solum exteriore, sed etiam interiorem parentibus exhibere: & grauiter peccat aliter facientes.*

5 *Tenetur filius patri obedire in iis, in quibus est illi subiectus.*

6 *Filius tenetur parentum necessitati corporali subuenire quantum potest.*

7 *An filius possit ingredi religionem, parentibus redactis ad egestatem extremam vel grauem?*

8 *An quando necessitas parentum est extrema, filius professus teneatur religione egredi?*

9 *An teneatur filius professus egrediens religione ad subueniendum parentibus, gestare habitum religionis suæ, & obseruare maiores obseruationes religionis?*

10 *Tenentur filij adimplere testamenta parentum.*

11 *Quando filius liberetur à patria potestate?*

Calepin. Cac. Syluest. Lorich.

VOx *filius* videtur deducta à Græco *φιλος* quod amicum significat, Calepin. Panorm. *in Cap. innotuit. de elect.* Syluester *verb. Filij nu.* 1. Lorichius *in thesaur. verb. Filij numer.* 1. quia omnium amicissimè sunt parentibus filii; apud Iurecons. enumerantur *quinque species* filiorum; *primos* vocant naturales, ac legitimos, vt sunt nati ex legitimo thoro. *Secundi*, dicuntur legitimi tantùm, vt adoptiui. *Tertij*, vocantur naturales tantùm, vt nati ex vna concubina in domo retenta, velut vxore, seu ex ambobus parentibus solutis. *Quarti*, appellantur spurij, qui nec naturales, nec legitimi sunt, vt nati ex adulterio, aut consanguinea, aut meretrice, aut vago concubitu, aut ex religioso vel clerico in sacris, etiamsi fuerit eius legitima vxor, quam duxit laicus. *Quinti* sunt legitimi & spirituales, vt suscepti ex baptismo & confirmatione.

2. Filijs curanda sunt generaliter sex erga parentes. *Primò*, enim tenentur filij parentes amore prosequi, qui amor consistit in fuga odij, quod est præceptum negatiuum, non habendo, scilicet odio parentes, & in exhibitione signorum amoris, quod est præceptum affirmatiuum, obligans ad amandum parentes, saltem cùm subest necessitas, qua iudicio prudentis viri, amoris signa exhibere teneantur, vnde grauiter peccant illi qui parentes odio prosequuntur, vel graue aliquod malum animæ vel corporis illis exoptant, verbi gratia, cupiendo illis mortem, vt quamprimùm in hæreditatem succedant, & hæc circumstantia odij vel iniuriæ contra parentes, aut prælatos, aut superiores, in confessione est aperienda, quia habet malitiam oppositam pietati parentibus debitæ. Reginald. *d. leg. 20. cap. 2. numer. 7. & 8.* Clauis Regia *lib. 7. cap. 7. num. 7.* Fillucius *tract. vigesimo octauo, cap. primo, num. 3. part. 2.* Nauarrus *cap. 14. num. 11.* Toletus *l. 5. cap. 3.* & alij.

Reginal. Cl. Reg. Nauar. Filliuc. Toletus.

3. *Secundò*, filij tenentur in necessitate spirituali parentum, illis subuenire, vnde peccant mortaliter si non curent, vt in articulo mortis confiteantur, vel si prohibeant eleemosynas, & pia legata facere pro salute animæ, & multò magis si voluntatem ipsorum auertant, à facienda restitutione illorum quæ restituere tenentur. Reginald. *d. cap. num. 9.* Filliuc. *cit.*

Regin. Filliuc.

4. *Tertiò*, Filij tenentur reuerentiam suis parentibus exhibere, non solùm exteriorem, quæ exhibetur verbis & alijs signis, verbi gratia, honorificè loquendo, non detrahendo de parentibus, assurgendo, caput inclinando, famulando, impediendo damna, &c. verùm etiam interiorem, quæ fit per recognitionem superioris: & per timorem quemdam filialem, Syluester *verb. Filij, quæst. 22.* Molfesius *in summ. tract. 2. cap. 18. num. 52.* Hinc grauiter peccant filij, qui parentes animo deliberato ad notabilem prouocant iracundiam, verbis contumeliosis, & in eos verba proferunt, quæ ex se sunt prouocatiua in magnam iram, etiamsi parentes reipsa indignationem non concipiant: *item* mortaliter peccant qui parentem percutiunt, quamuis leuis sit, hæc enim communi hominum sensu grauis iniuria reputatur; *idem* dicendum, si filius manum eleuet ad percutiendum, cum sufficienti deliberatione, Clauis Regia *l. 5. cap. 3. num. 3.* Graffijs 1. *part. l. 2. cap. 56. num. 6.* *Porrò* qui dedignantur, vel contemnunt, vel non volunt agnoscere parentem, vel maledicta in parentes viuos aut mortuos conijciunt; quamquam à mortali possent excusari filij, qui exteriùs, solùm dissimularent & dedignarentur ex iusta causa, absque contemptu interno, v. g. si parentes sint infames, proditores, vel hæretici. Azor *tom. 1. l. 2. cap. 2. quæst. 10.* Tolet. *c. num. 6.* Bonacina *tom. 2. disp. 6. quæst. vnic. punct. 2.*

Syluest. Molfes.

Cl. Reg. Graffijs.

Azorius. Tolet. Bonac.

5. *Quartò*, tenetur filius patri obedire in ijs, in quibus est illi subiectus, verbi gratia, in ijs quæ pertinent ad domesticam gubernationem (modò res grauis sit) & ad bonos mores salutemque animæ, vt in vitandis prauis amicitijs, in fugiendis meretricibus, ludis prohibitis, & huiusmodi: *Ratio* vtriusque casus est, quia filius iure naturæ subditus est parentibus, quoad domesticam gubernationem, & morum instructionem: vnde si dispenset bona paterna sine licentia patris, mortaliter peccabit; etiamsi hæres vnicus sit. *In rebus* autem illis, in quibus non subest patri, non peccat si non obediat, verbi gratia, in rebus malis & iniustis, in electione status perfectioris siue de clericatu, siue de ingressu religionis: *imò* in materia matrimonij, non tenetur semper filius obedire patri, licet in duobus casibus peccet mortaliter: *puta* si contra voluntatem patris contrahat cum aliqua indigna, id est, cum aliqua infra statum suum notabiliter, *vel* si dignam ducat, adest tamen aliqua necessitas in familia, vt iuxta patris voluntatem contrahat. Clauis Reg. *l. 7. c. 5. nu. 9. 10. & 11.* Reginald. *l. 20. num. 16. 17.* Bonacina *tom. 2. disput. 6. quæst. vnic. punct. 4.* Rodrig. *in summa 1. part. cap. 14. n. 2.* Nauar. *cap. 14. num. 15.* Benedictus *in sum. l. 2. cap. 1. nu. 15.* & alij. Extra similes casus, non tenetur filius obedire patri præcipienti coniugium aliquod. Imò non peccat contrahendo inuitis parentibus, si iustam causam habeat, vt si iniustè prohiberetur ab illis à matrimonio prætenso, aut si vellent eum collocare in matrimonio, à quo abhorret; puta, quia imprudenti, vel ægritudine laboranti volunt eum coniungere. Quod si filius non habeat iustam causam contrahendi inuitis parentibus, tenetur eos consulere, non tamen tenetur eorum cõsilium sequi sub peccato mortali. Ratio est, quia in matrimonio est quasi seruitus perpetua, ad quam nemo potest compelli, cùm sit liberæ conditionis, & quisque libertatem debeat habere in electione status sui, vt docent communiter Doctores apud Hurtadum *tract. de matrim. disp. 6. diffic. 10. num. 35. & 36.* contra Bellarminum, Rebellium & Sotum. Vide plura de his, to. 2. *V. Sponsalia 11. n. 7. & 8.* & apud Dianam *part. 4. tract. 4. resol. 132.*

Cl. Reg. Reginal. Bonac. Rodrig. Nauarr. Bened.

Hurtad. Bellar. Rebell. Sotus. Diana.

6. *Quintò*, sicut tenetur filius parentum necessitati spirituali subuenire, ita & corporali, quantùm potest: vnde grauiter peccat filius, qui parentes infirmos non visitat, vel ipsorum sanitati non consulit, vel in carcere detentos, aut mente captos liberari non curat, vel in magna necessitate constitutis non succurrit; etiamsi parentes alioquin possent sibi per aliquam artem statui suo indecentem subuenire: *secus* si possent sibi subuenire per officium vel artem, quæ non sit dedecori suo statui. D. Thomas *2. 2. quæst. 125. art. 5.* Toletus *lib. 5. cap. primo.* Filliucius *tract. 28. part. 2. num. 3.* Clauis Regia *cap. numer. 15.* & alij.

D. Tho. Nauarr. Cl. Reg. Syluest. Bonac.

7. Filius non potest ingredi religionem parentibus, id est, patre aut matre, redactis ad egestatem extremam vel grauem; quia præceptum præferendum est consilio, sed debet eis subuenire, modò concurrant hæ conditiones. *Prima*, vt paupertas sit præsens. *Secunda*, vt necessitas sit extrema vel grauis, quæ talis dicitur, dum parentes quidem possent sine ope alterius viuere, sed cum notabili

tabili iactura & detrimento sui status & conditionis, vt mendicando vel famulando alijs. *Tertia*, vt filius remanendo in sæculo, possit subuenire tali necessitati de præsenti, & ingrediendo non possit. *Quarta*, vt non sit alius qui possit & velit subuenire. *Quinta*, vt filius remanēdo in sęculo non sit in graui & probabili periculo peccandi mortaliter, à quo liberetur per ingressum religionis. D.Thom. *c.quæst.* 101.*art.*4.*ad* 2.Nauar.*c.nu.*14.Clauis Reg.*l.*7.*c* 6.Syluest.*v.religio* 2.*qu.*7. Bonac. *c.punct.*5.*num.*4. & alij.

D. Tho. Nauarr. Cl. Reg. Syluest. Bonac.

8. Filius professus, dum necessitas parentum est extrema; tenetur egredi religione, etiam inuito prælato, si verisimile est egrediendo, quòd possit subuenire: si autem necessitas sit tantùm grauis, & parentes erant in tali necessitate, quando filius religionem ingressus est, tenetur etiam egredi, quia huiusmodi debitum præcessit ingressum religionis; si verò non erat, sed aduenit post ingressum, tunc tantùm tenetur pro viribus perseuerando in suo statu ei subuenire, quamuis posset permissu etiam superiorum egredi. Sanch. *in Summ.l.*4.*cap.*20.*num.*14. Toletus *l.*5.*cap.*1.*nu.*6.Nauar.*cap.*14.*nu.*14. Rodrig.*tom.*2.*Summ.cap.*6.*num.*4.

Sanch. Tolet. Nauar Rodriq.

9. Egrediens religione filios professus, ad subueniendum parentibus, debet gestare habitum religionis suæ, *cap.*2.*Ne clerici vel monachi in* 6. & quamdiu manet in sæculo debet obseruare non solùm essentialia religionis, sed etiam maiores obseruationes, siue ieiuniorum, siue aliorum prout poterit; præterea tenetur reuerti ad suam religionem quamprimùm ac parentes subleuauerit ab illa extrema necessitate, ita vt differens ex industria subleuare, vt diutiùs moretur in sæculo, non est in conscientia tutus: imò tenetur redire quandocumque iussus fuerit à prælato suo oblatis necessarijs pro subleuatione necessitatis parentum. Clauis Reg. *c.cap.* 6.*num.*19. *& seq.* Reginald.*l.*20.*num.*13. Filliuc. *c.num.* 10.& alij.

Cl. Reg. Reginal. Filliuc.

10. *Sexto*, tenentur filij adimplere cùm primùm poterunt, quæ sunt ordinata in testamentis parentum circa debita & legata; eaque differre sine iusta causa est peccatum mortale. Nauarr.*num.*16.Filliuc.*c.num.*3.

Nauarr. Filiuc.

11. *Filius* liberatur à Patria potestate, per mortem patris, per professionem religionis ipsius patris aut filij, per promotionem ipsius ad Episcopatum, *aut*, quando pater perpetuò sit exul & deportatus est, aut quando fit hęreticus, *aut* exponit filium infantem vel languidum, *aut* alio ipsum exponente consentit, *aut* id ratum habet, *aut* quādo filius emancipatur à patre coram iudice competente, *aut* quando pater scienter contrahit incestas nuptias, aut si captus bello iusto, aut seruus fit; *imò* alicubi quando filius matrimonium contrahit. Sed de his plura apud Reginald.*l.*20.*n.*23. Emmanuel Sà *v.Filius num.*23.

Regin. Eman. Sà

De Filio, vide tom.1.v. *Adulterium* n.8. *Alimenta* n.5. *Dominium* 1.n.6. *Donatio* n.10.11. *Exhæredatio Eleemosyna* n.11. *Fideiussio* n.3. *Furtum* 2.nu.1.2.3. *Heres* num. 11.12. *Contractus* n.26. & 10.2.v. *Irregularitas* 10.num.3. *Ludus* 2.n.1. *Mutuum* nu.3.4. *Sponsalia* 2.num.7.8. *Testamentum* n.6 9. *Testis* num.2. *Tutela* n.3.. *Religio* 2.n8.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quando filius illegitimus per subsequens matrimonium fiat legitimus, & quando non.*
2 *Quando filius adoptiuus succedat cum filijs legitimis? Et quid sit emancipatio.*
3 *Filij emancipatio quando fieri possit? à quo? & an ad hanc possit compelli pater.*
4 *An filius inuitus emancipari possit.*
5 *An filius naturalis succedat Patri vel Matri cum filijs legitimis.*
6 *Qui dicantur filij illegitimi secundum ius Cæsareum? & an Nothi succedant matri.*
7 *Filius-familias impubes vel pubes, an ex contractu ciuiliter vel naturaliter obligetur.*
8 *An lucrum filij-familias in domo paterna existentis, inter bona aduentitia numeretur.*
9 *An filius nolens alimenta à patre recipere, possit ab eo impediri, ne alio proficiscatur.*
10 *Qui nomine filiorum veniant, in materia fauorabili vel odiosa.*
11 *Filius, qui ex metu reuerentiali paterno, patri morienti promisit soluere eius debita vel legata, an ad id teneatur.*
12 *Quando filius minor possit petere restitutionem in integrum, qui promisit patri soluere eius debita.*
13 *An pater possit vota realia filij-familias irritare, in quacumque ætate illa emiserit.*
14 *Filius quadruplex officium pietatis erga parentes suos præstare debet.*
15 *An filius teneatur magis patrem quàm matrem diligere & ei succurrere.*
16 *Quæ conditiones requirantur, vt filia inuitis parentibus nubens, possit exhæredari.*
17 *An leges ciuiles, quæ exhæredant filias inuitis parentibus clandestinè matrimon. contrahentes, validæ sint & seruandæ in foro canonico.*
18 *An leges ciuiles prædictæ corrigantur iure canonico, quando matrimon. contrahitur à filiabus seruata forma Tridentini inuitis parentibus.*

1. Filius illegitimus natus ex soluto, & soluta per subsequens matrimonium fit legitimus, si poterant parentes legitimè contrahere, etiamsi non immediatè contrahant, sed vterque ad aliàs nuptias transeat, dummodo contrahant inter se dum ambo viuunt. *Ex cap.Tanta, qui filij sint legitimi.* Similiter etsi tempore conceptus fœtus non poterat inter eos matrimonium contrahi propter aliquod impedimentum dirimens, tamen si tempore partus, per dispensationem legitimè cōtrahant, fit legitimus: quia inter parentes potest tunc matrimonium legitimè contrahi. *Item* natus ex matrimonio clandestino, si illud ritè ac legitimè deinde contrahatur & ab Ecclesia comprobetur, fit legitimus. *cap.Quod nobis, qui filij sint legit.* Item, censetur legitimus filius, si parentes in prohibito gradu cognationis vel affinitatis ignorantes impedimentum, in facie Ecclesiæ contraxerint, donec impedimento detecto per sententiam iudicis separari debeant, *cap.cum inter eodem titul.* Item, quando quis contraxit cum aliqua matrimonium, cuius prior maritus credebatur mortuus, si generet filios, donec sciris prior maritus adhuc viuere, sunt legitimi, & in hoc casu & præcedenti, sufficit si alter coniugum credat nullum esse inter eos impedimentum, *cap.perlatum, eod.tit.* Ex his sequitur, filios natos ex his, qui contrahere matrimonium scienter tunc non poterant; non posse fieri legitimos per subsequens matrimonium, vt nati ex religiosis, aut clericis in sacris, aut cognatis & affinibus, ex concubinis, vel alijs solutis, durante matrimonio cum legitima vxore, vel adulterio, aliove modo impeditis. Natus tamen ex adulterio ignorato, hoc est, cum alter coniugum crederet alterum esse liberum, & non erat, per subsequens matrimonium fit legitimus, *c.conquestus & c.Tanta, qui filij sint legit.* Denique filij tales in prædictis casibus censentur legitimi, ipsis etiam parentibus tempore contractus coniugatis repugnantibus; cum hanc legitimationem ius concedat in fauorem matrimonij, cui parentes renunciare non possunt, immò nec ipsi filij; interest enim Reipublicæ hanc legitimationem fieri. Ita Couar. *tom.*1. *de matrimon.part.secunda, cap.*8.§.2.Sayrus *de censur. lib.*6.*cap.*10.*n.*15.*& sequentib.* & alij ab ipsis citati.

Couarr. Sayr.

2. Filius adoptiuus, si à patre adoptante necdum est legitimè emancipatus, succedit cum filijs legitimis Patris sui legitimi ac naturalis, eo mortuo. Si autem emancipatus est à patre legitimo, non succedit, *l.final. Cod. de adopt. & Instit.de hered. quæ ab intestat. defert.* §. *item adoptiuus.* Emancipatio autem dicta est quasi à manupositio vel traditio: sicut mancipare est manu capere, & in seruitutem redigere, vnde mancipium. Emancipare ita ex nomine significat mancipium libertate donare. Vti tamen

tamen loquentium emancipatio dicitur relaxario patriæ potestatis coram iudice competente, vtriusque Patris & filij consensu facta. Per hanc emancipationem filius dicitur emancipatus hoc est sui iuris factus. Vt colligitur ex *l. non nudo, C. de emancip. liber.*

3. Emancipatio filij regulariter non fit ante annos pubertatis. Potest tamen antea fieri iubente principe, etiam filio non consentiente; idque per patrem ipsum, aut per procuratorem, si filius absens sit. Pater tamen iuris ordine eò compelli non potest, nec debet, nisi commereatur, quia patria potestas est inæstimabilis, *l. filius-familias, ff. de leg. 1.* commeretur autem id quadrifariam. *Primò*, si filium immoderatè verberibus cedit, *Secundò*, si eum cōpellit peccare in corpus suum. *Tertiò*, si filius est arrogatus impubes (hoc est, cùm sui iuris esset, ab aliquo assumptus in filium) & pubes factus probat sibi non expedire esse arrogatum. *Quartò*, si pater agnouit seu acceptauit relictum legatum, vt filium emanciparet.

4. Pater potest etiam emancipare filium absentem, sed consentientem, ex mandato vel indulto Principis. Sed filius non potest compelli vt patiatur se emancipari inuitum. Quia in his quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, non potest quid fieri altero inuito. Porrò si filius emancipatus Patri neget, aut non præstet alimenta necessaria, redigitur iterum in Patris potestatem & iustius quàm Libertus (hoc est seruus manumissus) non præstans alimenta suo
Syluest. patrono, reuocatur in seruitutem. Hæc omnia ex Syluestro *verb. Emancipatio.*

5. Filius concubinarij, qui propriè dicitur naturalis numquam succedit cum legitimis filijs, aut vxore legitima, Patri defuncto: neque cum nepotibus legitimis Succedit tamen Patri ab intestato in duabus vncijs hæreditatis, id est, in sexta parte, & vna cum illo mater, æquali portione, si legitima vxor superstes non sit. Testamento verò, vel donatione concessum est patri liberos legitimos habenti, naturalibus filijs, vnà cum matre eorum, vnicam vnciam relinquere, sin verò mater absq; liberis superstes sit, semiunciam, si plus acceperint, ad restitutionem hæredibus faciendum ipso iure obligantur. Si autem liberi legitimi non extent, permissum est patri illegitimos naturales ex asse hæredes instituere; vel quomodo ei placuerit, bona sua eis donare, dummodo ascendentes, si supersint, legitima non priuentur. Ita habetur *in Authent. Quibus modis naturales efficiuntur sui, & Authent.*
Syluest. *licet, C. de natural. liber.* De quibus videri potest Syluest.
Molina. *verb. filij quæst. 3.* Molina *de instit. tom. 1. tract. 2. disp. 169.* At verò matri, spectato iure communi Cæsareo naturales tam ab intestato, quàm ex testamento vnà cum legitimis succedere solent, *l. si qua illustris, Cod. ad Senatusc. Orficianum & Institut. eod. §. nouissimè.* Excepto tamen feudorum iure, ad quæ illegitimi non admittunt, *lib. 2. feudor. tit. si de feudo defuncti fuerit controuersia, §. naturales.*

6. Secundùm ius Cæsareum, illegitimi, alij dicuntur naturales, alij non naturales: sed naturales ij solùm censebantur, qui nati erant ex concubina vnica domi retenta, cum qua matrimonium contrahi potuisset: *Authent. quibus modis naturales efficiuntur, §. si quis autem defunctus.* Non naturales verò, si cum eorum matre matrimonium contrahi non potuisset, nati ex coitu damnato censebantur, reliqui autem nothi dicebantur, qui à naturalibus, seu ex concubina domi retenta natis etiam hodie differunt, quòd illorum naturalium, pater certus præsumitur, donec contrarium ostendatur; Nothorum verò incertus, quousque probationibus demonstretur: quamobrem hi spurij, seu vulgo concepti appellari solent. Quibus positis dicendum est quod Nothi seu vulgò concepti, spectato communi iure, matre & alijs parentibus maternis, vnà cum legitimis succedunt, *l. 2. & 8. ff. vn. de cognat.* Nisi mater illustris sit: ab eius enim hæreditate, si liberi legitimi adsint, spurij, seu vulgò quæsiti excluduntur, *l. si qua illustris supra.* Ad successionem verò patris eiusmodi illegitimi non admittuntur, cùm eum vel omninò non, vel saltem honestè demonstrare non possint. Qui verò ex coitu damnato orti sunt, ij omnis successionis in bonis paternis, ac maternis, aliorumque ascendentium, tam ab intestato, quàm ex testamento, fideicommissaria substitutione, &c. incapaces sunt: sicuti & vice versa; parentes succedere non possunt in bonis eiusmodi filij spurij. Vt colligitur *ex Authent. Ex complexu Cod. de incestis nuptijs & Authent. Quibus modis naturales, supra:*
Et ex communi docent Mynsingerus *centur. 1. obseruat.* Minsin.
35. Nauarrus *lib. 3. Consil. 2. de success. ab intestato, edit. 2.* Nauar.
Molina *tract. 2. disp. 167. concl. 4.* & alij. Quamuis quidam Molina.
probabile existiment, filium coniugati, vel Sacerdotis ex soluta posse succedere matri; & verior sit contraria opinio, quia sunt coitus lege damnati. Item posse spurium retinere quæ mater reliquit, donec per iudicem priuetur, modò non noceat notabiliter legitimis liberis. Excipe tamen mulierem illustrem, *ex l. si qua mulier illustris, cit.*
suprà. De his vide Couar. *tom. 1. de matrim. part. 2. cap. 8.* Couarr. Fillius.
§. 5. Fillius. *tract. 34. num. 162. & sequent.* & alios citatos *tom. 1. verb. Testamentum, num. 10.*

Notandum tamen hic est, ex Abbat. *in cap. tanta num. 13. Qui filij sint legitimi,* & communiter obseruatum esse testatur Gaillard. *lib. 2. obseru. 89.* quod pater filio spurio Gaillar.
rectè donet, aut testamento relinquat, quod sit instar alimentorum; sicuti & filiæ dotem competentem eodem iure dare non prohibetur.

7. Filius-familias impubes, ne patre quidem Auctore, ex contractu, quamuis circa castrensia bona instituto, ciuiliter obligatur, vt constat *ex §. pupillus, instit. de inutilib. stipulationib.* Obligatur tamen naturaliter, si pubertati proximus sit. Filius autem pubes ex communi contractu etiam sine patris auctoritate, tam ciuiliter, quam naturaliter obligatur, *Instit. §. inutilis, de inutilib. stipulationibus.* Nisi contractus cedat in præiudicium patris, quia filius sine expresso vel tacito patris consensu, alienare non potest bona profectitia; imò neque aduentitia quorū vsusfructus & administratio ad patrem spectat, iuxta *l. vlt. §. filijs, C. de bonis, quæ liberis, &c.*

Filius etiā ex delicto & damno dato per seipsum obligationem contrahit, non autem parens, si culpa eius non interuenit. Sicut habetur *Instit. §. vlt. de noxalib. actionib.*
quia filius cum sit liber pro suis delictis conueniri potest, Lessius.
vt docet Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 17. num. 121.*

8. Quæ lucratur filius-familias in domo paterna existens ex operis artificialibus, verbi gratia si filius sit faber, fistulator, musicus, inter aduentitia bona numerantur: quæ proinde post patris mortem præcipua habere debet. Proinde filius operam suam patri locari, ab eoque salarium exigere iure potest, deductis tamen expensis, quas pater eo alendo facit *ex l. penult. ff. de obsequis,* vbi dicitur, *Pietatem liberi parentibus, non operas debent.* Et hæc est communis sententia apud Nauarrum *in man. cap. 17. nu.*
144. Molinam *tom. 1. tract. 2. disp. 124.* Sanchez *de matr.* Nauarr. Molina. Sanchez
lib. 6. disp. 39. num. 5. Si tamen filius opificis operam suam patri præstet, nullo petito salario, censetur id patri remittere, pietatis & gratitudinis gratia, ita vt postea audiendus non sit si à patre vel eo mortuo à fratribus repetere velit.

Ius tamen, secundùm communiorem sententiam non videtur permittere; neque consuetudo, vt si filius-familias lucretur ex bonis paternis, vt exinde salarium, vel partem lucri exigat, eo quòd ex gratitudine erga patrem, dum in eius domo degit, tanquam ad obsequiales operas, obligatus esse videatur. Contrarium tamen non est improbabile, quia cùm lucrum non tantùm ex bonis pàtris, sed etiam ex filij industria proueniat; ideò partim inter profectitia, partim verò inter aduentitia bona numerandum esse videtur: vnde si solus pater lucrum accipiat, obligatus est tantundem salarij ipsi dare, quantum extraneo daretur, saltem si filius petat.

Si autem ob metum reuerentialem non petat sciens se passurum repulsam, filius clam à patre accipere potest. Ita
Angelus *verb. Peculium, num. 11.* Nauarrus *cap. 17. num.* Angelus
144. Lessius *lib. 2. cap. 12. num. 81.* & alij citati *tom. 1. verb.* Nauarr.
Furtum II. num. 3. Hæc sententia inseruire poterit con- Lessius.
fessario, vt non facilè filium familias ad restitutionem obliget; nisi vltra æstimationem laboris ac industriæ suæ acceperit. Certum est tamen apud omnes, quod si filius ex re patris non frugifera suo periculo negotietur, tunc omne lucrum ad filium pertinere, modò pater seruetur indemnis.

9. Si

9. Si filius nolit alimenta à patre recipere, velitq; honestum vitæ genus quærere, non potest impediri à patre non indigente filij opera, quominus alio proficiscatur, vt artem aliquam addiscat, operam suam alicui locet, vel quouis honestum vitæ genus amplectatur. Probatur, quia alioquin esset hominem liberum, seruilis cōditionis efficere, contra *l.2.ff.si quis à parente fuerit manumis.* Item quia filijs in hoc conceditur libertas & voluntas, *l.fina.ff. de liberis exhibend.* Ita ex communi Sanch. *de matrim. lib.6.disp.39.nu.6.* Si tamen pater inops sit, sibique alendo non sufficiens, tunc filius naturali lege pietatis operam suam ipsi præstare tenebitur.

10. Filij-familias dicuntur, non solùm filius & filia, sed etiam qui ex illis nati sunt nepotes acneptes, &c. quamdiu sub patris vel aui paterni potestate existunt, licet maiores natu sint, siue annum ætatis 25. excesserint. Ita habetur. *Instit. de patria potestate, §. vlt.* Vnde in materia fauorabili & nemini præiudicante nomine filiorum etiam nepotes comprehenduntur. Plerumque tamen & secundùm vsitatam acceptionem, nomine filiorum etiam filiæ veniunt; quia vox filiorum communi etiam & vulgari vsurpatione pro vtroque sexu accipitur; non tamen comprehendit nepotes, neque filios adoptatos. Si autem materia vel lex odiosa sit, vel iuris antiqui correctoria, aut exorbitans, & verba secundùm communem loquendi proprietatem, tam amplam, quam restrictam acceptionem patiantur, nomen filiorum, quod interdum masculinum sexum duntaxat, interpretatio præferenda erit, vt nomen filiorum non censeatur comprehendere filias,
Suarez. nisi identitas rationis id persuadeat. De qua re vide Suarez *de leg. libr.6. cap. secundo*, & suprà *verb. Emphyteus. num.28.*

11. Filius, qui metu reuerentiali paterno vel materno, patri morienti ad ipsius instantiam, timens eius indignationem, & ne eum molestia afficeret, promisit soluere eius debita, vel legata, aliàs nullo modo promissuras, non tenetur in foro conscientiæ: quia metu fecit. Si tamen absque eo metu promisit, nec ductus errore, quo credebat patrem detinendum in purgatorio, debitis non solutis, tenebitur. Ratio est, quia filius-familias ex omni contractu tenetur, si mutuum & votum excipias, & hoc naturaliter & ciuiliter, tanquam si esset paterfamilias, *l. Tam ex contractibus, ff. de iudicijs, & l. filius-familias, ff. de act. & obligat.* Si autem minor sit 25. annis, cùm obligatio illa soluendi debita sit fideiussoria, potest aduersus illam beneficio restitutionis in integrum vti: nam minor læsus generaliter potest hoc beneficium implorare: at eo ipso quòd talis minor soluere cogendus sit pro debitore principali, censetur læsus ea fideiussione, *l.1. C. de filio-fam. minor. & l.3. §. sed vtrum & leg. aut prætor, §. non so-*
Gomez. *lum, ff. de minor.* Ita ex communi sententia Antonius
Guttier. Gomez *tom.2. variar. cap.13. numer.19.* Guttier. a *pract.*
molina. *quæst.128.* Molina *tract.2. disp.540.* Excipiunt tamen casum, quo minor fideiubeat pro parente in carcerem detruso. Nam quilibet prudens hoc faceret, quo patrem à vinculis liberaret.

12. Filius minor moderatè & prudenter se gerens promittendo soluere legata, quæ pater legauit, non potest restitutionem petere. Quia quilibet maior prudens hoc fecisset & donauit pro caussa vtili & honesta: decet enim filium attenta bonorum quę habet quantitate, obligare se ad aliquot legata pia pro parentis anima. Si verò excessit notabiliter, restitutio concederetur in illo excessu tantùm. Quia restitutio eo tantùm tendit, vt resarciat, læsionem: non verò id in quo non est minor læsus, *l. si res, ff. de iur. dot.* licet enim non requiratur ad hanc restitutionem enormis læsio, aut quæ excedat dimidium iusti pretij, at requiritur vt sit talis, vt arbitrio prudentis sit notabilis, & quo contractus est maioris summæ, eo læsio, quæ pro nihilo reputatur, habet maiorem latitudinem. Vt in mille aureis, læsio in viginti pro nihilo reputabitur. At in centum aureis, læsio in decem reputabitur notabilis. Ita docent multi quos refert & sequitur Molin. *tract.2. disp.573.*

molina. 13. Quamuis ex communi Doctorum sententia, pater solùm possit irritare vota realia filij-familias emissa ante 25. ætatis annum, quia vsque ad eam ætatem denegatur illi bonorum administratio; Probabile tamen est posse, in quacumque ætate filius-familias vota realia emiserit, ea patrem irritare. Ratio est, quia ratione ætatis non eximitur filius à patria potestate, licet senex sit: cùm nullo iure id cautum sit. Vt docent Glossa, *l. final. pupillus, ff. de verb. obligat.* & ibi omnes scribentes. Tum quia filius nullam habet bonorum administrationem aduentitiorum, dum est sub patris potestate constitutus, nec ea potest vllo modo inconsulto patre alienare, vel de eis disponere, ergo votum emissum à tali filio-familias cuiusque ætatis sit, circa ea aduentitia in quibus pater habet vsumfructum, potest ab ipso patre irritari. Tum quia *l.2. ff. de pollicitat.* dicitur vniuersaliter filium-familias non obligari ex voto. Et Doctores solùm excipiunt quando talis filius habet peculium castrense, vel quasi: ergo cùm filius hoc peculio caret, potest pater eius vota realia irritare in quacumque ætate filiusfamilias sit: quia durat patria potestas in patre & defectus administrationis in filio. Ita Tabiena *verb. votum 2. quæst.5. num.6.* Viualdus *in Candelabr. Sacrament. 3. part. cap.14. numer 92.* dicens sic tenere aliquos neotericos, quos sequitur Sanchez *de matrimon. lib.6. cap.39. num.10.* Quibusdam tamen in lucis conspectum est, vt post contractum matrimonium à filio, aut filia, potestas patria adeò soluatur, vt omnium bonorum administratio & vsusfructus etiam aduentitiorum ad filium vel filiam transferatur. Vide Molinam *to. 1. tract.2. disput.225.*

Glossa. Tabien. Viuald. molina.

14. Filius quadruplex officium pietatis erga parentes mortuos præstare debet. *Primò*, funus cohonestare & debitæ sepulturæ mandare *Secundò*, pro more Christiano preces & sacrificia curare. *Tertiò*, soluere alienum æs quod parentes contraxerunt. *Quartò*, implere legata eorum testamento relicta; hæc duo autem postrema adimplere debet, supposito quòd relictus sit hæres & hæreditatem occupauerit. Notandum tamen filium non cogi cum notabili suo detrimento pati bonorum iacturam, vt parentes liberet à Purgatorij pœnis: sed potest differre in aliud commodiùs tempus, quo habito iure pietatis debet illis subsidium ferre. Similiter si debita patris excedunt hæreditatis facultates, non tenetur filius in foro consciētiæ ad debita soluenda, hæreditas enim est, deducto ære alieno, vt in simili dicetur de quocumque hærede, qui non confecit inuentarium, *verb. Hæres, numer.5.* cum Doctoribus ibi citatis. De his vide Nauarrum, *in man. cap.14. num.16* Azorium *tom.2. lib.2. cap.3. quæst.8.*

Nauarr. azorius.

15. Filius absolutè & per se magis tenetur amare Patrem & ei succurrere, quàm matrem. Ratio est, quia cùm vterque parens amandus sit tanquam principium quoddam nostræ originis, excellentiorem Principij rationem habet pater, quàm mater. Est enim pater principium per modum agentis, mater verò potiùs per modum patientis & materiæ. Per accidens tamen euenire potest casus, vbi filius magis teneatur subuenire matri, quàm patri, & maius bonum ei velle, quod est magis diligere, vt si mater sit valde benefica erga filios in temporalibus & spiritualibus, pater verò sit vitiosus & negligens circa curam filiorum. Id quod procedit quando vterque parens in æquali necessitate constitutus est. Ita D. Thom. 2.2. *qu.26. art.10.* Syluius *ibidem*, Valentia *tom.3. disp.3. q.4. punct.4.* Rodrig. *part.1. summ. cap.14. concl.10.*

D. Tho. Syluius. Valentia Rodriq.

16. Vt filia inuitis parentibus nubens exhæredari possit tres conditiones requiruntur. *Prima* est, vt parentes velint eam matrimonio collocare, & dotem secundùm vires suæ substantiæ tradere. Semper autem præsumendum est velle parentes virum & dotem competentem filiæ, aut nepti dare: quando contrarium aliunde non constat: quia plus liberos, quàm seipsos diligunt. *Secunda* vt filia illi matrimonio repugnet, & simul vitā luxuriosam eligat, meretricando & luxuriosè viuendo. *Tertia* est, vt sit minor 25. annis; quare post 25. annum completum non poterit filia exhæredari, si contingat eam in corpus suum peccare, aut sine consensu parentum marito se, libero tamen coniungere; quia non sua culpa, sed parentum id commisisse cognoscitur. Hæ conditiones expressè habētur *in Auth. vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque.* Si autem filia sit maior 25. annis, & contrahat inuitis parētibus cum mancipio, poterit exhæredari: A fortiori poterit

terit exhæredari filia nubens mancipio absque parentum consensu ante vigesimum quintum annum, vt expreſsè colligitur à contrario sensu ex dicta Authentica, & docent Molin. *tom.1.tract.2.disp.176.* Sanch. *de matr.lib.4.disp.24.* & alij citati *tom.1.verb. Exhered.n.2.*

Molina. Sanchez

17. Leges ciuiles, quę exhæredant filias inuitis parentibus clandestinè matrimonium contrahentes validæ sūt & seruandæ etiam in foro canonico. Ratio est, tum quia, nullibi principibus sęcularibus adimitur potestas leges condendi, pœnasque statuendi, in eos, qui contra iuris ordinem contrahunt matrimonia, quamuis iudicium de matrimonio quoad eius substantiam sit fori Ecclesiastici. Tum quia hac ratione iustissimè principes sęculares pœnas decernunt periurijs, vsuris, incestis nuptijs, quamuis iudicium horum delictorum pertineat etiam ad Ecclesiasticum tribunal. Tum quia matrimonium sicut est Sacramentum, ita etiam est contractus ciuilis, ergo sicut qua ratione est Sacramentum pertinet ad forum Ecclesiasticum; ita qua ratione est contractus ciuilis, nil prohibet, vt spectet ad forum principis sæcularis, quoad potestatem debitis pęnis plectendi eos qui matrimonia cōtra ordinem iuris canonici contrahendo, pacem Reipublicæ perturbant. Ita præter Iurisperitos sentiunt Sotus, Corduba, Lopez, Henriquez, Rodriguez & alij, quos refert & sequitur Sanchez *de matrim.lib.3.disp.47. numer.12.* Quamuis de illarum legum valore dubitent Couarruuias & alij.

Sotus. Cordub. Lopez. Henriq. Rodriq. Sanchez.

18. Difficultas est inter Doctores, an leges, quæ exhęredant filias contrahentes inuitis parentibus non clandestinè; sed seruata forma Tridentini corrigantur iure canonico? Quidam enim negant, ratio illorum est, quia non tollitur ijs legibus libertas ad matrimonium ineundum, sed eam moderantur, ne in reip. dispendium, ac perturbationem ea contrahentes abutantur, statuentes pęnas in abutentes incundo matrim. inuitis parentibus, vnde perturbationes & rixæ in republica oriri solent, ergo iustæ sunt, nec iuri canonico aduersantur. Hæc sententia est probabilissima quam sustinent Molin. *tom.1.de iust. tract.2.disp.176.* Sotus *in 4.dist.29.qu.1.art.4. ad 4.* Salon. *2.2.post quæst.61.tract.de dominio, quæst.quinta, art.quinto*, & alij multi iurisperiti. Probabilior tamen sententia meritò asserit, huiusmodi leges non esse validas, sed iure canonico correctas esse. Prob. quia ius canonicum omnimodam in matrimonio libertatem exigit, & ideò ne minuatur contrahendi libertas, annullat pęnam in sponsalibus appositam *cap.Gemma mulier.de sponsal.* sed per exhæredationem valde minuitur hæc libertas, ergo ius canonicum corrigit leges eam pœnam statuentes. Ita Victoria *de matrim.num.269.* Henriquez *lib.11.de matrim. cap.6.num.2.in fine.* Syluester *verb.Lex quæst.15.* Rodrig. *tom.1.Summ.c.14.n.4.* quibus adhæret Sanchez *de matr. lib.4.disput.25.*

Molina. Sotus. Salon.

Victoria. Henriq. Syluest. Rodrig. Sanchez.

Vide supra verb. Accusatio *num.10.&* 11. Fiscus *num.*8. Emphyteusis *num.27.&* 28. Excommunicatio 2.*nu.*16. *&* 17. Excommunicatio 6.*num.*27. Feudum *num.*4. & to. 2. verb. Irregularitas 1.*num.*17. Legitima *num.*3. *&* 4. Legitimatio *num.*10. Ludus *num.*7. *&* 8. Mandatum *num.*1. Matrimon. 1.*num.*23. *& seq.* Mutuum *num.*28. *&* 29. Parentes. Votum 1.*num.*20.

FISCUS.

SVMMARIVM.

1 *An fiscus succedens in alicuius bona, sit dicendus eius hæres?*
2 *An bona quæ debentur reo ex contractu celebrato sub conditione, pertineant ad fiscum, secuta conditione?*
3 *An ad fiscum deuoluatur hæreditas, quæ relicta fuit criminoso ante patratum crimen?*
4 *An in fraudem fisci possit criminosus validè, & licitè repudiare hæreditatem nondum aditam?*
5 *An succedat fiscus in onera delinquentis sicut in iura?*

1. **F**iscus succedens in alicuius bona, non est propriè hæres, nec condemnati personam repræsentat, sed habetur loco hæredis, in quibusdam casibus specialiter dispositis; *L. inter eos 52. §. fin. ff. de fideiussor.* ratio est, quia succedit damnato viuenti; at viuens hæredem habere nequit: *præterea* quæ ad hæredes extraneos non transeunt, nequeunt in fiscum transire: *hinc* personalia condemnati iura non transeunt in fiscum, eo, quod non egrediantur personam: & ideò ius eligendi, in alicuius personam collatum, ius reuocandæ donationis inter viuos, ad donantis voluntatem ex pacto competens, &c. non transeunt in fiscum. Peregrinus *de iure fisci, libr.quinto, tit.primo, numer.60. & seq.* Lessius *libr.secundo, cap.6.num.27.* Sanchez *in Summ.lib.2.cap.14.numer.4.5.& 6.* & alij.

Peregri. Lessius. Sanchez.

2. *Bona*, quæ debentur reo ex contractu celebrato sub conditione, pertinent ad fiscum secuta conditione; & fisco competit ius adimplendæ conditionis post bonorum publicationem: & publicatis bonis alicuius, censentur publicata bona, non solùm mobilia, verùm etiam immobilia, imò actiones & iura, quæ pertinent ad delinquentem tunc temporis quo ipsius bona publicentur. Vasquez, *t.2.disput.169.cap.primo, numer.septimo.* Sanchez *cap.numer.secundo.*

Vasquez. Sanchez.

3. Non deuoluitur ad fiscum hæreditas, quæ relicta fuit criminoso ante patratum crimen, si criminosus non adierat hæreditatem ante publicationem bonorum; quia hæreditas quam criminosus adit post condemnationem, censetur bonum futurum, fiscus autem non succedit in bonis futuris. Bonacina *de contr.d.3. quæst.8. punct. vlt.§.1.num.7.* Peregrinus *c.nu.89.*

Bonac. Peregri.

4. In fraudem fisci, potest criminosus, non solùm validè, sed etiam licitè, repudiare hæreditatem nondum aditam; quia nullo iure constat inualidè repudiare; & fiscus non est creditor, nisi respectu bonorum, quæ tunc habet, nec tenetur repudians in fisci commodum acquirere; tamen si à damnato aliquid in pœnam soluendum esset fisco, tunc peccaret repudians hæreditatem, si aliàs non esset illam pęnam soluendo; quia tunc fiscus est verus creditor, & reus tenetur lege iustitiæ eam pęnam instar aliorum debitorum soluere. Vasquez *t.2.disput.172. cap.3.num.19.* Sanchez *c.nu.54.* & alij.

Vasquez. Sanchez.

5. Sicut fiscus succedit in iura delinquentis, ita par est vt succedat in onera; vnde publicatis bonis criminosi, fiscus debet satisfacere debitis contractis à criminoso ante delictum, quia bona alicuius dicuntur ea, quæ remanent deducto ære alieno; quòd si non omnia bona publicentur, sed tantummodò in partem, fiscus tenetur satisfacere creditoribus ad ratam illius partis quæ publicatur. Emman. Sà *v.fiscus num.3.* Sanchez *lib.2.cap.22 n.7.*

Em. Sà. Sanchez.

De Fisco, vide supr. verb. *Dominium* 2. num. 10. *Eleemosyna* num. 17. & tom. 2. verb. *Homicidium* 3. numer. 9. & to. 2. v. *Locatio* 2. num. 4.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Fiscus apud Iurisperitos, quid sit.*
2 *An ij, quorum bona ob crimen confiscantur, ipso iure teneantur in foro conscientiæ reddere ea bona fisco, ante sententiam iudicis declaratoriam criminis?* Refertur triplex sententia.
3 *Quæ bona pertineant ad fiscum, quando alicuius bona confiscantur.*
4 *An reus possit licitè & validè repudiare hæreditatem in fraudem fisci, si eam tacitè acceptauerit.*
5 *An publicatis bonis alicuius criminosi, censeantur publicata alimenta.*
6 *An ob vsufructuarij delictum, publicatis eius bonis, censea-*

censeatur etiam publicatus vsusfructus? Refertur duplex sententia.

7 *An publicatis bonis filij-familias, confiscetur peculium eius castrense aut, quasi, aduentitium, profectitium, legitima, & alimenta.*

8 *An ob paternum crimen publicetur proprietas aduentitiorum filij & vsusfructus.*

9 *An publicatis bonis patris remaneant publicata bona filij castrensia vel quasi, & profectitia.*

10 *Quando reseruentur filijs alimenta publicatis bonis ob patris delictum.*

11 *An bona vnius coniugis publicentur ob alterius delictum? Et quid de dote vxoris? quid de donatis vxori à marito vel eius consanguineis? Quid de vestibus vxoris.*

12 *Quanam bona censeantur publicata, quando publicantur bona vxoris criminosa.*

1. FIscus apud Iurisperitos significat ærarium vel Cameram Principis; vel bursam aut saccum Regis in quem mittuntur bona bannitorum & proscriptorum, & sic accipitur *in l.sed ades §.Fiscus ff.locati*, vel hodie est saccus imbursans sine conscientia omnia malè acquisita, & turpia lucra etiam ab hæredibus extotoner, licet crimina sint extincta *l.in haredem, ff.de calum.* Vnde ad Fiscum pertinent pęnæ pecuniariæ grauioribus delictis impositæ à legibus aut magistratibus locorum. Inde Fiscales, qui ad illas pœnas exigendas & colligendas à Principibus ac magistratibus constituuntur. Vt patet toto Titulo iuris ciuilis de iure Fisci.

2. Controuersia est inter Doctores, an ij, qui ipso iure ob delictum, bonorum dominio priuantur, debeant in foro conscientiæ reddere bona sua fisco ante criminis condemnationem? Quidam enim sentiunt in vniuersum ad id eos lege compelli. Hanc sententiam sustinet Alphonsus Castro *lib.2.de leg.pœnal.cap.10. & 11.* vbi alios citat. Aliorum opinio est, quando crimen est notorium ob euidentiam facti, nulla opus esse declaratione criminis, vt reus adigatur ad sua bona fisco reddenda, sed is statim in foro conscientiæ lege ipsa compellitur ad ea fisco tradenda. Communis tamen & amplectenda sententia docet generaliter ante condemnationem criminis nullam esse obligationem in foro conscientiæ, qua reus cogatur reddere bona fisco. Ratio est, quia consuetudo est optima legum interpres: sed vsu receptum est, vt leges pœnam huiusmodi statuentes in eum sensum accipiantur, vt ipso facto, rei dominio bonorum suorum priuentur, non tamen possessione & administratione. Tum quia iuxta iuris regulam, Pęnæ & odia sunt restringenda, ergo talis pęna legum benigniùs & mitiùs exponi debet: nimirum ipso iure vel facto bona sint publicata & addicta fisco eo quòd dominium & proprietas eorum, non autem possessio à die commissi criminis ad fiscum Pertineat. Ita Sanchez, Emmanuel Sá, Caietanus, Diana, Syluius, Molina citati *tom. 2. verb. pœna numer. septimo*, & alij communiter, apud Azorium *tom.1.lib.5. cap.7.qu.1.*

Sanch. Em sá. Caiet. Diana. Syluius. molina. azorius.

3. Ad fiscum pertinent ea bona, quæ pertinent ad criminosum tunc temporis, quo bona ipsius publicantur modò non sint affixa personæ. Prob. quia fiscus secuta publicatione succedit in iura delinquentis; ergo ea bona pertinent ad fiscum, quæ spectant ad delinquentem tunc temporis, quo bona ipsius publicantur. Hinc publicatis bonis alicuius censentur publicata omnia bona mobilia, immobilia & se mouentia, iura quoque & actiones, quia hæc veniunt nomine bonorum, quæ dicuntur incorporalia: item serui & ancillæ & animalia cum cæteris bonis fisco deferuntur.

Non censentur tamen publicata bona, quæ post condemnationem reo obueniunt ex vltima voluntate, vt ex legato, testamento, vel fideicommisso, qui talia bona reputantur bona futura: fiscus autem solùm succedit in bona, quæ pertinent ad reum tempore publicationis, secus esset si criminosus fuerit in possessione illorum bonorum ante condemnationem. Ita Lessius, *lib.2.cap.6.num.27. & 38.* Sanchez *lib.2.moral. cap.14. nu.2. & 15.* Simancas *de Catholicis instit.tit.9.* & alij.

Lessius. sanchez. simanc.

Hinc sequitur, quod quando quis commisit delictum propter quod ipso facto bona publicantur, solùm publicari ea bona, quæ delinquens habebat tempore commissi criminis. Nam priuatio ipso facto inducitur per legem, statim ac quis commisit delictum, non verò inducitur per sententiam declaratoriam criminis, quæ postmodum fertur; cum sententia declaratoria solùm indicet contractam esse pœnam per legem statutam. Ita Sanchez *libro secundo, moral. capite 14. numero decimo*, & alij ab ipso citati. Licet quidam affirment bona hæc futura computari à tempore sententiæ criminis declaratoriæ per iudicem latæ, & proinde sola post hanc sententiam acquisita non publicari. sanchez

4. Quamuis criminosus possit licitè & validè repudiare hæreditatem nondum aditam in fraudem fisci, hoc tamen non habet locum, si eam tacitè acceptauerit, nam tunc acquisiuit ius, & Fiscus succedit in iura delinquentis; vnde in hoc casu reus non potest cedere hæreditatem in fauorem alterius: nam eo ipso quo cedit, censetur prius natura tacitè adire & acceptare hæreditatem, vt cessio sit efficax. Qui enim vult aliquid, censetur velle omne id quod ad eius efficaciam necessarium est: argumentum, *lib.2.ff.de iurisdict.omnium iudicum, & capit. Sanè, de offic. deligat.* Et quamuis illa aditio sit tacita; idem operatur ac si esset expressa, quando enim duo actus concurrunt in vnum, alter tacitus, & alter expressus; idem operatur tacitus, ac si esset expressus. Ita Vasquez *1.2. disput.172. cap.3.num.18.* Sanchez *de matrim.lib.6. disput.4.numer.17.* & *lib.secundo, moral.cap.14.num.51.* & alij. Vasqu. sanchez.

5. Publicatis bonis alicuius criminosi non censentur publicata iura personalia, vt alimenta; quia nequeunt egredi personam: tum quia cùm habent certam & determinatam causam, ei non applicantur, cui ea causa non conuenit. Denique, quia bona futura non veniunt in cõfiscatione; at in alimẽtis relictis tot sunt legata, quot anni, & in principio cuiuslibet anni cedit legatum, *l.si cum præfinitione, ff.quando dies legati cedat*. Ergo confiscatio non impedit legatarium capere alimenta post confiscationem cedentia. Hæc tamen intelliguntur de alimentis, quæ in futurum debentur, pro tempore quod post sententiam cessit; quæ enim tempore sententiæ cesserant, & sic tunc debita erant, publicabuntur inter alia bona, eo quod sint iam bona præsentia. Ita Simancas *de institut. Catholic.tit.9.numer.63.* Iulius Clarus *lib.5. recept.quæst.78.numer.vigesimo tertio*, Peregrinus *de iure fisci, lib.5.tit.1. num.123.* Surdus *de aliment.tit.8. & priuilegio 59.num. 14.21.& 22.* siman. Clarus. peregr. surdus.

6. Quidam negant publicatis bonis ob vsufructuarij delictum confiscari vsumfructum & dicunt tunc cum proprietate consolidari: quia bona futura non includuntur in confiscatione: at fructus cedentes post confiscationem, sunt bona futura ergo. Ita tenent Baldus *l.1.num. 4.C.de bonis libertorum*, Bernardus Diaz *in sua practic. in noua edit.cap.132.* & alij. Dicendum tamen est, censeri publicatũ vsumfructum, quem delinquens habebat, & quatenus ipse eo frui & potiri poterat, vel debebat. Ratio est, quia vsusfructus computatur inter huius delinquentis bona: & quamuis ipse vsusfructus formalis alienari nequeat, potest tamen eius commoditas, vt fatentur omnes. Ergo ob delictum alienari poterit, cum reliquis delinquentis bonis. Tum quia, sicut annuus census non computatur inter futura delinquentis bona, sed inter præsentia, & plenè confiscatur, ita & ille. Ita Vasquez *1.2.disp.169.cap.1.num.10.* Clauis Regia *lib.9. cap.7.n.7.* Molina *tom.1.de instit.disp.4.vers.Ex dictis facilius*, Gomez *2.variar.cap.15.num.18.* & alij. Baldus. Diaz. Vasquez Cl. Reg. molina. Gomez.

Prima tamen sententia posset habere locum, quando bona delinquentis publicantur ob capitis diminutionem, seu quando delinquens traditur in perpetuum ad carcerem vel ad triremes vel exilium, tunc enim non confiscatur vsusfructus, sed consolidatur cum proprietate & erit habentis proprietatem, vt habetur *l.corruptionem C. de vsufruct.* Item habet locum quando prohibita est alienatio vsusfructus in fauorem aliorum tunc enim non confiscatur vsusfructus. Secus si alienatio prohibita sit in fauorem ipsius delinquentis, tunc publicatis bonis publica-

blicantur etiam vsusfructus: quia ob eius delictum ille fauor amittitur. Ita Sanchez *lib.2.moral.cap.16.nu.7. & c.18.n.5.* Molina *tom. de iust. disputatione 656.nu.5.* Peregr. *de iur.fisci lib 5.tit.1.num.99.* & alij.

Sanchez. Molina. peregr.

7. Probabile est publicatis filij-familias bonis ob eius delictum, confiscari castrense, aut quasi castrense eius peculium. Ratio est, quia filius-familias habet liberam disponendi & contrahendi in hoc peculio facultatem, instar patris-familias, ergo potest id peculium fisco obligare & sic confiscabitur: cum fisco enim quasi contrahitur, & bona in eum quasi ex contractu alienantur, *l. Imperatores, ff. de iure fisci.* Ita Azorius *tom.1.lib.5.cap.7.qu.8. & tom.2.lib.2.cap.22.quæst.8.* Vasquez *1.2.disp.169 cap.1.* Simancas *de instit.cathol.tit.19.n.13. & sequent.* Communis tamen & probabilior sententia meritò asserit non publicari eiusmodi peculium, sed deferri tunc patri, in patriæ potestatis solatium. Probatur *ex l. si filius, C. de bonis proscript.* ibi. *Si filius tuus cum esset in potestate, in insulam deportari meruit, peculium eius, neque quod in castris acquisiuit, vel quod ei militaturo donasti, auferri tibi debet.* Ad rationem autem in contrarium, responderi posset, non omnem potentem alienare ex contractu, posse quoque alienare ex delicto: quia obligatio ex delicto non habet consensum verum, sed fictum innitentem ei principio, qui vult antecedens, vult consequens, cum pœna delictum sequatur: & ideò minùs debilis est, quam obligatio ex contractu quæ verum consensum habet. Ita Iulius Clarus *lib.5.recept.sentent.qu.78.num.13.* Couarr. *lib.2.variar.cap.8.num.7.vers. Hinc apparet.* & alij communiter, quos refert & sequitur Sanchez *lib.2.moral.cap.15.num.4.*

Azorius. Vasquez simācas. clarus. couart. Sanchez.

Ex his patet, nec peculium Aduentitium posse publicari, ob crimen filij-familias: nam in eo habet pater vsumfrum, & sic maius ius, quàm in castrensi, & tamen hoc non publicatur, sed patri competit; ergo nec illud etiam quoad proprietatem. Probatur, *ex l. filius, citata.* Sunt enim ea verba illius ponderanda. *Neque quod in Castris.* Quippe particula, *neque*, casus minùs dubitabiles implicat. Ratio est, quia alienatio eius proprietatis est interdicta filio, absque patris consensu; ergo nec delinquendo potest eam alienare, iuxta regulam, qui nequit alienare contrahendo in alterius præiudicium, nequit etiam delinquendo. Ita Couarr. *loc. cit.* Sanchez *suprà num.9.* cum alijs ibi citatis.

couarr. sanchez.

A fortiori ob filij delictum non publicatur profectitium eius peculium: quia id est patris quoad proprietatem & vsumfructum, solaque administratio est filij; ergo id tanquam alienum publicari non debet, vt docent communiter Doctores apud Clarum *lib.5.quæst.78.num.11.* Peregrinum *de iure fisci lib.5. titul. primo, num.125.* & alios.

clarus. Paregr.

Item non publicatur legitima filio debita in bonis parentum adhuc superstitum, ob eius delictum: quia non debetur filio, dum parentes viuunt, *l.1.§ si impuberi, ff. de collat.bon.* vnde ius illud remotum filij ad parentum bona non transfertur in fiscum. Ita ex communi, Azorius *tom.1.l.5.cap.7.q.8.* Vasquez *1.2.disp.169.cap.2. num.18.* Clarus *loc.cit.num.468.* si tamen Pater assignasset & tradidisset legitimam fillo, tunc publicabitur, cùm ea traditione effectus sit filius legitimus dominus.

azorius. Vasquez clarus.

Porrò nec alimenta debita filio à parentibus, publicantur, quia ea non sunt in filij bonis.

8. Certum est proprietatem aduentitiorum non publicari ob paternum crimen, quia est filij; imò nec etiam quoad vsumfructum, quoties pater ante delictum eum remiserat: quia tempore criminis iam extra paterna bona erat. Si tamen filius fiat sui iuris & eximatur à patria potestate; tunc par est, vt vsusfructus ad ipsum redeat cum proprietate. Hinc filius, qui fit sui iuris, non solùm acquirit vsumfructum bonorum aduentitiorum acquisitorum post condemnationem patris, vt est communis Doctorum sententia, verum etiam eorum quæ filius ante delictum patris acquisierat. Ita Menochius *de recuperanda possessione, remed.9.number.244.* Peregrinus *de iur. fisci lib.5.titul.1.num.129.* Farinacius *in sua pract. tom.1. part.1.tit. de delictis, quæst.24.nu.33.* contra Sanchez *cap.16.n.18.* qui hoc solùm admittit quando bona patris confiscantur ob hæresim. Certum est tamen apud omnes, filium acquirere vsumfructum bonorum aduentitiorum statim ac ipsius pater fit hæreticus: nam filius ob crimen heresis paternum, fit sui iuris & omninò exit è patria potestate, consequenter vsusfructus consolidatur cum proprietate. Ita Simanchas *de catholic.inst.tit.9.n.81.* Molina *tom.1.disp.9.vers. ab hac regula,* Lessius *lib.2.cap.3.dub.5.nu.23.in fine,* & alij communiter, vt expressè habetur *cap. secundo, de hæreticis in 6.*

Menot. Peregr. Farinac. Sanchez. simācas. Molina. Lessius.

9. Certum est etiam publicatis bonis patris, non remanere publicata bona filij castrensia vel quasi, eo quod proprietas & administratio & vsusfructus istorum bonorum ad filium pertineat. Dubium tamen est, an ob crimen patris publicetur peculium profectitium filij-familias? Quidam affirmant publicari: quia illud est proprium patris & quoad dominium, & quoad vsumfructum, *l. Certum Cod. familiæ erciscundæ*, ea autem publicantur, quæ pertinent ad delinquentem tunc temporis quo bona eius publicantur. Ita Vasq. *1.2.disp.169.cap.1.n.10.* Simanchas *de cathol. inst. tit.9.* Azorius *tom.1.lib.5.cap.7.quæst.8.* & alij. Hæc sententia est probabilis: communior tamen opinio est, id peculium minimè publicari, sed reseruari filio. Probatur *ex l.3.§. Sed vtrum, ad finem, ff. de minor.* Ratio est, quia cùm filius in dicto peculio habeat administrationem, non debet illa priuari ob patris delictum; priuatio enim illa est pœna. Hanc sustinet Iul. Clarus *l.5.quæst.78.n.14.* Peregrinus *lib.5.tit.1.num.126.* Menochius *de recup. possess. remedio 9.n.73.* Couarr. *lib.2. variar.c.8.num.7.vers. Hinc apparet.* & alij citati à Sanchez *libr.2.moral.cap.16.num.21.*

Vasquez simācas. azorius. clarus. peregr. Menoc couarr. sanchez.

10. Communis, ac verior sententia est, publicatis bonis ob patris delictum, reseruari filijs ante bonorum publicationem natis, alimenta: modo crimen non sit læsæ Maiestatis diuinæ vel humanæ: nam quando ob hæresim publicantur, omnia prorsus bona parentum confiscantur nullis alimentis reseruatis; & hoc fit iustissimè ob huius criminis atrocitatem, vt exinde parentes ab hoc delicto patrando arceantur: idem dicendum in crimine læsæ maiestatis humanæ: licet aliquando ex quadam misericordia paruulis horum filijs præstentur alimenta. Ita Peregrinus *de iur.fisci lib.5.tit.1. nu.34. vsque ad.44.* Clarus *lib.5.sentent.quæst.78. num. 26.* Simancha *in cathol. inst. tit.19.n.12.* & alij.

Peregr. clarus. simācas.

11. Neutrius coniugis bona publicantur ob alterius delictum, sed sola coniugis delinquentis, reseruatis innocenti suis bonis. Ratio est, quia par non est innocentem ob alterius crimen puniri, vbi id non est iure expressum, sicut est expressum in crimine hæresis & læsæ maiestatis patrato à patre, quod nocet filio. At in hoc casu id nō est expressum, imò contrarium. Hinc sequitur non confiscari ob qualecumque viri delictum, dotem vxoris vt habetur *in cap. Decreuit, de hæret. in 6. & l. si maritus, ff. solut. matrim.* nisi scienter viro hæretico nupserit, tunc enim in delicti pœnam publicatur eius dos: si tamen dos ei tradita fuerit cum onere, vt soluto matrimonio acquiratur alteri, in hoc casu dos non publicatur, ne tertius innocens damnum patiatur, quamuis durante matrimonio fructus dotis pertineant ad fiscum, cùm succedat in bona loco vxoris. Ita Vasquez, *in opusc. de testament. cap.9. §. 4. dub.2.* Simancas *tit.9.num. 61.* Sanchez *lib.2. moral. cap.17. & 18.* Item sequitur donata vxori à marito, publicari ob delictum mariti: quia non sortiuntur effectum suum donec mors viri sequatur, computantur enim inter viri bona dum adhuc superstes est, & consequenter publicantur ob ipsius delictum. Ita Vasquez *1. 2. disput. 169.cap.1.num.4.* Simancas *tit.9.num.10.* contra Sanchez *loco citato numer.15.* qui veriùs putat non publicari citans *Baldum.*

Vasquez simācas. sanchez. Vasquez simācas. sanchez. Baldus.

Item sequitur ob viri crimen publicari vestes pretiosas seu festiuas, ab ipso viro datas vxori, non autem viles, seu quotidianas. Ratio est, quia vestes pretiosæ sunt viri, at quotidianæ vxoris.

Item sequitur, donationes factas vxori intuitu ipsius vxoris duplicari ob delictum mariti, etiamsi factæ sint à consanguineis mariti. Secus si fiant vxori à consanguineis mariti, intuitu ipsius mariti, tunc enim acquiruntur viro. Ita Sanch. *cap.17.num.13. & 14.* & alij apud ipsum.

Sanchez.

12. Quan-

12. Quando soluto matrimonio vxor committit delictum confiscatione dignum, confiscabitur dos cum reliquis eius bonis paraphernalibus, nec non acceptis causa nuptiarum, & alijs quæ ad ipsum pertinent: quando autem matrimonio constanti, confiscantur reliqua bona, non autem dos exceptis quinque casibus expressis *in l. Quinque legibus, ff. de bonis damnatorum*. Qui sunt, *crimen læsæ maiestatis, violentia, parricidij, veneficij, & homicidij*, quam legem à fortiori extendunt ad crimen hæresis, Iulius Clarus *lib. 5. quæst. 78. num. 14.* & alij. Quando in prædictis casibus ob vxoris delictum aufertur viro tota dos, aut pars eius, iuxta criminis qualitatem, confiscatur non tantùm quoad proprietatem, sed etiam quoad fructus. Ratio est, quia cùm hæc non sit alienatio ex vxoris contractu, sed ex delicto, mirum non est, si viro detrimentum afferat: Et hæc est communior sententia: quamuis aliquibus non videatur improbabile marito nõ esse auferendos fructus: quia hi ad virum pro sustinendis matrimonij oneribus pertinent: tum quia par non est, vt maritus damnum patiatur ob vxoris delictum, nisi aliter à iure decernatur, vel vsu receptum sit. De his vide Sanchez *lib. 2. moral. cap. 17. num. 25. & seq.* apud quem plura de hac materia, & apud Bossium *in sua practica, tit. de bonorum publicatione*. Iulium Clarum *lib. 5. recept. sentent. quæst. 78.* Peregrinum *de iure Fisci lib. 5. tit. 1.* & alios. Atque hæc addita sufficiant Theologo morali.

Clarus. Sanch. Bossius. Clar. Peregr.

Vide hoc tomo verb. Debitor *num.* 16. Donatio *num.* 48. Donatio in coniuges *num.* 4. Feudum *num.* 10. Hæres *num.* 9. & tom. 2. verb. Legitima *num.* 8. Lex 2. *num.* 21. Mandatum *num.* 3. Pœna *num.* 2. 3. Præscriptio *num.* 5. Solutio *num.* 6. Spolium, Substitutio *num.* 11.

FOEMINA.

SVMMARIVM.

1 *Quænam fœminis prohibeantur?*
2 *An fœmina vtens veste viri peccet mortaliter?*

1 FOeminæ multa prohibentur: non enim potest prędicare, nec publicè docere, quamuis sancta & docta, *cap. Mulierem 33. quæst. 5.* secùs in capitulo suo & claustro; non potest alijs benedicere benedictione publica, benè tamen priuata, eo modo quo mater filium benedicit, nec tangere sacra vasa & corporalia, nec incensum circa altare deferre; non potest postulare, aut procurare, nisi in causa propria & suorum, nec esse testis in testamento solemni, extra terras Ecclesiæ; vbi verò solemnitas non requiritur, potest; nec in causa criminali, nisi hæresis aut læsæ maiestatis, aut simoniæ, aut cùm aliter veritas sciri non potest, aut cùm proceditur via inquisitionis; non potest accusare nisi in certis casibus; nec se, seu propriam substantiam obligare, pro debito viri, nisi creditum sit conuersum in suam vtilitatem; nec debet pro debito incarcerari. Plura apud Caietanum *in Sum. verb. Mulier*. Syluestrum *verb. Fœmina*. Emanuelem Sà *verb. Fœmina*.

Caietan. Sylueſt. Em. Sà.

2. Fœmina vtens veste virili ex animi leuitate sine intentione corrupta, vel scandalo graui non peccat mortaliter; quia hoc de se non est peccatum: nisi ex circumstantia vel intentione; aliquando enim licitè fit, vt patet apud D. Ambrosium *lib. 2. de Virg.* Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 169. *art. 2. ad* 3. Nauarrus *cap. 23. num. 2.*

D. Tho. Nauarr.

Plura de Fœmina vide hoc tomo verb. Abbatissa. Beneficium 5. *num.* 7. Beneficium 3. *num.* 2. Censura *num.* 9. Feudum *num.* 4. Fideiussio *num.* 45. & tom. 2. Impudicitia *num.* 13. 16. Mendacium *num.* 6. Missa 5. *num.* 5. Missa 9. *num.* 4. Prædicatio *num.* 2. Scandalum *num.* 10. Reus *num.* 12. Testis *num.* 1. Tutela *num.* 3. Consuetudo *num.* 6. Ordo 3. *num.* 5.

FORNICATIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit fornicatio?*
2 *An sit de fide fornicationem esse peccatum mortale?*
3 *In duobus casibus fornicatio non est peccatum mortale?*
4 *An in actu fornicario liceat se retrahere ante spermatismum?*
5 *An si Episcopus, vel alius Superior fornicetur, teneatur in confessione circumstantiam Episcopatus confiteri?*

1 FOrnicatio *est concubitus soluti cum soluta*; nomine *soluti* intelligitur vir, qui nec coniux est, nec consanguineus vel affinis, nec votum habet castitatis; nomine *soluta* intelligitur fœmina similiter se habens. D. Thomas 2. 2. *quæst. 154. art. 1.* D. Tho.

An autem sit simplex fornicatio, & an sufficiat pro tali confiteri, si quis cognoscat viduam, si Christianus gentilem, vel Iudæam, vel hæreticam, si seruus suam dominam, vel eius consanguineam, vel ancillam, si tutor pupillam, si curator minorē, quando omnes illi sunt soluti? Dicendum est, quòd sit dumtaxat simplex fornicatio, si absint periculum subuersionis, scandalum infirmorum & contemptus legis, vel nisi sit casus ab Episcopo reseruatus: quia talis copula habet tantùm circumstantiam aggrauantem: sed circumstantiæ etiam notabiliter aggrauantes, secundùm opinionem probabilem multorum Doctorum, non sunt necessario in confessione explicandæ, ergo &c. Ita Syluius 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. *quæst.* 2. Filliucius *tract. 30. num. 52.* contra Dianam *par. 3. tract. 4. resol. 138.* & alios ab ipso citatos arbitrantes concubitum viri Christiani cum muliere infideli. Turca, Iudæa, Hæretica esse circumstantiam in confessione aperiendam, tanquam mutantem speciem. Quorum sententia est satis probabilis. Syluius. Filliuc.

Sed exinde petes, an copula habita cum muliere, cum qua nequit quis matrimonio copulari propter impedimentum dirimens, sit distincta species à simplici fornicatione? Resp. & dico.

Primò, coitum cum cognata spirituali in eò gradu in quo hæc cognatio matrimonium dirimit, esse circumstantiam luxuriæ specie diuersam, ac necessariò fatendam: & hæc fornicatio ab aliquibus vocatur incestus spiritualis.

Secundò, concubitus cum cognatis legalibus addit malitiam specificam necessariò fatendam & reducitur ad incestum.

Tertiò, si quis accessum habeat cum consanguinea in primo gradu sponsæ propriæ de futuro contra publicæ honestatis impedimentum dirimens in eo gradu matrimonium, reductiuè committit incestum, & ideo talis circumstantia erit in confessione aperienda.

Quartò, si quis coitum habeat cum qua nequit inire matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, est incestus diuersus specie à simplici fornicatione, explicandus in confessione.

Quintò, coitus cum impedimento impotentiæ, vt est frigidi, vel eunuchi, habet circumstantiam diuersæ speciei necessariò confitendam, quare hic coitus reducitur ad peccatum cõtra naturam: qui ratio prohibitionis matrimonii inter hos, nempe impotentia generandi, & frustratio finis, ad quem natura coitum destinauit, militat etiam in copula illicita: quamuis de hoc dubitet Filliucius *tract. 10. part. 2. num.* 23.

Sextò, quando inhabilitas ad matrimonium non est inducta ob peculiarem inordinationem in copula, sed ob aliam causam v.g. ob crimen, ignorantiam, metùm, est simplex fornicatio: vt cum est impedimentum criminis, vel metus vel erroris personæ, aut conditionis seruilis vel raptus: & ideo in tali casu non est circumstantia in confessione detegenda. Ita Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 5. n. 7. & seq.* Lessius *lib. 4. cap. 3. n. 45.* Diana *p. 6. tract. 6. res. 35. & p. 10. tract. 16. resol. 82. de matrim.* Sanchez. Lessius. Diana.

Septimò, variatur species fornicationis, si quis post votum simplex, aut solemne castitatis, aut ordinem sacrum, aut cùm sit coniugatus, fornicetur: in tribus enim primis casibus erit sacrilegium, in vltimo autem adulterium.

2. De fide tenendum est, fornicationem esse peccatum mortale, vt patet ex Scripturis 1. ad Corinth. 6. *Nolite errare, neque fornicari, neque Idolis seruientes, &c. Regnum Dei possidebunt*: tum quia repugnat rectæ rationi & iuri naturali, & est contra educationem & institutionem prolis: nec facit fornicationem licitam quòd Principes permittant aliquando meretrices in aliquo loco ciuitatis, quia etiam Deus permittit aliqua mala, vt euitentur maiora, vel vt sequantur maiora bona. D. Thomas 2. 2. *quæst*. 154. *art*. 2. Lessius *lib*. 4. *cap*.3.*dub*. 7. *num*.47. Graffijs 1.*p*.*lib*.2.*cap*.75 *num*.5. Syluius 2.2.*quæst*.154.*art*. 2. Layman *lib*. 3. *sect*.4. *num*. 10. & alii.

D. Tho. Lessius. Graffijs. Syluius. Layman

3. Quamuis peccatum mortale sit fornicatio; *duo* tamen dantur casus, in quibus locum habet excusatio à tali peccato: *prior* est, quando deficit vsus rationis, vt in amentibus & ebrijs, qui rationis compotes non sunt, nisi tale periculum præuiderint, & neglexerint cauere sibi ab eo, quando potuerunt, in quo casu excusandi non sunt à peccato. *Alter* casus est, ex parte patientis, cùm cogitur quis ad concubitum, nam si in talem actum non consentiat voluntate, licet delectationem carnis sentiat, excusatur a peccato saltem mortali, quod requirit plenum consensum voluntatis, cum quo consensu fornicari nullo mortis metu licet, ne siquidem mille mortes essent perferendæ. Toletus *lib* 5. *cap*. 10.*num*.9. & 10. Reginaldus *lib*. 22. *num*. 20.

Toletus. Regin.

4. Probabilius est, illum qui versatur in ipso actu fornicario, teneri se retrahere ante spermatismum, etiamsi complex iam seminarit, imo etiamsi ex vi prioris commotionis, post retractionem, esset futura seminatio extra vas; & ratio est, quia in actu licito nil illicitum efficitur, atque ideò seminandum est: at in actu illicito fit aliquid malum intrinsecè, quod in nullo euentu honestari potest: deinde omni tempore & momento tenetur opus prauum abrumpere, nec refert quod inde sequatur aliud incommodum, quod sit contra naturam generationis, quia illud per accidens & præter intentionem obuenit: nullo enim modo est intenta effusio illa extra vas, sed solùm abruptio operis mali; ex qua illud præter intentionem sequitur: vnde nouæ culpæ reus non erit is fornicans, si à fœmina recedens seminet inuoluntariè extra vas: quia pollutio inuoluntaria ex causa iusta, & necessaria orta, culpa protsus vacat: similiter mulier fornicans nouæ culpæ immunis erit, quæ corpus subtrahit, ne virile semen suscipiat, etiamsi vir extra effundat: quia id non intendit, & dat rei licitæ operam, ab incepto crimine resiliens. Sanchez *de matrim*.*lib*.9.*disp*.19. *num*.7. Lessius *lib* 4. *de iustit*. & *iure cap*. 3.*dub*.7. *num*.55. Diana *par*. 3. *tract*. 4. *resol* 227. Bonacina *de matrimon*. *q*. 4. *punct*. 10. *num*. 17. Aliqui tamen in supradicto casu contrarium tenent; quia retrahere se est contra naturam generationis, quorum sententiam esse probabilem affirmant Sanchez & Lessius. Diana tamen nec mihi placet.

Sanchez. Lessius. Diana. Bonac.

5. Si Episcopus, Generalis alicuius ordinis, Prouincialis, Abbas, & alij Superiores fornicentur, non tenentur Episcopatus, vel Superioritatis circumstantiam in confessione aperire, si occulta fuit fornicatio: imo satisfacerent, si tantùm dicerent se habere votum castitatis. Si tamen fornicatio illa ab Episcopo, Generali, &c. admissa, ita publica esset, vt scandalum pareret; tunc aduersus specialem officii obligationem delinquerent, qua tenentur subditos, non solùm verbo, sed etiam exemplo pascere: atque adeo specialis malitia ex status, ac officij circumstantia contraheretur, eaque necessario fatenda. Ita Sanchez *de matrimon*. *lib*.7. *disput*.27. *num*. 32. & 33. Henriquez *lib*. 5. *cap*. 5. *num*. 6. *lit*.G. Villalobos *tom*.1. *Sum*.*tract*.9.*dub*.36.*num*.14. Diana *par*. 1. *tract*.7.*resol*.6. Palacios 4. *dist*.6. *disp*.3. Filliucius *tract*.30. *num*. 125. & alij. Ex quo infertur fornicationem Episcopi nondum consecrati, sed tantùm electi & confirmati, nec sacro ordine initiati, non excedere malitiam simplicis fornicationis, nec continere circumstantiam necessario fatendam; eo quod nulli obligationi speciali ad castitatem aduersetur.

Sanchez. Henriq. Villalob. Diana. Palacios. Filiuc.

Alia de Fornicatione, vide tom.2. verb. Luxuria *num*. 30.20. Sponsalia 3. *num*.5. Stuprum *num*. 1. Peccatum 4. *num*. 11.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Fornicatio vnde dicatur, & quomodo accipiatur in scriptis.*
2 *An fornicatio sit iure naturali prohibita & illicita.*
3 *An possit dari ignorantia inuincibilis de fornicatione quod sit peccatum.*
4 *An fornicatio commissa cum aliena sponsa, vel sponso de futuro, contineat circumstantiam necessariò explicandam in confessione*? Refertur triplex sententia.
5 *Vter grauius peccet in fornicatione, vir aut mulier.*
6 *An fornicatio Christiani hominis, sit grauior, quam ethnici.*
7 *Ad quam speciem luxuriæ sit reducenda copula habita cum fœmina mortua.*
8 *An fornicatio sit grauius peccatum, quàm illa quæ sunt contra Deum & proximum.*

1 FOrnicatio, si vocabuli notio consideretur, à voce fornix descendere videtur, quæ loca quædam concamerata ad modum arcus significat, in quibus meretrices sese prostituere solebant. Vnde fornicari nihil aliud est, quam rem cum meretricibus habere; apud Theologos omnem actum venereum illicitum significat.

In Scriptura sacra omnis actus qui est peccatum mortale dicitur fornicatio, eo quod quis per peccatum mortale recedit à Deo legitimo sponso animæ. *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te*. Psalm.72. Aliquando sumitur fornicatio pro Idololatria, & infidelitate. *Fornicati sunt à Deo suo*. Oseæ 4. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis*. Hierem.3. Aliquando etiam omnis actus luxuriæ dicitur fornicatio. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes*. 1.Cor. 5. vbi Apostolus loquitur de incestu, subdit enim, *Itaut vxorem patris sui aliquis habeat*. Item, *Quicumque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*. Matth. 5.

2. Quidam ex Catholicis scriptoribus existimant fornicationem simplicem non vagã, sed inter personas certas, quæ citra matrimonium velint, ex pacto & obligatione gerere conuenientem curam prolis nõ esse peccatum mortale, nec iure naturali, sed solùm iure diuino positiuo prohibitam. Ratio est, quia fornicatio simplex non meretur mortem æternam secũdùm legem naturalem, quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat aliquid de morte æterna: & ideò quod fornicatio simplex sit peccatum mortale, hoc procedit ex iure diuino pluribus locis expresso. Ita Durandus *in* 4.*dist*. 33. *q*.2. Eiusdem sententiæ est Martinus a Magistris *tract*. *de temperantia q*. 2. apud Caietanum 2.2.*quæst*.154. *art*.2. quia quando educationi prolis aliunde prospicitur, non videtur grauis inordinatio. Confirm. quia neque est contra dilectionem Dei, neque proximi, neque sui ipsius. Sed dicendum est fornicationem non solùm malam esse, quia iure diuino prohibitam, sed etiam quia iure naturali illicitam. Ita cõmunis Theologorum sententia ex D. Thoma 2. 2. *q*. 154. *art*. 2. Syluester *verb*. *Luxuria quæst*.3. Caietanus *sup*. Nauarrus *in man*. *cap*.16. *num*.1. Toletus *lib*.5. *cap*. 10. & alij apud Dianam *part*. 9. *tract*.9.*res*.59. Fundamentum huius sententiæ est, quia esto proli educationi prouideatur, hoc tamen non tollit inordinationẽ, quam actus per se habet, quatenus in eo prætermittitur illa conditio personarum, quam ipsa natura instituit & requirit in illo actu ad prolis sui suscipiendæ perfectionem. Et sanè si hæc inordinatio esset leuis iure naturæ, ius diuinum superueniens non efficeret grauem, sed relinqueret eam in suo

Durand. à Magistris. Caietan.

D. Tho. Syluest. Caiet. Nauar. Toletus. Diana.

gra-

gradu: nam Deus prohibens aliquid iure naturæ illicitum non facit illud peius, sed eius malitiam inculcat & expressius proponit, non enim est malum quia prohibetur, sed quia malum ideò prohibetur vt patet in mendacio & similibus, vt docet post alios Filliucius *tract.* 30. *num.* 45. Ex ratione autem Durandi sequeretur, nec homicidium, nec adulterium, nec sodomiam fore peccata mortalia, nisi iure diuino positiuo essent prohibita, quod omninò absurdum est. Deinde huiusmodi fornicatio reducitur ad peccata quæ sunt contra charitatem proximi, cùm sit contra bonum prolis nasciturae, sine ex eo actu reipsa sit secutura proles, siue non eo quod illi qui conueniunt sunt steriles.

3. Probabile est posse dari ignorantiam inuincibilem de fornicatione, quod sit peccatum in gentibus agrestibus imperitis carentibus magistris, qui eas instruant. Probatur, quia licet præcepta decalogi deducantur ex principijs per se notis, non omnia tamen illic prohibita tam clarè deducuntur, vt nulla possit de aliquibus esse ignorantia probabilis. Nam quod fornicatio inferat damnum proli nasciturae, non facilè ab omnibus cognoscitur. Si enim Durandus errauit non omnem fornicationem esse contra ius naturale, quantò magis id existimare possunt homines planè rudes absque culpa, si nullum habeant instructorem, cùm meretrices interdum publicè exponantur & permittantur, & homines agrestes prudentiorum doctrina destituti non benè discernant inter ea quæ permittuntur tanquam minus mala, & ea quæ tanquam licita exercentur. Cæterùm inter Christianos vix potest ordinariè quis excusari à fornicatione per ignorantiam, cùm iam satis prædicatum sit, quod fornicatio sit peccatum mortale. Tamen si quis inter Christianos tam duro agrestique ingenio sit, & nullus eum instruxit, nec quisquam eum reprehendit, post fornicationem ab eo commissam, fortè excusari posset per ignorantiam, quod locum habet aliquando in ciuitatibus & pagis alioqui benè institutis in fide & religione, vt ij qui confessiones excipiunt, animaduertunt. Ita sentit D. Thomas *quæst.* 15. *de malo articulo* 2. *ad* 3. & post eum Sotus *de iustit. lib.* 5. *quæst.* 3. *artic.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 1. *cap* 13. *quæst.* 1. *& part.* 3. *lib* 3. *cap.* 4. Filliucius *tract.* 30 *num.* 50. & alij. (D. Tho. Sotus. Azor. Filliuc.)

4. Difficultas est inter Doctores, an fornicatio commissa cum aliena sponsa vel sponso de futuro, contineat circumstantiam necessariò explicandam in confessione? Tres sunt in hac difficultate sententiæ. *Prima* docet esse aperiendam in confessione, tam à desponsatis ipsis, quàm ab ijs qui cum vno desponsatorum sunt fornicati. Ratio est, quia licet tale peccatum non sit verum, ac propriè dictum adulterium, ad illud tamen reducitur, sicut imperfectum, ad perfectum sui generis, & importat circumstantiam iustitiæ repugnantem: ergo plus est quàm simplex fornicatio: quia magna iniuria irrogatur sponso, per hoc quod sua sponsa cognoscatur ab alio. Hanc sententiam tradunt Homobonus, Naldus, Molfesius, Lopez, Petrus Ledesma, Sylvius, & alii apud Dianam infra. (Homob. Naldus. Molfes. Lopez. P. Ledes. Syluius.)

Secunda sustinet minimè esse explicandam. Ratio est, quia solæ circumstantiæ mutantes speciem, sunt necessario explicandæ in confessione, hæc autem non mutat speciem, cùm adulterium non sit. Probatur, quia per sponsalia tantùm contrahitur obligatio mutua tradendi corpus per matrimonium, non autem obligantur sponsi ad abstinendum ab alieno concubitu ante matrimonii contractum; ergo alienus concubitus non continet circumstantiam sponsalibus aduersam, nec confitendam. Ita Couarruuias, Viualdus, Megala, Azorius, & alii quos refert & sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 5. qui pro hac sententia in *part.* 3. *tract.* 4. *res.* 67. adducit etiam Basilium Pontium, & Layman. Hæ duæ opiniones sunt probabiles. (Couar. Viuald. Megala. Azor. Diana. Pontius. Laym.)

Tertia denique media via incedit, & docet, tunc hanc circumstantiam necessariò esse fatendam, quando aliquis fornicatur cum sponsa alterius de futuro: at quando sponsus de futuro fornicatur, hæc circumstantia non est de necessitate in confessione aperienda. Probatur non esse in sponso circumstantiam, Quia licet etiam

contineat ea fornicatio iniuriam, ac circumstantiam diuersam specie, iniustitiæ commissæ aduersus ius sponsæ ab ea per sponsalia acquisitum in corpus sponsi; tamen cùm prudentium arbitrio ea iniuria reputetur leuis in fornicatione sponsi de futuro, non excedit limites culpæ venialis, ac proinde non est necessariò confitenda; quod secus est in fornicatione sponsæ, censetur enim ea iniuria respectu sponsi atrocissima, maior enim requiritur honestas in fœminis, quam in viris. Ita Fagundez *præcept.* 2. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 18. 19. *&* 20. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 2. *num.* 4. 5. *&* 6 Filliucius *tract.* 30. *n.* 53. Hæc sententia non est etiā improbabilis. Elige quam malueris. (Fagund. Sanch. Filliuc.)

5. In fornicatione, cæteris paribus, grauiùs peccat vir quàm mulier: quia vir magis pollet ingenio & ratione, ideoque habet plus virium ad resistendum concupiscentiæ. In adulterio autem grauiùs peccat fœmina quàm vir, propter damnum quod infert fœmina adultera, dum supponit filios adulterij, & causa est incertitudinis prolis: atque ita magis aduersatur bono matrimonij, quàm vir, ac per consequens etiam grauiùs peccat. Ita D. Thomas *in* 4. *dist.* 35. *art.* 4. Caietanus 2. 2. *q.* 154. *art.* 8. *circa respons. ad* 1. Syluester *verb. Luxuria, quæst.* 3. *versic. Tertium.* Toletus *in sum. lib.* 5. *cap.* 10. & alii. (D. Tho. Caiet. Syluest. Toletus.)

6. Fornicatio in Christianis habet peculiarem deformitatem, ratione Baptismi & Confirmationis, quibus corpora nostra facta sunt membra Christi & in templum Spiritui sancto consecrata, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 6. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis absit &c.* Et infra. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est.* Ex quibus colligitur in hoc actu, dum à Christianis fit, esse peculiarem ingratitudinem & irreuerentiam in Deum, & consequenter speciem quandam sacrilegij. Latiùs accepto hoc nomine: vnde est multò grauius peccatum in illis, quam in ethnicis.

7. Dubium est, ad quam speciem luxuriæ sit reducenda copula habita cum muliere mortua? Quidam enim putant reducendam esse saltem ad fornicationem: quia licet fœmina mortua propriè nō sit fœmina, æquiuocè & analogicè dicitur fœmina; ergo. Alij volunt talem copulam habere malitiam bestialitatis, quia bestialitas est peccatum luxuriæ contra naturam, mediante copula habita cū indiuiduo, siue supposito alterius speciei, siue sit bestia, siue Diabolus in corpore assumpto, siue cadauer. Ita Pellizzarius *in man. regul. tom.* 1. *tr.* 4. *cap.* 3. *sect.* 4. *num.* 70. & noster Gesualdus de Bononijs *tom.* 3. *oper. moral. tract.* 12. *cap.* 1. *n.* 43. Verùm hæc opinio non caret difficultate, quia Doctores communiter definientes vitium bestialitatis asserunt, esse concubitum cum re animata non eiusdem speciei cum homine, sed quando quis copulatur cum fœmina mortua, non concumbit cum re animata: ergo talis copula non potest ad bestialitatem pertinere. Quod probatur ex Sanchez *de matrim. lib.* 10. *disp.* 4. *n.* 14. qui docet bestialitatem præbere causam diuortij: addit tamen hoc non procedere in concubitu intra vas cum fœmina, aut bestia mortuis. Dicendum est ergo, talem copulam non includere per se aliam malitiam in genere luxuriæ, quam malitiam pollutionis, sicut qui concubitum haberet cum pictura, vel statua. Ratio est, quia inanimatum instrumentum, quo quis se polluit, non facit mutationem speciei, sed quando quis copulam habet cum muliere mortua, aliud non facit, nisi cum in animato instrumento pollutionem procurare: ergo talis copula non inducit mutationem speciei. Ergo nec vitium bestialitatis nec fornicationis, vt docet Sanchez *loco cit.* Sed tantùm continet malitiam pollutionis factæ adiutorio illius corporis mortui. Dixi *per se*, nam si copula cum fœmina mortua haberetur ab homine peccante cum alio affectu fornicario diuerso à pollutione, tunc cum pollutione adesset aliud peccatum fornicationis, adulterij, incestus, &c. & hæc circumstantia esset in confessione explicanda. Ita nouissimè Diana *par.* 9. *tract.* 9. *resol.* 1. probabiliter. (Pellizar. Gesuald. Sanch. Diana.)

8. Fornicatio non est grauius peccatum, quàm cætera quæ sunt contra Deum, vel proximum: grauitas enim

peccati per se spectatur ex magnitudine boni, cui ipsum opponitur; maius autem est bonum diuinum quam humanum; vnde peccata, quibus bonum diuinum contemnitur, vt ea quę repugnant directè virtutibus theologicis, vel religioni, sunt deteriora secundùm suam speciem, quam fornicatio, quæ bono humano repugnat. Cæterùm & si fornicatio non sit ex maximis peccatis mortalibus, tamen quadam ratione potest dici maximum: quia hominem maximè detinet, & difficillimè superatur propter concupiscentiam homini congenitam, cuius motus

D. Aug. sunt maximè importuni. Vnde D. August. de honestate mulierum cap. 2. *Inter omnia Christianorum certamina, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana pugna*

D. Isid. *& rara victoria*. D. Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 39. dicit, *magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per aliquod aliud peccatum*. Hinc hominibus maximè elaborandum, & præcipua eorum industria in hoc collocanda, vt huiusmodi vitium superetur, quod fiet per fugam occasionum iuxta illud Aposto-

D. Tho. Syluius. li, *fugite fornicationem*. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 3. Syluius *ibid.* & alij commentatores.

Vide supra verb. Furtum *num.* 5. & tom. 2. verb. Sponsalia *num.* 15. 16. & 17.

FORVM.

SVMMARIVM.

1 *Forum vnde dictum & quid.*
2 *Fori iudicialis diuisio.*
3 *An forum exterius & interius reis pœnas infligens, intendat Deo satisfacere vel reipublicæ.*
4 *An forum exterius ex natura rei possit obligare ad distinctam rem agendam, quam interius obligaret.*
An discordet aliquando forum exterius ab interiori per errorem.
5 *An iudex ex lege possit non cogere ad soluendum id quod conscientiæ foro debitum est? & è contra possit cogere ad restitutionem, quod in foro conscientiæ non debetur.*
6 *Quid importet absolutio in foro pœnitentiæ, in foro conscientiæ tantùm, & quid absolutio in foro exteriori.*
7 *Quonam forum quis sortiatur.*

1 FOrum à ferendo nomen habet, quòd in eum locum res venales afferantur. Hinc forum piscarium, olitorium in quo olera venduntur, & sic de cæteris.

Forum apud Iurisconsultos & Theologos significat locum in quo causæ, seu lites exercentur & videtur propter similitudinem litigantium: ementium & vendentiū in foro nundinario, & litigantium coram iudicis tribunali, à priori significatione ad hanc posteriorem translatum. Præterea forum etiam vsurpatur pro iudiciali processu ipsarum causarum, quæ in iudicio pertractantur.

2. Forum, acceptum pro ipsomet iudicio, diuiditur in sæculare, & Ecclesiasticum; sicut & iudicium & potestas iurisdictionis. Rursus diuiditur in exterius & interius. Exterius conuenit prædictis duobus. Interius dicitur forum conscientiæ, vel pœnitentiæ. Denique forum aliud est nostrum, aliud Dei iudicantis animas à corpore separatas. Nostrum est mite, quasi Canonicum & Ciuile, infligens pœnas correctionis ac emendationis, Dei autem forum, seu iudicium est rigorosum, quale apud nos est criminale & sanguinis.

3. Forum exterius dum pœnas infligit delinquentibus, non eo fine inducit, vt delinquentes ex illarum tolerantia Deo satisfaciant, sed vt debita reddatur satisfactio Reipublicæ solùm, vel illi & personæ iniuria affectæ. Vnde forum exterius vt puniat delicta non attendit, an punitio fiat obligando ad actiones positiuas exercendas à delinquentibus, vel an per priuationem, prohibendo videlicet aliquas actiones ab illis exerceri. At iudex fori interni verbi gratia Sacramenti pœnitentiæ, ex intentione directa, debet iniungere pœnam, vt ex illius tolerantia Deo satisfiat, & pœna debita remittatur.

4. Forum exterius, ex natura rei non ad distinctam rem agendam obligare potest, quam interius obligaret, Et ad idem quod in foro animæ interuenit obligatio agēdi, premere debet forum externum vt fiat: nam exterius forum constitutum non est à Deo, & à Republica, ad nouas obligationes hominibus inducendas, sed solùm ad cogendum implere ea quæ secundùm conscientiam eis erat debitum efficere. Vnde si homines operarentur quæ in foro interiori agere tenentur, foro exteriori, seu iudicum tribunalibus opus non esset. Sic quando forum exterius rei veritatem cognoscit, non aliter debet iudicare quàm forum interius, ita vt non possit cogere hominem efficere illud, quod ex intimo foro operari constrictus minimè erat.

Discordat tamen aliquando forum exterius ab interiori per accidens, seu per errorem; quia videlicet non satis probetur obligationem, v. g. restituendi interuenire in foro exteriori, & tunc iudex ad restitutionis impletionē non premit, ne discordet à foro interiori. Porrò forum exterius & interius semper eodem modo debere iudicare cognita veritate, & quòd solùm vnum ab altero deuiat quando exterius forum in falsa præsumptione fundatur,

seu in errore, docent communiter Doctores, Clauis re- Cla. reg.
gia *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 24. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* Sanchez
5. *num.* 20. *ad medium.* Couarruuias *in cap. Cum esses n.* Couarr.
7. *de testament.* Suarez *de censur. disp.* 40. *sect.* 5. *num.* 16. Suarez.
Vasquez, Sotus, Layman, & alij apud Sancium *in sele-* Vasq. Sotus.
ctis disp. 48. *num.* 55. Laym. Sancius.

5. Quando per legem aliquam est decretum, quod iudex non cogat soluere illud quod in animæ foro debitum est, tunc forum exterius non iuuabit forum internum, nec propterea ab illo discordabit; vt qui amisit aliquid in ludo ad creditum, tenetur in conscientia restituere, vt docent plures in pœnam tamen delicti forum exterius non vult cogere ad solutionem. E contra poterit iudex cogere ad restitutionem agendam, quamuis in foro conscientiæ nulla restituendi obligatio intercedat: sicut qui ludo alearum aliquid est lucratus, in conscientia potest illud retinere & tamen si repetatur coram iudice cogetur illud reddere: quia id legibus sancitum est, *l. alearum, Cod. de rel. & sumpt. fun.* Nec propterea discordat forum interius ab exteriori propriè loquendo, sed solùm datur actio repetendi coram iudice in odium ludi, vt sic homines compescantur à ludi vetiti exercitio; pœna autem in foro conscientiæ sustinenda est, quoties à iudice iustè infligitur. Ita Doctores citati *tom.* 2. *verb. Ludus* 2. *num.* 1.

lit. l. in tertia edit. quibus adde Sancium *sup. num.* 61. cum sancius.

alijs multis ab ipso citatis. Qui *num.* 65. ex dictis infert, quòd quamuis lex purè pœnalis ad solam pœnam subeundam obliget, & non ad incurrendam culpam, tamen ex suppositione quòd infligatur à iudice, aderit obligatio in foro conscientiæ eam pœnam acceptandi: quia alias daretur per se bellum iustum ex vtraque parte; dum manifestè non constet illam irrationabilem esse. Quapropter tunc non obligat forum exterius acceptare pœnam quam in interiori non teneatur reus acceptare post latam sententiam. Quò fit, minimè in hoc casu discordare forum exterius ab interiori.

6. In foro pœnitentiæ tantùm absolui à censura, est absolui à censura, consequendo cum illa simul etiam remissionem peccatorum per absolutionem Sacerdotalem & sacramentalem. Absolui verò in foro conscientiæ tantùm, est ab illa in reipsa, seu coram Deo liberari, siue simul sit iuncta absolutio à peccatis, siue non. Dicitur fori conscientiæ tantùm quia refertur merè & nudè ad bonum pœnitentis, vt sit liber à censura coram Deo, quamuis coram Ecclesia, aut in foro exteriori, talis censura ligatus adhuc habeatur vt non absolutus, & contra illum siue à iudice, siue à parte tanquam contra non absolutū, agi possit. Absolutus autem à censura extra conscientiæ forum, siue in foro exteriori, est ille qui coram Ecclesia, seu coram Iudice est vel habetur liber à vinculo censuræ, qualis est qui per sententiam, iudicis authoritate est

abso-

absolutus. Præterea absolutio in foro conscientiæ, seu Pœnitentiæ tantùm, sæpe cum inuicem confunditur, & pro eodem sumitur; nihilominus tamen absolutio in foro conscientiæ latiùs patet, quàm absolutio in foro pœnitentiæ tantùm; quia potest quis absolui in foro conscientiæ, licet non absoluatur sacramentaliter; vt si Vicarius Episcopi, vel alius simili potestate gaudens absoluat à censuris extra pœnitentiæ Sacramentum, saluo tamen iure fori exterioris. Vnde quæ diximus supra *verb. Absolutio num.* 22. 23. *&* 24. de hac materia cum Doctoribus ibi citatis.

7. Iure quidem cautum est, ne quis reus extra suam prouinciam trahatur. In multis tamen casibus contingit, vt quis alibi, quàm apud suum proprium iudicem iudicetur, quos Glossa *cap.* 1. *causa* 3. *quæst.* 6. his verbis comprendit. — Glossa.

Contractus, crimen, reus, res, religioque
Vir, ratio similis, vel prouocat atque recusat,
Excellit, iussus, vel si consentis vterque.

Quorum omnium explicationem vide ibid. in Glossa per quæ cernere licebit, quodnam forum quis sortiatur. Vide supra verb. Clericus *num.* 9. *& seq.* Commendatarij *num.* 1. Emptio *num.* 7. *&* 15. Excommunicatio 6. *n.* 4. Fructus *num.* 6. & tom. 2. verb. Iudex *num.* 1. Mutuum *num.* 34. Priuilegium *num.* 1. Testamentum *num.* 2.

FRVCTVS.

SVMMARIVM.

1 *Fructus quidam sunt naturales, quidam industriales, & quidam mixti.*
2 *An possessor bonæ, vel malæ fidei teneatur restituere fructus industria perceptos ex re aliena?*
3 *An fructus qui extant ex re aliena sint restituendi à possessoribus bonæ fidei, siue sint naturales, siue mixti.*
4 *An teneatur possessor bonæ fidei restituere fructus naturales & mixtos, quando illos bona fide possedit per triennium?*
5 *An malæ fidei possessor teneatur ad restitutionem fructuum quos ipse non percepit, Dominus tamen rei illos percepisset?*
6 *An fructus restituere teneatur possessor malæ fidei quos percepit ex re aliena, quam ipse meliorem effecit?*

1 FRuctus alij sunt naturales, alij *industriales*, & alij *mixti*. *Fructus naturales* dicuntur illi qui suapte natura producuntur, nulla aut saltem modica hominum industria concurrente; quales fructus sunt poma, glandes, herba, plantæ, & multi fructus syluestres, pluresque fœtus animalium, qui absque hominis industria producuntur. *Fructus industriales* dicuntur, qui non producuntur à natura, sed ab hominum industria, vt quæstus, qui percipitur negotiatione, vt emendo vili, vendendo carè, ratione temporis & loci. *Fructus mixti* dicuntur, qui partim ex reipsa, partim ex hominum industria producuntur, quales sunt vuæ, oleum, lac, pensiones ex locatione domus, vel equi, & segetes, quæ proueniunt à terra, adiuncto hominum labore. *Præterea* fructus alij sunt *pendentes*, scilicet, qui nondum collecti sunt, alij sunt *percepti*, nempe qui iam collecti sunt, & separati à solo, quamuis fortè nondum sint in horreo, vel cella reconditi: Alij sunt *qui percipi potuerunt*, videlicet, à viro diligentissimo, sed reipsa non sunt percepti ex lata, aut leui culpa. Couarruuias 1. *var. cap.* 3. *num.* 6. Sanchez *in Summa lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 48. Azorius 3. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 4. *&* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 17. *num.* 110. Molina *tom.* 3. *disp.* 719. & alii. — Couar. Sanchez Azor. Lessius. Molina.

2. Fructus industriæ perceptos ex re aliena, ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 4. Sanchez *cit. num.* 46. Diana *de contract. resol.* 32. *part.* 1. Vasquez *de restitut. cap.* 5. §. 1. *dub.* 13. *num.* 83. P. Nauarra *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 48. Syluio 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 4. *conclus.* 3. Lessio *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 114. & alijs, non tenetur restituere possessor bonæ — D. Tho. Sanch. Diana. Vasq. P. Nau. Sylu. Lessius.

vel malæ fidei, quia soli fructus rei alienæ sunt obnoxi restitutioni, non autem industriæ, qui autem torquem aureum subreptum aliquoties pretio locauit, tenetur non solùm ad restitutionem torquis, sed etiam pretij locationis, quamuis Dominus eum locare non consueuerit; quod est contra Nauarrum *in Manual. cap.* 17. *num.* 15. quia illud lucrum non est fructus industriæ, sed pretium locationis, sicut est pensio percepta ex locatione domus vel equi, quæ reducitur ad fructus mixtos. Sententia tamen Nauarri non est improbabilis, vt ait Diana *part.* 2. *tract.* 3. *miscellan. resol.* 50. quæ sustineri potest, tum quando Dominus est vir diues, qui tale pretium locationis non putaretur velle: tum quando res talis est, quæ locari non solet, verbi gratia, si pecuniæ vel aliæ res locentur ad ostentationem; nam tunc potiùs reputabitur fructus extraordinariæ industriæ. Cui etiam subscribunt Malderus 2. 2. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 114. — Nauar. Diana. Malder. Lessius.

Qui verò fructus aliquos fecit ex vino alieno, aut ex tritico alieno, quod in proprio fundo seminauit, non tenetur ad eos fructus restituendos, sed satisfacit restituendo triticum furtiuum, & damnum inde subsecutum, si ille qui fructus percepit fuit possessor malæ fidei; quia fructus illi censentur fructus meræ industriæ, cùm percepti fuerint ex re per se omninò sterili. Bonacina *de restit. disp.* 1. *q.* 3. *punct. vlt.* §. 1. *num.* 6. — Bonac.

3. Fructus qui extant, ex re aliena, tam naturales, quàm mixti, tam pendentes, quam percepti, restituendi sunt, à possessore bonæ fidei; si verò non extant, tenetur restituere id in quo factus est ditior, deductis expensis, & valore industriæ. Hinc qui ex fundo, vel domo aliena fructus, vel pecuniam collegit, credens fundum vel domum esse suam, tenetur ad restituendum id, in quo factus est ditior, etiamsi fructus vel pecuniam commiscuerit cum proprijs fructibus, vel cum propria pecunia. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 2. Vasquez *citat. cap.* 9. §. 2. *dub.* 1. *num.* 27. — Lessius. Vasq.

4. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus naturales vel mixtos, quando illos bona fide possedit per triennium; quia res mobiles vsucapiuntur triennali possessione; & hoc verum etiamsi vltima dies triennij solùm sit inchoata: An autem ad præscribendos dictos fructus requiratur titulus cum possessione triennali, alii affirmant, alii negant probabiliter. Vide Molinam *tom.* 3. *p.* 2. *disp.* 718. *num.* 1. Sanchez *cit. num.* 94. — Molina. Sanch.

5. Malæ fidei possessor ad restitutionem fructuum tenetur, quos ipse non percepit, Dominus tamen rei illos percepisset; quia talis per suam iniquam detentionem, censetur causa efficax damni & amissionis fructuũ: detrahendæ tamen sunt expensæ; quas Dominus fecisset in ijs fructibus percipiendis, & similiter detrahenda est æstimatio laboris impensi circa fructus: quia fructus intelliguntur, qui supersunt deductis expensis, quæ causa ipsorum factæ sunt. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 23. Couar. *in reg. peccatum p.* 2. §. 6. *num.* 4. Azor. 3. *p. lib.* 4. *cap.* 4. *q.* 4. & alii. — Cla. reg. Couar. Azor.

6. Cùm Domino res fructificet, hinc possessor malæ fidei fructus restituere tenetur, quos percepit ex re aliena, quam ipse meliorem effecit, quamuis illam Dominus meliorem non effecisset; quia illa melioratio, cùm sit affixa rei, pertinere debet ad Dominum rei, vnde talis restituere tenetur pecuniam, quam accepit ex locatione rei alienæ, quam Dominus non locasset: & hoc verum, quamuis pecunia sit iam consumpta, & ex eius consumptione possessor malæ fidei non sit in vlla re factus locupletior. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 17. Sanchez *cit. num.* 105. *&* 123. Clauis regia *cit. cap.* 3. *num.* 24. — Lessius. Sanch. Cla. reg.

Vide supra verb. Bona paraphernalia *num.* 3. Census *num.* 11. 12. Decimæ *n.* 8. Dos *n.* 1. Horæ Canonicæ *n.* 13. *& seq.* Horæ Canonicæ 5. & tom. 2. v. Restitutio 2. *n.* 6. Vsura 6. *num.* 2. Venditio *num.* 20. 21. *& seq.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Fructus vnde dictus? & qui dicantur apud Iurisperites.*

2 *An lac, caseus, lana, vua vinum, oliua, oleum, segetes, & omnia quæ seminantur, inter fructus industriales, reputentur.*

3 *Qui dicantur fructus ciuiles.*

4 *An fructus pendentes sint possessoris bonæ fidei, si ante perceptionem cesset bona fides.*

5 *An fructus industriæ ex re aliena sint possessoris bonæ, vel malæ fidei.*

6 *An malæ fidei possessor teneatur in foro conscientiæ ad restitutionem fructuum, qui ex re aliena percipi poterant, si dominus eos non erat percepturus.*

7 *Et quid iuris si dominus erat percepturus sua communi, vel singulari diligentia?* refertur duplex sententia.

8 *An possessor malæ fidei teneatur fructus à se perceptos ex re aliena frugifera restituere domino, quamuis hic non esset eos percepturus.*

9 *An possessor malæ fidei teneatur ad restitutionem fructuum quos dominus potuisset percipere inhonestè? Et quid si talis ex re aliena acquisiuit lucrum inhonestũ.*

10 *An expensas possit malæ fidei possessor deducere ex ijs fructibus restituendis? & quales.*

11 *An hic possit mercedem sui laboris & industriæ deducere.*

12 *An possessor bonæ fidei & postea malæ, mutatis personis, fructus sibi acquirat.*

Quid si idem possessor habuit initio bonam fidem & postea malam.

13 *Quid quando possessor est à principio malæ fidei & postea bonæ, & hoc contingit in diuersis personis.*

14 *An fructus triennio possint præscribi, quando consumpti sunt à possessore bonæ fidei ante lapsum triennium?* refertur duplex sententia.

1 FRuctus à fruendo nomen habet, quia eo fruimur. Et primò dicuntur fructus, quos fundus producit. Per translationem autem omne quod vtilitatem, ac commodum aliquod habet & affert.

Fructus apud Iurisperitos *in l. si a patre, ff. de petit. hæredit.* sunt illi, qui ex re fructifera percepti supersunt, deductis expensis, quæ gratia illorum quærendorum, colligendorum & conseruandorum fiunt, etiamsi possidens sit prædo. Et cùm hi fructus, alii sint naturales qui scilicet, ex re fructifera sua sponte nascuntur: alii industriales, qui hominis industria acquiruntur ex re sterili: alij naturales mixti, in quibus, vltra naturam operantem interuenit aliqua hominis industria: Circa hos est notandum, quod à præualenti denominentur; si enim magis industria, quàm natura operetur, dicuntur simpliciter industriales; si autem è contra plus natura, dicuntur simpliciter naturales: quia à præualenti denominatio sumitur. Vnde præualens consideratur à iure vt principale, reliquum autem vt accessorium, & sic à præualenti denominatio sumitur. Vt constat ex *l. fructus percipiendis, ff. de vsuris*. Quando autem dubium fuerit, an natura, an industria plus operetur, & subinde, an naturales, an potius industriales fructus sit appellandi, id iudicis arbitrio definiendum est: atque in foro conscientiæ prudentis relinquendo iudicio. Ita tradunt Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 3. num. 6.* Menochius *de recuperand. possess. remed. 15. num. 592.* Rebellus *de oblig. iustit. part. 2. lib. 2. quæst. 4.* Molina *tom. 3 de iustit. disp. 719.* Angelus, Syluester *verb. Fructus*, & alii. Aduerte tamen magis operari naturam, quam industriam, aut è contra, esse diuersimodè iudicandum in diuersis Prouincijs, iuxta illarum qualitatem, & vsum. Nam idem fructus alicubi sponte nascitur, alibi autem industria & labore, vt notaut prædicti Authores.

Couarr.
Menoch
Rebell.
Molina.
Angel.
Syluest.

2. Secundùm probabiliorem & veriorem sententiam, Lac numeratur inter fructus industriales: quia non modica hominis industria & cura in ouibus pascendis & custodiendis versantur ad lac producendum: Et à fortiori caseus, qui ex lacte ipso coagulatur, est fructus industrialis: Idem dicendum de lana ob rationem dictã. Vuæ autem sunt etiam fructus industriales, quamuis quidam naturales appellent. Quia experientia est satis compertum nimia cultura vineas indigere vt vuas producant: & à fortiori vinum est fructus industrialis. Oliuæ similiter & oleum ex ipsis expressum reputantur inter fructus industriales, sicut & segetes & omnia quæ seminãtur, quod ingens labor in eis seminandis & colligendis, & terra excolenda impendatur. Et à fortiori farina ex fructibus seminatis confecta, est fructus industrialis, vt ex se constat. Circa animalium fœtus, certa regula præscribi non potest: quia in aliquibus regionibus sponte proueniunt & per montes & syluas producuntur absque hominis industria, & tunc sunt fructus naturales. In alijs vero, vt agni concipiantur, oportet mutare pascua, ac oues hybernos & æstiuos saltus & montes desiderant, quo ducantur & reducantur, & tunc erunt industriales. De his plura apud Menochium *lib. 2. de arbitrarijs centur. 3. casu 210. num. 21. & seq* Molinam *tom. 3. disp. 719.* Sanchez *lib. 2. cap. 23. num. 14. & seq.*

Menoch
Molin.
Sanchez

3. Quidam Doctores vltra fructus naturales & industriales, admittunt alios, quos vocant ciuiles, eo quod nõ verè ex reipsa nascuntur; sed hominis industria, propter rem, id est, rei vsum, iure ciuili percipiuntur. Huiusmodi sunt redditus domus, mercedes iumenti, operæ serui. Non appellantur autem naturales, aut industriales, eo quod non sunt verè, & propriè fructus, sed fictè. Dicuntur autem ciuiles, quia ius ciuile hanc fictionem induxit, vt loco fructuum habeantur. Atque huiusmodi fructus admittunt Angelus, Syluester, Tabiena *verb. Fructus.* Molina *loco cit. disp. 719.* & plurimi Iurisperiti. Magis tamen placet sententia asserens, quod omnes fructus, qui non sola natura & sua sponte nascuntur, proueniunt ex hominis industria, atque adeo omnes fructus reducuntur ad naturales, aut industriales, iuxta id quod præualet. Ita Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 3. casu 210. num. 59.* Gutierez *de tutis par. 2. cap. 23. num. 5. & 6.* & alij. Reducuntur autem hi fructus ciuiles ad industriales: quamuis enim verè & propriè nequeãt dici fructus, & sic nec naturales, nec industriales: reducuntur tamen ad industriales: quod magna industria in domibus ædificandis, reparandis, locandis, & censibus constituendis versetur. Ita communis apud Sanchez *loco cit. num. 53.* Hinc patet differentia non in re, sed in modo loquendi inter Theologos & Iureconsultos; quod illi omnes fructus, qui ex reipsa proueniunt, quamuis concurrente hominis industria, *naturales* appellant. Iureconsulti autem eiusmodi fructus *mixtos* vocant, vel simpliciter *industriales*, si magis industria, quàm natura operari videatur. Hæc, &c. Hæc annotata de fructibus maximè deseruiunt in materia restitutionis fructuum à possessore bonæ, vel malæ fidei rei alienæ.

Angel.
Syluest.
Tabiena
Molina.
Menoch
Gutierez
Sanch.

4. Fructus percipiendi, qui adhuc in arbore pendent nullius possessoris bonæ fidei sunt, si ante eorum perceptionem cesset bona fides, nam tunc erunt Domini fundi: quia dum percepti non sunt, reputantur pars fundi, & ideo ad illius Dominum pertinent, vt constat ex *l. fructus pendentes 45 ff. de rei vendic.* ibi, *fructus pendentes pars fundi videntur*. Et hoc verum, quamuis fructus illi sint maturi, & proximè colligendi; non enim quoad hunc effectum reputantur collecti, sed sunt adhuc pars fundi, vt probat *l. finalis, ff quæ in fraudem credit.* Dicuntur autem percepti ad eum effectum, vt bonæ fidei possessor illos acquirere valeat, quando sunt à solo separati, siue ab ipso possessore percepti fuerint, siue ab alio suo nomine, semper enim dicuntur ab ipso percepti: imo etsi fructus illi casu ex arbore deciderint, vt habet *l. qui scit 45 ff. de vsuris*.

Fructus vel potiùs lucra, quæ sunt meræ industriæ, ad bonæ fidei, imo etiam malæ fidei possessorem pleno iure spectant. Ratio est, quia sicuti fructus rei rem sequitur eiusque Dominum: ita lucrum, ac veluti fructus industriæ ad eum pertinet, qui adhibuit. Hinc qui alieno in-

instrumento opus elaborauit, ad artificem, non ad instrumenti Dominum, arte factum pertinet: debet tamen artifex præter instrumentum, æstimationem siue valorem vsus rei, seu instrumenti Domino restituere. Ita ex communi Scotus *in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 5.* Nauarrus *in Man. cap. 17. num 25.* Lessius *lib. 2. cap. 12 num. 111.* Simile est, si fur pecuniam furtiuam negotiationi exponat, lucrum inde proueniens ad furem spectat, vt docent Diuus Thomas 2.2 *quæst. 78. art. 3.* Scotus *in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 2.* Si tamen per detentionem pecuniæ alienæ, Dominus damnificaretur, tunc damni istius compensatio à fure facienda esset. Item, si quis alienum frumentum alio deportatum vendidit, vbi plus valet, lucrum sibi, non Domino acquirit: & satisfacit restituendo frumentum eiusdem generis ac qualitatis, vel certè quanti interest Domini frumentum suum abductum & alienatum non fuisse.

Scotus. Nauarr. Lessius. D. Th. Scotus.

6. In foro conscientiæ nullus malæ fidei possessor tenetur ad restituendos fructus, qui ex re aliena percipi poterant, siue ab ipso, siue à Domino, siue à quocumque alio, si constet fore vt verus Dominus eos non percepisset. Quare in hoc discrepat forum internum non obligans ad hos fructus restituendos, ab externo obligante, quando is possessor titulo caret. Ratio est, quod forum internum solam commutatiuæ iustitiæ æqualitatem attendat, quæ in eo consistit, vt integrè in Domino restituatur, quod ex re sua, si sibi non esset ablata, acquisiturus erat: & ideò qualemcumque possessorem minimè obligat ad fructus possibiles restituendos, si à Domino acquirendi non essent. At forum externum non solam æqualitatem prædictam respicit, sed sæpè culpam delinquentis punit, obligando illum ad aliquid amplius in pœnam. Et confirmatur, quia obligari hunc ad fructus possibiles, est iure statutum in odium delicti possessoris iniqui. Sic tradunt. Syluester *verb. Restitutio 3. qu. 9.* Rebellus *de obligat iustit. pars. 1. lib. 2. q. 5.* Lopez *1. p. instructior. c. 238.* & alij.

Syluest. Rebell. Lopez.

7. Quamuis possessor malę fidei teneatur in foro conscientiæ ad fructus restituendos, quos dominus rei ex illa apud se habita percepisset, quamuis possessor eos non perceperit, vt diximus *tom. 1. verb. Fructus, num. 5.* Hoc tamen intelligendum est de fructibus à Domino percipiendis communi diligentia: secus si singulari eius diligentia essent percipiendi. Ita Saurus in Claui Regia, *lib. 10. tract. 2. cap. 3. num. 2. & 22* Petr. Nauarr. *lib. 4. de restit. cap. 1. in nona edit. dub. 5. num. 34. & 35.* Ab hac tamen limitatione recedit Sanchez *lib. 2. Moralium, cap. 23. num. 120.* dicens teneri ad eos fructus, quos Dominus singulari sua industria percepisset; quia in his est Dominus verè læsus. Et hæc sententia est probabilis, quam sustinent Bartolus & alij apud eundem Sanchez *loco citato num. 114.* qui dicunt, singularem Domini industriam spectandam esse in fructuum percipiendorum restitutione sibi facienda. Fatentur tamen vniuersi Doctores, agentes de fructibus, qui percipi poterant, vt intelligatur de fructibus, quos licitè & honestè, id est, ex vsu rei licito & honesto Dominus erat percepturus, quod probatur ex *l. Fructus non modo 34. ff. de rei vendic.* ibi: *Fructus non modo percepti, sed qui honestè percipi potuerunt, æstimandi sunt.*

Cl. Reg. P. Nau. Sanchez. Sanchez.

8. Fructus tenetur possessor malæ fidei à se ex re aliena frugifera perceptos restituere vero rei Domino, quamuis hic non esset eos percepturus. Ratio est, quia quælibet res suo Domino fructificat, *Instit. §. si Tamen, de rerum diuis.* Ergo illi fructus percepti cedent Domino rei. Nec absurdum est, sed necessariò dicendum, aliquando per accidens debere Dominum rei, ex re sibi restituta ditiorem euadere, quàm si non sobrepta esset, vt si equo spoliatus erat statim eum venditurus viliori pretio, quod tunc valebat, & restituatur sibi tempore quo longè plus valet, lucrabitur occasione furti id augmentum. Ita Ioannes Medina *Cod. de reb. restituend. q. 6. vers. vt secundum hoc* Syluester *verb. Furtum, quæst. 16. n. 20.* Nauarrus *in Man. c. 17. n. 216.* Couarruuias *reg. peccatum 2. p § 6. n. 4.* Clauis Regia *lib. 10. tr. 2. c. 3. n. 24.* & alii.

Medina. Syluest. Nauarr. Couarr. Cl. Reg.

Quidam tamen ex his Doctoribus limitant conclusionem, vt procedat, quando fructus illi à malæ fidei possessore percepti extant, aut si consumpti sunt, euasit ex illis locupletior; tunc enim tenetur eos extantes Domino integrè restituere: at consumptos, catenus tantùm, quatenus locupletior euaserit. Ratio est, quia fur nec tenetur causa rei acceptæ, cùm non extet, neque causa iniquæ acceptionis, quia iniqua acceptio rei alienæ non obligat ad restitutionem, nisi quatenus efficaciter intulit damnum secundùm æstimationem moralem; quia etiamsi rem alterius non accepisset, vel detinuisset, Dominus non ideò esset ditior, quia eos fructus non esset percepturus. Tum quia quando res apud Dominum non erat fructificatura, & industria alterius effectum est vt fructificaret, adscribendum videtur industriæ, non rei. Hæc sententia est probabilis: nititur enim quædam æquitate.

Dicendum tamen est teneri eos restituere integrè post consumptionem, ex qua non mansit ditior, ac si extarent. Ratio est, quia solus possessoris bonæ fidei priuilegium est, vt sit liber à restitutione, quando ex rei alienæ consumptione non est redditus locupletior. Non ergo id extendi debet ad possessorem malæ fidei, qui & rem vsurpando & fructus consumendo, deliquit; alioquin ex consumptione iniusta lucrum de obligationis à restitutione reportaret. Ita Molina *tom. 3. de iustit. disput. 725. num. 4.* Lessius *lib. 2. capite 12. numer. 120.* Sanchez *libr. 2. Moral. capite 23. num. 130.* Rebellus *de obligat. iustit. part. 1. lib. 2. quæst. 5.* Prædicta tamen limitatio posset habere locum in casu quo hi fructus pereant fortuito, vel etiam culpa leui possessoris, priusquam commodè possent restitui, tunc enim non tenebitur, quia non censetur fuisse in mora: etsi enim rem iniquè detinuit, non tamen fructus, vt aduertit Lessius suprà.

Molina. Lessius. Sanchez. Rebellus. Lessius.

9. Cum possessor malæ fidei non teneatur restituere fructus, quos Dominus ex re sua potuisset percipere inhonestè & cum turpi vsu rei, quia iura non patrocinantur delinquentibus, vt diximus suprà *num. 7.* ex communi. Ipse tamen possessor malæ fidei obligatur ad restituendum lucrum inhonestum quod ipse acquisiuit ex re aliena modò non sit lucrum meræ industriæ, vt patet ex *l. Ancillarum, ff. de petitione hæreditatis.* Ratio est, quia possessor malæ fidei tenetur restituere fructus mixtos perceptos ex re aliena, cùm res aliena Domino fructificet. Vnde si talis domum alienam locauerit meretrici ad meretricandum, tenebitur Domino pretium locationis restituere: quia in prædicta lege habetur in fine: *Sed & pensiones, quæ ex locatione prædiorum Vrbanorum perceptæ sunt, venient, licet à lupanario perceptæ sint,* & docent Menochius *de recuperand. possess. remed. 15. n. 604.* Sanch. *loco citato n. 102.* & alij apud ipsos.

Menoch. Sanchez.

10. An autem hic malæ fidei possessor possit ex ijs fructibus restituendis, expensas ac præmium laboris & industriæ deducere, ac proinde solos fructus, qui his deductis supersunt, restituere teneatur? Pro responsione aduertendum est, triplices esse expensas. Quædam sunt necessariæ, quæ scilicet nisi fierent, aut res periret, aut deterior fieret; vt reficere domum minantem ruinam. Aliæ dicuntur vtiles, quæ rem meliorem ac maioris æstimationis reddunt, vt vineas & oliueta plantare. Aliæ vocantur voluntariæ, seu voluptuariæ, quæ suapte natura non fructus augent, sed magis ad ornatum & voluptatem fiunt, vt viridaria, picturæ, &c. Sic habetur expressè in *c. Impensa, de verbor. significat.* quo supposito.

Dico *primo*, iuxta communiorem sententiam expensas necessarias posse deducere, & petere præter factas in alimentis serui furto surrepti, *lib. 1. Cod. de infantibus expositis.* Expensas vtiles, in foro externo nec per actionem nec per retentionem consequi potest, sed eas deducere poterit separando ab ædificio, si deduci valeant absque rei detrimento: voluntarias autem neutro modo potest deducere. Quæ omnia tradunt communiter Doctores *in l. Dominum, C. de rei vendicat.*

Dico *Secundo*, in foro conscientiæ deducendas esse non solùm expensas necessarias, quas Dominus fecisset, Dominus enim non censetur in his damnificatus, sed etiam vtiles quatenus eas Dominus fecisset, & quatenus sunt Domino vtiles. Ratio est, tum quia his deductis Dominus non dicitur pati damnum, cùm dictæ expensæ cedant in vtilitatem Domini, cuius res facta est melior & fru-

fructuosior per illas expensas. Tum quia Dominus non debet ditior fieri expensis alienis. Ita Lessius *lib.2. cap. 12.num.* 111. Salon. 2.2. *quaest.62.art.6,controuers.3.* Molina *tom.3.disp.725.ad finem*, Clauis Regia *lib.10.tract.1.cap. 3.num.4.* & alij. Circa expensas verò voluntarias non est idem sensus auctorum, Sayrus enim in sua Clauis Regia loco proximè citato, ait, Dominum obligari in foro conscientiæ ad has expensas furi soluendas, quando separari nequeunt. Idem Lessius *cit. num.* 13. ait enim si Dominus id ornamentum retinere velit, deducendas esse expensas; quod si nolit, integrum esse furi eas auferre, si absque rei læsione auferri valeant; & si id fieri nequeat, rem esse arbitrio prudentis transigendam, Sanchez verò *num.* 139. placet non teneri Dominum eas furi soluere, quando nequeunt separari absque pristini status rei læsione. Idem tenet Rebellus. Ratio est, quia fur ille sibi imputare debet, quod eas sine Domini consensu fecerit. Et hæc opinio est tenenda.

Lessius. Salon. molina. Cl. Reg. Lessius. Sanchez

11. Possessor malæ fidei potest in fructibus restituendis mercedem sui laboris & industriæ deducere. Ratio est, quia hic labor cedit in commodum & vtilitatem Domini, Dominus autem non debet ditior fieri labore alieno. Tum quia si per alios laborem illum, & industriam apponeret, ac eis mercedem soluisset, posset in foro conscientiæ eam mercedem ex fructibus deducere. Ergo idem erit, si per seipsum eadem apponat. Cùm eiusdem valoris sint & æquè in Domini vtilitatem redundent. Ita Emman. Sà *verb. restitutio, num.* 15. Clauis Regia *loco citato num.* 22. Bonacina *de restitut. disp.1. quaest.3. punct. vlt. §.2. num.9.* Couarruuias *reg. Peccatum 2.p. §.6. n.4.* & alij communiter.

Emm. sà Cl. Reg. Bonac. Couarr.

12. Qui initio bona fide & postea mala possedit, si mala fides superueniat, mutatis personis, vt quia defunctus habuit bonam & hæres malam, constat iudicari hunc hæredem instar malæ fidei possessoris, & instar illius teneri omnes fructus restituere. Quia cùm de solis fructibus ab eo quæsitis agatur; sola suæ personæ fides spectanda est, vbi habetur expresse *in leg. Quaesitum est, ff. de acquirend. rerum domin.*

Dubium tamen est, quando idemmet habuit initio bonam fidem, & postea malam, puta, si possessor initio existimans rem esse suam, norit postea esse alienam; vel quando sola ficta præsumptione iuris superuenit, qualis est per litis contestationem? Respondeo omissis super hoc varijs sententijs, spectanda singula momenta, ac proinde circa fructus perceptos, ac consumptos tempore bonæ fidei iudicandum esse prorsus eodem modo, quo de possessore bonæ fidei: circa consumptos autem tempore malæ fidei, sicut de possessore malæ fidei. Quod probatur ex *cap. Si virgo 34. quaest.* 2. ibi: *Tamdiu quisque bonae fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum, cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit: tunc malae fidei possessor probibetur: tunc iuste iniustus possessor vocabitur.* Ex D. Augustino in libro de fide & operibus. Probatur etiam ex *l. qui bona fide, ff. de acquirend. rerum domin.* Ex hac sententia sunt pro foro conscientiæ Rebellus *de obligat. iustit. part.1. lib.2. quaest.5 n. 9. in fine*, Clauis Regia *lib.10. tract.2. ca. n.2. vers. Ratio est.* Petrus Nauarra *lib.3. de restit. cap.4. in noua edit. p.3. dub.1. n.144.* & alij quos refert & sequitur Sanchez *lib.2. Moral. c.23. n.152.*

D. Aug. Rebell. Cl. Reg. p. Nau. Sanchez

13. Quando autem possessor est à principio malæ fidei, & postea bonæ: & hoc contigit in diuersis personis, vt quia defunctus mala fide possedit, hæres autem bona: tunc hic hæres non facit fructus suos, vt constat ex *l. cùm heres, ff. de diuers. & temporal. praescript.* modò sit vniuersalis: qui censetur eadem persona cum defuncto. Secus autem de successore singulari, qui non capit rem illam hæreditate. Ita Menochius *de recuperand. possess. remed. 15. num. 617. & 622.* Cæterum hæres hic bona fide possidens, licet non consequatur effectus possessionis bonæ fidei, concessos solo iure ciuili: at obtinebit indubitanter effectum iure naturali concessum possessori bonæ fidei, nēpe, vt nec ex re, nec ex eius fructibus bona fide consūptis teneatur restituere, nisi quatenus ditior euasit. Vnde hæres latronis possidens bona fide, censendus est instar possessoris bonæ fidei, vt bene Sanchez *loc. cit. n.155.*

menoch. sanchez.

14. Quidam sustinent fructus triennio præscribi, quos possessor bonæ fidei consumpsit ante lapsum triennium, ita vt eo transacto possessor ille liberetur omninò restituendi vinculo: quia in hoc casu actio personalis succedit loco rei vendicationis, quę competeret aduersus eos fructus, si adhuc excitarent, vnde sicut hæc tolleretur triennio, ita & illa. Ita Sanchez *loc. cit. n.92.* & alij apud ipsum probabiliter. Sed probabilius est tunc non præscribi. Ratio est, tum quia ad præscriptionem exigitur triennalis possessio, in hoc autem casu non adest triennalis possessio, cùm fructus fuerint consumpti ante triennium elapsum. Tum quia possessor bonæ fidei pro fructibus consumptis tenetur ad restitutionem actione personalis conditionis, ad præscribendum autem actionem personalem requiritur spatium triginta annorum. Ita Couaruuias *lib.1. variar. c.3. n.7. conclus.4.* Menochius *de recuperand. possess. remedio 15. n.589.* Bonacina *de restit. disp.1. qu.3. punct. vlt. §.1. n.12.* & alij.

sanchez. Couarr. menoch. Bonacin.

Vide hoc tom. verb. Dos *num.7.* Emptio *num.28.* Feudum *num.12.* Fides 2. *num.11.* Horæ Canonicæ 1. *num.8.* & tom 2. vide Missa 2. *num.9.10.11.* Mutuum *num.22.23. 25.* Pignus *num.3.4. & 9.* Restitutio *n.6.9.10.* Restitutio in integ. *n.14.* Suspensio *n 8.*

FVRTVM I.

Quid sit furtum, & quale peccatum.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit furtum?*
2 *An furtum & rapina differant specie, in ratione iniuriae?*
3 *An furtum ex genere sit mortale? & quomodo possit fieri veniale? An furari paruam partem reliqua sit peccatum mortale.*
4 *Quae quantitas sufficiens sit ad peccatum mortale?* referuntur variæ sententiæ.
5 *An furtum de se veniale, possit fieri mortale, ratione notabilis damni, vel alterius causa?*
6 *An maior quantitas requiratur ad peccatum mortale furti, quando quis eidem magnis temporum internallis subtrahit, quam dum breui tempore.*
7 *An furans minima a pluribus cum intentione ditescendi peccet mortaliter.*
8 *An peccet mortaliter, qui per furta minima, non intendit acquirere rem notabilem?*
An fur detinens rem notabilem rei alienae teneatur totam summam restituere sub mortali, an verò tantum partem, quae constituit notabilem quantitatem?
9 *An peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem in solidum omnes, qui vni per minuta furta graue damnum inferunt, si id fiat ex communi consilio.*
An nouum peccatum mortale committat, qui post quantitatem notabilem per minuta furta sublatam, addit alia minuta furta?
An qui aufert leuem quantitatem ab vno à quo alij abstulerant notabilem, peccet mortaliter?
10 *An continuè actu peccet, qui furto vel iniustè rem alienam aut alteri debitam detinet? & quomodo hoc peccatum interrumpatur? & vt in confessione explicandum?*
11 *An in extrema necessitate, possit quilibet rem alienam accipere, ad subleuandam suam necessitatem.*
12 *An licitum sit aliena surripere, in graui necessitate?* refertur duplex sententia.

1 FVrtum, secundùm communem Theologorum sententiam, *est occulta rei alienae acceptio, Domino rationabiliter inuito*: dicitur autem *occulta*, vt distinguatur furtum à rapina & alijs iniustis acceptionibus per iniquos contractus, quæ fiunt Domino sciente & vidente;

dici-

dicitur *rei alienæ*; quia acceptio rei suæ, quæ apud alium est, non est furtum, saltem qua suæ, quamuis possit esse furtum, quatenus illa res est alteri commodata, vel oppignorata: dicitur *Domino inuito*; quia si quis crederet dominum ratum habere & non dissentire, non esset furtum dicitur *rationabiliter*, ad denotandum non committi furtum ab eo, qui aliquid aufert, quando Dominus est irrationabiliter inuitus, vt quando aliquid accipitur per modum iustæ compensationis, vel in extrema necessitate. D. Thomas 2.2.*q.66.art.*3. Nauarr. *cap.17.num.*1. Lessius *lib.* 2.*cap.12.dub.*1. Reginald. *lib.*23. *num.* 10. Syluius 2.2.*qu.* 66.*art.*3. & alii.

D. Th. Nauarr. Lessius. Regin. Syluius.

2. *Furtum* & *rapina* differunt specie in ratione iniuriæ; *quia* rapina includit violentiam, quæ fit Domino scienti; quam furtum excludit: *ab iniuria* autem quæ fit per iniquos contractus furtum & rapina differunt; *quod* furto & rapina patiatur Dominus damnum omninò inuoluntariè, nempe per ignorantiam, vel per vim in contractibus autem patiatur damnum inuoluntariè mixtim, si sciat iniquitatem contractus. Clauis Regia *lib.9.c.*13. *n.*9. D. Thomas *cit.art.*4. Medina *C.de reb. restit. q.*4. Syluius *cit.art.*4. & alij.

Cl. Reg. D. Th. Medina. Syluius.

3. *Furtum*, ex genere suo, est peccatum mortale; quia infert proximo nocumentum, atqui hoc est contra charitatem, fieri tamen potest, vt sit tantùm veniale, ex indeliberatione nempe, ex paruitate materiæ, & quando Dominus non est inuitus quoad substantiam rei acceptæ, sed solùm quoad modum; ex quo fit vt filius clam accipiens aliquid à patre vel auo, vxor à marito, nepos à patruo, & amicus ab amico liberali & benigno, sæpius excusatur à mortali, quando vero similiter ob iustam causam creditur Dominus concessurus si peteretur, D. Thomas *art.*6. Lessius *cit.dub.6.num.*27. & 28. Clauis Regia *cit. cap.* 14. Bonacina *de contr.d.*2.*quæst.*8. *part.*1. *num.*6. Syluius *cit. art.*6. & alij.

D. Th. Lessius. Cl. Reg. Bonac. Syluius.

Sed quæres, an furari paruulam Reliquiarum partem sit peccatum mortale: an verò ob paruitatem materiæ sit tantùm veniale? Resp. fortè dici posse probabiliter istud furtum excusari à mortali, ob paruitatem materiæ, quamuis vendere talem reliquiam paruulam sit peccatum mortale simoniæ. Ratio huius differentiæ est, nam vendere paruam reliquiam semper est iniuria notabilis facta Reliquiæ, quia valor illius æstimatur pro re caduca temporali, cum res sacra quantumcumque parua, sit pretiosior omni re temporali. At in furto non fit iniuria Reliquiæ, sed habenti Reliquiam. Imò aliquando ex furto Reliquiæ resultat maior veneratio quando scilicet aufertur à loco paupere, ignobili, vel à persona infideli, vt decentius collocetur. Erit tamen hæc paruitas materiæ in Reliqua arbitranda in multo minori quantitate, quàm in materia parua vini, v.g. ad arbitrium boni viri, & æstimationem Reliquiæ. Ita Portel *in dub.reg.verb. Reliquia Sanctorum n.*5.

Portel.

4. Illa quantitas est sufficiens ad peccatum mortale furti, quæ omnibus consideratis infert Domino graue damnum, vel notabili priuat vtilitate; vnde non potest in genere taxari, quæ quantitas sit notabilis, sed hæc statuenda est arbitrio prudentum, pro varia personarum & locorum ditione: Ita Vasquez *in opusc.cap.*5.§.1.*dub.*5. *de restit.* quia quod respectu vnius censetur notabile: respectu alterius non censetur tale, sed modicum & parui momenti: hinc secundùm doctrinam multorum Doctorum, & præcipuè Ioannis Medinæ *C.de rest.qu.*10. P. Nauarr. *lib.*3.*cap.*1.*num.*35. Lessij *cit.num.*29. & 30. Clauis Regia *lib.9.cap.*15.*num* 9. & *seq.* Bonacinæ *cit.num.*7. Reginaldus *tom.2.lib.23.num.*19. Syluij 2.2. *quæst.*66. *art.*6. *concl.* 4. Dianæ *part.2.tract.*17.*resol.*57. & *part.7.tract.6.resol.*58. VVigers *de iustit.tract.*3.*cap.*1.*dub.*2. respectu omnium, etiam Regis, vel personarum illustrium, quæ splendidè alunt familiam, nummus aureus ad minimum est materia notabilis & sufficiens ad peccatum mortale; quia tale furtum licet non noceat talibus personis quod victum, videtur nihilominus nocere notabiliter, quatenus nummus aureus inseruit ad alendam familiam, & potest esse salarium menstruum vnius famuli inferioris. *Secundo*, respectu mediocriter diuitum, qui viuunt ex suis redditibus, quatuor regales, seu viginti asses censentur quid notabile, quia sufficit illis ad victum vnius dici. *Tertio*, respectu personarum, quæ suo artificio & opera se sustentant & dicuntur mechanici, duo regales sufficiunt ad peccatum mortale; quia inde commodè victitant, & hæc summa ferè æquat mercedem diurnam. *Porrò* respectu pauperis, qui mendicando sibi consulit, vnus regalis vel dimidius est materia sufficiens ad peccatum mortale furti, & tunc vera est opinio Nauarr. *cap.*17. *num.*4. *Notandum* tamen hic est, censeri etiam peccare mortaliter illum, qui saltem vno vel altero asse non abest à quantitate dicta, quæ enim parum distant, nihil distare videntur; & quantitas hæc mathematicè non potest statui, sed moraliter. Plura de his apud Doctores citatos.

Vasquez. Medina. P. Nau. Lessius. Cl. Reg. Bonac. Regin. Syluius. Diana. VVigers. Nauarr.

Porrò res hæc diffiniri non potest ex quantitate pecuniæ, quia valor pecuniæ non est idem respectu omnium gentium: ergo qualitas furti non potest sumi ab ipsa pecunia, nam surripere in Hispania quatuor regales esset mortale, non autem apud Indos, apud quos minoris valoris sunt, quàm in Hispania, ob magnam copiam argenti, imò vnum regale est infima omnium monetarum, vt aduertit Molina *tom.3.disp.*685.

molina.

5. *Furtum* quod est secundùm se veniale ratione paruitatis materię, potest fieri mortale, ratione notabilis damni vel alterius causę cócurrentis; vt si quis sutori setas surripiat, vel sartori acum, nec possint aliunde habere; sic si auferas cuipiá rem parui momenti, quá tamen ille maximi facit, & propter quam valde perturbabitur: hoc peccatum non est mortiferū in specie furti, sed in specie damnificationis iniustę, quia huius damni causá iniustè dedit: si auté sciat fur talem solere peierare, imprecari, blasphemare, erit peccatum scandali, pertinens ad eam peccati speciem, cuius sciebat suo furto, etsi exiguo, se fore causam. Valentia *tom.3.disp.5.q.10.punct.*5. Sotus *de iust.lib.5.q.*3. *art* 3. Clauis Regia *cit.n.*15. Lopez *p.1.c.*93. Nauarr. *cit.n.* 2. & alij.

Valentia. sotus. Cl. Reg. Lopez. Nauarr.

6. Maior quantitas requiritur ad peccatum mortale furti, quando quis eidem magnis temporum interuallis subtrahit, paruis furtis & non ex industria, sed per occasionem, quam dum breui tempore, vel de industria, vel simul accipit; quia homines minus ægrè ferunt sibi auferri longo interuallo, & casu quædam minima, etiam ad notabilem quantitatem, quam eamdem quantitatem simul vel per partes, de industria: vnde, qui auferendo decem ab eodem simul, vel per partes de industria mortiferè peccat; requirentur 15. vel 16. aut etiam 20. vt quis sub peccato mortali teneatur restituere acquisitum per minuta furta fortuita; præsertim si longis interuallis sint facta. Bonacina *cit.num.*9. Nauarr. *cit.n.im.*139. Lessius *cit. dub.8.n.*46. Megala 2.2.*lib.2.c.1.q.3.n.*36. Diana *p.1.tr.*6. *res.*34. & alij.

Bonacin. Nauarr. Lessius. Megala. Diana.

7. Furans minima à pluribus, cum intentione coacernandi notabilem quantitatem, peccat mortaliter illa intentione, & quouis externo furto minuto ex eius vi procedente, & sub peccato mortali tenetur ad restitutionem, siue sit pauper, siue diues, modò inuitis Dominis id faciat quia ablatio rei notabilis, est peccatum mortale, & sub mortali restituendum à quo ablatum, etiamsi non damnificet multum eum à quo ablatum est. Valentia *cit.punct.*5. Salon 2.2 *quæst.66.art.*6. Lessius *cit. dub* 7. Clauis Regia *cit.num.*27. Syluius *cit.art.6.quæsit.*2.*concl.*1. & alij. Ioannes tamen Medina *Cod. de rest. quæst.*10. putat non esse peccatum mortale, si ille id in fraudem legis, de non furando, non faciat, sed quia fortè non habet alias, vnde ipse & familia sua viuat: Hæc sententia teneri posset in casu, quo alij huic succurrere tenerentur, & si nossent hominis statum, non essent inuiti circa rei substantiam, etsi circa modum.

Valentia. salon. Lessius. Cl. Reg. syluius. medina.

8. Qui per furta minima non intendit acquirere rem notabilem, sed ex occasione ea committit, non peccat mortaliter antequam perueniat ad tantam quantitatem, quæ continuata cum præcedente est notabilis; requiritur autem vt furta paulatim facta moraliter continuentur, quòd fiant aut intentione furandi notabilem quantitatem, aut fiant in eodem genere negotij, & non per magna temporis interualla, aut respectu alicuius communitatis, & tunc secundùm communem sententiam Doctorum, vltimum furtum implens quantitatem notabilem,

Vasquez. Azorius. P.Nau. Diana. Sylvius. Nauarr. Lessius.

sit peccatum mortale, quod ad restitutionem sub eodem mortali obligat Vasquez 1.2.*tom.*1. *disp.*146. *cap.*2. Azorius 3.*part.lib.*5.*cap.*13.*quæst.*4.P.Nauarr. *lib.*3. *de restit. cap.*1.*d.*6.*num.*51. Vide Dianam *p.*1. *de paupert. resol.*34. Sylvium *cit.concl.*2.& alios.Nauarr.*cit.*17.*n.*139.Lessius *cit.dub.*8.*num.*42. tamen & quidam alij docent, furtum illud vltimum per se esse tantùm peccatum veniale, sed detentionem voluntariam rei alienæ in notabili quantitate,quæ tunc inchoatur, esse peccatum mortiferum: ex qua sententia infertur, posse dari furta solùm venialia, quæ obligent ad restitutionem sub pęna peccati mortalis, quod non est improbabile.

Sed dubium est,an paulatim furans modica, ita vt accesserit ad notabilem quantitatem,ac proinde mortaliter peccarit (secundùm communem sententiam) teneatur sub mortali totam summam restituere, an potiùs euitet mortale retentionis peccatum, restituendo illud modicum complens notabilem quantitatem ad furtum mortale petitam? Resp. probabile esse, ita furantes non teneri sub peccato mortali ad restitutionem totius quantitatis furatæ, sed tantùm ad illam partem, qua restituta cessat notabilis quantitas ad furtum mortale petita. Ratio est, quia tantùm tenetur quilibet sub mortali notabile proximi damnum auferre, quod restituta modica quantitate aufertur:tum quia ea vltima quantitate non accepta,non esset mortale furtum ratione parui damni proximo illati: ergo neque ea restituta, erit mortalis retentio, cùm maneat idemmet modicum damnum insufficiens ad mortalem culpam Ita Arrogon.2.2.*q.*66.*art.*6.P.Nauarr. *lib.*3.*c.*1.*dub.*8 *n.*62.Filliuc.*tr.*31.*cap.*10.*num.*247. contra Cordubam & Medinam.

Arragon. P.Nauar. Filliuc.

9. Quando plures vni per minuta furta graue damnum inferunt,& id fit ex communi consilio, omnes peccant mortiferè,& tenentur ad restitutionem in solidum. Ratio est,tum quia cùm singuli cooperentur ad damnum notabile, sequitur singulos peccare mortaliter, & teneri sub mortali ad restitutionem. Tum quia singuli simul cum alijs retinent notabilem quantitatem, cum damno Domini;cum autem hoc damnum, vt est notabile, sit indiuiduum, nec sit maior ratio, cur vnus magis teneatur ad damnum notabile,quam alius, sequitur singulos teneri.Ita Azorius 3.*p.lib.*5.*cap.*13.*quæst.*5.Nauarr.*cap.*17. *n.* 130.Sanchez *lib.*7.*moral.cap.*21.*num.*19.Turrianus *disp.* 35.*dub.*2.& alij communiter.Si verò casu id fiat,ita vt alter alterius non sit conscius,nemo peccat mortiferè,neque tenetur ad restitutionem, tum quia nemo est causa notabilis damni.Tum quia quamdiu,conscius nullus fuit nequit, liberè & moraliter continuari damnum, quod vnus intulit,cum præcedentibus. Est communis sententia. Quando autem aduertunt notabile damnum inferendum ex illis minutis furtis,multi Doctores affirmant, vt Couarr.*lib.*1.*variar.cap.*3. *num.*12. Medina *de restit. q* 10.P.Nauarr.*lib.*3.*c.*1.*num.*48. tunc singulos mortiferè peccare,& ad restitutionem suæ partis teneri,quia quilibet cauere tenetur,ne Dominus notabile damnum patiatur.Lessius *cit.dub.*9.*num.*52.Molina *disp.*689. dicunt illum, qui alteri nullo modo suo exemplo vel hortatione est causa accipiendi,etiamsi sciat alios accipere,non peccare mortaliter,modicum accipiendo, neque teneri sub peccato mortali ad restitutionem, quia iste infert parum damni,& ex hac parte non peccat,nisi venialiter,& præter intentionem ipsius est, quòd Dominus magnum damnum patiatur. Et huic sententiæ subscribunt etiam Sanchez,Tannerus,Salas,Malderus citati à Diana *par.*2. *tract.*17.*resol.*42. & hoc est probabile. Verius tamen est quod docet affirmatiua sententia. Tum quia quilibet eorum cooperatur ad notabile proximi damnum, estque per se partialis causa; nam licet quod quilibet furatur, sit in se minimum, & coniunctum cum partibus, quas scit alios furari,efficit notabilem quantitatem, infertque notabile damnum,non minus, quàm si vnus solus ea modica ab eodem furaretur, & ratione huius scientiæ suum damnum continuatur cum alijs. Tum quia omnes hi concurrunt simul ad hoc damnum inferendum, nec est maior ratio, quare vnus potius quàm alius sit illius reus, aut omnes,aut nullus damnari debent. Ita præter recensitos Doctores tenent Suarez *de cens.disp.*20.*sect.*2. *num.* 3.Rodriquez *tom.*1.*Sum. c.*150. & alij multi citati à Diana suprà.Limitant tamen hanc sententiam,vt locum non habeat si inter vnum furtum & alia sit magna distantia, vt si post tres menses, vel quatuor postquam alij furati sunt,quis furaretur.Sed de hac quæstione iterum to. 2. *v. Restitutio* 3.*n.*13.

Azorius. Nauarr. Sanchez. Turrian. Couarr. Medina. P. Nau. Lessius. Molina. Diana. Suarez. Rodriq.

Rogabis,an nouum peccatum mortale committat,qui post quantitatem notabilem per minima furta sublatam, addit alia parua furta? Resp. cum distinctione: Si enim fur dum noua furta committit doleat de furtis præteritis & habeat propositum restituendi prima opportunitate, peccabit tunc solùm venialiter, & quando illa noua furta rursus ad quantitatem notabilem ascendent, committetur nouum peccatum mortiferum. Ratio est quia cum pęnitentia interrumpat continuationem illarum quantitatum præcedentium; materia subsequens non integrabit vnam quantitatem cum præcedente,& consequenter materia subsequens, vt leuis, non sufficiet ad peccatum mortale donec perueniatur de nouo ad notabilem quantitatem; modò non adsit intentio surripiendi maiorem quantitatem. Si autem fur actum voluntatis retinendi alienum in notabili quantitate non interrupit, & cum aduertentia præteritorum noua furta leuia committat, mortaliter peccabit, nam illa quantitas moraliter continuatur, & fur implicitè renouat actum voluntatis retinendi notabilem rem alienam: sed actus peccatorum quoties renouantur, toties peccatum nouum committitur. Vide Lessium, *lib.*2. *cap.*12. *num.*44. Sanchez *lib.*7. *mor. cap.*21. *num.*7. Dianam *part.*2. *tract.*17.*resol.*43. & alios ab ipsis citatos.Occurrit & aliud dubium,an qui aufert leuem quantitatem ab vno, à quo alij abstulerant notabilem,peccet mortaliter? Resp. probabiliùs esse, quòd non; quia talis non est causa notabilis damni; quod iam ab alio fuerat illatum; & sic furtum suum est in parua quantitate. Nec refert, quod sicut furtum, leue ab vno commissum integrare potest materiam sufficientem ad mortale, cum leui furto ab alio commissum, vt dictum est supra,ita potest continuari cum maiore. Respondetur esse disparem rationem; quia in priori casu, non est maior ratio,quare vni potiùs,quàm alteri notabile damnum imputetur,& ita singulis imputari debet: in hoc autem casu,non item:quia illa quantitas leuis, quam aufert,non videtur continuari cum notabili quantitate, quam alij abstulerunt:& sic non cooperatur damno notabili,nec illi imputatur notabile damnum,sed tantummodò leue.Ita Sanchez *lib.*7.*mor.cap.*21.*n.*23.Vasquez 1.2.*disp.*146.*c.*2. & alij.

Lessius. Sanchez. Diana. Sanchez. Vasquez.

10. Qui furto vel iniustè rem alienam,aut alteri debitam detinet,continuè actu peccat,toto eo tempore, quo cùm possit non restituit,quia non restituendi lædit continenter proximum, ipsum impediens à possessione & vsu rei suæ vel debitæ,quæ læsio quò diutius durat, eò censetur maior: moraliter tamen loquendo, per illam voluntariam retentionem, non fit nouum peccatum sed continuatur antiquum; quod anteà per acceptionem erat inchoatum,Sotus *de iust.lib.*4.*quæst.*7.*art.*4. Lessius *cit.dub.* 3.*num.*11.*Tripliciter* autem potest interrumpi istud peccatum actuale iniquæ detentionis, ita vt formaliter non continuetur.*Primò*, ratione ipsius propositi,vt dum quis propositum detinendi mutat,constituens prima opportunitate restituere. *Secundò*, ratione detentionis externæ, quando illa in se incipit non amplius esse iniuriosa, puta quia facta est impossibilis ob penuriam,&c.*Tertiò*,ratione somni vel alterius distractionis.In confessione tamen, secundùm quorumdam probabilem sententiam, non debet huius peccati interruptio explicari; sed sufficit vt explicetur. *Primò* quamdiu rem retinuerit, vt intelligatur aliquo modo multitudo actuum interiorum, vel continuatio æquiualens multis actibus internis. *Secundò*,quoties interim occasionem restituendi habuerit & neglexerit,vt intelligatur multitudo omissionum exteriorum. *Tertiò*, An interim Dominus graue damnum vel afflictionem magnam senserit, vt sciatur quanta in illis actibus externis fuerit malitia: Alij volunt vt etiam numerus talium volitionum explicetur, si possibile sit, quod non est improbabile.Vide Suarez *tom.*4.*disp.*22. *sect.*5. *n.* 30.Henriquez *de pœnit.lib.*2.*cap.*5.*n.*5. Vasquez *tom.*1.1. 2.*disp.*

Sotus. Lessius. Suarez. Henriq. Vasquez.

2.*disp*.75.*cap*.3. Clauem Regiam *lib*.10. *tract*.5.*c*.5. Bonacinam *de rest.disp*.1.*q*.6.*p*.1.*n*.12. Dianam *tr*.2.*misc.resol*.28.*p*.2.& alios.

Cl. Reg. Bonac. Diana.

11. Quilibet in extrema necessitate constitutus, potest accipere rem alienam ad subleuandam suam necessitatem; quia necessitas extrema facit omnia communia; modò Dominus rei non existat in æquali necessitate, quia in pari causa, melior est conditio possidentis: vnde talis acceptio, non est furtum, aut rapina, quia non fit Domino iure inuito, tenetur enim consentire, cùm tu iure tuo vtaris: imò si Dominus velit prohibere & impedire potest in extrema necessitate constitutus aduersus illum se tueri, tanquam qui iniustè ab altero inuaderetur; & si necesse sit seruato iustæ defensionis moderamine impedientem occidere. D.Thomas 2.2.*quæst*.66.*art*.7. Toletus *lib*.5 *cap*.15. Lessius *cit. dub*.12. Nauarrus *cap*.17. Clauis Regia *lib*.9.*cap*.14.*n*.18. Syluius 2.2.*q*.66.*art*.7.& alij.

D. Th. Toletus. Lessius. Nauarr. Cl. Reg. Syluius.

12. Multi Doctores negant, vt Caietanus 2.2.*quæst*.66. *art*.7. Sotus *lib*.5. *quæst*.3. *art*.4. Couarruuias *ad reg. peccatum part*.2.§.1.*num*.3. licitum esse aliena surripere in graui necessitate, quia hoc concedendo, aperiretur via infinitis & innumeris furtis, cum multi fingerent se constitutos in valde graui necessitate: nihilominus non est improbabilis sententia Angel. *verb. Furtum*, §.37. Syluest. *eod.quæst*.5. Nauarr. *cit*. apud Lessium *cit.n*.71. non solùm in extrema, sed etiam in graui necessitate morbi, famis, nuditatis, licitum esse clanculum surripere ab opulentis, si aliter graue illud malum auertere quis non possit: tum quia ex graui necessitate facilis est lapsus in extremam, ergo quod in extrema concessum est, extendendum est etiam quodammodo ad grauem. Tum quia diues in hoc casu, non potest cum ratione esse inuitus circa substantiam acceptionis, licet modus displicere possit, si accipias antequam petieris, & inopiam tuam demonstraueris: ergo talis surreptio non erit peccatum mortale, si hic ordo non seruetur. Ita etiam Diana *tract*.3.*misc.resol*.29.*part*.2. Malderus 2.2. *quæst*.32. *artic*.6. *dub*.6. & alij.

Caietanus. Sotus. Couarr. Angles. Syluest. Nauarr. Lessius. Diana. Malder.

De Furto, vide hoc tom. verb. Donatio *numer*.8. Eleemosyna *num*.15.& tom.2. Sacrilegium 1. *num*.9.10. Restitutio 2.*n*.6.

FVRTVM II.

De furto filijfamilias, vxoris, Religiosi & famulorum.

SVMMARIVM.

1 *An mortaliter peccet filius, qui notabilem summam accipit ex bonis, quorum possessionem & vsumfructum habet pater? & quid, si bona sint castrensia vel quasi, & quæ quantitas censeatur notabilis in furtis filiorum?*

2 *Quando teneatur filius ad restitutionem, qui accepit bona quorum pater habet dominium, vel vsumfructum?*

3 *An filius peccet mortaliter peccato furti, expendendo aliquid in ludos, eleemosynas, honestam recreationem, &c.?*

4 *An vxor peccet mortaliter, si summam notabilem ex bonis mariti accipiat.*

5 *In quibus casibus non peccet mortaliter vxor accipiendo bona mariti?*

6 *An religiosus peccet mortaliter capiens ex bonis Monasterij in notabili quantitate? & quid dicendum si religiosus ad proprium vsum accipiat paulatim comestibilia, vel alia?*

7 *An peccet mortaliter religiosus, & teneatur ad restitutionem, qui rem notabilem furtiuam dedit alicui extra Monasterium?*

8 *An famulus peccet mortaliter peccato furti, auferendo in notabili quantitate à suo domino?*

1 Mortaliter peccat peccato furti filius, qui notabilem summam accepit ex bonis, quorum possessionem & vsumfructum habet pater, ipso merito inuito; si autem filius accipit bona castrensia vel quasi, non peccat mortaliter, cùm illorum proprietas & vsusfructus ad ipsum pertineat. Nota tamen, non idem censeri notabile in furtis filiorum, quod censetur tale in furtis externorum, sed maior quantitas requiritur, quæ eadem non est respectu omnium, sed varia pro conditione status, ætatis, personarum, locorum, & aliarum circunstantiarum, prout prudens iudicabit; quia pater non ita est inuitus circa furtum filiorum, sicut circa furtum aliorum; consequenter pro varietate circunstantiarum, vt amoris, indulgentiæ, &c. fieri potest, vt maior quantitas requiratur, vt pater sit inuitus circa substantiam furti, quàm quoad modum. Clauis Regia *lib*.9. *cap*.16. *num*.13. Vasquez *de rest.cap*.4.§.2.*dub*.6.*num*.45. Syluius 2.2.*q*.66 *art*.6.*concl*.3. Reginaldus *lib*.20.*num*.27. Bonacina *de rest.disp*.2.*quæst*.10.*part*.1.*num*.5. Caspensis *tract*.18. *disp*.5.*sect*.7.*num*.53. & alij. Vnde potest contingere quòd filius furans duos aureos non peccet mortaliter, & qui furatur sex argenteos lethaliter peccet, v. g. si pater sit valdè diues, non est censendus filius peccare mortaliter, si ab eo auferat duos vel tres aureos, vt licitè gaudeat cum suis amicis iuxta alios suæ qualitatis, etiam inuito parente quia non est rationabiliter inuitus. Si verò pater sit mediocriter pecuniosus ac diues, non est censendus filius lethaliter peccare, si ab eo clam accipiat valorem argenteorum septem vel octo. Si denique pater sit mechanicus pauper, quidam existimant valorem quatuor argenteorum sufficientem esse ad lethale.

Cl. Reg. Vasquez Syluius. Regin. Bonacin. caspensis

2. Filius qui accepit bona, quorum pater habet dominium vel vsumfructum, tenetur restitutionem facere ex alijs bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, si habet: si non habet, tenebitur in partitione hereditatis cum fratribus computare, quod surripuit, in suam partem; nisi fortè constet alios fratres tantumdem expendisse, vel patrem condonasse, aut verosimiliter credatur patrem condonaturum; tunc enim pater non videtur inuitus circa substantiam acceptionis, sed solum circa modum. Molina *tom*.1.*tract*.2.*disp*.242. Lessius *cit. dub*.13. *num*.77. Clauis Regia *cit.n*.19.

Molina. Lessius. Cl. Reg.

3. Filius non peccat mortaliter peccato furti, expendendo aliquid in ludos, eleemosynas, honestam recreationem etiam luxuriosam, iuxta conditionem sui status pater enim non censetur rationabiliter inuitus: item si in extrema vel etiam graui necessitate proximi surripiat ad eleemosynam: item si accipiat ex bonis suis castrensibus, vel quasi castrensibus, nempe ex partis occasione militiæ, vel officii publici, vel beneficij, &c. item si parens sit hæreticus, bona aduentitia filij, in quibus ille habebat vsumfructum, redeunt ad filium, & vsusfructus consolidatur cum proprietate: Porrò si filius gerit negotia patris, potest, deductis expensis quas pater facit in illo alendo, pro suo labore & industria, tantumdem accipere, quantùm daretur extraneo, nisi intendat facere gratis: Ad hoc tamen necesse est, vt filius ostendat expressè vel tacitè se velle lucrari: & constet parentem non facturum per se, neque inuenturum alium, qui gratis vel minoris faciat: Præterea non potest filius vsumfructum istius lucri sibi vendicare, ante mortem patris vel suam emancipationem; nam lucrum hoc connumeratur inter bona aduentitia, quæ pertinent ad patrem. De his casibus videantur Nauarrus *c*.17.*num*.144.& 157 Lessius *cit.dub*.13.*numer*.79.80.& 81. Caspensis *tract*.18.*disp*.5.*sect*.7.*n*.55. Lopez 2.*p.c*.23. Reginaldus *cit.num*.27.& 28. Diana *p*.4.*tract*.4.*resol*.66. Angelus *v. Peculium num*.11. Layman *lib*.3.*sect*.5.*tract*.4.*c*.8.*n*.9. Bonacina *cit.n*.6.& *seq*.& alij.

Nauarr. Lessius. caspensis Lopez. Regin. Diana. Angelus Layman. Bonac.

4. Vxor mortaliter peccat, si summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ipsius est, ipso cum ratione inuito accipiat; quia accipit illud cuius dominium, vel certè administratio & vsusfructus est alterius, & tenetur ad restitutionem, etiamsi ex dote vel ex bonis communibus accepisset. Molina *de contract. disp*.174.*num*.7. Clauis Regia *lib*.9.*c*.16. Filliucius *tract*.32.*n*.263.& alij.

Molina Cl. Reg. Filliuc.

5. Non

5. Non peccat mortaliter vxor, accipiendo bona mariti, quando quantitas indicio prudentis, non est notabilis, spectato statu, opibus, & cæteris: *Secundo*, si maritus rogatus concederet, vel si det in extrema vel graui necessitate proximi; aut si det ex suis, quorum habet liberam administrationem, vt sunt bona paraphernalia, id est, quæ habet mulier alio titulo quàm dotis, vt quæ ipsa acquisiuit hæreditate, legato, donatione, aut industria extraordinaria: prætereà potest vxor facere donationes & eleemosynas, secundùm consuetudinem aliarum suæ conditionis mulierum, quòd si maritus vetet, videtur vetare excessum; item potest dare ad impediendum damnum mariti, siue temporale, siue spirituale, & quando maritus est amens, fatuus, absens, dissipator, rem communem in compotationes, largas donationes vel mulieres profundens: & quando pater vel mater, frater vel soror vxoris & filij ex priori matrimonio suscepti sunt pauperes, potest illis succurrere, licet post mortem mariti, teneatur conferre in suam partem & dotem ea, quæ tradidit parentibus in dictis casibus. Nauarrus *cap.17. numer.154.* Graffijs *1.p.lib.2.c.60.* Lessius *cit.dub.14.* Clauis Regia *lib.9.c.16.n.8. & seq.* P. Nauarrus *lib.3.c.1. à n.155.* Bonacina *cit.punct.2.* & alij.

Nauarr. Graffijs. Lessius. Cl. Reg. P. Nau. Bonac.

6. Religiosus capiens ex bonis Monasterij in notabili quantitate, peccat mortaliter, si res ablatæ non sint necessariæ, aut si sint, superior tamen concederet, si peterentur. Ita Azorius *tom.1.lib.12. cap.12. qu.6.* P. Nauarr. *lib.3.numer.195.cap.1.* Molina *cit. disput.276.* Rodriquez *tom.2.Summ.cap.31.* & alii: quia facit contra votum paupertatis, exercens actum dominii: quòd si res ablata talis esset, quæ necessaria censetur ad vsum religiosorum priuatorum, vt sunt cibaria, vestes, medicinæ & huiusmodi, & sua necessitate proposita adhuc superior concedere nollet, accipiendo non peccaret, nec ad restitutionem tenetur: tunc enim superior est irrationabiliter inuitus, & religiosus habet ius sibi succurrendi, ita dictante iure naturæ. Tamen quando superior iustè non consulit necessitati illius subditi ex bonis Monasterii, eo quòd Monasterio paupertate oppresso nequeat; & ideo taxantur vnicuique religioso danda iuxta Monasterii facultates, tunc nequit religiosus aliqua ex conuentu vsurpare, vt sibi prouideat, absque proprietatis peccato, & obligatione restituendi; quia tunc non militat ratio tradita, eò quòd licentia non sit debita, sed iustè denegetur; vt bene aduertit Sanchez post Baldum & alios *lib.7. Moral. c.19. n.54. in fine.* Quænam verò quantitas requiratur, vt ea sine licentia Superioris vsurpata à religioso, ad peccatum mortale deueniatur: secundùm communem sententiam doctorum, ea quantitas necessaria est, & sufficit in sæcularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti. Consulendus est Diana *de paupertate resolut.36. p.1.* Sed placet mihi quod docet Miranda *in Manual. Prælat. tom.1. q.28. art.17. concl.2.* quantitatem notabilem in furtis religiosorum determinandam esse in particulari pro temporum, locorum, Religionum, personarum, & aliarum circunstantiarum differentia, & iudicio & arbitrio boni viri.

Azorius. P. Nauar. molina. Rodriq.

Sanchez. Baldus.

Diana.

Miranda

Notandum autem est, quòd si religiosus ad proprium vsum accipiat paulatim comestibilia; si perueniat ad quantitatem notabilem, illum non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, quia furta ista minima in tali materia non continuantur; & in eo modo sic paulatim hæc accipiendi non est inuitus superior. Tamen si ille expressè prohiberet sub pęna proprietatis vel furti, talium rerum acceptiones, posset esse peccatum mortale in Monasterijs seu conuentibus ordinum, in quibus viget altissimæ paupertatis vsus. Bartholomæus à S. Fausto *in thesauro lib.8.q.110.* Vide Bonacinam *de larg. munerum disp.1.p.5.n.7.* Fernandez *p.1.c.6.§.2. n.12.* Dianam *tract. de paup.relig.res.35.p.1.* Caspensem *tract.18.disp.5.sect.7. n.56.* & alios.

Barthol. à S. Fausto. Bonacin. Fernand. Diana. caspensis

An autem religiosus paulatim similiter in aliis bonis Monasterii modica accipiens vel expendens, sine superioris licentia peccet mortaliter & teneatur ad restitutionem? Sententia affirmatiua est communis doctorum, si in eo furto complente materiam grauem, recordetur præcedentium furtorum, licet in aliis furtis paruis non habuerit animum ampliùs furandi: modò etiam inter hæc parua furta non sit magna interpollatio & interuallum, puta, vnius mensis vel dimidij. Ratio est, quia in vltimo illo furto, suppositis præcedentibus incipit religiosus esse fur, & voluntariè detinere rem alienam, in notabili quantitate inuito Domino. Vide Valentia *tom.3.disp.5.q.10.p.5.* Reginaldus *lib.23.c.1. qu.4.* P. Nauarr. *de rest. lib.3.c.1 n.49.* Sotum *de iust.lib.5.q.3.art.3.* Filliucium *tr.31.n 245.* & alios.

Valentia. Regin. p. Nau. sotus. Filliuc.

Nihilominus contraria sententia non est improbabilis nempe parua huiusmodi furta, voluntate intercisa, quantumcumque simul sumantur, nũnquam facere vnum furtum notabile mortale, consequenter non parere obligationem restituendi. Ratio est, tum quia remanent semper in sua natura, hoc est, sunt venialia ratione paruæ quantitatis. Ita Fernandez *p.1.cap.6.§.2. num.12.* Summa corona *p.1.c.1.n.28.* Nauarr. *lib.3.consil. de statu Monach.consil.3.* Sà *verb. Furtum num.8.* Diana *p.1. tr. de paupert.resolut.34.* Caramuel *in Reg.S. Bened. disp.62. & 63.* Tum quia Monachus seu Religiosus est verè filiusfamilias Monasterii: Ideò de religioso, vt de filio familias, debes philosophari. Vide Dianam, Caramuel, & Caspensem nostrum *loco superius citato*, qui nouissimus aduertit religiosos votum paupertatis habentes, non cum filiis ditissimorum parentum, sed cum his qui mediocriter pecuniosi sunt debere computari, vt inde colligamus, quæ quantitas respectu illorum, circa danda & accipienda vel approprianda sibi de rebus Monasterii, ad furtum mortale sufficiat. Vnde sicut diximus, non peccare lethaliter filios, si à parentibus clam suffurentur quantitatem quinque argenteorum: ita dicendum est de religiosis, nisi alia minor assignata sit à Superioribus. Non enim credendi sunt Prælati, minùs inuiti erga suos subditos, quoad res furtiuas acceptas, quàm patres erga filios; nec minùs liberales de Christi patrimonio, quod proprio labore non acquisierunt, nec à parentibus hæreditarunt. Hæc Caspensis.

Fernand. Summa corona. Nauarr. Sà. Diana. Caram.

Diana. Caram. caspensis

7. Religiosus, qui rem in aliqua quantitate accepit, quæ sufficit ad peccatum mortale furti, contra septimum præceptum, siue sit vsu consumptibilis, siue non, & dedit alicui extra Monasterium; peccat mortaliter & ad restitutionem tenetur, tam ipse, quàm recipiens, si res extat: sin verò res consumpta sit, tenetur qui accepit, restituere quantum ex re illa ditior factus est, seu quantum alias expendisset, si rem illam non consumpsisset: religiosus verò qui rem alienauit, aut ipsemet sine licentia, aut necessitate consumpsit, non tenetur propriè restituere, sed tenetur admonere recipientem vt restituat; & si habeat aliquos reditus ex debita licentia, ex ijs restituere debet. Corduba *in Summ.q.109.* Bonacina *cit. punct.3.n.6. & 7.* Clauis Regia *lib.9.c.16.n.21.*

corduba. Bonacin. Cl. Reg.

8. Famulus peccat mortaliter peccato furti, auferendo aliquid in notabili quantitate à suo domino; excusari tamen potest à mortali, quando minimam quantitatem victualium successiuè furatur, quæ fit notabilis progressu temporis, modo illam conuertat in proprium vsum; si verò accipiat notabilem quantitatem victualium ad vendendum, vel ludendum, vel consumendum cum externis peccaret mortaliter peccato furti, quia dominus censetur inuitus, non solùm quoad modum accipiendi, sed etiam quoad substantiam rei. Ita Nauarrus *c.17. n.138.* P. Nauarra *de restit.lib.3.c.1.p.3.disp.6.n.220.* Lessius *lib.2.cap.12.dub.8.n 48.* & alii. Quando autem duo eiusdem familiæ famuli sunt, quorum vni cura pęnas custodiendæ demandata est, alteri non est; etsi vterque ex lege charitatis furta impedire debeat, si facilè, & sine suo incommodo possit; ex iustitia tamen fermè is solùm, qui curam pęnus gerit, ad restitutionem obligatur, si non manifestat domino alios famulos ex sua officina sępius furari. Layman *lib.3.sect.5.tract.2.c.5. n.6.* Nauarrus *c.17.n.136.* Lessius *lib.2.c.13.n.75.* Diana *tract.6. misc.resol. 58. part.3.*

Nauarr. P Nau. Lessius.

Layman. Nauarr. Lessius. Diana.

SVP-

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Furtum vnde deriuetur.*
2 *An furtum dicatur ablatio filij, aut filiæ, vel vxoris alienæ, vt in seruitutem redigantur? Et quid si ad libidinem ablatio fiat.*
3 *Variæ species furti generaliter accepti enumerantur.*
4 *Rapina trifariam sumi potest. Et quæ peccata ad rapinam pertineant.*
5 *An furtum grauius sit peccatum, quam fornicatio? Et an rapina maius peccatum sit, quam furtum, & specie differat.*
6 *An furtum rei minimæ ex affectu nocendi proximo, aut ex cupiditate possidendi rem alienam, sit mortale.*
7 *An peccet mortaliter, qui habet animum furandi, nihil cogitans de notabili, aut paruo?* Refertur duplex sententia.
8 *In quibus casibus furtum ex obiecto suo veniale, fiat mortale.*
9 *An qualibet quantitas quæ sufficit ad peccatum mortale furti, sit sufficiens, ad fulminandam licitè & validè pro ea excommunicationem.*
10 *An qui furatus est leuem materiam ligetur excommunicatione lata contra fures.*
11 *Qui furatus est acum à sartore, ob cuius ablationem sartor passus est notabile damnum, an afficiatur excommunicatione lata contra fures.*
12 *An cuique liceat Christianos seruos in captiuitate detentos ab infidelibus furari.*
13 *An à peccato rapinæ excusetur, qui per vim & coactionem rem suam ab altero aufert, quando eam iuridicè recuperare non potuit.*
14 *An liceat Christianis surripere res Turcarum & Saracenorum.*
15 *An bonis spoliari possint Pagani, qui nec de iure, nec de facto subiecti sunt quoad iurisdictionem temporalem Principibus Christianis.*
16 *An infideles subditos Principibus Christianis de facto & de iure, possit Princeps eorum bonis & vita priuare propter delicta, vel ob commune bonum.*
17 *An qui furatur rem sacram ex loco sacro teneatur in Confessione vtramque circumstantiam explicare?* refertur duplex sententia.
18 *An licitum sit occidere fures pro vno insigni furto vel pluribus repetitis.*
19 *Quando sartores possint sibi retinere fragmenta, quæ supersunt.*

1 FVrtum quidam putant deriuari à furto, hoc est fusco, seu nigro ob obscuritatem, quia fures tenebras quærunt, vt furentur. Sed verius est furtum à ferendo, id est ab auferendo deduci, quia fur aufert ab alio, & sibi affert, quod fit, contrectando rem alienam, eamque ferendo de loco ad locum. Hinc dicitur furtim fieri, quod occultè ac dolosè fit, quia furta clam fiunt & plerumque in nocte, vt furtiuæ litteræ, furtiua scripta, quæ obscuris literis scribuntur, quas nemo nisi scriptor legere potest. Et furtiuæ excursiones, pro clandestinis. Inde aduerbium, furtim, id est, latenter, clam.

2. Cùm furtum communiter definiatur, *ablatio occulta rei alienæ domino rationabiliter inuito*, Hinc ablatio filij, aut filiæ, vel vxoris alienæ, vt in seruitutem redigantur, est verè & propriè furtum. Probatur, quia parentes priuantur vsibus licitis filii vel filiæ, & maritus vxoris, ad quos ius quoddam habebant, & personæ raptæ priuantur libertate sua. Si quis tamen vel vxorem, vel filiam alienam auferret ad iis carnaliter vtendum, alterius speciei peccatum committeret, nam si hoc fiat ipsis reclamantibus, erit raptus: si verò eis consentientibus, est luxuria stupri, aut adulterii, aut simplicis fornicationis, iuxta qualitatem, tam personæ extrahentis, quàm extractæ.

3. Variæ recensentur communiter à Doctoribus species furti generaliter accepti. *Prima*, dicitur simplex furtum, cùm videlicet priuato alicui aufertur quidpiam iniustè & occultè. *Secunda* est Peculatus, quo ex bonis publicis aliquid surripitur. *Tertia*, vocatur Plagiatus, quando quis hominem siue liberum, siue seruum abducit, vel aliter surripit. *Quarta* est sacrilegium, quo quis rem sacram, aut aliquid ex loco sacro furatur, quod sex modis potest accidere. *Primò*, accipiendo rem sacram ex loco sacro. *Secundò*, accipiendo rem sacram ex loco non sacro. *Tertiò*, accipiendo rem non sacram ex loco sacro. *Quartò*, conuertendo res sacras in vsus prophanos. *Quintò*, quando Religiosus contra votum clam vsurpat, aut detinet aliquid communium bonorum. *Sextò*, quando rem spiritualem, aut spirituali annexam pretio subijcit, & hoc peccatum simonia dicitur. *Quinta* furti species est, abigeatus, quo quis abducit & furatur pecora: hoc crimen legibus ciuilibus peculiariter punitur. *Sexta* species est rapina, de qua numero sequenti.

4. Rapina trifariam sumi potest, vno modo latissimè pro vsurpatione eius, quod sibi non debetur, sicut sumpsit Apostolus ad Philippenses 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*. Secundo modo sumitur, prout comprehendit furtum, ac quamcumque iniustam acceptionem. Et in hac significatione accepit nomen rapinæ Diuus Ambrosius de bono mortis. *Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti*. Tertiò sumitur propriè prout distinguitur contra furtum, & sic dicitur. Rapina *est iniusta ablatio rei alienæ manifesta & violenta*. Vnde ad rapinam pertinent. *Primò*, latrocinium, id est ea rapina quam faciunt viarum obsessores viatores spoliando. *Secundò*, defraudatio mercedis operariorum vel in longum protractio. *Tertiò*, vectigalium, seu tributorum iustorum fraudatio. *Quartò*, in rapacitatis crimine includuntur iudices, qui iudicia pretio venalia habent, & muneribus deliniti causas inopum euertunt, vel in tempus longum producunt, vt pauperes fatigati & exhausti, tandem cedant. *Quintò*, qui suos creditores defraudant, foro cedunt, vel cum possint soluere contra voluntatem creditorum, solutionem differunt. *Sextò*, fœneratores, qui suis rapinis miseram plebem acerrimè trucidant. *Septimò*, raptores sunt, qui in frugum inopia comprimunt frumentum, cupiuntque vt sua culpa carior ac durior sit annona. Quod etiam valet in rebus omnibus ad victum necessarijs. Notandum autem est hic quod violentia duplex sit, vna absoluta, quæ fit alio omninò inuito & dissentiente: altera secundùm quid, seu conditionata, quæ accidit quando quis per vim & metum consentit. Ad rapinam non requiritur violentia primo modo accepta, sed sufficit secundo modo, vt docet D. Thomas 2.2.*q.66.art.4.* & alij communiter. D. Th.

5. Furtum non est peccatum grauius fornicatione. Ratio est, quia fornicatio infert damnum homini nascituro, qui eo ipso, quod per fornicationem procreatur, solet, vt plurimum malè educari, & ideò grauius peccatum furto, quod solùm infert damnum in bonis temporalibus. Ita D. Thomas 2.2.*q.*154.*art.*3. communiter receptus. Interdum tamen in particulari & in indiuiduo dari potest aliquod furtum grauius fornicatione, ratione quantitatis furti, aut alicuius alterius circumstantiæ, vt furari, verbi gratia, mille aureos grauius peccatum esse potest, & est communiter, quàm accedere ad solutam, & furari rem sacram grauius esse potest, quàm simplex aliqua fornicatio, vt bene docet Clauis Regia *lib.9. cap.* 15.*num.*30. D. Tho. Cl. Reg.

Rapina etiam est maius peccatum quàm furtum. Ratio est, tum quia rapina non solùm infert detrimentum proximo in rebus suis, sed etiam per violentiam iniuria afficit personam, cui aufertur res, ergo rapina

est maius peccatum, quàm furtum. Tum quia violentia quæ reperitur in rapina directiùs contrariatur voluntati, quàm ignorantia, quæ inuenitur in furto, ergo, &c. Hinc deducitur, quod qui rapinam commisit, non sufficienter explicat in Confessione si se accuset, quod hoc, aut illud fuerit furatus, sed rapinam debet exprimere. Et qui actualiter furando, sic erat animo affectus, vt quod occultè auferebat, fuisset violenter ablaturus, etiamsi dominus contradixisset, nouam speciem peccati commisit, quam necesse est etiam exprimere in Confessione. Notent confessarij, quia de his rarissimè apud pœnitentes suos inquirunt. Ita D. Thomas 2.2. *quæst.66.art.4.* Syluius *ibidem*, & alij communiter: vnde vltra restitutionem rei per vim surreptæ facienda est distincta, ac propria satisfactio pro iniuria, violentia, & contemptu illato proximo, vt rectè docet D. Thomas *loco cit. art.9.*

D. Th. Syluius.

6. Quidam tenent quodcumque furtum etiam rei minimæ, modò ex affectu nocendi proximo, aut ex cupiditate possidendi rem alienam fiat, esse peccatum mortale: ex quo inferunt nullum furtum ex sola leuitate materiæ, sed solùm ex defectu deliberationis vel iudicij idonei ad peccandum mortaliter posse fieri veniale. Et hanc opinionem dicunt esse Diuus Thomæ 2.2. *quæst.66. art.6. ad* 3. vbi docet. *Si habeat animum furandi & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale.* Communis tamen & vera sententia aliorum, tum Theologorum, tum Canonistarum est, furtum rei paruæ, etiamsi ex affectu nocendi, aut rei alienæ cupiditate id fiat, dummodo ea cupiditas, animusque nocendi ad materiam notabilem non se extendat, non esse peccatum mortale. Ratio est, quia cùm nocumentum in minimis, neque vocetur, non æstimetur nocumentum simpliciter & absolutè, sed tantùm secundùm quid, ideò qui habet animum inferendi nocumentum, videlicet absolutè & simpliciter, intelligi debet de nocumento notabili. Tum quia in omni materia præceptorum iustitię, modicitas rei excusat à mortali etiam in ipsa corporis & famæ læsionæ, quæ maior est, quàm pecuniæ, vt omnes Doctores tradunt: ergo & in furto sola modicitas materiæ est sufficiens ad constituendum peccatum veniale. Quod ad D. Thomam attinet, certum est eum non sentire prout contraria sententia arbitratur, vt patet ex ijs, quæ in eadem responsione dicit, *Illud quod modicum est, ratio apprehendit, quasi nihil: & ideo in his quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri. Et ille qui accipit, potest præsumere non esse contra voluntatem eius cuius est res. Et pro tanto, si quis furtiuè huiusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali.* Quaproptet sensus verborum huius responsionis D. Thomæ est, vt rectè notant Caietanus & Syluius *ibi.* Quod si quis haberet animum furandi multum & inferendi proximo nocumentum notabile; etiamsi de facto solùm auferret rem minimam, peccaturum mortaliter propter illam prauam voluntatem; sicut & sine vlla cuiuspiam rei ablatione, crimen furti, vel quoduis aliud peccatum, solo consensu potest committi, & eiusdem speciei malitiæ sunt voluntas faciendi peccatum, & ipsum factum.

D. Th.

D. Tho. Caiet. Syluius.

7. Qui habet animum furandi nihil cogitans de notabili, aut paruo, nisi limitetur ad rem minimam, peccatum mortale committit. Ita videntur sentire Caiet. 2.2. *q.66.art.6.ad* 3 Arragon. *ibid.* Contrarium astruit Petrus Nauarr. *lib.3.de rest.num.40.* scilicet nunquam in indiuiduo dari furtum aliquod in quo fur non habet voluntatem saltem tacitè accipiendi modicum vel magnum. Ratio est, quia cum quis se applicat ad furandum, vel solùm intendit rem minimam accipere, & tunc solùm erit veniale, vel ita furatur minimam, vt paratus sit & optet multum furari, si detur occasio, & sic erit mortale, nec fingi potest alius casus in quo quis habet animum furandi absolutè. Et hæc opinio est sequenda.

Caietan. Arragon P. Nau.

8. Furtum ex obiecto suo leue & veniale in multis casibus efficitur mortale. *Primus est*, intentio furti notabilis, vt cùm quis accedit animo furandi notabilem quantitatem, sed quia paruam inuenit, paruam furatur: hic peccat mortaliter non ratione furti, quia exiguum est, sed ratione animi, quem habet accipiendi maiora. *Secundus est*, paupertas & indigentia Domini rei acceptæ: vnde qui surripit vnum panem mendico amplius non habenti pro suo victu illa die, peccat mortaliter, quia licet vnus panis per se sumptus nullius momenti sit, tamen respectu spoliati, quia ei victum vnius diei aufert, est quantitas notabilis. *Tertius est*, magna vtilitas, quam ex re furto ablata reportare solebat dominus ipsius, & damnum notabile, quod ob eius iacturam recipit, vt diximus *tom.1.verb.Furtum 1.num.4. & 5.* Et tunc tenetur fur non tantùm rem furto ablatam, verum etiam lucrum cessans & damnum emergens restituere: quia, vt diximus alias, licet ex obiecto res exigua sit, tamen ratione damni, quod ex eius oblatione sequitur, est materia grauis. Tale furtum est, surreptio subulæ à sutore, acus à sartore, vel calami à scriba, propter quam, & quia alium non habet, desinit in arte sua victum quotidianum pro se & familia sua lucrari. Quod tamen intelligendum est, quando ita inutilis effectus esset ex tali ablatione, vt alteri arti, vel negotio dare operam non posset, quia si potuit, tantùm diminuendum erit de æstimatione lucri cessantis quantùm in alia arte lucrari potuisset. Excusaretur autem talis fur à peccato mortali & à restitutione damni si bona fide crediderit alia instrumenta eum habere, quia tunc non fuit causa iniusta damni: vt rectè annotarunt Molina *tom.3.de iustit.d.685.* Rebellus *de oblig. iustit.lib.3.q.15.sect.11.* & alij.

Rebell. Molina.

Quartus est, rationabilis & iustus effectus, quem dominus habet ad rem subreptam: quia sunt aliquæ res paruæ & nullius valoris, quas tamen dominus multum æstimat ob iustam aliquam causam, & sic eas furari cognito illo iusto affectu domini, est peccatum mortale, secus si bona fide fur credebat domino nullam, aut leuissimam molestiam allaturum, acceptione illius rei paruæ tunc non erit mortale, vt docent Nauarr. *in Man.c.17. num.2.* Molina *cit.d.685.* Quintus est, notabilis violentia, ratione cuius furtum rei paruæ efficitur mortale. Vnde non satis est restituere rem furto ablatam, sed etiam compensari debet violentiæ iniuria. Ita communis sententia, apud Faustum *in speculo d.a.q.19.n.8.*

Nauarr. Molina

Faustus.

9. Quantitas quæ sufficit ad furtum mortale, non est sufficiens ad licitè fulminandam excommunicationem. Cùm enim excommunicatio sit pęna spiritualis, eaque grauissima, non debet infligi, nisi propter graue peccatum. Vnde Concilium Trident. *sessione 25. cap.3. de reform.* statuit vt pro rebus subtractis nomine prorsus præterquam ab Episcopo decernatur. *Et tunc non alias quam ex re non vulgari; causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moueat.* Vnde Episcopus qui pro rebus minimis concedit tales excommunicationes peccat mortaliter: quia facit contra grauissimum præceptum Tridentini. Tum quia furtum duorum, aut trium florenorum in foro fori, seu sæculari vix puniretur pęna flagellorum, ergo indecens est, vt in foro Ecclesiastico pro eo excommunicatio feratur. Dixi, *ad licitè*, quia si Episcopus tales excommunicationes concedat, erunt validæ; quia neque Concilium Trident. neque aliquod aliud statutum Canonicum decernit, quòd eiusmodi excommunicationes sint irritæ. Ita Sayrus *de censur.lib.1.cap.9.num.33.* Bannes *secunda secundæ, quæst.66.art.6.* Syluius *ibidem*, *q.2.* Nomine autem Episcopi comprehenditur etiam generalis eius Vicarius: quia habet generale mandatum, ac eandem Episcopi potestatem in iurisdictionalibus, vt censuit sacra Congregatio Eminentiss. DD. Card. anno 1585. & testatur Gutierez *lib.1.Canon.q.c.11.*

Conc. Trid.

Sayrus. Bannes. Syluius.

Sac. cōg. Gutier.

10. Ille qui furatus est leuem materiam, non ligatur excommunicatione lata contra fures. Ratio est, quia excommunicatio cùm sit pęna grauis, supponit mortale peccatum. Si tamen hic commiserit furtum cum alijs quorum singuli abstulerint rem leuem, quæ simul sumpta constituat materiam grauem, tunc excommunicationem incurrit, eo quòd particeps fuerit mortalis peccati, & furti grauis. Similiter qui detinet rem alienam leuem subiacet excommunicationi generaliter latæ contra iniu-

iniustos detentores, nisi restituat rem ablatam, postquam cognouit aliam rem ab eodem ab alijs ablatam esse, quæ simul sumpta cum alijs constituit materiam notabilem & graue nocumentum alteri inferri. Ratio est, quia peccat mortaliter detinendo, & est causa iniusta grauis damni. Censura autem incurritur ob mortalem aliquam detentionem, & ob graue damnum, quod alteri infertur detinendo. Et hoc sit dictum secundùm sententiam quæ asserit, eum, qui materiam leuem vni aufert, sed nesciens eidem ablatam fuisse aliam materiam etiam leuem postquam aduertit notabile damnum alteri inferendum esse ex illis minutis furtis, mortiferè peccare & ad restitutionem suæ partis teneri, vt diximus *tom. 1. uerb. Furtum* 1. *n. 9. edit.* 3. cum doctorum ibi citatis.

11. Qui furatus est à sartore acum, ob cuius ablationem sartor passus est notabile damnum, non afficitur excommunicatione lata contra fures. Ratio est, quia excommunicatio in eo casu solùm fertur pro furto, sed non quodcumque damnum illatum habet rationem furti, sed illud tantùm quod inuoluit occultam acceptionem rei alienę notabilis inuito domino. Sed qui abstulit acum sartori non commisit peccatum mortale furti, eo quòd abstulerit rem exigui momenti, quamuis fuerit causa notabilis damni, seu lucri cessantis, & ex hoc capite mortaliter peccauerit ratione iniustæ damnificationis, non verò ratione furti, vt sic. Vnde in nostro casu illatio damni, non est furtum, sed iniustitia, atque ex consequenti excommunicatio lata contra furantes, non comprehendit tales damnificantes, sicut non comprehendit vsurarios, aut alios debitores, qui iniustè differunt satisfacere creditoribus: non enim appellantur fures, sed potiùs iniusti damnificatores. Si tamen censura hæc generaliter feratur contra iniustos detentores, aut damnificatores, talis qui surripuit acum sartori cum graui ipsius damno, sine dubio ligabitur excommunicatione, nisi quamprimùm potest, restituat; cùm peccet mortaliter detinendo & non restituendo ob damnum alteri iniustè illatum. Ita Arragon 2. 2. *quæst. 66. artic. 6. dub.* 4. Faustus *in specul. confessar. disp. 2. quæst.* 27. Suarez *de censur. disp. 4. sect. 6. numer.* 12. Nauarr. *cap. 17. numer.* 4. & alij.

Arrag. Faustus. Suarez. Nauarr.

12. Licitum est cuique Christianos seruos in captiuitate detentos ab infidelibus furari, & ad libertatem illorum adiuuare, siue occultè, siuè manifestè per vim. Probatur, quia tales cùm sint iniustè oppressi in libertate, habent iustum bellum contra dominos infideles, ergo vnicuique fas est, eos adiuuare, vt suam libertatem recuperent: nec oportet publicam authoritatem aliter hic quęrere, quàm quod vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita Caietan. 2. 2. *q. 66. art. 8.* Arrag. *ibidem*, Couarr. *in reg. peccatum, part.* 2. §. 11. *num.* 6. Hanc sententiam admittit etiam Nauarr. *in Man. c. 17. n.* 103. tempore belli. Si verò est tempus treugæ dicit talem peccare cum obligatione restituendi infidelibus non hominem propter periculum animæ, sed eius valorem. Alij verò indistinctè loquuntur, nulla facta mentione temporis bellis, aut paucis.

Caiet. Couarr. Arrag. Nauarr.

13. Qui rem suam per vim & coactionem aufert ab altero, cùm aliter, seu iuridicè eam recuperare non potuit, à peccato rapinæ excusatur. Ratio est, quia in tali casu, non iniquè suum accipit, cùm alia via habere non potuerit: qui verò alia via, id est, iuridicè, circa vim res accipere potuit, per vim tamen eam recuperat, peccat quidem grauiter peccato vsurpati iudicij, cùm iniquè sibi iudicis officium vsurpet, rapinam tamen non committit, nec tenetur ad rei ablatæ restitutionem, quia alienum non rapuit, sed suum. Similiter Princeps, aut potestas publica accipiens etiam per vim rem ciuium suorum, aut exterorum iuxta leges iustitiæ, rapinam non committit, quia coactio, aut vis iniqua non est: sicut iniustitiam non committit si in bello iusto contra hostes pugnando, siue confiscatione puniendo malefactores, aut etiam iusta vectigalium impositione bona aliorum per violentiam accipiat. Secus si aliquid horum contra iustitiam fiat, tunc enim non solùm erit rapina, sed etiam ablatum restitutioni obnoxium erit, vt ex communi docent D. Thomas 2. 2. *q. 66. art. 8.* Sylvius Salon, Arragon, *ibidem*.

D. Thom. Suarez. Sylvius. Salon. Arragon

14. Probabile est præceptum Decalogi septimum, *non furtum facies*, non habere locum in Christianis surripientibus res ab infidelibus ex consensu Principum Christianorum. Ratio est quia quidquid possident Turcæ, sunt bona Christianorum tyrannicè vsurpata, & ideò omnis Christianus tanquam membrum Ecclesiæ potest ea in Ecclesiam deferre, Tum quia cùm Turcarum bellum aduersus nos ex eorum parte sit iniustum, licet ijs, qui apud illos captiui iniustè detinentur, in recompensationem iniuriarum damnorum, quæ acceperunt, necnon obsequiorum, quæ illis exhibuerunt, accipere non solùm ab his, à quibus iniuria sunt affecti, competentem compensationem damnorum & iniuriarum, sed etiam ab alijs iure belli accipere quæcumque voluerint ex præsumpta nostrorum Principum voluntate, quia perpetuò nostris cum illis bellum est. Hæc tamen intelligenda sunt. *Primò*, quando infideles de iure subduntur Christianis Principibus, sed non de facto, quales sunt illi, qui vi occupant terras, quæ aliquando fuerunt Christianorum, vt Afri, Saraceni & Turcæ totam Græciam & alias terras & Prouincias iniquè & tyrannicè occupant. *Secundò*, vt actio illa sumendi bona Turcarum non sit annexa cum aliquo scandalo, vel cum damno aliorum Christianorum vel mendacio, conscientia erronea, vel fractione fidelitatis, ad quam tenentur qui sub fide regia ibi adsunt, aut negotiantur. In quibus casibus Christiani furantes bona Turcarum peccarent, & si cum Turcis haberent fœdus, vel saluum conductum, tenerentur ad restitutionem, quia tunc non potest præsumi consensus Principum Christianorum. In alijs autem casibus multi excusant illos à restitutione, non tamen à peccato, quia restituendo augerent vires hostibus Ecclesiæ & pręsumitur consensus & licentia Principum Christianorum quoad substantiam, si non quoad modum. De his vide Lublinum *in summ. uerb. seruus, n.* 1. Caiet. 2. 2. *q. 66. art.* 8. Mol. *tr. 2. de iust. d.* 37. Diana *p. 5. tr. 13. ref.* 98. Albert. *in rubr. de hær. in 6. q.* 8.

Lublinus. Caiet. molina. Diana. Albertin.

15. Infideles, qui nec de iure, nec de facto subiecti sunt secùdùm iurisdictionem temporalem Principibus Christianis, quales sunt Pagani, qui nunquam subditi fuerunt Imperio Romano, nec terras Christianorum inhabitant, neque à priuata persona neque à potestate publica bonis spoliari possunt, nisi vel impedirent Euangelij prædicationem, aut aliorum conuersionem, aut conuersos fideles molestarent, & fideles eò pacificè euntes non admitterent, aut admissos iniurijs lacesserent, vel comederent innocentes, aut sine causa occiderent. Ratio est, quia extra hos casus Principes Christiani nullum habent ius, aut dominium super eos, vnde dicuntur neque de iure, neque de facto subiecti Christianis. Et quamuis priuari bonis possint ob supra dicta & iustè bello expugnari, tamen extra casus præfatos non habent Christiani auctoritatem & ius puniendi eos, cùm non sint iudices eorum, & sola infidelitas non est sufficiens causa amittendi dominium bonorum suorum. Ita Caiet. 2. 2. *q. 66. art.* 8. Arrag. Salon *ibidem*, Sotus *de iustit. & iur. l. 5. q. 3. art. 5. in fine*, Victoria *in relect. de Indis*, & alii.

Caietan. Arragon. Salon. Sotus. Victoria

16. Infideles, qui sunt subditi Principibus Christianis de facto & de iure, vt Iudæos in Italia & in Germania, Hæreticos, vel Mauros, qui in terris Catholicorum degunt, potest Princeps bonis, imò etiam & vita priuare, vel propter delicta eorum, vel ob commune bonum, sicut & alios quoscumque sibi subditos. Ratio est, quia non minùs subiecti sunt, quam alii ciues, nec propter infidelitatem melioris conditionis esse debent. Ita ex communi Clauis Regia *l. 9. c. 14. n.* 27.

Cl. Reg.

17. Qui furatur rem sacram ex loco sacro iuxta probabiliorem sententiam, tenetur, in Confessione vtramque circumstantiam explicare. Quia sacrilegium communiter distinguitur specie erga rem sacram, ac erga locum sacrum, sicut & erga personam sacram. Ita Lugo *de pœn. d. 9. num.* 471. Dianam *par. 8. tract. 7. resol.* 76. & alij. Quamuis non sit improbabilis sententia asserens penitentem satisfacere dicendo se furatum fuisse rem sacram, licet non exprimat de loco sacro, quia vtraque illa circunstantia ad eamdem rationem formalem virtutis religionis spectat, & ille concursus rei sacræ & loci sacri, nec multum variat iudicium confessarij, nec nota-

Lugo. Diana.

biliter sacrilegium aggrauat. Hanc sustinet Fagundez *de precept. Eccles. precept. 2. l. 4. c. 5. n. 2 t. in fine*.

18. Iuxta communem & vsu receptam opinionem licitum est occidere fures pro vno insigni furto, vel pluribus repetitis, vt constat ex *l. sed nouo iure, Cod. de seruis*. Ratio est, quia lex aliqua iustè statui potest, vt interficiantur perturbatores Reipubl. & pacis inter suditos; sed multiplicantes furta, aut committeotes furtum iosigne, rempublicam conturbant, & bono communi admodum perniciosi sunt. Ergo iustè pro conseruatiune boni commuois feruntur leges, quibus fures suspendantur. Se quia tota ratio, cur fures punire & etiam suspendere liceat, est bonum commuoe, & damnum proximò illatum, consequenter non nisi cum magna prudentia & maturitate in hac re procedendum erit. Hinc oportet iudices moderatè procere, legumque rigòrem pro delicti & personæ qualitate nonnumquam temperare. Ob haoc rationem in locis aliquibus furta mediocria prima vice verberibus, secunda verò aurium perforatione, aut maouum, aut frontis adustione, tertia autem vel si sit insigne furtum, morte ipsa puniuntur. Seruandæ sunt in hac re leges & consuetudines loci & Prouinciæ, & cum prudentia & maturitate executioni mandandæ: quia pro veritate temporum & locorum, variæ leges, cresceote hominum malitia, in diuersis locis & Prouincijs, cootra fures latæ sunt, variaque statuta & excogitata supplicia.

19. Quando sartoribus minus soluitur, quàm merentur facturæ, vt communiter fit, probabile est illos posse sibi compensare & satisfacere fragmentis, quæ supersunt & licitum est ea emere à sartoribus Magistris, non verò à famulis; quia hi pactum inierunt cum Magistro sub certa quantitate mercedis, & bic illis integrum soluit, siue in integrum soluatur Magistro, vel non. Ita Sanchez *in opus. tom. 1. lib. 1. c. 7. dub. 3. n. 4.* qui dicit ita sibi respondisse quemdam satis doctum recentiorem à se consultum. Dianæ autem *p. 4. tract. 4. res. 177.* magis placet opinio Villalobos negatiuam sententiam sustinentis; tamen si aliqui sartores, vel confessarij opioniooem Sanchez sequi vellent, eos noo damnaret, nec ergo.

Vide hoc tom. verb. Actio *n. 7.* & seq. & tom. 2. Immunitas Eccles. *num. 9.* Reliquiæ Sanctorum *n. 18.* Restitutio *n. 7. 8. 9. & seq.* Sacrilegio *n. 4.*

G

GABELLA.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Gabella, Tributum, Vectigal.*
2 *Quæ requirantur, vt gabella seu vectigal aut tributum iuste exigantur.*
3 *An liceat gabellam imponere super rebus quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, venduntur, aut aduehuntur.*
4 *An fraudantes vectigal, quod rebus venditis, vel in proprium vsum comparatis impositum est, peccent mortaliter & teneantur ad restitutionem?* Refertur duplex sententia.
5 *An vectigal pro rebus de loco in locum transuectis, debeat solui, si non exigantur?* refertur duplex sententia.
6 *Quando dubitatur de iustitia noui vectigalis, an sit obligatio soluendi?* refertur duplex senteotia.
7 *An gabella, vectigal, seu tributum debeantur quando cessauit causa propter quam fuerunt imposita?*
8 *An emptor teneatur ad soluenda vectigalia, pro mercibus emptis à venditore, quem nouit fraudasse debitum vectigal.*
9 *An creditor principis possit sibi fraudatione vectigalium compensationem facere.*
10 *An clerici sacrorum ordinum & beneficiarij, religiosi & religiosæ, sint immunes ab obligatione gabellarum, vectigalium, & aliorum onerum & quid de clericis minorum Ordinum & prima tonsura?*
11 *An clericus exercens negotiationem ex rebus quas negotiationis gratia aduehit, teneatur soluere gabellam.*
12 *An bona patrimonialia, & alia sæcularia, quæ ad Ecclesiasticos, vel ad Ecclesias, aut ad monasteria adueniunt, sint immunia tam à nouis tributis, quàm antiquis?*
13 *An gabella quæ imponitur communitati, pro reparatione pontium, viarum, murorum urbis, debeatur à clericis.*
14 *Contra exigentes à clericis gabellas, vectigalia, &c. fulminata est excommunicatio in bulla Cœnæ.*

1 GAbella generatim sumitur *pro eo quod Principi vel republica à priuatis solui solet, ad onera communia sustentanda*: & variis nominibus appellari consueuit: aliàs vocatur *Tributum*, quod est pensio, quæ sub ditis soluenda imponitur, iuxta cuiusque facultates, præsertim prædiales; ad Principi dignitatem vel communia impendia sustinenda: dicitur etiam *vectigal*, quod soluitur vel pro rebus quæ exportantur vel importantur in Ciuitatem vel Prouinciam, vel pro transactione mercium per pontes & flumina, vel transeuntibus per aliquam viam seu locum pro custodia viarum, vel ex rebus venditis aut permutatis, Syluester *v. gabella 1.* Couarr. *ad reg. peccatum p. 2. §. 5. n. 1.* Lessius *l. 2. c. 33. n. 1. & seq.* Syluest. Couarr. Lessius.

2. Vt gabella seu vectigal aut tributum iustè exigantur, requiritur *primò*, legitima autboritas illa imponendi, quæ existit tantùm in ijs Principibus, & Rebuspublicis, quæ in sua administratione & regimine superiorem non agnoscunt, vt sunt, Papa, Imperator, Rex, & qui quasi regalam potestatem habeot Domini locorum & Respubl. quæ legitima præscriptione ius illud quasi regium obtinent: *Alij* verò inferiores, vt Proreges, Duces, Marchiones, non possunt imponere vectigalia, aut tributa absque consensu suorum superiorum: *Ciuitates* tamen, etiam subiectæ, possunt suis ciuibus per comitia ob bonum publicum imponere quædam onera, quæ vocantur collectæ ad reparationem pontium, ingeniorum, viarum. *Secundò*, requiritur iusta causa, qualis est necessitas Priocipis, vel certè magna vtilitas boni publici cui alia ratiooe subueniri nequit. *Tertiò*, requiritur, vt seruetur proportio, vt scilicet, quantitas oneris distribuatur iuxta vires facultatis cuiusque, & pro ratione contractuum, quos quisq; facit. Ita Suar. *de legibus lib. 5. c. 14.* Tol. *lib. 1. c. 22. n. 8.* Nauarr. *c. 27. n. 61.* Lessius *cit. dub. 1.* Diana *p. 1. tr. 3. res. 2.* Salas *de legib. d. 15. sect. 10. n. 118.* Vasq. *in opusc. c. 6. §. 1. dub. 1. & 2. de rest.* Sylu. *2. 2. q. 66. art. 8. concl. 1.* & alij. Suarez. Toletus. Nauarr. Lessius. Diana. Salon. Vasquez. Syluius.

3. Ordinariè, secundùm Dianam *tr. 3. misc. res. 28. p. 2.* Caiet. *v. vectig.* Tolet. *lib. 5. cap. 73.* Angel. *v. pedagium n. 3.* & quosdam recentiores, non licet gabellam imponere super eis rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur; sed tantùm super illis, quæ negotiationis causa aduehuntur, quia in illis magis grauantur pauperes quàm diuites: & hoc probatur ex iure. Canonico *c. Quamquam de cens. in 6.* & Ciuili: *l. uniuersi c. de vectigal.* exactores autem huiusmodi vectigalium sunt excommonicati in bulla Cenæ: in *quatuor* tamen casibus possunt imponi talia vectigalia. *Primò*, si publica necessitas vrgeat, & vectigalia quæ aliunde colligi possunt non sufficiant. *Secundo*, si ob aliquam causam publicam ex consensu totius populi statuantur. *Tertiò*, si pro securitate viarum, oempe personarum & rerum deuectarum imponantur, quando earum securitati, aliter consuli nequit: *Quartò*, si sit consuetudo, quæ memoriam hominum excedat, modò non constet causam ob quam imposita fuerunt cessasse. Nauarr. *c 17. num. 202.* Syluester *v. gabella 3. quæst. 5.* Lessius *cit. dub. 7.* Sylu. *cit. concl. 4.* & alij. Vnde non est consuetudo condemnanda, qua gabellæ imponuntur carnibus, piscibus, vino, sali, oleo, & aliis huiusmodi rebus, quando venduntur, vel emuntur, vel extrahuntur, etiam ad proprios vsus. Ratio est, tum quia non est contra ius naturale, vel diuinum, vt huiusmodi gabellæ vel collectæ imponantur, non enim sequitur, vt, pauperes magis onerentur, ac grauentur, quam diuites: nam pauperes solent esse paucis Nauarr. Syluest. Lessius. Syluius.

con-

contenti & modicò viuerè: vnde pauca etiam vendunt, vel emunt, & consequenter modicum soluunt. Tum quia ius canonicum & ciuile potest consuetudine abrogari. Quare in hac re considerandæ sont locorum, prouinciarum, vel ciuitatum consuetudioes.

Nauarr. Emm. Sà Angelus Angles. Beia. Diana.

4. Quidam Doctores, vt Nauarr. *c.*17. *num.*201. Emman. Sà *v. gabella num.*5. Angelus *v. pedagium*. Angles *in 4. de rest. vectig. diffic.* 4. Beia 1. *part. casu* 13. Vide Diana *de l. ref.* 19. *p.* 1. docent *fraudantes vectigal*, quod rebus venditis, vel in proprium vsum comparatis impositum est, non peccare mortaliter, ac proinde non teneri ad restitutionem: quia lex purè pęnalis, qualis est ista, non obligat nisi ad pęnam, idque post sententiam iudicis; & leges ciuiles, & etiamsi verbo præceptiuo vtantur, non obligant ad peccatum mortale, præsertim quando apponunt pęnam in bonis temporalibus: hæc senteotia non est improbabilis: præsertim in gabellis nouis & multùm onerosis, & pro vsualibus impositis; etsi enim per tales fraudationes aliquid Principi vel redemptori decedat, mulctæ tamen & coofiscationes in deprehensos facilè compeosant. *Communis* tamen & verior opinio est, asserentium gabellas iustas soluendas esse io foro conscieoriæ, & fraudantes eas in summa notabili, mortaliter peccare, & teneri ad restitutionem, quia quod iustè exigitur, non potest absque iniustitia defraudari, Clauis Regia *lib.*9. *c.* 16. *num.*30. Toletus *lib.*5. *c.*75. *num.*3. Syluius *c. concl.*5. Molina *tr.*2. *d.*674. Valentia *tom.*3. *d.*5. *q.*6. *p.*5. Lessius *c. dub.*8. & alij.

Cl. Reg. Toletus. Syluius. Molina. Valentia Lessius.

5. Multi viri docti sentiunt *vectig.* pro rebus de loco in locum transuectis, non debere solui nisi exigatur modò nihil fraude actum sit. Tabiena Sotus Henriq. *apud* Lessium *c. n.*61. Syluius *c. concl.*7. & alij: sed probabilius est, vt ait Vasquez *in opusc. c.*6. §. 3. *d.*2. *n.*26. seruandam esse loci consuetudinem, vt videlicet subditus sponte aperiat, si consuetudine receptum sit, aliàs non. *Aduertunt* tamen plurimi ex Doctoribus, eum qui, rem aliquam defert, emit, aut vendit ad solatium suæ extremæ vel magnæ necessitatis, non debere in conscientia vectigal, quia respectu talis personæ censetur immodicum, ac proinde carens debita forma iusti vectigalis. P. Nauarra *lib.*3. *c.*1. *n.*236. post alios.

Tabiena Sotus. Henriq. Lessius. Syluius. Vasquez

P. Nau.

6. Quando dubitatur de iustitia vectigalis, quod de nouo imponitur, vel quando vetus augetur, de cuius iustitia non constat, secundum multorum probabilem sententiam, præsumendum est iniustum, & consequenter nora est obligatio soluendi: quia subditus est possessor suæ pecuniæ, immunis à vectigalibus, in dubio autem melior est conditio possidentis. Ita Molina *d.*674. Filliucius *tract.* 38. *p.*2. *c.*7. *n.*117. Arragon. 2. 2. *q.*62. *art.*3. Vasq. *c.*6. §. 3. *d.*8. & alij. Tamen veriùs esse dicunt alij esse obligationem soluendi. Ita P. Nauarr. *lib.*3. *c.*1. *num.*263. Bonacina *de rest. d.*2. *q.*6. *p.*1. *n.*7. Lessius *c. n.*63. 64. Salas *c. n.*120. Sylu. *c. concl.*6. Malder. 2. 2. *tr.*5. *c.*6. *dub.*4. quia in dubio negatiuo, quando scilicet subditus manet anceps, nec habet rationem aliquam probabilem, ad credendum vectigal esse iniustum, præsumendum est iustè impositum esse, cum in huiusmodi dubio præsumendum sit in fauorem Principis possidentis facultatem præcipiendi: si tamen tales rationes probabiles subditus haberet, non tenetur in conscientia soluere, Vide Diana 4. *p. tract. resol.*39. Hinc Syluester *v.* Gabella *q.*3. & 24. Sà *eodem verb. n.*6. Caietan. *vect. not.* 4. admonent, cùm tot conditiones ad iustitiam vectigalis aut tributi nouiter impositi, vel aucti requirantur, non facilè in conscientiæ foro ad faciendam restitutionem condemnandos esse defraudantes, nisi satis constet de exactionis iustitia, ac necessitate. Accidere enim potest, vt existente publico dubio de iustitia impositi tributi, aut vectigalis, Officiales licitè exigant; illi autem, à quibus exactio fit, si sine mendacio possint, licitè subterfugiant: v. g. si in vulgo sit probabilis, non certa suspicio, exactionem esse iniquam & re diligenter examinata, non possit agnosci probabilis causa pro Principe, ob quam nouum, vel auctius tributum exigat; tunc enim subditi negare possunt, cum potior hic sit eorum, præsertim bona sua adhuc possidentium conditio. Officiales autem, si præceptum exigendi commode declinare non possint, iustè exigunt: quia quandiu non adest moralis certitudo de iniustitia causæ, præsumere possunt, quòd Princeps ita præcipiens causam iustam habeat ipsis incognitam.

Molina. Filliuc. Arragon Vasquez Nauarr. Bonacin. Lessius. Salas. Syluius. Malder.

Diana. Syluest. Gabella. Sà. Caietan.

7. *Gabella*, vectigal seu tributum non debentur, quando cessauit causa, propter quam imposita fueront, quia in hoc euentu iniustè exiguntur: quando verò causa cessauit solùm per accidens, & princeps facit quod in se est, remanet obligatio soluendi, nam iustè tunc exigitur: *Princeps* verò non præstans id, ad quod tributum accepit, tenetur ad restitutionem; quia non accepit tributum pro se sed pro tali causa, Molina *c. d.*667. Vasquez *c.* §. 3. *d.*4. & 5. Suarez *de censur. d.*4. *c.*5.

Molina. Vasquez Suarez.

8. Emptor non tenetur ad soluenda vectigalia pro mercibus emptis à venditione, quem nouit fraudasse debitum vectigal: etiamsi illud soluendum sit ex quota, id est, aliqua portione & parte determinata mercium; quia onus soluendi vectigal pertinet ad eum, qui res aduehit & vendit, modò emptor non sit cooperatus venditori ad defraudandam gabellam; officiales tamen possunt facere executionem in illis mercibus, pro quibus non est solutum vectigal, quamuis merces ad alios peruenerint; quia illæ merces contraxerunt obligationem hypothecæ, cum qua transeunt ad emptorem, executio autem fieri potest in re quæ sibi fuit hypothecata, Molina *cap. d.*675. Emman. Sà *cit. num.*9. Lessius *cit. dub.*9. & alij.

Molina Emman Sà. Lessius.

9. Creditor Principis potest sibi fraudatione vectigalium compensationem facere, quando non potest solutionem sibi debitam a Principe obtinere; & hoc verum, etiamsi alteri elocatum sit vectigal; quia conductor non habet maius ius, quam habet principalis: idem vsu venit in censibus, decimis, & similibus iuribus elocatis alteri; modò Dominus principalis non transferat totum ius seu dominium vectigalis, seu census in conductorem, tunc enim si prior Dominus mihi ex causa aliqua fieret debitor, post illam alienationem non liceret vti compensatione, Syluester *verb. gabella* 3. *qu.*9. P. Nauarra 3. *cap.*1. *num.*246. Molina *c. d.*674. *num.*10. Vasquez *c.* §. 3. *dub.*3. *num.*37. Diana *tr.*2. *misc. res.*14. *p.*2. Malder. 2. 2. *tract.*5. *c.* 9. *d.*16. & alii.

Syluest. P. Nau. Molina Vasque. Diana. Malder.

10. Omnes *clerici* sacrorum ordinum, & beneficiarij, religiosi & religiosæ, immunes sunt ab obligatione gabellarum, vectigalium, tributorum & aliorum onerum: quia hi omnes vel firmiter Ecclesiastico statui sunt addicti, vel actu Ecclesiæ deseruiunt: *Clerici* verò Minorum Ordinum & primæ tonsuræ, secundùm Canones, si non sint coniugati, liberi etiam sunt à tributis: longa tamen consuetudine contraria, hi qui nec beneficium habent, nec vlli Ecclesiæ deseruiunt videntur hanc exemptionem amisisse, etiamsi coniugati non sint, quia iam à multo tempore vectigal & gabellas soluunt sicut laici. *Coniugati* autem clerici non sunt exempti à vectigalibus, neque iure Canonico, neque consuetudine, Rodriquez 2. *p.* *c.*73. *n.*11. *cap. Quamquam de censib. in* 6. Couarr. *cap.*31. *pract. n.*5. & 9. *Quaranta v. vectigal. Vide* Dianam *p.*1. *tr.* 2. *resp.*36. 37. & alijs.

Rodriq. Couarr. Diana.

11. *Clericus* exercens negotiationem, ex rebus quas negotiationis gratia aduehit, tenetur soluere gabellam: *si vero* vendat vinum, oleum & alia quæ percipit ex bonis proprijs, non tenetur soluere: quia non dicitur negotiari, vendendo res collectas ex proprijs bonis, tam Ecclesiasticis quam patrimonialibus: negotiari enim dicitur, qui rem emit, vt eam cariùs vendat, ad lucrum comparandum: quando exactori vectigalium non constat, an quæ clericus aduehit, aduehat negotiationis causa, aut ad propriam sui vel familiæ sustentationem, standum est iuramento clerici, & ipsius nunciorum, nisi aliud suadeant circumstantiæ, Toletus *lib.*5. *cap.*73. Bonacina *de rest. d.*2. *quæst.*9. *part.*2. *numer.*2. Molina *cit. d.* 672. *numer.*1. Lessius *lib.*2. *cap.*33. *numer.*23. Dianam *cit. res.*46.

Toletus. Bonac. Lessius. Molina. Diana.

Iuramentum autem hoc præstandum est coram iudice, apud quem iuridicè probandum est, an sit verum, id, quod iuramento affirmat: cum verò iudex Ecclesiasticus, respectu personarum Ecclesiasticarum, sit legitimus huius rei iudex, ratione exemptionis suæ, apud illum faciendum est hoc iuramentum, non apud judicem secularem.

12. *Bona patrimonialia* & alia sæcularia quæ ad ecclesiasticos, vel ad Ecclesias, aut ad monasteria adueniunt, sunt immunia à nouis tributis imponendis: *tamen* si antequam ad illos venirent, onus aliquod certum & inuariabile annexum habebant, quia, censum aliquem, vel seruitutem Principi debitam, vel onus reparandæ viæ publicæ, adiacentis; hoc etiam ab Ecclesiastica persona præstandum est, quia res quæque, cum onere suo transit Syluester. *verb. Immunitas* 1. *num.* 9. Reginald. Diana *cit. res.* 39.

Syluest. Regin. Diana.

13. Ad gabellam quæ imponitur communitati pro reparatione pontium, viarum, murorum Vrbis, & similium non tenentur clerici; nisi fortè illa gabella imponeretur æquè principaliter omnibus clericis scilicet & laicis, eò quòd principaliter agatur de vtilitate clericorum: in hoc tamen casu Princeps sæcularis non potest per seipsum compellere clericos ad hanc gabellam, nisi accedat auctoritas superioris Ecclesiastici; tunc enim exigitur non gabella authoritate laica, sed Ecclesiastica Rodriquez 2, *p. cap.* 75. *num.* 13. & 14. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 6. *num.* 6. Diana *cit. resol.* 38. Molina *cit. d.* 673. Lessius *cit. num.* 25. & alij.

Rodriq. Layman. Diana. Molina Lessius.

14. Contra imponentes, vel exigentes gabellas, vectigalia, vel alia tributa clericis, alijsque personis Ecclesiasticis vel ex eorum bonis, lata est censura excommunicationis non solùm reseruata in bulla cœnæ, sed etiam in *c. Quamquam de censibus in* 6. de qua excommunicatione, legendi sunt Suarez *de cens. d.* 21. *sect.* 2. *n.* 99. Vgolin. *c.* 18, §. 3. *p.* 670. Toletus *lib.* 1. *c.* 29.

Suarez, Vgolin. Molina, Toletus,

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An ex dissolutione contractus venditionis & emptionis debeatur dublex gabella.*
2 *An soluenda sit gabella Principibus infidelibus à Christianis transeuntibus per terras eorum.*
3 *An gabellam teneantur soluere deprehensi in fraude, si pœnam luant.*
4 *Quæ sint iusta causa imponendi gabellas.*
5 *Quæ forma seruanda in impositione gabellarum.*
6 *An peccent mortaliter & teneantur ad restitutionem Comites, Barones, Duces, &c. qui gabellas imponunt.*
7 *An consuetudo possit alicui conferre ius imponendi gabellas.*
8 *An qui merces transfert, ex quibus gabellam debet, teneatur quantitatem mercium significare, vbi publicanus relinquit conscientia eius.*
9 *An peccet mortaliter Princeps gabellam imponens hæsitans an causa sit iusta? Et quid iuris de exactore similiter hæsitante.*
10 *An possit Princeps cessante causa in specie vel in genere gabella, eam exigere titulo præscriptionis.*
11 *Princeps exigens pedagia pro tutandis vijs, quibus merito transferuntur, & non defendit, an teneatur de damnis? Et an viatores defraudantes pedagia peccent.*
12 *An exteri fraudantes gabellas peccent.*
13 *An actor mercatoris, qui transigit cum gabellarijs, possit sibi retinere pretij excessum, quem soluisset, si non transegisset.*
14 *An posita iusta causa possit Princeps per vim & metum nouum tributum à subditis extorquere.*
15 *An peccent mortaliter & teneantur ad restitutionem qui absque iusta causa boni publici nouas gabellas imponunt.*
16 *Quid de illis, qui gabellas iustè institutas, cessantibus necessitatibus, absque iusta causa in multos annos producunt.*
17 *Quando peccent Senatus, Magistratus & alij quorum consilio gabella & tributa imponuntur.*
18 *An mortaliter peccent, qui cum violentia, damnificatione & iniuria pauperum, gabellas exigunt, cùm non sunt soluenda.*
19 *De peccatis illorum, qui gabellas pro causa necessitatis publicæ exactas, in priuatos vsus, vel in largitiones prodigas, &c. expendunt & distrahunt.*

1 QVando dissoluitur contractus venditionis & emptionis ex mutuo contrahentium dissensu, non debetur duplex gabella, vna ex prima emptione, altera ex dissolutione: quia non censetur noua venditio dissolutio prioris ante traditionem rei factam vel pretij. Imò si contractus incontinenti dissoluatur antequam contrahentes ad alia diuertant, gabella non debetur: reputatur enim ac si non fuisset celebratus contractus. Si verò dissoluatur ex interuallo debetur gabella: quia iam est acquisitum ius plenè ac perfectè fisco ex emptione facta, nec potest tolli per dissolutionem deinde celebratam; ea enim potest quidem præiudicare ipsis contrahentibus, sed non tertio, qui comparauit ius ex contractu, qui dissoluitur. Ita ex communi Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 2. *n.* 31. Molina *tract* 2. *de iustit. disp.* 373. Faustus *in speculo confessarius disp.* 33. *quæst.* 39.

Gomez. Molina. Faustus.

2. Gabella, seu tributum soluendum est à Christianis transeuntibus, vel negotiantibus per regnum Principis infidelis, qui iusto titulo possidet regnum. Ratio est, quia ille est verus & legitimus Princeps; quare ab omnibus iure naturæ debetur illi quidquid Principi debitum est, ergo sicut Christiani transeuntes per regnum alterius Principis Christiani, debent sibi tributa iusta soluere, sic etiam debebunt transeuntes per regnum legitimi Principis infidelis. Si verò Princeps infidelis iniusto titulo regnum possideat iniustè Christianis ablatum, non debentur gabellæ, nisi præcedat pactum de illis soluendis. Ratio est, quia illa non est verus Rex, nec habet titulum; non ergo obligant illius leges, vtporè à potestatem non habente conditæ, & per consequens gabellæ, seu tributi lex non obligat Christianos illac transeuntes. Si tamen gabellæ tali Principi tyranno negari non possent sine periurijs, scandalo, aut mendacijs, debent solui. Idem dicendum si Princeps ille infidelis pacem fecisset cum Rege Christiano, ad quem regnum illud pertineret, soluendo ei pro regno tributum annuum: tunc enim iam ex voluntate veri domini, & non tyrannicè regnum possideret. Ita Cardinalis Lugo *de iustit. tom.* 2. *disp.* 36. *sect.* 1. *n.* 16. qui pro hac sententia adducit Sanchez, Medinam & Cordubam. Quibus adde Filliuc. *tr.* 28. *p.* 2. *n.* 123. ex parte, & Azorium apud ipsum.

Lugo. Sanchez. Medina. Corduba. Filliuc.

3. Gabellam non tenentur soluere deprehensi in fraude si pœnam soluant. Ratio est, quia tunc commutatur gabella in pœnam, quæ semper multo maior esse solet, gabella soluenda: nam si incurratur pœna commissi, merces omnes, pro quibus soluenda esset gabella, amittuntur. Si pœna dupli, tripli, vel quadrupli, iam patet multo maiorem esse pœnam gabella, quæ soluenda erat. Si tamen gabellæ procurator fiscalis etiam exigat gabellam, & sola pœna contentus non sit, tunc velit nolit fraudator ad pœnam & gabellam tenebitur. Ita Azorius *tom.* 3. *lib.* 5. *c.* 22. *q.* 4. Filliucius *tr.* 28. *parte secunda, num.* 119. & alij.

Azorius. Filliuc.

4. Iustæ causæ imponendi gabellas, vectigalia, seu tributa, variæ solent numerari, vt pro bello, pro redemptione Domini ab hostibus capti, pro construendo ædificio publico, pro reparatione vrbium, pontium, itinerum eorumq; securitate, pro liberatione Reipub. ab aliquo graui onere, pro sustentatione Regis, aut Principis secundùm eius statum; omnes tamen reducuntur ad vnam, scilicet ad bonum publicum, cuiusmodi est necessitas vel vtilitas publica, quæ non possit aliter procurari. Publica necessitas dicitur etiam necessitas Regis, nam hæc quoq; vergit in perniciem totius Regni, etiamsi in illam sua culpa redactus sit, vt propter ludū, largitiones immoderatas, bella iniusta, vel quid simile. Publica etiam necessitas dicitur bellum, quod Rex patitur in aliis regnis, nam si hæc debellantur, periclitabitur quoq; nostrū quare bonū est nobis inimicos nostris sumptibus alibi profligari, aut saltem detineri, & nos interim pace gaudere, quam illos domi infensos habere. Item necessitas publica dicitur, ad satisfa-

ciendum

ciendum læsis in bello iniusto, vt si aliqua Respublica iniustè aliquos damnificasset: quia ratio exigit vt Respublica quibus damnum intulit, satisfaciat. Item, compensatio iusta sumptuum & damnorum acceptorum, & iusta vindidicta. Tale tributū solet imponi tum subditis, qui iniquè rebellarunt contra suum Principem, eique causa multorū sumptuum & damnorum fuerunt, idque partim titulo iustæ punitionis, partim iure resarciendorum damnorum: tum etiam hostibus externis iam deuictis, qui vel damnū intulerunt, vel iniqnum bellum mouerunt. De his causis vide Malderum *in 2.2. tract. 5. cap. 6. dub. 4.* Syluium 2.2. q. 66. *art. 8. concl. 2.* Lessium *lib. 2. cap. 33. dub. 6.* Faustum *in speculo confess. disp. 33. q. 10. & 11* Vasquez *in opusculis de restit. cap. 6. §. 3. dub. 1.* Dianam *part. 1. tract. 3. res. 2. 3. & 4.* & alios apud ipsos.

Mald. Syluius. Lessius. Faustus. Vasq. Diana.

5. Forma seruanda in impositione gabellarum, vectigalium, seu triburorum est, vt seruetur iustitia distributiua, hoc est, iusta & æqua proportio, ne vnus magis grauetur, quàm alius, sed vnusquisque iuxta suas facultates & vires in gabellam contribuat. Seruanda est etiam proportio cum necessitate, propter quam imponitur, ita vt non maior gabella, quàm iudicio prudentum videbitur desiderari ad publicam illam necessitatem subleuandam. Vnde si causa est parua, & gabella est magna, erit iniusta. Similiter exigitur proportio in ordine ad vires Regni & populorum: nam licet causa finalis gabellæ, vectigalis, & tributi, nempe necessitas Regis, sit iusta; si tamen vires Regni non suppetant ad tributum ferendum, si imponatur, erit iniustum. Contingere enim potest singulas gabellas per se spectatas esse iustas, & multitudinem esse iniustam, quia excedit moralem facultatem subditorum. Non enim potest Princeps immoderatas gabellas vectigalia, seu tributa subditis imponere, cùm non sit dominus bonorum ipsorum, sed illis tantùm vti potest & debet, ad ipsorummet subditorum vtilitatem. Ita Syluius *2. 2. quæst. 66. art. 8. concl. 3.* Salas *de legib. disp. 15. sect. 10. num. 120* Salon *de iustit. in 2. 2. tom. 2. quæst. 77 art. 3. conclus. 6.* Diana *par. 1. tract. 3. resol. 5.* qui ex dictis infert, donatiua, quæ fiunt Regi in Parlamento, debere esse in illa quantitate, vt possint vniuersitates ea soluere; aliter donatiuum erit iniustum ex parte causæ formalis.

Syluius. Salas. Salon. Diana.

6. Comites, Marchiones, Duces, & similes Regi subiecti, qui gabellas imponunt, cùm ad id non habeant facultatem, peccant mortaliter contra iustitiam. Ratio est, quia accipiunt alienum, vel saltem nituntur accipere via iniusta, quod spectat ad speciem furti vel rapinæ. Tum quia vsurpant propriam auctoritatem Principis, quod est velut crimen læsæ maiestatis, quod in re graui est lethale. Insuper supradicti, qui non habentes merum & mixtum imperium sine debita licentia gabellas imponunt vel impositas exigunt censuram excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini incurrunt, & ad restitutionem eorum omnium tenentur, quæ per tales gabellas acceperunt, vt docent Toletus *lib. 1. Summ. cap. 21.* & Nauarrus *cap. 27. num. 61.* & alii communiter.

Tolet. Nauarr.

7. Consuetudo antiqua, de cuius initio non extat memoria, conferre potest alicui ius imponendi gabellas. Ratio est, quia sicur ius meri & mixti imperij quod dicitur quasi regium, seu independentis administrationis potest viucapi absque titulo tempore immemorabili, & cum titulo, tempore quadraginta annorum; ita etiam ius imponendi gabellas, quod ex illo sequitur, eodem tempore vsucapi potest. Ita Couarruuias *ad reg. Possessor part. 2. §. 3. num. 3.* Molina *tom. 2. de iust. disp. 666.* Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 12. & cap. 33. dub. 2. num. 14.* Medina *Cod. de restit. q. 14.* & alij. Consuetudo autem dicitur immemorabilis, cuius initij non extat memoria, nimirum, quæ est centum annorum.

Couar. Molina. Lessius. Medina

8. Gabellarum debitor, qui merces transfert, ex quibus gabellam debet, regulariter tenetur in conscientia quantitatem mercium significare, solutionemque integram exhibere, vbi exactor, seu publicanus relinquit cōscientiæ, vel voluntati eius: quia supposito quòd verè habeat secum res gabellæ subiectas, iam exactor humaniter petit gabellam: at quando petitur soluenda est, ergo. In aliquibus tamen casibus poterit non pandere quantitatem mercium & non soluere integraliter. *Primò*, quando conductor probabiliter nouit exactorem gabellæ esse suum amicum vel cognatum, & ob amicitiam vel consanguinitatis gradum remissionem gabellæ ex parte facturum. *Secundò*, quando conductor est mercator & frequenter transferre solet merces, & ob id frequenter gabellam soluit, & ne aliò diuertat, solitus est publicanus aliquid de iusta gabella ei remittere, vt hac ratione alliciat mercatores ad transferendas illas suas merces. *Tertiò*, quando probabiliter creditur exactores fore contentos, si magna ex parte merces maioris momenti manifestentur, licet non ex omni. *Quartò*, quando in more positum est, vt exactores in rigore non compellant conductores mercium omnes propalare, nec in totum ab eis integram gabellam extorqueant, nisi iuxta simplicem depositionem, qua deponunt, vel soluunt. Ita Azorius *tom. 3. lib. 5. cap 22. q. 5.* Filliucius *tract. 28. p. 2. num. 120.* Rodriquez *tom. 2. Sum. cap. 76.* & alii.

Azor. Filliuc. Rodr.

9. Princeps hæsitans an causa sit iusta, & gabellam imponit cæco more progrediens, mortaliter peccat. Ratio est, quia se exponit periculo surripiendi alienum inuito domino. Exactor item qui nomine Principis eiusmodi gabellam petit, si sciat Principem de iustitia causæ dubitare, & dubitanter imperare; & ipse etiam dubitet, moraliter peccat eam exigendo, ac proinde tenetur ad restitutionem, nihil impediente, quod eidem Principi sit subditus. Ratio est, quia exigendo cooperatur peccato Principis, cùm sciat stante tali dubio practico Principem non habere ius imperandi. Ita Caietanus *in Summ. verb. Vectigal.* Quando autem subdito non constat Principem peccare in constitutione gabellæ: tunc esto ipse dubitet de iustitia eius, alijs affirmantibus, & alijs negantibus, tunc iussus à Principe, aut à potestate publica licitè potest eam exigere: quia parendo Principi in dubio nō peccat, excusante eum obedientia. Secus dicendum de illo, qui non est subditus, aut si est, non compellitur, sed spontè ad eiusmodi gabellam exigendam se offert, si dubius de iustitia causæ exigit gabellam, peccat mortaliter, exponendo se periculo cooperandi iniustitiæ Principis & tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia mala fide exegit & lata culpa damnum intulit, sicut is, qui à suo debitore exigit aliquid, de quo ambigit an debeatur. Ita Molina *disp. 672.* Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 6. num. 46.* Caietanus *sup.* & alij.

Caietan.

Molina. Lessius. Caietan.

10. Non potest Princeps cessante omninò causa in specie vel in genere gabellæ, eam exigere titulo præscriptionis. Ratio est, tum quia præscriptio non currit sine bona fide, sed cessante omninò causa gabellæ, ampliùs in exigendo bona fides esse non potest, ergo non potest esse præscriptio. Tum quia sicut gabella non potest constitui sine causa legitima, sic constituta, cessante omninò causa eius institutionis, desinit, ita vt continuari non possit. Ita Petrus Nauarra *lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 260.* Azorius *p. 3. lib. 5. cap. 23. quæst. 5.* Contra Ioannem Medinam *Cod. de restit. quæst. 14.* & alios.

P. Nau. Azor. Medin.

11. Princeps pedagia exigens pro tutandis vijs, quibus merces transferuntur, si sufficientem diligentiam in relegandis latronibus non adhibeat, tenetur in conscientia restituere damna subsecuta ciuibus & viatoribus, quæ reuera non accidissent, si Princeps præstitisset quæ debebat ratione illius tributi. Ratio est, quia Princeps ratione tributi ex officio tenetur terras securas facere, ne ratione ipsarum viatores vim, aut damna patiantur, ergo contra iustitiam peccat, si vias tutas non reddat, ac proinde viatoribus damna resarcire tenetur. Vnde in hoc casu negligentiæ Principis circa custodiam viarum, viatores defraudantes pedagia, nec peccant, nec ad restitutionem obligantur, quia cessante omninò causa finali legis, cessat legis obligatio: in lege autem pedagiorum causa exprimitur v. g. pro tutandis vijs, ergo si viæ latronibus abundant cessat obligatio pedagia soluendi. Ita D. Thomas *lib. 1. de regim. Princip. cap. 12.* Syluester *verb. Gabella 3. quæst. 6. & verb. Dominium quæst. 4.* Lopez *part. 2. instructor. cap. 39.* & alii.

D. Tho. syluest. Lopez.

12. Exteri fraudantes gabellas, seu vectigalia peccant, Ratio est, tum quia legitima consuetudine potuit introduci, vt gabellæ exigantur etiam ab exteris, & sub hac tacita conditione admittuntur exteri in Regno ad negotian-

tiandum, vt ibi soluant gabellam & vectigal. Tum quia
multi incolæ & indigenæ defraudarent tributa fingendo
se extraneos. Tum quia hoc onus compensatur per pro-
tectionem, qua mercatores proteguntur à superioribus
Medina illius loci dum ibi exiltunt. Ita Ioannes Medina *Cod. de*
Molina. *restit. q. 15. ad finem.* Molina *tom. 3. disp. 688. & 689.* Sua-
Suarez. rez *lib. 3. de legib. cap. 33. num. 13.* & alij.

13. Actor mercatoris, qui transigit cum gabellarijs nõ
potest sibi retinere pretij excessum, quem soluisset, si non
transegisset. Ratio est, quia debet vtiliter gerere negotia
mercatoris. Idem dicendum de eo, qui habet mandatum
vt transigat cum Gabellario pro mercibus: hic enim te-
netur illud exequi si potest, alioquin tenebitur de damno,
siue sibi retineat vectigal, siue non retineat, quia hoc ip-
so, quo mandatum acceptauit, se obligauit ad illud im-
plendum. Secus dicendum est, si non est actor vel si non
habet mandatum ad transigendum: in hoc enim casu vi-
detur posse sibi retinere excessum quem soluisset, nisi
hanc diligentiam transigendi adhibuisset. Ratio est, tum
quia hoc videtur lucrum ipsius industrię. Tum quia mer-
cator non videtur inuitus, & transigens cum gabellario,
ideò transegit, vt lucrum sibi acquireret, non verò vt ac-
quireret domino mercium. Ita benè Lessius *lib. 2. cap. 33.*
Lessius. *dub. 11.* apud quem plura.

14. Concessio vectigalium, aut noui tributi, quæ co-
mitijs coactis fieri solet, etiamsi extorqueatur metu re-
uerentiæ, aut quouis alio graui, valet quidem in conscien-
tia, nec princeps obnoxius est restitutioni: illa enim con-
cessio non pertinet ad liberalem donationem, atque ideò
nec exigit plenum voluntarium. Ea enim tributa Regi
conceduntur, quo & Regnum tueatur, & Regni hostes
debellet, alijsque publicis necessitatibus subueniat. Vnde
neque etiam iure positiuo est ea concessio irrita. Imo, si
causæ, quæ ad exigendum tributum requiruntur, sint ve-
rè iustæ, & aliter illis necessitatibus commodè subuenire
non possit, nec peccat Princeps, vim inferendo Regno-
rum procuratoribus, nec enim ea vis, aut metus iniustus
esse potest, si causæ iustæ sunt ad exigenda tributa. Ita
Pontius. Basilius Pontius *in tract. de impedim. matrim. causa 31.*
Diana. *quæst. 2. §. 11.* Quæ quidem vt vera admittit Diana *par. 1.*
tract. 3. res. 25. modo sufficiant ad illud tributum soluen-
dum vires Regni.

15. Peccata quæ oriuntur ex gabellarum iniusta vel
incongrua impositione, enumerantur *Primò*. Peccant
mortaliter & tenentur ad restitutionem, qui absque cau-
sa iusta, nimirum necessitatis vel vtilitatis magnæ siue
publici boni, nouas gabellas imponunt, & ijs populum
opprimunt. Vnde Ezech. 22. *Principes eius in medio il-
lius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sangui-
nem & ad perdendas animas, & auarè ad sectanda lucra.*
Tamen non sunt coarctandi Principes & Reges opinio-
ne vulgi, quod regalis administrationis dimensiones non
considerat, nec attendit sumptus regalis familiæ, & quæ
ad regimen & protectionem vniuersalis regni per perso-
nas idoneas impendi debent stipendia militiæ, liberali-
tates Regibus necessarias, vt hostes contineant, amicos
concilient, vexationes redimant, & infinitas expensas,
quæ conseruationi regni, aut vtiles, aut necessariæ sunt.
D. Tho. Restitutio autem in hoc casu, secundùm D. Thomam
opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ in fine. Facienda est à
Principe vel Rege, si ad manus illorum dictæ gabellæ de-
uenerint, vel certis personis, si possibile sit, vel in pios
vsus est expendenda, siue pro vtilitate communi, si per-
sonæ certæ non possint inueniri. Si autem pecunia sic in-
iustè collecta ad manus Regis, siue Principis non perue-
nerit, sed inter manus Officialium, vt non raro contingit
proprijs vsibus applicanda remanserit, docet D. Thomas,
debere compelli officiales ad consimilem restitutionem,
ne à sua iniustitia commodum reportent: imo super hoc
sunt grauiùs puniendi, vt cæteri à similibus abstineant in
futurum. Quia sicut Salomon dicit: *Pestilente flagellato,
stultus sapientior fit.*

16. *Secundò* peccant mortaliter & ad restitutionem
obligantur, qui gabellas ob necessitates boni publici iustè
institutas cessantibus necessitatibus, absque iusta causa in
multos annos producunt & velint perpetuas perennare
volunt solius lucri prætensione, vel sola thesauri augendi
libidine. Si tamen æqualis aut similis necessitas, vel vti-
litas publica altera cessante, superueniat, cui ob insuffi-
cientiam publici ærarij non possit satisfieri; ideoque no-
ua impositio populo facienda esset, prius vectigal posset
continuari: quia à parte rei subest vera necessitas & cau-
sa nouum vectigal imponendi: ne autem populus appre-
hendat grauamen nouum, honestius est primas gabellas
continuare, modò nulla fraus, vel dolus interueniat.

17. *Tertiò* varijs peccatis mortalibus se implicant se-
natus & magistratus & alij, quorum consilio & iudicio
gabellæ & tributa imponuntur, si qualitatis & propor-
tionis in gabellis imponendis singularem rationem non
habeant, vt dictum est supra *num. 5.* vnde benè imponun-
tur agris publicis, vijs regijs, pontibus, fluminibus naui-
gabilibus, portubus, mercibus, metallis, vino, pascuis,
&c. Meliùs & conuenientiùs imponerentur gabellæ au-
ro, gemmis, bysso, serico, rhedis, equis phaleratis, pelli-
bus indicis & pretiosis, de quibus *l. Interdum, §. species,
ff. de publicanis & vectigal.*

18. *Quartò*, mortaliter peccant iuxta rationem vio-
lentiæ, qui cum multa violentia, damnificatione & iniu-
ria pauperum, tributa, & gabellas exigunt, cùm non sint
soluendo. Sæpè enim contingit, quod collectores illi per
se, & satellites domos pauperum inuadant, pauculam
supellectilem arripiant, & inhumanè distrahant, vaccu-
lam, aut capram, porcellum pauperis abducant, nullo aut
pauco fructu suo, maximo vero pauperis detrimento.
Ratio horum est, quia iure naturæ tributum, siue vecti-
gal supponit capacitatem soluendi in eo, cui vectigal im-
ponitur, alias enim iniustum est: quomodo autem pau-
per, qui vix necessaria ad simplicem victum habet, & cui
Rex potiùs tenetur de alimento prouidere, iustè obliga-
tus dici potest ad vectigal soluendum? Vide P. Nauarra
de restit. lib. 3. cap. 1. num. 236.

19. Peccant mortaliter & ad restitutionem tenentur,
qui gabellas & vectigalia pro causa necessitatis publicæ
exacta, vel in priuatos vsus, vel in largitiones prodigas,
aut in causas bono communi actu non necessarias ex-
pendunt & distrahunt. Quod dupliciter fieri solet. 1. si
directè in finem alium publico bono intento verè non
necessarium pecunia distrahatur v. g. in effusas largitio-
nes & dona, in mercedes non vrgentes aliquorum nobi-
lium; in vsum & satisfactionem priuatorum ministro-
rum, dum titulo suorum stipendiorum particularium,
magnam partem dictarum pecuniarum sibi velut in so-
lutionem arrogant. Vnde fit vt publicæ necessitati patriæ
non possit satisfieri, quia militi non soluitur, quia exerci-
tui non prouidetur, sed tota patria tam hostis quàm pa-
trij militis prædæ exponitur, defectu pecuniarum. 2. In-
directè, quando siue in collectione, siue in receptione,
siue in administratione pecuniarum tot & tam varij mi-
nistri planè inutiles concurrunt, vt inter eos, titulo mi-
nisterij & officij, quamuis verè inutilis & non necessa-
rij, magna pars pecuniæ absorbeatur in iniuriam mani-
festam publicæ necessitatis pro qua & ad quam destinata
erat. Sed de his plura apud Petrum Marchantium *tom. 3.* P. Marchant.
Tribun. Sacrament. part. 3. tract. 2. tit. 6. quæst. 4.

Vide hoc tomo verb. Census *num. 16.* & tom. 2. Præ-
scriptio *num. 7.* Transactio *num. 6.*

GVLA.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit gula? & dupliciter accipitur.*
2 *An gula regulariter sit peccatum veniale? & huius vi-
tij duæ sunt species, crapula scilicet, & ebrietas.*
*Et an comedentes, vel bibentes absque necessitate, ob so-
lam voluptatem captandam, peccent venialiter.*
3 *In quibus casibus gula fiat peccatum mortale?*
4 *An sit peccatum mortale extra necessitatem vesci carne
humana? & an in extrema necessitate hoc sit licitum?*
est duplex sententia. *Et an hoc liceat timore mortis.*
*An peccatum sit, res non destinatas ad communem
vsum,*

vsum, vel carnes crudas?
5 *Quid sit ebrietas? & vt dupliciter accipitur.*
6 *Quando ebrietas sit peccatum mortale, quando veniale?*
7 *An peccata commissa in ebrietate imputentur ad culpam mortalem, uel uenialem?*
8 *Gula est uitium capitale, unde nascuntur quinque filia.*

1 GVla dupliciter accipitur. *Primò* generaliùs, vt etiã comprehendat inordinationem, quæ contingit in potu, & sic diuiditur in *comessationem* & *ebrietatem* tanquam in species. *Secundo* strictè, vt opponitur virtuti abstinentiæ strictè acceptæ, & sic gula est vitium in appetitione & vsu delectationis cibi & potus, debitum modum excedens: hoc autem fieri potest quinque modis, vt ait D. Thomas 2.2.*q.*148 *art.*1.& 4. Syluius *ibid.* Lessius *lib.* 4.*cap.*3. *dub.*1. ex D. Gregor. *lib.*30.*mor.cap.*27. qui hoc versiculo continentur.

D. Tho.
Syluius.
Lessius.
D Greg.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Præproperè edit quis, quando tempore ieiunij ante horam comedendi fit comestio. *Lautè*, quando perquisitione ciborum læditur modestia, quærens tanta solicitudine & cura, quòd in illis fęlicitatem esse sitã ostendatur. *Nimis*, quando ex nimio cibo & potu damnũ aduenit saluti. *Ardenter*, quando ex modo comedendi læditur modestia. *Studiosè*, quærens cibos nimis accuratè præparatos.

2. Gula regulariter est peccatum veniale, etiamsi absq. vtilitate, vsque ad vomitum etiam intentum sese quis cibo & potu ingurgitet: liceret autẽ de consilio medicorũ, ob vtilitatem sumere ad vomendum ampliùs quàm par est; vnde huius vitij duæ sunt species, *altera*, quæ dicitur crapula in cibo immoderato, *altera* ebrietas, quæ in potu consistit superfluo. Nauarrus *in man. cap.* 23. *num.* 119. Diana *p.*3.*tract.*13.*res.*40. Caietanus *in Sum. verb. Gula.* Syluius *cit.art.*2. Fernandez *p.*4.*cap.*2.§ 6.*n.*2. & alij.

Nauar.
Diana.
Caietan.
Syluius.
Fernan.

Sed petes, an comedentes, vel bibentes absque necessitate ob solam voluptatem captandam, peccent venialiter? Respondet ad hoc dubium Io. Sancius *in selectis disp.* 2.*n.*14. quòd nempe deficiente nocuméto corporis, & salutis, comedere vel bibere absq; necessitate solùm ob delectationem capiendam, scilicet ob frigiditatem potus, vel suauitatem cibi, neutiquam contra rationem erit, sed talis comestio; aut potio liberè fit, vt appetitus naturalis suis fruatur actibus. At velle appetitum delectari suis operationibus, quæ contra rationem non sunt, nullatenus peccatum est, cùm scelus reperire sit impossibile, nisi contra rationem tendat operans. Dicas quæso, quare contra rationem operatur edens, aut bibens absq; fame, dum aliàs esus, aut potus nocumentum saluti non inferunt? Nam si ob solam cibi delectationem gula committeretur, deficiente etiam corporis nocumento, peccatum etiam esset odorari res aromaticas ob solam delectationem capiendam boni odoris. Et esset scelus, res pulchras inspicere ob solam delectationem, quam visus in visione capit. Et esset crimen audire musicam ob capiendam auditus delectationem. Quis autem damnet hæc? Igitur nec gustus sensum, ex eo quòd appetat cibum ob solam eius delectationem, damnare erit fas, & cur peioris erit conditionis quàm alij? Hæc ille. Contra hanc doctrinam exurgit Pasqualigus *in praxi ieiunij Ecclesiastici decis.*16. qui in praxi vix putat posse separari nocumentum vel graue, vel saltem leue a potatione, vel comestione absque necessitate ob solam delectationem. Quia si cibus non est necessarius saltem ad optimè nutriendum corpus, est superfluus in ordine ad nutritionem, & ideo aggrauat naturam, quę solùm exigit congruentem alimentationem, & hac de causa infert aliquod saltem leue nocumentũ. Deinde falsum est, quod comedere & bibere ob solã voluptatẽ; ita vt non ordinetur cibus & potus ad alimentationem, non sit contra rationẽ. Nam potus & cibus debent moderari per virtutem tẽperantiæ, ita vt nisi sint secundùm ipsius mensuram, inordinatè se habeant, atque adeo sint contra rationem. Præterea vel quando sumitur cibus & potus ob solam delectationem est congruens alimentationi; & tũc est in ordine ad ipsam, atque adeo non est ob solam voluptatem, sed etiam ob finem alimentationis. Vel est superfluus, & tunc non seruatur ordo in ipso debitus, neq; attenditur finis ipsius, sed consurgit finis oppositus, nempe oppressio naturæ, & ideo est aliquid ordinatum, & proinde contra rationẽ. Denique cibus & potus non est propter solam delectationem gustus: sed mediante ipsa propter sustentationem: vnde delectatio est finis subordinatus sustentationi, quod non contingit in auditu, visu & olfactu, quorum delectationes immediatè sunt ad recreandum animum. Sistere autem in fine subordinato, & non ordinare ipsũ ad subordinantem, est contra rationẽ, quæ exigit, quòd finis ex natura sua intermedius ordinetur ad vltimum. Hæc sententia probabilior est tenenda.

sancius.

Pasqual.

3. Gula mortale peccatum est, si quis in illa delectatione, vltimum finem constituat; & fieri potest tripliciter. *Primò* expressè, vt cùm quis expressè, seu in actu signato, illam voluptatem summum esse bonũ iudicat. *Secundò* implicitè, cùm id quidem expressè non iudicat, tamen erga illam sic afficitur, vt paratus sit propter illam omnia humana & diuina iura violare. *Tertiò* interpretatiuè, vt cùm quis affectu gulæ, paratus est non quidem quoduis; sed aliquod peccatum mortiferũ admittere; puta, si quis ob id furatur, contractus facit iniquos, si non soluat creditoribus, vt oppiparè victitet, si violet ieiunia Ecclesiæ, vescendo carnibus, vel sæpiùs comedendo, si ex gula corpori aliquod notabile damnum inferatur, si graue scandalum inde oriatur; si probabiliter timeatur aliquod peccatum mortale, ex quantitate vel qualitate cibi sumpti cõmittendum. Toletus *de septem peccatis mort. cap.* 60. Lessius *cit.num.*6. & 7. Syluius 2. 2. *q* 148. *art.* 2. Nauarrus *cit.num.*120 Fernandez *cit.* §. 6. *num.*5. & alij.

Toletus.
Lessius.
syluius.
Nauar.
Fernan.
Valentia

4. Extra grauissimam necessitatem, vesci carne humana est peccatum mortale. Valentia *tom.*3.*disp.*9.*q.*3.*punct.*1. Lessius *cit.num.*10. quia alimentũ debet esse ignobilius alito, secundùm rectum ordinem, vt ex inferiore gradu ad superiorem euehatur: in extrema autem necessitate, quidã Doctores id fieri posse affirmãt, alij negant, vtrũq; probabile est affirmans tamen sententia videtur verior, quæ est Nauarr. *cit.n.*122. Tolet. *cit.* Diana *p.*3.*tr.*6.*misc. res.* 48. Fernandez *cit. n.* 5. & aliorum: quia caro mortua est res inferior, & licitum est eam exponere feris & auibus dilaniandam, quando viui ob crimina sunt commeriti, cur eo casu non possit homo ex ea sumere, extrema vrgente fame: tamen non licebit eo fine hominem occidere: quia homo non est factus à Deo, vt inseruiat pro cibo alterius hominis; nõ enim de ipso est dictum à Deo, sicut de cæteris animantibus Gen. 9. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in escam, quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.* Imo in præceptis secundæ tabulæ est prohibitũ occidere hominem. Vnde tam iure diuino, quam naturali id prohibitum est, & proinde nunquã stante quacumq; necessitate est licitum, occidere hominem in ordine ad escã.

Nauar.
Toletus.
Diana.
Fernan.

An autem timore mortis liceat carnes humanas appositas comedere? affirmant Doctores citati: quia si licet comedere in extrema necessitate ad conseruandam vitã, licebit etiam ad eamdem conseruandam, quando periculum extrinsecus aduenit, quia parum refert, quòd metus sit ab intrinseco, vel ab extrinseco. Probabile tamen est, in hoc casu non licere, sed potius mortem subeundam esse: quia non licet vti medijs ad conseruandam vitam, quæ à natura non sunt cõcessa in hunc finem; cibus autem carnium humanarum non est medium ordinatum, neque concessum à natura ad substentandam vitam, & ideo nũquam licet ipsum adhibere ad hunc finem. Ita Victoria *Relect. de Temperantia n.* 6.

Victoria

Sed petes quale peccatum sit comedere res non destinatas ad communem vsum? Resp. quòd eas comedens, peccat contra charitatem erga seipsum grauiter, vel leuiter, prout graue, vel leue est damnum, quod inferunt: Ex obiecto autem, præciso quocumque damno ob inordinationem, quam habet in seipso, est peccatum veniale: quia in hoc casu interuenit tantùm inordinata quædam obsequentia appetitus, quæ non dicit grauem deordinationẽ; maximè quando adest concupiscentia horum ciborum, quæ solet excitari ex aliqua infirmitate. Azor. *p.*1. *lib.* 7. *cap.*22 *q.*4. Caiet. 2.2. *q.* 148.*art.*2. *circa finem.* Si tamen cesset concupiscentia harum rerum, & consequenter nõ fiat mutatio in materia, nec interueniat rationabilis causa, posset esse peccatũ mortale comedere de his rebus in nota-

Azor.
Caietan.

notabili quantitate, propter iniuriam graué propriæ personæ, contra ordinem præscriptum à natura, factam.

Comedere autem carnes crudas, belluinum est opus, & ij, apud quos hoc est in vsu, sunt homines barbari & efferi, & in quibus dignitas humanæ naturæ sepulta est; Et peccatum mortale est, quando inde prouenit notabile damnum: quia contrariatur charitati, qua sub mortali tenemur conseruare propriam vitam. Nullum tamen esset peccatum, illas comedere ex rationabili causa, puta si non adesset commoditas coquendi, aut quia complexio aliquid tale exigeret, aut medicinæ causa, aut ex aliquo alio capite: quia tunc comestio fit conformis regulis rationis, & vestitur illa rationabili causa. Ita Pasqualigus *in praxi ieiunij Eccles. decis.* 15. Pasqual.

5. Ebrietas dupliciter accipitur: *Primò* pro defectu vsus rationis nimio potu inducto, & sic non est peccatum propriè, sed peccati effectus. *Secundò* pro ipsa potatione, quæ hunc defectum efficit, sic est peccatum: & potest hoc modo definiri; Ebrietas *est excessus in potando, causa voluptatis, vsque ad violentam vsus rationis priuationem*; vbi *notandum*, si causa medicinæ ex præscripto medicorum priuetur quis vsu rationis, non esset ebrietas: *dupliciter* autem vsus rationis aufertur, *modo naturali*, scilicet & *violento*; *naturali* per somnum, *violento* aufertur quando tanta vaporum copia cerebrum implet, vt etiam in vigilia ratione vti non possit D. Thom. 2.2.q.150.*art.*1. Caiet. *v. Ebrietas* Syluester *v. ieiunium quæst.*3. Lessius *c.n.* 13 Syluius 2.2.q.150.*art.*1. & alij. D. Tho. Caiet. Syluest. Lessius. Syluius.

6. Ebrietas voluntaria, est peccatum mortale, quando quis, scilicet, ebrietatem intendit directè, vel indirectè, tantum bibendo quantum potest, non curans, an sequatur ebrietas, an non vel quando quis aduertit se inebriandum, si pergat potare, nihilominus non desistit: vnde peccat etiam mortaliter, qui scienter procurat aliũ inebriari, quia notabiliter vult nocere alteri; secus dicendum, si id fecit ignorantia qualitatis potus, vel inaduertentia nimietatis eius, quia tunc aut nihil aut solùm venialiter peccaret D. Thom. *c. art.*2. Tolet. *c.c.*61. Lessius *c.n.*15. Nauarr. *c.n.*121. Syluius 2.2.q.150. *ar.*2. Fagundez *c.§.6.num.*6. & alij. D. Tho. Lessius. Nauar. Syluius. Fernan.

7. *Peccata* commissa in ebrietate imputantur ad culpam, quando ebrietas est voluntaria seu culpabilis & malũ præuideri poterat; *& quidem* si solùm venialiter quis peccauit se inebriando, malum inde secutum solùm erit veniale, *si vero* mortaliter, mortale, quia illud malum non est in seipso volũtarium seu liberum, cùm ab eo patretur, qui iam vsu rationis caret, sed solùm est voluntarium in causa: fieri tamen potest, vt ebrietas sit mortifera, & malũ ex ea secutum, etiam per se grauissimum, non imputetur ad culpam, vel saltem non nisi ad venialem: ad nullam culpam, si malum nulla ratione præuideri poterat: ad venialem autem imputabitur, si aliquo modo præuideri poterat, & per venialem negligentiam maior consideratio fuit prætermissa. Ita D. Thomas *cit. quæst.*150. *art.* 4. Syluius *ibid.* Caietanus *ibid.* D. Bonau. *in* 2. *dist.*22. *art.*2. *q.* 2. Toletus *cit. cap.*61. Lessius *cit. num.*25. *& seq.* Vide Dianam *p.*3. *tract.*6 *misc. res.*52. Tannerum 1.2. *disput.* 4. *q.*3. *dub.*3. *num.*65. & alii. Hinc secundùm Vasquez 1.2. *tom.*1. *disp.*127. *cap.*3. *num.*11. Sancium *in select. disp.* 20. *n.* 5. contumeliæ in ebrietate dicendæ voluntas, non est peccatum contra iustitiam, sed odij in proximum. Cum contumelia peccatum iniustitiæ non fit, nec in dedecus contumelia affecti cedat, nisi a rationis compote dicatur. Proinde multa dicta, vel facta ebriorum non reputantur peccata, quæ alioquin essent; id quod verum est etiamsi præuideantur quia in hominum æstimatione non censentur iniuriosa, quæ aliàs in sana mente iniuriosa essent, damnum tamen proximi cauere debemus in ebrietate, alioquin imputabitur. D. Tho. Syluius. Caietan. D. Bona. Toletus. Lessius. Diana. Tanner.

Sed dubium est, an peccatum blasphemiæ, infidelitatis, & periurij commissum in ebrietate imputetur ad culpam? Negant Vasquez, & Sancius citati, quia vt imputetur postulat scienter fieri: & huic sententiæ subscribunt Salas, Sayrus, Tannerus citati à Diana. Ex quorum sententia sequitur, quòd dum aliquis se inebriat animo iactandi contumelias, blasphemias, aut iuramenta falsa tempore ebrietatis, si in eo ea iactet, non tenetur confiteri se illa iactasse, sed satis erit explicare se inebriasse animo illo: nam illa dicere tempore ebrietatis, peccata non sunt, sed ad summum erunt effectus peccati, quos fateri non tenetur. Hæc opinio non est improbabilis: quamuis verior & communior contrarium asserat, nempe dicta peccata, licet in se non sint voluntaria, nec scienter facta: attamen in causa sunt voluntaria, cùm sint præuisa, vel debuerint præuideri. Ita Sanchez *lib.*1. *mor. cap.*16. *num.*44. Medina 1.2.q.71. *art.*5. *concl.*4. Caietanus 2.2. *q.*150. *art.* 4 *dub.*2. Toletus *lib* 7. *de peccat. c.*61. *num.*5. Vasq. Sancius. Sanch. Medin. Caiet. Toletus.

8. *Gula* dicitur vitium capitale, quia *quinque filia* ex ea nascuntur, puta, *Hebetudo mentis*, *Immoderata lætitia*, *multiloquium*, *Scurrilitas*, *& Spurcitia*. Per *hebetitudinem mentis* peccat mortaliter, qui se terrenis miscẽs, & a cælestibus auocans, conscientiam suam non discutit, quando & quomodo præcepto tenetur: per *immoderatam lætitiam* peccat mortiferè, qui obscœnis cantilenis, verbis, aut gestibus vtitur, intendens inducere, vel credens, aut credere debens, se vel alium per eam inductum iri, in consensum alicuius actus mortalis, cordis, oris, vel operis, per *multiloquium* peccat quis mortalit. quando illo vtitur in irreuerentiam Dei notabilem, aut adeò eo delectatur, vt paratus sit id præferre implemento alicuius præcepti. Porrò peccat per *scurrilitatẽ* vel *spurcitiam*, qui vestes valde impudicas gestat, aut aliàs intentione expressa vel tacita prouocandi ad luxuriam, vel alium finem mortalem. Plura de his apud Nauarrum *c.n.* 123. Angelum *v. hebetudo*. D. Anton. 2. *part. tit.* 6. *c.*4. §. 1. *& seq.* Caiet. 2.2. *q.*148. *art.*6. Tolet. *c.c.*62. Syluium 2.2. *q.*148. *art.*5. *&* 6. & alios. Nauar. Angel. D. Ant. Caietan. Tolet. Syluius.

H

HÆRES. HÆREDITAS.

SVMMARIVM.

1 *Quando hæreditas adeatur.*
2 *Hæres alius est necessarius, alius non.*
3 *An hæres teneatur ad realia debita testatoris postquam hæreditatem adiuit.*
4 *Tres menses à iure conceduntur ad deliberandum, num velit hæreditatem adire.*
5 *An hæres teneatur in foro conscientiæ soluere legata, uel debita defuncti, si inuentarium non fecit, & debita excedant uires hæreditatis?* refertur duplex sententia.
6 *An hæres ab intestato teneatur restituere hæreditatem & soluere legata eis, quibus testamento minus solemni debentur; si sciat uoluntatem defuncti.*
7 *An in ijs quæ pertinent ad pias causas teneatur hæres in conscientia adimplere uoluntatem testatoris.*
8 *An hæredes necessarij possint aliquid sibi retinere, v. g. legitimam, quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus legatis à defuncto relictis.*
9 *Quinam possint institui hæredes.*
10 *Qui hæredes vel legatarij institui iure non possint.*
An nouitij cuiuscumque Ordinis Minorum possint hæredes institui, & succedere ab intestato.
An Fratres minores iure codicilli possint institui.
An hæredes ab intestato teneantur soluere Fratribus minoribus in foro conscientiæ æstimationem hæreditatis illis relictæ.
11 *An filius spurius non legitimatus possit institui hæres à patre.*
12 *An filius naturalis possit institui hæres à parentibus non habentibus prolem legitimam? & an succedat matri.*
13 *Hæres seu testamentarius tenetur quamprimum soluere legata.*

1 VT quis fiat hæreditatis Dominus, siue per testamentum, siue ab intestato, non requiritur aliud, quàm vt hæreditas adeatur: aditur autem hæreditas, dum acce-

acceptatur verbo, vel facto, *l. Cum heredes, ff. de acquirenda possess.*

2. *Hæres* alius est necessarius, alius non. *Necessarius* dicitur, qui non potest priuari in totum hæreditate, qualis est filius, vxor, parens, &c. *Hæres non necessarius* dicitur, qui licet succedat in hæreditate ab intestato, nihilominùs priuari potest, vt frater, cognatus, &c. *Ab intestato* succedunt filij, parentes, fratres, & sorores, & itaut deficientibus descendentibus, succedant parentes, deficientibus verò parentibus immediatis, succedunt aui; deficientibus auis, aut alijs ascendentibus, succedunt fratres, & eorum filij: denique deficientibus ascendentibus, descendentibus, fratribus, & eorum filijs, succedunt propinquiores, per capita, vsque ad decimum gradum inclusiuè. Molina *de contract. disp.* 164 Bonacina *de contract. disp.* 2. *q. vlt. punct.* 3. *num.* 14. & alii.

Molina. Bonac.

3. Hæres tenetur ad realia debita testatoris persoluenda, postquam hæreditatem adiuit, quia sicut succedit in iura realia, non verò in personalia, quæ cum persona extinguuntur, ita etiam succedit in onera realia, cùm hæres personam defuncti repræsentet, *l. Hæres in omne, ff. de acquir. hæredit.*

4. Hæredi conceduntur à iure tres menses, à die, qua nouit se institutum hæredem, ad deliberandum num velit hæreditatem adire, *l. vlt. C. de iure deliber.* intra quod tempus, si hæreditatem non adierit, ad nihil tenetur, etiāsi inuentarium non confecerit, nec ei potest intra dictum tempus molestia inferri à creditoribus, vel legatarijs. Emanuel Sà *v. Hæreditas n.* 34. Reginaldus *lib.* 25. *n.* 627.

Em. Sà. Regin.

5. Multi Doctores existimant hæredem, qui non confecit inuentarium, non teneri in foro conscientiæ soluere legata, vel debita defuncti, si debita seu legata excedant vires hæreditatis. Sanchez *in Sum. lib.* 4. *c.* 15. *n.* 37. Clauis regia *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 9. P. Nauarra *lib.* 3. *cap* 4. *p.* 2. *dub.* 9. *n.* 137. Diana *tr.* 5. *misc. res.* 56. *part.* 3. quia lex quæ innititur præsumptioni fraudis, qualis est lex *Finalis, C. de iure deliberando*, cessante fraude non obligat: imò secundùm hanc sententiam, nec tenebitur ad integram restitutionem post iudicis sententiam; quia sententia iudicis nititur præsumptione fraudis, sicut lex illa finalis quæ fraude non subsistente, non obligat. Quidam tamen vt Molina *disput.* 217. Couarruuias *de testament. cap.* 1. *num.* 16. *&c.* affirmant teneri. Sed tu primam sententiam tene.

Sanchez. Cl. Reg. Nauarr. Diana. Molina. Couarr.

6. *Hæres ab intestato*, si sciat voluntatem defuncti, tenetur restituere hæreditatem, & soluere legata eis, quibus testamento minus solemni debentur: & si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere pro ratione dubii, & in casu quo hæres ab intestato retinet hæreditatem & legata, possunt illi, quibus aliquid per talе testamentum erat relictum, vti occulta compensatione, nam reuera res illæ erant ipsorum, cùm iuxta communem sententiam Doctorum vtriusque iuris & multorum Theologorum, oriatur obligatio naturalis ex testamento minus solemni. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 3. *num.* 21. *& seq.* Molina *tract.* 2. *disp.* 81. Syluester *verb. Hæreditas* 3. *quæst.* 7. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 105. & alii. Contraria tamen sententia à multis reputatur probabilis & tuta in praxi: videlicet a Maldero, Salas, Becano, Vasquez, Bonacina, & aliis apud Dianam *tract.* 8. *resol.* 75. *part.* 1. putant enim hi, contractum nullum iure humano in foro exteriori, esse etiam nullum in foro conscientiæ.

Lessius. Molina. Syluest. Regin.

7. Hæres in ijs quæ pertinent ad pias causas, tenetur in conscientia adimplere voluntatem testatoris, quam ipse testator expressit in cedula scripta, vel subscripta propria manu: in ijs enim quæ pertinent ad pias causas, non est necessaria solemnitas iuris ciuilis, sed in foro conscientiæ sufficit nosse voluntatem testatoris. Emmanuel Sà *verb. Legatum* contra Couarr. *in cap. cum esses, de testam. num.* 12.

Em. Sà. Couarr.

8. Quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus legatis a defuncto relictis, *hæredes necessarij*, quibus hæreditas debetur ab intestato, possunt aliquid sibi retinere, nimirum suam legitimam, cùm ea priuari nequeant *Authent. Nouissima, cap. de inofficioso testamento, Authent. sed cum testam. cap. ad legem falcidiam: porro* autem legitima, est tertia pars bonorum defuncti, quando hæredes non sunt plures, quàm quatuor: *quando* verò sunt plures quàm quatuor, est dimidium bonorum, quod diuidendum est æqualiter inter hæredes: *Non necessarij* autem hæredes, quibus legitima portio non debetur possunt ad ratam, à singulis detrahere quartam partem bonorum defuncti, quæ Falcidia nuncupatur; nisi testator expressè prohibuerit detractionem falcidiæ. Bonacina *de testam. disp.* 2. *q. vlt. punct. vlt. num.* 30. Bonac.

9. *Omnes*, non solum priuati, verùm etiam communitates, possunt institui hæredes & legatariæ, modò sint capaces hæreditatis, & à iure non impediantur, *l.* 1. *C. de sacrosanctis Ecclesijs*, quia vt aliquis instituatur, nihil aliud requiri videtur, quam vt adsit plena potestas in disponente, forma præscripta à iure, & capacitas in hærede; *vnde* Ciuitas, Ecclesia, Collegium, &c. possunt institui, quia non habent incapacitatem hæreditatis, nec à iure impediuntur: *Ciuitates* autem hostium, non possunt institui hæredes, *l. omnibus, ff. ad S. C. Trebellianum*, quia impediuntur à iure sicuti communitas infidelium. Molina *disp.* 154. Molina.

An autem religiosus ad Episcopatum translatus sit capax hæreditariæ successionis? Dicendum est quòd sic, quamuis fuerit Ordinis Mendicantium; ita tamen, vt bonorum sola administratio ipsi acquiratur, dominium vero Ecclesiæ cui præest: vide Syluestrum *verb. Religio* 4. *quæst.* 10. Lessium *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 113. *& tom.* 2. *verb. Religio* 1. *num.* 8.

10. Inter eos, qui *hæredes*, vel *legatarij* institui iure non possunt, numerantur, hæretici, & Apostatæ, eorumque credentes, receptores, defensores, & fautores, si intra annum non pœnituerint, *cap. Excommunicamus* 1. §. *Credentes de hæret.* hinc hæredes catholici possunt tales hæredes excludere, & si impediantur, vti aduersus eos occulta compensatione, quia ius non habent. *Qui* persequuntur Cardinales, eosque percutiunt vel capiunt *cap. Fœlicis, de pœnis in* 6. & quicumque sunt intestabiles, actiuè propter delictum, id est, qui non possunt testari ob aliquod crimen, sunt etiam intestabiles passiuè, id est, non possunt institui hæredes vel legatarij, vel capere ex testamento, quia prohibentur à iure, *l. is cui, ff. qui testam.* Syluester *v. Hæreditas* 3. *quæst.* 2. *persona* tamen intestabilis non ob delictum, sed ob defectum aliquem, qui non est crimen, potest capere ex testamento, vt pupillus & mutus, hi enim sunt capaces. *Denique* Fratres Minores iure sunt incapaces hæreditatis & legatorum, *Clement. Exiui de verborum signific.* §. *quia igitur* possunt tamen aliqui reditus relinqui pro fabrica, oleo, vino, cera, ornamentis altaris, & Ecclesiæ, quia hoc non relinquitur Fratribus, sed Ecclesiæ, quæ pertinet ad Summum Pontificem: Cæterum, quamuis Fratres Minores non possint institui hæredes, potest nihilominus in eorū fauorem, hæreditas seu legatum alicui relinqui, vt vendatur per alios, & fratribus pretium tradatur, per hoc enim fratres nullum ius acquirunt. Rodriquez 1. *part. cap.* 131. Nauarrus *de testam. cons.* 14. Sanchez *lib.* 7. *mor. cap.* 25. *n.* 12. Diana *p.* 15. *tract.* 14. *res.* 65.

Syluest. Rodr. Nauar. Sanchez Diana.

Notandum autem est nouitios cuiuscumque ordinis Minorum posse hæredes institui, ac succedere in hæreditatem paternam ex testamento, & ab intestato: quia sola professione redduntur incapaces, quam nondum emiserunt.

Sed dubium primum est, an Fratres Minores possint institui, itaut si non valeat iure testamenti, valeat iure codicilli, & meliori modo quo potest? Quidam dicunt valere institutionem, quia quando ob hæredis conditionem non tenet testamentum, hæc clausula operatur fideicommissum, ac proinde vt hæredes ad quos peruenit hæreditas, videantur rogari per fideicommissum restituere instituto. Ita Rosella *verb. Legare num.* 23. Syluester *verb. Testamentum* 1. *num.* 11. At dicendum est eos esse incapaces huius institutionis, quòd effectus huius clausulæ sit, vt conuertatur institutio in fideicommissum vniuersale, cum quo habet similitudinem, & non in fideicommissum particulare; at hi sont incapaces fideicommissi vniuersalis, & fideicommissum particulare potest eis relinqui. Ita Rodriquez *tom.* 2. *qq. reg. quæst.* 79. *art.* 3.

Rosella. Syluest. Rodr.

Du-

Dubium secundum, an hæredes ab intestato, aut substitutus, aut cohæres, ad quos peruenit dicta hæreditas relicta Fratribus Minoribus institutis, teneantur in foro conscientiæ æstimationem eius soluere dictis Fratribus? Resp. nullatenus teneri hos ad soluendam illius hæreditatis æstimationem Fratribus, sed posse tutissima consciẽtia eam retinere. Ratio est, tum quia totum externum nulli præsumptioni innitens, sed soli veræ incapacitati hæredis instituti, ita iudicabit; ergo idem dicendum est in foro interno. Tum quia in *Clem. Exiui, de verb. signif.* redduntur fratres incapaces successionum, ergo nec capaces erunt æstimationis, quia vnus percipiendæ successionis modus est eius æstimationem recipere. Ita Rodriquez *cit. art. 2.* contra Bartolum & alios.

11. *Filius spurius* (id est, qui natus est ex parentibus, inter quos tempore conceptionis & natiuitatis erat impedimentum dirimens) non legitimatus, non potest institui hæres a patre, nec illi potest aliquid relinqui præter alimenta, *l. Licet C. de naturalibus liberis. Alimentorum* autem nomine, veniunt ea, quæ pertinent ad victũ, vestitum, medicinas, habitationem, &c. iuxta qualitatem personæ, quòd si pater illi aliquid in testamento præter alimenta relinquat, nihil per hoc iuris illi acquiritur, sed tenetur in conscientia restituere alijs hæredibus institutis, aut venientibus ab intestato; potest tamen pater nepotem, videlicet, filium proprij filij spurij instituere hæredem, modò eiusmodi pater non habeat ascendentes, vel sobolem legitimam: *filius* autem *spurius*, potest sibi retinere, quæ sibi à matre vel ab alijs, præterquam à patre relinquuntur, cum de relictis a patre iura sermonem habeant, & in odijs non sit facienda extensio. Vide *to. 2.*
Regin. Lessius. Henriq. Sà. *verb. Testamentum n. 10.* Ita Reginaldus *lib. 25. num. 626.* Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 6.* Henriquez *lib. 1. de matr. cap. 21. num. 1.* Sà *verb. Hæreditas n. 16.* & alij.

Sed ex dictis oritur dubium, an pater possit aliquem hæredem constituere, rogando illum, vt postea ipse restituat hæreditatem filio spurio? Resp. omissis varijs sententijs super hoc, vt videre est apud Bannez *in praamb. ad quæst. 62. disp. 5. de iur. & iustit.* probabilius esse, hæredem institutũ a patre, non præstita fide de reddenda hæreditate filio spurio, esse verum hæredem & dominum illorum bonorum: neque in conscientia teneri reddere illa bona hæreditaria filio spurio, quamuis possit ea restituere spurio ex sua liberalitate, & spurius tunc poterit illa retinere, cùm acceperit ea à vero domino, nulla lege vetante. Si autem institutus hæres tacitè vel expressè promisit testatori se redditurum ea spurio, adhuc potest sibi retinere, secundùm probabiliorem sententiam, nec tenetur implere promissum, quia promissio fuit nulla, vt pote contra legem, licet peccauerit mortaliter promittendo, sicut & testator ita disponendo: quia leges talem promissionem sub grauissima pœna vetant. Si tamen hæres ea bona tradat, potest spurius ea retinere. De his plura apud
Lessius. Bonac. Lessium *lib. 2. cap. 19. dub. 6.* Bonacinam *de contract. disp. 3. q. 17. punct. 3. num. 15.*

12. *Filius naturalis* (id est, qui ortus est ex parentibus solutis, non habentibus impedimentum dirimens, tempore conceptionis vel natiuitatis filij) potest institui hæres a parentibus, non habentibus prolem legitimam, relicta tamen ascendentibus legitima, *l. Licet. C. de naturalib.* *si verò* filius naturalis non fuit institutus hæres a patre, non habente filios legitimos, non succedit patri ab intestato, præterquam in sexta parte: *si verò* pater intestatus moriatur, relictis filijs legitimis, filius naturalis nõ
Molina. Sà. Lessius. succedit in sexta parte, Molina *disp. 166.* Sà *v. Hæreditas num. 1. & 7.* Lessius *cit. num. 72.* Bonacina *de testamen. disp. 3. q. vlt. punct. 3.* & alij. *Porrò* filius naturalis succedit matri, non habenti filios legitimos, etiam intestatæ, vt hæres ex asse; habenti autem legitimos, succedit ex æquo cum illis, *l. si qua illustris, C. ad SC. Orfitianum.*

13. *Hæres, seu testamentarius*, in foro conscientiæ tenetur statim & quamprimum poterit soluere legata: & quòd si negligens fuerit per annum, à die monitionis factæ per Episcopum, circa soluenda legata, & alia ordinata per testatorem; poterit priuari hæreditate, si est hæres extraneus, & etiam filius, salua ei legitima per *Auth. hoc amplius*, & transit ad substitutos, vel alios per ordinem. Ita Io. Valer. *in differen. verb. Legatum, diff. 1. n. 1. & 3.*

Imò plurimi Doctores apud Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 3. n. 8.* docent executores testamentorum & hæredes non excusari à peccato mortali, quando differunt solutionem debitorum & legatorum causa vendendi res defuncti maiori pretio, nisi differant vt rebus defuncti meliùs venditis copiosiores dentur eleemosynæ, & augmentum eleemosynæ est valde magnum, tempus autem tarditatis est valde breue, itaut arbitrio boni viri meliùs sit tardare. Licet enim in foro externo executores habeant anoum ad exequendum testamentum, hoc tamen non procedit in foro conscientiæ.

De Hærede, vide hoc tomo v. Codicillus *n. 8.* Detractio *2. n. 8.* Dubium *n. 8.* Exhæredatio. Fiscus *n. 1. & 3.* Homicidium *3. n. 13.* & tom. 2. verb. Locatio *2. n. 1.* Substitutio. Præscriptio *n. 7.* Testamentum *n. 5. & seq.* Votum 3. *n. 17.* Vsura *6. n. 8. 9.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 HÆreditas dicta est ab hærede: hæres autem ab hæreo, quia proximus est defuncto, cui hæres constituitur. Alij deducunt tamen ab Hærus, quòd hæres fiat Dominus bonorum, quæ ad eum perueniunt. Hæreditas autem definitur successio in vniuersum ius quod habuit defunctus. Et Hæres dicitur, qui succedit in vniuersum ius defuncti.

2. Hæredes, alij sunt sui ac legitimi, vt filij & omnes descendentes, alij legitimi tantùm, qui deficientibus iam dictis, ab intestato succedunt in hæreditate: vt agnati ac propinqui.

Hæres ab intestato dicitur, qui sine testamento omni, hæres sit defuncti. Hæres autem Testamentarius vocatur, qui ex testamento hæres est scriptus: idque vel in totum, vel in partem.

Hæres commissarius est, cui per fideicommissũ relicta est hæreditas à defuncto, vt eam det cui ipse testator disposuit. Hæres substitutus est, qui hæredi legitimo instituto substi-

ſubſtituitur. ſi nolit aut non poſſit eſſe hæres, Hæres legatarius eſt, qui legatum accepit, vel cui legatum factum eſt. Heres domeſticus dicitur, qui eſt in poteſtate morientis, dum eum alius non præcedit. De his pluras apud Syluestrum *verb. Hæreditas III. quæſt.* 1.

Syluest.

3. Hæreditas plerumque diuiditur in duodecim vncias, quæ *aſſis* appellatione continentur: habent autem & partes ſingulæ propria nomina; videlicet *vncia*, *ſextans*, ideſt duæ vnciæ: *quadrans*, id eſt tres vnciæ: *triens*, ideſt, quatuor vnciæ: *quincunx*, id eſt, quinque vnciæ: *ſemis*, ſiue *ſemiſſis*, ideſt, ſex vnciæ: *ſeptunx*, ideſt, ſeptem vnciæ: *bes*, ideſt, octo vnciæ: *dodrans*, ideſt, nouem vnciæ: *dextans*, ideſt, decem vnciæ: *deunx*, id eſt, vndecim vnciæ. Vnde heres vniuerſalis dicitur hæres ex aſſe. Vt habetur *Inſtit. §. hæreditas, de hæredibus inſtituendis*. Syluest. *verb. Hæreditas* 2. *q.* 1.

Syluest.

4. Qui inſtituitur ex parte aliquota heres onera hæreditatis proportione partis ſuæ ſuſtinere cogitur: non item qui in certa aliqua re inſtitutus eſt; talis enim potiùs legatarij loco habetur: ideoque iura, actiones & debita defuncti ad eum non pertinent, ſed ad hæredem propriè dictum, qui & defuncti perſonam, tam quoad iura, quàm ſpeciales obligationes, ac debita repræſentare debet. Ita *l. quotiens, Cod. de hæred. instituend.* Si autem nullus alius hæres, præter particularem, inſtituendus ſit: tunc hereditas reliqua illi quamuis in certa tantùm re verbis directis inſtituto accreſcere debet. Quod ipſum etiam locum habet, ſi reliqui inſtituti ante teſtatorem mortui ſint, vel poſtea hæreditatem repudient. Vt conſtat ex *l. 1. §. ſi ex fundo, ff. de hæred. inſtit.* & docent Molina *tract. 2. diſput.* 155. Gomez *tom. 1. variar. cap.* 10. & alij Ratio eſt, quia vt dicitur regul. 7. ff. *Ius noſtrum non patitur eundem in paganis & teſtato, & inteſtato deceſſiſſe.* ideſt, non poteſt quis pro parte decedere inteſtatus & pro parte teſtatus. Limita tamen *Primò*, modò teſtator doloſè non ſit inductus ad inſtituẽdum eum in certa parte: puta quia perſuaſit, quòd non poſſit habere regreſſum ad alia bona. Limita *Secundò*, modo non ſit inſtitutus cum iſta additione, & volo, quòd de bonis meis plus petere non poſſit: quo caſu licet videatur, quod poſſit adire arg. *dict. §. ſi ex fundo & dict. l. quotiens*, tamen verum eſt contrarium ſcilicet, quod nõ poteſt: vt in *l. quoties, §. ſed ſi duo, ff. de hæred. inſtituend.* vbi patet quod *§. ſi ex fundo & dict. l. quotiens* locum habet, quando voluntas teſtatoris eſt ſimplex non reſtricta expreſsè, vt in caſu iſto. Et ideò venient ſuccedentes ab inteſtato: quia teſtator non reperitur habere hæredem. Vt aduertit Syluester *verb. Hæreditas 3. quæſt.* 3.

Molina.
Gomez.
Syluest.

5. Legitima portio deſcendentium nouo iure eſt, triẽs hæreditatis, ſi non plures, quàm quatuor liberi maſculi, vel fœminæ exiſtant; ſemis autem ſi plures, quàm quatuor vt habetur in *Authent. de triente & ſemiſſe, & Authent. nouiſſima C. de inofficioſo teſtament.* Atque in numero hoc liberorum conſtituendus eſt etiam qui omninò renunciauit hæreditati, non item, qui exhæredatus, aut ob religionis profeſſionem incapax factus eſt. Hæc tamen legitima portio omnibus liberis debita, locum tantùm habet in bonis priuatis: non autem in Regnis, Ducatibus & Comitatibus Magnatum: talia enim bona in plerisque prouincijs ad primogenitum ſpectant: eoque mortuo, quamuis adhuc viuente patre, ad nepotem maſculum deuoluuntur: ſecluſo filio ſecundò genito, alijſque maſculis: non item habet locum ex bonis feudalibus quæ dicuntur ex pacto & prouidentia, ſecundùm gratiam & liberalitatem concedentis.

Legitima portio aſcendentium eſt triens hæreditatis, quæ deficientibus deſcendentibus teſtatoris, debita eſt parenti vni, vel vtriſque ſuperſtiti. Si autem neuter parẽs ſuperſit, in locum patris ſuccedunt auus & auia paterna; in locũ matris auus & auia materna. Vt habetur expreſſiùs in *Authent. de hæredib. ab inteſtato, §. conſequens autem & ſeq.* Hæc autem legitima portio relinqui debet heredibus neceſſarijs titulo honorabili inſtitutionis, ſine vllo appoſito grauamine, modo, conditione; alioquin pro non appoſitis habentur vt conſtat ex *l. quoniam, Cod. de inoffic. teſtament.* Ita Syluester *verb. Legitima portio quæſt. prima, & 17.* Vaſquez *de teſtament. cap.* 6. & alij.

Syluest.
Vaſquez

6. Hæres, cui teſtator mandauit in teſtamento, vt faciat quod ſic dictum fuerit à confeſſario, tenetur facere, quantùm veriſimile eſt, teſtatorem confeſſario mandaſſe: hoc enim pacto videtur ſatisfacere voluntati teſtatoris: quando autem dubitatur quid teſtator mandauerit & voluerit, faciendum eſt id, quod veroſimiliter creditur teſtatorem voluiſse: cùm in obſcuris præſumatur id quod veriſimilius eſt; præſumitur autem teſtator id voluiſse, quod ipſe reſponderet interrogatus, ſi adeſset: vel quod credibile eſt teſtatorem cogitaſse, *l. cum in teſtamento, ff. de rebus dubijs.* Ita Emanuel Sà *v. Teſtamentum num.* 32. Mantica *de coniect. vltimarum voluntatum lib. 3. tit.* 2. Hinc hæres in ijs, quæ pertinent ad pias cauſas, tenetur in conſcientia adimplere voluntatem teſtatoris, quam ipſe teſtator expreſſit in cedula ſcripta, vel ſubſcripta propria manu, modo conſtet, talem fuiſse teſtatoris voluntatem deliberatam, quia in ijs, quæ pertinent ad pias cauſas, non eſt neceſſaria ſolemnitas iuris ciuilis, ſed in foro conſcientiæ ſufficit noſse voluntatem teſtatoris. Ita Diana *part. 7. tract. 6. reſol.* 18. Couarruuias *in cap. cum eſſes, de teſtamentis n.* 12. & *cap. Relatum 1. num.* 12. Fagundez, Dicaſtillus, Layman apud Dianam ſupra & *reſol. 14. verſ. Hinc plura.*

Em. Sà.
Mantica
Diana.
Couarr.
Fagund.
Dicaſtil.
Laym.

7. Hæres conſtitutus in graui neceſſitate non excuſatur à ſolutione legati promiſſis celebrandis pro animabus purgatorij. Ratio eſt, quia animæ exiſtentes in purgatorio patiuntur grauiſſimam & extremam neceſſitatem, & ideò hæres tenetur ſoluere legatum promiſſis ad earum leuamen relictis, non obſtante quòd ipſe ſit conſtitutus in graui neceſſitate victus, aut ſtatus mutationis. Ita docent Mazuchellus *tract. de caſib. reſeru. diſp. 2. cap. 20. q. 2. num.* 38. quem refert & ſequitur Diana *part. 7. tract. 10. reſ.* 14. Hinc ſacerdos beneficiatus omittens horas canonicas ſatisfacit ſi eleemoſynam non diſtribuat pauperibus, ſed celebret miſſas pro animabus purgatorij: quia hæ includuntur ſub nomine pauperum, vt diximus ſupra *v. Bona incerta n.* 2. cum Doctoribus ibi citatis.

Mazuch.
Diana.

8. Ad hæredes non tranſmittitur obligatio iuramenti quando factum homini non cadit ſupra contractum validum nec illum facit validum. Ratio eſt, quia iuramentum eſt vinculum perſonale, quod iurans ſibi imponit, vinculum autem perſonale non tranſmittitur ad heredes: & hoc verum, etiamſi iurans iurauerit pro ſe, & pro ſuis ſucceſſoribus; nam vinculum iuramenti adhuc remanet perſonale. Hæredes tamen tenentur adimplere contractum, non ſolùm quando iuramentum cadit ſupra cõtractum validum, verum etiam quando cadit ſupra contractum inualidum, ſed illum efficit validum. Ratio eſt, obligatio ex contractu, eſt obligatio realis, obligatio autem realis tranſmittitur ad hæredes. Tum quia obligatio contractus tranſmittitur ad hæredes, ergo hæredes tenentur adimplere contractum factum cum iuramento, ſicut tenentur ad cæteros defuncti contractus & debita. Ita Vaſquez *de teſtamen. cap. 3. num.* 17. Molina *diſp.* 249. & alii apud Bonacinam *de contract. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 1. num.* 11.

Vaſq.
Molina.
Bonac.

9. Hæres grauatus ſi committat delictum, ratione cuius bona ipſius applicantur fiſco, hæreditas non eſt reſtituenda fideicommiſſario, ſed fiſcus ea vti poteſt, donec moriatur hæres grauatus, vel alia ratione adueniat tempus reſtitutionis, ex *l. Statius Florus, §. Cornelio, ff. de iure fiſci.* Ratio eſt, quia fiſcus ſuccedit in bona criminoſi, vt diximus ſupra. Hoc tamen intelligendum eſt, niſi aliter conſtet de mente teſtatoris: nam ſi teſtator vetuit alienationem, aut indicauit, nolle hæreditatem tranſire ad aliũ, quàm ad fideicommiſſarium, fiſcus non poterit ea frui, vt ex *l. Imperator* tradit Molina *diſp.* 186. cum Bartolo & Lopez.

Molina.

10. Hæres eo ordine perſoluere debet debita, quo defunctus ſoluere debuit. Deinde debita contracta per defunctum præponi debent legatis etiam pijs: quia non ſunt omittenda præcepta propter conſilia; ſed legata pia vel non debentur, vel ſi debentur, non tamen ex iuſtitia. Debita autem certæ perſonæ ex iuſtitia debentur. Ergo priùs ſoluenda hæc erunt, & deinde ſi quæ ſuperſint ſolui debent legata pia; quia eleemoſyna aut oblatio non ex alienis, ſed ex proprijs eſt facienda. Ita D. Thom. *opuſc.* 37.

D. Tho.

*de vsur.cap.*18. Syluester *v.Hæreditas* 3.*q.*9. Petrus Nauarra *lib.*3.*de restit.c.*6.*n.*7. & *q.*10.*n.*47. & alij. Idem dicendum de debitis etiam ab hærede contractis intuitu saltem defuncti, vt sunt impensæ funeris & impensæ factæ ad vindicandas vel conseruandas res ad testamentũ, & inuentarium & huiusmodi; prius enim sunt soluenda, quam legata etiam pia, ob eamdem rationem.

11. Hæredes ab intestato succedunt nullo condito testamento aut condito quidem, sed illegitimè, aut postea rupto, aut irrito facto. Ante omnes legitimi liberi, tum mares, tum fœminæ: in quorum mortuorum locum & in stirpes succedunt eorumdem nepotes, vt habetur in nouel. Iustiniani 118.collat.9.cap.1. Deficientibus autem descendentibus, veniunt pater & mater defuncti, si superstites sint: in defectum verò eorum succedũt aui & auiæ. Si neque descendentes, neque ascendentes hæredes adsint, succedunt fratres & sorores, qui ex vtraque parte defuncto coniuncti sunt, æquis portionibus; & excludunt eos, qui ex solo patre, vel sola matre coniuncti sunt. *Authent.Itaque,Cod.communia successionibus.* Quod si vnus ex fratribus vel sororibus coniunctis mortuus liberos reliquerit, succedunt hi loco parentis sui cum patruis, non in capita, sed in stirpes. Si tamen fratres & sorores vtrinque coniuncti omnes mortui sunt, tunc eorum liberi, exclusis patruis ex vna parte coniunctis, non in stirpes, sed in capita, adeoque æquis portionibus succedere debent. Iuxta constitut. Caroli V. Imperatoris, Anno 1529. Deficientibus tam fratribus & sororibus vtrinque coniunctis, quàm eorum legitimis liberis, veniunt fratres & sorores ex vna tantùm parte coniuncti. Si etiam fratres ac sorores eorumque filij deficiant, successiuo deuoluitur ad propinquiores collaterales vsq; ad gradum decimum: deficientibus his, succedit coniux defuncti. Denique si neque consanguinei, neque coniux extent, tunc fiscus sæcularis succedit in omnibus bonis laici ab intestato defuncti: Ecclesiasticus autem in bonis clerici. De his plura apud Couarruuiam *in epitome de successione ab intestato*. Molinam *disput.*164.*& sequentib.* Et hæc dicta sint iuxta ius commune Cæsareum in aliquibus prouincijs sunt aliæ consuetudines iuri communi contrariæ, quibus nihilominus tum in foro conscientiæ, tum externo, standum est.

Carol.V.

Couar.
Molina.

12. Hæreditas alia dicitur delata, & alia adita. Hæreditas delata est ipsa morte eius, in cuius bonis succedendum ex testamento, vel ab intestato: tunc autem statim hæres comparat ius ad rem, seu actionem petendi hæreditatem; attamen cum potestate deliberandi, adeoq; etiã repudiandi hæreditatem delatam, si sibi eam non expedire censeat. Adita autem hæreditas dicitur, cum primùm in eam hæres consensum dedit, tunc verò statim etiam ius in re, ipsumque dominium rerum hæreditariarum, ante earum apprehẽsionem acquirit. Hinc potest aliquid donare, saltem ad pias causas, hæreditatem, si quæcumq; illi ante mortem obuenerit, & hoc spectato iure naturali, gentium & canonico non obstante, *l.quoniam,Cod.de iure deliberandi* vt habetur, *si quis ignorans mortis sororis suæ, adeoque non adita eius hæreditate è viuis discedat, non trasmittere hæreditatem ad hæredes suos* Prob. quia cõstitutio illa ciuilis locum tantùm habet secundùm ius strictum, non secundùm humanitatem & æquitatem naturalem. Tum quia subtilitates ciuiles aduersus ius gentium & naturale (si præcisè spectentur) introductæ, non habent locum in causis pijs: sicuti neque solemnitates testamentorum, in quibus, quod attinet ad causas pias, procedi debet secundùm ius gentium, naturale ac canonicum; cùm ciuiles magistratus potestatem suam ad causas pias & ecclesiasticas extendere non possint, ideoque eorum statuta in eiusmodi causis non obligent, nisi iure canonico recepta, atque approbata reperiantur. Tum quia ratio dictæ *l.quoniam*, cessat in casu donationis factæ, in qua donator expressè declarat voluntatem suam esse donandi omne ius suoi commodum, etiam hæreditatis si quæ delata sit, vel deferenda ante mortem naturalem vel spiritualem. Nam hoc ipso declarat, quod eiusmodi hæreditatem non repudiare velit, ob quam solam repudiandi facultatem ciuilis illa subtilitas de non transmittenda hæreditate ignorata, & excogitata est. Hãc sententiam certò sustinent & tenent Doctores, qui aiunt donationem omnium bonorum, præsentium & futurorum factam Ecclesiæ, esse validã, vt Hurtadus, Bannius, Vvigers. Layman, Villalobos, Fernandez, Azorius, Gordonus, Vvadingus, Caspensis & alij quos refert & sequitur Diana *part.*8.*tract.* 6.*resol.*41.

Hurtad.
Bannius.
Vvigers.
Layman.
Caspẽsis.
Diana.

13. Iure communi religiosus post professionem non minùs succedit ex testamento & ab intestam, quàm si esset in sæculo, nec possunt eum parentes legitima priuare, vt patet *l.Deo nobis,§.Hoc etiam, de Episcopis & clericis.* Religiosus autem in hoc casu non habet ius vt in suum commodum succedat aut sibi aliquid acquirat, hoc enim totum per professionem in monasterium translatum est: retinet tamen ius succedendi in commodum monasterij, vt illi acquirat. Hinc fit vt monasterium possit adire vel repudiare talem hæreditatem etiam ignorante vel inuito Religioso. Imò si hæreditas aliqua ante mortem religiosi delata sit & nondum adita potest monasterium etiam post mortem illius eam adire. Ratio est, quia ius adeundi ante mortem ipsius monasterio erat acquisitum, quod proinde per mortem ipsius non amittit: Religiosus autem ipse sine consensu superioris validè illam adire non potest. Ita Couarruuias *cap.*1. *de testamentis, num.*31. ex communi sententia. In ordinibus tamen, qui non habent ius succedendi, vt sunt ordines Minorum de obseruantia & Capucinorum, religiosi non possunt acquirere monasterio successione ab intestato: nam per professionem illorum omne tale ius amittitur & quodãmodo extinguitur. Sed hæc dicta sint de iure communi, nam in aliquibus regnis hoc ius contraria consuetudine abrogatum est, vt ex Couarr. annotauimus *tom.* 1. *verb. Paupertas religiosa num.*16.*vers.verum licet.*

14. Hæreditatis repudiatio in fraudem creditorum in vtroque foro valida est, & proinde successor tuta conscientia possidet. Ratio est, quia hæc non est alienatio, vel donatio vt possit reuocari tanquam facta in creditorum fraudem, sed tantum est non acquisitio: & succedens in ea hæreditate, nihil à repudiare capit: solùm enim repudians obstaculum tollit, quo alter à successione impediebatur, quo ablato succedit ille, qui aliàs successurus erat. Et hoc est quod propriè definit *l.Qui autem, ff.quæ in fraud.credit.& regul.Non fraudatur, ff.de reg.iur.*

An autem hic repudians peccet, eo legum beneficio vtens? videtur quòd non, quia idem in vtroque foro sentiendum est, vbi forum externum non innititur falsæ præsumptioni, nec est in delicti pœnam, sed in foro externo hic repudians hæreditatem absoluetur, nec forum externũ seu sententia iudicis innititur falsæ præsumptioni, &c. ergo idem dicendum est in foro conscientiæ. Nihilominus dicendum est hunc repudiantem peccare mortaliter contra charitatem, imò iuxta aliquos, etiam contra iustitiam. Prob. prior pars, quia quilibet lege charitatis tenetur dãno proximi obuiare si facilè potest, maximè si eius causa damnum illud patiatur at creditor causa debitoris patitur sui debiti iacturam: ergo debitor potens facilè hoc damnum creditoris vitare, tenetur saltem charitatis lege. Ita Molina *de iustit.tract.*2.*disp.*435. *ad fin.* Prob. posterior pars, quia eadem lege iustitiæ quia debitor tenetur soluere debita, tenetur adhibere media vt soluat, quando media non sunt valde difficilia: at in hoc non potente aliàs soluere, est medium necessarium & facillimum acceptare eam hæreditatem, quando est lucrosa & expediens: ergo contra iustitiæ legem delinquit non acceptans. Ita Sanchez *de matrim.l.*6.*disp.*4.*num.*9. Ad rationem autem in contrarium dicendum est maiorem esse veram, quando sententia iudicis innititur legi approbanti aliquid, tanquam iustum: secus quando legi deneganti actionem: tunc enim sententia illa non approbat actum, sed actionem denegat. Et ita contingit in præsenti casu, iudex enim sua sententia tantùm declarat repudiationem illam fuisse validam nec dari actionem creditoribus ad eam reuocandam.

Molina.

Sanchez

15. Hæreditatis paternæ renunciatio facta à filio metu reuerentiali patris, absque minis, nõ rescinditur in foro externo; eo quod is metus non cadit in virum constãtem, vt multis relatis docet Anton. Gomez *to.*2. *variar.c.*14.*n.*27. Tamen in foro conscientiæ, si ea renũciatio verè

fiat

fiat inuoluntariè metu solo reuerentiali, hoc est, quando omninò repugnanti voluntate & quasi coactus consentit, non audens præ pudore & reuerentia contradicere, tenetur pater restituere hæreditatem sic renunciatam. Ratio est, quia is metus leuis, est sufficiens ad rescindendum actum in foro conscientiæ: quare si sibi nō restituatur, poterit filius se compensare occultè. Ita Nauarr. *in Man.c.17.n.152.*Lopez *1.part.instructorij noui, cap.173. §.Respondetur in promptu,* & *lib.2.de contract. cap.vlt.ad finem.* Si tamen filius cum iuramento renunciasset, debet priùs relationem iuramenti petere, quam Episcopus potest concedere, quando metus est leuis. Nauarr. Lopez.

16. Renunciatio hæreditatis futuræ nullius roboris est, nisi iuramento firmata sit. Ita habetur *in l.vlt ff.de suis & legit.heredib.*& *l.si quando,§.illud, C.de inoffic.testament.* Et ita iure ciuili statutum est propter bonum publicum, vt hæreditas pactis nec dari nec auferri possit. Excipiuntur tamen aliqui casus. *Primus* est, si quis in ipso actu testandi renuntiet iuri successionis suæ, vel post conditum testamentum, in quo præteritus est, præteritionem approbet & liberè in eam consentiat, valida est renunciatio, vt colligitur ex *l.non putamus,§.si sua manu.ff.de bonor. possessione*. *Secundus*, si filius viuente adhuc patre integram portionem accepit, quæ ipsi iure debetur, reliquæ hæreditati validè renuntiat. Verùm si bona patris postea incrementum capiant, poterit filius petere legitimam portionem augmenti eius tempore mortis apparentis, vt docent Couarr. *in c.quamuis,p.3.§.1.n.3.* Molina *t.3.disp.* 579.& alij apud Gomez *tom.1.variar.c.11.num.14.* Molina. Gomez.

Vide hoc to.v.Accusatio *n.4.&* 8.Contractus *num.15.* Depositum *nu.4.*Emphyteusis *n.23.& seq.* Fructus *n.12. &* 13.& to.2.v.Nouitiatus *n.23.& seq.*Legatum *n.13. &* 14.15.22.Præscriptio *nu.*8.Substitutio *nu.* 1. *& seq.*Testamentum *n.2.19.* Votum *1.n.23. &* 24.

HÆRESIS.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit hæresis.*
2 *Tria necessaria ad hæresim.*
Et quis censendus sit ignorans, errans, hæreticus in materia fidei.
3 *An qui dubitat de rebus fidei hæreticus sit censendus? vel qui res fidei sola opinione credit?*
An censendus sit hæreticus pertinax, qui admonitus ab Inquisitoribus vel ab Episcopo, adhuc perseuerat in errore contra fidem?
4 *An hæresim committat, qui ex ignorantia crassa, vel affectata errorem aliquem profitetur contra fidem?*
5 *Hæreticus alius est internus, alius externus. Et an hæreticus purè mentalis incurrat excommunicationem?*
6 *Quando hæreticus incurrat excommunicationem bullæ Cœnæ?*
7 *In quibus casibus hæresis exteriùs manifestata excommunicationem non inducat?*
8 *Qui sint dicendi credentes, receptatores, fautores & defensores hæreticorum?*
9 *An qui legit, aut retinet, aut imprimit, aut defendit libros hæreticorum tractantes de religione aut hæresim continentes incurrant excommunicationem bullæ Cœnæ? Et quid dicendum, si hæresis de libro deleatur?*
An legens librum hæreticum latina lingua compositum, quam ipse non intelligit, incidat in excommunicationem bullæ?
Quid iuris de legentibus quaterniones, chartas aut epistolas hæresim continentes.
10 *An ad incurrendam excommunicationem bullæ, requiratur vt aliquis per se legat? & quæ paruitas materiæ possit excusare ab hac excommunicatione.*
11 *Qui dicantur retinere libros hæreticos?*
12 *Qui censeantur imprimentes libros hæreticorum?*
13 *Qui dicantur defendentes libros hæreticorum?*
14 *Excommunicatio lata in regula decima Indicis librorum prohibitorum contra illos qui libros hæreticorum aut alterius authoris damnati atque prohibiti ob suspicionem hæresis aut falsi dogmatis legit aut retinet.*
15 *An legentes scholia seu additiones hæreticorum quæ continentur in libris Catholicorum sint excommunicati?*
16 *An libri Hæresiarcharum & aliorum hæreticorum, qui de religione non tractant, permittantur.*
Vbi bulla Cœnæ non est recepta, an legentes libros hæreticorum, incidant in excommunicationem.
An in Belgio vsus Bibliorum lingua vulgari impressorum sicut & controuersiarum permittatur.
17 *Licentiæ libros prohibitos legendi reuocantur à* Gregorio XV.& Vrbano VIII.
An Archiepiscopi, Episcopi libros hæreticorum legere possint non obstantibus bulla Cœnæ & alijs Pontificum decretis.
18 *Qui possint absoluere ab hæresi.*
19 *Pœnæ hæreticorum, quædam sunt Ecclesiastica, quædam ciuiles. Et de pœna hæretici relapsi.*
An princeps sæcularis manifestè in hæresim lapsus, amittat dominia regnorum suorum & ditionum.
20 *An hæreticus liberetur ab irregularitate & inhabilitate ad officia & beneficia, per absolutionem à censuris & peccatis.*

1. HAeresis est *error intellectus, voluntarius, cum pertinacia, contra aliquam fidei veritatem.* Dicitur *error*, hoc est assensus falsus, (*intellectus*) quia sicut actus fidei intellectu consummatur, sic etiam error fidei contrarius intellectus completur. (*Voluntarius* verò) quia si quis circa res fidei erret inuoluntariè, non admittit peccatum hæresis (*cum pertinacia*) nascitur autem pertinacia, & pendet ex electione voluntatis, cum certa scientia, quæ in eo consistit, vt is qui errat, sciat Ecclesiam contrarium sentire, & hæc non significat certam aliquam temporis durationem & moram, nam vno momento temporis potest esse hæreticus, sed significat voluntatis electionem cum certa notitia eius, quod credit & sentit Ecclesia: dicitur *contra aliquam fidei veritatem*, quia error in alijs rebus, non est hæresis, vnde in multis potest quis errare, qui tamen hæreticus non est. Ita D. D.Tho. Thomas 2.2.q.11.Sanchez *in summ.l.secundo, cap.7.nu.1.* Sanch. Syluius 2.2.*qu.11.art.primo*, Azorius *tom.1.lib.8.cap.9.* Syluius. *q.1.*Filliucius *tract.22.c.6.nu.152.& seq.*Layman *l.2.tr.1.* Azorius. *c.13 n.1.*Bonacina *de censur.disp.2.q.5.p.1.nu.1.* Vasquez Filliuc. *t.2.disp.126.c.3.* & alij. Layman. Bonac.

2. Vt quis hæreticus sit, & dicatur, *tria* necessaria Vasquez sunt. *Primum*, vt subiectum sit capax criminis hæresis, quæ est negatio fidei susceptæ per baptismum, *hinc* infidelis, catechumenus, fictè vel aliàs inualidè baptizatus, pertinaciter errantes, non dicuntur hæretici, quia nondum subijciuntur potestati Ecclesiæ. *Secundum*, vt errorem habeat in intellectu circa fidem, & ex huius defectu, qui consentit in aliquod opus externum infidelitatis, sine vllo errore intellectus, non est hæreticus. *Tertium*, vt sit pertinax in suo errore; vnde qui errat circa fidem ex ignorantia licet crassa, si tamen verè sit paratus se corrigere, & assentiri fidei, per Ecclesiam prædicatæ, non est propriè hæreticus D.Thomas *2.2.qu.10. & 11.*Sayrus *de* D.Tho. *consil.l.3.cap.4.num.10. & seq.* Nauarrus *cap.11.num.27.* Sayrus. Valent.*2.2.q.11.disp.1.punct.1.* Diana *p.1.tract.5.resol.1.* Valent. Syluius *c.art.1.* & alij. Diana.

Vnde paruuli hæreticorum, qui ab initio inani fide à parentibus fuere instructi, videntes insuper eam in sua Ecclesia publicari, & à maiori parte vicinorum recipi, excusantur à crimine hæresis: quia donec illis sufficienter sit proposita fides, eam recipere non tenentur; nam quamuis isti filij hæreticorum diligentiam adhibendo, inquirendo, aut bene viuendo huius obligationis notitiam assequerentur, quia tamen nullum habuere motiuum ad eam notitiam inuestigandam, cùm dubium nō conceperint an eorum secta sit erronea, talis ignorantia inuinci- Sanchez. bilis iudicatur. Vt rectè docet Sanch. *l.2.moral.c.1.nu.8.* Arrag. Sancius.

Arragon, 2.2. *qu.* 11. *art.* 2. *dub.* vlt. Sancius *in selectis disp.* 19. *num.* 4.

Similiter hæreticus non est, qui in ebrietate profert hæreses, quia sine rationis vsu pronuntiantur; imò se inebrians intentione proferendi hæreses tempore ebrietatis, propriè non peccat peccato hæresis, sed aliud peccatum infidelitatis ex praua affectione ad fidem committit. Sanchez *c. d.* 20. *nu.* 5.

Ex dictis infertur multùm inter se differre in materia fidei, Ignorantem, Errantem & hæreticũ. *Ignorans* enim in materia fidei dicitur, qui ex mera ignorãtia errori alicui assentitur, ita vt nullius rationis aut argumẽti vi moueatur ad assentiendum; sed sola simplici sua apprehensione vel auctoritate docentis, aut consuetudine eorum inter quos educatus est. *Errans* propriè dicitur, qui alicui errori contra fidem adhæret rationibus quibusdam sibi apparentibus, & imaginatione quadam veritatis siue etiam pietatis affectus, paratus tamen corrigi, vbi ei veritas manifestaretur. Hæreticus autẽ dicendus est homo Baptizatus, qui voluntariè & cum pertinacia adhæret alicui errori fidei Catholicæ ex parte contrario.

3. *Qui dubitat de fide*, non tamen voluntariè, non est hæreticus: quia talis non est pertinax suæ dubitationis defensor, cùm paratus sit suum iudicium, Ecclesiæ iudicio subijcere. Dubitare, quis potest dupliciter. *Primò*, si vexetur motibus dubitationis circa aliquos articulos, idque ex infirmitate naturæ, vel suggestione diaboli: hic autem circa suam dubitationem potest se habere vel repugnando viriliter, & hoc est valde meritorium: vel negligentiùs resistendo, & tunc est peccatum veniale maius; vel minus pro qualitate negligentiæ; vel deliberatè permittendo in se tales dubitationes siue iusta causa, & hoc est peccatum mortale, quamuis neque amittat fidem, neque fiat hæreticus, quia tantùm interpretatiuè vult, non autem formaliter seu directè. *Secundò*, potest quis inuoluntariè dubitare, si ignoret hoc ab Ecclesia definitum, vel si non aduerterit ea quæ necessaria sunt, ad sufficientem fidei propositionem & tunc peccare poterit negligendo ea discere, quæ scire & credere tenetur, non tamen erit hæreticus, quia non censetur diuinæ authoritati notabilem irreuerentiam irrogare, in qua ratio infidelitatis formaliter consistit Sanchez *l. 2. moral. c. 7. nu.* 13. Layman *l. 2. tr. tac.* 13. *n.* 2. Syluius 2.2. *q.* 11. *art.* 1. Sanchez. Layman. Syluius.

Hæreticus est, qui positiuè & voluntariè dubitat de aliquo fidei articulo, quem scit ab Ecclesia definitum, vel aliàs sufficienter propositum, ita vt prudenter debeat illum fide diuina tenere; quia in *Cap. Dubius, de hæreticis*, dubius in fide, infidelis recẽsetur, ergo si profiteatur nomen Christi, erit hæreticus. Hanc sententiam tenent sexdecim Doctores apud Sanchez, *l. 2. moral. cap.* 7. quibus consentiũt ex modernis Syluius 2.2. *q.* 11. *art.* 1. ConincK *de ačib. supernat. disp.* 18. *nu.* 102. Azorius *tom.* 1. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 5. Valent. 2.2. *disp.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. *c. n.* 5. & alij. Nihilominus etiam probabile est contrarium, nempe talem non esse hæreticum; quia qui suspendit iudicium, non videtur errare, cùm neutri parti assentiatur, at qui dubitat, suspendit iudicium, ergo non errat, & consequenter non est hæreticus propriè; sed tantùm fictione iuris, & quoad forum externum: si tamen talis dubitans in fide, reflectat se supra suam cogitationem dubiam, & eliciat iudicium erroneum, circa res fidei, ita vt de facto putet illas esse tantùm probabiles, illisq; posse subesse falsum, hæreticus est & infidelis: quia opinio est assensus incertus; fides autem assensus certus, & verus, licet obscurus: & huius sententiæ sunt Sanchez *l. 2. mor. c.* 7. *nu.* 12. Cano de locis, *l.* 12. *c.* 9. Sà *v. Hæresis n.* 1. Taoner. 2.2. *d.* 1. *q.* 8. *dub.* 6. *num.* 109. Portel *in addit. ad dub. reg. v. Hæresis nu.* 4. Puteanus 2.2. *quæst.* 11. *art.* 2. *disp.* 2. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *miscel. resol.* 51. Quorum sententia sanè debet intelligi, quando nimirum intellectus vtriusque partis rationibus perpensis, pendulus est: nullumq; iudicium format; sed quia, moraliter loquẽdo, cùm dubitatione intellectus circa res fidei, solet esse coniunctus actualis error, quo illas non omninò certas esse iudicat: ita hæresis communiter adest. Syluius. Coninc. Azorius. Valent. Sà. Tanner. Portel. Putean. Diana.

Sed dubium est, an cẽsendus sit hæreticus pertinax, qui admonitus ab Inquisitoribus vel ab Episcopo adhuc perseuerat in errore contra fidem, ipsis non credens?

Negant Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. *diffic.* 4. Sanchez *l.* 2. *mor. c.* 7. *n.* 25. Sayrus *de cons. l.* 3. *c.* 4. *nu.* 17. & alij. Ratio est, quia vt quis sit hæreticus pertinax, debet scire, se sentire contra Ecclesiam; si ergo sit promptus credere Ecclesiæ, licet sentiat contra Inquisitores & Episcopos, non erit hæreticus pertinax. Alij distinguunt, quòd in foro conscientiæ non erit hæreticus pertinax, præsumetur tamen talis in foro externo. Ratio est, quia si in foro exteriori non præsumeretur hæreticus, opus esset congregare Ecclesiam, aut adire Summum Pontificem, pro iudicando quocumq; hæretico; quod non est dicendum. Ita Suarez *de fide disp.* 19. *sect.* 1. *nu.* 21. Vasquez 1.2. *disp.* 126. *c.* 3. *n.* 7. Diana *p.* 4. *tract.* 7. *res.* 36. Valentia. Sanchez. Sayrus. Suarez. Vasquez. Diana.

Hæ duæ sententiæ sunt probabiles. Sed verius est, talem futurum hæreticum pertinacem, non solùm in foro exteriori, sed etiam in interiori. Debet tamen admonitio ab his fieri tanquam à publicis, non autem tanquam à priuatis personis; atque error debet esse circa ea, quæ sunt iam definita de fide, & vt talia ab Ecclesia proposita, vt certa & indubitata. Ratio est, quia Inquisitores sunt iudices fidei deputati à Summo Pontifice, atque adeò ipsum repræsentant: & cùm debeant iudicare circa res fidei, sequitur quòd nemo possit se subtrahere ab eorumdem iudicio, alioquin se subtraheret etiam à iudicio Summi Pontificis.

Idem dicendum de Episcopis; nam & ipsi ex officio repræsentant Ecclesiam, & gerunt vices Pontificis; & cùm sint Pastores animarum, habent ex officio instruere populos circa fidem; & ratione huius officij debent habere scientiam noui & veteris Testamenti, vt possint & suos docere & alios cõfutare. In casu tamen, quo tam Episcopi, quàm Inquisitores præsumerentur non habere totam necessariam notitiam de rebus fidei, pro instruendis populis, talis posset excusari, si eorumdem admonitioni non acquiesceret. Extra hunc casum dicendum est, quòd qui contradicit ipsis in ijs, quæ proposita sunt ab Ecclesia, vt fide tenenda, contradicit ipsi Ecclesiæ: quia contradicit personis publicis repræsentantibus Ecclesiam quoad auctoritatem manutenendi fidem, & ideò etiam in foro interno hæreticus est: Vnde licet dicat se non sentire contra Ecclesiam, facto tamen contradicit. Ita Vgolinus *in bull. cœnæ p.* 2. *c.* 1. Rebuff. *ibid. excõm.* 1. *art.* 1. D. Antonin. *p.* 2. *sum. tit.* 12. *cap.* 5. Pasq. *in decis. moral. decis.* 163. Palaus *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 6. & alij penes ipsos. Vgolin. Rebuffus. D. Ant. Pasqual. Palaus.

4. Hæresim committit, qui ex ignorantia crassa, errorem aliquem profert contra fidem, quem adhuc voluntariè proferret, si sciret illum esse contra fidem & definitionem Ecclesiæ: quia talis censetur sufficienter pertinax contra Ecclesiam: à fortiori hæresis erit, error contra veritatem fidei contingens ex ignorantia affectata, vt quãdo quis eligit nescire res fidei, vt liberiùs erret in fide; quia ille error est voluntarius cum pertinacia: si verò aliquis affectet seu eligat nescire res fidei, non vt liberiùs erret in fide, sed ex tædio & negligentia addiscendi; vel ob aliam causam, non est verus hæreticus, quia non errat cum pertinacia: In confessione tamen explicandus est affectus, quem aliquis habebat, quando errorem protulit ex ignorantia crassa vel affectata, explicandusque numerus, & qualitas articulorum, quos quis negauit; sicut est explicanda quantitas furti Arrag. 2.2. *q.* 11. *art.* 2. Bonacina *c. num.* 7. Valentia *c. disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 3. Azorius 1. *q.* 8. Sayrus *l.* 3. *c.* 4. *n.* 15. & alij. Arrag. Bonac. Valentia. Azorius. Sayrus.

5. Hæreticus alius est *internus*, alius verò *externus*. *Internus* seu purè mentalis est ille, qui licet internè in mente sua hæreticus sit, hæresim tamen suam nullo signo exteriori manifestat. *Externus* dicitur ille qui hæresim suã, quam mente tenet, aliquo verbo vel signo externo manifestat etiam nemine audiente: *hæreticus purè mentalis*, non incurrit excommunicationem, & proindè potest absolui à quocumque Sacerdote, qui à peccatis mortalibus non reseruatis absoluere poterit, imò secundùm probabiliorem sententiam, non potest per Ecclesiam contra talem sententia excommunicationis ferri; cùm Ecclesia non cognoscat, nec iudicet de actibus purè mentalibus; sed illos iudicio Dei relinquat.

Rursus ipsa hæresis Exterior & Interior subdiuiditur in Manifestam & occultam. Manifesta dicitur, quæ

ita

ita foris per signa & actus manifestata est, vt iam vel publicata vel publicanda censeatur ex circumstantijs. Occulta dicitur, quæ etsi signis & actibus exterioribus declarata fuerit, illa tamen signa in secreto, aut coram paucissimis ostensa sunt, ita vt non censeautur sortiri forum publicum, vel publicam notam. Vide Tolet. *lib.4.cap.4.* Nauarrus *cap.27 num.*56. Valentia *c.q.*11.*p.*3. Sayrus *c.n.*20.21. Dianam *c.4.p.tr.4.res.*240. *& p.*1.*tr.*5.*res.*1. Malderus 2.2.*q.*11.*art.*1.*membr.*2.3.*&* 4. Viualdum *part.*1.*de absol.nu.*10. & alios.

Toletus. Nauarr. Valent. Sayrus. Diana. Malder. Viuald.

6. Ex communi Doctorum sententia, *hæreticus*, qui aliquo actu externo erroris manifestatiuo, etiam occultissimo, hæresim suam manifestauit, excommunicationẽ bullæ cœnæ contra hæreticos latam incurrit Sanchez *in Sum.l.*2.*c.*8. Azorius *c.c.*9.*&* 10. Sayr. *c.p.*2. Bonac. *c.p.*2. Ban.2.2.*q.*11.*a.*4. Filliuc. *c.n.*186.*& seq.* Crous. *ad c.7.reg. lect.*4. Layman *c.c.*14.*n.*4. *vnde* non incurritur excommunicatio ab eo, qui mente reuoluens suam hæresim, non aperit caput suum Imaginibus Sanctorum, vel Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, aut nõ genuflectit, eò quòd non credat adesse Corpus Christi, aut Imagines non esse venerandas: secùs *dicendum*, si non aperiat caput dũ hostia eleuatur, tunc enim illius hæresis concipitur ab adstãtibus, & præsumeretur hæreticus; sicut etiam ille, qui ex hæresi numquam templum ingreditur: *Item* non incurritur excommunicatio ab eo, qui mente reuoluens hæresim profert verba imperfecta, vt si dicat, ita est, vel pereã ne ita sit; vel si annuat capite, aut femur percutiat, aut exprimat suam hæresim per characteres, vel notas à se impositas, quando à nullo alio percipi possunt; *ratio* est, quia cùm huiusmodi signa externa indifferẽtia etiam deducta apud Ecclesiam, nullam omninò hæresis suspicionem inducant, cõsequenter nec excommunicationis pœnam inducent. Item non est hæreticus nec excommunicatus titulo hæreseos, qui exteriùs hæresim profitetur, interiùs rectè & Catholicè credendo: quia hæresis formaliter est error intellectus; ergo qui nullum habet errorem in intellectu, nullam etiam habet hæresim, & consequenter nec hæreticus, nec excommunicatus est, nisi fortè negando exteriùs fidem Catholicam, vel exteriùs hæresim profitendo, id faceret, vt hæreticis aut infidelibus hac ratione faueret: quia tunc, etiamsi non vt hæreticus, tamen vt fautor hæreticorum esset excommunicatus per bullam Cęnæ. Vt docent Sanchez *c.c.*7. Bannez *c.dub.*2. & post illos noster Crousers *c.lect.*4. *fol.*506. Diana *p.*3. *tract.*4. *res.*143. Toletus *l.*1.*c.*19.*n.*5.

Sanch. Azorius. Sayrus. Bonacin. Bannes. Filliuc. crousers. Layman.

Sanchez. Bannes. crousers. Diana. Toler.

7. Quamuis communiter hæresis exteriùs manifestata etsi secretissimè, excommunicationem inducat; in aliquibus tamen casibus ea non incurritur. *Primo*, si hæreticus purè mentalis solùm in confessione sacramentali hæresim suam confessario manifestat. *Secundò*, si hæreticus suam hæresim recognoscens illam coram inquisitoribus confiteatur, vel alicui fido & pio animo reuelet, vt à Deo auxilium vel consiliũ quærat pro relinquenda hæresi. *Tertiò*, si quis hæresim suam bonorũ operum exercitio, vel abstinentia & omissione operum malorum exprimat. *Quartò*, quando quis per iocum narrat se hæreticum esse vel fuisse, nam talis manifestatio non est peccatum hæresis. *An verò* qui profert in somnis hæresim vel ebrietate, quam ante somnum interiùs conceperat, censendus sit excommunicatus, quidam probabiliter affirmant; sed alijs probabilius videtur non esse excommunicatum, quia excommunicatio videtur imposita ob hæresim formalem, non verò ob solam materialem, qualis est propositio hæretica in somnis prolata. Vide Bonacinam *c.punct.*2.*n.*7. Sayrum *c.n.*28.*& seq.* Sanchez *c.num.*24. Simancham *l.de cathol.inst.tit.*24.*n.*9. Toletum *in expl.bullæ* §.1.*conc.*3. Azor. *c.cap.*10.*quæst.*5.*&* 6. Crousers *c.lect.*4. Layman *c.cap.*14.*nu.*1.*&* 2. & alios.

Bonac. sayrus. sanchez. Simanc. Toletus. Azorius. crousers. Layman.

8. Pęna excommunicationis lata contra hæreticos in bulla cęnę, extenditur ad eorum credentes, receptatores, fautores & defensores, secuto effectu: nomine *credentium* intelliguntur, qui fidem præstant erroribus hæreticorum, modò illam exteriùs exprimant verbis vel signis, & qui licet distinctè non præstent assensum erroribus hæreticorum; confusè tamen putant illorum doctrinam verã esse: Nomine verò, *receptatorum, fautorum, & defensorum* intelliguntur, qui recipiunt, fauent, vel defendũt hæreticos formaliter, id est, quatenus hæretici sunt, seu ex motiuo hæresis, vel intentione fauendi hæresi; vnde qui beneficium facit hæretico, ratione amicitiæ vel consanguinitatis, vel metus, nõ dicitur fauere hæretico vt hæreticus est: dicitur autem *secuto effectu*, quia si quis intentionem habuit fauendi hæresi, sed fauor non est secutus, non incidit in excommunicationem Nauarr. *c.*27.*n.*55. Syluest. *v.hæresis* 1.*n.*10. Toletus *c.*§.1. Sayr. *c.l.*3.*c.*5.*n.*1.*& seq.* Graffijs 1.*p.lib.*4.*c.*18. Crousers *cit.lect.*5. Suarez *de cens.disp.*21. *sect.*2.*n.*8. Filliuc. *tract.*16.*n.*30. Layman *c.n.*5. & alij.

Nauarr. Syluest. Toletus. sayrus. Graffijs. Crousers suarez. Filliuc. Layman.

9. *Qui* scienter, & absq; Pontificis licentia publicè vel occultè legit aut retinet, aut imprimit, aut alio quouismode defendit libros hæreticorum, tractantes de religione, aut hæresim continentes, incurrit excommunicationem Papæ reseruatam, quamuis legat, vel retineat, vel imprimat curiositatis gratia & absq; prauo animo: *Bulla Cœnæ Domini* apud Nauar. Tolet. & Filliuc, Sayr. *c.lib.*3.*c.*5.*n.*12. Layman *c.c.*15. Azor. *tom.l.*8.*c.*16. *quæst.*1. Crousers *c.lect.*5. Graffijs *lib.*4.*c.*18.*nu.*40 *&* 42. *ad hanc* autem excommunicationem incurrendam tria sunt necessaria, *vnum* est, vt libri qui leguntur sint libri hominum hæreticorum. *Alterum* est, vt præfati libri contineant hæresim, vel tractent de religione, & hæresi ex professo & ex instituto; vnde si de alia re tractarent, quamuis obiter interponerent aliquam hæresim, non inducerent excommunicationem bullæ; Vt aduertũt Sayr. & Graffijs, locis hic citatis contra Sanchez *l.*2.*moral.c.*10.*n.*34.*& seq.* & Suarez *de cens.disp.*21.*sect.*2.*n.*10. qui volũt incurri excommunicationem bullæ, etiamsi liber vnicam tantùm hæresim contineat; quia clausula Bullæ dicit, *Libros hæresim continentes, aut de religione tractantes.* Vbi circa hæresim solùm petit, vt liber hæresim contineat: quod verificatur vnicam continendo. Et hæc sententia est satis probabilis. Vide Dian. *p.*1.*tr.*11.*res.*31. *Tertium* est, vt scienter legantur, &c. vnde qui ex ignorantia crassa vel etiam affectata legit vel retinet tales libros, nõ incurrit dictam bullæ excommunicationem; modò ignorantia illa affectata, vt ait Sanch. *in sum.l.*2.*c.*10.*n.*38. nõ sit coniuncta cum ingenti temeritate; tunc.n. cẽsetur adesse sciẽtia. *Ingens temeritas* dicitur, quando habetur magna suspicio prauitatis libri.

Nauarr. Toletus. Filliuc. sayrus. Laymin. Azor. crousers. Graffis.

Sanchez.

Sed circa prædicta occurrit dubium, an qui legit librũ hęretici de religione tractantem; hæresim tamen non cõtinentem, incidat in censuram Bullæ Cęnæ? Negãt Sayr. *de cens.l.*3.*c.*5.*nu.*12. Graffijs *l.*4.*c.*18.*n.*42. Ratio est, quia prohibitio hæc fertur in hæresim primariò, & ratione hęresis, & hæreticorum vt sic; extenditur ad eorum omnes libros, hæresim continentes: verior tamen sententia asserit, sufficere quod libri alterum horum cõtineant vel hęresim, vel de religione ex instituto tractent; quia Bulla Cęnæ apertè loquitur disiunctiuè, & alterutrum tantùm petit. Ita Fagundez *in precep. Decal.*1.1.*l.*1. *cap.*14.*n.*13. Suarez, Sanchez citati à Diana *p.*6.*tr.*6.*res.*55.

sayrus. Graffijs.

Alterum dubium est, an liber continens hæresim, possit sine incursione excommunicationis legi, si hæresis in libro deleatur? Respond. affirmatiuè, modò ea deletio fiat auctoritate publica, quæ relinquat totum reliquum librũ liberum ad legendum, retinendum & imprimendum. Ita Diana *p.*6.*tr.*6.*res.*55. post Fagundez.

10. Vt hæc excomunicatio bullæ incurratur, *requiritur* vt aliquis per se legat; vnde qui à famulo, vel ab alio legi audiunt, quamuis audiens sit causa, cur famulus vel alius sibi audienti legat, non incurrunt censurã: modo per hãc audientiam non pręstet fauorẽ hęresi: famulus tamen incurrit, nisi metu graui ad id compelleretur Filliuc. *tr.*16. *c.*2.*q.*8.*n.*45. Sanch. *lib.*2.*moral.c.*10 *n.*48. Quamuis Suar. Azor. Laym. Sayrus contrarium doceant apud Dian. *tr. de bull.cruc.resol.*33.*part.*1. Graffijs 1.*p.lib.*4.*cap.*18.*num.*45. Crous. *c.lect.*5. *fol.*524. *Aduertendum* tamen, non solùm dici legere, qui lingua exprimit quæ legit, sed etiam qui oculis tantùm percurrit, nihil exprimendo, vt docent Graffijs, & alij, nam lectio non consistit in prolatione verborum: *præterea* excusatur secundùm Sanchez *c.cap.*10.*num.*51. ab excommunicatione, qui legit librum hęreticum illum tamen nõ intelligit. Ratio est, tum quia; cùm finis huiusmodi prohibitionis sit, ne legens imbibat hæresim, qui in hoc euentu locum habere nequit, ea

Filliuc. sanchez. Diana. Graffijs. crousers.

Sanchez.

prohibitio à sui principio non comprehendit hūc casum. Tum quia illa non est formalis, nec vera lectio, sed tantùm materialis, & præterea ibi cessat ratio legis.

Denique rogabis, an qui quaterniones, chartas aut epistolas sparsas, quæ libri partes non sunt, hæresim continentes legunt, incurrant excommunicationem bullæ cœnæ fulminatam in legentes libros hæreticorum? Resp. negatiuè, quia similia verè librorum appellatione non veniunt, cum libri non sint nec per se librorum partes. Lex autem pœnalis in rigore verborum interpretanda est, nō amplianda. Possent tamen tales legentes incurrere excommunicationem bullæ contra credentes hæreticis, aut eorum fautores, receptatores, aut defensores: si nimirum chartas, Epistolas, tractatus hæresim continentes ab eis recipiant, vt vel ex eis instruantur, ea alijs communicent, aut in vulgus spargant. Certum est autem semper esse peccatum mortale, has chartas, vel Epistolas legere ob periculum cui legentes moraliter se exponunt; parū enim refert si hæreses in chartis aut sparsis Epistolis legant, an in voluminibus & libris, cùm sit æquale periculum, nec aliquid addat volumen vel liber aut impressio ad rationem periculi.

Layman. Diana. Sayrus. Toletus. Crousers.

Item paruitas materiæ excusat iuxta probabiliorem sententiam Layman *cap. num.* 5. Dianæ *part.* 5. *tr.* 5. *res.* 42. Azor. *c. cap* 26. *q.* 3. Sayr. *c. cap.* 5. *num.* 12. & aliorum contra Toletum; vnde qui legit tres aut quatuor lineas excusatur; imò Sanchez, & quidam alij excusant legentem integram paginam Crousers lect. 5. Fagúdes *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14.

Diana. Sayrus. Sanch. Reginal. Bonac. Graffijs. Crousers. Layman.

11. *Retinere* dicuntur libros hæreticos iuxta Dianam *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 43 Sayrum *c.* 5. *num.* 16. Sanchez *c. num.* 32. *& seq.* Reginal. *l.* 9 *nu.* 256. Bonacina *c. p.* 4. *nu.* 15. Graffijs *c. cap.* 18. *num.* 48. Crousers *c. l.* 5. Layman *l.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *num* 7. & alios qui illos retinent, siue curiositatis gratia, siue ad eos confutandos, siue eos retineant in domo propria: siue in aliena, siue nomine proprio, siue alterius: vnde vendentes caseum vel aromata, incurrunt excommunicationem, retinendo dictos libros, vt eorum folijs inuoluant caseum, vel aromata: *potest* tamen excusari, qui dictos libros retinet ad breue tempus, vt, ad vnam horam vel duas, vel etiam ad vnum, vel duos dies, quamuis adsit opportunitas eos consignandi superiori, quia hæc retentio censetur in hac materia modica & breuis: *Qui* autem retineret partem tantùm, vel vnum folium dictorum librorum, non excusaretur ab excommunicatione; quia sicut legens vnum folium, incidit in censuram, ita eam incurrit retinens, licet Sanchez excuset retinentem vnum folium. Aduerte etiamsi quis longiore tempore librum apud se retineat, donec opportunum tempus tradendi offeratur, excommunicationem non incurret, neque peccabit, si scandalum absit. Ita Graffis *c. num.* 47. Sayrus *c. num.* 16. Sanchez *c. num.* 55.

Graffis. Sayrus. Sanchez.

12. *Imprimentes* libros hæreticorum censentur quicumque ad eorum impressionem propinquè cooperantur, vt sunt dominus, seu patronus officinæ, cuius voluntate & auctoritate imprimuntur, qui faciunt expensas pro impressione, qui typos ordinant, & componunt, qui typos ite compositos attingunt attramento, qui torcularia premunt, qui chartam madefaciunt, qui exemplar impressum aut typos corrigunt, &c. Ita Suarez *de censur. disp.* 21. *sect.* 2. Filliuc. *num.* 46. Tolet. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 20. Crousers *c. lect.* 5. Layman. *c. n.* 7. & alij Sanchez tamen *c. n.* 57. existimat eum, qui expensas impressionis facit, qui impressionē corrigit, non comprehendi nomine imprimentium. Sicut nec putat noster Crousers comprehendi, qui librum imprimendum tradit, siue author sit libri, siue non sit. Qui tamen ex alio capite, nimirum ex fauore hęresi præstito, per eiusmodi actionem possunt excommunicationem incurrere. Quemadmodum etiam hæreses in illis contentas propugnando, siue impediendo, ne libri ad fidei Inquisitores deferantur, aut crementur.

Suarez. Filliuc. Tolet. Crousers. Layman.

13. *Defendentes* libros hæreticorum dicuntur, qui affirmant, illos non esse prauos, non esse comburendos, vel qui impediunt, ne ab Inquisitoribus inueniantur, & hoc extendimt etiam ad eos, qui defendunt dictos libros disputationis gratia, Sayrus *c. n.* 18. Sanchez *c. nu.* 55. Bonacina *c. n.* 17. Graffijs *c. n.* 50. Layman *c. n.* 7. & alij.

Sayrus. Sanchez. Bonacin. Layman.

14. *Qui* libros hæreticorum, aut alterius authoris dānati, atq; prohibiti, ob suspicionem hæresis aut falsi dogmatis, legit, aut retinet iuxta, Azorium *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 16. *quæst.* 5. incurrit excommunicationem latam in regula decima Indicis librorum prohibitorum; hæc tamen excommunicatio nulli reseruata est: eadem censura afficiūtur legentes libros & scripta continentia diuinationes, sortilegia, vt sunt libri & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia & incantationes artis magicæ, quia huiusmodi libri vetiti sunt, ob hæresis, vel saltem ob falsi dogmatis suspicionem. Azorius.

Illi autem libri suspicionem hæreseos incurrunt, qui continent propositiones hæresim sapientes, male sonantes, temerarias vel scandalosas, ex quibus error nasci aut inferri potest. Propositio verò dicitur *hæresim sapere* ex qua, etsi per euidentem consequentiam hæresis inferri nequeat, per consequentias tamen probabiles & moraliter certas deduci potest: dicitur *malè sonans*, quæ etsi sensum duplicem patiatur, Catholicum nimirum & hæreticum, frequentius tamen in sensu hæretico accipi consueuit. *Temeraria* nuncupatur; quæ in rebus fidei & morum apertè terminos rationis & auctoritatis legitimæ excedit. Tandem dicitur *scandalosa* quæ ex sui ratione alicui offendiculum erroris in rebus fidei vel morum subministrat. Ad hæreticorum libros reducuntur libri Astrologiæ iudiciariæ, Thalmudi, Cabalistici & alij nefarij libri, quos similiter legere aut penes se retinere nemini licet sub peccato mortali, & alijs pœnis de quibus *Clemens VIII.* Constitut. 20. & nouissimè *Vrbanus VIII.* Denique peccant etiam mortaliter legantes & retinentes libros in Indice Romano absolutè prohibitos, etiāsi propter hęresim vel eius suspicionem non sint prohibiti, siue sint hæresiarcharum libri de materia plane indifferenti aut moraliter bona tractantes, qui ob personarum abominationem prohibentur, siue sint libri materias inhonestas, perniciosas, scandalosas aut malè sonantes in materia morum & virtutis continentes. Consule regulas Indicis.

15. *Legentes scholia* seu additiones hæreticorum quæ continentur in libris Catholicorum, subiacent excommunicationi latæ in Indice Sanchez *l. capit.* 10. *numer.* 26. Crousers *cit. lect.* 5. quia legunt scripta damnata ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem; imò quidam volunt incurri illam bullæ Cęnæ, quando scholia adeò copiosa & multa sunt, vt liber potiùs constituatur ex scholiis, & annotationibus, quàm ex textu, ita Suarez *in* 3. *part.* 25. *disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 10. quem non sequendum docet Diana *de bulla cruc. part.* 1. *resolut.* 32. *& p.* 5. *tract.* 1. 3. *resol.* 16. Suarez. Diana.

16. Libri *Hæresiarcharum*, tam eorum qui hæreses inuenerunt vel suscitarunt, quàm qui hæreticorum capita, ducesve sunt, vel fuerunt, qui de religione non tractant, approbati & examinati à Doctoribus catholicis iussu Episcoporum permittuntur. Regula 2. *Indicis. Porrò* vbi bulla cœnæ non est vsu recepta, vt in Anglia, Germania, Gallia, catholici legentes libros hæreticorum cōtinentes hæreses vel de religione tractantes, non incidūt in excommunicationem, si legerint studio cognoscendi & confutandi eorum errores, Azor. *cit. cap.* 16. *qu.* 6. Layman, *l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 15. *num.* 4. Becanus 2. 2. *cap.* 15. *qu.* 8. *num.* 5. Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 10. *nu.* 42. Diana *par.* 1. *tract.* 11. *resol.* 35. & alij. Azorius. Layman. Becanus. Sanchez. Diana.

Proinde circa libros prohibitos concessit Patribus Societatis Pius V. *die* 8. *Ianuarij* 1571. vt confessarij sæcularium permittere possint suis pęnitentibus vsum librorū, prohibitorum qui non sunt editi ad stabilienda dogmata hæretica, vt sunt Biblia vulgaria, libri controuersiarum vulgari, idiomate à catholicis conscripti.

Idem etiam antea 29. *Septembris* 1566. declarauit, quòd non tenerentur significare suis pęnitentibus extare indicem librorum prohibitorum, ne si aliquos haberent, & nollent eos tradere comburendos, absolui possint.

Gregorius VIII. *die* 25. *Iuly* 1576. Iisdem Patribus cōcessit pro regionibus septentrionalibus, vt possint absoluere pœnitentes suos, qui libellis precum Catholicis, &

nulla

nulla hæreseos aut superstitionis labe aspersis vtuntur, quamnis Pij V. iussu non sint editi, neque eius bullam ascriptam habeant, ac possint illis concedere vsum talium librorum.

Item *die 25. Iunij* 1573. concessit, vt per Prouinciales Iesuitarum in prædictis partibus dispensari possit circa indicem librorum prohibitorum cum personis Societatis, & cum externis ad eos recurrentibus in hoc casu, qui iudicio & pietate præditi inde detrimentum non essent accepturi & ad oppugnandum tantùm.

Sed quia huiusmodi concessiones sunt viuæ vocis oraculo tantùm factæ, non licet modò ijs vti, quia sunt annullatæ & reuocatæ per S. D. N. Vrbanum VIII. in constitutione tua, *Aliàs Falicis*, 20. Decemb. 1631. Quamuis in multis locis huius Belgij consuetudo inualuerit vt honestis quibusdam laicis biblia vernacula legere permittatur dissimulatione potiùs piæ tolerantiæ, quàm facultate & licentia expressa. Tenentur tamen Pastores sub peccato mortali inuigilare super Bibliorum quę manibus teruntur editione, ne corrupta sint, & super qualitate legentium, ne curiositate, imprudentia, præsumptione, venenum inde hauriant, vnde salutem haurire debebant. Similiter ob hæreticorum viciniam & permixtionem in Belgio sicut permittuntur ab Episcopis controuersiæ nōnullæ idiomate vulgari imprimi, sic permittuntur vtiliter legi, vt in conuersationibus ciuilibus Catholici cum hęreticis aliquando conuenientes eorum verbis venenosis non decipiantur, cùm sciunt & legunt ipsos in controuersijs illis ab exercitatis conuictos. Necessaria tamen etiam in hoc est Pastorum vigilantia, ne inutiles aut perniciosæ aliquæ controuersiæ vernaculo idiomate manibus simplicium terantur, qui curiositate ducti, magis attendunt qui hæreticus proponat, quàm quid Doctor Catholicus resoluat & respondeat. Melius sanè foret aut controuersiarum impressionem idiomate vulgari omninò prohibere; aut non nisi multò discretionis sale conditas imprimere.

Porrò circa lectionem Bibliorum lingua vulgari & controuersiarum fidei est aduertendum, quòd etsi prohibitiones factæ ab Ecclesia iustissimę sint & vtiliter obseruandæ: non tamen vbique in tanto rigore peccati mortalis modò obseruentur; sed attendenda sit regionum cōsuetudo, quæ ob causas rationabiles aut prohibitiones illas non vrsit, aut vtiliter aliquid de earum rigore remisit. vt bene adnotat Petrus Marchantius in suo tribunali *t. 2.*

P. Marc. *tract. 2. tit. 2. sect. 4. quæst. 3. dub. 6.*

17. Cùm librorum prohibitorum lectio magno esse sinceræ fidei cultoribus detrimento nosceretur, & licentiæ libros huiusmodi legendi nimis excreuissent, *S. D. N. Gregorius XV.* motu proprio in bulla sua quæ incipit, *Apostolatus officium* 30. Decembris 1622. Omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscumq; personis cuiuscumque gradus, & conditionis existentibus, antea concessas, reuocauit, cessauit & annullauit, Et declarauit libros, per licentias huiusmodi permissos; legentes, aut habentes, pęnas in Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis & Indicibus librorum prohibitorum contentas, incurrere. Insuper præcepit illis, qui aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint, vt eos denuncient. Decreuit præterea, vt de cætero similes licentiæ, non nisi à Congregatione Sancti Officij, quæ singulis Hebdomadis coram Papa haberi solet, concedantur. Hæc Gregorius XV.

An autem Generales Regularium, possint non obstante hac bulla Gregorij, & altera simili Vrbani VIII. data 2. Aprilis 1631. præbere subditis licentiam legendi

Diana. libros prohibitos? Resp. negatiuè: Diana *part. 5. tract. 13.*

Lezana. *resolut. 49.* Lezana *tom. 1. Summ. cap. 18. num. 96.* quia prædicti Pontifices in suis decretis reuocant omnes tales facultates concessas per litteras Apostolicas; aut aliter quomodocumque. Ita etiam Lezana contra Peyrinum *tom. 2. priuil. in constit. 9.* Pauli V. docentem per dictas cōstitutiones Gregorij & Vrbani solùm reuocari licentias particulares legendi huiusmodi libros, non verò priuilegia Regularibus concessa.

Sed dubium est, an Archiepiscopi, Episcopi libros hæreticorum legere possint, non obstante bulla cęnæ & alijs decretis Summorum Pontificum, quę neminem eximunt: imò sub suis prohibitionibus omnes cuiuscumque dignitatis existant comprehendunt?

Responsio Azorij *tom. 1. lib 8. cap. 16. qu. 13.* est negatiua, quia Summi Pontifices Iulius III. Paulus IV. Pius IV. quorum bullæ extant in Directorio Inquisitorum abrogant omnes facultates legendi vel habendi libros hæreticos quibusuis personis cuiuscumque conditionis sint, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi, aut his maiores fuerint, exceptis Inquisitoribus & Commissarijs, super hæretica prauitate, à Sede Apostolica deputatis, dum eo officio funguntur. Nihilominus quorumdam sententia est, vbi S. Sedes aliter non prouidet, in regionibus vbi non est officium S. Inquisitionis institutum, Episcopos tanquam Inquisitores ex vi & natura Officij Episcopalis posse libros hæreticorum legere ad effectum illos corrigendi, confutandi, condemnandi, &c. Tum quia in Indicibus librorum prohibitorum constituuntur Iudices & Executores ad pœnas infligendas contra eos, qui libros hæreticos vel prohibitos legunt, imprimunt, diuulgant, quæ vix fieri possunt nisi illos visitare & legere valeant, vbi causa occurrit. Tum quia vbi officium S. Inquisitionis non est institutum, Episcopi ex natura officij sunt Inquisitores hæreticæ prauitatis; ad Inquisitores autem supradicta spectare dignoscuntur. Huius sententiæ est Petrus Marchantius citatus suprà *dubio 1.*

18. Ab hæresi interna tantùm, & externa tantùm absoluere potest quilibet confessarius approbatus ad confessiones excipiendas: ab hæresi autem interna & externa simul quæ sit publica, ex iure solus Pontifex absoluit. Ratio prioris est, quia hæresis ratione solius excommunicationis reseruatur; at hæresis sola interna vel sola externa absque errore interno, non subiacet excommunicationi, cùm de internis non iudicet Ecclesia; nec censura cōtrahitur, nisi ob delictum verum ac consummatum; at hæreticus solùm externus, non est verè talis, quia deficit error intellectus. Ita Nauarrus *in manual cap. 1. numer. 27.* Toletus *l. cap. 4. num. 6.* Clauis *reg. l. 4. cap. 11.* Syluius 2. 2. *quæst. 11. art. 3. quæsit. 1. conclus. 1. & 2.* Suarez *de censur. disp. 4. sect. 2. numer. 22.* Fagundez *præcept. 2. l. 8. cap. 8 numero 39.* & alij communiter. Posterius patet ex textu Bullæ cęnæ. — Nauarr. Toletus. Clauis. Syluius. Suarez. Fagund.

Ad hoc verè vt per illud hęresis censeatur, seu dici possit externa, tres conditiones requiruntur in verbo, signo, vel facto manifestante. *Prima*, vt ita illud sufficienter manifestet hæresim internam, quod si aliquis adesset, posset illam percipere, siue ex sola natura talis signi, siue ex circumstantijs loci, temporis, & aliorum concurrentium. Ratio est, quia si per illud hæresis deprehendi non potest; hæreticus manet non solùm occultus, sed internus, & sic non potest incurrere excommunicationem. *Secunda*, vt actus ille exterior sic de se malus, & mortalis, non per solam relationem ad actum internum, sed etiam secundùm operis externi qualitatem, & quantitatem. Ratio est, quia excommunicatio, & similes pœnæ graues, non imponuntur, nisi propter actum externum, qui ex natura sua, & secundùm quod externus est, mortalis est. *Tertia*, vt actus ille externus, sit confessio hæresis. Ita Vgolinus *de censuris Papæ reser. 2. p. cap. 1. § 1. n. 17.* Bannes 2. 2. *quæst. 11. art. 4. dub. 2.* Vasquez *1. 2. d. 160. cap 5. num. 20. & 21.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. num. 7.* Syluius *cit. art. 11. quæsit. 1. concl. 3.* Rodriquez *in summ. tom. 1. cap. 80 num. 8.* Gutieres *q. Canon. lib. 1. cap. 5. num. 13.* & alii. — Vgolin. Bannes. Vasquez. Sanchez. Syluius. Gutieres.

Secundò, ab hæresi occulta absoluere possunt Episcopi, vigore Concilii Trid. *sess. 24. cap 6. de reform.* nec per subsequentes bullas Cœnæ fuisse illis hanc potestatem sublatam, sustinent ex neotericis Portel *verb. Episc. num. 1.* Cronsets *ad cap 7. reg. S. Francisci lect. 11.* Puteanus 2. 2. *q. 11. art. 4. dub.* Fagundez *præc. 2. lib. 8. cap 8. num. 52.* & hanc sententiam probabilem vocant, Diana *p. 1. tract. 5. res. 2.* Sanchez *cit. cap. 21. num. 2.* Imò Layman *lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 5. num. 2.* hanc potestatem concedit Episcopis, etiam pro hæresi manifesta, in regionibus septentrionalibus, propter frequentiam casuum, & difficultatem — Portel. Cronsets. Puteanus. Fagund. Diana. Sanchez. Layman.

tem adeundi Papam. Vnde Episcopis huius Belgij bulla data est a Greg. XIII. anno 1576. die 25. Februarij virtute cuius possunt absoluere ab hæresi manifesta, & aliis casibus reseruatis Papæ, etiam in bulla Cœnæ Domini: hanc que potestatem possunt etiam cuicumque Sacerdoti idoneo delegare.

Filliuc. Reginal. Fagund. Diana. Sanchez.

Tertiò, Domini Inquisitores habent facultatem absoluendi ab hæresi, non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. Lorichius *verb. Hæretic.* § 12. Puteanus *cap.1. dub. 2.* Sanchez *cit. cap.*22. Diana *cit.ref.*3. & hæc facultas compet it cuilibet Inquisitori, & non toti Consistorio: vt docent esse probabile.

Suarez. Coriol. Diana. Rodriq.

Quartò, virtute alicuius Bullæ vel Iubilæi, in quibus conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus bullæ Cœnæ, probabile est, confessarium electum posse absoluere à crimine hæresis, & ita declaratum fuisse in Sacra Pœnitentiaria Romana testatur Filliucius *tract.* 8. *num.* 265. & docent Reginaldus *lib.* 8. *num.*3. Fagundez *citat. cap.*8.*num.*38. multi apud Dianam *cit. resol.* 1. & alii.

Quintò, Prælati regulares secundùm Sanchez *de matrim. lib* 8. *disp.2.num.*3. possunt absoluere subditos suos ab hæresi occulta, ex priuilegio Pii V. quia si probabile est, authoritatem Episcoporum reuocatam non esse, per bullam Cœnæ; sine dubio, inquiunt Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.9. lib.2.cap.20. num.* 11. Coriolanus *de cas. reser. par.1.sect.1. art.*23. Diana *cit. resol.6.* Superiores regulares ex dicto priuilegio Pij V. apud Rodriq. *tom.1.qq.reg. q.*61.*art.9.* possunt hæresim occultam absoluere, quia extensio Pij V. generalis est, quoad omnes facultates. Imò in partibus Vltramontanis, in quibus non viget S. Inquisitionis officium, ex nouo decreto Regularibus concesso, à S. D. N. Paulo V. possunt dicti Prælati cognoscere causas ad Inquisitionis officium pertinentes: ita tamen quod posteà quæcumque per ipsos acta fuerint, indicentur S. Inquisitionis officio. Ex qua concessione constat, Prælatos posse absoluere subditos etiam in foro externo ab hæresi, & per consequens à reliquis casibus bullæ cœnæ. Vt rectè docet noster Crousers *ad c.7.reg. S. Franc. lect.*12.*fol.*588. & 602.

Crousers

Rodriq. Suarez. Diana. Sousa.

Sextò, Posito probabile esse, priuilegijs Mendicantium non derogari per annuam bullæ cœnæ publicationem, vt docent Rodriq. *tom.primo, qq.reg.qu.*20. *art.9.* Suarez *de relig. tom.4.tr.*10.*l.9.cap.*20.*num.*18. Diana *p.1.tract.5.ref. 6.* Sousa *in bulla cœna cap.23.disp.*100. & alij ab ipso citati possunt religiosi mendicantes, approbati secundùm formam iuris, absoluere sæculares à casibus bullæ cœnæ, & etiam ab hæresi, modò sint occulti: Et hæc posterior pars probatur *primò* ex Cōcessione Vrbani IV. apud Rodriq. *tom.*1.*qq.reg.quæst.* 61.*art.* 3. Compendium priuil. Mend. *verb. Absolutio quoad Sæculares* 1.*num.*19. in qua concedit fratribus Carmelitis, vt de licētia Prælatorum Ecclesiæ, id est, prout declarauit Sixtus IV. modò sint confessores secundùm formam iuris præsentati, possint audire confessiones omnium Christi fidelium, causa deuotionis ad eos recurrentium, nisi talia commisissent, propter quæ esset Sedes Apostolica merito consulēda. Sed pro hæresi, nisi illius sit, qui in hæresim coram Iudice competenti abiuratam relapsus est, non est merito consulenda Sedes Apostolica, quia Sixtus IV. prout habetur in libro Monumenta Ordinum, concess. 345. declarauit dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos, hæreticos relapsos, schismaticos & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, ergo ab hæresi occulta possunt præfati absoluere.

Rodriq.

Probatur. *Secundò* ex concessione Sixti IV. Facta fratribus Ordinis Minimorum, vt habetur in Compendio prædicto num.20. eiusdem tituli: qua dictis concedit facultatem confessiones audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, Interdicti, ac super quacumque irregularitate, Ordinariò tam à iure, quàm ab homine reseruatis, toties, quoties opus fuerit absoluēdi, dispensandi, ac vota quæcumque permutandi & relaxandi, & pœnitentiam salutarem iniungendi, sicut potest Diœcesanus. Sed hæresis saltem occulta, seu in iudicium nondum deducta, tam iure antiquo, quàm nouo Tridentini, reseruatur Ordinarijs, ergo sicut hi possunt ab illa absoluere, ita & confessarij supradicti, & consequenter à reliquis Bullæ cœnę casibus. Et confirmatur, quia quando hi casus sunt occulti, iam non sunt Summo Pontifici reseruati, sed iure ordinario & non speciali competunt Episcopali, vt patet ex Tridentino *sess.24. cap.6.*

Vnde dicendum est per Tridentini decretum, casibus hoc occultos, iam non esse Papales, sed Episcopales. Vt docent Sanchez *l.4.moral.cap.*34.*num.*27. Diana *part.1. tract.*11.*resol.*28.& *part.4.tract.2.resol.*13.§. *Nota quartò.* Imò ipsemet Diana *part.4.tract.4.resol.*239. volens conciliare facultatem Tridentini Episcopis concessam, cum bulla cęnæ posteà promulgatæ, sic docet; *Rectè dici potest Bullam cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & ideò non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est*, Hæc ille. Vnde prædicta sententia anno 1629. 18. Iulij in consistorio sacræ congregationis Eminentiss. Cardinalium visa, tolerata est. Et tanquam probabilis à multis Regalis Academiæ Duacensis sacræ Theologiæ Doctoribus, admissa. Vide *v. Casus reseruatus num.*39. & v. Abbas *n.*8.§.5.

Sanchez. Diana.

Sed petes, quid occultum censeatur in decreto Tridētini? resolutionem huius quæstionis. Vide to.2. verb. *Irregularitas XI.num.*5.

Septimò, Absoluere potest ab hæresi, quilibet sacerdos, etiam non approbatus, in articulo mortis: & secundùm probabilem sententiam plurimorum Doctorum, etiam præsente confessario approbato, vel Superiore, cui hæresis reseruatur. Ita Nauar. *l.5.consil.de pœnit.consil.* 15. Rodriquez *tom.1.qq.reg.q.*56.*art.*4. Henriquez *l.6.cap.*11.4. Vega Sà & ex nostris *tom.1.sum.cap.6.cas.*14. Coriolanus *part.1.sect.1.art.*16.*num.*7. Crousers *ad cap.7.lect.23.fol.* 712. quos sequitur Diana *part.1.tract.5.resol.5.* & *part.4. tract.4.resol.*161. & *part.5.tract.3.res.*65. multos alios citans pro hac sententia. Ratio est. Tum quia secundùm Tridentinū, nulla reseruatio est in articulo mortis; quod verum non esset, si præsente Sacerdote admisso ad confessiones, ipsi & non alteri liceret confiteri, hoc enim est aliqua reseruatio. Tum qui simplex sacerdos non habet iurisdictionem pro articulo mortis, in defectum aliorum confessariorum, sed illam habet absolutè & simpliciter. Concilium enim non apposuit istas glossas & limitationes, sed loquitur absolutè: ergo neque nos illas apponere debemus: & mirum certè Doctores qui in contraria versantur sententia, in tam periculosæ extremitatis articulo, tantas salutis consequendæ difficultates comminisci; impositas ab Ecclesia; dum volunt, illud quod absque restrictione aliqua ab ea conceditur, restringere ad casum quo non potest haberi vel sacerdos, cui est reseruatus casus, vel sacerdos, admissus ad confessiones; quasi occasione reseruationis aliter perire nemo possit, quàm ex absentia sacerdotis approbati: cùm tamen, etiam eo præsente occasione reseruationis, aliquem perire facilè contingere possit: dum scilicet reseruata non audet confiteri reseruanti, imo nec confidentiam habet, detegendi sacerdoti admisso secreta conscientiæ suæ etiam non reseruata. Proinde Ecclesia omnem difficultatem voluit in eo articulo remouendam, vt quàm maxima facilitate moribundus ante actæ vitæ rationem cum Deo componat. Quòd si aliquando hominibus valentibus aperit Ecclesia benignitatis thesauros ablata criminū reseruatione, quid agendum est à pia matre cum filio, vltimum spiritum exhalante? an cum illo, duriùs aget, quàm cum valentibus agendum censet interdum? quàm sententiam defendunt hoc tempore viri doctissimi, vt inquit Rodriquez hic citatus.

Nauarr. Rodriq. Henriq. Vega. Sà. Coriol. croufers. Diana.

19. Pœnæ hæreticorum sunt duplices: quædam enim sunt Ecclesiasticæ, vt excommunicatio, irregularitas, priuatio potestatis spiritualis, inhabilitas ad beneficia, &c. quędam sunt ciuiles, vt priuatio bonorum, officiorum publicorum, famæ & vitæ: omnia autem quæ dicuntur de pœnis hæreticorum, similiter habent locum in Apostatis à baptismo, id est, in omnibus ijs, qui post baptismum, ad Iudaismum, vel paganismum deflectunt; ijsdem enim pœnis puniuntur, vt patet, *tit. de hæret. in* idem nam Ecclesia habet ius in omnes ratione baptismi: & patet suprà *v.6. Apostasia n.* 2.

Prima ergo pęna spiritualis hæretici, est excommunicatio

catio maior, non solùm nunc, per bullam Cœnæ, quæ annis singulis innouatur feria quinta Cœnæ Domini; sed etiam per Innocentium III. *Cap. Excommunicamus, de hæreticis*, & per Honorium III. *Cap. Nouerit. de sentent. Excommunicat.*

Secunda, est Irregularitas, de qua infra, v. *Irregularitas X*. & colligitur ex *Cap. Saluberrimam*, *Cap. Conuenientibus* 1. *quæst.7.*

Tertia pœna, est priuatio omnis iurisdictionis Ecclesiasticæ: Vnde ipso facto est suspensus ab officio & beneficio; ideòque nec ligare, nec soluere potest: quod intelligendum est, de hæretico, nominatim excommunicato, & publicè denunciato, & seclusâ extrema necessitate *c. Audiuimus. c. Apertè c. Miramur*, 24.q.1. Ratio est quia iurisdictio datur ab Ecclesia, & ab eius libera voluntate pendet: ergo cùm vult, potest eam auferre, sicut in hoc casu intendit. Retinet tamen hæreticus potestatem ordinis, ad conferenda validè sacramenta: quia hæc potestas fundatur in charactere sacerdotali, vel Episcopali, qui est indelebilis.

Quarta pœna spiritualis, est inhabilitas ad beneficia *cap. quicumque* §. *Hæretici, de hæretic. in 6.* vnde hæretici ipsorumque filij vsque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admitti possunt: quod si secùs actum fuerit, irritum est & inane.

Pius V. Quinta est priuatio dignitatum & beneficiorum Ecclesiæ *c. Vt Commissi*, §. *priuandi, de hæret. in 6.* Pius V. *in Bulla cùm ex Apostolatus*, vnde hæreticus, statim post lapsum in hæresim, priuatus est ipso iure & titulo beneficij, non tamen possessione; quia non cogitur, illud dimittere, nisi postquam crimen declaratum erit per sententiam Iudicis. Licet possit impetrari tamquam vacans, etiam ante sententiam criminis *cap. Licet Episcopus, de prabend. in 6.*

Sexta pœna spiritualis, est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ: debet tamen hæreticus esse manifestus, & in hæresi decedere; qui occultus non est priuatus, *cap. Quicumque, de Hæreticis in 6.*

Prima pœna ciuilis hæretici, qui, exteriùs hæresim suam prodit, est confiscatio omnium bonorum: id est, hæreticus statim est priuatus omni dominio bonorum in foro conscientiæ, quod transfertur in fiscum: retinet tamen hæreticus possessionem, quousque per sententiam Iudicis condemnetur de crimine: tunc enim fiscus ea sibi vendicat, *cap. cùm secundum leges de Hæretic. in* Syluius 2.2.q.12.*art.3.quæst.5.* Syluius.

Sed petes, an Principes sæculares in hæresim lapsi, amittant dominia regnorum suorum, & ditionum? Resp. Princeps sæcularis manifestè lapsus in hæresim, amittit omnem potestatem, & iurisdictionem in subditos, & spoliatur ipso facto titulis suorum Principatum & regnorum. Quod probatur ex *c. final. de Hæret.* vbi Gregor. IX. absoluit subditos à debito fidelitatis dominij, & totius obsequij, qui lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto, quacumque firmitate vallatâ, tenebantur astricti, Vnde si per sententiam spoliatus fuerit suo Principatu, subditi non tenentur illum recipere post pœnitentiam, nisi Ecclesia illum restituat. Ratio autem, cur Ecclesia possit priuare Principes sæculares in hæresim lapsos dominio regnorũ suorum, est quia potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quoniam vtraque est pars eiusdem Reip. Christianæ; vnde potestas sæcularis, non solùm vt Christiana, sed etiam vt politica, subiecta est Ecclesiasticæ potestati, ergò potest Princeps Spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus dominiis & regnis, in ordine ad bonum spirituale, debet enim Ecclesia, cùm sit Respublic. perfectissima, habere omnem potestatem necessariam, ad finem suum consequendum, Azorius *tom.2.l.11.cap.5.q.5.*

Secunda pœna ciuilis, est priuatio omnium officiorum publicorum, *cap. Vt commissi, de hæret. in 6. c. nulla officia, dist.54.* vnde hæreticus non potest esse Aduocatus, Tabellio, aut Procurator, nec publicum aliquod officium acquirere. Tum quia est excommunicatus, quia se ab Ecclesia diuisit.

Tertia pœna ciuilis, est infamia, *cap. excommunicamus; de hæretic. l.2. ff. de his, qui notant. in fam.* Vnde hæreticus post sententiam Iudicis declaratoriam criminis, contrahit infamiam iuris: nec enim opus est, vt iudex condemnet reum, vt infamem, sed tantùm, vt crimen declaret. Verùm si crimen hæresis fuerit notorium per euidentiam facti, hæreticus infamiam etiam contrahit facti, non iuris.

Quarta & vltima pœna ciuilis, est capitis supplicium, *l. Arriani c. de Hæretic.* Alicubi quidem gladio necantur: vt in Flandria, & inferiore Germania. Alibi ligatis manibus proijciuntur in flumen, vt in Geldria. Per Italiam, Galliam, & Hispaniam igni traduntur. Hæc omnia seruanda sunt in rigore iuris, ex æquitate tamen aliquando aliter fit prout Prouinciarum fert vsus. Plura de his pœnis apud Alphons. Castrensis, *l.2. de iusta hæret. punit. cap.9.* Azorius *t.1. instit. mor. l.8. c.11.12. & 13.* Syluius *2.2. qu.11. a.3. quæst.34. & 5.* Sanchez *l.2. moral.* Filliuc. *tr.22. c.7.* Alphons. Castrens. Azorius. Syluius. Sanchez.

Pœna hæretici relapsi est, vt curiæ sæculari tradatur sine vlla spe veniæ, & miserationis, quamuis sui peccati pœnitentiam agerit *c. super eo, de hæres. in 6. & c. ad abolendam, de hæret.* Ei tamen non denegatur Sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ. Et si quidem pertinax sit, viuus exuritur: vt etiam non relapsis, si perseueret obstinatè in hæresim. Iure autem Canonico relapsus dicitur ille, qui postquam hæresim publicè coram Iudice abiurauit, in eamdem vel aliam diuersam incidit. Si verò quis sæpiùs relabatur in hæresim, à qua tamen recesserit, per cordis pœnitentiam vel oris, coram confessario, non autem per abiurationem coram Iudice, non habetur pro relapso: vt habet communis sententia in *cap. accusatus, de hæreticis in 6.* & præcipuè Castro *l.2. de iusta hæretic. punit. cap.2.* Azorius *t.1. l.8. cap.14.* Director Inquisitor *par.2. quæst.40.55.58.* Simanchus *de Catholic. instit. n.57.* Notandum tamen est ex Dominico Bannes *2.2. qu.11. art.4. q.1. sub finem*. Principes sæculares habere potestatem hæreticos vel puniendi (idque mitiùs vel seueriùs pro qualitate delicti) vel dimittendi & liberandi: si tamen id sine iusta causa facerent, posset contra eos procedi, tanquam fautores hæreticorum: vnde, in puniendis hæreticis magna opus est prudentia, ne vel nimia lenitate, vel nimia seueritate, Resp. Christiana detrimentum aliquod incurrat. Hæc satis de pœnis. Castro. Azor. Simanc. Bannes.

20. Hæreticus per absolutionem à censuris & peccatis, non liberatur ab irregularitate, inhabilitate ad officia & beneficia Ecclesiastica; nec restituitur pristinæ dignitati: vt constat ex praxi Ecclesiæ, & multis Canonibus, *Causa 1. q.7.* Vnde hæreticus, si clericus sit, admittitur ad Laicam communionem, &c. Quadruplex enim impetrari potest dispensatio, semiplena, vt admittatur ad exercitium ordinum antè susceptorum; plena, vt possit fieri sacerdos; plenior, vt ordinetur Episcopus, plenissima, vt admittatur ad superiores dignitates, quemadmodum D. Petrus post trinam Christi negationem, summus Ecclesiæ pastor constitutus est. Vide D. Thomas 3.q.89. *art.* 3. Syluester *v. Hæresis 1. q.14. n.21 & V. Irregularitas q.5.* Azor. *t.1. lib.8. c.19. q.6.* D.Tho. Syluest. Azorius.

De hæresi vide hoc to. verb. *Blasphemia* num.3.4. *Casus reseruatus* n.32.33. & seq. *Detractio* 1 num.7. *Diuor.* n.16. & to.2. verb. *Immunitas* n.12. *Indulg.* 2. num.1. *Irregularitas* 10. *Schisma* nu.3. *Spes* nu.5. *Benefic.* 7. n.3. *Testam.* n.6. *Magia* n.4. *Papa* num.3. *Censura* num.13. *Abbas* num.8. §.5.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Hæresis quid vnde dicta.*

2 *An Cathecumenus negans fidem dicendus sit hæreticus?* Refertur duplex sententia.

3 *An sictè vel inualidè baptizatus recedens à fide, sit hæreticus dicendus.*

4 *Pro-*

4 *Propter superbiam, auaritiam, & luxuriam, hæreses euenire solent. Et hæc peccata sunt causa interiores hæresum.*

5 *Quæ sint causa exteriores hæresum.*

6 *An hæresis natura consistat in electione falsa eorum, quæ credenda sunt.*

7 *An hæreticus sit, qui negat propositionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex propositione de fide.*

8 *Quænam dicenda sit pertinacia, sine qua nullus est dicendus hæreticus?* Refertur duplex sententia.

9 *An hæreticus pertinax sit, qui falso putans aliquid esse ab Ecclesia definitum, contrarium sentit.*

10 *An infidelis & hæreticus sit, qui diuinæ reuelationi priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit.*

11 *An hæresis sufficienter probetur per testes singulares?* Refertur duplex sententia.

12 *An sufficienter probent hæresim plures testes singulares deponentes de eadem specie hæresis.*

13 *An hæresis sufficienter probetur per testes discordes in verbis concordes tamen in substantia.*

14 *An plures testes singulares absque aliis indiciis, præsumptionibus & adminiculis sufficiant pro tortura in crimine hæresis?* Refertur duplex sententia.

15 *An possit muniri vi hæreticus, contra quem testes singulares deponunt diuersos actus & species hæresis?* Refertur duplex sententia.

HAeresis, Græca dictio est, significans electionem & sectam. Et accipitur pro opinione tenaci ac confirmata de aliquo dogmate & sententia, in qua persistamus electa, Cicero *in paradox* apud Calepinum. *[Calpinus]* Hinc hæresis nomen sortitur opinio vel secta, vel peruersum dogma, Sanctæ fidei Catholicæ contrarium. Præterea hæresis ex qua quis hæreticus fit, definitur pertinax error, manifestè veritati Catholicæ contrarius, in eo qui fidem professus est, Nauarr. *in Manual. cap. 11. nu. 22.* Syluester *v. Hæresis 1. in principio*, & alij communiter. *[Nauarr. Syluest.]*

2. Quibusdam placet Cathecumenum dicendum esse hæreticum negantem fidem, eò quòd fidem semel receptam deserat, etsi illam nondum in Baptismo professus sit. Ita Suarez *de censur. disp. 12. sect. 2. n. 4.* Bannez 2. 2. *qu. 11. art. 2.* *[Suarez. Bannes.]* At contrarium verius est. Tū quia cùm solemniter in Baptismo fidem professus non sit, nō est verè hæreticus per recessum à fide, sed infidelis. Tum quia hæreticus propriè dicitur, qui ab Ecclesia, cuius membrum erat, diuersum pertinaciter sentiendo, se segregat; Cathecumenus autem, licet per fidem inchoatiuè membrum Ecclesiæ factus sit, non tamen formaliter & completiuè, cum fidem in Baptismo professus non sit: Ecclesia enim spectabilis Christi Respublica, est congregatio fidelium solemniter professorum. Ita Toletus *l. 4. Summ. c. 2. nu. 5.* *[Toletus. Arrago. Sayrus.]* Arragon. 2. 2. *quæst. 11. art. 2. dub. 3.* Sayrus *de censur. lib. 3. d. 4. nu. 11.* & alij.

3 Ob eandem rationem hæreticus non est fictè baptizatus recedens à fide: quamuis Ecclesia fictionis ignara eum tanquam hæreticum puniat. Ratio est, quia cùm baptismus irritus fuerit, nec hæresis, nec censuræ, nec subiectionis Ecclesiæ capax est, vt eius pœnis subijciatur.

De eo autem qui baptizatur inualidè, hoc est, si baptismus ex aliqua causa & defectu materiæ, formæ vel intentionis legitimæ ministri inualidus fuerit, & putans si verè baptizatum, se vt talem gessit, est maior controuersia, an si postea à fide recedat, sit verè hæreticus & vt talis puniendus? Nonnulli affirmant: quia ad hoc satis est, vt se tanquam baptizatum gesserit, ac fidem in Baptismo ex parte suæ intentionis valido professus sit. Ita Azorius *t. 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 3.* *[Azorius. Gabriel. Castro. Simanc.]* Gabriel Alphonsus à Castro, Simanchas apud eum citati. At verius est, non esse hæreticum, cùm verè baptizatus non sit, licet Ecclesia præsumat eum hæreticum esse, donec de Baptismi nullitate constiterit; & certum est posse Ecclesiam cogere illum ad persistendum in fide, ex quo semel, quantum ex parte ipsius fuit, Baptismo se subiecerit. Ita Vgolinus *de censur. Pontifici reseruat. 2. p. c. 1. §. 1. n. 3. fine*, Sayrus *loco citato numer. 11.* Henriquez *lib. 2. de Baptism. cap. 25. num. 6.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 7. nu. 35. & 36.* *[Vgolin. Sayrus. Henriq. Sanchez.]*

4. Causæ hæresum, quædam sunt interiores, quædam exteriores. Interiores sunt peccata, quæ excæcant hominum mentes, vt veritatis lumen videre non possint: indeque facilè abducuntur in errores veritati cōtrarios. Sunt autem tria peccata, ex quibus hæreses prouenire solent: *Superbia, Auaritia, Luxuria.* Propter superbiam seu ambitionem, prima hæresis post Ascensionem Domini cœpit in Simone Mago, qui vt Apostolis dignitate & potestate par esset, credidit licitè emi posse pecunia donum dandi Spiritum Sanctum, per impositionem manuum. *Act. 8.* Sic Aerius hæreticus, sic Ioannes Vvicleff in hæresim lapsi sunt, propter ambitionem Episcopatuum, quos obtinere non potuerunt. Idem posset demonstrari de multis alijs hæreticis, qui studio ambitionis nouas hæreses, vt nouorum dogmatum salutarē nir Magistri essinxerunt. *[Castro.]* Vide Alphonsū à Castro, *lib. 3. de iust. punit. hæretic. c. 1.*

Secundùm peccatum ex quo hæreses oriuntur est Auaritia. Vt Apostolus innuit 1. Timoth. 6. *Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errarunt à fide & inseruerūt se doloribus multis.* Quo etiam facit illud ad Titum 1. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & seductores, maximè qui de Circumcisione sunt; quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Exempla nostris temporibus sunt nimium frequentia & manifesta. Plurimæ enim ciuitates & Domini amplexi sunt hæreticorum errores, vt hoc prætextu inuadere ac rapere possent thesauros Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum.

Tertium peccatum, quod hæresibus occasionem præbet, est Luxuria. Et ideò nulla propemodum hæresis orta est sine fœmina adiutrice. Exempla satis multa ac manifesta hodierni hæretici præbent: quia multi ex Catholicis clericis ad hæreticos declinant propter permissam ob eis licentiam contrahendi matrimonij omnibus, cuiuscumque status ac Ordinis sint: Ita plurimi inter ipsos hæreticos ministerium Ecclesiasticum qualecumque sit, ambiunt, quia vxores liberè habere possunt, quod in Ecclesia Catholica Dei nullatenus permittitur.

5. Causæ exteriores hæresum sunt. *Prima*, defectus prædicationis verbi Dei. *Secunda*, est temeraria prædicatio quorumlibet sine legitima missione Superiorum. Et sunt duplices mali prædicatores; alij qui falsa & hæretica docent. Alij autem qui vera quidem docent, sed non vt decet & oportet. *Tertia*, est negligentia Episcoporum & Pastorum Ecclesiæ. Quam innuit Christus Dominus noster per parabolam, de zizanis per inimicum hominem seminatis, cùm homines dormirent. *Matth. 13. Quarta*, hæresum causa exterior est Episcoporum & Pastorum indignitas, quæ consistit in defectu scientiæ eorum, quæ ad officia ipsorū pertinent; & prudentiæ ad ea dignè ministranda. Itemque in vitæ morumque prauitate. *Quinta* est translatio Scripturæ Sacræ in vulgarem linguam. Nā cum in eadem Scriptura Sacra plurima sint difficilia ac sublimia, quæ simpliciores intelligere nequeunt, fit vt ea potius in alienum, quàm verùm sensum accipiant.

Sexta & vltima causa est lectio inordinata seu frequentior librorum gentilium. Quam innuit Apostol. Colossens. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam.* Vide Alphonsum à Castro *libr. 3. de iusta hæret. punit. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* Lorichium *in thes. verb. Hæresis*, & alios. *[Castro. Lorich.]*

6. Hæresis natura consistit in electione falsa eorum, quæ credenda sunt, vt docet D. Thom. 2. 2. *q. 11. art. 1. in corp.* *[D. Thom.]* scilicet in opinione falsa eorum, quæ pertinet ad fidem: vt habetur *art. 2. eiusdem quæstionis*, & proinde est aliquid internum habituale & permanens; vnde quando quis punitur ratione hæresis, punitur ratione mali sensus, quo malè sentit de ijs, quæ pertinent ad fidem, cum pertinacia, qua obstinatè persistit in falsa opinione. Vnde si quis proferret verba hæreticalia, & etiam malè sentiret de fide, sine tamen pertinacia, sed quæreret veritatem, is non esset hæreticus neque vt talis puniendus, *cap. Dixit Apostolus 24. q. 3.* ex D. August. *[D. Aug. Henriq.]* Actus autem externi non sunt hæresis, sed quædam manifestationes ipsius. Vnde quando agitur de hæresi, non tam verba dicentis, quam mens debet attendi. Imò non reseruatur aut subijcitur excommunicationi peccatum hæresis, nisi quod secundùm

quan-

quantitatem operis externi, & non sola relaxatione ad consensum internum certò constet esse mortalem, dicitque esse multorum recentiorum Henriquez *lib.6.Sum. cap.14.nu.6.lit.l.*

Henriq.

7. Hæreticus non est, qui negat propositionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex propositione de fide. Vt si quis agnoscat, quod Christus verus homo est, neget tamen quòd sit risibilis. Ratio est, quia talis vel agnoscit veritatem præmissarum, nec non illationis euidentiam, & nunc impossibile est, vt conclusioni dissentiat. Vel non agnoscit principij naturalis veritatem, quòd scilicet omnis homo risibilis est, aut si agnoscat, tamen ingenio tam hebes, vt illationis necessitatem non percipiat: tunc hæreticus minimè censeri debet: cùm non sit pertinax circa aliquam fidei propositionem, sed paratus corrigi si conclusionem ex fidei articulis necessariò colligi intellexerit. In foro tamen externo talis præsumitur hæreticus: quia non præsumitur errare in principio naturali, omnis homo est risibilis, sed in vera Christi humanitate. Ita Suarez *de fide disp.19.sect.vlt.n.3. & sequent.* Sanchez *lib.2. moral cap.7.numero* 33. Arragon. *2.2.quæst.11.artic.2.* Diana *part.4.tract.8.resolut.79.* & alij, contra Canum & Valentiam docentes talem saltem esse hæreticum, non directè & immediatè, sed indirectè & reductiuè. Sicut & ipsa propositio non est secundùm se & immediatè de fide, sed mediatè. Quia hic eo ipso errat contra fidem, nam consequenter cogitur ex natura rei propter illationis euidentiam negare præmissam de fide. Quæ sententia videtur non improbabilis.

Suarez. Sanchez. Arrago. Diana. Canus. Valentia

8. Certum est nullam esse hæresim sine pertinacia, vt patet ex definitione ipsius hæresis, quæ est error voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia assertus ab eo qui fidem recepit. Sed difficultas est in declarando quænam sit ista pertinacia, sine qua nullus est hæreticus? Quidam enim iurisperiti sustinent minimè esse hæreticum pertinacem si quis priùs non fuerit admonitus. Sic Alciatus *in l.2. C. de Summ. Trinit. & fide Cathol.num.3.* Menoch. *volum.2. cons.149. num.49.* & alij. Theologi ferè omnes asserunt ad pertinaciam sufficere, quòd sciens quis aliquid esse de fide, deliberatè illud non credat, sed vt quis animaduertat suam opinionem esse contrariam sensui Ecclesiæ Catholicæ & tamen neglecta auctoritate Ecclesiæ persistat in sua opinione. Ita Pesantius, Malderus, Syluius, Bannez, Arragon. & Caietanus *in 2.2.quæst.11. art.2.* & alij penes ipsos. Nonnulli distinguunt dicentes, primam opinionem procedere in foro exteriori, secundam verò in foro interiori. Ita Tannerus *in 2.2.disp.1.q.8.dub.5.num.91. & 94.* Sanctarellus *de hæret.cap.1.dub.4.num.18 in fine.* Verùm si hæc distinctio admittenda esset, pauci hæretici punirentur cum magno Reipub. periculo; quia omnes hæretici se defenderent, dicendo quòd non fuerint admoniti. Sententia Theologorum est amplectenda non solùm in foro interiori, sed etiam exteriori. Ratio est, quia sine speciali admonitione potest esse electio erroris contra Ecclesiam, & si quæ admonitio necessaria est, ipsa notorietate doctrinæ fit, quemadmodum in excommunicationibus à iure lex ipsa sufficienter admonet, vt subsit contumacia, quæ ad excommunicationem requiritur. Ergo non solùm in foro animæ, sed etiam in foro externo potest decerni contumacia, sine aliqua monitione præuia. Vt bene docet Lorca *in 2.2.quæst. vndecima, art.secundo, disput.42. num.8.*

Alciat. Menoc. Pesant. Malder. Syluius. Bannes. Arragon. Caietan. Tanner. Sanctar. Lorca.

9. Hæreticus pertinax est, qui falsò putans aliquid esse ab Ecclesia definitum, contrarium sentit. Ratio est, tùm quia formaliter à fidei ratione recedit, credens non in vniuersum esse vera definita ab Ecclesia. Tum quia verè aliquid de fide negat, nempe, Ecclesiam esse certam fidei regulam, nec fallere, nec falli potentem. Nec obstat, credentem falsò se percutere clericum, cùm verè is laicus sit, non incurrere excommunicationem. Quia hic non est verus clerici percussor. At ille est verus hæreticus. Ita Sayrus *de censur.lib.3.cap.4.num.14.* Henriquez *lib.13.de excommunic.cap.17. num.3.* Bannez *2.2.qu.11. art.2.corollar.3.* & alij.

Sayrus. Henriq. Bannes.

10. Qui diuinæ reuelationi priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit, habens sufficientia indicia reuelationem à Deo esse, verè ac formaliter infidelis est: nam sicuti omnis ille, qui ob auctoritatem Dei reuelantis, tanquam vnicum formale credendi motiuum, reuelatam sibi propositionem prudenter ac piè credit; fidei diuinæ actum elicit: ita huic formaliter oppositum actum infidelitatis exercet, quicumque reuelationi sibi à Deo factæ imprudenter ac pertinaciter dissentit. Ita communiter Doctores. Sed dubium est, an talis sit dicendus hæreticus? Affirmant Sanchez *lib.2.moral.c.7.n.32.* Vega, Catharinus apud ipsum. Ratio est, quia etsi Ecclesia non proponat eam rem reuelatam illi, credendam omnibus, nec huic credendam: at proponit omnibus credendam summam Dei veritatem, quam hic negat, eius reuelationi fidem non habens. Azorius autem *tom.1.lib.8.cap.9.quæst.4.* dicit hunc coram Deo esse verè hæreticum, non tamen incurrere pœnas hæreticorum: quia Ecclesia suas pœnas solis hæreticis statuit, qui ea, quæ omnibus ipsa proponit credenda negant; cuiusmodi non sunt specialiter alicui reuelata. Sed verius est, si propriè & vsitate loquendum, talem nec hæreticum appellari, nec hæreticorum pœnis subiectum censeri debere: quia hæresis est error contra fidem Catholicam: siue hæreticus propriè dicitur, qui in sententijs siue dogmatibus fidei ab Ecclesia contumaciter recedit. Sed quia tres sunt tantùm infidelitatis species, secundùm communem sententiam, vt diximus *tom.1.verbor. Infidelitas, num.6.* dicendum est eiusmodi infidelitatem ab hæresi essentialiter non differre, ideoque ad eamdem speciem reducendam esse. Ita Corduba *libr.1. quæst.9.17.§.1.dub. secundo.* Layman *de fide tract.1.cap.13.num.6.*

Sanchez. Vega. Catharin. Cordub. Layman.

11. Quidam absolutè affirmant hæresim sufficienter probari per testes singulares: Probat, quia testes singulares plenè probant in crimine læsæ maiestatis; ergo etiam in crimine hæresis, cùm sit perniciosius quocumque alio. Tùm quia indubitata indicia in criminibus occultis & difficilis probationis faciunt plenam probationem *l.final.C.de probat.* Illa autem sunt indicia indubitata, quæ faciunt iudicem non dubitare, licet credat potuisse aliter contingere, quia hæc credulitas est dubitatio non practica; sed speculatiua. Crimen autem hæresis est occultum, & difficilis probationis: vnde magnus numerus testium deponentium de hæresi, licet sint singulares, faciunt indicium vehementissimum & indubitatum. Alij docent duos testes singulares non probare hæresim; tres tamen aut plures, qui non sint singulares singularitate obstatiua, probare. Tertia sententia asserit testes singulares in tempore & loco tantùm, concordantes, tamen in specie & secta hæresis, sufficienter probare. Hæc opinio est probabilis, quam sustinent Lessius *libr.2. cap.30. dub.4. numer.33* Miranda *de ordin. iudic. tom.1.quæst.17.art.8. conclus.5.* Anton. Gomez *lib.3. variar.cap.12.num.12.* & alij. Communior tamen & probabilior opinio est, testes singulares in nullo vnquam casu hæresim sufficienter probare, nec posse aliquem ex vi testificationis ipsorum iustè condemnari. Ratio est, quia testes singulares se habent, ac si omninò essent vnus tantùm testis, vt docent communiter Auctores; quia cùm non conueniant in eo, quod deponunt, reuera vnus est tantùm qui deponit; nam plura à pluribus deponuntur. Testis autem vnicus non computatur, sed se habet ac si non esset, in ordine ad sententiam, *cap. In omni negotio & cap. veniens ad nos, de testibus, & l. Iurisiurandi, C. de iureiurando.* Vnde est illud, Dictum vnius, dictum nullius, quia videlicet illi contraponitur negatio rei. Quæ omnia debent habere locum in crimine hæresis, in quo præsertim debent probationes esse luce meridiana clariores: nam agitur de maximo præiudicio rei: & ideo non debet condemnari, nisi certò constet de crimine: & rigorosiores potiùs probationes sunt exquirendæ in hoc crimine quàm minùs sufficientes admittendæ; præsertim quia in hoc crimine conceduntur reo defensiones valde diminutæ: vnde adest periculum ne innocens damnetur. Ita Farinac. *in pract. crimin.quæst.64. de testibus, numer.17. & quæst.63.* Diana *part.4. tract.7.resolut.31. & tract.8. resol. 57. versic. Dico octauo,* Simancas *de cathol.instit.tit.50.numer. vigesimoprimo, & tit.51.numer. secundo,* Layman *lib.3.sect.5.tract. sexto, cap.quarto, numer.quinto.* Sanctarellus *tract. de hæres-*

Lessius. Mirand. Gomez. Farinac. Diana. Simanc. Layman. Sanctar.

res. cap.39.dub.1.numer.4. & alij plures penes ipsos.

12. Quando plures testes deponunt de eadem specie hæresis contra aliquem; quamuis sint singulares in loco tempore & etiam in facto, seu propositione hæretica, dummodo tamen facta & propositiones pertineant ad eamdem speciem hæresis, non sunt singulares, sed omninò contestes; & ideò sufficienter probant in ordine ad condemnationem. Probatur quia tunc testes deponunt de eodem sensu interno & opinione falsa circa fidem, & ideò de vna & eadem hæresi. Ergo sunt omnino contestes circa id, super quo articulatur processus; quia articulatur super ipsa hæresi, non autem super manifestatione: quia articulatur super eo, de quo est puniendus reus; punitur autem ratione falsæ opinionis circa fidem. Confirmat. quia id, in quo diuersi sunt, non est id quod est probandum, sed est ratio dicti ipsorum testium; ideò enim vnus deponit, Petrum esse hæreticum, quia audiuit ab eo propositionem continentem talem hæresim, & alius idem deponit, quia audiuit ab eodem propositionem aliam continentem eamdem hæresim; vnde vtuntur propositione hæretica audita tanquam ratione sui dicti. Vt autem testes sint contestes, non requiritur quòd vtantur eadem ratione sui dicti: sed sufficit quòd conueniant in re testificata; nam ratio dicti est extra rem testificatam; & ideò, si sit diuersa, non tollit concordiam testium in re testificata. Hinc fit, quòd singularitas huiusmodi in hoc casu non tollat fidem testibus, quia tempus & locus, & alia huiusmodi non sunt de substantia illius, de quo articulatur processus; & proinde non tollit, aut minuit cōtestationem per se requisitam. Vnde Lessius *lib. secundo, cap.30. num.33. in fine*, ait, Quod si duo de eadem hære-

Lessius. si asserta deponat, & solùm in tempore discrepent plene probant: quia in substantia delicti conueniunt: & quamuis non sit idem numero actus, tamen quia est idem numero significatuto habetur pro eodem actu: imò discrepantia temporis interdum facit ad maiorem fidem. Ita

Sousa. Simanc. Pasqual. Villalob. ille. Cui adde Sousam *in Aphorism. Inquisit. quæst. vnic. append. sect. secunda, numer. vndecimo.* Simancam *de cathol. instit. titul.64. numer. 75. & sequent.* Pasqualigum *in decis. moral. decis.* 158. Villalobos *in summ. tom. secundo, tractat. decimoseptimo, difficult. 3. numero sexto.* Et ita practicatur ab Inquisitoribus Lusitaniæ, vt asserit Sousa supra.

13. Hæresis sufficienter probatur per testes discordes in verbis, concordes tamen in substantia. *Ex cap. Nihil obstat. de verbor. signific.* Vbi dicitur, *Nihil obstat narrandi diuersitas vbi eadem dicuntur.* Ratio est, quia in testimonio attenditur substantia rei, de qua articulatur processus: quia hinc intendit iudex ponere in claro, cùm sit id, circa quod ferenda est sententia; & ideò non est exigendum à testibus quod in alio sint concordes, quàm in ipsa substantia: cùm hæc tantùm sit probanda ex intentione fori. Hoc autem contingit, quando testes deponunt diuersis verbis de eadem hæresi: qui concordant in sub-

D.Tho. stantia criminis, nempe hæresis. Ideò D. Thomas 2.2. *quæst.70. art. 2 ad 2.* docet. Si verò sit discordia testimonij in aliquibus circumstantijs non pertinentibus ad substantiam facti, &c. talis discordia non præiudicat testimonio, &c. Quinimò aliqua discordia in talibus facit te-

D.Chris. stimonium credibilius, vt Chrysostomus ait super Matthæum: quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis viderentur ex condicto eumdem sermonem proferre. Ita Sanctus Doctor, & cum illo Diana *part.4. tract. 8. resol.57. vers. Dico decimò*, Mascardus *lib.2. de probat.*

Diana. Mascar. Royas. *conclus.856. num.18. & seq.* Royas *tract. de hæret. part.2. assert.6. num.131.* & alij.

14. Quidam sentiunt plures testes singulares absque alijs indicijs, præsumptionibus, & adminiculis, sufficere pro tortura in crimine hæresis. Fundatur hęc sententia *ex l.2. Cod. de Hæreticis*, vbi habetur; quod ex leui argumento quis probatur hæreticus; quod cum non possit in-

Mascar. telligi quoad condemnationem, debet intelligi quoad inquisitionem & torturam. Ita Maschardus *tom.2. de probat. conclus.856. numer.17. & 25.* vbi asserit, hoc in praxi

Gomez. Eymeri. seruari Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap.13. numer.7.* qui dicit esse communem opinionem. Verùm vnicum testem non sufficere, vt deueniatur ad torturam; atque adeò nec plures singulares, qui vnico tantùm æquiualent, docent Eymericus *in Direct. Inquisit. part.3. quæst.61. num.8.* Et hæc sententia tutior est. Ratio est, quia in tribunali Inquisitionis, non manifestantur testes, ex quo fit quod non possint à reo dari exceptiones contra ipsos, quæ fortasse eos inualidarent, & quòd facilè quis induci ex hoc possit ad accusandum de falso, & sic daretur locus calumniæ. Tum quia torqueri ratione criminis hæresis, etiamsi non sequatur damnatio, imponit infamiam, quæ, cùm sit in tali genere: grauissima est; & per hoc declaratur ipso facto suspectus de hęresi, quod est valde præiudiciale vnicuique. Tum quia testes singulares non faciunt vehemens & violentum indicium, nisi aliud concurrat; nam violentum indicium est illud, quod habetur pro manifesta veritate, *cap. is qui, de sponsal.* Vnde contra ipsum non admittitur regulariter probatio. Hoc autem non competit testibus singularibus. Propterea non sufficere vnicum testem, etiam omni exceptione maiorem, ad torquendum reum bonæ famæ docent Diana *part.4.* Diana.

tract.6. resolut. sexta, versic. sed quid. Sanchez *lib. sexto,* Sanchez.

consil. moral. cap.3. dub. decimoquinto, Simanca *in Enchirid. tit.52. numer. decimotertio,* Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. secundo, cap.39. num. decimoseptimo*, & alij plures penes ipsos. Simanc. Sousa.

15. Controuersia est inter Iurisperitos, an possit puniri vt hæreticus, contra quem testes singulares deponunt diuersos actus & species hęresis? Plurimi negant, quia iste de nulla hęresi plenè conuincitur: qui autem non conuincitur duobus legitimis testibus, non potest de hęresi condemnari; quia in hoc crimine requiruntur vberiores probationes; cùm defensionis ordo sit quasi imperfectus & truncatus. Tum quia quod non est verum in specie, nec etiam potest dici quod sit verum in genere: & consequenter si quis non potest damnari, vt talis hęreticus, nec etiam potest damnari vt hęreticus; ex eo autem quòd singulares testes deponant de singularibus speciebus hęresis contra aliquem non est verum quòd ille sit hæreticus in tali specie hęresis. Ergo nec quod simpliciter sit hęreticus. Hanc sententiam sustinent Simanca *tractat. de hæretic. titul.64. numer. 70. & sequent.* Royas *tract. de hæresi part. secunda, assert.6. num. 142. & sequentib.* Farinacius *quæst.64. de testibus numero 207.* Diana *part. quarta, tract. octauo, resolut.57. versicul. Dico vndecimo*, & alij. Verior tamen sententia asserit talem posse damnari, quia hæreses inuicem colligantur & ad vnum finem tendunt, & ideò testes singulares deponentes de diuersis hæresibus sufficienter probant; quia vnus implicitè deponit, quod deponit alter explicitè, ob colligationem hæresum. Vnde in hoc casu potest iudex formare processum contra reum, in quo articuletur ipsum esse hæreticum absolutè, hoc est, defecisse à fide Catholica: & super hoc poterit interrogare testes, qui vtentur singularibus hæresibus, de quibus deponunt, tanquam ratione sui dicti. Et tunc testes non sunt singulares, sed concordes: concordant enim in principali puncto, de quo formatur processus, quod videlicet reus deseruerit Catholicam fidem, & solùm sunt singulares in ratione sui dicti, quod non tollit quin sint contestes: nam non testificantur de ratione sui dicti, sed de ipso dicto. Ita Misingerus *obseru. 76. 3. vers. Hanc Doctorum repugnantiam*, Pasqualigus *in decision. moral. decision. 161.* & alij multi apud ipsum, qui ad rationes prioris sententiæ rectè respondet. Simanca. Royas. Farinac. Diana. Mising. Pasqual.

Plura hic possent adduci de hæreticis, sed quia pertinent ad forum externum, ideò ab illis supersedemus, de quibus videri possunt Iurisperiti tractantes de hæreticis & præcipuè Sapientissimus Diana *part.4. tract. 6. 7. & 8.* apud quem multa de hac materia. Diana.

Vide hoc tomo verb. Absolutio *numer.12.* Bellum *numer.16.* Baptismus *4. numer. 13.* Beneficium *2. numer. primo.* Excommunicatio *2. num.22. 23. & 24.* Et tomo 2. Papa *numer.10.* Sepultura *numer. 15.* Spes *numero 4. & 13.*

HOMICIDIVM I.

Quodnam homicidium prohibeatur, & quod permittatur.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit homicidium & quale peccatum?*
2 *An occisio animalium prohibeatur præcepto, Non occides?*
3 *An liceat priuata authoritate interficere malefactores.*
4 *An in foro animæ liceat parenti vel marito occidere filiam vel vxorem in adulterio deprehensam?* refertur duplex sententia.
5 *An liceat homini priuato interficere Principem tyrannum?*
6 *An sit licitum seipsum perimere? vel cooperari ex iusta causa ad propriam mortem?*
7 *In quibus casibus non teneatur homo vitam suā tueri?*
8 *An mortaliter peccet qui ex intentione, aut aduertenter vitam notabiliter ieiunijs &c. abbreuiat? Et an liceat sibi mortem exoptare ad vitanda mala temporalia.*
9 *An possit fœmina seipsam occidere ne ab alio violetur?*
10 *An aliquando liceat directè occidere innocentem?*
11 *In quibus casibus & licita sit occisio alterius ad sui defensionem?*
12 *An licitè possit occidi furiosus, vel amens, vel ebrius, vel dormiens, alterum iniustè inuadens?*
13 *An licitum sit occidere satellites, seu publicos ministros, cum moderamine inculpatæ tutelæ?*
14 *An liceat occidere iniustum inuasorem? & an aliquādo ad id teneamur.*
15 *An inuasus possit se tueri cum periculo innocentis?*
16 *An liceat aggressorem propria vita præuenire, antequam inceperit moraliter actum aggressionis.*
17 *An licitum sit occidere eum qui falsis testibus subornatis vitam tuam oppugnat in iudicio?* refertur duplex sententia.
18 *An liceat matri grauidæ præbere pharmacum mortiferum fœtui? Et an liceat impedire prolis conceptionē.*
19 *An omnibus licitum sit occidere inuasorem suarum facultatum si illæ sint magni momenti?*
20 *Recensentur varij modi inuadendi rem alienam.*
21 *An pro defensione suæ pudicitiæ licitum sit cuilibet occidere inuasorem.*
22 *An occidere inuasorem liceat inferentem ignominiā, si aliter hæc ignominia vitari nequeat.*
23 *Varij modi ponuntur quibus honor alterius potest impeti & auferri, & in quibus conceditur defensio.*
24 *An liceat occidere illum qui apud Principem iudicem, vel viros honoratos falsis criminationibus detrahit de alio?* refertur duplex sententia.
25 *An licitum sit acceptare duellum.*
26 *An clerici, religiosi, & infimæ conditionis homines peccent contra iustitiam, occidendo inuasorem, si absque periculo vitæ fugere possint?* Refertur duplex sententia.
27 *An liceat vitam proximi, quæ ab alio priuata authoritate impetitur, tueri etiam cum interfectione inuasoris.*
28 *An teneatur quis vitam hominis priuati tueri cum probabili periculo vitæ suæ.*
29 *An peccet mortaliter & teneatur ad restitutionem qui non defendit vitam, vel fortunas proximi dum commodè potest.*
30 *An potestas publica possit mutilare malefactores & occidere? & an homini liceat sibi amputare membrum, vel membri partem.*
31 *An ad vitandas carnis tentationes & ad peccatum fugiendum liceat sibi membrum, vel membri partem mutilare.*
32 *An ad euitandam mortem, iubente iudice, vel tyranno, licitum sit sibi membrum amputare.*

1 PRæcepto decalogi, *Non occides*, omnis & sola illa hominis occisio prohibetur, quę rectæ rationi dissona & repugnans est, hoc est, qua homo priuatur vita rationali contra rationem rectam & rationabilem hominis voluntatem; vnde homicidium definitur, *iniusta hominis occisio*; & est peccatum mortale, tantoque grauius quantò iniustitia, quæ fit homini dum vita priuatur, maior est. D. Thomas 1. 2. q. 100. *art.* 8. *ad* 3. Victoria *de homic. à num.* 14. *ad* 20. Toletus *lib.* 5. *cap.* 6. & alij. D. Tho. Victoria Toletus.

2. Occisio animalium non prohibetur hoc præcepto, *Non occides*, imò de fide tenendum est, homines in suos vsus animantia, & plantas posse interimere, quia in scripturis homo constituitur Dominus omnium inferiorum, ergo potest ea in vsum suum conuertere, vt constat Genesis 9. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* D Thomas 2. 2. *q.* 64. *art.* 1. Syluius *ibi*. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 1. D. Tho. Syluius Molina. Lessius.

3. *Priuata authoritate* non licet interficere malefactores, sed tantùm publicè, quia non licet interficere peccatores, nisi ob bonum Reip. atqui procuratio boni publici, pertinet ad publicam potestatem, quæ est in Principe vel Magistratu: *hinc* proscripti, contra quos lata est sententia capitis possunt à priuato homine interfici, quia hoc fit publica authoritate iustitiæ, cuius quilibet est minister respectu proscriptorum: *tamen* si proscriptus esset extra territorium eius, qui condemnauit, non posset occidi, nisi Princeps loci illius facultatē concedat: *imo* proscripti possunt seipsos inuicem, etiam proditoriè & per insidias occidere, propter propositum sibi præmium à Principe, vel ob promissam libertatem, quia hoc fit publica auctoritate & aliquando expedit bono communi. Vide supra v. Bannitus. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 64. *art.* 2. Arragon *ibid.* Azorius 3. *p. lib.* 2. *cap.* 2. *quæsit.* 2. & 4. Reginaldus *lib.* 21. *cap.* 2. *num.* 18. Syluius *cit. art.* 3. Syluester *v. Homicidium* 1. *num.* 7. & alij. D. Tho. Arragon Azorius. Reginal. Syluest.

4. Quidam iurisperiti putant fas esse parenti, si filiam in adulterio deprehenderit, ipsam cum adultero occidere, modò adsint hæ conditiones. Castillo *in leg.* 82. *Tauri num.* 6. Antonius Gomez *ibid. num.* 52. *Prima*, vt filia sit iuncta matrimonio. *Secunda*, vt sit in Patris potestate. *Tertia*, vt eodem impetu occidat filiam & adulterum. *Quarta*, vt id fiat in domo Patris, vel generi. *Quinta*, vt deprehendat eos in opere turpi: idem putant licitum marito, in domo propria, in adulterum vxoris, si adulter sit persona vilis; quia leges ciuiles non solùm hoc permittunt, sed etiam expressè dant ius & potestatem, *l. marito, ff. de adulterijs*, & *l. Gracchus eod. tit.* *Hæc sententia* videri posset non improbabilis. Tamen contrarium est tenendum in foro animæ, scilicet, non esse licitum ante iudicis sententiam; licet impunè hoc permittatur à legibus, ob nimium dolorem, quo lacessitus hoc facit: quare peccat in conscientia, cùm sit contra ius naturæ occidere aliquem ante conscientiam, & inaudita parte. Sà *v. Homicidium n* 13. 14. Lessius *cit. dub.* 5. Nauarrus *de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 220. Diana *de Sacram. res.* 223. *part.* 3. Syluius *in supplem. quæst.* 60. *art.* 1. Sancius *in select. disp.* 48. *num.* 60. & alii. Ita etiam Pontius *de matr. lib.* 9. *cap.* 15. qui priorem sententiam improbabilem, & falsam esse existimat: & illam reprobant 48. Doctores, quos citat & sequitur Barbosa *in collectan. tom.* 4. *part.* 2. *causa* 33. *quæst.* 2. Ratio est, quia ex contraria sententia daretur occasio occidendi impunè quemlibet, fingendo quòd cum filia, vel vxore voluerit commercium habere, & exponeretur manifesto periculo animæ sic interfectorum salus, qui capi possunt, accusari, & per Iudicis sententiam puniri. Castillo. Gomez. Sà. Lessius. Nauarr. Diana. Syluius. Sancius.

5. Homini priuato non licet interficere legitimum Principem, qui est tyrānus solo regimine & administratione, hoc est, quando iniustè onerat subditos, discordias seminat dedita opera, vt eos bonis spoliet, & ipse exaltetur, ditetur, &c. hæc veritas tamquam de fide tenenda est, vt patet ex *Concilio Constantiensi session.* 15. quia Princeps etsi tyrannicè regat, tamen manet superior, & scriptura iubet nos parere Principibus ethnicis. *Quando* autem Princeps tyrannus est ratione tituli, nempe si absque vllo iure, armis principatum inuadat, vel occupet; talis potest à quouis de regno interfici, modò iste

conditiones interueniant. *Prima*, vt non pateat recursus ad superiorem. *Secunda*, vt constet esse tyrannum titulo Imperij. *Tertia*, vt non sit contra expressam Reipub. voluntatem. *Quarta*, vt non timeantur maiora mala ab eius successoribus. *Ratio* autem est, quia talis non est Princeps, sed iniustus inuasor, continuè vim afferendo Reip. vnde etiam illi vim licet inferre, illum occidendo. Ita Molina *tom.4.tract.3. dispu.6.* Bannez 2. 2. *quæst.* 64. *art.3.* Sa *verb. Tyrannus.* Malderus 2.2. *tract.3. cap.1. dub.4.* Bonacina *de restit. disp.2.quæst. vlt. sect.1. punct.3.* Clauis regia *cap.10.num.2. & seq.* Lessius *cit. dub. 4.* Syluius 2. 2. *quæst. 64. art.3. conclus. 1. & 2.* & alij. Hæc tamen sententia communiter excepta, Filliucius *tract. 29. cap. 1. num. 14.* dubia & suspecta est, & nemini iure consulenda, si extendatur ad Tyrannum, qui inuaserit regnum, & retineat qualemcumque possessionem Principatus & administrationem. Tum quia nullus deijci à possessione debet, nisi prius audiatur, & iudicetur. Tum quia euidentia patrati sceleris, quamuis accusationem, & probationem non requirat, exigit tamen sententiam declaratiuam. Tum denique quia priuato cuiusque iudicio, tam grauis res minimè concedenda est, sed publicum iudicium postulat, & tamquam vltimum remedium adhibendum, cùm alia non profuerint. *Ita ille* satis probabiliter, qui prædictam communem sententiam etiam admittit, nempe licere tyrannum interficere, pro eo tempore, quo inuaderet alienum regnum, & in ipso actu inuasionis, & huic sententiæ adhæret etiam Azorius *tom. 2.lib.11. cap.5. quæst.10.* Diana *part.5. tract.4.res.21.*

Molina. Bannez. Sà. Malder. Bonac. Cla. reg. Less. Syluius. Filliuc. Azorius. Diana.

6. Non est licitum seipsum directè, seu ex intentione perimere, iuxta communem Doctorum sententiam: quia liber homo non est Dominus vitæ & membrorum suorum: vnde peccat mortaliter, qui priuata authoritate occidit aliquem etiam volentem & consentientem; tamen licitum est, quando iusta causa subest aliquid facere vel omittere, vnde certo scitur secuturus interitus, hoc est, licet cooperari ad propriam mortem, & id tripliciter. *Primò*, indirectè per accidens, & mediatè, exponendo vitam periculo, ob rationabilem causam, aut omittendo actiones ad vitam necessarias. *Secundò*, immediatè & directè, sed ex præcepto Dei, vt fecit *Sampson & Sancta Apollonia. Tertiò*, publica authoritate, si quis coactè sumat venenum, hæc enim cooperatio non videtur contraria iuri naturæ. Ex his colligitur solutio multorum casuũ sequentium. Vide D. Thomam 2. 2. *quæst. 64. art.5.* Nauarrum *cap.15.num.11.* Toletum *lib.5.cap.6.* Clauem regiam *lib. 7. cap. 9.* Lessium *cit. dub. 6.* Sà *verb. Iudiciales actus num.54.* Arragon *2.2.q.69 art. 4.* Syluium *cit.art.5.* & alios.

D. Tho. Nauar. Toletus. Cla. reg. Lessius. Sà. Arragon Syluius.

7. Cõmuniter tenetur vnusquisque sub peccato mortali vitam suam conseruare, in quantùm potest & debet; tamen sunt *multi casus*, in quibus quamuis possit, non tenetur homo vitam tueri. *Primò*, quando quis permittit se occidi, ne alter moriatur in peccato mortali: quod intelligendum est, de eo, qui non est persona publica, & Reip. vel alijs multũ vtilis; si enim talis esset, & nõ alter, teneretur se defendere etiam occidendo. *Secundò*, miles potest, sed non tenetur deserere stationem in periculo cõmuni; etsi certus scit se occidendum. *Tertiò*, reus potest non fugere ex carcere, etsi certò sciat se morte plectendum. *Quartò*, condemnatus ad mortem per famem, potest abstinere à cibo clanculum oblato. *Quintò*, in naufragio potes alteri permittere tabulam à te occupatam, & committere te vndis. *Sextò*, si duo in extrema necessitate constituti sint, potest alter alteri cedere panem, sinere se emori. *Septimò*, potest quis obijcere se telo ad conseruandam vitam Principis & amici: imò si amicus sit damnatus ad mortem iniustè, potest se pro illo offerre occidendum. *Octauò*, licet militibus de communi consensu inijcere pulueri tormentario ignem quo nauis incendatur, vel dare se præcipites in mare, etiam cum aperto vitæ periculo, ne nauis veniat cum ipsis in manus infideliũ. *Nonò*, excusari etiam possunt, qui sua corpora agilitate ambulant super funem, aut sumunt venenum, adhibito statim remedio; quamuis enim hæc sint periculosa, nihilominus purgantur periculum, per applicationem sufficiẽtis remedij. *Ratio* horum omnium est, quia non est prohibitum homini, ne vitam suam periculis vnquam exponat, sed tantùm ne ex intentione illam quasi exosam auferat. Vide Clauem regiam *lib. 7. cap. 9. num. 19. & seq.* Bonacinam *cit. punct 5. n. 4. & seq.* Lessium *cit. dub 6. n. 27. & seq.* Sà *v. Homicidium*. Toletum *lib.5.cap.6.* Syluium *cit. art.5.* Malderum 2. 2. *tract.3. cap.1. dub. 19.* P. Nauarram *lib. 2. cap.3. n. 73 82. & seq.* Marchantium *in decal. cap.5. quæst.8.cas.4.* Rodriquez *1. p. cap. 137. num. 1. & 2.* Dianam *part.5. tract.4. resol. 26.28. 31. 41. & 42. & part.6. tract. 7. resol.48.*

Cla. reg. Bonac. Lessius. Sà. Toletus. Syluius. Malder. Nauarr. March. Rodriq. Diana.

8. Qui ex intentione, aut etiam aduertenter sine tali intentione, vitam notabiliter ieiunijs, vigilijs, abstinentijs, Psalmorum decantatione abbreuiat, mortaliter peccat. Nauarrus *cap.15. num 12.* P. Nauarra *lib.2. cap.3. n. 88.* Victoria *de temper. num.12.* Azorius *1.p. lib.5. cap.6. q.7.* Arragon *2. 2. q.64.art.5. ad 5.* Diana *part.5. tract. 4. resol. 33.* Pasqualigus *in praxi ieiunij Eccles. decis. 27.* & alij: quia quilibet tenetur ex charitate seipsum conseruare, & non habere affectum contrarium: tamen non videtur peccare, qui per moderatam abstinentiam, per ieiunia, per macerationes vel studia præuidet fore, vt vita abbreuietur, non intendens mortem, sed virtutem, hoc enim non repugnat rationi; cum hæc opera sint laude digna.

Nauar. P.Nau. Victoria Azor. Arragon Diana. Pasqual.

Ex dictis sequitur, quòd, si quis suscipiat indiscretas abstinentias, & ieiunia, quæ vitam abbreuiatura sint; sed hoc non aduertat, & intendat profectum spiritualem animæ, excusetur à peccato. Inaduertentia enim facit, quod vitæ diminutio non sit voluntaria, vnde cùm totum id, quod est voluntarium sit bonum, in hoc non peccatur.

Sed quæres, an liceat sibi mortem exoptare, ad vitanda mala temporalia, ægritudinem, internam afflictionem, paupertatem, &c. Respondetur affirmatiuè: quia prudenter quis censere potest maius malum aliquam afflictionem, quàm mortem, non est ergo contra charitatem sibi debitam, velle mori potiùs quàm illud pati: Extra autem casum magnæ calamitatis, aut afflictionis, huiusmodi desiderium vix potest excusari à mortali; quia grauiter lædit charitatem sibi debitam, qui vult priuari maximè bono naturali, cuius non est dominus, absque vlla causa alicuius momenti: desiderium enim mortis talis naturæ est, vt nisi fine honesto, aut bono non leuis momenti cohonestetur, grauiter malum sit, sicut est grauiter malum occidere, vel infamare proximum, nisi adsint causæ iustissimæ. Vide Sancium *in select. disput. 2. num.9.* Sotum *in 4. dist. 5. quæst. vnic. art.5. post 5. conclus.* Granadum *2.2. contr.3.tract.6.disp.2. sect.4. n.22.*

Sancius. Sotus. Granad.

9. Non potest fœmina seipsam occidere, ne ab alio violetur: nam violatio non imputatur illi ad peccatum, nisi adsit consensus, neque per hoc virtus castitatis, aut laureola amittitur, cùm potiùs dicatur pati, quàm agere: secùs dicendum est de viro, qui ob metum mortis fornicationem committit, hic enim non excusatur à peccato cùm actiuè concurrat ad actum, consentiat, & velit illum actum agere: in eo autem casu, quo mors fœminæ comminata est, nisi sinat se cognosci, potest se negatiuè habere; immota manens, si periculum consensus absit: sed quia valde difficile est, ob vehementem naturæ in hunc actum inclinationem, & delectationem, non consentire, ideò licitè poterit, id periculum præueniendo, resistere, etiam morte spreta; imò laudabiliter pro virtute moueretur. Reginaldus *lib. 21. num. 43.* Nauarrus *cap.16.num.1.* Toletus *lib.5. cap 6. num. 4. & cap. 10. n. 10.* Clauis regia *lib.7. cap.9. num. 23.* Benedictus *in sum. lib.2.cap.4. num.7.* Diana *tract.6. miscell. resol. 31. part.3.* & alii.

Regin. Nauar. Toletus. Cla. reg. Bened. Diana.

Ex ignorantia tamen inuincibili, posset quis excusari ab homicidio sui ipsius; puta, ad vitandam ignominiam, vel seruandam castitatem: non est enim improbabile ignorantiam excusasse à culpa lethali actum, quo *Lucretia* seipsam interfecit: Nam se occidere ob pudicitiæ custodiam, non est ita euidens esse malum, quin inculpatè possit ignorari, & putari licitum: & quamuis homicidium sit contra lumen naturæ secundarium, hoc est, contra conclusiones deductas ex principijs notis lumine naturali, tamen potest cadere ignorantia in eiusmodi

ve-

veritate: non solùm inter ethnicos, sed etiam apud multos Christianos: vt à multis excusatur factum S. Apolloniæ. Ita Sotus *de iustit. lib. 5. quæst. 1. art. 5.* Malderus 2. 2. *tractat. 3. cap. 1. dub. 17.* Molina *de iustit. tom. 4. tract. 3. disp. 9.* Filliucius *tract. 29. num. 67.* Lessius *lib. 2. cap. 9. num. 23.*

Sotus. Malder. Molina. Filliuc. Lessius.

10. Non licet occidere directè innocentem: quia cùm nullus hominum habeat dominium vitæ alterius, nemo potest eam tollere, nisi vel ad necessariam defensionem, vel ad criminum punitionem: vnde si tyrannus persequeretur innocentem, & minaretur vrbi excidium, nisi illum interimat, non potest ipsum interficere: posset tamen Resp. cogere innocentem, vt tyrannum accedat, & si ire nolit potest illum tyranno tradere: quia innocens in eo euentu, tenetur mortem obire pro patria, & vltrò se offerre tyranno, morti se exponendo, si certum sit calamitatem communem auersum iri; ergo etiam ad hoc potest cogi. D. Thom. *cit. art. 6.* Sylu. *ibi.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 10. n. 4.* P. Nauarra *lib. 2. cap. 3. n. 120.* Lessius *cit. dub. 7.* Bonacina *cit. punct. 7. n. 1.* & alij. Imò secundùm Tannerum, Filliucium, Bannem, quos sequitur & citat Diana *par. 5. tract. 4. res. 23.* talis si contumaciter resistat, potest à Rep. occidi: quia reuera non est ampliùs innocens, sed maximè nocens: horum tamen sententiam maximè improbat Syluius 2. 2. *quæst. 64. artic. 6.* & ego.

D. Tho. Syluius. Molina. Nauar. Lessius. Bonac. Tanner. Filliuc. Bannez. Syluius.

11. Vt licita sit occisio alterius, ad sui defensionem requiritur: *Primò*, vt vis ab altero inferatur, & inuasor iniustè inuadat. *Secundò*, vt occisio fiat in ipso actu aggressionis, itaut non præueniatur inimicus. *Tertiò*, vt occisio non fiat post factum, quia aliàs esset vltio & non defensio, nisi fortè hoc fieret ad defensionem honoris. *Quartò*, vt fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, quando efficitur id tantùm, quod expedit ad vitam conseruandam, seu quando adhibetur ea moderatio, & cautio, sine qua iniuria depelli non potest. *Quintò*, vt inuasus probabiliter credat; se grauiter lædendum, vel occidendum, si vim non repellat, seu inuasorem, non occidat: his conditionibus positis, fas est occidere iniustum inuasorem, ob defensionem vitæ suæ, & integritatis membrorum. Clauis regia *lib. 7. cap. 10. num. 18.* Nauarrus *cap. 15. num. 3.* Syluester *verb. Bellum 2. n. 1.* Rodriquez *1. p. cap. 135.* Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 8. punct. 4.* Lessius *cit. dub. 8. num. 41.* Bannez 2. 2. *quæst. 64. art. 7.* D. Antoninus 3. *p. tit. 4. cap. 3. §. 1.* Syluius *cit. art. 7.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 1. & 2.* & alij: quia vim vi repellere, leges omniaque iura permittunt, vt ait Alexander III. *in cap. si vero, de senten. excommunic.* *Quare* etiam clericis & monachis hoc concessum est, sicut laicis, idque contra quoscumque, etiam contra superiores, monacho contra Abbatem, filio contra parentem, seruo contra dominum, vasallo contra Principem, & in quocumque officio sit quis occupatus, si quis celebret, & innadatur, potest se tueri, & occidere inuasorem, si necesse sit, & postea sacrum continuare: *nota* tamen si ex morte Principis sequeretur magnum reipublicæ damnum, vt bella ciuilia ob successionem, tenetur persona vilis perpeti mortem. Vt docent Lessius *cit. num. 42.* & Molina *disp. 14. concl. 2.*

Cla. reg. Nauarr. Syluester. Rodriq. Valentia. Lessius. Bannez. D. Anto. Syluius. Diana. Alex. III.

12. Licitè potest occidi furiosus, vel amens, vel ebrius, vel dormiens, qui me iniustè inuadit, si aliter euadere non possum; qui autem iniustè inuasit à principio, sed postea voluit ab inuasione desistere, suamque voluntatem inuaso indicauit, Titius autem inuasus noluit à pugna desistere, non peccat peccato homicidij, occidendo Titium, si aliter non potest vitam suam defendere, quàm illum occidendo: In foro tamen externo puniretur Caius tamquam homicida, & ad restitutionem damnorum condemnaretur, quia incepit actionem periculosam homicidij, ad quod præcauendum, non adhibuit sufficientem cautionem. Lessius *cit. num. 42.* Molina *tom. 4. tract. 3. disput. 11. num. 2.* Bonacina *cit. punct. 8. num. 5. & 6.* & alii.

Lessius. Molina. Bonac.

13. Licitum est occidere satellites, seu publicos ministros cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando iniustè conantur interficere innocentem, vel illum capere, vt iniustè occidatur; si autem non constet eum esse innocentem, sed bona fide munus suum obeant, non possunt occidi. Ratio est, quia bonum commune postulat, vt ministris bona fide publicum officium exercentibus, iniuria, aut damnum non inferatur. Rodriquez *1. p. cap. 135. num. 9.* Arragon 2. 2. *q. 69. art. 4.*

Rodriq. Arragon.

14. Quamuis liceat occidere iniustum inuasorem, ob defensionem vitæ nostræ, ad hoc tamen, regulariter loquendo, non tenemur; quia possumus exponere vitam nostram pro vita temporali proximi: imò sæpe laudabilius est, permittere se occidi, quàm occidere: *in aliquibus* autem *casibus* tenemur occidere inuasorem, verbi gratia, *quando* inuasus est valde vtilis Reipub. bonum enim commune priuato præferendum est: vel *quando* ex inuasi morte sequeretur maximum damnum familiæ, vt vxori & filijs, quibus tenetur inuasus alimenta præstare, vel *quando* inuasus putat se esse in peccato mortali, & timet damnationem, si tunc temporis occidatur, quilibet enim tenetur magis diligere salutem animæ suæ, quàm proximi. Toletus *lib. 5. cap. 5. n. 10.* Sà *v. Homicidium num. 17.* Molina *cit. d. 14. num. 1.* Rodriquez *num. 17.* Lessius *cit. num. 56.* Syluius *cit. art. 7. quæsit. 1.* Diana *p. 5. tract. 4. resol. 14.* & alij.

Toletus. Sà. Molina. Rodriq. Lessius. Syluius. Diana.

15. *Inuasus*, si non possit se tueri nisi cum periculo innocentis, quo inuasor se protegit, potest se defendere cum illo periculo, secundùm Cordubæ probabiliorem sententiam: quia qui inuaditur, ius habet se tuendi & defendendi, quo iure non priuatur, ex illa innocentis interpositione: si tamen fugere potes, teneris saltem ex charitate, ne innocentem interficias: *idem* dicendum de illo, qui fugit hostem, & infantem poterit præ angustia itineris: *ratio* eadem est, quia iste ius habet ad fugam via publica, quo iure non potest priuari, in tanto discrimine, ratione infantis ibi constituti; in casu tamen quo infans esset moriturus sine baptismo, lege charitatis teneretur potiùs se permittere occidi, quia salutem proximi spiritalem suæ corporali anteponere tenetur. Corduba *quæst. 38. lib. 1. dub. 2.* P. Nauarra *lib. 2. cap. 3. num. 147.* Rodriquez *cit. num. 6. & 7.* Bonacina *cit. punct. 7. num. 1.* Lessius *cit. dub. 9.* Syluius *cit. art. 7. quæsit. 3.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 34.* & alij.

Corduba. Nauarr. Rodriq. Bonac. Lessius. Syluius. Diana.

16. *Aggressorem* propriæ vitæ non licet præuenire, antequam inceperit moraliter actum aggressionis, quia, ante actum aggressionis non infertur vlla vis, quæ sit repellenda: *hinc* sequitur licitum esse vxori occidere maritum, qui iam collocauit pugionem sub ceruicali ad eius necem, aut parauit venenum, vel quid simile, modò non sit alia spes euadendi ex eius manibus; non liceret tamen adulteræ, quæ noluit maritum conscium esse sui adulterij illum occidere, si maritus nondum se parauit ad illam occidendam. *Malefica* autem, quæ magicis artibus assiduè per dæmonem nocet, potest cogi verberibus ad desistendum, quando non adest alia via euadendi; imò potest occidi, modò certò constet eam esse mali authorem & putetur sine nouo maleficio prius maleficium tollere posse. *Præterea*, ille potest occidi, qui per famulum vel sicarium me aggreditur, nec adest alia ratio euadendi. *Porrò* quando aduersarius prouocat me ad duellum, nec aliter possum euadere, nisi illud acceptem, possum acceptare, imò si sim inermis, rogare possum vt arma mihi permittat, hæc est enim vera defensio vitæ. De his vide Nauarrum *cap. 15. num. 3.* Bannez *cit. quæst. 64. art. 3. dub. 4. conclus. 2. & 5.* Rodriquez *cap. 135. num. 1.* Lessium *cit. num. 46. & seq.* Bonacinam *cit. punct. 9.* Molinam *cit. disput. 12.* Dianam *par. 3. tract. 5. misc. resol. 90. & par. 5. tract. 4. res. 5.* Syluium 2. 2. *quæst. 64. art. 7. quæsit. 6.* Marchantium *in summ. ad decalog. cap. 5. quæst. 2. cas. 3.* & alios.

Nauarr. Bannez. Rodriq. Lessius. Bonac. Molina. Diana. Syluius. March.

17. Quidam Doctores concedunt, & probabile esse sentiunt, licitum esse occidere eum, qui vadit ad iudicem, vt imponat falsum testimonium, propter quod eris occidendus, vel infamandus, vel amissurus bona temporalia, vel qui falsis testibus subornatis vitam tuam oppugnat in iudicio: quia hoc non est inuasio, sed iusta defensio: Idem extendunt ad eum qui contra iustitiam legalem pandit crimen occultum: Ita Bannez 2. 2. *q. 64. art. 7. dub. 4.* cuius sententiam putant probabilem P. Nauarra *lib. 2. cap. 3. n. 391.* Rodriq. *in sum. tom. 1. cap. 73. n. 1.*

Bannez. Nauarr. Rodriq.

Sanches

Sanchez *lib. 2. moral. cap. 39. num. 7.* Verùm licet hæc sententia speculatiuè quidem valde probabilis sit, eò quòd falsum deponens videatur me occidere alieno gladio, & me iniustè infamare, non tamen in praxi est admittenda, ob incommoda, quæ ex ea sequi possunt: facilè enim homines sibi persuaderent se per calumniam accusari, & non esse refugium præter mortem accusatoris, sicque aperiretur via multis homicidijs. Ita Bonacina *cit. punct. 9. num. 7.* Lessius *cit. dub 8. num. 47.* Diana *tract. 5. misc. res 97. part. 3. & part. 5. tract. 4. resol. 7.* Syluius *2. 2. quæst. 64. art. 7. quæsit. 6.*

Bonac. Lessius. Diana. Syluius.

18. Nunquam licitum est antè, vel pòst animationem fœtus, dare matri grauidæ pharmacum mortiferum fœtui, seu ex sua vi ordinatum, ad abortum, vel mortem fœtus. Couarruuias *p. 2. §. 3. num. 1.* P. Nauarra *lib. 2. cap. 3. num. 140.* Nauarrus *cap. 25. n. 61.* Syluester *verb. Medicus q. 4.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. n. 8.* Graffijs *1. p. lib. 2. cap. 63. n. 24.* Lessius *cit. dub. 10.* Clauis regia *lib. 7. cap. 12. num. 20.* Diana *tract. 5. misc. resol. 11. part. 3.* & alij: quia non potes directè occidere innocentem vt alium serues, si id fiat post animationem: si verò antè, etiam est illicitum, quia sicut non licet ob sanitatem procurare pollutionem, ita non licebit procurare abortum; vtrumque enim est contra naturam generationis, neque est medium per se necessarium ad sanitatem: si mater periculosè laboret, & non supersit aliud remedium, potest ei præbere pharmacum directè tendens in curationem, etiamsi putetur inde abortio secutura; modò proles nondum sit animata: quia abortio tunc censetur solùm permissa, non procurata, quia præter intentionem superuenit, matre suo iure vtente. Si proles iam animata sit, non est licitum præbere matri medicamentum directè curatiuum cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel valde probabile prolem sine illo viuam edendam: si autem valde probabile esset, non adhibito remedio vtrumque moriturum, eo verò adhibito, saltem matrem posse seruari, eo casu licitè possent hæc remedia adhiberi. Sed dices, si probabile sit, vt asserunt Doctores hic citati, posse aliquem licitè procurare abortum fœtus nondum animati ad tuendam vitam matris infirmæ; ergo probabiliter etiam dici potest licitum esse procurare sterilitatem ad vitandam mortem matris, prouenientem ex conceptione fœtus, vel quia mater nimis est arcta, vel præ vteri angustia ferre nequeat: quia multo magis à generatione distat semen, quàm fœtus iam ex semine conceptus licet nondum animatus.

Conarr. P. Nau. Nauarr. Syluest. Henriq. Graffijs. Less. Cla. reg. Diana.

His tamen non obstantibus dicendum est, nullo bono sine honestari posse sumptionem potionis, qua prolis conceptioni obstetur; prolis enim conceptionem quæ nata est sequi ex copula carnali, impedire est contra naturam, & naturalem finem generationis, & ideo hoc facere prohibetur in bulla *Sixti V. de abortu §. 5. & in cap. si aliquis, de homicidio.*

Ad argumentum autem propositum, est dispar ratio quoad vtrumque casum: quando enim expellitur fœtus ad tuendam vitam matris, fœtus actualiter aggreditur matrem, & est causa materni obitus, cuius periculum est præsentaneum, sed in casu nostro, quando præbetur medicina sterilitatis fœtus non est aggressor matris, & periculum est distans: ergo quod est in illo casu licitum, in isto minimè erit. Ita Syluius *2. 2. q. 64. art. 7. quæsit. 4. conclus. 3.* Filliucius *tract. 29. n. 101.* Nauarrus *in man. cap. 16. n. 35.* Sanchez *de matr. lib. 9. disp. 20. num. 2. 8. & 10.* Turrianus *2. 2. tom 2. disp. 26. dub. 2. num 45.*

Syluius. Filliuc. Nauar. Sanchez. Turrian.

19. Communis sententia Doctorum est, omnibus tam clericis, quàm laicis licitum esse occidere inuasorem suarum facultatum, si illæ sint magni momenti, nec sit probabilis spes aliter illas recuperandi, quia omnibus licitum est iure naturæ vim vi repellere, non solùm à propria vita, sed etiam ab ijs, sine quibus simpliciter vel commodè vita sustineri non potest: tamen si aliter facilè saluari aut recuperari res possint, non est licitum occidere inuasorem; in dubio autem an recuperari possint, inuasor posset occidi; tamen pro re minima, non videtur concessum jus defensionis, cum tanto alterius malo; res autem dicitur exigui momenti in hoc casu, quando est valoris trium, quatuor, vel quinque nummorum aureorum. Rodriquez *cap. 135. n. 15. 16.* Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 8. punct. 4.* Molina *tract. 3. disp. 16.* Nauarrus *cap. 15. num. 2.* Lessius *cit. dub 11.* Clauis regia *cit. cap. 10. num. 30.* Syluius *cit. art. 7. quæsit. 8.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 17. 18.* & alij.

Rodr. Valentia Molina. Nauar. Lessius. Cla. reg. Diana.

20. Varij sunt modi inuadendi rem alienam. *Primò*, si per te nitaris auferre, teque defendas contra impedientem; tunc in hoc casu licet occidere. *Secundò*, si re accepta fugias; tunc possum insequi & ferire, vel si necesse sit, eminus telo petere, non licet tamen furem interficere, qui se in tutum recepit, & rem incepit quietè possidere. *Tertiò*, si re certo loco deposita, volentem ingredi in eum locum vi impedias; tunc videtur concessum, vt vim vi repellam, meamque rem recuperem; si tamen desit iudex, cuius ope id possum consequi: idem dicendum, quando quis nulla interposita mora rem suam persequitur. *Quartò*, si inuadas res meas per famulum, vel arte magica per dæmonem, nec alia ratione quàm nece tua possit impediri. *Quintò*, si coniuraueris in mea damna. *Sextò*, si impedias meos debitores ne mihi satisfaciant. *Septimò*, si falsa accusatione, vel falso testimonio, me fortunis coneris euertere; nec alia ratio impediendi suppetat. Reginaldus *lib. 21. cap. 5. num. 67.* Syluester *v. Bellum 2. num. 3.* Rodriquez *cit. num. 15.* Lessius *cit. num. 74. 75.* Vasquez *de restit. §. 1. dub. 8. num. 43.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 37.* & alij.

Regin. Syluest. Rodriq. Lessius. Vasquez Diana.

21. Pro defensione suæ pudicitiæ, licitum est cuilibet occidere inuasorem, quando pudicitiam, fugiendo, aut vociferando, vel alio modo defendi non potest quàm occidendo; quia pudicitia pluris meritò æstimatur quàm multæ opes, præterquam quod in hac re sit periculum peccati: potest tamen inuasus condonare vitam inuasori, patiendo violationem sui, quando non est periculum consensus. Nauarrus *cit num. 5.* Diana *p. 5. tract. 4. res. 36.* Rodriquez *cit. num. 14.* Molina *tract. 3. d. 17. num. 10.* Syluius *2. 2. q. 64. art. 7. quæsit. 9. concl. 1.* & alij.

Nauar. Diana. Rodriq. Molina. Syluius.

22. Cùm licitum sit occidere inuasorem facultatum, etiam licitum erit occidere inuasorem inferentem ignominiam, si aliter hæc ignominia vitari nequit, quia secundùm Lessium *cit. dub. 12. num. 77.* Nauarrum *cap. 15. num. 3.* Clauem regiam *lib. 7. cap. 10. num. 27.* Dianam *p. 3. tract. 5. misc. res. 90.* periculum famæ æquiparatur periculo vitæ: vnde potest occidi, qui virum honoratum fuste vel alapa percutit, vt inferat ignominiam, nec in hoc casu inuasus tenetur fugere, si fuga est illi ignominiosa, non enim tenetur pati tantum incommodum, etiamsi fugiendo conseruaret suam & inuasoris vitam. Hæc tamen sententia non est admittenda in hominibus plebeis infimæ conditionis, qui ex alapis, & verberibus non magnam sustinerent ignominiam. Et in hoc casu haberet locum opinio Tannerus *2. 2. disp. 4. quæst. 8. dub. 4. num. 74.* Syluius *cit. art. 7. quæsit. 9. conclus. 2.* qui contrarium docent.

Lessius. Nauarr. Cla. reg. Diana.

Tanner. Syluius.

23. Honor alterius potest impeti & auferri varijs modis, in quibus videtur concessa defensio. *Primò*, si baculum vel alapam niteris impingere, de quo iam dictũ est. *Secundò*, si contumelijs afficias, siue per verba, siue per signa: Secundùm Gomez *tom. 3. cap. 3.* Rodriquez *cit. n. 12.* P. Nauarra *cit. n. 376.* in hoc casu est etiam ius defensionis, quia ex sententia omnium, licet contumeliosum occidere, quando aliter ea iniuria arceri nequit: sed hanc doctrinam Lessius *cit. num. 78.* Bonacina *cit. punct. 10. n. 7.* Nauarrus *cap. 15. n. 4.* Henriquez *de irreg. cap. 10.* & alii dicunt non esse sequendam, quia contumeliæ aliter repelli possunt; vt dictum est supra *verb. Contumelia n. 8.* *Tertiò*, si illata alicui alapa cesses, vel etiam fugias: speculatiuè loquendo, si vir nobilis vel honoratus eiusmodi iniuria sit affectus, multi Doctores censent posse repercutere & insequi fugientem, quatenùs sufficit ad recuperationem honoris quando aliter honor nequit recuperari, quia hoc nõ est vlcisci, sed honorem defendere; quamuis in foro externo insequens puniretur pœna homicidij, ne cædibus via pateat, vnde in praxi, vt vitetur occasio cædium, contrarium sustinendum videtur, præsertim quando lætor petit veniam, vt docent Molina, Azorius, Lessius, Syluius, Reginaldus, Filliucius apud Dianam *tract. 1. misc. resol. 15. part. 2. & part. 5. tract. 4. resol. 11.*

Gomez. Rodr. Nauarr.

Lessius. Bonac. Nauarr. Henri.

Molina. Azor. Lessius. Syluius. Regin. Filliuc. Diana.

Ratio

Ratio autem est, quia nunquam est necessarium necesse potest homicidium, aut vulneratio ad propulsandam cõtumeliam & iniuriam consistentem in verbis, quia per sola verba propulsari potest; & sicut armorum ictus propulsantur obiecto scuto, ita verborum iniuria propulsatur obiectis alijs verbis, quæ tueantur honorem in eo, in quo iniuria lædit. Verba enim iniuriosa lædunt solam extrinsecam existimationem & honorem, quatenus ponunt in publico conceptum iniuriantis, qui destruit honorem & æstimationem; quia tamen hæc destructio fit per sola verba; atque verba non magis possunt destruere, quàm conseruare honorem, ideò si verbis destructiuis honoris opponantur verba conseruantia eiusdem, non erit opus alia propulsatione. Tum quia per id quod occidat, aut vulneret, vlciscitur quidem iniuriam acceptam, sed non repellit, quia non impedit quin inferatur. Et proinde semper sufficiunt verba ad propulsandam iniuriam verbalem.

Proinde non licet viro quantumuis honorato, occidere, eum qui sibi dicit contumeliosè *Mentiris*, quia homicidium non ostendit occidentem non esse illum, qui per iniuriam pronunciatur: dum enim per iniuriam dicitur *Mentiris*: occidendo non ostendit se non mentiri; ergo cùm occisio, aut vulneratio, aut quæcumque alia percussio non sit medium aptum ad depellendam hanc iniuriam, nec etiam esse potest medium licitum; quia hæc nõ sunt licita, nisi quando sunt apta & necessaria pro defensione. Ita Azorius *part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 17. Diana *p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 13.

Azorius. Diana.

24. Qui apud Principem, iudicem, vel viros honoratos falsis criminationibus detrahit de alio, vel crimen verum, occultum tamen, contra iustitiam pandit, si nulla ratione illud damnum famæ auertere non possim, nisi te occultè interficiam. P. Nauarra *cit. num.* 375. Bannez 2.2. *quæst* 64. *art.* 7. *dub.* 4. defendunt probabilius esse, licere talem è medio tollere: quia si contumeliæ possunt armis impediri, ergo etiam detractiones. Hæc sententia, quamuis speculatiuè probabilis esse possit, in praxi tamen non admittitur, quia multis occultis cædibus cum magna Reip. perturbatione præberet occasionem. Vide Dianam *tract.* 5. *misc. resol.* 97. *part.* 3. & *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 7. & *tract.* 13. *resol.* 27. Lessium *cit. num.* 81. Bonacinam *cit. punct.* 10. *num* 8.

Nauarr. Bannez. Diana. Lessius. Bonac.

25. Non est licitum acceptare duellum, practicè loquendo, etiamsi recusando videatur aliqua infamia imminere apud eos, cum quibus viuitur: quia recusans duellum nullam honoris sui iacturam facit apud Christianos & pios homines: vnde ille, cui duellum offertur, potest honori suo consulere dicendo; se paratum fore duellum acceptare, si per ecclesiæ decreta liceret & non esse hominis Christiani, neque nobilis exponere se perpetuæ infamiæ, quam incurrunt decertantes in duello, quòd si alia ratione honesta inuadatur, se non defuturum Christianæ virtuti & honori suo. Valentia *tom.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 1. *dub.* 3. Clauis regia *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 13. Lessius *cit. num.* 83, 84. Rodriquez *cit. cap.* 136. *n.* 1. & alij.

Valentia. Cla. reg. Lessius. Rodriq.

26. Quidam volunt clericos, religiosos, & infimæ conditionis homines, peccare solùm contra charitatem, si alapa percussi, vel fuste, vel quocumque alio modo inuasi repercutiant & occidant inuasorem, cùm absque periculo vitæ fugere possint. Ita Lessius *cit. num.* 86. Iulius Clarus *de homicidio num.* 32. Diana *p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 49. Sed alijs probabilius videtur, & merito prædictas personas peccare etiam contra iustitiam, quando fugere possunt sine graui incommodo; quia tunc licita est solùm secundùm iustitiam hominis occisio, quando necessaria est ad vitam tuendam, vel ad vitandum graue damnum: clericus enim & aliæ prædictæ personæ, nullam subeunt ignominiam fugiendo & patienter sustinendo, ergo peccant contra iustitiam, inuasorem repercutiendo. Clauis regia *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 28. Rodriquez *cap.* 135. *num.* 13. P. Nauarra *cit. num.* 389.

Lessius. I. Clarus. Diana. Cla. reg. Rodriq. Nauar.

Propterea notandum est ex Maldero 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 12. numquam licere etiam aut furiosum inuasorem interficere, quando potes fugere quia talem fugere, non est probrosum, sed potiùs non fugere. Item tenentur fugere filij patrem, & auum, frater minor natu fratrem maiorem, fuga enim istorum non timiditati, sed pietati adscribitur. *Tamen* quando ex fuga magis periclitaretur inuasus; quàm si non fugeret, quia aggressor maiores vires assumeret aut à tergo ita fugiens, faciliùs interficeretur, vel incideret in insidias ei paratas, non teneretur fugere, esto esset persona Ecclesiastica, aut alia, cui fugere non esset dedecus. Ita Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disput.* 17.

Malder. Molina.

27. Licet vitam proximi, quæ ab alio priuata authoritate impetitur, tueri etiam cum interfectione inuasoris, si aliter defendi nequit: quia possumus cooperari ad bonum, & suscipere partem innocentis: innocens in hoc loco dicitur, non solùm ille qui non inuasit, sed etiam ille, qui licet dederit causam inuasionis, aut inuaserit à principio, vult nihilominùs postea desistere ab inuasione: imo charitas ad hoc obligat, quando sine graui incommodo nostro, vel alterius id fieri non potest idque verum est, etiamsi ille nollet defendi, sed vellet se pati occidi: idem dicendum quando pudicitia, honor, & fortunæ proximi nobis sanguine iuncti inuaduntur, & opem nostram flagitat, quia iniuria quæ fit personæ nobis coniunctæ, in nos redundat. Clauis regia *cit. num.* 35. Salon 2.2. *quæst.* 64. *art.* 7. Sà *verb. Homicidium num.* 16. Bonacina *cit. punct.* 11. D. Antoninus 3. *p. tit.* 4. *cap.* 3. §. 2. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 10. Malderus 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 15. & alij.

Cla. reg. Salon. Sà. Bonac. D. Anto. Diana. Malder.

28. Nemo tenetur tueri vitam hominis priuati cum probabili periculo vitæ suæ, etsi iure possit, si velit; quia nõ teneor exponere vitam meam pro vita corporali proximi, possum enim diligere vitam meam præ vita cuiusuis alterius priuati, secus est, si persona Principis periclitetur, vnde pendet bonum Reip. *Notandum* tamen hic est priuatum non teneri defendere vitam alterius priuati, quando non potest sine occisione inuasoris; quia vbi mala sunt paria, nemo tenetur alterum inferre, vt excludat alterum, præsertim cùm id fieri nequeat, nisi per proximi occisionem: *Tamen* nos teneremur exponere bona externa, quæ non sunt nobis necessaria ad saluandam vitam, pro saluanda vita proximi. Vide Lessium *cit. dub.* 13. *num* 90. 92. Molinam *cit. disp.* 18. *num.* 1. & 2. Reginaldum *lib.* 25. *cap.* 6 *num.* 71. Dianam *cit. resol.* 19. & 28. & alios.

Lessius. Molina. Regin. Diana.

29. Qui non defendit vitam vel fortunas proximi, dũ commodè potest, peccat quidem mortiferè contra charitatem, non tenetur tamen ad restitutionem, nisi ex iustitia teneatur defendere; qui verò tenetur succurrere ex officio proprio, peccat etiam contra iustitiam non succurrendo: lege autem iustitiæ tenentur Superiores, vt Princeps, Magistratus, Prætor iuxta modum regiminis sibi præscriptum; similiter tenetur tutor, curator, & alij, qui ad hoc conducti sunt, vt famuli, milites, feudatarij. Lessius *cap.* 2. *num.* 93. Bonacina *cit. num.* 10. & 11. Diana *p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 20.

Lessius. Bonac. Diana.

30. Potestas publica potest mutilare malefactores, sicut & occidere: homini autem licet sibi amputare membrum vel membri partem; quando illius amputatio necessaria est ad salutem totius corporis; imò in tali euentu extat obligatio amputandi, si dolores sint exigui, ita iudicante medico; quia tenetur quisque vitæ suæ periclitanti medijs ordinarijs non admodum difficilibus opitulari; si tamen ingentes essent cruciatus tolerandi, non tenetur permittere, neque etiam potest ad hoc cogi, nisi quando quis est Reipub. valde necessarius; tunc ob bonum publicum tenetur, & potest cogi à Rep. quia bonum publicum præferendum est priuato. Toletus *lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 7. Sà *v. Homicidium n.* 24. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disput.* 10. *num.* 2. Sotus *lib.* 5. *quæst.* 2. *art.* 1. & alij.

Toletus. Sà. Molina. Sotus.

31. Ob sanitatem spiritualem, vt ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum, non licet sibi membrum vel membri partem mutilare; quia membri amputatio non est medium necessarium ad salutem animæ; non enim membra adferunt homini perniciem, sed malitia & negligentia liberæ voluntatis: nec refert aliquos sanctos hoc fecisse, quia id ex diuina inspiratione, vel probabili ignorantia fecerunt: Licitum tamen est membrum affligere, & sanguinem per afflictionem eruere, quantùm sufficit ad superandam tentationem,

D. Tho. Molina. Tolet. Lessius. Sylvius.

modò non sit periculum amissionis alicuius membri, aut vitæ. D. Thomas 2. 2 *q.63.art.1.ad 3. Can.* 22. *Apostolorum.* Molina *cit.disp.9.* Toletus *cit.* Lessius *cit. dub.14.n.* 98. Sylvius 2.2.*q.65. art.1.* & alij.

32. Secundùm probabiliorem Doctorum sententiam, licitum est sibi membrum amputare, iubente iudice, vel tyranno alioquin minante mortem, quia pars periculo exponitur vt totum conseruetur: vnde qui catena ferrea detinetur in carcere occidendus, vel flammis est comburendus, vel occidendus à latronibus, vel à feris vorandus, potest sibi membrum amputare, vt se liberet à vinculis & vitam conseruet; non liceret autem sibi membrum secare, si hoc imperaret Tyrannus, ob causam religionis, verbi gratia, quia fecisti Sacrum, iuberet vt tibi abscinderes manum: quia hoc faciendo videreris punire & improbare factum tuum. Bonacina *cit. punct.6.num.4.* Toletus *lib.5.cap.6.* Diana *p.5.tract.4.resol.32.* Tannerus 2.2.*disp.4 quæst.8.dub.5. num.*100. Emanuel Sà *cit. num.* 24. Lessius *cit.num.*101. & alii.

Bonac. Tolet. Diana. Tanner. Em. Sà. Lessius.

De Homicidio, vide hoc tomo verb. Bannitus, Beneficium 7. *num.* 3. Censura *num.* 26. Charitas *num.* 20. & tom. 2. verb. Irregularitas 6.

HOMICIDIVM II.

De Homicidio casuali, & an inducat obligationem restitutionis.

SVMMARIVM.

1 *Quod dicatur homicidium casuale & obligans ad restitutionem.*

Et an adulter sit reus homicidij, si maritum adultera occidat cum moderamine.

2 *An mors vel damnum alicui tertio ex alterius maleficio obueniens, huic imputetur, si illud damnum nec in se nec causa fuerit volitũ* Refertur duplex sententia.

1 HOmicidium casuale dicitur quod omninò casu fit, præter voluntatem operantis. Dupliciter potest dici casuale. 1. quod non est directè intentum, siue sit aliquo modo voluntarium, quod vocatur mixtum, siue sit purè fortuitum & casuale. 2. homicidium propriè & purè dicitur casuale seu fortuitũ quod ex aliquo opere nostro præter intentionem euenit; itavt nec directè, nec indirectè censeatur volitum, id est, nec in se, nec in sua causa. Ad hoc autem duo requiruntur. *Primò*, vt non vaces operi, quod tibi sit prohibitum, aut illicitum, quia periculosum. *Secundò*, vt debitam diligentiam adhibeas, ne quem lædas: si enim eam non adhibeas, operi periculoso incumbens, censeris saltem in sua causa voluisse homicidium. D. Thomas 2.2.*q.64. art.* 8. Sylvius *ibi.* Caietanus *ibi ad* 2. Lessius *lib.2.cap.9.d.15.* Sayrus *de censur. lib.7. cap.5.& 6.* Clauis regia *lib.7.cap.14.*

D. Th. Sylvius. Caietan. Less. Sayrus. Cla. reg.

His positis dicendum est, Homicidium purè fortuitum seu casuale, non obligare ad vllam restitutionem: quia nullum est peccatum, est enim prorsus inuoluntarium, vt pote nec in se, nec in sua causa intentum. Homicidium verò non purè fortuitum, prouenienS, scilicet, ex eo quòd quis in opere suo non adhibet sufficientem & debitam diligentiam obligat ad restitutionem aliquando sub mortali, aliquando sub veniali. Bonacina *de restitut. disp.2.q. vlt. sect.2.punct.2.n.3.& 5.* Lessius *cit. n.*103. 108. *&* 109. Caietanus *cit. art.8.* Diana *p.5.tract.4.res.46.* & alij. Ratio, quia hoc homicidium est peccatum iniustitiæ mortale, vel veniale, pro ratione negligentiæ voluntariæ, seu voluntariæ omissionis diligentiæ, quam vel ratione operis, quod hic & nunc aliquis facit, vel ratione officij tenebatur adhibere; ergo similiter obligatio ad restitutionem nascens ex hoc peccato, aliquando erit sub mortali, aliquando sub veniali. Tale est homicidium secutum ex delectione regulæ, quando deest sufficiens cautio. Item homicidium secutum ex negligentia magistratus in vrbe, vt docet Clauis regia *cit. num.*7.

Bonac. Lessius. Caietan. Diana. Cla. reg.

Porrò si quis incumbat rei prohibitæ, vel illicitæ, eò quod periculosa sit, tamen adhibeat debitam diligentiam, etsi homicidium inde secutum, quadam ratione censeatur peccatum, non tamen peccatum iniustitiæ, nec obligat ad restitutionem; vt si clericus venetur, cum scopetis, vel telis periculosis, & hominẽ casu interficiat, adhibita tamen diligentia necessaria ne quem læderet, peccat quodammodo illa occisione, volendo eius causam, quæ erat illicita, eo quod esset via ad læsiones & homicidia, non tamen peccat peccato homicidij, aut iniustitiæ, sed peccato contra religionem, quia facit id quod dedecet sanctitatem sui status. Ratio, quia venatio periculosa, quæ fit cum debita circumspectione, non ideo est prohibita, quod per eam fiat iniuria proximo, alioquin etiam laico esset prohibita: sed quia dedecet statum ipsius illa militaris exercitatio, ex qua interdum mortes hominum quamuis inculpatè eueniunt. P. Nauarra *de restit. lib.* 2. *cap.3.n.*362. Filliucius *tract.29.cap.7.quæst.5. &* 6. Bonacina *cit.punct.2.num.5.* Lessius *cit dub.13.num.*104. Henriquez *lib.14.cap.16. num.1.* & alij.

P. Nau. Filliuc. Bonac. Lessius. Henriq.

Denique non est reus homicidij, & occisio illa censetur fortuita, qui commisit adulterium & præuentus à marito adulteræ, illum occidit cum moderamine. Ratio est, quia neque est culpabilis in causa, cùm adulterium sit causa tantùm remota & occasio, non enim est via ad occisionem mariti, sed potiùs adulteri & hoc verum etiamsi antequam accederet ad adulteram, suspicatus sit hæc incommoda ventura. Bonacina *cit. punct.2. num.6.* Lessius *cit. num.* 106. *&* 107. Filliucius *tract.* 29. *num.* 35. Diana *p.5.tract.4.res.47.* & alii.

Bonac. Lessius. Filliuc. Diana.

2. Dubium est, an damnum quod tertio alicui obuenit ex eo quod, alterum occiderim, mihi imputetur ad satisfactionem, v. g. clam peremi Petrum, & Paulo ex suspicione homicidium illud imponitur ex eo quod inimicus Petri ab omnibus haberetur? *Resp. Primò* si non ea intentione intulisti damnum alteri, vt inde Paulo damnum accideret, sed per accidens secutum est, te id non aduertente, non teneris Paulo ad restitutionem, nec eius hæredibus. Ratio est, tum quia qui occidit inimicum suum, non tenetur ex iustitia cauere ne alius accusetur, nec ideo tenetur ex iustitia ab hoste suo persequendo. Tum quia tale damnum merè per accidens euenit tertio, nõ ex actu eius, qui occidit, sed ex actu accusatorum & falsorum testium. Tum quia tale damnum rarò euenit; ergo non tenetur aduertere illud euenturum, ergo non tenetur ad restitutionem. Ita P. Nauarra *lib.2.cap.1. num.*77. Sotus *de iust.&.lib.4.quæst.6.art.4.* Lessius *lib.2.cap.9. num.*110. & alij.

Nauar. Sotus. Lessius.

Dico *Secundò*, si præuideat ex sua actione damnum, tertio euenturum ex aliorum malitia, sed id nullo modo intendit, probabilius est illum etiam in hoc casu non teneri ad restitutionem. Probatur, quia quando ex aliqua actione sequitur damnum tertio, non ex natura actionis, vel vt plurimum, sed ex malitia vel ignorantia aliorum, quæ se immiscet, non censetur illa actio iniuriosa tertio. Ita Sotus *cit. art.* 3. *ad* 4. Lopez *tom.1. cap.*63. Nauarrus *in man. cap.* 15. *num.* 17. Homicida tamen tunc peccauit contra charitatem præuidens tale damnum tertio secuturum occasione homicidij, quod tenebatur ex charitate euitare.

Sotus. Lopez. Nauarr.

Dico *Tertiò*, si ideo occidisti Petrum, vt inde Paulo damnum eueniret, quidam putant te teneri de illo damno; quia actio illa, qua Petrum occidisti, erat etiam detrimentosa Paulo, & ex intẽtione nocendi Paulo, est perfecta, ergo etiam est vera iniuria externa in Paulum. Ita Sotus *supra.* Molina *tract.* 3. *disp.*86. Corduba *lib.1.q.31. art.* 3. Turrianus *disp.* 11. *dub.*3. & alij. Veriùs tamen est contrarium: nam animus & intentio non facit vt opus sit iniustum, nisi aliàs ex natura sua, & circumstantijs tale sit, ergo homicida non tenebitur ad restitutionem. Paulo, etiamsi intenderit homicidium illi imputandum; cùm obligatio restituendi non oriatur ex praua intentione, sed ex actione externa iniusta. Ita P. Nauarra *cit.* Lessius *cit. n.*113. Homicida tamen tenetur compensare Paulo, cui imputatur homicidium, ea quæ coactus fuit tradere hæredibus occisi pro damno illis proueniente ex homicidio: nam ad hæc tenebatur homicida; nec per hoc,

Molina. Corduba. Turrian. Nauar. Lessius.

quod

Bonac. quod alter coactus fuit illa soluere, hic eximitur ab illa obligatione, vt aduertit bene Bonacina *de restit. disp. 2. q. vlt. sect. 2. punct. vlt.*

HOMICIDIVM III.

De restitutione propter Homicidium.

SVMMARIVM.

1 *An teneatur ad restitutionem qui ab altero fuit prouocatus ad pugnam, si fortè modum excesserit; & quid dicendum de alio, qui inuaditur ab altero sine prouocatione, si iustam moderationem excedat?*

2 *An ad aliquam teneatur restitutionem inuasus, qui occidit inuasorem cum moderamine?*

3 *An Mutilator vel homicida qui alium iniustè aggressus est, teneatur ad omnia damna, quæ passus est occisus aut vulneratus propter mortem aut vulnus?*

4 *An ex bonis homicidæ omnia damna ex homicidio secuta sarcienda sint?*

5 *An non solùm pro damnis pecuniarijs ex læsione vel homicidio secutis restitutio pecuniaria debetur, sed etiam pro damno, vitæ, vel membri vel cicatricis?* Refertur duplex sententia.

6 *An aliquid pro expensis funeris restituendum sit?*

7 *An ex iustitia obligetur homicida ad restitutionem faciendam pro anima occisi per orationes? missas, eleemosynas?*

8 *An teneatur ad restitutionem, qui interfecit eum qui paulò post naturali, vel iusta morte erat occidendus?*

9 *An heredes homicidæ vel percussoris, teneantur ad restitutionem, tam damni naturalis, quam temporalis, si ante mortem non satisfecerint? & an teneatur Pater pro homicidio facto à filio?*

10 *An homicida teneatur restituere creditoribus defuncti; vel illis quos occisus alebat ex liberalitate?*

11 *An solùm obligetur homicida restituere parentibus occisi, filijs & vxori?*

12 *An lædens seu homicida teneatur ad aliquam restitutionem, quando læsus vel eius heredes remittunt omne debitum?*

13 *An occidens Petrum, quem putabat esse Paulum, teneatur ad restitutionem.*

14 *An homicidium vel aliud damnum irrogatum per mancipium suum, vel animal, tibi imputari debeat.*

15 *An homicidia & damna quæ inferuntur per triremes Turcarum, debeant imputari remigibus Christianis ibi captiuis?* Refertur duplex sententia.

1 QVi prouocatur ab altero importunè ad pugnam licet modum iustæ defensionis excedat, non tenetur ad restitutionem, homicidio, vel mutilatione secuta, ita docent hodie multi Doctores recentiores. Ratio; quia prouocans videtur ei condonare, cùm facit illi potestatem, vt contra se agat quod poterit. Et idem videtur dicendum, quando duo se vicissim prouocant, vel alter alterum, etiam simplicibus verbis absque importunitate, & tali consensu pugnam aggrediuntur. Ita Azorius 3. p. l. 5. c. 3. *quæst.* 7. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Lessius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 21. Filliucius *tract.* 32. c. 8. *q.* 6. *num.* 212. Molina *tom.* 4. *d.* 82. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 50. & alij. *Qui autem* inuaditur ab altero sine prouocatione, si limites iustæ defensionis notabiliter excedat, ita vt mortiferè peccet occidendo inuasorem suum, secundùm Nauarr. *cap.* 15. *n.* 24. P. Nauarra *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 92. Rodriquez *c. cap.* 138. *num.* 2. Vasquez *de restit. c.* 2. §. 3. *dub.* 4. & plerosque, hoc tempore, tenetur integrè damna compensare. Ratio, quia qui ita occidit, facit alteri iniuriam, & est iniusta causa totius damni, sicut qui dolo aut lata culpa est alteri causa damni; licet enim peccatum & iniuria minuantur ex

Azorius. Salon. Lessius. Filliuc. Molina. Diana.

Nauarr. P. Nau. Rodriq. Vasquez

inuasione alterius quoad malitiam, non tamen quoad restitutionem. Sic fur, qui clam accepit mille, non minus tenetur ad restitutionem, quam raptor, qui eadem mille vi rapuit, esto fur minùs peccarit, & minorem iniuriam intulerit auferendo quam raptor.

Non est tamen improbabile eum, qui hoc modo inuasus est ab altero & iustam moderationem excessit, non teneri ad integram saltem damnorum restitutionem. Ratio, quia etsi damnum illatum par sit, quando quis iniustè occidit aggrediendo, vel aperta vi, vel ex insidijs, & quando inuasus rei indignitate occidit inuasorem, & compensatio damni non sit æstimanda ex indignitate rei, vel magnitudine iniuriæ, tamen, qui alterum inuadit videtur ex parte amittere ius ad compensationem damni: nam sibi ipsi est causa mali, alterum iniustè adoriendo; quare si occidatur aut lædatur, sibi ex parte debet imputare. Præterea difficillimum est iustum temperare dolorem, quare æquum videtur, vt non tam seuerè teneatur omnia damna rependere, idque communis hominum sensus approbare videtur. Ita Syluester *v. rest.* 3. *quæst.* 2. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 38. Sotus *de Iustit. lib.* 4. *qu.* 6. *art.* 3. Bonacina *de rest. disp.* 2. *q. vlt. sect.* 2. *p.* 1. *n.* 3. Filliucius *c. n.* 213. Azorius *c. quæst.* 8. Lessius *c. dub.* 21. *numer.* 135. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. Syluius 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *quæst.* 3. *consil.* 7. Diana *cit. resol.* 44. & alij.

Syluest. Gomez. Sotus. Bonac. Filliuc. Azorius. Layman. Syluius. Diana.

2. Qui inuasus ab altero potest fugere, vel aliter declinare pugnam, etsi id non faciat, sed sistens gradum, iusta moderatione se defendendo, occidat, non tenetur ad restitutionem. Ratio, quia non peccauit contra iustitiam sed tantùm contra charitatem, non enim ex iustitia tenebatur fugere vel à via declinare: nemo enim ex sua malitia, qua vult alterum inuadere, acquirit ius in eum, vt ad fugam teneatur, ita vt nisi fugiat, censeatur ei iniuriam facere, sed solùm tenetur ex charitate fugere, si sine honoris dispendio possit. Imò heredes inuasoris occisi, tenentur restituere damna, quæ passus est inuasus, qui cum moderamine occidit inuasorem: hæc enim damna iniustè patitur inuasus ob culpam inuasoris. Molina *tom.* 4. *disp.* 81. Bonacina *c.* Lessius *c. n.* 136. P. Nauarra *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 362. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *res.* 48. & alij.

Molina. Bonac. Lessius. Nauarr. Diana.

Præterea si is, quem conuitio, aut iniuria affeci, me inuadat, & ego cum moderamine inculpatæ tutelæ me defendam, eumque occidam, non tenebor ad homicidij compensationem. Ratio, quia qui alteri iniuriam intulit, si armis ab eo inuadatur vltionis causa potest se cum moderata defensione tueri, quia alter nullum ius habet sic inuadendi priuata authoritate, ergo si eum occidat, non facit ei in hoc iniuriam, cùm alter non amittat ius defendendæ vitæ suæ. Contra Nauarrum *c.* 15. *n.* 7. Rodriquez 1. *p. c.* 135. *n.* 2. Molina *c. n.* 5. Bonacina *c. num.* 5. P. Nauarr. *c.* Lessius *c. n.* 137. & alij.

Nauarr. Rodriq. Molina. Bonac. Nauarr. Lessius.

3. *Mutilator*, vel *homicida*, qui alium iniustè aggressus est, tenetur ad omnia damna, quæ passus est occisus, aut vulneratus propter mortem aut vulnus: verbi gratia ad damnum emergens & integras expensas factas in curatione morbi, ad lucrum etiam cessans causa vulneris: *quia* iniusta sua actione fuit causa efficax tali damni & cessationis iusti lucri; tamen non est restituendum totum lucrum, quod occisus aut vulneratus consecutus fuisset, sed quantùm illa spes lucri valebat, si quæstum aliquo officio vel artificio faciebat, ijs tamen detractis, quæ ipse consumere solebat, si obijt, vt sunt expensæ cibi, potus, &c. quæ enim ipse consumebat, non possunt censeri in lucris ad hæredes peruenientibus: lucrum enim dicitur, quod superest, deductis expensis, verbi gratia, si spes lucri æstimetur 1000. id quod consumpturus erat 500. supersunt tantùm 500. restituendi, verùm quia difficile est, ad vnguem definire quid restituendum sit, expedit adhibere transactionem & compositionem cum parte, cui facienda est restitutio. Clauis Regia *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 5. & 6. Nauarrus *cap.* 15. *num.* 19. Azorius *c. quæst.* 2. P. Nauarr. *lib.* 4. *de rest. c.* 1. *num.* 64. Molina *cit. d.* 81. Couarr. *lib.* 2. *var. c.* 10. *n.* 7. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *quæst.* 3. *concl.* 3. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 53. & alij.

Cl. Reg. Nauarr. Azorius. Nauarr. Molina. Couar. Syluius. Diana.

Nota tamen in hac restitutione pro spe lucri facienda ad arbitrium prudentis, non esse detrahendam æstimationem

tionem

tionem laboris, quia si æstimationem laboris detrahamus vix aliquid supererit restituendum, nam sæpe lucrum non est maius, quàm æstimatio laboris: neque hæc spes lucri furti æstimanda est, ex ætate sexaginta annorum, ad quam occisus peruenire potuisset, sed iusta probi & prudentis viri iudicium, considerata præsenti ætate, sanitate, & viribus, quibus vlteriùs putabatur vitam producturus Arragon. 2.2.*q.*62.*art.*2. Vasquez *c. dub.* 2. *num.* 6. *& dub.* 3. *n.* 7. Lessius *c. dub.* 30. Filliucius *tr.* 32. *nu.* 202. *&* 203. & alij.

Arragon. Vasquez. Lessius. Filliuc.

4. *In rigore*, omnia damna ex homicidio secuta, ex bonis homicidæ sarcienda sunt, etiamsi homicida pęnam talionis sustinuerit; quia pęna infligitur à iudice, non vt damnum parti læsæ compensetur, sed vt iniuria Reipub. & legibus illata vindicetur, alijsque terror incutiatùr. Ita Azorius *c. lib.* 5. *cap.* 3. *q.* 6. Sà *v. homicid. n.* 18. Nauarr. *cap.* 15. *num.* 22. *Contrarium* tamen est probabile, nempe hæredes homicidæ, quando ipse in corpore plexus fuit in conscientia non teneri quidquam soluere, nisi hæredes occisi id exigant. Ita habet vsus, & docet etiam Diana *p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 60. post Salon 2.2. *q.* 62. *art.* 2. Angel. *v. homicid.* Filliucius *c. n.* 204.

Azorius. Em. sà. Nauarr. Diana. Salon. Angelus. Filliuc.

5. Secundùm probabilem multorum Doctorum sententiam, non solùm pro damnis pecuniarijs, ex læsione vel homicidio secutis, restitutio pecuniaria debetur, sed etiam pręcisè pro damno vitæ, vel membri, vel cicatricis, idque arbitrio boni viri, quia licet damnum corporale, aut personale, nequeat pecunia, vel alia re temporali compensari ad omnimodam æqualitatem, tamen non cessat obligatio illud compensandi modo possibili: vnde reddendum erit id, quod secundùm moralem æstimationem, & iudicium prudentum videri potest sufficiens. Ita Clauis Regia *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 10. Valentia *tom* 3. *d.* 5. *q.* 6. *p.* 5. Syluester *v. rest.* 2. *q.* 2. §. 1. Arragon 2.2. *quæst.* 62. *art.* 2. &c.

Cl. Reg. Valentia. Syluest. Arragon.

Alij tamen probabilius esse docent, pro vita vel membro, vel cicatrice hominis liberi, nihil esse formaliter, & ex iustitia restituendum in conscientia; quia restitutio, quæ debetur ex iustitia commutatiua, fieri debet ad ęqualitatem iuxta rei æstimationem: liberum autem corpus, & membra hominis nullam recipiunt æstimationem. Ergo. Fieri tamen potest, vt obligetur ex quadam æquitate, & charitate ad aliquam pecuniariam satisfactionem, si hæredes sint pauperes, & non putentur mœrorem aliter deposituri, & ipse eam sine graui incommodo possit præstare: hinc si vir nobilis aut alius occisus sit, qui nihil lucri faciebat, nihil restituendum pręter expensas in medicos, si quæ sint factæ. Ita Nauarr. *cap.* 15. *numer.* 22. Lessius *c. dub.* 23. P. Nauarr. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 80. Bonacina *c. n.* 10. Vasquez *c.* §. 3. *dub.* 6. *num.* 17. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 2. Syluius 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *quæst.* 3. *concl.* 1. Filliucius *tract.* 32. *n.* 200. 201. Diana *p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 54. *&* 61. & alij.

Nauarr. Lessius. Nauarr. Bonac. Vasquez. Layman. Syluius. Filliuc.

6. Nihil pro expensis funeris ordinariè restituendum est, quamuis contrarium affirmet Nauarr. quia nullum ex hoc capite illatum est damnum; nam sic occisus perijsset morte naturali, adhuc fuissent factæ expensæ. Ita etiam Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resolut.* 43. ex Lessius *cit. dub.* 24. Bonacina *cit. numer.* 11. Filliucius *tract.* 32. *numero* 199.

Diana. Lessius. Bonacin. Filliuc.

7. *Ex iustitia* non obligatur homicida (secundùm communiorem sententiam Molina *cit. d.* 48. *num.* 10. Rodriquez *cap.* 138. *num.* 8. Sotus *lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. Azorius 3. *p. lib.* 5. *cap.* 3. Filliucius *cit. num.* 205. Syluester *v. restit.* 3. *quæst.* 2. & aliorum (ad restitutionem faciendam pro anima occisi per eleemosynas, orationes, Missas &c. quamuis sit saluberrimum consilium, & æquitas naturalis videatur quodammodo id postulare; *vnde* meritò pro satisfactione Sacramentali, potest illi à Confessario iniungi: *ratio* autem est, quia bonum spirituale non potest esse pretium rei temporalis; ergo non potest ex iustitia deberi pro damno vitæ. Ita etiam Diana *par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 55.

Molina. Rodriq. Sotus. Azorius. Filliuc. Diana.

Sed dices hæc deberi non pro vita, sed quia occisus priuatus est facultate merendi & satisfaciendi? Resp. illa facultas merendi est irreparabilis, nec enim meum meritum potest alteri donari, ita vt fiat meritum ipsius: satisfactio tamen alteri communicari potest; vnde videtur ex iustitia deberi, si verisimile erat, occisum in hac vita satisfacturum fuisse: ille enim iniustè ab hoc bono impeditus fuit, ergo homicida tenetur satisfacere pro hoc damno, maximè cùm hæc satisfactio commodè fieri possit. Ita docet P. Nauarra *lib.* 4. *c.* 1. *n.* 44. videtur tamen hæc obligatio non ita esse in vsu.

P. Nau.

8. Qui interfecit eum, qui paulò post, naturali vel iusta morte erat occidendus, non tenetur ad restitutionem, quia homicida nullum damnum pecuniarium censetur intulisse; occisus enim nihil lucratus fuisset tam breui tempore: contrarium tamen dicendum est de eo, qui occidit alium, qui paulò post iniustè occidendus erat à latrone, vel ab alio; hic enim tenetur ad restitutionem, quia iniustè occidit, & damnum intulit: sicut alter, si interfecisset, obligatus fuisset. P. Nauarr *l.* 4. *cap.* 1. *num.* 78. Vasquez *c. d.* 3. *n.* 8. Lessius *dub.* 20. *num.* 131. Filliucius *n.* 204. & alii.

Syluest. Nauarr. Vasquez. Lessius. Filliuc.

9. Hæredes homicidæ vel percussores tenentur ad restitutionem, tam damni naturalis, quàm temporalis, si ante mortem non satisfecerit; sicut etiam tenentur soluere debita, quæ occisor debuit ex iustitia aut ex contractu, modò homicida reliquerit bona libera, in quibus hæredes successerunt: quia obligatio restituendi est realis; obligatio autem realis transmittitur ad hæredes: *Ad huiusmodi* autem restitutionem, non tenetur Pater pro homicidio facto à filio, nisi filius habeat bona castrensia, vel quasi: quando autem bona homicidæ confiscata sunt, Nauarr. *c.* 15. *num.* 25. Reginald. *lib.* 10. *n.* 302. Clauis Regia *lib.* 11. *c.* 2. *n.* 19. Arragon 2.2. *q.* 62. *art.* 2. dicunt fiscum teneri ad restitutionem.

Nauarr. Regin. Cl. Reg. Arragon.

10. Probabile est homicidam non teneri restituere creditoribus defuncti, nam creditor non est ita coniunctus debitori, vt damnum quod huic fit, debeat censeri creditori, nam per accidens seu ciuili modo ei cohæret: probabile etiam est non teneri illis, quos occisus alebat ex liberalitate, quia interfectus non tenebatur, ergo nec interfector, cùm ipsi non censeantur vna persona cum interfecto. Sotus *lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. Valentia *tom.* 3. *d.* 5. *q.* 6. *p.* 5. §. 1. Lessius *cit. d.* 26. *num.* 151. Diana *p.* 3. *tract.* 6. *misc. resol.* 54. *&* *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 56. 57. Filliucius *cit. num.* 209. & alij.

Sotus. Valentia. Lessius. Diana. Filliuc.

11. Homicida tenetur resarcire damnum emergens, & lucrum cessans ex homicidio, parentibus occisi, prolibus, & vxori. Ratio, quia parens & filius censentur vna persona, similiter maritus & vxor: quare qui occidit Petrum, is vxori, filijs, & parentibus damnum infert: nam veluti partem quamdam abscindit, à qua illis proueniebat strictissima obligatione vtilitas: quare si filius sit occisus, & parens debebat succedere, eò quòd interfectus carebat prole, ipsi restitutio est facienda: similiter si filius debebat parentem alere. Idem dicendum de vxore & filijs, ea enim commoda vxori, filiis & parentibus rependenda, quæ occisus præstare debuisset. Clauis Regia *lib.* 11. *cap.* 2. *numer.* 14. Sotus *lib.* 4. *de iustit. quæst.* 6. *art.* 3 *ad* 3. Bonacina *de rest. d.* 2. *q. vlt. sect.* 2. *p. vlt. num.* 2. Filliucius *tr.* 32. *n.* 207. Reginaldus *lib.* 10. *nu.* 314. Molina *disp.* 83. *n.* 6. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 3. Syluius 2.2. *qu.* 62. *art.* 2. *q.* 4. *concl.* 1. & alii.

Cl. Reg. Sotus. Bonac. Filliuc. Regin. Molina. Layman. Syluius.

Tamen probabile est, iuxta Filliucium *num.* 32. *cap* 8. *quæst.* 5. *num.* 207. Sot. Salon, Bonauent. Lopez *cum* Lessio *lib.* 2. *cap.* 9. *dub* 26. *num.* 157. Diana *p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 59. & alios homicidam non teneri vxori, si illa nullum notabile detrimentum accepit, vel si æquè commodè potest nubere; tunc enim non censetur in rebus, pecunia æstimabilibus læsa; neque parenti occisi nisi fortè sit hæres, vel filius occisus illum alebat, & aliunde ei non sit prospectum. Quia alioquin non censetur in re sua læsus, ita vt damnum pecuniarium acceperit.

Filliuc. Salon. Bonau. Lopez. Diana.

Porrò si interfectus tantùm habeat fratrem, qui non sit necessarius hæres, sed solùm ab eo alatur, futurus hæres ab intestato, probabilius est nihil illi fratri esse restituendum, nec cæteris cognatis, præter expensas factas in curatione vulneris: Ratio prioris est, quia fratres non censentur vna persona cum occiso, possuntque hæreditate excludi, nec homicida directè vult illis inferre iniuriam Ratio posterioris est; quia isti succedunt in iura, quæ defun-

functos habebat ante mortem, defunctus autem ius habebat ante mortem ad expensas factas in curatione vulneris, Bonacina *c.p.vlt.num.*3. Filliucius *tract.*22. *c.*8. *n.*208. Layman *c.num.*3. Salon *s.*2.*quæst.*62 *art.*2. Diana *tract.*6. *misc.resol.*22.*p.*3. Syluius 2.2.*quæst.*62.*art.*2.*q.*4.*concl.*2.& alij. Nauarr. *in man.c.*15.*num.*24. P. Nauarr. *lib.*4.*de rest. c.*1.*dub.*10.*num.*76. Panormit. *in c.*1. *de iniur. & damno dato,n m.*6. tamen & alijs placet absolutè esse restituendum fratri, & alijs hæredibus: quia hi iacturam, & damnum ab homicida patiuntur inuiti, sicut si quis velit mihi donare aliquid, & tu cogas illum iniustè, vt nec donet nec donare possit, illi & mihi facis iniuriam, ac proinde mihi donationem compensare debes: cùm ergo violenter & iniustè homicida, occidendo alterum, det causam efficacem mei damni, vel lucri cessantis, idque scienter, tenebitur mihi aliquid restituere compensationis ergo: tantoque plus, quantò certius erat lucrum & beneficium à quo inuitus excidi: nec dicas me non habere ius strictum saltem pietatis, sicut habent filij & parentes, quia saltem probabiliter expectabam aliqua beneficia & alimenta, nisi me tua iniqua machinatione impediuisses. Hæc sententia non est improbabilis.

(Margin: Bonacin. Filliuc. Layman salon. Diana. Syluius. Nauarr. p.Nau. Panorm.)

12. Iuxta communiorem Doctorum sententiam, lædens seu homicida non tenetur ad aliquam restitutionem, quando læsus vel eius hæredes remittunt omne debitum. Ratio, quia filijs & vxori non fit iniuria per homicidam, nisi quatenus læduntur in sua parte, contra voluntatem illius partis, ergo quando hæc pars condonat omne damnum, nullum ijs ius remanet; sicut enim per eum ius acquirunt, ita etiam amittunt: erit tamen graue peccatum, si filijs valde egentibus, parens condonet occisori omnem restitutionem, valebit tamen in conscientia, nisi certæ alicuius portionis v. g. tertiæ quartæ vel quintæ dispositio alicubi lege positiua, non permitteretur ei; tunc enim non valeret remissio, nisi secundùm hanc moderationem. Deinde fieri poterit, vt homicida ex charitate teneatur, etiam post factam remissionem, aliquid prolibus, aut vxori restituere, vt si sint valdè pauperes facti ex illo homicidio, & homicida commodè possit illis succurrere. Clauis Regia *lib.*11. *cap.*2. *num.*17. Molina *tom.*4.*disp.*41. Filliucius *cit.numer.*210. Bonacina *citat. restit.part.*1.*num.*16. Bannex *s.*2.*quæst.*62. Salon *ibidem controuers.*9. Gomez 3. *var. de homicid. numer.*54. Lessius *cit.dub.*26.*nu.*158. Diana *part.*5. *tract.*4. *resol.*58. & alii.

(Margin: Cl. Reg. molina. Filliuc. Bonac. Bannes. salon. Gomez. Lessius. Diana.)

13. Non excusatur à peccato mortali iniustitiæ, & tenetur ad restitutionem, occidens *Petrum*, quem putabat esse *Paulum*; quia hæc actio est iniusta contra *Petrum*, licet falsò putetur *Paulus*; tum quia, qui comburit domum *Petri*, quam putabat esse *Pauli*, tenetur ad restitutionem; ergo idem dicendum est in supra dicto casu; tum quia ita habetur in iure, *l. Enim qui nocentem* 4. §. *si iniuria.ff. de iniurijs.* Ita Molina *tom.*4.*disp* 30.& 53. Sanchez *de matrim.lib.*9.*disp.*32.*num.*27. Couarr.1.*p. c. Alma §.* 10.*n.*15. Gomez 3.*var.c.*3.*n.*34.& alii.

(Margin: molina. sanchez. Couar. Gomez.)

14. Homicidium vel aliud damnum irrogatum per mancipium tuum, vel animal, tibi imputabitur, si tua culpâ lata id factum est; *l. Si seruus.ff. de noxalib. action.*& teneberis ad totius damni restitutionem; vt si iusseris, suaseris, impuleris, vel si negligens fuisti in præcauendo; neque tunc sufficit seruum vel animal noxæ dedere, sed totum damnum compensandum: si verò nulla tua culpa interuenerit, non teneris ad totum damnum, sed sufficit mancipium vel animal noxæ dedere: liberum tamen tibi est, vel damnum compensare, vel rem quæ nocuit dedere: idque post Iudicis sententiam. Syluester *verb. Restitutio* 3.*quæst.*4. Lessius *lib.*2.*c* 9.*dub.*17.*n.*119. Diana *part.*5. *tract.*4.*resol.*52.

(Margin: syluester Lessius. Diana.)

15. Homicidia & damna, quę inferuntur per triremes Turcarum, non debent imputari remigibus Christianis ibi captis; quia hi non tenentur ex iustitia abstinere à remigio, quando flagris aut morte proposita vrgentur, esto Turcæ bellent contra Christianos Petrus Nauarra *lib.*3. *cap.*4.*num.*92. Sanchez *lib.*1. *Moral.cap.*7.*n.*18. Vasquez *de restit.cap.*9.§.1.*dub.*5.*num.*39. Lessius *lib.*2.*c.*9.*dub.*18. Bonacina *de rest.disp.*1.*quæst.*2 *p.*10.*num.*4.5. Reginaldus *lib.*21.*c.*8.*v.*119. Azorius 3.*p.lib.*4.*c.*15.*quæst.*2. Layman *lib.*2.*tract.*3.*cap.*13. *num.*5. Diana *tract.*6. *misc. resol.*48. *v. fi..*6.*p.*5.& alii hic citati: quia remigio est per se actio indifferens; est enim nauis delatio per mare, qua Turcæ vectores bene & malè vti possunt, & solùm ex eorum malitia tendit ad necem Christianorum, ergo non peccant contra iustitiam, nec tenentur ex iustitia abstinere, quando tam graui supplicio adiguntur; sicut potest quis reddere depositum, quando timore mortis, vel graui supplicio compellitur, licet inde mors alterius secutura videatur; in eo enim casu, non censetur cooperari, sed solùm non impedire alterius occisionem; vnde communiter Doctores excusant hos remiges ab excommunicatione in Bulla Cęnæ. Secus dicendum de iis, qui tormenta in Christianos dirigunt, ignem bombardis admouent, & pilas explodunt, aut sagittas proiiciunt, aut alia ratione pugnant contra Christianos, etiamsi hoc faciant metu mortis, nam exercent actionem damnificatiuam intrinsecè malam. Nihilominus fieri potest, vt prædicti remiges ex charitate teneantur hoc modo non remigare; vt si tam ingentia damna sequerentur, vt ad ea impedienda tenerentur vitam exponere; secus si mala secutura, non ita sint magni momenti, Nauarrus *cap.*27. *nu.* 63. Suarez *tom.*5.*in* 3.*p. disp.*51. *sect.*2. Toletus *in explic. Bullæ* Syluius 2.2.*quæst.*62.*art.*7. *de participante*, verius videtur, absolutè non licere Christianis remigare contra Christianos; quamuis enim remigare non sit ex se malum, vti nec occidere vel pugnare: hoc tamen facere pro Turcis, contra Christianos secundùm se malum est: nec refert quòd mors eis intentetur, debent enim mortem pati potius, quàm ad Christianorum iniustam perniciem, Turcis obedire.

(Margin: Nauarr. Sanchez Vasques Lessius. Bonacin Regin. Azorius. Layman Diana. — Nauarr. Suarez. Toletus. syluius.)

SVPPLEMENTVM.

HOMICIDIVM I.

De Homicidio voluntario & Casuali.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium quid significet? & de diuisione illius.*
2 *An homicidium voluntarium aggrauatur ex modo occidendi.*
3 *Quod homicidium prohibeatur in præcepto Decalogi* non occides.
4 *An qui seipsum occidit, peccet contra charitatem & iustitiam.*
5 *An sit licitum pro salute temporali hominis priuati morti voluntariè se tradere.*
6 *An reus condemnari possit, vt ipse sumat venenum vel aperiat sibi venam, vt exinde moriatur.*
7 *An homo teneatur ad prolongandam vitam suam vti cibis optimis & delicatioribus.*
8 *An peccet mortaliter vtens cibo nociuo, vel inedia abbreuians vitam suam.*
9 *An liceat aliquando se mutilare.*
10 *An parentibus liceat castrare filios ad conseruandam vocem in seruitium Ecclesiæ?* Refertur duplex sententia.
11 *An licitum sit occidere inuasorem etiamsi ille qui inuaditur, fuerit in culpa prius, vt alter ipsum aggrederetur.*
12 *An qui se defendit contra iniustum aggressorem, possit intendere mortem eius?* Refertur duplex sententia.
13 *An iustè condemnatus vt fame pereat, teneatur ad comedendum, si illi cibus clanculum subministretur?* Refertur duplex sententia.
14 *An peccatum mortale sit sumere venenum, ad experiendam virtutem theriacæ.*
15 *Quo iure prohibitum sit clericis malefactores per se occidere.*

16 *An*

16 *An clerici dominium temporale habentes possint per se ipsos sententiam mortis in malefactores sibi subditos ferre.*

17 *An Princeps possit alicui facultatem concedere absolutè, vt quis ante iudicis sententiam malefactorem occidat.*

18 *An possit Princeps, vel Resp. in aliquibus casibus concedere facultatem priuatis occidendi malefactores?* Remissiuè.

19 *An iudex occidere possit eum, qui modo innocens est, sed prudenter timetur quòd postea sit futurus Reip. nociuus.*

1 HOmicidium ex nomine significat occisionem hominis, quomodolibet factam, iustè aut iniustè. Sed vsu loquentium propriè definitur occisio hominis ab homine iniusta. Ea autem fit sex modis: facto, præcepto, consilio, defensione, permissione, cooperatione.

Homicidium generatim aliud dicitur voluntarium: aliud non voluntarium, quod appellatur casuale. Quod voluntate fit homicidium duplex est. Vel enim directè & expressè volitum est, diciturque homicidium ex proposito, ac plenè voluntarium: vel quod volitum est in causa admodum propinqua, vnde mors suaptè natura consequi solet: vel si quis ex iustitia teneatur impedire homicidium, & cùm facilè possit, nullum tamen omninò impediendi conatum adhibeat; nam hoc casu dolus non omninò abesse censebitur, vt si nauta naufragium non impediat, cum possit.

Vel volitum est homicidium indirectè & interpretatiuè, interueniente culpa, sed non dolo, quod duobus modis potest contingere. *Primò*, si quis actionem exerceat, ex qua hominis occisionem non raro consequi nouit, & ob id actionem intermittere; vel aliter ac maiore cautione procedere deberet. *Secundò*, si quis euentum homicidij ex iustitiæ lege impedire teneatur, & tamen quantum posset ac deberet non conatur impedire: in his casibus homicidium prouenieus indirectè atque imperfectè voluntarium censebitur: vide Nauarrum *in Man. c.27. n.* 240. Couarruuiam *Clement. si furiosus, p.2. §.2* Molinam *tract.3. disp.33. membr.5. n.3.* Nauarr. Couarr. Molina.

Homicidium casuale dicitur, quando nec in se nec in causa est voluntarium; id est, quando causa non est efficax, vt ex ea non soleat vt plurimum talis effectus sequi: vt si alicui inflixisti vulnus non lethale, sed mors sequuta est, vel malitia medici, vel negligentia & temeritate læsi; hæc occisio censebitur tibi fortuita; vt pluribus dictum est *tom. 1. verb. Homicidium 2. n. 1.*

2. Homicidium voluntarium aggrauatur ex modo occidendi. *Primò*, si quis ab altero pretio, vel præmio conductus hominem interficiat: partim quia ignoscitur illi, qui ira & inimicitia instigante hominem inuadit, quàm qui pecuniæ cupiditate in alterius gratiam: partim quia inuasus plerumq; ad sui defensionem imparatus est contra eum, quem nulla cum ipso antecedente inimicitia, suspectum non habet. *Secundò*, si quis ex insidijs hominem occidat, vt cauere sibi non possit: adimitur enim illi ius naturale se defendendi, *l. vltim. Cod. qui accusare non possunt*. *Tertiò*, si quis aliquem veneno interficiat, iuxta *l. Cod. de malef. & mathem.* vbi dicitur, *Plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio*, vide Gomez *lib. 3. var. c.3. n.10.* Molinam *tract.3. disp.25.* Gomez. molina.

3. In præcepto Decalogi *Non occides*, omne & solum illud homicidium prohibetur, quod intrinsecam deformitatem dicit ad rationem, & quæ contra charitatem & iustitiam est. In casu autem, quo eadem ratio occisionem hominis aut iubet, aut permittit, non erit occisio quæ per hoc præceptum vetatur, & quæ communi vsu loquendi appellatur homicidium, quod intrinsecè & semper est illicitum. Et sic nec priuata occisio aggressoris in propriam tutelam, nec ea qua iudex occidit malefactorem, iuris ordine seruato, homicidia sunt, aut exceptiones huius præcepti, cùm vtramque dictet recta ratio. Hinc casus illi antiquæ legis quibus præcipiebatur occidi homicidas, adulteros & similes, non sunt exceptiones huius præcepti, nec merè legales, sed interpretationes quædam iuris naturalis, cùm illos dictaret recta ratio. Vnde sicut licebat interficere adulteram, aut homicidam, aut furem in lege Moysi, ita etiam & ante legem & nunc in Euangelio eosdem interficere licet. Lex enim naturalis nunquam mutata fuit; aut abrogata, aut limitata, aut extensa, sed immutabilis semper manet, cùm sit lumen naturale supra nos à principio signatum. Vt demonstrat D. Thomas *1.2. q.94. art.4. & 5.* D. Tho.

4. Qui seipsum occidit peccat & contra charitatem & contra iustitiam. Ratio prioris est, quia quod aliquis seipsum interficiat, est contra inclinationem naturalem, qua res vnaquæque seipsam & conseruat & aduersus noxia tuetur, ergo semper est malum. Tum quia regula diligendi proximum à semetipso dilector accepit: quandoquidem scriptum est, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Cùm ergo sit contra charitatem proximi, ipsum priuata auctoritate occidere, non dubium est, quin occidere seipsum, sit etiam contra charitatem sui. Ratio posterioris est, quia vnusquisque est pars reipublicæ, ergo qui seipsum interficit inuita Rep. facit ei iniuriam, eò maiorem quo ipse fuerit reipubl. vtilior, vtpote amputans ei membrum sine legitima auctoritate. Neque refert, aut quod Resp. non habeat dominium vitæ ciuium, aut quod seipsum occidens non teneatur ad restitutionem Reip. faciendam; habet enim Resp. saltem custodiam vitæ singulorum ciuium eamque in publicam sui vtilitatem. Quòd autem occisus non teneatur ad restitutionem; quidam opinantur rationem esse, quia solùm peccauit contra iustitiam legalem: vel melius dic, licet etiam peccauerit contra commutatiuam, Respublica tamen nullam exigit restitutionem, contenta vt iustitiæ vindicatiuæ satisfiat per ignominiosam corporis illius sepulturam. Ita D. Thomas *2.2. quæst.64. art.5. ad 1.* Sotus *lib.4. de iustit. quæst.2. artic.3. conclus.1.* Couaruuias *lib.1. variar. cap.2. num.8.* & alij. Quamuis quidam putent peccare solùm contra charitatem sui. Ita P. Nauarra *lib.2. de restitut. cap.3. num.34.* quem sequitur Clauis Regia, Sayrus *lib. 7. cap.9. numer.2.* quando nullum inde sequitur damnum Reip. D. Tho. Sotus. Couarr. P. Nau. Cl. Reg.

5. Quorumdam sententia est, non esse licitum pro salute temporali hominis priuati, morti voluntariè se tradere. Ratio est, quia ordo charitatis non tantùm est in consilio, sed etiam in præcepto, saltem respectu eorum quorum homo non est dominus, vt est vita proximi. Sed ordo charitatis est, vt quis sibi potiùs, quàm proximo teneatur. Ergo vitam proximi conseruare, cum periculo meæ, non est actus virtutis, sed prodigalitatis & contra charitatem sui. Ita Petrus Nauarra *lib.2. de restit. cap.3. dub.3. num.41.* & alij. Dicendum tamen est, licitum esse & laudabile vitam corporalem in aliquo euentu ad seruandā vitā corporalem amici æqualis conditionis certo periculo exponere. Ratio est, tum quia licet præferre bonum virtutis bono corporis, quando necessitas hoc postulat: si quis igitur ex amore virtutis exponat propriam vitam pro vita proximi, non est cur reprehendatur. Vnde sic exponendo se periculo mortis propter alium, magis diligit seipsum, quàm amicum, dum amico velit solùm conseruationem corporis, sibi verò bonum honestum, & actum virtutis, atque adeò non violat præceptum charitatis, vt vult ratio contraria. Tum quia vita corporalis Christi multò est dignior, quàm vita animarum nostrarum: cùm ergo ipse vitam sui corporis posuerit pro animabus nostris, consequens est, quod vitam nostram corporalem, pro proximi vita, etiam corporali, possimus ponere. Ex quo sequitur, quod si duo sint in extrema necessitate, potest alter alteri cedere panem, quem vnicum & vni tantùm sufficientem habet. Si in fuga hostium, potest ei concedere equum, vt fugiat; etiamsi ipse pedibus effugere non possit: Si grassante peste, potest sanus ministrare infectis, etiamsi putet se inficiendum. Ita D. Thomas *in 3. dist.29. q.15. art.5. ad 3.* & alij citati *tom.1. verb. Charitas, num.19.* Hæc tamen intelligenda sunt, quod non pro quolibet, & temerè vita exponenda est. Nam si quis valdè vtilis Reip. sit & amicus non item, vitam pro amico exponere non debet. Item si habet familiam & filios, qui sine vita sua educari & nutriri non possunt, non potest vitam pro amico dare, quia illud in aliorum præiudicium Nauarr. D. Tho.

cium vergeret. Alias limitationes vide loco citato, ne nobis eadem repetantur.

6. Non potest reus condemnari vt ipse sumat venenũ vel aperiat sibi venam ex qua per totius sanguinis effusionem sit moriturus, & propterea si quis ita condemnetur non tenetur, imò neque potest parere sententiæ. Quod non teneatur, patet, quia sententia est iniusta, non enim potest iudex condemnare aliquem vt seipsum occidat, cùm hoc sit contra ius naturæ. Quod neque liceat parere sententiæ, ex hoc sequitur, quia nemini licet occidere seipsum. Pro quorum intelligentia notandum est, actiones mortem violentam præcedentes, esse duplicis generis. Quædam enim sunt proximæ & immediatæ, ex quibus proximè & efficaciter sequitur mors, vt seipsum præcipitem dare, se è furca proijcere cum fune collum stringente, potatio veneni mortiferi, abscissio venæ, qua totus sanguis effluet, &c. Aliæ verò non sunt causatiuæ mortis, sed quædam dispositiones ad faciliùs patiendam mortem, vt ascendere scalam patibuli, aut collum extendere. Actiones primi generis omninò illicitæ sunt reo, nec illas iudex reo præcipere potest, quia non potest condemnare vt se interficiat. Ad eas autem quæ posterioris sunt generis potest ipsum condemnare, vt faciat eas omnes, quæ non possunt commodè fieri à carnifice, modò non sint illicitæ. Tamen si ex iuxta causa iudex condemnaret reum ad potationem veneni omnino violentam & inuoluntariam, vt quod eo ligato, & ore per vim aperto infunderetur ei venenum, tunc reus degluttiendo non peccaret, cùm actio illa esset ipsi omnino inuoluntaria & in ea haberet se tantùm passiuè. Ita Caietanus 2. 2. *q. 69. art. 4. dub. 7.* Syluius *ibid. quæst. 4.* Bannez *ibid. concl. 6.* P. Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 81.* Clauis regia *loco cit. num. 26.* contra Franciscum a Victoria, & alios. Vide Dianam *part. 5. tract. 4. res. 31. & 39.*

Caietan. Syluius. Bannez. P. Nau. Cl. Reg. Diana.

7. Quamuis homo teneatur non abrumpere vitam suam, non tamen tenetur ad vitam prolongandam cibis optimis & delicatioribus vti, etiamsi possit, sed communibus naturaliter productis: quia Deus non voluit nostã solicitos & anxios de longa vita. Vnde si quis vtatur alimentis, quibus homines communiter vtuntur, & quantitate, quæ sufficere solet ad valetudinem conseruandam, dato quod ex hoc abbreuietur vita etiam notabiliter, & hoc percipiatur, non peccat. Quædam enim sunt alimẽta, quæ licet non sint ita salubria sicut alia, non tamen sunt contraria vitæ humanæ, vt pisces, lacticinia, potus aquæ, & similia, quibus communiter vtuntur homines: Hinc si quis eis vescatur ad sufficientiam, etiamsi inde abbreuiari contingat vita, & à salubrioribus abstineat, nõ peccat: quia vitæ conseruandæ gratia non omnia media adhibenda sunt, sed illa tantùm quæ ad hoc sunt necessaria & congrua. Sed hoc dictum sit de sanis & benè habentibus: nam ægrotantibus non liceret vti cibis insalubribus & nociuis, qui sanis sunt salubres. Ex quibus sequitur, quod non tenetur quis vti medicinis ad prolongandam vitam, etiam vbi esset probabile periculum mortis, puta, quotannis sumere pharmacum ad vitandas febres vel alium morbum. Si tamen quis haberet certitudinem moralem, quod per pharmacum reciperet salutem, sine pharmaco autem moreretur, tunc nisi adesset iusta causa abstinendi, vix videtur posse excusari à peccato mortali, si non sumat medicinam, cùm medicina per se etiam ordinata sit à natura ad salutem. Sed quia hoc vix potest esse certum, ideo facilè non sunt damnandi de mortali, qui in vniuersum decreuerunt abstinere à pharmacis. Ita Victoria *in relect. de temperantia concl. 1. num. 1. & seq.* Arragon 2. 2. *q. 64. art. 5.* P. Nauarra *lib. 2. de restitut. cap. 3. num. 86. & seq.* Lopez *part. 1. instruct. cap. 64.* Iacobus Granadus *in 2. 2. controu. 3. tract. 6. disp. 2. sect. 3. num. 12.* & alii apud Clauem regiam *lib. 7. cap. 9. num. 28. & seq.*

Victoria. Arragon. P. Nau. Lopez. Granad. Cla. reg.

8. Si quis cibo nociuo vteretur vel singulari inedia scienter, vel ex aliorum bonorum & sapientum sententia, exinde breui abrumperetur eius vita, non excusaretur à mortali. Quia id non esset prolongare vitam, sed abrumpere, quod sine peccato mortali fieri non potest, nisi fortè id faceret ex peculiari auxilio & reuelatione diuina. Ita Victoria *loco cit. num. 15. & relect. de homicid. num. 33.* P. Arragon, Lopez *supra*.

Victoria. Arragon. Lopez.

9. Aliquando licitum est se mutilare, quando scilicet salus totius corporis abscissionem requirit, siue illa proueniat ex naturali causa, puta, quia cancer membrum inuasit, aut vipera momordit, siue ex violentia & voluntate alterius, aut alia causa extrinseca, puta, quia tyrannus te occidet, nisi manum tibi amputes. Similiter si quis iniquè detineatur ligatis manibus aut pedibus cum certo vel probabili vitæ periculo, nec illud euadere valeat nisi abscindendo sibi membrum, quo vinctus, aut ligatus tenetur, potest sibi illud abscindere, vt mortem fugiat. Imò in tali casu, si vinctus non possit se secare, aut non audet posset alter illum ex eius consensu secare; quia quod licitum est vincto in se facere, ad vitandam mortem, potest alter facere ex eius consensu. Ratio horum omnium est, quia se positiuè mutilare, non habet intrinsecam malitiam, sicut se occidere: quia licet nullus sit dominus vitæ suæ, sicut nec membrorum, qui tamen se occidit, ideò peccat, quia iniuriam infert corpori, illud vita priuando. Sed qui sibi membrum amputat ob totius corporis salutem, nullam ei facit iniuriam, sed potius eius bonum procurat, & proinde nullam ex se habet deformitatem; sed laudem & honestatem, aut saltem, vtilitatem. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 64. art. 5. ad 3. & quæst. 65. art. 1. ad 2.* Syluius *ibidem concl. 2.* Malderus *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 20.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 14. num. 96.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 32.* & alij apud Layman *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 1. numer. 2.* Vide dicta *tom. 1. verb. Homicidium 1. numero 32.*

D. Th. Syluius. Malder. Lessius. Diana. Layman.

10. Parentibus non licet castrare filium, vt cantu possit Ecclesiæ meliùs deseruire. Probatur, quia talis castratio est intrinsecè mala, cùm nemo sit dominus membrorum suorum. Tum quia bonum quod sequitur ex castratione, nempe, vt suauiùs canat in Ecclesia non est tanti momenti, vt ob ipsum res à natura tam aliena suscipiatur cum neque pro salute spirituali, aut periculo animæ vitando id sit licitum. Tum quia varia animæ pericula hinc consequi solent, cùm tales ardentius libidine inflammantur & impatientissimè ad concubitum feruntur. Vnde qui seipsum castrat est sui homicida, vt habetur ex *cap. Si quis absciderit, distinct. 55. & cap. Si quis à medicis, eadem distinct.* damnatur, qui seipsum castrat. Item iure ciuili sub pęna capitali prohibetur castratio, *l. 1. Cod. de Eunuchis, & l. Cornelia, §. Planè, ff. ad legem Cornel. de sicar.* Hanc sententiam tuentur Layman *lib. 3. sect. 5. part. 3. c. 2. assert. 2. in fine*, Diana *part. 3. tract. 5. resol. 38. & part 6. tract. 6. resol. 35.* & alij multi apud ipsum. Non desunt tamen Doctores contrarium sentientes, nempe, castrationem esse licitam pro conseruanda voce, dummodo fiat consentiente puero, & sine periculo vitæ, vt contingit his temporibus ob castrantium peritiam; eo quòd fiat ob conseruandum maius bonum corporis. Quia cùm vtile sit bono communi Ecclesiarũm habere Eunuchos cantantes, potest bonum particulare Eunuchi postponi bono communi Ecclesiæ. Confirmatur quia castratio est licita vrgente aliqua necessitate corporali vt colligitur ex *cap. Si quis a medicis*, ex *cap. Eunuchus*, & ex *cap. Si quis pro ægritudine, dist. 55.* Vnde cum castratio non sit intrinsecè mala & ex obiecto, erit ex ijs, quæ possunt cohonestari, quando fiunt ex iusta, atque rationabili causa? nam si esset intrinsecè mala, nunquam esset licita, etiam vrgente necessitate. Ita tradit Salon 2. 2. *q. 65. art. 1. controu. 2. vers. Hinc sequitur*, Pasqualigus *in decis. moral. decis. 498.* qui ad omnes rationes contrarias respondet. Et hanc opinionem vt probabilem videtur admittere Tannerus 2. 2. *disp. 4. quæst. 8. dub. 5. num. 101.* An autem ita sit, iudicent viri docti.

Layman. Diana. Salon. Pasqual. Tanner.

11. Licitum est occidere inuasorem, etiamsi ille qui inuaditur, fuerit in culpa prius, vt alter ipsum aggrederetur. Ratio est, quia ipse inuasor iniuriam & vim facit, etiamsi prius fuerit lacessitus factis, aut verbis, ergo licitum est vim illam & iniuriam repellere, & ob iniuriam quam fecit alteri, non amittit ius naturale defendendi propriam vitam. Tamen si lacessitor præuidit pericula mortis futura ex actione propria, peccat peccato homicidij in corde suo, quando tale periculum præuidens, nihilominus statuit se in illo constituere. At vero postea in

ipso

ipſo periculo poſitus, non amittit ius defendendi ſe donec doleat de peccato, quod non eſt ita facilè in illo conflictu & perturbatione animi.

Molina. Salon. Rodriq. Nauarr.

Ita Molina *tract.3.disp.15.* Bannez 2.2.q.64.*art.7.concl.*3. Salon *ibidem controuerſ.1. concl.*2. Rodriquez *in Summ.tom.1.cap.176.* & alij, quidquid contrarium dicat Nauarrus *in Manual.cap.15.n.7.* Vnde ſi adulter occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum inuaſorem non tenetur ad aliquam reſtitutionem, vt docet Leſſius *lib.2. cap.9. n.137.* vide Clauem Regiam *lib.7.cap.10. n.24.*

Leſſius. Cl. Reg.

12. Dubium eſt inter Doctores, an qui ſe defendit contra iniuſtum aggreſſorem, poſſit intendere mortem eius? Quidam negant: quia data opera, ſeu ex eo conſilio & deliberata voluntate intendere mortem aggreſſoris excedit moderamen inculpatæ tutelæ; cùm is cui inuaditur, poſſit ſe tueri aliter quàm eiuſmodi voluntatem concipiendo. Vnde qui iniuſtè inuaditur, non debet aliud agere vel intendere, quàm ſe tueri, & quidem moderatè, vt proinde nequaquam velit eum inuaſorem occidere, modò poſſit aliter euadere: ſi autem videat ſe aliter non poſſe euadere, poteſt conari ſic debilitare inuaſorem, vt ipſe inuaſor nequeat eum occidere; non poteſt tamen eum data opera interficere: debet enim ſeruare moderamen inculpatæ tutelæ; ac propterea, is qui inuaditur, ſi inuaſorem debilitando poteſt euadere mortem; non licet ei plus velle aut agere: ſi non poteſt, licitum eſt ei ferire in locis etiam periculoſis, quamuis inde ſecutura ſit mors inuaſoris. Hæc ſententia ſine dubio eſt vera, licet difficilis in praxi, nam etiam difficile eſt ſe defendendo contra inuaſorem eum interficere ſeruato per omnia moderamine, quod ſecundùm Dei legem neceſſarium eſt.

Caietan. Bannes. Syluius. Victoria

Hanc ſuſtinent Caietanus *ſecunda ſecunda, quæſt.64. art.7.* Bannez *ibidem dub* 5. Syluius *ibidem, quæſt.5.* Victoria *in relect. de homicid. à num.* 17. & alij. Sed quia hæc metaphyſica ad aliud non deſeruit, quàm ad moralem doctrinam turbandam, ad erroneas conſcientias in materia ſatis lubrica gignendas, lethaliſque peccati ſcrupulos iniiciendos, plurimi docent non improbabiliter, eum, qui iuſtè ac licitè ſe defendit, poſſe velle ac intendere etiam mortem inuaſoris in ſui defenſionem conſeruationemque ſuæ propriæ vitæ, tanquam in finem vlteriorem, quando iudicat mortem, ad eum finem eſſe neceſſariam.

Molina. Faber. Rodriq. Villalobos. Sotus. Busfeld Cl. Reg.

Ita Molina *tractat.3.disputat.11.num.4* Philippus Faber, Rodriquez, Villalobos, Sotus, Petrus Binsfeldius apud Dianam *part.5.tract.4.reſol.16.* & alij apud Clauem Regiam *lib.7. cap.10.num.20.*

13. Qui iuſtè condemnatus eſt vt famę moriatur, probabile eſt teneri ad comedendum, ſi illi cibus clancolum ſubminiſtretur. Ratio eſt, quia ſi nollet comedere, etiam ea intentione, vt locum haberet iuſta ſententia, peccaret, quia directè ſe occideret. Tum quia & ſi teneatur ſubire mortem iuſtè inflictam à iudice, non tamen debet ipſe ſibi illam infligere, ſed tolerare à miniſtris iuſtitię illam ſibi infligi.

D. Th. Comit. Couarr.

Ita Diuus Thomas 2.2. *quæſt.69. art.4. ad* 2. Comitolus *in reſp. Moral.lib.4.quæſt.10.num.6.* Couarruuias *lib.1.variar.cap.2.num.*10. & alij. Verùm contraria ſententia non eſt improbabilis, quia qui non comedit poſitiuè, nihil ſibi infert ad mortem, ſed ſolùm permittit calore interno vitam abſumi: itaque ſolùm non conſeruat vitam: ad quod ſatis grauem cauſam habet, nempe vt ſe iuſtæ ſententiæ conformet.

Leſſius. Azorius. Sotus.

Ita Leſſius *lib.2. cap.9. num.* 29. Malderus 2.2.*tract.3. cap.1. dub.19.* Azorius, Sotus, & alij.

14. Quidam mortale putant aſſumere venenum, vel permittere ſe à ſcorpione vel vipera morderi, ad experiendam theriacam.

Lopez. Nauarr.

Ita Lopez *part.1. inſtruct. cap.63.* Idem docet Nauarrus *in Manual.cap.15.num.8.* ante factum: poſt factum autem ſic ſumentem peccati damnare non audet. At hoc ſine ratione dictum videtur, ſi enim eſt peccatum mortale ante tactum, non minùs erit poſt factum. Vnde dicendum eſt, poſitis tribus conditionibus concurrentibus, licitum eſſe accipere. *Primò*, vt componens illam theriacam pro homine legali habeatur. *Secundò*, vt in bruto animali periculo facto, virtus eius comprobata ſit. *Tertiò*, quòd ſumens venenum credat nullum eſſe periculum: tunc enim eſt, ac ſi non acciperet quoad effectum moriendi, quia ſi in eius ſumptione poſtea appareret periculum, poteſt ſtatim adhiberi remedium.

Nauarr. Malder. Rodriq.

Ita Petrus Nauarra *lib.2.de reſtit.cap.3. num.83.* ſi verò talis probabilitas non adſit, nullo modo licitum erit ſumere, eſſet enim directè cooperari ad occiſionem ſui. Ita Malderus 2.2.*tract.3. c.1. dub.19.* Rodriquez *tom.1. cap.136. num.2.*

15. Non eſt prohibitum clericis iure naturæ, vt malefactores occidant, quia nec iuri naturali, nec rectæ rationi repugnat, vt clericus maleſactores ſibi ſubditos occidat: nec etiam iure diuino hoc eis eſt interdictum, cùm nullibi in Sacra Scriptura legatur talis prohibitio. Solo igitur humano iure poſitiuo ob ſtatus decentiam, clericis prohibetur ne malefactores occidant. Vt habetur *in c. Neminem, & c. Epiſcopum, diſt.45.* & *in c. Sententiam; c. Clericis; Ne clerici vel Monachi*. Hæc prohibitio Eccleſiæ iuſtè facta eſt clericis, vt illi ab omni prorſus abſtineant percuſſione, tam priuata, quàm publica auctoritate facta tum ad meliorem repræſentationem Chriſti Domini, tum etiam ob maiorem decentiam ſtatus Eccleſiaſtici & conuenientiam miniſtrorum nouæ legis.

16. Clerici, qui iure hæreditario, vel ratione prælaturę, dominium temporale habent, poſſunt ex Summi Pontificis priuilegio per ſeipſos ſententiam mortis in malefactores ſibi ſubditos ferre. Ratio eſt, quia cùm hæc prohibitio ex ſolo ſit iure poſitiuo Eccleſiaſtico, vt dictum eſt, poteſt Summus Pontifex, qui pleniſſimam poteſtatem in ius Pontificium habet, cum clericis in hac re diſpenſare. Si verò ſolùm habeant priuilegium habendi iuriſdictionem temporalem, ſiue ſint ſupremi Domini, nullum agnoſcentes in temporalibus Superiorem, ſiue ſint inferiores alicui Regi ſeu Principi, tunc quidem ſolùm conceditur illis iuriſdictio temporalis; iuxta iuris canonici decreta, hoc eſt, vt abſque peccato vel irregularitate ferre poſſint leges condemnantes in generali malefactores ad mortem, & eligere iudices, tribuendo eis auctoritatem iudicandi, etiam ad mortem, prout recta ratio & iuſtitia requirit, vt expreſsè habetur *in cap. final. Ne clerici vel Monachi, in 6.* Vbi dicitur. *Epiſcopus, ſeu quicumque alius Prælatus, vel clericus iuriſdictionem obtinens temporalem; ſi homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in iuriſdictione ſua commiſſo, balliuo ſuo, aut alij cuicumque iniungat, vt ſuper hoc veritatem inquirens iuſtitia debitum exequatur: irregularis cenſeri non debet: quamuis ipſe balliuus vel alius contra malefactores ad pœnam ſanguinis proceſſerit iuſtitia mediante. Nam licet clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen (cùm iuriſdictionem obtinent temporalem) debent & poſſunt metu irregularitatis ceſſante alijs delegare.* Ex quo patet clericos in hoc caſu, non tam priuilegio Papæ, quàm iure communi hanc poteſtatem habere. Vide dicta *tom.2. verb. Irregularitas V.n.7.* & Doctores ibi citatos. Quibus adde Syluium 2.2.*q.64.art.4.*

Syluius.

17. Non poteſt Princeps, aut Reſpublica legem ſtatuere aut facultatem alicui concedere abſolutè, vt quis ante iudicis ſententiam maleſactorem occidat. Ratio eſt, quia eſt contra ius naturæ, vt quis non auditus condemnetur. Vnde Act.25. Feſtus iudex ait. *Non eſt conſuetudo Romanis condemnare aliquem hominem priuſquam is, qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ obijciuntur.* Et hinc homicidij ſunt rei occidentes veneno, vel alias ſecreto de mandato Dominorum non citatos, non auditos, non damnatos, etiamſi rei læſæ maieſtatis dicerentur vt rectè docent Caietanus *in Summ. uerb. Homicidium*.

Caiet.

Limitatur tamen hæc doctrina, vt non procedat quando crimen eſt publicum & notorium: tunc enim ſine citatione, defenſiones, & proceſſu condemnari & puniri poteſt, quia talis non poteſt ſe licitè defendere in iudicio, negando factum vel alia via licita. Vnde iudices excuſantur, qui repertos in flagranti crimine publico & notorio, vt latrones in vijs & huiuſmodi, ſtatim ſuſpendi iubent. Interuenit enim ibi notorium facti, loco accuſatoris & teſtium faciens publicam ſcientiam. Similiter quando reus ita eſſet potens vt capi non poſſet: tunc enim non vocatus & non defenſus condemnari poſſet in abſentia, debet tamen iudex facere proceſſum, in quo allegari & probari curet pro abſente, quæcumque poſſunt. In

Na.

Nauarr. Salon. Lessius.

Nauarrus *in Man.c.25 n.10.* Salon 2.2.*q.64.art.3.contr.4. concl.* 1.Lessius *lib.2.c.29.dub.11.n.100.* Alios casus exceptos à Superiori doctrina vide *tom.2.v. Iudex num.*8. & Doctores ibi adductos.

18. Potest Princeps vel Resp. concedere facultatem hominibus priuatis occidendi malefactores in aliquibus casibus post latam sententiam & declaratoriam criminis qua quis iustè ad mortem damnatus est. De his egimus *supra v. Bannitus per totum*. Et ibi dicta habent etiam locum circa latrones publicos, assassinos & alios viarum inuasores & perturbatores Reip. quia isti sunt aggressores, & hostes reip. Ideò potest concedi facultas occidendi istos cùm non possint alia via comprehendi. Vt colligitur ex *c. Pro humani, de homicid. in 6.* Monuerim tamen vbi tales damnati non essent inuasores itinerum, nec assassini nec perturbatores Reip. aut facilè capi possent, aut solùm essent priuati homicidæ suorum tantùm inimicorum, non est concedenda talis occidendi facultas: quia experientia teste occidi solent atrociter & inhumaniter, & sine confessione sacramentali, cùm tamen Iudex, quantum patitur bonum commune, reis locum & tempus ad recipienda Sacramenta, sub peccato concedere teneatur.

19. Ex communi omnium sententia non licet Principi aut iudici occidere innocentem ob bonum priuatum alterius personæ. Estque hoc ita certum, vt superuacaneum sit rationibus probare. Sed difficultas est, de eo, qui modo innocens est, prudenter tamen & vehementer timetur de illo, quòd futurus sit postea Reip. nociuus, multaq; & grauia mala contra eam commissurus, an Iudex eum occidere possit? Videtur quod sic: quia bonum commune præferendum est bono particulari cuiuscumque. Cùm igitur iudex teneatur prouidere bono communi, & impedire mala omnia, non solum præsentia, sed etiam quæ in posterum Reip. accidere possunt, quantum in ipso est, ideo poterit & debet talem innocentem, sed postea noxium Resp. futurum occidere. His tamen non obstantibus dicendum est cum communi Theologorum sententia in hoc casu innocentem non posse occidi; quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, aut deuitentur alia mala, sed malum & peccatum est hominem iustum & innocentem occidere; ergo nulla ratione faciendum, aut ad malum aliquod vitandum, aut ad bonum aliquod obtinēdum. Ita ex communi Petrus Arragon 2.2.*q.64.art.*2. Salon *ibid.* Tum quia iudicium & iustitia humana assimilari debet diuinæ, nullum autem puniuit Deus vnquam aut punit pro peccato futuro, sed tantùm pro præterito; ergo iudex, qui Dei minister est, innocentem iam actu, pro futuro delicto occidere non debet, nec potest. Bono autem communi & saluti Reip. multis alijs modis prouideri potest sine morte istius hominis, vel per exilium, vel per custodiam vel per bonam instructionem, vel per aliquod aliud medium licitum.

Arragon. Salon.

Vide hoc tom. verb. Aborsus & Furtum *n.*18. & tom.2. verb. Immunitas Ecclesiar. *n.* 5. & seq. Irregularitas 2.*n.*1. & seq. Matrim.2.*n.*28. & 29. Parentes *n.*4. Restitutio *n.* 19. Reus *n.*9. Sepultura *n.* 16.

HOMICIDIVM II.

Quoad restitutionem.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis possit quis alium lædere in corpore? Et duo mala nascuntur ex huiusmodi læsionibus.*

2 *Ex qua culpa teneatur occidens aggressorem.*

3 *Quando ex vulnere nascitur damnum in temporalibus an lædens teneatur illud compensare.*

4 *An occidens inuasorem rerum suarum peccet contra iustitiam & teneatur ad restitutionem si eas per iudicem recuperare possit?* Refertur triplex sententia.

Et an occidere, liceat furem fugientem cum re furtiua.

5 *An clerici, religiosi aut infimæ conditionis homines peccent contra iustitiam occidendo inuasorem, si commodè fugere possint?* Refertur duplex sententia.

1 QVatuor modis potest quis alterum lædere in corpore. *Primò*, auferendo vitam. *Secundò*, mutilando membrum. *Tertiò*, infligendo vulnus. *Quartò*, lædendo in aliquibus bonis corporalibus, à quibus vita non dependet, vt in pulchritudine, celeritate corporis, &c. Duo mala possunt considerari in huiusmodi læsionibus. Vnum est ipsa læsio secundùm se, scilicet occisio, vel mutilatio membri, &c. Alterum est, damnum temporale, quod consequitur ex huiusmodi læsione, scilicet expensæ faciendæ in curatione læsi: lucrum cessans & damnum emergens, vt quando opifici abscinditur manus, qua se & familiam alebat. Sed quia obligatio restitutionis nulla est, nisi quando violatur iustitia inde est, quòd solus ille teneatur ad restitutionem, qui alterum iniustè mutilat aut occidit, &c. Qui enim iustè occidit & licitè legem iustitiæ non violat, licet aliquando contra charitatem peccet, vt qui aggressorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ interficit, mutilat si ex odio & appetitu vindictæ hoc faciat: si iudex, qui iustitia exigente hominem occidi faciat ex odio, aut alia passione inordinata annexa. Vnde cùm in his & aliis similibus casibus solùm charitatis, non autem iustitiæ leges violentur, nulla exinde restitutionis obligatio consequitur. His prænotatis ad resolutionem dubiorum particularium, quæ desiderantur procedamus.

2. Occidens aggressorem tenetur ex dolo & lata culpa: quia est regula generalis, quod quando quis tenetur restituere ex delicto, obligatur solùm ex dolo & lata culpa, non autem ex leui, vel leuissima. Ratio est, quia quisq; in actionibus periculosis tenetur præstare diligentiam, quam homines eiusdem conditionis communiter præstare solent: ergo si hanc non adhibuerit, censebitur damnum illi voluntarium, quia non fecit quod debuit & potuit. Hæc autem culpa lata obligans ad restitutionem debet esse mortifera: quia quando solùm culpa venialis commissa est, non est actus perfectus in ratione iniuriæ, sed imperfectus: ergo non inducit obligationem restitutionis, saltem perfectam, qua astringat sub peccato mortali; non enim potest obligatio maior esse in suo ordine, quàm fuerit iniuria ex qua nascitur, in suo. Nec refert quòd in foro externo, interdum punitur culpa leuissima præsertim in committendo posita; hoc fit partim ob præsumptionem fraudis, quæ locum habet in commissione, partim ne detur locus negligentiæ vel fraudi. Sed quod dictum est, intelligendum est in foro interiori, vbi præsumptio non habet locum. Ita communiter Doctores apud Syluest. *verb. Culpa 6.* vbi citat Panormit. & alios & *v. Restitutio* 2.§.12. & 17. vt etiam annotauimus *tom.1. v. Restitutio* 1.*n.*7. cum Doctoribus ibi citatis. Syluest.

3. Quando ex vulnere relinquitur signum in facie, vel alia deformitas, & ex ea nascitur damnum in temporalibus, tenetur lædens resarcire hoc damnum, vt si v. g. quis iniustè deformauit aliquam fœminam, ratione cuius deformitatis ipsa maiori dote indiget, vt æquè bene nubat, talis deformans tenetur recompensare dando pecuniam, aut augendo dotem, qua damnum illatum resarciatur. Ratio est, quia pulchritudo & decentia corporis est bonum quoddam corporale, & æstimari potest, vt alia bona corporalia. Ita Sayrus in Clauis Regia *lib.11.c.2 n.* 21. citans Couarruuiam & Petrum Nauarrum. Cl. Reg. Couarr. Nauarr.

4. Quorumdam sententia est, occidentem inuasorem rerum suarum, si eas recuperare iudicialiter posset, peccare contra iustitiam & teneri ad restitutionem: quia nemini ex officio licet inferre grauissimum damnum proximo pro euitando leui suo; sed leue damnum est breui tempore carere rebus suis; maximum verò malum vitæ orbitas. Ergo. Ita Petrus Nauarra *de rest lib.*2.*c.*3.*n.*413. Bartolus *in l. furem ff. de sicarijs.* Fernand. *p.*1.*c.*14.§.1.*n.* 13. & alii apud ipsum. Secunda sententia docet licere occidere furem cùm difficillima speraretur ablatarum rerū recuperatio per iudicem. Ita Malderus 2.2.*tr.*3.*c.*1.*dub.*13. Hæ duæ sententiæ sunt probabiles. Verior tamen sententia sustinet, non peccare contra iustitiam, ac proinde non teneri ad restitutionem. Ratio est, tum quia quisquis ius habet defendendæ suæ possessionis, etiam ciuilis quam retinet, quamdiu furem, habet in conspectu. Vnde potest eam tueri. Tum quia inuasor nullum ius iustitiæ P.Nau. Bartol. Fernand. Malder.

Caietan. Rebellus Lessius. habet vt domino inuito res suas accipiat, sed iniustè eas inuadit. Ergo iustè eas defendere quis potest etiam cum detrimento ipsius inuasoris. Ita Caietan. *2.2. quæst. 64. art. 7.* Rebellus *de oblig. iustit. part. 2. lib. 3. quæst. 12. num. 10.* Lessius *lib. 2. c. 9. dub. 11. num. 71.* qui nouissimus admittit esse contra charitatem in hoc casu occidere, quia charitas postulat, vt cum quàm minimo malo proximi, res propria seruetur.

Ex dictis infertur, quòd si fur fugiat cum tuo equo, potes eum fugientem telo vel sagitta occidere, si admonitus non desistat, quia adhuc non est in tuto positus, nec pacificè possidet, & tunc censetur durare aggressio seu inuasio; si enim hoc non esset licitum, defensio rerum magna ex parte esset inutilis, cum statim re accepta furea essent securi, domino non potente vi impedire, ne cum ipsa abirent. Ita Cardinalis Lugo *de iustit. disp. 10. sect. 9. n. 179.* qui pro hac sententia citat Molinam & Lessium *lib. 9. c. 9. dub. 11. n. 74.* & etiam diximus *tom. 1. verb. Homicidium 1. num. 20.* Lugo. Molina. Lessius.

5. Dissentiunt auctores, an peccent mortaliter contra iustitiam, vel solùm contra charitatem clerici, religiosi, aut etiam infimæ conditionis homines, qui alapa percussi vel fuste, aut quocumque alio modo inuasi non sibi consulunt fuga, cùm possint fugere ante acceptam iniuriam, sed repercutiunt, & occidunt inuasorem. In qua difficultate duplex est sententiam. Prima docet esse satis probabile tam Ecclesiasticum, quàm secularem, quem fugere oportebat si id non faciat, sed resistat, & sui defendendi causa mutilet, vel occidat, non obligari ad restitutionem, neque in externo, neque in interno foro: quia propriè non infert iniuriam aggressori, quia se vltrò in tale periculum coniecit, & quantum in ipso est, potestatem fecit inuaso se defendendi. Et huic sententiæ adhæsi *supra verb. Homicidium 2. num. 2.* cum Doctoribus ibi citatis. Tamen quorumdam recentiorum magni nominis opinio est, tales non solùm peccare contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Ratio est, tum quia solùm licita est occisio, quando necessaria est ad vitam tuendam vel graue malum arcendum. Sed in nostro casu, clericis & Religiosis &c. non est graue malum fugere, aut patienter sustinere id quod viro seculari esset ignominiosum: ergo pro non graui malo comparatione sui inferentes mortem, aut grauem mutilationem proximo contra iustitiam peccant. Tum quia vnusquisque habet ius ne occidatur ab alio auctoritate priuata, nisi ob necessitatem defensionis, cui iuri ille non renunciauit, licet passione turbatùs voluerit se ei periculo exponere: cùm ergo tunc non sit necessaria occisio ad propriam defensionem, necesse est, quod retineat malitiam integram homicidij iniusti. Ita Emin. Cardinalis Lugo *tom. 1. de iustit. & iur. disp. 10. sect. 8. n. 170.* Dicastillus *de iustit. lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 5. n. 68. & dub. 7. n. 80.* qui hanc sententiam probabiliorem dicunt. Lugo. Dicastil.

HONOR.

SVMMARIVM.

1 *Honor quid sit.*
2 *Honor distinguitur à reuerentia, laude, & gloria.*
3 *Excellentia, quam respicit honor, in quibus consistat.*
4 *Differentia inter honorem & famam.*
5 *Honor & cultus etiam differunt.*
6 *An censeatur remissio restitutionis honoris, familiaris conuersatio cum contumelioso.*

1 HOnor est *exhibitio reuerentia in testimonium alicuius excellentia, sine relatione eius in alium finem:* vel *est testimonium de excellentia alterius.* Fit autem hæc testificatio aliter erga Deum & homines absentes: aliter erga homines præsentes. Nam erga Deum & homines absentes honore dignos, sufficit conscientiæ testimonium, seu interior motus animi, quo recogitat quis excellentiam Dei, vel alicuius hominis coram ipso Deo. Testificatio autem excellentiæ hominis præsentis potest multis modis fieri: nempe verbis eum honorificis compellando: aut gestibus corporis reuerentiam exhibendo pura, capitis apertione poplitis inflexione, corporis inclinatione, assurrectione, occursu, præsentiæ exhibitione, officiorum aut dignitatum collatione, quæ idcircò per tropum solent honores appellari: vel offerendo munera: vel denique cùm ei imagines eriguntur, & horum similia fiunt. Ita D. Thomas 2.2. q. 103. *art.* 1. & communis. D. Th.

2. Honor distinguitur à reuerentia, partim vt effectus à sua causa efficiente, quoniam reuerentia, quam habemus ad aliquem, mouet nos ad honorem ei exhibendum; partim à fine: idcirco enim honoramus quempiam, vt ei tamquam digno conciliemus reuerentiam apud alios. Distinguitur à *laude*, nam laus non præstatur nisi verbo vel scripto, honor autem aut verbis aut factis seu actionibus honorificis aut rebus ipsis exterioribus quæ offeruntur, vel instituuntur in honorem alicuius. Distinguitur etiam à *gloria*, quæ est laudis, honorisque effectus. Nam ex laude & honore alicuius, bonitas seu virtus eius clara redditur in notitia plurimorum: & hæc dicitur gloria. Est enim Gloria clara cum laude notitia, seu frequens de aliquo fama cum laude. Ita D. Thomas *loc. cit. in corp. & ad 3.* D. Th.

3. Excellentia, quam respicit honor, potissimum consistit in sapientia & virtute quæ etiam sanctitas dicitur; hæc enim habent præcipuam excellentiam. Deinde etiam in aliis perfectionibus & dignitatibus vel moralibus, vel realibus à Deo communicatis, siue mediante ratione naturali, siue supernaturaliter. Hinc potestas, quæ est in Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus, & quæ in Sacerdotibus est honorãda, quia est communicatio quędam diuinæ potestatis; dignitas quoque principij, seu causæ quæ est in parentibus: denique omnis perfectio rationalis naturæ: quia est participatio quædam perfectionis diuinæ est aliquo modo ratio honorandi, si nihil aliud impediat. Denique id quod singularem quemdam ordinem, vel vt effectus, vel vt instrumentum ad hasce perfectiones habet, etiam est ratio honorandi. Sic nobilitas & diuitiæ honorantur: nobilitas quidem quia ex præclarè gestis orta est: diuitiæ autem quia ad opera præclara facultatem præbent suntque virtutis instrumentum. Hinc patet quòd iussu Dei honore debent coli omnes superiores: Omnes Dei ministri, & homines Sancti; Parentes à filijs; Maritus ab vxore: Magistri à discipulis, vt scriptura sacra passim testatur. Gradus autem honorum distinguuntur secundùm diuersitatem excellentiæ, quæ apparet in singulis hominibus ac statibus. Ita colligitur ex doctrina D. Thomæ *loco citato, art. 2.* & Commentatorum ibi. D. Th.

4. Inter honorem & famam est etiam differentia: nam fama est opinio virtutis, sapientiæ, & rerum præclarè gestarum alterius; honor autem, est testimonium excellentiæ. Fama consistit in interna opinione, & dum exit in opus externum dicitur laus, vel vituperatio. Honor autem consistit in externa significatione nostræ æstimationis de excellentia alterius & submisionis nostri; vnde supponit opinionem excellentiæ, & intentionem exteriùs per aliquod signum eam testandi, idque ideò, quia hoc excellentiæ est debitum. Hinc honor est quid excellentius, quàm fama: nam includit famam seu opinionem excellentiæ, & præterea eius testificationem & manifestationem. Ita communiter Doctores.

5. Honor & cultus etiam differunt; quia cultus aliquid ampliùs importat, quàm honor simpliciter loquendo: nam Deus Sanctos honorat, neque tamen eos colit: quia cultus significat honorem cum sui submisione alteri exhibitum. Vnde cultus & honor debitus est Deo. Cùm enim honor sit testimonium excellentiæ; Dei autem excellentia sit in omni genere perfectionis infinita, consequens est ipsum summo honore esse dignum: & cùm in illius excellentiæ cognitionem aliquo visque veniat creatura rationalis, quæ simul ipsum cognoscit etiam esse primum principium, à quo omnia habent totum id quod sunt, & quod possunt, nascitur in ea obligatio & debitum illum honorem Deo deferendi.

6. Re-

6. Remiſſio reſtitutionis honoris regulariter non cenſetur facta per familiarem conſuetudinem, ſeu conuerſationem cum eo, qui contumeliam intulit. Ratio eſt, tum quia familiaris conuerſatio alijs de cauſis fieri poteſt, vt cauſa indigentiæ, vel ſcandali vitandi, vel conſuetæ conuerſationis. Tum quia familiaris conuerſatio non ſufficienter indicat remiſſionem debiti pecuniarij: ergo neque ſufficienter indicat remiſſionem honoris, qui maioris eſt momenti & æſtimationis: niſi fortè adſint expreſſa indicia, ex quibus remiſſio contumeliæ colligatur. Aliud enim eſt iniuriam, id eſt, odium ex animo remittere, ad quod fidelis quiſque tenetur; aliud honoris iniquè ablati reſtitutionem cupere, quod licitum eſt, etiam in iudicio; dummodo puro animo ſine odio & deſiderio vin-
Nauarr. dictæ fiat. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 18. *num.* 46. Clauis
Cl. Reg. Regia *lib.* 11. *c.* 8. *n.* 14. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 356. & alii
Regin. contra Syluestrum & alios.

Quomodo autem honor ſit reſtituendus, vide *tom.* 1. *verb. Contumelia. n.* 6.

HORÆ CANONICÆ I.

Qui teneantur ad horas.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſint horæ canonicæ?*
2 *Quot ſint horæ canonicæ?*
3 *Clerici ſacrorum ordinum, beneficiarij, & religioſi ad chorum profeſſi, tenentur ad horas canonicas.*
4 *An clerici in ſacris conſtituti realiter degradati, excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, teneantur ad horas.*
5 *An religioſi choro deputati, ex conſuetudine teneantur poſt profeſſionem ad perſoluendum diuinum officium? & quid dicendum de Monialibus?*
6 *An nouitius aut conuerſus poſt profeſſionem teneatur ad horas canonicas.*
7 *An religioſus eiectus vel damnatus ad triremes, vel qui profeſſionem emiſit in ea religione, quæ non eſt addicta choro teneatur ad horas?*
8 *An teneantur religioſi ſub mortali ad horas publicè in choro perſoluendas?* Refertur duplex ſententia.
9 *An ſuperior religioſorum poſſit cum ipſis diſpenſar, ratione ſtudiorum aut negotiorum.*
An religioſus profeſſus ad chorum deputatus, iuſta de cauſa ab Abbate ad conuerſorum ſtatum tranſlatus, teneatur ad horas canonicas.
An conuerſi loco horarum canonicarum teneantur ſub mortali ad aliquid recitandum.
10 *An habentes beneficium Eccleſiaſticum quamuis manuale, vel in commendam, obligentur ad horas canonicas?*
11 *An clericus habens capellaniam quamuis temporalem teneatur horas canonicas recitare?*
12 *An beneficiarius habens beneficium adeò tenue vt non ſufficiat ad vitæ ſuſtentationem, teneatur ad officium totum perſoluendum?* Refertur duplex ſententia.
13 *An beneficiarius eximatur ab horis perſoluendis, qui cùm non ſit Sacerdos, maiorem fructuum partem tradit Sacerdoti ſubſtituto ad peragenda beneficij onera? aut dum ſua culpa beneficij fructum non recipit.*
14 *An excuſetur beneficiarius à precibus canonicis primo & ſecundo anno, quibus fructus non recipit.*
15 *An beneficiarius teneatur ad horas, qui pro aliquo tempore fructus non percipit? vel qui ob delictum aut alia iuſta de cauſa priuatur fructibus?*
16 *An excuſentur ab onere recitandi horas, qui nec per ſe, nec per ſuos, vllos fructus percipiunt, nec percepturi ſunt.*
17 *An teneatur ad horas beneficiarius qui iniuſtè ob bellum, vel alia iniuſta de cauſa priuatur omnibus fructibus?* refertur duplex ſententia.
18 *An quando beneficium eſt litigioſum & plures litigant circa idem beneficium, nullus eorum teneatur ad horas.*
19 *An qui iuſtè plura beneficia retinet, teneatur in die officium recitare toties, quot ſunt beneficia?*
20 *An Penſionarius teneatur officium magnum recitare?*
21 *An ante captam pacificam beneficij poſſeſſionem beneficiarius obligetur ad penſum horarum canonicarum?* Refertur duplex ſententia.
22 *Quas horas diei teneantur beneficiarij vel clerici promoti ad ordinem ſacrum recitare, eo die quo beneficij poſſeſſionem accipiant, vel ad ordines ſacros ad titulum patrimonij promouentur?*

1 HOræ *Canonicæ* vocantur illæ preces & laudes, quę ex præſcripto Canonum Eccleſiaſticorum, in Eccleſia certis horis diu noctuque canuntur; & de fide tenendum eſt, hanc formam precandi eſſe piam & ſalutarem, ac proinde in Eccleſia retinendam: quia iam inde ab exordio Eccleſiæ, ſemper fuit aliqua publica precandi & laudandi Deum forma: hæ *horæ Canonicæ* dicuntur officium diuinum, quaſi munus & obſequium quod clerici Deo præſtant. Vocantur etiam officium Eccleſiaſticum, quaſi clericorum miniſterium & penſum: item quia Eccleſiæ præcepto perſoluitur & quia ab Eccleſia eſt inſtitutum. Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 1. *quæſt.* 1. Leſſius Azorius.
lib. 2. *cap.* 37. *dub.* 8. *num.* 41. Filliucius *tract.* 23. *num.* 86. 87. Leſſius.
& alij. Filliuc.

2. Verior & communior Doctorum ſententia eſt, *horas Canonicas* eſſe tantummodo ſeptem: quia horæ canonicæ non ſunt plures, quàm ab Eccleſia inſtitutæ ſunt, Eccleſia autem inſtituit tantummodo ſeptem horas, vt patet ex *cap.* 1. *de celebrat. Miſſarum*, ad exemplum Dauidis, qui fatetur ſe tantummodo ſepties Deum in die laudaſſe. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 6. Regi- Suarez.
naldum *lib.* 18. Toletus *lib.* 2. *cap.* 9. & alii. Tum quia ho- Regin.
ra canonica vnitatem, vel diuiſionem accipit, non à Toletus.
temporis continuitate vel interruptione, ſed à communibus terminis, quibus moralis connexio & Pſalmis, Hymnis, & cæteris concluditur. Sed preces, quæ huiuſmodi terminis includuntur, ſolùm ſunt ſeptem, ergo, &c. Nec refert, quòd nocte Natalis Domini Miſſa mediæ noctis interponatur Nocturno officio & Laudibus: quia ſicut continuatio temporis non facit vnam horam, ita nec interpoſitio duas, præſertim cùm rationabili de cauſa Miſſa interponatur. Idem dicendum de priuata lectione Nocturni officij; quod licitè, vt paſſim Doctores tradunt, diuiditur tempore etiam tota noctæ à Laudibus; quia interruptio illa non arguit diuerſitatem horarum, ſed rectè oſtendit res valde eſſe diſſimiles. Quod autem tunc oratione diei vel collecta communi nocturnum officium finiatur, hoc fit, vt primæua illius officij & antiqua inſtitutio nobis repræſentetur, quòd olim fortè communi collecta finiebatur, & conſtituebat horam ſeparatam, non verò, vt iam horam octauam efficiat.

3. Tria genera hominum tenentur ad horas canonicas: iuxta Reginaldus *lib.* 18. *n.* 135. Nauarr. *de orat. c.* 7. Regin.
Filliuc. *cit. num.* 143. Valentia 2. 2. *diſt.* 6. *quæſt.* 2. *punct.* 10. Nauarr.
Azorius *cit. cap.* 5. *quæſt.* 4. Emman. Sà *v. hora n.* 5. Bonac. Filliuc.
de hor. can. d. 1. *quæſt.* 2. *part.* 3. *num.* 2. & alios communi- Valentia
ter. *Clerici Sacrorum Ordinum, Beneficiarij & Religioſi* Azorius.
ad chorum profeſſi. *De clericis Sacrorum Ordinum*, pro- Emm. Sà
bant Doctores ex *c. Dolentes, de celebratione Miſſarum*, Bonac.
& ex antiqua & generali totius Eccleſiæ conſuetudine, quę cum vim legis habeat, ſufficit, vt hi obligentur; quia per ordinem ſacrum accipiunt in Eccleſia ſtatum, qui ad cultum & laudes diuinas celebrandas eſt inſtitutus: *Clerici* verò *minorum ordinum*, vel in prima tonſura conſtituti, non tenentur ad horas canonicas ex præcepto, ſed tantum ad recreationem certorum Pſalmorum, bis terve faciendam, cùm Epiſcopus poſt ordinationem ipſorum ipſis iniunxerit. An autem Epiſcopus poſſit clericis

præcipere aliquid singulis diebus recitandum? iuxta communiorem sententiam DD. dicendum est non posse, quamuis contrarium doceant; Nauarrus & Bonacina, hic citati.

Nauarr. Bonac.

4. Clerici ordine sacro initiati, tenentur ad horas canonicas priuatim recitandas, etiam post degradationem realem, vel postquam inciderunt in aliquam censuram excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quia par non est vt ex delicto commodum referant & soluantur vinculo obligationis præcedentis; imò damnati ad triremes vel capti à Turcis, non excusantur ab hoc onere, nisi ob impotentiam vel ob aliam iustam causam: Clerici autem coniugati ex dispensatione Summi Pontificis, adhuc tenentur ad pensum precum canonicarum, nisi cum eis etiam fuerit dispensatum. Sayrus *de censur. lib.* 2. *c.*3. Suarez *de censur. disp.* 12. *sect.* 2. *n.*16. Azorius *cit. c.*5. *q.*6. Nauarr. *cit. n.* 17. & alij.

Sayrus. Suarez. Azorius. Nauarr.

5. Religiosi choro deputati, ex consuetudine, vel ex peculiaribus decretis, tenentur post professionem ad persoluendum diuinum officium, etiamsi non sint sacris ordinibus initiati: Idem dicendum de monialibus choro mancipatis: & hæc consuetudo, secundùm doctrinam ferè omnium, obligat sub mortali: Tolet. *lib.* 2. *c.*12. Regin. *lib.* 18. *n.*140. Suarez *de relig. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 17. *n.*9. Diana *de hora can. res.* 17. *p.* 2. & alii, quamuis Caietan. *v. hora*, Medin. *de orat. q.*7. de hoc dubitent: vide Arragon 2.2. *q.* 83. *art.* 12. putat non esse peccatum mortale, si bis terve priuatim religiosi omittant; quia hæc consuetudo orta est ex statuto regulari, quod ad peccatum mortale non solet obligare. Idem nouissimè docet Petrus Marchantius in suo Tribunali *tom.* 2. *tr.* 2. *p.* 2. *tit.* 3. *sect.* 1. *q.* 2. dicens, Regulares & moniales, quæ ex vi regulæ vel voti speciale præceptum non habent, sub nullo peccato obligari ad horas canonicas priuatim recitandas; quia consuetudo illa non habet vim legis, nec recepta fuit per modum legis ad peccatum mortale obligantis, sed tantum sub titulo pietatis & sancti exercitij, quam qui præuaricaretur, in deuotionis & negligentiæ, seu defectus feruoris in rebus pietatis argueretur. Hanc tamen sententiam prorsus improbandam esse putat Diana *part.* 6. *tr.* 8. *resol.* 12. & ideò meritò correcta fuit apud Emmanuelem Sà, à Magistro Sacri Palatij in editione Romana: Et idem Diana *p.* 7. *tract.* 11. *res.* 4. prædictam sententiam iterum improbat contra Caramuelem *in reg. S. Benedicti n.* 1443. docentem Regulares ante perceptionem Sacrorum ordinum, nec ex præcepto, nec ex vi regulæ, neque ex consuetudine in regionibus recepta teneri officium persoluere: & contra Lessium *in actuar. cas. v. Horæ Canon. cas.* 14. idem Diana *p.* 9. *tr.* 6. *res.* 7. & *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 45.

Toletus. Regin. Suarez. Diana. Caietan. Medina. Arragon

Diana.

Diana. Caram.

Lessius. Diana.

6. Nouitius ante professionem, aut conuersus ante vel post professionem, non tenentur ad horas canonicas persoluendas; quia non est vsu receptum, vt conuersi ad hoc onus obligentur; & nouitij non tenentur, per se loquendo, ad onera religionis, nondum facta professione Rodriquez 1. *part. cap.* 140. *num.* 10. Reginald. *citat. num.* 138. Lessius *cit. num.* 49.

Rodriq. Regin. Lessius.

7. Ad horas canonicas non tenetur religiosus, qui compellitur ad triremes, vel per sententiam eijcitur è monasterio; remouetur enim à statu, in quo consuetudo inualuit persoluendi diuinum officium, & transfertur ad statum in quo huiusmodi consuetudo & obligatio non reperitur; Bonacina *cit. quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 3. Sotus *lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 3. Item religiosus carens ordine sacro, habens facultatem & dispensationem viuendi in perpetuum extra monasterium, non tenetur ad horas. Sotus, *de iust. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 3. Similiter qui in priori religione tenebatur ad horas, transiens ad aliam religionem in qua consuetudo recitandi officium diuinum introducta non est, non tenetur Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Idem dicendum iuxta Rodriq. *cit. cap.* 140. *num.* 14. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 8. *num.* 11. de religioso qui ex dispositione Summi Pontificis vxorem duxit, aut iam exijt è monasterio, vt illam ducat; de Monacho autem eiecto è monasterio ad tempus vel in perpetuum, vel etiam fugitiuo, quidam Doctores probabiliter docent; vt Sotus, Bonacina suprà citati ad horas non teneri. Sed Nauarrus *de orat. cap.* 7. *num.* 20. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 18. Filliucius *cit. num.* 153. & alii communiter existimant probabilius esse, ad illas teneri, ne ex suo delicto commodum reportare videantur. Porrò illi religiosi non tenentur ad horas, qui professionem emiserunt in ea religione, quæ non est addicta choro; quia ex vi professionis solius obligantur solùm ad tria vota, vt patet in religiosis Societatis Iesu, & aliis, qui non choro, sed aliis piis operibus deputati sunt Vasquez *de benef. cap.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 11. Molfesius *tr.* 3. *cap.* 3. *n.* 14.

Bonacin. Sotus.

Sotus.

Layman Rodriq. Sanchez.

Nauarr. Diana. Filliuc.

Vasqu. Molfes.

8. Religiosi, regulariter loquendo secundùm Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 15. 16. Faustus *tr. de hor. can. lib.* 2. *quæst.* 186. Caietan. *v. hora*, Bonac. *cit. p.* 2. *n.*8. & alios, non tenentur sub mortali ad horas publicè in choro persoluendas, nisi accedat personale præceptum superioris, singulis vel particularibus, iusta de causa impositum, puta si omnes ita negligant chorum, vt diuinum officium penitus in Ecclesia prætermittatur; ex quo differentia patet inter religiosos & canonicos, quòd canonici strictiùs obligentur ad chorum, cùm ob id accipiant beneficium: religiosi verò obligentur ad horas ex vi regulæ, quæ obligare non consueuit, sub culpa saltem graui, sed potiùs sub pœna. Nihilominus dicendum est, Religiosos ad chorum deputatos, qui à choro sæpè sæpius absunt, per se lethaliter relinquere: per accidens tamen, occurrente aliqua iusta causa à superiore approbata, vel approbanda, excusari à mortali, & à veniali. Atque hæc sententia hic in genere intellecta, communis est Theologorum, & Canonistarum, quamuis in modo explicandi, quæ sit notabilis absentia constituens peccatum lethale, nonnihil differant. Ita Syluester *v. Hora num.* 12. Armilla *v. Hora can. num.* 21. Angelus *verb. Hora num.* 25. Graffijs *tom.* 2. *concil. tit. de missar. celebr. lib.* 2. *cons.* 1. *diffic.* 3. *n.*6. Marchinus *de Sacr. Ordin. tract.* 2. *part.* 6. *diffic.* 11. Probatur hæc sententia, ex pœnis grauibus latis contra subtrahentes se à choro: ex grauitate autem pœnæ, colligitur grauitas culpæ. Nam in Concil. Toletano I. excommunicantur absentes a choro absque causa: at excommunicatio etiam comminatoria supponit culpam lethalem; ergo. Et Clemens V. in *Clement. de Missar. celebr.* mandat compelli ad chorum clericos Ecclesiæ Cathedralis, ac Regularis, siue collegiatæ, etiam per censuras Ecclesiasticas: vides quomodo Clementina Ecclesias Collegiatas ac Regulares æquiparet quantùm ad chori obligationem. Vide Dianam *p.* 10. *tr.* 14. *res.* 3.

Suarez. Faustus. Caiet. Bonac.

Syluest. Armilla. Graffijs. March.

Clem. V.

Diana.

Præterea Clemens VIII. in decretis pro reformatione regularium datis 25. Iunij 1599. statuit quòd, *Nullus omnino cuiuscumque priuilegij, vel superioritatis etiam Generalatus, à seruitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, superiores, ijs tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint: Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò qui negligentes, aut obedientes fuerint, salutari pœnitentia superiores animaduertant ad præscriptum regulæ, & constitutionum, alimenti etiam si opus fuerit, subtractione.*

Ex quibus patet, Prælatum Religionis vel Monasterii, peccare lethaliter, qui absque grauissima causa permitteret in propria Ecclesia omitti Primam, aut Nonam, aut aliam horam Canonicam consuetam in choro decantari: & eodem modo peccare Patres illius conuentus ad chorum deputatos, voluntariè se à prædictis horis subtrahentes: quia violant consuetudinem in materia graui, & ipsum ius Pontificium. Non est tamen damnanda illorum religiosorum consuetudo, qui de suorum superiorum licentia, certa aliqua die a choro vacant, vt corpus defatigatum recreent, quò feruentiùs postea aliis diebus ad psallendum surgant, dummodo saltem duo in choro psallentes relinquantur, cùm de iure canonico Conuentus siue monasterium etiam ex duobus constet. Vt innuit Glossa iuncta textui *c.* 1. 10. *q.* 1.

Glossa.

9. Quidam Doctores docent, superiorem religiosorum posse, etiam præciso priuilegio, cum ipsis dispensare ex causa, verbi gratia, ratione studiorum aut negotiorum quia cum obligatio recitandi horas ex consuetudine pendeat, quæ vim legis habet: & superior possit in legibus religionis dispensare, ita etiam poterit in ista consuetudine.

Lessius. Gauant. dine. Ita Lessius *cit. dub. 9. num. 51.* Gauantus *tom. 2. sect. 1. cap. 5. art. 1. num. 6.* Communior tamen sententia est non posse; quia non est in vsu vt vllus religionis superior in recitatione diuini officij dispenset, ergo nullus superior dispensare potest, Reginald. *lib. 18. num. 141.* Filliuc. *cit. c. 9. quæst. 10.* Graffijs *1. part. lib. 2. c. 54. n. 9.* Diana *p. 2. tract. 12. ref. 19.* & alij. Sed placet mihi quod docet Suarez *cit. lib. 4. c. 18. n. 41. Quocirca*, inquit, *vnaquæque religio debet seruare in hoc suam consuetudinem: & si aliqua religio ex vi suæ institutionis aliquid circa hoc habet peculiare, illud seruare potest, si per contrariam consuetudinem derogatum non est, vt v. g. in religione S. Francisci, non consuetudine tantum, sed ex præcepto regulæ, tenentur iuuenes professi ad chorum officium recitare. Si ergo Prælati illius religionis habent ex eadem regula, vel institutione, suam generalem potestatem dispensandi in præceptis regulæ, poterunt etiam in hoc dispensare, nisi specialiter excipiatur, vel ordine scripto, vel saltem consuetudine, quia tunc non dispensant in re communi, sed in propria.* Hæc ille cui subscribit Caramuel in reg. S. Bened. *n. 1351. & seq.*

Regin. Filliuc. Graffijs. Diana. Suarez.

Sed dubium est, an religiosus professus ad chorum deputatus, iusta de causa ab Abbate ad Conuersorum statum translatus, teneatur horas canonicas persoluere? Resp. negatiuè, quia cùm huiusmodi obligatio Religiosis non perueniat ex vi professionis, vel ex eo, quòd religiosi sunt, sed tantummodo ex consuetudine, & ex eo quod ad chorum deputantur: Vnde qui ab ipso choro superioris auctoritate iusta de causa eximuntur, ab obligatione recitandi horas canonicas absoluuntur; nam remouentur à statu, in quo inualuit consuetudo diuinum officium persoluendi, & transferuntur ad alium statum, in quo talis consuetudo & obligatio non reperitur. Ita Faustus *in thesaur. relig. lib. 6. quæst. 172.* Sotus *de iustit. lib. 10. q. 5. art. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 6. q. 7.*

Faustus. Sotus. Azorius.

Dubium alterum est, an conuersi loco horarum canonicarum teneantur sub mortali ad aliquid recitandum? Quidam apud Syluestrum *verb. Hora, q. 2. n. 3. ad 7.* dicunt conuersos vel Laicos Religiosos teneri loco Horarum Canonicarũ ad recitandum aliquid, quòd si ex negligentia omitterét, peccarét mortaliter, quia eo ipso, quod applicati sunt totaliter ad cultum Dei, habent bene ficium interpretatiuè, scilicet, viuendi ex eleemosynis, vel reditibus monasterij, vel de quæstibus, qui eis conceduntur ab Ecclesia ratione applicationis ad cultum diuinum. Sed mihi dicendum videtur illorum obligationem petendam esse ex regulæ præscripto; quæ si non obligat ad culpam, neque in hoc eos ad culpam obligabit, nisi specialiter id exprimat: certum est ex regula S. P. Francisci nostros laicos Fratres sub mortali teneri ad recitationem sui officij, prout in ea præscribitur. Vide Suarez *de relig. tom. 2. tract. 4. lib. 4. c. 17.*

Syluest. Suarez.

10. Iure communi, *beneficiarij*, id est, habentes beneficium Ecclesiasticum, quamuis manuale sit, etiamsi non sint sacris ordinibus initiati, regulariter obligantur ad preces canonicas, siue beneficium sit curatum siue simplex, siue sit alia præbenda tituli clericalis: Conc. Later. *sess. 9. §. statuimus*, quia iure naturali quisque tenetur ad officium, propter quod beneficium datur, officium autem complectitur horas canonicas. Quædam tamen beneficia sunt quæ ex sua institutione ad illas preces non adstringunt, sed ad horas Beatæ Virginis, vel quinque *Pater & Aue* vel ad psalmum *Miserere*, talia sunt quædam simplices Præpositurx, vel personatus, vel prioratus. Nauarr. *de orat. c. 7. n. 27. & 28.* Lessius *cit. lib. 2. cap. 34. n. 166.* Imò tenetur ad horas qui habet beneficium integrè in commendam, hic enim quamuis non habeat titulum beneficij, habet tamen illius administrationem, & substituitur in locum habentis beneficium cum tota obligatione Filliuc. *tract. 23. num. 175. & 176.* Azorius *cit. lib. 10. c. 3. q. 6.* Malderus *tr. 10. c. 2. dub. 3. quæst. 4.* & alij.

Conc Lat. Nauarr. Lessius. Filliuc. Azorius. Malder.

11. Clericus habens capellaniam tenetur ratione capellaniæ horas canonicas recitare, modò capellania sit collatiua seu Ecclesiastica; hæc enim nomine beneficij venit: dicitur autem capellania Ecclesiastica, quæ auctoritate Episcopi erecta est, aut quæ ab Episcopo confertur, & est constituta inter bona Ecclesiastica, etiamsi ex bonis seu patrimonio laicorum aut aliorum erecta sit: Imò Doctores hoc verum esse putant, etiamsi ea capellania sit temporalis & ad nutum amouibilis Nauarr. *de orat. c. 7. n. 27.* Suarez *cit. c. 22. n. 12.* Filliuc. *cit. n. 154.* & alii. Nauarr. Suarez. Filliuc.

12. Iuxta communiorem & veriorem sententiam, Suarez *cit. c. 21. n. 9.* Valentia *2. 2. d. 6. q. 2. p. 10.* Toletus *lib. 2. c. 14.* beneficiarius habens beneficium adeò tenue, vt non sufficiat ad vitæ sustentationem, tenetur ad officium totum persoluendum: quia beneficiarius sponte sua acceptans beneficium, acceptat etiam onus illi annexum. Probabilis tamen est illorum Doctorum sententia excusans eos, qui valde parum recipiunt, à quotidiana recitatione horarum, quia qui altari deseruit, de altari viuere debet; ac proinde qui Ecclesiæ seruit, de eius prouentibus viuere debet: atqui beneficiarii Ecclesiæ seruiunt; ergo beneficium tribuere debet saltem bonam partem moderatæ sustentationis, verbi gratia 15. vel 16. aureos, alioquin non censentur viuere de Ecclesia: secundùm tamen hanc sententiam, hi tenerentur aliquoties ad horas, puta diebus festis & Dominicis, prout ratio dictauerit. Lessius *cit. d. 31. n. 166.* Filliucius *c. n. 183.* Diana *tr. de hor. can. ref. 9. p. 2. & p. 5. tr. 5. ref. 25.* Suarez. Valentia. Toletus. Lessius. Filliuc. Diana.

13. Non eximitur ab horis canonicis recitandis beneficiarius seu capellanus, qui cùm non sit Sacerdos, maiorem fructuum & redituum partem tradit Sacerdoti substituto, ad peragenda & sustinenda beneficii onera, aut dum sua voluntate, aut culpa, beneficii fructus non recipit: quia adhuc retinet beneficium cùm ius ad fructus & onus diuini officii sit personale, afficiatque personam iustum beneficii titulum habentem, quæ licet de præsenti fructus non percipiat, tamen per ipsam stat, cùm ius ad illos habeat: vnde qui post collationem beneficij reperitur ineptus ad munus beneficii exercendum, & proinde compellitur coadiutorem assumere, illique omnes aut ferè omnes fructus beneficii pro munere obeundo tradere, tenetur ad horas; quia habet titulum & possessionem beneficii, & per ipsum stat quò minus fructus percipiat Lessius *cit. num. 164.* Filliucius *cit. num. 172.* Azorius *lib. 10. cap. 4. q. 4. quæst. 8.* Vasquez *de benefic. cap. 4. art. 1. dub. 3. §. 2.* alii. Lessius. Filliuc. Azorius. Vasquez.

14. Non excusatur beneficiarius à precibus his canonicis, primo & secundo anno, eò quòd fructus beneficii horum annorum, in quibusdam Ecclesiis debeantur fabricæ, vel decessori mortuo, vel in alios pios vsus ex consuetudine, vel statuto Ecclesiæ impendantur. Ita Suarez *cit. cap. 20. n. 11.* Bonacina *cit. q. 2. punct. 4. n. 22. & 23.* Filiuc. *cit. n. 171.* Lessius *c. num. 170. & 171.* & alii: tum quia alterius anni fructus recipiet post mortem, alterius verò recipiet per totam vitam, nempe in eo quod alioquin cum cæteris debuisset in fabricam impendere, quam ex fructibus suorum beneficiorum tenentur conseruare: tum quia licet fructus materialiter non percipiat, recipit tamen quoad fructum & effectum spiritualem, cùm in pios vsus impendantur: quamuis hæc sententia vera sit, tamen secundùm Nauarr. *de orat. cap. 7. num. 30.* Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 5. num. 4.* non est improbabile, nonos canonicos non teneri pro anno fabricæ, si non est in eorum potestate vt aliquid ex eo recipiant. Suarez. Bonacin. Filliuc. Lessius. Nauarr. Layman.

15. Beneficiarius, qui capta possessione, fructus pro aliquo tempore non percipit, spem tamen habet alias recipiendi, tenetur ad horas canonicas; similiter ille, qui ob delictum, aut alia iusta de causa priuatur fructibus; quia hi titulum habent beneficii, nec simpliciter beneficii fructibus carent, cùm spes illa pretio æstimabilis sit. Quamuis hic non videatur obligandus ad restitutionem, si officium non recitet: quia Lateranense Concil. obligat ad restitutionem fructuum perceptorum, hic autem nullos percipit. Reginaldus *lib. 30. num. 39. tract. 3.* Nauarr. *in man. c. 25. num. 103.* Suarez *cit. num. 15.* Molfesius *tr. 3. n. 40. 41.* & alii. Regin. Nauarr. Suarez. Molfes.

16. Excusantur ab onere recitandi horas canonicas, qui nec per se, nec per suos, vllos fructus percipiunt, nec percepturi sunt, si per eos tamen steterit, quò minùs sint percepturi, quia beneficiarii, neque ex sua vel Ecclesiæ intentione, se obligant ad officium, nisi persoluantur eis stipendia sustentationis, propter quæ illam obligationem susceperunt. Nauarr. *de orat. c. 7. n. 28.* Caietan. *verb. Hora* Lessius *cit. n. 168.* & alii. Nauarr. Caiet. Lessius.

17. Valde probabile eſt, non teneri ad horas beneficiarium, qui iniuſtè ob bellum, vel alia iniuſta de cauſa priuatur omnibus fructibus, quamdiu priuatio iniuſta durat, & beneficiarius credit ſe numquam fructus recitationi reſpondentes recuperaturum; quia par non eſt, vt beneficiarius ob iniuſtam alterius actionem, teneatur onus officij recitandi ſubire, ſine ſpe fructuum percipiendorum, & hic caſus videtur per epicheiam exceptus; licet contrarium Filliucius & alij ſentiant. Ita Azorius *cit. cap. 4. quæſt. 6.* Suarez *cit.* Garziaz 3. *p. c. 1. n. 45.* Layman *cit. n. 4.*

Azorius, Suarez., Garziaz, Layman.

18. Quando beneficium eſt litigioſum, & plures litigant circa idem beneficium, nullus eorum tenetur ad horas, dum nullus poſſidet, quamuis aliquis habeat titulum & ſperet ſe victorem futurum in cauſa: quia neuter habet ius certum in beneficio, cùm ius acquiratur per poſſeſſionem pacificam; ſi tamen vnus litigantium pacificè inceperit beneficium poſſidere, incumbit ipſi obligatio recitandi horas canonicas, quia ipſe habet ius titulum, poſſeſſionem, & adminiſtrationem beneficij, quamuis fructus beneficij fortè fuerint depoſiti nomine ſequeſtri iudicis authoritate. Reginald. *lib. 30. num. 40.* Azorius *cit. c. 4. q. 9* Filliucius *c. n. 160.* Leſſius *cit. n. 173.* Suarez *cit. c. 19. n. 10.* & alii.

Regin. Azorius, Filliuc. Leſſius,

19. Qui plura beneficia iuſtè & cum legitima ſuperioris authoritate retinet, non tenetur officium toties in die recitare, quot ſunt beneficia ſed ſatisfacit vna recitare quia licet Eccleſia præceperit beneficiario recitationem diuini officij, non tamen præcepit, vt officium pluries recitetur ab eo, qui plura habet beneficia, vt praxis & conſuetudo communis indicat: quando autem quis iniuſtè & abſque legitima ſuperioris authoritate plura beneficia retinet; licet directè ex præcepto Eccleſiæ non teneatur ad vllum officium recitandum, cùm nullum cenſeatur habere beneficium, nihilominus ex iure naturæ tenetur, quia contra voluntatem Eccleſiæ defraudat Deum debito obſequio & ſeruitio; & priuat Eccleſiam officio & miniſterio, Vide Azorius *cit. lib. 10. c. 4. quæſt. 10* Malderus *tract. 10. c. 2. dub. 3. quæſt. 8.* Nauarr. *in miſc. 60. de orat.* Suarez *cit. c. 19. n. 10.*

Azorius. Malder. Nauarr. Suarez.

20. Penſionarius non tenetur officium magnum recitare; quia penſio non eſt beneficium propriè acceptum, ſed tenetur tantum ad officium paruum Beatæ Virginis ſub eadem pœna, ſub qua beneficiarij tenentur ad recitationem officij; & hoc intelligendum eſt, modò penſionarius, vt clericus penſionem percipiat: quia titulo ſæculari penſionem percipiens, vt cauſa belli, vel ob tintinnabula pulſanda, vel propter aperiendas fores Eccleſiæ, &c. non tenetur ad magnum vel paruum officium: tunc autem dicitur vt clericus penſionem percipere, quando prima tonſura, ſeu ſtatus clericalis requiritur in eo, cui penſio confertur. Suarez *cit. cap. 22. num. 6.* Filliucius *cit. numer. 173.* Reginald. *lib. 30. num. 41.* Azorius *cit. cap. 4. quæſt. 3.* & alij.

Suarez, Filliuc. Regin. Azorius, Nauarr.

21. Nauarrus *de orat. cap. 7. num. 29.* & quidam alii docent, beneficiarios obligari ad penſum horarum canonicarum perſoluendum, ab eo tempore, quo per collationem & acceptationem, vel per inſtitutionem, aut confirmationem incipiunt habere ius in re, & beneficium incipit eſſe ipſorum, ex illo enim tempore debentur illis fructus, etiamſi nondum poſſeſſionem acceperint: hæc ſententia eſt rationi & iuri valde conformis, nihilominus communior & probabilior ait, vt videre eſt apud Suarez *de relig. lib. 4. cap. 19. num. 7.* Rodriquez 1 *part. c. 141. num. 4.* Reginaldum *lib. 30. num. 38.* Filliucium *tract. 23. num. 158.* Azorium *cit. cap. 4. quæſt. 7.* Dianam *de horis reſ. 21. p. 2.* non teneri niſi poſt captam pacificam beneficij poſſeſſionem; quia ſæpe ante initam poſſeſſionem, ius eſt incertum, & multis modis poteſt impediri; ergo par non eſt, vt ad onus certum obligetur: hæc ſententia non debet intelligi de ijs, qui per induſtriam differunt poſſeſſionem, vt horas non recitent, ſed ſolùm de iis, per quos non ſtat quominus eam capiant. Quod dictum eſt de beneficio, idem dicendum eſt de penſione.

Suarez, Rodriq. Regin. Filliuc. Azorius, Diana.

22. Sicut Beneficiarius tenetur ſolum ad recitandas horas reſpondentes horæ, in qua beneficii poſſeſſionem accipit, ita clericus, qui ad titulum patrimonii promouetur ad ordines ſacros abſque titulo beneficii, non tenetur eo die, quo recipit ſubdiaconatum recitare Matutinum vel Primam, ſed ſolùm tenetur officium recitare iuxta horam; in qua promouetur ad ſubdiaconatum: idem dicendum de religioſo profeſſo ad chorum deputato: & cum proportione de recipiente penſionem. Bonacina *cit. punct. 5.* Suarez *cit. cap. 27. n. 8* Filliucius *cit. n. 158.* & alii.

Bonac. Suarez. Filliuc.

SVPPLEMENTVM.

HORÆ CANONICÆ I.

Qui teneantur ad horas.

SVMMARIVM.

1 *Horarum Canonicarum numerus quare ſeptenarius.*
2 *Horæ Canonicæ an iure diuino ſint inſtitutæ.*
3 *Horæ Canonicæ conuenientiſſimè in varias partes à Eccleſia ſunt diſtributæ.*
4 *An beneficiarius ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi per alium horas Canonicas recitet.*
5 *An qui beneficium inualidè accepit teneatur ad horas.*
Et quid de illo qui obtinuit beneficium cum onere ſoluendi alteri omnes fructus in penſionem.
6 *An Canonicæ Montenſes, Malbodienſes & ſimiles teneantur ad horas perſoluendas.*
7 *An penſionarius obligatus ad horas B. V. ſatisfaciat ſuæ obligationi, dicendo horas Canonicas.*
8 *An ille, cui reſignatum eſt beneficium, reſeruatis omnibus fructibus, teneatur ad horas.*
9 *An religioſus, ſeu Clericus, qui manè antequam profeſſionem, vel Subdiaconatum ſuſciperet recitauit horas, teneatur poſtea iterum eas recitare.*
10 *An dubius ob tenuitatem beneficij an teneatur officium recitare, obligetur ad illud?* Refertur duplex ſententia.

1. HOrarum Canonicarum ſeptenarius numerus tribus de cauſis eſt potiſſimum inſtitutus. *Primo*, quia ſeptem tempora ex ſacris literis Diuinis Laudibus & peccatoribus apta & accommodata colliguntur, iuxta illud Dauidis in Pſalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*. *Secundo*, vt beneficium, quo cuncta ſunt à Deo procreata, in memoriam reuocemus, & pro tanto munere gratias debitas agamus: nam ſeptem diebus Deus rerum vniuerſitatem è nihilo condidit. *Tertiò*, vt redemptionis noſtræ beneficium ad memoriam pariter reducamus: nam ſeptem præcipua redemptionis noſtræ myſteria hiſce horis completa eſſe noſcuntur. Media ſiquidem nocte, vt Græci Patres ſentiunt, Chriſtus à mortuis reſurrexit, vel potiùs, vt Latini arbitrantur, ſub auroram. Media nocte, aut certè paulò poſt natus eſt. Hora prima ductus eſt ad Pilatum, ad Herodem. Hora tertia flagellis cæſus eſt & caput eius corona ſpinea confixum. Hora ferè ſexta eſt crucifixus. Hora nona emiſit ſpiritum, deſcendit ad inferos, & Satanæ imperium deleuit. Veſpertina hora, eſt è cruce depoſitus: cum diſcipulis cœnauit, eorum pedes lauit; Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. Hora Completorii, poſt orationem in horto, & ſudorem ſanguineum emiſſum, comprehenſus à Iudæis, ad Annam & Caipham ductus, variis modis deriſus & deſpectus eſt. Hinc Gloſſa *in cap. 1. de celebr. Miſſar.* hæc myſteria ſignificat quibuſdam verſibus. Gloſſa.

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis: cauſam dat tertia mortis.
Sexta Cruci nectit; latus eius nona bipertit.
Veſpera deponit: tumulo completa deponit.

2. Quam-

2. Quamuis Horæ Canonicæ Officium diuinum dicantur; non ideò tamen iure diuino institutæ sunt, vt volunt quidam, sed tantùm Ecclesiastico. Probatur, tum quia neque ex Scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione, neque ex Sanctorum Patrum testimonio colligi potest has preces iure diuino institutas esse. Tum quia appellantur communiter Horæ Canonicæ, quia per sacros Canones præscriptæ & ab Ecclesia institutæ sunt ad laudandum Deum: & idcircò officium diuinum appellantur, quia diuinas Laudes continent. Vnde quatenus important diuinum Officium absolutè sumptum & quoad substantiam, iam à temporibus Apostolorum originem traxerunt, iuxta illud Actor. 3. *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, vt ex Clemente I. Basilio, Tertulliano optimè probant Doctores. Si tamen considerentur quoad formam & numerum horarum, non constat quandonam fuerunt institutæ: licet certum sit illas ab initio aliquam formam habuisse, & postea in hunc, qui nunc existit, modum redactas fuisse. De his vide Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4 cap.* 1. *& cap.* 6. Bellarminum *lib. 1. de bonis operib. cap.* 19. Azotium 1. *part. lib.* 10. *cap.* 1. apud quos plura.

Suarez. Bellarm. Azor.

3. Diuinum Officium conuenientissimè in varias partes ab Ecclesia distributum est, vt constat ex *cap.* 1. *de celebrat. Missar. & cap. Presbyter. distinct.* 91. Et quidem Matutinum & Laudes comprehenduntur sub Officio nocturno, ex *cap. dolentes, de celebr. Miss.* Reliquæ sex horæ pertinent ad diurnum: vt enim in nocte institutum est Matutinum cũ tribus nocturnis & Laudibus ad quatuor Vigilias nocturnas: ita in die ad quatuor Vigilias diurnas institutæ sunt quatuor horæ, nempe, Prima, Tertia, Sexta, & Nona. De prima probabile est, eam ab Apostolis originem traxisse, ex Clemente lib. 8. c. 34. *Precationes facite mane.* Tertia, Sexta, Nona, & Vesperæ atque ad Galli cãtum, certè consuetudo vniuersalis transcendit annos mille, vt refertur in regula S. Benedicti *cap.* 16. *& c.* 1. *de celebr. Miss. & cap. Presbyter. dist.* 91. Denique Completorium; etsi quoad nomen, non sit admodum antiquum, tamen quoad rem probabile est in Ecclesia Romana numquam defuisse; quia significat non esse concludendum diẽ sine Psalmorum cantu. Ex D. Ambr. *lib.* 5. *exam. cap.* 12. vt pluribus docet Suarez *loco cit. cap.* 5. *a n.* 8. & alii.

D. Clem.

D. Amb. Suarez.

4. Beneficiarius præcepto persoluendi horas canonicas non satisfaciat, si per alium recitet. Ratio est, quia officij diuini recitatio est onus personale, & per alterũ impleri non potest, etiamsi iusto impedimento sit obstrictus. Excusabitur tamen talis beneficiarius à restitutione, si diuinum officium ab alio ex sua intentione recitatum, pro eleemosyna defunctis applicanda, seu applicita cõtribuat: quia restitutio hæc fieri potest in celebrandis missis, vel alijs suffragijs pro defunctis offerendis: quia verè pauperes suffragio nostro maximè indigentes. Ita Diana *p.* 9. *tract.* 9. *resol.* 22. & alii apud ipsum.

Diana.

5. Qui beneficium obtinuit per simoniam, vel dũ erat excommunicatus, vel irregularis, aut sine legitima ætate, aut per aliam causam, ob quam collatio beneficii fuit nulla, ad pensum diuini officii non tenetur: quia nullos fructus facit suos, & tenetur ad eorum restitutionem.

Qui beneficium accepit cum onere soluendi alteri omnes fructus in pensionem, tenetur horas canonicas recitare, quia sponte sua, & voluntariè acceptauit beneficium cum onere soluendi omnes fructus & proinde ex pacto tacito obligatus est ad illius beneficii administrationem, ergo etiam ad recitandum diuinum officium. *Sibi igitur* imputet quòd solùm beneficii titulum habeat, nam perinde est, ac si sponte sua beneficii fructus ipse in alterum transtulisset. Confirmatur, quia beneficium non debet defraudari recitatione officii, sed in hoc casu non tenetur recitare pensionarius; ergo habens titulum, cùm ipse sit beneficiarius. Ita Ioannes Medina *Cod. de orat. quæst.* 7. Nauarrus *in man. cap.* 25. *n.* 104. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 140. *num.* 4. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de horis canon. cap.* 20. & alii.

Medina, Nauarr. Rodriq. Suarez.

6. Conuentus, seu Capitulum Canonicarum Montésium, Malbodiensium, Niuellensium, & similium, singulæque de capitulo obligantur sub peccato mortali, vt quotidie in earum Ecclesijs officium diuinum fiat; aut si quę id impediret, vel præsentiæ suæ ad id necessariæ subtractione (vt si admodum essent paucæ) vel alio modo, illa esset peccatura mortaliter. Quia officium diuinum publicè obeundum, est præcipua functio, ad quam & Canonicatus & Præbendæ illæ sunt institutæ. Absentia tamen vnius, duorum vel etiam trium dierum, alicuius personæ non necessariæ choro, non esset censenda peccatum mortale etiamsi commodè posset adesse; licet posset esse peccatum veniale, si absque causa legitima absit.

Canonicæ illæ omittentes officium vno vel altero die, dum chorũ non frequentant, non videntur peccare mortaliter. *Primò*, quia non tenentur ratione veri beneficij, vel ordinis, cùm præbendæ illarum, etsi ad imitationem Canonicatum, qui sunt beneficia, institutæ sunt, tamen non sunt veri canonicatus, seu beneficia: quia verum beneficium requirit ordinem vel certè primam tonsuram, & animum perpetuò se addicendi statui Ecclesiastico, & habitum clericalem. *Secundò*, neque etiam ratione suæ præbendæ, tam strictè sunt obligandæ: quia hæ non sunt potissimum institutæ vt orent pro Ecclesia sicut præbendæ canonicorũ; sed vt ibi honestè alantur & piè instruantur, & postea, vbi statum firmum capesserint, sciant viuere sicut decet Christianas, &c. officij autem recitatio solùm videtur annexa tanquam pium exercitium, quod iuuet illas ad pietatem. *Terriò*, parum videtur credibile Sãctas Fundatrices illarum præbendarum, tam seuerè illas virgines nobiles intendisse obligare ad quotidianam recitationem, modò fieret officium publicum. Si tamen ad longum tempus omitterent, v. g. ad mensem integrum, vel fortè etiam ad hebdomadam vnam, credibile est eas peccare mortaliter. Quia etsi non multùm sit contra finem institutionis & intentionem fundatricis ad paucos dies omittere hoc pietatis exercitium; tamẽ videtur multum repugnare, si ad longùm tempus fiat.

An autem amittant fructus suarum præbendarum; pro eo tempore quo non recitarunt officium, videtur quòd non, ac proinde nec teneri ad restitutionem: quia constitutio Concil. Lateranensis ad ipsas extendi non debet, cũ sit pęnalis. Potest tamen statui, vt si omittant præsertim per multos dies non possint accipere fructus vel certè vt illis detrahantur, seu vt non dentur. Hæc omnia docet Lessius *in resol. var. cas. v. Hora Canonica, cas.* 16. quæ tamen non admittuntur vt probabilia à D'Aluin in *tract. de Episc. Abbat. & Abbatiss. potestat. c.* 4. *nu.* 3. vt videre est *sup. v. Beneficium* 3. *n.* 2. Sed tu lector iudica.

Lessius. D'Aluin.

7. Pensionarius, qui vt clericus percipit pensionem, non ita tenetur ad recitandum officium B. Virginis, quin satisfacere possit recitando horas canonicas, quod officiũ magnum vulgò nuncupatur. Probatur, quia probabile est Papam non iniunxisse hanc obligationem dicendi horas B. Virginis restrictiuè, excludendo preces canonicas, quibus muneri suo meliùs satisfaceret, sed accumulatiuè, ne pensionarium ad tantùm oneris obligare videretur, quãto beneficiarius astrictus erat. Imò sacris initiatus, vel habens beneficium, simulq; pensionem satisfacit suæ obligationi vnica magni officij recitatione, etiamsi paruum officium B. Virginis non recitet; sicut habens plura beneficia, aut plures pensiones vnica diuini officij recitatione oneri suo satisfacit. Ita tradunt communiter Doctores. Vasquez, Reginaldus, Suarez, Filliucius & alij. Nota tamen si pensionarius liberaliter cesserit pensioni in totum immunis & exemptus erit ab obligatione dicendi officiũ: quia cùm non dicatur amplius pensionem habere, neque dicendus est onere pensionarij grauari, iuxta Pij V. Constitut. An autem idem dicendum sit de pensionario, qui consensit pensionem redimi, anticipata nonnullorum annorum solutione, est dubium. Quidam affirmant, alij negant & fortè probabiliter.

Vasquez Reginal. Suarez. Filliuc.

8. Ille, cui resignatum est beneficium, reseruatis omnibus fructibus resignati, tenetur ad horas canonicas persoluendas. Ratio est, quia verum habet beneficij titulum, & per ipsum stat, ne fructus capiat, cùm voluntariè beneficium cum hoc onere acceptauerit. Tum quia ne fundatores beneficij sua defraudentur intentione & suffragio ipsis debito, cùm enim resignans non teneatur amplius officium recitare & beneficio inseruire, eo quod per renunciationem cesset obligatio; ergo saltem tenetur resi-

Parisius. Garzias. Rota. resignatarius, ob rationem dictam. Ita Flaminius Parisius *de resignat. lib. 1. quæst. 10. num. 5.* Garzias 3. *p. cap. 1. num. 57.* qui refert ita decisum in Rota.

9. Religiosus, seu clericus, qui mane antequam professionem emitteret, vel Subdiaconatum susciperet, recitauit officium, tenetur hoc non obstante, illud iterum recitare. Ratio est, tum quia adimpletio præcepti supponit obligationem: sed qui officium ante ordinis, vel professionis susceptionem recitauit, nō habebat onus & obligationem officij recitandi, ergo non satisfecit præcepto officij. Ita Bonacina *de Horis canon. disp. 1. quæst. 2. punct. 5. num. 11.* (Bonac.) Negatiuam tamen admittit sententiam vt probabilem Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 13.* (Trullen.) quia potuit anticipatè soluere. Faciunt pro hac opinione Doctores asserentes, quòd qui manè communicauit, non tenetur postea, si incidat eadem die in periculum mortis, viaticum sumere: quia cùm manè sacram sumpsit Eucharistiam moraliter obligatio præcepti aderat; ergo adimpleuit præceptum. Ita Suarez, Fagundez, Faustus, Mercerus, Coninch, & alij citati à Diana *part. 5. tract. 3. resol. 33.* (Suarez. Fagund. Faustus. Mercer. Coninch. Diana.)

10. Quando est dubium ob tenuitatem beneficij de onere recitandi Horas canonicas, secundùm Vasquez in 1. 2. *disp. 65. cap. 3. num. 11.* tenetur ad illas: nam quando est obligatio certa & excusatio dubia, tenetur quis obedire: quòd obligatio sit certa, patet, nam certum est hunc habere beneficium, & per consequens onus diuini officij illi annexum. Contrarium docet Salas *t. 2. tract. 8. disput. vnic. sect. 17. num. 154.* (Salas.) quia est dubium iuris, & præceptum onerosum & molestum implendum ex obligatione non est in casu dubij, sed hoc accidit in hoc casu; ergo &c. vtraque sententia est probabilis.

Vide tom. 2. verb. Pensio *num. 14. & seq.*

HORÆ CANONICÆ II.

Quæ formula seruanda in Horis, & quomodo sint recitandæ.

SVMMARIVM.

1 *An omnes obligati ad horas teneātur eas recitare iuxta præscriptum Breuiarij Romani.*

2 *An habens priuilegium vtendi breuiario non Romano, possit vti Romano relicto proprio suæ religionis, vel Ecclesiæ.*

3 *An grauiter peccet recitans horas lingua Hebraica, Græca, aut alia vulgari.*

4 *An sit mortale peccatum mutare officium vnius diei in officium alterius diei dedita opera?* Refertur duplex sententia.

5 *An qui vtuntur Breuiario Romano Pij V. teneantur extra chorum ad officium B. Virginis, & Defunctorum, ad Psalmos Pœnitentiales, aut Graduales? & quid dicendū de illis qui non vtuntur Breuiario Pij V.*

6 *An Episcopus possit præscribere suis subditis formam officij recitandi, vbi Romanum Breuiarium non adhibetur?*

7 *An Horæ Canonicæ sint recitandæ, studiosè & deuotè? & primum requisitum vt studiosè recitentur, est, vt absque syncopa.*

8 *Secundum requisitum vt horæ studiosè recitentur, est, vt verba non mutilentur, aut truncatim proferantur, abscissis quibusdam syllabis vltimis.*

9 *An recitans cum socio satisfaciat obligationi officij recitandi.*

10 *An satisfaciat obligationi & debito chori, qui suos versus alta voce canit, alios verò submissè recitat.*

11 *An dum plures duobus recitant diuinum officium simul, recitandum sit, facto inter recitantes solùm duplici choro?*

12 *An qui detinentur in pulsandis organis, vel transferendis libris ex vna parte ad aliam, vel in thure præbendo, teneantur per seipsos illam partem recitare, quæ ab alijs persoluitur?* refertur duplex sententia.

13 *An satisfaciat obligationi ille, qui submissa voce recitat suos versiculos, & audit socios canentes suam partem? & an talis possit distributiones in choro percipere? An surdus assistens choro, & cum alijs cantans satisfaciat obligationi.*

14 *An in recitatione diuini officij seruandus sit mos, & consuetudo.*

15 *An recitans priuatim officium teneatur seipsum audire?* refertur duplex sententia.

16 *Tertium requisitum vt horæ canonicæ studiosè recitentur est, vt absque interruptione: & an recitans cum interruptione lethalem culpam incurrat?* refertur duplex sententia.

17 *An qui interrumpit officium animo repetendi iam lecta, satisfaciat præcepto, nisi priora repetat?* refertur duplex sententia.

18 *An qui officium recitauit animo non implendi præceptum, si postea intra tempus obligationis nolit officium iterum recitare, teneatur mutare animum & alium voluntatis actum elicere, quo velit satisfacere, seu satisfecisse præcepto per opus antea præstitum?* refertur duplex sententia.

19 *De altera conditione ad horas canonicas ritè persoluendas est, Deuotè, & ad hoc requiruntur duo. Attentio, nempe & Reuerentia, & quotuplex sit attentio?*

20 *An in omni oratione, iure diuino naturali requiratur attentio & reuerentia interna? & an omnis voluntaria distractio in oratione sit peccatum.*

21 *An attentio interna sit in præcepto, quando obligamur ad orandum ex statuto Ecclesiæ?* refertur duplex sententia.

22 *An actualis attentio sit necessaria ad satisfaciendum præcepto diuini officij? & quæ sit actualis, virtualis, & habitualis attentio.*

23 *An attentio in horis debeat esse formalis, expressa & explicita.*

An dormientes in choro dum diuinas laudes canunt, præcepto satisfaciant.

24 *An satisfaciat obligationi chori, qui non attendit quādo officium cantatur cantu musicali.*

1 OMnes qui ad horas canonicas obligantur, tenentur eas recitare iuxta præscriptum Breuiarij Romani iussu Pij V. editi, exceptis Capitulis & Conuentibus, qui iam à ducentis annis ante editionē illius alio vsi fuerunt: vnde qui alio breuiario à ducentis annis sunt vsi, vt sunt multæ illustres Ecclesiæ & Ordines Regularium, nō tenentur ad acceptādum breuiarium Pij V. qui verò minori tempore, tenentur, etiamsi eorū formula à Sede Apostolica fuisset approbata: permittitur tamen in bulla Pij V. Capitulis, quorum breuiarium ducentos annos antecedit, vt cum Romano illud commutent, si Episcopus & Capitulum consentiant. In monasterijs autem exemptis, non requiruntur consensus Episcopi, sed sufficit Capituli & Prælati. Ita Pius V. *in const. quod à nobis* Clemens VIII. *in bulla cum in Ecclesia.* (Pius V. Clem. 8.)

2. Habens priuilegiū vtendi breuiario non Romano, iuxta probabiliorem sententiam Doctorum, non potest vti Romano, relicto proprio suæ religionis, vel Ecclesiæ, dum priuatim recitat extra chorum, quia quisq. suæ Ecclesiæ se conformare debet. Suarez *de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 24. n. 2.* Vasquez *de benef. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 1.* (Suarez. Vasquez.) Nihilominus contraria sententia est probabilis, modò alicubi non adsit præceptum in contrariū; & ratio est, quia nullum est ius expressum, cur priuatim teneatur se magis cōformare Ecclesiæ particulari, quàm Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum; vnde dicitur passim esse talis consuetudo. Lessius *lib. 2. cap. 37. d. 12.* Emanuel Sà *v. Hora n. 6.* Reginaldus *lib. 18. n. 17.* Diana *de hor. ref. 10. p. 2.* Portel *v. Hora canon. n. 9.* & alii. Imo Nauarrus *cap. 25. num. 107.* (Lessius. Em. Sà. Regin. Diana. Portel. Nauarr.) docet, illos, qui nullum habent beneficium, sed titulo patrimonij sunt ordinati, quoduis breuiarium approbatum legere posse, quia possunt se cuiuis Ecclesiæ conformare; sed verius est ad Romanū teneri.

3. Recitans horas canonicas lingua Hebraica, Græca, aut alia vulgari, sine iusta aliqua & rationabili causa, grauiter peccat, quia facit contra vsitatum Ecclesiæ morē;

præ-

præcisis tamen alijs circumstantijs, grauiter non peccaret, & consequenter præcepto satisfaceret quoad ritum substantialem. Filliucius *tract.* 23. *n.* 117. Suarez *de relig. lib.* 4. *cap.* 7. Bonacina *cit. q.* 3. *punct.* 1. *num.* 15. & alij. [Filliuc. Suarez. Bonac.]

4. Plurimi Doctores, vt videre apud Suarez *cit. cap.* 23. *n.* 12. & 14. Filliucium *cit. num.* 186. Reginaldum *lib.* 18. *num.* 172. Bonacinam *cit. num.* 17. existimant mutationem officij vnius diei, in officium alterius diei dedita opera, esse mortale peccatum, & consequenter mutantẽ non satisfacere præcepto Ecclesiæ: quia mutans officium, non adimplet præceptum quoad substantiam, cùm Ecclesia non solùm præceperit recitationem diuini officij in genere, verùm etiam in particulari, videlicet, vt tali & tali die, tale & tale officium recitetur. Verùm non est improbabilis Azorij *lib.* 10. *cap.* 10. *quæst.* 2. Lessij *cit. dub.* 12. *n.* 77. Valentiæ *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. Dianæ *de Hor. res.* 3. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 4. Caramuel *in reg. S. Benedicti num.* 1387. & aliorum sententia asserentium, peccare solùm venialiter, siue mutet in totum, siue in partem; quia secundum illos adimplet præceptũ quoad substantiam, quamuis non adimplet quoad modum; ex qua sententia sequitur eum, qui sponte, aut inaduertenter mutauit officium, non teneri ex præcepto repetere, licet laudabile sit repetere saltem ea, quæ ad proprium officium pertinebant, etiamsi solùm esset hymnus, vel antiphona, vel lectio aliqua. [Suar. Filliuc. Regin. Bonac. — Azor. Less. Valentia Diana. Layman Caram.]

5. Qui vtuntur breuiario Romano Pij V. non tenentur extra chorum ad recitandum officium Defunctorũ, nec ad horas paruas B. Virginis, nec ad Psalmos Pœnitentiales, aut Graduales. Nauarrus *de orat. cap.* 10. *n.* 3. *& seq.* Valentia *cit. punct.* 10. sic expressè decernitur in bulla Pij V. *Quod à nobis*. Excipiuntur tamen Ecclesiæ, in quibus ex consuetudine recitatur officium Beatissimæ Virginis. At Fratribus Minoribus, qui ex præcepto Regulæ tenentur se conformare ritui Romanæ Ecclesiæ, & per hoc consuetudinem non faciunt, non videtur esse in præcepto, post bullam Pij V. vt etiam in choro recitent officium B. Virginis, & Defunctorum, necnon Psalmos Pœnitentiales, aut Graduales, vt benè annotauit Politius noster *ad cap.* 3. *regulæ S. Franc. n.* 17. Imò idem Pontifex omnino exiuit omnes clericos, vtentes breuiario Romano, tam intra, quàm extra chorum, ab obligatione recitandi officium Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Graduales: nam loquens solùm de officio B. Virginis addit, *Hæc autem concedimus sine præiudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officiũ paruum Beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueuerat.* Vnde cùm solùm loquatur de officio B. Virginis solito in choro recitari, clarum est voluisse Summum Pontificem tollere obligationem dicendi officium Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Canticum Graduum in choro, & extra chorum, etiamsi dici solerent. Vt notauit Arragon statim citandus. Illi verò, qui non vtuntur breuiario Pij V. tenentur seruare consuetudinem sui loci, & Ecclesiæ, eo modo quo consuetudo recepta est. Arragon 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. Lessius *cit. num.* 76. In die Commemorationis omnium Defunctorum, recitandum est ex præcepto etiam priuatim officium defunctorum: quia est pars officij illius diei. Tum quia omnes obligati ad dicendas horas canonicas in illa die recitant officium Defunctorum; ergo saltem ex consuetudine adest obligatio illud recitandi. Ita 25. Doctores apud Dianam *p.* 4. *tract.* 4. *res.* 242. citati. Quod autem officium Defunctorum in die 2. Nouembris sit proprium illius diei, probari potest ex Kalendario & Martyrologio, vbi nomen quod Ecclesia tribuit festiuitati illius diei, est Commemoratio Defunctorum: ergo officium magis proprium illius diei est officium Defunctorum, quia per nomen festiuitatis explicatur, de quo agi officium debet. [Nauarr. Valentia — Arragon Lessius. — Diana.]

An autem Sacerdos & beneficiarij, qui tempore Litaniarum & Rogationum non intersunt processionibus, quæ publicè fiunt, & teneantur priuatim Litanias in breuiario designatas, sub mortali recitare, dicetur infra v. *Horæ canonicæ* 5. *num.* 2.

6. Quamuis Episcopus possit præscribere suis subditis formam officij recitandi, vbi Romanum breuiarium non adhibetur, v. g. vt hodie fiat officium de feria, cras de Sãcto, &c. non tamen potest, per se loquendo, cum aliquo dispensare, vt relicto proprio breuiario aliud adhibeat; imò vbi breuiarium Romanum adhibetur; non potest, per se loquendo, concedere, vt officium vnius diei alio die recitetur, cùm ritus & forma Romani breuiarij seruanda sit, & in eis nequeat Episcopus dispensare; concedi autem posse huiusmodi dispensatio in aliquo particulari casu. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 171. Nauarrus *de orat. cap.* 11. *num.* 26. Armilla *v. Horæ num.* 13. Suarez *cit. cap.* 23. *num.* 17. & alij. [Regin. Nauarr. Armilla. Suarez.]

Quomodo sint recitandæ Horæ canonicæ?

7. Horæ canonicæ, iuxta præceptum Innocentij III. *cap. Dolentes de celebr. Miss.* in Concilio generali; recitandæ sunt, vt ipse ait, *studiosè & deuotè*, quia de ratione orationis vocalis est, vt studiosè & deuotè recitetur. Vt officium diuinum studiosè recitetur, tria requiruntur. Iuxta Azorium *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 7. *quæst.* 11. Toletum *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 9. Filliucium *tract.* 23. *cap.* 6. *q.* 9. Lessium *lib.* 2. *cap.* 37. *d.* 28. Nauarrum *de orat. cap.* 13. *n.* 37. Bonacinam *de hor. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. §. 1. *n.* 3. Dianam *de hor. p.* 2. *res.* 32. & alios. *Primò*, vt absque syncopa, id est, absque verborum omissione, vt fit dum prima verba versiculi iunguntur vltimis, absorptis medijs: hæc syncopatio erit peccatum mortale, si sit valde magna, & maximè in officio publico, quia est contra strictum præceptũ Concilij in re graui: In officio priuato non facilè erit mortale, nisi sit enormis excessus, quo casu tenebitur etiã repetere, aliàs erit tantùm veniale, modò id voluntariè fiat: si autem inuoluntariè fiat, vt ex linguæ præcipitantia, balbutie insolita consuetudine; quæ corrigi nequeat, vel ob iustam festinationem, non erit peccatum: hinc obligationi suæ non satisfaciunt illi, qui ita cum socijs festinanter recitant, vt nondum expletis versiculis à socijs, versiculos sequentes recitare incipiunt; quia pars, quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum socijs, qui eã audire nequeunt. Vt docent Syluius 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *cap.* 5. Caramuel *in reg. S. Bened. num.* 1383. [Innoc. 3. — Azorius. Toletus. Filliuc. Lessius. Nauarr. Bonac. Diana. — Syluius. Caram.]

8. Vt *Horæ studiosè* recitentur. *Secundò* requiritur, vt verba non mutilentur, aut truncatim proferantur, abscissis quibusdam syllabis præsertim vltimis. Barbosa *in cit. dolentes num.* 11. hæc abscissio syllabarum vltimarum nõ est peccatum mortale, sed veniale, vt ait Lessius *cit. dub.* 10. *num.* 56. etiamsi notabilis sit, imò si inuoluntariè fiat, nullum est peccatum; quia non violatur præceptum in re graui, cùm maneat integra precum substantia, & perseueret sensus & significatio verborum. [Barbosa. Lessius.]

Notãdum est etiam cum Filliucio *cit. num.* 202. & 242. ad hunc defectum reduci nimiam celeritatem in canendo. Moraliter enim non fit sine syncopa, & aliqua abscissione syllabarum, & etiamsi absque illa efficiatur: tamen est in causa vt audientes non possint verba percipere & attendere; vnde ordinariè est tantùm peccatum veniale, neque obligat ad iteratam recitationem officij, nisi adsit contemptus, vel graue scandalum, seu notabilis deformatio verborum in toto cantu. Hæc ille. [Filliuc.]

9. Vsu receptum est in Ecclesia, recitantem cum socio satisfacere obligationi officij recitandi; quia recitantes sibi commune faciunt quod alternatim recitant: modò quæ secretò dicenda sunt, à singulis integrè dicantur, vt *Pater*, *Aue Maria*, *Credo*, & hoc valet, etiamsi is cũ quo recitat, non teneatur officiũ recitare, aut recitet sine attentione: idem valet non solùm in oratione debita ex præcepto Ecclesiæ, verùm etiam in debita ex voto, ex pœnitentia, vel alia ratione, quia rationabiliter indicare possumus, hanc esse vouentis vel præcipientis intentionem. Ita Doctores hic citati, Azorius *cit. cap.* 7. *quæst.* 6. Lessius *cit. dub.* 9. *num.* 52. Filliucius *cit. num.* 241. Nauarrus *cit. cap.* 10. *num.* 19. *& seq.* Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. & alij. [Azorius. Lessius. Filliuc. Nauarr. Layman]

10. Diuini officij obligationi satisfacit & debito chori iuxta Suarez *de relig. lib.* 4. *c.* 12. *n.* 19. qui suos versus alta voce canit, alios verò, qui ab alio choro cantantur submissè recitat; quia recitat per se ipsum totum officium, partim canendo, & partim recitãdo. Item satisfacit præcepto, qui suos versus alta voce recitat & aliquem ab alia parte canentem audit, licet omnes audire nequeat. Reginaldus *lib.* 8. *num.* 158. Item satisfacit qui non recitat, [Suarez. — Regin.]

sed

Bonac.

ſed attentè audit lectiones, vel orationes, vel capitula, vel reſponſoria cum ab alio dicuntur. Bonacina *cit. num. 8. & ſeq.* Item qui non repetunt verſiculos, qui per organum vel inſtrumentum cantantur, ſatisfaciunt; ſeruata tamen Eccleſiæ conſuetudine, iuxta quam vſu receptum eſt, vt dum aliqui verſus organo canuntur, aliquis eorum qui ſunt in choro, eoſdem alta voce proferat: alioquin officium integrè non recitatur, cùm organum verba non proferat. Naldus *v. Diuinum officium num. 7. & 14.* Molfeſius *tract. 5. cap. 2 num. 23.* Filliucius *cit. num. 191.*

Naldus. Molfeſ. Filliuc.

11. Praxis & vſus Eccleſiæ eſt, vt dum plures duobus ſimul recitant diuinum officium, non liceere ita recitare officium, vt vnus dicat vnum verſum, alter alterum, tertius tertium, ſed alternatim recitandum eſſe facto inter recitantes ſolùm duplici choro, ſiue plures ſint ex vna parte, ſiue pauciores. Filliucius *cit. num. 241.* Suarez *cit. cap. 25. num. 2.*

Filliuc. Suarez.

12. Multi Doctores exiſtimant eos, qui ex officio vel mandato ſuperioris detinentur in pulſandis organis, vel transferendis libris ex vna parte ad aliam, vel in thure præbendo, non teneri per ſeipſos illam partem recitare, quæ ab aliis perſoluitur, quia tunc cenſentur officio cooperari & ſuppleri per alios, ita vſu permittente. Reginaldus *lib. 18. num. 188.* Arragon *2. 2. quæſt. 73. art. 2.* Naldus *cit. num. 7.* Diana *de horis reſ. 13. part. 2.* Sed alijs probabilius videtur & meritò tales ſatisfacere quidem aſſiſtentiæ & obligationi chori, conſequenter poſſe diſtributiones accipere, non verò ſatisfacere ſimpliciter obligationi diuini officii; niſi illud poſtea priuatim recitent, vel ſaltem niſi attendant ad ea quæ interim recitantur; quia non dicitur recitare diuinum officium, qui verba diuini officij non profert, vel ad illa non attendit. Ita Filliucius *cit. num. 191.* Suarez *cit. cap. 14. num. 13.* Emanuel Sà *v. hora n. 83.* Nauarrus *de orat. cap. 10. num. 12.*

Regin. Arrag. Naldus. Diana. Filliuc. Suarez. Em. Sà. Nauarr.

13. Ille qui ſubmiſſa voce recitat ſuos verſiculos, & audit ſocios canentes ſuam partem, ſatisfacit obligationi diuini officij; quia ipſe recitat ſuam partem & communicat in parte ſociorum communicantium ſibi ſuam partem: qui verò ſuos verſus ſubmiſſa voce recitat, & alios alterius chori attentè audit, non ſatisfacit debito ſeruitio chori; quia reditus Eccleſiaſtici dantur canonicis vt inſeruiant, & cantent cum aliis: hinc talis recitans ſubmiſſa voce aliis canentibus, non poteſt diſtributiones integras percipere, quia non facit quod debet, non recipit quod oportet; hæc tamen intelligenda ſunt de beneficiariis qui per ſeipſos cantare debent, non verò de illis, qui ex priuilegio, vel ex fundatione, vel ex cõſuetudine præſcripta legitimè, tenentur ſolùm aſſiſtere in choro, dum adſunt manſionarii, qui canonicorũ nomine perſoluunt: tenentur tamen hi cùm adſtant choro ad attendendum & audiendum more orantium. Vide Leſſium *lib. 2. cap. 34. dub. 33. num. 184.* P. Nauarram *lib. 2. num. 216. cap. 2.* Azorium *cit. cap. 11. quæſt. 5.* Reginaldum *cit. num. 175.* Filliucium *cit. num. 197.* Dianam *de horis reſol. 6. & 33. p. 2.* & alios.

Leſſius. P. Nau. Azorius. Regin. Filliuc. Diana.

Sed dubium eſt, an ſurdus aſsiſtens choro, & cum aliis cantans ſatisfaciat obligationi? Negat Bonacina *de hor. canon. diſput. 1. quæſt. 3 punct. 2. §. 1. num. 20.* quia is cùm non percipiat alios canentes, non facit ſuam partem ipſorum, cùm non fiat particeps communicationis, quæ per auditum habetur, & ideò non ſatisfacit obligationi recitandi officium, nec etiam obligationi chori. Non eſt tamen improbabilis ſententia Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 28. num. 18* & aliorum docentium ſurdum ſatisfacere obligationi recitandi diuinum officium & aſsiſtendi in choro, ſi ſimul cum altera parte chori recitet. Ratio eſt, quia implet obligationem, quantùm poteſt, & in ſe eſt: & quia nemo ad impoſsibile tenetur. Tum quia, dum ſurdus aſsiſtit & cantat ex vna parte, facit ſuos verſiculos, qui cantantur ex altera parte. Non enim, vt faciat ſuos, requiritur quòd illos audiat, ſed ſufficit ſi quod ab altera parte chori recitatur, ſit moraliter etiam oratio ipſius; hoc autem habetur per id, quod aſsiſtat, & cantat ex vna parte; quia per hoc communicat cum aliis in choro; vnde abſolutè eſt de choro. Imo moraliter dici poteſt, quòd percipiat quod cantatur ab altera parte chori; nam partes chori ita ſibi inuicem communicant quod cantant, vt communicatio non fiat ſingulis ſeorſim alterius partis, ſed coniunctim toti parti; & proinde eo ipſo quod altera pars phyſicè percipit, cenſentur ſinguli illius partis percipere. Et huius ſententiæ eſt etiam Diana *part. 7. tract. 11. reſ. 6.* Paſqualigus *in deciſ. mor. 407.* Imo Caramuel *in reg. D. Benedicti num. 1383. concl. 5.* docet recitantem horas cum ſocio, non teneri auſcultare ſocium; ſed ſuos quiſque verſus correctè legere ſolum debet & non incipere antequam alter deſierit. Ratio eſt manifeſta. Nullum eſt præceptum de auſcultatione; atqui vbi non eſt lex, nulla eſt obligatio; ergo nemo tenetur auſcultare ſocium, ſed ſolùm expectare. Quod ſi non expectet, peccabit mortaliter, aut venialiter iuxta materiæ quantitatem. Ita ille, qui citat Syluium *2. 2. quæſt. 83. art. 13. concl. 5.* pro hac ſententia: ipſe tamen Syluius hoc nõ docet, ſed contrarium potiùs, cùm dicat, *Non cenſetur aliquid omittere, qui alternatim legens, aut cantans cum alijs, ſui chori verſus integrè recitat, alterius verò auſcultat.*

Bonac. Suarez. Diana. Paſqual. Caram. Syluius.

14. In recitatione diuini officii ſeruandus eſt mos & conſuetudo, vt ait Nauarrus *de orat. cap. 10. num. 18.* Reginaldus *cit. num. 158.* Filliucius *cit. num. 199.* Suarez *cit. cap. 11. num. 10.* quia hęc eſt Eccleſiaſticæ obligationis interpres & legem inducere poteſt: vnde cùm ab aliquo aliquid prætermittitur recitando cum aliis, non conuenit eſſe valde ſollicitum in ea parte repetenda, quia materia leuis eſt, & ob ſollicitudinem illius repetendæ, facilè fieri poteſt vt nouus error committatur.

Nauarr. Reginal. Filliuc. Suarez.

15. Recitans priuatim officium, non tenetur ſeipſum audire, quamuis Reginaldus *num. 174.* Valentia *tom. 3. d. 6. quæſt. 2. punct. 10.* Filliucius *cit. num. 117.* contrarium ſentiant; ſed ſufficit vt omnia verba diſtinctè proferat, ſiue ſeipſum audiat, ſiue non; quia nullo iure probatur recitantem ad hoc teneri, cùm præceptum obliget ad dicendum, non audiendum. Proinde ſufficit, quæcumque vox in recitatione horarum, nam qualiſcumque illa ſit, eſt audibilis: quòd autem de facto audiatur, vel non, eſt per accidens, vel ex impedimento medij, vel ex læſione ſenſus, & hoc non cadit ſub præceptum: Vox enim nihil aliud eſt, quam reſpiratio fracta certo modo per labia, & linguam; atqui non poſſunt labia & lingua moueri, quin ſit vox: quomodocumque igitur articulent, eſt vox, ergo & pronunciatio audibilis, ac proinde præcepto ſatisfaciens. Ita Azorius *part. 1. lib. 10. cap. 11. quæſt. 4.* Diana *tract. de Horis canon. reſol. 11. part. 2.* Caramuel *in reg. S. Benedicti num. 1380. & 1381.* Tamburinus *de iure Abb. tom. 2. diſp. 10. quæſt. 9. num. 5.* & alij. Licet ipſe Diana hic citatus & *part. 6. tract. 7. reſ. 10.* libenter hanc ſententiam admittat pro ſcrupuloſis, non tamen abſolutè pro omnibus, quia, inquit, vox debet eſſe audibilis; ergo ſaltem ab ipſo orante & phyſicè loquendo vix poteſt formari vox, quæ ab ipſo loquente ſecluſis impedimentis audiri non poſſit. Dicendum eſt igitur eſſe neceſſarium verba ita diſtinctè, & clarè proferre, vt teipſum audire poſſis: quia verba quæ auditu percipi non poſſunt, impedimentis ſecluſis, non videntur verba: ſed quidam motus in gutture, ſeu inter dentes facti, qui potius ſunt inchoatio verborum, quam verba. Ita ille. Sed noſtram ſententiam tenet etiam Syluius *in reſol. moral. in Append. v. Hora canonica 111.* citans Layman, & Tannerum.

Regin. Valentia. Filliuc. Azor. Diana. Caram. Tamb. Diana. Syluius. Layman. Tanner.

Verùm Leo X. conceſſit Fratribus Minoribus, *vt ne minùs ſe in officio diuino impediant aut alijs ſint faſtidioſi, illa, quæ in ordinario iubentur dici ſecretò ſub ſilentio, tam in horis Canonicis, quam etiam in Miſſa, non teneantur proferre vocaliter, ſed ſatisfaciant, dicendo mentaliter, aut legendo inter ſe per librum, quia aliqui deuotius ſic dicunt, & abſque impedimento, & faſtidio aliorum; & quod eodem modo poſſit facere, qui ſolus dicit Officium per ſe, cùm prolatio verbalis fiat præcipuè vt ab alijs intelligatur.* Ita refertur à Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quæſt. 42. art. 4.* Miranda *tom. 1. quæſt. 37. art. 14.*

Rodr. Miranda.

Circa hoc priuilegium ait Nauarrus *de orat. cap. 19. num. 88.* quod licet diſputando defendi poſſet, hoc non eſſe priuilegium & iure communi diuinum Officium poſſit mentaliter dici, quia verba ſolùm videntur principaliter requiri vt alij audiant, conſulendo tamen ait, id eſſe priuilegium. Ioannes de la Crux *lib. 2. de ſtatu relig.*

Nauarr.

cap. 8.

cap.8. dub. 2. absolutè fatetur posse religiosos mentaliter legendo intra se per librum recitare officium, & alia, quæ in officio diuino præcipiuntur dici secretò sub silentio. Ex hoc tamen non sequitur, quòd totum officium mentaliter persoluendum sit, sed solùm ea, quæ in officio, vel Missa dicenda sunt secretè, cum hac tamen conditione, ne aliqui abutantur hoc priuilegio, si maior deuotio sentiatur. Non sequitur item, quòd consecratio possit fieri mentaliter, cùm ex instituto Christi proferenda sint vocaliter verba consecrationis, ad saluandum Sacramentum, quod est sensibile signum, vt docet D. Thomas 3. *part. quæst.60. art.6.*

D. Tho.

Sed quia prædictum priuilegium Leonis X. refertur iterum a Rodriquez in bullario suo inter viuæ vocis oracula Leonis X. modò fas non est eo vti: quia S.D.N. Vrbanus VIII. omnia viuæ vocis oracula gratias continentia reuocauit & annullauit, vt dicemus *tom. 2. verb. Priuilegium 1. num.8.* & docet Lezana *in sum. tom.1. cap.12. num.31.*

Lezana.

Tamen recitans cum socio tenetur ita distinctè verba proferre, vt audiatur à socio, quia supplere debet audiendo, quod omittit recitando, vt docet Bonacina *cit. punct. 2. §. 1. num.24. & 25.*

Bonac.

16. *Tertium* requisitum vt horæ canonicæ studiosè recitentur, est, vt absque interruptione recitentur: sed controuertitur inter Doctores, an qui horas cum interruptione recitat, præcepto Ecclesiæ satisfaciat, vel lethalem culpam incurrat, quidam enim vt Nauarrus *de orat. cap.16. num. 75.* Azorius *cit. lib.10. cap.8. quæst. 5.* Emanuel Sà *verb. Hora in finem.* Medina *de orat. q.16.* docent esse peccatum mortale, & præcepto Ecclesiæ non satisfieri, quando sine iusta causa fit notabilis & longa interruptio; quia pars diuini officii iam diu antea recitata censetur finita, oratio autem finita non potest cum subsequenti continuari. Tamen verior & probabilior sententia ait, recitantem cum interruptione non peccare mortaliter, sed satisfacere Ecclesiæ præcepto quoad substantiam, siue ad longum, siue ad breue tempus interruptio fiat, & ideò repetendum non esse, quod antè recitatum est. Lessius *cit. dub. 10. num.57. cap. 37. lib. 2.* Filliucius *tract. 23. num. 202.* Diana *de horis res. 4. part. 2.* quia singuli Psalmi, imò singuli penè versus per se suum habent pōdus & completā significationem, suntque per se, vel precatio quædam, vel laudatio, vel sententia, non habens connexionem necessariam cum aliis. Suarez *cit. cap. 11. num.9.* Bonacina *cit. num. 30.* tamen & multi alii arbitrātur, interruptionem notabilem factam à toto choro contra communem consuetudinem & ritum Ecclesiæ graue esse peccatum ex suo genere, propter scandalum; quamuis sæpiùs à graui culpa excusetur, posita bona fide, vel ignorantia probabili: fatendum tamen est, secundùm omnes, interruptionem quæ fit sine iusta causa, esse peccatum veniale, ex causa autem nullum esse.

Nauarr. Azorius. Em. Sà. Medina.
Lessius. Filliuc. Diana.
Suarez. Bonac.

17. Secundum Nauarri *de orat. cap.16. num.74.* Azorii *tom. 1. lib.7. cap.2. quæst.6. & lib.10. cap.12. quæst.8.* Medinæ *de orat. quæst.16.* Rodriquez *part.1. cap. 143. num.2.* sententiam, si quis interrumpat officium, animo repetendi iam lecta, non satisfacit præcepto, nisi priora repetat: idem censent quotiescumque aliquis facit opus præceptum animo non satisfaciendi obligationi præcepti, quia qui debet aliquod opus ex præcepto, non liberatur obligatione, si faciat illud animo non implendi præceptum. Contraria tamen sententia, quæ est Sanchez *lib. 1. cap. 13. num.23.* Vasquez *part.2. quæst.100. art.9. dub.1.* Lessii *cit. dub.10. num. 59.* Valentiæ *tom.3. dub 6. quæst. 2. punct. 10.* Dianæ *cit. res. 37.* est etiam probabilis, nempe talem satisfacere præcepto, nec teneri repetere iam dicta: quia per liberam operis prohibiti omissionem satisfacimus præcepto negatiuo, quamuis habeamus intentionem non satisfaciendi: ergo satisfaciemus præcepto affirmatiuo; deinde Ecclesia non præcipit recitari officium animo repetendi, vel adimplendi præceptum, sed simpliciter præcipit recitari quotidie officium.

Nauarr. Azorius. Medina. Rodr.
Sanch. Vasquez. Lessius. Valentia. Diana.

18. Iuxta prædictam doctrinam, qui officium recitauit animo non implendi præceptum, si postea intra tempus obligationis nolit officium iterum recitare, non tenetur mutare animum, & alium voluntatis actum elicere, quo velit satisfacere, seu satisfecisse præcepto per opus antea præstitum. Sanchez *lib. 1. moral. cap.13. num. 14.* Salas *de legib. disp.9. sect. 2. num. 33.* Diana *cit. resol.37. part.2.* quia iam satisfecit, & non obligatur ab Ecclesia ad talem intentionis actum eliciendum, sed sufficit vt desistat ab animo non adimplendi præceptum, sic enim tollit actualem affectum ad peccatum. Suarez *de relig. lib. 4. cap.28.* Lessius *cit. num. 59.* volunt necessarium esse mutare propositum intra tempus obligationis. Sed prior sententia est tenenda. Vide *tom. 2. verb. Præceptum num. 6.*

Sanch. Salas. Diana.
Suarez. Lessius.

19. Altera conditio ad horas canonicas ritè persoluendas, est, deuotè, vt autem deuotè dicantur, duo requiruntur, Attentio nempe & Reuerentia: sola enim attentio non sufficit, nam oratio est actus religionis, ac proinde requirit reuerentiam; aliud enim est orare, aliud attentè aliquid legere: Attentio in oratione potest esse multiplex, alia est enim interna, alia externa: Interna est, qua quis attendit animum ad Deum, vel res diuinas, excitatque in se erga Deum reuerentiam: & hæc, alia circa verba, vt rectè pronuncientur, alia circa verborum sensum, vt mente percipiatur; alia circa Deum, vt verba orationis ad ipsum dirigātur; ad id quod petimus à Deo, vel ad rem aliquam piam, per quam Deum vel Sanctos laudare cupimus. Attentio externa est, quæ circa externam pronunciationem & totius corporis compositionē, qua quis exteriùs se gerit in speciem orantis, abstinetque ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit: Denique quæuis ex his attentionibus, potest esse vel actualis, vel virtualis; item vel confusa, vel distincta. Nauarrus *in man. cap.25. num. 105.* Toletus *lib. 2. cap. 13.* Lessius *lib.2. cap.37. dub.13. num.61.* Caietanus *in summ. v. Hora.* D. Thomas *2.2. quæst.83. art.13.* Azorius *lib 10. tom.1. cap.12. quæst 1.* Crousers *ad cap. 3. reg. Minor. lect. 3. fol. 161.* Caramuel *in regul. S. Benedicti num. 1387.*

Nauarr. Toletus. Lessius. Caietan. D. Tho. Azorius. Crousers Caram.

20. Ex communi Doctorum sententia, in omni oratione, iure diuino naturali requiritur attentio, & reuerentia interna; quia quæ sine vlla attentione fiunt, potiùs materialiter proferri dicuntur, quàm per modum orationis & laudis Dei: hine fit vt omnis voluntaria distractio, in propriè dicta oratione, si aliquod peccatum, quod non est nisi veniale, quando oratio non est obligatoria nisi sub veniali: quando autem iure diuino ad orationem obligamur sub peccato mortali, tunc voluntaria distractio erit etiam peccatum mortale. Valentia *tom.3. disp.6. quæst.2. part.9.* Suarez *de relig. lib. 3. cap.4.* Lessius *cit. num. 62.* Nauarrus *cit.* & alii.

Valentia Suarez. Lessius. Nauarr.

21. Multi & graues Doctores putant, quando solùm præcepto Ecclesiæ obligamur ad orandum, non requiri virtute illius præcepti attentionem internam, vnde etsi quis interiùs sponte distrahatur, non peccare mortiferè, nec teneri repetere, modò integrè omnia pronunciet & exteriùs iis rebus, cum quibus interna attentio consistere nequit, non se occupet. D. Antoninus, Paludanus, Angelus, Rosella, Tabiena, Syluester, Medina apud Lessium *cit. num.63.* Azorium *cit. quæst.6.* Comitolum *in respons. Moral. lib.1. quæst.63.* Ratio est, quia Ecclesia non potest præcipere, aut vetare actus internos, sed solùm externos; vnde non præcipit internam attentionem, nec vetat internam distractionem, sed solùm externam. Quod confirmatur: quia nemo potest præcipere quod non potest punire: non potest pūnire transgressores, si non possit iudicare: nec iudicare potest, quod non potest cognoscere. Atqui Ecclesia non potest cognoscere extra confessionem actus internos, ergo nec poterit præcipere: de occultis enim nulla ratione Ecclesia iudicat. Vide Dianam *de horis resol.2. part.1. & part. 7. tract. 11. resol. 30.* Caramuel *in reg. S. Benedicti num. 1373. & sequent.* Lugo *de Sacrament. Eucharist. disput. 23. sect.2. num.27.* Coninch *3. part. quæst. 83. art. 6. num. 291.* Layman *lib.4. tract.1. cap.5. num. 10.* Tamburinum *tom.2. disp.10. quæst.2. num. 8.* & alios: qui multas rationes adducunt ad firmandam hanc sententiam; ob quas & illorum authoritatem manet hæc sententia satis probabilis. Cæterum quamuis secundùm hanc sententiam satisfieri præcepto possit Ecclesiastico, si distractio vitetur exterior, nihilominus in culpa semper est is qui distra-

D. Anto. Paludan. Angelus. Rosella. Tabiena Syluius. Media. Lessius. Azorius. Comit.
Diana. Caram. Lugo. Coninch Layman Tamb.

ſtractionem animi interiorem non repellit: *Quæ enim*, inquit D. Chryſoſtomus homil. 79. ad populum Antiochenum, *excuſatio, aut venia dabitur nobis, ſi cum amicis loquentes adſumus animo, mentemque adhibemus: cum Deo verò colloquentes, animo in rebus indignis peregrinamur? poſſetque: tam fœda, ac turpis eſſe peregrinatio illa mentis, vt duplicis ſceleris, ſeu lethalis culpæ labem haberet; vnam, verbi cauſa, cogitati, optatique ſtupri, ſeu homicidij, alteram inſignis iniuriæ, quâ diuinæ preces, Pſalmi, ſacræque ſcripturæ verba tunc afficiuntur.* In quibus verbis Sancti Chryſoſtomi, ei, qui voluntariè in horis per prauam cogitationem, cui conſentiret, diſtraheretur, duplicem culpam mortalem infert: Alteram mali optati, ſiue cogitati: Alteram iniuriæ diuini officij.

Proinde contraria ſententia videtur verior & probabilior, nempe, vt officium deuotè recitetur, requiri attentionem internam, ſiue illa ſit ad verba, ſiue ad ſenſum verborum, ſiue ad Deum, &c. adeo vt ſi quis interiùs ſponte alienis cogitationibus ſe occupet, non ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ de horis dicendis; quia Eccleſia poteſt actum internum præcipere, quoties internus eſt de ſubſtantia actus externi, vt ſit actus virtutis & idoneus ad finem ſupernaturalem: quod optimè colligitur ex *cap. Dolentes de celebratione Miſſarum*, vbi præcipit Eccleſia verum actum orationis; actus autem externus ſine interno, oratio non eſt; quia oratio in actu interno conſiſtit, cum ſit colloquium cum Deo, ac proinde requirit attentionem internam. Quod autem dicitur Eccleſiam de internis non iudicare, intelligendum eſt de iudicio externo & in foro fori: qui enim materialiter tantùm horas legit, in exteriori homine & foro externo Eccleſiæ non iudicatur, nec externis pœnis vrgetur. In foro autem ſacramentali & conſcientiæ, ſi actus externus religionis cum interno coniunctus non fuit, qui ſic horas legit, iudicatur, conuincitur & condemnatur peccaſſe mortaliter, ſi in hoc culpabilis fuit. Tamen quandocumque quis non poteſt certò affirmare ſe voluntariè & deliberatè cum plena aduertentia fuiſſe diſtractum in officio vel in notabili eius parte, non tenetur vllatenus officium vel notabilem partem repetere. Ratio eſt, quia in dubijs & anxietatibus illis, Melior eſt conditio poſſidentis. Nec pia Mater Eccleſia ex ſua parte cum tanto grauamine, in tantis anxietatibus cenſetur velle ad horas obligare. Poſſidet autem quis ſuam libertatem, quamdiu de diſtractione voluntaria certò ſibi non conſtat. Ita Reginaldus *lib.* 18. *num.* 148. Filliucius *tract.* 23. *num.* 154. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 106. Rodriquez 1. *part. cap.* 143. Bonacina *cit. punct.* 2 §. 2. Syluius 2.2. *quæſt.* 83. *art.* 13. *cap.* 4. & 5. & alij communiter.

Reginal. Filliuc. Nauarr. Rodr. Bonac. Syluius.

22. Ad ſatisfaciendum præcepto diuini officij, actualis attentio non eſt neceſſaria, virtualis ſufficit: habitualis verò neceſſaria non eſt, neque ſufficit. Dicitur autem *actualis attentio*, quâ quis actualiter attendit ad ſenſum verborum, vel ad piam meditationem Paſsionis Chriſti, vel diuinitatis: & *Virtualis* dicitur illa, cum qua quis incipit orare, & virtute illius proſequitur orationem, illa prior attentio durat virtualiter in proceſſu orationis, niſi expreſsè vel tacitè reuocetur: *Habitualis* contingit, cum quis recitat aliquid ex habitu, & vſu, nihil ad illud aduertens, vt ſi quis canat in ſomnis. Itaque ad horas Canonicas perſoluendas, non eſt neceſſaria neceſſitate præcepti attentio ſingularis ad ſingula verba; ſed tantùm requiritur & ſufficit moralis quædam & generalis attentio, quâ moraliter quis ſcit & perpendit ſe verba verborum ſententias proferre, etſi ſingulariter ſuper ſingulis verbis & ſententijs non reflectat. Huiuſmodi enim reflexa intentio ad ſingula verba eſt impoſſibilis naturæ ad diuerſa per ſe diſtractæ, & quæ facilè cogitationibus etiam bonis à verborum animaduertentia diſtrahitur: debet tamẽ recitans ad minus aduertere ſe recitare, & moraliter ſe debito & integritati horarum ſatisfacere, quod aduertere non poteſt, niſi generali quadam & morali attentione & reflectione ad recitationem ſuam, etſi non ad ſingula quæ pronunciantur, aduertat. Vide Toletum *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 9. Leſſium *cit. num.* 17. Filliucium *cit. num.* 73. Azorium *cit. cap.* Syluium *cit. art.* 13. *concluſ.* 1. & 2. Crouſers *cit.* & alios.

Toletus. Leſſius. Filliuc. Azorius. Syluius. Crouſers

23. Attentio in horis dicendis, non debet neceſſariò eſſe formalis, expreſſa, & explicita, ſed ſufficit implicita & tacita, nam cum vtraque ſubſiſtit oratio & actus humanus, imò in intentione orandi includitur attentio: hinc patet illum ſatisfacere præcepto, qui horas recitat, intendens in genere recitare modo conſuetudo, vel qui recitat cum confuſa apprehenſione & propoſito faciendi opus conſuetum, ideò accipit breuiarium de more, vel qui intentionem habet laudandi Deum, vel ſatisfaciendi ſuo muneri, vel qui accedit ad Eccleſiam, de more ibi officium recitaturus, quamuis poſtea recitet inuoluntariè diſtractus. Ratio eſt, quia talis requiritur intentio qualis eſt actus in quem intentio tendere debet: atqui vt actus ſit religioſus debet ad cultum Dei ordinari. Non ſatisfaceret autem præcepto, qui intenderet ſimpliciter legere Officium Matutinum, Veſpertinum, &c. prout materialitèr ex ſuis Pſalmis, lectionibus, Hymnis, &c. conſtituuntur; quia hæc lectio per ſe, & præcisè non eſt actio religioſa, cùm officium illud poſſit legi ob ſtudium, delectationem, aut alia ſimili de cauſa; debet ergo intentio dirigi in finem, qui eſt Dei cultus vt ſit religioſa. Reginaldus *cit. num.* 153. Leſſius *cit. num.* 71. 72. Suarez *cit. lib.* 4. *cap.* 26 Rodriquez *cit. cap.* 143. *num.* 4. & alij.

Regin. Leſſius. Rodriq. Suarez.

Sed petes, an dormitantes in choro, dum diuinas laudes canunt, præcepto ſatisfaciant? Reſp. cum Marchino *de Sacrament. Ordinis tract.* 2. *part.* 6. *diffic.* 2. *cap.* 12. vel dormitans aduertit, ſe omittere notabilem diuini officij partem: & tunc niſi repetat, quæ omiſit, præcepto non ſatisfaciet. Si autem tunc proponat eas repetere, & poſtea obliuiſcatur repetere, non peccat: quia obliuio non differt ab inaduertentia, & vtraque à culpa excuſat. Si autem ſciens & volens notabilem officij partem omiſſam negligit repetere, mortalis culpæ fit reus: quia tranſgreditur præceptum Eccleſiaſticum, obligans ad attentam, & deuotam diuinarum precum recitationem. Verùm, ſi quis dum recitat, ſomno reſiſteret, & conaretur pro viribus verba diſtinctè proferre, quantumuis poſtea ita ſomno opprimeretur, vt neque ad verba, neque ad ſenſum verborum, aut ad aliud diuinum myſterium attenderet, non peccaret: quia tantus poteſt eſſe ſenſuum ſopor, vt moraliter nequeat ſuperari, vt docet Rodriquez *in Summ. part.* 1. *cap.* 140. *num.* 17. quod tamen ita eſt intelligendum, vt is choro quidem, ſi ibi recitet Officium, ſatisfaciat; non tamen obligationi illud poſtea priuatim, vt decet, recitandi.

March. Rodriq.

24. Nouum dubium eſt, an ſatisfaciat obligationi chori, qui non attendit, quando Officium cantatur cantu muſicali? Reſpõſio Zachariæ Paſqualigi eſt *in decif. moral. deciſ.* 408. quòd chori ſeruitium minùs obligat quando Officium cantatur cantu muſicali, quàm quando cantatur cantu ordinario ab ipſis aſſiſtentibus; quia tunc deputati ſeruitio chori obligantur tantùm ad aſſiſtendum, non autem ad recitandum in choro; & ideò non requiritur illa attentio, quæ requireretur ſi tenerentur recitare, ſed tantùm perſonalis aſsiſtentia: quæ talis eſſe debet, vt ſit in ordine ad orationem, quæ ſit à canentibus, & vt per illam cenſeantur moraliter communicare cum canentibus in oratione; vnde debent addicere aſsiſtentes ipſimet orationi: pro hoc autem non eſt neceſſaria interna attentio, ſed ſufficit ſi aſsiſtant in loco deſtinato ad aſſiſtendum, habitu & forma ad id deſtinata, & ſeruent ea, quæ chorus præſcribit ſeruanda ab aſsiſtentibus. Ex quo fit, quòd voluntaria diſtractio, confabulatio modeſta, cũ debita corporis compoſitione, ſubmiſſa voce, non impediant, quin ſatisfiat obligationi, quia non deſtruunt moralem aſsiſtentiam & communicationem in oratione, per aſsiſtentiam: poteſt tamen hæc confabulatio eſſe peccaminoſa etiam mortaliter, ratione ſcandali, aut grauis indecentiæ, licet non impediat ſatisfactionem aſsiſtendi.

Paſquai.

SVP-

SVPPLEMENTVM.

HORÆ CANONICAE II.

Quoad modum & formulam eas dicendi.

S V M M A R I V M.

1 *Quali Breuiario debet vti ille, qui duo beneficia possidet in duabus Ecclesijs, quæ diuersis vtuntur officijs.*
2 *An liceat ex iusta causa mutare officium in aliud.*
3 *An possit Clericus relinquere officium proprium suæ Ecclesiæ, vbi habet beneficium & residet, vt vtatur officio alterius Ecclesiæ.*
4 *Iuxta quem ritum debeant Scholastici Clerici diuinum officium persoluere.*
5 *An satisfaciat obligationi, qui recitando horas voluit multo tempore paginas vt quærat Psalmos.*
6 *An sit peccatum mortale mutare officium, quoties mutatio formæ redundat in transgressionem præcepti, quoad substantiam illius.*
7 *An qui recitando horas Canonicas vacat alteri rei, quæ non impedit attentionem, satisfaciat.*
8 *Quæ seruare debeant Prælati in Ordinatione diuini Officij.*
9 *Mos antiquus est Ecclesiæ vt Laudes diuinæ alternatim à psallentibus dicantur.*
10 *An satisfaciat præcepto, qui medietatem Matutini recitat, & aliam medietatem audit à socio? vel qui recitat integrum Matutinum & Laudes & postea reliquas horas audit à socio.*
11 *An peccet mortaliter, qui legit Matutinum de Dominica & reliquas horas de Sancto.*
12 *An Nouitij publicè in choro possint satisfacere obligationi communi professorum.*
13 *An Frater Minor recitans Officium cum Carmelitano satisfaciat, vtens Breuiario Carmelitanorum.*
14 *An possint Prælati dispensare, vt Officium recitetur de Sancto, quando recitandum esset de Feria.*
15 *Quomodo se gerere debeant regulares exempti, in celebrandis diuinis Officijs propriæ Diœcesis.*
16 *An sit peccatum mortale minimum addere vel diminuere de diuino Officio, vt in perpetuum sic duret?* Refertur duplex sententia.

Quomodo sint recitandæ horæ Canonicæ? Remissiuè.

1. QVi duo beneficia possidet in duabus Ecclesijs, quæ diuersis vtuntur officijs adhibendum est Breuiarium, quod adhibetur in Ecclesia in qua beneficiarius residet. Ratio est, quia potentius est vinculum domicilij & residentiæ quàm beneficij, præsertim ex quo cùm absit ab illo, non præsumatur obligare ad inseruiendum Ecclesiæ illius beneficij. Non est tamen improbabilis sententia sustinens extra chorum adhibendum esse Breuiarium, quod in ea Ecclesia adhibetur, in qua quis habet beneficium dignius, etiamsi alibi habeat pinguius: quia obligatio diuini Officij est personalis, & sequitur personam vbicumque sit, & maior dignitas præualet minori. Si autem beneficia sint æqualis dignitatis potest beneficiarius extra chorum adhibere Breuiarium iuxta formulam alterius Ecclesiæ: quia non est, maior ratio cur ad vnum potiùs ritum, quàm ad alterum obligetur: cùm Diœcesim in vtraque Ecclesia contraxerit. De his vide Suarez *de Relig. tom. secundo, lib. 4. cap. 23. numer. 8.* Filliucium *tract. 23. numer. 221.* Azorium *1. p. lib. 10. cap. 11. quæst. 2.* (Suarez. Filliuc. Azorius.)

2. Ex iusta causa potest fieri mutatio officij in aliud etiam sine vllo peccato: vt si iuuandus esset alius ex charitate, si non esset copia alterius Breuiarij, & postea graue esset repetere ob necessarium vel valdè conueniens studium, vel aliud opus pietatis, vel alia simili de causa. Imò quando deficit Breuiarium Romanum, obligatus ad illud, potest & debet recitare horas per aliud approbatum, quod præ manibus est, & qui potens non est totum officium recitare per Romanum, & potest recitare per aliud Breuiarium approbatum, quia est breuius, satius erit per hoc recitare, quam alterum omittere. Ratio est, quia talis primò obligatur ad Officium diuinum, deinde ad modum eius, quod posterius, si non possit implere, prius autem sic, peccat, si non implet. Ita Crousers noster *in Reg. D. Francisci cap. 3. lect. 1.* Escobar à Corro *tract. de hor. Canonic. quæst. 3. §. 1. num. 3.* Filliuc. *loco citat. num. 229.* & alij. (Crousers. Escobar. Filliuc.)

3. Non potest Clericus relinquere officium proprium suæ Ecclesiæ in qua habet beneficium & residet, vt vtatur officio alterius Ecclesiæ. Quod probatur apertè ex Constitutione Pij Quinti. Missali Romano præfixa; vbi præcipitur, vt omnes capessant vsum Romanum; exceptis illis solis, quorum Ecclesiæ habent officium ducentos annos superans. His enim, quia durum videbatur eos cogere, tam diuturnam consuetudinem deserere & nouum officium amplecti, permittitur vt suam consuetudinem retineant. Quòd si eam cupiant deserere, sit illis potestas commutandi eam in Officium Romanum: nullo autem modo in officium alterius Ecclesiæ. Nulla enim subest ratio talis commotionis, imò est directè contra intentionem Pontificis, qui vbique cupit introduci Romanum, nec permittit vllum aliud, nisi causa tam longinqui vsus in Ecclesia propria continuati. Idem dicendum de Breuiario, seu officio horarum Canonicarum, vt ex alia Constitutione Breuiario Romano præfixa perspicuum est. Ita Lessius *in resolut. variar. verb. Horæ Canonicæ casu VII.* (Pius V. Lessius.)

4. Clerici Scholastici, dum in studio litterarum versantur secundùm ius commune Canonicum in officio Ecclesiastico persoluendo, vti debent formula, quæ vsu est recepta in ipsorum Diœcesi, à qua originem trahunt, vel in qua domicilium habent, vel in qua beneficium possident. Iure autem nouo, eis est tenenda noui Breuiarii Pii V. auctoritate editi formula. Ita Azorius *loco cit. q. 3.* & alii. (Azorius.)

5. Qui recitando diuinum Officium voluit multò tempore paginas vt quærat Psalmos, &c. satisfacit obligationi: quia quærere Psalmos, &c. est quid accessorium recitationi officii; vnde cùm accessorium sequatur naturam principalis, qui attendit accessorio in ordine ad principale, censetur attendere principali; tum quia non potest infimi tantùm temporis, vt censeatur pars notabilis respectu totius recitationis.

6. Si quis recitando horas Canonicas, vacet alteri rei, quæ non impediat debitam attentionem, satisfacit obligationi recitandi. Ratio est, quia quando alius actus exercitus simul cum recitatione diuini Officii non impedit debitam attentionem, non tollit aliquid, quod fit à præcepto præscriptum; quia iam habetur recitatio cum necessaria attentione, quod solùm exigitur à præcepto. Ex quo fit, quòd omnia, quæ ex habitu fiunt, non impediunt satisfactionem recitandi officium, quia cùm habitualiter fiant, non requirunt specialem attentionem, vnde nec impediunt necessariam pro recitatione. Ita Caietanus *2. 2. quæst. 83. artic. decimotertio, in respons. ad 3.* Syluius *ibidem conclus. septima versic. Si petas,* Nauarrus *in Manual. cap. decimotertio, numer. 49.* & alii. (Caietan. Syluius. Nauarr.) Cæterùm licet hæc sententia sit probabilis, non est tamen, nisi vrgente necessitate aliqua ad praxim deducenda: quia licet saluet adimpletionem præcepti, non tamen illam decentiam, quæ est debita, quando quis vacat seruitio Dei: & valdè dissonum est loqui cum Deo mediante oratione, & alteri rei vacare.

7. Supposita probabilitate sententiæ asserentis, non esse peccatum mortale recitare septem Canonicas horas non seruata forma præscripta in Breuiario, quo legitimè quis vtitur, sed tantùm veniale, cuius sententiæ auctores aliquos adduximus *tom. 1. verbor. Horæ Canonica II. num. 4.* quia substantia huius præcepti est de recitandis septem horis Canonicis: quod vero fit hoc modo, vel illo, idest de feria vel Sancto, &c. pertinet ad

ad modum accidentalem, & ideò in illius mutatione non est transgressio præcepti saltem lethalis. Difficultas est, an hæc sententia sustineri possit in casu quo mutatio formæ redundet in transgressionem præcepti quoad substantiam illius? Respondeo quòd non: quia tunc transgressio modi non sisteret in modo, sed transiret in transgressionem præcepti quantùm ad substantiam. Hoc autem ex duplici capite sumendum est, vel ab vtroque simul ex parte quantitatis defraudatæ, & ex parte finis cultus in celebritatibus colendis grauiter defraudati. Exemplú prioris sit: si quis in Dominica recitaret officium Feriæ tertiæ vt citiùs pensum horarium persolueret peccaret mortaliter, quia ex modo isto recitandi sequitur defraudatio Officij diuini in notabili quantitate. Item, qui in omnibus ferijs diceret officium Feriæ tertiæ. Secus dicendum de illo, qui quando recitandum est de feria, recitaret de Sancto, quia defraudatio est in parua quantitate. Item peccaret mortaliter, qui in die Natalis Domini recitaret de Sancto Petro, propter notabiliter defraudatum finem cultus Ecclesiastici in celebritatibus colendis: etiam peccaret mortaliter propter vtramque causam, scilicet, defraudatæ quantitatis & diuini cultus Ecclesiastici euersi, qui in quadragesima recitaret de Festo Resurrectionis. Ita Diana *part.7. tract.11.resol.7.* De la Torre *de horis Canon. controuers.8.num.6.* Contra Caramuelem *in reg. D. Benedicti, disp.19.num.1387.* qui docet illum adimplere præceptum quoad substantiam, & deficere quoad modum, qui officium totius Breuiarij breuissimú semper recitat.

Diana. De la Torre. Caram.

8. Prælati in Officij diuini ordinatione quinque præcipuè seruare debent. *Primum*, vt officium distinctè, alta & clara voce recitetur. *Secundum*, vt officium & horæ Canonicæ cum apta pausa & potissimum deuotè & attentè persoluantur, vt docent Sancti Patres. Celebre est illud Glossæ distichon super D. Pauli verba ad Eph. 5. *Deo non voce, sed corde cantandum.*

Glossa.

Non vox, sed votum, non chordula musica,
sed cor;
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Tertium, vt officium & horæ Canonicæ statutis horis non alijs, absque legitima & rationabili causa dicantur, vt præcipitur *in Clement.1. de celebrat. Missar. & in cap. Presbyter. eod. tit.*

Quartum, vt in choro diuina Officia, prout temporis ratio postulat, alternatim canantur, vel recitentur, attenteque audiantur. Idque non cursim, non perturbate, non sincopando, nec extranea, ac prophana vel inhonesta permiscendo, sedendo, stando, caput aperiendo, ac inclinando, antiquas sui ordinis a Sanctis Patribus introductas cæremonias & consuetudines maximè seruandas curet.

Quintum, vt approbatos à Sede Apostolica ritus, & suorum Superiorum statuta, ac propriæ Ecclesiæ in diuino Officio celebrando laudabiles consuetudines summo studio, ac diligentia sequatur, ne boni Pastoris, & Ecclesiæ suæ sponsi onere & honore iure merito priuetur.

9. Mos vetustus, Ecclesiæ est, vt laudes diuinæ alternatim à psallentibus dicantur, quibusdam concinentibus & alijs audientibus, & è conuerso canentibus qui audiebant & audientibus qui canebant. Et ex isto more antiquo deriuatum est, vt recitationi septem horarum Canonicarum satisfiat per modum hunc laudabilem alternis versibus recitandi, siue in priuata recitatione, siue in publica, quæ fit in choro. Vnde ij qui tenentur recitare horas Canonicas, si assistant choro canenti, & nec recitent submissè partem sibi correspondentem, nec illam canant, non satisfaciunt obligationi recitandi horas Canonicas: quare si postea eas domi non recitent, transgressores sunt præcepti Ecclesiastici de Officio diuino recitando. Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum est de recitandis horis Canonicis modo ab Ecclesia approbato & recepto; sed isti non recitant, sed tantùm audiunt; non enim recitant versus suos, nec alios: ergo.

10. Non satisfacit præcepto, qui medietatem Matutini recitat, & aliam medietatem audit à socio; vel qui recitat integrum Matutinum & Laudes, & postea audit horas & reliqua à socio. Nam ex tali casu, nec physicè, nec moraliter videtur talis recitare illas medietates officij, sed tantùm audire: ergo non satisfacit præcepto, quod imponit recitare, & non audire officium. Nec militat eadem ratio in recitatione, quæ alternatim more solito efficitur cum socio: nam tunc moraliter vnus socius dicitur recitare partem alterius socij, nam vnusquisque eorum participat in recitatione, verbi gratia, vnius Psalmi, vnius horæ, &c. Idem dicendum si quis recitando Vesperas diceret vnum integrum Psalmum, & alius socius alterum Psalmorum. Ratio horum omnium est, quia vti debemus priuilegio recitandi cum socio, prout concedit & admittit consuetudo Ecclesiæ, sed Ecclesia non habet vsum alternatim sic dicendi horas Canonicas, ergo, &c. Ita Diana *part.9. tractat. septimo, resol.38.* Quamuis Pellizzarius *in Manual. regular. tom. primo, tractatu quinto, cap.8. sect.2. num.91.* putet satisfacere illum, qui per se solum recitat omnes Psalmos officij nouem lectionum, & postea ab alio ad hunc finem euocato, audit omnes nouem lectiones. Rationes huius opinionis videri possunt apud ipsum; an autem sint probabiles, tu Lector iudica.

Diana. Pellizza.

11. Qui sentiunt dari octo præcepta de Officio diuino & omissionem eiusdem non vnum, sed octo esse peccata mortalia, consequenter dicere debent eum, qui legit horas aliquas de Dominica & reliquas de Sancto, non peccasse mortaliter: quia singulis præceptis satisfecit, quoad substantiam; tot autem peccata venialia commisisse quot horas mutauit & legit contra Rubricas. Est autem mortale iuxta alteram sententiam, quia non legit Officium diuinum, sed duo semi officia, quæ non possunt ita connecti, vt vnum Officium diuinú constituant: quia ex aliquot horis de Dominica, & alijs de Sancto, si coniungantur non exurget Officium diuinum approbatum à Sede Apostolica. Ita Caramuel *in regul. D. Benedict. disp.110. num.1403.*

Caram.

12. Dubium est, an Nouitij faciant corpus communitatis, nempe, an tres, vel plures publicè in choro possint communi diuino Officio satisfacere? Respondent nonnulli affirmatiuè, quia in fauorabilibus Nouitij censentur religiosi: negatiuè alij, eo quòd nondum incorporati sint. Cæterum adsunt pro vtraque parte probabiles rationes. Pro negatiua, quia obligatio persoluendi horas Canonicas in choro est imposita communitati professorum, sed Nouitij non sunt professi, nec pars communitatis, quoad hoc dici possunt, cùm non sint Monasterio incorporati. Pro parte affirmatiua facit, quod sicut Nouitij de facto gaudent priuilegijs professorum, ita dicendum est posse soluere onera ad quæ professi tenentur, licet ad illa non teneantur Nouitij. Vnde in affirmatiuam inclinare videtur Diana *part.7. tract. undecimo, resolut.5.* & ego. Licet Caramuel *loco citato disput.101. dub.6.* hoc dubium indecisum relinquat.

Diana. Caram.

13. Difficultas est, an Frater Minor obligatus ex vi regulæ suæ ad Breuiarium Romanum, satisfaciat suæ obligationi recitans officium cum Carmelitano? videtur quòd sic, quia quicquid alteri relatiuo conceditur, necessariò conceditur correlatiuo: correlatiua enim sunt simul cognitione: tum quia non est intelligibile quòd duo debitè recitent vnum Officium diuinum, & vno satisfaciente, alter non satisfaciat. Ergo duo religiosi diuersorum Ordinum sine venialis culpæ scrupulo possunt simul recitare iuxta Rubricas alterutrius Breuiarij. Sic docet Caramuel *loco citato numer.1366.* qui pro hac sententia adducit Portel *in dub. regular. verb. Hora Canonica num.8.* Henriquez *lib.7. cap.30. num.4.* In contrarium facit, quòd vnusquisque tenetur recitare iuxta formam sui Breuiarij, vt patet ex Bullis Pontificijs appositis in principio Breuiarij Romani, & aliorum Breuiariorum Monasticorum & infligentibus grauissimas pœnas. Vnde Frater Minor si alternatim recitet horas Canonicas cum Carmelitano, relinquit suum Breuiarium, & recitat iuxta formam Breuiarij Carmelitani; ergo non videtur satisfacere præcepto, vt docet Castrus Palaus *tomo 1. tract.1. disp.2. punct.2. numer.2.* Diana *part.7. tract. 11. resolut.11.* Sententia tamen Caramuelis posset admitti in casu quo Frater Minor careret Breuiario Romano, vt diximus *supra num.2.* cum Doctoribus ibi citatis.

Caram. Portel. Henriq.

Palaus. Diana.

Licet

De la Torre. Licet Raphael de la Torre *de horis Canonicis controuerſ. 8.num.1.* & alii admittant non eſſe mortale ſemel,aut iterum relinquere Breuiarium Romanum & alio vti ſine cauſa, ſecus autem ſi crebriùs: quibus adhæret Diana Diana. *part.2. tract.12.reſ.10.*

Sed circa hoc dubium, eſt conceſſio Innocentij IV. fa- Innoc.4. cta Fratribus Minoribus per Bullam Authenticam,vt re- Caſarub. fert Caſarubius *in Compend. Priuileg.Mendic. verb. Officium diuinum 1. num. 4.* vt quando ratiune itineris, vel alterius rei cauſa, extra Conuentus, ſeu loca ſua, quemlibet, vel quoslibet eorum contigerit degere, poſſint diuinum Officium Fratres cum Fratribus, aut ſimul cum alijs regularibus perſonis, vel quilibet ſeparatim facere alio, quàm Romano Ordine, placuerit. Et quod id ſufficiat ad perſoluendum debitum, ad quod ratione Regulæ tenentur,nec iterum proprium Officium dicere teneatur. Ex qua conceſſione, quæ adhuc durat, cùm non conſtet de ſufficienti reuocatione illius, poſsunt Fratres Minores & alii Regulares per viam communicationis, ſiue itinerantes, ſiue extra Monaſterium commorantes occaſione ſtudiorum, prædicationis, negotij, aut alterius ſimilis cauſæ, ſi aliàs ex vi regulæ, aut ex conſuetudine Officium diuinum recitant iuxta formam Breuiarij Romani, illud recitare, etiam ex alio Breuiario, tum ſeparatim, tum vna cum religioſis eiuſdem, aut alterius Ordinis. Ex quibus patet, iſtam conceſſionem non ſuffragari religioſis non recitantibus iuxta formam Breuiarii Ro- Hieron. Rodr. mani. Ita Hieronymus Rodriquez *in Compend. quæſt. regul. reſol.24. num.34* Miranda *in Man. Prælat. tom. 1.* Miranda Diana. *quæſt.37. art.13.* Diana *p.3. tract.2. reſol.135.* Pellizzarius Pellizz. *in Man.Reg.tract.5.cap.8.num.77.*

14. Non poteſt Prælatus mutare aliquid de Breuiario abſque licentia Summi Pontificis: nam hoc prohibet Pius V. in Bulla præfixa dicto Breuiario; vnde non poteſt præcipere, vt recitetur Officium non contentum in tali Breuiario, nec conceſsum Ordini per aliquod Papæ priuilegium. Poteſt tamen diſpenſare cum ſubditis ſuis ex rationabili cauſa, vt aliquando, non tamen in perpetuum nec per modum conſtitutionis, recitent Officium de Sancto, die, qua eſsent recitaturi de feria, ſi præſertim mutatio fiat, ſecundùm rubricas illius Breuiarii,quo ipſis licet vti. Dari enim poteſt iuſta cauſa ſemel, vel bis diſpenſandi in vno, vel alio occurrente caſu, non autem ad dandam diſpenſationem permanentem, vt quis poſſit ſemper & pro arbitrio ſuo id facere. Ita Suarez *tom.2.de* Suarez. Pottel. Filliuc. *Relig.lib.4. cap.11. num.6. & cap.23. num. 17.* Pottel *in dub. regul. verb. Hora Canonica num. 7.* Filliucius *tract. 23.num.129.* & alij. Non poſsent tamen Epiſcopi & Prælati Religionum diſpenſare cum ſuis ſubditis, vt non recitent Officium iuxta ritum Breuiarij Pij V. ad quod tenerentur, ſed iuxta aliud Breuiarium approbatum. Ratio eſt, quia illa obligatio naſcitur ex lege Summi Pontificis, in qua non poteſt inferior diſpenſare ſaltem ſine cauſa; vnde ſi ita diſpenſet, non ſolùm iniuſta, ſed etiam Nauarr. Bonac. Regin. inualida erit diſpenſatio. Ita Nauarrus *de oratione, cap. 11.num.30.* Bonacina *de Horis Canonicis, diſp.1. quæſt.3. punct.1.num.19.* Reginaldus *lib.18.num.170.* & alij.

In priuata autem recitatione poſset dari diſpenſatio ad mutandum Officium propriæ Religionis cum Romano, etiam ſine cauſa; nam hoc ſine diſpenſatione fieri poſset. Ad mutandum verò Officium vnius Religionis,cum Officio alterius ſemel, aut bis; diſpenſatio concedi poſset ex rationabili cauſa. Sed maior cauſa neceſsaria eſt,ſi detur licentia ad faciendas mutationes aliàs communi iuri & conſuetudini repugnantes.

15. Regulares in celebrandis diuinis Officiis debent Eccleſiæ matrici illius ciuitatis & Diœceſis conformari. Greg.13. Probatur ex Conſtitutione Gregor.XIII. ſub dat. Romæ 30. Decemb. 1573. quæ incipit, *Paſtoralis officij*. In qua Conſtitutione hæc verba leguntur: *Et quo die celebrabitur feſtiuitas Patroni vnius Diœceſis, Religiones omnes teneantur eodem die in ſuis Eccleſijs, intra limites illius Diœceſis exiſtentibus, eandem feſtiuitatem celebrare, & in hoc cum Eccleſia matrice ſe conforment.*

Concil. Trid. Ad hoc etiam facit id quod habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.25.cap. 12. de regul.* vbi hæc verba habentur: *Dies feſti quos in Diœceſi ſua Epiſcopus ſeruandos præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus ſeruentur.* Circa quæ verba Sacra Congregatio Cõcilij Tridentini ſtatuit intelligenda eſſe quoad conciones & lectiones quas ijdem Regulares ad populum habuerint. Et huius declarationis tenorem retulimus *tom.2.verb. Miſſa 4. num. 9.* Sed vt in vtroque tomo præ manibus habeatur, iterum apponimus.

Congregatio Concilij cenſuit decretum, cap. 12. verſic. Dies etiam Feſti ſeſſ. 25. de Regul. ita eſſe intelligendum, vt regularium ritus illis feſtis ſemper permaneat quoad Miſſas celebrandas, & cætera diuina officia tam publicè, quam priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſijs perſoluenda, nec circa hæc ab Epiſcopis quoquomodo quidquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe, quòd ſi de facto præceperint, Regulares ipſi Epiſcopis nequaquam obedire teneri. Verum quoad conciones & Lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Euangelijs, & Epiſtolis, quibus Clerus ſæcularis vtitur illis diebus Feſtis.

Aduertendum hic eſt, quod ſupradicta Conſtitutio Gregor.XIII. non contrariatur Decreto Sacræ Congregationis Conc. Trid. quia Conſtitutio Gregorij loquitur de patrono Eccleſiæ matricis, ſeu Diœceſis: Decretum verò loquitur de alijs Feſtis.

17. Quidam putant eſſe mortale, vel minimum addere vel diminuere de diuino Officio, animo vt in perpetuum ſic duret tanquam pars diuini Officii quod additũ eſt. Ratio eſt, quia licet reſpectu diuini Officii illa ſit minima pars, & leuis additio vel diminutio, non eſt tamen leue, ſed graue illam minimam partem ritui Eccleſiæ quaſi perpetuò addere, vel diminuere, tum ob vſurpatam iuriſdictionẽ, tum ob introductionem noui ritus & cultus. Ita Suarez *lib. 4. de Hor.Canon.cap.13. num. 15.* Fil- Suarez. Filliuc. liucius *tract.23.cap.6.quæſt.11.* Verum licet hæc ſententia ſit probabiliſſima & tenenda: non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens eſſe tantùm peccatum veniale. Paruitas enim materiæ, præciſis aliis circumſtantijs, ſemper a mortali excuſat, vbi illa dari poteſt. Ita Bonacina *de ho-* Bonac. Palaus. *ris Canon.diſp.1. quæſt.3.punct.1. num.21.* Caſtrus Palaus *tom 2.tract.7.diſp.2. punct.2. num.15.* & alij. Certum eſt autem apud omnes, quòd ſi aliquid addatur tanquam aliquid extrinſecum, ſeu concomitanter ad maiorem ſolemnitatem, non eſſe peccatum, vt ſi inter vnum & alterum Pſalmum aliquid canatur ad organũ, quia hoc nullo iure prohibetur: tum quia moraliter loquendo, non eſt alia forma, nec cenſentur illa addi, vt pars diuini Officij, ſed quaſi per accidens.

Quomodo autem ſint recitandæ horæ Canonicæ iuxta præceptum Innocentii III. *in cap. Dolentes, de celebrat.* Innoc. 3. *Miſſar.* diximus ſatis fuſè ſupra *verb. Hora Canonica 2. à num. 7. vſque in finem.* Illud hic tantummodo addam, quòd Canonici, qui tempore diuini Officij ordinariè per notabile tempus & ad omnem occaſionem fabulantur, non excuſentur a graui peccato; tum propter ſcandalum, tum quia lege iuſtitiæ tenentur diuino Officio intereſse. Et quamuis propter receptam conſuetudinem non teneantur per ſe canere, ſed poſſint id per cantores & Capellanos explere; tamen ipſi ſua præſentia debent omnia moderari, vt decore tranſigantur. Vnde tenentur exhibere præſentiam religioſam & decoram. Ideo enim tam ampli fructus conſtituti, vt ſaltem religioſa & graui præſentia ſua diuinum Officium exornent, & decore peragi curent. Neque illos excuſat, quòd priuatim Officium recitent: quia etſi non teneantur in choro canere; tamen non poſſunt ſe liberè à choro abſentare, ſed tenentur ibi præſentiam debito modo exhibere. Non enim fructus recipiunt pro Officio quod domi priuatim legunt, ſed quod publicè exhibent. Tenentur ergo illud congruo modo & cum debitis circumſtantiis obire. Vt rectè monet Leſſius *in reſol. variar. verb. Hora Canonica caſu 13.*

HORÆ CANONICÆ III.

Quo ordine, & tempore ſint recitandæ.

SVMMARIVM.

1 *An horæ Canonicæ ſint recitandæ iuxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum? & an ſit mortale, mutare ordinem horarum.*

2 *An qui in choro aliquid omiſit culpabiliter, aut inculpabiliter, debeat omiſſum repetere, durante officio in choro.*

3 *An ſit peccatum mortale, vel veniale facere ſacrum nondum recitato Matutino.*

4 *Quo tempore horæ Canonicæ ſint recitandæ.*

5 *An licitum ſit recitare Matutinum & Laudes pridie ad Veſperam, vel ante ſolis occaſum.*

6 *An recitantes officium in choro extra horas præſcriptas, peccent mortaliter.*

7 *An peccatum committatur ab eo, qui non recitat officium intra tempus à iure præfixum.*

1 HOræ Canonicæ ſunt recitandæ iuxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum, *cap. Presbyter, diſtinct.* 91. *cap.* 1. *de celebr. Miſſar.* ideò priùs recitandum eſt *Matutinum & Laudes*, deinde *Prima*, *Tertia*, & ſic deinceps: non eſt tamen peccatum mortale mutare ordinem horarum, vt ſi Prima dicatur ante Laudes, vel Veſperæ ante Primam; quia ordo horarum extra chorum, non eſt ſub præcepto, niſi ſecundariò & tanquam circumſtantia minoris momenti; vnde facilè datur iuſta cauſa mutandi, vt ſi quis ab amico, vel à ſuperiore inuitetur ad recitandum Primam, cùm ipſe nondum recitauit Matutinum, poteſt cùm eo Primam recitare, recitando poſtea Matutinum; & qui ad chorum accedit dum canitur Tertia, ſed ipſe nondum recitauit Matutinum & Primam: poteſt dicere Tertiam, cum choro & poſtea alias horas; imò non committitur peccatum mortale ſecluſo contemptu & ſcandalo, dum peruertitur ordo eiuſdem horæ, verbi gratia, dicendo Pſalmum ante Hymnum, aut vnum Pſalmum ante alium; & ſi hoc fiat ex iuſta cauſa, poteſt excuſari ab omni peccato: mutatio tamen ordinis in recitatione publica, ob ſcandalum & offenſionem populi, videtur eſſe peccatum mortale, quia grauior contemptus præcepti Eccleſiaſtici exiſtimatur. Azorius *lib* 10. *cap.* 30 *quæſt.* 2. Graffijs 1. *part. lib.* 2. *cap.* 30. Toletus *lib.* 2. *cap.* 13. Nauarrus *de orat. cap.* 21. Filliucius *cit. cap.* 8. *q.* 8. Sà *v. Hora num.* 8. Suarez *cit. cap.* 11. *num.* 7. Diana *de hor. reſol.* 16 *part.* 2. & alij.

Azor. Graffij. Toletus. Nauarr. Filliuc. Sà Suarez. Diana.

2. Qui in choro aliquid omiſit culpabiliter, aut inculpabiliter, non debet omiſſum repetere, durante officio in choro, ſed potiùs debet illud reſeruare, poſt expletum Officium, aut non debet illius rationem habere, ſi pars exigua ſit & parua. Ratio eſt, quia cùm totius chori ſit actio vna, chorus ſupplere cenſetur pauculum, quod à particulari ex aliqua infirmitate omittitur: vnde à repetitionibus prohibendi ſunt, qui moroſè & ſcrupuloſè dimiſſo vno, aut altero verſu, illos incongruè repetunt & continuationem ſuam in choro interrumpunt; item qui inter recitandum aduertit ſe aliquid omitiſſe, poteſt proſequi vſque ad finem, & poſtea dimiſſum recitare: item qui aliquem Pſalmum vel aliquam horam ex obliuione omiſit, non tenetur iterum recitare totum Officium, vt Pſalmum vel horam ſuo loco & ordine dicat, ſed ſatisfacit ſupplendo omiſſum. Filliucius *tract.* 23. *num.* 199. Nauarrus *cap.* 15. *num.* 5. Vaſquez *de benef. cap.* 4 §. 1. *art.* 2. *dub.* 4. *num.* 67. Angelus *v. Hora num.* 18. et alii.

Filliuc. Nauarr. Vaſquez Angel.

3. Iuxta communiorem ſententiam Suarez *cit. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 6. Leſſius *cit. num.* 81. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 5. Filliucius *cit. cap.* 7. *q.* 6. Bonacina *cit punct.* 4. *q.* 4. *n.* 11. Diana *tract. de celebr. Miſſar. reſ.* 36. *part.* 2. et aliorum multorum, non eſt peccatum mortale facere Sacrum nondum recitato Matutino, quia nihil iure de hoc præceptum, nec conſuetudo contraria eſt recepta ſub peccato mortali, non enim eſt vlla neceſſaria connexio, aut dependentia ſacrificii ab illis precibus, vt idcircò debeant præcedere.

Suarez. Leſſius. Henriq. Filliuc. Bonac. Diana.

Sed dubium eſt, an ſaltem ſit peccatum abſque cauſa, veniale, miſſam priuatam dicere, ante dictum priuatim Matutinum: Sotus *de iuſt. lib.* 10. *quæſt.* 5. *art.* 4. *& in diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. docet nullum eſſe peccatum, nec veniale quidem, ex eo fundamento, quòd neque hæc conſuetudo eſt certa, ſiue ſit generalis, ſiue particularis alicuius verbis, loci, aut diœceſis, neque materia eſt grauis, neque conſtat de præcepto aliquo, ergo non apparet vnde peccatum veniale ſit. Ita etiam Suarez 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 82. *ſect.* 1. §. *Ex his verò*.

Sotus. Suarez.

Nihilominus, quia in Miſſali inter defectus Miſſæ numeratur hic, videlicet, ſi celebrans non dixit Matutinum cum Laudibus, dicendum eſt, eſſe peccatum veniale, ſi abſque cauſa id fiat, & Sacerdos Matutinum commodè recitare prius poſſit; ſi enim defectus eſt, peccatum eſt. Cauſa autem ſufficiens ad excuſandum ab hoc peccato veniali, eſt, ſi inſtet tempus conſuetum, quo ſolet quis Miſſam dicere. Si populus vel aliqua perſona grauis expectet, vt Miſſam audiat: Si modò commodè poteſt, & poſtea non poterit tam commodè, ſi modò maiorem ſentit deuotionem, & aliàs non ſentiet, &c. Vide Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 17 *num.* 23. & 24.

Fagund.

4. Tempus horas Canonicas recitandi incipit à media nocte antecedentis diei, & perſeuerat vſque ad mediam noctem ſequentis incluſiuè, *cap. Dolentes, de celeb. Miſſar.* quia diuinum officium ſingulis diebus recitandũ eſt; dies autem, iuxta communem Eccleſiæ vſum, incipit à media nocte antecedentis diei, vſque ad medium ſubſequentis: in officio publico ſeruanda eſt conſuetudo recepta; in priuato etſi laudabile ſit vt ſingulæ horæ ſuis temporibus & interuallis recitentur, tamen ad vitandũ peccatum mortale, ſufficit vt dicantur eo interuallo, quod eſt inter medium noctis præcedentis et ſequentis, quia ſic adimpletur præceptum quoad ſubſtantiam, quamuis fortè non adimpleantur quoad horam à ſacris canonibus præſcriptam: vnde qui intra horis temporis ſpatium recitauit differendo, aut recitando ante horam præſcriptam, non tenetur repetere; quia ſubſtantia præcepti adimpleta eſt; peccatum tamen veniale erit inuertere tempus abſque cauſa Azorius 1. *p. lib.* 20. *cap.* 9. *quæſt.* 7. 8. Nauarrus *de orat. cap.* 3. *n.* 9. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 179. Leſſius *cit. dub.* 12. *n.* 78. Filliucius *cit. num.* 266. Diana *de horis reſ.* 14.

Azorius. Nauarr. Reginal. Leſſius. Filliuc. Diana.

5. Ex conſuetudine licitum eſt, recitare Matutinum & Laudes pridie ad Veſperam: imò etiam ante ſolis occaſum, nempe poſt tempus veſperarum & Completorii: paruæ autem horæ non poſſunt dici pridie, ſed ſolùm poſt mediam noctem: & qui illas ante recitaret pro ſequenti die, non ſatisfaceret præcepto, quia non recitat intra tempus ab Eccleſia præſcriptum; nota tamen, quando Matutinum veſperi dicitur, Laudes differri poſſe vſque in ſequentem diem; quia antiquitus vſu receptum erat, vt prope auroram recitarentur ſeparatim à nocturnis. Diana *cit. reſ.* 39 Toletus *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7. Suarez *cit. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 9. Azorius *cit. cap.* 9. *quæſt.* 3. Leſſius *cit. num.* 79. Nauarrus *de orat. cap.* 5. *num.* 28. & alii.

Diana. Toletus. Suarez. Azorius. Leſſius. Nauarr.

6. Plurimi Doctores apud Suarez *cit. cap.* 25. *n.* 11. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 180. Filliucius *cap.* 6. *q.* 12. ſentiunt recitantes officium in choro, extra horas præſcriptas, peccare mortaliter, nec ſatisfacere obligationi, qua tenentur in choro certis diei horis officium perſoluere. Quia ex *cap.* 1. *de celebr. Miſſ.* conſtat certis horis diei recitandum eſſe diuinum officium ſub pœna excõmunicationis. Alii tamen, vt Valentia *tom* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. Caietanus *in Summ. verb. Hora cap.* 4. cenſent præciſo ſcandalo, aliaue circumſtantia ſatisfacere præcepto quoad ſubſtantiam, & conſequenter non peccare mortaliter; quia circumſtantia temporis non videtur per ſe loquendo materia magis grauis, quàm ſit circumſtantia ordinis; & primariò non cadit ſub præceptum officii, ſed ſecundariò: vnde cùm adeſt aliquod legitimum impedimentum, poſſet etiam publicè in Eccleſia poſtponi, vel anticipari diuini Officii recitatio, puta ob proceſſionem, vel magnam ſolemnitatem, vel metum hoſtium inuaſionis, aut inſignem aliquam concionem, vel alicuius magni Principis aduentum, vel alias huiuſmodi

Suarez. Reginal. Filliuc. Valencia Caiet.

cauſas,

causas, quæ à Doctoribus ponuntur. Hæc autem anticipatio, aut postpositio fieri debet Superioris auctoritate, vt monet Nauarrus *de orat. cap. 3. num. 56.* Nauarr.

7. Probabile est, per se loquendo, nullum peccatum committi ab eo, qui non recitat officium intra tempus à iure præfixum, seruata loci consuetudine; nam consuetudo derogare potest iuri, vnde consuetudo legitimè introducta potest seruari. Suarez *de relig. lib. 4. cap. 27. num. 7.* Azorius *lib. 10. cap. 9. quæst. 2.* Suarez. Azorius.

Sed petes, quæ tempora dicantur destinata lectioni priuatæ? Resp. Matutinum solere legi ab hora qua laudabiliter surgimus, vsque ad horam decimam antemeridianam: (nullus enim tenetur Vesperi legere Matutinum sequentis diei, licet morbum occupationesve præuideat) Minores horæ solent dici ante meridiem; vesperæ etiam in Quadragesima ante meridiem, exceptis Dominicis: aliàs à meridie in occasum, & hinc ad mediam noctem Completorium. Ita communiter legunt, qui putant se debere horas determinatas obseruare.

Dubium autem est, an infirmus, vel habens excusabilem occupationem, qui non potest recitare horas statutis temporibus, teneatur postea illas recitare? Negatiuā sententiam probabilem esse tenet Diana *p. 7. tract. 11. res. 14.* Caramuel *in reg. D. Benedicti n. 1442.* nam defenditur à grauibus auctoribus, & habet fundamenta probabilia, licet contraria sint probabiliora: vnde hęc opinio, inquiūt, est tuta in praxi; consulenda ægrotis, iter agentibus & hominibus valdè impeditis ob negotia occurrentia horis determinatis: Ægrotus ergo qui quartana laborat nec tenetur tempus præuenire, nec tenebitur legere horam aliquam eo tempore, quo non consueuerit legi. Rationē reddit Candidus citatus à Diana; quia licet totus dies signetur tanquam tempus omnium horarum illius diei, atque adeò si solùm attendamus ad substantiam præcepti, possent omnes horæ mane recitari, tamen quantum ad conuenientiam, & vt deuotiùs & meliùs adimpleatur præceptum, quædam horæ signantur ab Ecclesia mane recitandæ, quædam verò vesperi; ergo esset nimis rigorosum obligare homines ad recitandas omnes preces horarias mane, quando futurum impedimentum præuidetur ex ratione alicuius infirmitatis. Hæc sententia est à Doctoribus dijudicanda, quam ante docuerat Raynaudus apud eundem Dianam *part. 3. tract. 14. res. 46.* Diana. Caram. Diana.

SVPPLEMENTVM.

HORÆ CANONICÆ III.

Quoad tempus & locum, vbi debeant recitari.

SVMMARIVM.

1 *An satisfaciat præcepto, qui pridie recitat officium pro sequenti? Et qua hora possit dici Matutinum.*
2 *An Matutinum possit diuidi à Laudibus? An Nocturna possint separatim recitari.*
3 *An vsus cantandi horas Canonicas in Ecclesia laudabilis sit? Et quid de vsu Organorum, &c.*
4 *An Ecclesiæ Cathedrales & Collegiatæ obligentur ad horas in choro canendas.*
5 *An Ecclesiæ regulares etiam ad id teneantur.*
6 *An Prelati Religionum teneantur ad chorum.*
7 *An Ecclesiæ Parochiales teneantur horas Canonicas in choro persoluere.*

1 NOn satisfacit præcepto, qui pridie recitat officium pro sequenti die, excepto Matutino Officio. Probatur, quia non recitat intra tempus ab Ecclesia præscriptum. Est enim obligatio recitandi Officium affixa diei, quæ non potest adimpleri ante Aduentum illius diei: cùm ante illum diem nondum adsit obligatio. Ita communiter Doctores.

Matutinum autem & Laudes recitari possunt ab hora quarta post meridiem. Imò ab hora tertia, secundùm Gauantum *in Comment. Rubric. Missal. tom. 2. sect. 1. cap. 5. tit. 6. num. 6.* Henriquez *lib. 9. cap. 24. num. 7. littera P.* Quod si quis legeret hora secunda, probabiliter satisfaceret præcepto, nec peccaret mortaliter, licet quis nondum recitasset Vesperas & Completorium diei hodiernæ, quia illa peruersio horæ non videtur grauis, & horarum ordinem absque causa peruertere, vnde tantum est veniale, vt docet Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 37.* qui notat hanc sententiam tenere etiam aliquos recentiores. Quamuis doceant alij, necesse esse, vt possint recitari Matutinæ preces diei sequentis, quod sint iam recitatæ Vesperæ & Completorium diei præcedentis, quia non videtur incipere dies sequens hodie Vespere, nisi pensum horarum hodiernum sit iam integrè persolutum. Vide Bonacinam *de Hor. Canon. disp. 1. quæst. 3. punct. 3. num. 15.* qui sententiæ Sanchez adhæret, citans pro ea Nauarrum, Reginaldum, Vasquez, Suarez, & alios. Gauant. Henriq. Sanch. Bonac. Nauarr. Reginal. Vasq. Suarez.

Nunnulli recentiores ponunt hanc regulam generalem pro tempore recitādi Matutinum & Laudes sequentis diei, dicentes: *Hora congrua recitandi Matutinum cum Laudibus, est, cum sol magis distat à meridie, quàm ab occasu.* Vnde in hyeme, id est, Nouembri, Decembri, Ianuario, & Februario, tempus recitandi Matutinum coincidit cum hora secunda, & dimidia circiter horologij solaris, in partibus eleuationis poli borealis, seu Arctici gradum 49. 50. & 51.

In æstate, id est, Maio, Iunio, Iulio, & Augusto, cum hora quarta & dimidia. In Vere & Autumno cum hora tertia & dimidia circiter. Ad anticipandum autem Matutinum modo prædicto, quælibet causa sufficit, qualis est maior commoditas studij, lux diei, & maior securitas anticipandi.

2. Vsu iam receptum est vt Matutinum simul cum Laudibus persolui possit in Vesperis antecedentis diei, cùm vnam horam constituant. Laudes verò differri possunt vsque in sequentem diem: quia olim vsu receptum erat vt propè auroram recitarentur separatim à nocturnis, vt colligitur ex *cap. 1. de celebratione Missarum*, & docent Nauarrus *de oratione cap. 3. num. 28. & 64.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 6. num. 9. & cap. 24. num. 9.* & alij communiter. Imò probabiliter dici potest nocturna posse separatim recitari, saltem intra spatium trium horarum præsertim iusta concurrente causa. Quia sic antiquitus fiebat, iuxta quorundam Doctorum sententiam: tum quia interruptio Officij diuini iusta ex causa excusari potest à peccato. Ergo inter nocturna diuini Officij non videtur adesse tanta connexio, quin iusta aliqua de causa seorsim ab alijs licitè recitari queant: tunc autem appositè recitanda esset oratio in fine nocturni: & in principio alterius *Pater & Aue*. Quando autem Matutinum separatur à Laudibus & fit quasi diuersa hora, dicenda est oratio in fine nocturni, & consequenter *Pater noster*, iuxta regulas Breuiarij & vsum Romanæ Ecclesiæ in nocte Natiuitatis, & consequenter quando inchoantur Laudes, præmittenda est oratio Dominica, & Angelica, vt in alijs horis. Ita Nauarrus *de oratione cap. 3. num. 64.* Filliucius *tract. 23. num. 111.* Quamuis Azorius & alij asserant hoc non esse necessarium, licet laudabiliter fieri possit: quia de hac re nullum extat præceptum, licet in nocte Natiuitatis fiat. Tum quia idem dici posset, dum reliquæ Officii partes aliqua de causa interrumpuntur, quod nullus hactenus docuit, vt aduertit Bonacina *de Horis Canonicis, disput. prima, quæst. tertia, punct. 3. num. 14.* cum Gauantu *in rubr. Breuiar. sect. 4. cap. 2. num. 4.* Nauarr. Suar. Nauarr. Filliuc. Azorius. Bonac. Gauant.

3. Vsus recitandi horas Canonicas in Ecclesia cum cantu laudabilis est. Contra nonnullos hæreticos præcipuè Vualdenses & Vviclefum, qui damnarunt cantum in publicis horis. Sed propositio colligitur ex Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 18.* vbi præcipit, vt pueri in seminarijs erigendis, *tonsura statim, atque habitu clericali vtantur; grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discant.* Non alio sanè fine, nisi vt Ecclesiæ per cantum suum inseruire possint. Accedit traditio & consuetudo ab initio Apostolorum, Concil. Trid.

lorum, & ratio confirmat. Quia talis orandi modus nil habet contra rationem nec vlla extat de eo prohibitio; imo multas habet adiunctas vtilitates: nam *tristia corda consolatur, grauiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta inuitat*, vt benè D. Isid. Isidorus *lib. 3. sentent. cap. 7.* Tum quia facilius & libentius Deo persoluuntur Laudes, si quadam cantus suauitate officium condiatur. Tum quia nobis adest exemplum Sanctorum Angelorum, qui Christo nato laudabant Deum & dicebant, *Gloria in altissimis Deo.* Lucæ 2. Imò & ipsius Christi, qui Matthæi 26. *Hymno dicto exijt in montem*; Hymnum enim non simpliciter fuisse recitatum, sed decantatum facilè colligi potest ex D. Augustino in Psalm. 72. scribente quod D. Aug. *Hymni cantus sunt continentes Laudes Dei. Si sit laus, & non sit Dei, non est Hymnus. Oportet ergo vt si sit Hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei & Canticum*, siue vt in laudem Dei Isidor. dicatur & canatur, vt habet Isidorus *lib. 6. Originum*, D. Tho. *cap. 19.* vide D. Thomam 2. 2. *quæst. 91. art. 2.* Syluium *ibid.* Syluius. & alios commentatores.

Ex quibus colligitur cantum Ecclesiasticum, neque esse per se malum, nec prohibitum iure Ecclesiastico. Quamuis magna cura habenda sit cantus Ecclesiastici, tum eius qui planus, seu Gregorianus dicitur; tum eius qui postea in Ecclesiam est introductus, & vocatur figuratus, siue harmonicus, ne quis siue cantans, siue cantantes audiens, cantu abutatur ad vanitatem, fastum, aut ad aliquam sæcularem delectationem suam, vel aliorum: quæ cura maximè ad Episcopos pertinet ex decreto Concilij Tridentini quod extat *sess. 22. post Canones*, vbi dicitur, *Ab Ecclesijs vero musicas eas, vbi siue organo, siue cantu lasciuum, aut impurum aliquid miscetur, &c. arceant, vt domus Dei verè domus orationis esse videatur ac dici possit.* Ex quo patet quod Concilium non arcet ab Ecclesijs vel musicam, organa vel moderatum vsum instrumentorum musicorum, sed musicas eas, vbi lasciuū, Caiet. aut impurum aliquid misceatur. Vide Caietanum *in Sum.* Valentia *verb. Organorum vsus.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 9.* Suarez Suarez. *lib. 4. cap. 8.* Bonacinam *de hor. Canon. disput. 2. quæst. 1.* Bonac. *punct. 3. num. 1. & 2.*

4. Ecclesiæ Cathedrales, siue Collegiatæ obligantur, vt in choro quotidie Officium diuinum recitetur, cum solemnitate horas Canonicas cantando. Probatur ex *Clement. 1. de celebr. Miss.* vbi dicitur, *Nec non vt in Cathedralibus, regularibus, & Collegiatis Ecclesijs horis debitis deuotè psallatur.* Ratio est, quia hæ sunt principales Ecclesiæ institutæ in hunc finem, vt habet vniuersalis Ecclesiæ consuetudo. Tamen in Collegiatis, in quibus tenues reditus habentur, consuetudine immemorabili, vel saltem sufficienter præscripta, induci potuit, vt Canonici non teneantur, singulis saltem diebus horas publicè canere: quia ratio dictat, vt onus minuatur, vbi tenuissimum est stipendium: & quamuis iure naturæ seruanda sit beneficij institutio & voluntas testatoris, nihilominus legitima Superioris facultate in ea dispensari, & consuetudine sufficienter præscripta, quæ priuilegij præsumptionem inducit, ei derogari ex iusta causa potest, nam iusta causa turpitudinem contra ius naturæ auferre potest. Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 10. num. 5. & 6.* Suarez. *& cap. 12. num. 13.* Caietanus *verb. Hora.* Filliucius *tract.* Caietan. *23. num. 129.* Filiuc.

5. Ecclesiæ regulares sunt etiam obligatæ ad officium canendum in choro, iuxta cuiusque consuetudinem & institutum: nam etiam Ecclesiæ regulares connumerantur cum Cathedralibus & Collegiatis *in Clement. 1. de celebr. Miss.* Dixi *iuxta cuiusque institutum*, quia religiosi non tenentur ad officium in choro cantandum ratione proprij beneficij, cùm id non habeant. Neque propterea quòd viuant ex eleemosynis, vel bonis Ecclesiasticis, quia non dantur cum hac conditione; ideò tota hæc religiosorum obligatio ex peculiari cuiusque Ecclesiæ instituto & consuetudine pendet, cum nullum sit ius Canonicum vniuersaliter obligans ad id religiosos.

Hæc autem obligatio publicè in choro recitandi horas, præcipuè spectat ad Prælatos, & Superiores præfatarum Ecclesiarum respectiuè, secundario verò ad eos, quibus ex officio incumbit. Prima pars nota est ex Clementina supradicta, vbi verbis grauissimis hoc onus iniungitur prædictis Prælatis, vt diligentem habeant curam, quod in suis communitatibus hoc pensum soluatur. Quapropter in his Prælatis vix poterit in hac parte reperiri negligentia leuis: quia in ordine ad communitatem ferè semper quæcumque est grauis. Secunda pars probatur ex eo, quod non potest consistere obligatio in communitate, nisi aliquo modo personas eiusdem communitatis tangat, vide dicta supra *verb. Hora Canonica 1. n. 8.*

Nihilominus quidam recentiores existimant obligationem recitandi horas Canonicas in choro non afficere per se, & directè sigillatim singulos religiosos, sed totam communitatem. Ex quo inferunt, regulares non peccare mortaliter, qui ex consuetudine non recitant horas in choro quando nullum chorus ex eorum absentia patitur detrimentum. Ita Pellizzarius *in Man. tract. 5. cap. 8. n.* Pellizz. *15.* Diana *p. 3. tract. 2. res. 18.* Caietanus *in Summ. verb.* Diana. *Hora Canonica*, vbi ait, Quando cōtempus deest, & pro- Caiet. pter meam absentiam non notabiliter læditur diuini cultus officij, & Prælati dissimulant, parum de ijs, quæ Dei sunt, curantes, non incurro mortale peccatum, ex hoc quod desum horis Canonicis in Ecclesia mea, quia contra præceptum iuris positiui propriè non venio, nec notabile damnum infero diuino cultui. Grauiter tamen pecco, si sine rationabili causa me debitis horis subtraho, quia grauis est ratio diuini debiti. Ita Caietanus. Vnde Ioannes Caramuel *in Theol. reg. disp. 101. n. 1320.* sic ait: Cō- Caram. munitates teneri sub peccato graui legere diuinum officium asserunt Auctores communiter, nullum legi qui asserat contrarium, nullum, qui hanc obligationem demonstret, ne igitur singularis videar, supponam ex communi sententia, non posse communitatem aliquam Benedictinam omittere officium diuinum sine culpa mortali. Ita ille.

Contra hanc communem sententiam stat solus nouissimè Marcus Vidal *in Arca vitali tit. de horis Canon. In-* M. Vidal *quisit. 1.* dicens Regulares ex professione deputatos ad chorum non obligari quotidie recitare, aut canere publicè in choro horas Canonicas, neque ex vi generalis legis Pontificiæ, neque ex vi Canonici iuris, neque ex consuetudine habente vim legis, neque ad vitandum scandalū. Sed quia eius opinio est singularis, ideò reijcitur & improbatur à Diana *p. 10. tract. 14. res. 3.* quia opiniones istæ Diana. singulares in rebus moralibus contra receptas Ecclesiæ consuetudines, vel communes Doctorum sententias, ferè semper malè olent & passim naufragare videmus. Rectè itaque Baldus *cons. 112. lib. 3.* ait, quod qui contra Baldus. omnes loquitur, non benè loquitur.

6. Prælati Religionum peculiari obligatione tenentur habere curam, vt chorus sicut par est frequentetur, sed ad sui præsentiam personalem, non tenentur præcepto id directè præcipiente, sed ob circumstantiam personæ, & propter aliorum exemplum intra obligationem regulæ magis tenebuntur, quàm cæteri: quamuis ex alia parte propter plures & grauiores occupationes sæpius à sequela chori, etiam magis quam cæteri excusabuntur. Meminerint tamen Prælati Decreti piæ memoriæ Clementis Clem. 8. VIII. Pontificis Sanctissimi, quod edidit pro reformatione regularium anno 1599. die 25. Iulij, vbi habentur hæc verba §. 36. *Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint & consueuerint regulas Ordinis & Constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium chori, ac vestitum & victum communem.* Negari enim non potest, quin præsentia Prælati multum conducat ad ritè persoluendum diuinum Officium: qui defectus contingentes, absentias subditorum obseruare potest, &c.

7. Quamuis in Ecclesijs Parochialibus de iure communi *cap. 1. de celebr. Missar.* videatur esse obligatio de recitando quotidie officio diuino: hæc tamen obligatio, cùm sit de iure Ecclesiastico, potuit contraria consuetudine auferri, & introduci mos canendi tantùm Missam ante prandium & Vesperas post prandium, idque tantùm in diebus Festis, vt etiam diximus supra *v. Hora Canonica 4. num. 4.* cum Doctoribus ibi citatis.

HO-

HORÆ CANONICÆ IV.

Quo in loco,& quo corporis habitu horæ sint recitandæ.

SVMMARIVM.

1 *An clerici choro deputati persoluere debeant horas canonicas in Ecclesia iuxta institutionem beneficiorum & consuetudinem?*

2 *An horas Canonicas vbique recitare possint, qui ad chorum seu ad officium in Ecclesia persoluendum deputati non sunt?*

3 *An Episcopus teneatur ad recitandas horas cum alijs in Ecclesia?* Refertur duplex sententia.

4 *An Parochi teneantur ad horas Canonicas publicè in choro persoluendas per se, vel per substitutos?*

5 *An ritus recitandi officium priuatim sedendo cũ standum est, sedẽdo dum genuflectendũ est, sit in præcepto?*

1. OMnes clerici choro deputati persoluere debẽt horas Canonicas in Ecclesia, iuxta institutionem beneficiorum & consuetudinem, nisi aliud cogat necessitas, consuetudo, vel fundatoris institutio, *Clem. 1. de celebr. Missarum*, quia quilibet stare debet intentioni fundatoris: vnde Canonici aliive beneficiarij, qui diuinum Officium in choro recitare debent, non possunt percipere distributiones, quæ conferuntur canentibus in choro, nisi officium in Ecclesia publicè persoluant; quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. Reginal. *lib. 18. n. 178.* Suarez *cit. cap. 27. n. 2.* Nauarrus *c. 10. n. 47.*

Reginal. Suarez. Nauarr.

2. Illi qui ad chorum seu ad officium in Ecclesia persoluendum deputati non sunt, horas Canonicas vbiq; recitare possunt; quia nullum ius reperitur, quo, per se loquendo, astringantur ad diuinum Officium priuatim in Ecclesia vel in alio particulari loco recitandum: pro reuerentia tamen diuini cultus, recitari debent in loco decenti, vbi non impediatur attentio, alioquin recitantes exponunt se periculo non satisfaciendi præcepto. Valentia *tom. 3. disp. 9. q. 2. punct. 10.* Azorius *c. lib. 10. c. 11. qu. 8.* Nauarrus *de orat. c. 21. n. 31.* & alii.

Valentia. Azorius. Nauarr.

3. Quidam summistæ volunt, Episcopum teneri ad recitandas horas Canonicas cum aliis in Ecclesia. Angelus *v. Hora n. 28.* Tabiena *ibid. n. 29.* Syluester *ibid. qu. 10.* quia ipse principalem in Ecclesia sua locum tenet, ergo par est, vt cæteris exemplo præsit choro assistendo, dum hoc illi per tempus & negotia licet; sed iuxta veriorẽ D. Thomæ *2. 2. q. 91. art. 1. ad 3.* Filliucij *cit. c. 4. qu. 8.* Suarez *lib. 4. cap. 10. nu. 13.* & aliorum sententiam, dicendum videtur, Episcopum per se loquendo, non teneri loco interesse, etiam diebus Dominicis aliisque festis diebus; quia vsu & consuetudine receptum videmus, vt Episcopi ad chorum, ordinariè loquendo nõ accedant: Quamquam Episcopus aliquando debet & tenetur choro assistere, quãdo scilicet, id exigit ratio sui muneris adimplendi, aut vitandi scandali, aut exempli, aut alterius circunstantiæ.

Angelus. Tabiena. Syluest. D. Tho. Filliuc. Suarez.

4. Parochi de consuetudine ferè vniuersali & communiter recepta, non solùm per se ipsos non tenentur ad horas Canonicas publicè in choro persoluendas, verùm, neque per sustitutos singulis diebus, imò neque diebus festis, exceptis vesperis, aut Missæ sacrificio, quod aliquibus diebus festis & dominicis solemni ritu persoluitur & celebratur. Filliucius *tract. 23. c. 4. q. 6. num. 131.* Suarez *c. num. 4. & 11.*

Filliuc. Suarez.

5 Horas Canonicas recitare priuatim sedendo, cùm standum est, aut stando vel sedendo, dum genuflectendum est, per se loquendo, non est peccatum; quia ritus recitandi officium hoc modo, non videtur sub rigore præcepti, sed solùm maioris deuotionis gratia receptus, saltem in priuata oratione: in publica verò facilè fieri potest, vt aliqua culpa interueniat, pro ratione circunstantiæ communicantis actui malitiam, puta, quia rubricas non obseruat, aut parui pendere videtur diuina mysteria. Ita Toletus *lib. 2. c. 13. n. 2.* Filliucius *c. n. 265.* Suarez *cit. c. 27. n. 2.* Reginaldus *lib. 18. n. 178.*

Toletus. Filliuc. Suarez. Reginal.

HORÆ CANONICÆ V.

Quale peccatum sit omissio horarum, & de fructibus restituendis.

SVMMARIVM.

1 *An mortaliter peccet adstrictus ad horas Canonicas, si eas non recitet, aut partem illarum notabilem omittat?* Refertur duplex sententia.

2 *Quanam omissio sit materia sufficiens ad mortale peccatum?* Refertur duplex sententia.

Et an adsit obligatio priuatim recitandi Litanias in diebus Rogationum? Refertur duplex sententia.

3 *An clericus, qui ratione ordinis sacri & beneficij horas Canonicas recitare tenetur, plura specie peccata committat illas omittẽdo?* Refertur duplex sententia.

4 *An prætermittens aliquo die omnes horas Canonicas tot numero peccata committat, quot sunt horæ omissæ?* Refertur duplex sententia.

5 *An beneficiarij teneantur ante sententiam iudicis ad restitutionem fructuum, pro rata omissionis officij?*

6 *An beneficiarius omittens officium primis sex mensibus peccet grauiter, & teneatur ad restitutionem & an qui pensum diuini officij alio die persoluit loco officij aliàs omissi, teneatur ad restitutionem?* Refertur duplex sententia.

7 *An ex leuis partis officij omissione consurgat obligatio restituendi.*

8 *An qui sæpius partem notabilem diuini officij omisit, teneatur sub mortali ad restitutionem?*

9 *An teneatur ad restitutionem qui diuinum officium recitauit absque attentione?* Refertur duplex sententia.

10 *An qui horas omnes vno vel pluribus diebus intermisit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus respondẽrent, restituere teneatur?*

11 *An restitutio ob omissionem horarum Canonicarum facienda sit fabricæ beneficij, vel pauperibus?*

12 *An pensionarius qui paruum officium B. Virginis prætermisit, teneatur fructus restituere fabricæ vel pauperibus?*

13 *An beneficiarius omittens horas, liberetur à restitutione propter eleemosynas liberaliter factas?*

1. MOrtaliter peccat, qui ad horas canonicas tenetur, eas non recitando, aut partem illarum notabilem omittendo; quia violans præceptum in re graui, peccat mortaliter: hæc est sententia communis, contra Angelum, Arragonium, Rodriguez & alios existimantes eum, qui semel aut bis omittit officium ex negligentia, & non ex contemptu, non peccare mortaliter. Lessius *lib. 2. cap. 37. numer. 52.* Azorius *lib. 10. cap. 14.* Filliucius *citat. cap. 7. quæst. 10.* & alij.

Lessius. Azorius. Filliuc.

2. Magna controuersia est inter Doctores, in assignãda & constituenda materia sufficiente ad mortale peccatum; quia Nauarrus *cap. 25. num. 68.* Azorius *cit. cap. 7. quæst. 3.* & alij existimant, omittentem tertiam horæ partem, mortaliter peccare, quia tertia pars horæ videtur esse pars notabilis respectu illius horæ. Suarez *cap. 25. num. 15.* Reginaldus *citat. num. 143.* Rodriguez *cap. 140. num. 27.* Filliucius *cit. num. 246.* putant medietatem horæ paruæ, non verò tertiam partem esse materiam notabilem: quia quantitas notabilis non solùm pensanda est per ordinem ad id, cuius est pars, verùm etiam secundùm se. Bonacina *quæst. 5. part. 1. numer. secundo,* Lessius *cit. numer. 52.* Vide Dianam *part. 2. de horis resol. 4. & part. 5. tract. 5. resolut. 26.* arbitrantur, probabiliter dici posse horam esse materiam grauem, non verò tertiam partem, vel medietatem horæ paruæ; quia infra horam paruam, secundùm se, videtur modica & leuis, & consequenter non sufficiens ad peccatum mortale. Imò Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 2. part. 6. difficult. 3. num. 5. cap. 12.* arbitratur, omissionem vnius integræ horæ, non esse lethale. Ratio est, quia singulis diebus vnicum

Nauarr. Filliuc. Suarez. Reginal. Rodrig. Filliuc. Bonac. Lessius. Diana. Marchi.

cum tantummodo vrget præceptum; sed omissio vnius horæ est parua materia comparata ad integrum officium diuinum: ergo hæc tamen sententia ab alijs non admittitur vt probabilis. Dicendum ergo est respectu totius officij grauem materiam æstimari quamlibet horam, & in matutino, quemlibet Nocturnum: Ratio prioris est, quia inordinatio & grauitas materiæ respectu totius officij, nõ verò respectu singularium partium expendenda est; cùm omnea horæ simul vnius diei officium constituant & cõpleant. Cuius cùm singulæ horæ partes notabiles constituant, rectè vnius horæ defectus notabiliter officiũ mutilare æstimatur. Ratio posterioria est, cùm enim vnus nocturnus fuerit materia vnius stationis in nocte apud antiquos Christianos, notabiliter censeretur officium diuinum detruncasse, qui vna statione illud destituisset. Verũ his non obst:ntibus, sententiæ Marchini nouissimè adhęret Iacobus Marchantius *in res. Pastor. p. 2. tr. 7. c. 2. qu. 1.* Marcãt.

An autem quis teneatur priuatim recitare Litanias in diebus Rogationum, & S. Marci si non adsit in choro, siue in processionibus, affirmant Tannerus, Gauantus, Bonacina, Suarez: negant Vasquez, Molfesius apud Dianam *de hor. canon. res. 42. & part. 4. tract. 4. res.* 226.

Sed affirmatiua sententia est omninò tenenda; tũ quia sunt pars officij illius diei: tum quia Rubrica breuiarij Romani sic habet. *Qui non intersunt processionibus Rogationum, priuatim post laudes dicant litanias cum suis precibus & orationibus sine psalmi pœnitentialibus.* Illa autẽ verba præceptum continent, vt tenor eorum indicat, & communis sensus Doctorum tenet: tum quia bulla Pij V. breuiario apposita, non excipiuntur litaniæ, sicut excipiuntur alij psalmi, ergo signum est, quòd earum obligationem non sustulerit, sed in suo pristino vigore reliquerit: vt doctè resoluit etiam Syluius in resolutionibus suis *v. Rogationes, quæsit. 6. part.* 1.

2. Clericus, qui ratione ordinis sacri beneficij horas canonicas recitare tenetur, plura specie peccata committit: illas omittendo: vnum, scilicet, contra obligationem ordinibus adnexam. Alterum cõtra obligationem ex beneficio consurgentem, quia tot suos specie peccata, quot sunt virtutes, quæ violantur: hic autem non solùm violatur virtus religionis, verùm etiam læditur iustitia, ratione beneficij: vnde pœnitens, qui diuinum officium prætermisit, tenetur in confessione aperire titulos suæ obligationis; an videlicet, teneretur horas recitare ratione beneficij, & ordinis sacri. Ita Sanchez *de matr. lib. 9. disp. 15. n. 6.* Suarez *c. lib. 4. c.* 13. Bonacina *c. n.* 3. quamuis Henriquez *lib. 12. cap. 12. nu.* 3. Azorius 1. *part. libr. 4. c. 1. qu. 6.* Diana *c. resol.* 22. putent vnicum tantum esse peccatum.

Sanchez. Suarez. Bonac. Henriq. Azorius. Diana. Lessius. Tabiena

Quidam Doctores, vt Lessius *lib. 2. c. 37. dub. 9. num.* 53. Tabiena *v. hora qu.* 18. sustinent prætermittentem aliquo die omnes horas canonicas, tot numero peccata committere, quot sunt horæ omissæ, quia singulæ horæ sunt distinctæ orationes, distincta officia, distinctis temporibus Deo soluẽda, ad quorum singula obligamur sub peccato mortali, ergo singulorum omissio, est distinctum peccatum mortale: Aliorum tamen sententia verior & probabilior est, vnum numero peccatum omissionis in die committi, quamuis fieri possit vt plura numero peccata interna, ratione actuum voluntatis moraliter interruptorum, committantur: Ratio prioris est, quia volitio, qua quis vult integrum officium vno die omittere, est vnum numero peccatum, modò actus voluntatis moraliter non interrumpatur, ergo etiam ipsa omissio est vnum numero peccatũ. Ratio posterioris est, quia tot sunt peccata quot sunt actus peccaminosi interni moraliter interrupti: vt si aliquoties tempore diei voluntatem renouaret, & omissa vna parte peniteret, & proponeret alterã legere, ac demum relaberetur: tũc multiplicarentur peccata ratione multiplicationis actuum voluntatis. Ad rationem autem in contrarium dicendum est, quòd horæ officium non faciunt, sed officij partem, & non dicuntur simpliciter officium diuinum, nisi provt ad totale officium diriguntur. Nauarrus *de orat. c. 7. n.* 6. Rodriguez *c. 14. n.* 16. Emmanuel Sà *v. horæ n.* 13. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 145 Suarez *c. lib. 4. c. 25. num.* 18. Valentia *tom. 3. disp. 6. qu. 2. punct.* 10. & alij. Nota tamen secundùm Suarez contra Dianam *tract. de horis canon. resol. 5. & 23. part. 2.* prætermittentem aliquo die diuinum officium, vel aliquas horas, vel notabilem eius partem, teneri in confessione aperire quod omisit, & non satisfacere dicendo se lethalem culpam commisisse in non recitando diuino officio: quia hæc est circumstantia trahens se ex parte obiecti & constituens actum, vel omissionem in suo esse indiuiduali: multò magis exprimendus erit numerus actuum voluntatis moraliter interruptorum, quibus quis decreuit diuinum officium omittere.

Nauarr. Rodrig. Em. Sà. Reginal. Suarez. Valentia Suarez. Diana.

5. Omnes beneficiarij ad horas canonicas adstricti, titulo beneficij, tenentur, etiam ante sententiam iudicis, ad restitutionem fructuum, pro rata omissionis officij, si elapsis sex mensibus post obtentam beneficij possessionẽ, officium culpabiliter non recitauerint. Ita Suarez *c. lib. 4. cap.* 29. & hoc probatur ex Concilio Lateranensi: sub Leone X. *sess.* 9. & ex Bulla Pij V. quam refert Nauarrus *in man. cap. 25. num.* 122. Suarez. Nauarr.

6. Circa decretum Concil. Lateranens. est notandum, eum, qui habet beneficium cum cura, vel sine cura, si primis sex mensibus officium non dixerit, peccare quidem grauiter, non tamen ad restitutionem ex prædicto iure teneri: vnde qui alio titulo quàm beneficij ad horas obligatur, ad nullam restitutionem tenetur eas omittendo; similiter qui bona fide vel ex naturali obliuione, vel ex legitimo impedimento horas non recitarunt, non tenentur restituere quidquam; quia in foro conscientiæ non debetur pœna, vbi non est culpa Lessius *libr. 2. cap. 34. dub. 32. n.* 176. Reginaldus *lib. 30. n. 44. tract.* 3. Toletus *lib. 2. c. 12. n.* 4. Syluius *2. 2. quæst 83. art. 13. concl.* 4. & alij. Imò secundum quosdam probabiliter opinantes, vt Suarez *c. c.* 29. *n.* 11. Filliucium *c. nu.* 307. Molfesius *c. 5. n.* 17. qui pensum diuini officij alio die persoluit; loco officij aliàs omissi, aut compensat alijs pijs operibus, non tenetur ad restitutionem, quia rependit æquale: verùm Henriq. *lib. 13. cap.* 13. P. Nauarra *lib. 2. c. 2. n.* 180. & quidam alij probabilius esse docent teneri; quia talis officium omittendo fructus ipso facto amisit, nec illos propria authoritate sibi applicare potest, æquale pensum soluendo. Vide Dianam *c. res.* 24. 34. & *part. 5. tr. 5. res.* 24.

Lessius. Reginal. Toletus. Syluius. Suarez. Filliuc. Molfes. Diana.

7. Non tenetur ad restitutionem, qui leuẽ officij partem omisit, puta, paucos versiculos, aut vnum psalmum; etiamsi fructus respondentes illi parti omissę, sint magnę quantitatis. Toletus *lib. 2. c.* 12. Reginald. *lib. 30. nu. 44. tr.* 3. Filliuc. *cit. c.* 10. *quæst.* 7. Diana *tract. de hor. resol.* 26. Bonacina *c. qu. 5. punct. 2. nu.* 13. P. Nauarr. *lib. 2. cap 2. n.* 196. Suarez *cit. c.* 30. vnde secundùm Filliucium pro minori omissione quàm vnius horæ integræ, non est aliquid restituendum: quamuis Reginaldus & Suarez dicant, non solùm illum ad restitutionem fructuum obligari, qui totum officium prætermisit, verùm etiam illum, qui aliquã officij partem notabilẽ omisit cum peccato mortali: probabile tamen est iuxta Suarez & Toletum, illum non teneri, dum fructus respondentes parti omissæ, sunt modicæ quantitatis, ratione tenuitatis beneficij, & non esset materia sufficiens ad peccatum mortale furti.

Toletus. Reginal. Filliuc. Diana. Bonac. P. Naua. Suarez.

Verùm his non obstantibus, quidam Doctores existimant beneficiarium prætermittentem intra annum per octo aut decem dies recitationem officij, non teneri ad restitutionem fructuum correspondentium. Ratio illorũ est, tum quia nemo prudens priuat seruum mercede, si per octo, aut decem dies cessauit seruire, vnde multò minus priuabitur beneficiarius cùm sit seruus liberalissimi Domini. Tum quia octo vel decem dies respectu totius anni, sunt parua materia, cùm neque ad trigesimam sextam partem pertingant. Ita Medina *in summ. lib. 1 c. 14. §. 11.* Lopez *tom. 1. cap.* 245. De la Crux *in directi. præcep. 3. art. 3. dub. 6. concl.* 3. Ioan. Henriquez *in compend. cas. mor. cap. 2 3. nu.* 30. Hanc opinionem probabilem ex principio extrinseco putat Pasqualigus *decis.* 454. considerando auctoritatem Doctorum, qui eam tradunt, & illorum fundamentum non contemnendum; licet illam tanquam minus probabilem noluerit admittere nouissimè exim. D. Syluius *2. 2. q. 83. a. 3. concl.* 4. Vnde nec ego in hoc aliquid decernam.

Medina. Lopez. De la Cr. Henriq. Pasqual. Syluius.

8. Qui sæpius partem notabilem diuini officij omisit, tenetur sub mortali ad restitutionem, quamuis singulis omissionibus non respondeat pars notabilis fructuum,

sed

ſed pars notabilis reſpondeat omnibus omiſsionibus ſimul ſumptis, quia ſicut qui minima furatur, tenetur ſub mortali ad reſtitutionem, poſtquam peruenit ad notabilem quantitatem, ita &c. Porrò habens plura beneficia tenetur fructus omnium beneficiorum pro rata officij culpabiliter omiſſi reſtituere. Filliucius *cit. c.*10. *nu.*310. Suarez *cit.c.*30. *Bulla Pij V.*

Filliuc. Suarez.

9. Magna controuerſia eſt inter Doctores, an teneantur ad reſtitutionem qui diuinum officium recitauit abſque attentione: quidam enim affirmant teneri vt Nauarrus *de orat. cap.*13. *num.*17 Leſſius *cit. cap.*37. *num.*67. Suarez *cap.*30. *num.*14. Filliucius *cit. cap.* 10. *numer.*321. Syluius 2.2. *quæſt.*83. *art.*13. *concl.*4. & ratio eſt; quia idem eſt aliquid non facere, & non facere rectè quoad ſubſtantiam, & perinde eſt ſi non recitaſſet; hæc ſententia eſt probabilis; alij verò non minùs probabiliter negant, vt Diana *de horis reſol.*1. Toletus *cit. cap.*12. *nu.*6. Malderus *tract.* 10. *cap.*2. *d.*4. quia ex vi Concil. Lateranenſ. & bullæ Pij Quinti; illi ſoli iubentur reſtituere, qui omiſerunt, officium, non qui negligenter vel diſtinctè dixerunt.

Nauarr. Leſſius. Suarez. Filliuc. Syluius. Diana. Toletus. Malder.

10. In conſtitutione Pius V. *in bulla ex proximo*, ſtatutum eſt, vt qui horas omnes vno vel pluribus diebus intermiſerit omnes beneficii, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur; qui verò matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat: Hæc conſtitutio ab omnibus Doctoribus non eſt in ſuo rigore recepta: nam Nauarrus *cap* 25. *nu.*122. Toletus *lib.*2. *cap.*12. *num.*5. Rodriguez 1. *part. cap.* 145. *num.*4. Leſſius *lib.*2. *cap.*34. *dub.*32. *num.*177. Emmanuel Sà *verb. benefic. num.*58. & alij, probabiliter aſſerunt hanc bullam poſſe dilatari, & aliquam moderationem recipere, ita vt beneficiarius omittens diuinum officium non teneatur ad reſtitutionem omnium omninò fructuum, ſed ſolùm reſpondentium oneri diuini officij; ideò Epiſcopus aut Parochus omittens officium, debet tantùm reſtituere tertiam, vel quartam, vel etiam quintam; ſecundùm Henriquez *lib.*13. *cap.*13. *num.*2. Syluium 2.2. *quæſt.* 63. *art.*3. *concl.*4. Dianam *de horis reſol.*8. & 4. *part. tract.* 4. *reſol.*111. & alios, partem fructuum pro rata: cæteras partes fructuum videtur poſſe ſibi retinere ratione tituli & aliorum onerum. Imò Petrus Marchantius in ſuo Tribunali *tom.*2. *tract.*2. *part.* 2. *titul.*3. *ſect.*1. *quæſt.*2. *fol.* 175. docet certum eſſe, Parochum, qui alio beneficio non obligatur vt canonicatu, capellania &c. Si horas ſuas etiam culpabiliter omittat, non teneri ad aliquam reſtitutionem: quia Parochiale beneficium præcisè non datur ob penſum horarum canonicarum; ſed ob actus & labores curæ paſtoralis, quos debet Parochus ex debito conſcientiæ impendere in cura animarum. Quòd ſi canones & iura videantur illum obligare, de peculiari aliquo titulo obligationis ſunt intelligenda, non de communi Beneficiatorum, Canonici, aliique habentes obligationem reſidendi, reſtituant dimidiam; alij habentes onera capellaniæ, reſtituant dimidiam vel tertiam partem; ſimplices verò beneficiarij qui ſolummodo tenentur ad horas canonicas, reſtituere debent omnes fructus pro rata officij. Ratio eſt, quia nonnulli beneficiarij non ſolùm recipiunt fructus pro recitatione officii, verùm etiam pro alijs laboribus: ergo par eſt vt in reſtitutione, non ſolùm habeatur ratio officii omiſſi, verùm etiam aliarum obligationum & onerum: quæ cum ſint diuerſa, facienda eſt diuerſa comparatio. Cùm iſta moderatione bulla Pii V. iuxta Henriques, in Hiſpania & in alijs locis eſt recepta, Aliorum tamen quamplurium Doctorum ſententia eſt, videlicet, Suarez, *cit. cap.*30. *numer.*6. Azorii *lib.*10. *cap.*14. *quæſt.*5. Reginald. *lib.*30. *numer.*46. *tract.*3. Filliucii *tract.*23 *cap.*10. P. Nauarr. *lib.*2. *numer.* 183. *cap.*2. hanc bullam in rigore explicandam eſſe, ita vt omittens diuinum officium vno die, teneatur ſimpliciter & abſolutè ad reſtitutionem omnium fructuum, quos eo die percipit; quia bulla indiſtinctè loquitur & abſque limitatione. Prima tamen ſententia cum ſuis moderationibus eſt ſequenda.

Pius V. Nauarr. Toletus. Rodriq. Leſſius. Em. Sà. Henriq. Syluius. Diana. Suarez. Azorius. Reginal. Filliuc. P. Naua.

11. Ex Bulla Pii V. & ex Concil. Lateranenſ. reſtitutio ob omiſſionem horarum canonicarum, facienda eſt fabricæ beneficii, vel pauperibus, pro voluntate beneficiarii, modò aliud non ferat conſuetudo, vel ſtatutum alicubi receptum: vnde ſi beneficiarius eſt pauper, poteſt ſibi illam reſtitutionem applicare, quia non videtur deterioris conditionis aliis pauperibus, & hæc eſt eleemoſyna, quam non tam ipſe ſibi quàm Pontifex per eum facit: vbi tamen eſt conſuetudo vel ſtatutum particulare vt fiat reſtitutio ad aliquod certum pium opus, vel vt id quod alij amittunt, accreſcat aliis qui interſunt & recitant officium; vt diſtributiones & interdum ipſum corpus fructuum non poſſet ſibi applicare quamuis pauperi Filliucius *citat. numer.*324. Leſſius *citat. cap. trigeſimo quarto, numer.*177. Toletus *lib. ſecundo, cap. duodecimo.* Suarez *citat. num. decimoſeptimo*, Rodriguez 1. *part. cap.*145. *numer.*3. & alii. Notandum autem eſt, hanc reſtitutionem fieri etiam poſſe in celebrandis Miſſis, vel in aliis ſuffragiis offerendis pro defunctis, nam etiam defuncti ſunt indigentes iuxta Nauarr. *in manual. cap.*25. *numer.*122. Diana *reſol.*27.

Filliuc. Leſſius. Toletus. Suarez. Rodrig. Nauarr. Diana.

Penſionarius, qui partium officium Beatæ Virginis prætermiſit; tenetur fructus reſtituere fabricæ vel pauperibus, non verò beneficiariis: quia Pius V. penſionarium obligat eo modo, quo beneficiarium, vt conſtat ex eius bulla Suarez, *citat. lib. quarto, cap.*30. *numer. vigeſimoſecundo*, *Beneficiarius* qui nouit penſionarium non recitaſſe diuinum officium, non poteſt ſibi penſionis fructus reſpondentes omiſſioni diuini officii retinere, cum debeantur fabricæ eccleſiæ vel pauperibus. Bonacina *citat. quæſt. quinta, punct. quarto, num.*5. & 6.

Suarez. Bonacin.

13. Beneficiarius, qui omiſit horas canonicas liberatur à reſtitutione propter eleemoſynas pauperibus largitas, non tamen huc intuitu; quia ſecundùm Layman *lib.*3. *ſect. quinta, tractat. ſecundo, cap. duodecimo, num.*9. Lugo *de iuſtit. tom. primo, diſput.*4. *ſect.*3. *numer.*46. Diana *tractat.*6 *miſcel. reſol.*57. *part.* 3. & *part.*7. *tractat.*10. *reſol.*24. Leſſius *lib. ſecundo, cap. trigeſimo ſeptimo, numer.* 60. Sanchez *lib. primo, moral. cap. decimotertio, num.*11. & alios quando obligatio reſtituendi, puta pauperibus, à iure Eccleſiaſtico tantùm promanat, probabiliter dici poteſt, eleemoſynas, quæ cum tali obligatione, quamuis non animo ſatisfaciendi factæ ſint, tamen ad eas extinguendas prodeſſe poſſe. Ratio eſt, quia eleemoſynæ non repugnat, ratio debiti, quando non eſt debita ex aliqua ſpeciali lege iuſtitiæ illi, cui fit; vnde qui habet debita incerti domini, quæ tenetur dare pauperibus, ſi det extremè indigenti, ſatisfaciet etiam præcepto ſubueniendi ipſi: quia autem faciens eleemoſynas habet interpretatiuam intentionem ſatisfaciendi omnibus debitis, quantùm poteſt, ideò cenſetur ſatisfacere etiam debito reſtituendi fructus, & conuertendi in vſus pauperum, quia ſi noſſet huiuſmodi debitum, vellet pro ipſo ſatisfacere: vnde quando cognouit, poteſt facere compenſationem. Reſoluitur autem hæc opinio in illud principium theologicum, quòd ſufficit voluntas interpretatiua ad cauſandum voluntarium: vnde qui tunc facit eleemoſynas habet voluntatem interpretatiuam per illam eleemoſynam reſtituendi fructus: ideò cenſetur ſatisfacere obligationi reſtituendi. Voluntas autem interpretatiua ex eo colligitur, quod quilibet prudenter agens prius vult ſatisfacere iis, quæ ſunt de obligatione, quam præſtare ea, ad quæ non tenetur: & ideò ſi interrogaretur, an ſi cognouiſſet propriam obligationem, voluiſſet illa eleemoſyna ſatisfacere, certè reſponderet, quod procul dubio habuiſſet talem intentionem. Licet contrarium dicendum ſit in alijs debitis, puta, furto, vſuris &c. debitor enim non liberatur ab onere reſtitutionis, quia pauperibus gratis donauit, ſecundùm probabiliorem ſententiam, vt dicetur ſuprà *verb.* *Compenſatio* nu. 12. & 2. v. *Præceptum* n. 12.

Layman. Lugo. Leſſius. Sanchez.

SVP-

SVPPLEMENTVM.

HORÆ CANONICAE V.

De restitutione facienda ob omissionem horarum & de distributionibus.

S V M M A R I V M.

1 *An liberetur à restitutione beneficiarius, qui non recitauit Officium, si altero die defectum suppleat?* Refertur duplex sententia.

2 *An beneficiarius qui primis sex mensibus recitauit horas, sed sequentibus sex omisit compensare.*

3 *An beneficiarius qui Officium omisit, possit sibi retinere fructus, quos titulo donationis accepit à pauperibus, quibus traditi fuerunt.*

4 *An regulares non beneficiati obligati ad horas, teneantur ad aliquam restitutionem, si illas omittant.*

5 *An Canonici qui choro inter, sed ex consuetudine Officium per alios recitant, distributiones lucrari possint?* Refertur duplex sententia.

6 *Distributiones quid sint? & an distinguantur à fructibus.*

7 *An vsus distributionum, sit de iure naturali, diuino vel de iure positiuo Ecclesiastico inductus.*

8 *Quibusnam Clericis distributione debeantur.*

9 *An habenti dignitatem & Canonicatum in eadem Ecclesia, duplices debeantur distributiones?* Refertur duplex sententia.

10 *An absens causa infirmitatis, possit distributiones lucrari, etiamsi propria culpa infirmitatem contraxerit.*

11 *An lucretur distributiones absens à choro ex rationabili corporis necessitate.*

12 *An Clericus absens propter euidentem propria sua Ecclesia vtilitatem, distributiones capere possit.*

13 *An Pœnitentiarius Ecclesia Cathedralis, dum in confessionibus excipiendis detinetur, distributionibus gaudere possit.*

14 *An consuetudine possit induci, vt distributiones conferantur absentibus.*

15 *Quibus accrescant distributiones, quas absentes perdunt.*

1. BEneficiarius non recitauit Officium; si altero die supplicat defectum commissum, non liberatur ab onere restituendi fructus. Ratio est, quia qui non recitat sub tempore Officium, non facit fructus suos; tum quia obligatio recitandi est alligata dici, & transit cum ipsa die, adeòque, oon potest suppleri alio die, ita vt ex tali suppletione immunitas restitutionis obtineatur. Tum quia Beneficiarius, hoc ipso quod non recitat statim absque alia Iudicis declaratiooe incurrit pœnam restitutionis froctuum: nemo autem potest se eximere à pęna modo dicto contracta per legem Superioris. Ita Henriqoez *en Sum.lib.*13.*cap.*13. Diana *part.*2.*tract.*12. *resol.*24. Arragoo. 2.2.*quæst.*83.*art.*13. & alij. Nonnulli tamen apud Henriquez scilicet, Maior, Paludanus, Ledesma: Et Suarez Molfesius, Filliucius, apud Bonacinam *disp.*1. *quæst.* 5.*punct.*2.*num.*5.*de horis Canonicis*, asserunt non teneri ad restitutionem supplendo alio die pentum horarum, aut compensando alijs pijs operibus: tum quia rependit æquale. Tum quia Capellanus, qui voodie tenetur ex onere Capellaniæ celebrare, si alio die celebret, non tenetur per se loquendo, restituere: ergo neque qui Officium alio die recitat. Hanc opinionem probabilem vocat Bonacina: licet Diana vt talem non audeat admittere, sed viris doctis iudicandam relinquit, *part.*9.*tract.*[illegible].*resol.*24. Posita tamen probabilitate, non tenereotur talis facere restitutionem in eadem specie actionis, idest in recitatione ciuidem. Officij omissi Ratio est, quia quando creditor moraliter & rationabiliter pręsumitur acceptare, sufficit æquiualens compensatio licet non sit in eadem materia, sed ita præsumitur in hoc casu, vt docet Suarez *loco cit.cap.*29.*num.*12. Vnde posset satisfacere per alias preces æquales, arbitrio prudentis: vt per Rosarium sæpius repetitum vel per Missas, & similia vt docet etiam Filliuc. *tract.*23.*num.*307.

Henriq. Diana. Bonacin. Diana. Suarez. Filliuc.

2. Beneficium habens qui primis sex mensibus post obtentam beneficij pacificam possessionem recitauit horas Canonicas, sed sequentibus sex omisit, non potest compensare nec vti priuilegio post sex menses: quia priuilegium finitur post illos sex menses, vt patet expressè ex verbis Pij V. *Si post sex menses, quàm illud obtinuerit.* Voluit enim Pontifex tantùm non ita punire nouos beneficiarios fortè, quia eo tempore solent esse plures occasiones omittendi vel quia sæpissimè ab his ignoratur hoc onus recitandi vel ob alias huiusmodi causas. Itaque qui elapsis sex mensibus, Officium omittit, tenetur ad restitutionem fructuū perceptorum solùm post sex menses: quia beneficiarius eximitur per Pium V. & Concilium Lateranense à restitutione ob Officium primis sex mensibus omissum. Ita ex communi Suarez *cit.cap.*29.*ad finem*, Nauarrus *de orat.cap.*21.*n.*58. Malderus *tr.*10.*c.*2. *dub.*4. & alij apud Dianam *part.*2.*tr.*12.*resol.*25. Qui post Nauarrum & alios sustinet quod hęc obligatio restituendi non oritur ex iustitia commutatiua, sed ex obedientia vel Religione. Vnde qui impotens est ad restituendos fructus, non solet obligari ad restituendum in bonis spiritualibus.

Pius V. Cōc. Lat. Suarez. Nauarr. Malder. Diana.

3. Beneficiarios, qui officium omisit, potest sibi retinere fructus, quos titulo donatioois accepit à pauperibus, seu piis locis, quibus traditi fuerunt, modò qui donarunt liberam de illis disponendi facultatem habuerint. Ratio est, quia hoc nullo iure prohibetur, & quilibet est rei suæ moderator & arbiter. Vnde inre communi possunt retineri distributiones, si postquam traditæ fuerunt Canonicis præsentibus, iterum absenti restituantur ab ijsdem. Nec hoc est contra Concilium Tridentioum, *sess. vigesimaquarta cap. duodecimo, de reform.* vbi habetur. *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui, quauis collusione, aut remissione exclusa, bis careāt.* Solùm enim ibi prohibetur remittere, seu condonare; non verò donare postquam res accepta fuit: vnde solùm interdicitur collusio & remissio. Hinc patet beneficiarium qui horas non recitauit, non posse sibi retioere fructus, si remissionem ab iis obtineat, quibus fructus nondum tradiderat: quia pauperes non possunt huiusmodi remissionem concedere; cum remissio fieri debeat ab eo, qui ius verum & proprium habet; quo iure illi carent. Similiter Canonicus qui non interfuit diuinis Officijs, non potest sibi retinere distributiones, quarum remissionem obtinui à reliquis Canonicis, quibus de iure obueniunt, nisi postea sibi donatæ fuerint. Ita Suarez *citat.libr. quarto, cap.*30. *numer. decimo septimo.* Nauarrus *de orat.miscell.* 19.*numer.*4.& 5. Azorius *part.* 2.*libr.*7.*cap.*7. *quæst.*9. Filliucius *tractat.* 23.*numer.* 141. & alij.

Cōc. Tr. Suarez. Nauarr. Azorius. Filliuc.

4. Regulares, siue Prælati sint, sioe subditi, qui non respectu beneficii, sed alio iure ad horas Canonicas tenentur, eas recitare omittentes, non tenentur ad aliquid restituendum, sed tantùm mortaliter peccant. Quia agunt contra præceptum peculiare generalis Consilii, sub Innocentio Tertio, in quo Ecclesiasticis in virtute Sanctæ obedientiæ præceptum fuit, vt diuinum Officium nocturnum pariter & Diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè & deuotè celebrent, quod præceptum, vt manifestum est habet vim obligationis ad mortale, & confirmatur ex *cap. Clericus distinct.* 91. vbi peccatum omittendi diuinom Officium est excommunicatione dignum; excommunicatio autem non imponitur nisi ob peccatutu mortale, ex *cap. Nemo Episcoporum vndecimo, quæst.*3. Ita ex communi Nauarrus *de orat.cap. septimo, num.quinto.* Quod autem non teneantur ad aliquam restitutionem, patet ex Bulla Pii V. qui solos habentes beneficium Ecclesiasticum ad hanc restitutionem adstringit. Cuius constitutionis tenor talis est.

Nauarr. Pius V.

PIVS

PIVS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX proximo Lateranensi Concilio, hæc salubris sanctio emanauit, vt quicumque habens beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, diuinum Officium, legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro rata emissionis Officij & temporis, suos non faciat, sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædicta ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expressius prouidere volentes, statuimus, vt qui Horas omnes Canonicas, vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui verò Matutinum tantum, dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliā dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis choro addictus non recusans, omnibus Horis Canonicis cum alijs præsens adsit fructusq; & distributiones fortè aliter designatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucri fecisse prætendat, is etiam præter fructuum & distributionum mulctetur amissione. Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes, præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium paruum B. M. V. decernimus obligatum, & pensionum fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo hominum liceat hanc, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1571. Kalend. Octob. Pontificatus nostri anno sexto.

Hanc Constitutionem refert Nauarrus *in Man. cap. 25. n. 122.* circa quam quædam annotauimus *tom. 1. verb. Hora Canonica V.* quæ ibi videnda sunt nec hic repetenda. — Nauarr.

5. Occasione prædictæ Constitutionis, Difficultas inter Doctores orta est, an Canonici, qui choro quidem assistunt, sed ex consuetudine officium per seipsos in choro non recitant, sed per mansionarios in Ecclesia existentes muneri suo satisfaciunt, distributiones lucrari possint? Quidam enim negant: nam Summus Pontifex in hac Bulla reprobare videtur quamlibet consuetudinem in contrarium. Tum quia distributiones dantur Canonicis, vt choro inseruiant: qui autem non canunt; non inseruiunt choro, ergo faciunt contra proprium Officium, & consequenter peccant mortaliter, contra iustitiam distributiones recipiendo. Ita Graffijs *lib. 5. decision. cap. 52. n. 22.* Rodriquez *in 1. p. Summ. c. 145. n. 5.* Moneta *de distribut. 2. p. q. 2. n. 31.* & alij. Hæc sententia multum fauorabilis est cultui diuino, ergo sustinenda est, quia summa ratio est, quæ pro Religione facit. Nihilominus nonnulli asserunt consuetudine induci posse, vt Canonici intersint choro, & canant per alios, distributionesque lucrentur. Ratio est, quia consuetudo induci potest contra ius humanum, modo sit legitimè præscripta post Tridentinum, proinde vbi est consuetudo vt Canonici per Vicarios Officium peragant, probabile est, eos posse distributiones lucrifacere, modò temporibus constitutis præsentes sint, quæ consuetudo non est omnino contra rationem, nam sic diuinum officium magnificentiùs, & suauiùs canitur, cùm Canonici sæpè voce vel peritia canendi careant, & in multis locis vtantur cantu figurato, cui non expedit Canonicos se admiscere. Ita Caietanus *in Summ. v. Hora in fine,* Petrus Nauarra *lib. 2. c. 2. n. 217.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 12. n. 13. &* 20. vbi tamen hæc consuetudo nondum præscripta est, tenentur Episcopi, Decani, Præpositi & alij Superiores curare, vt Canonici per se & non per substitutos diuina officia obeant, alias Canonici per alios canentes non sunt tuti in conscientia, vt colligitur ex Concil. Trid. *sess. 24. c. 12. de reformat.* vbi habetur. *Omnes verò diuina per se & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inseruire; atque in choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuoteque laudare.* Quod intelligit Lessius *lib. 2. c. 34. n. 186.* quando non adhibetur cantus figuratus, non enim illi cantui suas voces Canonici miscere tenentur.

Graffiis. Rodriq. Moneta. Caietan. P Nau. Suarez. Cõc. Tr. Lessius.

6. Distributiones sunt portiones Ecclesiasticorum redituum quotidie distribui solitæ ijs beneficiatis, qui statis horis diuino Officio intersunt. De quibus mentio habetur *in cap. vnic. de Clericis non residentibus in 6. & c. licet vobis, de præbendis,* & alibi.

Distributiones, per se & regulariter loquendo, distinguuntur à fructibus: quia fructus beneficij dicuntur annui reditus, qui ex certis Ecclesiæ bonis colligi solent. Distributiones verò sunt portio conflata ex prouentibus, beneficij & conferenda assistentibus diuinis Officijs, iuxta quantitatem assistentię & seruitij præstiti. Vnde qui ob crimen priuatur distributionibus, non ob id censetur priuatus fructibus, modo beneficium reddat fructus & distributiones: nam si solas habet distributiones non distinctas a fructibus, tunc priuatus fructibus, censetur priuatus distributionibus, ne sententia sit elusoria. Ita Azor. *p. 2. lib. 7. c. 7. q. 7.* Rodriq. *tom. 3. q. reg. q. 74. art. 4.* Gonzales *ad reg. 8. Cancell. §. 7. n. 157.* & alij. — Azorius. Rodriq. Gonzal.

7. Vsus distributionum non est inductus iure diuino, vel naturali, sed positiuo Ecclesiastico. Prior pars probatur: quia ex nullo Scripturæ loco, vel Ecclesiæ traditione vel Patrum testimonio distributionum vsum habemus: ergo distributionum vsus iure diuino inuentus non est. Tum quia ius naturale semper & vbique idem est; sed ante Tridentinum non extabant distributiones in omnibus Ecclesijs, ergo. Posterior pars probatur & apertè constat, ex *c. licet, de præbend.* & nouissimè ex Conc. Trident. *sess. 21. cap. 3. de reform.* vbi habetur. *Statuit Sancta Synodus, in Ecclesijs, tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, vt verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque prouentuum & obuentionum, tam dignitatum, quam Canonicatuum, personatuum, portionum & Officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas conuerti.* Vnde patet quod in omnibus Ecclesijs quotidianus distributionum vsus non extabat, sed ex Concilij Tridentini decreto iure merito constitutus & vniuersaliter introductus fuit, ad manutenendum & augendum honorem & cultum diuinum. Ita Nauarr. *de orat. c. 18. n. 10.* Panormit. *in c. licet, de præbend.* & alii communiter. Quamuis salubris ista Constitutio Tridentini non vbique in praxim deducta sit. — Cõc. Tr. Nauarr. Panorm.

8. Illis Clericis ius competit distributiones percipiendi, qui diuinis Officijs ad distributiones admissi in suis Ecclesijs intersunt & inseruiunt iuxta legitimam sui Capituli Constitutionem, aut Superioris dispositionem, vel dispensationem: vt habetur in Constitutione Bonifacij VIII. *in cap. vnic. de Cleric. non resident. in sexto.* His verbis *Statuimus, vt distributiones quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac alijs beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officijs, in ipsis Ecclesijs adfuerint, tribuantur, iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam, seu etiam faciendam. Qui verò aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imò ad omnium restitutionem, quæ contra huiusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur; De distributionibus etiam pro defunctorum anniuersarijs largiendis, idem decernimus obseruandum.* Idque renouauit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reformat.* atque obseruari voluit: quauis ipsorum beneficiatorum collusione, aut remissione exclusa, vt diximus *supra.* Ratio est, quia distributiones quotidianæ propriè institutæ sunt diuini cultus augendi causa, ob præsentiam & frequentiam ministrorum. — Bonifac. VIII. Cõc. Tr.

9. Nonnulli sustinent, habentì dignitatem & Canonicatum

catum in eadem Ecclesia, duplices deberi distributiones; quia si aliquam dignitatem gerenti, quam simplicem Canonicatum habenti distributio debetur, modò præsens sit, consequens esse videtur, vt si aliquis vtroque munere fungitur, duplices ei distributiones debeantur; cùm Officio diuino intersit non solùm vt Canonicus, sed vt dignitatem habens. Hæc sententia valdè probabilis est, vt do-

Couar. Vasquez

cent Couarruuias *lib. 3. variar. c. 13. n. 6.* Vasquez *de benefic. c. 4. n.* 229. & alii. Communis tamen habet non posse. Tum quia iudicandum est in fauorem distributionum, dum faciunt ad augendum diuinum cultum. In hoc autem casu, si plures distributiones concedantur habenti dignitatem & canonicatum, potiùs faciunt ad diminuendum cultum, quàm ad augendum. Ergo. Tùm quia Sacra

Sac. Cōg

Eminent. Cardinalium Congregatio bis declarauit, obtinentem legitimè duas dignitates debere in digniori residere, & posse fructus præbendæ alterius dignitatis percipere, non tamen quotidianas distributiones; quæ illis responderent, vt testatur Garzias *de benefic. 3. p. c. 2. n.* 185.

Garzias.

Tum quia non potest quis vnica residentia duplices distributiones percipere. Ita docent Azorius *2. p. lib. 7. c. 7. q. 13.* Gomez *in tract. de expectatiuis, n. 6.* & alii plurimi.

Azorius. Gomez.

Cæterum cuiusque Ecclesiæ consuetudo hac in re retinenda est, vbi enim iuxta decretum Concilij Tridentini supra tertia pars prouentuum ex omnibus beneficijs in quotidianas distributiones conuersa est, æquum omnino est, vt quibus duplex præbenda in eadem Ecclesia competit, ij duplices etiam distributiones accipiant, vt bene monet Layman *lib. 4. tract. 2. c. 7. n. 4.*

Layman

10. Certissimum est in iure absentem causa grauis infirmitatis posse, etiam præcisa consuetudine, distributiones lucrari, etiamsi propria culpa infirmitatem contraxerit, ne in loco beneficij tempore infirmitatis existat. Probatur ex *cap. vnic. de Cleric. non resident. in sexto* supra & ex *cap. 1. de Cleric. ægrot.* vbi excipiuntur absentes ob infirmitatem, vt distributionibus frui possint. Leuis tamen morbus, non excusaret, nam quilibet morbus non efficit, vt diuinis interesse non possint. Leuior tamen morbus, per se loquendo, excusaret ab onere interessendi choro, quàm ab onere diuini Officij recitandi: fieri enim potest, vt morbus, alioquin leuis, accedendo ad chorum faciliùs incrementum capiat, quàm domi priuatim officium recitando. De leuitate, aut grauitate morbi vir prudens in arte peritus, aut medicus iudicare debent etiam

Io. Andr.

extra iudicium. Ita Ioannes Andræas *in cap. vnic. de Cleric. non resident. in 6.* & ibi communiter Doctores. Hæc tamen dicta sint, modò in contrarium non extet consuetudo conferendi distributiones tantummodo præsentibus, non autem absentibus, etiam ex causa infirmitatis; hæc enim consuetudo improbanda non est, quia fauorabilis est cultui diuino. Tum quia *in c. vnic. de Cleric. non resident. in 6.* non prohibetur, vel reprobatur huiusmodi consuetudo, nec præcipitur vt absens ex causa ibi expressa distributiones capiat, sed permittitur Consuetudo autem induci potest contra id, quod est in iure permissum, & huiusmodi consuetudo non est contra iùs, nec reprobatur à iure, sed est præter ius. Et quamuis hæc consuetudo dici possit contra ius ipsorum Canonicorum absentium ex causa; consuetudine tamen potest præscribi ius & priuilegium alteri concessum, si legitimum tempus in-

Sac. Cōg

tercedat: vt declarauit Sacra Eminentiss. Cardin. Congregatio in hoc casu infirmitatis, teste Garzias *3. p. c. 2. n.* 360. & docet Bonacina *de hor. Canon. disp. 2. q. 5. punct. 6. n. 21.* adducens Vegam *in Summ. t. p. c.* 128. *casu* 19.

Garzias. Bonacin. Vegam.

11. Similiter absens ex rationabili corporis necessitate, lucrari potest distributiones, quamdiu necessitas durat, modò in contrarium non extet consuetudo, vt patet ex *c. vnic. de Cleric. non resident. in sexto*, supra. Iusta autem & rationabilis necessitas corporalis censetur. *Primò*, quando quis de consilio Medici domo non egreditur ob valetudinis periculum. *Secundò*, cùm quis vrbe egreditur, vt salubriori cęlo perfruatur & viribus roboretur, postquā eum febris dereliquit. *Tertiò*, qui ob cantum nimium defatigatus aliquantisper se retrahit à choro, vt spiritus assumat & se recreet quantùm fert necessitas. *Quartò*, quando quis ita senio confectus, vt diuinis Officiis commodè interesse non possit, quibus aliàs interesse consueuerat. Et hoc iudicandum relinquitur Iudicis arbitrio. *Quintò*, si Canonicus sit absens causa pestis, dum ea in illo oppido grassatur, vel graue periculum est, vt inualescat cum periculo vitæ commorantium in eo loco. Secus dum graue & valdè probabile periculum non imminet illius contrahendæ; vel Canonicus curam animarum habet. *Sextò*, cùm quis residere, vel diuinis interesse non potest, ob grauem metum iniustè incussum: & hoc quamdiu durat metus, seu periculum. *Septimò*, quando quis vult ad vrbem redire & diuinis interesse, sed metu pestis aut alterius morbi, quo cæteros infecturus timetur, tanquam morbo infectus repellitur, & abesse cogitur. Denique, qui priuata vi detinetur, aut qui ab hostibus capitur, quamdiu apud hostes commoratur, nec per ipsum stat, quin redeat. Item, qui ex iniusto Superioris præcepto abesse cogitur, vel pulsus in exilium iniustè, aut metu carceris iniustè à choro abesse coactus fuit. His omnibus debentur distributiones quotidianæ, quia ob corporis necessitatem abesse dicuntur à choro, de quibus fusius agūt Azorius *2. p. lib. 7. c. 7.* Graffijs *2. p. decis. lib. 3. c. 15.* Bonacina *loc. cit. disp. 2. q. 5. punct. 2.* Filliucius *tract. 41. c. 6. q. 9.* & aliis ab ipsis citati.

Azorius. Graffijs. Bonacin.

12. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ vel alius Clericus, potest, iure sibi permittente distributiones capere, dum abest in euidentem propriæ suæ Ecclesiæ vtilitatem; modo aliàs interesse consueuerit: & præcisa consuetudine in contrarium: nam consuetudine induci potest, vt distributiones non conferantur absentibus, etiamsi absint ex causa, ob quam iura distributiones permittunt, vt dictum est *suprà n.* 10. Hinc colligitur, Canonicos, qui tempore diuinorum Officiorum ex mandato Capituli detinentur in iis, quæ ad Capitulum faciunt, vt in subeundis rationibus, participes esse distributionum. Item, eum, qui ad subleuandam euidentem proprię Ecclesiæ necessitatem, aliò se transfert, posse distributiones percipere. Item, qui à suo Capitulo mittitur ad iurisdictionem aliquam suæ Ecclesiæ adnexam exercendam vel ad Summum Pontificem, aliumvè Principem legationis titulo, lucratur distributiones. Similiter Canonicus, qui tanquam Theologus vel Canonista ad Concilium Generale, vel tanquam Procurator ad Concilium Prouinciale à suo Capitulo mittitur, potest pro tempore absentiæ distributiones capere. Ratio est, quia hi abesse dicuntur in commodum & vtilitatem suæ Ecclesiæ. Secus dicendum de illis, qui tempore diuinorum officiorum in Confessione suorum peccatorum facienda detinentur; his enim distributiones non debentur, quia non absunt in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem: sicut nec illis qui absentes sunt causa adimplendi votum peregrinationis, vel alterius rationis, etiamsi votum emissum sit, vt à Deo aliquid in vtilitatem Ecclesiæ obtineatur. Vide de his Garziam *de benefic. 3. p. c. 2.* Bonac. *loc. cit. punct. 3.* apud quos plura.

Garziam Bonacin.

13. Iure antiquo pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis non poterat distributiones capere, dum in confessionibus excipiendis detinebatur: quia non censebatur abesse in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem, sed in commodum ciuitatis, aut Diœcesis. Nouo autem iure sancitum est in Concil. Trident. *sess. 24. c. 8. de reform.* vt Pęnitentiarius dum in Ecclesia Confessiones audit præsens in choro censeatur, & consequenter distributiones, quæ choro interessentibus tribuuntur, percipere possit. Ex quo Concilij decreto patet, quòd si Pęnitentiarius tempore diuinorum Officiorum Confessiones domi, aut alibi excipiat, aut etiam celebret, aut confabuletur, non lucratur distributiones; vt sacra Congregatio declarauit, apud Garziam *p. 5. de benefic c. 4. n.* 124. & alios. Simili priuilegio Pęnitentiarij gaudet ille Canonicus, qui de licentia Superioris Confessiones audit, sede Pęnitentiali vacante, seu in defectum Pęnitentiarij absentis; hic enim potest lucrari distributiones: quia subrogatus sapere debet naturam illius, in cuius locum subrogatur, & cùm hic vices Pœnitentiarij sustineat, consequenter par est, vt ipsius priuilegiis gaudeat.

Cōc. Tr. Sac. Cōg Garzias.

14. Vt distributiones licitè conferantur absentibus, non potest sola consuetudine induci, nisi illa ex rationabili causa inducatur, aut nisi Papa consentiat. Probatur

ex

Bonifac. VIII. Cōc. Tr. ex Constitutione Bonifacij VIII. *in cap. vnic. de Cleric. non resident in 6.* & ex Trident. *sess. 24. cap. 12. de reform.* Quibus accedit ratio, quia non potest consuetudo induci contra naturam rei: sed natura distributionum est, vt non conferantur absentibus, sed præsentibus. Ergo non potest induci consuetudo, qua distributiones absentibus conferantur. Ita Couarr. *3. variar. cap. 13. n. 2.* Garzias *3. p. c. 2. n. 197.* & alij communiter. Ex iusta tamen causa potest induci talis consuetudo: quamuis enim Summus Pontifex tres causas excipiat, *in dict. c. vnic.* ex quibus distributiones absentibus tribui permittit, non tamen damnat tanquam irrationabilem consuetudinem aliis de causis inductam. Propterea illæ tres causæ excipiuntur à lege, quatenus prohibentur distributiones conferri absentibus, exceptis illis tribus casibus, scilicet, infirmitatis, necessitatis corporalis, & absentiæ in vtilitatem euidentem Ecclesiæ: non verò excipiuntur à lege, dum futuram consuetudinem reprobat, cum eam consuetudinem reprobare non præsumatur, quæ iusta de causa inducitur. Certum est etiam ex consensu Pontificis posse talem consuetudinem induci, nam sicut Summus Pontifex vsum distributionum induxit, ita etiam validè potest illum in totum, vel in partem dispensando auferre, vt bene docet Couarruuias *loco cit. n. 5.* cum aliis.

Couarr. 15. Quotidianæ distributiones, quas quis ob absentiam perdit, accrescunt aliis interessentibus, præcisa consuetudine in contrarium. Quod probatur ex Tridentino Cōc. Tr. *sess. 21. c. 3. de reform.* in quo dicitur, distributiones inter ipsos interessentes diuidendas esse. Ratio est, quia æquitas postulare videtur, vt qui maiorem impendit operam & laborem, maiorem etiam mercedem & lucrum recipiat. Sed Canonici interessentes, aliis absentibus, maiorem præstant operam, & laborem. Ergo. Hæc autem merces & lucrum sunt distributiones absentium. Ita Couarr. Couarr. Garzias. Bonacin. ruuias *3. var. c. 13. n. 7.* Garzias *de benef. 3. p. c. 2. n. 446. & 465.* Bonacina *de hor. Canon. disp. 2. q. 7. punct. 1.* Quando autem omnes à choro absunt sua culpa ob negligentiam, vel ob interdictum latum contra ipsum Capitulum, vel ob similem causam, distributiones applicari debent Ecclesiæ, quæ debito cultu fraudata est, Ex Couarruuia *loco* Couarr. *cit. n. 7* & aliis. Si verò Canonici absint absque sua culpa, vt quia Ecclesia repente diruta est, aut polluta, aut quia omnes infirmi, distributiones non cedunt Ecclesiæ, sed ipsimet Canonicis. Notandum tamen est, quod hæ distributiones absentium non accrescant illis, qui fictione iuris censentur interessentes, vt si absint causa infirmitatis, vel in euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem; sed solùm actu interessentibus & seruientibus, vt declarauit Sacra Eminentiss. Cardinal. Congregatio teste Garzia *de benefic. 3. p. c. 2. n. 465.* Sac. Cōg. Garzias.

Plura de hac materia distributionum cernere licebit apud Auctores qui ex professo de illis scripserunt, & hęc pauca attigisse sufficiat nostro instituto.

HORÆ CANONICÆ VI.

De causis excusantibus a recitatione horarum Canonicarum.

SVMMARIVM.

1 *De prima causa excusante à recitatione horarum canonicarum quæ est infirmitas grauis.*
2 *An quando dubitatur, an recitatio diuini officij valde nocitura sit valetudini, petenda sit indulgentia à superiore?*
3 *An qui per seipsum diuinum officium non potest recitare teneatur per alium supplere?*
4 *Secunda causa excusans ab officij diuini recitatione est grauis occupatio, honesta, & necessaria.*
5 *Tertia causa excusans ab obligatione recitationis diuini officij est impotentia, Et an teneatur adhibere socium, qui sine illo non potest horas recitare. Et quid dicendum de cæco, qui horas suas scit memoriter.*
6 *Quarta causa excusans, est dispensatio Summi Pontificis.*

1 Prima causa excusans à recitatione horarum canonicarum, à Doctoribus assignatur, *infirmitas grauis*, ob quam pronunciatio verborum valde noceret valetudini corporis; quia credibile non est, Ecclesiam velle cum tanto incommodo obligare: *leuis* autem *infirmitas* non excusat, qualis esse potest dolor stomachi, capitis vel pectoris, aut etiam aliquando febris tertiana, aut quartana, præsertim cum huiusmodi febris non soleat toto die vehementer affligere, ita vt non vacet tempus ad horas canonicas recitandas, quia obligatio horas recitandi strictissima est. *Consequenter* ab ea non excusat quælibet leuis causa; potest tamen aliquando infirmus excusari à recitatione horarum canonicarum in choro, quamuis non excusetur à recitatione priuata. Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 13. q. 1.* Toletus *lib. 2. cap. 14. n. 2.* Nauarr. *in man. c. 25. n. 100.* Reginald. *lib. 18. n. 181.* Filliucius *tr. 23. c. 9. q. 5.* Caramuel *in reg. S. Bened. n. 1429.* & alii. Azorius. Tolerus. Nauarr. Regin. Filliuc. Caram. S. Bened.

2. *Quando*, dubitatur, an recitatio diuini officii valde nocitura sit valetudini, si commodè præfectus vel superior adiri possit, petenda est ab eo indulgentia, per quam lege soluamur; aut consulendus est medicus, cuius consilio & iudicio de morbi grauitate standum est. Azorius *c.* Azorius. Nauarr. Diana. Bonacin. Nauarr. *de orat. c. 1 n. 3.* Diana *p. 2. tract. 12. resol. 28.* Bonacina *c. quæst. 6. p. 1. num. 5.* & alii *quando* autem medicus ipse dubitat, an morbus grauis sit vel leuis, an recitatio nocitura sit infirmus non tenetur ad horas, quia non tenetur se periculo grauis damni exponere, quidquid in contrarium sentiat. Suarez *c. lib. 4. c. 28. n. 21.*

3. Constans est omnium opinio, illum qui per seipsum diuinum officium non potest recitare, non teneri per alium supplere, aut loco officii alias orationes substituere aut alium recitantem audire, aut transacta infirmitate recitare, quæ in infirmitate prætermisit: *ratio prioris* est, quia onus recitandi officium est personale. *Secundi ratio* est, quia hoc ab Ecclesia non præcipitur: *posterioris* autem est, quia hoc onus est affixum diei in honorem & cultum singulorum dierum: obligatio autem affixa diei transit cum ipso die. Graffiis *2 part. lib. 2. c 16. n. 27.* Azor. *c. cap. 13.* Sà *v. Hora num. 3.* *Hinc* colligunt Doctores peregrinationem iustè & legitimè quamuis susceptam, ad certa loca pia & religiosa, iustam non præbere excusationem precum canonicarum, etsi peregrinus alium in sui locum substituerit: idem dicendum de adolescente, qui studijs operam dat; & ratio est, quia pensum horarum eiusmodi est personale, & proinde quisque per seipsum debet id persoluere. *Præterea* loqui non potens, excusatur ab horis dicendis: qui autem solus non potest, & habet ad manum socium, tenetur, modò non sit surdus vel surdaster, secundùm probabiliorem sententiam, vt dicetur infrà *n. 5.* Vide Nauarr. *de orat. c. 11. n. 32. & 33.* Valentia *tom. 3 disp. 6. q. 2. punct. 10.* Filliucius *c. cap. 9.* & alios. Suarez. Graffijs. Azorius. Sà. Nauarr. Valentia Filliuc.

4. *Secunda causa* excusans ab officii diuini recitatione, est *grauis occupatio honesta & necessaria*, quæ in aliud tempus commodè differri non potest, absque scandalo, peccato, vel detrimento sui vel proximi: vnde hoc titulo possunt aliquando excusari concionatores vel confessarij, Reginald. *lib. 18. num. 187.* Toletus *c. num. 3.* Suarez *c. lib. 2. cap. 28. num. 32.* Filliucius *c. cap. 9. quæst. 8. & 9.* Bonacina *c. q. 6. punct. 2. n. 3.* Diana *part. 7. tract. 11. resol. 1. & ratio* potest desumi ex benigna Ecclesiæ intentione, quæ non præsumitur cum tanto grauamine obligare. *Notandum* tamen est, eos qui graui occupatione detinentur, teneri officium anticipatè recitare, si occupatio anticipatam recitationem permittat. Est *notandum* præterea, obligatum ad recitationem horarum, non posse voluntariè suscipere aliud munus & officium, cuius executio incompossibilis sit cum recitatione horarum, nam volens huiusmodi munus & officium, implicitè censetur velle omissionem canonicarum precum, modò non adsit grauis aliqua necessitas illius suscipiendi, seu, modò actio quæ suscipitur, non putetur hic & nunc maius bonum, Regin. Toletus. Suarez. Filliuc. Bonacin. Diana.

quàm

quàm sit recitatio diuini officij: vnde ille qui ob grauem occupationem horas recitare non potuit, ad restitutionem fructuum non obligatur, quia par non est.vt pœnam subeat, qui culpam non admisit. Vide Doctores citatos, & præcipuè Caramuelem *in reg.* D. Bened. *disp.* 116. *num.* 1438. Vbi contra prædicta sic ait: Qui ex officio sibi legitimè iniuncto singulis diebus duodecim horis integris occupatur, non tenetur legere officium diuinum; licet Suarez asserat eum, qui habet officium, quo cum non consistit Horarum lectio debere vel illud relinquere, vel petere dispensationem. Vtrumque tamen falsum est. Hæc *Caramuel*. Nostram tamen sententiam, quam reprobat ille, tenet nouissimè Diana hic citatus, adducens pro hac opinione me citato etiam Machadum, Monetam, Bonartium.

Caram. D Bened. Machad. Monetã. Bonart.

Pro religiosis occupatis in prædicationibus, aut operibus pietatis vt puta Confessionibus audiendis, aut Sacræ Theologiæ, ac Canonum studijs, aut infirmis, vel infirmis seruientibus extat Priuilegium Clementis VII. concessum Clericis Regularibus Theatinis, quòd scilicet Superiores illorum possint dispensare super recitatione Diuinorum officiorum, ad hoc quòd ipsi occupati, vel impediti, certum Psalmorum per ipsos superiores eis assignandorum numerum, non minùs septem, aut sex, cum diuisione, ac Orationem Dominicam septies, symbolum Apostolorum bis, grauiter autem ægrotantes Orationem Dominicam semel & salutationem Angelicam septies in die recitando, & septem horis Canonicis satisfecisse censerentur. Vide Bullam 38. *sup. v.* Bullarij, eiusdem Pontificis.

5. Tertia causa excusans ab obligatione recitationis diuini Officij, est, impotentia, qualis est carentia Breuiarij, sine quo diuinum Officium recitari non potest Filliucius *tract.* 23. *cap.* 9. *quæst.* 3. & 4 Nauarrus *de orat. cap.* 11. *num.* 23. Suarez *cap.* 28. *num.* 23. quia impossibilium non est obligatio: vnde cæcus ex toto aut etiam ex parte non tenetur ad Officium persoluendum dum legere non potest: similiter qui ob cæcitatem vel ob debilitatem, seu infirmitatem, vel ob Breuiarij carentiam, maiorem officii partem persoluere non potest, ad nihil tenetur iuxta Rodriquez 1. *part. cap.* 144. Dianam *part.* 2. *tract.* 12. *resolut.* 29. 30. 43. & *part.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 225. Graffijs *lib.* 2. *cap.* 54. *num.* 3. & alios, licet plurimi censeant talem teneri ad eam partem recitandam, quam potest, modò illa pars sit notabilis, & præsumatur intenta à legislatore. Ioannes autem Caramuel *in regul. D. Benedict. numer.* 1435. putat, infirmum, qui non potest recitare totum diuinum Officium, non teneri recitare partem. Ratio est, tum quia non datur præceptum indicens lectionem vnius horæ: tum quia ad impossibile nemo tenetur; ergo quando aliquis non potest satisfacere præcepto, non tenetur: atqui præceptum est de legendo toto officio, non de parte; ergo quando aliquis non potest satisfacere toti præcepto, non tenetur satisfacere parti. Tum quia datur vnicum solum præceptum de dicendo toto officio diuino, non plura.

Filliuc. Nauarr. Suarez. Rodriq. Diana. Graffijs.

Similiter infans, cui facta fuit beneficij aut sacrorum ordinum collatio ante rationis vsum, non tenetur ad horas canonicas: imò neque in adolescentia, nisi ordinis susceptionem ratificauerit postquam ad rationis vsum peruenit. Azorius *tom* 1. *lib.* 10. *c.* 13. *quæst.* 12.

Azorius.

An autem, qui non potest horas recitare absque auxilio socij, quem non consueuit adhibere, teneatur ad illum adhibendum? Probabile est non teneri, si non consueuerit illo vti: vt docet Lessius *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 9. *numer.* 54. quamuis probabilior sententia asserat, talem teneri socium adhibere, modò commodè possit adhibere & non sit surdus, vel surdaster: & beneficium habeat, ex quo fructus sufficientes habeat, ad conductionem socij: quia qui ex iustitia tenetur ad aliquid, tenetur etiam ad media ad illud ordinata, sed beneficiarius ex iustitia tenetur ad horas, ergo. Secus dicendum de illo, qui beneficium non habet, hic enim non tenetur suis proprijs expensis conducere socium, cùm ex iustitia non teneatur ad horas, sed ex religione, vel obedientia, quæ non ita strictè obligant, sicut obligat iustitia propriè accepta. Ita Nauarrus *cit. num.* 23. Suarez *cit. num.* 13. 15. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 183. Bonacina *de horis disp.* 1. *quæst.* 6. *part.* 2. *num.* 8. Filliucius *cit. numer.* 289. Layman *lib.* 4 *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Contra Sancium *in selectis disp.* 15. *numer.* 2. docentem cæcum non teneri Matutinam horam recitare, licet memoria retineat Psalmos: nec teneri socium quærere, cùm præceptum recitandi ad id non obliget, sed solùm permittat posse recitari cum socio, vt attentiùs & iucundius Officium dicatur: imò nec teneri cæcum Socium admittere, etiamsi se vltrò offerat ad recitandum: quia recitare cum socio priuilegium est, & fateor, quo non vti potest liberè, quantumuis pluries consueuisset priuilegio frui. Ita Sancius & alij, quos refert Garzias *de benefic. part.* 3. *cap.* 1. *numer.* 214. Vide Dianam *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 221. & *part.* 7. *tract.* 11. *ref.* 3.

Lessius. Nauarr. Suarez. Regin. Bonacin. Filliuc. Layman Sancius. Garzias. Diana.

Sed dubium est, an cæcus, vel ita oculis caligans, vt legere nequeat, teneatur horas persoluere, si illas memoriter sciat? Resp. teneri, quia præceptum non obligat ad recitandum per librum, neque requirit vt conditionem necessariam dicendi potestatem per librum; ergo dum cæcus potest recitare memoriter maiorem partem officij, ad illam teneri dicendum est; vt docet Faustus *de hor. canon. lib.* 2. *quæst* 229. citans Nauarrum & Azorium: quamuis Toletus *lib.* 2. *cap.* 14. simpliciter excuset cæcum.

Nauarr. Azorius Toletus

6. *Quarta causa* excusans omittentem diuinum officium, est *dispensatio summi Pontificis*; quia in hac obligatione dispensare potest, cùm horæ canonicæ iure humano Ecclesiastico institutæ fuerint: & ipsius dispensatio valida est, etiamsi concessa fuerit absque causa, cùm dispenset in propria lege. Episcopus verò per se loquendo dispensare non potest, quia in iure communi non habet dispensandi facultatem nisi in casu occurrente, Toletus *c. cap.* 14. *num.* 6. Filliuc. *c. cap.* 9. *num.* 304. Bonac. *c. part.* 3. *num.* 1. & alij.

Toletus; Filliuc. Bonacin;

SVPPLEMENTVM.

HVMILITAS.

SVMMARIVM.

1 *Humilitas vnde dicta? & quid sit.*
2 *Qua ratione cognitio sui comparetur.*
3 *An virtus humilitatis sit in intellectu, an in voluntate? & quod eius obiectum.*
4 *An humilitatis virtus ad temperantiam pertineat.*
Humilitas vna est cognitionis, altera affectionis.
5 *Qui sint dicendi actus humilitatis.*
6 *De duodecim gradibus humilitatis.*
7 *An detur præceptum de humilitate obligans ad mortale.*
8 *De tribus inuitamentis ad humilitatem comparandam.*

1 HVmilitas ab humo dicitur, quia per illam ad ima & veluti ad humum vsque deprimitur: quod fieri potest dupliciter. *Primò*, si contra voluntatem ab alio depressus sit, & hoc modo humilitas est pœna. *Secundò*, si quis sua sponte ex consideratione suorum defectuum se deprimat: & hoc modo est virtus, quæ varijs modis definiri potest.

Humilitas secundùm D. Thomam 2. 2. *q.* 161. *art.* 1. *ad* 1. *est virtus, qua quis defectum suum considerans se in infimis secundùm suum modum tenet*. Siue vt S. Bernardus initio tract. de gradibus humilitatis definit. *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit*. Cognitio enim proprij defectus, est directrix ac velut regula quædam humilitatis; ipsa autem humilitas essentialiter in appetitu consistit, tanquam directiua & moderatiua motuum ipsius, cùm sit virtus refrænans appe-

D. Th. D. Bern.

titum excellentiæ, prouueniens ea hoc quod homo verè cognoscat proprios suos defectus & imperfectiones. De qua Reginald. *lib.17. num.197.*

2. Cùm humilitas supponat cognitionem sui, dicendum est hanc cognitionem comparari, dum quis se coram Deo & Angelis constituens, considerat qualis sit, tum animo, tum corpore: quàm ignorans, quàm ad malum pronus, ad bonum lentus & infirmus, quàm rebus infimis addictus, quàm leuis & instabilis: quantis peccatis obnoxius, quantis miserijs subiectus: quàm in Deum ingratus? deinde se ex se nihil boni habere, nihil posse, nihil esse; sua omnia assiduè à diuina bonitate pendere, sicut imago in speculo pendet ab obiecto, & sine continuo & assiduo Dei influxu se in nihilum ruere. Quod bene demonstratur *Apoc.3.* dum Angelo seu Episcopo Laodiciæ, qui per cæcam superbiam sibi blandiebatur, dicens, *Diues sum ego, & locupletatus & nullius egeo*, Respondet Christus; *Nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus* Vnde ex ignorantia vel inaduertentia, qua homo suam, quam à Deo habet dignitatem, siue naturalem, siue gratuitam, non intelligit vel non considerat; non oritur humilitas, sed vilissima sui ipsius abiectio, ad ea quæ sunt homine indigna, vt ad peccata, turpitudines, & vanitates. Et licet eiusmodi abiectio, humilitatis nomine interdum palliatur: non est tamen vera humilitas, sicut nec illa, de qua Ecclesiast.19. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.*

3. Hæc virtus humilitatis non est in intellectu, sed in voluntate: quia inclinat voluntatem vt se intra mensuram sui suppositi contineat, nec ad aliquid per motum spei vel desiderij supra illam feratur. Obiectum verò huius virtutis est id, quod congruit nostræ vtilitati: hoc enim est quod per humilitatem & interiùs appetitur, & exteriùs agitur. Et licet id quod vile est, non sit quidem per se expetendum aut honestum, potest tamen sub alia consideratione honesti rationem induere, nempe vt est professio quædam seu testificatio nostri nihili, qua profitemur nos ex nobis nihil boni habere, nihil posse, nihil esse; & consequenter omne bonum nostrum esse à Deo, ad ipsum veluti Auctorem omnia referenda, in ipsum omnem laudem & honorem, qui nobis tribuitur, refundendum. Sub hac ergo ratione vilia & probrosa sunt obiectum humilitatis, quatenus nimirū per illa nostram sortem & tacitè diuinam in nos benignitatē testamur, quod sanè honestum est, & valdè laudabile.

4. Humilitas est virtus ad temperantiam (quæ & modestia vna ex quatuor Cardinalibus virtutibus) pertinēs, tanquam pars eius, refrænans motum spei, seu spiritus
D.Tho. in magna tendentis. Ita D.Thomas 2.2. *quæst.161. art.4.*
D.Bern. Est autem duplex humilitas, iuxta D.Bernardum *Serm. 4. de Aduentu Domini*. Altera cognitionis: altera affectionis, quæ cordis humilitas dicitur à Christo Matth.11. Priore cognoscimus quod nihil sumus: idque discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria. Posteriore calcamus gloriam Mundi: quam ab illo discimus, qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Rursus idem Sanctus *Sermon. 42. in Cantic.* distinguit duplicem humilitatem, alteram iudicij, quæ adhuc imperfecta est; alteram affectus, quæ perfecta iudicij humilitas est, qua quis seipsum ad lumen veritatis intuens agnoscit suam vilitatem, & se coram Deo demittit: non tamen vult ab aliis vilis haberi, sed potius magni æstimari & honorari; vnde potissimum hæc humilitas in iudicio remanet. Affectus humilitas est, qua quis etiam ab alijs talem se haberi cupit, qualem se coram Deo cognoscit. De priore humilitate iudicij audiamus Sanctum quomodo increpet eos qui hac sola contenti sunt. *Pondus*, inquit, *& pondus abominatio est apud Deum. Quid enim? Tu te depretiaris in secreto apud teipsum, veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretij mentiens, maiori te pondere vendis nobis quàm ab ipsa accepisti? Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, vt quem humiliat veritas extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum*, &c.

De vera autem humilitate effectus, sic ait. *Est humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem, & est humilitas, quam charitas format & inflammat; atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione consistit. Etenim tu, si temetipsum intus ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione diiudices, non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamuis necdum fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter atque salubriter demonstrauit, sicut splendore illuminatus, ita amore affectus fuisses; voluisses procul dubio, quod in te est, eandem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis.*

5. Actus humilitatis sunt, *Primò*, vilipensio & contemptus sui, per quem se, quoad ea, quæ ex seipso habet, nihil æstimet. *Secundò*, Reputare se omnibus Dei donis indignum & ad omnia ineptum; idque sine falsitate: quia talis reuera est secundùm ea, quæ ex seipso habet. *Tertiò*, Talem cupere se ab alijs iudicari & æstimari, qualem se veritatis sententia & in oculis Dei nouit esse, quantùm in ipso est: licet non sit semper expediens vt alij nostros defectus noscant, aut nihili nos æstiment, propter ædificationem & fructum aliorum. *Quartò*, censere se omnibus viliorem & deteriorem, iuxta ea, quæ ex seipso quis habet. Exemplum habemus de B.P. Nostro Francisco vt narrat D.Bonauentura cap.6. vitæ ipsius. *Cum beatificaretur*, inquit, *à pluribus, ad se sic dicebat; latroni si tanta contulisses Altissimus; gratior te foret Francisce.* Et cùm Frater quidam ab eo quæreret quid de seipso sentiret? humilis Christi seruus Franciscus ait. *Videor mihi maximus peccatorum*. Cui cùm Frater diceret ex aduerso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit: *Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè quod multo magis quam ego Deo gratior esset:* quia verè humilis etsi defectus, eosque graues in alijs videat, cogitare potest, ac interdum etiam deberet, aliqua mala etiam notabilia siue nota siue ignota sibi inesse, quæ non sunt in alijs. Hoc enim est ingenium humilitatis, in se intueri sua mala, in alijs, eorum bona. Sicut è contrario superbiæ indoles est, intendere in sua bona & in aliorum mala. *Quintò*, Actus humilitatis est subiicere se Deo vt opus suo factori, vt de se disponat pro suo beneplacito in omnibus, præsertim, quæ ad hanc vitam pertinent, verbi gratia, quoad paupertatem vel diuitias, sanitatem, vel morbum, mortem vel vitam attinet. Deniq; verus humilis, quantùm in se est, semper in externis rebus & functionibus amplectitur id, quod est abiectius & minus honoratum; debet tamen habere rationem officij quod gerit. Hæc dicta sint ex mente D.Thomæ *in dicta q.161.* & aliorum Doctorum *ibid.* D.Tho.

6. Humilitas habet duodecim gradus, quorum *Primus* est, corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus. *Secundus*, pauca verba & rationabilia loqui moderata voce. *Tertius*, non esse promptum aut facilem ad risum. *Quartus*, tacere donec interrogeris. *Quintus*, accommodare se communi regulæ, vitando singularitatem. *Sextus*, omnibus se viliorem, & inferiorem, non solùm lingua pronuntiare, sed etiam intimo cordis affectu credere. *Septimus*, credere & confiteri se ad omnia indignum & inutilem, secundùm considerationem propriæ fragilitatis. *Octauus*, confiteri peccata sua. *Nonus*, in duris & asperis non recedere ab obedientia, sed amplecti patientiam. *Decimus*, pro Dei amore omni obedientia se subdere maiori. *Vndecimus*, Delectari implere voluntatem non suam, sed Dei. *Duodecimus* est, Dei timorem semper habere; & meminisse eorum quæ præcepit. Hic gradus est ordine postremus & perfectissimus, ad quem cæteri omnes referuntur, & est fundamentum ac regula cæterorum graduum. Timor enim Domini initium Sapientiæ. *Prou.* 1. de quibus vide D.Thomam *loco cit. art. 6.* vbi hi gradus explicantur. D.Tho.

7. Datur præceptum de humilitate obligans ad mortale. Probatur hoc ex multis Scripturæ locis. *Discite à me*, ait Christus Matth. 11. *Quia mitis sum & humilis corde*, & cap.18. *Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum*. Isai. 66. dicit

Do-

Dominus, *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum* (humilem dixerunt 70.) *& contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Quibus auctoritatibus Scripturæ, cùm satis significetur ad consecutionem æternæ salutis necessariam esse humiliationem, actum proprium humilitatis, negari non potest, quin ea sit in præcepto, quod sub mortali obliget, tanquam datum de re ad salutem necessaria. Propterea notandum est, distingui tres gradus humiliationis. *Primus* est, subdere se maiori & non præferre se æquali: hic gradus est sufficiens ad impletionem memorati præcepti. *Secundus* est, subdere se æquali, nec se præferre minori: & hic est abundans, tanquam opus supererogationis. *Tertius* est, subdere se minori: & in hoc est omnis iustitia.

Contra hoc præceptum peccatur per omissionem quando, scilicet, fit aliquod opus omninò exigens humiliationem sui coram Deo aut quando offert se occasio peccandi mortaliter, ad quam vitandam talis humiliatio est omninò necessaria, vt in vehementi tentatione, recurrendum est ad humilem implorationem diuini auxilii ad vincendum eam. Per Commissionem peccatur, superbè efferendo se, vel imprudenter & indecorè deiiciendo se, non seruatis debitis circunstantijs. Exemplum est, si Sacerdos subiiciat se foro sæculari, aut Episcopus preponat sibi Sacerdotem, &c. De quibus vide Syluium
Syluius. Reginal. *in 2.2.quæst.161. art.5. & 6.* Reginaldus *lib.17. num.*200. *& seq.*

8. Ad humilitatem tria præcipuè nos inuitant. *Primò*, Exemplum Christi, qui etsi omnium esset Summus, tamen in natura humana fuit humillimus. Quis enim satis ponderabit humilitatem eius? qui Dei filius, Rex regum & Dominus dominantium, vixit io hoc mundo sine domo, agro, pratis, vineis propriis: in habitu parco: non habens vbi reclinaret caput suum. *Luc.* 9. Et cùm innocentissimus esset, ab improbis ac nocentibus hominibus sustinuit pro nobis opprobria, calumnias, despectus, insidias, persecutiones, flagra, cruciatus dirissimos, tandemque ignominiosissimam ac crudelissimam mortem. *Ad Philipp.* 2. Vnde meritò Ecclesia io collecta dicit *Deus, qui ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere & crucem subire fecisti, etc.* Imò ipsemet Christus legifer noster nos ad hanc humilitatem inuitat, dicens Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

Secundum est ratio veritatis, hæc enim si ad eius libellam nos appenderimus, quodammodo ad humilitatem nos cogit. Quis enim dum suam vtilitatem, prauitatem, imbecillitatem, suumque nihilum intuetur, se magni æstimare queat.

Tertium, quia humilitas est fundamentum virtutum, non quidem directè & principaliter, sed indirectè & dispositiuè. Ratio prioris est, quia fides est directè prima virtutum, eò quòd per eam fiat primus accessus ad Deũ, dicente Apostolo ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Posterior pars probatur, quia humilitas est prima per modum remouentis impedimentum, quod est superbia: & reddit hominem subditum ac veluti aptum ad influxum gratiæ recipiendum, in quantum euacuat inflationem superbiæ. Vnde Iacob. 4. dicitur, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Impedit enim superbia influxum diuinæ gratiæ: & consequenter, virtutum studium, quod sine auxilio
D. Tho. gratiæ constare nequit. Ita D. Thomas *loco cit. art. quinto in resp. ad* 2.

HYPOCRISIS.

SVMMARIVM.

1 *Hypocrisis vnde dicta? & quæ eius definitio*
2 *Hypocrisis duæ sunt species.*
3 *Hypocrisis quando sit peccatum mortale.*

1. Hypocrisis, Græca dictio Latinè significat simulationem: cùm quis aliam personam simulat, quam ipse est: siue cùm vult alius videri, quàm est. Transfertur inde ad eos, qui aliud in pectore gerunt, aliud in ore: cumque se probos, piosque haberi cupiunt, longissimè tamen absunt ab ea persona, quam simulant.

Definitur Hypocrisis simulatio alienæ personæ: vt cũ peccator simulat personam iusti. Hypocrisis tamen minus latè patet, quam simulatio: omnis enim hypocrisis est simulatio, non tamen omnis simulatio est hypocrisis, sed solùm ea qua quis simulat personam alterius. Et quãuis olim illi, qui personas alienas agere solent, tanquam viles & infames habebantur. Nihilominus in scripturis noui Testamenti hypocrita pro simulatore viri sancti seu sanctitatis vsurpatur, id est, pro illo qui cùm sanctitatem non habeat, vult tamen videri eam habere. Non tamen omnis qui sua peccata occultat ne alios scandalizet, hypocrita est dicendus: sed is solus, qui eo fine sanctitatem simulat, vt quam non habet, videatur habere. Ita D. Thomas 2.2.q.111.art.2. & alij communiter. D. Tho.

2. Hypocrisis duæ sunt species. Prima est, quando homo non vult virtutem quam simulat, sed apparere habere eam. Altera est, cùm homo non habet quidem virtutem, tamen simulat se habere, quam non habet; illa peior est quàm hæc: nam per illam non solùm vult homo apparere, sed etiàm vult contrarium virtutis; per hanc autem solùm vult virtute præditus videri, quam non habet. Vnde *Hypocrita Sanctus esse non appetit, sed vocari, & cum fortasse corripitur, quasi in opinionis gloria detruncatur. Deprehensum se in prauitate irascitur; loqui sibi redarguentem prohibet, quia velut in occulto vulnere tactus dolet. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus æstimari; & paratior est mori, quàm corripi. Redargutione deterior redditur, quia quasi dira percussionis æstimat iaculum, puritatis verbum. Vnde exasperatus protinus in contumelias surgit, & qua mala exaggeret contra vitam correptoris inquirit.* Ita D. Gregorius *in Iob lib.5.cap.*16. D. Greg.

3. Hypocrisis per se est peccatum veniale: potest tamẽ esse peccatum mortale, in duobus casibus. *Primò*, ratione finis; vt si quis simulet se iustum, Sanctum, Prophetam, Doctorem veritatis; vt falsam doctrinam seminet; sicut faciunt hæretici præsertim ministri: hi sunt verissimi hypocritæ, interiùs lupi, exteriùs oues quos cauendos Dominus monuit, Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Item cùm quis se castum simulat, vt ei committatur puella, quã abuti statuit. *Secundo*, cùm habet coniunctum notabile damnum proximi, vt cùm Medicus, vel Patronus se doctum simulat cum notabili damno eorum, qui opera ipsorum vtuntur. Item si hoc nomen simul inuoluat contemptum sanctitatis, vel religionis internæ. Hoc modò multi politici huius ætatis sunt hypocritæ; solùm enim curant vt exteriùs videantur iusti vel Catholici, cùm internam Religionem nihil faciant: talis hypocrisis est peccatum mortale, ratione illius contemptus, quem includit. Ita D. Thomas *loc. cit. art.* 4. Syluius *ibidem*, Toletus *lib.8.c.9.* Nauarrus *in Man. cap.18.n.8.* Reginaldus *lib.17.n.*213. & alij. D. Thó. Syluius. Toletus. Nauarr. Reginal.



FINIS.

INDEX



INDEX

Et Repertorium eorum omnium, quæ in hac Summa continentur.

Prior numerus paginam; alter sedem materiæ designat.

A

Abbas.



Acceptio personarum.

Accusatio.

Aduocatus.

Alienatio.

Si

Alimenta.

diues

& hæ

B

Bannitus.

BAPTISMVS.

Quoad eius institutionem & necessitatem.

BAPTISMVS.

Quoad eius nomen, institutionem & necessitatem

BAPTISMVS.

Quoad eius materiam & formam.

BAPTISMVS.

Quoad eius materiam & formam.

BAPTISMVS.

Quoad eius subiectum & ministrum.

BAPTISMVS

Quoad eius subiectum & ministrum.

BAPTISMVS.

Quoad eius effectus & ritus.

BAPTISMVS.

Quod eius effectus & ritus.

Bellum.

Benedictio.

Epiſ.

Beneficiorum collator.

Beneficiorum collatio.

Beneficiorum amissio.

BENEFICIVM.

De beneficio regulari, vel regularibus concedendo.

BENEFICIVM.

Qui de iure ad beneficia inhabiles sint.

BENEFICIVM.

De beneficiorum vnionibus.

BENEFICIVM.

De beneficiorum reseruationibus ac deuolutionibus.

BENEFICIVM.

De Beneficijs patronatus.

BENEFICIVM.

Quoad formam seruandam in prouisione, beneficiorum.

BENEFICIVM.

De permutatione, & resignatione beneficiorum.

BENEFICIVM.

De certis quibusdam modis quibus beneficia amittuntur.

Bestialitas.

C

Capitulum.

Capitulum.

Cardinalis.

Casus reseruatus.

ecc-

Causa.

Censura.

Censura

Census.

fraus

Cessatio à diuinis.

Cessio bonorum.

Quan-

Circumstantia.

Clausula.

Clericus.

Nomine.

Commendatarij.

Commendationes Ecclesiarum.

Communio sacra.

Pro-

Communio Sacra.

Si

Compensatio.

Compensatio.

Compromissum.

Concilium.

Concubinarius.

Concubinatus.

Confessarius. Quoad potestatem ordinariam.

Confessarius.

Quoad potestatem delegatam.

Confessarius,

Quoad approbationem eius.

Reli-

Confessio. Quoad eius exemptionem.

Confessio. Quoad eius materiam.

Confessio. Quoad conditiones illius.

Confessio. Quoad integritatem eius formalem.

Confessio. Quoad eius inualiditatem, & iterationem.

Confessarius. Quoad eius sigillum.

Confessio Sacramentalis.

Confirmationis Sacramentum.

Confirmationis Sacramentum.

Conscientia.

Iure

quam

Consensus.

Consilium.

Consuetudo.

De consuetudine peccandi vide V. Circumstantia 14

Contractus.

Contemptus.

Contentio.

Continentia.

Contractus.

Contractus.

Contritio.

Contritio.

Contumelia.

Contumelia.

Correptio Fraterna.

Crimen.

Culpa.

Ex cul.

Curiositas.

Custos.

D.

Debitor, Debitum.

Debitum coniugale.

Quoad illius petitionem, & redditionem.

Decima.

Decimæ.

Degradatio.

Delectatio.

Delegatus, Delegata potestas.

Denunciatio.

Depositum.

Depositum.

Derisio.

Detractio.

thori-

Detractio. Quoad famæ restitutionem.

Deuotio.

Dies.

Dignitas.

Discordia.

Dispensatio.

Diuinatio.

cali-

Diuortium.

Dominium. Quoad eius subiectum & obiectum.

Dominium. Quoad modum illud acquirendi.

Dominium.

Domicilium.

Donatio.

Donatio & Promissio.

Donatio inter coniuges.

Dos.

Dubium.

Dubium.

Duellum.

E.

Ecclesia.

Electio.

Electio.

Eleemosyna.

Elec-

Emptio.

Epicheia.

Episcopus.

EVCHARISTIA.

Secundùm se, & quoad illius formam, & materiam.

Eucharistia.

Quoad ministrum, & effectus.

Eucharistia.

EXCOMMVNICATIO.

Quoad eius essentiam, & diuisionem.

EXCOMMVNICATIO.

Quoad eius causas.

EXCOMMVNICATIO.

Quoad illius effectus.

Excommunicatio Minor.

EXCOMMVNICATIO.

Quoad eius absolutionem.

Excommunicationes Bullæ cœnæ Domini.

Excommunicationes Papæ reseruatæ extra bullam cœnæ Domini.

Excommunicatio propter clerici percussionem.

Excommunicationes nomini reseruatæ in Decreto, Decretalibus, Sexto lib. Decretalium, & Clementinis.

Excommunicationes Concilij Tridentini.

EXCOMMVNICATIO.

Quoad potestatem ferendi excommunicationem pro contumacia, & quando illa incurratur.

E X C O M M V N I C A T I O.

Quoad illius quoſdam effectus.

EXCOMMVNICATIO.

Quoad cæremonias in solemni excommunicatione & absolutione adhiberi solitas.

Excommunicatio minor.

EXCOMMVNICATIO.

Ob Clerici percussionem.

Extremæ Vnctionis Sacramentum. Quoad eius institutionem, materiam & formam.

Extremæ Vnctionis Sacramentum. Quoad eius ministrum & suscipientem.

Extremæ-Vnctionis Sacramentum. Quoad illius effectus & ritus.

F.

Falsarius.

Famulus.

Festum. Quoad institutionem.

Festum. Quoad opera in illo prohibita & permissa.

Festum. Quoad causas excusantes laborantes in die festo.

F E S T V M.

Quoad potestatem illud instituendi.

præ

F E S T V M.

Quoad opera seruilia, quæ licita sunt in die festo.

Feudum.

Fideiussio.

tenea-

Fideicommissum.

Fides. Quoad eius necessitatem & præceptum.

Fides. Quoad illius externam confessionem, professionem, & de disputatione rerum fidei.

FIDES.

Humana & Diuina.

FIDES.

Quoad exteriorem actum fidei.

Filius.

Filius, Filia.

Fiscus.

Fœmina.

Fornicatio.

proba-

ad

Gula.

H.

Hæres Hæreditas.

Hæresis Hæreticus.

esse

Licet

Homicidium casuale.

Homicidium obligans ad restitutionem.

HOMICIDIVM.

Voluntarium, & casuale.

HOMICIDIVM.

Quoad restitutionem.

Honor.

Horæ canonicæ. Qui teneantur ad illas.

HORÆ CANONICÆ.

Qui teneantur ad horas.

Horæ Canonicæ. Quoad earum formulam, & modum illas recitandi.

HORÆ CANONICÆ.

Quoad modum, & formulam eas dicendi.

Horæ Canonicæ. Quoad ordinem, & tempus illas recitandi.

HORÆ CANONICÆ.

Quoad tempus & locum vbi debeant recitari.

HORÆ CANONICÆ.

Quo in loco, & quo corporis situ sint recitanda.

HORÆ CANONICÆ.

Quoad illarum omissionem, & fructus restituendos.

HORÆ CANONICÆ.

De restitutione facienda ob omissionem horarum, & de distributionibus.

Horæ Canonicæ. Quoad causas excusantes, ab illarum recitatione.

Humilitas.

Hypocrisis.

F I N I S.